MICHAELIS ETTMÜLLERI

PHILOS. ET MED. D.

Hujusque in Illust. Lipsiensi Academia Profess. Publ. & Practici, dum viveret, longè felicissimi & celeberrimi,

OPERA OMNIA


MEDICO-PHYSICA, THEORETICA ET PRACTICA.

EDITIO POSTREMA,

Accuratissimè ad mentem Auctoris recognita, mendis omnibus castigata, ac prioribus Editionibus duplo auctior, utpotè quæ omnes Auctoris Tractatus, Exercitationes, ac Collegia, ab eodem tàm publicè, quàm privatim habita, congruis in locis harmonicè connexa complectitur, ut nihil ampliùs desiderari queat.

Cum Indice locupletissimo ad calcem totius Operis.

TOMUS TERTIUS.


VENETIIS. M.DCC.

Apud Joannem Jacobum Hertz.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

SERIES
MATERIARUM ET TRACTATUUM
In hoc Tertio Tomo contentorum.

COLLEGIUM PHARMACEUTICUM IN JOHANNIS SCHROEDERI

Pharmacopœjam Medico-Chymicam.

PARS I.

SECT. I. *De Phytologia seu Regno Vegetabili: Cui harmonicè connexæ sunt Demonstrationes seu Lectiones Botanicæ.* Pag. 1
Schema generalem herbarum notitiam comprehendens. 3
Clas. I. *De Alterantibus Primariis, quæ sunt Plantæ, harumque Membra.* 4
II. *De Alterantibus Secundariis, quæ sunt Succi, Olea, Lachrymæ, Resinæ, Gummi-Resinæ, Gummata, &c.* 130
III. *De Purgantibus Primariis.* 159
IV. *De Purgantibus Secundariis.* 174
SECT. II. *De Zoologia seu Regno Animali.* 180
Clas. I. *De Animalibus Terrestribus perfectioribus.* 181
II. *De Avibus.* 206
III. *De Piscibus.* 211
IV. *De Insectis.* 216
SECT. III. *De Minerologia, seu Regno Minerali, cui harmonicè connexa Demonstratio Mineralium.* 224
Cap. I. *De Mineralibus in genere, eorumque Principiis.* 224
II. *De Terris, earumque differentiis.* 224
III. *De Aquis.* 229
IV. *De Lapidibus in genere.* 234
V. *De Gemmis.* 237
VI. *De Coralliis.* 239
VII. *De Margaritis.* 242
VIII. *De Lapidibus cæteris minùs pretiosis.* 243
IX. *Demonstratio aliquot Minerarum.* 253
X. *De Metallis.* 254
In specie de Sole seu Auro. 259
XI. *De Luna seu Argento.* 266
XII. *De Marte seu Ferro.* 268
XIII. *De Venere seu Cupro.* 273
XIV. *De Saturno seu Plumbo.* 276
XV. *De Iove seu Stanno.* 279
XVI. *De Mercurio.* 281
XVII. *De Cinnabari.* 292
XVIII. *De Antimonio.* 293
XIX. *De Recrementis Metallicis naturalibus.* 305
XX. *De Recrementis Metallorum artificalibus.* 307
XXI. *De Salibus in genere.* 307
XXII. *De Sale communi.* 308
XXIII. *De Sale fossili seu Sale Gemmæ & Indo.* 310
XXIV. *De Nitro.* 310
XXV. *De Alumine.* 314
XXVI. *De Sale Ammoniaco.* 316
XXVII. *De Vitriolo.* 318
XXVIII. *De Arsenico.* 325
XXIX. *De Sulphure.* 326
XXX. *De Bitumine & Ambra.* 330
XXXI. *De Succino.* 330
XXXII. *De Spermate Ceti.* 332
XXXIII. *De Asphalto, Naphtha, Petroleo & Oleo Terræ.* 333
XXXIV. *De Carbone Petræ & Gagate.* 333

PARS II.

De Medicamentis Compositis seu Pharmaceuticis. Pag. 334
Cap. XXXVII. *De Acetis.* 334
XXXVIII. *De Aquis destillatis.* 335
XXXIX. *De Aquis reliquis usui externo dicatis.* 339
XL. *De Balsamis odoriferis.* 342
XLI. *De Balsamis destillatis.* 343
XLII. *De Bolis.* 343
XLIII. *De Calcibus seu Calcinatis.* 343
XLIV. *De Cataplasmatis.* 345
XLV. *De Clysteribus.* 346
XLVI. *De Conditis.* 348
XLVII. *De Confectionibus saccharatis.* 349
XLVIII. *De Conservis.* 349
XLIX. *De Decoctis.* 349
L. *De Eclegmatis, Lohoch.* 352
LI. *De Electuariis.* 353
LII. *De Elixyriis.* 357
LIII. *De Emplastris, Ceratis, & Dropacibus.* 360
LIV. *De Emulsionibus.* 362
LV. *De Errhinis.* 363
LVI. *De Epithematis.* 365
LVII. *De Extractis ac Menstruis.* 366
LVIII. *De Quintis Essentiis.* 369
LIX. *De Fæculis.* 370
LX. *De Floribus.* 371
LXI. *De Gargarismatis, Diaclysmatis, & Dentifriciis liquidis.* 371
LXII. *De Gelatinis.* 372
LXIII. *De Infusionibus.* 373
LXIV. *De Iulebis & Moretis.* 374
LXV. *De Lapidibus.* 374
LXVI. *De Liquoribus per deliquium.* 375
LXVII. *De Magisteriis.* 375
LXVIII. *De Masticatoriis.* 377
LXIX. *De Morsulis & Rotulis.* 377
LXX. *De Oleis destillatis.* 378
LXXI. *De Oleis expressis.* 381
LXXII. *De Oleis per infusionem & coctionem.* 381
LXXIII. *De Pilulis.* 382
LXXIV. *De Potionibus.* 387
LXXV. *De Pomis Ambræ.* 387
LXXVI. *De Præparatis.* 387
LXXVII. *De Pulveribus & Speciebus.* 388
LXXVIII. *De Sacculis.* 393
LXXIX. *De Salibus præparatis.* 394
LXXX. *De Sapone odorato.* 398
LXXXI. *De Spiritibus.* 398
LXXXII. *De Succis.* 401
LXXXIII. *De Suppositoriis & Pessis.* 402
LXXXIV. *De Syrupis, Mellibus, & Robis Syrupisatis.* 404
LXXXV. *De Tincturis.* 407
LXXXVI. *De Trochiscis.* 408
LXXXVII. *De Balsamis inunctoriis, Linimentis, Unguentis.* 409

COL-

COLLEGIUM PHARMACEUTICUM IN DANIELIS LUDOVICI Pharmaciam Moderno Seculo applicandam.

PROLEGOMENA. Pag. 414

TIT. I. *De Selectu Remediorum in genere.* 414
II. *De Universalibus Medicinis.* 423
III. *De Purgantibus Vegetabilibus.* 424
IV. *De Laxantibus.* 430
V. *De Vomitoriis.* 433
VI. *De Purgantibus Mineralibus.* 434
VII. *De Diaphoreticis Vegetabilibus.* 440
VIII. *De Diaphoreticis Animalibus.* 449
IX. *De Diaphoreticis & Alexipharmacis Mineralibus.* 454
X. *De Diureticis Vegetabilibus.* 466
XI. *De Diureticis Animalibus.* 471
XII. *De Diureticis Mineralibus.* 473
XIII. *De Generalibus Morborum Chronicorum remediis, vulgò Aperientibus, Incidentibus, Detergentibus; speciatim Antiscorbuticis, Hypochondriacis, Hepaticis, & Spleneticis dictis: revera Alterantibus, nempe Acidum plus minùs viscidum corrigentibus, Bilemque plus minùs acuentibus.* 478
XIV. *De Stomachicis, & Uterinis.* 483
XV. *De Pectoralibus.* 485
TIT. XVI. *De Aperitivis Animalibus.* Pag. 486
XVII. *De Aperientibus Mineralibus.* 488
XVIII. *De Roborantibus calidis, aliàs cardiacis, quæ simul internè Carminantia, externè Resolventia, seu Discussiva esse solent.* 496
XIX. *De Cephalicis Antepilepticis & Nervinis.* 499
XX. *De motum Spirituum sistentibus, sive Stupefacientibus, Narcoticis, item Anodynis & Epicerasticis, vel Lenientibus, vel Temperantibus, item Emollientibus.* 505
XXI. *De temperatis Analepticis, Roborantibus, & Refrigerantibus.* 510
XXII. *De Vulnerariis, Adstringentibus, Detergentibus, atque topicis residuis externis.* 515

COLLEGIUM, Sistens Doctrinam præscribendarum Formularum.

PRÆLOQVIUM. Pag. 521

SECT. I. *De Præscriptione Formularum in genere.* 521
II. *De Formulis in specie.* 526
CAP. I. *De Pulveribus & iisdem subordinatis Formulis.* 526
II. *De Pilulis seu Catapotiis.* 542
III. *De Potionibus seu Misturis variis, & subordinatis Formulis.* 546
IV. *De Infusis & Decoctis.* 572
V. *De Inunctionibus variis, Linimentis & Emplastris.* 610



MICHAE-



MICHAELIS ETTMÜLLERI,

Philosoph. & Med. Doctoris,

COLLEGIUM PHARMACEUTICUM IN JOHANNIS SCHROEDERI

Pharmacopœjam Medico-Chymicam.



Ntea quàm nos accingamus ad Medicamentorum Compositionem artificialem, operæ pretium erit singula vulgò dicta ingredientia aut simplicia enucleatè proponere, ut ex cujusvis natura probè perspecta, deinceps de ipso composito remedio rectiùs judicare possimus.

Universa autem materia medica tribus communiter regnis absolvitur:

I. Minerali,
II. Vegetabili, atque
III. Animali.

Hinc, juxta Autoris nostri ductum à primo, nempe minerali regno, jam initium faciendum esset, utpote quod reliquorum ferè fundamentum est: Cùm verò regnum vegetabile, ex quo Medicina primordia sua traxit, sit omnium facilius, nec vulgares sint reconditæ virtutes sub simplicibus vegetabilibus, multumque in recessu habeant, à Phytologia, seu illa Pharmacologiæ parte, qua plantarum natura, virtutes & Præparationes enodantur, incipiemus, progressuri ad magis ardua.

PARTIS PRIMÆ SECTIO I.

TRADENS

PHYTOLOGIAM seu REGNUM VEGETABILE:

Cui, ob materiæ Convenientiam, & evitandas Repetitiones, harmonicè connexæ sunt Demonstrationes, & Lectiones Botanicæ in HORTO MEDICO LIPSIENSI publicè institutæ Anno 1682.



T generalia quædam consideremus, quoad ortum patet, ex *SENECA*, quod Medicinæ notitia fuerit primò quorundam simplicium & plantarum; uti ex *DIOSCORIDE* videre est & *GALENO*, *MESUE*, *MATTHIOLO*, *LUSITANO*, &c. qui *Commentariis suis DIOSCORIDEM* explicavere. Verùm, quamplurima sunt superaddita, objiciet quis; & exoticorum multa accessere? Resp. Plurima quidem circumferuntur, sed ab agyrtis, aniculis, &c. quæ incerta, dubia sunt, & fallacia. Imò, quid si juniperum, sambucum, buxum, corylum, &c. præferrem ligno guajaco, sassafras, Chinæ-Chinæ, salsæparillæ? lapidibus Bezoardicis calculum humanum præponerem? Et cognitio hæc, quod cum reliquis artibus successivè sumpserit incrementa, non est negandum.

Antequam autem ipsas plantas consideremus, quædam in genere monenda erunt de scriptoribus partim botanicis, partim & variis vegetabilium generibus.

Scriptores, qui studio huic Botanico ex professo operam suam locarunt, sunt duplices; vel veteres, vel recentiores.

Inter veteres primus omnium vegetabilium historiam systematicè proposuit *DIOSCORIDES*, quem secutus est *GALENUS*, omnia ferè ex prædicto *DIOSCORIDE* exscribens. Hunc Arabes postmodum excepere. In *DIOSCORIDEM* illum posteà *commentarium* scripsit *MATTHIOLUS*, *Animadversiones* verò *AMATUS LUSITANUS*.

Inter recentiores Botanicos 2. Classes invenire licet:

I. Est eorum, qui Grammaticè tantùm de vegetabilibus scripserunt, appellationibus nudis & formis externis contenti, ut *BAUHINUS*, *CLUSIUS*, *CORNUTUS*, *LOBELIUS*, *ALPINUS*, &c. Hi curiosè quidem, sed Grammaticè tantùm, plantas tractant.

II. Est eorum, qui Medicè de iisdem egerunt, vires imprimis & facultates earundam scrutantes: ex quibus clarent *TABERNÆMONTANUS*, copiosus quidem, sed confusus & incertus Autor; *SIMON PAULI*, qui est elegans, & simul tamen copiosus, atque cum judicio scripsit; *CASPAR HOFFMANNUS in Tr. de Medic. Officinalibus*, qui de nomine specie & usu multa in ordinem reduxit, quæ alii confusè tractarunt, sed more Galenicorum, cum fuerit purus Galenicus. *KARRICHTERUS in Botanico German.* commendandus, qui vestigiis *PARACELSI* insistens, modum colligendi & asservandi ostendit accuratum, quod nemo ante eum fecit; Omnibus palmam præripit in scrutinio morborum, ab incantatione ortorum: Quin ipse *PARACELSUS Herbarium* concinnavit, sed parvum, modum tamen inibi ostendens verum studium hocce perscrutandi, & quomodo vires simplicium sint cognoscendæ.

Facultates aliàs simplicium horum plerumque à qualitatibus primis, caliditate, frigiditate, &c. ut & aliis occultis determinantur; sed minùs rectè: Hac enim ratione omnes virtutes specificæ oc-

cultæ jacerent, & protsus laterent, quæ tamen maximam partem in curando absolvunt. Quid? quod prædictæ illæ qualitates prorsus imaginariæ sint; cùm harum nulla in herbis quibusdam & aliis simplicibus inveniatur, quæ tamen respectivè tantùm, prout subjectum offendunt, in illud agunt: v.g. spina digito infixa summum calorem infert, cum tamen per se minus calida sit: piper, & spiritus vini in se actu frigidus est, in corpus tamen assumptus intentissimum calorem infert: spiritus nitri internè frigidus censetur, & rectè; externè verò est calidissimus: camphora frigida est, attamen sulphurea, cùm in media nive ardeat.

Rectiùs igitur virtutes vegetabilium determinandæ sunt à mistura materiali seu textura minutissimarum particularum, non vi radiativa & ideali: nam amuleta v. g etiam per emanationem effluviorum actionem suam in spiritibus nostris perficiunt, quicquid agunt. Radix scilicet & fundamentum omne consistit in tali textura, qua mutata mutatur & effectus: sic purgantium textura per acida variata, variatur etiam facultas purgatrix: sic antiscorbutica per exsiccationem castrantur, ob mutatam particularum texturam.

Inter particulas autem hasce primatum obtinent subtiliores, & volatiliores salinæ & oleosæ: inde enim est, quod per sapores & odores subinde sese manifestent vegetabilia notabiliora: v. g. *Cinnamomi* virtutes, quas obtinet, in sale volatili oleoso copiosissimo, in eo contento fundantur, hinc vis analeptica, stomachica, calefaciendi, &c. His enim per destillationem exhaustis cortex iners est, omni ἐνεργείᾳ carens. In cochlearia vis antiscorbutica est, ob sal volatile acre.

Prout autem variat hæc textura materialis, ita & variant vegetabilium vires; hinc longè alia virtus sæpè est in foliis, alia verò in radice unius ejusdemque plantæ. Sic in sambuco, quod *integrum* pharmacopolium potest implere, alia vis sese exserit in foliis, alia in cortice, alia quoque in radice: Radix scilicet purgat hydropicos; juli faciunt vomitus; flores lac procreant; succus autem inspissatus dysenteriæ & erysipelati prodest, & sudorem pellit. Gentiana convenit in quartana, myrrha in menstruis deficientibus & similibus.

Hisce præmissis jam propiùs ad vegetabilia accedamus, quæ doctrinæ melioris gratia secundùm omnes illarum partes distinguemus, harumque simul texturam materialem, & ex his producta varia pharmaceutica, considerabimus.

Inter partes vegetabilium sunt. I. *Radices & ligna cum* suis *Corticibus*, quæ in genere conveniunt, & viam suam debent sali acido volatili: Hæc ipsa enim igne chymico examinata, in vase clauso dant

1. *Phlegma* iners.
2. *Spiritum acidum* volatilem, qui in recessu habet sal volatile, cujus rei testimonium perhibet fuligo, cum quo prodit
3. *Oleum* penetrans, sed empyrevmaticum.
4. Relinquunt pro capite mortuo *Carbones*.

Quod si verò igne aperto comburantur, Spiritus & oleum sub forma flammæ evolantes condensantur tandem in fuliginem, ex qua phlegma, paucus spiritus acidus, copiosum sal volatile oleosum & empyrevmaticum, sed penetrantissimum, obtineri per destillationem potest: remanet caput mortuum, ex terra & sale fixo constans, quale caput mortuum sub nomine cinerum etiam post istam lignorum deflagrationem remanere solet.

Observandum autem, quod omnia hujusmodi producta copiosiora longè habeantur ex corticibus, ut pote magis resinosis, quàm ipsis lignis; uti speciatim in ligno guajaco manifestum est, cujus cortex longè magis impræegnatus est particulis medicamentosis activis, unde ista producta Chymica oriuntur, quàm ipsum lignum.

Porrò ex his lignis, & hisce congeneribus durioribus corticibus & radicibus, mediante spiritu vini essentia resinosa extrahi potest, quę copiosa aqua præcipitata pulverem copiosum in forma sicca exhibet; vel abstracto spiritu in Extractum redigi potest: Caput mortuum verò seu ligna ista, ex quibus essentia ista extracta fuit, destillando suggerit adhuc egregium spiritum acidum, sed nullum vel paucum admodum oleum; adeò ut talia olea destillata nil aliud sint, quàm resinæ, vi ignis in oleosum corpus colliquatæ. Præter Essentiam resinosam, cum spiritu vini extrahendam, etiam mediante aqua per cocturam extractum gummosum elici potest, dum aquæ medio resolvuntur salia in lignis, & horum medio simul junctum ipsis elicitur oleum resinosum, à quibus decocta lignorum vim adeò potentem sudoriferam obtinent.

II. Post ligna considerentur ipsæ *plantæ* seu *herbæ*, earumque *caules*, *folia*, &c. Hæ ipsæ ratione texturæ materialis, & inde productorum chymicorum commodè sub *quintuplici Classe* iterum veniunt considerandæ.

Prima classis est illarum, quæ sunt succulentæ, ferè insipidæ, adeoque abundare videntur phlegmate, & temperatum alcali volatile continent; Quales sunt lactuca, parietaria, portulaca, & sedum majus. Hæ in anatome chymica pro usu medico subministrant aquas destillatas, & succum expressum in Rob blandè inspissandum. Plantæ tales vulgò frigidæ aut refrigerantes dicuntur atque humidæ.

Secunda est earum, quæ habent saporem acidulum & blandè adstrictorium, gaudentque sale essentiali tartareo, & phlegmate copioso mercuriali, & sunt absque odore. Tales sunt omnes species acetosarum, &c. subministrant hæ aquam, sed minus efficacem; in succo enim remanet sal essentiale crystallinum instar tartari, ejusdem figuræ & saporis, in quo earum efficacia quasi concentrata est.

Tertia est earum, quæ habent saporem amarum, sed citra odorem, adeoque in suo concreto constant sale nitroso quasi tartareo. Tales sunt carduus benedictus, fumaria, cichorium, lupulus, vulneraria pleraque, & similia. Hæ ipsæ subministrant aquam, & imprimis ex illarum succo elicitur sal essentiale, quod rectificatum super proprios cineres simillimum erit nitro, tàm in figura quàm in gustu, & ardet etiam instar nitri; unde vis diuretica.

Quarta est earum, quæ saporem habent admodum acrem & mordicantem, quales sunt omnes species nasturtii, cochlearia, scordium, cherefolium, species de sinapi & piperitis, in genere omnia raphanacea, cepacea & antiscorbutica, &c. quæ abundant spiritu seu sale volatili paulò acriori, sulphureo tamen. Hæ recentes si sunt, subministrant tàm fermentando, quàm sine fermentatione, cum spiritus vini affusione spiritum volatilem acrem; nam sub fermentationis motu magnam aliàs salis volatilis jacturam patiuntur. Sin verò paulò maturiores fuerint, & post florem ad seminificationem se disponunt, commodè fermentari possunt, sicque suggerunt spiritum inflammabilem, de sapore & odore simplicis plus minus participantem: *quin etiam ex his sub tali statu simplici destillatione oleum arce destillatum penetrantissimum elicitur, quod aliàs nulla arte ex talibus elici potest.* Huc refertur Trifolium aquaticum, summum antiscorbuticum, Anglis maximè in usu, & quidem pro arcano habitum.

Quinta denique Classis eas continet plantas, quæ abundant substantia volatili sulphurea seu oleosa quasi resinosa, & hinc odorem fortem habent & penetrantem, saporem verò nunc amaricantem, nunc suavem; communiter etiam aromaticæ dicuntur; quales v.g. sunt absinthium, majorana, rosmarinus, salvia, thymus, origanum, & omnia aromatica. Vis earum latet in sale volatili oleoso. Hæc simplici destillatione subministrant aquas nonnihil spirituosas, & olea destillata, sicuti fermentando spiritus ardentes volatiles; sed tunc nullum oleum: Nempe fermentatione mediante attenuatur & resolvitur oleum in spiritum, adeò ut olea destillata plantarum sint nihil aliud, quàm spiritus concentrati, vel resinæ ab igne colliquefactæ; spiritus verò inflammabiles sint olea essentialia suo phlegmate resoluta: Tandem calcinata hæc ipsa recentia sal fixum, sicut plantæ quamplurimæ aliæ in cineribus relinquunt. Ut autem hæ ipsæ plantæ fermentando spiritus, ita putrescendo dant salia volatilia, non secus atque reliqua omnia vegetabilia putrefacta; quędam tamen plus, quædam minus talis salis suggerunt, qua putrefactione absoluta perfectè, nullum salis fixi vestigium superesse solet.

III. Quoad *flores* plantarum, hi sub *triplici* iterum *Classe* continentur: sunt enim hi vel

Primò sine odore, v.g. flores antirrhini, nymphææ, &c. in quibus latet alcali seu sal volatile blandum. Hi dant aquam blandam, & succum inspissandum in Rob.

Secunda Classis est eorum, qui habent odorem suavem, sed salem superficialem, & facillimè evanescentem, uti sunt Narcissus, flores jasmini, liliorum alborum, violarum, & ex parte etiam rosæ. Vis eorum consistit in parte Mercuriali volatili, unde non possunt sufferre vel minimum calorem, quin eorum sal volatile Mercuriale & odor, tinctura, ac consequenter virtus & penetrantia evanescant: Propterea chymici mediante oleo Been vel amygdalarum dulcium, faciendo Stratum supra stratum cum floribus v. g. jasmini, &c. & baccis been aut amygdalis dulcibus, odorem & virtutem eliciunt.

Tertiæ Classis flores habent odorem fortem penetrantem & aromaticum, ut sunt flores rorismarini, &c. Di dant aquas spirituosas, & cum his olea destillata; item per fermentationem spiritus inflammabiles; quin etiam mediante spiritu vini affuso & sæpius abstracto vis eorum elici & in forma spirituosa exhiberi potest; uti v. gr. in *aqua Reginę Hungariæ*, seu spiritu vini sæpiùs à floribus anthos abstracto, notum est. Vis fundata est in sale volatili & oleo, ut herbæ primæ Classis.

IV. Flores sequuntur *fructus*. Fructus Medicinales imprimis sunt succulenti dulces, vel acidi, ut ribes, berberis, citrus, &c. vel acido-dulces; quorum vel

1. Succus expressus per residentiam depuratus per se asservatur, aut sulphurando eos, aut oleo olivarum eos muniendo, v. gr. succus cydoniorum, &c. Vel
2. Succi fermentantur & suggerunt potus vinosos; qua ratione ex succo uvarum vinum, item pomaceum, pyraceum, &c. item vinum ex fructibus rubi idæi, vel vinum ex passulis cum succo pomorum Borsdorffianorum fermentando paratur; Vel
3. Inspissantur in rob phlegmatis evaporatione; uti in rob sambuci, juniperi, sorbi, &c notum est.

Succi dulces aut acido-dulces sunt temperati nutritivi, & qui nec calore nec frigore nobis insensi sunt; Acidi è contrà, ob acidum intensius, nec à nobis assimilabile, potiùs figendo, & contenta corporis plus minus condensando, refrigerant: inspissati relinquunt sal essentiale crystallinum, tartari instar, uti *in secunda plantarum Classe* dictum.

V. Sequuntur *semina*, quorum in vegetabilibus maxima vis est; & subdividuntur

1. In ea, quæ turgent succo mucilaginoso aqueo, concentrante eorum virtutem, qualia sunt semen cydoniorum, lini, psyllii, &c. ex quibus menstrui aquei beneficio mucilago elici potest.
2. In ea, quæ continent copiosum oleum, sed aquosum, per expressionem facilè eliciendum; aut etiam cum aqua appropriata in emulsionis formam redigi possunt; uti sunt semina pœoniæ, papaveris, amygdalæ dulces, &c.
3. In ea, quæ sunt ita temperata principiis activis, ut commodè fermentari possint, quo medio spiritus volatilis seu ardens elici potest; uti sunt non tantùm semina quædam cerealia, v.g. secale, triticum, &c. sed etiam illa semina, quæ saporem acrem & penetrantem habent, ut semen sinapi, cochleariæ, &c. quorum vis in sale volatili admodum acri, simul tamen oleoso, consistit, unde tàm fermentando, quàm cum spiritu vini ex iis elicitur spiritus volatilis.
4. In ea, quæ habent odorem suavem aromaticum & saporem gratum, & continent copiosum sulphur seu oleum volatile, quod in recessu habet suum sal volatile, & dant aquam & oleum destillatum, uti sunt semen anisi, fœniculi, carvi, &c.

Tandem inter producta vegetabilium sunt *Resinæ* & *gummata*, de quibus *infrà Classe 2.*

SCHEMA
GENERALEM HERBARUM NOTITIAM COMPREHENDENS.

Herba in stricto significatu sumpta, ut docet *THEOPHRASTUS de causis plantarum, & GALENUS de antidotis*, quartum genus plantarum constituit. Græcis βοτάνη & πόα à βόω & πάω, ceu volunt dicta.

Definitur planta, quæ sine caudice & radice foliata provenit, potissimumque caule semen profert. (Subintelligenda autem illa duo folia sunt, non quæ cunctis communia, & ex seminis pulpa transmittuntur, sed quæ præter hæc à radice primò consurgunt & emittuntur) Negatur tamen à *SCALIGERO* contra *CARDANUM*, Caulem de essentia herbarum esse; sunt enim quæ ea carent, ut capilli Veneris prima species.

Conveniunt cum Frutice stipitum multitudine nonnunquam, ut in vincetoxico, hyperico, &c. cum cremore, ut in brassica, lactuca, &c.

Ad essentiam propiùs facit, quod mollior, quàm arborum & fruticum earum substantia sit.

Degenerant tamen sæpè in frutices, ut salvia, ruta, hyssopus, &c. quemadmodum & fruticum quidam in arbores; Altitudine ad arborum longitudinem quædam ex his adscendunt. Causæ sunt soli & culturæ diversitas.

Ex partibus essentialibus componuntur duabus. Altera locum *formæ* obtinet, & anima est vegetativa, unde mista animata seu viventia dicuntur: eradicata v. gr. è terra allium & aloe herba vitam superstitem non modò habent, sed & iterum terræ immissa germinant. In nonnullis sensus & motus quædam vestigia adsunt, ut in herba Christophoriana, noviter ex Indiis allata. *Materia* pars essentialis altera est, quam corpus repræsentat; quod iterum *constat partibus* vel *similaribus*; spirituosis, quæ ruptis folliculis, ut in colutheà vesicaria, & in ipsa eruptione seminum, se manifestant; humidis, quæ vel aqueæ, rubræ, luteæ, &c. ut in esulæ, lactucæ, cichorii, sanguinis draconis, &c. succò, cum vel sine expressione; solidis, quæ similares, ut caro, fibræ, membranæ, &c. vel *constat* partibus dissimilaribus, tùm perennantibus tùm deciduis, ut sunt folia, caulis, flores, fructus, semina, baccæ, &c.

Differentiæ sunt vel *Physicæ* vel *Medicæ*.

Physicæ aliæ sunt *essentiales*, petitæ vel *à Materia*, ut quædam molles, duræ, macræ, pingues, &c. vel à *forma*, eaque (1) *interna*, unde aliæ calidæ, ut absinthium, &c. frigidæ, ut rosa; humidæ, ut portulaca; siccæ, ut beta; temperatæ, ut asparagus. Quò pertinent virtutes peculiares, ex tota substantia agentes, v. g. contra calculum, vermes, pestem, ad promovendos menses, confortandos spiritus vitales & animales, &c. (2) *externa*, ex parte quantitatis, coloris, figuræ, &c. dum aliæ sine foliis, ut anblatum, &c. aliæ binis, pluribus & paucioribus, cum vel sine caule, proveniunt. Videatur *Methodus Histor. Stirpium DODONÆI, CÆSALPINI, SPIGELII, SENNERTI*, &c. Herbas enim in certas classes dividere velle, quæ singulas comprehendant, inter ἀδύνατα à Botanicis refertur.

Physicæ aliæ sunt *accidentales*, petitæ vel *à loco*, quales sunt montanæ, aquaticæ, sylvestres, peregrinæ, domesticæ; vel *ab ætate*, dum germinant, florent, semen proferunt; vel *à sexu*, ut in mercuriali, veronica, &c. laqueì accersuntur.

Differentiæ plantarum Medicæ sunt vel *Theoreticæ*, vel *Practicæ*: *Theoreticæ* cum Physicis conveniunt; à quibus tamen differunt, quod maximâ ex parte ἐισοτερικαί, non acroamaticæ sint, & methodi medendi finisque Medicinæ ultimi inducendi gratiâ expetantur; ratione cujus

1. Certi reddimur de plantæ alicujus specie, quam Veteres usurparunt in hoc vel illo affectu, v. g. de absinthio Pontico, Origano, hyssopo, majorana nostrate, &c. Utrum cum veterum illarum descriptione & viribus conveniant?
2. Ut queamus unam alteri substituere, v. g. Cinnamomum Cassiæ, oleum caryophyllorum aromaticorum carpobalsamo, acorum verum calamo aromatico, &c.

Practicæ respiciunt virtutem, quam ad vires, cùm totius tùm partium, conservandas, vel morbos, aut universales aut particulares hi sint, abigendos habent: cujus gratiâ *aliæ* sunt *alimentares*, quæ maxima ex parte sua substantia corpus nostrum nutriunt; *quædam Medicinales*, quæ qualitate & forma præsertim nos afficiunt, sive sensibiliter sive insensibiliter illud fiat: sunt enim, quæ medio modo se habent, nutrientes & alterantes, ut lens, blitum, &c.

Utræque iterum dividuntur, & quidem *primò alimentares*, in κατ' ἐξοχὴν tales dictas, & sunt tum frumenta & olera, tùm legumina, præterea boni & mali succi; *secundò* in non-alimentares, ut lolium, atque omne zizaniæ genus.

Ad alimentares aromaticę referuntur, ut Nardus, rosmarinus, item salvia, majorana, & quæ salsamenti loco mensæ apponuntur, ut cochlearia, nastortium, &c.

Medicinales respiciunt:

1. Partes, easque tum collectivè, tùm distributivè, sumptas.
2. Ipsarum vires, dum agunt qualitatibus modò manifestis, primis, secundis, &c. modò occultis; unde aliæ calefaciunt, ut allium; aliæ refrigerant, ut psyllium, rosæ, violę, nymphea, &c. quędam medio modo se habent, quę digerunt, & pręparant, ut hyssopus, fumaria; quędam cordialium nomine spiritus confortant, & exhilarant, ut odorata, rosę, caryophylli, crocus, &c. lac augent, ut fœniculum; geniturum augent, ut orchis; apoplexiam & epilepsiam respiciunt, ut lilium convallium, herba paralyseos, radix pœonię; venenis resistunt, ut allium, scordium, zedoaria, Angelica, &c. Legantur *WECKERI antidot. generale, DANIELIS Sennerti Instit. Medicę l. 5. SAMUELIS SCHOENBORNII Man. Practicum, TILEMANNI & MACASII Mater. Medica, & Promptuar. Medicum.*

Secundum quarum ordinem & viam *vivum herbarium* concinnari posset, servato numero alphabetico. Aliis probatur alphabetico ordine plantas officinales recensere, ut habet *AUTOR* noster. Qui tamen Physicę unà contemplationi se addicunt, sint contenti *methodo DODONÆI, CÆSALPINI, SENNERTI*, & quę Catalogo Cantabrigiensi sub finem expressa est. Nam herbarum alię sunt:

1. *Bulbosę*, ut lilium cruentum.
2. *Tuberosę*, ut asphodelus, scrophularia, &c.
3. *Umbelliferæ*, ut fœniculum, anethum, &c.
4. *Verticillatę*, ut Cardiaca, marrubium, &c.
5. *Spicatæ*, ut lysimachia spicata, aquatica, purpurea, &c.
6. *Scandentes*, ut Convolvuli, clymena, &c.
7. *Corymbiferę*, ut Tanacetum.
8. *Pappifloræ*, ut taraxacum, erygerum, &c.
9. *Capitatę*, ut jacea, scabiosa, &c.
10. *Campaniformes*, ut campanula.
11. *Coronariæ*, ut armerius, majorana, & rosmarinus, &c.
12. *Rotundifolię*, ut asarum, caryophyllata aquatica, &c.
13. *Nervifolię*, ut plantago, helleborina, &c.
14. *Stellatę*, ut Gallicum, matrisylva, &c.
15. *Cereales fruges*, ut frumentum & legumina.
16. *Aeiζωα*, ut sedum, telephium, &c.
17. *Graminifolię*, ut graminum species.
18. *Oleraceę*, ut endivia, blitum, spinachia, &c.
19. *Spinosę*, ut Cardui.
20. *Linifolię*, ut linum, linarię species, &c.
21. *Tomentosę*, ut gnaphalium Americanum.
22. *Saxatiles*, ut saxifragia aurea, melilotus, &c.
23. *Lactiferę*, ut esula, cichorium, &c.
24. *Trifoliaceæ*, ut fragaria, medica trifolia, &c.
25. *Repentes*, ut nummularia.
26. *Narcoticę*, ut solanum, papaveracea, &c.
27. *Filiceę*, ut filix, polypodium, &c.
28. *Musci*, ut terrestris, coralloides, caliceus, &c.
29. *Aquaticę*, ut hydropiper seu persicaria aquatica, nymphæa, &c.
30. *Marinę*, ut fucus, alga, &c.

Hęc erant generalia de vegetabilibus pręmittenda: Jam ad specialiora, nempe ipsas plantas, progredimur, adeoque ad ductum Autoris nostri totum negotium certis classibus includemus.

PHYTOLOGIÆ CLASSIS I.

DE ALTERANTIBUS PRIMARIIS,

Quæ ſunt Plantæ, harumque Membra,

A.

ABEL MOSCHI.

Semen hujus ob odorem fragrantem in ſpiritu vini, noduloin-cluſum, infunditur.

ABIES.

HÆc duplex eſt, alba & rubra; quæ interdum, ſed malè, confunduntur, cùm facilè à ſe invicem diſcerni poſſint. Differentia eſt in forma externa, & exilis; nec multum refert, ſi omninò negligatur: Hujus enim folia in utroque latere; Illius in altero tantùm ſerratim ſunt poſita. Abies hæc rubra vocatur etiam imprimis Picea, quæ non debet confundi cum propriè ſic dicta Pinu. Inter arbores reſiniferas primatum tenet, & in receſſu habet acidum occultum volatile blandum; tota enim arbor, ejuſque omnes ſpecies, reſina balſamica, ejuſdem penitus cum terebinthina naturæ, turgent: Unde etiam ex conis abjetis adhuc recentibus concißs & contuſis, per veſicam affuſa aqua deſtillatis, prodit cum aqua *ſpiritus oleoſus* ſeu *oleum* ſubtile inſtar olei terebinthinæ, à quo etiam reverà nil differt.

Primarius uſus in ſcorbuto, Decoctum tantum foliorum, imprimis in Batavia; in ſpecie autem, ubi ſcorbutus membra externa affligit, & vel arthritidem vagam, vel paralyſin notham, vel contracturam partium, infert: Unde abies, picea & pinus, à nonnullis κατ᾽ ἐξοχὴν vocantur arbores antiſcorbuticæ, propter inſignes & maximè ſtupendas virtutes, quas pinus, & etiam abies, in cura ſcorbuti exſerit, ratione olei balſamici, alterantis acrimoniam ſalis acris ſcorbutici, & per ſudorem auſpicato illud eliminantis. Veteres parum aut nihil ſciverunt de virtute ejus antiſcorbutica, ſed ſuperioribus tantum annis illa innotuit, tunc temporis, cùm Uladiſlaus IV. Rex Poloniæ, bellum contra Moſcovitas gereret; tunc enim morbus talis epidemicus in caſtris graſſatus fuit, in quo militibus pedum nervi ita contracti & crura contracta fuerunt, ut incedere non valuerint: ſuſpicio fuit à ſcorbuto, novum non raro morbum mentiente, malum oriri; hinc milites fuerunt curati à D. ERBENIO, tunc temporis exercitus illius Medico, per Decoctum ſummitatum pini: etiam ſimul deprehenſum poſtmodum fuit, quod tales contracturæ fuerint ſcorbuticæ; unde poſtmodum ad ſimiles ſcorbuticos partium externarum affectus, decoctum hoc ſtrobilorum pini fuit adhibitum. Ab iſto tempore Picea & Pinus in uſum antiſcorbuticum fuerunt tractæ, pro quo etiam D. MICHAELIS, aliique commendant; nec ſine cauſa; tota enim ejus natura eſt balſamica: id quod teſtatur pinguedo & oleum balſamicum, quo viret perpetua fronde, ita ut aſperrimas hyemis inclementias negligat. Uſurpatur & in corrigenda lympha acida, & affectibus catarrhalibus.

Loco ſummitatum præcipuè uſurpantur *cortex*, & *coni* ſeu *ſtrobuli* juniores, Germ. *die kleinen zarten Zapfgen*, tactu admodum reſinoſi ac viſcoſi, & adparent adſperſi quaſi farina flava. Hi ipſi ſtrobili, ſi non præferendi, ſaltem æquales ſunt ſummitatibus pini. Colligendi ſunt in fine Martii & initio Aprilis, qui contuſi, vel ſolitarii, vel cum raſura ligni ſaſſafras aut juniperi, aut cum radice chinæ, coquuntur in aqua ſimplici, vel cereviſia, vel utriuſque ana, ad medietatem. Decoctum hoc ſaporem amaricantem quaſi terebinthinatum exinde acquirit, quod matutino tempore hauſtum in ſcorbuto, præſertim quando lympha ſenſibiliùs in hoc ipſo alteratur, & genus nervoſum acartus affligit, adeoque dolores, contracturas, paralyſes, arthritidem vagam, ac ſimilia gravia pathemata infert, uſitatiſſimum eſt pro ſcopo ſudorifero, quem potenter movet, ℥iij. vel iv. ad vj. bibendo ante paſtum; Quas vires antiſcorbuticas videbitis in MOELLENBROCCIO *in Tractatu de variis* hinc inde, præſertim *p.* 77.

Externè Coni & folia aliàs uſurpantur in balneis ad contracturas & paralyſes ſcorbuticas externas: Sic BRUNNERUS *in conſiliis* commendat Pediluvium ex ſtrobulis abietum adcolendos fortiter menſes mulierum.

Ex his ſtrobulis pini junioribus, per fermentationem artificialem elicitur ſpiritus, qui habet odorem inſtar cumini: Et cum hoc ſpiritu poſtmodum paratur *Eſſentia pini*, quæ eſt egregium remedium antiſcorbuticum, in ſpecie in arthritide ſcorbutica vaga, & in paralyſi ſcorbutica, Ger. *in deer reiſſenden fahrenden Scorbutiſchen Gicht*: v. g.

℞. *Strobil. tenell. rec.*
concisi & contuſi coqv. in ſ. q. *aquæ ſimpl.* donec omnis ſapor & vis medicamentoſa ſit elicita: tunc addatur
Cereviſia recens pro fermentatione,
& deſtillando prodit ſpiritus ardens ſuavis, qui eſt elegantis ſaporis, & odoris ferè inſtar cumini & aniſi: affuſus novis ſtrobilis Eſſentiam extrahit.

Alii decoctum ſtrobilorum pini aut abietis fortiter expreſſum ad conſiſtentiam Rob ſeu mellis ferè ſolidioris inſpiſſant: cui proprium, vel cochleariæ ſpiritum, vel alium antiſcorbuticum appropriatum affundunt, & pro *Eſſentia* digerunt: Vid. MOELLENBROCK *de variis c.* 13 *p* 211.

In quibuſdam locis, præſertim Dreſdæ, in uſu eſt *aqua cymarum ſeu ſummitatum ſtrobilorum abietis aut pini ſpirituoſa*, & paratur hoc modo:
Cymæ contunduntur (quidam *ſuccum* exprimunt) additur dimidia pars *vini Malvatici*, vel additur *aqua cichorii* aut *veronicæ* ana part. æqual.
blando calore digeruntur, uſque blandè fermentent; deſtillentur: poſt deſtillatum affunditur *ſtrobilis abietis* aut *pini recentibus*, & hinc abſtrahitur, abſtractum ad uſum ſervatur.

Vel tempore verno, ingruente Aprili, *cymæ ſuccoſæ* ex abiete colligendæ (quæ tunc temporis ſcatent reſinâ odoris & ſaporis terebinthinati; unde officinis, ſed falsò, terebinthina Veneta dicitur: vid. *Rajus Curat. Plantar. Anglic. P.* 1.) & inſtrumento ferreo diſcindendæ, exque his ſacculis incluſis ſuccus exprimendus: Hujus *ſucci* recipiantur Menſ. viij vel xij, includantur *vaſi ligno quercino*, quod 16. vel 18. propter propter menſuras capit, indatur ſimul *cymarum contuſarum* tantum, donec dolium ferè repletum fuerit, addendo ſimul aliquid aquæ *communis* vel *vini*, relinquantur in loco temperato, donec aliquali facta fermentatione ſpirituoſum odorem emittant, ſi agitentur: hinc mox per Balneum Mariæ deſtillentur: Aquæ deſtillatæ *cymæ contuſæ* indantur, in eodem dolio aſſerventur, & dicto modo aliquoties procedatur, donec acquiratur aqua, ſufficienter *ſtrobilorum* viribus imprægnata.

Aqua hæc eſt egregia in atrophia ſcorbutica, arthritide vaga, aliiſque affectibus ſcorbuticis & catarrhalibus, temperat quamcunque acrimoniam acidam; ipſa enim abies ſingulare eſt antipodagricum & anti-arthriticum, non tantummodò in arthritide fixa communi, ſed ſpecialiſſimè in arthritide ſcorbutica vaga.

Juxta hos ſtrobulos etiam *cortex* arboris egregius ſcorbuticus ac diaphoreticus exiſtit.

Cæterum in abiete interdum *viſcus* reperitur, ſed rarò: hic eſt ſingulariter expertus in arthritide, ſi pulveriſatus à ʒß ad ʒj ſingulo matutino tempore propinetur. Certè maximè convenit in affectibus podagricis, non adeò inveteratis.

Rarum eſt, quod habet MAJOR *in Delic. Hybern. Mem.* 2. nec apud ullum alium Autorem ſimile quid reperiri credo, quod nempo *nuclei pini* maſticati vim habeant inebriandi: Et credo, quod verum ſit.

Ea, quæ habet AUTOR *de reſina*, quod poſſit eſſe loco terebinthinæ, ſatis ſunt clara, & omninò poteſt eſſe loco illius.

Dixi in minotibus iſtis ſtrobilibus ſubinde reperiri *farinam* quandam ſeu *pulverem flavum* adſperſum, qui eſt revera ſulphur aliquod *vegetabile*: Nam ſi colligatur iſte pulvis, incenditur levi igne inſtar ſulphuris communis; unde vulgò vocatur ſulphur *pini inflammabile*. Sic, quod obiter noto, in muſco terreſtri itidem maturationis tempore ſimilis pulvis flavus ſemper reperitur, qui pariter eſt inflammabilis: & quidem ſi indatur cochleari argenteo, & admoveatur candelæ, inflammatur cum tanto ſtrepitu, ac ſi ſclopetum adeſſet, inferiora tamen verſus, uti aurum fulminans.

Fit interdum, ut exedantur abietes à vermibus ſeu carie: *pulvis* iſte *ex corroſione à vermibus* natus vocatur Germ. *VVurm-Meel*, & admodum commendatur contra intertriginem infantum, Germ. *vvenn die Kinder fratt vverden*, ſi inſpergatur parti quodammodò corroſæ & exulceratæ.

Plura qui capit dè abiete & pino, eorumque virtutibus antiſcorbuticis, videat CRUGNERI *Tractatum*, Germ. *den Chymiſchen Tannenbaum*; *Pauli Quadripart. Botan. pag.* 539. & MOLLENBROCCIUM *de Arthritide Vaga c.* 13.

ABROTANUM.

Abrotanum, Germ. *Stabvvurtz*, est duplex: *Mas augustifolium majus*, & *fœmina foliis incanis*, quod male inter *absinthia* refertur à BAUHINO *in Pinace Botanito*, qui vocat *absinthium Ponticum*; ut & *Abrotanum fœmina foliis teretibus*, *viridibus*, & etiam *incanis*, seu *cupressus herba*, *de quibus suo loco*. Germanicè dicitur, *Stabvvurtz*, ex eo, quod in surculos majores robustos soleat excrescere. Mas hujus est loci, penetrantem spirat odorem, camphoræ ferè similem: nobis tamen minus est in usu, quod dolendum & mirandum, utut veteribus frequentissimo in usu fuerit contra quævis mala, ex hepatis oppilationibus & obstructionibus oriunda, & consequenter in ictero & febribus chronicis, in quibus multum sanè prestare solet. Nam odor ac sapor ejusdem insigniter penetrans & eleganter aromaticus innuit, sal quoddam volatile non vulgare in hoc esse, plus habere in recessu, quàm vulgò ipsi attribuitur; adeò ut etiam hoc abrotanum mas commendetur ad morbos malignos, ipsamque pestem. Preterea ratione odoris instar chamomille ut credam adducor, hoc abrotanum esse egregium carminativum seu flatus discutiens: si nempe gemmę seu summitates collectę, sive in decocto sive Essentia, internè assumantur. Affectibus chronicis, in specie mulierum, optimè succurrit; hinc in suffocationidus mulierum, hisque cognatis, nec non urinariis in affectibus, frequenter adhibetur. Validum est diureticum in calculo, unde Abrotani coma pulverisata ad ℈j cum tantillo nitri iis commendatur, quibus ob calculum urina supprimitur: Vid. SIMON PAULI *in Quadripart. Botan. pag.* 143. Unde arbitror, quod cum absinthio optimè ac cum successu continuari ac sociati queat. In affectibus capillorum, speciatim eorum defectu, est in usu nobis; refertur enim inter plantas capillares, ac defluvio capillorum dicatas, in specie decoctum ejus pro lotione capitis ad generationem & incrementum capillorum commendatur; in quem finem basin constituit *Vnguenti Bucretii*, Uratislaviensis, secreti et experti *contra capillorum defluvium* ac defectum. Descriptio ejus est hęc:

℞. *Fol. abrot. maris*,
Capill. Veneris an. M. j.
Faui mellis,
Ladani an. ℥j.
Myrtill. ʒj.
Sem. fęnugr.
Lini an. ℥iij.
Olei amygdal. dulc.
Vini albi gener. an. ℥iij.

Facta infusione per 24. horas, bulliant ad humiditatis consumptionem, post exprimatur, S.

Vnguentum capillorum.

Crescente Luna fit in junctio cum eodem, et decrescente Luna abluitur caput: post lotionem adspergitur vino rubro adstringente, ut firmentur capilli: continuatur tamdiu, donec sufficiens quantitas capillorum provenerit, et adhibetur sine ullo capitis symptomate. Aliquoties à me est expertum.

Vinum infusionis abrotani in supradictis affectibus summè confert.

Per fermentationem spiritus, et hinc *Essentia* aromatica ex abrotano elicitur.

Oleum destillatum credo insigne carminativum, si externè umbilico illinatur, et partibus à flatibus distentis; scrobiculo cordis in inflatione stomachi.

Oleum abrotani coctum mistum cum melle, et illitum, commendatur similiter ad generationem capillorum.

ABSINTHIUM.

Absinthium duplex est: vel *vulgare* seu *rusticum latifolium*, Germ. *die gemeine VVermuth*; vel *angustifolium Ponticum* seu *Romanum*. Dicitur quasi Ἀπίνθιον, quod prę amarore vix bibi queat, Germanis *VVermuth* ab effectu, quod calorem nimirum intendat.

Quoad vulgare, usurpantur imprimis folia & summitates. Planta est reverà polychresta seu multi usus, vis ejus consistit in sale volatili acri admodum oleoso; hinc & destillando suggerit oleum copiosum, calcinando verò sal copiosum fixum. Saporis est penetrantis amaricantis cum levi juncta adstrictione, bilem mirificè corrigit, eamque quocunque modo vitiatam in debitam crasin restituit, simulque tonum viscerum plus minus laxatum, speciatim hepatis & lienis, blanda adstrictione firmat & restituit: hinc uno nomine analogum & succedaneum quasi bilis est, adeò ut quem usum præstat bilis balsamum in corpore nostro, hunc ipsum & absinthium sub usu Medico inferre solet. Bilem evacuare falsum est, quin potiùs illam acuit & auget, quia defectibus bilis & ictero ipso succurrit, imprimis si illi addatur chelidonium majus; unde in quibusvis cachexiis multi usus est, tàm incipientibus quàm confirmatis, hydrope, ascite incipiente, ejusque fomite removendo, & leucophlegmatia, in quibus inter vegetabilia vix melius habetur remedium absinthio; & meminit D. MICHAELIS, se aliquot hydropicos etiam desperatos medicamentis ex absinthio, in specie essentia absinthii potui instillata curasse; Unde etiam MATTHIOLUS, & ERASTUS solo absinthio hydropicos se restituisse asserunt. Bili ergo acuendæ inservit, & putredini resistit, hinc ad emendandum sanguinem corruptum, seu, uti vocant, putridum, egregium est absinthium. Quin & reliqui ejus effectus ex sale volatili oleoso deducendi: hinc enim stomachicum & Hepaticum dicitur egregium, quatenus sale salso suo volatili oleoso & quodammodo nitroso potenter incidit & abstergit mucum, & quascunque in stomacho ac intestinis crud tates, sive acidæ sint sive viscidæ, uti & quodcunque in corpore vitiosum acidum corrigit & emendat, crassosque succos incidit & attenuat: Appetentiam dejectam ex cruditatibus decoctum ejus cum centaurio minori egregiè corrigit, & famem quasi caninam conciliat. In affectibus porrò scorbuticis, & in specie quibuscunque febribus intermittentibus chronicis, egregiè convenit, imprimis febribus tertianis, quarum integra curatio, præmisso vomitu, in absinthio consistit, è quo succus recens expressus ægris propinari potest. Commendatur etiam in affectibus spleneticis ex acido vitioso & mucilagine crassa obortis; item in morbis chronicis ex hepatis intemperie frigida vulgò derivatis, qui revera ex bylis dyscrasia derivantur, conveniens remedium est: Imò vix est affectus chronicus, cui non medeatur absinthium, in specie si affectus sit vel oriatur ex vitio primæ digestionis: In Colicis torminibus, tam virorum quàm mulierum, vel in passione hysterica, convenit egregiè; in specie quando mulieres ex esu dulcium, quod sæpè fit, patiuntur passionem hystericam, optimum remedium est hoc ipsum absinthii decoctum, vel essentia ejus, uti amara omnia quacunque ratione usurpata. Imò ad omnia ea, ad quæ commendatur aloe peregrina & centaurium minus, ad eadem spondeo vobis usum absinthii æquè salutarem; utut absinthii & centaurii minoris vis laxativa quodammodo sit minor, & amarities in centaurio minori magis sit macra, in absinthio verò magis pinguis, i. e. gustatu quidem dulcedinem, in recessu verò amarorem præ se fert, non secus ac quævis fellea: fibræ ejus corticem constituentes saltem sunt amaræ, medulla verò seu nucleus intra fibras corticales est dulcis. Inde, dum centaurium acuit bilem, hocce absinthium auget eandem, seu deficientem ac acriorem oleositate dulcifiat, à qua oleositate volatiliori spiritus animales nonnihil afficiuntur, indeque aliqualis torpor jisdem induci solet, unde vis etiam anodyna ac sensuum stupefactiva, hinc blandè somnifera, dependet: sicut essentia absinthii vino instillata torporem quendam ac somnolentiam seu pigritiem infert, quod centaurium minus pariter amaricans non facit; unde etiam in vigiliis senum, sæpiùs ex cruditate stomachi ortis, absinthium & ejus essentia conveniunt. Amaritie sua enecat lumbricos, sive internè usurpetur, sive externè oleum absinthii umbilico inungatur, eorumque fomitem eliminat, ita ut meritò quoddam pauperum pharmacopolium dici debeat: pauperes enim, præmisso vomitorio, succo ejus ex apicibus expresso in febribus se curant. Cæterum observetur, quod absinthium ratione salis salsi & quodammodo nitrosi absumat succum nutritium corporis, quod vocant exsiccare; asperum enim illum reddit, quominus nutrire vel assimilari queat: Unde emaciatis & phthisicis, & in re Venerea impotentibus, prohibetur absinthii usus. Quantum capiti, & in specie oculis, infestum sit, videbitis in BOYLE *de Specific. & Medicam. singular. p.* 115.

Propter hujusmodi ergò multiplicem usum variis modis remedia ex eodem eliciuntur. Inter Præparata ex absinthio habet AUTOR *spiritum*, qui paratur vel *per fermentationem*, vel *per spiritum vini*. Prior melior est, cum posterior per spiritum vini nihil ferè sit, quàm spiritus vini *absinthites*. Verùm FINCCIUS *in Encheirid. Dogmat. Hermet. pag* 95. habet egregium *spiritum absinthii viridem seu cœruleum* per fermentationem ex *planta* ipsa & *semine*, *farina secalina* & *fæcibus cerevisiæ* paratum, quem miris modis commendat ad quamplurimos stomachi affectus: Quin & per putrefactionem egregius *spiritus urinosus* aurei quodammodo coloris ex absinthio per retortam ab igne aperto cum copioso sale volatili destillatur, saporem & odorem, adeoque integram crasin absinthii, referens, qualem nuper MATTHÆUS noster in laboratorio suo præparavit. Fit ita.

℞. *Absinthium Viride*:

Quod in magna copia cum semine concisum congeratur in vasculum, ut sic incalescat sponte & nonnihil putrescat, sed moderatè quasi: sub medio putredinis progressu, antequam fœtere incipit, dum odorem & saporem concreti retinet, tunc omnia igne aperto per retortam terream amplam destillentur, & sic copiosissimus liquor acquiritur. Hic per alembicum igne arenæ rectificatus evadit in spiritum urinosum, sal volatile urinosum admodum elegans, sed valde amarum, in recessu habentem, in quo crasis hujus plantæ consistit.

Et hoc modo *ex omnibus vegetabilibus* potest elici *spiritus urinosus & sal volatile*.

In usu etiam est *succus inspissatus*, *vinum absinthites*, *Extractum* seu

seu Essentia Vinum absinthites: paratur ita:
♃. *Absinthium recens*,
& misceatur cum *musto*, ut cum hoc fermentet.

Hoc optimum est, & maximè commendatur febricitantibus. Huic si infundantur *trochisci alhandal* ad ℈j, bulliant, & postmodum filtrentur; tunc fit *vinum catharcticum* egregium pro aliquot dosibus; quod vinum phlegmata crassa ac acida imprimis ex stomacho & primis viis efficaciter evacuat.

Essentia elegans fit juxta modum *DRAUVVIZII de scorbuto p* 164. Melior adhuc fit, si *spiritus proprius* affundatur *plantę nonnihil exsiccatæ*, & ita fiat extractio: Essentia extracta filtratur, in qua dissolvitur ulteriùs *succus absinthii inspissatus, seu ejus extractum* crassum, denuò filtratur, & ita perfecta fit Essentia.

Et *hoc modo omnes fieri debent Essentiæ*: quæ Essentia absinthii in affectibus stomachi, item in febribus intermittentibus est egregia.

HORSTIUS in Epist. Med. 4. *pag.* 59. habet modum secretum parandi *Essentiam absinthii*, in qua præparatione adscendit *sal volatile absinthii* in ipsius absinthii forma: Nempe circa mensem Augustum colligatur *absinthium*, quantum sufficit; summitates & folia abrupta indantur cucurbitæ vitreæ, destillentur per cineres leni igne, *&* *aqua* cum pauxillo olei viridiusculi provenit: Hujus *aquæ & olei* parentur aliquot mensuræ pro arbitrio: *aqua* per chartam filtretur, oleum verò remanens aliquoties in concurbita vitrea rectificetur, donec limpidum & satis clarum prodeat. In fundo quæ semper remanet substantia spissior, colligenda & reservanda; hæc enim si leniter per cineres destilletur, sal volatile statim in alembicum adscendit, & formam herbæ adsinthii instar salis cryßtallini eleganter præsentabit; Aucto verò igne resolvitur in liquorem, qui in vas recipiens destillabit sapore ferè instar salis urinæ. Postea calcinentur seorsim prius asservati *caules absinthii*, extrahatur sal fixum, ad crystallinam puritatem redigatur, solvatur in aqua *absinthii rectificata*, post digestionem aliquot dierum filtretur, idque repetatur, donec aqua nullius ferè saporis prodeat, & sal ejusdem volatile cum fixo sit unitum: Tum eximatur, phiolæque indatur, & addatur *supra dictum sal, vel liquor volatilis* sensim instilletur, quia ebulliunt: sedato ebullitionis tumultu, addatur priùs *rectificatum oleum absinthii*, & in phiola probè lutata per mensem super cineres secundùm ignis gradus coaguletur, & habentur ex absinthio tria principia purificata & unita.

Usus hujus Medicinæ est varius, præsertim contra quartanam, aliasque febres intermittentes. Dosis ℈j horâ ante paroxysmum: Vid. *SACHSIUS in Ampelogr. Append. pag.* 68. *VVEDELIUS in Tractatu* 2. *de sale uolat. plantarum, in Append. ad annum* 4. *M. A. N. C. pag.* 237. habet essentiam seu tincturam Martis absinthiacam: Liquor, quem instillat, est ex capite mortuo florum salis ammoniaci Martialium vel hæmatidis.

Extractum absinthii inspissatum subinde præscribitur in pilulis stomachicis, cùm stomacho egregiè conferat.

Secretum de *syrupo absinthii* videbitis in *BORELLO C. I. Obseru.* 41. *pag.* 49.

Oleum absinthii stillatitium umbilico illitum vermes necat: hinc fit unguentum ex felle tauri, aloe & oleo absinthii, quod applicatur umbilico, & ita infantibus egregiè enecantur lumbrici. Idem oleum stillatitium illitum regioni stomachi potenter medetur rigoribus febrilibus.

De *sale absinthii fixo* duplici, eoque nunc alcalisato, nunc verò salso, prout scilicet in calcinatione diversus ignis gradus adhibetur, vid. *TACHENII Clauis Medic. Hippocraticæ*: nempe sal salsum non solùm integram absinthii crasin maximam partem retinet, sed destillando etiam spiritum acidum suggerit, quod alcalisato sali est impossibile. Aliàs sal fixum absinthii propinatur in febribus intermittentibus tanquam digestivum, item ante paroxysmos febriles ad ℈j vel ʒß. Quidam hoc sal fixum imbibunt cum spiritu vitrioli, & sic fiunt *Crystalli absinthii, seu spiritus vitrioli coagulatus*, uti vocant. Et hoc sale ita præparato dixit quidam Empiricus, se aliquot hydropicos per sudores & urinas curasse.

Sunt, qui dicunt, si salis fixi absinthii ℥ß vel ℥j, addatur proprii olei destillati ℥j, quod exinde legitima per mensem digestione possit acquiri *sal uolatile*, quod se sublimet, quale sal volatile sit *sal febrile arcanum Helmontii*, in febribus nempe intermittentibus.

Post Absinthium nostras sequitur,

ABSINTHIUM PONTICUM.

ABsinthium Ponticum malè ita dicitur, cum nec sapore, nec foliorum ratione cum absinthio communi conveniat; est potius *Abrotanum fœmina*, ad differentiam *Cupressi*, quæ non rectè dicitur *Abrotanum fœmina*.

Minus usuale est absinthium Ponticum, quàm nostras, & ferè eosdem habet effectus, quàm nostras habet: hâc tamen differentia, quod absinthium Ponticum minus acre sit, magis tamen efficax, magis sit carminativum, magisque dissipet flatulentias, quàm vulgare. Vis ejus consistit in sale volatili admodum oleoso, unde etiam destillando suggerit oleum, calcinando sal fixum.

ACACIA VERA.

ACacia est vel *Germanica*, vel *Vera*. Hæc est succus inspissatus ex planta Ægyptiaca, qui succus uti est rarus, ita apud nos est carus, imò planè incognitus: Vid. *ALDINUS in horto Farnesiano*.

Veteribus in usu fuit, cujus effectus multiplices refert *ALPINUS cap.* 4. *de Medicam. Ægyptiorum*, quorum duo sunt potissimum principales: 1. quod profluxionem sanguinis quamcunque strenuè compescat, & mulieribus, immodico mensium profluvio laborantibus, promptè succurrat; 2. usus est, quòd dolores podagricos & articulares quoscunque avertat. Verùm, uti dico, cùm apud nos sit cara & rara, loco ejus sumitur

ACACIA GERMANICA.

EX *Acacia Germanica* seu *nostrate*, Germ. *dem Schleen oder Schuuartz-Dorn, seu pruno sylvestri*, apud nos in usu sunt flores & fructus,

Flores recenter collecti, & infusi vel in sero lactis sive ex bubulo sive caprillo, vel lacte ipso, blandè ebulliti, egregiè purgant omnes humores serosos & aquas hydropicorum; præterea in sero lactis decocti sunt appropriatum scorbuticum purgans; cùm scorbuticis lac vel ipsum serum lactis sit proficuum. In genere in morbis chronicis repetito usu optimè convenit, istis præsertim, in quibus acrius serum, seu lympha vitioso sapore inquinata, peccaverit; hinc in scorbuto, scabie chronica, variis capitis infantum, similibusque puerorum præsertim morbis, sunt blandum evacuans & sanguinis purificativum, sive infundantur, sive moderatè decoquantur in lacte. Alii recipiunt florum recentium aliquot manipulos, quos vino infundunt, cujus haustus egregiè alvum laxat, & in ictero flavo singulare est experimentum.

Fructus acaciæ elegantur adstringunt.

Aqua acaciæ florum ritè destillata usurpatur tanquam aliorum medicamentorum vehiculum pro usu pleuritico, sudorifero, & eliminanda urina. *CORDUS* scribit, quod habet vim purgantem.

Prostat & in quibusdam locis *conserva & syrupus*. *Syrupus* paratur ex multiplici *infusione florum* recentium *in aqua*, et post cum *saccharo* inspissatur.

Syrupus hic recens suaviter laxat, et serum purgat, et hydropi atque scorbuto confert: *Flores* autem *exsiccati*, uti et syrupus vetus, vim purgandi amittunt: Conf. *ZVVELFERUS in Append. ad Pharmacop. Augustan. p. II.*

Succus inspissatus seu *Rob acaciæ nostratis*, est succedaneum succi acaciæ veræ seu Ægyptiacæ: Adstringens est validum, et quod raro internè usurpatur, sed tantùm externè potiùs, ubi opus est adstrictione.

Vinum, quod etiam habet *AUTOR* inter præparata, Germ. *der Schleen-VVein*, paratur ex *fructibus maturis*, *recenti vino* infusis, ita ut unà deferveant, et dant potum medicatum egregium, stomacho gratum, in diarrhœis, dysenteriis, ac omnibus hæmorrhagiis, imprimis uteri nimiis, proficuum.

Simili modo *fructus acaciæ cerevisiæ novellæ* infundantur, et unà deferveant; dant *cerevisiam medicatam* pro iisdem affectibus.

Iidem *fructus exsiccati*, ac pulverisati vino infusi sunt egregium diureticum: vinum tale haustum mirè urinas pellit.

Quidam ex prunis sylvestribus immaturis parant *acetum fortissimum*: scilicet exprimunt *succum ex his prunis nondum maturis*, quem succum per alembicum in Balneo Mariæ dephlegmant, et ita admodum forte acetum acquirunt.

ACETOSA.

IN officinis sunt quidem *oxalis* seu *Acetosa sativa rotundifolia*, item *Oxalis* seu *Acetosa major Hispanica*, et *uulgaris sylvestris*, quæ præprimis in usu est. Nomen suum obtinuit à sapore subacido, quem tota planta exhibet; quæ tamen aciditas est blanda volatilis, et cum aceti aliisque fixioribus aciditatibus non confundenda. Pertinet ad *lapatha*, unde et *lapathum acetosum* audit. Quinimò in textura sua alcali simul recipit, unde succus acetosæ recens solutionem saturni in aceto præcipitat, quasi succus cujusdam plantæ vulnerariæ, aut alterius plantæ in recessu alcalinæ, instillatus esset.

Folia et radix expressa dant succum, vino rubro simillimum, et saporis subacidi; hinc etiam folia cum radicibus in aqua simplici decocta post se relinquunt liquorem rubicundum vinosum, saporis suavis et subacidi: Unde *PLATERUS l.* 2. *Obseruat. pag.* 320. quendam phreneticum vinum postulantem decepit decocto radicis acetosæ; quod etiam semen acetosæ in aqua ebullitum pariter præstare potest.

Ipsa planta stomacho imprimis est amica, appetitum excitando, sitim sedando, et acrimoniam bilis, aut nimiam fluiditatem, indeque

que facilem ebullitionem, blandè compeſcens & mitigans; inde in febribus, præſertim continuis ardentibus & tertianis malignis, cum æſtu & ardore, ſiti clamoſa, faucium ariditate, præcordiorum anxietatibus, &c. quælibet ex acetoſa parata, & loco juleporum propinata, ſunt egregia, præprimis ſi ſuccus granatorum & citri huic decocto addatur. Dabo exemplum talis *Julepi, in febribus ardentibus & malignis* uſurpandi:

℞. *Herb. acetoſ. rec.* M.jv.
(vel in defectu hujus rec. *rad acetoſ.* ℥jv.)
Conciſa vel contuſa coqv. in ſ.q. *aquæ ſimpl.* Colaturę rubræ ſubacidæ addantur
Succ. granator.
Ribium an. q.ſ. pro ſubtili & grata aciditate,
D. S.
Juleb refrigerans ad diverſas vices.

Saporem & colorem vinoſum egregium habebit.

Vel

℞. *Decoct. rad. acetoſ.* ℔j.
Succi acetoſ. rec. expr. ℥iij.
Syr. ejuſd. ℥iß. ad ℥ij.

Miſc. pro julebo, qui guſtui & viſui ſuaviſſimus eſt, in febribus, continuis præſertim, utilis.

In effervescentia ſalis volatilis oleoſi in corpore lenienda & tollenda, & bilis acrimonia corrigenda, item in phlogoſibus & æſtuationibus vagis, Germ. *in fliegenden Hitzen*, cholericorum, ſcorbuticorum & hypochondriacorum, quibus nimis familiares ſunt, efficax eſt remedium. Imo tota planta miſcetur commodè cum aliis ſcorbuticis acrioribus, v.g. cum cochlearia, cum naſturtio, armoracia & ſimilibus, ut volatilis acetoſæ aciditas corrigat blandè acrimoniam iſtam ſcorbuticorum eandemque temperet, & ita eorum effervescentias nimias coerceat.

Quod dixi de planta, valet de *ſemine*: nam & hoc in defectu plantæ in aqua decoctum, illam colore rubicundo inſtar vini tingit, & in febribus commendatur.

Inter præparata eſt *conſerva acetoſæ*, quæ præſcribitur cum aliis in febribus ardentibus & malignis ad refocillandum nonnihil, imprimis poſt ſudores; item in bilioſis, in quibus acetoſa ſal volatile acre temperat. Nam omnia ex acetoſa remedia nimiam ſanguinis effervescentiam blandè compeſcunt.

Cum *ſucco* ſubacido non pauci parant *Extractum Martis* egregium in affectibus ſcorbuticis & hypochondriacis. Nam ſemel pro ſemper obiter hic noto, quod nempe vegetabilium ſucci aptiores ſint pro parandis ex Marte remediis, quàm Spiritus mineralium nimis acidi. Hoc ergò ſucco acetoſæ, vel loco ejus decocto tamarindorum, aut denique ſucco pomorum Borsdorffianorum, aut cydoniorum, limaturæ Martis affuſis, fiunt elegantia Extracta in ſcorbuto & malo hypochondriaco.

Syrupus fit ex ſucco & ſaccharo. PETRUS-JOHANNES FABER, Gallus, *in ſuo Myrothec. ſpagyrico* addit nonnihil de ſpiritu vitrioli, ut ſaporem eò magis acidum acquirat.

Hæc de Acetoſa: ſequitur

ACETOSELLA.

Acetoſellam etiam vocant *Trifolium acetoſum erectum ſiliquoſum flore albo*, (alia enim eſt *repentis ſpecies*, ut & *Trifolium erectum flore luteo*) quoniam terna habet folia inſtar aliorum Trifoliorum, & tantùm ſaporem habet acidum: Quibusdam etiam *trifolium fiſtuloſum* dicitur. Græcè vocatur ὀξυτρίφυλλον, aliis *Lujula*, item *Alleluja*, Germanis *Buch-ampffer*, *Sauer-Klee*. Folia ſingula terna habent cordis figuram, qua reſpondet cum parte aliqua corporis, corde, uti pictores delineant; adeoque propter ſignaturam, quam obtinent folia, ſingulariter inter Cardiaca & analeptica refertur; Unde in febribus & morbis acutis atque malignis, eorumque æſtu & ſiti, ſuccus, & ſyrupus ex foliis paratus, uſurpari ſolet. Sed in genere omnis ſignatura fallax eſt. Orgasmum bilis temperat, æſtum, ſitim, aliaque à bile æruginoſa orta compeſcit.

Conſerva ejus ſoluta in aqua ſimplici, dat egregium corpus pro Julebis.

Aliàs vix differt ab Acetoſa vulgari, ſed concurrit ferè; utut ſint, qui dicunt, quod ſuperet acetoſæ vulgaris vires, quod tamen vix credo: præ acetoſa tamen magis antiſcorbutica habetur, miſta ſcilicet cum acrioribus antiſcorbuticis, ut *infrà, ubi de cochlearia*, patebit.

Poſt Acetoſellam, ratione ordinis Alphabetici, addo

ACONITUM.

Aconitorum plures ſunt *differentiæ*. *Aconitum Helianthemum Canadenſe Cornuti* malè ita dicitur, cùm nec flos cucullatus, nec ſemen, reſpondeant; ſed eſt potiùs *Chryſanthemum* vel *Doronicum. Canadenſe foliis laciniatis*, eſt exoticum & officinis incognitum. Noſtrum *Aconitum* in horto Medico eſt *racemoſum majus baccis nigris*, ad differentiam *à Cornuto deſcripti cum baccis niveis & rubris*: malè dicitur *Chriſtophoriana*, *S. Chriſtophels-Kraut*.

Uſus ejus nondum eſt receptus in officinis, quia vis aconitorum maligna creditur.

De *Aconito Cœruleo* ſeu *Napello infrà ſuo loco*.

Sequitur nunc ſecundum ordinem AUTORIS noſtri

ACORUS VERUS.

Acorus verus Germanis dicitur German. *der Calmus*, propterea, quia aliàs vocatur etiam *Calamus aromaticus Officinarum*. Officinarum dico; quia non eſt *Calamus aromaticus verus* ſeu *Indus*, qui *ſub litera C. infrà* tractabitur, & non ampliùs apud nos, ſed in Syria adhuc reperitur. Hodiernus hic calamus eſt planta arundinacea, Amſtelodami ſæpè reperitur, cujus folia ſale volatili acri egregiè aromatico turgent.

Habetur pro egregio antiſcorbutico. Sed rectè dicit MANARDES *l.6. Epiſt. 3. pag.64.* Calamum aromaticum verum ignotum eſſe hoc tempore: Nam quem vulgus hoc nomine vocat, radix eſt, non calamus, & forſan ſaltem acori radix, vel alius plantæ incognitæ.

Loco hujus igitur in uſu eſt *Acorus verus*, radix inſigniter aromatica, ſaporis acris & ſuaveolentis, cujus vis conſiſtit in ſuavi oleo & ſale volatili acri, ad aromatum naturam accedente. Ratione ejus ſalis volatilis acris aromatici inſigne eſt carminativum & ſtomachicum, quem mirè confortat, unde in affectibus ſtomachi ex cruditate ortis, aut etiam in appetitu dejecto, in coctione vitiata & ſimilibus inſigniter convenit. Nam ratione iſtius ſalis admodum incidit & abſtergit ſordes, & cruditates viſcidas acidas in primis viis, ſuccum fermentativum nimis acidum temperat & volatiliſat, & hinc vi aromatica cum aliis aromatis ferè conſpirat. Præter hoc in affectibus quoque uterinis, menſium ſcilicet obſtructionibus, aliiſque vitiis convenit aromatica virtute, quatenus reſtaurat motum fermentativum; hinc in dolore colico & paſſione hyſterica, qui ferè ſunt unus idemque affectus. Denique etiam in morbis chronicis, cachexia & ſimilibus, ratione blandi ſalis volatilis acris commendatur. Ergò eligenda eſt recens guſtu acri & morſicante; quò enim acrior, eò melior. Ratio, quoniam exſiccata aut inveterata radix acrimoniam perdit, & jacturam facit ſui ſalis volatilis, & omnium virium.

Propterea *conditur radix*, quæ jejuno ſtomacho comeſta quantitate nucis avellanæ quaſcunque cruditates & apepſias in ſtomacho corrigit, eum inſigniter roborat, & appetitum provocat; in colica etiam commendatur.

Oleum deſtillatum eſt elegans carminativum, & anodynum putatur, quia affectus colicos & flatulentos ſedat.

In officinis proſtat *Electuarium di-Acori*, quod eſt inſigne ſtomachicum & artheticum.

Poſt Acorum verum ſequitur

ACORUS ADULTERINUS.

Acorus Adulterinus Pſeudo-acorus quoque, & quibuſdam Acorus aquaticus dictus, Tabernæ-montano optimè vocatur iris paluſtris ſeu aquatica lutea; & eſt ſpecies iridum ſeu gladiolorum, *Schwert-lilien*; à forma foliorum.

Hujus radix tantùm eſt in uſu, quæ commendatur vi inſigni adſtrictoria & ſtyptica, adeoque quibuſcunque alvi fluxibus aut hæmorrhagiis potenter medetur: Unde ſuccus expreſſus in diarrhœis, dyſenteriis & hæmorrhagiis experimentum optimum fuit B.D.D. LANGII noſtri, qui ex hoc præparavit ſuum *nectar adſtringens*, in vomitu cruento, dyſenteria, & quibuſcunque alvi fluxibus & hæmorrhagiis ipſi familiare. Ex *radice* inciſa, *ſi ſucculenta* fuerit, *ſuccum expreſſit*; *ſin minus, in aqua decoxit, ſuccum vel liquorem prolectum* blandè inſpiſſavit, & *ſacchari ſ.q. additione* in ſyrupi conſiſtentiam redegit.

Externè quidam, tanquam certum amuletum ad dyſenteriam commendant radicem hujus acori adulterini, collo ſuſpenſam. A PARACELSO pro amuleto contra catarrhos de collo ſuſpenſa deprædicatur. Aliàs etiam eadem *radix* appenſa ſingulare amuletum dicitur contra affectus nervinos, & in ſpecie ſpaſmum ac convulſiones, quod pariter ex ſcola PARACELSI prodiit, qui menſe Majo (obſervetur tempus balſamicum ſeu certę conſtellationis) radicem hanc effodere jubet, idque die Mercurij ante Solis ortum: effoſſa radix exſiccatur, & poſtmodum die Solis ipſo Solis ortu recipitur, & *ſuccini albi* ana qu.pl., includuntur *nodulo ex ſerico rubro*, qui appenditur collo, & ita ſingulariter in dictis affectibus commendatur: Appendenda autem eſt radix, quod Sol & Saturnus, trini aut ſextilis aſpectu ſe irradiarunt. Sequitur

Amu[illegible] pro [illegible] conv[illegible]

ADIANTHUM VULGARE.

Adianthum vulgare, Germ. *das frauen haar*, *oder* Venus-*Haar*, primariò quidem *Adianthum nigrum* dicitur; variæ enim ejus sunt species

Hujus Adianthi herbula vulgò inter plantas aperientes & resolventes viscera abdominis, & hinc pulmones mundificantes, & urinam blandè stimulantes, refertur, & imprimis ad affectus pectoris commendatur; unde etiam cum alterantibus aperientibus, uti vocanr, præscribitur in morbis chronicis, quos ex obstructione oriri volunt, in nodulis, in decoctis, & sic porrò. Post hoc etiam in affectibus renum laudatur; scilicet incidere & attenuare mucum viscidum in his locis hærentem dicitur.

Unde prostat in officinis *syrupus adianthi simplex & compositus*, qui veteribus in frequentissimo usu fuit virtute aperiendi venas mesaraicas in affectibus chronicis; sicut adhuc interdum usurpatur ad affectus pectoris & morbos chronicos, cachexias & similes, rarò tamen.

Omnia pariter Adiantha referuntur inter plantas capillares, & in specie ad calviriem commendantur; unde ingreditur cum abrotanto *unguentum Bucretii*, quam descriptionem dedi *sub abrotano*.

Annotari meretur, quod capillus Veneris, quamvis ad adspectum planta arida sit, tamen illius e. g. ℔j. expressa ferè tantundem succi fundat: vid. WEDELIUS *de sale volat. plantarum pag.* 243. *in Append. M. A. N. C. ad Annum* 4. & 5.

Sequitur

ADIANTHUM AUREUM.

De *Adiantho aureo* seu *Polytricho vero* Autores parum aut nihil quoad vires sunt experti, unde rarissimi usus est, nisi quod interdum cum aliis permisceatur pro tollendo pertinaci muco pulmonibus reliquisque visceribus impacto; & à CARRICHTHERO *in morbis* ab incantatione ortis maximè, & non immeritò laudatur: Vide CARRICHTHERI *Herbar. pag.* 779. 381. & 475.

Aliàs inter herbas capillares recensetur, propter signaturam, adeò ut externo usu ad capillorum affectus, & in specie ad calvitiem, commendari soleat.

AGALLOCHUM.

Gallochum aliàs vocatur *lignum aloes*, Germ. *Paradies- oder Aloes- Holtz*, uti habet AUTOR. Est lignum perquam resinosum, resina aromatica suavissima & summè confortativa imprægnatum, ex arbore Indiæ Orientalis istud decidi asserunt, cujus succus recens est venenosus, & non sine periculo ab hominibus, æque ac brutis, usurpatur, de quo conf. *Acta societ. Regiæ Volum.* 1. *pag.* 724. Affertur ad nos ex Insula Sumatra, saporis est amaricantis, & ex cujus poris transudat resina balsamica. Lignum est oleæ simile, quam arborem recenter dissectam nulla odoris fragrantia esse gratam dicunt; siccatum verò lignum demum suaveolentiam acquirere. An verum sit, nescio. Sed vix genuinum apud nos habetur, adeò rarum est, de quo vid. *M. A. N. C. Ann.* 1. *p.* 332. Nostrum potiùs ad naturam ligni aspalathi seu ligni Rhodii, cujus *DIOSCORIDES* meminit, accedere videtur.

Distinguitur Agallochum ab Aspalatho, Germ. *dem Rosen- Holtze*, ex eo, quod hoc in ignem injectum flammescat, & in cineres abeat, Agallochum verò resinæ instar ebuilit, & prunis injectum liquescit. Vid. quæ habet *BONTIUS Comment. in Garziam ab Hortoc.* 16. *de hoc Agallocho, ubi de ejus Collectione & Præpar. in India*.

Probam hanc habet *AUTOR*; quod carbonibus impositum instar ligni aloes suavem odorem efflet. Quò resinosius est, eò melius.

Tanquam confortativum singulare laudatur omnium viscerum totius corporis, in specie resina & Extractum ex genuino, quæ cordialibus primariis accensentur, & cum confectione alchermes comparantur. In stomachi affectibus ex cruditate acida ortis, in debilitate etiam ejus desperata, imprimis confert, eumque singulari vi aromatica mirè recreare, & hinc memoriam senum juvare dicitur.

Reliquos usus videbitis in *AUTORE*.

Externè lignum hoc incensum, & fumus ac odor naribus attractus seu haustus admodum convenir in passione hysterica graviori, aut lipothymia cum passione hysterica conjuncta; potenter eas recreat, & lipothymias arcet. Resina naribus admota memoriam senum juvat, odoreque mirificè recreat. Insignes laudes Agallochi in confortando cerebro & roboranda memoria videbitis in *SCHENCKIO l.* 1. *Observationum*, easque ex *LEVINO LEMNIO de occultis naturæ miraculis*.

Tam cum Spiritu vini, *aqua spirituosa*, quàm etiam ejus medio *Extractum* & *Essentia* internè ad epilepsiam parari potest. Præparationes horum videbitis in Autore, qui ex *ANGELO SALA* & *QUERCETANO* describit, & *ZVVELFFERO Pharmacop. Regia pag.* 224.

AGERATUM.

Geratum quasi non facilè marcescibile, quod flores ejus non tàm facilè marcescant, vocatur aliàs *Eupatorium* seu *Hepatitis Mesuæ*: *Tria* enim habemus *Eupatoria* in Officinis:

1. *Eupatorium Mesuæ seu Arabum*, quod est hoc *Ageratum*.
2. *Eupatorium Græcorum* vel *Dioscoridis*, quod est *Agrimonia vulgaris*; Er
3. *Eupatorium Cannabinum*.

Nostrum ageratum in hortis tantùm apud nos provenit; Vocatur Germanis *Leber- Balsamb*, quoniam ex veterum hypothesi conferre dicitur hepati. Jam verò cum hepar non ampliùs sanguificet, & ex modernorum hypothesi Hepatica sint talia quæ læsam sanguinis crasin emendare, ac naturalem restituere poterunt; adeoque ageratum cum aliis ad corrigendam sanguinis crasin vitiatam in morbis chronicis, quos ex obstructionibus oriri volunr, erit ut accommodetur. Omnia, *quæ de agrimonia suo loco dicenda erunt*, illa huic, & quidem in excellentiori gradu, competunr. Rarò tamen usurpatur apud nos: Veteribus sæpius fuit in usu: loco ejus *Eupatorium Cannabinum* substituitur.

AGNUS CASTUS.

Ἀγνὸς idem ac *Latinis Castus*; hinc utrumque conjunctim vocarunt *Agnum Castum*; Aliàs proprie & communiter vocatur *vitex*, Germ. *Keusch- lamm*, *Keusch- baum*.

Hic agnus castus subministrat officinis semen: & quidem semen hoc imprimis nomen dedit arbori ex speciali virtute, qua homines reddit castos, & stimulos libidinis ex genitura abundante acriori ac fervidiori natos compescit, ac impetum istum venereum cohibet; Genituram enim blandè temperat, ac specifica sua virtute, in substantia oleosa fundata, acrimoniam extinguit. An vim genitalem prorsus enervet, asserere nolim; sufficit, quod homines castitati mancipare valeat: Unde etiam in affectibus seminalibus & gonorrhœis, non tàm ex genituræ abundantia & turgescentia, quàm acrimonia ejus oriundis, & hinc in Gonorrhœa notha, & fluore albo mulierum adhibetur; & etiam penis erectionem ad tempus inhibet, sive in forma emulsionis, sive largiùs in forma pulveris propinetur. Semen hoc etiam ordinariò ingreditur *Essentiam Castitatis* dictam D. D. *MICHAELIS*, quæ in Gonorrhœa, & imprimis in mulierum fluore albo, nec non affectibus libidinosis, magno est in pretio; sicut apud Veteres Romanos mulieres folia hujus viticis lecticiniis substernere solebant, ut eorum incubitu vis earum venerea nonnihil languesceret; hinc etiam in furore uterino commendatur, in quo semen pulverisatum datum, vel ex semine cum aqua nymphææ parata emulsio, cui addi potest os sepiæ præparatum & succinum album, laudatur. Dabo exemplum *pulveris contra gonorrhœam*, ex abundantia & nimia turgescentia genituræ natam.

℞. *Sem. agni casti* ℥ij.
Succini albi præpar.
Antimonii diaphor.
Ossis sepiæ præpar. an. ℥ß.
Sacch. Saturni ℈j.
M. f. Pulvis pro aliquot dosibus,
D. S.
Pulvis cohibens.

Turgescentiam genituræ nimiam cohibet, ne nimis effluat. Emulsio contra furorem uterinum est hæc:

℞. *Sem. agni casti* ℥ß.
c. s. q. *aquæ nymph.* f. Emulsio, cui add.
Sacch. Saturni ℈j.
Camph. ℈ß.
Syr. de nymph. ℥vj vel ℥j.
M. D. S.
Lac refrigerans contra furorem uterinum.

Aliàs & hunc in finem semen cannabinum laudatur: sed propter vim quandam narcoticam periculosum videtur. Potest etiam semen agni casti in affectibus urinariis, ex acrimonia genituræ ortis, adhiberi: quo in casu aliàs semina amygdalarum dulcium, item violarum, præscribi solent, quibus & hoc commodè addi potest.

AGRIMONIA.

Grimonia, Germ. *Odermenge*, est *Eupatorium* seu *Hepatitis* vel *Dioscoridis* vel *Græcorum*, quasi hepati dicata sit. Hæc *Agrimonia non est argemone*, sed *ad Pentaphylla* potiùs suo modo *referenda*, & una ex nobilissimis hepaticis, vel quæ optimè ad sanguinis dyscrasiam emendandam in quibusvis morbis chronicis ex vitio hepatis à veteribus, à Modernis verò vitio bilis deductis, conveniunt; Unde essentia ejus, decoctum, infusum, &c. insigniter commendantur in ictero, cachexia, & febribus chronicis. Deinde egregiè admodum est vulneraria, quæ potiones vulnerias, Germ. *die VVund Trancke*, unà cum aliis ingredi solet, quæ propinantur in vulneribus

bus & ulceribus inveteratis & malignis; ſpeciatim in vulneribus & ulceribus renum ac pelvis, & inde dependente mictu cruento unum ex optimis ſpecificis eſt agrimonia, & B. D. *MICHAELIS* uſitata; vel ſolùm vel cum comis hyperici in vino decocta, vel ſub forma eſſentiæ vel extracti uſurpata: e. g.

℞. *Eſſ. Agrimon.*
Flor. hyper. an. ʒj.
M. D. S.
Mixtura renum per aliquot vices.

Doſis 40. *usque ad* 50. *guttas*, ter in die.

Inde factum fuit, ut agrimonia ad quaſcunque viſcerum exulcerationes, imprimis hepatis, extenſa fuit; unde & vulgò German. *das leber. Kraut* dicitur. Eſt de cætero planta temperata ac blandè amara, hinc in tono hepatis reſtituendo non contemnenda eſt: Vid. de his & ſimilibus *FORESTUS l. 7. Chirurg. Obſervat.* 3.

Externè uſurpatur in balneis pro mictu cruento, & vulneribus atque ulceribus partium externarum, recentibus & antiquis, mundificandis, ſordibus detergendis, & carne promovenda; ubi herba aut ejus ſuccus recens expreſſus à ruſticis frequenter adhibetur, quorum vulnerarium unicum eſt, vulneribus & ulceribus inſtillatus, aut cum filamentis impoſitus: ſic v. g.

℞. *Herb. Agrimon.*
Millefol.
Flor. hyperic. an. M. j.
Muſci pruni ſylv. M. ß.
ſem. hyper. ʒij.

Coqu. in ſ. q. *aquæ ſimplicis* contra mictum cruentum; quod ad procidentiam quoque ani commendatur.

Quin & in contuſionibus ſcroti cataplaſma, factum ex agrimonia, in vino cocta, inſigniter commendari ſolet, imprimis ubi eſt tumor & inflammatio, quæ in hujuſcemodi malignitate aliàs ſupervenire ſolet. In ſpecie quidem ſi, quod ſæpiùs evenit, oriatur tumor & inflammatio ſcroti & teſtium, quando equitamus, cataplaſma ex agrimonia hæc reſolvit & tollit; cui ſi addantur flores ſambuci, erit eò melius; quod expertus eſt *HILDANUS Centur. 3. Obſervat.* 81.

ALCEA VULGARIS.

ALcea vulgaris major & officinalis, Germanicè *fell-Riſs*, vel *Siegmars-VVurz*, planta cognata eſt cum althæa & malva vulgari, niſi quod poſteriores magis ſint anodynæ, magis emollientes, ac in receſſu magis mucilaginoſæ: differunt in eo, quod *althæa & malva folia* habeant *integra*; *Alcea* verò *folia laciniata*. Dicitur aliàs *alcea ab* ἀλκῇ, quod pluribus uſibus inſerviat; *fellriſs* verò dicitur, quod contra pannos oculorum valeat, in quem uſum vel ſuccum ejus, vel radicem certo tempore effoſam recipiunt, & de collo ſuſpendunt.

Hic ſeſe quoque ex horto Medico offert.

ALCEA SYRIACA.

SEu nomine Arabico *Ketmia Arabica flore albo*; item *purpureo*. Hæ ſunt exoticæ, & raritatis gratia in hortis coluntur.

Præſto quoque eſt in horto Medico noſtro.

ALCEA VESICARIA.

ALcea Veſicaria flore purpureo, aliàs *Alcea Veneta* dicitur; quæ tamen ultima propriè loquendo planè alia eſt: *Veſicaria* dicitur, quod ante floris eruptionem veſicas habeat, in quibus ſemen reconditum aſſervatur. Conſpirat probabiliter emolliendo, dolores mitigando, & (quod Alceæ vulgares aliàs non præſtant), detergendo cum alceis vulgaribus; ſed tamen in minori gradu. Aliàs in hortis curioſitatis gratia colitur.

ALCHIMILLA.

ALchimilla Græcorum, Germ. *gulden Ganſerich, Sinnalen, ad ſaniculas referenda*, ita dicitur, quod Alchymiſtæ de hac multum venditent; Latinis *pes leonis*, vel *Lovvenfuſs* Germanis, à figura foliorum. Planta ſatis nota eſt, ſubinde creſcit quaſi ſponte.

In Officinis proſtant ejus folia ſeu herbæ, quæ ex vulnerariis ſimiliter ferè primatum obtinent. Vis ejus conſiſtit in ſale alcali volatili, temperato ab acido, blandè diuretico. Uſus frequens eſt in herniis, & alterativæ & conſolidativæ virtutis ratione. Vis autem hujus, ut & omnium vulnerariorum, manifeſtatur in decoctis magis, quàm Eſſentiis cum ſpiritu vini, in quibus ſaltem extrahuntur reſinæ. Nam vulneraria non ſunt adeò volatilia, ut in decoctis avolent, ſed optimè ſolvuntur. Conveniunt autem tàm externè in abſceſſibus & ulceribus quarumvis partium, ut & in ſinus ſeu fiſtulas injiciendo, ſicut & ejuſdem ſuccus cum unguentis vulnerariis commodè permiſcetur, quàm internè in potionibus vulnerariis ac dyſentericis, & conſolidationi partium internarum dicatis, ut rupturis, &c. ut temperetur acidum in ſtomacho, illudque per urinam eliminetur: temperato enim acido ſtomachi, impeditur ejus curſus vel influxus in vulnera; Vid. *FUCHS. p. m.* 584. Ingreditur etiam clyſmata conſolidantia in dyſenteria. Italis quibuſdam externè uſurpatur pro ſophiſticatione Virginum, quo coarctentur & anguſtentur eorum genitalia, & mammæ pendulæ erigantur, & minores fiant. Modus eſt hic: Coquunt *Alchimillam* in aqua, quod decoctum ſupponunt mulieri, ut vapor ſubintret vulvam: ſic enim dicunt, conſtringi genitalia, idque adeò, ut ſe poſſint aliquoties pro virginibus venditare: ſed meliùs forſan conduceret, ſi adderetur ſulmen, & immediatè applicaretur locis iſtis, ita enim magis adſtringeret: ſicut & mammis decoctum hoc ſub forma fotus applicant, & ſic eas parvas, duras & rotundas inſtar pomorum, uti dicunt Itali, efficit. Aliàs ſuccus ſymphyti majoris in decocto ſeu balneo pro augmentandis deliciis noviter nuptorum, & fallendo ſponſo, adhiberi poteſt; Vid. de hoc *GABELCHOVERUS in Obſervat.*

Cæterum in genere hic aliquid

DE VULNERARIIS

NOtandum. *Vulneraria* ſcilicet ſunt ea, quæ uſurpantur à chirurgis ad conſolidanda ulcera & vulnera: in qua vulnerum curatione notandum, chirurgos ſaltem removere impedimenta, quæ conſolidationi eorum obſtant. Impedimenta autem illa conſiſtunt in acido præternaturali & vitioſo, quod in parte læſa mitius quidem eſt in vulneribus, acrius in ulceribus, & ex degeneratione ſanguinis ſeu deſtructione nutrimenti proficiſcitur: Hoc ergò acidum imbibunt & deſtruunt vulneraria iſta; Unde conſtat, quod de alcali volatili, ſed ſubtili, participent. In omnibus igitur vulnerariis prædominatur alcali ejuſmodi urinoſum volatile, ſed occultum; Hinc ſucci omnium vulnerariorum ſolutiones ab acido factas præcipitant, v. gr. Vitriolum præcipitatur ab omnibus vulnerariorum ſuccis. Prætereà & ſaporis plerumque non nimis amaricantis & obſcurè mordicantis ſunt; ex quo conſtat, eadem conſtare ex acido & alcali, illo tamen maximam partem prævalente; unde ferè nitroſa ſunt, & virtute diuretica pollent. Vulneraria omnia, utut intentiſſimè calcinentur, ſal tamen lixivioſum præbent, non penitus alcalinum, ſed compoſitum ex acido & urinoſo; tandem, ſi ritè tractentur, in perfectum ſal ſalſum, forti autem calcinatione in purum alcali degenerant. Vulnerariorum ſucci quoque lac facilè coagulant, quia ſunt ſaporis ſubadſtringentis, vi cujus lac coagulant, & poros ejus conſtringunt.

ALKEKENGI.

ALkekengi ſeu *Halicacabum* eſt ſpecies *ſolani*, unde dicitur *Solanum Veſicarium.*

Baccæ Alkekengi figura ceraſi, Germ. *die Juden, Kirſchen*, ſolùm in uſum veniunt.

Quatenus ex ſolanorum ſunt genere, vi aliquali anodyna præditas arbitror: ſale eſſentiali, verèque nitroſo turgent, unde & ratione horum ſalium ſaporem obrinent nonnihil ſubamaricantem; ex qua craſi deducitur vis inſigniter diuretica & nephritica, in ſale nitioſo abſterſivo fundata. Infuſum namque harum baccarum, tam ſucculentarum quàm exſiccatarum, in vino, urinam remorantem blandè pellit; frequentiſſimi hinc uſus ſunt in affectibus renum, tam in eorum ulceribus & impedita mictione, quàm etiam in affectibus nephriticis, in purgandis renibus, & calculo, arenulis ſimilibusque, tàm præſervando quàm pellendo. Prætereà decoctum baccarum harum cum radice liquiritiæ in dyſuria commendatur; ſicuti etiam *Eſſentias* quaſvis *diureticas* baccæ hæ exſiccatæ, earumque ſpiritus, ingrediuntur. Porro hæ baccæ AlKeKengi commendantur inſigniter in ictero flavo, præmiſſis præmittendis. Autor præ cæteris commendat in ſanguine coagulato, quem diſſolvit, & vel per urinam expellit, vel per alvum, vel per ſudorem eliminat. Modus utendi conſiſtit in ſucco expreſſo, qui vel ſolus vel cum vino propinatur: Vid. HERCULES SAXONIA.

In HOEFERI *Hercule Medico p.* 176. eſt *aqua Nephritica* non contemnenda, quam inter alia baccæ AlKeKengi ceu baſis, & cortices limonum ingrediuntur. Compoſitio eſt hæc:

℞. *Malor. Citr.* qu. v.

Abjice, quod intus eſt, acidum, reliquum raſum comminutumque, album imprimis, recipiendum, ſtet in vaſe vitreo 24. horis: Poſt expreſſo ſucco

℞. hujus ℔j.
fruct. Alkek. rec. num. Lxiv.

Contuſa miſceantur, & ſtent iterum 24. horis ſimul, dein ex vitro deſtillentur per arenam, ut de ℔j remaneant ℥ix. Hujus *aquæ deſtillatæ*,

℞. ℥ij.
adde
Vini Rhen. ℥j.
Sacch. candi ʒiij. M.

Paratur etiam *Eſſentia ex ſucco baccarum Alkekengi inſpiſſato* & aliis plantis cum *ſpiritu proprio*, per fermentationem parato, quæ egregia eſt in exulceratione renum, ſuppreſſione & ardore urinæ, item in affectibus

fectibus nephriticis. Si addatur *opium*, fit *Essentia urinaria anodyna Michaelis*, quæ pellit urinam, & dolores nephriticos sistit. PETRUS-JOHANNES FABER l.2. *Myrothec. spagyr. cap.7.* habet Essentiam baccarum AlKeKengi, quam insigniter in ictero flavo commendat.

Idem *succus* expressus blandè *inspissatus* Extractum diureticum nonnihil anodynum suggerit, quod etiam in ictero vi diuretica est egregium.

In Officinis prostant *Trochisci de Alkekengi*, tàm *cum* quàm *sine opio*, qui egregii sunt in excoriatione aut exulceratione renum; item in affectibus urinariis dolorosis, dysuria & stranguria à *FORESTO* laudantur. Sed si propinetur Essentia supra dicta ex AlKeKengi succo & aliis, erit effectus eò magis præsentaneus.

ALLIARIA.

ALliaria, Germ. *Knoblauchs-Kraut*, seu *Thlaspidium cornutum*, *allio congener* odore *planta* est, quæ *florem album* habet.

Usus ejus est in febribus malignis, adeoque vis ejus residet in crasi sanguinis, per sal alcali suum volatile odore se satis prodens, reducenda. Itaque scordio substitui posse quibusdam videtur, cùm attenuet, incidat, ad putredinem conducat. Inter acetaria cum zinzibere, sale & aceto, pro crassis & viscidis humoribus resolvendis, apta est. Iisdem ferè viribus gaudet ac allium.

Extra, semen nigrum contusum cum aceto in forma emplastri in strangulatu mulierum ventri impositum, illas iterum resuscitat; item sub forma pessarii semen linteo exceptum eodem in casu. Succus plantæ vel semen pulverisatum in nares sufflatum sternutationem excitat in epilepticis & comatosis, utrosque suscitando. Succus & pulvis herbæ vel seminis, vel ipsa planta recens, in vulneribus & ulceribus antiquis putridis & sordidis ob metum cancri, nec non ad gangrænam recentem, conducit.

ALLIUM.

ALlium, Germ. *Knoblauch*, planta satis est cognita, in specie radix seu potiùs capita, quæ sola hìc usualia sunt, & sapore ac odore omnibusque proprietatibus indicanr, efficaciam suam primariam dependere à sale volatili admodum acri, magis Mercuriali, minus sulphureo, insigniter penetrante, hoc est, ut vulgò vocant, essentiæ esse penetrantis, incidentis & attenuantis, aperientis, cujus intuitu allium, non secus atque omnia cepacea, inter exsiccantia & calida refertur; à quo sale volatili acri est odor admodum mordicans, sapor linguam pungens, morsicatio oculorum, & qui sunt similes effectus, qui sal volatile acre adesse loquuntur. Hinc virtus illi stomachica per experientiam adscripta fuit pro appetitu conciliando; unde & peregrinantes, si tempore vespertino capita aliquot allii in vino generoso adhibent, appetitum inde sentiunt, cùm pituitam & quasvis cruditates acidas acrimonia sua alcalina in stomacho egregiè dissolvat & corrigat. Admodum porrò convenit in discutiendis flatibus, natis per fermentationem vitiosam ab acido factam; Acidum enim vitiosè fermentans dat flatus. Hoc acidum, dum corrigitur à sale volatili acri allii, simul etiam proventus flatuum corrigitur, & geniti jam discutiuntur; iique per se absumuntur; per accidens verò, in succis scilicet pituitosis, generantur. Unde insigniter convenit allium in affectibus intestinorum dolorosis, ut passionibus hystericis gravioribus & colicis, ab acido ortis, & jam à GALENI temporibus usitatum fuit remedium, sive adsint flatus, sive non adsint; cùm enim affectus hi oriantur ex acido austero & flatuoso, utrique verò allium ratione salis volatilis medeatur, hinc successu haud contemnendo adhibetur. Usurpatur verò vel externè illinendo umbilicum, vel internè haustum vel cum vino vel cum oleo olivarum: scilicet capita allii minutim discinduntur, & cum aqua chamomillæ destillata assumuntur contra colicam; vel capitulum allii intra dentes contritum & masticatum brevi solvit paroxysmum: Jusculum cum allio & oleo olivarũ, calidè haustum cum tantillo vini generosi, expertum est remedium *BORELLI* in colica, uti habet *Cent.4. Observat.92.* sic jam in GALENI scriptis prostat exemplum Colicæ curatæ per allii usum in rustico, sicut ex GALENO recenset SCHENCKIUS *in Observationibus*, & ZACUTUS LUSITANUS *l.2. Med. Princ. Histor. 95.* Deinde infestum admodum est lumbricis & vermibus quibuscunque allium, quos enecat & expellit, sive adsint vermes in intestinis, sive etiam adsint vermes pericardii; qui affectus rarus, quia parum cognitus, & pauca, imò ferè nulla apud Autores mentio est. Symptomata concomitantia, præter continuam palpitationem cordis, sunt sensus rosionis & vellicationis in interiori pectoris loco, ubi cor situm est, adsunt lipothymiæ, supervenit epileptica convulsio, facies pallet, ægri inquieti sunt: vid. *PETRUS à CASTRO in suis scriptis*. In hoc tamen optimum remedium est succus allii expressus cum succo nasturtii in brodio seu jusculo decoctionis radicis armoraciæ assumptus: sicuti hujus rei exemplum illustre recenset HARTMANNUS *in Praxi Chymiatr. pag. 155,* & GABELCHOVERUS *Centur.3. Curat.1.* Præterea egregium diureticum est, indeque in obstructione urinæ tempore vespertino in aqua vitæ juniperina capitulum allii sumptum; uti quoque allium & cepæ cum oleo coctæ, & instar cataplasmatis regioni pubis admotæ, eam cient; unde acuendo urinam, & ita renes abstergendo, in præservando & curando calculo excellit insigniter. Singulis ergò novi- & pleniluniis capitulum allii minutissimè dissectum & cum cochleari aquæ vitæ seu spiritus juniperini assumptum, præservativum est expertum à calculo, quem etiam depellit. Pro arcano hoc habetur *à Domino Consule Lorenzo, & Domino Ædili Uvelsch hujus civitatis*. Vidi tamen ego descriptum hoc remedium à BARTHOLINO *Centur. 4. Epistolarum pag. 230.* & certè fundamento non caret hæc cura; coagulum enim calculi dependet ab acido in stomacho orto. Dum itaque sal acre vol. allii acidum hoc in stomacho & renibus discutit, & urinam pellit, eo ipso simul educit, coagulationem hanc impedit, & ita à calculo præservat: & quoniam urinam promovet, ob id hydropicis commendatur, de quo videri potest experimentum in *FORESTO lib. 19. Observat. 27.* Allium etiam est singulare sudoriferum & alexipharmacum, si particula radicis una vel altera cum pane siligineo comedatur, ac æger probè contegatur; adeoquo in peste ejus usus insigniter commendatur ab ATHANASIO KIRCHERO *de Peste p. 318.* aliisque: Ob id rectè vocatur Theriaca Rusticorum, utpote quos, & imprimis Hungaros, capita aliquot allii in aceto simplici vel destillato assumpta potenter per sudorem à peste & aliis febribus malignis, cum vino à benignis, liberant. Unde etiam internè solet adhiberi ab Ungaris in cura morbi Ungarici optimo cum successu. In apoplexia uterina commendat *AUTOR* noster, per quam nihil aliud intelligit, quam passionem hystericam, in qua sensus & motus perit instar apoplexiæ: cum enim talis hysterica passio oriatur ab acido, vitiosè in intestinis effervescente, propterea corrigit hoc ipsum allium. Contra morsus viperarum internè & externè commendatur allium. Sunt, qui destillant ex allio *aquam alexipharmacam* contra venena: Aquam nempe ex allio destillatam superfundunt novis allii capitibus, & blando Solis calore per tres vel 4. hebdomadas digerunt: clarum quod est, decantatur, & ita præparata ad quælibet venena deprædicatur. Allium cum stercore humano mixtum prodest locis dolorificis ab incantatione tumefactis impositum.

ALLIUM SYLVESTRE.

ALlium *sylvestre* in usu interno est præservativum, imprimis contra pestem ac morbos contagiosos, si vel aceto vel vino infundatur: Omnia enim alliata hisce in morbis malignis conveniunt; hinc etiam *Electuarium de allio* quibusdam officinis in usu est, cujus basis est radix hujus allii.

ALSINE.

ALsine major latifolia mas vulgaris, Germ. *das Mause-Gedarme*, *Huner-darm*, *Huner-biss*, *Vogel-Kraut*, rari est usus interni, jam apud nos; Externè verò mulieres plantam contusam mammis puerperarum, si tractare nolunt, ad coercendum & impediendum lactis proventum mammis applicare solent. Deinde etiam extrinsecùs commendatur ad scabiem, si scilicet præmissis universalibus cum hac planta contusa fricentur partes scabiosæ; aut si planta decoquatur in aqua, & istud decoctum postmodum loco lotionis manuum adhibeatur. Denique singulare est, quod habet *SCHMUCK in Thesauro Medico Secretorum*, si scilicet alsine cum aceto trita cicatrici seu vestigio sanati vulneris imponatur, idem vulnus sine ulla sectione denuò aperiri, quasi recens esset: Quod si accedat aliqualis inflammatio, tunc cum lacte caprino coquenda & imponenda; sic enim minus erit metus de inflammatione. De iis, quæ habet *AUTOR* de atrophia & phthisi, experientia consulenda.

Huc quoque pertinet

ALSINE SPERGULÆ FACIE,

Kleiner Huner. Darm.

SPergula aliàs est planta *ad naturam Galliorum accedens*. Cùm verò Alsine aliàs rari, & non nisi externi fit usus, hæc ipsa quoque in Officinis exulat.

ALTHÆA.

ALthæa, & quidem tam *vulgaris*, quàm *Theophrasti Eresii* (successoris *ARISTOTELIS*) *flore luteo*, seu Arabico nomine, *Abutilon Avicennæ*, ita dicitur ab ἀλθεῖν seu *medendo*; Vocatur etiam *Bismalva*, quod malvam in usu temperante, & imprimis malactico, bis superet; item *Ibiscus*; unde Germanis *Eibisch-oder Athaen-Kraut*. Natura cognata est malvę.

Tota herba est admodum suavis attactu & glabra, & ab effectu etiam inter plantas emollientes & maturantes ferè primatum obtinet planta & radix, ut temperatissima; emollit enim insigniter & laxat. Et cum contineat mucilaginem quandam blandam, & in omnibus qualitatibus temperatissimam, ratione hujus quancunque acri-

acrimoniam humorum corporis nostri temperat & mitigat, hinc dolores lenit, serum urinarium, item lymphæ catarrhalis acrimoniam mitigat; unde decoctum ejus in ileo, affectibus urinariis, dysuria, stranguria, mictu doloroso, item in asperitate faucium, &c. frequentissimi usus est. Prodest insigniter in affectibus nephriticis & calculosis radix hæc, si coquatur in jusculo carnis vel etiam si instar potionis decoctum ejus cũ aliis propinetur, quoniam dolorem lenit, & acrimoniam urinæ in calculo semper præsentem moderatur & temperat; suggerit nempe levi in aqua maceratione aut ebullitione mucilaginem, hujusmodi effectuum Autorem. Exemplum talis decocti elegans contra dolorem nephriticum, sive à calculo, sive ab alia causa, imprimis si ardor seu acrimonia urinæ simul adsit, subministrat *BARBETTE*. Descriptio est hæc:

℞. *Rad. Alth.* ℥j.
Liquirit. ℥ij.
Fol. malvæ M. j.
Sem. melon. ℥ß.
Coqu. in aqua *hordei*: Colat.
℞. ℔ ij.
(propter radicem althææ mucilaginosam copiosior liquor affunditur) adde
Lapill. cancr. crudè contus. ℥j.
Syr. fl. papau. errat. ℥ij. M.

Et hoc est, quod egregiè lenit dolorem nephriticum, ardorem urinæ & similia, calculosis & nephriticis familiaria. Vulgò dicitur, quod lubricet & laxet vias urinarias, quod meritò ridet *HELMONTIUS*; si enim laxaret & lubricaret, prius lubricaret in stomacho & intestinis, quod tamen non est: Convenit ergo tẽperando acrimoniam

Externo usu radix & herba est frequens chirurgis in Cataplasmatis & unguentis emollientibus & abscessibus maturantibus, item in Cataplasmatis anodynis quarumcunque partium, cùm ratione substantiæ perquam mucilaginosæ, ejusque temperatæ, temperando, ac fibras irritatas relaxando, hinc emolliendo, usum suum egregiè præstet. Clysma emolliens, præsertim ubi alvus est obstructa & occlusa, & ubi simul urgent dolores, vix ullum præscribitur, quod non ingrediatur althæa.

Cum althæa hac vulgari conspirat *althæa dicta peregrina*, unde & pro usu interno, in ilio præsertim, pro alvo emollienda, & externè etiam cataplasmatis loco adhiberi poterit.

Mucilago radicis in aqua maceratæ medetur faucibus, mitigando acrimoniam in raucedine, tussi sicca, &c. cum saccharo edulcorata exhibetur.

Syrupus de Althæa ab Autore *Fernelii* dictus convenit in suprà dictis affectibus, & potiunculis aut similibus solet addi. Sunt qui hunc syrupum propinant ad laxandas calculi vias; sed ridiculum hoc est: operatur enim acidum saltem temperando, quod calculum producit.

Prostat in officinis *unguentum dialthææ simplex* & *compositum*, per quàm vetustum, quod tamen insigniter prodest in doloribus nephriticis & calculo, aliisque doloribus partium externarum, v.g. pleuriticis, &c. In suppressione urinæ pariter hoc unguentum, mistum cum oleo scorpionum, et illitum regioni pubis, præsentissimum est remedium; unguentum dialthææ enim emollit & lenit, & oleum scorpionum pellit. Alii miscent unguentum dialthææ cum unguentis purgantibus, v.g. unguento de arthanitia, & ita abdomini inungunt pro laxanda alvo suppressa. Unguentum factum ex *unguent. dialthææ* ℥iß, & *olei amygdalarum dulcium* ℥ß, est egregium remedium contra dolorem pleuriticum, si scilicet singulis tribus horis inungatur locus dolens hoc unguento calido: sin addatur ei aliquantulum de croco, vel etiam aliquot grana camphoræ, erit unguentum eò efficacius, quia penetrantius.

Althææ occasione

DE EMOLLIENTIBUS IN GENERE

VT aliquid addam, omnia illa blando quodam lentore temperato gaudere videntur, quo acidum temperant, quod succos in corpore coagulat; unde in ulceribus utrumque acre mitigando faciunt, ut acidum illud præternaturale, cum sale urinoso effervescens, citiùs abeat in salsum tertium, quale pus est.

ALYSSON GALENI.

DE *Alysso* tacet *AUTOR* noster: Planta est verticillata Hispanica, apud Veteres commendata tanquam specificum singulare *GALENI* contra hydrophobiam seu morsum canis rabidi. Digladiantur adhuc Autores, quodnam sit verum *Alysson Galeni*? Multi quid pro quo hìc substituunt. Descriptionem veram subministrat *GEORGIUS SYLVIUS in operibus Medicis*, ubi dicit: Alyssi herba marrubio est similis, asperior tantummodò & spinosioribus capitulis cœruleo flore, legenda sub æstu ferventis caniculæ: siccata tecta reconditur, & usui servatur. *RENEALMUS in Observat.* habet Essentiam Alyssi, cum qua curavit aliquot à cane rabido demorsos, & jam hydrophobicos redditos.

ALYSSON DIOSCORIDIS.

ALiud adhuc *Alysson* à *DIOSCORIDE* describitur, rectiùs *Leucoion Alyssoides majus clypeatum*, quod in usum Medicum nondum receptum est.

AMARA DULCIS.

AMara dulcis seu *Dulcamara*, Græcis γλυκύπικρον, ita dicitur ratione saporis mixti, Germanis *je langer je lieber*: primò enim gustatum amaricans est, sed posteà dulcescens: Aliis etiam dicitur *solanum scandens*, quod hinc inde scandere, ac arboribus sepibusque se circumvolvere soleat; Germanicè *Hirch-Kraut*, ita dicta, quod morbo cuidam pecudibus imprimis familiari, quem vocant *den Hirsch*, mederi soleat; unde & pastores ovibus plantam hanc tanquam amuletum contra hunc morbum de collo suspendere solent.

Officinas non ingreditur; arbitror tamen, quod cum usu solani sativi seu hortensis (de quo *infra suo loco*) præprimis externo, in malis ad cancrum vergentibus, conspiret.

AMARANTHUS.

AMaranthus, Ger. *tausendschon*, dicitur Græcis, quod flos sit quasi ἀμάραντος seu immarcescibilis; flos enim exsiccatus eodem nitore per plures annos manere, observatur.

Triplex datur *differentia*:

I. *Amaranthus Mexicanus baccifer flore coccineo*, qui potiùs *ad solana pertinet*, unde *rectiùs solanum Indicum racemosum* dicitur; *nullus* enim *Amaranthus est baccifer*: id quod tamen in solanis observatur, præprimis in solano isto lethali: quod *Belladonna* vocatur. De cætero usus ejus Medicus est nullus, sed ex Mexico ad nos translatus.

II. Sese quoque offert *amaranthus tricolor*, German. *pappageyen federn*, qui *malè* etiam *inter amaranthos recensetur; pertinet* potiùs *ad blita*, unde rectiùs *blitum variegatum* dicitur. Usum Medicum habet nullum.

III. Dantur genuini ac *veri Amaranthi*, quorum (1) *amaranthus flore aureo* seu *panniculo aureo*; (2) *flore albo*; (3) *purpureus spicatus*, & (4) *purpureus panniculatus*, seu *panniculа sparsa*: Dantur etiam præterea *cristalli*. Verùm non ampliùs sunt in usu, proptereà illis non inutiliter tempus teram.

AMMI VERUM.

AMmi angustifolium seu *folio fœniculaceo*, aliàs *Ammi Alexandrinum*, Germ. *Ammey-Kraut*, exoticum est, & propter raritatem in hortis colitur tantùm.

Hujus *semen* est instar cumini, cui est etiam adeò affine, ut istud ammi, quod in Æthiopia nascitur, *Cuminum Æthiopicum* nominent, quod tamen multò minus est & candidius, origanumque sapit; proinde id, quod in officinis reperitur, vix genuinum est.

Usus est nullius, nisi quod adhuc Theriacam ingrediatur, utut non sit genuinum; vix alibi invenitur: sunt tamen, qui mirificè ad fœminarum fœcunditatem facere asserunt, si nempe alternis diebus ℨj cum vino temperato aut jusculo carnium assumatur; quo die fœmina hausit, non debet cum viro concumbere, uti habet *FREITAGIUS in Aurora Medicor. c. 49. p. 546.* Carminativum est imprimis hoc Ammi; sed quoniam est rarum, & rarò genuinum, propterea in locum ejus nostrum cuminum usurpatur, cui simillimum.

AMOMUM.

AMomum res est nominetenus cognita: Quid enim sit *Veterum Amomum*, nescitur à modernis, & adhuc sub judice lis est. Officinæ quidem monstrant semen; sed quid sit, ipsæ nesciunt, & cùm sit ignotum, non adhibetur. Ingreditur Theriacam; sed hujus loco quidam radicem acori veri substituunt.

AMYGDALÆ seu AMYGDALA.

REperiuntur in hortis nostris *Amygdalus nana* seu *seu pumila*, *fructu dulci & amaro*, quæ species sunt exoticæ, & ornatus gratia in hortis coluntur.

Fructus dulcis omnibus est notus, cujus *nuclei* succo oleoso quasi lacteo turgidi sunt, indeque temperati, adeoque insigniter nutritivi. Cum enim vis eorum consistat in oleo temperatissimo, & quasi aquoso, ita ut non sint graduati, seu in nulla qualitate excedant; hinc etiam sequitur, quod

1. Chylum lactescentem insigniter nutritivum, uti omnia temperata, subministrent; unde atrophiæ succurrunt, & proptereà à quibusdam *fructus Joviales* dicuntur, cùm Jovis præsit nutritioni.
2. Quamcunque corporis nostri acrimoniam, præsertim salsam, blandè leniant ac temperent.

Pro-

Propterea fiunt ex amygdalis *Emulsiones*, quæ dolores, item vigilias, tollunt, item quæ effervescentiam humorum in febribus ardentibus nonnihil compescunt, quoniam temperant: v. g. fiat talis *Emulsio in vigiliis nimiis in febre continua*:

℞. *Amygd. dulc. ambr.* ℥ß.
Sem. papav. albi ʒij.
c. s. q. *aquæ Nymph.* f. l. a. Emulsio: adde
Ebor. s. igne ʒß.
Syr. nymph. ℥ß.
M. D S.
Lac refrigerans & confortans per diversas vices, sive lac vespertinum.

Tempore somni propinatur ad inducendum blandum soporem.

In dysenteriis etiam commodè cum decoctis vulnerariis paratur, qualem emulsionem habet *FREITAGIUS in Aurora Medicor. cap.* 34. item in phthisicis & emaciatis, speciatim si his sudores colliquativi nocturni immineant; tales enim à copiosiore amygdalinæ emulsionis usu multum recreantur.

Oleum amygdalarum dulcium expressum à multis usurpatur, internè quidem ad leniendam acrimoniam seri urinarii, & dolorem ab acribus salinis humoribus obortum: Urina suppressa laborantibus, dysuria suppressis, frequentiùs propinatur. Novi fœminam, quæ toties, quoties vinum bibit, dysuriæ est obnoxia, quam tamen oleo amygdalarum dulcium cum lapillis percarum statim sedat, & remedium sanè probatissimum est. Unde ℥j vel ℥iß. ad ℥ij. in dolore nephritico ebibuntur. Sic *PLATERUS* habet mixturam expertam in colica mox in principio propinandam, cujus descriptio est hæc:

℞. *Ol. Amygdal. dulc.* ℥iß.
Vini Maluat.
Syr. papav an. ℥ß.
M. pro haustu.

Insigniter commendatur ad compescendum dolorem colicum, & laxandam alvum.

Alii oleum amygdalarum dulcium ad ℥ij, iij. vel jv. propinant in pleuritide loco olei seminis lini, quod aliàs expertum remedium contra pleuritidem est, sed admodum nauseosum. Hoc enim oleum amygdalarum dulcium acidum in pleuritide peccans temperat, atque dolorem subitò lenit; de quo usu olei amygdalarum vid. *PLATERUS l.* 2. *Observat. pag.* 304. item in *THONERI Observat. pag.* 128. in pleuritide mox in principio morbi quod mira præstare sæpiùs observavit, dedit ad ℥ijß, expectorat, emollit, alvum subducit, &c.

Externè inungitur oleum amygdalarum dulcium in dolore nephritico ad eundem demulcendum, emollit, laxat, temperat, & ita multi usus anodyni existit.

AMYGDALÆ AMARÆ.

A*Mygdalus fructu amaro* ornatus gratia in hortis colitur, & florum amœnitate potiùs quam usu grata est.

Quod attinet *fructus*, ut ut quibusdam animalibus, præcipuè gallinis & anatibus, venenatæ & nocivæ sint, cùm esu residuarum amygdalarum amararum post oleum expressum interierint, uti observatum videmus *in Observat. Medicis LYSERI*, *annexis ultro anatom. Observat.* 10. *p.* 239; vim tamen in se continent nitrosam, qua, si in copia assumantur, extergunt & abstergunt, adeoque diureticæ sunt; cujus etiam ratione forsan ebrietatem nonnihil præcavere videntur, promovendo assumptorum citum transitum. Rari tamen sunt usus, & earum loco potiùs nuclei persicorum usurpari solent.

Harum oleum urinam pellit & promovet, laxativum est, tussim levat, sputumque promovet, atque in recessu vim carminativam fovet, unde *BARTHOLETUS de Respirat.* ex amygdalis amaris parat *Elixyr carminativum*, quod quidam in secretis habent, & ita præparatur:

℞. *Spir. Vini rectif.* ℔j.
Amygd. amar. contus. ℥jv.
Cinnam. ℥ß. M.

Digere, ut ad fermentationem accedant, post destilla per cineres.

Dosis est ad ʒj vel ʒij. Mirificè valere dicitur in Colica & aliis affectibus flatulentis, & in specie in dolore Pleuritico notho seu spurio.

ANACARDIUM.

A*Nacardium*, Ger. *Elephanten-laus*, est fructus exoticus, saporis acerrimi volatilis aromatici. Adportatur ex Ægypto & India Orientali, *Similis est fabæ*.

Rari est usus, præcipuè tamen (vid. rerum exoticarum scriptores, in specie *CHRISTOPHORUS à Costa c.* 30. hinc etiam *JOHANNES JONSTONUS in sua Dendrolog. l.* 2. *Classe* 5. *Artic.* 4.) Veteribus in usu fuit pro confortandis & volatilisandis spiritibus animalibus, & hinc in affectibus capitis, imprimis senilibus, apoplexia, paralysi, memoriæ lapsu & similibus usurparunt; ideò ut præparetur exinde Electuarium, quod vocatur *Confectio Anacardinæ*, quam specificè commendarunt ad confortandum caput, & roborandam memoriam labascentem.

Sed cum in fructu Anacardii sint spiritus quasi ignei, acres & volatiles, & ingredientia aromata acriora simul accedant, hodiè paucissimi est usus; unde in desuetudinem jam abiit hoc electuarium, quoniam observatum, quod ab abusu ratione acrimoniæ suæ volatilis febres subinde excitaverit ardentes, & loco memoriæ confortandæ stupiditatem ingenii & amentiam quandam conciliaverit. Ergo usu moderato est adhibenda ab iis, quibus cerebrum est siccum, uti vocant; quibus verò cerebrum est humidum, ii sine tali metu possunt usurpare: Vid. *SENNERTUS l.* 1. *Praxeos pag.* 302. Loco hujus ergò in confortanda memoria possunt substitui cubebæ (*die Kleinen*, jejuno stomacho duæ vel tres masticatę & deglutitę; alleviant caput, exhilarant spiritus, stomachique cruditates emendant. Adhibetur etiam loco Confectionis Anacardinæ aqua magnanimitatis, non solùm quia animum addit, sed etiam quia ad Venerem stimulat.

Mel anacardinum est succus coctura cum aqua elicitus, quod aromaticum intensè & cephalicum existit, ac imprimis frigidis dictis capitis affectibus, præsertim memoriæ defectui, dicatum est. Sed hodie est rari admodum usus, uti & oleum *anarcardii*.

ANAGALLIS.

A*Nagallis* satis congnita est, duæ nempè ejus species, *Terrestris* & *Aquatica*. *Terrestris*, quæ hujus loci, est planta insipida *flore phœniceo*, Germ. *roth*; quæ aliàs vocatur *mas*, & *Anagallis fœmina flore cæruleo*. Datur prætereà etiam *Anagallis luteo flore*, quæ ferè admodum est rara. Utraque quidem est *officinalis*, præcipuè *flore phœniceo*, quæ etiam intelligitur, quando fit mentio Anagallidis, terrestris per se; fœmina enim nullius usus est. Dicitur verò ab ἀνάγειν, i. e. *extrahere*, eò quod spicula è vulneribus extrahere valeat. Germanico ideomate venit *Gauch*, *Blumen*, *Vogel-Kraut*, quia avidè ab avibus appetitur; *Vernunfft-Kraut*, item, *Grund-heil*, *Gauchheil und Heil-Kraut*. Dum vocatur *Vernunfft-Kraut*, innuitur, quod conducat contra deliria maniaca & melancholica, sicut videmus in *HARTMANNI Praxi Chymiatrica* Decoctum Anagallidis flore phœniceo ad manias commendatum; quo etiam *Quercetanus* se mira præstitisse gloriatur. Curam ita instituit: præmittit vomitorum ex infuso antimonii, posteà per aliquot dies noctesq; utitur solo decocto anagallidis cum successu. Et certum est, non dari meliora simplicia contra maniam, quam anagallidem flore phœniceo, & hypericum; sicut *MYNSICHTHIUS* tincturam hyperici ad dementiam habet, cujus basis est hypericum & anagallis: Anagallis ergò pro his usibus cum floribus hyperici conjungenda venit, ut habeatur melior effectus. Sed non tantùm in mania & melancholia prodest Anagallis, verùm etiam in phrenitide, Melancholia, & quocunque deliriorum genere, sive sit in frebribus ardentibus, sive malignis; quod ipsum docuit nos *GABELCHOVERUS Cent.* 6. *Curat.* 13. *pag.* 46. Aliàs eadem etiam à *MYNSICHTHIO* maximi æstimatur in affectibus cephalicis. Dum vocatur *Grundheil*, *Gauchheil Heil*, *Kraut*, &c. hoc indigitatur, quod nimirum sit singulare vulnerarium pro abluendis vulneribus recentibus & ulceribus, nec non dolore in iisdem leniendo, vel solùm cum hyperico, quod experientia *Poterii Cent.* 1. *Cur* 1. *&* 7. *p.* 2. *&* 22. constat. *Idem in Pharmacop. spagyr.* dicit: Decoctum Anagallidis flore phœniceo dolores ulcerum inveteratorum compescit, qui urgens symptoma, calorem & convulsiones, post se trahunt: Anagallidem cum floribus rosarum coquit, imponit, sicque curam facilitat. *SCHMUCK in Curat. Magico-Magnetic. pag.* 15. ceu expertissimum specificum commendat Anagallidem flore phœniceo in quacunque hæmorrhagia compescenda, sive appendatur scrobiculo cordis, sicque mensium nimium fluxum certè sistit, sive manu detineatur, ut incalescat, & sic etiam sanguinis ex vena secta fluxum compescere prohibet. (Idem alii de usnea cranii humani pollicentur:) Magnum sanè postulatum, de quo tamen experientia consulenda.

Composuit *B. D. MICHAELIS* & *ROLFINCCIUS in Chymia*, *Essentiam ex Anagallide flore phœniceo*, *hyperico* & *sanguine asini*, cum qua ille curavit maniacos catenis constrictos. Retulit sæpè, se aliquando sutoris filium ita delirantem, ut & catenis constringi necessum fuerit, mediante hujus herbæ essentia restituisse. Infunditur in potum ægri. Sanguis asini pro hac essentia fit tempore verno post aures extractus, linteis novis exceptus & exsiccatus, certo experimento contra maniam & delirium: ingentem excitat sudorem. Vid. *HARTMANNUS l. c. cap.* 3. *pag.* 53.

Hæc de Anagallide Terrestri; sequitur

ANAGALLIS AQUATICA seu BECCABUNGA.

A*Nagallis Aquatica* est vel *major & minor*, *folio subrotundo* vel *folio oblongo*, & quidem *flore cœruleo* vel *albescente*; dicitur etiam *Beccabunga*, item *Berula*, Germanis *die Bachbungen*. *Beccabunga* hæc

folio subrotundo est *officinalis* & satis nota, suo modo Portulacis respondens.

Planta hæc temperata, succulenta & insipida est, sed in recessu habet alcali blandum volatile subtilissimum, unde & vi sua urinosa alcalina temperat salia scorbutica.

Scorbuti occasione

DE ANTISCORBUTICIS

IN genere observandum, ea in duplici differentia esse: Quædam enim sunt temperata, quæ temperant acrimoniam in scorbuto, ut *Anagallis aquatica*; quædam autem plena sunt salis volatilis acris, quo corrigunt acidum, ut *cochlearia*, *nasturtium*, &c. Observandum quoque, acria ista volatilia non semper convenire scorbuticis, quia, concurrendo cum acido scorbutico, excitant effervescentias nimias & periculosas, unde phlogoses illę scorbuticæ, & varia symptomata.

In hunc finem *Beccabunga* aliis quoque antiscorbuticis acrioribus commodè associatur, ut nimirum earum acrimoniam aliqualiter temperet, & temperando symptomata præcaveat. Certè singulare est antiscorbuticum, sicut in ulceribus itidem & erysipelate scorbuticis egregiè convenit. Usurpantur autem folia incisa, aut succus horum expressus cum lacte vel sero lactis, quod omnibus lacticiniis præripit palmam. Juxta usum in scorbuto commendatur etiam hæc Anagallis aquatica ad calculum renum, proventum illius præcavet, renes abstergit, & urinam blandè movet. Hæc de usu interno.

Externè in erysipelate scorbutica, ulcera maligna progignente, prodest, vel in balneo, vel si imponatur cum nasturtio aquatico. Sic etiam maculas scorbuticas in cute adhuc hærentes provocat, si illa fricentur, vel contusa applicetur. Præterea in cruribus œdematosis scorbuticis planta hæc decocta, vel sub forma fotus, vel cataplasmatis iisdem applicata, usurpatur: sicuti etiam contingit, ut post partum difficilem intumescant puerperis inguina, & gangrænam dent, qualem observavit RULANDUS, ubi itidem hæc Beccabunga cum floribus chamomillæ vel contusa in forma cataplasmatis, vel decocta cum fomentis genitalibus, in specie etiam hæmorrhoidibus tumidis applicata, egregiè discutit ac resolvit.

ANETHUM.

ANethum, Germ. *Dille*, planta suaviter aromatica est, culinis & officinis nota, cujus folia, flores, qui umbellati, & primario semen, usitata sunt.

In recessu habet sal volatile acre & oleosum, cujus ratione *folia* & *flores* sunt carminativum, indeque contra affectus intestinorum flatulentos usurpantur, dum destruunt moderatè acidum, horum effectuum Autorem, tàm solùm comesta, quàm clysteribus carminantibus & anodynis incocta: *Semen* & *Folia* sunt uterina, & urinam & menses provocant, & utrumque simul expurgant. Usu & effectu revera conveniunt cum cumino, saltem quod aliqualem vim anodynam simul possidere videtur. *Semen*, lac nutricibus auget, vel solùm vel cum semine cardui Mariæ.

Extrinsecùs *summitates seu folia supremæ anethi cum floribus* sunt usitata in cataplasmatis contra catarrhos & capitis dolores, sicut & in pediluviis coqui solent pro conciliando somno, & sedandis capitis doloribus, per consensum cum inferioribus, ubi intestina affligunt flatus.

Aqua rari admodum est usus.

Oleum tam *per infusionem*, quàm *destillatum*, egregium est carminans & anticolicum; externè in cephalalgia conducit pro temperando æstu capitis & leniendis doloribus, temporibus illitum suavem somnum conciliat, imprimis cum unguento Alabastrino mixtum. Notetur tamen, quando debet esse somniferum, ut oleum sit recens; aliàs quando vetus est, & rancorem acquisivit, vigilias potiùs conciliat: item in clysteribus anodynis in usu est.

ANGELICA VERA.

ANgelica vera dicitur ad differentiam *Angelicæ sylvestris*. Triplex enim est Angelica.

I. *Angelica vera* seu *sativa*, tam *major* longè temperatior, quàm *minor montana*, quæ est optima.

II. *Angelica sylvestris minor* seu *erratica*, quæ aliàs vocatur *herba Sancti Gerhardi*, *Agopodium*, *Podagraria vulgaris*, &c.

III. *Angelica Aquatica* seu *sylvestris major*, nil valens.

Datur præterea *Angelica lucida*, & *atropurpurea*, *Canadensis Cornuti*.

Ex his prima sola in usu est, præprimis verò illa, quæ ex Helveticis montibus, ubi magna copia crescit, Lipsiam transfertur; utut quidem non præcisè Helvetica, sed etiam montana saltem, aut aliàs in loco sicco crescens, usurpari potest. Dicitur *Angelica*, Germ. *Engelwurtz*, quod peculiares & quasi angelicas obtinere dotes credatur; hinc nonnullis quoque *herba spiritus sancti* audit: Vocatur etiam *die Brust-Wurtz*, quo innuitur, quod tussientibus & asthmaticis conveniat. Confunditur à quibusdam cum Imperatoria, sed hæc acrior longè & intensior amaricans esse solet, angelica è contra aromatica magis & oleosa.

Usitata est radix saporis blandè acris & odoris grati, unde patet, quod sit aromatica, in recessu habens, tanquam craseos omnis fundamentum, sal volatile oleosum temperatum. Nam omnes plantæ & radices, quæ habent saporem & odorem suavem & acrem, sunt aromaticæ, [i.e. sale volatili acri & oleoso imprægnatæ: Unde *Angelicę usus* est singulariter carminativus, ut et discussivus et resolutivus; hinc flatus ventriculi & primarum viarum egregiè discutit, nervisamica est, colicę virorum, cardialgiæ, atque aliis affectibus flatulentis, ab acido viscido natis, insigniter resistit; potenter est diaphoretica et sudorifera, atque simul diuretica, hinc encomium quoque ejus alexipharmacum in morbis malignis promanavit, dum vi sudoris massam sanguineam depurat, et venenosam malignitatem simul, si quæ subest, expellit. Vires hæ omnes è textura hujus plantæ aromatica, in sale volatili acri et oleoso fundata, resultant, ratione cujus commendatur in mulierum passionibus hystericis, quæ quasi sunt excedens Colica virorum, hinc menstruis tàm suppressis restituendis, quàm nimiis sistendis; remedium itidem optimum ad partum promovendum, et dolores post partum sedandos. Sunt qui dicunt, quod ceu secretum obtineat ad arcendam et abigendam ebrietatem, si particula radicis Angelicæ ad magnitudinem fabæ comedatur, de quo experientia consulenda. Odoris, ut dixi, est suavis & aromatici, unde Helveti, quibus nativa est, referunt, quod si radix, quæ adhuc hæret in terra, lædatur, exsudet gummi, quod Moschum redoleat.

In officinis in specie prostat *Extractum* ejus cum spiritu vini paratum, ex quo fiunt *pilulæ sudoriferæ* in peste, dum illi admiscentur pulveres Bezoardici minerales Joviales, &c.

Oleum destillatum, in quo tota angelicæ crasis latet, in affectibus internis & externis mulierum abdominis, uti & omnibus morbis malignis, adhibetur; unde cum saccharo parantur *Rotulæ antipestilentiales*, quæ teneri possunt sub lingua pro præcavenda peste. Ad aliquot guttas additur Clysteribus anti-colicis. Prodest itidem contra cardialgiam & inflationem stomachi, quando inungitur scrobiculo cordis.

Ex hoc oleo cum oleo nucis moschatæ expresso fit *balsamum*, non saltem internè usurpatum tàm in adultis, quàm externè contra tormina infantum.

Quibusdam etiam acetum infusionis radicis Angelicæ, in usu est præservativè & curativè ad affectus malignos: cui si addatur camphora, meliùs adhuc succedit; sicut & in compositis alexipharmacis multum valet.

Sal Angelicæ est diureticum, vel potiùs sudoriferum.

Occasione Angelicæ, tanquam plantæ aromaticæ,

DE AROMATIS

IN genere, eorumque natura, aliquid adhuc differendum.

Aromata in genere ex Indiis, aut aliunde, ad nos transportantur, & tota illorum vis sub forma oleosa ab iis removeri potest; quod verò remanet, cadaver est ab omni vitali vi & virtute ulteriori depauperatum.

Bonitatis eorum signum externum est suaviter olere, & gustum gratè afficere: Hinc nostrates plantæ, quæ simili suavi sapore & odore gaudent, aromaticæ quoque exinde dicuntur, & sunt omnes illæ, quæ sub *Classe V.* continentur, quarum vis consistit in particulis volatilibus acribus & penetrantibus: & hinc vocantur calidæ. Spagyrici dicunt, Vegetabilia hæc esse naturæ salino-volatilis oleosæ, ratione cujus augmentant sal volatile sanguinis, & sanguinis motum accelerant, bilisque balsamicæ proventum copiosiorem reddunt, in corpore verò aciditates quascunque vitiosas delent.

Conducunt igitur affectibus intestinorum & stomachi, qui oriuntur ex cruditate acida, cujus comes mucus est acidus viscidus, qui in stomacho anorexiam & apepsiam, in intestinis verò flatus & tormina generare solet; Inde est, quod aromatica *stomachica* & *carminativa* dicantur: *Anticolica* præterea & *Antihysterica* sunt, nervisque conducunt, acidum eorundem dissolvendo, quo inimicius iis quid unquam inveniri non poterit: *Cephalica* porro sunt aromata: fermentativum quoque sanguinis motum in menstruis promovent: Epilepticis, apoplecticis & catalepticis quoque conveniunt: Et cùm ob sal volatile in spiritus facilè abeant, inde est, quod aromata etiam *cordialibus* seu *analepticis* & *confortativis* annumerentur. Omnia autem aromatica in genere conveniunt in sale volatili oleoso. Attamen, cùm in quovis aromate specialis & sapor & odor inveniatur, exinde colligere est, & specialiorem crasin & mixtionem adhuc in illis latere, cujus intuitu mentha stomacho, cinnamomum viribus debilitatis & syncopi, Caryophylli & lavendula in affectibus paralyticis, salvia, rosmarinus & melissa utero, & aliæ aliis dicatæ sint.

ANGE-

ANGELICA SYLVESTRIS.

A*Ngelica sylvestris minor* seu *erratica*, proprio nomine *Agopodium*, Ger. *Griesbart*, *herba podagraria*, *herba S.Gerbardi*, revera pertinet ad Angelicas, quod odor & sapor ejus satis indicant, easdemque cum Angelica sativa obtinet virtutes; hinc & ejus defectu hæc sine piaculo, aucta saltem dosi, substitui potest.

Est diaphoretica & sudorifera, hinc & alexipharmaca, carminativa, flatuumque, præsertim primis in viis hærentium, discussiva, e.g. in Colica. Ad podagram quid valeat, non æquè patet, fortè tamen ob vim suam diaphoreticam ac sudoriferam in hac suas habebit virtutes.

ANISUM.

A*Nisum* simplex aromaticum est, cujus semen apud nos in usu est, cùm multa in hoc latitent Arcana practica. Herba non admodum est in usu. *Sapor seminis* correspondet cum sapore Angelicæ, natura & usu omninò cum semine fœniculi, cumini & carvi, adeoque est aromaticum & carminans, refertur que inter semina 4. calida majora; oleo volatili aromatico imprægnatum est, ratione cujus spiritus influos recreando à Veteribus magni æstimatum fuit in stomacho frigido & humido, ut loquuntur, hoc est, cruditati acidæ & inde elevatis ructibus ac genitis flatibus, ex vitiata seu deficiente vi fermentativa stomachi seu digestione, & cruditate acida oriundis, succurrit; unde etiam ex stomachi defectu nata somnia graviora, item incubum, solet semen hoc præcavere, sicut & inter flatuum remedia unum ex primariis anisi semen esse solet. A mulieribus expetitur, quia lac nutricum auget & corrigit. Lactis certè maximum vitium est coagulatio in mammis, ex quo nutricibus etiam magna impendent mala, scirrhi & cancri &c. quæ præcaveri possunt semine Anisi, corrigendo acidum, tàm in mammis matrum, quàm in stomachis infantum; & sic impediendo lactis coagulationem; sicut in lacte ebullitum, & ita potatum, uberem lactis copiam, & simul suavem somnum, conciliare solet. Pectori, præter crocum, specialissimè competit, & hinc *Anima Pulmonum* dicitur. Unde in quibusvis pectoris affectibus, tussi, asthmate, & similibus valdoperè laudatur. Infantibus mirè convenit: in horum enim torminibus ex pituita viscida & acida nihil melius est quàm Anisum. flatus discutit, & stomachum corrigit; sicut etiam *HEURNIUS* nihil melius pro laxandis infantibus inveniri asseverat, quàm semen Anisi grosso modo pulverisatum, & ad ℈j cum pulte propinatum; purgat, intestinorum tormina eorumque convulsiva mala sistit, ideò ab *HELMONTIO solamen intestinorum* audit. Admisceantur ergo illi lapilli cancrorum, aut corallia præparata, & ita præferendum erit pulveri epileptico Marchionis; magis enim acidum vitiosum & tormina in infantibus compescit. In albo mulierum fluxu, affectu satis molesto, commendatur.

Pulvis hujus, ut & oleum, & spiritus *ani*, variæque Confectiones Anisatæ, nunc laxativæ, nunc alterativæ, in usu sunt, *Oleum destillatum*, & spiritus, preferenda reliquis omnibus. Per oleum tota vis volatilis extrahitur, quod quoque commendatur in insomniis turbulentis & gravioribus, item in incubo, in quibus præcavendis & curandis mira præstat, præsertim si in primis viis vitium hæreat; Hi enim affectus, si non Melancholiæ, certè ventriculo & intestinis, ortum debent. In Asthmate, tussi sicca & similibus oleum hoc, aut spiritus aut balsamus sulphuris anisatus, &c. evporiston non contemnendum est; adeò ut in pilulis pectoralibus præscribatur, ut compingantur nempe pilulæ cum oleo destillato seminis anisi, aliisque remediis ordinariè addatur: Unde etiam spiritus salis ammoniaci anisatus *spiritus pectoralis* quibusdam dicitur. Imò sunt, qui dicunt, *HELMONTIUM* singularia præstitisse in affectibus pectoralibus superfundendo aliquot guttulas *olei anisi destillati rectificati floribus Antimonii fixis*, unde leni digestione acquirit colorem rubicundum; qui *balsamus* egregium est pectorale, & pulveribus puerorum commistus torminibus ab acido, flatibus, &c. resistere solet. Tanta certè olei anisi est penetrantia, ut si brevi post exhibitionem lac emulgeatur, odoris ejus vestigia, in eo adhuc deprehendantur. Contra suffusiones sanguinis, & contusiones, in specie partium nervosarum, sive ex percussione sive à casu ab alto sint, singulare & expertissimum est. Vid. *FORESTUS l.9. Observ.* 31. qui pro indubitato habet in his casibus, si inugantur partes læsæ: Imprimis quando infantes, qui ingressum tentant, & fortè cadunt, adeoque nares & frontem lædunt, nihil melius est oleo hoc, si inunguntur partes affectæ: subitò nempe tumor disparet citra omne sugillationis periculum. Sunt qui solvunt aliquot grana Zibethi & Moschi in oleo hoc, inungunt umbilico, & pro remedio præsentaneo in Colica venditant, sicut ipsum Zibethum umbilico in Colica inunctum Secretum *Paracelsi* fuit. Quin & pro usu cosmetico, ut ita loquar, seu potiùs odorifero, inservit. Quod si enim quis suaviter olere desiderat:

℞. *Zibethi*
Moschi an. gr. j.

& cum *oleo anisi* solvat, sic gratissimum denique odorans acquiritur oleum, quo Chirothecæ inunctæ fragrantissimum odorem acquirunt, diuquè illum retinent.

Ex hoc *Oleo* cum *corpore pro balsamo* potest etiam fieri *Balsamus* egregius contra tormina infantum, umbilico inungendus. *Anisum sacharo confectum* commendant contra inquietudines nocturnas.

PETRUS JOHANNES Faber in suo Myrothec. Spagyr. babet Essentiam Anisi elegantem; ex succò per fermentationem facit spiritum, & elicit sal volatile, quod postea in oleum abit, & in affectibus infantum multum præstat.

ANSERINA.

A*Nserina*, Germanis *Gansferrch*, planta est floribus luteis, denominata ab anseribus, quod ejusdem pastu valdopere delectentur, & iis in locis, secundùm circulum naturalem, copiosè proveniat, quæ anseres stercorare solent; hinc & suspicio orta fuit, plantam hanc participare de sale ammoniaco nitroso, cujus intuitu dicitur urinam pellere. Dicitur & *Argentina*, quod folia ejus inferiùs colorem argenteum referant; item *Potentilla* quod multùm possit. *Pertinet* aliàs *ad Pentaphylla*.

Folia et Flores, imò integra planta, sunt in usu: saporis est nonnihil acris, penetrantis atque amaricantis, unde vis ejus resultat resolutiva; viscida enim incidit, et inde natas obstructiones reserat; vulneraria est insignis et febrifuga; hepatica præterea nobilis, et specialissimè icterum flavum curat, quem per urinam expurgat, et dum urinam pellit, commendatur ad hydropem ascitem valdoperè. Unde etiam ab omnibus tanquam specificum antiictericum, præsertim pauperibus, laudatur internè vel in forma succi et decocti usurpata, sicut etiam omnes fere Compositiones antiictericas ingreditur; externè verò contusa calceis indita, sicque pedibus continuò calcata, *TIMÆO* certè in secretis fuit contra nephritidem et calculum renum, propterea transversis litteris idem exposuit *Nenasira*; vid. *Epist. Med.* 32. *p.* 246. Videtur enim *POTERIUS in Pharmacop. Spagyr. p.* 12. Sunt, qui pro Arcano habent sequentem Potionem contra calculum.

℞. *Argentinæ seu Anserinæ virid.* M. jv.
Secal. virid. M. ij,

Exprimunt succum, et addunt
Vinum rubrum ad pondus omnium.

Mixturam filtrant pro una dosi in aurora primi diei Maji sumendam, et dicunt, si tribus annis continuis primo die Maji hoc repetatur, quod per totam vitam quis, Deo gratiam concedente, sit futurus immunis à calculo.

Videtur quidem adesse superstitio quoad primum Maji diem; sunt tamen, qui dicunt: fuisse *TIMÆI secretum suprà citatum*. Herbæ colligantur ante solis exortum; & primo die Maji, dum adhuc irroratæ sunt rore Majali.

Similiter Anserinæ succus aut decoctum frequentius hausta nimium calorem in paroxysmis febrilibus compescunt: sed non semper adeò tutò propinantur, quia paroxysmus exinde magis prolongatur nonnunquam. Unde potiùs herba contusa, et cum sale ac aceto subacta, plantis pedum applicatur in paroxysmis febrilibus. Quod etiam facit sedum majus cum fermento, aceto, et sale communi; sic enim ardorem febrilem compescunt, et deliria sopiunt.

ANTHORA.

A*Nthora* seu *Aconitum salutiferum*, quid propriè sit, & qua ratione scribenda? eruditè differit *VELSCHIUS Hecatost.* 1. *pag.* 71. Dicitur quasi ἀντὶ θόρα, quod *Aconito lethifero* seu *venenoso*, Thora dicto, et *Napello*, specificum sit *Alexipharmacum*, Germanis *Gifftheil*. *Anthoræ folia Napelli foliis* sunt *æmula*, tenuiùs dissecta, et splendoris illius expertia, aversâ parte albicantia, sapore amaro prædita. *Flores* ut ut conveniant cum floribus napelli, tamen tanta inter has plantas est inimicitia, ut juxta se satæ crescere renuant, sed unà intereant. *Aconitorum character essentialis* est, quod florem habeat cucullatum. De *Napello* autem notandum, quod ubi proveniat, copiosissimæ insimul muscæ ibidem reperiantur, quæ appropriatum Alexipharmacum contra Napellum habentur. Rana acu, succo thoræ illitâ, læsa actutum moritur; hinc et sagittæ succo huic immersæ vulnus lethale reddunt; vid. *GESNERUS Tract. de Aconito primo Dioscorid. p.* 19. Antidotum autem est Anthoræ radix. Dicunt reperiri murem, qui rodat radicem; sed nihil est; ex malè enim intellecta voce Græca hic error natus est. Rari apud nos est usus. Meretur tamen considerationem, quod habet *GESNERUS l.2. Epistol.* 51. *Anthora est Aconitis seu Napellis cognata, radicem habet bulbis exiguis binis, ut Napellus etiam, sed albi & gustu amari sunt, non verò erodentes, ut Napelli: ex bulbis unus, semper junior est & solidus, alter verò senior & marcescit. Vis ei mirifica inest contra viperarum morsum & omnia fermè venena, & quidem non Thoræ solùm, sed etiam pestem; & simul calculum renum pellit. Huc usque GESNERUS.* Usurpatur radix pulverisata, sicuti quoque in febribus petechialibus, et aliis malignis, summo cum effectu adhibetur; unde & inter Alexipharmaca referri

ferri ſolet. Sed, ut dixi, rari eſt uſus, & propterea diutiùs hic non moror, ſed progredior ad

ANTIRRHINUM.

Antirrhinum, ſeu, ut alii legunt, *Anarrhinum*, ita dictum, quod capſulæ ejus quaſi naſum vituli repræſentare videantur: Germanis dicitur contracto nomine Orand, Dorand, *das lovven Maul, Hunds-Kopf*, item *Kalbs-Naſen, und Brackenhaubt*. Eſt vel *hortenſe*, vel *Arvenſe flore purpureo*, *Kleiner Orand*, quod in arvis paſſim ſine cultu ac ſponte effloreſcit. Datur aliàs etiam *Antirrhinum minus flore albo*, quod tamen rarius.

Rariſſimi eſt uſus in Officinis. Propter ſignaturam capſularum ſeminis à quibuſdam pro capitis affectibus laudatur. Aliàs contra incantationes tàm hominum quàm canum, & veneficia, laudari ſolet, ipſis etiam DIOSCORIDIS temporibus, atque tàm internè adhibetur, quàm externè multiplici uſu pro tali ſcopo applicatur: Vid. SCHMUCK *in Curis Magico-Magnet. p. 26.* TABERNÆMONTANUS *ex MATTHIOLO* refert hiſtoriam quæ confirmat vim antirrhini contra incantationem: Nimirum canem ad caſtelli oſtium catenis conſtrictum, ne extraneis ingreſſus liber eſſet, aliquando obmutuiſſe refert: Caſtelli Dominus ex incantatione proveniſſe credens, canis caſulæ Antirrhinum immiſit, quo facto hic latrandi potentiam non ſaltem recuperavit, ſed etiam priſtinum accedentes invadendi morem ſimul repetiit.

Quæritur autem hac occaſione: *An affectus per veneficia & incantationes orti remediis naturalibus curari queant?* Reſpondeo affirmativè. Diabolus enim nequiſſimus, per ſe vel per ſagas & mancipia ſua, homines iſtos maleficos, agere ſolitus, aut ſecundùm naturam, aut contra naturam, aut ſupra naturam agit: non ſupra naturam agere poteſt, quia non eſt omnipotens; nec contra naturam, quia ordinem naturæ inſtitutum mutare nequit: Ergo ſecundum naturam: ſi hoc, ſequitur, mediis naturalibus quoque veneficia depelli poſſe.

Plantæ hujus occaſione paucis enarrabo

SIMPLICIA CONTRA VENEFICIA ET INCANTATIONES,

Quoniam non ubivis ſunt obvia.

Præter Antirrhinum noſtrum, Germ. *vveis, roth und gelben*, hypericon ſeu fuga dæmonum, Germ. *das Johannes Kraut*; Artemiſia rubra, Germ. *der rothe Beyfues*; Uva inverſa ſeu Herba Paris; Phu tertium *Dioſcoridis*; Bryonia, Germ. *die Gichtrube*; Abrotanum, mas imprimis, Germ. *Stab vvurz*, Herba momordica; Plantago acuta, Germ. *der ſpitzige vvegerich*; allium, Germ. *der rothe mcht der vveiſe Knoblauch*; ſorbus, Germ. *Evviſnbbeer boltz*; Origanum, Germ. *Doſt*: Conferatur de his fuſiùs CARRICHTERUS, Imperatoris RUDOLPHI Archiater, ac egregius Paracelſiſta, qui *in Herbario Germanicè ſcripto, & Tract. von Zauberiſchen Schaden*; præ aliis omnibus egregia de morbis ab incantatione curandis habet; item AGRICOLA, qui fuit Medicus expertus, ſed Chymicus mendax, *in Parva ſua Chirurgia*, ubi nonnulla quoque de Veneficiorum cura ſcribit. Huc etiam pertinent flores, folia & ſemen aquilegiæ; ſemina nigra pæoniæ maris; viſcum quercinum vel etiam lignum quercinum; lignum tiliæ; filix; fungus betulinus, Germ. *der rothe erd Schvvam*, qui creſcit ſub betula, German. *unter der Birche*; viſcum tiliaceum, Germ. *der Linden-Miſtel*, ſpecificum contra epilepſiam infantum; corylus, & imprimis viſcus ejus; è quo in HEINRICI AB HEER *Obſervationibus* proſtat *Unguentum contra veneficia* cum *adipe canis, urſina & caponis*: ſed viſcum hoc eſt rariſſimum, unde ei ſubſtitui poteſt *viſcum tiliaceum*: Verbena item; morſus diaboli; Ricinus; Ariſtolochia rotunda; & rhamnus; Mercurius vivus appenſus & quacunque ratione uſurpatus; *aſa fœtida*, ex qua habet *emplaſtrum fœtidum* MYNSICHTHIUS *in Armament.* contra veneficium; corallia rubra & alba: de coralliis & ſimilibus vid. HELMONTIUS *in Tract. Injaculator. Modus intrandi §. 7. & ſequ.* corpus felle corvi & oleo jaſmini, Germ. *dem Jeſmin Oehl*, inunctum, probatum eſt in curandis à veneficio morbis: ſecundina primiparæ; Dens hominis mortui; tinctura coralliorum cum eſſentia hyperici, & decoctum Antirrhini cum ſemine hyperici & pyrolæ: quin & ſtercus proprium cum allio mixtum, & locis incantatis impoſitum, à plurimis commendatur. Si ulcera facta per veneficium, laudatur ſtercus proprium impoſitum, & hinc in veſica in fumo ſuſpenſum, *tunc ſitim habent, ut nequeant ſubſiſtere, & in ſimilibus caſibus magia quadam uti oportet*. Vid. plura apud JOANNEM TIBAULD *in Theſauro Pauperum* PETRI HISPANI; de quibus etiam experientiæ fides relinquenda.

APIOS AMERICANA.

Apios Americana, à ſolo CORNUTO ita appellata, ac pro *Smilace exotica* habita, rectiùs potiùs diceretur *Phaſeolus tuberoſus lacteſcens Canadenſis*: id quod flos, ſemen ac folia ſatis indicant; *Phaſeolis enim ſcandentibus eſt ſimilis*. Ad hæc radix eſt tuberoſa, de cœtero recens decerpta lacte ſcatet.

Sequitur nunc

APIUM.

Variæ ſunt Apiorum ſpecies: *Hortenſe* ſeu *Petroſelinum commune*; & Apium *Paluſtre* ſeu *Officinarum*, quod hìc intelligitur. Dicitur hoc etiam *Aquaticum*, *Eleoſelinum*, item *Paludapium*, Germanis *VVaſſer-Eppich*, *Cellerie*. Ad Apiorum ſpecies etiam *Paſtinacæ* pertinent.

De hac planta in Officinis uſitatum eſt *Semen* & *Radix*: *Radix* inter Radices 5. aperientes recenſetur. Non autem in his tanti eſt uſus, quàm culinis; parantur enim exinde Acetaria haud ingrata. Suaviter tamen radix hæc eſt Aromatica, blandè diuretica, & conſequenter pro menſium & renum affectibus optimè conducit: ac præterea carminativa eſt & diſcuſſiva: unde Apium, ejuque radix in ſpecie, in morbis chronicis commendatiſſima eſt in forma decocti; ſed rariùs uſurpatur. Oculis infeſtum eſſe Apium, habet BOYLE *de Specif. & Simplic. p 114.*

Externè etiam ad lactis abundantiam coercendam radix, ſi miſceatur cum ſemine coriandri, & addito aceto in forma fomenti calidè applicari prodeſt; (ſi enim repellatur lac, timendum, ne coaguletur:) e. gr.

℞. *Rad. Apii* ℥j.
Semen cumini vel *coriandr* an. ℥ß.
Coqu. in ſ. q. *aquæ ſimpl.* vel *menthæ* & aceto:
Colatura D. S.
Applicatio externa.

Calidè applicetur mammis pro lactis quanto imminuendo.

Semen diureticum eſt, unde menſes ciet, & renum affectibus medetur.

Aqua Apii, vel ſola vel cum aqua menthæ miſta, tam bibita quàm cum linteo mammis calidè applicata, eodem modo lactis nimium proventum impedit.

Poſt Apium ſequitur

AQUILEGIA.

Aquilegia ſeu *Aquilina*, German. *Ackeley*, ita dicitur à figura, quod flos roſtrum aduncum aquilæ repræſentet. MORISONII *opinione pertinet ad Aconita, non venenata*, ſed *ſalutifera*. *Varias agnoſcit ſpecies*, quarum *differentia conſiſtit in magnitudine florum*, & horum *colorum diverſitate*.

In uſu potiſſimum eſt *Aquilegia flore cœruleo*, cujus *ſemen, flos* & *herba* uſui Medico inſervit.

Semen inter ſemina expulſiva primatum obtinet, & uſui diaphoretico præſertim inſervit, hinc mediante diaphoreſi particulas vitioſas maſſæ ſanguineæ corrigit & expellit; unde etiam mulierculæ pro expellendis variolis æquè ac morbillis infantum, item in purpura, illo utuntur in nodulo cereviſiæ indito; vel etiam emulſione, quæ cum aqua florum ſambuci, aut quacunque alia, vel decocto ficuum parata egregia eſt, ſimulque in principio æſtum febrilem blandè coercet: Addatur autem huic emulſioni ſemen napi vel cardui benedicti & naſturtii: e. g.

℞. *Sem. Aquileg.* ℥j.
Naſturt. ℥ß.
Card. bened. ʒij.

c. ſ. q. *aquæ cujuſcunque appropriatæ* contundantur & exprimantur in Emulſionem, quæ felici cum ſucceſſu in principio variolarum adhibetur: temperat enim ebullitionem febrilem, expellit etiam maculas ſcorbuticas, atque uſu & utendi modo cum ſemine ſinapi convenit.

In ſpecie egregium eſt ſemen aquilegiæ in ictero flavo, quem fortiter expellit: Vid. TIMÆUS *in Conſil. Medicis*. Sartor quidam omnibus ex hæmatite, martialibus, reliquiſque irritis, pulvere ejus curatus eſt, cum adhibito tartaro vitriolato: Nempe

℞. *Sem. aquileg.* ʒvj.
Croci Orient. ʒj.
Tartari vitriolat. ℈j.

Pulverem exinde factum in 7. partes diviſit, cujus omni mane propinavit doſin.

Poteſt etiam ex ſemine hoc cum aqua aquilegiæ fieri Emulſio, cui addatur eboris ſine igne quantum ſufficit, ad icterum & alios ſimiles affectus egregia. Achores item aridos faciei infantum, qui non effloreſcunt, contuſum ſemen in pulte vel potu exhibitum expellit, viſcidum acidum ſcilicet repulſum iterum eliminando.

Flores Aquilegiæ externo uſu commendantur contra veneficia, noviter nuptorum imprimis, quæ præſervant & curant. HARTMANNUS Decocto foliorum & florum Aquilegiæ lavat membrum virile mariti à venefica ligati; poſt facit ſuffimigium eidem membro à dente hominis demortui, coralliis albis & rubris, manè & veſperi; ſicque potentem reddit in exercitio venereo virum.

Quoad *Præparata*, ex floribus Aquilegiæ cum phlegmate vitrioli, ſpiritu proprio acidulato, fit elegans tinctura; et licet flores ſint coloris

loris cœrulei, nihilominus tamen tinctura elegantissimè rubet. Notetur enim, quod omnes flores cœrulei à liquore acido acquirunt colorem rubrum ab Urinoso viridem; à spiritu vitrioli, rubicunda fit tinctura; à spiritus urinæ, viridis. Tinctura hæc prodest in expellendis variolis & morbillis, inque aliis malignis morbis multum præstat. Prodest etiam contra scorbutum, dum expellit maculas.

Syrupus, qui prostat in Officinis, prodest etiam in expulsione variolarum & morbillorum, item febrium petechialium. Paratur *ex floribus* per infusionem. Externè in scorbuto oris usitatus est, addito tantillo de spiritu salis dulci.

Aliàs in dentium vacillatione, & gingivarum affectibus scorbuticis, fit *unguentum ex Aquilegia*, cujus descriptio prostat in *TILEMANNI Aphorism. Hippocrat. pag.* 128. hoc si misceatur cum f. q. *Tincturæ laccæ Minsychtii* vel *spiritus cochleariæ*, addito tamen *spiritu salis dulci*, & eò magis ad scorbutum oris appropriatum erit, etiam ubi incipit oboriri gangræna gingivarum, Germ. *die Mundfaule*; Vel potest commisceri cum *syrupo de rosis siccis*, & eodem modo usurpari. Apud alios in affectu tinctura laccæ est usitata, quam descriptam habet *MINSTCHTHIUS*: aquam B. D. *MICHALIS* pro expertissima communicavit: si misceatur cum *Tinctura* hac *aquilegiæ*, contra scorbutum oris evadet egregia.

ARISTOLOCHIA.

Aristolochia ita dicitur, quod sit ἀρίστη τοῖς λοχοῖς, seu optima & convenientissima puerperis pro lochiis pellendis. Dicitur etiam *Clematitis erecta* ad differentiam Clematidis repentis: Verùm proprio nomine genuina *Pistolochia* dicenda est. Variæ hujus sunt species, de quarum differentiis vid. *DODONÆUS*. In Officinis præ cæteris usitata est *rotunda* & *longa*: *Rotunda* vocatur *Hollwurz*, quia radix hæc est cava, quæ vel vera vel notha. *Aristolochia rotunda vera* rarò reperitur in Officinis; hujus loco autem substituitur *radix fumariæ bulbosa*, seu *radix cava falsa*; quæ ejusdem solet esse usus, ejusdemque naturæ atque ista Aristolochia rotunda, unde omnia jam dicenda huic applicari possent.

Quod attinet usum internum, utraque est aromatica; penetrantioris enim est naturæ, & volatilioribus & acrioribus salino-oleosis constat particulis, saporisque est amaricantioris. Mulieribus conducunt tam ad partum, quàm ad menses, secundinas, lochia, & reliquias pellendas, unde & admiscetur reliquis medicamentis in uteri affectibus: vid. *FREITAGIUS in Aurora Med. c.* 22. ubi dicit; quod puerperis sit omnium optima & convenientissima ἄριστον τῶν λοχίων, quoniam hærentes secundinas, lochia, & reliquias à partu soleat expellere; sicut & in epiplepsia per cōsensum uteri valdoperè convenit. Ad hæc pectori & pulmonibus etiam conveniunt, horumque mucosas sordes incidunt, & removent. Apud Veteres in usu fuerunt vulnerario, tam interno quàm externo; & rectè, ex quo etiam à *CARDANO* commendatur contra phthisin; sicut & mundificandis ulceribus unà cum aliis adhibentur. *APULEJUS in l. de Virtutibus herbarum cap.* 19. Aristolochiam tanti facit, ut asserere non vereatur, Medicum sine ea nihil feliciter curare posse; quod hyperbolem satis apertè redolet.

FABER in Myrothec. Spagyr. l. 2. pag. 35. habet *Essentiam vulnerariam* egregiam, & Extractum ex radice Aristolochiæ & symphyti maioris, quod beneficio spiritus vini potest præparari.

Pulvis, & *Extractum Aristolochiæ cum spiritu vini paratum*, externè adhibetur in Linimentis pro ulcerum inveteratorum, sordidorum & malignorum mundificatione.

ARMORACIA.

Armoracia seu *Raphanus sylvestris*, utut distincta à Rusticano, nihilominus usus obtinuit in Officinis & in Praxi, ut cōfundantur, imprimis quoniam conveniunt in forma & virtutibus. Propterea semper retinetur Raphanus Rusticanus, *der Meer-Retthich*. Et quod dico de Armoracia, valet etiam de Raphano rusticano, cuius sapor acerrimus & odor penetrans sufficienter monstrant, quod sale singulariter volatili admodum acri, quale aliàs in scorbuticis deprehenditur, singulariter turgeat; quod tamen exspirat, quando à coquis tractatur & comminuitur, & illorum oculos mordicat: Unde quò diutiùs coquitur, eò magis perdit sal volatile, quod exhalat, ita ut instar ligni putridi remaneat, *atque ideo parum vel nihil omnino mordet, & coqui reprebenduntur, quod illam nimium sinant coctione consumi*. Et ratione hujus salis volatilis acris vim habet resolvendi, penetrandi, &c. hinc inter intensè calida refertur. Volatilitate hac sua acri salina egregium dicitur Aperitivum, resolvit viscidos & acidos mucos in pectore, stomacho & intestinis hærentes, omnesque succos crassos & fæculentos incidit & fluxiles facit, vel, ut Paracelsistæ dicunt, tartarum seu mucilaginem tartaream corrigit. In appetitu dejecto felici cum successu usurpatur Infusum radicis raphani marini recentis in vino absinthite, cum radice Selenii recenti, bis in die haustum: ita enim mirabiliter stomacho convenit, cruditatem viscidam absumendo, hinc natam salivam glutinosam attenuando, & appetitum egregium revocando, imò famem ferè caninam inferendo. Præterea & ratione salis volatilis potens est diureticum: radix scilicet infunditur Vino Rhenano, postmodum hauritur, & sic promovet arenulas & urinam copiosiorem, dum acidum renum, calculi coagulatorem, corrigit & renes purgat. *TIMÆUS* affirmat, quod succus ejus recens expressus, ad ℥ij. in Vino Malvatico haustus, calculum optimè pellat. Adhæc vi gaudet antiscorbutica, estque unum ex famosissimis antiscorbuticis, quoniam acidum corruptum scorbuticum & hypochondriacum corrigit: radix scilicet vel in lacte, vel in vino nodulis inclusa usurpata, sive sola, sive addatur beccabunga, cochlearia, & nasturtium aquaticum. Et novi hac ratione militē restitutum; sicut hoc mense hydropicus asciticus scorbuticus cum tumore pedum & tussi, præmissis universalibus, radice raphani rusticani curatus fuit. Facit huc experimentum *BARBETTE*, qui paralysin scorbuticam, radice in lacte infusa curavit. Radix hæc infusa in vino, & cum foliis nasturtii aquatici contusa; per agitationem in mortario subacta sine liquore, & colaturâ hausta per superiora & inferiora evacuavit aquam continuato haustu ad aliquot dies; In Armoracista enim est vis provocandi vomitum, unde nec hîc mirum videri debet.

Extrinsecùs contra Ariduras particulares solet applicari, sive post vulnus, sive sine causa manifesta oriantur, si cum spiritu vini infundatur, & membra fricentur; loco cujus spiritus formicarum in fundi posset, qui aliàs in his affectibus per se commendatur: Vid. *WURZIUS in Chirurgia*, & *AGRICOLA in Chirurg. parva*.

ARNICA.

Arnica planta est exotica, & apud nos non usitata, de qua non memini aliquid me legisse.

ARTEMISIA.

Artemisia duplex est: Alia *sativa major latifolia*, alia *minor tenuifolia*. *Illa* vocatur *Artemisia alba*, & culinis potiùs quàm Officinis nota est, quoniam illâ suffarciuntur anseres assandi; *Hæc* verò κατ' ἐξοχὴν dicitur à Paracelso *rubra*, Germ. *rotber Beyfus*; caules enim ejus semper rubent, hinc & ex ejus signatura colligunt, quod ad fluxum menstruum quoque inserviat, eundem promouendo. Inter has ergò rubra albæ præfertur, quia abundat spiritu volatili, & paululum participat de sale volatili & sulphure paulò fixiori.

Usitata est tota herba, præsertim rubra, & in specie sexui sequiori, eorumque affectibus uterinis, atque imprimis defectui menstruorum dicata est, uterum à materia fæculenta, illam expurgando & aperiendo liberat adeoque in fœtu, lochiis & secundina expellendis, & quibuscunque uteri & mulierum affectibus convenit: quo in casu eam quoque *PARACELSUS*, hinc *CROLLIUS*, cum reliquis Practicis, commendat. Unde Decoctum ex herba & radice dolores post partum mitigat, & lochia pellit, imprimis si addantur ciceres rubri, & coquantur in vino vel etiam aqua appropriata, addatur tantillum aquæ cinnamomi, vel solum, vel addita borrace.

Dixi, quod provocet menses, ubi tamen notetur aliquid singulare, quod habet German. *Schmuck* p. 56. quod si ab inferiore parte sursum versus decidatur Artemisia, menses supprimat; sin verò à parte superiori deorsum versus, eosdem promoveat: id quod etiam de Purgantibus per alvum & vomitum monere solent; ulterior tamen experientia consulenda venit de his casibus. Aliàs quoque ingreditur *Essentias ad menses* stimulandos, & lochia pellenda.

Externè pro laxandis viis ante partum vix reperietur Balneum, Sacculus, & Fotus, cui non sit admixta Artemisia. Ulterius contra dolores post partum, tàm internè in decocto, quàm externè in sacculis usurpata, laudatur.

In *Officinis* aliàs pro usu Medico prostat aqua & *syrupus*, & in quibuscunque affectibus uterinis commendantur.

Sal fixum ingreditur medicamenta emmenagoga seu menses provocantia, si misceatur cum croco Martis aperitivo; vel fiat lixivium, quod infundatur limaturæ Martis, ut rodat illum, & det crocum aperitivum, qui prodest in provocandis mensibus. Sed prout salia vulgò calcinantur, sal hoc nulla vi specifica ab aliis calcinatis differt.

Notum est, quod *circa festum Sancti Johannis Baptistæ* sub radice hujus, *artemisiæ rubræ*, *carbones* reperiantur, multæ laudis in epilepsia: vid. *SIMON PAULI in Quadripart Botan Classe* 3. *pag.* 251. Hi carbones non sunt fabula, uti *HOFFMANNUS de Medicam. Officin. l. 2 cap. 22. §. 4. p.* 110. voluit; sed nihil aliud, quàm radices artemisiæ annosæ demortuæ, & ita exsiccatæ atque nigricantes, alcali adhuc refertæ: Conf. *DECKERS in Commentar. Praxeos Barbett. pag.* 7. Quæ in epilepsia reverà juvant. Semper quidem anile figmentum putavi; novi tamen non solum mulierem militarem hujus loci, quæ hosce carbones proprijs infantibus epilepticis cum fructu, cuspis cultelli quantum capit, propinavit; sed & *JOEL in Praxi cap. de Epilepsia*, commendavit, vir aliàs minus superstitiosus. Legatur etiam *PATRÆUS in Dissertat. Nosologicis*.

Quærunt vulgò hos carbones ipso Festo S. Johannis Baptistæ, *inter* 12. *et* 1. *boram*; sed anilis superstitio est: Non enim necesse est, ut præcisè

ciſè dies S. Johannis obſervetur: Conf. *VELSCHIUS Hecatoſt.* 2. *pag.* 23.

Similes *carbones* interdum reperiri ſolent *ſub abſinthio*.

ARUM.

ARum Germanis vocatur *Zeutſcher Ingber*; propter acrimoniam exceſſivam, vel German. *Pfaffen-Pint*; vere enim *floret inſtar priapi, quem includit calix cum baccis coccineis*. Eſt *ex dracunculorum genere*, ejuſque *duæ* ſunt *ſpecies*, *Maculoſum*, & *non-maculoſum*; hocque *foliis* vel *nigricantibus*, vel *albicantibus*; ac adeò folia differunt, dum etiam quædam folia *rotunda*, quædam *oblonga* ſeu *tricuſpidata* habent; quod tamen ob ætatis rationem tantùm accidit.

Utraque ſpecies eſt Officinalis. Veteribus & Modernis uſitatum ſatis eſt. Diſtinguitur ab *Ariſaro*, quod *foliis* gaudet *inciſis*; *Arum* è contra *integris*.

Dubitatur autem apud hodiernos Botanicos; *An aurum noſtrum ſit idem cum illo Galeni?* Veteres enim calidum & ſiccum in primo & ſecundo tantùm gradu; Moderni verò in quarto volunt. Potiùs tamen affirmatur, utut ſit longè urentius: diverſitas nempè ex regione naſcitur. Acerrimum & cauſticum eſt, hinc folia maſticata veſicas in lingua gignunt; conſtant enim ſale volatili acerrimo.

Radix imprimis in uſu eſt, tàm *recens* quàm *exſiccata*. *Recens* turget particulis acerrimis volatilibus, adeoque pungentibus & quaſi piperinis, ratione quarum mucum viſcidum acidum & ponticum ſtomachi, inteſtinorum plicis adhærentem, potenter incidit, attenuat atque reſolvit, hinc conſequenter egregium dicitur ſtomachicum; Appetitum proſtratum mirè reſtaurat, eumque mirè acuit, adeò ut radix vocetur Ger. *Zehr-Wurtzel*, *Freſſ-Wurtzel*, quas in minutiſſimas particulas diſciſſas cum ſpiritu vini aſſumunt ad anorexiam & dyſpepſiam, & quidem feliciter, *efficiunt enim famem lupinam*. Ex hoc fundamento procedit *pulvis ſtomachalis Quercetani*, dum radicem aronis pro baſi agnoſcit. Alii contra febres intermittentes, quas vulgò vocant German. *Magen-fieber*, radicem recentem, vel pulverem ſiccæ radicis, exhibent tempore matutino, hinc partes ejus ſalinæ macres volatiles acidum fixius & viſcidum reſolvunt, ſtomachum egregiè corrigunt, & ſi ſubſunt excrementa efferveſcibilia, ad excretionem illa diſponuntur. Propter idem ſal volatile egregium eſt pectorale, valetque in cachexiis, tuſſi, aſthmate, orthopnœis humoralibus, pituitam viſcidam in ſtomacho & bronchiis potentiſſimè incidendo, attenuando & reſolvendo. Unde D. *HORNIO pulvis ſequens* contra tuſſim in frequenti & felici uſu fuit:

> ℞. *Fecul. ari* ℥ij.
> *Antibect. Poter.* ℥j.
> *Sacch. ſuccinat.* ℥iij.
> M. f. pulvis, S.
> *Pulvis contra tuſſim.*

Aperitivum prædicabat ſingulare, obſtructiones quaſcunque reſerans. *Fecula* autem *nullius eſt pretii*, potiùs radix uſurpanda.

Ratione eadem etiam ſcorbuto confert, & morbis chronicis, ut plurimum ex cruditatibus primarum viarum natis.

Omnia hæc mitiora ſunt in radice exſiccata, quæ extrinſecus penitus inſipida eſt; utut in medio particulas ejuſmodi acres poſſideat.

Item tàm *radix*, quàm ipſa *planta*, *recens & viridis* in aceto bullita, & mitiora facta, ob vim diureticam remedium ſuppeditant egregium contra caſum ab alto, & ſanguinem hinc grumoſum factum: unde *HELMONTIUS Tract. Diſpenſat. Modern.* §. 40. vocat *remedium magnum in caſu magno*. Ex *foliis* & *radice*, *recentibus* mixtis, paratur cum aceto *acecarium*, German. *in Form eines Salats*; ſic enim manifeſta ſua acrimonia volatilis maximam partem quaſi figitur, ſicque diureticum evadit; Acidum enim acori deſtruit ſal volatile acre, & tertium exinde ſalſum fit, ad inſtar naſturtii. Contra ſcorbutum quoque in Saxonia inferiori plantam uſurpant, vel folia infuſa cum vino, vel unà cum radice in aceto, vel alio quocunque modo.

Radix præparata uſurpatur in malo hypochondriaco, & Quartana, quæ rara admodum eſt in noſtris regionibus, abſque conjuncto ſcorbuto. Verùm non approbanda eſt vulgaris radicis per macerationem in aceto deſtillato, ſubſequentem exſiccationem, Præparatio; hac enim ratione potiùs caſtratur. Unde hujus loco pulvis ex meditullio exſiccatæ radicis ad omnes dictos uſus inſervit.

Alii *fæculam ari* adhibent contra febres ſcorbuticas: Verùm ſecula hæc ex ſucco expreſſo per reſidentiam parato, fex potiùs eſt, & elumbe remedium, quod omni vi activâ deſtitutum. Hinc vel radix leviter ſaltem exſiccata uſurpatur in forma pulveris ſine præparatione prævia, ſeeligendo acriores ejus partes; vel planta integra aut vino aut aceto infuſa, & in acerrimam *Eſſentiam* ſic redacta melior erit.

ASPARAGUS.

ASparagus Græcis notat quemvis ſurculum recentem ex terra propullulantem: Hinc tamen in ſpecie baccifero κατ' ἐξοχὴν aſparagi nomen impoſitum Germanis dicitur *Spargen*, *Spargel*. Planta eſt nitroſa & ſatis nota.

In uſu eſt *radix* & *ſemen*, atque in ſpecie *Turiones*, qui in uſu potiùs ſunt culinari, in & cum alimentis, radicemque tamen aſparagi, viribus imitantur. Frequentiùs *radix* uſurpatur, rariùs ſemen. Refertur radix inter diuretica, & 5. *radices aperientes* ſeu *aperitivas*, quales ſunt radix petroſelini, fœniculi, ruſci, apii & aſparagi; & hinc in morbis chronicis ex obſtructionibus vulgò oriundis commendatur. Ubi notandum obiter, quod morbi chronici, v. g. icterus, ſcorbutus, morbus virgineus, &c. malè adſcribantur obſtructionibus meſenterii, cùm dyſcraſiæ potiùs maſſæ ſanguineæ aliorumque ſuccorum originem debeant: hinc & radices aperientes longè aliâ ratione operantur, corrigendo nimirum pituitam & acidum auſterum in ſtomacho, ſaleque ſuo volatili bilem inertem acuendo, vel dyſcraſiam corrigendo. In ſpecie nota eſt vis diuretica turionum, qui comeſti admodum fœtidam & graveolentem urinam reddere ſolent, quæ etiam à Raphano obvenit; hinc ſunt, qui hos tanquam præſervativum in calculo & lithontriptricum commendant. Sed contrariatur his exemplum *HELMONTII*, qui refert; Jure conſultum quendam ex eorum uſu in lithiaſin potiùs incidiſſe, cum tamen ante hac fuiſſet immunis: Vid. *HELMONTIUS Tractatu de Lith. cap.* 5. §. 17. & 19. item *c.* 7. §. 15. Nimis enim alterant: Ex eſu ſcilicet Aſparagi cùm urina reddatur fœtida, indicium eſt characteris reſolventis & ſeparantis ſal urinæ volatile, ſicque lotium ad ſui putredinem inducentis, cujus ratione ad promptam lithiaſin diſponit. Eſt ergò nocivum iis, qui jam diſpoſiti ſunt ad calculum renum, quoniam ſeparat ſal urinæ; Unde fit, ſi accedat acidum peregrinum ex primis viis, ut illud coaguletur in calculum, adeò ut uſus ejus in officinis ſit jam etiam rarior. *MOEBIUS* refert *in Inſtitutionibus ubi agit de Aſparago pag.* 664. *ex QUERCETANO in Diæt. Polyhiſt.* quod folia & flores in viris augeant Venerem, in fœminis extinguunt.

ASTER ATTICUS.

COlitur in horto Medico noſtro *Aſter Atticus vulgaris*, cujus apud Veteres ſit mentio, conſtans flore purpuraſcente. *Aſter* dicitur *à figura florum*, quod inſtar aſteris appareat; *Atticus* audit *à regione natali*. Præſto etiam eſt *Aſter Virginianus autumnalis exoticus*: Qui tamen Aſteres non ſunt in uſu, ſed tantùm coluntur in hortis.

ASTRAGALUS.

ASTragalus præſens quibuſdam eſt *Orobus ſylvaticus vernus flore purpureo latifolius*, ad differentiam *anguſtifolii*, quibuſdam *Pannonicus* dictus.

Nullius eſt uſus.

ATRIPLEX.

ATRIPLEX MAJOR LATIFOLIA, ſeu *bonus Heinricus*, planta minus Officinis eſt uſitata, in culinis tamen inter herbas ac obſonia oleracea ſolet adhiberi: Cum hiſce enim cocta pro ſcopo laxandi, ac blandè alvum emolliendi, eſt egregia. Aliàs eſt planta nitroſa, ac ope huius ſalis eſſentialis nitroſi, non ſecus ac quævis Blita ac ſpinachiæ, itidem nitroſa, hypochondriacis pro ſcopo alterandi debet eſſe commendatiſſima.

ATRIPLICIS minoris folia ſunt *oblonga anguſtifolia incana*.

Atriplicis aliàs *genus latè* eſt *diffuſum*: revera enim *Atriplices*, *Beta*, *Spinachia*, &c. plantæ ſunt congeneres, & ad unum ſummum genus referendæ.

ATRIPLEX NOSTRA Vegetabile eſt ubivis obvium & cognitum, eaque vel rubra vel alba.

In uſu crebriori ſunt *folia*, *ſemen* rarò aut nunquam; ſicut aliàs *atriplices* rarò ſunt officinales, ſed tantùm culinares. Non tamen ſub uſu diætetico planè carent uſu pharmacevtico: ſale namque blando nitroſo turgent, hinc & primas vias abſtergunt Atriplices, & propter alcalinam naturam refrigerant, alvumque emolliunt, blandè laxant, feces induratas fluxiles faciunt, ſimulque flatus diſcutiunt; unde fortè illud Germanorum *Milde*, ab aliis craſſiori nomine German. *Scheiſſmilde*, exprimitur. Egregiè præſertim convenit hypochondriacis ex abdomine æſtuantibus, & alvi obſtructione laborantibus, accedente imprimis corporis motu, ſimulque ebullientes circa primas vias acres, acidos & bilioſos ſuccos temperat, indeque natos ardores & phlogoſes mitigat.

Externè in Clysmatis recens præscribitur, imprimis emollientibus & anodynis, alvum duram provocantibus, & moderatè laxantibus. In cataplasmatibus etiam pro inflammationibus sistendis, doloribus ab acido natis mitigandis, partium inde natis tensionibus sufflaminandis, & hinc emolliendis tumoribus duris imponuntur, & doloribus podagricis leniendis. Cum foliis vitis, herba anethi & chamomillæ ingreditur Pediluvia pro somno concillando.

Superest adhuc *ATRIPLEX SYLVESTRIS folio sinuato*, quæ in specie *Chenopodium* seu *pes anserinus*, Germanis *Gansefuss*, dicitur. Planta est culinis magis, quàm officinis nota: Refertur enim inter *pulmenta oleracea* (Germ. *grune Krauter*) conducit tamen pro laxando alvo, & temperando æstu hypochondriorum.

AVENA.

Avena planta est cognita, ex qua usitatum *semen*. *Semen duplicis* est *usus*: *Culinaris*, & *officinalis*.

Quoad *usum culinarem*, ex eo parantur *Jusculа avenacea*, quæ successerunt hodie cremori ptisanæ ex hordeo excorticato factæ: vid. *GORRÆUS in Definit. Medicis*. Crebrior fit mentio apud veteres in febribus &. morbi acutis sub diæta tenui, in morbis chronicis tam pro moderata nutritione, abstergendis & detergendis primis viis, quàm temperandis succis acribus effervescentibus. Unde & in raucedine, tussi, exulceratione & asperitate faucium, oris aphthis, à catarrhis seu lymphæ aciditate oriundis, &c. juscula avenacea usurpari solent; quia lentam visciditatem lymphæ & catarrhorum temperant & corrigunt.

Pro *usu Officinali* rarò usurpatur. *Externè AUTOR* noster sacculum, ex cruda avena factum, contra tormina abdominis & passiones hystericas calidè impositum commendat, qui etiam à mulierculis usurpatur: sed cura hujus dependet ex solo calore. Meliùs tamen est, si contundatur *avena*, & recipiantur part. ij. atque addatur *seminis coriandri*, vel *cumini*, & *baccarum juniperi* ana pars j. & in sacculo interpassato applicentur abdomini. NB. Sacculi duo sint ad manus.

Usitatus est in Officinis *syrupus divi Lutheri* ex *jusculo avenæ* cum *saccharo* factus, qui temperat acidum austerum, & contra colicam laudatur. Ita vocatur, non quod *LUTHERUS* Autor eius extiterit, sed quia colicâ afflictus illo usus est creberrimè. Aliàs rari est usus avena.

MALUS AURANTIA.

Fructus huius, German. *Pomerantzen-Aepffel*, omnibus notus est, imprimis ex gratia saporis, odoris & coloris, quibus se commendat.

In usu est *pomum* ipsum, & eius *cortex*.

Poma sunt vel *acida*, vel *dulcia*. *Acida* & *vinosa* maximam partem eiusdem ferè cum nitro & succo eius acido usus sunt. *Dulcia* mala dicuntur *Chinensia*, utut nunquam viderint Chinam. *Acida* usurpantur in febribus ardentibus; *Dulcia* verò usurpantur in scorbuto, ita ut solo eorum usu quosdam à scorbuto liberatos fuisse, Autores testentur: Hinc etiam in Italia rarò affliguntur, tam peregrini quàm incolæ scorbuto, propter usum pomorum aurantiorum, quæ corrigunt effervescentiam ab acido scorbutico oriundam; sicut & poma acida contra scorbutum prosunt, cum antiscorbuticis acribus, cochlearia, nasturtio, &c. iuncta. Post scorbutum & in affectibus melancholicis commendantur.

Cortices constant copioso sale volatili satis acri, temperato pinguedine vel oleo sulphureo, spontè flammam concipiente: Acriores sunt magisque aromatici corticibus citri. Ratione salis volatilis etiam magis carminativi, ut quoscunque flatus certò expellant, adeò ut etiam non immeritò medicamentis pro flatuum discussione & temperando acido plus minus austero, & corrigendo viscido, flatuum genitore, colica, passione hysterica, &c. admiscеantur cortices aurantiorum, si alvus priùs aperta fuerit. Unde quidam Medicus expertus habet pulverem singularem in colica, qui pro basi agnoscit cortices aurantiorum, & cuius talis est compositio:

℞. *Cort. Aurant.* ℥iß.
Dent. infer. auratæ piscis, vel in horum defectu *maxil. lucii pisc.*
Lapill. Cancr. præp.
Succini præp.
Talor. leporis,
Zedoar. an. ℥ij.

M. f. pulvis, qui usum egregium habuit in Colica curanda.

Præterea egregiè prosunt in stranguria, orta à causa externa. (Acidum illud ex primis viis exactè corrigendo) et dysuria, nec non ad curam icteri flavi; in quo omnia prosunt, quæ constant sale volatili acri, ad corrigendum sal volatile oleosum in massa sanguinea, quod tum temporis est depravatum potiùs, quàm quod vesica fellea obstructa, sive sub forma olei destillati, sive pulvis assumatur à ℈j. ad ʒß, vel ex tempore *Elæosaccharum ex succo corticis oleoso expresso* parandum.

Flores gaudent sale Mercuriali, & ad secundam Classem florum pertinent, hinc destillari nequeunt in oleum.

Quoad *Præparata*, in quibusdam locis prostat *aqua ex corticibus Aurantiorum cum vino destillata*, quæ est perquàm egregium remedium in suffocatione uterina: Nam certum est, quod in multis conspirent hæc & Colica Virorum, modò non sit unus idemquè affectus; sicut & *HOEFERUS in Hercule Medico pag.* 131. habet *aquam flatus discussivam*, quæ pro basi agnoscit cortices aurantiorum; cujus elegantis Compositionis Autor fuit D. *MANNAGETTA*, quæ tamen indiget correctione. Correcta sic se habet:

℞. *Cort. Aurant. exter.* (*solummodo flavum*) ℥iv.
Flor. Chamom. Rom. M. ij.
Fol. menthæ crispæ M. j.
Herb. absinth. Pont.
Rad. Angel. an. p. j.
Sem. anisi,
Fœnic. an. ℥ß vel ʒvj.
Cumini
Baccar. junip. an. ℥ß.
Lauri ʒij.
Zedoar.
Cinnamom. an. ℥ß.
Macis ʒij.

Pulverisata adspergantur *spiritu nitri*, qui optimum est Carminativum, ad ℈ij vel ʒj etiam: Huic affundantur
Vini Malvat. vel potiùs *Spiritus Vini Malvat.* ℔vj.

Stent per triduum in digestione, posteà destillentur igne sensim aucto. Potest destillari per retortam, ut spiritus nitri meliùs promoveatur, qui hic magni momenti est propter vim flatus discutiendi.

In *SALÆ Scriptis Chymicis, in Armamentario*, videmus *aquam per fermentationem corticum Aurantiorum*.

Aliàs prostat *aqua ex floribus Aurantiorum*, sub nomine *aquæ naphæ*, quæ, vi carminativâ pollens, egregia est in passione hysterica, & pro sudore movendo, ut etiam pro sapore & odore reliquis medicamentis conciliando usurpatur.

Neapoli habetur *Essentia ex floribus Aurantiorum*, quam præparant Monachi, maximè pretiosa, coloris sanguinei seu aurei & clari, Moschum odore referens: est egregium confortativum, & adhibetur in desperatis morbis cum summo sæpè virium levamine.

Succus, præsertim *acidus*, ejusdem ferè naturæ ausus est cum succo citri; unde eadam etiam de eo afferenda sunt.

Præterea *ex corticibus aurantiorum* destillatur oleum, quod sudoriferum est, simulque carminans, & expertum contra Colicam ex Acido austero, stranguriam, ex acido primarum viarum ad vias urinarias delato, etiam dysuriam; sive guttatim (6. 8. aut 10. guttulæ) assumatur, sive fiat Elæo-saccharum. Externè cum sevo hircino paratur unguentum, quo inungitur umbilicus in stranguria. Ratio hujus curæ desumitur à consensu urachi cum umbilico & vesica. Vel etiam potest fieri *Linimentum ex oleo destillato corticum aurantiorum* cum *oleo carvi*, *angelicæ* vel *anisi*, & *cumini*; quod illitum abdomini aut umbilico expertum est in colica & in stranguria.

Sunt qui parant *ex floribus Aurantiorum oleum per expressionem*, *ut oleum jasmini*, quod tamen aliquatenus adulteratur:

℞. *Baccar. Been.* vel *semin. melon. benè contus.* part. j.

Induntollæ vitreatæ, & superspargunt *flor. aurantiorum*: sic faciunt aliquoties stratum super stratum, & relinquunt ad aliquot dies noctesque; dehinc abjiciunt flores, & super baccas vel semen *novos inspergunt*, idque aliquoties iterant: Tandem indunt sacculo lineo, *aqua naphæ* madefacto, & exprimunt oleum; quod tamen non est ex solis floribus Aurantiorum, sed etiam ex baccis been aut semine melonum.

Hoc modo exprimi etiam potest *oleum suaveolentum ex floribus Violarum*.

Prostat insimul *syrupus Aurantiorum*; cui si addantur aliquot guttæ olei Aurantiorum, proderit in superiùs dictis affectibus; qui ipse syrupus pomorum aurantiorum (uti & ipsa poma aurantia non minus, quàm citria, multum valent) singulariter prodest in scorbuto

Post Malum Aurantium sequitur.

AURI-

AURICULA MURIS.

Auricula Muris dicitur, quod folia ejus aurem muris repræsentent, Germ. *Mause - Oehrchen*; item *Pilosella major repens*; quod folia ejus copiosis quasi pilis sint consita: hinc & quibusdam dicitur *Hispidula*, à foliis scilicet hispidis. Flores habet luteos.

Adstringit in fluxu alvi, & sanguinis seu hæmorrhagia; est enim texturæ firmioris. Usus ejus in vulneribus & ulceribus curandis ab Autore quidem omissus; est tamen egregium vulnerarium, tàm interno usu in potionibus vulnerariis, quàm externo in unguentis, emplastris, balsamis, &c. vulnerariis. Hinc utilissima est in affectibus pectoris, quando sputum & lympham, asperam arteriam irrigantem, nimis acidam solet corrigere & temperare; item prodest in calculo, in quo commendatur à *POTERIO*. Dum est vulnerarium, solet exhiberi infantibus in pulticula & cibis, quando laborant hernia. Externè in Gargarismatis cum aliis, prunella, salvia, &c. contra inflammationem tonsillarum, faucium exulcerationes, laxationem uvulæ, &c. adhibetur. Per se aliàs rarissimi est usus.

Præsto quoque jam est

AURICULA MURIS COERULEA.

Præsens *Myosotis*, seu *Auricula Muris cærulea*, ita dicitur ad differentiam *Pilosellæ flore luteo*. Est autem potiùs *Echium scorpioideum*, cùm cacumen florum in formam caudæ scorpionis ante sui efflorescentiam contortum fit. Germani vocant *Vergis mein nicht mit blawen Blumen*

Usus ejus adhuc ignotus est. Externè tamen radix pulverisata oculorum canthis ulceratis inspersa medetur.

Datur etiam *Echium scorpioides majus folio glabro*; item *Echium scorpioides minus folio hirsuto.*

B.

BAHARAS vel BAARAS JOSEPHI.

Baharas vel *Baaras Josephi* est planta in Judæa reperibilis, quæ ita vocatur; de qua vid. *JOSEPHUS*, & *HORSTIUS l. 1. Dispensat. P. 1. p. 3.* Cui dicit: *Vix fidem mereri, quæ Josephus de hac planta habet.* Conf. *CASPAR BAUGINUS in Pinac. pag. 511.*

BALANOS MYREPSICA.

Balanos Myrepsica est planta exotica, cujus Fructus tantùm habentur, & grana Been vocantur. De forma & virtutibus videatur, post *TABERNÆMONTANUM*, *Tomus I. Theatri Botan. BAUHINI.*

Rarioris est *usus*: Uti etiam *oleum expressum*, quod emollit & discutit, rarò adhibetur, quoniam valdè pretiosum, & adulteratum est; è contra oleum amygdalinum idem præstet, quod etiam ei propter nimiam acritatem meliùs substituitur. Utuntur eo pro eliciendis olei ex floribus odoriferis, vid. *Hortus Farnes. TOBIÆ ALDINI*: e. g. cum *floribus jasmini* maceratum contrahit eorum odorem suavem, quando *ex illis oleum* paratur. Nam utut flores jasmini suavissimum spirent odorem, nihilominus si destillentur, planè illum omittunt, & malè potiùs olent. Ut ergò suavis odor possit colligi pro suffimigio chirothecarum, propterea accipiunt *nucleos Been*, contundunt, & exprimunt oleum, quod recipiunt propter diuturnitatem, qui non facilè rancescit, ut reliqua olea. Aliàs per se nullius est usus.

Observanda hìc *distinctio Vegetabilium fragrantium*: Quædam sunt *aquosa*, ut jasminum, narcissus, lilium convallium, hyacinthus, &c. Quædam sunt *macra & aromatica*, ut anisum, mentha, salvia, &c. Ex illis nihil odoriferi arte de se elici potest: ergo per *oleum been* infundendo & stratificando aliquale oleum, sed *adulterinum*, producitur; ex posterioribus verò vis eorum odorifera in oleum destillatum concentrari & elici potest.

BALSAMINA LUTEA.

Balsamina lutea Bauhini, propriè dicitur *Noli Me Tangere Gesneri*. Ita dicitur, quod post florem cucullatum deciduum capsulæ seminales, ubi maturuerint, levi attactu soleant crepare, & semen undique de se spargere; hinc Germ. *Springsaamen - Kraut*. Rectius dicitur aliis *Persicaria siliquosa lutea*.

In Officinis non est in usu. Sunt qui malignitatem quandam plantæ huic tribuunt; res tamen incerta. E *GESNERI* enim, *Germanorum Plinii*, *Epistolis* constat, eam in affectibus urinariis ad propellendam urinam fuisse proficuam; imò ipse testatur, se folia hujus plantæ contusa in stranguria fausto cum successu externè adhibuisse: Denique etiam eandem recentem contusam in doloribus & tumoribus arthriticis applicandam commendat.

BALSAMUM.

Balsamum vel est *Orientale* vel *Occidentale*. *Orientale* affertur ex *Syria* & *Palæstina*: *Occidentale* est *Balsamum Peruvianum*.

Tres subministrat species: Fructus, *Carpobalsamum*; ramos, *xylobalsamum*; & liquorem, *Opobalsamum*.

Opobalsamum est ingrediens Theriacæ pretiosum & rarum, unde usus obtinuit, ut adhibeatur Occidentale de Peru.

Deniq; præter Balsamum Peruvianum provenit quoddam *in Insula Tolu*, quæ dat *Tolutanum*; de quo *inferiùs in P. 2. de Alterant. secundar.* plura: Hoc saltem hic noto, optimè sentire *DOERINGIUM in Tract. de Succino*, ubi non sine ratione innuit: succinum & ejus oleum optimè posse substitui loco Balsami Orientalis & Occidentalis in compositione Theriacæ.

BARDANA.

Bardana seu *Lappa* in duplici est differentia: vel *Major*, quæ specialiter *Personata* dicitur, German. *grosse Kletten*; vel *Minor*. Usitata est utraque

Majorem quod attinet, est vilissima herba, & tamen maximi momenti; de cujus radice observavi, quod soleat commendari in affectibus pulmonum. Hinc etiam singularem sanguinem congrumatum resolvendi & discutiendi vim habet, convenitque in sputo sanguinis & pleuritide, aut quibus in phthisin aut empyema degeneravit, propinando cochlear radicis pulverisatæ, vel Decoctum, expectando sudorem. Sunt etiam, qui hunc usum in affectibus pulmonum lappæ minori adscribunt, de quo tamen experientia consulenda. Diaphoreticum & diureticum est egregium, præprimis in arthritide & podagra, cujus fomitem per urinam educit: Vid. *FORESTUS l. 9. Observ. 7.* & hoc quidem ratione texturæ materialis temperatæ, nitrosæ tamen: indeque fit resolvens & abstergens. Unde in lue Venerea Decoctum radicis sumatur cum pauxillo foliorum sennæ, expectando sudorem: qua ratione curatus fuit *Henricus IV. Rex Galliæ*; imò radix hæc à quibusdam Decoctis contra luem Veneream loco radicis sarseparillæ addi solet.

Semen est diureticum, & mirè commendatur in phthisicis, & specificè ad calculum, quem vel expellit, si genitus, vel generationem impedit.

Externè *folia* conducunt in doloribus arthriticis, tàm fixis podagricis, quàm vagis cum insigni tumore conjunctis, probè contusa & succulenta imposita: & vidi ego exemplum, ubi quidam Arthriticus hìc recepit folia bardanæ, modicè conquassavit, & partibus dolentibus applicavit; ita enim intra 12. horarum spatium omnes dolores levati sunt, omni tamen mane & vesperi recentia imponendo; secus enim, si ultra dimidium diem relinquerentur, cuticulæ adhærebant ita fixè, ut illam simul detraherent: Et quod notandum, facie versa, ubi nervi magis prominent, folia contusa, ut planentur, & ex nervis aliqualis succus prolicitur, debent imponi, *facie versa, & ideo etiam aliquantisper contunduntur*, dolorem ac tumorem egregiè solvunt ac discutiunt. Eodem modo hæc folia imposita sanguinem grumosum ex contusionibus mirè dissolvunt & discutiunt. Singulare est, quod habet *SCHMUCK in Curis Magico-Magneticis p. 37.* dum refert: quod folia barbanæ majoris tibialibus imposita, & pedibus conculcata, suffocationem matricis mulieribus tollant; sin verò applicentur capiti, inducant. Eadem conveniunt in tumore pedum hydropico, quem potenter resolvere perhibent. Radix barbanæ, si plantis pedum alligetur, dicitur, quod quasi per diaphoresin sanet hydropicos, dum aquam expurget. *EPIPHANIUS FERDINANDUS* dicit, quod vim habeat prolongandi membrum virile. Ex radice sicca *FABER in Myrothec. spagyric. l. 4. c. 16.* parat oleum per descensum, cujus vires eximias non potest satis commendare ad calculum resolvendum & promovendum, scirrhos emolliendos, & nodos podagricos omnemque tartarum, dissolvendum.

Prostat in Officinis nostris *aqua bardanæ composita*, quæ destillatur ex *radice barbanæ*, *vincetoxici*, *cortice medio fraxini*, &c. *cum vino*; cui postmodum instillatur aliquid *spiritus sulphuris*, & additur nonnihil *camphoræ*.

BARDANA MINOR.

Bardana seu *Lappa Minor* vocatur etiam *Xanthium*.

Ex hac planta usitata est *Radix*, *Fructus*, Germ. *die kleinern kletten*, *oder Bettlers lause*, & *Herba*.

E *radice* hujus in taleolis incisa ac cocta fit Decoctum sudoriferum ac diureticum, omnibus lignorum exoticorum decoctis æquivalens; hinc sunt, qui idem decoctum in arthritide, & contra luem Veneream laudant. Porrò & Medicus quidam, à *CASTRO* dictus, contra pleuritidem decoctum commendat, quam per sudorem repertum optimè curat. Externè discutit & resolvit tumores, vel serum in partibus collectum.

Radix in lixivio aut aqua simplici decocta in capillis colore flavo tin-

tingendis singulare est, & capillorum proventum promovet: Vid. SCHOTTUS in Physica Cur. l. 3. cap. 23. p. 517. ubi refert de viro sexagenario, cui post gravem morbum capilli è capite & barba deciderant, quos tamen recuperavit lixivio, è radicibus lapparum præparato, qua caput & mentum sæpiùs irrigavit. Præterea quoque folia bardanæ minoris erysipelati arthritico applicata, omni vespere ac mane renovando, egregium afferunt solamen, ac tumorem egregiè solvunt ac discutiunt; quod ipse sum expertus. Eodem modo hæc folia imposita sanguinem grumosum ex contusionibus mirè dissolvunt & discutiunt.

BASILICUM.

Basilicum, Græcis Ὤκιμον dicitur, quod ocyus ac subitò è propriis seminibus crescat; Latinis *Basilicum*, tanquam regium simplex propter odorem suum suavissimum; unde Germ. *Basilien Kraut*. ZACUTUS quidem *l. 9. Med. Princ. Histor. 5.* dicit, quod *Basilicum* ita vocitetur, quia basilisci morsibus sit remedio; quod sanè ridiculum, cùm nemo unquam viderit Basiliscum.

Plures ejus sunt *differentiæ*:

1. Ratione *foliorum*: Aliud enim est *latifolium*, ut *Ocimum manum, Indicum, &c.* Aliud *Angustifolium*, quale *Ocimum minus foliis serratis, citratum*, &c.
2. Ratione *colorum* in foliis: Datur enim *Ocimum pictum, album, rubrum, nigrum*, &c.

Planta hæc sale volatili oleoso & penetrante est prædita, Veteribus incognita; modernis autem satis decantata, cùm sit egregiè aromatica & singulariter cephalica. Singulare est, quod in planta hac humida ac succulenta odor adeò aromaticus resideat; cùm aliàs notum sit, plantas aromaticas naturâ esse sicciores, & quasi squalidas, ac facilè arescere: conspirat tamen cum aliis aromaticis in eo, quod sit planta vivax pro more menthæ, salviæ atque pulegii, ac ex sola aqua crescat.

Usus ejus, cùm non nisi ob odorem suaveolentem in hortis colatur, non est adeò singularis; Folia tamen & semen in Officinis prostant.

Quoad vires, cephalica est & stomachica: spiritus enim continet in se quasi ardentes ex sale volatili oleoso, unde spiritus animales recreat, senibus odoretenus adhibitum, & capiti in vertigine, similibusque affectibus senilibus, per consensum stomachi natis, mirè confert; adeò ut mereatur, ut quosvis spiritus aut essentias confortativas seu cephalicas ingrediatur; senibus præsertim convenit ordinariè capite malè habentibus. Prætereà uterina est propter vim aromaticam, menses ciet, & in affectibus uterinis prodest. Ad morsus animalium venenatorum externo & interno usu laudatur. Exsiccata ac cum floribus pulverisata elegans præbet sternutatorium, quòd non tantùm membranas odoriferas superiores narium irritat ac afficit, sed caput quoque valdè recreat, & hinc inter sternutatoria cephalica refertur; sicut & semen naribus insufflatum, sternutatorium optimum est in coryxæ principio.

Planta contusa lateribus duobus in medio excavatis indita, & quoad rimas abducta, radiis Solaribus si per 4. septimanarum spatium exponatur, scorpiones procreare vulgò dicitur; Quod etiam referunt B. D. MICHAELIS, HOEFERUS *in Hercule Medico l. 2. c. 1. p. 110. & HELMONTIUS Tract. de Peste pag. 173. Imago Ferm. §. 13. pag. 94. & l. de Potestat. Medicam. p. m. 384. §. 37.* HOFFMANN. *de Medicam. Officin. l. 2. c. 32. pag. 122. & HOLLER. l. 1. de Morb. inter. cap. 1.* Sed fabula est: Confer. in hoc M. A. N. C. *Ann. 3. Observ. 79. pag. 135. GALENUS l. 2. de Aliment. Facultat. cap. 56.*

Inter Præparata planta exsiccata, ac cum spiritu vini extracta præbet *Essentiam* vertigini haud incongruam.

BEHEN ALBUM, BEHEN RUBRUM.

Been *album* & *rubrum* non confundenda sunt cum Grano Been seu Balano Myrepsica. *Been rubrum* etiam *Limonium Maritimum Majus* dicitur, quod circa λιμῶδες seu paludes, item littora marina, provenire soleat; Germanis *Wild Mangold*; quasi species esset betæ, quod tamen non est; sed est potiùs planta heteroclita. Utriusque *radices* sunt exoticæ, & nullius aut rari *usus*; imò sunt, qui dicunt, radicibus his non esse utendum, quoniam ut plurimum sint adulteratæ. Quid ergò opus, ut iisdem utamur? cùm præterea, quæ & quales sint, nondum satis constet.

BELLIS.

Bellis ita dicitur, quod *flores* ejus admodum sint elegantes & *belli*. Hujus variæ sunt species.

I. *Hortensis flore pleno variegato, albo, & rubro*, Ger. *Masslieben, tausend-Schonchen*: Ad quam etiam spectat *Bellis Major* BAUHINO dicta, *caulefolioso*; aut *Bellium Majus Tabernæmontani*; item *Buphthalmus*, Germ. *Rinds-Auge*; quæ vox tamen nimis est generalis, cùm & *Chrysanthema sint Buphthalma*, & contrà; in Officinis species hæc non est recepta.

II. *Sylvestris*, quæ *Major, Minor*, & *Media*, vulgò Germ. *Ganse-Blumgen*.

Corymbiferæ sunt plantæ seminibus solidis.

Pro *usu Medico* usitatissima est *Hortensis simplex flore rubro & pleno*; nec non *Bellis Hortensis flore albo pleno*. *Sylvestris* in usu Medico rarò locum habet; sed male: Ex planta enim hac recenti Mense Februario, priusquam scilicet flores erumpant, habetur decoctum acris saporis, piperis modò subtilis & penetrantis, in qua acrimonia vis ejus diuretica consistit, quæ se ad vulnera extendit.

Bellis Minor piantula est polychresta, quæ in morbis chronicis ad purificandum sanguinem, ejusque dyscrasiam corrigendam, non incongruè aliis additur.

Tenella folia, quæ circa flores rubros reperiuntur, hepaticarum virium esse creduntur, & magni usus sunt in *Potionibus Vulnerariis*; experta etiam sunt in hydrope; sicut etiam B. D. MICHAELIS usu horum continuato aliquot hydropicos feliciter curavit: Coquuntur nempe folia ac flores in jusculo carnium, exprimuntur, & decoctum adhibetur. Sunt etiam, qui in Vino adhibere solent. Hæc possent aliquam lucem affundere doctrinæ HELMONTII de hydrope, cum bellis sanguinem congrumatum resolvat; quæ tamen satis paradoxa est.

Succus hujus plantulæ, ejusque Decoctum, multum prodest in quocunque sanguine grumoso dissolvendo & discutiendo, sive ex casu, sive vulnere, sive contusione: hinc etiam inter Antipleuritica, ad sanguinem semicaseatum resolvendum, ab HELMONTIO *Tract. Pleura Furens p. 70.* commendatur; Vid. MINDERERUS *in Medic. Milit. p. 77.* ubi multa de hac planta habet egregia, & imprimis iis tanquam singulare specificum commendat, qui post nimiam incalescentiam corporis subitò frigidum potum ingurgitant; & hinc acetarium ex bellide illic præscribere solet. Confer. etiam SIMON PAULI *in Quadripart. Botan. p. 21.* Confirmat hoc per experimentum B. D. MICHAELIS in coquo, qui per diem aliquem incaluit, & sitibundus arripuit haustum frigidum, unde Asthmate aliisque symptomatis gravissimis correptus, ut tantùm non suffocandus videretur, hunc succo ex tenellis foliis bellidis flore rubro recenter expresso, & in vino propinato, per sudorem curavit, ut sequenti die optimè sese habuerit; non secus ac alii ad inflammationem hepatis hanc ipsam commendant plantulam.

Externè egregium vulnerarium est Decoctum ejus vulneribus applicatum.

Fit ex *floribus bellidis rubris tinctura* cum *phlegmate Vitrioli, spiritu proprio acidulato*, quæ ad sanguinem congrumatum præcavendum & resolvendum optimè tempore æstivo instillatur potui, ut non noceat: Unde in febribus ardentibus egregia est; sed majori, quàm vulgari dosi, ad guttulas scilicet 50. usurpetur; vel potui potest instillari, ut nocumenta ingurgitationis frigidæ præcaveantur.

Bellis flore albo pleno vulgò commendatur contra fluxum album mulierum, affectum molestum & tædiosum satis mulieribus, sive crudè, sive decoctum, vel sub forma Conservæ, propinetur.

Spectat huc, ratione ordinis Alphabetici,

BELLIS UMBELLIFERA RAMOSA CORNUTI.

Quæ ita dicta, quia CORNUTUS *in plantis suis Canadensibus* primus hanc ita vocavit. Sed si characterem ipsius considerемus, rectiùs ad *Asteres* refertur, & dicitur *Aster floridus sylvestris*. Est aliàs exotica planta, & Officinis inusitata.

BERBERIS.

Berberis tam in culinis & condimentis, quàm Officinis & Medicamentis nota est.

Fructus est saporis acidi. Primaria ejus virtus ab Acido blando nonnihil adstrictorio dependet, in quo convenit cum rubo idæo, item cerasis & ribibus. Hinc vulgò inter frigida refertur, adeoque ebullitionem sanguinis moderata aciditate coercet, simulque moderatè præcipitat; unde in febribus acutis ardentibus, quin & in febribus malignis, non infructuosè utimur Berberinis, sitim extinguunt, & sanguinem ebullientem moderato coagulo coercent: pro quo scopo *succus*, & *syrupus*, qui præ cæteris usitatus, in Julebis refrigerantibus est egregii usus. Juxta hunc usum conducit ventriculo, sitim in æstate extinguit, appetitumque denuò excitat. Ob adstrictionem in diarrhœa (biliosa imprimis) tempore æstivo, vel ex fructibus horæis, vel victu mutato, syrupum hunc saporis gratia solemus adhibere cum appropriatis, & egregiè convenit.

BETA.

Beta vulgaris est in triplici differentia: *Viridis, Alba, & Rubra*. *Beta* dicitur Græcis, quod curvaturâ sua in parte superiori literæ Græcorum B similitudinem quasi exhibeat. Germanis vocatur *Mangold*. Reverà ad Atriplices pertinent.

Raro sunt Officinales: rubra interdum solet usurpari.

Constat sale nitroso; hinc Decoctum ejus alvum blandè abstergit

git ſeu laxat, quoniam ſcatet humore aquoſo acri, cujus ratione emollit fęces & elicit foras, & propter alcalinam naturam refrigerat, ſimulque ebullientes circa primas vias acres, acidos & bilioſos ſuccos temperare, indeque natos ardores & phlogoſes mitigare ſolet. Præter hunc uſum internum planta hæc nullum alium medicum, ſed tantùm culinarem, agnoſcit; hinc inter obſonia oleracea, Germ. *grune-Krauter*, frequentiùs adhibetur, adeoque & nutrimentum ſalubre ſubminiſtrando adhiberi poteſt.

Externè adhibetur ſolùm in Clyſteribus alvum emollientibus. Inflammationes aliàs ſiſtendo, dolores ab acido mitigando, partium hinc natas tenſiones ſufflaminare, & hinc emollire dicitur.

Succus Betæ vulgaris recens expreſſus primatum ferè ducit inter Errhina, & ſatis eſt acris; privitam enim viſcidam narium, & in ſpecie oſſis cribriformis, ſolvit, ſive ſolus, ſive miſtus cum ſucco Anagallidis flore cœruleo, & attractus. Sed circumſpectus ſit ejus uſus, nec adeò nimius, de quo vid. *Act. Med. Haffnienſ. Volum.* 2. p. 166. Aliàs rari vel ferè nullius eſt uſus.

Cognatæ huic ſunt *Rapæ rubræ*, quæ ejuſdem virtutis & efficaciæ ſunt cum Beta rubra.

B E T O N I C A.

BEtonica ſeu *Vetonica* ita dicitur, quod *Vettones*, *Hiſpaniæ populus*, plantam hanc primi excoluerint juxta *PLINIUM l.* 25. *c.* 8. Germanis vocatur *Betonien-Kraut*. Duæ ejus ſunt *differentiæ*: *purpureo*, & *albo flore*. Quæ florem habet purpureum, eſt *ſylveſtris*; quæ album, *hortenſis*.

Planta eſt Officinis notiſſima, de qua jam olim *ANTONIUS MUSA*, *Imperatoris Auguſti Medicus*, integrum *ſcripſit Tractatum*, cujus quaſi Epitomen videbitis in *Quadripart. Botan. PAULI*, & *in hunc Commentarium HUMMELBERGII de virtutibus Betonicæ*. Notetur hìc confuſio in Autoribus, quod cum Autore noſtro multi *Caryophyllum hortenſem* vocitent *Betonicam*, & *Vetonicam Coronariam*.

In officinis *Folia*, & hinc etiam *Flores*, creberrimi ſunt uſus propter egregias facultates, quas monſtrat acrimonia ſubtilis, quâ eſt imprægnata, adeoque in ſe habent alcali acre; unde commendatur Betonica pro uſu Vulnerario, imprimis in omnibus capitis ac cerebri affectibus, in Nodulis vino infuſis; ſicut & Potiones vulnerarias ingreditur, uti & ſyrupos. Diureticum inſuper eſt, ut omnia vulneraria, pro quo ſcopo commendari ſolet radix, vel in plenilunio Martii vel Aprilis collecta, quoniam tunc eſt tempus balſamicum optimum pro collectione: nam omnes plantæ habent ſuum certum tempus, quo colliguntur, quando maximè ſunt in vigore. Folia & Flores in Nodulis, vel forma Decocti, poſt partum difficilem laudantur, ut quod in utero læſum erat, reſtituatur, & ſanguinis fluxus promoveatur. Præterea à Modernis obſervatum eſt, plantæ huic recenti vim aliqualem ineſſe anodynam & quaſi inebriativam, de qua vid. *SIMON PAULI in Quadripart. Botan.*, & *BARTHOLINUS in Hiſtor. Anatom. Obſervat.* 97. *Cent.* 3., ubi recenſet, quod cum Operarii Hortulani hero ſunt evellere voluiſſent Betonicam pro uſu Medico, omnes velut ebrii & temulenti titubarint.

Externè in vulneribus & contuſionibus capitis & cranii planta contuſa & ſucculenta impoſita, ſpecialiſſimè convenit; hinc Hortulani feliciter omnibus vulneribus ſuccum ejus inſtillant: Anodynum enim & Narcoticum inſigne eſt Betonica recens, hinc & laudatur in vulneribus doloroſis. *STROECKERUS in Praxi* commendat lixivium, in quo cocta Betonica, quod inſigniter conferat ad debilitatem capitis.

Ex *floribus* rubris conficitur *Tinctura* cum *phlegmate Vitrioli*, *ſpiritu proprio acidulato*, quæ cereviſiæ inſtillatur, & in ea propinatur in affectibus capitis, in febribus, quæ inſequi ſolent vel vulnera vel ulcera; quoniam ratione ſpiritus vitrioli corrigit ſanguinis & ſpirituum orgaſmum febrilem, & ratione virtutis Betonicæ ulceribus ſimul & vulneribus competit. Cantè tamen ratione ſpiritus vitrioli acidi in vulneribus & ulceribus exhibeatur; cujus loco tunc potiùs conducet *phlegma* vel *aquam quandam deſtillatam* cum *ſpiritu nitri dulci* acuere, & cum hac tincturam extrahere.

Iuxta tincturam invenitur in Officinis *ſyrupus* tàm *ſimplex* quàm *compoſitus*, uſitatus in potiunculis & decoctis vulnerariis, dicatis affectibus capitis, & hujus vulneribus; item deliriis, in quibus eſt egregius, ac vi anodyna ſua operatur, non minus etiam in affectibus uterinis.

Unguentum & *Ceratum* ſeu *Emplaſtrum de Betonica officinale* magni uſus eſt in dolore capitis, catarrhis, & omnibus vulneribus capitis aliiſque, ſive cum ſive ſine contuſione, & à Chirurgis in hoc caſu feliciter adhibetur; imprimis ſi malaxetur cum Balſamo Peruviano; tunc enim quaſi vires ejus duplicantur, vel etiam, imprimis in contuſione, ſi miſceatur cum emplaſtro de tacamahaca; quæ duo in contuſionibus vel vulneribus capitis mirabilia præſtare dicuntur: e. gr.

℞. *Tacamahac.* part. ij.
Cerat. de Beton. part. j. M.

Ceratum hoc vel *Emplaſtrum* non parum quidem participat de ea; rectiùs tamen *ſuccus recens* uſurparetur cum ſufficienti quantitate *mellis* ad conſiſtentiam coctus addito parum *Balſami Peruviani*.

Fit interdum, ut ex nimio dolore capitis cum aliis affectibus futuræ cranii ſecedant, & impensè doleant, cujus rei experientię preſtant in *Obſervat. Chirurgico-Medicis HILDANI*; ſicut & obſervavit B. D. *MICHAELIS in Principiſſa Iſennacenſi*; quæ ex nimio capitis dolore incurrit in effectum ſimilem, ut futuræ cum ſonitu ſeceſſerint, quam præmiſſis univerſalibus, imprimis clyſteribus acribus, curavit emplaſtro de Betonica, conjuncto cum Emplaſtro de Ranis Vigonis cum Mercurio, in eodem dolore capitis adhibito: Vid. *PLATERUS*. De futurarum diſceſſione ſcripſit *BOOTIUS de Affectibus omiſſis*. Aliàs in catarrhorum & dolorum capitis quorumcunque curatione ſingulare & expertum eſt emplaſtrum de Betonica, imprimis ſi acceſſu tacamachacæ & olei deſtillati rutæ, anethi, &c. augeatur.

In genere, quando Botanici aliquem laudare volunt à virtutibus, totum illum inſtructum eſſe dicunt, quot herba Betonica.

B E T U L A ſeu B E T U L L A.

BEtula, Germ. *die Bircke*, Arbor eſt inviſa pueris, *cum virgæ exinde conficiantur*, propteraque cuique ſatis cognita, vulgaris quidem, inſignibus tamen prædita virtutibus.

In uſu ſunt *Folia*, *Cortex*, & *Fungi*, ſed raró.

Quod dicit *AUTOR* noſter de *virtutibus foliorum*, *corticum*; item *fungi* contra hæmorrhoidum fluxum, verum eſt.

Liber ſeu *Cortex tenellus* & papyraceus quaſi recens, ſi inter duas patinas coerceatur, ut ſuper carbonibus liquor ferè oleoſus exſudet, euporiſton eſt in gravi auditu, murmuratione & tinnitu aurium, cum bombace guttatim uſurpatus.

Liquor per inciſionem Arboris, verno tempore copiosè effluens collectus, maximè laudatur apud *HELMONTIUM*, *Tractatu de Lith. c.* 8. *§.* 24. & 25. *p. m* 73. & 74., ubi habebimus ſimul modum ejus acquirendi tempore & loco legitimo. Colligitur nempe vel ex cortice ejus perforato, vel ex ramis tenellis inciſis, antequam folia erumpant; ſimulatque enim hæc apparent, liquor, qui exſtillat, nullius eſt uſus: Vid. *Solenander in Conſil.* & ſpeciatim *CNOEFFELIUS in M. A. N. C. Anno* 6. *Append. pag.* 122. & 124. Liquor hic ſeu Aqua ſingulare eſt remedium in affectibus chronicis, in ſpecie tartareis, & præſervativum æquè ac curativum eſt in nephritide, ſcorbuto, ictero, præprimis flavo, in quo ſanando cum ſucceſſu adhibetur. Commendatur etiam à *BARTHOLINO in Actis Haffnienſ.* in hydrope. Hauſtus, per diureſin calculum, & renum & veſicæ, præſervat, & ipſum paroxyſmum alleviat, quod modernorum debemus experientiæ, & propter hanc vim ſingularem Betula vocatur *Lignum Nephriticum Europæum*, adeò, ut meritò ſit *ſuccedaneum ligno nephritico* ex India Orientali. Nam notum eſt, quod lignum hoc aquæ infuſum illi det colorem flavum, & inſignem vim antinephriticam; quoniam verò eſt valdè pretioſum, optimè illi poteſt ſubſtitui hic liquor betulæ. *CHARLETON in Tractatu*, quem ſcripſit *de Calculo*, (qui lectu digniſſimus) Betulam in calculo commendat. Egregium uſum antinephriticum videbitis etiam in *BOYLE Philoſoph. Experiment. pag.* 102. ubi ſimul de excellentia Perſicariæ contra calculum. *SOLENANDER in Conſil.* 10. *Sect.* 3. & *conſil.* 26. *Sect.* 24. eundem liquorem commendat. Hauſtus hujus aquæ betulæ propinatur tempore matutino jejuno ſtomacho: Ut major ipſi concilietur vis diuretica, cuilibet potioni poteſt admiſceri aliquid vini, cui primò vel radix aut ſemen raphani; ſemen lithoſpermi, vel baccæ AlKeKengi infuſæ ſunt. Unde ex hoc ſucco *CNOEFFELIUS l. a. Limonadam Antinephriticam* paravit. Præterea Podagricis confert, acidum dolens podagricum ſub urinæ vehiculo eliminans. In ſcorbuto cereviſiæ recenter coctæ & liquori betulæ ana, immittunt nodulum ex antiſcorbuticis, v. gr. caryophyllatæ radice, baccis juniperi, &c. Præter hæc ſuccus hic menſe Martio, id eſt, verno tempore hauſtus ad purificandam maſſam ſanguineam, ejuſque craſin emendandam, egregiè convenit, adeò ut virtute fermentativa ſanguinem ſimul fermentet, & purificet; ſi quæ ſubſint ſordes in maſſa ſanguinea, blandè nunc per urinam, nunc per ſudorem, evacuat eaſdem; unde laxat alvum moderatè virtute nitroſa, qua imprægnatus eſt. Idem liquor in ſcabie etiam convenit, primas vias aperit, mundificat ſanguinem, ſordeſque expellit, adeoque fomenta ſubtrahit, quò minus fermentum ſcabioſum ſe poſſit multiplicare: imò adeò purificat ſanguinem, ut etiam uſu ſuo quoſdam ſcabioſos reddiderit; dum ſcilicet ſalia heterogenea ex maſſa ſanguinea ſecreta, & intra cutim defixa, pathemata illa ſcabioſa produxerunt. In ictericis, cachecticis, item Melancholia, imprimis hypochondriaca, egregii uſus eſt: contra quam & alios affectus Melancholicos *HARTMANNUS Prax. Chymiatr. cap.* 5. *ubi de Melancholia p.* 55. *§.* 2. commendat *eſſentiam croci* (quæ ſpiritus egregiè exhilarat, & anodyna eſt) *cum aqua vitis*, ex illa inciſa exſtillante, paratam: Verùm *LINDANUS in Colleg. ſuper citatum locum* præfert *eſſentiam croci*, factam *cum aqua betulæ*; cùm hæc ſit nobilior aqua vitis contra affectus & deliria Melancholica.

cholica. Omnes obstructiones viscerum, hepatis, lienis, & mesenterii, quæ sæpiùs sunt ignorantiæ asylum, curat, quia nitroso sale volatili suo vias aperit, & succos crassos abstergit. Liquor hic, præter dictas virtutes, est remedium contra incantationem, de quo vid. HELMONTIUS *citato loco*, ubi quædam habet de ligatione maritorum, curata per potum cerevisiæ, cui in præparatione fuerunt incocti tenelli Betulæ surculi conquassati & benè contusi: Et quod cerevisia hujusmodi, vel alius potus, prosit contra incantationes, non improbabile est. Curatam etiam stranguriam torminosam & cruentam per incantationem eadem cerevisia, videbitis *eodem loco*; qui multa continet lectu digna. Utendi modus est, ut bibatur per se matutino tempore. TILEMANNUS fermentatione parum depuratum ad curationem phthiseos sufficere ait. Aqua enim hæc ante germinationis tempus collecta saporem habet suavem acidulum, quasi terebinthinaceum, hinc facilè acescit. *Servatur* autem optimè *vasis & lagenis probè clausis*, imprimis *sulphuratis*, in cella frigida; vel addantur aquæ appropriatæ aromaticæ, & sic permitti potest, ut leni fermentatione, ad quam liquor hic musteus valdè proclivis est, in liquorem redigatur potulentum quasi vinosum; sic enim retinet gratum saporem, & sic per totum annum pro potu gratissimo potest asservari; vel etiam abstractione phlegmatis insipidi redigi potest in consistentiam *Rob* seu *Extracti*, quod vel cum spiritu proprio, aut cum aquis appropriatis, seu cum Malvatico juniperino solutum, propinari poterit. Certè multum in recessu habet succus iste. In Arthritide scorbutica & podagra Balneum ex eodem paratur, injecto insimul formicarum acervo, quod multum confert. Balneum unum pro una septimana sufficit: vid. HELMONTIUS *loco alleg.*

BISTORTA.

Bistortę Officinarum duę sunt *species*: *Major & Minor*; quæ nihilominus non differunt in forma. Dicitur autem *Bistorta à forma radicis*, quæ contorta & crispata apparet. Dicitur etiam *Colubrina* & *Serpentaria*, partim quia folia ex terra serpentia linguam viperinam repræsentare videntur, partim quia prodest contra viperarum, & aliorum venenatorum morsus; unde Germanis dicitur *Natter-Wurtzel*. MORISSONIUS ad *Lapatha* refert, quoniam habet semen triquetrum; sed ad Lapatha non pertinet. Affinis tormentillæ est, cui & rectè substituitur; saltem quod radix tormentillæ acrior & quasi magis aromatica sit, bistortæ verò radix mitior, sed magis adstrictoria.

In officinis usitata est *Radix* & *Fungus*.

Radix ejus plantis alexipharmacis, non secus ac tormentillæ, annumeratur, tùm imprimis conveniens, quando intensior sanguinis æstus simul erit conjunctus, quem temperant hujusmodi adstringentia, & mitigant. Insignem enim vim habet adstrictoriam, adeoque Decoctum hujus radicis ad quoscunque per quasvis corporis partes fluores & omnes hæmorrhagias, fausto cum successu adhibetur; quod sapor radicis austeriusculus, ex particulis terreis & fixis dependens, testatur; Unde Decoctum expertum in vomitu nimio quocunque, etiam sanguinis, item in morbis omnibus, ubi opus est adstrictione. Cumque in quibusdam morbis malignis symptoma periculosissimum sit hæmorrhagia narium, quæ non satis tutè sistitur medicamentis externis, tunc inter interna referenda radix bistortæ, quæ est alexipharmaca, & hæmorrhagiam narium, aliumque quemvis fluxum sanguinis nimium, compescit. Ultra hæc omnem sanguinem grumatum dissolvit in contusionibus & casu ab alto, ut ita hac ipsa duplici occurratur Indicationi, dum nimirum non solùm adstringit, sed & sudorem movet, omnemque sanguinem extravasatum & congrumatum dissolvit. Decoctum autem ejus rectiùs usurpatur, quàm aqua. In specie ad fluxus sanguinis uterinos nimios post partum, qui contingunt ex retentione particularum secundinæ, stimulantium ad excretionem, sicque sanguinis fluxum inducentium, permista cum debitis uterinis leniter expellentibus, mira facit pro expellenda secundina, & sistendo fluxu sanguinis. Quæ jam dixi de nimiis uteri hæmorrhagiis in casu retentæ particulæ secundinæ, debeo D. SYLVIO, cui talis aliquando casus contigit: & etiam fieri interdum potest, ut in partu difficili, vel inepta tractatione obstetricis, remaneat frustulum secundinæ, unde oritur hæmorrhagia, quæ non cessat, nisi expulsa particula relicta. In hoc casu certè res est periculosissima, & experta sequens D. *Sylvii potiuncula*.

℞. *Rad. bistortę* (quæ basis est) ℥ij.
Fol. major.
Puleg. an. M. j.
Coqu. in *aquę purę* & *Vini albiss.* q. s. In Colat. ℥xx dissolv.
Syr. Artemis. ℥ij.
Aquæ cinnam. ℥ß.

Misceantur, bis terve in die adhibeantur ℥ij vel iij una vice, & excreto frustulo secundinæ, cessabit fluxus.

Quòd si loco Decocti placeat adhibere pulverem, hæc ejus est compositio:

℞. *C.C. usti* ℈ij.
Rad. bistortæ,
Cinnam.
Croci,
Borrac. an. ʒß.

M. f. Pulvis pro duabus dosibus; qui imprimis cum aqua cinnamomi, vel Confectione Alchermes, vel conserva cicerum, &c. assumitur: Quin etiam succini ℈j in aqua convenienti haustus multum proderit. Casus est periculosus, utut rarus, & ab AMATO LUSITANO observatus.

Rectè etiam ab Autore nostro ad præcavendum abortum radix bistortæ laudatur, quatenus ejusdem Decoctum vitiosum acidum uteri corrigit, uterique fibras firmat, ut feliciùs retineatur fœtus.

BLITUM RUBRUM.

Blitum rubrum est vel *Majus* vel *Minus*. Ita dicitur à βλίτω, *fatuor*, quod parum vel nihil valeat: Germanis *Mayer*, quod vulgò in *Mayerhöffen* crescere observetur.

Planta est *Atriplici*, non secus ac Beta, perquam *cognata*, unde & *usu cum Atriplice convenit*: Refrigerat enim aliquali sua nitrositate, ac hypochondriorum æstus solatur. De cætero parum nutrimenti subministrat.

BOMBAX.

Bombax est Arbusculum, cujus tam *lanugo* seu *Gossypium*, quàm *semen*, in Officinis usitatum; est exotica, & propterea rari usus ejus Fructus.

Lanugo non adhibetur, nisi quod leviter combusta applicetur pro compescendo sanguinis fluxu ex vulneribus recentibus.

Semen, uti rectè dicit AUTOR noster, pulmonarium est expertum; admodum enim laudatur tussientibus, Asthmaticis, & ad phthisin declinantibus: temperat acrimoniam succorum pulmones rodentem, unde nonnunquam in *Trageis antiphthisicis*, & similibus à lympha acriore ortis affectibus, adhibetur. Sed rari est usus, quia longè meliora prostant & longè feliciùs usurpantur.

BORRAGO.

Borrago, Germanis *Borretsch*, planta est famosa satis: confunditur nonnunquam cum Buglossa; sed facilè possunt ab invicem distingui à perito Botanico. Reverà est *species Buglossę*; hinc rectè à BAUHINO *in Pinace* dividitur *Buglossa* in *latifoliam*, quę est nostra *Borrago*, & *angustifoliam*, quæ est ipsa *Buglossa*, & cum Borragine viribus conspirat. *Duplex* datur *Borrago*, vel *flore albo*, vel *cœruleo*. Crescit in locis cultis. Congener huic Borragini seu Buglossæ latifolię est *Borrago semper virens* seu *Hispanica*, *Euphrosynon* dicta. Veteres de Borragine nihil habent.

In usu sunt *Radix*, *Folia*, & *Flores*; & inter Cordialia referuntur.

Tota planta est temperatissima, & commendatur in affectibus Melancholicis, mœrore & tristitia absque causa manifesta. Ratio hujus est, quod mucilaginosum habeat succum, vi temperativa et alterativa præditum, quo succum Melancholicum acidum seu acidum hypochondriaco-Melancholicum alterare et corrigere valet: id quod inde quoque colligere est, quoniam Angli, utpote in Potionum artificio perquam curiosi, cerevisiam suam ope hujus borraginis à præmatura acescentia præservare solent. Probabiliter ergò in sanguine acriori Melancholico acidulo simile quid præstare poterit et conducet: levat nonnihil, radicitùs verò non curat.

Flores borraginis inter flores 4. cordiales referuntur, quales borraginis, buglossæ, tunicæ, et rosarum; quibus non immeritò adduntur flores calendulæ, quoniam sunt verè cordiales seu analeptici et alexipharmaci. Vino injici solent ad mentis hilaritatem excitandam, et saporis suavitatem conciliandam; quod et tota planta vulgò facere dicitur. Hi ipsi nempe in se succum habent mitem et temperatum, quod textura blandè alcalina acidum istud vitiosum, in viis primis quidem radicatum, et consequenter sanguinem inquinans, et ad Melancholiam disponens, temperant. Sed observetur, ut pro usu hoc in debita, nempe larga dosi usurpentur, quoniam aliàs effectus erit exilis.

Conserva ex floribus usurpatur in affectibus malignis et Melancholia, tàm simplici quàm hypochondriaca seu per consensum, ubi acidum melancholicum, vel bilis atra seu adusta viscidam reddit massam sanguineam; quia corrigit acidum, Spiritus coinquinatos mundificat et corroborat, atque hominem exhilarat: Sed opera danda, ut conserva hæc, uti et reliqua remedia, non adeò saccharata sint; cùm saccharum non benè ferant hypochondriaci et Melancholici. Adhibetur cum Confectione al-Chermes, gratissima est gustui, et retinet colorem cœruleum. Per accidens quoque movet menses mulierum suppressos tempore matutino in vino albo propinata; si addantur grana aliquot pulveris nucis moschatæ, erit eò certior et efficacior.

Fit

Fit quoque ex ſucco borraginis cautè depurato *ſyrupus*; & *Extractum* mucilaginoſum in Melancholia quacunque perquam uſitatum. *LINDANUS* ſyrupo huic addit crocum, quem vocat *ſyrupum Borraginis crocatum*, pro affectibus hypochondriacis & Melancholicis: nam & crocus per ſe in Melancholia & triſtitia multum præſtat; ſicut & *PARACELSO* remedium Melancholiæ fuit.

Aliàs proſtat in Officinis *aqua cinnamomi borraginata*, ex ſucco ejuſdem cum addito cinnamomo parata, & in affectibus itidem Melancholicis, & cordis palpitatione perutilis eſt; non minus ac *aqua deſtillata cinnamomi cum ſucco cydoniorum* ſingulare eſt in affectibus ſtomachi & inteſtinorum.

FABER in Myrotbec. Spagyr. l. 5. c. 6. Spiritum habet *Borraginis*, ex contuſa planta per fermentationem paratum.

BOTRYS.

Botrys habetur *duplex: Ambroſioides Officinalis Vulgaris*, & *Mexicana* ſeu *fruticoſa Americana*, quæ præ cæteris ſingularem ſpirat odorem. Botrys Græcis dicitur, quod racematim flores, tanquam baccæ uvarum ſibi adhærentes, ſoleant obſervari; unde & Germanis vocatur *Trauben-Kraut.*

Poſterior non eſt *in uſu*; *ſed prior* tantùm, nimirum vulgaris, ab *AUTORE* quidem neglecta, non tamen reticenda. In affectibus enim pectoralibus mirificè commendatur, in quibus & nulli cedit: unde imprimis in tuſſi & aſthmate humido inſigniter convenit. Decoquatur ſcil. in vino, & decoctum mane & veſperi hauriatur; ſic infarctum & mucum pectoris reſerat, valdopere expectorat, & optimum remedium eſt in aſthmate, in ſpecie Orthopnœia. Melius fit, ſi edulcoretur ſufficienti quantitate mellis, vel decoquatur in hydromelite, vel contuſa fermentetur cum melle in aqua ſoluto, ſicque egregium fit remedium iis, qui laborant affectibus pectoris, chronicis imprimis, aſperæ arteriæ, orthopnœia, &c. Præter pectoralem virtutem experta eſt in inflatione hypochondriorum infantum, German. *in dem Hertz-Geſpann der kinder*, in qua ſuccus cum pulte permixtus, aut etiam folia contuſa, inque cataplaſmatis formam redacta, ac externè hypochondriis calidè applicata, proſunt. Poteſt incoqui oleo communi, & umbilico inungi; ſic enim flatus diſcutit, & tormina ſiſtit: Conf. *App. SCHROEDERI noſtri p. 4.*

Habetur & *aqua botryos* deſtillata, quæ infantibus cum pulte miſcetur, & tanquam ſingulare ac expertum remedium in inflatione hypochondriorum infantum pro flatibus diſcutiendis uſurpari ſolet: Vid. *KESLERUS in Proceſſibus Chymicis Centur. 2. Proceſſu 72.* ſed parum valet.

Syrupus de Botryde in aſthmate, & infantibus contra cardiacam ſeu inflationem præcordiorum prodeſt.

Sunt qui Botrydem hanc ipſi marrubio, præprimis in affectibus pectoris, æquiparant; unde deficiente ſyrupo de botryde, decoctum ejus cum paulo melle, vel ſyrupum de marrubio, in hunc uſum ſubſtituunt. Plura quæ deſiderat, poteſt videre *FORESTUM l. 16. Obſervat. 4. in Scholio, & TABERNÆMONTANUM p. 48. & 49.*

BRANCA URSINA.

Branca Urſina vocatur etiam *Acanthus Germanica*, ad differentiam *Acanthi* ſeu *Brancæ Italicæ*; item *Spondylium Græcorum*, Germanis *Baren-Klauen, Barwurtz.* Eſt flore albo. Datur præterea in hortis *Spondylium flore luteo. Acanthus Italica, lævis & ſpinoſa*, Germ. *Italianiſche Baren-Klau*, eſt exotica, nec in Officinis proſtat. Malè refertur ad carduos, quia non pappeſcit.

Vulgaris recepta eſt in Officinis, creſcit in locis multis, & eminet inter 5. *plantas emollientes* famoſas, ut ſunt malva, althæa, violaria, Mercurialis, Acanthus noſtra ſeu Branca urſina.

Quoad *Uſum* Medicum, reſolvendo & blandè laxando operatur, & ordinariò clyſmata & cataplaſmata, & ſimilia emollientia & demulcentia, unà cum malva vel althæa, ingreditur; item à Chirurgis inter Cataplaſmata ſuppurantia pro apoſtematis, utpote temperata, recipitur. Aliàs uſus ejuſdem nullus eſt. Poteſt etiam adhiberi in fomentis ſeu decoctis emollientibus contra obſtructiones in balneis nephriticis & uterinis, in calculo & partu difficili, pro emolliendis & laxandis viis.

In Boruſſa è decocto hujus plantæ fermentato parant *Potum medicamentoſum*, quem vulgò Germ. *Bartſch*, vocant, pro ſcopo diuretico & antiſcorbutico egregium. De modo parandi vid. *KERGERUS de Fermentat. p. 182.*

BRASSICA.

Braſſicæ ſeu caulis cùm ſint variæ ſpecies, Viridis uſitata eſt non capitata.

Utraque, præſertim Viridis, in receſſu habet ſal volatile nitroſum, ſed admodum temperatum, unde poſt ejus uſum, copioſum urinæ fluxum ſequi conſtat. Imprimis vulnerarium eſt egregium, inteſtina abſtergit, & relaxat alvum. In ſpecie uſurpatur in faucium, & aſperæ arteriæ aſperitate, aliiſque affectibus, raucedine [illegible] & defectu vocis à nimia loquela ſimilibuſque malis ab aſpera arteria oriundis, ubi ſuccus caulium & foliorum expreſſus mirè commendatur, mixtus cum melle, ut rob fiat: Decoctum cum paſſulis hauſtum, concionatoribus in uſu eſt. *CODRONCHIUS*, qui *de aſperæ arteriæ affectibus & vitiis vocis* ſcripſit, habet duas formulas expertiſſimas contra raucedinem, quas in *SENNERTI PRAXI* videmus conſignatas; primam *l. 2. P. 3. cap. 4. p. 461.* in fine; ſecundam *c. l. pag. 359.* Formulæ ſunt hæ:

℞. Succi Braſſ. depur. ℥ij.
Sacch. Penid. ℥j.
Oxymel. ſimpl. q. ſ.
M. f. *Electuarium*, in lympha craſſa & viſcida lambendum.

℞. *Hord. opt. excortic.*
Paſſular. major. ſine nucl. an. ℥j.
Radic. liquirit. mund. & raſæ ʒij.
Caricar. pinguium No. vj.
Capillor. Veneris,
Hyſſopi an. M. ß.
Sem. braſſicæ ʒij.
Pinear. recent. ℥ß.
Coqu. in ſ. q. *aquæ fontanæ*: Colaturæ unicuique libræ addantur
Mellis deſpum. ℥j.
Sacch. Candi ℥ß. *M.*

Doſis ℥vj. Vid. *CODRONCHIUS de Vitiis vocis p. 143. & 144.* Et quidem imprimis poſterior egregiè prodeſt in raucedine ex nimia loquela, & aſperæ arteriæ irrigatione concionatoribus & cantoribus, ſi de illa ℥vj. ſumantur ante ſomnum tempore decubitus, & tempore matutino, ſorbendo paulatim; ſi adſit imprimis tenſio, & inflammationis vis: Altera convenit, ſi aſpera arteria ſit obſeſſa à pituita viſcida; hanc enim abſtergit & incidit, vocemque reſtituit. Diſtinguendæ tamen cauſæ antecedentes, aliàs nunquam curabitur hiſce æger.

Adhæc propter ſal volatile refrigerare, indeque inflammationes ſiſtere, & vulnerum ſymptomatis optimè mederi ſolent. Unde folia braſſicæ ſeu caulis puerperæ ſolent mammis imponere ad præcavendum lactis abundantiam & coagulationem, dum acidum ſucceſſivè abſorbent; item abſceſſibus mammarum ceu evporiſton imponuntur ad inflammationem præcavendam, & ulceris conſolidationem promovendam. A ruſticis pro mundificandis & conſolidandis vulneribus & ulceribus adhibentur, dum vel inſtillant ſuccum, vel folia contuſa applicant vulneribus & ulceribus. Sic notum eſt, quod folium braſſicæ ſeu caulis recens expertum ſit ad veſicas in fluxu conſervandas; ſæpiùs enim fit, ut excitentur veſicæ in affectibus capitis catarrhalibus in nucha vel poſt aures: ut ergo hæ maneant apertæ, contuſa & calefacta probè ad prunas ſuper veſicam imponuntur, & maximam phlegmatis copiam extrahunt, æſtum & dolorem mitigant, veſicaſque diu apertas ſervant: Commendantur à *LINDANO in Colleg. ſuper Hartmanni Praxin*: ſingulis bihoriis renoventur. Secretum artis eſt, ſingulis horis vel bihoriis impoſitionem repetere, & tàm calida folia applicare, quàm æger ferre poteſt; non ſecus atque fonticulis, qui minus juſto fluere ſolent, commodè imponi poſſunt pro conſervando eorundem fluxu, & præſervanda conſolidatione. Non minus & in pleuritide ita adhibentur, tàm pro abſceſſibus reſolvendis, quàm ſuppurandis: Quin & *Unguentum antipleuriticum* paratur ex *radice caulis*, cum *caryophyllis* & *melle* miſta. Modum hunc utendi in pleuritide præſcribit *BARTHOLETUS l. 5. cap. 3. de difficili Reſpiratione*, & cujus folius beneficio plures Pleuriticos, ſæpe ſine venæ ſectione, ſe reſtituiſſe teſtatur:

℞. *Caulium radic. menſe Mart.* q. ſ.
Eluuntur, in umbra ſiccantur, & pulveriſantur:
Porrò
℞. *Pulver. hujus* ℥iv.
Cumini ℥ß.
Caryoph. ʒij.
Mellis comm. q. ſ. pro Emplaſtro ſeu Cataplaſmate.

Quo applicato, breviſſimo tempore rumpitur Apoſtema; & ſunt, qui recondunt, & pro maximo ſecreto habent.

Alii breviter hoc modo conficiunt:

℞. *Pingued. porcinæ recent.*
Succi caul. an. ℥ij.
Semin. cumini ʒiij.
Miſcent lege artis, & applicant loco affecto inſtar unguenti, quod habet *GABELCHOVERUS Centur. 4. Curat. 68. in Annotatione.*

Echium. BUGLOSSA. uel Lingua bouina.

BUglossa Officinarum est *Borrago Angustifolia major*: ita dicitur à foliis, quæ partim figurâ, partim scabritie, linguam bubulam repræsentant.

Buglossa angustifolia minor vocatur *Buglossa sylvestris*, Germ. *Wilde Ochsen-Zungen*, quæ est Ecchium vulgare, planta hispida, nullibi non obvia & cognita, maleque ad Buglossas refertur.

Ejusdem aliàs naturæ, effectus & usus Buglossa est cum Borragine superiùs citata, & pomis Borsdorffianis; & uno horum præscripto præscribi solet & alterum, quosque affectus curant Borrago & Poma Borsdorffiana, illos quoque curat Buglossa. *Folia* enim eius, & *flores* rubri, expansione verò cœrulei, æquè ac borraginis in affectibus Melancholicis vi sua alterativa, item analeptica, conducunt. Hi ipsi nempe in se habent succum mitem & temperatum, qui texturâ alcalina temperat acidum istud vitiosum, in primis viis quidem radicatum, & consequenter sanguinem inquinans, & ad Melancholiam disponens: in quem finem nonnulli *Conservam* horum *florum* ad atram seu adustam bilem corrigendam, spiritus coinquinatos mundificandos, corroborandos, hominem exhilarandum, &c. commendant. *Plura videantur suprà in Borragine.*

Aqua foliorum vel *florum buglossæ* in affectibus oculorum, suffusionibus v. g. & aliis, maximi usus est.

Arbitror & inde *Liquorem* ophthalmicum *per deliquium* parari posse, liquori florum cyani aut alii cuidam non absimilem, nec inferiorem.

BURSA PASTORIS.

BUrsa Pastoris, Germ. *das Sackel- oder Taschel-Kraut*, ita dicta est *à figura seminum*, quæ pastoris bursam repræsentant. Refertur ad *Thlaspia*. *Flores* habet *albos*. *Differentia* ejus *duplex* est: *Major* & *Minor*.

In usu maximè est *Bursa Pastoris major foliis sinuatis*.

Quod attinet usum *internum*: ratione succi sui glutino si acido volatili blandè coagulativi & anodynis maximè adstringit & constipat, indeque imprimis contra quasvis hæmorrhagias, dysenteriam, diarrhœam quamcunque, vel quoscunque humorum fluxus, usitata est, in vino rubro cocta, vel succus expressus, vel planta pulverisata calidè ita epota: in mictione cruenta specificum est; habet enim vim vulnerariam, adeoque medetur apertioni vasorum in renibus, eorumque & vesicæ vulneribus & exulcerationibus; sicut succus quoque hæmoptysin & menses nimios sistit; unde quibusdam German. *Blut-Kraut*, seu *sanguinaria* audit. In Gonorrhœa ℥j succi, vel Decocti herbæ ℥ij. cum gr. iij. vel jv. caphoræ, maximè epota confert.

Externè in usu est vi suâ adstrictoria contra quasvis hæmorrhagias, imprimis planta hæc contusa, & naribus indita, vel in nucha, vel sub axillis utrisque applicata, vel in ea manu detenta, ex quo latere nares sanguinem plorant, narium hæmorrhagias sistit: Vide SCHMUCK *in Curat. Magico-Magn. pag.* 15. ubi dicit, quod solùm in manu detenta quemcunque humorem in quocunque fluxu & loco sistat: sicut eadem in cataplasmatis formam redacta regioni pubis contra nimium mensium fluxum, & vulneribus recentibus pro sistendo sanguine cum successu apponitur, vel pulverisata iis inspergitur, vel succo eluuntur. Cum aceto contusa & imposita tumores calidos sedat, ac abdomini imposita, etiam dysenteriæ confert. Item cum aceto adhibetur à mulierculis carpis manuum pro febribus intermittentibus imminente paroxysmo, vel sola, vel cum plantagine acuta contusa, ac tantillo croci & camphoræ in cataplasmatis formam redacta. Tota planta à quibusdam in ictero commendatur, calceis indita, & nudis pedibus gestata. Decoctum in gulæ affectibus purulentis pro gargarismate inservit.

Succum quidam expressum naribus attrahunt, aut linteo vel bombace exceptum intrudunt; cùm potiùs turundæ naribus commodè applicari possint. Auribus purulentis inditus sanat eas. Cum aceto & sempervivo domestico mixtus inflammationes quascunque, podagram calidam, tumorem inflammatorium pudendorum & erysipelata sedat.

Aqua nullius est usus; ineptum enim, ex Adstringentibus velle componere aquam. Quod semel pro semper dictum volo, quoniam vis adstrictoria non adscendit super alembicum; estque id, quod destillatur, nudum phlegma.

BUXUS seu BUXUM.

BUxus viret perpetuò, cujus *Lignum* potissimum in usu est, & singularia in recessu habet; continet enim in se sulphur narcoticum, unde vim habet anodynam & narcoticam. In aqua decoctum potentissimè sudorem ciet, & corpus exsiccat, & in affectibus cutaneis sordidis multum commodi affert: quo ipso & non cedit, imò meritò præfertur ligno guajaci, partim ob insignem hanc vim hydroticam, partim ob virtutem, qua pollet in lue Venerea curanda, teste jam olim AMATO LUSITANO *C.* 2. *Curat.* 95., *Cent.* 6. *Curat.* 8. & 67. Nam non semper opus, ut lignis utamur exoticis, quoniam nostra etiam terra profert talia, quæ illis succedanea sunt. Possunt itaque optimè in curatione luis Venereæ loco ligni guajaci assumi lignum buxi; loco ligni sassafras juniperinum; loco radicis chinæ & sarsaparillæ radices barbanæ & caryophyllatæ. Sed simul hanc habet prærogativam lignum buxi præ guajaco, quod singularem vim anodynam possideat; propter quam vim narcoticam & anodynam multi laudant *dentiscalpia*, Germ. *die Zahnstecher*, ex illo facta.

Oleum ejus per descensum destillatum in odontalgia, & quibuscunque partium doloribus sopiendis, egregiè convenit; in specie autem odontalgiæ & epilepsiæ dicatum est. Habetur à QUERCETANO & aliis pro *oleo Heraclino* genuino *Rulandi*; sed falsò: conficitur enim ex corylo, de quo suo loco: Commodè tamen *oleum buxi oleo Heraclino Rulandi substitui potest.*

Spiritus internè assumptus non paucis commendatur contra epilepsiam, egregium est sudoriferum, & sanguinem purificans.

Decoctum foliorum & ramorum buxi in lixivio acri crines tingit colore ruffo.

C

CALAMUS AROMATICUS INDUS.

CAlamus *Aromaticus Indus* cùm sit planta exotica ex India Orientali, rara est avis in nostris regionibus, & nunquam apud nos habetur genuinus, sed apud Mercatores Belgas interdum invenitur. Genuinus *Calamus Aromaticus* est *species Gladioli*, sapor ejus est acris & amarus, penetrans, & insigniter incidens. Prodest in morbis, ubi peccat acidum; in scorbuto, cujus sal volatile acre & acidum coercet. Si apud nos invenitur, aut est adulteratus, aut vetustate corruptus, adeoque ut sal volatile acre avolarit, & tunc penè nullius est usus. Legitima est vis stomachum roborandi & uterum, flatus potenter pellit & discutit, & ardor, qui lingua percipitur, virtutem cruditates stomachi corrigendi & expellendi monstrat. Præterea suffocationi uterinæ magno est emolumento: hinc instantes menses ciet, & lochia atque secundinas pellit.

Cæterum, cùm apud nos, ut dixi, non genuina, atque ideò rara, & præterea adulterata & vetustate sit corrupta, idcircò loco hujus nos Acorum Majorem seu verum substituimus, qui vocatur *Calamus Aromaticus Officinarum*, & annumeratur omnibus tàm stomachicis quàm carminativis, ut suo loco suprà dictum.

Aqua destillata est stomachica.

Oleum destillatum egregium est anticolicum & carminativum.

Plura qui desiderat de *Calamo Aromatico*, potest videre *rerum Indicarum scriptorem*, GARCIAM *ab* HORTO, & qui in hunc commentatus est, BONTIUM *in Tract. de Medic. Indorum*, et, qui instar omnium est, BAUHINUM *in T.* 1. qui omnia ex jisdem in ordinem fideliter redegit.

CALAMINTHA.

CAlamintha *Montana Officinarum* planta est satis cognita, cùm in omnibus reperiatur agris, & odore se prodat. *Mentha* est *simplex*, & *Calamintha elegantior* aliis speciebus, ubi verticillatim congesti sunt flores. Dicitur quasi καλὰ μίνθη seu *optima mentha*, Germanis *die Berg Müntze*. Est vel *Montana vera Odorifera*, vel *Agrestis* seu *Arvensis*, *Pulegium agreste* aliàs dicta. Ratione *odoris* monstrat, impregnatam esse copioso sale volatili aromatico seu oleoso, quod confirmat effectus & producta.

Dum dicit AUTOR noster, quod *sit partium tenuium*, Chymici ita exprimunt: habet in se sal volatile acerrimum & penetrans. Quoad effectus, est carminans quoddam ex primariis, cùm egregiè flatus quoscunque discutiat; stomachica est, & uterina imprimis: omnia menthæ genera in affectibus stomachi corrigendis commendantur; quascunque enim cruditates, imprimis acidas, tollunt, atque morbos inde oriundos curant, v. g. anorexiam, apepsiam, &c. *Mentha Vulgaris* contra choleram (est morbus, ubi per superiora & inferiora excrementa biliosa ejiciuntur, cui sæpè subest malignitas) quod tamen magis Calamintha facit. Hinc est uterina, quæ vis se exserit in expellendis mensibus et fœtu: Menses adeò potenter ciere dicitur, ut etiam in gravidis proliciat, et fœtus interitum procuret; quæ enim menses movere debent, necessariò sint partium acrium et tenuium, ut cachexiam corrigant sanguinem crassum incidendo, menstruam fermentationem sanguinis adjuvent, et ad excretionem disponant. Dum dico, menses ciet, simul intelligenda sunt lochia et secundinæ. Est quoque egregium et moderatè diureticum, quoniam urinam pellit, ulcera renum abstergit, et mictionem cruentam sanat. In Asthmate et Orthopnœia non-vulgaris est usus, si decoquatur cum oxymelite, sive asthma et Orthopnœia sit ex vitio stomachi, seu ulcere pulmonum. Utroque in loco pituitam crassam et viscidam incidit et mobilem facit, ut feliciùs per superiora vel inferiora excerni queat. Dum expellit, etiam præscribi solet in ictero quocunque cum aliis specificis.

Externe discutit, attenuat et resolvit tumores duros, et coagulationes humorum, quæ oriuntur à peccante acido: Ergò talia applicantur medicamenta, quæ morbosum illud acidum absumunt et absor-

abſorbent. Præſcribi aliàs ſolet vel in balneo, vel fomentis, ubi ſacculus applicatur vel abdomini, vel regioni pubis: abdomini in affectibus inteſtinorum flatulentis, & fluxu cruento ſeu dyſenteria; Regioni pubis in ciendis menſtruis, ſiſtendis doloribus mulierum poſt partum (*in den Nachwehen*) in inflatione uteri, quæ contingit, quando poſt partum aeri frigido, quod ſæpè fit, ſeſe exponunt. Etiam capiti applicata convenit vertiginoſis, veternoſis, & ſtupidis, qui laborant vitio cerebri à lymphæ copia, quam diſcutit & expellit.

Quoad *Præparata*, in Officinis proſtant plurima.

Aqua deſtillata ex uſu eſt in iis malis, ubi Calamintha. Obſervetur autem, quod debeat colligi in Junio & Julio, quando adhuc madet rore matutino, & ſic deſtillari; ros enim inſervit loco menſtrui, vires extrahit & volatiliſat, & ſic fit aqua egregia.

Sal communi modo paratur.

Omnes *dia-Calaminthæ ſpecies* ſunt egregiæ ſtomachicæ & carminativæ.

Plura audietis *ſuo loco, ubi de Mentha*.

CALCATRIPPA.

Multa Calcatrippæ ſunt genera: Eſt enim vel ſylveſtris, vel Arvenſis, vel ſativa, flore ſimplici & pleno, variegato, item albo, rubro, & mixto. Ita dicitur, quod flos ejus cucullatus calcar quaſi repræſentet, unde & Germanis *Ritterſporn*. Dicitur etiam Conſolida Regalis, item Flos Regius.

Uſitata eſt vulgata colore cœruleo flore ſimplici, Herba & Flores, imprimis tamen Flores.

Coincidit flos ejus ferè cum uſu florum cæruleorum cyani, unde & in formulis ſimul præſcribi ſolent. Herba & flores inſerviunt præprimis uſui adſtrictorio, & ſimul ſunt vulnerariæ: idque dicunt monſtrare ſignaturam per calcar vel ſtimulum, & prodeſſe in vulneribus ex punctura provenientibus; quod linquamus Crollio & ſequacibus: ſufficit nobis, quod experta ſit ejus vis in vulneribus. Vis aliàs ejus eſt diuretica, unde ex floribus calcatrippæ, utut inſipidi ſint, & cyani fiunt egregia medicamenta, quæ cient urinam: Etiam cum cyano conjunctim in uſu interno præſcribere ſolemus, & ſic ratione hujus ſolent miſceri in hydrope medicamentis, aquas per urinam expellentibus. Cum floribus cyani in vino probè macerati vel decocti pro potu inſerviunt parturientibus in promovendo partu, & in partus vitiis, quod fuit *ſecretum Agricolæ*, qui dedit Decoctum florum calcatrippæ cum floribus cyani, pro facilitando partu difficili, uti *infra ſuo loco dicam, ubi de Cyano*.

Externo uſu applicatur fotus ex Decocto florum calcatrippę in oculorum affectibus; quod etiam impoſitum regioni pubis convenit in urina retenta; item cum cepis ſub forma cataplaſmatis contra retentionem urinæ.

Quoad *Præparata*, primo loco ſe offert *Aqua Calcatrippæ*, quæ ſingulare eſt ophthalmicum. Obſervetur autem ex RHUMELIO, quod *colligenda ſit circa Feſtum S. Johannis Baptiſtæ*, quādo Luna verſatur in tauro, vel alio ſigno terreo; tunc demum enim aqua deſtillata eſt ſpecifica ad oculorum quæcunque vitia, ad ophthalmitas tàm ſiccas, quàm humidas: Hinc aqua hæc inſervit pro vehiculo liquorum ophthalmicorum, ſi iis miſceatur. D. AGRICOLA aquam deſtillavit ex floribus calcatrippæ & floribus cyani per multiplicem cohobationem à novis floribus, quæ in ophthalamia, rubedine ac ardore, aliiſque affectibus oculorum à lympha nimis acri & ſalſa, item ſuffuſionibus incipientibus, maximè commendatur.

Poſſunt etiam redigi flores calcatrippæ in *oleum per deliquium*, ad eum modum, quem tradunt Autores circa flores cichorii & cyani cęrulei, de quo SENNERTUS *in Praxi l. 1. P. 3. Sect. 2. cap. 12. pag. 786.* Oleum taliter ex calcatrippæ floribus paratum, ophthalmicum eſt ſingulare, & non tantùm in ophthalmiis, aliiſque affectibus oculorum calidis, ſed etiam in ſuffuſionibus & cataractis eſt egregium remedium.

Porrò *Conſerva florum* recentium *calcatrippæ* in temperando acido ventriculi, ejuſdemque ardore extinguendo; ſicut & cum ſpiritu ſalis acidulata contra retentionem urinæ laudatur.

Tinctura paratur cum ſpiritu Vitrioli.

CALTHA. vel Calendula

Caltha ita dicitur *à figura floris Calathinæ*, quod calathum quaſi repræſentet; *Calendula* verò ob diuturnitatem floris; *ſingulis enim quaſi calendis novos quaſi flores producit*. *Differentiæ* ejus ſunt variæ: Datur enim vel *flore luteo, ſimplici & pleno*; vel *flore meliloti, ſimplici* & *pleno*, vel *flore humili* ac *minimo*; vel *flore variegato*; datur etiam præter hanc *Caltha Paluſtris*: Quarum tamen prima tantùm, nimirum *lutea vulgaris*, *in uſu eſt*, & Medico & Mechanico, & vocatur *Calendula* ſeu *Chryſanthemon*, German. *die Ringel-Blume oder Dotter-Blume*; cujus flos apud Veteres Autores non legitur in uſu fuiſſe.

Quoad *Uſum Medicum*, à modernis refertur inter *flores Cordiales*, quorum vulgò 4. recenſentur, nimirum flores borraginis, bugloſſæ, tunicæ, ac violarum, *quibus* hunc ceu *quintum addunt*, quatenus vi alexipharmaca & ſudorifera polleant. Vi reſolvendi & penetrandi prædita eſt, & noſtratibus mulieribus in uſu ad affectus menſtruoſos, menſeſquè ſuppreſſos ſtimulandos, præprimis Decoctum ejus in vino cum floribus anthos: id quod probabile reddere videtur odor aromaticus ferè croceus: Cùm verò crocus, uti notum eſt, potenter movere & ſtimulare ſoleat menſes, hinc per analogiam quandam ad eum accedens, eidem quoque uſui inſervire poteſt. Aliam ſuggerit rationem RIVERIUS *in Obſervat. 30. à Pachequo communicata*, quod ſcilicet flos hujus calendulæ ideò ſtimulandis menſibus ſit dicatus, quoniam odorem ſanguinis menſtrui benè valentis de ſe ſpargat; quam conjecturam confirmare videtur experientia PETRÆI, dum ſcribit: partum promovere, & fœtum atque ſecundinam, & menſes potenter expellere, ſive dentur in forma decocti, ſive ſub forma conſervæ. An verò ratio iſta locum habeat, ſpeciali experientiæ committendum, quam inſtituere cuivis ſatis erit integrum. Inter reliquos uſus commendantur calendulæ flores ad icterum flavum, cujus gerunt ſignaturam, ſi ex floribus exprimatur ſuccus, & recipiatur ſucci expreſſi ℥j. jejuno ſtomacho cum ʒj pulveris lumbricorum terreſtrium, qui ſingulare ſunt ſpecificum in quocunque ictero: Quod ſi reſolvantur lumbrici in ſpiritum urinoſum, eſt medicamentum eò penetrantius. Commendantur etiam in morbis malignis; hinc rectè dicit QUERCETANUS: *Mirari hîc ſubit, quod tanta calendulæ ſit præſtantia, ut media hyeme vireſcat reliquis emorientibus; quare hoc egregii uſus eſt indicio, & prodidit ſeſe hujus nobilitas in roborandis facultatibus, & animali & vitali*. Extenditur quoque ejus uſus ad partes nerveas, & ad paralyſin cum primula veris convenit. Jam notum, quod *primula veris* propter vim antiparalyticam vocitetur *Herba paralyſeos*, & huic æquales judicat QUERCETANUS flores calendulæ & calcatrippæ, quæ elegantioris coloris.

Externè ſuccus florum recentium extirpat verrucas, illinendo ſcilicet illum tamdiu, donec marceſcant.

Uſum Mechanicum quod concernit, ruſticæ mulieres florem hujus plantæ cum butyro recenti conquaſſant, ſicque eadem tingunt butyrum, unde ſapore haud ingrato acquirunt Butyrum.

Quoad *Præparata Officinalia*, proſtat aqua & *ſyrupus florum calendulę*, qui à QUERCETANO in febribus acutis petechialibus, aliiſque morbis malignis commendantur. Syrupus habetur deſcriptus in HORSTII *diſpenſat. Tom. 2. l. 1. pag. 8.* Fit ex *ſucco* horum florum cum ſufficienti quantitate *ſacchari*; ſicuti *ſuccus calendulę* in febribus peſtilentialibus à quibuſdam bono cum ſucceſſu uſurpatus fuit. Conf. M. A. N. C. *Ann. 4. Append. pag. 35.*

Acetum Calendulatum in præcavenda peſte laudatur, cùm acetum vires alexipharmacas hauriat ex floribus calendulæ; utut cętero quin omnia acida præcaveant à peſte.

His ratione ordinis Alphabetici inſeritur

CAMPANULA.

Latè diffuſa eſt planta *Campanula*: Dividuntur enim *Campanulę* in *lęves*, quæ *Rapunculi* dicuntur; & *ſpinoſas* ſeu *hirſutas*, & dicuntur *Cervicarię*, quod veteribus in colli malo fuerint laudatæ. Inter *lęves* hac vice vobis demonſtratur

1. *Rapunculus vulgaris tenuifolius.*
2. *Rapunculus Perſici flore.*
3. *Rapunculus Hortenſis folio latiori*, ſeu *Campanula pyramidalis* propter copiam florum ſpicatim congeſtorum.
4. *Rapuntium ſpicatum peregrinum flore coccineo*, ſeu in ſpecie *Flos Cardinalis*.

Ex *hirſutis Campanulis* præſto tantùm eſt *Cervicaria Minor* ſeu *Trachelium urticæ folio anguſtifolium*, vobis jam demonſtrandum.

Ex omnibus illis Rapunculis nullus in Officinas receptus, quin potiùs *Rapunculus eſculentus* culinis tantùm innotuit.

CANNABIS.

Cannabis, German. *der Hanff*; creſcit vulgari uſu ex ſatione in agris.

Semen imprimis in uſu eſt, rariùs herba.

Plantę autem, & ſpeciatim *feminis*, *vis* conſiſtit in principio ſulphureo, ſed immaturo atque crudo; unde vim habet aliqualem opiatam & narcoticam aut ſtupefactivam, ſeu, ut Autor noſter dicit, caput vaporibus repletivam, atque ad deliria & dementiam pronos facit homines; hinc rari eſt uſus interni. Nihilominus ex eo admodum commendantur emulſiones contra gonorrhœas, ex acrimonia genituræ natas, tàm temperando & orgaſmos reprimendo, quàm vi narcotica ſtimulationem ſiſtendo, præmiſſis imprimis univerſalibus. Formula poteſt eſſe talis:

℞. *Sem. cannab.* ℥j.
4. frigidor. major. an. ℥j.
c. ſ. m. *aquę menthę* & *aquæ flor. cyani* vel potiùs *aquæ calcatrippę*
f. Emulſio, cui expreſſ. addend.
Succini præpar.

Off.

Oſſ. ſepiæ (quod ſpecificum eſt in Gonorrhœa) an. ℥j.

Mixta edulcorentur cum *ſyr. de nymphæa* q. ſ.

Rariùs ingrediuntur quidem ſyrupi emulſiones, quoniam illas reddant vel nigras vel rubras: ſed cum ſyrupus nymphææ ſit albus, nihil impedit, quò minus poſſit aſſumi.

Eadem *emulſio* poteſt etiam propinari mulieribus in furore uterino. Præterea in ictero ſingulare quid obtinet, ſive exhibeatur infuſio, ſive emulſionis forma cum aqua appropriata, ſive coquatur in lacte bubulo; quod experimentum eſt *SYLVII*, cujus vid. *Praxis ubi de ictero*. Referunt quidam, ſemen præter narcoſin inſultus epilepticos producere, quod tamen vix credo.

Vulgaris eſt traditio, quod herba cannabis ſoleat imminuere virilitatem, & infringere Venerem; cui tamen contraria eſt experientia, quam habet *OLEARIUS in Itiner. Perſico*, & *MOEBIUS in Inſtitut. pag. 664.* ubi refertur, quod Perſæ teneriora folia cannabis cum melle ſubigant, exque iis *Bange* ſeu *Bengi* parent, & utantur crebrò ad Venerem ſuſcitandam, eò quod ſpiritus debeant contineri, ut diutiùs maneat voluptas.

Externè Emulſio ſeminis pro conciliando ſomno imponitur capiti, ſed malè, quia nimium ſtupefacit. In laxitate uvulæ decoquitur parum ſeminis cannabis in poſca vel aqua cum aceto miſta, quod colatum adhibetur pro gargariſmate; atque nunquam ferè fallere, inquit *SACHSIUS in Ampelogr. p. 446. Oleum per expreſſionem* regioni renum inunctum, Gonorrhœæ medetur.

CAPPARIS.

Capparum flores conditi, vel ſale vel aceto; & imprimis *Cortex*, in uſu ſunt.

Totus autem *Frutex* nitroſus, & ſaporis amaricantis eſt, qui in muris antiquis, & ædificiis prælapſis, creſcere dicitur. *Flores* ergò & *Cortex* nitroſi ſunt, indeque abſtergentes, & diuretici, & vulgò referuntur inter Aperientia & Reſolventia; unde in morbis chronicis ad unum omnibus conveniunt; corrigunt enim ſuccos in primis viis, & per urinam expellunt: propter nitrum laxant alvum, in ſpecie cremor capparum ſalitorum ad ℥vj. aſſumptus: Notum eſt, quod propriè ſpleni & hepati dicati ſint. Ratio operationis Veteribus fuit ignota; nam dixerunt: Adſtringunt, & ſaporis ſunt amari & adſtringentis; quare hac ratione oriretur potiùs mali auctio: Ad hæc plurimi affectus pancreas potiùs agnoſcunt pro ſubjecto, quàm lienem, de quo tamen apud Veteres alium ſilentium, uti notum. De cætero tonum ventriculi dejiciunt, eumque lædunt, ut præter alios rectè obſervat *HOFFMANUS in clave Pharmacevt. Schrœder. pag. 428.* Unde etiam florum ſeu fructuum uſus magis eſculentus, quàm medicamentoſus exiſtit. In *uſu Medico cortex radicis* imprimis eſt, & in affectibus hepatis & pancreatis, ſpeciatim lienis, ubi adſunt obſtructiones, inflammationes, inflationes, ſcirrhi & tumores, aliiſque morbis hypochondriorum chronicis, admodum laudatur, in infuſis & decoctis. Operandi autem ratio eſt hæc: Cortex radicis Capparis eſt ſubamarus, adſtringens & auſterus, & hujus ratione abſorbet acidum, quod in viis primis ſtagnat, & ex pancreate ejaculatur. Dum ergò abſumitur cauſa obſtructionis, fit ut ſublato acido tollantur effectus, ſcirrhi, &c. Nam omnes ſcirrhi ſequuntur vel fiunt ab acido, coagulante vel ſanguinem, vel ſuccum chyloſum; & niſi cautè tractentur, abeunt in cancrum, quando nimirum leviſſima accedit phlogoſis & efferveſcentia. In talibus ergò ſcirrhis uſurpanda remedia, quæ abſorbent acidum coagulatorem, ut tollatur coagulatio. Proſtat exemplum in Bartholino menſium obſtructorum, curatorum per uſum gallarum, quæ adſtringunt: rationem autem hujus rei præſtat *TACHENIUS in Hippocr. Chymico*, quoniam nimirum abſorbent acidum. Eadem ratio eſt in corticibus capparis, polypodii, ſcoſopendrii, Zedoaria, cortice tamariſci, fraxini, &c. qui commendantur ad morbos lienis, hepatis, pancreatis, &c. Quod autem abſorbeant acidum, demonſtratur ex Mechanicis, & per encheiriſin communem, dum fit Atramentum: Vid. *TACHENIUS*. Hæc ergo ratio, cur cortex capparis medeatur lienis & hepatis ſcirrhis, non minus ac tumoribus duris pancreatis in decocto, quod quidem ingratum, & cum infuſo meliùs poſſunt adhiberi: In affectibus ſplenis & hypochondriorum in nodulis purgantibus pro purgatione leni per epicraſin. Unde creditur, eos etiam ciere menſes, & convenire iis, qui habent uterum vel ſcirrhoſum, vel ſimili affectu affectum.

Quod dictum de corticibus, idem de Floribus, tàm ſale quàm aceto conditis, verum eſt, & proptereà ab antiquiſſimis temporibus commendantur Cappares: Vid. imprimis *SCHENCKIUS l. 3. Obſervationum*, qui ex *BENIVENIO* refert de ſplenetico per ſeptennium, liberato ſolo uſu capparum, adjuncto potu aquæ ferrariorum, *in qua fabri-ferrum candens extinxerunt*. Nam omnes hæ aquæ quidem adſtringunt per ſe; unde adhibentur eædem aquæ in dyſenteria, quando excernuntur cruenta. Nihilominus in ſpleneticis, ubi acidum obſtructivum penetrat in inteſtina, & in quibus hepar, lien & pancreas jam tumefacta, præprimis commendantur aquæ ferrariorum: Cumque hìc adſit acidum, fit, quando ſeſe his adjungit, ut (1) alvum reddant fluidam; & (2) dum abſorbent acidum, ſoleant impedire & coagulationem & fermentationem, à quibus ſcirrhi & tumores oriuntur: Unde non mirum, ſi his tumor per ſeptennium ſplenetici fuit curatus. *FORESTUS l. 20. Obſervat. 2.* ſimile refert de vetula 20. annorum ſplenetica, quæ tumore ingenti ſolo uſu capparum curata. Unde etiam *Capparis*, vel huius *flores conditi* cum aceto, ſunt uſitati in affectibus ſpleneticis, tàm internè quàm externè. Adhuc noto: Capparis flores, & flores geniſtæ, ſunt ſingularia antiſplenetica, & ſolent continuato uſu coniunctim adhiberi, & ut robur conſervent ventriculi, nevè uſu capparum de tono deiiciatur idem.

Fructus adiunctum *habent* oleum, inimicum ſtomacho; attamen, aceto exſiccati optimè eidem conveniunt.

Externè acetum ſeu *brodium florum capparis conditorum* applicatur cum linteo ſeu ſpongia lateri ſub hypochondrio ſiniſtro pro tumoribus ſplenis diſcutiendis; Quod ſi admiſceatur ſemen ſinapi, ut eiuſdem ſal volatile ſeſe coniungat cum aceto, erit ſingulare in affectibus ſpleneticis; nam in ſinapi eſt egregia vis antiſcorbutica & anticachectica.

Oleum de Capparibus ſimplex competit externo uſu ſimiliter in affectibus ſplenis, hypochondrio ſiniſtro illitum, & ſolet hoc oleo capparum malaxari emplaſtrum de cicuta, uſitatum in tumoribus ſpleneticis & ſimilibus; loco cuius oleum ſuccini, utpote penetrantius, ſubſtitui poteſt.

In *ZWELFFERI Pharmacop. Regia, Claſſ. 16. p. 265.* habetur *oleum Capparum compoſitum*, ſpleneticum & hepaticum ſingulare.

CAPRIFOLIUM.

Caprifolium, vel *Matriſylva*, vel *Periclymenon commune*, Germ. *die Wald-Winde, Ie langer je lieber*, rari ſolet eſſe uſus, nihilominus perperam, cùm non ſit nocivum in multis affectibus. *Duæ* eius ſunt *ſpecies*: *perfoliatum*, & *non-perfoliatum*; eiuſdem tamen uſus & efficaciæ.

Uſitata ſunt *Folia*, & *Flores* imprimis, ſuaviter aliàs olentes; hinc etiam *Baccæ rubræ*.

Quæ de *Viribus* habet *Autor* noſter, ſatis ſunt clara & certa. Diureticum enim elegans eſt, præcipuè ſub forma Decocti. Decoctum hoc in cereviſia paratum itidem tanquam ſingulare experimentum in Arthritide vaga uſurpatur; ſicut et ſurculi eius, vel ſoli vel cum aliis ſudoriferis, in aqua decocti uſurpari poterunt in cura luis Venereæ, loco ſarſæ parillæ. Veteres ſpeciatim in affectibus pectoris catarrhalibus laudarunt.

Externè folia à nonnullis in tonſillarum ac aliis faucium affectibus et gulæ inflammatione, exulceratione, et aphthis, Gargariſmatibus immiſcentur.

Baccæ ſuggerunt *Balſamum Vulnerarium*. *AGRICOLA* nempè in *Chirurg. Parva*, ſed eleganti, *p. 110.* facit liquorem oleoſum ex baccis rubris, in autumno matureſcentibus, contuſis, et in Balneo Mariæ vel fimo equino digeſtis; qua digeſtione ſucceſſivè reſolvuntur in liquorem oleoſum, qui Catholicum Balſamum eſt in omnibus vulneribus recentibus, non verò ulcere ſanando.

Aqua ex floribus deſtillatur.

Succus ex foliis raro proſtat: Vulnerarius eſt, et ab *AUTORE* noſtro ad vulnera capitis et cranii commendatur.

CARDAMOMUM ET GRANA PARADYSI.

Cardamomum frutex eſt ſiliquaceus exoticus, ſemina intra capſulas recondita gerens, provenit ex planta quaſi arundinacea, de qua vid. *BONTIUS in Commentar. in Garziam ab Horto*. *Folia* eius olent ſuaviter. Aroma ſunt elegantiſſimum, et ſatis uſitatum, affertur ex India Orientali.

In uſu eſt *Majus* et *Minus*: Et quidem *ſi præſcribitur ſimpliciter*, et ſine additamento, intelligitur *minus*. Habere ſaporem aromaticum guſtu monſtrant. Ex ſale volatili oleoſo, ſed egregiè temperato, conſtant, unde cùm penè omnia reliqua aromata maſticata ſoleant ardere fauces, ſola hæc ſolvuntur ſuaviter, & blandè penetrant, adeò ut *BONTIUS* eadem ex omnibus aromaticis ventriculo maximè convenire ſcribat. Faciunt itidem ad confortandam memo- [illegible]rum affectus crudos & flatulentos, ex acido viſci- [illegible]es: & ſicut reliqua aromata, ita cardamomum eſt carminativum, & in colica, ſuffocatione hyſterica, & imprimis doloribus mulierum poſt partum, egregii eſt uſus; adeoque, ut omnibus præferantur, digna ſunt, dum neque faucibus, neque gulæ, neque ſtomacho, neque inteſtinis, empyreuma quoddam, ſeu calorem & inflammationem, inducunt. In affectibus vertiginoſis juniorum, præſertim ſympatheticis ex ventriculo debili, ſpeciatim convenire dicuntur, ſive ſolùm granum unum vel alterum jejuno ſtomacho maſticatum, ſive adiuncto tantillo Zingiberis conditi, ſpirituſque animales ſingulariter roborat.

Per deſtillationem paucum fundunt oleum, ſed elegans.

CAR-

CARDIACA.

Cardiaca ad *Marrubium nigrum* pertinet, ita dicta, quod molestiis cordis, vel potiùs ventriculi, fuccurrere foleat; Germanis *das Hertz-Gespan-Kraut* audit; medetur enim puerorum morbis, *dem Hertzgespann der Kinder* dictis, i.e. cardialgiis ab inflatione ac distensione hypochondriorum & ventriculi. Præter hunc in hoc affectu usum rarum agnoscit, utut fint, qui dicunt, illam vel cum vino haustam, vel fotu applicatam, conducere mulieribus parturientibus. Parietariæ videtur esse species, unde & ejusdem vim diureticam suspicor obtinere.

Externè planta hæc concisa, & in formam cataplasmatis per decoctionem redacta, in morbis infantum ex muco acido materialiter, formaliter verò in flatus resoluto, vi incisiva & resolutiva convenit, ventriculo & hypochondriis applicata: pro quo scopo aliàs non ineptè à mulierculis *die rothe Butter* regioni pectoris inungitur.

Aqua cum botryde, quæ Cardiacæ non cedit, si non superat, destillata in inflatione hypochondriorum infantum usurpatur.

CARDUUS.

Carduorum *sylvestrium* variæ sunt *species*, quas inter notissimi sunt, & jam demonstrantur:

I. *Carduus pratensis vulgaris*, qui vel *foliis laciniatis* vel *integris*, Germanis *die gemeine Acker-Distel*, item *VVilde Cardbenedicten*; sed malè: nihil enim cum illa habet commercii.

II. *Carduus lanceolatus*, *die spitzige Distel*; spinis enim prælongis folia horrent.

III. *Carduus spinosissimus major sphærocephalus* seu *Polyacanthos primus*.

IV. *Carduus Polyacanthos Theophrasti* vel *secundus*, seu *Carduus spinosissimus minor*, *flore purpureo* & *albo*, Germanis *die Kleine Weg-Distel*.

V. *Carduus palustris*, seu *Polyacanthos tertius*.

VI. *Carduus Moschatus*.

Præsto etiam est *Segetum*, quod vulgò inter Carduos referri solet: Verùm enim verò nec flore nec semine iisdem respondet. Horum enim ratione potiùs referendum est ad scabiosas, quamvis & foliorum ratione aliquomodo ad Carduos referri queat.

Scolymum etiam nonnulli inter Carduos referunt; qui potiùs culinaris, quàm Officinalis. Inter Carduos autem vix alia species est Officinalis, quàm Carduus Mariæ seu lacteus, & Carduus benedictus; de quibus nunc sermo erit.

CARDUUS BENEDICTUS.

Carduus *benedictus species* est *Cardui*, & reperitur in hortis; *Benedictus* dicitur, quod quosvis *alios Carduos vi* sua *medicamentosa superet*, & propter usum suum polychrestum tantùm non benedicta planta sit; Germanis *Benedicten-Kraut*. Propriè si ad Classes suas referri debeat, ad *cnicos* pertinet; qui *cnicus* ita vocatur *à colore floris* intensè *croceo*, & propriè dicitur *Carduus spinosus mitior*. Planta est saporis amaricantissimi, adeoque post Absinthium proximum locum obtinet.

Notabile est, quod refert *AUTOR* de tempore collectionis pro usu vulnerario, & hoc confirmat, quod omninò sit observandum tempus balsamicum. Optimum aliàs colligendi tempus pro usu medico est plenilunium Martii & Aprilis.

In usu sunt *Folia* & *Semen*.

Decoctum ex foliis egregium est, & potenter sudoriferum in febribus malignis, cujus vires in peste videbitis in *PALMARIO c.18. de morbis malignis & contag. p.450.* Præterea est singulare diaphoreticum in morbis chronicis, & hinc in febribus intermittentibus inveteratis, etiam quartanis, continuato aliquamdiu usu ante paroxysmum, præmissis præsertim universalibus, aut saltem vomitorio exhibitum. Hinc *RULANDUS in Curat. Empir.* præmisso vomitorio asarino vel antimoniali, Decoctum carduibenedicti & florum centaurii minoris ad aliquot dies cum sudore utendum jubet, qua ratione multos Quartanarios se curasse testatur; & quidem vel solùm, vel cum radice asari usurpavit: e.g.

℞. *Herb. card. bened.* M.ij.
Rad. asari incis. ℥j.

Coxit in aliquot libris *aquæ communis*: Decocti ℥iij propinavit manè in lecto benè sudando, continuavit sudores per plures dies continuus, donec febris cessaverit.

Pari modo, & loco Carduibenedicti,

℞. *Herb. centaur. minor.* M.ij.
Rad. asari ℥j.

Decoxit in *aqua simplici* ad dimidias vel tertias: Hujus decocti ℥iij vel v. exhibuit manè calidè per aliquot dies, & ita febres intermittentes præmisso vomitorio curavit.

Oxoniæ curavi filiam hospitis mei à febre intermittente, præmisso vomitorio, decocto nimirum turionum sambuci, summitatum carduibenedicti, cum aliquot guttis Spiritus salis ammoniaci vel urinæ, sequente largo sudore. Præterea nobile est Antipleuriticum (qualia etiam sunt cherefolium, papaver rhœas, carduus Mariæ, & bellis) quocunque modo usurpetur, imprimis Decoctum ejus: Unde Carduus benedictus ingreditur *Spiritum Antipleuriticum D. Michaelis*, qui fit, quando *plantis antipleuriticis* affunditur *spirtus vini*, & digestione lenta abstrahitur per alembicum; postmodum permiscetur cum *spiritu nitri*, digeritur, & vicissim destillatur per alembicum, sic prodit *spiritus nitri dulcis*, qui per se etiam est *antipleuriticus*. Conducit quoque Carduus benedictus ad sanguinem in corpore grumosum dissolvendum, in specie in casu ab alto, expectando scilicet sudorem; sicut sanguinem congrumatum resolutum etiam per urinam expellit; utut ingrata sit potio, quia amarissima. Singulare autem est, quod habet de Decocto Carduibenedicti *BALLONIUS l.2. Consil.11.* dum dicit: quod ad ℥iij vel jv assumptum soleat facere urinam crassam & fœtidam; quod observetur; ne aliquando in Praxi fiat error.

Semen ejus etiam frequenti in usu est, & in emulsionibus, cum aqua papaveris rhœados paratis, contra pleuritidem sæpissimè datur, imperando simul sudorem. Compositio potest esse talis:

℞. *Sem. card. bened.* ℥ß. vel ʒvj.
Papav albi (ratione doloris) ʒij.
c. s. q. *aquæ card. bened. vel aquæ flor. acac. uel aquæ flor. papav. errat.* f. l. a. Emulsio: cui addatur
Maxill. lucii pisc.
Dent. apri s. igne præp.
Antimonii ij. diaphor. an. ℈j ad ʒß.
edulcoretur c. *rotulis Manus Christi perlat.* vel etiam *syrupo florum nymphææ*: D. S.
Lac contra pleuritidem.

Vim antipleuriticam obtinet ex eo, quod conveniat sanguini, eundem coagulatum dissolvendo. Jam verò in omni pleuritide est sanguis talis coagulatus ex acido præternaturali: unde si stagnat in utraque pulmonum parte, est peripneumonia; si in una tantùm, pleuritis. Et quod valet de pleuritide, valet quoque de erysipelate, phrenitide, & omnibus inflammationibus partium internarum, quæ ejusdem sunt rationis cum inflammationibus externis. Præter vim antipleuriticam semen hoc habet vim Alexipharmacam, quia sudoriferum; unde emulsio hujus cum appropriatis usitata est in variolis & morbillis, aliisque febribus malignis, in quibus oleositate temperat effervescentias, & expellit malignitatem per sudorem.

Inter *Præparata* prostat in Officinis ejus sal, *succus*, *aqua destillata*, *spiritus*, *pulvis*, *syrupus*, *conserva*, et *extractum*. Omnia sunt sudorifera.

Aqua in omnibus jam dictis affectibus à mulierculis adhibetur.

De *spiritu Carduibenedicti*, ejusdem efficaciæ, & quod saporem lixivii ferè instar habeat, videbitis in *Sennerti Instit. pag.* 1350.

Pulvis pro usu sudorifero est laudatissimum plebecularum remedium in febribus tertianis (Quartanis non tam facilè medetur) si ad ʒj propinetur.

Extractum à ℈ß. ad ℈j. cum tantillo laudani opiati propinatum, ita sudores movet, ut ægri sudore quasi diffluant.

CARDUUS MARIÆ.

Carduus *Mariæ* vocatur etiam *Carduus leucographus* seu *lacteus*, quod folia ejus maculis albis notata, lacte quasi sint perfusa; & ne quidem superstitio desit, vocatur *Carduus Mariæ*, quod lacte quasi Mariæ folia ejus sint conspersa; Germanis *Unser Frauen-oder Marien-Distel*.

Planta & *Semen* in Officinis satis nota sunt.

Quod *vires* attinet, convenit in illis per omnia cum Carduo benedicto; unde etiam eodem usu ac modo cum Carduobenedicto adhibetur. Speciatim magis ad chronicos morbos, hydropem, icterum, & similes commendatur, quàm Carduus benedictus. Aliàs cum Carduobenedicto inter plantas antipleuriticas primatum ferè obtinet: multum enim valet plantæ decoctum in sanguine grumoso dissolvendo, & per diaphoresin expellendo. Præterea quoque alexipharmacus est, & febrifugus; unde præscripto Carduobenedicto præscribitur & Carduus Mariæ.

Semen quoque ejus ingreditur plerumque Emulsiones Antipleuriticas, & expulsivas in variolis, purpura, &c. Nutricibus quoque ad augendum lac hoc semen, mistum cum crystallo præparata, nec non semine anisi, vel fœniculi, ut inde fiat pulvis, porrigitur. Item singulare specificum est ad fluxum album mulierum. Præterea commendatur pro cienda urina & mensibus. *LINDANUS super Praxin Hartmanni* specificè commendat semen cardui Mariæ pulverisatum, & à ʒj ad ʒij in vino usurpatum, contra hydrophobiam & morsum canis rabidi, dum egregiè sudorem movet, & dicit se didicisse hoc ex quodam, qui hujus rei certam habuerit experientiam.

STARICIUS im Helden-Schatz p.82. scribit, quod *radix Cardui Mariæ*, si gestetur ab uno, qui conversatur cum altero, soleat enervare alterius vires; quod etiam refertur de Chamæleonte, forsan certiori experientia.

Aliàs vix quidquam de Carduo Mariæ est in usu.

CAR-

CARLINA.

CArlina est *Cardui species*, quæ usitatiùs dicitur *Chamæleon*. *Duæ* ejus sunt *species*: *Major* nempè, modò *caulescens flore albo*, seu *Carlina alba*, Germanis *die weisse Eber-VVurtzel*, quæ ubivis obvia, modò ἀκαυλος, i. e. absque caule; & *Nigra* seu *Minor*, quæ crescit in locis benè cultis. Carlina dicitur, quoniam fert fabula, plantam hanc *CAROLO MAGNO* ab Angelo pro medela exercitus, peste tum temporis corrupti, fuisse monstratam.

Interna radix hujus Carlinæ inter Alexipharmaca & sudorifera refertur; unde ordinariò quasvis compositiones theriacales, item Aceta Bezoardica, ingreditur.

Quoad *usum externum*, subtilioris & sublimioris Philosophiæ scrutatores, & *PARACELSI* sectatores, Magica hoc ipso præstare tentant, dum imprimis nigræ vim quasi magneticam tribuunt, quod nempè, si debito tempore collecta gestetur ab aliquo, cum altero conversante, ille alterius robur ac vires acquirat, ita ut socius defatigetur in itinere suscepto; item, quando in collo geritur ab altero conjuge, invita una parte, faciat ut hæc valdè debilitetur; inque hoc ferè omnes Autores conveniunt, imò nonnulli dicunt, illam ejusmodi quoque vires obtinere in brutis, adeò ut in equili, si appendatur equo, vel in os immittatur, derivet in se omnes reliquorum vires, ut valdoperè fortis & generosus evadat, reliquis delassatis: Sunt, qui cum hac radice transplantationis modo volunt derivare vires & robur ex equo in hominem; quin & vim genitalem alterius roborari, alterius minus posse. Quæ & similia videbitis imprimis in *STARICIO*, *im Helden-Schatz*, *p.* 80 87. 88. 89. *&* 127., qui oleo per coctionem ex radice elicito eandem attribuit vim. Quidam etiam dicunt, quod eadem radix secum gestata aliquem Veneri indulgentem non defatigari in actu Venereo exercendo sinat, sed alacriorem potiùs exinde reddat. *TENZELIUS in Medic. Diastatica*, ubi tractat *de modis curandi morbos per transplantationem*, pro arcenda sterilitate transplantat fœcunditatem in Chamæleontem nigrum, qui comestus à parte sterili, fœcundatur: *Cap.* 28. *p.* 151. *& pag. subsequente* simul facit mentionem virium per transplantationem ope radicis Chamæleontis. Plura alia videbitis apud *STARICIUM l. c.*, item apud *HELMONTIUM de Carlina Tract. Magnet. Vulnerum Curat.* §. 24., qui pressiùs rem indagat, quomodo procedendum. Multa certè cum hoc Chamæleonte tentantur Magica; litem tamen inter tantos viros hac de re decidere, non ausim.

Colligitur autem *radix* vel *herba* pro hoc scopo intra bina Mariæ festa, scilicet inter 15. Augusti & 8. Septembris; & sanè multùm his diebus tribuitur à Botanicis; quod tempus intra hos observatur propterea etiam, quia est balsamicum colligendi cornua cervorum, & aliorum medicaminum, sicque etiam Chamæleontis. Radix autem ita fossa imponatur Magneti, ut vires ejus magis acuantur, & talem vim accipiat.

CARUM.

CArum seu *Carvum*, *Cuminum sylvestre*, *VViese-kummel*, planta est nulli non nota.

In Officinis usitatum *Semen*, et ex hoc *Oleum destillatum*.

Semen natura & usu omninò conspirat cum semine fœniculi, anisi & cumini, in specie æmulatur vires seminis Cumini, nisi, quod sit fortius, quoniam saporem habet acrem, & non temperatum ab oleo, sed est acrius; quare quodcunque acidum invenit in primis viis, temperat & potenter corrigit. Inter semina 4. calida majora refertur, quæ specialia carminantia sunt; hinc vi aromatica Spiritus influos recreando egregium est stomachicum & diureticum, temperat mucilaginem acidam & viscidam, incidit & abstergit, adeoque in affectibus intestinorum & hypochondriorum flatulentis ex cruditate acida in primis viis, in specie in colica, convulsivis intestinorum malis, herniis, &c. commendatur, & usu tàm interno quàm externo his affectibus medetur. A *THONERO* expertum est remedium in cardialgiis. Sæpiùs fit, ut ex potu nimio immoderato & nocivo oriantur tormina stomachi gravissima, & in his nihil melius semine carvi à ℈j ad ʒß. in jusculo calido: Conjunguntur etiam his doloribus diarrhœæ, & solùm semen carvi est sufficiens in omnibus his casibus. Aliàs et *Trageas stomachales* post pastum sumendas ingreditur. Præter dictos usus in specie ad lactis abundantiam restituendam convenit.

Oleum carvi destillatum in iisdem affectibus & in cardialgia, vel dolore stomachi conducit, à guttulis v. ad x. in vehiculo appropriato, vel haustu vini, de quo *THONERUS in Observat. pag.* 136. refert, se curasse guttis v. olei destillati carvi subitò dolorem totius abdominis clamosum; item in alio sævissimum ventriculi dolorem itidem hoc ipso oleo: Guttis tamen 5. olei destillati succini idem præstabitur. Hic dolor ventriculi valdoperè est molestus propter connexionem & sympathiam nervorum dorsi cum orificio ventriculi sinistro, *pungit illos per totum dorsum*, usque ad scapulas: Unde hæc *Cardialgia* si *conjuncta sit*, *cum inflatione*, vocari solet *Colica ventriculi*, ubi oleum carvi destillatum erit egregium, nam ingens est carminans. Si ex potu nimio immoderato & nocivo tormina stomachi gravissima oriantur, nihil melius erit oleo carvi ad guttul. v. vj. vij. usque ad x. in jusculo calido. Cum doloribus his conjunguntur etiam diarrhœæ, & solum oleum carvi destillatum in omnibus his casibus sufficit, usu tàm externo quàm interno. Urinam item promovet, eamque suavis odoris reddit. De *usu interno hactenus*. *Externè* conducit, quando cum majori penetrantia miscetur cum oleo nucis moschatæ expresso, quod carminativum est, & stomachicum. Nam olea destillata omnium fortissimè penetrant, quoniam nihil aliud sunt, quàm salia volatilia simplicium, concentrata ab acido figente, dum hoc salia volatilia arripit, seque cum illis jungit; unde ex oleo destillato in digestione cum sale fixo potest precipitari sal volatile. Arcanum fuit *HELMONTII*, de quo vid. *TACHENIUS in Hippocr. Chymico*. Vocantur *Elixyria parva*.

CARYOPHYLLUS HORTENSIS.

CAryophyllus Hortensis usitato vocabulo præscribitur in Officinis *Tunica*, v. g. *flores tunicæ*, *Garten-Nelcken*, *syrupus florum tunicæ*, & sic porrò; suntque *flores tunicæ* duplices: *Hortensis* & *Sylvestris*. Sed flores rubri hortenses cæteris præferuntur, & maximè odorati sunt.

Vis & odor horum aromaticus est valdè volatilis, & consistit in subtilioribus saltem, Mercurialibus & spirituosis particulis promptè exhalabilibus; hinc nulla arte potest elici Spiritus, cujus ratione referuntur inter primaria Cordialia & Cephalica; amici enim sunt capiti, cerebro & spiritibus animalibus. Conducunt igitur in horum subitaneis affectibus, hinc in affectibus epilepticis, apoplecticis, catalepticis, syncope, & affectibus capitis quibuscunque, præservativè & curativè; operantur enim sine notabili agitatione confortando caput; temperati sunt in suis facultatibus, unde ingrediuntur flores tunicæ omnia medicamenta antapoplectica. *HOFFMANNUS in Medicam. Officin. pag.* 188. cum rosis comparat, quæ cum floribus tunicæ, liliorum convallium, & spiritu cerasorum nigrorum, capiti & spiritibus animalibus amicæ sunt. In specie autem senibus commendantur & Melancholicis, de quibus ea ipsa, quæ *jam de floribus borraginis & buglossæ dixi*, etiam hic veniunt applicanda.

In Officinis usitata sunt *Conserva*, *aqua*, *syrupus*, & *acetum*.

Conserva imitatur florem, unde permista cum aromaticis, à senibus est assumenda ad quantitatem nucis juglandis tempore matutino ad corroborandum caput & apoplexiam præcavendam, bilem atram, uti vocant, corrigendam, Spiritus coinquinatos mundificandos & corroborandos, & hominem exhilarandum.

Aqua autem horum blandissimo calore destillata, est ex primariis Cephalicis contra affectus capitis, loquelam amissam & syncopen, quas vires etiam imitatur syrupus. In omnibus capitis & nervorum, nec non Melancholicis affectibus ordinariè miscentur medicamenta cum succo vel syrupo florum tunicæ.

Acetum florum usurpatur in pestis præservatione, aliisque morbis malignis, syncope & lipothymiis, externè naribus illitum, vel pulsui applicatum. An verò cum successu pulsibus applicetur, nescio; usitata tamen apud modernos est hæcce praxis.

CARYOPHYLLUS SYLVESTRIS.

CAryophyllus Sylvestris angustifolius, Germanis *Donner-Naglein*, *species* est *Floris Armenii*, sed *non* est in *usu*.

Præstò est alia species, vobis jam demonstranda, nempe

CARYOPHYLLUS MONTANUS MINOR flore globoso BAUHINI.

INcerti aliàs sunt plurimi Botanicorum, quorsum hanc plantam referre debeant? Aliis enim inter gramina refertur, ut Tabernæmontano, qui eam hinc vocat *Gramen Marinum*; reverà tamen est *species Caryophylli sylvestris*: ab aliis etiam *Gramen Polyanthemum* dicitur: vid. *DODONÆUS*.

Planta quidem est trivialis; sed cùm de ejus usu taceat experientia, meritò quoque nos tacemus.

Tandem se offert

CARYOPHYLLUS ARVENSIS.

QUi ad *Lychnides angustifolias non viscosas flore simplici & pleno* referendus.

CARYOPHYLLI AROMATICI.

CAryophylli Aromatici fructus sunt exotici ex India Orientali, & præprimis Insulis Moluccis, in quibus in copia proveniunt, ad nos allati. *Duplex* eorum communiter, & quidem secundùm antiquissimam Arabum distinguendi rationem, est *differentia*; dum

dum nempe quidam *maturi* sunt, quidam *immaturi*: *Illi* sunt *Antophylli* seu mares, Germ. *die dicken oder Mutter-Nelcken*, ita vocati, quod conducant utero; *Hi* sunt *Caryophylli* communes minores seu fœminæ; hinc sunt Aroma admodum oleosum, gustu acerrimum calidiusve. Conf. *VELSCHIUS Hecatost.* 1. *pag.* 53. Nam in principio, dum adhuc in arbore sunt, habent colorem rubrum,& valdè temperati sunt atque suaviores; postmodum maturiores et acriores facti nigrum acquirunt.

Crescunt in arbore procera, lauro simili, angustiora tamen folia habente, magnitudine ad instar pyri nostratis, in cujus ramusculorum extremitatibus copiosè congesti reperiuntur Caryophylli.

Colliguntur in Octobri et Februario, exsiccantur in aere, ut possint transportari in alia loca: Vid. *Rerum Indicar. Scriptores*, inter alios liber editus *de Regno Sinensi Neuhoffs*.

Apud nos *Fructus* tantùm usitatus est, qui habet sal volatile oleosum, quodcunque acidum corporis destruens; Indi utuntur et *Foliis* et *Floribus* arboris.

Notetur autem hìc, quod omnia aromata ex Indiis allata adulterata sint; quod fit:

1. Quando macerantur aqua marina salsa, quæ in se habet aciditatem, contrariam sali alcali seu aromatico acri.
2. Adhuc ulteriùs à mercatoribus corrumpuntur cum aqua, ut graviores fiant pondere.
3. Tempore procedente Caryophylli multum odoris, exhalante sale volatili, perdunt. Hunc ut recuperent, mercatores recipiunt vinum, in quo macerant optimos caryophyllos, et huic vino postmodum infundunt inodoros: unde fit, ut imbibant omnem vimè vino, et sic novum acquirunt odorem; qui tamen non diu durat, nisi contineantur in loco frigido.

Hinc si *Caryophyllos probare* placuerit, *an boni sint*, *an mali*? acum candentem iis immittunt: Quod si oleum effluxerit, boni; sin minus, mali, et inutiles sunt.

Quod attinet *Usum* horum, nobile sunt Aroma, et totius generis nervosi, imprimis capitis et uteri confortativum, spiritus restaurant, etiam masticati seu odoretenus; unde stomacho insigniter conducunt, et cruditates ejus acidas expellunt: Admiscentur pulveribus et nodulis, vel aliis medicamentis uterinis et stomachicis, quoniam uterum et stomachum valdè roborant.

Antophylli commendantur in fluore albo mulierum pro roborando et confortando utero; Ingrediuntur Decoctum contra sterilitatem Mynsichthii; utut inter hos et Caryophyllos nulla essentialis sit differentia.

Oleum caryophyllorum destillatum in Officinis prostat, quod commendatur pro Cephalico et Cordiali; unde in *Confectione Theriacæ*, *in defectu Opobalsami veri substitui solet*. Propterea à *CLODIO in Tract. de Balsamis & aliis* hoc oleum vocatur *Balsamus naturalis*; et quidem vires hujus videre possumus decantatas à *DEODATO*, *in ejusdem Pantheo Hygiast. l.* 2. *pag.* 35. Hoc oleum contra febrium rigores est probatissimum, internè ante paroxysmum dantur guttulæ 2. 3. vel 4., vel externè illinitur regio sterni vel stomachalis. Si mulieres sterilitate et menstruis albis laborant, aliisque affectibus uterinis, oleo hoc utuntur. Externè etiam commendatissimum est contra dolorem dentium, si cum bombace applicetur denti cavo vel lateri; sic acidum mordens in dente tollit: penetrantius fit, si misceatur cum oleo camphoræ, vel addantur aliquot grana camphoræ, quæ per se acidum omnis odontalgiæ compescit et demulcet.

Adulterari solet cum oleo cassiæ caryophyllatæ; quæ tamen facilè distingui possunt: Oleum enim caryophyllorum fundum petit; Cassiæ autem caryophyllatæ liquori supernatat.

Sunt qui hoc modo eleganter oleum hoc parant:

℞. *Caryoph.* ℔.ij.
Fæcum uini cochl. jv.
Tartari calcin. cont. ℥ij.

Mixta affusa *aqua destillata* stent in aliquali fermentatione, hinc per Spiritum vini destillantur.

Ex hoc *oleo caryophyllorum*, quod etiam est ex primariis Ingredientibus *Balsami Apoplectici*, fit cum corpore pro Balsamis usitato *Balsamus*, qui inungitur regioni ventriculi et cordis in ventriculi affectibus, et syncope ex affecto ventriculo imminente.

Fit etiam ex Caryophyllis et Antophyllis *syrupus*, usitatus in sterilitate, fluore albo, inflatione uteri, aliisque ejusdem affectibus. Sed non ubique prostat.

CARYOPHYLLATA.

Caryophyllata est vel *Montana* seu *Alpina flore purpureo*, *nutante purpureo, pleno prolifero, & luteo Matthioli*; vel *Sylvestris* seu *Vulgaris flore albo* & *luteo*. Ita dicitur, quod radix ejus tempore verno diffecta odorem suavem instar caryophyllorum aromaticorum spirare soleat. Aliis dicitur *Herba Benedicta*, item *Sanamunda*; Germ. *Benedicten-Kraut*, & *Benedicten-Wurtzel*.

Apud nos *præfertur vulgaris*. In usu est *Radix* collecta Mense Martio circa diem 23. antequam in flores abierit.

Usu aliquali diuretico in Decoctis & Infusis adhibetur: Et quidem, si infundatur vino, aromaticum illud acquirit saporem & odorem, & rectè inter aromata refertur; quod vinum potum corroborat imprimis caput, & restaurat ventriculum, nec non ejus tonum laxatum corrigit; ventriculo enim & primis viis, ob usum suum adstrictorium & stypticum radix hæc dicata est. Hinc etiam in oppilationibus & obstructionibus hepatis, lienis & mesenterii, valdopere conducit. Præterea quoque cephalica habetur, & specialiter decoctum radicis affectibus catarrhosis chronicis mediante sudore mirabiliter medetur; & quod dicitur de ligno *sassafras* exotico, quod sit *Alexipharmacum Catarrhorum*, teste *BRUNNERO*, valet etiam de radice caryophyllatæ, cujus loco in catarrhis emendandis adhiberi potest; corrigit enim lymphæ p. n. acescentiam. Id quod ex usu potissimum, quem habet, œconomico patet: Radix namque, juxta *PARACELSUM*, cerevisiæ indita eam à corruptione & præmatura præservat acescentia: id quod pariter in succis arborum recenter collectis, v. g. betulino, cui etiam radix injecta ab alteratione & acescentia eum præservat, quod notabile est. Conf. *Acta Societ. Reg. Mens. April.* 1669. *p.* 773. Et quidem jam *PARACELSUS* specificè commendat radicem caryophyllatæ cum radice acori contra catarrhos. Ex eadem *Vina* fiunt *medicata* pro dictis affectibus, uti & confortando stomacho, & contra icterum: quale *vinum catarrhale* ex *radice caryophyllatæ* cum *radice Acori* habet *HARTMANNUS in Praxi Chymiatr. cap.* 21. §. 2. Hoc correxit *LINDANUS in Colleg. super hunc locum*, & nobis præscripsit talem haustum:

℞. *Sassafr.* ℥ij.
Rad caryophill. ℥j.
Herb. rorismarin. rec. ℥ß.

Infundantur in magnum vas, & affundantur
Vini Gener. Mens. ij

Coquantur leni igne in diplomate seu MB. vase vel amphora benè clausa, horis 8., deinde removeatur ab igne, ut refrigescat.

Assumat æger haustum bonum una vel altera hora ante pastum, vel hora 7. matutina, 10. antimeridiana, 5. pomeridiana, & tempore decubitus: Et dicit *LINDANUS* de hoc, quod sit magnarum virium & comprobatum, quod credo; minimè enim jactator est.

Convenit etiam egregiè caryophyllatæ radix in colica, & casu ab alto pro sanguine coagulato resolvendo: vid. *THEOPHRASTUS pag.* 691.

CASTANEA.

Castaneæ Fructus usitatus est. Arbor apud nos est rara; in Italia autem integri montes pleni reperiuntur.

Castaneæ crudæ flatuosæ & stomacho nocivæ sunt; *coctæ* verò abiiciunt flatus, & adstringunt. Nonnulli commendant in raucedine ab aere contracta.

In usu apud nos est *Cortex*, non exterior, sed *pellicula* illa, *qua immediatè cingit nucem*. In aliis locis Castaneæ in substantia solent usurpari. *Membrana* seu *pellicula* dicta est adstrictiva, & prodest contra quemcunque fluorem, sive sit sanguinis, sive aliorum succorum; uti & mulieres quædam Castaneas cum rasura eboris pulverisatas in fluore albo usurpant: sed credo vi eboris, non verò castanearum, effectum esse sperandum.

In Gallia præparant ex Castaneis *syrupum* pectoralem, quo in raucedine ab aere contracta, & asperitate faucium utuntur; sed apud nos non est usitatus.

CAUCALIS.

Conspectui se vobis jam præbet *Caucalis Arvensis ecchinata flore minore*, ita dicta à figura seminis exsiccati. Ad cherefolium accedit, unde Germanis vocatur *Kletten-Korbel*. Datur propterea *Caucalis flore rubro semine hispido*, uti & *Caucalis Arvensis ecchinata flore magno*, *Lappula Canaria* quibusdam dicta; nec non *Caucalis Arvensis latifolia*, item *Caucalis Nodosa* à nodis scriptorum ita dicta.

In Officinis non sunt usitatæ, sed in hortis tantùm pro plantarum differentiis cognoscendis coluntur. Sufficit earum loco adhibere *Cherefolium sativum*.

CENTAURIUM MINUS.

Centaurium minus flore rubro seu *purpureo* in Officinis usitatum est, & propter multiplicem & eximium sui usum, in quo vix cedit absinthio, prostat: Germanis vocatur *tausend Gulden Kraut*. Datur aliàs & *flore albo* & *luteo*: quod posterius crescit in montibus Alpinis Italiæ. Vocari solet aliàs *Fel Terræ*, ob saporem, quem habet, amarissimum; item *Planta Febrifuga*, ex egregio & expertissimo usu fugandi febres intermittentes quascunque, sive sint simplices, sive compositæ, sive erraticæ, sive periodicæ, &c. Optimo jure sociatur Absinthio, utut sapore amarissimo & potentia detersiva absinthium superare soleat.

Usus

Usus ejus *internus* idem eſt cum abſinthio pro corrigendis vitiis bilis, cujus dyscraſiæ ſapore ſuo amaricante optimè convenit, quapropter & *planta hepatica* dicitur. Nam uti plantæ acidulæ *Anima* ſunt *ſtomachi*, ita amaræ ſunt *anima hepatis*. Certè quod eſt in microcoſmo bilis, id eſt in macrocoſmo hæc planta. Ratione enim amaritiei ſuæ potenter abſtergit & reſolvit quasvis ſordes in primis viis ſtagnantes, vi ſtimulativa inteſtinorum ſubinde alvum laxare obſervatum fuit. Præterea optimè ſuccurrit affectibus ex acido & viſcido natis, corrigendo cauſam occaſionalem, atque impedimentis bilis elaborationi objectis; bilemque minus oleoſam ac aquoſam magisque dulcem acuit, & reſtituit ejus inertiam: hinc, ut dixi, in febribus intermittentibus (ubi vitium in primis viis hæret) & conſequenter in aliis etiam morbis chronicis & cachecticis, indeque dependentibus menſium defectibus, eſt egregia; ſicut etiam tempore verno adhibita in nodulo vnà cum abſinthio cachexiam corrigit. Certè vix ulla eſt *Eſſentia Cachectica* vel *Elixyr febrile*, cui hæc non admiſceatur: ſic in intermittentibus febribus nullum datur vegetabile melius; hinc in tertianis intermittentibus ſepè Decoctum ejus ex ſummitatibus ad ℥j inſtar omnium eſt. Unde *RULANDUS in Curat. Empiricis, Anno* 1628. *Baſileæ editis*, teſtatur, ſe omnes febres tertianas, etiam chronicas, præmiſſo vomitu, hujus herbæ, ejusdemque florum decocto, curaſſe: e.g.

℞. *Flor. centaur. minor.* M. jß. vel M. ij.
Rad. aſſari ℥j.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ ſimplicis*.

Decocti calentis quotidiè in lecto benè tectus æger exhauſit ℥iij. v. vel vj. & diu multumque ſudavit, nec non continuato hoc benè convaluit, præmiſſo Vomitorio ante paroxyſmum.

Sæpè uſus eſt idem *RULANDUS* ſolo centaurio minori cum aſaro, ſi fuit chronica; ſine aſaro, ſi fuerit tantùm intermittens. Certè in febribus intermittentibus abſinthium, fumaria, carduus benedictus, & centaurium minus, ſunt optima ſpecifica. Si fuit Tertiana, ſive ſpuria ſive notha, *RULANDUS* conjunxit cum centaurio minori Carduum benedictum & in vino decoxit; in quotidianis cardui benedicti manipulos duos decoxit in vino. Quæ Decocta vulgaris, ſed tamen egregii ſunt uſus. Alius enim ſenem ſexagenarium quotidiana, cum anorexia & ictero afflictum, curavit hoc Decocto:

℞. *Herb. Orig. floreſcent.*
Centaur. minor.
Card. bened. an. M. ß.
Croci ℈j.
baccar. alkek. ℥j.

In *aquæ ſimpl* ℔j. coquantur ad conſumptionem ℔ß. *POPPIUS de Peſte* tanti facit centaurium minus, ut appellet *ſarſamparillam Germanorum*. Ad hæmorrhoides ſuppreſſas aperiendas, partim interno uſu quocunque, partim externa affrictione, conducit. In ſpecie præter dictas vires cum abſinthio communes, menſtruorum ſupreſſioni & morſui canis rabidi mederi ſolet, in quo ultimo caſu mirè à veteribus laudatur. Confer. *PAULI in quadrip. Botanico, ubi de Centaur. minori*. Valet etiam in affectibus apoplecticis, epilepticis, uterinis, ſimilibusque nervorum frigidis; nec non contra morſum venenatorum animalium: vid. *JULIUS PALMARIUS de Rab. Contagioſa*.

Externè Clyſteribus fortioribus revellentibus in apoplexia, paralyſi, & reliquis affectibus capitis, ubi ſtimulo acriori opus, additur, ob ejus acrimoniam, qua ſtimulat inteſtina ad excretionem. Egregium eſt ulcerarium; unde in abſceſſibus cacoetheis, & ulceribus putridis mundificandis laudatur, ſi hujus decocto eluantur, aut Injectionibus Chirurgorum horumque Linimentis addatur; ſic enim à malignitate egregiè mundificantur, & ad ſuppurationem perducuntur. Si eluantur fiſtulæ hoc decocto, diſponuntur ad maturationem, & ſic mundificando & detergendo ſanantur. Decoctum in oleo vel aqua ſimplici præſentaneum eſt remedium, appoſitum externis partibus contuſis & ſanguine ſuffuſis; diſcutit enim ſanguinem extravaſatum & coagulatum, ſimulquè diſpellit.

Quoad *Præparata*, in uſu medico, præter *aquam* & *Pulverem* ejus, eſt *Extractum* ſeu *Succus inſpiſſatus*, *Eſſentia liquida*, & *ſal fixum*.

Pulvis ſummitatum floreſcentium à ℈j & ʒß ad ʒj, præmiſſis Univerſalibus primas vias abſtergentibus, in affectibus bilioſis, & menſibus ſuppreſſis eſt egregius, & in febribus tertianis quibusdam pro ſecreto habetur. *PALMARIUS de Morbis Contag. c.*18. *p.*460. dicit, quod ſi fiat pulvis ex ſummitatibus centaurii minoris, dum adhuc turgent ſemine, & ejus ʒj in Vino vel aqua cardui benedicti hauriatur, ſit peſtis imminentis, & jam contractæ, per ſudorem ſingulare propugnaculum.

Cæterum, quibus ingrati ſunt hujuſmodi Pulveres & Potiones, quoniam non parum amaricant, iis poteſt præſcribi *Extractum* ſeu *ſuccus inſpiſſatus* hujus vel aliarum plantarum febrifugarum, vel ſolum, vel cum ſale cardui benedicti aut alius plantæ aperientis, ſub forma pilularum ante paroxyſmum febrilem uſurpandum. In febribus ergò

℞. *Extr. Gent. rubræ*,
Zedor.
Centaur. minor. an. gr. vj vel viij.
M. f. Pilulæ, dandæ bihorio ante paroxyſmum, quæ ſufficienter rigorem tollent.

Vel

℞. *Extr. Abſinth.*
Centaur. minor.
Gentianæ,
Theriacal. an. gr. v.
Olei deſtillat. caryophyll. gutt. iij.
M. f. Pilulæ, quæ aſſumantur hora una vel altera ante paroxyſmum.

Item:

℞. *Extr. Abſinth.*
Card. bened.
Centaur. min. an. ℈j.
M. f. pilulæ no. 40.

Doſis 15. ante paroxyſmum loco pulverum & decoctorum ſatis ingratorum.

Vel

℞. *Dictor. Extractor.* qu. v.
adde
Laud. opiat. gr. j.
M. f. pilulæ.

Eſſentia in affectibus bilioſis, febribus tertianis & aliis intermittentibus, ubi vitium in primis viis hæret, & conſequenter in aliis etiam morbis chronicis, ac menſibus promovendis, egregia eſt.

Copioſum ſuggerit ſal fixum, quod, præter uſum febrilem, etiam in ciendis menſibus primatum ducit.

CEPA, CEPE.

CEpa die Germ. *Zuuiebel*, eſt bulbus ſeu radix omnibus cognita, cujus ex odore, ſapore, acrimonia & proprietatibus colligi poteſt, quod conſtet ſale volatili acri, admodum ſubtili, ſeu, ut vocant, Mercuriali; adeò ut levi coctura vis omnis evaneſcat. Participant aliquantulum de ſulphure, id quod ex fœtore colligere licet.

Internè rarò uſurpantur, quia capiti & oculis ſunt nocivæ. Sunt inſigniter diureticæ, & quandoque uſum inſigniter ſudoriferum habent in febribus malignis. *PETRUS MONTANUS* pro ſudore movendo in peſte ſumpſit cepam unam, in medio demorſam et excavatam, atque cavitati ejus indidit Theriacam optimam, et ſuperimpoſito operculo, in linteo madefacto aſſavit ita ſub cineribus, et ſuccum poſtmodum expreſſum à cochleari uno ad alterum propinavit in peſte et febribus malignis. In aceto item maceratæ menſtrua acerrimè provocant.

Externè adhibentur ad urinam ſuppreſſam revocandam: vid. *RIVERIUS in Obſeruat.* 3. *à Maruino communicata pag.*290. Applicatur placenta ex cepis regioni renum. *Placentæ deſcriptio* habetur *Obſeruat.* 2. *antecedente proximè citato loco*; vel ſolum in forma Cataplasmatis, ſi *cepæ ſub cineribus calidis coctæ* addatur ℥ß. *pinguedinis Anſerinæ*, et illinatur regioni umbilicali et pubis, ſi cauſa ſit in veſica; ſin in renibus, Cataplaſma ex cepis cum tali pinguedine applicatur renibus, et ſic promptè urinam ciet. Fit etiam non nunquam, ut ex nimio coitu urina ſupprimatur, ubi res periculi plena, et metuenda proſtatarum inflammatio et exulceratio; in tali caſu hoc Cataplaſma imponitur peritonæo, ſpatio inter anum et ſcrotum, ſecundùm *HOLLERII* experientiam, *in Obſervat.* 17. *Centur.* 1. Alii addunt *cepis Allium*, et coquunt cum *adipe Anſerino* pro tali fomento, e.g.

℞. *Cepar.* no. vj.
Capit. allii no. ij.

Hæc contuſa ſubigantur cum *adipe Anſerino* ad conſiſtentiam Cataplasmatis: cui addi poteſt oleum *baccarum juniperi*, vel aliud appropriatum.

Loco Adipis *oleum ſcorpionum* poteſt ſubſtitui, quia ſimul eſt diureticum, pro varietate circumſtantiarum.

Apoſtemata item maturat, tàm maligna quàm benigna, in quibus ſcilicet ſanguis aqua miſtus reperitur (uti habetur in inflammatione tonſillarum) iisque difficilioris ſuppurationis, egregiè conducit ſuccus cepæ, additus Cataplasmatis emollientibus et ſuppurantibus; vel ſi cepæ ſub cineribus coctæ addantur reliquis ſuppurantibus, adjuvant maturationem, quando non poſſunt diſcuti aliàs. Nam adeſt (1) humor crudus, (2) permiſtum et nimium Acidum in maſſa ſanguinea: Et hæc duo impediunt ſuppurationem. Quando ergò additur Cepa cocta, ſal ejus volatile ſeſe ingerit et corrigit Acidum, penetrativa ſua vi incidit humorem craſſum, et promovet ſuppurationem, impedimenta removendo. In Tumoribus ergò difficulter ſuppurabilibus pro temperando Acido et humore craſſo incidendo, tale poteſt adhiberi remedium:

℞. *Cepar.*

℞. *Cepar. ſub ciner. aſſatar.* ℥ij.
Fol. Eryſimi.
Chærefol.
Naſturt. hortenſ.
Sambuci an. M. j℔.
Far. fabar.
Lupinor.
Albi Græci an. ℥j.
Nidi hirund. no: j.

F. Decoctio in *ſero lactis* ad conſiſtentiam Cataplaſmatis.

Item in Abſceſſibus malignis applicatur, in ſpecie bubonibus peſtilentialibus, pro materia venenoſa extrahenda, ne poſſit regredi in corpus: Vel

℞. *Theriaca*,
miſceatur cum *ſucco ceparum*:
Vel
℞. *Cepa* cava,
cui immittatur
Theriaca,
& applicetur.

De virtute hujus cepæ vid. *FORESTUS l. 6. Obſ. in ſcholio*, ubi refert de Chirurgo, quod in peſte Delphenſi bubonibus præcipuè applicavit cepas coctas, & contritas cum ſinapi albo recenter molito ſeu contrito. Nam ſi farina ſinapi diu ſteterit, avolat ſal volatile, cujus ratione prodeſt: Quod ſi defuerit ſinapi album, ejus loco ſubſtituit Theriacam, quam cum cepis contudit, miſcuit, & ſubinde intra tres dies peſtilentia curata, abſceſſus maturatus & ruptus fuit. Item in morſu canis rabidi *PARACELSUS* eaſdem commendat, ſi ſcilicèt morſui aut cepe cum theriaca & melle commiſceantur; aut ſolæ ſub cineribus coquantur, & parti cruentatæ apponantur. Sic & in ambuſtionibus ſtatim cepæ crudæ recipi, & cum ſale communi, vel meliùs cum ſapone Veneto, vel cum melle, contuſæ loco ambuſto non ſine commodo applicari poſſunt: Vel ſuccus recenter expreſſus applicatur recenti ambuſtioni; qui magis fit appropriatus, ſi miſceatur cum ſucco cancrorum fluviatilium egregio in Ambuſtione.

CERASA.

Fructus hic cognitus eſt ſatis, cujus *duo genera* maximè uſitata: *Acida* & *dulcia*.

Quod *Acida* attinet, horum acor blandus perquàm ſtomacho conducit ad conciliandum appetitum: non nihil adſtringunt, æſtum ac ſitim in febribus æſtuoſis & malignis mitigant, adeoque febrientium & æſtuantium ſolamina ſunt: nimirum ſanguinis æſtum ex ebullitione intenſiori blandè refrænant, unde hepar refrigerare aliàs dicuntur. Hinc uſitatiſſimè in febrientium paroxyſmis ad impediendam ſitim, æſtum faucium compeſcendum, & reſtaurandas vires, in aceto condita propinantur, additis aromatibus, v. g. caryophyllis, cinnamomo, &c. ut in ore retineantur aut maſticentur.

Ceraſa laxativa parantur inde hunc in modum:

℞. *Ceraſa acida condita*:

Perforata, irrorentur *vino infuſionis croci metallorum*, exſiccentur, & crebriùs irrorentur: quæ maſticata poſtmodum vomitum ciebunt.

Succus & *Syrupus* cum addito ſaccharo, ſolet ingredi *Julebos in febribus ardentibus* pro compeſcendo ardore, & ſiti ſedanda. e. g.

℞. *Aqua fontan.* ℔j.
Succ. ceraſor. nigr. ℥iij.
Syr. rubi idæi q. ſ. pro grato Julebo:

cui pro majori gratia parum ſucci corticū citri oleoſi ia ſpergatur. Vel

℞. *Dec. raſ. C. C.* ℔j ß.
Succ. ceraſor. nigror. ℥iij.
Syr. rubi idæi
Papav. albi an. ℥j.
M. f. Julebus.

Nuclei eorum maſticati ſunt quaſi terebinthinati, hinc ad purificandos renes & in nephritide admodum utiles ſunt, & vim egregiam diureticam habere dicuntur; inde pro nephritico cum nucleis ſimul, pro uſu cephalico ſine nucleis, contundantur ceraſa.

Oleum ex nucleis hiſce expreſſum rarum quidem eſt; ſed contra affectus nephriticos commendatiſſimum.

Principio veris quidam recipiunt corticem interiorem Ceraſi, deſtillant forti igne per deſcenſum; & ſic prodit liquor, qui deſtill. dicitur olere inſtar moſchi & Zibethi, pro illitione & odore conciliando.

Quod verò jam *Ceraſa dulcia* attinet, temperata, & pro affectibus cephalicis in uſu ſunt.

Hæc deſtill. *aquam egregiam*, & priùs fermentata *ſpiritum ardentem*, ſuave aroma ſpirantem, indeque analepticum, cephalicum, apoplecticum, &c. dare ſolent. Uſus hujus Spiritus expertiſſimus eſt in aphonia & loquela amiſſa: vid. *KESLERUS in 500 Chymiſchen Proceſſen p. 37. Editionis noviſſimæ*: Quando ſcilicet cum paucis guttis olei caryophyllorum deſtillati, lavendulæ vel aniſi, acuatus ſit, & eo lingua illinatur; vel etiam ſi addatur Spiritus theriacalis camphoratus, quò penetrantiſſimus erit, eò melior. Item in affectibus epilepticis, apoplecticis, vertigine &c. valdè commendatur, & præcipue in paralyſi; unde & inter remedia cephalica meritò refertur tanquam ſpecificum & appropriatum, imprimis ſi caſtoreum addatur.

Quidam etiam uſurpant *aquam & ſpiritum Ceraſorum lavendulatum*, cum nempe flores lavendulæ in quibusvis capitis affectibus aliisque nervoſi generis ſubitaneis morbis, egregii ſint.

Aqua ſit pro vehiculo hujus ſpiritus.

DE MEDICAMENTIS SPECIFICIS.

IN genere adhuc notandum, quod falſum omninò ſit, quod quædam huic vel illi parti in ſpecie, ut centaurium minus hepati, juniperus renibus, &c. inſervire dicantur, idque ob quandam ſympathiam occultam, quæ nulla eſt. Quod autem remedia quædam in hac vel illa parte potentiam ſuam magis exerant, ex longè alio eſt principio. Equidem verum eſt, omnia acida ſtomacho pergrata eſſe, unde *ſtomachica* dicuntur; ſicut omnia Amara bili balſamicæ conducibilia, ob id *Hepatica*; atque omnia oleoſa aromatica renibus dicata *Nephritica* dicuntur; omnia item aromata ob ſpirituoſitatem ſuam *Cordialia* rectè pronunciantur. Sed quare hoc? remedia ſcilicet propinata, & chylo communicata, mediante circulatione in univerſum corpus diffunduntur, & ita ad partes delata mechanica ſua conformatione certis quibuſdam partibus ſe inſinuant ut effectum ſuum exequantur: e. g. omnia Amara, quatenus bili inſerviunt, & proventum ejus promovent, poris hepatis ſe ſe inſinuant. Porrò cordialia ob ſpirituoſitatem Spiritus animales reſtaurant, & cordis motui, pro ſanguinis æquali per totum corpus diſtributione, inſerviunt, atque adeò omnia Aromata, dum in Spiritus reſolvuntur, ſpiritibus & ſyſtemati nervoſo ſunt ſatis amica.

CEREFOLIUM.

CErefolium ſeu *Chærefolium*, *Kerbel*, eſt *Chærephylon Græcorum*: & (1) vel *ſativum* vel *ſylveſtre*, (2) *Italicum* ſeu *Romanum*, aut *Hiſpanicum* ſeu *Cicutaria Odorata*.

In Officinis *Folia* uſitata ſunt, & *Semen*.

Uſus eſt quodammodo *Culinaris* & *Officinalis*. Quoad *uſum culinarem*, chærefolium ſapore grato præditum eſt, blandumque & temperatum quaſi aromaticum; hinc propter ſaporem aromaticum in juſculis carnium & aliis recens in uſu eſt, in quibus hujus folia minutim inciſa conjiciuntur; idque ideò, quia ſtomachum confortat, & ad aſſumendos cibos aptiorem reddit. Comedi etiam poſſunt cum pane butyro oblito.

Uſus medicus eſt ſtomachicus, ac in flatibus abdominis & hypochondriorum egregius. Vis ejus dependet à ſubſtantia aromatica ſuavi, in particulis oleoſis ſalſis volatilibus fundata, attenuativa viſcidi, & corruptiva Acidi viſcidi. Affectibus igitur capitis ſenum per conſenſum ſtomachi, in ſpecie vertigini, præſentaneum, ſi quid aliud, eſt remedium. Hinc qui ex vertigine apoplexiam metuunt, uti ſenes, eo tutò uti poterunt. In ſanguine pariter congrumato reſolvendo, & diſcuſſione ejus promovenda conducit; hincque in caſu ab alto Decoctum ejus in aqua vel cerevitia propinandum. In vulnerationibus & exulcerationibus viſcerum internorum vi ſanativa & toni reſtaurativa pollet, *ſanat omne malum in corpore*; item vis diuretica, quia eſt herba vulneraria, in eo prædicatur: hinc qui patiuntur exulcerationes renum & veſicæ, & quibus adeſt nephritis notha ſcorbutica, iſtud adhibeant. In tuſſi, ſi pulmones affecti, ne horum noxa recidivet, convenit; unde decoctis pectoralibus in affectibus phthiſin minitantibus, item in empyemate, optimo cum ſucceſſu additur, imprimis hederæ terreſtri ſociatum. Mulieres quoque, quibus ex vitio lactis mammarum abſceſſus oriuntur, adhibere ſolent: vid. *FORESTUS in l. de puerperis*, ubi ſcribit: *ſe ſæpius uſurpaſſe in iis mulieribus, quibus lac in mammis fuit coagulatum*. Dicunt etiam nonnulli, quod ſi ægrotus quidam deſperatus aſſumptum ſuccum chærefolii retineat, ſignum ſit, illum certò reconvaliturum; ſin minus, ſignificet ægrum certè moriturum.

Externè in colica & urina ſuppreſſa commendat *AUTOR* Puerperæ, ſi à partu ex ſubito frigoris occurſu, aliave ratione ſimili, urinam emittere nequeant, Cataplaſma ex chærefolio cum parietaria, ac in butyro inſulſo frixis, optimo cum ſucceſſu imponitur.

Eſſentia ex Chærefolio in Officinis paratur, vel *ſimplex* cum ſpiritu proprio aut ſpir. vini; vel *compoſita* cum ocymo & ſpiritu proprio, in vertigine per conſenſum hypochondriorum & ſtomachi, caſu ab alto ad ſanguinem congrumatum reſolvendum, & diſcuſſionem ejus promovendam.

Chærefolio congener planta eſt

CEREFOLIUM ACICULATUM.

CHærefolium Aciculatum, ſeu *Scandix*, *Herba acuta*, *acicula*, *PLINIO Pecten Veneris* dictum, *Chærefolii minoris ſpecies* eſt, ſaporis & odoris ratione; hinc ad eaſdem uſus uſurpatur. Quibusdam vocatur *Nadel-Kerffel*.

Vis tamen Aromatica volatilis non tanta eſt, quanta in genuino. In Officinis verò nullus eſt uſus.

CERINTHE.

C*Erinthe* eſt *Major*, & *Minor*, utraque *flore luteo* et *flore purpureo*, *Minor* etiam datur *flore albo*: Germani vocant *Cerinth-Kraut*, item *Flecken Kraut*, à foliis maculis hinc inde conſperſis. Dicitur aliàs *Cynogloſſum Montanum*. Revera *adſymphyta pertinet*; foliis, enim ac floribus cum ſymphyto conſpirat.

Uſus ejus adhuc dubius. Nam cùm inter ſymphyta referatur, ad Vulneraria referenda eſſe videretur: ſunt tamen, qui eam contra variolas à ſignatura, qua folia ejus maculata variolas ſuppuratas repræſentare dicuntur, commendant. Suſpicor autem, hanc inter Vulneraria refrigerantia commodè referri poſſe.

CHAMÆDRYS.

C*Hamędrys* ita dicta Græcis eſt à χαμαὶ & δρῦς, quaſi *humilis quercus*, quia folia ejus ſunt ferè quercina; unde communiter vocatur *Quercula*, Latinis *Triſſago*, Germanis *Samanderlein*. Et utut ejus variæ ſint ſpecies, *Vulgaris* tamen, ſummitates nempe ejus, adeoquè tota planta, perquàm *uſitata* eſt; quoniam difficulter ab invicem ſemoventur, & præſcribitur ferè unà cum Chamæpityde; quæ tamen præ iſta excellit, præprimis in affectibus nervinis, quibus ſua vi anodyna ſuccurrit, unde in affectibus paralyticis adhibetur.

Commendatur à multis etiam hæc Chamædrys contra arthritidem & affectus articulares, ſpeciatim ad podagram, chiragram & dolorem iſchiadicum; hinc in nodulis & decoctis ſudoriferis contra podagram ſemper adhibetur. Et propterea ſunt, qui dicunt, quod cum hac podagra ſit curata: ſed revera ex hac parum ſolatii promittere ſibi poſſunt podagrici. In Arthritide autem vaga ſcorbutica præſcribi poteſt, cùm ſciam, quod in ſcorbuto frequens ejus uſus ſit; ſicut & Veteres Medici ferè in omnibus chronicis, ſpeciatim hepatis & lienis, chamædryn ſemper uſurparunt, quibus arbitror conferre ſpeciatim, quatenus urinam moveat. Quartanas & tertianas febres curat, & propter hanc vim, quam exſerit decocta tantùm, obtinuit à quibuſdam vocari Febrifuga. Sapor ejus eſt aliqualis amaricans inſtar Febrifugorum omnium; conſtat enim ſale volatili acri aliquantiſper temperato. Unde non mirum, quod obſervavit *RIVERIUS Centur.4. Obſervat.84 p.56.* de ruſtico, qui quamplurimas Quartanas curavit pulvere chamædryos exſiccatæ, propinatæ ad aliquot dies in juſculo, præmiſſis tamen Purgantibus: quod etiam dicunt de uſu in tertianis curandis. Urinam & ſudorem ciet beneficio ſalis acris, adeoque non mirum, ſi in his febribus conducat. Eſt ſpleneticum, dicit *AUTOR* noſter; & hoc confirmat *STOECKERUS in Praxi*, ubi refert, quod Chamædrys in potu contra icterum quemcunque, nigrum imprimis, & dolorem ſplenis, proſit.

Præterea *radix* ejus & inter diuretica refertur.

CHAMÆPYTIS

C*Hamępytis* apud nos reperitur vel *Vulgaris Major flore luteo*, vel *Auſtriaca flore cœruleo*. Dicitur ita quaſi *humilis picea ſeu pinus*; unde & Germanis *Erd-Pinee*, Latinis *Ajuga*, item *Iva Arthetica* communiter vocatur, quod in affectibus Artheticis commendetur. Quando præſcribitur à Practicis, ſolet poni ſolo nomine *Iva*.

Tota planta ſapore aliquali amaricante prædita *in uſu* eſt, cùm ſolia vix ſine floribus, & flores vix ſine foliis haberi queant.

Inter plantas nervinas Anodynas refertur, ac proximè ad naturam herbæ paralyſeos ſeu primulæ veris vi ſua anodyna accedit; unde primarius uſus hujus eſt in affectibus artuum & articulorum, ſpeciatim ad podagram et chiragram, cum chamædry; et vix una ſine altera, in uſu præſcripta reperietur; hinc in Decoctis, Hydromelite, Noduli set decoctis ſudoriferis ad podagram et iſchiadicum dolorem, ſemper adhibentur; ſicut et in Arthritide ſcorbutica frequens earum uſus eſt. Sed reverà ex his parum ſolatii promittere Podagrici ſibi poſſunt. In paralyſi tàm vera, quàm pareſi, quæ fit ex colica, et in iis locis vulgaris eſt, ubi abundat vinum, experta eſt: imò ſunt, qui ulteriùs adſcendunt, et dicunt, quod cum hydromelite ſeu oxymelite ſcillitico conducat ad affectus cerebri frigidos, qui potiùs ex impedito ſpirituum et lymphæ motu in cerebro oriuntur. Sunt etiam, qui in vino decoctam et uſurpatam in ictero flavo, ſeu morbo regio, ac Cachexia laudant. Veteres Medici ferè in omnibus affectibus chronicis, ſpeciatim hepatis et lienis, uſurparunt; quibus prodesse arbitror, quatenus urinam moveat: item *POTERIUS in Pharmacop. Spagyr. de Iva Arthetica*, in potu aliquandiu propinata, in mictiu cruento multum juvaſſe dicit.

Quoad *Pręparata*, in uſu ſunt aqua *de Chamępityde* deſtill. & *Pilulæ compoſitæ*, quæ dicuntur propter baſin *Pilulę de Iua arthetica*, notæ ac decantatæ in morbis articularibus & Arthritide curandis.

CHAMÆPYTIS AUSTRIACA.

C*Hamæpytis Auſtriaca flore cœruleo* planta eſt media. Alii enim eam ad Chamædryn referunt, vocantque *Chamædryn foliis laciniatis*: alii ad Chamæpytin, vocantque *Chamępytin alteram Dodonæi*: alii denique ad *Botrym*, vocantque *Botrym Chamadryoiden*, ſeu *de natura Chamædryoides*: aliis *Iva Moſchata Tabernęmontani* audit, Germanis *Iven-Kraut*. Propriè tamen ad Chamædryn, quam creſcendi modo æmulatur, pertinet, niſi quod folia tantùm ejus magis ſint laciniata.

Uſu Medico coincidit cum Chamædry Vulgari, utut vi inciſiva propiùs ad Botrym accedat, quam & odore & ſapore refert.

CHAMOMILLA.

C*Hamomilla* ſeu *Anthemis Græcorum*, item *Chamæmelon*, quod malum odorem repræſentet, eſt vel *foliis albis in floribus*, *Leucanthemis* ſeu *Leucanthemum* dicta; vel *foliis luteis Chryſanthe mum* dicta; vel *purpureis*, *Eranthemum* dicta. *Chamomilla* aliàs *duplex* eſt: vel *noſtras Vulgaris fœtida*, vel *Odorata*, quæ etiam dicitur *Romana*, & *nobilis*. *Romana* hæc eſt vel *flore ſimplici* vel *pleno*, & in hortis colitur, odoris eſt ſuavis, & ſaporis penetrantioris.

Vulgaris Chamomilla Officinalis eſt, quam tamen Romana in omnibus virtutibus ſuperat, tàm vi aromatica, quàm inde dependente carminativa ſeu flatuum diſcuſſiva, anodyna, nephritica, uterina, &c. Et quæcumque de Chamomilla Vulgari deprædicantur, omnia de hac nobili Chamomilla ſunt intelligenda, utpote quam ſuperat, quia ejus folia magis ſunt pinguia, odorque magis penetrans. Utraque autem tum odore, tùm ſapore ejus penetrante, & oleoſitate ſua, quam copioſam fundit, teſtatur eſſe Aroma. Vis autem hujus potiſſimùm conſiſtit in ſale volatili oleoſo; hinc folia & flores, in ſpecie Romanæ, in affectibus abdominis doloroſis vi carminativa inteſtinis egregiè conducit; unde, quomodocunque etiam paretur, prodeſt in Colica flatulenta, Acidum auſterum ventriculi & inteſtinorum, & frigus, nervis hoſtilia, corrigendo, acre quodcunque temperando, & flatus potenter diſcutiendo. Præterea vim habet anodynam ſingularem & dolorum blandè ſedativam; hinc tenſiones partium remitti faciunt, adeoque emolliunt, partibus nerveis ſingulariter conveniunt, quas demulcent, irritationem ſenſilem leniunt, hinc in abdominis torminibus convulſivis, ſive per ſe ſive per conſenſum ſint, quales ſunt Colicæ convulſivæ, nephriticæ, &c. ſpaſmo- horum & impetum ſpirituum blandè compeſcendo, & ſic in curanda Colica quacunque vix ſimile habetur remedium. Confer. *SIMON PAULI Quadripart. Botanic. pag 255.* Certè in quibuſvis ventriculi & inteſtinorum malis ſine pari eſt, modò decoctum ejus cum aqua communi ſolitariè, vel additis corticibus citri & aurantiorum propinetur. Decoctum quoque florum chamomillæ in cereviſia dolores poſt partum egregiè & miraculi inſtar mulcet, quicquid etiam alii de leviſtico & matricaria dicât. Accidit enim, ut omnibus rectè ſeſe habentibus, nihilominus poſt partum ſequantur dolores, quando mulierculæ frigido aeri ſeſe exponunt, unde uterus inflatur, ut videantur adhuc ſemel parituræ, & hìc nullum melius datur remedium, quàm chamomilla Vulgaris & Romana, decocta in vino, & mirabilia in hoc caſu præſtari poſſe cum hac, dicit *ROSENCREU ZERUS in Aſtrolog. Inferiorum. Foreſtus l.28. Obſ.75. & 81.* decocto hoc, tanquam Arcano, ſemper feliciſſimè uſus eſt in doloribus poſt partum. Huic decocto non incommodè additur Artemiſia. Menſes & urinam ciere dicit *AUTOR*, quod verum eſt. Ruſticæ mulieres idem quoque Decoctum in paſſione hyſterica colicæ ſpecie, adhibent; ſicut ipſe mulierem, colica convulſiva per 8. dies noctesq; pertinaciſſimè laborantem, opiatis & appropriatis fruſtratis, ſolo hujus in cereviſia decocti uſu repetito, curatam obſervavi. Prodeſt etiam in cardialgia, in qua feliciſſimè ſæpè uſus eſt *FORESTUS*, qui mercatorem aliquando clamoſo dolore ventriculi laborantem curavit hoc ſolo Decocto ſemel exhibito, ſequentibus ructibus, & doloris evaneſcentia. Denique uſu interno conducunt in febribus flores chamomillæ: & ſunt qui dicunt, quod chamomilla vulgaris ſit catholicum febrifugum, & contra febres intermittentes commodè uſurpari poſſit.

Poſt uſum internum ſequitur *externus*. Flores externè vim habent penetrandi, reſolvendi, diſcutiendi, emolliendi & dolorem ſiſtendi, ratione ſalis volatilis oleoſi, ad aromatum naturam accedentis; hinc nullus fotus ſeu cataplaſma Anodynum, aut diſcutiens, aut emolliens, aut maturans ſit, quod non ingrediatur chamomilla. In clyſteribus carminativis & anticolicis; in pediluviis cum floribus nymphææ, cum Cephalicis ad vigilias & dolores capitis compeſcendos; in quibusdam pediluviis ad colicas quaſcunque curandas egregiè conducunt: in contuſionibus & ſanguine congrumato, tumoribus flatulentis, tumoribus partium genitalium poſt partum, &c. ſacculi exinde parati & in vino cocti, genitalibus felici cum ſucceſſu calidè applicantur; item abdomini, in dolorib. uteri poſt partum, & in de retentis lochiis: quo in caſu matricaria addi poteſt, quæ vires chamomillæ uterinas ferè æquat. *FORESTUS in Obſ.* ad cardialgiam ſacculum expertiſſimum, atque à B. D. *MICHAELIS* aliiſque

feli-

feliciter uſurpatum habet, cujus hæc eſt compoſitio:

℞. *Rad. Althææ* ℥ß.
Flor. roſar. rubr.
chamom.
Summ. Abſinth. an. M.j.

Indantur ſacculo, qui coquatur in *aqua communi* vel *aqua chamomillæ*, fiat Fotus; cujus *baſis* eſt *chamomilla & abſinthium*.

SENNERTUS in Praxi l.3. p.177. alium ſacculum magis compoſitum habet, quem etiam *AMATUS LUSITANUS in Cent.5. Curat.39. & aliis locis* inſigniter commendat: quo ipſo *jam allegatus FORESTUS* inſtar incantamenti Cardialgiam curavit. In clyſteribus ſeu injectionibus uterinis in inflatione uteri, quando ſcilicèt poſt partum flatus in utero retinetur, isquè extenditur, ut ſpeciem præ ſe ferat, mulierem gravidam eſſe, ſuffitus ex nuce moſchata, & clyſter ex floribus chamomillæ & foliis matricariæ in uterum injectus, eſt egregii uſus.

Quoad *Præparata*, proſtat *ex chamomilla utraque* aqua, tàm *ſimplex*, quàm *cum vino deſtillata*, quæ pro vehiculo egregiè inſervit medicamentis anticolicis, in doloribus poſt partum, aliiſque jam dictis affectibus. *AMATVS LVSITANVS aquam* hanc ex floribus deſtillatam in cardialgia valdè commendat, ad ℥iij aſſumptam. *FONSECA* aquam ex ſucco florum deſtillatam, & ad ℥vj. mane aſſumptam, in intermittentibus febribus, in ſpecie tertianis, laudat; quod confirmat propria experientia *ZACVT. LVSITAN. l.3. Praxeos Admir. Obſ.26.*

Eſſentia quoque *utriuſque Chamomillæ* in uſu eſt in doloribus poſt partum & cardialgia flatulenta. Paratur vel *ſimplex* per *ſpiritum proprium*, quo fit gratior, & potioris uſus, quàm cum ſpiritu vini, vel *compoſita*, addita *Zedoaria*.

Oleum fundit cœruleum, in quo vis omnis quaſi eſt concentrata, quod internè ad aliquot guttas mirum quantum convenit in affectibus ſtomachi, quacunque colica, & doloribus poſt partum, vel ſolum vel permixtum cum ſaccharo in formam oleoſacchari chamæmelini ſatis grati. *Vulgò deſtillatur* cum *terebenthina* per veſicam, & acquiritur oleum cœruleum, ſeu ſapphireum: vid. *HARTMANNVS in Praxi Chymiat.* & *Sennertus in Inſtitut. ubi agit de oleis deſtillatis*. *Alii* oleum hoc deſtillant *cum raſura ligni pini* aut *abietini*; *alii* cum *raſura radicis ligni pini* loco terebinthinæ: ſed malè, quia chamomilla per ſe ex veſica deſtillata dat oleum cœruleum. Quidam dicunt, ex Venere in veſica hoc fieri: ſed hoc non verum eſt, quia ſi deſtillatur per cucurbitam vitream, habetur oleum cœruleum elegantiſſimum. Externè oleum hoc, tàm deſtill. quàm per infuſionem paratum, in colica & ſuffocatione uterina umbilico & abdomini illitum, mirificè prodeſt. Nullus ſitus eſt his ſcopis accommodatus, quem non oleum hoc, ceu primarium ingrediens, conſtituat. Quod cum ligni ſeu radicis pini raſura deſtillatur, egregium eſt Vulnerarium, & à nonnullis pro ſecreto habetur.

CHELIDONIUM MAJUS.

CHelidonium malè diſpeſcitur in majus & minus, cùm *Chelidonium minus* reverâ ſit *ſpecies ranunculi*. Majus Dicitur etiam *Hirundinarium*, Germ. *Schwalbenwurtz, gros Scholl-kraut*, ex traditione, quia hirundines hoc ipſo pullis ſuis viſum deperditum reſtituere vulgò creduntur: *Goldwurtz* etiam vocatur; vel ob egregios uſus, quos habet ejus radix & tota planta; vel à colore aureo, quem habent & ſuccus & flores, ſucco nimirum inſigniter flavo, ſaporeque acri amaricantiſſimo gaudet, quia ſale volatili admodum acri conſtat.

In Vſu Medico eſt Planta & radix; quæ ratione ſalis volatilis acris admodum penetrant, & diaphoreſin atque ſudorem eliciunt; inſignem vim obtinent abſtergendi quaſcunque mucilagines & ſordes in primis viis, & abſterſas ad ejaculationem ſtimulandi. Præterea internè ſpecificè laudant in ictero flavo non ſymptomatico, in eo cum primis, in quo ſeces alvi apparent griſeæ: & certè remedium expertiſſimum eſt ſecundùm Foreſtum & Joelem in ictero tàm flavo quàm nigro, addito tunc temporis medicamento Martiali; ſive planta ſive radix, præmiſſo Vomitorio, uſurpetur: ſuccus ſcilicet hujus plantæ recens expreſſus, aut vino infuſus, aut ipſa planta cum radice in vino decocta. Succum expreſſum potavit nuper ancilla noſtra, et perſanara eſt; ſicut et alii ancillæ, alvo adſtricta laboranti, præmiſſo Vomitorio, Infuſum hujus plantæ in cerevisia ſecundaria fauſto cum ſucceſſu exhibui. Sed cùm ſit acerrimi ſaporis, ſimul et nauſeoſum, ſuperbibenda eſt cerevisia: ſicut et ſunt, qui radices ſucculentas inciſas infundunt vino, & propinant in ictero flavo, certo experimento. Eſt quidem amaricans, ſed potentiſſimè operatur in dicto affectu, bis in die potum: poteſt edulcorari cum paſſulis minoribus, quæ non vulgaris ſunt uſus in ictero. Certè mirabili effectu in ictero operatur inſenſibiliter, modò per urinam, modò per ſudorem, adeoque meritò icteri ſpecificum habetur. Hinc Veteres non tantùm ad omnia epatis mala, ejuſque atoniam corrigendam commendarunt: nempe bili corrigendæ, & ejuſdem per hepar tranſcolationi promovendæ ſingulariter conferre videtur hoc Chelidonium majus. Hinc *FREITAGIVS in Aur. Medicor.* Chelidonium majus, ejus nempe ſuccum, ſyrupis mixtum, vel inſpiſſatum, extollit ad affectus hepatis frigidiores, et quaſcunque cachexias, non ſolùm flavas, ſed etiam albas; in genere ad omnes morbos chronicos, cum menſtruorum vitiis conjunctos, quia Veteribus ex imbecillitate hepatis oriri credebantur. Dicunt nonnulli, quod radix fuerit *ſpecificum* remedium *Helmontii* contra hydropem aſciten. Pro ſudorifero quoque egregio, cum aceto decoctum, in febribus malignis et peſtilentialibus propinatum habetur; undeetiam *PALMARIVS Tract. de Morbis Contag. c.18. p.456.* ubi dicit; quod ſuccus radicis ex vino albo, cum aceti roſacei pauxillo expreſſus, momentaneum in peſte fuerit auxilium. Propter hos egregios uſus, et hepaticos et alexipharmacos, *POPPIUS Germanorum Chinam* id vocare non eſt veritus, quoniam habet eaſdem vires, quas China Indorum. Sed non tantùm ſingulare hepaticum eſt hæc noſtra planta, ſed etiam ſingulare ſpleneticum, dum confert ad lienes dolentes atque tumentes, experientia certa *D. DOERINGII*: vid. *SENNERTVS l.3. Prax. p.622*: ſuccus ſcilicèt ſolus expreſſus cum vino vel cerevisia exhibetur. Unum adhuc moneo, quod tamen etiam reperitur apud *GARANZIER in eleganti Tract. de Tabe Anglica p.153.*, ubi valdoperè commendat chelidonium majus pro affectibus pulmonalibus, et quod meritò habeatur pro Balſamo pulmonum.

Externè herba chelidonii recens, aut radix recens contuſa, imponitur plantis pedum in tumoribus pedum œdematoſis, ex febribus intermittentibus tertianis vel quartanis pertinacibus, aliiſque morbis chronicis, plerumque ortis; quas vires expertas habeo in Amico, quem nuperrimè chelidonio hoc ab eodem tumore liberavi. Adhibetur etiam in ipſo hydrope, ſed cautè. In oculorum affectibus, pro iiſdem clarificandis, atque panniculo & nubecula removendis, etiam in oculorum ulceribus, ſuccus ex rupto caule exſtillans, oculis inſtillatur læſis pro curatione; ſanis pro corroboratione & purificatione: Sed quia eſt exceſſivè acris, diluendus potiùs eſt cum aqua quadam appropriata, ſcilicèt euphragiæ; vel deſtillandus, ut fiat mitior. Notum eſt, quod *BVRRHVS in Epiſt. ad Bartholinum pag 41. & 42.* ex hac planta paraverit liquorem, quo oculos diſciſſos integros iterum reſtituit. Comprobatum hoc videmus apud *SCHOTTVM in Technica Cur. l.2. cap.22.*, ubi anſerum oculis diſciſſis, humoribusquè expreſſis, ſuccus chelidonii majoris fuit inſtillatus, & elapſis tribus diebus, ut anteà, videre potuerunt: quod ſuo relinquimus loco. Prætereà in uſu extero chelidonium majus eſt egregium Vulnerarium; primariò ſi non adeò ſunt recentia, ſed paſſa alterationem ex aere, & ubi acidum vulnerum corruptorum incipit dominari, ſuccus tunc, inſtillato oleo vel unguento cum ſordibus aurium & terebinthina, fit Balſamum vulnerarium, colligendum pro uſu vulnerario principio Maii ante ſolis ortum, ubi vires ſuas habet exaltatas, dum madet adhuc rore Majali. Succus quoque verrucis applicatus & ſæpius reiteratus eaſdem tollit.

In Officinis proſtat aqua *deſtill.*, quæ ritè parata mirum eſt ophthalmicum, præſertim ſi *præmiſſa* aliquali *putrefactione deſtilletur*, & oculis applicetur. Cum hac fit *Infuſum* metallicum *antimonii*, vel croci antimonii aut metallorum, ſingulare *ophthalmicum Rulandi*, & *Quercetani Archanum ad affectus oculorum*.

Pertinet huc etiam aqua illa *ophthalmica ex cancris fluviatilibus & ſucco chelidonii majoris*, quæ oculos læſos ſeu vulneratos ac deſperatos, imò exulceratos, certò curat. Autor hujus aquæ primus fuit *CROLLIVS in Baſil. Chymica*, quam poſtmodum imitatus eſt *MYNSICHTIVS in Armament. Chymico pag 296. CROLLIUS* ſimpliciter fecit ex *ſucco florum & foliorum chelidonii*, quem depuratum in MB. per ſubſidentiam, conjunxit cum *cancris fluviatilibus vivis contuſis*: Hiſce benè miſtis & contuſis expreſſit *ſuccum*, quem *deſtill.* per MB., ſicque aquam acquiſivit, qua utitur vel ſola in vulneribus & ulceribus oculorum, vel inflat pauxillum de pulvere cancrorum fluviatilium incineratorum, deinde ſuperindit hanc aquam: Vid. imprimis *CROLLIVS in Baſil. Chymica*, & poſtmodum ex eo *FINCKIVS in Encheirid. dogmatico-Hermet. pag.51.* Efficacior autem fieret, ſi contuſa herba in tepore incaleſcat, putreſcat, & ſpiritum urinoſum odore fundens, ſocietur cum ſucco cancrorum recentium contuſorum, & poſteà procedatur ad mentem *CROLLII*. Dictam *Crollii Aquam* ſimplicem deinceps magis *compoſitam fecit MINSYCHTIUS l.a.*, ubi hujus præparationem, *CROLLII* præſtantiorem, videbitis: ſed, quod obiter moneo, de tutia, aloe & fabis nil adſcendit ſuper alembicum, & talia multa occurrunt in *MYNSICHTIO*.

Præparatur etiam *Q. E.* in Officinis ex chelidonio majori contra tabem Anglicam, quæ tamen toto cœlo differt à noſtra phthiſi. Qui plura cupit, conſulat *FABRUM in Myrothec. ſpagyr. l.2. cap.4.*, & *GARANZIER de Tabe Anglica c 5. p.156.*, qui docent ex illo præparare Quintam Eſſentiam, et valdè illam decantant.

Extractum, vel *cum aqua*, vel *reſinoſum cum ſpiritu vini* paratum, ſudores fortiter movet, et, præter hanc vim generalem, vi ſpecifica alterativa convenit imprimis in ictero flavo, præmiſſis præmittendis, præſertim Vomitorio et Martialibus; imò hoc ſolo icterus non adeò confirmatus curabilis exiſtit, quod aliquoties obſervavi: Hinc Veteres non adeo ineptè dixiſſe videntur, quod omnibus hepatis vitiis

vitiis conferat, hoc eſt, ut hodiè loquimur, ad vitia bilis corrigenda, ejuſque dyſcraſias tollendas. In febribus malignis ſeu peſtilentialibus pro ſudorifero à quibuſdam laudatur.

CHELIDONIUM MINUS.

Chelidonium Minus ad differentiam majoris ita dicitur, utut in nullo conveniant, niſi nudo nomine. Vocatur *Fevvigartzen-Kraut* propter virtutes, quas habet in his morbis curandis.

In *duplici* eſt *differentia*: vel enim eſt ferè *inſipidum*; vel etiam interdum *ſaporem acrem* habet, ad cochleariæ ſaporem nonnihil accedens, quod capiendum pro uſu Medico, atque in hoc paſſu ſimile eſt beccabungæ & reliquis antiſcorbuticis, & in ſcorbuto vel ſolum ſub forma acetarii, vel in vino, vel ejus ſuccus, uſurpatur: eſt enim egregiè temperatum in principiis activis ſalinis, & non adeò exceſſivè acre, uti reliqua Antiſcorbutica: Hinc noſtratibus etiam ſpeciatim *Schar bocks-kraut* dicitur, & ſpiritus Antiſcorbuticos ingreditur. Sunt qui capras habent, quas alunt cum naſturtio, beccabunga, cochlearia, & aliis plantis antiſcorbuticis, ut lac eò majores obtineat vires ex vi ſpecifica plantarum antiſcorbuticarum, quo poſtmodum utuntur contra ſcorbutum. Poſt uſum in ſcorbuto peculiare quoque ſpecificum eſt contra hæmorrhoides, vel nimium fluentes, vel cæcas, dolentes & tumentes, quarum tumor adeò eſt difficilis curatu, & periculoſus affectus: Fit enim non nunquam, ut ſequatur ani ulcus & gangræna, de qua vid. AGRICOLA *in Chirurg. Parva*. SOLENANDER *Sect.*4. *Conſil.*20. non poteſt ſufficienter commendare chelidonium minus uſu interno & externo, contra quæcunque hæmorrhoidum vitia; *quoniam*, dicit, *fluentes ſiſtit*, & *dolentes atque tumentes ſanat*. Vitia hæc herba vel radice ſcrophulariæ exſiccata, & potui cerevıſiæ vel vino infuſa, feliciter curantur. Vid. TABERNÆ MONTANUS *in Herbario*, qui radicem tantùm appenſam inſtar amuleti, ceu ſingulare experimentum laudat. Fuit quidam chirurgus, *teſte* SOLENANDRO, qui curavit omnia hæmorrhoidum vitia, dolentes, tumentes & fluentes, per herbas ſcrophulariæ & craſſulæ majoris: quibus ſi addatur chelidonium minus, eſt eò melius ad hæmorrhoides remedium. Quo etiam pertinent mariſcæ ſeu ficus ani, (qua propter quoque vocatur *Feigvvartzen Kraut*) aliaquè hujuſmodi pathemata, quæ ipſa ſymptomata chelidonium minus, internè quocunque modo uſurpatum, mirè curare ſolet.

Aqua deſtillata vel potiùs *ſuccus expreſſus* applicatus hæmorrhoidibus dolentibus & tumentibus, eaſdem certò curat; item oleum, cui planta contuſa fuit incocta. Ex nimio fluxu hæmorrhoidum interdum imminet hydropiſis, pro cujus præcautione, ut & ipſo hæmorrhoidum fluxu nimio, propinari ſolet aqua vel decoctum hujus chelidonii minoris.

Plura qui cupit, videat *citatum* SOLENANDRI *locum*.

CHENOPODIUM.

Chenopodium ſpecies eſt Atriplicis, cujus Decoctum contra urinæ ſuppreſſionem laudant.

CHERMES.

Vox *Chermes* eſt *Arabica*, cui, ſi Articulus *al* præfigitur, oritur *alchermes*, nomen communiſſimum.

Grana Chermes quod attinet, colliguntur ea frequentiſſimè (1) ex ilice coccigera in provincia Galliæ Narbonenſis, in cujus ilicis tam ſuperficie ligni, quam etiam foliolis ex parte adverſa, adhærent granula, quæ ſimillima ſunt iis, quæ aſparago adnaſcuntur, atque ſuccum colore ſanguineo continent.

In Polonia tamen (2) ſimilia grana rubra coccinea, ſucco purpureo turgentia, *Grana Radicum* dicta, reperiuntur circa radiculas polygoni, quod propterea *Coccigerum Polyganum* vocatur, de quo vid. ELSHOLZ Ger. *in ſeinem Garten-bau l.* 6. *c.*4. Et ſicuti grana chermes chermeſino hinc dicto colore tingunt; ita grana polygoni coccineum colorem ſuggerunt.

Notum eſt & (3) *Coccum infectorium*.

Ultra has tres ſpecies tamen genuina *grana Chermes* ex Inſulis Americanis novæ Hiſpaniæ adferuntur, quibus tinctores in tingendis pannis ſcarlatinis, Germ. *Scharlach*, utuntur. Ex his baccis ſucceſſu temporis prodeunt muſcæ exiguæ ſaltantes & volitantes, quæ perforant granula, & folliculum ſolum relinquendo avolant, intraquè paucos dies intereunt: ita ut grana hæc Chermes dicta ſint nihil aliud, quàm ovula vermiculorum circa folia ilicis depoſitorum, quæ ſucco ex planta iſto loco exeſa tranſudante involuta, & hinc membrana vegetabili cincta granum chermes conſtituunt. In ovo hoc ſucceſſivè excluditur vermiculus, nutritur ſucco contento, tandem per μεταμόρφωσιν hujuſmodi inſectis conſuetam in muſcam abit. Simile ferè in Quercubus circa Gallas aliaſquè quercuum excreſcentias, item in aliis herbarum arborumquè foliis ſubinde obſervamus.

Cauſam granorum horum optimè ſuggerit ZORNIUS *in Addit. ad Herbam Pancouinam p.*318. dum dicit; quod ſint ovula ſeu conceptus vermiculorum in centro ramulorum hujus polygoni, veluti in nidulo ſecuritatis cauſa ſubſiſtentium. Nam grana hæc in Vitro ſoli expoſita excluſerunt vermiculos purpureos, relicto involucro, albo capitulo hiſpido, multipedes & binis cornubus inſtructos. Idem phænomenon etiam obſervare eſt circa radicem piloſellæ, ubi pariter hujuſmodi granula reperiuntur, ex quibus etiam vermiculi prodeunt. Conf. PAULI *in Quadripart. Botanico*. Item etiam aſſerendum venit de Coccinella vera: Nam & hæc ipſa eſt nihil aliud, quàm bacca ſui generis, ex qua ipſa etiam vermes prodeunt, qui poſteà in muſcas convertuntur, & ex eadem bacca enutriuntur.

Cœterum *inſectum ex iſtis baccis* genitum, maturè exſiccatum præbet tincturam elegantiſſimam & pretioſiſſimam. Confer. quoad hiſtoriam granorum chermes, *Acta Societ. Reg pag* 299., ſicuti quoad *Cotſchomliam p.*665., de *Polygono Coccigero Polinico* M. A. N.C. *An. I. pag.*27. & *Ann.*3. *p.*167.

Quoad eorum *uſum*, *Grana Radicum* non ſunt in uſu Medico; *Cochinilia* verò in ſuppreſſione urinæ uſurpantur. Genuina autem *Chermes grana* decantatiſſima ſunt in cordis affectibus, adeoque pro roborandis viribus imbecillioribus ad præcavendum abortum, & roborandum fœtum à mulierculis adhibentur.

Grana chermes ſucculenta ſuccum ſuggerunt rubicundum, amaricantem, cætera temperatum, in quo ipſo reſidet vis ipſa, quam granis tribuunt, cardiaca, ſpirituum recreativa, &c. Revera videtur mihi quoad uſum Medicum ſuccus & grana chermes, ferè ſimilis ſucco roſarum; unde loco Confectionis al chermes ſimilem Confectionem ex roſis paratam ſubſtituit LUDOVICI *in Pharmac. p.*308., adeoquè in ſpecie in affectibus Melancholicis cum triſtitia, mœrore, Cordis palpitatione & ſimilibus laudatur. Nempe in granis his eorumque ſucco, ratione ſalis alcali ſui generis ineſt vis temperandi, & ſpecificè corrigendi Acidum iſtud, quod in affectibus Melancholicis ſpeciatim peccat, quo correcto & cordis palpitatio, & depravata ſanguinis fermentatio ceſſant, ac debita hujus ſuccedit ſpirituaſcentia, unde exhilarari denuò & confortari homo videtur; hoc eſt, quod vulgò dicunt, ſanguinem purum & defæcatum reddit, ſpiritus vitales vegetat, &c.

Ex baſi horum granorum, vel potiùs eorundem ſucci, procedit famoſa iſta antiquiſſima *Confectio Alchermes*, Autore MESUE primum compoſita, cujus vis confortativa, ſpirituum refectiva, capitis conſervativa, &c. eſt egregia, unde in debilitate Virium, ſyncope, palpitatione cordis, &c. admiſſis aliis valdoperè ex uſu eſt. Nec inferiorem locum obtinet in roboranda memoria, in abigenda triſtitia, ut & metu & terrore Melancholicorum, &c. nec non fœminis, quæ moſchum & Ambram ferre poſſunt, pro præcavendo abortu & roborando fœtu uſitatiſſimum eſt remedium. In affectibus acutis, febribuſque ardentibus Potionibus, addita ægros vigiles ſuavem ſomnum acquiſiviſſe obſervavi. Propter Ambram & moſchum ſubinde inimica eſſe ſolet mulieribus; propterea in quibuſdam locis proſtat *Confectio Al chermes amara cum caſtoreo*: vid. VELSCHIUS *Hecatoſt.*2. *p* 58 In Melancholia etiam hypochondriaca, aliiſquè affectibus Melancholicis, in paroxyſmo cum coraliis præparatis miſta & adhibita ſummum, adfert ſolatium. Quæ habet AUTOR *noſter*, ſunt ſatis certa.

Hæc autem *Confectio Alchermes* fit ex *ſyrupo granorum chermes*, addito moſcho, ambra, perlis, cinnamomo, &c. quæ omnia ſunt analeptica. Primaria tamen vis analeptica dependere videtur ab ambra, qua ipſa imprægnata eſt. Multa eſſent in hac Confectione corrigenda. Cui uſui enim folia auri, ſaccharum, & lapis lazuli ingrediuntur? imprimis cum lapis lazuli habeat vim purgantem. Accedit quod uſus ſpecificus, propter quem confectionem hanc ingreditur, contra affectus melancholicos ſit imaginarius, & in tàm parva quantitate ſeu doſi vi purgante nil operetur, niſi vi abſorptiva acidum melancholicis deſtruat: Nihilominus tamen, quoniam uſu confirmata eſt hactenus, adhuc dum retineri ſolet.

Doſis hujus *Confectionis* eſt à ℈j vel ʒß ad ʒj cum aqua quadam appropriata; vel variis aliis admixta. Hoc adhuc notandum, quod mulieribus, quæ non facilè ferunt moſchum Confectio Al Chermes ſine illo exhibenda; ſenibus verò & viris Confectio cum moſcho & ambra.

Plura videbitis *in* IOHANNE STEPHANO STROBELBERGERO, & EICHSTADIO, qui integros *Tractatus* ſcripſerunt *de Confectione Al Chermes*; & ZVVELFFERO *in ſuis Scriptis*.

Elegantem *tincturam* ſeu *Eſſentiam granorum Chermes* à CNOEFFELIO paratam videbitis *in M. A. N.C. Ann* 6. *Append. pag*.95. Tincturam hanc cum camphora in Melancholia, & morbis cum delirio conjunctis, uti & in paſſione hyſterica, & quibusdam affectibus uteri laudatur, & ſatis famoſa eſt; loco cujus poteſt ſubſtitui tinctura granorum Actes ſeu ſambuci cum camphora.

Proſtat etiam in Officinis *ſyrupus granorum Chermes*, qui in Provinciis Gallicis copioſè paratur; cui in fine addunt camphoram. In hauſtu vini gravidis propinatur in affectibus uteri, & ad abortum præcavendum.

HART-

HARTMANNUS *in Praxi Chymiatr. pag.56. §3.* commendat *Extractum Confectionis granorum alchermes* cum ſucco pomorum Borsdorffianorum in paſſione hyſterica, in melancholia tàm ſimplici quàm hypochondriaca, mania, & ſimilibus affectibus chronicis hypochondriacis, atque deliriis Melancholicis.

Magiſterium granorum Chermes per præcipitationem conficere nititur ZWELFFERUS *in Pharmac. Regia Ultimæ Edit. p.179.* Sed meritò vapulat à TACHENIO *Hippocr. Chymico pag.135.* Alcali enim tartari agit in Acidum aluminis, & dimittit ex ſe terram, quæ hinc unà in Magiſterium præcipitatur, adeoquè Magiſterium hoc de terra aluminis participat.

CHEYRI, KEYRI, LEUCOIUM.

CHeyri & Keyri Voces ſunt Arabicæ. TABERNÆMONTANO hæc planta audit *Viola petræa lutea*, Germ *gelbe Veilchen*, BAUHINO verò propriè *Leucojon luteum*.

Flores, vel *ſummitates herbæ cum floribus & ſemine*, ſunt in uſu & imprimis in affectibus mulierum, facilitando partu, pellendis menſibus, ſecundinis, lochiis, aliiſque impuritatibus ex utero excernendis, ut & ſopiendis doloribus poſt partum, ſub forma Potionum. Vim hanc confirmat convenientia ejus florum cum croco, ſimiles virtutes uterinas poſſidente; hinc quoque gravitatem capitis inducunt vi ſuâ aromaticâ volatili, quâ odorem quaſi croceum ſpirare videntur. Similiter & in paralyſi, apoplexia, epilepſia, aliiſquè affectibus capitis uſurpantur, utut non adeò convenienter, cùm Cheyri magis ſit uterinum, quàm cephalicum.

Externè ſacculi & fomenta cum iis parantur.

Aquam ex floribus deſtillatam mulierculæ uſurpant in ſpecie ad facilitandum partum, & lochia, ſecundinas, aliaſque impuritates ex utero expellendas.

Oleum Cheyri paratur per infuſionem, quod abdomini & regioni pubis frequenter illinunt in ſtimulandis menſibus, lochiis, atque ſecundinis retentis, ut & pro facilitando partu, & doloribus poſt partum leniendis, &c. Hujus *vires extolluntur*, ſi infundantur *cum floribus calendulæ*. Pro expellendo fœtu inungitur abdomini, miſtum cum oleo chamomillæ.

CHINA.

CHina radix eſt exotica, quæ ex China ad nos adfertur, unde & nomen iſtud eſt ſortita. Et videri poſſunt de hac ii, qui ſcripſere de rebus in Indiis Orientalibus, in quibus Morbus Gallicus eſt endemius; hinc radix hæc in iiſdem creſcit frequens, ut ſit medicina in eodem appropriata. Habetur tamen & in Hiſpania Nova, ubi optimè creſcit, utut hodiè ex Peru potiùs ad nos perveniat. Vera autem China texturâ conſtat admodum acri, & volatili aromaticâ, ſatiſque penetrante, ideò in impuritatibus ſanguinis, lepra, lue Venerea, &c. decoctum radicis Chinæ per ſudorem optimè operatur. Ordinariò cum lignis miſceri ſolet pro decoctis ſudoriferis contra luem Veneream, affectus catarrhales. *Radix* autem *nodoſa*, quæ ad nos adfertur, eſt tantùm *ſylveſtris*, *non hortenſis*, ideoquè magis temperata, nec adeò acris, quàm cœteræ radices ac ligna; unde tutior ejus in delicatis aut biliofis ſubjectis eſt uſus, in quibus vi diaphoreticâ & ſudoriferâ maximè pollet. Ejus nempe ℥j in *aquæ ſimplicis* ℔j ad medietatem decoquitur, donec ſaporem acrem acquirat; quo decocto uti poſſumus ad uncias aliquot pro ſcopo ſudorifero, & in hydrope, febribus, omnibuſque morbis chronicis Galenicorum ultimum ſolatium eſt, præmiſſis univerſalibus; ſicut BONTIUS *Medic. Indorum pag. 33.* ad omnes morbos chronicos & paralyſin Indorum maximè commendat. Convenit etiam in ſcorbuto, membra exteriora affligente, arthritide nempe vaga ſcorbutica, & paralyſi ſcorbutica; ſorbillant ad tempus in lacte caprillo vel ſero lactis, cui & ſimul inſtillatur ſpiritus cochleariæ. Juxta JULIUM CÆSAREM CLAUDINUM *in Append. de Ingreſſu ad Infirmos pag. 534.* priapiſmum excitat. Porrò radix chinæ in ſero lactis ſenibus catarrhoſis & podagricis eſt admodum proficua. In catarrhis & phthiſi imminente, ad corrigendam lympham acriorem in pulmones effuſam, decoctum chinæ convenit: vid. FREITAGIUS *in Aurora Medica, ubi tractat de phthiſi*. Cœterum, cum valdoperè exſiccet, ſunt qui præcipiunt, ut in Decocto addantur paſſulæ majores, propter ſaporem aliqualem; quæ etiam per ſe egregiè conveniunt in ſcorbuto. Modus propinandi Decoctum in phthiſi eſt hic:

℞. *Rad. Chinæ in taleol. inciſæ* ℥ij.
Flor. papaver. errat.
Beton.
Scab. an. M.ß.
Paſſular. major. enucl.
Minor. an. ℥j.

Coqv. in ſ. q. *aquæ communis* ad ℔ iiß: Colatura edulcoretur cum *ſyrupo florum papaver. rhœados*, & traiiciatur per manicam Hippocraticam, D.S.

Potus contra phthiſin.

Item ad temperandam acrimoniam ſalis ſcorbutici, & inde natam ſitim compeſcendam, egregium eſt *Decoctum Chinæ* TIMÆI *à Guldenklee in Epiſt. 29. l.3. pag. 238.* Nam mucilaginem temperatam ſimul continet, unde vis ejus attemperandi cum vi ſimul diaphoretica dependet; hinc etiam vim pingueſaciendi obtinere, à quibuſdam affirmatur.

Eſſentiam ex China paratam videbitis in BEGUINI *Tyroc. Chymicò*.

Præter Chinam, qua de locutus hactenus ſum, offert ſe

CHINA CHINÆ,

DE qua tacet Autor noſter.

China Chinæ vocatur aliàs *Cortex Febrifugus Peruvianus*; item *Pulvis Jeſuitarum*, quia hi ex Peru redeuntes hanc ſecum attulerunt, & in ſcholas Medicorum introduxerunt. *Febrifugus* dicitur, quia primùm expertus eſt contra febres intermittentes quaſcunque, etiam chronicas, in ſpecie quartanas, unde vocatur à quibuſdam *Antiquartium Peruvianum*. DIGBÆUS in Anglia uſus eſt illo cum ſucceſſu in Praxi; & in Italia REDI adhuc adhibet illum feliciter: vid. *Diſſertatio D.* AMMANNI *Noſtri*, & BARTHOLINUS *in Cent.5. Hiſtor. 50.* In Officinis noſtris eſt nigricans quodammodo & rubeſcens, ſaporem & odorem habens aromaticum ſimilem cinnamomo; ſed minus genuinus eſt hic Pharmacopœorum noſtrorum cortex. Magna enim hic ſubeſt Mercatorum fraus. Item inſigniter illum adulterant, adeò ut vix inter ℔j reperiatur ℥j veri. Dignoſcitur adulteratus à genuino ita: Qui eſt ſaporis ſimilis ferè cum cinanomo, non eſt legitimus, ſed adulteratus; genuinus autem, qui Roma aſfertur, ubi eſt genuinus, eſt craſſior, ſpiſſior, quodammodò albicans, ſaporis amariſſimi, ſimilis omninò radici gentianæ noſtratis. Cortex autem hic eſt arboris cujuſdam puſillæ; quæ quibuſdam dicitur Gentiana Indica fruticeſcens: vid. HOEFERUS *Herc. Med. l.6. cap.33.* quam delineatam habet BARTHOLINUS *l.a.* Confer. ſimul ejus *Cent.2. Epiſtol. pag.530.* & *Cent.4. p.521.* nec non AUTOR noſter *in Append. pag.21.*

Uſus ejus eſt in febribus intermittentibus, Quartana præprimis, & tartiana, tam ſimplici quàm duplicata, inveterata: *Cortex* ſcilicet pulveriſatus à ʒj ad ʒij vel ʒiij infunditur in hauſtum vini; ponitur in locum tepidum per noctem, & unà cum Infuſo hauritur horâ unâ vel bihorio ante paroxyſmum. Operatur per ſudorem copioſiſſimum, interdum per vomitum, raró per ſedes. Sed hoc habet maligni, quod, niſi præmiſſis univerſalibus debitis adhibeatur, ſemper relinquat metum recidivæ: & obſervata quinquies, imò ſexies, recidiva in febre, in qua ſolus fuit præſcriptus. BARBETTE in febribus curandis primò purgat, deinde pulverem hunc exhibet, poſt rurſus purgat. Præmittenda ergò eidem Digeſtiva & Vomitoria generalia, & obſervetur ſtricta diæta: ita poſt uſum ejus ceſſant Quartanæ, ubi rarius ultra ſecundam vicem, ſi genuinus eſt, exhiberi debet; ſicut etiam BOYLE *in Tract. Anglico de Philoſoph. Experim.* refert, ſe unà vel alterâ doſi corticis febriſugi, ad ʒj ante paroxyſmum propinati, ſæpius curaſſe Quartanas, quæ per dimidium annum etiam duravere. Quod ſi minus genuinus fuerit cortex, periculoſus ſæpè & lethalis ejus uſus eſt. CHIFLETIUS *peculiarem Tractatum de China Chinæ* ſcripſit. Ubi uſus ejus ſuſpectus, purgans illi ſubjungatur.

Cœterum, cùm rarò apud nos genuinus habeatur hic cortex, & gentiana noſtras ipſa egregium ſit Febriſugum, eadem non inveterata loco Chinæ Chinæ ad ʒj commodè ſubſtitui, eodemque modo infuſa uſurpari in Quartana poteſt, & ſpero eoſdem ab illa effectus; ſicut in febre tertiana ſalia vegetabilium fixa, v. g. abſinthii, cardui benedicti, &c. ſæpè ſufficiunt: vid. BARBETTE *in Praxi*: ſicut LUDOVICI *in Pharmac. pag.278.* Extractum abſinthii cum illis ſalibus Chinæ Chinæ ſuccedaneum facit.

Quæritur autem coronidis loco, in quonam ejus vis conſiſtat? Reſp. Notum eſt, quod omnes febres intermittentes ex fermento acido, vitio degeſtionis primæ contracto, oriantur. Cum ergò omnia Antifebrilia fermentum hoc febrile præcipitando, & efferveſcentias febriles mitigando, operentur, ut ſunt C.C. uſtum, mater perlarum, febriſugum STROBELBERGERI, calcinata animalium, antimonium diaphoreticum, &c. & hac ratione Chinam Chinæ conducere credendum eſt. Minus tamen tuta hæc omnia in febribus ſunt, quin febres fiant duplicatæ aut triplicatæ, ſi inconſultè adhibeantur. Ne ergò febres duplicentur aut triplicentur, univerſalia, nempe Vomitoria, aliis primò ſunt præmittenda.

ZWELFFERUS *in Pharmacop. Regiæ Edit. ultima p.77.* habet Decoctum & Extractum febriſugum ex hoc cortice chinæ chinæ; cui ſuadeo præferendum eſſe decoctum vel Extractum gentianæ noſtratis, utpote huic viribus non inferius.

CHRYSANTHEMUM.

CHryſanthemorum *variæ* ſunt *ſpecies*, quas inter in Horto Medico noſtro ſe offerunt *Chryſanthemum majus inodorum folio hirſuto*, quod etiam *Buphthalmus lanuginoſus foliis milleſolii* dici-

tur; *Chrysanthemum Creticum*, *& Indicum*. *Chrysanthemum majus Chamæmeli species* esse videtur.

Officinis non est in usu, sed in hortis tantùm ornatus gratiâ colitur.

CHRYSANTHEMUM CRETICUM.

CHrysanthemum Creticum est vel *luteum*, vel *mixtum ex luteo & albo*; vel *album simpliciter*, quod tamen rarum. *Luteum bellidi* proximè *accedit*, *refertur que ad Chamomillas*, in specie *ad Anthemides luteas*. Nullo in Autore exactiùs descriptam reperietis, quàm in Horto Eustadiensi, in quo æri incisa est hæc planta.

Est aliâ exotica, *nec* ullum in Officinis *usum Medicum* agnoscit.

CHRYSANTHEMUM INDICUM.

CHrysanthemum Indicum est vel *latifolium*, vel *angustifolium caule rubescente*.

Nullius hæc sunt usus in Officinis.

Datur & in Horto Medico nostro *Chrysanthemum Peruvianum non tuberosum*, seu *Flos solis*.

Hujus usus hactenus ferè fuit incognitus, qui tamen est *duplex*, *Medicinalis* scilicet, ac *Culinaris*.

Quoad *Usum Medicinalem*, scapus seminum ferè maturorum incisus ac decoctus copiosum præbet Gummi, quod quidam tanquam singularissimum Vulnerarium, in formam scilicet emplastri redactum, extollunt.

Quoad *Usum Culinarem* relatum mihi est, quod idem scapus seminalis maturus probè coctus, & à gummosa sua substantia liberatus, æquè blandè palatum afficiat, ac scolymus esculentus, Germanis *Erdschocken*, coctus.

CHYLOSTEUM.

CHylosteum DODONÆUS primò descripsit *flore albo*; & rariùs *flore roseo* vel *rubro* reperitur. Inter *Periclymena* refertur. In Horto Eustadiensi quoque Germ. *Pein-Holtzlein* dicitur.

Nullius est *Usus*.

CICER.

DIversæ *Ciceris species* sunt, *Album*, & *Nigrum* seu potiùs *rubrum*.

Promiscuè in *Usu* sunt, imprimis *semen nigrum*, quod utut usus sit quodammodo culinaris, nihilominus tamen etiam officinalis, propter vim moderatè diureticam, propter vim ciendi Menses, & abstergendi renes; adeoque convenit in provocatione urinæ & & mensium. Dehinc Decoctum est puerperis post partum pro lochiis promovendis, & utero expurgando: nitrositate enim suâ abstergit & purificat uterum, cum radice petroselini in jusculo carnis decoctum. Partum item facilitat, fœtum expellit, secundinasque movet, & subsistentibus in virginibus mensibus succurrit. Si adderetur artemisia, & flores matricariæ, & edulcoraretur cinnamomo, esset Decoctum gratius & efficacius. Lac quoque augere dicitur, sed falsò: cùm vis lac generandi neutiquam illi insit; nec enim simul lac generare, & Menses promovere valet.

CICHORIUM ET CICHOREA.

CIchorium duplex est: *Hortense*, quod *Intybum* vocant; & *Sylvestre* Officinale *flore cœruleo*, quod *Cichorium*. Datur præterea *Cichorium flore albo*, & *carneo*, quod tamen rarum est. Aliàs *Sonchi*, *Taraxaca*, *Endivia*, *Lactuca*, ac *Intyba*, *plantæ* sunt *congeneres*. Germanis vocatur *VVegeWart*, *SonnenWendel*, *Hindlauffie*, & quæ alia rusticorum sunt nomina.

Generalis autem hujus rei *γνώρισμα* est; quod scilicet

1. Fundant succum lacteum.
2. Luteos ut plurimum flores ferant.
3. Flores in pappos degenerent.
4. Quod sint frigida.

Cùm autem omnia frigida & humida dicantur, hinc hepati conveniunt.

Hortense & *Sylvestre usitatum* est, & quidem imprimis apud Veteres in maximo fuit pretio, & ab iis propter maximas utilitates vocari consuevit *Polychrestum*, item *Pancratium*; quemadmodum etiam medicamenta, quæ multis medentur morbis, dicuntur polychresta & pancratia.

Ex planta in usu sunt *Folia*, *Flores*, *& Radix*.

Planta hæc *lactescens*, sicut etiam *radix*, moderatè amara ac cum aliquali stypticitate conjuncta, unanimi consensu dicta fuit *planta Hepatica*, quod nil præstantius in hepatis vitiis quibuscunque, ubi sanguis à debita deficit crasi, tollendis, & subjectis biliosis, *in juvenibus nimio calore abundantibus*, hac esse dicatur. Hepati namque calido, i.e. hypochondriis æstuantibus ac inde natis phlogosibus, cùm planta, tùm radix insigniter mederi observata; refrigerat enim tali in casu, quippe etiam inter plantas frigidas numeratur. Quando nempe aliàs phlogosibus laborat corpus, tunc hepar laborare dicunt; sed falsò: Oriuntur enim illæ ex vitiosa effervescentia salis volatilis, in bile existentis, cum Acido peregrino vitio digestionis primæ orto, unde non tantùm phlogoses, sed & tormina in iisdem percipiuntur. Affectus hic, qui à Medicis plurimis, imprimis Italis & Gallis, Intemperies ventriculi frigida, & hepatis calida vocatur, atque radix mali hypochondriaci, febrium chronicarum, omnisque cachexiæ statuitur, sæpè est ignorantiæ asylum.

Ut autem dicam hìc, quod res est, notetur, quando de ventriculi frigida & hepatis calida Intemperie reperitur apud Autores, semper credendum, adesse fermentum nimis acidum & fixum, ventriculumque pituita viscida crassa & acida esse obsessum, judicandum. Quando igitur talis est constitutio, Autores dicunt: *laborat ventriculus Intemperie frigida*. Quod si ex hac labe fiat corruptio chyli, quæ etiam necessariò fit, facilè deinde, quando ille præterit insertionem pori choledochi in duodeno, oritur effervescentia; cujus comes individuus est phlogosis, ut jam dixi, & tunc dicunt: *laborare hepar Intemperie calida*.

In Intemperie hac dicta commendatissimum est Cichorium, de quo vid. *PANAROLLUS in Pentec. 3. observ. 47.* ubi in inæquali viscerum temperie nil melius, quàm cichorium, convenire credit. Probatur hoc ex sapore amaro, quo innuit, constare sale nitroso acri volatili, non adeò penetrante, sed admodum temperato, ita, ut in hoc præponderet Alcali; quod

1. Acidum in ventriculo ex prima digestione relictum emendat, & mucilaginem incidit, resolvit, & detergit, atque per alvum & urinam blandè eliminat.

Unde

2. Remotione impedimentorum facta, fit ut chylus laudabilis præparetur, & phlogoses cessent; & sic admodum convenit in morbis dictis chronicis.
3. Emendat oleositatem bilis, auget ejus acrimoniam, & abstergendo hinc inde vitiosas sordes primarum viarum, partim alvum apertam servare, partim aliquâ vi diureticâ pollere observatur.

Propter quam vim salino-nitroso-volatilem evenit, quod libenter loca pinguia probè culta, adeoque nitrosa, incolere soleat. Conf. in specie *SENNERTUS de Natur. Cibor. in Paralip. pag. 77.* Hinc propter plures affectus subalternatos polychrestum solet esse remedium, dum ardorem stomachi restinguere, sanguinis acrimoniam & fervorem temperare, hepati & renibus prodesse, ob insignem amaritudinem ductum choledochum reserare; adeoque quicunque vitam prolongare conantur, hanc plantam sibi commendatam habere debent, *AUTORE THEODATO l. 1. pagin. 257.*

Lis est inter Autores, *an frigidum sit cichorium? an verò calidum?* Sed lis est de lana caprina: si saltem consideretur sapor acris amaricans, apertum erit, quod sit calidum.

Juxta centaurium minus & absinthium, Cichorium est primarium ex febrifugis: Valdoperè enim convenit stomacho, propter vim ardores & effervescentias compescendi, ab Acido oriundas, & propter vim abstergendi, incidendi mucilagines crassas primarum via- & incisas per inferiora educendi; dumque simul habet saporem subadstringentem, moderatè adstringit, & firmat partes, ne laxentur, in aliamque illabantur infirmitatem. Ii, qui post graviores morbos dispositi sunt ad cachexiam, hydropem, aliosque affectus, propter crasin sanguinis nondum perfectè restauratam, coquant radicem cichorii in jusculo, & decoctum assumant.

Sunt, qui commendant *Flores cichorii albos* contra hæmorrhagias narium, si scilicet vel comedantur, vel extrinsecùs applicentur. Sunt etiam, qui hìc præferunt *Radicem cichorij albi*, tempore exaltationis in festo S. Jacobi circa meridiem collectam, & dentibus contritam; sic enim hæmorrhagias narium sistere creditur. Sed hoc non tantum dicunt de radice cichorii albi, verùm etiam de cœrulei radice, eodem modo adhibita, dentibus contrita, et sub linguam detenta: Vid. *ROSENCREUZERUS in Astrolog. Infer. pag. 433.* Juxta hanc vim usitata est in sputo sanguinis masticata, et sub lingua detenta, vel etiam sensim sensimque deglutita. Sunt, qui se reddere volunt impenetrabiles ab armis cum hac radice, si assumatur simul usnea cranii humani; quod tamen fabulosum puto esse.

Inter *Præparata* est succus cichorii amaricans, ac sale essentiali ferè nitroso imprægnatus, qui forti decoctione elicitus, ita inspissando in Extractum, cuivis usui accommodabile, redigitur; qui in vitiis bilis corrigendis est egregius. Acuit namque bilem torpescentem, particulasque ejus salinas auget ac intendit, ejusque secretionem adjuvat.

Conserva cum aliis appropriatis in cachexia post graviores morbos, aliisque affectibus supradictis, hepati vulgò tributis, ex crasi sanguinis nondum perfectè restaurata oriundis, nec non in sputo sanguinis, præ-

præſcribi ſolet. Formula poſſet eſſe talis, quam habet ZACCHIAS.

℞. *Conſ. flor. cichor.*
roſar.
Summit. rubi an. ℥j.
Santali rubri ℥ij.
Boli Arm. ℥j.
Syr. myrtillor. ℥j. M. f. Electuarium.

Hujus Miſturæ hora una ante paſtum exhibeatur ℥ß. in hæmorrhagia, & narium & aliarum partium, imprimis in ſputo ſanguinis.

Radix cichorii condita, eingemachte Hindleuffte, in jam dictis affectibus cachecticis aſſumitur: ſed parum virtutis ſupereſt, quam per diuturnam coctionem perdidit.

Syrupus de Cichorio cum Rhabarbaro moderatè laxat, & ſolet præſcribi in mixturis contra cachexias, & ſpecies icterorum. Infantibus recens natis admodum proficuus eſt, ſi tantillum, drachma una vel altera, cum pulpa paſſularum ad lambendum detur, antequam lac ſugant, quia ventriculi cruditates in utero collectas abſtergit, meconium expurgat, & mala inde oriunda, v. g. epilepſiam & tormina, præcavet, additis coralliis rubris præparatis, lapillis cancrorum præparatis, &c. Maximi enim infantum morbi oriuntur ex corruptione acida lactis, ad quam diſponunt ſordes relictæ poſt partum, ſive hæreant in ventriculo, ſive inſtar meconii in inteſtinis. Hi autem præcaventur exhibitione vel ſyrupi de cichorio, vel olei amygdalarum dulcium cum ſaccharo penidiato; ſaccharum enim prohibet lactis aceſcentiam, & rhabarbarum ſordes abſtergit.

Ex floribus cœruleis fit elegans aqua *ophthalmica per deliquium* in clibano, quæ vel ſola vel cum ſpermate ranarum, in ophthalmia ex lympha nimis acri, ſugillationibus, albugine, & aliis oculorum affectibus, vi deterſiva & mundificativa admodum egregia eſt: Ideo & maximè laudatum exſtat remedium contra oculorum affectus ex Cichoriorum genere. Modum habet AUTOR *noſter*, & SENNERTUS *in Praxi de Affectib. Oculorum*, & alii Autores plurimi.

Sal fixum eſt ex uſitatiſſimis febrifugis in febribus intermittentibus, tàm die intermiſſionis, quàm ante paroxyſmum. Commodè additur in febribus chronicis, & quibus imminet cachexia, antimonium diaphoreticum Martiale. Unde quidam ex *cichorio incinerato* parant lixivium, quod ſuperaffundunt *limaturæ Martis*, & exponunt calori vel ſolis vel furni: hinc fit, ut antimonium fatiſcat in *crocum aperitivum*, quem laudant in morbis chronicis & cachexiis. Sed præparatio hæc nil valet, quia mars in calcem terream irreſolubilem mutatur.

CICUTA.

Cicuta ſeu *Cicutaria aquatica minor*, *Schierling*, petroſelino quoad formam ſimillima eſt, & vulgò inter herbas venenatas refertur: Radix enim ejus non minus brutis, quàm hominibus, perquàm nociva deprehenſa fuit. Propter ſimilitudinem namque faciei hujus cum petroſelino factum, ut ex radice, pro petroſelini radice, comeſta non raró convulſiones, imò ipſam quoque febrim petechialem, aliaque graviſſima ſymptomata, exorta ſint. Exempla proſtant quamplurima: imprimis in KIRCHERI *Scrutin. Peſtis p.* 204. curioſum eſt, quod refertur de duobus Monachis, qui ex eſu cicutæ radicis, pro petroſelini radice, in delirium inciderunt, ut putarint ſeſe eſſe anſeres & anates, & propterea in aquam ſe contulerunt, & natarunt, donec interierunt. Præter hoc KIRCHERI proſtat exemplum in BARTHOLINO *Cent.* 4. *Hiſtor.* 46., item in SIMONIS PAULI elegantiſſima *Digreſſ. de Febribus malignis p* 101., ubi aliquot habet exempla cum ſymptomatis, qualia adeſſe ſolent in febribus petechialibus, quæ curavit quaſi venenum fuiſſet aſſumpium: ſicut etiam AMATUS LUSITANUS *Cent.* 5. *Obſ.* 98. refert exemplum de puero, ex eſu cicutæ mortuo. Plura de his videbitis in *M. A. N. C. An.* 3 *p.* 552., HAGENDORN *Miſcell. Med. p.* 396., & WEPFFERO *de Cicutaria*, qui legi meretur. Benè obſerv. ergò, ne folia aut radix cicutæ confundantur cum foliis & radice petroſelini, utpote maximè illi, quoad faciem externam, ſimilibus.

Cœterum utut habeatur pro maligna & venenoſa, & propterea etiam ab uſu Medico interno exulet. Nihilominus RENEALMUS *in Obſerv.* 3. & 4. ſolus uſque eo audaciæ acceſſit, & pulvere hujus radicis partim in ſubſtantia à ℈j ad ℥ß cum vino, partim in Infuſo à ℥j ad ℥ij, idque felici cum ſucceſſu, in ſcirrhis hepatis ac lienis, ut & pancreatis graviſſimis, uſus eſt: ſed faciat hoc ſuo periculo. Non minus rarum eſt, quod refert VERBEZIUS *in ſuo tract. contra Caſtellum de Vitriolo*, in quo *p.* 46. ex GALENO de quadam anu, quæ conſuetudine ita familiarem ſibi fecit cicutam, ut ea veſci potuerit ſine detrimento in magna copia. Tanta vis eſt naturæ & conſuetudinis in amicis nobis reddendis inimicis ſeu venenis.

Externè ejus uſus eſt frequentior: imprimis cicutæ ſuccus expreſſus, vel ipſa contuſa planta aut cum Infuſo [illegible] licata, mammarum incrementum coercet, duras & parvas reddit. Sunt, qui non ineptè externè mammis ad nimium lactis proventum in iis, qui non volunt lactare, vel ſub metu coagulationis lactis coerciti, & indurationis mammarum, plantam hanc contuſam, ac in lacte, vel aqua cherefolii, vel in aqua & aceto, decoctam, ſub forma cataplaſmatis, vel ſuccum cum aceti tantillo temperatum applicant. HENRICUS *ab* HEER *in Obſervat.* 7. valdoperè commēdat cicutam ad inflammationem & tumorem penis ex nimia Venere, ſive recens applicetur, ſive cum aqua florum ſambuci vel cum aqua ſimplici decocta applicetur; diſcutit enim & tumorem reſolvit: Cicutæ nempe folia lota & contuſa, ſi humida; ſi; exſiccata, priùs macerentur in aqua, & immittantur intra præputium cui ſi addatur tantillum camphoræ, erit eò melius. In emolliendis tumoribus tàm lienis & epatis, quàm etiam partium externarum duris, nempe ſcirrhoſis, ſtrumoſis, grumoſis, &c. radix eſt egregia, quacumque ſub forma applicata.

Proſtat pro hoc uſu in Officinis *Vnguentum* & *Emplaſtrum de Cicuta*, quæ vel ſola, vel cum gummi ammoniaco, in aceto ſcillitico ſoluto, mixta ad ſtrumas & omnes tumores duros emolliendos, idquè imprimis in tumore duro & ſcirrhoſo lienis, & poſtmodum etiam in ſcirrho mammarum, expertiſſima ſunt: Vid. DOERINGIUS *in tr de Opio p.* 92. Omnes enim plantæ plus minus narcoticæ, uti ſunt mandragora, ſolana ſomnifera, nicotiana, bryonia, cucumer aſininus, noſtra cicuta, &c. in hujuſmodi tumoribus duris ſine ſuppuratione emolliendis, ſub qua facilè in cancri naturam degenerant, egregiè proſunt. Aliquot *compoſitiones Emplaſtrorum contra ſcirrhos* reperimus in SENNERTI *Tom.* 3. *Prax. pag.* 492., ubi allegat præſcriptionem HEURNII *Emplaſtri de cicuta* et gummi ammoniaco, quod ad omnem duritiem molliendam valdoperè fuit expertum, et in AUTORE *noſtro parte Anterior p* 199. atque in *Scriptis* HILDANI *de Acidulis p.* 657. Quando applicatur pro uſu contra ſcirrhos, ſolet ſubigi cum oleo capparum, vel oleo deſtillato ſuccini, vel oleo cochleariæ; Præſtat oleum ſuccini et capparum: Ergo ſi hoc malaxetur idem Emplaſtrum, erit eò melius.

Ad Cicutariam pertinet etiam.

CICUTARIA PALUSTRIS,

Seu *Phellandrium*, modernorum decantatum antiphthiſicum præſervativè et curativè; ſemen nempè crudum ſæpiùs aſſumptum et uſurpatum.

CINAMOMUM.

De *Cinamomo* ſeu *Cortice Aromatico*, in genere *Canella* dicto, controverſia; *an idem ſit cum canella*: & ſi hoc; *an ſit idem cum Veterũ Caſſia ſeu ligno Aromatico?* inter Botanicos orta eſt, de quo BAUHINUS *Tom.* 1. *Theatri Botanici*. Multæ enim ſunt arbores, quæ *Canella* dicuntur, cœteræ ejus varietates *Caſſiæ ligneæ*; cujus plures ſunt differentiæ, quas videbitis in ſpecie *in* PISONE *in Mant. Aromat.* & ex eodem in FRANCISCI *Luſtgarten p.* 686. & 695. Conf. M. A. N. C. *Ann.* 4. *p.* 139. Sic ad *Caſſias ligneas pertinet* modernorum *Caſſia caryophyllata*, quam eſſe *Kerſam Arabum*, videbitis in VELSCHII *Hecat.* 1. *p.* 19. Sic ad Canellas has pertinet Anglorum *Cortex Winteranus* dictus, de quo vid. *Hiſtor. Plantar. Tom.* 1. *p.* 1. *p.* 400.

Arbor eſt inſtar Oleæ: Abraditur cortex extimus, qui ex ſe eſt viridis, neque olet: dum abraſus eſt, exponitur Soli, ne putreſcat, & vermes in illo generentur, acquirit odorem & ſaporem aromaticum, qui anteà erat ſepultus, & colorem viridem mutat in rubrum; & ſi minus ſiccatur, albicat; ſi nimis, nigricat. Et dum in Sole exſiccatur, induratur, & cortex ſe contrahit, & in plicas abit, cùm aliàs ſit mollis ſatis.

Quoad *uſum*, vi ſummè reſtaurativa præditum eſt & analeptica, in quo paſſu mirè afficit, & recreat ſpiritus animales influos, adeoque in imbecillitate & virium defectu, lipothymia & ſyncope, nauſea, ructu, aliiſque affectibus ſtomachi, præſtantiſſimum eſt Cinamomum, ſive uſurpetur in ſubſtantia pulvis, ſive tinctura, ſive eſſentia, ſive oleum deſtillatum. Imprimis egregiè convenit in affectibus mulierum gravidarum. Cautus tamen ſit ejus uſus, quoniam inſigniter irritat matricem ad ſtimulandos Menſes, & promovendum fœtum; unde etiam iis, è quibus expellendæ ſecundinæ & lochia, item quæ partu difficili laborant, tàm notabilem præſtat uſum, ita ut dicat LINDANUS; nulla medicamenta fœtus vel menſes pellentia adhibenda eſſe, niſi admiſto cinamomo. In ſpecie, quod ſæpiùs fit, ubi mulierculis ex partu difficili & partium debilitate deficiunt dolores, & amittitur conatus, ut renoventur dolores, propinetur cinamomi momentum, ut animetur de novo refocillatis ſpiritibus ad partum Gravida. Unde jam patet ſpontè ejus uſus in quibuslibet affectibus ſubitaneis ex ſpirituum quaſi ecclipſi natis, apoplexia, ſyncope, &c., idque tàm interno quàm externo uſu.

Utendi modus eſt imprimis internè in aqua cinnamomi cum vino prolicita, hinc tinctum ſeu eſſentia, & hinc denique oleo cum ſaccharo vel pulvere appropriato ſubacto. Nam iſtis præparationibus omnis cinnamomi vis elicitur, non ſecus ac in oleo caryophyllorum, ita ut, oleo extracto, cortex iners & inſipidus remaneat, uſui adſtrictorio accommodatus ad dyſenteriam, diarrhœam &c. quibusdam multum laudatus. *Periodicam* tamen vigoris nonnunquam in cinamomo varietatem obſervavit LUDOVICI *in* M. A. N. C. *Anno* 4 & 5. *Obſervat.* 202. *p.* 278. & 279.

Quod attinet *Præparata*, & primo quidem loco *Oleum*, *Cinamomum* ritè *deſtillatum modo Septaliano* lampadis igne, ſuggerit primò *phlegma*, hinc *ſpiritum acidum* inſtar aceti deſtill. (eſt enim cortex quidā) cum quo ſimul adſcendit oleum deſtill. *duplex ſubtile* & *athereum*, aquæ ſeu phlegmati ſupernatans, quod oleum communi modo deſtill. non præſtat: Poſt hoc demum adſcendit oleum *craſſum* commune rubicū-

dum, quodque in aqua fubfidet. Curiofum eft, quod Acidum fenfile feu manifeftum ex cinamomo eliciatur, adeò ut *MARGGRAVIUS* retulerit, fe ex cinamomo tàm potens Acidum habuiffe, ut cum fale tartari fenfibiliter efferbuerit. Exiftimo ergò, plura aromata cùm maximam partem fint corticesligna, radices, ligneæ, aut fructus quafi lignofi, fimili modo tractata etiam Acidum fubminiftratura, utut vulgò de fale volatili oleofo faltem participare dicantur. Et fanè refinofa eorum fubftantia Acidi præfentiam non obfcurè innuit: adeoque reverà *duplex* oleum eft in cinamomo; *æthereum* unum, fubtile, aquę fupernatans; *craffius* alterum, magis concentratum, quod nempe vulgò proftat, in aqua fubfidens. Quam differentiam oleorum in cinamomo etiam obfervavit *VVEDELIUS Pharmac. pag.* 154. & 159. Adeoque rectè fentit *Pechlinus* de *Purgantib. pag.* 102. quod in communi oleo cinamomi fpiritus delitefcat, non aromate tantùm, fed & ipfo oleo penetrantior &c., ut quæ in aromatibus eft efficacia, huic fe debeat fpiritui æthereo.

Concinnior ergò præ vulgari *olei cinamomi deftillatio* fit, infpergendo fruftula *cinamomi* modico *vini*, & pofteà ex VB per Retort. deftillando; quoniam in deftill. vulgari per exceffivum ignem oleum comburitur, in hac verò fine combuftione acquiritur. Nempe par hìc videtur ratio, atque cum terebinthinæ aliorumque refinoforum deftillatione, in quibus etiam primò ol. æthereum, feu communiter dictus fpiritus *terebinthinæ*, dein oleum *craffius*, & tandem *oleum fpiffum* feu *Balfamum terebinthinæ* prodeunt.

Oleum hoc, cùm fit valdoperè carum, *folet adulterari*. Cùm verò præ aliis oleis hoc habeat peculiare, ut contra oleorum naturam (excepto oleo dicto æthereo, & deftill. caryophyllorum) fubfideat in fundo, *Nota hæc* poteft effe, pro dignofcendo oleo genuino cinnamomi. Aliàs, quando ol. cinnamomi cum oleo feminis cannabini, ut fæpè fit, adulteratur, fundum petit, fit fqualidum, odorem amittit, & fucceffu temporis nigredinem contrahit: Vid. *HOEFERUS in Hercule Medico pag.* 397. Mirum eft, quod refert de hoc oleo *intract. de Lacte Lunæ MAJOR cap.* 5. §.7. quod temporis progreffu fponte fe coagulet in cryftallos falinas; quod confirmat, quæ dixi de Oleis deftillatis, quod nihil aliud fint, quàm falia volatilia concentrata, adunita & congregata, adeoque ita penetrantia. Si hoc ol. addatur faccharo, abit in *eleo-faccharum*, elegans reftaurativum, quod admifceri poteft medicamentis, five liquidis five ficcis. Vim fuam exferit præprimis in lipothymia, fyncope, & aliis fpirituum animalium defectibus, ubi nil melius oleo hoc. Mulieribus quoque valdè conducit ad omnes uteri affectus, uterum & fœtum roborandum; in partu difficili matrem confortat, & fœtum expellit. Agonizantibus ad aliquot guttas propinatum, ad tempus illos confervat & roborat. Mynfichtius cum hoc oleo parat aurum *potabile*.

Quibus lubet in copia ol. *cinnamomi* deftillare, ita procedant:

℞. *Oleum deftillat. cort. citri*:

Hocque per Retort. tam diu rectificetur, donec odorem amiferit: affundatur poftmodum *cinamomo* grofsè contufo, relinquatur per plures dies in digeftione, pofteà deftillatur, & prodibit ol. virtute & fapore cinamomi imbutum.

Imò, qui ol *compofitum* medicinale expetunt, ol. deftill corticum citri proprio odore & fapore præditum cinamomo affundere, & ita elegans ol. deftill. compofitum pro ufu externo & interno acquirere poffunt.

Alii funt, qui Cinamomum prius cum phlegmate Vitrioli digerunt, ut compages ejus nonnihil referetur, & Luna crefcente ex VB deftill. jubent, & fic *majorem* & fragrantioris *olei copiam* promittunt.

Aqua cinamomi infigniter reftaurat collapfas vires, & non fecus ac ol. maximè quoque commendatur ad omnes uteri affectus, uterum & fœtum roborandum, &c. Deftillari folet per B. vel meliùs per veficam: Vid. *VVEDELIUS Pharmac. pag.* 75.

Benè autem notandum eft, quod fi deftilletur cum affufo phlegmate vitrioli luna crefcente, fiat fragrantior & copiofior, quàm luna decrefcente, & oleum etiam acquiritur copiofius.

Aqua cinamomi cydoniata eft elegantiffimum remedium in vomitu, ructu, naufea, diarrhœa, dyfenteria, &c. Remanet in fundo *fyrupus cinamomi cydoniatus* elegans: Vid. *VVEDELIUS l. a. pag.* 68.

Proftat etiam *aqua cinamomi borraginata*, feu *cum fucco borraginis deftillata*, quæ valdoperè convenit in affectibus Melancholicis, malo hypochōdriaco, in lipothymia, fyncope, & aliis affectibus feu morbis.

Poteft etiā præparari *Effentia* feu tinctura *cinamomi* fequēti modo:

℞ *Spiritus vini probè tartarifatus*:

Affundendo *cinamomo*, & exinde abftrahendo, fapore & odore dives prodit: *Spiritus* hic novo *cinamomo* reaffundatur, ut magis adhuc imprægnetur, addaturque *Olei deftill.* ejusdem tantum, quantum capere poteft. Nam fi fpiritus vini probe Tart. fuerit, quantitatem olei bonam imbibit; hinc tinctura evadit elegans & efficaciffima, in defectu & cafibus fubitaneis fpirituum, vel fola, vel cum fpiritu aut effentia citri propinata; item pro mulierculis pro affectibus uteri non minus quàm ftomachi.

Syrupus, qui vulgò proftat, nihil valet; potiùs tinctura feu *Effentia cinamomi* cum tanta facchari quantitate imbuenda eft, ut fyrupi confiftentiam acquirat.

Aliàs curiofa quoad Arborem cinamomi, & *camphoram* artificialem *ex radice* parandam; item de Oleo fingulari ex foliis eliciendo, videbitis in *Actis Societ. Regię Volum.* 1. *pag.* 724., item *Actis Medicis Hafnienf. Volum.* 3. *pag.* 37. item *pag.* 167.

Cinamomo ferè fimilis eft

CORTEX VVINTERANUS

Anglis dictus, quoniam allatus ex India Occidentali ab eorum Capitaneo, VVintero dicto. Saporis eft acris & amaricantis, coloris albicantis vel potiùs flavefcentis.

In *Ufu* antifcorbutico & malo hypochondriaco apud Anglos eft frequentiffimus, & cum lapillis cancrorum fæpè & feliciter propinatur. Adhibetur etiam in affectibus ftomachi, apepfia & anorexia, five crudus fub forma pulveris, five infufus in aqua appropriata. *Dofis an.* ℈j ad ʒß. Vid. *BAUHINUS l. a. pag.* 402.

CIRCÆA.

Circæa Vulgaris folanifolia, Germ. *Stephans-Kraut*, à quibusdam ad Auriculas Muris refertur.

In *ufu* Medico eft nullo.

CIRSIUM ANGLICUM.

Cirfium Anglicum feu *Maximum radice Afphodeli* planta rara eft & exotica, cujus flos quoque Carduorum more pappefcit.

CITRUS.

Citri Fructus eft egregius & exoticus, et in culinis et officinis notus.

In ufu funt *Poma*, et ex iis *Semen*, *Cortex*, *atque Pulpa*.

Poma quod attinet, tota funt alexipharmaca, adeò ut non fine ratione præferantur omnibus Theriacis, Mithridatiis et Confectiònibus Magiftralibus, in ufu antipeftilentiali et alexipharmaco. Juxta facultatem hanc fingulariter funt antifcorbutica; tefte enim *RONSEO in Epift.* folo fucco citri et malorum citriorum efu curati fcorbutici etiam graviffimi. Calidus dicitur, refpectu corporis flavi aromatici, et frigidus refpectu fucci pulpæ acidi: Hinc tota ejus vis pro utroque fcopo citra laboriofiores præparationes facilè obtineri poteft; Illa quidem, Calida nempe, ex fucco oleofo faccharo excepto ex cortice expreffo; hæc verò ex pulpa acida fuccum eliciendo. Par ratio eft quoad Aurantia.

Ex *femine Citri* ordinariò fiunt *Emulfiones* in febribus, aliisque morbis malignis, variolis, morbillis, et febribus petechialibus, v.g.

℞. *Cort. citri minutim incif. atque contuf.*
Sem citri,
Card. bened.
Amygdal. dulc. an. p. æqu.

c. f. q. *aquæ appropr.* f. Emulfio, quæ edulcorata in morbis malignis palato & naribus grata eft.

Cortices funt admodum oleofi volatiles, & ita egregiè aromatici, adeò ut fuccus eorum expreffus & candelæ admotus, oleofitate hac volatili ardeat. Commodè ex his & compendiosè *Effentia Citri* & fuave *Vinum Hippocraticum* parari poteft hunc in modum:

℞. *Cortices flavi Citri* vel *Aurantiorum ab albedine liberati*:

Hi incifi exprimuntur per linteum in *faccharum probè pulverifatum*, ita ut faltem oleofitas ejus faccharo excipiatur. Quo facto

℞. *Pulpa* eorum *alba à fucco liberata*,
addatur
Aqua quæcunque,

& fermentare permittatur: poftmodū deftillatione aqua fpirituofa eliciatur, cui faccharum hoc oleofum addatur ad gratam dulcedinem, atque fic remedium habebitis ftomacho convenientiffimum, quod imprimis iis conducit, qui ægros morbis malignis afflictos neceffariò vifitare tenentur.

Dicto Eleofaccharo, fi huic affundatur *fpiritus vini rectificatus*, qui imbibit oleum illud expreffum, & poftmodum feparatim decantetur, *Effentia Citri* gratiffima itidem habetur. Si aliquot guttæ hauftui Vini inftillentur, infignis gratia Vino conciliari poteft.

Cortices ergò citri funt egregiè aromatici, ftomachici, carminativi, & eleganter analeptici, flatus difcutiunt. & ad ftomachi cruditates, eofdemque ufus, ad quos cortices aurantiorum laudantur, commendantur.

Cortex albicans eft lithontripticum, & calculo fuccurrit: id quod videre eft ex *HOEFERI Hercule Medico p.* 176., qui ex hoc cortice albo cum fructu Alkekengi deftillat aquam elegantem Nephriticam.

Oleum deftillatum Citri, in quo vis corticum concentrata, eft non, ut communiter fit, ex pomis putridis, fed potiùs ex pomorum recentium corticibus parandum. Conf. *ZVVELFFERUS Pharmacop. Regiæ cap.* 21. & 121. Magis in morbis malignis, quàm in affectibus ventriculi adhibet. In colica ex Acido auftero, & ftranguria ex Acido viarum primarum ad vias urinarias delato, remedium elegantiffimum & egregium eft.

Poft olei ex corticibus deftillationem hi ipfi, afferventur, & affufa aqua ad putredinem feponantur: putrefacti & deftill. dant *fpiritum* & *fal volatile* urinofum, fi ritè rectificentur.

Pulpa citri acidū volatilem *fuccum* in fe continet, ac commendatur inter Alexipharmaca, eftque egregiū remedium, nō minus quāpulpa auran-

aurantiorum in pica gravidarum & cruditate nidoroſa.

Succus citri nobile eſt Alexiphatmacũ, de quo conf. HOFFMANNI *Clavis, ubi de Citro p.* 444. utut cum grano ſalis legenda videatur Obſervatio: Hoc interim verum eſt, quod in morbis & febribus ardentibus malignis, tam præſervandis quàm curandis, uſitatiſſimus ſit, qualis penetrantior, & ſimul etiam blandus, in regno Vegetabili non reperitur. Nulla certè in dictis febribus medicamenta adhiberi debent, in quibus dictus citri ſuccus non habetur, ſive aſſumatur cum potu, ſive exprimatur ſuper alimenta: nam quando cum ſudoribus deficiunt ſpiritus, & imbecillitas oritur, aſſumpto ſucco citri aliiſque ex hoc paratis remediis, item decoctis pomorum citriorum ad imitationem *MYNSICTHII*, horum Aciditas ſanguinem nimis fluxilem moderatè coagulat, & debitam ei conſiſtentiam concedit, ſimulque malignitati reſiſtit, ne poſſit cuniculos agere, & ſe multiplicare, & egregiè confortat. Præterea ſuccus citri egregiè diureticus eſt, indeque ad affectus nephriticos commendari ſolet. Tandem ſuccus citri in ſcorbuto, ex aeris inquinamento contracto, præſens eſt remedium. Belgæ certè, quando in Indiam Orientalem, aliaque abſita loca, navigationes diuturniores inſtituunt, ubi tantum non ſemper ſcorbutum contrahunt, ut ſe præſervent eo, utpote qui ſub zona torrida eſt endemicus, aſſumunt ſecum poma citria, & lagenas plenas eorum ſucco pro ſcorbuti medela. Acidum ſcilicet volatile citri corrigit Acidum rancidum ſcorbuti.

Hunc in finem & habetur *Conſerva pulpæ citri*, quæ in morbis malignis & febribus ardentibus miſcetur cum electuario diaſcordii Fracaſtorii.

Eſſentia hujus *corticis* aromatica elegãs poteſt fieri, ſi corticibus citri minutiſſimè conciſis ſuperfundatur ſpiritus citri, à corticibus nempe abſtractitius digerantur per aliquot dies noctesque, colentur, & hinc *Eleoſacchar o citri* imprægnentur, ſuave & efficax remedium, in flatibus ſtomachi & inteſtinorum diſcutiendis multum juvans.

Syrupus Citrorum & Aurantiorum uſurpari poteſt in pica gravidarum, ſi combinetur cum Aqua deſtillata vel *Elixyr citri*; quod fit ex *ſpiritu citri*, affuſo ſuper *cortices citri*, & cum *ſaccharo* miſto.

Vel juxta alios affundatur corticibus minutim inciſis ſpiritus vini, ſæpiùs abſtrahatur digerendo, dein cum recentibus aliis *Eſſentia* extrahatur, quæ filtrata, & Eleoſaccharo citri antè dicto imprægnata, erit *Elixyr citri* perquam gratum, & potens pro ſtomacho & inteſtinis. In *MOELLENBROCCII Tractatu de Variis* habemus elegantiſſimas deſcriptiones *ſpiritus* & *Eſſentiæ Citri*.

Habetur & *Acetum infuſionis corticum citri*, quo utimur in morbis epidemicis acutioribus malignis, dum propter ſudores ægri vires deficiunt, ubi temporibus & pulſibus applicari, & naribus obiici ſolet.

Flores dum condiuntur, egregiè confortant, & ſolent præſcribi in Electuariis.

Ex pulpa fit *Electuarium de Citro* non inelegans.

Plura qui cupit, poteſt adire *Diſpenſatorium Horſtii p.* 137. ubi prolixè virtutes Citri ſimplicis explicat, & egregias aliquot compoſitiones ex Citro habet *HOFFMANNUS in Clave cap.* 1. & *LUDOVICI Pharmac. pag* 597.

CITRULLUS.

CItrullus eſt *Cucumeris* vel *Cucurbitæ ſpecies*: *Cortex* eſt viridis magnus, adſperſus hinc inde maculis flaveſcentibus.

Semen externa facie quodammodo rubens, inter ſemina 4. frigida majora refertur, ſubſtantiam oleoſam temperatam continet, ſaporis eſt amaricantis, adeoque cum amygdalis amaris ferè convenit, hinc & vim blandè diureticam, ſomniferam, &c. obtinet, magisque ſimul abſterſivum exiſtit. Unde Emulſiones, in febribus ardentibus & malignis uſuales, crebrò ingreditur, quæ tamen ſtomacho debili non ſemper æquè gratæ ſunt, cum de facili acorem contrahant, & oleoſa ſubſtantia tonum ſtomachi laxent. Uſurpatur itidem in dolore nephritico & ardore renum, acrimoniamque ſuccorum corporis temperat. Et non opus, ut multa de hoc dicam.

CLEMATIS VIRGINIANA.

CLematidis aliàs variæ ſunt ſpecies: hujus vice autem in Horto noſtro Medico ſe offert *Virginiana flore pleno*.

Planta eſt exotica, & uſum in Officinis agnoſcit nullum.

CLEMATIS URENS.

CLematis Urens eſt *Flammula Jovis*, de qua *ſuo loco*.

CLINOPODIUM.

CLinopodium eſt vel *Majus*, vel *Minus*, quod etiam vocatur *Acinos*, vel *Clinopodium ſylveſtre Lugdunenſe*. *Clinopodium Majus* ſpecies eſt origani, & ita dicitur, quod flores ejus non per modum umbellæ, ſed verticillatim ſint formati, unde Germ. vocatur *wurbeldoſt*.

Rari eſt *uſus*. *MELICHIUS* tamen *in ſua Pharmacia* decoctum ejus in iſchuria commendat, cùm Origanum vulgare hocce quoque in caſu commendetur.

COCCULI ORIENTALES.

COcculi grana ſunt, quorum origo nondum inclaruit. In phthiriali & pediculis fugandis non melius datur remedium: pulveriſantur, et cum butyro non ſalito ſubiguntur, et adhibentur, illinendo capiti, in margine primò, deinceps vertici et toti capiti; ſic citò moriuntur. Ad piſces capiendos exponuntur, ut piſces hiſce comeſtis manibus capi queant.

COCHLEARIA.

COchlearia à foliorum forma ita dicta, planta eſt Veteribus incognita, nobis ſatis cognita. Creſcit in Grœnlandia tàm copioſè, quam gramen aliquod commune. A non nullis vocatur *Britannica Plinii*, eam ob cauſam, quoniam hæc itidem eſt Antiſcorbutica. Verùm *MUNTINGIUS in Britannica ſua* falſam hanc eſſe denominationem oſtendit, eamque potiùs *ad Thlaſpia & Naſturtia refert*; quò etiam eruca, ſinapi, etc. pertinent; idque ex capſulis iſtis ſeminalibus patet. *Britannica* enim vim adſtringendi obtinet; *cochlearia* autem noſtras, et omnia jam dicta Antiſcorbutica, ſale acri volatili prædita ſunt, et vel ſaporem acrem penetrantem et pungentem in planta obtinent, vel ſaltem ſemen penetranti tali ſapore imprægnatum ſuggerunt. Et licet Cochlearia Britannica dentium laxitatem ac vacillationem corrigat, hoc tamen vi ſua adſtrictiva et reſolutiva efficit: vid. *Acta Erudit. Lipſienſ. Anno* 1682. *p.* 16. Quibusdam audit *Herba ſcorbutica*. Floret Aprili et Majo.

Ex uſu ſunt *Folia recentia*, quod benè obſervetur; exſiccata enim parum vel nihil habent virtutis. Continet enim hæc planta egregium ſal volatile quoddam acre, quod tamen adeò volatile non eſt, uti quidem vulgò creditur; quin multum ſubſtantiæ fixioris etiam contineat, ut infrà patebit. An verò ſit acidæ? an alcalinæ, ſeu alius naturæ? jam non diſputabo Illud verum eſt, poſſe ex hac planta egregium ſal volatile urinoſo-acidum parari. Dum ergò ipſius ſal volatile avolavit, proptereà nihil valet exſiccata. In ſcorbuto curando apud Belgas, et nos pariter, primatum ducit, nec habetur magis conveniens remedium: Vid. *WIERUS in Obſ. de Scorbuto pag.* 30. *ſeq* Diuretica eſt egregia in quibusvis morbis chronicis; ſicut et rectè *AUTOR* dicit, in morbis tartareis, h.e. chronicis, ex Acido viſcido oriundis ſpleni vulgò dicatis, quales ſunt Malum hypochondriacum, ſcorbutus, malum iſchiadicum, arthritis vaga et fixa, affectus ſtomachi, etc. eſſe utilem et celeberrimam, et ſpeciatim in corrigendo ſapore ſcorbutico peccante mirè commendatur, ac reverà in morbis chronicis polychreſta eſt. Nonnulli hanc Cochleariam contra ſcorbutum ſulphureum adhibent, alii contra ſcorbutum ſalinum. Verùm, cùm hæc differentia non ſit eſſentialis, ſed accidentalis, tutò quidem in utroque ſcorbuto adhiberi poteſt, ſed non omnibus ſubjectis conducit; phlogoſi enim vaga, rubore faciei, palpitationibus cordis, hypercatharſi, cephalalgiis, et aliis ſymptomatis qui ſunt obnoxii, acria hæc non conducunt, ſed potiùs augent: Vid. *MAJOR in Chirurg. Infuſor. pag.* 277: niſi cum acetoſa, acetoſella, beccabunga, vel lacte, ſive bubulo ſive caprillo, vel ſero lactis, aut et vino propinetur, ut ita temperetur acrimonia ejus ſalſa volatilis: quippe lac et ſerum lactis per ſe eſt laudatum in ſcorbuto remedium Unde iis, qui laborant febre intermittente ſcorbutica, cujus norma eſt typus erraticus, dantur medicamenta antiſcorbutica in ſero lactis, quod ratione ſalis nitroſi volatilis egregiè abſtergit, & omnibus præfertur: In quibus nullus metus ſcorbuti, dantur in lacte caprillo; lactis enim oleoſitas temperat humores in corpore, & ſal acre ſcorbuticarum plantarum reſtaurat fermentum maſſæ ſanguineæ, à ſalibus deficientibus acidis deſtructum. Quidam embammata parant ex cochlearia, dum recentia ejus folia conſcindunt, contundunt, & addito vino generoſo aut aceto, & parum ſacchari temperant. In quibusdam locis exinde parant vina & cereviſias medicatas. In cachexiis, in ſcorbutum præprimis degenerantibus, & ubi depravata eſt ſanguinis fermentatio, egregiè convenit; quia bilem inertem acuit, mucilaginemque tartaream penetrat.

Externè in ſcorbuto oris, v. g. tumore cruentativo gingivarum & inflammatione, dentium vacillatione, expertiſſima eſt. In his, à ſale ſcorbutico acido in ſaliva oriundis, decoctum cochleariæ, ſeu gargariſma cum ſalvia & cochlearia applicetur.

Quoad *Præparata*, in uſu eſt ſpiritus, qui fit *triplici modo*: partim *per fermentationem*, partim per *ſpir. vini cohobationem*, partim per *utrumq; modum ſimul. Primus Modus per fermentationem*, quando contuſis foliis adiiciunt vel fermentum commune, vel fęces vini, vel cereviſiæ, reponunt & fermentant tamdiu, donec ſpirent aliquid Acidi: poſtmodum deſtillata dant ſpiritum ardentiſſimum & volatiliſſimum.

Occaſione hujus fermentationis moneo quædam de medicamentis antiſcorbuticis, quæ ſunt cochlearia præprimis, naſturtii omnia genera, piperitis, raphanus ruſticanus, perſicaria, flammula, trifoliũ aquaticum, plantago aquatica, ſinapi, fumaria, ſedum verminculare minus, barbarea, ſemen erucæ, & hujuſmodi alia, quorum vis, uti apparet ex ſapore & odore, conſiſtit in ſale volatili acri. De his, quoad eorum præparationem, moneo, quod illa ſal ſuum volatile obtineant, quicquid alii dicant, utut vel coquantur, vel fermententur.

Quod attinet antiſcorbuticorum *fermentationem*, de hac dicunt multi, quod ſit fruſtranea, quoniam tempore fermentationis copioſum ſal volatile exhalet & avolet. Verum dico: utut avolent non-

nonnullæ partes subtilissimæ, nihilominus reliquæ, magis connexæ vinculis materiæ, sese exserunt mediante fermentatione, & dant spiritum acutum. Probo: si cochlearia recens, vel similis planta in MB. destilletur, prodit aqua, quæ nihil aut parum participat de odore, minimum ferè de sapore cochleariæ, dum caput mortu um relictum ferè omnem penetrantem saporem amiserit. Nihilominus, si cochleariæ recentis succus inspissetur, admodum amaricat, plenusque est sale essentiali, ulteriore calcinatione in sal fixum abeunt; aperto argumento, quod non adeò superficialis sit ejus textura, quin multum substantiæ fixioris etiam contineat, quæ inspissatione recludatur. Quod si verò fermentetur, & post fermentationem spiritu abstracto relicti magmatis succus inspissetur, parum vel nihil hujusmodi salis fixi reperitur; quoniam fermentatione resolutum & volatilisatum fuit.

Quod attinet *decoctionem*, etiam dicunt, multa salia volatilia exhalare. Verùm, utut & hic amittatur aliquid, tanta tamen non est jactura, ut communiter putatur. Nam quoniam in destillatione parum salis volatilis exhalavit, idem etiam de decoctione statuendum, cujus substantiæ volatilis defectu sapor iste incidens & attenuans oritur; modò non nimis, & vase aperto coquantur.

Secundus modus per Cobobationem fit, quando affunditur Vinum generosum, vel ipse spiritus vini, cum quo destillatur per alembicum, novis plantis destillatum affundunt, quod adhuc aliquoties iterant, semper spiritum destillatum novis affundendo: unde quoties hoc faciunt, toties spiritus de novo majores acquirit ex plantis vires, & fit potentior: Vid. *MOELLENBROCCIUS de Arthrit. Vag. p.* 114.

Tertiò, & quidem optimè, *utroque modo* simul spiritus *cochleariæ* destillari potest. Nempe si recipiatur spiritus cochleariæ per fermentationem paratus, hic affundatur cochleariæ coacervatim in vase clauso per duos dies noctesque positæ, ita ut incalescere, & putredinem aliqualem inchoare queat. Hæc invicem blando igne destillentur & cohobentur, & ita Spiritus odoris, & imprimis saporis cochleariæ appropriati, acquiritur. Nam si simpliciter cochleariæ recenti spiritus vini affundatur, abstrahatur, hinc recenti affundatur, idque, ut jam dixi, aliquoties reiteretur, tandem rectificando spiritus cochleariæ elegans acquiritur.

Sed observandæ sunt *encheirises* in destillatione & rectificatione hujus spiritus: Nempe omnia hæc, sive per vesicam sive per aliud vas destillentur, ut lento igne procedatur: idque saltem tamdiu, quamdiu volatiles spiritus striatim prodire observantur; his enim disparentibus, mox removeatur receptaculum, ne phlegma uniatur spiritui; hoc ipsum enim postmodum rectificando ab illo separari nequit, quin semper magnam patiatur jacturam; hinc cum nova cochlearia eundem spiritum reaffundendo simili modo procedatur.

Ex quibus præparationibus arbitror, parum esse acrioris & volatilioris substantiæ, quæ immediatè linguam afficit, & maximam ejus partem in ipso concreto, ejusque textura, ab aliis particulis, mediante mutua textura concentratam esse, vel mediante spir. vini, vel mediante fermentatione, inchoata vè aliquali ad putredinem dispositione, eliciendam.

Aliàs spiritus hic rite paratus reverà totam crasin medicamentosam cochleariæ retinet. Prodest in malo hypochondriaco, scorbuto, affectibus stomachi ex mucilagine viscida & acida; unde miscetur cum essentia absinthii: Vel potius *essentia absinthii* fiat *cum spiritu cochleariæ* affuso, & erit egregium Antiscorbuticum & stomachicum: propinatur etiam cum elixyr stomachali *Michaelis*. Volatilem penetrantiam habent remedia ex cochlearia parata, unde spiritus ejus quibusdam cephalalgiam concitat, teste *MAJORE de Chirurg. Infusor. pag.* 270. Unde benè observanda est *Observatio BARTHOLINI Actorum Medicor. Haffniens. Volum.* 1. *pag.* 35. Cochleariam unà cum Acetosa pro Cura scorbuti assumendam ostendentis. Externè in scorbuto oris accipiatur spiritus cochleariæ, & in eo humectetur linteum, quod postmodum affricetur gingivis & partibus palati oris, à scorbuto affectis. Alii recipiunt pulveres dentifricios, eosque in mortario imbuunt, & imprægnant spiritu cochleariæ, & sic pulveres dentifricios scorbuto appropriatos reddunt. Prostant etiam appropriati pulveres dentifricii ad scorbutum, qualem contra scorbutum oris videbitis in *BARTHOLINI Centur.* 6. *Histor.* 54., qui, si adhuc imprægnetur cum succo vel spiritu cochleariæ, erit eò melior.

Sunt, qui ex cochlearia perfectè putrefacta spiritum urinosum & sal volatile eliciunt; sed nihil differt ab alio simili spiritu & sale volatili, quatenus substantia oleosa & crasis seminalis cochleariæ per istam unimodam putrefactionem penitus fuit destructa.

AUTOR noster salis volatiles ex cochlearia parari mentionem facit, quod nihil aliud est, quam tartarus. Verum tamen & egregiem sal volatile potest parari, quod vel per se destillando fit, vel putrefaciendo, non autem fermentando; posteà sublimatur in phiola altissima leni igne subjecto; sic enim fit, ut phlegma propter lenem ignem non possit adscendere. Hoc modo salia in forma sicca elevantur.

Exprimitur etiam è foliis *succus* quidam, qui cum decocto feriæ lectis propinatus, egregiè prodest in affectibus urinariis scorbuticis. In affectibus scorbuticis oris & gingivarum, si cum eo fricentur dentes & gingivæ. Acredo ipsius nimia cum pauca aqua simplici imminui potest.

Succus hic fermentando depuratus, cum spiritu proprio egregiam præbet *essentiam Antiscorbuticam*, de qua fusiùs vid. *SIMON PAULI in Quadripart. Botan. pag.* 268.

Porro nonnulli *Oleum* quoque elicere tentant, id quod admodum difficile, & rara avis est. Potest tamen elici, si justo tempore flores colligantur; nimirum dum cochlearia incipit seminescere (ut sic loquar) substantiamque suam quasi concentrat, vel quintam suam, ut sic dicam, essentiam, tunc absque mora planta recipienda, & destillanda; sic copiosum oleum fundit acerrimum & penetrantissimum: Aliàs nullo alio tempore elici potest. Sed integer cophinus vix dabit olei rectificati ℥ß aut ℥j.

HILDANUS in Observat. pag. 646. *Tract. de Valetud. servanda*, habet oleum *cochleariæ per infusionem* Olei communis, quod externè inunctum regioni lienis excellens est remedium contra tumores scirrhosos lienis.

Conserva non benè paratur, quia sal volatile avolat sub præparatione.

Eleosaccharum etiam, seu, ut alii loqui solent, *Magisterium cochleariæ*, paratur, de quo vid. *MOELLENBROCC. in Cochlear. Cur. pag.* 118. & pro affectibus scorbuticis & spleneticis maximum est remedium.

Plura videbitis in *MOELLENBROCCII jam citato Tractatu* per totum librum.

C O F F E.

GRanorum horum Decoctum in hoc cum Decocto Thee convenit, quod alacrem reddat bibentem, somnum arceat, vigilias absque debilitate intendat, adeoque spiritus animales peculiariter afficiat. Potus olim Turcis saltem familiaris, nunc etiam Europæis maritimis communis. Conf. *SCHROEDERUS Append. pag.* 29, item *WILLISIUS in Pharmac. Ration. Volum.* 1. *pag.* 327.

LIGNUM COLUBRINUM.

VIdeantur de hoc *Rerum Indicar. Scriptores*, imprimis *PISO in Medic. Brasiliensium.*

Rari apud nos est *usus*, quoniam est pretiosum, & nostra etiam terra talia, & forsan meliora, suppeditat, quæ loco illius usurpari possint.

CONTRAYERVA.

COntrayerva radix est Peruviana exotica; & *species Cyperi*, cujus formam refert, esse videtur; adeoque ejus natales non æquè sunt cognitæ, nec natura ejus sufficienter perscrutata: Eam tamen *Caryophyllatæ* cujusdam *radicem esse* existimat *PAULI in Quadripart. Botan. pag.* 40.

Decantata est vi alexipharmaca contra yerve, i. e. quævis venena, quæ per sudorem pellere dicitur, ℈j dosi assumpta; unde à modernis solet misceri cum pulveribus & electuariis alexipharmacis contra pestem aliosque morbos malignos & venenosos. Præter vim contra venena commendatur contra philtra hausta, quæ emendat, ne sint nociva. Vid. *NORDUS ANTONIUS RECCHIUS Rerum Medicar. novæ Hispan.* 8. *cap.* 58. qui hujus virtutes scripsit.

Dosis est à ℈ß ad ℈j pro sudore excitando.

De cætero, cui natura & origo ejus incognita suspecta est, is ceu succedaneum commodè Zedoariæ radicem ipsi substituere poterit, Autore *LUDOVICI in Parmac. pag.* 253. & 255.

CONSOLIDA.

COnsolida Media, *Gulden Gunsel*, aliàs dicta *Bugula Dodonæi*, ita vocatur ob egregiam vim vulnerariam, quam tàm interne, quam externè, applicata exhibet. *Symphyti species* est, quarum aliàs tres sunt: *Major*, *Minor* seu *Prunella*, & præsens *Media*; & hæc *flore* est *cæruleo*, *purpureo* seu *carneo*; & *albo*, quæ rara. Dicitur quoque *Prunella*, sed malè: hæc enim, ut dixi, est *Consolida Minor*.

Usus est egregiè vulnerarius in vulneribus & ulceribus. *POTERIUS in Pharmacop. spagyr.* in jusculo verveciuo decoquit, & Decoctum valdopere commendat in phthisi, & intrinsecis vulneribus & abscessibus seu exulcerationibus hepatis, seu diarrhœa & fluxu hepatico, potiùs tamen hæmorrhoidum fluxu dicendo. Nam, quod obiter hìc moneo, omnia partium internarum ulcera, sive sint pulmonum, sive lienis, sive hepatis, seu pancreatis, insequitur phthisis, febris lenta & hectica, ut adeò non sit ex ulcere pulmonum solùm: taceo illam sæpè ulcera externa insequi. Laxat etiam crebriori usu blandè alvum contra naturam aliarum Consolidarum: id quod propter aliqualem nitrositatem urinosam, primas vias abstergentem, evenit. Vis ejus Vulneraria consistit materialiter in mucilagine viscida temperata, formaliter in alcali temperato, quo imprægnata est, hincque æstum hepatis extinguere dicitur. Sapor ejus est insipidus, vel potius

potius moderatus, & propterea dicitur ab Helmontio, quod habeant in se occultum alcali omnia Vulneraria, quoniam Acidum, inimicum vulneribus, absumunt. In vulneribus recentibus Acidum corrigendum mediocre inest, ideoque & talia temperata satisfaciunt; è contrà ad inveteratorum curationem, in quibus Acidum jam auctum, ex usu sunt acria; quoniam Acido majori corruptivo opponenda medicamenta acria: v. g. in inveteratis ulceribus convenit chelidonium majus, Aristolochia rotunda, &c. quæ acria: minimè verò moderata & temperata Vulneraria hæc faciunt. Itali verno tempore radicem cum foliis mundificant & propinant pro acetario, palato gratissimo, quia videtur præcavere cachexiam, & mediantibus facultatibus fermentativis promovere fermentationem in massa sanguinea: cient urinam, uti omnia Vulneraria, quę dicuntur diuretica; & quæ diuretica, usitatissimè sunt Vulneraria.

Succus in ulceribus malignis egregium est remedium.

CONSOLIDA SARACENICA.

Consolida Saracenica, Germ. *das Heidnische Wund-Kraut*, est *species Virgæ Aureæ*, & cum hac, aliisque Vulnerariis, ejusdem potentiæ atque virtutis cum communi, amarioris aliquantisper est saporis, & magis detersivi, adeoque in vulneribus antiquis & in ulcera abeuntibus convenit, & in aliis vulneribus seu ulceribus malignis dysepulotis & cacoetheis.

Extrinsecus planta contusa usus est egregii; quoniam Acidum corruptivum temperat, purificat & mundificat, ut sponte sequatur consolidatio ulcerum.

Succus expressus Unguenta & Emplastra Vulneraria ingreditur.

CONVOLVULUS HISPANICUS.

Convolvulus Hispanicus flore cœruleo κατ' ἐξοχὴν dicitur *Colvolvulus non-convolvulus*, quia more convolvulorum se non convolvit, sed caule longiore pendet.

Datur etiam *Convolvulus purpureus folio subrotundo*.

Nullus verò usus in est Medicus, nisi quod ornatus gratia in hortis colantur.

Offert se porrò

CONVOLVULUS ARVENSIS,

Flore cœruleo, qui in genere dicitur *Smilax*, & multis tribui solet plantis. Quò etiam pertinent omnes *Campanularum species*. Planta aliàs est lactescens, usumque Medicum nullum agnoscit.

CONYZA.

Conyza Græcis dicitur, quia κώνωπες seu culices ejus attactu ac viscedine interficiantur; unde & *Pulicaria, curilago* Germanis *Beruff-Kraut Dirrwurtz*, vocatur.

Tres se offerunt *differentiæ* in Horto Medico nostro:

1. *Conyza Major Tabernæmontani.*
2. *Conyza minor flore purpureo;*
3. *Conyza Thyrsoides linariæ folio Canadensis*, His accensendus venit.
4. *Aster Conyzoides odoratus sylvestris* seu *Conyza Medica*, de quo mox dicam, quæ quidem non propriè, proximè tamen ad conyzas accedit.

Ita omnes Conyzæ Germanis dicuntur *Beruff-Kraut*.

Veteres de harum *usu* nil fide dignum tradiderunt. Aliàs contra fascinationes infantum nunc ejus fasciculum in lecto seponunt, nunc balneis incoquunt, ac infantes fascinatos iisdem lavant. Præter hunc usum Medicum Conyzæ agnoscunt nullum.

CONYZA MEDICA.

Conyza Medica flore magno luteo, vel *Aster Conyzoides odoratus sylvestris* (datur enim quoque *Aster Conyzoides Gesneri & Parckinsonii flore pariter luteo*) Aliàs *non benè refertur ad Conyzas*, sed potiùs *ad Asteres*; unde & adjectione Vocis Asteris Conyza vocatur. *Asterum* aliàs *signum* est, quod in pappum abeant, Germanis *Stern-kraut*, item *gestirnete Dirrwurtz*, ad differentiam Conyzarum, quæ simpliciter tantum, nullaque alia adjectione, German. *Dirrwurtz*, vocantur.

An cum cæteris Conyzis, imprimis in fascinationibus & incantationibus infantum conspiret, fides sit penes experientiam.

CORALLINA.

Corallina seu *Muscus Marinus*, Ger. *Meer-Moos Corallen-Moos*, *Musci species*, planta est marina, saltem ad lumbricos enecandos infantum valens, in quibus debellandis remedium est præ omnibus aliis vegetabilibus convenientissimum, atque longè melius, quàm semen cinæ.

Dosis ejus est à ℈j ad ʒß, adultis ʒj. Miscetur cum aliis appropriatis, vel cum aloe, cornu cervi, oleo hyperici, syrupis & similibus. Aliàs ulteriorem usum habet nullum.

CORIANDRUM.

Coriandrum videtur ad *Caucalidis species* pertinere, & quando viridis, prodit se odore gravi.

Usitatum tantùm est *Semen*.

Optimum est Stomachicum & Carminativum, atque in affectibus stomachi quoque operatur; unde basin constituit *Tragearum Stomachicarum*. Operatur vi aromatica, & simile est in sua natura anetho, aniso, fœniculo, cumino & similibus, & imprimis quæ quoad usum & vim aromaticam de aniso dicta fuerunt, Coriandro etiam ejusque semini applicabilia sunt. Constat blando sale volatili oleoso aromatico temperato, ratione cujus prodest in laxitate Stomachi, cruditates stomachi præcavet, acidam præprimis, & inde natos ructus & inflationes; vel quando post partum oriuntur phlogoses & rubores faciei, tunc temporis semen coriandri est expertum. Quando dico: est stomachicum: intelligo simul intestina. Hoc saltem observandum, Coriandri semen capiti nocere, hocque quasi obnubilare seu turbare: propterea, & quia planta fœdè olet, invaluit apud Veteres opinio, quod semen coriandri sit malignum, & obtineat pravam qualitatem.

Vulgò cum aceto macerando corrigunt & præparant, sed labore prorsus inani, quia reverà *Correctio* hæc *videtur* seminis, aliàs non inelegantis, *Castratio*, nec vis ejus capiti inimica tanti videtur, ut propterea tàm speciali præparatione indigeat. Et meritò irridet hanc Correctionem *ZWELFFERUS in Pharmacop. Regia*, atque immunitatem Coriandri defendit. Saltem ergò nudè usurpetur, cùm quotidiè inter ciborum diversorum condimenta adhibeatur.

Confectio laxativa ex eo etiam est in usu, & fit hunc in modum:

℞. *Sem. Coriandri* qv. v.

Hoc bina vice *sacbaro* incrustetur: & quando prima vice incrustatum, postmodum *pulvis scammonii* adspergatur, & denuò abhinc *sacbaro* obducatur: ita egregiè laxat.

CORNUS.

Cornus est in *duplici differentia: Mas & Fœmina.*

In Officinis offert sese *Fructus*, raro *Folia*.

Fructus est austerus, texturæ satis fixæ, parvi vel nullius usus; habet vim & saporem potenter adstrictorium; unde contra hæmorrhagias, diarrhœas & dysenterias, aliosque alvi fluores, commodè adhibetur, imprimis in Decocto.

Folia ejusdem sunt naturæ cum Fructu, & facultatis adstrictoriæ insigniter; unde omnes eos usus præstant, quos plantæ adstringentes: adhibentur vel in Decocto vel forma pulveris à ʒß ad ʒj; sed raro.

Fructus conditi & *Rob* rari quoque sunt usus.

CORYLUS & AVELLANA.

De *Corylo* multa prostant apud Autores; tàm vera quàm fabulosa. Qualis sit frutex, omnibus notum est.

Pro usu Medico veniunt *Lignum*, ejus *Fructus* seu *Nucleus*, *Putamen*, *Membrana*, & imprimis *Viscum*.

De *Ligno* rectè dicit *AUTOR*, quod sit rari usus; sed pro spiritu & oleo exinde parando asservetur. Reverà est *lignum Heraclinum Rulandi*.

A vulgò propter vim Sudoriferam & Diureticam laudatur. In usu aliàs est Metallurgis, qui ex hoc *Virgulas Mercuriales*, vulgò Germ. *die Glucks-oder Wunschel-Ruhten*, parare solent, decidendo eas præcisè in meridie Festi S. Johannis, ita ut unusquisque surculus uno ictu amputetur. *Sic baculum sympatheticum* ex corylo ad fracturas & luxationes videbitis in *BORELLO Centur. 3. observat. 77.*

Nucleus raro in usu est, cui tribuitur vis venenis resistendi: quod *an verum sit*? Nescio. A *SCHOLZIO in Consil. 141.* commendatur contra calculum & promovendam urinam: habet etiam *AMATUS LUSITANUS Centur. 7. Curat. 78.* insigne experimentum avellanę virtutis contra calculum & nephritidem, ubi refert de viro, qui lapillos rubentes per virgam cum urina ejaculavit, curato usu avellanarum in victu initii prandii & cœnæ, & insuper confirmat, alios plures usu avellanarum evalisse immunes à calculo.

Putamen externum est adstrictivum; & sunt qui contra dysenteriam volunt commendare. Pulvis horum cum pulvere seminis anisi mistus, ad fluorem album confert, uti habet *AUTOR*.

Membranulæ nucleum ambientes sunt lithontripticæ, adeò ut sint, qui vel solas, vel cum nucibus conjunctas, expertissimas dicunt contra calculum vel lithiasin.

Habetur & *Viscum* in Corylo, cui magni effectus adscribuntur, utut rarissimè reperiatur. Certè in epilepsia curanda, & huic cognatis affectibus convulsivis, tàm in specie in infantibus seu pueris, quàm in adultis, præmisis universalibus, Viscum hoc corylinum pulverisatum

ſatum ſui ſimile remedium vix invenit: Et quamvis etiam viſcum quercinum ſit decantatum in tali caſu, præfertur tamen corylinum, cujus raſura vel pulvis detur à ℈j vel ʒß ad ʒj. pro ratione ætatis, adultis & junioribus. Præſertim excellit certo tempore collectum, nempe luna creſcente inter duos dies B. *MARIÆ*, id eſt, à die 15. Auguſti uſque ad 8. Septembris. Nam tale Viſcum amuleti inſtar collo appenſum contra epilepſiam & paralyſin valere dicitur; ſicut & contra morbos ab incantatione ortos frequens & laudabile eſt remedium: Vid. *HENRICUS ab HEER in Obſervat. Oppidò rar. Obſervat. 8. p. 128.*, ubi ſingulare proſtat *unguentum* cum pinguedine canis & urſi *contra veneficia*. Et quidem non tantùm Viſcum Corylinum, ſed etiam tota Corylus in hoc caſu eſt uſurpata: ſic celebris quidam Medicus ceu ſingulare ſecretum habet Unguentum, quod præparat, dum Recipit *folia & apices tenues viridis Coryli*; hæc benè contundit in *mortario*, confecto *ex ligno tiliaceo*, & contuſis addit *pinguedinem galli* atque *caponis* q. ſ., poſt exponit radiis ſolaribus, ut lentâ digeſtione abierint in *Unguentum* viride, expertum ſecretum *contra veneficia*. Nobiles virtutes ergo coryli anſam etiam dederunt ſuperſtitioſis fabulis, quod nempe Viſcum ſit alimentum ſerpentum, & circa corylum ſemper cum viſco reperiatur ſerpens albus, qui viſco veſcatur: vid. *STOECKERUS in Praxi*, *GOCLENIUS de Admir. Naturæ*. Huic accedit, quod quidam dicunt: non naſci viſcum in corylo, niſi ſit 100. annorum: Conf. *HEINRICUS ab HEER l. a.* Sed quis quæſo hoc expertum habet? Fabulæ ergo hæ tranſeant.

Sulphur Vegetabile ex coryli julis, quale etiam ex muſco clavato æſtate colligitur, nobile ſimplex eſt, non tantum ad epilepſiam, ſed etiam ad febres, atrophiam, hecticam, & alios quam plures infantum affectus. Hæc ipſa enim ex corylo remedia ſingulari vi anodyna videntur prædita, unde etiam ad dentium dolores ſolent adhiberi.

Quoad *Præparata*, *Lignum deſtillatum aquam ſpirituoſam acidam* & *oleum* ſuggerit; ſed neceſſe eſt, ut collectum ſit balſamico tempore. *PARACELSUS* Luna in cancro exiſtente colligi jubet, & quidem die Veneris: id quod ſit ſingulis annis bis vel ter, ut videri poteſt *in Ephemer. Aſtronomicis*. Conf. *Tract. PARACELSI de Terebinthina, & Notæ in Tyrocin. Chymicum Beguini à GLUCKRADIO additæ ad ſpiritum Terebinth. pag.* 133. Et hoc tempus balſamicum eſt verum, & univerſale tempus omnium balſamorum. *HAGENDORN in Curat. ſeu Secretis Empiric. Rulandi* dicit; ſolem attendendum eſſe: id quod falſum. Loco ligni eligendi ſunt ſurculi juniores, qui ſaltem per annum viguere, atque deſtillandi per deſcenſum, ubi phlegma & ſpiritus acidulus prodeunt cum ſubſequente oleo, quæ omnia legitimè rectificanda ſunt. Conferantur, quoad cætera, Secreta Rulandi ab Hagendornio edita p. 72.

Spiritus eſt acidus, ſed acidus volatilis, ardens inſtar ſpiritus vini: Quod verum eſt de omnibus ſpiritibus ex lignis; quoniam in omnibus *lignis* eſt *ſal volatile* ex acido fixum, & *ſpiritus ardens inſtar ſpiritus vini*. Probatur: ſi affundatur ſpiritus acidus corpori terreſtri, lapillis cancrorum, C.C. uſto, &c. tunc fit, ut Acidum aggrediatur illud ſubjectum & corrodat, atque imbibatur: Unde ſi imponatur cucurbitæ, dimittit de ſe ſpiritum volatilem: & adeoque ex ſpiritu ardente & ſale volatili acido conſtat lignum corylinum, ut & reliqua omnia; ſicque etiam ſpiritus exinde parati. Hic ſpiritus in epilepſiis infantum, æquè ac adultorum, mirificus & ſatis frequens eſt. Præter dotes has valdoperè commendatur contra alios affectus capitis, apoplexiam, paralyſin, & ſimiles, ſi detur in convenienti vehiculo aquæ liliorum convallium, vel aquæ florum tiliæ. Vires obtinet egregiè penetrativas, & hinc etiam conjunctas habet vires anodynas, & quaſi ſoporiferas. In malo hypochondriaco non ſine fructu adhibetur, moderatè laxat alvum, & evacuat per inferiora. Singulariter pellit, enecat & exturbat vermes infantum & adultorum.

Doſis eſt à guttis x. ad xv.

Dum deſtillatur ſpiritus ex retorta igne aperto, ſimul prodit *Oleum*, quod ſuper corpus terreſtre, v. g. calcem vivam, C. C. uſtum, &c. eſt rectificandum; ſic amittit odorem fœtidum, & reverà prodit *oleum decantatum Heraclinum Rulandi* aurei coloris, quo ipſe tanta miracula præſtitit in Curis. Imprimis *triplici virtute* claret: eſt *Anti-epilepticum*, ſummè *Anodynum*, & *contra vermes*: doſi guttular. vij. viij. vel ix. ad x. Virtutem Anti-epilepticam ſufficienter demonſtrat *RULANDUS*, Medicus Cæſareus, *in Curat. Empyricis*, ubi tractat *de epilepſia*, dum refert de puella 10. annorum per tres Menſes epileptica, quæ purgato corpore per olei dicti guttulas tres propinatas curata: Sic infantem ſemeſtrem dies noctesque epilepticum liberavit per hoc oleum, in paroxyſmo & ante paroxyſmum propinatum. Plures *Obſervationes* videri poſſunt *in citato Tractatu*. Succedit huic inſignis vis anodyna, ratione cujus in odontalgiis, dentibus cum bombace inditum, eaſdem feliciſſimè ſopire ſolet, quales dolores graviſſimos *RULANDUS* in eodem *Tractatu*, ubi agit *de Dentium Doloribus*, cum hoc oleo, denti carioſo ad guttulas tres inſtillato, inſtar incantamenti ſopivit. Sæpiùs fit, ut in dentibus naſcantur vermiculi, qui adeò exaſperant dolores, ut vix ſiſti queant ſine ſuffitu ex hyoſcyamo; in tali caſu etiam expertum eſt *oleum Heraclinum Rulandi*. Tandem & in vermibus inteſtinalibus enecandis & expellendis expertum eſt remedium; contra quos etiam commendat *AUTOR noſter*, ſi gutta una vel altera cum mica panis propinetur: vid. *STOCKERUS in Praxi*. Adultis datur à guttis ij. ad iv. & educit per ſeceſſum vermes: quin & pediculos fugat, quod vidimus, ſi tantillum infecto imponatur, illud interimit, adeò ut videatur præferri oleum corylinum oleo ſpicæ, contra pediculos aliàs uſitato. In partu quoque difficili guttulæ ix vel x in vino generoſo exhiberi, & regioni umbilicali non ſine commodo illini ſolent.

Oleo iſto laudato *Heraclino* quidam *Guajaci* ſubſtituunt; ſed malè, cùm potius oleum deſtillatum buxi ipſi ſubſtituendum foret.

COSTUS.

Coſtus verus eſt Aroma, adeoque noſtris regionibus exoticus, & ex Arabia affertur.

Hujus Vulgaris *diviſio in dulcem & amarum nihil valet*, cùm unus idemque cortex ſit, qui pro majore vel minore maturitate aliqualem in ſapore varietatem repræſentat: Vid. *Relſchius Hecatoſt. 1. pag.* 18.

Inter Aromatica referri meretur, tanquam acris & oleoſus, cùm & iiſdem, cum aromatibus, viribus gaudeat. Ad Cinnamomum in multis accedit, minus tamen eſt oleoſus, unde cortex hic vocatur à quibuſdam Cinnamomum album, quod reſpondeat illi ſapori. Alii adeò extollunt, ut dicant, in Coſto eſſe omnium aromatum vim & virtutes collectas: acris eſt, indeque ſpiritibus minus gratus, utut ſpirituum reſtaurativum ſatis efficax exiſtat.

Specialis ejus *uſus* eſt, ut inſerviat Medicis, dum ad ægros accedunt; maſticatus enim à morbis malignis contagioſis præſervat. Ejus tamen in locum, cùm adulteretur, Zedoaria vel Zingiber ſubſtitui poſſunt, ne nimis ſimus expoſiti adulterationibus & deceptionibus. Prætereà eſt ſtomachicum; in cruditate acida, anorexia, apepſia, ructibus & torminibus inteſtinorum à flatibus conducit. Unde etiam in Colica virorum, & affectibus uterinis uſitatè & expertè præſcribitur, ſi vel Theriacæ vel caſtoreo, vel aliis appropriatis admiſceatur. Deinde eſt ſingulariter uterinus in affectibus menſium, & circa partum, in affectibus nervorum, apoplexia & paralyſi, in affectibus capitis & cerebri vaſorum.

Eſſentia merito Analepticis accenſetur.

Sunt qui præparant *Electuarium ex Coſto*, quod in affectibus ſtomachi & Arthritide commendant.

Non ineptè admiſcetur Purgantibus *pulvis Coſti*, pro purgantium virulentiæ aliquali correctione.

Oleum Coſti deſtillatum interdum habetur, in affectibus nervorum atque artuum, præcipuè verò in paralyſi & affectibus ſtomachi remedium optimum: Oleum tamen deſtillatum caryophyllorum ſubſtitui poteſt; quia paucum dat Coſtus oleum, atque rarum eſt.

Proſtat oleum *Coſti compoſitum Meſuæ*, quod, ut dicit *AUTOR*, Rigores febriles, ſi inungatur ſpinæ dorſi, frangit: Ubi noto, non meliùs mitigari eoſdem, quàm ſi medietati ſtomachi extrinſecè applicetur Balſamus ſtomachalis cũ oleis deſtillatis appropriatis nucis moſchatæ, carvi, aniſi, fœniculi, coſti, pro Balſamo. Etiam Rigores Quartanarum certo experimento compeſcit, præprimis ſi methodo Helmontiana appoſitè applicetur later calidus, ne exſpiret vis balſami, ſed ad interiora penetret.

De *Pilulis Maro-Coſtinis* vid. *MINDERERUS*.

CRITHMUM.

Crithmum præſens, ſeu *Crithamum Quartum Tabernæmontani*, Germ. Bacillen-*kraut*, optimè *Eringium folio* ſerræ inſtar *inciſo* dicitur. Non verò memini unquam plantam hanc à quoquam Medicorum eſſe in uſum Medicum tractam.

CROCUS.

Crocus eſt medietas floris ex ipſo Croco collecta, flos aromaticus, ſapore acri, odore penetranti, cuivis ſatis cognitus. Optimus eſt Orientalis, hinc Anglicus, tandem Auſtriacus. Planta quidem eſt elegans; nihilominus aut mala miſta bonis, ſunt bona miſta malis.

De *Adulteratione Croci* vid. *AUTOR noſter p.* 54.

Hujus *flores* in uſu ſunt, & præprimis *ſtamina coccinea*.

Flos eſt polychreſtus, multum habet in receſſu: ſed debitis cautelis uſurpetur. Vis & textura ejus materialis conſiſtit primariò in oleo volatili, ſale acri comitato, & admodum ſpirituoſo fortiter penetrante, cujus intuitu ſimul vim obtinet inebriantem, & tandem narcoticam; quæ tamen narcoſis non confundenda eſt cum cæteris ſtupefactivis. In ſale verò acriori penetrantia quædam uteri irritativa, & ſimul aromatica reſidet. Utraque arctiùs in concreto combinata ſunt; unde difficulter, atque etiam adeò parum oleum ex croco elici poteſt, quin facilè empyrevma contrahat crocus & comburatur.

Effectus Croci conveniunt in quibuſdam cum opio, in ſpecie tamen

men magis Cordialis ſeu analepticus exiſtit, de qua vi poſſumus videre *VELTHUSIUM Tract. de uſu Lien. p.* 148, dum nonnihil figendo, aut quaſi condenſando, facilem eorum diſſipabilitatem coercet, indeque vires quaſi firmiores reddit: propter quam vim non immeritò à *POLEMANNO in Tractatu de ſulphure Philoſoph. pag.* 86. aliiſque vocatur *Rex Vegetabilium*, quòd ceu *Rex* inter *Vegetabilia* emineat: propter quam vim cordialem admiſcetur meritò medicamentis corroborantibus, Cordialibus dictis. Corroborat quidem Crocus & exhilarat ſpiritus noſtros, ſed nimio uſu caput gravat, & propter vires cordiales, ſeu ſpiritus exhilarativas, vocari ſolet *Aurum Vegetabile*. In ſyncope & apoplexia eſt egregium remedium. Virtute item ſtimulandi quaſcunque uterinas excretiones maximè pollet, potentiſſimè Menſes & lochia promovet, fœtumque vivum, æquè ac mortuum & ſimilia educit. Sunt mulieres, qui eo uſi ſunt ad promovenda menſtrua, tanto cum ſucceſſu, ut & tandem ingens uteri hæmorrhagia ſucceſſerit; Hinc refert *RIVERIUS in Inſtitut. Medicis l.* 4. *cap.* 22. de muliere, quæ ad provocanda menſtrua crocum tantum, quantum 5. aſſibus coemerat, aſſumpſerat, ex nimio inde citato menſium fluxu intra triduum mortua fuerit: Conf. *PAULI in Quadripart. Botan. pag.* 57. Unde & obſervatum fuit, quod crocus vim habeat fœtum in utero tingendi: Conf. M. A. N. C. *Anno* 1. *Obſervat.* 60. *pag.* 157. Hæc vis Menſes ſtimulandi valdè illuſtratur Obſervatione Borelli; equos nimirum, qui vehunt ſacculos croco repletos, mictum ſanguinis incurrere: Vid. *Centur.* 2. *Obſerv.* 98. & *Centur.* 4. *Obſervat.* 35. Hunc autem in modum illum applicant: ſcilicet parant juſculum ex cereviſia croco inſigniter tinctum, & ita hauriunt. Singulariter etiam eſt pulmoniacis, phthiſicis, tuſſientibus, pulmones plus minus læſos habentibus conveniens; hinc quibuſdam vocatur Anima pulmonum, non ſecus ac Rhabarbarum Anima hepatis, hermodactyli Anima Articulorum; adeo ut ſcribat Dodonæus, quod Crocus ſubinde phthiſicos in ſummo vitæ diſcrimine conſtitutos in vitam revocare queat, ſi adhibeatur crocus à ℈ß ad ℈j. in potu vini dulcis vel generoſioris. In ſpecie aſthmaticis ac dyſpnoicis dicto modo commodè propinatur, imprimis ſi aſthmata convulſiva fuerint, quod confirmat *RIVERIUS in Inſtitutionibus*, & *MYNSICHTIUS in Armament. Chymico*. In ictero egregium eſt ſimplex, adeò ut in expellendo, & hinc delendo ictero multum poſſit, unde quibuſvis remediis ictericis addendus venit. Ad dyſenteriam multum laudatur. Sic & ſpecificum eſt ſingulare in affectibus Melancholicis, pro reſtaurando vigore ſpirituum animalium; vel dum habet vim cordialem, tribuitur ipſi quoque vis lætificandi, adeoque mœſtis & Melancholicis conducit, quatenus triſtitiam, moroſitatem ægrorum Melancholicorum valet mitigare: vid. *FREITAGIUS*.

Sed præter hos egregios effectus, Crocus ſuâ interim malignitate quoque non caret, ſi ſcilicet in majori doſi uſurpetur; vi enim narcotica & ſtupefactivâ admodum turget, & admodum ebrioſos reddere ſolet homines, ſi ejus paululum vino addatur; unde Vinum, cui tantillum croci admiſtum in lagena, citiùs inebriat, quàm aliud ſatis generoſum; quare ingreditur *Laudanum opiatum*, quod vocatur *Nepenthes vegetabile*. Delirium in ſpecie ridiculum ſeu cum riſu infert; imò ſi doſis ejus nimis exceſſiva ſit, ultra nimirum ʒij vel ʒiij, hominem prorſus interimere valet: Vid. *SCHENCKIUS l.* 7. *Obſervationum*, ſicuti etiam *BORELLUS Cent* 4. *Obſervat.* 35., item *DOERINGIUS in Opiologia*, ubi non inconcinnè tractat de croco, & refert, quod habeat vim excitandi riſum *p.* 199 adeò ut ii, qui nimium utuntur croco, dum fiunt ebrii incipiunt ridere, & tamdiu rident, donec moriantur.

Externè pariter ſomnum inducit; ubi tamen non minori cautione opus eſt: nam ſomnum facit narcoticum & gravem. Sic ſi iis, qui agrypniis laborant, ſacculus croco repletus ſupponatur, ut capite illi incumbant, extemplo levantur; in infantibus verò aut ægris nimis debilibus hoc non ſuccedit. *DOERINGIUS l. a.* habet hiſtoriam de quodam ſuper duobus ſacculis croco repletis noctu dormiente, qui mortuus manè repertus eſt. *Conf. BORELLUS l. a.* Unde non rarum, quod continuato croci odore quidam temulentiam viſi ſint contrahere. Et ex hac vi anodyno-narcotica videtur oriri, quod ſacculus croci, ventriculo impoſitus, ſiſtat vomitum, & morbum navigantium, quod caſu expertum fuit. Hiſtoria ejuſmodi refertur apud *FRANCISCUM BACONEM de VERULAMIO in Hiſtor. vitæ & Mortis pag.* 211. de Mercatore quodam Anglo, qui trans mare vectus ſacculum croco repletum ſinui indiderit, ut ſub tunica celaret, ne ejus gratia vectigal exſolvere teneretur: & nullam ſenſit moleſtiam, aliàs ſatis vulgarem navigantibus: Cùm autem eundem juſto diutiùs illic detineret, vi croci narcotica prorſus interemptus eſt. *DOERINGIUS* refert, quod equi vehentes crocum, torpore obruantur ex ejus vj. Cæterum ipſe quoque Crocus nodulo incluſus, & cum camphora de collo è regione ventriculi ſuſpenſus, remedium eſt Melancholicis & Triſtibus exhilarandis apprime conveniens: vid. *BORELLUS Centur.* 2. *Obſervat.* 99. Hic & ſpiritus vini crocatus, ſeu Crocus cum ſpiritu vini maceratus, extremitatibus manuum pedumque, frigore ad imminentem gangrænam uſque læſis, cum linteo applicatus admodum conducit, & partes morientes denuò revivificat. Medicamentis etiam externis ophthalmicis admiſceri ſolet Crocus, & facilè principatum in illis obtinet: Vid. *LÆLIUS à FONTE Conſil.* 27. Sunt prætereà, qui ſacculos, in quos crocus aſſervatus fuit, ſupponunt culcitræ, vel applicant capiti contra vigilias & dolores: quod tamen reverà periculoſum, & vix imitandum: potiùs imitandus *RULANDUS*, qui croci tantillum miſcet cum aliis aquis appropriatis in doloribus capitis & phrenitide, dum

♃. *Aquæ roſar. rubr.*
Semperv.
Burſæ paſtor.
Solani an. ℥iij.
Croci ʒß.

M. & fiat *Frontale* in Cephalalgia à cauſa calida.
Qua Miſtura cum linteis fronti applicata, & hoc ſæpiùs iterato, omnis mitigatus fuit dolor.

Item in phrenitide gravi:

♃. *Aquæ roſar.* ℥vij.
Opii ʒj.
Croci ʒß.

Qua Miſtura, *opio*, benè *diſſoluto*, fronti applicata, & hac ſæpiùs iterata, liberavit Phreniticos & Maniacos.

Porrò:

♃. Aquæ roſar. ℥x.
Opii ʒß.
Croci ℈ß.

Hoc Epithemate ſæpius fronti admoto, & ſæpiùs reiterato, feliciter curata fuit Mania periculoſa.

Ulteriùs Crocus inſignem vim emolliendi, concoquendi & maturandi tumores & abſceſſus, item dolores ſiſtendi obtinet, experientia teſte; unde frequenter Cataplaſmatis & Emplaſtris pro hoc ſcopo immiſcetur.

Uſurpatur Crocus in ipſa ſubſtantia, quatenus parum fæculentiæ non medicamentoſæ obtinet. Aliàs inter Præparata in Officinis proſtat *Spiritus*, *Eſſentia*, *Tinctura* &c.

Tinctura & *Eſſentia* omnium optima eſt, quæ præferenda etiam Extracto; quoniam in hoc ſub inſpiſſatione (1) maxima ejus vis volatilis cum menſtruo exſpirat: (2.) Nec benè poteſt deſtillari aliquid ex croco, quoniam particulæ fixiores remanent in Capite mortuo, utiles adhuc in Medicina. Propterea *Tinctura* & *Eſſentia* optima eſt; quæ fit, quando affunditur Menſtruum, & ſeparatur per filtrum. Sed quæritur: *quodnam ſit Menſtruum magis commodum?* Reſp. Cùm ſpiritus vini principio ſulphureo infectus, minus congruus videatur: alii ſerum lactis vel aquam ſeri lactis deſtillatam ſumunt, & non inconvenienter in affectibus Melancholicis uſurpant; Alii aquam vitis deſtillatam; Alii denique, ut Lindanus, aquam betulinam recipiunt. Optimum Menſtruum videtur *aqua vitis deſtillata*; qua per ſimplicem infuſionem Crocus extrahatur: non tamen ſub Extracti, ſed eſſentiæ forma reſervari debet.

Tinctura hæc in dyſenteria internè eſt elegans, & à *ZUVELFERO Pharm. Reg pag*, 331. *ſequ.* in *HOFFMANNI Clave Pharmaceut. Schrœderi p.* 460. commendatur. Eſt inſuper pectoralis, uterina, ſtomachalis, anodyna, pellit fœtum, convenit in affectibus ſoporoſis, Melancholicis, pulmoniacis, & quæ ſunt virtutes aliæ, ipſi croco propriæ.

Oleum quod attinet *ſtillatitium*, cujus præparationem videbitis in *AUTORE* noſtro, eſt pauciſſimum, & reverà labor videtur omninò inutilis. Præ cæteris tamen, quoad hoc negotium de ſale volatili & oleo ex croco deſtillato vid. *HEERTODIUS in Crocolog. pag.* 38. 39. & 47.

De hoc *Oleo* dicit *AUTOR*, quod proſternat appetitum; quod veriſſimum eſt. Nam utut oleum Croci ſit optimum remedium in Cephalalgia, Melancholia & Stranguria, quoniam omne Acidum corrigit & volatiliſat, nihilominus recte monet, quod illo non utendum ſit ante paſtum, quoniam habet vim ſingularem proſternendi appetitum;

Proſtat & *Electuarium de Ovo* dictum in Officinis, cujus baſis eſt ipſe Crocus, quod conducit in morbis ardentibus malignis & peſte, excitando ſudorem.

CRUCIATA.

Cruciata Hirſuta Dodonæi eſt planta nullius uſus.

CUBEBÆ.

Cubebæ ſunt fructus Aromaticus Indicus. *Quid ſint?* de hoc non conveniunt Authores. Optimum eſt *FREITAGII* judicium *in Aurora Medicor. pag.* 498. de noſtratibus ſeu uſitatis, quod non conveniant cum Cubebis Arabum; ſed potiùs, quod ſint fructus *plantæ* cujuſdam, *ſimilis ſmilacis fructibus*, hederæ in morem arboribus ſe circumvolventis, & racematim grana longis petiolis cohærentia ferentis.

Grana hæc in uſu ſunt. Aroma ſunt acre, ſapore penetranti volatili & acri præditæ; adeoque ſale volatili acri, et oleo minus temperato conſtant, minuſque propterea temperatæ ſunt.

Virtutes quod attinet, conducunt affectibus capitis, præprimis verti-

vertigini, sive sint per essentiam, sive consensum stomachi, ubi grana cruda, jejunè manducata & deglutita, valde conducunt. Ad confortandam quoque memoriam satis sunt egregiæ, & ingenium summè acuunt; quia subtilisant admodum & volatilisant spiritus animales, & impetum ac vigorem eorum naturalem intendunt. Propterea habet *SENNERTUS in l* I. *Praxeos P.*2. *cap.*5. *pag.*307. pilulas, quas ex *MONTAGNANÆ Consil.*71. desumpsit, & vocat bonum secretum contra memoriam amissam, quoniam virum antea doctum imbecillitate memoriæ laborantem illis restituit. De his deglutiri debet sub introitu in lectum dosis una, & dupla mane jejuno stomacho. Basis sunt Cubebæ. Cavendum tamen, ne cùm nimis frequens eorum usus sit, spiritus animales disturbentur, & pro acumine stupiditatem inducant. Somnolentiam arcent, sed vires sustentant, atque in omnibus soporosis affectibus conducunt. Venerem ratione salis volatilis paulò acrioris insimul egregiè stimulant, quod ferè omnia reliqua aromata præstare solent, quæ Memoriæ dicata sunt; sicut pro excitanda Venere Cubebæ apud Indos frequenter usitatæ sunt. Post caput sunt singulare stomachicum, dum ventriculum frigida & acida pituita onustum egregiè evacuant, abstergunt, & sale penetrativo egregiè confortant. Tandem & frigidis sic dictis uteri affectibus, imprimis in sterilitate, fluore albo, &c. conveniunt.

Inter *Præparata Confectio* & oleum rari sunt usus.

Species dia-Cubebæ sæpiùs præscribi solent.

CUCUMIS.

EX *Cucumere Semen* tantùm in usu est; rarò *Fructus*.

Semen inter semina 4. frigida majora refertur, adeoque solet ingredi Emulsiones Refrigerantes, quas vocant, in febribus ardentibus; et sic, quæ de Citrullo dicta sunt, applicari possunt ad hoc semen. Reliqua habet *AUTOR noster*.

In phrenitide *Caro* cucumeris applicata capiti, est singulare experimentum *BORELLI Cent.*4. *Observat.* 94, qui refert, quod Rusticus quidam alterum Rusticum phreneticum curaverit cum taleolis cucurbitæ capiti impositis. Vocat quidem cucurbitas; sed potiùs puto, illum intelligere Cucumeres, quoniam promiscuè sæpè utuntur Autores his vocibus. Simile habet *BARTHOLETUS in* eleganti *Tractatu de Respiratione*, qui in fervida maximè phrenitide commendat carnem cucurbitæ tusam, niveque refrigeratam abrasis capillis capiti impositam: Nam tali imposita quidam phreneticus præter spem liberatus fuit, teste *BARTHOLETO*. Aliàs in tali casu fedum majus contusum, et plantis pedum et capiti applicatum, commendari solet: huic tamen præfert *RIVERIUS* Cucumerem.

Prostat *aqua destillata Cucumeris* in quibusdam locis, quæ valdoperè commendatur contra febres ardentes, quod soleat refrigerare et compescere effervescentias ardentes.

CUCURBITA.

C*Vcurbita* planta et fructus omnibus est notissimus, cujus variæ sunt species, unius autem ejusdemque virtutis et facultatis.

Usitatum est *Semen & Caro*; rarò aut nunquam *Folia*.

Semen refertur inter 4. frigida majora, ex quibus fiunt Emulsiones in febribus ardentibus, quæ tamen stomacho debili non semper æquè gratæ sunt, cùm de facili acorem contrahant, et oleosa substantia tonum stomachi laxet. Aliàs in viribus et facultatibus convenit cum Citrullo et Cucumere, uti et *aqua destillata* cum aqua Cucumeris.

CUMINUM.

C*Uminum* est quasi aroma quoddam nostras, cujus semen elegans est pro usu Medico, et pertinet ad quatuor calida majora.

Vis ejus, uti seminis anisi, fœniculi, anethi, carvi, etc. cum quibus omninò conspirat natura et usu, consistit in oleo salino temperato aromatico, adeòque, ut illa, vi aromatica spiritus animales recreando, conducit stomacho, et in affectibus intestinorum cum inflatione stomachi et tympanitide, ex cruditate acida in primis viis, egregium est. Non adeò est diureticum, uti fœniculum: et notandum, quod omnia ea, quæ de Aniso dicta sunt, ad Cuminum quoque applicari possint; hoc tamen excepto, quod illud lac promoveat, hoc verò istud intercipiat. In affectibus colicis et convulsivis intestinorum malis à ℨß. ad ℨj usurpatur; sicut et in herniis ejus usus est egregius. Porrò Menses stimulat, et in specie dolorosos et molestos promovet, et tormina abdominis convulsiva juncta, item tormina parturientium notha, egregiè compescit, in cerevisia calida ebullitum et propinatum; adeò ut rectè semina 4. calida *HELMONTIO* dicantur intestinorum solamina.

Externè ad lactis fluxum nimium arcendum applicatur cum linteis; In affectibus colicis et flatulentis in sacculis applicatur abdomini, vel incoquitur Clysteribus.

Oleum ejus *destillatum* quoque notum est, quod odorem suum urinæ fortiter affricare solet. Commendatur contra tormina et inflationes infantum, et suffocationem eorundem hypochondriacam, *das Hertz, gespan*, moderatè urinam promovet, sanat tamen stranguriam ratione salis volatilis oleosi, quod demulcet Acidum, et colicæ stranguriæ Autorem; nunc externè umbilico, et in suffocatione hypochondriaca circa costas nothas illitum, atque Clysteribus permixtum. Sunt qui dicunt, quod album mulierum fluxum, uti etiam mensium abundantiam, cohibeat.

CUPRESSUS ARBOR.

C*Upressus Arbor* in Italia vulgaris est, apud nos rara, cùm in paucissimis hortis colatur.

In usu sunt *Lignum*, *Fructus*, & *Folia*.

Tota Cupressus refertur inter Antisplenetica.

Fructus inter adstringentes sunt celeberrimi usus; si enim infunduntur in vino, prosunt in sanguinis rejectione et aliis fluxibus.

Externè conveniunt, ubi porulorum occlusione, et fibrarum laxatarum constrictione opus.

Ex ligno destillatur *spiritus acidus uolatilis ardens*, uti ex ligno corylino, de quo paulò ante, qui in affectibus spleneticis commendatur.

Post Cupressum Arborem sequitur

CUPRESSUS HERBA.

C*Vpressus Herba* alio nomine vocatur *Abrotanum Fœmina*: nam promiscuè apud Autores hoc nomine venit, & in omnibus convenit cum Abrotano mare, nisi quod fœmina magis temperata sit, & minus acris: in iisdem tamen affectibus ambo adhibentur promiscuè.

Inter plantas aperientes & deoppilativas refertur: adeoquè in affectibus splenis & tumoribus viscerum speciatim commendatur. *Folia* sicca pulverisata ad ℨß. in aqua matricariæ, dicuntur sistere fluxum album mulierum, loc. expert.

CURCUMA.

C*Urcuma* est radix exotica, alia *Græcorum*, alia *Arabum*. *Græcorum* est planta ex Indiis Orientalibus, & *generibus Cyperorum*; unde *Dioscoridi* aliisque Veteribus alio nomine vocatur *Cyperus Indicus*. *Serapionis* verò *Curcuma*, & hinc dubio procul etiam aliorum *Arabum*, est *radix chelidonii majoris*; hæc enim est radix intensè flavescens, saporis amaricantis, de quo vid. *Histor. Plantar. Tom.*2. *p.*746. *Græcorum* verò *radix curcumæ*, seu, ut rectè dicitur, *Crocus Indicus*, radix est amara aromatica, quæ frequentissimo est in usu in locis Orientalibus, tàm pro pigmento externo, quàm pro usu interno morborum chronicorum, mensium suppressorum; de quo conf. in specie *BONTIUS in Com. pag.*9. item *ERASMUS FRANCISCI in den Ost-Indischen lust Garten p.*483.

Apud nos radix hæc equidem rarioris, non tamen contemnendi, usus est in hydrope & ictero flavo, quem specificè curat; præsertim cum salibus usurpata; unde à Germanis vocatur *die gelbe Suchtwurtzel*. Usurpatur autem hoc modo:

℞. *Rad. curcumæ*,
Antimonij diaphor. an. gr.xv ad ℈j. M.

Bis in die exhibeatur expectato blando sudore.

Addi possunt *salis uolatilis cornu cerui* aut *succini* gr.vj; & eò melius proficuum erit remedium.

Usum etiam ejus in exturbandis calculis felleæ vesicæ, & curandis inde natis doloribus hypochondrii dextri, curiosam historiam recenset *HOFFMANNUS in Claue Pharmaceut. Schrœder. p.*463. Convenit etiam omnibus affectibus cachecticis; & in affectibus splenis atque mesenterii, aliisque morbis chronicis, ubi bilis peccat, valdoperè laudatur. Ingens est aperitivum in quibuscunque morbis, mucosa in ventriculo imminuit, incidit & attenuat, atque adeò multorum morborum fomitem expurgat.

Inter *Præparata* sunt *Species dia-Curcumæ*, de quibus rectum est *AUTORIS nostri* judicium, quod, quoniam nihil de Curcuma illas ingreditur, potiùs dicendæ sunt *species dia-Croci*, qui est basis.

Essentiam ex hac radice curcumæ cum nitro fixo parare docet *LUDOVICI*.

CUSCUTA.

C*Uscuta* seu *Cassuta*; item *Epithymum* Græcis, Germ. *flachs-Seide* & *Miltz-Kraut* item à modo crescendi *Filtz-Kraut*, Planta est sui generis ubivis obvia, ex proprio semine scandens, & foliis propriis constans, aliisque passim plantis adhærens, easque exsugens, non secus atque hedera arboribus adnasci solet, unde in iisdem radices suas figens propriam amittit radicem, succoquè plantarum harum alieno nutritur, unde hæ ab hac suppressæ marcescunt. Sic hæc Cuscuta tàm fortiter adhærescit Caucali sylvestri, item lupulo, ut vix ab iisdem separari possit; hinc etiam pro varietate plantarum, quibus adhæret, varia quoque sortitur nomina: sic quando v. g. adhærescit thymo, vocatur *Epithymum*; si satureiæ seu tymbro, *Epithymbrum*; si hyssopo, *Epihyssopus*; si lino denique, *Linopodes* vocari solet, & sic porrò. Observetur adhuc, quando adhærescit plan-

plantis non adeò magis, vocatur *Cassuta minor*; & *major*, quando super magnas.

Quæritur autem: *an hæc Cuscuta sit planta propriè sic dicta? aut peculiaris herbæ species?* Dicunt esse plantam: negant nonnulli cum SIMONE PAULI, eamque nihil aliud quàm scirrhum p. n. herbis adnascentem, quo implicitæ suffocantur, esse volunt.

Rectè HOFFMANNUS dicere solitus est, quod omnes ejusmodi plantæ sint naturæ nitrosæ, atque eo ipso pro laxantibus diureticis habeantur; unde inter officinales suum quoque obtinent locum. Observarunt enim, hanc vi aliquali laxativâ ac abstersivâ pollere, ideo & à quibusdam inter melanagoga mitiora, in affectibus melancholicis proficua, refertur; si nimirum in infuso sennæ imprimis, vel polypodio sociatum propinetur; si enim per se coquatur, vis ejus per corticem perit. Usitatum aliàs epithymum præscribere in nodulis sanguinem purificantibus, ubi subest scorbutus, vel malum hypochondriacum. Cum absynthio, quacumque in forma, quibuscunque in viscerum noxis convenit. Quartanis etiam aliisque febrium noxis dicata dicitur.

Præterea etiam observatum, Cuscutam pro varietate plantarum, quibus adnascitur, vi earum appropriatâ magis aut minus turgere, unde ratione succi nutritii diversi diversas acquirere virtutes: Vid. FREITAGIUS *in Aurora Medicor.* ubi tractat *de Purgantibus pagina* 260, qui ita discurrit: *Cuscuta, quæ crescit super linum, humidior reliquis suæ familiæ speciebus est; sicuti è contrà, quæ Genistæ adhæret, urinam & alvum promptiùs movet, lienisque affectibus convenit; permista thymo, urinam & alvum ciet; ea, quæ super lupulo & erica, etiam spleni singulariter dicata est.*

Porrò ex signatura quoque, ob vatiam suam circumvolutionem, quâ vasorum mesaraicorum divaricationem repræsentat, hisce quoque infarctis, & hepati ac spleni malè se habenti, aliisque morbis chronicis succurrere aliqualiter dicitur.

Quoad *Præparata*, *Syrupus de Epithymo* prostat pro morbis chronicis tollendis.

CYANOS.

Cyanus *vulgaris* pertinet reverà ad *Jacearum species*. Dicitur ita à cyaneo eleganter cœruleo colore, quo ipsius flos gaudet. Dicitur etiam *Baptisecula*, item *Herba Frumenti*, Germanis *die Korn-Blume*. Datur etiam *Cyanus Montanus latifolius*, & *angustifolius*.

Veteres de hanc planta nil scivere. Ubique crescit, & à Rusticis de illius natali solo informamur.

In usu officinali est *Flos* cœruleus, tam internè, quàm externè; & cum Calcatrippa, quoad flores & effectus, convenit.

Internè vim habet ophthalmicam & diureticam; hinc solus flos, vel junctus cum flore calcatrippæ seu consolidæ regalis cœruleo, vino infusus, vel in aqua decoctus, urinam, menses, & lochia suppressa, suaviter promovet: Unde AGRICOLA *in Chirurgia Parva* decoctum florum cyani & calcatrippæ commendat in affectibus urinariis: Quod si his addantur flores calendulæ, erit Decoctum appropriatum uterinum.

Externè in affectibus oculorum, eorumque rubedine, lippitudine, nebulis &c. commendatur. Singulare habet SCHMUCKIUS *in Curia Magico-Med. pagina* 54. dum inquit: *Radix Cyani collecta die Corporis Christi, Germanis Fron-Leichnam, qui & dies* 10. *Junii, detenta in manu, ut incalescat, omnem hæmorrhagiam sistit: quòd si alio tempore colligatur, tale quid non præstare perhibetur.*

Tinctura paratur cum spiritu vitrioli consueto modo, quæ cum tinctura florum calcatrippæ propinatur in iisdem affectibus, difficili partu, suppressione & mensium & urinæ; unde interno usu à quibusdam commendatur in hydrope, quod debeat educere aquam sub forma urinæ.

Aqua florum cyani loco vehiculi inservire potest, quando in suppressione urinæ & calculo debet fieri Emulsio ex seminibus violarum. *Externè* in affectibus ophthalmicis, ex variolis in specie ortis, utramque paginam facere dicuntur. Aqua etiam florum cyani mista cum aqua cherefolii est egregium experimentum in suffusione oculorum, calidè cum linteis applicata: quòd si admisceatur tantillum vel croci vel camphoræ, erit efficacior ejusdem effectus.

In ophthalmiis, rubedine, lippitudine, nebulis & maculis, ex floribus cyani per deliquium paratur *liquor*, uti ex floribus cichorii: quem modum parandi docet SENNERTUS *l.* 1. *Praxeos P.* 3. *sect.* 2. *cap.* 12. *pagina* 786. & TIMÆUS *von gulden-Klee in Epistol. suis pag.* 64. *Flores* nempè contusi, & vitro inclusi, tandem spontè sua rubescunt. Ratio est, quoniam motum quodammodo intestinum & calorem spontaneum concipiunt, hincque acorem contrahunt, quo præterito rubescunt; tandem in furno pistorio in liquorem abeunt, dictis usibus inservientem.

CYCLAMEN.

Cyclamen *Majus folio rotundo, inferiùs purpurascente seu rubescente*, Germanis *Erdapffel*, Latinis usitato nomine *Panis porcinus*, unde Germanis *Sau-oder Schweins-Brodt*, à forma radicis ingentis, formamque panis repræsentantis; qui tamen ob virulentiam suam magis porcis quàm hominibus inservit: Græcis dicitur *Artanita*.

Planta est suavis odoris, ac propter floris gratiam tantum in hortis colitur. Crebriùs crescit etiam in locis montanis umbrosis; hinc ipse in montibus Tyrolensibus copiosiùs crescere observavi.

Officinas *Radix* ejus ingreditur.

Hæc inter purgantia fortiora refertur, utut etiam vi alterativâ, imprimis spleni succurrente, polleat; hinc cum asaro (quod itidem in splenis vitiis commendatur) convenit, etiam quoad externam figuram. Ejus ℨj. internè propinata, solet commendari in talibus usibus. Egregiè aperit obstructos & infarctos lienes, & tollit scirrhos: menses ciet, & expellit fœtum mortuum, ac in promovendo partu convenit. Quia verò acris & virulenta est, propterea raro interior ejus est usus.

Exterior est crebrior. In Mensium obstructione convenit, si suffitus radicis cyclaminis genitalibus excipiatur, quo, omnibus afferentibus, certò Menses provocantur. Sunt, qui dicunt, quòd radix, si appendatur instar amuleti collo, ita, ut lienem, vel tumentem vel obstructum, attingat, egregiè solent mederi affectibus spleneticis.

Radix hæc sucum acrem suggerit, omnia membra conturbantem: ergo rarissimus est usus ejus internus. *Externè* si inungatur recens abdomini aut ventriculo, expurgat per alvum aquas hydropicas collectas, & fœtum abigit. Unde, quicunque succo hoc attigerit anum, mirâ celeritate alvi solutionem sentiet; linteo etiam exceptus, & ano blandè applicatus, in affectibus hæmorrhoidalibus cæcis suppressis conducit: vid. HEINRICUS *ad* HEER *in Observat. oppidò raris observat.* 6. Præterea denique usu externo convenit in mensium obstructione, si applicetur cum appropriatis sub forma pessi in sinum muliebrem. Alii recipiunt *succum radicis cyclaminis*, eumquè cum *gummi ammoniaco* coquunt in *Emplastrum* egregium *spleneticum*. Unde etiam videmus, quod in emplastris omnibus ad scirrhos & tumures duros emolliendos & resolvendos, item ad scrophulas, strumas, & tumores partium externarum, recipiatur usitatissimè radix cyclaminis & ejus succus, item bryonia cum succo, nec non cucumeris asinini cum succo, & gummi appropriatis, ammoniaco, galbano, & cum seminibus etiam appropriatis, & coquantur in emplastrum, quod durissimos emollit tumores & resolvit. Instar omnium exemplum habetur in SENNERTO, *l.* 2. *Praxeos*, ubi agit *de Strumis*, *pag.* 133. & 134. quod fit instar cujusdam schematis pro præscribendis similibus emplastris contra quoscunque tumores duros internos lienis, & externos, in quibuscunque partibus ex quacunque causa.

Ingreditur *unguentum de Artanita* dictum *majus* & *minus*, cuius basin constituit, quod spleneticis & hydropicis usitatum: Insternitur nimirum hoc abdomini toti, & sic potenter aquas hydropicorum purgat: vel in forma minoris unguenti parti abdominis insternitur ad obstructiones alvi reserandas. Alii etiam ex radice unguentum antipleuriticum parant.

Alii è radice *oleum acousticum* parant *sequenti modo*:

Recipiunt nimirum *radicem* hanc *excavatam*, eamque replent *oleo infusionis verrmiculorum*, *intra cortices quercinos hospitantium*, hinc eandem coquunt sub cineribus, ac in sole digerunt; uti hoc oleum descriptum est in PETRÆI *Nosolog. Galeno-Hermetica.* B. D. MICHAELIS, fortunatus ille *in sua Empiria*, felicissimè oleo hoc in difficultatibus auditus usus est.

Rarum

Rarum est, quod *HOFFMANNUS in Thesauro suo Pharmaceutico, Clavi Schrœderianæ annexo*, oleum ex infusione *florum cyclaminis*, eâque sæpiùs repetitâ, parari posse dicit pro externo litu contra pleuritidem. Sit tamen fides penes experientiam.

CYMBALARIA.

CYmbalaria Italica foliis hederaceis, planta est exilis, sed propter folia hederacea elegans. Dicitur verò ita à Cymbalis, quæ flos ejus in anteriori parte quasi repræsentat. Pertinet revera juxta *MORISSONIUM* ad *Linarias*, hinc *Linaria foliis hederaceis* non incommodè dici potest.

Usum pharmaceuticum habet nullum, sed tanquam exoticum colitur: si tamen suspicioni indulgendum est, inter plantas temperantes & refrigerantes, quales sunt hederea, alsine, nymphæa, &c. referri potest.

CYNOGLOSSUM.

CYnoglossum, Germ. *Hunds-Zung*, planta est hirsuta, & ubivis obvia: & hujus utut varia sint genera, usitata tamen est *major vulgaris*. Pertinet ad *echia*, & apud Veteres, speciatim radix, innotuit vi narcotica & stupefactiva; atque harum virium ratione illa omnia præstat, quæ narcotica, v. g. papaver & opium, dum catarrhos sistit. Prætereà observata fuit in hac planta vis adstringens, hincque dysenteriæ curativa: adstringentia enim cum narcoticis in dysenteria utramque absolvunt paginam: hæmorrhagias quascunque impedit & sufflaminat, & qui sunt talismodi effectus alii à simplicibus narcoticis.

Prostant in officinis *Pilulæ de Cynoglossa* narcoticæ, cum opio & aliis, quas Veteres in tussi sicca nocturna serina, raucedine, & aliis affectibus pectoralibus ac faucium catarrhalibus à lympha acri, incipiente phthisi, & doloribus dentium, usurparunt. Verùm, cùm sint crudæ, & paratæ ex narcoticis admodum violentis, non amplius sunt in usu, sed in locum eorundem substituitur laudanum opiatum. Si tamen lubet uti his pilulis de cynoglossa, imitandus *BENEDICTUS FAVENTINUS*, Medicus Bononiensis, qui habet pilulas catarrhales, & impedientes confluxum materiæ ad fauces, quarum compositionem videbitis in *ZWELFFERO Edit. penult. pag.* 214. egregii usus in catarrhis, ut dixi, sistendis, corrigendis, & aliis similibus affectibus curandis.

Præparata qui vult alia, videat *WILLISIUM Pharmac. Ration. Part. 1. pag.* 322.

CYNOSBATOS.

CYnosbatos dicitur etiam *Cynorrhodos*, quamvis *MATTHIOLUS* hæc duo inter se differre statuat: item *Rosa Canina*, *Arvensis*, *Rubus Caninus*, Germanis *Hage*-vel *Hanbutten*, *die Wilden Rosen*. Et quidem *Cynosbatos* communiter *innuit* saltem *fructum*; *Cynorrhodus* autem seu *Rosa Canina notam plantam Rosæ sylvestris*.

In usu *Flos* est, item *spongia* seu *excrementum muscosum*, Germanis *Schlaaff-kunst*, & *Fructus*.

Flores quod attinet, odor eorum longè suavior, volatilior & penetrantior est Rosis hortensibus, quæ nimio quasi phlegmate sunt oppletæ, atque magis aromaticus; unde etiam magis commendantur pro destillanda aqua rosarum. In concreto suo substantiam alcalinam & terream continent; unde *usus* eorum idem est cum floribus rosarum rubrarum, quod nempè adstringant eleganter, & sic commodè adhibentur sub Decocto vel conserva, ubi opus est adstrictione, in alvo & hæmorrhoidibus apertis, aliisque fluoribus, ex acido imprimis enatis, speciatim uterinis. Texturam hanc materialem confirmat, quod harum & aliarum rosarum siccatarum Infusum vel Decoctum solutionem Vitrioli in atramentum præcipitet.

Fructus vi diureticâ in usu sunt, præsertim arilli; unde insigniter commendantur ad calculi affectus præservandos & pellendos, simulque corrigendas acciditates primarum viarum; nec non hypochondriacis æstuantibus, cum passulis cocti sunt egregii. Prætereà Fructus hi exsiccati exemptis arillis egregii sunt in soda seu stomachi ardore compescendo.

Spongiæ & *concrementum ligneo-muscosum*, in quo *vermiculi albicantes* reperiuntur, vocantur German. *die Schlaaff Kuntzen*, seu *Schlaaff apffel*. Hæ singularem vim habent diureticam & lithontripticam, & in conciliando somno non minimam efficaciam: Conf. M. A. N. C. *Anno* 2. *Observat.* 188. Illos autem *vermiculos* in f. q. *aceti* contundunt, quo illinenda sunt tempora pro conciliando suavi somno. Prosunt quoque vermiculi hi viventes in epilepsia infantum; Hinc *Clarissimus* Dn. D. *MAJOR*, Professor Kiloniensis, horum vermiculorum num. 4. vel 5. infantibus epilepticis fausto cum successu propinasse, alicubi asserit. An autem vi anodynâ hoc præstent? in medio relinquo.

Modum, quo in muscas transformentur hi vermiculi, videbitis in M. A. N. C. *Anno* 3. *Observat.* 217. *p.* 398.

Inter *Præparata* eminet *spiritus antinephriticus*, quem *Autor noster* ex spongiis parare docet, in affectibus nephriticis & diureticis: cujus uberiorem compositionem videbitis in *HARTMANNI Praxi Chymiatr. cap.* 291. *§.* 5. Vim harum antinephriticam *SIMON PAULI* deducit à vi adstringente, quæ tamen potiùs à vermiculis deducenda.

Modum *liquorem ex vermiculis* earum parandi tradit *BARTHOLETUS in Tractatu de Respirat.* quando dicit; quod sint aperiendæ spongiæ, vermes eximendi, & inter duos lapides conquassandi; qui vitro inclusi præbent liquorem pinguem & oleosum vix corruptibilem, qui colligi potest & asservari ad suavem somnum promovendum, si hoc ipso inungantur tempora.

Fructus conditi sunt alimentum medicamentosum contra calculum, quem expellunt, & quò minùs generetur, præcavent. Aliàs etiam referuntur inter remedia hepatica, ad corrigendam dyscrasiam sanguinis, & imminentem cachexiam.

In Soda seu Ardore stomachi, ex fructu, remotis lapillis, staminibus verò manentibus, c. f. q. Sacchari paratur *conserva*, quæ in dicto affectu fuit Secretum Principis Magdeburgensis, qui hâc curatus est, aliis nihil omninò juvantibus.

Oleum ex Arillis expressum egregium diureticum est.

Aquam Cynosbati cum Vino Malvatico elegantem diureticam videbitis *in Florileg. GRULINGII pag.* 484.

Plura videbitis in *HAGENDORNII*, *Medici Gœrlicensis*, *Cynosbatologia*.

CYPERUS.

CYperus, *longus* & *rotundus*, Germ. *Cyper-Wurtzel oder der Wilde Galgand*, radix est aromatica, ex *genere* tamen *plantarum arundinearum* seu *gladiolorum*, acris & subamara, perfectè aromatica, in locis Asiæ calidioribus & paludosis, in specie India Orientali, nascens: Notum enim est, quod omnes herbæ acres & sale volatili constantes plerumque in paludosis & humidis locis crescere soleant. Cùm igitur noster ejusdem sit naturæ, eadem quoque loca amat.

Prodest in affectibus stomachi & intestinorum, simulque est alexipharmaca; & eo ipso, quo est aromatica, convenit in flatibus, cruditate acida, ructibus, inflatione stomachi, & similibus affectibus. Pulvere ejusdem ad ℨj. propinato in aqua appropriata contra pestem, plures curatos fuisse refert *PALMARIUS Tract. de morbis Contag. cap.* 18. *p.* 485. Attamen rarò est in usu. Convenit aliàs cum reliquis omnibus aromatibus quoad virtutes, uti videbitis in *Autore nostro*; sed est paulò acrior, minus tamen quàm zinziber.

Plura qui cupit, adeat *scriptores rerum Orientalium*.

CYDONIA MALUS.

MAlus Cydonia, Germ. *Quitten-Baum*, sufficienter cognita est, tàm in culinis quàm officinis, ex qua imprimis *mala*, unà *cum seminibus* suis contentis, *frequenti in usu sunt*; utut sint, qui commendant decoctum foliorum tanquam singulare adstrictivum, nihilominus est in usu rariori.

Quoad

Quoad *uſum malorum internum*, inſigniter conferunt ad firmandum ſtomachi tonum, ubi fibræ laxatæ, adeoque alimenta non ritè recipiant, neque contineant, neque expellant. In tali caſu præ reliquis omnibus convenit Cydonium, & omnia exinde parata medicamenta, ne vomitus vel nauſea ſubſequatur; adſtringunt enim, indeque dyſenteriam, diarrhœam, lienteriam, & cœliacam paſſionem, & ſimiles affectus curant, & appetitum maximè provocant, ſi ante paſtum ſumantur. Et cùm tonus ventriculi requiratur pro meliori coctione & chyli expulſione, propterea ab omnibus ſingulariter commendatur ad ventriculi læſam coctionem, anorexiam & apepſiam. In vomitu certè non poteſt ſufficienter commendari ab Autoribus. SCHENCKIUS *l.* 3. *Obſervat.p.* 334. ubi agit de ventriculi affectibus, commendat Cydoniata, tàm internò quàm externo uſu, ſimulque parat ex pulpa cum aliis appropriatis Cataplaſma, quod applicat ſtomacho ad affectus ſtomachi corrigendos: Vid. etiam RIVERIUS & HARTMANNUS. Vis eorum in ſale acido auſtero, ſalſo tamen ſeu propriè alcaliſato, conſiſtit; unde blandè adſtringunt. Lectu digna ſunt, quæ habet BARTHOLINUS *Centur.* 5. *Hiſtor. Anatom.* 22. de vi cydoniorum adſtrictiva, & in certo quodam ſubjecto diuretica; ubi ſimul quædam curioſa reperiuntur de ſale quodam cryſtallino, *ſal eſſentiale ſeu Tartarus cydoniatus* dicto, qui in cydoniorum ſucco inſpiſſato ad oculum apparet, & egregium diureticum eſt.

Quod dicitur de Cydoniis in genere, dicitur etiam de *Præparatis*.

In uſu autem ſunt *Cydonia condita*, *ſyrupus* vel *Miva*, *ſuccus* ſub nomine *Vini cydoniati*, *Panis*, & *Gelatina cydoniorum*, atque *oleum Coctum*.

Succum ſeu *Vinum cydoniorum* tanquam miraculoſum in laxitatibus & Atonia ſtomachi, indeque in vomitu, diarrhœa, &c. omnes vocant: vid. GABELCHOVERUS *Cent.* 3. *Curat.* 70; unde Miſtura talis commendari ſolet in vomitu:

℞. *Aquæ menthæ* ℥ij.
cinnam. ℨvj.
Succi cydonior. ℥j.
Spiritus vitrioli gutt. vj.
Olei deſtillati cinnam. gtt. iv.
vel ſaporis gratia *Eleoſacch cinnam.* ℈ß. M.

Quæ expertiſſimum eſt contra vomitum, & ſimiles affectus à vomitu oriundos.

Cum aqua dilutus, addendo parum Vini, præbet Julebum ſuaviſſimum in febribus acutis, ardentibus, & ſimilibus, præſertim cum diarrhœa colliquativa ſeu ſymptomatica junctis. Et hoc imprimis commodi afferunt cydonia, eorumque ſuccus in morbis acutis, ut appetitum provocent, & ſitim è contrà mitigent. Idem ſuccus alexipharmacum eſt hellebori albi, ex quo arte paratum venenum ſpecificè corrigit: de quo vid. PECHLINUS *de Purgantib. pag* 306. *Externè* in vulneribus venenatis, tam à telis infectis ortis, quàm à ſclopetis inflictis, recenter inſtillatus inſigniter conducit: vid. STARICIUS Germ. *im Heldem-Schatz*, *p.* 150. qui dicit; quod ſuccus cydoniorum expreſſus & inſtillatus vulneribus venenatis ſcolpeto inflictis certò tollat venenum. Et hoc ipſum ante eum dixit FORESTUS *l.* 6. *Obſervat.* 10. qui refert; quod in bello Turcico plures vulnerati fuerint telis venenatis, & quam plurimi etiam mortui propter venenum: deque veterano medico, quod vulneribus venenatis impoſuit carnem cydoniorum dentibus contritam, atque ſaliva jejuna permiſtam, & curati ſunt omnes taliter vulnerati, nullis aliis remediis juvantibus.

Panis cydoniorum commendatur contra apepſiam & anorexiam, ſi ſolvatur ſuper ignem in vino Malvatico ad conſiſtentiam pulmenti, cui addatur

Nuc. moſchat. no. j.
Zedoar.
Caryophyll. an. ℨj. M.

De qua quantitas nucis moſchatæ interiùs aſſumpta valdopere commendatur in laxitate & atonia ventriculi, uti etiam calidè applicetur ventriculo, & interdum reiteretur: Vid. ZACUTUS LUSITANUS *l.* 2. *Medic. Princip. Hiſtor.* 62. ubi egregia habet *de Pane Cydoniorum* contra ſtomachi affectus: adſtringit enim, indeque

Aliàs etiam *Gelatina cydoniorum laxativa* paratur, quæ citra tormina graviora purgat. Elegans modus eſt hic:

℞. *Pom. cydonior.* no. xxx.

Hæc coquantur in ſ. q. *aquæ fontanæ* ad conſumptionem medietatis. Ad hujus ℔iv adde *Sacchari albiſſ.* ℔iß.

Inſpiſſa ad conſiſtentiam debitam gelatinæ: cui circa finem adde *ſequens Extractum*:

℞. *Turpethi el.* ℥iv.
Scammon. ℥ij. vel iij.

Extrahe cum ſpiritus vini ſ. q. *Spiritui abſtractò* adde

Olei deſtillat. macis,
Caryophyll. an. ℈ß.

Addatur ad Gelatinam, & erit ſuave Purgans.

Aliàs Purgantia Cydoniis corriguntur.

Oleum cydoniorum decoctum extrinſecè commendatur in talibus ſtomachi affectibus, ubi opus eſt adſtrictione.

Hæc de cydoniis, ſequitur eorum *Semen*.

Semen cydoniorum pertinet de ea, quorum vis conſiſtit in mucilagine quadam, & non tam uſurpatur in ſubſtantia, quàm ex eo extracta *mucilago* mediante coctione. *Mucilago* autem hæc ad quamplurimus affectus eſt commendatiſſima: cum aqua acetoſæ, vel cum phlegmate vitrioli, vel ſpermate ranarum hujuſve aqua, parata, vel ſolitaria, vel cum ſyrupo rubi idæi miſta, in æſtu nimio febris Caſtrenſis, morbi Hungarici, aliarumque febrium ardentium, & faucium atque linguæ ariditate & ſqualore cum cruſta pituitoſa, optimè conducit: Illinitur linguæ, & per tempus ibi relinquatur; poſt ligno acuminato ſeu ſpatula abraditur mucilago. Quod ſi miſceatur cum ſucci ſempervivi majoris ana, vel addatur tantillum ſalis ammoniaci, erit remedium efficacius, & eò magis præſentaneum. Imprimis experta eſt mucilago cydoniorum in ambuſtionibus, & in tali caſu miracula ei adſcribuntur, ſi extrahatur cum aqua appropriata per macerationem ex pomis putridis deſtillata, quæ aliàs etiam contra gangrænam laudatur: item ſi extrahatur cum aqua ſpermatis ranarum (quod egregium in ſe habet ſal alcali vulnerarium) aut cum aqua deſtillata per alembicum ex ranis vivis, quæ etiam habent ſal vulnerarium; quod ſi huic macilagini addatur camphora & ſaccharum Saturni, vel miſceatur cum ſucco cancrorum fluviatilium recenter expreſſo, remedium erit eò efficacius & potentius: Nam in ſaccharo ſaturni & camphora eſt vis abſorbendi & temperandi acidum, quam monſtrat acetum, quod per infuſionem horum dulceſcit. SCHMUK *in Theſauro Magico-Magnet. Theſ.* 2. *Secr. Med.* 20. hanc mucilaginem cum aqua ſolani extractam ſpecificè commendat contra refrigerationem partium, ſive ſint clauſæ, ſive apertæ & exulceratæ.

Idem afferit, poſſe eandem, cum aqua vel decocto linariæ extractam, cum oleo lini applicari in ardore hæmorrhoidum cœcarum, in quarum dolore ſanè expertum remedium eſt: ſicut & mucilago cum ſpermate ranarum hujuſve aqua extracta, & cum ſaccharo Saturni miſta, dolentes hæmorrhoides mitigat. Ophthalmias à cauſa externa natas eadem mucilago egregiè curat.

D.

DATURA INDORUM.

DAturam Indorum neglexit AUTOR. Ego autem dico, quod ſit planta ex generibus *Stramineorum*, *ſolanum* nempe *pomiferum fœtidum fructu ſpinoſo oblongo*, & vim habeat inſigniter anodyno narcoticam, nihilominus mitiorem, adeo, ut ſint, qui præferant hanc Daturam Indorum vel Turcarum ipſi opio.

In India orientali uſurpata ſingularis eſt virtutis narcoticæ, ex cujus uſu adeo dementantur homines, ut vigilantes, & ſentientes, quid ſecum fiat, neſciant. De ejus vi narcotica, & modo in Indiis uſitato utendi, vid. BARTHOLINUS *Centur.* 6. *Hiſtor.* 75. ubi egregia & lectu digna refert; inter alia quoque, quomodo decipere ſoleant mulieres Indæ maritos, iiſdem præſentibus cum aliis concumbentes; item Germ. *Mandelslob in der Oſt*, *Indianiſchen Reiſe-Beſchreibung* pag. 133., & BORRICHIUS *Hermet. Sapient. pag.* 119. Medela hujus veneni conſiſtit in aceto, de quo vid. HOCHSTETTERUS *Obſer. Dec.* 7. *Obſeru.* 7 *p.* 156. & 257. Ex hoc præparat ſingulare *Pharmacum Phantaſticum* BARTHOLETUS *in elegantiſſimo Tractatu de Dyſpnœa ſeu Reſpiratione læſa*, cujus baſis eſt hoc ipſum ſemen Daturæ. Compoſitio eſt talis:

℞. *Vini albi gener.* part. xij.
Aquæ vitæ part. iv.
Salis comm. part. ij.
Sem phantaſt. ex Ind. advecti, ſeu *ſem.*
Daturæ part. iv.
Coccolæ Ind. Orient. part. ij.
Croci part. ij.
Rad. cyperi,
Ligni aloes an. à quadrantem partis unius.

Contuſa digere ſub fimo equino horas 40. facta expreſſione circula in Balneo Mariæ vel fimo equino per 15. dies nocteſque, uſque dum planè clareſcat; liquorem clarum à fœcibus ſegrega & ſerva.

Uti ſolet hoc ipſo medicamento BARTHOLETUS contra Phantaſmata in morbis melancholicis, ut ſcilicet de terminet imaginativam hominis vi daturæ narcotica ad certum ſubjectum; cui addit ſpecifica, ut cogitet & imaginetur ſibi hoc vel illud: e.g. ſi quis putet, ſe carere pene, addit Venerem ſtimulantia; triſti addit exhilarantia ſpiritus; ſicque in reliquis affectibus addit ſpecifica, & imaginativæ læſæ hic contraria. Quod, quomodo contingat? & an ab ideis, non eſt diſcurrendi locus.

DAUCUS CRETICUS.

DAucus eſt duplex: vel *vulgaris apium folio minore*, & *Creticus* magis aromaticus, adeoque præſtantior, qui etiam intelligendus, & cujus ſemen tantùm eſt officinale. *Falſò* autem *Daucus* hic

hic *Italicus* dicitur *Creticus*, cùm hic habeat folia fœniculacea & sub nomine Cretici vendatur; Germanis dicitur *Mohren-Kummel.* Suavissimum spirat aroma ad instar Levisticorum & Angelicarum; unde & cum Angelica & Cumino ferè, quoad vires, conspirat, atque vi carminativa & nervina egregius est. Creticus verò iste rarus est, & vix, nisi effœtus, ad nos defertur. Hujus ergò loco Daucus Italicus, imo nostras seu Pastinaca sylvestris, usurpatur, præsertim cùm viribus conveniant. In specie uterque duplici gaudet virtute:

1. Sunt nobilia Diuretica ac Nephritica,
2. Uterina.

Quoad *priorem*, inter Diuretica præ cæteris primatum obtinet, præprimis verò in præservando calculo mirè laudatur: Quod etiam confirmat quotidiana experientia: Videatur *CHARLETON in Tract. de Spir. Gorgonio seu Lithiasi p.* 177. ubi insigniter decantat vim eius antinephriticam, simulque monstrat modum propinandi contra calculum; cui combinetur *HELMONTIUS in Tract. de Lithiasi*, qui non inconcinna experientia virtutem seminis Dauci deprædicat *cap.* 1. *§.* 19. item *cap.* 7. *§.* 14. *& seqq.* Ex *Helmontio* excerpsit, quæ habet *HORSTIUS in Dispensatorio Tom.* 1. *pag.* 120. qui consideratè congessit, quæ *HELMONTIUS* hinc inde sparsim dixit. Hanc vim seminis dauci antinephriticam adhuc experiuntur Angli aliique, qui ex infusione & coctione, ac simul fermentatione hujus plantæ aut seminis cum cerevisia noviter confecta, cerevisias sibi in hunc usum parant medicatas, adeo, ut qui bibunt hunc potum alimento-medicamentosum, valdopere præserventur à calculo. Nam, quod obiter moneo, sunt valdopere operosi in conficienda cerevisia medicata Angli: Habent cerevisiam cochleariæ, quæ sale ejus volatili insigniter imprægnata conducit scorbuticis: deinde conjungunt radicem Chinæ cum cerevisia in lue Venerea: similiter imprægnatam habent corticibus citri sive limonum in debilitate virium & flatulentiis: sicque simili modo *oleum Dauci* est usitatum contra calculum.

Altera vis est uterina, in quo rectè ab *AUTORE* nostro commendatur; cùm valdopere conveniat in mensibus suppressis provocandis, item in partu difficili, atque in doloribus post partum, in quibus casibus omnibus non vulgariter commendatur. Deinde insigniter etiam confert in suffocatione uterina, & tam in paroxysmo curando, quam præservando non rari est usus.

DICTAMNUS CRETICUS.

Dictamnus Creticus est vel *verus*, vel *falsus*: *Dictamnus falsus*, sive *Pseudo dictamnus Creticus*, sæpius substituitur pro vero in officinis, qui solus est officinalis, inodorus, *floribus verticillatis*. Nil fere cum Dictamno Cretico commune habet, sed potius ad Stœchades pertinet. Ut ergo à se invicem discernantur, observentur saltem summitates, quæ in vero sunt instar florum lupuli; & caulis, qui in vero est niger, in falso verò albus: in foliis enim planè conveniunt. Verus *florem* habet elegantissimum *purpureum* suavissimi odoris. Rarus admodum est, inque Germania vix reperitur; semel tamen eundem in Horto Patavino vidi.

Dicitur verò *Dictamnus* à τίκτειν, ideò, quod difficulter parturientibus ante & post partum succurrat. Antiquiores enim in frequentissimo hunc habuerunt usu, in doloribus in & post partum, passione hysterica, mensium difficultate, & suppressione, aliisque uterinis affectibus hactenus recensitis: sicuti etiam valdè fuit usurpatus & celebratus contra venena; hinc propter usum alexipharmacum Theriacam ingreditur. Sed quoniam partim saltem obsoleta planta, adeoque viribus magnam partem castrata ad nos affertur, partim Pseudo dictamno subinde adulteratur, propterea, quoniam alia æquè commoda, & magis præsentanea prostant remedia, raro à modernis usurpatur.

DIGITALIS.

Digitalis ita dicta est ob formam florum, Germanis *Fingerhuts-Kraut.* Datur alia *foliis verbasci*, it. *flore purpureo, luteo, & albo*. Si eandem velimus referre ad genus suum, ratione floris ad Symphyta, ratione verò foliorum pertinebit ad Verbasca. *Usus*, an cum Verbasco conspiret? nescio: In officinis namque non recepta est.

Habetur & *Digitalis major ferruginea*, ita dicta à floribus ejus obsoletis, & quasi ferrugineis. Rara est & exotica, pariter ad Symphyta sive Verbasca referenda.

DIPSACUS.

Dipsacus Latinè *Labrum* Veneris, Germ. *Distel*, malè ad Carduos refertur; cum non stappescat, sed semina ferat solida. Dipsacus dicitur à siti, quod inter folia ejus excavata aqua pluvialis soleat colligi, & hac ratione quasi sitibunda esse videantur. Dicitur etiam aliàs *Carduus fullonum*, quod fullones aliàs pannos hocce Carduo soleant emendare, Germ. *das Tuch damit zu Karten oder zu krampeln*, unde & Germanicè *karten-distel*,

Planta hæc ubique crescit. Sed in officinis est rari & ferè nullius usus, adeo, ut non meminerim, me unquam aliquid de illo legisse, nec præscriptum vidisse. Nihilominus, quod habet *AUTOR* noster, in rhagadibus, item verrucis ani commendatur.

Sunt & qui *vermiculos* in capitulis hospitantes cum seminibus contra morsum canis rabidi commendant, quod tamen experientia nondum confirmatum.

DORONICUM.

Doronicum datur vel rotundifolium, vel etiam acutifolium, Germ. *die Gemsen VVurtzel*, *Schvvindel-Kraut*. *Prioris* nominis *appellationem* plurimi ex traditione vulgari deducunt, quoniam Rupicapræ, Germ. *die Gemsen*, quæ summitates montium, potissimum alpes, ascendunt, ne à venatoribus ipsis insidiantibus capiantur, tumque rupibus celsissimis se dimittentes, ne vertigine corripiantur, hujus plantæ & radicis esu tutæ putantur: Vid. *CASPAR HOFFMANNUS l* 2 *cap.* 4. *p.* 110. Ger. *Schuvindel-Kraut* dicitur, quod pro vertiginis præservatione & curatione specificè faciat: Qua de causa eum quoque venatores usurpare solent. Unde & ipsi quoque Funambuli, Germ. *die Seiltantzer*, funem jam conscensuri, & similes, hac radice comesta, contra vertiginem se præmunire dicuntur, ne decidant de fune, & risum moveant spectatoribus: Et hinc radix hæc pulverisata contra vertiginem maximè decantata est, sicuti *pulvis* sequens funambulis *contra vertiginem* usitatus:

℞. *Rad. doron. ante ortum solis Mense septembri collect.* ℥ß.
Cubebar.
Cardamom. an. ʒiiß.
Rad ireos Flor ʒij.
Sem. Coriandri,
Pæon. an. ʒj.
Fœnngr. ʒß.
Olei destillat. major.
Rorismar. an. gutt. vj. M.

Media pars servatur pro usu interno; altera medietas irroratur aceto destillato rosaceo, includitur nodulo ex syndone rubro, quem sæpius olfaciunt.

Sed assertum hoc, quod nuda conjectura nititur, haud prius approbari potest, quam de eo certa in homine facta fuerit experientia.

Lis autem usque dum viget *inter Botanicos*: an Doronicum sit planta salubris, alexipharmaca? an maligna sive venenosa? *MATTHIOLUS* enim Doronicum esse Aconitum Pardalianches Veterum pro canibus & lupis interficiendis, adeoquè valdè noxium putat: Sed *GESNERUS*, ille *Germanorum Plinius*, meritò vocandus, *l.* 1. *Epist. p.* 18. *& l* 2. *pag.* 74. & alii hoc negant, & ad ʒij *GESNERUS* ipse assumpsit sine omni damno, qui peste tandem in senio mortuus est. Et verum est, hanc egregiam habere vim alexipharmacam, quam quoque ipsi adscripserunt *HOFFMANUS Medic. officin. l. a. PAULI in Quadr. Bot. Cl.* 2. *p.* 14 *VVORMIUS in Musæo cap* 6. *p.* 14. *seqq.* ubi defendit vires alexipharmacas, impugnatas à *MATTHIOLO, & VELSCHIO de Ægagropilis*, Germ. *von denen Gemsen-Kugeln*, quæ reperiuntur in ventriculis damarum, & crescunt, quando rupicapræ comedere solent de Doronico. Unde *VELSCHIUS* vim illam alexipharmacam à Doronico derivat & deprædicat; minus tamen usitatæ sunt in Officinis.

E

EBENUS.

Ebenus, uti lignum exoticum est, ita etiam rarum & carum in officinis, raroque præscribitur à Medicis Practicis Sed potius omnibus hujusmodi lignis exoticis præferendum est Lignum Juniperinum, in quo reverà est Balsamum Occi entale. Virtutem ejus Sudoriferam deprædicat *ZACUTUS LUSITANUS l.* 3 *Prax. Admir. Observ.* 112.

Quæ in usum veniunt ex Ebeno, videantur apud *AUTOREM ex PARACELSO*, qui solus primus in usum revocavit lignum Ebenum, & multa de hoc prodidit: Hunc tamen nemo inter Practicos hactenus fuit secutus. Interim an putet Lignum illud nigrum, quæritur. Quod si tamen rem probè consideramus, usus ejus nullus est. Ergò relinquimus.

EBULUS.

Ebulus cum Sambuco in omnibus convenit, differt saltem magnitudine; quare usus ejus reservandus est partim usque ad Sambuci explicationem, partim ad Classem 3. de purgantibus, ubi *p.* 235. ab *Autore* virtutes ejus denuò recensetur.

ENDIUIA.

Endivia eſt princeps inter omnes plantas intybaceas, uti ſunt Lactuca, Cichorium, &c. quæ pro varietate foliorum vel *major* eſt, vel *minor*: & uti nota in culinis, ita ingreditur officinas. Semen quidem rarò, imò rariſſimè, frequentiſſimè folia; radix verò ſolùm condita, ſolet uſurpari.

Si conſideremus ejus compoſitionem materialem, eſt planta aquoſa, & valdè ſucculenta; propterea nihil olei in deſtillatione ejus largitur; & omninò non eſt & odoris & ſaporis penetrantis, ſed potiùs eſt ſucci aquoſi, qui impregnatus ſale admodum ſubtili volatili, ratione cujus temperat & refrigerat. Dico, quod ſit ſubtilis, ratione cujus non ferit linguam, ſed inſipida apparet: Videatur de ejuſmodis plantis *TACHENIUS Hippocrate Chymico*, ubi egregiè diſcurrit, & dicit: refrigerare illas, quoniam acidum, quod effervescendo dat incaleſcentiam, moderatè temperant.

Hepatica eſt nobiliſſima, dicit *AUTOR*, dum blandè corrigit ſale ſuo volatili ſanguinis craſin, ſine ulla turbulentia, & aliis ſymptomatibus concurrentibus, quæ aliàs ſolent contingere à ſalis acrimonia. Conducit inflammationibus & ardoribus corporis ab acido, quatenus ſal volatile temperat acidum morbificum. Convenit etiam in febribus bilioſis dictis, ſcilicèt in iis, in quibus ſal volatile urinoſum impragnatum eſt oleo copioſo, cujus ratione oriuntur plurima ſymptomata. Dum ergò ſal endiviæ volatile imbibit oleum, illud temperat, ſicque bilis oleoſitatem & acrimoniam corrigit: de qua correctione bilis per talia medicamenta, vid. *SYLVIUS in Praxi*, ubi agit *de febribus bilioſis*. In inflammatione hepatis, tam vera quàm apparente, prodeſt: in vera ex ſanguinis ſtagnatione; apparente ex effervescentiis: omnes quippe Inflammationes oriuntur vel à ſanguine ſtagnante, vel congrumato, vel à ſalibus vitiosè effervescentibus. Dum igitur ſal temperatum Endiviæ acidum emendat, ita ſimul effectus ab illo orti corriguntur.

Externè folia imprimis recentia commendantur ad pediluvia, pro concilianda quiete & ſomno, vel tempore æſtivo vel in ardoribus febrilibus:

℞. *Fol. vitis*,
Nymph.
Endiv. an. M. ij.
Flor. nymph alb.
Chamom. an. M. iß.
Cap. papav. cum ſeminib. No. vj.
Inciſa & Contuſa D. S.
Species ad pediluvium.

Coquantur in *aqua Communi*, & tali Decocto immittantur pedes tecti probè, nec abſtergantur, ſed relinquantur humidi, & involvantur tantummodò linteis, ſicquè æger ad ſomnum diſponitur.

Eadem hæc Endivia commodè ratione ſalis volatilis temperati applicatur externè in inflammationibus ac tumoribus eryſipelaceis. Nam, ut ut non facilè ſoleant applicari humida in roſa, quod tantùm de acidis & adſtringentibus eſt intelligendum; non tamen ſunt nociva talia, quoniam eorum ſal volatile alcali corrigit ſal volatile acidum in ejuſmodi inflammationibus eryſipelaceis; ſicuti etiam ſolet applicari aqua ſpermatis ranarum cum tantillo croci, egregium arcanum in roſa.

Quæ valent de Endivia, valent de omnibus *plantis refrigerantibus*, plantagine, portulaca, cichorio, ſoncho, ſempervivis, & ſimilibus, quæ ſunt ſucculentæ, & quoniam ſuccus impregnatus eſt de volatili temperato ſive occulto. Nam quæ habent ſal volatile acre, potiùs *calidæ* dicuntur & *antiſcorbuticæ*, uti exinde pateat, quid habendum ſit de potentiis vel refrigerandi vel calefaciendi, &c. nimirum reſpiciendum eſt ad principia materialia, à quibus dependent iſtiuſmodi effectus.

Inter Præparata eſt in uſu *aqua deſtillata*, & *ſuccus endiviæ*; quæ ſale volatili occulto prædita ſunt, & ad eosdem affectus commendantur. Nam ex iiſdem plantis, quæ ita ſunt ſucculentæ, in deſtillatione ſal ſubtile ſuper alembicum aſcendit; quod in omnibus non habet locum, demonſtrante *TACHENIO in Hippocrate Chymico*.

AUTOR habet ſal *endiviæ fixum*. Cum verò dixerim, eſſe ſucculentam, & abundare ſale volatili, patet, quod vel nihil, vel parum ſalis fixi elici poſſit ex cineribus.

EPATICA NOBILIS.

Trifolium Hepaticum in ſpecie dicitur *Hepatica nobilis*, ſive κατ' ἐξοχὴν dicta *Hepatica*, ſine additamento, Germ. *Edel Leberkraut*, & quidem non ineptè. Vulgo refertur ad *Trifolia*; quamvis potiùs ad Ranunculos pertineat, ratione floris, odoris, & ſaporis acris. Habetur flore cæruleo, albo, carneo. Cærulea ſemper in uſu eſt, & de illa folia & flores.

Veteribus fuit incognita; nihil enim apud Græcos de hac planta reperitur; Recentiores verò ex effectu & uſu, præprimis in hepate, ejuſque tono reſtituendo, vel potiùs in ſanguinis dyſcraſia & depravata fermentatione corrigenda, nomen hocce impoſuerunt. Obſervarunt enim in morbis chronicis (quos Veteres vulgò à vitio hepatis ac imprimis ejusdem hæmatoſi læſa derivarunt) imprimis verò in affectione hypochondriaca & ſcorbuto, noſtro climati familiari, porro in viſcerum incipientibus oppilationibus, ſanguinis impuritate, ejusque fermentatione depravata ac cruditate, imo in ipſa quoque bilis inertia, plantam hanc perquàm eſſe egregiam: ſale volatili copioſo acerrimo, ſimili antiſcorbuticarum herbarum, in receſſu, non in ſuperficie, turget, quod demonſtrat *WEDELIUS de ſale volatili Vegetabilium P. 2. pag.* 81. item *in Pharmacia pag.* 70. ratione cujus egregia antiſcorbutica exiſtit, morborumque chronicorum, interdum remedium. Unde & nodulos laxativos temperantes, quæ verno tempore ſolent præſcribi, ordinariò ingrediuntur flores hepaticæ nobilis. Aliàs hæc planta eſt temperata, ſimiliter ferè ut endivia: nihilominus in compoſitione materiali particulas obtinet aſperiores, ratione quarum ſolet adſtringere. Penes vulgum in phthiſi & aliis affectibus commendatur, ſed falsò. Valet ad obſtructiones reſerandas, & fibras laxatas contrahendas. Præterea eſt egregia vulneraria, dum adſtringit & acidum emendat.

Planta hæc per veſicam deſtillata tempore verno ſuggerit *aquam* acerrimam inſtar Aquæ alicujus antiſcorbuticæ; item piperitidis. Hinc & externè aqua hæc cum aqua pluviali vel rore Majali deſtillata extollitur inter Coſmetica, nævis & maculis faciei dicata, quæ ab excrementis in poris per inſenſibilem tranſpirationem vel ſudorem reſtant. Vid. *PAULI Quadripart. Botanico*.

EPATICA STELLATA.

Hepatica Stellata ſic dicta eſt, quoniam flores ambiunt caulem in formam ſtellarum. Eſt elegans plantula, & ad cruciatas & Rubias referenda, Germ. *Stern-Leberkraut*. Vocatur etiam *Matriſylva* & *Aſperula odorata*, Germ. *Waldmeiſter*.

Uſitata eſt herba, quæ in Franconia contra obſtructiones, aliosque morbos chronicos aperiendi gratiâ adhibetur. Sanguinis enim dyſcraſiam alterat & emendat, & imprimis depravatam corrigit. Et quæ de Endivia dicta ſunt, poſſunt quoque dici de hac planta: eſt tamen aliquantiſper acris, & ſaporis ſubamari. Penes vulgum in phthiſi & ſimilibus affectibus commendatur, ſed falsò: vulnerarium autem egregium eſt, imprimis, ubi ſuperveniunt febres, phlogoſes, &c. vulneribus.

EQUISETUM.

Inter varias hujus ſpecies uſitata eſt *vulgatiſſima*, *pilis in orbem confitis* adornata, Germanicè *Katzenzagel*.

Planta cum foliis eſt potenter adſtringens, & roborat partes; unde valdoperè convenit in reſtituendo tono viſcerum laxato, vel uti dicunt veteres, in læſa expultrice vel retentrice facultate, ubi hæc contingunt, & propter hunc tonum laxatum aut retentiones, aut expulſiones non rectè fiunt: item, dum fluxus adſunt vel humorum, vel ſanguinis per uterum, hæmorrhoides, nares, renes, &c. pro his ſiſtendis Equiſetum eſt egregium; hujus enim decoctum validè adſtringit, & imprimis valet in hæmoptyſi, aut eruptione aut apertione & inciſione ramuli in pulmonibus. Ut taceam, tales plantas habere vim incraſſandi ſanguinem, ratione cujus craſſitiei non poteſt facilè penetrare vaſa capillaria. Unde ſic duplicem dant effectum, quatenus occludunt vaſa, & quatenus fluxum ſanguinis per capillaria impediunt. In vulneribus & ulceribus partium internarum egregium quoque eſt Equiſetum, & permiſcetur aliis in potionibus vulnerariis, & cum habeat ſaporem ſubacrem, conteſtatur de ſale volatili temperato, non immeritò inter vulneraria refertur, tam internè in Decoctis vulnerariis, quàm externè in vulneribus conſtringendis; adeoque in Decoctis pro eluendis ulceribus, & cum unguentis commendatur. Sed rarò uſurpatur.

Aqua ejus *deſtillata* pro vehiculo medicamentorum in nephritide habetur. Sed aqua hæc & ex aliis adſtringentibus eſt nihil aliud, quàm purum putum phlegma, quoniam particulæ adſtringentes non aſcendunt ſuper alembicum, de quo *ſuo loco*.

ERUCA.

Rucæ variæ ſunt ſpecies, ex quibus tantum eſt officinalis Eruca hortenſis latifolia, lutea, Barbaræa etiam dicta, quod more plantarum perennium, quales ſunt pleræque herbæ antiſcorbuticæ, e. g. cochlearia, naſturtium, &c. tempore brumali, imprimis circa diem D. Barbaræ, virore & ſapore eſſe ſoleat; hinc Germanis *Barbarkraut* & *Winterkirſe*; rectiùs tamen *Winterkreſſe* dicitur. Sapor foliorum indicat pertinere eam ad Sinapi: Omnes enim plantulæ, quæ burſas habent, & quaſi ſiliquoſas, ſunt ſub eodem genere, saporis acris, & quaſi mordicantis, item penetrantis, propter abundantiam ſalis volatilis acris.

Usitatum est *semen*, quod instar sinapi est, saporis admodum acris & penetrantis, adeo, ut prodat sapore, instar. foricis quod dicitur, sal volatile admodum acre & satis copiosum, ratione cujus commendatur in anorexia, apepsia, & facilitanda stomachi digestione, & *PARACELSO* præcipuè magno in usu fuit; inde cum esculentis quoque imponuntur embammata ex Eruca aut sinapi pro appetitu conciliando. Item ratione salis hujus volatilis in scorbuto & malis chronicis prodest, sive cruda masticetur, sive recens contusa cum vino hauriatur, aut quocunque alio modo sumatur: Atque in hoc passu inter plantas antiscorbuticas non est ultimum. Sicut & ex ejusmodi seminibus hoc habemus commodi, quod, dum tempore hyberno in officinis Galenicis plantæ virides antiscorbuticæ haberi nequeunt, possunt præscribi talia semina, quorum vis antiscorbutica in media etiam hyeme latet tecta, sartaque sub cortice. Dico in officinis Galenicis: Chymici enim commodè utuntur spiritibus, & aliis medicamentis antiscorbuticis, v. g. spiritu cochleariæ: Sic e. g. tempore hyberno potest fieri talis *Mistura antiscorbutica*:

℞. *Pulv. stomachal. Querc.* (cujus basis est crocus Martis aperitivus) ℥ij.
Sem. cochlear.
Nasturt.
Erucæ an. ʒj.
Aloes succotr.
Myrrhæ el. an. ℈ij.
M. f. Pulvis, S.
Pulvis scorbuticus pro stomacho.

Qui habet spiritum, ut dixi, cochleariæ, & alia medicamenta cum illo præparata, non opus habet hac mixtura; quin & *spiritum antiscorbuticum ex Erucæ & sinapi semine* præparant hunc in modum:

℞. *Sem. Erucæ* vel *sinapi contus.*
Calcis vivæ an. part. æqual.

Infundantur in aqua, & cum alembico in locum tepidum deponatur: postmodum destilletur exinde *spiritus urinosus* ratione salis volatilis acris; qui in curando scorbuto, & apoplexia senum præcavenda, commendatissimus est.

Præter vim enim antiscorbuticam in præservanda apoplexia certè ex tribus regnis melius interdum semine Erucæ aut sinapi non datur; unde & horum grana 15. ad 20. vel sola, vel semine cumini mista, tempore matutino sæpius masticata à senibus eos ad longos annos præservant ab apoplexia; vel

℞. *Sem. erucæ* vel *sinapi* ℥ß.
Coriandri ʒij.
Cubebar. ʒj.

Hæc mista pulverisata manè & vesperi assumantur in vehiculo convenienti in præservatione apoplexiæ.

Et sanè satis experta est vis in semine erucæ & sinapi circa præservandam apoplexiam: propterea potest fieri talis Mistura aut apoplectica sub forma Electuarii:

℞. *Conf. flor. salviæ* ℥jß.
Zingib. cond. ʒiij.
Succini præpar. ʒjß.
Sem. sinapi,
Erucæ,
Cum. an. ʒj.
Cardam.
Cubebar.
Cinnam. an. ℈j.
c. q. *Syr. florum tunicæ* f. Electuarium.

De quo capiat senex jejuno stomacho ad quantitatem castaneæ, imprimis cùm Zingiber etiam conveniat oculis, qui in senibus sunt debiles.

Loco conservæ florum salviæ potest etiam assumi conserva florum aut foliorum anthos, vel conserva florum primulæ veris seu herbæ paralyseos.

Cum pulpa ficuum quoque *Electuarium* ex ana *seminis erucæ* & *sinapi* hunc in finem paratur, quod non tantùm in apoplexia & vertigine, sed & in stimulanda venere admodum commendatur, & hinc omni die mane & vespere sumenda est; Semen enim erucæ est ex celeberrimis venerem stimulantibus. Propterea dicit Schola Salernitana: Excitat in venerem tardos Eruca maritos; de quo videatur *SOLENANDER Sect.* 4. *Consil.* 17. unde solet ingredi Electuaria Magnanimitatis, vel similia, quæ solent stimulare venerem.

Aliàs & ad excitandas vesicas commendantur hæc semina sub nomine sinapismi, cum fermento miscendo, & cuti imponendo ad excitandas vesiculas. Denique masticata, non secus ac sinapi, acri suo stimulo copiosum phlegma salivale ex ore eliciunt, & hinc dicuntur Apophlegmatismi. De cætero penitus ejusdem naturæ est & usus cum sinapi, unde in omnibus cum hoc convenit.

ERYNGIUM.

ERyngii cum *variæ* sint *species*, usitata tantùm est *communis* sive *cærulea*, & quidem radix & semen. Dicitur Germanis *die Mannes-Treue*, quoniam stimulat in venerem, & non relinquit, sed fideliter adstat maritis, ut viros se præstare possint uxoribus: Videatur *FORESTUS l.* 26. *Observat.* 18. ubi egregiè deprædicat vires Eringii venereas: unde imprimis in virorum impotentia convenit semen sub quacunque forma. Post tales vires, conservationem speciei spectantes, Eryngium etiam est conservativum individui: Est enim antinephriticum, ciet urinam, & sabulum partium urinariarum renumque abstergit, forasque educit, & infimi ventris viscera abstergit; unde etiam admisceri solet medicamentis in provocandis mensibus obstructis vel impeditis. Aliàs refertur etiam hæc radix inter 5. famosas illas aperientes; hinc veterum Misturas & Potiones longas in morbis chronicis, tumoribus viscerum, eorumque ab humoribus acidis infarctu, loco aperientis cujusdam, ingreditur, & quia corrigit sanguinem, dicitur Hepaticum. Sed propter vim veneream, antinephriticam & aperitivam commendatur.

Prostat etiam radix condita, quæ ordinariò Electuaria & Morsulos venerem stimulantia ingredi solet, & in ejusmodi medicamentis venereis cum radice satyrionis basin constituit. Habetur hinc opiata seu Electuarium pro maleficiatis maritis, quod à quibusdam singulariter commendatur, cujus hæc est compositio:

℞. *Conf. radic. eryng.*
Satyr. an. ℥iij.
Zingib. virid. condit.
Cort. citri condit. an. ℥ß.
Amygdal. dulc.
Nucl. pini,
Pistac.
Avellan.
Dactylor.
Pulpæ nucum virid. an. ℥j.
Priapi tauri,
Testic. leporis an. ℥ß.
Sem. pastinac.
Cinaræ,
Erucæ,
Sinapi an. ʒj.
Piper albi,
Galangæ,
Cinam. an. ʒß.

Tritis terendis misceantur omnia, f. *Electuarium*, quod communicatum fuit contra viros maleficiatos pro secretissimo.

In omnibus enim venerem stimulantibus observetur, addenda esse:

1. Remedia pro augmento Genituræ, qualia sunt amygdalæ, nuclei pini, pistaceæ, pulpa nucum viridium, &c.

2. Admiscenda etiam talia, quæ genituræ vim titillantem tribuunt, quæ nimirum sale volatili acri constant; ut sunt Aromata & semina.

ERYSIMON.

ERysimon vel *Sinapi sylvestre* seu *erucæ folio*, proprio nomine vocatur *Iris*, Germanis *der Wegeserff*, *oder Wilder-Senff*; flores enim ac capsulæ seminales ad Erucas, vel Sinapi, Thlaspi, & similia pertinent: id quod ipsa semina in capsulis relicta acria testantur, hinc sapore ac virtute cum Sinapi vulgari conspirat, & quidem usu interno stomachico, antiscorbutico, antihypochondriaco. Olim non fuit ita in usu: *LOBELIUS* tamen primùm eam magnificecit, observans, plantam hanc egregiè esse arteriacam, in infarctu scilicet pulmonum & muco asperæ arteriæ dissolvendo ac attenuando. Vis ejus inciforia attenuativa & caustica consistit in particulis volatilibus admodum acribus penetrantibus, de acidorum volatilium natura; quarum testis est sapor acris, amarus & penetrans: hinc non dubito, quin etiam, præter usum in Asthmate & affectibus pulmonum, in tussi diuturna & chronica, & expectoranda mucilagine crassa, laryngem, & pulmonum meatus & bronchia infarciente, in specie faucium affectibus & raucedine, locum obtinere queat. In raucedine & asthmate humido pituitoso planta maceratur in vino cum pauco melle, sicque per expressionem egregium habetur medicamentum; materiam enim crassam attenuat, & fluxilem facit, ut possit expectorari.

Propterea *LOBELIUS* exinde paravit primus *Syrupum de Erysimo compositum*, *qui* κατ' ἐξοχὴν quoque dicitur *Syrupus pro raucedine*; attenuando, resolvendo & expectorando operatur, atque in asthmate & pulmonum affectibus, in infarctu à crassa materia, tussi item chronica, à stomachi muco orta, in raucedine ex nimia humectatione bronchiorum asperæ arteriæ, ab abundantia Lymphæ per tunicam asperæ arteriæ transudantis, non

non inelegans eſt: Videatur compoſitio in SENNERTO *l.* 2. *Praxeos* 3. *cap. P.* 3. *p.* 360. Hujus baſis eſt Eryſimum totum recens cum aliis quibusdam additis, quod operatur propter ſal volatile acre, confirmante id ipſum aro cum aceto præparato, qui ſimiliter expertus in aſthmate & affectibus pulmonum, in quibus Eryſimum ſolet commendari.

Semen denique expertum eſt in iſchuria ſeu ſuppreſſione urinæ, ad ℨj. in pulvere propinatum cum conveniente vehiculo, imprimis vino albo, de quo videre poſſumus FONSECAM *in l.* 2. *Conſilio* 96. & 100.

Externè pro uſu rubificandi & nonnihil cauſtico in feminis ſinapi defectu ſubſtitui poteſt. In cancris & tumoribus occultis ac ſcirrhoſis ad cancrum degeneraturis, ſemen hoc & planta ipſa in mortario plumbeo contunduntur, & miſcendo cum melle in unguentum redigitur, quod dictis tumoribus illinendum. Hoc obſervetur in omnibus medicamentis. cancro applicandis, quod debeant fieri in mortario plumbeo, quoniam in cancro peccat acidum: unde unguenta talia acquirunt colorem griſeum à plumbo, quod omne acidum per ſe abſorbet, & adhibentur tam in cancro, quàm in ſcirrho cancroſo, qui difficulter admodum, & ſæpius palliativè tantùm, curantur.

EUPATORIUM.

EUpatorium *Avicennæ* propriè tantum dicitur *cannabinum*, *Chryſanthemum*, quod folia ejus *cannabinis* vel *trifidis* ſeu *inciſis foliis* ſint ſimilia, ut ut etiam detur *foliis integris*: in ſpecie dicitur *Herba S. Kunigundæ*, Germanicè *Sanct Kunigundskraut*. *Eupatorium* dicitur *ab* EUPATORE Rege quodam, ſive ANTHIOCHO ſive PTOLOMÆO, cognomento EUPATOR, quem volunt inventorem hujus plantæ; quemadmodum *Telephium* vocatur à Rege Myſiæ Telepho, qui ulcera & vulnera hoc ipſo perſanavit & curavit; & LYSIMACHUS, Macedoniæ Rex, *Lyſimachiam* invenit, & nomen illi ſuum impertitus eſt: & hujuſmodi exempla plura proſtant in Botanicis. Alii dictum volunt *Eupatorium*, quaſi *Epatorium*, quoniam affectibus hepatis medeatur. Male vero ad Eupatoria refertur; pertinet potiùs ad Conizas, unde rectè ab aliis Coniza paluſtris vocatur. Naſcitur in locis paludoſis.

In officinis hujus *Folia* & *Flores* proſtant, ut ut rarò folia, ſæpius *flores*.

Apud priſcos rarò, vel nihil de ejus uſu reperitur: à modernis tamen decoctum ejus in purificanda maſſa ſanguinea, ac tono hepatis roborando ac reſtituendo, v. g. in maculis hepaticis, hinc & in ictero, multum laudatur. Certè LINDANUS (Belga) *ſuper Hartmannum* hocce Decoctum in malis ventriculi & hepatis cachecticis, morbiſque aliis chronicis ad tempus longum contractis, ex vitio hepatis oriundis, id eſt, ut vocant, in intemperie ventriculi frigida, & hepatis calida, valdè commendat. Unde etiam MINDERERUS *in Medicina Militari p.* 27. laudat Decoctum hujus Eupatorii, tanquam ſingulare ſpecificum ad curandos tumidos ventres, quaſi aſciticos: Hepaticum enim dicitur ſingulare, & pro ciendis menſibus, & corrigenda cachexia virginum uſurpatur. Curioſum eſt experimentum GESNERI *l.* 2. *Epiſt. p.* 62. dum refert, quod quidam decoxerit radicem hujus Eupatorii in vino, & Decocti colaturam hauſerit, ex cujus uſu intra horæ ſpatium & alvus & urina commotæ fuerint copioſiſſimè, vomituſque 12. fortes citra nauſeam & moleſtiam ſecuti, quo ipſo excreta fuerit copioſa pituita; adeoque longè tutiùs ac faciliùs purgationes peragi hoc ipſo dicit GESNERUS, quàm fieri ſolent per helleborum. Laudatur quoque herba in tumore hydropico incipiente.

Extrinſecùs eſt ex famoſiſſimis Ulcerariis & Vulnerariis, ea fortiter conglutinando & ad ſanationem producendo, imprimis, ſi ſint recentia.

EUPHRAGIA.

EUphraſia vel *Euphragia* dicitur ita Græcis, quaſi εὐφροσύνη, quod oculos detergendo ac clarificando quaſi exhilaret: Germanis *der Augentroſt*, quem habet ocularem ab effectu: hinc à quibusdam κατ' ἐξοχὴν *planta ocularia*, & *ophthalmica*, & *Luminella* dicta.

Cephalica, & ſpeciatim ophthalmica habetur, ita, ut in quibuſvis oculorum affectibus, & ad roborandum viſum, multis laudibus extolli ſoleat, quocunque modo uſurpata.

Aliàs inter remedia oculis dicata hæ tres numerantur; Chelidonium majus, Fœniculum, & Euphraſia; quæ tres primatum ferè obtinent. Chelidonium enim & Fœniculum purificant oculos; Euphraſia verò eoſdem confortat, ac humores oculorum depurat, tam interno quàm externo uſu, cujus virtutes egregias ophthalmicas ſæpius vidimus experientiâ declaratas, imprimis in HARTMANNI *Praxi Chymiatrica c.* 25. *ſ.* 1. & 2. uti etiam videre poſſumus GABELCHOVERUM *cap.* 3. *Curat.* 100. *in Scholio*, ubi vires Euphraſiæ, pro rectificando viſu inſigniter commendat ex variis Autoribus.

Hinc ARNOLDUS VILLANOVANUS *Vinum* inde parat pro roborando viſu in hebetudine oculorum & in ſenio conveniens. Infundit ſcilicet Euphragiam in muſtum recens, ut unà quaſi ebulliat: quo facto per fermentationem quaſi imprægnatur Vinum viribus Euphraſiæ, viſus quodcunque impedimentum potenter removet. Huic ſubſtituitur per ſe vinum, quod infundit ſuper flores: ſed non ſine ratione ARNOLDUS VILLANOVANUS Muſtum fermentationi cum Euphraſia committit. Interim tamen hæ laudes non abſque limitatione accipiantur; id quod concinnè docet PAULI *in Quadrip. Botanico*.

Conſerva eaſdem vires habet.

Aqua deſtillata eſt purum phlegma, & pauci effectus. Quando verò Euphraſia cum fœniculo jungitur, magis in oculorum affectibus conducit.

Datur etiam

EUPHRASIA SYLVESTRIS FLORE PURPUREO.

GErmanicè *der blaue Augen-troſt*. *Sideritidis* eſt *ſpecies*, ob floris verò gratiam Euphraſia dicta. TABERNÆMONTANO dicitur *Odontites*, eo, quod *Odontiti Plinii* ferè ſit ſimilis.

Officinis eſt incognita.

F.

FABA.

FAbæ Germ. *die Bohne*, ruſticis pariter ac civibus notæ ſunt, *majores* & *minores*, Germ. *nigræ* & *albæ*.

In uſu officinali ſunt *Farina fabarum*, & *ſtipites*; quæ tamen internè rarò uſurpantur, externè autem uſus ſunt non adeo vulgaris.

Pulvis ſeu farina fabarum, ex fabis per trituram parata, internè rari uſus eſt: Externè in ſpecie in contuſionibus & inflammationibus partium glanduloſarum diſcutiendis & reſolvendis multum confert, adeo, ut ordinarium ſint ingrediens in talis Cataplaſmatis & Emplaſtris, præprimis in teſtium inflammationibus & tumoribus, à contractione violenta, caſu, contuſione, ſuppreſſione geniturae, & ſimilibus: Fit ſcilicet Cataplaſma ex ea ſola, cocta cum oxycrato, ſeu aqua ſimplici & aceto, vel cum dimidio pulveris ſeminis cumini, & calidè contuſionibus, tumoribus teſtium & ſcroti, aliarumque glanduloſarum partium, applicatum, eſt egregium diſcutiens & reſolvens. Quod ſi acrius videatur Cataplaſma, addito pauco Lithargyrio acrimonia aceti frangi, & ita pro reſolvendis inflammationibus quaſi appropriatum reddi poteſt. Experientiam hujus rei debemus RIVERIO *C.* 2. *Obſ.* 39. & *C.* 3 *Obſ.* 1. ubi notandum, quod curaverit inflammationem teſtium poſt curationem Gonorrhœæ Gallicæ, qui difficilis curatu eſt affectus; item *Obſervat.* 2. *communicata à* MARVINO, uti etiam *in Obſervatione* 4. *communicata ab* ESTANORE, & *C.* 4. *Obſerv.* 74. Item Cataplaſma commendatur etiam à FABRO ad tumores ſcroti duros, & ſcirrhoſos. Præſcribitur ergò tali in caſu hoc modo:

℞. *Far. fabar.*
Sem. cumini,
Aceti deſtillati,
Vini albi an. q. ſ.

F. l. a. Cataplaſma expertum in doloribus & tumoribus teſticulorum.

Concinnius erit ſequenti modo:

℞. *Far. fabar.* part. iij.
Pulv. ſemin. Cum. part. j.
Aceti deſtil.
Aquæ ſimpl. an. part. ij.
Lithargyr. parum.

M. l. a. ad conſiſtentiam Cataplaſmatis.

Item in tumore mammarum ſimile Cataplaſma ex farina fabarum eſt congruum.

Eadem farina fabarum etiam inter Coſmetica refertur, ſi nempè cum aquis coſmeticis, v. g. ſigilli Salomonis, permiſta, formâ Miſturæ candidæ faciei lentiginibus, item oculis ſuffuſis, applicetur.

Proſtant etiam duæ aquæ paratæ per alembicum in Balneo Mariæ. *Prima* eſt *aqua florum fabarum*; pro vehiculo eorum, quæ in uſu coſmetico pro ornanda facie faciunt, eſſe poteſt: extergit lentigines, & faciei maculas detergit. *Altera* eſt aqua deſtillata *ex corticibus fabarum*, quæ egregium nephriticum, & urinas eleganter pellit, de qua videatur BARTHOLINUS *Cent.* 1. *Epiſt. pag.* 238.

Denique ex ſtramine & ſtipitibus calcinatis in officinis etiam ſal præparatur. Nam ſi ritè calcinati fuerint iſti ſtipites, reverà nobile ſal diureticum acido-ſalſum ex iis obtinetur, pro uſu ſpeciatim diuretico & antihydropico. Elixiviatio fit cum vino.

no. Ut fiat magis salsum & nitrosum, addunt quidam fimum colombinum. Ex hoc sale cum aqua conveniente fit lixivium, quod lutum aquas hydropicorum potenter per urinas educit.

FABARIA.

FAbaria seu *sedum Telephium*, Germ. *Fette Henne*, Latinè communiter vocari solet *Crassula*, à crassitie foliorum, item *Fabaria*, à foliis, fabarum foliis simillimis; item *Ficaria*, quod meritò à quibusdam contra ficus ani commendetur: Vocatur etiam *Scrophularia media*, uti dicit *AUTOR NOSTER*, quo ipso innuitur, quod conveniat cum Scrophularia vera, quæ decantata est in hæmorrhoidibus, ut adeò etiam non sine fructu applicetur. Botanicis usitato nomine *Telephium* dicitur, à *TELEPHO*, Mysiæ Rege, qui ab *ACHILE* vulneratus ulcera diuturna & ferè deplorata mediante hoc curavit, & ad senectutem usque se conservavit; Unde adhuc hodiè *ulcera* ejusmodi *inveterata*, diuturna *Ulcera Telephia* dicuntur: Vid. *RUELLIUS de Natura Stirpium l. 1. cap. 20. p. 82. & l. 2. c. 116. p 435.* item *HOFFMANNUS, Clavel. 4 p 473.* Meritò enim succus hujus Fabariæ ulceribus inveteratis est dicatus; Hinc & Germanicè *Wundbalsam* & *Wundkraut* vocatur. Inter *Telephia* refertur

1. *Telephium majus flore rubro*,
2. *Flore albo*,
3. *Telephium majus Hispanicum*,
4. *Telephium minus flore albo*,
5. *Telephium repens minus folio deciduo*,
6. *Telephium portulacæ folio*; &
7. *Radix Rhodia*, de qua *suo loco*.

In usu tantùm est *Telephium majus* seu *Fabaria* quæ species est sedi; quo innuitur participare de natura sedorum, & esse ex plantis refrigerantibus, quarum vis consistit in sale volatili, diluto nimis copioso phlegmate.

Internus ejus *usus* ferè nullus vel rarissimus est, nisi cum Scrophularia & Chelidonio minore contra affectus hæmorroidum, quomodocunque in potu usurpata, laudetur. A quibusdam pro usu vulnerario usurpari solet in decoctis ad consolidanda ulcera intestinorum in dysenteria, præmissis præmittendis, cum reliquis vulnerariis, imprimis cum Symphyto.

Externè præprimis planta contusa, inque Cataplasmatis formam redacta, vel ejusdem loco succus expressus, mirum præstat levamen: Videatur *SOLENANDER S. 4. Conf. 20.* ubi commendat Crassulæ majoris Radicem collectam, quando primo vere turgentibus foliis erumpere incipit, jubendo plantam cum foliis contundere, & cum oleo rosaceo terere; idque, si adsit vel inflammatio vel ardor, simul in mortario plumbeo; sin secus, in mortario tantum marmoreo vel alio; & sic applicare hæmorrhoidibus externè in earum dolore, calore, & ardore, aliisque similibus symptomatibus.

Radix loco Amuleti de collo usque ad os sacrum suspensa ab ipso *WEDELIO* egregia experta est, cujus rei veritatem propriâ experientiâ in studioso quodam probavi: Cum enim jam præscripta quædam unguenta nihil conferrent, experimenti gratiâ radicem dedi, eamque in dorso suspendere jussi, optimè successit remedium, ac hæmorrhoidum vitia evanuerunt.

In Dania quoq; mulieribus, ex partu difficili hemorrhoidum mala perpessis, radix hæc ea de ratione loco amuleti adhibita, maximè quoque proficua esse dicitur. Celebris dicitur vulneraria, quatenus contusa applicatur vulneribus, quæ egregiè consolidat: propterea & *TABERNÆMONTANUS in Herbario* componit unguentum non inelegans, cujus usus satis est receptus: propterea etiam in clysteribus ad consolidanda ulcera intestinorum in dysenteria, præmissis præmittendis, cum reliquis vulnerariis, imprimis cum Symphyto, infundi solet.

FICUS.

FIcus Germ. *Feigenbaum*, est vel *nostras*, vel *Indica*, quæ etiam vocatur *Opuntia*: quæ est vel *major* vel *minor*, in nostris hortis obvia. De Ficu Indica sive opuntia hoc potest notari, quod si comedatur, sanguinolentam reddat urinam, ut ut nihil sanguinei coloris in illa conspiciatur; quod ipsum non parvum terrorem injecit nautis & mercatoribus, illam ex India primùm advehentibus. Quod autem excernitur, non est sanguis verus, sed urina saltem tincta. Radix Rubiæ tinctorum solet etiam tali colore tingere urinas, de *quo suo loco*.

Ficum Europæam sive nostratem quod attinet, hujus fructus imprimis est officinalis, & propter dulcedinem gustus satis cognita, quique communi nomine Ficus dicitur. Hæ sunt vel recentes vel exsiccatæ; Recentes vocantur Ficus, & ordinariè sic solent præscribi: ℞. Ficuum pinguium tot vel tot. Exsiccatæ ordinariò Caricæ in formulis vocantur.

Ejusdem ferè usus sunt, ac infra explicanda Glyzyrrhiza, quarum temperata dulcedo commendat easdem ad temperandam & obtundendam acrimoniam acido-salsam, lymphæ præprimis & urinæ. Hinc valdopere prosunt in affectibus pectoris & renum, aliarumque partium urinariarum ex causa prædicta excoriatarum, aut plus minus exulceratarum, in Decocto speciatim usurpatæ. Non enim tantum est consensus partium pectoris cum partibus genitalibus, sed etiam cum renibus, ita ut simpliciter quæ conveniunt in affectibus pectoris, conveniant etiam in affectibus renum; & contrà. Propterea caricæ, uti in affectibus pulmonum, tussi, & asthmate, admodum sunt congruæ, & pro corrigenda lympha temperandi, incidendi, & educendi vim habent; ita etiam conveniunt in dolore renum nephritico & calculo, item renum & vesicæ exulceratione, ischuria, mictu cruento, &c. Tantam propensionem ad renes habent ficus, ut earum decoctum non benè percolatum, sed quod admista habet granula, per urinam illa denuò reddat, in qua conspicua ipsum Decoctum & grana ficuum. Usitatum mulieribus nostratibus ad raucedinem, asperitatem faucium, atque tussim, infundere caricas spiritui vini, & postmodum incendere ac haurire; est remedium non contemnendum & expertum. Quod si loco spiritus vini communis accipiatur anisatus, vel appropriatus pulmonibus & pectori, erit medicamentum convenientius, & elegantius in talibus affectibus. Leniter abstergunt, hinc simul Decoctum ficuum vim habet alvum laxandi. In variolarum quoque & morbillorum cura frequentis usus sunt, & singulariter prosunt, experientia teste, idque multiplici nomine: Propterea earum Decoctum mirè commendatur à *SALA*, ut promoveatur eruptio; hinc etiam, postquam eruperint, præcavent, ne vestigia diuturna relinquant. Nam (1.) temperatur ebullitio, (2.) temperatur acrimonia, quæ aliàs pulmones excoriat, & dilacerat, atque fibras intercutaneas corrodit, & profundas foveas facit. De singulari earum usu in variolis & morbillis nonnulla *FORESTUS* habet *lib. 6. Observationum*, ubi de morbillis verba ejus hæc sunt: *Morbilli adeo grassabantur in civitate, ut vix immunis quispiam puer ab illis viveret, quos omnes curavi Decocto ficuum*. Sed cautè in variolis usurpantur propter alvi laxationem, quæ est suspecta in hujusmodi affectibus, expulsione ad cutem opus habentibus: Unde moderni decoctum earum cum milio admodum commendant pro usu blandè adstrictorio; quod ipsum pro variolarum cura non inconveniens, quia corrigit vim caricarum laxativam, in qua cum passulis conspirant, quatenus utræque blando fermentationis motu stimulant. In hoc Decocto si dissolvatur Syrupus Scabiosæ vel fœniculi, fit palato gratius & efficacius, quatenus sunt pectoralia, & impediunt, ne phthisis à variolis, pulmones obsidentibus, fiat; item cum caricæ sint vulnerariæ, præcavent, ne profunda ulcuscula sive foveæ fiant à variolis: v. g. posset fieri talis formula:

℞. *Caricar. pingv* No. XV.
Sem. milii ℥iiß.
Passul. min. ℥vj.
Decoqv. in s. q. *aquæ simplicis*: Colat. ℔iß. adde
Syr. Scabios.
Fœnic. an. ℥jß.
M. f. Potus.

Nam & Decoctum fœniculi, imprimis radicis, commendatur pro expellendis variolis.

Videmus magis compositum decoctum ficuum eodem usu in *MYNSICHTII Armamentario Chymico Sect. 25. p. 386.* Nihilominus observetur, quod adsit pulpa Tamarindorum: jam vero, quoniam hæc solet purgare, quæ purgatio vel saltem laxatio est morbifica & lethalis in morbillis & variolis, ideò, ne interficiamus, quos servare debemus, abstinendum sedulò à purgantibus. In iisdem variolis & morbillis Symptoma sæpè lethale est mictus cruentus: in tali casu etiam convenit Decoctum ficuum, quoniam partim præcavent, partim curant talem mictum cruentum. Multiplici ergò nomine conducunt in variolis & morbillis ficus. Aliàs observetur & hoc, quod ex nimio usu ficuum copiosi soleant generari pediculi & per poros corporis sudoris facie prodire: id, quod antiqua est traditio, confirmata tamen à modernis, ab *HEINRICO AB HEER Observat. oppidò rar. pag. 271. SEBIZIUS in Tractatu de alimentis p. 1538. Problem. 169.* An ficus generent pediculos? negat quidem, propterea, quia *GALENUS* tantùm dixit: sed non est negandum contra experientiam.

Quoad *usum externum*, ingrediuntur fomenta & cataplasmata emollientia, suppurantia & maturantia, ita, ut nullum sit in Schola Chirurgorum Cataplasma emolliens, suppurans, & maturans, quod non ingrediantur aliquot paria ficuum, pro temperandis humoribus in tumoribus fermentantibus, ipsisque tumoribus emolliendis, & maturandis, & inde natis doloribus blandè demulcendis: imò ficus assatæ, & calidè impositæ conducunt, & abscessus ruptionem juvant; insigniter enim matu-

maturare dicuntur. Hinc in inflammationibus & tumoribus ſuppuratis gingivarum propè radices dentium, ſi apponatur fructum ficus, ſive crudum ſive aliquantiſper toſtum, ſive in lacte decoctum, maturat valdoperè, quamvis non ſine exacerbation doloris. Alias *STROBELBERGERUS de Podagra dentium c.5.* dicit, quod ficuum eſus officiat, pariter ac ſaccharum dentibus.

Ficus folia lac ſuggerunt, dulce prius, ſed in receſſu acre, ratione cujus folia ficus recentia affricare ſolent hæmorrhoidibus cæcis, ut eas aperiendo fluxum ſtimulent. Eodem ſucco lacteo veteres lac in caſeum coagularunt; unde hunc ſuccum lacteum lac inſtar aceti præcipitare aſſerit Gelvetius in Dirib. p. 168.

FILIPENDULA.

Filipendula ita dicitur, quod radix ejus habeat plures nodulos, qui multis quaſi filis connectuntur: Dicitur etiam *Oenanthe* Græcis à vino, eò, quod tum, quando vitis floret, eadem quoque floreat: Vocatur etiam *Saxifragia rubra*, Germ. *Rother ſteinbrech*, quod in calculo conveniat: *rubra* dicitur propter radicem rubram. Hujus plurimæ ſunt ſpecies, *montana, aquatica*, &c. in ſylveſtribus locis creſcit.

Uſitata ſunt in Officinis folia & radix.

Tota planta, & imprimis radix, vi diureticâ, & ſimul inciſivâ & attenuativâ pollere ſolet; unde uſus ejus ſatis frequens eſt in nephritide ad diffringendum & ſtimulandum calculum, renes abſtergendos, renum atque veſicæ ſabulum, rudimentum calculorum, expellendum: Verùm, quod ſpeciali vi lithontripticâ polleat, vix ſperandum. Alias etiam à quibuſdam commendatur adverſus ſcrophulas & ſtrumas, dum eadem cum radice ſcrophulariæ, & radice ruſci ſolet miſceri, vel in decoctis vel in pulveribus contra ſcrophulas: Sic habemus in *SENNERTO lib. 2. Praxeos P. 1. c. 25.* tale Decoctum contra ſtrumas *p.* 132. ex eadem filipendula & ſcrophularia cum aliis ingredientibus non inelegans, quatenus reſolvit & incidit materiam ſtrumarum, eamque educit per urinam.

FILIX.

Filix planta eſt ubivis obvia, præprimis creſcit in locis aſperioribus. Habetur mas & fœmina: Hæc pro illo eſt ramoſa; mas vero non ramoſa, & foliis inciſis. Græci dicitur πτέρις, quod alas avium florum multiplicitate, ac inciſurarum varietate, æmuletur; Germanis *das Farrenkraut*. In dorſo alarum conſpicua ſunt corpuſcula nigricantia, quæ ſunt capſulæ ſeminales, in quibus maturis plura ſemina continentur, quæ ſe ſponte ſuâ vi elaſticâ deinde pandunt. Alias inter plantas ſteriles ſemine carentes, non ſecus ac polypodium, fuit relata: ſed malè Elegantem Hiſtoriam habet *SCHRODERUS in Tractatu parvo de Microſcopiorum uſu*, ubi ſemina hæc ope microſcopii fuerunt conſpecta. Vanæ de hac radice relationes, quod nempe diſciſſa repræſentet aquilam, diſcuſſæ ſunt à *VELSCHIO Hecatoſt 1. p. 105.*

Planta tota, una cum radice antiquitus in frequenti admodum fuit uſu in morbis chronicis, ex melancholia ſeu acido vitioſo natis, præſertim in quibus ſplen ſimul affectus fuit, in ſpecie in malo hypochondriaco, ſcirrhis lienis & pancreatis. Nam ex vegetabilibus omnibus ſpleneticis palmam facit dubiam, adeoque maximè commendatur contra ſplenis vitia, ut vocant, & reperimus, quod omnia ea, quæ conveniunt ſpleni & pancreati, ſint quaſi naturæ terreſtris duræ, & imprimis conſiſtentis. Nam hæ plantæ: quæ dicatæ ſunt Marti vel Saturno, potius habent vim deſtruendi acidum, & conducunt in affectibus lienis, quæ ab acido primariò oriuntur; unde commune eſt ingrediens omnium potionum, Decoctorum, nodulorum, eſſentiarum aperitivarum & antiſpleneticarum. Decoctum filicis, præſertim radicis, ex blando dulci non nihil amaricans, urinam pellere ſolet, & multi uſus eſt in lienis tumore ac inflatione humida, ſive in Magnis lienibus Hippocrati dictis; item in eorum obſtructionibus, vel per ſe, vel per conſenſum natis, veteribus fuit: *FORESTUS* valdè commendat Decoctum radicis filicis cum cuſcuta in vino, ceu arcanum expertum, in affectibus ſplenis; Vid. *SENNERTUS P. 4. Praxeos cap. 6 p.* 488. Alii commendant ſingulariter ſequens Decoctum in ſcirrho lienis, & dicunt expertum eſſe ad tumorem & duritiem lienis.

℞. *Herbar. filicis c. ſua radice,*
Sabinæ,
Abſinth an. q. ſ.

Decoquantur in ſ. q. *aquæ ferrariorum*, imprægnata eſt particulis Martialibus & ferreis, ad conſumptionem tertiæ partis (nam quæ ſunt naturæ fixioris diutiorem requirunt coctionem, quàm quæ ſalia habent in ſe volatilia; & contrarium fit in Antiſcorbuticis acribus, cochlearia, naſturtio, & ſimilibus, quæ diuturniorem decoctionem non, ſed blandam tantùm & vaſe cooperto inſtitutam, aut ſaltem infuſionem poſtulant: quod obſervetur in formulis præſcribendis, quoniam multum inter eſt) addendo

paſſular. minor. contuſar. q. ſ. pro grato ſapore.

De quo ſub ingreſſu lecti bibatur bonus hauſtus.

Poſſunt addi paſſulæ circa finem decoctionis, ut ſaporis gratia remaneat, quoniam aliàs facile aceſcunt in diuturna decoctione.

Præterea quoque in affectibus melancholicis radix hæc cum Sabina in vino, vel cum aqua ſimplici, vel ſpeciatim cum aqua ferrariorum decocta, non abſque fructu adhibita fuit; ſed cum hodierno tempore delicatioris ſint palati homines, ac ad ejuſmodi decocta diu continuanda nauſeent, nec quorumvis ægrorum ſtomachus eadem continuare valeat, rariùs hodiè uſurpantur.

Sanè, quæ hodiè nos per Martialia & volatilia præſtamus; illa veteres cum polypodio, filice, ac Adiantho præſtiterunt, quod tamen in conſvetudinem abiit. Interim cerevisiæ ejuſmodi medicatæ, ac per fermentationem paratæ, non ſecus ac cum ſcolopendria parata cerevisia, remedium ſunt non contemnendum.

FLAMMULA.

Flammula eſt duplex: vel *repens* vel *ſurrecta*. *Flammula repens*; ſive *Clematis urens*, quæ κατ' ἐξοχὴν etiam dicitur *Flammula Jovis*, Germanicè *Breun vvurtzel*, nomen acquiſivis ex vi ſua cauſtica & acri, quæ utplurimum conſiſtit in particulis acribus, acidis, volatilibus, macris, non oleoſis; hinc commeſta puſtulas & veſiculas in lingua excitat.

Flammula ſurrecta ſpecies eſt clematitis, & magni uſus in Medicina, colitur hic in hortis: in agro Norico motu ſpontaneo creſcit. Convenit ferè cum cochlearia vel naſturtio, quia obtinet ſal volatile inſigniter acre, ratione cujus conſpirant vi antiſcorbuticâ alterativa ſicut nonnullis hodie ſingulariter laudatur internè contra ſcorbutum; unde à Belgis, imprimis à *LINDANO in Collegio privato ſuper Hartmanni Praxin Chymiatricam*, ubi huic abſolutam curationem ſcorbuti attribuit, in experientiam Practicam tranſlata; ſiquidem ſapor ejus acris valdè penetrans ad ſaporem ferè piperis Indici accedit, hinc penetrantiâ ſuâ volatili acidum fixum macrum alterat & enervat, viſcidum incidit & abſtergit, adeoque eſt ſplenetica, epatica, & aperitiva. Poteſt uſurpari in ſubſtantia cum aceto, vel Decocto vel infuſo; Vel poteſt plantæ affundi vinum generoſum, & ita ſimul per alembicum deſtillari; ſic enim prodit *ſpiritus flammulæ*, ſive ſal volatile; vel potiùs per frequentem *ſpiritus vini* cohobationem ſpiritus egregius antiſcorbuticus inde elicitur.

Extrinſecùs adhibetur ob ſal iſtud acre ad rubores & puſtulas vel veſiculas excitandas in cute.

FLOS AFFRICANUS.

Flos Affricanus Germanis *Schreiber Roſen*, item *Studentenblume*, ita dicitur, quia à *CAROLO* V. primum ex Affrica in Europam fuit translatus. Vocatur etiam *Caryophillus Tunetanus*.

Uſum nullum in officinis habet.

FOENICULUM.

FOEniculum Græcè Μάραθρον, Germanicè *Tenchel*. Μάραθρον dicitur ἀπὸ τοῦ μαραίνειν, quod, ubi emarcuit, condendis cibis inſerviat.

Fœniculum autem ob copiam ſeminum, quæ largo fœnore reddit, planta eſt culinis & officinis nota. In uſu ſunt ejuſdem ſummitates, cum herba, item Caules concavi, & Semen, uti, etiam Radix. *Planta tota* eſt ſuaviter aromatica, teſtante id odore & ſapore ſuavi, blando & aromatico. Vis ejus conſiſtit in particulis ſalſis, oleoſis volatilibus, ſuavi inter ſeſe commercio ſociatis, & particulæ ejus acidæ volatiles pingues ſunt, in quibus primario vis aromatica conſiſtit. Ab his effectus calefaciendi dependet, nephriticum eſt egregium, mirificè abſtergens renes, & promovens urinam; unde in renum doloribus, ſtranguriis & aliis affectibus, fœniculi planta polychreſta eſt. In defectu item lactis decoctum fœniculi recentis mirum in modum conducit, quod expertum ab *AMATO LUSITANO Centur 6 Curat. 86. & HARTMANNO in Praxi Chymiatr.* Unde in frequenti ſit uſu nutricibus lactè deſtitutis. imo dicunt lac tale emulſum ſpirare odorem fœniculi. Dicunt, quod mulieres recipiant folia fœniculi viridia, decoquant in vini vel aquæ ſ. q. & hoc utantur pro potu ordinario, ſic impoſſibile perhibent eſſe, quod non ſemper abundent lacte; quod etiam decoctum commendatur ad expellendas variolas, quod notum, & menſtrua retenta vel impedita. In oculorum vero affectibus tota herba, ejuſque ſemen, eſt commendatiſſima, iis imprimis, qui lucubrationibus nocturnis oculis nocue-

nocuere; unde & liquor ejusdem saccharatus pro usu ophthalmico à Bartholeto in Encyclop. p. 171. tanti æstimatur, quem ita parat: Recipit nempe *surculos fœniculi*, eorumque cavitatem *sacharo pulverisato* replet, ac ita per integram noctem relinquit, ut hac ratione rore deciduo dissolvatur *saccharum*, sicque liquor saccharatus, *BARTHOLETO & RIVERIO* multum laudatus, emergat, qui in pannorum & macularum oculi detersione, discussione ac consolidatione, omnibusque oculorum affectibus, est præstantissimus. *PLINIUS* habet, serpentes primò monstrasse fœniculi mirabilem vim ophthalmicam; siquidem verno tempore dicuntur cæci propter inductam oculis cuticulam: hanc ut deponant, visumque hyberna latebra obscuratum recuperent, vescuntur fœniculo: de quo videre possumus *MINDERERUM in Aloedar. cap. 11, pag. 120. & AROBELBERGERII de Fœniculo p. 18.*

Radix & *Semen* ejus, quæ aroma suave ac blandum ventriculo, & hinc toti generi nervoso conveniens continent, inter aromatica nostratia referuntur; hinc etiam semen inter carminativa quatuor calida majora, viscidum nimirum attenuando, & stomachi intestinorumque flatus potenter discutiendo, primatum obtinet. Egregium est Stomachicum, dum præter alia commoda, vi aromatica spiritus influos recreat, digestionem valide promovet, acidas cruditates in primis viis, & inde natos flatus internè aut externè egregiè discutit & resolvit. Unde in Trageas pepticas post pastum assumitur semen fœniculi; hinc in colicis pathematis, in convulsivis intestinorum malis, herniis, &c. horum usus est egregius. Convenit pectori & renibus, dum scilicet, ut dixi, semper est inter hæc convenientia, dum tussi & asthmati medetur, postmodum renes detergit, neve calculus concrescat, impedit, quatenus sal volatile temperatum corrigit acidum calculi coagulatorem. Stranguriæ ab acido oriundæ, & renum doloribus, à quacunque causa, potenter medetur, quocunque modo usurpatum. Præterea, præter semen Euphrasiæ, nullum præstantius est ophthalmicum internum hocce semine Fœniculi. Propterea, cum etiam sit pectorale gravidæ mulieres illud debent comedere in tussi & affectibus pectoris, ut remittant; Et dicunt Autores, quod fœtus in lucem postmodum editus clareat elegantibus oculis. Qui ergo vult filios oculis pulchris habere, commendet hoc semen gravidæ conjugi in tussi, & aliis pectoralibus affectibus. Imò sunt, qui dicunt, quod si fœminæ comedentes fœniculum, halitum inspirent oculis infantum, & illis, oculos illis reddant clariores, & lucidiores; quod etiam ad oculos variolis clausos jubetur applicari.

Radix est primaria ex radicibus quinque aperientibus: viscidum nempe attenuat, pectori, renibus, utero, ac mensibus ciendis dicata est. Porro Decoctum radicis hujus vel solitariè, vel etiam (quod quibusdam placet) floribus sambuci, aut lumbricis sociatum, ad lactis abundantiam commendatur; sicut & *HELIDÆUS PADUANUS in Curatione pag. 83.* pro lacte generando commendat Decoctum lumbricorum in brodio vel decocto fœniculi. Egregium quoque est diureticum. In variolarum cura sæpius adhibetur, quarum expulsionem promovet, & oculos ab exulceratio-nibus protegit.

Oleum fœniculi destillatum, sub forma Eleosacchari propinatum, in iisdem affectibus adhiberi potest, imprimis ad visum clarificandum, contra flatus, & nutricibus pro augendo lacte.

Syrupus adhibetur ad expellendas variolas.

FOENUM GRÆCUM.

FOenum Græcum habetur *sativum* & *sylvestre*; & hoc vel *siliquis oblongis*, vel *polyceraton*, ita dictum *à multitudine cornuum in floribus*: quot enim flores sunt, tot prodeunt *cornua oblonga rotunda*, unde & Germanis, *Bocks-horn*, aliàs etiam *Glaucus dicitur*.

In usu tantum est *Fœnum Græcum vulgare sativum*, & in specie ejus *semen* pro scopo anodyno & resolutivo, quia turget substantia mucilaginosa, qualis mucilago vim habet temperandi & obtundendi, & quasi invíscandi acres aculeos salinos quorumvis succorum in corpore peccantium, ratione cujus emollire, maturare & suppurare, & hinc blandè dolorem demulcere assolet, unde in tumoribus resolvendis fomenta & Cataplasmata discutientia & maturantia ingreditur, cui utrique scopo satisfacit. Pro collyriis in ophthalmiis mucilago hæc usurpatur, quin &, ut ut rariùs, clysteribus pro emolliendis fæcibus, & temperanda acrimonia humorum, sæpiùs nimiùm corrodente intestina, & referanda alvo incoquitur. Uno nomine: omnia ea præstat, quæ ipsi adscribuntur ab *AUTORE*. Ad eadem etiam valet, atque tragacanthæ mucilago utilis est, de qua *suo loco dicetur*.

FRAGARIA.

FRagaria, Germ. *Erdbeerkraut*, etiam dicitur *Trifolium fragiferum*, quia folia tantum tria habet. Profert Fructus.

In usu sunt *Fructus*, *Radix*, & *Folia*.

Fructus, uti sunt noti in culinis, ita nō adeò cogniti in officinis, quoniam rarò præscribuntur. Succulenti sunt, sed admodum temperati; & ex eo, quod facilè effervescibiles sint, blandissimum alcali volatile, suo tamen occulto acido, demonstrant. Copiosam urinam fundi faciunt; exinde habent vim nephriticam, renes purgant, & calculum eliminant. Unde & quibusdam in usu est Spiritum vini affundere, & ita hūc Spiritū pro usu diuretico & calculi præservativo administrare. Præterea phlogoses & æstuationes corporis blanda temperatura solent sistere, quo scopo etiam *ex fragis* potest fieri elegans *Julebus* ad imitationem *TIMÆI in Responso 8. p. 16.* ubi *fragis* conquassatis addit ana *aquæ cichorii*, atque *endiviæ* & *fragariæ* partem dimidiam, & *spiritus vitrioli* tantillum; non secus ac *ex rubo idæo* similis *Julebus* elegans & suavis paratur in *TIMÆI Descript. Med. p. 433.* Cavendum tamen interim est, ne nimio eorum abusu choleram aliosque affectus intestinorum excitemus. Rarum est, quod singularem vim diaphoreticam in fragis observaverit *BARTHOLINUS Cent. 3. Hist. 57. p. 112.* quæ alibi non reperitur.

Herba ipsa *Fragaria* dicitur *Hepatica*, quia egregiè convenit in temperando hepate, & tono, ac dyscrasia sic dicta hepatis; Unde in affectibus chronicis, in specie cachecticis, ictericis; & similibus, haud minimum præstant usum: sicut & *LINDANUS* huic plantulæ vim mirabilem attribuit pro temperando hepate, vel pro restituenda crasi sanguinis. Propterea ejus Decoctum cum passulis est usitatum in talibus affectibus, imprimis, si usurpetur pro potu ordinario. Hinc etiam *RULANDUS in Curat. Empir.* Decoctum ejus cum passulis pro potu ordinario in affectibus & morbis hepatis frequenter præscribit sequenti modo;

♃. *Herbæ fragar.* M. ij.
Passul. min. cont. ℥jv.

Decoquitur in *aquæ font.* q. s.

Quod Decoctum optime valere dicit in Ictero flavo: ipsi tamen est usitatum in aliis Cachexiarum generibus. In delicatulis additur aliquid Cinnamomi.

Virgini cuidam, asthmate, & tussi afflictæ, hanc præscripsit potionem,

♃. *Herb. fragar.* M. iij.
Rad. liquirit. rasæ ℥ß.
Uvar. passar. ℥iij.
Cinnam. ʒj.

Coqu. in s. q. *aquæ simplicis*.

Idem *RULANDUS* curavit ictericum **longo tempore detentum**, & consistentis ætatis sequenti Decocto:

♃. *Flor. centaur. minor.*
Fol. fragar. an. M. j.

Infundantur per horas tres in *aquæ* & *vini* an. ℔ iij. postmodum decoquantur lentè ad consumptionem medii.

Hujus Decocti ℥viij. mane bibit, sudavit, & curatus est.

Succus fragorum valde diureticus, renum abstersivus, & in purganda Massa sanguinea quoque non otiosus est. Vulgò refrigerare dicuntur, unde & Julepos exinde conficiunt in febribus ardentibus & malignis.

In usu quoque est magno *Syrupus fragariæ* exinde paratus.

FRAXINUS.

FRaxinus ita dicitur à frangendo, quia facili negotio frangitur, Germ. *Eschbaum*. Arbor certè singularis est, apud nos incognita, in agro Norico & Anglia spontè suâ copiosissimè crescit.

Plura ex hac arbore natura pro uso Medico suggessit; *Folia* nempe, *Corticem*, *Semen*, & *Lignum*. In foliis enim residet vis vulneraria: in cortice vis splenetica, diuretica, & febrifuga; in semine vis diuretica, & aphrodisiaca; in ligno denique vis sympathetica vulneraria.

Arborem in genere quod concernit, quidam existimant, serpentes ad hanc arborem non appropinquare, nec sub umbra ejus commorari posse, cùm umbra ista sit ipsis lethalis. Sed de hoc ulterior est consulenda experientia.

Quod attinet verò *Folia*, internè rarò adhibentur. Si verò eadem recentia contusa vulneribus recentibus, & locis quibus hæmorrhagiæ contingunt, imponantur, revera Balsami vulnerarii vices sustinent, quæ vulgaris rusticorum est curatio.

Succus recens *foliorum fraxini* specificè contra morsum viperarum commendatur: de cujus fucci vera & certa experientia vid. *ZACUTUS LUSITANUS l. 3. Prax. Admir. Observ.* 90. Vulneribus infusus valdè conducit.

Aqua ex tenellis fraxini foliis destillata ad surditatem valdè commendatur: uti etiam hæc ipsa aqua valdopere laudatur pro lotione in tremore manuum, in quo experta dicitur.

Cortex arboris adultæ subnigricans, ejusque Decoctum, non secus ac cortex & decoctum tamarisci, item infusum & fermentatum, in quibusvis morbis chronicis, in quibus splen ac hypochondria

dtia malè se habent, est egregium: Observarunt enim, quod sale essentiali blandè adstringente, nihilominus tamen etiam parum resolvente, ac attenuante, turgeat. Sapore convenit cum gallis & tormentilla; præcipitat enim vitriolum etiam in atramentum: hinc loco digestivi in spleneticis Decoctum ejus usurpari potest. Præterea acidum corrigit & detergit. Nobilissimum sudoriferum, & singulare Diureticum est cortex, quippe quæ diuresis est optima morborum chronicorum evacuandi ratio. Jam verò omnia medicamenta, quæ habent vim diureticam, sunt optima; Unde etiam cortex fraxini & tamarisci, cùm simul sint splenetica, optimè conducunt in splenis morbis, & simul quoque in essentiis spleneticis præscribuntur. Denique cortex fraxini nobile quoque est febrifugum, ita, ut moderni, imprimis Angli, corticem hujus fraxini in locum Chinæ Chinæ, seu Febrifugi illius Peruviani, substituere non dubitarint. Verùm optimè etiam huic Chinæ Chinæ substituitur radix gentianæ, aut etiam lignum colubrinum, quippe quæ æquè ac Chinæ Chinæ, teste experientia propria, tertianas curat. Sic nonnulli ex cortice fraxini parant quoque febrifugum; cortex enim fraxini vim habet detergentem, per sudores evacuantem.

Sal corticis fraxini calcinatum, non verò exactè adeò alcalisatum, potentissimum est Diureticum.

Sequuntur *semina*, quæ ob figuram, quâ avicularum linguas repræsentant, *Lingua avis* vocari solent. Sale volatili acri nitroso turgent; unde sunt diuretica: propterea quoque nephriticis & calculosis singulariter prosunt, in quibus affectibus commendantur à *GLAUBERO in suis scriptis pag. 23.* Præterea eadem quoque semina acrimoniam genituræ acuunt, & viros ad venerem valde stimulant.

Semina hæc destillata subministrant *Oleum empyrevmaticum*, (quod tamen per rectificationem ab empyrevmate liberandum) perquam acre, potentissimè diureticum & nephriticum, & cui vix par existit: Unde à *GLAVBERO in sua Pharmacia Spagyr.* tantopere laudatur.

Lignum denique à quibusdam *Germanorum Gvajacum* dicitur, & non immer itò: quia similiter nitroso sale volatili turget, & exinde sudoriferum, & hinc singulariter diureticum est; adeo, ut incertum sit, an magis sudorem vel urinam pellat? Habet enim lignum hoc & cortex omnes Gvajaci Indici proprietates, & conducunt in usu antivenereo, atque per urinam, quicquid adversi offendunt, expellunt, eorumque vis efficacior dicitur Guajaco Indorum: videatur *AGRICOLA in Chirurgia parva pag. 903.* Ratione salis hujus nitrosi, licet viridis sit Fraxinus, tam facilè inflammabilis est. Conf. *MAYOW. de Nitro p. 57.* Prodest etiam in affectibus splenis, aliisque morbis chronicis. Lignum hoc egregium est sympatheticum in curandis vulneribus, vim ungventi armarii imitans, unde vulgo dicitur Germ. *daß Heyl oder vvundholtz*; quibus vis enim vulneribus cæsim aut punctim inflictis applicatum, eorum consolidationem brevi promovet, inflammationes arcet, ac dolores sedat; sive recentibus istis affricetur, sive instrumento cruento illinatur, & in locum tepidum seponatur. Imò omnem hæmorrhagiam quoque vulneribus junctam, modò lignum admoveatur, ut hocce sanguinem calidum excipiat, mirè sistit. Vidi aliquando non sine stupore & admiratione aliquando virginem hic locorum, tanta narium habituali hæmorrhagia laborantem, ut capillorum profluvium passa, ac anasarca immineret, adeo, ut nec ullum remedium huic malo sufficiens potuerit reperiri; quæ tamen hoc ligno fraxini naribus applicato se post planè immunem ab omni hæmorrhagia reddidit. Aliàs & in dentium doloribus, cavitatibus eorum intrusum, dolorem fugat, ubi & gingivis affricari poterit. Cessante tamen hæmorrhagia, secutæ sunt cephalalgiæ per biduum horrendæ. Atque sic lignum hoc fraxini certo & determinato tempore cæsum, est succedaneum pulveris sympathetici, de cujus vi sympathetica videri potest *SCHOTTIVS in Jocoseriis Naturæ & Artis.* Totius rei cardo vertitur in hoc, quo nimirum tempore cædendum sit lignum fraxini? quod à variis variè determinatur. Solent tamen & multæ superstitiones concurrere ad ligni hujus efficaciam: ut quando quidam dicunt, lignum hoc cædendum esse die S. Johannis Baptistæ, præcisè tempore meridiano: Alii circa Festum S. Jacobi (seu uti vulgò vocant) inter duo festa B. Mariæ hoc est circiter diem 12. Aug. & 16. Septembris, mane ante Solis ortum; vel juxta alios, tempore conjunctionis Solis & Lunæ in Tauro, Menso Aprili, vel in conjunctione Solis & Lunæ in Leone Mense Julio; in plenilunio autem meridie, si est sol in exaltatione, domo 10. vel tempore conjunctionis, uno ictu cædendum; quidam ipso festo S. Jacobi, inter 11. & 12. horas, & quidem non nisi à juvene venerem nondum experto, & securi omnino nova, tribus ictibus, lavatis manibus, & in recessu non loquendo: Alii noctu volunt cædere hoc lignum, & in his sunt, qui dicunt, latere arcana quædam contra venefica. In hac superstitione *PARACELSVS in scriptis* suis primis adeo operosus fuit in demonstrandis modis, & temporibus herbarum colligendarum, utut vagus, & confusus: observari enim vult *quinque tempora collectionis*.

1. *Tempus anni solaris*, id est, in qua solis statione sint colligendæ.
2. *Tempus mensis lunaris*, seu an circa novi, vel plenilunium sint colligendæ.
3. *Tempus diei naturalis*, id est, an matutino, vespertino, an meridiano tempore.
4. *Tempus vigoris plantæ*, ubi tunc est in vigore ipsa planta, quando florere incipit, & semina generat.
5. Denique *modum colligendi plantas*, qui adhuc maximè suspectus mihi videtur, utut non de nihilo esse, & plurima exempla etiam vulgaria probent.

I. *Primum* ergo quod attinet, nempe tempus anni solaris, multùm sanè refert, an circa solstitia, an alio anni tempore colligantur herbæ vel flores?

II. Quoad *secundum*, nempe menses lunares, observandum: an plenilunio magis, an novilunio herbæ sint colligendæ, vel semina serenda? sic constat ligna tempore decrementi lunæ ante novilunium cæsa durabiliora, & à vermibus libera esse; non secus ac poma, pyra, &c. eodem tempore collecta durabiliora sunt. Nec ignotum, quod semina, quæ circa vel ante plenilunium feruntur, plures flores, paucos verò fructus proferant; è contrà verò, quæ circa novilunium feruntur, paucos flores, multos verò fructus ferant.

III. Quoad *tertium*, nempe diei naturalis tempus, aliæ plantæ convenientiùs manè, aliæ meridie, aliæ verò vesperi colliguntur.

IV. Et alius *quartò* plantæ vigor est in radicibus tempore verno, & sic dicatæ sunt capiti; alius in floribus tempore æstivo; alius in bruma in conjunctione solis & lunæ, &c. in plantis est vigor, quando incipiunt semina generare; seminum vigor est, antequam maturuere perfectè.

V. Quoad *quintum*, nempè modum colligendi, dicunt: quod vires varient pro diversa collectione; unde aliæ herbæ sursum, aliæ deorsum debeant evelli: Radices asari, Germ. *Hasel vvurtzel* sursum versus, evulsis foliis, vomitum cient; deorsum versus secessus movent: sic & sambuci summitates sursum versus evulsæ magis vomitum; deorsum verò per inferiora purgant: atque idem de esula, inde nostrate, &c. dicunt.

In his ergo quinque enarratis circumstantiis maxima vis herbarum balsamica consistit. Optimum autem ligni fraxini tempus videtur ante solis ortum die S. Joh. Baptistæ; vel cæditur lunâ & sole in leone existentibus circa punctum meridiei. Alii conjunctionem luminarium in Ariete eligunt: Vid. *BORELLUS Cent. 3. Obs. 78.*

Aliàs & plantæ à nonnullis secundùm certa signa cœlestia dividuntur variè & superstitiosè; sed effectus illorum signorum nulli sunt: Vid. *HELVETIUS in Amphitheatro Naturæ*, & *CARRICHTHERVS in Herbario*, qui sub certos Planetas distribuit.

Aliàs *lignum fraxini recens* unâ extremitate igni commissum, alterâ exsudat *liquorem* seu *aquam*, ut omnia ligna solent, quæ aqua maximè commendatur in affectibus aurium, scilicet surditate.

Quoad *Præparata*, omnia ex illo parari possunt eodem modo, ac de ligno guajaco dicetur.

In usu quoque est sal ex ligno incinerato.

FRAXINELLA.

FRaxinella, malè *Dictamnus albus*, dicta videtur, quod folia hujus plantæ fraxini folia imitentur. Planta in hortis colitur, & fortem, aromaticum ex parte, odorem habet.

Quoad *usum* ejus, iisdem affectibus consecrata est, quibus Dictamnus genuinus. Ab Autore quidem multa dicuntur, ego autem nil habeo, quod moneam, quoniam nunquam aliquid de ea memini me legisse.

Interim, cùm hujus loco chelidonium majus vel Zedoaria usurpari possint longè potentiora, non amplius usurpari solet.

FUMARIA.

FUmaria vel *Fumus terræ*, dicitur etiam Capnos Minor, Germanis *Erdrauch*. Flores fert purpureos & albos; semen fert, ut coriandrum, nigricans tamen. Egregia est planta, saporis ad modum acris amaricantis, penetrantis, adeoque innuit, vim ejus in sale nitroso volatili temperato, non tamen adeo copioso, residere.

In officinis tota planta cum foliis adhibetur. Nullum mundificans sanguinis præscribitur, quod non ingrediatur: nostris enim corporibus apprimè convenit in depuranda massa sanguinea, & dyscrasia ejusdem corrigenda; unde in morbis hepatis & lienis sic dictis, cachexiis, aliisque morbis chronicis, uti & in morbis vocatis melancholicis, pro corrigendo sapore vitioso causæ morbificæ, & sanguinis fermentatione, nulla planta magis est usitata. Præter vim autem alterantem, sple-

splenεticam, hepaticam, & attenuantem, urinam egregiè ciet, laxat quoque leniter, & purgat serosos, biliosos, & adustos humores sensim, viscera reserat, roborat & purificat; adeò, ut in malo hypochondriaco, scorbuto, morbis mesenterii, lienis, quartana, ictero nigro, & scabie recenti, utramque faciat paginam, recens infusa & epota. In scabie enim, & morbis similibus, ubi adhuc est infecta massa sanguinea, fumaria commendatur; imprimis si sit scabies scorbutica, in qua flores & folia coquuntur in lacte caprino, bibuntur, & sic egregiè talis scabies scorbutica curatur. Sunt etiam, qui commendant hanc plantulam in cura morbi Gallici; in quibus casibus pro sanguine purificando non datur præstantius remedium, cujus efficaciam videbitis confirmatam in *PAULI Quadr. Botan. p.* 63. Coctionem autem diuturnam non fert hæc herba, quia avolat sal volatile. Unde laudatur imprimis recens eadem in infusis, aut etiam in succo usurpata, cum non parum virium exsiccatione fecessiva perdat.

Succus hujus herbæ recens expressus cum succo buglossæ, & seri lactis caprilli part. ij. mixtus, & in vere calidè mane sumtus, in dictis affectibus egregiè confert; unde & præprimis in scorbuto, malo hypochondriaco & scabie & splenis affectibus assumitur, vel solus, vel mistus cum ana succi cochleariæ, & sero lactis, cujus volatile alcali nitrosum egregiè confert in promovendis fumariæ effectibus, hoc est, quod vulgo dicunt, fumariam corrigere adustos, salsos, acres humores, eosque abstergendo per alvum evacuare. Sanè *FREITAGIUS in sua Aurora Medicorum p.* 254. dicit: se Hypochondriacis, quos simul scorbutus infestaverit, quique aliis remediis diu exagitati frustrà fuissent, succum fumariæ & cochleariæ ana in sero lactis caprilli, idque imprimis verno rempore, cum successu exhibuisse. Externè succus acris ex parte visum acuit, & lacrymas movet in modum fumi, hinc Germanis dicta videtur *Erdrauch*. Cum gummi distemperatus oculis illitus præcavet duplicaturam ciliorum. Cum lapatho, Germ. *oder Mengel-vvurtz*, & aceri aut mellis pauxillo mixtus, pro scabie & fœditatibus cutis, præmissis præmittendis, & evacuato corpore, commendatur.

Essentia usurpatur in scabie, malo hypochondriaco, & scorbuto præprimis, in quò sanè B. *SENNERTUS* quotannis aliquot libras essentiæ fumariæ consumpsit.

In nostris Officinis prostat quoque *essentia fumariæ composita* ex fumaria, radice helenii, aliisque similibus, cum spiritu vini tartarisato, concinniùs cum spiritu quodam antiscorbutico, præparata; quæ egregia est in suppressione mensium, & aliis chronicis affectibus.

Aqua destillata sudorifera est, cùm Theriaca vel Mithridatio, aut alio composita mixta.

Conserva fumariæ SENNERTUS sæpissimè usus est in affectibus scorbuticis, hypochondriacis, & spleneticis, aliisque morbis chronicis, ut ei vix duo centenaria suffecerint, ut ejus Pharmacopola B. *Doctori MICHAELIS retulit.*

Syrupus fumariæ est egregius pro purgatione massæ sanguineæ.

Pilulæ de fumaria quoque in usu sunt, quæ usurpantur in purificando sanguine, in scabie, lue venerea, scorbuto, & similibus affectibus; imprimis, si misceantur cum Mercurio dulci, in in quo consistit radicalis cura talium affectuum. Observetur tamen, quod is, qui laborat scorbuto, non sine periculo ferat mercurium; unde apud Belgas, & apud nos inusitata est curatio luis venereæ per mercurium propter metum scorbuti, qui exasperatur à mercurio.

FUMARIA BULBOSA.

FUmaria bulbosa etiam *Capnos chelidonia Plinii*, vel *Pistolochia*, vel *Corydalis*, *Hirundinaria*, & absolutè *Radix Cava*, ob cavam radicem, vocatur; Germanis *Erdkraut*, *falsch Holl-vvurtzel*. Est vel *flore rubro* vel *albo*. Radix est rotunda, exterius nigricans, interius flavescens, amari saporis.

Usurpatur in Officinis *Radix* & *Herba*, valdopere cognata & naturæ & figuræ Aristolochiæ rotundæ, cui substituitur. Hinc quæ de Aristolochia dicta sunt, etiam hìc conferantur; adeoque non magis quàm ipsa est uterina, insignis hepatica, sudorifera, & alexipharmaca, abstergens, subadstringens, aperiens, diuretica, vulneraria, &c. Imprimis tamen internè convenit in affectibus uterinis, in suppressione & decoloratione mensium, fœtu mortuo, lochiis & similibus pellendis, ictero, scabie &c. Confert etiam ad vermes, vulnera, fistulas, & ulcera antiqua sordida, quæ egregiè abstergit, & sordes detergit. In tonsillarum antiquis affectibus tumentibus, putredine oris, hæmorrhoidibus dolentibus & tumentibus cum unguento populeo: item scabiem, dolorem podagricum à frigidis humoribus sanare dicitur.

G.

GALANGA.

GAlanga Radix est aromatica exotica, ex *Cyperorum* classe; sive sit major, sive sit minor: qui *Cyperi* sunt *referendi ad irides aromaticas*, quarum radices sunt nodosæ, elegantemque spirant odorem, ex quibus etiam est *Galanga*. Videantur *rerum Indicarum Scriptores*, *BONTIUS & PISO*.

Galanga hæc *ratione virium convenit* cum Zedoaria, aut etiam Acore nostrate; cum enim habeat odorem & gustum aromaticum, satis patet, quod constet sale volatili acri non admodum oleoso, ratione cujus pro usu stomachico valdè usurpatur, adeo, ut *PARACELSUS* eandem non inconcinnè *externum ventriculum* vocaverit propter vim restituendi ventriculi interni labes & defectus: atque hinc in omnibus affectibus abdominis & ventriculi flatulentis, ex cruditate acida ortis, frequenti est in usu; præcipuè, quoniam fermentationem humorum, ab acido oriundam sopit, & hinc flatus productos discutit, & corrigit. Unde non immeritò unum ex primariis stomachicis, nervinis & uterinis est, atque adeò etiam in passionibus hystericis mulierum commendatissimum est remedium. Similiter, quando ob imbecillitatem ventriculi affligunt tempore matutino vertigines caput, vel, quando propter consensum ventriculi sunt suffusiones nothæ, *quando videntur atomi circumvolitare ante oculos*, in talibus casibus Galangæ pulvis est egregius.

GALEGA.

GAlega *Græcorum* unde dicatur? Interpretes hærent: Latinis dicitur *Ruta capraria*: Germanis *Geis oder Ziegenraute*. Datur simplex: *cærulea*, *& alba*.

Utraque quoad integram plantam est *officinalis*.

Galega ut ut simplex sit adeo temperatum in qualitatibus, ut neque sapore, neque odore, neque alio aliquo modo afficiat sensus, atque ideo valde contemptum sit; Usitatissima tamen est in usu alexipharmaco, & sudorifero, epileptico, &c. Sed miror, qua ratione, aut qua experientia ad asserendum hoc inducti fuerint Practici? Utriusque sanè defectu nihil Galegæ tribuendum censeo. Vis ejus alexipharmica in specie est contra morsum viperæ, qua lacerta cum vipera pugnans se munit, & ab hac demorsa se curat, & quam describit *FORESTUS l.* 2. *de Incerto urinarum Judicio pag.* 209., & *MEIER in Selectu Medico pag.* 27. sublestæ tamen fidei esse videtur, modò non fabula subsit. Olim tanquam alexipharmaca in peste, in febribus malignis frequentiùs fuit in usu, quàm nunc. Legimus enim aquam imprimis pro scopo sudorifero adhibitam fuisse in febribus malignis, ac continuò ardentibus, item epilepsia infantum, in qua etiam illis terna superiora folia propinabantur: sicut & adhuc misturis & emulsionibus propinandis in febribus petechialibus, aliisque morbis malignis, à multis usurpatur.

GALLIUM.

GAllium triplex sese offert: *luteum*, *album*, & *Mollughinosum*, seu *latifolium album*; German. dicitur *Meyerkraut*, item *unser Frauen Bettstroh*. Planta est vulgatissima. Dicitur autè *Gallium* à γάλα Lacte, quod hujus usu lac coaguletur, si nimirum planta recens contusa lacti injiciatur; Vid. *BORRICHIUS in Actis Haffniensibus Volumin.* 1. ubi refert: plantam hanc suppeditare phlegma sive aquam suaviuscula sapore imprægnatam, quæ lacti affusa in momento id coagulat.

Usum in officinis habet nullum, nec memini, me legisse apud Practicum illam præscriptam fuisse, de quo testatur etiam *AUTHOR*. Externè dicit contra hæmorrhagiam narium & scabiem prodesse: quod tamen, an verum sit, nescio, ut ut compositiones ingredi soleat.

GENISTA.

GEnista variæ sunt *species*, ac idem est, quod σπάρτιον Græcorum, unde & Germanis *Genst-kraut*, ac in specie *Pfriemenkraut* dicitur. Duplex est: *Genista spinosa minor* seu *Germanica*, & *non spinosa*.

Genista spinosa officinis planè est incognita, & fortè cum genuina Genista conspirat; *Non spinosa* verò *Genista* simpliciter dicta, & cum additamento *tinctoria*, Germ. *Farbergenst*, *Farber-pfriemen*, *flore luteo*, & officinis sat nota est, & in pratis cultis provenit. Ita dicitur, quod tinctores floribus ejus frequentiùs pro lanis & pannis colore flavo tingendis utantur; unde etiam *Magisterium tingens* è floribus cum solutione aluminis per elixivium parari solet.

In officinis tota Genista inter herbas diureticas refertur, in specie Decoctum, quia egregiè urinam ciet; unde excellens est medica-

medicamentum contra hydropem, aquam hydropicorum potenter & efficaciter per urinam pellens. Uſurpantur tam *ſemen*, quàm præſertim *Flores*. Utrumque partim eſt alterativum, partim laxativum.

Flores, ſi in Decocto propinentur, per inferiora educunt; ſi in ſubſtantia, vomitus cient. Ex omni conveniunt cum floribus capparis; hinc cum aceto conditi uſu diuretico ſunt egregii, & loco capparum embammatis quibusdam apponuntur. Vis eſt nitroſa & oleoſa; hinc, quæ de capparibus dicta, hìc applicari poſſunt in affectibus meſentericis & ſpleneticis. Singulariter enim dicuntur ſplenetici, & cujus ſaburram, vel ex vitio lienis coacervatos ſuccos promovent; hinc in Ictero nigro, cachexiis maſculorum ac virginum, aliiſque morbis chronicis, Nodulis alterantibus ſpleneticis & hepaticis, vel Eſſentiis aut Elixyribus ordinariè adduntur, teſtantibus id ipſum omnibus Autoribus.

Semen imprimis ſolet movere per alvum, & per vomitum; unde ſi aſſumatur & frequentes cieat vomitus, ſummoperè in arthritide prodeſſe dicitur. Urinam etiam pellere dicitur, abſtergere renes, ut nullum ſabulum, vel aliud quid adhærere, & creſcere poſſit.

Singulare refert BORELLUS *c.3. Obſ.18.* quod, ſi Geniſta viridis circumvolvatur arboribus in ſtipite, omnes erucæ ab illis fugentur.

Sal Geniſtæ è cineribus elicitum eſt unum ex primariis ad præſervandum à lithiaſi; hinc diſſolutum in vino uſurpatur pro uſu diuretico in hydropicis, quorum aquas potenter & efficaciter per urinam pellit. Sed cautè calcinatum ſit, ita, ut ſalſum maneat.

In ROSENKREUZERI *Aſtrologia Infer. p.58. & 60.* habetur, quod in calcinatione Geniſtæ in cineribus verum ſtannum fuerit repertum: id quod non tantum habet ROSENKREUZERUS, ſed confirmatur etiam ab aliis ſcriptoribus. Hinc quæſtio orta eſt inter Medicos: quid habendum ſit de tali ſtanno? CROLLIUS quidem dicit, quod detur conſenſus & correſpondentia microcoſmi cum macrocoſmo, & ſit conſenſus planetarum ſuperiorum & plantarum. Dicunt ergo Chymici: quod eſt Jupiter æthereus, id eſſe Jovem terreſtrem; & propter hanc correſpondentiam ſtannum habere Geniſtam. Unde ulterius quæritur: an non ex plantis mercurialibus poſſit haberi mercurius? an non ex Martagine, hyperico, & plantis ſolaribus poſſit parari aurum, uti ex lunaribus luna? & à multis affirmatur. Imprimis KIRKERUS illi aliquam affundit lucem *in Tr. de Magnetiſmo*, ubi ſtatuit: poſſe aliquid attrahere vegetabilia ex mineralibus; ſicuti certum eſt, in montibus Mediolanenſibus plantam reperiri ex qua elicitur mercurius vivus. In Ungaria vites proferunt uvas lineis aureis tinctas, quoniam tota Hungaria ditata eſt auro, quod credunt etiam quidam in Geniſta. Sed revera vanum eſt, & vel caſu ſtannum ſimul commiſtum, vel tota hiſtoria commentum eſt.

G E N T I A N A.

GEntianæ, ut ut plurimæ ſint ſpecies, nihilominus *flore cæruleo* tantum eſt uſitata, quæ dicitur *Gentiana cruciata*, quoniam folia ſeſe cruciatim interſecant & diſſecant.

Quia non creſcit in noſtris hortis, uſitata tantum eſt radix, quæ ex aliis locis affertur.

Quoad *Vires*, ſaporis eſt acris & amariſſimi, hinc fortiter penetrantis, & aliquantiſper adſtringentis; unde monſtrat ſal volatile acre adſtringens & amarum, ratione cujus acidos in corpore humores temperat, & coercet. Unde etiam inter ſimplicia alexipharmaca & febrifuga non eſt ultimum, pulveriſata à ʒß. ad ʒj ante inſultum paroxyſmi in vino calido exhibitum elicit ſudorem, & repetito uſu perfectiſſimè fugat febres intermittentes chronicas, imprimis tertianas nothas, & quartanas, ut GESNERUS affirmat; hinc ab uſu ſudorifero in febribus malignis, contagioſis & peſtilentialibus, à PALMARIO *c.18. pag.155. Tract. de Morbis Contagioſis* commendatur, quam malignitatem præſervare, vel contractam curare dicit. Unde & Theriacam ex 4. ſimplicibus ingreditur, dia-Teſſarum dictam. Propter hanc vim febrifugam non immeritò uſurpari poteſt ad inſtar Chinæ, ſive pulveris Jeſuitarum, cujus ſuccedaneum fere eſt: Nam hæc habet ſimiliter ſaporem amarum ut Gentiana. Cæterùm cum cortex ille ſit (1.) carus, (2.) relinquit recidivam, & (3.) à mercatoribus adulteretur; conſideratè illi ſubſtituitur Gentiana in curatione intermittentium tertianarum & quartanarum. Optimè quoque confert in morſu canis rabidi, vel internè cum lapillis cancrorum præparata, aut myrrha mixta & deglutita; vel externè pulveriſata cum Theriaca morſui, à cane rabido inflicto, applicatur. Præterea ſapore amaro in ſubſtantia reſinoſa fundato aciditates viſcidas, ſive fermenta acida, ſpecialiter acidum auſterum ſtomachi & primarum viarum mitigat; hinc in doloribus colicis pituitoſis cum vino calido ad ʒj propinata conducit, ut & in paſſionibus hyſtericis euporiſton non contemnendum eſt; pulverata doſi ʒß ad ʒj aſſumpta. Et cum ratione amaritiei ſpecialiter contrarietur acido, & affectibus ab illo oriundis; inde facilè judicare poſſumus, quomodo, quod AUTOR habet, conducat hepati, hypochondriacis &c. ſicut etiam in cachexia & dyſcraſia ſanguinis elegans remedium eſt; unde in nodulis ſanguinem corrigentibus præſcribitur, ut ut ſit valdopere amara.

Externè in excitatis fonticulis, ſi fluere renuunt, gentianæ pulvis inſpergitur, & res optime ſuccedit; vel globuli ex Gentiana imponantur. *Radix* quoque ſæpius fiſtulis anguſtis immittitur, ut callum ulceris fiſtuloſi exedat. Videatur HOEFERUS *in Hercule Medico*.

Succus inſpiſſatus, & in vehiculo appropriato aſſumptus, cum myrrha in morſu canis rabidi, in cachexia, & dyſcraſia ſanguinis, nec non febribus intermittentibus chronicis & nothis, in ſpecie quartanis, ante paroxyſmum exhibitus & repetitus, per ſudorem inſignem vim exerit, & à ruſticis expertus eſt, quem etiam GESNERUS *libro 2. Epiſtolarum pag. 62.* valdopere laudat, & dicit: ſe illo aliquoties tutò, citòque ſanaſſe tertianas longas, & nothas, & hujuſmodi alias. Ex hoc ſit *febrifugum Extractum* cum ſpiritu vini tartariſato, quod potentiſſimè ſudorem movet, ſpeciatim verò virtute ejus alterativâ ad febres intermittentes, præſertim chronicas & nothas, ante paroxyſmum exhibitum & repetitum, eſt egregium. Aliisquoque permiſcetur, & fiunt Pilulæ Antifebriles, v.g.

♃. *Extr. Gent.*
Centaur. minor.
Abſinth. an. ℈j vel potius ʒß.
f. Pilulæ No. LX.
d. ſ.
Pilulæ febrifugæ.

Quarum 20. adſumantur hora una ante paroxyſmum, præmiſſis univerſalibus & ſæpè ſolis his febris curata eſt.

Miſcetur quoque Extractum gentianæ doſi ℈j ad ʒj cum ſpiritus ſalis ammoniaci ſimplicis ʒß. ante paroxyſmum cū aqua appropriata propinando, quod in tertianis & quartanis, ſiquid aliud, præmiſſis tamen præmittendis, feliciter mihi uſu cognitum. Miſtura hæc in Praxi admodum proficua obſervatur, ſociata cum ſalibus volatilibus. Valdopere alii commendant Extractum hujus radicis contra Aſthma, ortum vel propter ventriculum copioſa mucilagine acida refertum, vel ex vitio pulmonum ex infarctu bronchiorum à materia craſſa, quæ non permittit liberum aeri per bronchia ingreſſum, & aditum: & ne ſapor amarus admodum afficiat linguam, ſub forma pilularum propinatur, uti etiam in cachexia & dyſcraſia ſanguinis.

Plura, qui cupit *de Gentiana*, ZAPATAM *in Clave Medic. c.8. et 9. pag 99.* videre poteſt.

G E R A N I U M.

UT ut plurimæ *Geraniorum* ſint *ſpecies*, à roſtris vel capſulis ſeminalibus ſic denominatæ, præſtò tamen ſunt 8. ſpecies demonſtrandæ,

(1.) Eſt *Geranium commune*, paſſim obvium, *Fœtidum*, *Robertianum*, *Parckinſobnii.*
(2.) Eſt *Geranium montanum fuſcum* à flore, ſeu *Creticum tuberoſum Montalbani.*
(3.) *Geranium Macrorbizon*, longius radicatum, in Horto Euſtadienſi deſcriptum.
(4.) *Geranium Batracboides minus.*
(5.) *Geranium cicutarium*, ſive *Cicutæ folio*, *majus*, Geranio Robertiano in omnibus ſimile, quod internè eſt vulnerarium, & externè in tumoribus pedum œdematoſis conducit.
(6.) *Geranium cicutarium minus*; &
(7.) *Geranium fraxinarium*, quod in hæmorrhagiis ſiſtendis eſt egregium.

Hæc inter, *Geranium Robertianum*, Germ. *Rupprechts-kraut*, ſeu propter figuram *Storchſchnabel*, tantum in officinis adhibetur, quod provenit in muris antiquis, & locis derelictis, fertili tamen ſolo gaudentibus: unde, cum *Geranii Robertiani* ſit mentio, generaliter dicitur *Rupertinum*, ſeu *Robertianum*, quod obſervetur in lectione chirurgorum. Flores purpuriſantem habent colorem.

Uſitata ſunt *folia* & *tota planta*.

Ex ſignatura fructuum, vel ſeminum, quæ repræſentant aliquomodo gladium, putarunt primùm convenire in vulneribus, vel punctim, vel cæſim productis, interno & externo uſu: quod etiam experientia confirmavit, cum ſit vulnerarium uſitatiſſimum, & præſtantiſſimum præ cœteris temperatum; dum internè in omnibus fere potionibus et eſſentiis vulnerariis adhibetur, quoniam ſanguinem grumoſum diſſolvit, & contuſiones & lacerationes ita diſponit, ut diſpareant, & facilè conſolidentur.

Externè conſpirat ferè cum Chelidonio majore, quippe non minùs, quàm chelidonium majus, tollit tumores pedum œdematoſos, qui ſæpius poſt morbum chronicum vel acutum apparent. Quod ſi Geranium non videtur ſufficiens, poteſt miſceri cum ſtercore columbino vel caprino, contundi, atque in forma cataplaſmatis applicari, & ſic tumores œdematoſi, diſparebunt, & diſſipabuntur. Ulterius exquiſitiſſimum externo in uſu eſt contra tumorem pedum, qui eſt à lympha advecta in pedes & coacervata; ſive ſubtili, unde tumor ſeroſus; ſive craſſa, unde pituitoſus. In genere in tumore pedum

pedum Hydropico contusum & instar cataplasmatis plantis pedum applicatum, vel solum, vel cum sale & aceto subactum; quod etiam valet in æstu febrili. Succus ingreditur unguenta & emplastra cum terebinthina subactus, & recentia vulnera citò, tutò, & jucundè percurat. Quod si contraxerint labem vitio aeris, vel alia ex causa, vulnera facilè degenerant in ulcera. Ne autem hoc fiat, singulare est Geranium; quoniam vulnera mundificat, & acidum corruptivum ratione salis volatilis alcali, uti reliqua vulneraria omnia, mortificat. Solet etiam commendari interno & externo usu in cancro mammarum, si scilicet usurpetur internè, & in unguentis & emplastris contra cancrum, sive sit exulceratus, sive non exulceratus.

GLYCYRRHIZA.

Glycyrrhiza est *duplex*; vel *echinata*, ubi semen capitibus hispidis est inclusum; vel *siliquosa*, seu *Germanica Officinalis*, cujus semen siliquis est inclusum. Prior veteribus in usu fuit, posterior autem hodie nos utimur, & quidem eâ, quæ provenit circa Bambergam. Vid. *PAULI Quadrip. Botan. Class.* 3. Ita dicitur à γλυκὺς dulcis & ῥίζα radix: Est enim Radix suavissimo dulcore imprægnata, unde & Germanis *Süß-holtz* dicitur, in fine tamen masticationis semper aliquid amaritiei sentitur.

Radix saltem est in usu.

Ratione saporis sui dulcis in recessu tantillum amaricantis, conjunctò aliquali odore aromatico, ut rectè observat *HOFFM. de Med. Officin. p.* 313. vim habet egregiam temperandi, & obtundendi quamcunque acrimoniam seri & sanguinis, & speciatim salsam: Hinc, ubicunque dolor ex acrimonia oritur, illic Glycyrrhiza suam exerit virtutem. In Raucedine ergo, aphthis, asperitate, & aliis affectibus faucium, vitiisque vocis & sermonum à lympha nimis acida ex glandulis vicinis destillante, crebriùs masticata ac cum aliis decocta est egregia. Præterea decoctum hujus radicis ordinariè potiones lignorum sudoriferas vel vulnerarias pectorales, vel diureticas ingreditur ad tusses siccas, & asthmata, & sputa cruenta, quoniam, ut dixi, lympham nimis acrem dulcificat, & sic causam talium affectuum tollit. Nam Glycyrrhiza Pectorale principale & Pulmonarium dicitur. Denique hoc Decoctum etiam in Dysuria, Stranguria, & doloribus renalibus multum laudari solet; unde *Autor noster* rectè Nephriticam dicit; in nephritide enim, & aliis calculi affectibus mitigandis mirè confert, quoniam temperat humorum acrimoniam, sanguinis materiam glutinosam dissolvit, penetrat renes. Nephritica autem sunt triplicia: quædam sunt *purè alcalina*, quæ destruunt acidum; quædam sunt *nitrosa salsa*, quæ fundunt serum sanguinis per renes; quædam verò *modestè temperant*, cujus quoque generis & nostra Glycyrrhiza est. Plures specificos affectus, in quibus convenit, habet *AUTOR noster*.

Præ cæteris autem dulcibus commendatur, quia minus effervescibilis est; hinc qui aliàs à dulcibus offenduntur, ut sunt hypochondriaci, hystericæ mulieres, & id genus alii, hac Glycyrrhiza tutò uti possunt, citra nauseam. Id vero notandum, ut, si decoctum aliquod ingrediatur, in fine decocti infundatur, aliàs dulcedinem suam amittit.

Præterea ex radice hâc, mediante coctura *succus* elicitur & inspissatur, alias Germ. *Lucretien oder Lacritzen Safft* dictus, qui polychrestus est in temperanda & obtundenda humorum in corpore contentorum acrimonia salsa, speciatim in sero ac lympha acriori corpus nostrum turbante, & hinc in partibus solidis ab hac acrimonia excoriatis ac arrosis leniendis, demulcendis, ac restituendis; unde idem succus tum in affectibus urinariis dolorosis, tum in affectibus pulmonalibus est egregius; si nimirum in asperitate, aliisque affectibus faucium, linguæ & laryngis, qui ortum itidem habent ex lympha nimis acri, succus sub lingua aliquandiu detineatur, ut sensim sensimque liquescat in ore. Solet etiam hic succus cerevisiæ ad tusses infundi, sicque propinari.

Succus autem hic variis quisquiliis, pulveribus, arenulis, & aliis rebus inquinatus est, quò pondus ejus aggravetur; unde ut purus habeatur, in aqua appropriata, v. g. hyssopi dissolutus, filtratus, ac transcolatus, & ita lento & moderato igne iterum inspissatus præscribendus est: qua ratione abjicit impuritates ex parte, & quisquiliæ in fundo manent. Dico lento & moderato igne; quia intensior ignis facilè empyrevma illi inducit. Ex hoc apparebit, quod ex ℥j succi Glycyrrhizæ vulgaris ʒij ad ʒvj acquirantur, reliquum pondus æquant quisquiliæ, quæ potius exasperant, & adaugent malum, quàm quod levent. Propterea dicto modo priùs, quàm præscribatur, depuretur, & inspissetur. *LINDANUS pilulas* quasdam *catarrhales* præscribit ex tali succo in catarrho ex lympha acri orto, sequente rejectione materiæ purulentæ è pulmonibus in illorum tabe:

℞. *Succi liquirit. in aqua hyssopi soluti, colati & denuo inspiss.* ʒij.
Mass. pilul. de cynogloss. ʒj.
Laud opiat. gr. iij.
M. f. *Massa*, è qua formentur *Pilulæ*.

Modus hic est legitimus præscribendi, & convenit in catarrhis, & similibus vitiis. Aliàs etiam in affectibus renum similibusvè convenit, ac Ficus.

GNAPHALIUM.

Gnaphalium in officinis est *duplex*: *Vulgare majus montanum* & *minus repens*. Dicitur autem quasi ἀντὶ γναφάλυ, quod folia ejus pro tomentorum usu in vestimentis antiquitùs fuerunt adhibita. Græcis χρυσοκόμη, quæ est genus quoddam plures sub sese comprehendens species; ad hanc enim pertinent omnes Stæchades, Gnaphalia, aliaque plantæ tomentosæ.

Gnaphalium majus Germanis dicitur *Ruhrkraut*, quod Veteres Decoctum ejus in vino mediocri (non generoso) multùm conferre in dysenteria putarint: hodie tamen pro scopo hoc rarò usurpatur. *Gnaphalium majus* sive *Filago minor*, Germ. *das kleine Ruhrkraut*, conspirare videtur cum majore. Imprimis contra dysenteriam, ac in eo casu, ubi exulceratio est intestinorum, Infusum ejus pro potu ordinario, aut ejus decoctum, inservire potest.

GRAMEN.

Hic intelligitur *Gramen vulgare cannium*, ex quo apud veteres in usu fuit *Semen* & *Radix*. Commendatur à veteribus ad hypochondriaca mala, ad hepatis & lienis infarctus. Occasionem hujus effectus suggessit experientia in bobus, qui hyemali tempore ferè obstructioni folliculi fellei, ductusque ejus cystici, vel à mucilagine viscosa, vel concremento calculoso obnoxii sunt; ast æstivo tempore esu graminis iterum curantur & liberantur: Hinc apud Galenicos præsertim Practicos Decoctis ac Syrupis magistralibus longis frequenter addi radices solent. Hodiè autem vix adhibentur, nisi decoctum radicis, quod à *BARTHOLETO in Encyclopædia p.* 185. in enecandis & abigendis infantum lumbricis commendatur; sicut etiam *SIMON PAULI in Quadripartito Botanico*, in quo multa de eo refert, ubi *ossifragi titulo* illud dignatus est. Aliàs contra hæmorrhagias fortiores commendatur propter vim adstrictoriam.

Aqua ex gramine destillata eodem usu convenit in vermibus puerorum.

GRAMEN PALUSTRE, FLORE SIMPLICI & ALBO.
seu Vnifolium palustre.

Gramen Parnassi, sive *gramen hepaticum*, item ἐννεάδύναμις *Polonorum*, revera juxta omnia indicia ad *Pyrolarum species* referendum, unde & Pyrola hederacea alba propriè dicitur, item *Hepaticum hederaceum*, Germ. *Leberkraut*, & elegantiæ gratia in hortis colitur.

Dicitur verò *Hepatica*, quoniam ad intemperiem, hoc est, atoniam ac dyscrasiam Hepatis conducat. Quibus verò in specie morbis hepatis medeatur, altum est silentium; unde de vi ejus dubia potius, quàm vera habetur relatio.

Externè quidem, quia est planta temperata, inter vulneraria, uti omnes Pyrolæ talia sunt, refertur. Cum verò vulneraria alia meliora prostent, facilè hac carere possumus.

GRANATA.

Malus Granata Arbor est exotica, cujus flores vocantur *Balaustia*, imprimis si sint *ex malo granata sylvestri*, quæ habet *florem plenum*; *Domestica* verò saltem *simplicem*. Vocatur alias *Malus Punica*. *Granata* dicitur à granorum copia, quibus fructus est refertissimus. In *Flore* duæ partes sunt, sed inter se distinguendæ:

1. Calathus floris domestici, seu Cytinus; &
2. Flos sylvestris, seu Balaustium: quæ in Officinis confundi solent.

In *Fructu* verò distinguenda sunt tùm *Cortex*, qui cordis formam refert, & speciatim *Malicorium* dicitur; tùm *Pulpa* ipsa seu *nucleus*.

Officinas nil ingreditur ex Balaustia flore pleno (nullum enim fert fructum, uti reliquæ plantæ, e. g. rosæ flore pleno) sed tantùm ex granata flore simplici.

In officinis recipiuntur *Flores*, *Fructus*, *Malicorium*, & *Grana* succulenta.

Flores seu Balaustia quod attinet, ubique commendantur usu

usu adstrictorio, & , ut heri dixi, in hoc puncto cum foliis rubris exsiccatis conveniunt; & rectè: Nam & Mechanicè & Medicè conspirant cum gallis. Uti enim decoctum gallarum, rosarum item rubrarum; ita & hoc decoctum florum Balaustiorum, Vitriolum in atramentum præcipitat, acidum nimirum Vitrioli absorbendo, & hinc naturam aluminosam acquirendo. Internè propter colorem sanguineum non incommodè eosdem usurpare solemus in sistendo fluxu sanguinis quocunque, unde in decoctis adstrictoriis solent adhiberi.

Externè Gargarismata ingrediuntur ad firmandas fauces, & pulveres dentifricios, & decocta ad firmandos dentes, & illorum abstersionem: Colorem simul conciliant rubicundum & elegantem: sicut etiam pulvis balaustiorum cum melle ac pauco sale in linimenti formam redactus, Gingivis affectis illiniri solet. Infusum quoque florum cum aqua theriacali instillatur oculis variolis laborantium, ut caliginem, exulcerationem, & suppurationem eorum impediat: Videatur *AUGENIUS*.

Malicorium seu Cortex cum gallis ejusdem naturæ ac usus est: vis tamen adstrictoria in hoc est potentior, quàm in floribus; propterea tonum partium, ubicunque opus est, roborat. Interim neminem turbare debet historia illa apud *BARTHOLINUM Hist. Anat. C.4. Obs.39* & *Epist. Med. C.3. Ep.63.* de muliere mensium obstructionem passa, & usu corticum granatorum penitus curatâ; Origo enim affectus hujus à vi acidum absorbendi, in balaustiis jam jam explicata, dependebat: Conf. *TACHENIUS in Hipp. Chym. cap. 17. p. 113.* Sed etiam benè considerandaea, quæ ad hanc observationem habet *BARTHOLINUS in Epist. I a. p. 255.* quod nempe cortices non in substantia, sed in decocto cum cerevisia facto propinandi.

Imprimis ejus decoctum solet usurpari externo usu in variolis pro præservandis oculis, naribus, & faucibus. Nam variolarum hæc est malignitas, ut oculos, fauces, & nares valdoperè lædere soleant. Ut ergo hoc non contingat, hæ partes muniendæ. Equidem testatur experientia, quod variolas insecuta fuerit cæcitas & gutta alba, partim in uno oculo, partim in ambobus. Propterea usitatum est, ut præcaveatur læsio oculorum per quandam lotionem, inter quæ primatum obtinet Decoctum granatorum, e. g.

℞. *Cort. Granator.* seu *Malicor.* ℥iij.

Infund. in s. q. *aquæ rosac.* vel *plantag.* stent in loco calido, posteà filtretur & addatur

Smaragdi præp.
Margar. præpar. an. gr. vj.
Croci gr. iv.
Camph. gr. iij.
M. D. S.
Aqua ophthalmica externa bene circumagitanda.

Periculosæ enim sæpe sunt variolæ in oculis, & aliis vicinis partibus: propterea sunt præservandæ.

Longè alia est ratio *Fructus*, imprimis ratione saporis, quo est imprægnatus. *Granata* enim sunt in *triplici differentia*; alia *dulcia*, alia *acida*, alia *medii saporis*, &, ut alii loquuntur, *vinosa*. In genere conveniunt stomacho in morbis calidis. *Dulcia* temperata sunt, & pro conservanda massa sanguinea commendata; hinc & hepatica rectè dicta sunt, quia ex hypothesi Veterum putatum est, illa hepati succurrere. Sed rari sunt usus poma granatorum *acida*: cum succo citri & limonum conveniunt, & singulare sunt stomachicum. *Vinosa* media imprimis confortant; sic enim fit, ut vomitum, & nauseam corrigamus potentissimè granatorum vinosorum usu.

Succus granatorum dulcium temperatus est, acrimoniam bilis imprimis mitigans & temperans; unde *BACO VERULAMIUS in Historia sua vitæ & mortis*, ad hepar fervidius & ejus phlogoses temperandas, eundem satis laudare nequit. Potentior in hoc scopo est *succus Granatorum acidus*, qui convenit cum succo citri, sanguinem fervidiorem demulcet, ventriculo quoque nidoroso conducit, ac in febribus ardentibus & malignis optimum levamen ægris est; non tamen per se sumendus, sed Juleporum forma propinari potest. Sic & in Gonorrhœa, à turgescente liquore seminali, compescenda ac emendanda, non secus ac succus citri valdè conducit, vel solitariè, vel cum succo citri mistus. In appetitu vitioso gravidarum, seu pica, specificum est, non minus, quàm succus ac syrupus de corticibus citri, qui sunt in tali casu experta remedia, uti etiam succus vel miva cydoniorum in tali pica vel appetitu depravato: item in hæmorragiis ab æstu oriundis quibuscunque, & nimiis hæmorrhoidum fluxibus convenit; sive solus, sive cum coralliis rubris haustus. *Succus* denique *vinosus* medii saporis, mediæ quoque naturæ se habet, & modò in hoc, modò alio in casu, pro aliquali confortativo, æstu, siti morborum acutorum, &c. potest usurpari.

Quæ dixi de succo, valent de syrupo, ut ut magis sit fermentescibilis propter admistum saccharum: quod de omnibus syrupis verum est, & propterea rarò soleo præscribere syrupos, præsertim in majori dosi.

GUAJACUM.

Lignum Guajacum, seu Lignum sanctum, sunt unum & idem, cujus notas genuinas, & debitum inde instituendi selectum, videbitis in *HOFFMANNO de Medic. Offic. pag. 380.* Ipsius Ligni Decoctum quidem frequenti in usu est, acrem & amaricantem habet saporem, plus minus tamen, prout magis vel minus recens fuerit. Fit enim interdum, si bonum sit lignum, ut decoctum piperis instar sit acerrimum. Imo notabile est, quod observavit *MAYOW. Tract. de Nitro p. 37.* quod nempe decoctum ligni cum instillato spiritu vitrioli effervescat. Ab effectu Germ. dicitur *das Frantzosen Holtz*, quia in curatione luis venereæ nunc solum ejus decoctum, nunc verò aliis junctum, in die bis vel ter ab ℥vj ad ℥viij haustum, specificum & potentissimum sudoriferum est, simulque diureticum multiplici usu expertum. Insigniter enim prodest hoc lignum, ejusque Decoctum ad sudorem, & hinc urinam ciendam. Quin usitatum est apud Galenicos in morbis chronicis, ut arthritide, morbis catarrhalibus, asthmate, febribus chronicis, & id genus morbis aliis, ceu ad ultimum asylum refugere ad Decoctum ligni Guajaci, ut ita per sudorem tandem curent necessariò suos ægros. Post catarrhos usurpatur in phthisi imminente, aut jam inchoante, à lympha nimis acriore & acidiore oriunda, Decoctum hocce, blandum sudorem expectando: Et sæpius usu venit in scorbuto, qui non rarò cum dicta phthisi solet complicari. Formulæ quædam contra catarrhos & phthisin prostant in Sennerto: e.g. commendabo vobis talem, qualem Lindanus habet in Collegio:

℞. *Ligni Gvajaci*,
Tamarisci an. ℥iij.
Rhodii,
Sassafras gummosi an. ℥ij.
Herb. Absinth. Vulgar. M. ij.
Scolopendr.
Eupator.
Menthæ,
Hyssopi an. M. ß.
Rad. Helen.
Centaur. major.
Zedoar.
Cinnam. an. ʒj.

Incisis & contusis affundantur Mens. vj. *Vini generosi*, sumatur haustus horâ ante pastum; hocque in catarrhis & phthisi.

In mundificanda pariter massa sanguinea non ultimum locum habet, hinc in scabie, lepra, & aliis cutis vitiis sub forma decocti in aqua non caret fructu.

Sequitur jam Cortex ejus, ubi omnia ea, quæ de ligno dicta sunt, huc applicari quoque poterunt. Imo majores effectus præstare solet, quàm lignum, quia vis major ipsi inest. Notum enim est, quod omnis cortex lignorum sit hepar ligni; nam digerit succum pro totius arboris nutrimento.

Vis ejus sudorifera residet in decocto, quod habet saporem acrem amaricantem penetrantem, non nihil nauseabundum, aromatico tamen affinem; constat enim ex principiis salino-nitrosis oleosis, quę in recessu habent acre alcalinum & acidum volatile, quæ aliàs & in fuligine reperiuntur. Fuligo autem nihil aliud est, quàm omne illud, quod sub lignorum concrematione avolat, & quod in decoctione aquæ se insinuat. Repertum autem ex aliorum observatione, quod fuligo intrò assumpta sudorem mirè moveat in sanguine congrumato, imprimis in pleritide & aliis affectibus ejusmodi. Ex hoc igitur judicari potest, quod nimirum salia enarrata in ligno hoc reperiantur, quod etiam testatur (1.) Spiritus acidus, & (2.) Sal volatile in forma sicca.

Ut ergò paucis multa comprehendam, vis ejus consistit in parte resinosa, sale volatile oleoso turgida; ratione cujus incidit viscidum, corrigit lymphæ vitia, catarrhalia emendat. Cæterùm, cùm sit exoticum, *AMATUS LUSITANUS C.2. Curat. 95.* substituit lignum buxi, succedaneum hujus ligni Guajaci. Et credo ego, esse efficaciorem illo, propter vim anodynam, qua caret Guajacum; ut taceam ciere simili modo sudorem, atque Guajacum. Ejusdem quoque naturæ est lignum Sassafras, Radix Sarsæparillæ, &c. Non pauci sunt, qui ligno huic Guajaci exotico fraxinum æquipollere existimant. Sunt qui volunt, quod lignum Guajacum sit verum *lignum Heraclinum Rulandi*, in qua sententia est *STROBELBERGERUS in Tractatu de Dentium Podagra cap. 47.* Verùm ex antecedentibus notum erit, quod sit lignum corylinum.

In usu pariter est Guajacinum Gummi, utut rarum, cujus usus revera singulariter specificus est in gonorrhœa Gallica, quam certò sistit aliis non cedentem; vel in substantia in forma pilularum usurpatum, vel cum spiritu vini tartarisato in essentiam solutum, vel abstracto spiritu vini in Extractum redactum, & à gr. jv. ad v. vj. in aqua plantaginis exhibitum, cum successu in tali Gonorrhœa usurpatur. In scabie maligna admodum quoque commendatur, ut & in lue Venerea, ubi specificè convenit.

Plura qui vult de viribus egregiis Guajaci, adeat *THEOPHILUM de Garanziers in Tractatu de Tabe Anglica p. 146.* qui satis decantat hoc ipsum lignum. Potest etiam videri *FREITAGIUS de Phthisi, ubi de ligno & ejus decoctis* multa dicit lectu digna.

Inter *Præparata* præprimis est *Decoctum*, quod describit *AUTOR*, & rectè dicit, quod ad ℥j lignorum sint assumendæ ℥xij. seu ℔j aquę simplicis: quod observetur in decoctis lignorum omnium & radicum, ut talis

ut talis sit proportio, & ad tertiæ partis consumptionem decoquatur.

Ratio hujus rei est hæc: quoniam lignum quodcunque non facile tribuit suas vires aquæ, nisi post diuturnam coctionem. Jam verò in hac coctione copiosissimè aqua exhalat; hinc, ut sufficiens affundatur quantitas, necessum est: Et in genere notanda dicta ab *AUTORE* pro Decoctis lignorum & radicum. Hoc decoctum saporem acrem habet: attamen mirè confert in dictis morbis; item contra odontalgiam, si teneatur in ore.

Essentia quoque seu *Tinctura* ex rasura ligni Guajaci, non secus ac ex aliis lignis quibusvis paratur nunc simplex, nunc verò cum aliis composita, additis scilicet lignis sassafras, rhodio, juniperino, &c. cum spiritu vini, aut fumariæ, aut sambuci; quæ vel præcipitando cum aqua in resinam, vel evaporando in Extractum redigi potest; quod dosi ℈j. vel ʒß. sudoriferum potentius est, quam Decocti ℥iv, vel v. Porrò sunt, qui alio modo resinam parant ex ligno Guajaco, decoquendo lignum cum aqua simplici, cum parum spiritus vitrioli vel nitri acidulata, & ad consistentiam picis evaporata. Ex hac etiam cum spiritu vini Tinctura & extractum parari potest: ex hac cum arena destillatum oleum ligni Guajaci obtineri potest.

Ipsa *Tinctura* seu *Essentia*, præsertim cum spiritu vini tartarisato vel sambuci parata, internè, præter usum diaphoreticum, commendatur scabiosis & catarrhosis, dosi ʒj ad ʒij, & longè utilior est, quam decoctum; etiam minore dosi facit, id quod Decoctum in majore. Quidam etiam externè in odontalgia, & non sine fructu, eadem utuntur, scilicet cum bombace denti dolenti indita, vel admota extrinsecus, præsertim, si pauco opio acuata fuerint. In destillatione ligni Guajaci per retortam igne aperto prodit vel spiritus acidus volatilis, qui non adeo frequentis est usus: internè tamen à ʒj ad ʒij pro purificando sanguine propinatur, & egregiè sudorem movet; Hinc etiam spiritus lignorum habetur compositus. Sub destillatione prodit simul oleum empyreumaticum: in cinere aliquantulum salis relinquit, quod rarò internè usurpatur ob odorem gravem, & pauci erunt, qui bona cum venia usurpant, utut à Cornu cervi usto rectificatum, & ad aliquot guttulas usurpatum, penetrantissimum & excellens sudoriferum sit in suprà dictis affectibus; ut & carminativū in affectibus hystericis, colicis, & febribus malignis egregiū. Extrinsecus utiliter administratur; Imprimis contra ulcera Gallica emolliendа, tophos Gallicos, & in similibus Symptomatis. In bubonibus Venereis applicatur pro emollitione & suppuratione Emplastrum diachylum malaxatum cum oleo destillato Guajaci, vel loco hujus cum oleo tartari fœtido. Crasis consistit in sale volatili, & sapor maximè ingratus est. Præterea habet vim & conspirationem cum oleo fuliginis. Alii spiritum exinde parant, subigendo cum spiritu vini & fermento q. s. Sed minus genuinus est.

Sal paucum quidem in cinere relinquitur fixum, cùm ferè omne sal decoquendo, vel cum spiritu & oleo destillando, jam separatum fuerit; hoc enim est sal nitrosum volatile, quod sub forma olei fere transit. Interim tamen non penitus est nullum contra *WALÆUM in Methodo medendi p.* 68 Ratio, quare tam paucum sal fixum suggerat, & quomodo ex decocto ejus inspissato, postmodum calcinato, pretiosius præparandum sit, videbitis in *ZWOELFERI Animadversionibus p.* 456 Potest etiam ex Decocto ejus ad Extracti liquidioris consistentiam inspissato in cella per crystallisationem *sal ligni sancti essentiale* parari, quod aliàs sub textura oleosa maximam partem prodit specificum in lue venerea, & pleuritide ad eadem nata, teste *BARTHOLETTO in Dispn. l.* 5. *c.* 4. *p.* 458.

H.

HEDERA TERRESTRIS.

HEdera *terrestris* seu *pumila*, *Chamæcissos*, id est, *parva hederula*, *Elatine*, Germ. *Gunderman*; est vel *major* vel *minor*

Herba sanè, ut ut exilis, nobilissima tamen & polychresta est, saporis subamari & subacris. Usu diuretico, & copiosæ urinæ provocativo, in malo hypochondriaco per urinæ fluxum curando, hydrope, malo nephritico, abstergendo & fibias ac nervos urinarios blandè irritando, atque sanguinem leniter fundendo, operatur; unde in cura hydropis, crurum, & pedum intumescentia, Decoctum hederæ terrestris cum vino & absynthio exhibent: item ad affectus urinarios demulcendos, & acrimoniam urinæ temperandam, & in nephritide præservanda, egregiè convenit, cum in hac vires insignes habeat, & diathesin sive dispositionem ad calculum removeat; sicut aliàs pulvis hujus hederæ terrestris cum aqua hederæ terrestris propinatus, fidem superare dicitur, quantum calculum atterere valeat, teste *Pauli in suo Quadripartito Botan.* Item quidam infundunt foliis hæderæ terrestris spiritum vini, & singulis diebus assumunt cochlear unum vel alterum contra calculum & colicam: Vid. *BOYLE l. a. p.* 163 Mulier hic locorum Ictero nigro cum calculo laborans, ejusmodi placentis & embammatis se sanavit recentibus. Vulneraria præterea est inter celeberrima, & partium excoriatarum sanativa; & hinc præcipuè erosionibus, exulcerationibus, & rupturis viscerum internarum, pulmonum imprimis & renum dicata. In his enim consolidandis nulli cedit, uti in tussi & in phthisi pulmonali præservanda & curanda; præsertim, quæ ex læsione externa, aut erosione interna contingit. Et quoniam tam polychrestum est remedium; hinc etiam varie usurpatur pro pectoris affectibus, imprimis verò pulvis inde formatus: Vid. *WILLISII Pharmacia Rationalis P.* 2. *pag.* 115. & *BOYLE de Specificis pag.* 162. Pro iisdem pectoris affectibus hedera terrestris, præsertim cum cherefolio, vel in vino, vel in cerevisia, vel in aquæ & cerevisiæ ana, addito vel omisso pauco melle, cocta convenit. Ancilla, quæ diu hoc locorum laboraverat phthisi scorbutica, præmisso vomitorio, Decocto hujus herbæ unicè curata est. *LINDANUS* in empyemate, & vomita pulmonum, & pleuritide malè curata & suppurata, non parum habere virium asserit, sive usurpetur ejus Decoctum, sive Conserva: materiam enim purulentam in pectore collectam mirum quantum evacuat, & ulcus potentissimè detergit. Sanè ad abscessus & suppurationes pectoris mirabilis est, speciatim ad sputum ac mictum cruentum seu purulentum, vel ex ruptura, vel ex erosione natum, curandum, & consolidandum; item in casu ab alto, & imprimis grumo sanguinis, indeque orta difficili respiratione cum solutione lapillorum cancrorum in aceto; hinc & plus per urinam evacuat, & consolidat. Addi autem sub fine decoctionis potest aqua nasturtii quantū sufficit: Chymicus hic locorum, ex odore aquę fortis gravem tussim contrahens, coquendo cum ana cerevisiæ & aquæ, ac per tempus usurpando, restitutus est. Vis ejus consistit in sale essentiali nitroso abstersivo & mundificativo.

Syrupus & *Conserva* exinde prostant, quæ constituunt ferè corpus Electuariorum contra sputum sanguinis cum semine hyoscyami.

HEDERA ARBOREA.

PRæter Hederam terrestrem, datur etiam

1. *Hedera arborescens* seu *scandens*.
2. *Hedera canadensis*,
3. *Trifolia*, &
4. *Quinquefolia.*

Posteriores sunt exoticæ & officinis incognitæ; prior tamen est usitata: quò etiam pertinet *Hedera minor*, seu *Helix*, ita dicta ad differentiam *Hederæ majoris*, utut placeat quorundam Botanicorum epicrisis, qui existimant, non esse differentiam magnam inter has duas, sed dependere tantum differentiam ex soli varietate. Germanis vocatur *der Ephevv*.

Commendantur *baccæ* ejus nigræ usu externo & interno.

Interius quidem apud veteres rariùs erant in usu, quia norunt, eas deglutitas vomitus & secessus insigniter movere, atque adeò solum adhibebant contra philtra, quę ita per superiora & inferiora rejiciuntur, & malignitas insimul corrigitur. Interim per Recentiorum experimenta baccæ hæ maturæ pulverisatæ, & in minima quantitate assumptæ, vi diaphoretica & antipestilentiali laudantur: Hinc celebertimus ille *BOYLEUS* testatur, in ultima peste Londinensis baccas hasce pulverisatas ad ʒj in aceto, vel vini albi haustu, assumptas, excitato sudore, egregias fuisse; cui etiam assenritur *PALMARIUS in Tract. de Peste & Morbis contagiosis, pag.* 453 & *KIRCHERUS in Scrutinio Pestis, p.* 317. sicut & in nuperrima peste multi hoc ipso liberati sunt. Alii quoque easdem ad hydropem ascitem commendant.

Folia internè nullius sunt usus. Externè verò optimè inserviunt pro vesicatoriis & fonticulis, ad fluxum eorum promovendum, eaque viridia & leviter contusa.

Sic *lignum* quoque ejus in globulos formatum optimo cum successu fonticulis imponi solet, eam ob causam, quod lignum hederæ; non facilè corrumpatur. Perpetuo enim & herba & semen tum æstivo tum hyberno tempore virescit, melioremque hi globuli ibidem præstant usum, quàm imposita pisa, & hâc ratione quoque lignum sassafras & lignum rhodii fonticulis inservire possunt, cum ejus modi plantæ balsamo vegetativo singulari præditæ, præprimis in peste laudentur.

Gummi ipsius à quibusdam venit in usum: nihilominus in præparatione hallucinantur, quia incertum est menstruum pro ejus dissolutione. Optimè ii faciunt, qui resolvunt cum terebinthina; hæc enim est genuinum menstruum pro dissolutione ejus: de quo videatur *ZWOELFERUS in Animadvers. in Pharmacop. Augustanam. p.* 338.

HEDYSARUM.

HEdysarum duplex est:

1. *Hedysarum triphyllon Canadese Cornuti.*
2. *Hedysarum clypeatum* seu πελέκινον, ita dictum à figura, seminum clypeatorum.

Hedysarum latinè vertunt *Securidacam*, quod securim Veterum folia ejus æmulentur; Germanis *Velibkraut*. Utrumque est exoticum, adeoque officinis incognitum.

HELENIUM.

HElenium seu *Enula* ita dicitur, quod ex lachrymis *HELENÆ* genita fuisse putetur, Germanis *Aland*. Revera ad Chrysanthema pertinet. Folia profert magna, altum est aliquot ulnarum: Flore est luteo.

In *usum medicum* recipitur imprimis *radix* crassa polychresta, quæ tempore exaltationis est colligenda, quando incipiunt erumpere surculi, & succulenta est; tunc enim temporis maximè impraegnata est facultatibus primariis. Saporis est ex dulci insigniter amaricantis, aromatici, similemque efficaciam obtinet, adeo, ut à *PLATERO* & *HOFFMANNO de Medic. Officinalibus pag.* 319. Zingiberi præferendum. Maximè convenit cum Angelica; hinc præter vim diaphoreticam & insigniter alexipharmacam (de qua videatur *CRATO*, *GABELCHOVERUS*, & *DIEMERBROECK de Peste*) laudatissimum est, speciatim in ventriculi & pectoris malis. Ventriculo & pulmonibus prodest pro incidendis, & absumendis cruditatibus viscidis pituitosis acidis, à prima digestione ortis, & dyspepsia ac anorexia corrigenda, mucoque ventriculi abstergendo; unde simplex ex pulvere radicis helenii, cum melle vel rob juniperi paratum Electuarium, pro expellendo & expectorando muco viscido, tussi & asthmate, tam stomachali quàm pectorali, egregium. Præterea est specificum egregium in affectibus colicis ex vitio acido ortis, speciatim colica flatulenta & scorbutica, cum vino decocta: vid. *FINCKIUS in Enchirid. Dogmatico-Hermet. p.* 111. *cap.* 22. Alii radici Helenii addunt herbam absynthii, unà cum corticibus aurantiorum, decoquunt cum vino, & in colica calidissimè potant, additò tantillo Theriacæ seu Mithridatio, & commendantur à *MINDERERO in Medicina Militari p.* 325. Sunt, qui singulariter in Paresi ex colica, seu in artuum ad motum impotentia, superstite tamen sensu, quæque est species motus convulsivi. Decoctum radicis cum vino, vel solum, vel cum corticibus aurantiorum, largiter haustum expectando sudorem, tanquam appropriatum ejus remedium, singulariter laudant. Frequens est hæc Paresis in Austria & Moravia, ubi potant vinum acidum & crudum: unde fit ut propter nimiam austeritatem succi pancreatici oriatur Colica gravissima, & hinc exciterur Paresis. In hac certè Heleniata omnia optimum remedium constituunt expectando sudorem, imprimis si misceantur cum spiritu tartari benè rectificato, vel alio spiritu urinoso, à ʒß ad ʒj. Quod dixi de Paresi ex Colica, intellectum & concludendum volo de Paresi in scorbuto, quæ non est rara in scorbuticis; item de arthritide & paralysi scorbutica. Aliàs qui usi sunt Mercurio vivo in lue Venerea, Decoctum helenii & fœniculi commendatum sibi habeant, ut Mercurius vivus in lue Gallica usurpatus è corpore rursus propellatur, expectando sudorem post ejus usum: e. g.

℞. *Rad. Enulæ* ℥ij.
Fœnic. ℥iß.

Coqv. in *Vini* ℔ij ad consumptionem tertiæ partis.
Colatura usurpetur pro 4. vicibus.

Imò in quavis impuritate, v. g. scabie, scorbuto, &c. prodest. *RONDELETIUS in Pr. libr.* 1. *cap.* 9. celebrat radicem helenii tanquam hilaritatis remedium, & hinc commendat illam in melancholicis affectibus, ubi homines sunt tristes: propterea nititur hac radice succurrere eorum tristitiæ. *DEODATUS in Valetudin.* in anasarca optimam observavit.

Externè cum decocto helenii membra paresi affecta possunt fricari & foveri, ut acquirant denuò suum debitum motum.

Inter *Præparata* in usu est Radix condita, quibus stomachus frigidus & viscidâ aciditate obrutus est: permiscetur etiam Electuariis, & aliis in affectibus pectoris.

Usitatum est apud quosdam infundere radicem in mustum, & per fermentationem facere *Vinum enulatum*, quod in asthmate, raucedine à catarrhis oriunda, tussi pectorali & stomachali, colica, cruditatibus, aliisque ventriculi affectibus, egregium est. *STOECKERUS Prax. cap.* 121. ubi de viribus vini enulati stomachicis, & aliis pro confortatione intestinorum egregia habet.

Syrupus Enulæ in pectoris malis, in bronchiis pulmonum materiâ oppletis, pro ea resolvenda ac incidenda multi solet esse usus.

Extractum & *Essentia* optime paratur admodum *LUDOVICI Pharmac. pag.* 246. in affectibus ventriculi, tussi & asthmate pectorali & stomachali, raucedine, incidendo & resolvendo muco viscido in bronchiis pulmonum hærente, colica, & inde orta paresi, item in arthritide & paralysi scorbutica exhiberi solet, imprimis si Essentia misceatur cum spiritu appropriato; extractum verò cum Rotulis pectoralibus, aliisque.

Habetur quoque quibusdam in locis *Unguentum Enulatum* experti usus contra scabiem: v. g.

℞. *Rad. helen. rec.* ʒß.
Afung porcin. ℥v.

Misceantur in mortario plumbeo, & contundendo f. Unguentum, quod valdè commendatur. Vid. *AMATUS LUSITANUS Cent.* 2. *Curat.* 98.

In casu pertinaciore sal Tartari aut Mercurius dulcis, aut Mercurius vivus, addi potest.

HELIOTROPIUM.

HUjus grana IV. Quartanariis, gr. iij. verò prodesse scribit *STROBELBERGERUS Tract. de Febr. pag.* 45. ex *Cornelio AGRIPPA*.

HERNIARIA.

HErniaria, *Millegranium* aliàs dicta, Germanis *Tausendkorn*, quia ab omni parte semen habet, in curandis herniis, imprimis intestinorum & omenti, quæ propter laxitatem peritonæi descendunt in scrotum, speciatim est proficua, unde quoque denominationem est adepta. Provenit in locis cultioribus.

Primus, qui nobis hoc manifestavit, fuit *MATTHIOLUS*, cujus assertum jugi experientiâ confirmavit *HOLLERIUS in Tr. de Morb. intern. cap.* 62. ubi tractat *de Herniis*, & mirum quantum commendat Herniariam. Dicit namque: *Herba est in sabulis crescens, foliis minimis & rotundis, gustus adstringentis, cujus succus expressus, & affusus vino albo, expertum est remedium in Herniis, quas intra* 9. *dies certò curat.* Et propter hoc Encomium *Herniaria* vocari solet *Herba Hollerii*, qui virtutes contra hernias manifestavit, & in apricum produxit. Usurpatur vel crudo modo in pulvere, secundùm ductum *HOLLERII*, vel decocta, & quidem nunc sola, nunc cum aliis mista. Præter hæc singulare etiam est experimentum in vulneribus quibuscunque, sive externis sive internis, cùm sit ex celeberrimis vulnerariis. Jam verò, sicut ut plurimum usu venire solet, ut plantæ vulnerariæ, si non omnes, tamen plurimæ urinam cieant; ita hæc valdè commendari solet in cienda urina, & promovendo sabulo, in renum & vesicæ fistulis stabulante: in talibus enim casibus nephriticis usurpatur herniaria non sine fructu, nec sine emolumento insigni.

Externè in aqua decoquitur, & sub forma cataplasmatis loco hernioso imponitur. Conferatur *PAULI in Quadripart. Botan. pag.* 462. ubi habet cataplasmata ex perfoliata, & herniaria, cum paucis aliis, contra hernias puerulorum experta. Fiunt unguenta ex ejus succo, quæ post repositionem omenti, vel intestinorum, rupturam consolidant, & restituunt.

Inter *Præparata* in officinis tantum prostat *Aqua*.

Potest tamen ex eadem quoque præparari *Essentia* cum Rore majali, vel *simplex*, vel cum aliis vulnerariis *composita*, quæ in consolidandis vulneribus egregiæ.

HIERACIUM MAJUS.

HIeraciorum variæ sunt species, quas videbitis in *BAUHINO p.* 64. Ex his nobis quatuor præsto sunt:

1. *Hieracium foliis Taraxaci*, in specie *Hieracium angustifolium majus erectum.*
2. *Hieracium majus sonchites.*
3. *Hieracium intybaceum, folio caulem ambiente*; cum foliis enim cichorii convenit, &c.
4. *Hieracium majus.*

Hieracia aliàs dicuntur, quod accipitres succo hieraciorum delectentur, item, quod affrictu oculorum acies acuetur, unde & *Accipitrina.*

Priores tres plantæ sunt cognatæ, omnesque nitrosæ. In locis enim fertilibus & pinguibus omnes crescunt; unde & vi suâ nitrosa refrigerant, ac vi diuretica pollent. Quia tamen Sonchus vulgaris, & in se Cichorium usibus hisce sufficit, hinc illis facilè carere possumus. Sequitur

HIERACIUM MINUS.

HIeracium minus pilosissimum, seu *Pulmonaria Gallica Tabernæmontani*, Germanis *Coste-kraut*, Pulmonariam Galli ex usu vocarunt: Egregiè enim prodest pulmonibus, detergetque sordes interearum vesiculas hærentes; hinc in hæmoptysi multum illi tribuunt Galli, & ad eam, tanquam ad sacram anchoram, confugiunt; quod etiam non contemnendum, modò debito judicio fiat. Aliàs præter hunc usum alium non agnoscit: non dubito tamen, quin & in aliis affectibus usurpari queat.

HISPIDULA.

HIspidula dicitur *à foliis hispidis*. Planta enim est hirsuta, & nil aliud, quàm *Pilosella minor*, de *qua supra sumus locuti sub nomine Auriculæ muris*, quoniam in officinis sunt una eademque planta. Et ut ut aliqualis sit differentia in forma externa, illa tamen non attenditur in Officinis, sic semper inter sese confunduntur, & recipitur nunc hispidula, nunc auricula muris promiscuè, unde quæ dicta sunt de auricula muris, etiam de pilosella veniunt intelligenda. Vocatur etiam à quibusdam *Gnaphalium.*

Est singularis in pulmonum, aliisque pectoris affectibus, eorum exulceratione, phthisi & empyemate; ubi & consolidatione opus est: habet enim vim vulnerariam, & consolidativam; adeoque in sputo

nimio

nimio & cruento convenienter adhibetur Decoctum ejus vel Syrupus. Cocta etiam, & in pulpamento exhibita infantibus, contra herniam laudari solet.

Paratur ex succo florum florescentium *Syrupus*, contra inflationes hypochondriorum infantum, *wieder das Hertzgespann*, qui etiam in infarctibus pectoris, in specie in tussi, & suppuratis affectibus, cum aliis ad expectorationem adhibetur; incidit enim, abstergit, & resolvit. Commendatur etiam in sputo cruento.

HORDEUM.

Planta est satis nota in Officinis pistoriis, cerevisiariis, culinis & officinis Pharmaceuticis, ex qua usitatum *semen*, & exinde parata *Farina*, de quo videatur AUTOR.

Crudum *Hordeum* extrinsecùs cum sale imponi obtinuit in inflammationibus stomachi & intestinorum, uti etiam in colicis torminibus, haud secus atque auena.

Farina externè est ordinarium ingrediens in tumoribus duris emolliendis, maturandis, & suppurandis.

Inter *Præparata* sunt *tres aquæ*: *Aqua hordei destillata*, *Aqua decoctionis hordei*, & *Ptisana veterum*, quas tamen moderni magis ex avena conficiunt.

Aqua hordei destillata fit ex hordeo madido, & est rari usus. Potius præstat *Decoctum* ad crepaturam hordei; quod est vel *simplex* cum aqua communi & hordeo, vel *compositum*. *Simplex* est usitatissimum in temperando æstu febrili, imprimis si oriatur ex effervescente acrimonia humorum, oborta ex sale volatili pingui oleoso & copioso, quod aliàs vocatur bilis: in tali æstu, propter effervescentiam salis biliosi cum acido, optimè convenit aqua decoctionis hordei pro potu ordinario; quoniam sub coctura blanda quædam temperans & aliquantulum nutriens mucilago, & quasi gelatina, elicitur, quæ ipsa vi suâ temperativâ effervescentias sanguinis, aliorumque humorum acrium nonnihil attemperando confert, unde temperatâ acrimoniâ, etiam sensim deficit calor & æstus. Unde constituit basin Juleporum in febribus ardentibus, aliisque morbis acutis usualium: Sic e. g.

℞. *Decoct. hordei* ℔j.
adde
Succi ribium,
Berber. an. ℥ß.
Syr. acetos. citri ℥ij.
Spiritus Sulphuris, vel *Vitrioli*, vel alius, q. s. pro grata aciditate,

M. sub forma Julebi pro usu in febribus, & in æstu nimio hauriatur.

In febribus ardentibus, ubi sitis est ingens, & ardor totius corporis, pro potu potest talis ordinari Julepus:

℞. *Aquæ Decoct. hordei*, vel *aquæ destillatæ Decoct.* ℔iiß.
Flor. rosar. opt. ℥ß. (propter colorem)

Stent in MB per horas tres: Colentur. Colaturæ addatur
Syr. jujubin. vel *syr. acetos. citri* ℥iij.
& fiat sic Julebus seu Potus.

Fit tamen nonnunquam in quibusdam, ut non possint ferre acida talia; In tali casu nihilominus præscribatur talis Julebus sine acido adjecto, qui ipse eidem scopo satisfacit:

℞. *Aquæ Decoct. hordei* ℥xx.
Cinnam. ℥x. (pro sapore & odore)
Nitri ammoniati ℥j
Syr. violar. simpl. vel *rosar.* ℥iiß. M.

Vel etiam commodè hujusmodi Decocto hordei, quod est basis, admiscentur Tincturæ appropriatæ. In pleuritide fit potus ex decocto hordei, in quo resolvuntur Tincturæ papaveris rhœados seu erratici, & bellidis, item Syrupi papaveris & bellidis, & sic in quam plurimis casibus potest eodem modo usurpari. Item Emulsiones ex hordeo ad crepaturam cocto cum hujus decocto paratæ, in febribus benignis egregiæ sunt.

Decoctum hordei compositum fit cum cornu cervi, radice scorzoneræ, vel cum radice Chinæ, quod apud Dresdenses usitatum. *Decoctum hordei cum cornu cervi* in expellendis variolis & morbillis est egregium. Idem cum radice Chinæ in febribus ardentibus, & cum radice scorzoneræ in petechialibus. Aliquando à Domino D. LUJA sequens præscriptum vidi:

℞. *Decoct. hordei cum C. C.* ℔ß.
Alterant. ℥iij.
Tincturæ flor. violar.
Bellid an. ℥j.
Syr. de canella ℥j.
Juleb. rosar. ℥ß.
M. D. S.
Potus refrigerans.

Hæc omnia decocta usurpantur loco potus in febribus malignis, aut ardentibus communibus, ubi suspicio est malignitatis latentis. In Gallia & Italia loco potus ordinarii bibunt ptisanam in aqua hordei, & impregnant aliquot corticibus citri aromatisatis, & certè valdè conveniens est potus in ejusmodi climatibus & regionibus calidis: vel in malignis, imprimis simplicibus, recipiatur Decoctum hordei cum cornu cervi, vel cum radice scorzoneræ, addantur Tincturæ, dissolvantur in illo Syrupi, imprimis rubi Idæi. Sed observetur ne crebriùs aut copiosiùs usurpetur tale Decoctum, quia propter crudam visciditatem, cruditates stomachi viscidas, indeque flatuosas, generat: ob id consultum est, anisum verbi gratiâ, & coriandrum in decoctione simul addere. Notum enim est, quod propter mucilaginem illam viscosam hordeum per se ad fermentationem pro cerevisia paranda ineptum sit, nisi priùs per germinationis motum visciditates illæ mucilaginosæ nonnihil tollantur.

HORMINUM.

Horminum odoratum Græcorum dicitur quasi ab ὁρμᾶν, quod quævis Hormina ad venerem stimulandam facere credantur; Latinis vocatur *Gallitrichum*. Hoc in specie vocatur *Sclarea major sativa*, Germanis *der grosse oder Garten-Scharlach*, ac præ cæteris est officinalis. Vid. TABERNÆMONTANUS. Herba est admodum elegans, cujus flores, uti & planta ipsa, spirant odorem citraium penetrantissimum, & acutum. Refert formam salviæ, folia saltem sunt majora, saporis est acris, unde etiam vocatur *Salvia Romana*.

Duæ sunt differentiæ:
1. *Flore cæruleo*,
2. *Flore prefectè albo*.

Planta hæc Oenopolis imprimis innotuit, & quidem pro vinis suis adulterandis: Solent namque è floribus hujus sclareæ cum floribus sambuci per infusionem vinum Rhenanum transmutare in moschatellinum.

In *usu Medico* innotuit apud plebeculam, quæ hanc vocavit Germ. *das Mutter-kraut*, quòd decoctum ejus contra affectus uterinos & passiones hystericas, præsentaneum sit remedium. Præterea hujus folia & flores albi sunt medicamen commendatissimum contra fluxum album mulierum, qui affectus aliàs admodum frequens in mulieribus, & curatu difficillimus est, sive decoctum ejus cum roremarino in vase clauso, sive essentia, aut quocunque modo alio usurpetur; unde etiam est principale ingrediens D. Michaelis Essentiæ contra fluorem album.

Semen ejus granulosum inditur oculis, si aliquid extranei fuerit illapsum. Ratio est, quia lympha oculi acrior prolicit è semine hoc tumefacto mucilaginem, quâ id, quod in oculos illapsum fuit, quasi obvolvitur, & dein ejicitur. Aliàs & ex semine hoc communiter mucilago ope liquoris aut aquæ appropriatæ extrahitur, pro vitiis oculorum plurimis proficua; est enim admodum temperata.

Externè non parum conducit in passione hysterica, ipsaque suffocatione, ubi quoad vires nec ipsi quoque Castoreo cedit. Sunt qui extrinsecùs eandem applicare suadent pudendis pro fluxu albo: Imo referunt Practici, & imprimis CORBEJUS *de Morbis Mulierum cap. 3. p. 83.* facit mentionem, quod mulier quædam curaverit alias mulieres fluxu albo laborantes hoc unguento: ℞. *Sclaream*, hanc contrivit, cum *butyro non salito* miscuit, & ita ad tempus putrefieri passa fuerit, postmodum hoc ipsum coxit, transcolavit, & ad usum servavit, quo genitalia mulieris umbilico tenus ad pudenda vsque inuncta fuerunt: Intrinsecùs herbam istam comedendam dedit, & sic omnes istas mulieres certo experimento liberavit.

Observatum quoque fuit, quod tale unguentum omnes post partum dolores, eodem modo inunctum, sedare soleat.

Essentia cum spiritu vini parata est usitata ad passionem hystericam, colicam convulsivam virorum, dolorem post partum, fluxum album: propterea est pars *Essentiæ contra fluxum album D. Michaelis*, uti *superiùs dixi*.

Spiritus Sclareæ cum spiritu vini à summitatibus florescentibus sæpius cohobatus, ut spiritus vini omnes secum rapiat partes aromaticas, cùm in Colica convulsiva virorum, tum in passione hysterica, mediante sudore, potentissimum est remedium, adeò, ut in hoc puncto nec ipsi cedat castoreo: In summa, in his tribus affectibus, 1. suffocatione hysterica, 2. in colica, in qua præstantius remedium vix habebitur, quàm isthæc herba, & 3. in fluxu mulierum albo, Horminum est optimum.

HORMINUM UNCTUOSUM.

Horminum Unctuosum ita dicitur, quod summitates ejus sint unctuosæ: Aliàs in specie dicitur *Colus Jovis*. Malè ab aliis inter Lamia refertur. *Usum* habet nullum in officinis.

HYOSCYAMUS.

Hyoscyamus corrupto nomine Latinis ita dicitur ὑοσκύαμος, seu *Jusquiamus*, idem sonat, quod Latinis *Faba suilla* seu *porcina*; unde Germani vocant *Saubohnen*, ex eo, quod porci ejus usu dementententur, &, si non inebrientur, tamen ad tempus in functionibus suis quasi deliquium patiantur. Est enim inter plantas narcoticas non postrema, sed inter illas præaliis eminet. Testatur experientia, pueros & infantes è seminibus maturis, per errorem comestis, cum vitæ periculo fuisse dementatos. Vocatur aliàs vulgo Germ. *das Bilsenkraut*.

Planta hæc ubivis ferè locorum obvia *duplex* est, vel *sylvestris niger*, vel *albus*. *Niger* est suspectus propter nimiam virulentiam: Ergo meritò

ritò eliminatur ex officinis: Albus verò uſurpatur. Simplex eſt toto genere vi inſigniter narcoticâ ſtupefactivâ, & mentis turbativâ prædit̃um, ut, ne ipſi quidem opio cedat. Unde etiam nimius ejus uſus ſolet vertiginoſos, & ſemi-delirantes, & amentes reddere homines, adeo ut dicatur, ſi paſſeres comedant ſemen hyoſcyami, illos decidere in terram torpidos & ſtupidos tamdiu, usquedum à natura ſuperata fuerit vis ſtupefactiva. Hæc autem vis narcotica conſiſtit in principio ſulphureo: id quod ejus viſciditas pinguis, quæ circa flores reperitur, oſtendit; ſicut omnium narcoticorum vis conſiſtit in parte eorum ſulphurea.

Semen pariter ſicut tota planta, nobis virulentiâ narcoticâ perquam eſt periculoſum, unde ejus quoque uſus internus eſt rariſſimus. Contra hæmoptyſin tamen ſeu ſputum cruentum (uti in genere omnia anodyna ac papaveracea in fluxibus cruentis commendari ſolent) antiquiſſimum experimentum eſt, ex commendatione Plateri, & aliorum. Unde pulvis ſeminis hyoſcyami tanquam baſis, cum bolo, & hæmatite ab *HEURNIO in Aphoriſmos Hippocratis §* 13. *Sect.* 5. & Electuarium de hoyſcyamo ab *HELIDÆO PADUANO* laudatur, quod in Arcanis habuit, & iſtud nulli revelandum putavit: ſcilicet miſcuit ſemen hyoſcyami cum conſerva roſarum, vel violarum, & hanc conſervam, ſub forma boli propinavit internè, & ſic miraculi inſtar ſanguis expuitiones & rejectiones percuravit. Alii hoc *Electuarium* ſimplex *Helidæi Paduani* correxerunt, & illud in hanc formam redegerunt:

℞. *Conſ. roſar. antiquiſſ.* q. ſ.
adde
Sem. papav. albi,
Hyoſcyami an. ℥x.
Aqua ſigillat.
Corall. rubr. præp. an. ℥v.
c. ſ. q. *Syr. portulacæ* ſ. Electuarium.

Et hoc ipſum mirabilia præſtare dicunt: quin & in genere contra quaſcunque hæmorrhægias applicari poteſt; cùm in his ingrediens ſemen hyoſcyami aliis permiſtum remedium planè ſingulare ſit.

Alii ſub forma pulveris propinant:

℞. *Sem. hyoſc.*
Papav. albi an. ʒß.
Coriandr. ʒj.
Pulv. hirund. præp. ℈ß.
Maſtich. gr. jv.
Thuris gr. ij.
Sacchari ʒß.
M. f. Pulvis.

Cujus uſus eſt, ut aſſumatur ʒj duabus horis à cœna ante ſomnum in ſputo ſanguinis à catarrho nimis acri & corroſivo; à lympha nimis acida, exedente vaſcula pulmonum.

Facit hoc ſemen iſtud, non ſaltim vi narcoticâ impetum ſpirituum & ſanguinis ſiſtendo, ſed ſpeciatim acrimoniam iſtam erodentem, in lympha vel ſanguine, ſputi cruenti autorem, temperando, & hinc oſcula vaſorum promptiùs quaſi conglutinando; quod tamen etiam ab opio correcto expectare poſſumus. Cautè verò uſurpandum, quia propter vim ejus ſtupefactivam caput tentat, & facilè dementat, & ſic varia incommoda provocat. Aliàs noxas & virtutes hyoſcyami pluribus deducit *WEDELIUS in Miſcell. A. N. C. Ann.* 3. *p.* 37. *&* *SCHULZIUS Ann.* 4. *Obſ.* 124. *p.* 134. Internus ergo uſus Hyoſcyami cùm minus tutus ſit, parcus & circumſpectus eſſe debet. Externè ob vim ſuam ſtupefactivam, ac impetum ſpirituum elaſticum quaſi ligativam, hincque dolorum ſedativam, in doloribus poſt partum ſi non ſuperat, tamen æquivalet ipſi opio. Speciatim eſt ſingulare anodynum ſcorbuticum, dolores plurimum partium, eosque in ſcorbuto, atrociſſimos compeſcens. Sic quantum in doloribus ſtomachi ſcorbuticis valeat Cataplaſma ex hyoſcyamo, vel Decoctum ejus cum lacte, ſtomacho dolenti, aut calidè abdomini inſtratum, expertus eſt *DRAVVIZIUS von Scharbock*: Sulphure enim ſuo copioſo acrimoniam materiæ ſcorbuticæ, & ſpirituum impetum compeſcit.

Exemplum horrendæ Cardialgiæ, ortæ ex hauſtu improviſo mercurii ſublimati, habet *VALERIOLA l.* 1. *Obſervat.* 7. in quo, præter interna, primum quidem uſurpavit hoc Fomentum extrinſecùs:

℞. *Fol. hyoſc. albi*
Abſinth. Rom. an. M. iß.
Maſtich. ʒiij.
Cryſtall. puriſſ. ʒij.

Quæ omnia coxit in *oleo roſaceo, violaceo, liliaceo* & *anethino* an. q. ſ. cum *Vini rubri* ℔ß. applicavitque ſubinde cum linteis calidis ſtomacho.

Obiter addo: Cryſtallus additur, quæ tamen externè uſurpata nullius eſt efficaciæ, quoniam particulæ craſſæ non poſſunt penetrare ad ſtomachum: Ergo potiùs ab hac in Fomentis abſtinendum. Aliàs cryſtallus interno uſu eſt egregia contra mercurium ſublimatum, quia abſorbet acidum. Deinde appoſuit Cataplaſma fere ſimile, cujus formula fuit hæc:

℞. *Fol. Hioſc. albi*, *Malvæ* } *ſub prunis coctor. & per ſetaceum traiector.* an. ℥iij.
Farinæ hordei, *Lentium*, } *cum Decoct. malvæ ad debitam conſiſtent. coctar.* an. ℥ij.
Mucil. Tragacanth.
Sem. pſilli,
Cydonior. an. ℥j
M. f. Cataplaſma.

Quod egregiè profuit.

Præter vim anodynam ſolet etiam hyoſcyamus adhiberi in tumoribus nimis calidis, ubi eſt nimius dolor & ardor: Ita ſunt, qui recipiunt folia, & contuſa applicant partibus arthritide affectis. In odontalgia commendari ſolet, in ſpecie, ſi à vermiculis, in radicibus vel cavernulis dentium hærentibus, & nervulos dentium & gingivarum corrodentibus, fuerit; ubi non exiguus eſt dolor, non curabilis, niſi extrahantur vermes ex dentibus: In tali caſu optimum eſt experimentum ſuffitus ex foliis hyoſcyami receptus in dentem, ubi hoſpitari ſolent vermiculi; tunc enim neceſſariò egredi coguntur. Vel ex ſemine hyoſcyami albi cum ſucco cepæ vel porri Trochiſci fiant, qui poſtmodum carbonibus impoſiti ſuffitui inſerviant, ut fumus per foramen dentis dolentis hauriatur, qui elicit vermes, & dolorem, ab eorum corroſione oriundum, compeſcit. Imo in quacunque odontalgia radix ejus gingiuis affricta, vel dentibus cavis inſerta certiſſimum eſt remedium. Noxam è contra hujus ſuffitus habet *HAGEDORN Hiſt. Medic. p.* 395.

Fit etiam *unguentum pro dentibus ſine doloribus evellendis* ex *Gummi ammoniaci, ſeminis hyoſcyami albi*, & *ſucci ejusdem* an. ʒjß. His additur *pingvedo ranæ viridis*, & *terebinthinæ ceraque* parum pro conſiſtentia unguenti, quod inunguntur gingivæ, ut facilè dimittant dentes in evulſione.

Applicatur etiam ſemen hyoſcyami cum aliis externè in cephalalgia & agrypnia; v. g. fieri poteſt Emulſio, applicanda fronti & temporibus:

℞. *Nucl. perſic.*
Sem. papav. albi an. ʒiij.
Hyoſc. ʒj.
c. ſ. q. *aqua nymph.* f. Emulſio:
D. S.
Cataplaſma externum fronti applicanda.

In Officinis proſtat *oleum ex ſeminibus* ejus *expreſſum*, quod pro ſcopo anodyno, ſomnumque conciliandi, & dolores dentium, aliosque ſcorbuticos, & cephalalgiam ſcorbuticam ſiſtendi, multum valet, temporibus applicatum: In quibus caſibus non ineptè miſcetur cum Extracto verbenæ, aut unguento populeo, aut oleo Chamomillæ, & nuciſtæ expreſſo, modò non conjuncta ſit inflammatio eryſipelacea; ſolitariè enim uſurpatum ſpiritum inſitum nimis alterat, unde cum aromaticis inſuper miſceatur. Vel etiam ſit talis formula:

℞. *Ungv. Alabaſtr.* ʒj.
Olei expr. nucl. perſic. ℈j.
Sem. hyoſc. gutt. vij.
M. D. S.
Unguentum externum.

Item pro vigiliis:

℞. *Olei nymph.*
Expr. ſem. papav. an. ʒj.
Hyoſcyam. ℈j.
M. D. S.
Oleum externum ad ſomnum.

Conferatur *LUDOVICI Pharmac.* ubi de unguento hyoſcyami agit.

Poteſt etiam parari *Balſamus ſulphuris anodynus* mediante hoc oleo expreſſo, ſi ſulphur pulveriſatum lege artis in eo ebullierit.

Alii & *oleum hyoſcyaminum* ex herba parant *ſucculentum*, quod docet *MOELLENBROCK de Arthritide vaga in Thormatia p.* 628. *&* 671. ſi cum butyro recenti non ſalito frixetur hyoſcyamus, & factâ leni expreſſione fiat *ungventum viride*, cui aliquot guttulæ olei deſtillati baccarum juniperi addi poſſunt, egregium contra quoſcunque dolores & tumores duros ſcirrhoſos, quos ſingulariter reſolvit. *Emplaſtrum* fit ex ſucco foliorum & oleo ſeminis expreſſo, cum cera & terebinthina ſubacto; vel ex hoc ipſo unguento cum cera & oleo proprio expreſſo ad conſiſtentiam emplaſtri redacto; quod extra applicatum pariter ac ſuperiora illita, ſpirituum motum & pathemata plurima doloroſa in partibus externis ſiſtit.

Obſervatum quoque fuit, quod ſuccus hyoſcyami recens expreſſus parti ſæpiùs illitus, faciat, ut pili decidant, & nunquam regenerentur, poſteaque locus ille illitus attactu ſemper frigidus ſit. Problema ſatis eſt curioſum, quodque in demonſtrando calore nativo multum in receſſu habet.

HYPERICUM.

Hypericum ſeu Græco nomine *Androſæmon*, ab ἄνθος gemma ſeu ſummitas, & αἷμα ſanguis, eo quod ſummitates expreſſæ liquorem fundant ſanguinis inſtar rubicundum: Vocatur etiam *Perforata*, quia folia ſoli admota perforata quaſi apparent, Germanis *daſ Iohanneſ-kraut*, à tempore, quo floret, dicta. Dicitur etiam *fuga Dæmonum*, ſiquidem diabolum, veneficia, cæteraque incantamenta, fulmina & tempeſtates, præcavere, imo fugare, & fulmina ac tonitrua pellere, & neſcio quæ miracula, præſtare dicitur; de quibus

bus viribus videatur *AUTOR*, & simul tempus collectionis. Egregium exemplum hujus plantæ, quomodo resistat spectris & dæmoni, affert *SCIPIO MERCURI im Hebammen-Buch*, à D D. *WELSCHIO* vernaculè reddito, de muliere sæpiùs compressa à Diabolo, qui plantâ hâc ab illo receptâ, non ampliùs eam vexare potuit. De ratione hujus rei, & quomodo soleat usurpari in ædibus & corpore, videre possumus *PARACELSUM in Herbario* sub nomine *Iohannes-kraut*, *STARICIUM in seinem Helden-Schatze*, qui tamen cum grano salis legendus, & *JOEL in Praxi*. Sed anilia hæc suis cultoribus relinquimus.

Plures ejus sunt *differentiæ*:

1. *Androsæmon* seu *Hypericon vulgare*.
2. *Hypericon fœtidum* seu *Tragodes*.
3. *Hypericum frutescens Americanum flore albo Parkinsonii*.
4. *Hypericon maximum frutescens*, seu *Herba Siciliana*.

Relinquamus tres species posteriores non usuales, & persistamus in priori Androsæmio vulgari, in officinis usitato. Planta est benedicta, ubivis proveniens, polychresta valdoperè, multi usus & emolumenti in affectibus quam plurimis. *Flores* ejus, & *semina* contrita spirant odorem gratum, & habent saporem terebinthinatum; succum verò fundunt rubeum.

In *usu* verò sunt potissimum *summitates florescentes*, quæ propter analogiam cum terebinthina, & hinc vi balsamicâ salino-alcalinâ oleosâ temperatâ, tàm internè, quàm externè pro usu vulnerario diuretico par sibi remedium non habent, adeo, ut hypericum sit unum ex celeberrimis; sicut & præ aliis vulnerariis resinosius existit, unde quoque internè adhibenrur summitates in Potionibus vulnerariis ac ulcerariis, quæ suaviter quoque & blandè alvum laxare solent. Hinc præter vim istam vulnerariam internè egregium est Hypericum in affectibus renum & vesicæ, & resolvendo sanguine grumoso, imprimis in dysuria, renum & vesicæ ulceribus, sive solum, sive cum Decocto agrimoniæ propinetur, utut Decoctum hoc sit nauseosum. Non enim saltem mictum cruentum, excoriationem & exulcerationem istarum partium tollit, sed speciatim *Timæi Electuarium* ex *conserva violarum* vel *malvæ* vel *rosarum* cum *semine hyperici* paratum, & castaneæ quantitate, bisque in septimana usurpatum, nobile specificum est præservativum in dolore nephritico, de qua vi antinephritica hujus seminis videre etiam potestis *ZACUTUM LUSITANUM l.3 Med Hist.38*. Valde quoque æstimatur in affectibus animalis facultatis deliriosis, qua ratione cum *Anagallide mare flore phœniceo* non ultimæ æstimationis est. Ad hæc lumbricis singulariter resistit hypericum, tàm generandis quàm generatis: cujus rei experientia habetur ex *RIVERIO Cent. 1. Obs. 91. & C. 2. Obs. 16.*

Externus ejus *usus* primarius est Chirurgicus & vulnerarius; in specie verò vulneribus nervosarum partium dicatur, item in contusionibus & ulceribus, præcipuè partium nervosarum, sibi simile non habet. Nullus est Balsamus Vulnerarius, quem non ingredi soleat ordinariè hypericum. Multa egregia de hoc pro usu Chirurgico habet *PARACELSUS in Herbario*, item *HENRICUS ab HEER in suis observationibus*.

Aqua destillata Potionibus contra sanguinem congrumatum, vulnera & ulcera internarum partium quarumcunque, inservit. Præter alias vires, infantibus contra vermes, ne & generentur, & ut geniti enecentur, propinatur, vel sola, vel cum aqua graminis. Sunt qui dicunt, quod hausta, quocunque die hausta fuerit, in die vini potationis reddat illud innoxium, ne scilicet inebriet, aut aliquo modo noxam capiti inferat. Ex summitatibus hyperici florescentibus fit cum Tinctura seu spiritu vini essentia coloris rubicundi, quæ non vulneraria saltem, & quæ sanguinis grumos dissolvit, sed hunc etiam purificat; egregia est in quarumcunque partium internarum læsionibus, exulcerationibus & affectibus nephriticis. Præter has vulnerarias & nephriticas facultates usurpatur quoque in tremore artuum, delirantibus, melancholicis, in specie maniacis, & similibus, adeò ut soleat misceri cum Essentia Anagallidis contra maniam: hinc quoque *Essentia florum hyperici composita cum Anagallide MYNSICHTII in Armament. Chym.* & *ROLFINCII in Chymia in Artis formam redacta*, contra quævis deliria parari solet. *Tincturam simplicem* habet quoque *TENZELIUS in Exegesi in Salam*.

Prostat etiam in officinis *Oleum* per infusionem tantùm florum cum oleo olivarum, quod admodum egregium est in vulnere quocunque, & affectibus nervorum, eorundem contusionibus, luxationibus, ac similibus malis, præsertim, si addatur paululum olei destillati terebinthinæ. Notabilis est *observatio*, quam *FORESTUS* refert *l.9 Observ. 32.* de puero in fronte graviter contuso, qui exinde statim desipiebat, & quicquid in buccam veniebat, evomebat cum cranii fractura, quæ satis est periculosa, & repositione indiget: Hic fuit perfectè curatus solâ inunctione in fronte cum oleo hyperici per infusionem. Post hæc oleum rubicundissimum ejus expressum; valdopere expertum est in vulneribus nervorum.

Fit *Oleum* quoddam *hyperici compositum*, seu *Balsamus*, cum quibusdam aliis ingredientibus, imprimis visco corylino, qui Balsamus valdè commendatur contra veneficia: cui etiam additur momordica. Insigniter prodest contra vermes, & in specie contra dysenteriam. In *FREITAGII Aurora Med. cap. 8.* habemus quædam *olea Vulneraria*, quorum basis ferè solet esse Hypericum.

Ita sunt, qui habent tale Balsamum Vulnerarium excellens:

℞. *Flor. hyperici, dum adhuc sunt in gemmis*, part. j.
Gemm. verbasci part. ß.
Spiritus vini rectif. opt. part. iij.

Stent in Infusione, usque dum tingatur spiritus vini: post expressionem tincto add.

Terebinthinæ, vel etiam *olei infusionis momordicæ*, & mista digerantur per 3. dies & noctes in cucurbitula, eritque egregius *Balsamus Vulnerarius*.

Item elegans *Balsamus* ad vulnera & ulcera inveterata, *ex floribus hyperici* recentibus cum aliis, infuso oleo ex semine expresso, & vino rubro, vid. in *HEINRIC. ab HEER Observ. 10. p. 150.* Quod si oleo ex seminibus hyperici expresso, aut foliis ejusdem oleo infusis, ac per annum in infusione relictis, postmodum addantur flores sulphuris, habebitur per digestionem *Oleum* sive *Balsamus sulphuris vulnerarius* egregius, qui se ipsum satis commendabit. Vel cum cerussa aut saccharo Saturni *Balsamus Traumaticus refrigerans*; vel camphorâ additâ cum terra vitrioli dulci, *Balsamus incarnans*, & sic ex eodem remedia alia polychresta fieri possunt. Aliud elegans *vulnerarium compositum* ex basi hyperici videbitis in *Quadripartito Botanico SIMONIS PAULI Class. 3. p. 350.*

In *FABRI l.4. Myroth. spagyr. cap.21.* videre possumus *Oleum hyperici destillatum*, ejusque eximios & excellentes usus.

Conserva, facta ex semine hyperici cum saccharo, ceu expertissima & non satis laudanda, commendatur ad præservationem calculi.

Denique fit etiam Sal ex planta incinerata, quod specificè convenit, & ceu experimentum singulare laudatur in pleuritide, à ℈j ad ʒß usurpatum.

HYSSOPUS.

Hyssopus, Germanicè *Isop*, quæ sit genuina? Veteres dubitarunt. In Horto Medico nostro habemus *triplicem*: *flore cæruleo*, *purpureo*, & *albo*; quæ omnes usu conveniunt. Planta est aromatica, saporis acris, odoris fortis & gravis, unde vi incidendi, attenuandi, & discuriendi gaudet.

Tota planta est in *usu*, quia flores & folia ad invicem maximè sunt confusa. Floret Julio & Augusto.

Est celeberrima, & quidem ex decantatissimis quoddam Thoracicum & stomachicum; acrimoniâ enim suâ aromaticâ mucum viscidum, tàm ventriculi quàm pulmonum, incidit, simulque deterget, & expectorarionem promovet. Hinc Decoctum vel infusum in vino, vel mulso, vel cerevisia ordinaria in affectibus pectoris, asthmate, tussi chronica, item in empyemate & similibus, cum lignis decoctum, ubi suffiaminatur respiratio propter abundanriam pituitæ crassæ, viscidæ & mucilaginosæ, in bronchiis pulmonum stabulantis, resolvendi & expectorandi gratiâ adhiberi potest, dum medicamenta ex hyssopo præparata amarore penetrante imprimis acidum ex læsa digestione prima attenuant, incidunt, & resolvunt, & excretioni per quascunque vias aptas reddunt: Unde *Syrupos* & *Electuaria pectoralia* ingreditur. Præprimis in cardialgia flatulenta, & ubi ventriculus muco ex pituita vitrea est obsitus, in eo casu infusum in vino frequentis solet esse usus, & hinc dicitur mirabiliter stomachum confortare, & corroborare.

Externè quoque in oculorum suggillationibus, & sanguine sub cornea collecto, sive à causa interna, sive contusionibus, nil conducibilius est, quàm summitates hyssopi recentis vel exsiccati nodulo inclusæ, quæ immersæ aquæ benefervidæ, vel vino calido, & instar fomenti humidi impositæ oculis, quemvis sanguinem grumosum & extravasatum dissolvunt. Verùm usus ejus est continuandus. Hoc ex *GALENI* temporibus jam consignatum habemus, quod dicto modo applicatus hyssopus quasi visibiliter sanguinem congrumatum resolvat; sicut & *RIOLANUS in Tractatu de Affectibus Oculorum p.133.* sibi hoc expertum fuisse narrat.

Syrupus, tam *simplex* quàm *compositus*, singulariter expectorat pituitam vitream, & alias mucilagines in ventriculo, primis viis & pectore stagnantes; Unde conveniunt asthmati & tussi chronicæ. Notetur: ubi expectoratione opus, in Syrupis mel potiùs loco sacchari accipitur; Mel enim egregium per se Expectorans est. Quin & *Aqua hyssopi spirituosa* in stomachi malis est egregia, & absumendo cruditates, hac ratione anorexiam, apepsiam, &c. tollit.

Quidam aquam hyssopi & hyoscyami conjungere solent, externèque applicant ceu expertam in suggillatione: Videatur *SENNERTUS Tom. I. Prax. P.3. Sect. 2. cap. 22.*

JACEA.

JACEA.

Inter Jaceæ varias ſpecies præſto eſt:
1. *Jacea lutea capitulo ſpinoſo*, quæ eſt hortenſis.
2. *Jacea nigra pratenſis folio lanciniato*.

Hæc dicitur *Jacea*, quod poſt florem deciduum pappas ſeu flocculos de ſe ſpargat & jaciat; Unde & Germanis *Flock-Blume* dicitur: *Nigra* verò dicitur ob flores ac folia obſcura.

Eadem, quę de Scabioſa dicentur, etiam de hac Jacea dici poſſunt: nimirum valet contra apoſtemata. Officinas non ingreditur, cùm Scabioſa multum præſtet.

3. *Iacea oleofolio capitulo ſimplici*, ſeu *Ptarmica Auſtriaca*.

Ad Stæbas refertur, unde & ab aliis *Stæbe Salamantica* dicitur: Curioſum eſt, quod vix marceſcere ſoleat.

4. *Iacea tricolor*, quæ eſt violarum ſpecies, & propter coloris elegantiam etiam *Viola tricolor*, item *Viola Trinitatis* dicitur. Et hæc ſunt ejus primaria Synonyma, quibusdam, ſed falsò Germ. *ie langer*, *ie lieber*, & *Freyſamkraut*, quòd à quibusdam, infantibus contra epilepſiam in pulte commendetur. Sed vana hæc eſt perſuaſio.

Nullius aut *rari* eſt *uſus medici*.

Hihilominus Jaceæ quævis quàm proximè accedunt ad genus Scabioſarum, & inter vulneraria non eſt ultimum. Hinc etiam in affectibus pulmonum inſigniter ſolet laudari in aſthmate & ſimilibus. Imò flores & folia uſurpata laxare alvum & leniter purgare dicuntur; unde quidam inter emollientes, alii diureticas referunt plantas: quod an verum ſit? experientia conſulenda. A Practicis rarò præſcribitur.

JACOBÆA.

Iacobæa eſt vel *ſylveſtris* vel *marina* ſeu *cineraria*, ita dicta, quod folia hujus quaſi cinere ſint conſperſa. Germanis vocatur *Iacobskraut*, ratione temporis, quo floret. Hanc colunt horti, illam arva. Uſum verò medicum habent nullum.

JASMINUM.

Aſminum quod habet *AVTOR*, eſt *vulgatius Dodonæi flore albo*, quod in Italia provenit. Dicitur ita vel ab ἴασμα, quod florem medicatum, vel ἴασμη, quod florem violarum, indicat: Latinè dicitur Gelſeminum. Apud nos rarum eſt, raroque præſcribitur.

Proſtat tamen in officinis *Oleum Iaſmini*, paratum ex infuſione florum cum oleo Been, cui poſt impreſſionem flores novi denuò infunduntur, uti dictum ſuperiùs; nam ſi deſtillatur Jaſminum, nunquam tamen elicitur aqua fragrans. Oleum hoc Jeſmini valdè commendatur ad generationem capillorum, quos longiores facit & copioſiores; item pro uſu emolliendi & flatus diſcutiendi, eaſdemque obtinet vires, quas Chamæmelinum, quod & illi pro uſu carminativo præponendum; ſicut pro uſu emolliendi oleum amygdalarum dulcium; quia crebrioris ſunt uſus, nec adeo cara. Unde in officinis Jaſmino carere poſſumus.

Præter hoc in horto noſtro Medico colitur

JASMINUM INDICUM HEDERACEUM CORNUTI,

in plantis ſuis Canadenſibus deſcriptum.

Hoc aliàs etiam dicitur *Gelſeminum Mexicanum Maximum*, quo nomine apud *IOHANNEM BAPTISTAM FERRARIUM in Tract. de Florum Cultura* (qui Tractatus quoad ſtili quidem florem elegantiſſimus, quoad verò realia non adeo magnifaciendus) inſignitur. Planta aliàs eſt rara, & quæ curioſitatis tantùm gratia in hortis colitur.

IMPERATORIA.

Imperatoria vulgò Germ. *Meiſter-Wurtz*, utut falsò, vocatur Oſtrutium. Radix eſt exotica, nec ſponte apud nos provenit; nihilominùs ſat abundè colitur in hortis, & ſat feliciter etiam creſcit. Species eſt Angelicæ, cui odore, ſapore, & omnibus qualitatibus ſimilis eſt, & ferè tam potens quàm Angelica: Ideò etiam, cùm conſpirent in facultatibus radix Angelicæ & Imperatoriæ, illa huic, uti & enulæ, gentianæ, & radici olſnitij in defectu ſubſtituuntur.

Uſitata eſt *Radix*, quæ ſaporis eſt admodum penetrantis & acris, egregiè aromatici; ex alexipharmacis ſudoriferis & febrifugis haud poſtrema; quę adeoque, præter vim carminativam, quam obtinet à ſale volatili acri oleoſo, eſt ſudoriferum, & egregium Alexipharmacum. Videatur *AUTOR*, & omnia, quæ ſuperiùs de Angelica dicta fuerunt, huc commendari poſſunt. Hoc tantùm noto, quod contra febres intermittentes quaſcunque per ſudorem curandas, in cruditatibus ventriculi acidis abſorbendis, pulveriſata Radix ceu expertum ſpecificum commendetur. Aromatica hæc omnia meliùs conducunt, ſi in ſpiritu proprio ſeu ſpiritu vini aſſumuntur, quia vis particularum earundem activarum velut menſtruo hoc nativo optimè elicitur. Ad fœtorem oris, malum non tàm periculoſum quàm moleſtum, corrigendum Imperatoriæ radix comeſta quoque uſurpatur. Quæ habet *AUTOR*, per ſe conſtant.

Sal Imperatoriæ in febribus intermittentibus quibuſcunque curandis ceu catholicum febrifugum exiſtimatur, à ℈j ad ʒß ante paroxyſmum exhibitum.

IRIS NOSTRAS.

Iris Græcis dicitur propter colorum in flore varietatem, Iridis in modum, Germanis *blaue Lilgen*. Planta eſt ſatis cognita, quę dividitur in *Tuberoſam* & *Bulboſam*. De *tuberoſa* jam loquimur, quæ eſt *cærulea*, & in officinis pro uſu cathartico & diuretico aſſervatur. Aliàs quoque *gladiolus* dicitur, ſed minùs rectè; quia hæc eſt alia herba, nempè *Iris lutea*, nullam cum Iride cærulea convenientiam habens, niſi quoad folia: à forma quidem externa ſic dicta conveniunt. Quando ergò de vi purgante gladiolorum ſcribitur, intelligitur *Iris noſtra cærulea*, quæ inter Purgantia non ultimum obtinet locum. Gladiolum verò ſeu Iridem luteam *ſuprà* habuimus, *ubi de Acoro adulterino*.

Radix autem hujus Iridis cæruleæ *colligenda* eſt tempore verno, antequam germinare incipiat; ita enim egregiam vim obtinet purgantem. Uſitatiſſima eſt in hydrope pro evacuandis aquis abdominis, quas copioſiſſimè & ſenſibiliter evacuat, adeò, ut obſervatum fuerit, Hydropicos nulla arte ſanabiles Ireos hujus ſucco fuiſſe curatos. Prætereà vi ſingulari diureticâ renum vim ſopitam fortiter ſimul excitat: in aſcite itaque optimus ejus uſus eſt in infuſo. Errhinum quoque eſt efficaciſſimum. Ordinariè quidem è radice recenti raſa & contuſa exprimitur ſuccus, qui poſteà in vaſe clauſo digerendus & depurandus, ut partes craſſiores ſecedant. Hic ſuccus per reſidentiam depuratus, & ab ℥ß ad ʒvj aut ℥j propinatus, validiſſimè purgat, & pro evacuandis aquis hydropicorum commodiſſimus eſt. Sed propter acrimoniam ſuam, quâ fauces erodit & excoriat, ſolitariè non propinatur, ſed in juſculo pulli, vel aqua fœniculi, vel vino Malvatico, vel alio dulci, vel cum Syrupo violarum exhiberi debet, ut temperetur hoc modo nimia ſucci acrimonia.

♃. ergo *Succi rad. Ireos noſtrat.*
Syr. violar. an. ʒvj ad ℥j.
M.

Propinetur pro uſu hydragogo:

Vel radix recens minutim inciſa ebulliat in juſculo pulli, decoctum leniter expreſſum propinatur ſucceſſivè, donec ſufficienter evacuatus fuerit æger. *FALLOPIUS* quidem hunc ſuccum rejicit, ſed *SENNERTUS* hujus uſum *in Praxi* diverſis obſervationibus confirmat; præſupponit tamen viſcera, & ventriculos optimos. Vis ejus conſiſtit in acrimonia ſtimulante fibras inteſtinorum nerveas excretrices, & vellicando renes, excretionem utramque præſtat. Arbitror ſuccum hunc non ſolummodò evacuationis ratione, ſed etiam ſpeciali vi alterativâ in acrimonia ſuâ fundatâ, Hydropicis proficuum eſſe. Poteſt etiam uſurpari hæc radix, ſi inciſa ad aliquot vncias cum radice helenii, & radice armoraciæ recentis aliiſque infundatur vino, nodulo incluſa, & ita pro ſcopo alterandi & purgandi propinetur.

Quidam deſtillant ſuccum, & *aquæ deſtillatæ* ℥iij dant pro purgante.

Proſtat & *Syrupus*; ſed radix hæc, nec ſuccus, diuturnam fert coctùram, quia vis omnis purgans avolat.

Oleum irinum per infuſionem paratum, in obſtructionibus, aliiſque affectibus narium, præcipuè coryza & gravedine, vel ſolum, vel additis guttulis nonnullis olei deſtillati majoranæ, commendatur inſigniter: promovet enim potenter lymphæ effluxum. In ſcrophulis & ſtrumis curandis efficaciſſimum eſt hoc Oleum & ſuccus, ut ſcilicet eas reſolvat, & ſucceſſivè per alvum ejiciat. Et ſanè hoc in caſu remedium eſt ſpecificum.

Fæcula radicis nullius valoris & pretij eſt.

IRIS ILLYRICA AC FLORENTINA.

Iris Illyrica ſeu *Florentina flore albo*, planta eſt ſatis cognita; quæ aliàs valdopere ſuaveolentem in receſſu aromaticum ſpargit odorem. Dicitur Germ. *Venediſche*, *oder Florentiniſche*, *oder riechende Veilwurtzel*. Optima eſt, quæ creſcit in Dalmatia.

Nihilominus Florentina eſt egregiũ pectorale, & adhibetur in affectibus pectoris, à lympha acriore oriundis, ut Tuſſi ſicca, vel catarrhis tenuibus, tuſſi ſicca & aſthmate, aſperitate faucium, raucedine & ſimilibus, cùm inſignem habeat vim non ſaltem temperandi, & corrigendi non nihil vi aromaticâ acrimonias, ſed & purgandi ſucceſſivè genitas ſordes & mucilaginem plus minus craſſam pulmonum, eorumque bronchiis impactam, indeque pulmonum læſiones reſtituit. Unde Pulverum pectoralium, Rotularum, & Morſulorum, primarium eſt Ingrediens. In aſthmate, tàm in pulvere, quàm in oxymelite decocta, admodum commendatur; e. g. in tuſſi à læſione pectoris:

♃. *Pulv. rad. Ireos Flor.* ʒvj.
Flor. sulphuris ʒj.
Olei destillat. anisi ℈j.
Fœnic. gutt. xij.
Sacch. opt. ʒiij.
M. f. Pulvis in forma *Elæosacchari Pectoralis*,
Dosis est ʒj. bis in die.

In torminibus ventris infantum radix pulverisata à gr. viij. ad xij. pro purgatione leni & vomitorio commendatur.

Extrinsecus usus est primarius inter Cosmetica, vel inter ea, quæ solent delere maculas & sordes cutis; item masticata & in ore detenta, adhiberi solet contra fœtorem oris.

In Officinis prostant *species diaireos simplicis & compositæ*, quæ similiter in pulveribus, rotulis & morsulis pectoralibus solent præscribi. Et denique admiscetur *pulveribus Cypriis*, Germ. *dempuder*, qui inspergentur capillis.

ISATIS.

Isatis vel *Glastum*, Germanis dicitur *Waid*.

Galenus spleni dicatam vult hanc plantam in Decocto. Aliàs etiam tinctoribus in usu est: Ex planta contusa globulos formant, siccant, aut cum hisce cæruleum colorem pannis inducunt. WEDELIUS & CAUX putrefaciendo salia volatilia hujus occasione præparare docent, quę salia volatilia plantarum ZWELFFERUS non credebat. Sine aere putrefacta hæc planta spiritum urinosum; cum aere verò sal volatile simul suggerit materialiter, non formaliter in plantis existens, ex activitate salis alcali volatilis in particulas terreas fixiores & oleosas genitum.

JUGLANS.

Juglans arbor est ubivis nota, imprimis in Sabaudia, ubi integri montes pleni reperiuntur.

Multa Officinalia subministrat; crebri enim usus in Praxi Medica.

Cortex seu putamen nucis juglandis exteriùs viride vi quadam vomitoria dicitur præditam esse: habet saporem adstringentem vitriolicum, unde ex hisce putaminibus viridibus Vitriolum quoddam vegetabile pro extractione tincturæ coralliorum inde paratur hoc modo:

Nempè in autumno *putamina nucum* contunduntur, & conquassantur: quibus affunditur *aqua*, ut modicè ebulliant, hinc exprimatur & filtretur per pannum laneum. Porrò
♃. *Succi* hinc *filtrati* Mens. iij.
adde
Salis commun. M. ij.
& in loco calido evaporetur ad cuticulam, hinc in loco frigido Crystalli perfectè Vitriolicæ virides, *vitriolum Vegetabile* dictæ, generantur, blando calore exsiccandæ. Tandem
♃. *Vitrioli* hujus ℔j.
Boli rubræ ℔ij.
Destillentur gradatim per retortam, & acquiritur acre ac acidum acetum seu spiritus, mediante quo corallia, perlæ, aliaque solvi possunt.

Succus ex his putaminibus viridibus expressus, ac melle inspissatus, dicitur *Rob nucum*, seu *Diacaryon*, quod ipsum meritò commendatur ab HARTMANNO in omnibus faucium affectibus ubi adstrictione opus est, imprimis quidem in inflammatione faucium, uvulæ, tonsillarum & anginæ, ex lympha acriore natis; & in principio morbi frequentissimè solet adhiberi pro sistenda inflammatione in angina. In tali casu sub forma Gargarismatis præscribi solet Rob dictum; v. g.
♃. *Aquæ semperv.*
Prunellæ an. ℥iij.
Rob nucum ℥ß.
Syr. semperv. maj. ℥j.
M. D. S.
Succus ad gulam per aliquot vices.
De hac Mixtura una vice aliquot cochlearia in ore detinentur, & sensim sensimque ad fauces protrudantur, & sic gargarisentur.
Vel
♃. *Aquæ cort. nuc. virid.*
Semperv. maj. an. ℥ij.
Sal. ammon. ʒß.
Rob dianuc. ℥ß.
M. D. S. ut suprà.
Est egregium in laxatione uvulæ & Angina. Optimum est hoc:
♃. *Sedi major. rec.* M. ij.
Cancror. fluviat. No. vj.
Contundantur in mortario lapideo, & exprimatur succus; cui addatur
Rob nucum ℥j.
M. D. S. ut suprà.

Aqua destillata ex his corticibus viridibus valdoperè commendatur ad calculum.

Subsequitur jam *Cortex interior*, qui collectus, dum adhuc succulentus est, & blandè exsiccatus à ʒß. ad ʒj validissimum est Vomitorium, ut dicit AUTOR; sicut etiam PLATERUS Vomitorium ex hoc paravit, junctis radice raphani & sale: Vid. HARTMANNUS *Pr. Chym. p.* 12. aliàs non propinatur. Sunt tamen etiam, qui commendat hunc corticem contra calculum.

Ulteriùs se sistit Cortex intimus nucleum ambiens, qui, uti habet AUTOR, juvat Colicos. PLATERUS solet eundem applicare pulsibus seu carpis manuum in iis, qui laborant febre tertianâ intermittente, Germ. *am Kalten Fieber, in febre frigida*.

Sequuntur *Juli*, Germ. *die bluthen*, *i. e. flores*; sunt enim nihil aliud, quàm flores.

Hi ipsi Juli habent vim vomitoriam, ut ut leniter operentur. Tempore verno in Majo collecti, exsiccati & cœlo sereno pulverisati, ad ʒj commendantur ceu arcanum specificum contra dysenteriam in aqua appropriata. Ulteriùs ad passionem hystericam etiam commendantur in aqua appropriata cum aliquot guttulis olei destillati succini assumpti: Videatur JOEL *in Praxi Med.* & HOFFMANNUS *de Med Officinal. p.* 499.

Ipsæ nuces maturæ per se rarò usurpantur, sive sint recentes, sive exsiccatæ. Recentes habent vim alexipharmacam. Sunt tamen etiam, qui dicunt, illas inducere Cephalalgias: & certum est, quod versantes vel dormientes ad tempus sub juglande, cephalalgiâ affligantur. Aliàs rancidæ comestæ raucedinem & asperitatem faucium excitant, uti notum. Adhæc contra pestem & morbos malignos præservativè & curativè commendantur: hinc & Antidotum Mithridatii Regis ingrediuntur, quo se præservasse dicitur à quocunque veneno; & constat ex aliquot nucibus juglandibus, aliquot foliis rutæ, & aliquot ficubus: videatur SENNERTUS *de Febribus l.* 4. *c.* 5. *p.* 447. adeò, ut ab omnibus semper nucibus juglandibus fuerit adscripta vis contra venena. Sanè non paucæ hinc sunt Compositiones Alexipharmacæ & antipestilentiales, quas simul ingreditur nux juglans, e. g. in Belgio prostat *Aqua prophylactica* contra pestem, & morbos malignos & epidemicè grassantes, cujus ferè primarium ingrediens & basis sunt nuces juglandes immaturæ. Ejus compositio est hæc, quam describit SYLVIUS, *in Praxi*, & BARBETTE *in Pr. l.* 3. *c.* 3. uti etiam in *Tractat. de Peste*.
♃. *Rad. Angelic.*
Zedoar. an. ℥j.
Petasit. ℥ij.
Fol. rutæ ℥jv.
Meliss.
Scabios.
Flor. calend. an. ℥ij.
Nuc. jugl. immat. concis. ℔ij.
Pom. citr. rec. concis. ℔j.
Contundantur omnia simul, deinde affundatur *acetum vini optimum*, ad 3. quartas partes ex arena in cucurbita vitrea per se destillati, ℔. xij.
Digerantur per noctem: deinde destillentur igne cinerum lento ad siccitatem, idque sine ustione, & acetum destillatum hoc usui servetur.

Compositio est elegans, & quæ frequentis est usus, ut dixi, contra pestem & alios morbos malignos & epidemicos. Pertinet huc quoque *Aqua alexiteria* singularis *ex nucibus*: vid. HAMEL *in Affect. Corpor. p.* 440.

Nuces recentes *conditæ*, & morsui canis rabidi impositæ virus extrahere asserit MARCUS MARCI *in Phil. veterum restituta, p.* 436. Nuces immaturæ saccharo condiri solent, vel melle, & cum aromatibus impregnantur, quæ tanquam singulare analepticum pro corroboratione capitis & stomachi, etiam membris ad venerem torpidis erigendis, laudantur; ubi tamen in hoc negotio addita aromata potius, quàm ipsæ nuces, effectum edunt, cùm aliàs conditura juglandis perquam nota sit.

Radices juglandis *succum* dant efficacissimum. Scilicet mense Februario foditur [illegible] ad radices, harum maxima pars perfoditur, unde emanat succus [illegible]erà singularis, qui commendatur in doloribus dentium chronicis; quin & podagram curat, & nephriticos dolores ad miraculum placare dicitur, tam externè illitus, quàm internè haustus, ubi per urinam malum eliminat. Adhæc singulariter convenit in cephalalgia, de quo vid. BARTHOLINUS *Cent.* 3. *Histor.* 97. ubi imprimis de nucibus agit juglandibus, quas ob figuram capiti, & cerebro æmulam, in affectibus capitis convenire, & in Belgio felicem hujus rei factam esse experientiam asserit. Nonnulli hanc aquam tanquam secretam habent in plurimis morbis, præsertim chronicis. Eodem quoque modo *succus tiliaceus* quibusdam colligitur, quem contra epilepsiam maximè commendant; Videatur TILEMANNUS *in Materia Medica*.

JUJU-

JUJUBÆ.

IUjubæ ſeu Zizipbæ, Germ. *rothe Bruſt-Beere*, creſcunt in Italia. Succo dulci & blando conſtant, adeoque inter temperata remedia referuntur; & in temperanda acrimonia humorum quacunque admodum conducunt, imprimis leniunt aſperitudines, acredinem & ſalſedinem lymphæ, & propterea in affectibus pectoris, pleuritidis, tuſſi, aſperitate faucium, raucedine, & ſimilibus morbis, egregium ſunt remedium, & nulli comparandum. Poſt faucium affectus ex lympha acri ortos, in affectibus renum, item urinariis, ut in ſtranguria, dyſuria &c. ex nimia urinæ acrimonia, & exinde inducta corroſione renum, & variarum ſeu fiſtularum urinariarum, temperanda, ſuas quoque virtutes inſigniter exerit. Ob dictos ergò uſus potiſſimùm adhibentur ſub forma decoctionis pectoralis & nephriticæ, vel his ipſis pro tali ſcopo admiſcetur Syrupus Jujubinus, qui ſemper in officinis proſtare ſolet, & in tuſſi ſicca, quæ in principio pleuritidis & variolarum affligit, commendatus eſt.

JUNCUS CYPEROIDES.

IUncus Cyperoides floridus major, ſeu *Cyperus floridus maximus* ita dicitur, quod ambæ plantæ, nimirum Juncus & Cyperus, in hac planta propter florem ſpecioſum conſpirare videantur. Cyperus enim dicitur ratione foliorum, qui ſunt trifida; Juncus verò, quia interior ejus facies habet poroſitatem.

Planta aliàs eſt ſpecioſa, ac quæ præter odoris ac floris gratiam nullum alium habet uſum.

JUNIPERUS.

IUniperus frutex eſt ſatis cognitus nobis, Italis verò non, quamobrem nobis quoque indignantur; & quoniam inſignis uſus eſt in officinis, meretur ſanè, ut integer Tractatus de ea ſcriberetur: id quod & MICHAEL BABST fecit, qui *librum in quarto* ſcripſit *de Junipero*, quem intitulavit *Juniperetum*, & *Conradus Conradi*, qui integrum *caput de Junipero Medullæ ſuæ deſtillatoriæ p. 270.* inſeruit: multos brevitatis ſtudium tacere jubet.

Inter partes autem Officinales, I. ſe offerunt *Baccæ*, quæ quotannis bis matureſcunt, vere ſcilicet & autumno, craſinque totius concreti obtinent. Scatent ſale volatili oleoſo aromatico ſingulari, & ſunt quaſi *Aroma Germanorum*, inſigniter diureticæ, æquè ac ſudoriferæ & nephriticæ, proſunt in affectibus ventriculi, inteſtinorum flatulentiis quibuſcunque ex viſcido acido natis, & uterinis. Non mirum ergò, ſi in affectibus catarrhalibus & chronicis, quæ ſenes in ſpecie affligunt, & plerumque in ſtomacho & primis viis hærent, tam egregiè conducant, lympham vitioſam corrigendo, abundantem per renes evacuando. Primam ſtomachi digeſtionem mirè adjuvant. Imprimis etiam in affectibus menſium laudantur. Aliàs & in hydropis cura baccæ ſunt optimæ. Valdoperè etiam commendantur in affectibus capitis & oculorum; item admiſcentur quoque commodè Potionibus Vulnerariis in vulneribus & ulceribus partium internarum. *TENZELIUS in Medic. Diaſtat. p. 169.* commendat contra lepram. Suffitus baccarum prodeſt iis, qui laborant catarrhis, ſi miſceantur cum ſuccino, aut fumus extractus per os, iis qui laborant phthiſi, ſeu ulcere [illegible]monum. Suffitus hic ex baccis & ligno omnes dicitur inficere [illegible]icas, ſed hoc eſt ludicrum. Fit tandem egregium remedium in ambuſtis, recipiendo baccas Juniperi recentes, quæ cum butyro non ſalito leniter frixentur, exprimantur, & ſic non inelegans ad ambuſta remedium habetur.

Inter *Præparata* ex baccis ſeſe offert aqua, quę colicis & nephriticis eſt ſingularis & multi uſus, urinam ciendo, vias urinarias abſtergendo, moderatè eaſdem ſtimulando, & imprimis diſpoſitionem calculoſam renum in fermento vitioſo ſitam, ratione cujus etiam ex quibuſdam eduliis calculus ſemper regeneratur, corrigendo, tam præſervativè quàm curativè, ſi jejuno ſtomacho potetur, ſive ſimplex per veſicam, ſive per Balneum Mariæ deſtillatur. Quod ſi verò baccæ contundantur, & communi methodo fermententur, dant ſpiritum ardentem inſtar ſpiritus vini, ubi &, ſi hic rectè præparetur, ſal volatile ſe ſimul elevat, quod incruſtat alembicum eleganti formâ & facie. Spiritus hic commendatur in affectibus capitis & partium nervoſarum internè & externè, eleganter urinam ciet, & imprimis diſpoſitionem renum calculoſam vi balſamicâ corrigit, & ſic à calculo præſervat.

Rob Juniperi vi balſamicâ præſervat contra calculum ac nephritidem, valdoperè detergit renes & vias urinarias, ſabulum in iis coacervatum & concretum expellit. Aliàs & in affectibus menſtruis quoque convenit. Imprimis autem vis ſudorifera egregia in hoc ſe manifeſtat, quâ de cauſa ab Italis quoque *Germanorum Theriaca* meritò dicitur, ob vim egregiam alexipharmacam & antipeſtilentialem, quam per ſudorem exerit, quoniam non cedit Theriacæ, laborioſæ ſatis compoſitioni. Unde inſervit pro corpore Electuariorum ſtomachicorum & nephriticorum, item antipeſtilentialium, in quibus loco mellis optimè uſurpari poteſt.

Exindè fit *Elixyr Iuniperinum*, cujus deſcriptionem habemus in *AUTORE*, unà cum experientia certa contra calculum & affectus nephriticos, vocari ſolet aliàs Malvaticum Juniperinum, quoniam ferè ſaporem habet vini Malvatici. Nihil aliud eſt, quàm *Eſſentia Juniperi*, eſt Rob, & ſpiritu per fermentationem affuſo & digeſto, conſtans. Elegantiſſimum eſt remedium ſtomachicum, anticatarrhale & antinephriticum. Experientia hoc confirmat, teſte *HORSTIO Obſ. pag. 158.* Poteſt uſurpari in quocunque caſu, aliquot dies ante & poſt novilunium, manè jejuno ſtomacho ſingulis vicibus ad cochlear unum vel alterum, & pręter dictos affectus egregiè prodeſt in ſcorbuto & peſte.

Pari modo & *Malvaticum ſambucinum* parari poteſt ex Rob ſambuci cum ſpiritu proprio, diaphoreticum, & ad eryſipelata.

Præter hoc & *Quinta Eſſentia Juniperi* datur, ex oleo, ſpiritu, & ſale fixo Juniperi; quæ tamen minus firmiter cohærent.

Extractum baccarum Juniperi convenit cum Rob.

Syrupus ſingulariter confert in obſtructionibus viſcerum, imprimis lienis, & hinc etiam in obſtructione menſium, quos ciere ſolet.

Oleum deſtillatum *Juniperi* eſt aromaticum, quod cum aqua & ſpiritu in viribus conſpirat: unde contra affectus nephriticos internè & externè, curativè & præſervativè, uſurpatur; uti etiam ad colicam, morbos malignos & contra peſtem, in quibus cum aliis aſſumtum potenter ſudorem movet. Externè ingredi ſolet *unguenta nervina*, & *antiparalytica*.

Quibuſdam in locis Potum egregium hypochondriacum, *Cereviſiam* nempè *Juniperinam* ſub nomine *Fermentati Juniperini*, parant ex baccis: quando nimirum *cereviſia* fermentat, adduntur *baccæ Juniperi* cum *paſſulis* & *tartaro*, ut ſimul ſubigantur, & mitigetur baccarum acrimonia: Vid. *HOFFMANNI clavis in Schrœderum pag. 492.*

Sal fixum ex baccis calcinatis per aquam aut vinum elixiviatur, quod eſt optimum diureticum in hydrope & affectibus hypochondriacis, quoniam valdè ciet urinam: Videatur *HELMONTIUS, Tract. de Febr. cap. 6. §. 13. p. m. 33.* ubi hujus elegans anatomia reperitur. Imò ſunt, qui dicunt, quod *lixivium* paratum *ex cineribus baccarum & ligni Juniperi*, ſi illo lavetur caput ſingulis ſeptimanis, ita roboret viſum, ut per totam vitam nullum detrimentum quis patiatur in illo: imo arcet pediculos, quorum exercitus ſatis eſt frequens & moleſtus nonnullis. Dicunt etiam, quod color capillorum nunquam mutetur, ut ut longiſſimè quis vivat.

Summatim: ex baccis Juniperi habetur *Aqua*, *Spiritus*, *Oleum* copioſum aromaticum, *Rob*, *Elixyr*, *Extractum*, & *Sal fixum*; quæ omnia in dictis affectibus conveniunt.

II. Sęſiſtit *Frutex* perpetuâ fronde virens, & continuò fructus ferens; quo ipſo virtutem ſingularem balſamicam, ad vitæ conſervationem utilem, ſecum habere prodit. Omnia enim ejuſmodi vegetabilia, quæ perpetuò virent, reſinam aut vim balſamicam in receſſu habent. Reſina hæc ejus oleoſa & balſamica eſt, quæ quasvis aeris negligit injurias, & perpetuam arboris juventutem conſervat; propterea Juniperus ceu arboris cedri ſuccedaneum ad vitam longam habetur *Tackio in ſua Chryſogon. pag. 167.* quæ duæ arbores veteribus unum idemque vegetabile fuerunt. Ex cedro enim *HELMONTIUS in Tractatu de Vita longa, & Arbore Vitæ*, medicamenta ad longam vitam parare commendat. Cùm verò hæc ſit rara apud nos, propterea *TACKIUS*, ut dictum, Juniperum illi ſubſtituit, cùm eundem fortitus ſit effectum ac cedrus. Alii alia cum hoc ipſo ligno tentant. Imprimis videre poſſumus *TENZELIUM in Med. Diaſtat. p. 166.* ubi differit de modo, quo virtutes ſerpentis balſamicæ poſſint traſplantari in Juniperum. Et certè, lignum Juniperinum tantarum non immeritò cenſetur virium, ut non cedere dicatur ligno Guajaco, ſaſſafras, ſimilibuſque, ab ultimis Garamantis adductis, unde in potionibus Antivenereis, ſeu in curatione luis Gallicæ optimè poteſt ſubſtitui ligno ſaſſafras, Guajaco, ac Radici Sarſæparillæ, pro ſcopo diuretico ac ſudorifero, & acidi viſcidi, lymphæque vitiatæ correctivo ſeu catarrhali; cùm & exinde decocta egregia ſudorifera, æquè ac diuretica, parentur: ut taceam ſarmenta lupuli. Aliàs raſura ligni juniperi in interno & externo uſu confert in affectibus nervorum, quod eſt elegans ſudoriferum. Suffitus ejus uſitatus eſt in corrigendo aere peſtilentiali, veneno infecto, & commendatur contra veneficia & incantationes.

Oleum ex ligno rectificatum potentiſſimum eſt ſudoriferum, ſimulque diureticum, multis morbis egregium remedium.

Turiones ſeu *ſummitates juniperi* laxant eodem modo, atque iſtæ ex ſambuco.

Datur etiam *Gummi Juniperinum*, quod aliàs vocatur *Sandaracha*. Cæterùm obſervetur, quod etiam *Arſenicum* vocetur *Sandaracha*, ſed cum additamento, *Græcorum*; juniperinum verò contra vocatur *Sandaracha Arabum*, quod probè notandum, ne fiat confuſio in Praxi. Raròtamen eſt in uſu, & uſurpatur tantùm pro ſuffitu in affectibus capitis catarrhalibus.

Dicit *AUTOR*, quod inſerviat *Aqua ophthalmica*. Paratur autem exinde hoc modo:

℞. *Spongias* seu *fungos juniperi recentes* exiles, mense Majo, quo tempore sunt molles instar pultis, contunde, & in cucurbita bene clausa expone radiis solaribus, & sic resolvuntur spongiæ seu fungi in liquorem seu aquam, quæ colatur per linteum, aut filtretur per chartam emporeticam, & postea pro ulteriore depuratione acervo formicarum imponatur.

Liquor hic, ubi opus est, ceu catholicum remedium in quibuscunque affectibus admodum est proficuus. Conferatur CONRADUS CONRADI *in Med. Destillat. P.* 1.

L.

LACTUCA.

LActucæ ita dicuntur, quoniam nutricibus lac præbent. Est planta non ignota, planè congener Cichoraceis; hinc iisdem facultatibus convenit, abstergit, refrigerat, magisque temperata est, adeoque magis alimentosa.

Ex hac *Folia* & *Semen* sunt in usu.

Folia rarò usurpantur, ut ut referantur inter Refrigerantia, de quibus *superiùs* sum locutus, quod constent sale blando nitroso volatili, copiosâ aquâ diluta; cujus ratione omnia olera refrigerant. Quidam recipiunt, & ebullire sinunt in jusculo Gallinæ, & hoc propinant contra vigilias, aperiunt, & urinam cient.

Aliàs solent præscribi *externè* in pediluviis contra Agrypniam & vigilias. Quæ habet Autor, per se constant.

Semen ejus, ut & ipsa planta, pro augendo lacte commendatur admodum; à quibusdam pro absumendo semine. Sed, quia hæc duo sunt contraria, & non conciliari possunt, meritò de hoc effectu dubitatur. Interim & lac & semen imminuere solet, quando nimirum in nimia copia affluit, temperando illam, quod tamen non sola, sed cum vitice facit. Unde Emulsio ex semine commendari solet contra gonorrhœam, item contra libidinosa somnia, & nimias pollutiones nocturnas.

Externè usurpatum somnum conciliat.

LACTUCA SYLVESTRIS.

LActuca sylvestris dicitur etiam *Costa spinosa*, quod costa seu nervus medius, item ambitus foliorum, sit spinis præditus. Proximè ad *sonchorum naturam* accedit, sicut quivis sonchi, intybi, Lactucæ &c. plantæ sunt congeneres. Pertinet quoque ad Lactucas propter lac, quod folia ejus plorant.

Culinis magis, quàm Officinis, est nota.

LACHRYMA CHRISTI.

LAchrima Christi seu *Jobi* reverà ad arundines pertinet; unde rectiùs *Milium solis arundinaceum* appellari meretur, quippè quæ genuina ejus videtur esse denominatio. Planta est curiosa, sed quæ difficulter apud nos crescit.

LAGOPUS.

LAgopus herba est ubique crescens, sed nullius, aut rarissimi est usus in Officinis; & vix memini, me legisse illum præscriptum apud Practicum, nisi quod interdum à quibusdam, ubi opus est adstrictione, soleat commendari. Aliàs, ut dixi, nullius est usus, nisi, ubi est adstringendum.

LAPATHUM.

LApathorum seu *Rumicum* plures sunt species, de quibus *videatur Muntingius* in Herba Britannica. Hic intelligimus *Lapathum folio acuto plano*, seu *angustifolium Bauhini*, seu *Oxylapathum sylvestre*; Germanis *Mengelwurtz, oder Grundwurtz* speciatim dicitur, propter specialem usum in scabiosis, & crustosis, aliisque cutis affectibus, qualis est scabies, pustulæ, pruritus, & ita ulteriorem progressum inhibendo, in quibus εὐπόριστον est non contemnendum, tàm internè quàm externè usurpatum. Saporis est quodammodo acris, & usurpatur Decoctum ejus internè pro purificanda massa saguinea in affectibus cutaneis, contagio ejusmodi ulcusculorum affectâ. Vid. LUDOVIC. *in Pharmac.*; in quibus & similibus affectibus solet etiam adhiberi fumaria: cui tamen & omnibus simplicibus ferè præfertur; mirè namque sanguinem purificat.

Externè succus radicis Lapathi, vel Infusum usitatum est in scabie, lentigine, & aliis similibus cutaneis affectibus, dum vel loco lavamenti, vel fomenti, vel unguenti applicatur pro purificanda cute. In serpiginibus quoque seu herpetibus, Germ. *den Schwinden*, feliciter prodest, si subigatur radix, & misceatur cum aceto in formam linimenti. Decoctum hujus radicis in aqua simplici, addito stercore gallinaceo, in scabie contumacissima & ferina pro lotione partis affectæ commendatur à SIMONE PAULI *in Quadripart. Botan. Class.* 3. *p.* 361. ubi loco testimonii habet historiam cujusdam, cujus integrum brachium serpigo invaserat, qui liberatus hoc Decocto, quo lota pars affecta, ejusque magma residuum instar cataplasmatis impositum fuit. Loco stercoris gallinacei sufficit quoque stercus ovillum. Vidi aliquando, quod ancilla, cui ex scabie humida pedes ac genua magno œdemate erant tumida, ex applicatione foliorum recentium hujus herbæ circa pedes egregium levamen habuerit, copiosum serum eliciendo, & ita tumorem imminuendo. Sunt etiam, qui valdè commendant Lapathum acutum contra hæmorrhagias narium præprimis. Amuletum ex Lapatho contra pestem ex literis BENEDICTI HINCKELMANNI, *Archiatri Elect. Saxoniæ* JOHANNIS GEORGII. II. ad ejus *Serenissimam Conjugem* datis, fuit sequens: Radix Lapathi majoris spatulâ ferreâ effossa, ita ne tangatur (in nomine SS. Trinitatis) lavatur, & in taleolos dissecatur, postquam in umbra fuit exsiccata, quorum taleolorum tres collo appenduntur. Aliàs, præprimis herba, rari usus est.

Oxylapatho huic majori adjungo

LAPATHUM ACUTUM MINIMUM.

LApathum minimum acutum, Germ. *die kleine Grundwurtz*, in defectu illius majoris commodè substitui potest; Viribus enim conspirat. Officinas autem fugit, & culinas tantùm visitat.

LARIX *seu* LAREX.

LArix, Germ. *der Lerchen-Baum*, arbor est in Germania exotica, frequens in districtu Tyrolensi, & suggerit *Resinam* & *Fungum*.

Resina vocari consuevit *Terebinthina vulgaris*, de *qua suo tempore inter Alterantia secundaria*.

Fungus est Agaricus purgativus, de *quo*, cùm etiam *inferiùs* sit *dicendi locus*, & nihil præter hæc duo Larix subministret, idcirco pergo, & quidem in ordine Alphabetico sequitur

LATHYRUS REPENS TUBEROSUS.

seu Chamæbalanus, Germanis *Erckel*, *Erdfliegen*, item *Erd. Nusse*; Ut &

LATHYRUS LATIFOLIUS vel NARBONENSIS,

seu *Climenum Matthioli*. Alia verò est *Lathyris*, quæ est *species Catapútiæ*, & ad esulas pertinet; sed *Lathyrus* ad leguminosas.

Neutrum horum est in usu.

LAURUS.

LAurus, Germ. *der Lorbeerbaum*, arbor aliàs est satis cognita, dum ex odore & sapore prodit vim aromaticam, adeò, ut sit aroma Europæum, substituendum aromatis Indicis.

Hujus Baccæ sunt in usu, & ratione salis volatilis oleosi quodammodo congeneres sunt baccis juniperi, inferiores tamen; unde solent conjungi cum his in præscriptis formulis.

Egregiæ sunt carminativæ, diureticæ, & uterinæ, imprimis verò decantatæ sunt ob vires anticolicas & uterinas; unde in affectibus flatulentis, & pro corrigendis mensium vitiis commendantur, promovent menses, pellunt fœtum & secundinas. Aliàs quoque pro Diaphoretico adhiberi possunt: v. g. pauperibus in peste, morbis & febribus malignis ℥j. pulveris baccarum in aceto, vel in vino, vel in aqua appropriata detur, atque sudor expectetur; & quidem, si adsit febris ardens, sumitur in aceto, & aqua appropriata; si non ardens, assumitur cum vino; & sic per sudorem curare pestem asserit PEDEMONTANUS. Sunt, qui instituunt δοκιμασίαν pro cognoscenda fœminâ, si habeat tumidum abdomen, an gravida sit vel non: propinant enim haustum vini, infusum per diem & noctem super quatuor vel quinque baccas, & dicunt quod si vomat, sit signum, quod sit gravida; si verò non vomat, illam non esse gravidam perhibent. Quidam dicunt, quod lauri baccæ putrefactę, si destillentur, solo odore hausto sequatur purgatio per alvum.

Externè in vino coctæ, in affectibus nervorum paralyticis, & doloribus post partum accidentibus, egregiæ sunt.

Folia propter vim aromaticam, in sale volatili radicatam, in multis conveniunt cum sæpè laudatis aromaticis; partibus nerveis amica sunt, unde conveniunt in colicis & hystericis affectibus.

Externè adhibentur in emplastris, cataplasmatibus, & fomentis discutientibus, & attenuantibus.

Inter Præparata se offert *Electuarium de baccis*, quod usitatum est in Clysteribus discutientibus flatus ad ℥j.

Deinde *Emplastrum de baccis lauri* extrinsecùs applicatur in torminibus ventriculi ex flatibus, inflatione stomachi, suffocatione uterina, & flatulentia hypochondriorum.

Oleum

Oleum denique *laurinum* tam *expreſſum*, quàm *deſtillatum*, utrumque valdè eſt uſitatum. *Oleum expreſſum* tam *per infuſionem*, quàm *coctionem* paratū, extrinſecùs apprimè convenit in affectibus uteri, & nervorum, præſertim paralyticis, tam ſolitariè, quàm cum aliis unguentis illitum. Ad hæc in ſcabie experimentum eſt triviale rarò fallens, quod videlicet internis diaphoreticis præmiſſis, illi flores ſulphuris aut ſulphur pulveriſatum admiſceatur, & externè corpori ſcabioſo illinitur; cujus tamen tutior uſus eſt, ſi ſimul ſal tartari addatur: contra pediculos quoque & furfures capitis Germ. *die Schupffen* adhibetur, nec non maculas faciei *die Finnen*, contra quas D. D. ANDREAS KLAUNIG *in Mauuſcripto* ſequens habet Unguentum:

℞. *Olei expr. laurin.* ℥j.
Vngu. roſati ℥ß.
Mercurij dulc. ʒß.
Oleum tartari p. d. gutt. iij. M.

Oleum baccarum lauri deſtillatum convenit imprimis internè contra flatus & affectus flatulentos; contra colicam & paſſionem hyſtericam, item in doloribus poſt partum: *externè* in affectibus nervoſis, in ſpecie verò in paralyſi, ſpaſmo flatulento, membris affectis illitum convenientiſſimum eſt: pubi quoque & pectini muliebri illinitur contra paſſiones hyſtericas, dolores poſt partum, & varia uteri mala, contra menſium ſuppreſſionem, & difficultatem, & imprimis contra ſterilitatem; ſicut & gutt. vj vel viij clyſteribus carminativis adduntur.

LENS PALUSTRIS.

LEntes ſunt *duplices: paluſtres* & *ſativæ*. *Paluſtres* Germ. *dir Meer-Linſen*, quid ſint? omnibus eſt notum, & rariſſimi vel nullius uſus ſunt, niſi quod ſoleant applicari plantis pedum pro temperando æſtu febrili. *Sativarum* autem decoctum laudatur à quibusdam contra variolas & morbillos, ubi expulſione opus. Sed mera vanitas eſt, demonſtrante id ipſum SEBIZIO *p.* 198. *in Tract. de Facultate Alimentorum*.

LENTISCUS.

LEntiſcus reſinam notiſſimam, quæ *Maſti* vocatur, præbet; de quo *ſuo loco inter alterantia ſecundaria*. *fol. 141.* [illegible handwriting]

De *ligno lentiſcino* verò hoc noto, quod, licet rarò inveniatur, nihilominus Decoctum ejus nonnullis, in ſpecie Italis tanquam ſingulare remedium in Diarrhœa arrideat, in ſpecie illa, quam hepaticam ſeu fluxum alvi hepaticum, affectum difficillimum curatu, vocant, qui ſæpiſſimè inducit Cachexias. Loco hujus ligni Lentiſcini quidam, cum ſit rarum & carum, decoquunt & infundunt in vino lignum cotoneum, & ejusdem efficaciæ dicunt decoctum illius in uteri fluxibus, hæmorrhagiis uteri nimiis; uti etiam in ſputo ſanguinis valdè laudatur.

LEVISTICUM.

LEviſticum in officinis male cum Liguſtico ſeu Laſerpitio Germanico confunditur: Germanis dicitur *Liebeſtockel*, à ſubdulci & ſuaviter aromatico odore & ſapore. Planta eſt umbellifera, abundat ſale volatili oleoſo penetrante, unde inter plantas noſtrates aromaticas tantùm non primatum obtinet; odore enim perquam forti & diffuſibili gaudet. Ad Angelicæ naturam proximè accedit, utut Leviſticum quaſi ſit oleoſum minus acre.

Radix ſapore tenui aromatico, longo tempore guſtum & olfactum afficiente, aromaticam vim oſtendit, & præter vires, quæ ipſi tribuuntur, alexipharmacas ſingulari vi gaudet carminativâ ac flatuum diſcuſſivâ, uterinâ &c. hinc in inflatione uteri ex aere frigidiore, aliisque affectibus flatulentis, doloribus poſt partum lochiis ſiſtendis adhibetur, quo ipſam Zedoariam antecedit. Et quoniam eſt virtutum aromaticarum, quodcunque acidum in corpore blandè tempetat & corrigit, flatusque ab acido oriundos diſcutit. Eſt ſtomachicum egregium, & in morbis uteri, qui tam menſes, quàm partum concernunt, eſt uſitatiſſima planta; unde & in menſibus provocandis, in ſuffocatione hyſterica ſopienda, & partu difficili, magnoperè commendatur. Sunt, qui inter Alexipharmaca referunt, jubentque radicem in aceto macerare, & maſticare contra aerem infectum. Solent etiam per talem caulem potum haurire in anginoſis faucium affectibus, in quibus ſingularis inſtar experimenti laudatur.

Externè in affectibus flatulentis abdominis cum Zedoaria Clyſmata anticolica ingreditur; ſicut & ſola radix in vino macerata aut contuſa, & nodulis vino immiſſa, applicatur naribus contra paſſionem hyſtericam.

Semen carminans eſt, & uſitatiſſimum mulieribus in doloribus ventris, ſive ipſæ adhuc fuerint gravidæ, ſive in torminibus poſt partum. Videre poſſumus FORESTUM *l.* 28. *Obſ.* 32. *in Scholio*, ubi ad longum decantat virtutes uterinas leviſtici tam ſeminis, quàm plantæ. Aliàs ſemen intro aſſumtum, vel ſolitarium, vel cum aliis medicamentis miſtum, urinam nigro colore tingere dicunt; cujus rei fides ſit penes experientiam: Interim obſervetur hoc in Praxi, ne poſt ejus uſum pro infauſto habeatur ſigno talis urina nigra, abſque hoc ſatis horrenda.

Folia Leviſtici ſingulariter proſunt in affectibus uteri, & promovendis menſibus ſuppreſſis. Exemplum hujus rei luculentum ſubminiſtrat GABELCHOVERUS *C.* 1. *Cur.* 81. *in Annotat.* de quadam muliere, quæ ex terrore ab nuncium de filio interfecto ſuppreſſos menſes revocavit in fluxum comeſtione paucorum foliorum Leviſtici, quæ ſimul retulit, ſe potuiſſe eosdem ſuppreſſos, quandocunque voluerit, provocare.

Extractum Leviſtici cum ſpiritu vini paratum eſt egregium medicamentum in ſuffocatione hyſterica & partu difficili.

LIBANOTIS.

LIbanotis latifolia eſt vel *alba major*, *ſeſeli Æthiopicum Cluſii* aliàs dicta, vel *vulgatior* ab odore ſic dicta; Germanicè *Hirſchvvurtz*; unde etiam *Cervicaria major* dicitur: Vel *vulgatior* ab odore ſic dicta, quod quaſi odorem thuris de monte Libano ſpiret. *Prior* planta eſt rara, tantumque in hortis colitur; in officinis enim nullum adhuc habet uſum. *Poſterior* dicitur in ſpecie *Cervicaria*, & à *Libanotide alba majore latifolia* ſeu *ſeſeli Æthiopico Cluſii* parum differt.

Uſum præterea habet nullum.

LICHEN.

INtelligitur hic *Lichen petræus* ſeu *Hepatica ſaxatilis* ſeu *fontana*, parva plantula; cumque ſit rara, ſubſtituitur illi commodè *arboreus*, ſi non haberi poteſt *Saxatilis* ſeu *Petræus*. Vocatur etiam *Pulmonaria*.

A plurimis quidem commendata herba eſt pro infuſo & Decocto ad morbos chronicos, nullius tamen, vel exilis effectus, unde rariſſimi uſus eſt. *Arboreus* itidem *rari* eſt *uſus*; nihilominus ſunt, qui illum commendant in affectibus pulmonum, & propterea pulmonariam dici volunt. Alii laudant in affectibus hepatis, in hydatidibus, ſeu vaſculis lymphaticis obſtructis, quoniam ejus puſtulæ ex ſignatura referunt taliſmodi hydatides. Fides ſit penes experientiam. Lichen ſiccatus extrinſecùs expertus eſt, laudatus ſatis & cognitus pro compeſcenda hæmorrhagia vulnerum.

LIGUSTRUM.

PLanta eſt cognita ſatis, *flore albo*, creſcit ſponte in dumetis & locis cultis, odoris eſt non inelegantis.

In uſu ſunt *Folia* & *Flores*.

Et quidem in genere tota planta, folia, & flores ſunt ex numero Vulnerariorum & adſtringentium, potenter adſtringunt fibras laxas, & partium uſum conſervant. Internè vix, aut rariſſimè in uſu eſt; externè verò ſingulariter commendatur in affectibus faucium, imprimis ex comeſtione cauſticorum contractis. *Folia* ejus ſunt frequentiſſimi uſus in exulceratione oris, inflammatione & excoriatione faucium & uvulæ, uti contra ejus laxationem & procidentiam; item contra laxationem gingivarum ſcorbuticam, in quibus caſibus ſanè valdè convenit: etiam in aphthis exulceratis faucium, & ulceribus gingivarum ſub gargariſmatum forma. Sic in laxitate gingivarum, præſertim ſcorbutica, Decoctum foliorum & florum cum aqua ferrariorum in ore detentum cum tantillo aluminis, admodum juvat, FORESTUS *l.* 14. *Obſervat.* 21. valdè commendat Decoctum foliorum liguſtri pro collutione oris, & gargariſmate: ſi ſint depaſcentes, & exulceratæ, miſcet cum melle, & pro inunctione adhibet non ſine egregio ſucceſſu. PLATERUS idem Decoctum commendat pro Gargariſmate ad excoriationem faucium: ſi ſimul addantur folia ſcabioſæ, res erit eò melior, ubi adeſt ſolutio continui, & conſolidatione opus eſt: item, ſi addatur Rob nucum, vel Tinctura bellidis & roſarum pro aciditate ſubtili, erit convenientius.

Succus Liguſtri in ulceribus faucium ſcorbuticis cum melle illitus, haud parum conducit.

Aqua florum Liguſtri contra ſiccitatem, fiſſuram ac duritiem linguæ, exulcerationemque oris & faucium, valdè convenit. Experientiam hujus rei habet GABELCHOVERUS *C.* 5. *Cur.* 7. Formula eſt talis:

℞. *Aquæ flor. liguſtri*,
Roſar.
Plantag. an. ℥ij.
Rob diamor. ℥j.

Miſce, pro curanda ſiccitate, fiſſuris & duritie linguæ.

In Annotatione ſupra citatum locum habet elegantem hiſtoriam exulcerationis, inflammationis & excoriationis faucium, factæ ex eſu eſulæ pro alvo movenda, curatæ per aquam liguſtri in ore detentam, quæ calorem lenivit. Ita memini, aliquando puerum inunxiſſe membrum genitale ſucco eſulæ, ut tumeſceret & augeretur, & exinde incidiſſe in inflammationem; qui benè potuiſſet curari per aquam liguſtri; nihilominus per fotum ſeri lactis, cui

cui incocta fuerunt folia & semen sambuci, cura peracta est: contigit, hoc in Polonia. Ad putredinem gingivarum, malum satis frequens in scorbuto, convenit aqua ligustri, si dissolvatur in illa aliquantulum mellis rosati, & addantur aliquot guttæ spiritus salis & vitrioli, & sic putredo præservatur, & roborantur gingivæ.

Oleum ex floribus ligustri per deliquium laudatur ad scrophulas, & quævis ulcera: vid. *M. A. N. C. Ann. 4. Append pag.* 35.

LILIUM.

Lilium est planta satis cognita & usitata, & quidem inter varias species usitatum est *Lilium album*, quod odore suavi se commendat.

Ex illo I. in usu sunt *Flores*, qui sunt temperatissimi in sua compositione materiali, & mucilaginem aqueam temperatam in se habent; hincque vim egregiè anodynam, dolorum sedativam, & consequenter simul digestivam & maturativam: unde ingredi solent clysmata emollientia, cataplasmata & emplastra maturantia, suppurantia, dolorem sistentia & emollientia.

Hæc de *Floribus*.

Sequitur II. *Radix*, quæ usitatè usurpatur externè, ubi est dolor sistendus, tumor emolliendus, suppurandus & maturandus, cum sit ex primariis emollientibus, maturantibus & suppurantibus; unde est ordinarium ingrediens cataplasmatum. Unde nullum cataplasma vel bubones vel anginam suppurans datur, cui non addatur radix liliorum alborum; sicut & clysmata inde fęces alvi emollientia parantur, ubi opus est.

Denique III. *Antheræ* seu *stamina* ejus *flava* sunt in officinis usitata, quæ pulverisata laudantur pro pellendo fœtu, & accelerando partu, si cum aliis propinetur in aqua verbenæ, vel artemisiæ. Ad menses provocandos, & abortum procurandum adhibentur; etiam ad rejiciendum fœtum mortuum in usu sunt; de qua tamen efficacia valdè adhuc dubitatur.

Quoad *Præparata*, ex floribus liliorum alborum destillatur *Aqua*, quæ est egregiè cosmetica, dum adhibetur ad dealbandam faciem, & detergendas ejusdem maculas, sive sola, sive cum aqua spermatis ranarum, vel florum fabarum, & similibus aliis mista, & in his dissolvitur aliquid olei tartari per deliquium, vel tantillum camphoræ: nam hæc duo valdè commendantur in affectibus cutaneis. Obiter hic noto: quod ubi sunt pustulæ, ibi fit acidum ex vitio vel digestionis, vel insensibilis transpirationis, ut in varis, Germ. *in denen Finnen*, in gutta rosacea, *in dem Kupffer Handel*. In tali casu ergò conveniunt talia, quæ habent in se alcali volatile, ut illæ aquæ & camphora, propter vim penetrantem, cùm tota sit volatilis, detergit sordes collectas, quod etiam verum de oleo tartari per deliquium, & mercurio dulci, qui omni acido caret. In his consistit nervus omnium Cosmeticorum. Dicunt quidem, oriri ejusmodi maculas ex vitio hepatis & bile, sed falsò; tantum est vitium partium subcutanearum, & propterea etiam saltim conveniunt, quæ absorbent acidum, unde alcalia optimè conveniunt in his vitiis. Hęc obiter.

Præter aquam destillatam prostat *oleum simplex* ex infusione foliorum in oleo communi, quod externè egregium anodynum & blandum emolliens & laxans est. Etiam suppurat & maturat abscessus, inflammationes &c. unde in tarda suppuratione tumorum, bubonum vel anginæ cataplasmatis additur pro aliquali consistentia. Idem oleum, cum sit saporis quodamodo aromatici, convenit in affectibus renum & vesicæ, ortis ex acrimonia urinæ. Ita in ischuria & difficultate urinæ, pro laxandis viis & dolore sedando inungitur regioni pubis, in quali casu etiam miscetur cum unguento de Althæa, & iisdem partibus illinitur. In nephriticis doloribus sedandis lumbis illinitur cum oleo scorpionum; hoc enim calculum pellit, illud laxat, & dolores lenit. Quin & vulneribus non adeo magnis instillatum, ea citò, tutò & jucundè conglutinat & consolidat in quibuscunque partibus; item partui difficili confert, qui ex præmaturo aquarum effluxu oritur; hinc & ipsæ mulieres aliquot diebus, ante partum circa pubem & genitalia ea illiniunt pro facilitando partu. Usurpatur etiam in clysteribus, tam alvum emollientibus quàm laxantibus uterum ante partum; sicut & obstetrices solent inungere manus oleo amygdalarum dulcium, & oleo liliorum alborum, quas sic immittunt inunctas in sinum muliebrem, ut ita emolliatur, leniatur, & lubricetur pro partu faciliore.

LILIUM CONVALLIUM.

Lilium convallium, Germ. *Meyen Blumlein*, planta est cognita ubivis & omnibus nota. Tres ejus dantur species; imprimis tamen usitatum est *commune* seu *flore albo*, ex Polygonati minoris genere.

Usitati sunt frequentissimè *Flores*: externè interdum etiam adhibetur *Radix*.

Florum concretum sunt singulare, odoris suavissimi, qui consistit in substantia salina admodum volatili & oleosa, idest, substantia volatili mercuriali, quod genus nervosum fortiter sine sensuum alteratione afficit in ejusmodi defectibus & affectibus; hinc flores inter analeptica spirituosa suavia referuntur. Curiosum est, quod suaves & odoriferæ illarum particulæ nulla arte destillando in oleum redigi possint; sicut etiam flores Jasmini, narcissi, hyacinthi, rosarum, syringæ Italicæ, &c. adeoque ex magno acervo vix ℨj elicitur. Sal enim, quod habent, est magis mercuriale, quàm sulphureum; unde & phlegma per destillationem parum odoris naturalis suaveolentis exhibet; utut fermentando spiritum suggerant. Hinc propter volatilem & penetrantem spirituositatem singulare sunt Analepticum, & in spirituum tam vitalium quàm animalium vigore restaurando & augendo multum valent, atque adeò in affectibus capitis, epilepsia, apoplexia, vertigine, & lipothymia primatum ducunt. Unde etiam omnes spiritus & aquas analepticas, cephalicas, epilepticas, apoplecticas, aliaque medicamenta cephalica ingrediuntur harumque animam quasi constituunt.

Externè flores pulverisati inter errhina & sternutatoria blanda adhibentur, vixque datur pulvis sternutatorius medicatus, cujus non sit basis, vel saltem principalissimum ingrediens. Formula potest esse talis:

℞. *Flor. lilior. convall.*
Fol. majoranæ an. ℨj.
Olei destillat. major. ϑß.
M. f. *Pulvis sternutatorius*.

Quod si debeat esse fortior, possunt addi vel *pulveris hellebori albi* ϑj, vel potest addi *pulveris Euphorbii* gr. j. ad gr. v. vel vj, qui valdoperè eliciunt ex naribus: Quod si ambiatur odoris gratia, potest addi *pulvis radicis Ireos Florentinæ*, vel aliquot grana *Ambræ* & *Moschi*, sicque potest specificari pro lubitu.

Fit quoque Errhinum blandum è radice hujus plantæ pulverisatâ: vid. FUCHSIUS p. m. 240. Radix enim hæc, utut fortior sit flore, satis temperatum remedium pro basi errhinorum habetur.

Quoad *Præparata*, *Flores destillati* dant aquam, quæ ordinarium est vehiculum medicamentorum cephalicorum in syncope, apoplexia, epilepsia, aphonia.

Deinde prostat *spiritus ex floribus bis&ce*, destillatus per frequentem cohobationem vel spiritus vini vel vini generosi per fermentationem; vel denique per se flores rore matutino madidos destillando:

Si per cohobationem: Recipiantur *flores liliorum convallium recentes tempore matutino collecti*, & *rore adhuc ebrii*, qui mox *spiritui vini* immersi, destillentur blando igne in balneo Mariæ: *liquor destillatus* rursus cohobatur, *novis* semper *floribus superfundendo*, idque ter vel quater repetendo: sicque tandem habebitur *spiritus* egregius, qui ad affectus nephriticos, capitis, & alios nervinos, & imprimis ad syncopen, apoplexiam, epilepsiam, & imprimis ad amissam loquelam, maximè conducit.

In secundo modo notandum, quod nisi terminus observetur, in acetum degenerent.

Denique ℞. *flores liliorum convallium bene maturos*, *ante ortum solis*, quando rore Majali adhuc madent, collectos: Est enim in hoc rore vis singularis, tam respectu florum, menstrua, quàm respectu nostrorum spirituum, analeptica. Hi protinus, atque colliguntur, abscindendi sunt à suis pediculis, & immittantur in cucurbitam, bene claudantur, & ita destillentur, qui ita destillatus spiritus iterum novis floribus roridis infundatur & destilletur. Hoc sæpius repeti debet, & habebitur *Aqua spirituosa* perquàm egregia.

Melior & elegantior est *spiritus*, qui fit ex *floribus liliorum convallium fermentatis*: & à floribus recentibus, rore matutino adhuc madidis, crebriùs cohobatur: & convenit in apoplexia, epilepsia, vertigine, paralysi, lipothymia, & syncope, roborat corpus, & spiritus deficientes denuò reficit.

Cum hoc spiritu rore matutino adhuc ebriis affuso, elicitur *Essentia Liliorum convallium* præstantissima, quæ pro scopo analeptico, restaurativo, &c. in dictis affectibus utilis, & potentior est solo spiritu.

Cum eodem Spiritu affuso Ambræ fit *Essentia Ambræ*, corroborativum optimum, & nulli cedens in omnibus aut virium defectibus, aut subitaneis capitis affectibus remedium. Erit quoque egregium venereum, quod specificè armabit impotentes maritos ad bellum venereum. Item hæc Essentia Ambræ convenit in Aphonia, si ejus præprimis aliquot guttæ imponantur linguæ: si cum bombace applicetur auribus, prodest in surditate, tinnitu, & similibus aurium affectibus: specifica est in corroboranda memoria, & firmandis operationibus sensuum internorum: item resistit pavori nocturno, quæ est species convulsionis; & huic non minus medetur, quàm incubo.

Præterea, *sal volatile* ex iis per putrefactionem elegans, & penetrantissimum haberi potest: Vid. WEDELIUS *de sale volat. Veget. pag.* 259. item HOFFMANNUS *in Clave pag.* 497.

Sunt qui etiam singularem vim anodynam substantiæ volatili lilii convallium tribuunt, quò respexisse videtur CNOFFELIUS *in suo Spiritu sedativo*, tàm *simplici* quàm *composito*; quod vid. in M. A. N. C. *Ann.* 6. *pag.* 36.

Prostat

Proftat inter *Præparata Acetum liliorum convallium*, egregium in lipothymia, & fpirituum diffipatione, ex fanguinis nimia effervefcentia contracta, five applicetur naribus, five cum facculis pulfibus. In præfervanda pefte, imprimis, fi fit peftis, in qua læduntur operationes mentis, & facultates capitis.

LIMONIA MALA.

L*Imonium Malum* figurâ, fapore & cæteris qualitatibus externis pomis citri eft fimillimum, quorum etiam virtutes æmulatur, ut dicit *AUTOR*; ficut etiam ipfa Malus fere fimilis Citro eft.

Nihilominus in *ufu medico* adhuc quandam habet præminentiam. *Succus* enim *Limonum* recenter expreffus ad calculum expellendum commendari folet, quod in fecretis fuiffe dicitur D *TIMÆO*, qui Recepit *fuccum limoniorum recentem* ad ℥ij cum *Vini Hifpanici* feu *Malvatici* ℥vj. Quibus pro dofi miftis fabulum, & quicquid ad calculum facit, expulfit.

Ulterius in Ifchuria, gonorrhœa quacunque, & nimio æftu venereo, fuccus limonum adhibetur, quo *AMATUS LUSITANUS* omnes Gonorrhœâ laborantes reftituit; vid. C.6. *Cur.* 71. ubi tractat *de Ifchuria* ex obftructione meatus urinarii à craffis, lentis, & vifcidis humoribus, fi adhibeatur à ℨiij vel ℥j. Unde apud Italos quofdam folet commendari hæc Potiuncula, quam habet *SILVATICUS* C.4. *Obferv.*1. *Confiliorum*, ceu præftantiffimum remedium ad compefcendam Gonorrhœam:

℞. *Aquæ rofar.* ℥iij.
Succi limon. ℥j.
Album. Ovi crudi No. j. M.

Propinavit quarta qualibet die:

Videmus etiam compofitionem aliam à *FABRO Cur.* 18. qui itidem commendat hunc fuccum, ceu expertum. Quod fi tali potioni addatur aut antimonium diaphoreticum, aut fuccinum album, aut os fepiæ præparatum (quæ omnia funt fpecifica) erit eò magis præfentaneum remedium.

Dixi quod conveniat hujufmodi fuccus in Ifchuria, imprimis ex fuccis craffis, obftruentibus meatus urinarios, ad ℥iij vel iv. in aqua dilutus; Unde *RIVERIUS in Obf.*42. *à FORMIO communicata*, commendat hanc Mifturam ceu fpecificam:

℞. *Succi limon.* ℥ij.
Spirit. terebinth. ℨij.
Vini albi ℥iv.
M. & hauriatur.

Alii exhibent in febribus ardentibus.

Syrupi elegantem *compofitionem* habet *FABER l. 6. Myrothecii Spargyrici*, ubi etiam ejufdem effectus copiofiùs declarat.

Denique ex Muria limonum quidam *fal volatile* parare volunt, abftrahendo muriam ad ficcitatem ufque, & in phiola alta blando igne fublimando; ficque dicunt fal volatile adhærere alembico fuperimpofito, quod in cella aquâ florum fabarum diffolutum pro fingulari habent cofmetico. Fides efto penes experientiam. Interim puto, non effe fal volatile, fed potius ammonicale, quod cuique rem intelligenti videbitur verum.

LINARIA.

L*Inariæ* dicuntur illæ, quæ habent plura folia inftar lini angufta, non tamen lactefcunt; aliàs enim ad efulas pertinerent. In Officinis ufurpatur *Linaria luteæ flore majore*. Vocatur etiam *Ofyris* non rarò apud Practicos, quod obfervetur; Germanis *Harnkraut*, *Leinkraut*, & *vvilder Flachs*.

Interno ufui hactenus non, aut rarò, fuit applicata. Interim laudatur 1. contra icterum flavum, quocunque modo adhibita; 2. ad diurefin provocandam; Decoctum enim ejus vino dilutum egregiè urinam pellit: vid. *SENNERTUS Pr. l.*3. *cap. de Afcite.*

Confpirat aliàs hæc planta cum verbafci floribus, quod externè fpecialiffimè in hæmorrhoidibus cæcis tumentibus ac dolentibus, quomodocunque adhibita, admodum proficua obfervetur; nimirum, fi linaria vel flores ejus vel foli vel cum chamomilla in lacte coquantur, locoque fotus applicentur: vel plantas has recentes contundunt, & applicant; fin fuerint ficcæ, facculo includunt, & in lacte coquunt. Omnes certè Practici valdopere commendant hanc Linariam in hæmorrhoidibus cæcis, affectu molefto propter dolorem, & periculofo propter gangrænam & inflammationem; ficut & propriâ experientiâ illuftrat dicta *HOEFERUS in Herc. Medic. pag.*195.

Multum alias tribuitur *Vnguento* vel *Linimento de Linaria* in hæmorrhoidibus dolentibus curandis, fi fcilicet è *linaria recenti*, vel ejufdem *floribus recentibus*, cum *pinguedine porcina*, feu, quod melius, cum *butyro non falito*, in mortario plumbeo vel marmoreo contufis, & cum pauca *camphora* probè animatis, fiat *Cataplafma* aut *Vnguentum*: Vid. *HORTIUS Obf. l.* 4. *Obf.*50. *RIVERIUS*, & *HARTMANNUS in Praxi Chymiatrica c.* 160. qui recipit *herbæ linariæ* m. j. contrivit, & cum *fevo hircino* mifcuit, addendo *vitellum ovi*; applicat: His fi addatur *oleum fcarabæorum* vel *afellorum*, erit eò melius; cùm oleum fcarabæorum per fe à *SOLENANDRO*, & Oleum afellorum per fe à *BORELLO* infigniter foleant commendari. Ufitatiffimum quoque eft in tali affectu *Vnguentum de Linaria compofitum*, de quo *ZVVELFERUS Pharm. Reg. pag.* 279.

Aliàs ferè *nullius* eft *ufus*.

Ratione ordinis Alphabetici pertinet huc

LINARIA AUREA,

feu *Linaria capite aureo foliofo*. Sed malè ita dicitur: utut enim folia ejus cum foliis Linariæ aliquo modo confpirent, charactere tamen Linariarum effentiali carent. Omnes enim *Linariæ florem* habent *cucullatum, non pappefcentem*; *hæc* verò *florem pappefcentem*. Idcircò potius ad *afteris fpecies* vel *Virgas aureas* pertinet, ut reverâ *Virga aurea minor anguftifolia* dici mereatur.

Habetur etiam

LINARIA *feu* OSYRIS PANNONICA

flore cæruleo, quæ in hortis tantum colitur.

Nec prætereunda eft

LINARIA SCOPARIA,

ita dicta, quod inftar fcoparum crefcat. *TABERNÆMONTANUS* eam vocat *Herbam Studiofórum*, utut *BAUHINUS* rationem hujus etymi nefciat. Exiftimat verò, eam exinde ita vocari, quod ftudiofi, folum paternum relinquentes, & ad exteras Academias abeuntes, ex mutata diæta fcabiofi plerumque facti, hac Linaria (quippe quæ detergit) curentur.

Aliàs Officinis eft incognita, & tantùm in hortis colitur.

LINUM.

L*Inum flore cæruleo* fubminiftrat in Officinis *Semen*, ex quo fiunt quædam Remedia.

Et quidem lini femen mucilaginofum eft, cujus ratione convenit in ufu cum femine fœnugræci. Per fe eft emollitivum & maturativum; unde fæpius etiam unà cum femine fœnugræci in cataplafmatis refolventibus, emollientibus & maturantibus mifceri folet & applicari, præcipuè verò Farina ejus; quod intelligendum etiam venit de mucilagine, methodo confuetâ ex femine extracta.

Præ ceteris ufitatum eft *Oleum ex femine expreffum*, quod inquam, plurimis convenit affectibus; internè quidem temperat, relaxat, expectorat, & primariò quidem ceu fingulare fpecificum mirè commendatur contra pleuritidem, fi fcilicet ad aliquot uncias vel folum, vel cum oleo amygdalarum dulcium propinetur. Fit enim, ut hoc modo & compefcatur inflammatio pleuræ, & promoveatur fputum. Mifcent fimul pulverem dentis apri præparatum, quod fpecificum eft contra pleuritidem, non fine fucceffu: v. g.

℞. *Olei lini* ℥iv.
Denti apri fine igne ℨj.
Sacchari parum. M.

Hoc hauriunt ægri, & exinde miram folutionem in pleuritide, partim per alvum, partim per fputum fentiunt, atteftantibus omnibus.

Cæterùm neceffum eft, ut hoc *oleum lini*, quantum poffibile, pro ufu interno fit recens, quod non inelegantis faporis eft, & palatum fvaviter afficit. Aliàs quidem fi eft inveteratum, naufeam concitat, & palato ingratum eft propter rancorem; quo in cafu huic oleum amygdalarum dulcium præferri debet. *GESNERUS* tamen illud *in fuis obfervationibus* & *Epift.* maximè laudat, eoque fæpiffimè fe ufum effe afferit; ficut & pro oleo lini loquentem videmus *GABELCHOVERUM Cent.*4. *Curat.*68. in pleuritide; & *BARTHOLETUS de Refpiratione l.* 5. *cap.* 12. in pleuritide, & peripneumonia, magis periculofo affectu, hoc oleum commendat: Oleum verò amygdalarum dulcium commendat *Thoner. in Praxi p.* 128. *Obf.* uti etiam *PLATER. l.* 2. *Obfervationum p. m.* 493. Videri quoque poteft *SENNERTUS in Scriptis*. Aliàs in affectibus pectoris, in phthifi, tuffi, & fimilibus, tanquam remedium, quod vix habeat par, oleum lini commendatur. Sumitur autem recens expreffum ad ℥ij vel ℥iij cum vehiculo fyrupi fcabiofæ, vel aqua Card. Mariæ: laxat, promovet fputum, & dolorem valdoperè mitigat. Singulares ejus vires & effectus, quos ufu interterno exerit, videbitis in *ZVVELFFERI Animadverfionibus pag.*328. item *M. A. N. C. Ann.* 2 *pag* 398.

Si recens haberi nequeat, illud ad folem depurandum, & ita refervandum eft:

Nempe

℞. *Olei lini*,
Aquæ tepidæ an.

Concutiantur bene invicem, & quantum poffibile, invicem commifceantur: poftea ponantur in fole, relinquendo, & femper quod in fundo eft, feparando, hocque toties, donec oleum lini purificetur. Conf. *M. A. N. C. Ann.* 6. & 7. *pag.*306.

Aliàs singulariter commendatur internè in contumacissimis alvi obstructionibus, adeoque etiam contra volvulum seu passionem iliacam imminentem, in quibus non semel salutarem præstitit effectum: externè in forma clysteris, vel solum ad ℥viij, vel cum oleo raparum expresso ana ℥iv. infusum confert, imprimis in obstructionibus alvi à dolore nephritico ortis. Secretum in dictis affectibus clysma hoc fuit D. *MICHAELIS*, quod illum nunquam reliquit, semper felicem affectum produxit.

Sic refert *RULANDUS in Thesauro pag.* 234. de rustico, cujus alvus ob scybala constipata fuit, adeo, ut abdomen plane durum evaserit, curato per clysterem ex oleo lini ad ℥v. injectum: Usus est oleo lini nunc solo, nunc misto cum trochiscorum alhandal ʒß, & hoc ipso non unâ vice desperatam alvi obstructionem curavit. Omnibus tamen præferendum oleum lini. Tale Clysma pariter in colica applicari potest: Vel

℞. *Olei sem. rapar.*
Lini an. ℥v.
Diacolocynth. Querc. ʒvj.
M. pro *Clysmate*, infundendo tepidè.

Oleum hoc lini per se ex retorta in arenæ igne cautè destillatum, dat oleum omnium subtilissimum, & penetrantissimum; unde dubito, an pro usu Medico adeo necessaria sit præparatio ejus, quam docet *BECKIUS in Med. & Experiment. circa Rerum Natural. Princip. pag.* 57. quia vereor, ne acre nimis futurum sit.

LOTUS.

LOti cùm *variæ* sint *species*, usitata tamen in officinis est *Lotus hortensis odorata* seu *Trifolium odoratum alterum Dodonæi*.

Usum Medicum hactenus habuit nullum, nisi quod ornamenti causâ in hortis colatur, Germanis dicitur *das Sieben-Zeit*, quod septies de die odorem mutare dicatur.

Internè accensentur quodammodo Alexipharmacis, & ingreditur Potiones vulnerarias, in affectibus, ubi est sanguis congrumatus.

Externè usurpatur in Unguentis & Emplastris Vulnerariis. Sed ejus loco Meliloto utimur, cum quo, si suspicari fas est, ejusdem usus esse videtur.

Aqua destillata est inter aquas ophthalmicas, quarum claritati non parum conducit.

Oleum ejus *infusum* est vulnerarium, quod extrinsecùs in contusis & ruptis solet adhiberi utiliter.

LUPULUS.

LUpulus, Germ. *Hoppe*, planta non est ignota propter ejus Decoctum cum hordeo, quod cerevisia dicitur: Anima enim est cerevisiarum, ratione pinguedinis suæ seu olei Amaricantis ab acescentia præservat.

In officinis subministrat *Flores*, quibus in Italia utuntur, & tempore verno prorumpentes *Julos*.

Flores recentes pinguedinem vel resinam aromaticam in se continent, à qua primariò ejus amarities, svavique admodum odore & sapore subamaro & glutinante præditi, adeoque monstrant imprægnatos esse sale volatili oleoso, & convenire cum primis cum virtutibus absinthii, utut in gradu remissiori. Condit hæc ipsa amarities cerevisias, ne tam promptè acescant; unde etiam lupulus in chronicis morbis ad aciditates vitiosas primarum viarum corrigendas, à veteribus præsertim, crebriùs adhibitus fuit. Et hinc ab Italis ad incidendam mucilaginem crassam & viscidam in febribus chronicis intermittentibus adhibentur; item in tumoribus splenis valdè commendantur, urinas movent moderatè, abstergunt renes, ne sabulum sensim sensimque coacervetur, & concrescat in calculum. Macerati vel decocti in sero lactis caprilli commendantur ad purificationem sanguinis, & procurandam fermentationem, quæ separat particulas heterogeneas non miscibiles cum sanguine; unde conveniunt in affectibus cutaneis, ut scabie, serpigine &c. In malo hypochondriaco, scorbuto, melancholia hypochondriaca, aliisque morbis melancholicis & spleneticis, ictero, cachexiis, similibusque morbis chronicis commendantur. Ratione enim salis volatilis acris corrigunt acidum vitiosum, à quo ferè omnes morbi chronici oriuntur. Cum verò à nobis tantum non quotidiè potu ordinario assumantur, factum est, ut eorum usus Medicus ferè eviluerit. Notabile interim, lupulum suggerere multum tartari lutosi, teste *SALA in Tartarologia p.* 140. & tamen nec cerevisia, nec hujus acetum, tartari quicquam suggerunt.

Julos quod attinet, illos semper recentes comedere debent sub forma acetariorum, qui à scabie securi esse volunt. Fermentatione enim blandâ depurgant massam sanguineam, & hinc alvum paulo leniùs cient; unde præservativum sunt à subsequentibus morbis.

In quibusdam de cetero Officinis prostat *Syrupus Lupuli*, qui usurpatur, ubi opus est depuratione massæ sanguineæ, v. g. in morbis chronicis. Interim succus turionum lupuli, & fumariæ huic scopo satisfecerunt egregiè.

LUTEOLA.

LUteola *salicis folio*, in specie *Catanance*, communiter *Reseda Plinii*, sed malè dicta, Germ. *Streich-Kraut*; ad Erucas potiùs accedit.

Usum Medicum non habet, præter mechanicum. Tinctores enim illâ utuntur, quâ mediante lintea bombycina alba flavo tingunt colore. In hortis tantum colitur.

LYCHNIS.

LYchnis vocatur ob flores lucidos & luculentos, i. e. elegantes. Variæ hujus sunt differentiæ:

1. *Lychnis coronaria flore rubro*, { *simplici*, *pleno*.
albo,
variegato.

Germanis vocatur *Morgen oder Sammet-roslein*.

Porro præsto est.

2. *Lychnis Chalcedonica flore miniato pleno*, & *simplici*, aliàs *Flos Constantinopolitanus dicta*. Coluntur hæ *Lichnides* elegantiæ tantùm gratiâ in hortis.

In Officinis autem *nullius*, aut parvi sunt *usus*.

3. *Lychnis arvensis*: Vid. *Nigellastrum*.

4. *Lychnis Marina Anglica repens, flore* { *purpureo*, *albo pleno*, seu, uti in specie dicitur, *Ocymastrum flore pleno*.

Officinis sunt incognita.

5. *Lychnis Viscosa latifolia lævis flore rubro*, & *albo*; quibusdam etiam *Muscipula alba* & *rubra* dicuntur, quod glutine circa genicula muscas inviscet. *TABERNÆMONTANO Viscago*; *Centaureum minus viscosum purpuerum* quibusdam, sed malè, vocatur.

Datur præterea in Horto Medico nostro

6. *Lychnis Viscosa angustifolia flore rubro pleno*.

Usus harum in officinis est nullus. Curiositatis gratiâ, non verò ob usum Medicum, coluntur in hortis.

LYSIMACHIA.

LYsimachia dicitur à *REGE LYSIMACHO*, *AGATHOCLIS filio*, à quo primùm inventa & exculta fuit. Dicitur etiam *Salicaria*, quod folia ejus Salicis foliis consimilia sint, Germ. *Weiderich*.

Plures in Horto nostro Medico coluntur *differentiæ*:

1. *Lysimachia spicuta purpurea Dodonæi*, quæ vulgatior est, & magis usualis.
2. *Lysimachia lutea latifolia*.
3. *corniculata*, quæ mala *Alpini Hyoscyamus Virgianus* dicta est.
4. *Lysimachia Chamænerion Gesneri majus*.
5. *minus*.
6. *Lysimachia siliquosa hirsuta, flore parvo*, quæ quibusdam etiam *Filius ante Patrem* dicitur, ex eo quod siliquæ quasi ante flores extent, ut Filius ante Patrem.

Præ cæteris *prima* tantùm *Lysimachia*, nempè *spicata purpurea*, est usualis, & quidem vi suâ vulnerariâ adstringente, ac fluxus cruentos sistente; Unde quidam Decoctum ejus imprimis contra dysenteriam & hæmorrhoidum nimium fluxum, & huic cognatum hepaticum fluorem, commendant. Nec impossibile est, quin huic scopo vi suâ adstrictoriâ satisfacere queat.

Externè planta contusa ad vulnera & ulcera est usitatissima.

Sunt, qui *Conservam* è floribus, item *Oleum* parant.

Succus expressus unguenta & Emplastra vulneraria ingredi solet.

M.

MAJORANA.

MAjorana est planta cuivis cognita, quæ se prodit per suaveolentiam odoris: Vocatur aliàs Amaracus; *Sampsuchus* ab iis, qui solent ludere in præscriptione ejusdem, quod faciunt imprimis Itali & Galli.

Folia & *Semen* sunt in usu.

Tota planta aroma spirat satis volatile & elegans, & reverâ est aroma nostras, cujus vis consistit in sale volatili admodum oleoso mercuriali. Hinc vires ejus conveniunt cum cæteris aromaticis, in affectibus capitis, paralysi, apoplexia, vertigine, & similibus affectibus nervinis, & in specie catarrhalibus, conducit maximè; unde aquas & spiritus cephalicos & nervinos internos & externos ingreditur: sicut & texturâ suâ oleosâ volatili, non secus

ſecus ac alia nervina, doloribus, ſpaſmis, & atoniæ fibrarum nervearum curandis optimum eſt. Convenit item in affectibus uteri, cum fortiter ſolet ciere menſes. Præ cæteris dicata eſt naribus, & læſionibus olfactus, item coryzæ, in quibus narium affectibus nulli dedit remedio. Et notum hoc eſt mulierculis, quæ in coryza & gravedine nimia ſolent coquere folia Majoranæ in juſculo, & ſic curant coryzam. Nempe in Majorana deliteſcere perſectum arcanum pro odoratu abolito, aſſerit *HARTMANNUS Prax. Chymiatr. pag.* 111.

Externè uſus eſt varii: contuſa vel pulveriſata loco ſternutatorii adhibetur.

Oleum Majoranæ, tàm *expreſſum*, quàm *deſtillatum*, maximè conducit in affectibus paralyticis, aliisque nervinis, ſive vera ſive notha ex colica fuerit pareſis, inungendo nervos ſpinæ dorſi: vertici quoque capitis illitum reſtaurat olfactum amiſſum, in quo, & coryza uſurpari poteſt ſequenti modo:

℞. *Olei nicot.*
Irin. an. ʒß.
deſtillat. majoran. ℈j.
M. D. S.
Oleum ad Naſum,
Pro aperiendis meatibus obſtructis.

Si addantur aliquot grana *camphoræ*, in tali Coryza, & olfactus læſione, erit remedium magis proficuum.

Vel fiant Noduli olfactorii hoc modo:

℞. *Pulu. fol. major.*
Sem. nigellæ an. ʒij.
Olei deſtillat. major. gut. v.
M. f. l. a. Nodulus c. ſtylo, S.
Nodulus olfactorius.

Et in talibus caſibus oleum deſtillatum majoranæ eſt ordinarium Ingrediens *Pulverum ſternutatoriorum.*

Familiare eſt malum infantibus, ut nares obſtruantur, difficulter reſpirent, & in lacte ſugendo impediantur. In tali caſu oleum majoranæ naribus illitum pro reſolvendo muco egregiè ſuccurrit: idque vel ſolum, ubi mitiùs; vel mixtum cum oleo irino infuſo nicotianæ, ubi fortiùs operari debet; & quidem externè tantum naribus illinatur; intrinſecùs enim non poteſt tutò operari propter acrimoniam: Videatur *HARTMANNUS in Praxi Chymiatr. cap.* 57. qui Extractum majoranæ cum ſpiritu vini paratum frequentiùs uſurpat in infantibus pro reſerandis naribus obſtructis, tam externè quam intrinſecùs aſſumptum. Commendatur etiam cum conſerva in affectibus capitis.

Balſamus Majoranæ naribus applicatus, & illitus in Odoratus affectibus, eſt optimum remedium.

Ipſa aqua humorem per nares in Coryza educere ſolet.

MALABATRUM.

MAlabatrum, Germ. *das Indianiſche Blat*, Veteribus in uſu fuit. Hujus autem natale ſolum controverſum eſt apud *ſcriptores rerum exoticarum*; cumque non ſtatuatur certum, nec vires ejus conſtent, rari vel nullius eſt uſus in officinis: Eodem ergo carere poſſumus. Dubitatur enim an noſtrum cum Veterum folio conveniat? Noſtrum eſt Arboreum; Veterum fuit Aquaticum. Sunt, qui ſolent præſcribere in affectibus capitis, & confortanda memoria; ſed incerta experientia. Coſmeticum etiam creditur, ſed incertæ naturæ.

MALVA.

MAlva, Ger. *die Poppel*, imprimis *vulgaris*, planta eſt ſatis cognita. Græcis μαλάχη à μαλάξειν ſeu malaxare, unde & *Molis Herba* dicitur ab uſu primario emolliendi: hinc folia & flores inter *berbas* 5. emollientes (quales ſunt Althæa, Parietaria, Branca urſina, Malva vulgaris, & violaria, de quibus videatur *AUTOR noſter lib.* 2. *cap.* 41. *pag.* 107.) primatum obtinet. Dividitur alias in *Malvam foliis rotundis*, & *foliis aliquantiſper laciniatis*. Sed dubito, an hæc duo revera inter ſe differant? & potiùs hoc luſui naturæ ſit tribuendum? Utraque eſt in uſu promiſcuè. Vis eſt blandiſſima, & temperata: præbet ſuccum mucilaginoſum temperatiſſimum, quod quosvis acriorum humorum, imprimis nimis acidorum, aculeos intra corpus noſtrum lenit & obtundit, qua vi humectare, emollire, dolores lenire, ſeri urinarii, item lymphæ catarrhalis acrimoniam mitigare, & alvum laxare, rectè dicitur; unde veteribus Romanis quoque planta hac, unà cum lactuca, veſci, ad alvum laxandam, in uſu fuit. Decoctum enim ejus cum pauxillo paſſularum minorum alvum egregiè laxat, ad quod & ſola planta cum lacte decocta adhibetur. In affectibus renum ex urina nimis acri, ſtranguria & dyſuria, eſt egregium remedium, uti etiam Decoctum radicis malvæ in tali caſu eſt uſitatum.

Externè convenit pro emolliendi ſcopo, reſolvendi, maturandi, relaxandi, & temperandi acrimoniam ſalſam; unde in Clyſteribus pro ſtimulanda alvo, & emolliendis ſcybalis induratis, nulla habetur melior planta hâc malvâ: imprimis, ſi ejusmodi Clyſteribus addatur tantillum ſalis gemmæ, quod egregiè convenit, ubi opus eſt inciſione & abſterſione mucilaginis viſcidæ. Sic pro fæcibus nimis induratis emolliendis, ſi non velimus infundere Clyſterem ex oleo lini & raparum, de quo *paulo ante* locutus ſum ſub lino, poſſumus habere talem:

℞. *Herb. malvæ* M. ij.
Flor. meliloti M. j.
Malvæ p. j.
Chamom. p. j.
Coqv. in ſ. q. *aquæ ſimpl.* Colaturæ ℥viij. vel x. adde
Elect. lenitiv. ℥j.
Salis gemmæ ʒj.
Vitelli Ovi No. j.

Et erit potens Clyſter pro induratis fæcibus emolliendis & incidendis.

Ulterius ad Emplaſtra & Cataplaſmata quoque maturantia, doloresque demulcentia cum aqua aut lacte ubique adhibetur, ut nimirum acria temperet, exaſperata lubricet, & loricâ quaſi obducat, & ſic tumores duros & abſceſſus emolliat, maturet & ſuppuret. In tinea & ulceribus capitis, ſiccâ cruſtâ Decoctum Malvæ pro lotione capitis ſingulariter commendatur. Melius in aqua, acuatâ cum lixivio paululum acri, aut urina humana coquitur, quàm in aqua ſimplici; urina enim & lixivium corrigunt acidum erodens cutim in tinea: ſin verò tinea ſit humida, & achores ſint manantes, tunc coquitur Malva cum piſis in aqua ſimplici, vel cereviſia. Alii Unguentum ſeu Linimentum flavum parant ex malva ejusque radice, ſubacta cum butyro Majali non ſalito, & additâ paucâ camphorâ, & fit elegans Linimentum ad loca tineâ & achoribus affecta detergenda.

Radix malvæ, Sole Aquarium ingrediente, effoſſa & appenſa, ſingulare eſt ophthalmicum, imprimis in ophthalmia, Epiphora, *wenn die Augen trieffen*, & ſimilibus aliis affectibus; de quo vid. Hartmannus in Praxi pag. 90. & tali modo appenſa etiam ad lippitudines & ſimiles caſus convenit: unde etiam ſolet hoc modo appendi in variolis pro præſervatione oculorum, ne occupent oculos, & ſequatur, quod ſit interdum, Cœcitas.

Conſerva Malvæ paratur ex floribus, quæ ab *AMATO LUSITANO C.6. Cur.* 58 & *HOCHSTETTERO in Dec. VI. cap.* 2. *ſcholio* tanquam ſpecificum expertum in ſtranguria, dysuria, & aliis affectibus urinariis, commendatur, uti & ſtomachi & pectoris affectibus dicata eſt.

MALVA ARBOREA.

MAlva *hortenſis major arboreſcens*, Ger. *Herbſtroſen*, revera eſt malva, ſaltè, quod inſignis ſit luxuria præſertim in varietate floris: nunc enim *flore pleno*, nunc *vacuo* apparet. Hinc ipſa planta omnibus cognita, minus temperata eſt, quàm ejus flores rubri, qui tantummodò uſitati ſunt, ſive ſint ſimplices, ſive ſint pleni, in textura ſua blandè ſunt adſtrictorii, & ob hanc cauſam à *PARACELSO* quoque inter vulneraria relati.

Raro interim in uſu ſunt, niſi à Barbitonſoribus in affectibus faucium, imprimis in inflammationibus tonſillarum, angina, in qua ferè nullum præſtantius eſt remedium, in exulceratione faucium, & aliis, ubi ordinariò Gargariſmata ingrediuntur; v. g. Decoctum florum in lacte, alioque liquore egregium Gargariſma anodynum conſtituit. Præterea, uti Prunella in faucium inflammationibus, in ſpecie Prunella dicta adhibetur, ita hi flores quoque iisdem mederi affectibus obſervatum.

In genere ergò pro quibuscunque faucium affectibus poſſet fieri tale Gargariſma, commendatum ab *HARTMANNO in ſua Praxi p.* 126. cujus baſis eſt Malva, ad cujus imitationem ſequens cor rectius præſcribere ſoleo:

℞. *Herb. Prunellæ,*
Veron.
Salviæ,
Flor. roſar. rub an. M. ß.
Malvæ rubr. Mj.
Rad. polypod. querc. ℥ß.
Sem. ſinapi contuſ. ʒij.
Coquantur in *aquæ ſimpl.* ℔iiß. & *aceti vini* ℔ß. ad caſum transverſi pollicis, coletur cum levi expreſſione: Colat. adde
Sacchari ℔iij.
M. f. Gargariſma.

Hoc eſt ferè Catholicum in omnibus faucium affectibus, tàm in principio, quàm in incremento: Dum additur ſemen ſinapi, magis eſt appropriatum pro diſcuſſione; nam ſinapi prodeſt in diſcutienda inflammatione faucium & gingivarum, ratione ſalis volatilis acris. Quin & pulvis horum florum cum melle mixtus cum pauco alumine ad oris gingivarumque corroſionem & laxitatem ſcorbuticam, imprimis ad mulierum fauces ſcorbuticas mirè convenit. Aliàs flores hi rariùs uſurpantur.

MANDRAGORA.

PLanta hæc, quæ ad nos apportatur, eſt rara, & creſcit non niſi attenta cultura in noſtris hortis. Radix ſimilis eſt corpori humano; propterea vetulæ faciunt exinde veneficia, virunculos, Germ. *die*

die Altraungen, cum careat crinibus seu capillis: propterea, ut & ipsos acquirant, solent perforare radices, & inde regrana aliquot hordei: Videatur de his mangoniis, quos sanctè colunt, BARTHOLINUS in l. 2. Hist. 51. M. A. N. C. ann. 1. Obs. 48. p. 141. 142. & 143.

Solet distingui *Mandragoræ radix* in marem & fœminam, hac differentia, quod mas sit sterilis, fœmina verò ferat fructus.

Planta hæc, uti usus est rari, ita rara etiam est in Officinis.

Radix, & ipse *Cortex*, & *Poma* ex se vi narcotica & stupefactiva sunt prædita, & est una ex primariis Narcoticis & stupefactivis. Hinc vinum infusionis Mandragoræ ægris propinatur, quando membrum aliquod resecare volunt. Cum verò narcosis hæc admodum periculosa sit, hinc modus hic narcosin inducendi apud nos exploditur; sicut & internè rarò, imo rarissimè, & ferè nunquam usurpatur: extrinsecùs verò familiariùs usurpatur.

Nam *Cortex* & *Radix* ejus pro scopo emolliendi & resolvendi tumores duros, scirrhosos & strumosos adhibentur, ubi hoc in puncto cicutam, de *qua supra locutus* sum, imo nicotianam superat. Unde est, quod conjungunt succum Mandragoræ cum succo cicutæ vel nicotianæ cum Gummi ammoniaco in *Unguentum* vel *Cataplasma*, vel *Emplastrum contra Tumores duros splenis*.

Habetur etiam *Emplastrum de Mandragora* contra eosdem scirrhos, & tumores duros splenis in HARTMANNI *Praxi Chym. pag.* 218.

Sic habetur in Officinis *oleum de mandragora* cocta in oleo communi, sed est rarum.

Faber in Myrothecа spagyrica lib. 4 *cap* 1. habet *Oleum Mandragoræ* per descensum destillatum, quod valdoperè commendat ad ejusmodi mala; externè pro emolliendis duris tumoribus, & sistendis doloribus, quoniam est narcoticum & anodynum.

MARRUBIUM ALBUM.

MArrubium *album* seu *Prassion*, Germ. *Weisser Andorn*, est simplex primarium ex *verticillatis* officinalibus *plantis*, crescit vulgariter, & facilè cognoscitur, quoniam *flores verticillatim circa caulem congesti* sunt minores.

Folia sunt usitata, quæ odorem habent citratum, saporem subamarum, & leviter adstringentem, adeò, ut pateat, quod sale volatili acri & penetrante sint diluta.

Primarium sunt remedium in affectibus pectoris & morbis chronicis pro incidendo muco viscido & tenaci stomachi & primarum viarum, & hinc ortis obstructionibus, & tumoribus viscerum solvendis & reserandis, multisque aliis affectibus ex tali causa occasionali natis. Conveniunt imprimis in affectibus pectoris, in tussi inveterata, imprimis senum, quæ oritur ex ventriculo, nimis acidâ mucilagine & crassis humoribus referto, ob deficientem Chylosin; pro quali mucilagine attenuanda & expectoranda Decoctum Marrubii in aqua vel vino, cum pauco melle dulcificatum, est egregium remedium; indeque inter pulmones mundificantia marrubium non est ultimi loci; sicut etiam in aqua, vel pituita in utero collecta laudatur, quæ utplurimum in hydropem ascitem degenerat. Præprimis verò in Ictero flavo, si ex infarctu ductus cystici, vel simili occasione oritur, Decoctum ejus cum anserina; vel in vino infusum, vel succus ejus cum vino mistus & potatus, prodest; de quo vid. FREITAGIUS in *Aurora Med. cap.* 36. quod ipsum confirmatur à FORESTO *l.* 19. *Obs.* 40. qui etiam ceu expertum Specificum commendat ad Icterum flavum, qualis sæpe aliàs est lethalis, nihilominus FORESTUS dicit, illum curari posse Marrubio albo; uti etiam HARTMANNUS ubi *tractat de Ictero*, Marrubium valdoperè commendat in hoc & hepatis affectibus; item ad hydropem ascitem laudatur, qui ex Ictero oritur. Ulteriùs hepatis obstructionibus, iis præprimis, quæ conjunguntur cum tono laxato, ejusque infarctu scirrhoso ex mucilagine crassa, ab acido coagulata, commendatur insigniter: videatur ZACUTUS LUSITANUS *l.* 1. *Praxeos admirandæ Obs.* 41.

Externè in Ictero fit Cataplasma ex Marrubio, junctâ anserinâ in vino coctis, quod plantis pedum applicatur. Videatur JOEL *in Praxi.*

In Officinis prostat *aqua destillata*, quæ ad eosdem usus ac herba usurpatur; nihilominus Decoctum est melius. Prostant enim quamplurimæ in Officinis Aquæ destillatæ, quæ nihil participant de viribus herbæ, ex qua destillantur, de *quibus inferiùs suo loco.*

Syrupus de Prassio, seu *de Marrubio* (utrumque legitur) usitatus est ad asperæ arteriæ & pulmonum infarctus, aliosque affectus pectoris, asthma, & tussim imprimis senum inveteratam humidam, ex mucilagine & pituita crassa vel viscida, sive stabuletur in bronchiis pulmonum, sive in ventriculo & primis viis.

MARRUBIUM NIGRUM.

MArrubium *nigrum* seu *Marrubiastrum* vocatur etiam *Ballote*, Ger. *der schwartze Andorn*. Cum ubiq; *Marrubium album* in Officinis prostet, hinc factum est, ut de *Marrubio nigro* Practici non fuerint soliciti; quam ob causam hoc officinas non ingreditur.

MARUM.

MArum est *planta Syriaca* nobilissima; *similis* ferè *Majoranæ*, utut sit *statura minor*, odore subtili ac penetrante, sapore magis aromatico constans: quare usum planè singularem habet; hinc cephalalgiæ & nervinis affectibus maximè conducit, adeoque medicamentum est egregium in Apoplexia & catarrhis, ita, ut meritò quibusvis Essentiis & spiritibus Cephalicis addenda fuerit. Dictamno Cretico substituitur.

Aliàs propter raritatem rarus est ejus usus in officinis, imò rarissimè præscribitur, nec memini, me unquam legisse præscriptum. De virtutibus Mari videre possumus MINDERERUM *in Aloedario cap.* 2. ubi *pilulas* habet, quarum primarium Ingrediens est Marum; unde & *Marocostinæ* dicuntur. Quibusdam autem in locis substituitur meritò loco hujus Majorana, iisdem ferè gaudens proprietatibus.

MATRICARIA.

MAtricaria, Græcis παρθένιον, quasi *Planta Virginalis*, quod uteri seu matricis vitiis conducat, unde & Germanis *Mutterkraut* dicitur, *refertur* aliàs *ad Artemisiam*, quæ valdoperè est uterina; sed revera est *species Chamomillæ latifoliæ*, & ad *Chrysanthema* potius referri potest, utut viribus in plurimis cum *Artemisia*, uti & *Chamomilla* conveniat.

Odor penetrans, & sapor acris loquitur de sale volatili penetrante, & acri; unde pituitam & mucilaginem viscidam, in vasis uteri stabulantem, ibi turgescentem, sicque flatus & mensium suppressionem causantem, removet, incidit, & propulsioni aptam reddit. Usus ergo ejus, uti dictum, est mulieribus in passione hysterica, uteri inflatione, mensium vitiis, pathematis abdominis, lochiis remoratis, doloribusque post partum, & aliis uteri vitiis dolorosis & incommodis à partu oriundis, si scilicet vel sola, vel cum artemisia & chamomillæ floribus decoquatur, & Decoctum usurpetur; sicut & ejus usus cum chamomillæ usu carminativo & anodyno conspirat; magis tamen aromatica, adeoque ferè efficacior solet esse matricaria, quam ipsa artemisia. Aliàs viribus & usu conveniunt.

Externè in Clysteribus propter vim carminativam usurpatur. In uteri vitiis dolorosis ejusque inflatione, in doloribus post partum, pathematis abdominis, mensiumque fluxu doloroso, matricaria cum chamomilla vulgari, vel, quod melius est, Romana, in vino decocta, vel probe macerata, & cum sacculo duplicato calidè abdomini applicata, valdè prodest, propter vim aromaticam discutientem. In Cephalalgia etiam planta recens contusa, capitique dolenti vel fronti applicata, ceu proficuum remedium adhibetur, modò illius odorem ferre possit æger; præstantissimum enim est auxilium.

Inter *Præparata* prostat *Aqua destillata*, *Sal*, & *Syrupus de Matricaria*, non minus, quàm *Syrupus de Artemisia.*

Prostat etiam in quibusdam officinis *Conserva de Matricaria*; sed est rara, & non in omnibus reperitur.

MELILOTUS.

MElilotus est notissima herba. Datur vel *flore albo*, vel *flore luteo*, diciturque *Lotus odoratus* & *Trifolium odoratum*, quoniam suavem spirat odorem. *Pertinet* in genere ad *Trifolia*; *propriè* verò ac in specie ad *Lotos*, ob foliorum magnitudinem. In eo namque *differunt Lotus & Trifolium*, quod *Lotus* habeat *folia majora*, *hoc* verò *minora & exiliora*. Germanis dicitur *Steinklee.*

Usum etiam *internum nullum* aut rarum agnoscit; utut *externè* creberrimi sit usus propter vim anodynam, emollientem, & temperativam, in quo conspirat cum malva & althæa, nisi quod sit magis volatilis, adeoque magis resolutiva in tumoribus, cujuscunque sint generis. Nullum enim fit Cataplasma Paregoricum vel malacticum seu emolliens, vel blandè discutiens & suppurans tumores, quod non ingrediatur Melilotus. In Decocto præbet mucilaginem, usibus hisce inservientem. Unde ratione virtutis anodynæ, lenitivæ & incisivæ, obtinet vim anodynam, propterea in doloribus arthriticis & podagricis quibusdam, instar Cataplasmatis cum Malva & Althæa applicatur, & affert levamen non contemnendum, quoniam discutit tumores, & lenit dolores. In inflammatione uteri, ani & testium, forus ex Decocto meliloti est egregius, imprimis si ipsi recenti addatur agrimonia & chamomilla, quæ in vino vel aqua decocta dolorem & inflammationem egregiè sistunt. *Aliàs* in Clysteribus simili usu anodynis & emollientibus usitatus est melilotus cum malva.

Semen est rarissimi usus.

Prostat in officinis famosum illud *Emplastrum de Meliloto*, cujus descriptio vulgaris, ac prout habetur in Officinis, cruda satis est, ac rudis. Concinniorem descriptionem videb. apud SIMONEM PAULI *in Quadripart. Botan.* Ad emollitionem, discussionem & dolorum sublationem egregiè conferre solet; hinc in emolliendis tumoribus quibuscunque & abscessibus pro suppuratione est usitatum: cui, si tumores sint scirrhosi, nervini, glandulosi, & strumosi, admisceri potest

poteſt Gummi ammoniacum; ſin ſanguinei ſint tumores, addatur Unguentum de Althæa: in tumoribus malarum, item colli, & glandularum, ut parotidum diſcutiendis, doloribuſque mitigandis, egregium hoceſt Emplaſtrum; imprimis, ſi miſceatur cum dimidio Tacamahace, ac malaxetur cum oleo deſtillato ſuccini in robuſtioribus, cum oleo verò ſcorpionum per infuſionem parato in junioribus ac tenerioribus: Ubi ſcopus eſt tantum maturandi & emolliendi, commodè miſcetur cum Emplaſtro diachyli, cum gummis, ac cum unguento d'althææ, vel oleo amygdalarum dulcium expreſſo, vel oleo chamomillæ, aut liliorum alborum: in tumoribus dolentibus emolliendis & diſcutiendis tres ejus partes cum theriaces p. j. miſceri, & cum oleo Philoſophico malaxatum applicari poteſt. Imprimis uſitatum eſt in principio anginæ & inflammatione tonſillarum, ubi externè applicatur gutturi, & poteſt malaxari ſeu ſubigi vel cum oleo amygdalarum dulcium, vel Chamomillæ, additis aliquot guttulis olei deſtillati cumini.

MELILOTUS CÆRULEA.

MElilotus cærulea; ſeu genuino nomine *Medica cærulea erecta* non eſt in uſu. Cum tamen cum Meliloto vulgari officinarum externè ferè conſpiret, non dubito, quin idem quoque ſit præſtitura; nempe laxandi temperandique vim habeat.

MELISSA.

MElifſa Vulgaris ſeu *Meliſſopyllum* dicitur etiam *Meliſſa Citrata*, ſeu *Citrago*, quod odorem citratum de ſe ſpargat; Latinè *Apiaſtrum*, quod apes ſub opificio mellis planta hac delectentur. Datur & *Meliſſa Turcica* ſeu *Moldavica folio oblongo, flore cæruleo*, quæ in hortis ſolùm colitur. Cæterum *Meliſſa* quoque *vulgaris* vel *vera* eſt, vel *adulterina*.

Prior autem tantùm in Officinis uſitata eſt, & eò frequentiùs adhibetur. Uſitata eſt ipſa planta cum floribus, colligendo imprimis tempore exaltationis ſeu balſamico, quod eſt, ut colligatur lunâ decreſcente, quando verſatur in ſignis igneis & martialibus, qualia ſunt Aries, Leo, & Sagittarius.

Simplex eſt aromaticum ſui generis, ſed tamen citra ſenſilem calorem, ex analepticis noſtratibus frigidis (dividentur alias analeptica in calida & frigida) vis ejus aromatica conſiſtit in parte ſpirituoſa & admodum volatili, adeoque Mercuria, parum admodum oleoſa. Propter has ergo praticulas in ſpecie ventriculo, capiti, nervis, indeque utero dicata, ſpiritus deficientes refocillat, atque totum corpus humanum reſtaurat, & in vertigine, apoplexia, epilepſia &c. ſpecificè conducit. In peſte eſt egregia, imprimis in illa, quæ hoc habet maligni, ut ſtatim adſit proſtratio virium. Contra ſterilitatem vino infuſa laudatur; item pro conſervanda memoria, in affectibus melancholicis, hypochondriacis, triſtitia & anxietate, ut & palpitatione cordis inde oriunda. Spiritu animales ſenum utplurimum reſtaurat & reficit quoad vires. Mirabilis virtutis meliſſæ in affectibus cordis, & quidem interno uſu, exemplum habet FORESTUS *l.* 3. *Obſervat.* 29. Ad hæc in roborando conceptu, indeque menſibus ritè ordinandis, ſingulariter laudatur. Aliàs *ſal eſſentiale* ferè tartareum continet, quod etiam ex ejus ſucco commodè parari poteſt; qua vi ſua tartarea primas vias abſtergendo pro uſu diuretico eſſe poteſt. Verùm pro ſcopo analeptico tantùm adhibetur. Modum parandi docet SALA *in Tartarol. p.* 138.

Ex *ſemine Meliſſæ* fiunt Emulſiones egregii uſus in febribus malignis, uti etiam in palpitatione cordis: in quibus affectibus parantur tales Emulſiones, vel cum aqua ſpirituoſa meliſſæ, vel, quod eſt melius, cum aqua deſtillata cordis cervi, quæ malignitati adverſatur, & aliàs in palpitatione cordis eſt arcanum remedium.

De uſu Meliſſæ externo in Syncope & palpitatione cordis egregiam habet experientiam FORESTUS *l.* 17. *Obſervat.* 1. qui in palpitatione cordis & ſyncope gravi, orta ex vulnere pectoris, & ſanguine circa præcordia concreto, recepit, præmiſsâ venæ ſectione, meliſſam viridem & borraginem, quas calefactas, & aceto roſaceo aſperſas, applicavit regioni cordis; unde miraculi inſtar omnis palpitatio ceſſavit; id quod HELIDÆRUS PODUANUS ſoli Meliſſæ attribuit. HARTMANNUS commendat ſacculum cum meliſſa, & ſpiritu vini adſperſum, cordiſque regioni admotum. Aliàs Meliſſa cum caryophyllata quoad proprietates convenit, & multis quoque cum ſclarea.

Quoad *Præparata*, ex omnibus excellit *oleum meliſſæ*, & *Eſſentia*. *Oleum deſtillatum meliſſæ* ex herba uſitatum in peſte eſt pro fricatione pulſuum & temporum, ſi miſceatur cum aqua carbunculi, & oleo ſcorpionum Matthioli.

Eſſentia Meliſſæ cum ſpiritu vini, vel ſpiritu proprio extrahitur, eſt earundem virium atque Meliſſa ſimplex. Imprimis ſenibus malè ſe habentibus, in omnibus ſubitaneis virium proſtrationibus & lipothymiis, item in apoplexia, epilepſia &c. item mulieribus in quibus vis menſium vitiis, pro tono uteri roborando, item in ſterilitate, ex atonia uteri & nimia ejus humiditate orta, frequentiſſimi uſus eſt.

Spiritus ex Meliſſa deſtillatus per fermentationem valdoperè confortare dicitur memoriam, & movere facultates mentis & operationes capitis, quæ conſiſtunt in ſenſu & motu; hinc prodeſt in ſubitaneis virium proſtrationibus, apoplexia, epilepſia, lipothymia, affectibus melancholicis, in quibus triſtes exhilarare, & lætificare dicitur: Cumque ſimul ſit uterinum, propterea in Melancholia virginum & viduarum, oriundâ ſæpius ex menſibus non ritè fluentibus, & per conſenſum uteri, egregius eſt hic ſpiritus. Specificè commendatur contra ſterilitatem, de quo habet ROSENCREUZERUS *in Aſtrolog. Infer. ubi* tractat de *Auro p.* 253.

Sunt, qui ex Oleo & Spiritu Meliſſæ *Quintam Eſſentiam* in mulierum vitiis egregiam parant. Sic *le* FEBURE, Regis Galliæ Pharmacopola, *in Tract. ſuo Chymico, Idiomate Gallico conſcripto, Tom. I. cap.* 9. *pag.* 282. *& ſeqq. Arcanum* ſeu *Quintam Eſſentiam*, item *Primum Ens* deſcribit, quod ex Meliſſa ſecundùm manuductionem PARACELSI paravit: quâ ipsâ ad rejuveneſcentiam quaſi reſtituuntur homines, dum ſenibus decidunt pili & ungues, novique regenerantur; vetulis revocantur menſtrua, & renaſcuntur dentes anteà deficientes, & ſimilia. Imprimis FEBURE, quid præter in renovatione virium, propriam allegat experientiam; propinando primum Ens Meliſſæ aniculæ cuidam pluſquam ſexagenariæ, cui jam naturaliter menſes defecerunt, exin intra 10. dies omnes crines antea defluentes renati, novique dentes proruperunt, menſiumque fluxus fuit reſtitutus, cum colore corporis admodum laudabili; ipſaque anus ad multos annos convaluit, adeo, ut ætatem ſenilem cum juventute commutaſſe viſa fuerit. Idem refert, illud ſe gallo gallinaceo decrepito comedendum obtuliſſe, & eundem denuò juvenili vigore imprægnaſſe, unde pennas antiquas & unges amiſerit, novas recuperarit, unguesque illi renati fuerint. Plura videri poſſunt apud citatum Autorem, qui deſcriptionem ejus habet, eamque ex Paracelſo. Præparatio non eſt adeò difficilis, requirit ſaltem ſolertem & peritum Chymicum, & habet ſe ſequenti modo:

Collige *Meliſſam* tempore balſamico (poſtquam flores depoſuit, ſemen tamen nondum profert) ante ſolis exortum *rore turgidam*, q. ſ.

Contunde in mortario lapideo ad conſiſtentiam pulliformem impalpabilem: Inde magma hoc matracio vel cucurbitæ longioris colli, obfirmatæ ſigillo Hermetis, digere vel in fimo equino, vel in Vaporis Balneo ſcobe ligneâ repleto, per ſex ſeptimanas: quo tempore præter lapſo materia in liquorem redacta exprimenda, & in Balneo Mariæ digerenda, ut fundum petant partes terreſtres & craſſæ, quas à liquore per inclinationem & filtrationem ſeparabis:

Liquoris huius *depurati*,
&
♃. *Salis marini fuſi* atque *p. d. ſoluti* (*quod* PARACELSUS *vocat*
Aquam ſalis & ſal ſolutum) vel *ſalis reſol. fixi*
Meliſſæ, an. part. æqu.

Inde cucurbitæ Hermeticè ſigillatæ, expone calori ſolis per ſex ſeptimanas, donec omnes impuritates in fundum ſecedant, & liquor ſupernatans pellucidus appareat.

Juventus tamen inducta hoc Ente primo non eſt vera, ſed palliativa, demonſtrante Helmontio in *Tr. de Vita longa*.

Aqua Meliſſæ cum vino deſtillata iisdem convenit affectibus, quibus Spiritus Meliſſæ, ſpeciatim uteri & capitis. Externè vel pulſibus vel regioni cordis applicatur in lipothymia & Syncope.

Syrupus easdem habet vires, atque ipſum ſimplex. In affectibus uteri magni eſt uſus. Sunt, qui non minus in affectibus ventriculi ex cruditate acida provenientibus, eundem commendant; quibus tamen Syrupis omnibus præferuntur Eſſentiæ legitimè paratæ.

MELO.

MElones ſeu *Melopepones* ſunt fructus ſatis cogniti & uſitati, magis tamen in culinis, quàm in Officinis: pulpa nihili æſtimanda pro uſu Medico, ideò planè nullo eſt in uſu; quoniam facilè fermentationem inducit maſſæ ſanguineæ, & ad febres, inflationes ſtomachi, & tormina colica eſitata diſponit: Vid. PANAROLL. *Pent.* 1. *Obſerv.* 29.

Semina ergò ſaltim ſunt uſitata, & inter quatuor frigida majora referuntur, de quibus ea, quæ *ſupra dicta*, hìc repetantur.

Semina Melonum in ſpecie ſubſtantiam oleoſam temperatam continent; adeoque viribus coincidunt cum amygdalis dulcibus, ſaltim quod diuretica magis, ſimulque abſterſiva exiſtunt: moderatè temperant, & ardores hepatis compeſcunt, & nephritica ſunt, quatenus urinam moderatè cient. Hinc crebrior eorum uſus eſt in Emulſionibus; quæ tamen ſtomacho debili non ſemper æquè grata ſunt, cùm de facili acorem contrahant, & oleosâ ſubſtantiâ tonum ſtomachi laxent.

Proſtat in Officinis *aqua deſtillata melonum*, quæ refertur inter Coſmetica, ſeu inter illa, quæ pro cutis atque faciei nitore adhibentur; imprimis, ſi impregnentur cum tantillo mercurii, qualem deſcribit MYLIUS *in Baſil. Chym. l.* 2. *cap.* 9 *p.* 199. Hæc eadem aqua ſolet à quibusdam commendari in febribus purpuratis mulierum pro vehiculo appropriato. Dico pro vehiculo tantùm inſervire: Nam huic ſoli non fidendum.

MEN-

MENTHA.

Menthæ aliquot dantur ſpecies.

1. *Mentha criſpa ſpicata*, Germ. *Krauſemuntze*.

2. *Calamintha montana Officinarum*, Germ. *Bergmüntze*; de qua ſuprà actum.

3. *Mentha ſpicata arvenſis vulgaris*, Germ. *Korn-und Ackermuntze*.

4. *Mentha Aquatica*, ſeu *ſiſymbrium aquaticum*, Germ. *Bachoder Waſſer muntze*, à loco natali ſic dicta.

5. *Menthaſtrum*, quia Mentham mentitur, ſeu *Mentha folio rotundiore ferè incano*, Germ. *Wilde muntze*.

6. *Mentha Cattaria*, ſeu *felina*, Germ. *Katzenmuntze*, de qua infrà ſuo loco.

7. *Mentha Saracenica*, de qua titulo ſequenti.

Mentha in genere dicitur ad imitationem Græcorum à Mentha, Virgine Cocythi filia, quæ in hanc plantam converſa dicitur.

Tres priores uſitatæ ſunt, & conſpirant ferè viribus. Præ cæteris autem in uſu eſt *Mentha criſpa*, de qua hìc loci agemus; reliquæ Menthæ ſpecies non ſunt adeo in uſu.

Vis ejus conſiſtit in amarore inſigniter aromatico, ſale volatili oleoſo impregnato, quo virtutes prodit ſimiles virtutibus aromatum Orientalium, atque ideò pro ſtomachi affectibus, & quidem in Anorexia, in dyſpepſia, apepſia, propter depravationem fermenti ſtomachici, primatum ducit; item cruditatibus, imprimis acidis, & malis quibusvis, è muco ventriculi acido, plus minus viſcoſo oriundis, ut in cardialgia, & in iis, qui debilioris ſunt ſtomachi, cujus tonum relaxatum nonnihil reſtituit & fortificat, maximi ſolet eſſe pretii; hinc & Choleræ morbo prodeſſe ſolet, cùm vomitus nimios etiam in iliaco morbo compeſcere ſoleat, interno & externo uſu. Præterea vi ſuâ aromaticâ, ſeu ſale volatili oleoſo, ſimul carminativa eſt, & acidi viſcidi correctiva; hinc in quibusvis abdominis affectibus flatulentis, & in ſpecie in torminibus inteſtinorum ab acido pontico, ſeu per eſſentiam ortis, ſicut etiam in quibusvis alvi fluxibus, in quibus ventriculus vel primariò peccat, vel ſimul afficitur & per conſenſum patitur, Mentha hæc maximè conducit; unde pro mille ſtomachi & inteſtinorum morbis nullum medicamẽtum eſt melius & exoptatius, quodque ſuas vires præ aliis conſpicuas reddat, quàm hoc. Si mulieribus paſſiones hyſtericæ, & tempore graviditationis lancinationes circa vertebras præprimis (quæ utplurimum ſolent eſſe prodromi abortus) oriantur, Mentha hæc cùm internè, tùm externè prodeſt egregiè. Specificum etiam cenſetur in Cholera morbo, ubi ægri furſum deorſumque cum impetu rejiciunt: in quo caſu jam ab antiquiſſimis laudata fuit mentha; adeo, ut omnibus aliis ejus uſus præferatur pro vomitu compeſcendo. In ſingultu, qui fit ex convulſione diaphragmatis per conſenſum ſtomachi, egregia eſt mentha quocunque uſu, ſive externè, ſive internè. Vertigo ex conſenſu ſtomachi adoleſcentibus frequens eſt malum, ob læſam, quod ſæpe fit, diætam: pro hâc vertigine curanda, Mentha eſt excellens Simplex. Experta etiam eſt contra coagulationem lactis: Sic refert *HORSTIUS in Diſpenſatorio*, Mentham lacti infuſam id à coagulatione præſervare, nec in caſeum condenſari poſſe: & propterea conducit mulieribus ad impediendam lactis coagulationem, quæ coagulatio valdoperè ſolet nocere, & varia inducere mala, quæ præcavet Mentha; utut ſimul conjunctum habeat hoc incommodi, quod ſoleat aliquantiſper imminuere lac, ejuſque proventum nimium impedire. Hinc ceu ſecretum à quibusdam habetur in lactis coagulo:

Recipiunt *Mentham viridem*, contundunt, & inſtar Cataplaſmatis applicant mammis, ubi metus eſt coagulationis: quod faciunt per octo dies, ſingulis diebus cataplaſma renovando, & ℥j *ſeminis anethi* interiùs aſſumunt quotidie, ſicque non fieri poſſe inquiunt, quin hoc coagulatum non reſolvatur, & ulterius coagulum impediatur.

Quod ſi cui moleſta ſint Cataplaſmata, poteſt recipi Decoctum menthæ vel ſolius, vel cum fœniculo aut chærefolio, & cum linteis, inſtar fomenti, applicari mammis, pro impedienda atque tollenda lactis coagulatione & duritie mammarum diſcutienda.

In vomitu & nauſea paratur cum fermento & ſ. q. aceti Cataplaſma: ſcilicet, contunditur herba, & miſcetur cum fermento in forma Cataplaſmatis, & habebitur egregium remedium contra vomitum, nauſeam, ſingultum, aliaque ſtomachi ſymptomata.

Radix quoque lactis proventum nimium nonnihil, & coagulationem ejus, in decocto cum aceto, internè & externè nunc præcavet, nunc reſolvit; ſicut etiam fotus ex ejus decocto, herniis applicato, inteſtinis flatu tumentibus conducere ſolet.

Quoad attinet *Præparata*, *Spiritus* per fermentationem paratus convenit contra affectus ſtomachi, imprimis contra choleram & vertiginem, per ſtomachi conſenſum ortam; in qua etiam prodeſt *Eſſentia* ad aliquot guttas aſſumpta.

Elixyr Menthæ ex infuſione menthæ in ſpiritum proprium paratur, quod egregiè prodeſt in cholera, aliiſque affectibus ſtomachi, & mulieribus gravidis in lancinationibus lumborum, & hinc metu abortus; ſi nimirum Elixyr menthæ internè ad cochlear unum mediocre propinetur, aut externè etiam ventriculo applicetur.

Aqua menthæ cum vino parata valdoperè convenit in affectibus ventriculi & inteſtinorum; unde vehiculi loco inſervit reliquis medicamentis in talibus affectibus: Sed aqua menthæ criſpæ, contra lactis proventum nimium, & ſpeciatim in ejusdem coagulatione impedienda, duritie mammarum diſcutienda, eſt uſitata, mammis imponendo. Quæ aqua menthæ criſpæ ſecreta habetur in tumore teſtium & ſcroti, ex hernia ex inteſtinis in ſcrotum prolapſis flatu tumentibus, ut & ſcybalis in illis obduratis propter rupturam vel laxitatem peritonæi, ubi ex compreſſione vaſorum ſanguineorum oritur inflammatio: in tali inquam inflammatione & tumore teſtium ex fæcibus induratis, dicta aqua, artificiosè & per multiplicem cohobationem ſuper plantam parata, interno & externo uſu eſt egregia.

Syrupus menthæ commendatur in ſingultu, nauſea, vomitu, ructibus, & ſimilibus affectibus.

Oleum menthæ deſtillatum internè cum ſucceſſu in ſingultu, nauſea, vomitu, ructibus & ſimilibus affectibus poteſt adhiberi; imprimis cum ſaccharo fit Elæoſaccharum, quod poteſt aſſumi internè. Externè in Cardialgia, nauſea, appetitu dejecto, flatibus in ſtomacho & inteſtinis, & aliis jam dictis affectibus illinitur regioni ſtomachi, vel ſolum, vel cum Tacamahaca, pauca cera & terebinthina poteſt fieri Emplaſtrum ſtomachale; vel poteſt præſcribi ſub forma Olei ſtomachici; vel poteſt fieri cum corpore pro balſamo Balſamus: ſi conjungatur cum oleo nucis moſchatæ expreſſo, vel cum Balſamo Peruviano, vel cum utroque; erit eò melius; v. g.

♃. *Olei expr. nuc. moſchat.* ʒj.
Balſ. Peruv. ʒß.
Olei deſtillat. menthæ ℈j. M.

Nervinum quoque egregium eſt.

Proſtat & acetum menthæ in quibusdam Officinis, quod in vomitu, nauſea, & ſtomacho æſtuoſo uſurpatur internè cum aliis: & externè ex aceto menthæ cum fermento acerrimo & pulvere menthæ fit Cataplaſma egregium contra affectus ſtomachi, & eſt ferè catholicum. Formula Cataplaſmatis in affectibus ventriculi poteſt eſſe talis:

♃. *Ferm. acerr.* ℥iij.
Pulv. menthæ ℥j.
Nuc. moſchat. No. ij.
Maſtich.
Caryophyll.
Macis,
Cinnam. ana ʒj.
c. ſ. q. *aceti menthæ* f. l. a. Cataplaſma:
Cataplaſma externum.
D. S.

Quod ſi exſiccatum fuerit, denuò poteſt humectari cum *aceto menthæ*: eſt egregium in affectibus ſtomachi quibuscunque.

Simile ferè eſt *Cataplaſma Mynſichti contra ſingultum*, quod habet in *Armament. Chym. Sect.* 38 *pag.* 524: Calidè ſtomacho applicatur, id quod commendat h. m. *SCHMUCK in Secretis Medicis in affect. ſtomachi.*

MENTHA SARACENICA.

Mentha *Saracenica* vocatur aliàs *Mentha Corymbifera*, & *Salvia Romana*, item *Coſtus hortorum*, Germ. *das Koſte Kraut*: à quibusdam Practicis vocatur κατ' ἐξοχὴν *Balſamita*; item in quibusdam Officinis, utut falsò *Herba coſtæ* nuncupatur.

Rarò eſt in uſu, niſi quod *inter conſolidas* & *herbas vulnerarias* vulgò referatur. Interno uſu admiſcetur potionibus vulnerariis, in quibus ſemper prodeſſe dicitur. Cæterum folia aromatica odore & ſapore innuere videntur, quod vires habeat non abſimiles abſinthio: & credo, ſi in uſum revocaretur, quod in affectibus chronicis, perindeac abſinthium, valdè conveniat. In affectibus uterinis commendatur, pro menſium evocatione eſt egregium.

Acetum ejus conducit in ſtomacho æſtuoſo.

MERCURIALIS.

Mercurialis duplex eſt: tam mas, quàm fœmina. Dicitur ita, quod Mercurio antiquitus dicata fuerit. Mas dicitur, quia habet binos quaſi teſticulos, capſulas nimirum ſeminales; fœmina verò ſpicata apparet. Uſupatur promiſcuè; experientia tamen docuit, quod fœmina in mundificando utero, ejusque ſordibus nimis humidis evacuandis, multùm valeat; hinc vulgus perſuaſum fuit, Mercurialem marem à fœmina comeſtam pro generendis filiis; fœminam verò pro filiabus inſervire: Et certè non eſt reperibilis planta, quæ adeò commendatur pro arcenda ſterilitate, & expurgando utero, quàm Mercurialis, ſive internè ſive externè. Aliàs ſuo modo ad *Anagallides* & *Atriplices* pertinet.

Planta eſt nonnihil nitroſa, & effectivè ſuo modo refrigerans, ſimulque ratione ſalis ſui nitroſi Mercurialis internè omnes impuritates detergere, ac nonnihil laxando primas vias mundificare ſolet. Uſurpatur ſub forma pulmenti oleracei. Ger. *Grun-Kraut*; unde quædam mulieres in pulte propinant infantibus pro emollienda ac laxanda alvo bono cum ſucceſſu. *QUERCETANUS in ſuis ſcriptis* mirum

rum quantum commendat Mercurialem pro purificando & abſtergendo utero: in medicamentis enim uterinis ratione ſalis ſui nitroſi purificat ſanguinem, & abſtergit uterum, & hinc contra ſterilitatem veldè ſolet laudari.

Externè Clyſmatibus abſtergentibus & laxantibus incoquitur, quibus plerumque ſuccus Mercurialis cum vel ſine melle additur. Speciatim admodum commendatur ad repurgandum uterum, & detergendum eundem, ſive ſuccus recens per ſiphonem injiciatur, imprimis poſt fluxum ſanguinis menſtrui, remoratum à craſſa & viſcida mucilagine, vaſa uteri infarciente, quæ impedit fœcunditatem & imprægnationem, pro eadem expurganda; ſeu è bombace, ſucco hoc Mercurialis imbuto, fiat turunda, aut ipſa planta recens ſucculenta blandè contuſa, & ſyndone involuta, ſub forma peſſi applicentur, tam utero mulierum ſterilium, quàm parturentium. Multum enim convenit in ſordibus uteri mundificandis, ac detergendis, menſibus retardatis & lochiis non ritè fluentibus: ſtimulat etiam inſigniter, & facit, ut talia excrementa feliciter ejiciantur, maximè à Practicis contra ſterilitatem laudatur, tam præſervativè, quàm curativè: quod tamen merum commentum eſt, niſi ſterilitas à muco viſcido, ſimilibusque impuritatibus inducta ſit. Imprimis fit Peſſus elegans, ſi taliter contuſæ addatur crocus & myrrha pro menſibus: Poteſt fieri talis præſcriptio:

℞. *Myrrhæ el.* ℥ß.
Croci ʒß.

C. *ſucco Mercurialis* & pauco *Mell. ſ. Peſſus*, qui obducatur *ſyndone rubro*, & applicetur in forma conſueta.

Quod ſi addatur ʒß *trochiſcorum albandal*, erit eò efficacius pro provocandis menſibus, & etiam pro ſtimulandis lochiis.

Eſſentia pro ſterilitate & utero expurgando uſurpari ſolet.

M E S P I L U S.

MEſpilus eſt arbor ſatis cognita, magis fructus ipſius: Uſitati tamen ſunt *Fructus* ejusdem & partes.

Cæterum *fructus meſpili* recipitur in uſum, quando eſt *immaturus* (nam maturi ſunt fermentiſcibiles, quod veteres dicũt putreſcibiles) propter vim adſtrictoriam, quam prodit guſtus auſterus adſtringendo linguam & fauces; unde etiam intrinſecùs pro reſtrictivo excellenti Meſpila immatura ſolent commendari: & exinde in quocunque fluxu alvi, uti etiam in vomitu, nauſea, & diarrhœa: in genere in omnibus caſibus, ubi partes ſunt nimis laxæ, ut fibrarum adſtrictione roborentur. Exemplum hujus uſus habet *FORESTUS lib.* 22. *Obſervat.* 1. qui feliciſſimum uſum meſpilorum expertus eſt in diarrhœa ferè deſperata compeſcenda, & aliquando in quibusdam contumaciſſima, quos aliis irritis & nihil juvantibus uſu tantum meſpilorum crudorum reſtituit. Cum ſimili ſucceſſu ſolent etiam adhiberi in dyſenteriis, in quibus adhuc magis convenire videntur; hinc Germanis dicuntur *die Arſch-klammern.*

Folia, propter vim ſtypticam & adſtringentem Decocta adſtringentia ſubinde ſolent ingredi; rarò tamen adhibentur internè: externè capiti ſæpe applicantur ad inhibendum capillorum defluxum: Adſtrictoria ſunt, & in Gargariſmatis pro faucium exulceratione & inflammatione uſurpantur: Quin & injectionibus chirurgicis, in fiſtulis & abſceſſibus uſitatis adduntur. In Decoctis quoque pro balneis uterinis adhibentur in nimiis fluxibus menſiũ vel lochiorum, vel poſt puerperium, ut gratiores fiant mulieres viris, adjuncto tunc temporis pauco alumine, ut ſic de novo poſſint celebrari nuptiæ.

Oſſicula reperiuntur in meſpilis, quorum nuclei cum perſicorum nucleis, ſuo loco tractandis, conveniunt. Oſſicula hæc ſeu lapilli, non ſecus, ac ſimilia alia concreta dura vegetabilium pulveriſata uſu diuretico adhiberi ſolent: in præſervando renum calculo admodum laudantur, quatenus acidum deſtruendo in primis viis, atque adeò etiam urinam ſuppreſſam, & ſabulum renale fortiter pellendo, tam præſervant à calculo, quàm præſentem tollunt. Sunt, qui dicunt, illa ſolvere & atterere calculum; quod tamen non auſim dicere. Obſervandum eſt de ejusmodi concretis oſſeis, in fructibus nonnullis reperibilibus, in ceraſis, perſicis, amygdalis, meſpilis &c. quod hæc ipſa deſtillata ſuggerant ſpiritum acidum unà cum oleo empyrevmatico. Spiritus iſte rectificatus egregiè eſt diureticus, & ſuo modo lithontripticus. Non ſunt propriè dicta oſſa, aut lapides, ſed verè ſubſtantia media lignea quaſi mutuo intorta, & ita durioris præ cætero ligno compagis; unde etiam igne aperto ſolent ſuggerere, quæ ipſa ligna aſſolent.

In Officinis proſtant *Meſpila immatura condita*. Condiuntur autem vel Saccharo, vel melle, ut à putredine conſerventur; ſic enim gratiorem habent ſaporem, & palato arrident, nihilque deperdunt de vi adſtrictoria. Pro ſtomacho roborando, ejusque fibris adſtringendis, optima ſunt: hinc in vomitu nimio, nauſea, diarrhœa, dyſenteria, aliisque fluxionum generibus, maximè conducunt.

M E U M.

MEum ſativum *Athamanticum, foliis anethi*, ſeu *Anethum urſinum*, Ger. *die Beer Wurtzel*, nomen hoc accepit, quia conducit utero muliebri.

Radix tantùm in uſu eſt, quę & odorem & ſaporem ſpirat quodammodo aromaticum, leviſtico ferè, vel angelicæ, vel fœniculo ſimilem; cum quibus & in viribus conſpirat, tam alexipharmacis, quàm carminativis, & uterinis: in quibus affectibus, nec non doloribus poſt partum, nec non flatulentis inteſtinorum, & uteri imprimis morbis, vi ſuâ aromaticâ maximè commendatur. Hinc etiam in menſibus provocandis & lochiis propellendis vulgatiſſimi eſt uſus apud mulierculas radix pulveriſata; ſicut & propter vim carminativam & aromaticam convenit in ſuffocatione uterina, compeſcendo acidum corruptum efferveſcens in inteſtinis, & inducens ſuffocationem uterinam, affectum convulſivum, &c.

Multa quoque compoſita ſunt, quæ ingreditur hæc radix, v. g. Theriaca &c. interim illi ſæpe radix angelicæ & fœnicnli ſubſtitui poſſent.

M E U M A D U L T E R I N U M.

MEum Adulterinum *anguſtifolium ſpecies eſt ſileris*, ſeu *Leviſtici Montani*. Planta eſt aromatica, ad *Daucorum naturam* accedens, unde non dubito, quin pro ſcopo uterino ac alexipharmaco cum Dauco conſpiret.

M I L I U M.

MIlium, fructus ille cerealis, nulli non notiſſimum eſt.

Semen tantùm in uſu, & quidem maximè culinario; quod contritum dat farinam. Pulmenta enim exinde parata admodum nutritiva ſunt. Vis autem hæc nutritiva conſiſtit in mucilagine temperata copioſa, quæ in ſtomacho, fermentationibus reſidentibus, ceu ſemen cereale, chylum ſuggerit copioſum optimè & ſubleniter nutrientem, imprimis, ſi cum lacte coquatur; ita enim copioſum & oleoſum dat nutrimentum: eſt facilis, contra *AUTOREM noſtrum*, digeſtionis, & optimæ nutritionis adſuetis. In uſu verò Medico *Decoctum Milii* ſub nomine *Syrupi Divi Ambroſii* in uſu eſt ſudorifero ad crepaturam uſq; coctum. Hoc nõ tantum in quibusvis tertianis febribus, & variis caſibus aliis, ſed & imprimis in variolis, morbillis, & ſimilibus affectibus in principio tutò adhibetur ad mitigandum ſanguinis fervorem, & variolarum promotionem, ſimulque acrimoniam earundem temperandam, nunc ſolum, nunc cum radice fœniculi, vel ſcabioſæ, vel ficubus conjunctum, ubi milium in duplo vel ſaltem æquali proportione ficubus vel reliquis additur, & ſic quoque alvum laxat. Vid. *ANGELUS Sala in Pharmacop. p.* 825. Hoc ipſo ſuppurationem promovet, & foveas ſimul præcavet: & quidem perlibenter admiſcemus radicem ſcabioſæ, quoniam variolæ valdè ſolent lædere partes internas, ſicque phthiſin, ſæpe mictum cruentum, dyſenteriam &c. inducunt. Hæc mala ut præcaveamus, addimus radicem ſcabioſæ, quia ejus vis vulneraria notiſſima eſt: unde etiam Syrupus ſcabioſæ in decocto hujusmodi ſolet diſſolvi pro præſervando pectore & partibus internis contra exulcerationes à variolis. Sæpiùs contingit, ut intrinſecùs deglutiantur fruſtula vitri, aciculæ & ſimilia: in tali caſu, ne deglutitæ res nocumentum afferant corpori, aſſumatur pulmentum milii, cum lacte ad conſiſtentiam craſſiorem coctum, in magna copia, & nihil potus deſuper affundatur: Hoc modo enim fit, ut res acres & pungentes, involutæ pulpæ milii, egrediantur è ſtomacho, & proreptent per inteſtina abſque nocumento: cujus rei egregiam hiſtoriam refert *KECKERMANNUS in Syſtemate Phyſico*, item *SENNERTUS l.* 3. *Prax. Part.* 1. *Sect.* 11. *cap.* 3. *p.* 15. de quodam, qui in gratiam amici devoravit vitra, ex quo magnum dolorem ſenſit in uentriculo, curato tamen per pultem ex frumento Saracenico, Germanicè *vom Turckiſchen korne*. Loco hujus poteſt ſumi vel ex millio, vel ex panico, & ſunt ejusmodi pulmenta ſatis experta. Interni uſus aliàs eſt rarioris. Cæterùm narravit mihi Hoſpes meus Pariſiis, Chirurgus expertiſſimus, de puella, quæ deglutivit aciculam, quam poſt triennium ex ulcuſculo in pede propè talum extraxit, adeò, ut ſenſim atque ſenſim penetrando ad partes inferiores fuerit delata: & hujus penetrationis non ſunt raræ obſervationes. Videatur *PFIZERI*, Germ. *Vernunfftiges Wunden-Vrtheil*, ubi refert de cultro, quod penetravit, & ex ventriculo extractus eſt. Sic etiam legitur de ariſta deglutita, & poſtmodum, orto abſceſſu circa ventriculum, ex illo extracta.

Externè frequentiſſimè ſemen milii cum ſale toſto miſtum capiti in affectibus catarrhalibus, in dolore capitis gravativo & tenſivo in vertice & bregmate, qui dolor gravativus frequens eſt mulieribus per conſenſum uteri cum capite, item in dolore capitis inveterato à cauſa externa: In talibus doloribus expertiſſimi ſunt ſacculi ex *milii*, vel *toſti*, vel *non toſti* p. iv. & *ſalis communis leviter toſti* p. j. vel ij. capiti impoſiti. Addi poteſt his ſacculis pro re nata vel Herba verbenæ, vel chamæmelum, vel alia medicamenta. *LINDANUS* ſanè in *Collegio ſuper Hartmannum* non poteſt ſatis commendare tales ſacculos in talibus doloribus capiti applicatos, uti & auribus in ſurditate, tinnitu, & ſimilibus aurium affectibus. Formula poteſt eſſe talis:

℞. *Sem. milii* (præſcribi poteſt prout lubet) vel *leviter toſti*, vel *leviter coct.* Mij.
Salis comm. leviter toſti Mj.
Herb. verbenæ (ſpecificæ in cephalalgia)

Flor.

Flor. ebamam. an. M. jβ.
Rad rhod. (quæ est specifica in dolore capitis) ℥j.
Zedoar. ℥β.

Ex Contusis f. *Sacculus interpassatus.*

D S.

Sacculus ad Caput.

Si debent esse duo, præscribitur in dupla dosi. Applicatur bregmati, ossi bregmatis, & vertici. Adspergi possunt cum aqua appropriata, etiam cum spiritu vini non adeo generoso vel minùs rectificato: vel irrorari possunt oleo destillato succini, vel baccarum juniperi, vel alio simili. Quin & in ventris torminibus sacculus ex milio vel solo, vel addito Rhabarbaro, calidè abdomini applicatus, egregiè conducit.

MILIUM SOLIS.

Milium solis seu *Lithospermon*, vel secundùm Mauritanos potius *Siler montanum*, à montibus seu loco natali sic dictum. Communiter solet præscribi in Officinis lithonsperma, quo nomine etiam venit apud Practicos, seu Semen lapidum, propter vim atterendi & pellendi calculum, Germ. *Meer-Hirse*, *Stein-Saamen*; cujus 2. sunt species: *Majus*, & *Minus* seu *Sylvestre*.

Lithospermon majus parva est planta *cum foliis angustis*, cujus *flores* sunt *albi*, in principio cujusque caulis siti, ex quibus semen albicans in modum unionum egreditur; hinc Belgis *Perlkraut* dicitur.

Semen est duriusculum magnitudine milii, habetur pro nobili diuretico. Vis ejus residet in sale volatili temperato oleoso ac mucilaginoso, blandè anodyno; hinc amicum est partibus nerveis, ac specificè adciendam urinam, & stimulandum urinæ sabulum, & calculum, ejusque materiam conferre dicitur, si pulverisatum ad ʒj in appropriato vehiculo detur: unde etiam solet abstergere renes à mucilagine viscida, calculorum fotrice & nutrice. Novi qui in sabulo & calculo pellendo tritum semen cum vino malvatico propinatum proficuum experti sunt; pro qua intentione aliàs emulsio ex hocce cum semine violarum purpurearum, & aqua alKeKengi præparata polychresta est. *MATTHIOLUS* & alii ad ʒij cum vino albo propinant ceu certum experimentum partu difficili laborantibus, uti & in secundinæ retentione, de quo tamen consulenda ulterior experientia. Quin & in Gonorrhœa cohibenda cum Asplenii ʒβ. succini albi ʒβ ad ℈ij, & hujus ʒj ad ʒiβ pulverisata cum succo vel aqua plantaginis aut lactucæ commendat idem: idque suo experimento hoc didicisse affirmat *FREITAGIUS* in *Aurora Med.* Pari modo contra febres quotidianas in vino ʒj ante paroxysmum aliquot dies exhibetur.

Radix cum carne loco petroselini cocta omnia, quæ semen, præstat in affectibus nephriticis. *Externè* cum malva & chamomilla cum aqua cocta pro balneo in calculo pro dolore leniendo, & urina cienda ab eodem commendatur.

Lithospermon erectum majus latifolium falsò dicitur *Passerina*, milii solis defectu in usum potest recipi semen, coriandri semina referens, in affectibus urinariis, calculosis &c. Partum promovere dicitur: id quod confirmat *FREITAGIUS* in *Aurora Medicorum pag* 551. qui dicit, quod ʒii seminis minoris *Lithospermi* propinati cum lacte, sint certissimum experimentum ægrè parturientium, quoniam fœtum egregiè promovent.

Datur etiam alia *species Lithospermi*, *nigro semine*.

MILLEFOLIUM.

Millefolium seu χιλιόφυλλος sic dicitur, quod folia ejus mille quasi folliis aliis sint stipata, German. *das Tausend-Blat*, *oder Schafsgarbe.*

Triplex ejus est differentia:

1. *Album*,
2. *Purpureum*,
3. *Tomentosum luteum.*

Dividitur aliàs in *majus* & *minus*; quorum illud etiam dicitur *Achillea.*

Præ cæteris tamen in usu est *Millefolium album*, planta nobilissima adstrictoria ac sanguinem sistens: id quod videmus sufficienter diductum ab *AUTORE*, adeò, ut non sint multa de eadem dicenda. Hinc etiam est excellens & primarium vulnerarium, quod ingredi solet Essentias vulnerarias, & sic propinatur in vulneribus malignis & venenatis, ubi malignitatem corrigit: unde Decoctum ejus in dysenteria, mictione cruenta, nimio mensium fluxu, & quibuscunque hæmorrhagiis internis, ac omnibus hæmorrhoidum generibus, nec non hæmorrhagiis narium, item abortu imminente, multum laudatur; in suppressione verò mensium fluxum eorum promovet. *AUTOR* dicit, quod conveniat in fluxu albo mulierum; quod verum est, & huic fluxui in viris respondet Gonorrhœa virorum. Unde succus millefolii est egregius in compescenda eadem, si ℥j recipiatur, & propinetur cum lacte dulci: hæc enim potio certò curare Gonorrhœam dicitur; idque imprimis, si admisceatur aliquid de antimonio diaphoretico, vel succino præparato; hæc namque duo specifica sunt contra Gonorrhœam: Eo melius foret, si applicetur extrinsecùs testibus succus lactucæ cum pauco camphoræ; hæc enim vel sola commendatur contra Gonorrhœas.

Externè plebejæ mulieres suffitum ex hac planta paratum in nimio mensiû fluxu adhibent: planta recens cõtusa contusionibus ac plagis, item vulneribus recentibus imposita, egregiè sãguinem grumosû discutit, vulneraque intra 24 horas, citra omnem suppurationem, consolidat & sanat, sicut & pulvis vulneribus inspersus non minoris creditur virtutis. Vel & succus ejus recens iisdem instilletur, quod singulare est euporiston in quibuscunque vulneribus. Propterea succus millefolii est ordinarium ingrediens in balsama vulneraria, uti etiam pulvis.

Radix recens naribus intrusa, & illic agitata, hæmorrhagiam movet.

De cæteris vid. *AUTOR*.

MOMORDICA.

Momordica à quibusdam etiam *Balsamina cucumerina* vocatur, planta est rara & exotica, nec ubivis obvia.

Hujus fructus spinosi unà cum semine in usu sunt, ex quorum signatura ubique aculeata videtur ferè indicare suam virtutem vulnerariam, propter quam vocatur Balsamina, quoniam habet vires Balsami, & revera sit Balsamum quoddam pro curandis & consolidandis vulneribus.

Pulvis hujus herbæ in aqua plantaginis assumptus intestinorum vulnera curare dicitur, etiam si intestina in utraque parte fuerint perforata. Aliàs interno usu nondum est recepta, sed vis balsamica tantum *externo* usu se sufficienter commendat. Certè usus Momordicæ non potest satis commendari in vulneribus recentibus, quia illâ adhibitâ dolor remittit, & vulnera, nullâ accedente inflammatione, persanantur. Plura de hoc habeo exempla, quæ mihi satis confirmant vim momordicæ vulnerariam.

In ulceribus & apostematis matricis decoctum sub forma Clysteris uterini injectum, est expertum; cujus rei exemplum habet *WITTICHIUS in Consil. pag.* 652. In fissura & Apostemate uteri, malo sæpius degenerante in cancrum, convenit. Si quis recipiat fructum maturum in manum, & illum retineat tamdiu, donec incalefiat, fit, ut cum crepitu rumpatur, & suum ejiciat semen. Ex hac signatura fuit conjecturatum: numne prosit in partu promovendo? numne possit expellere & propellere fœtum? quod postmodum jugi experientiâ confirmatum, & Clysteres uterini ex momordica, uti inquit Autor, conveniunt in partu promovendo.

Prostat in Officinis *Oleum Momordicæ*, quod fit, quando hujus poma, exemptis seminibus, macerantur in oleo olivarum vel lini: & revera est optimus balsamus in quibuscunque vulneribus consolidandis, uti & fissuris labiorum, faciei, manuum, aliarumque partium, ac simul anodynum est ferè sine pari. Quidam oleum ex semine exprimere satagunt, sed res non succedit, quia est nimis durum & minus oleosum. Videatur imprimis *de stupendis virtutibus hujus Momordicæ balsamicis* *WITTICHIUS in Consil. p.* 632. & imprimis 634. qui stupendas virtutes attribuit in vulneribus recentibus Oleo Momordicæ in conglutinandis illis sine ulla suppuratione, & in ulcus degeneratione. Dicit enim, quod oleo tanta insit vis, ut etiam partes abscissas reglutinet. Præterea, si equo albo & nigro aures amputaveris, & nigro equo aurem albi agglutinare volueris, præstabis hoc Oleo Momordicæ, quod quidem hyperbolem sapere videtur. Sic historia refertur de servo stabulum purgante, cui, dum præsepe mundaret, lima illic delitescens manum perforavit, & ita periculosissimum vulnus sibi inflixit propter partes tendinosas & nervosas; & sic facilè inflammatio cum gangræna supervenire potuisset; hoc tamen solo Oleo Momordicæ, oleum bis vel ter quotidie illinendo, intra 13 dies sine suppuratione percuratum esse constat sine ulla sensili læsione superveniente. Alius faber lignarius idem ferè vulnus acceperit, cum scilicet lignum aliquod veller attollere, illudq; deciderct, conquassando sic miserrimè omnes ferre digitos abrasa cute: solo autem hoc oleo vulnus grave & dolorosum, continuatis vicibus, illinendo, ab inflammatione & suppuratione illud præservavit, & consolidationem facilè promovit, atque sic se restituit. Imprimis in vulneribus, ulceribus, & sinubus mammarum, Oleum Momordicæ & alia exinde parata medicamenta, mira faciunt citra omnem inflammationem atque suppurationem sanando: Omnia aliàs vulnera mammarum & glandulosarum partium periculosa sunt, ac difficulter curabilia propter glandulas, ibi locorum copiosissimas: ulcera enim omnia, ubi glandulæ sunt, periculi & discriminis plena sunt; hinc optimè oleo momordicæ per infusionem, nunc simpliciter cum turundulis, nunc cum balsamo sulphuris pauco mixto & applicato, radicitus sanantur. In induratis puerperarum papillis & mammarum fissuris, quæ impediunt suctionem, oleum hoc egregiè convenit; quoniam est specificum in talibus fissuris, sive sint in viris, sive in mulieribus, sive sint fissuræ mammarum, sive pedum à frigore. Experta hoc fuit gregarii cujusdam uxor, copiosas in papillis fissuras habens, quas solo hoc oleo curavit. Fissuræ autem hæ ex lacte acescente, post suctionem circa papillas hærente, oriuntur, & satis periculosæ sunt ob copiosas glandulas illic existentes. *WITTIGIUS loco allegato* ad vulnera & apostemata sinus & vaginæ uteri post partum, in cancrum sæpius degenerantia, hoc oleum tanquam appropriatum remedium maximè laudat: mirabiliter harum partium lenit

eſt, imprimis, ſi poſt expreſſionem addatur ei nonnihil ſacchari, ſeu oleum Saturni, & interdum aliquid camphoræ; ita enim citra inſigniorem dolorem, citra ullam ulteriorem inflammationem & ſuppurationem & veſiculas, ambuſtiones ſanat. Quin & ad leniendas hæmorrhoides nimis dolentes oleum momordicæ illitum confert: Matronæ cuidam à ſuppreſſione menſium hæmorrhoidum tormina acceſſere, quæ oleo hoc per infuſionem parato, & hoc illito, à cruciatibus iſtis, ultra quatuor ſeptimans durantibus, ſe liberavit. Hinc & D. *MICHAELIS* hoc in caſu ejusmodi ſæpiſſimè uſus eſt.

MORUS.

Morus duplex eſt: *alba* & *nigra*.

De hac *Cortex*, & præcipuè *radicis*, *Folia*, & *Fructus*, *Mora* vocati, imprimis uſui medico inſerviunt.

Cortex, & arboris & radicis, ſunt ex adſtrictoriis moderatè, & conveniunt in iisdem affectibus, in quibus cortex fraxini & tamariſci, in affectibus ſplenis; unde credo, quod poſſit ſimili modo præſcribi contra ſplenis affectus, ac exotica ejusmodi.

Quod attinet *Fructus*, *maturati* ſucco dulci ac temperato, adeoque analeptico quidem turgent, ſed propter facillimam fermenteſcibilitatem citiſſimè putreſcunt: exſiccati adſtringunt, & conveniunt in fluxu nimio, tam ſanguinis quàm aliorum humorum.

Externè in oris ac faucium inflammationibus proſunt.

Propter ſaporem & vim adſtrictoriam *ſuccus ex immaturis moris* expreſſus, aut in aqua coctis, ad quoscunque alvi fluxus quoque commendatur.

Porrò ex *fructibus immaturis Rob*, *Diamoron* vocatum, conficitur, quod eſt ſuccus inſpiſſatus cum melle vel ſaccharo, & in uvulæ laxatione, faucium, palati, & aliarum, imprimis partium vicinarum, affectibus, excoriatione & aliquali exulceratione, ubi adſtrictione in faucibus opus eſt, commodè adhibetur; & quod ſuperiùs dixi de Rob Dianucum, ſimiliter intelligendum venit de Rob diamoron. Propterea præſcribuntur in formulis ſimul, rariſſimè ſolum rob dianucum, vel diamoron. Aliàs ſunt rariſſimi uſus in officinis. Hoc obſervetur, quod extractatione fructus mori ſoleant tingi manus colore rubro, qui difficulter tollitur, ſimulac verò immaturo adhuc ..ricantur manus, ſubitò color ruber diſparet.

MOSCHATA ET MACIS.

Nux *moſchata* fructus eſt exoticus mirabilis, & aroma elegans. Adfertur ex India Orientali, Inſula Sumatra, Madagaſcar, & tractibus Chinenſibus, de cujus generatione, proventu, &c. vid. Rerum Indicarum & exoticarum ſcriptores, imprimis *NIEHOFF & FRANCISCI in den Oſt-Indianiſchen Luſt Garten pag.* 396. Offert autem ſe primo in fructibus hiſce *Pulpa carnea*, eodem ferè modo ac in Perſicis malis, ubi mediante cortice laminoſo, tenui & duriuſculo, nucleus eſt incluſus, qui vocatur *Nux moſchata*.

Poſt pulpam hanc ſe offerunt *filamenta flava*, quæ ambiunt immediatè corticem illum lapideum, & vocantur *Macis*, ſive *flos Moſchatæ*, & huic demum ipſa *Nux* involvitur.

Duplex de cætero eſt nux moſchata; vel mas, vel fœmina Differunt in eo, quod fœmina ſit rotunda ac minor; mas verò major & oblonga, Vulgus autem longiorem ſeu marem pro fœmina habet, unde vocatur *die Mutter Moſchaten*, à quibusdam etiam *Mannlein Moſchaten*, & vulgaris eſt ſuperſtitio, quod ſint meliores reliquis, & conducant mulieribus pro arcenda ſterilitate, viris pro augenda genitura. Nihilominus hic error vulgaris obtruditur à Rerum Indicarum Scriptoribus, quod Indi longiores floccipendant, & omnino negligant; vid. *NIEHOFF*; adeò, ut ſit falſa ſuperſtitio, eſſe meliores oblongas, cum contra ſint viliores, cum fœmellæ ſeu rotundæ ac minores nobilioris æſtimationis habeantur, & vulgò uſurpentur.

Nux moſchata in ſe eſt ſalubris & aromatica tota: Nihilominùs adulteratur in Indiis, & transfertur in alias regiones: maceratur nimirum in aqua calcis vivæ; ſic enim fit, ut quidem non corrumpatur, quod transvehitur; ſed tamen vis extrahitur, adulteratur, & pervertitur.

Nux moſchata oleoſa eſt magis & temperata, & minimè acris; macis verò magis eſt volatilis, acris & penetrans: Unde Nux moſchata, aliàs ſtomachica & uterina, nihilominus propter nimiam oleoſitatem ſuam ſæpius ſtomachum aliquantiſper gravat, & fermenti digeſtivi acrimoniam minuit & obtundit: quod malum præcavere videntur ipſi Chinenſes, dum recipiunt nuces moſchatas recentes, & benè maturas infundunt in ſal commune & acetum, ſic committunt menſis ante paſtum, quoniam oleoſitas corrigitur ab aceto, & ſic ſtomacho proficuum parant medicamen, & gulæ oblectamentum. Uterina eſt; inſigniter enim roborat uterum, & aliqualiter confert pro arcenda ſterilitate. In metu imminentis abortus pro roborando fœtu, & abortu præcavendo, adhibetur nux moſchata. Poſt partum puerperæ adhibita ſummæ eſt utilitatis. In doloribus poſt partum flatulentis ſæpe egregium remedium eſt: ſic quando mulieres poſt partum ſtatim aerem frigidum, vel potum non ſatis calidum, hauriunt, uterus exinde ſubitò flatibus diſtenditur, ut alter ferè fœtus reſtare videatur; quæ res difficillimæ eſt curationis: Unde in hoc ſibi caveant puerperæ, ne in talia incommoda incurrant, & in tali caſu decoctum nucis moſchatæ pulveriſatæ cum matricaria in vino uſurpent. Flatulentias primarum viarum diſcutit; hinc & in alvi torminibus confert, unde purgantibus pro aliquali correctela addi ſolet.

In dyſenteria nux moſchata affricatur pani ſuper carbones toſto, ac cereviſiæ vel potui ordinario immittitur, quod & in vomitu, nauſea, diarrhœis, & omnibus alvi fluxibus nimiis optimè convenit; vel in aliis potibus acidiuſculis, v. g. cereviſiæ acidæ, vel inſuetæ, quæ facilè ſtranguriam inferunt. In dyſenteria aliàs quoque laudant, ſi

℞. vitellum Ovi ad duritiem cocti, temperatum cum aceto roſaceo & nuce moſchata, & comedatur; eſt enim optimum in Diarrhœis medicamentum.

In lienteria, affectu, in quo aſſumpta per alvum excernuntur indigeſta, pulvis nucis moſchatæ cum vitello ovi eſt egregius, de quo refert *FORESTUS l.* 22. *Obſerv.* 328. quod quidam lienteriâ ferè emaciatus præter omnem ſpem curatus fuerit per vitellum ovi, pulvere nucis moſchatæ unius inſperſo, & ſuper tegulam ignitam aſſatum; quo exhibito æger convaluit probè curatus; unde etiam in vomitu compeſcendo eſt uſitata; aut pulvis aſſumatur internè cum medicamentis aliis. Aliàs & pulvis nucis moſchatæ cum rhabarbaro toſto, tanquam remedium ſpecificum ad dyſenteriam, atque ſpecificum in nimio fluxu meſtruo, mirè laudatur. *HELMONTIUS* recipit cortices aurantiorum, reſinam animæ, & pulverem nucis moſchatæ, & contra diarrhœam adhibet. Pulvis nucis moſchatæ cum pulvere baccarum lauri aſſumptus brevi ſtranguriam curare dicitur. Externè ubi recreatione opus eſt in fœtu materno, & metus imminet abortus, pro hoc præcavendo, & fœtu roborando, intingitur aquæ vitæ mulierum, vel vino malvatico, vel alii generoſo fruſtum panis, & umbilico imponitur, inſpergendo ſimul pulverem nucis moſchatæ. Simili modo ſtomacho applicatum prodeſt valdopeṙè in cardialgia, & abdomini impoſitum pro arcenda diarrhœa, & compeſcendo fluxu alvi nimio. In affectibus uteri flatulentis, in dolore uteri, & inflatione ejus poſt partum, ab aere frigido admiſſo, quod malum eſt ſatis frequens in mulierculis magis addictis pompæ, quàm ſanitati, expertum remedium eſt ſuffitus nucis moſchatæ; fumum nimirum nucis moſchatæ in duas vel quatuor partes diſſectæ, & carbonibus impoſitæ, per infundibulum genitalibus muliebribus immittunt; hac enim ratione uteri orificia ſe, denuo aperiunt, & flatus ibidem hærentes diſſipantur, ut cum ſonitu erumpant, & uterus in debitam conſtitutionem reducatur. Experimentum hoc fuit *SOLENANDRI*, & poſtmodum ab omnibus *PRACTICIS*, *HARTMANNO*, *RIVERIO*, *CORBEJO*, &c. felici cum ſucceſſu tentatum.

Quod attinet vires *macis* ſeu *floris*, eſt unum ex nobiliſſimis aromatis, imprægnatum totum copioſo ſale volatili, quod ſepultum jacet ſub copioſa pinguedine oleoſa; unde easdem dicitur habere virtutes cum ipſa nuce moſchata. In Colica aliàs eam decoquunt in vino, quod decoctum in flatuoſis uteri & inteſtinorum affectibus vi carminativâ, & acidum viſcidum attenuativâ egregiè conducit. Præterea humorum vitia, renes & urinarias vias affligentia, corrigit; quod manifeſtum, quia odore ſuo urinam ipſam imprægnat, adeoque renes & veſicam à cauſis occaſionalibus læſas ſuo modo afficit.

Externè in tibiarum ulceribus inveteratis non ultimum obtinet locum pulvis macis inſperſus; delet enim ulceris alimentum, & carnis corruptionem, in ſpecie confert illis ſubjectis, quæ emplaſtra perferre non poſſunt.

Ex Præparatis in Officinis proſtat *oleum nuciſtæ & macis deſtillatum & expreſſum*.

Oleum nuciſtæ expreſſum vim ſtomachicam pariter & uterinam exerit, unde in Cardialgia & dolore ventriculi, falsò cordis, vehementiſſimo, dolore in præcordiis, & vomitu compeſcendo, & flatulentiis primarum viarum, ſtomacho illitum egregium eſt; regioni verò umbilicali illitum in doloribus poſt partum flatulentis, diarrhœa, & cholera conducit, in ſpecie colica. Externè cum Oleo nucis moſchatæ miſcetur, ac ſub forma balſami in dictis affectibus illinitur. Pro conciliando ſuavi & leni ſomno illinitur temporibus; imprimis ſi unum vel alterum granum opii, vel olei expreſſi hyoſcyami admiſceatur, egregius erit *Balſamus ſuporiferus*.

Oleum nuciſtæ deſtillatum potentiùs multò & penetrantius eſt Oleo expreſſo.

Oleum deſtillatum macis magis eſt temperatum, & quodammodò viſcoſum. Admodum conducit in vomitu, diarrhœa, lienteria, dyſenteria, nauſea & cruditatibus, inflatione ventriculi, inteſtinorum & uteri; quia vi carminativâ non cedit oleo corticum aurantiorum: aut internè guttatim uſurpatum, aut externè umbilico illitum. Dorſo, renibus, ventriculo & umbilico inunctum compeſcit dolores colicos, imprimis flatulentos, & ſtranguriam ex eadem regione ortam. Ulteriùs Oleum deſtillatum macis ſolet pulveribus purgantibus pro correctione ad aliquot guttulas admiſceri; ſic enim ratione odoris ſuavis faciliùs retinentur in ventriculo, & ſine flatibus & torminibus blandè purgantem vim exerunt.

Alii *Magiſterium ex nuce moſch.* cum ſpiritu vini parant hoc modo: Recipiunt *nuces moſchatas*, atque contuſis affundunt *aquam fontanam* puriſſimam calidam, quam plurimam, poſteà deſtillant per alembicum

bicum in arena, tunc Oleum volatile prodit; aquæ vero innatat fixius, quod ascendere nequit: Hanc aquam trajiciunt per linteum, aquâ frigefactâ separatur oleum supernatans beneficio chartæ emporeticæ: Deinde cum spiritu vini blandissimo calore omnis color extrahitur, donec Magisterium in fundo siccum & album remaneat, quod corpus pro Balsamis constituit. In omnibus capitis affectibus Dysenteriis, diarrhœis, ac aliis profluiis, & mensibus immodicis compescendis, optimum est εὐπόριστον. Datur à ℥ß ad ℈ij vel ʒj in vehiculo calido: Vid. *HOFFMANNI Clav. p. 507.* cum quo conferatur simul *ZWELFERUS Pharmac. Regia pag. 225.*

Si nux moschata cum alcali exaltato ritè tractetur, spiritum evehi odoreum, cor exhilarantem, membranosis, nervosis, adeoque & cerebri partibus apprimè convenientem, narrat *THOMSON Epilog. Chym. pag. 78.*

Nux condita in Electuariis, corroborantibus caput & uterum, solet præscribi, etiam in morsulis.

MUSCUS.

MUscus triplex est usitatus; vel *arboreus*, vel *terrestris*, vel qualis *cranio humano adnascitur*. *Arboreus* in specie quercubus adhæret, & in *usu* est adstrictorio; sive in decocto, sive in pulvere applicetur vulneribus recentibus, & locis hæmorrhagia infectis, quibuscunque sanguinis profluviis, spontaneis & violentis.

De *musco* seu *usnea ex cranio humano*, cujus mentionem facit *AUTOR*, erit inferiùs dicendi locus. Observetur tamen hoc, quod semper debeat esse muscus ex homine violenta morte interempto, aliàs vel nullas, vel paucas admodum habet vires, quæ ipsi adscribuntur.

Muscus terrestris seu *clavatus*, *Lycopodium* aliàs dictus, copiosè Dresdæ, Witembergæ & Annæbergæ nascitur. Apud Veteres nullum de hoc ipso prostat vestigium, nec ullus est usus, nisi quod hodie Polonis pro cura plicæ esse soleat in usu: Conf. M. A. N. C. *Ann. 2. Observ. 52. pag. 94.* Modernis saltem in usum venire solet. Ante omnia quidem pulvis seu farina ejus volatilis, quæ uno tempore in eo reperitur, & itidem vulneribus recentibus, ulceribus manantibus, ut & hæmorrhagiis inspergi potest, vel sola, vel cum pulvere thuris & colophoniæ mixta; sic enim hæmorrhagias compescit, & conglutinationem promovet: conferatur *FEHR de Scorzonera Curios. pag. 12.* Cautè tamen observandus hic pulvis aut farina, nec candela ardens admoveatur; facillimè enim inflammabilis est, & si cochleari excepta candelæ admoveatur, instar pulveris pyrii strepitum ferè edit, atque adeo in eo sulphur quoddam *vegetabile* se prodit, quo nomine etiam audit. Similem farinam quoque habent Juli corylini tempore verno collecti, Juli alni, atque tenellli coni, pini, & abietis. Farinæ hæ, præsertim corylina & musci terrestris, nobile & commendatissimum constituunt antepilepticum; nec cedunt in hoc usu visco corylino, præsertim in epilepsia infantum, in qua singulare sunt remedium. Hoc modo præscribi solet:

℞. *Aquæ flor. tiliæ* ℥j.
Far. lycopod ℈j.
Auri fulmin gr. j. M.

Præterea farina lycopodii egregium est in suppressione infantum urinæ, de quo videbitis curiosas observationes in M. A. N. C. *Ann. 1. Obs. 97. p. 225.* & *Ann. 3. Observ. 15.* *Antihecticum* etiam *puerile* dicitur; quia in affectibus hecticis puerorum dosi ℈ß remedium singulare est. Colligi autem debet sulphur hoc seu farina illa, quando Juli vel muscus se leviter aperiunt, Sole in Leone existente, mense sc. Julio; quin & suavissimam alvum laxandi vim obtinet. Confer. *HOFFMANNI Clavis in Schrœderum l. 4. Sect. 1. p. 508.*

MYRTILLUS.

MYrtillus, Germ. *die Heidelbeere*, Fructus est notus, & ob nigredinem suam satis cognitus, cujus planta adstringit.

Usitati sunt *Fructus exsiccati*, qui vulgò pro scopo adstrictorio, & propterea in quibuscunque quorumcunque humorum fluxibus, in diarrhœa, hæmorrhagia uteri, narium, & dysenteria laudantur: quia adstringere, fluxumque supprimere putantur. Sed meritò hìc suspicatur *LUDOVICI*, metum esse, ne copiosiùs assumpti fermentationes p. n. in talibus fluxibus, & periculosas denuò excitent diarrhœas, propter succum exsiccatione quidem condensatum, sed in corpore humano denuò resolutum. Aliàs rarissimi usus sunt in Officinis.

Notandum quoque, quod ea æstate, quando copiosè proveniunt hæ baccæ, dysenteria plerumque grassari soleat: Scilicet baccæ in magna copia comestæ; aut potius, quando venenatis nebulis afflantur, aut exhalationibus acrioribus corrosivis imbutæ, absque prævia lotione devorantur, intestina vellicant & stimulant, ut necessariò intestinorum tormina & exulcerationes oriantur, quæ facillimam occasionem dysenteriæ præbent.

Prostat in Officinis *Syrupus Myrtillorum*, qui in Diarrhœis & Dysenteriis, & in specie hæmorrhagia pulmonum, vel in sputo sanguinis, in vomitu etiam, laudatur. Refert *FORESTUS l. 16. Obs. 20.* *in scholio*, quod in tussi cum sputo sanguinis, affectu satis periculoso, Syrupus myrtillorum propinatus sit egregium remedium, cùm vel solus soleat conducere pro compescenda tussi & sanguinis excretione.

Oleum quoque *Myrtillorum* per infusionem & coctionem prostat, quod extrinsecùs solet illini capiti contra defluxionem capillorum: item inungi solet partibus abdominis cum Oleo mastichino in nimiis alvi fluxionibus, vomitu, diarrhœa, cholera, & similibus.

MYRTUS.

MYrti *variæ* sunt *species*: sed rari sunt usus, ututtota planta spiret odorem aromaticum, & imprægnata tota arbor oleo balsamico aromatico, quo natura illam perpetuo virore vestit.

Hujus fructus cognitus est, cum *Baccæ* & *Folia* præprimis in usu sint. *Baccæ arefactæ* cum odore grato & aromatico vim stomachicam adstrictoriam obtinent, unde affectibus stomachi conducunt: Aliàs tam folia, quàm baccæ, insigniter ac potenter adstringunt, sive adhibeantur internè, sive externè. Et quidem in laxitate gingivarum scorbutica baccæ & folia commendantur pro arcenda putredine, & procuranda adstrictione gingivarum. Solet etiam admisceri decoctionibus & præscriptionibus pro capite purificando in tinea, vel à furfuribus, & aliis impuritatibus capitis sub capillis occultatis.

Syrupus Myrtinus & *Oleum* in frequenti usu est, ubi opus fuerit adstrictione; v. g. in dysenteriis, & tussi conjuncta cum hæmoptysi, compescit enim & mitigat sanguinis excretionem.

N.

NAPELLUS.

NApellus cæruleus, etiam Aconitum cæruleum, German. *Eysenhuttchen*, quod flos ejus galeam ferream militarem referat, item Germ *Munchs-kappe* dicitur. Refertur hic Napellus inter aconita lethalia & venenata: Non autem omnia aconita sunt lethalia, sed dicuntur quædam salutifera. Unde verò Aconita dicantur, videatur *PLINIUS*. Verùm pro varietate soli variant quoque Aconita. Sic, quæ in montibus Helveticis & Alpibus crescunt, sunt lethalia; quæ verò in Polonia crescunt, sunt sine noxa, cùm folia & flores ejus unà cum aliis in jusculo usurpata fuerunt: Conf. M. A. N. C *Ann. 2. Obs. 42.* item *Obs. 78.* & in hortis maxima copia coluntur. Sic mihi ipsi ab amico quodam, in Polonia vivente, relatum est, quod flores hujus napelli cærulei decerpti ornatus gratiâ communiter acetariis, in mensa Regia Cracoviensi expositis, sine noxa inspergantur. Contrarium etiam videbitis in *Ann. 3. Obs. 223.*

Quæritur aliàs de vero Antidoto appropriato contra hunc Napellũ. Magna est fabula de μῦ seu mure Napelli: Dicunt nimirum, quod propè radicem Napelli reperiatur mus, qui hâc radice vescatur, & quod optimum remedium præbeat contra napelli venenum haustum. Respondeo: mera fabula est; nullus enim unquam talis mus circa radicem napelli fuit repertus. Verumtamen est, in montibus Helveticis plures reperiri muscas, flores hujus plantæ circumvolitantes, quæ muscæ cum terra sigillata mistæ appropriatum hujus napelli præbent remedium. Verùm nec hoc est remedium certum, nisi experientiâ confirmetur. Videntur igitur Veteres decepti vocabulo μῦς, quod & murem & muscam significat. Confer. *Theatrum BAUHINI Tom. 3. lib. 34. pag. 654.* item *VELSCHIUS Hecatost. 1. p. 71.*

NAPUS.

NApus, *Bunias Græcorum*, Germ. *Steg oder Merseburgische Ruben*, est species *Rapi sylvestris oblongi*; *sativa* est ad *species Thlaspi* referenda.

Solum *semen* est in usu alexipharmaco atque diaphoretico, & ea propter jam à *GALENI* temporibus laudatum. Inter *semina expulsiva* refertur, & usurpatur potissimùm in Emulsionibus, scopo diaphoretico & expulsivo variolarum & morbillorum, unà cum semine cardui Mariæ, aquilegiæ, nasturtii, & similibus; v. g.

℞. *Sem. napi,*
Aquileg.
Card. bened. (quę corpus emulsionis constituunt)
an. ʒj.

C. f. q. *aquæ* cujusd. *destillatæ* f. Emulsio ad ℥jv. vel v.

Quæ & in febribus malignis cum excretione cutanea junctis, purpuratis & petechialibus, ut & in ictero propter semen aquilegiæ, adhiberi solet.

Vis expulsiva seminis napi consistit in sapore acriusculo, quod ad Nasturtiorum semen accedit, ratione salis volatilis acris: hinc in febribus malignis conducit expellendo. Infantibus etiam solet præscribi in nodulis, cum semine aquilegiæ, quos injiciunt Mulierculæ cerevisiæ pro expellendis variolis & morbillis; item in tinea & achoribus ratione seminis aquilegiæ; atque ita promovent eruptionem variolarum. Tandem interdum mulieribus in usum venit pro expellendis lochiis, secundinis, & mensibus, ut ut rarò in tali casu soleat adhiberi: aliàs rari erit usus, nisi in prædictis.

NA-

NASTURTIUM AQUATICUM.

N*Aſturtium* dicitur quſi nares tortium, quod nares tormentet: eſt *duplex*; vel *commune* ſeu *aquaticum*, quod acrius ſeu fortius eſt, & melius; vel *hortenſe*, quod mitius. *Naſturtium aquaticum* ordinariò vocatur apud Practicos, & quidem uſitatiùs *Syſimbrion*, Græcis *καρδαμίνη*. Eſt *flore ſimplici & pleno*; creſcit in locis humidis & paludibus.

Semen & folia in uſu ſunt, quæ ſaporem habent acrem penetrantem, & fortiter linguam afficientem; unde & inter quatuor calida & ſicca numerantur: Vis enim conſiſtit in copioſo ſale volatili admodum acri, ſimul oleoſo, quod acredine ſua vellicando & pungendo nares vellicat. Semen hoc quoque Oleum poſſidet, non tamen adeo copioſum, ut aromata.

Eſt planta noſtris corporibus maximè appropriata, cujus ſapor aliæque proprietates conveniunt omninò cum cochlearia; unde parilis uſus, parilis etiam adhibendi modus, eidem conveniet: adeoque in affectibus hydropicis, hypochondriacis, ſpleneticis; & ſcorbuticis, aliiſque morbis chronicis, ex acidi hypochondriaci fomite natis, optima ſuggeret remedia; quoniam omnes mucilagines craſſas corrigit & incidit, quodcunque acidum fixum acre peccans ſale ſuo acri volatili temperat, & potenter emendat, vel langueſcentem partim, partim depravatam ſanguinis fermentationem, cum ſale ſcorbutico concurrendo, ſuſcitat, auget, & fortiorem reddit; ac denique ad urinæ excretionem diſponit & promovet, & ſic vulgò exſiccare dicitur: cùm tamen potiùs attenuet & aperiat, quoniam hìc vel ipſi cochleariæ non cedit, cum ſal ejusæquè, non tamen adeo volatile ſit, atque ſal volatile cochleariæ. Et cum valdè incidat atque abſtergat, primatum ducit inter nephritica, quod habet AUTOR, quatenus ſal volatile acre temperat, & corrigit acidum calculi coagulatorem, & ſabulum atque calculum expellit. Hinc quoque ad obſtructiones vulgò dictas lienis, hepatis, meſecterii, ſpecificè verò ad dictos affectus chronicos, proficua eſt, urinam fortiter pellendo. Præterea ſolet valdè commendari, quod ſanguinem congrumatum omnium optimè ſoleat diſſolvere. Febres quoque intermittentes, in ſpecie Quartanas inveteratas & catarrhos PARACELSUS crebro Naſturtii uſu percuravit; id quod imprimis in Quartana ſcorbutica conducibile eſt, cum & vomitum interdum moveat, & per ſudorem agat, ſimulque acrimoniam ſcorbuticam Quartanæ temperet. In Caro pituitoſo & frigido FORESTUS *l.* 10. *Obſ.* 39. valdoperè commendat, nilque præſtantius eſſe dicit, quàm uſum Naſturtii, ſive cocti, ſive in acetariis uſurpati.

Externè planta contuſa & calidè applicata in nephritide proficuum eſt: per noctem impoſita ſcabritiem cutis, & fœditatem delet: ad puncturas inſectorum & crabronum commendatur. Rectè dicit Autor, quod viride & adhuc recens Naſturtium adhibitum melius ſit: quod verum eſt de omnibus ſale ejuſmodi volatili præditis; avolat enim ſal, quando exſiccatur, & ſic depauperatur viribus.

Semen naſturtii unà cum ſemine napi & reliquis contra malignitatem variolarum & morbillorum adhibetur; optimum enim eſt expulſivum variolarum in infantibus, ſive in ſubſtantia uſurpetur, ſive cum reliquis ſeminibus in forma emulſionis. In infantibus ejuſmodi morbi ex vitio lactis nutritii oriri dicuntur, quatenus in infantum ventriculis aceſcit & corrumpitur; tunc fit, ut ejuſmodi ſuccedant morbi. Quoniam autem naſturtium ex ſale volatili acri conſtat, hoc ipſo lac & fontem illorum morborum emendat, denique ſanguinem congrumatum egregiè diſſolvit.

Externè contra tineam puerorum inveteratam nil melius eſt, quàm ſi ſemen naſturtii probè teratur, & cum pinguedine porcina ſubigatur, ſicque ſub forma linimenti applicetur capiti, & temperat acidum in ulceribus, uti laudatur à PAULI *in Quadripart. Botanico.* Idem ſemen Naſturtii pulveriſatum in curandis, præſertim juniorum, herniis ſatis commodum eſt, externè & internè adhibitum: idque hoc ex fundamento, quod acrimonia ſua cauſtica uberiorem alimentorum affluxum excitet, quo ipſo peritonæum eò facilius conſolidatur. Sic FORESTUS *lib.* 22. *Obſ.* 15. itidem ſemen naſturtii eximiè laudat, non ſecus ac FONSECA *l.* 2. *Conſ.* 36. qui ſequentem deſcribit herniarum curam:

> ℞. *Pulverem ſeminis naſturtii*, ſubigit cum *albumine*: ovi hinc extenſum ſuper alutam apponatur ad hernias, nec moveatur, quoad ex ſe decidat: item ejuſdem pulvere dato mane ſeroque ʒj. cum vino rubro per aliquot dies noctesque.

Sic Medicus quidam pueros hernia laborantes reſtituit, propinando interiùs ſemen & naſturtium infuſum vino, exteriùs verò applicando fruſtum pellis vel cutis anguillæ cum albumine ovi oblitum. Quò pertinet Ceratum ad herniam omentalem, & inteſtinalem expertum:

> ℞. *Gumm caran.* part. ij.
> *Sem naſturt. pulveriſat* part. j.
> Miſce cum pauco *terebinthinæ coctæ*, ſuperinduc alutæ, & applica loco hernioſo.

Ettmuller. Oper. Tom. III.

Succum naſturtii expreſſum quidam in febribus ſcorbuticis ad ℥j in vino hauſtum commendant. Quidam recipere ſolent *ſuccum naſturtii aquatici* expreſſum cum ana *aceti communis*: Miſturæ hujus recipiunt cochlearia ij, vel iij, addunt gr. vj. vel vij. *ſalis abſinthii* fixi, & propinant ante paroxyſmum; idque ter quaterve repetunt, ſicque curari Quartanas dicunt. Aliàs obſervatum eſt, quod ii, qui ſcorbuto laborant, lumbricis latis, & aliquot ulnarum longis, ſæpè affligentur, quos ſuccus naſturtii necare & expellere dicitur, & eſt quaſi juratus hoſtis illorum ſuccus recens expreſſus. Imò optimè ſæpè propinatur infantibus in lacte, quod ita vomitum movet, quod in curatione variolarum & morbillorum non contemnendum eſt remedium. Externè in vitiis ſubcutaneis, in cruſtoſa puerorum ſcabie, adhibetur. Succus hic cum aceto, vel ſimplici vel roſaceo, miſtus, & per ſpongiam naribus admotus, certo experimento Lethargicos excitare ſolet. Ex hoc patet Autoris noſtri error, qui dicit: quod ſuccus naſturtii inſpiſſatus cum aceto, illitus naribus, ſoleat arcere vigilias immoderatas, & quaſi inducat ſomnum; cum tamen vigilias magis promoveat. Quinimo acetum per ſe agrypniam inducere ſolet; propterea in Epithematibus cephalicis moderatus aceti ſit uſus, ne vigilias inducat; Unde non poteſt eſſe, quod conducat contra vigilias; potius conveniet contra Lethargum. Si inſpergatur ſpongiæ, cum ſucco naſturtii & aceto roſaceo impragnatæ, pulvis caſtorei, ejuſdem efficacia magis appropriata redditur, quia pulvis dictus expertus eſt in lethargo. Et quidem, quod acetum proſit contra nimium ſomnum, patet ex eo, quod ad arcendum ex nimis frequenti & immoderato opiatorum & narcoticorum uſu inductum ſomnum ſæpe lethalem, ſit optimum Acetum, & corrigat vim opiatorum narcoticam. Ergo cum naſturtio vel ejus ſucco conjunctum magis vigilias inducet, quàm ſomnum contra Autorem. Dicit præterea Autor noſter, quod Succus Naſturtii polypum extinguat (qui eſt caro propendens ex naribus, ubi ſæpè metus eſt, ne inducatur ſuffocatio, niſique rectè tractetur, abit in gangrænam, & ulcus cancroſum exinde fieri poteſt;) quod verum eſt. Et fuit hic ſuccus ſecretum cujuſdam mulieris nobilis Lotharingiæ, quæ hoc ipſo ſucco quam plurimos polypo laborantes curavit: Quod teſtatur HARTMANNUS *in ſcriptis ad MICHAELIS traſmiſſis.* Alii ſolent commendare ſuccum ari vel aſari, qui ſucci non minus, quàm Naſturtium aquaticum, impragnati ſunt ſale volatili acri.

Hinc ſequitur *aqua Naſturtii* per balneum Mariæ; ſicut notus quoque eſt *ſpiritus Naſturtii* tam ex ſucco recenter expreſſo, quàm ipſa planta inſtar ſpiritus vini deſtillandus: qui *ſpiritus* & *aqua* in affectibus ſcorbuticis egregia ſunt, & ad eadem conveniunt vitia, ad quæ ipſum naſturtium aquaticum ſimplex.

Præparationem *Spiritus urinoſi*, & *Salis volatilis* elegantem mediante fermentatione putrefactivâ, & curioſam videbitis in M. A. N. C. *Ann.* 6. *Obſervat.* 21. *pag.* 52. *Spiritus* autem *ſulphureus* per fermentationem Naſturtii, aliorumque antiſcorbuticorum, quomodo parandus, videbitis in PAULI *Quadrip. Botanico pag.* 409.

NASTURTIUM HORTENSE.

N*Aſturtium Hortenſe* in hortis ſolet ſeri & coli, ſaporem habet eundem cum Naſturtio aquatico, ut ut ſit aliquantiſper mitius.

Eſt aliàs ejuſdem uſus & naturæ cum Naſturtio aquatico, convenit itidem in ſcorbuto, ac Naſturtium aquaticum, & quicquid præſtat, ratione ſalis volatilis acris præſtat. Sunt, qui commendant ſingulariter contra vermes, & imprimis contra vermem pericardii: de quo verme Cordis in capſula vid HARTMANNUS *in Praxi Chymiatrica cap.* 3 qui inter alia commendat ſuccum Naſturtii aquatici contra tales vermes: ſimile memini me legiſſe in obſervationibus GABELCHOVERI *Centur* 3. *Curat.* 1. de vermibus cordis: Hiſtoria eſt elegans, quæ videri poteſt apud Autorem jam citatum de puella, ſimili ſucco naſturtii & allii cum brodio, in quo maceratus fuit raphanus ruſticanus, curata hauſtibus repetitis: In annotatione ſequenti facit mentionem vermium, qui non facilè poſſint arceri, niſi ſucco naſturtii, allii, & raphani ruſticani. Eſt rara & obſervatu digniſſima hiſtoria. Aliàs ejuſdem eſt uſus cum Naſturtio aquatico.

Adhuc notandum de Naſturtio, quod detur etiam Naſturtium Creticum & Indicum.

NASTURTIUM CRETICUM.

N*Aſturtium Creticum* eſt planta rara, aliis ſpeciebus odore & ſapore ſimilis.

NASTURTIUM INDICUM.

N*Aſturtium Indicum* commendatur valdè in curatione phthiſeos, ſive ejus folia, ſive ſuccus uſurpentur. Si aſſumatur cum Conſerva roſarum, valdoperè ad phthiſin curandam confert: hocque expertum Secretum fuiſſe dicitur B. D. MOEBII, Profeſſoris quondam Jenenſis. Et quidem in phthiſi ſcorbutica valdoperè prodeſſe

dixerim, ubi acidum scorbuticum corrodit pulmones: Unde talia antiscorbutica, sive cum conserva rosarum, sive cum sero lactis caprini usurpentur, prodesse vix dubitem: cum lacte præprimis sumpta coercent febrem hecticam cum phthisi conjunctam.

NEPETA.

Nepeta sive *Mentha Cattaria* aut *felina*, *species* est *menthæ*, utut ignobilior, non odoris grati, uti reliquæ species, sed admodum molesti. Dicitur Germ. *Katzen muntze*, quod feles hac planta vulgo delectentur, cujus rei exemplum refert *PETRUS JOHANNES FABER*, Chymiater quidem optimus, sed non semper veridicus, *in Myrothecio Spargyrico lib. 2. cap.* 34. quod Quintam Essentiam ex hac Mentha Cattaria paratam, vitroque inclusam asservaverit, cui feles & canes semper magno cum delectamento assederint.

Usus ejus propter fœtorem rarus est, nisi in uterinis affectibus; estque unum ex primariis Emmenagogis vel menses & lochia expellentibus, in quibus affectibus internè & externè solet præscribi.

Externè in balneis uterinis, aut etiam in clysteribus uterinis. Sed loco hujus Mentha, & Calamintha sufficiunt.

LIGNUM NEPHRITICUM.

Lignum *Nephriticum*, Germ. *das Griesholtz*, est exoticum, & ex America affertur, lignum admodum crassum & durum, quod aquæ infusum eandem colore cœruleo tingit; unde & quibusdam *Santalum cœruleum* dicitur. Santala aliàs sunt tria: *Santalum rubrum*, *album*, & *luteum* seu *citrinum*; de quibus inferiùs: unde hoc propter varietatem multiplicis coloris, speciatim cœrulei, quo aquam tingit, solet vocari *santalum quartum* seu *cœruleum*. Aquam autem eo ipso imprægnat vi nephritica & diuretica calculum pellendi. Interim non tam santali, quam *fraxini species* videtur, ut non ineptè suspicatur *Pauli in Quadripart. Botan.* Vbi de fraxino: quod confirmat, quia interior fraxini cortex aquæ immersus simili prorsus colore tingit eam, ac lignum nephriticum, utut etiam alios colores repræsentet: Infusum enim hujus cum aqua, pro varietate loci, varium colorem nanciscitur. Sic in vitro & loco pellucido exhibet colorem luteum vel croceum, in umbroso autem perfectè viridem, in perfectè autem umbroso & caliginoso cœruleum, & præter hos etiam aliam colorum varietatem solet exhibere: Videatur *SCHOTTUS Mag. natural. P.* 1. *l.* 5. *Acroam.* 1. & *KIRCHERUS*, *ubi* tractat *de ligno nephritico in Arte magna lucis & Umbræ l.* 1. *P.* 3. *cap.* 4. qui vim colorandi ligni nephritici à sale quodam ammoniacali, in quo omnes resideant colores, deducere amant, quod ex ligno isto derivetur in aquam; aut pro diversa radiorum solis incidentia ac refractione varios ac diversos repræsentet colores. Quoniam autem solet adulterari, fit probatio, quando infunditur in aquam, ut videamus, an tingat illam? & quidem in loco umbroso, an colore cœruleo? Quomodo color Infusi talis nunc delendus, nunc verò restituendus sit, videbitis in *HOFFMANNI Clave in Schrœderum p.* 175. & 511.

Usus est diureticus, hinc Infusum & Decoctum ejus ad purificandos renes, & abstergenda eorundem vitia perquam egregium, in omnibus affectibus calculosis & nephriticis, sive debeat promovere calculum, sive ejus genesin impedire, adhiberi solet. Propter hac enim insignem vim antinephriticam hoc nomen accepit, adeò ut nullum sit simplex, quod ita simpliciter usurpatum talia præstet, quæ lignum nephriticum, absque omnis saporis ingratitudine, & aliis molestiis; sicut etiam potus ratione coloris gratus est. Solet præterea usurpari in affectibus hydropicis, & aliis morbis, in quibus diuresi opus est: quin & in affectibus spleneticis, in tumore ejus & duritie, dum materiam crassam potenter resolvit, & resolutam per urinam eliminat. Infusum ejus est polychrestum. Optimus namque curandi lienis vitia modus est, qui fit per diuretica.

Præter simplicem hunc in decocto vel Infuso usum quidam *Essentiam* ex hoc ligno cum spiritu salis ammoniaci & fragorum parant: Conferantur M. A. N. C. *Ann.* 3. *p.* 74. Alii vel lignum nephriticum cum liquore betulæ infundunt, de quo vid. *CNOFFELIUS* in M. A. N. C. *Ann.* 6 & 7. *Append. pag.* 126.

Huic ligno nephritico usitatè tanquam exotico substituitur nostra Betula pro dictis usibus, de *quo suprà*. Videatur etiam *HELMONTIUS*. Commendatur quoque in scorbuto, & lue venerea à *FEBURE in Chymia*.

NICOTIANA.

Nicotiana datur *flore rubro* & *luteo*; estque *major*, vel *minor*. *Nicotiana major latifolia*, aliàs *Hyoscyamus Peruvianus*, & *Nicotiana minor*, *Hyoscyamus luteus*, quibusdam dicitur: & rectè quidem; *utraque* enim sunt *de prosapia Hyoscyami*, & ad eorum genus referendæ; sicut & instar Hyoscyami habet vim narcoticam, & stupefactivam. *Nicotiana* dicitur à *JOHANNE NICOTIO*, *Regis Galliæ Legato in Hispaniam*, tanquàm ab Inventore, qui eam, & ejus usum Anno 1560. primitus ex Americæ Insulis, præprimis ex Florida Insula, Virginea, & reliquis Indiæ Orientalis in Lusitaniam, hinc in Galliam, transtulit, ac Reginæ, matri Regis Galliæ, obtulit, unde & *Planta Regina* dicta. Aliàs ab Hispanis Indico nomine *ab Insula Tabago*, utpote loco natali, *Tabacum* dicitur, & hoc reliquis præfertur. Communiter Practici *Petum* vocare solent, unde & oxymel & Syrupus de Peto Quercetani &c. sed malè: Nam *Petum* alia longè est planta, & quæ, referente *LERIO in suis Peregrinationibus*, nuspiam, nisi in India, crescere ac conspici solet. *VELSCHIUS in M. A. N. C. Ann.* 1. *Obs.* 153. meminit *Tabaci Japonici fibrosi*: sed non Japonicum, sed *Chinense* esse, videbitis *Ann.* 9. & 10. *Obs.* 195.

Scilicet in Tabaco distinguenda est duplex particularum compositionem Tabaci materialem ingredientium differentia.

I. Sunt enim primò *particulæ salinæ volatiles* acerrimæ, ac naturæ *specificè acidæ*; cum recens herba trita saporem subamarum & acutè penetrantem piperinum repræsentet. Ab his dependet vis summè irritativa partium fibrosarum ac nervosarum: hinc est, quod fumi tantillum inspiratum, ac cum saliva simul deglutitum, fibrasque ventriculi irritans, tantos excitet vomitus, & enormes dejectiones: quod etiam fit, si tantillum tabaci masticetur, ac cum saliva deglutiatur: etiam externè applicatum vomitus ciere, habet *WILLISIUS in Pharmac. Rational.*

Ex Infuso in spiritu vini paratur *Essentia* fortiter vomitoria: melius tamen paratur cum dimidio nitri fixi, prout eam insinuat *LUDOVICI Pharm. p.* 501. vel cum alcali tartari, quod virulentiam ejus multum corrigit. Pro ditioribus, e. g.

℞. *Tabaci Virgin. opt.*
Flor. rosar. incarnat. in umbra exsicc. an. part. æqv.
vel *rosar.* part. ij. vel iij. & *tabaci* part. j.
Nitri fixi part. dimid. respectu Tabaci.

Extrahantur cum *spiritu vini non* adeò *rectificato* in vitro clauso & loco calido, sicq; fiet *tinctura* seu *Essentia emetico-purgans* fortissima.

Pro pauperibus:

℞. *Tabaci Virgin. minutiss. concis.* ad ℥j.

Infund. per noctem in quemcunque lubet liquorem, imprimis in *spiritum vini* vel *Vinum*, manè lentè exprimatur, & assumatur.

Hoc Infusum manè assumptum fortiter purgat, & cochleatim saltem propinetur, vomitus movet.

Cinnamomum unà infundi potest, & *santalum rubrum*. Potest & ad consistentiam Extracti inspissari, & internè & externè commodè usurpari. Internè datur gr. ß. ad gr. j. instar pisi majoris.

Merentur, quæ hìc annotata habet *LEMERY in sua Chymia pag.* 528.

Hic

Recipit *Tabaci boni minutim incisi* ℥viij.

affundit ana *Phlegm. vitrioli*, digerit in cucurbita vitrea igne arenæ per diem & noctem: destillat ℥v. & asservat seorsim.

Vomitorium insigne est hic liquor, à ʒij. ad ʒvj.

Residuum hujus decocti per retortam igne aperto destillatur, obtinetur *Phlegma*, *Oleum nigrum*, & *Spiritus*.

Olei hujus ʒj cum ℥ij pinguedinis mista, egregium est in scabie. Est etiam Oleum hoc Tabaci tam potens vomitorium, ut, si aliquandiu nasus admoveatur phiolæ, in qua asservatur, vomitus superveniat. Feci aliquando parvam incisionem pellis in coxa canis, & immisi parvam turundulam oleo tabaci imbutam, & subitò postmodum suprà & infrà cum insigni vehementia purgatus fuit.

Violentos Olei tabacini effectus in variis animalibus videbitis in *HARDERI Apiario*, *Obs.* 1. *usque ad* 7.

A dictis particulis salinis dependet vis ejus aperitiva, resolutiva, incisiva, sordium viscidarum expectorativa, item emetica, & purgativa, cum sit unum ex vehementissimis Purgantibus; hinc est, quod in Asthmate humoroso, Orthopnœia, tussi humida, & similibus affectibus, ex muco crasso viscido & mucilaginoso, pulmonum tubulos infarciente obortis, pro muco hoc eliminando, item purulentiis pulmonum extergendis Infusum ejus per digestionem probè paratum, item Syrupus, Oxymel ejus &c. medicamenta sunt expectorantia ferè sine pari, & divinum remedium. Sit v. g. formula inde talis:

℞. *Syr. de hyssopo*,
Nicot. an. ʒiij.
Emet. ℈j.
m. d. s.
Emolliens Syrupus.

Resolvit mucum, & vomitum blandè movet.

Sed attendendum est, ut legitimè sint præparata per crebras purificationes & repetitas infusiones; Sic enim domatur Nicotianæ vis nimium purgans, & vomitoria. Unde expertus est *Syrupus* vel *Oxymel de Peto Quercetani*, quæ Compositiones duæ sunt elegantissimæ contra humorosum Asthma. Unde *Aqua destillata* ex foliis Nicotianæ commendatur à *FABRO* in Asthmate: quæ aqua mista cum succo Nicotianæ per residentiam probè depurato, & aliquot guttulis olei seu spiritus sulphuris, uti vult *LANGIUS*, erit egregia in Asthmate. Sed omnium optimè internorum remediorum pectoralium ex Nicotiana præparationem docet *MAGNENUS Tr. de Tabaco.*

Ex dictis particulis salinis est, quod Nicotiana masticata

ceu

ceu copioſiſſimum Apophlegmatizans, copioſiſſimas excitet ſalivationes, ſale volatili acri & penetrante penetrando in vaſa excretoria glandularum ſalivalium, eaſque irritando: Hinc ſunt nonnulli, qui tabacum infundunt ſpiritui vini, ac exinde parant *Extractum*, quod piſi magnitudine linguæ impoſitum, oſculaque vaſorum ſalivalium irritans, magnam pituitæ ac ſalivæ copiam per os educere ſolet. Ubi tamen omninò cavendum eſt, ne vel minimum ejus in ſtomachum dilabatur; ſecus enim vi narcoticâ caput ſtupefacit, ita, ut omnia rotari, tanquam ebriis videantur, & hinc vomitus & ſeceſſus vehementes provocantur.

Uterque effectus tam narcoticus ex Oleo reſoluto, quàm apophlegmatizans ex ſale volatili acri, manifeſtus eſt in ejus ſumo per tubulos hauſto, de *quo infrà*.

Ab hoc ſale volatili acri quoque vis ſternutatoria, dependet, ſi ſcilicet Tabacum pulveriſetur, & tantillum ejus naribus immittatur.

Unde *Oleum Nicotianæ per coctionem* aut *infuſionem* paratum, per nares attractum prodeſt in Coryza. Formulam ſuppeditavi, *ubi* egi *de Majorana*.

Aliàs & in herba arida *Sal* hoc reperitur & *Oleum* & quidem acrius & exaltatum, quia per putrefactionem, præparationem ejus antecedentem, ſal volatile acre nonnihil ſeparatur ex concreto miſti, & longè fit acrius. Per putrefactionem enim *Spiritus urinoſus*, & *ſal volatile* optimè fiunt: è contra in planta ſucculenta recenti vires magis temperatæ ſunt, quia ſal ejus volatile aliis humoribus temperatur.

Præter has verò particulas ſalinas penetrantiſſimas conſiderandæ etiam ſunt

II. *Particulæ oleoſæ ſulphureæ* non adeò maturatæ, ſed adhuc perquam crudæ & ſumoſę, quę celeri paſſu totum perambulant corpus, ſpiritus uſque influos ita obnubilant, eorumque impetum elaſticum ita compeſcunt, ut ſummus torpor ac ſtupor narcoticus totum corpus excipiat, cujus intuitu *Nicotiana ſpecies* quædam *Hyoſcyami*, cui nec cedit, eſſe videtur. Hinc eſt, quod, qui ejus ſumo utuntur, plerumque ſomnolenti ſint, imo, qui eodem nimium abutuntur, ſtuporem mentis contrahant. Vim hanc ſtupefactivam autem non tantum ſub fumi forma exerit, ſed & externè uſurpata eandem pateſacere ſolet, cum in enecandis pediculis capitis, & curanda tinea capiti applicata, ægros ſtupidos & quaſi ebrios reddit, niſi ſumma cautela adhibeatur.

Modus applicandi hic eſt, ut Nicotiana coquatur in aqua & aceto, & cum hoc caput lavent; vel Nicotianæ pulvis cum melle illinatur: ſicut etiam in quibusdam locis *Unguentum Nicotianæ* proſtat, quod expertum eſt contra pediculos enecandos, ſeu phtyriaſin, *quando pediculi è cute prorepunt* In Officinis proſtat etiam *Unguentum contra pediculos*, quod ſolet malaxari cum Oleo Nicotianæ, & fit magis appropriatum & expertum; vel ſi ſolum Oleum Nicotianæ inungatur veſperi capiti, manè mortui reperientur. Sed periculoſus eſt ejus uſus, unde, ut dixi, cautelâ opus eſt, quia exinde infantes, monente FEBURE, propter virulentiam plerumque in cardialgiam & ſyncopen incidunt, & ſtupidi ac ebrii fiunt, & ſuprà ac infrà purgari ſolent. Harum particularum ſulphurarum ſeu oleoſarum ratione fit, quod fumus tabaci famem & ſitim extinguat, omnemque appetitum proſternat (quod arcanum eſt militibus) & quidem ex duplici fundamento, partim, quia inducit ſtuporem orificio ſiniſtro, partim quia ratione contenti ſalis volatilis oleoſi ſaturet, & obtundat fermentum ventriculi, quo temperato, ceſſat ſtimulus, famis origo Hinc Indi quando ad tempus ſine victu peregrinari volunt, faciunt globulos ex conchyliis calcinatis cum ſucco nicotianæ, qui in ore detinendi; quoniam conchylia fermentum ſaturant, ſuccus verò nicotianæ ſtimulum inhibet, & ſenſationem tollit. Hinc Moderni, præprimis Angli, Clyſmata ex fumo tabaci in paſſione iliaca, colica convulſiva, obſtructione alvi, & affectibus flatulentis applicata, tanquam præſentaneum remedium commendant, non tantum dolores ſiſtendo, ſed & alvum laxando; unde etiam fumus hauſtus choleram inducere ſolet. De talibus Clyſteribus SIMON PAULI *in Quadrip Botan. Claſſ.* 3. *p.* 462. & 463. BARTHOLINUS *Cent.* 4. *Epiſt* 92. & *in Hiſtor. Anatomicis Cent.* 6. *Obſerv.* 66 ubi modum & inſtrumentum, quo ſine noxa & moleſtia applicantur, deſcribit. Verùm BARTHOLINUS *loco allegato Cent.* 5. obſervavit, Clyſma ex decocto tabaco paratum mirè turbaſſe corpus, ac convulſiones, ſudores frigidos, aliaque maxima mala induxiſſe; id quod & ipſe, Clyſma ejuſmodi aliquando tentandi gratiâ cuidam præſcribens, in Praxi mea expertus ſum, quæ tamen omnia poſt hauſtum vini calidi generoſi evanuerunt. Porrò, propter vim ejus anodynam & nervinam eſt, quod in ore detenta aut maſticata dolores dentium ab acido oriundos ſedet, vi narcoticâ ſenſum doloris fallendo, & per copioſum fluxum ſalivæ acidum in radice dentis rodens, à ſale volatili Nicotianæ priùs concretum, eluendo: Vid. RIVERIUS *Cent.*4. item quod folia contuſa non ſecus ac hyoſcyami dolores alicujus partis dolentis ſiſtant: unde folia recentia, vel exſiccata noviter humectata commendantur impoſita auribus contra otalgiam, ſeu aurium dolorem. In ſpecie in cruribus œdematoſis & puſtuloſis folia recentia leviter contuſa & applicata extemporaneum ſunt remedium.

Utriſque his particulis, tam ſalinis quam oleoſis, excellentiſſimum præbet vulnerarium in vulneribus inveteratis ac ulceribus quibusvis, & manantibus, modò non nimis malignis, etiam phagedænicis perſanandis, ut & contuſionibus; particulis enim ſalinis ea mundificat, oleoſis verò eadem efficaciſſimè conſolidat, ac dolores lenit. Hinc recens planta, dum ſucco, ſal volatile acre ſulphureum temperante, adhuc pollet & turget, etiam hujus ſuccus recens expreſſus, vel decoctum vel Infuſum in ulceribus ac vulneribus inveteratis quodvis Chirurgorum Balſamum antecellit: ſicut & ordinarium Ingrediens eſt Balſamorum vulnerariorum & unguentorum, quæ applicantur partibus exulceratis: ſuppurat enim egregiè, optimè mundificat, & ad ſanationem perducit; unde etiam in ulceribus vulgatum unguentum diapompholygos malaxatur cum Oleo Nicotianæ. Sic ſola folia Nicotianæ viridia contuſa pauliſper, manè & veſperi impoſita recenti vulneri, ſiue ulceri curant, ut & ipſa ulcera tibiarum, ſatis aliàs difficilia curatu; item pedibus puſtuloſis, ſimulque œdematoſis hoc modo impoſita, mirabiliter ſuccurrunt: Sic & in ulceribus fiſtuloſis ſinuoſis, & ipſis fiſtulis laudem meretur, ubi vel Oleum ejus pro inunctionem & malaxatione unguentorum & emplaſtrorum, vel ſuccus, tam per ſe quàm in emplaſtris, vel Decoctum vel Infuſum pro lotione & injectione ſatis eſt efficax; imprimis, cum ſuccus nicotianæ cum pulvere exuviarum ſerpentum per ſiphonem fiſtulis injectus easdem mirabiliter ſanare dicitur. Alii recipiunt ſuccum cancrorum fluviatilium cum foliis nicotianæ, & pulvere exuviarum ſerpentum, & fiſtulis ac ulceribus fiſtuloſis applicant. Alii loco pulveris exuviarum recipiunt Mercurium dulcem, & cum ſucco cancrorum fluviatilium ac foliis nicotianæ miſtum, fiſtulis & ulceribus fiſtuloſis felici cum ſucceſſu injiciunt. In mundificatione ulcerum eſt expertiſſimum & elegantiſſimum decoctum, factum ex plantagine, nicotiana, aloe & myrrha. Parant quidam Balſamum vulnerarium ex nicotiana hoc modo:

℞. *Fol Nicotian Ind.* ℥vj.
Spiritus terebinthin.
Baccarum junip. an. ℔j.

Infunde, circula vel digere per 8 dies & noctes, exprime cum prelo, & ſanabit omnem plagam intra 24. horas.

In arefacta verò nicotiana principia ejus dicta, texturam medicamentoſam conſtituentia, acriora & quaſi violenta exiſtere ſolent.

Porrò in affectibus cutaneis externis, ſcabie v.g herpetibus, impetigine &c. admodum egregium remedium eſt Nicotiana, & quidem Oleum per infuſionem, & unguentum nicotianæ; non ſecus ac ad cancros non parum confert. Conf. VELSCH. *Hecatoſt.* 2. *pag* 24.

Ulteriùs quantum in empyemate, ſive ex pleuritide ſuppurata, ſive vomica, ſive vulnere pulmonum, ad materiam purulentam evacuandam, ulcuſque conſolidandum, valeat Decoctum, Infuſum, Syrupus, aliaque medicamenta ex nicotiana, non ſatis laudare poteſt. MAGNENUS *l. a.* & EPIPHANIUS FERDINANDUS *in Hiſt. Med. Mir.* 32. & 45. imò per decoctum foliorum recentium nicotianæ ſe quendam à morte præſentiſſima liberaſſe dicit.

Verba hæc ſunt: *In empyemate me nunquam deceperunt, ſemperque iis felici cum ſucceſſu uſus ſum vaporatione & decocto tabaci, mediantibus quibus mira puris per tuſſim facta eſt excretio, idque continuando, ſanati fuerunt:*

℞. *Fol. tabaci vel nicot.* ℥j.
Bulliant in
Aquæ dulc. ℔ij.

ad conſumptionem medietatis: ſic multum ſub fumi ſpecie de particulis acrioribus avolat: addatur in fine

Fol. malvæ,
Brancæ urſinæ,
Violar. an. M. j.

Colentur, & cum ſapa ſeu muſto inſpiſſato miſceantur.

Detur calidiſſimum pluries in die.

℞. *Fol. nicotianæ:*

Reponantur in cineribus adhuc ignitis, & fumus per fiſtulam ſeu embolam aſſumatur.

Res procedit eò feliciùs, ſi imprimis huic Syrupo Medicus adjungat Syrupum de hedera terreſtri vel de ſymphyto Fernelii: Hæc namque ſunt vulneraria, & ſanant vulnera, quæ Nicotiana purificavit; ſimul etiam vi vulneraria & anodyna uberiorem mucoſitatum proventum præcavet, & partes læſas optimè reſtituit.

Aliàs internè, præterquam in affectibus pectoris, dyſpnœa, pleuritide ſuppurata, aſthmate infantum, vulneribus & ulceribus pectoris, rarum habet uſum propter violentiam emeticam, & virulentiam narcoticam ſatis ſuperque demonſtratam. In tumoribus itidem duris & ſcirrhoſis emolliendis, reſolvendis & diſcutiendis, præſertim ſplenis & hepatis, admirabilis eſt hæc herba; unde in ZWELFFERI *Pharmacopœa Regia editionis ultimæ pag.* 312 proſtat egregium *Emplaſtrum ſpleneticum*, cujus baſis eſt nicotiana. Quin & in Quartanis febribus ſuccus aut Extractum ejus lienari regioni applicatur non ſine ſenſibili effectu: unde quidam habent

habent *Emplastrum contra Quartanas* ex Nicotiana, qui applicant regioni renum pro cura Quartanarum; ficut HELMONTIUS *Tr. de Febr. c.*14. Quartanas, quarum nidum in fplene effe ftatuit, per Emplaftrum fe curaffe afferit, quod ex nicotiana fieri, funt qui afferunt.

Satis notus etiam eft *externus Tabaci ufus*, quando ejus fumus per tubulos attrahitur. Parandi modum videre poffumus in *Chym.* FEBURE, qui habet totum proceffum: unde quoniam paratur cum urina, deftillatus dat fal volatile, quod non eft ex tabaco, uti putant nonnulli, fed ex urina. *Fumum tabaci* quod attinet, hic fatis ufitatus, adeò, ut quidam, referente THONERO *Obf.* 3. *lib.* 2. *pag.* 103. ftatuto pretio 200. imperialium exhauferit 300 fiftulas: Et utut propter abufum fit inutilis, ratione tamen principii fui jam jam nominati, Phlegmaticis dictis feu illis conducit, quibus caput partesque vicinæ quacunque occafione fuccis chylofis, & lymphâ copiofiori nutritivâ irroratæ funt, feu qui fal volatile temperatum habent, multifque aliis affectibus narium & faucium, coryzâ, laxatione uvulæ, & fimilibus, in inflammatione faucium, & affectibus catarrhalibus infeftantur. Nam vi narcotica ftimulum caufæ externæ, lymphæ effufionem provocantis, fiftendo, ejufque acrimoniam temperando, uberiorem effluxum prohibet; ficut ipfam lympham per fputum copiofius promovēdo fucceffivè partes capitis & faucium interiores à nimia illuvie defendit. Quin & peftis præfervativum & fingulare curativum in fumo tabaci confiftere, proprio exemplo oftendit DIEMERBROECK *Tract. de Pefte.*

Sed hoc ipfo patet, quod nimio hujus fumi abufu cerebrum contabefcat, & arefcat, indeque functionibus animalibus, præfertim memoriæ, valdè obfit; unde tam ex hac caufa, quàm ex narcofi nicotianæ, qui nimiùm hoc fumo utuntur, tandem fatui reddantur. Fit hoc, ut monitum, propter fucceffivam lymphæ, & hinc nutrimenti cerebri roridi exhauftionem, cum poft evacuatas lymphas ferofas ipfum nutrimentum partium roridum colliquefacere, & ita fub forma feri evacuari faciat Nicotiana.

Laudatur autem ifte fumus in fpecie, qui more Anglorum. Succus, tàm per fe quàm in emplaftris, vel Decoctum vel Infufum pro lotione & injectione fatis eft efficax; imprimis, cum fuccus nicotianæ cum pulvere exuviarum ferpentum per fiphonem fiftulis injectus easdem mirabiliter fanare dicitur. Præprimis autem *Tabacus compofitus* fub *fpecierum Diatabaci nomine* catarrhofis commendatur, fi nicotianæ addatur fuccinum pulverifatum, maftix, fandaracha, ftyrax, flores fpicæ, nardi, & quædam aromata, & irrorentur aliquot guttulis olei deftillati anifi, vel fuccini, item unum, alterumve granum camporæ: fic enim ufus ejus capiti & catarrhalibus affectibus valdè conducit: alii, qui habent ferofum caput & lymphaticum, etiam cubebas addunt.

Dubium eft, *an ex fumo Tabaci continuò haufto cerebrum nigrefcat, nec ne?* Sunt qui affirmant, funt etiam, qui negant: fed lis vana eft; non enim fubftantialiter penetrat ipfe fumus in cerebrum, unde nec hoc denigrare poteft. Abufus tamen ejus multùm nocet; non, quòd immediatè cerebro & capiti incommodet, fed quod pulmones æftu afficiat, quos retorridos facit, & maculis variis, imprimis lividis & nigricantibus, defœdat. Conf. quoad hanc controverfiam BARTHOLINUS *Tract. de pulmon. p.* 9. *Cent.* 3. *Epiftolar. p.* 371. SCHNEIDERUS *de Catarrhis l.* 2. *p.* 265. HORSTIUS *in Manuductione ad Medic. p.* 371. *& in Epiftolis*, TULPIUS *l.* 1. *c.* 6. KERKRINGIUS *fpicil. obf* 90. & denique LINDANUS *in Medicin. Phyfiolog. c.* 61. uti etiam HOFFMANNUS *l.* 2. *de Medicamentis officinalibus c.* 3. *p.* 327. qui omnes varias habent experientias vitiorum pulmonum ex fuffitu tabaci attracto: unde hi tales ad phthifin, contabefcentiam, atrophiam & anhelitus difficultatem inclinant: ftomacho verò nocet, fi ftatim à paftu hauriatur, fermentum ejus obtundendo, & concoctionem turbando, hinc cruditates valdè augentur: unde nil nocentius, quàm, fi poft paftum tabacus hauriatur.

Cavendum igitur, ne

1. A paftu affumatur; &
2. Ne nimius fit ejus ufus. Aliàs mille malis via aperitur.

Notabile eft, quod CREMBS *in arbore ruinofo & fano*, quendam ex nimio tabaci ufu in apoplexiam incidiffe, referat: cum quo conferatur BARTHOLINUS, TULPIUS, KERKRINGIUS, BARBETTE *cum notis* DECKERI, & alii.

Utilitates fuffitus Nicotianæ videndæ funt in HOEFERI *Hercule Med. p.* 34. ubi etiam legitimus ufus, & illegitimus abufus fuffitus nicotianæ *in Difpenf. Horftii p.* 137.

Interim loco nicotianæ etiam pro variis faucium, glandularum & pulmonum affectibus etiam alia vegetabilia in forma fumi hauriri poffunt, v. g. flores fpicæ, femen anifi &c. De Trifolio fibrino hoc modo hauriendo vid. BARTHOLINI *Acta Medica Haffnienfia Volum.* 3. *pag.* 128.

Plura *de Nicotiana* videbitis apud MAGNENUM, *Medicum Italum, ac Profefforem Ticinenfem in Gallia Cifalpina in Tract. fuo de Tabaco*, ubi multa funt egregia, & imprimis SIMONEM PAULI *de Tabaci ufu Americanorum veteri, & herbæ Thee Afiaticorum in Europa novo*. Scripfit etiam NEANDER *Tabacologiam*: verum fcriptum hoc valdè eft rude.

NIGELLA.

Nigella, feu *Melanthium*, in officinis habetur vel *Damafcenum flore cæruleo*, *magno*, *pleno* &c. vel *arvenfe* & *vulgare*. Dicitur *Nigella à femine nigro*, Germ. *Schwartz Narden faamen*: femen enim exficcatum fpirat odorem fuavem aromaticum. Damafcenum provenit in hortis.

Ufum quod attinet, *internè* quibusdam in menfibus ciendis admodum laudatur: experientiam videbitis in FORESTO *lib.* 28. *obf.* 4. ubi multùm commendat hoc femen pro dicto ufu; quo tamen in cafu rarò apud nos ufurpatur.

Externè valdoperè ufitatum eft in affectibus catarrhalibus, præfertim narium in coryza fiftendis, referturque inter errhina, & ita videtur HARTMANNO *Praxi Chymiatr. c.* 22. §. 6. qui inter omnia palmam defert nigellæ noftræ ejufque femini, fi pulverifatum in aqua majoranæ per nares attrahatur in coryza & obftructione narium: Imò vel folo odore prodeffe dicit, quod confirmat SENNERTUS *l.* 1. *Prax. p.* 710. qui etiam habet formulam feminis nigellæ per nares attrahendi contra catarrhos. Vid. etiam TABERNÆMONTANUS *in Herbario cap. de Nigella*, ubi decantat vires nigellæ contra catarrhos. Unde pro eodem ufu nodulus ex femine nigellæ aceto, vel aquâ majoranæ immerfus, naribus applicandus parari poteft; vel femen nigellæ, cum majorana conjunctum, facculo inclufum, aut in forma pulveris applicatur naribus pro reftaurando olfactu, obftructionibus narium referandis & coryza, vel folum, vel cum camphora. Formulam habuimus *fuperiùs*, ubi *de Majorana* egimus.

Oleum per infufionem paratum cum tantillo olei deftillati majoranæ idem præftat.

Prætereà è femine per deftillationem elicitur *oleum*, quod cum oleo irino, & nicotianæ, v. g. ℥j, & aqua aliqua appropriata, ad gr. j. vel ij mixtum, in gravedine eft egregium; utut oleum hoc & aqua rari fint ufus, & rarò proftent in officinis.

NIGELLASTRUM.

Nigellaftrum feu *Pfeudo-melanthion* dicitur genuino nomine *Lychnis arvenfis major*, Germ. *Raden*.

In *ufu* Medico eft nullo, faltem quod fcriptor quidam recentior femen ejus, fi fcilicet quâvis vefperâ fub introitu lecti, dofi ac vehiculo convenienti capiatur, contra vertiginem laudat.

NOLI ME TANGERE.

Hanc neglexit AUTOR, fed tamen obfervetur, quod circa folia fint noduli, fucci pleni & turgiduli, & quando femen maturefcit, difpergitur. Crefcit in hortis publicis.

De hoc noto ex GESNERO *l.* 1. *Epift. p.* 21. quod profit ad provocandam urinam, uti etiam folia impofita conducunt in ftranguria, in fedando dolore, & uti dixi, quod juxta folia fint noduli turgidi & fucci pleni, ex qua fignatura GESNERUS autumavit, ac fi conveniret in tumore arthritico & podagra nodofa, quod etiam poftmodum confirmavit experientia, five per fe contufa inftar cataplafmatis, aut cum oleo liliorū albor. vel alio appropriato decocta, iisdē applicetur.

NUMMULARIA.

Nummularia *lutea major* reverà eft *anagallidis fpecies*, & apud Veteres de hac nihil proftat. Dicitur ita à foliis, quod nummos quafi ræpræfentent, Germ. *Pfennigkraut*: Dicitur & *Centummorbia* ex ufu polychrefto, quod multis medeatur morbis. Vocatur etiam *Hirudinaria*, quod hirudinis inftar fuper terram repat, & hinc inde radices figat.

Eft planta parva, quæ ubique crefcit in locis cultioribus, flore eft luteo, fed non adeò ufitata. Recentiores tamen plantis antifcorbuticis temperatioribus accenfent, & in fcorbuto eandem haud parum efficere obfervarunt, in cujus cura videtur accedere ad vires beccabungæ, quoniam eft temperata, nec excedens acris, uti reliquæ plantæ antifcorbuticæ; unde nummulariam acrioribus antifcorbuticis pro illarum acrimonia temperanda mifcent. In fpecie, cum confolidativâ vi inftructa fit, inter vulneraria refertur, ita ut etiam in vulneribus recentibus & inveteratis, aliorum defectum impleat, fi opus eft, tam interno, quàm externo ufu; & quidem interno ufu in vulneribus pulmonum, & dein herniis.

Externè verò fuccus expreffus, aut ipfa planta contufa unguenta atque emplaftra ingreditur.

NYMPHÆA.

Nymphæa, Germ. *die Seeblume*, crefcit *flore luteo* & *albo*: vocatur etiam à quibufdam *Nenuphar*.

In ufu potiffimum funt *Folia*, & *Flores lutei* ac *albi*.

Tota planta eft fucculenta admodum, & temperatum in receffu habens fal alcali volatile, ratione cujus refrigerare vulgò dicitur. Sed peculiare quid videtur latere in ea, dum effervefcētiam fanguinis atq; humorum, et genituræ acrimoniam, et inde natam pollutionem nocturnam, fuo ufu temperat et mitigat; unde flores nymphææ ad omnes

omnes affectus ex nimia genituræ abundantia, gonorrhœam, priapiſmum, ſatyriaſin, ſalacitatem, et furorem uterinum, et pro temperanda cholera, à turgeſcentia ſeminali ſæpe orta, imprimis verò contra ardorem renum in gonorrhœa frequentem optimè laudatur. Ad hæc ad arcendas vigilias nimias, et aliqualem ſomni diſpoſitionem inducendam, et ſimilia ſymptomata, non incommodè adhibetur internè et externè. Eadem planta à *PARACELSO* commendatur ad maniam.

Radix nymphææ utriusque ſingulare quid etiam præſtare dicitur contra maniam, ſi aſſumatur *pulvis* ad ʒj vel ʒiß: item nymphæa flore luteo collecta in ipſo puncto ingreſſus ſolis in cancrum, et exſiccata, appenſa tollit vertiginem, quod alio tempore collecta non facit.

Aqua deſtillata internè uſurpatur in febribus ardentibus; externè ingreditur epithemata contra cephalalgias & agrypniam.

Syrupus nimphææ ſimplex internè uſurpatus dolorem capitis ſedat, & blandum ſomnum inducit in affectibus bilioſis, & febribus ardentibus: convenit etiam in ardore renum interno uſu, & gonorrhœa.

Oleum ex infuſione *florum Nymphææ* inungi ſolet calidis temporibus & fronti, ut ſuavis & temperatus inducatur ſomnus.

O.

OLEA.

Olea, Germ. *der Oelbaum*, vel *ſativa* eſt, vel *ſylveſtris*. Creſcit in Italia vulgariter, & integri montes pleni: unde exinde *oleum* expreſſum *commune* ad nos adfertur.

In uſu præprimis eſt *Fructus* & *Folia*.

Fructus oleæ, *olivæ* dicti, *immaturi cum muria conditi* ſaporem habent acido-auſterum, quo appetitum conciliant.

Sal autem, quod ex muria illa extrahitur, egregiam vim habet ſtimulandi urinam: uti enim maturi fructus ob nimiam oleoſitatem ſtomachum gravant, ſic immaturi ob aciditatem juvant, & præterea vim habent ſtimulandi alvum & diureticam, atq; inſtar aſparagi reddunt urinas fœtidas.

Folia ſunt rari uſus, utut ſingularem habeant vim adſtringentem.

In ſpecie ex olivis maturis & immaturis *oleum* expreſſum habetur. Ex maturis ſcilicet *oleum uſuale & vulgare* proſtat, *olivarum* dictum, quod omnibus cognitum, alvum laxat, emollit, maturat, & fæces induratas leniter ſolvit, in juſculis cereviſiæ ex eo pinguefactis adhibitum. Unde ſunt, qui cum cereviſia, quod etiam habet *AUTOR* noſter, aſſumunt in affectu colico pro temperandis humoribus acribus in ſtranguria, & calculo movendo, quo laxentur viæ, dolor ſiſtatur, & poſtmodum fiat calculo & arenulis tranſitus. Micam panis leniter torrefactam, & oleo olivarum largiter irroratam, matutino tempore largiter alvum laxare, teſtatur *BORELLUS Cent. 2. obſ. 14.* cum ſaccharo miſtum adhibetur in affectibus pectoris. Cæterum in tali caſu tutiùs oleum amygdalarum dulcium uſurpatur, quoniam hoc olivarum in ſe habet acidum, de quo *poſtmodum* locuturi ſumus. Oleum enim hoc nimio interno abuſu ſtomachum inſigniter dejicit, eique nocet; (1) quia fermentum ventriculi, ejuſque vim digeſtivam, oleoſitate ſuâ obtundit, atque (2) orificium ventriculi ſuperiùs nimis lubricum reddit, ut facilè vomitus ſequantur; cùm accedente levi conſtrictione pylori omnia in ventriculo contenta per ſuperiora rejiciantur: ſicut & ipſum hoc oleum per ſe quoque vomitus creare poteſt, cum inſignis in eo acrimonia lateat, imò acidum acerrimum, quo & metalla fortiter corrodere valet; unde eſt, quod oculis guttula una immiſſa ſenſibiliſſimas earum tunicas magis ferè vellicet, quàm ipſe ſuccus citri, uti quilibet in ſe ipſo experiri poteſt.

Oleum Philoſophorum teſtatur hujus olei acrimoniam & penetrantiam, propter quam cautus ſit ejus uſus. Interim tamen & ſal volatiliſſimum reperitur in oleo olivarum, ex quo cum ſale tartari ſingulare quoque menſtruum parari poteſt. *Externè*, ubi relaxatione partium nervoſarum, & emollitione partium fibroſarum opus eſt, adhiberi poteſt; emollit enim alvum obſtructam & fæces induratas leniter ſolvit & educit, ſi in clyſteribus applicetur. Sic *PRÆVOTIVS* curavit in quodam nobili contumaciſſimam alvi obſtructionem ſolo oleo ad ℔j infuſo, unde per biduum alvi beneficium habuit. Facit huc, quod habet *RULANDUS in Theſauro Practico* de quodam, cujus alvus per tres hebdomadas fuit conſtipata, ut nullo clyſtere, neque ſuppoſitorio potuerit moveri, cui ſingulis horis ℥iv olei hujus injecit inſtar clyſteris; quo facto, poſt tres horas ex ℔j olei injecti ſcybala multa rejecit, alvo poſtmodum apertâ manente. De portentoſa alvi conſtipatione, qua quidam ad 20. dies, imò ſæpe per tres menſes, non depoſuit, vid. *PANAROLLUS Pent. 1. Obſ. 7. p. 1.* Propter hanc vim temperandi & laxandi adhiberi ſolet etiam, ubi in copia habetur, nimirum in Italia, in balneis contra febrem hecticam, atrophiam nimiam & tabem corporis; in calculo & nephritico dolore, ut laxentur & humectentur viæ, & inde pateat calculo exitus, doloreſque ſiſtantur, præprimis cùm oleum externè habeat vim anodynam.

Cæterum de hoc oleo communi ſupra dixi, quod illi inſit copioſum acidum, à pinguedine quidem temperatum & correctum, ut guſtu ſe non prodat; nihilominus tamen eſt acidum ſatis potens, adeò, ut ſoleat corrodere omnia metalla, excepto ſolo auro. Immittat enim aliquis vel Martem, vel Venerem, vel aliud metallum, in hoc oleum, & videbit illi adhærentem rubiginem, quæ non eſt viride æris, ſed crocus metalli ab olivarum oleo corrodente. Unde valdopere errant ii, qui gladios, aut alia arte ex metallo quodam facta inungunt oleo communi; quippe quod magis, præter hoc, quod lubricet, rubiginis autor eſt, qua quod eandem arcere valeat. Unde, qui ferramenta à rubigine volunt præſervare, meliùs faciunt, ſi raſuram plumbi oleo infundant; hoc enim abſorbet olei acidum, unde tale oleum ita correctum, optimum eſt ad iſta præſervanda: Et ex hoc fundamento videtur natum oleum Philoſophorum, in quo nempè acidum relictum eſt maximam partem correctum, prodeunte oleo volatiliore, ſubtiliore, magiſque alcalino: Aut potiùs inungendi ſunt cum ſevis animalium, ſive ſit commune, *ſevum bovinum*, ſive ſit hircinum, quod præ cæteris omnibus habet vim arcendi rubiginem. De oleo hoc communi, quod corrodat metalla, vid. *SCHOTTUS in Techn. Curioſ. l. 9. cap 8 Propoſ. 30. p. 691.* uti etiam *TACHENIUS in Hippocrate Chymico*, ubi ſufficienter probat, quod in oleo communi ſit copioſum acidum *p. 17 & p. 175* & habet ſimul egregia quædam de oleis: id quod de omnibus oleis expreſſis eſt intelligendum. Propterea talia olea, quæ habent acidum in ſe, inimica ſunt omnibus vulneribus & ulceribus, & fiunt exinde Telephia, chronica, & difficillima curatu.

His præmiſſis, non immeritò, quoniam in ſe habet acidum contrarium, & inimicum vulneribus hoc oleum, quæritur (1) unde ſit, quod ingrediatur Unguenta & Balſama vulneraria? (2) unde oleum hoc temperat acrimoniam humorum? Rationem ſubminiſtrat *TACHENIUS*; quoniam nimirum, quando ſentit ignem, ſit, ut exhalet ſubtilior acida pars, & relinquitur oleum alcaliſatum contrarium omni acido, unde potiùs ſpiſſum, acido vacuum, impatiens, novo acido rurſus deſiderat ſaturari; illudque dum in membro dolente reperit alcaliſatum, abſorbet, corrigit, extrahit, inque ſe recipit, & dolor inde ceſſat, aut ſaltem mitigatur. Videatur *TACHENIUS citato loco.*

Fuit hoc oleum commune, quod exprimitur ex olivis immaturis.

Ex olivis immaturis, quod exprimitur *oleum*, vocatur *omphacinum*, in quo aciditas auſtera manifeſta deprehenditur, atque adeò pro uſu adſtrictorio & roborativo fibrarum commendatur.

Ulteriùs oleum olivarum non tantum per ſe ordinarium ferè eſt Ingrediens in Balſamos, Linimenta, Emplaſtra, & cataplaſmata & unguenta vulneraria, ſed etiam infuſione plurium vegetabilium magis appropriatur, & ſpecificatur ad plures uſus: unde parant nonnulli *Balſamum Samaritanum* ex hoc oleo & vino, juxta locum Scripturæ Sacræ, ubi hominem illum in latrones illapſum à Samarita vino & oleo obtinctum fuiſſe legimus: Hæc duo coquuntur invicem ad ſpiſſitudinem unguenti ſeu Balſami, de quo vid *Chirurgi* hinc inde *in ſcriptis*. Balſamum hoc correxit & augmentavit cum aliis Ingredientibus *THEOPHRASTUS in Chirurgia parva*.

Lotionem quidam, imprimis *Mercurialis, de Compoſitione Medicamentorum, lib 2. cap 26.* p. æcipiunt, quam autem ceu ineptam & infantilem taxat *Zwelferus in animadverſ in Pharm. Auguſt. p 416.* præprimis cum illotum ad cibos capiendos quotidiè ſine noxa uſurpetur.

Denique ſequitur *oleum Philoſophorum*, quod aliàs ſit, quando laterum fruſtra, probè candefacta, immittuntur oleo olivarum, ut hujus magnam portionem imbibant, & ſi lateres hi quantitate ſufficiente olei imprægnati & ſaturati ſunt, pulveriſantur, & deſtillantur vel in arena, vel in aperto igne per retortam, atque tunc prodit oleum volatile inſigniter penetrativum, à cineribus per arenam rectificandum, quod vocant oleum laterituum, & Philoſophorum.

Poteſt etiam mediante arenâ parari. Glauberus elegantius reddit per concentrationem abſtrahendo hoc oleum à ſpiritu nitri. Proceſſum videbitis in Scriptis in quarto P. 1. pag 90. Sunt, qui recipiunt *olei olivarum* p. j. *ſalis tartari* part. iij. deſtillant per retortam, ſicque oleum mirandæ virtutis, tàm Chymico quàm Medico uſu, eliciunt: idem cum calce viva fieri poteſt. Sanè ipſum oleum olivarum per ſe deſtillatum ſuggerit oleum penetrantiſſimum, pariter ferè, atque modò de oleo lini dictum fuit.

Oleum ergò Philoſophorum egregiè penetrat, diſcutit, reſolvit, attenuat & incidit, in quibus indicationibus non habetur ei par remedium; unde in tumoribus duris, frigidis, ſtrumoſis & ſcirrhoſis reſolvendis & emolliendis optimum habetur remedium. Ad nervorum affectus à frigore quoſcunque externo illitu convenit, cum egregiè calefaciat: cum pauco bombace auribus inditum ſurditati & deficienti auditui, ſeu ſubauditioni, ſuccurrit: egregiè diſcutit, & per poros cutis expellit. *STARICIUS, in dem Helden ſchatze p. 13* refert, quod ſi quis in oleum Philoſophicum intingat, & maceret lanam bōbacinam, vel aliam, exque hâc poſteà cum cera vel ſevo faciat candelam, hâc ipsâ ſemel accensâ, neque à pluvia neque à vento extinguatur.

Iſtud, quod ſuprà inſinuabatur, acidum olei corrigi à plumbo, ſuggerit fundamentum emplaſtrorū chirurgicorū veterum & modernorum, quæ maximam partem ex plumbo & oleo conſtant. Nempe oleum ipſum, propter latens acidum & viſcoſiorem conſiſtentiam, inimi-

inimicum est vulneribus atque ulceribus, utraque sordida reddit; sed dum ipsi permiscetur plumbum, hoc ab acido arrosum disponitur, ut faciliùs aciditatem imbibere queat. Ipsum oleum alcalinum magis magisque subtile & penetrans factum, vi balsamicâ partibus læsis optimè succurrit, & ita talia emplastra, qualia sunt nutritum, album coctum, de cerussa camphoratum, de spermate ranarum, de minio, de lithargyrio, &c. pluribus scopis satisfaciunt, indeque creberrimi sunt usus.

ONONIS.

ONonis purpurea spinosa, seu *Resta bovis*, dicitur etiam *anonis*, quasi à nullo usu, eò quod ubique prostet in agris, & aratoribus inter arandum sit impedimento: unde & *Remora aratri* nonnullis audit, Ger. *die Haubechel.* Litigant autores, ad quodnam genus plantarum referri debeat? Verùm reverà ad Trifolia pertinet, & *Trifolium fruticens* esse videtur. Dividitur in *non spinosam*, & *spinosam*; quâ & asini delectari dicuntur. *Utraque* est vel *flore purpureo* vel *albo.*

In usu est *tota planta*, præprimis hujus *radix*, & *radicis cortex.*

Radix inter aperientes & resolventes vulgò numeratur, & meritò: Resolvit enim mucum agglutinatum, & crassos ac induratos humores; unde in obstructione hepatis, ictero & similibus prodest. Dehinc usum obtinet diureticum, ubi primatum ferè tenet; & nephriticum, cùm singularem habeat vim pellendi urinam & calculum, & exturbandi arenulas ex renibus, cui usui imprimis convenit herbæ infusum in vino Malvatico, quod vinum infusionis herbæ egregiam acquirit vim antinephriticam: conf. *Crato l. 6. Conf.* 83. in tanta tamen diureticorum copia vix adhibetur. Vis ejus consistit in sale essentiali bolari, & seminitroso. Radix aliàs pulverisata ad ℥j assumpta, vel decocta, & continuando aliquandiu usurpata, in sarcocele, ubi testiculis caro nigra accrescit, euporiston & polychreston egregium est. Sic cortex quoque commendatur à *MATTHIOLO* ad hernias carnosas, de quo vid. *SENNERTUS l. 3. Prax. Med pag.* 919. quod confirmat *HORNUNGIUS in Cista Med. p.* 311. dum inquit: *decoctum radicis ononidis prodesse singulariter in hernia carnosa: externè simul applicantur Emollientia.* Extrinsecùs tandem eadem radix in aqua & aceto, seu oxycrato cocta, pro gargarismate in gingivarum laxitate & putredine ab exulceratione, item in dentium dolore à scorbuto, laudatur.

Prostat *Essentia ononidis* in affectibus calculosis insigniter commendata, quæ paratur hoc modo:

℞. *Plantam integram cum radice & floribus*, mundatam, & minutim incisam; affunde *vinum Malvaticum*, vel *spiritum vini* ad eminentiam 4. digitorum: stent in loco calido in digestione per 8. dies noctesque; post destilla, & in huncce liquorem destillatum de novo infunde *herbam eandem recentem cum Radice & floribus*, iterumque digere per tot dies & noctes; postmodum misturam fortiter exprime & cola: Colatura digeratur in balneo Mariæ, tandem per chartam emporeticam filtretur & servetur: abhinc à capite mortuo restitante calcinando eliciatur sal fixum salsum (quod si nimis alcalisetur, fit sal urinosum.) Hoc sal addatur prioribus, & habebitur *Essentia diuretica & Lithontriptica* egregia, etiam ad hernias carnosas curandas.

Aqua destillata quibusdam in locis in usu est, cum quâ etiam habemus exemplum herniæ, non omissis externis, apud *SCULTETUM in armamentario Chirurgico obs.* 74.

OPHIOGLOSSUM.

OPhioglossum, Germ. *Natterzunge*, dicitur ita, quoniam flore refert linguam viperinam, crescit in pratis umbrosis & nemorosis, & à similitudine, quam habet flos ex folio erumpens cum lingua viperina, inter vulneraria non extremum habetur, sive internè in decoctis & potionibus vulnerariis, sive externè inter balsama & unguenta, & emplastra vulneraria. In utroque casu est planta satis commendata à modernis, qui etiam inter alia eam in herniis infantum multum commendant. Succus expressus & ex hoc parata unguenta & emplastra, vi chirurgica ad eorum vulnera & ulcera sunt usitatissima; aliàs de hac nihil prostat. Composita ex illa possunt videri apud *TABERNÆMONTANUM.* Autor noster planè omisit.

ORIGANUM.

ORiganum Græca vox est: Unde verò sic dicatur, interpretes litigant: Ger. *Dosten, Wohlgemuth.* Duplex prostat in officinis, *Vulgare & Creticum.* Vulgare est planta satis cognita, quoniam crescit in locis sylvestribus; aromatica, congener majoranæ, unde etiam vocatur *majorana latifolia*, minus tamen acris atque penetrans, vires serpilli atque majoranæ ferè superans. Sale nitroso volatili oleo est impraegnatum; propter vim aromaticam aquas & essentias analepticas, nervis ac cerebri affectibus dicatas, ordinariè ingreditur; singulare enim est cephalicum & uterinum, non minus etiam quàm stomachicum, ut ut usus ejus internus admodum fit rarus. Imprimis verò convenire dicitur stomacho, ejusque affectibus flatulentis, iisque, qui acida ructant, aut qui nausea & fastidio torquentur. Menses etiam peculiariter ciere dicitur.

Externè in Pediluviis, Lotionibus, Fomentis ac Balneis plerumque adhibetur, unà cū aliis plantis cephalico-aromaticis, in affectibus catarrhosis; quin & in morbis mulierum hystericis & affectibus capitis, cum floribus chamomillæ, thymo, & similibus usurpari potest.

Suggerit quidem *oleum* per destillationem, sed admodum paucum, quod contra odontalgiam tanquam specificum, item contra cephalalgiam, laudatur. Interim origani hujus loco origanum Creticum substitui potest, quod magis pingue, et plus olei suggerit.

ORIGANUM CRETICUM.

ORiganum Creticum nobilius est vulgari; interim tamen nec nostras rejiciendum.

Vim habet alexipharmacam, et convenit in morsu ab animalibus venenatis, viperis etc.

Per retortam destillatum suggerit *oleum*, quod pro singulari remedio contra dolores capitis, et dentium contumacissimos habetur, cum bombace illis illitum; adeò ut rectè ipsi caryophyllorum et macis oleo, aliisque remediis præferatur hoc in passu ob egregiam vim et facultatem, quam in dictis morbis, et imprimis in odontalgia, incantamenti instar exerit. Quod si fit nimis fortè, diluitur cum pauco oleo amygdalarum dulcium expresso; si fit impotens ac debile, adduntur gr. j. vel ij. camphoræ, sicque fit oleum laudatum ad odontalgiam: potest etiam admisceri oleo caryophillorum, quod non minus est odontalgicum, quàm ipsum oleum origani.

P.

PALMA.

PAlma, Germ. *der Palmenbaum*, arbor est exotica, ejusque fructus sub nomine dactylorum ad nos adferuntur ex Italia, Syria, aliisque locis calidis.

Ex hac palma tantummodò officinis noti sunt dactyli, seu palmi, Ger. *die Datteln*, de quorum electione videatur autor. Usus tamen eorum est admodum rarus, nisi quod ratione dulcedinis à quibusdam unà cum ficubus aut sebesten præscribantur, pro scopo scilicet temperandi acrimoniam quamcunque, et nimiam corosivitatem lymphæ, aliorumque humorum, ac leniendi asperitates faucium: Hinc decocta et hydromelita pectoralia ingrediuntur, ut et misturas in dysuria, et ardore urinæ frequenter adhibendas. Sed loco hujus sufficiunt solę passulę. Lapilli contenti vi insigni diureticâ pollent, quę optimum exhibent euporiston: horum enim rasura, cum syrupo de althæa usurpata, egregiè confert in dysuria, urinę acido-salsam acrimoniam temperando et sistendo; Hinc ex carne dactylorum et lapillis quidam singulare parant remedium contra ardorem urinæ seu dysuriam, cujus compositio est hæc:

℞. *Dactylorum* q. v.

Lapilli limâ terantur in pulverem tenuissimum: *caro* scindatur in particulas, in furno exsiccetur, et pulverisetur in mortario: Hi duo pulveres misceantur, et à ʒß ad ʒj usurpentur manè et vesperi in syrupo de Althæa Fernelii, vel in mistura sequenti:

℞. *Aquæ chamæmill.*
Lactucæ,
Nymph an. ℥jv.
Cinnam. ℥ß.
Syr. de alth. Fernel. ℥iij.
Cichor. de rhab. ℥j. M.

Atque certè egregium est remedium ad temperandum ut et purgandam omnem ejusmodi acrimoniam.

Rari aliàs et pauci usus sunt Dactyli.

PAPAVER SATIVUM.

PApaver duplex est, vel *sativum*, vel *sylvestre* seu *Rhœas.* Differentia est in foliis, quæ notatu digna, ne fiat confusio, errorum mater; sativum enim habet folia latiora, et papaver rhœas folia angustiora laciniata. Græcis dicitur μήκων, quasi μὴ κονεῖν, à non ministrando, quia homines torpidos reddit, ita, ut ministeria sua obire non valeant, unde *Meconium.* Papaver verò dicitur (ut nonnulli volunt) ab infantum voce PAPA, quod lacti seu pulti infantum permistum infantes reddat ad somnum proclives.

Ratione seminis *Papaver* dividitur in *album* et *nigrum*: Hoc, scilicet nigrum, magis narcoticum, hinc deterius, scilicet albo, putatur; de quo videatur *FORESTUS l. 9. observat.* 14. *in scholio*, sed falsò sic judicatur juxta *LOWERUM in Adversar. ad Rondeletium*; et promiscuè ferè in usu est.

In usu sunt *Flores*, in specie *semina*, et *capitula semine turgida*, quę omnia habent vim narcoticam et anodynam, sed temperatam. *BORELLUS l. 4. observ.* 25. in capitibus papaveris maximam vim narcoticam latere dicit, imò majorem, quàm in foliis, quæ etiam chymicè pręparata, ad gr. v. exhibita, miros pręstare effectus dicit: videantur etiam *BARTHOLINI Acta Anglicana Vol. 1. pag* 717. Odorem spirant

rant tetrum, nonnihil nidorulentum, cùm tota planta scateat lacte seu succo nonnihil pingui & oleoso seu sulphureo crudo, in quo fundata esse creditur vis ejus anodyna & narcotica; in quo ferè omnia ipsi similia narcotica conveniunt, v.g hyoscyamus, vitex seu agnus castus &c. Lac istud oleosum, quod tàm in capitibus recentibus, quàm in semine concentratum deprehenditur, vim habet anodynam seu sedativam: unde in sistendo dolore & sistendis vigiliis seu agrypniis, ut & conciliando somno, in deliriis, dysenteriis & diarrhœis, flores & capita cum seminibus sunt usitatissima; nimium enim sputû & sanguinis motum sistunt, & morbos inde oriundos sedant, quibus scopis inservit primariò. Cæterùm, ut papaver magis sit appropriatum ad cephalalgias cum vigiliis conjunctas, propterea necessum est, ut colligatur tempore balsamico, sole in cancro existente, & in conjunctione Martis & Lunæ in Trigono, vel Sextili; quod monet imprimis *RHUMELIUS in scriptis Iatrochymicis p.* 352.

Pro usu dicto semina sicca ad emulsiones parandas recipiuntur pro conciliando somno. Eadem quoque quosvis spirituum motus elasticos sistere velent, ob vim suam, quam habent, sensus externos ac spiritus demulcendi, somnumque inducendi; hinc in deliriis, agrypniis, febribus, & quibuscunque humorum fluxibus, sive sint naturales, sive sint præternatulares, ut in hæmorrhagiis, vomitu, cholera, diarrhœa, & alvi fluxibus aliis, adhibentur: scilicet sicuti Quinta quasi papaveris Essentia est opium, ita, ubi religio est ipso opio uti, commodè remediis ex papaveris capitibus paratis uti possumus. Ulteriùs, præter has virtutes anodynas, commendatur etiam valdoperè in affectibus pectoris & catarrhis, imprimis tenuibus & salsis, qui oriuntur ex lympha acida vel subacida &c. in talibus casibus est expertum, dum solet temperare, & impedire ejusdem motum p.n. ac ardorem; unde in raucedine, in tussi tenui, & in phthisi, hæmoptysi, & similibus pectoris pulmonumque affectibus, usitatissima sunt remedia ex papaveris seminibus parata.

Externè capita papaveris, imprimis semine turgida, propter vim narcoticam usitatè tantum præscribuntur in pediluviis, pro sistenda cephalalgia, & levi somno inducendo: Exemplum habui superiùs: Semen usurpatur sub forma Emulsionis, temporibus applicando, pro sistendo dolore.

Quæstio diu fuit agitata: *num prædicta vis hujus plantæ in ejusdem calore, an frigore consistat?* Resp. eam nec in calore, nec frigore consistere. Frigidam tamen effectivè eam esse, hinc colligo, quoniàm nimio ejus usu, aut potiùs abusu, calor quivis notabiliter infringitur, dum spiritus sopit, & humores sistit. Quoad formalem ejus texturam, consistit eadem in particulis oleosis perquàm temperatis, sed facilè in corpore nostro longè latèque diffusibilibus, quibus spirituum vis elastica nebulis quasi inducta hebescit. Prolixiùs hoc diduxit *BORRICHIUS in Tract. de somno & somniferis.*

Quod attinet *Præparata*, videamus *Auctorem*, qui habet *Extractum* ex Quercetano, quod est quasi *opium nostras*, & opio sæpius adulterato exotico commodè substitui potest, quoniam opium istud exoticum est nimis narcoticum, dein magis quoque est virulentum. Imò papaveris capita opio magis temperato, & mitiori sulphure abundant, quàm ipsum opium. In specie *papaveris saptivi succus* expressus & *inspissatus* vocatur *Meconium*; destillatus verò ex capitibus nobis audit *opium*; de quibus *infra in Alterantibus secundariis.*

Præterea *syrupus papaveris simplex* valdè convenit in catarrhis salsis & acribus, fauces, asperam arteriam & pectus infestantibus, tollit asperitatem, & temperat lympham acidam vel salsam. Infantibus pro somno valdoperè commendatur. Observetur tamen, cautos nos esse oportere in propinando medicamento papaverino infantibus; nimius enim ejus usus, & in excessivâ dosi, valde est nocivus, quoniam reddit eosdem stupidos: videatur *PANAROLLUS Pentec. 2. observat.* 44.

Syrupus compositus commendatur, ubi opus est incrassatione tenuium humorum, & ubi opus est, ut sistantur effervescentiæ nimiæ: in dysenteria est creberrimi usus.

Veteribus syrupus Diacodiων in usu fuit, ex capitibus papaveris alibi paratus, qui variorum Autorum nomine insignitus est; speciatim syrupus *diacodιων Montani* in raucedine faucium, tussi sicca, & similibus egregium habet usum, temperando, sistendo, & simul demulcendo. Apud modernos verò ejus usus in desuetudinem abiit, & ejus loco Laudanum opiatum in usu est in varia dosi pro varietate compositionis, de quo suo loco.

Lohoch seu *succus crassus papaveris* valdè convenit in catarrhis salsis atque tenuibus, & inde ortis faucium affectibus; sensim enim sensimque tunc temporis sorbendo deglutitur, ut corrigat ita affectus faucium. Notum enim est, quantum remedia papaverina valeant in suffla minandis catarrhis, lympham temperando, ejusque motum præternaturalem sistendo, unde in tussi nocturna convenientissima sunt.

Oleum ex seminibus papaveris expressum, & temporibus illitum in agrypniis & cephalalgiis optimum est remedium anodynum, & polychrestum.

Hæc de papavere sativo; sequitur

PAPAVER ERRATICUM.

Papaver erraticum seu *Papaver Rhœas*, ita dictum à ῥέω fluo, quod flos citò decidat, Germ. *Klatschrosen*. Conspirat ferè in multis cum viribus papaveris sativi, sed longè mitior, & multò exilior est, quàm prior, præprimis in vi aliquali sulphurea, soporifera, anodyna & stupefactiva.

In usu sunt ejus *Flores* imprimis; qui præter vim hanc moderatè soporiferam & anodynam (unde hujus ratione præparata ejus æquè ac ista ex papavere simplici usurpari possunt) egregiè quoque conferunt in sanguine grumoso dissolvendo, & æstuationibus corporis temperandis, adeò ut nulli in hoc puncto cedant, & in extinguendis omnibus inflammationibus erysipelaceis, externis & internis, quacunq; ratione usurpati; adeoque in specie in inflammatione partium internarum cum febribus acutis junctis, v.g. in angina, in pleuritide, hepatitide, peripneumonia, in quibus non datur præstantius remedium: item in febribus petechialibus, nephritide, hepatitide, inflammatione uteri, lienis &c. idque ob mucilaginem suam, quæ potenter solet temperare ac corrigere acidum volatile, specifico sapore in inflammationibus ejusmodi plerumque peccans. Hinc infusum florum papaveris erratici cum pauxillo spiritus sulphuris acidulatum inservit pro Iulapio in febribus ardentibus ad æstum & sitim temperandam: v. g.

℞. *Flor. papav. errat.* p. iij.
Irrorentur *spiritu sulphuris per campanam*, vel *oleo sulphuris* (quod idem est, uti postmodum patebit) affundatur s. q. *aquæ flor. papav. erratici*, stent in loco calido per aliquot horas, & ita brevi post, colorem rubicundum acquirunt: Colaturæ addatur
Syr. papaveris erratici q. s. pro grato sapore, & simul parum *de syrupo Jujubino*, si luber.
D. S.
Iulapium refrigerans contra pleuritidem.

Pertinet huc *Julepus antipleuriticus* extéporaneus, seu tinctura florum papaveris rhæados; similis vid. apud *TIMÆUM in casu* 3. *&* 9. *p.* 83. *&* 93. Potest etiam fieri talis Julepus ex foliis cyani, calcatrippę, aquilegiæ, bellidis & similibus, pro varietate affectus.

Externè flores recentes fronti & temporibus applicati in compescenda cephalalgia experti sunt. Plura de horum usu videbitis in *WILLISIO Pharm. Rational. Vol.* 1. *pag.* 323.

Prostat quoque *Succus*, *Syrupus*, *Extractum succosum*, *Pulvis*, *aqua destillata* à novis floribus sępius cohobata, &c. quæ imprimis in casu ab alto, pleuritide, peripneumonia, &c. nequeunt satis extolli.

Aquæ usum polichrestum videbitis in *VERULAM. Hist. vitæ & mortis pag.* 97.

Sic tinctura *papaveris erratici* extemporanea cum spiritu vitrioli, & phlegmate vitrioli paratur, quæ imitatur in multis tincturam florum bellidis, imprimis ratione virtutis ejus, in sanguine congrumato dissolvendo, angina, pleuritide, & aliis inflammationum generibus. Præterea etiam Tinctura hujus sistit hæmorrhagiam narium, & moderatum inducit somnum.

Conserva ex floribus, uti etiam Extractum est ejusdem usus.

Acetum florum papaveris erratici commendatur contra pleuritidem & pestem, miscerique solet inter Potiones & Julepos antipleuriticos.

PAPAVER CORNICULATUM.

Prostat in Horto Medico nostro *Papaver corniculatum majus flore luteo*, ac *folio laciniato*. Corniculatum dicitur, quod capsulæ ejus seminales non sint rotundæ instar reliqui papaveris, sed instar cornuum oblongorum efformatæ.

Planta est speciosa, ac quę curiositatis tantum atque ornatus gratiâ in hortis colitur. An usu ac viribus cum reliquis papaveris speciebus conspiret, res est incerta, imprimis deficiente experientiâ.

PARIETARIA.

Parietaria è loco natali sic dicitur, quod circa muros ac parietes antiquos, & rudimenta antiquarum domuum, crescere soleat, Germ. *Tag und Nacht*. Vocatur etiam *Parietaria Lipsiensium*, quasi à loco natali, sed malè; Nam & Wittebergę, multisque aliis in locis, crescit. Fortè exinde nomen hoc ipsi impositum, quod hìc Lipsię luxuriosiùs crescere observetur. Ex plantis verticillatis non ultima est. Propriè est *tritici vaccini species*, unde rectiùs *Melampyrum foliis* in sūmitate *amethystinis* diceretur juxta *MORISONIUM*. Est vel *major* vel *minor*. Imprimis usitata est major. Recipitur autem in usum Medicum genuina, id est illa, quę in ędificiorum antiquorum calce & limo extructorum parietibus reperitur, quippe in quibus accedente pluviâ & aeris sale universali, aut succo salino seminitroso, sustentatur, & magis diuretica evadit; alia enim, quę in locis pinguioribus colligitur, minus talis observatur. Tota hęc plāta est ex primariis emollientibus; & inter plantas diureticas non est postrema, cùm non tantùm abstergat renes, & vias urinarias purget, & calculum promoveat sed & copiosum urinæ fluxum moveat; in hydrope v. g. & aliis talibus morbis, ubi diuresi opus est. Notandum enim est, quod hydrops nulla alia ratione, & meliùs & perfectiùs tolli possit, quàm per diuretica, quę lympham peccantem per ureteres ad vesicam detrudūt: quo igitur in passu præsens herba singularem laudem meretur, utpote quæ ratione salis copiosi nitrosi temperat renum ardores, abstergit eorum meatus, ac urinam potenter ciet. Pręterea vi gaudet abstersivâ & re-

& resolutivâ, unde vis illi inest laxandi alvum, & externè frequenter in clysteribus, cataplasmatibus, & fomentis emollientibus adhiberi solet, & sic porrò. In ischuria seu suppressione urinæ parietaria incisa in aqua cocta, & hinc cum s. q. olei scorpionum in forma cataplasmatis subigatur, & regioni pubis vel vesicæ imponatur: id quod ceu optimum euporiston meritò laudatur in urina, in vesica stagnante; de quo videatur FORESTUS *l.24. obs.25. & l.25. obs.8.* Ejus verba sunt hęc: *herba parietaria cum oleo scorpionum experimentum est Helidai in ischuria, quod rarò me fefellit* &c.

Facit etiam mentionem iscuriæ puerperæ ex frigore desperatæ, in qua egregiè profuerit hæc parietaria, quod notatu dignum remedium fuit hoc:

℞. *Herb. Parietar.* M. ij.
Cherefol. M. iß.
Incisa coque ad mollitiem; adde
Butyri recent. ℥ij.
Oleum scorpionum ℥jß. Misce,
applicetur calidè.

Nota benè: supprimuntur cum urina in tali casu sæpe etiam lochia, quod probè observandum. Videatur etiam de hoc Parietariæ effectu in Ischuria AMATUS LUSITANUS *l. 4. Curat.* 10 THONERUS *l.1. obs.*10. & CRATO *l.6. obs.*83. 84. & 87.

Vel alio modo ad eundem morbum ita paratur:

℞. Decoctum Parietariæ in vino:

Cum cepis subigatur (sive statim à coctione addantur, sive in aceto subigantur) in formam cataplasmatis, & applicetur ad expellendam urinam.

Item in renum doloribus, & calculi torminibus solet cataplasma ex parietaria & oleo scorpionum applicari lumbis pro adjuvando calculi transitu, & sistendo saltem ejus dolore.

Semen parietariæ contusum, & cum aceto applicatum pedibus tumefactis, valdè eorum tumorem discutere dicitur à SCHMUCK *Thesaur. 2. Secreto Med.* 18.

In Anglia consuetudo obtinuit, ut per syrupum parietariæ, ex succo nimirum integræ plantæ in muris crescentis, cum saccharo, vel simplici vel candisato, paratum curatio hydropis instituatur mediante diuresi; sive sit hydropis ascites, sive anasarca, qui tepidè & sæpè usurpatur, donec malum remittat: sicut relatum nihil fuit à Medicastra quadam Anglica, quod syrupus hic in hydropicorum aquis, per vias urinarias educendis, præmissis præmittendis, multum præstiterit.

HERBA PARIS.

HErba Paris, seu *uva inversa*, Germ. *das Enbeerkraut*, est satis usitata planta, folia nonnunquam habet 5. utplurimum 4. hinc etiam ab aliis vocatur *solanum quadrifolium*, item Uva Vulpina. Alii salutant Aconitum salutiferum, quoniam aconita reliqua sunt lethifera venena: id quod observetur, ut intelligantur Practici.

Usitatæ sunt Baccæ, rarò Folia.

Internè Baccæ commendantur contra venena, resistere dicuntur pesti, & per sudorem promovere malignitatem ex vi alexipharmaca. Quod dico de peste, intellectum etiam volo de reliquis morbis malignis. Specificè convenire dicitur in comestione nucis vomicę, de qua virtute videatur GESNERUS *l.1. Ep. pag.* 16. Baccæ hæ pulverisatæ summoperè etiam laudantur ad epilepsiam, imprimis infantum, de qua virtute vid. BLOCHWIZIUS *in anatomia sambuci p. 62. 67. & 68.* Baccæ item, quoniam ferè pupillæ signaturam habent, propterea quidam specificè ad oculorum affectus commendant, quæ tamen signatura est vana. Verùm internus usus est rarus. *Externè* verò baccæ & herba utplurimum in inflammationibus malignis, tumoribus & bubonibus pestilentialibus adhibetur, & in his vix habetur melius remedium simplex in regno vegetabili, sive in Decocto, sive sola contusa, aut cum fuligine impastata herba in forma cataplasmatis, imponatur bubonibus ad maturationem & suppurationem producendam. Interdum tamen solet etiam applicari cum aliis: sic v. g. in bubonibus pestilentialibus:

℞. *Herb. parid.* M. ij.
Rad. lilior. albor.
Alth. an. ℥j.
Ficuum pingu. no. ij. vel iij.
Coqu. in s. q. *Olei lilior. albor.* adde
Fulig. splendent. ℥j.
Sapon. Venet. ʒvj.
Olei aran. ʒj.
M. pro cataplasmate.

Vel adhuc melius:

℞. *Ferm. acerr.* ℥iij.
Pulv. fol. parid.
Bufon. exsicc. an. ℥j.
Ficuum pingu. ℥ß.
Misc. in mortario c. s. q. *mellis*: addendo
Fuligin. splendent. ʒiij.
M. D. S.
Externum empiastrum sive pulf.

De hac vi proficua contra bubones pestilentiales videatur GESNERUS *in Epistolis*, raris quidem, sed elegantissimis, *p.* 110. item PETRUS JOHANNES FABER *in Pathologia cap. de Peste.* Sic & ad inflammationem & tumorem scroti ac testium folia paridis imposita admodum laudatum sunt remedium, non minus, quàm in inflammatione ipsius penis cataplasma ex herba virente contusa factum & applicatum, egregiè convenit. Nempè folia hæc præ cæterorum solanorum natura ferè aliquid anodyni & narcotici in recessu habere videntur; unde & æstum & dolorem solent nonnihil refrenare: Hinc in cancro tam exulcerato, quàm occulto, seu nondum maturato, folia hæc contusa in mortario plumbeo & imposita, non leve levamen adferre solent.

Succus herbæ expressus in affectibus oculorum vulgò commendatur propter signaturam pupillæ in oculo, quam baccæ nigricantes habere creduntur. Sed meritò dubitatur de effectu hujus succi in oculorum affectibus, de quo videatur BLOCWIZIUS *loco allegato.*

PASTINACA DOMESTICA.

PAstinaca domestica Græcis Σταφυλῖνος, est vel *alba*, vel *rubra*, vel *lutea*. *Pastinaca lutea*, Germ. *die gelbe mohre*, quæ vocatur aliàs etiam *Daucus*, est vel *latifolia*, vel *tenuifolia*. *Latifolia* Græcis dicitur *Elaphoboscum*, Germanis *Hirsch-Pastinack*. De differentiis ejus videatur TABERNÆMONTANUS.

Radix ejus quibusdam in usu est culinario; apud nos verò nec culinaris, nec officinis nota. De Pastinaca tenuifolia in officinis usitatum est imprimis *semen* & *herba*.

Omnes *Pastinacæ* seu *Apii species* diureticæ sunt: præprimis *semen luteæ* ferè convenit cum virtutibus seminis dauci; unde cum semine dauci specificè commendatur ad suffocationem uterinam arcendam; carminativum enim est, & flatus quoscunque pellit. Sanè in ischuriis etiam desperatis succus Pastinacæ luteæ recens expressus ad aliquot cochlearia mirè opitulari solet; novi enim exempla ischuriæ desperatæ mediante hoc succo expresso curatæ, remediis aliis irritis: sine acrimonia insigni urinam pellit, seu, ut HELMONTIUS loquitur, renes quasi consolidando, acre illud potiùs demulcendo, quod ischuriam excitabat, prodest. Aliàs rari usus est hæc planta.

Pastinaca alba convenit cum apio, & imprimis propter vim diureticam extolli solet: menses ciere creditur. Aliàs in Medicina rari usus est hæc planta.

Pastinaca rubra in specie dicitur Carota.

PASTINACA SYLVESTRIS.

PAstinaca sylvestris facilè cognoscitur in *fimbriis* suis sub *flore instar coronæ illum ambientis*.

Ex hac officinæ cognoscunt totam plantam, quæ convenit cum Dauco Cretico, non secus ac pastinaca domestica lutea cum Dauco nostro; unde etiam solet esse succedaneum ejus in compositionibus quibusdam theriacalibus. Nobile diureticum est, præsertim calculi præservativum, & renum abstersivum & mundificativum; unde cerevisiæ cum dauco medicatæ contra calculum & scrophulas singularis sunt effectus: videatur CHARLETON *de Spiritu Gorgon. p.* 177. item *Helmontius de Lithiasi c.1. §.19. p.m* 15. *c.7. §.14. p. m.* 59. & *c.8. §.23. p. m.* 73. Ulterius internè & externè solet convenire in affectibus mulierum, tam in partu difficili, quàm etiam in mensium & lochiorum vitiis, utut pro his, uti domestica, rarioris sit usus. WILLISIUS *Tract. de Anima Brutorum P. 2. c.*10. dicit, quod habeat vim delirium introducendi.

Datur etiam Lignum exoticum ab autore neglectum, quod vocatur

LIGNUM PAVANA.

Et apud modernos in usu est creberrimo. Scripserunt de eo ACOSTA *in Descriptione Rerum exoticarum*: vid. de eo imprimis BAUHINUS *Histor. plantar. Tom 1. lib. 3. p.* 342. qui vocat *Lignum Moluccense*. Conferatur JONSTONIUS *libr. de arbor. 9. cap. 6. articul. 2. fol.* 458.

Notum, uti dico, est apud modernos, commendatur specificè contra paralysin & affectus paralyticos, & quidem tantùm in paralysi, quæ fit ex laxatione tendinum & nervorum motui inservientium, & liquore seu lympha acida subtili, quæ coagulat spiritus animales, & in aquam resolvit: in tali casu decoctum Pavanæ remedium est expertū, per sudorem expellendo ejusmodi humiditates, & membro restituendo motum: valdè commendat hoc LINDANUS *in Collegio privato super Praxin Hartmanni.* Repetitur aliquoties, & non sine successu paralyticis propinatur.

PERFOLIATA.

PErfoliata ita dicitur ad differentiam *Perforatæ* (de quo vide *supra sub Hyperico*) quoniam illius caules perforant folia. Planta est satis usitata in officinis, Græcis autem pariter ac Latinis incognita fuit:

fuit: Germanis dicitur *Durch Wachs*, item *Bruch kraut*, ab uſu ejus primario, quem habet in herniis curandis.

Certè in curis herniarum, imprimis Enteroceles, ſive illa ſit in ſcroto, ſive in umbilico, uſitatiſſima eſt, quam vim ex ſignatura, quâ Perfoliata repræſentat inteſtina perforantia peritonæum, quidam deducere conantur, ſi nimirum vel internè pulvis radicis, ſive ejus eſſentia, ſive tota planta cocta, cum vulnerariis propinetur; expertiſſimum enim eſt vulnerarium, & vix datur vulneraria potio, in quam non ingrediatur Perfoliata; vel externè in formam cataplaſmatis redigatur, & loco hernioſo imponatur. Conferatur *PAULI in Quadripart. Botan. p.* 426. ubi cataplaſmata habet ex perfoliata & herniaria, cum paucis aliis contra hernias puellorum experta. Præter hunc uſum vix alium in officinis obtinet. Interdum extremitatibus pedum in illorum tumore, vel poſt morbos chronicos, vel ab hydrope incipiente, applicari ſolet herba contuſa cum ſucceſſu.

Inter *Præparata* proſtat aqua in officinis, & proſtare etiam deberet *Eſſentia* pro uſu interno.

Succus eſt frequens in unguentis & balſamis vulnerariis.

PERSICA MALUS.

PErſica Malus arbor eſt omnibus nota, cùm ſatis ſe commendet Florum & Fructus gratiâ, qui in uſu ſunt.

Quod attinet *Fructus*, potiùs illi ſunt culinares, quàm officinales, & parum vel nihil proſtat de illis in officinis, nec diu poſſunt aſſervari; quoniam ſunt adeò ſucculenti, ut propter faciliorem fermentationem & putrefactionem facilè diarrhœas excitare ſoleant, præſertim iis, qui ſunt ſtomacho debili.

Quod attinet Flores, habent vim laxandi alvum, quæ ſe exerit in educendo humore tenui & fluido; unde inter Hydragoga referuntur. Unde etiam ſunt, qui recipiunt flores, eoſque infundunt in vinum vel ſerum lactis, & infuſo iſto pro purgante tempore vernali commodè utuntur; moderatè tamen laxat & purgat ſine ingenti moleſtia & torminum cruciatu; & mirum, illos habere vim purgantem, cùm nihil in tota arbore ſit, quod purget: ſerum certè eliciunt ſine omni dolore & torminibus. Lumbricos etiam, ſi quid aliud, enecant, & potenter expellunt, infuſi vino, & propinati infantibus, & aliis, illis conflictatis. Propterea etiam ſunt, qui recipiunt folia perſicorum cum felle tauri, exque his duobus faciunt cataplaſma, quod applicant decreſcente Lunâ umbilico pro ejiciendis moleſtis lumbricis.

Deſtillatur ex his *floribus* aqua, quæ purgat & imprimis adhibetur pro expellendis lumbricis infantum, quod etiam facit ſuccus ex floribus expreſſus. Pro externo uſu poteſt etiam fieri Epithema in dolore capitis, in agrypnia ſeu ſomno deficiente; v. g.

℞. *Aquæ flor. perſic.*
Chamomil.
Verben. an. ℥j.
Laud. opiat. gr. vj
M. D. S.
Cataplaſma externum ad Caput.

Ex floribus hiſce rorulentis, id eſt, rore adhuc madentibus, per ſequentem infuſionem paratur etiam *ſyrupus*, qui blandè laxando leniſſimè alvum ſtimulat, purgando ſerum & lymphaticam materiam in alvo contentam, ut & lumbricos ad ℥ij aliquoties propinatus: Podagricis etiam plurimum conferre pro evacuando acido noxio, dicit *CARDANUS in Scriptis*.

Conſerva ex floribus loco vehiculi cum Mercurio dulci miſta, eſt remedium in pellendis lumbricis egregium.

Nuclei amygdalis ſimiles ſunt, & internè contra calculum, & pro uſu diuretico laudantur, ad quem ſcopum & Emulſiones inde fiunt. Unde & pulvis nucleorum perſicorum pondere ℨj in vino albo tenui ſpatio novem dierum aſſumptus, longâ experientiâ probatum, quod mirè à renum calculo liberet. A *SOLENANDRO l.* 1. *Conſil.* 15. commendantur 10, vel 12. jejuno ventriculo præſervationis gratiâ à calculo.

Præterea & externè vim anodynam habent, unde Emulſiones exinde fiunt cum aqua nymphææ, vel cum aqua verbenæ ad cephalalgiam ex cauſa frigida & ad agrypniam ſeu deficientem ſomnum, addendo, ſi lubet, ana ſeminis papaveris albi. Contra dolorem capitis Emulſio poteſt eſſe talis:

℞. *Nucl. perſicor.* ℨiij.
Sem. papav. albi ℨij.
c. ſ. q. *decocti rad. rhodiæ* f. l. a. Emulſio: cui addantur
Pulv. zedoar. ℨij. M.

In agrypnia verò, ſeu ſomno deficiente, fieret talis Emulſio:

℞. *Nucl. perſicor.*
Sem. papav. albi an. ℨiij.
Hyoſc. albi ℨj.
c. ſ. q. *Aquæ hypnot. Dorncreil.* f. l. a. Emulſio,
D. S.
Externa emulſio.

Ulterius parari ſolet ex nucleis hiſce *oleum* per expreſſionem, quod oleum ſingulare arcanum eſt in affectibus aurium, imprimis quidem in vermibus aurium eliciendis, item in dolore, ſurditate & tinnitu aurium; idq; magis, ſi miſceatur cum oleo decoctionis colocynthidos, quod mirè etiam commendatur in aurium affectibus. Idem oleum etiam temporibus illitum admodum conducit in agrypniis & doloribus capitis, unde ſæpius ſolet ingredi unguenta & olea in cephalalgia uſitata; verbi gratiâ Linimentum contra dolorem capitis poteſt fieri tale:

℞. *Olei expr. nucl. perſic.*
Sem. papav. an. ℨj.
Succ. inſpiſ. verbenæ ℨiß.
M. f. l. a. Linimentum;
quo vertex & tempora illinuntur.

Dn. D. *LANGIUS oleum ex nucleis & floribus compoſitum* frequenti in uſu habuit ad omnes aurium affectus, ſurditatem imprimis, obſtructionem & dolorem aurium, quod ſequenti modo paravit:

℞. *Oleum ex nucleis expreſſum*:
Huic infundantur
Flor. perſic. recent. q. ſ.

ſtent in digeſtione in loco calido per aliquod tempus; poſt per linteum colentur: Colatura rurſus ſtet aliquandiu, ut fæces ſecedant.

Lapidoſi eorum *Cortices* pro ſcopo diuretico laudantur, non ſecus atq; lapilli dactylorum & meſpillorum, è quibus chymicè *ſpiritus acidus* & *oleum empyrevmaticum* elicitur igne aperto; quæ ſpiritui & oleo Lignorum ſimilia ſunt, & rectificata egregiè calculum pellere dicuntur. Unde conſtat, quod ejuſmodi lapilli & cortices nihil aliud ſint, quàm ligna duriuſcula, quæ continent & ambiunt nucleum.

PERSICARIA.

PErſicaria aliàs *Hydropiper* vocatur, quod acre ſit & cauſticum inſtar piperis. Ordinariè in officinis *Perſicaria* dicitur ob foliorum figuram, quâ flores Perſici imitatur; Germanis *Waſſerpfeffer*, quod acrem & penetrantem habeat ſaporem, & nihilominus tamen in locis uliginoſis creſcat; item Germ. *Floh-kraut*, quod ejus præſentiâ pulices abigantur: autore *PARACELSO* vocatur *Waſſerblut*, quia maculas rubicundas in caule habet.

Plures dantur ſpecies, tùm *Hydropiper maculoſum*, tum *non maculoſum*, utrumque *majus*: datur etiam *minus*; item *acre* & *mite*: In uſu tamen eſt *Perſicaria acris* & *urens*, ſive *maculoſa*, ſive *non maculoſa* fuerit. Convenit ſaporetenus cum naſturtio, piperitide & flammula Jovis; unde & inter anthypochondriaca & antiſcorbutica rectè refertur. Nam eædem quoque particulæ acidæ acres, quæ aliàs in plantis antiſcorbuticis reperiuntur, hìc quoque offenduntur. Ex ſapore enim facilè notum eſt, quod acerrimum & copioſum ſal volatile in ſe habeat hæc planta, ratione cujus incidit egregiè, penetrat potenter, quæcunque coagula p. n. reſolvit, & per urinam evacuat; unde egregium eſt alterativum in affectibus hypochondriacis, ſcorbuticis & ſpleneticis, item in tumoribus & in infarctibus meſenterii, ſimilibusque aliis cognatis affectibus: & dum in foliis maculas nigras habet, propterea quidam dicunt, quod hac ſignatura quaſi maculas ſcorbuticas repræſentet, & hoc ipſo innuatur illius vis expellendi verminoſam malignitatem ſcorbuti: Videatur *PARACELSUS in Herbario ſuo.* A multis etiam pro ſingulari ſecreto venditatur in curatione Luis Gallicæ, ſive ſola ſive aliis permiſta, quacunque ſub forma, vel Decocti vel Eſſentiæ: Melior tamen eſt Eſſentia extracta, quàm Decoctum, cum in Decocto multum pereat de ſale volatili.

Externè pro ſcopo veſicandi aut ſaltem cutim rubificandi adhibetur. Frequens etiam eſt Decoctum cujusvis Perſicariæ in vulneribus & ulceribus malignis & inveteratis, cacoethicis, & difficulter coaleſcentibus, in ſpecie in ulceribus Gallicis. Propter vim in ulceribus etiam prodeſt Perſicaria contuſa, vel cum aliis cataplaſmatis forma impoſita, equis compreſſis. Imò commendari ſolet in ulceribus & doloribus podagricis; idque non ſine ratione, cùm oriantur ab acido corroſivo. Hoc acidum, quid mirum, ſi corrigatur à ſale volatili acri perſicariæ? Videatur *SCHMUCK Theſ.* 2. *Secreto Phyſ.* 8. Hæc eſt illa planta, quam *PARACELSUS loco allegato* ad tranſplantationem morborum, & curam ſympatheticam adeò commendat, id quod etiam experientiâ, imprimis hippiatrorum, confirmatur; utuntur enim hac planta tum, quando e. g. equus nimis comprimitur. Modus eſt hic: Protrahunt vel abluunt plantam recentem per aquam frigidâ, eamq; poſt parti contuſæ & dolenti, ulceribus & vulneribus, contuſionibus, & inde natis ecchymomatis, item in odontalgia, applicant, ac linteum ſuperimponunt, ut probè incaleſcat: altero die poſt plantam iſtam adhuc tepidam ſepeliunt ſub fimo equino, vel alio in loco, ubi citò aut facilè putreſcat; & ſic ſponte, plantâ putreſcente, tumor quoque ceſſat, aut vulneratus convaleſcit. In gravioribus contuſionibus ac vulneribus ſecundâ vel tertiâ vice uſus ejus repetendus eſt, & experimentum eſt haud contemnendum: ſic refert Meyſſonnerius, ſe in Gallia vidiſſe puellam quandam in tota facie per caſum ab alto miſerrimè contuſam, lividam ac cæruleſcentem, quæ cùm quamplurima, ſed incaſſum, adhibuiſſet, plantâ hâc ſuaſu mulierculæ impoſitâ, ac ſub fimo dein ſepultâ, feliciter ac ſubitò curata fuit. Simili modo hanc adhibitam ad odontalgiam periodicam chronicam commendat *PARACELSUS*, qui, ſi quis alius, in hoc caſu, inque quamplurimis aliis, maximè ejus vires perſcrutatus eſt. *FONSECA l.* 1.

*Conf.*47. alio modo instituit hunc Magnetismum: Decoquit herbam Persicariæ cum corticibus hyoscyami in aceto rosaceo: aceto hoc pro gargarismate utitur; reliquias verò hujus decocti vel gargarismatis sepelit in terram, & dum putrefiunt, dolor sedatur: quod idem habet *RIVERIUS*, qui solet comburere reliquias post decoctionem, ut eò faciliùs & citiùs sedetur dolor. Sed de Magnetismo Persicariæ hinc inde apud autores mentio fit: Imprimis tamen legatur primus ejus autor *PARACELSUS* l. c. ut, & *HELMONTIUS de Magnet. Vuln.* curatione, & *MARCUS MARCI in Philosophia Veterum Restituta P. S. Sect.* 1. *Subsect.* 6. ubi *de Magnetismo Persicariæ.* Utut autem magneticâ vi dicta mala curet, nihilominus tamen etiam corporali contactu, ut *suprà* dixi, dictis malis egregiè medetur.

Aqua persicariæ per frequentem cohobationem à planta abstracta, & sic sale volatili suo imprægnata, nobile est præservativum & curativum à calculo, Anglorum quorundam experimentum, uti hoc refert *BOYLE.* Valdè hi quoque Angli commendant ad tormina ventris, passionem cardiacam, colicam & hystericam, scorbutum, malum hypochondriacum, renum affectus, & omnes morbos chronicos. Specificè commendatur contra vermes, contra venena, & ulcera Gallica, ut & contra lepram.

PETASITES.

PEtasites planta est hortensis valdè usitata, & reverà *Tussilago major* esse videtur: tempore verno prodit, florem habet album & rubeum, & folia tempore æstivo crescunt in magnum: Germanis *Pestilentz-Wurtzel* ab usu vocatur.

Est planta pulmonaria & alexipharmaca, resistens quibuscunque venenis, quod odor confirmat aromaticus acris, qui de principio ejus volatili oleoso acri, ex parte mucilaginoso, testatur, in quo vis ejus residet. Hujus radix gummosa, acris valdè, amari & penetrantis saporis, tantùm in usu est contra pestem & febres malignas, quæ pulverisata ad ℨij cum vino albo pro scopo sudorifero & alexipharmaco adhibetur; per poros enim cutis malignitatem potentissimè expellit. Hinc & aceta alexipharmaca seu bezoardica, spiritus & essentias alexipharmacas, aliasque compositiones magnas theriacales, & cum aliis extracta alexipharmaca, ingreditur: ad colicam etiam, & uterinam suffocationem, pulmonum affectus, pro promovendo eorundem muco, & expectorandis coacervatis sordibus, lumbricos infantum, retentionem urinæ, & menstrua obstructa prodest. In equis pro vermibus, & affectibus pulmonum asthmaticis adhibetur.

Externo usu contusa radix viridis, vel sola vel aliis admista, commendari solet contra bufones pestilentiales, ut eosdem maturet, & malignitatem foras evocet. Aliàs vix in usu est.

Præparata, quæ recenset Autor, rarò, imò ferè nunquam, in officinis prostant.

PETROSELINUM.

PEtroselinum planta est satis cognita, & in culinis & in officinis. Notandum hìc in genere, quod Σέλινον Græcorum, Latinis *Apium* dicatur. Petroselinum autem illud apium est, quod pro usu culinario vulgò colitur, & aliàs etiam dicitur *apium hortense* seu *sativum*; cum contra id, quod nos *apium* vocamus, sit *sylvestre* & *palustre*. *Nostrum* ergò præsens *Petroselinum* in occulto quasi aroma quoddam repræsentat, imprimis folia recentia, quæ proximè ad chærefolium nostrum accedunt, & similiter vi diureticâ commendantur.

In usu est *radix*, & imprimis *semen*, rarò verò *folia*.

Radix est ex 5. aperientibus majoribus, & juxta vim aperitivam est elegans diureticum, & leniter & suaviter solet ciere per urinam materiam in hypochondriis stabulantem; unde in obstructione partium internarum valdè est usitata, & convenit in omnibus affectibus, ubi opus est apertione, acidi contemperatione, & massæ excrementitiæ per urinam evacuatione. Quin & folia æquè atque radix in affectibus à lacte oriundis commendata sunt, cujus congrumescentiam nonnihil impediunt, & nonnihil siccata in nodulis infusa, abundantiam ejus impediunt. Urinam certè insigniter pellunt: & cunctis morbis chronicis subinde cum aliis in Decoctis & Infusis succurrere perhibetur. Aliàs magis culinaris, quàm officinalis est planta.

Superiùs dixi, ubi differebam de apio palustri, quod conveniat ad discutiendum tumorem mammarum ex coagulatione & abundantia lactis: id quod etiam de Petroselino sperandum est: Lac enim dissolvit concretum in mammis, ejusque abundantiam impedit extrinsecùs usurpatum. Reliqua, quæ habet *AUTOR*, satis sunt cognita de hoc ipso.

Aqua destillata usurpatur pro usu diuretico. Potius adhibetur radix, ejusque Decoctum ex aperientibus, & medicamentis contra morbos chronicos & cachexias.

Succus petroselini massam sanguineam aliis atque aliis humoribus infectam purificat, & externè in mundificandis & curandis abscessibus, & detergendis ulceribus inveteratis multum valet; quod etiam facit succus apii. Unde Galli *unguentum compositum* habent *de apio* dictum, quo omnia ulcera sanare & mundificare possunt: vid. *PARÆUS*, qui ejus compositionem habet.

PETROSELINUM MONTANUM.

PEtroselinum montanum planta est usitata, conspirat ferè in omnibus cum Petroselino dicto, nisi, quod paulò majus acrius & volatilius sit, ut omnia montana solent. Unde tota planta, imprimis ejus semen, solet esse excellentiorum virtutum, quàm Petroselinum hortense. Sudoriferum & diureticum egregium est, & inter alexipharmaca refertur, etiam stranguriæ mederi solet.

PETROSELINUM MACEDONICUM.

PEtroselinum Macedonicum est genuinum *Veterum Petroselinum*: Nam *Petroselinum nostras hortense* & montanum non est illud Veterum, quod adhibuere in compositionibus Theriacalibus, sed hoc apud illos solummodò in usu esse consuevit. Nihilominus, cum non possit haberi, utut colatur in hortis, loco illius potest substitui Petroselinum montanum sine fraude ægri. Convenit cum virtutibus petroselini dictis, nisi quod in virtutibus alexipharmacis idem antecedat, & propterea semen ad compositionem Theriacæ & Antidoti Matthioli, requiritur: aliàs nullo in usu est.

PEUCEDANUM.

PEucedanum, Germ. *der Haarstrangk*, planta est apud nos non adeò vulgaris, quæ tamen in quibusdam pratis & locis cultis solet provenire. Duplex habetur: *Germanicum* & *Italicum*. Hoc in omnibus cum Germanico conspirat, salrem quod speciosius ac majus sit. Vocatur verò ita à πεύκη, quod idem est ac pinus, unde & pinastella dicitur ob folia piniformia. Convenit quoad florem cum petroselino, quoad folia verò est diversitas.

Usitata est *Radix*, quę colligenda tempore verno, quando est succi plena & turgida, non verò in autumno, uti vult *AUTOR*, quando est effœta.

Gummate aromatico perquàm medicamentoso pollet, quod planta hæc à vermibus sauciata copiosiùs de se fundit. Hocce gummi nonnulli substituere volunt gummi ammoniaco; Verùm deficit nobis adhuc experientia. *Radix* valdè commendatur in affectibus pectoris in infarctu & inflammatione pulmonum, ex effervescentia succorum excrementitiorum in pulmonibus stabulantium, à qua effervescentia pectus inflatur. Refertur non immeritò inter radices aperientes, easque ferè superare dicitur; unde in affectibus hypochondriorum convenit. Nam ratione salis volatilis acris temperat acidum, à quo oriuntur hypochondriaci affectus; id quod Veteres aperire dixere. In scabie fenum sicca usurpatur pro balneo. Refertur etiam inter capillares herbas, quatenus efficit, ut tenaciter adhæreant cuti capilli. Hæc & plura alia *SCHROEDERUS noster* ex *DIOSCORIDE* & *GALENO* Peucedano tribuit: an verò omnia cum veritate conveniant? multum apud nos dubitatur. Rarissimi enim est usus.

Præparata, quæ recenset *AUTOR*, rarò prostant, atque sic, uti tota planta, rari sunt usus.

PHASEOLUS.

SMilax *hortensis major flore rubro*, aliàs *Phaseolus*, Germanis *Indianische Bohnen*, planta est exotica, & non officinalis; sed loco ejus pro usu Cosmetico fabæ officinis inserviunt.

PIMPINELLA BIPENELLA.

PImpinella duplex est, *saxifraga* & *sanguisorba*, quæ posterior in quibuscunque sanguinis fluxionibus non parum efficit, & usitatissimè à Practicis in scriptis *Pimpinella* vocatur.

Pimpinella saxifraga hujus loci est, & *species* est *Petroselini*, quæ propriè *Tragoselinum* seu *Bipenella*, vulgò Germ. *Bocks-Peterlein* dicitur. Nam reverà inter *Selina* seu *Apia* locum habet. Est planta umbellifera, cujus folia sunt ferè similia sanguisorbæ.

Refertur inter plantas vulnerarias & adstrictorias, & propter vim diureticam & calculorum pulsivam saxifragas, adeò, ut primaria ejus vis resideat in virtute diuretica & lithontriptica, in quo cum selinis reliquis conspirat. Saporis est acris, propterea folia quocunque modo, speciatim in acetariis, usurpata sanguinem mundificandi egregiam vim obtinent; abstergit siquidem pimpinella, & omnia sanguinis recrementa salina per sudorem copiosiorem, & urinæ fluxum pellit. Præterea *radix* aromaticâ acrimoniâ stomacho dicata dicitur; unde post dictos hos usus, de quibus pluribus videatur Autor, prodest valdè in cruditate & imbecillitate ventriculi, quando est oneratus phlegmate acido copioso & crasso. In tali nempè casu mirum quantum commendatur *Saxifragum* hoc *Tragoselinum* seu *Bipenella*. In specie egregia est in partium internarum erosionibus & læsionibus curandis, qua ratione & phthisi & dysenteriæ egregiè confert, teste *RIVERIO C.* 3. *observ.* 84. ubi decoctâ hâc radice cum

butyro dyſenteriam curavit; ſicut etiam alexipharmaca eſt, & malignitati reſiſtit.

Quoad uſum externum ferè cum aliis, ſpeciatim polygono, convenit, imprimis in mundificandis ulceribus: in butyro frixa admodum commendatur ad extrahendos globulos ex corpore, Autore *STARICIO im Heldenſchatze p.* 130.

Inter Præparata radix condita, & conſerva, ſolet proſtare in officinis quibusdam. In electuariis ſtomachicis, & ſtomachum confortantibus, nunc etiam in electuariis alexipharmacis, & malignitati reſiſtentibus, ſolent præſcribi.

PINASTER ſeu PINUS SYLVESTRIS.

Litigia iſta, quæ circa nomina *Pini* & *Pinaſtri* occurrunt, videbitis imprimis in *HOFFMANNO de Medicamentis officinalibus l.* 2. *c.* 125.

Pinus in duplici eſt differentia: vel enim *ſativa* eſt ſeu *Italica*, (de quo mox in ſequentibus,) vel noſtras *Pinaſter*, ſeu *Pinus ſylveſtris* & *montana*, ſeu *Teda*, Germ. *die kieffern: vid. TABERNÆMONTAMUS p* 1351. item *Theatrum Botanicum Tom.* 1. *l.* 2. *p.* 253. quæ iterum vel *fructifera* eſt, de qua hìc loci, vel *ſterilis*. Deinde *Pinaſter* quoque dividitur in *marem* et *fœminam*, de qua jam *ſuprà actum*, ubi *de abiete alba*. Ipſe *Pinaſter* ſeu *Pinus ſylveſtris AUTORIS ad abietes* pertinet, eſtque *arbor antiſcorbutica* ſuprà dicta. Pini enim cognati ſunt abieti, ſaltem foliis differunt; ſiquidem *abies* habet *folia ex adverſo collocata*, *Pinus* verò *utrinque* et *ex omni parte ſita*. Raro uſurpatur. *Strobili* verum et inflammabile *ſulphur* ſuppeditant.

Suggerit hæc arbor Germ. *das Kienboltz*, ex quo per deſcenſum deſtillatur *oleum*, aliàs *Templinum* dictum, egregium experimentum ad partes elevatas à frigore.

PINUS & PINEÆ.

Pinus *ſativa* ſeu *domeſtica* eſt arbor ex abietum ſpeciebus, exotica, & quæ apud nos non creſcit, utut in Italia ſatis copioſa reperiatur: propterea rarus ejus eſt uſus in officinis noſtris, nec memini, me legiſſe quicquam apud Practicos de ea, niſi quod *fructus* in uſu ſint, nuclei ſeu Pineæ, Germ. *die Pineen* dicti.

Has quod attinet pineas, conveniunt ferè cum amygdalis dulcibus, & ſimilibus ſeminibus temperatis. Virtus eorum conſiſtit in ſubſtantia oleoſa, temperata tamen & admodum mucilaginoſa ad inſtar olei amygdalarum dulcium. Hujus ratione nuces pineæ laudantur pro uſu nutritivo humectante; & hinc contra atrophiam atque tabem corporis & ſimiles affectus, maximè conducunt. Hunc in finem ex iisdem nucleis frequenter parantur Emulſiones, unà cum piſtaciis & amygdalis dulcibus, inſigne & laudabile nutrimentum præbentes iis, qui laborant atrophiâ. Hac quoque ex cauſa adhibentur in uſu venereo, ut geniture materiam præbeant, quam inſigniter augent. Notandum enim, venerea medicamenta in duplici eſſe differentia: quædam enim maſſam ſeminalem augent, qualia ſunt oleoſa hujusmodi, & quaſi lactea, amygdalæ dulces, piſtachia, lac &c. unde in electuariis Venereis uſitatè præſcribuntur ſimul pineæ & etiam piſtaciæ: quædam verò Venerem ſtimulant, uti ſunt ſalina, & omnia aromatica ſeu acria, & acrimoniam quandam in ſe habentia, v. g. ſinapi, eruca, macis, piper, caryophylli, cubebæ, coriandrum, &c. Porrò valdè commendari ſolent in affectibus pectoris, imprimis talibus, ex lympha nimis acri ſalſa & acida in pectus deſtillante: cum enim hæ nuces ſint temperatæ, quamcunque acrimoniam ſuccorum, imprimis lymphæ, quæ nimiâ acredine & ſalſedine ſuâ poſſet corrodere pulmones, & partes pectoris, oleo ſuo temperant: non ſecus ac amygdalæ dulces, cum quibus de cætero in omnibus ferè conveniunt; unde in phthiſi, raucedine & in aſperitate faucium, & ſimilibus magni ſunt uſus. Propter eandem aciditatem & ſalſedinem humorum temperandi virtutem conveniunt in temperanda acrimonia urinæ & humorum in ſtranguria & dyſuria, vel inchoata renum levi corroſione. Horum tamen loco amygdalæ dulces ſufficiunt.

Oleum ex nucleis hiſce recens expreſſum inſigniter armat in venerem: id quod novit probè Princeps quidam magnus non longè abhinc diſſitus, oleum hoc pinearum & piſtaciorum recens continuò ſecum ferens, tanquam arcanum ſingulare pro uſu venereo, cum vino vel Rhenano, vel Malvatico ſumptum. Sed de his dabitur ulteriùs dicendi locus, ubi de Piſtaciis.

PIPER.

Piper duplex habetur in officinis; vel *rotundum*, vel *oblongum*. *Rotundum* itidem eſt duplex; vel *album*, vel *nigrum*. De natura & productione piperis videantur rerum exoticarum Scriptores, qui teſtantur, quod ſit planta ex ſpeciebus *convolvulorum* aut *clematitis*; unde ſcandar inſtar clematitis & ſmilacis. Integra hæc planta ſaporem acerrimum habet, ſimillimum ipſis granis piperinis, ut apud nos cochlearia & ſinapi. *Piper album* & *nigrum* non differunt ſpecie, cum omnia grana in principio, dum adhuc ſucculenta & immatura, viridia ſint, tractu verò temporis, dum ad maturitatem pervenerunt, rubra evadant. Grana hæc rubra ſeu matura decerpuntur & exſiccantur in ſole, atque ſic ſenſim atque ſenſim acquirunt nigredinem, & ſub exſiccatione, propter exhalationem particularum aquearum, extima cuticula corrugatur, & ſic *piper nigrum* repræſentant. Quod ſi verò à granis non benè maturis ante exſiccationem cutis ſeparetur maceratione in aqua ſalina, ſic, quando exſiccantur, remanet *Piper album*, unde præfertur nigro. Conferantur *Acta Societ. Reg. Vol.* 1. *pag.* 879. item *FRANCISCI in dem Oſt-Indianiſchen Luſtgarten p.* 399. *Longum Piper* potentius eſt rotundo, & creſcit in frutice ſimili rotundo; hinc differentia potiùs in natali ſolo videtur, quàm planta, & inter omnia aromata non magis datur acre quàm hoc, quod ſummoperè mordet, & vehementiùs penetrat.

Piper cùm ſit aroma, cujus ſapor & effectus omnino loquuntur, quod ejus vis conſiſtat in ſale volatili acerrimo parum oleoſo, minusque adeò temperato, uti reliqua aromata, ſed verè concentrato; quarè egregiè incidit & penetrat: Cæterum, uti dixi, parum vel nihil olei poſſidet, ut propter abſentiam hujus olei, quod aliàs inviſcando quaſi ſal volatile nonnihil coercet, eſt adeò penetrans, volatiliſſimum, & quod trituiâ exactâ magnam acrimoniæ ſalis volatilis partem amittit. Ratione hujus ſalis volatilis penetrat adeò, ut incidat mucilaginem craſſam in primis viis ſtabulantem, & abſorbeat acidum: propterea ubi peccat acidum, convenit piper. Hinc ratione hujus ſalis volatilis acris pro uſu ſtomachi ad cruditates ejus acidas deſtruendas, in ſpecie illas, quæ ad crapulã aut aliam cauſam frigidam ſuperveniunt, indeque nata varia primarum viarum pathemata, optimè conducit, & appetitum proſtratum reſuſcitat. Grana etiam ejus, vel integra, vel in forma pulveris groſſi deglutita, ventriculum optimè roborant, & magis operantur, quàm ſi pulveris formâ exhibeantur; maxima enim ſalis volatilis pars inter pulveriſandum perit & avolat. Par ratio ſit de reliquis aromatibus; horum enim vis tenuis valdè & volatilis, ex pulvere faciliùs avolat, diſſipatur & perturbatur: piper autem integrum vires ſuas in ventriculo æquè exerit, atque pulveriſatum, quamvis excernatur immutatum, quia particulæ ejus ſubtiles atque volatiles facilè illic ſenſim ſenſimque ſeparantur, & eliciuntur per menſtruum aliquod conveniens in ventriculo latitans. Quod probatur ex eo, quòd integra piperis grana, aquæ per diem & noctem immerſa, inſipida prorſus redduntur; aqua autem iſtâ vi aromaticâ acri maximè imprægnetur: videatur *HOFFMANNUS de Med. officinalibus*, qui ſæpiùs ejus uſum commendat in colica, quatenus deſtruit acidum, v. g. poſt crapulam vel cereviſiæ non defæcatæ vitio contractâ, & ex præcedente aliqua refrigeratione ortâ, ubi grana aliquot vel integra, vel in 2. 3. vel 4. partes conciſa, cum vino, vel ſpiritu vini, vel alio, inflammabili appropriato, propinata, ſatis commodum ſunt euporiſton. Ulteriùs in febribus intermittentibus remedium conſtituunt non contemnendum, & à vulgo ſæpe uſurpatum, qui grana vij. vel x. in binas partes diſciſſa cum vino, vel ſpiritu vini, vel ſimplici vel aniſato, idque præmiſſis univerſalibus, felici ſæpe ſucceſſu aliquot horas ante paroxyſmum aſſumit; imò continuato uſu quartanam quoque curant. Si aut tardiùs, aut paroxyſmo jam inſtante, aſſumantur, & ubi æſtus ventriculi cum acrimonia ejus concurrit ardor graviſſimè intenditur; minus item adhibenda ſunt, ubi ſolus vel major æſtus urget; potius verò, ſi algor adeſt, præſertim ſi aliquis ſudor expectatur. Juvenem 17. annorum novi, qui 70. grana piperis leviter contuſa pro una doſi aſſumpſit, retinuit, & febris emanſit, utut poſt dies aliquot ex hauſtu cereviſiæ ſecundariæ frigidæ redierit; piperis tamen uſu continuato iterum ſe curavit. Et quamvis febris non ſemper in totum tollatur, rigores tamen maximè ſupprimuntur. Non igitur ſunt de nihilo ii, qui omnia aromata integra potiùs, quàm pulveriſata ſervati volunt, quia & ſub pulveriſatione, & pulvere diu ſervato, ſubſtantia volatilis avolat, & ita minus efficacia fiunt. In ructibus acidis corrigendis quantum integra piperis grana deglutita conferant, videbitis in *RIVERII Obſervationibus Morborum infrequentium obſ.* 37.

Externè de cætero piper unà cum aliis uſurpatur in ſternutatoriis & apophlegmatiſmis, ubi acri penetrante, & ſtimulante remedio opus eſt pro incidenda lympha craſſa, fauces oblinente; item pro incidenda inflammatione, vel incidendo ſanguine congrumato. In gargariſmatis pro laxatione uvulæ cum tantillo aluminis. Vel ſolet fieri pulvis ex pipere, ſale, & gentiana, qui ſufflatus ad locum columellæ vel uvulæ, ejus laxitatem ſolet corrigere. Videatur *SENNERTUS de uvula laxata*. Familiaria quædam & elegantia remedia alia ex pipere videmus deſcripta in *BARTHOLINI Obſervat. l. V. Hiſtor.* 48. tàm pro uſu interno, quàm pro uſu externo. Quando piper præſcribitur in formulis abſolutè & ſine additamento, ſemper intelligitur nigrum; aliàs additur, vel longum, vel album.

Oleum piperis eſt egregium ſtomachicum, prodeſt in colica, et in quartanis ſpecificè mederi dicitur, in quibus alii olei piperis deſtillati 3. vel 4. guttas miſcent cum extracto gentianæ, et propinant ſub forma pilularum ante paroxyſmum quartanarum; quod remedium B. Dn. D. *LANGIUS* in uſu habuit, et felici cum ſucceſſu propinavit. In nimiis et horrendis rigoribus febrium intermittentium, imprimis quartanarum cum oleo laurino, et etiam cum oleo nardino, ſpina dorſi inungi ſolet. Ab aliis ſolet oleum piperis cum oleo nucis moſchatæ expreſſo inungi regioni ſtomachi, quo uſu valdoperè mitigant horto-

horrores febriles, in quibuscunque intermittentibus obvios. Cum spiritu vini rectificato *Essentia piperis* paratur, quæ mirè appetitum acuit.

Species diatriων piperεων sunt egregiæ in stomacho confortando, et promovenda ejusdem digestione: cum Tragea stomachali usurpantur ad cruditates, et exinde natam vitiosam digestionem tollendam, in vehiculo appropriato.

PIPER AMERICANUM.

Piper *Americanum* ita dicitur, quod in America, præsertim Brasilia, copiosissimè crescat. Veteribus fuit incognitum, & saltem à modernis, imprimis à *JOHANNE FABRO, Lynceo*, illustrata, ac Romæ edita est, detectum; item à *PISONE in Indiæ utriusque Re Medica*. Indi, ac in specie Brasilienses, plantam hanc vocant *Chili*; Latinè *Piper Indicum*, Siliquastrum, Capsicum. Plures sunt *differentiæ*, tùm *ratione fructus*; alius enim est *rotundus*, alius *siliquosus*: tùm *ratione coloris*; alius enim fructus est *coccineus*, (Germ. *Scharrlach Farben*,) alius *flavus* seu *aureus*.

Piper hocce nullum habet usum præterquam in fructu. *Fructus* enim ejus maturus tantam habet acrimoniam, ut respectu piperis veri Indici fit lusus jocusque, unde & loco condimenti miscent suis alimentis; norunt enim, quod appetitum augeat. Præterea etiam fæces alvi mordicantes, ac sæpiùs intestinum rectum exulcerantes, ejus usu redduntur. Hispani piper hocce Chocolatæ addunt, ut œstrum venereum magis accendant. Hinc etiam fructus exsiccatus ac pulverisatus in usu est febrifugo, ante paroxysmum scilicet intermittentium propinatus, quod remedium est paucis cognitum. Idem fructus recens spiritui vini infusus penetrantissimam ac acerrimam præbet *Essentiam*, ventriculo singulariter amicam, appetitum provocantem, mucumque ventriculi ac sordes abstergentem. Sunt, qui fructum recentem sine arillis aceto, unà cum fœniculo, infundunt, locoque condimenti medicamentosi cum carne assata adhibent, quod sanè ventriculo egregiè conducit.

Est planta ab autore neglecta, quæ vocatur

PIPERITIS.

Piperitis Græcis dicitur λεπίδιον, vel à λεπίζειν, quod acrimonià suà soleat urere, vel quod λεπίδας seu maculas faciei abstergat vel curet. Rectiùs refertur ad *Iberides*, & hinc ad *Thlaspia*. Germanis vocatur *Pfeffer kraut*, à sapore acerrimo.

Planta est procera, & haud contemnenda. Probè masticata prodit spicula tantà atrocià, ut non cedat sinapi, persicariæ, aro, vel ipsi piperi; cui ferè substitui potest. Sapor hic acerrimus penetrans, & quasi causticus, æquè ac piperis, loquitur de præsentia copiosissimi & penetrantissimi salis volatilis acris; ratione cujus in scorbuto unum est ex primariis medicamentis, cui potentissimè mederi solet, non minus quàm cochlearia, nasturtium &c. cum quibus ferè convenit; dum nempè conspirant vi antiscorbuticà, alterativà, viscidorum incisivà, & abstersivà, adeoque spleneticà & hepaticà, aperitivà. Et quamvis Autor mentionem hujus non fecerit, neutiquam tamen est postponenda reliquis, unde & folia hæc pro acuendis *aquis*, *spiritibus & essentiis antiscorbuticis*, imprimis in *compositione spirituum antiscorbuticorum*, rutæ, cochleariæ, nasturtio, & aliis convenientissimè adjungi, & incisa cum spiritu vini destillari, ac aliquoties abstrahi poterunt. Præterea egregium est stomachicum, quatenus pituitam acidam, id est relicta cruditatis acidæ in stomacho stabulantia, corrigit & incidit, hincque appetitum provocat & stimulat, quod aliquoties observavi. Stomacho enim jejuno si masticentur folia, famem tantùm non caninam & ingentem appetitum excitant; sicut ipse pro appetitu deperdito unum saltem foliolum rudiier masticatum, restaurasse eundem vidi. Quin & folia vino infusa, & simul hausta ac deglutita, ad appetitus defectum, & inde natam anorexiam, commendantur; abstergunt enim, & omnes ventriculi cruditates nimias, ac viscidas, acidas & glutinosas, absumunt, & ita appetitum reconciliant. Et cum in stomachi cruditate acida sedes sit mali hypochondriaci, & mediantibus his multi è stomacho in massam sanguineam veniant morbi; unde sal acre conveniet in omnibus affectibus, ubi est acidum, quod corrigit, & sal volatile in massa sanguinea acrius & penetrantius reddit, & auget.

Planta recens simplici, & arenæ destillatione, suggerit phlegma ignei ac acerrimi saporis; Vel si plantæ affundatur spiritus vini, & parili modo destilletur, emergit menstruum ad extrahendas quasvis plantas antiscorbuticas.

PISTACIA.

Pistacia sunt fructus arboris *staphilodendri*, quæ duplex est; una *Italica*, altera verò *sylvestris* seu *Germanica*, cujus fructus *Nux vesicaria*, quibusdam Germ. *Pimpernussigen* dicitur; quorum usus nullus est, sed culinaris potiùs. Pulpa intra nuculas contenta nonnihil adstrictoria est. Ornatus gratià in hortis colitur.

Quoad arborem Italicam, folia hujus sunt terna. Fructus sunt nuclei parvi, saporis instar amygdalarum dulcium, quæ in omnibus cum pineis & amygdalis dulcibus conveniunt; cum quibus etiam simul præscribuntur in emulsionibus antiphthisicis & antihecticis, quoniam egregiè partes nutriunt: Temperati enim sunt quàm maximè, nec ullo modo excedunt, dum humore roscido & oleoso sunt impraegnati; unde etiam in marasmo & atrophia valdoperè sunt usitati. Juxta virtutem nutritivam conveniunt in augenda materia seminali, & stimulanda venere: Et quod suprà dictum de pineis, intelligendum jam venit de pistaceis; augmentum enim seminis dant egregiè: unde, quod dixi de oleo expresso pinearum, valet de oleo expresso pistaciarum. Hinc Princeps quidam magnus in vicinia ante paucos annos mortuus, & valdoperè etiam in senio famosus in re Venerea, pro secreto habuit *oleum pistaciorum & pinearum recenter expressum* cochl. j. *vitell. ovi* unius, & *ambræ* quantum cuspide cultelli capi potest, & denique *sacchari candi* quantum tribus capi digitis potest. Hæc invicem super cineribus calidis miscentur, sicque habent consistentiam electuarii, quod valdè convenit in promovenda & stimulanda Venere.

PLANTAGO.

Plantago duplex est; vel *Plantago terrestris*, vel *Plantago aquatica* seu *palustris*; utut hujus nullam mentionem faciat Autor. *Terrestris* est *trinervia*, *quinquenervia*, *septemnervia*, & *multinervia*; item *spicata* & *rosea*; item *latifolia*, & *angustifolia* seu *canina*: & quidem, quando plantago absolutè ponitur, intelligitur *major*, utut communiter statuatur, quod minor sit efficacior majori. Plantago dicitur quasi planta κατ' ἐξοχὴν; Germanis *der Wegerich*, quoniam in viis crescit; & *Hundsriebe*, à fibris foliorum nervosis, costas quasi caninas repræsentantibus.

Plantagines hæ essentiali quasi sale tartareo abundant, sicut hoc docet *LUDOVICI Pharm. pag.* 755.

In *usu Medico* in specie quinque aut septemnervia usualis. Planta est polychresta, saporem habens nonnihil amaricantem in recessu, & adstrictorium, & inter simplicia vulneraria est ex principalioribus internè & externè. *Internè* in fluxibus alvi quibuscunque, hæmorrhagiis per nares, renes & vesicam factis, inque renum exulceratione, mictu cruento, item in vomitu cruento, hæmorrhagia uterina nimia, seu nimio mensium fluxu. Decoctum ejus, uti & foliorum pulvis, magni sunt usus. Ulteriùs planta hæc in jusculis consuetis coquitur, & pro cura diarrhœæ & dysenteriæ assumitur: vid. Poterius in suis scriptis. Porrò planta hæc ingreditur plerumque potiones vulnerarias; hinc in sanguine quoque grumoso dissolvendo, ac in specie in casu ab alto internè commendatur; sicut etiam in abscessibus partium internarum mundificandis, ejus usus est egregius. Hæc *de usu vulnerario*.

Præterea Plantago simili usu interno est egregiè alexipharmaca, quoniam potenter resistit venenis, eaque arcet, adeò, ut contra quodcunque venenum commendetur pulvis ex radice & planta. Vis hæc alexipharmaca edocta fuit per bufonem. Refert namque *TAKIUS*, quod bufo cum aranea pugnaturus, se priùs muniat contra ejus ictum cum herba hac: quoties autem ictum ab aranea sustinuerit, statim plantaginem accessisse, & sanatum esse, non obstante, quod valdè ex ictu intumuerit. Observavit hoc Dominus in horto suo obambulans, videns sub tela araneæ sedentem bufonem; aranea conspiciens bufonem, eum ad intumescentiam aliquam punxit: hic vulneratus statim plantagini accurrens aliquid decerpsit, & se sanavit, indeque de novo cum aranea certamen suscipiens, vehementiùs & aliquoties ab aranea punctus, atque ut antea intumescens, ad plantaginem repsit, seque curavit. Animadvertens hoc Dominus, interea plantaginem amovit: bufo tandem ab aranea iterum vulneratus, hac plantà non repertà, tumefactus exspiravit. Et hàc experientià vis plantaginis alexipharmaca primùm fuit detecta. Sunt &, qui suo modo ad juvandum naturæ conatum plantà hàc internè utuntur. Semen ejus plantæ tanquam specificum in herniis, dysenteria benigna, in nimio mensium fluxu &c. adhibetur à nonnullis.

Externè folia ejus contusa, ac plagis seu vulneribus recentibus imposita, vel etiam decoctum ejus vulneribus applicatum, eadem non inflammari vel dolere permittunt, & mirè consolidant, non minus etiam, quàm in ulceribus, & abscessibus, quos egregiè mundificant, & ad consolidationem perducunt: ita, ut inter plantas vulnerarias utramque ferè soleat facere paginam plantago. Magni etiam usus est in ulceribus linguæ, unde solet ingredi decocta pro gargarismatis familiaribus in ulceribus tonsillarum, uvulæ, faucium, similiumvè vicinarum partium. Cæterùm pro hoc usu vulnerario imprimis colligenda est inter 2. Festa B. Mariæ. Quod si enim colligatur radix plantaginis in die Martis & Lunæ, ita quidem, ut Luna existat in signo vel arietis, vel sagittarii, tunc collecta commendari solet contra apoplexiam. Novi etiam, qui quotidie manè fonticulis folia hujus plantaginis loco foliorum hederaceorum (quæ hoc in casu superant) summo cum successu imponunt. In nimio mensium fluxu Decoctum plantaginis cum aceto rosaceo, & aqua spermatis ranarum applicatur cum spongiis regioni pubis.

Succus plantaginis recens expressus in vulneribus cutaneis conglutinandis, iisin specie, ubi accedit simul tumor, aut inflammatio erysipelacea, tutissimè adhibetur, tam internè quàm externè; unde con-

convenit in ſputo ſanguinis, in vomitu ſanguinis, uti etiam in nimia uteri hæmorrhagia, ſive poſt partum, ſive tempore menſtruationis: Vulneribus quibuſcunque inſtillatus aut applicatus, citra intentionem primam ſeu puris ſuperventum, ulcera & abſceſſus egregiè mundificat, & mirabilem vim conſolidativam ſuggerit. Vel inſpiſſatus cum melle in formam Linimenti ſubactus, & ita ulceri applicatus, perquàm egregius eſt: in quo caſu etiam Theriaca addi poteſt.

Syrupus pariter ſummoperè commendatur in ſputo ſanguinis, in vomitu ſanguineo, hæmorrhagiis uterinis, & quibuſcunque aliis ſiſtendis, ad ℥vi exhibitus. Ab HOECHSTEDTERO *Decl. l. cap.* 3. *pag.* 12. in mictione cruenta ceu expertum ſpecificum commendatur. Paratur autem ſyrupus ita:

℞. *Folior. plantag.* M. xij.
Radic. ſymphyt. maj. ℥vj.

Ex inciſis & contuſis exprime ſuccum, adde *ſaccharum*, & coque ad conſiſtentiam ſyrupi, qui in prædictis affectibus apprimè conducit.

PLANTAGO AQUATICA.

PLantago aquatica eſt vel *latifolia*, vel *anguſtifolia*. Dicitur ita ad differentiam terreſtris: Germ. *Waſſer-Wegerich*.

Planta eſt, quæ tota æſtate viget, & cujus ſcrutinium hactenus perperam fuit neglectum; attribuerunt enim huic virtutes tantùm plantaginis terreſtris. Verùm multum inter ſe differunt: illa enim, terreſtris, eſt inſipida, vulneraria ac refrigerans; hæc verò, aquatica, eſt acerrima, aro ac Flammulæ, *de quibus ſuperiùs*, ſimillima, exulcerans, ac ob particulas ſuas ſalinas volatiles acerrimas calefaciens; unde à recentioribus inter antiſcorbutica refertur, cujus ſal acidum corruptum temperat & corrigit, atque per urinam eliminat, imprimis, ſi cum aliis antiſcorbuticis miſta in infuſo propinetur, aut ex in eſſentia, ſeu ſpiritus abſtractitius compoſitus, adhibeatur.

Folia exteriùs impoſita puſtulas & veſiculas excitare valent, unde & veſicatoriis annumerari poteſt: & propter has virtutes ulcerandi folia contuſa carpis, pro febrium intermittentium chronicarum levamine ſingulari, imponuntur; ſic enim ad inſtar emplaſtri febrifugi Strobelbergeri vi ſuâ cauſticâ febres intermittentes curant. Alii appendunt radicem pro amuleto in febribus intermittentibus. Præterea eadem folia hydropicorum cruribus œdematoſis contuſa & applicata veſiculas copioſas in iisdem feliciter ſatis excitant, per quas poſtmodum apertas copioſa aqua educitur, cum inſigni ægrorum levamine.

Sequitur ratione ordinis alphabetici planta ab autore neglecta, non tamen inelegans, quæ vocatur

PLUMBAGO.

DE hac *Plumbagine* imprimis Moderni obſervarunt ſingularem & ſpecificam vim contra odontalgiam: ratione cujus virtutis hæc à quibusdam ſolet vocari *Denticaria*, propter vim nimirum ſuccurrendi dentibus dolentibus. Et quidem adhibetur hoc modo: Contunditur, & contuſa applicatur carpo aut volæ manus, relinquitur per noctem, & manè macula plumbea invenitur in loco, ubi applicata fuit, dolorque dentium ceſſat: idque certo experimento à multis fuit compertum; De quo videatur PANAROLLUS *in Pent.* 4. *obſ.* 10. item STROBELBERGERUS *in Tract. de dentium Podagra c.* 43. uti & TABERNÆMONTANUS *in Herbario*, ubi *de Plumbagine*.

POEONIA.

PÆonia, Germ. *Pfingſtroſe, Poonien*, ita dicitur à POEONE, primo hujus plantæ inventore, qui, referente HOMERO *in Odyſſea*, PLUTONEM ab HERCULE ſauciatum, hâc Pœoniâ curaſſe fertur. Nonnulli ad aconitorum genus referunt, ſed perperam, & conjecturâ tantùm. Rectiùs inter Papaverina refertur, quia ferè ejuſmodi formam præ ſe ferre, ejusdemque virtutis eſſe ſolet.

Dividitur in Marem & Fœminam. Fœmina tamen nihil valet, mas verò in uſum trahitur ſolùm, quæ pœonia mas admodum rara eſt; ſubſtituitur enim in officinis pro mare fœmina; & propter hoc ſuccedaneum egregiæ virtutes, à Veteribus deſcriptæ, fruſtrà expectantur à Pœonia. Differt verò à fœmina radice, foliis, fructu & ſemine, vel capſulis ſeminariis. Mas habet radicem unam longam & continuam, in aliquas fibras definentem, ad ſummum unum vel alterum craſſum tuber; fœminæ verò radices conſtant ex plurimis bulbulis ſeu potius tuberibus invicem connexis: Mas habet folia magna, lata & craſſa, ad formam foliorum nucis juglandis, ſed exteriùs magis rotunda, & inciſa inſtar foliorum ſmirnii; fœmina autem folia anguſtiora, & undique multiplicibus diviſionibus diſſecta ſunt, copioſa, atque ſimul anguſta, acuta, & uno pediculo invicem connexa; de quibus videatur AUTOR noſter. Mas habet florem pendentem, colore coccineo, maculis nigricantibus interſperſum; Fructus ſpecioſiùs ſe gerunt, & poſt flores defluentes ſe expandunt in quatuor lacinias ſeu valvulas, quæ fatiſcunt, & quaſi quadruplex criſta gallinacea reflexa intensè rutilant, quibus extrinſecùs grana majora nigra inſtar piſorum adhærent: Fœmina verò capſulas binas, tres vel quatuor acutas, quaſi obtuſa cornicula, fert poſt florem, non tamen adeò magnas, in quarum medio reperiuntur grana minutiſſima & rubicunda. Differunt denique mas & fœmina uſu Medico, qui eſt efficaciſſimus in mare, in fœmina languidus.

Pro uſu ergo Medico ſaltem ſeligenda eſt Pœonia mas, quæ ſubminiſtrat præſertim radices, ſemina, & flores.

Notum eſt, quod tota planta ſit inſigniter cephalica, pectoralis & uterina, quæque in omnibus convulſivis, aliisque horrendis capitis, vel ſaltem capiti adſcriptis affectibus, ut epilepſia, item in quavis vertigine, incubo & ſimilibus, eſt expertiſſima & efficaciſſima. Radix Pœoniæ maris prodeſt præcipuè in vertigine & epilepſia, unde ingreditur *Pulverem Marchionis epilepticum*, cujus talis eſt deſcriptio:

℞. *Rad. pœon. maris decreſc. Luna effoſſæ* ℥ß.
Viſci querc.
Raſur. eboris,
Ung. alcis,
Unic. vel *C.C. ex apicib.*
Spodii præp.
Corall. rubr. præp.
Alb. præp.
Margar. præp. an. ʒj.
M. f. pulvis: cui addantur
Folia auri fini no. xx.

De hoc vid. STROBELBERGERUS *in Manud. ad curandos puериles affectus p.* 18. ubi *de Epilepſia puerorum*. Datur à ℈j ad ʒß in aquis convenientibus aut alio quovis modo; quin etiam in ipſa pulte adhibetur. Plurimas ipſi STROBELBERGERUS laudes tribuit, utpotè quem dicit, ſe ferè quotidie ſalutariter præſcribere.

Flores & *ſemen* in ſimili uſu antepileptico, vertigine, convulſione, & ſimilibus valdè commendantur. *Semen* ordinariò ingreditur emulſiones in epilepſia, convulſionibus, & in principio variolarum & morbillorum, unà cum aliis adhibendas; propterea, quoniam in his ſæpiùs imminet epilepſia & convulſiones, in tempore eruptionis; quas, ut præcaveamus, tales emulſiones compoſitæ præſcribuntur. Talis emulſio etiam pro pueris, terroribus & pavoribus nocturnis afflictis, qui prodromi ſunt epilepſiæ, & qui dormire non poſſunt, optima eſt, & ſummè commendatur à STROBELBERGERO *loco allegato*. Somnum quodammodò inducit; valdè etiam prodeſt in incubo adultorum, in quo, uti & in pavore puerorum nocturno, talis poteſt præſcribi emulſio:

℞. *Sem. pœon. maris* ʒiij.
c. ſ. q. *aquæ flor. pœon.* F. l. a. Emulſio.
adde
Corall. rubr. præp. ℈ij.
edulcorentur parum cum *rotulis manus Chriſti perlat.* S.
Emulſio bene circumagitanda pro una vice.

Externè radicem ſolam amuleti formâ appenſam epilepſiam arcere, jam ex GALENI tempore notum eſt: & hæc vis amuletica à GALENO experta, adhuc noviter eſt comprobata à modernis, uti videre poſſumus in *Riverio in Obſervat. à D. des Grandſpres communicata* 7. p. 299. Præterea idem videre eſt in FORESTI *Obſ. l.* 10. *Obſervat.* 59. & aliis: hic enim appendit ſacculum interpaſſatum ex radice pœoniæ conciſa, & ex pulvere ſeminis pœoniæ: Videatur ſimiliter BARTHOLINUS *Cent.* 4. *obſ.* 69. Relatum mihi eſt, quod radix pœoniæ maris de collo ſuſpenſa vertiginem inveteratam ſuſtulerit. Cæterùm, ut hanc virtutem amuleticam contra epilepſiam & alios quosvis morbos convulſivos exerat pœonia, neceſſe eſt, ut ſit

1. Radix ex mare,
2. Ut collecta ſit tempore balſamico ſeu ſuæ exaltationis, ſub certa ſcilicet conſtellatione.

Anno 1599. prodiit Tractatus de Pœonia SIMONIS BERGERI, *Medici Auguſtani*, quem D. D. SCHERZERUS poſſidet, in quo modum colligendi, & rationem utendi, demonſtravit. Curioſus eſt Tractatus, & admodum rarus. Ingens autem de modo colligendi eſt controverſia inter Autores: PARACELSUS, qui magnam habuit exprientiam effectus conſtellationum circa tempus plantarum collectionis, putat, effodiendam eſſe pœoniam *creſcente Luna*, *Sole in Leone radio ſextili aut trino eam ſpectante*, de quo vid. etiam SCHMUKIUS *in Curis Magneticis pag.* 9. *Citato* verò RIVERII *loco* debet eſſe collecta *decreſcente Luna*, *Sole in ariete exiſtente*: Alii, uti FINCKIUS *in Encheirid. Dogmatico-Hermet. p.* 26. eandem colligendam putant *Luna decreſcente menſe Martio & Aprili*: Alii volunt; hanc radicem colligendam eſſe *menſe Aprili*, *Sole in ariete exiſtente*, & *Luna in oppoſito in Libra*; Ut adeò varii ſint in hoc ipſo Autores: Optimum autem colligendi tempus radicis eſt, quo *Sol verſatur in ſigno Leonis*, nimirum *menſe Julio*, *circa tempus Heinrici*, vel *S. Mariæ Magdalenæ*, *Luna in ariete decreſcente*: Alii colligunt *tempore verno*, *Luna, aut Luna & Sole ſimul, in Ariete verſante*, *Lunaque decreſcente ante Solis ortum*, quod ultimum tempus magis conveniens eſſe, exiſtimo; non internè ſaltem ad dictos affectus, ſed etiam amuleti inſtar appenſa, uti patet non ſaltem ex *Obſervatione Riverii ſuprà allegata*, ſed etiam amicus fide dignus retulit, ſe per radicem pœoniæ maris *die* 12 (22.) *Julii tempore meridiei* effoſſam amuleti inſtar appenſam epilepſiam curaſſe.

Quæ-

Quæritur verò: *in quo consistat plantæ hujus vis antepileptica*, *& antispasmodica?* Respondeo; eandem residere in vi hujus plantæ anodyna, & quodammodo narcotica, cujus ope motus convulsivi sedantur, spirituumque motus elasticus blandè sopitur; spirat enim fortem & gravem odorem.

Quoad *Præparata*, egregiam ex pœonia *essentiam*, contra vertiginem frequentem, morbos convulsivos & eplepticos infantum & adultorum, composuit *BERGERUS loco allegato*.

Aqua pœoniæ ex radice recenter contusa, aut ejus recenti succo optimè destillatur; hâc enim ratione odorem ipsius pœoniæ potenter refert.

Ex remanentia exprimitur succus, & fit *syrupus* elegans, in morbis convulsivis & epilepticis infantum & adultorum.

Ex floribus pœoniæ fit methodo consuetâ ex spiritu vitrioli cum phlegmate vitrioli tinctura, quæ instillari potest potui in morbis, ubi adest vel metuitur epilepsia. Hæc tinctura cum tinctura cephalica composita potest misceri, & convenit in somniis truculentis. Cæterùm, qui novit simplex, novit ex eo Præparata.

POLYGALA.

Polygala est vel *major*, vel *minor flore cœruleo*: datur etiam *flore albo & purpureo*. Ita dicitur, quod ejus usu lac nutricibus augeri putarint; an verò id præstet? penes experientiam sit fides. Aliàs vix amplius est in usu, neque recordor, me de ea aliquid legisse.

POLYGONUM.

Polygonum seu *Centumnodia*, Germ. *Queckengras*, dicitur ita propter multos nodos, quos habet hinc inde. Vocatur etiam à Latinis quibusdam *sanguinea*, Germ. *die Blutgarbe*: propter singularem virtutem adstrictoriam, quâ quascunque sanguinis eruptiones potenter sistit; si contusa scilicet applicetur loco, unde sanguis erumpit. Est vel *majus* vel *minus*: utrumque tamen promiscuè potest usurpari.

Interno usu adstringit; unde in quibuscunque sanguinis fluxionibus sistendis internè & externè vile quidem est, sed non contemnendum remedium. Decoctum ejus in vino austero haustum usurpatur in sanguine grumoso dissolvendo. Hinc etiam internè imprimis convenit herniosis, & hernias feliciter curat: quo ipso Fallopius quamplurimos herniosos restituit, idque imprimis *polygono latifolio* seu *majore*.

Quoad usum externum, prostat mulieris cujusdam exemplum, quæ summâ narium hæmorrhagiâ periclitans, suasu adstantis ani polygono in aqua & aceto ebullito, & sub axillis applicato, convaluit, ubi alia generosa medicamenta nullius effectus fuerunt: unde & hodiè adhuc Decoctum ejus mammis puerperarum applicant, quando pueros ablactant, ad repellendum lac. Hæmorrhoides nimis fluentes etiam sistere solet: Conf M. A. N. C. *Ann. 6. pag.* 40. unde etiam succum ejus cum vino styptico in vomitu sanguinis multum commendat *PAULI in Quadripart. Botan.* Cæterùm hìc conferatur *AUTOR*; quæ enim habet *AUTOR*, non opus est, ut multis dicam.

POLYGONATUM.

Polygonatum non confundendum est cum Polygono jam dicto propter radices geniculatas, quæ characterem exhibent: Vocatur etiam aliàs *sigillum B. Mariæ*, seu *sigillum Salomonis*; quæ nomina promiscuè usurpantur: Germanis dicitur *Weiß Wurtzel*, ab effectu in dealbanda cute, & nitida facie reddenda. Est vel *latifolium* κατ' ἐξοχὴν, vel *latifolium majus*, vel *spicatum Cornuti*, vel *angustifolium Clusii*.

Hoc Polygonatum seu Sigillum Salomonis exhibet pro usu Medico imprimis *radicem*, quæ est penetrans & acris propter sal volatile acre. *Baccæ* ejusdem referuntur inter vomitoria, & vomitum ciere dicuntur. Aliàs internè usum nullum obtinet hæc planta.

Externè in usu cosmetico primatum ducit. Cum vino aut aqua appropriata cocta vel infusa, & illita, maculas ac pustulas cutis ac faciei ac impetigines, pustulas, varios colores &c. bono cum successu abstergit & mundificat; quoniam sal volatile acre detergit omne acidum subtile, quod tales maculas & pustulas solet producere; si verò diutiùs maceratur, erodit cutem. Deinde usum habet vulnerarium. Expertissima est pro discutiendo sanguine grumoso in partibus externis, & curandis sugillationibus quibuscunque, contusionibusque gravioribus, sive à plagis, sive à casu ab alto exortis; ubi non habetur melius remedium radice sigilli Salomonis contusâ & applicatâ; dissolvit enim sanguinem congrumatum. Tale cataplasma impositum ex radice sigilli Salomonis & radice ari, vid. in *SENNERTO Lib. 5. Praxeos Medicæ P. 1. pag. 89. cap. 16.* ubi *de sanguine suffuso in partibus subcutaneis*: unde radix hæc jure basin constituit *unguenti contra livorem faciei Mynsichti*, quod describit *pag. 501. Armament. Chym.* & *cataplasmatis contra livorem Zwelferi*: Loco ejus radix pulverisata cum vino subigatur, & calidissimè applicetur; vel, quod melius, decoquatur radix vel in aqua, vel in vino, & Decoctum cum duplicatis linteis imponatur in iisdem maculis faciei. Cæterùm hæc radix sigilli Salomonis cùm sit acris, & quodammodo corrosiva, ut hæc acrimonia temperetur, addi potest ei ana symphyti majoris radix, & sub forma cataplasmatis usurpari, coquuntur, contunduntur, & per setaceum trajiciuntur; & sic ad omnes sugillationes confert. Quin & in tumore brachii post ineptam venæ sectionem nihil melius est hoc decocto & cataplasmate, quoniam mitigat, & sanguinem congrumatum sub cute latentem, præter sugillationes, resolvit & curat: vel

℞. *Rad. symphyti major.* part. ij.
Sigill. Salom part. j.
Contusa coqu. in cataplasma c. *vino*, vel ex aqua:
Colaturæ adde
Flor. chamomillæ,
Sem. anisi ana pro lubitu. M.

Imponatur toti brachio tumenti & sugillato: Vid. *LEONHARDUS FUCHSIUS in Histor Stirpium pag. 559*

Pulvis hujus *radicis*, cum tinctura Benzoes, in aqua rosarum præcipitata subactus, exhibet egregium Cosmeticum, Cosmetico Clavii parum cedens.

POMUS.

Pomus duplex est: *sylvestris* & *domestica*; quarum fructus cuique nostrum notus. Domestica est varia; unde *poma* sunt vel *dulcia*, vel *acida*, vel *subdulcia*, vel *subacida*, & sic porrò. *Dulcia* quod attinet, inter hæc in usu Medico excellunt in specie *poma Borsdorffiana*, quæ omnibus palmam præripiunt, & egregia sunt alimento medicamentosa. Hæc non tantum blandum aroma spirant, sed speciatim, sicuti quælibet poma dulcia, conferunt temperando acidum præternaturale corporis nostri, & sic consequenter in terrore & tristitia melancholicorum, melancholia hypochondriaca, aliisque affectibus melancholicis valdoperè conducunt; uti etiam singulariter prosunt in malo hypochondriaco: laxant simul alvum blandè & cum gratia, & effervescentias hypochondriacas compescunt, & ita per accidens palpitationem cordis, inæqualem sanguinis motum fermentativum, & imaginationes melancholicas tollunt, adeoque cordialia vulgò talia poma dicuntur. Modus usurpandi varius est; vel pro scopo temperandi acidum, & pro temperanda phlogosi infantum; vel pro scopo alterandi. Fiunt autem efficaciùs inde infusa unà cum aliis vegetabilibus. Paratur exinde vinum antiscorbuticum, si adduntur passulæ, tanquam vinum Malvaticum saporem habens, hypochondriacis convenientissimum. Ut autem citiùs fermentent, addi potest saccharum.

Externè poma putrida applicantur in ophthalmia. In inflammationibus certè & doloribus oculorum, ut & oculis ex percussione & contusione vulneratis, nil melius est cataplasmate pomorum coctorum, vel etiam putridorum, quâ putredine suâ resolvunt cruorem, & sistunt dolores æquè ac tumores. Experimentum fuerunt *TIMÆI*, quod etiam habetur in *SCULTETI Armamentario Chirurgico*. Formula sit talis:

℞. *Poma dulcia* (si possunt esse *Borsdorffiana*, erit optimum) num. iij.

Coqu. in s. q. aquæ *euphras.* & *fœnic.* ad mollitiem: pulpa trajiciatur per setaceum, cui posteà addatur
Sacch albiss. ℥iij.
Camph. gr. xv.
Croci gr. v.

Misc. pro cataplasmate, quod imponatur tepidè oculis, cum linteolis duplicatis.

Quod attinet *Præparata*, omnibus notum est, quod ex pomis, pyris, & cydoniis per fermentionem fiant *liquores vinosi* usitatissimi in Anglia & Gallia, qui dicuntur *Cidre*. Hoc *vinum pomorum*, inprimis ex pomorum Borsdorffianorum succo, per fermentationem paratum, tam solitarium, quàm additis passulis, erit potus vinosus egregiè medicamentosus seu Medicatus, in melancholicis affectibus, & in specie in melancholia hypochondriaca; unde etiam cum succo pomorum Borsdorffianorum præparatur *Extractum Martis*:

℞. nempe *succum pomorum nondum perfectè maturorum*, & *limaturæ Martis* affunde; & acquirit saporem vitriolaceum: quod *infusum Martiale* optimum est pro dictis affectibus remedium.

Inspissari etiam potest ad consistentiam *Extracti*, quod in vino dissolutum grati saporis est.

Extractum hoc per spiritum vini postmodum dat egregiam *Essentiam MARTIS aperitivam*, quam hinc inde describunt Autores, imprimis *ROLFINCIUS in Chymia in artis formam redacta*.

Spiritus ex vino pomorum Borsdorffianorum paratus valdè convenit pro scopo analeptico, & in affectibus melancholicis.

Ipse *succus pomorum* convenit in affectibus malancholicis, ex mœrore & tristitia ortis, in syncope, lipothymia, palpitatione cordis &c. Propter hanc vim antimelancholicam hic succus solet ingredi *confectionem alchermes*, *de quo superiùs* locutus sum; Videatur imprimis *EICHSTADIUS in Tract. de Confectione alchermes*. In obstructionibus alvi infunduntur folia sennæ in succo pomorum Borsdorffianorum, additur cremor tartari, exponitur in locum tepidum, ut fiat

ut fiat ſolutio, ſicq; fit *potus laxativus*, qui ad ante dictos affectus, in ſpecie melancholicis, ſcorbuticis & hypochondriacis, admodum convenit. Ingenioſum certè eſt infuſum.

Sic & *ſyrupus de pomis Borsdorffianis compoſitus* datur in officinis, *Syrupus Regis Sapor dictus*, qui in affectibus melancholicis blandè laxat, & emollit alvum inſenſibiliter, & cum delectatione, ut non melius optari queat pueris, imprimis alvo obſtructâ cum phlogoſibus laborantibus, unà cum pulvere lapillorum cancrorum.

Unguentum pomatum inde confectum conducit ad fiſſuras labiorum, faciei, manuum, aliarumque partium.

Ulteriùs ex pomis putridis aqua deſtillatur per alembicum, quæ propter copioſum, quod unà aſcendit, alcali volatile, apud chirurgos modernos magni æſtimatur in quibusvis inflammationibus, & contra gangrænam magni momenti eſt; non ſecus ac contra fluxus ſanguineos vulnerum, atque ulcera maligna putrida antiqua, & ex quacunque cauſa orta, ut & in ambuſtionibus: videatur *SCHMUKIUS in Theſauro Med. 2. ſecret.* 19. *& AGRICOLA in Chirurgia parva.* Ratio in promptu eſt. Nam conſtat copioſo ſale volatili ſalſo occulto, ratione cujus vim acrem putredinoſam in ulcere attrahit & abſumit, quo acido ſeu fermento putrido ablato non poteſt non fieri, quin conſolidentur ulcera. In hac aqua ſi ſolvatur Mercurius dulcis, vel ſaccharum Saturni, & ſic imprægnetur talibus metallicis, fit egregia ad ulcera phagedænica, telephia & cacoethea, quæ experta eſt à quamplurimis, & arcana eſſe dicitur nonnullis; item in cancro putrido & corroſivo, qui magis cupit relinqui quàm tangi, prodeſt; ſi ſc. linteum quadruplicatum hac aqua humectatum imponatur, & quidem hoc non in cancro ſolùm, ſed etiam in ulceribus corroſivis verum eſſe experientiâ chirurgorum conſtat. Aqua hæc miſta cum ſaccharo Saturni, & impoſita cum linteis, eſt egregia in ambuſtis; quoniam refrigerat, & vitium per ambuſtionem illatum corrigit.

POPULUS.

P*Opulus*, Germ. *die Pappel*, arbor eſt ubivis obvia & nota: & quidem vel *alba* vel *nigra*; quæ inter poſterior tantùm eſt uſitata.

Per ſe rarò, aut nunquam, ſolet præſcribi, ſed gemmæ tantùm populi nigræ in uſu ſunt, & quidem propter vim anodynam; hinc ex illis paratur *oleum populinum* & *unguentum* pro uſu externo in cephalalgiis & agrypniis, temporibus inunctum. Alii in affectibus nervorum & membris paralyticis adhibere ſolent, in ſpecie in paralyſi notha ſcorbutica. Quidam recipiunt conf. Hamech cum unguento populeo, imponunt plantis pedum, ut fiat purgatio.

PORRUM.

P*Orrum* planta ſapore, odore, & figurâ congener allio eſt & cepis, & reverà ſpecies eſt allii minoris; quo ipſo ſapore & odore teſtatur, quod copioſo ſale volatili conſtet.

Vim habet antipeſtiferam, & omnia, quæ de allio vel cepis, & ſucco ceparum dicta ſunt, huc referantur. Rari eſt uſûs, cum ſemper cepæ ſufficiant. Poteſt ſubſtitui his, ſi non haberi poſſunt, vel non ſunt virides.

PORTULACA.

P*Ortulaca* eſt vel *vulgaris folio viridi*, vel *aureo folio flaveſcente*. Dicitur etiam *Porcellana*. Portulaca verò dicitur tanquam ad portum lata, quod circa portus ad littora marina creſcere ſubinde obſervetur. Græcis Ἀνδράχνη, Germ. *Burtzelkraut*. Planta eſt admodum ſucculenta ad ſedi naturam accedens, propter quam ſucculentiam & craſſitiem in phthiſi uſitata eſt.

Adhibetur *Semen* & *Folia*.

Folia ſunt ex primariis refrigerantibus, de quorum virtute *ſuperiùs dictum*, ubi *de Endivia* egimus, quod conſiſtat in ſubſtantia ſalina alcalina, dilutâ copioſo phlegmate, cujus ratione in temperando acido, præſertim primarum viarum, perquàm egregia ſunt. Hinc conveniunt in ſubitaneis ebullitionibus ſanguinis, phlogoſibus in ſcorbuto, & ſimilibus pathematis, à quibus ſolent ebullitiones oriri febriles, adeoque apparenter refrigerant; unde iis, quibus maximè conveniunt antiſcorbutica acriora, commodè ſociatur portulaca ac beccabunga, ut hac ratione acrimonia ſalis volatilis plantarum antiſcorbuticarum aliquomodo temperetur; hinc eſt, quod in ſoda ſeu ardore ventriculi folia portulacæ cruda comeſta tam egregium ſint medicamentum euporiſton, ac in momento juvans; quâ ratione quoque eſt, cur Itali, utpotè hujuſmodi affectibus calidioribus ob loci caliditatem magis obnoxii, portulacâ in acetariis ſu is utantur, utut gravare ſoleat ventriculum, & difficilis ſit coctionis. Quin & in urinæ ardore, oriunda ex acrimonia acida convenit. Præterea effervescentiam oleoſam à bile oriundam, & aliam quamvis acrimoniam erodentem & excoriantem temperat, læſiones factas adſtrictoriâ vi denuò conſolidat; unde in hæmorrhagiis quibuſcunque, ſpeciatim ſputo cruento ex pulmonis eroſione, aliarumque partium exulcerationibus, portulaca ſive ſola, ſive cum plantagine uſurpata, & quævis ex portulaca parata remedia, ſunt egregia: & illa à *GALENI* tempore jam tum fuit in uſu maximo contra hæmorrhagias; ubi tamen commodè addi poteſt lapis hæmatites. Quod ſi ſanguis erumpat, vel ex dentibus, vel gingivis, vel palato, ore & faucibus, quod uſitatè in ſcorbuto oris contingit, portulaca maſticata, & comeſta ſenſim ſenſimque valdè convenit pro compeſcendo tali ſanguinis fluxu. Poteſt etiam fieri ex portulaca Decoctum, & addi ſyrupus ſimplex cum aliquot granis laudani opiati in ſputo ſanguinis, & aliis ſanguinis ejectionibus, in quocunque fluxu & hæmorrhagia, ſive capitis, ſive pectoris, ſive uteri: ſimiliter poteſt commodè miſceri cum ſyrupo de ſymphyto Fernelii, utpotè, quod cum illo conſpirat in viribus & efficacia. Porrò in gonorrhœa benigna ex ſemine acriori, portulacâ optimum quoque eſt remedium. Adeò polychreſtum eſt medicamentum portulaca præprimis in iis affectibus, ubi refrigeratione opus eſt.

Externè in hæmodia ſeu dentium ſtupore, quocunque ex caſu nato, folia dentibus affricata præſentaneum ſunt remedium; extinguunt enim acidum iſtud, ex quo oritur hæmodia. Folia hæc recentia contuſa, & cum fermento recenti ac ſale miſta, & aceto irrorata, inſtar cataplaſmatis applicata plantis pedum eorum, qui laborant febribus ardentibus, valdopere temperant æſtum, & cephalalgiam compeſcunt.

Succus ejus turget ſale eſſentiali, propiùs ad ſalia alcalia accedente, ſeu quod eſt de natura ſalium urinoſorum alcalinorum paulò fixiorum; hinc eſt, quod impensè refrigeret, & effervescentiam ſanguinis temperet, æſtumque ventriculi atque hypochondriorum extinguat: unde & in ſcorbuto, ejusque phlogoſi, aliisque ſymptomatibus fervidioribus ſuccus & ſyrupus conducunt; ſicut & in urinæ ardore & ſtranguria, ex acrimonia acida ortis, nec non in ſoda, item quibuſvis hæmorrhagiis ex acido, nervoſas partes vel irritante, vel ſanguinis ebullitionem excitante, natis, internè & externè ſunt egregia; blandè & moderatè temperant & corrigunt acidum. Et quidem in ſputo ſanguinis, quod eſt ex pulmonibus, ſuccus valdoperè expertum eſt remedium, in quo peculiares ſanè exerit vires, ſive ſub forma ſyrupi ſeu loch, aut quocunque modo uſurpetur: v. g poteſt fieri talis miſtura:

℞ *Aquæ plantag.*
Portul. (ubi deeſt portulaca, commodè ſubſtituitur plantago) an. ℥iß.
Succi portul. ℥j.
Hæmatit. præpar. ʒj.
Sangu. dracon. ʒß.
Spiritus vitrioli gutt. xv.
Syr. portul. ʒvj. vel ℥j.
M. D. S.
Potio contra ſputum ſanguinis.

In hæmodia ex uſu acidorum exorta ſuccus dentibus illitus optimum eſt remedium.

Habetur quoque

PORTULACA SYLVESTRIS MINOR.

QVæ ejusdem planè naturæ ac uſus cum *Portulaca vulgari majore*: unde omnia iſta, quæ tùm de uſu ejus dicta ſunt, huic quoque competunt.

PRIMULA VERIS.

P*Rimula veris*, *Phlomis* Dioſcoridi, aliàs in ſpecie & uſitatiſſimè apud Autores *Herba Paralyſis* ſeu *arthritica* dicta; quo nomine ſæpius præſcribitur, quàm Primula veris: ita vocatur propter vires antiparalyticas, dum in curanda paralyſi nulla planta ipſi habetur par. Non incommodè à quibusdam vocatur *verbaſculum*, item *verbaſcum odoratum*, *Betonica alba*, Germanis *Schluſſelblum*, *Himmeloder Peterſchluſſel*, *Weiſe Betonien*. Diverſæ ſpecies ſunt: *vulgaris flore luteo*, vel *flore Byzantino*, quæ rara eſt: omnes hæ ſpecies habentur vel *ſimplici* vel *flore pleno*. Floret ſtatim in principio veris. Semen fert nigrum.

Eſt planta omnibus nota, cephalica, & antapoplectica, antiparalytica, articularis, & nullam ferè compoſitionem vel aquæ, vel eſſentiæ, vel elixyris cephalici &c. videbitis, quam non ingrediatur.

In uſu ſunt Folia & Flores.

Vis ejus reſidet in ſale volatili oleoſo blandè anodyno, hinc roborare nervos, demulcereque videtur; hâcque ratione in affectibus capitis & articularibus, unà cum aliis, uſurpari ſolent, & ſpeciatim paralyticis, & omnibus dictis morbis cephalicis, ſolent commendari cum vino cocti & epoti: vel ex integra planta ſuccus expreſſus, & cum ſaccharo parum edulcoratus, ab ℥j ad ℥ij quotidie adhibetur. In acetariis quoque prima ejus folia recipiuntur. Radix cocta in calculo laudatur.

Externo uſu inter unguenta paralytica & apoplectica ſolet aſſumi & miſceri. Aliàs rarò uſurpatur.

Aqua ejus numeratur intra aquas articulares, quare & *ſpiritus cephalico-apoplecticos* ingreditur. Aqua deſtillata ex floribus cum dictamno albo in vino maceratis, Coſmeticum eſt, com ſucco limonum mixta.

Para-

Paratur etiam ex hac herba & floribus *spiritus* per fermentationem, uti etiam *essentia* contra paralysin: sic misturam antiparalyticam & apoplecticam præscripsi non ita pridem cum felici successu hoc modo:

℞. *Aquæ prim. veris*,
Flor. tiliæ,
Lavend. an. ℥ij.
Apoplect. seu *spiritus lil. convall.*
Spiritus cerasor. nigr. an. ℨj.
Ess. prim. veris ℨiij.
Salis vol. succini ℨß. ad ℨj.
Syr. flor. tunicæ ℥j. M.

In usu etiam ex floribus parata *conserva* pro affectibus capitis, & imprimis paralyticis & apoplecticis. Recipiunt nempè quidam conservam hanc, & irrorant spiritu proprio, vel essentia propria, & addunt pulveres appropriatos pro Electuario præservativo apoplexiæ & paralyseos; imprimis, si recipiatur simul conserva florum lavendulæ vel florum anthor, seu rorismarini, qui rosmarinus est totus cephalicus, & in paralysi erit eò efficacius.

PRUNELLA.

PRunella ab usu in prunella ita dicta, Germ. *Braunellen Kraut*, propter vim vulnerariam inter consolidas numeratur; unde etiam à quibusdam vocatur *consolida minor*. Nam consolidarum tres aliàs sunt species: *major*, quæ aliàs *symphytum*; *media*, quæ *Bugula*; & hæc *minor*, quæ *Prunella* vocatur, & similis ferè est bugulæ seu consolidæ mediæ. Est vel *flore albo* vel *purpureo*, vel *laciniatis foliis*, vel *montana* &c. Autumnali tempore floret, & ubique prostat. Usurpatur potissimùm in affectibus oris atque faucium, in specie symptoma illud in febribus acutis morboque Hungarico, Prunella dictum, (unde & herba hæc nomen habet; sicut nitrum quoque sulphuratum lapis prunellæ dicitur, quoniam easdem vires, quas prunella obtinet in angina, & hinc in Decocto vel aqua prunellæ dissolvitur pro gargarismate in prunella & angina;) ubi fauces rubent, lingua arida & squalida est, & ex obscuro livent (quod non quidem periculosum in se, sed mali moris est) tollit, decocta in urina, vel aqua & aceto, & mellis parum pro gargarismate. In inflammatione faucium ac tonsillarum, in ulceribus oris & palati, in aphthis & gutturis inflammationibus, quæ sunt species anginæ, decoctum hujus in ore detentum specificè convenit; unde quoque ingreditur gargarismos in principio & incremento anginæ, ubi linguæ & faucium est ariditas: à quibusdam additur salvia & album græcum. Modus est hic:

℞. *Herb. prunellæ* M. ij.
Salviæ M. j.
Albi Græci ℥ß.
Coqu. in s. q. *aquæ* vel *vini*: Colaturæ adde
Spiritus vini ℥ß ad ℥iß.
Mellis rosat. ℨvj.
Rob moror. ℥ß.

Misc. pro gargarismate; cui vel *phlegma vitrioli* vel *nitri* addi poterit, cum ingenti ægri levamine.

Vel coquatur Prunella in aqua; pòst addatur phlegma vitrioli & mel; quâ misturâ irrorentur fauces & lingua in ulceribus faucium, & non leve levamen sentiet æger in exulceratione faucium.

Ulteriùs, quia est ex genere consolidarum, propterea folia & flores, imò tota planta, egregiè est vulneraria, dum externo usu mundificat ulcera, & consolidat vulnera: interno usu resolvit sanguinem grumosum, & in vulneribus pulmonum specifica est, rarioris tamen interni usus.

PRUNUS.

PRuni varia sunt genera: *Domestica*, *Exotica*, & *Sylvestris*, *Acacia* dicta, Germ. *der Schleendorn*, de quo *suprà suo loco* dictum.

Quoad *Fructus* Pruni domesticæ, *Pruna* sunt vel *majora* vel *minora*.

Inter *majora Pruna damascena* à Veteribus usurpata sunt, quæ ex Syria adferuntur Venetias, & apud nos rara sunt. Horum loco Hungarica habemus, quæ differunt à nostris & magnitudine & colore; magis enim sunt cœrulea, & apud nos in hortis solent coli & transplantari.

Inter *minora* offerunt se:

1. *Alba* & *cerea*, Germ. *die Spillinge*, quæ, uti exulant è Pharmacopœis, ita exulare debent ex usu & esu communi; quoniam nihil magis tempore autumnali excitat diarrheas & dysenterias, quàm hæc ipsa.
2. Sunt *Pruneola*, quæ enucleata & exsiccata sub nomine *Prunellorum* è Galliis adferuntur.

In usu sunt tam esculento quàm Medico: Virtutes & facultates prunorum quod attinet, omnia domestica alvum laxant; magis recentia, minus exsiccata; textura enim illorum consistit in vi aliqua fermentativa, quâ reliquos humores in similem fermentationem concitant, unde sequitur talis purgatio. Pruna autem exsiccata mustaceo suo dulcore acrimoniam humorum obtundunt, partes hinc læsas leniunt & blandiùs laxant; unde in iis, quibus opus est alvi solutione, pruna exsiccata decoquuntur, & sic usurpantur. Usitatum est mulierculis incoquere cum prunis folia sennę, & sic fit elegans laxativum & præservativum à quamplurimis morbis, & ob hunc usum quoque imprimis officinis inserviunt.

Inter *Præparata* sunt pruna condita laxativa, pulpa prunorum, & electuaria de prunis laxativa.

Pruna laxativa in quibusdam officinis usualia fiunt, quando infunduntur in liquorem laxativum, & virtute laxante impręgnantur, imprægnata exsiccantur, & exsiccata assumuntur.

Modi sunt varii. Non inelegans est compositio Prunorum laxativorum Timæi, quæ est talis:

℞. *Prunor. damascen. integr.* ℥jv.
Coqu. ex *aqua simplici*: Colaturæ ferventis
℞. ℔ij, adde
Fol. sennæ sine stip. ℨvj.
Crem. tartari ℨij.
Cinnam. acutiss. ℨjß.

Stent in Infuso per noctem, manè ebulliant semel atque iterum, exprimantur & colentur. Colatura successivè affundatur *prunis prioribus*, serventur in vase lati orificii, quo humiditas sensim sensimque exhalet.

Dosis, à prunis v. ad x. vel xij.

Non minus elegantia sunt *Pruna condita Burseri*, Physici quondam Annæbergensis, quorum hæc est compositio:

℞. *Fol. sennæ* ℥j.
Sem. anisi ℥ß.
Flor. cordial. an. p. j.
Aquæ font. claræ ℔j.

f. Infusio, in qua bulliant *pruna damascena*, donec turgescant: deinde per decantationem separetur Decoctum à prunis, in quo dissolvantur

Mannæ ℥iij. vel iv.

quâ pruna condiuntur.

Leniter purgant humores acidos & nidorosos, & ubi clysteres odio habentur, prosunt. Adsumuntur à tribus ad sex horâ unâ antę pastum.

Optimè parantur sequenti modo:

℞. *Fol. senn. sine stip.* ℥iij vel iv.
Cinnam. ℨij.
Sem. anisi ℥ß.
Crem. tartari ℨ.iij. ad ℥ß.

Hæc ipsa infundantur in ℔ij. vel iij. *vini*: stent in loco calido per 24. horas: postmodum leniter ebulliant, ut dissolvatur cremor tartari, colentur:

℞. Colaturæ ℔ij.
infunde
Prunor. ℔ij.

& ad consistentiam debitam blando igne redigantur: pòst adsperso *sacchạro* ad ℥iij. & *cinnamomo* ad ℨij. *Pruna* hæc *laxativa* adserventur pro usu.

Dosis pro infantibus Num. 1. vel 2. pro adultis 4. 5. vel 6. blandè alvum laxant. Sed loco prunorum laxativorum sufficiunt passulæ laxativæ.

Deinde etiam pulpa prunorum est ex usu pro laxatione leni, sive solà, sive permista cum aliis. Sic tale *electuarium laxativum ex prunis* quibusdam in usu est:

℞. *Pulpæ passular.*
Prunor. dulc.
Tamarind.
Sebesten,
Cassiæ rec. an. ℥j.
Cinnam. acut. pulveris. ℨiij.

M. pro electuario, quo utuntur in obstructionibus, vel ubi adest dolor abdominis.

Electuaria de prunis reliqua, tam simplicia, quàm composita, possunt videri hinc inde descripta *in Dispensatoriis inter Composita*.

PSEUDO-MELISSOPHYLLON.

PSeudo-melissophyllon est *Melissa Fuchsii*, quam substituit genuinæ, sed malè: est enim potius species lamii, *montanum majus dicendum*, *flore albo* & *variegato*, nullius usus officinalis.

PTARMICA.

PTarmica ubique crescit in agris, *foliis acutis*, *flore albo*. Nomen habet propter vim ptarmicam seu sternutatoriam.

Usitata sunt *Radix* & *Folia*.

Pro errhino inservit, & propterea solet interdum usurpari in pulveribus sternutatoriis; sed etiam succo nares illinuntur: Raiò autem usurpatur, quod ipse *AUTOR* dicit, & raro etiam à Practicis præscripta legitur.

PULE-

PULEGIUM.

PUlegium eſt planta ſatis nota : tam ex figura, quàm odore ita dicitur, quod referente *PLINIO*, incenſum pulices enecet; Germanis *Poley*, item *Flohkraut*. Hoc *Pulegium* eſt, vel *latifolium*, vel *anguſtifolium*, quod etiam vocatur *cervinum* vel *regale*; cumque raræ ſit inventionis, rari quoque eſt uſus.

Latifolium ſolùm uſurpatur, & quidem tota planta, caulis cum ſoliis & floribus colligenda venit tempore, dum madet & turget rore; ſic enim vi ammoniacali roris imprægnatur pulegium, & cum ea combinatum ingreditur compoſitiones.

Subtile ac penetrans aroma ſpirat, ac volatilibus & acrioribus ſalinis particulis, nonnihil oleo temperatis egregiè imprægnatum eſt; uti ſunt mentha & ſimiles. Ad naturam majoranæ proximè accedit; unde non minus quàm illa, in coryza odor plantę, vel pulvis foliorum inſufflatus, multum confert. *Internè* inter plantas nervinas & ut vocant, cephalicas, non ſecus ac majorana, refertur, pro ratione ſcilicet hujuſmodi ſimplicium aromaticorum, unde & eſſentias ejuſmodi ingredi ſolet. Reſolvit egregiè, & attenuat craſſam & viſcidam mucilaginem, ac moderatè acidum in inteſtinis & Maſſa Sanguinea abſorbet & temperat, ſine ingenti efferveſcentia: imprimis in affectibus mulierum, ad menſium nempè fluxum prorirandum, & fluorem album corrigendum in ſpecie conducit, in quibus etiam à *PARACELSO* commendatur, quoniam egregium eſt uterinum; in vino ſiquidem coctum majorem vim proritandi habet, quàm artemiſia; unde etiam ad expellendas ſecundinas, fœtum & lochia, in vulgatiſſimo ſolet eſſe uſu. Propter metum igitur abortus non datur gravidis. Carminativa aliàs eſt ſimiliter, & ubi opus eſt diſcuſſione, cum ſerpillo uſitatè adhibetur. Leviter etiam urinas pellit, ſed in hoc non eſt magnæ conſiderationis.

Externè inter ſimplicia diaphoretica & reſolventia numeratur; quoſcunque enim tumores lenit ac reſolvit. Pediluvia & capitiluvia communiter etiam ingreditur, ſicut adhiberi ſolet in balneis & pediluviis pro ciendis menſibus, quæ ſolent fieri ex foliis pulegii, ſerpilli, matricariæ, origani, baccis lauri, & ſimilibus: imò *GABELCHOVERUS C.* 3. *Curat.* 61. etiam in menſibus retentis pulegium calceis imponendum ſuadet. Porrò & in affectibus diureticis externè adhibetur, & ad podagram cataplaſma exinde paratum pro reſolvendo tumore & diſcutiendo dolore articulari, prodeſt. Denique egregia quoque eſt planta pro oculorum malis, & imprimis in incipiente oculorum lippitudine, ſeu obnubilatione; ſi ſcilicet planta recens contuſa nuchæ imponatur; unde effectum non adeò inefficacem ipſe obſervavi.

In uſu etiam ſunt *aqua*, *conſerva*, *eſſentia*, & *extractum*.

Eſſentia cum eſſentia Martis aperitiva miſta in menſibus ciendis eſt egregia.

Oleum deſtillatum eſt admodum rarum, quod per ſe uſurpatum non levis eſt uſus in dictis affectibus.

PULMONARIA ARBOREA.

PUlmonariam arboream ob ſignaturam criſpam ita dictam, monſtravi ſub muſco arboreo. Vocatur etiam *Muſcus pulmonum*.

Non adeò eſt in magno uſu; nihilominus adſtrictoria facultate ſolet imprimis commendari; unde cōtra internas eroſiones pulmonum, phthiſin & ulcera ac vulnera pulmonum quibusdam, ſed malè, uſurpatur; ſiquidem in his affectibus nullius penitus eſt effectus. Adſtringit leniter; unde rectè *AUTOR* dicit, quod extrinſecùs conveniat in ſanguine vulnerum compeſcendo. Tranſeat ergo, & rectà pergimus ad Pulmonariam veram.

PULMONARIA VERA.

PUlmonaria vera eſt, vel *latifolia*, vel *anguſtifolia*: *Latifolia* eſt, vel *maculoſa*, vel *non maculoſa*; & imprimis ex uſu in affectibus pulmonum id nominis acquiſivit. Non eſt Bugloſſæ ſpecies ſecundùm quoſdam, ſed *minor* quædam *ſymphyti ſpecies*; unde etiam à quibuſdam, uti & propter vim inſignem vulnerariam & conſolidativam, quâ hujus naturæ reverà reſpondet, vocari ſolet *ſymphytum maculoſum*. *Floret* in vere *purpureo colore*, ſicut cynogloſſon; item *flore albo*: utplurimum *purpurei* & *cæruleſcentes flores mixti* ſunt.

Eſt vulnerarium egregium in rupturis, eroſionibus, ac ulceribus pulmonum & pectoris, reliquiſque ulceribus viſcerum internorum, ut phthiſi, ac inde dependente hæmoptyſi ſeu ſanguinis ſputo. Vis in alcali volatili temperato reſidet, quod alcali ulcera corrigens, & lentore ſuo mucilaginoſo temperans & alterans, partes exulceratas optimè conglutinat atque conſolidat, & ſic ſolutionem ulteriorem continuè præcavet atque impedit. Adhibetur in Decocto, vel per ſe, vel cum aliis pectoralibus, ſicut & in Syrupis, Hydromellibus, & Claretis pectoralibus; item cum eſſentiis & electuariis pectoralibus, commodè permiſceri poteſt.

Externè inter vulneraria quoque cenſetur, & ad vulnera quævis, imprimis tamen pudendorum, ſolet adhiberi.

PYRETHRUM.

PYrethrum, propter vim cauſticam ita dictum, acerrimum eſt ſapore, & linguam fortiter ſtimulat; ſub lingua enim geſtatum mucum viſcidum & glutinoſum extrahit: Ergò ad incidendam pituitam viſcoſam adhibetur. In hortis apud nos colitur; in Italia verò & aliis calidioribus climatibus ſpontaneo motu provenit.

Rari, imò ferè nullius, uſus eſt pro *aſſumptione interna*. Inter ſudorifera non ultimum locum obtinet cum gentiana. Internè etiam ſolet permiſceri inter medicamenta aphrodiſiaca ſeu venerem ſtimulantia, ratione ſalis volatilis acris, quo turgeſcentiam ſemini conciliat, uti etiam fermentum teſtium exſuſcitat & exaltat.

Extrinſecùs frequentiſſimè ſolet uſurpari, primò quidem in lethargicis aliiſque affectibus, ubi forti opus eſt ſtimulo. Cataplaſmata & clyſteria acria fortiter ſtimulantia non incommodè exinde parantur, ut acrimoniâ ſuâ inteſtina vellicando & irritando ægri excitentur; quippe radix pyrethri eſt imprægnata copioſo ſale volatili admodum acri inſtar cujusdam gentianę, & ratione iſtius ſalis acris adeò potenter ſtimulat alvum; ſicque in clyſteribus, quos vocant revellentes, ordinariò uſurpatur. Exemplum talis clyſteris fortis, acris & revellētis in apoplexia vel lethargo, vel ſimili tali affectu, poteſt eſſe tale:

> ℞. *Herb. origani,*
> *Roriſmar.*
> *Fol. aſari* an. M. j.
> *Flor. ſtœchad. Arab.*
> *Centaur. minor.*
> *Lilior. convall.* an. p. j.
> *Rad. ariſtol. rot.*
> *Cyclamin.*
> *Pyrethri* an. ℥ß.
> *Pulp. colocynth. in pet. lig.* ℈j.
> Coqu. in ſ. q. *aquæ communis*,
> ℞. Colatur. ℥viij. vel x.
> in qua diſſolve
> *Elect. hier. cum agar.*
> *Bened. laxat.*
> *Succi rutę inſpiſſ.* an. ℥ß.
> *Extr. caſtor* gr. vj.
> M. f. *Enema* pro duabus vicibus.

Deinde externo uſu poſt nicotianam, non datur fortius Maſticatorum ſeu apophlegmatizans, dum radix vel in aceto macerata, vel per ſe maſticata, uti copioſum elicit ſputum per ſal volatile acre, quod penetrat & aperit pororum meatus; ita craſſam ſalivam & lympham juſto acidiorem attenuat, reſolvit, & fluxilem facit; ſicque maſticatione hujus pyrethri copioſiſſimum elicitur phlegma: ratione hujus effectus etiam vocatur Ger. *Speichel Wurtzel*, item *Geiffer Wurtzel*, de quo *videatur AUTOR*. Ulterius uſitata eſt radix pyrethri in gargariſmatibus contra odontalgiam, & alios oris affectus, vel ſola, vel etiam aliis permiſta, & cum *aqua communi* decocta. Quod attinet tale decoctum contra odontalgiam, elegans eſt hoc, in quo omnia ferè contra odontalgiam ex regno vegetabili ſpecifica & appropriata continētur:

> ℞. *Herb. perſicar.*
> *Serpilli* an. M. j.
> *Rad. lapathi ac.*
> *Vrticę*,
> *Pyrethri*,
> *Raſ. ligni ſancti* an. ℥ß.
> *Sem. hyoſc. albi* ʒij.
> Coqu. in ſ. q. *aquæ communis*: Colat. ℥vj. adde
> *Syr. caryophyll. arom.* ℥j.
> M. pro *gargariſmate odontalgico*.

HARTMANNUS in Praxi Chymiatr. cap. 73. §. 14. pro ſimili uſu contra odontalgiam commendat pulverem gallarum, ſucco radicis pyrethri ſæpius imbibitum, & cum fermento mixtum, ac in parvos globulos redactum, quos globulos imponit denti dolenti, ut extrahatur phlegma, eliciantur vermiculi, & denique ſedetur & compeſcatur dolor. Ulteriùs externo uſu pulvis radicis pyrethri cum pinguedine coturnicis permiſcetur, & hoc inungitur membrum virile, quando quis vult coire cum fœmina; hinc fit, ut membrum appareat ſolito majus, & mulier denuò videatur eſſe virgo. In affectibus oris, in ſpecie in batracho, id eſt, tumoribus collectis ſub lingua infantum, qui *Ranula* dicuntur, uſitata eſt ad reſolvendum & attenuendum tumorem œdematoſum Ranulæ, & extrahendum mucum. Adhibetur ſub forma Decocti, vel ſola, vel cum aliis, ut ſalvia, origano, menthaſtro, pipere, allio, ſale gemmæ, &c. quo Decocto colluitur os: vel in forma ſicca pulvis ex pyrethro, ſale, gallis & alumine inſpergitur batracho.

Ex *Præparatis* nil proſtat, niſi, quod in aquis articularibus externis ſpirituoſis uſurpetur ad paralyſin & ſtuporem membrorum.

PYROLA.

PYrolę variæ ſunt ſpecies, Germanis dicitur *Wintergrun*, quoniam hyberno tempore toto ſemper permanet viridis.

Quod attinet uſum, elegans eſt plantula, & una ex vulnerariis principalioribus, hanc imprimis prærogativam habens, quod non ſolùm

folùm internè in Decoctis & Essentiis vulnerariis usurpetur ad consolidanda intestinorum vulnera, sed & ossa, ligna, aliaque heterogenea excrementa per vulnera, & quæ etiam in vulneribus sunt, eliminet: quod ipsum aliàs non parum facessit negotii Chirurgis. *STARICIUS im Heldenschatze p.* 132. commēdat pro vulneribus magnis & ferè lethalibus totam herbam, quam coquit in vino, & per aliquot dies propinat ægro; unde, dicit, apparebit vinum in vulnere & contusione.

Externè, uti dictum, ad partes heterogenas è vulneribus eliciendas cum sabina coquitur & imponitur. Aliàs decoctum elegans interno & externo usu est hoc:

℞. *Herb. Vincæ pervincæ*,
Pyrolæ,
Sanic.
Consol. Saracen. an. M. ij.

(Quæ omnia ejusdem naturæ, atque adeò promiscui usus & effectus sunt)

Albi Græci ℥ij.
Mixta coquantur in f. q. *aquæ simplicis*.

Colatura tam pota internè, quàm externè instar lotionis applicata, vulnera & ulcera eleganter sanat.

Pro *usu externo* addantur etiam *folior. nicotianæ* M. ij.

PYRUS.

PYrorum varietas magna est; quarum *Fructus* commendantur in culinis, &, utut rarissimè, in officinis; & quidem in usu sunt imprimis *pyra domestica dulcia*. Omnia tamen pyra vi adstrictoriâ pollent, & satis constipant alvum, eamque reddunt pigram, gravant stomachum, nec facilis adeò sunt in stomacho digestionis; unde arefacta commendantur in fluxu alvi nimio & diarrhœis. Saltem pyra moschatellina propter succum dulcem & mitem conspirant ferè cum usu pomorum Borsdorffianorum.

Ex succo pyrorum fit *vinum pyraceum*, quod elegans habetur stomachicum, cùm sit moderatum, & infirmitatem stomachi roboret in intestinorum fibris contrahendis; nullo tamen in usu est, nisi quod à quibusdam loco vehiculi aliorum remediorum usurpetur.

In Gallia habetur *spiritus* ex succo *pyrorum* & *pomorum* (ut & *acetum*) qui cum spiritu vini certare videtur.

In officinis *Pyra Muscatellina condita* in usu sunt, quæ adhibentur interdum pro fraude, quo talibus pyris medicamentum assumatur ab ægris. Sic v. g. tale pyrum leviter excavatur, & induntur aliquot grana pulveris antimonialis emetici, v. g. Mercurii vitæ, vel tartari emetici; sic enim comesto pyro, pulvis unà assumitur sine nausea, & habetur vomitorium suavissimum pro delicatulis. Porrò recipiuntur aliquot pyra, leviter excavantur, & inditur pulvis mechoacannæ; quæ propinata & comesta ab infante purgando, leniter & eleganter subducunt alvum.

Diatartarum solutivum à pyris præparavit *DEODATUS l.* 1. *Panth. pag.* 304.

Q.

QUERCUS.

QVercus stypticam & vitriolicam vim obtinet; unde pro usu adstrictorio, imprimis in affectibus dysentericis, & quibuscunque fluxibus humorum, quocunque ex corporis loco, omnia remedia ex quercu speciatim laudantur, ita ut vix habeantur alia, quę potentiùs adstringant, quàm ex quercu.

Ex hac in usu Medico sunt *Folia*, *Glandes*, harum *Cupulæ* & *Gallæ*, *Viscus* & *Fungus*.

Folia & *Glandes* refrigerare & adstringere, experientiâ duce, rectè dicuntur. Vis refrigerandi consistit in textura alcalina, quam apertè ostendit atramenti præparatio. Eadem textura alcalina naturæ paulò fixioris & adstrictoriæ est fundamentum, unde foliorum quercus Decoctum internè auspicatò compescit vomitus sanguinis, nimias uteri hæmorrhagias, & quosvis sanguinis fluores (qui ut plurimum acidi occasione in corpore oriuntur.) Cum priapo ceti vel tauri decocta nulli cedunt remedio in cura dysenteriæ; non secus ac gonorrhœæ fluxum frequentiorem, ex acrimonia sanguinis acida natum, supprimit. Sunt quidam, qui horum Decoctum commendant pro dissolvendo sanguine congrumato: sed pro hoc scopo alii rectiùs præferunt flores foliis.

Externè in tenesmo, qui est continua, sed irrita, deiiciendi appetētia, sive sit cum dysenteria, sive sine ea, cum ulceribus ani, experti sunt sacculi ex foliis quercus, in aqua chalybeata decoctis, ano applicati. Alii

℞. *Fol. verbasci*,
Quercus,
Herb. anserinæ an. part. æqu.

Hæcque in sacculis cum *lacte* coctis adhibent.

Similiter faciunt sacculum ex foliis quercus, qui in aceto, vel aqua & aceto, coctus, si lumbis & regioni pubis imponatur, in nimia uteri hæmorrhagia, sive mensium, sive lochiorum, valdè prodest.

Juli quercuum, cum avena permisti, equos griseos totos reddunt nigros: de quo confer *PAULI in Quadripart. Botan. Class.* 3. *p.* 340.

Cupulæ glandium, uti & ipsæ *glandes*, & imprimis *gallę*, adstringendo excellunt in quibusvis sanguinis fluoribus & gonorrhœa frequentiori jam alegata; imprimis quidem, si aliquantisper torrefactæ sint; hinc in dysenteriis à plurimis laudantur: dum enim adstringunt, simul vi alcalinâ destruunt acidum, quod impedimento erat consolidandis vulneribus & ulceribus.

Viscum quoque in quercu reperitur, Germ. *der Mistel*, quod post viscum corylinum optimum est in curanda epilepsia, dosi ʒj. usurpatum: sed non immeritò viscum tiliaceum aut corylinum ipsi præfertur. Aliàs viscum quercinum est expertum remedium *PARACELSI* contra nimium mensium fluxum in mulieribus: scilicet assumatur viscum quercinum pulverisatum in ovo sorbili, & sic statim sedare fluxum dicitur: seu

℞. *Visci quer.* ℥iij.
Bulliat in
Vini opt. ℔j.
addendo
Vitellum oui leniter ustum,
Succi Acac. sylvestr. ʒiß.
Usneæ mortuor. ʒj.
Extr. rad. symphyti ℥ß.

Bibatur per duos vel tres dies calidè, sistit omnes fluxus, rubrum & album. Valet etiam in procidentia uteri.

Considerandus sequitur *Fungus quercinus*, *Uva quercina* aliàs dictus, qui tempore verno radicibus quercus adhæret, & æstate arescit: Hic tempore verno collectus, exsiccetur, pulverisetur, & contra dysenteriam detur, ubi ceu singulare specificum seu arcanum laudatur; etiam si tantummodò in potum injiciatur, potusque sic hauriatur: conf. *SENNERTUS l.* 3. *Praxeos pag.* 359.

Compescit etiam hæmorrhagiam narium *externè*, uti etiam hæmorrhagiam vulnerum.

Tandem *ipsa arbor*, si quæ alia, pro curis morborum transplantatoriis ob longævitatem, ut ita dicam, seu propter longos annos, quos solet perdurare, vel maximè accommodata est: v. g. in affectibus podagricis, & scorbuticis, item in capillorum defluvio: sic pro firmitate dentium transplantantur dentes puerorum in quercum: pro firmitate capillorum transplantantur capilli in quercum: contra dolorem dentium fit transplantatio beneficio sanguinis ex dente dolente ligno adspersi in quercum: pro atrophia & hectica fit certa transplantatio in quercum: pro sedanda arthritide fit transplantatio unguium membrorum arthritide affectorum in quercum; de quo eleganter *MARCUS MARCI*. Sed sæpè superstitio accedit, quando v. g. tria in specie folia ad febrem tertianam valere dicunt. In genere, quomodo ferè omnes morbi possint curari per transplantationem animalem in quercum, videre possumus in *TENZEL. Medic. diastat. pag.* 87. v. g. in affectibus scorbuticis præscindunt ungues, in odontalgia dentes, in capillorum defluvio capillos, &c. arbori hæc indunt, quæ sub illa unà cum morbis sepeliuntur.

Inter *Præparata est aqua destillata ex foliis quercus*, quæ loco vehiculi commendatur contra dysenteriam, & omnes fluores alvi in potionibus; quod etiam præstat *syrupus*. Externè in nimia uteri hæmorrhagia laudatur, regioni pubis imposita.

Ex *Julis quernis* paratur à quibusdam *syrupus*, in ardore stomachi ac siti egregius; de quo vid. *HORSTIUS Observat. pag.* 194.

Lignum quercinum per retortam destillatum dat *spiritum acidum* nonnihil adstringentem, & *oleum fœtidum*. Hic ipse spiritus acidus, qui aliàs etiam *acetum quercinum* vocatur, valdè commendatur ad curam luis Venereæ; item commendari solet in dysenteria; quod tamen non credo.

QUINQUEFOLIUM.

QVinquefolium, Græcis Πεντάφυλλον, Germanis *Funff Fingerkraut*, dicitur. Hujus variæ sese offerunt *species*, vobis jam demonstrandæ:

1. *Quinquefolium luteum vulgare repens*, quibusdam *palustre*.
2. *Quinquefolium erectum incanum flore albo*.

Exotica est planta, cujus usus nullus adhuc cognitus; ob gratiam autem florum in hortis colitur.

3. *Quinquefolium erectum latifolium hirsutum*; quod verò potiùs est *Heptaphyllon*.
4. *Pentaphyllon agrimonioides*, quod folia habeat instar agrimoniæ.
5. *Quinquefolium semine echinato* seu *consolida quinquefolia*.
6. *Quinquefolium fragiferum palustre flore rubro*.
7. *Quinquefolium fragiferum repens facie potentillæ*.

Omnia hæc Pentaphylla ad fragariæ ferè accedunt naturam: id quod potissimùm testantur capsulæ seminales.

Ex his in specie usitatum tantùm est *Pentaphyllon repens luteum vulgare*, & humi ramusculos suos spargens. Coincidit ferè *radix cum radice tormentillæ*, & ipsa *quinquefolii specie*; unde præter vim diaphoreticam & sudoriferam adstrictoriam, vulnerarium esse solet. Veteribus magis fuit laudatum, quàm hodiernis, quibus rarò in usum venit Medicum: Isti enim in omnibus ferè morbis chronicis ex obstructionibus hocce pentaphyllo fuerunt usi, tanquam aperitivo ac incisorio; unde & pro scopo diaphoretico idem adhibuerunt; hodiè

[illegible] 1734 [illegible]
[illegible]

verò

verò è pentaphyllis non niſi tormentilla uſurpatur.

Vim habet adſtrictoriam, & vulnerariam inſignem; unde ubicunque eſt humorum aliquis fluxus ſiſtendus, quinquefolium uſitatè præſcribitur, ſpeciatim partibus urinariis; renum nempe & veſicæ vitiis (vulneribus & exulcerationibus) confert: propter vim adſtrictoriam contra febres intermittentes ante paroxyſmum laudatur. Quorundam ſuperſtitio vult, quòd pentaphylli folium unicum ſanet febrim ephemeram, folia tria ſanent tertianam, quatuor quartanam; ſicuti etiam quod heliotropii grana tria tertianas, grana verò quatuor quartanas perſanent. Verùm magis ſuperſtitiosè, quàm ex rei veritate hoc fit. Quatenus adſtringit vehementer, facilè patet, in quibus affectibus poſſit commodè uſurpari? Aliàs nullius ampliùs uſus eſt.

R.

RANUNCULUS.

R*anunculorum* in horto noſtro Medico & pratis ac ſylvis vicinis *variæ* jam ſeſe offerunt *ſpecies*:

1. *Ranunculus tuberoſus* dictus *flore pleno prolifero* & *ſimplici*, *Anglicus* dictus.
2. *Ranunculus Illyricus major*.
3. *Anemone nemoroſa magna*, ſeu *Ranunculus nemoroſus major*, qui *flore vario* eſt, *luteo*, *viridi*; *roſeo* ſeu *carneo*, *ſimplici* & *pleno* ſeu *folioſo*.
4. Singularis *ſpecies* eſt *Aconiti foliis flore albo pleno* & *ſimplici*, *Aconitum Batrachoides* dictus.

Harum tamen ſpecierum uſus non eſt officinalis, nec adhuc notus.

Uſui Medico autem inſervit *Ranunculus gramineus ramoſus* ſeu *ſylveſtris*, *Batrachion* quibusdam dictus, & *Pes Corvinus*, Germanis *Hahnefuſſ*: eſt vel *flore ſimplici* vel *pleno*, varioque *colore*.

Ranunculus hic totus cauſticus eſt, ac fortiter veſicas ciet: folia enim contuſa, vel ſuccus ejus, quibusvis corporis partibus applicatus, veſicas excitat, ut alia veſicantia, per dies ſæpiùs 8. aut plures cum maximis doloribus ſerum ichoroſum plorantes. Vis ejus in ſale volatili acri rodente conſiſtere videtur, per quem fibræ partium nerveæ, ſenſus immediatum inſtrumentum, vellicatæ, ac in hiſce ſpiritus inſitus præternaturali moleſtiâ affectus (cùm in demortuis nec ruborem nec veſicam quæcunque cauſtica excitent, ſed cutim ſaltem corrugent, ſi fortiora ſint) fibras magis expandendo & contrahendo dolorem primò, poſteà ex ſero ſanguinis acri ſecreto, ac intra fibras carneas recepto, ruborem, tumoremque ſub epidermide collectum, ſub ſpecie veſicularum exhibent. Internè nunquam ferè, niſi à paucis quibuſdam, folia 5. vel 6. cum paſſulis minoribus comeſta pro purgatione per ſeceſſum uſurpantur: extrà verò uſus ejus cauſticus perquàm notus eſt, adeò ut etiam ungues deformes, digitorum verrucas & hujus generis excreſcentias, tollere dicatur. Quibus capilli defluunt, folia quædam per ſemihorulæ ſpatium impoſita, proficua creduntur, non tamen nimis diu relinquenda, nec cutim capitis exedant. Cocta folia perniones exulceraſcentes eluendo & fovendo, & curare, & partibus calorem nativum reſtituere perhibent. *Radix* ſiccata contuſa, naribus ſufflata, ſternutationem excitat. Contra iſchiadicum dolorem folia contuſa regioni lumbari applicant per 6. horas, donec veſicas excitent, quæ diſciſſæ pro more ſuo plorant ſerum acre, poſteà butyro non ſalito eas illinunt, aut folium braſſicæ recentis tepefactum & butyro illitum ſuperimponunt, ſicque dolorem lenire, & brevi iterum conſolidationem promovere credunt Autores. Contra catarrhos oculorum, qui nulli alii remedio cedunt, pari ratione capiti, deraſis priùs capillis, applicant: item in graviſſima odontalgia, cephalalgia, doloribus articulorum atrocioribus, &c. carpo applicatur, purgato tamen priùs corpore. Bubonibus quoque peſtilentialibus depreſſis, vel non extra cutim protuberantibus impoſitus, dicunt mederi. Mendici, aliique nequam homines, pedes exedunt hac planta, ſicque quæſtum ex corpore, nefando hoc modo affecto, faciunt.

RAPHANUS.

R*aphanus* duplex eſt: *Ruſticanus* & *Orbicularis*.

Quoad *orbicularem*, Germ. *den gemeinen runden Rettich*, *radix* ſola in uſu eſt, cujus vis conſiſtit in ſucco, qui imprægnatus eſt ſale volatili acri, & perquàm penetrante, admodum copioſo: reliquum enim corpus detracto ſucco iners eſt, & nullius momenti. Hinc ratione hujus ſalis volatilis acris incidit & diſſolvit quaslibet ſordes viſcidas, vias primas aut loca urinaria obſidentes, & inciſas per vias urinarias copiosè amandat, ſerum urinarium acuit, reneſque ſimul inſigniter ſtimulando calculum promovet; fermentando cum viſcido flatus generat: quinimò acrimonia ejus ſucci in tantum interdum irritat ſtomachū, ut etiam vomitum inferre ſoleat; unde quando editur, cum ſale communi aſſumendus eſt, ut ab hoc corrigatur acrimonia ſalis volatilis, & figat vim emeticam. Præter uſum hunc diureticum, inciſivum etiam egregium eſt ad mucum viſcidū ac tenacem in ſtomacho & pulmonibus, & inde frequenter oriundam tuſſim ac aſthma humidum pituitoſum, contra quæ ſucco hoc vix melius datur remedium pro facilitãda & promovẽda per os rejectione, imprimis ſi ſuccus vel cū ſaccharo albo aut candiſato vel melle attẽperetur, & cochleatim adhibeatur. Ad calculum promovendum, & urinam fortiter ciendam, FORESTUS

♃. *Herb. cochlear.* M. ij.
Rad. raphani ℥j.

Hæc antequam ſingulare experimentum calculum promovendi, Hiſpani ſecreti loco uſurpant, quod in his caſibus nulli cedit remedio.

TIMÆUS pro eodem ſcopo

♃. *Succi raphani rec. expreſſ.* cochl. ij.
Vini Malvat. ſeu *Hiſpan.* cochl. iij. jv. vel v.

Miſcet, propinat, & validiſſimum calculos expellendi pharmacum, retentionique urinæ violentiſſimum aſſerit.

Quidam raphano excavato crocum adjiciunt, & ita ſuccum colligunt, quem ipſum in calculo, urinæ retentione & difficultate, ob craſſum, viſcidum & glutinoſum humorem, meatum obſtruentem, uſurpant. Contra tuſſim quoque ſiccam euporiſton eſt domeſticum, quod probè notandum.

Externè autem plantis pedum appoſitus ipſe raphanus in taleolos inciſus, convenit in doloribus capitis, vigiliis, comate vigili, & etiam delirio, imprimis febrium ardentium & malignarum, ut & earum æſtu compeſcendo. In talibus caſibus imprimis ſequens pulmentum conducit egregiè:

♃. *Fol. rutæ rec.* aut *ſemperv.* M. ij. vel iij.
Rad. raphani num. ij. vel iij.
Salis M. j.
Ferm. acerr. M. ij.
Aceti roſac. q. ſ.

f. l. a. *cataplaſma*, quod applicetur plantis pedum: applicari etiam poteſt volis manuum.

Aliàs pauci eſt uſus raphanus, niſi contra affectus jam dictos.

Seminis raphani decoctum tanquam vomitorium commendat HARTMANNUS *in Praxi Chymiatr. pag.* 14.

RAPHANUS MARINUS ſeu RUSTICANUS.

R*aphani ruſticani radix* inciſa, ſi in vinum infundatur, & vaſe clauſo in loco frigido fervetur ac filtretur, calculum potenter emitti facit. Si paretur Infuſum unà cum radice helenii, remedium egregium eſt in ventriculi affectibus, præſertim ſcorbuticis, ubi intentionem habemus per urinam evacuandi, de quo LAURENTIUS *in Controverſ. Anatomicis*.

Plura *de Ruſticano Raphano ſuprà*, ubi *de Armoracia* habuimus, ſufficienter dictum: imprimis, quæ de Armoracia etiam dicta ſunt, volo ut hìc repetantur, quoniam ſemper ferè loco illius adhibetur.

RAPISTRUM.

R*apiſtrum* dicitur ita à foliorum ſimilitudine & radice, Germanis *Hederich*. Invenitur *flore albo*, ordinariò autem *flore purpureo*. Sunt, qui ad *ſpecies ſinapi* referunt, ſed longè magis exhauſta vis ejus deprehenditur. Aliàs nullius in officinis eſt uſus.

RAPUM & RAPA.

R*apum* & *Rapa* promiſcuè ſic dicitur.

Radix recens tantùm in uſu eſt, & quidem non minus eſt officinalis, quàm culinaris; eſt nimirum alimentum medicamentoſum. Temperata enim omnia ſimplicia ſunt alimentoſa; ſimulac verò in ſapore excedunt, fiunt alterantia & medicamentoſa.

Quod ejus craſin attinet, ſuccum habet nitroſum temperatum, ratione cujus tam ſuccus, quàm decoctum, ac ipſa Rapa probè decocta, tàm recentia quàm exſiccata, ſingularem vim temperandi & demulcendi ſerum, lympham, &c. acres obtinent; hinc in affectibus catarrhalibus, pectus infeſtantibus, mirè proſunt. Certè ſerum urinarium nimis ſalinum acre temperant; unde ſingulariter & ſpecificè commendatur à Gabelchovero in ardore urinæ ſeu dyſuria *C.* 3. *Curat.* 2. ceu expertiſſimum; in cujus curationis annotatione adhuc invenimus de rapis non inconcinna. Quod dictum de ardore urinæ, dictum etiam ſit de retentione; quoniam illam provocat. Hinc & CRATO, trium Imperatorum archiater, FERDINANDI I. MAXIMILIANI II. & RUDOLPHI II. Auſtriaci, Decoctum hoc valdè laudat in tuſſi ſicca, & aſperitatibus faucium, aſthmate, & ſimilibus pulmonum & pectoris affectibus, ex lympha mucoſa acriori ſalſa oriundis. Speciatim Decoctum raparum exſiccatarum cum paſſulis & caricis egregium eſt. Optima præparatio pro ſcopo pectoris anticatarrhali eſt, ſi recipiantur rapæ, & decoquantur in aqua ad mollitiem, aqua hujus decoctionis abjiciatur, & alia affundatur, & de novo exactè coquatur. Decoctum hoc paucis paſſulis, vel horum Rob, aut pauco ſaccharo cando edulcoratum, egregium eſt remedium pectorale & urinarium. Tanquam medicamentum domeſticum raporum decoctum commendatur in malo hypochondriaco.

Externè rapum contra pedes manuſque læſas à frigore, ſeu pernionibus, quæ ſunt malum, quod in principio videtur leve, periculoſæ tamen ſequuntur exulcerationes & gangræna, decoctum raporum, tàm recentium, quàm exſiccatorum, Germ. *der Welcken Ruben*, vel frigore antè conglaciatorum, maximè laudatur, quo fomententur membra à frigore læſa, &c. Alii nudè recipiunt rapa, & cocta in aqua ſimplici inſtar cataplaſmatis applicant: de quo vid. FORESTUS *l.* 5. *Obſer-*

Observat. 15. vel, quod melius, recipiatur rapa frigore conglaciata, & imponatur pernionibus, tunc glacies in membris contenta propemodum extrahitur: vel si exulceratæ sunt perniones, saltem eluantur & abluantur hoc decocto raporum, & pòst unguentum tutiæ imponatur: pro quo scopo ex rapis compositum unguentum habet MYNSICHTIUS *in Armamentar. Chymico*. Sunt alii, qui recipiunt rapum, & excavato infundunt olei rosarum & terebinthinæ ana, & hæc invicem coquunt vel ebullire sinunt, & tali unguento partes à frigore læsas inungunt.: quod oleum rosarum in rapa excavata assatum valdè etiam commendatur ad fissuras partium à frigore contractas. Sed observetur, ut, antequam inungantur partes refrigeratæ, immittantur in aquam frigidam; deinde exponantur fumo aquæ ferventis, & denique his factis fiat inunctio cum medicamentis externis. Uti dico; tales perniones abeunt non raro in gangrænam & sphacelum; unde emplastrum tale expertum habet FONSECA *l.2. Consil.2.*

℞. *Rad. raphani horrens.*
Rapi an. num. j.
Terantur in mortario, addatur
Far. sinapi ℥j.
Pulv. caryophyll. ℥iij.
Olei sem. lini,
Jugland. veter. an. q. s.
f. Emplastrum.

Elegans est compositio, & non credo, illud futurum frustraneum.

Singulare itidem experimentum suggerunt Rapa contra dolorem dentium, quod possumus videre in *citato* GABELCHOVERI *loco*: si scilicet sub cineribus calentibus assata post aures applicentur prope carotides, magnæ sunt efficaciæ, revellunt, & dolorem sedant.

Aqua destillata ex floribus raporum BRENDELIO, expertissimo Chymiatro, commendatissima est in asthmate.

Prostat imprimis in officinis *oleum raporum*, Germ. *das Ruben Oel*, quod egregiè discutit flatus; & clysma ex hoc oleo, vel solo vel cum oleo lini, expertum est in dolore colico, & aliis flatulentis affectibus. Hinc etiam in desperatissima alvi obstructione est expertissimum, ubi neque clysma, neque aliud medicamentum profuit, quod tunc temporis intinctus digitus in oleo raparum, & sedi vel ano aliquoties immissus, egregiè provocavit alvum.

RHODIA RADIX.

RAdix Rhodia vel *Radix Rosea*, Germ. *die Rosen-Wurtzel*, item *Herba Rosea flore luteo*, odorata nonnihil est, sed leviter. Reverà *ad sedа* seu *semperviva* pertinet.

Tota plantula, *Folia*, *Flos*, & *Radix* imprimis, est in usu, utut rarò. *Externè* saltem usurpatur in cephalalgiis chronicis ab Aere externo, vel frigido vel æstuoso vel squalido, seu ab odore fœtido.

Modus usurpandi varius est: vel enim integra planta in mortario cum sufficienti quantitate aquæ verbenæ & florum persicorum contusa sub forma cataplasmatis fronti cum linteo duplici circumponitur, quod optimum; vel si decoctum ex hac radice factum in aqua verbenæ seu aqua betonicæ circumligetur fronti; aut radix pulverisata tantùm cum aqua verbenæ instar epithematis fronti applicetur, præprimis si talis sit capitis dolor, ut metuatur erysipelas, in quo casu humidiuscula non conveniunt; vel

℞. *Pulv. rad. rhod.*
Verbenæ an. ℥ß. vel ℥j.
D. S.
Externus pulvis pro capite.
qui inspergatur partibus dolentibus.

Aliàs verò de radice hac nihil ampliùs in usu est.

RHODIUM LIGNUM.

LIgnum rhodium, Germ. *das Rosen holtz* propter odoris gratiam, satis notum & usitatum, sub *nomine Aspalathi* quibusdam venit, utut varia sint Aspalathorum genera: vid. AUTOR *noster*.

Debet eligi, quod est valdè densum, & valdè odoratum, gustu valdè amarum, & benè denique ponderosum. Has 4. conditiones debet habere, quando recipitur in usum Medicum; utut rari sit usus, quoniam lignum est pretiosum; & vires, quas Veteres adscribunt, adstrictorias, & contra ulcera, cùm non habeat lignum nostras, propterea putatur, quod *lignum rhodium Veterum* sit aliud à ligno rhodio modernorum. A quibusdam nostras solet præscribi in affectibus renum calculosis sub Decocti forma, sed rarò.

Prostat in officinis *oleum ligni rhodii*, quod magis propter odoris gratiam, loco genuini rosarum olei aliis admiscetur, quàm usu Medico habetur, quoniam est pretiosum. Tantummodò adhibetur ad cosmetica, pulveres, unguenta & balsama odorifera, & similia alia cosmetica.

Interim curiosum est, dum ex rasura hujus ligni, addito saccharo, *spiritum per fermentationem* parare docet LUDOVICI *Pharmac. pag.* 707.

RHAPONTICUM VULGARE.

RHaponticum vulgare est *species Lapathi*, & *folia* habet *simillima Lapathi foliis*, quæ folia nervea sunt, longa, acuta; caulem altum gerit, & fert flores parvos. Nomen habet à fluvio Rha in Moscovia, in cujus ripis, ut & Italiæ alpibus, hoc Rhaponticum vulgare crescere solet; è contra apud nos rarum est. *Duo* autem sunt *Rha*; scilicet *Barbarum verum* in Thracia & China, & *Rha Ponticum*. *Rha Ponticum* iterum duplex est: *verum* seu *Thracicum Alpini*, de quo elegantem *Tractatum* edidit, & quod in sequenti titulo tractabitur; vel est *vulgare*, quod aliàs à quibusdam etiam vocatur, & nihil aliud est, quàm *Centaurium majus*, à CHIRONE CENTAURO, quoniam ab ipso in usum Medicum fuit tractum. *Rhabarbarum* iterum est *verum*, & *Monachorum* ita dictum, cum vero Rhabarbaro convenit, nisi quod imbecilliùs laxet, ideoque in dupla dosi, respectu veri, est præscribendum.

Meretur, quod de his legatur CASPARUS HOFFMANNUS *de Medicament. Officinal. p.* 65. 192. & 350.

Quoad *Rhaponticum vulgare*, usurpatur tantùm *Radix*; quæ cum ex Italia soleat afferri, sæpiùs est adulterata, & vetustate corrupta, ideoque in officinis fere exolevit: propterea eligenda est radix acris, amaricans, adeoque occultum quasi aroma repræsentans.

Pro usu alterativo multum laudatur in chronicis affectibus, vi abstersivâ, & acidorum vitiosorum correctivâ, simulque toni viscerum aliquali stypticitate conservativâ. Non immeritò quoque commendatur pro usu vulnerario internè & externè; imprimis ubi sanguinis congrumati resolutione opus est: Hinc in casu ab alto, indeque sanguine coagulato, in ruptione partium internarum, hæmoptysi, tussi inveterata, pleuritide, dyspnœa, aliisque similibus affectibus, maximè usitatum fuit veteribus. Quæ omnia ostendunt vim acidi correctivam, viscidorum seu coagulatorum dissolutivam, adeoque, ut vocant, viscerum abdominis aperitivam. Iisdem facultatibus Rhabarbarum verum pollet, nisi quod prærogativam quandam habeat, ejusque usus sit in affectibus cachecticis.

Quintam Essentiam Centaurii majoris seu Rhapontici vulgaris præparandam commonstrat, uti etiam usum in Medicina, FABER *in Myrothecio spagyrico*.

RHAPONTICUM VERUM.

RHaponticum verum seu *Thracicum* ex Asia afferri solet, quod etiam vocatur κατ' ἐξοχὴν *Rheum*: Nam *tria* habemus *Rhea*: *Verum*, *Vulgare*, & *Barbarum*, quod est purgans, & de quo *suo loco*. Hoc loco verum consideratur: & quidem valdè litigant Autores, quodnam verum sit Rha Ponticum officinale? cùm apud modernos non adeò frequenti sit in usu, sed autoritate veterum ad nos pervenerit, & saltem in hortis crescat.

Quoad *usum* ergò & *adhibendi modum*, videatur PROSPER ALPINUS, qui scripsit elegantem *Tractatum de Rhapontico vero*, in quo etiam de ejus effectibus & effigie. Modernis non est in usu, quoniam, cùm ignotam sit, facilè exoleuit; imprimis cum afferatur ex Asia, adulteratur à mercatoribus valdè.

RHUS.

RHus coriaria ita dicitur à Græco ῥόος, quod idem est ac ἐρυθρὸν seu rubrum, propter acinorum seminalium colorem rubicundum; *coriaria* verò dicitur, quod coriarii & tinctores acinis hisce seminalibus contusis, sub nomine Germ. *Schmack*, pro corio & pannis colore nigro tingendis, copiosè utantur: Martem enim præcipitat ex vitriolo, unde quandam analogiam cum gallis & glandibus quercinis habere videtur. Observetur autem distinctio, ne fiat confusio inter *Rhus* & *Ruscum*, Germ. *den Mausedorn*, de quo *suo loco*. Arborem vocant *sumach*, unde Germanis corruptum istud vocabulum, *Schmack*, ortum, ob usum jam dictum; vulgò vocatur, Germ. *Ferberbaum*.

Usum Medicum agnoscit ferè nullum, nisi quod flos ejus cum acinis pro usu adstrictorio externo (internus enim ejus usus est rarior) scilicet in quibuscunque hæmorrhagiis, & aliorum humorum fluxibus, adstringendo & contrahendo fibras, laudetur, in specie in procidentia uterina: nempè fomentetur cum vino, cui Rhus incoctum, & reponatur in locum debitum: unde ex fructu & foliis floribusque contusis ac decoctis inspissatus succus pro scopo adstrictorio à quibusdam usurpatur. Imprimis sub gargarismatis forma adhibetur in scorbuto oris, putredine & corrosione gingivarum, & hinc dentium vacillatione. Hinc Infusum ejus oculis, variolis clausis, instillari solet ad eosdem aperiendos. Prætereà flos ejus clysmata chirurgorum styptica adstringentia ingredi solet. De facultatibus plantarum adstringentium, quod scilicet vis illarum adstrictoria à particulis acidis cum terreis fixis oriatur, alio dictum est tempore.

RIBES.

R*ibes fructus* omnibus ſatis eſt cognitus, qui vel *ruber* eſt, vel *albus*. *FORESTUS l. 25. Obſervat. 18. in ſcholio nigrorum* quoque mentionem facit; & horum foliorum, quæ odorem urinæ felis referunt, M. j. decoctis addere jubet; ſic enim pro uſu diuretico in iſchuria & ardore urinæ commendat, ut etiam ſanguinem cum lotio reddere faciant.

Interim *ribes rubræ* potiſſimum in uſu pharmaceutico ſunt, & ſapore ſuo blandè acido cum rubo idæo, ceraſis, & berberibus conveniunt in febribus ardentibus, pro temperando ſale volatili nimis oleoſo, acri, & copioſo in maſſa ſanguinea, ſeu, ut Veteres dicunt, in affectibus bilioſis, & inde nato æſtu & ebullitione ſanguinis compeſcenda & reſtringenda, quoniam acida ſimul cohibent fermentationes p.n., & coagulant maſſam Sanguineam nimis fluxilem & diſſolutam: corrigunt etiam incaleſcentiam corporis ex ebullitione ſanguinis obortam, & hinc dicuntur refrigerare. Aciditate moderatâ vim obtinent adſtringentem, coarctando fibras; unde grati ſunt ventriculo, quem roborant & conſtipant, item vomitibus & diarrhœis, ſupervenientibus morbis malignis & febribus ardentibus medentur, modò non ſuccus ſit nimis recens, ubi fermentando diarrhœas inferre poteſt. In febribus ardentibus, in æſtate poſt nimium potum poſt ſudorem, ſuccus & ſyrupus uſitatè permiſcetur Julepis & potionibus, quoniam ſitim reſtinguunt, & calorem mitigant, & moderatè adſtringunt.

Succus inſpiſſatus vocatur Rob ribium.

Proſtant etiam Baccæ conditæ, quæ ſolent præſcribi in Electuarijs, ebullitionem Maſſæ Sanguineæ, ſeu æſtum febrilem, attemperantibus, & ſitim reſtinguentibus in febribus ardentibus & malignis: v. g. poſt ſudorem in febribus malignis, ubi nimis fluxilis eſt maſſa Sanguinea, poteſt adhiberi tale electuarium:

℞. *Conſ. roſar. uitriolat.* ℥jß.
Pulpæ citri ℥j.
Ribium condit. ʒvj.
Hepat. rubri ʒjß.
Ebor. ſine igne ʒj.
Syr. acetoſ. citri q. ſ.
M. f. Electuarium, D. S.
Electuarium ad aliquot vices.

Doſis eſt ad magnitudinem nucis juglandis ſeu caſtaneæ.

ROSA.

R*oſarum frutex* ubivis locorum eſt cognitus, & vel *ſylveſtris* vel *domeſticus*. De *ſylveſtri ſuprà* egi ſub nomine *Cynosbatus*. *Roſæ domeſticæ* ſunt, quæ coluntur & excoluntur in hortis. De his non immeritò dicit *PLINIUS l. 1. Hiſt. Natural. cap. 3.* quod ſit princeps florum, & maximum terræ hortorumque decus, & panacea morborum, & pharmacopœorum. Inter has roſas, quarum mille ferè ſunt ſpecie, *duplex* iterum eſt *differentia*: aliæ namque ſunt *albæ* & *pallidæ* ſeu *incarnatę*, Germ. *die Leib-farbenen Roſen*, & *odoriferę*; aliæ verò *rubrę*, & hæ vel *odoræ* vel *inodorę*. *Roſę rubrę ſuaveolentes* vocantur etiam *moſchatę*, ſeu *Damaſcenę*, propter ſuavem odorem; quæ cum incarnatis ſunt optimæ, pòſt aſſumuntur *rubrę roſę inodoræ*.

Hæ 4. *ſpecies* imprimis ſunt *officinales*. Sed reverâ, niſi odorem excipiamus, pauca eſt differentia. Et quidem pro varietate præparationis nunc colliguntur, dum madent rore matutino; nunc ſine eo: ſic pro laxatione & purgatione recipiuntur, dum ſunt madidæ rore matutino, qui habet vim ſalino-nitroſam, abſterſivam & laxativam, & quo concentrantur roſarum particulæ laxativæ, quæ accedente ſole exhalant.

In Roſa enim duplex conſideranda ſubſtantia medicamentoſa: vel eſt *ſubſtantia volatilis odorifera* nonnihil *laxativa*, item ſpirituum *confortativa*, & conſiſtit in ſubtili & volatili oleo cum ſale volatili minus acri juncto, quæ propter acidi in oleo defectum minus in concreto concentrata ſunt, ſed propter raram ſui texturam, & ob aquæ ſeu phlegmatis uberiorem miſcelam nimis diluuntur, indeque particulæ hæ facilè evaporabiles, & à concreto ſeparabiles & diſſipabiles exiſtunt. Qualis volatilis oleoſa textura *Roſis pallidis* & *moſchatis*, *floribus liliorum convallium*, *caryophyllis hortenſibus*, *violis* &c. ineſſe videtur: mediantibus quibus particulis & odoratum movent, & vi ſimul analepticâ & laxativâ pollent, adeo, ut *POTERIUS* dicat; quod *pulvis roſarum* ad ʒj. exhibitus egregiè ſoleat purgare; id quod intelligendum imprimis eſt de roſis pallidis & de moſchatis: hinc *ſyrupus* etiam *roſarum pallidarum* aut *Damaſcenarum*, rore matutino adhuc madidarum atque repletarum, cum multiplici infuſione ſine coctione paratus, blandè alvum laxat.

Syrupum roſarum laxativum compoſitum habemus apud *FREITAGIUM Auror. Medic. c. 8.* qui valdè commendatur ab eo ad hydropem & icterum. *Syrupum roſarum ſolutivum aureum* cum rore majali paratum videbitis in *TIMÆI Caſibus p. 418.*

Syrupus roſarum Regius obtinuit nomen à Medicis Pariſienſibus, quia fuit *Regi Galliæ*, *FRANCISCO*, in deliciis.

Particulis dictis volatilibus in Roſis aridis & ſiccis exhalatis, remanet *ſecundò ſubſtantia* paulo *fixior adſtringens*, ex concreto terreo-ſalino texturæ quaſi alcalinæ conſtans. Textura hæc eſt alcalina, quatenus acida deſtruit: eſt etiam ſimul adſtringens, quatenus & ſubſtantia terrea cum acido nonnihil juncto textura adſtringens quaſi aluminoſa emergit; unde & iſta ſubſtantia naturæ alcalinæ ex ſubſtantia terrea cum acido ſubtili, ſed non ritè ſaturato, juncta nata videtur, (quod tamen ceu paradoxon obiter inſinuo,) quæ ipſa vis in ipſa florum ſubſtantia obſervatur, & tam coctione elici, quàm in ſubſtantia foliorum ſiccatorum uſurpari poteſt. In hac vis adſtrictoria dicta roſarum & refrigeratoria primariò conſiſtit; quapropter foliola roſarum albarum uſurpantur in fluxu albo mulierum. Unde coctionem longam ferre non poſſunt, ubi aliàs, ſi exhalat ſpirituoſa illa & aerea qualitas odorifera, & laxativa portio, loco hujus vim adſtrictoriam & amaricantem acquirunt.

Has inter duas ſubſtantias roſarum, mediæ quaſi, poſteriori tamen magis affinis, naturæ eſt *Eſſentia* ſeu *Extractum roſarum ſuccoſum*, ex repetita infuſione roſarum in aqua ſimplici blandâ evaporatione paratum.

Hactenus dicta in roſis odoratis in ſpecie conſpicua ſunt; rubræ enim inodoræ albæque de priori volatili ſubſtantia parum admodum participant, ſed qualitate poſteriori magis imprægnatæ ſunt.

Ex hiſce ſequitur: roſas quoad priorem volatilem ſubſtantiam eſſe calidas, quoad poſteriorem eſſe frigidas; unde etiam *aqua roſarum* deſtillata per ſe calida, per vas verò plumbeum deſtillata frigida erit, de quo conferatur *TACHENIUS Hippocr. Chym. pag. 135.*

Vi analepticâ & ſpirituum animalium roborativâ, ambræ ſimili, imprimis uſitatæ ſunt; ſicut & ea ipſa, quæ *ſuprà* de floribus borraginis, bugloſſæ, & ſucco dulci pomorum dicta ſunt, reverà floribus roſarum Damaſcenarum applicanda.

Fermentando ſuggerunt *ſpiritum ardentem fragrantem*, egregium analepticum confortativum, qui ſpiritus labentes, lipothymiam & ſyncopen imminentem arcet, & vires refocillat; cujus vis refectiva exaltatur admiſtione ambræ: unde ſunt, qui miſcent aliquantum ambræ pulveriſatæ cum foliolis roſarum fermenteſcentibus, & ſic fermentationis medio recluſa ambra ſpiritum ſuâ ſubſtantiâ imprægnat, & *ſpiritum roſarum ambratum*, remedium ſuaviſſimum, ſummè analepticum, conſtituit, quod optimè pro *eſſentia ambræ* aſſumi poteſt, acquiriturque ſimul aqua ambram redolens. Optimè procedit negotium, ſi ſucco roſarum expreſſo pauco ambræ miſceatur, & invicem fermententur.

Multiformia alia ex roſis deſtillantur remedia, quorum farraginem videbitis in *THEODATI Pantheo Hygiaſtico*: Omnia tamen eò recidunt, ut vel ſubſtantiam volatilem odoriferam analepticam exaltent, ut ſunt aqua roſarum, ſpiritus roſarum ſimplex & compoſitus, quò pertinet ſpiritus roſarum ambratus, Julebus roſarum, oleum roſarum deſtillatum &c. ut hoc ipſo acquirantur remedia ſpirituum vitalium & animalium reſtaurativa & confortativa; vel ſubſtantiam ſtypticam refrigerantem alcalinam adſtringentem magis exaltent, uti ſunt conſerva roſarum, ſyrupi roſati non laxativi, olea inſolata, & ſimilia ex roſis inodoris, vel mediante coctione, aut diuturnâ digeſtione præparata: quæ ipſa in vomitu, diarrhœa, dyſenteriis, hæmorrhagiis, imminente phthiſi à lympha acida, ulceribus & inflammationibus faucium, &c. in uſu ſunt.

Conſerva in ſpecie bilem atram ſeu aduſtam corrigere, ſpiritus coinquinatos mundificare & corroborare, hominemque exhilarare dicitur; unde ea, quæ *ſuprà de floribus* horumque *conſerva borraginis* & *bugloſſę dicta ſunt*, reverà hìc applicanda.

Freitagius in Aurora Medicor. cap. 8. pag. 426. 435. item *TIMÆUS in Epiſt. pag. 421.* *WEDELIUS in Pharmacia pag. 109.* & alii, ex his recentibus rore matutino madidis *conſervam laxativam* elegantiſſimam & ſuaviſſimam cum manna Calabrina, loco ſacchari, parant iis, qui adſtrictioris ſunt alvi, ſimulque delicati, commendabilem. Fiunt inde Boli elegantes laxativi in febribus bilioſis & intermittentibus, v. g.

℞. *Conſ. roſar.* vel *flor. cichor.* ʒj.
Pulv. hepat. rubr. ℈j.
Scamm. ſulphurat. gr. v. vel vj.
Miſta adſpergantur aliquot guttis *ſpiritus roſar.* f. Bolus.
D. S.
Bolus laxativus.

qui tribus vicibus purgabit: nam bilioſi affectus non ferunt fortiora purgantia ob fermentationem ſanguinis nimiam. Præſcribuntur in declinatione febrium ardentium.

Oleum deſtillatum ex roſis eſt paradoxon chymicum rariſſima avis, & una libra roſarum vix unam alteramve guttulam dabit olei. Sunt tamen quædam enchiriſes, quibus volunt copioſum oleum elicere: ſed non ſemper reſpondet effectus ſententiæ. Et mirum eſt, quod maximè odori flores, uti ſunt Jaſmini, liliorum convallium, roſarum &c. pauciſſimum oleum ſubminiſtrent, qui tamen odor

in oleo consistere putatur: nam odor est à sulphure, quod concentratum dat oleum. Singularem tamen olei rosarum parandi modum, mediante quo oleum, butyri instar, aquæ supernatat, docet *BILLICHIUS in observat. paradoxis Chym. p. 29.* Conferatur etiam *EICHSTADIUS de Confectione Alchermes*, qui modum olei rosarum destillandi per linteum rostro alembici annexum docet. Interim non negligenda venit Encheirisis *GLAUBERI*, qui pro oleo rosaceo parando recipit in specie flores rosarum nondum explicatos, Germ. *die Rosen Knopffe*, ex quibus oleum rosarum parare intendit: vid. *Oper. Vol. 1. p. 24. & P. 2. pag. 174. RHUMELIUS* equidem *Oper. p. 132.* oleum per alembicum cum aqua sæpius cohobatum promittit, sed parum admodum erit, quod hoc modo acquirit. Sunt qui *oleum* singulare hoc modo parare volunt:

℞. *Folia rosarum* in umbra exsiccata: affundunt aquam propriam, digerunt per 18. dies noctesque in fimo equino, destillant per Balneum Mariæ, tunc in fundo manet *oleum rosarum rubrum* perspicuum, moschi odore.

Ad *rosas rubras inodoras* quod attinet, refrigerant, & potenter adstringunt, imprimis exsiccatæ, & nullam habent vim purgantem: ut exinde constet, quod vis laxativa rosarum solùm à particulis odoriferis dependeat. Vis hæc adstrictoria consistit in particulis terreis, & acido pauco, unde hæmorrhagias & alvi fluxus cruentos sistunt. Vim quoque habet refrigerativam, hinc flores oleo infusi egregiè refrigerant in inflammationibus, ulceribus, ac quibusvis sanguinis excretionibus. Denique vim quoque habent consolidativam, hinc conducunt in phthisi, seu ulcere pulmonum. Hæ vires omnes consistunt in particulis terreis, aluminis ad instar, cum acido nonnihil fixis mistis. Substantia hæc foliorum rosarum styptica patet ex *experimentis Boyleanis de coloribus*, dum nempè decoctum vel Infusum foliorum rosarum, uti & quarumlibet plantarum adstringentium, eundem effectum præstat, quem vitriolum cum decocto gallarum, præcipitando vitriolum in colorem nigrum seu atramentum; ob rosarum nempè alcali, acidum supprimens: quod attramentum, cum rosis rubris factum, ex instillatione aquę fortis nigredinem perdit; cui spiritus urinæ infusus nigredinem reddit. Hinc tinctura rosarum cum phlegmate vitrioli rubedinem retinet. Similia etiam experimenta cum floribus balaustiorum succedunt: terrestres hæ particulæ, acidum vitrioli imbibentes, & vitriolum præcipitantes, texturam alumini analogam habent. Præterea notatu dignum est, fumum sulphuris acidum rosas rubras convertere in albas: acidum namque sulphuris saturat particulas terrestres rosarum rubrarum, easumque texturam planè invertit. Porrò mustum quoque, ex quo fit vinum album, si super vinacea affundatur, fit rubrum; si verò spiritus sulphuris accensi addatur, statim albescit.

Varia quoque ex iis præparantur medicamenta. Prostat in officinis *syrupus de rosis siccis*, qui convenit pro usu adstrictorio: unde medicamentis internis antiphthisicis, & hæmorrhagias sistentibus admiscetur pro sapore, & quia simul habet vim adstrictoriam.

De aqua rosarum destillata notum, quod habeat leviter adstringentem vim, & leniter refrigerantem. Observetur tamen, quod vulgariter per organum cupreum destillatę adhuc insit quoddam subtile, occultum ac insensibile acidum: de quo videri potest *TACHENIUS loco allegato & sequ. 1.* ubi comprobatur experimento egregio tale acidum in aqua rosarum, & propterea simus cauti in ejus applicatione pro refrigeratione, quoniam auget potiùs malum, quàm quod leniat. Usitatum est in doloribus oculorum cum linteis illam applicare: sed nunquam soleo prescribere tali in casu aquam rosarum. Modi destillandi aquam rosarum sunt varii, per Retortam, per Balneum Mariæ, per organum vitreum, & per organum cupreum &c.

Oleum rosarum rubrarum, uti *& reliquarum, simplex* refrigerare, & nonnihil adstringere dicitur: nempe oleum commune infundendo & decoquendo acidum suum saturat alcali rosarum, quo ipso imprægnatum oleum refrigerare, & hinc adstringere nonnihil dicitur; unde inungi solet hoc ipso regio hepatis & renum, in nimiis ardoribus. Vulgò hoc fit, quod tamen minimè approbo.

Oleum compositum adhibetur in inflammatione partium externarum, quam praxin Chirurgis relinquo, & nunquam velim imitentur, nimis enim inconvenienter hoc fit.

Conserva rosarum rubrarum est insigne stypticum & adstringens: hinc etiam talis conserva, vel nuda, vel vitriolata seu spiritu vitrioli irrorata, usitata est ad compescendum vomitum, hæmoptœen, & fluxum alvi, modò minor sacchari quantitas sumatur. Item talis conserva rosarum rubrarum antiqua (sic enim præscribitur: ℞. *conservæ rosar. antiqu.* uncias tot vel tot) expertum est remedium in phthisi & ulcere pulmonum, jam à Veterum temporibus multis nominibus commendatum à *GALENO*. Vocatur etiam à quibusdam, & quidem vulgò saccharum rosarum, Germ. *der Rosen Zucker*. De usu hujus conservæ in phthisi videatur *FORESTUS l. 16. obs. 58.* item *SCHENCKII Observationes*, ubi *de phthisi*, uti etiam *VALERIOLA libr. 5. observat. 5.* Usurpatur scilicet ad adstrictionem & consolidationem ulcerum pulmonum, ubi præmissa sunt ulcus purificantia, & adhibetur vel nudè, vel adduntur pulveres appropriati: Sic solet *POTERIUS* miscere suum antihecticum: Alii addunt terram sigillatam, vel lapidem hæmatiten, addendo scilicet ℥j. conservæ rosarum, ʒß. ad ʒj. terræ sigillatæ, vel lapidis hæmatitis. Ubi opus est consolidatione & adstrictione, dico: nam in principio potiùs est nociva: idcircò præmissis purgantibus expectorantibus est præscribenda. In omnibus fluxionibus, ubi opus est adstrictione, ut hæmoptysi, est egregia conserva rosarum cum semine papaveris, semine hyoscyami, vel bolo armena, & sub forma vel Boli, vel Electuarii cum succo portulacæ vel plantaginis exhibita.

Tinctura, cujus præparationem addidit *AUTOR*, præparatur cum spiritu vitrioli, quæ, sicuti aliæ Tincturæ, solet usurpari, ut instilletur vel potui, vel admisceatur Julepis in febribus ardentibus & morbis acutis, pro moderata refrigeratione & refectione, sitique restinguenda. *ZWELFFERUS* elegantem parat Tincturam cum sero lactis, acidulato cum pulpa Tamarindorum, quæ blandè laxat, & loco Juleporum in febribus ardentibus benignis usurpari potest.

ROS SOLIS.

Ros *solis* seu *Rorella* plantula est ab antiquis neglecta, de qua multa circumferuntur, quę tamen adhuc sunt dubia. Moderni imprimis multum tribuunt liquori limpidissimo, ejus foliolis continuò insidenti; licet enim ros hic aliquoties abstergatur, semper tamen intra dimidiæ horæ spatium iterum sunt repleta succo, non obstante, quod tempore æstivo, & præsertim diebus canicularibus, ingenti urgeantur caloris æstu. Unde Chymici arbitrantur, sal universale aereum, seu spiritum mundi, in his guttis latitare, & concentratum vel coagulatum esse: hinc *ARNOLDUS VILLANOVANUS* miratur, quare homines ægrotarent, ubi hic succus prostaret, tanquam Panacea & cordiale summum in omnibus morbis. Etiam *RULANDUS* commendat eam præ reliquis plantis, plantamque ferè divinam appellat. Modum collectionis dat *AUTOR*.

Hæc, utut crescat in locis humidis, ut madeat semper rore; nihilominus saporis est acris & penetrantis, & constat copioso sale volatili acri. Imprimis frequenter commendatur in arescentia & ariditate corporis nostri, in affectibus pectoris, in specie in phthisi curanda, propter vim humectandi, & ita tabem præcavendi, de quibus virtutibus contra phthisin videatur *SCHENCKIUS. obs. de Phthisi.* Habetur etiam pro insigni confortativo, uti habet *AUTOR*. Alii hunc usum negant propter acrimoniam, de qua videatur *LOBELIUS in Animadversionibus*; sed hanc plantam in morbis malignis convenire asserunt. Credo, quod in hac herbula multa lateant arcana, non omnibus nota.

Ros ille insidens inflammationibus externis, ut & vulneribus oculorum, sugillationibus, vel in casu ab alto, vel à plagis, vel aliter ortis, summum est solatium. Commendant etiam in cachexia. Plura de hac planta habet *AUTOR*, sed per experientiam non satis sunt probata.

Paratur etiam exinde *Essentia* cum spiritu vini, quæ maximè dicitur cordialis, & spiritum animalium restaurativa.

Sunt, qui *aquam rorellæ cum vino* destillant, quam mirè commendant pro usu restaurativo, & reficiendis spiritibus animalibus, in cordis palpitationibus, tremore, syncope, & lipothymia, in tussi & asthmate pro adjuvanda expectoratione. Sed reverà defectu solidæ experientiæ aut fundatæ rationis omnia sunt dubia, indeque etiam rari usus. Conferatur imprimis *VELSCHIUS Hecatost. 1. pag. 119.* sicuti hanc plantulam ovibus maximè noxiam esse, observatum est in *Actis Medicis Hafniens. Vol. 4. p. 162.*

ROSMARINUS.

Rosmarinus, qui etiam vocatur *Libanotis Coronaria*, simplex est polychrestum, virtute & texturâ aromatica egregiè instructum, ita, ut loco exoticorum aromatum commodè à nobis possit substitui, cum æquè ac ista in stomachi, capitis, & uteri affectibus, & quibusvis chronicis morbis, egregium sit simplex. Sanè non pauci sunt, qui instar Panaceæ extollunt.

Vis autem ejus consistit in sale volatili subtilissimo, admodum tamen oleoso, vimque obtinet balsamicam; unde totis mensibus hybernis eadem viret. *Usu interno* speciatim spiritibus animalibus, & hinc capitis ac nervorum affectibus, adeoque & uterinis morbis, præcipuè confert, in quibus nulli cedit. In apoplexia ergò, paralysi, & epilepsia, lipothymia, aliisque affectibus nervorum, & in virium restauratione, certissimum est remedium, & melius vix datur; unde nulla *aqua analeptica* aut *apoplectica* erit, aut *essentia*, quam non herba aut flores anthos ingrediantur. Solo decocto rorismarini curari epilepsiam, autor est *LINDANUS*; quod etiam specificè commendatur contra paralysin, si hausto hoc decocto paralyticus sudet: Hinc decoctum hoc in usu est in affectibus catarrhalibus diuturnis, adeò, ut nec ligno sassafras, nec juniperino cedat. Post usum cephalicum & nervinum autem decantata est hæc herba pro usu arthritico, suffocatione uteri, & in suppressione mensium. Contra sterilitatem mulierum à multis specificè commendatur, præsertim in illa sterilitate, quæ ex debilitate uteri, hoc est fibrarum ejus atonia, &, ut vulgò vocant, intemperie

rie humida & frigida, originem ducit; unde pariter in fluore albo mulierum egregium ſpecificum eſt, cujus decoctum ceu expertum commendatur à *LINDANO in Collegio ſuper Hartmannum*. Alii *Ternarium ſimplicium*, Meliſſam, Mentham, & Roſmarinum, ceu expertiſſimum, commendant ad eundem fluorem album. Ad corroborandum fętum & abortum præcavendum ex rore marino parata remedia conveniunt. Præter has virtutes decoctum roris marini ceu arcanum commendatur ad curandas ſcrophulas, expectando ſudorem.

Externè folia & flores roriſmarini frequenter adhibentur ad paralyſin, apoplexiam in balneis vel alio; item cum formicis pro arcenda ſterilitate quod egregium in tali caſu eſt balneum.

Quoad *Præparata*, proſtant in officinis ſal, eſſentia, ſpiritus per fermentationem paratus, aqua, conſerva, oleum deſtillatum, & vinum roriſmarini.

Spiritus in affectibus nervorum & capitis inſigniter commendatur.

Nota quoque eſt *aquæ vitæ Reginæ Hungariæ*, quæ nihil aliud eſt quàm ſpiritus rectificatus, ex rore marino nempè, cum ſpiritu vini digeſto deſtillatus, ad quamplurimos affectus internè & externè, præſertim morbos articulorum & nervorum convulſivos.

Eſſentiam roris marini EPIPHANIUS FERDINANDUS *Hiſt.* 46. mirabilem eſſe dicit in affectibus capitis & nervorum; quæ eſſentia paratur ex floribus: extrahitur nempè per ſpiritum proprium, qui affunditur aliis floribus, & fit eſſentia, quæ abſtracto ſpiritu inſpiſſatur in formam *Extracti*, quod per aliam eſſentiam diſſolutum, egregium dat remedium. *ZAPATA Medicus Italus in clave Medicinæ* multus eſt in laudanda Roriſmarini aqua & eſſentia, adeò ut tantum non panaceam faciat ex rore marino.

Vermes ſingulares alatos in rore marino, eſſentiam fragrantiſſimam ſuppeditantes, videbitis in M. A. N. C. *ann.* 2. *obſ.* 189. *pag.* 292.

Conſerva florum anthos ſeu *roriſmarini*, ingreditur electuaria & remedia alia, item morſulos, pro affectibus capitis catarrhalibus diuturnis, & uteri. Memoriam ſingulariter confortare dicitur, uti etiam oculos. Præſervare dicitur ab apoplexia & paralyſi, imprimis in ſenibus; cum tantillo enim olei deſtillati efficaciſſima eſt in vertigine.

Oleum, imprimis ex floribus deſtillatum, tam internè, quàm externè in apoplexia & paralyſi, vertigine aliiſque cephalicis & uterinis affectibus confert. Refert SIMON PAULI ſe aliquoties obſervaſſe, quod Tertianæ nothæ per 4. vel 5. guttas olei deſtillati roris marini, in appropriata aqua aſſumpti, beneficio ſudoris fuerint curatæ.

Alio modo *per deliquium liquor* ſeu *oleum magnarum in Medicina virium* paratur, ſi flores roriſmarini in cucurbita vitrea ſigillata plana radiis ſolis ardentiſſimis exponantur, quo modo in liquorem oleoſum liqueſcunt egregiarum virium.

PANAROLLUS in Obſervat. ſuis Pentecoſte 3. *obſ.* 25. *pag.* 160. ad quoſcunque effectus chronicos, ex vitio ſtomachi oriundos, mirificè commendat *vinum roris marini* per infuſionem, ex floribus & foliis, infuſis in muſtum, uti ſimul cum eo fermententur uſque ad defęcationem & naturam vini, quod dein internè pariter ac externè cum fructu uſurpatur. Conferatur ſimul *PAULI in Quadrip. Botan. pag.* 133. *EICHSTADIUS in Tract. de conf. Alchermes* refert, quod ex ſtercore vituli, qui per aliquot dies paſtus fuit rore marino, poſſit parari elegans *pulvis cyprius* odoratus.

RUBIA.

VAriæ utut ſint *ſpecies Rubiæ*, nihilominus *Rubia Tinctorum ſativa major* hìc intelligenda venit. Veteribus non ita fuit cognita; proſtat tamen mentio ejus ſub nomine ἐρυθρόδανον, Germanis *Farber-Rothe*, ex uſu mechanico, quod radix ejus pro pannis ac linteis colore rubeo tingendis tinctoribus inſerviat.

Falſum eſt, non habere *uſum Medicum*. *Radix* enim in uſu eſt, quæ inter vulneraria & aperitiva primaria recenſetur, utut non adeò frequenter uſurpetur; in ſpecie autem vi ſanguinem coagulatum diſſolvendi, hincque per urinam evacuandi optimè pollet. Referunt uſum quemcunque hujus radicis inſequi urinam colore rubro tinctam (uti de opuntia *ſuperiùs dictum, ubi de ficu*) non ſecus ac ab aſſumpto rhabarbaro tingitur colore flavo, utut ſubſtantia urinæ non immutetur. *Timęus in Caſibus p.* 180. Decoctum hujus radicis in ſuppreſſione urinæ, à ſanguine grumoſo facta, commendat; ſicut etiam radix hæc decocta in poſca, id eſt, aceto & aqua, laudatur in caſu ab alto, & ſanguine congrumato à caſu ab alto contracto. Noſtratibus in uſu eſt maſſa ex pulvere hujus radicis, quæ in ſpecie dicitur CRAP, tincturæ pannorum inſerviens. Hæc enim in aceto vel in vino bullita in caſu ab alto in ſubluxatione vertebrarum dorſi, ordinarium plebejorum eſt refugium; mirabilem enim vim habet ſanguinem, & quoſvis ſuccos corporis grumoſos diſſolvendi, potenter ſudorem ciendi, & his mediis contorſionem vertebrarum dorſi curandi; de qua *Crap* vid. *SCHROEDERUS in App. Pharm. Medico-Chymic. p.* 20. Subinde etiam contra icterum flavum, hydropem, ac ſimiles affectus chronicos, uſu alterativo & diuretico, non incommodè cum aliis propinatur; e. g. ad icterum flavum,

℞. *Herb. marrub.*
Chelidon. maj. an. M. j.
Rad. rub. tinctor.
Chelidon. maj. an. ℥j.
Sal. tartar. ʒj.
Inciſa miſceantur pro *nodulo*.

RUBUS.

RVbus duplex eſt: *vulgaris* ſeu *caninus*, Germ. *die Brombeer*, *de quo hìc*; & *Rubus idæus*, Germ. *die Hind-beere*.

Rubus vulgaris ſuggerit *Folia*, & *Fructus*, qui *mora rubi* ob ſimilitudinem audiunt, & colliguntur immaturi pro ſcopo adſtrictorio: id quod etiam de moro & ejus fructu fuit dictum. Obſervetur autem, quod fructus hic à Veteribus etiam vocetur *morum*, & diſtinguantur mora in *mora celſa*, & *mora rubi*: *Mora celſa* Germanis vocantur *die Maulbeere*, *mora rubi* verò *die Brombeere*.

Ambo adſtringunt, unde in profluviis quibuſcunque conveniunt, & propter hunc uſum adſtrictorium ex his duobus *Rob Diamorων Nicolai* ſolet parari, quod promiſcuè ſolet uſurpari in gargariſmatis ad collutionem aphtharum, & reliquorum ulcerum ac vulnerum oris & gingivarum.

Mora matura non ſunt uſitata.

Folia adſtringunt & exſiccant; quam ob cauſam herpetes cutis ſanant; oris aphthis & ulceribus, *GALENO* teſtante, medentur; ſicut & in vulneribus internè & externè uſurpantur. Virtute adſtrictoriâ ſimilia ſunt gallis, corticibus granatorum, corticibus juglandum viridibus, & habent in ſe occultum alcali, demonſtrante *TACHENIO*. Ratione hujus, inquam, folia rubi canini certè ſingularia ſunt contra tibiarum ulcera; hinc *GABELCHOVERUS Centuria* 4. *Curat.* 5. ſub forma decocti vulnera & ulcera tibiarum profunda & inveterata curaſſe teſtatur.

Difficillima ſunt curatu ulcera hæc:

1. Propter defectum partium carnoſarum, & abundantiam partium nervoſarum.
2. Propter præſentiam oſſis; unde metus eſt, ne acidum corruptivum corrodat os, & inducat cariem, quæ multum faceſſat negotii Chirurgis, dum impedit conſolidationem vulneris, niſi auferatur.

In talibus ulceribus, quę ſimillima phthiſi inducunt ſymptomata, febrim lentam & hecticam cum atrophia, ſi folia ſeu ſummitates hujus rubi in vino decoquantur, & hoc vinum decoctionis pro lotione calidè ſæpius adhibeatur, proſunt. Certè magna vis chirurgica in foliis hiſce latet.

Dixi, quod hæc folia, quoad naturam, ſimilia ſint gallis, corticibus granatorum &c., & propterea vim habeant tingendi capillos colore nigro, uti habet *AUTOR noſter*; quod fit eodem modo, quo ex gallis & vitriolo fit atramentum: copioſo enim illæ alcali ſcatent, quod, coit cum vitriolo, & abſorbendo atque deſtruendo ejus acidum, particulas martiales nigro colore præcipitant. Idem fit, quando alcalicæ rubi canini partes abſumuntur à tranſpiratione capillorum, quæ eſt acida. Certè ex hac mechanica, quâ fit atramentum, ex acido vitrioli & alcali gallarum, multa in natura poſſunt demonſtrari.

Nunc ſequitur

RUBUS IDÆUS.

RVbus idæus ſatis eſt cognitus, cùm etiam ubique creſcat, imprimis in locis cultioribus.

Fructus dat ſucculentos, qui immaturi conveniunt omninò cum præcedentis rubi canis; ubi autem maturuerint, uti ſunt elegantioris coloris, ita ſunt melioris virtutis in morbis & febribus malignis, pro ſcopo confortandi vires, quas vulgò adſcribunt cordi, & arcendi malignitatem.

Succus baccarum eſt blandè acidus, & odorem habet ſuavem aromaticum, quo vi analepticâ & virium reſtaurativâ ſingulari gaudet, unde in febribus malignis, & febribus ardentibus ut plurimum commendatur.

Syrupus rubi idæi Julepis in hoc caſu admiſcetur, tanquam expertus; adeò ut GESNERUS, antiquus quidem Medicus, ſed qui ſincerâ fide omnia conſcripſit, *in Epiſtolis ſuis l.* 1. *p.* 4. ſyrupum hunc pro ſcopo analeptico, & confortando ſtomacho quibuſvis aliis, omnibuſque perlis & gemmis, pręferat. Notum enim eſt, quod mulierculę in proſtratis viribus ſtatim perlas & gemmas, exque his pręprimis medicamenta pręparata, ut ſunt Eſſentia perlarum, &c. deſiderent, & adhibendas eſſe putent; quæ quidem in uſum & emolumentū Pharmacopęorum, in damnum verò ęgrorum, cedūt. Hunc abuſum perſtringit GESNERUS, & præfert ſyrupum rubi idæi. Unde vel ſolus ſolet adhiberi in potionibus in morbis malignis, in ſpecie in febribus petechialibus, non ſine ſucceſſu; ſicut & in proſtratione virium ac imbecillitate, ex morbo gravi dependente, egregius eſt: ſitim extinguit, ſtoma-

ſtomachum & præcordia æſtuantia mirè refocillat: in ſe aliàs caliditate & frigiditate, ut vocant, temperatus eſt, & ſpeciatim in febribus malignis, ceu optimum remedium, analepticis quibuſuis potionibus ac miſturis additur.

Proſtat etiam *acetum ex fructibus* infuſum, quod poſt ſudorem nimium in febribus ardentibus uſurpatur, & eſt egregium præſervativum in peſte: poteſt applicari pulſibus cum linteis pro compeſcendo æſtu, & malignitate arcenda in febribus malignis.

Proſtat apud nos quoque

RUBUS IDÆUS ODORATUS AMERICANUS CANADENSIS, *flore purpureo*, CORNUTI.

HVjus *flos* maſtichen ſpirat, primùm à *JACOBO Cornuto in Hiſtor. plantar. Canadenſ. c.* 56. *p.* 14. deſcriptus, & ex nova Canada in Europam allatus. Nihil commune habet cum noſtro rubo idæo præter fructum.

In officinis locum non habet.

RUSCUS.

SVprà habuimus Rhus, quod aliàs vocatur Sumach: jam ſequitur *Ruſcus* ſeu *Bruſcus*, Germ. *der Mauſe-Dorn*.

Subminiſtrat in officinas *radicem*, quæ apud Veteres majoris fuit commendationis, quàm apud modernos. Apud iſtos enim inter 5. uſitatas radices aperientes majores refertur, & propterea in decoctis pro morbis chronicis, ex lienis & aliorum viſcerum infarctu derivatis, in ſpecie in cachexia, pro alteranda Maſſæ Sanguineæ fermentatione, eſt uſitata; unde *ſyrupum de quinque radicibus* ingrediebatur. Prætereà in urinariis affectibus, iſchuria, ſtranguria & dyſuria, item inciendo moderatè calculo, commendari ſolet; ſed leniter decocta; ſiquidem longam cocturam non fert, cum vis ejus avolet. Præ cæteris tamen valdè laudatur ab autoribus ad curationem ſcrophularum & ſtrumarum, ſi pulvis ad ʒj. ſingulis diebus, matutinis horis, aſſumatur in vino, ſive ſola, ſive miſceatur cum radice ſcrophulariæ aut radice filipendulæ: Nam hæc duo ſimplicia præ reliquis conveniunt in curandis ſtrumis. Videatur etiam SENNERTUS *l.* 2. *Praxeos cap. de Strumis p.* 131. Jam rari eſt uſus.

Dixi, quod conveniat Ruſcus in affectibus urinariis: ad quos etiam revocanda venit gonorrhœa, in quo uſu veniunt Fructus imprimis hujus Ruſci, de quibus in *conſervam* cum ſaccharo redactis, & à ʒij. ad ℥ß. aſſumptis, experientia proſtat, quod valdoperè conveniant in cura gonorrhœæ, in RIVERII *Obſerv.* 47. *communicata à* FOMIO: ad quem uſum ſimiliter commendari ſolet *aqua Ruſci* deſtillata, item *conſerva baccarum ruſci*.

RUTA.

RVta *hortenſis*, quæ nulli non poteſt eſſe cognita, & quidem imprimis *latifolia* ſeu *communis*, officinis ſubminiſtrat *ſummitates*, item *folia cum floribus & ſemine*.

Planta ſatis decantata eſt vi alexipharmacâ, diaphoreticâ & ſudoriferâ contra malignitatem, tàm præſervando à morbis malignis & peſtilentialibus, quàm etiam curando eoſdem, adeò, ut vix proſtet mixtura alexipharmaca & theriacalis, quam non ingrediatur Ruta. Et quidem in præſervanda peſte à multis commendatur, ſi eſitetur matutino tempore cruda, ſicut & KIRCHERUS *in ſcrutinio Peſtis Sect.* 3. *pag.* 328. de MITHRIDATE refert, quod 4. ſimplicia in peſte pro arcanis habuerit; rutam, allium, nuces juglandes, & pimpinellam: & hæc Teſtamento quaſi contra venena reliquit Mithridates. In genere *Ruſticorum Theriaca* vocatur à PALMARIO, qui vires ejus alexipharmacas latiùs expreſſit in *cap.* 18. *de Febribus peſtilentialibus pag.* 462. Tanti uſus eſt ruta in peſte. Singularem antipathiam & inimicitiam geſtare dicitur cum bufonibus & cum ſerpentibus, ut non poſſint ferre præſentiam rutæ; unde dicunt, quod muſtela dimicatura cum ſerpente, rutam manducare ſoleat, & ſe præmunire, teſte MINDERERO *in aloedario p.* 134. Qui plura cupit, videre poteſt ZACUTUM LUSITANUM *l.* 1. *Medic. Princ. hiſtor.* 31. qui multus eſt in decantanda ruta contra venena & epilepſiam. Nam ad affectus epilepticos valdoperè etiam commendari ſolet planta hæc, & eſt una ex uſitatis antepilepticis. Odor eſt ſingularis, nidoroſus nonnihil & graveolentus, ferè ad ſolanorum & narcoticorum odorem accedens; ratione cujus utilis eſt in arcenda libidine, & cum vitice convenit, ſicut & in gonorrhœa, ſatyriaſi, & priapiſmo commendari ſolet. Unde ordinarium eſt Ingrediens *eſſentiarum* & *aquarum caſtitatis* ſive *Mynſichtii*, ſive *D. Michaelis*. Propterea ZECHIUS *Conſ.* 78. & *Conſ.* 16. commendat valdè contra gonorrhœam & priapiſmum hunc pulverem:

℞. *Herb. menthæ* ℥iij.
Sem. lactucæ ℥ij.
Rutæ,
Vitic. ſeu *agni caſti*,
Rad. Ireos Flor. an. ʒj.
Sacch. q. ſ.
M. f. *pulvis*.

Correctiori modo præſcripſit hunc pulverem D. MICHAELIS hoc modo; cujus ſcio experientiam factam in quodam juvene:

℞. *Fol. menthæ*,
Sem. agni caſti,
Rutæ,
Succini,
Oſſis ſep. an. ʒj.
M. f. pulvis.

Cujus doſis à ʒß ad ʒj, imprimis in abundantia quadam ſeminis.

Porrò inter vegetabilia carminantia & anodyna refertur, adeoque reſiſtit flatibus, præſertim in infantibus, eoſque arcet. Veteres certè ad roborandum viſum ſingulariter commendabant, adeò, ut veteres pictores ſemper ad manus habuiſſe dicantur ſolia rutæ, quorum eſu viſum ſuum corroborarunt & conſervarunt.

Externè carbunculis peſtilentialibus applicata, vel ſola, vel cum aliis miſta, malignitatem extrahere ſolet. Aliàs recens contuſa cum fermento, capiti, item plantis pedum, contra cephalalgiam & æſtum febrium malignarum & ardentium, non ſine ſucceſſu applitur; imprimis, ubi metuendæ ſunt agrypniæ, & ſimilia mala; quod & de Raphano dictum. In flatibus infantum additur clyſteribus carminativis. Arcere etiam dicitur ebrietatem, imprimis ſi aliquot ejus folia cum aceto applicantur pulſibus; ſic enim ſolvere ebrietatem, ſunt qui pro experimento habent. Si recipiatur decoctum rutæ cum vino, & hoc diluatur os, ceu expertum commendatur contra cariem dentium, & contra gingivas ſcorbuticas, dum ſimul abſumit vitioſam ſalivam in ore ſcorbuticorum, eamque corrigit. Contra pediculos in induſiis ſtabulantes etiam experimentum proſtat ex ruta, ſi ſcilicet induſium immergatur in ejus decoctum, aliquantiſper coquatur, & denique ſiccetur: ſic enim indutum omnes pediculos arcere dicitur, & quamdiu geſtatur hoc induſium, nunquam generari pediculos creditur. Idem fieri dicitur, ſi induſium vulgariter lotum coquatur in aqua communi cum viridi æris, & ſevo bovino: Videatur STARICIUS, *in dem Heldenſchatze p.* 128. Imprimis ſingularem vim habet ruta præſervandi oculos à variolis; ſæpius enim fit, ut cœcitatem, gurtam ſerenam, vel cataractam, deportent à variolis: ut ergo præmuniantur & præſerventur oculi, appendi ſolet radix rutæ, vel ſola vel cum radice ſcabioſæ, collo; hoc modo enim dicunt præſervari oculos, quò minus à variolis infeſtentur. Videatur LIPSIUS *in eleganti Tract. de Variolis*. In ſcriptis LOTICHII *l.* 1. *obſervat. pag* 99. hoc commendatur amuletum, ut præſerventur oculi à variolis:

℞. *Rad. rutæ*,
Solani,
Scabioſ. an. ʒjß.

Inciſa ſuſpendantur in *ſerico rubro* cum filo duplici.

Item, quæcunque partes fricentur cum ruta recenti & viridi, dicuntur manere immunes à variolis.

Acetum de ruta meritò inter Bezoardica refertur. De hoc aceto admodum ſalutari & uſitato in præſervanda peſte Romana & Neapolitana periculoſiſſima poſſumus videre KIRCHERUM *loco allegato p.* 370. qui habet *acetum compoſitum* ex ſpeciebus vulgaribus, ſed valdè uſitatis in peſte; nimirum Recipit acetum exquiſitiſſimum, rutam, pimpinellam, betonicam, nuces juglandes, allium, baccas juniperi; quibus additur, ſi ſuppetit, tantillum camphoræ. Doſis eſt ad cochleare unum pro præſervatione ad diem j. Laudatur etiam in vulneribus, à beſtiis venenatis inflictis. *Succus rutæ* permiſceri poteſt medicamentis peſti curandæ deſtinatis. Ad coroborandum viſum fieri ſolent Electuaria ex ſuccis rutæ & fœniculi, cum melle miſtis. Succus hic gargariſatus vel extrinſecùs circumdatus collo, præſervat, ne poſſint variolæ occupare collum, ubi aliàs res eſt periculi plena; quod mihi communicatum fuit ab amico, qui habet hujus rei experientiam.

Extractum rutæ epilepſiæ infantum externè applicatum egregiè confert.

Oleum rutaceum inter linimenta carminantia anticolica primatum ferè obtinet; unde, uti oleum rutaceum, ita etiam mel rutaceum, ſolet miſceri cum clyſteribus carminantibus & anticolicis, propter vim reſiſtendi flatibus, quæ eſt in ruta.

Nam *oleum* ejus *deſtillatum* in doloribus colicis ac morbis flatulentis, aliſque torminibus ventris, imprimis, ubi ſimul metus adeſt epilepſiæ, optimo cum ſucceſſu propinatur, vel clyſteribus carminativis addendo, vel umbilico illinendo; valdoperè enim ſe commendat in arcenda epilepſia infantum: ſicut & linguæ applicatum in adultorum epilepſia & apoplexia conducit.

Item ex hoc oleo deſtillato cum oleo nuciſtæ & camphoræ fit *balſamus* præſervativus in peſte, quo inunguntur tempora & nares. *Aqua rutæ* deſtillata expertum ophthalmicum eſt, & in collyriis commendari ſolet ad viſum acuendum, & nebulas diſcutiendas; ſicut etiam in inflammationibus oculorum feliciter adhibetur.

Per incinerationem copioſum ſuggerit *ſal fixum*.

Addatur his quoque *ſal volatile rutæ*, quod ex ſemine per retortam deſtillando elicitur. Conferatur WEDELIUS *in ſua Pharm. pag* 154.

RUTA

RUTA MURARIA.

Ruta muraria eſt *ſpecies* quædam *Adianthi* ſeu *capilli Veneris*. Dicitur ita, quoniam creſcit in muris & parietibus antiquis calce incruſtatis, item in locis ſaxoſis. Eſt egregia & elegans, virens perpetuò.

Integra herbula aſſumitur, & de ea, quæ dicit AUTOR, videri poſſunt. Planta capillaris eſt, impragnata ſale nitroſo volatili; unde propter hanc ejus texturam in morbis chronicis quamplurimis, & in ſpecie in ſcorbuto, cachexia &c. optimum eſt. Hinc Belgici milites, extremè ſcorbuto laborantes ex aſſumpta impura aqua, nullo alio medicamento curari potuerunt, quàm decocto rutæ murariæ adhibito, utut planta exigua ſit. Id quod experimentum fuit B. D. MICHAELIS, qui non ſatis potuit commendare contra ſcorbutum hanc ipſam propriâ experientiâ, & retulit, quod in arce Pirnenſi, à militibus Suecis obſeſſa, omnes ferè milites propter pravam diætam, aerisque liberi defectum fuerint affecti ſcorbuto, & convulſivis contracturis ſcorbuticis; ſed hujus rutæ murariæ uſu perfectè curati. Denique ſanguinis maſſam à ſalibus recrementoſis mirè purgat, & in hoc puncto aliis palmam præripit. Reliqua habet AUTOR noſter.

S.

SABINA.

Sabina ita dicitur, quod Sabinis frequenti ſit in uſu. Duplex eſt: vel *foliis tamariſci*, vel foliis *cupreſſi*. Arbor eſt baccifera, quæ accedit ad genera abietum, foliis tamen exiguis quadrangularibus.

Vis hujus conſiſtit in oleoſitate volatili acri: eſt enim amaricans, acris, pinguis, & perquàm oleoſa, balſamicum quid in ſe continens, & propterea perpetuâ fronde viret.

Subminiſtrat præprimis *folia* pro *uſu Medico*, qui eſt tam internus, quàm externus.

Internè inter remedia ſplenetica, & hinc inter Emmenagoga, non ultimum obtinet locum. Porrò vi pollet vulnerariâ internâ, præprimis in purificandis vulneribus fœtidis, & ulceribus ſinuoſis, ubi ſcopus eſt partes heterogeneas & varia impedimenta, e. g. globulos injectos, oſſicula, fruſta veſtimentorum, lignorum, vel alia exotica, è vulnere educendi, mireque accelerat vulnerum conſolidationem. In his caſibus internè optimè ſabina vel ſub pulveris forma, aut ſolitariè, aut cum lapillis cancrorum, (quippe qui melius ſunt, quàm ſi cum ſanguine draconis miſceantur) vel ſub forma decocti cum aliis vulnerariis propinatur, ita, ut ſabinæ ſit pars una & reliquorum vulnerariorum p. vj. Sed cum circumſpectione eſt uſurpanda, quoniam eſt admodum acris. Conferatur de his felix ille Chirurgus FELIX WURZIUS *in ſua Chirurgia p.* 663. Nam quæ habet AGRICOLA, ex WURZIO exſcripſit. A Paracelſo exinde laudatur contra vulnera & fœtida, in quibus ſimul vermes generantur. Inter Emmenagoga, abortum, ſecundinas ac molam ejicientia, ac lochia ſtimulantia, herba ſabinæ ex omnibus plantis eſt decantatiſſima mulierculis, & iis, quæ volunt eſſe virgines; fortiter enim pellit menſes & fœtum, ſive vivat ſive ſit mortuus, ſi decoquatur in vino, vel ſola vel cum artemiſia, vel quacunque alia ratione uſurpetur. Caveant ergo ſabinam gravidæ, quoniam fœtum ſolet interimere, & periculoſiſſima eſt enecare fœtum ſine periculo matris.

Denique *externè* uſurpata egregia eſt contra lumbricos, & in ſpecie pro enecando verme umbilicali, cujus præſentiâ infantes planè marceſcunt, & tandem tabidi fiunt. Modus uſurpandi hic eſt:

♃. *Cort. nucis jugland. dimidiam (eine Nußſchale.)*

Impleatur cum *pulvere ſabinæ* vel ſolo, vel cum *pulvere vitri Veneti* miſto, & umbilico ſuperimponantur; hinc fit ut melle alliciatur, pulveribus verò brevi poſt enecetur vermis.

Videre poteſtis hac de re egregiè agentem SENNERTUM *lib.* 3. *Prax. p.* 10. *c.* 4. *pag.* 984. *& ſequentibus*. Hoc quod habetis in SENNERTO, expertum eſt à D. MICHAELIS ad curandum vermem umbilicalem infantum, qui vermem digiti longitudine extraxit.

Signum autem hujus vermis præſentis eſt; ſi fundulus vivus applicetur umbilico circa noctem; altero manè, ſi adeſt vermis, piſcis reperitur in latere ſemicorroſus, & ferè exeſus: cui experimento certo fidendum. Caſus quidem eſt rarus; ſed benè obſervandus. In Odontalgia, quæ à vermibus oritur, ſuffitus ejus egregius eſt.

Superiùs quoque dixi, quod folia mori rubi conveniant in ulceribus tibiarum: id quod non minus verum eſt de ſabina, quæ ſabina in vino decocta pro lotione pedis adhibita, ulcera pedum antiqua & dyſepulotica curat, extrahendo imprimis vermes, & alias res inconſpicuas, teſte SCHMUCKIO *Theſauro Medico* 1. *Secret.* 8. Aliàs in ulceribus fiſtuloſis & cancroſis vino incoquitur cum nicotiana pro purificatione illorum.

Solus etiam *ſuccus Sabinæ* cum melle miſtus, ſub forma linimenti applicatus, pro ulcerum tibiarum, aliorumque mundificatione & curatione eſt accommodatiſſimus: ſi cum ſucco perſicariæ miſceatur, citiùs curabuntur.

Aliàs *Raſura ligni Sabinæ* lienis vitia corrigit, vel ſola, vel cũ raſura ligni fraxini vel tamariſci conjuncta, & in forma liquida propinata. Proſtant *Pilulæ de Sabina Mynſichti*, compoſitæ cum aliis egregiis ſpeciebus, quas commendat contra menſium obſtructionem.

Concentrata Sabinæ vis in *Oleò deſtillato* reperitur, quod potentiſſimum & elegantiſſimum ad fortiter pellendos menſes, fœtum ac lochia promovenda remedium, ſi guttæ quædam adhibentur in appropriato vehiculo. Hinc *oleum Sabinæ crocinum*, *Mynſichti* vocatum, efficaciſſimè fœtum & lochia & menſes pellit, modo corpus ita diſpoſitum, ut fluere queant menſes. Cæterùm, quoniam ſunt violentæ pilulæ & oleum hoc, non ſunt adhibendæ, niſi in caſibus quaſi contumaciſſimis & deſperatis, quia remedia nimis ſunt fortia. Præterea in odontalgia à vermiculis, imprimis intra alveolos dentium hoſpitantibus exorta, oleum ejus commendatur.

Extractum cum ſpiritu appropriato paratum ſpeciatim in menſibus fortiter pellendis, & fœtu ac lochiis promovendis, aliisque affectibus uterinis ſimiliter ſolet eſſe in uſu.

SALIX.

Salix, utut ſit varia, nihilominus *folia ſalicis communis*, *quæ ubique creſcit propè rivos*, contra libidinem, imprimis muliebrem arcendam, uſitata ſunt: ad quam decoctum horum cum vino egregiè valet, uti habet AUTOR. Imo per ſalicem non ſaltem imminuitur appetitus muliercularum, ſed ſe poſſunt illâ reddere omnino ſteriles, jejuno ventriculo aliquoties potum. Sic contra furorem uterinum, item contra nimiam ſalacitatem mulierum, prodeſt, ſi primo vere ex ſalicis ſurculis tenellis ſauciatis *aqua* ſeu *ſuccus* colligatur, & dein cum pane in placentulas formetur, ac mulieribus propinetur, ſic melius coercetur libido, ut nunquam amplius æſtiment res venereas, & ſteriles reddantur. His placentulis etiam pulvis julorum ſalicis poteſt addi.

Aliàs internè rari ùſus ſunt remedia ex ſalice, ſed potius *externè Cortices ſalicis*, uti & *folia*, valdè decantata ſunt in balneis contra infantium ariduras atque tabem, ſi ſit imprimis ex veneficio ſeu faſcino, ſi tali balneo laventur infantes, uti perhibet GABELCHOVERUS *Cent.* 4. *Curat.* 16. quod confirmat etiam HARTMANNUS *in Praxi Chymiatrica p.* 64. *§.* 6. Item in pediluviis adultorum folia ſalicis admiſcentur reliquis, ad inducendum ſomnum & arcendas vigilias: Unde etiam *Bartholetus in Encyclopædia p.* 204. *oleum ſalicis* per coctionem paratum, & temporibus illitum, commendat tanquam elegans hypnoticum pro arcenda ἀγρυπνίᾳ.

Fungum ſalicis exſiccatum & pulveriſatum ceu ſingulare ſecretum contra phthiſin quidam commendant.

SALVIA.

Salvia ita dicta eſt, quod ad fœcunditatem ſalubris ſit, Græc. ἐλελίσφακον. Eſt planta aromatica, oleoſa, elegans, nobiſque ſatis cognita, vel *major* vel *minor*, item *auriculata*, *flore cœruleo*, *albo*, *& purpureo*. *Salvia* quoque datur *aurea*, ut & *floribus atropurpureis*. Imprimis intelligenda venit ea, quæ eſt *hortenſis* & *odorifera*: quò magis enim eſt odorifera, eò magis eſt aromatica, analeptica, caloris incitativa, ſtomachica, & cephalica ſeu nervina.

Vis ejus conſiſtit in particulis ſalinis volatilibus oleoſis & acribus; quæ in oleo ejus deſtillato concentrata magis eſt: hinc *folia* & *flores* in affectibus ligamentorum, nervorum, ac tendinum, adeoque in morbis, ut vocant, capitis frigidis, vertigine ex conſenſu ſtomachi, apoplexia, tremore artuum, paralyſi, lethargo &c. nulli ferè cedit, ubi infuſum in vino hauſtum optimum eſt remedium. Mirè quoque in epilepſia convenit, ſicut Monachum quendam epilepticum integrè reſtituit ſolo uſu vini ſalviati, ſeu cui infuſa fuit ſalvia, RULANDUS. Videatur AUTOR, & GABELCHOVERUS *C.* 2. *cur.* 39. qui multa habet de virtutibus ſalviæ in affectibus ſimilibus. Vix eſt *Eſſentia* vel *ſpiritus apoplecticus*, aut *liquor cephalicus*, quem non ingrediatur hæc ſalvia, adeoque texturâ ſuâ oleoſâ volatili partibus nerveis in robore conſervandis, & acido iſtis inimico temperando, eſt ſalvia egregia. Præterea mulieribus utero, utpote corpori nervoſo, ejuſque inflammatione dolentibus, ſalvia internè & externè adhibetur; in ſpecie convenit in morbis cachecticis, febre alba, ſeu leucophlegmatia, ex conſenſu uteri in mulierculis ortis. Itidem commendatur contra ſterilitatem mulierum, non ſecus ac ros marinus. Salviã auriculatam in phthiſi cum Saccharo comedunt. STROBELBERGERUS *Tr. de Febribus p.* 30. inter Febrifuga reponit Salviam recentem, &, ut eò ſucculentior fiat, cum aceto conſpergit, ſuccumque inde expreſſum ad cochlearia ij. cum aqua appropriata ante paroxyſmum exhibet, deambulando poſt ejus aſſumptionem. Idem ex RONDELETIO commendat ſalviam, per noctem in vino albo maceratam in Quartana.

Externè pariter in vertigine, apoplexia, paralyſi, ſimilibuſque ſic dictis morbis frigidis, nobiliſſima eſt.

In Scorbuto oris commendatiſſima eſt ſalvia, ſive ſucci ſalviæ & cochleariæ uſurpentur, ſive his duobus ſub forma decocti gargariſentur gingivæ tumentes, doloroſæ & ulceroſæ, teſte LINDANO

in Collegio super Hartmannum, qui decocto hoc in Belgio quosdam feliciter curavit: Aphthas etiam oris abstergit, si decoquatur in aqua ferrariorum.

Oleum salviæ gratum admodum est partibus nervosis.

Essentia ex salvia, seu Elixyr & cum spiritu proprio paratum, in tremore, vertigine, & paralysi, est egregium medicamentum, sicut etiam est elegans præservativum senum contra vertiginem & apoplexiam.

Spiritum vitæ salviatum, item *aquam epilepticam salviatam* describit THEODATUS *in Panth. Hygiastico.*

Sunt, inter quos est PARÆUS *in Chirurgia*, qui suspectam reddunt salviam ex eo, quod bufones ob singularem sympathiam sæpius circa eandem reperiantur, & eâ delectentur, quibus dein salvia infecta usurpantes interimat, vel saltem truculenta symptomata inducat; de quo conferatur DORINGIUS *in Tr. de Opin. p.* 122. & 126. HOFMANNUS *in Clave p.* 538. & MEIERUS *in selectis Med. p.* 74. ubi exemplum habet de duobus desponsatis, ex esu salviæ mortuis. Sed fabulosum hoc existimo; cùm potius verrucæ in radicibus repræsentent bufones. Nec quicquam juvat KIRCHERUM, salviæ hujusque scabiosæ superficiei per microscopium inspectio, quam habet *in scrutinio Pestis cap.* 7. *Experim.* 3. *p.* 71. & 72. Ubi rejicit causam in vermiculos, qui salviam incrustent, & dicit; quod crusta illa sit congeries copiosissimorum vermiculorum, & ab his oriantur illa nocumenta, non verò à bufone; hæc ipsa enim phænomena, ex naturali salviæ textura oriunda, explicata videbitis ab HOOCKIO *in Micographia p.* 142. Signum quidem salviæ à bufonibus infectæ subministrare conatur DORINGIUS, inquiens: notum esse, quod folia sint quasi carbunculata, quodque tota planta sit retorrida & languidula, & quasi sphacelo correpta. Sed nugæ sunt. Hoc certum est, quod folia à rore aereo, ærugine corripi, & symptomata truculenta nobis inducere possint. Ærugo enim in plantis nihil aliud est, quàm gangræna in hominibus: quando nempè salia sylvestria, ex pruina aliisque malignis halitibus, plantis affixa, causantur ejusmodi fermentationem & spirituum dissipationem, unde ærugine illâ animalium pestis seu strages oritur.

SAMBUCUS.

Sambucus arbor est, quæ ita dicitur à *Sambuca*, specie quadam instrumenti Musici, autore SAMBICE inventa, Germanis *Hollunder*, à surculis seu fistulis minus ligneis, sed medullâ potius repletis. Variæ hujus dantur species. Nobis in promptu est:

1. *Sambucus foliis laciniatis*, quæ rarior.
2. *Sambucus aquatica, flore simplici*, ita dicta à loco natali.
3. *Sambucus aquatica, flore roseo.*
4. *Græcorum ἀκτῆ* seu *Ebulus*, qui dicitur *Sambucus humilis*, de quo *supra suo loco* dixi. *Sambucus* nempè est *Ebulus erectus & magnus*; *Ebulus* verò est *Sambucus humilis* in terra quasi repens, quæ in figura & virtutibus multum cum Sambuco convenire solet, utut magis universalis & catholica sit virtus Sambuci, quàm Ebuli.
5. Denique *Sambucus vulgaris*, quæ ex his omnibus speciebus tantum est in usu.

Sambucus Aquatica baccas rubras fert, & stypticæ virtutis esse videtur: Rosea nullius adhuc est usus.

Vulgaris reperitur triplicis generis; cum *baccis rubris*, *nigris*, & *albis*: sed *Sambucus vulgaris baccis nigris* hìc intelligitur quod sit in usu, de quo elegantem *Tractatum*, in quo multa reperiuntur curiosa, conscripsit BLOCHWIZIUS, quem intitulavit: Anatomia Sambuci.

Integrum in hoc Sambuco vulgari rusticorum continetur pharmacopolium: *Vomitorium* si expetunt, depromunt id ex *julis* seu *locustis* concisis & comestis; sic ἄνω & κάτω evacuant: quod si *potentius* desiderant, recipiunt *oleum ex arillis* baccarum expressum: Quod si *Catharticum* seu *purgans* aliquod expetunt, *cortex medianus viridis*, qui scilicet griseum sequitur, se offert: hic vino infusus, ac bene maceratus, fortiter solet purgare, imprimis aquas Hydropicorum; hinc à FREITAGIO *in Aurora* sua *Medica* inter Hydragoga recensetur: Porrò si desiderant *Diureticum*, *Medulla ligni* minutim concisa, & vino infusa, potenter urinam movere dicitur: Si *Diaphoreticum*, *Rob baccarum* præsto est: Quod si porrò expectatur εὐπόριστον contra *passiones hystericas*, *tinctura granorum Actes*, vel potius *Essentia rob sambuci* cum spiritu baccarum per fermentationem parata, egregium est remedium: Pro *augmentando lacte Flores sambuci* in lacte vaccino, addito parum sacchari, coctos, prodesse sæpius expertum fuit. Externè in *podagra calida* & phlogosibus erysipelaceis *Cortex medianus viridiusculus* præstans est remedium &c.

Quod attinet *vires sambuci*, de distinctis ejus partibus distinctè quoque erit loquendum. Et quidem primo loco *Flores Sambuci* se offerunt, qui saporem subacrem, visciditate tenui involutum, moleculisque sub pinguibus contemparatum habent. Usurpantur internè & externè; Internè vi sudoriferâ ut & alexipharmacâ, præditi sunt; unde Decoctum florum Sambuci in lacte aut sero lactis paratum, pro sudore ciendo est elegans in erysipelate præservando, singulis Lunæ decrementis haustum: Videatur SOLENANDER & SIMON PAULI. Quod decoctum non vulgariter etiam convenit in scorbuto, & præter vim diaphoreticam moderatam habet vim laxandi. Non purgant nisi in lacte aut ejus sero cocti, & tunc obtinent vim moderatè evacuativam: Lac quoque mirè augent nutricibus, mediante quo etiam infantibus purpurâ laborantibus conducunt, si vel aridorum vel viridium Mj. in lactis ℔j. coquantur, addito parum sacchari, & decoctum usurpetur; sed non nimis diu flores hi ebulliant, aliàs utrique levem diarrhœam cient.

Externè verò antierysipelacei sunt; sicuti tota sambucus excellens est remedium in Erysipelate, & parti erysipelate affectæ applicantur in aqua calcis vivæ cocti; quod decoctum applicatum est egregium remedium, & nõ metuendum hìc mulierum effatum, non esse humectandam rosam. Qui verò metuunt periculum, vel cum spiritu vini irroratos, vel solos pulverisatos applicant, vel recipiunt pulverem florum sambuci, & cum farina hordei, cerussa & creta inspergunt erysipelati, quod discutere & mitigare solet: additur etiam saccharum saturni, olibanum, & myrrha, & est magis conveniens, qualem pulverem descriptum videbitis in MYNSICHTIO, cujus basin flores sambuci constituunt. Horum Decoctum in sero lactis vaccini mammis applicatum commendatur ad augendum lac nutricibus. Quin & vi egregiè anodynâ & discussivâ commendatissimi sunt externè in doloribus & tumoribus partium, ubi discussione quadam aut resolutione opus est. Unde cum vino vel aqua eorundem, capiti circumligati prosunt in cephalalgia, deliriis & vigiliis, somnumque moderatum conciliant: sicut & in doloribus partium vagis scorbuticis in lacte cocti optimè conducunt; unde inter cataplasmata etiam appropriatissima arthritica primatum ferè obtinent, & multa præstant. Multi pariter sunt usus in tumoribus emolliendis & maturandis.

Aqua florum sambuci est diaphoretica; unde in variolis & morbillis, aliisque febribus malignis quotidiè inservit pro vehiculo pulverum bezoardicorum. Externè est anodyna; unde quidam in ambustis comendant mucilaginem seminis cydoniorum, extractam cum aqua sambuci, in qua aliquot grana camphoræ fuerunt dissoluta, & mira facit.

Spiritus per fermentationem paratus est egregiè sudoriferus, & in Erysipelate multi usus.

Ex floribus recentibus tandem *Conditum* paratum nauseosum est.

Baccæ sunt polychrestæ; sed crudè non adhibentur. Per fermentationem dant spiritum inflammabilem, qui aliqualiter est sudoriferus. Expressæ verò dant succum, in *Rob* istud usitatissimum inspissandum, quod quasi nectar est senum, & totam massam sanguineam purificat; hinc in purpura, febribus petechialibus, expellendo maculas, & in erysipelate, cum cornu cervi sine igne, aut cum ebore sine igne, aut aliis pulveribus appropriatis sociatum, egregiè sudorem movet: e. g.

℞. *Rob sambuci* ℥j.
C. C. sine igne ℈j.
Specif. cephal. vel *Cinnab. antimonij*, vel *antimonij diaphor.* vel *Bezoard. miner.* ℈ß. vel gr. xij.
Cum *Syr. card. bened.* f. *Bolus.*

Vel

℞. *Rob Sambuci* ʒij. vel ʒiij. ad ℥ß.
C. C. usti præp. ℈j. ad ʒß. M.

Est *Bolus Sudoriferus* usitatissimus.

Nempe C. C. ustum non saltem imbibit Acida vitiosa primarum viarum, sed etiam Acidum rob occultum simul corrigit; unde partes salinæ volatiles oleosæ potentissimè sudorem movent. Euporiston hoc est egregium in erysipelate, & affectibus inde natis, per sudorem curandis.

Potest etiam Rob Sambuci cum cornu cervi sine igne in erysipelate cum febre ardente conjuncta adhiberi, cum aceto florum sambuci, vel aqua appropriata solutum, & sic pro usu alexipharmaco & sudorifero egregium exhibet remedium; quod etiam præstat in pleuritide & angina, vel solitariè, vel cum pulveribus animalium absorbentibus sociatum.

Externè hoc Rob contra ambustiones usurpatur, dissolvendo cum spiritu vini, & locis ambustis apponendo.

Ex hoc ipso Rob elicitur *Essentia Rob Sambuci* cum spiritu vini: Melior tamen est, quæ fit cum spiritu proprio, vel florum sambuci, aut utroque conjuncto: nam spiritus vini est admodum vulgaris. Hæc à ʒj. ad ij. vel iij. sudoriferum optimum est in passionibus hystericis, horum paroxysmis per sudorem finiendis, in erysipelate & similibus, & fuit euporiston D. D. MICHAELIS: sicut etiam externè illita resolvit tumorem, & ardorem pellit.

Imò & ex baccis nigris exsiccatis contusis per infusionem cum spiritu vini, vel, quod melius est, cum spiritu proprio, vel florum sambuci per fermentationem, paratur *Essentia*, quæ etiam dicitur *Tinctura granorum actes*, & dosi cochlearis ß vel & ulterius, contra erysipelata, & passiones hystericas egregium est remedium, expectando sudorem: Conferatur HARTMANNUS *Praxi Chymiatr.* item BARTHOLINUS *Observat. Anatomicis*. In forma verò Extracti potest assumi à ℈j. ad ʒß. Unde facilè potest fieri *Essentia uterina composita* ex castoreo, asa fœtida, & similibus: quæ omnia dant *Essentiam compositam*. Et sic etiam fieri possunt *Pilulæ in suffocatione uterina* usitatæ, si recipiatur Extractum paratum ex Essentia granorum actes,

actes, & fiant pilulæ, addito pulvere caſtorei, ſuccino albo præparato, pulvere myrrhæ, & aliquot granis camphoræ, & in paroxyſmo ſuffocationis uterinæ adduntur aliquot grana laudani opiati.

Succus harum *baccarum* recens convenit in dyſenteria, unde ex hoc, & farina ſecalina *Tragea granorum actes* paratur, cujus modum habet AUTOR, & in dyſenteriis ac fluxibus alvi quibuſcunque excellens eſt ſpecificum ad ℨj. vel ℨij. ſumpta, uti videre eſt in omnibus Autoribus, qui de dyſenteria ſcripſerunt. Pulvis hic, præter præparationem, quam habet AUTOR, magis appropriari poteſt, ſi ſcilicet iſtæ paſtæ, ubi tertiâ vice fuit pulveriſata, addantur *ſangu. leporini rec. crudi, certo modo collecti*, ℥iv.

Pulv. priapi cervi ℥iß.

Succ. baccar. ſambuc. rec. q. ſ.

Fiat Maſſa, & quartâ vice in clibano coquatur, pulveriſetur &c.

Hæc Tragea eſt expertiſſima in dyſenteria, & deinde in pleuritide.

Ex harum *baccarum arillis* ſeu *ſeminibus* denique exprimitur *Oleum*, quod aliquot guttularum doſi, aut ad ſummum ℨß. doſi, in cerevyſia tepida datum, egregium eſt vomitivum & laxativum, efficax ſatis, & valdè commendatur poſt aſſumptionem philtrorum projiciendorum per vomitum. Præterea ſummè anodynum eſt, & expellit flatus.

Sequitur *Cortex medianus* ſeu *liber* ex flavo virideſcens, qui ſcilicet griſeum ſequitur, qui purgat egregiè aquas & ſeroſitates hydropicas, (à quibus in hydrope & ſcorbuto ſcabies producitur, ſicut & ſimplex ſerum ſanguini permiſtum hoc facit,) doſi ℥ß. vino recens infuſus ac benè maceratus vel ſolus, vel cum aliis, quod bibitur. FORESTUS *l.* 19 *Obſ.* 37. refert, quod hic cortex pro varietate collectionis nunc ſurſum nunc deorſum ſoleat evacuare ac purgare; quod etiam de aſaro dici poteſt. Fuit aliquando quidam, qui vermes multos è corpore eduxit hoc medicamento: accepit ovum, cui incubuit gallina per decem dies: hoc in urceolo calcinavit, & in pulverem redegit, cum admiſtione pulveris horum corticum, affudit lac caprinum, deditque patienti loco potus, ſicuti refert HILDESHEIM. *in Spicileg.* 2. *p.* 189.

Externè eaſdem vires obtinet, quas flores. Eryſipelati recens tepidus impoſitus, hoc diſcutere & mitigare ſolet. Specificus tanquam eſt contra ambuſtiones, ſi recens coquatur in oleo veteri vel lini, addendo ſuccum expreſſum corticis ad imprægnationem olei, poſtque exprimatur. Egregia aliàs unguenta fiunt ex tali cortice contra ambuſtiones, qualium compoſitiones aliquot videbitis in SENNERTO *l.* 5. Prax. *ubi de ambuſtis.*

Succus expreſſus ex hoc *cortice* ad ℥j. vel ℥iß. in appropriato vehiculo ſolet ſpecificè evacuare hydropicos, & in quibus abundat ſerum & lympha.

Syrupi ex eodem præparati habent eandem vim laxativam.

Gemmę cum julis ſeu *turionibus* eandem cum corticibus mirabilem per vomitus & ſeceſſus purgandi habent potentiam, recentes inciſi, & in acetariis cum aceto nonnihil bulliti, & cum oleo uſurpati: pro ſcopo purgandi calculoſos commendat PARACELSUS, & quidem præcipuè è turionibus. AGRICOLA vult, ſummitates ſurſum decerptas vomitum, deorſum ſeceſſum excitare; promiſcuè decerptas ſurſum & deorſum non ſine impetu purgare: quod etiam *ſuprà de cortice* dixi.

Spongiæ ſambuci, ſeu *Auriculę Judę*, Germ. *die Hollunder Schwamme*, ſequuntur. Hæ infuſæ in vino vel aqua appropriata fortiter alvum laxant, & hydropicorum aquas miro modo pellunt, uti refert SIMON PAULI, quamvis pro hoc ſcopo rariùs uſurpentur. Spongiæ aridæ ſi infundantur in aqua cyani & calcatrippæ, optimum dant Ophthalmicum in inflammationibus & aliis affectibus oculorum, uti dicit AUTOR. Magis tamen appropriata eſt infuſio ſpongiarum in affectibus faucium, tumoribus gutturis & angina, in quibus ſunt appropriatiſſimum quoddam remedium. Macerantur in aceto, & hoc acetum adhibetur in gutturis tumore ad gargariſandum. Hæ ſpongiæ ſunt parvæ admodum, ſed tamen infuſæ in liquorem appropriatum, mirum, quantum intumeſcunt, & ſic quaſi per ſignaturam tumorem gutturis referre dicuntur; & idem liquor in tumoribus gutturis intus foriſque nondum ſatis laudatum eſt remedium. Videatur de hoc WORMIUS *in Muſæo pag.* 138. & in his faucium affectibus præſentiſſimum auxilium eſſe ab illis, dicit FREITAGIUS, & omnes Autores. In aphthis infantum in aqua ſalviæ vel lacte infuſæ, egregium dant remedium. In infantum batracho ſeu ranula & angina à GRUNLINGIO laudantur, ſi infunduntur in potum puerorum; item in linguæ inflammationibus, & ſimilibus affectibus, in febribus etiam obvenientibus: In tali enim caſu decoctum harum ſpongiarum quantum profit, videbitis in *Operibus* ANGELI SALÆ *in App. p.* 834.

Medulla, quæ in medio teneriorum ſurculorum ligno eſt incluſa, minutim inciſa & deglutita, vel infuſa, mirè commendatur in cienda urina, & expellendo ſabulo & calculo. Ab hydrope & nephritide beneficio hujus nonnullos fuiſſe curatos teſtatur BLOGHWIZIUS *loco allegato p.* 212.

Picę aliàs mirè delectantur baccis, & copioſè deglutiunt eas; quando autem grana per alvum reddunt, & in ſalice ſedentes in locum vacuum aut terrâ miſtum excrementa deponunt, tunc ſambucus ex ſalice creſcit, quod tanquam amuletum ſecretum laudatur contra epilepſiam. Applicandi geſtandique modum docet optimè HARTMANNUS *in Praxi* ſua *Chymiatrica*, ubi *de Epilepſia pag.* 88. & hoc Amuletum valdoperè commendat THOMAS BARTHOLINUS *C.* 5. *Obſ* 69. item *Cent.* 3. *epiſt.* 79. *p.* 342. qui meretur, ut legatur, & SIMON PAULI *Quadrip. Botan. Claſſ.* 2. *p.* 140. Rationem tranſplantariam virtutis amuleticæ in hoc Sambuco dat TENZELIUS *in Medic. diaſtatica p.* 179. STARICIUS *in dem Heldenſchatz pag.* 29. valdè commendat eam ſambucum, quæ in ſalice creverit ex paſſeris epileptici cadavere; quod an interdum eveniat? profectò neſcio.

Radix pollet vi purgandi hydropicorum aquas.

SANGVISORBA.

OFfert ſe jam *Pimpinella ſanguiſorba major*, & *minor lævis* ſeu *Italica*; datur enim etiam *hirſuta*, item *Italica ſpinoſa*. Dicitur ita, quod quaſi ſorbeat ſanguinem atque abſumat; Germanis *Bluts Tropfflein*, à forma floris & capſularum ſeminalium: idque uſus quoque pharmaceυticus confirmavit. Planta eſt tetrapetala foliis pinnatis, ubique proveniens in pratis, & ita ob capitula rubra dicitur.

Superiùs dixi, quod non debeat fieri confuſio inter Pimpinellam ſaxifragam, & ſanguiſorbam, de qua hìc locorum agimus; & hæ ſpecies nonnunquam, non ſine detrimento tamen, confunduntur.

In *uſu* officinali eſt *tota herba cum radice*.

Hæc, ejusque *folia*, imprimis juniora, ſingularem & egregiam vim obtinent purificandi ſanguinem; Unde ſolet commendari in acetariis propter vim reparandi depravatam ſanguinis fermentationem: Videatur IORDANUS, ubi tractat *de Peſte lib.* 3. *cap.* 3. Aliàs in quibuſvis hæmorrhagiis, in ſpecie dyſenteria, Decoctum ejus in vino imprimis, vel alio appropriato liquore, item pulvis ejus paulo rudior, ita, ut propinari queat, multum laudatur; ſicut ad dyſenteriam curandam commendat RIVERIUS, tàm *in praxi*, quàm *in Obſervationibus*: idque non ſine ratione; egregiè enim adſtringit hæc ſanguiſorba. Hinc in aliis quoque hæmorrhagiis, v. g. hæmorrhoidum fluxibus, &c. decoctum hujus pimpinellæ juxta millefolium adhibitum eoſdem diu ſuppreſſos retinuit. Uno verbo: in his duobus planta hæc maximè excellit; in difficultate nempè inteſtinorum, & nimio hæmorrhoidum & menſium fluxu, tam externè, quàm internè, Decoctum ejus in potu ordinario, & frequentiùs bibitum. Aliàs eſt vulneraria; & interno uſu in potionibus vulnerariis creberrimè adhibetur. Denique hujus quoque ſanguiſorbæ folia vino ad ſuavem odorem conciliandum immitti ſolent.

Externè folia contuſa vulneribus recentibus applicata ſanguinem cohibent; imo in manibus contenta ſolùm hæmorrhagiam narium ſedare dicitur: id quod ex ſignatura quidam probare volunt, dum capitulum floridum guttam ſanguinis refert.

Radix ſanguiſorbæ pro uſu ſtomachico optima eſt.

SANICULA.

SAnicularum *quàmplurimę* dantur *ſpecies*. Nobis in promptu eſt *mas* & *fœmina Fuchſii*. *Mas* aliàs etiam dicitur *Diapenſia Matthioli*, item *Sanicula quinquefolia*, quæ inter omnes ſanicularum ſpecies in uſum Medicum adhibetur; *fœmina* verò *Imperatoria nigra*, item *Echinopolium* ſeu *Aſtrantia*; falsò verò *Helleborus niger Hippocratis*.

Vulgò confundi ſolent mas & fœmina, viribus verò conſpirant, quamvis præferatur mas in uſu vulnerario, à quo, nempè à ſanando, id nominis quoque acquiſivit, quod ſanet & conſolidet vulnera & ulcera quarumvis partium uſu interno & externo. Hinc non tantum internè Potiones vulnerarias, Infuſa & Decocta, ſed & externè Emplaſtra ingreditur. Cum Pyrola ſi miſcetur, egregium habet uſum. Cæterum optimam methodum componendi potiones & Decocta vulneraria poteſtis videre apud FELICEM WURZIUM *in Chirurgia p.* 663. A modernis adhibetur ad Balſama, & ad Decocta pro eluendis ulceribus fiſtuloſis, ſinuoſis, antiquis, deſtinata (nam apud Veteres nihil proſtat de hac plantula) rariùs tamen externè uſurpatur.

Præter Saniculam, Marem & Fœminam, præſto etiam eſt

SANICULA MONTANA PEREGRINA,

VULGO,

CORTUSA SPICATA AMERICANA

FLORE HERBACEO

RUBINI.

HÆc, cum ſit exotica, nec uſus ejus innotuerit, non adhibetur in Medicina.

SAN-

SANTALUM LIGNUM.

Ligni Santali tres habemus *differentias* in Officinis: *Album*, *Citrinum*, ac *Rubrum*. *Superius* mentionem feci *Santali cærulei*, quod est *lignum nephriticum* exoticum. Hâc vice de tribus speciebus, quæ sunt etiam exoticæ, & ex Indiis ad nos adportantur. Usitatissimum est citrinum, & hinc rubrum.

Vulgò dicitur, quod sint Hepatica, id quod ex modernorum Theoria explicãdum & applicandum venit ad massam sanguineam. Adduntur decoctis Lignorum in morbo Venereo, phthisi, & catarrhis usitatorum, in quibus calorem, id est amaritiem, & vim exsiccandi reliquorum lignorum corrigunt. Sic imprimis in phthisi inveterata, quæ à quàm plurimis curari solet per Decoctum ligni Guajaci, sunt, qui præferunt Decoctum Santalorum, sive sit rubrum, sive, quod melius, citrinum, & commendatum fuit multum Decoctum tale à PRÆVOTIO in curanda tabe seu phthisi, etiam hæreditaria. Et imprimis virtutes hujus Decocti santalorum contra erosionem pulmonum & phthisin commendatam videbitis in FONSECA *l.* 1. *Conf.* 58. non minus quàm in RIVERIO, ejus nimirum *Praxi lib.* 7. *cap.* 7. A quamplurimis aliis præfertur etiam decoctis ligni guajaci & sassafras usitatis; imprimis tunc temporis erit egregium, si singulis dosibus addatur ℥j. terebinthinæ Venetæ; hujus enim vis pulmonum ulcera purificandi, & consolidandi est mirifica. Ut Decoctum magis fiat appropriatum vulnerarium antiphthisicum, addi possunt plantæ vulnerariæ, & præ cæteris in phthisi expertæ, ut hedera terrestris, pyrola, veronica, hypericum & similes. Quod dixi de phthisi, intelligendum quoque est de catarrhis, à lympha acida, & inordinatè mota obortis, sæpiusque cum phthisi conjunctis: in his non infimum obtinet locum hoc, ut & reliqua decocta lignorum debitè præparata. Paratur autem, uti reliqua.

Santalum album est vulgatissimum lignum arboris in Insula Timore, in Medicina minimè efficax.

Santalum citrinum solet esse optimum, unde reliquis præfertur. Est medulla solida Arboris Timorensis baccifetæ, Serrante dictæ, colore citrino ab integumentis exterioribus separata, saporis amari, aromatica, odoris fragrantis & grati. Nascitur in Insula Timor, Insulis Moluccanis vicina, in qua illæ tantum arbores ab incolis cæduntur, quæ gratum odorem spirant. Odorem enim habet suaviter aromaticum, & decantatum in temperanda ac corrigenda acrimonia bilis vitiosa, item corrigenda lympha catarrhali; unde maximè commedatur veteribus pro usu, ut vocant, hepatico, in decoctis lignorum ad εὐκρασίαν sanguinis conservandam. Sed modernis rarus est usus, nisi quod ad phthisin commendetur; simulque & atrophiam, in specie, quæ est ex vitio stomachi, vel massæ sanguineæ.

Santalum rubrum est lignum Arboris Indicæ siliquosæ spinosæ, ab integumentis exterioribus separatum, solidum est ponderosum, coloris intensè rubicundi, sapore fatuo cum levi adstrictione, odore nullo. Affertur ex India Orientali extra Gangem, in quo loco natali usurpatur contra febres, imprimis ardentes. Pariter optimo consilio additur decoctis in phthisi & atrophia usurpandis. Experientiâ enim confirmatum est, quod rectificet & ronovet massæ sanguineæ fermentationem, unde à quibusdam decoctum santalinum in Julepis usurpatur pro cura febrium ardentium continuarum, tertianarum intermittentium, & similium, qui blandâ diaphoresi vires restaurant: Conspirat enim Santalum rubrum cum aliis sudoriferis lignis, proptereà etiam aliis additur. Decoctum hoc vocatur *Decoctum rubrum*, proptereà, quia habet colorem rubrum; item *Decoctum alterans*. Habet præterea Santalum rubrum vim adstringentem, sicque corroborantem viscera, unde sputo sanguineo laborantibus interdum propinatur. Interim LUDOVICI *in Pharmacia non dubitat Lignum Brasilianum cum santalo rubro æquiparare*. Vim cordialem habet nullam.

Parari solet cum spiritu vini *Tinctura ex Santalo rubro*, quæ commendatur pro corroborando hepate, & massæ sanguineæ fermentatione rectificanda. Huic Tincturæ si addantur aliquot grana scammonii, fit Tinctura moderatè alterans & laxans; suave enim sic & elegans evadit medicamentum.

Ex ligno santalo per retortam igne aperto, ut & omnibus reliquis lignis, destillatur *spiritus acidus*, qui egregiè temperat æstum bilis, sive salis volatilis oleosi, & propterea convenit in æstu æstivo, & aliis incalescentiis corporis & morbis calidis.

Emplastrum & unguentum, de quibus habet AUTOR, sunt in usu contra nimium ardorem hepatis & renum: fit enim interdum, ut ex sanguinis stagnatione, & nimio harum partium tumore & dolore, facilè in iis excitetur calor, inflammatio, & ardor; in quo ardore convenit tale emplastrum, quod cum oleo Nymphææ malaxari, & partibus nimis dolentibus applicari solet.

SANTONICUM.

Santonicum aliud *veterum*, aliud *nostrum* est. *Veterum Alexandrinum* dictum, est species absinthii, quod in Alexandria Ægypti crevit, & non amplius apud nos prostat, sed hujus loco ferè usurpatur *Gallicum*.

Dubium est: an *Semen* istud, quod nomine Santonici in Officinis prostat, sit genuinum; an verò ex tanaceto desumptum; Non esse genuinum defendit FEHR *de absinthiop.* 16. Istud verò genuinum esse, nempè Gallicum Santonicum, & ex Santonia, Galliæ Aquitaniæ provincia, ad nos apportari, videbitis dilucidatum ab ELSHOLZIO *M. A. N. C. Ann.* 6. & 7. *Obs.* 227. *p.* 169.

Hoc adhuc commendamus ad lumbricos fugandos, propter quam vim specificam obtinuit nomen Ger. *der Wurmsaamen*, idque communiter cum aceto præparatum, hoc est reverà castratum. Potius ergò nudum semen propinatur à ℈j. *ad* ʒß pro diversitate ætatis in lacte materno; adultioribus in aqua Zedoariæ, graminis, florum persicorum, hyperici & similibus, vel in vehiculo lactis, ut hujus dulcedine allecti lumbrici, admisti seminis usu interimantur, quâ ratione solâ adhiberi solet, sive solum, sive admisceatur cornu cervi ustum, semen hyperici, aut etiam Aloe, & quod omnibus meritò præfertur, tantillum mercurii dulcis, qui est insensissimus hostis omnis progeniei verminosæ.

Vis hæc, utut satis sit decantata, nihilominus ROCHAS, Gallus, qui scripsit *de Rebus mineralibus seu metallicis*, hoc rejicit, quando dicit: quod potius pro gignendis, quàm enecandis vermibus faciat, ex eo, quod ex semine hoc tribus partibus farinæ optimæ, affundendo aquam tepidam, commixto, & in loco calido posito, vermes copiosissimi intra 24. horas generentur; & simili modo in corpore tales exinde asserit produci posse vermes. Sed vana hæc sunt; cùm omnia ferè fermentanria aur putrefacta vermes producant. Quoniam ergò hoc fit ab omnibus vegetabilibus, idem similiter verum erit de santonico. Sic v. g. Absinthium, quod, si quid aliud, resistit vermibus, si putrescat, & resolvantur ejus partes constitutivæ, fiunt ex illo vermes; id quod etiam verum est de aloe, quæ tamen non inferiorem propterea vim contra vermes obtinet. Imo ex omnibus plantis, quando purrescunt, generantur vermes, & quidem diversæ speciei, & singulares: sic ex melle & mica panis copiosissimæ generanrur formicæ: item ex indusio usitato in acervum tritici immisso, brevissimo tempore generatur perfecti mures.

Experimentum ergò ROCHAS nihil probat. Aliàs notanda hìc venit fraus & impostura Empiricorum & Circumforaneorum, quorum mentionem facit TABERNÆMONTANUS *p.* 25. Quod hi multos morbos attribuant lumbricis, utut ægri planè nullos habeant: utque suis dictis fidem faciant, recipiunt lumbricos, exsiccant, pulverisant, sicque propinant, indeque fit, ut generentur in intestinis exinde lumbrici alii, quos postero die per medicamenta vermes expellentia exturbant. Videatur *Tabernæmontanus loco dicto*, qui multus est in perstringenda hac fraude.

SAPONARIA.

Saponaria, Germ. *das Seiffen-Kraut*, *simplex* habetur, & *flore pleno*. Veteribus incognita fuit, & propterea internus ejus usus rarus est.

Decoctum herbæ totius potens est sudoriferum, & quo ipso etiam feliciter in cura luis venereæ usus est SEPTALIUS *in Cautelis & Animadversionibus p.* 287. Unde nonnulli saponariæ folia, tanquam appropriata, addunt decoctis Venereis. BORELLUS *Cent.* 1. *obs.* 18. contra epilepsiam commendat, ex eo, quod si coquatur herba contusa, inter coquendum copiosam spumam & bullas emittat, qualis conspicitur circa os epilepticorum in paroxysmo, ex qua signatura concludit, epilepticis eam prodesse.

Post usum internum, *externè* frequentiùs usurpatur pro usu cosmetico in balneis & lotionibus. Sic folia & flores saponariæ decocti maximè usurpantur pro scabie & totius corporis defœdationibus; abluuntur enim hoc decocto membra à scabie, aliisque impuritatibus correpta: item in declinatione icteri, pro abluendo colore, tàm flavo, quàm nigro, decocta in balneis vel sola, vel cum fumaria, lapatho, & similibus; purificat enim cutim, & eandem nitidam reddit.

SARSAPARILLA.

Sarsaparilla planta est exotica, quæ à quibusdam Practicis etiam, & quidem sæpissimè, vocatur *Smilax aspera* vel *Radix smilacis asperæ*. Hæc enim Smilax aspera vulgaris magnam similitudinem gerit cum sarsaparilla; & reverà est *Smilax aspera Peruviana*, quæ adfertur ex Insula Indiæ occidentalis Perù.

Radix lignosa, longa & teres est, sarmentosa, calami crassitie, cujus plures ex uno capite prodeunt, intus candida farinacea, saporis subacris, magis tamen glutinosi, odoris nullius evidentis. Utut autem exigui admodum odoris & saporis sit, constat tamen particulis oleosis & unctuosis, non secus ac radix chinæ; quibus particulæ subtiles volatiles involvuntur, & impediuntur, ne sensibus percipiantur.

Quoad Vires, innotuit Indis pro curanda lue Venerea; unde usus est creberrimi in decoctis lignorum sudoriferis Galenicorum, pro scopo sudorifero in morbis vel malignis & pestilentialibus, vel chronicis pertinacioribus, à crassis lentisque humoribus ortis, & quibuscunque in casibus: vid. GABELCHOVERUS *C.* 6. *Curat.* 37. *p.* 80. qui

crises

crisseos saltem rudimento apparente in urina, in febribus malignis etiam ardentissimis, præmissis universalibus, Decoctum Sarsæparillæ felicissimè usurpavit: idque eò magis erit in usu, si non sint simplices, sed complicatæ cum peripneumonia, pleuritide, & inflammatione partium erysipelacea, sive internarum sive externarum, quæ non melius possunt curari nisi per sudorifera, inter quæ primaria est Sarsaparilla. Imo propter vim sudoriferam in omnibus affectibus, ubi opus est sudore, etiam in anasarca, & in affectibus catarrhalibus, & quibuscunque vitiis lymphæ, vel ratardatæ, vel non debitè motæ, Decoctum vel Essentia Sarsæparillæ, vel solius, vel cum aliis mistæ, usitatissimum est; aufert enim peccantem humorem. Sed, si ritè rem consideremus, ejusdem, si non potentioris, est virtutis radix tormentillæ nostras.

SASSAFRAS.

Sassafras lignum est similiter exoticum, arboris bacciferæ *Pauan* dictæ, & ex India Occidentali, beneficio Hispanorum, ad nos translatum. Odorem habet instar fœniculi, & propterea à quibusdam dicitur *lignum fœniculatum*; propriè tamen loquendo, *Radix* potiùs est cum Cortice cinereo ferrugineo, quàm sic dictum lignum: vid. M. A. N. C. *Ann.* 1. *pag.* 232. De huiusmodi lignis exoticis optimè omnium scripsit Manardes, Medicus Hispanus, in *Tract. de Plantis Indiæ*, qui satis prolixus est in describendis lignorum viribus, imprimis Sassafras.

Quoad *usum Medicum* observetur hìc, quod monet CORTESIUS *in Pharmacia Messanensi p.* 103. Quod sc. quoad electionem, debeat assumi recens, colore cinereo, saporis acriusculi subdulcis aromatici, & egregiè fragrans cùm cortice imprimis & radice: istud enim, dicit, quod cortice careat, non ita esse efficax, sed omnino invalidum. Cortex enim semper præstat ipso ligno, cum sit magis aromaticus, & odore fragrans, quàm reliquæ lignosæ partes: ideoque semper cortice suo adhuc incrustatum lignum pro usu Medico eligatur. Dicitur *Panacæa* & *Alexipharmacum Catarrhorum in Consiliis* BRUNNERI, & meritò; & usus en[illegible] est in [illegible]tibus pectoralibus & catarrhalibus, pro vitiis lymphæ acidioris & acrioris corrigendis. Cæterum, quod hìc dico de vi catarrhali ligni Sassafras, à quibusdam affirmatur de cortice Tamarisci, quod eodem modo præparatus & usurpatus ac lignum Sassafras, non minus usitatus sit, quàm illud. Et cum catarrhorum fons sit ex stomacho, quando ob chylosin læsam massa sanguinea fit serosa, & exinde destillatâ lymphâ abundante ad glandulas fiunt defluxiones catarrhales, vim etiam egregiam Lignum Sassafras obtinet stomachicam, dum stomachi tonum roborat, & cruditates acido-viscidas corrigit; adeò ut BARTHOLETUS *in Tr. de Respiratione* commendet valdoperè contra Anorexiam & Apepsiam sal ammoniacum usurpandum cum decocto ligni Sassafras; quoniam aromatica ejus vis potenter apepsiam & anorexiam corrigit. Quin & vi sudoriferâ pollet & hinc optimè in febribus petechialibus usurpari potest pro Julepis cum Scorzonera vel cornu cervi. In cura luis gallicæ ingreditur similiter, ac lignum Gvajacum & alia, Decocta sudorifera, sicut etiam viribus conspirat cum ligno Guajaco diaphoreticis & sudoriferis, lui venereæ curandæ dicatis, sed magis hoc aromaticum & oleosum temperatum est. Sunt etiam, qui huic ligno lignum juniperinum æquipollere existimant.

Denique interno usu etiam commendari solet contra sterilitatem, ortam ex vitio seminis & uteri squalidi, ac serosis & mucilaginosis excrementis referti.

Ex ligno sassafras, ceu aromatico subjecto, egregia *Essentia* seu *Tinctura* cum aqua spirituosa serpilli, vel aqua benedicta serpilli Mynsichtii, vel spiritu serpilli appropriato, paravit B. D. MICHAELIS. Huic scilicet infunditur rasura radicis ac corticis sassafras, & stent in digestione ad aliquod tempus pro extractione Tincturæ, quæ in affectibus catarrhalibus, vespertino tempore sumpta, ad corrigendam acrem lympham, & confortandum stomachum, in specie cruditates acidas primarum viarum corrigendas, egregia est; quia digestionem primam stomachi corrigit; hinc & in *Elixyrio stomachali* lignum hoc basin constituit. Dosis cochl. j. alterumve.

Propterea *Essentia ligni sassafras* cum spiritu vel aqua spirituosa serpilli parata vocari solet à quibusdam *Essentia catarrhalis*, idque imprimis, si addatur huic Essentiæ succinum vel Essentia ex succino, quod ipsum valdè quoque est commendatum ad catarrhos; de quo *plura* habebimus, ubi *de serpillo*; cujus spiritu ceu menstruo Essentia succini paratur. MYNSICHTUS *in* suo *Armamentario Chymico* etiam habet *Tincturam ligni sassafras*, quæ facilis paratu ac egregia est, & valdè commendatur ab eo contra omnes defluxiones catarrhales, quas ipsas absumere, & radicitus tollere dicit. Paratur tinctura hæc solùm ex ligno sassafras in aquam fontanâ puram & calidissimâ infuso; sic enim evadit tinctura rubinea, quæ parum aromatizatur cum cassia lignosa, vel cinnamomo, & *Nectar catarrhorum* dicitur. Contra sterilitatem ex causa suprà dicta commendatur, vel simplex, vel cum aromatibus uterinis, v. g. anthophyllis, cinnamomo, & similibus, utpote quæ, imprimis Anthophylli, vim uterinam egregiam habent: unde cum his mista Essentia sassafras erit utilis in sterilitate.

Propter resinam copiosam & aromaticam lignum sassafras oleum duplex suggerit.

1. Per se ex retorta destillatum empyrevmaticum, quod, ut lignorum cœterorum olea, super cornu cervi ustum rectificando fœtorem deponit, & sudoriferum potens evadit.
2. Rasura ejus per vesicam cum aqua destillatum oleum suggerit æthereum seu aromaticum, egregium & suave, acrius tamen quàm oleum destillatum fœniculi, cum quo sicut ratione odoris convenit, ita in casibus multis huic commodè substitui potest.

SATUREJA.

Satureja à quibusdam Practicis etiam solet vocari *Thymbra* & *Thymbron* Græco vocabulo à θυμεῖν, quod fortem de se spiret odorem, & sæpius quidem hoc nomine venit, quàm saturejæ. *Satureja* ita dicitur tum *à saturando*, quod in alimentis veterum condimenti loco fuerit adhibita, tum quod satyris, hoc est, ad excitandam libidinem, conferat.

Inter varias species, *hortensis* seu *sativa* est in usu, planta pumila, suavem tamen spirans odorem.

Est simplex aromaticum & nervinum hyssopo & serpillo ferè congener, & ad eorum naturam accedens, affectibus pectoris, ubi expectoratione & detersione opus est, conducit; sale enim suo volatili aromatico egregiè detergit sordes pulmonum & pectoris, indeque enatas Tusses & Asthmata curat. Præterea, quæ AUTOR enarrat, imprimis etiam commendatur ad lethargum, carum, & similes capitis soporosos affectus; sive internè misceatur cum aliis, sive in specis externè decoctum saturejæ in vino calidè admoveatur occipiti: sicuti etiam per hujus decocti aliquot guttas instillatas auribus, soporosi inde excitari dicuntur; vid. LOTICHIUS *Obs. lib.* 2. *cap.* 1. item SCHENCKIUS *lib.* 1. *Obs.* Quandoque etiam in aphthis, & aliis faucium, oris & tonsillarum affectibus, nec non vulneribus & ulceribus faucium, in vino cocta, vel per se, vel addito pauco melle, usurpata legitur pro collutione oris. Diaphoretica est egregia, & discutiens insignis: unde inter alia etiam ad tinnitum aurium, item dolorem aurium, solet commendari, si ejus decocti suffitus recipiatur in aures; sic enim discutiendo tinnitum & dolorem aufert. Sed rari usus est, & vix usitata reperitur apud Practicos.

Aqua quibusdam in usu est.

Oleum est admodum rara avis.

SATYRIUM seu ORCHIS.

Satyrii variæ sunt *species*, quarum singulariores videbitis in M. A. N. C. *Ann.* 2. *obs.* 41. *p.* 73. *& sequentibus*. Quædam habent radicem rotundam, quædam in digitos expansam: *priores* habent *radicem* nunc *unicam*, nunc *binas*; sicuti *posteriores digitatæ* vel *palmatæ*, aut *palma Christi* vocantur, & folia maculata habent.

Pro *usu Medico* inter omnia Satyriorum genera eliguntur, quæ habent duos bulbulos in radice, & quidem ita, ut unus sit plenus & turgidus, alter inanis & flaccidus. De his curiosum est, quod, quando unus sit succulentus hoc anno, & plantam proferat, alter sit flaccidus, qui ipse intereà novo succo nutritio irroratur, ita, ut insequente altero anno idem rigidus redditus plantam sustineat, priore flaccescente, & sic mutuis vicibus singulis annis mutentur, atque successivas quasi vices in nutritione & vegetatione plantæ obtineant hi bulbi.

Ex signatura, quâ referunt hi bulbi testiculos, vel humanos, vel brutales, Medici, imprimis PARACELSUS & CROLLIUS, aliique Philosophi Hermetici invenerunt, quod habeant vim veneream: quod ipsum etiam confirmavit experientia postmodum; bulbosus enim stimulat illam, flaccidus extinguit. Unde radices bulbosæ seu succulentæ pro stimulanda venere; rugosæ verò & effœtæ seu flaccidæ pro imminuenda venere & gonorrhœa adhibentur; materiam seminalem enim imminuunt, & gonorrhœæ ita succurrunt: pro quali usu bulbus flaccidus colligendus venit, Sole in Leone existente; pro usu autem Venereo, conciliando memoriæ robore & hac confortanda, nec non promovendis mentis operationibus, in plenilunio tempore verno: sic enim vis latet adhuc in bursula turgida, & nondum translata est in plantam. Insuper ingens vis analeptica & confortativa iisdem attribuitur, & speciatim talis, quæ seminis partim copiam largitur, eaque occasione partim Venerem stimulat: sicut etiam in debilitate & prostratione virium in statu neutralitatis & convalescentiæ conducunt; non minus ad dysenteriam propter vim, qua instar roris spermatici consolidant intestina exulcerata. Paracelsistæ dicunt in satyrio latere singularem & peculiarem mumiam, ut propterea singularem habeat sympathiam cum Microcosmo, & exinde specificè commendatur contra dysenteriam; si scilicet tres vel quatuor radices infundantur in vinum, & vel Decoctum vel Infusum bibatur; sic enim statim dysenteriam sisti & curari dicit, quoniam vis mirabilis corroborandi sit in satyrio. Inter PRÆPARATA in Officinis prostat *Radix* turgida *condita*, quæ in Electuariis usurpatur contra impotentiam & fortificandam Venerem, ratione roris mucilaginosi instar gelatinæ, quâ turget.

Electuarium diasatyrii, ut & *Extractum* seu *sanguis satyrii*, quod habet *AUTOR*, maximè laudatur in confortanda memoria, & viconfortativâ pollet, speciatim contra impotentiam & defectus Veneris.

Essentia composita Crollii ex Satyrii radice turgida pro stimulanda venere frequentissimè usurpari solet cum aqua cinnamomi spirituosa, additâ Essentiâ ambræ; qualem Misturam satis fortem, generosam & elegantem contra impotentiam *TIMÆUS* habuit, cujus hæc fuit compositio:

℞. *Aquæ magnanim.* ℥viij.
Cinam. ℥jv.
Essent. Satyr. ℥ij.
Tinct. Corallior. ʒij.
Ess. Ambræ ʒj. M.

Hanc Misturam valdè fortem commendat *TIMÆUS* pro stimulanda venere.

Præter vim veneream Essentia hæc pro confortanda memoria insignis est, idque imprimis, si misceatur cum Essentia Ambræ, omissis aliis Venerem stimulantibus. Conferatur *HEINRICUS ab HEER, Obs. oppidò rara 9. p. 98.*

Aliàs aqua herbæ Satyrii maculosi inter Cosmetica refertur, nitorem faciei nimirum conservantia.

Descriptionem *Pomambræ* pro eviratis, quam radix Satyrion ingreditur, videbitis in M. A. N. C. *l. a. p. 77.*

SATYRIUM MACULOSUM.

Satyrium maculosum, *Palma Christi* dictum, laudatur vulgò pro usu cosmetico, in specie contra lentigines, aliasque maculas faciei; & præterea aqua *Satyrii maculosi* solet præscribi cum aqua Leucoji bulbosi, Germ. *der Sommertbiergen*, in delendis lentiginibus.

SAXIFRAGA.

Saxifraga, Germ. *der Steinbrech*, est *duplex* in officinis: *major alba foliis rotundis*; *altera* verò *Saxifraga aurea* cum *floribus luteis*, seu *Chrysosplenium Tabernæmontani*.

Plures etiam plantæ sunt, quæ dicuntur saxifragæ propter vim, quam habere putantur in alterando & pellendo calculo, quas inter etiam refertur *Pimpinella saxifraga* seu *Tragoselinum*.

Saxifraga tamen alba κατ' ἐξοχὴν ita dicta est, quia à Veteribus pro usu diuretico & nephritico, renibusque purificandis à calculo, frequentiùs usurpata fuit; sicut hodie adhuc quidam hujus semen cum semine lithospermi, alii plantæ Decoctum, internè in potionibus, externè in balneis, pro pellendo calculo renum & vesicæ, & detergenda mucilagine renum, quæ in calculum concrescit & coagulatur, propinant; sed vanè, & à modernis rarò usurpatur: Calculum enim non pellit, uti putatur: pro quo scopo etiam *Aqua* est valdoperè usitata in Officinis.

Saxifraga verò *aurea* ob vim renes purgandi egregia est: quibusdam dicitur *Hepatica*, ob vim hepaticam insignem, rectiùs *Chrysosplenium Tabernæmontani*. Non verò est Milzadella Italorum juxta quosdam, quæ species Lamii est, & splenetica quoque.

SCABIOSA.

Scabiosæ, Germ. *Scabiosen Kraut*, *variæ* sunt *species*: usitata tantum est *foliis scisis* vel *integris*: provenit in locis cultioribus.

Planta est temperata & multi usus in plurimis affectibus: imprimis refertur inter plantas alexipharmacas, quia malignitatem sub forma sudoris ex corporis machina exturbat. Deinde pulmoni est dicata, cui specificè succurrere dicitur: Hinc ratione harum virtutum Apostematica dicitur; Germanicè *Apostem-Kraut*, *Grind-Kraut*. Et in Apostematis & Abscessibus quarumvis partium internarum, sive sint hepatis, sive lienis, sive ventriculi, sive pulmonum, & aliorum viscerum; & tumoribus suppuratis vel suppurandis & purificandis, speciatim tamen in pectoris affectibus, rumpit abscessum, eundem purgat, & fermentum corruptivum delet, ut illo purificato possit consolidari vulnus. Imprimis in Apostemate ventriculi post inflammationem rumpendo, valdè commendatam videbitis scabiosam in *FORESTO lib. 18. obs. 32*, qui multis commendat hanc plantam pro ulceribus & abscessibus partium internarum tam pectoris, quàm in specie ventriculi. Hinc commendatur scabiosa, & ex illa præparata, contra pleuritidem & peripnevmoniam, tam pro conservandis pulmonibus, quàm temperanda acrimonia puris, & promovenda expectoratione, sive ex se incipiant, sive sequantur alios morbos; nam insigne est pectorale. Præterea in variolis & morbillis, ubi imprimis pulmones & fauces à variolis & morbillis obsessæ præservandæ, ne ab his exulcerentur, aut hæ, aliæque partes internæ jam læsæ, curandæ & sanandæ; sicut &, quando cum gravi tussi sunt conjunctæ, & phthisin post se relinquunt, egregia est scabiosa, & remedia ex hac parata: id quod etiam verum est de helenio, quod non minus proficuum est in tali casu, ac ipsa scabiosa. In tussi etiam epidemica, quæ sæpe etiam est maligna, uti in febribus epidemicis catarrhalibus cum tussi, inter alia excellit scabiosa, & remedia inde parata; quatenus vi non nihil alexipharmacâ ac diaphoreticâ & pectorali pluribus scopis satisfacit: sicuti etiam internè & externè in scabie, furfuribus, tinea capitis & similibus, optimè prodesse solet. Deinde quoque vi vulnerariâ & ulcerariâ se quoque ad casus internos & externos extendit; unde internè decocta, externè unguenta vulneraria, solet ingredi, & inde Balsamus gummosus colligitur, si juxta *AGRICOLAM in Chirurgia parva p. 101.* Mense Majo, in conjunctione Solis & Lunæ in Geminis, radix leviter incidatur; dicto enim tempore emanat egregius & pretiosus liquor gummosus, qui vel solus præstans est remedium, optimè consolidans vulnera quæcunque recentia.

Aqua & *Syrupus* in Apostematis & abscessibus viscerum resolvendis, maturandis, rumpendis & curandis, imprimis in pleuritide suppurata, & vomica pulmonum, frequenter adhibentur, & sequenti modo præscribuntur:

℞. *Aquæ vel Decocti scabiosæ* ℥ij.
Spiritus tartari vol. ʒj.
Syr. scabios. ℥iß.
M. pro aliquot dosibus.

In variolis expertus est Syrupus, quando internas partes lædunt, & tussim conjunctam habent cum metu phthiseos.

Conserva prodest in Apostematibus internis, quæ resolvit, maturat & rumpit, speciatim tamen in pectoris affectibus.

Succus scabiosæ ad vermem cordis summum est specificum.

SCHOENANTHUM.

Schœnanthum dicitur aliàs *juncus odoratus*, & *gramen Cameli*. *Plantula* est aromatica parva & exotica, quæ ex Asia ad nos adfertur, nullius tamen usus, nisi quod Theriacam ingrediatur, cujus gratiâ etiam habetur in Officinis; aliàs non, aut rarò in affectibus nervinis & uterinis, præscribitur. A veteribus solet addi purgantibus pro correctione eorum virulentiæ.

SCOLOPENDRIUM VERUM.

Scolopendrium duplex est, vel *verum* dictum, aliàs ἀσπλήνιον, & ἄσπληνον, Arabibus *Zederach*; vel *Vulgare*, *Phyllitis*, aliàs dictum *lingua ceruina* de quarum differentia videatur præsertim *LANGIUS in Epistolis p. 407.* Scolopendrium verum est planta parva, exilis, crescens in locis umbrosis & montosis, sed rarò apud nos, Jenæ autem copiosè provenit, similis suâ natura est capparibus, modò quod minus sit oleosa, nitrosa tamen est.

Dicata est spleni, & valdoperè usurpatur ad affectus splenicos, alioque chronicos; unde etiam ab Italis vocatus Milzadella, quæ Milza est Latinis Splen. Et propter hanc vim spleneticam Veteribus Practicis familiare est in Decoctis contra febres quartanas, cum splenis vitiis conjunctas, scorbutum, malum hypochondriacum, in quibus splen utplurimum est depravatus: in nodulis alterantibus & laxantibus, verno & autumnali tempore, qui infunduntur potui, ut purificent viscera in malo hypochondriaco, quando imprimis eò processit, ut etiam splen malè se habeat: præsertim cerevisias & vina medicata ingreditur, quæ ipsa non incongrui usus sunt pro cura dictorum affectuum, præprimis, si alia appropriata addantur, & cum istis liquidis unà fermententur. In aqua ferrariorum, in qua sæpius ferrum candens fuit extinctum, si decoquatur, ad tumorem & inflammationem splenis multum laudatur, adeò, ut dicatur à *DIOSCORIDE*, quod absumat lienem, vel potiùs imminuat; unde canes ferrariorum, qui bibunt sæpius talem aquam, dicuntur carere splene: Videatur *MAIOR in Apologia in Chirurgiam infusoriam.* In hisce autem affectibus virtute nitrosa convenit, & sanguinem per urinam purificat. Vitandum est, sicut etiam vulgare, à mulieribus, quoniam imprægnationem inhibere, & sterilitatem inducere dicitur; & Paracelsistæ dicunt, quod omnes plantæ saturninæ soleant impedire conceptionem, & inducere sterilitatem: quod de hac & similibus plantis verissimum esse dicitur.

SCOLOPENDRIA VULGARIS.

Scolopendrium vulgare seu *Officinarum* propter figuram aliàs solet vocari *lingua ceruina*, indeque Germanis *Hirsch-Zunge*. Folia interdum sunt acuta, interdum habent in superiore parte lacinias. Quando apud Practicos legitur scolopendria, intelligitur vera; quando verò intellectam volunt vulgarem, vocant linguam cervi.

Hanc quod attinet, vulgare simplex est adstringens atque stypticum, viribus convenit cum scolopendria vera in affectibus splenis; quapropter cerevisias & vina medicata ingreditur, ut conservetur tonus viscerum & imprimis, convenit iis, qui affectibus splenis obnoxii sunt: qualis potus medicatus in malo hypochondriaco, scorbuto, quartana & similibus, in quibus vel per essentiam vel per consensum affectus est lien, aliisque morbis chronicis multi est usus, præsertim si alia appropriata addantur, & cum istis liquidis unà fermententur. Aliàs autem rari est usus in Medicina. Omnes Plantæ, quæ vocantur saturninæ, subvirides nempè, quæ in locis umbrosis crescunt, quod semel pro semper sit dictum, quales cyclamen, cicuta,

cuta, polypodium, ſcolopendria, filix &c. etiam conveniunt cum ſaturno microcoſmi, ſplene, & affectibus ſpleni tributis.

SCORDIUM.

Scordium à σκόροδον, ſeu *allio* dicitur, unde & allium aquaticum, Ger. *Waſſer-Bathenig, Waſſer-oder Lachen-knoblanch*; in locis enim humidis creſcit, & maſticatum hoc in concreto ſuo allii ſaporem & odorem & etiam acrimoniam ſalinam nonnihil repræſentat; amarities tamen ejus nonnihil acris prævalet, unde in quamplurimis cum allio conſpirat.

Planta eſt ſemper virẽs, & ſatis celebris in officinis, vi alexipharmaca, hinc ſimul diaphoretica, & inſigniter ſudorifera, in arcenda quavis putredine & corruptione corporis & veneno peſtilentiali, functioni animali hoſtibus, nulli cedens: vid. *GALENUS de Antidoto l.* 1. *cap.* 24. & ideò convenit in balſamatione cadaverum. Inter alexipharmaca ſudorifera ſemper à *GALENI* temporibus conſtanti tenore laudatum fuit, quocunque modo uſurpetur: In morbo enim Hungarico, peſte petechiali, aliiſque morbis malignis & febribus malignis atque peſtilentialibus, maximi & nunquam ſatis decantati eſt uſus. Videatur imprimis de virtutibus ſcordii egregiis in morbo Hungarico & peſte *GABELCHOVERUS Cent.* 5. *Curat.* 31. *in ſcholio ſeu Annotatione*, ubi aliquot refert hiſtorias ex *BUSBEQUIO*, curatorum in peſte & morbo Hungarico vel ſolo ſcordio. Unde proſtat in Officinis decoctum hordei cum ſcordio, quod eſt baſis decoctionum & juleborum peſtilentialium. Præterea vermibus & lumbricis fugandis mirè confert: vid. *RIVERIUS Cent.* 1. *Obſ.* 10. Sunt, qui ſcordium pulveriſatum cum melle depurato ſubigunt, faciuntque Electuarium ſpiſſum, quod in empyematibus, item in illis, qui phthiſi, & ulcere pulmonum laborant, aut de eo ſibi metuunt, item in aliis affectibus corporis, v. g. raucedine, tuſſi chronica &c. cum ſucceſſu propinent; Multum enim facit expectorando, & ſimul corruptelam viſceris abarcendo, ac ulteriorem progreſſum impediendo.

Externè Chirurgis in gangræna & ſphacelo, decoctum ſcordii, & ex eo cum myrrha, aloe, & ſpiritu vini paratus Fotus & Cataplaſma, uſitata & experta ſunt remedia: vid. *HILDANUS Tract. de Gangræna*. In cataplaſmatis contra Gangrænam utplurimum ſolet admiſceri, quoniam putredini gangrænoſæ potenter reſiſtit: vulnera etiam ac ulcera putrida mundificat, & corruptionem eorum putredinalem corrigit, ſi eluuntur cum Decocto ſcordii cum vino parato.

Inter *PRÆPARATA* ſunt *Aqua*, *Acetum*, & *Syrupus ſcordii*, quæ in peſte, febribus & morbis ſimilibus malignis, imprimis cum diarrhœa conjunctis, tam præſervandis, quàm curandis, uſitata ſunt.

Tandem mirè decantatum eſt *Electuarium* inde paratum, *Diaſcordium Fracaſtorii*, à *FRACASTORIO*, Medico Veronenſi, dictum, Germ. *Electuarium rubrum contra venenum*. Compoſitio eſt horrida, ad compoſitiones Theriacales pertinens; & quando Theriaca, vel Mithridatium propter aromaticam acrimoniam, nimiamque caliditatem, non æquè conveniunt, Electuarium hoc diaſcordii propter opium & ſcordium contra morbos malignos & peſtilentiales, illaſque etiam febres, quæ cum variis corporis fluxibus, hæmorrhagiis aut diarrhœis conjunctæ ſunt, egregium eſt: ſi enim cum vehiculo acidiuſculo, v. g. ſucco citri vel aceto, ſucco acetoſæ &c. uſurpatur, elegantiſſimum eſt remedium pro ſudore. Præſtantiam hujus videbitis in *GABELCHOVERO, loco ſuperiùs allegato*. Concinniorem ejus præparationem habet *SYLVIUS l.* 1. *Prax. cap.* 48.

SCORZONERA.

Scorzoneræ cum *variæ* ſint *ſpecies*, imprimis tamen uſurpari ſolet, quæ vocatur *Viperaria*, dicta ob virtutes, quas habet in reſiſtendis venenis, per morſum ab animalibus venenatis communicatis, in quo nulli cedit ſimplici. Reverà eſt planta cichoracea, adeoque temperata quoad ſuam naturam, utut virtutem alcalinam habeat.

Radix ejus uſitata ſub duplici ferè obſervatur ſapore: quædam enim ſunt dulces, quædam amaræ, ut rectè hoc obſervavit *JUNGIUS p.* 208. *in Doxoſcopiis*. Ex his ea, quæ acris eſt & amara, uſurpatur.

Viribus gaudet raſiſtendi venenis alexipharmacis egregiis, & leviter ſudorem movet, ſicuti lenior iſta ac dulcis pro uſu alterandi accommodata magis erit. In uſu præptimis eſt Radix ſcorzoneræ in curandis morbis malignis & peſte, quocunque modo uſurpetur; unde ordinariè Syrupos, Electuaria, Spiritus & Eſſentias antipeſtilentiales, item Aceta bezoardica, aliaque ſolet ingredi. In officinis proſtat *Decoctum Scorzoneræ cum cornu cervi*, quo utimur in variolis, morbillis, febribus petechialibus, aliiſque malignis, loco corporis in julebis diaphoreticis pro vehiculo; in his enim egregia eſt Scorzonera, & leniter ſudorem conciliat. Aliàs internè rarò adhibetur, niſi in affectibus & morbis malignis, utut etiam Autor eam commendet in ſuffocatione uterina.

Dum ex radice, maceratione prævia, deſtillatur *aqua ſcorzoneræ*, in liquore reſiduo poſt aquæ deſtillationem elegans *Extractum* remanet, depurandum & inſpiſſandum: Vid. *WEDELIUS pharmac. pag.* 78. & 128.

Radix condita ſolet in Electuariis, Morſulis, & Rotulis alexipharmacis & bezoardicis præſcribi.

De hac Scorzonera Tractatum ſcripſit D. *FEHR*, quem dicit *Anchoram ſactam* ſeu *de Scorzonera*, in quo plurima invenietis de commoditatibus & utilitatibus ejus.

SCROPHULARIA.

Multæ *Scrophulariæ* ſunt *ſpecies*: Nobis triplex eſt in promptu:

1. *Vulgaris flore rubente.*
2. *Major flore luteo.*
3. *Minor*, dicta *Ruta canina vulgaris*, quæ paulò rarior.

Prior uſitata eſt, & in locis cultioribus ubique provenit.

Scrophularia dicitur, partim ob radicem nodoſam, quia multis nodulis, tuberculis & eminentiis eſt inſignita; partim ob uſum, quem habet in curandis ſcrophulis & ſtrumis. Dicitur etiam aliàs *Ficaria*, Germanis *Braun-Wurtz*, *Feig-Wurtzen-Kraut*, propter uſum ſingularem, quem habet radix hujus, imo tota herba, in ſpecie in hæmorrhoidum malis (uti ſunt mariſcæ ſeu ficus ani, fiſtulæ, tumor, ardor &c.) imprimis verò cæcis, ſi pulvis radicis à ʒß ad ʒj in taleolos conciſa infundatur vino, quod ſæpius hauſtum egregiè juvat in hæmorrhoidum quocunque ſtatu, ſive fluant nimis, ſive ſuppreſſæ & cæcæ ſint; utut effectus hi ſibi videantur contrarii. Sunt enim, qui dicunt, referente *SCHOLZIO Conſil.* 207. quod ſcrophularia hæmorrhoides tam ſiſtat nimis fluentes, quàm provocet ſuppreſſas, ſi ſcilicet radix in taleolos diſſecta vino injiciatur, de quo vino infuſionis patiens per noctes & dies bibat; poſteà radices debent ſiccari, & eo modo, quo ſiccantur radices, etiam ſiccantur hæmorrhoides, & curantur: Si verò proritandæ eædem, infundenda eſt radix in vino, de quo bibatur, & eo modo, quo ſe extendũt rugæ radicis in vino, eo etiam ſe extendunt mariſcæ, & ſequitur fluxus: videatur *SCHMUCKIUS*. Ad hæmorrhoides cæcas & nimiùm dolentes ac tumentes, propriâ experientiâ commendat *HEINRICUS ab HEER Obſ.* 20. *pag.* 244. Si quis, dicit, hæmorrhoidum cæcarum atrociſſimo nimis torqueatur dolore, is minimum quid radicis vel foliorum ſcrophulariæ, cum cibo vel potu capere debet; hinc etiam fit, ut dolor egregiè mitigetur, ſive in ſubſtantia aſſumatur, ſicca aut viridis cum pane, butyro illito, ſive Decoctum ejus aſſumatur, ſive vinum infuſionis bibatur. Aliquando fœminæ hæmorrhoidibus, poſt partum annuatim recurrentibus, laboranti folia hujus ſcrophulariæ comedere, radicem verò potui miſcere juſſi, hacque ratione reſtitui. Conferatur *SOLENANDER in Conſil.* Poſt virtutes in hæmorrhoidibus, in quorum affectibus juxta linariam nulli cedit plantæ, radix quoq; tuberoſa collo appenſa, ſæpius comeſta, in nodis & ſtrumis, præcedentibus ſcilicet blandè evacuantibus, tanquam ſpecificum certiſſimum commendatur, ſive internè, ſive externè, in quocunque loco ſint ſcrophulæ & ſtrumæ: Quod quidam ex ſignatura derivant, unde etiam id nominis accepit. Nam, quod obiter noto, ſunt ſcrophulæ & ſtrumæ tumores duri glandularum, ſive ſint induratæ glandulæ in meſenterio, ſive ſint induratæ in collo, ſive induratæ in inguinibus &c. In talibus tumoribus duris glandularum celeberrimum remedium eſt ſcrophularia, ſi ejus radix accreſcente lunâ fodiatur, poſtmodum verò decreſcente lunâ uſurpetur, & intereà temporis exſiccetur; ſi ſcilicet interiùs ejus Decoctum, vel pulvis à ʒß ad ʒj. accipiatur, vel etiam, ſi decoctum, uti dixi, radicis ſcrophulariæ interiùs bibendo uſurpetur, ſimul etiam in potum infundatur. Etiam contra *die Haupt-Druſen*, uti vocant mulierculæ, (quæ ſunt tumores molliuſculæ glandularum infantum) ſimiliter uſurpatur ſcrophularia.

Externè, uti dictum, maximè convenit in hæmorrhoidum doloribus, tumoribus, exulcerationibus, & quibuſcunque aliis affectibus; ſi ſcilicet radix ſola recens à ſordibus purgata amuleti inſtar appendatur collo, ut attingatur nudum corpus, & ſic geſtetur; ſic enim fieri dicunt, ut miraculi inſtar omnia hæmorrhoidum vitia corrigantur & compeſcantur: id quod propriâ experientiâ confirmat *SCULTETUS in Armamentario Chirurgico Tab.* 42. Id quod eſt etiam experimentum *D. HORSTII*, qui adhuc in vivis eſt. Hic recipit radicem bene purgatam, & in hæmorrhoidum affectibus, item malo iſchiadico, appendit femori, ut radix nudum femur attingat; ſic enim fit, ut dolor evaneſcat, ſicut radix exſiccatur: id quod habeo ex *manuſcriptis Epiſtolis ad D. D. MICHAELIS*: Videri quoque poteſt *HORSTIUS in Diſpenſat. l.* 1. *pag.* 3.

Mulier juvencula ex partu primo difficili in tumoribus & exulceratione hæmorrhoidum graviter laborabat, quo ipſo ultra biennium affligebatur, ut non, niſi doloribus crudeliſſimis, fæces ſanguineas purulentaſque excerneret: huic tentandi gratiâ juſſi, ut radicem ſcrophulariæ recentem ſupra os ſacrum alligeret, aliaſque radices ejus recentes inciſas, noduloque incluſas, potui ordinario infunderet, & herbam ipſam minutim inciſam quotidie pro lubitu cum pane butyrato aſſumeret. Hoc cum non adeò diu feciſſet, optimè exinde curata eſt. In ſcrophulis & ſtrumis colli accipitur numerus tuberculorum horum impar, & hæ radices filo trajectæ appenduntur collo; ſic enim fiet, dicunt, ut ſcrophulæ brevi poſt evaneſcant: Vid. *SCHMUCK Curat. Magico-Magnet. pag.* 20. Scrophulis exulceratis, aliiſque

aliisque ulceribus mali moris, scrophulariæ succus unguentis additur, aut etiam succo ulcera abluta, aliove modo applicatus, egregiè confert.

Paratur aliàs *Unguentum de scrophularia*, si scilicet radix hæc succulenta in autumno collecta ad ℔ij℥. contundatur in mortario lapideo cum butyro recenti, deinde in vase clauso sepeliantur in fimo equino, vel ponantur in Balneo Mariæ, per 14. dies noctesque: postmodum leni igne liquefcant, & colentur, fiatque sic cum pinguedine humana & cera *Unguentum contra hæmorrhoides* optimum, tam in affectibus hæmorrhoidalibus, quàm etiam in tumoribus glandularum duris, scrophulis & strumis, & hinc in ulceribus mali moris, & ferè cancrosis.

Altera & *tertia scrophulariæ species* in hortis tantum colitur, inter acetaria tamen à quibusdam recepta.

SCILLA.

Scilla, Germ. *die Meer Zwiebel*, est *ceparum species*, sed omnium acerrima, adeo quidem caustica, mordax & acris, ut manibus tractata, illas ferè exulceret, & pustulas excitet, unde deleterium putatum fuit; de quo videatur ZWELFERUS *Pharm. Reg. pag.* 146. Propterea à veteribus in usu fuit in clibano torrefacta; sed sal volatile acerrimum, in quo omnis vis consistit, hoc modo avolat. Radix est exotica, crassa, rubicunda, saporis cum multa viscriditate amari & acris, odoris ferè nullius, in locis maritimis tantum crescens, quæ ex istis etiam ad nos defertur.

Radix hæc magni æstimata fuit à veteribus, & apud illos in magno fuit usu; nec immeritò. Nam in multis morbis convenit egregiè, cum imprægnata sit elegante sale volatili acri, non minus, quàm omnia ceparum, porrorum, & alliorum genera, imprimis quidem Radix, si sit recens & succi plena; è radice enim marcida & flaccida sal volatile evanuit, & est saltem caput mortuum, exutum omnibus viribus. Ratione hujus salis volatilis acris habet saporem amarum, acrem, penetrantem & resolventem, attenuat & incidit mucilaginem viscidam & crassam, pituitam dictam, abstergit, & valdoperè purificat viscera à sordibus, eorum meatibus adhærentibus, cujus salis ratione etiam solet ciere urinam. Ex quibus facilè patet, in quibus affectibus conveniat: scilicet commendatissimũ est in asthmate & tussi; si nimirũ oriantur asthma & tussis ex mucilagine crassa, viscida & tenaci, quam veteres vocarunt pituitam vitream, optimè convenit scilla, sive hæreat in cavo stomachi, sive in ramulis bronchiorum pulmonum. Præterea alterando sanguinem, ejusque serum, per vias urinarias simul evacuare solet; sicut & in affectibus renum & vesicæ, urinæ suppressione & similibus, à muco crasso & viscido, scilla est egregia.

Ex Infusione radicis cum aceto oritur *Acetum scilliticum*, & sic fit ex sale acido aceti, & sale volatili acri scillæ egregium salsum volatile, quod in magna fama & æstimatione apud veteres fuit. Cum aceto enim scillam corrigere nonnihil, simul tamen etiam vim incisivam & attenuativam conservare voluerunt. De hoc, ejusque viribus integrum *Tractatum* scripsit Italus quidam DURASTANTES: sicuti etiam in describendis hujus aceti viribus & laudanda præstantia fusus est MINDERERUS *in Aloedariop.* 130. item *Zapata in Clave Medic. cap.* 4. Nam veteres hoc ipsum, acetum scilliticum habuerunt pro panacea, ejusque usu primum inventorem per omne tempus vitæ benè vixisse dixerunt. Egregii est usus in tussi & asthmate pro incidenda, attenuanda, & resolvenda mucilagine viscida & pituitosa; similiter & in affectibus renum & vesicæ, urinæ suppressione, & similibus, à crasso tali succo oriundis. Ubicunque igitur opus est incisione massæ viscidæ & pituitosæ, optimum est. Optimum faciei colorem usu interno inducere dicunt, quod credo. In affectibus oculorum, imprimis per consensum à ventriculo, acetum hoc est egregium. Ad affectus ventriculi multum prodest; unde ad ejusdem cruditatem acidam absumendam, ad excitandum appetitum, & promovendam digestionem, acetum hoc maximoperè confert. In corpulentia nimia similiter in usu est: nam uti aceta omnia imminuunt, ita imprimis acetum scilliticum in hoc passu est commendatum. Præterea in præservanda peste & morbis malignis egregium est, sicut omnia aceta, & ex aceto parata remedia. Porrò in affectibus soporosis, lethargo & aliis, acetum hoc tam internè haustum, quàm externè naribus admotum, convenit; sicut & in apoplexia, imprimis senum, apud veteres usitatum fuit. *Dosis* hujus aceti potest esse ab ℥ß. ad ℥j. imprimis quando gaudet vehiculis aliorum.

Cum melle mistum dat *Oxymel scilliticum*, tam *simplex*, quàm *compositum Mesue*, quæ in cruditatibus, aliisque affectibus stomachi & pectoris, ubi præsens est massa crassa & tenax, egregiè conveniunt, vel sola, vel permista cum syrupo nicotianæ, aliisque remediis; & sic in specie in asthmate suffocativo infantum egregium erunt remedium. In tussi ergò & asthmate tali ex crassa & viscida materia, stabulante vel in pectore vel in stomacho, posset fieri talis præscriptio pro incisione materiæ viscidæ, atque promovendâ expectoratione:

℞. *Aqua Hyssopi*,
Nicot. ritè par. an. ℥ij.
Asthmatic. (quæ est aqua spirituosa ex infusione aromatum quorundam:) ℥vj.
Oxym. squillit. (sive sit oxymel, sive acetum, perinde est; utut oxymel sit melius aceto propter admistum mel, quod etiam incidit:) ℥j. vel ℥iß.
Spiritus nitri dulc. vel *salis dulc.* gutt. xv. vel xx.
M. f. *Potio* pro aliquot dosibus.

Quæ experta est in tali mucilagine crassa & viscida, & hinc oriunda tussi & asthmate.

Vel

℞. *Aquæ Hyssopi* ℥ij.
Asthmat. Lud. ℥ij.
Oxym. squillit. ʒvj.
Syr. nicot. ℥ß.
Emet. ʒj. ad ʒij. M.

Capiatur cochleatim.

Veteres valdè commendarunt Oxymel scilliticum ad epilepsiam, de quo videatur ZACUTUS LUSITANUS *l.* 1. *Med. Princip. Hist.* 29. Huic scillæ si adjiciatur in melle, vel aceto stœchas Arabica, eò præstantius remedium evadere dicunt ad epilepsiam & vertiginem, uti vult FREITAGIUS *in Aurora Medicorum*.

In usu est etiam *Syrupus scilliticus* pro iisdem usibus.

SEBESTEN.

Sebesten fructus est parvus exoticus referens ferè prunum; vocantur etiam à quibusdam Myxaria; sed rarò. Hi Sebesten Germanis audiunt *Schwartz Brust-Beerlein*, propter egregium usum, quem habent in affectibus pectoris, & sunt ferè ejusdem naturæ ac usus cum jujubis, de quibus *superiùs*.

Temperati sunt admodum, & quasi medii inter pruna & jujubas, unde temperando & corrigendo acrimonia lymphæ, in fauces & asperam arteriam transudantis & corrodentis, conducunt; in quod etiam de affectibus urinariis, ex nimia urinæ acrimonia ortis, verum est, quam ipsam similiter temperat & obtundit, si hoc decoctum vel solum, vel cum jujubis ad ℥vj. frequenter manè usurpetur, & loco horum sufficiunt solæ passulæ, nisi quod à quibusdam loco laxativi adhibeantur.

Electuarium diasebesten, quod leniter purgat, & acrimoniam humorum attemperat & infringit, etiam prostat: sed non amplius in usu est.

SECALE.

Secale est frumenti genus, ex quo conficitur noster panis usualis, & ex quo se offerunt *Farina* & *Furfures*.

Farina & *furfures* nunquam internè in usum veniunt Medicum, sed saltem externè. Et quidem farina pro discutiendis, resolvendis, & suo hinc modo emolliendis tumoribus in cataplasmatis, vel adspersione nuda in tumoribus præprimis erysipelaceis convenit. Furfures autem insignem vim obtinent abstersivam, & interdum incoquuntur clysmatis, ubi opus est abstersione intestinorum; vel & sacculo inclusi & impositi, imprimis cum sale, egregiè discutiunt, & flatulentias dissipant; sacculis inclusi, & cum aceto ebulliti, in tenesmo dysenterico ano optimè admoventur.

Inter Præparata secale exhibet imprimis panem, qui satis quidem est usitatus in esu communi; nihilominus idem non est rari usus in medicina.

Panificii aliàs artificium consistit in fermentatione secalis. Dum enim per aquam affusam excitantur salia, acidum & urinosum, fermenti æquè ac farinæ fit motus fermentativus, mediante quo in omni semine resolvitur omnis mucilago; & dein ex salibus resolutis excitatur spiritus acidus volatilis: Tostio deinde in clibano facit, ut salia illa nondum penitus spiritualisata remaneant in concreto, quæ habent saporem acidulum, volatilem tamen. Duo ergò hic fermentationis commoda observantur:

1. Ut mucilago omnis resolvatur, &
2. Ex salibus resolutis excitetur spiritus acidus volatilis, qui stomacho nostro est gratiosissimus, quatenus est naturæ congeneris.

Unde est, quod panis nunquam sui nauseam pariat stomacho ob spiritum hunc volatilem, utut quotidie comedatur; cum nimirum symbolizet, & amicitiam mutuam colat cum fermento stomachi.

Dum coquitur panis, avolat ejus spiritus reverà analepticus, & quem meritò omnibus perlatis aquis meritò præfert BECHERUS *in Phys. subterr.* Spiritus acidus exhalans ex pane solet compescere & curare vomitum, item nauseam, ac fastidium, si naribus saltem admoveatur. In morbis imminentibus panis appetitus amittitur, & in reconvalescentia eum ventriculus primum, tanquam homogeneum, appetit, sicut cum reliquis cibis panis assumptus est quasi fermentum ciborum & stomachi, cujus intuitu vocatur *Theriaca alimentorum*: è contrà minus ritè fermentatus pessimus est, & digestiones turbat.

Externè usurpatur in confortando stomacho, si recipiatur crusta vel frustulum panis torrefactum vel tostum, adspergitur aceto & pulveribus aromaticis, v. g. cinnamomi, nucis moschatæ, zedoariæ, & pauxillo croci, sicque applicatur regioni stomachi, quod ad cholerem sistendam, vomitus nimios, post medicamentum vomitorium

nimis

nimis fortè ortos, compescendos, & sedandam nauseam, est egregium medicamentum: quod ipsum tamen adhuc feliciùs præstant panes melliti, Germ. *die Pfeffer Kuchen*. Unde etiam panis recens solet olfactum, inhibere post medicamentum ingratum, vel purgans assumptum, quò minus vomitus & nausea sequatur; imprimis, si panis aspergatur aceto simplici, vel rutaceo; sic enim solet compescere vomitum.

Deinde talis crusta panis, vel recens, vel leviter tosta, & spiritu vini, vino Malvatico, aut balsamo embryonum irrorata, & umbilico applicata, convenit in roborando fœtu, & præcavendo abortu.

Panis si denuò fermentetur, dat spiritum volatilem inflammabilem; per se autem arefactus dat per retortam spiritum acidum volatilem, unà cum oleo empyreumatico. Cum spiritu hoc in rectificatione per phiolam altam aliquid etiam salis volatilis simul latera cucurbitæ occupasse observavi; quæ egregium obtinent usum in confortando stomacho, & in succurrendo ejusdem symptomatis. Idem spiritus acidus videtur mihi proximè accedere ad naturam spirituum lignorum, adeòque erit compositus ex acido volatili, & spiritu oleoso volatili; hinc magnum obtinet usum in operationibus Chymicis, dum metalla & subjecta mineralia, v. g. Martem, corallia, perlas, antimonium & vitrum antimonii &c. ex parte solvit, & ex iis tincturam extrahit; quę solutiones in tincturas redactę sunt eò magis convenientes & amicæ corpori, quo magis est acidum volatile menstruum. Sed, utut solutio sit manifesta, tinctura tamen ista magis ab oleo, nempè spiritu, quàm subjecto soluto, dependet, cum idem spiritus corallis albis infusus æquè tandem rubedinem contrahat, quàm si rubris affundatur.

Ultra spiritum acidum volatilem cum sale volatili, spiritum panis per fermentationem habet *GREMBS lib. 3. cap. 2. §. 41.*

Quidam etiam *Oleum & Essentiam panis* habent, quæ fit ex crustis exsiccatis, vino generoso, vel Malvatico infusis, quæ digerunt per tres septimanas in phiola benè clausa: hinc destillant per retortam in cineribus igne forti, ubi primo loco *spiritus*, post ultimo *oleum rubrum*, seu *Essentia* instar rubini ascendit. *Spiritus* est elegantissimi saporis, & pro dysenteriis, appetitu dejecto, aliisque stomachi affectibus, egregius, teste *HARTMANNO in Praxi Chym. p.* 178. utut præparationem ibidem reticeat.

Oleum panis commendatur ab *HOEFERO* ad Epilepsiam, imprimis infantum, ut videre possumus in ejusdem *Herc. Medico p.* 13.

SEDUM.

SEdum, Græcis Aizoon, Latinis sempervivum dicitur, quod vitæ sit admodum quasi pertinacis, ac ferè semper crescat. Sedum dicitur satum quasi, quia Veteribus olim in tectis satum fuerit, superstitione hâc suffultis, quod domus hac ratione à fulmine libera sit futura. Germani vocant *Haus-laub*, quod in muris domuum crescat.

Plures sunt ejus *differentiæ*.

1. *Sedum majus*.
2. *Sedum minimum*, seu *Herba Vermicularis*, de qua *infra suo loco*.
3. *Sedum Telephium*, de quo *supra, ubi de Fabaria*.
4. *Sedum* quoque datur *minus arborescens*.
5. *Sedum teretifolium flore luteo*.
6. *Sedum* denique *foliis circinatis*.

Hæc inter *sedum majus* præprimis *in usu* est; ultimorum verò usus incognitus.

Quod attinet sedum majus, hoc ipsum, imprimis quidem *folia*, sunt ex primariis refrigerantibus, alcali volatili occulto copiosâ aquâ diluto constitutis, ut reliqua refrigerantia omnia: Internè rariùs adhibetur.

Extrinsecùs magni usus solet esse ad refrænandum sanguinis ardorem, in morbis acutis & febribus ardentibus: nempè si applicetur sedum contusum, & applicatum capiti instar cataplasmatis, multum solet conferre in phrenitide: applicatur vel plantis pedum, vel regioni frontis; sic enim sedat phrenitidem, & somnum conciliat, imprimis, si misceatur cum lacte muliebri, vel, quod melius est, cum succo cancrorum fluviatilium expresso, & instar cataplasmatis applicetur. In talibus casibus à quibusdam simili modo sedum solet applicari spinæ dorsi; sed hoc periculosum, & nolim esse Autor talis applicandi modi, & hoc vulgari sum contentus. In affectibus faucium inflammatoriis multi est usus sedum: imprimis in angina, si sedum majus cum canchris fluviatilibus contundatur, & succo expresso fauces colluantur, est expertum remedium, quod debemus *PARACELSO*: vid. *SENNERTUS Prax. P.* 1. *l.* 2. *cap* 24.

Folia detractâ interiore cuticulâ, apponuntur clavis & verrucis pedum, manè & vesperi, quas emolliunt, ut possint sensim sensimque exscindi: quod quoque faciunt eadem folia in gangliis & nodis partium tendinosarum & nervosarum imposita, & semper manè & vesperi renovata; emolliunt enim tumorem, ut sensim sensimque invisibiliter disspareat.

Succus hic alcali temperatissimo turgidus refertur inter frigefacientia, & à quibusdam commendatur in nimiis incalescentiis totius corporis, vel in morbis acutis cum ardoribus, sive internè sive externè usurpetur. Internè sunt, qui succum sedi majoris potui miscent in febribus ardentibus, & ut vocant, biliosis, ex vitiato & nimis oleoso sale volatili urinoso massæ sanguineæ, quod corrigit & alterat; imprimis in febribus cum inflammationibus conjunctis conveniet. Externè optimè usurpatur tam in faucibus affectis, quàm æstu totius corporis temperando. In Prunella notha, inflammatione gulæ & laryngis, aliisque faucium affectibus inflammatoriis, à febribus oriundis, succus, vel solus, vel cum sale ammoniaco, egregiè juvat; sic ardorem & squalorem faucium & linguæ coercet, vel illitus, vel cum Aqua exindè destillata pro gargarismate adhibitus: quod remedium commendat *PARACELSUS*; vid. *SENNERTUS loco allegato*. Sæpius fit, ut in ardentibus arescat & arida fiat lingua, imò fissuras propter ariditatem & siccitatem accipiat; in tali casu impositus succus sempervivi linguæ, & detentus sine deglutitione, refrigerat linguam, corrigit siccitatem, & fissurarum dolorem lenit, easque consolidat: cum Aqua vel succo prunellæ potest misceri, & sic erit etiam expertissimum remedium in morbo Hungarico & febribus ardentibus. Quin & idem succus cum nitro applicatus vel plantis pedum, vel manuum volis, æstum febrilem egregiè mitigat. Contra ebrietatem & hæmorrhagiam narium succo additur nitrum & acetum vini, scrotoque circumligatur; sic ebrietas compescitur, & ardor corporis depellitur.

Aqua & Syrupus internè profunt in nimio æstu & ardore morborum acutorum: externè usurpantur pro faucium collutionibus, cum quibus potest misceri succus cancrorum fluviatilium, vel sal ammoniacum pro experto gargarismate in incipiente angina.

SENECIO.

SEnecio vulgaris, seu Ηριγέρων *Græcorum*, Germ *Kreutz-Kreutz*, item *Kreutz Kraut*, nomen accepit à senio, quod promptè senescat, ac per totum vernum æstivumque tempus florere, ac in pappos flores suos explicare soleat. Datur & *senecio pinguis major*, ob folia sua pinguiuscula ita dictus. Hi, utut crescant ubique, pro loci tamen cultura nunc *major*, nunc *minor*: parvi autem, aut nullius ferè, sunt usus, nec memini me legisse præscriptos.

AUTOR multa senecioni tribuit, quæ tamen non scio, an sint experta. Angli succum hujus plantæ Vomitionibus suis immiscere solent.

SERPILLUM.

SErpillum Latinis, ac ἕρπυλλον Græcis, dicitur à serpendo, quod hinc inde humi quasi serpat, Germanis *Quendel*.

Planta est *flore rubro*, & ex nostratibus aromaticis notissima, volatilis & spirituosa; similiter ferè, atque liliorum convallium flores, multi usus in affectibus capitis & uteri, speciatim in affectibus capitis & nervinis à catarrhis affectis, & lymphâ catarrhali acida obsessis, unde pro specifico catarrhali ab Hartmanno habetur. Ciet urinam, & pro affectibus menstruosis mulierum usurpatur.

Exrernè ordinariò ingreditur balnea, Pediluvia ac Fotus discutientes, nervos confortantes, quę in affectibus menstrualibus mulierum conducunt.

Aqua spirituosa serpilli, & ipse *spiritus* pro catarrhis in frequenti sunt usu. Modum docet *Hartmannus in Praxi cap.* 41.

♃. *Serpillum matutino tempore rore adhuc madens*:

Huic conciso affundatur *Vinum generosum*, vel *Malvaticum*, stent in digestione per 14. vel 20. dies; destillato liquori per Balneum Mariæ addatur

Serpillum recens roridum:

digeratur, quoties lubet (quo sæpiùs enim destillatur, eò melior erit aqua) sic fit *aqua spirituosa serpilli* in usu catarrhali & diuretico elegās.

Item *Aquam catarrhalem* ex serpillo cum ligno sassafras *HOFFMANNUS Clav. pag.* 47. & in *Thesauro Pharmaceutico pag* 6. parare docet.

In *MYNSICHTII Armamentario Chym. p.* 316. prostat *aqua benedicta serpilli*, quæ dicitur ab eo benedicta in catarrhis & affectibus catarrhalibus curandis. Et sanè spirituosæ aquæ cerebro & capiti roborando, lymphæ catarrhali corrigendæ, & nervorum tono restituendo egregiæ sunt.

Aqua & spiritus conveniunt valdè in uterinis affectibus, quando menses sunt suppressi, vel nimis dolorosè & inordinatè fluunt.

B. D. *MICHAELIS Essentiam catarrhalem* cum spiritu serpilli ex ligno sassafras paravit, multæ laudis in catarrhis: melius tamen est, si ex succino paretur.

SERRATULA.

SEquitur ratione ordinis alphabetici *serratula foliis integris*, in specie *Serratula tinctoria*. Dicitur *serratula*, quod *folia* ejus *serræ instar* sint *crenata* & incisa; *Tinctoria* verò vocatur, quia *tinctores* hac ipsa *utuntur pro pannificiis* nigro colore *tingendis*, German. *Schart*, fortè à variis crenis & incisuris.

Olim in quibusdam officinis receptum erat decoctum hujus

herbæ in vino, & ad tertias partes consumptum, pro sanguine grumoso dissolvendo, in specie in casu ab alto, & subluxationibus vertebrarum. Hodie verò hujus loco Rubia, & inde paratum medicamentum *Crapp* dictum, solet recipi.

SESAMUM.

SEsamum planta est sylvestris, habet folliculos quadrangulares, ex quibus colligitur *semen*, cui præfertur exoticum ex Asia, quod etiam sæpius, quàm nostras, solet præscribi in cataplasmatis cum semine fœnugræci, ubi opus est emollitione.

Internè commendatur ad augmentandam materiam seminalem. Præ semine tamen præstat oleum expressum, cujus adulterationem videbitis apud AUTOREM: utut internè rariùs usurpetur, quoniam solet excitare nauseam, nihilominus tamen solet commendari internè in pleuritide, non minus quàm oleum amygdalarum dulcium & oleum lini. *Externo usu* itidem est emplasticum, conveniens in emolliendis & suppurandis tumoribus. Idem oleum illitum cum oleo lumbricorum emollit nervos ac tendines, eosque flexiles ac molles facit.

SESELI OFFICINARUM.

SEseli triplex in officinis prostat: *Officinarum*, *Massilioticum*, & *Creticum*.

Seseli officinale Theriacam ingreditur, cujus ratione asservatur, aliàs nullius usus est: Commendatur etiam in mensibus ciendis. Sed quoniam est rarum & carum, non præscribitur.

SESELI MASSILIOTICUM.

SEseli Massilioticum celebris est usus in officinis in affectibus uteri, in quibus solet præscribi internè, purificat egregiè uterum, & menses provocat; item in Epilepsia, per consensum uteri oborta, in specie valdè commendari solet: in Rotulis etiam & pulveribus pectoralibus pro facilitanda expectoratione solet præscribi.

SESELI CRETICUM.

SEseli Creticum, quod ex Insula Candia adfertur, easdem affert vires cum Massiliotico. Cæterùm noto, quod omnia ex Candia advecta remedia ob climatis constitutionem sint potentiora reliquis & operosiora; unde etiam seseli officinali & Massiliotico meritò præfertur Creticum, utut cæteroquin in usu conspirent. Et, quod dixi, climatis constitutionem ad plantarum præstantiam quid conferre, probat etiam Dictamnus Creticus, quorum nullus tantas exerit virtutes, quantas ille, qui ex Italia adfertur.

SIDERITIS.

INter varias sideritidis species præstò est *montana perennis*, seu *hyssopifolia flore albo*. Dicitur sideritis à σιδήρῳ ferro, quòd ferro inflicta vulnera sanet; Germanis *Glied-Kraut*, quod circa articulationes soleat folia ac flores protrudere.

Solet referri inter Vulneraria, sed rarissimi usus est.

Externè tantum in abstergendis sordibus cutaneis, & aperiendis ejusdem poris corporis, quandoque præscribitur: vid. HOEFERI *Herc. Med. pag.* 267. Ubi habet historiam morbi infantis, curati per hanc herbam. Decoquitur herba, & decocto lavantur membra ab impuritatibus subcutaneis depurganda, & poris aperiendis. Mulieres hanc & vulgarem sylvestrem commendare solent in balneis infantum, ob fascinationes & incantationes malè se habentium, cum tamen potiùs sordes in poris stabulantes removendo operari videantur.

SILIQUA.

SIliqua, Græcis κεράτια, Germ. vulgò *das Johannes Brod*, arbor est exotica, quæ in Italia crescit in tractu Neapolitano.

Adfertur ergo hic Fructus ex Italia, cum apud nos non proveniat, satis satisque se commendans dulcedine gustus. Apud nos duæ ejus in usu sunt substantiæ:

1. Dulcis seu ipse succus in capsulis contentus.
2. Ipsa lignea capsula.

Prima laudatur in stomachi & pectoris affectibus, imprimis contra tussim contumacem pro expectoratione & resolutione materiæ tussim causantis: in specie convenit in acrimonia lymphæ, asperitate faucium &c. demulcet enim acrimoniam humorum, simulque lympham tenuem inspissando expectorationi eandem reddit aptam. Hic succus etiam interdum prostat in officinis, dum spontè transudat per saccos, in quibus asservantur siliquæ: si non prostat talis, siliqua contusa ebulliat in aqua simplici vel nymphææ leniter; sic enim aqua elicit omnem dulcedinem succosam, qui succus mucilagineus tanquam Eclegma sensim sensimque deglutiatur ad fauces asperas sopiendas. Viribus enim convenit cum passulis minoribus & jujubis: secretum fuit D. Sanctorii in tussi contumaci & inveterata.

Posterior in substantia comesta sodam imprimis seu ardorem stomachi, ejusque acidum destruit, uti etiam cortex ejus lignosus contra stranguriam usurpatur: acidum enim, quod in stomacho effervescendo, in vesica verò corrodendo, hos affectus producit, absumit, & dum hoc siliquam corrodit, amittit acrimoniam & acredinem, sicque affectus dicti curantur.

Quoad PRÆPARATA, ex siliquis & papavere paratur *Syrupus* διακοδίων *Montani*, quod decantatum & polychrestum remedium est.

Ex succo recenti fit elegans vinum factitium, de quo videatur BORRICHIUS *in Herm. Sap. p.* 122.

SINAPI.

SInapi, Germ. *der rothe Senff*, ad differentiam Erucæ, Germ. *Weisen Senff*, planta est satis cognita imprimis ratione seminis, tam officinis, quàm culinis maximè nota & usitata ob Mostardam, & magnam alit consinitatem cum eruca, de qua *superiùs*, ubi etiam quædam de sinapi, datâ occasione, dicta fuerunt. Quoad electionem est notandum, quod sit eligendum pro usu *Hortense*, idque imprimis, quod est seminis aliquo modo lutei seu flavi. Habemus enim *sinapi semine flavo*, *luteo*, & *albo*.

Semen luteum flore rapi seu *vulgare* tantum est in usu, quod sapore acri, volatili, penetrante, & tantum non caustico turget, ob particulas suas rigidas, acutas & penetrantes, incidentes, & partes sensiles stimulantes, quas per analogiam ad naturam acidorum volatilium referre possumus, ex quo facilè hariolandum, ad quos affectus conveniat. Primò præter natam inde vim diaphoreticam in malo hypochondriaco, quatenus hoc radicem figit in stomacho, valdoperè convenit, dum acrimoniâ suâ crassas mucilagines & tartareos succos incidit, attenuat & resolvit, & ita causam mali hypocondriaci potenter removet. Prætereà quoque, cum ex acido per fermentationem fiant flatus, ordinarium & primarium mali hypochondriaci symptoma, illud ab acrimonia salina sinapi correctum imbecillè euadit, quò minus possit in flatus abire. Ulteriùs si malum hypochondriacum splenem occupet, v. g. in tumore, in scirrho, & obstructione splenis, semen sinapi interno & externo usu est commendatissimum.

Quod dixi de malo hypochondriaco, intelligendum quoque est de Cachexiis, imprimis virginum cum mensium obstructionibus conjunctis, in quibus est egregium sinapi. Excessivus gradus mali hypochondriaci est scorbutus, de quo scorbuto *superiùs dixi* quædam sub Eruca, quod cum illo sinapi egregium antiscorbuticum sit. Scilicet sinapi, cochlearia, nasturtium &c. in scorbuticis pathematis curandis revera conspirant; sicut relatum fuit à viro fide digno, nautas iter ad Indias suscipientes frequenter usos fuisse semine hoc sinapis contra scorbutum, quo partim præservarint, partim curarint illum, in longis navigationibus obvium. Præterea est & stomachicum insigne; acidam ventriculi cruditatem, quæ est, quando chylus non abit in salsum succum, sed materiam viscidam & crassam, tollit, appetitumque prostratum restaurat, ac inde natos per consensum affectus removet, quatenus sal acidum fixum corrigit, & stomachi fermentum volatilisat, & exaltat, ut feliciùs possit in cibos coquendos agere. Notum est, quod unà cum cibis difficilis coctionis, quales sunt carnes induratæ, haleces fumo induratæ, Ger. *die Beuchlinge*, &c. in quibus omnibus est acidum fixum, pro condimento apponatur sinapi, vel cum musto, vel cum aceto subactum: fit enim, quando semen contusum permiscetur cum musto recenti, & sensim sensimque inspissatur in consistentiam, quam obtinet, quidam addunt tantillum aceti, nec incongruo consilio. Tale condimentum est salinum volatile, quod attenuat & incidit alimenta crassa, & incisa, cùm abundet sale volatili acri, corrigit, & dũ ambo fermentantur, in salsum succum, seu chylum acido-salinum, convertit, sicque meritò appetitum acuit, & alimentorum digestionem promovet. Propterea apud Gallos, uti etiam apud quosdam Latinos vocatur *Mustarda*, quasi mustum ardens, quoniam habet saporem acrem & quasi ardentem, & paratum est ex musto & sinapi. De his & aliis pluribus videatur SEBIZIUS in absoluto *Tract. de Alimentorum facultatibus p.* 464. Hinc & in vertigine & imminente Apoplexia ex consensu ventriculi, matutino tempore semen, vel simplex, vel sacchararo obductum, commestum commendatur; vel cum ficubus in formam Electuarii redactum, & jejunè usurpatum est egregium. In febre quartana egregium remedium est semen sinapi interiùs adhibitum, quod plura præstat, quàm omnia Decocta Melanogoga, seu melancholiam præparantia. In affectibus soporosis nulli cedit remedio sinapi, imprimis in præservanda apoplexia, in qua multum facit, tam præservandâ, quàm curandâ: præsertim in senibus est egregium præservativum & munitivum, si singulis manè pugillũ unum seminis assumant, vel solum, vel in convenienti vehiculo jejuno stomacho: quâ ratione assumptum semen sinapi non minus convenit in vertigine essentiali. Hinc etiã pro scopo apoplectico miscetur semen cũ dimidio corrallorũ rubrorũ, & Cardamomi parte una pro Tragea; vel exinde Electuarium cum caricis pinguibus, addito Cardamomo & cubebis, itẽ terreo

quodam

quodam fixo, e. g. cranio humano, paratur. Vel poteſt fieri compoſitio præſervativa ex ſuccino albo præparato, miſto cum ſemine ſinapi & erucæ; quod multis erit conveniens remedium. Ad hæc in reliquis affectibus ſoporoſis, præter apoplexiam, in ſpecie in catarrhis, convenit ſinapi, tam interno quàm externo uſu. In paſſione hyſterica non minus egregium eſt, quàm in malo hypochondriaco, cum paſſio illa tantum ſit ſpecies quædam mali hypochondriaci.

Præter has vires internas *externè* quoque adhibetur in ſinapiſmis ſeu inchoatis veſicatoriis, irritat fortiùs fibrillas nerveas, tactus organum, ſpaſmum excitando, motum ſanguinis ſufflaminando, hinc colliquefaciendo, reſolvendo &c. operatur. Cataplaſma hoc in ſcirrho & obſtructione ſplenis, cephalalgia & affectibus oculorum pro ſcopo averſorio in nucha &c. cum fermento & ſpiritu vini prodeſt. In tumore, ſcirrho, & obſtructione ſplenis, prædeceſſorem habemus *BARTHOLETUM in Tr. de Reſpirat. p.* 431, qui in lienis infarctu, & in lienis ferè induratione, ſummo cum fructu utitur externè ſinapiſmo humido ex ſemine ſinapi & urina, quæ duo contuſa applicat regioni lienis inſtar cataplaſmatis vel emplaſtri: ſic enim ſal volatile ſinapi maritatum cum ſale volatili urinæ penetrat potenter infarctus lienis, & acidum corrigit ac temperat. Formula aliàs *ſinapiſmi* externi poſſet eſſe talis:

℞. *Ferm. rec. acris* ℥j.
Sem. ſinapi cont. ʒvj.

Irrorantur cum *Spiritu vini*, & applicantur pro *ſinapiſmo*.

Vel ſi deſideretur magis *compoſitum*:

℞. *Sem. ſinapi*,
Sterc. columb. an. ℥ß.
Piperis ʒß.
Picis,
Terebinth. an. q. ſ.

M. f. l. a. *Cataplaſma* ſeu *Malagma Rubificans*.

Operatur imprimis ratione ſalis volatilis ſinapi, & ammoniacalis ſtercoris columbini, potenter penetrando cutem, attenuando, reſolvendo, & in liquorem album mutando ſanguinem, puſtulaſque rubras faciendo; de quo modo operandi poſtmodum.

Denique in affectibus ſoporoſis ſinapi contuſum cum aqua betonicæ vel lavendulæ inſtar cataplaſmatis applicetur capiti: item in Lethargo conveniet, ſi pedes fricentur cum aceto, in quo decoctum fuit ſemen ſinapi, quod ſimiliter naribus eſt indendum contra lethargum, & ſimiles affectus ſoporoſos.

Meminit quoque *BOYLE in Tractatu* quodam, ex hoc ſemine *ſpiritum* elicuiſſe *volatilem urinoſum* addita dupla portione *calcis vivę* & parum *urinæ*. Hinc

℞. *Semin. ſinapi* part. j.
Calcis vivę ana vel part. ij.

Contuſis & mixtis affundatur pauca aqua, & per arenam in cucurbita, appoſito alembico, deſtilletur *Spiritus Salino-volatilis acris urinoſus*, antiſcorbuticus ratione Salis volatilis in ſinapi; qui rectificatus odorem ſinapi refert.

Hujus pars j, juncta cum *Spiritus cochlearię* part. ij, affundatur *STROBULIS pini*, & elicitur *ESSENTIA ANTISCORBUTICA* elegans. Idem ſpiritus ſinapi junctus cum ſpiritu liliorum convallium ritè parato, erit egregius in affectibus capitis ſoporoſis, apoplecticis & ſimilibus.

SISARUM.

Siſarum, Germanorum *Zucker-Wurtzel, oder Zucker-Rubigen*, ita dicitur à radice ſuavi & dulci, radix enim eſt alba & ſaporis dulcis inſtar ſacchari. Ad *Paſtinacarum ſpecies*, imprimis verò illas, quæ *Elaphoboſca* dicuntur, videtur eſſe referendum.

In officinis exulat, ac in culinis tantum, quod rectè dicit *AUTOR*, inter Acetaria adhibetur. Si tamen conjecturæ locus ſit, more paſtinacarum vi diuretica non adeò vulgari radix ejus eſt prædita. *AUTOR* dicit, quod cenſeatur ſpecifica antidotus Mercurii vivi: quod, an verum ſit? neſcio: potius in Mercurio vivo, quacumque ratione aſſumpto, expertum eſt *Decoctum Hœchſtedteri*, quo vel hauſtus, vel unguento attractus elicitur Mercurius. Formula eſt talis, quam per incidentiam addere libet:

℞. *Rad. enulę camp.* ℥ij.
Fœnic. ℥iß.

Coqu. in *aquæ comm.* ℔iiß ad conſumptionem tertiæ partis:

Colatura D. S.
Potio Singularis ad 4. *vices*.

Quo poto ſemper expectetur ſudor, & ſic expellitur Mercurius ex corpore, certâ experientiâ *Hœchſtedteri* & aliorum, imprimis ſi ſimul in ore detineatur nummus aureus, qui extractus apparebit albus. Promptè enim accurrit ad aurum Mercurius, & illud inargentat; quod videre poſſumus, quando in una oris parte detinemus Mercurium, in altera aurum: & ſic mercurius extrahitur, in quacunque corporis parte lateat. Sic in cephalalgia, quæ facta eſt à Mercurio in luis venereæ curatione, aurum in ore detinetur, & extrahitur Mercurius: unde in decocto illo uſurpando meritò nummus aureus detinetur in ore.

SOLANUM.

Solanum dicitur quaſi *Sulanum*, quod porcis & ſuibus in medicinam cedere ſoleat. Græcis dicitur στρύχνος, Germanis *Nacht-Schatten*.

Sexdecim ejus *ſpecies* nobis jam præſentes ſunt:

1. *Solanum hortenſe* ſeu *Vulgare*, quod ubique locorum creſcit, & baccas nigras profert.
2. *Solanum* aliud *Matthioli*, *poſt flores albicantes fructus rubros ferens*.
3. *Solanum veſicarium*, ſeu, ſecundùm Arabes, *Alkekengi*, vel *Halicababus*, Germ. *Juden-Kirſchen*, de quo *ſupra ſuo loco* dictum.
4. *Solanum Veſicarium Indicum*, ſeu *Virginianum*, vel *Halicacabus Indicus*.
5. *Solanum Indicum racemoſum*, vel *magnum Virginianum rubrum Parkinſonii*, ſeu *Amarantbus baccifer Mexicanus*, de quo *ſupra*, ubi *de Amarantho*.
6. *Solanum ſcandens*, ſeu *Amara dulcis*, de quo *ſuo loco*.
7. *Solanum pomiferum majus*, *fructu rotundo molli*.
8. *Solanum pomiferum minus*, *fructu rotundo ſtriato molli*.
9. *Solanum pomiferum fœtidum fructu ſpinoſo rotundo*, *longo flore*, ſcilicet *ſtramoneum*.
10. *Solanum pomiferum fœtidum fructu ſpinoſo oblongo*, vel *datura Turcarum* ſeu *Indorum*; de quo *ſuo loco*.
11. *Solanum racemoſum*, *Chriſtophoreana*.
12. *Solanum fruticeſcens bacciferum*, vel *arboreſcens*, ſeu juxta alios Amomum Plinii.
13. *Solanum quadrifolium bacciferum*, vel *Herba Paris*, de quo *ſuo loco* dictum.
14. *Solanum lethale*, aliàs *Solanum* μελανοκέρασον, quod ſcilicet nigra ferat cераſa; Italis *Bella donna*, pulchra fœmina dicta.
15. *Solanum Indicum Montalbani*, ſeu *Tabacum minus*, de quo *ſupra*, *ubi de Nicotiana*.
16. *Solanum Mexicanum flore magno*, ſeu *Flos admirabilis Peruvianus*, de quo *videatur Claſſis* 2. ubi *de Ialappa noſtrate*.

In genere ſolana quævis de vi narcotica plus minus participare videntur: præterea ſucco, ſale alcali turgido, impregnata ſunt, præſertim folia, unde refrigerare, & acrimoniam cauſticam humorum coercere obſervantur, externè admota: Et ex his multiplices ac varii ſolanorum effectus commodè poſſunt deduci.

SOLANUM OFFICINARUM.

Solanum hortenſe, & *officinarum* quod concernit, hoc reliquis temperatius eſt, nullum autem internum habet uſum.

Externè ob vim narcoticam inter Refrigerantia ponitur. Dein folia contuſa leviter imponuntur eryſipelati ad temperandum æſtum: contra cephalalgiam in febribus ardentibus capiti alligantur pro temperando æſtu, & impedienda efferveſcentia ſanguinis. Speciatim in tumoribus duris ſcirrhoſis, etiam ad cancrum declinantibus, quocunque modo externè impoſita, ſingulare quid obtinent; unde in cancris, tam occultis ſeu nondum exulceratis, & ulceroſis ſeu manifeſtis, mitigandis egregium eſt: ſi ſcilicet vel folia integra ſola tantum, vel in mortario plumbeo optimè contuſa, inque formam unguenti redacta imponantur locis, ubi cancer occultus eſt, ut impediatur ejus progreſſus & ulterior exulceratio. Acidum namque cancri occultum & malignum temperant, humoreſque corrodentes blandè mulcent, ut ut non perfectè & abſolute, ſed palliativè tantum curent: item in ſcrophulis ad cancri naturam accedentibus, ulceribus item ejuſdem generis, pari modo uſurpatur.

Aqua deſtillata applicatur externè capiti dolenti in Epithematis in febribus ardentibus & ſimilibus affectibus, uti & cancro exulcerato.

Succus ſolani contra cancrum exulceratum conducit; unde ſemper unguenta & cataplaſmata contra cancrum ſolet ingredi.

Agitatio fit in mortario plumbeo, ut ſuccus hic cum aliis nonnihil de plumbo participet. Nam notum eſt, quod plumbum conveniat in cancro, & acrimoniam infringat. Unde quando fiunt in mortario ſaturnino unguenta, per agitationem corroditur & abraditur aliquid de plumbo, ſicque fiunt gryſea, contra cancrum & exulcerationes.

SOLANUM VESICARIUM VIRGINIANUM seu INDICUM.

Solanum *Veſicarium Indicum* ſeu *Virginianum*, vel *Halicacabum Indicum* primitus nobis detexit & deſcripſit *GVILIELMUS PISO*, Medicus Batavus (qui ſæpius præſens Indiam Occidentalem, & imprimis Braſiliam & Peruviam viſitavit) *in Medicina ſua Braſilienſium*, & quidem ſub nomine *Cameru*, quod rectè vertit *PISO ſolanum Veſicarium Virginianum*. Baccæ ejus non, ut Halicacabi rubent, ſed ſemper flavæ manent, ac ſuavem ſpirant odorem.

Quamvis hocce solanum sit officinis inusitatum, refert tamen modò dictus *PISO*, quod Halicacabo nostrati, vi partim anodynâ, partim diureticâ, utut minori gradu, sit simillimum.

SOLANUM POMIFERUM *FRUCTU ROTUNDO, STRIATO, MOLLI,*

Majus & Minus.

SOlanum pomiferum, *fructu rotundo molli*, ita dicitur ad differentiam ejus, qui est *fructu spinoso oblongo*; estque vel *majus* vel *minus*. *Majus* poma habet instar pomorum Borsdorffianorum, & colore perfectè aureo gaudet.

Ad solana refertur nociva & pro more solanorum anodynum est non adeo tutum. Novi tamen, qui fructu maturo solani hujus pomiferi majoris absque ulla noxa sunt usi. Verùm varia est ventriculorum humanorum constitutio, ita, ut uni noceat, alteri verò non. *Vires* hujus ad fluxus cruentos singulares expertus est *WELSCHIUS Hecatost.* 11. *pag.* 125. *f.*

SOLANUM POMIFERUM FOETIDUM *FRUCTU SPINOSO ROTUNDO, LONGO-FLORE.*

SOlanum pomiferum fœtidum *fructu spinoso rotundo* specialissimè & κατ' ἐξοχὴν dicitur *Stramonium*. Sunt enim *solana* quædam *pomifera spinosa*, quædam *glabra*, quædam *fœtida*, quædam *odora*. Hujus solani fructus maturus se in in 4. partes diffindere solet, seminaque de se hinc inde spargere.

Planta aliàs est ex *solanis malignioribus*, adeoque perquam narcotica; unde ejus usus simpliciter est interdictus, nimirum, tam culinaris, quàm officinalis; reddit enim homines stupidos ac torpidos. Species est *Daturæ Indorum*, quâ mulieres pro demenrandis maritis utuntur. Videatur *ALPINUS*.

SOLANUM FRUTESCENS BACCIFERUM.

SOlanum frutescens *bacciferum*, vel *arborescens*, seu juxta alios amomum Plinii, non est in usu.

SOLANUM LETHALE.

SOlanorum species alia est, quæ vulgo *Bella donna*, ab aliis *solanum lethale*, *Maniacum* seu *Melanocerasum*, quoniam habet fructus instar cerasorum, à *GESNERO l.* 1. *Epist. pag.* 34. *Solanum sylvaticum* dicitur.

Non est in usu, nisi quod folia ejus instar sativi possint adhiberi.

Baccæ hujus, quæ cerasa referunt, maturæ vi suâ narcoticâ periculosæ & interdum lethales observatæ fuerunt à *SIMONE PAULI in Quadr. Botan. p.* 488 Unde ab iis abstinendum: porcis tamen & suibus suave sunt alexipharmacon. Observarunt namque nonnulli, quod si sues tempore æstivo à calore nimio defatigati, post frigidum potum periculosa admodum incurrant pathemata, Solano hoc se rursus fausto cum successu curare soleant.

Radix hujus solani, si ad ℥j in haustum vini infundatur, & hoc vinum infusionis per horam aut dimidiam ante cœnam alicui propinetur, in cœna ab omni cibo abstemium facit, & utut non ægrotet, nec doleat, edere tamen non potest.

Hunc ipsum autem ciborum appetitum possumus recuperare, si postmodum assumatur cochlear aceti, vel succi limonum, quo facto statim restaurabitur.

Bene notandum, curari optimè Narcoticorum virulentiam per acida, sicut hoc ipsum etiam *GESNERUS* tanquam secretum quoddam nemini revelandum suadet.

Utut autem baccarum esus periculosus & lethalis suprà dictus fuerit; nihilominus tamen *GESNERUS*, ceu diligentissimus Vegetabilium simplicium scrutator l. a. refert, quod succus harum baccatum expressus, & ad syrupi consistentiam cum pauco saccharo redactus, sit conveniens & efficax medicamentum, ut cochlearis parvi mensurâ somnum inferat, quascunque fluxiones sistat, & dolores tollat, & dysenterias curet, in quibus curandis, propter vim narcoticam, divinum dicitur remedium.

SONCHUS SYLVESTRIS.

SOnchus *sylvestris Tabernæmontani*, *secundus* in specie, à *BAUHINO Lampsana* vocatur: Sonchus enim propriè sic dictus non est, unde potius ad Lampsana propiùs accedit, juxta *DIOSCORIDEM*, *PLINIUM* &c. Hinc *Lampsana flore luteo* à nonnullis propterea audit. Datur prætereà etiam alia *flore cœruleo*, German. *Acker-Konig.*

Usus ejus nondum hactenus constitit, unde nec officinalis.

Pertinet huc ratione ordinis alphabetici planta vulgaris, ab *AUTORE* neglecta, quæ vocatur

SOPHIA CHIRURGORUM.

SOphia *Chirurgorum* ita dicitur, quod usum egregium Chirurgis subministret. Aliàs etiam dicitur *Accipitrina*, & *Seriphium Germanicum*, item *sanguinaria*, quod sanguinem sistere valeat; Germanis *Sophien-kraut.*

GESNERUS etiam *l.* 3. *Epist. pag.* 118. refert, quod vocetur à *THEOPHRASTO Consolida media*, *Gulden-Grnsel*, & quod in vino calefacta, partique cuidam corporis superimposita, venas & vasa sanguinea, utcunque minima, & latentia sub cute ad superficiem trahere soleat, ut commodè scalpello incidi & aperiri queant.

In usu est non adeò frequenti, maximi tamen facit *PARACELSUS in scriptis*, & eidem multas adscribit virtutes, quas autem ceu secretas reticet. Per experientiam notum est, quod egregia sit vulneraria, & imprimis interno usu in compescendis hæmorrhagiis quibusvis, in specie verò in dysenteria torminosa & fluxu hepatico, quocunque modo usurpetur, sive decoctum per clysteres infundatur, sive potetur, sive sub Essentia vel alia forma propinetur: Sanguinem quoque concretum & grumosum in partibus subcutaneis suffusum blandè discutit, & foras ad superficiem educit; hinc planta hæc contusa externè plagis recens inflictis egregiè medetur.

SORBUS.

SORBUS duplex est; utraque probe distinguenda: nempè *aucuparia* seu *sylvestris*, & *torminalis* seu domestica; utut vulgò hæ duæ malè inter se confundantur. *Sorbus* enim *aucuparia* dicitur Germ *Vogel-beeren*, torminalis verò *Ebsch-beere* pro usu antidysenterico. Fructu quidem conveniunt, sed foliis differunt. In *sorbo* enim *torminali folia* sunt *hederacea*, in *aucuparia* verò *folia* planè *distincta* sunt *à torminali*, & in similitudine & effectu respondent foliis *Sumach* seu *Rhus*, referente *TABERNÆMONTANO*, ubi *de sorbo*, qui utriusque differentiam optimè delineavit.

Utriusque fructus, præsertim torminalis, in officinis prostat, baccæ scilicet ejus tam maturæ, quàm immaturæ.

Miram habent vim vulnerariam adstringendi, & acrimonias corrosivas in primis viis absorbendi, indeque experimenrum sunt vulgi non rarò optimum in omnibus fluxibus alvi, in specie diarrhœis & dysenteriis, præsertim epidemicis. Præstantiores sunt pro hoc scopo *fructus nondum* exactè *maturi*, sive exsiccatæ pulveris formâ à ʒß ad ʒj; sive ex iisdem contusis aquæ affusione & decoctione *Rob* paretur, & in quadam aqua destillata, vel in vino, vel etiam in cerevisia calida, assumatur. Cum enim Lipsiæ hîc Anno 1669. & 1670. dysenteriæ & diarrhœæ epidemicè valdè grassarentur, Rob & pulvis baccarum sorbi torminalis in cerevisia calida medicamentum erant euporiston optimum. Loco ejus sorbus aucuparia recipi solet & potest, imprimis verò baccæ ejus nondum exactè maturæ, quæ saporem habent utcunque acidiusculum & adstringentem, & cum fructu acaciæ sylvestris conveniunt: id quod de omnibus ejusmodi fructibus immaturis verum est. In stomachi ardore seu soda iidem fructus exsiccari valdè commendantur. Baccæ verò maturæ sunt dulces. *Ex hisce maturis succus inspissatus* gustu suavis, in recessu verò perquam acris est; succus verò ex baccis non adeo maturis expressus saporem habet austeriusculum, qui egregius est in quibusvis dysenteriis & diarrhœis, & vel per se, vel tanquam corpus in Electuariis loco conservæ rosarum adhibetur. Ipsum Rob quoque ex fructu sorbi aucupariæ maturo, profectò rusticum, sed optimum experimentum est pro stomacho, appetitum dejectum, & digestionem vitiatam feliciter restituens. Novi mulierem, quæ Rob tanquam medicamentum domesticum in appetitu deperdito, item inflatione ventriculi, dosi, quantum cultelli cuspis capit, feliciter adhibuit. Si verò Rob sorbi torminalis haberi potest, longè melius est, quippè quod isto est excellentius.

SPICA.

SPica triplex est: vel *nostras*, vel *Celtica*, vel Indica. Spicæ nostratis congener species aliàs vocatur *Lavendula*, quæ dicitur *fœmina*, *Lavendula angustifolia*, *spica* autem *mas*; seu *Lavendula latifolia*, quæ non præscribitur in officinis, sed usitatius Lavendula: v. g ♃. aquæ lavendulæ: nunquam aut rarò spicæ. Datur prætereà etiam *Lavendula peregrina folio multifido* seu *laciniato*, *flore cœruleo*; quæ tamen non est in usu. *Spica* est odoris admodum grati, Lavendula ingrati. Vocatur aliàs *spica nardi nostratis*, aut *Pseudonardus* ad differentiam veri, de quo postmodum; quæ etiam verum nardum similitudine quodammodò repræsentat, hinc Germanicè *Spicanard.*

Hæc ipsa spica, & imprimis flores, tam spicæ quàm, lavendulæ sunt aromaticæ, quam vim aromaticam subtilem satis & penetrantem, in oleo salino volatili acri admodum penetranti fundatam, sapore & odore testatur; unde usus ejus Medicus est nervinus, & hinc cephalicus, atque uterinus. Certè in uteri functionibus promoven-

vendis egregia est admodum; Oleositate enim suâ aromaticâ atoniam nervorum restituit, indeque dependentia sensus & motus vitia optimè corrigit. Ideò etiam in apoplexia & paralysi, item in catarrhis & affectibus catarrhalibus, remedia ex spica & lavendula parata maximè sunt experta: uti & in memoriæ debilitate & paralysi summitates florum spicæ & lavendulæ admodum in usu sunt, & omnes *aquas apoplecticas*, & *spiritus cephalicos* ordinariò ingrediuntur. Remedia inde parata in amissa loquela sunt singularia: Sic RULANDUS *Curat. Empir.* beneficio spiritus vini, cui flores lavendulæ fuerunt infusi, curavit virum 70. annorum aphoniâ laborantem, cochleare j. pro dosi propinando. Distinguendum tamen inter amissionem loquelæ, & vocis: Illa enim oritur ex vitio linguæ; hæc vitio laryngis. ZACUTUS LUSITANUS *l.* 5. *Med. Princ. Hist.* 57. multus est in explicanda lavendulæ facultate ceu utilissimi stomachici. Nota est mulierculis vis lavendulæ & spicæ uterina; quæ simul roborat uterum, & fœtum & menses pellit. Ad hæmorrhagias, imprimis quidem uteri & narium, specificè adhibet pulverem spicæ nardi ad ʒj. in aqua plantaginis RIVERIUS, qui valdè commendat hanc spicam nardi in hæmorrhagia narium ad ʒj. adhibitam in aqua dicta, vel succo portulacæ, similibusque simplicibus. In ore detenta & masticata multum commendatur spica à FREITAGIO ad inhibendos catarrhos, & faucium affectus; quoniam instar masticatorii subtilis lympham derivat in os per ductus salivales, ut possit excerni.

In officinis prostat imprimis *Conserva*, quæ est Cephalica: Confectiones itidem.

Aqua florum Lavendulæ, eaque legitimè destillata, multum comdatur ad amissam loquelam, in qua commodè permiscetur cum spiritu cerasorum nigrorum, additâ Quintâ Essentiâ Matthioli, vel aliquot guttis olei destillati anisi, vel oleo caryophyllorum; uti & oleo destillato succini: quæ omnia destillata multum commendantur in paralysi linguæ. Externè insignis est pediculorum hostis: certè, si caput abluatur Aquâ spicæ, mirè exinde fugantur pediculi; id quod etiam in cæteris corporis partibus, v. g. pubis, præstat.

Denique *oleum spicæ destillatum*, quod ex Brabantia adfertur, in nervorum ac tendinum relaxatione, (quæ relaxatio est genuina veterum paralysis,) affectibus paralyticis, à nimia eorum humectatione à lympha serosa, ac propriè paraplegiis, doloribus artuum lancinantibus multum prodest, sive internè guttæ iv. vel vj. propinentur in vino, sive oleum hoc cum spiritu vini crebriùs membris illinatur.

Porrò *Oleum* quoque in paralysi linguæ est egregium, uti etiam externè cum oleo lumbricorum terrestrium in spasmo & similibus affectibus est proficuum, atque in litibus nervis dicatis frequenter adhibetur; unde affectus abdominis convulsivos, v. g. hystericas passiones, admodum coercet, regioni umbilicali illitum; regioni verò pubis inunctum menses stimulat, & fœtum promovet, vel solum, vel cum ana olei succini mistum. In specie verò contra pediculos nil melius est oleo spicæ. Certè, si modo vesperi sub introitu lecti capiti, aliisque locis pilosis, pediculorum latebris illinatur, vel solum, vel cum unguento pediculari, vel oleo nicotianæ, aut oleo amygdalarum dulcium, aut cum aliis mistum, hos mirè fugat, hincque manè omnes interfecti reperiuntur, atque tunc lavetur caput, ut oleum & pediculi removeantur: ut autem ab eorum regeneratione præservetur caput, aquâ spicæ lavetur. Sic THONERUS *in obs. pag.* 322. pediculos capitis fugavit numero magno præsentes, dum capiti oblinivit oleum spicæ, vittâ contegit, & per noctem reliquit: matutino tempore cum lixivio decoctionis spicæ lavare jussit caput, quo abluto, pediculi mortui deciderunt: Id quod etiam in cæteris corporis partibus, v. g. pubis præstat; sicut non tantum SCHENCKIUS *l.* 4. *observ. de Testibus.*, sed & SENNERTUS *l.* 3. *Prax. P.* 9. *S.* 2. *cap.* 1. *pag.* 946. commendat contra pediculos in partibus genitalibus. Quidam ad fugandos pediculos sub axillis & in partibus genitalibus se illinunt unguentis mercurialibus; sed hi sunt inepti ad venerem, utpotè penis erectione inde priventur, & observatum est, quendam fuisse correptum febre ardente ex tali inunctione; oleum autem spicæ inungitur regioni pubis, absque læsione facultatis genitalis: vid. SCHENCKIUS *l. alleg.* Contrarium exemplum PANAROLUS *in Pent.* 4. refert, quendam contra pediculos pubis fugandos crebriùs Mercurii litu, sed admodum infeliciter, usum fuisse, qui continuò penis erectione exinde laboraverit; simul ac verò membrum oleo spicæ fuit illitum, ad pristinum statum membrum est revocatum, ac pediculi etiam fugati. In tinea capitis infantum, præprimis cum pediculis conjuncta, optimus est litus (lotione capitis præmissa) qui fit ex oleo tartari per deliquium, cum s. q. olei amygdalarum dulcium subacto; cui s. q. olei spicæ destillati potest addi. Hoc illitum capiti ratione alcali tartari tineam curat, & ratione spicæ pediculos jugulat.

SPICA CELTICA.

SPica Celtica seu *Nardus vera*, planta exotica est, crescens in Italia, Liguria, & Tractibus Genuensibus. Aromatica est, fragrans, pretiosa, & caro pretio venditur, & propterea rarò adhibetur, nisi in confectione Theriaces, ubi à Veteribus fuit usurpata.

Singulare aliàs est Carminativum & uterinum.

SPICA INDICA.

SPica Indica, seu *Nardus Indica* ex Indiis Orientalibus adfertur per Asiam, & similiter est cara & rara, utut, uti quamplurimæ plantæ Indicæ, sit elegans.

Stomachica est & uterina, ut & nephritica, sicuti reliqua omnia aromata. Ipsa tamen per se rarò adhibetur, nisi in compositione Theriaces.

Inter PRÆPARATA ad usum vocatur *Oleum Nardinum simplex*, de quo vid. AUTOR; & *compositum*, quod in affectibus nervorum, spasmo, paralysi, & similibus, cum oleo laurino & similibus valdè solet commendari.

SPINACHIA.

SPinachia in officinis usualis est *spinoso semine*, seu *Lapathum hortense*, quæ aliàs dicitur *spinachia nobilis*. Colitur in hortis, & culinaris magis quàm medicamentalis est, utut non penitus exulare debeat ex officinis, quoniam in quibusdam convenit cum parietaria, & abundat succo copioso nonnihil nitroso, quâ ratione inter emollientes, & moderatè refrigerantes refertur; alvum enim laxat absque ullo sensu (non purgat) & eandem emollit, fluidamque reddit, simulque ebullientes circa primas vias, acres, acidos, & biliosos succos temperare, indeque natos ardores & phlogoses solet mitigare; sal volatile nimis oleosum corrigit, & tempore æstivo valdè est conveniens nutrimentum.

Externè inflammationes sistendo, dolores ab acido natos mitigando, partium hinc natas tensiones sufflaminare, & hinc emollire dicitur.

Præter Spinachiam hanc præsto nobis quoque est

SPINACHIA BACCIFERA.

SPinachia baccifera aliàs, & quidem rectiùs atriplex baccifera, seu fragifera dicitur. Planta est elegans ac rara, quæque in hortis saltem colitur. Baccæ ejus maturæ rubræ saporem habent gratum.

Usus ejus nondum innotuit: si tamen suspicari licet, cum species sit Atriplicis, ejusdem erit efficaciæ.

Pertinet huc

SQUAMARIA.

SQuamaria, quam AUTOR noster omisit, *species* est *Dentariæ*, de qua nihil apud Veteres: modernis tamen à quibusdam contra epilepsiam commendari solet. Vid. HOFFMANNI *Clav. pag.* 553.

Præsto est, & propter ordinem alphabeticum hìc jungitur

STÆBE VULGARIS MAJOR ANGUSTIFOLIA.

STæbe hæc *Cyanum æmulatur*, unde *Cyani*, *stæbæ*, *scabiosæ*, & *Jaceæ* facilè, nisi quis exactè noverit, *confundi possunt*. Cum vero scabiosa & cyanus usum Medicum suppleant, hinc stæbæ & jaceæ non ingrediuntur officinas.

STAPHIS AGRIA.

STaphis agria apud nos est exotica, imprimis in Italia crescit in copia, culturâ tamen apud nos in hortis provenit. Vocatur *Herba pedicularis*, in officinis vocatur *Triquetrum*, Germ. *das Buckel-Horn*, propter formam triangularem.

Internè à veteribus usurpata fuit pro scopo laxante & purgante, uti & pro apophlegmatisante, qui tamen usus apud modernos exolevit, à quibus non multum adhibetur.

Externè in phthyriasi ad fugandos & enecandos pediculos & similia usurpatur; scilicet semen hoc contusum coquitur in lixivio, & caput eodem lavatur, vel cum butyro recenti non salito miscetur in formam linimenti; & mirum est, quod quando pediculi hoc sentiunt, in fugam omnes se recipiant; quotquot enim ab hoc unguento attinguntur, interficiuntur monente HORSTIO, qui dicit in *Disp. lib.* 1. *cap.* 7. quod sicut staphis agria vi incognitâ pediculos, ita conyza pulices necet. Aliàs nullius est usus.

STOECHAS.

STæchas est vel *Arabica*, vel *citrina*; de quibus deinde.

Stæchas Arabica est planta non vulgaris, quæ olim ex Arabia felici ad nos fuit allata; ea autem, quâ nos utimur hodie, in Braban-

tia, provincia Galliæ, circa montem Vesuvium crescit, quæ tamen non æquat vires Arabicæ.

Vis illius est aromatica planè elegantissima, & odorem volatilem penetrantem & pergratum habet, qui magis de sale volatili quodam oleoso participare videtur. Herba recens valdè & specificè convenit in capitis & cerebri affectibus, fenum præprimis, ut & in affectibus uterinis: imprimis sterilitati, & mensium suppressioni succurrit, pro quibus ciendis solet infundi potui, ut vis emmenagoga huic communicetur. Unde omnes ferè compositiones cephalicas solet ingredi flos seu parva spica: videatur AUTOR. Ingrediens quoque est *Theriacæ* seu compositionis Theriacalis *Andromachi*. Præterea virtute aromaticâ excellit hyssopum in affectibus pectoris, unde in tussi, asthmate & similibus commendatur, & Claretis, pectoralibus sæpissimè admiscetur, quoniam partes crassas incidit, & vi aromaticâ instar croci partes læsas roborat, ut & partes nervinas.

In officinis conficitur inde *Syrupus de stœchade simplex & compositus*, qui cum stœchade Arabica earundem sunt virium.

Stœchas citrina, Germ. *Reint-blumen*, apud nos provenit in hortis, putaturque quasi *species quædam agrimoniarum*; sed *malè*.

Hepatica est, id est in corrigenda Massa Sanguinea, & alteranda, ac restituenda ejus fermentatione legitima convenit, quod aliàs hepaticis tribuitur. Urinam ciet, & recens abstergit, earumque materiam crassam ac sabulum attenuatum expellit: lumbricos enecat.

Externè in lixivio adhibetur pro lotione capitis ad capillos colore flavo tingendos, & pediculos fugandos. Nunquam aliàs vidi ejus usum.

SUCCISA.

SUccisa vocatur etiam aliàs *Morsus Diaboli*, & propterea nomen hoc obtinuit, quod radix ejus rarò integra, sed ex una parte mutila reperiatur, quamque Diabolus, generi humano infensus, propter vires egregias, quas habet, abscidisse dicitur. Reverà *species* est *scabiosæ*, & in multis cum illa convenit quoad vires & proprietates; hinc etiam simul præscribuntur. Vid. *Autor noster*.

Multi est usus, sive *Radix*, sive *Folia*, sive *Flores* usurpentur. Imprimis *Radix* vi alexipharmacâ, ac blandè diaphoreticâ pollet, & in ciendo sudore ad ℨj. multum commendatur, quâ præfertur adhuc scabiosæ: quasuis etiam compositiones Theriacales ingreditur; unde facilè possumus colligere, ad quos usus etiam aliàs conveniat. Deinde est vulneraria, & interno & externo usu valdè commendari solet; hinc sanguinem coagulatum dissolvit quoque ac dissipat, indeque commendatur præcipuè ad pleuritidem & pectoris empyema resolvendum.

Externè in angina, & faucium tumoribus, uti etiam in vulneribus ad suppurationem venientibus, aliisque affectibus faucium & tonsillarum, egregia est succisa, Gargarismis incocta: sicut in his affectibus elegans est Gargarisma, quod habet TABERNÆMONTANUS ex Herba succisæ, scabiosæ & betonicæ: Recepit nempè *succisæ* partes duas, & *scabiosæ* & *betonicæ* part. j. decoxit, & in decocto colato dissolvit

Rob dianuc.
Diamor. an. ℥iß.
Albi Græci pulver ʒß.

Nam album græcum est singulare specificum in suppurandis ac discutiendis tumoribus, & inflammationibus faucium, atque excellens Vulnerarium. Loco hujus Decocti possunt assumi

Aquæ succisæ ℔ß.
Scabios.
Beton. an. ℥iij.
& dissolvi in illis
Rob dictor. ab ℥j ad ℥iß.
Vel:
♃. *Herb. succisæ* M. jv.
Scabiosæ,
Beton. an. M. j.
Albi Græci ʒß.

Coqv. in *aqua simplici* q. s. Colatura edulcoretur cum *Melle*.

Crebriùs utatur pro Gargarismate.

Decoctum enim hoc cum melle conditum purificat & mundificat insigniter.

In ulceribus malignis valdè solet commendari succisa, non minus etiam, quàm scabiosa: imprimis succus harum expressus, in bubonibus & carbunculis suppuratis; item in aliis ulceribus malignis multum commendatur.

SYMPHYTUM.

SYmphytum majus, seu quod vocant officinale, Latinis vocatur κατ' ἐξοχὴν *consolida major*, Germanis *Wallwurtzel*. Species hujus plantæ variæ sunt: *album* nimirum, *cæruleum* & *purpureum*, uti & *luteo flore*, quæ ultima omnium est rarissima: omnibus tamen *præfertur flore purpureo*. Vocatur ab effectu *solidago* seu *consolida*: Insignem enim vim obtinet consolidandi in vulneribus externis. Substantia hujus plantæ est mucilaginosa, quæ mucilagine suâ oblinit partes vulneratas. Radix hujus pro usu Medico colligenda est mense Martio & Aprili, & quidem in plenilunio, quo est tempus balsamicum, & ejus vires in maxima deprehenduntur exaltatione, ut vocant.

Usum quod attinet symphyti majoris, usitatissimum est inter omnia Vulneraria, præsertim radix, & hinc etiam folia, usu pariter interno & externo. Vis ejus consistit in substantia mucilaginosa singulari, balsamicâ, quamvis acrimoniam humorum temperante, glutinositate suâ partes vulneratas quasi consolidante, & in casibus certis ab injuria externa, ratione consistentiæ mucilaginosæ, egregiè defendit. Unde internè & externè in vulneribus est proficua; & præ aliis in ulcere pulmonum, pro hujus glutinatione, usus istius commendatur valdoperè. Balsami enim instar quasvis partium læsiones corrigit, acidum vulnerum & ulcerum corruptivum temperat, & optimè quibusvis læsionibus & erosionibus partium externarum & internarum opitulatur. Internè imprimis sub forma Essentiæ vel Extracti, vel Syrupi adhibetur: quorum præparationem subministrat AUTOR in *Catalogo Præparatorum*. TIMÆUS *in Epist. pag.* 127. Decoctum compositum habet contra hæmoptysin & omnes sanguinis fluxus, cujus basis est symphytum: Ritè interim coquitur pro usu interno, ne decoctum reddatur mucilaginosum, & nimis viscosum, quæ mucilago ingrata reddit assumpta; ob quem finem non nimis diu coquatur, sed quando resolvi incipit mucilago, sufficit. Nec in infusione commodè potest adhiberi: Refert enim HOECHSTEDTERUS *Dec.* 3. *Cas.* 5. quod cuidam rustico, ex haustu vini, in quo hæc radix macerata fuit, guttur, faucesque adeò præclusæ & quasi conglutinatæ fuerint, ut nihil deglutire potuerit; qui tamen haustu aceti iterum curatus fuit, quod mucilaginosam vim incidit & abstersit. In decocto ergo, uti dixi, & Infuso non commodè usurpatur; optimè verò in Essentia vel Extracto, vel Syrupo. ZWELFERUS *in Pharmacopœa Regia Edit. ult. p.* 233. subministrat modum, quo debeat coqui Symphytum, ut possit assumi; quod potest videri ab aliis, qui gaudent & delectantur Decoctis Galenicis. HOECHSTEDTERUS cum vino Malvatico infundit & propinat in febribus quartanis.

Externè Radix in balneo juvat virgines defloratas; genitalia enim iterum conglutinat, ut pro virginibus possint haberi: quale exemplum allegat HOECHSTEDTERUS *l. a. in scholio*. Mirè enim adstringit mulierum partes genitales. In contusionibus, incisionibus, & puncturis partium externarum, maximè nervearum, similibusve, ubi opus est auxiliis Chirurgicis in vulneribus externis, mirè præstat, & sanguinem grumosum dissolvit: sicuti dixi, ubi de sigillo Salomonis, quod sit singularis in contusionibus, suffusionibus & ecchymomatis; sic contra suffusiones ex *symphyti* p. ij. & *sigilli Salomon.* part. j paratur *Cataplasma* vel *Unguentum*. Contra easdem contusiones & suffusiones elegans hoc est *Cataplasma* ex basi symphyti, cujus hæc est compositio:

♃. *Rad. symphyti maj.*
Minor. an. ℥iij.
Far. fabar.
Fœnugr.
Pulv. flor. Chamam.
Melil. citr. an. ℥j.
Croci ℈j.

Coqv. ex aqua; & primo loco quidem radices: Decocto add:
Pulv. absinth.
Sem. cumini an. ʒß.

F. l. a. *Cataplasma*, egregium ad Contusiones.

Præterea in vulneribus conglutinandis ac curandis præsentaneum remedium est symphytum: Dicunt namque, quod ollæ inditum, in quo coquuntur frusta carnis, à mucilagine symphyti denuò conglutinentur, ut fiant quasi unum frustum; quare extrinsecùs applicatum, mirum quantum consolidat vulnera, eaque ad sanitatem perducit. In fracturis nil melius est symphyto, si scilicet extrinsecùs applicetur loco fracto *Cataplasma*, factum ex *symphyto* contuso, permisto cum *pulvere Osteocollæ*; vel etiam, si fiat tale Cataplasma ex symphyto majore, & ex geranio rubro, seu sanguineo. Ulterius Decoctum mucilaginosum symphyti majoris prodest in vulneribus & contusionibus, imprimis nervorum, articulorum & tendinum, quæ præ reliquis omnibus sunt periculosissima & difficillima curatu, quoniam facilè degenerant in ulcera sordida, & hinc abeunt in gangrænam. Dein in inepta venæsectione, si nervus subjacens læditur, & vena transfossa, ubi tumor & dolor enormis ob tendinem subjacentem læsum accedit, conveniunt folia symphyti contusa recentia, vel dicto modo applicata. Similem effectum habere dicuntur *folia betonicæ*, si scilicet quis punctim læsus, & nervus fuerit affectus, & inflammatio cum dolore horrendo invaserit: vel

♃. *Fol. betonic.* part. j.
Radic. symphyt. maj. part. ij.

Applicetur.

Vel symphytum pulverisatum cum vino calido in forma cataplasmatis apponatur venæ vel vulneri, si recens haberi nequeat, & statim exinde talia gravia symptomata curabuntur.

Præter vim, quam habet consolidativam symphytum, in specie

fpecie convenit, quod impediat fanguinis curfum, vel motum, nimiafque hæmorrhagias in vulneribus recentibus.

Mucilago radicis fymphyti applicata, vulnera admodum confolidat, & herniis quibufcunque, tam umbilicalibus, quàm fcrotalibus impofita, remedium optimum eft; harum enim rupturas conglutinat & confolidat, teftante ZWELFERO *loc. all. p.* 233. & 312. Unde non ipfa faltem mucilago inftar optimi Balfami vulnerarii fufficit, fed & incongruè permifcetur cũ Emplaftris vel unguentis vulnerariis in nõ linimenti formam; fi fcilicet fubigatur cum refina laricea, cera & terebinthina, & paretur Emplaftrum, herniis recentibus, & imprimis iis, quæ fubitaneâ quadam rupturâ factæ, imponendum: quod jam fecit BARBETTE *in Chirurgia p.* 218. Ubi habet *Emplaftrum* vel *Unguentum*, quod vocat *Fac Totum* propter ufum egregium vulnerarium, cujus hæc eft compofitio:

℞. *Olei rofar.* ℔j.
Mucil. radic. confol. ℔ß.
Ceræ albæ ℥iv.
Ceruffæ ℥ij.
Litbargyr. aur.
Minij,
Lap. calamin. an. ℥iij.
M. f. f. a. *Unguentum.*

Si in vulnere læfus fit nervus, & dolores ferè intolerabiles adfint, unà cum tumore partis infigni, recipiunt mucilaginem fymphyti hujus, & applicant toti loco affecto, & fic in continenti tumor ceffat, & dolor evanefcit.

Plura de hoc fymphyto vid. in HOECHSTEDTERI *Obfervationibus* & FUCHSIO *p.*658.

PRÆPARATA, quæ habet AUTOR, fatis funt clara, adque eadem conveniunt, ad quæ ipfum fimplex crudum, & nudè ufurpatum.

Proftat *Syrupus de fymphyto Fernelii*, qui egregius eft in dyfenteria, vomitu, fputo, & mictu cruento, vel aliis quibufvis fanguinis excretionibus; unde etiam permifcetur potionibus & mifturis vulnerariis: acidum hoftile primarum viarum corrigit, ac lympham in vulneribus acidam fermentantem alterat.

Extractum fymphyti in vomitu & mictu cruento, vel aliis hæmorrhagiis commendatur: cum pulvere ofteocollæ permiftum, & in fracturis applicatum, mira præftat; ficut & vulneribus, ubi nervus læfus, fi applicetur, mox tumor & dolor ceffant.

T.

TAMARISCUS.

TAmarifcus eft Arbor apud nos exotica, quæ tamen frequens fatis in climatibus calidoribus, imprimis in Italia, ubi frequens vifitur in hortis. Ab aliis vocatur *Myrica* feu *Myrix*.

In ufum venit *Lignum*, *Radix*, & præprimis *Cortex*.

Cortex egregium eft diureticum, Maffam fanguineam, & vifcera abdominis egregiè abftergens, & per urinam evacuans, ac æqualium ferè cum cortice fraxini virium; unde frequenter fimul folent præfcribi in Infufis & Decoctis, item in Effentiis & Extractis, affectibus chronicis, fpleneticis, imprimis autem hypochondriacis, dicatis. Incidunt enim, & refolvunt mucilaginem craffam ac vifcidam, infarcientem lienem, ex qua infarctione folent oriri inflationes vifcerum, & dolores tenfivi, gravativi & flatus. Propterea funt, qui dicunt, quod fi bibatur ex vafe, ex ligno tamarifci confecto, non tantum præferventur, fed etiam curentur affectus lienis. Quin & fpeciatim vi anti-catarrhali non cedit ligno faffafras, fi recipiatur *Cortex ligni* & *radicis fraxini* ad ℥j, & coquatur in ℔vj. *aquæ fimplicis* ad remanentiam partis dimidiæ. Hoc decoctum fi vel folum, vel addito tantillo vini, ufurpetur fæpius, unà cum moderata diæta, optimum remedium eft in affectibus catarrhalibus & artheticis, aliifque ex lympha acriori ortis, ciendo partim continuum urinæ fluxum, partim fudorem; hinc etiam cum aliis decocta lignorum fudorifera & diuretica ingredi folet. Commendatur item contra podagram, anafarcam & contra hydropem, hoc obfervato, ut in dictis affectibus omnis falitorum ciborum nimius vitetur ufus, & alvis femper fit aperta. Eafdem aliàs vires obtinet, quas fraxinus & alia ligna; adeò ut ea, quæ de illis dicta funt, de hoc quoque dici queant; modò excipio vim vulnerariam & fympatheticam: unde cõmodiffimè fraxinus à modernis fubftituitur.

Ex Cortice & ligno tamarifci incinerato proftat in officinis fal fixum, quod eft egregium fpleneticum, & permifceri folet cum pulveribus aperientibus & digerentibus in affectibus fpleneticis, & fimilibus aliis morbis. Ingreditur etiam *pilulas fpleneticas* quorundam Autorũ.

TANACETUM.

TAnacetum eft planta vulgaris, quæ crefcit in locis cultioribus propè rivos. Intelligitur hìc *Tanacetum vulgare luteum odoratum*: Nam datur etiam *Inodorum*, fed hoc non ufurpatur. *Athanafia* à quibusdam vocari folet, & fic interdum invenitur in præfcriptionibus: in fpecie à plebeijs vocatur Ger. *Wurm-kraut*, quod ejus femen & flores contra lumbricos adhibeantur, fimili modo ut *femen fantonicum* feu *cinæ*, quod reverà eft *fpecies tanaceti*: Aliàs à Germanis etiam vocatur *gemeiner Rheinfarren*. Veteres etiam pro aliis fcopis alterativis eodem ferè ufu atque *Artemifiam*, *cujus* quafi videtur *fpecies*, adhibuerunt: omnia enim *Tanaceta affinia* funt *artemifiis*, *matricariis*, *abfinthio*, &c.

Planta hæc fatis amaricans fpirat aliqualem penetrantiam aromaticam, ad inftar ferè *matricariæ*, ad cujus *fpecies* etiam vulgò folet referri, & tribuuntur ipfi eædem vires, quæ matricariæ; hinc & à veteribus & plebeijs contra affectus uterinos & alia tormina abdominis, eodem modo ac matricaria & artemifia, felici cum fucceffu maximè ufurpatur, utut fæpius foleat ufurpari matricaria, quæ magis convenit.

Semen contra lumbricos loco veri fantonici ordinariò fubftituitur, & admodum conducit; non tantum ad vermes inteftinorum, fed etiam ad vermes præcordiorum folet commendari, affirmante SENNERTO *l.* 2. *Praxeos p.*393.

Aqua deftillata tanaceti contra vermes frequenter ufurpatur, & in fpecie contra tormina abdominis & ventriculi.

Paratur etiam *oleum ex tanaceto*, quod internè affumptum, & extrinfecùs inunctum, valdè convenit in pellendis lumbricis, imprimis quando fimul adfunt dolores ac tormina inteftinorum.

Plura præfto funt nobis Tanaceti fpecies: ut

TANACETUM ALBUM ACUTUM.

TAnacetum album acutum in fpecie dicitur *ptarmica Vulgaris foliis crinatis*, fed *non profundè incifis*, ad differentiam *ptarmicæ hortenfis flore pleno*: Germanis vocatur *Weiffe Rheinfarren*, quod propè fluvium Rhenum copiosè crefcat.

Ufum internum habet nullum: *Externè* tamen pulvis ejus radicis, quæ ad pyrethri radicem ferè accedit, inter ptarmica refertur, utut raro, cùm plurima alia proftent.

TANACETUM ALBUM CAMPHORATUM.

TAnacetum album camphoratum in fpecie dicitur *Achillea*, item *Tanacetum millefolium* feu *Stratiotes*. Rarum eft & exoticum, ac faltem, quantum memini, à folo MONTALBANO defcriptum, officinifque incognitum.

TANACETUM CRISPUM ANGLICUM.

EST & *Tanacetum minus vulgare* aliud, *Anglicum* feu *Crifpum* dictum, quod quidem non affervatur in officinis, fed tantum in hortis colitur, & præter ufum contra lumbricos, in torminibus alvi in cerevifia coctum, & ita calidè hauftum, egregiũ eft experimentum.

Denique offert fe nobis adhuc

TANACETUM LEUCANTHEMUM BAUHINI ET TABERNÆMONTANI.

TAnacetum hoc exoticum eft, & in officinis ignoratur.

TARAXACUM.

TAraxacum, quod vulgariter ubique proftat, alio nomine vocatur *Dens Leonis* feu *Caninus*, *Caput* feu *Corona Monachi*, *Roftrum porcinum*, *Hieracium majus fimplex*, *Hedipnos major*, *Cichorium minus*, Germanis *Pfaffen-Rohrchen*, *Pfaffen-Blat*, *Monchs-Cappe*. *Flores croceos* exhibet multifolios, ex quibus *femen lanuginofum* crefcit: *folia* funt *incifa*. Eft reverà *Hieracij fpecies*, quoad *virtutes* cum endivia ac cichorio in pluribus conveniens.

Turget fucco lacteo amaricante fatis acri, cujus vis in alcali lixiviofo volatili, fatis quidem acri, fed non adeò fortiter penetrante, refidet: nam eft etiam alcalibus fua refpublica, quando unum eft penetrantius altero, acrius & temperatius altero, &c. Hinc temperat omne acidum acre in corpore præ omnibus Cichoraceis, abftergit illud in primis viis, & inter plantas hepaticas, feu eas, quæ Maffæ Sanguineæ dyfcrafiam corrigunt & emendant, valdè commendatur: Unde eft, quod in febribus intermittentibus quibufcunque, tam recentioribus, quàm inveteratis & chronicis, fit adeò egregium fimplex, dum infufum vel in vino & expreffum, vel decoctum, vel alio quocunque modo affumptum ante paroxyfmum, illas folet per fudorem curare. Coctum folum hæmoptyfin, diarrhœam, pollutionem nocturnam, vel gonorrhœam fimplicem; cum lentibus verò dyfenteriam dicitur fiftere.

Extrà folia contufa & nuchæ impofita in affectibus & inflammationibus oculorum puftulas & veficulas excitat, in affectibus oculorum & capitis proficuas. Maculas oculorum, vulnera quoque & ulcera quæcunque mamillarum dolorifica, ac nigras puftulas pudendorum ac tibiarum, podagram denique calidam, mitigare creduntur: idque non tantummodò fi in fubftantia fua applicentur, fed etiam inftar amuleti multum ipfis tribuitur. Refert nimirum SCHMUCK *in Cur. Magnetico-Mag. p.* 12. quod contra ungues oculorum, Germ. *Wieder die Felle*, contra albuginem, nebulas & maculas, aliofque

que affectus oculorum, valdoperè prosit Radix appensa istius plantæ, quæ vocatur Germ. *Fellris:* ipse tamen nesciens, qualis sit hæc planta, putat esse taraxacum dictum, quod appensum primitus inducat dolorem compressivum, obtusum & gravativum; post hunc sentiant quasi contorsionem oculorum ægri, & his peractis affectus curatur.

Præterea *succus* lacteus ejus acris intensè amaricans recenter expressus optimè temperat acidum in corpore peccans; hinc in morbis chronicis, hepatis & mesenterii obstructioni adscriptis, item in febribus intermittentibus, imprimis tertianis, & putridis inveteratis, certè non est remedium contemnendum. Item in curanda pleuritide & sanguine grumoso solvendo egregius est; hinc & Misturis antipleuriticis miscetur, si scilicet succi ℥iß. misceatur cum aquis appropriatis, additis lapillis cancrorum fit mixtura optimè dissolvens sanguinis grumos; qualia exempla habet *BARBETTE in Praxi*, & etiam *in Chirurgia*, qui potiunculâ sequenti pleuriticos aliquot periculosè decumbentes curavit, cujus hæc Compositio:

℞. *Succi tarax. depur.* ℥iß.
Aquæ Plantag. ℥ij.
Card. bened.
Scabiosæ,
Syr. flor. papav. errat. an. ℥j.
Lapid. cancr. præpar. ʒß. M.

Cujus Misturę patiens singulis semihoriis aliquot cochlearia hauriat. Vid. *Praxis BARBETTE pag.* 32. *&* 35. uti etiam *in ejusdem Chirurg. p.* 60.

Hic ipse Autor eundem succum taraxaci commendat similiter in aliis partium internarum inflammationibus, cum febribus acutis conjunctis: & certè ipse in his casibus succum hunc mirè præstare arbitror. Nam obiter moneo, quod istæ febres ardentes, quæ conjunctæ sunt cum inflammationibus partium internarum, ut pleuritis cum inflammatione pleuræ & pulmonum, nephritis cum inflammatione renum; sicut & istæ febres, quas sequitur inflammatio viscerum, imprimis stomachi, item tumores erysipelacei, &c. sunt curandæ eâ methodo, quæ adhiberi solet in curatione pleuritidis; unde idem succus erit egregius in similibus affectibus.

Hinc patet, quod ejusmodi Aperientia, Refrigerantia, Hepatica, &c. simpliciter sale volatili nitroso amaro, sapores acidos in chronicis peccantes alterante, & cruditates primarum viarum abstergente, saltem operentur. Atque hæc ipsa, quæ *modò de Taraxaco*, & *suprà de Cichorio*, dicta sunt, eadem quibusvis intybaceorum speciebus, v. g. Scorzoneræ aliisque similibus succo lacteo amaricante, non tamen caustico, imprægnatis applicari possunt: de quo Intybaceorum diffuso genere vid. præsertim *HOFFMANNUS de Medicam. officin. pag.* 14.

Externè Succus hic in affectibus oculorum commendatur oculis instillatus, leniter morsicat quidem, & pungit, attamen pro visu clarificando, & pro delendis maculis, nebulis, albuginibus oculorum, & abstergenda tunica cornea, succus hic lacteus optimus est, & visus impedimenta tollet, sive solus, sive propter acrimoniam cum aqua fœniculi dilutus. Lintea succo huic, quatenus alcali acri & abstersivo imprægnatus, intincta, ad vulnera quoque & ulcera quæcunque mamillarum, aliaque putrida manantia & sordida pudendorum ac tibiarum purificanda, & pro detergendo eorum pure, optimè conveniunt: quâ facta detersione ipsa ulcera à natura vel spontè consolidari solent; succum enim hunc post nicotianam omnibus præferendum censeo.

Aqua destillata *taraxaci* loco vehiculi aliis medicamentis in pleuritide, febribus intermittentibus & similibus affectibus; externè pro cosmetico, ac contra maculas & pustulas faciei, mulierculis inservit.

TAXUS.

Taxus nota est arbor, quæ non solet esse officinalis, quoniam potius est deleteria, narcoticarum & noxiarum virium, quàm salubrium: & quidem sub taxo morantes fiunt somnolenti & stupidi, captoque somno gravia habent insomnia; unde fit, ut taxo injecta in aqua, in qua stabulātur pisces, illi reddantur stupidi & quasi semimortui, ut ad superiora natent, & manibus captari queant: quæ aqua taxi pota similem corpori nostro potest inferre noxam lethalē.

Videre *de Taxo* possumus *SCHOTTUM in Jocoser. Artis & Naturę*, qui fuit Jesuita Herbipolensis.

TERTIANARIA.

Tertianaria, aliàs *Lysimachia galericulata flore cœruleo*, & *Gratiola cœrulea*, ita dicitur, quod in febribus tertianis curandis commendetur, unde & Germanis *Fieber-kraut*.

Certè sapor ejus amaricans proximè ad centaurium minus accedit, quâ amaritie suâ vi abstergendi, bilemque inertiorem acuendi pollet. Infusum ejus seu vinum medicatum (quod exinde amarescit) item pulvis ad ʒj. ante paroxysmum febrium intermittentium propinatus, ac sæpius continuatus, non secus ac pulvis cardui benedicti, easdem fugare dicitur.

THEE.

De herba *Thee*, utpotè modernis tantum cognita, nihil est in *AUTORE nostro*; in *Appendice* autem *nuper edita p.* 9. aliquid reperitur. Est arbor baccifera habens folia parva quasi bellidis, aut instar myrti, cum parvis in ambitu incisuris: provenit frequentissimè in Insulis Japponensibus, & in tractu Regni Chinensis, unde ad nos affertur. Indigenis propriè *Cha* aut *Tcha* audit. *Folia* sunt *nigroviridia*, præsertim *Chinensium*, sapore amaricante aromatico, nonnihil adstringente. Imaginem & culturam ejus videbitis in *Actis Medicis Haffniens. Volum.* 4. *n.* 4.

Folia tempore verno collecta, & exsiccata in umbra, ad quotidianam reservantur decoctionem; cujus continuato usu, tam jucunditatis quàm necessitatis, tam ipsi bibunt, quàm hospitibus propinant.

Usus est, ut nempe

℞. *Folior. Thee* ʒj. ad ℥ij.

Ebulliant in *aqua fervente*, donec acris & amaricans, prorsusque aromatica, percipiatur decoctio, & subrubrum acquirat colorem; quæ colata saccharo edulcorata, instar jusculi calida propinatur, & ab Autoribus ad quamplurimas ægritudines laudatur.

Saporem decocti majoranæ mihi repræsentare videtur, cui deficit odor: è quibus arguo, vim in acrimonia volatili, paucâ vel nullâ oleositate conjunctâ, consistere.

Tres autem *effectus* habet: *stomachicum*, *cephalicum*, *& nephriticum*.

Quoad *vim stomachicam*, præprimis decoctum hoc aliquantisper saccharo edulcoratum convenit in affectibus stomachi, quem salvum & purum mirificè retinet, & apepsias, cruditates & similia vitia valdoperè corrigit; sicuti Chinenses ipsi potu hoc utuntur ad confortandam digestionem primam, & Massam Sanguineam per urinæ fluxum purificandum. Vnde etiam rarum est apud eos, ut laborent malo hypochondriaco, & aliis vitiis ex stomacho tanquam fonte oriundis; vis enim aromatica omnes cruditates tollit.

Præterea celebre est *Cephalicum*, dum spiritibus animalibus ac capiti singulare robur addit, omni vertigini resistit, & insigniter memoriam aliasque animæ facultates confortat. Adhæc arcet somnolentias, & hominem vigilem absque lassitudine conservat; unde sorbitiones hujus decocti assumentes, totas noctes lucubrando sine molestia & sine labe ingenti transigunt. Id quod innotuit mercatoribus Italis & Belgis, qui, quando diu incumbere volunt scriptioni literarum in domo Germanica Venetiis, præmuniunt se decocto hujus herbæ Thee; quo assumpto, possunt per aliquot noctes absque delassatione exarare literas.

In specie nobilissimum est *Nephriticum & Podagricum*; unde qui hanc herbam in potu assumunt, calculis & sabulo, infestantibus renes & vesicam, non sunt obnoxii; dum partim exturbat & renes extergit, partim absumit acidum in primis viis. Ratione posterioris etiam præservat à calculo & podagra; unde Chinenses & Japponenses, hujus decocto continuò utentes, aut rarò aut nunquam à calculo & podagra infestari solent: Vid. *AUTOR in Appendice*, & *THEODATUS in Valetudinario*.

Quæritur autem: *Annon Thee apud nos reperiatur quoque?* vel *annon loco hujus Thee commodiùs longè nostras quoddam Aromaticum simplex*, nempè vel majorana, vel rosmarinus, vel salvia, vel aliud quoddam succedaneum, *substitui possit*, *quod eodem modo ac pari frequentia usurpatum*, *similes effectus apud nos habeat?* Prius defendit D. *SIMON PAULI*, & herbam *Thee* reverà *eandem* esse putat *cum myrto Brabantica seu Chamæleagno Dodonæi*; Alii autem, qui huic fidem non adhibent, betonicam substituunt. Quod igitur *Myrtum Brabanticam* attinet, identitas hæc secundùm Dn. *PAULI* ex planta arida judicari non potest, uti hoc ostendit *MORISSON de Umbelliferis*; quin & herbæ Thee major adhæret vis aromatica, quàm myrto. Betonica quoque toto cœlo differt ab hac herba. Quid igitur in defectu faciendum? Ego profectò eâ non opus esse arbitror, sed Rosmarinum nostrum, vel aliud simplex aromaticum, illi substitui posse credo, quæ sanè paribus virtutibus stomachicis, cephalicis & nephriticis, pollet, si nimirum decoctum eorum apud nos crebriùs usurpetur, modò conveniens diæta respondeat: & hoc ad imitationem ipsorum Sinensium, qui pro una parte foliorum salviæ nostratis duplum herbæ Thee Belgis obtulerunt: Vid. *Ephemer. Erudit. Anno* 1666. 9. *Augusti*, item *acta Societ. Regię Volum.* 1. *pag.* 191.

Fuit Amicus quidam, qui

℞. *Passul. min.* ℔iv.
Herb. Thee ℔j.

Utrumque separatim decoxit; passularum verò decoctum nonihil inspissavit, Decocto Thee addidit, & ita lege artis fermentati passus est, & sic potum suavem nec inelegantem acquisivit.

Qui *plura* de Thee cupit, potest videre *OLAUM WORMIUM in Mus. pag.* 165. *THEODATUM in Valetud. pag.* 169. *TULPIUM in Observat. l.* 4. *cap. ultimo*, *LINSCHOTTEN in c.* 26. *ejusdem Itiner. varii*, *BORELLUM in observat. l.* 3. *Observat.* 29. *MOELLENBROCCIUM de Variis p.* 117. & denique *HOFFMANNUM in Claue pag.* 556. uti etiam *MANDELSLOH in Itiner. Orient. ab Oleario edito.*

THLASPI.

Thlaſpi, Germanis vocatur *der Bauer-Senff.* Hujus variæ ſunt ſpecies & quidem in genere omnes *plantæ*, quæ *habent burſulas*, ſive *majores* ſive *minores*, generali nomine *Thlaſpia* vocantur, adeò ut ſinapi & eruca, imprimis acri ſapore prædita, ad Thlaſpium genera referantur. Nec per Thlaſpi una certa & determinata planta indigitatur, ſed intelliguntur omnia Thlaſpia, quæ in locis campeſtribus inveniuntur; quoniam omnia aſſimilantur erucæ vel ſinapi, ſale volatili acri ac fortiter penetrante conſtantibus. Unde hoc ſemen Thlaſpi, utut in officinis valdè ſit neglectum, eodem modo poteſt uſurpari atque ſemen ſinapi & erucæ, dum facultates ſuas debet ſali volatili acri abſterſivo & penetranti fortiter; unde poteſt intelligi Autor, & etiam plurima huc poſſunt referri, quæ dicta ſunt de eruca & ſinapi.

Veteribus fuit incognitum, à modernis verò demum in uſum redactum eſt. Potiſſimus autem *uſus* hujus plantæ eſt tinctorius, nimirum ad panna quævis tingenda colore purpureo, non verò Pharmacevticus. Theriacam Andromachi ingreditur, & aliàs rarò uſurpatur, quia ſufficit nobis ſinapi ſeu eruca, quæ jure ſubſtitui poſſunt: Vid. *FUCHSIUS pag.* 902. *ſeqq.*

D. WEDELIUS è ſucco hujus plantæ egregium ſal *volatile oleoſum*, item *ſpiritum urinoſum*, elicuit, & quidem per putrefactionem juxta communem methodum. Notetur autem, ſi aeri non pateat acceſſus, prodibit tantum ſpiritus urinoſus, & non ſal volatile; ſi verò liber concedatur aeri acceſſus, prodit ſal volatile.

TEUCRIUM.

Teucrium verum, imprimis magnum ſeu latifolium, *idem* ferè eſt *cum Chamadry*, uti rectè dicitur ab *AUTORE noſtro*, ita ut promiſcuè uſurpentur.

Rarioris igitur uſus ſolet eſſe Teucrium, & frequentiùs præſcribitur Chamædrys, utut in uſu vulnerario illud preferendum ſit huic.

Aliàs, quoad internos *uſus*, ratione ſaporis aliqualis amaricantis, tanquam Hepaticum, ſeu ad Maſſæ Sanguineæ dyſcraſiam corrigendam, ad morbos chronicos, ſpeciatim hepatis & lienis, laudatur, quibus ſpeciatim conferre arbitror, quatenus urinam moveat. Ulteriùs ad artuum & arthriticos dolores compeſcendos, ſpeciatim ad podagram, ſolet à multis commendari: ſed reverà ex his parum ſolatii promittere ſibi poſſunt podagrici.

THYMUS.

Thymus Vulgaris *folio anguſtiore*, ſeu *teneriore*, vel (ut alii volunt) *aſperiore*, officinalis eſt, congener ſatureiæ & ſerpillo, & ad ejus naturam proximè accedit, ita ut promiſcuè uſurpari poſſint; unde & Germanis *Welſcher*; item *Romiſcher-Quendel*, vocatur. *Thymus* dicitur ad imitationem Græcorum à θυμᾶν, quod antiquitus pro ſuffumigiis in ſacrificiis fuerit adhibitus. Odor hujus aromaticus innuit vim egregiam nervinam, toti ſyſtemati nervoſo dicatam; impr\u00e6gnatus enim eſt ſale volatili oleoſo temperato, unde non immeritò & compoſitiones, quæ caput & nervos reſpiciunt, Spiritus cephalico-nervinos, ordinariò ingredi ſolet: ſicut etiam quoque flatulentias inteſtinorum carminativâ virtute diſcutit. Omnia igitur ea, quæ de ſerpillo dicta ſunt, etiam hìc applicari poſſunt; magis tamen oleoſum ſubjectum thymus, quàm ſerpillum, eſſe ſolet.

Præterea in pediluviis quoque, quæ capitis & uteri gratiâ, nec non pro totius ſyſtematis nervoſi levaminibus inſtituuntur, valdè adhibetur; unde in affectibus articulorum arthriticis & paralyticis externo uſu planta eſt ſatis celebris.

Reliqua quæ habet *AUTOR noſter*, per ſe conſtant.

PETRUS JOHANNES FABER, *l.* 2. *Myrothec. Spagyr. cap.* 33. parat elegantem Quintam Eſſentiam Thymi, quam ad plurimos affectus commendat, quæ videri poteſt *citato loco*.

THYMIAMA.

Thymiama potius eſſet referendum ad *Alterantia ſecundaria*.

Eſt Cortex quidam inſtar thuris corticis, affertur ex Aſia, odoriferus, & nullius alius eſt uſus niſi in ſuffimentis, tam pro correctione affectuum plumonum, quàm in iis, qui adhibentur pro correctione aeris maligni & peſtilentialis. Aliàs nullius eſt uſus; & quoniam eſt pretioſus, ſemper cum fructu illi ſubſtituitur Thus, vel cortex thuris.

TILIA.

Tilia Græcè φίλυρα, Germanis *Linde*, Arbor elegans eſt, cujus *Flores*, *Folia*, *Cortex*, *Viſcus*, & *Fungus*, ſunt in uſu.

Primaria hujus Arboris laus eſt cephalica, imprimis in epilepſia, vertigine, & apoplexia.

De *Floribus* ſpeciatim notandum, quod ratione ſaporis ſubacris & ſubamari, odoriſque fragrantis, in ſale volatili blando balſamico conſiſtentis, virtute cephalicâ & antiepilepticâ polleant; hinc omnes ferè aquas cephalicas ingrediuntur; ſicut & in nodulis & potionibus cephalicis ſolent præſcribi. *Flores* hi & *Folia* cõtinent in ſe mucilaginem quandam, blandè imprimis in ambuſtis lenientem, uti habet *AUTOR*: Unde folia in lacte decocta, ut & in aqua ſaltem, optimum remedium ſunt in teneſmo, quando nempè volumus exonerare alvum, ſed irrito conatu, dolorem ſiſtendo, & blandiſſimè excretionem alvi promovendo, ſi decoctum inſtar fomenti cum linteis duplicatis ano applicetur.

Porò *Cortex* tiliæ medianus in aqua maceratus ſuggerit mucilaginem, in ambuſtionibus imprimis ac doloribus inde natis egregiam, qualem quoque folia & flores ſuppeditant.

In ligno Viſcum reperitur, quod poſt corylinum multò eſt præſtantiùs quercino, & ritè uſurpatum egregium epilepticum. Unde quidam contendunt pro aſſumptione medicamentorum epilepticorum factum cochlear ex ligno tiliaceo conducere. Notetur autem, paroxyſmum epilepticum hoc ipſo cautè, nec ſemper in momento deberi ſiſti, cum aliàs exinde æger febrem ardentem, & maxima alia pericula, incurrere poſſit.

Fungus Tiliæ vel in infuſo, vel in pulvere valdè commendatur à multo-medicis in morbis pecudum epidemicis, uti hoc refert *SCHMUCKIUS Theſ.* 2. *ſecreto Phyſ.* 10. *Aqua florum Tiliæ* deſtillata vehiculum accommodatum eſt medicamentorum in vertigine, & in affectibus epilepticis; ſi ſub deſtillatione paulò urgeatur ignis, aqua tota mucilaginoſa prodit: vid. *WEDELIUS Pharm. p.* 74.

Per fermentationem elicitur *ſpiritus ardens* & elegans, qui valdè commendatur ad vertiginem, convulſiones epilepticas & ſimiles affectus, ex uno ferè fonte promanantes; unde elegans præbet menſtruum pro parandis *Extractis* aut *Eſſentiis cephalicis* in Apoplexia, epilepſia, & vertiginoſis aut ſimilibus affectibus curandis: hinc etiam *Syrupus Tiliæ epilepticus* proſtat *in Appendice M. A. N. C. anni* 6. *Tit.* 7. *pag.* 52. ſicut & ex viſco tiliaceo æquè ac ex corylino parari poteſt *ſpiritus contra Epilepſiam*.

Lignum ipſum *tiliaceum* moderato igne *in carbones redactum* ac pulveriſatum, inque aceto propinatum, ab *HARTMANNO*, & Helmontio valdè laudatur, tanquam euporiſton in caſu ab alto, & reſolvendis grumis ſanguinis, item ad vulneratos & ruptos homines rurſus reſtituendos.

Inter cætera verò *Præparata è tilia* primatum obtinet *Primum Ens Tiliæ* dictum, quod nihil aliud eſt, quàm ſuccus è trunco circa radicem tempore verno ſauciato effluens, qui multæ laudis habetur, pro epilepſia etiam hæreditaria: Mediante enim hoc ſe curaſſe epilepticos quoſdam non adeo inveteratos teſtatur Tilemannus, vir quidem eruditus, ſed admodum mirabilis ingenii, in *append. materiæ ſuæ Med. annexę ſuis Aphoriſmis Hippocratis*, item *M. A. N. C. Ann.* 6. *& 7. in Append. p.* 50.

Extractum hujus *liquoris*, ſeu *liquor* ipſe, vel per ſe, vel additis floribus tiliæ, *fermentatus*, & in potum vinoſum redactus, commendatur quoque in nephritide: Imo ſuccus talis Tiliæ forſan non inferior erit ſucco betulæ ad nephritidem: conf. *HEERTODTIUS in Tartaro-Maſtige Moraviç p.* 123.

TORMENTILLA.

Tormentilla, Ger. *Tormentill*, & ex corrupto nomine ruſticis *Armentill*; ita dicta eſt à veteribus, quod cum pauco alumine & pyrethro cavitati dentis indita, dolorem ejus ſedet. Pertinet ad *Quinquefolia*.

Radix ejus, reſpectu plantæ ſatis cognitæ, eſt magna, lignoſa, tuberoſa, in obliquum acta, & ſubruffa, & quaſi per ſignaturam prodere dicitur Tormentilla virtutes contra hæmorrhagias; videatur *CROLLIUS & IOHANNES FRANCUS*; unde vocatur etiam Ger. *Heil-Wurtzel*, item *Ruhr-Wurtzel*. Nam certum eſt, quod tormentilla ſit una ex plantis adſtringentibus celeberrimis, & vi vulneraria commendatiſſimis, quæ potenter adſtringendo oſcula vaſorũ claudit; hinc in diarrhœis, dyſenteriis, fluxibus uteri ſanguineis, vomitu ſãguineo, & quibuſvis alvi & ſanguinis fluxibus nimijs commẽdatur; ſpeciatim verò cum variolis & febribus malignis conjunctis, certiſſimum eſt remedium. Ulteriùs acore ſuo ſtyptico acidum obſorbet, unde quoque vitriolum, inſtar gallarum, in atramentum præcipitat, acrimoniamque habet potenter fauces erodentem. Hinc nobile eſt ſtomachicum: Nemo credit, quantum ad appetitum deperditum radix hæc in aqua decocta valeat; tonum enim ventriculi reſtituit, mucumque ejus ac ſordes abſtergere valet. Decoctum hoc odorem roſeum ſpirat. Præter has virtutes adſtrictorias commendatiſſima eſt vi alexiphaſmacâ & diaphoreticâ; ſudorem enim movet, & ſub forma ſudoris malignitatem & venenoſitatem valdoperè expellit: pro quibus ſcopis quibuſvis compoſitis alexipharmacis ordinariè addi ſolet. Unde in morbis malignis cum dyſenteriis & diarrhœis conjunctis; valdè convenit: nam malignitati reſiſtit, & fluxum compeſcit. In morbis malignis cum hæmorrhagiis imprimis narium conjunctis Tormentilla eſt præſentaneum remedium, cum fluxum, ut dixi, arceat, & malignitati reſiſtat. Propter hanc vim *AMMELUNGIUS in Apologia c.* 2. *p.* 98. nonnullique alii non ſaltem loco radicis ſarſæparillæ, ſed etiam chinæ radicis illam commodè uſurpari poſſe, aſſerunt.

Extractum radicis tormentillę duplici modo concinnatur; vel

1. Sim-

1. Simplici in aqua, sed diuturnâ coctione, expressione, & inspissatione in *Extractum*; vel
2. Si huic jam parato Extracto Spiritus vini affundatur, & de novo *Essentia* extrahatur, abstractione spiritus in consistentiam siccam redigenda.

Posterius hoc Extractum in pulverem redigi potest: Tantæ quidem est acrimoniæ, penetrantis ac styptici saporis, ut ardorem faucium inducat; ventriculo tamen egregiè conducit; tonum enim ejus restituit, & mucum atque sordes abstergit, & in quibusvis dysenteriis, diarrhœis, fluxibus uteri sanguineis, vel aliis excretionibus in quocunque loco, item variolis & morbillis cum dysenteria conjunctis, item febribus alvi colliquativis, à ʒß. ad ʒj. in haustulo vini est polychrestum.

TRAGOPOGON.

Tragopogon majus habetur vel *flore luteo*, vel *purpureo*, Latinis dicitur *Barba capri*, vel *capræ, floribus compactis*, German. *Bocks-Bart*, quod post florem deciduum insignis appareat pappus, quasi barba quædam prolixa. Datur etiam *Tragopogon minus flore luteo*.

Planta est tota lactescens, & species scorzoneræ; unde radix ejus, imo tota planta, simili modo vi alterativâ, temperativâ, ac speciatim alexipharmacâ ac egregiè sudoriferâ, uti & nonnihil adstrictoriâ, cum radice Scorzoneræ, gaudet; si scilicet ejus Decoctum, vel solitariè, vel cum cornu cervi propinetur; unde etiam in morbis epidemicis malignis frequentis est usus, in specie in diarrhœis & dysenteriis epidemicis.

TRICHOMANES.

Trichomanes seu *Polytrichon* species est ex herbis capillaribus, nempè ex Adianthis, congnata filici & rutæ murariæ; unde rari est usus, & rarò præscribitur, quoniam cum dictis iisdem viribus gaudet. Carere ergo eâ, & hujus loco solum Adianthum adhibere possumus, referente Autore.

TRIFOLIUM.

Trifolii plures datur *species*, rarò in usum venientes.

Tres quidem species officinales recenser Autor, de quibus omnibus in superioribus, & præter has nullam habet, de qua impræsentiarum agat. Nihilominus datur

TRIFOLIUM AQUATICUM.

Trifolium aquaticum etiam vocatur *fibrinum*, quia flos constat *albis fibris*, cujus folia in pratis paludosis quasi innatanr aquis, & flos tantum ex illis emergit: dicitur etiam *Ranunculus triphyllos*. Floret Junio & Julio.

Veteribus fuit incognitum, & nullus ferè Practicorum huius mentionem facit, præter SIMONEM PAULI, qui herbam hanc mirè commendat à vi scorbutica in *Quadripart. Botan. pag.* 157. Modernis est familiaris satis ab usu in morbis chronicis. Sapor est admodum acris, instar piperitidis & nasturtii, turget enim sale volatili acerrimo simili antiscorbuticarum herbarum; adeoque valdè commendatur in cura scorbuti, in qua etiam ipsi cochleariæ solet præferri, dum dicitur, quod ei scorbuto succurrat, quem usus cochleariæ intactum reliquit. Unde apud Danos, qui scorbutum agnoscunt pro morbo endemico, in frequenti est usu pro cura scorbuti, vel solum, vel cum cochlearia. Conferatur & BARTHOLINUS *Cent.* 4. *Epist.* 14. *pag.* 57. cui jungantur *acta Haffniensia Vol.* 3. *pag.* 123. ubi usus hujus Trifolii in pluribus affectibus planè euporistus deducitur. Imprimis singulare remedium est in tumoribus pedum scorbuticis, & ubi metus est hydropis scorbutici. Ratione salis volatilis acris convenit etiam in malis, quæ ex acido in primis viis oriuntur, in malo hypochondriaco, colica, sanguinis cruditate, bilis inertia, & similibus aliis cum scorbuto complicatis: sicuti non rarum est, latentem scorbutum, arthritidem deteriorem reddere; de quo vid. *M. A. N. C. Ann.* 4. *p.* 133.

Præter *Præparata*, spiritum, & Essenriam, in Infuso admodum convenienter usurpatur, sive vino infundatur, & in eodem maceretur, sive sero lactis depurato, præsertim caprillo, usurpari potest; nunc solitariè, nunc simul cum aliis permistum.

Aqua ejus est acerrima; quæ destillata cum rore majali externè Cosmeticum est in nævis faciei, penetrando & mundificando ab excrementis, in poris per insensibilem transpirationem vel sudorem restitantibus.

Præter hoc præsto etiam nobis est,

TRIFOLIUM ARVENSE LUTEUM CORNUTUM.

Trifolium hoc dicitur *Cornutum*, quod cornicula quasi habeat, in quibus semina concluduntur. Passim crescit, sed speciatim in Medicina usum nescit.

Offert se etiam nobis *Trifolium exoticum Hedysarum triphyllon Canadense Cornuti*.

TRITICUM.

Triticum fructus, frumentum omnibus cognitum, subministrat, *semen* nempe, *Farinam*, & *Furfures*.

Semen propter substantiam gummosam temperatam oleosam, magis esculentum est, quàm officinale, cum potius in alimentis soleat habere locum, quàm in medicamentis; nihilominus *farina*, uti reliquæ farinæ omnes, usurpatur *externè* à Chirurgis in caraplasmatis discutientibus, emollientibus, dolores mitigantibus, & suppurantibus; item aspergitur erysipelati, vel sola cum charta cœrulea, ubi farina quidem parum facit, sed potius charta tincta aliquid præstat; vel admiscetur aliis pulveribus, qui adsperguntur in erysipelate, cum pulvere nimirum florum sambuci, cretæ, sacchari Saturni, cerussæ &c.

Furfures vim habent abstersoriam, adeoque usurpantur in lotionibus capitum tineâ affectorum, in achoribus, favis & similibus capitis ulcusculis, in quibus lotionibus cum aliis permiscetur.

Paratur ex Tritico *sal volatile*, quod, utut sit coloris albi, nihilominus expertus ROBERTUS FLUD *in Tract. ubi de Anatomia panis & tritici*, refert; quod hoc sal album expositum soli in vase clauso acquirat colorem hyacintheum & rubineum; quod potest occasionem dare meditandi de colore rubineo in massa sanguinea.

In mentem hìc venit artificium panificii, quando ex hac & aliis farinis fiunt panes, non tantum pro usu & esu communi, sed etiam medicati, quibus præter vim nutritivam inest vis medicinalis: Sic v. g. fit *panis tartarisatus*, qui est detergens, incidens & abstergens crassam ac viscidam pituitam in ventriculo & intestinis.

Fit ejusmodi panis ex floribus farinæ, sive sit secalina, sive triticea, & loco salis additur tartarus albus. Quidam faciunt *panes solutivos*, quando scilicet in pavimento furni coquunt medicamentum purgans, & postmodum panem in illo coquunt; unde acquirat ex furno vim purgantem & laxativam, quæ inerat planris purgantibus: ita famulus cujusdam rustici per accidens fuit purgatus ex pane decocto in furno, in quo priùs arefecerat esulam, quæ est fortissimum purgans. Item potest fieri *Panis solutivus* ex commistione cujusdam medicamenti purgantis cum pasta, ex qua fieri debet panis: ita pueris solet componi pasta panis solutiva cum pulvere Rhabarbari: de quibus videatur BARTHOLETUS *in Encycloped. Med.* & quidem; *Hygienis p.* 2. Sic alii faciũt *panes medicatos ad malum hypochondriacum*, quatenus scilicet miscent cum massa pulverem radicis ari, & sic fit egregius panis medicatus conducens in malo hypochondriaco.

Inter *Præparata* est *Aqua destillata*; est etiam *Oleum*, de quo dicit AUTOR, quod soleat parari, quando imponitur triticum laminæ. Modus est hic: Multum rritici imponunt laminæ ignitæ, terunt, & per expressionem eliciunt Oleum, quod laudatur valdè in impetigine, tanquam egregium cosmeticum & abstersivum.

TUSSILAGO.

Tussilago, Germ. *der Hufflattich*, dicitur à quibusdam *Filius ante patrem*, quia hujus flos verno tempore solet prodire ante folia; usitatissimè apud Practicos & in officinis vocatur *Farfara*, & præparata exinde, e. g. *aqua farfaræ*, *syrupus de farfara* &c. *Ungula caballina* etiam dicitur propter figuram, quâ repræsentant ungulam caballinam folia.

Virtutes quod attinet, id nominis, quod vocetur Tussilago, obtinuit à Tussi, cui specificè mederi dicitur cuicunque, imprimis illi, quæ oritur à mucilagine crassa, quam sistit. Planta enim temperata est, subacris, adeoque læsionibus partium pectoris internarum dicata, in specie, ubi in affectibus pectoris opus est expectoratione, in tussi, pleuriticis, in vomica pulmonum & empyemate, excoriationibus à catarrhis, & aliis pectoris affectibus chronicis, in quibus vi temperativâ & vulnerariâ Decocta magistralia & Oxymelita pectoralia utplurimum solet ingredi; unde Decoctum Tussilaginis secretum fuit LINDANI contra Asthma.

Ad hæc in sua crasi succus ejus tartarum bolarem continet, ut observavit LUDOVICI *Pharm. p.* 757. ratione cujus acrimonias correntorum pectus lædentium absorbet & mitigat. Loco nicotianæ fumum foliorum tussilaginis exsiccatorum tubulis quidam per os attrahunt contra phthisin, & pro sistendis catarrhis seu exsiccanda lympha bronchiorum & pulmonum: quibus foliis contusis quidam addunt succinum & semen anisi, & præferunt hunc fumum fumo tabaci; sed præferendus est Tabacus.

AUTOR dicitur, quod folia recentia imposita prosint in ulceribus calidis & inflammationibus; & rectè: sed melius est, si contundantur, ut fiant succulenta; unde volunt, quod conveniant contra incipientem gangrænam. Novi paupérculam, quæ in ulceribus mamillarum solis foliis tussilaginis contusis usa restaurata est.

Quod dixi de Tussilagine cruda, dicendum quoque est de *Essentia*, *conserva*, *aqua*, *succo*, & ex *succo foliorum parato syrupo*.

VALE

U.

VALERIANA.

VAleriane, Germ. Baldrian, octo species, vobis jam demonstrandæ præsto sunt.

+1. *Phu majus*, quo nomine Græco *Valerianæ* frequenter appellantur ex autoritate *DIOSCORIDIS*, cui non notum fuit vocabulum Valeriana.

+2. *Phu Verum*, seu *Ponticum*, seu *Valeriana hortensis major*, quæ est *flore rubro*, seu *Theriacalis*.

3. *Valeriana Græca, flore albo*.

4. *Valeriana Græca Dodonæi, flore cæruleo*.

+5. *Valeriana sylvestris major Dodonæi*, seu *Phu vulgare*.

+6. *Valeriana sylvestris minor*, seu *Phu minimum*.

7. *Valeriana rubra Dodonæi*, seu *Indica flore purpureo*.

8. *Valeriana rubra*, seu *Indica flore albo*.

Harum *quatuor species* in officinis debent esse *usuales*; *prima* nempè, *secunda*, *quinta* & *sexta*; quæ duo posteriores non differunt in forma externa, nisi quod illa sit major hâc. Habent odorem & vim aliqualem aromaticam, ceu Angelica, vel etiam levisticum.

Radices harum usitatæ sunt, & virtute alexipharmaca seu sudorifera pollent, in specie *hortensis*, dum per sudorem expellunt malignitatem; unde in peste & morbis pestilentialibus commendantur. Deinde solet etiam esse uterina & morbis uterinis, à mensibus & lochijs provenientibus, solent succurrere. Singularem vim antiepilepticam ex *COLUMNA* annotavit *PANAROLLUS Pent.* 1. *Obs.* 23. Crebriùs etiam in usu est ad roborandum visum, adeoque singularem vim habet ophthalmicam, si sc. pulvis radicis valerianæ internè usurpetur quotidiè: Vid. *TABERNÆMONTANUS in Herbario p.* 456. ubi habet quædam de viribus hujus Valerianæ contra imbecillitatem visus, & curiosam historiam refert de aurifabro, lectu & observatu digna, *Es Werden alle Geschlechte des Baldrians &c.* in curandâ certè visus imbecillitate mirabilem habet successum, unde meretur *locus modo citatus*, qui videatur; hoc enim in casu vix simplex tale habetur inter Vegetabilia, quale est Valeriana: Euporiston est mulomedicorum hæc valeriana pro conservandis jumentorum bonis oculis. Vim diureticam quoque habet.

Extrinsecùs observavi, quod talia recentia pedibus ex podagra tumentibus & dolentibus imposita, omni mane & vespere reiterata, soleant egregiè sistere dolorem.

Superiùs memini aliquando, ubi *de simplicibus veneficiis resistentibus* quod sit primaria ex illis Valeriana: id quod intelligendum est de sylvestri majori, seu Phu vulgari: & facultates hujus resistendi veneficiis videre possumus in *Appendice KARRICHTHERI. Krater-Buchs*, ubi habet quædã medicamenta contra veneficia, in quibus Phu hoc est basis, seu primarium Ingrediens remedium. Aliàs usus hujus plantæ est rarus. Vidi tamen *aquam ophthalmicam* ex hac planta sæpius cohobando destillatam, quæ mirè deprædicabatur, non tantum in ophthalmia, sed etiam nebulis, maculis, & albuginibus oculorum tollendis.

Reliquæ virtutes omnes, quas *AUTOR* tribuit Valerianæ, similiter firmo & experto stant talo.

VALERIANA RUBRA DODONÆI seu INDICA.

FLore purpureo & albo in hortis tantum, tanquam exoticum colitur, de cujus usu nihil constat.

VERBASCUM.

VErbasci variæ sunt species: *album*, *luteum*, & *nigrum*. Usitatum tantum est *latifolium vulgare luteum*, *mas*: crescit in magnam altitudinem, & provenit ubique in locis cultis. Dicitur *verbascum quasi Berbascum* seu *Barbata*, quod sit planta barbæ instar undique lanuginosa, German. *Woll-Kraut*, itidem ob folia lanuginosa; unde *Thapsus* quoque audit *barbatus*: Dicitur etiam *Candela regis*, seu *Candelaria*, Germ. *die Konigs-Kertzen oder Blume*, uti vocant nostrates mulierculæ, quod candelæ instar erectæ crescat. Græcis dicitur φλόμος ab urendo, quod veteres in elychniis suis hocce verbasco usi fuerint, unde & Germanis *Brenn-Kraut*.

Usus ejus *internus* est rarus: *externè* tantum *Flores* ac *Folia* pro scopo blandè anodyno, temperativo & emolliendi cerbrò adhibentur; vires enim habent sedandi dolores quosvis partium externarum, imprimis verò, si verbascum hoc cum chamomilla, linaria, vel floribus sambuci, usurpentur; unde est ingrediens *olei anodyni Mynsichtii compositi*. Contra tormina ventris, sive sint colica, sive dysenteria, unà cum floribus chamomillæ, vel cum sacculis, vel fomenti formâ applicati, sunt experti. Tenesmo, præprimis dysenterico, & doloribus hæmorrhoidalibus, mirè conducunt. Prostat & in hunc usum suffimigium Verbasci; paratur & exinde fotus, si flores vel planta hæc, aut sola aut unà cum floribus chamomillæ & sambuci in aqua simplici, vel lacte vaccino, vel vino coquantur; aut sacculis inclusa pro dictis affectibus leniendis dicto modo applicentur; sicut & *FORESTUS l.* 23. *Obs.* 6. refert, se expertum fuisse in quadam muliere, in qua dolorem hæmorrhoidum, nullis aliis remediis juvantibus, sedavit fotu ex Thapso barbato seu verbasco, & semine hyoscyami in aqua cocto, ex quo subitò cessarunt hæmorrhoidum vitia & dolor. Sæpius, quod notandum, vocatur Thapsus barbatus hæc planta apud Autores, quàm Verbascum. Imprimis conveniunt, ubi tenesmus oritur ex nimia hypercatharsi & dysenteria, qui est periculosus curatu: quod testatur, præter alios Practicos, *la MONIERE in Tract. de dysenteria cap.* 5. *p.* 169. *RHUMELIUS in suis scriptis p.* 419. valdè commendat fotus ex sacculis verbasci, foliis quercus & anserina coctis in lacte contra tenesmum. Suffimentum ex floribus verbasci expertum contra tenesmum videbitis apud *MYNSICHTIUM*, quod potiùs ob terebinthinam operatur.

Præterea quoque flores verbasci in clysmatis anodynis, in dysenteria & tenesmo dysenterico usitatis, adhibentur propter succum mucilaginosum; mucilaginem enim suggerunt suaviter temperantem ac lenientem; cujus clysteris formulam in tali casu elegantem & valdè expertam videbitis in *SENNERTO l.* 3. *Prax. cap. de Tenesmo p.* 415. Præter vim in cura Tenesmi, post Linariam certè primatum obtinent in hæmorrhoidibus cæcis ardentibus, vel in quibuscunq; hæmorrhoidum & ani affectibus: sic v. g. nimium fluxum hæmorrhoidum specificè compescunt flores verbasci in aqua ferrariorum vel vino adstringente decocti, & instar fotus ano applicati: Vid. *Praxis SENNERTI P.* 3. *cap. de hæmorrhoid.* uti etiam *Praxis RIVERII*. Ad hæmorrhoides cæcas, earumque dolores, egregium est experimentum *MYNSICHTII*, quod habet *in Armamentario pag.* 133. Ubi parat pulverem ex verbasco calcinato, permistum cum rhabarbaro, qui impositus hæmorrhoidibus cæcis, earum dolores ac tumores brevi curat. Propterea ne aloe hæmorrhoidibus noceat, sunt, qui eandem cum succo verbasci, aut hujus loco violarum temperare solent. *STARICIUS im Helden-Schatze*, ceu experimentum expertissimum in contusione tendinum & nervorum, commendat & applicandum suadet succum verbasci cum foliis contritis, quæ imposita huic malo optimè prosunt, dolorem sistendo, & tumorem discutiendo. Ex imprimis mulieres, quæ gratam flavedinem suis conciliare volunt capillis, solent flores verbasci immittere lixivio, quò se pectendo & irrigando capillos, similem flavi coloris gratiam illis inducere satagunt. Verbascum ergò pro usibus modò dictis colligendum est in plenilunio Junii aut Julii antequam flores decesserint, tunc enim tempus balsamicum, ubi maximâ pollent virtute.

Radix verbasci dicitur etiam *radix ρευματική*, à rhevmate, seu catarrho, quia instar amuleti appensa specificè prodest ad affectus catarrhales præservandos & curandos: quam vim amuleticam, applicandi rationem, & operandi modum videbitis in *HARTMANNI Praxi Chymiatr. cap.* 21. §. 5. In genere solet adhiberi ad affectus ani, in quibus fusus est *TABERNÆMONTANUS*, qui videatur.

Porrò & rectè *Oleum florum verbasci* per infusionem paratur, quod vel solum, vel mistum cum oleo scarabæorum, dolores ac tumores hæmorrhoidum egregiè lenit ac mitigat; post lini enim oleum nullum est melius.

Oleum Verbasci, quod ex floribus per deliquium in sole parandum monstrat *AUTOR* ex *MATTHIOLO*. Præparationem videre potestis in *SENNERTO*, ubi tractat *de arthritide p.* 34. & 37. Nempe:

℞. *Flor. verbasc. contus.*

Indantur vitro, claudendo & soli exponendo, atque ita intra duorum mensium spatium liquor habetur: post in furno vitrum massæ panis inclusum coquatur pro singulari anodyno in quibuscunque doloribus, speciatim doloribus nimiis arthriticis, in quibus liquor hic oleosus digestus est euporiston.

De hoc liquore florum verbasci dicit *STOECKERUS in Praxi*, quod sit ars mirabilis & expertissima in dolore podagrico & dentium: Vidi inquit, & feci hunc liquorem. Similiter *ex floribus sambuci* talis *liquor* elicitur, optimum euporiston in erysipelate.

Superiùs dixi, quod Verbascum hæmorrhoides retardet, & dolores compescat: propterea quibusdam in usu est, quod aloen pro usu interno cum hoc succo imprægnant & imbibunt, & faciunt Aloen verbascatam, ut impediatur excretio, dolor & tumor hæmorrhoidum.

VERBENA.

HÆc *Verbena*, item *Verbenaca*, Germanis *das Eisen-Kraut* dicitur, propter *florem rubiginosum & obscurum*: Græcis ἱερὰ βοτάνη, *planta sacra*, eò quod olim in Idolorum sacrificiis, eorumque aris coronandis, ceu planta sacra adhibita fuerit, imprimis apud Romanos: quo de videatur *MAJOR in Tractatu* seu *Inventis novis*, ubi *de inunctione verticis*, item *TERENTIUS Comœd.* 1. Sed hæc nihil ad nos.

Cõsiderabimus potius virtutes Medicas; & quidem *AUTOR* dicit, quod partum facilitet; quod ego non credo, quoniam abortum præcavet. *STROBELBERGERUS de Febribus*, *Radices verbenæ cum carduo benedicto* & *asaro* in vino *coctas* commendat ad febres intermittentes. Aliàs usus ejus internus est rarus; *exteriùs* tamen admodum laudatur pro usu cephalico, præsertim contra cephalalgiam imprimis chro-

chronicam, & quæ extra febres contumaciſſimè affligere ſolet, in qua mirè à pluribus commendatur, ſpeciatim propter obſervationem curioſam *FORESTI*, quam habet *l. 9. Obſ. 52.* (quem locum etiam allegat *AUTOR*) ubi conſtat, horrendam & deſperatam cephalalgiam plantâ hâc recenti contuſâ, recens in ſacculo amuleti loco de collo ſuſpenſâ, incantamenti inſtar fuiſſe penitus ſublatam; de qua vi amuletica in dolore capitis vid. *HARTMANNUS in Pr. Chymiatr. l. 2. c. 1. §. 13.* Ex hoc tempore ſemper ſpecificè fuit commendata in affectibus capitis. Planta autem recens, ſive ſola, ſive cum radice Rhodia, de *qua ſuperius*, vel etiam pulvere zedoariæ, in formam Cataplaſmatis contuſa tantum capiti dolenti circumligatur; quod etiam facit Decoctum ejus, vel ſolum, vel cum chamomilla. Interdum ſolent fieri Emulſiones ex ſemine papaveris, nucleis perſicorum & ſimilibus, pro externo uſu cum aliquo liquore inſtar epithematis, fronti & temporibus applicandæ in dolore capitis; loco cujus liquoris optimè poteſt addi Decoctum radicis rhodiæ vel verbenæ, & ſic fiunt Emulſiones magis appropriatæ ad compeſcendos capitis dolores. Contra incantationes quoque aliàs laudari ſolet. Plura videbitis apud *AUTOREM*, quæ habet *de virtute Verbenæ*.

Porrò *Pulvis* hujus *plantæ* cum pulvere radicis Rhodiæ mixtus in cephalalgia quoque adhibetur.

Sunt nonnulli, qui ceu experimentum, empiricum tamen, laudant ſuccum verbenæ cum vino ante paroxyſmum intermittentium aſſumptum; cum tamen meliora proſtent, hæc miſſa facio.

Ex ſucco ejus expreſſo & inſpiſſato fit *Extractum*, quod cum hyoſcyamo, vel opio in linimenti formam redactum, temporibus in cephalalgia applicatur. B. D. *MICHAELIS* ſuccum verbenæ nonnihil inſpiſſabat, ejuſque ℥j. olei ſemin. hyoſcyami expreſſi, vel olei ſeminis papav. expreſſi ʒß. addendo, faciebat *unguentum*, quod fronti & temporibus illinebat in doloribus capitis ſcorbuticis gravioribus.

Aqua deſtillata à noſtratibus mulierculis frequenter propinatur mulieribus gravidis ad præcavendum abortum, in quo eſt egregia: imprimis ſi cum iſta miſceatur præparatus ſuccus è cancris fluviatilibus; vel etiam, ſi ipſe pulvis cancrorum fluviatilium in illa aqua aſſumatur; aqua enim ſola, ſicuti etiam ſoli cancri, ſunt ſpecificum ad præcavendum abortum. Externè ſolet applicari in epithematis capiti contra cephalalgiam.

VERMICULARIS.

Vermicularis ſeu *ſedum minimum*, item *ſedum vermiculare*, aliàs etiam *Illecebra*, planta eſt è *ſedis* planè ſingularis. Cum enim aliàs ſeda communiter vim habeant refrigerandi ac humectandi, hoc è contra ſucco gaudet acerrimo, ac valdè calefacit. Creſcit in muris, parietibus & locis ſaxoſis ac arenoſis per totam æſtatem.

Saporis eſt acerrimi, penetrantis & acrioris longè, quam perſicaria, piperitis, armoracia &c. unde & Germ. *Mauerpfeffer*, ob acrimoniam ſuam volatilem ſalinam, vocatur, & ſimillima eſt illis, quæ eſt in plantis antiſcorbuticis; unde internè cum aliis antiſcorbuticis, tanquam ſingulare & maximè expertum remedium, in cura ſcorbuti & mali hypochondriaci adhibetur; ita ut in ſcorbuto curando D. *MICHAELIS* nunquam potuerit ſatis commendare: in quo ipſo, uti etiam aliis affectibus, quantum valeat, conf. *M. A. N. C. Ann. 6. pag. 49.* Alii in febribus ſcorbuticis chronicis recipiunt plantulam hanc, & cum aceto vini contundunt pro exprimendo ſucco, quem uſurpant ante paroxyſmum, ita ut aliquando ſuccedat vomitus, quo facto liberantur à febre: hoc modo quidam, qui per 11. ſeptimanas; quidam, qui per 6. cum illa conflictarunt, curati ſunt. In aliis non per vomitum, ſed per ſudorem & inſenſibilem operationem eædem profligantur; ſi ergo vomitus non ſequatur, expectetur ſudor: Videatur *SIMON PAULI in Quadr. Botan. p. 353.*

Decoctum gargariſatum multum prodeſt in laxitate & putredine gingivarum ſcorbutica corrigenda. Præterea uſu amuletico, quod *AUTOR* habet, in ſacculo collo appenſo commendatur ceu experimentum inſigne in febribus intermittentibus chronicis, tertianis in ſpecie. Vim hujus amuleti vel centies à ſe & ſuo Parente probatam fuiſſe retulit mihi quidam junior Medicus: Ubi non abſurdum videtur, ſi ei camphoræ ʒj. vel ʒij. addantur propter volatilitatem; ſic febres fugat, præmiſſis præmittendis; niſi tamen ſcorbuti ratio ſimul habeatur, ſemper recidivam patitur æger. Denique planta etiam hæc contuſa rubificat cutim inſtar veſicatorii, ſicque adhiberi poteſt inſtar veſicatorii.

Succus vermicularis acerrimus expreſſus cum vino, aut aceto vini aſſumptus, nimiâ acrimoniâ adeò vellicat fibras ventriculi, ſicque violentiſſimum excitat vomitum, eumque non fruſtraneum. Unde ratione hujus vomitus ſolet commendari ſuccus ante paroxyſmum febrium intermittentium; novi enim qui hocce vomitorio ruſticum quendam à febre quartana, item tertiana intermittente, quæ jam per 10. ſeptimanas afflixerat ægrum miſerè, liberavit. Alius per 6. ſeptimanas ſimiliter cum eadem conflictatus, per hoc ipſum ſine vomitus ſequelâ curatus fuit. Conf. M. A. N. C. Ann. 4. Append. p. 54.

Externè ſuccus hic cum pauco melle vel aliis ſubactus contra ſcorbutum oris & gingivarum eſt egregius, dum ratione ſalis volatilis acris aciditatem putredinoſam in laxis gingivis corrigit, & gingivas firmat & conſolidat.

VERONICA.

Veronica Germanis vocatur *der Ehren-Preis*, tanquam planta & gloriâ & honore digna. Variæ hujus ſunt ſpecies, quas inter uſurpatur communiſſima: habet *florem* vel *purpureum* vel *cæruleum*, & ſic porro, & cum teucrio & chamædry facilè confundi ſolet. Ipſa planta nota ſatis eſt, cujus *Folia* & *Flores* ſunt in uſu.

Simplex eſt amarum, adſtringens, ſed ſimul abſtergens, ſpeciatim egregiè vulneraria eſt, & imprimis pulmonum nocumentis, tam exulcerationi quàm vulnerationi, conducit, ex quo uſu vocatur etiam Germanicè *Grund-Heyl*: Vulnera enim & ulcera ex fundamento ſanat, purificat, & conſolidat. Præterea eſt ſimul diuretica elegans, ac nonnihil ſudorifera exiſtit. Diureticam, & hinc calculi curativam vim videbitis *in M. A. N. C. Ann. 1. Obſ. 107. p. 245.* Sed præ cæteris uſibus pectori, pulmonum obſtructioni ejuſque læſionibus confert. Certum eſt, eam mucum viſcidum & craſſum, ramos aſperæ arteriæ obſidentem, attenuare, & ſi quid in pectore eſt læſum, vi vulnerariâ egregiè id corrigere; hinc in omnibus ferè potionibus pectoralibus & vulnerariis adhibetur cum fructu: Et uti in Praxi Nephritica & Thoracica egregiè ſolent conſpirare; ita etiam hæc planta non tantum in pectoris vitiis, ſed etiam in renum malis, ut in renibus à ſero acri corroſivo plus minus exeſis, & à calculo exulceratis, in urinæ ſuppreſſione, &c. egregia præſtat. Contra exulcerationes viſcerum incipientes, imprimis pulmonum in pleuritide, propinatur ſatis frequenter. Deinde in affectibus lienis commendatur à quamplurimis Veronica, ceu ſingularis planta in corrigenda duritie, orta ex infarctu vaſorum. *CRATO*, *trium Imperatorum Archiater*, per experientiam ſpecificè laudat eam in Colica, ſive internè ſub potus aut decocti forma aſſumatur, ſive clyſteribus incoquatur, & ita applicetur. Denique obſervatum quoque eſt, Tyrolenſes, utpote bronchocele, non verò ſtrumis (nam differunt hæc) laborantes, non ſe tantum, verùm etiam porcos ſuos eodem morbo laborantes & obnoxios, decocto & pulmento hujus veronicæ ſanare.

Externè vulneribus & ulceribus curandis inſervit: Ulcera enim maligna, inveterata & cacoethea mundificat & ad ſanitatem perducit, teſte *HORSTIO in Diſpenſatorio*: clyſteribus incocta & applicata in colica convenit.

Aqua in tuſſi chronica, & colica, eſt uſitatiſſima.

Aqua ſpirituoſa, *ſpiritus*, & *Eſſentia* in iis, qui laborant copioſis excrementis in bronchiis pulmonum, pituitâ nempe craſsâ & viſcidâ, multum conducit pro adjuvanda expectoratione, ubi ſcilicet inanis eſt ejiciendi conatus, dum incidendo phlegmata, eorum expectorationem facilitat.

In promptu etiam jam eſt

VERONICA SPICATA
ſeu
ERECTA
flore cæruleo.

Quæ malè & peſſimo conſilio ab aliis inter Lyſimachias refertur. Conſpirat uſu pectorali ac vulnerario cum veronica vulgari.

VICIA.

Offert ſe *Vicia multiflora*, Græcis ἀφάκη, ut & *Vicia ſegetum ſiliquis hirſutis*, quæ eſt viciæ ſpecies. Differt aliàs vicia multiflora ab Araco, quod *viciæ ſemina* equidem ſunt *rotunda*, ſed *ad lentis formam compreſſa*; *Araci* verò *ſemina ſimpliciter rotunda*.

Plantæ ſunt ſylveſtres, & nondum in officinis receptæ.

VICTORIALIS.

Victorialis alio nomine etiam vocatur *Allium montanum*, & primâ fronte ſtatim apparet, quod *ſpecies* ſit *allii* & *ceparum*, quas plantas odore & ſapore prodit; unde ad eoſdem uſus commendatur, ad quos reliqua allia, uti dicit *AUTOR*. Ergo cum ſit rara, lubentiùs & frequentiùs ſubſiſtimus in allio vulgari.

VINCA.

Vinca pervinca, Germ. *Singrun*, *Ingrun*, aliàs etiam uſitatiùs vocatur apud Practicos *Clematis Daphnoides*. Egregia eſt planta, utut rarò præſcribatur ab autoribus. *Variæ* ejus ſunt *ſpecies*: *flore albo*, *purpureo*, & *cæruleo*. Præ cæteris convenit, quæ eſt *flore cæruleo*.

Inter vulneraria primaria & principaliora uſurpatur internè & externè in vulneribus & ulceribus, in potionibus vulnerariis, in quo uſu non cedit veronicæ, niſi quod magis adſtringat; unde commendatur præ aliis vulnerariis in ſputo & mictu cruento. Interim nihilominus ſolet laudari ſimiliter ad ciendos menſes. Aliàs ejuſdem naturæ, atque adeo promiſcui uſus & effectus eſt cum virga aurea, pyrola, ophiogloſſo, lyſimachia, Conſolida Saracenica, nummularia, geranio, piloſella, vel auricula muris Autoris.

Exter-

Externè conveniens eſt in vulneribus conſolidandis & ulceribus mundificandis. *AGRICOLA in Chirurgia parva p.905.* ſpecificè commendat hanc vincam pervincam in tumore & inflammatione uvulæ & tonſillarum, ſi ejus Decocto crebriùs os colluatur, dum ita dicit: Vinca pervinca eſt herba adeò exquiſita in qualibet afflictione corporis, & imprimis in inflammatione uvulæ & tonſillarum, ita, ut melius remedium non reperiatur; debet autem colligi in medio Septembris, &c. Lac extractum revocat: Medicus enim quidam *in Manuſcripto quodam* ait; quod planta cataplaſmatis formâ uberibus applicata ad proventum lactis copioſum parandum faciat; dorſo verò applicata, ubera omni lacte privet.

Succus vincæ pervincæ ſolet permiſceri clyſteribus in dyſenteria, ubi opus eſt conſolidatione internorum ulcuſculorum in inteſtinis; ſicut adhiberi etiam ſolet ad compeſcendas hæmorrhagias quatumcunque partium.

VINCETOXICUM.

VIncetoxicum ita dictum eſt, quod Toxica, ſeu venena vincere ſoleat: Obſervatum enim eſt, inſectula nonnulla, foliis hujus Vincetoxici inſidentia, torpida & quaſi ſemimortua eſſe facta. Græcis ἀσκληπιὰς dicitur, ab autore ejus *ASCLEPIADE*. Vocatur etiàm *Hirundinaria*, Germ. *SchWalben-Wurtzel*, quo nomine imprimis apud Paracelſum & Practicos venite ſolet. Non tamen confundenda hæc planta cum Chelidonio majore. Hujus duæ ſunt ſpecies; *flore nigro* & *albo*; quas inter flore albo convenit imprimis.

Radix eſt albicans fibroſa; plures enim fibræ ex uno ceſpite prodeunt, ſaporis acris amaricantis, odore fragrante gravi, abundat ſale volatili ſulphureo, & proinde planè eſt polychreſta, & egregiè ſudorifera, & alexipharmaca, ſimul etiam diuretica, cujus Decoctum in morbis malignis multum valet ad ciendum ſudorem & expellendam malignitatem; quin & propter virtutem ſudoriferam & ſanguinis purificativam à nonnullis commendatur ad luem veneream, in qua in cereviſia vel aqua decocta, & crebriùs pro potu ordinario hauſta, non leve affert levamen. Simile decoctum cum vino in ſpecie, ſi quid aliud, appropriatum eſt, & magnarum virium remedium hydropis utriuſque, *PARACELSO Autore*: ſcilicet aſcitem curat per diureſin; Anaſarcam verò per ſudorem. Unde etiam *PARACELSUS* habet deſtillatum quoddam contra hydropem, quod ab aliis Medicis ceu expertum valdè commendatur, ex tartaro, hirundinaria, capite mortuo vitrioli, & ſpiritu vini. *Compoſitio* eſt talis:

> ℞. *Tartari vini rubri* ℔j.
> *Rad. hirundin.* ℔ß.
> *Colcothar. ſeu capit. mortui vitrioli* ℥viij.
> *Spiritus vini q. ſ. pro incorporatione.*

Deſtilla per alembicum.

Doſis eſt ʒß. manè & ſerò ſumptum pellit urinam, quam & fœtidam reddit. Aſſumi poteſt in vino Malvatico. Continuandum eſt per aliquot dies noctesque: nam primâ vice aſſumptum parum aut nihil operatur.

Præterea à Tyrolenſium alpium incolis pro ſingulari habetur in curandis ſtrumis, uſurpando ſæpius Decoctum herbæ & radicis, quas etiam in porcis continuato uſu curat. Conf. M. A. N. C. *Ann. 1. Obſ. 57. p. 155.*

Externè uſurpatur ad morſus viperarum & inſectorum ictus, ut & in ulceribus mammarum, aliiſque ſordidis & malignis purificandis.

Extractum vel *Eſſentia Vincetoxici*, imprimis cum lumbricis terreſtribus compoſita, ſæpius aſſumpta feliciter curat hydropem; pellit enim urinam, & movet ſudorem. Unde tam in aſcite, quàm in anaſarca multum prodeſt.

VIOLA PURPUREA.

VIola, eaque *purpurea*, alio nomine vocatur *viola Martia*: eſt ſatis cognita, imprimis ea, quæ odore ſuavi ſe commendat.

Florum horum odor conſiſtit in parte volatili Mercuriali, adeoque parum in receſſu habent. Temperatiſſimæ ſunt naturæ, adeoque in lympha, aliorumque contentorum corporis acrimonia, præſertim ſalſa, temperandâ optimæ; hac ratione inter anodyna referuntur. Peculiariter pectus reſpiciunt & laryngem, & conducunt in affectibus faucium, laryngis, & pectoris, ex lympha nimis copioſa & acida aut ſalſa natis, v. g. in tuſſi ſicca, in catarrhis tenuibus, has partes infeſtantibus; item aſperitate faucium, pleuritide &c. corrigendis; & ariditate linguæ: dum enim leniunt acrimoniam ſalſam lymphæ, ſimul fluidam inſpiſſant ac incraſſant, ut citiùs ſequatur anacatharſis, ſeu evacuatio per ſputum. Quamdiu enim materia eſt tenuis, tamdiu fruſtraneus eſt conatus ejiciendi, & nimis difficulter evacuatur lympha; ſimul ac verò adhibentur temperantia acrimoniam lymphæ & incraſſantia, qualia ſunt violæ, jujubæ, ſebeſten, ſuccus glycyrrhizæ & ſimilia, res optimè ſe habet. Non ſecus ac in viarum urinariarum affectibus ſimili ex cauſa, ſero nempè acriore, acidiore, aut imprimis ſalſiore natis, mitigandis, multi ſunt uſus: propter quam vim temperativam vulgò ad incraſſantia materiæ pectus affligentis referuntur, & hinc in promovenda expectoratione ſunt uſitatiſſimæ. Hi flores colligendi ſunt matutino præſertim tempore, quando eorum virtutes & volatiliorem ſubſtantiam nec calor ſolis reſolvit, nec pluvia diſſipavit; nempè dum madidi ſunt adhuc & roſcidi à rore matutino. Hoc modo collecti flores violarum vim habent moderatè laxativam; quoniam per alvum leniter & ſuaviter expurgant, & primas vias evacuant, uti omnia parata ex his floribus hanc habent vim. Hæc vis laxativa non tantum tribuitur violis recentibus, à rore madentibus, & ex his paratis remediis; ſed etiam exſiccatis. Refert namque in *Pharmacia ſpagyrica POTERIUS*, quod pulvis violarum ſiccatarum ad ʒj. exhibitus egregiè purget & laxet: vid. *SENNERTUS in Paralipomenis p. 82.* & *PECHLINUS de Purgantibus p. 51.* Præterea cordialis vis tribuitur violis; unde numerantur inter quatuor flores cordiales: quales ſunt flores borraginis, buglosſæ, tunicæ, & violæ, utut moderni non immeritò addant flores calendulæ. Hinc adhibentur in affectibus dictis Melancholicis pro corrigendo humore melancholico, ſive attemperandâ nimiâ aciditate: adhæc in bile atra corrigenda & attemperanda ſunt uſitatæ apud Autores; ſicuti etiam reliqui flores cordiales.

Syrupus violarum ſimplex, qui ab *AUTORE* ſolutivus dicitur, paratur ex floribus matutino rore adhuc madidis: hic ad aliquot uncias propinatus leniter & egregiè purgat. Præſcribitur in tuſſi, hinc in aſperitate faucium & gulæ, uti etiam in gutturis & harum partium inflammatione. Singulariter etiam confert in exulceratione renum; quod etiam facit *compoſitus* cum jujubis & ſebeſten potentiùs, quæ ſimul etiam vim habent laxativam. *Syrupum violarum compoſitum*, elegantem, pectoralem, videbitis in M. A. N. C. *Append. pag. 80.*

Ex hac ratione collectis violis etiam paratur *Conſerva violarum*. Pertinet huc *Conſerva violarum Timæi laxativa* non inelegans, quam hoc modo præparavit:

> ℞. *Succi violarum rore matutino adhuc madidarum recenter expreſſarum* ℔j.
> *Mannæ puriſſimæ* q. ſ. ad cohibendum ſuccum.

Ubi Manna reſiccata fuerit, novum ſuccum affundit; donec Manna nihil ampliùs ſucci recipiat; hinc in vaſe vitreo ſoli, vel blando calori exponitur ad aliquot dies noctesque, ſervaturque ad uſum.

Doſis à ʒij. ad ℥ß.

Blandè abſtergit, & alvum egregiè laxat, atque in faucium aſperitate, ariditate & ſqualore linguæ propter temperaturam ſuam magni eſt uſus; in temperanda enim lympha, irrigante fauces, florum horum ſuccus eſt decantatiſſimus; in promovenda etiam expectoratione pleuritica frequentiſſimi eſt uſus.

Sunt, qui per fermentationem ex floribus violarum parare contendunt *Spiritum*, & hic ipſe eſt pretioſus non minus, quàm ſpiritus roſarum.

Tinctura violarum elicitur ordinariò cum aqua propria ex floribus, de qua videatur *AUTOR*, & fit *tinctura purpurea*; ſin verò huic tincturæ purpureę addantur aliquot guttæ ſpiritus vitrioli, fit *rubinea*: Nam proprium eſt vitriolaceis ſpiritibus, ut cærulea in rubra mutent. Hæc tinctura parata cum ſpiritu aut phlegmate vitrioli eſt egregia in affectibus maſſæ ſanguineæ nimis calidis, ſeu in nimia incaleſcentia ſanguinis: nam effervescentias febriles tempetat & corrigit, ſitim extinguit, & ventriculum non minus ac hepar egregiè corroborat. Dari poteſt à guttis 12. ad 20.

PETRUS JOHANN. FABER in ſuo Myrothec. ſpagyr. l. 2. c. 11. habet tincturam ex violis ſomniferam, ſeu anodynam, quam videbitis l. c.

Succus inſpiſſatus convenit in tuſſi, aſperitate ac inflammatione faucium, gulæ & gutturis, nec non ariditate linguæ.

Quod attinet *Herbam*, quæ vocatur Violaria, refertur inter plantas emollientes; hinc pro ſcopo emolliendi ordinariè adhibetur, utpotè cùm uſus ſit admodum frequentis in clyſteribus & cataplaſmatibus, alvum emollientibus & leniter ſubducentibus; item in lotionibus pedum, ubi opus eſt emollitione, vel aliquali ſomni provocatione & ſimilibus applicandi modis.

Semen tandem ſequitur, quod ſpirat odorem terebinthinatum, & nobile quoque eſt catharticum & potentius quàm flores. Præter vim alvum laxandi, ſingulare eſt in promovenda urina, quam blandè ſtimulat in paroxyſmis nephriticis, eſtque egregium ſemen nephrocatharticum, vel, uti dixi, quod urinam pellit, ſimulque alvum laxat, & inter ſemina purgantia referri ſolet à nonnullis. Ex hoc ſemine paratur emulſio elegans cum aqua veronicæ vel violarum, quæ certiſſimè deſperatam urinæ ſuppreſſionem quamcunque, ſive ſit ex arenulis, ſive ex mucilagine craſſa renes obſtruente, ſive ſit ex aliis cauſis, tollit, alvumque obſtructam moderatè ſimul ſolvit, unde & nephro-cathartica vulgò appellatur: confer. *AUTOR l. 2. cap. 54. de Emulſionibus pag. 203.* Hanc emulſionem in retentione urinæ valdoperè commendat *Crato & Hartmannus*; habuit tamen quaſi ſecretum in tali caſu, ſive cum, ſive ſine caculo. Videre etiam poſſumus *Henricum ab Heer in obſ. 7.*, qui habet experientiam Iſchuriæ ingentis obortæ ex ebrietate, curatæ per emulſionem ſeminis violarum purpurearum, factam cum aqua veronicæ, additis paucis guttulis ſpiritus vitrioli. Mulieri per 17 dies noctesque urina erat ſuppreſſa: tandem

dem irritis aliis emulsionem Cratonianam ex semine violarum præscripsi, eamque sic, excitatâ tamen epilepsiâ, à suppressione urinæ liberavi. Prodest etiam in affectibus nephriticis, in quorum paroxysmi principio, quando necesse est, ut simul alvus moderatè laxetur, emulsio hæc est conveniens. Determinari ulteriùs potest hæc emulsio cum semine papaveris, ubi magis dolorem lenire est animus. Commodè etiam additur lapis percarum pro corrigendo acido hostili; v. gr.

℞. *Sem. viol. purpur.* ℨij. vel ℨiij. ad ℥ß.
& vel ex solo, vel addito *sem. papav. albi*,
vel *sem. litho-sperm.* (pro intendenda diuresi) ℨj.
cum s. q. *aquæ alkekengi*, vel *petrosel.* fiat *Emulsio*: adde
Aquæ Cinnam: spirituos: ℥j.
Lapill. percar. præp. vel etiam, quibus tamen præstant,
Lapill. Cancr. prep. ℨß. ad ℈ij.
Sacchari parum, misc.

Emulsio hæc propinata remedium erit suave diureticum in affectibus partium urinariarum, blandè simul alvum laxans, sicque duos usus simul præstans.

Denique succus veronicæ, quando inspissatur cum saccharo, & huic adduntur semina pulverisata violarum, pro tali casu in forma Electuarii est usitatus.

Præsto etiam est

VIOLA LUNARIA MAJOR.

Viola Lunaria Major, *flore purpureo* & *albo* & *quatuor foliis* constans, *siliquis majoribus* sive *latis*, Germ. *Mond-Veilchen*, ad differentiam illius oblongis & sinuatis capsulis prædita est, ac rarò invenitur. *Semen lunam* galeatam refert. Dicitur quoque *sinapi Persicum* ob saporem seminis acrem.

Usus medicus nullus est.

Sistit se porro in Horto Medico nostro

VIOLA MATRONALIS.

Viola Matronalis dicitur in specie *Hesperis Vulgaris*, *flore albo & carneo*. Dicitur autem *Viola Matronalis*, quia à matronis in hortis soleat coli.

Usum Medicum, quantum hactenus constitit, habet nullum.

Ulteriùs se jam offert

VIOLA NOCTIS.

Viola Noctis ita dicta, quoniam suaviorem tempore nocturno, quàm diurno, odorem præ se ferre solet. Vocatur aliàs *Hesperis Syriaca*.

VITIS.

Vitis primarium est inter omnia simplicia vegetabile, suggerit *Vinum*, *Acetum*, & *Tartarum*, in quibus sanè multa latent; sed de his suis locis. Hìc agemus tantum de planta, de qua aliàs scripsere JACOBUS HORSTIUS *Tr. de vitè vinifera*, quod elumbe tamen scriptum est: PHILIPPUS JACOBUS SACHSIUS *à Lobn Keimb*, Medicus Uratislaviensis, Vir multiplicis lectionis, scripsit *Ampelographiam*, in qua omnia, quæ ad Vitem, Vinum, Tartarum, & Acetum faciunt, partim ex propria experientia, utut pauca, partim aliorum Autoritate, satis copiosè & prolixè, sed cum judicio non adeò insigni: BECHERUS verò *in Physica subterranea* optimus Autor est, & omnibus commendabilis: CONRADUS KUNRAD *in Medulla Destillat.* Rhapsodiam amat.

Cæterum præsuppono de vite & omnibus ejus productis ex TACHENIO, quod tota ex alcali & acido cum tertio sulphureo, scil. oleo, combinata sint, quæ mutatis mutandis ad totum regnum vegetabile applicari possunt. Acidum in vino se habet ut principium activum prædominans, alcali ut passivum, quæ duo, accedente utriusque quasi vinculo, sulphure nempè seu oleo, conjunguntur. Hæc ipsa cum terra & aqua omnem ludunt in vino tragœdiam, & plùs vel minùs, prout temperata sunt, varias induunt larvas, & quò plus sunt exaltata, eò meliora & volatiliora dant producta in vino. In maturis uvis, & multo hæc duo sunt temperata mediante tertio, oleo nempè sulphureo, adeoque dulcem habent saporem. In vino prædominatur acidum spiritu volatili temperatum. Dominatur hoc acidum magis in aceto, in quo spirituosum & oleosum quasi depressum: in fęcibus verò dominatur alcali spiritu copioso temperatum. In tartaro æquali ferè vigore concurrunt alcali & acidum, utut, quoad saporem, acidum volatile se magis prodat.

Quæritur igitur de origine acidi tanquam principii præponderantis? Acidum in vino originem habet ex sale aeris Hermetico seu naturæ universali, omnium salium primo ente; quod sal uti vegetat omnia semina vegetabilia, ita & radices fœcundas reddit, ut inde germinatio & totius plantæ productio fiat. Hoc sal aereum universale cum pluvia terræ commixtum, aut etiam in ipsa terra, imprimis nitrosa alcalina, quasi magneticè attractum, ipsique confermentatum, constituit sal terræ centrale, ex quo vires & germinatio & vigor omnium vegetabilium, ex quo etiam acidum hoc in vino dependet. Jam ergo cum vinum, acetum, & tartarus participent de hoc sale aereo, hinc in iis non levis residet clavis penetrandi & resuscitandi meralla.

Quod attinet officinalia, ex his se offerunt primò Lachrymæ. Quando scilicet amputantur vitis palmites, liquor trunco exsudat, quem lachrymas vitis, succum item & aquam vitis appellant, qui simplicissima & defæcatissima aqua est, paucâ substantiâ gummeâ nonnihil acidâ impręgnata; ubi sanè mirum est, quod ex perdulci & homogeneo hoc liquore tot producta Democritea fiant. Impossibile est, posse ex Philosophia Aristotelis produci. Lachrymæ hæ multum sanè habent in recessu, quia primum quasi ens vitis revera sunt; unde optandum, ut in foro medico frequentiùs in usum venirent. Jam enim expertus sum, quantum valeant usu interno in febribus malignis, purpuratis etiam puerperarum; unde in febribus ardentibus frequentiùs usurpari deberent, additis tamen etiam appropriatis aliis. Qui phlogoses patiuntur, liquorem hunc usurpare possunt: habet quoque singularem vim nephriticam & diureticam & renum absterivam, in qua laudatus fuit à Crœsf. in M. A. N. C. Ann. 6. Append. pag. 125. adeoque singulare quid obtinet massam sanguineam in debita εὐκρασίᾳ conservandi. Externè in oculorum affectibus hic liquor vitis, ubi eorum absterfione & clarificatione visus opus est; quia ob blandissimum & volatile acidum suaviter hæc aqua purificat & abstergit maculas, nebulas tollit, & obscuritatem visus corrigit; subtili enim sale volatili est impręgnata. Notetur tamen, quod in ophthalmia non prosit propter aciditatem, sed saltem ad nebulas & maculas; distinguendæ enim sunt causæ. Quin & humor aqueus liquore hoc restitui potest, teste HEINRICO *ab* HEER. Sunt etiam, qui commendant externè contra maculas & impuritates faciei, ceu cosmeticum. Tandem & tartarum, ejusque sal fixum, beneficio hujus liquoris volatilisare volunt; quod non adeo impossibile est.

Succedunt *Folia*, quæ vocantur Pampini, uti etiam Capreoli. Recentia saporis sunt subacidi, succo tamen blandè acido volatili turgent, & exinde aliquali simul vi adstrictoriâ, & fibras partium contractoriâ gaudent, in qua fibrarum contractione legitimus partium tonus consistit; unde non tam contra diarrhœas, lienterias, dysenterias, vomitus & similes affectus valent, uti habet AUTOR, sed & vi stomachali appetitum dejectum restituunt. Externè contra æstus capitis, à sanguine ebulliente ortos, commendantur, plantis pedum applicata, pro conciliando suavi somno, & aquæ pro pediluviis ordinariò coquuntur.

Succus ex his foliis tantum expressus valdè cōmendatur ad picam, seu appetentiam depravatam prægnantium, dysenteriam, diarrhœam, vomitus, & similes affectus. Externè capiti applicatus solet restinguere æstum, ac temperare cephalalgias, ex nimia mora in sole vel loco calido contractas.

Aqua ex his foliis recentibus & tenellis adhuc destillata in pica gravidarum valdè convenit, sive sola, sive cum Miva cydoniorum permista, adhibeatur: specifica quoque est in purpura puerperarum, additis tamen etiam appropriatis aliis.

Ex foliis & sarmentis incineratis elicitur *sal rubrum*, quod continuâ agitatione tamdiu calcinandum, donec albescat; hinc cum aqua solvendum, & coagulandum; quod aliàs *tartarus Philosophorum* vocatur: vid. BASILIUS VALENTINUS *Testam. pag.* 260. & TENZELIUS *Exeg. de Auro potabili*. Inter cauteria solet referri.

Flores vitis egregiè ob odorem reficiunt spiritus nostros, unde hos omnium cordialium præstantissimos esse dicunt. Tempore illo, quo vitis floret, dicitur non facilè reperiri bufones, & cum floribus vitis singularem inimicitiam habere: quod etiam habet GLAUBERUS *in suis scriptis*.

Sequuntur *Fructus* & *Uvæ*, quæ sunt duplices: vel *maturæ*, vel *immaturæ*. *Hæ* vocantur Agrestes, & sapore austero gaudent; unde constringunt & constipant, uti reliqui fructus immaturi omnes. Ergo ubi opus est adstrictione, commodè possunt usurpari; rari tamen sunt usus.

Paratur ex iis *syrupus de agresta* pro usu adstrictorio.

Illæ, scilicet maturæ, sunt vel recentes vel exsiccatæ. Recentes turgent principiis salinis, sed per fermentationem sub maturatione subactis, oleo tamen volatili temperatis: fermentatione enim concurrunt acidum & urinosum, unde mutuâ temperaturâ fit adeò, ut accedente sulphure sapor dulcis & suavis evadat: Hæc ita se habere, experimur omnes, cum subinde, si comederimus uvas recentes, soleant generare flatus, & inde concitare borborygmos ac murmura abdominis, & diarrhœas, quæ accidunt ob renovatam fermentationem. ZACUTUS tamen LUSITANUS *in libr. 2. Prax. admirand. observ.* 131. valdè commendat usum uvarum maturarum rore adhuc madidarum in affectibus stomachi & aliis: singularis est observatio & digna lectu.

Magis autem pro usu Medico conveniunt Uvæ exsiccatæ seu Uvæ passæ, quæ sunt Uvæ vitis, vi caloris, sive furni, sive solis exsiccatæ; aliàs uno nomine vocantur *Passulæ*; & sunt vel *majores*, vel *minores*: Passulæ majores *Zibebæ*; minores *Passulæ Corinthiacæ* dicuntur, & hoc

hoc nomine folent præfcribi. Hæ ipfæ paffulæ quæcunque, imprimis minores, revera nihil aliud funt, quàm *muftum* quoddam *concentratum*, feu phlegmatis exhalatione condenfatum, relictis & adhuc præfentibus ipfis falibus activis, à quibus dependet fermentatio. Unde ex his contufis cum aquâ affusâ parari poteft egregium *vinum*; quo ipfo innuitur, quod adhuc contineant duo falia, fulphure connexa atque temperata; ficut etiam deftillatæ faltim *fpiritum acidulum* & *oleum empyreumaticum* fuggerunt, ad inftar mufti.

Quoad ufum, paffulæ aliàs propter æquabilem acidi cum alcali & copiofo oleo mifturam temperatæ funt, indeque conveniunt in temperanda maffa fanguinea, aliorumque fuccorum in corpore acrimonia, à quocunque fale exceffivo orta, indeque in lymphæ acrimonia, & inde faucium & pectoris affectibus, in quibus adeft tuffis nimia, afperitas & raucedo, ex lympha acri & acida, valdè conveniunt: unde incoquuntur paffulæ in nodulis & potionibus magiftralibus pectoris; ficut & in partium urinariarum pathematis demulcendis & mitigandis funt optimę: hinc etiam funt nutritivę, & aliqualiter pinguefaciunt. Cum enim admodum temperatæ fint, fanguinis crafin in debita temperatura confervant; & temperatâ ita acrimoniâ chylum copiofum temperatum rofcidum, pinguem ac oleofum fuggerunt. Item crudę fæpius comeftę in hemorrhagiis narium copiofioribus ex fluxilitate & acrimonia fanguinis quafi fcorbutica, funt egregium remedium.

In fpecie autem conveniunt, ubi ex acrimonia fanguinis falfa provenerit atrophia: quam vim non tantum *JOEL in Praxi* laudat; fed etiam aliquot experientijs comprobat *RIVERIUS c. 4. Obferv. 37. 43. & 44.* Id quod imprimis erit conveniens, fi affumatur cum amygdalis dulcibus excoriatis; hę enim habent vim nitrofam & abfterfivam: Sic & quibufdam decoctum paffularum cum rad. Cichorii iis, qui ad phthifin inclinant, & in marafmo phthifico feu contabefcentiæ corporis, convenientiffimum eft.

Dum fupra dixi: quod paffulę conveniant in mafsa fanguinea & cachecticis affectibus corrigendis, idem eft ac dixerunt veteres; quod fint hepaticę, & conveniant in confortando hepate; ftante illorum hypothefi de fanguificationis munere, hepati delegato. Unde in quacunque fanguinis dyfcrafia corrigenda, & ejufdem eucrafia confervanda, fequens habet Electuarium non inelegans *SOLENANDER conf.* 11.

℞. *Paffiul. Corinth contuf.* ℔j.
Pulv. rhabarb. ℥ß.
Sacchari ℥j.
Mifce in confiftentiam *Electuarii.*

Ufus fit ante paftum cochlearis menfurâ plus minus, pro varietate circumftantiarum, ad confervandam fanitatem. Incredibile eft, inquir *SOLENANDER*, quàm multum hoc electuarium prodeft, blandè alvum fubducit, primas vias purgat, & fanguinis crafin egregiè corrigit ac emendat.

Simile *Electuarium ex paffulis* habet etiam *HORSTIUS Pater l. 4. obferv. 31.* aliquantifper cum aromaribus magis compofitum, expertum in cachecticis & hydropicis affectibus. Aliud ad hypochondriacum malum paratur ita:

℞. *Paffiul. Corinth.* ℥vj.
Crem. tartari ℥vj.
Sal. tartar. ℨiß.
Rhabarb. elect. ℨiij.
Cinnam. acerr. ℨj.
Mifce, fiat *Electuarium.*

Cæterum Paffulæ comeftæ & paffulata omnia blando fermentationis motu explicando fpicula falina, moderatè inteftina ftimulant, & fimul fæces emolliendo alvum laxant: unde hypochondriacis & fcorbuticis & gravidis maximè conveniunt pro alvo aperta fervanda, oprimo cum confilio; quia funt temperata. Pro hoc fcopo convenit imprimis Vinum laxativum paffulatum *TIMÆI in* Caf. 3. libr. 3. pag. 113 Ad cujus imitationem

℞. *Paffiul. minutim in mortar. contuf.* ℥iß.
Ebulliant in *aqua fimplici* f. q.
Colaturæ fervidæ ℔iß. infunde
Fol. fenn fine ftipit. ℨiij.
Flor. violar. p. iij.
Crem. tartari ℨj.

Stent in loco calido per noctem ad diffolut. tartari: Colatura D. S.

Potio laxativa pro una vice.

Potio eft gratiffima, quæ quantitate vitri ordinarii haufta egregiè alvum laxat in affectibus hypochondriacis.

Obfervetur, quòd paffulæ præfcribantur exacinatæ: Nam acini vim habent adftrictoriam leniter, & hinc etiam leniter vim pellendi urinam, quod non femper eft conveniens; nam fæpius præfcribuntur pro fcopo laxativo: Cum autem muftum habeat vim laxandi, inde & paffulæ obtinent vires alvum obftructam & induratam referandi.

Paffulę ulterius egregiam vim obtinent compefcendi fitim. Non enim in omnibus affectibus conveniens eft medicamentum vel acidũ, vel copiofæ aquæ ingurgitatio: Sitis namque oritur ex acri faliva & aliis humoribus, infeftantibus linguam aut guttur: V. gr. in hydrope, cachexiis, & fcorbuto, ubi eft intenfiffima fitis propter acrimoniam falivæ & lymphæ, & non licet aquofa affumere, hæc enim augent fitim; nec acida, quippe quæ quam plurimos, tam in inteftinis quàm maffa fanguinea, inducunt affectus. In talibus ergo cafibus, ubi non commodè ufurpantur aquofa, vel acida, conveniunt paffulæ & decoctum paffularum pro compefcenda fiti; quoniam acrimoniam falfam, exque illa productam fitim corrigunt, & etiam dum temperant acrimoniam humorum, indeque obortas effervefcentias compefcunt, adeoque moderatè refrigerant, & in multis affectibus propter acrimoniam humorum nimiam conveniunt.

Externè in alvi obftructione commendari folet clyfter, qui fit ex paffulis coctis in jure vituli, deinde colatis & expreffis per linteum; ex qua expreffione fit Enema in fecibus induratis, & longa alvi retentione à quiete nimia & potu parco, imprimis in gravidis, uti dixi.

Omnia hæc de uvis paffis dicta, applicanda etiam funt ipfis *Paffulis Corinthiacis*, quibus illę ipfæ longè magis conveniunt.

De cætero, cum paffulæ, uti dictum, fint muftum concentratum, hinc & fermentatio in iis excitari, & beneficio hujus potus vinofi admodum fuaves, inftar vini Malvatici feu Hifpanici, inde præparari poffunt, pro eucrafia fanguinis & fanitate noftra optimi: v. gr.

℞. *Paffiul. contuf.* q. v.

infunde in *aqua calida* q. f. addatur parum *facchari*, quod fimul promovet fermentationem, vel fecum vini aut cerevifiæ; ita brevi poft turgefcunt, & fit Vinum inftar Hifpanici.

Nam non folùm ex paffulis & faccharo fermentando fuave fit Vinum; fed etiam ex his paffulis cum pyris mofchatellis fit *Vinum compofitum*, egregium ad corrigendam cachexiam maffæ fanguineæ, & utile in affectibus cachecticis. Uti etiam cum fucco pomorum Borsdorffianorum fi fubigantur paffulæ contufæ & fermententur, fit *Vinum compofitum* fuave & elegantiffimum in affectibus hypochondriacis & melancholicis. Item fi cum fruct. rubi idæi temperentur paffulæ, elegantiffimum habebitur vinum; modò obfervetur legitima fermentatio; nam in hac totius rei cardo vertitur. *GLAUBERUS* pro folamine navigantium concentrationem mufti & cerevifiæ inftituit: His fcilicet abftracto phlegmate ad confiftentiam mellis redactis affusâ aquâ per fermentationem deinde vinum vel cerevifiam recuperare intendit. Verùm negotium hoc non procedit; quia beneficio ignis omnis textura immutata fuit, adeo ut loco potus grati horridus prorfus proveniat; non fecus, ac fi fpiritus vini Vino adderetur. Nam deftilletur modò vinum, fpiritus vini emergit: qui fi additur iterum remanentiæ, non emergit potus vinofus, fed horridus; quia textura utriufque eft immutata; ergo non amplius poffunt permifceri. Hoc autem in paffulis aliter fit, quia fponte fua exficcatæ funt: non tamen fit præcisè ex paffulis folis Vinum tale, fed etiam ex aliis fcilicet fructibus.

Rob paffularum feu fuccus expreffus & infpiffatus valdè convenit in affectibus pectoris, in quibus adeft tuffis, afperitas nimia & raucedo, ex lympha acri & acida. Veteres concedunt prægnantibus, in quibus purgantia funt periculofa: imprimis quando intumefcit uterus, ut alvus adftringatur; uti etiam in fæcibus induratis, fi hoc fiat, fit ex nimia quiete, vel pauco potu, quod contingit in vitam fedentariam viventibus, uti imprimis etiam in prægnantibus; ex his fi adftringatur alvus, multum conducit rob pafsularum in eadem laxanda, ad magnitudinem nucis caftaneæ affumptus; ficuti etiam ex rob paffularum Electuarium polychreftum ad morbos chronicos, cachecticos, & eos, qui ad icterum vel hydropem declinant, conficitur, fi

℞. *Pulp paffiul. Corinth.* ℔ß.
Rhabarb. pulverifat. ℥ß. ad ℨvj.
Cinnam. ℨj.
Mifceantur.

Capiatur dofi parvi cochlearis.

Convenit etiam iis, qui varis & guttâ rofaceâ ex caufa interna corripiuntur.

Pro alvo laxanda in gravidis *Paffulæ laxativæ* funt optimæ, tam in forma humida, quàm ficca. Compofitio autem harum eft multiplex; nihilominus imprimis ita fieri poffunt: Et quidem in forma ficca Paffulæ laxativæ optimè fieri poffunt, fi hæ mundatæ irrorentur crebriùs cum emulfione fcammonii, exficcentur, & iterum irrorentur; idque toties, quoties placuerit, & prout remedium magis vel minus forte expetitur: hinc facilè paucis aliquot guttis olei cinnamomi aut macis aromatifari & affervari poffunt:

Vel

℞. *Paffiul. min.* qv. v.
Coquantur, donec intumefcant:
poftmodum
℞. *Diagrydium diffolutum in vino albo*:
quod denuo infpiffetur & pulverifetur.
Hujus *pulveris* ℞. ℈j. ifque infpergatur
Paffiul. ℥j.

dum imprimis adhuc calent ex coctione: mifceantur probè, & ficcentur ad folem: fic enim optimè purgant, & grati atque eleganti funt faporis.

Aliam

Aliam compositionem videbitis in ZWELFFERI *Pharm. Reg. Class.* 3. *pag.* 48. TIMÆUS in forma humida egregiam habet sequenti modo:

℞. *Passul. min. optimè mundat.* ℔ß.
affundit
Vini Rhen. ℔j ad ℔jß.
permittit in Infusione per diem noctemque:
addit manè
Sacchari clarif. ℥viij. vel ix.
post evaporat ad consumptionem vini, addendo
Resinæ jalappæ ℈jv.
Miscet in consistentiam *Electuarii.*
Dosis ad ℥ß.

Passulæ autem magis *laxativæ* fiunt sequenti modo:

℞. *Fol. Senn.* ℥iij.
Crem. tartari ℥j.
Mechoacann. ℥vj.
Diagryd. ℥ij.
Sem. anisi,
Galangæ, an. ℈iv.

Infundantur in *aqua simplici*, & ebulliant ad dissolutionem tartari & extractionem Sennæ:. Colaturæ adhuc calidæ infund. *passul. min. contus.* q. s.

Stent in loco tepido, ut successivè evaporet phlegma ad consistentiam electuarii, quod in malo hypochondriaco pro laxanda alvo est egregium. Aliam compositionem habet ZWELFFERUS *loco allegato pag.* 47.

In officinis habetur *loch de passulis*, quod in asperitate faucium & pectoris, tussi sicca, aut etiam humida asperiore & raucedine usurpatur, & valdè convenit; præsertim cum rob vel syrupo papaveris albi mistum, vel sensim sensimque deglutitum. Temperat enim, acrimoniam demulcet, partes asperas & læsas restituit, & crebriorem tussim, mucique copiosioris proventum suspendit, adeòque, ut vulgò vocant, egregiè incrassat.

In Uvis passis continentur *Acini*. Hi uvarum acini expressi fundunt oleum instar olei olivarum. Quidam illos in pulverem minutissimum redactos in phiolis leni digestione aliquandiu foverunt, & quasi putrescere permiserunt, tandem ex illis sublimando Sal volatile elegans acquisiverunt. Non secus ac relatum fuit, quod acini baccarum juniperi per retortam igne aperto destillati cum oleo empyrevmatico *Sal volatile* simul suggerant.

Expressas uvas sequuntur tandem *Vinacea*, cum quibus & urina non solùm ex cupro ærugo paratur in Gallia, ex quo postmodum tam singularis *spiritus* præparatur: vid. ZWELFFERUS *in Apologia*: sed etiam in usum quoque veniunt medicum, quia cum acinis collecta adhuc turgent principiis fermentativis vinosis; unde si incalescunt, odorem spirant gravem, & pro cura morborum externorum multum habent in recessu: scilicet in cura doloris ischiadici, scorbutici, & similium affectuum arthriticorum dolorosorum & paralyticorum, usurpatis vinaceis nil melius est; vel sub formâ balnei sicci, vel cataplasmatis.

Balneum hunc in modum fiat: scilicet ischiadicus, spontè fermentando calefactis vinaceis, ad umbilicum usque insideat, expectando sudorem: aut membra arthritica, vel dolentes partes nervosæ & articuli imponuntur in vinacea per se sponte incalescentia; quando enim ad tempus steterunt, incipiunt fermentatione ad putredinem tendere, & incalescere: Videatur *Petrus à Castro*, qui propriam sororem, annos natam 18, desperato ischiadico dolore prorsus intolerabili laborantem, post infinita remedia, tandem per insessum corporis in vinacea recentia per se incalescentia curavit. Nempè vinaceis his in vasis probè compressis, donec intra tres vel quatuor dies vaporem calidum emiserint, ægram medio corpore immerserunt; quo ipso sudores egregiè moti fuerunt & hoc fecerunt præter propter per semihoram; quâ elapsa per horam iterum in lecto sudavit ægra; quo medicamento ter repetito, à gravi & diuturno morbo liberata fuit. Unde hoc oriatur, videmus egregiè explicatum in ZWELFFERI *Apologia contra Tachenium pag.* 204., qui derivat ex sale volatili vinaceorum per fermentationem exsuscitato; quod ubi ingreditur membra arthritica, corrigit acidum arthriticum evocando per poros cutis; quo evacuato cessat dolor, ab acido pungente & vellicante nervos inductus. Unde sal volatile vinacearum, dum corrigit acidum, & per poros evocat, sensibiliter quasi his affectibus convenit. Idem CASTRO *in suprà citata experientia* etiam hoc observavit, quod per talem insessum in vinaceis recentibus calentibus non tam curatus fuerit dolor ischiadicus; sed etiam menses cœperint fluere, qui per longum tempus restricti, per nullum aliud medicamentum potuerunt provocari. BORELLUS *Cent.* 2. *observat.* 42, *pag.* 145. tumorem testium chronicum cum inflammatione & rubore, ut & podagram ex causa frigida, iisdem per se spontè incalescentibus curatam refert. Sed semel in anno illud usurpandum est, Spontè tamen effervescant; hoc enim modo exaltantur salia volatilia: Si autem nolint spontè fermentare aut incalescere, tunc pro usu medico aspergatur parum de calce viva; sic facilè ad incalescentiam debitam reduci possunt.

Ipse tandem succus ex uvis expressus, *mustum*, per fermentationem abit in *Vinum*, de quo *infrà suo loco*. Saltim hîc fermentatio ejusdem consideretur, ubi duo occurrunt observanda: nempè

1. Motus; &
2. Eructatio flatuum.

Quod attinet motum, ille fit, quando acidum & alcali invicem pugnant, unde motus fermentativus: quando verò se unire & conjungere incipiunt, fit eructatio flatuum. Fermentationem hanc adjuvat calx viva inspersa, quia acidum & alcali occulta fovet. Impeditur verò eadem, si ferrum candens aut limatura Martis musto immittatur, quia ferrum aggreditur acidum vini, unde cessat omnis fermentatio. Sub unione hac acidi & alcali partes heterogeneæ extruduntur, quæ fundum petunt, & Feces constituunt; in quibus luxuriat Alcali.

Sub fermentatione hac, accedente aere, volatilisantur partes vini oleosæ, & eructant copiosos flatus, & sic in spiritum ardentem abeunt. Quidam magnos alembicos doliis imponunt, & in ijs spiritum vini condensare, eundemque capere satagunt: sed stolidum hoc est, quia admodum volatiles sunt, & ens novum, ut nullo modo coerceri possint; & si arctiùs coarctentur, omnia vasa disrumpuntur: Hinc ab HELMONTIO novo nomine *Gas* audiunt, quod mustum pariter ac cerevisia fermentans eructant. Tali Gas similes sunt flatus in corpore nostro. Naturæ autem sulphureæ est Gas istud; hinc & flatus corporis nostri facilè sunt inflammabiles.

Ceterum, quando depuratur mustum, fit nova textura, *Vinum*, ubi alcali volatile prædominatur, in quo partes spirituosæ volatilisatæ sunt per fermentationem & volatilisationem sulphuris concreti. In musto autem nullus est spiritus inflammabilis, sed per fermentationem demum fit spiritus vini; quia est compositum quoddam ex principio sulphureo & acido, tantillum de alcali participante. Quò magis oleosa sunt vina, eò copiosiores spiritus suggerunt.

De his verò plura in *alterantibus secundariis*, ubi *de Vino agetur.*

Cum musto potest fieri *Tinctura Martis aperitiva*, si infundatur super limaturam Martis, donec probè impragnatum sit atomis Martis; hoc facto decantetur & inspissetur in consistentiam mellis; vel extrahatur hoc cum spiritu vini, vel cum spiritu vegetabili quodam appropriato, & fiat *Tinctura Martis aperitiva*. Idem processus potest fieri cum succo pomorum Borsdorffianorum pro affectibus melancholicis & hypochondriacis.

VIRGA AUREA.

Virga Aurea, aliàs etiam ex usu Consolida Aurea, Germanis *Gulden-Gunsel, Gulden-Wund-Kraut*, dicitur. Datur vel *major*, seu *herba Doria*, aut *Panax Chironium*; vel *minor foliis non serratis*.

Consolida aurea vocatur ex usu, quod præsertim illa major inter vulneraria referatur, quasi scilicet auro non sit redimenda ejus vis vulneraria. Folia & flores sunt experti in vulneribus recentibus & inveteratis curandis, interno pariter usu atque externo, & quocunquè modo vulnera contingere solent.

Præter vim vulnerariam habet etiam nephriticam, dum conducit in affectibus renum & vesicæ, sive sint arenulæ, sive mucilago, & hinc obstructiones seu exulcerationes: in omnibus convenit, cum simul urinam pellat. Observetur benè, quod vulneraria sint imprimis etiam Diuretica, quod aliquantisper potest lucem affundere, quomodo diuretica moveant urinam: scilicet in suo concreto eminet alcali non nihil salsum, cujus ratione Mercurium præcipitatum revivificant: hujus virtute usu interno omnia sunt diuretica, sanguinisque grumosi dissolutiva; item excoriationum & exulcerationum quarumvis, præsertim pectoris, correctiva. Ingreditur plerumque emplastra vulneraria & remedia chirurgica.

Succus hujus plantæ expressus & *inspissatus* loco balsami cujusdam vulnerarii nonnullis fuit in usu; Verùm in tanto horum apparatu vix adhibetur.

ULMARIA.

Ulmaria ita dicitur, quod folia ejus cum ulmi foliis conveniant: Dicitur etiam *Regina prati.*

Veteribus non fuit in usu: Modernis verò pro alexipharmaco ac sudorifero inservit; unde etiam in morbis epidemicis, malignis frequentis est usus, in specie in fluxibus alvi, diarrhœis & dysenteriis epidemicis, in autumno ut plurimum grassantibus, quia simul vim habet nonnihil adstrictoriam, & sic quasi ad tormentillæ naturam accedit: sicut & compositiones theriacales, *pulveres alexipharmacos, essentias & elixyria antipestilentialia*, ingreditur. SIMON PAULI *in Quadr. Botan. pag.* 452. summis laudibus effert, quippe quâ lethale vesicæ vulnus in puella curavit: Item in ossium fracturis propemodum immedicabilibus mira præstitit.

Multum laudatur aliàs aqua ejus ex Balneo Mariæ destillata à FABRO pro usu sudorifero, præsertim si vehiculi loco cum aliis medicamentis alexipharmacis in morbis malignis propinetur.

Extractum, quod video *in Pharmac. Quercetani*, sudoriferum pariter est, & ab AUTORE contra pestem & in febribus malignis commendatur.

Habetur etiam

ULMARIA PEREGRINA.

Ulmaria peregrina seu *Barba Capri floribus oblongis*, *Drymopogum* propriè dicitur, German. *Wald Bart*; sed planta hæc est penitus inusitata.

URTICA.

URticæ dividuntur in urentes & non urentes. Hæ vulgo dicuntur Lamia seu Galeopsides: Illæ verò in specie Urticæ, quæ satis solent esse cognitæ. In urentibus autem distinguatur vis caustica à medicamentosa. Caustica vis consistit in spiculis concavis, per quæ urticæ hæ liquorem peculiarem limpidum acrem, peculiari folliculo contentum, intra cutim & cuticulam figunt; unde ab ejus salina acrimonia fibræ irritantur, & hinc dolor pruriginosus ac vesiculæ excitantur: vid. *LANGIUS*, & *experimenta Noctei icorum*, imprimis *Anglorum*, in specie *HOCKIUS in sua Micrographia Anglicè scripta*; item *Ephemerides Eruditorum*, qui observarunt per microscopia talia spicula concava, talemque humorem. *HELMONTIUS* autem putat, hoc à sale caustico provenire.

Virtutes Medicas quod attinet, Urtica urens minor, Germ. *die Heyter Nessel*, est dicata pulmonibus; Unde pulverisata folia urticæ solent commendari in pulmonum læsionibus, phthisin minitantibus, & affectibus pulmonum. Deinde experta est contra calculum, & in affectibus calculosis pulmonum, renum & vesicæ. In gangræna internè decoctum singulare quid obtinet, & ad quascunque hæmorrhagias valdè commendatur, uti omnes testantur Practici. *FERNELIUS in M. M.* annotavit, quod etiam alvum laxet.

Externè solet commendari singulariter contra gangrænam & hæmorrhagias quascunque, contusa & applicata. Item in nimio narium fluxu, ubi propter circumstantiâ interna propinari nequeunt, adhibita extrinsecus folia urticę conveniunt; si scilicet contusa plantis pedum & volis manuum applicentur, & linteum aquâ frigidâ urticæ vel ejus succo madefactum, circa scrotum vel testes ponatur: & denique turundę ex gossypio vel etiam ex linreis paratę, aquâ vel succo urticæ immersæ, naribus indantur. Hisce enim externis brevi post narium fluxus intercipitur: vid. *BORELLUS Cent. 1. Observ 95.*

Præterea *semen urticę majoris* lithontripticum est & calculum pellit: scilicet colligitur urtica semine maturo ante solis ortum luna crescente, & exsiccatur in umbra, donec spontè decidat: post in decremento Lunæ usurpatur. Dosis ℈j. Egregium est præservativum à calculo, tam pulmonum, quàm renum & vesicæ. Ne frigus noceat, solet ceu præsentaneum remedium commendari semen urticæ, cum sevo hircino, aut oleo laurino & cera illitum; sic enim nullum frigus sentiri inquiunt.

Succus urticæ nonnihil nitrosus est, unde internè in quibuscunque hæmorrhagiis compescendis usurpatur ab ℥ß. ad ℥iß. & ℥ij. Sic *RIVERIUS Cent. 4. observ. 81.* expertus est, quod succus urticæ ad ℥ß. propinatus, fluxum nimium mensium sistat: id quod etiam facit in nimio fluxu hæmorrhoidum, ad quamcunque hæmorrhagiam narium, ad exspuitionem sanguinis, ad vomitum sanguinis: vid. imprimis *BORELLUS* & *RIVERIUS Prax. lib. 4. cap. 8. AMATUS LUSITANUS* habet etiam egregiam experientiam hæmorhagiæ nimiæ, uti & mensium fluxus nimii, per succum urticæ curati: Sicuti folia urticæ contusa instar turundæ naribus applicata hæmorrhagiam narium optimè solent sistere. *Externè* verò succus ex herba, vel radice expressus cum linteis duplicatis applicetur loco affecto ad ulcera mundificanda, & contra ulteriorem gangrænæ progressum, uti & gangrænam ipsam curandam.

Aqua ex radice urticæ urentis destillata, & quidem cum spiritu vitrioli leviter acidulata, & frigida assumpta, vomitum sanguinis sedare dicitur.

Inter Urticas urentes jam etiam sese offert

URTICA ROMANA

URtica Romana *foliis crenatis & non crenatis pilulas ferens*, non est officinalis, sed exotica: cujus loco Urtica vulgaris major & minor adhibentur.

URTICA MORTUA.
seu
GALEOPSIS.

URtica mortua est, vel *minor foliis rotundis*, *floribus exilibus*; vel *major foliis triangularibus*: utriusque variæ species dantur; quarum quædam vocantur *Lamia*, quædam *Galeopsides*: *Lamia* sunt *majora*, *Galeopsides minores*. *Galeopsidum tres* dantur *species*, *flore albo*, *rubro*, & *luteo*, & promiscuè sunt in usu. Dicitur *Galeopsis*, quoniam flores quasi repræsentant galeam. Deinde quædam adhuc sunt *maculatæ*, quædam *non maculatæ*: *Maculata* vocatur ab Italis *Milzadella*, quæ est species urticæ mortuæ, & aliàs dicitur Lamium album maculatum: Milzadella dicitur, quoniam usurpatur ab Italis ad scirrhos, indurationes & obstructiones lienis, qui ab Italis vocatur *Milza*: vid. *SOLENANDER Consil. 12.* & ex eo *SCHENKIUS lib. 3. observ.* ubi *de splene*; uti etiam *HARTMANNUS in Praxi Chymiatr. cap. 178. §. 3.*

Apud nos autem cùm rariores sint lienis affectus, tanquam specificum contra fluorem album mulierum, qui dicitur aliàs *Gonorrhœa muliebris*, usurpari solet, imprimis si sclareæ vel hormino associetur; sive hæc gonorrhœa sit vera, sive notha. Assumitur aut conserva summitatum florentium, aut decocta in vino: etiam externè in pediluviis commendatur. Novi exemplum mulieris generosæ ante paucos annos decocto solo galeopsidos in vino albo curatæ, cum aliàs nullum conducere voluisset remedium.

Sequitur planta ab Autore neglecta, quæ vocatur

UVULARIA.

UVularia, aliàs *Hippoglossum*, rectiùs *Hypoglossum*, à quibusdam *Bonifacia*, est *Laurus Alexandrina baccis*, *pediculis adhærentibus*. Datur etiam *Laurus Alexandrina vera baccis*, *pediculis longis cauli affixis*, & *Laurus Alexandrina baccis folio insidentibus*: Ger. *Zapffen-Kraut* dicitur, quod in foliis ejus parvum foliolum, quod linguam quasi prominentem referat, enatum sit; hinc & Latinis *Bilingua* vocatur.

Posteriores lauri officinis sunt incognitæ; prior verò Uvularia, ejusque Decoctum, vi nominis ad gargarismate contra affectus faucium, in specie contra uvulæ prolapsum & nimiam laxationem, item contra phlogosin seu inflammationem laryngis, aut serosam aliqualē glandularum intumescentiam, à pluribus adhiberi solet. Sunt etiam, qui in huncusum radicem & folia infundere potui, item infantulis ad præcavendam laxitatem uvulæ instar amuleti appendere jubent; sed fides sit penes experientiam. Postmodum in principio inflammationis uvulæ, item gangrænæ, cum aquâ veronicæ commendatur: vid. *TABERNÆMONTANUS in Herbar.* & *JOEL.* Eadem, quæ de ligustro dicta sunt in oris ac faucium affectibus, etiam de Uvularia à modernis affirmantur.

Z.

ZEDOARIA.

ZEdoaria est *Zinziber sylvestre latifolium*, cujus radix egregiè est aromatica, penetrans insigniter & polychresta, impregnata copioso acri volatili sale, quod per destillationem patet; cujus beneficio aquam aromaticam oleo copioso suggerit: cui in India ex radice recenti destillatæ sal volatile nivis, aut camphoræ formâ innatat. Ex India ad nos defertur, & in plurimis ferè cum Gentianâ convenit; nisi quod magis oleosa existat, adeoque stomachica magis & carminativa sit.

Vi alexipharmacâ & sudoriferâ laudatur, adeo, ut internè theriacalibus remediis annumeretur, & imprimis Medicis commendetur, ut in ore eandem gestent, ægros malignis & contagiosis morbis infectos visitantes: de quo videatur imprimis *RULANDUS in Tract. de Febre Hungarica*: unde etiam quæcunque purgantia corrigere veteribus dicta fuit. Quin & ad vapores mineralium acidos & venenatos reprimendos adhibetur; vomitus etiam egregiè sistit; hinc vel metallariis, vel etiam chymiæ operatoribus crebrior usus ejus commendatur. Præterea egregium est stomachicum ad imminuendam & præcavendam imprimis pituitam, seu cruditatum aciditatum proventum in stomacho, in quo aliàs ab *HARTMANNO* & *LINDANO* multum commendatur. Carminativa vis pariter ei inest singularis, uti aromatis omnibus, & quidem vix datur aroma, quod magis vel impediat, vel discutiat flatus, quàm Zedoaria. Præterea quoq; egregiè prodest in doloribus colicis & ventriculi, non secus ac mulierculę nostrates contra passiones hystericas pulverem radicis feliciter usurpāt. Etiam puerperis mox post partum optimè exhibetur cum pane butyro illito, partim pro doloribus post partum sedandis, partim pro lochiis insimul promovendis *JOEL* commendat. Sic & vi sua aromatica convenit tussi diuturnæ, ab aere frigido externo contracta, in aqua cocta. Lumbricos intestinorum potenter enecat.

Extractum commendatum est mulieribus pro ciendis mensibus.

Aqua Zedoariæ cum vino destillata egregiè est carminativa & stomachica in colicis, hystericis, doloribus post partum & aliis muliebribus affectibus proficua: vid. *HOFFERUS Herc. med. p. 131.* *Aquam Zedoariæ compositam* elegantem videbitis in *M. A. N. C. ann. 6. append. pag. 102.* Et egregium *Destillatum stomachicum ex Zedoaria* in *HORSTIO lib. 4. observ. 1. pag. 150. & observ. 28 pag 266.* non quidem artificiosum, sed fructuosum.

Vinum & *oleum* sunt stomachica & singularia in colicis & hystericis affectibus, nec non in doloribus post partum.

Pertinet huc *Essentia Zedoariæ* per spiritum vini tartarisatum, qui exinde rubore coloratur, spiritus tinctus decantatur, & blando igne ad medietatem abstrahitur; quæ essentia in affectibus stomachi & intestinorum, in specie in colica & aliis ante dictis, proficua est.

Acetum Zedoariæ in peste, aliisque morbis malignis, egregium est remedium præservativum & curativum.

I ZINZI-

ZINZIBER, ZINGIBER.

ZIngiber aroma eſt exoticum ex *Cyperorum generibus* ex Indiis allatum, *congener Zedoariæ*, & ferè ejusdem ſaporis & uſus.

Egregium eſt ſtomachicum, viribus ferè cum pipere conveniens; unde cruditatem acidam & viſcidam in ſtomacho & inteſtinis ſolet abſumere vel attenuare, liquefacere, & excrementorum promovere ejectionem. Convenit igitur in apepſiis, quæ poſt morbos chronicos plerumque ſuperſunt, cùm ægri plerumque cruditates acidas, viſcidas congerant, & omnibus ſtomachi & capitis affectibus per conſenſum ſtomachi, in vertigine ſenum, & oculorum ſuffuſione notha (cùm ante oculos circumaguntur tanquam atomi vel muſcæ) qui affectus pariter oritur ex ſtomacho. PLATERUS obſervavit, quendam poſt quartanam diuturniorem, ex cruditate acida ortam, apepſiâ gravatum, pulveris Zinziberis uſu diuturniore ſe merè reſtituiſſe: Idem quoque refert, Pontificios poſt jejunii Quadrageſimalis tempus cruditates ex piſcium eſu collectas, pulveris hujus uſu optimè corrigere, & mala inde nata auertere. Præterea Decoctum ſudoriferum eſt; unde ex Zinzibere & Guajaco fit inſignis potio ſudorifera, teſte *LANGIO Comment. in Fabrum.* Denique Zingiber infarctum pulmonum attenuat, unde nonnulli addunt illud decoctis in parva doſi contra tuſſes inveteratas & imprimis aſthmate chronico, alioſque ſimiles affectus. Optimè corrigit folia ſennæ; unde cum ſennâ uſitatè præſcribitur in purgationibus.

In oculorum affectibus cum Zinzibere fit ſingularis *aqua ophthalmica*, quam vid. in *HARTMANNI Praxi Chymiatrica pag.* 104. §. 3. item *BARTHOLINO* cent. 4. Epiſtolar. pag. 5.

Zingiber in India ſeu *China conditum* eſt egregium ſtomachicum, & in omnibus ſtomachi & capitis, nec non oculorum affectibus, item in vertigine per conſenſum ſtomachi obortis, ſimiliter corrigit.

Et ſic erit Finis Alterantium Primariorum.

CLASSIS II. DE ALTERANTIBUS SECUNDARIIS,

quæ ſunt

SUCCI, OLEA, LACHRYMÆ, RESINÆ, GUMMI-RESINÆ, GUMMATA, &c.

ABſolvimus Alterantia dicta primaria, ſeu quæ ſunt deſumpta immediatè ex herba, foliis ſcilicet, radice, cortice, ligno, ſemine &c.

Sequuntur nunc *alterantia ſecundaria*, quæ ſunt quaſi producta immediata iſtorum primariorum, & ut plurimum ſucci ex ipſis vegetabilibus collecti & concreti, partim naturâ, partim artis beneficio producti. Hi ſunt ſub duplici differentia: vel *gummata*, vel *reſinæ*. Ut plurimum autem colliguntur ex arboreſcentibus plantis, vel per ſpontaneam effluxionem, vel per inciſionem. Cum ergo in omni arbore ſit ſpiritus acidus, hinc & omnia hęc primò liquorem acidulũ, deinde oleoſum dant, in quo eſt craſis eorum. Reſinę omnes naturę ſunt oleoſæ: ergo in menſtruis oleoſis ſolvuntur, ut ſpiritu vini &c.

Gummata ſunt varia: in hoc conveniunt, quod commodiſſimè ſolvantur in menſtruis aqueis & aquæo-ſalinis, v.g. aqua, aceto, vino, ſucco citri &c. utut in receſſu multum de natura reſinoſa, vel ſalino-mucilaginoſa eſſe ſoleant: de quo confer. *ZWELFERUS in animadverſ. ſuper Pharm. Auguſt. pag.* 128. Gummata reſinoſa ſunt Ammoniacum, ſagapenum &c. mucilaginoſa ſunt gummi ceraſorum, tragacantha, &c. Reſinæ ſunt aromaticæ, v. g. terebinthina, reſina animæ, pix &c. Conſtant ſale volatili admodum oleoſo, ab acido concentrato: Sic enim oleum deſtillatum aniſi mediante oleo vel ſpiritu acido vitrioli coagulatur in momento in perfectam reſinam; vel oleum vitrioli additum terebinthinæ, baccarum juniperi, macis, &c. mediante blandâ digeſtione dicta olea condenſat in perfectam terebinthinam; adeo quod ſaltim terebinthinę ſint reſinę liquidæ; reſinæ ſint terebinthinæ condenſatæ; utræque ſunt ſalia volatilia oleoſa ab acido concentrata. Gummata non ita pinguia ſunt, quoniam in reſinis plus olei; in gummatibus verò plus mucilaginis eſt.

In genere ergo Reſinæ & Gummata nil aliud ſunt, quàm ſuccus vegetabilis nutritivus, phlegmatis ſeparatione condenſatus. Reſinoſorum gummatum nucleus eſt reſinoſa iſta ſubſtantia, alterâ mucilaginosâ ſcilicet parte, ceu involucro, ſaltem addito: unde & illa reſina ſpiritu vini commodè extrahi poteſt, nudâ mucilagine reſiduâ; & hujus reſinæ ratione etiam à terebinthina ceu reſina liquida, ſolvi poſſunt; pro uſu præſertim externo.

Jam de ſingulis in ſpecie inter quæ primùm ſe offert

ACETUM,

TAnquam ſpurius vini filius, de quo notum Plinii effatum, quod vini vitium vertatur in medicamentum: quod intelligendum eſt de Aceto.

Nihil enim aliud eſt, quàm

Acidum vini, in cujus ſubſtantia media ſucceſſivè reſolutum eſt fermentationis beneficio, ſub qua ipſa fermentatione ſimul oleoſa ſubſtantia attenuata parte acidâ magis manifeſtatur, parte verò pingui invertitur & occultatur, nõ ſecus ac ipſe ſpiritus volatilis unà deprimitur & figitur. Eſt itaque acidum vini per continuatam fermentationem, & ſucceſſivam acidi ſolutionem & attenuationem, unà cum reliquorum ingredientium textura alteratum & in talem liquorem mutatum, eſtque nihil aliud, quàm Tartarus liquidus. Idem enim vini acidum, ſi proprias fæces rodendo cum iisdem coaguletur, Tartarum conſtituit. In aceto ergo præter acidum in fluorem redactum, & phlegma illud probè diluens, ſpiritus vini & oleum, & alcali volatile adhuc abſcondita ſunt; & quidem quò generoſius eſt vinum vel liquor, eò generoſius dat acetum: vel quò ſpirituoſior eſt liquor, eò acrius, eò acidius, & eò penetrantius fit acetum; adeo ut ex vino, ex quo per deſtillationem exhalavit volatilis ſpiritus, non fiat acetũ.

Acidum quod attinet aceti, revera hoc in ſua textura cum cæteris ingredientibus potius nitroſæ, quàm vitriolicæ eſt naturæ, ut rectè hoc aſſerit *LUDOVICI de Sale Mercurii pag* 42.

Ineſſe autem aceto vini adhuc ſpiritum vini, patet tam per generationem, quàm per reſolutionem: Si enim vinum in vaſe hermeticè clauſo aſſervetur, aceſcit, in quo tamen propter clauſuram nil ſpiritus euanuit, ut *BECHERUS pag.* 414. *in Phyſ. ſubterr.* & *JUNGIUS Doxoſc. part* 2. *ſect.* 1. *c.* 23. *aſſertio* 6. oſtendit. Unde etiam ex tartaro & ſpiritu vini acetum generatum oſtendit *KIRCHERUS de Ferm. p.* 97. adeò ut per ſimplicem μετάςασιν particularum ex vino fiat acetum: ſcilicet figuntur ſaltem particulæ volatiles ſpirituoſæ in aceto, ita tamen, ut iterum volatiliſari, & in priſtinam libertatem vindicari poſſint; quod fit in ſolutione ſaturni vel coralliorum, per acetum facta. Unde concludendum: quò magis imprægnatum eſt vinum vel liquores ſpiritibus, eò fortius & acidius fit acetum; quare etiam vinis vulgaribus, ut eò fortius dent acetum, ſolet infundi vel ſemen ſinapi, piperis, ſemen erucæ, ſimiliaque ſale volatili acri conſtantia, ut exaltetur liquor minus generoſus. Fundamentum conſiſtit in hoc, quod ejuſmodi ſubjecta, ſale volatili imprægnata, augeant partes volatiles ſalinas liquoris minus generoſi: unde auctis his, fortiùs congrediuntur cum acido, ex quo augetur fermentatio, magis ſubiguntur ſalia volatilia, & exaltatur aciditas, ex quo fit acrius & penetrantius acetum.

In fermentatione, quâ fit Acetum, dixi, quod à partibus acidis per fermentationem combinatis cum volatilibus, figantur partes ſalinæ & occultentur, non verò omninò exhalent, ſed ligentur; uno verbo: quod partes ſalinæ ſpirituoſæ occultentur, non verò exhalent, vel figantur tantum ab acido fixo. Probo: quoniam ex omni aceto poteſt de novo reſuſcitari ſpiritus vini; id quod monſtrat, quod non omnino immutentur ſalia volatilia, ſed ſaltem occultentur. Probo etiam hoc ipſum de reſuſcitatione ſpiritus vini, quando ſcilicet fit ſolutio ſaturni calcinati in aceto, vel coralliorum in aceto ſolutorum; hinc, inde paratum Saccharum ſaturni, aut ſal coralliorum, ſi immitantur in retortam vitream, & leni igne deſtillentur, dant ſpiritum volatilem ardentem inſtar ſpiritus vini; qui non eſt ex corallis, neque etiam ex plumbo, quoniam impoſſibile eſt, ut iis inſit, ſed prodit ex partibus aceti, adhærentibus coralliis & ſaturno. Eo enim ipſo, quo acidę partes rodunt corallia vel plumbum, fit ut ex arcto nexu acidarum particularum cum partibus terreis alcalicis coralliorum, vel plumbi, ſpiritus vini, ab acido antea concentratus, liberetur & fiat ſui juris: hinc fit, ut prodeant particulę volatiles ab acidis liberatę, & antiquam ſuam formam vel ſpirituoſitatem nanciſcantur: Eſt ergo impoſtura, quando alii ejuſmodi ſpiritũ pro ſpiritu ardente ſaturni, vel ſpiritu coralliorũ venditant, cũ ex aceto regeneratus ſit ſpiritus vini.

Ineſſe etiam in aceto alcali volatile, & oleum, pro vini natura varium, oſtendit non tantummodò *TACHENIUS Hippocr. Chym. pag.* 124. & *in Clave Hipp. Chym. pag.* 88. ſed etiam ſi magma ab aceti deſtillatione reſiduum inſpiſſetur, prodit ſpiritus urinoſus inſtar ſpiritus tartari. Clariùs hoc patet ex ſale alcali quocunque, cum

aceto

aceto sufficienter saturato, ut fieri solet in præparatione salis vini essentialis seu terræ foliatæ Tartari: Nam si tale *alcali ab acido saturatum*, &, ut rectè vocat TACHENIUS, in *Tartarum regeneratum*, igne aperto destilletur, accipitur *spiritus urinosus* & oleum, simillimum isti, quod ex Tartaro habetur. Acidum ergo aceti mediæ est naturæ inter acidum volatile, & acidum fixum.

Cœterum non vinum solum, sed omnia vegetabilia quæcunque fermentari possunt, eorumque succi expressi fermentando acescunt, & acidum sui generis exhibent. Modum videbitis in WEDELII, *Pharm. pag.* 83. si scilicet fermentatione salia volatilia exaltentur & acido concentrentur, sicque acorem contrahant. Et non tantum *ex vegetabilibus nativis* fit *acetum*, sed etiam ex decoctis: ex nativis, v. gr. ex succo uvarum, pyrorum, pomorum, cydoniorum, & similium; sicut & ex decoctis & infusis fit tandem acetum. Quò pertinent *aceta* ex cerevisiis, & ex *quibuscunque infusis* parata: Recipiatur enim planta quæcunque, decoquatur in aquâ simplici, & in loco calido, vel sole exponatur, & acescet. Animalium partes, imprimis carnosæ, in acetum degenerant: sic v. gr. si quidam tempore æstivo decoquat carnem in aqua simplici, & brevi caro ista acescet, & acorem contrahet instar aceti. Mel etiam cum aqua simplici dilutum, uti fermentando vinosum potum suggerit, ita per ulteriorem fermentationem, quâ acidum resolvitur, pingue & spiritus magis invertuntur, in egregium acetum mordax & acre abit: quod à QUERCETANO vocari solet *Acetum Philosophicum*; quoniam usurpatur à chymicis in solvendis metallis & mineralibus: de quo vid. AUTOR. Potest tamen fieri etiam *acetum extemporaneum*, quod parandum docet SCHMUCK, *Thesaur. 2. secreto Phys.* 12. qui extemporaneum parat acetum ex cremore tartari acido & fæcibus aceti, aquâ affusâ; subitò enim fermentant & in acetum abeunt.

Ex animalibus etiam aliquid aceto simile obtineri potest: si enim tempore æstivo decoctiones carnis in aqua simplici asserventur, brevi acescent, acorem spirabunt, & acidum gustui manifestabunt.

Modus generationis aceti fit per fermentationem, dum scilicet in liquoribus per fermentationem, vel succo crudo, v. g. musto, volatilisantur partes subtiles, & blandè combinantur cum partibus acidis, & sic fit *Vinum*. Hoc quando superstat fæcibus propriis tartareis, quæ imprægnatæ sunt copiosis partibus volatilibus & acidis, fit, ut partes fermentativæ fæcum sensim sensimq; agere incipiant in vino, quo fit ut vinū fermentet, quâ fermentatione partes volatiles partim exhalant, partim à reliquis acidis figuntur & subiguntur. Dum ergo acidum figit, subigit, & assimilat spirituosas partes salinas volatiliores & subtiliores, fit ut Vinum interim degeneret in acetum: uno verbo, aceti generatio fit per fermentationem, quando partes salinæ volatiles non tam exhalant, quàm sensim sensimque subiguntur, & figuntur ab acido: quibus subactis fit acetum.

Qui plura cupit, videat SACHSIUM *in Ampelographia*, ubi multa reperimus de aceto, & ejus generatione; KERGERUM *in Tract. de Ferment.* ubi non ineleganter modum generationis aceti per fermentationem explicat; PORTZIUM *in anat. vini Rhenani*; item BECHERUM *Phys. subterran. lib.* 1. *p.* 429. *seq.* & HELMONT. *Tract. Tartarus vini pag. mihi* 235. *seq.* In putrefactione alcali, in fermentatione acidum, primatum obtinet. Quomodo acetum optimum ex vappa vini conficiendum, docet TACHEN. *Morb. Princ. pag.* 95.

Aceti partes non parum controversas optimè videtur declarasse VERBEZIUS, dum scribit *de Vitriolo contra Costellum pag.* 42. quod acetum non minus, quàm ipsum vinum, ex diversis partibus sit compositum. Nam acetum anatomiâ spagyricâ & resolutione artificiali ex retorta in leni balnei calore exhibet primò *spiritum* quendam *acidum* subtilissimum & volatilissimum in minima quantitate; deinde *phlegma*, quod insipidum; tandem *aquam subdulcem*; hinc tertio ignis gradu *liquorem acidum* vel *acetum destillatum*, quod metalla aliaque corpora duriora solvit; denique ultimo omnium prodit *oleum rubicundum fœtens & quasi sanguineum*; In capite verò mortuo remanet tandem *sal fixum* de natura alcalium. Et quidem iste spiritus volatilis subtilis, parum acidus, qui primus solet esse in destillatione, ob volatilitatem statim solet euaporare, exhalare & resolvi, nec, nisi adhibito debito ignis regimine, monstrari potest, aut saltem injectis iis, quæ effervescentiam excitant, qualia sunt sal tartari fixum, & alia alcalia: Nam subito motu & calore oborto, spiritus hic volatilis exhalat. Unde etiam jam GALENUS dixit suo tempore, quod vires aceti imminuantur coctione; & etiam ISAAC HOLLANDUS dicit, quod spiritus hic volatilis aceti sit millies subtilior ipso spiritu vini; quod intelligendum est non de communi spiritu, sed de illo, qui ex ignis regimine prodit; aliàs est acris & solvens. Plura qui vult de aceto, adeat imprimis SACHSIUM & KIRCHERUM, uti & SENNERTUM *in Paralipom.* ubi *de aceto & ejus generatione per fermentationem* quædam habet. Hæc de aceti natura.

Jam de usu quædam, qui est, vel *alchymisticus*, vel *Medicus*.

Quoad *usum alchymisticum*, vis ejus est decantata; solvit enim metalla aliaque corpora duriora: magis tamen laudatur acetum à sale & nitro abstractum; sicut & acetum cum sale ammoniaco acuatum, Menstruum non contemnendum est in usu Alchymistico.

In usu medico acetum magni est usus, tam internè, quàm externè: egregiè internè convenit contra venena varia, & resistit omni malignitati: Imprimis decantatissima à GALENI ætate usque ad hæc nostra tempora est vis aceti alexipharmaca, ac venenis resistiva, cujus *superiùs*, ubi *de nuce juglande & ruta*, injecimus mentionem; unde in peste nil melius est aceto; vix enim aliud adeò præservat à morbis malignis epidemicis, quàm acetum. Et sicuti vinum ratione sui acidi, quod idem habet cum aceto, tàm egregiè prodest in febribus malignis, ita ut in peste potus vini generosi matutinus non sit inconveniens præservativum; ita & acetum in præservatione à morbis acutis epidemicis malignis est optimum. Sic SYLUIUS in duplici peste Amstelodamensi ferocissimâ se præservavit solo aceti vini usu ad cochlear unum manè assumpti, ut nunquam illâ fuerit afflictus, utut sæpissimè peste correptos visitarit. Acetum tamen ex appropriatis & specificis in peste præservanda præferendum est simplici. Corruptionem viscerum internorum præcavet, corpusque ab internis putredinibus preservat: & quidem de usu aceti in peste & morbis venenosis vid. BARTHOLINUS *Cent. IV. Hist.* 13 ubi habet lectu non indigna. Tollit obesitatem, & homines reddit macros: imprimis quidem in tali casu convenit acetum scilliticum, item acetum rutaceum mistum cum aqua chalybeata: Hoc enim acetum valdè pollet reddere homines macros: sic refert CATTIERE *in Observat.* BORELLI *Observat. annexis pag* 44 de quodam viro obeso, qui loco vini aceto utens in potu, adeò rursus extenuatus fuit, ut 78. librarum pondere decreverit ex usu aceti. Hinc etiam STEPHANUS *in Operibus Medicis pag.* 462. ad obesitatem tollendam nihil æquè prodesse dicit, quàm acetum scilliticum, jejuno stomacho quotidie assumptum; diureticum enim est acetum; & quidem nunc solitarium, nunc aliis additum, urinæ fluxum solet excitare. Acetum valdè convenit in discutienda crapula, & præservando ab ebrietate; ratio est, quoniam acidum figit spiritus vini volatiles sulphureos, narcosin spiritibus nostris & ebrietatem inducentes. Ex eodem fundamento etiam pulvis hepaticus rubeus vocatur Germ. *das sauere Pulver*, qui etiam prostat in nostris Officinis, propterea quoniam arcet ebrietatem, adeò ut, qui se illo præmunivit, possit duplo plus bibere: factus enim est ex spiritu vitroli & cremore tartari, quę figunt spiritus vini sulphureos, & ebrietatem impediunt. In stomachi affectibus acetum vini est egregium remedium; hinc in singultu, vomitu nimio & cholera, nausea & similibus, non incommodè aliis remediis, tam internis, quàm externis, additur. *Externè* in jam dictis & similibus stomachi affectibus cum pane, imprimis mellito, adspersis simul pulveribus nucis moschatæ & caryophyllorum, egregio cum successu applicatur: pro quo scopo *superiùs*, ubi *de Mentha*, dedi Cataplasma ex fermento & aceto. In curanda Grangræna, ulceribus putridis, malignis &c. maximum affert solatium: cujus fumus silicibus, vel lateribus candentibus infusus, laudatur in discussione tumorum serosorum hydropicorum & œdematū: qua ratione etiam nō minus egregius est ad tumores duros & scirrhosos, sicut acetum externè regioni splenis applicatum scirrhosos & induratos lienes dicitur curare. crassam mucilaginem incidit & sic duros lienes referat. Blandè coagulat & sistit sanguinem; hinc in sistenda hæmorrhagia narium linteum aceto madidum temporibus vel nuchæ circumponatur, cum vel sine bolo; vel bolus communis aut Armena subigatur cum aceto & fiat Cataplasma, sed applicetur fronti interposito linteo; & sic solet sistere hæmorrhagias etiam contumacissimas: Habui de hoc experientiam nuperrimè in quodam febricitante: Vel acetum applicetur scroto cum succo sempervivi mistum, & sic similiter hæmorrhagiæ cessant: quod acetum scroto applicatum solet etiam arcere ebrietatem, ut ebrius jam mox denuò fiat sobrius. In nimio autem mensiū fluxu, aliaque hemorrhagia uteri, vel solum, vel cum spermate ranarum, cū spongia imponatur vulvæ; vel potest fieri in tali casu hæc mistura:

℞. *Spermat. ranar* (quæ est egregia in hæmorrhagia) ℥jv.
Aceti rosac. ℥iß.
Sperniolæ Croll. ℈j.
Misc. signet.
Exteriùs applicandum.

Hæc mistura cum linteis duplicatis, vel multiplicatis applicetur regioni pubis vel vulvæ, & lumbari; sistit hæmorrhagias nimias & menses, atque lochia nimium fluentia, cum blandè coagulet sanguinem & constringat partes; unde sanguis non adeò est fluxilis, & fibris constrictis oscula constipantur, constringuntur pori, ne sanguis possit effluere.

Aliàs Acetum etiam narcosin corrigit: Ergò egregiè convenit in lethargicis affectibus naribus applicatum, uti & intrinsecùs cum castoreo assumptum; excitat enim potenter soporosos: Vel suffitus aceti è laminis ignitis naribus excipitur in lethargo, somnolentiis nimiis ex opio, ex fumo carbonum, aliisque inductis, præmisso interdum vomitorio; & subitò excitat ægros. Unde aceto præparatur opium à quibusdam, ut corrigat vim narcoticam nimiam; & si ex opio assumpto nimius insequatur somnus, præsentaneum est remedium haustus aceti. Externo olfactu & victu curat syncopen, si scilicet oriatur illa ex sanguinis nimia dissolutione & spirituum dissipatione, v. g. orta in balneis, exercitiis nimiis; in hac acetum olfactum, vel temporibus & pulsibus applicatum, est egregium: imprimis in tali casu convenit acetum liliorum convallium.

Porrò observetur, quod acetum interno usu noceat:

(1) Quidem melancholicis, seu qui abundant humore melan-

cholico, id eſt, acido præter-naturali, adeòque hypochondriacis & ſcorbuticis.

(2) Cerebro, oculis, articulis, & quibusvis partibus nerveis acetum & omnia acida ſunt inimica. Unde etiam podagricis interdicitur acetum; quoniam auget acidum morſicans, & dolorificum.

(3) Nocet etiam macilentis & extenuatis, cùm vi reſolutivâ & diureticâ homines obeſos macilentos reddere ſoleat.

(4) Utero etiam, adeòque mulieribus, nocet in quibusdam, in ſpecie fermentationes menſtruas ſiſtit, adeòque ad ſterilitatem diſponit.

Frequenter adhibetur in correctione medicamentorum, eorum imprimis, quæ ſuſpicionem venenoſitatis ac vim obtinent nocivam corpori, ut ſunt purgantia nimis generoſa, & ſucci venenati: Horum purgantium generoſiorum vis & venenoſitas cum conſiſtere ſoleat in ſale volatili acri; quod colliquefaciendo in maſſa ſanguineâ venenoſitatem exerit; hinc fit, ut per aciditatem aceti corrigatur & mitigetur ſal volatile acre, quoniam partes acres figuntur ab acidis, & ſic fiunt remedium optimum. Id quod tàm de purgantibus, quàm aliis malignis valet, & locum obtinet.

Quæritur de aceto, tàm à Chymicis, quàm Galenicis: an frigidum? an calidum ſit? Quidam prius aſſerunt, quia ſit acidum: Quidam poſterius, quia ſpiritum vini contineat; ſed lis eſt de lanâ caprinâ. Nihilominus certum eſt, quod aceti aciditas ſit ſingularis, dum blandè coagulat ſanguinem, & nimiam efferveſcentiam compeſcit, ſicque frigidis accenſeri poteſt: attamen cùm ſpirituoſis partibus conſtet, volatilibus & inflammabilibus, uno verbo partibus copioſis volatilibus acribus, hoc ipſo egregiam ſimul vim obtinet calefaciendi. In genere aciditas aceti eſt tota peculiaris & nullo modo convenit cum aciditate fixa mineralium, v. g. Vitrioli; ſed volatilis & penetrans & diſſolvens, non adeò potenter coagulans aut conſtipans & conſtringens, uti ſunt acida fixa ex mineralibus, imprimis ex ſulphure. Propter hanc vim aceti volatilem nocivum eſt hypochondriacis, ſcorbuticis & melancholicis, quoniam nimis ſolet efferveſcere, & imprimis exaltare acidum ſuccum in iſtis ſubjectis, quem Veteres vocant Melancholiam, & dicunt non inconcinnè; quod ſicut acetum fit ex vino, ita *Melancholia* fit ex ſanguine; unde commodè ab *HIPPOCRATE* dicitur *acidus ſuccus*. Hæc Melancholia cum in ſubjectis melancholicis & hypochondriacis ſoleat efferari ſeu explicari ab aceto, non mirum, quod acetum interno uſu adeò ſit nocivum iiſdem. Interim utut acetum putredinibus quibuscunque reſiſtat, nihilominus utplurimum in aceto minutiſſimi ſunt vermiculi celerrimi motus, utut non in omni: vid. *SACHSIUS in Ampelogr. pag. m.538. KIRCHERUS de Ferment. pag 99. WILLISIUS de Ferment pag 50* uti etiam *BARTHOLINUS ſupra dicto loco*. Eorum deſcriptionem videbitis in *HOCKII Micrograph pag.217* Sicuti etiam muſcæ ex aceto generari aſſolent: vid. *BECCHERUS Phyſ. ſubterran. pag.421* Nec quemquam deterreat, quod inſint vermes in aceto; nam in frequentiſſimis noſtris alimentis copioſiſſimi ſolent eſſe vermiculi; ut & in omni lacte, ſi diutiùs juſto ſteterit, uberrimus fit vermium proventus. Sic rariſſima eſt aqua fontana, in qua non inveniantur vermiculi per microſcopium detegendi. Cerevisia alba triticea, Germ. *der Bruhan*, innumerabilibus ſcatet vermiculis, quocunque tempore per microſcopium conſpiciendis: rarum eſt mel quod non copioſos habeat vermiculos: in omnibus alimentis oleoſis rancidis ac vetuſtis copioſiſſimi ſunt vermiculi. Unde non nulli Autores ſunt in hac opinione, quòd malignorum morborum malignitas conſiſtat in tali progenie verminoſa, quæ per eroſionem, morſicationem, punctiones &c. inducat gravia illa ſymptomata, in morbis malignis occurrentia. Videre poteſtis de hac materia quæ habet *KIRCHERUS in Scrut. Peſt. de Putredine animata*, & *HAUPTMANNUS in Tract. de Viva mortis imagine*, item *in Therm Wolckenſteinerſibus*, in quo *duæ* ſunt *epiſtolæ ſcriptæ ad FABRUM* una, altera ad *KIRCHERUM*. Videatur etiam *LANGIUS noſter in Commentar. ſuper JOHANN FABRI. PATHOLOGIAM*, ubi hinc inde graviſſimos morbos oriri dicit à putredine tali animata. *HAUPTMANNUS Tractatum ſuum inſcribit de viva Mortis Imagine*; & eſt in eâ opinione, quaſi mors ſit ens reale in naturali morte, nec violenta, ſcilicet vermis inſenſiſſimus vitæ noſtræ, minutiſſimus quidem, à quo fiat internecio. De his omnibus optimè judicat, *MARCUS MARCI in Tract. de* Philoſoph. Veterum reſtituta, ubi tractat *de Putredine Animata in integra Sectione*. Concedit nimirum lubentiſſimè, quod in quamplurimis morbis ſint vermiculi, in febribus malignis, peſtilentialibus, petechialibus &c. Sic obſervatus eſt ſanguis, venâ ſectâ emiſſus, plenus copioſiſſimis vermiculis; item reperti fuerunt in carbunculis & bubonibus peſtilentialibus; item quod emplaſtra his tumoribus peſtilentialibus admota ſcatuerint & repleta fuerint copioſiſſimis vermibus. Unde etiam maculæ petechiales & ſcorbuticæ ſunt progenies verminoſa, ſecreta ex ſanguine, & ſub cute defixa. Nullum enim datur ulcus quocunque in loco, in quo non reperiuntur copioſiſſimi vermiculi. Elegantem hiſtoriam legi in Diſputatione eleganti, ubi Reſpondens dicit; ſe vidiſſe aliquando mammam gravi ulcere affectam, quod fuerit difficillimæ conſolidationis; unde in ſuſpicionem venit vermiculorum, & ope microſcopii ſe obſervaſſe dicit, quod pus fuerit verminoſum & refertum vermibus; & licet multa remedia fuerint adhibita, nihil tamen profeciſſe: donec ipſe curaverit per pulverem bufonum cum pauxillo arſenici fixi; hoc enim enecatis vermibus brevi poſt ulcus fuit conſolidatum. Imò ipſa gangræna copioſiſſimos habet vermiculos, adeò ut obſervatum fuerit per microſcopium, quod talis vermis ex gangræna extractus in charta ſubito alios 50. vermiculos produxerit, teſte *HAUPTMANNO*. Quod dixi, rectum eſt judicium *MARCI MARCI de Putredine Verminoſa*: quod vermes, conſequens putredinis, non tàm ſint cauſa morborum malignorum, quàm potius ſint adjunctum, adeò ut morbi maligni & lethales eſſe poſſint nullis vermibus præſentibus, ſeu ut morbi iſti ſint lethales antè putredinem & miſti reſolutionem atque deſtructionem. Hæc occaſione de Vermibus in aceto.

Sequuntur nunc *Præparata*; inter quæ ſe offerunt Aceta varia medicata ſimplicia, ut acetum ſcilliticum, rutaceum &c, & compoſita theriacalia ſeu bezoartica. *Aceta theriacalia* fiunt ex ſolutione theriacæ in aceto vini, præcipuè leni igne digeruntur & filtrantur: Vel poſſunt fieri ex infuſione ſcordii, ſcorzoneræ, vincetoxici, rutæ, Zedoariæ, Zinziberis, caryophyllorum, valerianæ, tormentillæ, & ſimilium in aceto, igne leni digeri, & denique per filtrum depurari. Acetum ejusmodi theriacale in peſte optimum præſervativum & curativum eſt, imprimis ſi in cochleari uno pro doſi camphora ſoluta. Item experti uſus eſt Acetum theriacale *Timæi*, cujus deſcriptionem videbitis in ejusdem Caſibus. Eſt & Acetum, quod vocatur *Acetum ſolutivum magiſtrale Comitis Montaldi*, quod paratur, quando

℞. *Radic. polypod. querc.* ℥iv.
Zinzib. ℔j.
Aceti deſtillati ℔vj.

Infundantur omnia per horas 24. fiatque expreſſio. Colaturæ addatur

Fol. ſenn. ℥iiiß.
Paſſul. mundat. vel exacinat. ℥iiß.
Cinnamom. ℥iij.

Infundantur in dictam colaturam per horas 24. in vaſe vitreo lento igne, & factâ coluturâ ſervetur uſui.

Acetum deſtillatum commune nihil aliud eſt, quàm concentratum Acetum. Obſerventur autem deſtillandi encheirifes, quod

(1.) Acetum, quo ſæpiùs deſtillatur, eò fiat imbecillius: particulæ enim ſenſim mutant ſitum, & fiunt aquoſæ.

(2.) Quod leni igne deſtillandum ſit Acetum, ut ſeparetur phlegma à reliquis particulis liquoris acidi fixi præcedentis.

(3.) Cavendum, ne nimis forti igne urgeatur Acetum: quod niſi fit, empyrevma contrahit, & ex acido fit amaricans.

Optimè deſtillatur per veſicam teſte *WEDELIO in Pharm pag. 80*; ſed obſervetur ignis gradus, ut nempè lentè procedatur, ne ſpiritus aceti unà cum phlegmate, quod aliàs antecedere debet, miſceatur: hoc ut evitetur, phlegma priùs in Balneo Mariæ igne leni avocari, & reſiduum per veſicam deſtillari poteſt.

Sunt qui *Acetum deſtillatum fortiſſimum* ita parare ſolent:

℞. *Acetum*:

& blando Balnei Mariæ igne phlegma evaporare ſinunt, addendo ſemper novum acetum, quoties lubet: ubi per evaporationem phlegmatis ſufficienter acuatum fuerit, materia eadem rebſcta per cucurbitam in arenâ deſtilletur, & habebitur *Acetum deſtillatum* optimum.

Sunt qui etiam ex fæcibus vini deſtillant acetum, & dicunt, eſſe acre & corroſivum, teſte *KESLERO in ſuis Proceſſibus*.

Solet etiam *Acetum fortificari*, ut penetrantius & in ſolutione rerum efficacius evadat; ſi nempè acetum abſtrahatur à nitro vel ſale communi; ſic enim admodum fortificatum iri aſſerunt: vel etiam ſi *aceti deſtillati* ℔j addatur *ſalis armoniaci* ℥ß, fit *Acetum* admodum *acre*, quodque etiam metalla ſolvere dicitur, teſte *RHUMELIO*.

Si acetum deſtilletur ex cucurbita cuprea per alembicum plumbeum, fit *Aqua* quam vocant *Aſclepiadeam*, quæ vim obtinet vomitoriam, & commendari ſolet ad multos morbos: videatur *AUTOR lib.2. cap.38. num.50*.

Acetum radicatum ſeu *alcaliſatum* fit, quando abſtrahitur à capite mortuo calcinato, uti habet *AUTOR*. Rationem hjus rei dat non inelegantem *SACHSIUS in Ampelogr pag. 572.*, quod nimirum acetum habeat *duplex ſal* in ſe; *unum volatile* quaſi *ammoniacale* ex acido & volatili, quòd cum aceto deſtillato tranſit; *alterum* verò ſit *fixum*, quod cum aceto deſtillato ſit animandum, ut ſic fiat *Acetum radicatum*. Curioſum eſt quod *HELVETIUS in ditibit. pag. 95. 97.* refert, quod ex aceto, ſale & calce vivâ ſal dulce inſtar ſacchari Saturni fiat, idque inflammabile.

Tandem ſunt *Cryſtalli ex aceto*, paratę eodem modo ut habet *AUTOR*, utut ſatis obſcurè: nempè remanenti aceto deſtillato affunditur aqua ſimplex deſtillata, filtrantur, & evaporantur ad tertias, & ſic frigido exponuntur, ut coagulentur in cryſtallos.

AMMONIACUM GUMMI.

HOc *Gummi Ammoniacum* ex *Lybia* Media Aſiæ meridionalis ad nos defertur. Colligitur ex *planta* quadam *ferulacea fruticoſa ammoniacifera*, uti habet *AUTOR*, ex cujus truncis effluit hoc gummi. Odoris nauſeoſi eſt, & ſaporis admodum amaricantis.

Electionem habet *AUTOR noſter*.

Conveniunt quidem inter ſe omnia gummata ſerulacea, ut Ammoniacum, Galbanum, Sagapenum & Opopanax; pro ſcopo tamen alterativo in morbis chronicis ſpeciatim gummi ammoniacum in uſu & internè polychreſtum eſt in reſolvendo, attenuando & abſtergendo muco quocunque, etiam viſcoſiſſimo, unde concretiones tartareas in corporibus diſſolvit, & vias exinde obſtructas potenter aperit; quas vires adeò potenter exerit, ut in largiori doſi à ℈j. ad ʒj. uſque aſſumptum etiam aliquoties purget, adeòque à quibuſdam inter laxantia referatur. Quia autem nimis moleſtū, additur aliis purgantibus. Cum hac vi pituitam viſcidam, ſpeciatim, vitream ſeu mucilaginem tartaream incidendi, & potenter attenuandi, tàm in ſtomacho & inteſtinis, quàm pectore & pulmonibus, acrem & amaricantem ſaporem poſſidet, in ſubſtantia reſinoſa fundatum, ratione cujus ſimul acidum vitioſum corrigere, & inde nata pathemata ſiſtere valet. Hinc in morbis revera ſpleneticis, præſertim ejus tumoribus, externo & interno uſu Gummi ammoniacum eſt uſitatiſſimum.

In affectibus hypochondriacis doloroſis, à muco auſtero viſcido oriundis, in ſcirrhis viſcerum, & quibuſcunque obſtructionibus, à materia viſcida, egregium eſt gummi ammoniacum. Diſſolvitur autem cum aceto, vel ſimplici, vel appropriato, & non nunquam cum vino, in lacteſcentem ſuccum; miſcetur cum aqua menthæ & ſyrupo quodam: e. g. in hypochondriacis, alvo admodum obſtructâ ſæpè laborantibus, à pituita viſcida acida unà cum copioſo flatuum proventu, omnibus irritis detur Miſtura ex gummi ammoniaco, quod mirabiliter convenit:

℞ *Aquæ menthæ* ℥j.
Cinnam. ʒß.
Gumm. ammoniaci in vino, vel aceto ſoluti gran. XV. XVI. ℈j ad ʒj.
Tartari vitriolati, ℈ß.
Extracti trochiſc. alband. gran.iii. vel *ſcammon. ſulphurat.* gr.ij. vel iii.
Syrup. depom. Reg. Sab. ʒiij. q.ſ. ad gratiam.

Miſturam hanc præſcripſi cuidam, qui dolebat in hypochondrio ſiniſtro (affectus in inteſtino colo erat) & mucum viſcidum excernebat, cum ingenti levamine: Propter amarorem & ructus nonnihil ingrata eſt; ſed propter enarratos affectus, & ſpeciatim in alvo obſtructa propter contenta inteſtinorum, vel viſcidiora, vel ab acido coagulata, revera commendabilis.

Maſſis pilularum etiam additur pro promovenda evacuatione materiæ viſcidæ. *BARTHOLETUS in encyclop. lib. 5 cap. ult.* habet *lac ammoniacum*, paratum cum aceto ex citri ſucco deſtillato; elegans remedium in incidendis duris tumoribus.

Porrò & in tuſſi chronica, paroxyſmo Aſthmatis humidi, ad incidendam pituitam craſſam & viſcidam, nil melius eſt gummi ammoniaco: ſive materia ſtabuletur in ſtomacho, ſive in bronchiis pulmonum; nam in utroque loco poteſt inducere Aſthma. V. g.

℞. *Aquæ menthæ* ℥ii.
Cinnam. ʒvi.
Aſthmat. Rudolphi ʒiii.
Gummi ammon. in aceto ſoluti ʒi. ad ʒii.
Syrupi nicot. q. ſ. M.

Detur in aſthmate deſperato, ubi opus eſt laxatione.

Huc pertinet Mixtura expertiſſima *BRUNNERI*, cujus deſcriptionem habet *SENNERTUS lib. 2. Prax. pag.* 328. nempe,

℞. *Gummi ammoniaci* ʒj. vel ʒiß.
& diſſolvatur in
Vini Rhen. ℥iß. vel ℥ii.
Aquæ hyſſopi ℥iij vel ℥iv. M.

Pro duabus vel tribus doſibus, aut ubi neceſſitas urget, pro una, propinat in aſthmate, in quo ac incipiente catarrho ſuffocativo ſanè egregia eſt potiuncula, amara quidem, mirè tamen incidens materiam craſſam ac viſcidam, & expectorans potenter, vel capiant de hac cochleatim pro lubitu ægri.

Poteſt meliorari, ſi ſcilicet

℞. *Gummi ammoniaci* ʒiß.
Oxymel. ſquillit. ℥iß.
Croci ʒj.

& hæc miſceantur cum *aqua appropriata*, v. g. *aqua hyſſopi*, *aqua nicotianæ* & ſimilibus, ut fiat Potio pro aliquot doſibus.

Quando opus laxatione, miſcetur cum trochiſcorum alhandal aliquot granis.

Externè in tumoribus duris ſcirrhoſis & ſimilibus, ex viſcido aut coagulato humore natis, emolliendis, reſolvendis & inſenſibiliter diſcutiendis, in ſcrophulis v. g. partium carnoſarum, aut ſtrumis glanduloſarum, in aceto diſſolutum uſurpatur, vel ſolum, vel cum emplaſtro de cicuta miſtum: unde etiam Emplaſtrum *Aquapendentis* ex gummi ammoniaco egregium, externè applicatum in ſcirrhis, ac indurationibus lienis deſperatis. Videatur *SENNERTUS lib. 3. Praxeos pag.* 492. ubi *de ſcirrho lienis*.

Inter *Præparata* eſt *gummi ammoniacum depuratum*; ſed potius ſelectum & per ſe purum ſumendum & uſurpandum eſt. Nam ſolutione & inſpiſſatione per acetum, ſeu vinum pars ſubſtantiæ volatilioris exhalat, in qua tamen non levis ejus vis exiſtit; altera pars verò per acidum nonnihil figitur, quò minùs iſtud in corpore corrigere queat.

In deſtillatione dat phlegma ſpirituoſum acidum, deinde Oleum acre: ſpiritus deſtillatur per arenam ex Retort. in capella vacua, qui ab oleo ſeparandus & rectificandus. Hic celebris eſt in reſolvendo muco quocunque viſcido. Sic etiam B. *Doctor MICHAELIS* præparavit ſpiritum Aſthmaticum ex gummi ammoniaco, ſulphure & ærugine, qui ad expectorationem viſcidorum convenit. Nempè

℞. *Virid. æris*, vel *Cryſtall. vir. æris* ℥iij ad ℥jv.
Gumm. ammoniaci ℥ij.
Sulphuris ℥j. vel ℥iß.

Hæc invicem miſta & deſtillata igne arenæ per retortam, dant *ſpiritum acidum volatilem* penetrantiſſimum, & *Oleum* admodum *fætidum*; quæ invicem ſeparantur; ſpiritus verò rectificatur.

Obſervetur autem ignis regimen in hoc legitimum; nam aliàs omnia diffringuntur.

Egregiè hic ſpiritus incidit pituitam viſcidam, tam in ventriculo, quàm in pulmonibus. In affectibus ſtomachi miſcetur cum Elixyr ſtomachali, in affectibus pectoris cum Elixyr pectorali; & mirum, quantum faciat in acida, tenaci, ac viſcida pituita temperanda; adeò ut in affectibus ſtomachi & pectoris eo vix detur par remedium; cum & ipſe ſpiritus æruginis ſolus, ſi ritè paratus, inciſivum ſit, & penetrantiſſimum in aſthmate pulmonali & ſtomachali.

Modus genuinus binas ſubſtantias, gummeam & reſinoſam, ex ferulaceis ſubjectis extrahendi, vid. in *SALAM de Eſſen. p.* 39. Aliàs etiam Tinctura ſeu Eſſentia ex gummi ammoniaco, aliiſque ſimilibus concretis paratur cum ſpiritu vini tartariſato, vel Tinctura tartari, item cum ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo &c. efficacia non multum à ſuo ſimplici recedens: vid. *WILLISIUS in Pharmac. Rat. Vol. 2. pag.* 13.

Proſtant in officinis *Pilulæ de Ammoniaco Quercetani*, quæ egregiè conveniunt in expurganda materia cruda ac viſcida, & imprimis in affectibus hypochondriacis, aliiſque morbis chronicis; quibus tamen præſtantiores ſunt *Pilulæ de ammoniaco Hartmanni*, quas videbitis in *ejuſdem Praxi Chymiatr.* ſicuti etiam *BONTIUS in Med. Indorum* habet *pilulas de ammoniaco*, quas commendat valdè in affectibus ſplenis.

ANIMÆ GUMMI *ſeu* RESINA.

GUmmi ſeu *Reſina Animæ* eſt elegans gummi odoriferum & ſuaveolens. Inter balſama à nonnullis, imprimis *WORMIO in Muſeo*, refertur. Differentia vid. in *AUTORE*. Adfertur ex India Occidentali, ex Inſula ejuſdem, Hiſpaniola. Rarò tamen interni eſt uſus, ſed *externè* ſaltem uſurpari poteſt in affectibus nervorum, & capitis atque pectoris catarrhalibus, vel ſub forma ſuffitus in catarrhis & coryza, in quibus eſt unum & elegans ex primariis ingredientibus, & euporiſton *HARTMANNI*, vel in forma linimentorū & emplaſtrorum; idque imprimis in vulneribus & contuſionibus capitis; atque miſcetur commodè cum emplaſtris cephalicis, bregmati capitis applicandis; & nervinis in luxationibus articulorum, affectibus paralyticis, partium nervoſarum læſionibus, contuſionibus, item pro his firmandis, & ſic porrò: videatur *AUTOR noſter*.

Gummi hoc cum arena intermixtum & deſtillatum, dat *oleum*, quod olfactum, valdoperè conducit in Coryza.

ARABICUM GUMMI.

GUmmi *Arabicum* genuinū vix apud nos reperitur, ſed in Arabia Ægyptiaca ex *arbore ſpinoſa*, *Acacia Ægyptiaca* dicta, colligitur, ex qua Gummi hoc facillimè in aquam liqueſcens exſudat. Moderni ejus loco noſtratia gummata recipiunt, quæ tranſudant v. g. ex arboribus Perſicorum, ceraſorum, prunorum, & ſimilibus; & quidem præprimis id adhibendum eſſe putant, quod ex primis exſtillat. Pauciſſimi affirmant, plurimi contrarium ſtatuunt. Optimè facit *TOBIAS ALDINUS in horto Farneſ. Sect. 2. p.* 18. ubi tractat *de Acacia Ægyptiaca*, & ibidem controverſiam, habet & affirmat, quod gummi Arabicum nobis uſitatum ſit genuinum gummi Arabicum: vid. etiam *BELLON. l. 2. cap.* 56. quæ ejus aſſerta, ceu vera confirmat *Petrus de la valle* in Deſcriptione Itineris Orientalis *Vol.* 1. *pag.* 214. & *Part.* 3. *pag.* 148. item *BREYNIUS Cent. 2. Exoticar. plantar.*

De Adulterationibus & reliquis vid. Autor noſter.

Subſtantiâ ſuâ glutinoſâ & mucilaginoſâ pariter, ferè ac Tragacantha convenit pro temperanda, lenienda, inviſcanda, & ita demulcenda lympha acri, in affectibus faucium & in aſperitate aſperæ arteriæ; uti etiam in pleuritide: in qua imprimis convenit, ſi recipiatur pomum, & excavatum impleatur gummi Arabico, coquatur ad ignem, & coctum ita aſſumatur. Egregium erit remedium in pleuritide, & tuſſi ſedanda, aliiſque pectoris, uti & partium urina-

urinariarum affectibus. Præscribitur in pilulis becchicis & lohoch seu Linctibus. Usurpatur quoque in dysenteria & aliis alvi fluxibus; ubi quidem *LUDOVICI* Tragacantham albam præfert.

Externè solvunt id cum aceto, & serpiginibus illinunt, quos curat. In ambustis cum albumine ovi applicatum pustulas præcavet.

ASA FOETIDA.

Asa fœtida est succus seu lachryma, viscosa, lenta, ex granis variis splendentibus concreta, odoris instar allii, & *ex Lasere* in Lybia *colligitur*, ex qua sauciata magis gummosa quàm resinosa resudat; Unde à quibusdam vocatur *succus Lybicus*, seu etiam *Syriacus*. Olim appellatus fuit *succus Cyrenaicus*, quoniam ex Cyrenaico agro copiosissimè fuit advectus, quo ipso tamen hoc tempore carent. Est vel *clara*, *pellucida* & *limpida*, vel est *obscura* & *turbida*, quæ à fœtore ingente dicitur Germ. *Teuffels Dreck*: vid. *WORMIUS in Museo*, ubi *de Asa fœtida* non inconcinnè agit.

Quoad *facultates*, frequentissimo apud Indos est in usu, tàm in condiendis alimentis quàm medicamentis. Commendant contra appetentiam dejectam & tollendum fastidium, flatus discutiendos, ad excitandam venerem, in qua apud ipsos quotidiano est usu; & etiam in dolore dentium, pro quo scopo dentibus cavis inditur: Conf. *WORMIUS in Museo pag.* 223. Apud nos verò rariùs adhibetur propter odoris gravitatem, nisi quod in colica & suffocatione hysterica internè & externè certissimum sit experimentum, Nam uti testatur odor, constat sale volatili copioso, admodum acri & penetrante; cujus ratione acidum in intestinis torminosum ac corrosivum, ut sic dicam, emendat ac corrigit. Post Colicam usurpatur in passione hysterica cum castoreo, tàm in substantia quàm suffitu. Observetur autem hìc, quod non in omnibus conveniant graveolentia & fœtida in suffocatione uterina; prostant enim exempla læsarum ex illis: sicuti nec omnes ferre possunt suaveolentia, nec omnes læduntur ab illis: Aliæ juvantur ab ambra, zibetho, aliisque suaveolentibus, aliæ rursus juvantur à fœtidis & graveolentibus. A veteribus & in affectibus pectoris, tussi, peripneumonia &c. cum oxymelite mista; cum ovo verò sorbili ad raucedinem usurpata fuit. Adhibetur etiam non inconvenienter in pellendis mensibus & secundinis, si scilicet hauriatur cum pipere & myrrha in aqua mulsa; hoc enim modo multa facit, imprimis ad pellendas secundinas & lochia: videatur *WORMIUS in Mus. pag.* 325.

Essentia cum spiritu vini tartarisato inde extracta optimè convenit in colica torminosa & passione hysterica. Eadem asa fœtida cum castoreo constituit *Essentiam anodynam D. Langii*, in variolis felici cum successu usurpandam: sicut & cum castoreo, myrrha, & camphora Elixyr uterinum constituit.

Pilulæ fœtidæ Aug. & de asa fœtida conveniunt ad promovendos menses.

Externè in tumoribus lienis emplastra, nec non *emplastrum Mynsychtii* contra morbos ab incantatione ortos, inde paratur. An verò semper conveniat, dubito. Marito interim noviter ligato haud ita quidem optimè successit.

B.

BALSAMUM VERUM.

Balsamum verum Arabicum aliàs etiam vocatur *Balsamum Ægyptiacum*, *Syriacum*, *Opobalsamum*, Balsamum Judaicum, & à loco natali Giliadense. De hoc videatur *VOLCKAMERUS*, qui omnia habet; sicut *de carpobalsamo* & *opobalsamo*, *hujusque* genuini *notis VESLINGIUS Epist. & obs. p.* 122. 196. & 199, sicut *de balsamis in genere & specie* eleganter tractat *DORINGIUS Medicus Uratislaviensis peculiari scripto*, nec non *WORMIUS in Museo*. Arboris descriptionem videbitis in *HOFFMANNI Clave pag.* 576.

Cæterum variæ de hoc balsamo (utut valdè commendetur, & decantetur apud Veteres, adeò ut etiam Theriacam ingrediatur) lites feruntur inter modernos; an tantum sit remedium, & an genuinum Balsamum Syriacum hoc tempore apud nos detur. Multi negant, paucissimi affirmant Quicquid sit, in nostris regionibus non datur ampliùs, adeò ut quidam dubitent, apud nos unquam videri guttulam genuini Opobalsami; cùm in ipsa Syria & Arabia rarissimus sit ejus proventus, & non nisi inter magnates deprehendatur. Cùm ergò non ampliùs aut rarò ad nos transportetur, quæritur de succedaneo ejus. In compositione autem Theriacæ hodiè facile ei substituitur cardamomum, aut oleum destillatum caryophyllorum, utpotè quod pro alio quovis usu illi substitui potest. Aliàs in usu Medico substituitur oleum destillatum succini; vel quibus hæc olea minus placent, Balsamum de copaiba substituant, quod ad Balsamum verum proximè accedit, & Peruvianum longè antecellit.

BALSAMUM DE TOLU *seu* TOLUTANUM.

Balsamum Tolutanum est liquor allatus ex India Orientali balsamicus, uti habet *AUTOR*, cujus proprietates proximè ad opobalsami veri naturam accedere asserit *BARTHOLINUS Act. Med. Haffniens. Vol.* 1. *pag.* 5. & *M. A. N. C. ann.* 2. *Obser.* 164. *pag.* 262. Sed revera rarum est apud nos, quoniam est pretiosum; quia sufficiat nobis abundè Balsamum Peruvianum & de Copiawe, quæ substituo; nec memini me legisse hoc præscriptum.

BALSAMUM de COPAIWE

Utem est Balsamum coloris aurei, consistentiæ liquidæ, ipsi Terebinthinæ admodum simile, ita ut meritò *Terebinthina exotica* vocari possit, ex India Occidentali proveniens, uti habet *AUTOR num.* 383. *pag.* 193. ubi *de resina Copal*; quod proximè accedit ad proprietates opobalsami veri. De hoc videatur imprimis *BAUHINI Theatr. Botan. Tom.* 1. *P.* 1. *Lib.* 3. *cap.* 38. *pag.* 306., qui dicit; quod in Brasilia reperiantur arbores, quas vocant *Copaibas*, ex quorum cortice per æstatem inciso emanat liquor, dictus *Balsamus Copaiba*, qui sit singularis ad vulnera recentia curanda, & cicatrices inducendas. Sed præstantioris omninò, magisque præsentanei effectus est, quàm Terebinthina.

Constat particulis volatilibus balsamicis, cum sulphureis permixtis, humores viscidos stagnantes incidit, Acidum morbosum invertit, & acrimoniam inviscat, vulnera interna & externa mundificat, & eorum consolidationem promovet: Unde internè usurpari solet contra phthisin, quam sanare dicitur: In exulceratione renum & vesicæ itidem; specificè tamen & mirificè in Gonorrhœa à gutt. xii. xv. sumptum in lacte calido. Usitatissimum fuit remedium *SYLVIO* & *LINDANO*, qui dederunt guttas quinque vel sex in vino Hispanico omni mane, & dicunt, mirabile & nobile remedium esse; Id quod non tantùm verum est de Gonorrhœa vera, sed etiam virulenta, in qua dedit balsamum Copaiba, cum Mercurio dulci, idque felicissimo, ut dicunt, cum successu; stagnantem enim in vesiculis seminalibus genitalem liquorem per urethram cum urina eliminat, gratâque & balsamicâ vi ab ulteriori humorum corruptione loca defendit. In diarrhœis quoque præsertim in cholera & dysenteriis, ab acrimonia humorum ortis, feliciter exhibetur. In stranguria, aliisque affectibus urinariis, similiter egregiè commendatur, quos balsami hujus guttæ aliquot in decocto petroselini subitò solvunt: Calculum & urinam promovet, renes confortat, & loca urinaria mundificat.

Utendi modus internus est à gutt. v. ad xii, vel cum dupla aut tripla Tincturæ tartari redigitur per solutionem in *Tincturam* seu *Essentiam*, dosi guttul. xxx. admodum egregiam.

Externè antecellit Peruvianum in usu vulnerario, & vulnera, nisi sint nimis gravia, intra 24. horas promptè glutinat, vix cum tantillo cicatricis vestigio. Id quod frequenti experientiâ, confirmant *Belgæ*, qui in vulneribus recentibus, nervis etiam vulneratis, usitatissimè adhibent, dum in iisdem conglutinandis mira facit.

BALSAMUM INDICUM.

Balsamum Indicum Peruinum seu *Peruvianum* ita dicitur, quod adfertur ex provincia Peru Indiæ Occidentalis. Succus est oleosus, planè singularis, densus, ponderosus, saporis acris, linguam & fauces vellicans, adeoque sal volatile penetrans ostendit; egregium est aromaticum, reverà balsamicum, analepticum, & spirituum confortativum, & summè anodynum: concretum certè anomalon, quia nec cùm aqueis nec oleosis, neque volatilibus neque fixis miscetur. Dissolvitur quidem in sacch0 dissoluto; si verò in aquam infunditur, iterum se revolvit: Cum spiritu vini calido optimè commiscetur; tamen si refrigescat, supernatat iterum. Propterea si eo internè uti voluerimus, in ovo leniter cocto eleganter solvi & assumi potest; vel miscetur in forma pulveris cum saccharo. Externè propter viscosam consistentiam, & nimiam glutinositatem, non absque molestia applicatur: præcavetur hoc optimè, si in forma liquida cum vitello ovi probè subigatur; hoc enim modo facilè spiritibus & oleis commiscibilis redditur: qua ratione v.g. in doloribus partium musculosarum, ut vocant, catarrhalibus,

> ℞. *Bals. Peruv.* ʒj.
> *Dissolvatur*
> *Cum s. q. vitelli ovi,*
> *Addendo*
> *Spiritus bacc. junip.* ℥iij.
> M. pro Linimento molli.

Et hoc ipso calido fricent membra, partesque affectas. Hoc simul curiosum, quod Balsamus hic ita cum vitello ovi solutus longè acrior & penetrantior fit, magisque fauces vellicet, quàm per se gustatus.

Duæ ejus sunt *differentiæ*, quas subministrat *AUTOR*: limpidum & crassum. Limpidum est, quod exstillat ex corticibus; Crassum,

ſum, quod eſt illis excoquitur. Limpidum eſt melius; poſterius eſt ignobilius. Suffitum ſeu odorem habet elegantem, & quò gratior eſt ſuffitus, eò melius eſt Balſamum; item, quò gratius & purius, eò melius, quia valdè adulteratur; unde miſceri poteſt cum aliis ſuffitibus odoris gratiâ. Eſt in frequenti uſu, & non adeo carum, uti reliqua balſama, ſed bono ac æquo pretio conſtat. Internè & externè adhibetur. *Internè* prodeſt inſigniter partibus nerveis, harumque quibuſvis, tam internis quàm externis, læſionibus, ſpeciatim valdoperè convenit in ventriculi debilitate ac anorexia, item in affectibus renum & pulmonum, & internis partium corruptelis, in ſpecie quidem in phthiſi, ſi ſit ex ulcere pulmonum quacunque cauſa oborto: in quali ulcere purificando & conſolidando multa facit hoc balſamum, ſi guttæ aliquot cum ſaccharo in pilulam redigantur, & quotidie manè aſſumantur. Sunt qui miſcent non ineleganter cum balſamo ſulphuris, vel additione copioſioris ſacchari in formam pulveris ſeu *Trageæ*, ubi ulcus eſt purificandum & conſolidandum. Unde RIVERIUS commendat has pilulas, ceu tales, quę ſingularia præſtant in phthiſi & ſimilibus affectibus, non ſine ratione. Compoſitio eſt hæc:

℞. *Maſſæ pilul. Ruffi* ℨj.
Gummi Guajaci,
Antimonij diaph. an. ℨß.
cum Balſamo Peruviano fit M. Pil.

De qua capiatur ℈i. per menſem integrum mututino tempore. Sunt elegantes pilulæ, & credo, quod ſatis ſint efficaces in cura phthiſeos.

Non minoris uſus eſt hoc balſamum in aſthmate, in quo curando egregiam ſolet monſtrare efficaciam: Quin & in aliis pectoris affectibus, raucedine, tuſſi inveterata, aliiſque Catarrhis uſurpatur. Ulterius CHARTELON ad dolores nephriticos compeſcendos, & ad calculum mirè commendat, guttatim in vehiculo calido aſſumptum; uti videre poteſtis *in Tr. de ſpiritu Gorgonio p.* 204. Item in affectibus uteri, imprimis in uteri debilitate & ſterilitate, menſtruationibus deficientibus, cum aliis permiſtum balſamum Peruvianum eſt egregium. Sunt etiam, qui volunt in intermittentibus, imprimis quartanis, uſurpare Balſamum Peruvianum, ſi ſcilicet aliquot guttas ante paroxyſmum aſſumant ægri, cujus rei fides ſit penes experientiam.

Cæterum externè frequentiùs ferè ſolet adhiberi, quàm intrinſecùs. Singulare eſt vulnerarium, & commendat ſe ubique ſuavitate odoris: & ſanè vulnera quæcunque promptè conſolidat citra ullam ſuppurationem, ſi iis recentibus quotidie bis tepidum, & nonnihil liquefactum, inſtilletur: in vulneribus graviſſimis tam partium carnoſarum, quàm in ſpecie nervoſarum, permiſcetur cum Balſamis & Unguentis Vulnerariis. In ulceribus ſordidis quoque mundificandis æquè ac conſolidandis ratione amaroris optimum eſt, detergendo purulentiam & ſordes ulceris & vulneris. Nervis autem impri̇mis eſt dicatum; unde in vulneribus & contuſionibus partium nervoſarum, quæ periculoſa ſunt præ aliis propter ſymptomatum catervam, præferendum ſimplicibus omnibus, aliàs in vulneribus partium nervoſarum decantatis: Singularis enim vis nervina conſiſtit in Balſamo Peruviano, ſive adhibeatur ſolum cum ſpiritu appropriato diſſolutum, ſive miſtum cum oleo hyperici & cum cerumine aurium, & ſic fit *Unguentum* egregium *vulnerarium*. Præterea dolores partium nervoſarum ex interno acido natos lenit, lympham diſcutit, membra paralytica ex laxitate & nimia humiditate nervorum, tendinum, & ligamentorum, reſtaurat & firmat; ſive ſolum cum ſpiritu vini imponatur, ſive cum ſpiritu ſalviæ, vel florum anthos, vel permiſceatur cum oleo lumbricorum terreſtrium & formicarum; vel etiam oleo deſtillato ſalviæ, & illinatur ſpinæ dorſi & partibus affectis; & ſic egregium erit Balſamum Peruvianum in paralyſi, dolore iſchiadico, & ſimilibus affectibus. Ulterius externè in affectibus ſtomachi, in nimio vomitu, &c. eſt egregium, regioni hujus illitum; ſive ſolum, ſub forma unguenti, cum oleo nucis moſchatæ, vel expreſſo vel deſtillato; ſive cum aliis, in ſpecie emplaſtro de Ladano Cratonis, vel in ſpecie cum emplaſtro de Tacamahaca applicatum. Formula elegans & multi uſus D. MICHAELIS eſt hæc:

℞. *Empl. de ladan. Craton.*
Tacamahac. an. q. ſ.

malaxantur cum ſ. q. Balſami Peruviani pro emplaſtro in forma uſitata ſcuti ſtomachalis.

Hoc Emplaſtrum eſt expertum in vomitu, ſingultu, ac cholera, & imprimis in dolore ventriculi nimio, & hujuſmodi aliis ſtomachi affectibus.

Non minus etiam Balſamum Peruvianum convenit in affectibus inteſtinorum dolorificis, uti etiam in flatulentiis, illitum extrinſecùs umbilico, ſiſtit dolores, & flatulentias diſſipat. Clyſmaribus etiam in Dyſenteria commodè permiſcetur: Conf. *M. A. N. C. ann.* 3. *Obſ.* 77. *pag.* 138. & VELSCHIUS *Miſcomin. C.* 1. *Obſ.* 79. *annexo anno* 4. & 5. *M. A. N. C.* In doloribus & tumoribus partium eſt egregium; ſi ſcilicet permiſceatur cum ſpiritu vini, & applicetur partibus dolentibus, & articulis affectis, & tumentibus; & nihil hac miſtura efficacius & melius eſſe dicitur. Specificum etiam eſt in doloribus artuum ex contuſionibus & læſionibus nervorum obortis, teſte THONERO *in Obſerv. pag.* 203. In oſſibus quoque fractis, permiſtum cum aliis remediis ad fracturam oſſium conducentibus, eſt egregium, ſi applicetur ſuper locum fracturæ; imprimis ſi miſceatur cum Extracto ſymphyti, & addatur pulvis oſteocollæ, & ſit egregium *Unguentum ad oſſium fracturam*. In Rheumatiſmis, & inde oriundis doloribus, cùm catarrhus inciderit in membrum quoddam, balſamum hoc non ſine commodo illinitur. Commodè ſubſtituitur oleo deſtillato ſuccini in affectibus capitis & nervorum: omnibus enim in genere ſcopis convenit, ad quos oleum hoc laudatur, cum non tam vehemens ſit, quàm oleum illud. Hoc nempè in apoplexia, affectibus capitis catarrhalibus, vertigine, & ſimilibus inunctum vertici eſt expertiſſimum: quoniam verò ratione odoris graveolentis eſt infeſtum, à quibusdam loco hujus ſubſtituitur Balſamum Peruvianum, quod odoris ſuavitate ſatis ſe commendat; de quo videatur HEINRICUS AB HEER obſ 17. Hinc cum hoc ipſo convenientiſſimè malaxantur emplaſtra cephalica, ſtomachica, & uterina. Denique ſpinæ dorſi inunctum, vel etiam regioni ſtomachi, proficuum eſt in rigoribus & horroribus febrium intermittentium, in ſpecie in quartanis, quæ ratione rigorum & percuſſionum ſunt moleſtæ ſatis.

Præparata videantur in Autore: ſi miſceatur cum ſale tartari, & affundatur ſpiritus vini, ſuggerit elegantem Tincturam ſtomachico-nervinam, guſtu acrem, & propter copioſos, quos excitat, ructus nonnihil nauſeoſam, ſed proficuam; ſcilicet ad imitationem WILLISII *Pharm. Rat. Vol.* 1. *pag.* 81. hoc modo præparatur, qui ex Balſamo Tolutano cum Tinctura tartari Eſſentiam ſeu Tincturam extrahit.

BDELLIUM.

B*Dellium* eſt gummi vel lachryma ex arbore creſcente in Aſia, Media, & Arabia; parum fragrans, pellucidum & purum. De electione videatur AUTOR.

Internè rari eſt uſus, utut commendari ſoleat in affectibus pectoris pro temperanda lympha acida & acri, quæ ſæpius eſt *Autor* affectuum pectoris, tuſſis, raucedinis & aſthmatis.

Externè in *emplaſtra nervina* & *ſtyptica*, ut vocant, in vulneribus recentibus uſitata, recipitur.

Pilulæ de bdellio propter vim ejus adſtrictoriam in fluxu hæmorrhoidali nimio, ac fluxu nimio menſium, commendantur, ſi ℨj. propinetur; potenter namque fluxum inhibere nimium dicuntur, imprimis ſi accedat ſuffitus bdellii, receptus per anum. Videre poteſtis de hac efficacia pilularum SOLENANDRUM *Sect.* 4. *Conſ.* 20 & FORESTUM *l.* 23. *Obſ.* 5. *Scholio*, non minus quàm RIVERUM *in Praxi pag.* 511. qui omnes conſtanter aſſerunt, magnum illorum eſſe uſum in hæmorrhoidibus nimis fluentibus.

BENZOIN.

BEnzoe ab aliis communiter vocatur Aſa dulcis: nihilominus Aſa dulcis & Aſa fœtida ſunt duo gummata omnino diſtincta & diſcrepantia. Noſtra interim non eſt eadem cum Veterum Benzoe. Collectionem & ſelectionem ſufficienter deſcribit AUTOR *noſter*.

Internè ſpeciatim valdè cõmendatur pro pulmonibus, adeo ut non incommodè vocetur à BARTHOLETO *Balſamum pulmonum*, *qui Lib.* 5. *de Dyſpn. C.* 1. multa habet de Benzoe in affectibus pectoris & reſpirationis vitiis. Convenit enim vi aromaticâ tam in temperando acore lymphæ catarrhalis, nec non in vulneribus & ulceribus, phthiſi pulmonum, & in genere in tuſſi & aſthmate, quàm vi balſamicâ reſtituendo & confortando pulmones. Aliàs internè raró adhibetur; externè frequentiùs.

1. Admiſcetur in pulveribus ſternutatoriis, propter gratum odorem, & vim, quam habet, errhinam ſeu ſternutatoriam.
2. Eſt egregium coſmeticum ſeu maculas faciei abſtergens.

Modum utendi poſtmodum. Aliàs in manu detenta Benzoe arcere dicitur torporem & ſtuporem, quem inducere ſolet torpedo piſcis; de quo notum eſt, quod torpidos & ſtupidos reddat piſcatores: quam experientiam tribuo IOHANNI STEPHANO, qui videatur in Operibus Miſcellan. Med. pag. 422. Suffitus etiam adhibetur pro affectibus catarrhalibus, & pectoris, pro ſedanda tuſſi, raucedine, & aſthmate, &c.

Præparationes Benzoes *variæ* ſunt. Inter has ſe offert *ſolutio rubra*, Tinctura aut eſſentia Benzoes dicta, quæ paratur cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, vel tartariſato, & prodeſt internè in affectibus pectoris: ſed hæc quoniam facillimè præcipitatur à quovis liquore, ferè externo ſolùm uſu inſervit. Egregia quoque eſt in odontalgia cum bombace denti indita, quæ etiam paucâ Eſſentiâ opii poteſt acui. Hâc aquæ roſarum vel aliæ inſtillatâ, in momento emergit liquor lacteus, egregium ſpirans odorem, atque eſt elegans & efficax coſmeticum contra maculas faciei: quin & manus purificat, maculas detergit, & cutim nitidam, candidam, & glabram reddit, ſi manè & veſperi eâdem manus laventur, & per ſe exſiccentur; manè verò aquâ communi abluantur. Cum ſpiritu tartariſato parata etiam rubedinem & puſtulas faciei curat.

Ex hac tinctura cum aqua simplici *Magisterium* seu *resina* præcipitatur, quæ eluenda & blandè exsiccanda.

Post magisterium sequuntur *flores*, qui sublimantur è Benzoe pulverisata per crucibulum igne arenæ, imponendo huic pyramidem ex charta crassiore confectam, cuculli instar, ut orificio crucibuli exactè respondeat, & sic partes subtiles, quæ in igne elevantur in altum, chartæ sub forma sicca adhærescent, & ita colliguntur Flores, qui plumâ abstergantur. Sublimatio hæc, novam chartam semper applicando, continuetur, donec tota Benzoe, relictis impuritatibus, in flores redacta fuerit. Facilis sunt præparationis: videatur ROLFINCII *Chymia*, & WEDELII *Pharm.pag.*135. Alium adhuc præparandi modum AUTOR habet satis clarum.

Maximè commendantur in affectibus pectoris, tussi sicca nocturna, dyspnœia, orthopnœia, &c. temperando lymphæ catarrhalis vitia. Sic in tussi inveterata & contumaci experimentum habet AMATUS LUSITANUS *in C.6. Curat.*90. qui recipit *flores sulphuris*, & *flores Benzoes*; horumque tantillum singulis vesperi quotidie sub introitum lecti suadet assumere in ovo sorbili, & curat feliciter tussin & asthmata, contumacissimos affectus, si per aliquot dies noctesque continuentur. *Liquor Benzoes* fit, si, exemto vitello, albumen ovi ad duritiem repleatur Benzoe; hoc sic repletum in loco frigido facit, ut abeat Benzoe in liquorem per deliquium, qui liquor est egregium cosmeticum.

Sequuntur modi destillandi *Oleum ex Benzoe*, quorum aliquot quidem enumerat AUTOR. Verùm oleum destillatum Benzoe, haberi nequit: Benzoe enim, utut resinosum sit concretum, talis tamen est texturæ, ut in igne tractata difficulter in oleum destillatum suaveolens possit redigi; quin potiùs substantia butyrosa empyrevmatica elicitur, facilè coagulabilis in aqua.

Optimus modus iste est, quem AUTOR aliis modis præfert, tertius scilicet; quoniam hoc modo acquiritur non inelegans oleum per se præparatum, quod rectiùs per alembicum destillatum in cineribus fit purum. Quid de Benzoinis particulis sulphureis repetitâ destillatione depuratis referat THOMSON, videatur *Epilog. Chym. pag.*38.

Crystalli autem parantur ex Benzoe, si hujus frustula integra in aqua rosarum, florum aurantiorum, vel violarum macerentur, post aquarum medietas abstrahatur, procedendo deinde more solito; & refrigeratis omnibus, reliquo corpori lapilli eleganter adhærent, pectori dicati: videatur BARTHOLETUS *lib* 5. *de Dysp. c.*1.

Lapilli hi sunt partes salinæ in Benzoe solutæ per aquas, quæ denuò congeruntur, & sub crystallorum forma relicto corpori adhærent. Cum aqua istâ destillatione abstracta prodit simul *Oleum*, sed paucum, & pretiosissimum propter egregium odorem & virtutes; uti etiam in reliqua aqua non abstracta, sed nudè tantùm decantata, supernatat pinguedo oleosa elegantissima, quæ ipsâ destillatione potest separari. Crystallos Benzoes in spiritu vini, à Magisterio ejus relicto, concrescentes videbitis in *M. A. N. C. Ann.* 2. *Observ.* 240. *pag.*342.

In Autoris tertio & optimo modo destillandi oleum Benzoes, additur alius modus præparandi *crystallos Benzoes*, quæ tamen non sunt ita elegantes, atque ii, qui fiunt ad modum ex BARTHOLETO & VIGENARIO jam dictum.

Qui plura, præter AUTOREM, de Benzoes destillatione cupit, videat *Vigenarium Tr. de sale & sulphure pag.*49. qui reperitur *in Theatro chymico Tom.V.* ubi elegans Benzoes habetur destillatio & tractatio; sicuti destillatum ex Benzoe diversâ consistentiâ videbitis in BOYLE *Hist. Fluidit. & Firm. pag.*106.

CAMPHORA.

Camphora alio & quidem Græco nomine vocatur καφρα, & sæpius ita apud Practicos præscripta invenitur. Concretum est quasi resinosum, apparenter salsum, mirabilissimum omnium vegetabilium, & maximâ laude dignum in Praxi medica; unde ob peculiares, quas habet vires, in morbis plurimis usurpatur. Est duplex;

1. *Burneina*; & hinc
2. *Iaponensis*, vulgò *Chinensis* dicta.

Borneina est, quæ ex Borneo Insula adfertur, & est nativa ex arbore sui generis exstillans. Altera est magis artificialis, seu per artem præparata, qualis apud nos habetur. Hæc præ illa multò ignobilior, & saltem ad nos deferri solet. Utriusque differentiam, & ex quibus arboribus eliciantur, optimè descriptum prostat in *Observationibus Naturalibus* BOCCONI *pag.*267. & KIRCHERI *mundo subterr.* lib.9. sect.3. cap.5. Prætereà ex *radice canellæ seu arboris Cinnamomi*, uti & ex ipsa zedoaria etiam resina, & oleum instar camphoræ genuinæ, in Insula Zeilon parari solet; de qua *camphora ex radice cinnamomi* vid. *Acta Societ. Anglic. Volum.* 1. *pag.*724. *M. A. N.C. Ann.*4. & 5. *Obs.*139. item *Acta Haffniens. Vol.*3. *pag.*168. Nec mirum est, ex cinnamomi radice talem camphoratam substantiam elici, cùm ex fuligine oleum camphoræ simile observaverit BOYLE *in Phil. Experiment. pag.*322.

Magna fuit hactenus controversia inter Autores; cujus naturæ sit camphora? imò multi fuere, qui eam mineralibus & fossilibus magis annumerare, ac è bituminum genere esse arbitrati sunt: sed hoc est erroneum: videatur AUTOR, & *citatus* MOEBIUS. Natura ejus est abstrusa, nil enim exinde præparari potest. Revera autem est subjectum sulphureum, quia flammarum rapacissima, etiam in aqua ardet. Volatilissima est substantia, nullo modo sine successiva evaporatione asservabilis, nisi in vitris exactissimè clausis asservetur. Conf. BARTHOLINI *Act. Med. Vol.*2. *p.*106. rectè adeò dici potest *Mercurius Vegetabilium*: vulgò putant, si addatur semen lini, vel grana piperis, &c. non evolare; sed vanum hoc est: unde TACHENIUS *in Hipp. Chym. cap.*21. camphoram alcali volatile, à natura propriâ pinguedine saturatum in purum putum sal volatile oleosum, esse, rectè dicit; & inde adeò penetrantis & volatilis naturæ. Hinc, quoad effectus, penetrans satis est, & ardentissimâ sua substantiâ pustulas excitat linguæ admota. Febres tamen malignas ardentissimas curat, licet calida dicatur in gradu quarto; & quidem sal volatile hoc apparenter est salsum, quia tam à Menstruis acidis, quàm salsis, indifferenter solvitur.

Quæstio est de camphora; an sit frigida, an calida? Sunt qui frigiditatem probant ex eo, quod incandescentias & inflammationes sistat, atque Venerem restinguat, hinc quasi refrigeret: caliditatem defendunt ex vi penetrativa; deinde quod etiam in mediis aquis accensa vehementissimè flagret: nam ex camphora faciunt stirias glaciales ardentes instar candelæ, dum recipiunt stiriam, quam excavant, & indunt camphoram: similiter fit nive conglomerata, & impletâ camphorâ pila ardens. Quicquid sit, litigium est inane & ridiculum, facilisque decisionis: nam camphora per se est ignis concentratus; hinc calidissima, & neque frigida est, neque Venerem extinguit, ut *infrà probabitur*; utut corpori adhibita, quatenus spirituum impetum sopit, ac inde natos dolores sistit, refrigerare videatur. Hoc præstat, quatenus acidum in inflammationibus compescit, quod non in caliditate & frigiditate consistit, utpote quæ sunt *Rerolleæ*, ita ab HELMONTIO & PARACELSO ficto vocabulo dictæ; sed ad magis activa principia est respiciendum, nempè ad salia.

Modus probandi camphoram legitimus est cum pane calido triticeo, quem etiam habet AUTOR *noster*, & eundem satis clarè descripsit.

Quod attinet *virtutes camphoræ*; inter omnia remedia diaphoretica universum corpus penetrantia, & speciatim spiritus influos afficientia, eorumque dyscrasias corrigentia, & in crasi naturali eosdem conservantia, peculiariter excellit camphora: unde, quando spiritus acriores, magis elastici, plus minus servidi, & omnibus affectibus, in quibus plus minus morbosi, vel primariò vel secundariò vitiati sunt, speciatim camphora commendationem suam meretur. In febribus ergò malignissimis, ex contagio speciatim natis, in pestilentialibus, & ipsa adeò peste, ubi spiritus influi contagio maligno affecti aut inquinati sunt, non habetur simile alexipharmacum & cordiale; unde in his morbis nulla ferè remedia propinentur sine additione camphoræ, quæ certè me nunquam fefellit. Arbitror enim optimum præservativum, & unum è primariis curativis pestis, esse camphoram, quæ illud, qualecunque fuerit contagium, enervare, spiritusque roborare, & eorum vigorem ac impetum insigniter intendere solet: Propterea in febribus malignis, præsertim petechialibus, nunquam omittere, sed pro scopo sudorifero cum salibus volatilibus animalium, imprimis sale volatili cornu cervi, vel sale volatili viperarum, addito vel antimonio diaphoretico, vel specifico cephalico D. Michaelis ex cinnabari antimonii, mistum propinare, & singulis 8. horis repetere soleo: v. g.

℞. *Antimonij diaph.* vel *pulv. bezoard.* Lud. gr. xv. ad ℈j.
Sal. volat. cornu Cervi, vel *viperar.* gr. vi. vel viij.
Camphor. gr. ij. iij. vel jv. pro ætatis ratione: misce, fiat *pulvis* pro una dosi, qui singulis 8. horis repetendus est in febribus malignis quibuscunque.

Interdum, loco antimonii diaphoretici substituo cinnabarim antimonii, si adsit delirium, & immineant convulsiones epilepticæ: Vel

℞. *Antimonij diaph.*
Cin. antimonij an ℈ß.
Sal volat. viperar.
Cornu Cervi an. gr. jv.
Camph. gr. iij.
Misce, fiat *pulvis*.

Ubi autem ægri sunt inquieti, quando cordis angustia laborant, jactitant se in lecto, nec sudare possunt, cum vigiliis, laudanum opiatum addo.

Porrò in febribus acutis malignis, ubi spiritus quasi ignei seu fervidi redditi, indeque inordinatè moti, unde vigiliæ, deliria & convulsiones superveniunt, camphora in expansiones debitas & magis ordinatas eos iterum redigere solet, internè & externè adhibita; narcoticam enim vim obtinet, quâ spirituum animalium impetum inordinatum refrænat, eosque ad blandam quietem disponit. Hinc in deliriis melancholicis habitualibus sive cum sive sine furore, præmisso vomitu, rarò fallit, & spiritus in naturalem crasin redigit, ubi cum saccharo Saturni & Arcano duplicato Mynsychtii misceri potest. PARACELSO in usu pro dictis affectibus fuit cum oleo moschi, qui Practicus est accuratissimus.

Dico autem in deliriis chronicis habitualibus: nam & in his semper unà spiritus insiti affecti sunt, unde morbi hi curatu difficiles, & in poste-

poſteros etiam tranſplantabiles exiſtunt. In talibus caſibus igitur camphora longè potentiùs, quàm opium, quod hìc potiùs nocivum eſt, ſpirituum craſin morboſam, & inde dependentes ataxias vitioſas, corrigit. Ergò ad ſpiritus animales conſervandos, eoſque acriores, fervidiores & nimis impetuoſos redditos, unde pathemata dicta ſuperveniunt, camphora præ aliis ſimplicibus ſpiritus immediatè afficit, & eoſdem ſine contentorum alteratione prævia optimè corrigit.

Præter ſpiritus autem influos in morbis acutis à contagio labefactatos, in craſin naturalem redigendos, conſervandos, & à contagio ulterius præſervandos, convenit etiam in ſpiritu inſito ſeu balſamo partium vitali reſtituendo; unde putredini incipienti in vivis, ut gangrænæ & ſphacelo, in ulceribus & vulneribus putridis, fœtidis, aut ad putredinem inclinantibus, præ aliis potenter reſiſtit, & vi balſamica ſpiritum partis inſitum roborat, partemque affectam ſartam tectamque conſervat.

Porrò diureticum præbet validum. Ulterius ſunt qui, juxta communem ſententiam, camphoram mares caſtrare, & venerem arcere aſſerunt; unde natus verſiculus ſcholaſticus:

Camphora per nares caſtrat odore mares.

Sed falſiſſimum eſt, & ſufficienter hunc verſiculum ſtrigillat *TACHENIUS loco allegato*, ubi *de viribus camphoræ*; & confirmat, quod Refinatores camphoræ Venetiis (uti & Amſtelodami) ſint maximè ſalaces, & copioſiſſimam progeniem alant. *CRUGNERUS in Tr. de Abiete cap.* 3. *pag.* 31. *refert*, quod camphoræ ℥ß. in ſpiritu abietis ℥iv. Venerem concitare ſoleat. Quod tamen extinguat Venerem curioſa eſt Obſervatio *LOSSII*, quam habet in *Obſ pag.* 31. 4. quò etiam pertinet, quod habet *HILDESHEIM in Spicilegio pag.* 149. *de Affectibus capitis*, quod ſcilicet camphora pudendis alligata & in brachio geſtata, membrum virorum flaccidum facit. Utrinque ergò cum proſtent experimenta, rem in medio relinquam. Hoc interim certum eſt, in gonorrhœa ex turgeſcente genitura, & imprimis Gallica virorum, maximè prodeſſe; quod ipſum an ſit, quòd abſumat genituram, vel quod probabilius eſt, quòd compeſcat turgeſcentiam, & abſumat acidum, quo genitura eſt imprægnata in gonorrhœa maligna, ut inde fiat genitura tenuis? itidem in medio relinquo. In tali gonorrhœa virorum eſt experta miſtura, quæ fit ex

Spiritus terebinth. ʒij.
Sacch. Saturni ʒß.
Camph. ℈j. M. S.
Singularis Mixtura contra Gonorrhœam.

cujus doſis ſunt 15 vel 20 guttæ.

Hinc & in furore uterino camphora eſt egregium remedium, ſi accenſa toties in potu ordinario extinguatur, quoties neceſſitas expoſtulat pro liquore imprægnando; quod ipſum ceu expertum commendat *HORSTIUS*, uti videre poteſtis in *Cent.* 3. *Epiſt. BARTHOLINI pag* 147. Paſſionibus hyſtericis obnoxiis eodem modo extincta in potu vel aqua propinata, maximè quoque confert; ſicut & camphoræ ʒj in aqua appropriata, in qua ſolvitur, valdè commendatur à *RIVERIO in Praxi*; quinimò medicamentis aliis permiſcetur. Sed hoc cum diſtinctione intelligendum eſt, quia non omnes ferunt camphoram. In paroxyſmo Epileptico camphora eſt egregia, & quidem in paroxyſmo miſcetur cum laudano opiato, & appropriato.

Non mirum eſſe debet, quod camphora proſit in furore uterino, utpotè delirii ſpecie, quia ſimiliter in mania eſt egregia. Propterea etiam *HILLERUS* ad maniam externè præſcribit abluitionem temporum cum tali liquore:

♃. *Spirit. vini* ℥viij.
Camph. in eo diſſol. ʒj.
Imponatur nodulus ex *opii* ℈ij.
Moſchi gr. iv.

Hic liquor temporibus applicatur, & naribus admovetur ad conciliandum ſomnum.

Qui plura cupit de vi camphoræ in mania, videat ſcriptum *PENOTI*.

In febribus malignis cum vigiliis, & delirio, vel incipiente, vel confirmato, maximum levamen adfert, cum epithematis, fronti applicandis, ad aliquot grana permiſta. Certè mirabiles præſtat effectus, ſi ſingulis horis Epithema renovetur. Ex aquæ ſpermatis ranarum nempè, aquæ ſolani, aquę ſempervivi majoris, &c. aliquot unciis, cum papavere albo fiat emulſio tenuis, cui additur camphora, pro Epithemate cephalico; vel cum aquis dictis miſcetur ſuccus Cancrorum fluviatilium, & additur camphora pro ſimili uſu in morbis malignis: Certè miranda vidi in tali Epithemate in quodam deſperatè decumbente. Non incommodè etiam adhibetur in aliis febribus, item in agrypnia compeſcenda & ſuavi ſomno inducendo, utut olfactu arcere dicatur propter gravem & penetrantem odorem. Dolores etiam podagricos, & affectus articulorum mirè ſanat camphora, imprimis ſi diſſoluta in ſpiritu vini applicetur; qui ſpiritus vini camphoratus applicatus articulis arthritide affectis mitè præſtat in tali caſu: Unde etiam camphora ſolet præſcribi in Unguentis podagricis, & linimentis contra articulorum dolores. In arcenda gangræna & camphora eſt expertiſſimum remedium, & ardentiſſimos dolores mitigat. Præcordiis camphora applicata, mira facit in affectibus ventriculi: ſic fuit quidam æger, qui afflictus fuit deſperatâ cholerâ, in qua per quatuor dies, ἄνω & κάτω, ſurſum & deorſum, omnia ingeſta alimenta & medicamenta cum impetu rejecit; curatus tamen fuit æger talis, (utut periculoſiſſimus ſtatus ejus fuerat, quoniam per quatuor dies malum duraverat) per ſpiritum vini rectificatiſſimum, ab herbis cordialibus deſtillatum, cujus ʒj. addita fuit camphora ad ℈j. & talis ſpiritus aromaticus camphoratus applicatus fuit cum linteis multiplicatis regioni ventriculi; quo facto æger cum admiratione ſumma adſtantium ne ſemel quidem evomuit. In tertianis vim febriſugam habere dicitur camphora, ſi ad ʒj. in nodulo appendatur præcordiis: Singulare hujus rei experimentum habet D. *SCHROECK Medicus Auguſtanus*, qui aliquot tertianâ laborãtes per ℈j. vel ʒß. camphoræ in linteo, ſcorbiculo cordis appenſo, curavit; ubi ceſſante febre camphora abſumpta fuit, præmiſſo levi univerſali: in affectibus melancholicis addi poteſt crocus. In coryza euporiſton eſt D. Tanckii, cum oleo amygdalarum dulcium ſoluta, & naribus illita: ubi etiam planè ceſſat olfactus, miranda præſtat: obſervatum tamen fuit, quod olfactui nocuerit; cujus rei experientiam habet *BARTHOLINUS Cent.* 3. *Hiſt.* 91. In odontalgia uſurpatur, ſi diſſolvatur in oleo origani Cretici, & hoc oleum diſſolutionis camphoræ applicetur denti dolenti. Quod ſi camphora internè emplaſtris addenda eſt, optimè cum Balſamo Peruviano diſſolvitur: Conferatur *M. A. N. C. ann.* 6. *Append. pag.* 180.

Inter *PRÆPARATA* eſt *Oleum deſtillatum camphoræ*, unum ex magnis poſtulatis chymicis, utut non facilè reperibilibus. Expetitur propterea, quoniam ſic mirum intenditur ejuſmodi vis penetrativa alexipharmaca, adeo ut quidam dixerit: ſe paſſurum ſuſpendium, ſi quis peſte correptus ex uſu quinque vel ſex guttarum olei camphoræ non liberetur. Hujus tot ſunt præparationes, quot ſunt capita Chymicorum, quæ ſæpius ſunt vanæ, ſi per ignem examinentur.

Ante omnia inquirendum eſt; an detur oleum camphoræ verum? Multi ex hac ratione negant, quod camphora radicaliter non poſſit ſolvi, ſed in aqua denuò regeneretur: Nota enim genuini camphoræ olei eſt, ſi ſine cujuſvis olei additione ipſum ab aqua non reducatur. Si autem oleum camphoræ, artificioſiſſimè etiam præparatum, uti & ſpiritus, infunditur in aquam, ſubitò ſe conſpiciendam præbet camphora in antiqua forma: ſic v. g. ſi in ſpiritu vitrioli, vel juxta *WILLISIUM de Ferm. c.* 9. in aqua forti, vel ſimilibus ſpiritibus acidis corroſivis, ſolvitur camphora, ſaporem & odorem perdit; ſubitò autem ac ita diſſolutæ inſtilletur aqua ſimplex, denuò renaſcitur camphora, & ſub antiquo ſapore & odore ſupernatabit: videatur *BOYLE de Orig. Form & Qualitat. pag.* 211. Hinc *WILLISII* error facilè patet, dum putat, aquam fortem partes camphoræ ſalinas excipere, ſulphureis intactis, unde oleum ſuperficiei ſolutionis innatet; quia & hoc affuſâ aquâ ſimplici in antiquam camphoram regeneratur; quin præparatio hæc potiùs erit nociva, quàm verum Oleum: Si verò ſpiritus nitri miſtus ſit cum ſpiritu vini, non ampliùs ſolvit camphoram, ſed hæc ſupernatat: ſic ſpiritus vini, tam rectificatiſſimus, quàm cum ſpiritu ſalis ammoniaci acuatus, in momento ſolvit camphoræ ultra ſubtriplum; videatur *LUDOVICI Pharm. pag* 24. *BOYLE loco allegato pag.* 83. ſed quæ inſtillatâ aquâ communi regeneratur in corpus antiquum: Si cum Bolo Armena deſtillatur, oleum prodit rutilans; quod tamen aquæ infuſum, dat camphoram antiquam. Nihilominus mediante terra ſigillata Sileſiaca fieri poteſt egregium *Oleum irreducibile*. Nempè

♃. *Terræ ſigill. Sileſ.* patt. ij.
Camph. part. j.

Hæc ſeorſim pulveriſata miſceantur probè diligenti & diuturna tritura; id quod imprimis neceſſarium eſt; hinc deſtilletur per retortam, & prodit oleum paucum, cum quo ulterius procedatur, uti *AUTOR modo ſecundo* docet.

Genuinum etiam paratur *Oleum* hoc modo: Camphora ſi deſtilletur per retortam, per vices ſucceſſivè tantillum camphoræ retortæ imponendo, ope ignis tota in oleum irreductile mutabitur.

Egregium pariter eſt, ſi camphora cum oleo terebinthinæ vel baccar. juniperi ſolvatur & deſtilletur, & dat oleum mirandæ efficaciæ in nephriticis affectibus: ſed non eſt genuinum. Si *pro peſte oleum camphoræ* parandum:

♃. *Olei deſtill. ſuccini* vel *roris mar.* p. iij.
Camph. p. j.

Digerendo in loco tepido per 3. dies naturales: deinde ex retorta vitrea benè lutata per arenam deſtillentur, & ſic prodit *oleum camphoræ compoſitum antipeſtilentiale*. Hæc deſtillatio repetatur cohobando ſecundâ vice. Non tamen oleum hoc genuinum eſt, ſed tantum per accidens propter adjunctum oleum, & reviviſcit.

Doſis ſunt gtt. vj. ad viii.

Ita *MEDICUS VERONENSIS HENISIUS* habuit *Oleum peſtilentiale* aurei coloris, compoſitum ex oleo deſtillato camphoræ, ſuccini, & citri; quod in curanda peſte felici cum ſucceſſu exhibetur. Tanta cum hoc oleo *HENISIUS* præſtitit in peſte Veronenſi, ut ipſi columna triumphalis fuerit erecta. Unde Norimbergenſis quidam Medicus aſſerit; ſe ea die, quâ peſte quis

quis corripitur, aliquot guttulis olei camphoræ eandem certò curaturum esse: quod si ille, qui manè assumpserit aliquot olei camphoræ guttas, illo die à peste corriperetur, se velle pœnam patibuli in se recipere, si non peste infectum curaret per oleum camphoræ. Videatur *HARTMANNUS in Praxi Chymiatrica*, & *MOEBIUS in Anat. Camph. pag.* 53. In suffocatione uterina valdè commendatur medicamentis aliis permistum. In mania oleum camphoræ cum Moscho singulare experimentum fuit *PRÆVOTII, Medici Practici Patavini*, & à *PARACELSO de Philosophia Vitali Tr. 2. cap. 4.* in Mania tanquam præsentaneum remedium commendatur hocce:

℞. *Olei campb.* ℥j.
Musci vel Moschi ℥ß. vel ℥j.

Misceatur & administretur qualibet vice ℥ß. Mirabiliter enim coagulare dicitur materiam maniæ, ceu aqua in glaciem coagulatur, & extinguere calorem corporis ac ebullitionem.

Olei camphoræ cum bolo per retortam destillatæ guttas x. furorem maniacum aliquot horarum spatio sistere dicit *PRÆVOTIUS*.

Imprimis oleum camphoræ desiderari solet proprer vim cosmeticam; nam camphora est egregium Cosmeticum: Cum enim notum sit, quod affectus cutanei, & maculæ faciei, imprimis oriantur ex subtili Acido, ex depravatione alimenti in coctione tertia, vel propter læsam transpirationem, non mirum si absumpto acido tales maculæ dispareant.

Aliàs pro oleo camphoræ externo optimum est, si assumatur oleum amygdalinum, in quo solvatur camphora; radicaliter autem non potest solvi, sed in aqua denuò prodit: nihilominus commodè usurpatur in odontalgiis, si applicetur denti dolenti; vel indatur denti carioso & excavato.

Alii pro usu externo, *Oleum camphoræ compositum* parant, præsertim in doloribus articulorum à frigiditate;

℞. *Sapon. Venet.*
Campb. ana part. æqu.

Miscent probè, & ex Retorta vitrea, igne suprà & infra adhibito, pellunt; quod prodit, sponte solvitur in oleum, valdè utile in doloribus brachiorum, & passione colica, si umbilico inungatur.

Liquor camphoræ (habet quidem *AUTOR* alios modos) fit, si in albumen ovi ad duritiem cocti indatur camphora, & in loco frigido ita dissolvatur in liquorem; qui liquor camphoræ est egregius. Quidam per alembicum prodire affirmant, nec amplius reduci posse.

Quidam in secretis habuit *liquorem camphoræ antipestilentialem* ex

Camphoræ ℥j.
Album. ovor. ℥vj.

quæ duo destillavit per retortam, & liquorem, qui prodit, cum spiritu vini cohobavit, pro eleganti remedio antipestifero.

Spiritus vini camphoratus, vel spiritus vini rectificatissimi ℥j. cui additur camph. ℈j, singulare remedium est in quibuscunque inflammationibus, & vi anodynâ omnes dolores sopit: hinc in podagra, & articulis arthritide affectis, maximè prodest pro sistendo dolore, & pro dissipando tumore, quoniam acidum absorbet, quod in articulis gubernans dolores inducit arthriticos: Item in arcenda gangræna, & putredine incipiente & confirmata, non secus sphacelo, ulceribus & vulneribus putridis, fœtidis aut ad putredinem inclinantibus, frequentiùs applicatus, egregium est remedium, imprimis si aloe & myrrha fuerint addita. Cum aqua appropriata est expertus in gutta rosacea, & in variis, *furunculis sive pustulis*. Præterea quoque convenit in cholera, colica, in contracturis ex colica seu paresi, ut vocant, similibusque partium externarum & internarum affectibus; in cholera imprimis desperata, ceu ultimum remedium applicatur calidè cum linteo multiplicato. Potest camphora etiam solvi in spiritu theriacali, & sic fit *spiritus theriacalis camphoratus*, qui est tertium ingrediens *misturæ bezoardicæ*, seu *misturæ simplicis*, in qua camphora est basis, & usurpatur in morbis malignis arcendis.

CANCAMUM.

Cancamum est lachryma cujusdam arboris exoticæ, cujus tamen natales non sunt cogniti, nec propterea ejus vires modernis sunt in magna æstimatione, & rarò, imò ferè nunquam, præscribitur, nisi in usu externo.

CARANNA.

Caranna est resina tenax, nigricans, instar picis ductilis; juxta Cartagenam apud novam Hispaniam enata, ubi transudat ex cortice arboris bacciferæ, *Tlabueliloca Evanitel* dictæ, vulnerato. Tacamahacæ in natura & viribus similis est; quarè in genere ea, quæ dicentur de Tacamahaca imposterum, dici quoque possunt de Caranna: hæc tamen nobilior, volatilior & penetrantior est, naturæ magis balsamicæ.

Pro *usu externo* vi anodynâ non tantum Indis pro sopiendis doloribus partium externarum ab acido oriundis in usu est, sed & nos apud in Cardialgia, & dolore, aliisque affectibus stomachi, sæpè exhibetur in forma Emplastri, regioni stomachi impositi; si scilicet in mortarium calidum immittatur & cum sufficienti quantitate Balsami Peruviani agitetur calido pistillo; sic enim fit fluxile & flexile; id quod habet *LINDANUS in Collegio super Hartmannum Capite de Catarrhis*. Emplastro hoc in febribus continuis & malignis, ut & intermittentibus, ubi de anxietate præcordiorum conqueruntur ægri, nil melius est; sic & in vomitu compescendo idem cum oleo nucis moschatæ & macis destillato convenit; non secus ac in doloribus artuum, qui catarrhis vulgò, (quidam flatibus in interstitiis musculorum,) adscribuntur: in illo nempè symptomate quando in vel post sudorem artus frigori exponuntur & defluxio indeoritur, emplastrum hoc convenit. Quin & contra dolores articulorum & podagricos, nervorum vulnera, atque contusiones omnis generis, valet, malaxatum cum oleo succini. Porrò in emplastris cephalicis, & in emplastris pro bregmate usitatis, adhibetur. Nec ignotum est, contra odontalgiam frequenter à modernis adhiberi præservativè in forma emplastri magnitudine thaleri temporibus applicatum; quo in casu quidam mastichis usum longè præferunt. In ophthalmia dicto modo applicatum est egregium remedium pro adstringendis defluxionibus oculorum & compescenda lympha, in ophthalmia & odontalgia sæpius excedente.

Egregium *Emplastrum de Caranna* habet *AUTOR sub finem hujus capitis*, quod in doloribus articulorum valdè commendatur.

PETRUS JOHANNES FABER in Myrothec. spagyr. lib. 2. cap. 41. habet *Quintam essentiam gummatis carannæ*, quam prædicat ceu specificam in podagra & colica.

COLOPHONIA.

Colophonia est *duplex*: *Una* est remanentia, seu residuum istud crassamentum, quod in depuratione & destillatione resinarum abietinarum remanet: *Altera* est istud residuum, quod post destillationem Terebinthinæ remanet.

Prior autem utut ratione resinarum variet, nullum alium usum habet nisi quod emplastra & cerata ingrediatur, quibus debitam consistentiam largitur. *Posterior* non tantùm ingreditur Emplastra in vulneribus usitata, sed & commendari solet in pellendo calculo, si pulverisata assumatur.

COPAL RESINA.

Resina *copal* admodum candida, sed rarissimi usus est. Commendatur ad affectus capitis, & nervorum. Imprimis tamen usurpatur elicitum ex ea *Oleum destillatum* per retortam in arena, uti potest fieri ex aliis resinis omnibus.

E.

ELEMI.

Elemi est reverà resina balsamica, elegans alba & pellucida, quæ transudat ex *Olea Æthiopica* arbore oleæ ferè simili.

Internè nullum hactenus habet usum. *Externè* vi balsamicâ mirè succurrit vulneribus quibuscunque, imprimis in affectibus & vulneribus capitis, ac nervorũ aliarumq; partium nervosarum ac tendinum, in quibus mistum cum emplastro de betonica excellentissimum est remedium, omnibus Balsamis vulnerariis præferendum; in specie in vulneribus punctim inflictis præ aliis omnibus commendatur, uti videre potestis in *MINDERERI Med. Militari pag.* 343. & 346. quod de contusione partium nervosarum similibusque pariter notandum venit: hoc Elemi cum Terebinthina mistum in formam emplastri cranii vulnera optimè consolidat. In vulneribus articulorum primatum habet, ita ut in his Linimenta & Emplastra, ex basi hujus gummatis facta, sint egregia. *ARCÆUS* habet *Linimentum* primâ fronte simplex, usu tamen valdè excellens in vulneribus quibuscunque, imprimis capitis & partium nervosarum, quod est hoc:

℞. *Gum. elemi*,
Terebinth. clar. an. ℥jß.
Pingu. castrati ℥ij.
Porcin. antiqu. ℥j.

Liquescant ad ignem & fiat linimentum, quod mox in principio vulneri applicatum cuicumque, mira præstitit *ARCÆO*: videatur in *SENNERTI libro 5. Prax. pag.* 399. & 405.

Vel

℞. *Gum. elemi* ℥iij.
Terebinth. ℥jß.
Pingu. porcin.
Human. an. ℥j.

Misce, fiat *Linimentum, ad vulnera recentia* quamplurimis in frequenti usu.

Propter vim ejus balsamicam elicitur etiam exinde *Oleum* elegans odoriferum & penetrans, ex retorta per arenam; quod in affectibus paralyticis, tremoribus & contracturis partium, laudatum est remedium.

FU-

F.

FULIGO.

FUligo, in specie camini splendens, quæ præ cæteris est elegans, Germanicè *der Spiegel-ruß*, nihil aliud est, quàm *liquorum fumus elevatus* & condensatus. *Fumus* autem est *flamma condensata* ; *flamma fumus rarefactus*, seu particulæ liquorum minutissimæ resolutæ: ita ut in lignis incensis resina sub forma flammæ exhalans condensetur tandem in fuliginem; & sicut ligna per retortam destillata dant *spiritum acidum volatilem* & *oleum lignorum*, ita fumus per liquorum concremationem in forma fuliginis adscendit, cujus volatilitas dependet à sale volatili penetrante, maximè temperato à spiritu subtili & oleo destillato: adeò ut fuligo nihil aliud sit, quàm spiritus volatilis, & oleum liquorum in forma sicca, quæ per retortam destillando in forma humida prodeunt.

Sed quoniam de pinguedine olei sub deflagratione ignis multum destructum est, hinc sub phlegmatis vehiculo & tegmine copiosum sal volatile aliàs in oleo concentratum, sui factum juris, simul in forma propria evolat; sicut substantia olei reliqua, quod sub exhalationis celeritate deflagrationem subterfugit, etiam sal volatile unà evaporans secum concentrat. Spiritus verò iste acidus lignorum compositus est ex acido volatili, & etiam ex sale volatili spirituoso: quæ duo possunt ab invicem separari per corallia vel lapillos cancrorum; de quo suo loco: unde destillata fuligo dat primò phlegma acidulum, simile spiritui lignorum; hinc spiritum urinosum, cum quo simul habetur sal volatile urinosissimum copiosum, simile salibus volatilibus & spiritibus urinosis, quæ ex animalibus eliciuntur; tandem succedit oleum flavum & rubicundum empyrevmaticum, & admodũ penetrans, simillimum ei, quod aliàs ex lignis destillando elicitur, & super cornu cervi ustum rectificandum & ab empyreumate liberandum est; & remanet post destillationem caput mortuum, quod porrò per elixiviationem sal fixum largitur: quæ tamen in fuligine primitus non existunt, sed ab igne proveniunt. Conferatur, quoad hanc fuliginis anatomen, HOFFMANNUS *in Clave pag.* 584. item BECKIUS *Meditat. & Experiment. pag.* 109. & 110, sicuti curiosam & singularem fuliginis anatomen docet VIGENARIUS *Tr. de sale & igne pag.* 43. & 46., videatur *theatr. Chym.* in quo hic quoque Autor reperibilis. Fuligo igitur, cùm mero sale volatili & oleo gaudeat, eoque præstantissimo, reverà erit sal volatile oleosum, & penetratissimum, cujus intuitu in substantia vim habet concentrandi omne acidum; unde pulvis fuliginis cum aceto sumptus sudorem movet potentissimè, & in casu ab alto pro resolvendo sanguine grumoso confert; hinc & in curanda pleuritide à ʒß. ad ʒj. haustu vini, vel aceto, vel aqua cardui benedicti hausta, egregiè confert, per sudorem sublevando, teste RIVERIO *in Pr. l.* 7. *cap.* 2. & *in Obs. Med. C.* 2. *Obs.* 89. D. HORSTII *specificum antipleuriticum* est hoc:

℞. *Fulig. benè tritæ* qu. v.
Lava sæpiùs cum *aqua florum sambuci*; hinc exsicca & pulverisa.

Hujus dosis est à ʒß. ad ʒj.

Eodem modo colicam, nec non passionem hystericam curat; hæcque omnia ratione salis volatilis, corrigendo acidum partibus nervosis infestum, & mediante sudore paroxymos finiendo. Imò in partu difficili quoque non contemnendum remedium est, quando deficiunt dolores, & partus videtur in longum protrahi cum periculo fœtus & matris. Vis antifebrilis etiam in ea latet, tum si propinetur ante paroxysmum intermittentium, addito tamen priùs vomitorio; cùm si cum Theriaca subigatur, item cum Terebinthina sub forma linimenti applicetur. In nimio verò febrium, tam intermittentium, quàm ardentium, ardore eadem cum albumine ovi aut aceto subacta, & plantis pedum vel carpis, & palmis manuum applicata, excellit; simili ratione aceto pauco addito fronti & temporibus applicata narum hæmorrhagias compescit. In ulceribus imprimis malignis & cacoetheis, crebriùs adhibetur. De usu fuliginis in bubonibus & anthracibus pestilentialibus videre potestis SENNERTUM *Tr. de febribus*, ubi *de Peste & medicamentis externè tumoribus pestilentialibus applicandis*.

Cæterum videtur esse differentia in fuligine ratione lignorum, ex quibus colligitur: certum enim est, aliam esse naturam fuliginis ex abiete, aliam è quercubus.

AUTOR docet præparare *spiritum* & *Oleum* per destillationem *ex fuligine*: uti etiam postmodum *sal fixum*, quod in cineribus & capite mortuo remanet. *Spiritus fuliginis* rectificatus utinosus est, seu volatilis & penetrans, unde potentissimum est sudoriferum in syncope, lipothymia, paroxysmis epilepticis, colica, pleuritide, febribus malignis & ardentibus; non minus quàm etiam in lue Venerea: quæ ratio est in promptu. Notum enim est, quod lues Venerea soleat curari per decocta, vel per Essentiam, vel per spiritum lignorum; Jam verò omnes virtutes habet fuligo ex lignis, unde etiam spiritus fuliginis proderit in illa. Imprimis etiam commendatur in promovendo partu difficili. Adhibetur ad ʒj. Sunt, qui ex usu spiritus signum capiunt aut reconvalescentiæ aut futuræ mortis in ægro; si scilicet post usum ejus in aceto simplici largius subsequatur sudor, signum esse faustum sperandæ sanitatis; sin secus, funestum signum esse dicunt. Externè in doloribus podagricis illitus spiritus comendatur; est enim penetrans & subtilis urinosus, imprægnatus sale volatili acri copioso: Unde habetur à quibusdam pro singulari menstruo pro præparandis medicamentis.

In Laboratorio Ceylonensi exstat *spiritus fuliginis succinatus*.

Sal volatile fuliginis ejusdem reverà naturæ videtur cum sale volatili cornu cervi, vel aliorum animalium, uti hoc asserit GLAUBERUS *P.* 2. *Furnorum pag.* 149. uti & BOYLE. Qui desiderant sal volatile in majori copia exinde, aliquod alcali, e. g. cineres clavellatas, &c. fuligini addant, & subliment.

Usus & effectus hujus salis volatilis reverà idem est cum sale volatili animalium, saltem quod singularem penetrantiam & potentissimam vim diaphoreticam præ aliis habere videatur; adeoque dubito: an sal volatile hoc fuliginis, ejusque spiritus, aliquam habeat differentiam pro lignorum, à quibus fit, diversitate.

Aliàs sal volatile fuliginis oleosum elegans quidam ita præparant:

℞. *Spiritus fulig. optimè rectif.* ℥x.
Spiritus vini ℥xx.

Miscent & destillant ex cucurbita vitrea ad tertiæ partis remanentiã: quod prodiit, rectificetur ad dimidium, & prodibit sal volatile in forma sicca purissima, superfluitante liquore pellucido. Conserventur hæc simul in vitro probè clauso.

Est enim ex alcohol vini, quod est partim sulphureum, partim salinum & volatili sale fuliginis conflata massa; possuntque sublimari per phiolam totaliter in formam siccam. Si alcohol vini fuerit aliquoties cohobatum super aromata, exhauriet illud omne oleum aromatum, & post illud cum sale volatili fuliginis transmutabit secum in purum & siccum sal volatile.

Post spiritum prodit simul *Oleum flavum* & etiam rubineum seu rubicundum, & est nihil aliud, sicut omnia olea destillata vegetabilium, quàm sal volatile concentratum ab acido volatili pingui, quo acquirit consistentiam olei. Oleum hoc, quoniam empyreumatis & acrimoniæ nimię ratione minus commodè propinatur, rectificandum est vel per se à sale tartari aut cornu cervi usto, vel cum aqua, vel spiritu vini.

Quoad usum & effectum est penetrantissimum, cujus aliquot guttæ præ aliis Oleis congeneribus vehementissimum sudorem movent, & in suffocatione hysterica, pro pellendo fœtu in partu difficili, optimè usurpatur. Pro lignorum tamen varietate, ex quibus fuligo prodit, aliqualem in effectu habere posse differentiam, probabile videtur, cum de crasi concreti adhuc non nihil participet. Quod aliàs de spiritus & Olei summa vi confortativa, aut agonizantium refocillicativa, multi jactitant, vereor, ne hyperbolem sapiat. Externè siccat scabiem, sanat lepram & elephantiasin; non minus commodè etiam permiscetur unguentis & emplastris pro ulceribus cacoetheis corrosivis & putridis. Locis quoque podagricis illinitur cum effectu; est enim resolutivum & anodynum.

Aliàs GLAUBERUS *loco citato*, & *du* HAMEL *de Fossil. pag.* 371. curiosum habet modum parandi oleum fuliginis per congelationem à frigore:

℞. *Fuligo pulverisata*:

Coquatur in aqua tamdiu, donec rubescat: hæc aqua tempore hyberno summis frigoribus nocturnis exponatur, ut congelascat, & ita in hujus aquæ centro reperitur liquor salino-oleosus elegans & penetrantissimus. Præfero tamen destillatum.

Ex fuligine etiam & succino elici potest *oleum, camphoræ odorem repræsentans*, multumque in recessu habens.

Sal denique *fixum*, quod in capite mortuo, aut fuligine ad albedinem calcinata, reperitur, mirè commendatur.

Resolvi potest, quod rectè monet AUTOR, in cella per deliquium in *Oleum*, seu potius in *liquorem*, qui in omnibus ulceribus malignis inveteratis cacoetheis, & insanabilibus fistulis, lupis & similibus phagadænicis, & difficulter sanabilibus ulceribus, miracula præstat, si inungantur tali liquore, vel solo, vel aliis unguentis mixto, cùm alcalina vi destruat acidum. Sunt qui in cancrinis ulceribus laudant illud; ubi tamen metuo effervescentiam.

CLAUDERUS *de Balsamatione pag.* 192. mediante spiritu salis ammoniaci ex fuligine extrahit *Essentiam*, quam vocat *Essentiam Alexipharmacam*.

Prostat etiam in pharmacopoliis *Emplastrum* quoddam *ex fuligine*, quod impositum bubonibus & anthracibus pestilentialibus, valdè commendatur propterea, quod attrahat venenum foras, tumorem emolliat, & sic ad felicem suppurationem perducat.

Nec usu alchimistico fuligo caret; beneficio cujus, speciatim ejusdem salis, solutio solis habetur, ut videbitis in HOFFMANNI *Clave in Autorem pag.* 584. & CLAUDERO *loco allegato pag.* 202.

GALBANUM.

GAlbanum, quod nonnulli *Metopium* appellitant, eſt gummi reſinoſum ex planta quadam ferulacea, & tales ferulæ dicuntur *Ferulæ galbaniferæ*, ex eo, quod ex earum cortice tranſudet Galbanum. Creſcit in regione Aſiæ Syria, ex qua etiam ad nos adfertur. Delectum & rationem eligendi optimam habet AUTOR. Convenit cum reliquis gummatis ferulaceis, qualia ſunt gummi ammoniacum, ſagapenum & ſimilia, de quibus *inferiùs*, *ubi de Sagapeno*.

In ſpecies congeneres ſunt ammoniaco, niſi quod hoc internè magis, illud verò externè uſurpatur. Habet reſinam acerrimam, penetrantem, & acriorem quàm gummi ammoniacum: uſu ferè externo tantùm; interno quidem etiam, ſed rariùs, adhibetur.

Internè Galbanum in affectibus flatulentis & hyſtericis, & quibuſvis morbis partium convulſivis, laxativis permiſcetur; reſolvit enim & evacuat mucos viſcidos. Confirmat hoc AUTOR, quando Galbanum commendat ad promovendum partum & menſes, ſive ſolum, ſive permiſceatur cum myrrha & gummi ammoniaco in formam pilularum: hoc enim modo multum confert in pellendis menſibus & fœtu: quibus in caſibus etiam Gummi ammoniaci etiam internè commodè applicari poteſt, cui quidem & aſæ fœtidæ, aliiſque: Ludovici longè præfert.

Externè in genere mirè incidit & emollit viſcida, & etiam adhibetur à Chirurgis in *Emplaſtris Attractoriis*. Dicunt enim, quod attrahat à centro ad ſuperficiem cutis, ut fieri poſſit facilior & felicior abſceſſus apertio: nihilominus ſpecificè confert in affectibus convulſivis doloroſis partium internarum abdominis, ab acido ortis, in ſpecie pathematis hyſtericis, quin & convulſionibus omnis generis, ſub emplaſtri forma ſuper alutam extenſum, & umbilico applicatum & admotum, vel alio quocunque modo uſurpatum; ſicut & permiſceri ſolet in ſuffimigiis cum caſtoreo, aſa fœtida, myrrha, & ſimilibus. Doloribus hyſtericis cognatum eſt malum, in viris dictum colica, & imprimis affectus inteſtinorum ſpaſmodici ſeu convulſivi, quos Galbanum cum oleo caſtorei, vel cum oleo deſtillato ſuccini & ſpicæ malaxatum, & ita abdomini impoſitum, inſigniter mitigat.

Vel

℞. *Galb.* part. iij.

Diſſolvitur in *vino malvatico*; cui ad emplaſtri conſiſtentiam ſpiſſato addatur

Caſtorei pars j.

malaxetur cum oleo *ſuccini*, inducatur ſuper alutam, & imponatur umbilico: quo modo ad promovendum partum, & ciendos menſes, etiam adiberi poteſt. Dolores Venereos & alios diuturnos diſcutit, diſſolvendo viſcidum acidum, eorum fomitem.

Non rarò, ut in paralyſi, nervi, tendines, ligamenta, & ſimilia fiunt nimis flaccida & laxa, adeo ut pars non poſſit moveri ex humiditate quadam, imprimis lympha, quâ imbibuntur tales partes nervoſæ; in tali caſu commendat hoc Emplaſtrum BARBETTE *in Annot. Pract. pag.* 51.

℞. *Galbani* ℥j.
Reſ. carann. ℥ß.
Olei euphorb. ʒjß.

fiat linimentum aut emplaſtrum. Quod eſt egregium, imprimis ſi priùs inungatur pars cum linimento, facto ex

Axung. human.
Anſerinæ an. ℥j.
Olei terræ ℥iij. M.

In apoplexia particular. Galbanum ſpinæ dorſi ac aliis locis applicetur; v. g.

℞. *Galbani* p. ij.
Gum. carannæ p. j.

Miſta malaxentur cum *petroleo*.

Ea, quæ dicuntur de galbano crudo, longè magis conveniunt ejusdem oleo deſtillato, tàm ſimplici, quàm compoſito, Galbanetum PARACELSI dicto.

Oleum Galbani deſtillatur per retortam ex arena, quod rectificatum, utut fœteat, in affectibus abdominis ſpaſmodicis, colica convulſiva, affectibus hyſtericis, hemiplexia, membris paralyticis, convulſis, præſertim ex colica pareſi affectis, contracturis artuum, & aliis affectibus ſcorbuticis, ſingulare eſt, umbilicali regioni & ſimilibus partibus affectis inunctum: In affectibus flatulentis unguentum fieri poteſt ex oleo deſtillato Galbani, chamomillæ, & oleo deſtillato baccarum lauri. Compoſitum oleum Galbani multis modis variari poteſt: uſitatius eſt *Oleum Galbani compoſitum*, ſeu *Galbanetum* THEOPHRASTI PARACELSI cum gummi hederæ & terebinthina, ab AUTORE deſcriptum, quod eſt elegans, & expertum remedium in colica convulſiva, aliiſque affectibus abdominis ſpaſmodicis, inunctum umbilico & locis vicinis. In ſpecie maximè convenit in pareſi, vel in colica, quæ abit in pareſin membrorum; hic locorum quidem rarum; in Moravia verò, Auſtria, & ſimilibus locis, in quibus abundat vinum & continuus vini potus eſt, frequentiſſimum; cum ſubtile acidum ex vino ſubacido in inteſtinis dat colica tormina, & ex inteſtinis ad artus ſeu partes externas delatum pareſin, in qua non tantum non poſſunt moveri membra, ſed adeſt etiam dolor exquiſitiſſimus. Quod dixi de pareſi ex colica, idem eſt intelligendum de contractura ex colica. Nam proceſſus eſt talis: Primò ſuccus acidus in inteſtinis dat tormina colica; poſtmodum delatus ad partes impedit motum partis, & fit pareſis: ſi ulterius coagulatur ſynovia partis ab eodem acido, fit, ut ex tali coagulatione repleta ſpatiola & poruli impediant, quò minus poſſint fibræ contrahi; unde fit membrum rigidum, durum & immobile, & vocatur Contractura ex colica, in qua Galbanetum deſtillatum eſt egregium remedium, & magni uſus. In genere ad omnes affectus nervorum, qui ex caſu oriuntur, aut contuſione & dislocatione, Galbanetum eſt egregium; nec non in hemiplexia, nuchæ illitum. Huic Galbaneto PARACELSI commodè etiam opium addi poteſt, & ita deſtillando unà prolici, ut acquirat ſic oleum præſentaneam magis vim anodynam, dolorum ſedativam: Conf. BARTHOLINI *Act. Med. Hafſn. Volum.* I. *pag.* 25.

Galbanetum, ſeu *ſpiritus Terebinthinæ galbanetus*, uti ab AUTORE, & HARTMANNO *in Praxi Chymiatr.* deſcribitur, eſt communis deſcriptionis, & etiam communis uſus; poteſt tamen meliorari ſequenti modo:

℞. *Galb.* ℔ß.
Olei terebinth. ℔j.

Deſtillentur: oleo deſtillato affundatur

Olei deſtill. lavend. ℥j.

& repetatur deſtillatio; unde euadit balſamum admodum generoſum, quod pro majori penetrantia cum ſpiritu vini miſceri, & aliquantiſper digeri ſeu circulari poteſt, & ſic penetrantiſſimum erit ad dolores colicos & paralyticos ex colica; imprimis ſi miſceatur cum aliquot guttis olei ſaponis Veneti, vel cum aliquot guttis olei camphoræ: nam oleum lavendulæ deſtillatum per ſe valdè eſt conveniens in contuſione ligamentorum, tendinum ac partium nervoſarum, ex qua ipſa ſubſequuntur tenſiones, & quaſi dolorificæ partium convulſiones, tam interno uſu, quàm externâ inunctione.

In HOFFMANNI *Theſauro Pharm. ſect.* 4. *n.* 6. proſtat ex Galbano *Balſamum Matricale* non inelegans.

Cerotum vel *Emplaſtrum de galbano*, ſeu *matricale* habetur in *Diſpenſatorio Auguſtano*, quod ZWELFFERUS *in Animadverſ.* correxit, & valdè prodeſt in paſſione hyſterica & colica convulſiva, abdomini vel umbilico impoſitum. Præſcribi poteſt hoc modo:

℞. *Emplaſtr. matrical.* ſeu *Cerot. de galb.* q. ſ. malaxetur cum *oleo de caſtoreo*, vel cum *oleo ſuccini & ſpicæ*, ſuperinducatur linteo rubro in forma rotunda,

D. S.

Emplaſtrum matricale.

Si verò adſunt flatus, vel in aliis affectibus flatulentis, item hydrope, malaxetur cum *oleo deſtillato chamomillæ*, quod eſt egregium carminativum, uti notum; & diverſimodè ſpecificari poteſt, prout diverſis oleis malaxatur.

Loco hujus Emplaſtri in paſſione hyſterica ſufficere poteſt *Galbanum* ſimpliciter liquefactum & *depuratum*, malaxatum cum *oleo deſtillato ſuccini p. ij. vel iij.* & *oleo ſpicæ p. j.* quod ſuper alutam inductum regioni umbilicali applicetur.

Aliud *Emplaſtrum*, ſeu *Cerotum matricale* videbitis apud ZWELFFERUM *in Pharm. Regia*, & plura de *galbano*, *gummate ammoniaco* & ſimilibus ferulaceis apud FREITAGIUM *in Aur. Med. de Purgantibus*, ubi elegantia invenietis ſcripta.

HYPOCISTIS.

HYpociſtis eſt ſuccus, qui exprimitur & elicitur ex *Ciſto*, planta quadam exotica, & inſpiſſatur in conſiſtentiam craſſam & viſcidam, ferè ſimilem ſucco glycyrrhizæ, & vocatur Hypociſtis: unde & tota planta cepit vocari Hypociſtis: *Modum præparandi* deſcribit STOECKERUS *in Praxi pag.* 143.

Valdoperè adſtringit, undè uſitatiſſimus eſt hic ſuccus pro ſcopo, ubi opus eſt adſtrictione: Ergo conveniet in quibuſcunque fluxibus, tam ſanguinis, quàm aliorum excrementorum. Cœterum, quoniam partim apud nos quoque rarò eſt, partim adulteratus, ſubſtituitur optimè, loco ejus, ſuccus, ſeu Rob Acaciæ noſtratis, qui ad eosdem uſus convenit, ad quos Hypociſtis.

LACCA.

LAccæ imprimis Synonyma ſunt removenda. Datur primò, Germ. *Kugellack*, *globulata*, ſeu *rotulata lacca*; quæ ſi eſt *communis*, paratur ex ligno Braſiliano in lixivio cocto, quo ipſo creta imbuta in globulos ſubigitur: Altera eſt *Florentina*, paratur ex tinctura Coccionillæ & creta depurata, addito pauco gummi Arabico.

Nunc ad RESINAM LACCÆ,

de qua AUTOR *noſter*.

De hujus natura & origine valdè diſceptatur. Nonnulli opus formicarum eſſe putant; diſſentiunt tamen in modo, dum alii dicunt; quod formicæ alatæ, dum ſugunt & pungunt radices arboris, ex punctu-

puncturis istis transudet gummi, quod collectum vocetur *Lacca*. Alii volunt, quod gummi laccæ sit alimentum, quod formicæ alatæ arbori insidentes exsugant instar apum ex plantis & arboribus, & ita condensatum instar mellis ab iis reddatur, & esse idem, quod *nostra Lacca*; unde & AMATUS LUSITANUS & ALDROVANDUS Laccam vocant *formicarum alatarum stercus*, sicuti *mel* est *stercus apum*; de quo videre potestis BONTIUM *in Medicina Indorum* & quidem in *Animadvers. in Garziam ab Horto cap. 8.* & WORMIUM *in Museo p. 226.* Alii verò nihil aliud, quàm succum gummosum ex arbore sui generis transudante, hinc successivè solis ardore inspissatum dicunt; quæ sententia verior est. In regno enim *Pegu* reperitur arbor talis, Jujuba nempè Indica spinosa rotundifolia, ex cujus ramulis tansudat Lacca: cum verò in eadem regione formicæ multæ alatæ reperiantur, quæ gummi hoc delectantur, iisque arboribus copiosè insident, unde & sæpe huic adhuc liquido inhærent formicæ, & interdū etiam sub induratione unà inviscantur; hinc factum est, ut putatum fuerit illud à formicis elaborari; cui tamen afferto contradicentem videbitis FRANCISCI *in Horto Indico Orientali pag. 279 & 827.*

Resina hæc admodum rubra & perspicua est, unde masticata salivam rubore & colore quasi sanguineo inficere solet, utut sit omninò dura & exsiccata: quæ rubedo unde oriatur, vid. BARTHOLINUS *in Exercit. Miscell. p. 66.* Advehitur vel in granis, vel ramulis, vel etiam in massis: Optima autem est Lacca in granis.

Quod attinet usum Medicum, hic est varius. Veteres eo decocto pro expellendis variolis & morbillis usi sunt: Verùm cautus ejus sit usus; quia est diureticum. Aliàs in affectibus splenis, hujus infarctu, obstructionibus & scirrhis, aliisque morbis chronicis, hypochondriacis, cachecticis, ictero &c. commendari solet, in quibus affectibus usus ejus tutus est. Moderni tamen eâ rarò internè utuntur. Specificè autem, si quod aliud remedium, convenit in affectibus gingivarum, imprimis in scorbuto oris, eoque etiam desperato, cruentatione, putredine & gangræna gingivarum. Propterea *Tinctura Laccæ Mynsychtii*, quam describit in *Armament. Chym. sect. 2. pag. 46.* adeo incomparabilis est in cura gingipedii, seu putredinis gingviarum scorbuticæ, & vacillationi dentium mire succurrit. Parat autem cum beneficio lapidis medicamentosi Crollii, & pauco aluminis; quæ dissolvit in aqua, & in hac Laccā. Melior præparatio ejus est, quæ fit per phlegma vitrioli, cui addatur alumen ustum; sic brevi post *Tinctura rubicunda* elicitur; beneficio cujus B. D. D. MICHAELIS etiam desperatos curavit, & quorum gingivas etiam gangræna invaserat: in specie Nobili cuidam gangrænam oris scobuticam, cujus putredine totum Museum infectum, curavit. Non inconsultum foret, si addatur myrrha; cùm parili ratione ex sola myrrha similis forsan utilior Tinctura in affectibus oris & gingivarum parari possit, quæ de hinc per se, vel cum Tinctura dicta laccæ poreſt misceri; cùm myrrha gingivis sit perquam amica.

Cæterum loco Tincturæ laccæ Myns. cùm non semper prostet in Officinis, potest fieri decoctum ex lacca pro gingivis gangrænosis non minoris efficaciæ, cujus descriptio videatur in SCHENCKIO; vel

℞. *Lap. medicamentos. Croll.* ℥j.
Aquæ sedi minor. seu *vermicular.*
Cochlear. an. q. s. pro solutione dicti lapidis.
Coquantur & colentur: Colaturæ insunde
Gum. laccæ ℥iß.
Alum. usti ℥j.
Flor. aquileg. p. iij.
stent in infuso per 24. horas, posteà filtretur,
D. S.
Tinctura dentium.

Tinctura hæc putredinem gangrænosam & incipientem cancrum gingivarum scorbuticarum arcet, gingivas roborat, & flacciditatem corrigit.

Pro incrustandis more Chinensium arculis, baculis, &c. subtilissimum solùm desiderat lacca spiritum vini, qui pulveri pyrio junctus, simul & semel deflagrat: videatur LUDOVICI *Pharm. pag. 224.* A quibusdam lavari solet Lacca; sed meliores ejus partes eluuntur: videatur ZWELFFERUS *Animadvers. in Pharm. Aug. pag. 414.*

Trochisci de Lacca sunt usitati in obstructionibus viscerum, lienis, aliisque morbis chronicis & hypochondriacis.

LADANUM.

Ladanum est succus in pilulas seu massas parvas & friabiles collectus, medius inter resinas & gummata. Hujus natura & origo non parum est controversa: scilicet dicunt quidam, esse Gummi arboreum; alii è barbis & pilis caprarum plantas depascentium desumi; quod erroneum. Nihil aliud est, quàm humiditas rorida glutinosa ex arbore, quæ vocatur *Cistus Ladon* seu *Ledon*, in Cypro Insula imprimis proveniens.

Modus colligendi est hic. Nimirum dum ros matutinus humectat folia illius arboris, unde provenire solet, humor viscosus in iis contentus, calore solis interdiu rarefactus & dissipatus, jungit se cum rore, & noctu concrescit in parvos globulos, & parvas pilulas, & postmodum ex foliis istis decutitur & exsiccatur. Quod si verò fiat, ut sequente die ante collectionem folia hæc, cum inhærentibus istis gummosis granulis, devorentur à capris, facilè pingui suâ viscedine barbis pilisque illarum adhærescit; quod occasionem dedit, ut quidam asserant, esse Ladanum humiditatem roridam viscidam ex comestione Cisti Ledon ba bis earum adhærentem. Gummi resinosum est, & concretum prorsus singulare, quod neque in oleo, neque in aqua se solvi patitur. Spiritus autem vini integrum ladanum solvit.

Effectus & *virtutes* ejus quod attinet, illæ satis sunt notæ. Temperatum est, adeoque intrinsecùs acrimoniam, præsertim lymphæ catarrhalis, mitigans; unde adhibetur, rarò tamen, contra affectus capitis catarrhales, uti habet AUTOR atque HOFFMANNUS *in Clave p. 586.* tussin nocturnam, & ad aurium dolores sistendos, cum hydromelite assumptum.

Externè vim emplasticam habet, unde contra affectus nervinos adhibetur à quibusdam. Quin & anodynâ vi gaudere dicitur, hinc & ad catarrhos, & aurium dolores solvendos in forma suffitus sæpè usurpari solet. Pessis uterinis junctum secundinas elicit, & vulvæ dolorem sedat. Stomacho applicatum valdè convenit in stomachi vitiis; unde in officinis prostare solet *Emplastrum stomachale de Ladano Cratonis*, quod egregium est in affectibus stomachi.

Habentur pilulæ de Ladano catarrhales, seu cephalicæ non inconcinnæ compositionis, quas CRATO ante pastum solet præscribere pro confortando stomachi vigore.

Reliqua, quæ habet AUTOR, sunt satis clara.

LIQUIDAMBRA.

Liquidambra liquor est oleosus, admodum odoratus, effluens ex arbore quadam Indiæ Occidenalis, nomine Ocacol, seu Ocosolt, videatur AUTOR. In his & similibus exoticis consulendi sunt rerum exoticarum Scriptores; & quidem ubi fit mentio occidentis, MONARDES, CÆSALPNIUS, & FERENTIUS; in Oriente imprimis BONTIUS, & qui scripserunt Itineraria, Germ. *Mandels-Lob*, *Legatio Sinensis* & similes autores.

Hanc liquidambram quod attinet, est admodum pretiosa, ususque rari interni; nisi quod saltem odoris gratiâ expetatur, & suffumigiis addatur, uti & emplastris contra tumores. Aliàs in usu medico est rara.

LYCIUM.

Lycium equidem Veteribus fuit cognitum, modernis verò quid sit? adhuc controversum & ignotum est, cum nusquam inveniatur. Unde modernorum nonnulli in locum ejus substituunt succum inspissatum ex radice rhamni, periclimeni & cyclaminis, in specie sumach pro scopo adstrictorio: imò ex Sumach transudat gummi, quod Lycio veterum potest substitui. Verùm, quoniam est incognitum, non opus est, ut in ejusdem explicatione tempus teramus.

MASTICHE.

Mastix, Græcis ῥητίνη σχινίνη, est lachryma, seu gummi-resina ex omnibus ferè nobilissima, transudat ex *lentisco* arbore sauciata, eodem modo quo gummi ex nostris prunis & cerasis; quæ *Lentiscus* apud nos est rara, visitur frequenter in Italis, præcipuè in hortis magnatum, & in horto Patavino. Primatum obtinet ea, quæ in Insula Chio reperitur, ubi tam copiosè nascitur, ut incolæ ex ea vectigal non leve quotannis habeant, unde & *Mastiche Chia* dicitur, quæ optima; sicut & BALLONIUS refert, primarias Insularium opes & fortunas ibi in Mastichis collectione consistere. Quibus suspecta exotica sunt, hi grana Terebinthinæ à formicis congesta, seu collecta substituere volunt.

Fol. 69: virtutes Ligni Lentisci.

De electione & adulteratione videatur AUTOR.

Quod attinet *virtutes* mastichis, ventriculo admodum commendatur ceu singulare stomachicum; & in quibuscunque ejus pathematibus, nausea scilicet, vomitibus, diarrhœis, lienteria, cœliaco fluxu compescendis adhibetur; adstringit, & ventriculi tonum optimè restituit atque conservat; unde meritò suadetur, ut mastix omnibus purgantibus addatur, ut vim eorum venenosam nonnihil corrigat: Purgantia enim nocent stomacho; unde adjectâ mastiche optimè illi succuritur. Quin & in cetebri morbis, quæ per consensum stomachi oriuntur, egregia est. Hunc in finem coquitur in aqua, ut modum habet *Autor*; quod tamen melius fit, si aqua pluvialis recipiatur; quod decoctum ceu stomachicum nobile in diarrhœa frequenter usurpetur. Vel ad imitationem TILEMANNI *in Materia Medica* ita præscribi potest.

℞. *Aquæ plantag.*
Fol. querc.
Tormentill.
Rosarum an. ℔ß.
Vel harum loco *aquæ simpl.* ℔iß.
Mastich. sel. ℥iij. ad ℥ß.
Macis ℥j.
ebulliant lento igne: Colaturæ adde

Aquæ

Aquæ Cinnam. ℥j.

Syr. cydonior. aut *de rosis sicc.* q. s. ad suavitatem.

Habent aliàs & alium modum Aquam mastichinam reddendi ex solo suffitu ollâ vacuâ excepto, & hinc aquâ repletâ; qui hic est:

Mastichem in prunas ardentes injiciunt, fumum ejus excipiunt vase quodam novo vitreo: quod si fumo probè receptum fuerit, subitò vel aquam communem, vel aliquam destillatam appropriatam, vel decoctum, secundùm intentionem medicam, affundunt, & optimè tegunt; sic enim aqua sapore & facultate Mastichis impraegnatur, quæ exinde potum dat stomachicum, & intestinorum fluxibus, in specie quidem in dysenteria, egregium.

Notum namque est, quod spiritus Mastiches internè assumptus valdè conveniat in tali casu, vomitu, diarrhœa & similibus. Jam hic fumus nihil est aliud, quàm spiritus Mastiches nudè collectus ac oleo impraegnatus. Ergò perinde est, sive spiritus instilletur, sive hæc aqua ita impraegnata propinetur; imò melior est aqua, quoniam oleum simul recipitur in olla, quod aliàs solet separari. Videatur HOFFMANNUS *Clave pag.* 588.

In substantia tamen usurpari quoque potest, si ejus grana integra, ij, vij, vel x. jejuno stomacho deglutiantur aut masticentur, in affectibus ejus; appetitum mirè provocant, stomachum roborant, & post pastum deglutita digestionem nonnihil promovent, sicque lienteriæ, & cœliaco fluxui succurrunt. Denique Mastix in Dysuria, vitio vesicæ enata, est optima. Galenus tanti facit Mastichen, ut omnibus resinis illam præferat: contrà Dioscorides præstantissimam omnium reliquarum resinarum Terebinthinam esse dicit; & certum est, in multis inter se convenire hæc duo; unde GLAUBERUS loco Mastiches substituere solet grana ex terebinthina à formicis collecta.

Extrinsecùs quoque magni usus est mastix in nervorum affectibus, & roborando stomacho, si inducatur super alutam, & applicetur formâ emplastri ventriculo in nausea & vomitu: discutit & resolvit, & atoniam fibrarum roborat. Tandem etiam, & quidem ejus grana, inter primaria apophlegmatizantia refertur, & sola masticata salivationem eleganter movet, & hac mediante elicit lympham, quæ gravat caput.

Mastiche de cœtero destillata

1. Aciditatem subtilem & gratissimam prodit & fundit in phlegmate spirituoso,
2. Oleum flavum & elegans, &
3. Obscurum & rubicundum.

Spiritus rectificetur, & habetur liquor acidus volatilis, & pro stomacho roborando optima medicina; convenit enim in appetitu dejecto, vomitu, diarrhœis, lienteria, vomitu nimio gravidarum, ut eorum fastidio, aliisque stomachi & intestinorum affectibus.

Modum destillandi *oleum* habet AUTOR per retortam ex arena. Elegantior autem modus est per vesicam, stanno obductam, cum affusione aquæ simplicis; sic sine ullo empyreumate prodit oleum elegans medicamentosum, quod ad aliquot guttas assumptum stomachum roborat insigniter, hinc in morbis stomachi & intestinorum egregium. Externè convenit in nervorum affectibus, discutit & resolvit, & atoniam fibrarum roborat. In vomitu, nausea & diarrhœis optima medicina est; sicut & in fastidio gravidarum Ceratum de Tacamahaca cum oleo mastichis malaxatur & stomacho applicatur.

Rubicundum oleum est nobile vulnerarium, aliis Balsamis, Linimentis, & Emplastris Vulnerariis additum. Et quanta vis vulneraria horum sit, ostendit experientia in Cultrivoro Prussiaco: de quo videatur BECKERUS *Tract. de Cultrivoro.*

Oleum per coctionem paratum magni usus est in roborando stomacho, si inungatur eidem in vomitu & nausea. In ani procidentia ab hæmorrhoidibus inducta nil melius est, quàm Oleum mastichinum, in quo ebullierunt scarabæi pilulares.

Post spiritum acidulum & Oleum, sequitur spiritus vini mastichatus, qualem in doloribus stomachi habet Paracelsus Tract. de Præparat., & ita paratur:

℞ *Mastich.* ℥iij.
Galang. ℥j.
Spir. vin. rectif. ℔ß.

Mista destillentur per alembicum.

Remanentiæ addi possunt silices calcinati pulverisati; sic *oleum subtile* assequitur.

Aqua stomachalis mastichina optimè fit sequenti modo;

℞ *Mastich. el.* ℥iij.
Galang.
Caryophyll. an. ℥j.
Zingib.
Macis an. ℥ß.
Rad. acori. vulg. ℥iij.

Affundatur *vinum Malvaticum*, & digerantur probe in loco calido; hinc destillentur in Mariæ balneo.

Dosis est cochl.; vel alterum per horam unam ante pastum: potest etiam linteum duplicatum huic aquæ immergi, & simul applicari.

Item:

℞ *Mastichis* ℥iv.
Galangæ,
Macis an. ℥j.
Cinamom.
Zedoar.
Ladani an. ℥ß.
Spir. vin. rectif. ℔ij.

destillentur in Balneo Mariæ: Spiritus progrediens cum Eleosaccharo citri edulcoretur, & in atonia ventriculi dicto modo usurpetur.

Pertinet huc etiam *syrupus mastichinus*, quem describit TIMÆUS *à Gulden-Klee in Epist. pag* 456.

Pilulæ mastichinæ valdoperè usurpantur in stomachi & mulierum affectibus; imprimis quidem in cephalalgia mulierum ex consensu uteri, cujus signum infallibile dicitur, quod sentiant in vertice frigus, egregiæ sunt pilulæ hæ.

MYRRHA.

Myrrha gummi resinosum est, mixtum ex oleo & mucilagine, ex arbore exstillans exotica, Bola dicta, sauciata. Affertur ex Syria, & regionibus Africæ, & est Balsamum revera quoddam naturale, quod effectus ejus testatur in corporibus quibuscunque, tàm vivis quàm mortuis, à putredine conservandis, quæ in spiritu vini Myrrhato citra ullam corruptionem diutissimè asservari possunt, præprimis si spiritus vini benè rectificatus, aliquantisper cum spiritu salis acidulatus sit. Vidi ego aliquot infantes ita à putredine ad multum tempus in vitris præservatos, qui, quasi vivi essent, apparebant.

Delectum, & quænam sit præferenda alteri, AUTOR clarè satis explicat.

Saporis est amarissimi propter copiosum sal volatile oleosum admodum acre; unde singularem vim habet acuendi bilem in corpore nostro, cùm fel sit balsamum quoddam corporis; & tanquam remedium pro vita longa commendatur; singulare enim est balsamum confortativum nostræ vitæ, adeoque multum commendatur ab HELMONTIO *pag. mihi* 626, uti etiam ab HOSTIO *in Judic. super Chirurg. Infusoriam pag.* 88 Dum autem balsamum est myrrha, in ulceribus & corruptionibus partium internarum est magni usus, in phthisi nempè pulmonum, empyemate, ulceribus renum, & similibus malis nimis frequentibus, corruptionem & putredinem ulcerosam cujuscunque corporis corrigendo, & fermentum acidum corruptivum ulcerum enecando ac tollendo. Plura de myrrhæ viribus, pro præservandis à putredine corporibus, videantur apud MINDERERUM *Aloedar. c.* 6, uti præter alia modum & remedium ex myrrha, auro & thure pro senibus ad vitam longam parandi præscribit, quod à multis magni fit; & dicunt: huc respexisse Magos, qui Salvatori dono dederunt aurum, thus, & myrrham. Unde etiam primariarum ingrediens est *Elixyr proprietatis*, quod egregias vires habet præservandi à putredine partes internas, uti & in ulceribus & affectibus uterinis. Porrò aciditatem ventriculi, ejusque cruditatem optimè corrigit, convenitque egregiè in scorbuto aliisque morbis chronicis curandis, iis in specie, qui ex vitio mensium, quos pellit, proveniunt; unde in pellendis lochiis & fœtu, tàm vivo quàm mortuo, primarium est simplex vegetabile; mulieribus enim, earumque utero, dicata est. Imò fit non rarò, ut secundinæ retentæ putrescant, & morbos periculosissimos inducant: in casu tali myrrha est egregium remedium, dum putredinem secundinæ arcet, & simul potenter pellit ac promovet. In febribus non minus egregia est, tertiana & quartana, ante Paroxysmum: mirificè dyscrasiam sanguinis corrigit, & blandâ diaphoreticâ vi heterogeneitates ejus ad peripheriam corporis expellit; hinc imprimis in febribus malignis cum excretione cutanea conjunctis (videatur HOFFMANNI *Clav.*) & in variolis & morbillis præservativè & curativè mirabiliter confert: non secus ac puerperarum purgamenta mirabiliter promovet; specialim præcordiorum anxietates in hisce morbis mirè elevat; unde in purpura puerperarum, alba & rubra, febribus petechialibus, &c. omnibus remediis myrrha est miscenda. Et quidem sæpius fit, quod talis purpura sit conjuncta cum suppressione lochiorum: Ergò hîc maximè conveniens erit remedium myrrha, quoniam & lochia promovet, aut debitum eorum fluxum conservat, & expellit purpuram, ut sic duabus magnis Indicationibus uno succurramus medicamento; unde in malignis puerperarum febribus cum lochiis retentis, aliis remediis admiscetur myrrha, quæ malignitati resistit, & simul promovet lochiorum fluxum. In morbillis & variolis certè suppurationem promovet, & fovearum magnitudinem impedit. Primitus igitur datur cum alexipharmacis, v. g. antimonio diaphoretico, &c. pro expulsione; deinde cum lapillis cancrorum pro maturatione, & fovearum præcautione. Egregia quoque est in tinea, aliisque morbis infantum, v. g.

℞ *Cornu Cervi sine igne,*
Lapill. Cancr. præp. an. gr. xv.
Myrrhæ el. gr. vj.
Theriac. gr. ij.
Olei destill. anisi gtt. iij.

Misce,

Misce, fiat *pulvis* pro infantibus polychreftus.

Ad movenda lochia:

♃. *Borrac. Venet.* ℥ß.
Myrrh. elect. gr. xii.
Croci gr. vj.

Misce, fiat *pulvis* pro duabus dofibus.

Vel pulvis ad variolas;

♃. *Cornu Cervi sine igne,*
Antimonii diaphor.
Terræ sigill. an. gr. xii.
Myrrhæ gr. viij. ad ℈ß.

Misce, fiat *pulvis* pro duabus dofibus.

Poteft etiam cum amygdalis dulcibus aliisque feminibus expulfivis unà in *Emulfionem* redigi, ad imitationem *liquoris Alexipharmaci Zwelfferi in Pharm. Reg. pag.* 209. Quin & in pefte præfervationis causâ adhibetur, uti PARACELSUS jam olim *ad Sterzingenses* fcripfit; unde peftis & morborum contagioforum tempore nunquam ægros vifitent Medici, nifi Maftichis & myrrhæ mafticatione priùs fe muniverint. Dyfenteriæ malignæ unà cum aliis optimè confert. Et quidem myrrha hæc, non folum menfes pellit; fed etiam quascunque quocunque in loco eruptiones fanguinis excitat, & auget, v.g. in fputo cruento obnoxiis obfervavi ufum Elixyris proprietatis revocaffe malum fopitum: fic ejus ufu in variolis & morbillis provocantur narium hæmorrhagiæ; & his obnoxii abftineant à myrrha & Elixyre proprietatis; nam fluxum provocant. Tandem myrrha ad magnitudinem piforum aliquot affumpta, in catarrhis & morbis catarrhalibus, ex lympha acida oriundis, v.g. tuffi ficca, raucedine ex vitio Aeris, febribus catarrhalibus epidemicis, digeftione læfa, &c. egregia eft, & multum commendatur. Lumbricorum hoftis eft myrrha internè æquè ac externè. Egregium denique eft anodynum & travmaticum; videatur AMMANNUS *Mater. Med. pag.* 137. unde in vulneribus inveteratis, quæ jam degenerant in ulcera, præfervat à putredine verminofa, feu progeniem verminofam abforbet, & fimul illa mundificat; ficut etiam externè convenientiffima eft medicina in corruptione ac putredine vulnerum, quæ ex defectu fpiritus partis læfæ infiti fupervenit, in ulceribus malignis & cacoetheis mundificandis atque fermentis eorum deftruendis, five mifceatur cum decoctis pro abluitione, five cum unguentis aut emplaftris; quæ imponuntur ulceribus talibus: imprimis ulcera putrida verminofa & maligna gangrænam minantia curat, ficut & ipfi gangrænæ æquè ac mortificationi partium opitulatur & hinc confolidatio facilis promovetur; unde Rulandus eam in emplaftris fæpè exhibet; ficut etiam ad *Balfamum Vulnerarium Rulandi* non ineptè copiofa myrrha recipitur. In fcorbuto oris & gingivarum putredine egregiè convenit cum lacca, vel fola mafticara.

De modo præparationis medicamentorum ex myrrha adhuc notandum, quod ea, quando cum aliis fociata cum liquore aqueo coquenda, in fine coctionis addenda fit; quia coctionem non fuftinet, & fub coctura maxima ejus vis exhalat & perditur.

Cœterum ex myrrha aliàs fit fucus muliebris contra rugas faciei valdè expertus, hoc modo:

♃. *Patella ferrea nova;*

Candefiat nonnihil propè ignem: Huic mulier, quæ habet faciem rugis obfitam, ex ore *vinum album* uno impetu adfpergat, & patellam ipfam reftinguat, atque mox, capite linteo amplo contecto, vaporem inde furgentem facie excipiat: fubinde poftmodum in eandem patellam, rurfus igne candentem, *myrrham pulverifatam* projiciat, eodemque linteolo contecta fumum myrrhæ exhalantem facie fimiliter excipiat, denuo ipfo linteolo faciem contegat, & cubitum fe conferat. Fucus hic fingulis octo diebus paratus vetulas rejuvenefcere facit; rugæ enim feniles ita prorfus evanefcunt, ut fic perpetuò erugatæ juventutem etiam in fenio mentiri queant.

Quoad præparata: funt, qui commendant valdè *Extractum myrrhæ* in febribus intermittentibus. Cœterum modus parandi hoc Extractum eft arcanus: nam myrrha concretum eft anomalon, quod neque purè oleofis, neque purè aqueis folvitur; nec fpiritus vini nifi rectificatiffimus, aliquid de myrrha, & quidem ejusdem tantum refinam, extrahit: quæ in fpecie convenit, quando vermes in ulceribus generari incipiunt, unguentis & lotionibus permixta: Quod fi tamen cum falibus alcalinis, vel acidis, v.g. fpiritu falis, mifceatur fpiritus vini benè rectificatus, optimè fubigi poteft: nam fpiritus falis radicaliter folvit myrrham, & per aliquot dierum digeftionem *Effentiam* extrahit; deinde fpiritu falis ad debitam confiftentiam abftracto, commodè cum fpiritu vini poteft extrahi: fcilicet modus hic obtinetur in communi Elix. proprietatis præparatione. Sed commodiffima eft præparatio, imprimis pro mulieribus, fi extrahatur myrrha vel cum alcali fixo, aut volatili; fic v.g. fit optima *Effentia myrrhæ*, fi *myrrhæ* & *alcali tartari* ana digerantur cum leni *aquæ* humectatione; hinc *cum fpiritu vini rectificato extrahuntur*: ficut WEDELIUS *in Pharm. pag.* 85. cum fpiritu tartari & fpiritu vini facit Effentiam myrrhæ balfamicam. Spiritus vini quoque tartarifatus, & Tinctura tartari benè acris, convenientiffimum eft menftruum pro extrahenda myrrha: & hæc eft *Effentia falutis Doct. Langii*, cum quovis liquido mifcibilis, remedium polychrefton ufitatiffimum in variolis, menfium pathematis, hyfterica paffione, &c. Imò fola aqua, cum fale tartari acuata, folvit myrrham in *Tincturam* rubicundam: Conferatur CLAUDERUS *de Balfam. Corpore* quod & fpiritus falis ammoniaci cum fpiritu vini paratus facit. Quamcunque putredinem corporis internam & externam potenter arcet, & potenter præcavet, fœtum mortuum potentiffimè pellit. Hinc v.g. pro *purificando fanguine fcorbutico*:

♃. *Tincturæ antimonij ex fcor.* ℥ij.
Eff. myrrh. ℥j.

M. D. S.

Effentia fanguinem purificans.

Dofis 30. vel 40. gutt.

Item contra *fcabiem*:

♃. *Eff. myrrh.* ℥ij.
Lignor. compof. ℥iij.

M. D. S.

Tinctura expellens. Dof. 40. Guttæ.

Ad imitationem Tincturæ laccæ Minfychtii *Effentia myrrhæ* parata, ad fcorbutum oris eft egregia.

Spiritus vini myrrhatus, feu, qui ad tempus fuper myrrham in infufione fteterit; optimè confervat corpora à putredine.

Quoniam myrrha in fpiritu vini ammonicali folubilis eft, tentandum; qualis acciperetur fpiritus, fi cum fale ammoniaco, & cineribus clavellatis mifceatur myrrha, & hinc affufo fpiritu vini deftilletur; cum fuccino enim res egregiè procedit: nam quacunque ratione aliàs deftillata myrrha parum dat olei empyreumatici, fed fpiritum acrem revera fudoriferum.

Oleum myrrhæ per fe haberi nequit: deftillata enim per retortam ex arena tranfit paucum oleum, fed potiùs phlegma puniceum acidum, quod arcanum habetur ad venena putrefactiva & corruptiva, quæ per fudorem expellit, utut fit ingratum.

Ut copiofius acquiratur oleum, mifcent cum ferratura abietina, uti habet AUTOR; fed eft impoftura. Contenti ergò fimus cum Effentia. De Liquore verò feu oleo myrrhæ per deliquium videatur AUTOR, qui præparationem habet, includendo myrrham albumini ovi indurato, ac reponendo in locum frigidum; quod egregium eft cofmeticum contra maculas faciei folares, feu lentigines, rugas faciei & cicatrices deformes vulnerum delendas, fi fæpiùs illinatur; deftruit enim Acidum intercutaneum.

Trochifci de myrrha, quos veteres in ufu habuerunt, à ℥ß. ad ℥j. multum profunt in muliebribus affectibus, præfertim ad ciendos menfes ac promovendum partum difficilem, etiam fœtum mortuum.

O.

OMPHACIUM.

Omphacium alio nomine imprimis appellatur *Agrefta*, eftque nihil aliud, quàm fuccus ex uvis immaturis expreffus. Obfervetur tamen, ne fiat confufio hujus cum *oleo omphacino*, quod fit ex olivis immaturis, de quo fuperiùs: Unde *Agrefta*, dum eodem modo ex uvis immaturis, ac oleum omphacinum ex olivis immaturis exprimitur, *omphacium* dicitur.

Ufurpatur *internè* propter vim adftrictivam, egregiè enim adftringit, & propter aciditatem moderatam effervefcentias maffæ fanguineæ compefcit ac corrigit, fanguinem nimis fluidum blandè coagulat, &, ficuti dixi, effervefcentias fiftit. Sed apud nos rari ufus eft. A Gallis verò contra æftum & fitim febrilem, & alia pathemata febrium ardentium, ufurpatur. In phlogofi hypochondriorum laudatur aliàs; unde *fyrupus de Agrefta* interdum in tali cafu præfcribi folet, qui tamen ob copiofum faccharum non æquè convenit.

OPIUM.

De opio notandum hoc, quod fint duo diftincti liquores, *opium* nempè, & *meconium*; utrumque ex papavere fativo oriundum. Opium eft fuccus gummeo-refinofus infpiffatus, qui ex capitibus papaveris albi ferè maturis incifis & vulneratis tranfudat, & exftillat, diciturque opium, adeoque in fe continet nucleum refinofum. *Tres* autem funt ejus *differentiæ*; datur enim *opium album*, *nigrum*, & *flavefcens*; quæ utut promifcuè poffint ufurpari, nihilominus opium nigrum magis eft ufitatum. *Meconium* verò eft fimilis fuccus lacteo-herbaceus ex integra papaveris planta incifa & contufa expreffus filtratus & infpiffatus. Ergò quidam dicunt; nos carere vero opio. Quicquid fit, deterius eft, qui ex papavere nigro habetur.

Elegans fanè & neceffarium fimplex vegetabile in Medicina eft opium, legitimo nempè ufu, quo nullum frequentiùs ufurpatur; unde multi de eo fcripfere Autores; videatur in fpecie WINCLERUS, FREITAGIUS, HARTMANNUS (qui omnium optimus) DORINGIUS, (cujus Tr. propter multiplicem lectionem eft curiofus, fed fufiffimè inter omnes fcripfit) SALA *in Ternar. Bezoardicorum*, DEODATUS *in Panth. Hygiaft.* SCHILLINGIUS BACO *de* VERULAMIO *in Tr. de Hift. vitæ & mortis*, ubi multa habet elegantia de opii & opiatorum facultatibus *pag.* 68. *& feqq.* TIL-

LINGIUS, qui omnia corrasit, quæ in omnibus Autoribus inveniri potuit; & novissimè WEDELIUS in Opiologia.

Modum colligendi opium verum habet AUTOR, qui videatur, & rectè dicit; quod nos solum habeamus Meconium, idque adulteratum, & multis quisquiliis permistum. Propterea loco hujus Meconii suaderem, parandum nostras ad imitationem QUERCETANI, cujus modum habet AUTOR, ubi de Papavere, ut meliùs consulatur ægris adhibendo nostras Meconium; cum, ut dixi, Meconium ad nos allatum sæpiùs adulteretur.

De opii usu & ejus operandi ratione admodum variant sententiæ; dum opium laudatur ab hoc, culpatur ab illo: quod tam veteres, quàm moderni præprimis, faciunt. Veterum tamen maxima pars, & quidem superioris seculi, illud virulentiæ & narcoseos accusantes culparunt & rejecerunt, & adhuc nonnulli tremunt in ejus usu, quorum sententias de usu opii ejusque malignitate collectas videbitis in ZWELFFERI Pharm. Reg. Edit. ult. pag. 153. & seqq. (qui & ipse minus opio favere videtur) ubi magnum habet catalogum Autorum, qui rejiciunt, objurgitant & contemnunt opium; parvum, qui commendant. Veteres Græci, & cum GALENO Arabes, multum eidem tribuunt; unde compositionibus suis magnis, Mithridatio, Theriacæ &c. pro basi inseruerunt. ZACUTUS lib. 1. Med. Princip. Hist. 61. fusus est in explanandis noxis ex opio inconvenienter adhibito oriundis: & prostant exempla, etiam post externum opii usum insecutam fuisse mortem: vid. FORESTUS lib. 9. Observat. 14. Schol. uti etiam in ZACUTO citato loco, & præterea etiam in lib. 1. Prax. Observat. 61. Sed metus vanus est; maximi potiùs usus est. Hinc plurimi modernorum post PLATERUM, qui primus sub scamno rejectum protraxit opium, magni faciunt, adeò ut dixerit PLATERUS, semi-mortuum etiam opii usu se restituere velle: videatur ejus Praxis. Hujus imitatorem se sistit SILVIUS Batavinus, qui sæpiùs utitur opio in quibuscunque remediis, & in quocunque casu; adeò ut dixerit: se nolle praxin exercere, si careret opio; unde & Opiator dictus est. Interim diversitatis ratio ex hoc sequitur; quod isti opium rejecerunt, in præparatione debita & usu ejusdem delinquentes. Veteres autem fermentationem instituerunt, & sic correctum, & satis tutum habuerunt; quod moderni pariter debitè corrigere conati sunt, ac remedium salubre inde experiuntur. Legitimè ergò præparatum, & legitimè usurpatum, optima & elegantissima est medicina.

Decantatum autem est vi anodyna & narcoticâ. Utraque materialiter fundata est in oleo, seu sulphure amaro somnifero, ut loquitur HELMONTIUS Tract. duumvirat. §. 8. pag. mihi 346. adeoque in sale volatili satis acri per quàm oleoso, sed specialis texturæ ex semine primitus natæ, hinc opii sapor acerrimus; unde rectè inter Calefacientia numeratur. Quæ aliàs elementa per ignem Chymicum ex opio elici possunt, eadem respondent ferè similibus aliis concretis gummeo-resinosis, & vid. WEDELII Opiol. pag. 33. Inter Veteres enim anilis fuit controversia: an sit frigidum opium? an calidum? Et quidem Veteres insistentes suis hypothesibus, quod vis narcotica & soporifera consistat in frigiditate, dixerunt, quod sit frigidum in quarto gradu. Moderni, qui objiciunt amaritiem, inflammabilitatem, & odorem sulphureum, & qui invenerunt, quod in opio sit copiosum sal volatile acre oleosum, statuunt, quod sit valdè calidum. Hoc confirmat, quod omnia hæc narcotica simplicia odorem fœtidum referant, oriundum à sulphure crudiore indigesto. In principio sulphureo vim hanc narcoticam latitare, spiritus vini confirmat, qui nimium assumptus narcoticus est. Sopor hic morbosus iis similis est, qui à Gas carbonum incensorum Carotici redduntur; qualis sopor dependet à sulphure per incensionem minus fixo & maligno: Fumus narcoticus metallorum etiam in sulphure tali immaturo consistit: Gas, quod ex liquoribus fermentescentibus exhalat, ad somnos profundos mirè cogit; nam effluvia hæc etiam de natura sulphurea volatili sunt. Ea propter opium, non secus ac Vinum aliique liquores, inebriat: de quibus vid. MEIBOMIUS Tract. de Cerevis. aliisque inebriabilibus. Cum igitur vis narcotica non à frigore, sed speciali sulphuris opii textura dependeat, hæc controversia de opii frigiditate & calidate est inutilis, tam in theoria quàm in praxi. Formaliter ergò vis opii medicamentosa, omnium dolorum sedativa seu anodyna, & hinc narcotica, in substantia ejusdem oleosa concentrata, sed facilè resolubili, & in odorem penetrantissimum diffusibili, residere videtur; quatenus spiritus influentes immediatè afficit, eosdemque sapore suo quasi condensat, & hinc quoscunque spirituum impetus, & inordinatos motus, tam locales quàm intestinos, plus minus sistit & coercet; sicque plus minus eorum volatilitatem & subtilitatem, indeque expansionem facillimam & mobilitatem figit quasi aut condensat, eosque torpidos reddit; unde consequenter quascunque sanguinis & reliquorum humorum agitationes compescit.

Hæc est vis generalis, & à qua, tanquam principaliori, derivari possunt omnes reliqui effectus. Omnibus enim notum est, quod opiata omnia, papaverina, solana, spiritus cannabis omnes, lolii, agnus castus &c. usurpata, somnum inducant, & externè vel internè dolores sistant: qui duo effectus pariter ab usu gr. ij. ordinariò fiunt. Nam dum sistit motus spirituum, præsertim feroces & inordinatos, interno pariter atque externo usu quocunque dolores compescit, nimias agrypnias arcet, suavem somnum insimul inducendo; hinc & deliria ex inordinato spirituum motu orta cohibet & sedat.

Jam consideremus, quod somnus naturalis non fiat à spirituum animalium motu nimis veloci, sed lento & sufflaminato. Deliria autem hæc sunt duplicia; quædam in morbis acutis, phrenitide, febribus ardentibus, & intermittentibus, & malignis; quædam citra febres oriuntur, & sunt melancholica & maniaca. De prioribus nullum est dubium, quod opiatis egregiè sedentur; de posterioribus verò deliriis, v. gr. melancholicis & maniacis, quæritur: an Opiata in talibus conveniant? HELMONTIUS in Tract. Duumvirat. §. 55. & 56. p. m. 312. negat, cùm vi opii narcotica & stupefactiva, præsertim in nostro climate, somnis & phantasmata ferè turbulenta & truculenta inducantur, aut magis augmententur; unde verendum, quod melancholiam intendant, & alia simul periculosa symptomata post se trahant: Quod quidem verum est, non tàm de opio crudo, & si non legitimo tempore & modo propinetur, de quo suo loco; sed de omnibus simplicibus narcoticis, hyoscyamo, solano, papavere & similibus; unde etiam talia vim inebriativam obtinent; ut taceam, Melancholicos & Maniacos, utut multas noctes ducant insomnes, nequidem dupla vel tripla etiam dosi opii posse ad somnum promoveri, unde ferociores ferè evadunt Spiritus post opiatorum usum. Nihilominus opium ritè præparatum, & debitè cum aliis permistum, benedicta est medicina, quamvis rationes HELMONTII sint satis prægnantes & ponderosæ: ob id cauti simus in usu opii & opiatorum, quoad effectus habituales melancholicos & maniacos, nec istud, nisi probè præparatum, & specificis, præsertim camphoratis, mistum propinemus. Sic BRENDELIUS conf. 104. refert, se vidisse per opium restitutum furiosum quendam compedibus vinctum, præmissis paucis præmittendis. Sicuti BARTHOLINUS habet exemplum furoris uterini, curati beneficio opii, Cent. 5. Hist. 85. in quo casu similiter etiam commendatur à RIVERIO. Non igitur totus opiatorum usus in deliriis melancholicis est negligendus. Eo ipso etiam, quo motus spirituum sistit, convenit porrò tam in præcavendis, quàm sistendis paroxysmis epilepticis, ubi est maximum solatium cum cinnabari antimonii: commodè etiam miscetur cum camphora & salibus volatilibus, qualis mixtura experta est in paroxysmis hisce præcavendis: Optima hinc quoque medicina est in doloribus abdominis convulsivis, paroxymis hypochondriacis & hystericis, & similibus morbis convulsivis, ad quos in specie laudanum hystericum paratur. Porrò, quatenus spirituum impetum compescendo, & ita sensibilitatem partium nonnihil obtundendo, dolores compescit, etiam in doloribus colicis, nephriticis, podagricis, ischiadicis, odontalgicis, cephalalgiis & similibus convenit. Habet RHUMELIUS Pilulas in podagra, quas vocat: Veni Amice, surge, & ambula. Compositio est hæc:

℞. Massæ pilul. aloephang. ℥ii.
Laud. opiat. ℈ß.
misc. f. pilula, quæ dividuntur in 4. partes æquales.

Dosis est una pars, in vino assumenda tribus vel quatuor horis ante paroxysmum.

Talis pilularum compositio ex mass. pilul. aloephanginarum cum laudano opiato est experta in paroxysmo colico, in quo sedando vim magnam ipsi tribuit STOECKERUS, qui aliquando magnum Principem à colica cum illa curavit. Sic cùm omnes humorum motus in corpore humano obortos plus minus sedet, ratione hujus virtutis generale & catholicū est febrifugū; convenit enim in omnibus febribus intermittentibus & continuis, tam benignis quàm malignis. Febres intermittentes sedat legitimo modo, scilicet specificis sociatum, & arte paroxysmum, præmissis præmittendis, adhibitum, ne febrem prolonget magis, quàm curet: horrorem & frigus certè sistit, si cum appropriatis misceatur. Quoad febres continuas & ardentes, in incremento constitutas optimè sistit; testis est BRENDELIUS Conf. 104. quod laudani opiati beneficio quamplurimos à febribus ardentibus, tam benignis quàm malignis, viderit liberatos: sicut & in Histor. Anatom. BARTHOLINI 48. C. 1. prostat exemplum febris continuæ, per usum Laudani opiati in nimia dosi, & inde secutum gravem somnum, curatæ; mulier nempè pro una dosi gran. ix. Laudani opiati assumpsit, & sic triduano somno nunquam interrupto à febre continua fuit liberata. In febribus malignis, quando agrypnia & alia symptomata urgent, utramque pariter paginam absolvere dicit HORSTIUS in Chirurg. Infusor. imprimis si adsint anxietates præcordiorum; ubi cum alexipharmacis & sudoriferis, e. g. cum Tinctura bezoardica, Extracto theriacali, antimonio diaphoretico aliisque optimè miscetur opium, quatenus per se egregium est sudoriferum, testibus omnibus Practicis. In omnibus enim febribus malignis totius curationis cardo consistit in legitima & convenienti sudoris provocatione, per quam malignitas eliminatur, quod docet WALÆUS in M. an. p. 65. ubi asseritur, quod opium sit basis theriacæ, & quod theriaca hanc vim sudoriferam obtineat à solo opio: de qua virtute opii sudorifera vid. PRIMEROSIUS lib. 4 de febribus cap. 10. uti & HARTMANNUS de opio Theorem. 50. Et quidem in febribus continuis, benignis & malignis, pariter & intermittentibus mitigandis, convenit opium, quando adsunt inquietudines ægri & jectigationes corporis, & debilitatio virium, à quibus somnus & sudor deficit, aliaque

aliaque ſymptomata periculoſiora adſunt; adhibito autem opio cum aliis appropriatis ceſſant jectigationes, & ſedato ſpirituum impetu, ſequitur blandus ſudor & ſuavis ſomnus. Ab hinc dum quorumvis humorum contentorum agitationes & motus, tàm localem, quàm progreſſivum, non nihil compeſcit, facilè etiam in quibuscunque corporis fluxibus epidemicis & ſporadicis, tam ſanguinis, ſive per nares, ſive per anum, ſive per uterum quàm etiam reliquorum ſuccorum in quibuscunque locis ſiſtendis, eſt egregium, excepto ſudore: excepto inquam ſudore; quia potens eſt ſudoriferum: ſudores verò phthiſicorum colliquativos nocturnos & reliquas excretiones certò ſiſtit, vomitus v. gr. Diarrhœas, choleras, dyſenterias, hypercatharſin, ſeu nimiam poſt aſſumptum purgans purgationem: in quibus opium divinum eſt remedium, teſte WALÆO & ZWELFERO. De dyſenteria verò adhuc dubitatur; *an in ejus cura commodè uſurpetur opium?* id quod negat HOFFMANNUS *Tr. de Med. Chymicis pag.* 30. & etiam quasdam obſervationes habet THONERUS *in Obſerv.* quod opiata in dyſenteria fuerint lethalia. Sed diſtinguenda tempora morbi, & reſerit in vado. In dyſenteria enim reverà primatum obtinent opiata, modo legitimè, juſto nempè tempore & aliis permiſta, propinentur; nimirum dum opium motum ſpirituum ſiſtit, eo ipſo partium & fibrarum quascunque contracturas impedit & ſiſtit, ſimulque irritationes partium, quo minus ſentiantur, inhibet, ſicut & in vomitu, ſingultu, & ſimilibus ab irritatione oriundis affectibus, valdopere convenit.

Dixi ſuprà, quod opium quoscunque humorum motus & purgationes ſiſtat; hinc quæritur: *an & purgantibus permiſceri aut præmitti poſſit*: Hoc certè modernis Practicis in uſu eſt, quod tamen minus commodè videri poteſt, dum impedit purgationes quaſvis & evacuationes. Interim non inconſultò fit in quibusdam ſubjectis, debilioribus ſcilicet, melancholicis, hypochondriacis, ſcorbuticis & ſimilibus, ac imprimis mulieribus, quæ ex purgatione propter humorum evacuandorum acrimoniam, ſpeciatim propter eorundem aciditatem, gravia ſæpe ſymptomata, tormina, tremores, palpitationes cordis, vertigines, lipothymiæ, eroſiones inteſtinorum, affectiones hyſtericas & convulſiones incurrunt: quæ ut præcaveantur, non rarò cum digeſtivis & purgantibus opiata in parva doſi miſceri debent; Omnia enim ſymptomata gravia hâc re tolluntur aut præcaventur. Imprimis etiam convenit, quando adeſt turgeſcentia humorum excrementitiorum; dum enim in tali caſu datur opium purgantibus permiſtum, ſiſtit turgeſcentiam, & purgans ſimul humores refrænatos evacuat, ſicque ſcopis duobis uno medicamento poſſumus ſatisfacere. Notandum tamen, quod tum purgantium doſis nonnihil augeatur: Confer. HOEFERUS *in Herc. Med. pag.* 777. qui multis facit mentionem permiſtionis opii cum purgantibus, utut aliàs non vulgaris ſit uſus: vid. SCHMIDIUS *de Catarrh. lib.* 4. *pag.* 313. & M. A. N. C. *Anno.* 4. *App. pag.* 22.

Quæritur porrò: *an in menſium fluxu dari poſſint opiata, ſi anxietates præcordiorum & alia urgeant?* Affirmamus; modo cautè & moderatè fiat.

Ulteriùs catarrhos & tuſſes ſiccas nocturnas & ferinas à lympha acri & acido curat opium, lympham corrigendo & acidum obtundendo; in illis ſcilicet, ubi nulla materiæ excretio obſervatur & adeſt. Propterea à Veteribus valdè ſunt commendatæ *pilulæ de cynogloſſa*, quarum ingrediens primarium eſt opium & ſemen hyoſcyami; unde loco earum in modernorum Praxi opium, ejusque laudanum optimè correctum, poteſt ſubſtitui. Ubi verò ſputa viſcida expectorantur, ab opio abſtinendum. Angli pro Venere roboranda uſurpant electuarium ex ambra & laudano opiato in parva doſi cum ſyrupo quodam exceptis; quod eos potentes reddit in rebus venereis; non tamen, quod vim genitalem ſtimulet & genituram augeat, ſed quod ſpiritus augmentet. A Turcis, Perſis & Indis, aliisque populis Orientalibus, opium adhibetur tanquam confortativum & reſtaurativum virium: cum namque in talibus climatibus calidioribus ſpiritus ſint volatiles, & facilè diſſipentur, ne ſequatur defectus ſpirituum, in uſu eſt opium, à quo figuntur ſpiritus ab æſtu nimis agiles, ut præcaveatur imbecillitas & proſtratio virium. Propterea ſattapæ Regis Indiæ legitimum opium aſſumunt pro virium reſtaurativo & refectivo, quando ſunt feſſi à curis, idque in magna doſi, virtute conſuetudinis. Item tabellarii Indi norunt virtutem confortativam in opio, unde, ne deficiant in curſu, gerunt continuò in ore globulos ex opio, quo ipſo confortati alium equitem poſſunt comitari, ſolùm virtute opii in ore detenti.

Tandem adhuc quæritur: *an & infantibus, æquè ac mulieribus gravidis, conveniat opium. Nam* PANAROLLUS ſimpliciter infantes ſtupidos ſimpliciter & hebetis ingenii, ſi non epilepticos, ex uſu ſeminis papaveris in pulte propinati redditos fuiſſe per totam vitam, in ſuis Obſervationibus ſcribit: quod multò magis de opio metuendum, quoniam eſt ſtupefactivum & quaſi papaver concentratum; ſicut ipſe hìc novi exemplum infantis, qui ejus gran. 1. propinato ebrius quaſi factus cum ingenti parentum conſternatione. Interim nec hìc quicquam metuendum, modò ritè corrigatur, & minimâ doſi cum aliis permiſtum uſurpetur. In ſpecie Mithridatii aut theriacæ gran. unum & alterum infantibus tenellis tutò propinatur, licet in tantillo mithridatii aut theriacæ vix ſenſibilis ſit opii quantitas; nihilominus blandè & ſuaviter afficiuntur infantes, ut etiam gran. 1. pro duabus doſibus aliquando ſufficiat; ſicut modernorum quamplurimi ipſum opium legitimè præparatum, ſeu laudanum opiatum, propinant infantibus ad quartam partem grani unius, cum aliis appropriatis remediis abſorbentibus ſociatum. *Quid verò de mulieribus, imprimis gravidis?* His & primis & ultimis geſtationis menſibus abortum excitaſſe quidam obſervarunt; unde non niſi circumſpectè illis propinandum, cum infeſtum ſit quodammodo utero, niſi ubi ex nimio ſpirituum impetu, aut etiam aliunde iis commotis, v.g. ab ira, formidine nimia, & c. metus abortus ſit; in tali enim caſu aliis ſociatum, & non niſi in doſi pauca, propinandum. De cœtero ab eodem in prægnantibus abſtineamus: quin nonnullis extra graviditatis tempus inimicum eſt opium, & quod in aliis curat paſſiones hyſtericas, idem in quibusdam eas excitat. Senibus etiam inimicum eſt.

Patet ex dictis, *an opium ſit venenum? an medicamentum?* Perverſo uſu omninò veneni vices ſubire poteſt, quod legitimè uſurpatum divinum eſt remedium. Nam dum ſpiritus, in quibus radix vitæ conſiſtit, immediatè afficit, eorundem impetum motivum cohibendo, ſanè veneni inſtar vitæ inſidias ſtruere videtur. Obſervatum tamen fuit, opium ſucceſſivè in magna doſi aſſumptum continuato uſu non eſſe nocivum: quin ſicuti Turcæ drachmæ pondere illud aſſumere valent, conſuetudinis vi ita alterari; ita cuidam phthiſico per plures ſeptimanas quotidie duo ferè grana in forma electuarii cum aliis ordinavi, ſine ullo vel minimo ſymptomate: confer. M. A. N. C. *Ann.* 4. *pag.* 290. *Acta Societ. Reg. Ann.* 1. *pag.* 267. *Ephem. Erud. ad Ann* 68. *pag.* 282. utut etiam cauti nec adeò temerarii eſſe debeamus in doſi.

Cum ergò adeò egregium ſit opium in uſu medico, non mirum eſt, ſi communiter aliis medicamentis compoſitis permiſceatur: Sic D. MICHAELIS habuit Eſſentiam theriacalem anodynam, compoſitam cum opio; habuit eſſentiam uterinam anodynam, compoſitam cum opio & c.; quæ Eſſentiæ compoſitæ quam plurimæ poſſunt præparari ab eo, qui novit facultates ſimplicium, permiſcendo ſpecifica cum opio.

Cæterum utut polychreſtum remedium ſit opium, niſi tamen legitimè, ſive præparetur, ſive uſurpetur, morbos potiùs prolongare, quàm curare ſolet; neque enim radicem morborum attingit, ſed impediendo humorum motum, morbos diuturnos & contumaces reddere ſolet: imò perverſo abuſu ſiſtendo & quaſi figendo materiam peccantem, ſeu cauſam occaſionalem, ſymptomata gravia & atrocia reddit: ſcilicet in podagra reddit dolores atrociores & contumaciſſimas, ſi non juſtè uſurpetur.

Imprimis igitur ratio legitimè illud uſurpandi attendenda, quæ in tribus cautelis conſiſtit:

1. Vt legitimo tempore detur.
2. Legitimo modo; &
3. Legitima præparatione.

Tempus, quod attinet, in morbis acutis in principio & incremento morbi, conſtantibus adhuc omnibus viribus, detur; non verò in ſtatu & imminente criſi, aut circa ſtatum, ubi eius uſus periculoſus, & cum interitu ægri eſt conjunctus; quia valdè ſtupefactiva eſt vis opii narcotica, quæ ſiſtendo debilium ſpirituum motum, eoſque naturali ſuo impetu torpidiores reddendo, aliqualem languorem ſubindè virium poſt ſe relinquere & corpus magis debilitare ſolet, indeque fermentationem maſſæ ſanguineæ impediendo, coctionem in morbis acutis ſimul, & hinc motum naturæ plus minus criticum, impedire ſolet, & ægros immobiles, ſtupidos reddit, ſicque plus nocere, quàm prodeſſe, obſervatur. Dicunt quidem; ſe bene quieviſſe, ſed eſſe languidos; quando ſpiritus ſcilicet rariores & ſubtiliores ſunt, atque ægri in animi deliquium facilè incidunt. Nec niſi urgente neceſſitate, in primo principio danda ſunt opiata; ſiſtitur enim naturæ impetus primus, cũ morbus omnis conatus quidam naturæ ſit. Potius ergò in incremẽto, ubi alia ſymptomata urgent, ac ſymptomatum copiâ natura ulterius irritatur, adhibeantur opiata. In chronicis verò morbis ſaltem uſurpentur opiata ad præcavendos paroxyſmos graviores, & ad mitigandos atque nonnihil ſiſtendos inſultus paulò graviores; ſed ante paroxyſmum: extra paroxyſmum eorum uſus fruſtraneus eſt, & morbus tunc diuturnior redderetur: in Phthiſicis ex ſpirituum textura debili magis conſtante vires magis roborari ſolent; aliàs non, niſi cautè: nec quando omnia jam deſperata ſunt; quia tunc ſunt inutilia.

Modus adhibendi legitimus conſiſtit.

Ut nunquam ſolum, ſed ſemper cum ſpecificis morbo appropriatis, vel diaphoreticis, vel præcipitantibus, vel purgantibus mixta propinentur, quia hæc tunc jucundiùs, ſæpè feliciùs operantur: V. g. in febribus intermittentibus ſemper miſcetur laudanum opiatum cum eſſentiis vel ſpiritibus ſpecificis, cum antimonio diaphoretico, ſalibus fixis, arcano duplicato Mynſychtii, ſpiritu ſalis ammoniaci, & ſic porrò: In febribus malignis ſemper permiſcetur medicamentis bezoardicis & alexipharmacis, cum bezoardico minerali, cum bezoardico Joviali, item cum ſalibus volatilibus, vel viperarum vel cornu cervi: In affectibus capitis, vigiliis nimiis, & hinc

ortis deliriis, permiſcendum laudanum opiatum cum ſpecifico cephalico, & ſimilibus: In paſſionibus abdominis doloroſis, cum blandè laxantibus: in dyſenteria cum abſorbentibus fixis diaphoreticis, in qua convenit electuarium diaſcordii Fracaſtorii, quod abſorbet acidum, ſiſtit fluxum, & vim obtinet egregiè anodynam: aliàs opium ſolum morbos & ſymptomata palliat. Nam cum rotæ primæ motum nonnihil ſiſtat, & rotæ reliquæ minus moventur, ſymptomata ſaltem leniendo, morbi inde pertinaciores & diuturniores redduntur. Figendo enim ſpiritus, & ſiſtendo materiam morborum occaſionalem, hęc coercita glutinoſior & magis chronica redditur, & per conſequens morbus contumacior fit: è contra ſi quæ noxa ex vi opii ſedativa metuenda erit, admiſtione appropriati præcavetur. Confer. *GRUELINGIUS in Floril. Artic.* 10. *cap.* 3. *pag.* 263. & 269. Opium enim non radicitus curat. Illuſtrabo exemplis: in tuſſi ab humore tenui, opiata eundem humorem craſſiorem & viſcidiorem reddunt: Opio tolluntur febres intermittentes omnes, legitimo ſcilicet uſu; ex perverſo autem abuſu febres intermittentes duplices aut triplices redduntur. Cauſa enim morborum peccans materialis glutinoſior facta, in nido ſuo magis incuneata, morbum diuturniorem reddit. Unde opiata nunquam ſolitariè, ſed ſemper cum apppropriatis ſociata, & e. g. in intermittentibus, præmiſſis univerſalibus, febrifugis adjectis, uſurpanda ſunt.

Nec II. Laudanum opiatum unâ, ſed partitis vicibus detur, & quàm primum ſomnus ſentitur, abſtineamus.

Præparatio tandem *opii* & omnium opiatorum eo reſpiciat, ut ſulphur ejus volatile, minus maturum, narcoticum, ſpirituum ſtupefactivum & torpefactivum, ſeu textura ejus alcalina oleoſa acris perquam tenax & viſcida, & ſpeciatim ſpiritibus quodammodo infenſa, certo modo corrigatur, & quaſi maturetur ſimul in contractione ejus debita, retentâ ſaltim virtute ſpecificâ anodynâ, nimirum dolorum & motuum ſedativâ & quaſi confortativâ; vel etiam cum aliis appropriatis compoſitione ulteriori jungantur: Præparandi modi ſunt varii:

1. Sunt, qui admiſcent hyoſcyamum, ſed peſſimo conſilio: nam hyoſcyamus potiùs intendit ejus vim narcoticam, quàm quod imminuat.
2. Alii ſolvunt opium in aqua deſtillata vel rore Majali, filtrant, & denique coagulant. Sed hæc eſt ſuperficialis ſaltem depuratio, & fæculentiarum foliorumque, quæ ſucco huic ſubinde ſunt commiſta, ſeparatio, nullo modo legitima correctio.
3. Alii opium ſolvunt in ſpiritu vini, digerunt, filtrant, & incraſſant ſive coagulant. Sed notum eſt, quod ipſe ſpiritus vini per ſe ſit narcoticus, ſtupefactivus & inebriativus: potiùs ergo ſpiritus vini exaltabit virtutem opii narcoticam, quàm corriget; quare & hæc correctio eſt inanis.
4. Alii præparant opium ſuper prunas ſeu carbones, torrendo & exhalando ſenſim ſenſimque; ſic enim dicunt, quod ſulphur narcoticum fœtens exhalet, & virulenta pars ſecedat; quæ tamen toſtio inanis eſt, ſic bona & mala exhalant, & opii vires caſtrantur, cùm, ſi quid noxii Gas inſit opio, hoc ſub extractione & digeſtione vel ſponte exhalat.
5. Par ratio eſt, dum alii ſub toſtione ſimul excitant fumum ex ſulphure carbonibus injecto, ad modum ſcammonii ſulphurati; ſic enim fit ut exhalet partim virtus narcotica, partim ſe inſinuent in opium partes acidæ ſulphuris, à quibus reliqua nimis caſtrantur, non cicurantur. Idem dictum ſit, dum
6. Loco torrefactionis opii, ejus quidam cum ſpiritu vini deflagrationem inſtituunt: Nam & ſic de nobiliori ſulphure opii non parum ſubtrahitur.

Hæ ſunt vulgares & uſitatæ apud Authores correctiones, ad quas plurimas alias poteſtis examinare, & invenietis plurimas præparationes opii, quæ illud vel caſtrant, vel ejus vim narcoticam exaltant.

Ut autem acquiratur vis anodyna, & auferatur narcoſis, triplex ſe offert extrahendi modus; vel per acida; vel per alcalia; vel per fermentationem; qui duo poſteriores ſunt optimi.

Quod præparationem per acida concernit, minus concinnam cœteris arbitror, ex eo, quia acida, præſertim graduata ſeu mineralia, nonnihil caſtrant opium; nimis enim concentrant reſinam, invertunt texturam ejus, & novum quaſi concretum efficiunt, agunt immediatè in ejus ſal volatile acre oleoſum, ejusque ſaporem immutant, hinc junctum oleum ſeu ſulphur hoc ipſo ſimul aggrediuntur, illudque figunt, & ſic non ſolùm vis narcotica, ſed etiam anodyna, aufertur ab acidis; unde in lethargo, ab Opii abuſu inducto, aliquot tamen cochlearia aceti aſſumpta mox ſedant ſomnum: id quod etiam fit, ſi acetum cum ſpongia applicetur naribus. Præcipuè commendatur in tali caſu, ſi aſſumatur *acetum*, in quo ſoluti ſunt *lapilli cancrorum* ad ℥j cum ℈ß. *unicornu*: hæc enim miſtura calidè epota, contra venenum Opii optimum & efficaciſſimum eſt remedium. Interim Opii præparatio per acida ritè inſtituta optimè convenit in morbis acutis & certis affectibus; Ita enim opium extractum citra vim ſtupefactivam ægros reddit admodum quietos & placabiles, quos è contrà ſi cum ſpiritu vini extractum fuerit, præter vim ſtupefactivam deliros & turbidos facit. De diverſitate autem extractionis cum aceto deſtillato & ſpiritu vini notabilem locum videbitis in *Actis Anglicanis*. Hunc in finem igitur adhibentur acetum deſtillatum, ſuccus citri, cydoniorum, phlegma vitrioli ſpiritu proprio acidulatum, ſpiritus ſalis, aut ſpiritus vini cum ſpiritu ſulphuris acuatus, quæ elegantem tincturam extrahunt: e. g. opium in aceto deſtillato ſolvitur; hinc poſt menſtrui abſtractionem cum ſpiritu vini extrahitur, & in conſiſtentiam debitam redigitur: Alii

℞. *Opii*, v. gr. ℥j.
Cui affundunt
Spiritum vini,

Pro ſingulis Opii unciis *ſpiritus vitrioli*, vel *ſpiritus ſalis*, vel, quod eo recidit, *ſpiritus vitrioli Philoſophici* ℥j. addunt, & ita breviter mediante digeſtione ſolutionem, extractionem, & poſt filtraturam ad conſiſtentiam debitam redigunt. Aliam per acida Opii præparationem & correctionem videbitis in *DIGBY Medic. Experim. Vol.* 2. *pag.* 394.

Secunda, quæ per alcalia, tàm fixa quàm volatilia, fit Correctio, in morbis chronicis, in ſpecie febribus, & ſiſtendis doloribus, convenit. Hæc inter primatum obtinet Sal tartari, vel oleum ejuſdem per deliquium, quod ſolvit & penetrat texturam Opii, diſſolvit reſinam ejus, & particulas ſulphureas digeſtione blandâ evolare facit. Optimus modus eſt. *Opii* & *ſalis tartari* ana recipiantur, probè invicem terantur, & imprægnentur cum *aqua communi* ad conſiſtentiam pultis fluidioris, ponantur ſimul propè fornacem, ut blandâ digeſtione ſucceſſivè areſcant & exſiccentur: Hinc affundatur *ſpiritus vini rectificatiſſimus*, vel *tartariſatus*, qui in momento elicit *Eſſentiam Opii* elegantiſſimam; ſal tartari autem non attingit: ponantur in digeſtionem repetitâ *ſpiritus vini* affuſione tamdiu, donec non amplius tingatur. Extractiones hæ ad conſiſtentiam rediguntur, ut habeatur *Eſſentia* liquida, doſi gutt. x. vel xv; vel menſtrui abſtractione fiat *Extractum* ſpiſſum, ut habeatur *laudanum opiatum*, vel in forma pilulari, vel cum aliis in pulvere propinandum, aut in quovis liquido facillimè diſſolubile. Vel

℞. *Lixiv. Sal. Tart.*, ſolvatur in eodem *opium*; Vel etiam modo communi cum *Sale Tartari* teratur, ſolutio filtretur & inſpiſſetur per exhalationem: magmati reſiduo ſolubili affundatur *ſpiritus vini probè rectificatus*, vel *tartariſatus*, qui eſſentiam elicit, & remanet ſal Tartari cum ſcoriis opii. Alcali agit in concretum opii reſinoſum, diſſolvit ejuſdem texturam viſcoſam ab ejus oleo dependentem, reſolvit oleum, illudque nonnihil figit, & ita egregiè correctum reddit opium perfectè anodynum, ſine ulla narcoſi, & magnarum virium & poteſtatum; imprimis ſi addatur *ſpiritus terebinthinæ*. Hocque modo omnia vegetabilia venenoſa, etiam napellus, vi malignâ volatili ſpoliantur & cicurantur.

Pertinet huc præparatio *eſſentiæ opii* non inelegans *Zwelferi*, quam videbitis in *Pharmac. Reg. pag.* 83. dum ſcilicet extrahit vel ſolvit opium cum aqua cinnamomi, & ſolutionem hanc præcipitat cum ſale tartari.

Egregia valdè & elegans præparatio in Anglia mihi fuit communicata, quæ fit: ſcilicet *opium* permiſcetur cum *ſale tartari* & affunditur *ſpiritus terebinthinæ*, ponitur in legitima digeſtione, donec correctum ſit opium, tandemque denuò in formam pilularum redigitur: Hac ratione elegans ſanè & ſecretum habetur correctivum omnium vegetabilum venenoſorum, tam catharticorum, quàm narcoticorum: vid. *Starcb. pag.* 11. *Digby Recept. ſeu Medic. Experim. ſub Tit. Corrector omnium Vegetabilium*, & Medulla Chymicarum Medicinarum, *annexa Medicinæ Experimentali Digbęanę Part.* 2. *pag.* 395. Quo correcto, & hujus medio paratæ pilulæ, multum in receſſu habent, & remedium polychreſtum conſtituunt; quod ipſum non ſecus ac ipſam correctionem ceu pluribus in caſibus proficuam ſingulariter vobis commendo. Opii cum ſpiritu vini & ſale tartari varias præparationes videbitis in *DIGBY Medic. Experim. Part.* 1. *pag.* 5. item *WILLISIO Pharmac. Ration. Vol.* 1. *pag.* 321.

Nec incongrua eſt, quæ fit per alcali & acidum ſimul, Opii præparatio, ad modum nempè, quo fit *ſal eſſentiale tartari*; v. g.

℞. *Opii concis. vel pulveriſati*,
Sal. tartari, ana ℥j.

Humectata nonnihil, & aliquandiu digeſta, ſuperfundatur paulatim *acetum*, quamdiu efferveſcentia obſervabitur, ſic optimè recluditur opium; continuatâ ad punctum ſaturationis blandâ efferveſcentiâ, denuò digerantur per 14. dies leni igne, & fœtorem ſulphureum exhalare ſenties, quod facto filtra ſolutionem, & ad mellaginem abſtrahe, & habebitur elegans laudanum opiatum ſimplex. Vel mellago dicta extrahatur cum ſpiritu vini, vel ſpiritu quodam abſtracto; unde denuò vel *Eſſentia* liquida vel *Extractum* ſpiſſum obtineri poteſt; quod aliis præparationibus meritò præfero; tutiſſimum enim eſt, etiam in doſi paulò majori. Loco aceti ſunt etiam qui vinum adhibent, tantum ſcilicet hujus, quantum ſufficit ad ſalis tartari per acidum vini ſaturationem. Confer. du *HAMEL de Affect. Corpor. pag.* 448.

Tertiò fermentatio cum ſuccis vegetabilium, v. gr. pomorum Borsdorffianorum, vel cydoniorum, vel alio quodam ſtomachico appropriato inſtituitur, qua omninò invertitur opium, adeò

ut

ut ſulphur narcoticum crudum miteſcat. Correctionem hanc per fermentationem debemus Helmontio, qui primus id ſucco cydoniorum depurare & fermentare eſt aggreſſus: Confer. WEDELIUS *in Opiolog. pag.* 58. vel M. A. N. C. Ann. 6. Append. pag. 34. & WILLISIUS *Pharm. Rat. Volum.* 1. *pag.* 321. unde ſunt, qui pro illo Helmontii habent laudano opiato, de quo *Tract. Ius Duumvirat.* §. 64. dicit: *Felix æger, cujus auxiliator Medicus novit lethalia à papavere ſeparare, retento auxilio excitatore poteſtatis in Duumviratu*: Sicut & præparatio hæc per fermentationem mihi in Anglia à filio HELMONTII communicata fuit. Convenienter additur ſal tartari pro correctione, quod quidem fermentationem opii impedit: interim ſi ſaccharum addatur, hæc reſtaurari poteſt. Videatur LANGELOTT, *Medicus Holſatus*, *in Epiſt. ad A. N. C. pag.* 14. & *in Epiſt. ad Bartholinum C.* 3. *Epiſt.* 45. *pag.* 188. 190. & 201. ubi præparationem hanc magis perficere aggreſſus eſt, & ulteriùs declaravit: nempè diſſolvitur fermentationis medio concretum viſcoſum opii, extrahitur ejusdem ſubſtantia ſalina, quæ magis temperat ſubſtantiam oleoſam, volatiliori nocivo ſulphure avolante. Utut fermentatio hæc, prout LANGELOTT nobis communicavit, non ſemper ſuccedat, nec opium à virulentia narcotica tantoperè ſeparatum & correctum ſit, adeoque videtur, LANGELOTTUM encheiriſes quasdam ſubticuiſſe, vel remedium non adeò nobile acquiſiviſſe, ac ipſe prædicat; interim non contemnenda eſt, & ſuam meretur laudem. Hoc modo etiam poteſt præparari laudanum opiatum cum ſucco aurantiorum ad imitationem BECKERI *in Medico Microcoſmico pag.* 159.

Non inelegans denique, & ſcopo ſimili valdè conveniens eſt, quam habet D. CONERDINGIUS, *Medicus Luneburgenſis*, & *Fermentum* vocat *Narcoticum*, quo cum egregia præſtitit: Recipit opium cum fermento acri benè fermentatum & inſpiſſatum, ruſuſque cum ſucco citri diſſolutum, & per manicam Hippocratis trajectum, ac denuò inſpiſſatum cum ſpiritu vini extrahit, filtrat, & denuò coagulat, acquiritque ſic opium correctum non inelegans.

Ex opio legitimè extracto, & cum aliis appropriatis compoſito, emergit Laudanum opiatum, quaſi nunquam ſatis laudandum remedium, propter egregias virtutes & facultates.

Conſideremus jam ejus extractionem per varia menſtrua, eum in finem factam, ut purum ab impuro, utile medicamentoſum ab inutili, ſeorſim habeatur. Cùm itaque concretum gummeo-reſinoſum ſit opium, adeoque in ſua textura ex multiplicibus coaluerit particulis, etiam conſequenter quovis menſtruorum genere ſolubile, & ſuo modo extrahibile exiſtit; ita ut tam menſtrua aquea, v. g. Ros Majalis, ſuccus citri vel cydoniorum, vinum &c. quàm menſtrua ſulphurea, v. g. ſpiritus vini, quàm menſtrua ſalina & acida & alcalina, v. g. acetum, ſalis ſpiritus, oleum tartari per deliquium, &c. ſolvere apta nata ſint opium; de quo confer. WEDELIUS *in Opiol. pag.* 56.

Cæterum ex omnibus his pro opio correcto convenientiſſimum menſtruum eſt ſpiritus vini; ſicuti pro opio non correcto acetum deſtillatum convenientiſſimum eſt. Dico ſpiritum vini eſſe convenientiſſimum correcti opii menſtruum: Nam in opio non correcto concretum ſpiritus vini volatile ſulphureum vim narcoticam opii, in particulis ejus ſulphureis fundatam, magis exaltat, adeoque interdum nocentius reddit. Sanè quantum interſit inter laudanum opiatum ſimpliciter cum ſpiritu vini paratum, & quanta ejus ſit differentia ab eo, quod cum aceto deſtillato perficitur, notabili obſervatione declaratur in *Act. Societat. Reg. Vol.* 1. *pag.* 597. Ex qua ipſa ſanè concludendum eſt, præparationem ejus per acida magis in morbis acutis, febribus ardentibus & malignis convenire: ſicuti ejusdem præparatio cum ſpiritu vini (præcedente tamen cum alcali digeſtione) in morbis chronicis & febribus intermittentibus magis conducere.

His itaque præmiſſis, facilè eſt judicium de variis laudani opiati præparationibus. Ex laudanis dictis opiatis ſimplicibus mille modis compoſita fieri poſſunt: Inſtar omnium ſit v. gr. *Laudanum hyſtericum Conerdingii*, cujus genuina compoſitio hæc eſt:

℞. *Laud.* ſeu *Extract. opii per fermentationem præparat.* ℥ij.
Extract. Cal. arom. ℈j.
Caſtor. gr. xv.
Spec. diacalaminth ℈j.
Croci ʒß.
Lap. Bezoar. Occid. ℈j.
Olei deſtillat. ſuccini q. ſ.
M. f. Maſſa:

ex qua facilè formari poſſunt pilulæ, vel cum ſaccharo aliove addito pulvis. Doſis laudani facti compoſiti gr. vi.

Hujus loco Veteres videntur uſurpaſſe pilulas de caſtoreo, vel etiam confectionem Archigenis, quam videbitis in Diſpenſ. Auguſt. Variant aliàs innumerabiliter præparationes opiatorum, tam ſimplicium, quàm compoſitorũ, v. g. præter hactenus dictas ZWELFERI, DIGBY & WILLISII, conſiderationem quoque merentur *Elixyr uterinum Zwelfferi in App. ad Animadv. in Pharmac. Auguſt. pag.* 57. vel *pilulæ hyſtericæ ejusdem in Pharm. Reg. pag.* 66. item *Eſſentia uterina Cnoffelii in* M. A. N. C. *Anni* 6. *Append. pag.* 135.

Omnes reliquæ præparationes, quas habet AUTOR, ſunt vanæ & nocivæ: Id quod patet ex ſuperiùs dictis; quia non rectè corrigitur, ſed ſaltem palliatur opii venenoſitas aliquantiſper. In genere, tot ſunt deſcriptiones, quot capita: Nam utut in omnibus ſoleat aliquid admiſceri vel aliquid de perlis, de corallis & ſimilibus; non tamen faciunt ad correctionem, ſed ad alios uſus.

Quod attinet *doſin*, hæc variat pro varietate præparationum; & permiſtionis cum aliis. Opium crudum ex planta propinatur vix ad gran. j. ſed laudanum opiatum pro varietate præparationis & admiſtionis, ſeu additorum plus minus, ſæpius plus, rarò minus, habitâ ratione ſcopi, propter quem propinatur, variat; varianda enim eſt doſis pro varietate præparationis, uti dixi, & conſuetudinis. Turcæ, Perſæ & Indi, aliique populi Orientales, in frequentiſſimo uſu habent opium crudum. Ratione conſuetudinis ergò poteſt variari doſis: Referunt enim Autores, quod à dictis populis ad drach. j. crudum aſſumatur cum inſigni fructu, quod habeant exinde inſomnia, quaſi verſentur in hortis & viridariis jucundis & amænis.

Ex his facilè patet præſcribendi ratio laudani opiati; v. gr. in formâ liquidâ pro affectu catarrhali pectoris, & inde nata tuſſi veſpertina ſeu nocturna:

℞. *Spir. Sal. ammon. aniſat.* ℥ij.
Eſſent. opii cum ſale tartari parat. ʒß.
miſce.
Doſis gtt. 30. vel 40. à meridie & ſub introitum lecti.

Vel in hypercatharſi:
℞. *Eſſent. theriacal.* ʒii.
Opii ʒß.
M. D. S.
Eſſentia adſtringens.
Doſis 30. vel 40 gutt.

Sic in colica aliiſque alvi torminibus:
℞. *Extract. helen.* gr. vi.
Laud. opiat. gr. i. vel ii.
(Aut hujus loco *Laud. hyſteric.* gr. vi.)
Cum ſ. q. *ol. deſtill. chamom.* fiant pilulæ,
D. S.
Dolorem ſedantes pillulæ.

Porrò pulvis in dyſenteria:
℞. *Pulv. hepat. viperin.* gr. xv.
Unicorn. foſſil. ℈ß.
Laud. opiat. ferm. gr. ii.
Miſc. fiat *pulvis*.
D. S
Pulvis adſtringens & conſortans.

Potio in ſputo cruento:
℞ *Aquæ Plantag.* ℥iii.
Corall. rubr. præparat. ℈ii.
Terr. Sigill. ℈i.
Extract. torment. gran. xii.
Eſſ. opii cum ſale tartari ʒß.
Syrup. portulac. ℥iii.
M. D. S.
Mixtura adſtringens pro aliquot vicibus.
Doſis cochl. ii.

OPOPANAX.

Opoponax eſt ſuccus gummeus, effluens ex ferula ſeu planta umbellifera ſauciata, quæ dicitur *Panax*: videatur TABERNÆMONTANUS: cujus ſuccus per inciſionem extillans dicitur *opopanax*. *Triplex* autem datur: Heracleum, Chironium, & Æſculapium; de quibus vid. HOFFMANNUS *de Medic. Officinalibus*.

Heracleum autem maximè in uſu eſt, & naturæ ac virtuti finitimum cum galbano, ſagapeno, & gummi ammoniaco. Omnia enim hæc gummata, præter virtutem inciſivam & attenuativam mucilaginum craſſarum ac viſcidarum, à ʒß. ad ʒj. citra moleſtiam eas per alvum purgant; & propter utramque vim Opopanax ab AUTORE tam inter Alterantia, quàm Purgantia tractatur. Vis ejus in ſale alcalino acriori latet: Unde in aſthmate, & tuſſi veteri valdè convenit; imprimis ſi propinetur cum ſucco marrubii & melle.

Externè vi diſcuſſivâ eminet & tumores citra ſenſibilem evacuationem diſparere facit. Commendari quoque ſolet contra ulcera antiqua & contra fiſtulas. Aliàs rarò uſurpatur.

Cum autem plures adhuc quiſquilias commiſtas habeat, depurandum eſt, ſolvendo in menſtruo aquoſo, aqua ſcilicet, vino, vel ſucco citri, & ita emolliendo aut abſtergendo ſordes viſcidas in primis viis ſtabulantes, conducit. Cæterùm opopanax & gummata dicta rarò in ſubſtantia præſcribuntur, ſed adduntur aliis pilulis pro ſcopo inciſivo & aperitivo: vel ex iis fiunt pilulæ cum aliis; ſicut habemus pilulas de ammoniaco, de ſagapeno, de opo-

panace, de galbano &c. quæ pilulæ cum ſtimulo, vel ipſa, uti dixi, gummata itidem cum ſtimulo præſcribuntur, aut aliis pilulis adduntur, pro adjuvanda emollitione, inciſione & attenuatione: e. g.

♃. *Gum. opopanac.* vel *ſagapeni*, vel *gum. ammoniac. cum aceto depur.* ℈j.
Aloes luc. ℈ß.
Scamm. roſ. gr. ij.
Cum *eſſent. abſinth.* fiant *pilulæ*.

Vel etiam alio modo:

♃. *Maſſæ Pilularum de hier. cum Agar.*
Gum. opopan. vel *ſagapen. cum aceto depur.* an. ℈ß.
Extract. trochiſc. alband. gr. j. vel ij. pro ſtimulo, cum *eſſent. abſinth.* fiant *pilulæ*.

Pilulæ de opopanace rari uſus ſunt.

PISSASPHALTOS.

Piſſaſphaltos eſt *duplex*: *nativum* & *factitium*. *Nativum* veteribus uſitatum non amplius eſt ex uſu, & ejus notitia incognita modernis. *Artificiale* eſt *miſtura ex pice & bitumine*.

Uſurpatur in emplaſtris, ubi opus eſt diſcuſſione in loco profundiore.

PIX.

Pix duplici ratione ex arboribus reſiniferis colligitur: vel ſauciantur arbores, ut per plagam inflictam ſuccus reſinoſus effluat; vel ex talibus arboribus, nimiâ pinguedine ſuffocatis, & quaſi ſtrangulatis, per aliqualem deſtillationem eliquatur pix. *Modum præparandi* habet *AUTOR*. Pix alterâ ſolutione depurata, uti habet *AUTOR*, dicitur *Pix Navalis*.

Uſus internus nullus eſt.

Quod attinet *uſum externum*, quem habet *AUTOR*, eſt ſatis clarus. Imprimis convenit iis, qui per nives iter faciunt; ſi nimirum quis membra pice illinat, à quocunque frigore immunis erit. Deinde pix navalis in unguentis, emplaſtris & ceratis, ubi opus validiore diſcuſſione, iſchiadi, podagræ & ſimilibus affectibus arthriticis conducit, partem nerveam roborando. Uſum picis expertum in arthritide videbitis in *BARTHOLINI Hiſtoriis Anatomicis Cent. 6. Hiſtor. Anat.* 95. Unde in tumoribus partium ex lympha acri & acida ortis, ſedandis, pix eſt egregia; quoniam diſcutit lympham, & foras per poros cutis extrahit aquam, quâ extractâ ceſſat dolor. Propterea dicitur, quod pix valeat ad humores acres ex alto, Germ. *auſſ der tieffe*, evocandos & diſſipandos. Sic *POTERIUS* habet elegans emplaſtrum, quod in affectibus podagricis, & doloribus partium profundioribus, ipſi in frequenti fuit uſu: Nempè

♃. *Picis nav.* ℥iv.
Terebinth. comm. ℥ß.
Maſtich. ʒiij.
Sulph. ſubtiliſſ. triti ℥ß.
Miſce probè.

Vide ejusdem *Cent. 2. Obſerv.* 10. 13. *&* 86. in quibus tribus Obſervationibus videbitis egregium uſum hujus emplaſtri in malo iſchiadico curando.

Inter *Præparata* ex pice eſt *oleum deſtillatum*, quod *AUTOR* per retortam præparat; quod tamen melius fit furſum per alembicum è cucurbita ampla, non tamen alta; & magis eſt penetrans ac conveniens in quamplurimis affectibus externis: primo loco prodit *ſpiritus acidus*.

Aqua picis arthriticis doloribus utilis dicitur.

Quidam etiam cum pice præparant regulum antimonii.

R.

RESINA TEREBINTHI *ſeu* TEREBINTHINA CYPRIA, *Et* RESINA LARICIS *ſeu* TEREBINTHINA VULGARIS.

Ex multiplicibus arboribus ſtillant reſinæ, quæ ut plurimum ſeptenario numero comprehenduntur; ut ſunt: *Terebinthus*, *Lentiſcus*, *Larix*, *Pinus*, *Abies*, *Cupreſſus*, *Strobilus*, uti dicit *ZACUTUS LUSITANUS Pharm. cap.* 16. Præterea etiam ex aliis plurimis reſinæ terebinthiacæ efficiuntur, v. g. ex Chryſanthemo Peruviano, de quo confer. *VELSCHIUS Hecatoſt.* 1. *p.* 74. Imò coctione ſimplici ex his floribus balſamus poteſt elici odoris terebinthinæ, ex quo more communi oleum terebinthinæ ſimile deſtillari poteſt.

In Officinis duplex datur terebinthina:

1. Quæ ex arbore Terebintho elicitur, & dicitur *Cypria*; quoniam imprimis colligi ſolet in Inſula Cypro, & advehitur per Venetias, propterea communiter præſcribitur *Therebinthina Veneta*, quo indigitatur *Terebinthina ex Cypro*: dicitur etiam *Indica*.

2. Vulgaris ſeu Laricea, quæ colligitur ex Larice noſtrate, in alpibus Tyrolinenſibus copioſè creſcente, ſponte ſuâ & magnâ ſæpè copiâ Terebinthinam ſtillante.

Ambas ſpecies habet *AUTOR*. Et quidem in genere omnis ſuccus, qui ſolet deſtillare ex arboribus dictis reſiniferis, vocari ſolet uſitatè *Terebinthina*; propriè tamen & κατ᾽ ἐξοχὴν iſte, qui eſt ex Terebintho arbore. Utraque Terebinthina promiſcuè uſurpatur, niſi quod *Cypria* magis ſit volatilis & penetrantior, ac internè magis; *Laricea* verò ſeu vulgaris externè magis uſurpatur, cùm ſtomacho nimis moleſta ſit: videatur *HEINRICUS ab HEER Obſerv. pag.* 10. Nihilominus quando eſt clara, pura & pellucida, nullo modo cedere videtur Terebinthinæ Venetæ ſeu Cypriæ; unde illa in locum hujus ſubſtitui poteſt: quò propiùs enim Terebinthinæ vulgares accedunt ad Terebinthinam veram, eò ſunt meliores. Tales reſinæ ſunt ſulphur reſolutum arborum, occultum habens acidum: quod ſi ab alcali compari coaguletur, tranſit in ſubſtantiam reſinæ arboris: Ergo natura ſua ſulphurea eſt, ſeu oleoſa, ut *PARACELSUS Tr. de Element. refert*, & ſuggerit copioſum oleum volatile elegans. In receſſu tamen habet acidum volatile temperatum, unde *Terebinthina* per ſe ex retorta in arena *deſtillata*, *primùm* ſuggerit *phlegma ſpirituoſum acidulum*, ſimul etiam copioſum *ſal volatile*, & hinc tandem *oleum*; quod oleum deſtillatum efferveſcit potentiſſimè cum ſpiritu vini, vitrioli, & ſpiritu nitri, ſi miſcetur: imò excitatur tanta efferveſcentia, & cum tanto ardore, ut non poſſit alembicus manibus contineri; & ambo abeunt in conſiſtentiam Balſami, ſeu *Terebinthinam* quaſi *artificialem*: oleum enim deſtillatum terebinthinæ conſtat copioſo ſale volatili, quod cum ſale fixo ex eo poteſt ſublimari, quatenus nempè alcali fixum corrigit pingue acidum, quod ante colligebat ſal volatile: vid. *Boyle de Orig. Formarum pag.* 175. & *WEDELIUS de ſale volat. vegetabil. P.* 2. *pag* 20. Ita ut Terebinthina nihil aliud ſit, quàm ſal volatile admodum oleoſum, è ſufficienti acido concentratum. Curioſum eſt, quod ex oleo terebinthinæ & vitrioli invicem miſtis ſublimari poſſit *ſulphur artificiale*, teſte *BOYLE in Chym. ſcept. pag.* 133.

Uſum quod attinet, internè & externè convenit. *Internè* ſolet referri inter moderatè laxantia & purgantia. Virtute balſamicâ dicata eſt renibus ac veſicæ, ut & cæteris vaſis urinariis ac ſpermaticis. Certè uſus diureticus & nephriticus eſt inſignis, cum nihil meliùs purget renes & eorum officium reſtauret, quàm terebinthina, quos odore ſuavi ſingulariter afficit, & talem in urina texturæ alterationem efficit, ut urinæ odorem violaceum inducat; quod etiam præſtat ſi in forma clyſmatum ſaltem applicetur, & diutiùs retineatur. In exulcerationibus igitur & vulnerationibus renum, æquè ac veſicæ, aliarumque partium internarum, abſceſſibus meſenterii, primatum ducit, valdè abſtergit & mundificat ulcera interna, quæque abſterſit & mundificavit, etiam conſolidat. Nam Terebinthina eſt verum quoddam *Balſamum ſeptentrionale*, uti rectè vocatur *à STARCKET in Pyrot.* quo poſſumus uti internè pariter & externè; cùm externè cujuſvis genuini Balſami Orientalis vires exerat, internè vi balſamicâ pectori & viis urinariis ſpeciatim conferat. Præter vim dictam convenit in calculoſis affectibus, in abſente præſervando, & præſente pellendo: mirum namque eſt, quàm abſtergat renes, & præſervet à coagulo calculoſo, dum balſamicâ ſuavi renum fermentum urinæ corruptivum, cujus occaſione concreſcunt calculi, corrigit & emendat: hinc etiam omnia terebinthinacea valdè conveniunt in urinæ ſuppreſſione, ardore, aliiſque affectibus partium urinariarum, in mictu cruento & purulento, ſive ſit ulcus renum ſive veſicæ. Et præprimis in gonorrhæa curanda fermenta vitioſa in teſtibus abſtergit; propterea pilulæ elegantes fiunt cum ſaccharo Saturni & Mercurio dulci, additâ camphorâ, ſi adeſt gonorrhæa maligna; in gonorrhæa ſimplici verò cum ſucco citri aſſumitur, vel cum ſuccino præparato in pilulas cogitur. Præterea pectori & læſionibus partium pulmonalium, ex lympha acri natis, ſuccurrit; hinc in phthiſi tollenda & præcavenda, imprimis quæ ſequitur partium internarum exulcerationem, empyemate, tuſſi & ſimilibus, mirè ſuccurrit. Fluori albo mulierum, uteri vitiis, excoriationi & ſimilibus multum confert.

Optimè autem Terebinthina Veneta, ſeu vera, internè aſſumitur in variis formis; vel ſi in Balſamum ſulphureum redigatur, de quo ſuo loco; vel ſub forma pilulari; vel cruda in forma Boli cum ſaccharo ſubacta; quin & ſub forma liquida ſeu potionis cum melle & vitello ovi ſubigitur, & cum ſucco citri, vel vino malvatico, aut aqua fragorum in liquorem lacteum, & quaſi in emulſionem quandam redigitur & adhibetur in nephritide, empyemate, pleuritide: idque Autore imprimis *PLATERO*, qui in ſuis *Obſervationibus* in veſicæ, renum, & aliarum vicinarum partium affectibus mixturam ſequentem habuit in frequenti uſu:

♃. *Reſin laric. vel abiet. pur.* ℥ß.
Vitell. ovi num. 1.
Mellis ℥ß.

agiten-

agitentur probè in mortario marmoreo, donec albeſcant inſtar cremoris lactis; poſtea adde

Vini albi,
Aquæ parietar.
Flor. fabar. an. ℥iß.
Syrup. acetoſ. citri ℥j.

agitentur, ut probè uniantur, & mixtura ſervetur pro uſu.

Hæc Potio ipſi valdè fuit experta in renum exulceratione, calculo, ulceribus veſicæ, in mictu cruento & purulento, in gonorrhœa & ſimilibus: & nuperrimè vir quidam hìc locorum magnum ſolamen accepit ex tali miſturâ, cum laborarit ulcere veſicæ. Si quis vult habere aliquantiſper laxantem, poteſt admiſcere q. ſ. de Rhabarbaro: ſi vult habere anodynam, aliquantum poteſt addere opii correcti, & ſic porrò. Experta hæc Potio eſt in affectibus renum, veſicæ, & gonorrhœâ. Vel

℞. *Terebinth. Cypr.* ℥ß.
ſolv. c. ſ. q *vitell ovorum*,
addendo paulatim
Syrup. de alth. Fern.
Vini Malvat. ana ℥vi.

Miſce pro liquore lacteo:
Doſis ℥iß.

Notabile eſt quod terebinthina optimè diſſolvatur cum vitello ovi: videtur hoc facere vitellum ratione ſui ſalis volatilis oleoſi peculiaris. Nam & alcalia alia hoc præſtant, utut aliqualis ſubſit diverſitas; nempè, ſi terebinthina cum oleo tartari per deliquium ſimili modo per trituram probè miſceatur, etiam in lacteum liquorem; item ſi ſpiritus ſalis ammoniaci, vel ſal Cornu Cervi in aqua ſolutum, & terebinthinæ ſimili modo commiſceantur, ambo coeunt in craſſamentum album ſpiſſum, inſtar tenacioris cujusdam ſaponis. Arbitror, futurum hoc eſſe non inelegans ſubjectum, ut exinde fierent emplaſtra; tenax enim eſt, & extenſile, & quod firmiter adhæret, variiſque uſibus facilè accommodari poteſt. Nam ſingularis effectus ex talibus volatilibus extrinſecè applicatis ſperari poteſt, cùm in ſimili artificio excellat Burrhus: Confer. BARTHOLINUS *Cent.* 3. *Epiſtolarum pag.* 387.

Externè vis ejus balſamica ſatis decantata eſt, ratione cujus corpora à putredine conſervat: quod artificium eſt SCHWAMMERDAMMII; unde nullum ferè linimentum, nullum emplaſtrum vel Unguentum chirurgorum ad vulnera & ulcera eſt, quod non Terebinthina, & quidem vulgaris, tanquam anima & corpus, ingrediatur. Citò ſanè, tutò, & jucundiſſimè ſanat quævis vulnera recentia citra aliorum balſamorum adjumentum, etiamſi nudè liquefacta inſtilletur iis; & mirum, quantum illa conſolidat: Eſt enim liquor oleoſus balſamicus, qui conſtat liquore admodum oleoſo. Etiam ulceribus confert, pro quibus curandis cum melle miſcetur ſub nomine *Unguenti Digeſtivi*, cujus additi ratione abſceſſus, ulcera & vulnera mundificat, ſuppurat, & ad maturitatem deducit; cùm omnem putredinem arceat & curet. In dyſenteria, ubi noxa inteſtinorum ab exulceratione inducta, ſananda, clyſmata cum terebinthina conveniunt: qualia videbitis in BARBETTE. Conveniunt & in colica pertinaci humoroſa; item in convulſione habituali ſunt nobiliſſima, nec non in colica convulſiva, dolore lumbari nephritico, & iſchuria vitio renum.

Quoad *Præparata*, notandum, quod à multis terebinthina in præparatione medicamentorum lavari ſoleat in aqua appropriata; ſed eſt inanis lotio: multum enim ſuffuratur aqua, in quâ lavatur, de ſale ejus volatili balſamico: Quod etiam fit, quandoà quibusdam terebinthina leni ignis ardore exhalatur, ut amittat glutinoſitatem & ſpiſſeſcat, ut faciliùs cogi queat in pilulas; ſed in hoc etiam multum tollitur de ſale ejus volatili, in quo conſiſtit ejus primaria agendi vis balſamica, à quo ſale volatili balſamico oritur odor violaceus in urina: Videatur BORELLUS *obſerv.* 33. *Cent.* 2. Dum ergò hoc ſal volatile balſamicum loturâ & exhalatione ſuffurantur ab aqua & igne, probè obſervetur, ne terebinthina lota præſcribatur, quia nobilioribus ſuis virtutibus ſpoliatur: vid. ZWELFFERUS *Animad. in Pharmac. Auguſt. pag.* 419.

Inter *præparata* ſunt *ſpiritus* ſive *oleum* ſubtilius *Terebinthinæ*, quæ malè deſtillatur per veſicam cum aqua, quia ſub deſtillatione aqua reſolvit ſal volatile alcalinum, & ſecum rapit, atque ita minus volatile habebitur Oleum: vid. Zwelfferus. Optimè è contrà *Terebinthina liquefacta* miſcetur & ſubigitur cum *cineribus*, ſive alio *alcali fixo* aut *arena*, & ita deſtillatur per retortam vel alembicum ex arena moderato igne: ſic enim additum alcali retinet craſſius & ſpiſſius inquinamentum oleoſum terebinthinæ, ſimulque hebetat acidum, & ſpiritus ſive oleum prodit volatile penetrantiſſimum & perquàm efficax. Nam terebinthina ſuccino videtur vicina, & ſimile ſal volatile continere.

Quadruplex autem *oleum terebinthina fundit*, colore & conſiſtentiâ diſtinctum: Nam quod primò prodit, *album* eſt & tenuiſſimum, & communiter *ſpiritus* vocatur; alterum *flavum* & tenue; tertium *rubicundum* craſſius, *Balſamum terebinthinæ* dictum; & ultimum inſtar balſami nigricantis & craſſioris, liquori non innatans.

Spiritus terebinthinæ internè eſt nephriticus: convenit in affectibus urinariis, in mictu cruento & purulento, ab ulcere renum & veſicæ enato; in affectibus pulmonum; unde in pleuritide à BARTHOLETO valdè ſolet commendari, quod ſcilicet humorem in thorace impactum ſolvat, & ad vias urinarias felici cum ſucceſſu perducat. *Externè* eſt vulnerarius & balſamicus: in iſchuria urinæ fluxum promovet inungendo, tàm vitio renum, quàm veſicæ: miſcetur cum unguento dialthææ, & dimidio olei ſcorpionum: in primis convenit contra frigus hyemale; & mammarum aliarumq; partium ulcera curat; quod & oleum craſſius pariter efficit. SCHRADERUS *Obſervat. & Hiſtor. ex Harvæo de gener. Animal.* collectis, annectit modum cadavera conſervandi mediante oleo terebinthinæ, *pag.* 236.

Oleum flavum internè ſolet commendari in peſte & febribus peſtilentialibus, quod egregiè conveniant pro arcenda malignitate.

Oleum craſſius convenit contra frigus hyemale: imò ſi partes frigore læſæ omnibus annis iterum intumeſcant, certò curat inunctum, etiam ſi per multos annos duraverit. Poteſt etiam fieri *oleum terebintbinæ, & ſpiritus compoſiti* pro variis uſibus, præſertim diuretico, ſi v. g. cum *ſuccino*, cum *camphora*, aliiſque ſimilibus modis deſtilletur: Confer. WILLISIUS PHARM. *Rational. Vol.* 1. *pag.* 157.

Oleum Terebinthinæ à ſale marino abſtractum ſpiritui vini fit commiſcibile, teſte BOYLE *de Specif. pag.* 126. & *Hiſt. Fluid. & Firm. pag.* 83. qui etiam refert, quod hoc oleum terebinthinæ, ſæpius per ſe deſtillatum, tandem in coagulum abeat, *cit. loc. pag.* 20. quod verum arbitror; obſervavi enim aliquando, quod oleum terebinthinæ copioſiùs & diutiùs in vaſe terreo aſſervatum ſepoſuerit in fundo coagulum camphoræ ſimillimum.

Cum ſpiritu terebinthinæ etiam paratur *Balſamum ſulphuris* egregiè penetrans, adeò ut ſi aliquot guttæ inungantur carpis pulſuum, paulò poſt ſentiatur in urina ſulphuris odor; de quo inferiùs, ubi de ſulphure. Satis expertum eſt in mictu cruento & purulento, atque in gonorrhœa, uti & in affectibus pectoris & partium pulmonalium.

Spiritus terebinthinæ melliti AUTOR mentionem facit, qui internè ſingulare nephriticum eſt; externè autem elegans ſuppurativum, digeſtivum, & excellens mundificativum ulcerum & vulnerum inveteratorum.

Pilulæ de terebinthina fiunt vel cum ſola, vel cum additis. *Ex ſola*, ſi cum igne blando & ſpiritus volatiles & phlegma acidulum exhalent cum oleo volatili, & ex terebinthina ſic inſpiſſata formentur *pilulæ*; cui & aliquot grana ſcammonii præparati addi poſſunt; vel cum aqua communi, vel cum deſtillata quadam aſſumendæ. Hæ utut oleo ſubtiliori ſpoliatæ ſint, non tamen inanes ſunt in doloribus nephriticis nothis circa regionem lumbarem perquàm contumacibus, qui malè vulgò *den Lendeſtein*, ideſt, calculo lumborum tribuuntur. Cum *additis* fiunt *pilulæ cum Rhabarbaro*, quæ in expurgandis renibus & viis urinariis, hinc in calculo veſicæ, conveniunt; primas vias abſtergunt, & blandâ diureſi pollent; Urinæ ardorem ſimul temperant, & hinc etiam in ſtranguria uſurpari poſſunt. In tali caſu valdè commendantur pilulæ de terebinthina Mynſichti. Poſſunt etiam fieri pilulæ hoc modo:

℞. *Terebinth. Venet.* ſeu *puræ* ʒj.
Rhabarb. pulveriſat. ℈ij.
Succin. præparat. ʒiß.
Cinnam. ℈ß.

fiant *Pilulæ* in calculo & calculoſis affectibus, pro duabus doſibus.

S.

SACCHARUM.

SAccharum vocabulum eſt Arabicum, cum apud Arabes & nomen & res frequentiſſimè fuerit uſitata; unde commodè à Latinis vocatur *ſaccharum*, à Germanis *ZucKer*.

Prima controverſia eſt: *an ſaccharum Veterum idem ſit cum ſaccharo modernorum?* Nego. Quid revera ſit? paucis explicabo: Saccharum noſtrum ſuccus eſt ex proprii generis planta arundinacea, benè contrita, expreſſus, calore ignis plus minuſve excoctus, inſpiſſatus, & ſic tandem defæcatus. Hæ arundines, quæ copioſè proveniunt in India, tàm Orientali quàm Occidentali, quales etiam proveniunt in Calabria & Sicilia Italiæ, ſunt ſingularis ſpecies arundinis, quæ in ſe habent ſuccum quendam ſubdulcem, & maſticatæ illum præbent. Et quidem apud Chymicos eſt modus parandi ſalia eſſentialia ex plantis, dum exprimunt ſuccum, coagulant, & in formam ſalium redigunt: Hac ratione *ſaccharum* eſt nihil aliud, quàm *ſal*, vel *tartarus*, ex ſucco per coagulationem illius igne elicitus. Hoc ipſum ſaccharum noſtras omninò fuit incognitum veteribus & ita omninò inuſitatum: è contrà Veterum ſaccharum fuiſſe nihil aliud, niſi manna, quæ non à qualibet, ſed ea duntaxat, quæ in Arabia Felici & India Orientali in certis arundinibus, præſertim circa genicula, majoribus fruſtis, majo-

majorique duritie, nocturno frigore circa arundinem elevata, & subsequente vehementiore solis calore coagulata; propterea que vocatur etiam Mel Arundinaceum: quod de nostrate nullo modo dici potest. Unde & fit, quod non omne æquè ut Manna alvum leniat, cum inter vocatas mannas eæ magis alvum citare soleant, quæ sunt liquabiliores. Nec ipse Arabs, Serapion, nostri facchari meminit.

Jam verò, licet antiquorum saccharum ad nos non deferatur, reperitur tamen & differunt duo hæc facchara toto cœlo: & quidem

I. *Materia*: Nam materiam facchari nostratis subministrat succus ex arundinacea planta expressus & inspissatus: Materia verò Veterum fuit ros sensim sensimque coagulatus & inspissatus circa arundinem in forma mannæ: Nam ros dum se coniunxit cum exhalationibus arundinum, accepit ab illis saporem dulcem & Manna appellatur.

Differunt II. *Forma*: Nam saccharum antiquorum salis granulati habuit formam; nostras majoris coni, aut quasi tartari cujusdam coagulati.

Differunt III. *Modo parandi*: Nam nostratis facchari efficiens est torcular, exprimens succum, & ignis eundem inspissans; antiquorum verò facchari est calor solis blandè indurans rorem nocturnum circa arundines in formam granulorum salinorum.

Denique IV. *Proprietatibus* differunt & *efficacia*: Nam veterum saccharum à PLINIO & DIOSCORIDE aliisque inter mella recensetur, utpotè cum & *citati Autores* soleant mel referre ad spiritum roris: quod ipsum de nostrate facccharo nullo modo dici potest. Adeoque nostras est ens purè artificiale, saccharum verò veterum fuit omninò ens naturale. *Efficacia* etiam differunt: nam saccharum veterum vim habuit abstersivam leniter, & modicè laxativam; modernorum verò nullo modo tales habet virtutes, sed longè alias, uti *postmodum dicetur*.

Interim veterum saccharum non planè interiit, sed adhuc in India Orientali, alio tamen nomine, Mambu, ex succo circa genicula transudat & spontè concrescit: sed nobis usitatum saccharum est succus, ut *supra monitum*, expressus & inspissatus.

Multas de hoc controversias, ut & modum inspissandi succum ex arundinibus, videbitis apud MONARDEM *lib.2. Epist.22.* quem secutus SALMASIUS *in* eleganti *Tract. Critico-Medico de Saccharo & Manna*; MATTIOLUM *l. 1. Epist. pag. 71.* & BARTHOLINUM *l.1. Ep. 3. pag.6 Ep 49. p.206.* & *Epist.45. pag.228. 229. 230.* ubi explicat modum usitatum conficiendi saccharum in Sicilia & Calabria: item exoticorum sciptores, ut *Tract. Gallicum* qui inscribitur, *Naturalis Montiliana*. Conferatur & in specie ERASMUS FRANCISCI *in Theatro Horti Indici orientalis & occidentalis pag. 262.* seq. nec non SALMUTH *in Pancirol l. l. 2. Tit. 5. p. 125.* De Alga saccharifera Boreali *vid. Act. Medic. Haffniens. vol. 1. pag. 119.*

Obiter noto: dum veteres in suis Dispensatoriis, ut ARABS MYREPSUS, saccharum subindè miscent medicamentis, non imitandos esse illos, & loco facchari illorum nostras substituendum; quoniam plus est nocivum, quàm proficuum: Contrà Veterum fuit plus proficuum, quàm nocivum. Quàm malè ergò multi excusent suos syrupos & conservas, saccharoque permista alia, & quàm hallucinentur, facilè apparet, dum dicunt, quod etiam *Veteres* syrupis & aliis admiscuerint saccharum. Nostras ergò saccharum artificiale est sal quoddam essentiale, ex succo plantæ inspissato genitum, & habet se instar musti recentis expressi & inspissati: Nã & mustum vini inspissatum diuturnitate temporis copiosum sal dulce crystallinum, sed obscuri coloris, quasi saccharum candi rubrum, in latera & circa fundum vasis seponere solet.

Porrò pro varietate locorum naturalium varia sortitur nomina: unde appellatur *Madariense*, *Canariense*, *Thomæum*, *Melithæum* & *Valentinum*; uti habet AUTOR. Differunt hæc facchara ratione puritatis & purificationis; dum aliud dicitur *saccharum candi*, aliud *finum*, & sic porrò. Modus refinandi saccharum est satis clarus apud AUTOREM: succus nimirum hic dicto modo inspissatus in facchari formam, clarificari solet per aquam calcis vivæ & argillam figulinam.

Ipsum autem saccharum cum nihil aliud sit, quàm mustum concentratum, tanquam sal essentiale imprægnatum est propriis effectivis seu constitutivis plantæ, iisque valdoperè fermentescibilibus, acido nempè & alcali, quæ copioso oleo temperata sunt, ex quibus necessariò concretum tale emergit, quod, quantum in se est, quodlibet acre temperare in corpore, & partes ex acrioribus succis læsas lenire, indeque dolorem non nihil demulcere solet: Id quod in faucium asperitate notissimum. Sed hæc vis temperativa subindè invertitur, quatenus hoc ipsum saccharum, non secus ac alia dulcia, admodum fermentescibile existit, utroque nempè sale activo impregnatum; id quod patet exindè, quoniam saccharum per se destillatum subministrat spiritum acidum & corrosivum instar aceti cujusdam, quod corrodit corallia, perlas & similia subjecta. Imò si saccharum permisceatur cum antimonio, & destilletur, simul prodit liquor antimoniatus, dum saccharum corrodit antimonium, & corrosum per retortam secum transportat. Præterea destillatur *spiritus ardens* & inflammabilis instar spiritus vini, qui potest parari ex saccharo per fermentationem; si scilicet saccharo q. s. in aqua soluto addatur fermentum, quod invenitur apud pistores panum mellitorum (Germ. *bey den Pfeffer-Kuchen Beckern*) feces vini, &c. & sic subministrat spiritum ardentem volatilem. Imò vel nudum saccharum, solutum in aqua, facilè fermentat, & fermentando in vinum dulcissimum evadit instar vini Hispanici, quod hinc in acetum commutari potest; de quo vid. BECHERUS *Phys. subterann. lib. 1. pag. 378. & 380.* Quod si fiat hæc fermentatio facchari cum liquore betulæ, erit potus magis medicamentosus: adeòque propter hanc vim mustaceam tàm facilè fermentat: quæ fermentatio patet adhuc ex eo, quod carnes recentes, sicut per sal commune præservantur à putredine, ita adsperso saccharo subitò putrescunt. Fiat periculum & suspendatur caro recens, & caro vetus: recens adspergatur saccharo, & altero die reperietis carnem recentem putredine correptam, veteri adhuc sine noxa contracta existente Saccharum ulterius lucidos & serventes in se continet spiritus; quod patet ex eo, quod, si in loco occulto sive opaco fricetur, possint conspici scintillulæ, propter spiritus igneos & ferventes in saccharo residentes: vid. BORELLUS *Cent. 1. Observ. 3. pag. 6.* D. TACKIUS, *Archiater Darmstadiensis*, scripsit *Tractatum de Consanguinitate auri, spiritus vini & facchari*, in quo saccharum honestè admodum tractatur, & multum boni ipsi adscribitur: sed propter vim facilè fermentativam promptè in stomacho primisque viis acescit, & volatili aciditate bilem turbat, eamque in præternaturalem orgasmum excitat, & sic admodum nocet. Hinc est, quod veteres dixerunt, Saccharum, aliaque similia dulcia, bilem augere: & hinc promptâ ista effervescentiâ & fermentiscibilitate hypochondriacis, scorbuticis & cachecticis admodum inimicum est, & inimicissimum febricitantibus, utpotè in quibus varia pathemata excitat. Idem de hystericis judicandum, utpotè quæ tantillo facchari propinato proxysmum statim incurrunt. In talibus etiam subjectis ex facchari usu subitaneæ massæ sanguineæ agitationes oriuntur, inflammationes abdominis, murmura & borborygmi, ructus, tormina, diarrhϾ, phlogoses & similes alii effectus & affectus, qui sequi solent fermentationes nimias humorum. Propter similem fermentationem & agitationem saccharum ventriculo, pulmonibus & pectori nocet: id quod sufficienter & eleganter docet GARAUZIERS *in Tract. pereleganti de Tabe Angl pag. 68.* qui non sine ratione perstringit decoctorum pectoralium in morbis pulmonum, & imprimis in phthisi, cum saccharo permistionem & edulcorationem; quoniam ulcera pulmonum magis reddit sordida, pulmonesque magis ad putrilaginem disponit. Hoc dum præstat saccharum ratione particularum salinarum, reliqua ejus substantia pinguis in consistentiam viscidam atque mucosam degenerat, & succos corporis hoc ipso non nihil glutinosos reddit, quod vocant Germ. *Der Zucker schleimet*, id est, Saccharum viscositatem causat. Ergò cautus sit facchari crudi internus usus. Unde syrupi, conservæ, condita, & similia medicamenta cum multo saccharo parata non adeò crebrò apud nos amplius in usu sunt, cùm notoriè stomacho noceant, & in febribus, sive intermittentibus, sive continuis & morbis acutis, turgescentiam febrilem intendant. Demonstrat namque HEINRICUS *ab* HEER, quod multi ægrorum divitum soleant interire in febribus propter abusum syruporum & medicamentorum dulcium vel saccharatorum, quæ nimiùm exasperant febres, & cum è contra pauperiores, qui non semper sint solvendo medicamenta saccharata, nudis decoctis & similibus feliciter curentur, propter defectum facchari. Curiosum est de saccharo, quod refert HORNIUS *in Arca Moysis p. 51.* quod saccharum omnibus cibis admisceri queat, exceptis intestinis; hæc enim saccharo (si condiantur) fœteant ac recens stercus bovinum.

Internè nullum usum habet, nisi quod fauces leniat, earumque asperitatem nonnihil obtundat, nec non julepis ad conciliandam gratiam inserviat. In phthisi additur lacti, ut ejus coagulationem impediat; quod in phthisi, ubi acrimonia massæ sanguineæ & lymphæ præpollet, maximè est necessarium. Externè verò egregium vulnerarium, simulque concretum balsamicum, putredini resistens, rectè dicitur BECHERO *Physic. subterran. l. 1. pag. 318.* Eòque meliùs convenit, si diluatur cum tantillo spiritus vini non dephlegmati. In ulceribus putridis unguentis addi potest. Turcæ quotidiè solent vulnera recentia abstergere vino, & hinc post ablutionem inspergere saccharum pulverisatum, & sic non inconcinnè se ipsos curant: vid. STARIZIUS in suo Thesauro Heroico *pag. 132.* In febribus intermittentibus, si scorbutus simul affligit, aut dolores convulsivi scorbutici, clysmata ex lacte profunt, in quo saccharum adjecto vitello ovi solutum.

Inter *Præparata* est *saccharum penidium*, item *spiritus*, quo corallia & perlæ solvi possunt. AUTOR per se destillat per alembicum, vel retortam: Melius interim est, si addatur vel arena, vel silices contusi, ne saccharum ebulliendo ora retortæ excedat: sic enim per retortam destillatum dat *spiritum acidulum*, & *oleum empyrevmaticum*. Hic rectificatus simillimus est spiritui lignorum, tam quoad usum in solutione corporum & vi diaphoreticâ, quàm quoad texturam, dum pariter ex duplici substantiâ, acidâ & oleosâ volatili, compositus est. Sunt, qui hoc modo destillant spiritum

de

de ſaccharo nephriticum, pro promovendo ſcilicet calculo, dum recipiunt ſcilicet ſaccharum additione copioſæ aquæ liquefactum, quod ſuperinfundunt lateribus parvis, ſive contuſis, & candefactis: hoc continuant tamdiu, usque dum incandefacti lateres nihil amplius imbibant, tunc fruſtula impragnata ſaccharo indunt retortæ, & per eandem pellunt ſpiritum ſingularem, qui laudatur in nephritide, & in Chymia elegans eſt menſtruum pro ſolvendis concretis teſtaceis, coralliis, &c. pro parandis quibusdam medicamentis.

Uſitatum etiam eſt *Oleum ſacchari*, ſive *liquor* ejus, aut *ſyrupus ſacchari*, qui paratur ex præſcripto *AUTORIS* cum ſpiritu vini. Cæterùm obſervetur, quod ſpiritus vini etiam rectificatiſſimus non ſolvat ſaccharum, utpotè quod, ceu ſal quoddam eſſentiale tartareum plantæ, pro genuino menſtruo, uti reliqua ſalia omnia, requirit menſtruum aquoſum: unde etiam ſpiritus vini, ſi rectè eſt rectificatus, non ſolvit ſaccharum; ſin verò adhuc eſt phlegmate impregnatus, poteſt ſe ſociare cum ſaccharo, dum illud abſorbet & ſuſcipit. Recipiendus ergò ſpiritus vini non rectificatus, à quo ſaccharum abit in elegantem liquorem craſſum & ſubdulcem: & hic eſt oleum ſacchari, expertum ſanè remedium in leniendis faucibus, earumque aſperitatibus non nihil obtundendis, & in tuſſi, in qua ipſum magni fit: Pro quâ tuſſi variæ ejus proſtant præparationes: Valdè per ſe hunc liquorem commendat *HARTMANNUS in Praxi*, non minus quàm *RIVERIUS*, & alii *AUTORES*. Sunt qui magis reddunt appropriatum liquorem, & loco ſpiritus vini ſimplicis recipiunt ſpiritum baccarum juniperi, & cum eodem præparant oleum ſacchari: Alii magis compoſitum reddunt, dum primùm ſpiritum vini affundunt ſuper ſimplicia pectoralia, radicem helenii, radicem ari, herbam marrubii, hyſſopi, &c & extrahunt Eſſentiam ex his; & hâc eſſentiâ ſolvunt ſaccharum, & methodo uſitatâ faciunt liquorem ſeu oleum pro tuſſi.

Quidam

℞. hunc *liquorem ſacchari* ad ℔j.

addunt

Olei cinnam. gr. vj.

Aquæ cinnam. ℥iv.

Olei ſulph. ʒj.

Hæc omnia miſcent; & unius cochlearis doſin aſſumunt pro tuſſi, & faucium ac pectoris affectibus.

AUTOR habet, quod communi methodo ſpiritus vini accendatur, & ſic ſeparetur à liquore, ſeu oleo ſacchari: melius tamen eſſe exiſtimo, ut non tam accendatur, quàm abſtrahatur per alembicum, ut ſic relinquatur *Oleum ſacchari*.

Oleum hoc *ſacchari* egregium præterea eſt vulnerarium, & quod recentia glutinare facit, vel quod ulcera jam facta purificat & detergit; abſterſivam etiam vim habet externo uſu, & omnem putredinem in ulceribus arcet; id quod imprimis de liquore, ſeu oleo hoc ſacchari verum eſt. Idem liquor ſacchari poteſt fieri liquor jucundiſſimus, ſi ſcilicet ſpiritus vini, in quo ſolutum eſt ſaccharum, miſceatur cum aqua cinnamomi, & ſic deſtilletur per balneum, in roſtro verò alembici ſit nodulus moſcho repletus, & ſic liquor, qui prodibit, erit liquor jucundiſſimus.

AUTOR noſter pariter *de oleo per deliquium* cum albumine ovi mentionem facit, quod oculorum affectibus, ophthalmiis, lippitudinibus, & nebulis dicatum eſt.

Saccharum ſi fermentatur, dat *Potum vinoſum*, qui in febribus ardentibus optimè convenit, & ventriculo confert: videatur *BECHERUS in Phyſ. ſubterranea*.

Præterea conficitur etiam ex ſaccharo *Eſſentia*, & *Cryſtalli ſacchari* ad tuſſim & aſperitatem gutturis; ſed ſal ex relicto capite mortuo nullius momenti eſt.

SAGAPENUM.

GUmmi *ſagapenum* ſeu *ſerapinum* ejusdem ferè naturæ cum galbano, gummi ammoniaco, & bdellio eſt: colligitur enim ex ſimili prorſus planta ferulacea, ſicuti omnia reliqua gummata, quod ex eadem per inciſionem ſauciata tranſudat & extillat. Sicut & ejusdem uſus eſt cum dictis gummatibus, imò etiam cum reſinis, maſtiche & ſimilibus; paulò tamen acrior, adeoque penetrantior videtur. Jam verò cùm omnia hæc gummata conveniant naturâ & effectu, dum attenuant valdoperè, incidunt, emolliunt, & reſolvunt dura atque compacta, unde habeant has vires, paucis ediſſeram.

In genere præſuppono; omnes arbores nutriri ſucco quodam ſubaſpero & quaſi auſtero; (loquor de truncis.) Hic ſuccus nutritius arborum nunc eſt magis temperatus, nunc minus temperatus: Qui eſt magis temperatus, eſt ille, qui reperitur communiter in arboribus quibuſcunque; Qui minus temperatus, conſiſtentiam obtinet craſſiuſculam & ſubpinguem; & hic ſimiliter eſt vel magis pinguis, vel magis mucilaginoſus: Is qui eſt magis pinguis, ſunt Reſinæ, Terebinthinæ, &c. Qui magis mucilaginoſus, ſunt gummata. Differentia conſiſtit in hoc, quod mucilaginoſa ſolvantur in menſtruo aquoſo & acido, v. g. aqua ſimplici vel aceto; reſinoſa verò in menſtruo oleoſo, quale eſt ſpiritus vini. Obſervetur porrò, quod in genere ex omnibus lignis deſtilletur ſpiritus ſubtilis acidus, quem habet ex ſucco nutritio, & qui etiam eſt in fuligine deprehenſibilis; quæ fit ex ſpiritu in combuſtione lignorum exhalante, & cum reliquis partibus coagulato. Cum ergo gummata & reſinoſi ſucci, qui deſtillant ex arboribus, ſint earum proprium nutrimentum, patet, quare deſtillati etiam dent ſpiritum & liquorem ſubacidum, magnarum virium in medicina; non quidem aciditate fixâ, ſed eſt ſpiritus acidus volatilis, compoſitus imprimis ex liquore acido, & ex liquore ſalino volatili: qui duo conjuncti & uniti dant ſpiritum volatilem admodum penetrantem. Mox autem poſſunt ſeparari ab invicem; ſi ſcilicet in talem ſpiritum ſubacidum volatilem & penetrantem injiciantur lapilli cancrorum, vel corallia, ſpiritus acidus corrodit corallia, iisdemque firmiter adhæret; quo fit, ut ſpiritus volatilis ſulphureus poſtmodum inſtar ſpiritus vini ſit ſeparabilis.

Cum ergo gummata quæcunque, reſinæ itidem, & terebinthinæ quoque ipſæ, ſint largiter dotata tali ſpiritu ſubtili acido volatili & penetrante, facilè patet, unde hæc gummata habeant vim attenuandi, reſolvendi & incidendi craſſa & mucilaginoſa? unde conveniant in ſcirrhis viſcerum internorum, quos interno uſu reſolvunt? quare conveniant in tumoribus duris partium externarum, quos potenter attenuant atque emolliunt? Nimirum præſtant talia per talem ſpiritum volatilem ſubtilem acidum; unde etiam in uſu interno hæc gummata, & ex iis paratæ pilulæ, in frequenti ſunt uſu in obſtructionibus viſcerum internorum. Conveniunt ubi ventriculus & inteſtina obducta ſunt copioſâ pituitâ & viſcidâ & tenaci, ex qua per fermentationem fiunt flatus. Mirum namque eſt, quàm potenter incidunt, educunt & evacuant: ſimul etiam obtinent vim purgantem; unde & incidunt, & inciſa exturbant. In ſpecie ſagapenum in menſtruis & lochiis obſtructis, aliisque morbis uterinis, præ ceteris familiariùs uſurpatum fuit à veteribus. Aliàs in purgationibus quoque, ſed raro, adhibetur.

Externè frequenter emplaſtra attractiva primariò ingreditur. Quoad attractionem hanc, quæ propriè in tota natura non datur, notetur; quod gummata talia in aceto ſoluta acrimoniam penetrantem & ſaporem acrem habeant; undè nudæ cuti appoſita puſtulas excitant, hinc fit, ut ſenſus pruritus excitetur, & parte ita irritatâ affluant humores & ſtagnent; tunc dicunt Germ: *Es hat Wohl gezogen, id eſt, probè attraxit*. Quando ergò opus eſt, ut abſceſſus augmentetur, gummata talia applicari debent. Aliàs nihil ſingulare de ſagapeno monendum eſt.

Pilulæ de Sagapeno ſunt multi uſus, ubi viſcerum, lienis, vaſorum lacteorum, & meſenterii ſunt obſtructiones. In menſibus & lochiis obſtructis aliisque affectibus uterinis, optimè conveniunt; quod etiam de *pilulis fœtidis*, quæ ex ſagapeno originem duxerunt, dicendum, vel ſolis, vel cum pilulis de ſagapeno miſtis.

SANGUIS DRACONIS.

SAnguis Draconis eſt *lacbryma* quædam *rubicunda inſtar cinnabaris*, in parvis quaſi grumis in panes coacta, vel folliculis foliaceis incluſa, ex arbore quadam ſauciata in Lycia tranſudans, ad nos delata, quæ Dioſcoridi cinnabaris vocabatur; de qua conf. *LANGII Epiſt. pag.* 325. Arbor hæc vocatur *Draco*, propterea quod fructus hujus arboris imaginem repræſentet draconis.

Hic ſanguis rariſſimè ad nos affertur genuinus, quin ſæpè ſanguine animalium, præſertim capræ vel hirci, adulteretur; Hinc & cum aceto aliisque acidis miſtus effervefcere ſolet: unde propter ſuſpicionem talis adulterii rarus ejus ſit uſus, nec vires à veteribus adſcriptas obtinet, nec tutò uſurpatur. Hi enim adſtrictorias illi tribuerunt facultates, & propterea tam internè, quàm externè in fluxibus quibuscunque ſanguinis ac humorum valdè laudarunt; externè in hæmorrhagia vulneris, ac ſanguine arteriâ diſciſsâ compeſcendo & ſiſtendo. Quæ vires cum in noſtro deficiant, nemo eodem utatur; quin magis æſtimo Extract. Tormentillæ ſimilis coloris, conſiſtentiæ, ac effectus. Adhibetur aliàs à nobis in pulveribus dentifriciis pro colore rubro illis conciliando. Aliàs nullius eſt uſus.

SARCOCOLLA.

SArcocolla propter glutinoſitatem ita vocatur, quia gummi glutinoſum & emplaſticum eſt, conglutinans quaſi & coagulans carnes: eſt gummi ex arbore Aſiatica ejuſdem nominis emanans.

Electionem habet *AUTOR* ſufficienter.

Adſtringit valdoperè; hinc & veteribus ad dyſenterias uſitata fuit, & contra ſputum ſanguinis pariter commendatur: *ORIBASIO* valdè fuit in uſu, qui exinde paravit Electuarium contra ſputum ſanguinis.

Quoad *uſum externum*, conſtituit Emplaſtra conſolidantia, & applicatur vulneribus & ulceribus conſolidandis & conglutinandis, in quibus pro carne regeneranda & cicatrice obducenda uſitatiſſima eſt, cum ab eodem effectu, ut dixi, habeat nomen: item temperandis acrioribus lymphæ fluxibus, v. g. oculorum, imprimis conducit.

SUCCOLATA.

SUccolata, *Chocolata* potiùs dicenda, quæ non est nativum quid, sed massa composita artificialis, ab Indis elaborata, & in nostras regiones transportata. Paratur scilicet ex fructu cujusdam arboris Indiæ occidentalis, amygdalis similis, qui dicitur *Cacao*, Germanis *Coccos-Nusse*: intus & extus flavet, & succo blando oleoso temperato turget; unde & ad amygdalarum species à quibusdam refertur: Confer. *VESLINGIUS Observat. pag.* 154. item *HOFFMANNUS Clav. pag.* 600. Ex hoc fructu exprimitur succus ab Indis, inspissatus, & parum cinnamomi, fœniculi, piperis & croci, & similia aromata gustui partim, partim etiam viribus magis conferentia, præprimis Vegetabile Ariothes dictum pro colore, adduntur; quæ massa ita composita vocatur communiter *Chocolata*: videatur *MARQUARTUS de Med. Indorum*, & *MARCUS AURELIUS SEVERINUS de Chocolata*. Ex fructu pariter hoc exsiccato contuso ac pulverisato Indi coctione parant potum egregium.

Chocolata genuina apud nos rara est, & sæpissimè mirè adulteratur: inter ℔100. vix ℔ x. genuinæ invenietis. Potus hujus usitatissimus est apud Indos Americales seu in America, qui frequentissimè illo utuntur, & dein Hispanos & Anglos, apud quos frequentis satis itidem usus est. Coloris est subfusci, & quando Angli parare volunt pro potu, recipiunt *Chocolatam*, coquunt in lacte, vel vino; unde subflavum acquirunt colorem: quando coquunt in vino, addunt saccharum: saporis est elegantis & instar emulsionis amygdalaceæ.

Anglis & Indis ipsis usitatissimus est ad vires corporis confortandas & conservandas, & sanitatem in æquali tenore sartam tectamque obtinendam. Nempè vim egregiè temperantem quodvis acre, hinc egregiè nutrientem, & consequenter materiam geniture augmentantem, obtinet: hinc pectori & stomacho imprimis dicata est; adeo ut servis suis manè opificium aggredientibus propinent Indi & Angli potum Chocolatæ, unde fiunt adeò robusti & laboriosi, ut per integram diem sine alimentis, cibo & potu, possint perdurare: & Rex Angliæ delectaturus se pilâ lusoriâ, accipit potum Chocolatæ, ut possit per aliquot horas continuare lusum, in quo maximè excellit. Vis hæc nutritiva & confortativa corporum, hujus fructus cacao, potest deduci per artificium chymicum: destillatione nempè, si iste fructus, prout ad nos fertur, igne aperto per retortam examinetur, prodit primò fuccus seu *phlegma* quoddam, quod *sapit jusculum carnis*: posteà succedit *spiritus* & *oleum*, quæ habent saporem & odorem pinguedinis ex carnibus, dum assatur, in prunas destillantis: vid. *FEBVRE*. Apud nos usurpatur imprimis pro conservanda valetudine senum, item pro nutriendis phthisicis, hecticis, & ad atrophiam declinantibus. Anglis quoque in tussi & affectibus catarrhalibus, ex lymphæ acrimonia acido-salsa ortis, in usu est: quin & in scorbuto convenit, per quam Angli curant suos scorbuticos, temperat enim acidum nitrosum, imprimis si cum lacte decoquatur, aut cum lacte calido dissolvatur, & assumatur manè dosi ℥ß. Aliàs etiam in vino, vel in aqua calida dissoluta pauco addito saccharo matutinis horis hauriatur.

Hispani, sicut nos vinum, honoris gratiâ advenis & amicis, tam sexu virilis, quàm muliebris, propinant potum Chocolatæ. Compositionem ejus & potum apud Indos videb. in *FRANCISCI Lust-Garten*, pag. 491.

In tussi Indi suffumigium faciunt ex fructibus *Cacao*, in quo affectu etiam ipsa chocolata ipsis in usu est. Ex eodem fructu etiam eliciunt pinguedinem instar butyri delicatam, qua præter usum cosmeticum, in affectibus pectoris, præsertim tussi, crebriùs utuntur.

Bonum ergò & revera utile remedium est Chocolata. Cæterum cum omnibus regionibus abundè prospexerit Deus, arbitror, quod etiam apud nos similis mixtura ex amygdalis dulcibus, aliisque quibusdam additis, non inferioris effectus concinnari, & genuinæ substitui possit.

STYRAX seu STORAX CALAMITA.

STyrax Calamita ita dicitur à calamis cannæ, in quibus inclusus è Pamphylia olim fuit advectus: calamis autem fuit inclusus, non quia fuit liquidus (satis enim crassam habet consistentiam) sed ut suavis odor conservaretur, nec ab aere ambiente dissiparetur; quod etiam fecerunt ii, qui Dictamnum Creticum attulerunt. Est enim succus resinosus purus & concretus, suaveolens, & in hoc præ reliquis palmam ferens, qui ex arbore Asiæ, Provinciæ Syriæ, Ciliciæ & Pamphyliæ, colligitur. Hujus nobilior substantia oleosa expressione aut aliâ quacunque ratione separata styracem liquidum genuinum constituit: substantia remanens est iste storax, qui ad nos defertur, cujus sanè indicium est & consistentia, & levitas, & friabilitas.

Propter hanc igitur odoris gratiam commendari solet, quòd caput & spiritus animales confortet: in gravedine igitur & anxietate præcordiorum maximè usurpatur. Conducit quoque in affectibus capitis, stomachi, uteri, pectoris, tussi, raucedine, catarrhis, & similibus malis; unde rotulis & pilulis permisceri solet, sicut & *pilulæ de Styrace*, satis famosæ sunt: rari autem est usus propter pretium.

Externè in suffitu conducit capiti, quod roborat & confortat, vertigino & catarrhis succurrit. Quibusdam pro roborando stomacho in emplastri forma arcanum est: e. g.

℞. *Styrac. calam.*
Aloes an. ℥ß.

Subigantur cum sufficiente quantitate Balsami Peruviani: pasta sumatur pro emplastro stomachali.

Aliàs verò non magni usus est.

Quoad *Præparata*, pro usu interno *Essentia storacis* paranda est cum spiritu vini rectificatissimo tartarisato.

Externè *Oleum stomachale* per coctionem ex styrace elicitum secundùm ZWelfferum Pharmac. Reg. pag. 263. ventriculo & abdomini in horum malis à frigida, ut vocant, causa natis, utiliter inungitur.

STYRAX LIQUIDUS.

STyrax Liquidus Officinarum est liquor pinguis & crassiusculus, consistentiæ terebinthinæ, ex flavo rufescens, sed admodum graveolens, suavis tamen. De hoc non sciunt autores quæ dicunt; quoniam nesciunt, quid sit? nec conveniunt inter se: quare nec nos in eodem explicando multum temporis teremus.

T.

TACAMAHACA.

TAcamahaca resina est ex *arbore* procera, *Tacamahaca*, populo simili, in India occidentali Provinciæ Hispaniæ exsudans, solidæ consistentiæ; adeò ut rarissima sit *Tacamahaca liquida*: de qua vid. M. A. N. C. *ann.* 3. *Obs.* 296. *pag.* 510.

Hæc rarò internè usurpatur.

Externo usu est frequentissima & usitatissima, in genere ad quoscunque dolores partium externarum, in specie nervosarum, ex vitio lymphæ acidæ natos, mitigandos & demulcendos, unde vi anodynâ, resolutivâ, discussivâ, nervorum confortativâ &c. est nobilissima: temperat & lenit quodvis acre, acrimoniâ sibi connatâ dissolvit & attenuat viscidum hinc inde congestum. Deinde in affectibus flatulentis stomachi & intestinorum, colicis convulsivis, hisque similibus ex irritatione nervorum natis, passionibus hystericis, &c. est elegans & multi effectus, si scilicet in mortario calido dissoluta super alutam extensa partibus affectis applicetur. Præ cæteris etiam est specificum expertum, applicata ventriculo, in dolore ejus seu cardialgia, in qua curanda cum emplastro ex Tacamahaca præstitit multa & miranda *POTERIUS C.* 3. *cap.* 32. Undè etiam tale emplastrum usitatissimum fuit *D. MICHAELIS*, quod dedi *sub Balsamo Peruviano*. Emplastro hoc in febribus continuis & malignis, ut & intermittentibus, ubi de anxietate præcordiorum conqueruntur ægri, nil melius est, sicut & in vomitu compescendo, malaxatum cum oleo nucis moschatæ vel macis destillato, vel oleo succini, convenit; non secus ac in doloribus artuum & partium musculosarum, qui catarrhis vulgò adscribuntur, in illo nempè symptomate, quando in vel post sudorem artus frigori exponuntur, & defluxio inde oritur, malaxata cum Balsamo Peruviano: e. g. mihi sequens præparatio commodior videtur:

℞. *Tacamahac. pulverisat.* ℥iii. vel ℥iv.
Balsam. Peruvian. ℥j.

lentoque igne liquefacta misceantur, & optimam dabunt *massam pro emplastro* inducendo, cum & sine sindone ubicunque locorum applicando.

Hic præparandi modus probè est observandus. Nam qui vulgò fieri solet cum terebinthina, minus concinnus, & propter viscidam glutinositatem imprimis molestus esse solet, ut non sine epidermidis læsione removeri queat: utut gummata ejusmodi resinosa, Galbanum etiam, optimè terebinthinâ, ceu resinâ liquidâ, pro usu externo dissolvi queant, meliùs longè quàm cum aceto, ut rectè docet *ZWELFFERUS in Animadvers.* In capitis affectibus dolorificis & catarrhalibus pathematis, emplastrum tale vertici & temporibus commodè applicatur. Dolores dentium carioforum delet, si iis indatur: in quibus aliàs mulieculæ nostrates gestant emplastrum ex Tacamahaca in forma thaleri temporibus applicatum, & multis Chirurgis secretum est secretorum, quo tamen quidam mastichis usum tacamahacæ longè præferunt. In affectibus nephriticis & doloribus arthriticis, speciatim Ischiade, nec non contusionibus omnis generis simili ratione applicatum, multi est usus, malaxatum cum oleo succini; sicut etiam post arthriticos paroxysmos partium affectarum fibras ac membranas roborare, ac debitum in tonum restituere solet.

Oleum aliàs anodyno-polychrestum *ex Tacamahaca* paratur nervis singulare, & in affectibus catarrhalibus, multoque aliis præstantissimum.

Modus parandi hic est:

℞. *Taca-*

℞. *Tacamahaca:*
Maceratur cum *vino*, & per arenam destillatur, additis *silicibus calcinatis*, ne liquefactum gummi in forma nativa per retortam prodeat: prodibit primùm phlegma, hinc *oleum album*, *post luteum*, denique *rubicundum*: quæ omnia probe rectificata quoscunque tumores & dolores optimè tollunt in hemicraniis, affectibus coxendicis, podagricis &c. temporibus illitum defluxiones sistit, & sedat dolores dentium; in paroxysmis colicis, uterinis &c. illitum umbilico, optimum evadet remedium: vid. *HOFFMANNUS Clav. pag.*601.
Emplastrum stomachale Autoris ex *Tacamahacç* p.iii. *Styracis* p.i. & momento *ambrç*, paratur, & sic præstantius est Poterii.

DE TARTARO.

Vox *Tartari tripliciter* usurpatur:
Primò generaliter pro omni acido vinoso, quod in vino reperitur, & cum vino semper conjunctum manet, etiam purissimo; & quod est parens aceti in vino, dum subigit partem vini volatilem in aceto. Hic tartarus in vino est Autor, quod vini potatores sint obnoxii arthritidi & colicæ; sicut calculi & renum morbi ab acido ejusdem coagulante oriuntur: & ita admodum variat pro insigni varietate vinorum. Quò magis enim matura vina, cò tartarus hic magis vel minus volatilis est: magis volatilis, ut etiam cum spiritu per alembicum rapiatur; id quod fit in vino generoso Hispanico, Ungarico, Rhenano: interdum est minus volatilis, ut remaneat in fundo; interdum fit, ut Vitrum vini effusum in tabulam per noctem, manè monstret Tartarum in tabula, qui in vino fuit, cujus farinæ est Gallicum & Jenense. Sic vinum Hispanicum minorem, Rhenanum majorem, Gallicum quoque parcam Tartari quantitatem suggerit: quędam verò vina, Moravica v.g adeò tartarea sunt, ut tartarus manifestè appareat, si nempè ovum per noctem vino immittatur, altero manè prorsus crystallis quasi vitreis, aut imprimis tartareis, incrustatum extrahitur: quod fit, quando acidum in vino rodit testam ovi, quæ copioso sale volatili alcalico est imprægnata: Dum ergò rodit, se conjungit cum sale volatili alcalico corticis ovi, & coagulat se in crystallos tartareas minutas, quæ adhærent altero manè cortici ovi. Hinc enim fit, quod lapilli cancrorum infusi vino, ejus adimant aciditatem, & illud robur suum amittit & saporem, & cum iis se coagulat atque unit, quoniam acidum rodit lapillos cancrorum. Hæc est generalissima, sed allotrica, Acceptio.
Secundò specialiter *Tartarus* vocatur, illa substantia vini, quæ per fermentationem ulterius separata, tanquam terrestris pars in fundum detruditur; & alio nomine propriè vocatur *Fæx vini*.
Tertiò, propriissimè *Tartarus* vocatur concrementum crystallinum acidum terrestre, quod doliis & parietibus doliorum adhæret: ita vocatur, quia fit ex fæcibus, ab acido vini in talem crystallum coagulatis, & est nihil aliud, quàm sal essentiale vini.
Differt ergò Tartarus verus à fæcibus vini in eo, quod fæces imprimis constent salibus volatilibus, & partibus terrestribus copiosis; Tartarus verò ipse constat copioso sale acido subtili, figente spiritus volatiles fæcum, & concentrante salia volatilia earundem, eaque cum terrestri fæcum portione in crystallos coagulante.
De generatione ejus & crescendi modo optimè explicarunt in specie *PORZIUS in Anal Chymica Vini Rhenani*, item *BECHERUS Phys. subterran. lib.*1.*pag.*429. *seqq.* & optimè *HELMONT in Tract. Tartari vini Historiæ pag. m* 235. *seqq:* ubi hic elegans, perspicuus & accuratus est, & meretur, qui legatur. Nempè, ut aliquid de generatione dicam, notum est, quod ex musto, dum fermentat, præter Gas sylvestre narcoticum inebrians, subeuntes suffocans, & candelas extinguens, per fermentationem separetur portiuncula non benè miscibilis, quæ abundat particulis vini salinis, tàm volatilibus quàm acidis, admistis simul portionibus terrestribus; Unde secedit in fundum vasis, & dicitur *Fæx vini*. Jam in omni vino, imprimis quod habet copiosum tartarum, est subtile acidum, quod successivè rodit fæces alcalinas & terreas, & dum rodit, coagulantur ambo in sal crystalliforme: sub quâ coagulatione salium cum partibus terrestribus fæcum, oritur tale concrementum salino-acidum, quod dicitur *Tartarus*; & quidem ex vino albo concrescit *albus*, ex vino verò rubeo *ruber*.
Ab hac similitudine Tartari in vino, desumpta est appellatio *Tartari microcosmici*, per quem *PARACELSUS* intelligit sal recrementosum in corpore humano: Sicut enim Tartarus in vino fit ab acido subtili rodente & coagulante fæces vini; ita etiam tartarus microcosmi dicitur talis succus esse, qui acidus, vitio digestionis primæ in deficiente volatilisatione genitus, in convenienti materia abeat in coagulationes, ex quibus coagulationibus denique nodi, tophi, calculi, gummata &c. producuntur, & coagulationes aliæ.
Tartarus ergò est sal enixum, ex acido vini in ejus substantia media contento, & fæcibus alcalinis oleosis concretum, utut in textura sui acidum dominari videatur: adeoque Tartarus in recessu habet acidum vini, copioso alcali fæcum vini saturatum, unà cum copioso oleo intertexto. Parili enim ratione ex aceto, ceu Tartaro liquido, & sale tartari, vel alio quodam fixo, concretum tartareum obtinetur simile tartaro; vel ex sale tartari, aut quocunque alcali alio, & vino facilè concretum tertium instar tartari haberi potest: & hæc compositio mechanica ipsam tartari generationem naturalem docet: confer. *TACHENIUS in Hippocr. Chym. pag.* 80. *in Clave Hippocr. Chym. pag.* 88. *BECHERUS Physic. subterr. pag.* 369. *& supplem.*2.*pag.*85.
Ex his patet, quid de tartari virtutibus habendum sit; nempè habet vim resolutivam, abstersivam & digestivam pro detergendo muco aliisque sordibus, in stomacho, & intestinis, seu primis viis, stabulantibus. Hypochondriaci & cachectici utuntur illo pro laxanda alvo, in ejusdem nimia obstructione. Usurpatur in vehiculo calido, ut dissolvatur. Refert Thonerus de Cachex. lib.3. observ 4. quòd quidam cachecticus, abhorrens ab omnibus medicamentis, fuerit restitutus solertiâ medici, qui loco salis communis omnibus alimentis addidit pulverem Tartari, qua eleganti fraude æger fuit curatus.
Cæterùm cum in tartaro adsit pars terrestris & fæculenta, quæ non est superabilis à nostro stomacho, & instar calcis cujusdam in fundo ejus præcipitetur & subsidat, propterea superficialiter præparari solet, ut secernatur pars crassior & fæculenta: fitque per solutionem iteratam & coagulationem, ex quibus oritur cremor & crystalli Tartari: Solvitur enim tartarus in aqua calida, agitatur probè cum baculo, & solutus dat in superficie cutem seu spumam salinam, quæ cum cochleari perforatâ ablata & denuo pulverisata, dicitur *Cremor Tartari*; aqua verò reliqua trajicitur per pannum, & in loco frigido denuò concrescit in *Crystallos Tartari*.
Sed observetur, quod interdum, ut crystalli fiant puriores & magis perspicuæ, sæpiùs iteretur hæc solutio; sed perperam: nam semper in aqua pars alcalica volatilis remanet, unde debilitantur, & tantum virium decedit. Id ne fiat, semel, aut ad summum bis, sufficiat solutio seu crystallisatio.
Tartarus depuratus seu Cremor & crystalli Tartari egregiè incidunt viscidum & abstergunt, penetrant, urinam promovent, & simul blandè laxant; unde medicamentis laxantibus & purgantibus adduntur, quia eorum vim laxativam promovent: Constant enim utroque principio fermentativo, acido & alcali volatili, utut præponderet acidum. Imò sunt, qui cremorem & crystallos tartari ceu Digestivum universale, & præparativum excrementorum ad purgationem & evacuationem, commendant. Hinc in affectibus hypochondriacis, nephriticis, & affectibus cachecticis & similibus pro stimulanda leniter alvo commodè propinantur; purgantibus enim additi adjuvant eorundem operationem: e.g.

℞. *Crem.* vel *Cryst.Tartari* ʒß. ad ℈ii.
Diagryd. vel *scammon. sulphurat.* gr. ii. vel iii.
Misce fiat *pulvis*.

Et sic medicamentum laxans habemus in dictis affectibus multi usus. In febribus intermittentibus medicina polychresta in Tartaro est, sive solitariè usurpetur, sive crystalli subigantur diu terendo cum coralliis præparatis, quod dicitur *specificum esse febrile Kergeri*.
Verùm in usu crystallorum & cremoris tartari observetur; quod *primò* assumendi sint in liquore, quantum possibile, fervido, vel carnis, vel gallinæ, vel alio jusculo, vel cerevisia calida, ut meliùs dissolvantur in eodem; quia aliàs moras in stomacho nectunt, tardiùsque operantur. *Secundò*, dum assumuntur, benè sunt motilanda pro faciliori dissolutione eodem fine, ne in ventriculo coagulata aut concreta subsistant, sed resolvantur.
Elegantem modum, Cremorem & crystallos Tartari cum simplicibus alterantibus & purgantibus imprægnandi, subministrat *ZWELFFERUS in Mantissa Hermet. ult. Edit. pag.*411.
Prostant etiam in affectibus hypochondriacis *Pilulæ de Tartaro Quercetani*.
Sic quoque prostat elegans *Tractatus Medicorum Heilbrunnensium de Cremore Tartari*, conscriptus contra Pastorem quendam paganum, qui omnes morbos curare voluit cremore tartari.
Habemus in Officinis *Cremorem tartari* seu *crystallos rubicundas* sub nomine *Pulveris Hepatici Dresdensium*, qui valdè convenit in corrigendo stomacho, & in compescendâ ebullitione sanguinis à sale volatili: Convenit itidem tempore æstivo pro arcendo æstu nimio, pro arcenda ebrietate & similibus aliis; hinc Germanis dicitur *das Sauffpulver, idest, pulvis potatorius*; quia manè si sumpserimus potum consveto majorem innoxiè perferre possumus; atque ad quam plurima alia commendari, notum est. Præparationem videre potestis in *ROLFINCII Chym. in Artis formam redacta*, & hinc inde apud Autores.
AUTOR etiam Nu. 2. & 3. præscribit modum parandi *Tartarum chalybeatum*, qui est egregium medicamentum, & multi usus in malo hypochondriaco. Optimè paratur cum ana *Crem. tartari*, & *limat. Martis*, terendo & coquendo tamdiu, donec omnis Mars resolutus instar pulveris reperiatur; & in cachecticis, quartanis, scorbuticis, hypochondriacis, & aliis affectibus chronicis, optimo cum successu adhibetur; absorbet enim acidum in affectibus chronicis, hypochondriacis. Confer. *ZOBELIUS in sua Tartarologia*.
Succedunt nunc Præparata ex Tartaro chymica: & quidem primò Tartarus igne aperto per retortam destillatur, unde prodit (1) *phlegma spirituosum urinosum*; (2) *oleum* copiosum admodum *fœtidum* empyreumaticum; & (3) remanet *caput mortuum* nigrum, continens copiosum *sal fixum* lixiviale, & *terram* nigram.

Suprà

Suprà dixi, quod constet Tartarus ex copioso alcali volatili concentrato per acidum vini subtile: Dubium ergò; ubi acidum Tartari in ejus destillatione maneat? & quomodo amarities illa spiritus destillati oriatur? Communi modo si procedatur, destillatione aciditas ex tartaro haud separabitur, aut vix sensilis eadem observabitur; adeoque phlegma acidiusculum, quod pro spiritu tartari vulgò exhiberi solet, suppositum est. Dum ergò moderato & leni igne retortæ inditus urgetur Tartarus, liquescit, acidum agit in alcali, & alcali vicissim in acidum, & tali mutuâ actione & reactione seu fermentatione subtiles partes erumpunt sub forma liquoris seu spiritus urinosi: Quod enim talis oriatur fermentatio in retorta, patet exinde, quod tunc temporis copiosus exhalet spiritus seu gas sylvestre, adeò incoercibilis, ut omnia vasa angusta & clausa penetret, imò ædes perreptet, propter obortam fermentationem intensiorem: Quod si verò exactissimè vasa sint clausa, non potest fieri, quin rimas agant, & dissiliant. Dum ergo acidum agit in alcali, fit, ut sensim sensimque acidum & alcali arte resoluta se conjungant, & cum oleosa parte maximè abundante colliquentur, acidumque prorsus obliteratur usque adeò, ut ex commissione oleositatis, acidi & alcali ex colliquatione mutua, indeque mutata textura, oriatur partim liquor oleosus crassus & fœtidus, qui cùm sit *oleum destillatum*, nihil aliud est, quàm sal volatile tartari concentratum ab acido, & in olei corpus seu formam redactum; partim verò sal tartari fixum alcalinum in capite mortuo remanens, qui aliorum acidorum more ex arctiori combinatione & fortiori liquefactione acidi pinguis cum alcali volatili originem duxit.

Ex hoc apparet, quàm varias formas ignis attribuat rebus, quæ sub ejusdem sunt tortura seu Dominio, ut v.g. Tartarus abeat in spiritum. in oleum, & alcali fixum: vid, quædam in *TACHENII Hippocr. Chymico*.

Tartarus nempè ex suâ primâ generatione est admodum alcalicus ex sale acido præpollente; quod etiam gustus testari potest: nihilominus si per ignem destilletur, in omnibus productis ne tantillum acidi reperitur; quoniam omne acidum, concentratum per fermentationem & subactionem ab alcali, concentratur ab arte cum alcali, & dat oleum. Idem alcali liquefactum cum acido, dat sal alcali fixum in capite mortuo, adeò ut hoc non sit naturale, sed omninò artificiale: Id quod non tam de hoc, sed de omnibus salibus fixis & lixivialibus Vegetabilium est intelligendum.

Spiritus iste *Tartari*, sive liquor urinosus tartari, qui primùm prodit, probè dephlegmetur, sic fit tandem urinosus volatilis, & eò melior in operationibus, & efficacior in medicina.

Modi parandi *spiritus tartari volatiles* sunt varii. Sunt, qui spiritum tartari vulgarem rectificant proprium super caput mortuum remanens, quod copioso sale fixo est impiægnatum. Fundamentum est hoc, quoniam scilicet in spiritu tartari, utut urinoso, adsit tamen subtile acidum, quod impedit penetrationem salis volatilis penetrantissimi; Dum ergò reaffunditur spiritus tartari capiti mortuo, impraegnato sale fixo, fit, ut à sale fixo acidum in spiritu restitans imbibatur, & sal fixum uniat sese cum acido in spiritu volatili, & illud retineat; unde spiritus tartari urinosus perfectus exhalat, & instar spiritus cujusdam urinosi volatilis se repræsentat. Paucus quidem habetur, reverà tamen perfectè urinosus volatilis. *Volatilisari* etiam potest *spiritus tartari vulgaris*, si scilicet misceatur cum spiritu vini, hinc dulcescit, & saporem & odorem nauseabundum & fœtidum perdit; quâ misturâ destillatâ, prodit *spiritus tartari volatilis* cum spiritu vini, in fundo remanente phlegmate: qui spiritus egregium solet esse sudoriferum.

Duo aliàs in tartari præparatis primaria sunt, quæ modernos exercent:

(1.) Spiritus volatilis urinosi in majori copia acquisitio.

(2.) Salis tartari fixi cum variis acidis, aliisque corporibus, pro usu Medico combinatio.

Quoad prius, plures admodum tentati fuerunt modi copiosum *spiritum urinosum*, & si possibile, *sal volatile* ex tartaro elicere, in quo præprimis occupatus fuit *LUDOVICI*, uti videri possunt experimenta in M. A. N. C. *Ann.6. Observ.243. pag.358*, qui tandem ex parte una sacchari vilioris cum tartari part. ii. extremo arenæ gradu octo vel decem horarum spatio elegantem *spiritum urinosum* ad ℥xij. & ℥xiij. acquirit, tartareo odore & sapore simillimum: quorum tamen loco melior & copiosior *spiritus volatilis* habetur *ex fæcibus vini* exsiccatis, ex quibus omnem suam volatilitatem tartarus habet; & qui novit artificium hoc, simul acquirit *sal tartari volatile* egregium, quod in forma nivis alembico adhæret, saporis urinosissimi & subfœtidi odoris, instar salis volatilis urinæ. Nam miscela tartari cum alumine, aut etiam volatilisatio salis tartari fixi cum alumine instituta, nil valet: Quod enim tunc prodit volatile urinosum, maximam partem est ex alumine, nempè portiones sunt urinæ humanæ, quæ alumini pro meliori crystallisatione fuit addita.

Sed eo ipso, quo tam copiosum oleum empyrevmaticum in destillatione tartari prodit, manifestum est, sub hoc ipso sal volatile copiosissimum ab acido pingui concentratum delitescere. Artificium ergò copiosiùs parandi substantiam urinosam volatilem ex tartaro, consistit in concreti hujus resolutione; quod ipsum fit tribus modis:

(1.) Vel ipsum oleum cum sale alcali fixo mediante digestione recludendo.

(2.) Substantiam oleosam per ignem deflagratione destruendo.

(3.) Eandem mediante putrefactione invertendo.

Omnibus his modis copiosus *spiritus* & *sal volatile* elegans *ex tartaro* haberi potest.

Priorem quod attinet *modum* per digestionem & rectificationem olei tartari empyrevmatici, destillati cum sale tartari aliove fixo, & inde salis volatilis copiosi elevationem, hunc videbitis in *LUDOVICI de Sale Tartari pag.19.* & præsertim in *HOFFMANNI Clave pag 604.*, & ipsemet vidi optimè succedere negotium.

Secundus modus per deflagrationem, manifestus est in destillatione tartari cum nitro per retortam tubulatam in *Clysso urinoso*, *spiritu carminativo*, & similibus In his enim adjumento nitri deflagratur pingue tartari, & colligitur in receptaculo *spiritus tartari volatilissimus* urinosus, qui super caput mortuum rectificatus sal volatile suggerit. Nempè nullum oleum empyrevmaticum tunc prodire solet, destructo concreto pingvi, mediante detonatione & ignis deflagratione. Spiritus hic est & potentissimus: Receptaculum autem contineat aliquid *aquæ simplicis pro Clysso urinoso*, vel *spiritus vini pro spiritu carminativo*.

Hujus spiritus tartari ejusque salis volatilis usum quod attinet, imprimis ea, quæ dicuntur de spiritu tartari fœtido, intelligenda sunt de spiritu tartari volatili, in quo vires sunt exaltatæ, & longè potentiores quàm in vulgari: cumque sit volatilis urinosus, patet, quod conveniat externè & internè in affectibus ab acido vitioso, præsertim vinoso, oriundis, cùm acidum istud vinosum tanquam sui compos ratione salis urinosi etiam in remotis corporis locis præ aliis volatilibus destruat & dulcescere faciat, ac ita morbos inde natos curet. Nempè specialem adhuc in radice convenientiam quandam habet cum matre sua, vino; unde morbis dictis apud nos corrigendis conveniens imprimis ejus usus est. Unde insignis est ejus usus internè in pleuritide, affectibus hystericis, hypochondriacis, scorbuticis, cachecticis, & similibus morbis chronicis tartareis, per urinam & sudorem purificando sanguinem: in febribus etiam intermittentibus, præmissis præmittendis, egregiè est sudoriferum & diureticum; urinam enim movet potenter: adeoque in hydrope est ejus usus adeò exoptatus. Ulteriùs in paresi ex colica spiritus tartari volatilis vel intrinsecùs assumptus, à ℈j. ad ʒß, vel extrinsecùs membris paralyticis inunctus, est expertum remedium; & quidem internè in tali casu adhibetur sub vehiculo vel vini vel decocti enulati; curat enim sic paresin per sudorem. In calculo, podagra, & arthritide vaga & fixa, doloribus artuum scorbuticis & similibus, egregii quoque est usus; quoniam acidam lympham, nervos infestantem, & tendines pungentem & corrodentem emendat: coagulationem in tophos impedit, internè assumptus, externè inunctus, aut cum linteis applicatus.

Tertius modus per putrefactionem est elegans & penetrantissimus. Sic habetur spiritus & sal volatile, *teste BECHERO Physic. subterr. pag.429. & seq.* item in *supplem.2. pag. 93* Novi amicum, qui ex tartaro egregium & copiosum paravit spiritum instar spiritus salis ammoniaci penetrantem, in quibuscunque morbis tartareis, ex acido viscido oriundis, maximè utilem. Morbi enim nostrates acidi ortum habent ex esu & potu acido; Ergò per symbolizationem destruitur à tartaro alcalino. Artificium consistit in legitima tartari putrefactione. Retulit hic ipse amicus, se tartarum miscuisse cum s. q. aquæ simplicis, coquendo ad dissolutionem tartari, quam cocturam inspissavit in tantum, ne tartarus in grana denuò concrescere & coire potuerit; sic enim successivè putrescere. Putarim, si verus est processus, melius esse, si cum musto hoc modo coquatur tartarus: non solùm enim promovebitur putredinis negotium; sed etiam ipsum mustum supplementum spiritui & sali volatili subministrabit. Alii copiosâ aquâ affusâ in blanda digestione tartarum continent, ac ita ad putredinem eundem deducunt. Arbitror optimam & brevissimam viam putrefaciendi tartarum esse, si misceatur cum solutione salis cujusdam alcali fixi, donec cessante effervescentiâ dissolutus appareat tartarus, & ita blando calore cum s.q. aquæ digeratur: Enervabitur sic acidum tartari, dissolvetur & invertetur textura olei, & consequenter motu putredini simillimo ita alterabitur tartarus, ut spiritus & sal volatile haberi queat. Nempè videtur huc respexisse *LANGELOTT* in famosa sui tartari fermentatione, de qua vid. *Epist. ad Nat. Curios. pag.10* & *BARTHOLINUS Cent. II. Epist.42. pag.532.* item *Epist. BECKII ad Langelott.* de hac materia; dum solutioni salis tartari additur tartarus crudus, quo ingens ebullitio excitatur propter sal tartari fixum, quod congreditur cum acido tartari; in crystallos abeunt lamellarum instar, & sunt diureticum singulare. Et hoc est, quod dicitur, quod sal tartari per fermentum proprium fermentatum, det spiritum volatilem.

Sed effervescentia hæc est saltem, non verò fermentatio; & bullæ istæ aviformes communes sunt quibusvis aliis fermentationibus concretorum non nihil pinguium; & spiritus, qui hoc modo obtinetur, nihil præ vulgari tartari spiritu obtinet. Unde & *BECKIUS* minus ferit scopum, dum concretum quasi ammoniacale exindè emergere putat: quod tamen ad concretum tartari pingue, & diversimodè compositum, non adeò quadrat. Habetur saltim putredinis in

in tartaro, ejusque per alcali putredinis motum resolutionis, & res sponte patebit, uti *suprà* ex olei empyrevmatici cum sale fixo digestione innotuit.

Cæterum optimus *spiritus tartari volatilis* est, qui fit *ex fæcibus vini*; & præ cæteris omnibus *per detonationem* cum ana *nitri* paratus *spiritus* sic dictus *carminativus de tribus*, cum parte tertia *salis tartari* vel *cin. clavell.* aut *calcis vivæ*, per retortam ritè destillatus in receptaculum, cui *spiritus vini tartarisatus* infusus sit; & *Tinctura solaris nephritica Ammelungii*, quæ præparatur ex ana *tartari*, *nitri*, *mineræ antimonii*, & *silicum Saalfeldian. solarium*, qui maculas & fibras quasi solares striatas habent: pulverisatis his admiscendo nitrum in aqua calida solutum, subigendo probè, & reponendo aliquandiu in cella, sæpiùs agitando, destillantur postmodum per retortam cautè, nè cum impetu fulminante omnia diffringant: liquor prodit urinosus coloris nonnihil aurei, egregius propter sal volatile tartari non nihil oleosum; nam parum sulphuris antimonii est quod continet, & nihil quod ex silicibus habet: parum igitur respectu hujus præstare potest.

Dosis ʒß. vel ʒj.

Post spiritum tartari vulgarem, *oleum* copiosum *fœtidum*, sub quo copiosum sal volatile ab acido pingui concentratum delitescit, prodire, *superiùs dixi*; Hæc enim duo conjuncta exeunt sub forma olei, quod est liquor crassus obscurus & fœtidissimus; ob id à multis rejicitur ut inutile quid: sed perperam; cum in eo sit sal volatile concentratum egregium, magnarum in medicina virium. Multa certè latent adhuc in hoc oleo paucis cognita. Miscetur cum cornu cervi usto, vel cum cineribus animalium, & rectificatur aliquoties; sic acquiritur oleum coloris aurei, saporis & odoris penetrantissimi, in colica, passione hysterica, &c. dosi gutt. iij vel iv. in haustu vini: corrigit quodcunque acidum, & pellit sudorem fœtidissimum. Ubi opus ergo forti sudorifero, optimum est. Præservat calculum, purificat renes, &c. Externè ad scabiem & luem Veneream multùm conducit: Adhibetur etiam in tumoribus malignis, bubonibus & carbunculis pestilentialibus, imprimis pro iisdem maturandis, ut & pro ulceribus ex maturatione ortis purificandis & consolidandis: Mirificè resistit doloribus podagricis, & emplastri loco renibus applicatum, dolores nephriticos sistit.

Postquam oleum prodiit, in capite mortuo *sal fixum* restitat, conjunctum cum copiosis nigris terrestribus portionibus, quod factum ex colliquatione alcali & acidi: quæ duo cum particulis terrestribus & pinguibus colliquata abeunt in sal fixum, quod de omnibus salibus lixiviosis vegetabilium verum est, quæ non nativa sunt, sed igne producta, per fortem colliquationem facta.

Hoc sal tartari elixiviatum fixum est medicamentum singulare multi usus in Medicina & Alchymia. Nam quæcunque acida aliena in primis viis destruit, febrifugum est optimum, ante paroxysmum in vino assumptum, pellit potenter urinam: Deindè digestivum est celebre in morbis chronicis & affectibus hypochondriorum ab acido ortis. Ulterius etiam liquefactum in aqua adhibetur pro correctione omnium venenorum, imprimis purgantium; v. gr. pro infusione purgativa ex fol. sennæ in aquam appropriatam, addatur sal tartari fixum, & hoc elicit potenter virtutes, vt promptè ab illo sequatur purgatio. Ex hoc fundamento prodit *Infusum laxativum Mannagettæ*, quod describit ZWELFFERUS *in Pharm. Reg.* quod paratur equidem cum cremore tartari; melius tamen foret, si pararetur cum sale fixo tartari. Unde in usu est, ut ingrediatur nodulos purgantes & alterantes vino infundendos sal tartari fixum; hoc enim solutum à vino efficit, ut extrahantur fortiùs virtutes vegetabilium.

Si hoc sal tartari ponatur in locum humidum, liquescit in liquorem (salia enim alcalia facilè liquescunt in humido) & vocatur *Oleum tartari per deliquium*, ad differentiam olei destillati fœtidi. Hoc externè in usu est creberrimo inter cosmetica, contra serpiginem imprimis, pruritus, scabiem, pustulas, varos, & sorditiem cutis quamcunque præsertim cum s. q. olei amygdal. dulcium factum: Destruit nempè acidum intercutaneum, unde dicta mala oriuntur. In achoribus & tineis capitis infantum, in gutta rosacea & similibus, quæ proveniunt ab acido fermentativo sub cuticula concluso, egregium est.

Tandem etiam in Alchymia sal tartari magni est usus pro resuscitandis metallis, & pro elaborando *Mercurio corporum metallicorum*; unde etiam privilegiatum dicitur sal tartari TACHENIO, quatenus tanquam naturæ semi-mineralis potentiùs operatur in concreta metallica, aliaque mineralia, agendo in eorum sulphur; unde inter salia resuscitativa dicta præ cæteris eminere solet; inter quæ etiam pertinet spiritus urinæ, sal fuliginis, spiritus salis ammoniacalis, &c. Sal tartari tamen primatum obtinet, ejusque singularis est vis potenter omnia resuscitandi, & Mercurios vivos producendi. Fundamentum consistit in hoc, quoniam præprimis solvuntur metalla per spiritus acidos: dum ergo sal tartari fixum adjicitur, conjungit se cum acido, quo acido separato, ipsa metalla liquefacta in igne regenerantur, antiquam formam assumunt & resuscitantur. Item concretio metallorum, quâ solutâ Mercurius vivus acquiritur, fit ab acido: Dum ergo hoc acidum per salia resuscitantia, qualia sunt omnia alcalia, imprimis per sal tartari fixum, solvitur & attrahitur, fit, ut solvatur coagulationis vinculum, & acquiritur sic Mercurius corporum metallicorum, qui multi est usus in Alchymia & Chymia. Multa sanè habent in hoc sale tartari volatili Alchymistæ, quia singulare privilegium obtinet, uti *dixi*, in metallis resuscitandis, & Mercurio vivo producendo.

Quod II. salis tartari cum aliis, præsertim acidis, pro usu medico combinationem attinet, has inter eminet *Terra foliata tartari*: scilicet *sali tartari fixo* affunditur *acetum destillatum* q. s. pro saturando sale tartari; sic acidum volatile aceti se jungit cum sale fixo tartari, & prodit per alembicum insipidum: hoc si fit toties, usque dum acetum sub antiquâ suâ acredine super alembicum ascendat, & remaneat sal tartari ab aciditate aceti saturatum, fit *Tartarus* quasi *regeneratus*, *Terra* dicta *foliata tartari*, vel *sal tartari essentiale*, à quo spiritus vini aliquoties abstrahitur.

Multum valet in Medicina, estque excellens menstruum pro recludendis vegetabilibus, & extrahendis eorum essentiis; sicuti eadem terra foliata tartari convenit egregiè in eliciendis *tincturis metallorum*, & cum hac præparatur *Tinctura Martis aperitiva* ex vitriolo Martis; quæ Autore ZWELFFERO est inventa, & est excellens remedium in morbis cachecticis, & aliis quibuscunque chronicis: vid. *Mantissa spagyr.* ZWELFFERI *pag.* 337. Terra hæc foliata tartari, conjuncta cum spiritu salis ammoniaci in digestione, est remedium singulare in malo hypochondriaco, scorbuto, & similibus. Vocari etiam solet aliàs *sal essentiale vini*, quoniam parata est ex sale tartari fixo, aceto, & spiritu vini; adeò ut ex hac terra denuò possint destillari, tanquam ex tartaro, spiritus, oleum, & sal fixum mirâ naturæ pericyclosi. De hac terra tartari foliata videatur ZWELFFERUS *in Apologia contra Tachenium*, imò ipse TACHENIUS *in Hippocrate Chymico*, & ROLFINCIUS in sua *Chymia*, ubi *de Tinctura Martis aperitiva*, & simul de hac *terra tartari foliata*. Egregium est diureticum, quod magnifecit SENNERTUS, uti videre est *in Institutionibus*. Terra foliata hæc tartari, si solvatur in loco frigido in liquorem, vocatur *liquor terræ foliatæ tartari* seu *arcanum tartari*. Terra foliata tartari, si cum sale volatili ammoniacali conjungatur, & humectatum per retortam, in cujus recipiente sit spiritus vini, destilletur, liquor prodibit admodum spirituosus volatilis, & valdè penetrans, qui resolvitur in spiritu vini, & est remedium penetrantissimum atque gratissimum.

Terra hæc foliata tartari, loco tædiosæ cum aceto præparationis, compendiosiùs haberi potest, si

℞. *Cryst all. tartari* ℥viij.
Sal. tartari ℥iv.
Aquæ comm ℔iij.

Filtretur liquor post ebullitionem factam, & evaporetur ad siccitatem, & in fundo restabit sal candidum.

Hoc ipsum optimè cum Martialibus jungitur, speciatim cum vitriolo Martis, & exinde fit vel in forma liquida *Tinct. vitrioli Martis Zwelfferi*, vel in forma sicca *Pulvis Martialis compositus*: vid. ZWELFFERUS *loc. all.* Quin imò & ipse cremor tartari cum vitriolo Martis probè subactus, compendiosiùs sub eadem efficacia eadem remedia, tàm in forma sicca quàm humida, suggerit, *Autore* LUDOVICI *in M. A. N. C. Ann.* 3. *Observat.* 250. *pag.* 454.

Tinctura tartari ab AUTORE sub hoc nomine descripta, propriè loquendo est non ens, & nihil aliud, quàm sal tartari fixum, subtilius cum substantia fæculenta, ex calcinatione intensiore enata, in spiritu vini soluta: Recipiunt nempè sal tartari calcinatum ad cæruleitatem, affundunt spiritum vini, ponunt in digestionem, decantant, sal tartari iterum calcinant; hinc etiam omnem suam efficaciam debet sapori acri alcalisato: sed est impostura: Nam perfectè calcinatum sal nullam deponit tincturam; sed quicquid tincturæ est, id habet à sulphure carbonum incensorum, ab alcali tartari imbibito; Unde etiam usque ad cæruleitatem calcinari debet, quo elegans & rubicunda tinctura obtineatur. Tinctura ergò ista non elicitur ex sale tartari; sed oritur ex spiritu vini, cum scoriis terreis salis tartari per fortiorem calcinationem genitis, se tingentis; quibus pro tincturæ exaltatione ipsum sal à spiritu vini blando calore imbibitum aliquantulum tribuit. Per experientiam constat, violentâ calcinatione ad cæruleitatem usque successivè ipsum sal tartari absumi penitus, ut factâ novâ semper lixiviatione, inspissatione & calcinatione totum sal fixum destrui possit & in fæces obscuras commutari. Has fæces, quæ cæruleum colorem sali tartari conciliant, imbibit spiritus vini cum particulis salinis, & exindè tincturam istam repræsentat. Si recipiatur caput mortuum spiritus carminativi probè calcinatum, & infundatur in spiritum vini rectificatum, cujus partibus iij. pars 1. spiritus tartari addita fuerit, mediante digestione pars alcalica spiritui committitur, ac elegans ac pro usu Medico efficax Tinctura sic paratur.

Vi alcalinâ acida primarum viarum absorbet, cum iisdem in salsum saporem diureticum abit, & egregium remedium est contra calculum, mucilaginem stomachi incidit, appetitum provocat, corpora resinosa dissolvit, & usui medico aptiora reddit, menses stimulat, &c. Cùm hac quælibet resinosa aliàs irresolubilia in essentias adiguntur.

Paratur etiam *Tinctura tartari acris*, ex tartaro & calce viva coctis vel calcinatis, hinc extractis, inspissatis: quod cum spiritu vini digeritur, & ad usum servatur.

Ex

Ex hoc sale tartari fit *Tartarus vitriolatus*, affundendo sali tartari spiritum vitrioli. Alii cum spiritu salis componere satagunt sal tartari, sed labor horum frustraneus est: Nil aliud enim quàm vitriolum & sal regeneratum accipiunt. Præfero ergo *modum Tacchenianum in sua Clave Hippocrat. Chym. pag.*70. Optimè fit ex oleo tartari per deliqu. & vitriolo ex minera Martis solaris in aqua soluto, ad imitationem nempè *TACHENII loc. alleg.* vid. *WEDELIUS Pharmac. pag* 21. sic enim in sal salsum amaricans abit.

Elegans & universale est digestivum ante purgationem pro affectibus ventriculi & intestinorum, & aperitivum viarum & meatuum obstructorum; sapore enim suo salso, & vi nonnihil laxativa & diuretica insigniter abstergit & temperat; hinc in morbis chronicis remedium meritò laudandum est. Observatur quoque, quod si tartarus vitriolatus à ℈j. ad ʒß. purgantibus admisceatur, dimidia saltim dosis sit sumenda purgantis, quoniam tartarus per se habet vim proritandi alvum, & stimulandi intestina ad excretionem.

Ulteriùs paratur *Tartarus vitriolatus metallicus*, seu qui conjungitur cum metallis, imprimis tartarus vitriolatus antimoniatus, ex liquescentia & fusione mutua antimonii & salis tartari, elixiviati ex capite mortuo, affuso spiritu vitrioli.

Quidam ad imitationem tartari vitriolati parare satagunt *Tartarum nitratum*, si spiritus nitri conjungatur cum sale tartari; (per effervescentiam enim coeunt;) qui egregius dicitur in multis morbis internis, cui multum tribuit *BARTOLETTUS in Tract. de Respir. Diffic. lib.*5. *cap.*1. Sed observetur, quod sicut sal tartari cum spiritu salis conjunctum, dat sal commune; ita cum spiritu nitri det verum nitrum regeneratum.

Denique cùm sal tartari fixum non sit adeò magnarum virium, si sub fixitate sua persistat, propterea semper allaborarunt omnes Alchymistæ, ut volatilisaretur: Ubi observetur distinctio, quod aliud sit sal tartari volatile, & aliud sit sal tartari volatilisatum. Nam sal volatile tartari potest parari ex fæcibus vini exsiccatis, quod est egregium, uti *suprà dictum*. Quod autem attinet salis tartari operosam, milleque modis tentatam volatilisationem, ad quam primus omnium stimulum addidit *HELMONTIUS Tract. de Febribus cap* 15. §.26. *& cap.*17. *§. ultimo*, magnus requiritur labor, & qui norunt volatilisare sal tartari, habent succedaneum liquorem Alcahest, seu menstruum universale. Sal enim hujusmodi fixum volatilisatum est remedium penetrantissimum, quod autore *HELMONTIO* proreptat ad quartum digestionis limen, quod statuit in arteriis, quodque saponariâ virtute quascunque partium sordes abstergit, & corpus purificat virtute stupendâ. Mirum quid in melancholicis affectibus præstat sal tartari volatilisatum!

Natura volatilisationis salium fixorum consistit in eo, ut terra figens superflua separetur à salibus fixis; ut salia colliquata, acidum pingue cum alcali volatili, redigantur in naturam volatilem, quæ, quoniam ignis colliquatione admodum ante sunt concentrata, emerget sal volatile quasi oleosum acerrimum, penetrantissimum, in solutionibus corporum & inde parandis remediis efficacissimum.

Quare autem salia fixa tanto studio volatilisare nitantur Autores, & in quo salia fixa volatilisata, à salibus per se volatilibus differant, optimè videtur explicare *BECHERUS in Suppl* 2. *pag.*82. *& seq.* Conf. etiam quoad hanc materiam *BECKIUS Epist. de Sale Tartari p.*19. item *in Experim. pag.*124. *&* 144 *& seq.* Perficere hoc ipsum res multi laboris est, ut hoc docet *Barnerus in Prodr. Vindic lit. C.* & imprimis laboriosissimum se exhibuit *LUDOVICI Tract. de Sale Tartari.* *Modi volatilisandi* instituuntur varii; infelici tamen cum successu. Sunt qui alumen cum Sale tartari fixo mistum destillant; unde acquirunt spiritum urinosum, & sal volatile: sed hoc sal non ex tartaro, verùm ex alumine est. Quidam volunt volatilisare per spiritum vini egregiè correctum & rectificatissimum; & verum est, quod aliquid substantiæ volatilioris alcalisatæ rapiat secum spiritus vini per repetitas per retortam cohobationes; sed genuinam non sapit volatilisationem. Alii volunt volatilisare sal tartari per deliquescentiam reiteratam in Aere, quali modo *ZWELFFERUS in Pharmac. Regia pag.*247. magno hiatu multa promisit: sed labor hic est ridiculus, & sophisticus; quoniam acquiritur nil nisi aqua elementaris. Epicrisin quoad hunc laborem videbitis in *LUDOVICI Præfat. de Sale Tartari*, item in *BECKII Medit. & Experim. circa Rerum Natural. Princip. pag.*155. Alii volunt volatilisare sal tartari fixum per rorem majalem, & spiritum ejus; quod est magis probabile: sed est labor admodum difficilis. Alii aceto mediante hoc peragere nituntur, ita ut sal essentiale tartari, crebriori destillatione & renovatâ imbibitione sal fixum totum tandem secum rapiat: Succedit negotium, sed tam tardè & successivè, ut particulæ fixiores repetito igne & aceti rosione ita dispergantur, ut nullibi inveniantur. Alii ex spiritu tartari, oleo tartari destillato, & sale tartari fixo, per repetitam digestionem & destillationem omnia unire, & tandem ipsum sal fixum sic volatilisare nituntur: sed quod habetur Sal volatile, videtur esse ex oleo, dum ipsum sal fixum maximam partem in fundo remanebit. Ergo meliores encheirises ulteriùs investigandæ erunt. Modum ex tartaro eliciendi sal volatile habet *BOYLE Chym. Scept. pag.*142.

Plura qui cupit *de Tartaro* ejusque medicamentis, videat *SACHSIUM in Ampelographia*, ubi multa habet de hoc ipso *Tartaro*.

THUS.

THus quid sit? omnibus notum est; nimirum resina elegans, exstillans ex arbore exotica resinosa. Solet adulterari sæpiùs & permisceri cum cortice & resina pini, sed fraus potest deprehendi in ignem injectione; quia fumus de pino talem non spirat odorem, quemadmodum Thus.

Vulgò *duplicis* habetur *generis*: *Masculinum* & *fœmininum*. *Masculinum* est, quod est *album*, aut *modicè flavum* purissimum, & in globulos rotundos concretum instar testiculorum; unde etiam Thus masculinum vocari obtinuit: *Fœmininum* est *magis resinosum* & molle.

Quoad *vires*, non ultimi usus est. Ingreditur theriacam, & cum aliis laboriosam illam constituit compositionem. Alii pro roborando & confortando ventriculo deglutiunt aliquot grana thuris, iisque ventriculum admodum confortari dicunt. Vires habet temperatas, indeque ad acriores humani corporis succos & lympham, præcipuè acidam & salsam nimis, in affectibus capitis & pectoris, aliquali temperaturâ, corroboratione & adstrictione opus habentibus; unde in tussi sicca, asthmate & raucedine, multum convenit. Singulare speciatim est pro cura pleuritidis; unde Quercetanus recipit pomum dulce excavatum, replet cum ʒj. thuris (hodiè Mastiche additur) postea operculo tectum sub cineribus coquit; quod ita coctum in pleuritide comeditur, ita ut aquæ cardui benedicti ℥ii. superbibantur: Videatur de hoc ipso *RIVERIUS in Praxi*, uti etiam in *Cent.* 1. *Observ.* 86. Hoc pomum adhuc melius perficit *FORESTUS lib.* 2. *Curat.* 85. qui intromittit *thuris* ʒß. & *flor. sulph.* ʒj quæ coquit, & dat contra pleuritidem. Tale pomum similiter utile est in asthmate: vid. *RIVERIUS Cent.*4. *Observ.*88. Item pomum hoc modo paratum est egregium experimentum in dysenteria, dum ulcuscula intestinorum consolidat, & fluxum sanguinis inhibet, & imprimis in dysenteria sumitur convenienter cotoneum excavatum. Aliàs thus & ad Diarrhœas & muliebria profluvia laudatur. Rarioris tamen est usus interni.

Extrinsecùs ulterius usus est frequentis in suffitibus capitis pro catarrhis, vertigine, coryza, & similibus, uti & in procidentia ani & tenesmo, si scilicet in sella fit suffitus, qui ano aperto excipiatur. Deinde frequentis est usus in ulceribus manantibus, & vulneribus nervinis: sicuti etiam epuloticum est primarium; unde nullum ferè *Balsamum*, *Unguentum* & *Emplastrum vulnerarium* & *ulcerarium consolidans* est, quod thus non ingrediatur: pro quo scopo etiam solet *pulveribus dentifriciis* permisceri, quando copiosus sanguis per gingivas transudat.

Oleum thuris in phthisi efficacissimum est remedium.

*FABER in Myrothec. spagyr. lib.*2. *cap* 43. præparat *ex thure Quintam Essentiam thuris balsamicam* cum spiritu terebinthinæ, quæ egregium est remedium.

TRAGACANTHA.

TRagacantha est liquor gummosus ex planta, *Tragacantha* dicta, exsudans, quæ est frutex parvus, friabilis admodum, & spinosus, in Italia frequens; unde à quibusdam dicitur Spina Hirci: ex radice imprimis scissa vel fracta exsudat.

Gummi hoc in aquâ communi facilè in mucilaginem resolubile, hujus ratione egregium est in tussi sicca & raucedine, aliisque affectibus pectoris, pro demulcenda acrimonia, ubi rotulæ inde fiunt, quæ successivè deglutiuntur. Quod valet de humoribus acribus in pectore, valet de urinæ acrimonia, quando convenit in dysuria, exulceratione renum, stranguria &c. dum eandem acrimoniam simul demulcet & compescit, partes quoque exasperatas, excoriatas, earumque fissuras &c. mitigat; unde tam externo, quàm interno usu mucilago ejus frequens usurpatur.

Externè mucilago hæc convenit ad fissuras manuum, pedum, papillarum, &c. cum aqua spermatis ranarum extracta. Ingreditur *pulverem sympatheticum compositum*: nam habemus & *simplicem ex vitriolo Romano* ad albedinem calcinato in sole, & adhibetur ad vulnera cæsim & punctim inflicta; & *compositum* cum tragacantho permistum, qui convenit in vulneribus cum contusione, ossium fractura & similibus symptomatibus conjunctis, in quibus pulvis simplex non est sufficiens. De his pulveribus multa hinc inde prostant: videatur tamen etiam *WORMIUS in Museo*, ubi *de vitriolo*. Aliàs externus usus rarus est.

Prostant in officinis *species diatragacanthi* utilissimæ pro compescenda tussi, sub forma rotularum & morsulorum liquefactæ in ore, & sensim sensimque deglutitæ, & quidem in catarrhis salsis, ubi oriuntur raucedines, aliique cognati affectus.

Sub trochiscorum quoque formâ cum aliis propinatur, uti sunt *Trochisci de Carabe*, *de Terra sigillata*, &c.

TUBE-

TUBERA CERVINA.

TUbera cervina, Germ. *die Hirſch-Brunſt*, vocatur etiam *Fungus cervinus*, uſitatiſſimè *Boletus cervi*. Eſt *ſpecies fungi*, & figurâ externâ membrum genitale cervi repræſentat; unde fabula orta eſt, quod in ſylvis ex ſpermate cervi, in orgaſmo ejaculato, creſcat. Sed nihil: eſt Teſte enim *LONICERO & VALERIO CORDO*, fungus talis reperiri ſolet etiam iis in locis, ubi nunquam fuere cervi reperti.

Hinc patet, quod externa figura occaſionem dederit commento, quod oriatur ex ſpermate cervi, adeoque ad Venerem conducat; unde ingreditur Electuaria Venerem ſtimulantia: ſed peſſimo conſilio, cùm ex ſe ſit indigeſtæ naturæ, & inſtar omnium fungorum aliquid maligni in receſſu habeat: Ergo potiùs extinguit Venerem, quàm provocet. Hinc ſecutum ex uno inconvenienti adhuc aliud, quod mulieres illum permiſcere ſoleant in poculis amatoriis cum aliis quibusdam ſpeciebus incantatoriis & magicis. Hæc enim omnia ſunt vana & inutilia: adeoq; fungus hic optimo jure ab Officinis potiùs exulare debet, quàm ut eodem fruſtra utamur. Videatur *WORMIUS pag.* 139. & *VALERIUS CORDUS in Notis in Dioſcor. cap.* 83.

FUNGUS verò LUPINUS,

SEu *lupi Crepitus* ab *AUTORE* hìc additus, eſt *fungus* ſui generis famoſus apud Chirurgos, & exſiccatus in vulneribus recentibus pro ſiſtendo ſanguine undecunque manante uſurpatur, uti notum eſt: ſpongiæ enim inſtar hunc imbibit, qui coagulatus talem acquirit texturam, ut exinde obturetur orificium vaſis ſanguinem fundentis. Præſtantioris effectus obſervatur, ſi diſcindatur in taleolas, & comprimatur quantum poſſibile, & tunc imponatur; qualem modum præparandi docet *FELIX WURZIUS in Chirurgia*, ubi tractat *de ſymptomatis vulnerum*.

V.

VINUM.

VInum nihil aliud eſt, quàm muſtum ex uvis expreſſum, fermentatione depuratum & exaltatum; nempè totius maturationis fructuum progreſſus fit per fermentationem. Sunt enim ante ſui maturationem acidi vel auſteri, dominante nempè acido, nec ſufficienter cum alcalino & oleoſo fermentato. Dum verò pedunculi fructuum baccarumque areſcere incipiunt, fructus ulteriori materiæ nutrientis affluxu deſtitutus, fermentare incipit; ſub quo motu acidum cum alcali in debita textura coit, & interpoſito pingui temperantur, ſimul verò ad aliqualem ſubtiliſationis & volatilitatis ſtatum deducuntur, unde dulceſcunt, molliores evadunt, & moles notabiliter augetur. Fermentatio dicta ſufficit quidem pro proportione texturæ, fructusque mutatione pro debita maturatione, nondum verò ad ſpirituaſcentiam debitam ſufficit.

Cum muſto hoc commune habent omnes omnium vegetabilium ſucci expreſſi, ut fermenteſcendo depurentur, partim per heterogenearum & non miſcibilium particularum ſeparationem, partim per reliquarum miſcibilium arctiorem unionem, & per oleoſitatum volatiliſationem. Dum enim in ſucco fermentatio ceſſans ulterius continuatur, per motum hunc inteſtinum partes ſalino-oleoſæ magis magisque attenuantur, perfectè volatiliſantur, & fiunt liberiores, dum ab aliis ſeparantur, & in volatilitate ac in penetrabilitate ſic exaltantur; ex qua exaltatione ex parte in ſpiritum abeunt, indeque liquores vinoſi prodeunt, uti in vino ex uvis, item pomaceo, pyraceo, &c. manifeſtum eſt. Pariter hoc fit ſub fermentatione muſti, unde ſequitur vis vini roborandi & confortandi, ac abuſu ebrietatem conciliandi: unde muſtum ſub fermentatione longè aliter ſe habet, ac poſt eandem. Nam ſi quis vel dolium muſti ebiberet, nunquam tamen inebriaretur; quod ſi verò vel cantharus vini generoſi aſſumatur, vis illius ſentietur, facilèque quis inebriabitur, & hoc habetur per fermentationem, dum exaltatæ partes ſpirituoſæ, & à vinculis liberatæ, facilè penetrant, & vi narcoticâ afficiunt, & ligant ſpiritus noſtros: Et quidem hoc non tantùm contingit ex ſucco uvarum, ſed etiam ex ſuccis expreſſis quorumcunq; fructuum, uti notum eſt, ex pomis, pyris, baccis rubi idæi, cydoniis, & ſimilibus aliis. Propter egregias has virtutes vinum non immeritò vocatur *ſanguis terræ*, & *Princeps omnium vegetabilium* à *PARACELSO*.

Auctâ ulterius fermentatione magis ſucceſſivè attenuatur acidum hoc, partim extrudit, partim concentrat alcali, & ſimul ſupprimit oleum & ſpiritum, adjuvante imprimis calore externo; & ſic ex vino fit *acetum*. Nempè tartarus, per ſubſtantiam vini novi diſperſus, fermentatione continuatâ ita recluditur, ut in fluorem abeat, ut loquitur *WILLISIUS*, hoc eſt, totam maſſam undique repleat. Hinc *BILLICHIUS* acetum *Tartarum liquidum*, tartarum verò *Acetum ſiccum* ſeu *coagulatum* appellat; unde ex aceto volatilis ſpiritus ordinariâ methodo amplius acquiri nequit.

Muſtum ex quo fit vinum, compoſitus eſt liquor ſalſus ſalinus oleoſus, de acido nempè & alcali participans: & quidem, quò magis de alcali & oleo participat muſtum, eò dulciora exinde fiunt vina. Per ſe alba ſunt vina; rubra verò fiunt, ſi muſtum fermentet unà cum parte vinaceorum: nempè alcali vinaceorum temperat acidum, & ita texturam immutat, ut exinde rubeſcat alcali cum oleo concurrens. Hinc vina rubra magis tartarea, quàm candida, diutiùsque in corpore ſubſiſtunt, quàm vina candida.

Vina dulcia, Muſcatellinum, Hiſpanicum, &c. non ſolent fermentari, niſi pars phlegmatis priùs evaporarit. Hinc eſt, quod non tantummodò ſunt glutinoſa, ſed & quod phlegmatis defectu non poſſint ſufficienter fermentari, unde non ritè exaltatur oleum, nec debitè in ſpiritum volatiliſatur; hinc multò minus ſpiritus de vino Moſchato & Hiſpanico colligitur, quàm de vino Rhenano, vel Gallico; hinc etiam ſaporem acidulum pungentem acquirere nequeunt, ſed dulcia permanent, cùm oleum non ſufficienter rarefactum impediat reſolutionem ſalium, præprimis acidi, & conſequenter ſaporis debitam intenſionem. Unde muſtum recens, ſi infundatur limaturæ Martis, fermentare neſcit: equidem bullas copioſas in ſuperficiem ejicit propter acidum Martem rodens, & ita non nihil cum Marte effervescens; interim tamen, quoniam acidum, relicto proprio alcali, in Martem agit, fermentatio ceſſat, & ita nec acetum, nec vinum fit, quin talis ſolutio per plures annos, ſi parum phlegmatis evaporaverit, aſſervari poteſt. Hinc & ex vinis dulcibus deſtillatione plus olei, ex cæteris ritè fermentatis plus ſpiritus, acquiritur.

Fermentatione muſti in vino viget actio acidi in alcali, hinc copioſa ſubſtantia alcalina pinguis terrea præcipitatur in fundum, & fæces vini, acido in vino imprimis dominante; quod tamen acidum vini, ceſſante fermentatione, redit denuò, & ſolvit ex parte fecem, cum eaque coagulatur in ambitu vaſis in tartarum. Hinc dulcia vina parum tartari ſuggerunt, etiam Hungarica. In vino ergò deprehenditur acidum reſolutū cum ſufficiente portione alcali volatilis & oleo intermiſto, eoq; ex parte volatiliſato. Alcali vino inexiſtere docet imprimis Mechanica *BECHERI* quoad triplicē vini ſubſtantiam, quam videbitis *Phyſic. Subterran. lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 33. *ſeqq.*

De vino, ejusque productis, aceto & tartaro, plura habet in ſpecie *PORZIUS in Anat. Vini Rhenani*; item *CANONHERIUS de admirandis vini virtutibus*, *BECHERUS loc. allegat. pag.* 429. *ſeq.* & *HELMONTIUS Tractat. Tart. Vini p. m.* 255. *ſeq.*

Uſum medicum vini quod attinet, in hoc duæ ſunt penſitandæ partes:

(1.) Pars oleoſa ſalina volatiliſata, ſive ſpiritus volatilis ardens; & hinc

(2.) Subtile acidum, quod in omni vino deprehenditur.

Ratione ſpirituoſæ partis moderatus vini uſus eſt ſummum reſtaurativum; ſummè enim debilitatos maximè recreat & refocillat, ſimulque agiles facit, & exhilarat ſpiritus noſtros, unde in febribus malignis hauſtus vini optimum dicitur Cordiale. Pro iis, qui in exercitio venereo nimis delaſſati atque debilitati ſunt, ita ut animo linquant, hauſtus vini, imprimis Hiſpanici, reſtaurativum optimum eſt; idque eò magis, ſi indatur & agitetur cum vitello ovi, vel ovo ſorbili, & aliquot granis ambræ: & mirè reficit ſolus odor vini lipothymicos, ſyncopticos, & ſummè debilitatos maximè reſtituit & refocillat. Spiritus hi nihil aliud ſunt, quàm oleum vini fermentationis medio, adjuvante igne, attenuatum & volatiliſatum, cùm ſpiritus vegetabiles aliàs nihil aliud ſint, quàm oleum in eſſentiali ſuo phlegmate reſolutum. Spiritus hi propter aliqualem ſymboliſationem promptè ſe ſociant ſpiritibus noſtris vitalibus; indeque iſta alacritas, & virium incrementum ab ejus uſu.

Subſtantia vini cętera acidula, amica imprimis & perquam grata eſt ſtomacho, acrimoniam alcalinam corrigit, & digeſtionem primam valdè promovet, appetitum revocat, & ſanguinis conſiſtentiam nimis fluidam, & inde vires reſolutas corrigit & reſtituit; adeò ut tutò in febribus poſſit concedi pro virium refectivo, modò non nimis inordinatè uſurpetur, adeò, ut acidum à ſtomachi fermento poſſit ſubigi, & in ſalſum volatile mutari, & ſic non ſit nocivum. Venenis præterea reſiſtit: Unde in peſte optimum eſt præſervativum hauſtus vini generoſi manè aſſumptus; id quod omnes peſtis victores unanimi conſenſu teſtantur: Videatur *WILLIS de Febr. cap.* 18. *de peſte*, *HELMONTIUS pag.* 878. & *DIEMERBROCCIUS pag.* 145. Imo vini meracioris potus oculorum dolores & rubores curat: vid. *Aphoriſm. HIPPOCRAT.* 31. *Sect.* 6. & *Aphoriſm.* 46. *ſect.* 7. *POTERIUS Cent.* 2. *Obſervat* 63. ac *RIVERIUS Cent.* 3. *Obſerv.* 25. & habet obſervationem *BORELLUS obſerv.* 77 *Cent.* 2. *pag.* 175. de tribus viris nobilibus antiquis, oculorum doloribus & ruboribus cruciatis, aliis omnibus irritis vini meracioris potu curatis. Sed per nimium (audi vinoſe) uſum vini, ratione acidi in ſtomacho non ſubacti, & in duodeno non ritè correcti, atque cum acore ſuo ad partes tranſmiſſi, multa mala generantur, in inteſtinis tormina, in maſſa ſanguinea ebullitiones, in partibus membranoſis & nervoſis dolores podagrici, in renibus calculi, aliaque, quæ ab acido vulgò derivantur. Aliàs per ſe nemini nocet. *ERASMUS FRANCISCI Part.* 3. *p.* 30 *Luſtiger Schau-Buhne ex BALDO ANGLO refert*: Vinum in dolio prorſus corruptum ad priorem bonitatem poſſe redigi, ſi in illo dolio viva vipera enecetur.

Anatome Chymicâ accedente ſubminiſtrat *ſpiritum ardentem*, qui dicitur

dicitur *aqua vitæ*, quoniam spiritus vitales roborat & confortat, quatenus symbolizat quasi cum spiritibus nostris, ut facilè in eorundem consortium rapiatur; & propter egregias virtutes à *ZAPATA* dicitur *Aurum potabile vegetabile*, cum magis confortet corpus, quàm aliàs aurum potabile. Hujusmodi spiritus per alembicum destillatur, vel in Balneo Mariæ; copiosior, isque optimus, per vesicam elicitur ex fæcibus vini, & pro usu medico melior; turget enim partibus salinis alcalinis volatilibus oleosis, quæ dilutæ sunt phlegmate aqueo. Spiritus vini ergo est quasi oleum seu pars sulphurea vini, fermentando volatilisata; hinc saccharum, aut sal & his affinia concreta non solvit, benè autem concreata oleosa, pinguia, resinosa, & similia.

Spiritus vini rectificatus dicitur *Alcohol vini*: Ejus signum est, (1.) si cochleare unum spiritus vini in terram effunditur, nec tamen guttula ulla illam attingat; sed potiùs sub nebulæ formâ in aere dispergatur. Dein (2.) si cum pulvere pyrio subigitur ac accenditur, & nullam relinquat humiditatem, ritè rectificatus est; sin verò relinquat, signum est phlegmatis contenti. (3.) Si linteum à spiritu vini madefactum post ejus deflagrationem sine humiditate reperiatur.

Cæterum est adhuc alius modus parandi spiritum vini per congelationem à frigore, quem docuit *PARACELSUS*, & vocatur spiritus vini Philosophicus: Nempè sub hyberno frigore intensissimo exponuntur dolia vino repleta, sicque pars aquea salino-acida convertitur in glaciem, in medio spiritus vini subtilissimus & volatilissimus, non facilè coagulabilis, apparebit; Spiritus vini enim à frigore ad medietatem pellitur: vid. etiam *Boyle in Chym. Scept. pag.* 45. & *KUNRATH in Medulla destillatoria pag.* 28. qui per glaciem, extrinsecùs cucurbitæ admotam, post vini in Balneo Mariæ digestionem præparare satagit.

Optimè spiritus vini rectificatur & dephlegmatur, si cohobetur à sale tartari fixo; sic enim sal tartari absorbet & retinet apud se omne phlegma, & spiritus sulphureus purissimus adscendit: vid. *BOYLE Tentamin. pag.* 38. Hoc sal tartari exsiccandum, & de novo spiritus affundendus tandiu, donec fiat rectificatissimus, qui ita abstractus dicitur *spiritus vini tartarisatus*: rapit enim secum aliquid de partibus salis tartari per alembicum; idque eò plus, quò sæpiùs affunditur & destillatur; estque menstruum per extrahendis *essentiis simplicium vegetabilium*; fortiùs enim penetrat in consistentiam Misti. Vix ulla in spiritibus, ex qubusvis vinis destillatis, observatur differentia. Generosa vina, utut plus inebrient, minus tamen spirituum reddunt. Inest spiritui vini singularis quædam penetrans acrimonia præ spiritibus ex aliis vegetabilibus paratis. Constat spiritus vini ex oleo volatilisato; adeoque de occulto, sed subtilissimo, acido volatili participare omninò arbitror; idque eò magis, quò potentius & generosius est vinum, quod non tantummodo *BECHERUS in Phys. subterr. pag.* 360. & 425. item *in Clave pag.* 156. *KUNCKELIUS* etiam *Observat. pag.* 119. aliique referunt; sed etiam effectus isti, nempè quod vitella & albumina ovorum mox coagulat; quod serum sanguinis mox coagulat, &c. quæ aliàs ab acidis fiunt. Ut nihil dicam de offa ista ex spiritu urinoso & spiritu vini rectificato oriunda, in quam hunc, ratione hujus acidi, cum spiritu & sale volatili urinæ vel salis ammoniaci, tanquam sale urinoso purissimo, coagulari posse *HELMONTIUS* inquit; quatenus sal volatile permistum cum spiritu vini arripiat acidum subtile in spiritu vini: quod tamen nonnihil est controversum; cùm non propriè dicta coagulatio, sed saltim olei vini præcipitatio, esse videatur.

Quoad usum spiritus vini; hic ipse internè potenter penetrat, incidit, attenuat, & succos acidos nostri corporis oleositate volatili temperat & corrigit; quare in cruditate stomachi acida convenit, & digestionem primam non-nihil promovet: id quod patet ex eo, quod spiritus acidissimi, spiritus vitrioli, nitri & salis, cum spiritu vini conjuncti, digesti & circulati, dulcescant. Cum rob sambuci dilutus, in omnibus inflammationibus conducit. Ex spiritu vini verò nimium hausto stupores fiunt propter vim sulphuream.

Quæritur: *cur cantharus vini nos citiùs inebriet, quàm spiritus vini ex cantharo illo prolectus?* Respondeo; quod spiritus vini in isto vino contentus longè mitior sit, nobisque magis conveniens, quàm qui destillatione prolicitur: nam hic posterior alterationem in igne passus, magis concentratus, & ad oleorum destillatorum naturam propiùs accedit; unde etiam assumptus diu post adhuc ructus movere solet, nec tam citò distribuitur & assimilatur in nobis, quàm ille spiritus, qui cum vino haustus est. Vinum ergò ob mitiorem, quem in se habet spiritum, longè citiùs se unit cum spiritibus nostris, indeque potentiùs nos afficit, quàm spiritus vini, & longè magis copiam spirituum intendit; idque duplici ratione:

1. Quod in vino spiritus purior & subtilior existens, spiritibus nostris suo modo symbolizans, & faciliùs assimilabilis existit, secus ac spiritus vini destillatus.
2. Quod vinum ipsum assumptum, & in stomacho nimiùm fermentatum, eructet adhuc copiosiores spiritus magis associabiles, secus ac spiritus vini, qui alteratus per alembicum ascendit. Conf. *BECHERUS in Phys. subterran.*

Externo usu efficax est spiritus vini, propter vim temperandi, coagulata resolvendi, & acidum corrigendi: in erysipelate in specie convenit, quoniam acidum ibidem singulare corrigit, & ortam inde inflammationem egregiè extinguit. Hujus ratione conducit in omnibus inflammationibus, quæ ex contusione oriuntur, dum sanguinem in ecchymomate coagulatum dissolvit, fluxilem & exspirabilem facit; & cùm à putredine præservet illa, quæ ipsi infunduntur, hinc etiam ulcera sordida, cacoethea, maligna & putrida, egregiè mundificat & sanat: putredinem enim arcet, & acidum putrefactivum potenter coercet ac sedat; sive solus instilletur aut applicetur illis; sive eo abluantur; sive ipsi priùs infundatur aloe, myrrha, & similia, & eluantur.

Spiritus vini camphoratus fit, si solvatur camphora in spiritu vini rectificato, & per alembicum destilletur. Est generosissimum & penetrantissimum remedium in peste, imprimis *internè*; & in gangræna ac sphacelo *externè* egregiè & potenter convenit. Præterea est egregium remedium in compescendo dolore podagrico, quem extrinsecùs applicatus potenter corrigit.

Spiritus vini alcalisatus nihil est aliud, quàm spiritus vini rectificatus super sal tartari, vel aliud sal fixum alcalinum.

Mediante sale tartari & spiritu vini *Balsamum* suum *Samech* parare solet *HELMONTIUS*, in quo simplex phlegma redit, oleum volatile cum sale tartari remanet, remedium nobile: de quo vid. *BLAS Hum.* & *BOYLE l. a. pag.* 44. §. 39. Encheirises *HELMONTIUS* reticet, unde à nemine idem *Samech* hactenus præparari potuit. Potiùs experientia testatur, Spiritum vini rectificarum à sale tartari recenter calcinato abstractum, aliquid salis alcali secum rapere, & exinde *spiritum tartarisatum* seu *alcalisatum* vocari: idque eò magis, si super sal tartari aliquandiu digestus fuerit. Idem spiritus vini tartarisatus effervescit cum spiritu vitrioli, & concretum ammoniacale quasi præbet, teste *LUDOVICI de sale tartari pag.* 22.

Præter hunc communem Spiritum vini tartarisandi modum adhuc alius est, si nempè *spiritus vini* ℥xx. affundantur *tartari albi* ℥iv. & per cucurbitam in arena simpliciter ad dimidium destillentur: prodit sic spiritus pinguissimus, quatenùs ex tartaro crudo partem olei absorpserit.

Spiritus hic tartarisatus solvit olea destillata aromatica, ut ejus medio aliis liquoribus possint commisceri.

Supra insinuatam fuit, in spiritu vini esse occultum acidum, & hoc est, quod quidam dicunt: spiritum vini, ad summum licet rectificatum, habere in se tartarum, quo impediatur ab ipsa penetratione. Ut igitur separetur,

℞. *Spiritum vini*;

Infundatur *cineribus vitium elotis*:

Destilletur aliquoties lenissimo igne ab iis: Alii post digestionem saltem filtrare ab iis jubent.

Spiritus hic, quibusdam *spiritus cinificatus* dictus, dicitur habere singularem virtutem penetrandi, & speciatim operandi in aurum, sicque esse quasi *Majus Circulatum Paracelsi*: De *quatuor menstruis Paracelsi* vid. in specie *Pantaleon in Tum. Hermet aperto*.

WEDELIUS *Pharm. pag.* 36. pro impetrando *spiritus vini tartarisato*, spiritum vini super cineres clavellatos, & *Ludovici in* M. A. N. C. *ann.* 6. & 7. *Observat.* 244. *pag.* 17. super Calcem vivam rectificat.

Spiritus vini microcosmicus, seu conjunctus cum spiritu volatili urinæ juxta *AUTOREM*, rectè paratur, & consistit in eo clavis pro eliciendo sulphure seu Tinctura solari, quando priùs aurum debitè & radicaliter est reseratum per appropriatum & conveniens menstruum: aurum enim sic solutum optimè per spiritum vini & spiritum sive sal volatile urinæ extrahitur in *Tincturam rubineam*. De qua controversia, an sit proprium menstruum pro paranda auri tinctura? videatur *scriptum D. HARTMANNI*, qui pro Agricola defendit spiritum vini cum sale urinæ, contra *DETHARDINUM*, *Pharmacopolam Stetinensem*. Item spiritus vini certo modo & singulariter cum Mercurio præparato conjunctus, fit menstruum solvens aurum: & sunt, qui putant, quod sit *Azoth Paracelsi*, vel *liquor alcahest Helmontii*. Cum eodem spiritu vini microcosmico etiam *ex Marte extrahitur tinctura rubra*; quæ excellens est ad affectus lienis & hystericos atque uteri mala. Aliàs spiritus vini cum spiritu urinæ, vel alio urinoso mistus, egregius est in doloribus partium tam arthriticis, quàm aliis ab acido vitioso natis.

Quinta Essentia seu *Elixyr vini* in forma olei, à *PARACELSO* præparatur, & ceu summum remedium, corporis humani conservativum & refectivum, commendatur. Verum in integra ℔. vini vix ℈i. Quintæ Essentiæ est, reliquum omne est phlegma. Præparatur per diuturniorem digestionem, ubi concentratæ partes in forma oleosa adscendentes *Quintam Essentiam constituunt pro Alchymicis operationibus*. Vid. *PARACELSUS lib.* 4. *de vita longa p.* 96. & 86. Hanc Essentiam Quintã vini vulgò de oleo vini explicant; sed malè. Nam oleum vini & oleum spiritus vini non tantum habent in recessu, & facilè parabilia sunt, *Autore LUDOVICI, de Sale Tartari pag.* 25. *Sic enim sulphur*, seu oleum spiritus vini cum spiritu vitrioli parare docet *WILLISIUS in Pharm. Rat. Part. I. pag.* 162. sicuti cum spiritu salis concentrato oleum spiritus vini parat *GLAUBERUS Part.* 2 *pag.* 29. Quò etiam facit *oleum & anima vini GLAUBERI l. c. pag.* 269. mediante qua vina debilia, item pomacea & pyracea, in vina generosa perficere nititur; quod tamen Theoria est sine Praxi.

Perti-

Pertinet huc alius procedendi modus *Autoris Num.* 11. *pag.* 229. sub nomine *Magisterii vini* seu *Lapidis vini vegetabilis*; dum nempè ex vino *LULLIUS* parat *lapidem vegetabilem* seu *Mercurium vini*, mediante quo purpuream vestem extrahit auro pro metallis tingendis, & specialiter corpore humano curando.

Suprà dictum fuit, spiritum vini saltem esse oleum vini resolutum, & à proprio phlegmate solutum, adeoque pro olei ratione de sale volatili participare. Hoc *sal volatile* seu *Mercurium spiritus vini* per incensionem *GLAUBERUS* parare voluit; reverà tamen est non ens, utut magnifica jactitet, & ex accenso spiritu vini quod prodit, sal volatile catholicum esse innuat: scilicet sub Alembico spiritus vini rectificatissimus accenditur, ita collo cum cucurbita Alembico adaptato, ut vasculum, in quo spiritus vini deflagrat, suppositum undiquaque liberiùs accedentem aerem intromittat: Rostrum alembici recipiente instructum est, & eâ ratione, si spiritus vini ℔j. flamma absumpserit, præter phlegma satis copiosum, vix unum alterumve granum salis, interdum nihil, in receptaculo impetrabitis. Eandem difficultatem experti fuerunt, qui spiritum vini cum oleis miscuerunt, ut deflagratione ex iis sal volatile præparent; quæ irrita sunt. Facit huc etiam spiritus vini rectificatissimi cum spiritu nitri rectificato facta permistio & ex his post sedatã effervescentiam salis volatilis præparatio; quem modum primus habet Glaser. in Chym. & repetitur à *WEDELIO de Sale Volatili plantarum P.* 2. *pag.* 42.

Sequuntur Fæces vini, quæ sunt substantia ista, quæ mediante fermentatione fuit præcipitata ex musto, dum fieret vinum. Constant copiosâ terrâ & sale volatili oleoso, unà cum acido subtili, quæ cum sale volatili constituunt salsum: acidum hoc ab oleo ita temperatur in musto, ut sapor dulcis emergat.

Fæces hæ vini destillatæ suggerunt spiritum vini elegantem; id quod remanet, exsiccando separatur à phlegmate & hinc destillantur igne aperto eo modo, quo tartarus destillari solet; prodit spiritus, sal volatile, & oleum, quæ rectificatione possunt separari. Spiritus urinosus longè copiosior ex his elicitur, quàm ex tartaro, cum sale volatili eleganti; quale ex tartaro vix ullâ arte parabile est. Omnibus etiam iisdem usibus inserviunt, quibus aliàs satisfacit spiritus tartari.

CLASSIS III. DE PURGANTIBUS PRIMARIIS.

Offerunt se nunc *Purgantia*, & quidem vegetabilia, quæ similiter sunt duplicis generis: primaria nempè, & secundaria. Ne autem opus sit idem repetere, quædam in genere de eorum natura & usu præmonenda.

Quod *purgandi rationem in genere* attinet, omnis vis purgandi vegetabilium consistit in parte resinosa admodum acri, ratione cujus purgantia ut plurimum saporem acrem & valdè pungentem exerunt; unde etiam vomitoria acrimoniâ suâ irritando stomachum, vomitus excitare, & purgantia intestina irritare, & massam sanguineam in fermentativum motum ciere solent.

In genere duplici ratione operationem exerunt, irritando & fermentando. Pro varietate hujus acredinis unum altero fortiùs purgat: sic colocynthis fortiùs purgat quàm aloe; esula fortiùs quàm jalappa. Etsi igitur omnia laxantia & purgantia promiscuè operentur, & ex massa sanguinea expurgent; ratione tamen acredinis, vel majoris, vel minoris, unum alterum antecellit; ratione que salis volatilis oleosioris fermentant & colliquant massam sanguineam, & excrementa evacuant. Cæterum promiscuè operantur, tam evacundo excrementa quæcunque, quàm horum defectu alterando massam sanguineam; unde sæpe eadem efficiunt, quæ non invenerant, excrementa. Unde cadit divisio illa veterum, nil prorsus in recessu habens, quando purgantia juxta triplices vias corporis distinxere; ita, ut (1.) alia stomachum, intestina, mesenterium lienem, hepar, & pancreas; alia (2.) vasa majora & massam sanguineam; alia (3.) vasa minora, articulos, caput, & juncturas articulorum, totamque corporis peripheriam purgent. Hæc verò cùm circulationi sanguinis repugnent, talo suo stare nequeunt, sed sufficit distinctio in purgantia *fortiora* & *mitiora*.

1. *Fortissima* sunt, quæ cum massa sanguinea partes solidas & artus perreptant & non solùm fermentativam vim in illa exserunt, sed & in his aliqualem operationem imprimunt: quæ tamen sunt periculosa.
2. *Fortiora* sunt, quæ ad massam sanguineam pertingunt, eamque alterant & colliquefaciunt.
3. *Mitiora* sunt, quæ expurgant saltem primas vias, ventriculum & intestina.

Sic & divisio in quatuor electivè purgantia, Cholagoga, Phlegmagoga, Melanagoga, & Hydragoga, nulla est, & à modernis satis explosa.

Quæritur autem; *an nullus delectus eorum habendus sit*? Respondetur distinguendo inter purgantia promiscuè operantia, & inter talia promiscuè usurpata. Omnino delectus haberi debet, quia præter vim purgantem adhuc specificas qualitates obtinent: sic v.gr. aloe hæmorrhoides ciet; bryonia, præter vim laxativam, resistit vermibus; Colocynthis in Chronicis mulierum morbis magis valet; elleborus niger in affectibus melancholicis & maniacis, & sic porrò: Ratione ergò hujus omninò delectus eorum, non qua purgantium, sed qua specificorum, pro varietate affectuum habendus, & experientia consulenda, nec ad humores *fictitios* respiciendum.

Interim omnia purgantia propriè dicta aliquid venenositatis habent reconditum, exceptis *Rhabarbaro* & *aloe*, ratione cujus veneni acris colliquefactivi, uti vocat *HELMONTIUS de Febr.* & *CNOEFFELIUS in Tr. de Febribus Epidemicis Malignis*, sanos non minus quàm ægros expurgant, & utiles æquè atque inutiles succos evacuant, & de viribus & succis vitalibus aliquid deprædantur, ut inquit *HELMONTIUS*; quod symptomata eorum varia, utplurimum convulsiones artuum, tormina, dysenteriæ, exulcerationes ani &c. testantur. Cautè igitur usurpanda; & corrigentia addenda. Hunc in finem vulgò corrigentia dicta, quæ fuerunt apud veteres aromata, ut zingiber, anisum, maces, coriandrum &c, e. gr. sennæ zingiber, helleboro anisum, agarico zedoariam &c. addunt, ut hæc aromata metuendas noxas corrigant & emendent.

Sed quid hæc corrigunt? Nonnihil saltem imminuitur his noxa, non autem corrigitur venenum, sed unà eâdemque ratione manent venena. Correctio enim hæc non est vera, sed sophistica, dum malignitatem purganti permittunt ut exerat; & dum noxam inducunt, ejusmodi aromata saltem eandem inde illatam corrigunt. Alio ergo modo sunt corrigenda.

Legitima autem corrigendi ratiò fit tribus modis: vel per salia fixa, vel per acida, vel per fermentationem. Cum enim vis in resina consistat, hinc alcalia corrigunt oleosum; Acida alcalia seu sal volatile oleosum supprimunt; fermentatio texturam mixti totam variat, & ferociam volatilem mitigat. Inter alcalia autem sal tartari primatum obtinet: Acida addenda non sunt nimis copiosa, nec acria, aliàs purgantium vim prorsus destruunt & castrant. Nam vis purgativa seu colliquefactiva consistit in sale volatili acri, quod per acida figitur & infringitur, adeò ut tantum purgantia deperdant virium, quantum imbibunt de tali aciditate, & quod restat, similiter est malignum ac crudum, atque priùs fuit. Loquor hìc de vegetabilibus tantùm; de antimonio & aliis res aliter se habet. Talia autem acida sunt succus Citri, cydoniorum, acetum destillatum; non verò spiritus vitrioli. Optimus corrigendi modus est fermentatio, qua blandè & moderatè fiunt agentia; adeò ut fermentatio ita invertere dicatur illorum malignitatem. Instituitur cum succis appropriatis, cum succo pomorum Borsdorffianorum, succo Citri, &c. in quibus omnia vegetabilia recentia, æquè ac mineralia purgantia, facilè fermentari possunt, ut Colocynthis cum succo pomorum Borsdorffianorum; scammonium cum succo citri, &c: Hâc ratione virulentia partim invertitur, partim ex purgantibus fiunt confortantia & refectiva: sic ex helleboro nigro per artificiosam fermentationem fit excellens Refectivum & Corroborativum capitis, quod multum conducit in roborandis facultatibus animalibus, & ad vitam prolongandam. Sed non cuivis contingit adire Corinthum. Notandum adhuc, antimonium diaphoreticum purgantibus additum eorum vim augere: sed non sit edulcoratum, aliàs non auget.

Notetur porrò quoad efficaciam purgantium, Medicis veteribus & nostratibus medicastris mulierculis persuasum esse, quod nisi decies & quindecies, aut etiam vigesies, purgentur ægri ab assumpto purgante, inefficax fuisse: Unde videbitis veteres præscripsisse pilulas ad ℨii, cum jam vix ad ℈j. præscribantur. Hæc carnificina constat ex eo, quod sequantur subitaneæ virium prostrationes, de qua vid. *HELMONTIUS Tract. scabies & Ulcera scholarum*. Nos potiùs sequimur *HIPPOCRATEM*, qui in *Aphorismis Sect.* 1. dicit: *Si expurgentur, qualia oportet, facilè fit & leviter ferunt*, id est sine molestia ægri, sed cum alleviatione, & absque symptomatum graviorum concursu. Hæc est evacuatio legitima, & quando æger ter, vel quater, quinquies, vel sexies ad summum, dejicit, abundè sufficit: Imò si expurgatur laxationis gratiâ, omnino sufficit bis tantum evacuari: id quod observandum in morbis acutis. Nam purgatio instituitur, vel ut præserventur, vel ut curentur homines.

In præservatione quinquies aut sexies ad summum potest fieri evacuatio; in curatione tantum purgatio instituitur vel in declinatione acutorum, vel in progressu chronicorum. Nam in principio morborum

borum purgatio est nociva, quoniam omnia adhuc sunt cruda; & concocta medicamento purgante educenda & movenda, non cruda, neque per initia, nisi turgeant; plurima verò non turgent; uti habet *HIPPOCR. Sect.* I. *Aphor.* 24. Ergò eradicativa evacuatio nullo modo conveniet. Tandem etiam in progressu sufficit, si instituatur purgatio ter, vel quater: Et quidem si sint morbi chronici, in illis potest singulis quatuor septimanis propinari purgans: In acutis non nisi in declinatione, quando nondum facta est crisis, nec æger per sudorem bene fuit curatus, bis vel ter evacuare sufficit; simul ac exceditur, æger detrimentum patitur. Ergo cauti simus in purgantibus, & quando non admodùm exiguntur, saltim largus provocetur sudor, qui melior erit omni purgante.

Ex insigni autem purgantium abundantia, quæ regnum vegetabile subministrat, pauca quidem selectoria nobis sufficiant: qualia sunt aloe & Rhabarbarum; utpotè quæ duo sola ex purgantibus insontia, & absque malignitate esse judicantur: Item jalappa, helleborus niger, senna, scammonium & colocynthis. Porrò inter præparata pharmaceutica ex tot purgantium formulis sufficiant

1. Infusum sennarum.
2. Essentia jalappæ citrata.
3. Pulvis ex jalappa, vel scammonia cum salibus digestivis compositus.
4. Inter tot pilularum varietatem pro pilulis usualibus pilulæ aloeticæ sufficient; pro pilulis purgantibus verò sufficiat Extractum quoddam catholicum ex istis selectis concinnatum; nunc cum Mercurio dulci, nunc cum helleboro, nunc cum aliis, specialibus casibus appropriandum.

Jam præmissis hisce generalibus, cætera Purgantia, ab Authore & aliis recensita, simul etiam ordine alphabetico, & quidem primaria considerabimus, è quibus nobis sistitur primum

A.

AGARICUM.

Agaricus duplex est: *arboreus & petrosus*: *Hic* alio nomine *Lac lunæ* dicitur, & revera minerale friabile est, de quo *suo tempore*; *Arboreus* autem est hujus loci, qui adnascitur caudici laricis, è quo colligitur *Terebinthina*, quam *superiùs habuimus*. Sunt quamplurimæ arbores, quibus adnascuntur fungi, & omnes sunt resiniferæ, ut picea, larix, abies &c. Omnibus tamen præfertur qui est è larice desumptus.

De hoc observetur, quod omnes fungi sint succus excrementitius, non aptus nutritioni arboris; unde non mirum est, si omnes fungi conjunctam habeant malignitatem, etiam aliquid veneni maligni lateat in Agarico: Quicquid sit, adhibetur tamen imprimis in usum purgantem. Habet in se resinam, ratione cujus purgat mediocriter, & quas eliminat sordes, sub forma liquaminum serosorum, pituitosorum & mucilaginosorum, effluunt; hinc ab antiquis inter Phlegmagoga & Hydragoga refertur: non quod talia in corpore humano extiterint, sed quod in hanc formam ab agarico mutata fuerint. In specie ad pectoris & capitis affectus laudatur, ut excrementa illic collecta evacuentur: licet enim hoc verum sit, quod in affectibus pulmonum purgantia sint nociva, quemadmodum hoc in phthisi, in vulneribus & aliis affectibus pulmonum verissimum deprehenditur, ubi tales affectus exasperant; nihilominus in tussi, asthmate, & aliis, ubi necessarium est, ut purgatio instituatur, frequens ejus usus. Unde hydromelita, syrupos magistrales, & decocta pectoralia, ubi opus est evacuatione & expectoratione, usitatissimè ingreditur Agaricus. Post pectus, usitatum etiam est in evacuando capite; cujus phlegma crassum & viscidum, non minùs quàm ex thorace & tota massa sanguinea, solet expurgare.

Veteres remediis cardiacis seu roborativis & Alexipharmacis, uti fecit *DIOSCORIDES*, & alii antiquiores, illum adnumerarunt, & hinc Theriacæ Andromachi, primariæ veterum compositioni alexipharmacæ, & malignitati resistenti, inseruerunt. An verò Agaricus Veterum cum nostro idem sit, in medio relinquimus. Nostrum certè hoc non præstat, & in purgandi usu tantum est. Rectè dicit de hoc *CARDANUS*: in corporibus senilibus Agarico bono nil meliùs; malum verò veneno proximum esse. Valdè nocet stomacho, nauseam ac vomitum & cardialgiam causat, intestinis tormina & hypercatharses excitat; hinc pro correctione zingiber & macin vulgò addunt.

Correctio autem hæc saltem palliativum quid est, de qua *jam suprà*. Optimè corrigitur per oxymella, hoc est acida blanda, quæ & apud veteres usurpata simul, partim ut corrigant & mucilaginosa recrementa resolvant, partim ut abstergant, quo faciliùs ab agarico purgentur.

Quoad *modum utendi*, in substantia non usurpatur, sed tantum in infusis vel Decoctis à ʒi. ad ℥ß. vel etiam ʒvj. Et cum sit tardæ operationis, & leniter soleat evacuare, solemus admiscere cremorem tartari, tartarum vitriolatum, salem tartari & similia alia, quæ stimulorum loco adduntur.

Inter *præparata* se offert *Extractum Agarici*, quod præparatur vel ex Agarico crudo, vel, quod melius, trochiscato, nunc per menstruum spirituosum, v.g. spiritum vini, nunc per menstruum aquosum, dum infunditur in aquam appropriatam.

Hîc quænam præparatio sit melior? quæritur: vid. *ZWELFFERUS in Animadv. in Pharm. Augustanam*, qui controversiam decidit pro menstruo spirituoso sulphureo, spiritu nempè vini. Cùm enim vis in resina consistat, hinc per menstruum sulphureum optimè extrahitur: non tamen spiritus vini sit nimis rectificatus, sed aliquali phlegmate adhuc impregnatus; undè eò feliciùs & meliùs extractionem suam perficiet.

Dosis est à ℈j. ad ʒß.

De *Agarico trochiscato* observetur, quod sæpiùs substituatur loco Agarici crudi, quoniam ejusdem malignitas aliquantisper corrigitur per admistum zinziber, & propterea tutiùs usurpatur Agaricus trochiscatus loco crudi, quando miscetur pro infusione & decoctione. *Trochisci de Agarico* fiunt cum oxymelite: nam per hoc ratione aciditatis optimè corrigitur malignitas & venenositas in Agarico, & antiqua est præparatio: abstergendo enim & incidendo pituitam adjuvat & faciliorem reddit Agarici operationem.

Pilulæ de Agarico sunt *simplices*, vel *compositæ*; quæ posteriores dicuntur *pilulæ de Hiera cum agarico*: & utræque adhibentur in evacuando muco crasso & viscido, seu pituita acida intestinorum & stomachi, & quidem in hoc expertæ sunt pilulæ de hiera cum agarico, dum stomacho sunt admodum dicatæ. Sed dosin tantam ad ʒiß. qualem *AUTOR* habet, nos non usurpamus; satis enim est violenta; sed tantùm ad ℈j. sæpiùs infra ℈j. subsistimus, addito stimulo justo, ut minori dosi pariter operentur: miscentur tamen pro meliori operatione cum vehiculo convenienti, e. gr. gummi ammoniaco:

> ℞. *Massæ Pilularum hier. cum Agar.* gr. xv.
> *Gum. sal. ammoniaci* ℈ß.
> *Extract. trochisc. alband.* gr. ij.
> Cum *tinctura tartari* f. *pilulæ*.

Operatio enim non ex secessibus æstimanda, cùm quinque, sex, vel septem sedes sufficiant: quod excedit nocivum est. Offert se, ratione ordinis alphabetici

ANAGYRIS NON FOETIDA,

Ita dicta ad differentiam *fœtidæ*. Est *Laburnum Dodonæi*, vel *siliquastrum Montalbani*, Germanicè *Baum-Bohnen*, quia in siliquis maturis fabæ continentur.

Usus Medicus hujus plantæ nullus est. Quidam tamen grana ejus pulverisata, emetica fortissima ad sanguinem usque esse, deprædicant.

ASARUM.

Asarum, Germ. *Hasel-Wurtzel*, remedium est polychrestum & multi usus, vomitorium & purgans per inferiora fortè, imò simul diureticum, morborum diuturniorum remedium, & menses stimulans.

Subministrat Officinis Folia recentia, & Radicem.

Vis ejus residet in sapore acri aromatico, fundato in acido volatili oleoso, emergit exindè alterans dyscrasiam sanguinis.

Folia Asari recentia tria, quatuor, quinque, vel sex, pro varietate circumstantiarum, incisa vel trita, & cum ℥iij. vel iv. *vini albi* per noctem infusa ac expressa, pro emetico forti inserviunt ad febres intermittentes, dum adhuc sunt in principio, ingruente præsertim paroxysmo febrili; & fortiùs operantur adhuc, si exprimatur infusio. Quando verò blandè laxare voluerimus, tum.

> ℞. *Fol. Asari* num. viij. x. ad xij.

Hæc convoluta scindantur more Tabaci in longa segmenta, infundantur in

> *Aquæ Card. bened.* ℥iv.

stent infusa in loco tepido per noctem: manè colentur per linteum rarum, & propinentur vel per se, vel cum *oxymelle squillitico*.

Erit suave purgans citra ullam nauseam.

Quod si violentiùs purgare velimus:

> ℞. *Fol. Asari* Num. ix.

Hæc cum pistillo ligneo in mortario marmoreo probè conterantur, stillatim affundendo

> *Oxym. simpl.* ab ℥ß. ad ℥j.

terendo tamdiù, donec folia in liquidum & potulentum succum sint redacta: tunc adde

> *Aquæ card. bened.* ad ℥iij. vel jv.

ut melius diluatur mistura, post coletur per linteum, & ita pro dosi una hauriatur, quod satis validum & potens est.

Quod si denique validissimum cupias:

> ℞. *Folia asari recentia*:
> ex tritis exprimatur *succus*:
> ℞. hujus ℥iij.
> adde
> *Oxym. squillit.* ℥ß.
> *Aquæ card. bened.* ℥j. M.

Pro-

Propinatum hoc cum impetu vim vomitoriam exerit, ita ut ipsi antimonio substitui possit.

Radix fortem aromaticum saporem & odorem spargit instar Zingiberis, in quo residet vis specialis corrigendi fermentum febrile, ejusque fomitem viscosum dissolvendi in Chronicis, præsertim in quartanis, obvium: per se exactè trita seu minutissimè pulverisata à ʒ ß. ad ʒj. potenter satis & nauseosè movet vomitum, & interdum per secessum & sudorem cum urina simul evacuat. Propter hanc vim vomitoriam febres intermittentes, imprimis quartanas, compescere dicitur, utpotè quarum fundamentum curationis consistit in vomitu; unde cum Zingibere, vel pipere nigro pro remedio emetico & diaphoretico cōtra quartanam datur à STROBELBERGERO *Tract. de Remed. febrium intermittentium*, sed robustioribus, in quibus præstantius observatur, esse antimonialibus; item quartanis chronicis tam simplicibus, quàm duplicatis, horâ unâ aut duabus vel tribus ante paroxysmum; sic in ipso ingruente paroxysmo vim vomitoriam exerit, sæpeque unà cum sudore morbum tollit: si verò hic denuò revertatur, duabus vel tribus vicibus reiterandus ac repetendus quoque usus Asari. Propinari potest in vino malvatico, Gallico, & Rhenano, probè calefacto.

Pulvis tamen hic variat in operatione, ratione præparationis; si enim minutissimè pulverisetur, eò efficaciùs vomitum & urinam pellit, uti & menses; sin verò minus accuratè pulverisetur, per inferiora solummodo purgat in insigniori ventriculi subversione.

Sunt qui multùm collectionis modo tribuunt, ita ut sursum decerptum vomitus; si verò folia deorsum decerpantur inclinando super terram, & radix effodiatur per inferiùs factam foveam, per secessum purget.

Decoctum etiam præparatur vel in vino, vel in aqua simplici: si decoquatur in vino, retinet vim vomitoriam & catharticam; si verò decoquatur in aqua communi, vis emetica & laxativa perit, horumque loco, ritè administratum, fit egregium alterativum & potens diaphoreticum, & diureticum, & in morbis & febribus chronicis intermittentibus, præsertim ex vitiis primarum viarum ortis; quam vim HELMONT. ipse olim expertus est, & ZWELFFERUS *in Pharm. Reg. pag.* 47. confirmat: vid. etiam RULANDUS *in Curis Empiricis*, ubi exhibet ægris ante paroxysmum sequenti modo:

℞. *Herb. Card. bened.* M. ij. vel iii.
Rad. asari ℥iß.

Coquit in aqua, exhibetque ægris in febribus ante peroxysmum. E contra in oxymelite & vino vel aceto cocta, vim laxativam retinet, & mucum fortiter resolvit.

Præter purgantem, etiam suam alterativam virtutem exerit simul in genere in omnibus morbis chronicis pro resolutionis scopo, præsertim in hydrope, in scirrhis hepatis & lienis, quos attenuat, resolvit & colliquat, atque potenter per urinam evacuat. Porrò convenit in ictero nigro, quartanis, affectibus Melancholicis, splenéticis, &c. vid. FREITAGIUS *in Aurora Med.* ubi etiam ad menses suppressos stimulandos commendatur, additis imprimis simul etiam aliis specificis in Infuso vel Destillato in aqua à ʒi. ad ʒiii. In hydromelite decocta & epota omnem pituitam pulmonum resolvit, & asthma ac tussim potenter abigit.

Cæterùm ex signatura, quâ aurem refert, ad obauditionem seu gravem auditum conferre quidam volunt: hinc folia vel sola, vel aliis specificis iuncta, coquunt, & decoctum auribus instillant, aut sub forma suffitus auribus applicant. Alii lixivio, in quo decoctum fuit asarum, lavant caput, & specificum dicunt ad catarrhos quoscunque, in specie si affligant auditum, & hinc auditum & memoriam confortare credunt.

Ex radicibus & foliis asari paratur cum *spiritu vini Extractum*, quod quibusdam locis usuale est. Datur à ℈ß. ad ʒj. Vid. HARTMANNUS *in Praxi Chymiatr. pag.* 12. & SENNERTUS *in Instit. pag.* 1390.

Essentia auribus excepta ad auditum læsum & tinnitum aurium prodest.

Quidam parant *oxymel radicis asari*, quod conducit in affectibus stomachi, & in febribus intermittentibus chronicis pro vomitu.

Quin & *Electuarium diasari Fernelii* inde prostat, quod ab ℥ß. ad ʒvj. propinatum movet per vomitus & secessus.

B.

BRYONIA.

BRyonia simplex ferè cum asaro simile est, cujus radix in usu. Ita dicitur, quod flores ejus partim confertim decrescant, partim etiam musco sint molliores. Planta est aspera cum baccis rubris, quę ubique crescit. Dicitur etiam *Vitis alba*, ad differentiam *nigræ*, Grecis ἄμπελος λευκὴ, quoniam instar vitium ambit arborem, & adscendit ad illarum summitatem. Radix est prægrandis, longa, carnosa, albida, fungosa, intus circulis notata, saporis acris, amaricantis, nauseosi & viscosi, odoris nullius. Germanis dicitur *Zaun-rube*, *Gicht-rube*, *Gicht-Wurtz*, *Scheis-Wurtz*.

Scilicet radix hæc in usum traducta est catharticum, quia inter purgantia non est postrema, potenter evacuans liquamina tenuia, flavescentia, & serosa; hinc inter hydragoga & serum evacuantia recensetur. Infusum enim hujus radicis cum aliis in vino, vel menstruo appropriato Hydropicis ab ℥ß. ad ʒvj. propinatum, pro potu specificè commendatur, tam propter vim purgativam seri, vel lymphæ nimis abundantis, quàm alterativam. Sub ejusdem autem vi purgante latet vis singularis grumositatem sanguinis, aliasque sanguinis stagnationes, & ortos inde humores, resolutiva & acidi temperativa: vid. TACKIUS *Phas.* 2 *pag.* 165. qui magna bryoniæ tribuit: quin etiam conducit singulariter ad lumbricos, & variarum formarum vermes, lacertas, bufones, aliaque animalcula subinde in hominum intestinis reperibilia enecanda & expellenda. Hoc non tantummodò duobus egregiis experimentis confirmat FREITAGIUS *in Aurora Med. cap.* 37. (qui nihil aliud inibi tractat, quàm quod explicet purgantia, adeò ut nullus sit Autor, qui meliùs ac concinniùs scripsit de Purgantibus, quàm FREITAGIUS) sed etiam B. Dn. D. MICHAELIS ex ancilla Altemburgica bufones & ranas deturbavit bryoniâ & iride nostrate: quam historiam videbitis in M. A. N. C. *Ann* 1. *Observat.* 103. *pag.* 236. & BARTHOLINO *Centur.* 4. *Observat.* 19. ubi habet exempla lacertarum, bufonum & ranarum per vomitum rejectarum, assumpto succo radicis bryonię & radicis ireos, ad talia animalia ex intestinis prolicienda.

Porrò utero an amica, an inimica seu infesta? nescio; cùm & menses ac fœtum pellat, & impediat, abortumque sæpè procuret: singulariter tamen in hydrope uteri, mensium & podagræ affectibus laudatur. Hoc autem certum est, quod, qui norunt corrigere radicis bryoniæ venenum laxativum, satis potens habeant uterinum, præcipuè ad mensium affectus non contemnendum, & medicamentum diureticum ad evacuandas aquas hydropicorum, quod experimentum fuit HELMONTII, de quo vid. *Tract. Hydrops Ignotus. Zacutus l.* 1. *Med. Princ.* habet exemplum curatæ Melancholiæ per usum bryoniæ.

Et quidem non tantùm internè adhibita radix bryoniæ curat hydropem, sed externè etiam contusa, vel sola, vel cum stercore vaccino, aut columbino, aut caprillo, in forma cataplasmatis, renum regioni applicata, aquas in abdomine collectas evacuat. Applicatur etiam pedibus œdematosis, item in hydrocele scroti & similibus, in quibus serum purgat, & tumores discutit. Convenit etiam in scrophulis, tàm apertis, quàm non apertis, si hujus *radicis in taleolas minutissimè sectæ* ℔ß. frigatur in sartagine, quousque contabescat, hujusque Colatura cum *terebinthina abietis* ℔ß. & *ceræ* ℥v. *in ungv.* redigatur, idque supra strumas cum panno lineo apponatur manè & vesperi; tuncque vel strumas dissolvit, vel ad suppurationem deducit, atque ulcera sanat: sicut id expertus testatur ZACUTUS LUSITANUS *l.* 1. *Prax. Observ.* 117. Si radix excavetur, & proprio operculo tegatur, liquor illic colligitur, qui locis podagricis illitus egregiè confert: vel radix recens contusa, cum oleo lini subacta, & tepidè applicata, dolores ischiadicos aliosque arthriticos tollit; tamdiu repetendo, donec materia morbifica resoluta dissipetur: Ut & in omni sanguine grumoso dissolvendo, & contusionibus: sicut & folia contusa, in livore applicata, sanguinem grumosum discutiunt. Unde in gangræna & aliis tumoribus *Tackii* experimentum fuit, si radix recens contusa aut rasa in forma cataplasmatis imponatur, vel sola, vel chærefolio mista, sic resolvit & curat gangrænam. Ad dolores quoque arthriticos vagos per transplantationem curandos utilis censetur, si nimirum membro per tempus appendatur, ac deinde in horto aut loco fertili, ubi hæc radix crescit, sepeliatur. Tandem quando opus est expurgatione uteri, recipitur radix bryoniæ, & adhibetur sub forma pessi uterini, vel suffitus.

Inter *Præparata* est *Fæcula*, quæ calx mortua est, nullius usus & potestatis.

Succus verò *radicis bryoniæ*, vel per se ad aliquot uncias, vel addito saccharo in *syrupum* redactus ad ℥ß. valdè usitata sunt ad grumosum sanguinem resolvendum, & hydropem curandum. Syrupi præparationem ex bryoniæ succo, sale ejus & saccharo, habet FABER *in Myrothec. spagyr. l.* 6. *cap.* 10. quem commendat ad morbos, in specie ad cachexias, virginum.

Nectar succosum Clossæi, cujus præparationem habet AUTOR, non inconveniens est remedium, ad ʒj. satis valdè purgat.

Vnguentum Aggrippæ adhibetur externè inunctione stomachi, vel umbilicali, ab eoque evacuatur serum ex intestinis per alvum; internè verò tutò non assumitur. In tumoribus etiam œdematosis conducit. Descriptionem ejus videbitis apud ZWELFFERUM.

CARTHAMUS.

CArthamus usitatissimè *Cnicus* vocatur. Planta est capitata spinosa, & propter florem croceum seu crocum sylvestrem, quo verus crocus adulterari solet, cognita.

Usitata sunt ex hoc in officinis semen & flores.

Semen est album, oblongum, & angulosum, magnum, constans intrinsecùs pulpâ eleganti, saporis leviter amaricantis ingrati cum lentore, quod, ut ut psittacis usitatum & gratum sit alimentum sine ulla laxatione, quemadmodum coturnici helleborus sine purgatione; hominibus tamen pro purgante inservit phlegmagogo, & sordes in forma

forma copiosi phlegmatis crassi, viscidi & mucilaginosi, abducit. Unde convenit, ubi primæ viæ sunt obsessæ crassâ & viscidâ mucilagine, uti etiam in pectoris affectibus in asthmate & tussi, à crassa & viscida materia ortis, quapropter inter pituitam evacuantia refertur. Mucilaginosæ autem est naturæ, eaque propter corrigitur per aromata acria, Zingiber, cinnamomum, &c.

Modus utendi in substantia est rarior, plerumque in forma emulsionis propinatur: Vid. *FREITAGIUS Aurora Med. cap.* 21. *p.* 482. e.g.

℞. *Sem. carth.* ℥ij. vel ℥iij. ad ℥ß.

Cum *aqua* quadam *blandè aromatica*, v.g. *fœnic. anisi*, vel Decocto sem. fœnic. vel anisi, redigatur in formam emulsionis purgantis elegantissimæ, adde

Aquæ cinnam. ℥j.

M. D. S.

Emulsio purgans pro una dosi.

Est gratæ potionis, & potenter id, quod molestum est, expurgat & evacuat.

Præterea pro scopo laxandi admiscetur quoque Decoctis & Infusis ab ℥ß. ad ℥vj. sed malè. Interim rariùs apud nos usurpatur. Solet etiam in clysteribus præscribi, ubi opus est forti purgatione & revulsione à capite in affectibus capitis, caro, apoplexia, epilepsia, lethargo, & quidem in principio.

A modernis *Flores* vocantur in usum, qui ad ℥j. etiam purgant, & cum floribus calendulæ in mensium affectibus & ictero flavo; quam vim ex signatura, ratione coloris flavi, quidam derivare conantur.

Ex floribus his paratur *Conserva* contra icterum flavum, & hepatis obstructiones.

Alii *Extractum* ex semine parant cum menstruo vel phlegmate spirituoso, ut aqua anisi spirituosa, corticum aurant., vel spiritu vini, spiritu anisi, non adeò fortiter rectificatis &c. cujus dosis à ℈j. vel ℥ß. ad ℥j. fortiter purgat. Sub forma pilularum solet etiam exhiberi.

Prostat & *Syrupus* & *Electuarium de Carthamo*, cujus dosis elt ab ℥ß. ad ℥vj. ultra ℥vj. rarò fit adscensus, utut *Autor* habet ℥j. quod tamen falsum: nec adeò frequenter usurpatur.

CASSIA.

Cassia *fistula* ita dicitur, quod gerat fistulas, in quibus succus niger reperitur, qui est usitatus. Cassia enim triplex est in officinis:

1. Cassia aromatica veterum, quę reverà est verum Cinnamomum Modernorum.
2. Cassia Poetarum seu Canella; &
3. Cassia hæc laxativa nostra, de qua hoc loco agimus, quæ in specie dicitur Cassia Ægyptiaca, item Alexandrina.

In Veterum præscriptionibus pro scopo ciendi menstrua & pellendi fœtum subinde præscribunt Corticem hujus Cassiæ Ægyptiacæ: sed tum Cassia fistula vera, seu cinnamomum potius intelligatur. Malè ergò loco hujus cinnamomi intelligunt nostrates corticem Cassiæ laxativæ, quæ fraus saltem ex errore nominis enata est. Ipsa autem Cassia laxativa, iterum duplex est: vel Orientalis, vel Occidentalis, quam differentiam videbitis in Wormii Mus. l. 1. p. 144. Orientalis minor est, & ex regionibus Africæ propinquis affertur. Occidentalis Brasiliensis est major, & quasi magis potentem esse Orientali, quidam cũ *AUTORE nostro* statuunt: sed falsum hoc est, quod videbitis confirmatum in *BARTHOLINO l.* 1. *Epist. p.* 8. quod nimirum Orientalis tantùm purget, non verò Occidentalis. Adfertur ex America, & eligenda est ea, quæ capsulâ suâ extracta, coloris nigri, & nonnihil rubescentis est. Non assumatur autem austera seu acida, sed potiùs dulcis, & aliqualis aromatica, pro usu Medico. Recipitur nempè fistula, & ex ea elicitur succus vel nigra medulla, quę pręprimis refertur inter purgantia, & eliminat sordes flavescentes; quâ ratione inter blanda cholagoga relata fuit: Clementer enim & leniter solet laxare alvum: pro quo scopo olim frequentiori fuit usu, unde in affectibus biliosis, & febribus, uti vocant, biliosis laudatur.

Vis consistit in fermentatione, propter quam vim est flatuosa admodum, & murmura ac tormina affert; unde in hypocondriacis, hystericis & gravidis propter metum fermentationis plus nocet, quàm juvat. Ex eadem ratione & ii errant, qui mox in principio febrium eandem propinant, quia agitationem febrilem augent. Aliàs usurpatur pro purgatione prægnantium, & (pręter usum purgandi,) etiam pro affectibus urinariis & contra stranguriam laudatur pro temperanda nimia acrimonia urinæ. Contrariatur autem rectè *HOFERUS in Herc. Med.* & negat. Nisi enim recentissima fit, facilè acescit, & propterea ad stranguriam disponit: in gravidis autem metus propter flatulentiam est, ne menses cieat, & abortum provocet. Pleuriticis specificè commendatur ad ℥j. in principio, quoniam simul sputum egregiè promoveat, infusa vel decocta in potionibus expectorantibus: videatur *FORESTUS*. Cæterum utut internè valdè commendetur Cassia ab Autoribus, multum tamen ipsi detrahit *QUERCETANUS*: Dicit enim, malignum esse remedium, ne quidem purgare nec laxare, sed quod, dum tractetur cortex & destilletur, det liquorem causticum & corrosivum; unde ridiculum esse, quod omnes in affectibus urinariis & stranguria illum convenire asserunt, utpotè quos potiùs augeret, quàm imminueret. Rarum est apud nos medicamentum; interim tamen in Italia & Gallia frequenter usurpatur. Copiosos autem producit flatus.

Externè contusa, vel cum herba solani decocta, & podagricis locis illita, laudatur: etiam in inflammationibus optimè convenit.

Cæterùm non tantùm pulpa intus contenta solet purgare & evacuare; sed etiam intestitia lignosa inter pulpam contusa: id quod casu fuit inventum: Nam cùm talis cortex fuisset projectus simię, ex illo devorato fortiter purgata fuit: confer. *PECHLINUS de Purgant. pag.* 216. Grana adstringunt: vid. *BOYLE de Orig. Form. p.* 199. ex *GARZIA ab HORTO Aromat. Hist. l.* 1. *c.* 29.

Usitata ex præparatis sunt *Medulla*. Ex fistulis Cassia nunquam præscribitur; sed sub nomine pulpæ Cassiæ recenter extractæ: nam brevi post extractionem acescit, & auget tormina, inducitque multa symptomata; unde semper extrahitur, quando adhibetur in usum. Modum videbitis apud *AUTOREM*, qui satis clarè est descriptus. Infantibus datur ad ℥iij. adultis ab ℥ß. ad ℥j. & ℥iß. utut apud nos rarò usurpetur. In Italia ab ℥iß. propinari solet frequenter, sed est nauseabundum remedium. Instar Epithematis extracta Cassia cum spiritu urinæ illinitur podagricis affectibus: vid. *FERNELIUS*: quin clysteribus sæpius addita fuit olim.

CATAPUTIA MINOR.

Cataputia *minor* propriè dicitur *Lathyris minor*: nam major est, quæ dicitur *Ricinus*, de quo *imposterum*. Dum dicitur *Lathyris*, observetur, ne cum *Lathyro*, de quo *in alterantibus primariis dictum*, confundatur. Planta tota tota, quanta quanta est, lactea est, acerrimum ac causticum lac instar esulę fundens; unde rectissimè ad esulas refertur, ac *Esula minor* dicitur. Planta hæc copiosas habet capsulas seminales, quæ semina matura hinc inde spargunt; unde & Germ. *Spring-Korner* dicuntur. Lac hocce causticum, revera esulinum, tibiis ac crutibus affricatum pro scopo eodem exulcerandi adhiberi potest.

Pro *usu Pharmaceutico* subministrat nobis tantùm Grana: Folia enim propter vim causticam & corrosivam vix in usu sunt.

Violenter sursum & deorsum purgant, & propterea rarò vel nunquam adhibentur nisi ab Empiricis. Semina autem Mulo-Medicorum purgans sunt, v.g. si à granis vi. x. ad xij. vel xv. decorticata & trita cum ovo sorbili assumantur, κατὰ πόδα violentissimè ac in momento purgant; unde propter hanc vehementiam & violentiam vix adhibentur. Propinantur iis, qui opus habent vomitorio violento, quando hauserunt philtrum; iis quoque, qui per veneficium aliquid interiùs assumpserunt, per vomitum denique excludendum. Et quidem, si fortiter purgare debent, masticentur benè; qui verò vomitum magis desiderant, integra deglutiant.

Aliàs cataputia & ad vesicatoria refertur. Folia quoque trita cum lacte bubulo, adhibentur, ubi scopus est locum depilem reddere; ita, ut posthac nunquam crescant pili.

Succus seu *lac* hoc *inspissatum* violentissimè purgat serum, & nulli scammonio aut lacti esulino cedit; ex quo tamen lacte inspissato cum tinctura tartari *Extractum* seu *Essentia* mitior parari potest.

COLOCYNTHIS.

Colocynthis Arabibus dicitur *Handal*, unde præposito articulo *a l* vocantur Trochisci & Extractum alhandal. Est *Cucurbita* quędam *sylvestris*, & inter purgantia validiora, nobisque magis convenientia, cum scammonio recensetur, atque rex quasi primus purgantium; cui Elleborus niger, pro Triumviratu contendens, advenit.

Officinis subministrat Fructum seu Pomum, qui propter frigiditatem climatis non provenit apud nos; sed ex Ægypto adfertur, ubi repit per terram sarmentis longis, sicut apud nos cucurbitæ, *foliis amplis & lanuginosis*.

Sunt amarissimi saporis, in quo consistit vis laxativa. Pulpa serum resolvit, succos concretos, & foras evacuat. Vis ejus consistit ferè in resina per quam viscida, cum intensissimo amarore conjuncta; unde non tantummodo pertinaci adhæsu tormina gravissima ciet, sed præterea vi alterativâ, attenuativâ & colliquafectivâ etiam viscidissimorum contentorum, insigniter pollet; hinc ad pituitam vitream, crassam & viscidissimã expurgandam, imprimis in incrustatione stomachi à pituita acida, nil melius est quàm remedia ex colocynthide. Et cùm colliquatas sordes sub forma mucosa ferè soleat evacuare, propterea inter phlegmagoga seu pituitam evacuantia primaria censetur; & ferè saltem in casibus, ubi viscidus & conglutinosus mucus peccare solet; unde in affectibus chronicis contumacioribus, v.g. Epilepsia, febribus intermittentibus, & in specie in colica pituitosa, in atrocioribus abdominis torminibus, egregiè convenit. In lue Venerea multum commendatur, & dixit *HELMONTIUS*; se melius velle curare per colocynthidem luem veneream, quàm per omnia decocta lignorum, modò sit legitimè correcta, & venenum laxativum sufficienter castigatum: imò acrimonia ejus innuit, sub ista vi laxativa venenosa latere singularem medicinam pro somite morboso tollendo; sicut & *HELMONTIUS* colocynthidem pro alterante insigni habet in morbis chronicis, dummodo vis ejus virulenta laxans dematur. Pro usu autem in lue venerea, tanquam remedium crudum,

crudum, non tamen contemnendum, quidam recipiunt pomum dimidium colocynthidos, pro viribus ægri & varietate circumstantiarum, macerant per noctem in vino in vitro clauso, manè clarum per declinationem sine expressione effundunt, quod ipsum æger, qui aerem frigidum vitare debet, calidè bibat; & quinquies vel sexies assumptum luem veneream curare dicitur. Nullum enim datur remedium, quod venenum Venereum à remotis partibus adeò solet revellere, quam colocynthis: unde dixit *Helmontius*, quod in lue Venerea plus exsiccet unâ die, quàm decoctum sarsæparillæ, aut lignorum per tres septimanas. Præterea tamen, ut illam corrigant, brodium vel jusculum ex lactuca, portulaca, endivia, &c. aliquot post assumptionem dicti infusi horis præscribunt, & cibum per totum illum diem interdicunt, hocque aliquoties iterato luem Veneream curari posse, perhibent. In affectibus menstruationum fœminarum, ut hemicraniis, & pellendo fœtu mortuo, primatum obtinet: vid. *TIMÆUS in Consil. & Epist.* Aliàs in arthritide præprimis & malo ischiadico multum commendatur. *ZACUTUS LUSITANUS L. 3. Hist. 30. & 31.* exempla habet curati mali ischiadici per usum colocynthidos.

In omnibus his, pro alterativo & evacuativo simul, inservire potest, præsertim ad expurgandam ex intestinis pituitam vitream est convenientissima. In substantia à quibusdam ad grana 6. usurpatur; sed validissimè purgat, & cum dolore ac gravibus symptomatibus: est enim simplex unum ex vehementissimis & malignis, unde eà, quæ agarici & turpethi vim eluserunt excrementa, convenienter per colocynthidem possunt expurgari: nihilominus si dimidium salis tartari addatur, nil ferè purgat.

Difficilis autem est pulverisationis, nisi à seminibus repurgatum misceatur cum partibus duabus, vel ana, vel dimidio sacchari, & invicem probè in mortario contundantur; aliàs non potest terri & pulverisari: vel forfice minutissimè concisa, cum pauco gummi Arabici vel tragacanthi & aquæ rosarum vel vini impastetur, & blandè exsiccetur; tunc fit aspera & discontinuatur, sicque longè faciliùs pulverisatur. Sed cùm periculosus sit ejus usus, facilè additione aliquot granorum salis tartari mitigari, & quando placet, adhiberi potest.

Externè Decoctum colocynthidis in lixivio cum absinthio & similibus adhibetur contra tineas capillorum, vermes & pediculos, dum in eodem lavatur caput, omnes vermes enecat, ut cesset infestatio eorum: id quod præstat decoctum imprimis seminis, quod etiam à quibusdam habetur pro purgante. In mensium defectibus pro pellendo fœtu mortuo, item in secundinis, in lochiis provocandis decoctum colocynthidis *TIMÆUS*, tàm in forma suffitus, quàm in forma insessus aut injectionis, aliisve modis adhibitum commendat: Conf. *TIMÆUS in Cas. L. 4. Cas. 9. pag. 207.* item *Cas. 34. pag. 233.* & *in Epist. l. 3 Epist. 40.* Aliàs pulpa à ℈j. vel ℥ß. ad ℥j. clysteribus incoquitur pro fortiori alvi stimulo in affectibus somnolentis, imprimis in apoplexia, cum aliis specificis. Ligata autem tunc temporis sit necessum est in petia; nisi enim hoc fieret, solet adhærere intestinis, eaque exulcerare, monente *LOBELIO* in Observationibus: quod benè observandum; nam hac in parte multum errant communiter Practici.

Interim, quoniam cum malignitate insigni est conjuncta, de qua vid. *SALMUTH C. 3. Obs. 2.* uti etiam simile exemplum habet *PLATERUS L. 3. Obs. p. 805.* adeo ut cum nausea, syncope, lipothymia, & similibus evacuet, per se rarò usurpatur, nisi in robustioribus intestinis; sed saltem stimuli loco aliis purgantibus addi solet.

Ut ergo tutiùs & jucundiùs in usum vocari possit, modis variis corrigitur; quæ correctio consistit in viscidæ resinæ attenuatione, & hostilis amaroris mitigatione: quibus ritè correctis, loco veneni laxativi egregium alterans, resolvens & menstruis deficientibus conveniens medicamentum haberi potest. Obtinemus hoc ipsum optimè per alcalia; Acida enim castrant, non corrigunt colocynthidem, Alcalia verò tàm fixa, quàm volatilia, hìc optimè conveniunt. Pro correctione veteres addidere oleum commune, nec absurde adeò; cùm hoc obtundat ejus aculeos: tamen superficialis est hæc correctio. *RIVERIUS & FREITAGIUS Auror. Med. pag. 336.* instituunt correctionem infusione in urinam; sic enim ita corrigitur, ut amaritudinem maximè deponat, & remedium insipidum evadat, simulque vehementia & virulentia ita infringitur, ut ad ℥j. tutò possit exhiberi: id quod testantur omnes ferè Practici: Videatur imprimis *RIVERIUS L. 1. Praxeos cap. 15.* Sed cùm nauseosum quibusdam videatur hoc corrigens, meliori modo corrigitur colocynthis per spiritum roris Majalis. Alii correctionem minus artificiosam instituunt per macerationem in aquæ & vini Rhenani partibus æqualibus, vel in sero lactis, & hic deponit multum de amarore & venenositate: sed necessum est, ut putrescat, & per longum tempus stet in balneo, additis plantis aromaticis, mentha, & similibus; sicque multum conducit in mensibus ciendis, & est potens remedium. Alii aliâ ratione corrigunt, blandis acidis scilicet, v.g. aceto, spiritu mellis, aut vino, quod virulentiam non nihil coercet, si infundantur poma. Potentiùs corrigitur malignitas purgativa colocynthidos aceto, cum arcano tartari impregnato: vis enim maligna consistit in sale volatili acri & penetrante, à qua etiam suam habet amaritiem; unde necesse est, ut istâ debitè correctâ, & sapor talis corrigatur. Optima verò corre-

ctio fit cum sale tartari, quod cum pomo colocynthidis digestum omnem amarorem extrahit, & texturam viscidam promptè corrigit, atque aurei coloris liquorem dat, inspissandum, & cum spiritu vini in tincturam blandè amaricantem extrahendum, quæ etiam pro lubitu in Extractum satis tutum & mite redigi potest: Pulpa candida manet in fundo, quæ insipida est, ut devorari citra amarorem possit; sal verò tartari inspissatur, cumque spiritu vini elicitur tinctura blandè amaricans, cujus ℨj. propinata suaviter κάτω laxat.

Præstat tandem hoc etiam Arcanum tartari, conveniens ejus corrigens.

Quoad *Præparata*, *Trochiscorum alhandal descriptionem* videbitis in *ZWELFERO* & aliis Dispensatoriis: alii decoquunt colocynthidem, decoctam inspissant, & addunt panem triticeum pro trochiscis formandis; vel possunt fieri fortiores, si loco panis tritici ipse colocynthidis pulvis correctus addatur.

Infunduntur in vinum, commodissimè in spiritum vini probè tartarisatum; vel hujus loco in tincturam tartari mediocrem, & paratur *Extractum*, quod postmodum ad granum unum vel alterum additur aliis purgantibus, præsertim pilulari in forma loco stimuli in gonorrhœa virulenta.

Potest etiam *Vinum cholagogum* fieri, si ℈j. trochiscorum alhandal bulliat in vino Rhenano, & filtratura postmodum exhibeatur pro potu laxativo.

AUTOR noster mentionem facit *spiritus vitæ aurei Rulandi*, qui nihil aliud est, quàm spiritus vini, cui trochisci alhandal infusi: vid. *in Thesauro & Practicis ejusdem.* Meliùs paratur, si recipiatur spiritus vini tartarisatus, ut virulentia corrigatur. Spiritus hic ad ℨij. usurpatus purgat fortiter.

Ipsa Colocynthis si extrahatur cum spiritu vini, dat *resinam*, quæ potens remedium, & substituitur loco Extracti trochiscorum alhandal, de quo vid. *ZWELFFERUS in Pharm. Reg. pag. 75.* Potest etiam fermentari cum succo pomorum.

FABER in Myrothec. Spagyr. l. 2. cap. 29. docet parare *Quintam Essentiam* ex Colocynthide, quæ est egregium remedium, & purgans non inelegans.

Poma Colocynthidos si macerentur in aqua, & per vesicam destillentur, dant simul *Oleum*, cujus gutt. una vel altera umbilico illita sufficienter purgat per inferiora.

Prostat etiam in officinis *Oleum diacolocynthidis* Quercetani per coctionem paratum, quod non adeò est nocivum intestinis, quæ colocynthis aliàs corrodere & exulcerare solet. Adhibetur pro inunctione suppositoriorum, ut feliciùs operentur: additurque etiam clysmatibus pro fortiori alvi stimulo. Inungitur umbilico pro pellendis vermibus & lumbricis, vel solum, vel cum aloë & felle taurino, instar unguenti mixtum.

De *seminibus* referunt quidam, quod etiam laxativa sint, sed mitiora, ita ut *LOBELIUS* testetur, se illa in majori dosi, quàm colocynthidem ipsam, exhibuisse, & purgationem meliorem, utiliorem & minimè molestam sensisse. Ex his *FREITAGIUS* parat *Extractum purgans compositum*, ex ℥iv. *semin. colocynthidos* ℥ij. *aloes*, & ℥j. *scammonii*, cum spiritus vini ℔j. quod cum aliis elegans purgans à ℈ß. ad gr. xiij.

COLUTEA VESICARIA.

Colutea Vesicaria, Germanis Welsche Linsen, Colutea dicitur à colore florum luteo; Vesicaria verò à vesicis, quas repræsentat. Officinas non ingreditur. Sunt tamen qui putant, folia ejus foliis sennæ posse substitui, unde non nullis falsa folia sennæ dicuntur. *BARTHOLINUS* refert *in Epistolis suis*, quod in obsidione Haffniensi horum duplam dosin receperint, & eundem cum foliis sennæ effectum habuerint. Cum igitur non tantùm figura externa foliorum foliis sennæ respondeat, sed & exemplo res sit confirmata, omninò illorum defectu hæc substitui possunt. Quantum verò in specie plantæ differant colutea & senna, optimè explicat *JUNGIUS in Doxoscop. Phys. P. 2. Sect. 3. cap. 17. pag. 225.*

EBULUS.

De *Ebulo* cum nihil inter alterantia sit dictum, hìc aliquid monendum. Aliàs vocatur *Chamæacte*, i. e. *parva sambucus*, vel *sambucus fruticosa*, quod quoad speciem & figuram conveniat ferè cum sambuco, & non nisi maioris & minoris ratione differunt; Ebulus enim est humilior & fruticosior.

Cum igitur formam, quam externè gerit, similem sambuco obtineat, *internè* cum illa quoad facultates, & quæ dici possunt de sambuco, etiam intelligenda venient de ebulo, nisi quod sambucus sit calidior, acrior, & fortiùs purget quàm ebulus. Nihilominus inter purgantia non ultimum obtinet locum ebuli cortex, & acini seu semina baccarum: reliqua, ut folia & flores, alterant, egregiè discutiunt, emolliunt, anodyna sunt.

Cortex interior, præsertim radicis, saporis est amaricantis, odoris ingrati, qui consistit in sale volatili acri, particulis sulphureis & viscosis immerso; unde potenter purgat phlegmata aquosa in hydropicis; deinde etiam lympham acidam & acrem, vellicantem partes ner-

vosas circa articulos; adeoque in affectibus arthriticis à lympha acri commendatur pro purgante, & in genere in omnibus morbis, ubi est serosa colluvies, non inutiliter præscribitur. Cortex ergò pro scopo purgandi præscribitur in infuso vel vino, (quod quidem violentius est,) aut decocto quod mitiùs agit: vel solum, vel unà cum aliis: cujus dosis in infuso solet esse ad ℥iij. vel ℥ß.

Externè cortex recens coquitur in oleo veteri vel lini, additur succus expressus corticis ad impraegnationem olei, ebulliat, post exprimatur: Optimum hinc est remedium contra ambustiones.

Acini potenter evacuant aquam & serum seu lympham copiosam in hydropicis, & in arthriticis partes nervosas vellicantem.

Succus baccarum ab ℥j. ad ℥ij. propinatus purgat per inferiora in hydropicis, & simul per vomitum, si præprimis ex corticibus proliciatur.

Aquam destillatam ex sambuci aut ebuli radice commendat AUTOR: QUERCETANUS *in Pharmacop.* habet *aquam destillatam purgantem ex baccis corticibusque ebuli & sambuci*. Disceptant autem inter se Chymici: *An ex purgantibus possint haberi aquæ & spiritus purgantes?* Negant hi, affirmant illi; sed neutrum universaliter dici potest: sunt enim quæ dant aquam purgantem, sunt etiam, quæ nullam dant: Ergo de uno saltem hoc verum est, non de omni.

Aliàs *ex semine ebuli* & *semine sambuci*, *Oleum* fit per expressionem, quod est egregium vomitorium. Laudatur præsertim à quibusdam pro philtro propinato. *Dosis* ʒj. ad ʒiß. in cerevisia tepida. Externè illinitur umbilico & ventriculo pro laxatione alvi. Virtutes *Arcani Chamaactes Closs.ei* satis expressæ sunt ab AUTORE.

Quod attinet *virtutes* alterandi *in floribus & foliis ebuli*, est vis diaphoretica, sicuti etiam in foliis & floribus sambuci, dum movent sudorem potenter: vid. AUTOR *in Classe* 1. ubi *de Alterantibus primariis*. Ex spiritu ebuli proprio, digesto super grana ebuli, fit tinctura, vel *Essentia granorum ebuli*, quæ est elegans remedium in curanda suffocatione uterina; non minus etiam tinctura *granorum sambuci*.

Prostat quibusdam in locis *Extractum* corticis interioris cum spiritu vini, quod à ℈ß. ad ℈j. humores serosos educit.

Sequitur, ratione ordinis alphabetici,

ELLEBORINE SYLVESTRIS LATIFOLIA.

Elleborine sylvestris latifolia, Germanis *unser Frauen Schue*, id est Calceus Mariæ, dicitur; sed male; quia *calceolus Mariæ* longè alius est: Est hic quidem species Helleborines, sed cum aliis non convenit. *Nostra Helleborine Helleboro albo cognata* est; sed nondum innotuit, quid & quantum valeat in usu Medico? an conspiret cum illo necne?

ELLEBORUS NIGER.

Hactenus *duo Ellebori genera*: *unum* vocatur *nigrum*, *alterum album*, de quo *in sequentibus*. *Niger Elleborus* à PARACELSO, (cui Helleborismi fuerunt in frequenti usu) vocatur *senior* & *Daura*; *albus* verò *junior*. Aliàs Elleborus niger *Veratrum* dicitur; ratio est ea, quod mentem vertat, quoniam in Maniacis & Melancholicis eam invertit; unde dicitur *caput Elleboro dignum*, id est insanum, quod corrigendum est per Elleborum capiti dicatum. Dicitur niger ratione radicis, quæ est nigra, & albus ratione radicis quæ alba, non ratione florum, qui in nigro sunt albi, in albo nigri.

Quatuor autem species Ellebori nigri nobis jam in promptu sunt:

1. Est *Elleborus niger legitimus*, seu *Veratrum nigrum flore roseo albo*, juxta MATTHIOLUM *Styriacus flore purpureo*. Paradoxa quidem videtur hæc de coloribus florum relatio: sciendum autem, quod flores hellebori nigri primùm albicantes post aliquot dies rubescant. Germanicè vocatur *SchWartze Niese-Wurtzel*, ab efficacia: Dicitur etiam *Christ-Wurtzel*, id est, radix Christi, quia circa Mensem Januarii aut festum Nativitatis Christi lætissimè floret ad Aprilem usque. Folia septem vel plura, ex parte crenata, circa caulem habet.
2. *Species* hellebori nigri est *hortense flore viridi rosarum in modum*, ut plurimum novem folia crenata habens.
3. *Helleboraster* seu *pseudohelleborus niger nostras adulterinus*, *domesticus*, *hortensis*, *flore ex flavo virideſcente*.
4. *Helleborus Hippocratis flore luteo*, *Helleborine tenuifolia*, Helleborastum nigrum, &c. Buphthalmi potius species est.

Helleborus niger genuinus siliquas habet numero ut plurimum octo, semen oblongum continentes: radix nigra numerosis constans fibrillis, odore est gravis, sapore acris, amaricans & nauseosa: folia ejus sunt volatilissima, & si gustantur, acrimoniam habent insignem, mordicantem instar piperis; sunt enim acriora quàm folia plantarum antiscorbuticarum, piperitidis, nasturtii, cochleariæ, raphani rusticani &c.; quod cuilibet illa degustanti innotescet: si destillantur, prodit aqua similis saporis, ac habet ipsa planta; unde remanentia si calcinatur, parum vel nihil salis fixi continet, sal enim volatile acre adscendit alembicum, à quo aqua saporem habet acrem: vid. ZWELFFERUS *in Pharmac. August. pag.* 139. & *Pharm. Reg. pag.* 34. Vis ergò purgatrix ejus consistit in sale volatili acri, & per quàm penetranti, quod insimul, corrigit acidum præternaturale. Folia hæc cum saccharo PARACELSUS pro vita longa commendat, & *Balsamum salutis* exinde parare docet, cujus TACKIUS in se ipso experientiam fecit: vid. ejus *Chrysogonia*.

Folia apud nos rarò usurpantur, propter acrimoniam.

In usum vocatur tantum *Radix ellebori styriaci*, cujus colligendæ rationem habet AUTOR ex HEURNIO. Discrepant tamen, & sunt, qui dicunt colligendā esse mense Septembri Sole in Libra, vel mense Martio Sole in Ariete existente: Quidam colligunt mense Octobri cum enim floret rigorosissimâ hyeme sub mediis nivibus, tempus autumnale illi est quasi vernum, & æstivum instar hyemalis; adeoque autumnali in maximo est vigore: perpetuâ fronde viret. Sub collectione autē ejus probè observetur, ne cōfundatur cum radice Aconiti, radicibus Elleborinis non absimili, quæ quoque in iisdem provenit montibus, & maligna est ac venenosa, & cum maximo ægri detrimento ac nocumento conjuncta: & quidem præ ceteris vid. de aconito HILDANUS *in Epist. p.* 974. & ZWELFFERUS *Pharm. Reg. pag.* 75.

Radix est nobile purgans, & pharmaca recondita habet: unde dicitur *secundus Rex medicaminum purgantium*, sicuti colocynthis *primus* vocatur, propter egregiam & fortem vim purgantem: item sunt, qui dicunt, quod nihil adeò sit salutare humano generi sub luna, quàm elleborus niger. Contrarium dicitur de brutis, quæ jugulantur ab Elleboro nigro, teste MATTHIOLO. PARACELSUS præfert omnibus aliis simplicibus purgantibus, & dicit, quod non melior radix elleboro nigro, quoniam curet quatuor morbos principales; qui ipsi sunt, podagra, hydrops, epilepsia & apoplexia, & quorum sub vexilla, tanquam sub summa genera, reliquorum morborum cohortes coercet. Dicatur enim capiti in epilepsia, apoplexia, vertigine, paralysi, &c. in specie in affectibus chronicis, genus nervosum & caput affligentibus, indeque tam mentem turbantibus, quàm morbos convulsivos inferentibus; adeoque Systemati nervoso convenit, & causis morborum partium nervosarum occasionalibus confert; indeque melancholicis, affectibus cutaneis, scabie ferina, ulceribus partium internarum, pro fomite interno corrigendo & eliminando, egregium est. Sanè inter ea, quæ humorem sic dictum melancholicum veterum, id est crassum, viscidum, ac acidum evacuant, est præcipuum Elleborus niger, imprimis cum præter vim purgantem, in dictis affectibus etiam singularem vim alterativam appropriatam, saporum morbosorum correctivam, & hinc massæ sanguineæ, ac viscerum in ventre emendativam, obtineat; adeò ut sint qui dicunt: quod si elleborus niger per fermentationem imprimis alteretur, & dematur ipsi malignitas & venenum laxativum, fiat magnum remedium specificum in morbis cephalicis, & confortativum capitis: conferatur hic *specificum Melampodii non purgans* pro Melancholicis, quod recenset VELSCHIUS *in Hecat.* 2. *num.* 20. *pag.* 11. Certum aliàs est, quod acuat ingenium, & spiritus roboret, hominesque hilares atque promptos reddat; id quod experientiâ propriâ confirmat GESNERUS *Epist. pag.* 13. Et certum est, quod imprimis PARACELSUS multum tribuat Elleboro nigro ad prolongandam vitam; unde vocatur etiam *Thesaurus vitæ*. Ad insaniam præstantissimum vocatur Alexepharmacum à *Zacuto Lusitano L.* 2. *Hist.* 29. Sicut & ellebori nigri ope, unà tamen cum aliis, aliquot hydropicos curatos fuisse ab EZLERO, constat. A MATTHIOLO Dilutum seu infusum ellebori nigri *specificum purgans* vocatur *quartanarium*: dicit namque, quod nulli propinaverit, qui non unâ alterâve purgatione fuerit curatus: vid. MATTHIOLUS *Comm. in Dioscor.* Et DEODATUS dicit: vim specificam elleboro nigro inesse educendi omne id, quod sanguini permistum, aut eundem corrumpit; & rectè dici *Fugam dæmonum*, eò quod succos, mentes turbantes, expellat in quibus succis esse dicitur balneum & stabulum diaboli, & inde nata deliria Melancholica exhauriat: de quo videbitis experientiam in FREITAGII *Aurora Med. capite de Elleboro*, ubi narrat exemplum curati per elleborum, qui quasi diabolo fuit obsessus, ex quo locutus; se coactum esse, inquiens, ut exeat, quoniam nidus suus sit destructus.

Dosin tam in substantia, quàm in infuso habet AUTOR. In infuso usurparur præsertim cum senna, ut *suo loco videbitis*.

Externè convenit in usu sternutatorio; unde HELMONTIUS *Tr. Asthma & Tuss. §.* 65. præstantem pulverem sternutatorium exinde parat: dum

℞. *Rad. helleb. nigri*,
Sacchari, an. parr. æqv.
M. f. *pulvis*.

Qui pro majori suavitate aliquot guttas *olei destillati caryophyllorum*, vel *cinnamomi*, vel *majoranæ*, irrorari potest.

In coryza optimus est; & longè tutiùs usurpatur, quàm Elleborus albus: item radix hujus hellebori fonticulo imposita non tantummodò acrimoniâ suâ excretionem fonticuli promovet, sed simul etiam corpus turbat, teste WALÆO *in M. M. pag.* 43.

Cæterum quoniam est vehemens remedium, ἄνω & κάτω violenter purgans, rarò, aut planè non, in substantia usurpatur, nisi priùs corrigatur aliquantisper. Testantur enim Observationes, quod Elleborus niger inducat convulsiones lethales: id quod quidam dicere volunt de Elleboro albo tantùm, HIPPOCRATI usitato: Verùm enim verò prostant etiam exempla de Elleboro nigro: Sic HILDANUS *in C. Epist. pag.* 914. refert, quod quidam princeps

per

per Extractum ellebori nigri pro purgante fuerit interfectus: item quod mulier cum extracto ellebori nigri purgata intra sex horas sit mortua; sicut etiam du *HAMEL Tr. de aff. corp.* refert, radicem hanc fonticulo applicatam, purgationem per superiora & inferiora excitasse. Ut ergò malignitas præcaveatur, propterea præparatur, & quidem cum vino hoc modo:

℞. *Radices ellebori nigri justo tempore collectas.*

Macerentur in vino malvatico, exsiccentur in sole vel alio calore, exemptis tamen primùm interaneis seu medulla, quod ter est repetendum; tunc pulverisanda radix, & vitro indenda: huic superfundendus *succus rosarum pallidarum*, & in sole vel alio calore, vel furno siccanda radix, quod iterum ter repetendum, tandem radix sicca denuò pulverisanda & servanda.

Dosis est à ℈ß. ad ℈j.

Vinum cydoniorum à multis dicitur specificum corrigens Ellebori nigri, quod etiam confirmat *ZWELFFERUS in Pharm. Reg. pag.* 35.

Præparatio Ellebori nigri per pomum assatum, quam refert *AUTOR*, fuit *FONSECÆ* secretum, qui recipit pomum, imprimis dulce, & per hoc transigit fibras hellebori nigri, cumque illis sub cineribus assavit, deinceps extraxit radiculas, & pomum ita coctum propinavit melancholicis, quos suaviter purgavit; uti & aliis, quibus opus fuit Elleborismo.

Aliàs per ea quoque corrigitur, quæ in genere de purgantibus commendata sunt, imprimis per acida, quibus tamen castratur; quia partim sal volatile evocatur & figitur, partim in aceto macerando virtus ejus optima extrahitur. Per alcalia tamen ita corrigitur, ut si sero lactis, vel aquæ destillatæ seri lactis cum sale tartari imprægnatæ, infundatur, insigniter cicuratur Elleborus. Si verò acida placeant, ad imitationem *HARTMANNI in Praxi Chymiatr. pag.* 17. recipiatur phlegma vitrioli, vel phlegma aut spiritus vitrioli addatur sero lactis, qua mixtura irrorentur radices Ellebori nigri. Ubi tamen notandum, quod acida nimis castrent eum, ut in majori dosi usurpetur; quò plus enim spiritu acidulatum fuerit phlegma, eò minus evacuat; nam acidum figit sal purgans, & vim deleteriam: & quo dilutius, minor dosis præscribitur; contrà quò minus fuit acidulatum, eò magis purgabit in tali dosi. Qui mitiùs corrigunt, præferunt succum cydoniorum infusum radicibus ellebori, sicque maceratæ corriguntur pro ulteriori usu.

Pro decoctis autem & infusis, indeque paratis Extractis, item nodulis, in morbis hypochondriacis, Melancholicis, quartana, affectibus capitis, catarrhalibus, aliisque chronicis, item in affectibus cutaneis externis, scabie, serpiginibus, (vid. *HILDANUS loco allegato*,) recipienda est radix cruda, acri sale volatili insigniter turgida, non verò, prout communiter fit, præparata. Eligatur pro infuso radix recens vel potius radiculæ fibrosæ, rejectis partibus lignosis, quæ fibrillæ, quia maximam partem substantiâ corticali constant, virtute medicamentosa copiosiùs ditatæ sunt; sicut in toto vegetabilium regno cortex duplo plus, quàm medulla lignosa, virtutis obtinet. Menstruam sit aqua. Elegantissimum autem infusum fit cum vino Neccarino, vel Mosatellino, quod propinatur à ℥j. ad ℥ß. Pro scorbuto infusio in sero lactis probè depurato facienda est, addendo parum salis tartari, & egregium sic laxativum per epicrasin habetur.

Huc pertinet etiam aqua hellebori nigri destillata, quam sufficienter purgare asserunt, non tantummodo quæ ex helleboro recenti paratur ad imitationem *BORRICHII in Hermet. sapient. pag.* 311. sed recipiunt etiam *Rad. elleb. nigri* ℔j.

infundunt

Vini Mens. iv.

unà cum *semine anisi* & *fœniculi*, ceu corrigentibus: deinde per Balneum Mariæ, vel Balneum Vaporosum destillant aquam: cujus cochlear unum, vel alterum pro corpore evacuando propinatur.

Non contrariatur hic *ZWELFFERUS in Pharmac. Reg. pag.* 35. 76. & 206. Volatiles enim admodum sunt particulæ medicamentosæ, præsertim salinæ hellebori nigri; unde non tantummodò destillata ejus acre admodum sapiunt, sed etiam in cineribus ejus nullum sal fixum remanet. Conf. *ZWELFFERUS in Pharmac. Reg. pag.* 34. & 76. item in *Animadv. in Pharm. Augustan. pag.* 139.

Extractum ejus variè paratur, tam cum spiritu vini, quàm menstruo aqueo. Quidam extrahunt Elleborum nigrum cum phlegmate vitrioli acido, vel solo, vel acuato cum spiritu proprio aliquantisper: Extractum inspissant in consistentiam mellis. Sed non habebitur extractum purgans; quia propter aciditatem vi medicamentosâ purgans castratur, quod tamen maniacis convenit. Elegantior modus videtur *BARTHOLETI*, qui in *Encyclop. pag.* 417. radices Ellebori nigri debito tempore collectas aceto imprægnatas solet extrahere per serum lactis caprinum, & postea extractionis evaporatæ ℔j. admiscet ℥ß. spiritus vitrioli.

Deinde extrahitur etiam cum spiritu vini, vel cum spiritu anisi, uti *AUTOR in Nota ex HEURNIO* & *WECKERO* dicit: nam notum est, quod aqua anisi sit appropriatum corrigens Ellebori albi; adeout *HIPPOCRATI* fuerit in usu, qui semper cum Elleboro nigro propinavit anisum, tanquam proprium correctivum. Utrasque verò extractiones, qui conjungunt, totam vim Ellebori nigri concentratam possident:

℞. *Rad. elleb. nigri Styriac.* ℔j.

infundatur in

Spiritus vini tartaris. q. s.

Stent in Balneo Mariæ

per diem & noctem, filtretur cum forti expressione; à filtrato liquore abstrahatur *spiritus vini* & remanet Extractum: Extractæ hæ cum spiritu vini radices coquantur quatuor ollis aquæ ad dimidietatem; posteà benè exprimantur. Decoctum expressum cum album. ovi clarificetur, colatura evaporetur ad consistentiam mellis, addendo primùm cum spiritu vini paratum Extractum: evaporentur leniter, & Extractum servetur usui. Semper sub decoctione aliquid salis tartari, vel olei ejus per deliq. addendum est.

Cæterùm, quia extractiones istæ cum spiritu vini, spiritu anisi, & similibus, paulò acriores sint, etiam nonnisi fortioribus subjectis, aut ubi penetrantius requiritur remedium, conveniunt: nam acria potiùs intendunt malignitatem, quàm quod illam corrigant, cùm illa ipsa consistat in sale volatili acri: Propterea potius extractiones cum menstruis aquosis eligantur; nam præparationes, quæ fiunt per aquas puras, fiunt puriores, & operantur mitiùs, quàm quæ per menstrua acriora, qualia sunt spiritus vini &c. Præ cæteris extrahatur cum vino Rhenano, ut sic ab acido & tartareo vinoso simul nonnihil castigetur Helleborus: Extractio inspissetur ad debitam Extracti consistentiam. Loco vini etiam aquâ simplici, cum sale tartari acuatâ, paranda est. Aliis radicem Hellebori in vino Rhenano infundere placet, sub digestione sal tartari addendo, & quidem non ineptè: sic enim fit quasi sal essentiale seu terra foliata tartari, quæ sub digestione radicem hanc optimè corrigit. Hinc hoc Extractum cum vino ita paratum est instar binorum modò insinuatorum.

Optimè autem secundùm *ZWELFFERUM* paratur cum sola aqua simplici per decoctionem: Decoctum inspissatur in consistentiam Rob, quod ulteriùs extrahatur per spiritum vini tartarisatum, & sic fit Essentia Hellebori nigri purgans, & per spiritus vini abstractionem Extractum egregium: Vid. *Animadv. in Pharmac. Aug. pag.* 139. & *Pharmac. Reg. pag.* 76.

Gedanenses duobus modis *Extractionem helleborinam* parare solent. Primò infundunt *pulverisatum* cum *sero Lactis destillato*, addendo *sal tartari albissimum* quantitate sufficienti. Secundo modo infundunt *radices* in *sero lactis* cum *spiritu vitrioli non dephlegmato*, & utroque modo Extractum correctum obtinent.

Dosis Extracti hellebori nigri est à ℈ß. vel gr. xv. ad ℈j. vel gr. xxv. ad summum, in omnibus affectibus in quibus commendatur aliàs Elleborus niger. Utendi modus ejus est in forma pilulari, addendo stimulum, vel ex scammonio vel ex Colocynthide. Formula potest esse talis:

℞. *Extr. helleb. nigr.* ℈i.
Martis è sul. præp. gr. xij.
Trocb. aband. gr. ij.

cum *Essentia fumariæ comp.* f. *pilulæ minores* pro melancholicis hypochondriacis.

Additur aliis quoque pilulis, e. g. tartareis *Quercetani*, item pilulis de ammoniaco; v. g.

℞. *Mass. pilul. de amm.* vel *tartarear. Querc.* gr. xv.
Extr. Elleb. nigr. gr. v. (plus minusve, prout basis est vel fortis, vel debilis:)
potest addi
Extr. martis ℈ß. vel gr. xv.
Scamm. sulphurati (pro stimulo) gr. ij.
(vel *Extract. trochisc. alband.* gr. j.)

In scabie egregium est hoc Extractum, imprimis misceatur cum Mercurio dulci in tali formula:

℞. *Extr. elleb. nigri,*
Mercurii dulc. an. ℈ß. ad gr. xv.
Extract. trocb. alband. gr. j.

cum quantitate sufficiente *Essentiæ fumariæ* f. pilulæ: quæ conveniunt in scabie ferina, Epilepsia habituali, in affectibus apoplecticis ad præcavendum recidivam, & Gonorrhœa virulenta, uti & incipiente morbo Gallico, in quo Elleborus niger cum Mercurio dulci utramque facit paginam. Item in febribus intermittentibus primas vias à sordibus inde latitantibus evacuat, & quidem in quartana confirmata; sed mox ante paroxysmum propinetur.

Quod etiam Extractum ellebori nigri prosit ad prolongandum vitam, vid. in *BARTHOLINO cent.* 5. *obs.* 28. Quod si tamen in forma liquida desideretur, ita præscribatur in dictis casibus:

℞. *Aquæ menthæ* ℥i.
Extr. helleb. nigr. ℈i.
Trocb. alband. gr. i.
Ess. martis liquid. ℨß.
Syr. de pom. Reg. Sabor. ℥ß. M.

Plura præparata ex Helleboro qui cupit, vid. *THIERMAYER in Consil. Lib. 1. pag. 66. & sequentibus.*

De balsamo Elleborino, qui multum commendatur ad prolongandam vitam, vid. *PENOTUS Tract. de Medicam. pag. 485.* qui illud valdè laudat, & dicit expressè: quendam Decanum ex illius usu usque ad 186. ætatis annum vitam protraxisse, ut illi mortuo tale fuerit positum Epitaphium:

Hic iacet edentulus canus atque Decanus,
Rursus dentescit, nigrescit, & requiescit.

Præterea *CLAUD. DEODATUS Lib. 3. Panth. Hygiastici pag. 52.* habet *Balsamum senectutis Paracelsi*, paratum ex decocto ellebori nigri certo modo præparato, item *Thesaur. Vitæ ejusdem. FABER Lib. 4. Myrothec. spagyr. cap. 17.* habet oleum Ellebori nigri purgans, præparatum ex radice sicca per destillationem per descensum, in quo, dicit, consistere curam catarrhi perfectissimam. *HILDANUS in Epist. pag. 974.* habet *Crystallos Ellebori nigri purgantes* ex *DEODATO*, quæ etiam videri possunt in *FABRI Mirothec. spagyr. Lib. 2. cap. 5.*

Syrupi Elleborati elegantissima & efficacissima sunt remedia. Per extractionem cum menstruis aqueis vel vinosis parati, & loco inspissationis in syrupum redigi possunt, ad imitationem *ZWELFFERI Pharmac. Reg. pag. 34.* vel ad imitationem *Cnoffelii*; de quo vid. *M. A. N. C.* Ann. 6. & 7.

ELLEBORUS ALBUS.

Elleborus albus, seu junior Paracelsi flore est subatro. *Radix* frequentissimè in usu fuit *HIPPOCRATI* & veteribus, quia robustissima eorum corpora illum perferre potuerunt; apud nos verò, propter summam virulentiam, rarissimè usurpatur, nisi in fortissimis subiectis; cum impetu enim per superiora & inferiora purgat, quicquid in corpore invenit, & in omnibus vehementior & violentior est præ Elleboro nigro. Dicitur insuper, quod recens imposita ventriculo, soleat vomitum ciere. Colligitur tempore verno, sole ingrediente signum tauri, vel sub ortu solis in incremento lunæ in signo leonis vel capricorni.

Purgat egregiè phlegmata crassa & succos melancholicos; unde inter Melanagoga refertur vulgò, & non nisi in Melancholicis, Maniacis, furiosis, & aliis, qui non possunt curari cum antimonialibus, ad Elleborum album, tanquam ad ultimum refugium, devenimus. In mania sanè vomitus ex Elleboro albo est radix curandæ Maniæ, & propter vim alterativam cum vomitoria conjunctam, generosum simul Maniæ alterans: vid. *LINDANI Collegium in Hartmanni Praxin*: sicut & *D. MICHAELIS* per Essentiam ellebori albi curavit hic virginem melancholicam, quæ à dæmone obsessa putabatur. Modus exhibendi est:

℞. *Rad. Elleb. albi* ℥ß. ad ℥j.

Coquitur in *vino*, donec mollescat: exprimatur, vinum abjiciatur, & radix novo vino infundatur: ubi per noctem in loco tepido relictum, manè vel cum vel sine expressione transcoletur, & maniaco propinetur, prout mitius aut fortius haberi vult, sicque ut plurimum primâ vice cicuratur aliquantulum. Veteres, tempore imprimis *HIPPOCRATIS*, Elleborismo crebriùs usi sunt; unde natum proverbium: Elleboro indiget, seu caput Elleboro dignum. In nostro tamen climate cautiùs usurpandus, quia violentus est. Mulieri cuidam, materialistæ uxori, aliquando jubebam nodulum ex speciebus in officina sua obviis facere, quibus etiam ex aliis Elleborum nigrum addere jusseram: famulus verò ejusdem loco huius album recipit, me & herâ insciis: Mulier in vinum infundit, & vomitu adeò vehementi corripitur, ut etiam cruentus secutus fuerit: dolum statim subolfeci; unde interrogato famulo, etiam certus factus, utpote dicente, album esse melius: sed hera ejus noxam demum experta est.

Quod si tamen ritè corrigatur, ut saltim per inferiora purget, non simul per superiora, etiam in aliis affectibus usurpari poterit. Incorrecta enim vehementissimum est remedium, quod superius mortes & tragica solet excitare: vid. in M. A. N. C. *ann. 2. pag. 279. & 280.* item *GEIGERUS in Microcosmo hypochondriaco c. 23. pag. 283. KIRCHERUS in Musurg. cap. 23. pag. 283.* refert, maniacum convulsum interiisse ex haustu decocti ellebori albi: Adeò tragicum & generosum, simulque periculosum, est remedium Elleborus albus! Et digna sunt lectu, quæ habet *MATTHIOLUS in Comment. Dioscoridis*, quod Hispani ex Elleboro albo pararint præsentaneum venenum, quo illitæ sagittæ incontinenti enecant bestias: id quod se expertum esse dicit in gallis gallinaceis, quos tali sagitta læsir, ubi statim interempti sunt, utut interiùs sine noxa assumpserint. Ex quo multum inclarescit virtus, quâ operantur venena: & dicunt Hispani, non posse talia venena corrigi, nisi per succum cydoniorum, vel per mala cotonea aliquot devorata ab illis; cuidam tamen, cui elleborus albus per fraudem propinatus, castoreum ad ℈ij. pro Alexipharmaco fuit: vid. *THONERUS pag. 227.* Quod si ergò gravia eorundem symptomata sequâtur, maturè à ℈j ad ℈ij. cum Theriaca propinetur. *Forestus* L. 8. Obs. 44. pulvis florum nymphææ albæ proprium radicis hujus Ellebori albi esse dicit remedium; quod tamen minus probabile mihi videtur, sed potius castoreum peculiare alexipharmacum existimo cum *THONERO loco allegato.*

Externè sternutatoria solet ingredi, quæ reddit satis fortia. Mitius est *HELMONTII*, quod fit ex ana *sacchari* & *radicis ellebori nigri*: vid. *pag. 298. in Tract. Tussis & Asthma*, quodque in affectibus cerebri commendatur à *RIVERIO Lib. 1. Prax. cap. 1. pag. 16.* Utut autem usu interno radix sit adeò potens laxans, externè tamen cingulum ex foliis ellebori albi applicatum abdomini & circa regionem renum est experimentum singulare ad hæmorrhagias uteri & ani sistendas, uti hoc refert *LINDANUS in Praxi*, & *HARTMANNUS Praxi chymiatr. ubi de Hæmorrhagiis.*

Ut autem internè pro pluribus affectibus exhiberi queat, malignitas ejus cicuretur, aut corrigatur: quod fieri potest non tantummodo per acida, de quo vid. *MYNSICHTIUS*, sed etiam decoctione, & cautâ infusione cum vino. Modos videbitis *in Autore*. Præ cæteris tamen, ut tutus sit ejus usus in furiosis & maniacis, in quibus vitiosos, viscidos ac tenaces humores potenter revellit, sicut inde aliquot prostant exempla feliciter adhibiti ellebori albi in confirmatis Melancholicis & Maniacis affectibus, corrigitur hoc modo:

℞. *Radices ellebori albi, nigrore ratione à radice separato*:

Incisa in taleolas infundatur in *succum rosarum* tribus vicibus, semper iterum exsiccando; sic per succum rosarum elicitur maxima virulentiæ pars, ut ita à ℥j. vel ℥iß. ad ℥ij. vel ℥iij. pro infuso in vino albo usurpari possit, quod doli cochlear. j. per inferiora tantum purgat sine recremento.

Quin & cum sale essentiali tartari, seu sale tartari cum aceto imprægnato, corrigitur, quod infusum blandè evacuat supra & infra. Lindanus præparat ita:

℞. *Rad. elleb. albi* ℥ß. ad ℥j.

Coquit in vino, donec mollescat: radix ubi cocta est eximatur & abiiciatur vinum, quia nimis venenosum: radix in aliud vinum calidum infunditur, & relinquitur per noctem; secundâ autem vice coqui non debet, sed relinqui tantùm in loco calido: Tunc mane illud vinum vel sine expressione, si minus validum illud velimus; vel cum levi aut forti expressione, prout validissimum intendimus, adhibeatur.

Dosis hujus vini summa est ℥i.

Cum hoc repetitis vicibus mirè cicurati & mites redduntur maniaci.

Vinum Vomitorium *HEURNII* fuit expertum remedium in asthmate convulsivo & catarrho suffocativo, modò iterum in usum revocaretur. Nam in tali casu mirè convenit tale vomitorium. *GESNERUS Epist. pag. 12.* dicit, quod dederit suæ ancillæ cochlearia duo vini Malvatici, in quo radix ellebori albi cum aliis iam diu fuit macerata: unde illa post tres horas per vomitum plurimum materiæ excrementitiæ reiecit, cum perfrictione quadam extremorum quam sensit; aliàs satis tamen benè tulit, ut habet *GESNERUS*. Pertinet hoc infusum Ellebori albi in vino pro curandis Maniacis & quasi dæmoniacis, quod videbitis in Append. *M. A. N. C. ann. 4. pag. 42.*

EPITHYMUM.

Epithymum, Germ. *Thiem-Seyde*, est *cuscutæ* quædam *species* super Thymum crescens, de quo *supra*, ubi *de Cuscuta* egi.

Veteres inter blandè laxantia & diuretica retulerunt, & quando nitrosæ naturæ esse dicitur ab *HOFFMANNO*, vi abstersivâ cum aliis commodè usurpari potest, præsertim verò in chronicis morbis, ab acido vitioso natis, seu, ut veteres vocarunt, ab humore Melancholico natis affectibus, in usu esse solet. Raro tamen usurpatur hodierno tempore, & ferè in infuso, integra planta contusa cum aliis, & propterea est ordinarium ingrediens nodulorum purgantium vino infundendorum, ab ℥ß. ad ℥vj. in affectibus hypochondriacis, spleneticis, & cutaneis scabiosis. Tantum præscribitur pro leni laxante in infuso: Nam non sustinet decoctionem, quia vis eius multâ decoctione avolat, & propterea quoque raro vel planè non est præscribenda in syrupis & apozematibus, quemadmodum rectè hoc monet *FORESTUS L. 3. Obs. 32.* In insania, epilepticis & vertiginosis affectibus, imprimis qui oriuntur per consensum splenis & hypochondriorum, est expertum remedium.

Præparatur ex hoc *syrupus*, qui tamen valdè est compositus: vid. *POTERIUS. spag. L. 3. pag. 559.*

ESULA.

Esula generale nomen & omnium Tithymalorum, qui inter plantas venenatas referri solent. Continent in se succum lacteum, qui inspissatus concretum simillimum scammonio præbet, ut etiam loco scammonii eo uti possimus, unde sæpè pro ipso scammonio venditari & adulterari solet. Malè quidam discrimen faciunt inter Tithymalum & esulam, cùm diversitate tantum patriæ vel loci differant. Est enim *Tithymalus Cupressinus*, vel *foliis pini*, vel *foliis linariæ*; item *major* & *minor*; quæ iterum *foliis oblongis* & *rotundis*: *Esula rotunda minor*, *Peplus* dicitur, ad differentiam Peplis, quæ duo inter se non cõfundenda. Vis earum consistit in acrimonia planè caustica, aut sale volatili penetrante adurente & quasi piperino, in quo omnes Esulæ conveniunt.

Radix

Radix, & præprimis *cortex radicis*, in officinis uſitatus admodum acris eſt, & vehementer ac violenter purgat; unde magis ruſticis, quàm dominis & aliis ſubtilis texturæ hominibus infervit; quare *AUTOR*, cauſticam virtutem deſcribens & confirmans, *Ruſticorum Rhabarbarum* vocat, utut cum Rhababaro non conveniat. Noxias ejus deſcribit *Gabelchoverus* Cent. 1. cap. 37 & vidit ex ejus uſu inordinato ardentem febrim excitatam; ſicut & *SCHENCKIUS L.3. Obſ. de Cachexia* ſimiliter meminit febris ardentis, ex uſu eſulæ præpoſtero, niſi vis cauſtica probè corrigatur; quia purgat per ſuperiora & inferiora, ſimulque liquida corporis viſcidiora plus minus chyloſa incidit & colliquat, eaque ſub forma liquaminum ſeroſorum evacuat; quâ ratione inter hydragoga & phlegmagoga vulgò ſolet referri. Uſurpatur internè in ſuccis viſcidis, ex eſu lactis in ventriculo coagulati ortis, ac *LINDANO* fuit in uſu, quando nautæ Belgæ biberunt lac, illique poſtmodum cereviſiam dulcem ſuperinfuderunt, atque ita tales humores cumularunt. Et *D. MICHAELIS* puerulum cujuſdam mercatoris, deſperatâ alvi obſtructione laborantem, curavit per eſulam, poſtquam nihil profecerat etiam fortiſſimis purgantibus: dedit nimirum illi eſulæ radicem pulveriſatam, & ſucceſſit exoptatiſſima alvi apertio, & æger fuit ſalvatus.

Dum autem eſt maligna, cautè eſt præparanda & corrigenda. More aliorum purgantium caſtratur per acida, corrigitur per Alcalia: Inter acida ſunt ſuccus citri, aurantiorum acidorum, & cydoniorum; in quibus radicis cortex per diem & noctem in aceto maceratur, exprimitur, & exſiccatur. Cortex hoc modo præparatus à ʒij. ad ʒiij. (plus minus tamen, quò plus vel minus correctus fuerit) vulgò vino infunditur. In infuſo tamen cum vino, ubi paulò fortiùs agendum eſt, commodiùs cortex radicis non præparatus uſurpari poteſt. Optima Correctio fit per alcalia, ſpeciatim ſal tartari: hinc ſive in forma ſicca, ſive liquida uſurpanda veniat, nunquam ſine ſale tartari propinanda: qui uſus vid. in *WILLISII Pharm. Ration. P.2. Sect. 2. cap. 3.* Rarò tamen uſurpatur propter vehementiorem operandi modum; nec niſi inteſtinis durioribus ac alvo pertinaciori, præſertim in ſubſtantia, convenit. Nec uſupatur niſi cum vel poſt uſum ellebori fruſtraneum: Nam helleborus niger quod non attingit, ad illud accedit eſula; ſicut ubi Jalappa in Hydragogis non ſufficit, ad Elaterium confugimus.

Optimum *Extractum* paratur, quod habet *FREITAGIUS*, ſi cortex per diem & noctem cum aceto, aut ſucco vel cydoniorum, vel aurantiorum, aut citri maceratus exprimatur, poſt exſiccatus cum aqua menthæ, cardui benedicti, vel abſinthii, vel aliis, cum oleo tartari per deliquium vel ſale tartari acuatis, immergatur, quæ poſtmodum inſpiſſatur ad conſiſtentiam mellis ſpiſſioris: ſic optimum habemus Extractum purgans ex eſula.

Sunt qui *Conſervam* parant è floribus & foliis eſulæ cum Saccharo; ſed violentum eſt remedium: niſi enim addantur Corrigentia, nunquam tutò in uſum eſt vocanda.

Fundunt eſulæ lac cauſticum & acerrimum, quod tibiis affrictum eaſdem ſolet exulcerare, adeò ut impudentium etiam Mendicorum fraudi inſerviat; qui hocce ſucco cutem ſibimet exulcerant ſcabritiei ſpecie; uti etiam videbitis in *AUTORE pag.* 239.

Lac hocce eſulinum, ſeu Tithymali, leni calore inſpiſſatum in quamplurimis refert faciem & eſſentiam ſcammonii, ut erit de hoc uberior dicendi occaſio *ſub ſcammonio*; quippe quod nihil aliud eſt, quàm tale lac inſpiſſatum: unde lac cujuſvis eſulæ legitimè præparatum in locum ſcammonii commodè ſubſtitui, & ſimile exinde purgans elici poteſt; quatenus cum ſpiritu vini extrahi, & cum aqua ſimplici emulſio laxativa fieri, & de cætero pariter atque ſcammonium tractari poteſt, ſaltem quod ferocior paulum, quia acrior, talis ſuccus inſpiſſatus erit.

Aliàs ſuccus hic ob ſuam acrimoniam internè nullum habet uſum, niſi quod externè pro ſcopo ulcerandi, utut rarò, exhibeatur.

F R A N G U L A.

Frangula aliàs dicitur *Alnus nigro baccifera*; cujus *Cortex interior* ſeu *liber* tantùm uſurpatur. *Duplicem* enim habet *corticem: craſſiorem*, & *teneriorem* ſeu *interiorem*: ſed poſterior tantum adhibetur, qui valdè purgat imprimis liquamina ſeroſa, nunc per alvum, nunc per vomitum: ſi recens eſt, vomitum movet, & ſimul purgat per alvum; ſi ſiccatus, tantùm per alvum ſolet purgare. In hydrope autem imprimis uſurpatur à robuſtioribus ſubjectis, in nodulis purgantibus vino infuſis, à ʒiij. ad ʒvj. & ne noceat ventriculo, ſolent addere aromata, quæ noxas ejus emendant. Quidam corticem exſiccatum in ſubſtantia à ʒß. vel ʒj. ad ʒij. vel iij. exhibent. *Correctio* tamen fit commodiſſimè in aceto, acuato cum terra foliata tartari, ex quo Extractum fieri poteſt.

G R A T I O L A.

Gratiola ſeu *Gratia* Dei, Germanis *Wild-Aurin*, confunditur ſæpius cum *Lyſimachia galericulata*. *Plantula* eſt *foliis acutis centaurio minori ſimilis*, ad cujus ſpecies potiùs referenda videtur; unde *Centauroides* dicta.

Hæc ipſa etiam inter Purgantia hydragoga ſic dicta refertur, & non ſine ratione: ejus enim folia ſapore ſuo amariſſimo inſignem habent vim abſtergendi primas vias, & evacuandi quæcunque excrementa in corpore ſtabulantia, per inferiora; in diſpoſitis tamen, etiam ſupra: unde & hydropicis imprimis commendatur, quibus ſerum ac lympham, à quibus oriuntur tumores dicti ſeroſi & œdematoſi, aliaque liquamina aquoſa, copioſè ſatis educit: cujus rei exemplum ſubminiſtrat *FREITAGIUS in Aurora Medicorum*, quendam hydropicum ex ſcorbuto cum pulvere hujus gratiolæ curatum fuiſſe validâ per vomitum evacuatione. Sed non adeò violentum eſt purgans, neque correctione multâ indiget. *Utendi modus* eſt in infuſo à ʒj. vel ʒij. ad ʒiij. vel ℥ß. Præter vim purgantem ſimul eſt alterativa, & ſpecificè quoque exhibetur pro lumbricis enecandis, & ex inteſtinis, & ventriculo expellendis, formâ pulveris à ℈j. ad ſummum ʒß. rarò ad ʒj. adhibita. Commendat *JOEL* contra venena & febres.

Cæterum cùm gratiola, uti reliqua purgantia, inimica ſit ſtomacho, & varia interdum ſymptomata inducere ſoleat; propterea ſunt, qui pro correctione macerant in aceto, & exſiccant, hinc infundunt in lac, denique ſiccant, & in pulverem redigunt: quem à ℈j. ad ℈iv. propinant: ſed vis purgans per acetum caſtratur, unde in tanta mole magis eſt nauſeoſa.

Conſerva inde paratur cum ſufficienti quantitate ſacchari, quæ eſt vomitiva, & pro dictis affectibus uſurpatur: vid. *GRULING. in Florileg. Doſis* variat, prout plus vel minus ſacchari additur: nam ubi plus ſacchari eſt admiſtum, augenda doſis; ubi minus, imminuatur, quod quilibet facilè videt. Imprimis tamen à ʒij vel ʒiij. ad ℥ß. vel ʒvj. uſque ad ℥j. uſurpari poteſt pro ſcopo vomitorio. *Succus inſpiſſatus*, quem habet *AUTOR*, à ℈j. ad ʒß. vel ʒj. vomitorium eſt inſigne, & in febribus intermittentibus chronicis convenit, tàm vi alterante & correctivâ fermenti peregrini, quàm contenta præternaturalia primarum viarum evacuativâ.

Sunt qui faciunt *Extractum* cum ſpiritu vini: ſed meliùs & rectiùs facit, qui extrahit cum vino Malvatico, vel ſero lactis, vel cum aqua agrimoniæ. Fieri adhuc poteſt ex Gratiola *Magiſterium* per præcipitationem: ſi ſcilicet recipiatur aqua fontana, acuatur oleo tartari per deliquium, & huic aquæ infundatur planta exſiccata & inciſa, idque in loco calido, ut fiat extractio: Quod ſi jam ſufficienter impregnata, cujus teſtis erit color, filtretur: filtrata aqua cum aqua ſolutionis aluminis calida præcipitetur: tandem decantetur aqua, & ſic remanet magiſterium gratiolæ. Quem modum parandi magiſteria ex Vegetabilibus quibuſcunque cum aqua aluminis per præcipitationem, invenit *MYNSICHT*, ſicut hunc poſtea imitati ſunt *ROLFINCIUS & ZWELFFERUS*. Verùm magiſteria hæc parum valent; quia terrâ aluminis ſimul precipitatâ adulterata ſunt; quod probè notandum.

Quibuſdam etiam *ſal gratiolæ fixum* cineritium commendatur in hydrope, utut virtute purgativâ ſit ſpoliatum.

H.

H E R M O D A C T Y L U S.

Hermodactylus verus ſeu *Colchici Ægyptiaci radix*, rarò proſtat: *noſtrates* autem loco ejuſdem exhibent *Cholchici radicem albam* non venenatam: ſunt enim *duæ* Colchicorum *ſpecies*, *malignum* unum, alterum *benignum*. Ad *Colchica maligna* pertinet *Colchicum vulgare autumnale flore albo*, ac *purpureo*, tam *ſimplici*, quàm *pleno*, Germanis *Zeitloſe*. Dicitur Colchicum, quod in Cholchide reperiatur. Mirè hæc planta ratione temporis variat: verno enim tempore protrudit folia, æſtivo tempore ſuccedit fructus, autumno fert flores nudos abſque foliis, unde & nonnullis Germanis *NacKede Magd*, id eſt, *nuda virgo* dicitur; & tandem hyeme per radicis multiplicationem ſe diffundit.

Ipſa planta & flos non ſunt in uſu; radix tamen ejus in Officinis hactenus fuit recepta, ſed malè; à veteribus enim radix hæc inter venenatas radices relata fuit. Differentia tamen aliqua eſt malignitatis; quædam enim magis, quædam minus ſunt venenatæ: Hujus autem Colchici vulgaris radix non caret venenoſitate. Datur tamen *Colchicum benignum*, ſeu *radice alba non venenata*, quæ ſub nomine radicis Hermodactyli, ad emungendum mucum in articulis, officinis recepta. Lis eſt inter Botanographos: *quid ſit veterum Hermodactylus*, de quo tàm multa reperiuntur? *& quidnam loco Hermodactyli veri propriè ſit recipiendum?* De hoc obſevandum venit, quod dicit *MANARDES in Annot. in Meſuen pag.* 389. dum inquit: *Ut notiſſima radix numero ea eſt, quam officinæ Hermodactylum vocant, ita ignotum eſt, quo nomine ſit apud veteres uſitata, & quam rem ipſi voluerint Hermodactyli voce ſignificare.* Noſtri Hermodactyli vires vix poſſunt conferri cum iſtis laudibus, quas Veteres ſuo Hermodactylo tribuerunt; Vocatur enim *Anima Articulorum*, & ab *AVICENNA Theriaca Articulorum dolentium*; ſicut Rhabarbarũ *Anima Hepatis*, & Aloe *Anima ſtomachi* vocatur: quia pituitam viſcidam & acidam, uti etiam lympham acidam, ex articulis & remotioribus partibus tertiâ corporis regione in alvũ trahere putatur; unde ſpeciatim in omnibus articulorum pathematis & doloribus, dolore iſchiadico & ſimilibus, in paralyticis affectibus, in affectibus nervorum & tremoribus, in genere in affectibus arthriticis, ubi opus eſt evacuatione, maximè commendatur. Videbitis quoque, quod

quod omnium purgationum Arthriticarum basis ordinariò soleat esse radix Hermodactyli, propter vim egregiam articulis dicatam: imò & à quibusdam in cura luis venereæ potionibus hydragogis seu sudoriferis permiscetur, ut sensim sensimque acidam pituitam in lue venerea peccantem, per alvum evacuet. Sed laudes hæ apud nos eviluerunt, cùm de vero ac *genuino Hermodactylo* non constet, utut quidam affirment, fuisse *radicem iridis bulbosæ*, ex Indiis allatam; unde loco ejus Officinæ recipiunt *radicem Colchici albam & benignam*, qualem commendat *AUTOR*; quæ tamen neutiquam vera est Hermodactyli radix.

Usus ergò radicis Hermodactyli, cùm de ejus genuina essentia nobis non constet, est rarus: quæ nobis usitata, est effœta, quia ex diversis oris affertur, & ob ariditatem ferè nullius usus; unde securius est planè ab eo abstinere, præsertim, quin non est ea radix, quam in articularibus morbis tantoperè veteres commendarunt. De cætero radix colchici alba recens satis solet hypochondria infestare ac turbare, alvumque eo modo laxare, uti observatum fuit à *LUDOVICI in Phar. p.* 141. Imò tormina & affectus intestinorum excitat, & gravia symptomata inferr; unde rarissimi usus est. Corrigi ideò solet, & quidem impostoriè, per aromata; commodè tamen permiscetur cum re acri, ut scylla & succo raphani, ut ratione acrimoniæ salinæ horum & augmentetur vis purgativa, & facilitetur operatio. Augmentatur, quoniam talia acria sunt instar stimuli; facilitatur operatio, quoniam talia acria incidunt & resolvunt phlegmata crassa & acida, per Hermodactylos expurganda.

Dosis est à ℈j. ad ʒj. Infusum ex ea non potest fieri, quia est resinosa nimis, nisi extrahatur cum spiritu anisi, juniperi, cinnamomi, & similibus.

Quidam in superiore peste radice hâc Colchici albâ, superstitione quadam inducti, loco Amuleti usi sunt.

Inter *Præparata* prostant *Pilulæ de Hermodactylo*, quæ veteribus usitatæ fuerunt in doloribus articulorum arthriticis & paralyticis affectibus, similibusque aliis &c. nobis verò rarissimi usus sunt.

PARACELSUS veterum laudibus persuasus habuit *Pulverem Arthriticum* seu *podagricum purgantem*, è radice Colchici albâ, uti & turbith; qui vid. in *HARTMANNI Praxi Chymiatr. C.* 230. *ſ.* 17. seqq. sed jam ferè in desuetudinem abiit. Ex hoc *pulvere Paracelsi* enatum est famosum *Electuarium Marocostinum*, cujus *AUTOR* est *MINDERERUS*, pro præservanda & curanda arthritide, cujus etiam basis est radix hermodactyli. Ita *POTERIO* usitatum purgans in affectibus articulorum fuit Extractum Ellebori nigri, mistum cum extracto hermodactyli albi; & verum est, quòd Extractum Ellebori nigri per se est elegans pro purgandis & evacuandis arthriticis.

JALAPPA.

Jalappa radix est exotica ex Indiis Occidentalibus allata, & nihil aliud est, quàm *Bryonia Mexicana*, vel *Peruviana*: similis est Mechoacannæ; unde aliàs vocatur *Mechoacanna nigra*. Non tamen ex Indiis ad nos affertur, sed etiam in hortis nostris crescit, estque reverà radix plantæ istius, quæ *Flos Mirabilis Peruvianus*, vel *Mexicanus* dicitur à *CAROLO CLUSIO in libro suo de Plantis Exoticis*, & *HOEFERO in Herc. Med. p.* 386. ideò quod ex Insula Perù ad nos sit allata. Hæc interim deprehenditur differentia, quod illa exotica fortiùs purget, quàm nostras. Datur *flore luteo*, *albo*, & *purpureo*, qui vespertino tantùm tempore floret, matutino verò florem claudit. *Planta* aliàs est *heteroclita*, id est quæ ad certam aliquam classem revocari nequit; unde incerti sunt Botanographi, ad quamnam potissimum classem eandem referant? Sunt inter modernos, ut *JOH. BAUHINUS in Hist. plant. Tom.* 2. qui inter Jasmina referunt, vocatque rectiùs modò nominatus *JOH. BAUHINUS Jasminum Peruvianum*. Alii inter solana referunt, vocantque *Solanum Indicum*, item *Mexicanum*. Rectè autem dicit *MORISSONIUS*, quod *planta* sit *heteroclita*. Sed quæritur, cujus sit usus? Nimirum hæc est planta illa, cujus radix hìc dicitur Jalappa, famosissimum illud & decantatissimum purgans, quod tamdiu fuit incognitum, non secus ac Mechoacanna alba.

Radix ista ingens & crassa in taleolas dissecta & exsiccata in usu est, est admodum resinosa, vel in resina ejus vis purgandi materialiter residet: quod in ejus extractione cum spiritu vini manifestum est, & ulterius conferri potest *WILLISIUS in Pharm. Rat. Vol.* 1. *pag.* 115. quare perennat in hortis: Radix nimirum recens succo scatet lacteo, qui sub exsiccatione in resinam concrescit. Hujus cognitio & proba: an sit genuina? est, si scilicet igni, vel carbonibus aut propè candelam admoveatur, inflammabilur.

Satis sufficienter purgat, quæcunque invenit, sicuti reliqua purgantia, imprimis sub forma liquaminum copiosorum aqueosorum & serosorum flavescentium; unde & inter hydragoga vulgò refertur, & hydropicis aliisque colluvie serosâ abundantibus imprimis confert. In specie prodesse Melancholicis & hypochondriacis dicitur, ac cōtra lumbricos est appropriata Medicina. In omnibus casibus, etiam infantibus, tutò potest usurpari, cum non sit purgans malignum.

Modus usurpandi est vel in substantia sub forma pulveris, vel resinæ, vel infusi seu essentiæ. In substantia adulto datur à ℈ß. ad ℈j. in adultis fortioribus tamen ad g. xxiv. vel ʒß. adhibetur; infantibus verò datur pro ratione annorum commodè cū tartaro vel cum cremore tartari, g. j. vel altero numerum annorum transcendendo: v. g. infanti sex annorum propinantur jalappæ & cremoris tartari an. gr. vij. vel viij. sic sufficienter laxabitur; & sic consequenter cum aliis quoque; puero ad gr. vij. ultra dictam dosin ascendere vix licet; satis enim fortiter purgat: & refert *BARTHOLINUS C.* 5. *Hist.* 69. quod quidam, qui ℥j. radicis Jalappæ usurpavit, 60. habuerit sedes, adeò ut vitam agere voluerit ex purgatione nimia; utut eadem dosis in alio nihil omnino profecerit, teste eodem *BARTHOLINO L* 3. *pag.* 130. *&* 133. Sed observetur differentia; nam si est recens, purgat valdè, & ultra ℈j non debet assumi; quod si verò sit antiqua & cariosa, substantia resinosa erit imminuta, & tunc adsumi poterit ultra ℈j.

Notandum autem, quod Jalappa, uti omnia purgantia resinosa, intestinis adhærendo excitet tormina & hypercatharsin; quæ impediuntur, si addatur stimulus salinus ex nitro, vel sale tartari, vel cremore tartari, item tartaro vitriolato, sale digestivo, hypochondriaco, arcano duplicato Mynſ. & tartaro nitrato; & sic resinâ dissolutâ in minori dosi efficaciùs, & sine insigni molestia, operatur. Ut res fiat clarior, sit e. g. *Pulvis purgans*:

℞. *Rad. Jalapp pulv.* gr. xv. ad ℈j.
Nitri puriſſ. ℈ß.
Scamm. sulphurat. gr. j. vel ij.
Olei destillati aniſi gutt. ij.
M. f. *Pulvis* pro dosi:

qui sufficienter purgat sine torminibus & insigni alteratione. Basis est Jalappa, stimulans scammonium, Juvans & Abstergens nitrum.

℞. *Rad. Jalapp. pulveriſ.* gr. xv. vel xvj.
Crem. tartari, vel *tartari vitriolat.* ℈ß. vel gr. xij. ad ℈j.
Extr. troch. alband. vel scamm. sulphurat. (pro stimulo) gr. j
Olei destillat. Cinnam. vel *aniſi* (pro odore & sapore) gtt. j. vel ij.
M. f. *Pulvis*.

sumatur in vehiculo calido: propter tartarum egregiè purgat.

Jalappa nostra dissecta & exsiccata eūdem saporem & colorem habet cum Jalappa Officinali, ita ut Jalappa Indica officinalis ordinariò ad ℈j. vel ʒß. illa verò (radix scilicet floris nostratis mirabilis Peruviani) in duplo, scilicet à ʒß. ad ℈ij. vel ʒj. propinata, ejusdem sit efficaciæ; sicut & succus foliorū hujus floris Peruviani inspissatus adultos & infantes optimè purgare compertum est. Ratio verò, cur *ista Indica Jalappa* ad ℈j. & ʒ. tantum detur, est, quod magis resinosa; hæc verò *nostra minus* talis sit, unde in paulò majori dosi propinanda.

In forma liquida à quibusdam fiunt Infusa, dum Jalappam, vel solam vel cum aliis, aquæ incoquunt, aut vino infundunt: sed male; aqua enim ex illa nullam vim exhaurit, propterea, quia aqua est inconveniens menstruum pro extrahendis resinosis; resina verò in Jalappa tantum purgat; unde per spiritum vini debet extrahi: & si vel ℔j. Jalappę infundatur per noctem in aqua, alterâ die poterit hauriri aqua absque omni laxatione. Verè ergo errant ij, qui radicem Jalappę solent præscribere in nodulis, aquę vel vino infundendis. Nam, uti dixi, talia resinosa requirunt menstrua sulphurea spirituosa, quale est spiritus vini; non aquosa: quæ verò sunt mucilaginosa, vel quorum vis consistit in mucilagine, vel principio salino, requirunt menstruum aquosum & vinosum: sic *ex Aloe* quando volumus habere *Extractum purgans*, extrahimus cum aqua, sicuti plantas; si verò ex hac volumus *Extractum resinosum alterans*, extrahimus *resinam* cum spiritu vini, & sic nō purgat. Observetur igitur, quod semper in hoc passu requiratur legitimum menstruum, aliàs nihil perficitur: sicuti si radix Jalappæ hoc modo per spiritum vini extrahatur, remanet corpus iners, vi suâ purgante spoliatum.

Essentia ergò ex radice *Jalappę* paratur per spiritum vini rectificatum, ita ut ad hujus ℥ß. sumantur ℈ij. Jalappę. Gratioris saporis erit, si hęc essentia aliquot guttis Olei destillati anisi, vel corticum citri aromatisetur; vel radix Jalappæ pro meliori correctione, & saporis gratiâ, cum corticibus citri, vel aurantiorum infundatur, & sic fit suave & egregium *Elixyr Citri purgans*, cum præsertim adjunctorum corticum vis aromatica intestinorum pathemata arcere soleat: in lue venerea, podagra, hydrope, & aliis ex serosa colluvie provenientibus affectibus suavissimè, & sine nausea evacuat per alvum: qualem *Essentiam Jalappæ laxativam* videbitis *BARTHOLINO*, *L.* 3. *Epist. p.* 33.

Dosis à cochl. j. ad ij. vel ʒij. ad ʒß. prout plus vel minus spiritus vini impraegnata, vel prout magis aut minus spiritus vini fuerit phlegmaticus. Si spiritus vini probè rectificatus, sufficit ʒj. ad ʒij. v. g.

℞. Hujus *Essent.* ʒiij.
Misceatur cum
Syrupo rosarum, & habetur syrupus suavissimus, optimè laxans in affectibus hydropicis.

Ex hoc fundamento paratum fuit *Elixyr purgans D. Michaelis*, cui alia catholica purgantia fuerunt admista.

Ex hac deinde *Essentia* cum spiritu vini extracta facilè etiam præcipitatur *resina Jalappæ*, si huic infundatur aqua communis; sic cùm phlegmate extruduntur particulæ resinosæ, liquor primùm lactescit, post resina, quæ etiam vocatur *Magisterium*, cadit in fundum, & blandè exsiccata in forma sicca potest usurpari tanquam specificum purgans in hydrope: ℔j Jalappæ ℥iij. resinæ exhibet: vid. *WEDELIUS Pharm. pag.* 168. *&* 242.

Dosis est ad gr. xij. vel xv. ultra quæ rarò est adscendendum; quoniam

niam eft quafi nucleus Jalappæ. Verùm, quod notandum, hujufmodi refinæ in forma ficca pro more concretorum refinoforum inteftinis facilè adhærent, & adhærendo glutinofitate fuâ inducunt interdum tormina & hypercatharfes: Hæc ut præcaveantur, & refinæ meliùs operentur, cum ftimulo falino abftergente, v.g. fale tartari, cremore tartari, item tartaro vitriolato, fale digeftivo nitrato, &c. præfcribantur, atque fic facilè abftergunt & minùs adhærent, atque vellicatio impeditur: e.g.

℞. *Aloes fuccotr.* gr. xv.
Mag. vel *ref. Jalapp.* gr. iij.
Arcan. dupl. Mynf. ℈ß.
Eff. citri gtt. iij. vel iv.
M. D. S.
Pulvis purgans.

Aut pro fyrupo fuaviter purgante.

℞. *Refin.* feu *Magift. Jalapp.* gr. vij. vel ix.
Sal. tartari gr. iv. v. vel vij.
Syrup. appropr. v.g. *rof. folut.* ℥ß. vel q. f.

Mifta fumantur in vehiculo quocunque, & eleganter atque optimè purgabunt.

Nec inconvenienter ex refinis poffunt fieri emulfiones cum feminibus oleofis ad imitationem TIMÆI *in Epiftol. pag.* 184. & 219, & ita cum vehiculis aquofis propinari; e.g.

℞. *Sem. melon.* ℨß. ad ℨj.
Ref. Jalapp. gr. viij. vel ix. vel ℈ß. ad gr. xv.
cum f. q. *aquæ menthæ* vel *flor. famb.* f. *Emulfio* (quâ oleofitas melonum abforbet refinam Jalappæ) adde
Aquæ Cinamom. ℨj.
edulcoretur cum pauco *fácchαro*,
D. S.
Lac purgans.

Emulfio hæc vel fola datur & ufurpatur, vel additur pro ftimulo
Scammon. Sulphurat. à gr. j ad gr. ij.

Optimè cum vitello ovi diffolvitur & propinatur:

℞. *Ref. Jalappæ* gr. ix.
Solvatur in f. q. *vitelli ovi*: adde
Aquæ menthæ ℨiij.
M. D. S.
Potio laxativa.

Hæ & fimiles cautelæ obferventur, ne fiat error & infamia in Praxi.

M.

MECHOACANNA.

MEchoacanna eft radix alba, & *fpecies* pariter *Bryoniæ exoticæ*: vid. MONARDES: quæ in taleolas incifa ad nos adportatur. Dicitur aliàs *Rhabarbarum* album ad differentiam Rhabarbari lutei, propter convenientiam, quam habet cum hoc. Ex Infula Indiæ Occidentalis, Provincia Hifpaniæ nova, Mechoacanna dicta, ad nos adfertur, & ità à loco natali denominatur.

Quoad *Vires*, egregium purgans eft, & unum ex mitiffimis, quod fine gravium fymptomatum concurfu blandè evacuat è corpore quæcunque heterogenea, imprimis liquamina ferofa flavefcentia, & mucilaginofa, & hinc pituitam ex primis viis, capite, & partibus nervofis, ac pectore, purgare dicitur. In genere ad affectus phlegmaticos & ferofos catarrhales multùm convenit. In fpecie autem iis convenit, qui tertianis nothis laborant, & fuccis copiofis vifcidis fcatent. Sed rarò in adultis ufurpatur, frequentiùs & commodiùs pro infantibus, vermibus laborantibus, & quorum ventriculi & inteftina funt referta copiofo muco vifcido, & cruditatibus, tàm ex pulte & lactis grumis, quàm ex addiphagia congeftis, quia cum minima moleftia purgat, & nec guftui nec odoratui molefta, utut ferè à modernis Jalappa loco hujus undique fubftituatur. Plures laudes qui de Mechoacanna defiderat, GABELCHOVERUM confulat *C.* 1. *Obferv.* 13. *in Scholio*, ubi plura egregia de ufu ejus videbit.

Dofis pro infante eft à ℈ß. ad ℈j. in lacte nutricis vel pulte: *pro robuftioribus paulò* ad ℨj. adfcendere licet: *adultis* autem ordinariè ad ℨij. datur in fubftantia in forma pulveris. Interim & aquis appropriatis cum fale tartari acuatis infunditur, ubi ℥ß. ad ℥vj. fumatur, & infufum in loco frigido relinquatur, filtrando fub ufu. *Electuarium* quoque purgans non inelegans *ex Mechoacanna* poteft fieri, fi extrahatur cum *vino Canarienfi generofo*, cui inftillentur aliquot guttæ *Olei tartari per deliquium*: Vinum hoc per levem evaporationem infenfibiliter infpiffatum, addendo faccharum, donec fyrupi confiftentiam acquirat, habet vim evacuativam, & hoc modo, ratione falis tartari, convenit. Alio modo poteft fieri *Electuarium compofitum* D. MICHAELIS in formula hâc:

℞. *Fol. fenn. fin. ftip.* ℨiß.
Rad. polypod. ℨj.

Decoquit in fufficienti quantitate *aquæ fimplicis* ad ℔j, circa finem addendo
Herb. epithymi ℨj.
Vini cydoniorum ℔ß.
Colaturæ addantur
Pulv. fant. albi,
Pulp. cydon. an. ℥v.
Pul. mechoac. ℨiß.

& cum fufficienti quantitate *mellis* vel *facchari* fiat *Electuarium purgans* non inelegans.

Quidam etiam ex Mechoacanna parant *Morfulos purgantes* hoc modo:

℞. *Pulv. Mechoacan.* ℥j. vel ij. ad ℥iij.
Diagryd. ℨj.
Lapill. Cancror. præp. ℨiß.
Coral rub. præpar. ℨj.
Sacchar albiff. in aqua Cinn. & rofar. fol. ℔iß.
Olei Cinnam.
Caryophyll. an. gtt. xij.

M. f. l. a. *Morfuli purgantes*: quorum dofis ℨiß. ad ℨvj.

Rotulæ etiam inde ex ℨj. fieri poffunt cum fufficienti quantitate *facchari in aqua rofarum foluti*; Vel harum loco *Panis Martius* exinde ita paretur:

℞. *Amygd. dulc. excort.* q. f. v. g. ℥ß.

Ex his cum *aqua rofarum* contufis cum *facchαro* f. l. a. *Panis Martius*; cui addatur Mechoacanna pulverifata, vel fola, vel cum granis aliquot *fcammonii præparati* acuata. Hic, quoniam albus, non prodit fraudem, & ab infantibus faciliùs affumitur.

FABER *in Myrothec. l.* 2. *cap.* 28. habet Quintam Effentiam ex Mechoacanna, quam afferit egregium purgans quæcunque Maffæ fanguineæ excrementa, eamque multis laudibus effert.

Extractum Mechoacannæ cum fpiritu vini, quod habet AUTOR *nofter*, malum eft, & de nihilo, adeò ut ℨj ejus vix tantum operetur, quàm ℨj. in fubftantia: vis enim ejus laxativa latet in mucilagine gummofa: fi ergò cum fpiritu vini extrahitur, gummi intactum relinquitur; quod tamen ejus nucleus purgans eft: unde loco fpiritus vini potiùs cum vino Rhenano aut etiam cum aqua quadam deftillata, fi priùs cum oleo tartari per deliquium acuata, extrahitur, & in Extractum, menftrui evaporatione, redigitur. *Extractum* verò *Mechoacannæ compofitum* fatis clarum eft, & elegantis compofitionis, quæ notetur, ut de aliis meliùs judicare queatis.

MEZEREUM, LAUREOLA, feu DAPHNOIDES.

MEzereum feu *Laureola*, Germanis *Kellers-Hals*, unde *femen Coccognidii*, frutex feu arbufcula eft elegans, crefcens in hortis, primo vere producens flores: Vocatur etiam *Thimelæa*, & *Chamelæa*. Flore eft purpureo, fructu rubro. In ufu eft Mezerei radicis cortex & folia; rarò verò baccæ. Corticis fapor cauftìcus & erodens eft, ad naturam Euphorbii & cataputiæ accedens; quia abundat acerrimo fale volatili. Cum impetu autem varia liquamina liquidiffima & ferofa, atque hydropicos furfum & deorfum expurgat: propter caufticam tamen vim, &, uti AUTOR dicit, nimiam malignitatem, rariffimè ufurpatur, nifi cum aceto probè caftratum fuerit. Corrigi ergò poteft hæc vis cauftica falina volatilis, & inde nata impetuofa & effrenis virulentia, per fuccum cydoniorum immaturorum, vel acetofæ: vel & aceto infundendo, acerrimum ejus fal deftrui poteft; liquor tamen non decantandus, fed cortex & folia funt per evaporationem lentam exficcanda, aliàs nullius ufus evaderent.

Dofis corticis & *foliorum* eft à gr. vj. vel viij. ad ℈ß, quæ fufficiunt, adeò ut propter horrenda fymptomata ultra gr. xij. aut xv. adfcendere fumma religio fit. Hoc interim obfervandum eft, quod folia Mezerei in vino decocta menfes cieant fingulari efficaciâ fine laxatione: vid. M. A. N. C. *Ann.* 4. *Append. pag.* 34.

Cœterùm, utut internus ufus fit rarus; externo tamen ufu frequentiùs radix Mezerei loco fetacei adhiberi poteft in affectibus oculorum, in quibus particulæ ejus orbiculares aliquantifper in aceto, vel lixivio acri, vel aqua, in qua nitrum folutum fuit, maceratæ, auriculis perforatis inferuntur; fic enim fit, ut inftar cujufdam fonticuli copiofiffimum eliciat ferum, & hoc modo inflammationibus oculorum, doloribus oculorum, fuffufioni, adeòque ipfi cæcitati & catarrhalibus quàm plurimisque oculorum affectibus mirificè confert, & miranda præftat: Medicamentum fuit D. SCHEGELII. Videbitis quoque ejus effectus adhuc obfervatos à RIVERIO, vel quicunque eft Autor, in *C.* 4. *Obf.* 100, TIMÆO *in Epift. pag.* 52.

Inter *Præparata* in Officinis exinde proftant *Pilulæ*, quæ rariffimi funt ufus.

MYROBALANI.

MYrobalanorum *quinque fpecies* ufitatæ funt in officinis, quas AUTOR *nofter* recenfet cum fynonymis & eligendi modo: eft tamen adhuc *fexta fpecies*, quæ in India inftar condimenti folet adhiberi. Sunt fructus parvi, & revera *Pruneola exotica*, quæ nomen habent à figura externa.

Adferuntur autem nobis exficcata, & faporem habent acidulum, non-

nonnihil adstrictorium. Evacuant, simulquè etiam adstringunt. Ratione pulpæ succulentæ more nostrorum prunorum nonnihil laxant, fermentando succos corporis; quæ vis laxativa in infuso & blando decocto saltem se exerit: Ratione corticis autem, & reliquæ substantiæ ipsius pulpæ, validè adstringunt; quæ vis adstrictoria fortiori coctione etiam elicitur: Quare, quia parum laxant, & magis adstringunt, rarò usurpantur, nisi in alvi fluxibus, principio imprimis diarrhœarum, dysenteriarum, fluxu hepatico &c, ut abstergant sordes, & post blandam laxationem sapore suo & vi stypticâ tonum fibrarum denuo firmant, & ita blandam adstrictionem post se relinquunt: & in dysenteria usitatè permiscentur cum Rhabarbaro. Quin & fermentationes & effervescentias blandè temperant sapore suo acidulo, easquè mitigant. Aliàs rariùs usurpantur.

Quoad utendi modum: in substantia ferè nihil laxant, magis autem in infuso; & quidem sine adstrictione, ubi mediante aquâ succulenta ejus pulpa magis resolvitur, unde plùs præstare solent. Infunduntur autem commodè pro sola purgatione in sero lactis; sin verò in substantia adhibeantur, aut etiam fortiter coquantur, tunc simul cum purgatione adstringunt. Quò autem plus decoquuntur, eò magis adstringunt: sin priùs pulverisatę aliquantisper pertorreantur, tunc assumptę solent adstringere, non purgare: adeo mutant vires pro varietate præparationum. Nam, uti dixi, in iis, quod est gummosum, est id, quod purgat: cortex verò est saporis acris, & adstringit. Unde etiam illud Myrobalanorum genus feliciùs uberiùsquè purgat, in quo gummosum hoc copiosius reperitur, ut in Myrobalanis chebulinis, quæ ipsæ magis gummosæ sunt, & magis purgativæ. Cœterum istud effatum, quod evacuent certam materiam, nihil est.

Parari solent *ex Myrobalanis syrupi*, qui commendantur contra dysenteriam: In usu inde est *Syrupus de Myrobalanis Sennerti* ad diarrhœas, dysenterias, & alios fluxus. Sic quoque habemus *Syrupum compositum Mynsichti*, cujus non ultimum ingrediens sunt Myrobalani. Aliàs verò Myrobalani rarò usurpantur; & his quoque facilè carere possumus.

P.

POLYPODIUM.

Polypodium dicitur ita à figura radicis, quæ variis scirrhis seu polypis hinc inde est circumsepta; Germanis *Engel-Süss*, ob dulcedinem radicis admodum suavem. *Species* est *Filicis*, ac femina sua itidem in dorso gerit. Crescit circa radices arborum, quercus, abietis, fagi, coryli, &c. Optimum autem est Polypodium, quod crescit ex radice quercus, quia de acrimonia quercina vitriolacea nonnihil participat; unde à Practicis in formulis præscribitur Polypodium quercinum.

In usu est *Radix*, quæ innocenter refertur inter purgantia, cùm & hunc in finem nunquam præscribatur; saltem vi aliquali abstersivâ promovet purgantium operationem. Splenetica dicitur, & in affectibus hypochondriacis & spleneticis, tàm ex splene ortis quàm falsò eidem adscriptis, valdè convenit; ejusdem enim est naturæ cum filipendula, filice &c; unde inter Melancholiam evacuantia, & inde natos chronicos affectus curantia, hoc est, aperientia vulgo dicta, refertur. Præter vim suam anti-Melancholicam vi quoque suaviter laxativâ, ac primas vias è muco acido depurativâ pollet, quæ se imprimis in polypodio quercino exerit. Per se ratò aut nunquam usurpatur, saltim aliis additur; hinc etiam Infusum ejus, vel potius Decoctum, cum foliis sennæ pro laxandi scopo in Melancholia est egregium: vel cum aliis appropriatis, nodulis alterantibus, & laxantibus, ab ℥j. vel ℥iß. ad ℥ij. præterpropter vino vel aquæ infundi, vel cum purgantibus appropriatis Decoctis ejusmodi incoqui potest, uti etiam habet *AUTOR*. Et quidem, ut ex hujusmodi purgantibus vis alterans & purgans meliùs & feliciùs possit extrahi, adduntur aliquot unciæ vel cremoris tartari, vel salis tartari fixi, vel alia corpora salina: hujusmodi enim sal acuit menstruum, ut extrahantur virtutes talium simplicium eò convenientiùs.

Externè pro usu dentifricio *FREITAGIUS in Aur. Med. pag.* 253. vino permiscet spiritum sulphuris ut leviter acescat: Huic misturæ infundit radiculas polypodii per 24. horas: radiculas postmodum siccat, & iisdem utitur pro dentifriciis, quas valdoperè & ceu singulare mundificativum & dealbativum dentium commendat. Loco radicis polypodii posset assumi radix bistortæ, quæ est major, vel radix aristolochiæ rotundæ, cyperi &c. & cum his ita impræegnatis fricari dentes.

Prostat in officinis *syrupus de polypodio*, quem videbitis in *POTERII Pharm. spagyr. p.* 559. & *ZWELFFERO in Notis ad Pharm. Augustanam*.

PSYLLIUM.

Psyllium habetur *majus* & *minus*: Planta est glabra, nobis exotica, in Italia crescit, cujus semen ad nos pervenit.

Semen psyllii majoris solet evacuare recrementa, simulque habet vim mitigandi humores, eosque obtundendi, & convenire solet in dysenteria & diarrhœa, ut simul abstergat, & etiam acrimoniam humorum temperet, quando opus est laxatione alvi & attemperatione humorum. Usurpatur in Infuso à ℥iij. ad ℥vj. Usus tamen ejus rarus est.

Semen psyllii minoris communiter refertur inter alterantia: nobis autem inusitatum est, nisi quod parilem mucilaginem suggerat, ac semen cydoniorum, in affectibus faucium ardentibus, angina, ardore & siccitate linguæ, estque ejusdem usus cum mucilagine cydoniorum, nisi quod magis conveniat in ambustis cum saccharo saturni, camphora, succo cancrorum fluviatilium, &c.

R.

RHABARBARUM.

Rha est vox Geographica, ita dicta à fluvio Sarmatiæ principali Rha seu Wolga, Regnum Moscoviticum profluente, in cujus confiniis Rha uberrimè crescit. *Duplex* est *Rha: Barbarum* & *Ponticum: Rha Barbarum* rursus *in duplici differentia*; vel enim est *verum Moscoviticum*, & *Sinicum* seu *Orientale*; vel, quod ignorantes Monachi huic substituere, *Rhabarbarum Monachorum*, quod reverà *Hippolapathi nostri sativi majoris* radix est. Prius autem, *Sinense*, reverà *Lapathi* sui generis *species* est, uti hoc ostendit *MORISONIUS in Horto Blesensi pag.* 340. & in *Dialogo NEUHOFFII in legatione in Chinam*. Copiosissimè ex India Orientali, imprimis ex regione Chinæ & similibus, uti & ex Septentrione, Moscovia, adfertur; & radices magnæ, flavæ, succulentæ, & dulcis saporis sunt, quæ in umbra exsiccantur: nam in sole si exsiccarentur, vis purgans exhaurietur à calore solis. Moscoviticum nullius est pretii; id verò quod habemus ex Oriente, tantùm est usitatum. Dubium tamen est: *An hoc nostrum Rhabarbarum idem sit cum Rhabarbaro veterum?* vid. pluribus *PANAROLLUS* & *SALMUTH Comment. in eum. L.* 2. *Tit.* 4. *pag.* 122. Interim loco Rhabarbari veri commodè Rhabarbarum Monachorum substitui potest, modò in dupla, modò in tripla dosi sumatur. Semine gaudet triquetro, seu tribus angulis constante: hinc concludo, esse ex Lapathorum genere, quippè quæ omnia semen continent triquetrum.

Quod *usum Rhabarbari*, mitioribus ac optimis purgantibus jure accenseri debet, quia evacuat leniter corpus, & postquam evacuavit, adstringit, & solùm inter purgantia dicitur carere malignitate, cum aloe. Sed præter vim laxativam ratione salis acris, habet vim alterativam, bilis vitiosæ correctivam; cachexias, & similes affectus chronicos multum emendat, & ceu appropriatum in calculo, hydrope, & ictero, aliisque affectibus hepatis à vitiosa bile oriundis, uti dicitur, seu in massæ sanguineæ dyscrasia; & in quibus morbis sal volatile urinosum est depravatum, aut nimis oleosum, commodè cum aliis usurpatur, magis alterandi, quàm laxandi scopo. Adeòque à *CRATONE anima hepatis* vocatur; sordes enim suâ tincturâ, scilicet flavedine, intensè inquinat: imò sudor luteus à Rhabarbari usu observatus est; unde bilem ab illo evacuari, vulgo æstimant. Præscribi potest pro *purgatione* & pro *alteratione*, & propinari *in affectibus cacbecticis* cum passulis minoribus, rob passularum, vel infuso passularum, medicamentis tartareis, martialibus &c. Si misceatur cum gummi guttæ & resina jalappæ, est specificum purgans *Hydropicorum*, dum etiam ex massa sanguinea serum evacuat, ac expurgat.

Vis autem *Rhabarbari laxativa* superficialis est, & *in substantia mucilaginosa, menstruo aqueo præsertim extrahibili, residet*, *cujus subtiliores & volatiliores particulæ laxant*, quæ levi coctione vel tostione exhalant; quibus separatis *reliqua Rhabarbari substantia*, *qualiter terrea*, *stypticum* & *adstrictorium* est maxima ex parte Rhabarbarum enim, præter vim laxandi, etiam habet vim adstringendi & alvum cohibendi; hinc dicimus: laxat & adstringit simul. Rarò ergò in substantia & solitarium datur pro scopo laxationis & purgationis, cum sic ad ℨj. usurpandum foret; nisi in diarrhœis, dysenteriis &c. ubi laxandi & simul adstringendi, causamque simul morbosam, intestinorum scilicet acre, à quo fluxus alvi oriri solet, corrigendi animus est; sic enim à ℈j. ad ℨß. propinari potest. Quod si magis adstringere, quàm laxare velimus, torreri potest, ut vis laxativa exhalet: hoc enim Rhabarbarum tostum adeò ferè adstringit, ut terra sigillata, & in fluxibus alvi, ubi opus est adstrictione, commodè cum nuce moschata, laudano opiato & similibus præscribitur; propter quam virtutem adstrictivam etiam in hæmorrhagiis quibuscunque commendari solet: conf. *PECHLINUS de Purgant. pag.* 233. & *BORRICHIUS in Apolog. contra Conringium*. Rhabarbarum quoque *PARACELSO* dicitur, habere in se vim & arcanum arenas & calculum pellendi, si laxativa ejus vis ei auferatur. Novi hîc virum, calculo aliàs obnoxium, qui omni septimanâ ℨj. Rhabarbari pulverisati accipit; idque ex eo commodi habet, ut parciorem calculorum sentiat progeniem; Plura qui cupit de virtutibus egregiis Rhabarbari in roborando corpore videre potest *SCHOLZIUM Epist.* 15., qui ejus continuato usu hydropem curavit, & vulnus in capite periculosum. Pro scopo autem purgativo infusio Rhabarbari in aqua frequenti in usu est: infuso enim Rhabarbaro in aquam appropriatam, v. g. Cent. minoris, absinthii &c, aculeatam cum oleo tartari

tari per deliquium, vel sale aut cremore tartari, quæ saporem ejus nauseosum corrigunt, vis purgans abit in aquam, & residuum in substantia tantum adstringit. Commodè etiam infunditur in serum lactis, quod Infusum valdè convenit in febribus intermittentibus, tertianis sic dictis biliosis, & quartanis scorbuticis, in quibus hæc infusio est elegans & egregia. Modus infundendi talis est:

℞. *Rhabarb. opt.* ʒij. vel ʒiij.
Sal. tartari ℈j. vel *crem. tartari* ℈j. vel ʒß. ad ʒj.
Infundantur in
Aquæ simpl. ℥iij.
Stent in loco calido: colaturæ adde
Syr. de cicb. solut. ℥j.
M. pro *Haustu purgante*.

Si cremor tartari recipiatur, ebulliat parum ad tartari dissolutionem, procedendo deinde, ut in priori. Optimè etiam cum senna infunditur; per decoctionem enim vis ejus volatilis laxativa perit, & adstrictoria tantùm permanet.

Syrupus de cichorio cum Rhabarbaro, quem Germani *das Rhebarber-Saffigen*, id est Succum Rhabarbari vocant, solet permisceri cum infusis & decoctis alvum modicè purgantibus seu laxantibus. In specie infantibus convenit recens natis, quos præservat à superventu Epilepsiæ, evacuando meconium ex eorum intestinis.

Extractum de Rhabarbaro propinatur ad ℈j. in vehiculo quodam dissolutum; potest etiam redigi in pilulas. Extrahitur cum aqua alterante, cum oleo tartari per deliquium acuata; in febribus tertianis & sic dictis biliosis mirè convenit. Hac ratione WEDELIUS *in Tr. de sale volatili plant. pag.* 270. & *in App. ad Ann.* 4. & 5. *M. A. N. C. Animam Rhabarbari* extrahit:

℞. *Rhabarb.* ℥j.
Sal. tartari ʒij ad ℥ß.
Aquæ hepat. nob. ℥x.

& dicit medicamentum esse longè nobilissimum & reverà polychrestum.

Extractum autem *juxta* WECKERUM *cum spiritu vini* paratum, nil valet, minùs purgat quàm ipsa substantia.

PARACELSUS *Tr. de Tartaro* ex Rhabarbaro *Tincturam* habet in arena vel vesica, in qua vim solutivam auferendam esse dicit, quod facit sal tartari. Hæc citò ad vias urinarias dilabitur, & calculosis succurrit: Nam propter amaritiem destruit acidum, & promptè vergit ad vias urinarias.

Ex infusione Rhabarbari fit *Magisterium* eodem modo, atque dixi *sub Gratiola*, si scilicet infundatur aqua aluminis; quod Magisterium magis laudatur vi laxativâ, quàm ipsum Rhabarbarum per se usurpatum. Sed præ Rhabarbaro crudo vix prærogativam obtinebit, præsertim cùm sub præcipitatione cum terra aluminis adulteretur.

RHABARBARUM MONACHORUM.

Jam dictum fuit, *Rhabarbarum verum esse Lapathorum speciem*; unde ipsius defectu olim Monachi, *MESUES commentatores*, aliam Lapathi speciem substituerunt. Nempè *duo Lapatha* imprimis sunt in usu Medico: *Angustifolium*, quod aliàs oxylapathum dicitur, & *latifolium* seu *Hippolapathum*, quod est Rhabarbarum Monachorum.

Radix hujus conspirat nonnihil cum viribus Rhabarbari genuini, cum in dupla dosi non solùm laxet, sed etiam amaricante sapore vim Rhabarbari alterativam, adeòquè, ut dicunt, hepaticam, id est, bilis correctivam, & toni hepatis conservativam, æmuletur. Usus saltem est in Infusis & decoctis cum aliis hujus generis alterantibus.

RICINUS.

Ricinus ita dicitur, quod grana ejus figuram animalis Ricini, Germanis *Hunds-Mucken*, pone aures eorum sedentium, repræsentent: Dicitur alias *Catapucia major*, & πεντε-δάκτυλος, quod folia ejus quinque digitos quasi repræsentent. Ordinariè dicitur *planta Christi*, Germanis *Wunder-Baum*, quod speciosè ac ferè sine pari crescat.

Duplex est: vel vulgaris minor, vel major seu americans. Differentia cognitu est facilis, præter magnitudinem, quâ grana minoris sunt minora, majoris verò majora: majora sunt nigra, nec adeò eleganter sunt picta atque colorata quàm minora. Ricinus minor non nisi semina in capsulis hirsutis contenta nobis suppeditat.

Famosa sunt *semina* hæc vi emeticâ: Matura enim num. vj. viij. ix. vel x. ad xij. juxta *AUTOREM* assumpta, mirè turbant corpus, quoniam nimis potenter, fortiter ac violenter purgant, & cum impetu ἄνω & κάτω, quicquid inveniunt, ejiciunt; hinc rarissimi, nisi apud Agyrtas, solet esse usus. Hungari verò, qui fortiora aliàs medicamenta facilè ferre possunt, gr. xxx. absque noxa assumunt, quemadmodum & iidem cantharides internè sine noxa usurpant: vid. *M. A. N. C. Ann.* 1. *Append. pag.* 32. Sunt qui ex seminibus his cum lacte terendo parant Emulsionem catharticam satis potentem, quo vis ejus purgans aliquatenus temperatur. Notandum tamen, non totum granum esse, quod purget, sed dividitur granum in duas partes, in quarum medio membrana est duplicata, seu tunica bipartita, in qua vis ista cathartica residet. Verùm propter virulentiam ejus, & cùm remedia alia mitiora prostent, non adhibetur. In Persia planta hæc seritur in agris, ac exinde oleum fit dulce & elegans, quo in cibis præparandis utuntur: Vid. *OLEARII Itinerar. Persic. l.* 5. *c.* 7. *pag.* 566.

RICINUS AMERICANUS.

Ricini majoris seu *Americani grana nigra*, dicuntur *Granatiglia*, & inclusa sunt capsulis glabris.

Hæc decorticata & deglutita purgant valdè admodum, suprà & infrà; hinc ratissimi, nisi apud agyrtas, usus esse solent. Rusticis robustioribus gr. j, aliis verò quarta pars grani sufficit; propter nimiam enim virulentiam vix unum vel alterum assumi potest. Dixit tamen mihi quidam Empiricus, quod unum granum assumtum sit expertissimum remedium ad vermes; & dixit, se illo aliquando evacuasse vermem cucurbitalem ingentis magnitudinis, & quod citò operetur, utut non ita tutò. Integrum iterum secedit, peractâ tamen operatione.

Exprimitur inde *Oleum*, cujus gutt. j. vel ij. in jusculo carnis, vel unà cum saccharo propinatę sufficienter purgant: vid. *VELSCHIUS Hecatost.* 2. *p.* 13. *BORELLUS C.* 3. *Obs.* 29, ubi facilem ostendit purgationem cum oleo seminis ricini Americani, quod etiam vocat *nucleum pineum Indicum*. In hoc oleo singulare quid contra epilepsiam infantum latet, si cum pinguedine erinacea in linimentum redigatur, cujus guttæ quædam umbilico illitæ, mira faciunt.

Ex remanente post oleum expressum corpore sunt, qui *Extractum purgans* beneficio Tincturæ tartari fieri existimant.

SENNA.

Senna genuina officinalis debet esse *Alexandrina* seu *Orientalis*. *Italica* vulgò substituitur, sed non tantæ est efficaciæ ac usus: *affinis* est *Coluteæ Vesicariæ* quoad folia, imò & quoad effectus; unde solet à quibusdam etiam haberi pro *sennæ succedaneo*, ubi tamen coluteæ folia in dupla dosi assumenda: idque non sine experientia, qualem videbitis in *BARTHOLINI Historiis Anatomicis C.* 5. *Anatom. Hist.* 60.

In usu sunt solùm *Folia*, *Folliculi* rarò, imò nunquam.

Folia usurpantur sine stipitibus seu cauliculis, quibus adhærent, propterea, quoniam adstringunt; quæ vis adstrictoria est contraria laxativæ virtuti sennæ.

Purgat autem sufficienter, quicquid adoritur; unde ridiculum est, quod ad humores adustos & melancholicos, biliosos, & pituitosos commendetur. In febribus tamen diuturnis, affectibus hypochondriacis, melancholicis, quartana, scorbuto, aliisque morbis chronicis, in affectibus mulierum, & similibus aliis, ubi fomes morbosus in lento ac viscido humore radicatur, unum est ex mediocribus & usitatissimis purgantibus, cui multa encomia hinc inde tribuuntur, quoniam est valdè moderata, & sine graviorum symptomatum concursu, turbulentia & agitatione massæ sanguineæ, blandè solet elicere & purgare excrementa viscida atque serosa, plus minùs flavedine tincta, ex primis viis & massa sanguinea, & ad catholica purgantia imprimis referenda. Blandè dico: nec quemquam impediat, quod excitet interdum tormina: nam hæc faciet mucilago viscida in senna, quæ adhærescendo intestinis tales cruciatus causatur. Vis ejus laxativa in volatilioribus resinosis particulis consistit, quæ mucilagine non nihil viscidâ sunt involutæ; hinc coctione prolixiori virtutem laxativam amittit, & potiùs ingentia tormina ciere assolet, prolectâ sic mucilaginosâ ejus substantiâ, quæ intestinis tenaciùs adhæret. Cùm ergò & ventriculo non parum adversa ac nauseosa sit, & tormina excitet; propterea sine adjectione stimuli Salini tartarei nunquam est propinanda, utpotè quæ talem mucilaginem incidunt, & excretionem promovent; & hoc observandum, sive propinetur senna in substantia, sive in Infuso. Et talis mucilago in senna probari potest ex eo; si enim decoquatur per se, decoctum fit crassum & mucilaginosum, quod solum potum tormina excitat, & nihil operatur; si verò addantur tartarea, fit decoctum egregiè purgans sine torminibus; quod de pulvere ipso etiam intelligendum: sicut dicit *CARDANUS*, se vidisse virginem vestalem seu monialem, quæ ex ℥j. Decocti sennæ bibita, veneni symptomata passa sit.

Dosis in substantia est à ℈j ad ʒß. cum socio tartareo; in qua tamen rarò & nunquam usurpatur, nisi quod quandoquè pulvis sennæ Montagnanæ à ℈j. vel ʒß. ad ʒj. præscribatur. In forma autem liquida frequentiùs usurpatur; idque in infuso magis, quàm in decocto, à ʒj. ad ʒiij, quia si paulo diuturnior sit coctio, vis sennæ laxativa maximam partem perire solet.

Menstrua aut sunt vinum, unde *RULANDUS* utitur sennâ in vino infusa, vid. *Thesaurus pag.* 249; vel menstruum aquosum, & quidem semper cum tartareis acuendum, sive sal sit, vel ejus oleum per deliquium, sive tartari cremor aut crystalli tartari, quæ mucilaginem viscidam nonnihil resolvunt, & simul eandem, intestinis aliàs adhærentem, & tormina inferentem, abstergunt; & sic dicta dosis valdè sufficiens est ad laxationem, imò integram purgationem. Hinc cum sale tartari si præparetur, sufficit Infusum; si verò cremor tartari addatur, necessaria est ejus aliqua decoctio. Aliàs in affectibus hypochondriacis commodè recipi potest succus pomorum suaviter

redo-

redolentium, seu pomorum Borsdorffianorum depuratus, vel solus, vel cum aliquot guttis olei tartari per deliquium acuatus, cum quo loco aquæ simplicis, infundatur senna; estque egregium Infusum purgans in malo hypochondriaco: fit verbi gratiâ pro adulto sequens Infusio:

℞. *Fol. sennæ* ℥ij. vel ℥iij.
Rad. Rhabarb. el. vel hujus loco *rad. belleb. nigr.* ʒj.
Zingib. (pro resolvendis flatibus) ʒß.
Sal tart. ad ʒß.

Infundatur in s. q. *aquæ fumar.* (loco ejus etiam sufficit *aqua simplex*) stent in loco tepido per noctem: manè

℞. *Colat. rubic.* ℥iiß. ad ℥iij. etiam ℥iv, prout plus vel minus purgare velimus,
adde
Aquæ Cinnam. ʒj. ad ʒiij.
M. D. S.
Pociuncula laxativa pro una dosi.

Edulcorari potest cum *saccharo*, vel *syrupo de pomis Reg. Sab.* vel *Rosat.* ʒß.

Potio est rubra non ingrati saporis, quæ sine nausea & torminibus quinque vel sex vicibus optimè purgat: imprimis in morbis chronicis, pro sordibus viscidis in primis viis eliminandis, in usu est: Vel

℞. *Fol. senn. sine stip.* ʒij. vel ʒiij, pro varietate circumstantiarum.
Rhabarb. el.
Sem. anisi an. ℈j.
Cinnam. ℈ß.
Sal. tart. crystal. tartari â ʒß. ad ʒj.

Infunduntur in sufficienti quantitate *aquæ fumariæ*, si est affectus chronicus vel frigidus; sin calidus, infunduntur in *serum lactis*, vel *simplex* vel *serum lactis destillatum*; (quod infusum sennæ etiam est elegans in scorbuto; vel in scorbuto fiat infusio *aquam scorbuticam Dorncreilii*)

Stent per noctem in loco calido, manè coletur: Colaturæ addantur
Syr. de cicb. cum Rhabarb. ʒvj. præter propter:
& quando specificare volumus, additur pro scorbuto
Spiritus Cochlear. ℈j. (pro malo hypochondriaco
Spiritus Sal. ammon. gtt. x. vel xij.)
M. D. S.
Potio purgans.

Hic est modus optimus infundendi; & in affectibus, in quibus adhibetur senna, adhibetur etiam Rhabarbarum: Item

℞. *Fol. senn.* ℥ß.
Crem. tartari ʒj.

Infunditur in sufficiente quantitate *aquæ*, & ebulliant leniter ad dissolutionem tartari: Colat.

℞. ℥iij. vel iv, adde syr. cujusdam q. s. fiat *Potio* pro dosi.

RULANDUS in Curationib. pro scopo sudorifero in febribus adhibuit sequens:

℞. *Fol. senn.* q. s.

Decoxit in *vino*, & cum *aquæ card. benedicti* exhibuit.

Huc pertinet infusum passulatum pro continuando usu sennæ, in affectibus hypochondriacis, Melancholicis & scorbuticis, in quibus alvus aperta continuò requiritur, per quàm proficuum: vid. *supra de passulis*.

Aliud infusum pro pluribus dosibus ad febres quartanas contumaces, & cachecticos evacuandos, ita præscribi potest:

℞. *Fol. senn.* ʒvj. ad ℥j.
Rad. belleb. nigr. ʒij. vel iij.
Sal. tartari ʒiij. vel ℥ß.

Infunditur in sufficienti quantitate *aquæ simplicis*, stent in loco calido per noctem: mane

℞. *Colat.* ℔iß. ad ℔ij.
edulcoretur cum *Julapio* aut *syrupo rosar. sol.*
D. S.
Potio laxativa pro aliquot dosibus.

Capiat æger haustulum ad ʒij. vel iij. in morbis chronicis per epicrasin eliminandis: est remedium multi usus. Conferatur hîc *Infusum sennæ laxat. Mannagettæ*, quod parat ex senna, sale tartari & semine coriandri, uti videbitis in *ZWELFFERI Pharm. Reg. pag.* 31. & 42: Augustanis & Viennensibus adhuc usitatum est.

Sic etiam fit eadem decoctio cum sero lactis caprilli, quod saporem acrem in scorbuto peccantem specificè temperat, si infundatur aut in eo blandissimè senna ebulliat. Tandem & sub Infuso in nodulis laxativis vino infundendis senna ordinatur; nam & hoc ipso illa extrahi potest.

Sennæ defectu Colutea vesicaria succedanea est, quæ tamen in dosi dupla, respectu sennæ, iisdem formulis & modis adhibenda est.

Præparata sennæ quod attinet; ad ea pertinet *pulvis sennæ Montagnanæ*, qui paratur ex foliis sennæ, cremore tartari, & aliis; cujus dosis est à ℈j. vel ʒß. ad ʒj. & ʒiß; nec non *Pulvis tartari crystallini solutivus compositus ZWELFFERI in Animadr. Pharm. August.* Sed ut ut convenienter purgent, propter dosin tamen nimiam & nauseam rarò præscribi solent: Conf. *LUDOVICI Pharm. pag.* 152.

Syrupus de pomis Regis Sab. adhibetur in affectibus hypochondriacis & Melancholicis.

Quidam cum senna præparant Electuarium purgans polychrestum hoc modo:

Ponunt ad ignem *Syrupum rosarum solutivum* ad ℥ij: huic leniter calenti injiciunt:

Sacch. Canthi rubri pulver. ℥iß.
quo soluto addunt:
Fol. senn. ℥iß.
Crem. tartari ad ʒiij.
Zingib. ʒj.
Sem. Anisi ʒß.

Misc. cum spatula, removeatur ab igne, donec frigescat: hinc iterum aliquid *Syrupi rosati solutivi* injiciunt & miscent.

Dosis est instar nucis juglandis pro eleganti evacuativo.

Extractum sennæ rarò prostat, & est suspectum; quia metus est, ne sub inspissatione vis laxativa evaporaverit.

Tinctura sannæ, ut & *Rhabarbari*, est mirabilis: cum spiritu vini, utut dephlegmato, fieri nequit; sed potiùs recipiatur solutio salis essentialis tartari, cui Rhabarbarum vel senna infunditur, & habebitur Tinctura egregia laxans.

SOLDANELLA.

Soldanella dicitur etiam *Brassica marina*, Germanis *Meer-Kohl*, & *Meer-Winde*; nil tamen affinitatis habet cum brassicis. *Meer-Winde* autem dicitur, quoniam in locis marinis instar volvuli hinc inde serpat, & flores habeat instar volvuli. Ubertim crescit in Italia & Provinciis Gallicis, inde etiam folia exsiccata ad nos adferuntur.

Planta est rari usus; copiosissimas aquas purgat, unde in evacuando sero scorbutico, & similibus affectibus, à serosa colluvie natis, speciatim in hydrope, Officium suum egregiè facit; adeò ut *ERASTUS* eam nunquam in curatione hydropiseos omittendam asserat; quo in casu præsertim cum Rhabarbaro jungenda venit, utpotè cum quo optimè hydropicis porrigitur. Caret malignitate, quam velare alia purgantia nesciunt.

Dosis foliorum pulverisatorum est ʒß. vel ʒj. ad ʒij: pro decocto verò ℥ß. ad ʒvj vel ℥j, e.g.

℞. *Fol. soldanell.* M. j. ad M. iß.
Coquitur in *aqua appropriata* vel *simplici* &c.

Quibusdam succus ad ℥ß. in usu est, qui inspissatus ultra ʒiß. aut ʒj. dari non debet.

SPINA INFECTORIA.

Spina infectoria, *spina cervina*, *spina alba*, *Rhamnus Catharticus* seu *solutivus*, Germanis *Wegedorn*, crescit juxta sepe, in sylvis, etiam cultura provenit in hortis nostris.

Floret Majo, fructus fert autumno.

Pro usu purgandi suggerit *baccas rubras* in fine septembris aut initio octobris colligendas, quæ pro Medicina domestica laxativa inserviunt: sufficienter purgant varia liquamina sero involuta; unde convenire valdè dicitur in affectibus cachecticis, chronicis, hydrope, arthritide, & similibus, ubi abundat colluvies serosa, præservativè & curativè. Rarò præscribuntur in substantia; sed in usu inde est *syrupus de spina infectoria* seu de *spina cervina* ex succo baccarum paratus, *domesticus* aliàs dictus, quia *IMPERATORI MAXIMILIANO* tanquàm medicina domestica in podagra frequentis usus fuit. Præparationem videbitis in *SOLENANDRO Cons.* 20. & *ZWELFFERO*, etiam in *AUTORE*, qui loco sacchari rectè mel sub sole, aut per se depuratum, substituit. Solus potest præscribi ab ℥j. ad ℥iß; quoniam eleganter purgat. Præprimis autem competit infantibus tenellis à ʒij. ad ʒiij, pro quibus laxandis mihi perquam est usitatus. Fœces quidem virore inficit, easdem tamen perquam commodè laxare solet. Datur in cochleari vel solus, vel cum pauco lapillorum cancrorum mistus, nec non cum Syrupo de cichorio cum Rhabarbaro mistus: v.g.

℞. *Aquæ Cinnam.* ʒij.
Lapill. Cancr. præpar. ʒß.
Syr. de spina cervin. ℥ß.
M.

Dosis cochl. j. Infantes certè libenter assumunt, & sufficienter laxat.

Ad hujus imitationem *syrupum compositum* videbitis in *ZWELFFERI Pharmac. Reg. pag.* 32.

Inter reliqua præparata num. 3. *Extractum Rhamni* habet *AUTOR*, quod elegans; cum vis Tithymali caustica aceto rosarum destruatur: plus minùs aceti addatur, quo plus minùs acre est & validius. Ad hunc modum non incommodè etiam parari possunt *Extracta de Esula*, *Tithymalo* & aliis purgantibus, cum in iis per acetum & nitrum corrigatur vis maligna purgativa: adeoquè non est inelegans modus. Ob nitrum autem in calcinatione acquiritur alcali fixum, quod dum extrahitur cum aceto, habetur *Tartarus regeneratus*, hoc est, *sal essentiale tartari*, ex aceto rosarum & nitro ortum, & compositum. Solutio cum aqua rosarum superflua est.

STAPHIS-

STAPHISAGRIA.

DE *Staphisagria supra inter Alterantia secundaria* dixi, quia malè inter purgantia refertur, cùm pro hoc scopo nunquam usurpetur.

T.

TURPETHUM.

TUrpethum Vegetabile hic intelligitur ad differentiam mineralis, quod ex Mercurio præparatur. Alio nomine dicitur *Turbith*, quod qualis sit radix? & quodnam Veterum Turpethum fuerit? utrumque nos latet; quoniam ex peregrinis locis solet afferri. Hinc & dosis ejus, unà & usus, suspectus & controversus est; & quia validum nimis purgans, rarò usurpatur.

Quatuor rebus nomen *Turpethi* imponi docet *MONARDES in Annot. in Mesuen l. Epist. annexis pag.* 385. quas inter

1. Est *Radix Tripolii Dioscoridis*, quæ est *Turbith Serapionis*.
2. *Radix Piliosæ*, quæ est *Turbith Dioscoridis*; & putatur esse *Tithymalus folijs pini* seu *Cypressinus*: vid. *TABERNÆMONTANUS pag.* 990. & 991.
3. Est *Radix Tithymali fœminæ*, *Myrthites* vocatæ, quâ nunc passim sub *Turpethi* nomine utuntur Medici.
4. Quod *folio ferulæ* constare dixit *Mesue*, cum quo *Mesues Turpetho* videtur convenire Thapsia, quæ in Gasconia Galliæ, item in Sicilia & Montibus Apuliæ reperitur, quod multi istud Turpethum esse putant, quo nos utimur.

Ab his omnibus distinctum adhuc est *Turpethum Indicum Garziæ*, de quo vid. *DODONÆUS Tr. de Purgantibus pag.* 174. & 175.

Quicquid sit hæc *Radix Turpethi* seu *Indica Garziæ* seu *Thapsia*, quæ in Officinis à medulla lignosa separata observatur, potenter satis operatur, & omne, quod attingit, sub forma mucilaginis crassæ & viscidæ evacuare solet, eamquè non tantùm ex primis viis, sed beneficio sanguinis circuli ex aliis etiam partibus; hinc inter pituitam evacuantia, & phlegmagoga ferè numeratur. *Unde* Regula: *Quicquid Agaricus non attingit, Turpethum promovet: & quod Turpethum negligit, colocynthis attingit*. Et hic est progressus majoris & minoris efficaciæ. Imprimis solet commisceri cum aliis: in affectibus arthriticis cum hermodactylis constituit *Pulverem purgantem Paracelsi*. In morbis chronicis & diuturnis specificè convenit. Dosis est à ℈j. ad ʒß. vel ℈ij. rarò ad ʒj. per se: aut infuso à ʒij. ad ʒiij. Parari autem debet in infuso, non cum liquore vinoso aut aquoso, quoniam est resinosa radix, & hinc non communicat virtutes purgativas tali menstruo vinoso vel aquoso; sed cum menstruo seu liquore spirituoso. Egregium ergò est vel in substantia, vel forma Essentiæ, vel Extracti cum spiritu vini parati, utut totum remedium rari sit usus. Aliàs & in usu sunt *species dia-Turbith cum Rhabarbaro*, quæ dantur quoad summam dosin à ʒß. ad ʒj. Et quidem in minori dosi valdè conveniunt pueris verminulantibus, uti etiam adultis: Nam post Mercurium nihil fortiùs exturbat vermiculos, quàm species diaturbith. Unde specificum sunt medicamentum tam adultis, quàm infantibus; quibus dantur cum saccharo sub forma morsulorum vel tabellarum, ut sic decepti vermium ejaculationem sustinere queant. *HORSTIUS in Obs.* refert, se ex rustico speciebus dia-Turbith cum Rhabarbaro bufones evacuasse.

Tinctura aurea inde elicitur cum spiritu vini tartarisato, quæ egregium est remedium, ubi validiore evacuatione opus est. Resina elicita cum spiritu vini valdè purgat, & in deturbandis vermibus & animalibus, tàm in adultis quàm infantibus, adhibetur. *FABER Lib. 2. Myrothec. Spagyr. cap.* 24. habet *Quintam Essentiam Turbith*, paratam cum spiritu roris Majalis elegantem, quæ *citato loco* videri potest.

TAMARINDI.

TAmarindi revera sunt *Siliquæ Arabicæ*, congeneres Cassiæ solutivæ; qui vocantur etiam *Dactyli Acidi* crescunt in arboribus proceris, & fistulis siliquosis membranaceis per longitudinem inclusi; quæ contusæ, & cum quibusdam nucleis duris fuscis splendentibus commistæ, ad nos deferuntur. Arbor *species* est *Palmæ Indicæ*: vid. *PROSPER ALPINUS de plantis Ægyptiacis*.

Fructus iste succosus seu *pulpa* nigra suavem habet saporem acidulum, qui est vinosus; hinc in temperanda bile confert, id est blando acore fervorem & orgasmum bilis reprimit, agitationes massæ sanguineæ inhibet, nimiam acrimoniam humorum temperat, horumquè fervorem & sitim compescit, & nimios ardores ac incalescentias corporis sapore acidulo suavi inhibet. Propter aliqualem nitrositatem cruditates nidorosas abstergit blandè & laxat, seu potiùs saltem alvum apertam conservat. Vulgò Tamarindos inter Cholagoga referunt. In febribus tertianis biliosis, & continuis ardentibus, benignis & malignis, & imprimis scorbuticis, egregiè conferunt, ubi acido volatili blando agitationes febriles egregiè alterant, æstum temperant, & alvum apertam servant, humoresque turgentes blandè evacuant. Item scorbuticis, quibus subinde phlogoses vagæ aut amaror oritur, aliaquè similia pathemata molesta sunt, his Tamarindi optimè conveniunt.

Usitatiùs recipitur *pulpa Tamarindorum* saccharo condita, ut asservari possit; cujus dosis est ℥ß. vel ℥j. ad ℥iß. vel ℥ij: sed melius est, si loco sacchari pulpa Tamarindorum cum succo passularum addito inspissetur, & ita ad tempus asservetur. Commendatur valdè soluta in cerevisia aut potu ordinario, vel in decocto hordei, aut aliis liquoribus appropriatis, qui fiunt instar Iuleborum; quoniam liquores acescunt, & colorem rubicundum acquirunt; id quod etiam facit *decoctum Tamarindorum* tam *simplex* ex tempore parandum, quàm *compositum* cum passulis: pro quo ℥iij. vel iv. coquantur in sero lactis vel aquâ in affectibus biliosis, febrilibus, tertianis ardentibus & malignis, in quibus necessum est, ut alvus sit aperta; suavissimi est usus, blandè enim laxat, sitim compescit, & æstum non nihil mitigat, effervescentiam humorum blandè compescit, & moderato coagulo sanguinis agitationem sistit; & nullum laxativum est aliud, quod æquè tutò in his possimus propinare, quàm Decoctum Tamarindorum, dum prætereà laboranti stomacho optimè succurrit: quin & stomacho ad cruditatem nidorosam proclivi benè admodum conducunt Tamarindi, eumque blandè constringunt, & nauseam ejus ac inappetentiam corrigunt.

Utendi modus est speciatim in forma liquida; e.g. in Tertiana continua, ubi alvus obstructa:

℞. *Tamarind.* ℥iv.

Coquitur in *aqua simplici*, vel pro scorbuticis meliùs in *sero lactis*; sic acidum Tamarindorum præcipitat omnia recrementa in sero lactis: Decocti colati

℞. ℔j. vel ℔iß.

adde

Tincturæ flor. bellid. ʒij. vel ʒiij.
Syr. acetos. citri ℥iß.

M. D. S.

Iulapium alterans & laxativum.

Item

℞. *Decocti Tamarind.* vel *cum pass.* vel *simpl.* ℔j.
Syrup. rubi idæi ℥j.

M. D. pro Iulebo.

Vel præscribitur ita:

℞. *Decoct. hord.*
Tamarind. an. ℥v. vj. vel viij.

M. D. pro usu.

Item v. g. in scorbutico:

℞. *Pulp. Tamarind.* ℥j.

Dissolvitur in sufficienti quantitate *seri lactis*: Colatur.

D. S.

Potiuncula laxativa.

℞. *Pulp. Tamarind.* ʒij.
Pulveris Rhabarb. ℈j.
Scammon. pp. gr. iij.

M. f. Bolus

D. S.

Bolus laxativus pro una dosi.

Porrò ex Tamarindis etiam *sal essentiale* seu *Tartarus* parari potest ad legem, quam præscribit *SALA*. De cætero ex iisdem Tamarindis cum sero lactis infusis, aliâ ratione tartarum parare docet *BARTHOLINUS C. 5. Hist. 21.* quæ est lectu digna; tartarus tamen hic nil peculiare habet.

Hæc sunt *primaria Purgantia*, ex quibus sufficere possent sequentia: Nempè

1. *Senna*, tanquam polychresta.
2. *Rhabarbarum*.
3. *Elleborus niger*.
4. *Jalappa*, &
5. Ubi validiùs agendum, *Colocynthis*.

His quinque satis armati sumus pro scopo purgatorio, modò legitimè adhibeantur. Sequamur tamen *AUTORIS nostri* ductum, & jam Purgantia secundaria adhuc perlustremus, quæ nihil aliud sunt, quàm varia Vegetabilium producta.

CLASSIS IV. DE PURGANTIBUS SECUNDARIIS.

A.

ALOE.

ALoe, uti notum, *succus* est *gummeo-resinosus* amarus, ad myrrhæ-odorem ferè inclinans, ex planta ejusdem nominis, quæ etiam *Sempervivum Marinum* dicitur, expressus, & leni calore inspissatus: ac in *quadruplici* habetur *differentia*, quatenus ratione puritatis & fæculentiæ admodum differt:

1. Enim impurissima dicitur *Caballina*, quia Caballis seu equis inservit curandis, & crassamentum ignobilius est, quisquiliis & heterogeneis particulis refertum.

Hâc purior est

2. *Hepatica*, ita dicta, quod hepatis colorem habeat: Hinc
3. *Succoterina*, quod ex Sucotra, Insula Orientis, in qua copiosissimè crescit, apportari soleat. Hæc ex incisis foliis suâ sponte stillans, & Solis calore condensata, optima est, & ulterius purgata, rubenti colore spendet; Unde
4. *Aloe lucida* exsurgit, quæ omnium optima est, internè assumpta.

Virtutes hujus succoterinæ & lucidæ quod attinet, blandè admodum evacuat, & purgat simul excrementa flava, liquida & acria; unde vulgò inter cholagoga seu bilem evacuantia, refertur: sed malè. Suâ enim Tincturâ internè flavâ fæces ita tingit, quæ antea in corpore flavæ non fuerunt: sicut aloe pulverisata pulverem exhibet omninò flavescentem.

Præter vim purgantem, obtinet vim adstringentem, & in majori dosi minùs purgat, quàm in minori. Duæ enim in Aloe substantiæ sunt:

1. *Substantia mucilaginosa* aquosa.
2. Viscida *resinosa* instar cujusdam colophoniæ.

Hæc in spiritu vini solubilis, in aqua insolubilis est: Illa verò in menstruo aqueo; sub cujus tegmine subtilis & acris quædam resina laxativa delitescit, *& in hac sola substantia consistit vis* purgans atque *laxans*. Unde *Pilulæ Glassianæ* & *Francofurtenses*, quas adeo magnifaciunt, & maximam partem aloe sunt, cum succo violarum extracta, ad novem vel undecim assumptæ pluspurgant, quàm Aloe in maxima dosi; quoniam in tali dosi aloes vis purgans non potest se exerere propter vim adstrictoriam, quæ purganti quasi præponderat. In altera verò substantia, fibras stomachi, & intestinorum firmando, vis styptica latet. Unde, ubi purgatione solâ opus est, aloe integra non omnibus convenit, sed prior substantia mucilaginosa speciatim requiritur: ubi autem opus est, ut substantia illa resinosa & balsamica retineatur, selecta saltem lucida aloe, non lota, usurpetur (nam æquè suaviter laxat) aut in forma pulveris, addendo grana aliquot tartari vitriolati; aut in forma pilularum, cui etiam Gummi ammoniacum interdum additur, ad imitationem Tilemanni, qui

℞. *Aloes lucid.* ℥ß.
Gum. ammon. cum aceto sol. & inspiss. ℥j.
Tartari vitriolat. ℥ß.

Cum *Essentia Martis liquida* fit *Massa pilularum*.

Dosis fit à pilulis v. viij. ix. vel x. in morbis chronicis. Aloe hæc, præter vim laxativam in mucilagine fundatam, ratione resinæ suæ habet quoque vim egregiam præservandi à putredine, humorum corruptelas plus minùs præcavendo & corrigendo; unde etiam Lumbricis & ascaridibus inimica est, quos præservat, & genitos fugat & expellit, sive internè assumatur cum aliis, sive externè applicetur instar unguenti. Observetur tamen, quando dantur ejusmodi amara per os, ut dulcia per anum injiciantur, quo possimus per amara vermes fugare, & per dulcia allicere, sicquè ex intestinis exturbare: Unde quando internè porrigitur aloe, semper Clyster cum melle vel potiùs lacte est injiciendus.

Præterea stomacho est amica, cui specificè succurrit: abstergit mucum crassum & viscidum in stomacho hærentem; unde dicitur *Lætitia stomachi*, & *Amarum in ore, Sanum in stomacho*: & exinde in Hiera Picra Galeni & similibus, quorum omnium basis est aloe, aloe convenit in affectibus stomachi; hinc in pilulis de Hiera cum agarico in detergendo ventriculo & intestinis non melius habemus remedium. Juxta hæc aloe vi alterativâ, à putredine præservativâ, & primarum viarum abstersivâ, à quorumcunque gravium morborum insultibus præservat, si crebiò ea usurpetur: vid. MINDERERUS, qui fusè de Aloe agit *in Aloëdario*, uti etiam FREITAGIUS in *Aurora Medicorum*. Hinc quibusdam dicitur quasi *Fel Naturæ* (est enim amarissima) quo noxia deterguntur & absterguntur; item *Naturæ Balsamus* & *Vermium specifica Antidotus*, dum conservat corpora à putredine, & nihil in vivo homine vivere permittit, quod non pertinet ad ejus essentiam & constitutionem vitalem: vis enim basamica egregia est in aloe, in qua ipsa non cedit Myrrhæ vel Myrrhatis. Hinc inter omnia Purgantia aloe & Rhabarbarum habentur innocua; cùm reliqua de virulentia & venenositate, corporii inimica, plus minùs participent.

Cùm verò aloe succus medius sit inter resinas & gummata, ratione substantiæ resinosæ præpollentis facilè potest inhærere extremitati ani seu intestino recto, ubi sunt venæ hæmorrhoidales, & continuâ sic irritatione provocare dolorem & fluxum hæmorrhoidum: Unde ii, qui sunt dispositi ad hæmorrhoidum fluxum, ex assumptione frequenti aloeticorum eundem solent incurrere, quod observandum; unde cautè iis exhibenda aloe. Id quod tamen aloe soli non convenit, quin etiam alia laxativa idem, sed in dispositis, præstare solent: Confer. hic *MONARDES in Epist. Medicin. Lib.* 12. *Epist.* 3. *pag.* 226, qui in Rhabarbaro eundem stimulum observavit; item *SCULTETUS in Arm. Chirurg. Obs.* 68. à Scammoniatis.

Ex dictis facilè patet, quare aloe & remedia aloetica post laxationem alvi obstructionem ejus relinquant: Cujus ratione etiam hypochondriacis, Melancholicis, nec iis, qui sunt constitutionis sicci-oris, vel naturâ alvi pertinacioris, remedia ex aloe minùs conveniunt; quoniam ab eadem potiùs læduntur; Unde ulteriùs patet, quare aloe in minori dosi subinde meliùs operetur quàm in majori: Mulieribus itidem gravidis non convenit, quoniam solet proritare menses, & pellere fœtum: & quod dicitur de Aloe, dicitur de Elixyre proprietatis, cujus ingrediens primarium constituit aloe.

Externè ob vim balsamicam in usu est Chirurgico: propterea pro mundificandis vulneribus externis, quæ in ulcera solent degenerare, magni est usus; sive decoquatur in vino cum aristolochia, cum Nicotiana & myrrha, & adhibeatur pro eluendis ulceribus sordidis; sive misceatur cum emplastris & unguentis appropriatis, myrrha, thure & similibus: pro quo scopo sufficit aloe hepatica, vel caballina, Nam ita detergit sordes & putredinem. Imprimis si sint vermes in ulceribus, iis potenter resistit. Vulneribus recentibus insperſa aloe, tam integra, quàm resina separata, omnis vulnerum progressus præcavetur, & putredini resistit. Præterea propter vim mundificativam & adstrictivam detergit, & consolidat vulnera, arcendo degenerationem & corruptionem nutrimenti, & cicatricem ad constrictionem conducit; adeoque vulneraria est insignis.

In vermibus intestinorum potest fieri tale *Unguentum*:

℞. *Aloes hepat.* ℥j.
Fellis tauri insp. ℥ß.
Olei diacolocynth. Querc. q.s.

M. fiat *Unguentum* aut *linimentum*.

Quod super partem vesicæ extendatur, & umbilico applicetur: quod ipsum, si adsunt vermes, non facilè decidit, donec sint rectè expulsi; quando verò nulli adsunt, solet decidere; quod est docimasia præsentiæ vermium in hoc Unguento.

In curandis pediculis, irritationibus intercutaneis, ejus ℥j. solvatur in ℔j. aquæ graminis: quâ aquâ *TIMÆUS in Cas. & Epist.* frequenter usus est; sicut etiam in scabie usum suum præstat.

Inter *Præparata* primo loco se offert *Aloe depurata* seu *lota*, quando vulgò lavatur aloe, ut magis purificetur à sordibus. Sed malè præscribitur aloe hæc lota, propterea, quoniam vis purgans consistit in parte mucilaginosa, quæ facilè per aquam separatur; vis verò adstringens in parte resinosa, aquæ reluctante, remanet. Quando ergò lavatur aloe, hoc ipso eadem mucilagine & vi purgativâ spoliatur & castratur, & tantùm remanet pars viscida styptica, hæmorrhoides excitans, rectèque dicitur castrata Aloe: vid. ZWELFFERUS *Animadv. in Pharm. Aug. pag.* 107. & 404. Hoc ne fiat, aloe pura, vel saltim superficialiter à sordibus depurata, est assumenda, nullo modo verò lota.

Pro scopo igitur *laxandi* & *purgandi extrahatur Aloe cum aqua simplici*, vel *fumariæ*, vel *alia appropriata*, aut *rore Majali* sale tartari vel *oleo tartari per deliquium guttis aliquot acuato; quo mediante mucilaginosa substantia laxativa elicitur, relicta resinosa inutili, quæ in aqua non solubilis est*: Hinc omnis postmodum tinctura, factâ evaporatione phlegmatis, successivè inspissata dat Extractum catharticum, in pilulas formandum, à gr. iij. iv. v. ad vj. egregiè laxans, vel ad ℈j. fortiter purgans. Interim non nimium salis tartari addatur, aliàs vim purgandi omninò destruit; cum alcalibus enim in sufficienti quantitate spiritus vini digesta, amarorem & vim catharticam insigniter deponit.

Pilulæ

Pilulæ hæ vel ſolæ ita uſurpandæ ſunt, vel additis gummatibus, ſalibus, aliiſque, diverſimodè ſpecificari, & præſertim in morbis chronicis aliquot horis ante cœnam loco uſualium pilularum capi poſſunt: Conf. *LUDOVICI loco allegato p.* 135. 183. item *de ſale tartari pag.* 76. *&* 81. *Wedelius Opiol. pag.* 52. pro *pilulis ſuis aloeticis* parandis menſtrui loco phlegmate aceti, ſub præparatione terræ foliatæ abſtracto, utitur.

Occaſione hujus Extracti exortæ ſunt *Pilulæ Glaſciana, & Francofurtenſes*; quæ poſteriores nihil aliud ſunt, quàm aloe cum ſucco aut infuſo violarum extracta, & in pilularem conſiſtentiam redacta: cujus ℔j. ſi addatur ℥j. Extracti gemmarum ſambuci contuſarum, cum aqua ſimplici parati, habentur *pilulæ Francofurtenſes.*

Quidam cum ſpiritu vini parant tincturam, ſed tantum viſcoſam acquirunt, ſine ulla purgatione. Aloes interim ſegnitiem aut caryophyllorum aut roriſmarini oleo egregiè excitari *PECHLINUS de Purgant. pag.* 144. *aſſerit.*

Balſamus ſeu *Extractum aloes*, quod habet *AUTOR*, eſt adſtrictorium & roborans, non purgans: per ſpiritum enim vini acquiritur pars reſinoſa purgativæ contraria.

Sequuntur *Aloes inſuccatæ*, quâ Aloe ſuccis roſarum, violarum, verbaſci, liliorum convallium, & aliarum plantarum, impragnatur & exſiccatur, ubi inſuccatio aliquoties repetenda: Interim hæc ſuperflua eſt, modò ritè præparetur Extractum. Fit hoc ſcilicet eum in finem, ut non nihil temperetur, corrigatur & acuatur reſina viſcoſa aloes: Nam non melius præparari putarunt aloen, quàm per imprægnationem ſuccorum: qui præparandi modus vulgò aloes *inſuccatio* dicitur; unde oritur *Aloe violata & roſata Hieronymi ab Aquapendente.* Harum pilularum compoſitio in familia Zſchorſchanorum eſt abſcondita. Dantur à gr. xv. ad ℈j. Sic aloe, ne hæmorrhoides irritet, ſolet ſolvi & imprægnari cum ſucco verbaſci, quod verbaſcum reſiſtit, ne poſſit proritare hæmorrhoides: In hepate calido, ſeu in quibus maſſæ ſanguineæ craſis corrupta, in iis præparatur per ſuccum cichorii, endiviæ, taraxaci, & ſimilibus plantis hepaticis, craſin ſanguinis corrigentibus: In impuritate ſanguinis inſuccatur cum ſucco fumariæ, quod etiam facit *FREITAGIUS* in affectibus Melancholicis. Aliàs *Oleum purgans* ex aloe deſtillatur, quod umbilico illitum vermes necat.

TIMÆUS aquam habet *aloeticam* contra morbos externos non inconcinnam, quæ ita ſe habet:

♃. *Aquæ Abſinth.* ℔j.

Diſſolvuntur in ea *aloes* ℥ij. terendo probè & ſubigendo.

Hæc fricanda & abluenda ſunt corpora puerorum in balneo, pro enecandis pediculis, crinonibus ſeu dracunculis & ſironibus, aliiſque ſimilibus cutaneis affectibus: vid. *TIMÆUS l.* 5. *Caſ.* 23. In capillorum quoque defluvio commendatiſſima eſt, ſi eâ crines laventur.

ELATERIUM.

E*Laterium* nihil aliud eſt, quàm *ſuccus* lacteus expreſſus & inſpiſſatus *ex cucumere ſylveſtri aſinino.* Genuinum colligitur ex ipſo fructu, qui colligendus, quando flaveſcere & maturare incipit. Quidam tamen etiam recipiunt radicem, quidam totam plantam contuſam, & ſuccum exprimunt, inſpiſſant, & ſub nomine Elaterii venditant, quod perinde eſt; ſiquidem tota planta inter purgantia fortiora excellit, utut ex fructu ſit omnino violentius illo, quod ex reliqua planta deſumitur. Radix ſaporis eſt acris amariſſimi, ingrati & nauſeabundi, odoris nullius. Conſtat particulis Salinis acribus ſeu aculeatis irritantibus; & ex acrimonia ſua cauſtica vim habet ſimul ſuccos corporis noſtri colliquefaciendi, parteſquè fibrarum ſenſiles irritandi: ex quo utroque effectus purgans imprimis dependet; ſuccus enim iſte eſt acerrimus, & etiam non leviter cauſticus, ita ut quidam Medici ſint, qui eundem ante triennium in uſum non trahant. Radix hæc pro ſcopo purgandi in taleolas diſcindenda, quæ filo connexæ in Aere umbroſo ponantur, & exſiccentur; atque dehinc areſactæ ad annos 10. durant. Fructus maturus attactus, capitulum ſuo impetu elaſtico pandit, ſuccumquè in faciem ac oculos adſtantium ejaculatur, ridiculo ſpectaculo: Germanis dicitur *Eſelſ-Kurbs.* Cucumis hic pater eſt famoſi illius ſucci, qui dicitur *Elaterium.* Ex cucumere hoc aſinino omnia purgant, ut rectè aſſerit *CASPAR HOFMANNUS pag.* 28. ſpeciatim purgans eſt admodum violentum, efficaciter ac copioſè exterminans; unde in hydropè, imprimis aſcite, ubi liquamina iſta ſeroſa ac aquoſa veniunt educenda, ſpecificè convenit, cum etiam, teſte experientiâ, ex cavitate abdominis ſoleat evacuare ſerum vel lympham hydropicorum: aliàs in reliquis ſeri & lymphæ abundantiis uſurpatur hoc Elaterium; nam potenter & fortiter evacuat. In hydrope tamen & affectibus ſeroſis omnibus præferendum, extra quorum uſum vix adhiberi ſolet: Sicut & empirici duas vel tres pilulas ciceris magnitudine, ex farina triticea & ſucco cucumeris aſinini efformatas, hydropicis exhibere, & copioſas aquas expurgare ſolent.

Extractum autem hujus tantùm uſurpatur, rarò aut nunquam in ſubſtantia propter amariſſimam acrimoniam, & hinc violentam operationem. Optimum autem eſt, quod paratur juxta *MORELLUM in Tr. de Materia Med. pag.* 322. cum *ſpiritu vini*, (aut cum *Tinctura Tartari*, ut docet *WILLISIUS Pharm. Rational. Part.* 2. *pag.* 312. quâ acrimonia ejus meliùs corrigitur) addendo in fine inſpiſſationis *oleum deſtillatum macis & Cinnamomi.*

Doſis ejus eſt ad gr. xv. vel ℈j. vel ſolitariè, quod rarò tamen fit, vel cum Mercurio dulci: *Eſſentia* verò cum tinctura tartari parata datur ad ʒj. Non facilè corrumpitur, ita ut *CARDANUS* aſſerat, durare poteſt ad centum annos; dicitque, quod quò vetuſtius fit, eò efficacius deprehendatur, & melius. Mirum eſt, ut dicit *BORELLUS*, quod purget aquas ex cavitate abdominis: experientiâ tamen confirmatum, quod poſt aſſumptum manè Elaterium, hydrope aſcite laborantis abdomen, admoto cingulo, fuit repertum ſenſibiliter imminutum poſt meridiem: ſicut & retulit mihi *D. MICHAELIS*, ſe aliquando in aliquot gravidis, quæ ob ſerum abundans in tunicis, fœtum ambientibus, fœtus motiones animadvertere nequiverint, beneficio ſuæ Eſſentiæ Elaterii effeciſſe, ut denuò ſentirentur.

Porrò ipſa radix cucumeris aſinini in taleolas diſſecta legitimè exſiccata, cum ſpiritu vini tartariſato vel tinctura tartari ſuppeditat *Eſſentiam* fortiſſimè purgantem; unde & Medicis quibuſdam eadem in quovis ferè hydrope eſt in uſu; in ſpecie in hydrope uteri *D. MICHAELIS* habuit expertiſſimam, addendo ſimul aromata & appropriata; inter quæ eſt oleum Cinnammomi & ſimilia; vel macis ſimul infunditur. Doſis ℨj. ad ʒij.

Eſſentia hæc abſtractione ſpiritus vini inſpiſſari poteſt in debitam conſiſtentiam *Extracti*, addendo ejus ℥j. olei deſtillati cinnamomi & macis ℈ß. & ita hydropicis doſi ℈j. feliciter exhibuit. Quidam & in gravidis uſurpare non dubitant, ſed cautè hìc agendum. *FREITAGIUS* imprimis Eſſentiæ vel Extracto, quæ fiunt cum ſpiritu vini, præfert hanc compoſitionem: ſi ſcilicet cum ſpiritu vini extractum factum, vel parata Eſſentia, permiſceretur cum ſucco cydoniorum, vel berberum, vel pomorum, & hæc ad conſiſtentiam Electuarii coquerentur.

Aliàs & per acida & per fermentationem quoque corrigi poteſt, ſi nempè Elaterium ſolvatur in ſucco violarum, cydoniorum, pomorum, vel aliis ſuccis, pro ſpecifica morborum varietate, & poſt fermentationem & reſidentiam partis impurioris inſpiſſetur.

Denique ſuccus cucumeris aſinini recens ad cochlear unum propinatus fortiter purgat; id quod hortulani noſtri optimè norunt. Præter virtutem purgativam ſuccus cucumeris aſinini recens multum facit externo uſu in tumoribus duris emolliendis, & ſcirrhis diſcutiendis, uti & ſcrophulis ac ſtrumis emolliendis; ſicquè externè ingreditur uſitatè unguenta & cataplaſmata ad ſcirrhos lienis & infarctus deſtinata, uti & ad quoſcunque tumores duros, & difficulter denuò ſolubiles. Item in ſcrophulis ac ſtrumis eſt egregius ſuccus cucumeris aſinini, non minus etiam cataplaſma ex foliis cucumeris aſinini contuſis: de cujus efficacia in ſcrophulis vid. *RIVERIUS in Obſervationibus communicatis.*

EUPHORBIUM.

E*Vphorbium* ſuccus acerrimus eſt ex fauciata planta ejuſdem nominis exſtillans, Veteribus cognitus. Cæterum iſta planta: an ſit arbor? an frutex? an ferula? diſcrepant Autores; quoniam incognita eſt omnibus Botanicis. Ejus tamen formam ſubminiſtrat *DODONÆUS*, quam figuram omnes imitantur, utut monſtrum magis, quàm plantam referat. Hoc certum eſt, noſtrū diſtinctiſſimū eſſe à veteribus, quod nobis incognitū. *HOFFMANNUS*, Scriptor accuratiſſimus, *de Medicam. Officin. pag.* 35. rectè dicit: Illud, quod ſub Euphorbii nomine ex Aſia ad nos adfertur, eſſe ſuccum Indicum Tithymalinum inſpiſſatum, acrem & fortiter purgantem; Vis enim ejus cauſtica, & acrimonia convenit cum ſucco eſulæ: unde quæ *de Eſula dicta*, hìc applicari poterunt. De denominatione vid. *ROLFINCIUS de Purgantib. p.* 180. *ſeqq.*

Validiſſimè expurgat pituitam ac ſerum cum graviſſimis ſymptomatibus, & quicquid invenerit, promiſcuè evacuat: eſtque malignum ſatis, quoniam bonum cum malo, & malum cum bono, colliquefacit & expurgat, & propter virulentiam & violentiam non tàm ex maſſa ſanguinea, ſed ex toto corpore, evacuat potenter; unde & in deſuetudinem ejus uſus abiit. Hinc propter ſui cauſticam acrimoniam, & potentè operandi vim, ob quam veteres pituitam ab Euphorbio validiſſimè trahi ab articulorum commiſſuris compaginumque cavitatibus, à cerebro & nervoſo genere, aſſeruerunt, ſcilicet in Apoplexia, comare, Lethargo, & ſimilibus affectibus ſoporoſis, uti etiam in tremore & nervorum reſolutionibus, ceu præſtans remedium à quibuſdam ſolet laudari; non tamen pro ſcopo purgandi apud nos amplius operatur, nec niſi à robuſtioribus tentari debet, quia eſt validum remedium, & in ſubſtantia, uti dicit *AUTOR*, vix ad ℈ß. aſſumitur. Vidit tamen *FREITAGIUS* ejus uſum ſatis innoxiè frequentatum à ruſticis, robuſtiſque corporibus, qui pulverem ejus ad ℈j. pondus cum evidenti ſucceſſu adhibuerunt, cæteris medicamentis nihil proficientibus. Belgæ cuidam contra quartanam felici cum ſucceſſu dedit in pilulis ad ℈j. & ultra: conf. *PECHLINUS de Purgantibus pag.* 240. quod tamen non facilè imitandum ſuaderem, niſi optimè correctum fuerit.

Electionem & eligendi modum videbitis apud *AUTOREM noſtrum.*

Externè autem pro uſu chirurgico frequentiùs & latiùs adhibetur, quàm

quàm in carie ossium, quando acidum fermentum ulcerum omnia corrodere incipit, ubi nihil expertius & melius, quàm si pulverisatum adspergatur ossibus cariosis, cujus acrimonia, à sale volatili depêdens, absumit acidum corrosivum in carie ossis, quo absumpto etiã cessat caries. Inspergitur vel solum, vel permistum cum ana radicis Iridis Florentinæ, vel Aristolochiæ rotundæ, vel cum aliis similibus, & cum spiritu vini irroratis: nam spiritus vini solus egregius est in carie temperanda & abigenda: De qua virtute Euphorbii in carie ossium, & ulceribus cariosis, meretur quod vid. *HELIDÆUS de PADUANIS*, & *HILDANUS Cent.2. Obs.92. pag.159. Cent.4. Obs.21. & 96.* nec non *Cent.5. Obs.22.* item *FALLOPIUS l. de Ulcerib.C.271.* qui illud his in casibus magnifaciunt; uti etiam *RIVERIUS C.2. Obs.66.* cum quibus conferatur *KESLERUS Cent.5. Processu 42.* Ulterius Euphorbium convenit in punctura nervi, si nimirum inepta venæ sectione, quod sæpè fit, pungatur nervus, quam puncturam multa magna & drastica sequuntur symptomata: in tali casu est egregium remedium *unguentum Sculteti in Armament. Chirurg. Obs.64.* quod parat ex

Euphorbii optimi ℈j.
Terebinth. ℥ß,
Ceræ parum,

Extendit super linteum, & applicat calidè loco puncturæ nervi: quæ ipsa compositio jam ex *Galeni Scholis* est derivata: vid. *SENNERTUS l.4. Prax. capite de vulneribus nervorum pag.471.* id quod etiam observavit *HELIDÆUS PADUANUS in Obs. pag.310.* qui cuidam, qui magnum dolorem brachii sentiebat, ex venæ sectione ab læsum nervum jussit applicare Euphorbium, quo applicato cessavit dolor. Ab hemicrania quoque contumaciori fœminam *WEDELIUS* curavit solo euphorbio.

Præterea & in usu sternutatorio naribus applicatum validissimum est, adeò ut ob hæmorrhagiam nimiam vim ejus observare debeamus, cùm tragicos casus hoc modo excitare possit; hæmorrhagia enim lethalis subsecuta est: vid. *KERKRINGIUS Spicil. Anatom. Obs.57. pag.109.* Eo ergò non utamur, nisi ℈j. ejus cum ℥ß. aut ℥j. pulveris Iridis Florentinæ misceatur; sic mucum lymphaticum è naribus extrahit. In forma liquida pro sternutatorio tutiùs usurpatur;

℞. *Euphorb.* ℨj.
Coquunt in
Aquæ simplicis, vel *lil. convall.* ℔j.

Transcolata, & guttæ aliquot naribus indantur, & satis validum ac potens erit sternutatorium: Conf. *LUDOVICI in Pharm. pag. 147.*

Tandem externè Linimentis & Unguentis pro acriori stimulo additur contra atrophiam, paralysin & similes artuum nervorumque affectus.

Quando internè debet adhiberi, quod tamen raro fit est, corrigendum, ut effrenis vis dematur: sed correctiones communes ut plurimum sunt ridiculæ. Quidam, ut aliquantisper imminuatur acrimonia, corrigunt per absumptionem & exhalationem salis volatilis acris. Vix usurpatur, nisi quod priùs anni unius superat ætatem: nam sic imminuitur acrimonia ejus caustica, & virulentia mitigatur. Annosum est recipiendum, nec quidem tutò, nisi cum aceto, succo citri, aut aliis succis acidis, optimè correctum fuerit: Per acida enim vim ejus alcalinam causticam castrare poterimus. Nec contemnenda est coctio cum pomo citreo aut cydonio in clibano.

Trituratio cum oleo amygdalarum dulcium est insufficiens. Tutissima est, quæ fit cum spiritu vitrioli. Peruviani in correctione Euphorbii usurpare solent Antieuphorbium, quo utuntur ad noxas ab Euphorbio impressas tollendas & sanandas. Hoc cum destituamur, nihilominus tamen ipsi possumus substituere portulacam, monente *FREITAGIO*, ex eo quòd Antieuphorbium maximè æmuletur cum virtutibus portulacæ, & cum ea conveniat: & propterea rectiùs cum succo portulacæ inspissato, quàm cum re quacunque alia, posset exhiberi aut corrigi.

Altenburgenses non inconcinnè præparant vel corrigunt hoc modo:

℞. *Euphorb. sel.* ℥iij.
Pulverisato affundunt
Aquæ Cinnam. opt. ℥iv.

Detinent in patella vitrea ad calorem fornacis tantisper, donec arefactum fit: cui demum affundunt

Succi Grannat. acidor. ℥iv.
Spiritus vitrioli ℥ß.

Et procedunt, ut priùs: tandem profundunt unà cum *aqua destillata cydoniorum* ad ℥iv, & priorem observant processum: Reficcatum denique terunt affusâ guttâ unâ vel alterâ olei amygdalarum dulcium.

Inter *Præparata* prostat oleum Euphorbij commune, cujus præparationem habet *AUTOR*, & prodest in affectibus frigidis nervorum, in specie in catarrhis & Lethargo, uti etiam in curanda atrophia, & hæc omnia externo usu. Confert etiam ad generationem capillorum, in casibus scilicet, ubi aliud nihil juvat.

G.

GUTTA JEMOU.

GUtta Jemou seu *gummi gottæ*, uti vocatur vulgariter, vel *Gutta Gamandra*, est succus concretus gummeo-resinosus flavo-rubescens, saporis in recessu acris, veteribus incognitus, sed modernis tantùm in usu: Planta verò & fructus, unde derivatur, certò ignoratur. Quidam putant, quod sit succus vel lac coagulatum ex planta lactifera, quales sunt Esula, Tithymalus, & similes, quod horum succus lacteus inspissatus etiam flavescat, & causticus sit; unde vocatur modò succus, modò Gummi: videatur *CASTELLUS de Gutta Cambodia* vel *succo Cambodio*, *MERRETTUS in Notis in Art. vitrar. NEERII pag.460. BONTIUS de Medic. Indorum lib.2. cap.9. p.150.* Revera tamen succus esse videtur ex Ricino Indico collectus & coagulatus. Gummi scilicet quoddam est è caudice Ricini, circa radicem vulnerato, destillans, & croco Inalico tinctum: videatur *ROSENBERGIUS in Rhodologia P.2. cap.22. pag.2.* & *BAUHINUS lib.12. sect.6. Pinac. HORSTIUS lib.7. Observat.37. pag.388.* Ex semine item Ricini Indici expressum & inspissatum esse eundem putat *HOFFMANNUS de Medicament. Officinal. pag.27.* Potens est remedium Vomitus & secessus movens cum violentia & gravissimis symptomatibus, massam sanguineam colliquefacit, cum partibus inutilibus ejus utiles unà cum serosis humoribus evacuat; unde cauti simus in ejus usu, cum interdum non sine periculo usurpetur, teste *HORSTIO in Obs. pag.233.* Cùm autem promiscua liquamina evacuet, præsertim sub seri facie, contra hydropicos affectus imprimis, & à colluvie serosa natos, usurpatur. Præstantissimam tamen operandi facultatem conciliari illi ajunt, si permisceatur cum sale fraxini, vel cum sale absinthii, & specificum purgans hydropicorum habetur à multis, idque imprimis à *THONERO in Obs. pag.151.* & *HOECHSTETTERO Dec.3. cas.1.* & *in Epist. Decadi 6. annexa pag.746. seqq.* qui multum commendat in hydrope: Nemo interim inter Practicos est, qui eo adeò frequenter utitur, quàm *LOTICHIUS* atque *FABER*. Probabile est, hoc esse gummi contra Podagram, cujus *MONARDES in Epist.* mentionem facit.

Quoad *dosin*, non potest adeò certa præscribi, sed, uti rectè monet *FREITAGIUS*, in usu deprehenditur, quod modò remissiores, modò intensiores habeat virtutes in diversis partibus: propterea differentia quoad operationem subest certa. Præscribitur adultis à gr. iij. v. vel vij. ad ℈ß. vel gr. xv. utur raro, cum non sine conturbatione corporis soleat operari, cum tartari vitriolati vel cremoris tartari ℈j.

Corrigatur autem necesse, sive per alcalia, sive per acida. Utrumque modum *AUTOR* habet. Quoad *correctionem per acida*, corrigitur à *MYNSICHTIO sub Titulo, Gummi de Peru rosatum*, cum spiritu Vitrioli; sed pessimè: vid. *ZWELFFERUS in Animadvers. in Pharmacop. August. pag.461.* Optimum est *THONERI* judicium *lib.3. Obs.3.* qui dicit: *si conjectura est, quod in ventriculo & primis viis hæreat viscosus humor, qui ægrè medicamento purganti cedat, & per remedium averruncandus sit, se non præparatum commendare cum spiritu vitrioli, proptereà quia spiritus vitrioli adimit vim vomitoriam, & vomitum tantâ violentiâ non movet more aliorum vomitoriorum.* Spiritus enim vitrioli acidus illud non tam corrigit, quàm castrat. Pro scopo purgandi per anum, corrigatur necesse est per alcalia fixa, præsertim sal tartari, cum quo tàm in forma sicca, quàm liquida: quos præscribendi modos videbitis in *WILLISII Pharmac. Rational. P.2. Sect.2. C.3.*

Vulgo *Magisterium Gummi guttæ* in usu est, & ad aliquot grana stimuli loco aliis purgantibus appropriatis admiscetur in cura hydropis, uti etiam in affectibus arthriticis. Præparationem habet *AUTOR num.2.* ubi tamen melior est illa, cui oleum tartari vel spiritus vini tartarisatus adhibetur, & cum aqua simplici præcipitatur: quin & *Essentia* aurea cum Tinctura tartari inde dicitur.

M.

MANNA.

DE *Manna* apud veteres pauca prostant, unde disceptant autores, *quid sit?* & *quomodo generetur?* Quidam *rorem cœlestem inspissatum*, & in granula coagmentatum esse dicunt: vid. *FEBURE Chym. p.170.* Quidam verò succum subpinguem ex vegetabilibus ipsis, speciatim arboribus, quibus innascitur, destillantem; quod & veritati consentaneum videtur. Qui plura curiosa & elegantissima de ea desiderat, adeat *MAGNENUM*, Professorem Ticinensem, qui *de Manna* imprimis eruditum ac elegantem aureumque ferè librum scripsit. Præter hunc videre potestis & alios, imprimis *CLAUDII SALMASII de Manna & Saccharo* Commentarium, *SENNERTUM Lib.3. Prax. pag.88. CORTESIUM in Miscellan. Decad.8. Tr.5* qui ventilavit controversiam: *num.* uti nostratibus, ita & *veteribus cognita fuerit Manna*: de qua controversia *MONARDES L.4. Epist.41. & Lib.1. pag.6.*

Quod

Quod igitur attinet Mannam, revera nihil aliud eſt, quàm glutinoſior ſuccus, ex quibusdam arboribus per corticem tranſudans, qui veſpertino tempore, remittente æſtu, nonnihil condenſatus, cum rore deciduo incorporatur,& hinc noctis temperato frigore condenſatur & granulatur, adeoque tam in trunco, quàm ſurculis arborum, item in foliis reperitur, poſtquam calore diurno aquoſa pars abſumitur. Experientia nam teſtatur, quod adhæreſcens quarundam & certarum arborum foliis & cortici reperiatur manna, adeò ut etiam ex arbore veſpertino tempore cortice leviter ſauciato, matutino circa ulcuſculum illa reperta fuerit. Confirmat hoc *BARTHOLINUS C. 1. Epiſtola* 54. *pag.* 231. qui ceu teſtis occulatus docet, quod in Calabria ex inciſa arbore fraxino & orno per tranſudationem fiat & colligatur manna, eodem modo, quo ex pino reſina, vel ex ceraſo gummi: cum quo conferendus ſimul *HOFFMANNUS de Med. Officinal. pag.* 50. Id quod etiam teſtatur *THONERUS Epiſt.* 16. *pag.* 315. qui refert, quod in Syria in montibus, qui ſcatent arboribus reſiniferis, & plantis pingui ſucco dotatis, ſingulis annis, ſed æſtate tantum fervidiore, etiam copioſè reperiatur adhæreſcens arborum foliis; quod ipſum propriâ confirmat experientiâ.

In inſula Ceylonenſi albiſſimam & dulciſſimam à formicis parari,& arborum ramis imponi, teſtatur *HELBIGIUS* in M.A.N.C. *Ann.* 9. & 10 *Obſ.* 194. *pag.* 459. Manna quoque in foliis borraginis in hortis reperitur, de qua etiam videri poteſt *HOEFERUS in Hercule Medico*. Jam verò licet manna etiam reperiatur in ipſo campo, lapidibus & ſimilibus locis vicinis, non tamen putandum, quod ſit ros coagulatus in lapidibus & ſimilibus locis, ſed arboribus deſcendat.

Si ergo quæratur, *cujus naturæ ſit Manna?* ſanè nec ad gummata, nec ad reſinas commodè referri poterit, ſed potius ad ſuccum quēdam ſubtilem roridum, cum rore miſtum & condenſatum. Orientalis Syriaca autem optima eſt, ſed rariſſimè ad nos perveniens minùs uſitata eſt. Occidentalis autem hodierno tempore uſitata quæ in Calabria, Italiæ Provincia, ex arbore fraxini & orni copioſè, ut & ritè, colligitur. Poſt hanc optima eſt Laricea, quæ ex Larice arbore colligitur, teſte *SYLVIO*. Manna autem Calabrina rurſus duplex eſt, vel *Manna foliorum*, vel *Manna corporis*: *Illa* ex *foliis orni* & *fraxini*; *hæc* ex trunco & ramo ſauciato colligitur. Sub collectione rorida ferè eſt ſubſtantia, quæ Martem in rubiginem rodere valet; unde cum lapideis & ligneis cultris colligitur, ne nigreſcat. *SYLVIUS* variare, inquit, Mannæ virtutem, pro varietate ſcilicet plantarum, ex quibus colligitur, & rectè. Obſervetur ergò, ut colligatur ex plantis odoratis, & homini ſalubribus.

Cæterùm ſubſtantia eſt dulcis, & liqueſcens in ore & dulcedine ſua palato blandiens. Eligenda autem eſt recens: nam vetuſta abit, quod dicunt, in bilem, ſeu acquirit ſaporem nidoroſum.

Quod attinet virtutes Mannæ, notum eſt, quod ſit elegans, ſuave, & temperatum laxativum, quod ſine impetu, & graviorem ſymptomatum concurſu aliquoties evacuando corpus blandè expurgat. Vis ejus laxativa conſiſtit in motu fermentativo, quo laxat & abſtergit ſordes, quas in liquamina flaveſcentia mutat; unde inter cholagoga vulgò refertur. Proinde in promiſcuo eſt uſus tenellis ac adultis, & gravidis & non gravidis: ſed magis infantibus videtur convenire quàm adultis: iſtis cum pulte propinata, vel ſub lactis vehiculo, ſuaviter admodum, & pro ratione doſeos, ſufficienter laxat.

Quoad *doſin*, infantibus à ʒij. ad ℥ß. adultis verò ab ℥j. vel ℥iß. ad ℥ij. pro aperienda alvo commodè datur.

Utendi modus eſt, quod infantibus in pulte, adultis verò in juſculis detur, & hæc omnium optimè convenit pro laxatione mulierum prægnantium: videatur *FORESTUS L.* 2. *Obſ.* 28. *de morbis mulierum*. Interim caveamus propter dulcedinem, & hinc facilem fermenteſcentiam, & conſequenter aceſcentiam, ne hyſtericis illam, hypochondriacis, ſcorbuticis, febricitantibus, debili ſtomacho laborantibus, bilioſis, & ad diabeten diſpoſitis, propinemus, quibus minus convenire ſolet: quo in caſu potiùs optimum gravidarum laxans erit Rob paſſularum, quod etiam ſenſim leniter, ac moderatè eas laxat, ſi commiſceatur cum cremore tartari vel ſale. Aliàs verò in aſperitate faucium lenienda, & ariditate earum humectanda convenit.

Quoad *præparata*, Quidam *Electuarium laxativum* parant ex prunis, paſſulis & manna. Alii verò cum nitro aquam purgantem & ſimul ſudoriferam inde deſtillare volunt per veſicam: de quo videatur *HOEFERUS Herc. Med. p.* 385. Sed aqua hæc nihil valet: Manna cum nitro in fundo remanet, vix tantillum ſpirituoſitatis adſcendir, quod etiam purgandi vim habet.

Sequitur *Manna tartariſata*, quæ apud nos in uſu, & elegans remedium eſt, cùm propter tartarum minus fermentativum ſit: *Doſis* ℥j. ad ℥ij. Proſtat etiam *Manna compoſita*, additione Jalapæ.

Huc pertinet Manna Julebata, quæ fit hoc modo:

℞. *Mann. Elect.* & non adeò pingu. ℥iij. vel iv.
Crem. tartari ʒiij.
Aquæ ſimpl. vel *ſcabioſ.* vel *alius pectoral.* ℥v.

bulliant leni igne ad diſſolutionem tartari: & coletur.

Hauriri poteſt in quibuſcunque affectibus pro laxativo alvi, & abſterſivo primarum viarum.

Prẹter hẹc obſervetur in Manna, quatenus de rore participat, ſingulare *ſal eſſentiale nitroſum*, quod parare docet *LUDOVICI in Pharm. pag.* 186.

Spiritus Mannẹ duplex parari poteſt, vel per præmiſſam fermentationem, vel eadem omiſſa per nudam igne aperto vel arenẹ deſtillationem. Per fermentationem acquiritur ſpiritus ſulphureus inflammabilis; ſine ea autem vel per ſe, ut vult *AUTOR*, cum addito duplo arenæ vel boli ad ebullitionem nimiam inhibendam, igne arenẹ prodit *ſpiritus acidulus*, adeoque non inſipidus, ut communiter tradunt, cum oleo empyrevmatico, qui ſudoriferum eſt egregium, & ſingulare quid in receſſu habet. Item deſtillari poteſt Manna admiſto capite mortuo, poſt deſtillationem ſalis communis relicto: videatur *WEDELIUS Pharm. pag.* 28.

Quoad *fermentationem*, fermentatur Manna eadem ratione ac mel: ſcilicet diſſolvitur *Manna* in ſufficienti quantitate *aquæ ſimplicis*, vel *pluvialis*, ipſique additur aliquid *fæcum cereviſiæ non lupulatæ*, vel *fermenti communis*: hinc fermentatione peractâ deſtillatur per veſicam, & rectificatur ſpiritus ſulphureus inflammabilis per veſicam, aut cucurbitam ex arena vel balneo Mariæ, lento igne.

Spiritus, qui num. 6. ab *AUTORE* deſcribitur, vocatur aliàs *Mercurius Mannæ*, cui multa tribuunt in præparationibus remediorũ ex metallis; ſicut ſingulariſſimum menſtruum eſt pro extrahendo ſulphure ſolari, & reliquorum metallorum, ut & gemmarum Manna enim hæc turget Rore Majali, ſale igneo hermetico imprægnato; unde Mercurium ſeu ſpiritum planè ſingularem dat, qui multa habet in receſſu.

Hinc ex rore & Manna, matri ſimili ſobole, ſalem ſaccharinum ſunt qui conficiunt, idque duplici modo:

1. Manna ſimul cum rore putreſcat, ſicque procedatur, ut *AUTOR* docet *de Rore lib.* 3. *cap.* 3. *pag* 315. ſub nomine *Tartari Philoſophici*.
2. Grana Mannæ electiora albaque, ſuperaffuſo ſpiritu vini rectificatiſſimo, extrahuntur.

Certum enim eſt, mannam præter Roris fructum de reſina fraxini quoque ac aliarum arborum, in quibus colligitur, participare, quæ mediante ſpiritu vini extrahenda eſt. Extractio fit tamdiu, quàm videmus eum tinctum reſinoſa Mannæ pinguedine, quæ abſtracto ſpiritu vini inſtar butyri ſe habet. Quando ſpiritus vini non amplius tingitur, reſiduum cum rore depurato miſtum ſolutumque, inſtitutâ leni digeſtione ac ſuccedaneâ euaporatione, Cryſtallos tandem inſtar ſacchari ſubdulces præbet.

O.

OPOPANAX.

De *Opopanace ſuperiùs in Claſſe ſecunda de alterantibus ſecundariis* dixi.

SCAMMONIUM.

Scammonium alio nomine etiam dicitur *ſcammonea*, ἀπὸ τοῦ σκάπτειν, à *fodiendo*, vel *cavando caule*, pro colligendo ſucco. De hoc obſervetur, quod ſit concretum gummeo-reſinoſum polychreſtum, valdoperè purgans, unde & in menſtruo aqueo diſſolvi, & etiam reſina ejus, ſpeciatim cum ſpiritu vini extrahi poteſt. Virtute multum differt à ſcammonio veterum: Hoc namque ex *herba* quadam *de convolvulorum genere* colligebatur, è cujus radice benè matura excavata ſuccus repertus inſpiſſabatur; hocque eſt *verum* & *veterum ſcammonium* in Palæſtina & Syria natum, benignius noſtrate, adeò ut *AUTORE MESUE*, & ejus aſſeclis aliis, ad ʒj. potuerit propinari abſq; ullo periculo; quod ipſum de noſtro ſcammonio nullo modo poteſt dici. Deinde tamen ſpe lucri variè fuit adulteratum, ita ut integram plantam cum radice contuſam expreſſerint & inſpiſſarint, ut rectè docet *MORISSONIUS in Horto Bleſenſi p.* 339. & *in Dial. pag.* 473.

Hoc veterum ſcammonium exulat ex Officinis noſtris, & adulterinum illi ſubſtituitur, acre ſatis & cauſticum, morſicans & malignum, quod nihil aliud eſt, quàm *ſuccus lacteus eſulæ*, vel *Tithymali inſpiſſatus* & coagulatus. Notum enim eſt, quod omnes eſularum & Tithymalorum ſpecies fundant ſuccum lacteum, qui inſpiſſatus fit nigricans, & vocantur *ſcammonium*, toto differens cœlo à ſcammonio Veterũ: videatur *FALLOPIUS in Tr. de ſimplicibus purgantibus*, ubi egregia habet de ſcammonio veterum & modernorum. In convolvulo tamen ſylveſtri, ſi idem ſuccus lacteus inſpiſſatus fuerit, illi ſimilis acquiritur. Præter hoc, quod noſtras eſt diſtinctum à ſcammonio veterum, multas ſuſtinet adulterationes, dum variæ quiſquiliæ, heterogeneæ partes & ſordes, illi permiſcentur, adeò ut accuratâ depuratione ac præparatione opus ſit, antequam in uſum Medicum adhibeatur.

Noſtras autem indifferenter & validiſſimè purgat, quicquid adoritur, ſub ſordium ſeroſarum flaveſcentium, & fœtidarum facie extermi-

terminat, unde vulgò Cholagogum seu bilem evacuans reputatur; quod tamen falsum est. Excreta enim ab assumpto scammonio non à bile veniunt, succi corporis laudabiles à scammonio corrumpuntur, sicque expurgat tam sanos, quàm ægros. Exinde per se rarò præscribitur, sed loco stimuli saltem aliis purgantibus sæpè additur, quorum efficaciam solet augere & exaltare, sive addatur melanagogis, sive phlegmagogis, sive aliis, &c. Sic cum Hiera Galeni sociatum dicitur *Appropriatum specificum* pro expurgandis iis, qui laborant morbo regio vel ictero flavo. Habemus enim duo, quæ instar stimuli addimus: colocynthidem, & scammonium: Colocynthis additur vel sub forma trochiscorum, vel sub forma Extracti; scammonium verò in forma varia, pro varietate humorum expurgandorum. Et sicut colocynthis rarò per se, propter virulentiam, præscribitur, sed semper, uti dixi, stimuli loco additur, si non sufficiens putatur scammonii stimulus; ita quoque scammonium rarò per se, sed semper pro stimulo reliquorum purgantium præscibitur, in dosi à gr. ij. ad iij. rarò ultra gr. v. Per se si deberet assumi, præscribendum esset à ℈ß. ad gr. xij. vel xv. cum abstergentibus salibus permistum; si tamen ritè sit præparatum, egregiè purgat, & blandè, & per se non inconveniens omni conditioni est remedium. Quod usum scammonii attinet, adhibetur vel in forma sicca, pulvere nimirum & pilulis, vel humida, si subigatur cum aqua appropriata, ubi fit, ut instar lactis scammonium albescat, v. g. si

℞. *Scamm. pulverif.* gr. xij. vel xv.

Quibus affundatur *aqua simplex*, vel *rosarum*, vel *cerasorum nigrorum*, vel *alia destillata* ℥ß. vel q. s.

Benè agitantur in mortario vitreo, vel lapideo, cum vitreo pistillo, & sic fit liquor lacteus; id quod restat, denuo affusâ aquâ potest subigi, ut, uti antea, lactescat aqua, addendo & *aquæ Cinnamomi* ʒj. remanet substantia resinosa pice tenacior, & nigricans, ac crassa, quæ omnes turbas illas dat, quas in scammonio observamus, & ideò abjicienda: tale lac assumptum evacuat & purgat sine torminibus, & sine graviorum symptomatum concursu. Conferatur SYLVIUS *in Praxi lib* 1. *cap.* 2. §. 43.

Vel ubi animus est scammonium non nihil corrigere:

℞. *Scamm.* ℈ß. vel gr. xij. ad gr. xv.
Sacch. candi ʒj. ad ʒiij.

Omnia permista benè pulverisant exactissimè: huic pulveri addunt
Succi citri ʒiij ad ℥j.

Omnia benè miscent in mortario, vel vitreo vel marmoreo vel lapideo, & fit liquor lacteus, à fæcibus decantandus, qui suaviter purgat.

Habet & hoc beneficii, quod per succum citri simul corrigatur malignitas scammonii, ut postmodum faciliùs purget.

Sed malignum est, uti dixi, scammonium; propterea neq; gravidis, neque infantibus & pueris commodè propinatur: nihilominus apud modernos, imprimis Belgas, obtinuit, ut ejus gr. ij. vel iij. cum liquore appropriato, v. g. lacte, pro eorum laxatione adhibeantur.

Commodè hoc potest fieri, si priùs sit præparatum, & in præparatione ista correctum. Instituuntur autem *Correctiones* variæ, è quorum 1. est *Diagrydium* veterum, factum cum *cydonio*; nec est adeò inelegans: fitque duplici modo: vel immittendo *Scammonium* in *pomum coteneum*, vel solvendo illud in *succo cydoniorum*, vel *pomorum Borsdorffianorum*, & ad consistentiam extracti inspissando; quas præparationes habet AUTOR *num.* 1. & 2. Multi sunt, qui succum rosarum & cydoniorum habent pro generalibus corrigentibus omnium purgantium; quod tamen magis valet de succo cydoniorum, utpote stomachico, quàm de succo rosarum, qui non adeò est correctivus & stomachicus.

Quercetanus parat cum succo limonum, ad cujus imitationem PETRUS JOHANNES FABER *in Myrothec. spagyr. lib.* 2. *cap.* 25. parat Quintam Essentiam, seu extrahit Extractum scammonii cum succo limonum, per spiritum vitrioli acuato.

Modus ab AUTORE *Nota* 3. descriptus, elegans est, & ex BRENDELIO desumptus, quem habet *in Chymia in artis formam REDACTA*. Cum enim resina seu Magisterium scammonii paulò acrius sit, nec adeò commodè in omnibus formulis usurpari queat, & præparationes ejus cum fumo sulphuris, aut etiam cum spiritu vitrioli aliisque, castrationes ferè, aut incertæ admodum sint doseos; propterea optima præparandi ratio est (quæ tam in forma sicca, quàm in humida potest dispensari) modus hic BRENDELII, qui etiam videri potest in ROLFINCII *Chym. lib.* 5. *Sect.* 2. *cap.* 17. *pag.* 332. Relinquitur nempè sic picea resina, torminum, subversionis stomachi & aliorum malorum Autor: Emulsio verò inspissata scammonium optimè depuratum relinquit. Quod si ulterius corrigere est animus, emulsioni ita factæ oleum tartari per deliquium instillari potest, ad ℥iß. emulsionis ad ʒj. vel ʒiß. olei præterpropter.

Magisterium vel *Resina scammonii* per spiritum vini, vocatur aliàs *Pulvis Syrius*, quæ ad ℈ß. usurpari potest: stimuli autem loco gr. ij. vel iij. sufficiunt: Spiritus enim vini exaltat resinas purgantium, ut in pauca dosi operentur: & quod dixi de reliquis resinis purgantibus, de hac quoque est intelligendum & observandum, quod nunquam sit præscribendum solum, sed admisto stimulo salino, ne adhæreat intestinis. In forma humida etiam in emulsionem redigitur; v. g.

℞. *Res. scamm.* ℈ß. vel gr. xij.
Sacch. Candi ʒiij.
Misc. probè & adde
Succi citri ℥j. M.

Sic fit *emulsio* gratissima gustui, quæ citra omnem vim purgat.

Præparent quidam ex scammonio medicamentum, quod vocant *Rubinum vegetabilem*, ex scammonio nimirum crudo, eodem modo atque resinam scammonii parant, & præcipitant cum succo rosarum rubrarum provincialium: post præcipitationem resinæ in fundum, moderatè separatur succus rosarum per inclinationem, & denique cum tinctura rosarum resinæ superinfusa, colorabitur eadem resina rubicundo colore elegantissimo: tandem exsiccatur, pulverisatur, vocatur *Rubinus vegetabilis*.

Scammonium etiam ob acrimoniam causticam ulterius glycyrrhizâ optimè depuratur juxta modum num. v. descriptum, quæ stimulos acerbos & volatiles scammonii inviscat, & cicurat. Dixi enim superiùs, quod glycyrrhiza temperet acrimoniam humorum & succorum in nostro corpore; ergò & medicamentorum assumptorum acrimoniam infringet: Dum igitur ita in scammonio illa corrigitur, impeditur, quò minus succos utiles in corpore colliquefaciat, nec exulcerationem in intestinis, nec dysenteriam inducat.

Pilulæ scammoniatæ compendiosiùs parantur, si resina cum succo rosarum blandè inspissatur.

Præparatio per acida validiora, e. g. cum spiritu vitrioli, quam habet AUTOR, nil valet: non est vera præparatio, sed potiùs Castratio; figunt enim talia acida sal acre in scammonio purgans, sicque non corrigunt, sed castrant: id quod patet ex eo, quod scammonium vitriolatum possit propinari ad gr. xxv. quod nullo modo fit in crudo; castrata ergo fuit ejus vis per spiritum vitrioli. Et hoc etiam verum est de alio modo, quo fit *Magisterium Scammonii vitriolatum*; quando scilicet scammonio pulverisato affundunt spiritum vitrioli rectificatum, solvunt, extrahunt & Extractum præcipitant cum oleo tartari, & procedunt ut in Magisterio coralliorum, abluendo illud; cujus dosis est à ℈j. ad ℈iv. Sed apparet ex magna dosi, quod non sit correctio, sed potius castratio; adeo ut tales præparationes potiùs sint irridendæ & ridiculæ, quàm amplectendæ.

Quò & præparatio scammonii cum sulphure pertinet; unde *scammonium sulphuratum*; quod fit per imbibitionem cum fumo sulphureo. Fundamentum hujus præparationis est hoc, quod fumus sulphuris accensi impregnat scammonium: Jam verò, cum fumus sulphureus acidus & spiritus vitrioli sint ejusdem naturæ & ejusdem essentiæ, patet, quod fit castratio, non verò genuina præparatio: imò dosis incerta redditur, cum pars quædam minus suffumigetur, & ita corrigatur. Aliàs hoc scammonium ritè sulphuratum generalius & potentius est, quàm diagrydium, & commodiùs loco stimuli adhibetur scammonium sulphuratum, quàm diagrydium.

Dosis pro stimulo addendo sunt gr. ij. vel iij.

℞. *Tartari emet.* gr. ij.
Scamm. sulphurat. gr. iij.
Sacch. gr. v.

Misce, fiat *pulvis* supra & infra purgans. Vel

℞. *Tartari vitriolati* aut *Arcani dupl. Mynf.* gr. xij.
Scamm. præp. gr. viij.
Misce fiat Pulvis.
Item
℞. *Tartari vitriolati* gr. xv.
Scamm. sulphurat. gr. iij.
Extr. troch. alband gr. ij.
M. f. *Pulvis.*

Pertinet huc quoque *Cerberus triceps*, vel *pulvis Comitis de Warwick*, qui aliàs paratur ex *cremore tartari*, *antimonio diaphoretico*, & *scammonio sulphurato*; rectiùs tamen ex *magisterio scammonii*.

Per se autem scammonium sulphuratum ad gr. xv. ad summum ℈j. potest usui pari: v. g.

℞. *Scamm. sulphurat.* ℈ß. ad gr. xij.

cum *aqua fumar.* sufficienti quantitate subigatur, ut fiat *Emulsio*, quæ cum *Syrupo de Nymphæa* edulcorata, gustui grata est. Possunt & *semina melonum*, & *resina jalappæ* addi.

Quidam, cùm scammonium assumptum sit ingratum propter amaritiem, & nauseabundum saporem,

℞. *Scammon. sulphurat.* gr. xij.
Permiscent cum
Sacch. Candi ʒiij.
Subigunt cum
Mucil. tragac. facta cum
aqua rosar. q. s.

& exinde faciunt orbiculos, quos illinunt oleo stillatitio ligni rhodii; sicque fiunt *Orbiculi* eleganter *purgantes*.

Corrigitur scammonium etiam *per alcalia*, ubi sal tartari eminet: hinc lixivio salis tartari injiciatur scammonium, & emerget *tinctura rubicunda*, quæ inspissata, & cum spiritu vini extracta, dat *Essentiam*

laxati-

laxativam. Cum hoc tartari sale invertitur sapor & odor ejus nauseosus. *ZAPATA in Clave Med.* Essentiæ scammonii cum spiritu vini extractæ & filtratæ addit saccharum cum aqua appropriata solutum, quam vocat *aquam Rabinеam solutivam*.

Fit etiam *sal scammoniatum purgans*, scilicet

℞. *Scamm.* ℔j.
Solvatur in spiritus vini q. s.
Postmodum
℞. *Sal commune*;
quod solvitur in *aqua fontana*:

Ambæ solutiones permiscentur invicem, & evaporantur sensim sensimque, & in fundo residebit sal, quod sine sapore nauseabundo purgat leniter.

Datur à ℈ß. ad ℈j. estque nihil aliud, quàm sal commune impraegnatum scammonio.

Denique pro correctione scammonii cum dixerim, quod succus cydoniorum sit optimus, Diagrydium solet permisceri cum Gelatina cydoniorum; unde fit gelatina scammoniata laxativa, vocaturque Diacydonium laxativum. Præparationes videbitis *in AUTORE nostro*: & quidem de gelatina cydoniorum supra egi *in classe I. sub cydoniis*. Ad eorum imitationem, imprimis ad secundæ præparationis, quæ est optima, & fit cum succo cydoniorum, potest fieri cum succo ribium, berberum, rubi idæi, & succis aliis, diaribium laxativum, diaberberum laxativum, & sic porrò.

Huc referendus *Syrupus citri scammoniatus*, vel *diagrydiatus*, qui fit hoc modo:

℞. *Scamm. crudi* vel *sulphurati* ℥j.
cui super fundatur
Succi citri depur. rec. expressi ℔ß. vel ℔j.

Terantur invicem: stent in vitro benè obturato in digestione per tres dies & noctes in loco calido, sæpius agitando & movendo, atque ultimo die permittatur sine agitatione, ut clarescat: Hinc solutio clara decantanda & transcolanda per linteum. In colatura clara dissolvuntur *Sacchari* ℔ij. vel iij. & blando igne rediguntur in consistentiam Syrupi: cujus dosis est cochlear.

Et hæc quoque dicta sint de Purgantibus secundariis. Cæterum ex hisce duo sufficere possunt: Aloe nimirum, & scammonium; adeò ut cæteris facilè supersedere possemus. Unde ex omnibus purgantibus septem sufficerent ex primariis, & duo ex secundariis. Ex primariis Rhabarbarum, Helleborus niger, Jalapa, Colocynthis & Senna; ex secundariis Aloe & Scammonium. His si rectè utamur, citra incommodum ægros purgare, cumque summa existimatione finem nobis propositum assequi poterimus.

Quibus jam concludo *Regnum Vegetabile*, & ad *Animale* pergo.



SCHROEDERI DILVCIDATI
PARTIS I. SECTIO II.
DE
ZOOLOGIA
ſeu
REGNO ANIMALI.

ABſoluta in præcedentibus *Phytologia* ſeu *Regno vegetabili*, ordo nunc nos ducit *ad Animalia*, quæ omnia, quoad ſtructuram, ferè conveniunt, & quidem imprimis terreſtria & volatilia: ubi, quæ habet *AUTOR in Prolegomenis de Reſuſcitatione Animalium* ex cineribus in genere, ſunt lectu digniſſima, & proſtant de his multa exempla, quæ hinc inde videri poſſunt.

Quod attinet *Animalia*, quæ in uſum Medicum adhibentur, eligenda ſunt ea, quæ adhuc ſunt viventia, vel violentâ morte interempta: quę enim ſponte vel morbo vel ſenio interierunt, ſunt planè inepta; quoniam maxima eorum vis, quæ reſidet in ſale volatili, impregnato ſpiritu vitali inſito, quod propter ſenium, deficiens fermentum, & longum morbum exhauſtum eſt, deficit & deeſt. Et propterea aſſumenda ſunt vel animalia viventia, ſi ſint minora; vel partes animalium violentâ morte interemptorum, ſi ſint majora. Quod non tantum in uſu pharmacevtico obſervatur, ſed etiã in culinari, in quo rejiciuntur animalia inveterata & mortua, propterea, quoniam vis eorum eſt exhauſta & imminuta: id quod eo magis obſervandum in uſu Pharmacevtico, & pro ſcopo, ut exindè pręparentur medicamēta.

Partes animalium diſtinguuntur in *duras* & *molles*: *Duræ* ſunt *oſſa*, *cornua*, *ungulę*, & qui huc pariter referri poſſunt, *Dentes*. Hę ipſę partes uſui Medico conveniunt, quatenus acidum quodcunque abſorbent, & ſudorem movent. Acidum autem abſorbent non ſine inſigni effervefcentiæ motu, quia ſale volatili alcalino turgent. Dum autem acidum abſorbent, & ſanguinem fluidiorem reddunt, eo ipſo in ſimul ſudoriferæ ſunt.

Compoſitionem & Reſolutionem animalium ſpagyricam quod attinet: omnia, quæcunque ſint animalia, impregnata ſunt copioſo ſale volatili. Hoc ipſum tamen, dum adhuc ſunt in ſuo Eſſe animalia, eſt ſalſum, ſeu eſt acidum volatile urinoſum: quæ duo per fermentationem combinata, dant ſal volatile ſalſum, demonſtrante ſufficienter *TACHENIO in Hipp. Chym.* & *Clave* &c. Hoc ſal ſalſum volatile, dum deſtillatur, mutat naturam, & ſub ignis examine rigoroſo ſal volatile urinoſum prodit, & adhæret lateribus alembici; ſal verò acidum volatile arripit partem ſalis volatilis, & cum illo, mediante pingui conjunctum, ſub forma olei craſſi fœtidi, & turbulenti una abit & tranſit. Nam oleum tale non reperitur in iiſdem, ſed fit tandem in ignis examine. Vulcano ergo Chymico ſi ſubjiciuntur quæcunque animalia, deſtillatione rigoroſâ ſubminiſtrant:

1. *Phlegma* aqueum per retortam.
2. Paulò poſt ſub forma nebulæ prodit *ſpiritus* volatilis Mercurialis, non tamen ſalinus præciſè, aut ſulphureus, ſed mediæ quaſi naturæ.
3. Copioſum *ſal volatile* ſe elevat, quod adhæret lateribus alembici, & repræſentat formam ſui ſimplicis: v. g. cornu cervi ſal volatile in cornu cervi forma, ſal volatile eviperarum in forma viperarum &c. adhærent alembici lateribus.
4. Interea temporis, quando exhalat ſal volatile, acidum arripit partem ſalis volatilis urinoſi, & colliquefactum tranſit ſub forma *Olei* craſſi, & empyreumate contracto, *fœtidi* & turbulenti; quod nihil aliud eſt, quàm ſalia concentrata, dum ſal volatile urinoſum & acidum pingue ſe uniunt, & quando pars ſalis volatilis avolavit, tranſeunt & exſtillant.
5. Id quod remanet in retorta poſt principia deſtillata, eſt *Caput mortuum* inſipidum, & omni virtute medicâ deſtitutum, quod ut plurimum ſolet eſſe nigricans.

Phlegma eſt naturæ ſimpliciter elementaris, & parum habet in receſſu.

Spiritus penetrantiſſimus eſt & volatilis & potenter ſudoriferus, non tamen pręciſè ſulphureus, quia minus inflammabilis; nec ſalinus, ſed mediæ naturæ: qui ſi unitur cum ſale volatili, vocatur *ſpiritus eſſentificatus*; v. g. ſpiritus cornu cervi ſi miſceatur cum ſale cornu cervi, vocatur *ſpiritus eſſentificatus cornu cervi*; & ſic porrò. Spiritus hic eſſentificatus, vel ſal volatile rectificatum, egregiè penetrat, quodcunque acidum in corpore abſumit, tempèrat & corrigit, ſal volatile maſſæ ſanguineæ augmentat, ſanguinem coagulatum & congrumatum diſſolvit, ſanguinis ſtagnationem impedit, ejuſque motum propter auctam fluiditatem promovet, ſudorem ac urinam potenter ciet, quaſcunq; obſtructiones partium, imprimis in capite ex ſanguine ſtagnante, reſerat & reſolvit, & quę ſunt alię virtutes taliũ Pręparatorũ.

Oleum deſtillatum ad aliquot guttas interiùs aſſumptum in hyſtericis affectibus & colica ſummum pariter remedium eſt, & excedit virtutes ſalium volatilium, dum revera ſunt ſalia volatilia concentrata; ſed propter inſuavitatem ſaporis & fœtorem vix tolerabile: ſi tamen ſuper caput mortuum rectificetur per retortam, habetur oleum aurei coloris & inſtar ignis penetrantiſſimum, & efficaciſſimum, ſudorem ciet, acidum quodcunque ſimul deſtruendo, utut rarò uſurpetur. *Externè* etiam propter odorem ingratum, ex empyrevmate contractum, uſurpatur rarò; nihilominus podagrę, artubus paralyſi ac tremore affectis, item qui laborant pareſi, illitum optimè convenit. Pręterea in bubonibus & carbunculis peſtilentialibus maturãdis & extrahendis olea deſtillata ex animalibus ſunt egregia, & tumores duros emolliunt, eoſque emollitos, uti & alios, imprimis ſanguineos, tumores diſcutiunt & attenuant, quo minus ſuppurare & in abſceſſum degenerare queant.

Sequitur denique *Caput mortuum*, poſt deſtillationem reſiduum, quod eſt inſtar carbonis nigrum, ſed ſi in aperto vaſe calcinetur, prorſus albeſcit. Dicitur terra uſta ſeu calcinata, ſitque v. g. cornu cervi uſtum, vel oſſa humana uſta. Hęc oſſa ita combuſta nihil aliud ſunt, quàm Terra mortua, omni activa vi & ſale fixo ſpoliata, adſtringunt tamen, quia acidum imbibunt; unde in dyſenteriis admodum conveniunt, ut & in febribus intermittentibus cum ſpecifico febrifugo Strobelbergeri, doſi ℥j. ante paroxyſmum. Dum etiam humiditates quaſcunque imbibunt, exſiccare & partes laxas corroborare dicuntur: Nam uti ori admota adſtringunt & ſalivam imbibunt, ita quoque in corpore apparenter operantur. Pręterea acidum in primis viis imbibunt; id quod patet exinde: ſi enim illis inſtilletur ſpiritus acidus, illum, ut nihil acidi ſuperſit, abſumunt & imbibunt: unde ſimili modo, ſi reperiunt acidũ pręternaturale in ſtomacho, inteſtinis & primis viis, imbibunt illud, ut acrimoniã & corroſivitatē deperdat. Et propterea poſſumus adhibere in fluxibus alvi, & hęmorrhagiis habitualibus atque ſcorbuticis, ut ſerum acidum imbibant & incraſſent.

Quæritur hìc de partibus hiſce duris: *an in capite mortuo remaneat ſal fixum*, ſicut in vegetabilibus? Notum enim eſt, quod ex cineribus vegetabilium eliciatur *ſal fixum* urinoſum, quod quidem non eſt naturale, ſed artificiale, & fit per ignis colliquationem. Multi hoc negant in animalium partibus duris, utpotè in quibus ob continuam aeris inſpirationem, & fermentationem nil fixi reperiatur in corpore humano, & omne per urinam & excrementa abeat; quicquid enim eſt in animalium hiſce partibus duris, vel ſub forma ſalis volatilis & olei tranſit, vel ſub forma calcis ſeu terrę inſipidę remanet. Alii contrà affirmant, cum partes duræ vitrificari poſſint; unde ſuſpicio non levis ſit, ſal fixum quoque occultatum in iis contineri: negantes verò regerunt, quod ſcilices ſine alcali vitrificari poſſint.

Cæterum hæ ipſę partes duriores blandâ cum aqua ſimplici coctione dimittunt ex ſe *Gelatinam*, in qua ros ſeu ſuccus glutinoſus nutritivus cum ſale volatili copioſo imprægnatus continetur, iſtis oſſibus, ex quibus Gelatinę ſunt extractę, hoc eſt, quę ſunt calcinata ſine igne, non tantum ſalis volatilis hinc continentibus, quàm ſi crudè adhibeantur; interim tamen, quoniam participant adhuc de ſale volatili & oleo, meritò calcibus iſtis poſt deſtillationem reſiduis præferuntur.

Partes animalium *molles* quod attinet, ſunt hæ vel *pingues*, vel *non pingues*.

Non pingues ſunt ſolidæ, liquidæve. Solidæ ſunt viſcera carnoſa, v. g. caro, cerebrum, ſecundina, hepar, uti etiam pili, lana, corium, &c. quæ turgent ſucco pingui & ſalſo blando. Hæc omnia cum igne examinata eadem ſuggerunt Producta pharmacevtica, quæ partes durę; minus tamen ſalis volatilis, utut penetrantiſſimi, quod reverà nihil aliud eſt, quàm ſal volatile copioſum, à pingui acido concentratum. Spiritus equidem & ſal volatile difficulter eliciuntur ex partibus mollibus; ubi autem diſſectæ hæ partes ad putrefactionem aliqualem ſeparantur, copioſius longè & penetrantius ſal volatile & ſpiritum ſuggerunt, parcius verò oleum. Per ſe alius deſtillatæ copioſius oleum fœtidum ſuggerunt, atque terram mortuam & ſiccam relinquunt; Nullum verò in hiſce ſalis fixi veſtigium deprehendere datur: Quod itidem de lumbricis v. g. obſervandum, qui putrefacti longè copioſius, & penetrantius ſal volatile ac ſpiritum ſuggerunt. Formicæ etiam quæ uti acidum ſpirant, ita per ſe ſpiritum acidum ſuggerunt; putrefactæ tamen ſpiritum & ſal volatile urinoſum ſubminiſtrant. Sunt tamen qui putrefactionis tædia per additum alcali fixum prævenire, & ita dicta ſubjecta tractare ſatagunt.

Partes liquidæ quales ſunt ſanguis, urina, eadem producta ſuggerunt, ut modò dictę partes, ſed copioſiora ſalia volatilia & penetrantiora, ſi præcedente aliquali putredine recluſa fuerint: Caput mortuum horum ſal fixum relinquit: Sic ex ſanguine bubulo ſal fixum, ſed ſui generis, ferè inſtar ſalis communis, & ſalſi ſaporis, in aere tamen diffluens, obtinetur, quod in urinis animalium etiam per ſe manifeſtum eſt.

Ex dictis patet, animalia eorumque partes quoddam ſal volatile urinoſum continere. Sed accidentalis ſubinde differentia eſt obſervanda, quatenus ſalia hæc volatilia animalium pro varietate animalium multum variant: copioſius enim & penetrantius eſt in ſylveſtribus, quàm in domeſticis; deinde acrius & volatilius in maribus, quàm in fœmellis; ulteriùs penetrantius & volatilius eſt in maribus non caſtratis, quàm in caſtratis, in quibus omninò eſt temperatum propter fermentationem non adeò acrem & fortem, ex defectu fermenti teſticulorum, quod maſſæ ſanguineæ in non caſtratis inſpiratur, atque ſanguinis fermentationem acriorem & celeriorem reddit. Inſecta imprimis conſtant ſubtili ſale ſalſo magis, ſeu acido ſulphureo volatili & urinoſo fortiter conjunctis, adeò ut juncta ſubminiſtrent ſpiritum acrem volatilem & penetrantem, qui reſpectu aliorum longè eſt volatilior ac penetrantior, ac in animalibus majoribus; qualia inſecta ſunt millepedes, lumbrici, ſcarabæi & formicæ, quæ acriori & penetrantiori ſale volatili, adeoque imprimis diuretico, conſtant. In Marinis, cancris, piſcibus, &c. temperatum magis eſt & ſubtilius; in animalibus verò majoribus terreſtribus acrius ferè & uniuſmodi elicitur.

Cum igitur omnia animalia putrefacta ſuggerant ſal volatile; alia verò ſalia aliis pro ratione partium temperatoria ſint, quæritur: *an ejuſdem naturæ, uſus, & efficaciæ ſint ſalia volatilia?* Affirmatur. Conveniunt omnia in genere, quod ſalia acida deſtruant, & ſudorifera ſint; attamen & ſpecificas ſimul dotes habent ſic: v.g. ſal volatile ſanguinis humani eſt epilepticum; ſal volatile lumbricorum in arthritide vaga & fixa convenit; ſal volatile cancrorum fluviatilium eſt diureticum; ſal volatile bufonum antihydropicum: ita ut & in his quædam quaſi reſpublica detur.

Pinguiores partes, ut ſevum, axungiæ, &c. in piſcibus pinguedo marinarum belluarum, Germanicè dicta *der Thran*, in hoc conveniunt, quod conſtent parte ſulphureâ, quæ in receſſu ab acido occulto concentratur: hinc cum alcalibus in ſapones abeunr, quod & olea vegetabilium faciunt, quæ cum lixivio miſta, inſtar butyri fiunt; non ſecus ac ſulphura mineralium in receſſu habent acidum, temperatum à pinguedine: ſicur & olea vegetabilium quæcunque expreſſa habent in receſſu acidum, pinguedine ſulphureâ obvolutum. Omnes hinc pinguedines animalium propter ſulphur temperatum vim habent relaxandi & emolliendi craſſa, dolores ſiſtendi, attenuandi, & plus minus anodyna ſunt.

Stercora animalium certè abundant ſale volarili ſalſo quaſi ammoniaco, ex acido ſtomachi fermentativo, ipſorumque alimentorum fermentando aceſcentium cum horum alcali debitè unito natum: quæ ipſa dum de oleo bilis plus minus participant, ad naturam nitroſam ferè accedunt; unde ſudorem movent, ſanguinis grumos diſſolvunt, & vi diaphoretica ac diuretica in dyſenteria, pleuritide, angina, &c. commodè uſurpari poſſunt. In ſpecie ad affectus chronicos, hypochondriacos pro corrigendis vitioſis ſaporibus, ſpeciatim acidis, pro abſtergendis primarum viarum ſordibus, & hinc pro cienda urina, egregii ſunt uſus. Pro hoc ſcopo inter animalia terreſtria excellunt ſtercora, caninum, lupinum, & muſcerda.

Cæterùm varia *AUTOR noſter* hoc in loco congeſſit, quæ nullius ſunt prætii, nulliuſque uſus. Saltem ergo ductum ejus ſequamur, dum totam Zoologiam in quatuor claſſes diſtinxit: 1. Terreſtria animalia, 2. Volatilia, 3. Aquatica, & 4. Inſecta continet.

CLASSIS I.

DE ANIMALIBVS TERRESTRIBVS PERFECTIORIBVS.

A.

AGNUS.

De *Agno* nihil proſtat in Officinis.

Quibusdam in uſum venit *Pulmo*, qui uti & pulmo vulpis commendatur ſpecificè in phthiſi & affectibus pulmonum, imprimis in vulneribus pulmonum; quod an verum ſit, digladiantur inter ſe Autores. Inſtar omnium vobis ſit *KIRCHERUS in Arte Magnet. Lib. 2. Part. 3. cap. 6.* qui tanquam pro aris & focis pugnat, quod partes animalium proſint partibus in homine, quibus reſpondent, vel quod partes humanæ proſint partibus, cum quibus ſymbolizant, vel ſimilitudinem gerunt; adeò ut pulmo agni, vulpis, & cervi, conveniant in affectibus pulmonum. Hos tamen non immeritò irridet *HELMONTIUS*, *SCHRADERUS in diſſertat. de Facultat. Medicamentoſis*, & alii, quod poſt mortem ejuſmodi partes amittant hanc analogiam, appropriationem & ſymbolizationem. Quod jam dico de pulmone, valet etiam de aliis partibus; & ſemel pro ſemper hoc obſervandum, egoq; ipſe his non multum tribuo.

Dicit *AUTOR*, quod *Oſſa calcinata* vulnera, etiam quæ difficilioris ſunt conſolidationis, conſolident. Hoc non tantum de oſſibus agni calcinatis, ſed de omnibus aliis verum eſt; quoniam ſunt inſtar terræ mortuæ, quæ abſumit acidum, quod conſolidationem vulnerum aliàs impedire ſolet: vid. *ALEXANDER BENEDICTUS l. 3. Prax. pag. 110.*

Sequitur *Coagulum*. Mirum eſt, quod coagulum agni, hædi, vaccinum, & ſimilia lacticinia, præſtant in lacte coagulato, aſſumpta, diſſolvendo; unde rale coagulum animalium ſolent præſcribere mulieribus pro ſolvendo lacte in mammis congrumato, & experientiam dicunr hoc ipſum confirmare; utur mihi, ut verum fatear, res videatur ſuſpecta.

Proſtat quoque in Officinis *Oeſypus*, quæ nihil aliud eſt, quàm pinguedo lanarum ſuccidarum. Commendatur à Vulgo in luxatorum doloribus, & tumoribus colli leniendis, hiſque emolliendis: ſed hujus loco Butyrum Majale vel alia pinguedo anodyna ſufficere poteſt; ſicut & *ZWELFFERUS in Animadv. ad Pharmacop. Auguſt. p. 415.* ex Officinis planè rejicit.

ALCES.

Alces eſt Animal de genere cervorum, cujus elegantem deſcriptionem nobis communicavit *WORMIUS in Muſeo l. 3. cap. 24.* ſicut & integros *Tractatus* ſcripſerunt *ANDREAS BACCIUS de Magna beſtia Alce*, & *WIGANDUS de Alce Boruſſica.*

In *uſum* medicum accerſuntur *cornua*, *ungulæ*, & *nervi*.

Cornua, quæ non amplius ſunt rara, ſpecificè commendantur in Epilepſia, tremoribus, ſpaſmo, convulſionibus, ac ſimilibus affectibus; & in his ipſis longè præferri ſolent cervinis cornubus, in quo ipſo tamen meritò conſulenda uberior experientia: vid. *HOFFMANNI Clavis p. 641.*

De *Alcis Ungulis* notum eſt, quod contra epilepſiam, ſpaſmum ac convulſiones commendentur, experimentis jam à multis annis confirmatis: & quidem non ſolum internè, ſi ſcilicet ejusdem raſura mox propinetur cum aqua liliorum convallium, vel cum aqua lavendulæ; ſed & externè pro uſu amuletico appenſa aut annulo incluſa & digito geſtata: de quo videatur *SCHENCKIUS*, dum ſolo contactu epilepticos reſtituit: quod à *LEVINO Lemnio in Tr. de Occult. naturæ mirac. lib. 2. cap. 3. Hiſtoriâ*, uti etiam *SCHENCKIO Obſervatione de Epilepſia*, confirmatur. Quæritur jam, *qua ratione vim epilepticam exerant?* Reſpondetur: non rantum ob vim abſorbendi acidum, ſed & aliam ſecretiorem cauſam ab extrà. Alces nimirum beſtia eſt admodum mericuloſa, & à ſtrepitu etiam arboris in fugam pellitur: hic metus in totum corpus transfertur, præprimis in ungulas, & quidem poſteriores; unde vis hæc depender. Illud autem falſum eſt, quod quidam inde vim hanc ei tribuant, quod animal Epilepſiâ ractum, aurem ungulâ pedis poſterioris dextri ſcalpat, & in eandem inferat; utut etiam *HEINRICUS à BRAHE de Medicamentis epilepticis* referat ſe habere expertum, quod portiuncula in ſiniſtram aurem immiſſa, veluti ſcalpendo mota, Epilepticos reſuſcitarit; ſicut *MIZALDUS* hoc ipſum pariter pro miraculo refert. Verùm nugas eſſe *CRATO in Epiſt. 49. pag. 60.* dicit. Præter hoc etiam, quod ſit raſa ſpecificum remedium in epilepſia, etiam in vertigine ac tremore, tàm partium externarum, quàm internarum, nec non palpitatione cordis. Item in ſuffocatione uterina ſpecificè commendatur; ſive ſcrobs, ſive præparata ungula, aliaque ejus præparata, propinentur. Sed reverà vix exiſtimo tantum tribuendum eſſe huic ungulæ, quin alia parabiliora & præſtantiora antepileptica proſtent.

De nervis obſervetur, quod *AUTOR* habet, & non abſonum videtur; id quod non tantum de hoc verum eſt, ſed etiam de nervis ex hominibus & cervis.

Inter Præparationes eſt Ungula præparata, quæ fit lege communi.

Ungula calcinata & *Magiſterium* nil valent. De Magiſteriis tamen obiter noto, quod ex cornubus animalium, oſſibus, Ungulis, & ſimilibus partibus duris, ſint difficilis præparationis, propterea, quo-

niam ineſt mucilago glutinoſa ſeu gelatina, quæ impedit quò minus poſſit ſolvi à menſtruo. Ut ergò fiat diſſolutio, priùs coquenda ſunt in aqua, ut prodeat mucilago, & quaſi gelatina: hinc facilè corrodi poſſunt per ſpiritum acidum, ſive acetum deſtillatum, vel ſpiritum ſalis, vel aliud quoddam menſtruum, & ſic ſoluta per oleum tartari per deliquium, vel alium liquorem, præcipitari in Magiſterium. Hoc obſervetur quoad encheiriſes, ne fiat error.

Cæterum cornu alcis eodem modo præparari & uſurpari poteſt, ut cornu cervi, tàm in pulveribus, quàm potionibus, doſi ℈j. ad ʒß. imò ignis beneficio *ſpiritum* & *ſal volatile* ſuggerit contra epilepſiam, tremores, ſpaſmos, contra convulſiones, & ſimiles nervorum affectus: Vid. *FINCKIUS in Encheirid. c.* 6. Contra venena & morbos malignos laudat *PANAROLLUS Pentec.* 3. *Obſervat.* 30.

FABER parat egregiam *Quintam Eſſentiam antepilepticam* ex hoc cornu.

Ex cerebro etiam *Aqua* & *ſpiritus* cum *ſale volatili* per retortam igne aperto deſtillari poteſt.

APER.

QVæ de *apro* habet *AUTOR*, non declaro, nec opus eſt, ſaltim privato ſtudio illa legantur.

Nil nobis in uſu eſt, niſi *Genitale*, atque *Dentes*. *Adeps* interdum ad pleuritidem externè uſurpatur.

Dentes imprimis in uſu ſunt, & contra pleuritides, anginas, & alias inflammationes partium internarum febri junctarum optimum ſunt ſpecificum ad ʒj. in forma pulveris propinati. Coagulatum ſanguinem reſolvunt, abſorbent acidum, quo abſorpto ſudor ſequitur. In angina, & omnibus ſpeciebus ejus ſpecificè expertus eſt *VALERIOLA lib.* 2. *Obſ.* 11. qui dat raſuram dentis apri ad ʒj. cum oleo amygdalarum dulcium & ſaccharo cando, & dicit, quòd mixtura, uti in pleuritide, ita & in angina, ſit expertiſſimum remedium. Hæc raſura dentis apri commendatur permiſta decoctis antipleuriticis, quoniam in decoctis miſta cum plantis appropriatis, & decocta ſubminiſtrat Gelatinam.

Teſticuli apri ſunt ſpecifici in ſterilitate mulierum, & commendantur quoque ad ſtimulandam Venerem. Aliàs quoque notum eſt, quod ſanguis galli valdè ſtimulet.

Quod de *ſtercore* in ſanguine ſiſtendo habet *AUTOR noſter*, de ſtercore potius ſuis ſeu porci domeſtici, (de quo *inferiùs*, ubi *de ſue*) non de apri ſeu ſuis ſylveſtris, intelligatur.

Fel ſtrumas diſcutit; Genitalibus verò illitum, Venerem ſtimulat.

In folliculo felleo *lapilli* interdum reperiuntur, qui in ictero & nephritide ſpecificè laudantur: vid. *UNZERUS de Nephrit. pag.* 124. *SCHENCKIUS in Lithogen. p.* 94. & *TULPIUS l.* 4. *Obſervat.* 51.

Urina apri in veſica collecta valdè laudatur ad comminuendum calculum veſicæ & renum. Commendatur etiam lectimingis. Ipſa *veſica* in furno exſiccata epilepticis commendatur ab *HEINRICO ab HEER in Spadacrene p.* 276.

Dens apri ſine igne præparatus propinatur à ʒß. ad ʒj. in angina & pleuritide in aqua florum acaciæ, in Decocto florum papaveris rhœados, vel in Decocto card. benedicti, vel horum aquis deſtillatis. Unde ordinariò cum maxilla lucii piſcis etiam dens apri præparatus ordinariè ſolet propinari. Gelatina paratur (Præparationem hanc docet *WEDELIUS in M. A. N. C. Ann.* 3. *Obſ.* 72. coquendo ſcil. per aliquot dies cum aqua ſimplici in veſica cuprea, & hinc ad fornacem reponendo, ut findantur; quod ſignum legitimæ præparationis) ut Gelatina cornu cervi, quæ nihil eſt aliud, quàm ſal volatile, ſub forma mucilaginis ſeſe ſiſtens, & elicitum. Hæc ipſa ergò in potu pleuritico egregium remedium eſt, & idem præſtat in pleuritide, quod dens in ſubſtantia aſſumptus; quod de Decocto cornu cervi & aliis ſimilibus ſemel pro ſemper ſit dictum. Quodque talis mucilago nil aliud ſit, quàm ſal volatile, patet ex eo, quod talia oſſa, ubi elicita eſt gelatina, poſtmodum in diſtillatione vel nullum, vel parum dant ſalis volatilis. Aliàs dens apri deſtillatus dat *ſal volatile* admodum elegans & penetrans.

Magiſterium nihil valet.

Ex teſticulis cum aliis paratur *Eſſentia*, præſertim cum ſpiritu ſanguinis galli, quæ non tam mulieribus in ſterilitate, quàm viris in impotentia, adhibetur. Magnates quidam utuntur Eſſentiâ teſticulorum apri ad promovendam Venerem.

De *ſanguine*, quæ habet *AUTOR noſter*, quod deſtillatus in aquam conveniat in hectica, intelligendum potius eſt de porcellis ſeu ſuillis, Nefrendibus, item non tantum de porcellis ſylveſtribus, ſed etiam de porcellis domeſticis.

ASINUS.

ASinus inter omnia animalia piloſa hoc habet privilegium, quod careat pediculis, quod obſervatu dignum eſt.

Ungula ejus ſolet ungulæ alcis eſſe vicaria in morbo comitiali, uti rectè dicit *AUTOR noſter*.

Imprimis *ſanguinem* ſuggerit, qui propè aures extractus contra maniam & furores maniacos laudatur. Modum propinandi & eliciendi invenietis in *HARTMANNI Praxi Chymiatrica*, ubi *de Mania*: Tempore verno ſcilicet (diem & menſem videbitis in *HARTMANNO loco citato*) inſtituatur venæ ſectio propè aures ejus, & ſanguis linteo novo excipiatur atque exſiccetur. Sunt, qui in camino exſiccant, ut de ſpiritu ſeu ſale volatili lignorum participet, magiſque ſudoriferus ſit. Aſſervatur per integrum annum citra virium debilitatem. Sub uſu recipitur hujus lintei fruſtulum, longitudine unius digiti, & latitudine palmæ, injicitur in aquam deſtillatam hyperici, item anagallidis flore phœniceo, vel in decoctum horum, vel in potum, uſque dum ſanguis omnis extractus ſit: dehinc bibat æger, & expectetur ſudor. Præmiſſis certè præmittendis ſpecificum eſt egregium: Id quod non tantum expertus eſt *HARTMANNUS*; ſed *MICHAELIS* etiam in aula Altenburgenſi, & in multis aliis locis, hoc ipſo curavit multos maniacos. Nam ſanguis hic infuſus ſolet ciere ſudorem & Urinam, cujus ſudoris beneficio eoſdem curat. Idem potus etiam commendatur ad morbos ab incantatione oriundos. Fundamentum curæ conſiſtit in ideis: Nam corporis & timoris idea in aſino contraria eſt ideæ furoris in maniaco, quam contrarietate ſuâ delet.

Ex ſanguine aſinino præparatur aliàs *Eſſentia*, quæ præſervare dicitur ab Epilepſia.

Sordes aurium ex aſino illinuntur temporibus, & ſolent conciliare ſomnum, imprimis in febribus malignis: ſed non adeò frequenter uſurpanda inunctio, ne nimis profundus excitetur ſomnus.

Lac Aſininum potû potenter nutrit; unde uſus hujus frequens eſt in Italia contra phthiſin, hecticam, & exulcerationem partium internarum. Quia enim aſinus eſt beſtia ſana & longæva, hoc ipſo lac ejus ſalubrius eſt præ cæteris, & in atrophia & ariduris maximè confert; laxat ſimul alvum, & vi nitroſâ urinas pomovet, & præterea præfertur lacti bubulo in cura phthiſeos, & nephritide præſervanda. Modus utendi eſt, ut præter propter ægrotus cibis dulcioribus per tres, quatuor & quinque dies probè nutriatur: poſt tempore matutino ab ℥vi. vel vij. ad ℔j. propinetur de lacte aſini tepido, cui ℥j. ſacchari candi vel albi addi debet, ne tam facilè coaguletur. Hinc tempore veſpertino duobus vel tribus horis ante cœnam eodem modo, eâdemque doſi propinetur, & ad tempus continuetur. Cibus interea dulcis ſit, & minus acidus, aliàs potius augetur malum, quàm imminuitur.

Lotium aſini contra fœtorem narium commendatur, per illas attractum.

Stercus porrò *aſininum*, in Majo collectum, ſingulare remedium eſt contra quasvis hæmorrhagias, quocunque in loco erumpentes, & cum ſtercore ſuillo remedium hoc in regno eſt celeberrimum; ſive propinetur in ſubſtantia ſtercus ad ʒj. vel plures; ſive ex infuſo in aqua appropriata exprimatur ſuccus, & aſſumatur; ſive etiam fiat Syrupus. Hinc

℞. *Aquæ plantag.* ℥j.
Succ. ſterc. aſinin. ℥ß. ad ℥j. vel ℥iß.
Syr. myrtill. ad ℥j. M.

Hæc potio manè inſciis ægrotantibus aſſumpta, & per aliquot dies noctesque continuata, expertum eſt remedium in hæmorrhagia narium impedienda, item in hæmorrhagia inteſtinorum aliarumque partium, in ſpecie in hæmorrhagia uteri nimia ſeu nimio menſium & lochiorum fluxu, nec non fluore uteri albo, præmiſſis tamen univerſalibus, teſte *SOLENANDRO Conſil.* 8. *Sect.* 4.

Similes virtutes ſtercori aſinino habet ſtercus caninum, ſi pulvis ejus propinetur, quod expertum fuit hîc in muliere quadam, ex nimio fluxu uteri ferè exanimata, aliis omnibus nihil juvantibus.

Externè ſtercus aſininum ſolum naribus applicatum ſiſtit hæmorrhagiam; vel cum aceto ſubactum, & naribus intruſum, idem præſtat: Quidam & ſtercus pulveriſatum naribus inſufflant, idque feliciter & non ſine commodo: Sic

℞. *Sterc. Aſin.* ℥vj.
Muſc. querc. ℥iij.

Miſcent, & ad ſolem vel in loco quodam calido ſiccant, exindeque faciunt pulverem, qui per nares attractus ſubitò illarum hæmorrhagias compeſcit: & quidem non ſolùm attrahitur per nares, ſed etiam ſuffitus ſtercoris aſinini expertus in tali caſu.

Renes pulveriſati arefacti, & cum melle miſti, ac potu aſſumpti ſtranguriofis efficaciter medentur.

Ut creſcant pili, ſecretum habetur lichen aſininus, qui eſt verruca dura circa genua aſini creſcens, quæ tantum facit ad pilos gignendos, ut ſint, qui dum barbam fœmellis comparare volunt, curant ut fricentur eâdem partes.

B.

BOS.

BOs, cujus fœmina communi nomine vocatur *Vacca*, ut multa ſubminiſtrat culinaria, ita non mediocria exhibet Officinalia. Et quidem ut ſequamur ordinem *AUTORIS*, primo loco ſe offerunt Cornua.

Hæc quod attinet, de iis contra impotentiam non nihil deraditur, dum bos cum vacca in coitu verſatur, quod ad ſtimulandam & excitandam Venerem, non ſecus ac cerebrum paſſeris in coitu

transf-

transfoſſi ſpecificè laudatur, & ſingulare ſecretum fuit *Comitis à PAPPENHEIM* Jovis bellici, tam in Martis, quàm Veneris bello ſtrenui pro ſtimulanda & augenda Venere. Raſura hæc cornu taurini probatum fuit ſecretum cujuſdam catnificis, qui multos impotentes eâdem reſtituit. Sunt etiam, qui putant, omnia omnium animalium cornua habere vim alexipharmacam: id quod utut verum ſit de cornu cervi, non tamen de omnibus affirmare poſſum. Cornu bovis itidem uſurpatur ad ſuffumigia in tempore peſtis.

Fel bubulum præ reliquis eſt acrius, volatilius, penetrantius, & hinc uſitatius in clysmatibus, ubi ſtimulat & proritat alvum, aliàs contumacem, & hæmorrhoides: Sicuti etiam cum aloe emplaſtri vel unguenti formâ umbilico applicatur contra lumbricos infantum & adultorum: quod, ubi ſtrictè adhæret, certo adſunt lumbrici. Addi etiam ſolet myrrha & oleum colocynthidos, & ſic ſimul quoque laxat. Ulteriùs ſicuti fella animalium omnia in genere, ita etiam bubulum, non minoris uſus eſt in affectibus oculorum, deterſione opus habentibus, ungulâ, nebulâ, albugine, &c. item in aurium affectibus, in diſcutiendo tinnitu, in ſurditate & hebetudine auditus, cum bombace auribus inditum.

Aqua fellis deſtillata ungues, maculas, nebulas & cicatrices oculorum delet, & acrimoniâ volatili clarificat viſum: nec minoris uſus eſt in aurium tinnitu, hebetudine auditus, & ſurditate, aliiſque affectibus aurium. *Eſſentia* autem *fellis bovis inſpiſſati*, cum ſpiritu vini extracta, præter uſum coſmeticum propter alcali volatile fellis, egregia eſt in affectibus oculorum, & tinnitu aurium cum bombace illita.

Fel tauri inſpiſſatum magni eſt uſus pro ſtimulanda alvo, ſi ſcilicet ad ℥j. clyſteribus permiſceatur; potenter ſtimulat alvum obſtructam & duram.

Sequitur Jecur & ſplen. Jecur in Nyctalopia prodeſt: vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſ.* 133. *pag.* 208.

Splen bovis valdè laudatur in affectibus lienis contra ejus duritiem, inflammationem, dolorem & tumorem, unde ſolet ingredi *Eſſentias ſpleneticas* compoſitas. Idem ſplen bovis eſt experimentum ſingulare *PARACELSI* contra menſium ſuppreſſionem, & inde ortam cachexiam virginum, ſi minutim conciſus in aqua decoquatur. Vulgò uſurpatur *Decoctum ſplenis bovis Quercetani, Crollii*, aut *Hartmanni*: ſed hoc non eſt durabile, & facilè corrumpitur: imò addita plus præſtant, quàm ipſe ſplen. *CROLLIUS* habuit *Eſſentiam ex ſplene*, quam videbitis in *AUTORE*. Cum ſpiritu meliſſæ præparata laudatur in obſtructionibus menſium, & inde nata cachexia virginum. Commodè poteſt miſceri cum Eſſentia martis liquida, ut magis reddatur appropriata in talibus caſibus, præprimis ad quoſcunque partium internarum, imprimis meſenterii, infarctus & obſtructiones referandas. D. *MICHAELIS* habuit *ſplenis eſſentiam compoſitam*, cum eſſentia Martis miſtam, ad menſium fluxum impeditum & doloroſum. Quidam & ad promovendum appetitum laudant. Præparandi modi ſunt varii, & videri poſſunt apud *HARTMANNUM in Pr. chymiatrica* ubi *de menſibus obſtructis*. Lien bovis ſi deſtilletur cum ſpiritu vini, commendari ſolet ad quasvis ſtomachi debilitates; ſed vanum eſt.

Sanguis vix in uſu eſt, niſi in eo caſu, ubi poſt graviores vulnerationes artuum & articulorum atrophia ſequitur, debilitas membri & articulorum dolores; ubi membrum in ſanguinem bovis vel canis modò mactati recentem & calidum immittatur: ſic mirè confortabuntur membra antè ad motum inepta.

Medulla vitulina in affectibus nervorum uſus eſt frequentis, uti videre poteſtis in *AUTORE*.

Sevum bubulum liquefactum in ſtranguria, umbilico illitum, propter conſenſum veſicæ cum umblico ratione urachi, ſatis potens eſt remedium. Conficitur ex *ſevo bubulino*, *alcali* & aqua, in maſſam coactis, *Sapo*; quibus & in Belgio fuligo additur. Optimus eſt *Sapo Venetus*, ſpecificum in ictero.

Oleum ex hoc cum cineribus clavellatis *deſtillatum* in podagra laudatur, aliiſque articulorum & juncturarum doloribus; vel per ſe, vel cum ſpiritibus urinoſis, unguentis nervinis, &c. miſtum & illitum.

Urina Vaccæ menſe Majo collecta pedes aliquandium immittuntur:, dein Emplaſtrum Norimbergenſe imponitur, & ſi curatur podagra. De *urina tauri* vid. *HELMONTIUS de Lith. c.* 7.

De *ſtercore vaccino* refert *AUTOR*, quod plebei in colico dolore ſuccum ex ſtercore expreſſum propinent; quod verum eſt: & non ſolùm in colica, ſed etiam in pleuritide præſentaneum eſt remedium, & curat per ſudorem certo experimento. *Externè* ſingularem vim anodynam habet, & partibus dolentibus, inflammationibus partium externarum, & imminente gangrænâ, ut & locis ambuſtis, ne exulcerentur, inſtar cataplaſmatis recens impoſitum, optimum eſt remedium; inflammationes enim imminuit, dolores ſedat, & gangrænam arcet. Speciatim verò in dolore podagrico multum confert; cum lumbricis terreſtribus contuſum, & impoſitum ad dolores arthriticos vagos mitigandos mirè convenit. Abdomini applicatum ſingulare eſt remedium in curanda colica, & diſſipandis flatibus. Applicatur etiam abdomini in hydrope aſcite, in forma cataplaſmatis pro imminuendo tumore, & diſcutienda aqua; poſt ſtercus enim humanum ſtercus bubulum in tali caſu eſt optimum. Vulgò & contra ſuppreſſionem urinæ laudatur; ſicut etiam *ZACUTUS LUSITANUS in Lib.* 2. *Praxos admirandæ Obſ.* 65. beneficio ſtercoris vaccini recentiſſimi, pectini & regione pubis impoſiti, Iſchuriam ex grummoſo ſanguine curavit. In tumoribus partium œdematoſis applicatum valdoperè conducit.

Ex hoc ipſo ſtercore, eodem modo atque ex ſtercore humano, per digeſtionem & ſublimationem repetitam poteſt præparari *Zibethum Occidentale*, ſic dictum à Paracelſo, quoniam ſuavem ſpirat odorem inſtar Zibethi. Quidam loco muſci ſiccatum ſole, omni odore exutum, & aquâ roſarum aliiſque impregnatum, pro *Pulvere Cyprio* ſumunt.

Per deſtillationem ſuggerit *aquam*, quæ vocatur *Aqua omnium florum*; quia bos innumeris floribus veſcitur, & internè valdè convenit in nephritide, ad ciendum calculum & urinam, propter ſal volatile nitroſum, quod adſcendit per alembicum; unde in hunc finem valdè commendatur à *POTERIO*. *Externè* ſingulare eſt in uſu coſmetico ad delendos nævos & maculas faciei, atque ruborem, poſt variolas relictas. *POPPIUS in Tract. de Hydrope* dicit: quod aqua hæc, cum rore majali deſtillata, tumoribus aquoſis & hydropicis applicata, eos certò diſcutiat.

Reperiuntur in bovibus non rarò *lapilli*, & quidem interdum non exiguæ quantitatis: qui duplices; vel *in ventriculo ſecundo*, vel in *folliculo fellis*.

Priores conſtant ex pilis invicem convolutis, & mucilagine quadam obductis, qui non ſingularis uſus: Poſteriores verò ſale volatili alcalino, ab acido præternaturali coagulato, conſtantes, reverà *bezoardici*, & multi uſus ſunt, in larga nempè doſi aſſumpti; de quorum generatione videatur *WORMIUS in Muſeo*. Cum vino vel aceto ſumpti ad ſanguinem congrumatum, imprimis ex caſu ab alto, reſolvendum egregii ſunt; item in ſubluxatione ſpinæ dorſi, imò contra icterum flavum & nigrum, valdè laudantur, doſi ℈j, ita enim per urinam & ſudorem, præmiſſis præmittendis, feliciter curant. Præterea in nephritico dolore ſcorbutico, tàm vero, quàm notho, egregii ſunt, & ſubitò dolorem ſiſtunt. Venena pellere, eademque per ſudorem diſcutere, & epilepticos inſultus arcere dicitur. Dicit *AUTOR*, quod pulvis hujus lapidis Errhinum præbeat egregium, quod verum eſt: & magis ſit convenientius adhuc, ſi cum ſucco betæ illinatur naribus; mox enim ſternutationem movere ſolet.

Sequitur *Lac*. In lacte tria ſunt obſervanda:

1. *Generatio lactis* mirabilis ex gramine & fœno.
2. Triplices diſtinctæ *ejus partes*; &
3. Singularum *Uſus*.

Quoad 1. Lac eſt ſubſtantia pinguis, butyroſa & oleoſa, adeoque mirum, qua ratione ex fœno tam elegans poſſit generari liquor; Unde apparet, quantum valeat & vis menſtrua fermenti digeſtivi, in ſtomacho reſolvens gramina & herbas, ex iiſque particulas pingues oleoſas tam ſingulariter eliciens.

Quoad 2. Partes lactis ſunt tres:

1. *Subſtantia* prima eſt *butyroſa*, oleoſa, & pinguis ſulphurea.
2. *Caſeoſa* ſalina, viſcida & terreſtris.
3. Vehiculum horum, ſeu *ſerum*.

Quoad uſum: lac in genere eſt ſuccus temperatus, dulcis, anodynus in doloribus ſcorbuticis, & egregiè nutritivus; hinc contra tabem, atrophiam, phthiſin, hecticam, uti etiam ad ſimiles morbos, præmiſſis præmittendis, nil melius eſt quàm lac, quoniam optimum eſt alimentum medicamentoſum, adeoque potenter nutrit. Cum autem multam habeat partem oleoſam pinguem & butyroſam, quodcunque fluidum tenuius incraſſat, & egregiè infimul temperat quamlibet corporis noſtri acrimoniam: unde ſcobuticis ſpecificè convenit, adeò ut in illo curando nihil ſit melius, imò divinum & præſentiſſimum remedium, ratione caſei & butyri mirè temperans eorum acidum, & ratione ſeri iſtud temperatum per urinam evacuans; uti & iis qui hepatis, renum veſicæque, & ſimilibus partium internarum exulcerationibus, laborant; ratione enim partis ſeroſæ ſimul adjuvat conſolidationem ulcerum; unde in tonſillis exulceratis gargariſmata cum lacte coquuntur. Sic in affectibus urinariis ex nimia ſeri acrimonia & corroſivitate, v. g. in mictu cruento, dyſuria ſeu ardore urinæ, ſtranguria & ſimilibus; uti & in dyſenteria, frequens lactis uſus eſt: & quidem in dyſenteria convenit iſtud lac, in quo aliquoties ferrum vel chalybs ignitus fuit extinctus, & vocatur *Lac chalybeatum*; modò aſſumitur per os; modò ſub forma clyſteris injicitur per anum. Pro temperanda acrimonia cantharidum, eſulæ, & arſenici aſſumpti, egregium eſt: Item ſi qui antimonialibus, vel Mercurialibus occupati ſunt præparationibus, hi uſu lactis, item uſu largiori butyri, præſervantur, ne acida mineralia iſta, eorumque effluvia, nocere queant. Epilepſiam hypochondriacam uſu lactis, in quo ſemper ℨß. *Saponis Hiſpanici* ſoluta, quotidie ad ℥iij. hauſti, curatam videbitis in M. A. N. C. *ann.* 1. *Obſ.* 83. *p.* 202: quod etiam *SYLVIUS in Praxi l.* 1. *cap.* 46. ictericis commendat. Flores ſambuci in lacte decocti & ita aſſumpti, præſervant egregiè ab eryſipelate: quod idem decoctum etiam lactis ubertatem nutricibus ſuggerit.

Hæc de *uſu interno*.

Externè notum eſt, quod ſit egregium anodynum, & dolores ſiſtat atque compeſcat, excoriationes leniat, & mitiget, item tumores ad ſuppurationem tendentes temperet; unde etiam externè flores ſambuci cum lacte cocti ſubminiſtrant egregium diſcutiens inflammationum,

tionum, uti etiam ipsum lac incoctionis florum sambuci erysipelata discutit, falia suppuratione effervescentia suaviter maturat; hinc rectè dicitur *AUTORI*, quod dysenteriæ, tenesmo, renum & vesicæ exulcerationibus, fit optimum. In dolore atrocissimo abdominis ex acido & arthritide, clysteres ex lacte in scorbuticis doloribus ventris insigniter laudantur, non secus ac in dysenteria utrâque faciunt paginam. Cataplasma quoque ex floribus sambuci & foliis hyoscyami in lacte coctis mirè commendatur, si abdomini insternatur. Aliàs balnea ex lacte solent usurpari, ubi est nimius squalor, & nimia exsiccatio partium in tabe & atrophia: humectat enim leniter, & blandè partes aptas reddit ad recipiendam nutritionem.

Pro ratione autem sanitatis ipsius bestiæ & pasturæ pecorum admodum variat. Sic in genere bonitas lactis, *Autore HELMONTIO*, non ex propriis qualitatibus, sed ex sanitate & longævitate bestiæ, distinguitur; quo enim longævior & sanior illa est, eò salubrius est lac: hinc quoque pro ratione pastus variat; & quo salubriores magis appropriatas animalia comedunt herbas, eò salubrius fit lac. Unde si vaccæ herbis antiscorbuticis, quales sunt nasturtium, beccabunga, cochlearia, nummularia, &c. vescantur, lac eò magis scorbuticis proderit; si pro usu hectico & vulnerario herbis vulnerariis, in specie hedera terrestri, vescantur, transplantatur vis plantarum in lac, & magis appropriatum erit, nunc pro cura scorbuti, nunc pro cura phthiseos, & ulcerum partium internarum.

In usu autem lactis probè observetur, quod debeant vitari omnia acida ne coaguletur; unde cum lacte permisceretur aliquid sacchari, vel aliquid de spiritu urinoso, v. g. salis ammoniaci, vel simili: Hæc enim potenter impediunt coagulationem; & si injiciatur tantillum sacchari in lac, non potest præparari exinde vel butyrum, vel caseus. Pessima namque omnium est lactis corruptio, quando coagulatur; sic enim inducit colica tormina, choleram, infarctus mesenterii, chachexiam, & alia vitia.

Diæta lactis & lacticiniorum, quando est instituenda, fit hoc modo: jejuno stomacho assumitur bonus haustus lactis simplicis, vel medicati; in scorbuto cum Essentia cochleariæ, in phthisi cum Essentia hederæ terrestris, vel Essentia vulneraria: Post haustum instituitur moderatus motus, & per tres horas imperatur jejunium: post prandium tribus horis ante cœnam denuò assumitur eodem modo ac manè, & jejunium iterum imperatur, ut fiat distributio. Et hæc est methodus usurpandi lac in diæta ordinanda pro cura morborum; & in hac omninò exulare debent acida, tam in potu, quàm victu, & in aliis assumptis.

Porrò in diæta lactea observetur, quod debeat assumi recens emulctum, & adhuc calidum; quò citiùs enim post emulctionem ex bestia hauritur, eò est melius; quoniam potest facilè alterari ab aere, aut etiam sponte suâ alteratum ad coagulationem disponitur: unde natura mammis papillas apposuit, ut harum suctu immediatè in fœtum nutriendum lac transeat.

Hujusmodi lactis alteratio patet ex eo:

1. Quod facilè acescat.
2. Quod pauco, postquam emulctum est, interjecto tempore in verminosam convertatur progeniem, & copiosos exhibeat vermiculos, si lac tantillo temporis aeri fuerit expositum.
3. Quod lac sit quasi magnes venenorum, adeò ut tempore infectionis vel pestilentialis miasmatis lac contrahat vitium ex aere, adeò ut quasi cœrulescat & livescat, qui livor est signum certum contracti vitii ex aere: videatur *KIRCHERUS in scrut. Pestis*: Hinc tempore pestis in omni conclavi vas lacte calido seponere solent; quia pestem tali se insinuasse, observatum est.
4. Ulterius patet, quod corona serpentina, seu lapis serpentinus (quod modernorum est Inventum, & de quo *inferiùs*) si injiciatur in lac, deponat in illo omne venenum, quod ex animalium vulneribus venenatis hausit; adeò ut extractus ex lacte nullum amplius possideat.

Ne ergò corrumpatur, aut vitium contrahat lac, optimum est, ut bibatur calidum adhuc, & simul atque fuit emulctum.

Cæterùm in legitimo usu ejus attendendum, ne corrumpatur in stomacho primisque viis, id est, ne vel cruditate acidâ præcipitetur præmaturè, & ita ratione casei & butyri pituitam acidam, tenacem & viscidam, in primis viis relinquat, unde morbi chronici tam oriri, quàm notabiliter exasperari assolent; vel cruditate nidorosâ disponatur ad putrefactionem, adeoque in liquamen amarescens, flavescens, nauseosum, & quasi biliosum abeat: quod metuendum est in iis, qui laborant febribus, tam continuis, quàm intermittentibus quibuscunque, & aliis acutis, propter facilem alterationem; quoniam uti dicunt, bilescit, auget humorum agitationem, & facit acriorem & acerbiorem. Hoc autem intelligendum est de febribus intermittentibus & acutis vulgaribus: nam in febre intermittente scorbutica assumitur bonus haustus lactis in die intercalari, vel etiam septem vel octo horis ante paroxysmum prodest. Deinde in hypochondriacis, seu, ut *AUTOR* vocat, spleneticis, comitialibus, affectibus capitis in cephalalgia, vertigine, epilepsia & similibus, non est conveniens lactis usus: nam per præmaturam à cruditate acida præcipitationem in caseum, solet inducere dolorem capitis: nihilominus si fit ex scorbuto, usitatissimè usurpatur internè haustum, vel externè fomenti loco capiti applicatum. In affectibus stomachi, nausea, vomitu, diarrhœa, & cholera est inconveniens lac; nihilominus si ex irritatione stomachi propter acrimoniam salis scorbutici oriantur, in tali casu optimè conducit lac; in corrigenda enim acrimonia & corrosivitate salis scorbutici est egregium. Iis, qui laborant tumoribus hepatis vel lienis, aut etiam infarctibus mesenterii, non convenit lac, quoniam facilè corrumpitur, & nisi inveniat patulas vias, subsistit, & obstructiones auget: propterea priùs aperiendæ viæ & istiusmodi obstructiones, reserandi meatus discutiendo tumores, antequam fiat progressus ad diætam lacteam: uno nomine: uti lac ritè digestum optimum nutrimentum, & subinde suavissimum medicamentum solet existere; sic hoc ipsum in stomacho quocunque modo corruptum pessimi veneni naturam assumit.

Hæc de lacte in genere; sequuntur nunc partes lactis, inter quas est serum seu aqua lactis.

Serum fit vel per se, dum per occultam fermentationem sensim sensimque acescit, & separatur pars butyracea & caseosa à reliqua substantia; vel fit adjectione tertii, instillatione succi limonum vel citri, spiritus acidi, vel acido quocunque admisto, dum illa constringunt poros, ut illis constrictis fiat separatio & secessus casei ad fundum, & serum blando sapore gratius reddatur. Ut citissimè fiat hoc serum lactis, v. g.

℞. *Lactis* ℔j.

Hoc bulliat super ignem, &, dum ita bullit, injiciatur *alumen pulverisatum* quantitate avellanæ unius, & ex hoc coagulabitur in momento, & supernatabit serum, quod à lacte coagulato separetur, & super igne clarificetur.

Idem facit etiam *spiritus vitrioli*.

De hoc sero observetur, quod sit aqua imprægnata sale volatili nitroso alcalino, non nihil oleoso, & quasi sale volatili de natura ammoniacali; unde non modò sponte suâ acorem contrahit, sed & propter copiam salis volatilis urinosi, cum acido nitroso juncto, habet vim laxandi moderatè alvum, & abstergendi sordes in primis viis sine noxa, & ratione substantiæ salinæ stimulat. Unde gravidis potest serum lactis propinari sine noxa pro laxanda alvo, quando est obstructa. Ratione salis nitrosi etiam refrigerat commodè, & ebullitionem massæ sanguineæ moderatè compescit: propterea solet propinari convenienter serum lactis in febribus biliosis ardentibus, uti etiam in specie in febribus malignis, sive solum, sive modicè acidulatum cum succo citri, vel ribium, & similibus. Ulterius notetur, quod utut lac noceat hypochondriacis, & quorum viscera non benè constituta, iis tamen valdè proficuum est serum lactis, quòd sale nitroso temperet acidum in primis viis, & referet infarctus viscerum. Unde etiam in hypochondriacis, scorbuticis, alvo duriore molestatis, indeque etiam post usum pilularum laxativarum conveniens est haustus seri lactis, ut pilulæ dissolvantur, & earum operatio faciliùs secedat. In nimio hepatis fervore prodesse dicunt, nimiaque seri sanguinis acrimonia; adeoque pro tali scopo tempore æstivo jejuno stomacho horis aliquot ante cibum bonus haustus assumi debet: cui simul possunt infundi vel diuretica, vel purgantia, vel aperientia, aliaque alterantia pro vario scopo; præsertim in scorbuto, & sic eò magis erit conveniens. Si decoctum vel essentia fumariæ sero lactis instilletur, convenit in purificatione sanguinis, in scabie, & scabie siccâ molestatis, præsertim contumaciori, in ardore urinæ & sputo sanguinis ab acrimonia humorum salsa, exedente vascula, ortis: unde etiam ii, qui sunt pruriginosi, Germ. *denen die haut juchet*, commendatum sibi habeant serum lactis, egregiè enim temperat acidum pruriginosum. Serum lactis cum succis antiscorbuticis haustum est egregium. Non tamen adeò conveniens est serum lactis senibus; sed potiùs in vegeta ætate aut adolescentia constitutis. Præterea serum lactis diligenter destillatum per balneum, præbet egregium menstruum pro infusione medicamentorum alterantium & purgantium in scorbuto, malo hypochondriaco, & similibus affectibus: urinam pellit, vias urinarias abstergit, primas vias, & imprimis scorbuticos, egregiè per urinam purificat.

Dixi suprà, quod serum lactis habeat in se sal volatile nitrosum: unde *BARTHOLETUS* præparat ex sero lactis remedium, quod vocat *Mannam* seu *Nitrum seri lactis*, uti videbitis in *Encyclop. p.* 400. Præparatio est hæc: Destillatur in Mariæ balneo calore leni *serum lactis*, donec in fundo butyracea fex subsideat, cui adhærebit, & quasi super instrata erit salina quædam substantia subalbida, quam curiosè separat; est enim, uti dicit, sal seri essentiale, seu ejus nitrum, cujus causa serum nitrosum dicitur, & huic tota alterandi & abstergendi vis seri inest: solvit hanc substantiam separatim in aqua appropriata & coagulat; opus repetit, donec seri cremorem habeat, sapore omnino Mannam referentem. Suavis est saporis, cujus ℥j. largiùs operatur, quàm Mannæ Vulgaris ℥iij. diciturque ab eodem *Manna seri*.

Sequitur *Butyrum*, quod est altera pars lactis pinguis & oleosa, nucleus nutritivus ipsius lactis: ubi primò mirari subit vim fermenti stomachici, quod ex plantis, succis, gramine & fœno efficit substantiam pinguem & oleosam, quam nemo artificum ex illis elicere potest, quamque nemo in illis quæsivisset. Hæc autem est vis fermenti stomachici, ut ita ex alimentis assumptis eliciat *Quintam Essentiam*, in intestinis postmodum à chylo separandam; unde butyrum rectè ab *HELMONTIO* vocatur *Herbarum Magisterium*, estque

eſtque nihil aliud, quàm copioſum ſal volatile, ſufficiente oleo, mediante hujus occulto acido, condenſatum, & ita in conſiſtentiam olei ſpiſſiorem, pinguedine molliorem, redactum. Ratione ſubſtantiæ pinguis & oleoſæ temperat omnem acrimoniam, acidum imprimis venenorum mineralium, quales ſunt: fumi acidi metallici, antimonii, Mercurii, & ſimilium metallorum: propterea ii, qui in his laborant, debent manè aſſumere fruſtum panis illitum copioſo butyro, ut temperetur acidum corroſivum fumorum ab unctuoſa pinguedine butyri, quo minùs poſſit inducere noxas, corrodendo partes.

Proſtat in Officinis quibuſdam butyrum purgativum, ex butyro majali, cui laxantia infuſa, paratum: uti enim inter omnia lacticinia apud nos lac Majale eſt optimum, ita butyrum Majale interno vel externo uſu omnibus palmam præripit.

Quidam butyrum non ſalitum miſcent cum cancris fluviatilibus contuſis, hæc invicem exprimunt, & ad abſumptionem humiditatis inſpiſſant, fitque *Butyrum Cancrinum*, Germ. *Krebs-Butter*, quod contra phthiſin eſt ſingulare remedium; uti & contra caſum ab alto: eſt enim egregium vulnerarium ratione cancrorum, in Specie in exulcerationibus renum & partium urinariarum, & aliarum internarum; quibus potenter medetur.

Oleum ex butyro deſtillatur per retortam ex arena, miſcendo cum lateribus, cineribus & ſimilibus, etiam cum alcali fixo.

Caſeus ſequitur, tertia pars lactis, qui ſunt craſſiores & quaſi terreſtriores fæculentiæ, copioſo tamen alcali, moderato oleo, ſociatæ. Demonſtrari hoc poteſt facilè, ſi recipiatur caſeus vetus, adeoque fœtens, quique ad putredinis alterationem plus minùs vergit. Talis enim, cum pauco alcali fixo vel calce viva addita, deſtillatus ſpiritum & ſal volatile urinoſum perfectè ſuggerit. Meritò ex culinis debet exulare, quia peſſimè nutrit partes; hinc nullius eſt uſus in corpore humano: videatur JOHANNES PETRUS LOTICHIUS, qui *de caſei nequitia ſeu malitia* peculiarem & elegantem ſatis ſcripſit *Tractatum*. Nam interno uſu homines diſponit ad infarctum viſcerum, arthritidem & nephritidem, niſi ſtomachum offendat, qui illum ritè ſubigat, & in chylum debitum convertere queat. *Externè* verò caſeus vetuſtus ratione ſalis volatilis urinoſi contra podagram, ex acido volatili ortam, temperando iſtud ſiſtens, valde commendatur, ſi illinatur parti ex podagra dolenti: idque jam ab experientia GALENI notum eſt, imprimis in podagra nodoſa: nam ſucceſſu temporis caſeus vetuſtus inſtar pomi putridi acquirit vim anodynam abſorbendi & temperandi acidum; unde facilè patet quare mitiget & compeſcat podagricorum dolores.

Vbera vaccæ juvenculæ cocta, indurata & pulveriſata, cum aliis appropriatis miſceri ſolent pro augendo nutricibus lacte: videatur ZWELFFERUS.

Priapus tauri, tam in pulveris forma ad ʒj. uſurpatus, quàm decoctum ex raſura aſſumptum, in dyſenteria ſpecificè prodeſt, uti etiam in pleuritide: quos affectus certò curat, eſtque unum ex ſecretis antipleuriticis HELMONTII.

BUBULUS.

BVbulus Germ. *der Buffel*, animal eſt ſylveſtre. Hîc repetenda, quæ dixi de differentia ſylveſtrium & domeſticorum; adeo ut quæ dicta ſunt de bove, intelligenda quoque veniant de bubulo, in gradu tamen excellentiori; quoniam in uſu Medico ſylveſtria ſunt domeſticis meliora.

BUFO.

BVfo animal eſt ſatis notum, uti ex antipathia, quam fovet cum aranea, ſatis cognita, contra quam ſe munit uſu plantaginis: de quo *plura ſub Plantagine* dixi: unde ſunt, qui volunt, quod *lapis Butleri* præparetur ex araneis & bufonibus, quod tamen eſt ridiculum. Hiſtoriam bufonis habebitis in WORMII *Muſeo lib.3. pag.265.*

Bufones hi inter omnia animalia venenata principatum tenent: ſiquidem ſingulare de modo intoxicandi cibos per ſalem, veneno bufonum imprægnatum, experimentum DEODATUS *in Valetud. pag.79.* refert, cujus fides ſit penes Autorem. Sed venenoſitas hæc bufonum non videtur in alio conſiſtere, quàm vel in eorum furore, vel in eorum excrementis, ſpeciatim urina acri, cauſtico volatili ſale imprægnata, quam acrimoniam obtinere videtur ex alimentis, nempè minutulis iſtis ſcarabæis, qui in eorum ventriculo & colo reperiuntur. Quod ſi autem quis læſus fuerit à bufone, huic læſioni ſeu veneno reſiſtere dicuntur cancri fluviatiles, ſaliva humana, cornu cervi, terra ſigillata, ſmaragdus, & in ſpecie flores vitis; cum his enim ingentem inimicitiam gerunt bufones, uti *ſuperiùs dixi*, ubi *de vite*. Ipſe quoque bufo loco læſo applicatus, brevi ſanat. Conf. *Acta Haffn. pag.265. Volum.2.* Cæterum experimentum etiam præbent contra morſum viperæ, aliorumque ſerpentum venenatorum; ſi nempè læſioni à vipera factæ applicetur mox bufo vivus contuſus, certò exinde evadunt læſi. Ipſis bufonibus maximè adverſatur pix liquida, quæ eos interficit: Conferatur *Paulli in* ſua Παρεκβάσει *de Febribus malignis*, item BORRICHIUS *in Hermet. Sapientia*. Obſervavi etiam, quòd bufones attactu olei tartari per deliquium, ſi paucis ſaltem guttis externa eorum pellis in dorſo tangatur; miris geſticulationibus dolorem prodant, tandem brevi poſt moriantur.

Bufo tamen mortuus omni caret veneno, & internò & externò uſu multum facit in Medicina.

Vſum quod attinet bufonum internum medicum: exſiccantur, pulveriſantur, ac propinantur internè pro cienda urina: ratione enim dictorum ſcarabæorum minutiſſimorum pulvis bufonum egregium diaphoreticum & diureticum eſſe videtur, quo ipſo & hydropicos curare ſatagunt. Inter diaphoretica etiam refert WILLISIUS *Pharm. Rat. P.1. pag.200.*, doſi à ʒß ad ʒj: Nempè in peſte ultima Londinenſi hujuſmodi pulvis crebriùs uſutpatus fuit. Quoad vim diureticam & hinc hydropis curativam, experientia hujus prima facta eſt caſu: de quo videatur PETRÆUS *Diſſ.35. Textu 54.* HILDANUS *in Epiſt.69. C.1. pag.1028.* SOLENANDER *Conſil.15. Sect.5.* *Marcellus Donatus Hiſtor. Mirabil.* KYPERUS, & alii. Vt autem certiorem præſtent effectum, recipiantur bufones Menſe Julio transfoſſi, exſiccentur in umbra, & abſciſſis capitibus, & exemptis inteſtinis, ſubtiliſſimè pulveriſentur, quorum ℈ß. vel gr. xij., ad ſummum gr. xv. hydropicis tribus vel quatuor vicibus propinata, egregiè agunt: ita tamen, ut tres vel quartor dies poſt aſſumptionem interponantur, ne debilitetur æger. Secretum fuit KYPERI, *Medici Lugdunenſis Batav.*, qui cum ana ſacchari patienti propinavit, & mirabilem exinde habuit effectum: Videatur HELMONTIUS *in Tum. Peſtis*, FABER & KIRCHERUS *in Scrutin. Peſtis*. Alii contra febres intermittentes propinant ante paroxyſmum. Sunt qui recipiunt bufones vivos, eoſque extinguunt in ſpiritu vini vel vino Malvatico, poſteà eximunt, totos in retortam immittunt, & per gradus igne aperto pellunt *ſal volatile*, egregium ſudoriferum & dureticum; ſpiritus verò vini vel vinum, quo extincti fuere bufones, habetur expertiſſimum & egregium alexipharmacum internè hauſtum.

Externè bufo vivus contuſus, & renibus inſtar cataplaſmatis applicatus, in hydrope laudatur: vid. HELMONTIUS *Tract. Ignotus Hydrops §.36.*, ubi bufonem recentem per medium ſectum, & renum regioni adaptatum commendat; item RIVERIUS *in Praxi l. 11. C.6.* Quin & externè contra malignitatem peſtilentialem adhibetur, adeò ut utrumque, peſtis curatio & præſervatio, certò ſit in bufonibus, unde magnopere commendantur: hinc non ſolùm bubonibus & carbunculis peſtilentialibus bufones exſiccati applicati, omnem malignitatem certò extrahunt, & ita curant ægrum, ſed in ſpecie etiam ex ejus pulvere cum aliis emplaſtris pro bubonibus peſtilentialibus felici cum ſucceſſu parat HILDANUS *loco ſuprà citato*. Sic integrum bufonem areſactum appendi poſſe pro amuleto ſeu xeneochtho in peſte, videbitis tàm in *Hildano loco citato*, quàm ZWELFFER*in Pharm. Reg. pag.140.*, ubi in ſpecie per experientiam confirmatur efficacia xenechthi bufonini HELMONTII, quod deſcribit *in Tumulo Peſtis Tit. Zenecbtbum p. m 76.*, quod nempè parat ex bufonibus; pedibus ſuſpenſis, donec moribundi terram & vermiculos antea deglutitos in patellam ceream evomant: ceram hanc cum materia vomitu ejecta ipſis bufonibus probè ſubactam in Trochiſcos redigit pro amuleto. Sed obſervandum eſt, quod bufones ſuſpenſi haud adeò facilè evomant vermiculos: Ergo cerâ ſunt ſuffumigandi, vel ſuffumigentur pauco ſulphure; ſic enim evomunt faciliùs. HELMONTIUS jubet, ut ſuſpendantur propè focum, forſan focum iſtum pro more Belgarum paravit ex turfis, ſulphureum ſcilicet gas ſemper eructantibus, & hac ratione promovit eorum vomitum.

Quæritur autem hac occaſione, *an detur remedium antipeſtilentiale?* Negant multi; quia variat peſtis: Sed reſpondeo, peſtem non variare quoad ortum ſeu virulentiam, quæ in omni peſte adeſt; ſed tantum quoad magis & minus, quatenus ſymptomata vel intenſiora vel remiſſiora adſunt: Dari igitur poſſe remedium tale, imò in bufonibus illud latere, mihi perſuadeo. Ulteriùs bufo areſactus de collo ſuſpenſus, vel in ſcrobiculo cordis, vel admotus axillis, vel ſaltim detentus in manu, quamcunque hæmorrhagiam, ſive ſit narium, ſive uteri, menſium vel lochiorum &c. præſertim in febribus malignis contingentem, v.g. variolis, febribus peſtilentialibus & ſimilibus, quàm certiſſimè ſiſtit & curat: vid. *Diſſert. de Morſu Viperæ*, & BIERLINGIUS *in Adverſar. Append. C.1. pag.152.* Bufo coctus & cataplaſmatis inſtar appoſitus in angina commendatur à MIZALDO *C.8. pag.2.* Pulvis bufonum, vel exſiccatorum vel calcinatorum, in nodulo appenſus circa ſcrobiculum cordis, ſingulare quid contra incontinentiam urinæ obtinet, imprimis puerperarum, quando in partu ex inepta tractatione obſtetricis veſica laceratur, ut non poſſint poſt partum continere urinam, & perpetuò madeant: id quod monet per experientiam edoctus HEINRICUS ab HEER *Obſ. Oppido-rar. 14.* (qui hunc pulverem virtute anodynâ pollere, & in involuntario profluvio urinæ, à ſectione calculi inducto, de collo ſuſpenſum optimum fuiſſe, aſſerit;) & idem etiam experti ſunt nuperrimè Angli. In cura cancri, præſertim mammarum, exulcerati multum faciunt bufones, ſive ſolus bufo calcinatus in olla, ſive exſiccatus adſpergatur cancro exulcerato, ſive permiſceatur priùs pulvis exſiccati bufonis cum auripigmento, & cum fuligine ſimul, & cum petia ſalivâ madida applicetur cancro exulcerato: Conf. JONSTONUS *l.4. de Quadruped. cap.1. Part.1. p.188.* Notandum aliàs, bufones comburendo eructare flammam fuſco-cæruleam; unde ſuſpi-

suspicor, in iis latere principium sulphureum animale.

Ossiculum busonis ex brachio vel femore desumptum, propinatum internè mira facit in epilepsia. Externè applicatum denti dolenti odontalgiam curat experientiâ *HELMONTII Tract. Buttler.p. m.*503. & *HEURNII*. Amicus quidam curiosus retulit, se per literas ab experto quodam Medico practico certiorem fuisse factum, quod nempè mater quædam perterrita, brevi post infanti lactanti præbuerit mammas, unde brevi post infans horrendâ correptus epilepsiâ fuerit: sed cum tantùm ossiculum busonis pulsibus carpi applicatum fuisset, quod mox paroxysmus sedatus fuerit: Intermittentem etiam febrem eodem modo applicatum, in virgine nobili aliquando fugavit.

Necesse autem est, ut præsente homine busò exspiret, ut idea timoris, in quo tum temporis bestia versatur, toti illius imprimatur corpori ad operationes, quibus destinatur, rite peragendas.

Sal bufonum volatile penetrans & egregium est diureticum & hydropicum.

Descriptionem *Olei bufonum* ad scrophulas, ejusque usum, videatur in *BORELLI Cent.4. Obs.38. pag. m.*305. In hydrope commendant *FORESTUS l.19. Observat.*35. & *RIVERIUS Prax. l.6. c.* 6. in lepra cutisque impuritatibus *HARTMANNUS in Praxi Chymiatr.* Sic quidam præparare volunt *Oleum anodynum catholicum* ex infusione bufonum in oleo communi. Paratur quoque oleum tale catholicum anodynum, si scilicet bufones vivi extinguuntur in aqua, in qua sal marinum vel commune est dissolutum: Colantur; postmodū instituunt coagulationem liquoris; bufones verò calcinant cum sale, & fundunt cum calce, post fusionem solvenda est calx in aqua, ut abeant feces, & hinc denuo cum oleo amygdalarum dulcium miscenda est; quod oleum inunctum tumoribus & doloribus quibuscunque eosdem mirabiliter lenit.

Fundamentum hujus virtutis omnis bufonum subministrat *HELMONTIUS*, dum deducit ex idea pavoris & terroris, quam acquirit dum moritur; quæ idea contraria est ideæ archei humani. Qui fusiùs hæc cupit explicata, videre potest *HELMONTIUM* & *ZWELFFERUM*.

Lapis bufonum, an revera sit ex bufone? res nondum est certa, utut sint, qui dicunt, oriri illum ex bufonum capitibus: sed merum figmentum & mendacium esse credo: Attamen substantiam quandam testaceam seu cranium bufonum senilium vel grandævorum illum esse, quidam credunt. Reverà autem vel ad lapides stellares reducendus, vel instar fungorum in saxis & petris, non verò bufonum in capitibus, oriri solet: Conferatur *HOFFMANNUS in Cl. Schrœd. pag.*191. Alii bufonios dentes molares piscis lupi esse asserunt: vid. *Acta Societ. Reg. Anglic. Vol.1. pag.*301.

Quoad usum Medicum, in peste insignis efficaciæ illum esse, dicit *AUTOR*. Ad renum dolores mitigandos & tollendos, ad calculi generationem prohibendam, similiter celebratur hic bufonites, qui ipse etiam specificus dicitur ad hydropem, uti videri potest in *HILDANO suprà citato loco*. Commendatur itidem admotus externè ad tumores, & inflationes venenatas ab animalium puncturis vel morsicationibus illatas, quas crebrò contactu discutere dicitur. *STARICIUS* quoque in libro, qui vocatur *Helden-Schatze*, *pag.*29. dicit: quod lapis bufonum, ubi adsunt venena tam intra quàm extra hominem, lachrymans quasi guttas sudoris emittat, & mutet colorem. Cùm autem lapides hi minimè pro parentibus agnoscant bufones, facilè patet, quid de eorundem usu, isti hypothesi superstructo, habendum sit?

C.

CANIS.

De *Cane* dicit *AUTOR*, quod vivus impositus abdomini in dolore colico, illum mitiget: quod verum esse non tantum confirmat *RONSSEUS in suis Epistolis*, sed etiā in specie idem confirmatum videbitis in *BOYLE usefulness. of. Experim. Philos. P.2.* vid. etiam *BORELLUS C.3. Obs.28.* & *BARTHOLINUS C.3. Obs.66. & C.6. Obs.* 53. ubi quædam de transplantatione morborum in bestias habent: & catellos podagricorum pedibus applicatos non tantùm claudicasse, sed etiam colica tormina, item odontalgiam in hos, loco affecto impositos, transplantata referunt: quales curationes etiam repeciuntur in *RHUMELII scriptis Germ. in cura Magnet. Herniar. C.5.*

Pulvis Ossis Canis mistus cum pulvere pyrio, in ejus præparatione, impedit, quò minus audiatur sonitus: vid. *STARICIUS in Helden-Schatze pag.*160.

Cerebrum canis commendatur ad maniam, dum quidam Maniacus curatus dicitur usurpato in victu cerebro canis assato vel cocto: alii commendant cerebrum catellorum destillatum cum spiritu vitrioli in cura maniæ.

Item *aqua destillata fellis ex catulo canis* in spiritu liliorum convalium lunâ crescente propinata specificum dicitur in epilepsia.

Axungia canina ob vim penetrantem vulnerariam præ cæteris laudatur. Multi in aceto, vel illitam pani, vel etiam permixtam alimentis, contra phthisin & epilepsiam laudant. Alii assant canem & pinguedinem destillatam in phthisi propinant cum egregio successu.

Stercus honestiore nomine Album Græcum appellatur in officinis. In hoc legitimè ex canibus, præsertim ossibus solis cum nullo vel pauco potu, nutritis, collecto, vis Medica haud vulgaris est recondita, & multum habet in recessu; gaudet enim sale ammoniacali, uti reliqua stercora animalium, sudorem movet, sanguinis grumos dissolvit, acidum primarum viarum destruit, & hinc in pleuritide mirè convenit. Egregium experimentum est in nimio fluore mensium, & sicut etiam ante dictum de stercore asini, quod sit appropriatum ad compescendam hæmorrhagiam uteri; item in dysenteria, passione hysterica, & colica ex acido austero orta: hinc *Decoctum carminativum* egregium ex Albo græco cum hordeo in vino malvatico *FIENUS* habet, quod videbitis in *HOEFERI Herc. Med. pag.*13. & 14. Ad hæc quantum hoc stercus in anginæ medela conferat tonsillarum inflammationibus, notum est: siquidem internè propinatus pulvis, sicuti etiam in aliis faucium & partium internarum inflammationibus, uti reliqua stercora, eas per sudorem curat. Vulnerarium pariter insigne est; unde in decoctis Vulnerariis haud rarum est in consolidandis vulneribus; quale decoctum fit e.g. sequenti modo:

℞: *Herb. veron.*
Pyrol.
Sanic.
Consol. sarac.
Nicot. ana M. viij.
Albi græci ℥vj.
Misc. pro *decocto*.

Quod non tantum potum prodest in vulneribus, sed etiam externè instar lavamenti seu lotionis applicatur iisdem, & illa citò, tutò, & jucundè sanat.

Pro his facultatibus exaltandis præprimis colligendum est stercus hoc mense Julio, quando canicula, scilicet sidus, adscendit. *MYNSICHTIUS* habet etiam, quomodo sit colligendum pro cura anginæ in *Armam. Chym. pag.*824.

Imò *externè* in angina faucium jam à *GALENI* temporibus usitatum est; sive pulvis insuffletur gutturi, sive idem stercus cum melle subactum dictis locis illinatur, aut cataplasmatis & unguentis, tam ad discussionem, quàm maturationem destinatis misceatur: abscessum discutit, maturat, & rumpit, & parat viam ad puris excretionem: ulcera etiam faucium sine nota curat, dicto modo illitum. Et nullum est cataplasma aut unguentum in angina, quod non ingrediatur nidus hirundinis cum stercore canino; quod ipsum ratione salis nitrosi virtute incisivâ & penetrativâ dissolvit tumorem, acidum coagulans & inflammationes causans temperat & corrigit, & sic inflammationi medetur, abscessumque discutiendo præcavet.

Plura qui cupit de miris stercoris canini facultatibus ad curationem anginæ, dysenteriæ ac vulnerum, vid. *ZACUT. LUSITAN. Medic. Princip. Cent.1. Cur.*86.

CAPER, CAPRA.

Caper & *Capra* animalia satis sunt cognita.

Et quidem quod attinet *Cornu capri*, usitatè illud adhibetur in suffitibus pro excitandis mulieribus hystericis, item pro exsuscitandis epilepticis.

In usu imprimis est *sanguis* ex capro, ruta muraria aliisque balsamicis blandis nutrito; de cujus modo colligendi multa habet *HELMONTIUS Tract. Pleura furens pag.*322. & *Tract. sextupl. Digest. alimenti §.*75. *pag.*224. *RIVERIUS in Praxi cap. de Pleuritide*, *ZWELFFERUS in Animadver. in Pharm. Aug. pag.*419. *PETRÆUS Nosolog. Diss.*40. *VIDIUS l.*10. *cap.* 20. *ARCULARIUS*, *HEURNIUS*, *SANCTORIUS lib.*15. *cap.*4. *RONDELETIUS in Consil. CRATO Consf.*150. *LÆLIUS à FONTE in Consult.* 84. *CÆSALPINUS l.*3. *cap.*29. *Prax. FORESTUS in Schol. ad Obs.*28. *libr.*24. *PASCHALIUS lib.*1. *Meth. cur.* 47. *BORELLUS C.*2. *Obs.*88. *KIRCHERUS lib.*3. *de Magnet.*, *KYPERUS in Institut. Phys.* & alii quam plurimi. Sed non adeò necessarium est, ut hircus juxta modum *HELMONTII*, præcisè cornubus suspendatur. Sanguis hic non solùm ex abscissis aut vulneratis genitalibus, uti vult *HELMONTIUS Tract. Sextuplex Digest.*, sed etiam è collo stillans, unà cum sero suo, colligatur; qui juxta modum *LUDOVICI in Pharmac. p.*167. in Vaporis Balneo probè, & citra combustionem, exsiccatus, præ aliis animalium sanguinibus acidorum volatilium est destructivus. Hinc experimentum egregium est Helmontii contra pleuritidem & alias inflammationes, junctus imprimis cum dente hippopotami, apri, cinnabarinis, &c: vid. *HELMONTIUS Tract. Pleura Furens*. In casu ab alto, vulneribus & contusionibus, sanguinem grumosum dissolvit, & in aceto sumptus potentissimè urinam pellit, imò & egregium sudoriferum, atque hinc secundariò diureticum est. Quidam eo contra calculum vesicæ ac renum utuntur, & inde quoque balsamum antipodagricum parant: Conferatur *GABELCHOVERUS in libro, qui voc.* *Wurtenbergisch Artzeney-Buchen*, & *SCALIGER Exerc.* 344. *num.*8. qui dicit; sanguinem hircinum in renibus ac vesica lapidem frangere, tàm verum esse, quàm solem meridie lucere. Hinc pro usu lithontriptico hircus seu capra herbis antiscorbuticis nutritur:

tur: vid. HELMONTIUS *Tr. Sextuplex Digeſt. pag.* 74. Sic etiam *arcanum ſanguinis bircini* contra calculum compoſitum videbitis in M. A. N. C. *Ann.* 6. *Append. pag.* 128.

Dein deſtillatus *ſanguinis birci*, dat *ſpiritum* & *Oleum*; ſicuti & aliorum animalium partes. *Oleum* hoc ſanguinis hirci in podagra, membris contractis & dolentibus egregiè prodeſt.

Caro hædina prodeſt in acuendo viſu.

Sevum hircinum uſitatiſſimum eſt in dyſenteriis, & teneſmo, ſi diſſolvatur in decocto vulnerario, & pro clyſtere injiciatur; ubi tam conſolidativâ, quàm anodynâ vi confert; potenter enim exulcerationes inteſtinorum purificat & conſolidat: à ℥ß. ad ℥j. uſurpatur, nunc in aqua appropriata, v. g. florum acaciæ, nunc in vehiculo aceti non deſtillati; ſic probè tecto ægro ſudorem fortiter prolicit. Nunquam oleum admiſcendum, aliàs nimis coagulatur. Quin & euporiſton inde contra ſtranguriam paratur, ſi recipiatur ſevum hircinum è candelis, hocque virga & umbilicus inungatur, & ſtranguriam brevi ſedat: ſed hoc multos ſpe ſuâ fefellit; ſi verò addatur oleum deſtillatum corticum aurantiorum, magis juvabit.

Lac Caprinum præ aliis lactis ſpeciebus turget ſero nitroſo & nitro volatiliori, indeque magis abſterſivum ac diureticum eſt, omnes vires in gradu eminentiori obtinet, quæ ſero lactis vaccini adſcribuntur. In ſpecie autem pro uſu antiſcorbutico & æſtu compeſcendo lac & ſerum lactis caprilli commendatur, uti & in cura podagræ, imprimis ſi capra nutriatur herbis articularibus, podagræ curæ deſtinatis; tunc enim mirè commendatur, ſi hauriatur methodo dictâ. Lac capræ paſtæ purgantibus, moderatè, & ſimul tamen egregiè, purgat infantes per nutricem, ſi propinetur nutrici. Omnibus præſtat lac capræ propter copiam ſeri & nitri volatilis; quoniam ſpirituoſum & agile eſt animal, & hinc parum dat lac, quod minus, præ aliorum animalium lacte, in ſe continet materiæ caſeoſæ. Nam in lacte, quò minus eſt talis ſubſtantia caſeoſa, eò elegantius & efficacius eſt in cura morborum, quia omnes noxę à ſeroſa materia proveniũt.

Stercus rarioris uſus eſt; quia tamen nitroſius reliquis eſt, hinc externè adhibitum vi reſolutivâ, & tumorum duriorum diſcuſſivâ valet; unde in podagra & œdemate cum urina ægri ſubactum, & inſtar cataplaſmatis applicatum, egregiè juvat.

Vrina hædi vi diureticâ laudatur in calculo pellendo, eodemque præſervando, eaque calida adhibenda. Urinam hirci HARTMANNUS præfert omnibus aliis diureticis: Conferatur HELMONTIUS *de Lith.* C. 7.

Veſica urinaria ad urinæ incontinentiam prodeſt certiſſimè.

Vngula capræ, vel etiam *Veſica*, imprimis hæc in olla concremata ſeu combuſta & ex poſca ſumpta, medetur iis qui noctu ſtragula permingunt, ſi aſſumatur ſub ingreſſum lecti.

CAPRA ALPINA ſeu RUPICAPRA.

CApreola ſeu *Rupicapra*, Germ. *die Gembſe*, eſt iſta ſpecies caprarum ſylveſtrium, quæ altiſſima montium adſcendunt ſine vertigine, & ſine ulla noxa.

Medicinalia quæ ſubminiſtrat, ſunt quidem illa plurima, ſed tamen rari uſus: e. g. *ſanguis*, quem ROCHAS *de Aquis Mineral. l.* 1. in vertigine hauriendum commendat, hìc locorum haberi nõ poteſt.

Ex animali ergo hoc, tanquam in his regionibus raro, nil niſi lapis ſic dictus in uſum Medicum venit, quem in ventriculo continet, propter quem animalia hæc imprimis venantur, & iſte eſt Medicinalis, vocaturque aliàs *Ægagropila*; de qua videatur *Georgius* HIERONYMUS VELSCHIUS, *Medicus Auguſtanus*, *Differt. de Ægagropilis*. In ventriculo nimirum ſecundo ipſius damæ hi lapilli generantur; bruta enim ruminantia ſolent habere quatuor ventriculos. Malè tamen ad lapides referuntur, cum baſis ſeu fundamentum eorum ſint ſaltem compages filamentorum, ac fibrarum duriorum vegetabilium, quibus rupicapræ veſcuntur, in ſpecie doronici, quæ difficilis digeſtionis ſunt: circa quę coagmẽtatur durior & viſcoſior chyli pars, & tandem beneficio fermenti coagulatur in lapillum; cujus ſignum eſt iſtud, quod reperiantur inſtar pellicularum conglobatarum, ita ut appareant ſimiles ceparum pelliculis, & una ſuper alteram appareat, ſicuti in cepis conſpicitur: vid. BORELLUS C. 1. *Obſ.* 5. *p.* 10. HARDERUS *Apiar. Obſervat.* 14. *p.* 57. & SACHSIUS *in Gammarologia*. Vocantur quibuſdam *Bezoar Germanicum*; quâ ratione enim generantur hi lapilli, eâdem generantur lapilli in capris Indiæ tam Orientalis, quàm Occidentalis, dicti Bezoar: de quo *paulò poſt*. Et quidem omnes lapilli, qui reperiuntur in animalibus, in homine, in bobus &c. beneficio fermenti acidi volatilis coagulantur; ſicut etiam illi, qui fiunt in veſicula fellis, etiam ex acido exorbitante fiunt, quando ſcilicet coagulat ſe in calculum beneficio alcali ſalini in bile.

Differunt Ægagropilæ ſeu lapides magnitudine imprimis: odorem habent jucundum, & pondere ſunt leves. Multi uſus in Medicina.

Quæritur autem, *unde habeant ſuas virtutes*. Reſpondetur. Habent ſuas virtutes ex duplici fonte: virtutem præcipitantem & diaphoreticam ex ſale nitroſo; virtutem verò alexipharmacam vel ſpecificam à plantis, quibus veſcuntur, è quarum fibris in ventriculo relictis coagmentantur. Unde etiam non omnes lapides, in quibuſcunque animalibus reperti, ſtatim ſunt alexipharmaci & bezoatdici, ſed obtinent aliam ſuam virtutem ex plantis & alimentis, quibus veſcuntur. Cum verò rupicapræ veſcantur imprimis doronico & aliis alexipharmacis, Ægagropilæ etiam ſunt alexipharmacæ, & malignitati reſiſtentes; & quia doronicum eſt ſpecificum contra vertiginem, Ægagropilæ etiam ex doronico naſcentes vertigini reſiſtunt: Unde funambuli adſcenſuri funem, ſolent ſe præmunire doronico, ne decidant, & riſum ſpectatoribus moveant.

Quoad vires ipſas, pilæ hæ vi ſudoriferâ pollent in pleuritide, variolis, & præ cæteris in partu difficili, fœtu & ſecundinis expellendis, ubi ad ℥j. exhibentur. Dn. D. MICHAELIS in partu difficili Principiſſæ Altenburgenſis egregium inde effectum aliquoties obſervavit. Longè tamen præſtantior in partu difficili eſt *lapis albeſcens in rupicapris ex peculiari capſula circa hepar* extractus, extus albicans, intus albidior, è ſucco chyloſo concretus; cujus *doſis* eſt à gr. v. ad vj. Epilepſiæ quoque medentur. In dyſenteria ſunt ſingulare remedium, cujus fluxum ſanguineum coercent. In quartana conveniunt, ſi præmiſſis univerſalibus propinentur ante paroxyſmum; abſorbent enim acidum, & ſubſequente ſudore quartanam curant. In lipothymia & palpitatione cordis ex malo hypochondriaco; uti & in vertigine per conſenſum cum hypochondriaco malo, latet egregium remedium in hoc rupicapræ lapide: & dum eſt alexipharmacus, podeſt in affectibus epidemicis; v. g. ratione virtutis alexipharmacæ convenit præter dyſenteriam ſimplicem, etiam in dyſenteria epidemica maligna, quæ ſæpius populariter graſſatur.

Cæterum cùm alia proſtent remedia magis familiaria ejuſdem efficaciæ, propterea rarò adhibetur concrementum hocce. Specialia qui capit, adeat VELSCHIUM *loco allegato*.

CAPRICERVA ORIENTALIS *à qua* LAPIS BEZOAR ORIENTALIS.

CApriCerva ita dicitur, quoniam animal eſt inter capras cervaſque quaſi medium; ſimilitudinem enim habet ferè partim cum cerva ratione figuræ, partim cum capra noſtra Europæa ratione magnitudinis & proprietatum, niſi quod Capricerva longiora & erecta gerat cornua, ac quædam earum pelle verſicolore, tygridum inſtar, indutæ ſint. Hæ capricervæ tàm in India Orientali in provincia ac vicinia Perſiæ, Ægypto & China, quàm Occidentali inveniuntur. Conferatur MARGGRAVIUS.

In uſu præprimis eſt *lapis* ejus durus, variæ magnitudinis, ſplendidus foris & quaſi lęvigatus, coloris ut plurimum atrovirentis, è plurimis lamellis ſibi invicem incumbentibus coagmentatus, qui linguâ Perſicâ vocatur *Bezahar* ſeu *Bezoar*, hoc eſt venenis reſiſtens. Ad hujus imitationem & nos omnia remedia, quæ reſiſtunt venenis potenter, vocamus Bezoardica, v. g. Tinctura bezoardica D. Michaelis, Eſſentia Bezoardica, & ſic porrò; non ratione lapidis Bezoar, quoniam horum nullum ingreditur, ſed ob virtutem ſimilem diaphoreticam & reſiſtendi venenis.

Lapis hic *Bezoar* invenitur in anteriori ſeu primo ventriculo, qui vocatur Omaſus, utut interdum, ſi ſit major, etiam in reliquis ventriculis repetiatur. Modus generandi eſt idem, atque *ſuperiùs dixi de Rupicapris*.

Quæritur: *quid de bis lapidibus ſit ſtatuendum?* notus enim uſus eorum decantatiſſimus, cujus tamen inſignes ſint fallaciæ propter crebriora adulteria ſeu ſophiſticationes; & hinc eſt, quod ſæpiùs irrito uſu ſit præſcriptus lapis Bezoar, adeò ut Guarinonius, *Medicus Italus*, *in Conſ.* 216. dicat, ſe nunquam vidiſſe, quod lapis Bezoar aliquid laudari dignum præſtiterit. Imò HILDANUS C. 6. *Obſ.* 89. dicit, quod hic lapis frequenter uſurpatus maximè ſoleat nocere; & habet *Obſ.* 88. exemplum, quod ex intempeſtivo lapidis Bezoar uſu fuerit producta quartana & mors. Artificium ergò conſiſtit in eo, ut falſus à vero cognoſcatur & diſcernatur. Cæterùm hoc eſt difficultatis maximæ in cognitione & electione: id quod clarè deducit HILDANUS C. 4. *Obſ.* 14. Hinc AUTOR *noſter* octo bonitatis notas appoſuit, quibus & nona ex PHILIPPO BALDE *in Deſcript. Indiæ Orientalis* addi poſſet, quæ hæc eſt: recipiatur lapis Bezoar, exactiſſimè ponderetur, poſt in jiciatur in aquam ſimplicem per vigintiquatuor horas, hinc exemptus ſi exactum rurſus pondus habeat, quod habuit, antequam erat injectus, genuinum dicunt; ſin verò pondere eſt auctus aut imminutus, ceu falſus eſt rejiciendus; cùm verus lapis adeò compactus & ſolidus ſit, ut humorem nullum imbibere queat. *Plura de Notis bonitatis* videbitis apud BAUHINUM *cap.* 26. WORMIUM, CLUSIUM, & BARTHOLINUM *in Actis Haffnienſ.*

Quoad virtutes lapidis Bezoar, longus in decantandis his eſt ZACUTUS LUSITANUS L. 1. *Med. Princip. Hiſt.* 21. & verum eſt, decantatiſſimum ſunt genuini lapides, ut dixi, remedium, quatenus tanquam concretum alcalinum (nam deſtillati ſal volatile ſuggerunt) acida vitioſa, ſive ſint benignę ſive malignæ conditionis lapillorum cancrorum inſtar, abſorbent: (de quo conferatur BARTHOLINUS l. 2. & TACHENIUS *Hipp. Chym. pag.* 166.) & in morbis venenatis, peſte, & febribus malignis, vi ſudoriferâ ſeu alexipharmacâ ſingulari pollent, in quibus horum efficaciam commendat HILDANUS C. 5. *Obſ.* 29. & SENNER.

NERTUS in Paralipom. pag. 184. ſocians imprimis cum pulvere pannonico rubeo, pulvere Bezoardico Sennerti aut Ludovici, antimonio diaphoretico, & ſimilibus: Unde polychreſtus horum uſus eſt: ſicut & in ſyncope poſt purgationes nimias, in palpitatione cordis, & ubicunque vel Acidum abſorbendum, vel acrimonia temperanda, vel humores reſolvendi, convenit. Teſtatur *ZACUTUS LUSITANUS*, in Melancholia hypochondriaca aliiſque conducere, in debita tamen quantitate præſcribendus. Sed dubium eſt: *an vi propria ſint alexipharmaci? an verò virtute ſuccorum vegetabilium aſſumptorum, qui unà corpus ejus conſtituunt*; cum ultra ſphæram Bezoardicorum non operentur, adeoquè ſolis in febribus malignis non fidendum ſit Sic *DIEMERBROECK Tract. de Peſte pag.* 205. Bezoar optimum Orientale ad ʒß. imò ℈iv, fruſtra ſe adhibuiſſe teſtatur; ſicut & *CRATO in Tract. de peſte* cervinis & antimonialibus poſtponit.

Utut ergò Bezoar valdè commendetur in pellendis venenis, nihilominus ejus uſus eſt rarus & ferè exoletus apud Anglos, & omnes ferè modernos, ut propter creberrimam adulterationem vel rarò, vel nunquam utamur lapide Bezoar, quia inter mille apud nos vix unus genuinus reperitur: quod imprimis patet ex eo, quoniam longè copioſiores ſunt apud nos in Germania, & viliori etiam conſtant pretio, quàm in ipſa India Orientali, vicinaque Perſia, utut ſuo loco natali, utpotè in quibus rariores ſunt & cariores, quàm apud nos. imò magnatibus tantùm dantur, & vix unus ad Mercatores pervenit genuinus. Et licet omnes genuini ſint, non tamen omnes vim habebunt Alexipharmacam & ſudoriferam, ſed iſti tantùm, uti rectè dicit *WORMIUS in Muſeo*, qui ex animalibus montanis deſumpti ſunt, & ex plantis ſalubribus victitant: ſicut vix datur cervorum damarumque genus, in cujus ventriculo aliâve parte internâ non generentur tales lapides, qui tantùm ex depaſcentia herbarum ſalubrium bezoardici ſeu alexipharmaci fiunt, & pro lapide Bezoar venditantur: non omnes enim lapides Bezoar ſunt alexipharmaci, ſed ii tantùm, quorum animalia veſcuntur herbis alexipharmacis; unde lapis Bezoar præſtantiſſimus habetur Perſicus, quoniam in Perſia contrayerva copioſè creſcit, quam depaſcit capricerva. Quoniam verò eſt nimis pretioſus, experientia etiam ejuſdem effectus pauca eſt aut nulla, quoniam in tam pauca & parva doſi, ad grana nempè v. vel vj. ad ſummum, præſcribitur, ſub qua nihil operatur & rarò ſolus; ita ut de ejus vi ſpecifica parum vel nihil certi concludi queat. Conferatur *ZWELFFERUS in Append. ad Animadv. pag.* 65. Semper enim à ℈ß. vel gr. xv. ad ℈j. vel ʒß. dari debet, teſte *WILLISIO Pharm. Rat. Volum.* 1. *pag.* 200. Propter nimiam tamen caritatem & adulterationem lapidum Bezoardicorum ſufficiat *Lapis Bezoar Artificialis alexipharmacus*, naturali ſimillimus, Cnœffelii, quem videbitis in M. A. N. C. *Ann.* 6. *Append. pag.* 28. Nos utimur Bezoardico minerali, vel antimonio diaphoretico, vel etiam medicamentis ex cornu cervi paratis: ſicut etiam *RULANDUS in Tractatu de morbo Hung. pag.* 147. apertè teſtatur, quod cornu cervi nobilius ſit lapide Bezoardico. Succedanei igitur loco nobis ſufficit calculus humanus, & lapis fellis bubuli, qui longè meliores ſunt bezoar, & egregii in pellenda urina, ciendo ſudore, & etiam vi alexipharmacâ in curanda peſte: id quod de calculo humano expertum fuit modernorum Anglorum experientiâ in ultima peſte Londinenſi; ſicut & arbitror, quod lapides in noſtrorum animalium ventriculis reperti earundem futuri ſint virium.

Plura qui cupit, videat *PHILIBERTI SARAZENI Epiſtolam de Notis Bezaar*, *MANLII Epiſt. ad Cratonem*, *HYEBLE Tractat. de Lapide Bezoar*, *CATELANUM*, *ENCELIUM de Reb. Metall. l.* 3. *C.* 49. *CLUSIUM in Exotic. BAUHINUM* qui integrum & exactiſſimum *Tractatum* habet *de hoc lapide*, *PRIMEROSIUM de error. Vulgi lib.* 2. *cap.* 36. *ZWELFFERUM loco allegato pag.* 17. & 65. ac *in Pharm. Reg. HORSTIUM in Diſp. pag.* 242. *Guibertum in Medico Officioſo, Tractatulo de peſte pag.* 511., qui non inelegans eſt, & uſum Bezoar propter fallaciam rejicit; & denique *WORMIUM in ſuo Muſeo*, item *HILDANUM C.* 5. *Obſ.* 29. *C.* 6. *Obſ.* 89.

Quoniam ergò minùs tutus eſt uſus lapidis Bezoar tàm Orientalis, quàm Occidentalis, proptereà rarò proſtant ex eo *Præparata*. In *MYNSICHTII* tamen *Armament. Chym. pag.* 29. habetur *Bezoar Potabile*, per reſolutionem & extractionem lapidis Bezoar; & *pag.* 34. proſtat *Magiſterium lapidis Bezoar*. Qui tamen habet lapidem humanum, minerale Bezoardicum, antimonium diaphoreticum, vel cornu cervi, ſecurus eſt de lapide Bezoar.

CAPRICERVA OCCIDENTALIS.

De hac videatur. *MARGGRAVIUS*. Lapis fractu eſt difficilior, minùs ſplendens, ſuperficie ſcabrâ, & Orientali major, ita ut *BARTHOLINUS in Epiſt.* 79. *Cent.* 2. *ad* 6 ¾. libras mercatorias, id eſt, ℔ix, ſe vidiſſe referat.

Quæ dixi de lapide Bezoar Orientali, de Occidentali quoque ſunt intelligenda; nam de ſimilibus idem eſt judicium. Obſervatum tamen eſt, quod lapis Bezoar Occidentalis in dupla doſi vix præſtet, quod Orientalis, in ſimplici. Ut ergò tales præſtet effectus lapis Bezoar occidentalis in dupla doſi eſt præſcribendus. Reperitur etiam, uti in capricerva orientali dixi, in cervis noſtratibus lapis non minoris efficaciæ quàm lapis Bezoar; ſicut & lapis fellis bubuli ad ʒj. propinatus idem præſtabit, ac lapis Bezoar occidentalis; aut ſi quædam eſt differentia, ſaltem eſt in herbis, quibus veſcuntur; aliàs in virtute abſorbendi & ſudorem movendi, idem ſunt cum lapide Bezoar: nam vis hæc conſiſtit in ſale volatili ſalſo alcalico.

Lapidem Bezoardicum Artificialem parare docet *PRÆVOTIUS Hort. Med. pag.* 33.

CAPREOLUS, CAPREA.

Capreoli & *Capreolæ* ſeu *Capreæ* forma ſatis eſt incognita, de quo non memini, me aliquid legiſſe præſcriptum in ſpecie.

Virtutes quas habet vel *fel*, vel *ſtercus*, vel *Coagulum*, quoniam conveniunt cum felle, ſtercoribus, &c. aliorum animalium, non opus eſt, ut de hoc multa dicam.

CASTOR.

Caſtor, Germ. *der Bieber*, eſt animal, uti notum, amphibion, quod partim in aquis degit, partim in terra vivit, decantatus ratione liquaminis oleoſi, quod *Caſtoreum* dicitur.

Quoad *Caſtoris Partes Officinales*, has inter ſe offerunt *Dentes*, quos *AUTOR noſter* quidem omiſit. Conſtant Sale volatili, gelatinâ temperato; unde acrimoniam temperant, & cum dente hippopotami eaſdem vires obtinent.

Axungia Caſtoris in uſu quoque eſt in affectibus cerebri, paralyſi, & inde orta Atrophia, in tremore artuum, & ſimilibus, aliiſque affectibus nervinis doloroſis, externè inuncta; hinc in convulſionibus quibuſcunque, colica, affectibus hyſtericis, & torminibus poſt partum laudatur, abdomini inuncta. Fel *Caſtoris* ad ſtimulandam Venerem adhibetur.

Ipſum verò *Caſtoreum* vulgo nihil aliud, quàm quod teſtes caſtoris eſſe creditur, uti etiam habet Autor, quia pelliculâ continetur rugoſâ: ſed falſiſſimum hoc eſt, & mera fabula; quia in fœmellis etiam reperitur. Longè enim differunt à teſticulis hi folliculi ad inguina ſiti, in quibus peculiare genus cujuſdam humoris pinguis & oleoſi colligitur. Caſtor nempè prope teſticulos habet certos folliculos hirſutos, cute inſculptos, in quibus colligitur caſtoreum. Siti ſunt folliculi inter teſticulos & inter anum, ſtatim ſub cute, in quibus eodem modo colligitur ac Zibethum, de quo poſtmodum. Et quidem abundantiùs colligitur in maribus, parciùs in fœmellis. Nam, uti dixi, propè inguina caſtor habet duos tumores magnitudine ovi anſerini. Uterque folliculus membranâ propriâ eſt concluſus, & inter hos folliculos eminet pudendum, quod tamen nullo meatu ad hos tumores pertingit vel pervenit, adeò ut nihil commercii habeat cum membro genitali, vel cum teſticulis. Liquor in his folliculis contentus eſt oleoſus, pinguis & ſeroſus, fortiter penetrans, & ſale volatili aromatico impræguatus, qui continuò ſtillans à caſtore ſæpiùs lingendus: poſtmodum in folliculis condenſatus & exſiccatus friabilis redditur, & caſtoreum conſtituit, ad reſinam propiùs accedens, ſaporis acris & ferientis. Similis certè liquor non reperitur in regno animali. Per ductum autem appropriatum deducitur in folliculos membranâ tectos, & per fermentationem partim ex ſudore, partim aliunde, transmutatur in talem liquorem, ſicque lympha craſſior alterata videtur. Undè facilè patet, quid habendum de Adulterationibus, quas habet *AUTOR noſter*, ut neque ipſum ſit verum, in quo teſticuli ſeu etiam renes reperiantur; adeòque gravis in hos *AUTORIS* error ſit, quando dicit: Caſtoreum caſtoris eſſe teſticulos.

Plura qui cupit *de Hiſtoria Caſtoris*, & *Caſtorei Generatione*, videre poteſt *ALDROVANDUM*, *WORMIUM in Muſeo l.* 3. *cap.* 23. *pag.* 320. *CHARAS de Compoſit. Theriacæ c.* 70. *pag.* 98. *CHIOCCUM in Muſeo Calceol. Sect.* 1. *pag* 93. *RONDELETIUM de Piſcibus*, *JONSTONIUM in Hiſt. Animalium*, *ÆLIANUM* & *BARTHOLINUM C.* 1. *Epiſt.* 9 *pag.* 27. & 28. item *CASTELLUM de Hyænâ odoriferâ pag.* 49. uti etiam *Obſ. Schraderi pag.* 212. ſpeciatim *Anatome Caſtoris Pariſienſis*.

Vis ejus fundata eſt in ſale volatili admodum oleoſo, acri & penetrante, & ſenſus graviter afficiente. Unde imprimis ad affectus nervinos doloroſos & capitis multum valet, ubi ſenſuum hebetatio adeſt, quos fortiter ferit: ſpiritus enim animales torpidos excitat; indequè in lethargo, paralyſi, Apoplexia, epilepſia & quibuſvis affectibus convulſivis, tàm internis quàm externis, aphonia, vertigine, caſtoreum frequentiſſimi & egregii uſus eſt, quocunque modo adhibitum: imò nobiliſſimum eſt remedium carminativum, & flatuum diſcuſſivum; unde in affectibus inteſtinorum & abdominis tormino-ſis & flatuoſis, inflatione ſtomachi, v. g. colica flatulenta, paſſionibus hyſtericis, ſuffocatione hypochondriaca, &c. ſacra anchora eſt, ſive externè appenſum, ſive internè propinatum, acidum in primis viis, præprimis ex pancreate, & quòcunque in corpore humano corrigit, motuſque convulſivos potenter ſiſtit & compeſcit. Ulteriùs in aurium tinnitu, aſthmate convulſivo, epilepſia uterina, alijſque morbis uteri, in ſpecie pro uſu pellendi fœtum & ſecundinas, ciendi menſes ſuppreſſos, & cum difficultate ac variis abdominis pathematis fluentes, ſiſtendi mulierum dolores poſt partum, & promovendis lochiis, aperto conſilio datur, & cum myrrha ſociatur. Miror-

ror interea, cum adeo ſit decantatum, ZWELFFERUM, quod in *Pharm. Reg. pag.* 65. omnem uſum caſtorei in morbis uteri rejiciat, & dicat, minimè eſſe conſultum quod præſcribatur in affectibus mulierum; & hoc pacto contradicit omnibus Medicis: cujus tamen aſſerti nullas video rationes: ſaltem rejicit ex præconcepta opinione, ut patet *loco allegato*; omnes tamen mulieres caſtoreum, uti alia fœtida & graveolentia, ferre non poſſunt, quod *ſuperiùs* dixi *ſub aſa fœtida*. Porrò in affectibus ſomnolentis & ſoporoſis notum eſt, quod ſolum caſtoreum ſingulariter corrigat virulentiam opii, & ſomnolentiam ab opio inductam; unde etiam in Lethargo, comate, cataphora, caro & ſimilibus affectibus, ex gas liquorum fermentescentium ortis, nil melius quàm caſtoreum, præmiſſo priùs vomitu, aut cum appropriatis purgantibus aſſumptum. In prædictis affectibus hinc cum ſcammonio ſæpè propinatur, ut alterando ſimul laxet: vid. ZACUTUS LUSITANUS *l.* 1. *de Med. Princ. Hiſtor.* 16. ac FORESTUS *l.* 10. *Obſervat* 33. qui per pilulas cochias & caſtoreum ſoporoſum excitavit: ſic TRALLIANUS in cura Lethargi commendat caſtoreum, junctum cum ſcammonio pro purgante: id quod moderni imitantur; uti etiam BORELLUS *C.* 1. *Obſ.* 52. quædam de caſtoreo ejuſque facultatibus contra lethargum habet experimenta: imprimis refert de ſene quodam 55. annorum, qui poſt frigus nimium, in itinere perpeſſum, in lethargum incidens periculoſiſſimum, poſt multa fruſtrà adhibita medicamenta à TRALLIANO ex caſtorei ℈ij. cum ſcammonii ℈j pro duabus doſibus in oxymellte propinatis, optimè tandem curatus fuit. In variolis & morbillis aliiſque exanthematibus expellendis, imò præſervandis, caſtoreum ſingulare quid obtinet. Vermes enecat, teſte *Zacuto Luſitano Praxeos Admir. Obſerv.* 133. qui ad ℈j. ter in lacte cum euphoria propinavit. Præterea corrigit ellebori albi malignitatem & virulentiam, uti videri poteſt in THONERI *Obſ.* 227. *pag.* 224.

Externè caſtoreum in aceto ſolutum, & cum ſpongia naribus applicatum, Lethargicos excitat; uti etiam refocillat, qui ex vaporibus narcoticis ex carbonibus, cellis cereviſiariis, vinariis vel ſimilibus, ſomnolenti ſunt. In paralyſi, affectibus abdominis torminoſis & flatuloſis, colica v. g., paſſionibus hyſtericis &c. frequentiſſimi uſus eſt, externè appenſum. Hinc etiam in affectibus apoplecticis, epilepticis, ubi graviter ſtimulantes revellenteſque præſcribuntur clyſteres, iis addi ſolet. In tinnitu aurium, & ſimilibus affectibus aurium, egregium eſt bombaci involutum, & auribus applicatum. Ii qui caſtoreum ſecum geſtant, in aqua facilè ſuffocantur & ſubmerguntur, quod, utut mirum videatur, nihilominus experientiam adducit BARTHOLINUS *C.* 2. *Hiſt.* 17. *Obſ.* 16. ubi mira habet de caſtorei vi in ſubmergendo ſub aquas.

Cautelam circa uſum caſtorei HOECHSTETTERUS inſinuare vult *Dec.* 4. *Caſ.* 2. *pag.* 369. Nēpè ubi habitus bilioſus, humores attenuati & tenues, ſpiritus ſubtiles ac mobiles ipſius uſum vix convenire; benè autem in corporibus humidis & pituitoſis. Videbitis *plura loco citato*. Vix tamen univerſalem hìc ponendam legē experientia docet.

Quoad *Præparata*, proſtant in officinis *Aqua hirundinum cum caſtoreo*, & *Aqua vitæ mulierum cum caſtoreo*; quæ medentur colicæ paſſioni, ut & paſſionibus hyſtericis: imprimis ſi epilepſia conjuncta ſit cum paſſione hyſterica, aut in epilepſia per conſenſum uteri, aqua hirundinum cum caſtoreo conducit.

Oleum caſtorei infuſū frequenti uſu uſurpatur in paralyſi & tremore artuum inunctione externā; ante paroxyſmum febrilem inungitur ſpinæ dorſi, in ſpecie in quartana, ad imminuendū rigorem febrilem.

Oleum caſtorei deſtillatum rarum, & propter empyreuma horridum eſt: quod ſi tamen non tàm per retortam, quàm potiùs per veſicam cum ſufficiente quantitate aquæ deſtilletur, habebitur oleum minùs fœtidum & efficaciſſimum, quod in amiſſa loquela propter paralyſin linguæ inſtillatur non ſine fructu & ſucceſſu. Multi parant Extractum; verùm ſic multum de ſubſtantia volatiliore exhalat. Medetur paſſionibus colicis & hyſtericis, in quibus commodè permiſcetur clyſteribus; ſicut etiam in clyſteribus ſtimulantibus & revellentibus pro affectibus apoplecticis & epilepticis præſcribi ſolet.

Frequentiùs autem ſub forma *Eſſentiæ* adhibetur, quæ potens eſt remedium in omnibus prædictis affectibus nervinis, imprimis in cardialgia colica convulſiva & paſſionibus hyſtericis. In apoplexia & epilepſia cum aqua liliorum convallium, vel aqua ſalviæ & ſimilibus ſolet præſcribi. Variolas tam præſervat quàm curat Eſſentia caſtorei, expellendo malignitatem, & per diaphoreſin diſcutiendo; unde hanc Eſſentiam quilibet ſibi habeat commendatam, quando in morbis malignis acidum nervos irritat, ut in variolis cum Epilepſia obſervatur, doſis eſt ℈j. ad ʒβ. vel ſola, vel cum aliis appropriatis: e.g. eſſentia myrrhæ, ſuccini, ſpiritu Cornu Cervi rectificato, & ſuccinato, & ſimilibus ſociata. Eadem Eſſentia & *externè* convenit in difficili auditu, tinnitu aurium, & murmuratione earum, ſimilibuſque affectibus aurium, ubi à guttulaij ad j, auribus priùs purgatis, inſtilletur, vel cum bombace indatur: idque eò meliùs, ſi cum Eſſentia caſtorei permiſceatur ſpiritus formicarum, mirum eſt, quantum faciat in affectibus aurium, tinnitum arcet, & fortiter diſcutit: nam ſpiritus formicarum per ſe eſt ſpecificus in aurium affectibus. Sic applicatur abdomini & umbilico in colica & paſſione hyſterica cum linteis. Partus tempore vix præſentius datur remedium, quàm Eſſentia caſtorei, quatenus fœtum promovet, & dolores poſt partum præcavet. Pariter & in aphonia ſeu loquela amiſſa frequentiùs confert, & egregium experimentum eſt in affectibus apoplecticis & ſimilibus. Fluorem album alterat, cum eſſentia ſuccini in aqua hyſterica vel vino generoſo. Optimus Eſſentiam hanc parandi modus eſt cum ſpiritu vini probè tartariſato, vel cum tinctura tartari ipſa, vel cum ſale tartari, vel ſpiritu vini, vel ſpiritu formicatum, vel alio quodam appropriato: Conferatur LUDOVICI *Pharm. pag.* 644. & 645. Acidis præparandum non eſt caſtoreum, quia ab acidis invertitur non nihil textura ejus ſalina volatilis Oleoſa, & ita quaſi caſtratur. Pro affectibus nervinis etiam cum ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo extrahi poteſt.

In ZWELFFERI *Pharmacopœia Regia pag.* 67. proſtat *Eſſentia caſtorei compoſita*, quam inter alia commendat ad expellendas variolas & exanthemata alia: & B.D. LANGIUS *ex caſtoreo & aſa fœtida Eſſentiā* parabat anodynā dictam, cum *ſpiritu vini tartariſato* aut *tinctura tartari*. Hanc propinabat non ſaltem in affectibus uterinis & hyſtericis, ſed ſpeciatim præſervandis variolis ac morbillis, & ne foveæ remanerent. Si verò tempeſtivè ante febrim adhiberi poſſet, variolas omninò præcavet: præſente autem jam febre, expellendæ ſunt, & demum adhibenda hæc Eſſentia. Proſtat etiam in Officinis ex caſtoreo, tanquā baſi, Elixyr Uterinum Crollij: ad cujus imitationem Elixyr extemporaneum ex Eſſentia myrrhæ, galbano, ſuccino, caſtoreo, camphora, aliiſque.

Pellis Caſtoris combuſta hæmorrhagiam ſiſtit.

CATUS DOMESTICUS.

Catus domeſticus animal eſt iracundū, & exinde in ira rabidum, venenoſum & virulentū: qua de virulentia & malignitate felium videatur KIRCHERUS *in ſcrutinio Peſt. pag.* 406. ubi habet exemplum de rabida fele interfecta, atque hoſpitibus in cœna appoſita, iiſque exinde in furorem & rabiem actis: imò quod halitus etiam ſanarum ſit venenatus, & diſponat ad phthiſin, tabem & atrophiam.

Rari autem uſus eſt Catus domeſticus.

Mulo-Medici ſeu Veterinarii *ex eo* volunt præparare *Medicinam Catholicam pro cura vaccarum, equorum*, &c. hoc modo:

Felem vivam coquunt in aqua, donec caro contabeſcat, & ab oſſibus ſecedat: decoctum refrigeratum infundunt beſtiis ægrotantibus, quā hauſtā aquā decoctionis catti, denuo curantur.

Axungia eſt imprimis in uſu Medico contra epilepſiam, habitā ſexus ratione: vid. SCHMUCK *in Curat. Medico-Magicis*. In cujus tamen defectu præfertur Axungia cati ſylveſtris.

Aliàs felibus pro cura Epilepſiæ tertiam caudæ partem abſcindunt, & ex illo erumpentes tres guttas ſanguinis propinant ægro calidas in aqua florum tiliæ, & dicunt, expertum eſſe remedium ad ſuſcitandos Epilepticos, in paroxyſmo propinatum, obſervato ſaltem ſexu: vid. HILDESHEIM *in Spicileg.* 7, *p* 609. In Eryſipelate feli vel cato nigro auricula vulneratur, atque exinde exſtillans cruor parti Eryſipelaceæ inungitur ſuper impoſito linteo ſicco, illicò eryſipelas dicitur curare, aliàs eryſipelas recedere ſolet: id quod teſtatur LOTICHIUS *Obſ.* 97.

CATUS SYLVESTRIS.

Catus Sylveſtris frequentiùs in uſum venit Medicum, cujus axungia efficaciſſimū dicitur remedium in colica, in cujus paroxyſmo graviori guttæ quædam liquefactæ, & umbilico inſtillatæ, egregiæ ſunt; ſexus tamen ratio habeatur, ita ut recipiatur maſculus pro mare, & fęmella cati pro fęmina, uti refert HILDESHEIM *Spicil.* 7. *pag.* 609. In Epilepſia, præter ea, quæ habet AUTOR, pariter eſt certiſſimum remedium abdomini illita. Refert namque BRUNNERUS, quod ex felis ſylveſtris fœmella inuncta axungia umbilico fœminæ, epilepſiam curet: ſin ex fele ſylveſtri maſculo, ſanet epilepſiam maſculi; & hoc confirmat SCHMUCK *in Curat. Magico-Magnet. pag.* 9. & dicit ſtrenuè: *Res mira! axungiam felis, habita ſexus ratione, ſtatim inunctam Umbilico epileptici, ſi curabilis ſit epilepſia, illam poſt ejus uſum brevi ceſſare; ſin verò ſit gravis, ita ut exinde mors ſuperveniat, brevi poſt Epilepticos interire*. Quod an verum ſit, experiundum. Tandem contra atrophiam axungia cati ſylveſtris reliquis pinguedinibus præfertur externè illita, quoniam impedit, ne membra ulterius contabeſcant, ſed potius illorum nutritionem adjuvat.

CATUS ZIBETHINUS.

Catus Zibethinus, Germ. *Zibeth-Katze*, eſt animal peregrinum, quod repetitur in Inſula Ceylano, eſtquē illorum pleniſſima; de quorum ſtatura & figura videantur rerum exoticarum Orientalium Scriptores.

Animal hoc multū expoſtulatur, imprimis propter liquorem juxta teſticulos ſitum, qui dicitur *Zibethum*; quod ipſum itidē non eſt ex teſticulis beſtiæ, ſed omninò ſunt diſtincti teſticuli à vaſculo Zibethico. Nam *veſicula Zibethi* eſt membrana vel folliculus membranaceus cuti intus impactus, hiſpidus & hirſutus, in medio habens rimam, ita ut primo adſpectu fœmineum genitale videatur: Et quidē ſita eſt inter teſtes & penem in maribus, ſic tamen, ut æquè ac caſtoreum, nullū habeat commercium cum membro & teſtibus: Intrinſecùs continet cavitatem, cujus parietes glanduloſa ſubſtantia incruſtat, durior ipſis teſtibus; per quas glandulas tranſudat iſtiuſmodi liquor ab iis elaboratus, quem nos vocamus Zibethum, quod in cavitate folliculi ita

ita elaboratum & rectificatum, per cochlear parvum, vel per instrumentum etiam, eximitur, & pro usu ad nos transfertur.

Plura qui cupit, videat Jonstonium in uberrima Historia Animalium, & Castellum, qui de hoc integrum Tractatum conscripsit, de Hyæna Odorifera inscriptum; ubi habet ejusmodi Anatomen & alia, quæ huc pertinent. Deinde etiam plura videri possunt in Bartholino, qui habet de magnitudine, statura & figura Cati Zibethini C. 4. Hist. 1. & Cent. 5. Hist. 49.

Zibethum ipsum per se est liquor fœtidus, tantillum tamen adeò illitum fortem & suavem spirat odorem. Internè propter odoris fragrantiam, in parva nempè dosi, solet misceri spiritibus odoriferis, aquisque analepticis: In magna dosi revera fœtet instar stercoris, sed in minima dosi spirituosis & oleosis additum, mirè odores intendit. De vi autem confortativâ multum adhuc digladiantur autores, & irrident illos, qui pro tali scopo adhibent: Nam propter istam odoris penetrantiam non ab omnibus æquè ferri potest. Sunt enim quædam mulieres hystericæ & hypochondriaci mares, qui vix odorem ejus ferre possunt, non secus ac nonnullæ mulieres à castoreo abhorrent: Propter raram enim spirituum animalium texturam nimis commoventur hi ipsi à talibus odoribus, adeoque in inordinatos motus abrepti, facilè spasmos viscerum internorum excitare valent. Aliàs hæc ipsa subjecta optimè ferunt Zibethum: Nam hystericis mulieribus cum aliis odoriferis aromaticis & carminantibus, item cum castoreo, optimè intro propinari potest in passione hysterica, utut rarò internè usurpetur: Maribus verò umbilico illitum in colica convulsiva, specificum singulare fuit *PARACELSI*, qui vel solum, vel cum oleo nucis moschatæ inunxit; tormina enim quæcunque abdominis, etiam cum oleo laurino mixtũ, insigniter alleviat. Eorum imò sunt, qui ex Zibetho, moscho, oleo macis & similibus remedium parant, quod usurpatum mulieres hystericas diu à paroxysmis præservat, modò non nares nimium feriat; unde mulierculæ, dum passionibus hystericis corripiuntur, Zibethum inungunt vulvæ: dicunt enim valdoperè delectari vulvam odoriferis: & dicunt insuper, Zibethum si inungatur naribus, passiones hystericas inducere; sin verò inungatur vulvæ, easdem curare. Porrò externè etiam pro exercitiis Venereis roborandis cum oleo majoranæ vel spicæ, aliisque appropriatis laudatur. Imò sunt, qui Zibethum cum balsamo apoplectico glandi penis illitum pro fœcundatione laudant, præprimis iis, qui frigidioris sunt naturæ. Zibetho si inungantur indusia, omnes fugantur pediculi: sed unguentum pro tali usu nimis est pretiosum.

CERVUS.

Cervi *Historiam* fusè describit *GRABA in Elaphographia*, *GEORGIUS AGRICOLA de Usu Cervi*, *CASPAR HOFMANNUS in Paralipomenis*, & *WORMIUS in Museo l. 24.* Totus meritò alexipharmacus & diaphoreticus dicitur, & omnia ex eodẽ parata easdẽ virtutes alexipharmacas & sudoriferas obtinent, & potenter etiam exserunt.

Specialissimè in usu est *Cornu*, idque quodvis. Cornu hoc reverà est concretum medium in animali & vegetabili regno: nam est revera truncus è cervo crescens: & perplacet eorum opinio, qui renovationem in cornibus cervinis inde fieri dicunt, quod plantis novellis utantur cervi pro victu. Curiosum nempè est, quo cervus non castratus quotannis nova generet cornua, atque tunc quando cornua sunt dura & perfecta, cervus veneri inhiare soleat; Contra in cervo castrato nunquam cornua decidere certum est, sed ea perpetuò conservat. *BURRHUS* & alii mutationem cornuum singulis annis ex eo fieri dicunt, quod cervi serpentibus vescantur, qui & ipsi exuvias deponere solent. Optimè autem hæc ipsa, uti & historiam, quomodo cornua cervi renascantur & decidant, habet *RHEDI in Experim. circa res ex India allatas*, item *SACHSIUS Gammarol. pag. 182. & 462.*

Cæterum cornua hæc sunt vel tenella, quæ surculum arboreum referunt, cortice suo non nihil hirsuto vestitum, suntque humidiuscula & rore sanguinolento respersa; vel indurata, ubi adoleverint, quæ, ut arbores, arida fiunt; hinc ad perfectionem proventa, decidunt spontè, quia non ampliùs aluntur à succo nutritivo. Unde ex ipsis cervis colligi debent, quando in summo perfectionis statu sunt, scilicet tempore verno, quando cervus recentibus plantis vescitur, decidua, vel intra duos dies fœmineos, i. e. 15. Augusti & Septembris: tunc enim sunt maturiora & ponderosiora, interiùs magis compacta, magis dura & magis albicantia, ac spiritu & sale volatili oleoque copiosissimo imprægnata; quod etiam de spiritu dicitur: efficacior enim ex talibus cornibus destillatur: contrario modo sese habet cum cornu cervi immaturo, quod non adeò est ponderosum; siquidem magis porosum, & in medio lituras & vestigia sanguinis exhibet.

Quoad *utendi modum*, cornu cervi rarò crudum & saltem raspatum aut pulverisatum usurpatur, quoniam est duriusculum & difficilis digestionis, utut etiam interdum sub tali usu in mortario probè tritum propinari possit in affectibus, ubi acidum in primis viis est obtundendum, & blandâ diaphoresi opus est: sic revera aliis dentibus vel cornibus, v. g. Unicornu marino, aut ebori, æquipollet: imò debito tempore collectum, ab *HORSTIO* ipsi lapidi Bezoar præfertur, & meritò: sed ejus loco præparatum potius, & ita in molliorem consistentiam redactum, usurpatur.

Præparatur autem cornu cervi pro usu alexipharmaco, sudorifero & expulsivo veneni, nunc *sine igne*, nunc *cum igne*.

Id quod cum igne præparatur, est cornu cervi ustum, & est id quod remanet post destillationem spiritus, olei, & salis volatilis, & postmodum ad albedinem calcinatur. Est pura terra mortua, seu cornu omni virtute activâ privatũ, nullumq; amplius habet usum in scopo diaphoretico & alexipharmaco, nisi per accidens seu privativè, acida nempè quælibet primarum viarum potentissimè & avidissimè imbibendo, & ea insipida reddendo aut alterando, atque ita activitatem ejus in alias corporis partes impediendo: utut

1. Mirè in diarrhœis & laxitate intestinorum humidum absorbendo adstringat; adeoque in morbis acutis cum fluxibus alvi, hæmorrhagiis, vomitu, cholera, &c. commodissimè propinari potest: vid. *HORSTIUS in Problemat. Decur. 1.*
2. Ubi est acidum abundans in intestinis, potest propinari: nam & acidum, & varios hinc inde succos acres, potenter absorbet.
3. Ubi sunt lumbrici in intestinis; potest propinari, quoniam illos pellit, præcipuè infantum, teste experientiâ.

D. MICHAELIS cornu cervi cum antimonio, ana, lævigata, in crucibulo calcinavit pro *pulvere antidysenterico*: cujus compositionem videbitis in *HOFMANNI Clave Schrœder. lib. 2. C. 77.* Cornu cervi hoc cum antimonio calcinatum *HARTMANNO* in frequenti usu fuit in dysenteria epidemica: addit simul aurum, & vocavit *Antimonium solare cum fructibus Calvariæ*.

Eligatur potius pro usu alexipharmaco *Cornu cervi sine igne* seu *Philosophicè calcinatum*, coquendo scilicet leviter cum aqua simplici, vel appropriatis, donec mollescat, & fiat friabile aliquantisper; vel suspendendo frustula cornu cervi in alembicum, quando destillantur aquæ ex plantis, adeò ut adscendens vapor penetret partes suspensas, & exinde fiant molles & friabiles; quæ præparatio dicitur *Calcinatio vaporosa*. Utroque modo extrahitur cornu cervi gluten roridum nutritivum mucilaginosum, quod levi frigore in gelatinam condensatur. Hoc cornu cervi ita præparatum, de sale volatili & oleo quidem, ceu principiis activis, sub gelatinæ forma jacturam patitur, magnam tamen salis volatilis & olei partem adhuc retinet, ratione cujus à ℈j. ad ʒß. prodest ad temperandum Acidum primarum viarum; sicut & egregium est diaphoreticum in morbis malignis, & elegans alexipharmacum, atque malignitatem expellit, ardores & æstuationes nimias in corpore sedat, junctum cum unicornu vero, & fossili, terra sigillata, Lemnia, bolo Armena, succino, coralliis, Antimonio diaphoretico, camphora, salibus volatilibus, & laudano opiato in refracta dosi: uti videbitis in Sennerti Praxi, *LUDOVICI Pharmac. p. 147.* & *WEDELII* scriptis. Atque hoc verum esse, patet ex eo, quo cornu cervi philosophicè præparatum, si indatur retortæ, præbeat spiritum, sal volatile, & oleum, utut non in tanta copia, ac si destilletur cornu cervi crudum. Adeoque in morbis acutis, benignis & malignis, pro scopo alexipharmaco & expulsione sudorifera, planè polychrestum est remedium, meritò cornu cervi usto præferendum: Videatur *HELMONTIUS in scriptis pag. 373. & HORSTIUS in Dispens. pag. 239.* Hinc unà cum aliis varii ex hoc *Pulveres bezoardici & diaphoretici* componuntur, e. g. *Sennerti*, *Michaelis*, *Ludovici*, &c.

Magisteria cornu cervi per præcipitationem nil valent; Calces enim sunt planè inertes. Istud quod per abstractionem cum spiritu nitri fit, tolerabilius est, ut ex spiritu nitri sal volatile nonnihil infractum sit; unde fit remedium salsum tertium, malignitatis non ineptum correctivum: de quo videatur *LUDOVICI Pharm. pag. 294.*

Gelatina coquendo elicita nihil aliud est, quàm ros ille nutritivus, quo cum nutritur, & quasi Quinta Essentia cervi, & alexipharmacæ æquè ac antifebriles vires in ea sunt reconditæ, si ejus ℥ß. vel ʒvj. ad ℥j. in cerevisiæ vel potus ordinarii mensura dimidia aut integra dissolvatur; ita contra æstum & malignitatem febrium aliorumque morborum, & pro expulsione, optimum est euporiston. Sed temperata magis est, magis analeptica, & temperando quæcunque acria in corpore, atque inde natas effervescentias sedando, caloris naturalis mitigativa: hinc in febribus continuis usitatius nihil est Gelatina cornu cervi, tàm in Julebis alterantibus & alexipharmacis, quàm potu ordinario, dosi largiori propinata, uti jam dictum. Nam ista Gelatina est nihil aliud, quàm sal volatile concentratum à mucilagine spermatica. Prostat vel simplex, pro hecticis, phthisicis, scopo expulsivo in variolis, purpura, febribus petechialibus; vel aceto destillato irrigata, vel succo citri acidulata, & ubi est ardor & ebullitio massæ sanguineæ nimia, est magis conveniens.

Ex gelatina cornu cervi paratur aliàs egregia *Essentia* seu *Extractum* cum spiritu Sambuci aut Juniperi per fermentationem ex baccis præparato; cui essentiæ si addatur postmodum sal proprium volatile cornu cervi, erit essentia elegantissima alexipharmaca & sudorifera.

Ulteriùs ex cornu cervi, uti etiam ex aliis partibus, spiritus volatilis destillatur; vel cum vel sine oleo. Cornu cervi per se destillatum ex retorta, dat primò *phlegma spirituosum*; deinde *sale volatile*; & tandem *Oleum empyrevmaticum* (Ex ℔. viij. cornu cervi spiritus rectificati ℔ij eliciuntur.) Remanet *cornu cervi ustum* instar carbonis nigrum, quod reiteratâ in vase aperto calcinatione ad albedinem redigendum.

Absque Oleo destillatur cornu cervi per retortam cum nitro: nempè ex cornu cervi raspato, & cum duplo nitri permisto, per retortam destillatur, quemadmodum aliàs clyssi destillari & parari solent. Prodit spiritus cum sale volatili, parum verò admodum Olei.

Alii non ineptè simul addunt partim ad odoris gratiam, partim ad melio-

meliorem pro genere nervoſo appropriationem, ſuccini albi debitam quantitatem, & appellatur *ſpiritus cornu cervi ſuccinatus*. Doſis huius ſpiritus per ſe rectificati ad movendum ſudorem eſt ʒß. ad ℈ij. Videtur hanc deſtillationem ſubinnuere *GRABA in Elaphogra. pag.* 209. dum ſpiritum talem additione ſalis infernalis parare docet.

Quomodo ſpiritus cornu cervi rectificandus, docet *LUDOVICI Pharm. pag.* 293. Aliàs uſitatiſſimus eſt in cura febrium, ac morborum acutorum malignorum pro excitando ſudore, non minùs quàm in cura epilepſiæ, in qua ſpiritus hic volatilis ſalinus poteſt eſſe ſuccedaneum ſpiritus cranii humani, qui ipſe eſt ſpecificus in Epilepſia. In ſpiritu enim & ſale volatili cornu cervi ritè rectificato anima & quaſi Eſſentia ipſius cornu cervi reſidet: Penetrat totum corpus, vi alexipharmacâ malignitatem corrigit, per ſudorem eandem expellit, acida vitioſa corrigit, & puſtulas, maculas, variolas, petechias &c. expellit; paucis: polychreſton eſt remedium. Certè in incremento morborum malignorum nihil melius eſt; nam in ſtatu ferè fixioribus uti opus eſt.

Quidam *ſal volatile figere* tentant beneficio acidorum, aceto, ſpiritu ſalis, &c. ſed malè agunt; quia acida vim ejus potius deſtruunt. Potius igitur per ſe uſurpetur, cujus doſis eſt ℈j. in liquore proprio, hoc eſt, in forma ſpiritus ſale volatili impræ gnati, ad ʒß. Rarum eſt, quod refert *MOEBIUS Diſſert. de Vomitoriis*, quod ſal volatile cornu cervi ritè exhibitum præter ſudorem etiam ſolet vomitum ciere, de quo nullus alius aliquid monet.

Spiritus cornu cervi rectificatus, ſeu *cum ſale* ſuo *volatili* probè *impræ gnatus*, addito modico camphoræ, excellens eſt ſudoriferum in febribus & morbis malignis. Sic aliis etiam addi poteſt hic *ſpiritus eſſentificatus*, & ita pro pluribus uſibus parari remedium. Hac ratione poſſumus etiam pervenire ad exaltationem Olei peſtilentialis Heinſii, de *quo ſuperiùs*, ubi *de camphora*.

Pertinet huc imprimis *liquor cornu cervi ſuccinatus*, qui elegantiſſima Medicina eſt:

℞. *Sal. vol. ſuccini* probè *rectif.* aciduli,
Cornu Cerui optimè depur. an. part. æqual.

Diſſolvuntur in *ſpiritu cornu cervi rectificato*, aut *eſſentificato*, q. ſ. ad fortem ſaturationem. Ceſſante effervefcentiâ hac deſtillentur & rectificentur; ſic ſalia volatilia cum ſpiritu adſcendunt, & liquorem hunc conſtituunt, pro uſu admodum multiplici.

Ejuſdem cum ſpiritu & ſale volatili naturæ & eſſentiæ, ſed quaſi concentratæ, eſt *Oleum deſtillatum*; quod à cornu cervi uſto, vel etiam à ſale tartari aliquoties rectificatum, fit aurei coloris, & cujus aliquot guttæ, vj. viij. vel x. ad xij. idem præſtant, quod ſalis volatilis ℈j. ſed ſimul ardorem corporis & æſtus inſignes concitat. In paſſionibus hyſtericis & colica convulſiva ſingulare eſt remedium: nam hoc oleum nihil aliud eſt, quàm ſal volatile cornu cervi concentratum; quod probatur ex eo, quod mediante ſale tartari probè ſubactum & digeſtum, dimittat tandem ſpiritum urinoſum volatilem, & ſal volatile, *de quo* videatur *BARNERUS in Prodr. Vindiciarum Lit. B.* Encheiriſes ſunt obſervandæ hæ: duplæ ſumantur partes *ſal. tartari*, ad p. j. *olei*; vel ſumatur tantum *ſalis tartari*, donec mutuâ triturâ in grumos quaſi abeat. Factâ digeſtione diuturna deſtillentur per retortam vitream in arena, & prodibit liquor obſcurus: cui additur *ſpiritus vini*, & ita in phiola alta igne arenæ ſublimatur ſal volatile.

Ulteriùs efficax poteſt fieri *Eſſentia cornu cervi*: Nempè oleum cornu cervi fœtidum, affuſâ paucâ aquâ, rectificatur, donec aureum acquirat colorem: hinc oleum illud conjungitur cum ſale volatili proprio interventu ſpiritus vini, & ita eſſentiam conſtituit; nam ſal volatile, oleum & ſpiritus, nequeunt jungi, niſi interventu ſpiritus vini. Conferatur TacKius in Phaſi 2. pag. 118.

Salis fixi nihil ex cervo obtineri poteſt.

Etiam præter cornu cervi maturum colliguntur *tenella cornua cervi*, quæ etiam vocatur *Typhæ cervinæ*, item *cornua cervina novella*, Germ. *die Hirſch-Kolben*, quæ ſimiliter uſurpantur in uſu Medico.

Deſtillata ſuggerunt *Aquam ſpirituoſam*, paucum autē vel nullum *ſal volatile*: quod ſi verò putrefiant, *ſal volatile* facilè dant. Dicta aquæ typhis cornu cervi, vulgò Germ. *Hirſch-Kolben-Waſſer*, eſt egregia contra palpitationem cordis, & egregium vehiculum pueris & infantibus, etiam adultis, pro remediis alexipharmacis in morbis & febribus malignis, & expellendis variolis & morbillis, item in epilepſiis, tàm per ſe, quàm aliis remediis appropriatis permiſta. Sic & puerperæ in purpura hâc aquâ utuntur feliciter; item in nimio fluxu lochiorum, dyſenteria & ſcorbuto. Præparationem habet *AVTOR*.

Sequitur *corium*, quod dat *cingulum* pro mulieribus cujus uſum habet *AVTOR*. An verò peculiare quid obtineat? diſputare nolo: ligaturam aliquid efficere credo. *BVRRHVS* tamen illud valdè commendat contra podagram, ſi ex eo ritè præparato caligæ fiant; qui ipſe parari curabat veſtem ex corio cervino Principi cuidam: nihilominus non credo, quod res ſucceſſerit feliciter. *SCHMVCKIVS in ſcriptis pag.* 29. partum certò promovere teſtatur lumbis applicatum.

Os de corde cervi nihil aliud eſt, quàm tendines muſculorum cordis circa arteriæ magnæ exortum, qui ætate indurati, in ſubſtantiam cartilagineam, & tandem oſſeam degenerant: Videatur *BOYLE de Firmit. & Fluid. Sect.* 70. Quod & in aliis animalibus videre eſt. Tale enim os non tantùm eſt in cervo, ſed etiam in bobus obſervatum fuit, in quibus tendines cordis ſæpius reperti fuerunt oſſei: Imò, teſtantibus Anatomicis, in ſenioribus hominibus ſimilia oſſa in corde fuere reperta; ſicut & ipſa arteria magna circa cor in cartilaginem mutata, obſervata fuit. Unde *PLEMPIVS* errat, qui oſſa hyoidea pro oſſibus cordis cervi venditat. Os hoc vulgò præ cæteris dicatum eſſe cordi putant: unde etiam Confectionem Alchermes ingreditur. Sunt tamen qui negant, ſunt qui affirmant. Contra abortum, tanquam ſpecificū, cum granis Chermes, & cum convenienti vehiculo, mirè ſolet commedari; utut, præter lenem vim temperandi acidum, parum valeat: vid. *CRATO Tomo* 2. *Epiſt.* 160. & *CHIOCCUS in Muſ. Calceolarii Sect.* 6. *pag.* 697. Quidam dicunt, quod propinatum doſi debitâ os cordis cervi puellæ laſcivæ, ſi ſuſpicio eſt impræ gnationis, poſſe hoc pacto perveniri in certitudinem rei. Sed vana ſunt iſta ſingularia attibuta, quæ huic oſſi adſcribuntur, nata ex præconcepta hypotheſi de cordis eminentia præ cæteris partibus, & de radice vitæ in corde fundata. Nil enim certè peculiare præ aliis oſſibus habet. Conf. *LVDOVICI in Pharmacia*.

Priapus cervi eſt multi uſus. Attendendum autem, ut colligatur & transfodiatur cervus eo tempore, quo in coitu reperitur; ita enim maximi uſus eſt in ſtimulanda Venere in forma pulveris ad ʒj aſſumptus cum ovo ſorbili & pauco Vini generoſi, & multum confert ad ſtimulandam Venerem, teſte *SOLENANDRO*, *Sect.* 4. *Conf.* 69. Dyſentericus verò uſus nullus eſt, dum hiat in venerem, ubi potius damnum infert: videatur *HELMONTIUS Tract. Pleura Furens.* Alio verò tempore, quocunque etiam, ſi cervus transfoſſus fuerit, & priapus inde collectus, optimum & ſingulare euporiſton eſt contra dyſenteriam & pleuritidem; ſicut dixi de priapo tauri ſeu bovis, & ceti. Et quæ valent de his priapis, ea κατ' ἐξοχὴν dicit poſſunt in cura dyſenteriæ & pleuritidis de hoc priapo cervi; ſive ſub pulvere aut raſura à ʒß. ad ʒj in aqua appropriata, e. g. in aqua plantaginis, menthæ, &c. pro dyſentericis; vel in aqua cardui benedicti, & tuſſilaginis pro pleuriticis, addendo parum laudani opiati, aſſumatur; ſive recipiatur raſura hujus priapi, & coquatur, & decoctum exhibeatur ægro; aut decoctione inde paretur gelatina, expectando ſudorem: in quibus affectibus repetito uſu ſunt egregii, utut quidam priapum ceti hiſce præferant. Commodè etiam Electuariis antidyſentericis raſura hæc additur. Præterea contra colicam paſſionem & affectus hyſtericos egregiè convenit hic priapus, confirmăte *BARTHOLINO Cent.* 6. *Hiſt.* 50. Externè priapus pulveriſatus, & cum vino teſtibus inunctus, ſingulariter ſtimulat Venerem, teſte *BARTHOLINO citato loco*; concubitum etiam voluptuoſiorem excitat: debet tamen, ut jam dixi, eſſe ſub tempore coitus abſciſſus cum teſticulis, quando hiat in Venerem, quod non habet *AUTOR noſter*.

Teſticuli cervini optimi ſunt ad ſtimulandam Venerem, ſi à cervo ſub Veneris æſtu occiſo exſciſſi exſiccentur, & pulveriſati aſſerventur pro uſu.

Sanguis & viſcera ſanguinea, non ſecus ac cornua, vi diaphoreticâ quoque decantatiſſima ſunt: Unde *HARTMANNUS in Praxi Chymiatr.* Sanguinem cervi, Sole & Luna in Ariete exiſtentibus, pone aures extrahit, & linteaminibus excipit; quæ vino infundit, & ſudorem ſic provocat. Specificum dicitur contra propinata venena, dolores artuum, & alvum ſiſtendam: vid. *WORMIUS in Muſeo l. c.* Quidam pro ſtimulanda Venere commendant ſanguinem collectum ex cervo transfoſſo, dum hiat in Venerem: cui adhuc calido admiſcent:

℞. *Pulv. tragacanth.* ℥ij.
Nuc. moſchatæ,
Caryophyll.
Cinnamomi ana ℥ß.
Camph.
Moſchi,
Ambræ ana ʒj.

Hæc invicem in ſ. q. *ſanguinis adhuc calidi* miſcentur, ut fiat Maſſa, ex qua formantur globuli, qui exſiccati, & in manu dextra detenti, potenter incitant in Venerem. Ex ſanguine cervi, vel ex aliis viſceribus ſanguineis, ſpiritus volatilis, & ſal volatile, deſtillari poſſunt, quæ in morbis malignis & epilepſia uſitatiſſimè adhibentur.

Oleum ſanguinis cervi commendatur in podagra.

Lacrymæ, quæ colliguntur circa oculorum angulos in cervo, fueruntque ſordes concretæ circa angulos oculorum in iis, dicuntur lapis Bezoar Arabum, qui pro ſcopo alexipharmaco commendant; quod tamen falſum & fabuloſum eſt: vid. *LUDOVICI in Pharm.* nihil enim valent, & nullus eorum uſus eſt, quicquid etiam in hoc puncto afferatur à *ZACUTO LUSITANO Lib.* 5. *Med. Princ. Hiſt.* 29. Reliqua quæ habet *AUTOR* de pellendo fœtu mortuo, videri poſſunt *apud eundem*.

Sevum cervinum optimum eſt in excoriationibus ſuperficialibus remedium conſolidans. In procidentia ani hic calidè eo inungatur, & blandè intrudatur, quod remedium familiariſſimum eſt. Quin & contra intertriginem, uti & fiſſuras manuum & pedum ex frigore; penetrat enim admodum, & præ aliis pinguedinibus eſt reſolutivum, & ſic optimum dat levamen. *D. NESTER* recepit guttam ſevi cervini unam, immiſit in urinam periculosè decumbentis; unde hanc habebat obſervationem: ſi gutta ſubſidebat in urina, deſperationem; ſi verò ſupernatabat, ſalutem futuram deprædicabat.

Aſtragalus in dyſenteria laudatur.

Lapis

Lapis in corde, ventriculo, vel *intestinis* repertus, æquiparandus omninò, si non præferendus, lapidi Bezoar, & compositus est ex acido & alcali urinoso, ita tamen, ut alcali prævaleat.

COCHLEA.

Cochleæ testaceæ imprimis in usu sunt, & quidem majores, quæ juxta vites reperiuntur, uti & eæ quæ dicuntur *Limaces*, Germ. *die rothe Wege Schnecken*, quæ sunt sine testis.

Usurpantur vel totæ, vel ejus partes.

Limaces, in genere quidem omnes cochleæ, valdè commendantur pro hectica & phthisi, modò ritè stomacho digerantur; suggerunt enim gelatinam, copioso sale volatili admodum temperato, quale habetur in plantis refrigerantibus, imprægnatam. Unde præparatæ ad esum, imprimis si antè nutriantur cum saccharo, egregium nutrimentum pro partium spermaticarum seu nervearum substantatione suggerunt, adeoque ad febres hecticas, ardores corporis lentè emaciantes, & inde natas atrophias, non incommodè usurpari possunt. Ita Itali cujusdam singulare remedium fuere, qui exhibuit limaces montanos hoc modo præparatos: Per aliquot dies non pascebantur, sed tantum saccharo & farinâ satiabantur duobus vel tribus diebus, posteà in aqua & pauco aceto coquebantur leniter, postmodum verò jure optimo gallinæ vel arietis. Hac ratione præparati & propinati egregiè conveniunt in hectica; humectant enim, bonumque sanguinem generant, nec sunt difficilis adeò digestionis. Sic AMATUS LUSITANUS *C*.3. *Cur*.53. curavit quendam hecticum per cibum pullorum gallinarum, testudinibus nemoralibus saginatorum, unà cum potu lactis asinini. RIVERIUS *C*.1. *Obs*.92. singulare refert exemplum de hectica marasmode desperata, curata tamen à rustico per decoctum limacum rubrorum agrestium. Par ferè ratio est ostrearum, utut cochleæ sint densioris consistentiæ; hinc etiam ab AUTORE refrigerare, incrassare, lenire, nervis conducere, &c. dicuntur rectè.

Externè podagram; & similes dolores, ab acido obortos, curant & sistunt, proptereà quoniam sale volatili alcali occulto constant; quod simile est ranarum vel spermatis ranarum alcali occulto, ratione cujus absorbet acidum podagricum, & sic solamen doloribus affert. Limaces enim, seu cochleæ contusæ, suggerunt succum aquosum, nonnihil viscidum, qui simillimus est spermati ranarum, in recessu habens alcali temperatum; adeò ut in affectibus podagricis & erysipelaceis egregiè conveniat. Cum testis contusæ, & in consistentiam cataplasmatis redactæ, atque parti tumenti impositæ, speciatim prosunt in resolvendis & discutiendis tumoribus aquosis & serosis. *Petrus à Castro* tanquam secretum in ascite commendat, abdomini impositum. Prætereà etiam in aliis hydropis speciebus particularibus, quales hydrocele, hydrocephalus, crura arthriticorum serosa, ubi opus est resolutione aquarum, egregiè conveniunt; imprimis si iis contusis inspergatur pulvis fimi caprilli, & addatur semen carvi; sic enim Cataplasma fortiùs resolvens evadit. Loco horum à quibusdam etiam cancri fluviatiles substitui solent. Imò cosmeticæ sunt, si liquor ex cochleis contusis sale tartari conspersis paretur.

Limaces vivi appositi prosunt ad procidentiam ani, in nimio tumore ac ardore hæmorrhoidum.

Sunt porrò, qui ex ipsis cochleis benè priùs ablutis per balneum Mariæ destillant phlegma seu aquam pro usu diuretico, ut & cosmetico in vitiis cutis, manuum & faciei, instar aquæ spermatis ranarum, quæ fit instar exemplaris; quoniam sale volatili occulto constant: de quo videatur TACHENIUS *in Hippocrate Chymico*.

Liquor tamen per deliquium meritò aquæ destillatæ præfertur, tam secundùm AUTORIS manuductionem ex cochleis contusis, & sale communi, vel meliùs cum sale tartari consperfis in loco frigidiusculo, ubi in liquorem egregiè cosmeticum defluunt, quàm simpliciter ex cochleis vel limacibus acubus pertusis sponte suâ effluens: uterque liquor sale volatili alcali temperato, id est minùs oleoso, imprægnatus est; ratione cujus in ardoribus & doloribus, ex acido viscido oriundis, in specie in podagra, egregiè anodynus & refrigerans est egregium.

Testæ cochleaceæ congeneres sunt testis cancrorum fluviatilium; hinc usus pariter diureticus est. Unde adeò decantatæ sunt in cura hydropiseos per urinam curandæ. Usurpandi modus est, ut tantum exsiccentur & pulverisentur. Tempore hyberno opercula habent, quo se contra hyemem defendunt; hæc benè abluta, & pulverisata, pariter per urinam curant hydropem, si singulis manè & vespertino tempore sumantur in convenienti vehiculo, quantum cultelli cuspis capit. Alii recipiunt dicta opercula, resolvunt in spiritum salis, resoluta per abstractionem menstrui coagulant, & per deliquium fluere faciunt. Talis liquor diureticus egregius est in hydrope. Loco spiritus salis in vino acidulo, vel aceto, solvantur, & idem erit.

CUNICULUS.

De *Cuniculo* nihil habeo, quod dicere possum.

E.

ELEPHAS.

Elephas est animal satis cognitum, cùm hinc inde transportetur raritatis gratiâ.

Officinis nil suggerit nisi *dentes*, *Ebur* dictos, qui ex maxillis prodeunt, & foras prominent: interdum sunt ingentis satis magnitudinis, adeo ut in India Orientali, & in regione magni Mogol, inveniantur tantæ magnitudinis, ut in utroque possit insidere homo sine gravatione & molestia Elephantis.

Ebur hoc, pro more dentium, firmioris & compactioris est consistentiæ, & sale volatili magis concentrato imprægnatum. In medicina est magni usus, vix autem nobilius est cornu cervi nostrate, imò ferè inferius, minus de virtute alexipharmaca obtinens, utut structurâ suâ ferè coincidat; unde & omnia remedia, quæ ex cornu cervi parari possunt, inde habentur. Præ ossibus dentes, & speciatim Ebur, acriora & magis corrosiva acida potentiùs imbibere, ab istis excitatas effervescentias compescere, phlogoses vagas reprimere, speciatim post iræ excandescentiam varia metuenda mala præcavere, item contra abortum præservativè convenire, & fluorem album nonnihil reprimere solet.

Eodem modo tractari potest ac cornu cervi, eadem quoque producta suggerit: imprimis præparatur tàm sine igne seu Philosophicè, quam cum igne, uti dixi de cornu cervi. Præ cæteris tamen usitatissimum est Ebur philosophicè præparatum, quod pro scopo temperandi acidum oberrans in corpore humano, & compescendi phlogoses ac febriles ebullitiones eminet; dumque ebullitiones febriles sistit, valdè commendatur in febribus ardentibus, item malignis, propinatum nunc solitariè, nunc cum antimonialibus diaphoreticis, nunc cum coralliatis absorbentibus, nunc cum salinis abstergentibus, nunc cum aliis præscribitur. Valdè roborare dicitur hepar, seu convenire in massæ sanguineæ deficiente crasi corrigenda, & hinc cum Hepatico rubro Dresdensium, aliisque remediis hepaticis miscetur. *Beato* D. MICHAELIS in usu erat *Pulvis hepaticus compositus*, qui constabat ex ana Eboris sine igne, & hepatici rubri: quem frequenter usurpabat post potum nimium, item in phlogosi vaga scorbuticorum, anorexia &c. Ratione acidi, quod compescit, commendari solet in fluxu mulierum albo, sicuti aliàs est remedium quod valdè convenit mulieribus; imprimis commendatur iis, quæ acido abundant: specialissimè autem illud contra abortum laudant quidam, in quo præcavendo vel solum, vel cum Magisterio coralliorum, præparato cum succo citri, frequens adhibetur, imprimis ubi is metuendus est ob symptomata abdominis: Loco ejus tamen cornu cervi substituatur. Prætereà in lumbricis solet propinari infantibus, ubi usus non est frustranei. In passionibus hystericis datum ebur sine igne cum appropriatis est utile remedium. Contra iracundiam tandem valet, ad quod tamen & cornu cervi sine igne quoq; competit. Dosis est à ℈j. ad ʒß. vel ℈ij.

Ebur ustum est cornu seu terra mortua, omni virtute & efficaciâ activâ spoliata, unde usus interni est nullius aut rarioris: vulgariter in officinis dicitur *spodium ex ebore*, ad differentiam spodii mineralis. Adhibetur externè in collyriis, & in exsiccandis vulneribus.

Spiritus qui ex ebore destillatur, mitior est spiritu Cornu Cervi.

EQUUS.

Equus terrestris est animal satis notum.

De hoc observetur, quod exinde quidam volunt conficere singularem Medicinam ex pullis equorum in epilepsia: nimirum *in lingua pulli* recens editi reperitur *caro rubicunda glandulosa*, *Coagulum* seu *Hippomanes* dicta, spithamæ longitudine, quæ & eximenda, antequam aerem hauriat pullus, aliàs devorat illam: ex qua parte carnosa siccata & pulverisata præparant singularem medicinam pro epilepticis, & quidem ex pullo mare pro masculo, & pullo fœmina pro fœmella. AUTOR *noster* cœliacis & dysentericis commendat.

Lac equinum præprimis commendatur in phthisi & atrophia.

Stercus equi recens est medicina magni & multi usus, cujus vires sunt singularissimæ, imprimis ex mare non castrato, verùm admissario forti; quod internè non tantùm in sanguine compescendo adhibetur, si succus ex stercore recenti exprimatur, sed etiam prætereà ad colicam convulsivam, passionem hystericam, pleuritidem, icterum, morbillos, & variolas egregium est remedium, utut multis nauseosum. In colica experimentum est certissimum, si recipiatur stercus equinum maris non castrati recens, subigatur cum haustu vini vel cerevisiæ, vel quocunque liquore, benè exprimatur succus, coletur per linteum, & haustum egregium erit remedium expectando sudorem. Unde etiam sunt, qui dicunt, quod ex hoc stercore fit paratus *Syrupus Lutheri*, qui est singularis in colica: In hysterica passione idem ejus usus est, & vix habetur præsentaneum magis remedium, quàm stercus equinum. Angli illud dicto modo præparatum ceu euporiston usitatissimum, adhibent in pleuritide, quam curat per sudorem citò, tutò, & jucundè, si mox in principio ejus adhibeatur, imprimis si sit stercus equi maris non castrati,

ſtrati; id quod præ aliis commendatur in pleuritide. Quod autem de pleuritide dicitur, de omnibus inflammationibus partium internarum eſt intelligendum. Nec vulgaris eſt uſus in angina idem ſtercus, quod imprimis convenit, ſi ſit paſtum animal avenâ; ab hoc ipſo enim obtinet virtutem diſcuſſivam & per ſudorem curat: in angina certè ſtercus equinum non cedit ſtercori hirundinum & canis. In peſte laudatur à *du Hamel de Affect. Corpor. pag.* 321. In variolis uſus obtinet, ut infantibus æquè ac adultis infundatur nodulus ſtercoris equini in cereviſiam vel potum ordinarium, ut eruptio variolarum promoveatur, & fauces ab iis defendantur, quod aliàs, ſi affligantur variolis, ſolet eſſe caſus periculoſiſſimus. Bina tamen ſtercora ſunt, quæ huic in quibuſdam caſibus præferuntur: in variolis nempè ſtercus ovillum, tritum cum hauſtu potus ordinarii, colatum & propinatum; in morbillis optimum eſt caprillum. Equinum interim non minùs laudatur propter vim nitroſam volatilem: Hinc in ictero flavo pro corrigenda bilis nimia pinguedine, & acuenda eadem admodum commendatur. In ſtranguria notum eſt remedium, quod ſubitò etiam externè contumaciſſimam curat.

Externè adhibetur in hæmorrhagiis, ſi ex illo fiat cataplaſma cum aceto, & applicetur parti, ubi effluit ſanguis: Alii volunt, quod ſtercus equinum ſiccetur, ſiccatum pulveriſetur, & pulveriſatum adſpergatur ſanguini effluenti; ſic enim inſtar pulveris ſympathetici ſanguinem ſiſtere dicunt. Valdè confert in diſcutienda inflammatione faucium vel partium oris.

Poſt ſtercus eſt *ſudor*, qui quidem non ſolet adhiberi: nihilominus ſi potetur à muliere prægnante cum vino, fœtum ejicere, & abortum producere ſolet. Equorum ſudores noctu lucere, videbitis in *BORELLI Obſ. Cent.* 1. *Obſ.* 3. *pag.* 6.

Lichenes equorum ſunt ingentes iſtæ Verrucæ, quæ adnaſcuntur pedibus equorum, & quas interdum dejiciunt ſuâ ſponte in ſtabulis. Hi lichenes multum cõmendantur in curanda paſſione hyſterica ſub forma pulveris. Aliqui etiam horũ raſuram comendant ad quemcunque ferè morſum. *Externè* inſtar ſuffitus recipiatur in vulvam; hoc ipſo enim mirè paſſiones hyſtericas compeſci aſſerunt; unde puluis præſentiſſimus in ſuffocatione uterina eſt hic *Paracelſi*:

℞. *Verruc. equor.* ℥j.
Aſæ fœt. ℥j.
Vng. capr. ℥ij.
M. f. Puluis:

Cujus ℈j. accendatur, & fiat ſuffitus per tubum ad uterum, de quo dicit *FONSECA L.* 1. *Conſ.* 31. nullam eſſe ſuffocatam, quæ ab illo non excitetur. Pulueriſati & naribus inflati hæmorrhagias ſiſtunt: uid. *du HAMEL de Affect. Corpor. pag.* 317.

Eſſentia etiam horum *lichenum* ualdoperè conuenit in curanda paſſione hyſterica, qualem *Eſſentiam* præparare docet *Agricola Comm. in Poppium*: ſicut & *HARTMANNUS* & *CROLLIUS Extractum lichenum* ad idem malum adhibere ſolent.

Sequuntur *Teſtes equini* per caſtrationem exempti. Hi priùs diſcindantur, & poſt temperato igne exſiccati cum Eſſentia myrrhæ irrorentur, ut diutiùs durent: ſic pulveriſati mirè commendantur in compeſcenda colica, & eorum uſum hinc rectè commendat *ZACUTUS LUSITANUS*, *FONSECA in Conſ.* 59. *Lib.* 1. aliique. *Doſis* ℥ß. ad ℈ij. vel ℥j. Propinatur pulvis, vel ſolus, vel cum ſemine anili, vel cum priapo tauri aut cervi, cùm priapus tauri & cervi per ſe non ſint ultimum remedium in eadem. *ZWELFFERI* certè experimentum fuit, pulverem horum cum aqua florum liliorum alborum ad pellendum partum difficilem, fœtum mortuum, ſecundinam, lochia, & ſi quid in partu, vel pòſt partum remanſit in utero, ita ut ſint unum ex primariis pro partu difficili ſpecificis: vid. *GESNERUS l.* 1. *Epiſt. p.* 27. ſicut quoque *HEINRICUS ab HEER in Obſ.* 14. notabilem obſervationem habet de fœtu mortuo, mediante pulvere teſticuli equini ejecto. Hinc quidam hunc pulverem, ex ſchola *HELIDÆI PADUANI* profectum, laudant:

℞. *Teſtic. equin. d. m. pulveriſ.* ℥j.
Borrac. Venet. ℥ß. ad ℥j.
Croci ℈j.

Miſce pro duabus vel tribus doſibus æqualibus, ſucceſſivè in aqua liliorum alborum ſumendis, & maximè proſunt in partu difficili, fœtu mortuo, & ſecundina expellendis.

Plura qui cupit de virtute horum teſticulorum in pellendo fœtu inſigni, videre poteſt *GESNERUM Lib.* 1. *Epiſtolarum pag.* 27. item *FONSECAM in Conſult.* 89. & denique *HORATIUM AUGENIUM*, cujus ſpeciale fuit ſecretum *P.* 1. *Lib.* 7. *Epiſt.* 8.

Vngula equi eſt etiã officinalis contra paſſiones hyſtericas, & sũt qui exinde parant *Extractum* pro uſu interno. Partes iſtæ *Vngulæ equinæ*, quæ abſcinduntur, quando nova imponenda eſt ſolea, pulveriſatæ & exſiccatæ, adeoque ℥j. aſſumptæ, valdè conveniunt in diarrhœa & dyſenteria, uti affirmat *AGERIUS in Tr. de dyſent. pag.* 26. & eadem ungula frixa cum butyro & aſſumpta, fuit ſecretum *HELMONTII* in cura dyſenteriæ. Obſervetur autem, quod non debeat deſumi ex equo laſciviente, aliàs magis erit nociva quàm proficua: videatur *HELMONTIUS in ſuis ſcriptis*, ſpeciatim *in Tractatu, Pylorus Rector*; qui, quæ habet in Practicis, meretur fidem maximam, teſtantibus omnibus, utut in Theoria interdum à vero abludat. Suffitus ejus genitalibus exceptus menſes retentos & fœtum mortuum promovet.

In peſte quoque commendari ſolet.

Res mira eſt quã quidam referunt, certa tamen, quod ſoleæ equinæ ex ferro, quo alius fuit interfectus, fabricatæ equos, licet tardos, reddant celeres curſu, & frænum ſeu capiſtrum ex eodẽ ferro eosdem equos, utut ferocientes, admodũ placidos tamen ac tractabiles efficiat.

Saliva equorum ſpumeſcentium recens detracta & cum oleo roſarum vel amygdalarum amararum ſubacta, in aurium tinnitu, earumque doloribus, nec non verrucis delendis, commendatur.

Hippolithus, ut rectè dicit *AUTOR*, uti ſtructurâ, ita & uſu coincidit cũ lapide Bezoar Occidentali. Plura *de hoc Hippolitho* videbitis in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſ.* 246. *Ann.* 4. & 5. *Obſ.* 167. *p.* 215. *ſeqq.*

EQVVS MARINVS.

Equus marinus, qui vocatur *Hippopotamus*, potiùs autem & genuino vocabulo *Roſmarus*, Germ. *Wallroſſ* dictus, à modernis tantum eſt inventus, cujus varias qualitates & facultates videbitis in *CHIOCCI Muſeo Calceolarii Sect.* 6. *pag.* 694. *Muſeo WORMII*, & *MARTENS Spitzbergiſche Reiſebeſchreibung.*

Ex hoc Hippopotamo imprimis uſitati ſunt *dentes* magni; quorum unus, qui utroque latere oris reperitur, eminet in maxillis, qui deorſum verſus reflectitur, reliquis omnibus ſurſum vergentibus. Hic dens hippopotami præparatus eſt ſpecifica medicina contra quaſcunque hæmorrhagias aſſumptus, quod præter *MINDERERUM in Medic. Milit. pag.* 169. confirmat etiam experientia *D. MICHAELIS*, qui pulveris horum dentium fœminam, deſperato fluxu hæmorrhoidum gravatam, unica doſi ab eo liberavit. In terrore etiam, & contra alterationes corporis à terrore inductas, propinari ſolet, ne noceat. Nempè pro more aliorum hujusmodi concretorum potenter vitioſa acida abſorbet, & hinc mille natis malis confert. Prætereà quoque ad morbos convulſivos quoſcunque, ſpeciatim ad ſpaſmos, expertus eſt, unde etiam quidam annulos exinde fabricari faciunt ex hoc dente, quos digitis vel manuum vel pedum applicant contra ſpaſmum, imprimis flatulentum.

Priapus hippopotami, oſſeus ferè eſt, & rotundus, craſſus, ponderoſus, craſſiſſimus verò propè glandem. Hic, ejusque imprimis oſſiculum, pellit calculum, & etiam promovet partum & ſecundinas. Pars hujus anterior mollis pulveriſata curat ſtranguriam.

Plura qui cupit de penis & dentium ejus uſu, vid. *citatum locum ex WORMII Muſeo*, uti & *BARTHOLINI Cent.* 2. *Hiſt. anat.* 43. & *in. C.* 3. *Epiſtolarum ejus pag.* 290.

ERINACEUS.

Erinaceus, Germ. *der Igel*, eſt animal ſatis cognitum, imprimis ratione aculeorum in dorſo, quos pro lubitu poteſt erigere & deponere beneficio muſculi, cui per cutem inhærent, protenſi à capite usque ad caudam & talem erinacei anatomen memini me legiſſe in *COLUMBI Anatomia*, & *RONDELETIO de Piſcib. Sect. ult. c.* 19.

Diſtinctas habet *vires* pro ratione præparationis. *Erinaceus coctus* & comeſtus, vel ejus decoctum in juſculo uſurpatum, diureticum egregium conſtituit, & hinc in cachexia, & in hydrope convenit: vid. *Act. Med. Haffn. Vol.* 1. *p.* 49.

Hujus *hepar cum felle*, non ſecus ac aliorum quorundam animalium hepata vel fella, contra epilepſiam laudantur.

Erinaceus calcinatus ſeu *combuſtus* dat *cinerem* ſeu *caput mortuum*, quod contra mictum involuntarium ſeu incontinentiam urinæ egregium ſpecificum eſt, ſive ſtragula permingantur à dormientibus, ſive vigilantibus. Frequenti & experto etiam in uſu fuit *D. D. MICHAELIS*, cui Medicus quidam retulit, quod per viginti annos fuerit affectus mictu involuntario, tandem tamen aſſumpto pulvere erinacei combuſti à ℈j. ad ℥j. curatus. Unde medicamentum elegans, & *in mictu involuntario* valdoperè commendandum eſt, *Pulvis Montagnanæ*, qui fit hoc modo:

℞. *Erinac. combuſti* ℥iij.
Tunic. interior. carnoſ. ſtomachi gallin. ℥ß.
Agrimon. ℥j.
M. f. Pulvis.
Doſis ad ℥j cum jure.

Alia compoſitio non minus experta eſt hæc:

℞. *Ciner. erinac.*
Gutturis galli toſti & triti (laudatur valdè à *SOLENANDRO* & *HARTMANNO*: & quidem *HOEFERUS* dicit, quod conveniat, ſi ſit incontinentia à partu difficili, quod probè notandum) an. ℥j.
Medullæ lapidum (qua quidam fuit curatus præter ſpem à deſperata mictione) ℥ij.
M. f. Pulvis.
Doſis ℥j.

Similem ferè pulverem habet *BARTHOLETUS in Encyclop. pag.* 164. qui pulveris erinacei combuſti partes iij. miſcet cum gutturis galli calcinati parte j. & propinat.

Axungiam Erinacei contra hernias commendat *AUTOR*, & rectè. In enterocele enim & omphalocele lumbis inungitur, ut ejus medio faciliùs reponantur & quaſi retrahantur inteſtina, atque etiam meliùs

jiùs firmentur, ne facilè rui sus excidere possint; sive sola, sive mista cum axungia leporina, vel, quod melius est, cum axungia ursina, quæ etiam loco pinguedinis erinacei substitui potest. Linimentum etiam contra epilepsiam infantum ex hujus pinguedinis partib. iv. & olei sem. ricini majoris expressi parte j. fieri solet.

HOMO.

COnsideratur nunc *Homo*, sive mas sive fœmina. Ante omnia hic observandum, tam multa de homine esse dicenda, ut, si omnia annotare vellemus, in integrum discursus noster excresceret Tractatum. Propterea ut rationem habeamus & methodi, & *AUTORIS nostri*, potiora & selectiora solùm recensebo, de reliquis verò, ne quid deficere videatur, lectorem remissum volo ad *HELVETII Diribitorium*, & *BECKERI Medicum Microcosmicum*, ubi tractat eleganter & prolixè *de Homine*, omniaque medicamenta, quæ ex illo, vel spagyrico, vel Galenico, vel alio modo, possunt præparari, accuratè explicat. Totum autem hominis corpus in usum medicum ferè trahitur; quamuis enim nefas ducant alii, ex corpore humano remedia parare, ludicrum tamen hoc esse *BECKERUS* & *HELVETIUS* dudum ostendere.

Partes humanæ, quæ ex homine, sive interfecto, sive vivo, desumuntur, sunt primo loco *Halitus*, de quo notandum, quod ex illo possint fieri *Crystalli*, quas multum commendat *BARTHOLETUS*, per instrumentum vitreum, cujus forma videri potest in *Tract. de Dyspn. p.* 391. item *MAJOWIUS Tract. de Chirurg. Infusor. p.* 275. Item in hominis anhelitu sulphur seu oleũ inflammabile habet *BORRICHIUS de ortu & Progr. Chym. p.* 9. Idem halitus, imprimis hominis jejuni, ad sistendam Ophthalmiam, & discutiendas oculorum inflammationes, prodest, referente *BURRHO in Epist. ad Bartholinum*: item ad clarificandos oculos infantum, si nutrix jejuna mane masticet semen fœniculi, & post masticationem exhalet halitum in oculos infantis.

Capilli reverà sunt Vegetabile quoddam, naturæ tamen quodammodo corneæ, poris gaudent instar avium pennarum; per microscopium enim notum est, quod sint concavi, quidam rotundi, quidam triangulari, vel alia forma præditi: videatur *PLEMPIUS Fundam. Medicinæ & de Capillor. & unguium Vitiis c.* 1. *SENGWERDUS Exercit. Physiol* 8. Duplices sunt: aut congeniti, ut in capite, palpebris, & superciliis; aut post geniti, ut in mento & pube. Communiter disputari solet, *an sint partes corporis viventis?* quam dubitandi occasionem suggerit *FERNELIUS*, quod præcisè pili omnes etiam in decrepita ætate recrescant; atque hecticis & tabidis, quibus reliquum corpus aliàs contabescit, & extenuatur, imò cadaveribus quoque regenerentur. Verùm hos propriè ac verè vivere atque nutriri, probabile, quia in canitie pilorum radices ante horum extremitates non albescunt, sed omnes eorum partes simul canescunt; sicut in pueris, quibus capilli flavi in dies magis nigrescunt, coloris mutatio simul æquè ac horum apices & radices afficit. Accedit & hoc, quod nonnullis, testantibus observationibus, ex affectu animi vehementissimo celerrimè, & intra aliquot horas cani redditi fuerint. Conferatur *PLEMPIUS Fund. Med. Lib.* 2. *Sect.* 5. *c.* 1. & de *affect. Capillor. & ungu. cap.* 1. item *EUSTACHIUS Colleg. anatom. Disp.* 2. *quæst.* 16. Non ergò sunt, uti veteres voluerunt, tertiæ coctionis vel aliud corporis excrementum; sed eodem modo ac aliæ corporis partes nutriũtur: vid. *HIPPOCRATES de Alim. T.* 4. quia morbi, qui massam sanguineam turbant & corrumpunt, pilorum defluvium producunt.

Pro *usu medico* usurpantur *pulverisati* & *destillati*. Pili pulverisati singulares dicuntur in sistendis narium hæmorrhagiis, observante hoc *HEINRICO ab HEER l.* 1. *Obs.* 5. sed quantum valeant, fides sit penes experientiam. Notum etiam est, quod mulieribus in paroxysmo hysterico & epileptico soleant vellicari pili pubis, ut citiùs, & feliciùs ad se redeant: exempla quædam videbitis in *HOEFERO*.

Capilli per se ex retorta destillati dant *phlegma, spiritum urinosum, sal volatile*, & *oleum* admodum copiosum: & hoc de omnibus animalium pilis intelligendum. Spiritum cum melle mixtum, & capiti illitum, ad crines augendos commendat *le FEBURE in Chym. P.* 2. *l.* 2. *cap.* 8. *p.* 181. Oleum destillatum ad generandos capillos in alopecia multum laudatur, si loco calvo illinatur: videatur *HEINRICUS ab Heer*. Lichenes certissimè extirpare cum sacchãro saturni mixtum, habet *le FEBURE l. a.* Beneficio capillorum solutorum in spiritu nitri vult *GLAUBERUS* extrahere animam nitri, medicamentum ipsi singulare, uti videre est in scriptis chymicis.

Ungues sunt tendinum appendices, unde inane illud, an sint partes corporis viventis? litigium; præsertim cum & nervi atque vasa sanguifera iisdem simul inserantur. Quæ vasa utut exilissima sint, distincta tamen satis, ac mirificâ arte disposita, ope microscopii detexit *FRANCISCUS FONTANUS*, teste *Plempio de affect. capillorum & unguium c.* 3. Quò etiam referendum, quod in ungulis brutorum, ungui humano analogis, deprehendit *MALPIGHIUS Tract. de Tactus Org.* §. 55. In manibus apprehensioni, pedibus verò ambulationi inserviunt.

In *usu* sunt vomitorio. *Modus utendi* prostat in *AUTORE*: In pulvere scilicet assumpti, vel infusi in vinum, modo occulto potentissimè vomitum & secessus movent; quod experimentum est castrense extemporaneum celeberrimi in Polonia Medici *CNOEFELII*, qui, dum in castris ibi versaretur, propinavit pro vomitorio & purgante militibus ungues proprios infusos per noctem in vinum calidum: videatur *HEINRICUS ab Heer Obs.* 29. & *HELVETIUS in diribitorio* 110. Quam vim purgandi exerere dicuntur imprimis in sero hydropicorum v. g.

℞. *Rasur. ungu. hum.* ℥j. infundatur in
Vini Rhen. ℔j.

digeratur, & rasura ferè tota in mucilaginem dissolvitur: Filtraturæ addatur spiritus vini ℥j.

Et de vino hoc emetico ℥ij. ad ℥ß. propinata fortiter supra & infra operatur. Plura videbitis in *BECHERI Med. Microcosmico pag.* 14. *seqq.*

Multæ etiam instituuntur curationes Magico-Magneticæ naturales per ungues, imprimis ad curandas febres chronicas. Modum habet *AUTOR*, qui videri potest. Et certum est hoc, cum sciam ex experientia, nuperrimè tali modo febrem chronicam curatam fuisse: scilicet abscinduntur ungues manuum & pedum, alligantur dorso cancri viventis, & cancer istis unguibus oneratus, immittitur in flumen retro faciem, redeundo sine loquela, donec in domum facta fuerit reuersio. Simile exemplum videbitis in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs.* 89. Instituuntur quoque Curæ transplantatoriæ pro viribus recuperãdis per ungues: sic *MARCUS MARCI in Philosophia Veterum Restit.* refert, quod segmenta unguium in quercum perforatam immissa & conclusa, podagram & curent & præseruent, ne tam crebrò recurrat.

Saliva jejuni hominis spiritu acidulo salso quasi ammoniacali turget, ratione cujus vulnera mundificat, & singularem vim discutiendi & resoluendi tumores habet; cosmetica est, & contra serpigines, lichenes, jejunè illita, imò contra maculas à variolis relictas valet: unde etiam granum hordei masticatum & saliuâ humectatum, si imponatur hordeolo in oculo, solet curare idẽ, ratione saliuæ maturãris, aperientis, & discutientis. Vulgus contra vulnera à viperis aliisque animalibus illita utitur, in quibus etiam laudat *ZACUTUS LUSITANUS lib.* 1. *Praxeos Hist.* 32. Vbi notandum, quod morsus hominis iracundi adeò venenosus sit, ac venenati animalis, adeò ut gangræna facilè superuenit, ut *HILDANUS* refert. Hinc *HELMONTIUS* venena animalium in certo animi pathemate latere putat, & rectè.

Aurium sordes, quæ speciali nomine vocantur *Cerumina*, sunt mucus quidam viscosus, & instar ceruminis flavus & amarus, & instar medullæ ossium inflammabilis, quo meatus auditorius & membrana tympani oblinuntur. Ab Aristotele bilis quædam species statuitur, ex arteriolis cerebri ad auriculæ aluearium transudans: quod refutat *PLACENTINUS de Aurium struct. cap.* 16. & 18. Neoterici verò, in specie *CHARLETON Pathol. Exerc.* 19. & *MOLINETTUS Dissert. Anatomico-Pathol. c.* 9. pro excremento tertiæ coctionis partium illarum, ex quibus Auditus organon præprimis cartilagineum componitur, habent: quod si exsuperat, crassius aut acrius euaserit, auditui damnum infert, quatenus vel meatum auditorium obstruit, vel tympani membranam erodit.

Contra colicã specificè valent, in potu assumpta, ut rectè *AUTOR* habet; & Vulnerarium constituunt singulare & egregium, vel sola, vel cum sulphuris balsamo vel de Peru illita vulneribus, in specie nervorum recentibus punctim læsis, quæ sunt periculosissima propter inflammationem, dolorem & gangrænam. Est secretum *HELMONTII*, uti videri potest *Tract. Alimenta Tartari Insontia p.* 252. §. 24. quod etiam ab aliis usu confirmatum fuit. Fit etiam balsamum vulnerarium ex cerumine hoc, si coquatur cum oleo juglandium expresso, quod balsamum simplex valdè commendat in cura vulnerum recentium. *AGRICOLA in Chirurg. Parva* habet unguentum, quod prædicat efficacissimum, quo mirabilia breui tempore in inflammationibus, synouiis & suppurationibus præstitit. Compositio hæc est:

℞. *Cerum. aur.* ℥iij.
Sacch. saturni ℥ij.
Olei expr. avellan. q. s. M.

Quod si debeat esse consistentiæ crassioris, super ignem inspissari potest.

De *Sudore* curiosa sunt, quæ habet *HELVETIUS loco citato pag.* 118. quod linteum sani hominis sudore madefactum vulneribus impositum, his balsamum mumialem sanandi inferat: Dum contrà morientium sudor linteo exceptus non tantum hæmorrhagias dolentes & tumentes discutiat, sed & excrescentias præternaturales deleat; quod aliud quoque notum.

Lac humanum cum aliis lactis speciebus convenit, maximè tamen appropriatum est hominibus alimentum. In usu est speciatim phthisicis, hecticis & emaciatis, imprimis quidem, si æger ipsemet exsugat mammas fœminæ, cujus felicem experientiam præmissis præmittendis observavit *D. MICHAELIS*: sicuti quoque refert *FORESTUS Lib.* 4. *Obs.* 19. quod aliquando juvenis quidam phthisi & tabe desperatã laborans fuit curatus per lac humanum, dum necesse habuit, ut sibi conduceret nutricem, ex qua singulis matutinis & vespertinis horis exhauriret lac, unde factum est, quod non tantum fuit restitutus à tabe, sed etiam nutricem postmodum impręgnavit. Interdum tamen etiam fallit lac humanum in phthisi: ergo aliæ sunt pensitandæ circumstantiæ: Ita mulier Cizensis tabida ex lacte nullum habuit usum in phthisi, sed postmodum pulmone vituli & ostreis fuit restituta. In specie Venereum quoque est lac mulierum, & contra impotentiam laudatur; unde pro fortificandis viribus in Venereo actu, hauriatur, vel

vel potius ex ipſis mammis fugatur. Sicut & *LUDOVICI in Pharm.* obſervavit, Lacticinia à Venere imprimis & vini ingurgitatione maceſcentes & tuſſientes juvenes quandoque reſtituiſſe. Pariter ad ſomnum conciliandum extrinſecùs fit epithema ex lacte muliebri cum ſemine papaveris, quod inſtar emulſionis vel etiam cataplaſmatis fronti ac temporibus applicatur. Ad ruborem faciei commendat *le FEBURE l. a. p.* 183.

Sanguis menſtruus, ſeu *Zenith Iuvencularum* à *PARACELSO* dictum, multa & mirabilia habet recondita, non ſemper revelanda, in ſpecie primus virginis impollutæ: figmenta tamen de eo relinquo: ut autem in ſanis ſanus per ſe, ſic in vitiatis vitiatus eſt: hic verò ab œconomia vitali proſcribitur, & cadaveris indolem induit.

Quæritur in ſpecie: *an ſanguis menſtruus tuto internè propinari poſſit?* Affirmatur. Recipiatur ſanguis menſtruus, excipiatur linteo: linteum probè tinctum exſiccetur, & ſub uſu cum aceto ſcillitico, vel vino Rhenano extrahatur è linteo tinctura, quod acetum vel vinum internè commodè Epilepticis, & ad promovendum menſtruum fluxum propinari poteſt. Conf. *M. A. N C. Anno* 9. & 10. *Obſ.* 35. *p.* 101. Guttas ejus iij. in cochleari vini aſſumptas mox menſes producere dicit *HELVETIUS loco citato*; cui tamen contrarium aſſerere videtur *HELMONTIUS Tract. Lunare Tributum*, propè finem *pag. m.* 735. Externè indufium alterius recens menſtruatum & geſtatum laudat *HOFFMANUS in Clave l.* 5. *Sect.* 1. *p.* 662. Linteum cruore menſtruo tinctum & exſiccatum, hinc denuò humectatum, & eryſipelati applicatum, omnique parti doloroſæ, in continenti evaneſcere facit tumorem & dolorem: in ſpecie verò pedi podagrici applicatum, mirum quantum podagricos dolores ſiſtit. Quinimo febris tertiana curata eſt beneficio hujus menſtrualis lintei collo tantum appenſi. In morphæa ſanguinem menſtruum virginis, vel alius juvenculæ boni habitus, tanquam ſpecificum laudat *HARTMANNUS Prax. Chym. pag.* 215. In affectibus ab incantationibus & veneficiis oriundis multa præſtat ſanguis menſtruus: nam & ipſe ſanguis menſtruus ad veneficia adhibetur, & ſunt puellæ ac mulieres, quæ beneficio ſui menſtrui philtra ſua parant. Tale exemplum videmus in *BORELLO Centur.* 1. *Obſervat.* 65. de quodam, qui ex philtro, facto ex ſanguine menſtruo cum ſanguine leporis, in maniam incidit, & patrem occidit; cujus remedium fuere Margaritæ præparatæ. Optimè autem ſecundina humana præparata contrariatur, præmiſſis univerſalibus, in ſpecie vomitorio, eoque validiore; hinc non contemnendæ ſunt ſecundinæ, quæ plus in receſſu habent, quàm vulgò putatur. Hoc ipſo ſanguine primitus erumpente impenetrabilitatem ab armis etiam ſibi quidam volunt conciliare: ſanè novi, qui linteo hujuſmodi ſanguine primitus erumpente imbuto, Amuleti inſtar appenſi, uſi ſunt. In delendo quoque incendio adhibetur: ſed exinde mulierem, cujus eſt ſanguis, non parum cruciari, ſunt qui aſſerunt. Plura ſtudio reticeo, cum vel ſuperſtitionem, vel artes illicitas ſapiant.

Secundina humana ſequitur, quæ dum hoſpitium hominis amplius eſſe nequit, plurimis morbis depellendis conducit; in hac enim multa latitant arcana; adeo ut Chymici quidam celeberrimi noſtro tempore panaceam exinde voluerint parare: unde non eſt fruſtraneum, quando omnia ferè bruta mox à partu ſecundinas ſuas egreſſas avidè devorent: quod ipſum naturæ peculiari inſtinctu peculiarem ad uſum negari non poteſt: & hanc ſecundinam ab equis fuiſſe Veterum Hippomanes, qui hoc ipſo multa præſtitiſſe in veneficiis & philtris, ſunt qui ſtatuerunt. Secundinæ igitur à matre prodeuntes vel concremandæ, vel in aquam abjiciendæ: ſi enim putreſcunt, aut eaſdem minus profundè defoſſas animalia viva devoraverint, & fetus & matri gravia ſymptomata conciliant.

Quoad *uſum Medicum*, miram vim habent in epilepſia (de qua vi antepileptica conf. *du Hamel de affect. Corpor. pag.* 444.) ſecundinis pellendis, in doloribus poſt partum, in fœtu mortuo ejiciendo, in abortu cauſando, & in partu difficili, ubi reliquis remediis palmam eripiunt: Quin etiam in philtris proficuus admodum earundem habetur uſus.

Vtendi modus eſt vel in forma ſicca pulveris, vel liquida ſpiritus, vel aquæ deſtillatæ ſpirituoſæ. Pulvis fit, ſi ſecundinæ minutim conciſæ blandè exſiccentur & pulveriſentur; quod tamen citra jacturam partium volatilium haud facilè fit, unde ſecundinæ inciſæ potius balnei calore deſtillentur ad ſiccitatem, hinc remanens ſubſtantia pulveriſetur, remotis membranis: Pulvis oleo deſtillato caryophyllorum, aliove ſimili, imbuatur, ut conſervetur à corruptione; rarò tamen ultra annum conſervari poteſt, quin tandem vermiculos generet. Doſis ℥ß. ad ℈ij. in præfatis affectibus.

In forma liquida:

℞. *Secundinæ mulieris ſanæ unà cum reliquis in partu prodeuntibus:*

Quæ inciſa in cucurbita vitrea capaci (aliàs frangitur) probè clauſa, in loco leniter calido ad putreſcendum reponatur; ita enim tota ſecundina convertitur & reſolvitur in liquorem aqueum perfectè limpidum, non obſtante, quod hepar ante repræſentarit ſuperſtitibus membranis. Limpidus hic liquor horrendum fœtorem habet, nullum tamen vermem generat, utpote qui in vaſe clauſo produci non ſolet, ad annum autem dimidium ferè debent ſtare in digeſtione. Hic in balneo Mariæ ſi deſtilletur, dat phlegma & ſpiritum urinoſum volatilem; phlegma abjicitur, ſpiritus verò eſt rariſſimi & prodigioſi effectus in morbis mulierum, & ad ℈ß. promptiſſimè pellit fœtum, ciet urinam, menſes & alia accidentia. In philtris curandis pulvis & ſpiritus ſecundinæ mirabilia faciunt: ſic ex. gr. contra philtra ſequens laudatur:

℞. *Secund. præpar.*
Rutæ murar.
Hortenſ.
Theriac. ana p. æqval.

Toſta in cepa dentur patienti, vel bibat cum lacte muliebri, vel cum vino caryophyllorum, vel cum aqua magnanimitatis, quod ſecretiſſimum B. H.

In Epilepſia, tam juniorum, quàm adultorum, pulvis & ſpiritus dictus mirabilis eſt, adeo ut & contra Epilepſiam hæreditariam commendetur, quo ſpiritu ab epilepſia curatus dicitur Rex Poloniæ à ſuo Medico Aulico *CNOEFFELIO*. Eodem etiam multæ mulieres ſanitati reſtitutæ ſunt, quæ per 6. annos nihil per menſtrua excreverunt. Mediante hoc ſpiritu *D. MICHAELIS* paravit Eſſentiam è vegetabilibus contra partum. Aqua ex putrefacta ſecundina, ſi nimirum humectetur linteum eâdem, & injiciatur in incendium, mox incendium compeſcere dicitur. *A le FEBURE in Chym. p.* 184. inter Coſmetica refertur.

Alii hoc modo procedunt:

℞. *Secundinam primiparæ*:

Conciſam deſtillant per alembicum, & quod prodit, cohobatur ſeptiesà capite mortuo.

Curata fuit hoc ipſo mulier; quæ 12. annos epilepſiâ labbravit: propinatur ante paroxyſmum. Sunt etiam qui anodynum antipodagricum ex ſecundina faciunt. Secundina per 6. menſes in cella aſſervatur, ſic reſolvitur in liquorem; qui externè applicatus, omnes dolores podagricos illicò lenit.

Maculas maternas aliàs cruentis adhuc ſecundinis tangendo & lavando curare ſolent: vid. *SEPTALIUS in Animadverſionibus* quod idem etiam facit, ſi ſanguis, qui cum ſecundina prodit, illinatur; & abſtergit mirificè maculas in ſcabie etiam volatica, quæ eſt peſſima ſcabiei ſpecies, expertum remedium, ſi ſecundina & ſanguis illinantur: Videatur *AGRICOLÆ Comment. in Popp. cap de taur. pag.* 289. & *Praxis Chymiatrica HARTMANNI*, ubi de ſcabie volatica.

Vrina ſequitur, quæ nunc cruda, nunc præparata in uſu eſt. De urina cruda notum eſt, quod conveniat in veneno viperarum arcendo: Proſtant namque obſervationes, quod ab urina, ad aliquot uncias aſſumpta, nonnulli à viperarum morſibus fuerint curati, teſte *ZACUTO LUSITANO Lib.* 3. *Praxeos Admirandæ*, & *in ſpecie in Obſ.* 96. Potus urinæ propriæ laudatur in præſervanda & curanda peſte. In cura icteri, hydropis, cachexiæ & ſimilium affectuum, ex ſanguinis craſi ortorum, in ſpecie quidem in ſcirrhis lienis, multum valet. Mariti urina hauſta à mulieribus parturientibus partum facilitat, quod verum, & muliercularum experientiâ notum eſt: vid. *le FEBURE l. c. p.* 186. In tympanitide vrina, in qua cocta ſemina dauci, fœniculi, cumini, &c. pota, valdè conducit.

Externè urina in ſe eſt egregium anodynum, doloribus partium nervoſarum applicata. In podagra pediluvia inde parata ſummum levamen adferunt: & dolorem podagricum non ita pridem hic loci curatum fuiſſe percepi. Imò Coſmetica eſt, ſi ſcabioſi ſe lavent urinâ; hinc & maculæ poſt variolas & morbillos illâ laventur, ut citiùs evaneſcant. In fiſſuris quoque manuum, labiorum & pedum à frigore conducit. Exulcerationes aurium, ut dicit *AUTOR*, ſanat, quod verum eſt: mundificat vulnera & ulcera; & contra gangrænam ſtercore vaccino & urinâ humanâ nil melius. In clyſmatibus quoque urinæ humana egregia eſt, imprimis pueri impolluti, ſi in flatulentiis copioſis abdominis & tympanitide nec non in hydrope, vel ſola, vel cum abrotano, chamomilla & aliis plantis carminativis cocta applicetur, uti videri poteſt in *VALLERIOLA Lib.* 1. *Obſ.* 2. vel etiam in *SENNERTO Lib.* 3 *Praxeos pag.* 734. Plura *CONRADUS KUNRATH in Medulla Deſtillatoria* eleganti, eleganter tractat *de effectibus variis urinæ in Medull.* 1. *Tract.* 4. Quicquid tamen præſtat, hoc imprimis ratione ſalis volatilis abundantis, & in ſapore ſalſo prædominantis, perficit, ratione cujus etiam refrigerare dicitur, & æſtuationes ſiſtit; hinc præſtans eſt contra inflammationes Epithema ſequens:

℞. *Aquæ comm* ℔. viij.
Vrinæ hum. ℔ij.
Aceti ℥iv. vel v.

Invicem coquantur in olla vitreata (quia in vitrificatione ſemper ſtannum additur) parum ceruſſæ vel nihili addendo, ad medietatis abſumptionem. Liquor reſiduus uſu externo egregius & in refrigerandis & reſiſtendis inflammationibus, partim propter ſtannum, partim propter alcali urinæ blandè diſcutiens.

Tandem urina recens excreta vim habet magneticam in cura morborum Magica, propter conſenſum mumialem ex toto. Modi ſunt varii: celebriores duo ſunt:

1. Quando in una urina ægri ter ebullit lardum, vel potius caro porcina; hæc verò poſtmodum cani eſurienti vel porco, unà cum juſculo propinatur: ſic enim fit, ut quam plurimi morbi curentur per transplantationem in animalia, quæ devorant carnem & urinam: videatur *PARACELSUS*: ſicut & mediante hac trans-

transplantatione dolores podagricos nuper hic Lipsiæ curatos novi.

2. Quando ovum in urina ægri coquitur, post nonnihil apertum in acervum formicarum sepelitur, sic, hoc absumpto, atrophiâ laborantes, & mariti per incantationem fascinati, curantur: videatur HARTMANNUS in Praxi Chymiatrica, ubi de atrophia, & BOYLE in Phil. experimentali, qui hoc etiam mihi ipsi oretenus confirmavit.

Sic & ex urina ægri cum farina placentulæ formantur, & cani pro transplantatione morborum deglutiendæ offeruntur: Fabri cujusdam minister hic Lipsiæ in urina podagrici carnem suillam coquebat, quam cani devorandam dabat; unde podagræ paroxysmus cessabat. Plura de Curationibus Magneticis cum urina habet BARTHOLINUS in Hist. Anat. C. 3. hist. 66. Marcus Marci in PHILOSOPHIA Vet. Restit. HELMONTIUS, & WILLISIUS in Pharmac. Ration. p. 2. Sect. 2.

Quoad *Præparata* ejus, destillatur inde *sal volatile*, & *spiritus urinosus*, qui imprimis duplici ratione paratur:

1. Per simplicem *destillationem*, vel
2. Per præviam *fermentationem*, aut *putrefactionem*.

In utroque casu prodit spiritus volatilis urinosus, valdoperè penetrans, & nihil est aliud, quàm sal volatile salsum urinæ.

Primo modo prodit phlegma, quod etiam aliàs plurimi per crudam ad crassitiem mellis coctionem separant. Urina hæc inspissata vel caput mortuum in mellis consistentia, vel simpliciter destillatur per arenam; primò phlegma, deinde sal volatile urinæ salsum, & spiritus, obtinetur: qui, si non perfectè alcalinus sit, super calce viva rectificetur. Quibus verò suspecta est calx viva, super cineres vel salem tartari rectificationem instituere poterunt, & spiritum & sal volatile urinæ habebunt purè urinosum; vel cum quodam alcali, vel cum cineribus urina inspissata mista, destillatione ulteriore suggerit spiritum & sal volatile purè urinosum. Nempè additur alcali, ut liberentur particulæ urinosæ ab acidis & occultis easdem ligantibus; urina enim composita est ex acido & alcalibus volatilibus, ita tamen ut hoc præponderet. Quidam spiritum urinæ mediante calce viva, sine tamen igne, destillant sequenti modo: Cucurbitæ immittunt *Calcis vivæ* f. q. cui superfundunt

Urinam, vel *recentem*, vel *ad tertiam partem lentè evaporatam*: mox imponunt alembicum cum receptaculo, & sic subtilem & volatilem urinæ spiritum brevi tempore acquirunt. Meliùs destillatio hæc per retortam institui potest. Curiosum est, quod hoc modo primo loco spiritus prodeat; idque cum hac differentia, quod spiritus urinæ hoc modo paratus, cum spiritu vini mistus, eundem non soleat coagulare in offam albam, quod tamen aliis urinæ spiritibus commune est: quod ostendit, vel mutari certo modo à calce viva texturam salis & spiritus urinæ; vel ex ipsa etiam calce viva aliquam substantiam volatilem exsurgere simul. Spiritus hic urinæ hoc modo cum spiritu vini destillatus miré fit volatilis, & miré penetrans.

Tertius tamē *modus AUTORIS* per putrefactionem melior est, ubi spiritus & sal volatile mox primo loco ante phlegma & oleum prodit, & volatilissimus est: quatenus in qua vis putrefactione plus minus perfecta resolvitur textura & mistio urinę, acidum infringitur & enervatur, & attenuatur oleum; unde alcali volatilis emersio & exaltatio fit; quod quotidiana rerum putrescentium confirmat observatio; & sic spiritus & sal volatile mox primò prodeunt: rectificetur per phiolam ex arena, sic partim acquiritur sal volatile, partim spiritus. De utraque præparatione, videatur AUTOR, ZWelfferus in append. ad animadvers. p. 72. item Wilhelmus Pharm. Rat. Vol. 1. p. 160. Conferatur etiam GLAUBERUS Parte 2. p. 133. qui spiritum urinæ in copia per fermentationem super fimum equinum parare docet.

Coagulat hic spiritus urinæ spiritum vini in offam albam; oleum autem in saponem liquidiorem coagulat. Sicut enim alcalia fixa cum oleis vegetabilium expressis constituunt saponem; sic hic spiritus urinæ per fermentationem paratus pariter coagulat olea destillata, quatenus sal volatile urinæ se unit cum sale volatili, quod est in oleo. Conferatur BARNERUS Tract. spiritus vini absque acido; item WEDELIUS in Pharm. pag. 202. BOYLE in hist. Fluid. & Firmit. p. 101. & 102. qui tamen errat, dum spiritum urinæ sine fermentatione paratum spiritum vini non coagulare asserit.

Si autem destillata urina est hoc modo, remanet ingens copia salis fixi in capite mortuo cum aqua elixiviandum.

Quæritur: *cujus naturæ sit sal hoc fixum*, cum aliàs, uti notum & supra dictum, nullum sal fixum in animalibus reperiatur? Non est de natura urinosa, sed est alius naturæ, instar salis communis, nempè, sal salsum; & additione argillę vel boli part. iij. si destilletur, dat spiritum acidum, similem spiritui salis communis, quod aliàs nulla faciunt salia fixa; sicque revera nihil est aliud, quàm sal commune esculentum, quod cum alimentis sumitur, quodque suâ antiquâ formâ partim cum urina, partim cum fęcibus alvi, prodit. Unde obiter moneo, quod ii, qui faciunt nitrum in locis, ubi exponitur stercus & urina hominum ex terra tali sale imprægnata, necesse habent, ut refinent nitrum à sale fixo esculento, quod assumptum cum stercore & urina denuò excernitur, quod in nitri generatione ex stercoribus adhuc est fixum, ideoque separandum, quoniam illud reddit impurū.

Ex urina humana, ad consistentiam mellis aut syrupi spissioris seu extracti mollioris inspissata & putrefacta, hinc cum duplo, vel triplo arenæ permista, successivis aperti ignis gradibus usque ad summum ejus rigorem destillata, reperitur in summitate retortæ materia, cæteris prioribus ponderosior, quæ est *Phosphorus* aut *Noctilucula aerea*.

Commodissimè ac celeberrimè *spiritus urinæ* paratur ex sale ammoniaco, qui nihil aliud est, quàm alcali urinæ ab acido fixatum: si enim sali ammoniaco debita additur alcali fixi (v. g. *tartari*) portio, & ex retorta vitrea levi calore ambo unita destillentur blando calore, alcali fixum conjungit se cum acido figente, & sal urinæ albissimum quia fugax est & volatile, dimidiæ horæ spatio alembicum petit: videatur TACHENIUS Morbor. Princip. pag. 174. & WEDELIUS Pharm. pag. 23. Ad hujus imitationem quidam urinam, additis cineribus vel alio alcali fixo, destillant; sic enim alcali coniungit se cum acido urinę, & spiritus urinę volatilis per Alembicum ascendit: vid. TACHENIUS loco citato. Verùm, postquam spiritus salis ammoniaci innotuit, spiritus ex urina immediatè paratus non amplius est in usu.

Quoad usum, phlegma urinæ in ulceribus aurium est egregium: si est debilius, aliquid de spiritu urinæ addendum.

Spiritus & sal volatile urinæ est medicina excellentissima, corrigit & destruit quodcunque acidum in corpore humano, potens est sudoriferum, potenter penetrat viscidum, incidit, & meatus obstructos potenter reserat, urinam & calculum fortiter pellit, & in ischuria vitio renum egregius est; unde quidam spiritum urinæ à silicibus nigris calcinatis aliquoties cohobando spiritum cœruleum acquirunt, & in ischuria à calculo maximè laudant; qui tamen effectus omnis à solo spiritu urinæ est. Præterea convenit in omnibus inflammationibus, quatenus vi sudoriferâ alcalinâ sanguinem dissolvit, ejusque circulum restituit. Catholica febrium intermittentium est medicina ante paroxysmum pręmissis universalibus. In scorbuto & malo hypochondriaco est specificum remedium, imprimis si misceatur cum spiritu cochleariæ per fermentationem parato. In cachexia virginum, pręmisso vomitorio, est expertus; mediante quo in Hollandia tres virgines curabantur: unde & tympanitico & hydropico sic inservire potest. In specie solent spiritum urinæ commendare in podagra, similibusque morbis, qui dicuntur tartarei, ex massa acida, cruda & viscida constantes; unde etiam hic spiritus specificum est antiquartium, & dicitur propterea *spiritus antiquartius* D. MICHAELIS, dum à tali tartarea materia, ut audit PARACELSO, ortam Quartanam curat. In Epilepsia, morbisque soporosis, potenter succurrit. *Externè* anodynum est contra dolores colicos, & quoscunque alios ab acido vitioso oriundos, externâ sui applicatione utile. Epilepticos, morbisque soporosis obnoxios, pòtenter excitat, naribus applicatus; quoniam est penetrantissimus. Ut taceam usum in operationibus metallicis pro penetrandis & eliciendis metallorum tincturis.

Ex Urina & vitriolo destillatur *spiritus* efficacissimus *volatilis*, qui contra Epilepsiam, albuginem & cataractam oculorum est egregius: de quo aliquando, ubi *de vitriolo*. Spiritus salis ammoniaci à vitriolo Martis cohobatus, fermentationis abolitę, tam stomachi quàm massæ sanguineæ, dicitur Restaurator.

Sunt qui recipiunt urinam, eamque inspissant in consistentiam mellagineam, huic addunt rasuram cornu cervi & succini, & hæc conjuncta destillant per retortam in arena, proditque sic spiritus compositus admodum urinosus, adhærente lateribus recipientis sale copioso volatili, ex his tribus substantiis exactè concreto.

Pertinet huc *lapis animalis*, seu, ut aliàs vocatur, *Mercurialis*, paratus ex spiritu vini & spiritu urinæ, seipsum multiplicativus: Conferatur BECHERUS in Experim. pag. 329 item DIGBII Liber, qui vocatur vor Auserlesene. Recept. Vol. 2. p. 406.

Stercus humanum sequitur, quod vocatur à PARACELSO *sulphur Occidentale*, idque non immeritò: dicit namque GLAUBERUS de Natura salium p. 554. quod in stercore humano sit sulphur, omnino simile sulphuri communi minerali. Subjectum est oleosum, & hinc anodynum; unde singulares obtinet usus in Medicina. Ut taceam usū internum singularem alexipharmacum in cura morsus animaliū venenatorum ac rabidorum: de qua virtute alexipharmaca videri potest ZACUTUS LUSITANUS Lib. 3. Praxeos admir. Obs. 89. MATTHIOLUS Comment. in Dioscor. l. 2. cap. 73. Riverius hinc inde in Obs. communicat. & morbor. infrequent. in specie Dissert. mea pro Licentia de Morsu Viperæ. Napellus in suo loco natali est venenatus; unde si assumatur, homo intra quatuor horas moriturus, nullo alio remedio curari potest, quàm stercore humano, quod vel recens, vel aridum debet assumi in liquore. In peste curanda & præservanda singularium est virtutum stercus humanum, ad magnitudinem avellanę matutino tempore assumptum. In usu externo pro tumoribus & inflammationibus quibuscunque emolliendis, suppurandis, ęquè ac maturādis etiā dolorosissimis, item pro ardore temperando, nil melius cataplasmate ex stercore humano, vel ipso stercore calidè superimposito: idq; in tumoribus tam benignis, quàm malignis. Conferatur HELVETIUS in Diribitor. p. 112. & 158. Sic in carbunculis & bubonibus pestilentialibus egregium remediū est stercus proprium adhibitum; uti enim compescit dolorem, ira corrigit & elicit venenum, suppurat, & ad maturationē citò perducit; quod hic probatum fuit in peste ante 40. annos grassante, uti mihi nuperrimè narratū. Stercus vaccinū in doloribus articu. lorū valere suprà dictū, quod tamē hic à stercore humano, propter vim oleo-

oleoſam anodynam, ſalium acidorum correctivam; in ejus oleoſo ſulphure fundatam, ſuperatur; hoc enim recens impoſitum parti ex podagra dolenti valdè imminuit dolorem. Temperat acidum in inflammationibus, & cum allii capitibus morſibus venenatis impoſitum certum levamen adfert. Sic etiam *SAAR in Itinerario in Militia Indiæ Orientalis* refert, quod in India Orientali reperiatur ſerpens, cuius morſus certò ſit venenatiſſimus, ut exindè homo ſauciatus, niſi intra 8. horarum ſpatium ſtercus proprium poſſit imponi, cùm hoc illius veneni ſit alexipharmacum, moriatur. Ulterius ſphaceloſa loca & membra reſtituit, & ab ulteriore progreſſu conſervat; quoniam vim obtinet, quatenus ſtercus humanum ſpiritum, qui totus ſal volatile oleoſum eſt, continet: Conferatur *BECHERUS Phyſ. ſubterran. lib. 1. pag. 314.* Commendatur etiam ad curationem morborum Magico-Magneticam, ut videri poteſt in *ZACUTO LUSITANO*, & *Schmuckio Theſ. 1. pag. 3. in Proœmio*: nam ibi hujus rei habet exemplum *TENZELIUS in Medic. diaſt. pag. 70. & 174.* Utitur ſtercore humano inſtar magnetis pro elicienda mumia microcoſmi ſpirituoſa, beneficio cujus poſtmodum fiunt transplantationes morborum in plantas. In veneficio arcendo notum eſt, quod ſtercus humanum ſit magni uſus, ſi ſcilicet parti dolenti ex veneficio applicetur ſtercus humanum, vel ſolum, vel cum allio, vel aſa fœtida; ſic enim fit, ut illi, qui perpetravit veneficium, ſapiant omnia ſtercus humanum & allium, adeò ut neceſſum habeat ſolvere veneficium. Alii ſtercus proprium impoſitum, ubi aliquandiu jacuerit, in veſica iſtud ſuſpendunt, & ita veneficam veneficium ſolvere cogunt.

Si tandem deſtilletur, prodit *aqua & oleum fœtidum.* Deſtillatur, autem per retortam.

Aqua ex hoc ſtercore deſtillata, ſale volatili oleoſo nonnihil impraegnata, internè, præter vim diureticam, ad calculum, hydropem & epilepſiam conducit: imprimis curat morſus canis rabidi, ſi intrinſecùs propinetur: *externè* eadem valdè convenit in affectibus oculorum, imprimis quidem, ſi ſit ſtercus humanum ejus, qui veſcitur tantummodo pane, & bibit ſolummodo vinū, *FERDINANDUS in hiſt. Mirab. 25.* laudat collyrium ad ſuffuſionem incipientem ex aqua ſtercoris humani deſtillata, in qua fel muſtelæ piſcis miſtum eſt: paronychias quoque, cancros, carbunculos & inflammationes externo uſu ſanat.

Oleum in vulneribus & ulceribus cancroſis & cavis fiſtuloſis mammarum, & in ipſo cancro exulcerato, ſummum eſt remedium; ſi enim oleum hoc illinitur, ulterior progreſſus præcaveri ſolet. Sic pariter convenit doloribus & abſceſſibus ab incantatione ortis.

Ex *ſtercore* hoc humano *PARACELSUS* vult præparare *Ambram Occidentalem*, quæ à quibuſdam vocatur *Zibethum Occidentale.* Notum enim eſt, quod moſchus recens, ſi non ſufficienter oleat, à Mercatoribus in latrinis ſuſpendatur, ſicque odor ejus intendatur; vel cum urina humana ſubigunt, ubi pariter odorem gratum induit: vid. *BOYLE in Philoſophia Experimentali P. 2.* Pari ratione ſtercori, ſi affundatur aquæ quantitas ſufficiens, miſceatur in pultem ſpiſſiorem, ponatur in balneo Mariæ, vel balneo vaporoſo, beneficio diuturnæ digeſtionis & fermentationis fœtor exibit, & ſuavem ſpirabit odorem inſtar ambræ vel moſchi: videatur *HOFFMANNUS Clave Pharm. Schrœderian. L. 2. cap. 75. pag. 106. & 107.* Quod ipſum etiam fit beneficio reiteratæ ſublimationis; ſic enim fit elegans *Pulvis Cyprius*, inſpergendus capillis. Nihilominus *ROSENCREUZERUS in Aſtronom. infer. pag. 252.* dicit, quod Zibethum humanum ſit pinguedo, quæ reperitur circa teſtes maris, quæ ſi illinatur parti genitali mulieris, fœmina attrahat fœtum, & præcaveatur abortus.

De *Genitura* nihil dico, utut *PARACELSUS* indè parare voluerit ſuum *homuncionem.*

Succedit jam *ſanguis humanus*, qui recens contra epilepſiam hauritur, & colligitur ex homine vivo, eoque ſano. Pro epileptico autem uſu colligatur ex homine violentâ morte interempto, imprimis decollato, quod inculcat *LINDANUS*, cùm alius ſanguis vix talem efficaciam habeat. Sunt tamen, qui ſanguinem cervi humano præferunt, potiſſimùm, ſi vitæ prolongandæ gratiâ exhibeatur. Si guttæ aliquot ſanguinis exſtillantis internè propinentur, ceſſat hæmorrhagia. In ſcabie laudatur ab *HARTMANNO in Praxi Chymiatrica.*

Notum enim eſt, quod ſanguini inſit vis ſympathetica, dum adſpergitur pulveri ſympathetico: item ſi linteum, ſanguine ex utero vel naribus &c. madidum injiciatur in ignem, fit, ut omnis ceſſet hæmorrhagia; quod imprimis de ſanguine ex utero fluente verum eſt. Similiter ſanguinis in ferrum candens exſtillantis fumus naribus ſuſceptus, earum hæmorrhagias ſiſtit.

In deſtillatione ejus acquiritur *ſpiritus ſalinus volatilis*, & *ſal volatile.* Encheiriſes operationum ſunt hæ: ſanguis recens grumoſus quidem deſtillatus ſuggerit phlegma, & oleum, paucum verò ſpiritus & ſalis volatilis; ſin verò evaporato nonnihil phlegmate reponatur ad aliquot ſeptimanas, ut ad putredinem nonnihil declinet, & ſitum contrahat, ſal volatile elegans copioſum cum ſpiritu & phlegmate dabit. Experimentum feci cum ſanguine bubulo: hic putrefactus duplo plus ſalis volatilis ſuggeſſit, quàm idem ſanguis non putrefactus deſtillatus. Quod ſi ſanguini recenti deſtillando addatur alcali fixum, plus ſalis volatilis deſtillando ſuggerere ſolet, teſte *MAYOWIO de nitro pag. 160.* An verò ſit differentia quædam ſpiritus & ſalis volatilis ex ſanguine recenti eliciti, ab iiſdem ex putrefacto paratis, ſunt, qui dubitant, utut affirmativam ſententiam defendat *HOFFMANNUS loco allegato pag. 44.*

Spiritus & ſal volatile ſanguinis non ſaltem potentiſſimum eſt ſudoriferum, ſed habetur ſpeciale remedium apoplexiæ & epilepſiæ: in quibus caſibus non tantum feliciter eos expertus eſt *B. D. MICHAELIS*, ſed & confirmatur à *BOYLE in Experim. circa ſanguinem humanum*, & *HELMOTIO Tr. Spiritus vitæ*, ubi inquit, hæreditariam ſe curaſſe epilepſiam hoc ſpiritu & ſale. Imò in apoplexia remedium non contemnendum eſt, & in aliis morbis ſubitaneis quoque confert, in quibus omnibus aliis præfertur; imprimis quidem ſi miſceatur ſpiritus ſalinus ſanguinis humani cum ſpiritu vitrioli, vel cum ſpiritu vitrioli cephalico, & fit miſtura cœrulea vel potius viridis, expertiſſimi uſus in epilepſia. Datur contra epilepſiam, imprimis tempore novilunii, & tempore plenilunii, quoniam eo tempore præprimis ſolet excitari epilepſia. Cum igitur ſpiritus ſãguinis humani adeo conferat ad epilepſiam, hinc inde parati fuere ſpiritus epileptici compoſiti. Si ad ſpiritum ſanguinis humani caſtoreum, aut camphora, aut opium, & alia affundantur, ſpiritum antepilepticum, & hyſtericum egregium habebimus: videatur *BILLICHIUS in Parad. & Obſ. Chym. pag. 115.*

Oleum autem ſuper caput mortuum *rectificatum*, egregium eſt anodynum, ita ut propter luxurians principium ſulphureum quoſcunque ſiſtat dolores; unde in doloribus partium nervoſarum, à vitioſo acido oriundis, optimum eſt remedium. *BECKERUS in ſupracitato Tractatu* habet oleum ſanguinis humani ſecretum, quod cum Luna creſcit ac decreſcit.

Quin & *Quinta Eſſentia* ſeu *lapis Animalis* inde paratur eodem modo, ac *ſupra de cornu cervi inſinuatum*, pro concilianda amicitia inter amicos: videatur *BEGUINUS in Tyrocin. Chym. pag. 352. ſeqq.* & *BECKERUS in Microcoſmo*: ſcilicet ſi ſpiritus cum ſale & oleo proprio in digeſtionem ponantur, & reperitâ cohobatione & præparatione certâ, uniantur in liquorem rubicundum, qui quaſi nucleus totius ſanguinis humani eſt, & vocatur aliàs *lapis Animalis.*

Sanguinis humani Elixyre hydropicos bis curavit deſperatos & conclamatos, intra tres dies, ℥ß. qualibet vice propinando per tres vices, *BORELLUS Cent. 3. Obſ. 16. pag. 290.* quod parare ſolent ex ſanguinis craſſamento per ſpiritum nitri dulcem in tincturam rubineam extracto.

Mumia vitæ alexiteria ab *AUTORE Num. 6.* deſcripta, nihil aliud eſt, quàm ſanguis à corruptione præſervatus. Sanguis irroratur cum ſpiritu vini, acuato cum ſpiritu ſalis & myrrha; & ejuſdem eſt materiæ, uſus & efficaciæ ac reliquæ mumiarum ſpecies.

De *Calculo humano infra de lapidibus in regno Minerali* agetur, quæ huc conferantur.

Mumia antiquâ appellatione eſt nihil aliud, quàm corpus balſamo conditum & exſiccatum, quæ corpora apud veteres fuerunt vel Regum vel Principum in Oriente. Quæ apud nos in Officinis proſtat, parum in receſſu habet, ex eo, quod ſaltem ſit liquamen, quod effluit ex cadaveribus, quibuſcunque morbis defunctis, aloe, myrrha, bitumine & ſimilibus conditis. Hæc autem nullo modo poteſt habere vires Mumiæ veræ Orientalis Principum ac Regum: de qua videatur *WORMIUS in Muſ. l. 3. cap. 36. pag. 344. CHIOCCUS in Muſ. Calceolarii Sect. 6. pag. 696. le FEBURE in Chymia, ERASMUS FRANCISCI in Spec. Artium, & Morum varior. exteror. l. 6. de Sepultur. & Honorib. Sepulchral. pag. 480. JOHANN. JACOB. CHIFLETIUS de Criſ. Hiſtorica de lint. Sepulchral. Chriſti C. 1. & 2. NARDII Commentar. in Lucret. p. 635. LIBAVIUS Singular. p. 3. l. 7. cap. 6. STRUPPIUS Conſenſu celebrior. Medicor. ſuper Exoticis medicam. GRYPHIUS Mum. Vratislav. HORSTIUS in Diſp. pag. 332. CLAUDERUS de Balſamat. Corporum c. 4. GASSENDUS in vita Peireſck 4. p. 153. MATTHIOLUS in Dioſcor. l. 1. cap. 85. & in Epiſtol. Medic. l. 5. pag. 647. CASPAR HOFMANNUS, & KIRCHERUS in Oedipo Ægyptiaco.* Unde propter ejuſdem minùs fidum uſum Mumiæ tam Orientali, quàm hodiernæ, meritò præfertur *Artificialis*, quam vocamus *Mumiam patibuli*, præparatam ex corporibus ſtrangulatis, quæ fumo ſuſpenſa ſiccantur, & cum Aloe, Myrrha, Croco, Cinnamomo, Opobalſamo, Camphora, &c. condiuntur: vid. Paracelſus T. 9. Oper. Tract. 3.

Modum condiendi, quem primus dedit *PARACELSUS*, Differentiam itidem, ac Adulterationem, videbitis in *AUTORE.* Nam certum eſt, quod Orientalis non deferatur ad nos abſque adulteratione.

Ipſa autem Mumiæ vox imprimis è *PARACELSI* ſchola nata eſt, qui præter ſpecies ejus, ab *AUTORE noſtro* recenſitas, duas adhuc habet: corporalem unam, alteram verò ſpiritualem. *Corporalem* quod attinet, ejus nomine intelligit partes corporis violenter mortui ſolidas, quæ concentratæ in ſe continent Mumiam illam &c. Per *ſpiritualem* verò intelligit ſubſtantiam ſubtiliſſimam unicuique concreto inditam, vel ſpiritum vitalem, qui in ſanguine fluctuat, qui vocatur *Mumia ſpiritualis*; & in hoc fundamentum conſiſtit omnium actionum Magneticarum & ſympatheticarum.

Mumia de Piſaſphalto Not. 3. in *AUTORE*, aliàs etiam dicitur *nativa*, & magis nociva eſt, quàm ſana.

Nota 4. eſt *Mumia ſine Mumia*; ſolum corpus non balſamatum, ſed æſtu ſolis ſub arena exſiccatum, & induratum.

Juxta *Notam* 5. autem *pag.* 294. paratur elegans *Mumia*, si sumatur caro hominis suspensi, aut rotâ confracti, & incisa imprægnetur Myrrhâ, exsiccetur successivè, & in fumum suspendatur, qui fiat è ligno & baccis juniperi, utpotè quæ loco mumiæ genuinæ ad quosvis usus & quocunque modo usurpari pôtest. Hæc Mumia propter remanentiam spiritus vitalis mumialis singularium est virium in affectibus capitis frigidis, paralysi, epilepsia, & vertigine; in specie prętęr vim alexipharmacam in dissolvendo sanguine congrumato, & sic in casu ab alto, in vehiculo appropriato, expectando sudorem, item in mensibus promovendis: dos. ʒj. Propter eundem spiritum fermentatum plus habet in recessu in internis viscerum corruptelis, & vi balsamicâ restituere pollet corpora. *Externè* verò nullum ferè paratur unguentum & emplastrum in graviori vulnere consolidando sine admistione Mumiæ præparatæ artificialis: videatur WORMIUS *Mus. pag.* 31.

Aliàs de Corporum Condituris cum euisceratione scripsit *SEBIZIUS in Disputat. de Condit. Cadaverum*, *TIMÆUS à Gulden Klee*, *l.* 6 *Epist.* 10. *PHILIPPUS GUIBERTUS*, *HORSTIUS*, *HOEFERUS in Herc. Med. l.* 5. *cap.* 2. *ROLFINCIUS de Purgantibus Vegetab. Sect.* 1. *Artic.* 2. *cap.* 24. *VELSCHIUS in Observat. Reusn. Observ.* 102. *pag.* 105. Corporum verò Conditurus sine euisceratione videbitis in *JESSENII à JESSEN Append. Institut. Chirurg. p.* 105. & *CLAUDERI Meth. balsam. Corpora.*

Extractum seu *tinctura Mumiæ* cum spiritu Terebinthinę *Quercetani* internè confert ad præservandam putredinem internam, & vi balsamicâ ad ulcera.

Alii recipiunt frustula, & cum aloe & Myrrha inspergunt, imbibunt aliquoties cum spiritu salis, postea exsiccant frustula humida; deinde cum spiritu vini, vel, quod meliùs est, cum spiritu baccarum juniperi, extrahunt *Tincturam* seu *Essentiam Mumiæ* elegantem, quę ad casum ab alto & sanguinem congrumatum, magni usus remedium est: Unde *CLAUDERUS Tr. de Balsamat. Corp. pag.* 195 *tincturam Mumiæ* paravit per extractionem cum cineribus clavellatis in aqua destillata quadam solutis, sub nomine *Essentiæ Purificantis*.

Oleum olivarum mumiatum revera est optimum *Balsamum vulnerarium*.

Reliqua de Mumia videnda sunt in *AUTORE nostro*.

Cutis, & exinde paratum *Cingulum*, frequenti in usu est ad passiones hystericas, uti etiam ad pellendum fœtum mortuum, item ad partum difficilem: de cujus præparandi modo videatur *BARTHOLINUS C.* 3. *Hist.* 87. ubi effectus & præparandi modum cingulum ex corio humano, habet. Sed hujus loco *LUDOVICI in Pharm. Corium cervinum* substituit.

Pinguedo humana præ reliquis nobis convenientissima est, & inter pinguedines temperatas primatum obtinet vi anodynâ & emolliente; unde conducit in affectibus Paralyticis & trementibus, relaxatione tendinum, fibris contractis & induratis, tendinumque subitanea contractura ac induratione, quæ sequitur contracturam in paralysi & tremore, permista cum balsamo Peruviano & oleo lavendulæ; penetrat egregiè & emollit. Convenit etiam pinguedo hæc in atrophia & aridura, mixta cum Arcani aluminis Wurzii debita dosi in formam linimenti: *Conf. BACO de VERULAMIO Sylva Sylvar. C.* 1. §. 58.

Linimentum Autoris cum spiritu vitrioli est egregium in Aridurис, quoniam est valdè penetrans.

Pinguedo mista cum cinerum vitis vel vulgar. part. ij. vel iij. & per arenam destillata, suggerit *Oleum empyreumaticum*, sed volatile admodum & penetrantissimum, oleo philosophorum simillimum, & singulare in dolore artuum chronico, paralysi. Conferatur *BORRICHIUS Tr. Sapient. Ægypt. pag.* 331. Potest destillari & rectificari ab ossibus humanis calcinatis; proderit sic in contracturis partium, tophis podagricis, luxationibus articulorum, aridura, fractura ossium pro consolidationis promotione, aliisque similibus malis. In aridura miscetur cum oleo Philosophorum, & Arcano aluminis: Nempè sal volatile copiosum concentratum in hoc oleo, vires hujusmodi resolutivas, & acidi dolorifici correctivas, exserit; quodque recens odorem instar salis cujusdam volatilis reddit. Si ipsi spiritus vitrioli instilletur occultè, sed cum æstu, & fumi albi eructatione effervescit, adeoque naturę insigniter alcalinæ erit; quod pariter de aliis pinguedinibus asserendum videtur.

Ossa humana considerantur, vel in genere, vel in specie *ossa cranii humani*. *Ossa humana* autem, vel cum ebore, vel cornu cervi, vel cum aliis animalium partibus durioribus, colludunt, similemque præparationem habent. Et licet quidem omnia reliqua ossa vi absorbendi acidum similiter conveniant; interim tamen & vim suam specificam quoque habent. Cum enim Acida varient, ita ut aliud in vulneribus, aliud in podagra peccet; ita & remedia illa absorbentia diversa sunt: unde lapilli cancrorum acidum in vulneribus & ulceribus peccans absorbent; lumbrici acidum arthriticum in arthritide vaga destruunt & invertunt; & ita porrò: sic ossa humana pariter in dysenteria & in doloribus artuum specificè conveniunt, & reliquis omnibus efficaciora solent esse. Sed *an in his præ aliis aliorum animalium ossibus singulare quid obtineant?* meritò dubitari potest. Beneficio ossis humani integri potest fieri purgatio artificialis tanta, quantam volumus: si recipiatur os ex pede, vel brachio, vel femore hominis, violentâ morte interempti, & hoc, exemptâ medullâ, impletur cum stercore alicujus hominis, foramina obturantur cum cera; & sic in aquam calidam immititur, hoc quamdiu jacet in aqua calida, tamdiu expurgatur iste, cujus stercus fuit inclusum, adeò ut sic aliquem usque ad mortem purgare possimus. Potest etiam fieri alio modo, ut quis omni noctе lectum suum maculet, sed est ludicrum.

Præparantur vel cum igne, vel sine igne: Cum igne præparata, vel parum, vel nihil præstant: potius sine igne seu Philosophicè præparata adhibentur, & hęc dicuntur vim habere laxativam *AUTORE PARACELSO & CROLLIO*. Propterea *CROLLIUS & PARACELSUS* illa cũ medicamentis purgantibus antipodagricis sẽper permiscuere, cũ in arthritide per se à ℈j. vel ʒß. ad ℈ij. pro alvo laxanda adhiberi possint. In dysenteria etiam cum aliis prosunt singulariter: In paralysi & tremore artuum commendantur permista cum specifico cephalico & cinnabari antimonii, quos affectus per sudorem, pręmissis universalibus, certò curant, & fuerunt experimentum D. *MICHAELIS*. Formulam habuit hanc:

℞. *Oss. microsm. sine igne præp.* ℈j. vel ʒß.
Cinn. antimonij ritè præp. ℈ß. vel gr. xv.
M. D. S.
Pulvis sudoriferus pro una dosi.

qui pulvis est egregius in paralysi. Nam cura paralyseos consistit in sudore uno vel altero; unde quando sudabit æger, statim meliùs sese habebit.

Dicunt, quod si costa ex suspensis pulverisetur & assumatur, singulariter prosit in dysenteria: de quo vid. *STARICIUS in Helden-Schatze*, *pag.* 122.

Externè ossa calcinata in pede vulnerato & malè curato commendantur à *le FEBURE p.* 2. *l.* 2. *pag.* 206.

Ossa humana destillata dant *spiritum* & *sal volatile*, quę valdè conveniunt in doloribus artuum & dysenteria pro sudore.

Sub destillatione simul prodit *Oleum*, quod convenit in tophis & gummatis Venereis in specie; hinc in podagra & affectibus aliis articulorum externè illitum. In fracturis tanquam singulare remedium laudatur ab Agricola in Chirurg. pag. 329. Ulcera serpentia, præmissis præmittendis, cum tantillo colcotharis mixtum, mundificat, & sanat, teste *le FEBURE in Chym. pag.* 307.

Ossibus similes sunt *Dentes*, qui ipsi ex homine, imprimis violentâ morte interempto, commendantur in impotentia & morbis per veneficium, si nimirum ex illis fiat suffitus. Dens hominis longâ tabe interfecti, si applicetur denti poroso & carioso, exinde fit, ut iste spontè decidat.

Pro cæteris autem *Ossa cranii humani* in frequenti usu sunt. Eligendum est Cranium, quod ex homine violentâ morte interempto reperitur, vel ex patibulo, vel ex rota, imprimis si ad aliquot annos sub dio vel cœlo jacuerit, & sit nitidum & purgatum ab omni sorde; hoc enim præfertur ei, quod ex cœmeteriis ex hominibus naturali morte mortuis desumitur, quod parum vel nihil effectuum eorum habet qui tribuuntur illi. Hujus ossa tantum rosa, aut pro more ossium præparata & assumpta, in frequenti usu sunt in dysenteria, affectibus arthriticis, & epilepsia: sic novi hîc rusticum, qui multos epilepticos, juvenes & adultos, feliciter hoc ipso curavit & præservavit ab epilepsia. In pavore nocturno, qui solet esse prodromus epilepsiæ, est expertissima rasura cranii humani, & instar baseos cum succinatis, cinnabari antimonii, salibus volatilibus, &c. in quam plurimis pulveribus epilepticis præscribi solet, modò legitimũ habeatur. Encomia pro Cura membrorum convulsionibus affectorum videbitis in *BORRICHIO loco citato pag.* 335. Potus haustus ex cranio humano taliter collecto, est expertum remedium in scrophulis, fultque secretum *HARTMANNI*; & usu comprobatum à D. *MICHAELIS*, qui fœminam scrophulis laborantem hausto potu ex cranio humano observavit liberatam. Milites putant, si quis ex cranio humano hauriat potum, fore ut sit immunis ab insultibus armorum. Imprimis ex cranio commendatur *os triquetrum*, quod fit ex concursu futuræ bifidæ seu sagittalis cum osse lambdoideo, præ reliquis specificum in epilepsia vid. *HILDANUS C.* 1. *Epist.* 95.

Præparari solet *Cranium humanum* cum aqua spirituosa liliorum convallium, est & potens specificum antepilepticum.

Per retortam destillatum suggerit *sal volatile* & *spiritum urinosum*, qui à capite mortuo rectificetur. Sunt specifica in affectibus capitis, in apoplexia, &c. in specie in epilepsia.

Galreda similis ex cranio humano paratur, ac ex cornu cervi, quę in apoplexia, epilepsia, aliisque affectibus capitis commendatur.

Extractum Galredæ Theophrasti est potens antepilepticum. Simili modo *ex cornu cervi* cũ spiritu hyperici *Galreda* paratur contra vermes infantum, ex unicornu cum spiritu melissę contra morbos malignos, uti ex ebore cum spiritu melissæ contra mulierum pathemata.

Sunt, qui præparant *Essentiam cranii humani ex gelatina* hoc modo:

℞. *Rasur. Cranii humani*:

Affundunt acetum destillatum ad supereminentiam trium digitorũ, hoc relinquunt in digestione, deinde exprimunt, & accipiunt *Gelatinam*: Gelatinę inspissatę affundunt *spiritum vini*, digerunt, in fundo subsidet oleum coloris aurei, quod separandum est per inclinationem, & hæc est revera *Essentia Cranii humani*, quæ ad epilepsiam singulariter commendatur.

Usnea

Uſnea cranii humani, ſeu *muſcus*, qui creſcit in craniis hominum violentâ morte interemptorum, aeri expoſitus, eſt ſingulariſſima plantula, ut rectè inquit *HELMONTIUS in Tractatu Magnet. vulner. curat.* Similiter creſcit in aliis oſſibus muſcus: ſed non eſt adeò elegans, & potens in talibus affectibus, quibus cranii. Seminium habet ex aere, & ſuccum nutritivum ex cranii liquore: unde propter Vegetationem ſingulare quid obtinet. Rarò autem reperitur, niſi in capitibus per longam annorum ſeriem aeri expoſitis.

Hæc Uſnea eſt multi uſus: notum namque eſt quod quaſcunque hæmorrhagias quocunque in loco obortas, tam intrò adhibita, quàm ſolà applicatione, ſtatim ſoleat coercere & curare, quàm in manibus ſaltem detenta: videatur *SENNERTUS in Praxi l. 1. P. 3. Sect. 4. cap. 8. p. 954. BOYLE in Philoſoph. Experiment.* Et ſi fieret digeſtio uſneæ cum tinctura ſulphuris vitrioli, ſanè poſſent fieri miracula in compeſcenda hæmorrhagia, & eſſet medicamētum ſtupendum. Quin & *KIRCHERUS in Regno naturæ ſympathetico* etiam externè contra infantum epilepſiam multum prodeſſe ſcribit. Contra penetrabilitatem armorum verò laudatur ab *HELMONTIO loco citato §. 45. 57. ſeqq. pag. m. 757. & 758.* & *STARICIO Tr.* qui inſcribitur Germ. *Helden-Schatz*, *pag. 98.* Aliàs baſin unguenti armarii & ſympathetici conſtituit, & hinc propter hanc vim telis illitum in vulnerum ab ipſis inflictorum curatione eſt efficax. Deſcriptio, cujus primarius Inventor eſt *PARACELSUS*, eſt hæc:

℞. *Uſn. cran. hum.* ℥ij.
Mum. veræ (in defectu hujus *Mum. patibuli*) ℥ß.
Boli Armenæ,
Olei roſar. an. ℥j.
Lini ℥j.
M. f. unguentum.

Sunt, qui non ſine ratione & effectu addunt *pinguedinem urſinam* & *aprinam*.

Rationem ſingularium virium uſneæ ſufficientem ſubminiſtrat *HELMONTIUS in ſcriptis*, in ſpecie *loco ſuprà citato pag. 602. §. 44. 45.* Conferantur etiam M. A. N. C. *Ann. 2. Obſ. 53. pag. 98. ſeqq.* ubi multa de uſneæ cranii humani virtutibus, & largiore comparatione: Sed quoniam rara eſt talis uſnea, & non niſi ex craniis diu aeri expoſitis, eaque parca colligitur, hinc ſunt, qui loco hujus uſneæ arte faciunt muſcum hunc Vegetatum:

Recipiunt muſcum è lapidibus grandioribus pratorum, eumque menſe Aprili collectum, & leviter exſiccatum, pulveriſant groſſo modo in mortario vitreo, irrorando cum vino Malvatico vel Petri Simonis, ut conſiſtentiam pultis craſſioris acquirat: poſtmodum hanc pultem cum cultro illinunt cranio rotâ fracti cadaveris admodum ſubtiliter; ubi ſenſim exaruerit, denuò repetunt: ponunt ſub dio ſeu cœlo aperto radiis ſolaribus; quoties verò pluviæ ſuperveniunt, dimovent à loco: aliquoties hæc reiterando, uſque dum effloreſcat, & poſtmodum uſneam inde colligunt, quæ non eſt inferior uſneâ ex cranio ſponte proveniente: videatur *HILDANUS C. Epiſt. 27.*

Aliàs in uſneæ cranii humani defectu quidam etiam ſubſtituunt muſcum ex tegula, quem in hæmorrhagia narium aceto imbutum vertici imponunt: vid. *BARTHOLINUS in Hiſtor. Anatom. Cent. 5. Obſ. 97.*

Cerebrum humanum eſt certiſſimum ſpecificum in Apoplexia, uti etiam in Epilepſia.

Per deſtillationem ſuggerit *aquam copioſam & oleum*. Quia autem empyrevma olet, ſi deſtilletur per retortam, melius eſt, ut priùs deſtilletur in balneo Mariæ, & eliciatur aqua, poſt ex reliqua maſſa exprimatur oleum, quod egregium eſt antepilepticum. Aqua hæc à *BARTHOLETO* contra memoriam amiſſam, eamque confortandam, maximè laudatur; vis enim egregia cephalica in ea latet; imò & vis anodyna: quare & cōntracturis tendinum & nervorum aqua cum oleo illita egregium eſt remedium. Melior erit hæc aqua, ſi cum aromaticis & floribus cephalicis aliquoties deſtilletur, v. g. floribus liliorum convallium, lavendulæ, cardamomo, caryophyllis, &c. Aliàs de ſubſtantia cerebri oleoſa, deque oleo ejuſdem pingui, aliiſque productis, optimè poteſt videri *BURRHUS in Epiſt. ad Bartholinum de Cerebro Epiſt. 1. pag. 15.* ubi ſunt ſingularia & lectu digna.

Per ſe parum *ſpiritus* ſuggerere ſolet; ſi verò aliquandiu in fruſtula inciſum ſeponatur, ut inchoato putredinis motu ejuſdem oleum reſolvatur, & hinc affuſo ſpiritu liliorum convallium deſtilletur ac rectificetur, haberi poteſt *ſpiritus urinoſus* oleoſus ad capitis affectus, ad epilepſiam, & ſecundum quoſdam ad deperditam memoriam, planè ſingularis.

Fel humanum deſtillatum ſubminiſtrat *aquam* inſignem *ophthalmicam*, quæ maculas, ſuffuſiones, ungues, & pannos oculorum, certò detergit & abſtergit. Burrhus ad delendum unguem oculorum ſolet adhibere fel humanum, deſtillatū in cucurbita cum alembico cæco.

Fel humanum inſpiſſatum cum ſpiritu vini digeratur, & extrahitur *Eſſentia*, per filtrum ſeparanda. Talis Eſſentia tanquam ſingulare ſpecificum in curanda ſurditate & tollendis aurium affectibus, commendari ſolet.

Appendicis loco conſideranda venit controverſia: *An remedia ex corpore humano deſumpta peculiarem habeant prærogativam præ aliis remediis congeneribus, ex aliis animalibus deſumptis?*

Hic primò *duo conſideranda*:

1. *Textura partium animalis materialis.*
2. *Participatio earundem de radice vitæ*, ſeu *ſpiritu influo & inſito*, vel inde derivanda quadam efficacia formali.

Quoad *prius*, *materialiter* nempè *conſideratæ partes humanæ*, hîc iterum conſiderandæ ſunt ſub *duplici ſtatu*; vel

(α) Quatenus ſibi relictæ ſaltem ſuperficiali triturâ, exſiccatione, aliovè crudiore modo, paratæ ſunt: &

(β) Quatenus ignis ope, vel per putrefactionem, vel aliâ ratione texturam concreti multum immutante ſunt elaboratæ.

Ratione prioris nullum dubium eſt, quin ex ſuperficiali ſui compoſitione & textura à ſemine nata, ſpeciales ſuas, plus minus ab aliis animalium partibus differentes, proprietates obtineant. Nam ſicuti ebur, cornu cervi, pulvis viperinus, ſanguis hircinus, lapis cancrorum &c. ſpeciatim à ſe invicem differunt; ita etiam ab his ipſis cranium pulveriſatum, aut ſecundinæ pulvis, aut lac aliave differre & viribus, admodum probabile eſt.

Ratione poſterioris verò, & quoad præparationem vel per ignem, vel per putrefactionem, vel alios modos, texturam concreti admodum invertentes, arbitror, inter præparata hinc remedia paucam, vel nullam ratione virium præ aliis his congeneribus eſſe differentiam; adeo ut dubitare fas ſit, *an ſal volatile ſanguinis humani*, urinæ humanæ, ſecundinæ, cranii hnmani, cornu vervi, viperarum, ſanguinis porcini, &c. per putrefactionem parata ullam etiam minimo effectu medico ſenſibilem inter ſe habeant differentiam. Nam utut ſecundùm aliqualem olei participationem ſpecialiùs nonnihil differre videri poſſint; differentia tamen ex inde emergens exilis adeò erit, ut in uſu Medico nullam ferè mereatur conſiderationem.

Quoad *poſterius*, nempè quoad *efficaciam* quandam *formalem*, quam ex participatione radicis vitæ, nempè ſpiritus, habere debeant, diſcrepantes de hoc ſunt Practicorum ſententiæ. Quidam nempè affirmant partes ab animali vel vivente, vel violenter mortuo, deſumptas multùm differre ab iiſdem, quæ ab animali ſpecificè & ſpontè mortuo petuntur; quatenus nempè illæ de mumiæ totius vitali ſpiritu, nempè primario inſito, hinc & influo participent, indeque ſpeciales agendi virtutes poſſideant, quas ab ideis paſſionum ſeu affectuum in ſpiritibus iſtis ſigillatis derivant *HELMONTIUS* & *MARCUS MARCI*; qui poſterior multùm intereſſe ſcribit ad hominis ſanitatē cōſervandam, qua morte pereat animal quod ad eſum paratur.

Adeoque & ſanguinem pro ſpiritu deſtillando, vel ex homine ſano emiſſum, vel ex decollato collectum, recipere jubent. Unde etiam cranium violenter interempti vi epilepticâ longè ſuperare dicitur aliud, ex ſpontè mortuo collectum; adeoque ex illo ſaltem uſnea, non ex hoc, colligenda ſit.

Quoad hoc negotium ſatis ſpinoſum, Reſponſio triplici obſervatâ circumſtantiâ eſt limitanda:

1. Omnis præparatio, quæ vel per ignis vim, vel per putrefactionem, vel per ſolutiones per menſtrua corroſiva, vel aliis modis perficitur, deſtruit tam texturam materialem concreti ex ſemine priùs natam, quàm efficaciam formalem à ſpiritu mumiali dependentem. Deſtruitur enim ſic & invertitur concretum, fatiſcit, &, ut ſic dicam, annihilatur Mumia vitalis; adeoque ſic nulla ab aliis congeneribus, etiam aliorum animalium, præparatis erit differentia.
2. Remedia, quæ immediatè vel multum de ſpiritu participant, & proximè & ſine magna interjecta temporis mora pro uſu adminiſtrantur, reverâ, ratione ſpiritus influi præſertim, omni efficaciâ formali, à principio vitali dependente, non deſtituta ſunt. Conferatur hîc v. g. ſanguis recens in pulvere ſympathetico, item ſudoris viventium & morientium differentia, item ſanguinis leporini ſecundùm *HELMONTIUM* diverſitas.
3. Remedia ex corpore humano deſumpta, parum de ſpiritu participantia, aut etiam diutiùs aſſervata, præſertim partes ſolidæ, minus de ſpeciali & formali agendi proprietate participare videntur.

Hic dubitatur meritò: *an cranium hominis violenter interempti ſpecialem habeat prærogativam antiepilepticam præ cranio hominis ſucceſſivè mortui?* vel etiam *præ aliis oſſibus, tam humanis, quàm leporinis?* Sic pariter nec pulmo vulpis commodè phthiſicis propinatur, ut meritò ridet hoc *HELMONTIUS*; quin in talibus, ſi quæ vis adeſt mumialis in violenter interemptis partibus, hæc aut adeò exilis erit, ut vix ſpecialis differentia inde ſuſpicanda ſit, vel brevi temporis morâ pedetentim adeò evaneſcet, ut nihil amplius ſupereſſe queat. Uſneam interim non rejiciendam puto, utpotè quæ ex cranii & cerebri reſoluto nutritivo humore ſimul nutritur & vegetatur.

LEPUS.

Lepus eſt animal congener homini, & ſatis cognitum.

Exhibet *Cinerem*, qui eodem modo, atque vult *AUTOR*, collectus & paratus, vi diureticâ valdè commendatur in promovendo calculo, ſi interiùs aſſumatur: videatur *SOLENANDER Sect. 1. Conſ. 5.* & *FORESTUS L. 24.*

Oculi leporis vertici applicati, pellere fœtum, dicit *AUTOR*: cujus rei experientiam primus manifeſtavit *HARTMANNUS*, & ceu certum ac expertum commendavit: Idem tamen videtur confirmatum à

MAJORE in Tract. de Inunctione Vert. §. 6. uti etiam in *RIVERIO lib. 15. Praxeos cap. 18.* & mirandum, quod oculus leporis applicatus vertici pellat fœtum & secundinas.

Plura de oculis leporis videbitis in *MACASII Promptuario Medico*.

Sanguis leporinus est egregium experimentum in curanda dysenteria, ex lepore probè in venatione agitato, adeoque in summo pavore mortis constituto: tunc per juguli incisionem colligatur sanguis, & ita linteis mundis excipiatur & exsiccetur. Sic sanguis exsiccatus & pulverisatus, ac dosi ℈j. in aqua appropriata assumptus, contra epilepsiam internam, dysenteriam & erysipelata, singulare est remedium: Videatur *HELMONTII Tract. Potest. Medicam. pag. m. 476.* ubi eleganter de hoc sanguine discurrit, quod idea pavoris, sanguini in fuga impressa, curet dysenteriam: videatur etiam *MINDERERUS* in Medicina Militari, pag. 42. Capiatur tempore verno aut mense Martio. Pro usu sumatur linteum cruore leporis tinctum, infundatur in haustum vini, vel aquam appropriatam, donec omnis color extractus: postmodum vinum infusionis hauriatur, & remedium erit planè singulare in dictis affectibus, imprimis dysenteria, uti D. *MICHAELIS* hoc ipsum propriâ experientiâ edoctus confirmavit; & à *SCHMUCKIO* quoque laudatur *in Thesaur. 2. Secret. Med. 10.* Ubi tamen sanguis his defecerit, sanguis agninus, si benè priùs agitaretur, & in terrore ac pavore interficeretur, substitui posset pro usu dysenterico. *Externè* linteum sanguine leporino imprægnatum imponatur quoque erysipelati, locisque podagricis, & noctu dolentibus, qui brevi post sublevantur; sistendo enim dolorem, euanescere solet tumor.

Porrò *Cerebrum leporinum* ad difficilem dentium proventum in infantibus, æquè ac sanguis ex crista galli incisa, adhibetur, quod, ut citò appareant dentes, gingivis illinatur. Sed observetur, esse forte admodum remedium, & non nisi aliis extraneis & frustraneis adhibendum.

Cor, tanquam certum experimentum ad quartanam commendatur. Sumatur scilicet Cor leporis in fuga dicto modo capti, probè discindatur, exsiccetur lentè, pulverisetur, & dividatur in tres, vel quatuor partes; quarum una semper sumatur in quartana ante paroxysmum: videatur *SENNERTUS in Praxi p. 313.* de febribus, & adhuc fuit confirmatum ab experientia: sic Doctor Tobias Tornerus multis hominibus propinavit hunc pulverem in quartanis, id quod videbitis in *HORSTII Obs. lib. 4. p. 234.* ubi in Epistolis Medicis, quas ad eum scribit, pulverem cordis leporis mirè in quartana laudat. Sed hoc non semper succedit, nisi priùs in fugam actus lepus interficiatur, dum adhuc versatur in pavore: de illo, qui est ex improviso & casu interemptus, non semper prosper expectandus eventus.

Uterus leporinus commendatur valdè in hydrope uteri, & ad impediendam sterilitatem mulierum, si siccetur, & propinetur, aut assetur & commedatur; imprimis si fiat Essentia ex matrice leporis & secundinâ mulieris fœcundæ, & propinetur internè, mulieres steriles conceptioni idoneas reddit: loco matricis leporinæ matrix suilla, vel cervina potest usurpari. Aliàs in *sterilitate* fuerunt *Hartmanni secretum* testiculi cervæ, vel ex istis præparata Essentia.

Quod dicitur de matrice leporina, valet de *Coagulo leporis*, si propinetur mulieribus finito fluxu mensium, quod in sterilitate mirè etiam commendatur.

Officulum Tali, Germ. *der Hasensprung*, commendatur in inflatione stomachi, & in colica.

Axungia leporina præ cæteris pinguedinibus in usu est chirurgico pro aperiendis abscessibus suppuratis, in specie vetus axungia illinitur loco affecto. Præter dictam vim etiam optima est pro eliciendis spiculis, frustis lignorum, globulis, aliisque partibus heterogeneis ex vulneribus partium, ubi vel illinatur, vel cum duplo emplastri de betonica, aut solum, aut cum lapillor. cancrorum pulvere mistum, applicetur. Tandem in herniosis applicatur axungia leporina, illita corio, spinæ dorsi, vel sola vel mista cum axungia ursina, & sic adjuvat retentionem & repositionem intestinorum prolapsorum. In Enterocele, uti dico, seu hernia intestinali, valdè solet convenire.

Pili, dicit *AUTOR*, linimentis sanguinem sistentibus miscentur; hinc adeò fuit famosum *Galeni unguentum* ex aloe, myrrha, thure & pilis leporinis combustis ana: quod in specie commendatur ad hæmorrhagiam in Arteritomia, quæ aliter difficulter potest sisti propter sanguinis impetuosum nimis affluxum.

LUPUS.

Lupus pauca suggerit Medicinæ usitata.

Mulierculæ *dentes*, uti notum est, argento inclusos dant infantibus pro fricandis gingivis, ut facilitetur eruptio: videatur *AUTOR*: sed nil valent.

Hepar lupi ad ʒj. in aqua appropriata propinatum, commendatur in scirrho lienis. Ex eodem fit *Electuarium Neapolitanum* ad curationem morbi Gallici, cujus descriptionem habet *Bartholetus in Encyclop. pag. 167.* quod laudatur post morbum Gallicum ad excitandam appetentiam & corroborandum ventriculum.

Intestinis vis ad colicam tribuitur: videatur *RIVERIUS in Obs. 2. Pachequo communicata*. Et sunt qui faciunt ex intestinis lorum seu cingulum, quo circumdant abdomen & lumbos pro cura colicæ: sed falsum est. Interdum stercoris loco usurpantur in colica.

Stercus enim revera est decantatum & expertum remedium contra dolores colicos, in quibus unum est est optimis experimentis, universali autorum consensu; de quo videatur *SENNERTUS lib. 3. Praxeos p. 260.* uti & *HARTMANNUS in Pr. Chymiatr. p. 154.* & hoc confirmat per experientiam *FORESTUS Lib. 21. Obs. 15.* uti etiam *AMATUS LUSITANUS C. 3. Cur. 12.* item *RIVERIUS C. 1. Obs. 89. & 86.* In specie *PANAROLLUS Pent. 3. Obs. 46.* ad quamcunque colicam, ex quacunque causa universaliter obortam, ceu singulare & rarò fallens experimentum, mirè commendat, & reliquis præferendum suadet, dicendo, se quosdam etiam desperatos colicos stercore hoc curasse. Datur ad ʒj. in vehiculo calido.

Sæpius fit, ut in stercore lupino reperiantur ossicula, quæ propter duritiem subterfugiunt ventriculi digestionem: hujusmodi ossicula pulverisata cum successu in colica propinantur & commendantur. Dicunt quoque; si stercus lupi inferatur ovili, quod exinde admodum trepident oves.

Pellis lupi ad dolorem colicum multùm commendatur ab Autoribus. Dicunt etiam quod lupi pellis pro veste gestata procreet audacem animum: de quo videatur *BRUSSUS in Operibus Med. Epist. 24.*

FABER in Myrothec. Spagyr. habet Quintam Essentiam lupi, quam multum commendat externè in ulceribus malignis.

LYNX.

Lynx rarò vel nunquam præscribitur: propterea nihil habeo, quod de illo dicam.

MOSCHIUS, seu MOSCHI CAPREOLUS.

Moschius aliàs dicitur *Cazella Indica*, *Capra Moschifera*, *Asiatica*, & *DORCAS*, seu *Cervus Odoratus*: vid. *KLOBIUS de Ambra p. 66.* Est animal instar cujusdam capræ, quod suggerit liquorem odoriferum, scilicet Moschum, cujus animalis iconem & descriptionem videbitis in M. A. N. C. *Ann. 6. pag. 171.*

Quæritur de Origine, Collectione & Natura Moschi: apud omnes enim Autores confusa est ejus relatio. Vulgò refertur, quod Moschi capreolus circa umbilicum gestet vomicam vel abscessum, in quo certo tempore aperto per corruptionem generetur liquor pretiosus, quem dicimus Moschum. Hæc est vulgaris & communis, sed falsa traditio. Sunt alii, qui Moschum esse testiculos animalis existimant, quod vero quoque non respondet: vid. M. A. N. C. *Ann. 4. Obs. 205. pag. 287.* & *ann. 9. & 10 Obs. 38. pag. 107.* Mihi verò magis arridet plurimorum experientia, veritati magis conveniens, qui dicunt; Moschum propriè ita dictum colligi in folliculo appropriato, ceu determinata parte, generationi & secretioni Moschi destinata, non secus ac Zibethum aut castoreum: Colligitur scilicet in capsulis supra genitalia in ventre sitis haud procul umbilicum. Atque hoc modo genuinus ex suo receptaculo colligitur Moschus.

Præterea totum animal est Moschus seu Moschiferum: Nempè non tantum ex testiculis animalium horum potest colligi præstantissimum Moschi genus; sed præterea etiam datur Moschus adulterinus, ob veri moschi pretium, raritatem & caritatem. Adulteria hæc multiplicia sunt. Familiarissimum est illud: capellam Indicam, Moschiferam scilicet à canibus venaticis agitatam, venatores fustibus miserè contundunt & lacerant, ut in toto corpore tubera congrumata oriantur, ex quibus verberibus animali mortuo enatos tumores ex sanguine grumoso filo constringunt, & sic ad aliqualem putrefactionem asservant, tumque Moschi parum addunt; unde exsiccatum intensum odorem moschi spirat.

Et hic est Moschus adulteratus, qui ad nos solet adferri pro legitimo; cum tamen illè sit legitimus, qui ex folliculo ad umbilicum sito colligitur; de cujus Ortu & Generatione vid. *MANDELSLOH in Itinerario*, *BARTHOLINUS in Actis Medicis*, *CASTELLUS de Hyæna odorifera pag. 52.* *JONSTON. in Hist. animalium cap. 7. de Castore pag. 126. & 225.* *HIGHMORUS de Aff. hypochondr. c. 6.* *SCHROECKIUS de Moscho*, *BELLONIUS l. 2. Observat. 14. & 15.* *CHIOCCUS in Mus. Calceolarii*, *SALOMON ALBERTUS Orat. de Moscho*, *MACCABÆUS de Confect. Al-Cherubes*, *à Strobelbergero Anno 1627. latinitati donatus, p. 11.* & *EICHSTACHIUS Tr. de Conf. Alcherm. cap. 13.*

Unde solet interdum adulterari & multiplicari Moschus cum sanguine humano & columbino additis quibusdam aromatibus. Facit huc; quod Moschus longo tempore amittat odorem suum, tamen recuperat, si irroretur cum urina pueri, vel si suspendatur in latrina humana. Asservatur igitur in vasculis plumbeis, ut odor & vis dissipabilis metallo quasi vincta teneatur: vid. *SCHROECKIUS Histor. Moschi cap. 7. pag. 27.*

Quæritur: *Unde nam oriatur odor Moschi?* Ad hoc dicunt oriri ex plantis suaveolentibus & odoriferis, quibus vescuntur animalia. Dictus autem odor haud adeò rarus est, cum & per putredinem intendatur æquè ac producatur. Sic præter Moschium animal, sunt etiam animalia, quæ rejiciunt excrementa Moschi odorem spirantia. *RHODIUS C. 3. Obs. 98.* refert, quod reperiantur interdum recrementa quorundam serpentum, quæ & ipsa Moschi odorem fundant. De odore Moschato recrementorum crocodili, piscium quorundam,

dam, imò hominum, videatur *CASTELLUS loco citato*, & *BARTHOLINUS in Hiſt. Anat. 52. Cent. 6.* ſicut & *Hiſt. 86.* refert nonnulla de odore Moſchato uri (*des Vr-Ochſens*) pilorum.

Quoad Uſum: eadem, quæ *de Zibetho* dicta, etiam hîc applicari poſſunt; ſiquidem notum eſt, quod ſit ſubjectum odoratiſſimum, ſpiritus animales mirè afficiens; unde prodeſt interdum iis præſertim interno uſu, qui nocere aliàs creditur: Conferatur *LUDOVICI Pharm. pag.* 646. & 647. Aliàs Odores in genere diſtinguuntur in graveolentes, ut odor aſæ fœtidæ, galbani, pilorum, & pennarum animalium accenſorum; & ſuaveolentes, qui ſpiritus animales blandè afficiunt, ut moſchus, & olea deſtillata aromatica penetrantiſſima. Talia ſuavia odorifera omnia & gravia conveniunt, quod volatili ſuâ penetrantiâ mirè afficiant Spiritus animales, eorumque intendant vim, eoſquè agiliores, volatiliores, ac mobiliores reddant; unde torpidos excitant, deficientes nonnihil reſtaurant, & virium imbecillitatem odore ſaltem corrigunt. Hunc in finem additur Moſchus & Zibethum, quæ tamen in iis, ubi ſpiritus animales agiliores & volatiliores ſunt, ut & in iis, qui gravioribus meditationibus, imò qui nimio ſtudio indulgent, cautè uſurpentur: Ratio eſt, quia in majores & diffuſiores impetus aguntur; ſpiritus enim non nihil ſubtiles nimiſque volatiles diſſipant, quin imo ſimul inebriantem ſeu caput turbantem vim habent. Hinc, qui pro confortanda memoria iis nimiùm utuntur, tandem ſpirituum defectum inde ſentiunt, ob nimiam volatilitatem; legitimè verò uſurpata in affectibus capitis ſumma medicina ſunt. Notum etiam eſt, quod mulieres plurimæ non ferant Moſchi odorem: Nam obſervetur, quod mulieribus, ſi ſint epilepticæ cum paſſione hyſterica, graveolentia noceant; ſuaveolentia verò conducant: ſi contrario modo, contrarium. Sanè quanta ſit ejus penetrantia, innoteſcit ex *RIVERIO C. 4. Obſ. 35.* qui ex aſſumptione Moſchi pro curatione Quartanæ, poſt paroxyſmum ſudorem, moſchi odorem ſpirantem, refert. Vulgo commendatur Moſchus, quod ejus odor conveniat in arcenda peſte: de quo imprimis videatur *ZACUTUS LUSITANUS Lib. 1. Med. Princip. Epiſt. 10.* uti etiam *TERENTIUS de Rebus Indicis Mexicanis*: Et ſimiliter omnes fere Autores conſentiunt, quod moſchus egregiarum ſit facultatum ac virtutum in malignis. Huic tamen non ſine ratione contradicit *GUIBERTUS in Medico Officioſo pag. 212.* qui tanquam pro aris & focis pugnat, quod non conveniat in peſte: cui & ipſe ſubſcribendum & aſſerendum eſſe cenſeo.

Ut verò moſchus & ambra potentiùs operentur, inſtituatur *Depuratio eorum*, & in conſiſtentiam *olei* redigantur: Binæ ſcilicet cucurbitæ orificiis conjungantur, uti aliàs per deſcenſum deſtillare ſolemus: in medio internè ponatur ſubtile linteum; in ſuprema autem cucurbita contineatur *Moſchus*: poſtmodum collutentur dictæ cucurbitæ, & in diebus canicularibus per aliquot dies radiis ſolaribus exponantur; ſic moſchus ſucceſſivè liqueſcit, liquefactum deorſum deſtillat deſcendendo in inferiorem cucurbitam per linteum, & ſic habetur *Oleum* admodum penetrans.

Alii *Eſſentiam Moſchi* præparant, quæ fit nunc ſimpliciter per nudam cum ſpiritu vini infuſionem, nunc artificiosè magis: qui *modus & cum Zibetho* optimè inſtitui poteſt: de quo videatur *FABER in Myrothec. ſpagyr. cap. 26. lib. 1.* ſcilicet: Miſceatur *Moſchus* vel *Zibethum* cum *oleo amygdalarum dulcium*, donec omnis vis odorifera planè exhauſta: tunc oleo huic affundatur *ſpiritus vini rectificatus*, digerantur in balneo Mariæ, & deſtillentur; ſic *ſpiritus vini* arripit ſecum per alembicum ſubſtantiam odorabilem & medicinalem Moſchi vel Zibethi, crudo & inerti corpore in fundo relicto.

MULUS, MULA.

Sanguinem muli, ſeu *mulæ* potiùs, quidam illinunt ad tollendas verrucas; & *Lichenes* Muli in vino infuſi, & vinum infuſionis potum, ad epilepſiam commendantur.

Urina cum luto ſuo pedum clavos curare, dicit *AUTOR*: imò hoc ipſum in pedum podagra ſeu articulari morbo mirè convenit.

Ulterius *ſpuma oris mulæ* collecta, & in vino calido propinata, aſthmaticos curare dicitur.

Aliàs nil ſuggerit pro uſu Medico.

MUS.

Mures elixi in cibo, & pro cibo dati infantibus, impediunt, quò minùs noctu ſtragula permingant.

Cinis etiam murium internè commendatur ad mictionem involuntariam. *Capita muris uſta* ſeu *calcinata*, cum melle mixta, & partibus glabris & calvis illita, ſolent curare alopeciam.

Muſcerda ſeu *muris ſtercus*, aliàs Officinis dicitur *Album nigrum*: mirabiliter alvum laxat, & experimentum eſt muliercularum, à *RULANDO in Curationib.* notificatum, pro purgandis infantibus. Sumitur gr. j. vel alterum ad gr. iij. Muſcerdæ, & uſurpantur vel per ſe pulveriſatæ cum pulmento, vel grana hujus iv. v. vel vj. cum lacte trita, & per linteum trajecta, infantes leniter & eleganter laxant; gr. vij. vel viij. in infantibus adultis fortiùs laxant; potentiùs ſtimulant quàm clyſteres: Unde etiam adultis vij. murium ſtercora in morbo iliaco pro reſeranda alvo multum laudantur; ſicut Muſcerda in ſuppoſitoriis ex melle frequentiſſimè adhibetur; quæ dicuntur acuta, quoniam valdè ſtimulant: unde permiſcetur etiam clyſteribus pro ſtimulanda alvo & inteſtinis.

MUS ALPINUS.

Mus Alpinus ſeu *Murmentum*, in montibus alpinis reperibile, pinguedinem ſuppeditat, quæ mirè conducit in pleuritide, in qua ſiſtenda fuit *ſecretum Paracelſi*, cujus unguenti pleuritici quod hunc in modum parat, baſin conſtituit:

♃. *Pingv. muris mont.* ℥j.
Olei. amygd. dulc. ℥ß.
Chamomill.
Roſar. an. ℨj.
Miſce fiat *unguentum*.

In *MYNSICHTII Armamentar. Medico-Chym. pag.* 188. habetur oleum ſeu Unguentum contra pleuritidem, cujus fundamentum ſeu baſis etiam eſt axungia muris alpini.

OVIS.

Pauca proſtant in officinis de hoc animali.

Quod habet *AUTOR* de cerebro arietis, quod proſit in arcendo ſomno immoderato in morbis epidemicis, videbitis imprimis in *BURGGRAVIO de Morbo Ungar. cap. 9. pag. 52.* Cerebrum ovis, ſicuti etiam arietis, commendatur illitum gingivis ad facilitandam dentitionem.

Quæ habet *AUTOR de Felle*, quod ſoleat in ſpecie commendari ad cancrum exulceratum, gangrænamque, ſi illinatur ad ſimilitudinem linimenti vel unguenti, incerta videntur.

Vulgo *Oeſypum* parant, de quo in Autore; quem autem *ZWELFERUS* valdè ridet.

Pulmones & alia carnoſa capiti prodeſſe, dicit *AUTOR*. In phrenitide recipitur pulmo vel ex ove, vel agno, vel vervece, & circumdatur ſeu applicatur capiti raſo calidè, ſicque mirè commendatur ab Autoribus: id quod etiam fit, ſi gallina nigra diſcindatur per medium dorſum, & calidè applicetur capiti, quemadmodum multùm laudat *LINDANUS in Colleg. ſuper Hartmannum.* De carne vervecina, noctu inſtar multarum lampyridum lucente, videbitis in *C. 1. Obſ. 3. BORELLI pag 6.*

Omentum adhuc calidum ex ove extractum, & applicatum abdomini in colica & dyſenteria, certum eſt remedium, & comprobatum hoc habuit *AMATUS LUSITANUS in Curationibus.*

Stercus commendatur ab *AUTORE* in Angina ſeu ictero flavo. Cœterum omnia ſtercora curant icterum, in ſpecie tamen ſtercus anſerinum juniorum.

Veſica Ovis & veſica capræ ſunt ſpecificum in mictu involuntario. Dantur ad ℨj, & valdè laudantur: videatur *Praxis Chymiatr. HARTMANNI P. 1. pag. 252.* Et quidem plurimis veſicis hæ vires ſunt communes, adeò ut, præter veſicam ovillam & caprinam, etiam conveniat in mictu involuntario veſica ſuis, veſica apri, item veſica tauri.

RANUNCULUS VIRIDIS.

Ut omnes *Ranæ* ſint Officinales, præ cœteris tamen eſt officinalis *Ranunculus viridis*, Germ. *der Laub-Froſch.*

Quæcunque *rana pulveriſata* internè convenit in ſiſtendo ſanguine; unde vel appenſa ſolet interdum ſubſtitui bufoni in ſiſtendo & compeſcendo ſanguine.

Sunt qui præcipiunt, ut *ranunculus viridis* totus *calcinetur*, & de pulvere, quantum cultelli cuſpide capi poteſt, in lacte muliebri propinetur infanti ſtatim poſt partum, antequam lac vel alium cibum aſſumat; ſic enim fieri dicunt, quod præſervetur infans ab epilepſia.

De ranis Aquaticis habebimus, ubi *de Piſcibus*.

RHINOCEROS.

Rhinoceros eſt animal ingens, taurum magnitudine æquans, nimis robuſtum: de quo videantur *Exoticarum rerum Scriptores*, qui omnes de hoc agunt. Sanè dum in hoc ſolo ſubinde Unicornu animalis ſit mentio, hoc ipſo nihil aliud, quàm Rhinocerotem inſinuari aſſerit *DEUSINGIUS in ſuis Exercit. Miſcell.*

De hoc ex India Orientali afferuntur *Cornua* prægrandia, quæ geſtant in extremitatibus narium.

Commendantur vi alexipharmacâ in morbis malignis ſeu venenatis, & exinde in ſpecie in febribus malignis: unde etiam ſubſtitui ſolet unicornu in iiſdem, uti videri poteſt in *ZACUTO LUSITANO L. 4. Medic. Princip. Hiſt. 51.* Doſis eſt à ℈ß. ad ℈j. Ad eoſdem enim commendatur affectus, ad quos vel unicornu aliaque ſimilia. Sunt, qui tornari curant exinde pocula, ex quibus hauriunt vinum vel alium potum. Præſervare enim à veneni potu, & impediri quò minùs poſſit intoxicari, dicunt; quod tamen hyperbolem ſapit. Interim cùm cornu cervi, unicornu, vel ebur, nobis ſufficiat, cornu Rhi-

cu Rhinocerotis commodè carere possumus.

In *FABRI Myrothec. Spagyr. Lib.*1. *cap.*29. habetur *Quinta Essentia* Rhinocerotis; uti etiam in *BARTHOLETO de Respirat. pag.*416. *aqua destillata* cornu Rhinocerotis, cui ipse multum tribuit in morbis malignis.

SERPENS.

De *Serpentibus* vulgo dicitur, quod sint venenati, sed nihil est: nec ipsæ viperæ sunt venenosæ, nisi sint iracundæ: ut taceam, reperiri plures magnos serpentes, qui non sunt venenati, & nullo modo possunt ad iram promoveri, sed omninò sunt placidi: Exempla hinc inde prostant.

Colligendi sunt tempore verno, statim postquam deposuere exuvias, & è latebris fuerunt egressi, atque plantis vernalibus & tenellis vesci incipiunt; tunc enim præ cœteris sunt in usu. Serpentum *vernationem* & *ovorum exclusionem* videbitis in M. A. N. C *Ann.* 1. *pag* 18. item *serpentum ex ovis generationem* in Act. Med. Haffniens. vol.1. pag.15.

Officinalia quod attinet, *serpens* loco viperæ convenienter potest substitui, cum totus sit diaphoreticus & alexipharmacus, & multorum morborum saluberrima Medicina; unde est, quod pulvis eorum vocetur *Bezoardicum Animale*.

Cœterum observetur, quod *AUTOR* commendet *serpentes* integros *combustos*, qui modus præparandi est rejiciendus; quoniam in combustione vis egregia, quæ consistit in sale volatili & spiritu, exhalat: potiùs exsiccandi sunt serpentes, pulverisandi, & pulvis cum spiritu vini camphorato irrigandus, ut exaltetur pulveris vis alexipharmaca. In febribus malignis, purpura, in febribus petechialibus, in peste, & ubi est malignitatis suspicio, datur à ℈j. ad ʒß. cietque sudorem. Sanguinem quoque mundificat, affectus cutaneos curat, & imprimis in cura luis venereæ mirè convenit, in quacunque forma, sive decoctum, sive sal volatile, sive Essentia, aut aliud quid, exhibeatur.

Præterea *serpentum caro* comesta, vel pastus caponum aut gallinarum cum serpentibus factus, mirè convenit in firmanda sanitate & prolonganda vita: *LOTICHIUS* namquè *Obs. pag* 426. habet Observationem vegetæ productæ senectutis ex comestione carnis serpentinæ. Ulterius valdoperè prosunt serpentes aut viperæ pro arcenda sterilitate virorum, si edantur: Sic Dux Bavariæ habuit gallos cristatos, quos cibavit serpentibus, & usurpavit pro cibo, quo factus fuit fœcundus.

De pastu hoc gallinarum cum viperis aut serpentibus videatur *ZWELFFERUS Pharm.* ubi de Trochiscis & salibus viperinis. Ipsæ gallinæ cum serpentibus saginatæ non saltem salaciores evadunt, sed etiam fœcundæ; quod singulare robur in spiritibus & massa sanguinea restatur.

Singulare dicunt esse experimentum, si serpentibus suspensis evellatur *lingua*, carbunculis pestilentialibus imponatur; quod venenum mirè attrahere soleat.

Exuviæ serpentum imprimis sunt Officinales, quas tempore verno semper deponunt: pro rejuvenescentia verò nihil in recessu habent; aliàs aranearum, lumbricorum, cancrorum, &c. hoc pariter præstarent, quia cutim similiter deponunt. Internè commendantur contra icterum: Sic *Tilemanni pulvis antiictericus* constat ex part. ij. lap. ceraunii præpar. & altera parte exuviæ serpentum pulverisatæ; qui etiam *Agricolæ* & Dn. D. *MICHAELIS* experimentum fuit. Dosis ℈j. ad ʒß. Aliàs & internè conveniunt insigniter. Hinc nata opinio, quod lumbis applicatæ pellant aquas hydropicorum, easque expurgare per urinam. Decoctum exuviarum serpentum valdè commendatur in cura morbi pedicularis. Notandum autem, quod spolia seu exuviæ serpentum imprimis sint, quæ serpentes spontè exuunt; nam quæ aliàs detrahuntur, alias habent virtutes.

Externè pariter ad facilitandum partum lumbis & ventri circumligatæ conducunt, antecedente priùs linimento ex cancris fluviatilibus, lumbricis terrestribus, & exuviis serpentum, cum axungiæ vulpinæ & leporinæ sufficienti quantitate. De hac vi exuviarum in facilitando partu, qui plura cupit, videat *KUNRATH in Medulla Destillat. Lib.*1. *Tract.*5. ubi etiam dictum reperitur unguentum; & *SCHMUCKIUM Curat. Magico-Magnet. pag.*30. Ulterius Exuviæ mirè commendantur ab *HORSTIO in Dispens. ad Alopeciam*, ut crescant pili. Exuviæ serpentum pulverisatæ, mistæ cum pulvere cancrorum fluviatilium, mirè conveniunt in vulneribus nervorum: quod si quis fuerit dissectus, insperso pulvere, subitò concrescit, & consolidatur; quod etiam de tendinibus & aliis verum est. Idem pulvis est expertum in vulneribus oculorum, quæ citò sanat. Item, si pulvis exuviarum inspergatur in vulnus recens, intra triduum illud curare dicitur.

Præter hæc etiam datur *Lapis serpentinus magneticus*, seu *venenorum magnes*; de quo videantur Moderni, *KIRCHERUS in Regno Naturæ Magnet.* & alii. Hic lapis serpentinus est substantiæ lapideæ seu potiùs osseæ, ex India Orientali, Regno magni Mogul, primitùs allatus, & ex serpentibus pileatis à Brachmannis partim elaboratus, partim erutus; qui hanc habet virtutem, ut applicatus morsui venenato, mox adhæreat, & quidem tam diu, donec exhauserit omne venenum; postmodum ubi turgidus fuerit, decidat; hinc lacti impositus, venenum haustum illi communicet, & ita lac ex livido cœrulescat: Lapis postea exemptus, rursus applicatur morsui, & si aliquid adhuc veneni sit reliquum, denuo adhæret vulneri; idque quamdiu aliquid superfuerit veneni: sin verò nihil reperit, sponte decidit: & hac ratione quævis ab animatis illatæ læsiones curantur. Conferatur *KIRCHERUS in Regno Naturæ Magn. cap.*5. *pag.*58. item *RHEDI Experim. circa Res naturales*, ubi lapidi huic non paucum existimationis detractum videbitis. Et curavit nuperrimè D. Tachenius canem quendam à vipera demorsum hoc lapide serpentino, quem veneno imprægnatum injecit in lac, illudque ita intoxicavit, ut propinatum alteri cani fuerit veneni instar lethale.

Cùm autem lapis hic, ejusque efficacia, adhuc controversa sit, *lapis serpentinus* seu *Magnes venenorum artificialis*, naturali illi simillimus, confectus fuit à *CNOEFFELIO*: vid. M. A. N. C. *Ann.*6. *Append. pag.*29.

Quoad coronas serpentum, multa de his circumferuntur, dum maxima de nihilo fit fabula: Nam totum negotium est fictitium. Nempè *duplices substantiæ candidæ osseæ* nomine Coronarum circumferuntur. *Quadam* sunt *dentes molares* maxillæ inferioris, aut porcellorum ablactatorum, aut pullorum equinorum (nam hi ex alveolis suis exempti, & paululum mundati, à circumforaneis pro Coronis secretissimè venduntur) aliorumvè similium animalium: Conf. M. A. N. C. *Anno* 3. *Observat.* 128. *pag.*205. *Quadam* verò sunt *Chelæ squillæ marinæ*, quæ dentatæ ab uno latere ebore quovis nitidiores, & speciosè pro coronis serpentum venditantur: videatur *HOFFMANNUS in Schrœd pag.*185. Unde, quod nugæ sint, quicquid de hujusmodi serpentum coronis circumferunt, planum est. Sed quod serpentes pileatos attinet, longè alia eorum ratio est, de quibus vulgo lapides circumferuntur; videatur *citati KIRCHERI Regn. Naturæ Magneticum*; hi enim artificiale quid sunt.

Pulvis serpentum, uti dixi, vocatur *Bezoardicum Animale*, & convenit in morbis malignis, in specie in cutaneis, lue Venerea, &c. Præparationes pulveris simplicis & compositi habet *AUTOR*, qui tamen per calcinationem parandi non sunt; quin potius

℞. *Serpentes*:

discissi in frustula, immittuntur in Balneum Mariæ, & per abstractionem phlegmatis lentè exsiccantur. Hi pulverisati suo adhuc constant sale volatili; quibus myrrha pro lubitu, camphora, & elæosacchara Vegetabilium addi possunt.

Pulvis hic basis est plurimorum medicamentorum.

Dosis ʒj. plus minus, pro varia compositionis ratione. Observetur, quod, ubi assumpto pulvere Bezoardico animali ex serpentibus, altero die velimus purgare, difficiliùs sequatur purgatio; quoniam pulvis Bezoardicus vegetabilis resistit veneno, & malignitati purgantium.

Sal volatile, *spiritus* & *Essentia* mirè conveniunt in morbis malignis & cura luis Venereæ.

SUS.

Sus vel *porcus* animal est homini simillimum, quoad partes internas, ut simia quoad externas; sicut etiam sanguis & caro ad sanguinem & carnem humanam quàm proximè accedunt.

Sunt qui *aquas destillatas* laudant *ex porcellis* junioribus, aut *carne suilla* contra phthisin, atrophiam, hecticam, & alios ad atrophiam tendentes morbos. Sed nihil valent.

Fel prodest in affectibus aurium & oculorum; & certam convenientiam habent animalia, habito tamen delectu, quo unum altero vel plus vel minus in hoc affectu convenit.

Hepar ad affectus hepatis solet usurpari, si scilicet admoveatur.

De *Pulmonibus* quæ habet *AUTOR* sunt legitima.

Pinguedo suilla est temperata, & valdè convenit in emolliendis tumoribus, & leniendis doloribus ex incandescentia & inflammatione obortis, cataplasmatis admixtum: imprimis in angina tumorem maturat seu emollit, quia salium effervescentiam temperat, & ita facit, ut meliùs in salsum tertium coeant. Pinguedo porci bulliens, guttatim super lauri foliis projecta, & hoc oleo ambustus locus inunctus, ille intra tres dies curabitur quasi quodam incantamento, licet pars ambusta maximè & quovis modo ambusta fuerit: videatur *BORELLUS. Cent* 1. *Obs.*76. *pag.*81. Porro contra tussim nimiam & vehementem inveteratam, ac imprimis nocturno tempore ingruentem, sunt qui commendant hoc remedium:

℞. *Axung. porcin.* q. s.
misceatur cum
Allii capitib. No. iij.

Contunduntur optimè, ut acquirant linimenti vel unguenti formam.

Tali unguento vesperi ante lecti ingressum prope ignem plantæ pedum, & aliquantulum spina dorsi, inunguntur, per tres dies continuetur, & ita tussim vehementissimam curari asserunt, sive noctu sive vesperi affligentem; sicut & in tussi infantum pinguedo lucii piscis eodem modo conducit.

Dicit *AUTOR Nota secunda* quod quidam solâ axungiâ verris vice

vice sympathetici Unguenti utantur, &c. qui modus est hic: Recipiunt telum, quo inflictum fuit vulnus; istudque immittunt cruentum adhuc in pinguedinem porcinam vel lardum, & ita ægrum in distans curari agunt ceu ab unguento armario: Videatur *SCHMUCK in Curat. Magico-Magnet. pag.* 45.

Lardum temperatum est & nobis conveniens; emollit enim & resolvit. Hoc arefactum quidam loco unguenti armarii seu sympathetici adhibent, eodem modo, ac de pinguedine dixi: In lardo enim vis quædam magnetica residere dicitur, ratione cujus lardum commendatur in curandis vulneribus, vel potius verrucis: Dicunt enim, si imponatur lardum, vel potius corium lardi, verrucis ut incalescat, & postmodum suspendatur in camino furni, vel in fimo equino sepeliatur, fieri, ut sicut exsiccatur in fumo, vel putrescit in fimo lardum, ita exsiccetur, & putrescat verruca, sicque absumatur. In odontalgia quoque recipiunt frustulum ligni acutum, fricant eo dentem dolentem seu gingivas, post verò lardo infigunt: sic brevi post evanescit dolor. In angina cum inflammatione linguæ, quando lingua est arida, combusta & exsucca, conducit lardum. Notum est, quod superiùs aliquoties commendatus fuerit succus sempervivi cum sale ammoniaco pro gargarismate, vel abstersivo linguæ: quod si non sufficiat hoc sedum, ita ut lingua sit quasi combusta, nigrefacta, arida atque exsiccata, in tali affectu commendatur præ cæteris frustum lardi, & imprimis corium lardi admotum linguæ, & ad tempus relictum linguæ impositum: sic enim fieri dicunt, ut durities linguæ emolliatur, ut instar corii detrahi possit materia exsiccata, esseque remedium sæpius probatum: videantur *AGRICOLA in Chirurg. Parva pag.* 804. & *MINDERERUS in Medicina militari pag.* 209.

Stercus seu *succerda* sequitur. Jam aliquoties dixi de stercore asinino, canino &c. quod valdè conveniant in sistendis hæmorrhagiis quibuscunque. Cæterum hæc omnia stercora superantur à stercore seu fimo porcino, quod in quibuscunque hæmorrhagiis, in specie narium, omnium reliqua stercora longo intervallo post se relinquit; sive ex stercore recenti exprimatur succus, & propinetur internè, aut applicetur fronti ac naribus externè; sive ex hoc succo, miscendo cum vino atque saccharo, fiat *Syrupus* internè assumendus: videantur *PRÆVOTIUS* & *JOEL in Praxi*; sive stercus aridum naribus injiciatur, aut cum aqua appropriata, vel succo plantaginis teratur & subigatur, pro usu interno & externo; sive stercus recens adhuc calidum circumligetur fronti ac temporibus, vel etiam naribus tantùm adhibeatur; aut fiat suffitus naribus excipiendus; vel etiam siccum instar turundæ naribus injiciatur, quocunque usu mirabilia præstat stercus porcinum. Sic quidam

℞. *Sterc. porcin. exsicc.* ℥iij.

addunt

Pulv. rosar. ʒß. pro corrigendo fœtore.

Hos pulveres miscent cum succo plantaginis, & in hoc intingunt bombacem, naribus immittendum.

Melius est, si loco succi plantaginis misceatur cum succo urticæ, quippè qui magis est appropriatus: de quo videbitis *RODERICUM à CASTRO Lib.* 1. *de morbis mulierum*, *RIVERIUM Lib.* 4. *Prax. cap.* 8. qualem usum, & mirabilem & insignem vim, etiam deprædicat *ZACUTUS LUSITANUS lib. ultimo Praxeos.*

Quæ verò de vesica habet *AUTOR*, potius de membro genitali, in specie de vulva, intelligantur. Contra incontinentiam scilicet urinæ quamcunque diurnam & nocturnam, siccetur, pulverisetur, & exinde farcimen paretur, vel calcinata in forma pulveris propinetur, & certum est levamen: & hac ipsâ dicitur quidam curatus, qui à primo ortu urinæ incontinentiâ laboraverat. D. *MICHAELIS* aliquoties felici cum successu adhibuit. Ex hac vulva quidam Medicus præparat specificum remedium ad partum.

Matrix porcæ in fumo exsiccata, & ad ʒß. exhibita, singulare dicitur remedium in epilepsia.

Est etiam *Lapis porci*, qui dicitur reperiri in stomachis porcellorum Indicorum: alii dicunt in vesica eorum fellea. Quicquid sit, multum commendatur hic lapis, & paratur exinde Panacea in morbis acutis malignis, & pestilentialibus, in affectibus mulierum, apoplexia, epilepsia, in genere contra quoscunque affectus difficiles curatu: ita quidem, ut in aquam vel cerevisiam injiciatur per unum vel alterum quadrantem horæ, & liquor bibatur; exinde enim dicunt, habere singularem effectum. Cæterum meritò irridet hunc *TACHENIUS in Hipp. Chymico*, & non tantum esse inutilem, sed etiam ridiculum, utut magni æstimetur lapis, nisi in substantia exhibeatur, in tali casu nihil præstare. Propterea *BARBETTE Tract. de Peste pag.* 21. dicit, quod constet, esse lapidem in vesicula fellea hominis repertum certè, quoniam hic in vesicula humana non rarò reperitur, proptereà dicit, illum posse substitui lapidi porcino, majori cum fructu & successu.

TALPA.

TAlpa pauca suggerit, nisi quæ habet *AUTOR*. An verò vera sint? in medio relinquo.

Vinum decoctionis talpæ prodest iis insigniter, qui laborant scrophulis & strumis.

Sub forma *Calcis*, dum talpa aduritur & calcinatur, in lepra usurpatur, & singularlter in scorbuto prodest; sicut internè in ulceribus cancrosis & scorbuticis.

Cor contra herniam laudatur ab *AUTORE*, & *HARTMANNO*: fides sit penes experientiam.

Sanguis talpæ, præter id, quod curet alopeciam, ut habet *AUTOR*, peculiariter contra gangrænam & sphacelum laudatur, si papyro illitus exsiccetur papyrus, postmodum sub usu humectetur aquâ & imponatur, sic brevi post sistit affectum. *Contra paronychiam* sanguis & pellis talpæ applicata, est *experimentum* certum *Helmontii*.

Sic & in erysipelate, imprimis mammarum, & cancro, sive exulcerato sive non exulcerato, manus imposita, in qua talpa mortua, singulare quid confert & subitò cessare facit: videatur *AUTOR*, uti & *SCHMUCK in Curationibus Magico-Magneticis*, & *HORSTIUS*.

In gangrænosis mamillarum affectibus præ cæteris conducunt *Dentes* ex talpis vivis exscissi: mirè etiam conveniunr in dentium affectibus, unde etiam in dentitione infantum adhibiti mirè convenire dicuntur, uti etiam in Odontalgiis.

TAXUS.

DE Taxo pauca sunt, quæ solent præscribi & prostare in officinis.

Tantummodo *Adeps* adhibetur propter vim quam habet aliquantisper fortiùs penetrantem, quàm alii adipes quicunque: in specie convenit cum adipe suillo, nisi quod calidior sit & penetrantior: Unde applicatur renibus in nephritide, vel cum unguento dialthææ, quando volumus compescere dolorem, vel cum oleo scorpionum simplici, quando volumus pellere urinam & calculum.

VIPERA.

VIpera dicitur quasi vivipara, cùm cæteri serpentes soleant esse ovipari: inter omnes serpentes venenata præprimis æstimatur, summum nihilominus alexipharmacum, & multorum morborum saluberrima medicina.

De venenis autem animalium magna lis est. Quæritur igitur, *in quonam consistat venenum*? Veteres hoc in puncto nil certi habent: quæ enim dicunt de felle, dentibus, lingua, capite, & cauda, hæc omnia sunt convicta falsitatis: videatur *ZWELFFERUS in Animadvers. ad Pharmac. August.* Si verò modernos Medicos consulamus, dicunt, quod uti venenositas viperarum, ita quorumcunque animalium, consistat tantum in Idea quadam furoris, indignationis & excandescentiæ, unde fiat, ut tantum morsus sint venenati; cum totius bestiæ partes post mortem sint aliàs salubres, & elegantissima offerant medicamenta; per morsum autem tantum per salivam ideæ communicatæ & transplantatæ archeum inficiant. Imprimis offert se *HELMONTIUS*, qui ratione & experientiâ fretus, venenum non tàm in formali, quàm ideali & imaginativa, imò & in vipera à furore percita consistere dicit: videatur *MARCUS MARCI*, *POTERIUS*, & *ZWELFFERUS*, ubi *de Theriaca*, *Trochiscis*, item *de sale volatili viperarum* agit. Patet hoc ex omnibus animalium morsibus, quorum saliva est innoxia, si sint placida; simul ac verò furore & irâ fuerint percita, fit venenum: id quod notum est de canibus, felibus, & similibus aliis. Imò morsus hominis placidi non est nocivus; simul ac verò furibundus, iratus, & iracundiâ percitus alium momorderit, morsus non minus est venenatus, quàm morsus viperæ, vel canis rabidi, & aliorum animalium. In *SALMUTH* & *PANAROLLO*, & aliis, qui scripserunt Observationes, prostant exempla mortis obortæ ex morsibus hominum iracundorum, qualem observationem etiam habet *HILDANUS in Obs. Medico-Chirurgicis*.

Ex his similibusve aliis Observationibus concluserunt, quod venena animalium oriantur tantum ex affectibus, perturbatione, ex ira, furore, incandescentia, odio, & similibus aliis, qui affectus & iræ animalium communicatæ suscitent Tragœdias hasce.

Hanc verò sententiam satis probabilem aliquantisper videtur labefactare observatio ista accuratissima & elegantissima, quæ facta est *Florentiæ* jussu *DUCIS HETRURIÆ* per Dn. *REDI*, virum in Rebus naturalibus experientissimum, qui etiam *edidit de hoc Tractatum* Italico sermone conscriptum *de viperarum anatomia*, in qua omnes experientias & observationes in viperis, ex agro Neapolitano allatis, factas, accuratè describit: & dicit, se reperisse, quod, quocunque modo tractentur viperæ, uel comedantur, uel alio modo assumantur, nullo modo sint uenenatæ. Ostendit autem liquorem salinum gingiuis uiperarum, in duabus uesiculis, dentes ipsarum contegentibus, inhærentem, & per ductus quosdam saliuales ad uesiculas hasce deriuatum; quem tamen per multiplicem experientiam modò in canibus, modò in pullis, aliisque animalibus, non nisi in uulneribus nocere asserit; & hinc liquorem illum pro ueneno habet. Fecit nempè experimentum in canibus, quos leuiter sauciauit, & ex uipera uiua desumpsit saliuam, quam instillauit, & mortui sunt: Gallinas uulnerauit in pedibus, sicuti gallos in cristris, & fuit illis uenenum, subitòque interierunt, immissâ saliuâ:

aliaque

aliaque plura fecit experimenta, sive liquor salivalis fuerit ex vipera viva, sive mortua desumptus, sive ex irata, sive placida, idem præstiterit: adeò ut ex hoc inferat, quod viperæ & ejusmodi partes omnes assumptæ non habeant vim malignam propter vim succorum in stomacho ex primis viis, compescentium venenum ejusmodi. Cæterum si extrinsecùs sit tantillum vulnusculum, cui illinatur tantillum de liquore salivali viperino, internecioni hominem & alia animalia tradat; & propterea etiam morsus viperæ sit lethalis, propter vulnusculum, cui instillatum sit tantillum salivæ. Ex hoc judicandum de veterum Psyllis, qui haurire omne venenum potuerunt sine noxa, adeò ut illis dicatur esse naturale, cùm iis non fuerit lethale: verùm simul ac applicantur leviter in ore vulnerati, vulnus est lethale. Omnia propterea, dicit, animalium venena intrinsecùs sumpta non esse lethalia: imò dicit prætereà, quod de hoc ipso liquore salivali, sive vivæ sive demortuæ viperæ, possint intoxicari tela. Plura videbitis in *RHEDI. Observationibus circa Viperam, pag.*38. 49 50. *&* 65. Adeò ut observationes hæ, si veræ sint, repugnent sententiis Helmontianis, & ejus asseclarum.

Posset tamen quis de hoc dubitare, cùm fel viperinum, ex quo venenum prodit, neutiquam noceat: Huic opponitur, quod etsi animalia quædam interno usu non sint lethalia, externè tamen nocere possint, & contra. Cùm autem sint venenata in vulneribus, dicendum, quod solùm liquor gingivarum in viperis vulneri immissus sit venenatus. Interim *CHARAS*, Scriptor Gallicus novissimus, refutat dictum *RHEDI*, & verissimam *HELMONTII* sententiam esse dicit; quod nempè viperæ nullum prorsus venenum habeant, nisi furore percitæ: quin putarem ego, nec in plagis infligendis venenosum esse animal, nisi furore percitum, utut non sine liquoris per morsum communicatione venenositatem suam exerceant, utpotè qui liquor per affectus animales, imprimis per furorem, venenosus denuo redditur. Internè certè vipera nociva non est, quin potiùs per se est salutifera, & dicata usibus pro morbis malignis & venenatis: quibus viperis, in defectu earum, possunt substitui alii quicunque serpentes, teste *ZWELFFERO in Pharm. Reg. pag.* 150. *editionis penultimæ*. Frustraneus ergò earum est metus, & muliebris, qui putant, quod caput, fel, & cauda, sint venenata.

Plura de Viperis qui legere cupit, adeat *MARCUM AURELIUM SEVERINI*, qui elegans & accuratus Scriptor est, *in suo Tractatu de Vipera Pythia*, *FABIUM PAULINUM*, *Utinensem*, *de Viperis in Trochiscis præparatis*, *ABBATIUM de Admirab. Vip. Nat. & mirific. ejus Facultatibus*, *LANGELLOTTUM*, & *HARDERUM in Apiario*.

Colligendæ sunt imprimis viperæ verno tempore, imprimis circa finem Maij, & principium Junii, quando exuvias deposuere, & denuo incipiunt vesci plantis vernalibus & tenellis; tunc enim præ cæteris sunt in usu.

Quod *virtutes* attinet, in genere non vipera saltem, sed revera quilibet serpentes promiscuè nobis in usum Medicum possunt inservire. Pollent mirabiliter vi alexipharmacâ, sudoriferâ, virium restaurativâ, malignitatis expulsivâ, variolarum, purpuræ, etiam scabiei retropulsæ, & tàm benignæ quàm ferinæ seu malignæ expulsivâ & vi balsamicâ ad vitam sanam: Præterea in lue venerea mirè conducunt viperæ: sic decoctum viperarum commendat *TACHENIUS* pro cura morbi Gallici *in Hipp. Chym. pag.*65. quod confirmat experientia D. *MICHAELIS*, qui aliquando restituit Gallicum beneficio viperarum, cui ita læsum pericranium, ut fermè decideret propter corrosionem factam à veneno Gallico. In Elephantiasi & lepra non efficaciora habentur & magis appropriata remedia, quàm ex viperis. Nota namque est historia à *GALENO Lib.* 1. *de Med. Simpl. cap.* 1. commemorata de Elephantiasi desperata, vino, in quo extinctæ fuerunt viperæ, curata: videatur etiam *BORELLUS C.*2. *Observat.*37. & *ZWELFFERUS*. In scabie continua maligna nihil melius est interno usu viperis; valdè enim Massam sanguineam renovant, & vitale balsamum quasi quoddam rejuvenescentiâ inducunt: vid. *CHARAS Remed. è Vip. c.*2. Hinc ad pulchritudinem conferunt: vid. *RHEDI Observat. pag.*32. annex. M. A. N. C. *Ann.* 1. *in Append.* In ulceribus inveteratis viperina remedia primatum ducunt. In sterilitate mulierum quoque valdè laudantur; uti etiam infœcundis maritis: Sic refert *HELIDÆUS PADUANUS in Obs.* rarissimam historiam, se beneficio Decocti viperini mulierem leprâ laborantem curasse, quæ cum anteà fuerit sterilis, postmodum fœcunda facta, aliquoties peperit. Unde quidam Principes solent pascere gallos carnibus viperarum, ex quorum esu sibi conciliant fœcundum matrimonium; & quidem modum, quo debent nutriri capones & galli, describit elegantem *ZWELFFERUS pag.*215. *Pharm. Regiæ*. Porrò contra venena, morbos malignos ac venenatos quoscunque, tàm in febribus malignis & pestilentialibus, quàm in specie quando jam usque eo res devenit, ut pulsus videatur deficere, vi alexipharmacâ sunt usitatissima; unde *ANDROMACHUS* & *GALENUS* Trochiscos de vipera in Theriacam recepere. *Remedium* autem *contra morsus viperarum* curativum & præservativum *Paracelsi* est camphora in petroleo dissoluta & inuncta, teste *CONRADO KUNHRAD in Med. Destillat. l.* 1. *Tract.* 5. Sic & bufo aridus aquâ appropriatâ humectatus, vel bufo vivus contusus, instar cataplasmatis applicatus, morsum sanat, & ab omni periculo tutos reddit: Videatur *Dissertatio de Morsu viperæ*: *BOYLE* ferrum candens propiùs morsui applicat, ut non urat, sed saltim calefaciat, & venenum extrahit, ita ut symptomata omnia remittant: & non datur melius remedium: *RHEDI l. a. p.*29. Morsum Viperæ curat cucurbitulis & hirudinibus, & *p.*147. usu citri: *WEDELIUS de Facultat. Medicam p.*168. pinguedine viperarum. Totam aliàs Curationem videbitis in *WORMII Mus. l.* 3. *cap.* 9. Cœterum etiam viperæ sunt egregium cosmeticum interno usu; propterea fœmellis Italis & Anglis in usu sunt vina viperina pro concilianda faciei elegantia, & nitore. Prætereà in strumis & scrophulis nihil est melius medicamentis viperinis interno & externo usu. Filum rubrum setaceum, quo strangulata fuit vipera, si circumdatur collo anginâ laborantium, item ipsum viperæ caput collo appensum, eandem curare dicitur propter ideam strangulationis & suffocationis: videatur *BARTHOLINUS in Tract. de angina Puerorum*, tum *in c.*4. *Hist. Anat.*73. *WORMIUS in Mus. l.*3. *cap.*8. & *CHARAS Remed. è Vipera cap.*3. Quoad reliquas partes viperinas, *Hepar* & *Cor*, quidam habent, ut sint tuti à morsu viperarum; quod tamen nihil est *Cor* & *Hepar* cum carne in forma Electuarii Hippocratis Antidotum fuit in peste; in qua tamen parum valet. In dysenteria autem, præsertim epidemica seu maligna, egregium est hepar; pulverisatur enim & à ℈ß. ad ℈j tanquam singularissimum remedium laudatur, si nempè misceatur cum coraliis, unicornu fossili, vel ℈ß. crystalli, & cum laudano opiato. In partu difficili hepar viperinum pro Arcano habet *HELMONTIUS*.

Pinguedo viperarum internè ad ʒj. assumpta contra scabiem laudatur à *BORELLO C.*2. *Observat.*37. In strumis & scrophulis incipientibus egregia medicina est, earumque incrementum præcavet. Cosmetica est, & faciei illita, maculas delet; unde vel sola applicatur, vel misceri poterit cum Balsamo Peruviano, & sic vetulis contra rugas faciei elegans est remedium. Quin & calidè vel externè palpebris cum penna illita, vel in ipsum oculum bis & ter in die quoad unam & alteram guttam immissa, nobile est ophthalmicum & egregiè confert pro acuendo visu, tàm juvenum quàm senum: vid. M. A. N. C. *Ann.*2. *Obs.*207. *pag.*206. & *LUDOVICI in Pharmac. p.*159. ubi præfert Mixturis ex antimonio ejusque croco, quæ aliàs tam in nebula, panno, ophthalmiis, quàm in cataracta excellunt; item *WEDELIUS de Composit. Medicam. l.* 1. *Sect.*3. *cap.* 1. *p.*84. Bonitas ejus æstimanda, si vel leni carbonum igne diffluxerit, & liquida permanserit: videatur *WEDELIUS Pharm. pag.*18. Hujus defectu pinguedo mustelæ piscis substituitur: vid. *LUDOVICI Pharmac. Dissert.* 1. *p.*300. & quidem rectiùs, quàm pinguedo serpentis.

Oleum viperarum coctum in strumis & scrophulis in magno usu est.

Destillata Viperæ eadem quidem suggerunt, quæ cornu cervi, vel alia animalia; in specifica tamen vi per ignem multùm destructa & plus minus castrata sunt, sicque specialem præ aliis differentiam vix videntur habere.

Oleum destillatum & rectificatum est sudoriferum & alexipharmacum.

De artificio Veterum parandi *sal theriacale* cum sale communi, vid. Tachenius in Hipp. Chym.

Sal Theriacale modernorum est sal volatile viperarum & serpentum, quod paratur per retortam more consueto igne aperto in vas recipiens capax; cum quo sale simul prodit *spiritus* & *oleum destillatum*. Hoc rectificatum cum spiritu suo, dat liquorem sudoriferum & alexipharmacum.

Sal volatile est magni usus & efficaciæ in morbis malignis & venenatis à gr. v. vel vj. ad ℈ß. vel solum, vel addito grano Camphoræ in aqua appropriata, ubi summa viget malignitas: videatur *ZWELFFERUS Anim. in Pharm. August. pag.*212. *& seqq.* ubi *de vipera*. Cum verò vis specifica ab igne multum destruatur, sufficiat nobis *sal volatile* & spiritus cornu cervi. Sunt qui volunt figere sal viperarum per acida; sed parant exinde crudum sal ammoniacale. Est potius sal volatile sub forma salis volatilis asservandum, quàm frustrà figendum per Acidum. Nàm omnis fixatio salium volatilium, nulla est, uti declaratum dedi *in Dissertatione suprà citata de Morsu Viperæ*.

Sunt qui parant ex viperis medicamentum, quod vocant *Astrum MICROCOSMI*.

Recip. *Viperas*, vel *serpentes recens contusos*: Abstrahunt in Balneo phlegma, quod denuo affundunt, & addunt dimidium *spiritus vini*, putrefaciunt in fimo vel Balneo Mariæ per quatuor septimanas: sublimant posteà, & ascendit *Astrum crystallinum*, quod in calore se coagulat, in frigore verò se in oleum resolvit.

Est remedium prædicatum contra pestem, venena, & morbum Gallicum.

Trochiscos viperarum sufficienter perstringit *ZWELFFERUS loco allegato* tanquam maximè inutiles; quia sint tantùm massa panis cum paucis viperarum reliquiis permista; sicut & in peste non semper cum fructu exhibitos notat *DIEMERBROECK de Peste*. Propterea à modernis in compositione Theriacæ assumitur loco trochiscorum pulvis bezoardicus animalis.

Vina viperina Italis & Anglis sunt in frequenti usu pro lue venerea & concilianda faciei elegantia & nitore; quorum præparationem sufficienter demonstrat & declarat *ZWELFFERUS loco allegato*, & *Pharm. Regia pag.*150. cumque examinat *SCHROECKIUS in Pharmacop.*

macop. Reſt. p. 194. & *le FEBVRE in Chym.* ubi de viperis: Immittunt ſcilicet *viperas vivas conciſas* in certam *vini* portionem, poſt in vaſe clauſo tepido loco exponuntur, ut ebulliant, & ſic hauriunt pro dictis uſibus.

Deinde fiunt *Pulveres viperini*, qui aliàs *Bezoardici Animalis* nomine veniunt; quorum variæ hinc inde apud Autores proſtant Præparationes. Per calcinationem tamen parandi non ſunt: quin potius recipiantur viperæ recentes exenteratæ; exſiccentur per fumum baccarum juniperi, ſcilicet per baccas juniperi fiat ſuffimentum; quæ exſiccatæ pòſſunt pulveriſari:

℞. *Hujus pulveris ſicci* part. iij.
cui miſceantur
Flor. ſulphuris,
myrrhæ pulveriſ. an. part. j. vel ß.

& adſpergantur poſtmodum aliquot guttis *olei cinnamomi* & *ligni rhodii*, & erit egregius *Pulvis bezoardicus animalis* Alii.

Recipiunt *Viperas*: eaſque benè lotas in *Vino Malvatico*, miſcent cum *ſale prunellæ* ſeu *nitro fixo*, & exſiccant Viperas in loco calido, ut redigi poſſint in pulverem, abſterſo tamen priùs ſale prunellæ: & huic pulveri addunt *corda* & *hepata propria pulveriſata*, ſimiliter & irrorant *ſpiritu vini*, ſicquè pro uſu reponunt.

Plures qui vult Compoſitiones Pulverum bezoardicorum viperinorum ſelectas, videat *CNOEFFELIUM in Appendice Ann. 6. M. A. N. C. pag. 25.* & *ZWELFFERUM in Pharm. Reg. pag. 150. ſeqq.* Veriſſima enim eſt *VELSCHII* epicriſis Hecatoſt. 2. *pag. 25.* dicentis: pulverem illum, quò ſimpliciorem, eò meliorem eſſe; & cum facilè ad putredinem ruat, proin condiendum ſuadent quidam oleis deſtillatis, floribus ſalis ammoniaci, de qua præparatione videbitis *MARCUM AURELIUM SEVERINUM*. Cœterum modum optimum Pulverem hunc præparandi docet *Charas Tract. de Viperis*: Nempè

Truncentur *viperæ* optimè, hinc *pelle detracta* (vel & ea cum cauda integra ſervata, utpotè ſal volatile copioſum continente) viſcera iiſdem eximantur, inteſtinis ſaltem abjectis, hinc in aliquot fruſtula diſciſſæ immittantur in amplam patellam vel cucurbitam, & in blando balnei Mariæ calore per evaporationem ſeu abſtractionem phlegmatis exſiccentur, uel & in loco umbroſo calido pro exſiccatione exacta ſuppeditantur. Hæ unà cum uiſceribus exſiccatis pulueriſatæ genuinum conſtituunt *Bezoardicum Animale*, & ſuo adhuc conſtant ſale volatili: quibus myrrha pro lubitu, camphora & elæoſacchara vegetabilium addi poſſunt; vel ſub pulveriſatione crebriùs irrorentur cum ſpiritu myrrhæ probè impræegnato, vel, quod melius, ſpiritu camphorato, ſimulque adſpergendo aliquot guttas olei deſtillati caryophyllorum, & ita in vaſe probè clauſo omnia aſſerventur, ita ab omni corruptione verminoſa immunis erit ejuſmodi Pulvis.

Baſis eſt plurimorum medicamentorum: Doſis à ʒß. ad ʒj. plùs minùs, pro varia compoſitionis ratione, utut levior ſit, & conſequenter quantitas ejus inſignior ſit: tamen ſi aliquid proficuum inde ſperare volumus, neceſſe eſt, ut in tanta doſi propinetur.

Pulveri hujuſmodi *ſimplici varia* pro vario ſcopo *addi poſſunt*, v. g. *flores ſulphuris*, *myrrha*, *camphora*, &c. olea deſtillata rutæ, *zedoariæ*, *ſuccini*, *corticis citri*, &c. ſicque mille modis reddi *compoſitus* pro cujuſuis arbitrio. Item pulveri hujuſmodi viperino, *pulvis cordium & hepatum viperinorum ſiccatorum* ſeorſim poteſt addi, quo remedium ſic magis perfectum evadat.

Quidam *Eſſentiam è viperis* parant, idque multipliciter, vel cum acidis, vel cum *ſpiritu vini*. *Eſſentiæ cum ſpiritu vini* paratæ ſunt fruſtraneæ, quia parum eliciunt: Quidam roborant ſpiritum vini ſalis volatilis additione, qui quidem colorem acquirit rubicundum, & ratione ſalis volatilis multum valet; ſed ſufficit ſpiritus cum ſale volatili. *Eſſentiæ cum menſtruis acidis* nil valent; deſtruunt enim ſal volatile. *B.* tamen D. *MICHÆLIS* paravit ſuam *Eſſentiam viperinam*, recipiendo *viperas exenteratas conciſas exſiccatas*, iiſque affudit *ſpiritum æruginis rectificatum*; quo ipſo mediante diuturna digeſtione totæ ferè viperæ, pauciſſimis exuviis relictis, ſolvi ſolent: Menſtruum abſtraxit ejuſdem ferè ſaporis acidi, quo affuſum erat (omnem enim ejus aciditatem iterum redire vix credendum:) Extracto reſtitanti affudit *ſpiritum vini rectificatum* vel *theriacalem*, & ſic mediante digeſtione egregiam eſſentiam acquirebat pro purificando ſanguine, & cura affectuum cutaneorum.

Cum hac eſſentia curavit aliquando quendam Gallicum, ita ut poſt curam cuticula de toto corpore potuerit detrahi eodem modo, quo deponunt viperæ exuvias. *Doſis* ʒß. ad ℈ij.

V I T V L V S.

Ex *Vitulo* uſurpantur tantùm *Pinguedo*, & *Medulla* ex oſſibus extracta.

Vitulina pinguedo, cui etiam ſubſtitui ſuilla vel humana poteſt, externo uſu emollit, laxat, temperat moderatè abſque inſigniori acrimonia. Cœteræ pinguedines ex animalibus calidioribus deſumptæ, v. g. caninæ, felinæ, &c. acriores & magis penetrantes exiſtunt, indeque minus quidem anodynæ, ſed magis reſolventes & diſcutientes exiſtunt.

Pinguedo vitulina deſtillata cum abditis cineribus, dat *Oleum* empyrevmaticum, ſed volatile admodum & penetrans, quodque recens odorem inſtar ſalis cujuſdam volatilis reddit. Si inſtilletur ipſi ſpiritus nitri occultè, cum æſtu & fumi albi eructatione, effervescit; adeoque inſigniter alcalinæ erit naturæ: quod pariter de aliis pinguedinibus aſſerendum videtur.

Ejuſdem ferè, ſed magis temperatæ naturæ, eſt *Medulla Vitulina*, quæ poſt cervinam eſt optima, & quidem cum ſit temperatiſſima, præter communem uſum cum reliquis medullis leniendi, blandè humectandi, emolliendi, digerendi, & abſceſſus maturandi, egregium eſt evporiſton in agrypnia vel ſomni defectu, quando non poſſunt anodyna & narcotica adhiberi, ubi tantillum temporibus inunctum vigilias arcet, & ſuavem ſomnum inducit. Sic in febribus malignis, & febrè puerperarum, ubi deficit ſomnus, bis vel ter in die inungantur tempora; uti & iis qui meditationibus nocturnis ſunt intenti, optimè conducit.

U N I C O R N U.

Vnicornu jactatur *duplex*: *Vnicornu terreſtre* fictitium, & *Vnicornu marinum* verum.

De unicornu Veterum, quidnam & an ſit? multum adhuc inter ſe diſputant Autores; quidam negant, quidam affirmant: Verùm Unicornu terreſtre quadrupes, inſtar tauri, &c. uti illud deſcribunt, eſt non ens, & nunquàm in rerum natura repertum fuit, utut mordicus illud quidam defendant, quos inter eſt *BARTHOLINUS in Tract. de Vnicornu*, qui affirmat dari adhuc. Loca verò Sacræ Scripturæ quod attinet, ubi Unicornu fit mentio, de Rhinocerote ſunt intelligenda, animali maximè ferino, & hactenus indomabili: videatur *DEUSINGIUS in Tract. de unicornu*, qui hæc dilucidè deducit.

Omnia autem iſta concreta oſſea, oblonga, dura, ſtriata, quæ in aulis principum viſuntur, ſunt ex piſcium cetaceorum quadam ſpeciè, malè Unicornu dicta: Nimirum juxta Grœnlandiam capiuntur piſces cetacei, qui Vnicornu hoc in ſuperiori maxilla ſiniſtra pro dente habent, ſæpiùs trium ulnarum & ultra longitudine, ſive ſponte deponantur, ſive ex impetuoſo curſu cum illo in ſaxa frangantur, ibi copioſè reperiuntur, atque ad nos transportantur. Figuram hujus piſcis, & dentis ſeu cornu delineationem & hiſtoriam uidebitis in *WORMII Muſeol. 3. cap. 40. KIRCHERI Mundo ſubterraneo Tom. 2. pag 64. SACHSIO Monocer. BARTHOLINO de Vnicornu, in Hiſt. Anat. C. 4. hiſt. 4 & Epiſtolis C. 1. Ep. 21.* atque *C. 2. Ep. 53. CALCEOLARIO in Muſ. Sect. 6 pag 687.* uti & *Tulpio in Obſerv. Lib. 4. cap. 55. pag. 395.* ubi ſceleton & capitis figuram delineat, & piſcium genus cetaceum, quod dentem contortum & concauum intus obtinet. Reuera Vnicornu hoc marinum per quàm appoſitè *Rhinoceros marinum* ſeu *glaciale* uocatur à *VELSCHIO Hecatoſt. 1. pag. 25.*

Hic dens ejuſdem uſus cum cornu cerui & ebore dicitur *VERULAMIO in Hiſt. vitæ & mortis pag. 85.* unde etiam eaſdem Præparationes, quas uel cornu cerui, uel elephantis dens ſubit, pati poteſt, eadem producta ſuggerens. Hinc decantatus eſt contra epilepſiam juniorum, item contra tormina, quæ minantur convulſiones, contra venena, morbos malignos, peſtem, morbillos & variolas, ſimileſque alios morbos malignos. *Doſis* eſt à ℈ß. ad ℈j uel ʒß. Propinatur non ſine fructu; alexipharmacum enim eſt, & ſudorem egregiè mouet, uti notum eſt apud omnes. Certè in epilepſia non rejicio ejus uſum, quando acidum in primis uiis in cauſa eſt, quod uellicat ſyſtema neruoſum, ut infantes inde fiant epileptici, quatenus acidum in primis uiis infantum ab objecto adeò duro, ejuſque raſura, abſorbetur, quo minùs neruoſum genus afficere, ac tormina ac epilepſiam excitare ualeat.

Probam hujus unicornu hanc eſſe uolunt, ut poſt uſum hujus, arſenicum & Mercurius ſublimatus internè propinatus, non noceant, qui ſe hoc muniuerit. Interim exiſtimo cornu cerui crudum & raſpatum eodem ſucceſſu poſſe uſurpari, ac unicornu marinum.

Ex hoc Vnicornu, ſicuti ex aliis dentibus, poteſt præparari per coctionem *Gelatina*, per deſtillationem *ſal volatile* & *ſpiritus*, & alia ſimilia, quæ ex oſſibus uel dentibus poſſunt præparari.

U R S U S.

Vrſus eſt animal ſatis cognitum, quod ſubminiſtrat in officinas *Pinguedinem* imprimis, ſeu *Axungiam*, de qua obſeruatum eſt, quod, quando urſi tempore hyberno pingueſcunt, ipſa augeatur & creſcat in capſula. Hæc cum cinere muris illita ad alopeciam, ſeu defectum crinium uel capillorum, eſt egregium remedium. In tumoribus diſcutiendis & reſoluendis multum commendatur. In hernia inteſtinali egregiè conuenit, ſi regioni oſſis ſacri illinatur ſeu emplaſtri modo applicetur; ut quaſi retrahat inteſtina: poſt repoſitionem autem inteſtinorum in locum naturalem, impedit quò minùs poſſint denuo excidere, & fuit ſecretum D. *SULZBERGERI*, *Patris*: unde etiam *SCHOLZIUS Conſil. 203.* hernioſos inungit cum medulla ceruina, ubi eſt ruptio, locum uerò oppoſitum in dorſo & lumbis cum pinguedine urſina, admiſtâ anſerinâ; imò quando applicantur circa rupturam emplaſtra attrahentia, ſemper in regione dorſi applicatur pinguedo urſina. Similiter contra prolapſum ſinus pudoris

ris summum est levamen: unde etiam ossi coccygis simili ratione applicata in prolapsu ani egregia est. Instante partu obstetrices manus pinguedine ursinâ inungunt, quę abdomen mulieris deorsum versus premunt, aut abdominis partem tumentem, & latera lumbaria inungunt, & inferiora versus cogunt. In dolore podagrico compescendo pedes pinguedine hac, priùs in aqua spermatis ranarum lota, inungi solent. Ulterius axungiam ursæ albæ ingens esse cosmeticum cuti illitum, sunt qui affirmant.

Fel exsiccatum commendatur ad epilepsiam, & hinc icterum, illosque morbos, ad quos reliqua fella; & est quoddam sal volatile acre, quod convenit in iis morbis, ubi necessum est tale sal acre. Non proinde mirum videri potest, quod rustici in Finnlandia eo feliciter in multis affectibus utuntur; egregiè enim penetrat, acidum absorbet, crassa incidit, & sic ad quamplurimos affectus conducit.

VULPES.

P*Inguedo Vulpis* multum in usu est contra affectus nervorum, tremores & paralyticos affectus, nec non contracturas, & indurationes nervorum ac tendinum, externè illita.

Pulmo mirè laudatur contra phthisin, aliosque affectus pulmonum, in specie quidem ad eorum vulnera & ulcera vi consolidativâ & conservativâ. Ita D. SCHNEIDERUS ægrotum quendam, cui pulmo ingenti globulo tormentario fuit transfossus, quique cum frequenti sanguinis expuitione frusta carnosa pulmonis simul rejecit, egregiè curavit per remedium ex pulmone vulpis recenti ac cruento, qui modò ex vulpe exemptus in aqua appropriata leviter coctus fuit; deinde minutim concisus fuit admista conserva radicis symphyti, florum symphyti, amylum, & imprimis sarcocolla purgata, lota, & lacte muliebri nutrita: quo remedio felici successu usum affirmat: Sed reverà dubito, an huic vulpis pulmoni tantum tribuendum: quin leviori in malo seiecta Vulneraria huic præferrem; in graviori verò hunc pulmonem etiam inefficacem existimarem.

Fel, sicuti reliqua fella, oculis conuenit.

Sangis Vulpinus ad calculum commendatur, uel in uesica, uel ejus canali morantem, si internè propinetur, & externè inungatur regio uesicæ; rumpere illum dicunt calculum, uti etiam pellere adhuc in uesica stabulantem. Sed non est, ut mereatur commendationem.

Si quid ex vulpe utendum, *lingua* ejus usurpanda pro extrahendis partibus heterogeneis è vulneribus: si scilicet Mense Martio ex vulpe vivo vel modo mortuo exscindatur, & exsiccetur. Sub usus tempore aut maceretur in vino Rhenano aut Malvatico, & sic calidè imponatur vulneri; sic omnia heterogenea etiam ex profundis partibus prorumpunt, àque mnltis chirurgis pro maximo secreto habetur. Interim tamen etiam de illa videri potest SCHENCKIUS in Obs. lib. 5. de Vulneribus. Aliàs in simili casu Unguentum ex betonica cum pinguedine leporis est expertum: quæ eadem leporis pinguedo cum pulvere cancrorum fluviatilium non minùs est elegans pro extrahendis ex vulneribus alienis rebus.

Totus Vulpes contra phthisin valdè prodesse dicitur, si caro vel assata, vel elixata, comedatur.

Oleum Vulpinum per decoctionem factum, de quo *videre potestis Dispensatoria*, in affectibus nervorum valdè convenit. Discutit potenter, anodynum est, & in Atrophia, contracturis & indurationibus nervorum ac tendinum externo illitu confert.

Looch de Vulpis pulmone in asthmate & tussi, aliisquè pulmonum vitiis, communis usus esse solet. Verùm tabidis magis officere, testatur LUDOVICI in Pharmacia.

CLASSIS II. DE AVIBUS.

A*Ves* paucæ sunt in usu. Excrementa earum præ reliquis animalium excrementis acria magis & salsa, sicque admodum nitrosa sunt; Perfectum enim nitrum crystallinum inde effloręscit, si stercus aquæ immittitur: id quod imprimis in stercore columbino videre est, quod aqua impregnatum, & aeri expositum, crystallos reddit: unde in specie ad affectus chronicos hypochondriacos pro corrigendis vitiosis saporibus, speciatim acidis, pro abstergendis primarum viarum sordibus, & hinc pro urina cienda, usus egregii sunt. Excellunt pro hoc scopo speciatim stercora gallinaceum, anserculorum juniorum, & hirundinum.

ACCIPITER.

E X *Accipitre*, Germ. *der Habicht*, sicuti ex reliquis omnibus ferè avibus, pauca admodum adhibentur in officinis.

Sunt qui commendant *Excrementa accipitris* ad partum promovendum, sicuti etiam ad retentas secundinas: vel etiam sub pessi forma ℥j. ejusdem fimi supponitur: utroque modo secundinæ excretionem promovet.

Nonnulli commendant *Vngues accipitris* in pulverem redactos adversus dysenteriam; dicuntque hoc ipsum esse per experimentum cognitum. Cæterum de hoc parum mihi constat. Hoc interim verum est, quod *superius de Vngulis equinis* dixi.

ALAUDA.

A*Lauda* magis est culinaris & alimentaris, quàm officinalis.

Ad colicam nihilominus commendantur alaudæ; unde ij, qui laborant colicâ, sibi illas commendatas habeant. Hujus caro urinam, sabulum & calculum proritat: id quod HOEFERUS in *Hercule Med. pag.* 172. experientiâ propriâ confirmat, qui ex usu alaudarum evitavit nephritidem; unde ad calculum dispositis possumus commendare carnem alaudarum.

De *sanguine alaudæ* dicitur, quod calculum curet.

ANAS.

A*Nas Culinaris* & officinalis est. Et quidem virtutes officinales acquirit ex eo, quod vescatur ranis & bufonibus; unde dicunt, quod ad duritiem sive cocta sive assata, ut pulverisari possit, si pulvis inspergatur in lacum, exinde innumeræ ranæ & bufones procreentur: id quod etiam fieri dicunt in fimo, ubi putrescit; copiosi nimirum bufones & ranæ progenerantur ex cadavere anatis putrefacto.

De Anate viva dicit AUTOR, quod si circa posteriora deplumata ventriculo imponatur, sedet colicam; quod verum est: sed tamen sedato dolore &c. finitâ colicâ anas moritur. Et mirum est, quod podices avium, in specie gallinarum, applicati anthracibus & bubonibus pestilentialibus, item morsibus venenatis, adeò egregiè conveniant in extrahendo veneno & miasmate maligno, & post applicationem moriantur: id quod, uti dixi, facit imprimis gallina denudata circa posteriora; extrahit enim potenter, & postmodum moritur.

Sanguis ratione ranarum & bufonum inter alexipharmaca refertur; qua vi in specie magni æstimat PARACELSUS, unde etiam ingreditur *Antidotum Paracelsi ex sanguinibus*; quæ compositio videri potest in CROLLII *Basilica Chymica*. Et quidem quò magis vescuntur bufonibus, eò magis fiunt alexipharmacæ, & venenis resistentes: imprimis commendantur anates tales, quæ in sanguine proprio; seu unâ in alterius sanguine, suffocantur.

Quidam sanguinem anatis destillant, & parant spiritum, quem rectificatum sale volatili imprægnant, & ad ʒiß. vel ʒij. propinant pro medela adversus venena. Calculum itidem renum & vesicæ valdè pellere dicitur.

ANSER.

A*Nser* dictus fuit à Veteribus *Ganza*.

De hoc se offert *Pinguedo*, quæ est multi usus; est enim præ reliquis speciebus subtilior, volatilior, & penetrantior, adeoque admodum resolutiva & discussiva existit. Internè cum pomo assato assumpta valde convenit in emolliendo alvo nimis obstructa.

Externè ad alvum infantum nimis constipatam purgandam quidam recipiunt testam nucis juglandis mediam, eamque implent cum pinguedine anserina, & applicant umbilico, simulque abdomen illinunt eâ pinguedine, & tunc post paucas horas alvus etiam contumacissima egregiè solvitur.

Item

℞. *Pomum assatum:*
Subigatur cum *pinguedine anserina*, & in forma *linimenti* crassioris abdomen hisce illinatur, & alvum reserabunt.

Confert in specie ad rimas & fissuras labiorum. Porrò quia subtilis est hæc pinguedo, pedibus & manibus inuncta has partes præservat contra frigus externum, præsertim si frigori expositæ eâ illinanantur, uti vult STARICIUS in *Helden-Schatz pag.* 126. In affectibus nervorum paralyticis, in spasmo, nervisque rigidis ac contractis multi usus est; unde fotus vel vapor ex pinguedine anserina receptus in paralysi scorbutica, Westphalorum est experimentum, qui sæpius tali corripiuntur: coquunt illam benè cum aqua & fotum

seu

seu vaporem recipiunt cum membro paralytico ex scorbuto; penetrat enim potenter, & ita tollit scorbuticam paralysin. Unguentum paralyticum mediante assaturâ ex ansere, simplicibus nervinis infarcto, paratum habet *BARTHOLETUS in sua Encyclop. pag.* 165. qualia linimenta hinc inde etiam videbitis apud Practicos, ubi de *Paralysi*, imprimis in *RIVERII & SENNERTI Prax.* Modus parandi hic est:

℞. *Anser mactatus.*

Exenteretur abdomen, repleatur plantis nervinis usualibus, Unguentis & medullis appropriatis, & assetur: sub assatione defluit pinguedo virtute plantarum impraegnata, quæ præmissis præmittendis, ceu expertum nervinum, illinitur membris paralyticis cum successu, uti prostant exempla in *SENNERTO & RIVERIO loco allegato*, & *POTERIO*, ubi *de Paralysi.*

Pinguedo anserina probè purgata vicem unguenti armarii in curandis vulneribus subire potest, uti vult *SCHMUCK in Curat. Magico-Magnet. p.* 43 id quod etiam *superiùs de pinguedine suilla dictum fuit.*

Stercus Anserinum est nitrosum valdoperè, multo sulphure refertum, unde valdè penetrat, & multi est usus, quod, ejusque utendi modum ac præparationem pro morbis chronicis, videbitis in *AUTORE*. In specie exsiccatum hoc stercus, pulverisatum, & ad ʒj. exhibitum; quo tanquam egregio remedio contra icterum specifico antiicterico, utitur *BARTHOLETUS in Encyclop. p.* 165. sive sit stercus anserum adultorum, sive etiam anserculorum juniorum. Vi nitrosâ sulphureâ mirè commendatur, & bilem corrigit, in specie verno tempore, Mense præprimis Majo collectum: conferatur *Deodatus in Panth. Hygiast. lib.* 1. *pag.* 363. Efficacius autem erit, si anseres priùs vescantur herbis antiictericis, ut Chelidonio majore, anserina, ita dicta, quia illius esu valdè delectantur anseres, &c. Non verò ad icterum solum, sed & ad scorbutum, optimum est remedium, in vino frequentiùs haustum, vel sub forma pulveris, vel decocti; tali enim decocto scorbuticus ferè desperatus aliquando fuit curatus. Hoc stercus anserinum ulterius per urinam valdè pellit aquas, unde hydropem curare ob vim nitrosam facilè credo: nam omnia stercora, imprimis anserinum, abundat sale volatili salso nitroso, constante ex urinoso pingui & acido volatilibus. Acidum volatile habet ex succo pancreatico, urinosum verò pingue ex bile; unde potest sublimari sal volatile in forma sicca ex stercoribus animalium, quod est elegans, & magni usus in Medicina. Reliqua quæ habet *AUTOR de stercore*, videantur.

Quercetanus in sua Pharmacopœia Trageam habet *stercorariam* seu *pulverem stercorarium*, quem inter alia stercora etiam ingreditur stercus anserinum.

Juniorum anserum stercus recens Mense Aprilis & Maji collectum, destillatum per alembicum suggerit aquam egregiam, quæ vocatur *Aqua ophthalmica Imperatoris Maximiliani* contra quoscunque oculorum affectus, nebulas, suffusiones, discutiendas, dolores, visus imbecillitatem, lippitudinem, &c. commendata; clarificat enim visum, ejusque aciem acuit &c., uti videre potestis apud *LIPSIUM in Tractatu eleganti Germanico de Variolis*. Hæc aqua potest etiam specificari in specificis affectibus pro re nata, secundùm intelligentiam Medici. Modum destillandi *aquam ex stercoribus* videbitis in *POTERIO in Pharmacop. Spagyr. Lib.* I. *Sect.* 4.

Lingua anserina stranguriam & difficultatem urinæ ex peculiari quadam proprietate curat, si siccetur, & exhibeatur; sicuti eadem recens comesta involuntariam mictionem corrigere dicitur.

ARDEA.

De *Ardea* non memini me legisse; idcirco nihil habeo, quod addam.

Pergo ergo ad

CICONIAM.

Quod dixi de anate, dici potest de *ciconia*, quę habetur alexipharmaca, quia ordinarium nutrimentum ejus bufones, ranæ, quin & serpentes, sunt: & sicut cervus est alexipharmacus inter animalia quadrupeda, ita non mirum est, quod inter volucres ciconia à victis assumptis aliquali vi alexipharmacâ imbuatur, indeque contra venena morbosque malignos laudetur. Unde in specie *ciconiæ sanguis* multum commendatur in dictis affectibus, qui etiam tanquam basis ingreditur *Antidotum de sanguine Paracelsi*, *Electuarium alexipharmacum de ciconia* dictum, contra venena omnia laudatum, unà cum radice anthoræ, mumia, Bezoar, Theriaca, &c. Præparandi modum videbitis in *AUTORE lib.* 2. *c.* 51. *pag.* 181. *HARTMANNO Comm. in Crollium*, & ipsius *CROLLI Basil. Chym.* qui etiã Essentiam sanguinis ciconię contra venena in usu habuit: de cujus effectu videatur *FEHR de Scorz. pag.* 145. *Dosis* ejus est à ʒß. ad ℈ij. Hinc etiam *BURGGRAVIUS in Biolychn.* ex sanguine ciconię parari posse remedium contra omnia venena asseverat: nam subministrat sal volatile copiosum; & sal cordis ciconiæ, & sal cordis pavonis, contra omnia venena mirificè commendantur. Pręterea ciconia habet usum non inelegantem in podagra, in qua ciconia calcinata commendatur à ℈ß. ad ℈j.

Stercus ciconiæ laudatur in epilepsia curanda, in qua, uti stercus pavonis, vel in substantia, vel in infuso assumitur, vel etiam pro stimulo appropriato clysteribus permiscetur: cum sebo cervino, vel axungia anatis, vel suilla illinitur sub forma linimenti podagræ tanquam singulare remedium. Reverà tamen huic stercori ciconiæ non cedit stercus cervinum parili ratione applicatum.

Axungiam pariter ad podagram commendant; unde ex pelle, uti notum est, tibialia faciunt, quibus incedant, pro cura podagræ.

Sal volatile non foret frustraneum, si ut sal volatile cornu cervi, & sal volatile serpentum, pro usu sudorifero & alexipharmaco adhibeatur.

Fit etiam ex ciconia *oleum per coctionem* in oleo communi, quod oleũ ciconiæ eundem habere dicitur usum in paralysi cum oleo viperino.

COLUMBA.

Columba per medium dissecta, uti habet *AUTOR*, & hoc modò applicata capiti, in phrenitide medicamentum fuit apud superiores Practicos multum commendatum, utut à modernis, sed minus rectè, negligatur. Eodem modo applicatur plantis pedum in febribus malignis cum phrenitide, & in talibus febribus malignis cum phrenitide magni adhuc facit *LINDANUS*.

Quæ de hujus *sanguine* habet *AUTOR*, non tanti sunt pretii, cùm oculis instillatus mox grumescat, & malum exasperet.

Fimus columbinus præ aliis insigniter nitrosus est, sale salso seu ammoniacali egregiè refertus; hinc pre reliquis diureticus, & contra hydropem utilis est: videatur *FORESTUS lib.* 23. *Obs.* 25. Leviter autem est calcinandus, vel potius in vino, vel aqua simplici macerandus, dehinc cum vino aut aqua extrahendum est sal nitrosum seu lixivium summè diureticum, quod intrinsecùs haustum, mirum quãtum expellit hydropicorum aquas per urinam: addunt alii cineres stipitum fabarum, sarmentorum vitis, absinthii, & tartarum calcinatum. In pleuritide stercoris columbini ʒj. in vehiculo convenienti usurpatur. Acetum affusum fimo columbino, percolatum, cum pauco melle mistum, in calculi paroxysmo egregium est. Alii, ceu singulare remedium pro pellendis mensibus commendant hunc fimum calcinatum: Nempè

℞. *Fim. columb. calc.* ʒj.
Pulv. croci ℈ß.

Misce pro dosi, pro cienda urina. Conferatnr Herrtodt. in Crocol. *pag.* 216. qui etiam ipse *pag.* 117. parat aquam anticolicam est basi stercoris columbini cum aliis hunc in modum:

℞. *Fimi columb.*
Sem. anisi an. M. ij.
Flaved. cort. aur. rec. ℥ij.
Croc. Austriac. ʒß.

Affunde *V. M.* & destilla pro *aqua anticolica* egregii & commendatissimi usus, suspendendo in rostro alembici
Croci ℈ß.
&, si lubet,
Moschi gr. v.

Externè usitatus quoque est propter vim leviter causticam & vesicatoriam, unde & inter psilothra communiter refertur, propter acrimoniam salinam. Usurpatur vel per se aquâ humectatum, vel cum semine sinapi, nasturtii, aut simili tritum, humectatum cum aqua simplici, & impositum. In morbis chronicis eosdem præstat effectus, quos sal volatile acre nasturtii & sinapi. In hydrope & pedibus œdematosis stercus columbinum bulliat in aqua, vel cum aqua calcis vivæ probè subigatur instar cataplasmatis liquidi, & cum aliis applicetur tumoribus œdematosis ac serosis, imprimis si immineat pedibus œdematosis gangræna. Lixivio stercoris columbini si lavantur manus pedesque, ab omni frigore hæ partes ad tempus erunt immunes: & chirothecæ ac tibialia linea hoc lixivio madefacta per quatuordecim dies præservant manus & pedes à frigore; uti vult *STARICIUS in Helden Sebatz, pag.* 116. Quibus usibus aliàs conferat, videatur apud *AUTOREM*. Plura qui cupit de usibus stercoris columbini, videre potest *ZACUTUM LUSITANUM lib.* 11. *Med. Princ. pag.* 17. & 117.

CORVUS.

In *pullis Corvorum* recentibus verno tempore ex nido exemptis, antequam vestiantur plumis, ex ore exsumitur caro, quæ hepar pullorum corvorum, & specificè epilepsiam curare dicitur.

Pulli corvorum, uti dicit *AUTOR*, incinerati commendantur ad morbum comitialem; si scilicet pulli corvorum nigrorum ex nido calcinentur, specificum & probatum remedium dicuntur contra epilepsiam, quæ exinde nunquam amplius redire dicitur.

Cor corvi gestatum arcere dicitur somnum, & putatur efficax remedium huic incommodo, nempè nimiæ somnolentiæ.

COTURNIX.

Pinguedinem coturnicis cum pulvere ellebori nigri, vel radicis pyrethri in formam linimenti quidam redigunt, & in impotentia virili radici penis, vel glãdi illinunt: quibus subiungẽda balnea nervina.

De

De *Excremento* obſervetur, quod habet AUTOR, quod credo, quia enim elleboro, tam albo quàm nigro, citra ullam alterationem veſcuntur, & ex ſuperioribus conſtet, quantum elleborus niger valeat in contumacioribus affectibus, hinc antepilepticum haud contemnendum eſſe, probabile eſt: videatur HOEFERUS *in Herc. Med. pag.* 12. ubi ceu ſingulare antepilepticum commendat *Ova coturnicis*, ſi exſiccata & pulveriſata ad ʒß. adhibentur. Unde alii dicunt, quod cerebrum coturnicis cum unguento myrtino admiſtum, & faciei epilepſiâ correpti inunctum, mirabile ſit auxilium; ſtatim enim tunc reſurgere ægrum aſſerunt. Sequitur

CUCULUS, & FICEDULA.

De quibus nihil eſt, quod dicam.

GALLUS, GALLINA.

De *Gallina* per medium diſſecta, uti habet AUTOR, eadem dici poſſunt, quæ de columba. In phrenitide graviori per medium diſſectæ & cruentæ capiti raſo imponuntur, quod è ſchola GALENI ad nos dimanavit; interim ſi tantum per quadrantem horæ in capite relinquantur, horrendum fœtent. Item gallinæ integræ, quando vivæ deplumantur juxta podicem, tumoribus malignis, morſibus venenatis, bubonibus & carbunculis peſtilentialibus imponuntur pro extrahendo veneno, quod certum eſt, & ab experientia confirmatum: ſicut etiam gallinæ his impoſitæ brevi poſt moriuntur. Repetantur igitur harum applicationes, donec nullæ amplius moriantur, & res erit in vado: ZACUTUS LUSITANUS à vipera demorſum ita reſtituit.

Ex Gallo, vel gallis contuſis parant Decoctum, ſeu Jus conſummatum, in atrophia, hectica, & phthiſi, uti & pro iis, qui reconvaleſcunt ex morbis chronicis: ſed credo horum omnium uſum eſſe nullum, quia ſtomachus debilis ea digerere non poteſt; unde cruditatem nidoroſam contrahunt. Maximè ergo ii errant, qui ægris ex gravioribus malis convaleſcentibus ejuſmodi juſcula propinant; corpora enim impura quò magis nutriuntur, eò magis læduntur. Laudantur etiam in promovendis lochiis, imò ad fortificandam parturientem poſt partum, verùm cum puerperarum corpora pariter impura ſint, iis ſubinde nociva erunt, & horum loco cereviſia calida cum cumino cocta optimè poſt partum adhibetur, cum ſatis feliciter promoveat lochia.

Huc pertinet Jus Galli Veteris, quod à Veteribus laudatur contra Aſthmata & dyſpnœas: videatur AMATUS LUSITANUS C. 2. *Cur.* 81. *in Schol.* qui hiſtoriam habet huc optimè quadrantem: valdè tamen exagitatur ab HELMONTIO, & quidem non ſine cauſa.

Sanguis galli valdè prodeſt ad ſtimulandam Venerem, ſi ſcilicet ex hoc ſanguine deſtilletur ſpiritus urinoſus, & rectificetur. D. MICHAELIS certè frequentiſſimè eo uſus in ægris ſuis, affectu hocce laborantibus. Poteſt cum remediis ex formicis paratis miſceri, & virtus ejus magis exaltabitur: Unde etiam ſpiritus, paratus ex ſanguine & teſticulis gallinaceis, valdè commendatur in ſtimulanda Venere, item ſpiritus ex teſticulis & ſanguine pavonis ſeu gallo pavi, *qui & Indicus, Afer, & Numidicus vocatur*, ſi in his ſpiritibus diſſolvatur unum, vel alterum granum ambræ, mirum evadit medicamentum aphrodiſiacum.

Cerebrum Gallinæ nigræ ad confortandam memoriam & in deliriis commendatur: vid. LEO *l.* 1. *de Art. Med.*

Tunica ventriculi interior ſiccatur & pulveriſatur, ut compeſcat vomitum, præcaveat abortum, in ſpecie ſi metuendus ſit ex nimio vomitu: de qua tamen virtute non immeritò dubitat HELMONTIUS *Tr. de Lith. c.* 3. §. 28. Laudatur etiam ad incontinentiam urinæ; Unde ex hac tunica cum pulvere erinacei BARTHOLETUS *in Encyclop. p.* 164. habet pulverem ſpecificum ad mictionem involuntariam, cui DEODATUS *in Panth. Hygiaſt. Lib.* 1. *pag.* 361. ſimul addit criſtam galli exſiccatam; nam hæc mictum involuntarium, vel per ſe ſumpta curare dicitur: ſed mera eſt fabula. Quidam in ſale cauſam quærunt, quos inter eſt RIVERIUS *in Praxi l.* 9. *c.* 5. ubi dicit, quod valdè proſit & conducat in conterendo calculo & arenis comminuendis: Verùm, quale illud ſal? vanitas vanitatum! Ad menſes potenter ciendos à ℈j. ad ʒß. laudatur, imprimis in aqua cinamomi vel ſimili ſi propinetur: verùm ſi quid operatur, ſit ratione aquæ cinamomi.

De virtutibus *teſticulorum* ad ſtimulandam venerē videatur AMATUS LUSITANUS *in Curat.* & ex eo SCHENCKIUS *Obſ. de Rebus Venereis*, ubi habet hiſtoriam mariti, teſticulis galli ſaginati, & deinde mirè in Venerem ſtimulati, ut & maritā & ancillas duas ſubegerit.

Pinguedo gallinæ eſt moderata & temperata præ cæteris omnibus; adeoque blandè & moderatè emollit, maturat, & indurata attenuat; hinc cataplaſmata & Unguenta pro tali uſu ſolet ingredi.

Quod aliàs dicunt de criſta & tunica ventriculi interiore galli & gallinarum in mictione involuntaria, convenit majori jure *Gutturi galli*: Hoc enim toſtum, pulveriſatum, & cum vino potum, eſt SOLENANDRI experimentum contra mictionem involuntariam, quod primitus docuit *Sect.* 4. *Conſil.* 11. & Autore HARTMANNO *Prax. Chymiatrica pag.* 250. Mictum involuntarium juvat, tam diurnum, quàm nocturnum; in quo caſu etiam uſus eſt D. MICHAELIS, idemque convenit in mictione involuntaria, etiamſi illa ſit ex partu difficili, quæ aliàs eſt malum difficillimum curatu, Autore HOEFERO *in Herc. Med. pag.* 343. Aliàs in mictione involuntaria poſt partum difficilem ex laceratione veſicę, experimentum ſpecificum eſt pulvis bufonis calcinati collo appenſi, de quo HEINRICUS *ab* HEER *Obſ.* 14. & expertum hoc eſt ab Anglis, quod verum ſit.

Hic obiter tria notentur remedia præſtantiſſima contra incontinentiam urinæ, ex regno animali deſumpta:

1. Eſt *Erinaceus combuſtus*.
2. *Vulva ſuilla*: &
3. *Guttur galli*.

quæ omnibus palmam eripiunt.

Stercus omnia ea præſtat, quæ columbinum: Sed non adeò eſt potens. Egregium ad icterum remedium paratur ex albo ſeu gilvo pullorum gallinaceorum, ex quo etiam *Deodatus in Panth. Hygiaſt. Lib.* 1. *p.* 361. *& ſequentibus* ſummum Arcanum parari dicit ad calculum, idque, uti dicit *citatus Autor*, ob vim nitro-ſulſphuream, cujus doſis ſit à ʒß. ad ʒj.

Ova reverà ſunt fructus gallinarum. De his multa dicuntur ſuperſtitioſa, inter quæ quoque puto hoc eſſe, quod dicunt: Ova die viridium excluſa, & fota poſtmodum à gallina, prodere gallinas, quæ ſingulis annis pennas mutent: id quod propriâ experientiâ ſe expertum eſſe dicit SCHMUCK *in Curat. Magico-Magnet.* Fides ſit penes Autores.

Offerunt Ova nobis

1. *Teſtas*,
2. *Albumen*, &
3. *Vitellum*.

Ovorum Teſtæ ſunt concretum quaſi hermaphroditicum; ſimul enim de regno minerali & animali participant. Materiam nanciſcuntur ex lapillis ſeu calculis, quos gallinæ devorant, quorum particulæ ſubtiliores in ventriculo ſub mucilagine ſua glutinoſa in ſubſtantiam teſtarum agglutinantur. Patet hoc, quod ſi gallinæ incluſæ ſine lapidibus, vel arena nutriantur, ova ſine teſtis excludantur; lapilli enim hi diſſoluti in concretum teſtarum poſtmodum abeunt.

Aliàs teſtæ ovorum deſtillatæ per retortam, ratione ſubſtantiæ animalis, dant *ſpiritum urinoſum* & *ſal volatile* ſatis copioſum, ſimul cum oleo fœtido: Contra, quatenus de natura minerali participant, relinquunt caput mortuum, quod igne aperto ulterius calcinatum faceſſit in calcem albam, tenerrimam & ſubtiliſſimam, attactu aquæ inſigniter efferveſcentem, & ebullientem inſtar calcis vivæ.

Quoad *Uſum medicum*, ejuſdem naturæ ſunt cum lapillis cancrorum fluviatilium; quare tam pulveriſatæ, quàm calcinatæ, egregiè abſorbent vitioſa acida primarum viarum, cumque iis in concretum nitroſum egregiè diureticum & nephriticum abeunt. Imprimis autem pro uſu diuretico conducunt teſtæ ovorum, ex quibus per incubatum pulli modò excluſi ſunt; mediante fotu enim certam ſimul alterationem patiuntur. Hæ pulveriſatæ, & in vino propinatæ, urinam ſatis fortiter proliciunt: quin etiam à quibuſdam nomine Præſervativi ſingularis calculoſis commendantur ad calculorum geneſin, & paroxysmos nephriticos inhibendos: videatur BARTHOLINUS C. 4. *Hiſt. Anat.* 23. *pag.* 281. RIVERIUS *Pr. l.* 11. *C.* 1. BARBETTE *Pr. l.* 4. *c.* 8. item HARVEUS *de Generatione Animal. pag.* 90. & 92. ubi dicit, quod exterior cortex non ſit in ovo intra ovarium, ſed ſit ab urina vel craſſiore ſedimento urinæ gallinæ: in urina verò multum ſalis volatilis eſt, quod aptum eſt ad urinam movendam.

Contenta in teſta ſunt *Albumen* & *Vitellum*, quæ inſignem habent vim nutritivam, & reſtaurativam virium deperditarum; unde in defectu virium ex nimio coitu, vel corporis exercitiis frequentioribus, commendatur ovum recens immiſſum in vinum Malvaticum aut Rhenanum, addito uno vel altero grano ambræ, quod ex tempore vires amiſſas reſtaurare dicitur.

Ovum ad duritiem coctum & aceto imprægnatum, eſt expertum remedium in diarrhœa compeſcenda: Contra verò ovum ſorbile quoſdam ſolet purgare; cujus rei exemplum refert HOEFERUS *in Herc. Medico*, quod quidam, quandocunque voluit, ſibi potuerit excitare diarrhœam; unde commendatur in nimia alvi obſtructione, quoniam laxat alvum.

Integra ova deſtillata videbitis in BARTHOLINI *Act. Haffnienſ. Vol.* 2. *pag.* 192.

Ex albumine fit *pullus*, qui nutrimentum, quando adhuc eſt in ovo, habet ex vitello; ſicut & poſt excluſionem abdomini adhæret aliquid, de quo etiam per aliquot dies nutrimentum habet, uti notum eſt iis, qui legerunt elegantiſſimè hac de re diſſerentem HARVEUM.

Albumen ovi per ſe externè pro ſcopo refrigerandi adhibetur, & copioſum & temperatiſſimum alcali volatile in ſe reconditum habet, & quaſi cum ſpermate ranarum videtur conſpirare; unde imprimis refrigerare dicitur: Hinc etiam adſtringere, glutinare &c. adeoque ad inflammationes quaſcunque, imprimis oculorum, commendatur, benè agitatum uſquequò liqueſcat, ſpumeſcat; & in liquorem abeat: ſicut & vulnera oculorum conſolidare dicit GRULIN-

LINGIUS *in Curat.* 1. *Obſervat.* 15. *Cent.* 7. ubi & Saccharum Saturni ei addi poterit, pro meliori operatione.

Poteſt parari ex albumine ovi *aqua* & *oleum*: Nempè albumen ad duritiem coctum & contuſum in patina ſuper igne paulum intenſiore continuò agitando fatiſcit in oleum nigricans, quod ulterius per retortam in arena poteſt rectificari, & erit oleum inſtar ſolis fulgens, egregium vulnerarium & dolorum hæmorrhoidalium ſedativum. Prodeſt etiam contra ambuſta. Item albumen ovi probè conquaſſatum, cum bolo miſtum, deſtillando dat aquam quodammodo gravem, omnibus iſtis affectibus, quibus albumen confert, convenientem.

Vitellum ovi pingue magis magiſque oleoſum eſt præ albumine, unde plus nutrit, quàm albumen, vimque habet dolores ſedativam, anodynam, temperativam, emollitivam, ſuppurativam, unde ratione utriuſque Ingreditur clyſteres pro relaxanda alvo, & ſtimulandi inteſtinis; hinc etiam in alvi duritie infantum applicantur pro eorundem alvo ſtimulanda cum aliquot granis, vel guttis fellis tauri. Contra vitellum ovi ad duritiem coctum, & cum pauco aceto roſaceo ſubactum contra diarrhæam remedium eſt excellens HELMONTII *Tr. Pylorus Rector*: addidi ergo raſuram nucis moſchatæ, & bina vice feliciter exhibui.

Si coquantur ova ad duritiem, & acubus longis perforentur, exſtillabit in frigore liquor albus & limpidus, qui eſt egregium coſmeticum imprimis ſi aliquot grana camphoræ in eodem ſolvantur, & vel ita uſurpetur, vel poſtmodum per alembicum aliquoties deſtilletur & aſſervetur.

Multi commendant hunc fucum compoſitum:

℞. *Succi agreſtæ deſtillat.* part. ij.
Liqu. cryſtall.
Olei album. ovor. an. part. j.
Salis nitri parum M.

& in uſu diſſolvantur in aqua ſigilli Salomonis.

Ex vitellis ovorum per expreſſionem paratur *Oleum*: Modum parandi videbitis in *Diſpenſ. Auguſtano*. Purificetur autem ita:

Oleum ſcilicet *liquefactum* ſponte per linteum colandum poſt imponatur patellæ ſtanneæ, & addatur aliquid de *cera*; hinc cum *aqua para fontana* lavetur, agitando cum ſpatula lignea, ut aqua eluat impuritates. De hinc exponatur Soli ad aliquot dies & noctes, ut fæces in fundum ſecedant, & oleum ſupernatet, cujus uſus eſt egregius vulnerarius contra ambuſta & imprimis contra herniam.

Quidam etiam adhibent ad implendas foveas, relictas poſt variolas & morbillos, nec non ad fiſſuras, vel labiorum, vel papillarum vel manuum ac pedum, uti etiam ani: item ad dolores à cauſa externa obortos; dolores enim ſiſtit, & anodynum ſimul eſt, quin & coſmeticum eſt elegans, ſi prius facies abluatur cum aqua ſimplici, in qua Borrax ſoluta: poſt hocce oleo facies illinatur. Quod ſi remanentiæ poſt expreſſionem olei hujus per retortam deſtillentur, acquiritur *ſpiritus urinoſus* & *ſal volatile legans*, copioſum ſatis & admodum ſubtile, cum copioſo *oleo* deſtillato *fœtido* empyrevmatico. Et ratione talis ſalis volatilis oleoſi videtur vitellum ovi ſolvere terebinthinam, Balſamum Peruvianum, reſinas vegetabilium, olea deſtillata, &c;

HIRUNDO.

INtelligitur hic imprimis *Hirundo domeſtica*, non verò hyrundo ſylveſtris: nihilominus tamen in genere quæcunque hirundines & earum nidi in caſu neceſſitatis poſſunt uſurpari. In genere hirundines integræ, præſertim juniores, valdè commendantur ad epilepſiam & morbos convulſivos, ſive exſiccentur & ſub forma pulveris propinentur, ſive inſtar amuleti extrinſecus appendantur: Alii addunt, ut efficacius reddant remedium, pulveri juniorum hirundinum ana Caſtorei, & ita bibunt, hocque tanquam expertum in epilepſia quacunque. Sed præterea quoque ſpecificè laudatur in paſſione hyſterica, ſive cum epilepſia partium externarum ſit conjuncta, ſive non. Obſervetur enim quod convulſiones epilepticæ ſint duplicis generis latè loquendo quædam enim eſt convulſio partium externarum, & eſt in ſpecie dicta epilepſia; quædam eſt convulſio partium internarum meſenterii, inteſtinorum ſtomachi, diaphragmatis & muſculorum reſpirationi inſervientium, quæ à mulierculis noſtratibus dicitur Epilepſia in corpore. Et talis eſt, quando propter calculum renum convelluntur inteſtina, & fit dolor colicus, propter convulſionem per conſenſum: item quando convellitur ventriculus, & fit vomitus, uti contingit in nephritide. Jam paſſio hyſterica eſt ſimilis, convulſio partium internarum abdominis, & ex iſta fit ſenſus globi, quem ignorantes putant eſſe uterum. Dum ergò paſſio hyſterica eſt convulſio epiletica, quæ etiam interdum prorumpit ad partes externas, patet quare hirundines conveniant in epilepſia propriè ſic dicta? & etiam in paſſionibus hyſtericis, & quidem aqua hirundinum cum caſtoreo? aliàs Germ. *Weiber Schlag-Waſſer* ubi tamen plus facit caſtoreum quam hirundines, cum illud, uti ex ſuperioribus notum, per ſe ſit ſpecificum in epilepſia.

Verum cum præparatio vulgaris aquæ hirundinum cum caſtoreo ſit valdè rudis, propterea doctiorem docet ZWELFFERUS *in Animadverſ. ad Pharm. Auguſtanam Editionis Ultimæ* quæ eſt concinnior & elegantior.

Eadem aqua multiplicis uſus eſſe ſolet in paſſionibus hyſtericis vertigine, epilepſia, apoplexia, & ſimilibus capitis affectibus, item in colica & palpitatione cordis tam interno, quàm externo uſu.

Certum eſt, in quorumcunque pullorum ventriculis reperiri parvos *lapillos* verum hi lapilli ipſis communicantur à parentibus cum nutrimento. Vocantur *lapides chelidonii*, & contra affectus oculorum & epilepſiam, imprimis puerorum, ſunt commendatiſſimi: de quo videatur BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Epiſt.* 11. *Med. pag* 438. Sed nihil habent in receſſu. Accedit & hoc, quod valdè ſint rari, & rarò inveniantur, & propterea ſint multi, qui falſum illi ſubſtituunt, & ita defraudant Patientes. Propterea de lapide chelidonio tam falſo, qui ſpecies eſt Opali, quàm genuino in ventriculo item hepatibus pullorum reperibili, videatur VELSCHIUS *Hecatoſt.* 1. *pag.* 74.

Nidus hirundinum unà cum excrementis eſt ſpecificum & inflammationem tonſillarum. Verum & nidus nil valet, ſed excrementa maximè ſalſa; nitroſa quæ illic reperiuntur: vi hac nitroſa inflammationes diſcutiunt, ardorem compeſcunt, & hinc maturationem & ſuppurationem promovent. In iiſdem igitur factum Cataplasma ex nido hirundinum eſt expertiſſimum Chirurgis. Præparatio eſt hæc:

℞. *nidus* ſicuti ſub tectis eſt (ſi adſunt pulli, eſt eò melius) Contunditur, & coquitur, & per ſetaceum trajicitur, fitque Cataplasma, quod applicatum externè circa regionem inflammationis tonſillarum vel anginæ eſt expertum.

Hoc Cataplasma ex nido hirundinum partim applicatur ſimpliciter additis tantum aliquot oleis, partim admiſti aliis quibuſdam ſpecificis, ut fiat efficacius: videatur AMATUS LUSITANUS *in Praxi*, & *Obſervationibus*, qui quamplurimas anginas curavit hoc Cataplasmate. Huc ſpectat Cataplasma MYNSICHTHI compoſitum in Armament. Chymico, quod etiam conficitur ex nido hirundinum, & eſt egregium in angina. Formula talis cataplasmatis poſſet eſſe hæc:

℞. *Nidos hirund. integr.* nu. ij.

Contuſis affundatur ſufficiens quantitas *aquæ ſimplicis*: conquantur & per ſetaceum trajiciantur: trajectæ pulpæ adde:

Olei chamomill.
Lil. albor. ana ℥j.
Vitell. ov. nu. j.

fiat *Cataplaſma* applicandum extrinſecus.

Magis compoſitum Cataplaſma in inflammatione tonſillarum & anginæ eſt hoc:

℞. *Nid. hirund. cum ſterc.* nu. j.
Flor. ſamb. M. iij.

Conſcindantur, contundantur & coquantur vel in *lacte* vel *aqua ſimplici*: Decoctum ad mollitiem ſubigatur cum oleo chamæmelino, fiat l. a. *Cataplaſma*, quod regioni tonſillarum applicetur. Quibus, ubi pertinacior fuerit tumor, etiam *cepæ ſub cineribus coctæ* à nu. iij. poſſunt addi. vel:

℞. *Nid. hirund.* num. ij.
Albi Græci,
Rad. alth.
Lil. alb.
(quoniam emolliunt & ſuppurationem promovent) ana ℥j.
Flor. chamom.
Melil.
Malvæ ana M. j.
Ficuum pingv. num. ix.
Cepar. (quæ ratione ſalis volatilis penetrant egregiè, diſcutiunt, & ſic poſt diſcuſſionem ſuppurationem promovent) ℥vj. ad ℥j.

Contuſa coquantur in ſufficienti quantitate *aquæ prunellæ* & *ſempervivi*: trajiciantur per ſetaceum: pulpæ trajectæ adde

Pulv. hirund. vel *noctuæ comb.* (nam hæc facit celerem rupturam, uti poſtmodum audietis) ℥ij. vel ℥iij.
Olei lil. albor. q. ſ. pro coctione Cataplasmatis

Quod applicatum faucibus, gutturi, aut tonſillis inflammatis, eſt egregium remedium.

Ipſe *Pulvis* etiam *hirundinum*, & in ſpecie *ſtercus earum*, miſta cum melle, & illitum internè in angina vel inflammatione tonſillarum, eſt egregium remedium, quod partim diſcutit, partim, ubi jam facta eſt ſuppuratio, rupturam & apertionem abſceſſus promovet: ſicuti idem illitum in uvulæ inflammatione, egregiè conducit.

Quod attinet *ſtercus hirundinum* hoc eſt de natura ſalis nitroſi volatilis ſeu ammoniacalis, potenter penetrat, incidit, attenuat, & obſtructionem ex ſanguine reſtagnante, indeque ortam inflammationem removet; quia ſanguinem jam congrumatum reſolvit & diſſolvit, & ſic inflammationem imminuit. Quod ſi non poteſt, tollere inflammationem, juvat internam fermentationem in ſanguine, beneficio cujus ſanguis ſenſim ſenſimque in pus abit, & ita facilius ſuppuratur. In angina, ut dixi, eſt celebre, & loco nidi & hirundinum poteſt commodè ſubſtitui: & ſicut in gargariſmatis pro diſcuſſione & ſuppuratione commodè additur Album Græcum; ita commodius longè poteſt addi ſtercus hirundinum, quod melius ad huc eſt in diſcutiendo & ſuppurando.

MILVUS, MILVIUS.

DE hoc nihil eſt, quod dicam, cum non memini, me vidiſſe aliquando præſcriptum.

NOCTUA.

EX *noctua* imprimis in uſum venit *cinis* ſeu *noctuæ combuſtæ*, quæ cum melle ſubacta & faucibus illita, mirabiliter apoſtema tonſilarum, & anginam ſuppuratam, mutuat, teſte HARTMANNO *in Praxi Chymiatr. pag.* 133. Eadem *Noctua combuſta* faucibus per cannulam inſpirata anginam rumpere facit. Nam ſæpe fit, ut apoſtema maturum non rumpatur, ſed æger tandem ſuffocetur: in tali caſu noctua combuſta dicto modo inflata, eſt egregia. Omnem interim cinerem hoc facere credo, cum melle ſubactum.

OLOR.

PElles Oloris colicos juvat, uti habet AUTOR; & ipſe vidi; unde regioni ſtomachi applicant ſed fomentationem calidam hic magis agere, quàm ſpecialem quaudam vim, probabile eſt. Aliàs olor eſt in pauco uſu.

PALUMBUS, & PARUS.

IN pauco uſu ſunt.

PASSER VULGARIS.

IN uſu eſt non tantum *Paſſer Vulgaris* ſeu *Communis*, ſed in ſpecie *Paſſer Troglotites*, Germ. *der Zaun-Konig*.

1. Quod attinet *paſſerem vulgarem* ſeu *communem*, de illo noto, quod ſicut eſt animal ſalaciſſimum, ita ad ſtimulandam Venerem ſolet uſurpari: in quo uſu præ aliis convenit ſanguis & cerebrum paſſeris, & quidem deſumitur ex paſſere, in actu venereo transfoſſo. Et hic ſangui & cerebrum paſſeris in coitu transfoſſi fuit ſecretum *Comitis* à PAPPENHEIM, non minus clari in exercitiis Martis, quàm Veneris. Dicunt quidem, quod paſſeres, quoniam laborant epilepſiâ, etiam homines reddant epilepticos: ſed contrariatur experientia, ubi ex illorum eſu nulla ſecuta eſt epilepſia; ſin verò epilepſia ipſum ſupervenerit, factum id potius eſt ex uſu veneris nimio, concitato à cerebro paſſeris.

Quod *ſuperius dixi* de murium ſtercore in ſtimulanda alvo infantum, id etiam verum eſt de *ſtercore paſſerum*, quod pulveriſatum & propinatum infantibus, non minus egregiè eorum alvum ſubducit. Sequitur

II. PASSER TROGLOTITES.

PAſſer troglotites aliàs etiam vocatur *Regulus*, & ſpecificè in affectibus nephriticis & calculoſis adhibetur; ſi enim aſſatus comedatur, ſive calcinati cinis adhibeatur, eſt preſervativum calculi ſicuti etiam pulveriſatus, & pulvis in doloribus nephriticis aſſumptus mitè calculum ex renibus & veſica exturbat, & eorum motum promovet: de quo plura qui vult, videre poteſt AMATUM LUSITANUM *C.6. Cur.93.* uti etiam CHARLETON *in Tract. de Spiritu Gorconico p.161.* nec non ZACUTUM LUSITANUM *Lib.2. Med. Princ. Hiſt.129.* valdè commendatur ab omnibus. Præter virtutem promovendi calculum renum non minus commendatur in promovenda urina ſuppreſſa, in qua eodem modo uſurpatus valdè convenit, adeò ut quidam dicant, quod urinæ ſuppreſſionem deſperatam Regulus hic calcinatus certo experimento promoveat, etiamſi abdomen inſigniter jam intumuerit, & etiam à calculo veſicæ oriatur: ſicut & Gorlicenſe habent *Eſſentiam Reguli* quæ eſt conveniens in tali caſu: videatur de hac vi contra Iſchuriam HOEFERUS *in Herc. Med. p.* 180. Novi quendam, qui in paroxyſmo calculi ac Iſchuriæ aſſato troglotite in cibo comeſte convaluit.

PAVO.

EX *Pavone* imprimis in uſu eſt *Stercus*, quod reverà egregium experimentum eſt contra vertiginem, & epilepſiam juniorum: Videatur imprimis HEINRICUS à BRAHE *de Medic. contra epilepſiam*, uti etiam BORELLUS *C.3. Obſ.15.* uſus eſt ut ℨj. tam in forma pulveris cum pauco pulvere caryophyllorum & ſacchari miſtum, vel etiam in forma liquida in hauſti vini maceretur, exprimatur, & ita adhibeatur: Alii

Recipiunt ſtercus pavonis ad M.j. (obſervando differentiam ſexus ita ut ſtercus pavonis maris ſumatur pro cura epilepſiæ & vertiginis in mare; ſtercus fœmeliæ, ſi ſit curanda fœmella: ſed tamen non eſt de neceſſitate)

Macerant in vini ſufficienti quantitate, colant per linteum, & vinum tranſcolatum dividunt in tres partes æquales.

Primam doſin propinant poſt paroxyſmum vertiginis, & ante novilunium, expectando ſudorem; ſecundam doſin poſtridie; tertiam imminente novilunio, ita ut ſubſequatur, benè contecto ægro, ſudor. Fuit experimentum *Comitiſſæ à* WALDECK.

Alii, & quidem quædam matrona, ſic ſanauit quoſdam epilepticos: Accepit *acetum florum tuniçæ*, & huic *feces pavonis recentiſſimas* infudit, poſtea per linteum trajecit, ſicque novem continuis diebus mane propinavit. Imprimis elegans eſt hiſtoria, quæ ſatis confirmat uſum ſtercoris pavonis, in QVERCETANI *Diæt. polyhiſt. Sect.2. Tract.1.* Unde non eſt inepta conjectura BARTHOLETI, quod ſi ſtercus adeò ſit efficax in vertigine, cetebrum futurum ſit longè efficacius; cum & ipſe dicat, quod pavonis caro comeſta ſit optima, iis imprimis, qui laborant vertigine. Simul tamen, uti rectè monet AUTOR danda à novilunio ad plenilunia: obſervetur enim, quod in cura effectuum capitis, epilepſiæ, apoplexiæ, vertiginis, &c. ſemper ſit inſpicienda luna, & danda prophylactica ante plenilunium & novilunium. Propterea cura vertiginis inchoanda eſt à novilunio, & finienda circa plenilunium; vel ſi tardiu abſolvatur cura, una doſis eſt propinanda in novilunio, & altera in plenilunio: ſuperius namque obſervavi, quod magna ſit vis lunæ hac in parte, & niſi cautus eſt Medicus in curatione epilepticorũ, quod attinet motũ lunę, plus officit, quàm quod proſit. Commodè etiã additur clyſteribus in epilepſia uſitatis pro ſtimulo, ubi commodè additur ad ℥ß. vel ℥j. egregiè ſtimulat, ſimulq; ſpecificè prodeſt, ſi oriatur epilepſia per conſensũ partiũ inferiorũ: ſi habet nidũ in pancreate vel meſenterio, vel aliis inferioribus partibus.

Pennæ, quę ſpeculum referunt, inciſæ & in cerevisia, vel aqua appropriata aſſumptæ, ſingulariter conferunt contra eriſipelata, & inflammationem mammarum juxta vulgum. Ratio eſt, quod habeat ſignaturam mammæ pendentis: videatur HARTMANNUS *in Praxi Chymiatrica pag.157.* Quæ habet AUTOR de pennis in paſſione hyſterica, ſunt certa.

PERDIX.

QVidam *pennas perdicis* incendunt & ſuffumigant mulieres hyſterica paſſione laborantes: aliàs non ſolent uſurpari.

PICA.

PIca aſſata aut elixata atque comeſta ſingulariter prodeſt iis, qui per maleficium ſunt ligati, & ad venerem impotentes.

Item *Cinis picarum* cum aqua fœniculi benè ſubactus, & oculis applicatus, mirabiliter in iis confortandis convenit.

STRUTHIO.

DE *Struthione* imprimis in uſu ſunt *Teſtę Ovorum*, egregiè diureticæ & lithontripticæ; unde liquores nephriticos & pulveres nephriticos, nec non *pulverem Volckamerianum*, ingrediuntur. Sed an prę teſtis ovorum gallinaceorũ ſingularem habeant prerogativã? meritò dubitatur. FORESTUS *l.20. Obſ.2.* in Arthritide vaga laudat.

TURTUR.

TUrtur egregium remedium eſt FORESTI, cum maſtiche aſſatus, toſtus, & pulveriſatus, contra nimiam hæmorrhagiam uterinam; imò in diſenteria, uti videri poteſt in SENNERTO *lib. 4. Praxeos capite de nimio menſium fluxu p.* 175. Et hunc pulverem turturis, quem commendat ſimul HARTMANNUS *in Praxi Chym.* ceu expertum à ſe ipſo, in muliere nimio menſium fluxu laborante, laudat LINDANUS in *Colleg. ſuper Hartmannum*. Confirmat hoc HILDANUS, qui refert: ſe hoc medicamento aliis irritis curaſſe dyſenteriam citra ſpem. Doſis eſt à ℈ß. ad ℈j.

VESPERTILIO.

VEſpertilio neglecta eſt ab AUTORE; nihilominus ſanguis veſpertilionis illitus hypochondriis, mirabiliter convenit pro compeſcendo dolore in morbo ileo, vel Miſerere mei, uti videri poteſt in JOELIS, *Practici Pomeranei, praxi p.275.* & FORESTI *Obſ. l. 21. Obſ. 25.* qui ceu ſingulare commendant experimentum: & quidem non tantum illitus hypochondriis ſedat dolorem ilei, ſed etiam, ſi ſanguis diſcerpti veſpertilionis illinatur ventriculo, eandem ſiſtere dicitur. Aliàs, quod obiter noto, exuviæ ſerpentum in oleo roſarum decoctæ, & ventriculo applicatæ ceu ſingulare in ileo commendatur remedium. Obſervetur interim hoc, quoniam in ileo eſt dolor intolerabilis unde, ſi illito ſanguine veſpertilionis poteſt ſedari, eſt eò melius remedium.

UPUPA.

UPupa non eſt magni uſus; neque etiam

VULTUR.

Hæc de Volatilibus.

CLASSIS

CLASSIS III. DE PISCIBVS.

PIsces pauca suggerunt, nisi substantias testaceas & lapideas: Interdum tamen & ex partibus mollibus aliquid in usum Medicum venit. Primum autem se offert

ANGVILLA.

ANguillæ pinguedinem pro restituendo auditu commendari asserit AUTOR; & rectè: Modus hic est: Ex anguilla, dum assatur, exstillat pinguedo, quę ipsa excipiatur foliis lauri, & tepidè instilletur auribus, post obturandis; idque, vel solum, vel additis olei destillati anisi aliquot guttis.

Imprimis quoque *pinguedo Anguillæ* ad progenerandos capillos illita capiti. Præterea quoque mista cum oleo momordicæ commendatur valdè in compescendo dolore hæmorrhoidum.

Porrò *Jecur* ejus in usu est, quod satis grande. Perforatum nimirum, blando igne exsiccandum, & remedium specificum singulare & optimum suggerit in partu difficili, dosi ℥ß. imò HELMONTIUS *Tract. Ius DuumVirat.* §. 46. *pag.* 247. BOYLE, LUDOVICI *in Pharmac. pag.* 578. aliique plures incomparabile id remedium esse, asserunt. Exsiccetur autem unà cum felle, & pulverisetur ad usum. Juxta hepar anguillæ, quod obiter moneo, jecur, seu hepar serpentis non minoris est usus, & ejusdem ferè efficaciæ cum hepate anguillæ. In Nyctalopia etiam anguillæ hepar laudatur in M. A.N.C. *Anno* 3. *Observat.* 133. *p.* 208. ex PANAROLLO *Pentec.* 3. *Obs.* 49.

Pellis seu *Cutis anguillæ*, sive recens, sive salita, elegans & mirabile remedium suggerit in procidentia uteri, seu in prolapsu sinus pudoris, ubi suffitus inde instituatur, ut prolapsus ita repositus meliùs firmetur, & in loco suo retineatur; quo Dn. D. MICHAELIS feliciſſimè usus: Id quod etiam confirmat SENNERTUS *Lib.* 4. *Praxeos pag.* 96. & 97. Videri etiam potest FERDINANDUS *Hist. Med.* 39. Aliàs, quod notetur, in tali prolapsu uteri suffitus, factus ex ovo putrido & corrupto, est experimentum melius, si scilicet ovum putridum & corruptum integrum imponatur carbonibus; sic enim fit, ut rumpatur cum impetu & crepitu, à quo perterrefacta ægra unà cum odore gravi & exhalante curatur; nam terror per se in tali casu prodest. Cæterum observetur, me loqui jam secundùm communem stylum: nunquam enim fieri potest talis uteri prolapsus, nisi fiat omnimoda ruptura fasciculorum uteri; sed id quod propendet, est tantum vagina uteri aut ejus rugæ nimis laxatæ: videatur BARBETTE *Praxis c.* 10. & *Chirurg. P.* 1. *c.* 8.

AUTOR dicit, quod vinum, in quo viva perierit anguilla, homines vinum per vitæ spatium abhorrere faciat, & abstemios reddat. Hoc dicunt, sed experientia docuit, quod sit falsum: ne decipiamur: videatur SALMUTH. C. 3. *Hist.* 12.

BARBO.

DE *Barbone videatur*, quæ habet AUTOR. TIMÆUS cholera morbum excitatum esse observat ex esu & usu ovorum barbi, quam beneficio alexipharmacorum & Bezoardicorum curavit. Vtut igitur cibum satis laudabilem & nobis convenientem suppeditent barbi, cauti tamen simus in eorum ovorum usu.

BLATTA BIZANTIA.

BLatta Bizantia species concharum est, quare *de conchis* suo loco ejus mentio fiet.

CANCER.

CAncer imprimis duplex in usum venit: vulgaris seu fluviatilis, propriè *Gammarus*, qui in lacubus & ubique in nostris regionibus reperitur; & *Astacus*, qui rotundus & rarus est apud nos, in locis autem maritimis reperitur, & nostratibus oblongioribus præferri solet.

Quod attinet *Vsum*, notum est, quod Cancri sint egregium alimentum, vel potius alimentum medicamentosum, quàm simplex alimentum, & optimè solent conducere iis, qui laborant febre hectica, & qui inclinant ad phthisin, tabem, aut vel pulmonum, vel renum aut aliarum partium exulcerationes: Vnde in hectica, similibusque casibus ac affectibus, *Butyrum Cancrinum* paratur: de quo *superiùs* locutus sum *sub Bove*, ubi dedi ejus Præparationem; quale etiam videbitis in SACHSII *Gammar. pag.* 313. & 828. Egregiam etiam obtinent vim diureticam ciendi urinam ac pellendi ratione salis volatilis urinosi, temperati à pauco acido: Propterea, quoniam totus cancer, quantus est, vulnerarius est, quæ vis vulneraria, in singulari eorum alcali fundata, magnifacienda est. Sicut in regno tam vegetabili quàm animali observare est, multa diuretica esse simul egregia vulneraria: videantur *scripta* HELMONTII. Propterea, & quoniam sunt toti vulnerarii, non immeritò optimo cum successu ingrediuntur *Potiones Vulnerarias* unà cum vulnerariis vegetabilibus aliis: id quod primus docuit POTERIUS *in Pharm. Spagyr. Lib.* 1. *cap.* 2. *Sect.* 1. *pag.* 320. qui describit *Decoctum vulnerarium*, cujus miras virtutes non potest satis deprædicare; cujus hæc est *Compositio* non inelegans:

℞. *Astac. fluviat.* num. xx.
Rad. aristol. rot. ℥ß.
Symph. maj. ℥j.
Fol. bugulæ,
Alchimillæ,
Sanic.
Agrimon.
Betonic. an. M. j.

Bulliant in sufficienti quantitate *aquæ communis & vini*, fiatque *Decoctum*.

Hoc partim extrinsecùs, partim verò intrinsecùs, hauriatur ad ℥vj. bis in die, quatuor horis ante pastum: cui addit POTERIUS ℥j. *syrupi capillorum veneris*, &, si sitis adsit, totidem *syrupi limonum*. Extrinsecùs si ulcus sit cruentum, addit *salis communis* part. j. item *myrrhæ* aliquando ℥ß. & alia, pro ratione symptomatum vulneribus supervenientium. Valdè istud commendat POTERIUS, dum dicit quod mira sit ejus vis etiam in vulneribus deploratis internè & externè: In præcisis & dissectis nervis, tendinibus ac ossibus, quæ sunt vulnera, peritum requirentia chirurgum; & propterea meritò notandum hoc Decoctum.

Cancri ulterius conveniunt in præcavendo abortu, sive propinetur mulieri gravidæ succus cancrorum cum bono vino expressus, uti vult HARTMANNUS *in Praxi chymiatrica pag.* 281. sive Cancri fluviatiles cum jusculo pullorum contusi propinentur, uti vult JOEL *in Pr pag.* 289. sive ipse solùm pulverisatus propinetur. Porrò commendantur ad malignos serpentum morsus à WORMIO *in Museo l.* 2. *cap.* 4. *pag.* 248. Pulverisandi modus est talis:

℞. *Cancri fluviatiles* in plenilunio capti:

(quoniam plenilunium est legitimum tempus colligendi cancros: observatum enim est, quod crescente lunâ etiam contenta in cancris crescant, decrescente verò lunâ denuò & illa decrescant:) ponantur in vase terreo non vitreato ad os furni, ut exsiccentur paulatim, & non crementur: exsiccati cancri pulverisentur in mortario lapideo; qui pulvis internè est *specificum* POTERII *in præservando abortu* à ℨß. ad ℨj. Cum sale quodam fixo vegetabili, & aqua appropriata, intermittentes curat per sudorem.

Præter hos & alios usus pulvis hic confert egregiè vi diureticâ, mirè curat ulcera renum & vesicæ, & præferendus est longè cineribus cancrorum, utpote qui sunt pura puta calx: item ad sanguinem congrumatum resolvendum multùm etiam confert.

Brodium, seu *jusculum decoctionis Cancrorum*, alvum solvit, assumptum. Item ad scorpionum & viperarum morsum è vino per se bibuntur cancri; qui etiam cum crusta triti & plagæ impositi seu adhibiti, auxiliantur morsui viperæ.

Extrinsecùs magni sunt usus cancri, si scilicet contundantur, & vel soli, vel cum aliis, instar cataplasmatis applicentur, vel ex contusis succus expressus seu instar fomenti admoveatur: & ita succus cancrorum expressus, vel solus vel cum aliis, egregium præbet medicamentum in cephalalgiis febrium ardentium & malignarum, imprimis si simul adsit metus delirii aut phrenitidis: sic enim RULANDUS *in Thes. Medico Practico* habet egregium frontale, quod ipse in graviori capitis dolore & delirantibus semper cum feliciſſimo successu adhibuit, cujus hæc est descriptio:

℞. *Cancr. fluviat. viv.* num. xx.
Aceti rosac. ℥v.

Contundantur in mortario & fiat *Epithema*.

Similiter felici cum successu usurpatur in phrenitide & insania, superveniente febribus malignis: addi potest, pro varietate circumstantiarum, aliquid de opio, croco & camphora, & tale Epithema compositum potest fieri hoc modo:

℞. *Aquæ sperm. ranar.* ℥viij.
Succ. cancr. fluv. ℥ij.
Croci ℨj.
Opii Aceto correcti ℨß.
Camph. ℈j.

Misce pro *Epithemate*: Quod in phrenitide febribus malignis arden-

ardentibus, item in cephalalgia similium febrium, est elegans expertum remedium.

Item in ardoribus, doloribus & spasmis renum undecunque natis, in nephritide & calculo, vix melius est remedium ipsis cancris fluviatilibus contusis & applicatis. Præterea quoque externè quascunque inflammationes sistunt cancri & succus ex iis expressus, quoniam in omni inflammatione est acidum coagulans sanguinem, & efficiens ut stagnet, & sic inflammationem inducat. Hoc acidum ob sal volatile urinosum temperatum, ratione cujus refrigerare, item dolorem sistere dicuntur, corrigunt & refrænant cancri fluviatiles & succus expressus; hinc non potest non fieri, ut sublatâ causa tollatur effectus. In angina, quod sit expertissimum remedium succus cancrorum fluviatilium cum succo sedi expræssus, & pro gargarismate usurpatus, *dixi de sedo*: de quod etiam videre potestis hinc inde apud Autores. In ambustis & combustionibus vix melius habetur succo cancrorum fluviatilium recenter expresso. Sicut & in faciei rubore GRULINGIUS sequens Unguentum commendat:

℞. *Cancr. fluviat.* num. xv.
quibus contusis adde
Olei amygd. amar. ℥ij.
Vitell. ovor. ʒiiß.

Bulliant ad humiditatis consumptionem, post coletur: vid. *Praxis ejus Med. p.* 3. Ex eodem fundamento, uti *superiùs innui*, in ulceribus sordidis & fistulis succus cancrorum fluviatilium cum succo nicotianæ infusus vel injectus est elegans remedium, de quo *dixi sub Nicotiana*. Hinc clysmata ex decoctis cancrorum, item eorum succo in dysenteria, ubi intestina crassa, aut etiam rectum, læsa fuerint, optimo cum consilio injiciuntur,

Lapilli cancrorum communiter *Oculi cancrorum*, sed falsò, dicti, multum differunt ab oculis veris nigris in capite repositis, cum hi super stomachum potius concrescant. Nam de oculis veris nigris in capite repositis noto, quod si quis ʒß. vel ℈j. illorum in pulverem redigat, & assumat, habebit pulverem egregiè purgantem, Autore DEODATO *in Panth. Hygiast. l.* 1. *cap.* 44. De lapillis verò cancrorum alia est ratio: nam hi in primo exortu nihil aliud sunt, quàm liquor lacteus, seu liquor tenuis aquosus lacti haud absimilis. Hic liquor, dum mense Julio, Junio & Majo ægrotant cancri, obdurescit in substantiam lapideam, & siti sunt super stomachum: videatur HELMONTIUS *de Lith. cap.* 7. §. 32. *pag. mihi* 67. ubi eorum naturam & crescendi modum optimè tradit. Reperiuntur hi lapilli, quando deponunt antiquam crustam, & dictis mensibus novam induunt: nova hæc testa ex cuticula illa, quâ involuti reperiuntur lapilli, renascitur, unde testa recens est omninò mollis, quæ tamen beneficio acidi subtilis occulti sensim sensimque induratur. Rarum est, quod habet PLATERUS *Obs. Lib.* 2. *pag.* 63. quod in linguâ humana repertus fuerit calculus, similis lapillis cancrorum. Utraque & testa & lapilli, turgent sale volatili alcalino, minus tamen acri, sed acido subtili temperato.

Hi lapilli cancrorum magnum habent effectum absorbendi quodvis acidum vitiosum in corpore stabulans, imbibunt hoc promptè, insimulque coeunt cum eo in saporem salsum tertium. Unde ratione prioris virtutem habent refrigerandi, & in pluribus morbis conveniunt, in corrigenda soda v. g. seu ardore stomachi, ab effervescentia acida oriunda, colica, aliisque torminibus alvi; passione hysterica, & similibus affectibus ab acido oriundis; in pleuritide, angina, erysipelate, & similibus affectibus ab acido natis, ubi vel soli sufficiunt pro cura destruendi acidum, sanguinem coagulans, quia dissolvunt sanguinem quemcunque coagulatum, illumque per sudorem & urinam expellunt. Porrò contra febres intermittentes quascunque, præmisso vomitu, ante paroxysmum optima sunt medicamenta, in specie in quartanis, sive crudi pulverisati & propinati, sive calcinati, imprimis ubi nimium frigus excedit, ubi pro cura sufficiunt; impediunt enim agitationem massæ sanguineæ, & virtute absorptivâ potenter sistunt. Unde novi continuo usu quartanam lapillis cancrorum in dosi à ʒß ad ʒj. curatam: qui pulvis, si videatur debilior, optimè permiscetur cum sacchaio Saturni, & hoc medicamentum est arcanum in quartana, & quidem imprimis, si affectus simul sit splen. Contumacissima certè quartana per lapillos hos, cum Saturni saccharo junctos, curata est, aliis verò in febribus optimo consilio conjungitur cum tartaro vitriolato. Præterea, dum cum acido in primis viis coeunt in tertium salsum, sunt abstersivi, resolutivi, insigniter diuretici, &c unde etiam in stranguria, dysuria, suppressione urinæ quacunque, & in calculo, optimum curativum & præservativum sunt, absorbent enim acidum, arenulas & alia mucilaginosa in calculum coagulans: unde LUDOVICI *in Pharm. p.* 448. pulverem nephriticum componit ex lapillis cancrorum, cinnabari nativa, & pulvere anodyno: Quando autem vis diuretica in calculo pellendo intendenda, miscentur optimè cū sale volatili succini; v. g.

℞. *Lapill. cancr. præp.* ʒß.
Salis vol. succini ℈ß. M.

Conf. WEDELII *Pharmac. p.* 7. ubi simul *sperma ceti* addit. Aliàs vel crudi à ʒ . dantur pro scopo nephritico, diuretico, & sanguinis coagulati resolutivo, vel vino infusi, vel cum cochleari aceti sumpti. In casu ab alto remedium sunt expertissimum, imprimis quando coagulatus est sanguis ab acido. Præterea cum medicamentis in casu ab alto admiscenda sunt vel purgantia vel diuretica, ut sanguis coagulatus dissolutus per convenientes vias evacuetur; in tali casu præscribuntur lapilli cancrorum, quippe qui, præter vim vulnerariam, quoque habent vim diureticam. Illustre hujus rei exemplum refert LINDANUS *in Coll. Pract.* de fabro quodam lignario, ob casum ex alto, & duas costas fractas, copiosissimum sanguinem exspuente, quem cum Decocto herbarum vulnerariarum in die bis hausto feliciter curavit; cui lapillos simul cancrorum addiderat in aceto solutos. Sic brevi post sanguinem grumosum per urinam ejecit, & convaluit cum omnium miraculo. Lapilli hi mirè conveniunt pro usu vulnerario & ulcerario, in febribus vulneribus supervenientibus, aliisque symptomatis horum præcavendis; quoniam arcent acidum in primis viis, ne ex ejus abundantia & corrupta Massa Sanguinea augeatur corrosio in ulceribus & vulneribus. Et quidem propinantur vel cum vino acidiusculo, vel cum Aqua appropriata, cui addendum est tantillum aceti destillati; sic affuso vino vel aceto invicem effervescunt & ebulliunt, propter luctam acidi in aceto, & principii alcalini in lapillis. In his menstruis in totum ferè dissolvuntur, ita, ut acetum vel vinum lixiviosum gustum acquirant; & licet corrodantur ab acido vel vini vel aceti, non tamen nocet, sed propter saporem lixiviosum potius juvat, ut similiter & fortiùs possint operari in corpore humano, teste SYLVIO *in Praxi* & HELMONTIO, qui inter alia lapillos cancrorum valdè commendat. Objiciat quis: vinum nocere vulneribus, & ubi propter inflammationem erysipelas supervenerit, majorem inferre dolorem. Respondeo: lapillos hos destruere aciditatem vini, & ita destructo hoc, in sua virtute exaltari: hinc & bibacibus, arthritidi aut nephritidi obnoxiis lapilli hi ad ʒj. propinati optimum prophylacticum constituunt, per diuresin acidum vini evacuando; hinc & in stranguria, dysuria & gonorrhœa, ab exulceratione oriundis, optimum sunt remedium. In synovia articulorum, internè usurpati, & externè inspersi, multum conducunt. In exulceratione renum & vesicæ, nec non pulmonum in phthisi pariter sunt sacra anchora cum vino assumpti, pro expugnanda & expurganda acrimonia, seu fermento corruptivo acido.

Usurpantur vel per se sub forma pulveris, vel cum aliis; v. g. sit *absorbens pulvis catbolicus*:

℞. *Lapill. cancr. præp.* ʒj.
Corallor. rub. præpar. ℈ß.
Salis absinth. ℈j. Misce pro 4. dosibus.

Vel in forma liquida, in quo casu optimè cum pauco aceto miscentur, v. g. contra casum ab alto, vel affectum quendam diureticum:

℞. *Aquæ Cherefol.* ℥iij.
Aceti vini ʒiij.
Lapill. cancr. pulverif. ʒj.
Laudan. opiat. gr. j.
Syrup. scabiof. ℥ß.

Misce f. Potio pro duabus dosibus cum regimine.

Plura de horum virtute videbitis in HELMONTIO *Tr. Blasbum. p.* 53 item *Tr. à sede animæ ad Morb.* §. 20.

Usitatè etiam Pulveres dentifricios in scorbuto ingrediuntur, sive usti, sive aliter præparati: nam acidum scorbuticum absorbent ac imbibunt, & inde gingivas ac dentes roborant & firmant.

Putamina seu *Testę*, imprimis *Chelę*, Germ *die Scheren*, sunt ejusdem naturæ & usus atque lapilli, quoniam habent eandem originem, & pulvis earum eundem habet usum atque lapilli pulverisati. In Anglia certè *pulvis febrilis* expertus in usu est, quem testæ chelarum & lapilli ingrediuntur, cujus compositio est sequens:

℞. *Pulv. ex apicibus nigris chelar. cancr.* ℥iij.
Lapill. cancr. prępar.
Margarit. prępar.
Succini albi præpar.
Cornu cervi usti prępar.
Lap. bezoard. ana ℥ß. M. F. *Pulvis.*

Aliam Compositionem D. CHARAS *in Pharm. Reg. Galen. cap.* 19. habet:

℞. *Extremit nigrar. pedum major. cancrorum mar.* ℥iv.
Lapillor. cancr. pręp.
Margarit. Orient. præp.
Corall. rubr. pręp. ana ℥j.
Succin. alb. pręp.
Radic. contrayerv. Virgin. an. ʒvj.
Bezoar Orient. ʒij
Ossis de corde cervi ℈iv.
Croci ℈ij.

Omnia subtiliter pulverisata irrorentur spiritu mellis ʒß. deinde excipiantur *gelatina viperina*, & fiant *Trochisci* in umbra siccandi, & usus tempore pulverisandi.

Præterea Cancrorum Putamina *Pulveres* quoque *dentifricios* ingrediuntur. Ex *cancris fluviatilibus* fit per calcinationem pulvis candidus, saporis & odoris urinosi instar salis fixi, seu potius instar calcis vivæ, egregium absorbens & calculi præservativum. Contra morsum canis rabidi ceu expertus jam ab antiquis temporibus commendatur, si assumatur cum radice Gentianæ, & quidem jam GALENUS illum laudavit, & ad nostra tempora ejusdem salva perstitit laus. In cinere verò,

verò, cum nihil ferè ſuperſit de ſale volatili, ſed ſit inſtar calcis vivæ, quoniam ſal volatile avolat in calcinatione, huic in dicto affectu præfertur ſola cancrorum pulveriſatio.

AUTOR præſcribit modum deſtillandi *Aquam ex cancris per* Balneum Mariæ vel cineres; melior tamen eſt, quæ ex cancris putrefactis elicitur. Hæc aqua præter virtutes ab AUTORE deſcriptas eſt mirabilis in quibuſcunq; inflammationibus ſedandis; adeo ut nullo modo cedat aquæ ſpermatis ranarum in uſu externo. Urinam pellit, & præterea in rabidorum canum morſibus eſt expertum remedium à D. MICHAELE, ſi miſceatur cum tinctura Bezoardica: & multum commendatur à POTERIO in tali caſu. Multū etiam in vulneribus & ulceribus partium internarum, in ſpecie pulmonum & pectoris, conducit, continuò ſumpta: Conf. interim FABER *in Myrothec. ſpag. l.1.c.21.* ſub nomine Quintæ Eſſentiæ; itē oculis inflammatis & ſimilibus medetur: ipſi *cancri* poſt deſtillatam aquam remanentes *exſiccati* & pulveriſati conferunt internè egregiè vidiuretica contra ulcera renum & veſicæ, contra abortum, & ad ſanguinem congrumatum reſolvendū.

Aqua Quercetani cum aqua ſempervivi eſt elegantiſſima & expertiſſima in uſu externo, & præferenda ſucco expreſſo. Deſtillari etiam vulgo ſolent *ex Cancris Aquæ Analepticæ* ad hecticam uſitatæ, quarum compoſitiones videbitis in AUTORE *noſtro, l.2. c.38.* & SACHSII *Gammarol. p.683. ſeqq.* Sed nihil valent.

Ex cancris putrefactis vel ſine putrefactione cum alcali deſtillatis acquiritur *ſpiritus urinoſus & ſal volatile*; de quibus tamen dubito, an magnam præ ſimilibus volatilibus habeant præeminentiam.

Phlegma autem hujus in æſtu inflammatorio oculorum ſedando egregium eſt, propter ſal urinoſum paucum, quod phlegmati adhuc ineſt, in forma epithematis.

Lapilli per retortam deſtillati dant *phlegma, ſpiritum urinoſum, & ſal volatile*, non tamen adeò copioſum: prodit ſimul *oleum* admodum *fœtidum*: caput mortuum aquæ affuſione inſtar calcis vivæ effervеſcit, præſertim recens, quod omniū marinorum in hoc puncto propriū eſt.

Liquor lapillorum cancrorum per deliquium, uti habet AUTOR, eſt egregius in calculo & ſuppreſſione urinæ; tenes abſtergit; exturbat enim arenulas & calculum, cietque potenter urinam. Modus plures collectos videbitis in SACHSII *Gammarol. p.625. ſeqq.* & BAUSCHIO *Tr. de Ætite p.58.*

Item ſunt, qui præparant ex lapillis cancrorum *Eſſentiam*, quæ præparationes ſunt variæ, quidam cum aceto, quidam cum terebinthina, & ſpiritu vini: vid. BOETIUS *à* BOOT *de Gemm. cap.178.* WORMIUS *in Muſeo p.60.* & SACHSIUS *l.a.*

Qui plura de cancris deſiderat, adeat JOHANNIS-DANIELIS MAJORIS, *Kilienſis Profeſſoris, Differt. Epiſtol. de Serpentib. & Cancris Petrefactis.*, & PHILIPPUM JACOBUM SACHS *à* LEWENHEIM, qui integrum *de Cancris Tractatum* ſcripſit, & quæ alibi ſparſim reperiuntur, omnia in unum congeſſit.

CARPIO vel CARPO.

Carpionis fel, uti reliquorum piſcium omnium, in ſpecie lucii piſcis, in affectibus oculorum commedatur; & quidem, ubi affectus oculorum detergendi, v. g. nubeculæ, ungues, & pelliculæ, adhuc ſunt in fieri, nec adeò confirmati, conveniunt ſella piſcium, utpotè temperata, & non nimis acria; ubi verò ſunt confirmati, v. g. ungues perfecti &c. requiruntur ſella animalium terreſtrium, imprimis ſylveſtrium, utpotè quæ tam reſpectu fellium piſcium, quàm animaliū domeſticorum, ſunt acriora & volatiliora, & penetrantiora. Hoc obſervato, de omnibus fellibus poteſt dari judicium. Aliàs carpionis fel eſt egregium ſpecificum, & certiſſimum omnium remedium, contra eryſipelata, cùm alcali ejus temperatum deſtruat acidum eryſipelatis: vid. ZWELFERUS *contra Tachenium.*

Lapilli, qui reperiuntur in carpionum capitibus propè maxillas, ſunt congeneres cum lapillis cancrorum & percarum; talium enim textura, compoſitio & uſus, in deſtruendo acido, & cienda urina inter ſe conveniunt. Unde ipſe lapis carpionis triangularis vadolperè convenit ad compeſcendas hæmorrhagias teſte Willughbæio in Ichthyol, & contra eryſipelata, uti etiam ad curandam epilepſiam, in qua à multis pro arcano habetur.

Præter lapillos magnos in capite ſunt *duo parvi lapilli lunari forma* ſupra oculos ſiti, qui præferuntur illis in cura epilepſiæ, de quo vid. FINCKIUS *in Med. Dogmatico-Hermet. p.39.*

CETUS & MANATI.

Cetum ſeu *Balænam* deſcribit CLUSIUS *de Exotic. l.6. cap.17.* De *Manati* verò præ cæteris videndus eſt WORMIUS *in Muſæo p.58.* Sed *Lapis Manati* dictus contra calculum uſurpatur, ubi tamen ſufficiunt lapilli cancrorum.

CONCHA.

Conchæ ſunt *piſciculi minuti*, ſeu *parvi vermiformes*, qui habitant in teſtaceis domiciliis, à quibus teſtæ habent nomen, ut vocentur Conchæ; & omnes piſces, qui habent tales teſtas, dicuntur Conchæ; quarum variæ ſunt ſpecies, vel nobiles, vel ignobiles. *Nobiles* dictæ ſunt *margaritiferæ*, quæ præ aliis ſunt uſitatæ, utut ſub harum defectu etiam cochlerum noſtrarum majorum domunculi, præſertim earum opercula, commodè ſubſtitui poſſint. Pertinent huc oſtreæ, entali, dentali &c. quæ omnia ſunt certa concharum ſpecies.

Omnes autem Conchæ naturæ congeneris ſunt cum lapillis cancrorum fluviatilium, niſi quod margaritiferæ conſtent ſale volatili magis digeſto, & in caſu neceſſitatis commodè & non ſine ratione poſſunt ſubſtitui. Teſtæ præparatæ pro natura Marinorum acidum invertunt & deſtruunt, præſertim in primis viis, cum quibus in ſaporem ſalſum, nunc diaphoreticum, nunc diureticum abeunt; unde inter præcipitantia & febrifuga teſtæ hæ uſitatiſſimæ ſunt. Margaritiferæ cōveniunt cū perlis ipſis, de quibus in regno minerali dicetur.

Præter hoc, quod teſtæ concharum ita crudè propinentur, etiam *calcinari* ſolent, quæ igne aperto calcinatæ poſtmodùm aquæ affuſione ferè inſtar calcis vivæ efferveſcunt, & ſapore acri urinoſo ſeu alcalino præditæ ſunt. *Calx* hæc inverſiva, abſorptiva eſt, & hinc potenter diaphoretica, & ſpeciatim febrium intermittentium curativa. Hinc ex concharum teſtis oblongis calcinatis paratur *ſpecificum antifebrile* tertianarum, cujus deſcriptionem, quam primùs invenit CROLLIUS, videbitis in AUTORE.

Notetur autem de hoc *ſpecifico Crollii*:

1. Quod ultra tres vices non uſurpetur, quin febris ceſſet
2. Quod ſemper præmittenda ſint in Cura febrium intermittentium Univerſalia: nā ſi ſolū, & nullis aliis præmiſſis uſurpatur, duplicatur, imò triplicatur febris, cujus multas habeo obſervationes, præprimis ab iis, qui nimis præproperè ruunt in Praxin.

Uti ex his parat ſuū ſpecificum CROLLIUS *in Baſil. Chymica*; ita ex conchis margaritiferis calcinatis STROBELBERGERUS parat ſuum *ſpecificum antifebrile*, in tertianis unâ alterâvè horâ ante paroxyſmum aſſumendum, doſi ʒj. de quo videatur *Tractatus de Curat. Febrium* Loco horum poſſunt ſubſtitui oſtrearum, imò etiam cochlearum teſtæ.

Caro, & omnes Conchæ, ad quas etiam pertinent oſtreæ, commendantur in phthiſi & hectica, in atrophia & tabe, ſi oriatur ex ſtomacho & putrida in eodem corruptione, in qua optimæ ſunt; ſicut & LINDANUS *in Colleg. Pract.* refert, quod per oſtreas, conchas, & teſtudines, utut hæ ſint difficilioris aliquantum digeſtionis, plures Hecticas curaverit. Oſtreæ in ſpecie turgent ſucco rorulento alcalino, quod in atrophia, phthiſi, lue Venerea &c. convenit.

DENTALIUM & ENTALIUM.

Dentalium & *Entalium* ſunt ſpecies concharum, de quibus, quæ in genere dicuntur de conchis, valent in ſpecie, & qui habet lapillos cancrorum, non opus habet neque perlis, neque teſtis, neque entalio, neque dentalio. Externè ingrediuntur *Unguentum Citrinum.*

HALEC.

Per uſum *halecis* ſine omni potu quidam hydropem curant, quale exemplum in *Paralipomenis habet* SENNERTUS *p.149.* Integrū halec ſalitum plantis pedum applicatum in febribus ardentibus refrigerat potenter; & adhibetur pro impediendo imminente delirio diſruptum per medium halec, & inverſè dorſo applicatum, ita ut, caput ſit in parte inferiore, cauda verò in parte ſuperiore; dicitur expertū in febribus intermittentibus. PALMARIUS *in Tr. de Peſte & morbis contagioſis c.18. p.470.* tradit, certiſſimâ experientiâ conſtare, quod cū prima halecia nō ſalita à piſcatoribus in copia in maritimos locos deferantur, ſubitò venenū peſtilentiale evaneſcat, licet ignoretur cauſa.

Halecum muria eſt quaſi ſal ammoniacale, ex acido ſalis communis cum ſale volatili halecum: Hæc uſurpari ſolet pro clyſmate extemporaneo, & ſufficienter purgat. Muriæ verò hujus loco alii braſſicæ decoctum ſumunt. In hydropè certè copioſè evacuat aquas in clyſmate cum paſſulis uſurpata: in reſiſtendo gangrænæ confert, & pro ſecreto habetur: egregium quoque eſt remedium pro partibus à frigore læſis, ſi abluantur cum illa: item pro eluendis ulceribus cancroſis, aliiſque partibus ulceroſis valdè commendatur.

HUSO & ICHTHYOCOLLA.

De *Huſonibus*, Ger. *von denen hauſen*, nihil in uſu eſt, niſi Gluten eius, Ichthyocolla dictum. Paratur ex oſſibus & partibus mollioribus ejus cum aqua, inſtar aliarum gelatinarum, & pro conglutinatione & conſolidatione uſurpatur. JOEL paravit ex Ichthyocolla remedium ad ſputum ſanguinis: item Nicolaus Myrepſus facit ex inde paſtillos ſeu trochiſcos contra eandem ſanguinis excretionem. Propter hanc vim glutinativam & unitivam uſitatiſſimè ingreditur emplaſtra & unguenta ſarcotica ſeu carnem generantia.

LUCIUS.

Lucius piſcis, Ger. *der Hecht*, ſuggerit *fel*, quod oculorū albugini, maculis, nebulis, ungui, aliiſq; affectibus egregiè inſervit, vel in ſpiritu vini vel in ſpermate ranarum, vel in aqua exinde deſtillata, de qua vid. HARTMANNUS *Praxi Chym. p.99.* & eadē de hoc valent, quæ dixi de aliis piſciū fellibus. Fella enim in genere uſu externo inſerviunt affectibus oculorū & auriū. Ubi autē opus eſt ſtimulis acrioribus, fellibus animaliū volatilibus utimur, ut perdicis, bovis, hominis:

ubi temperatis, piscium fella sufficiunt, in affectibus scilicet oculorum & aurium, ubi subtili detersione & abstersione opus est. Fel hoc potentissimum habet sal volatile, ideò resolvit, attenuat, & vitia oculorum mitigat. *Duo* tamen *incommoda* habet:

1. Quod nonnihil viscidum sit & glutinosum, adeoque oculis nimium adhæreat.
2. Quod nimiam habeat acrimoniam.

Quod si igitur metuatur, aut acrimonia hæc rosiva inflammationes inferat, temperetur cum aqua spermatis ranarum.

Porrò non solum *mandibulæ* sed & *capitis ossa* quælibet utut maxillæ usitatiores sint, vim habent singularem absorbendi & temperandi acidum vitiosum, indeque sudorem & urinam ciendi, ac ejus excretionem promovendi. Nempè sicut corallia & cancrina, absorbendo acidum viarum primarum, concretū salsum diureticum fiunt; sic hæ partes absorbendo pariter illud ipsum acidum, fiunt diaphoreticæ. Hanc autem prærogativam habent marina præ aliis, quod sale volatili satis temperato, nec adeò acri & igneo, constent, quo animalia terrestria; cum non odeò oleum concentratum obtineant. Hinc ossa hæc capitis egregiè commendantur in usu antipleuritico, angina, & aliis erysipelaceis inflammationibus, in quibus sunt specificum, pulverisata & propinata; vi enim sudorifera alcalina, potenter absorbendo acidum vitiosum coagulans congrumatum sanguinem dissolvunt, ejusque circulum restituunt; nude pulveres pleuriticos compositos, ceu basis, ingrediuntur. Dosis pulveris est ʒß. ʒj. & propinantur, vel sola, vel cum dentibus apri præparatis mista, in aqua appropriata, v. g. papaveris rheados, florum acaciæ, sambuci, &c. Ex iisdem causis conveniunt etiam in gonorrhœa marium benigna, sicuti etiam specificè gonorrhœa mulierum, quæ fluor albus audit, & similibus affectibus ab acido natis. Calculum & urinas nonnihil promovent, & efficaciter etiam renes detergunt.

Quod de pinguedine habet AUTOR, verum est; pedum enim plantis tempore vespertino illita sufficit contra tussim infantum catarrhalem & agrypnias, ut possint dormire sine tussi & molestia.

Quoad *Præparata ejus*: quidam parare volunt *Magisterium*; quod tamen nullius est usus: potius hujus loco propinandus est pulvis. *Ossa* hæc *destillata* copiosum admodum & elegans *sal volatile* suggerunt, singulare sudoriferum & Antipleuriticum.

Ex felle destillatur *Aqua*, quæ tutius instillatur oculis, quam ipsum fel, ob rationes jam dictas: vel beneficio spiritus vini *Essentia* elicitur; ita enim sal extrahitur, & egregium est experimentum in dictis oculorum affectibus. Modum videbitis In HARTMANNI *Praxi Chymiatrica*.

MATER PERLARUM.

Mater perlarum nihil est aliud, nisi concha, in qua reperiuntur Perlæ, & est idem quod Perlæ; Observetur enim, quod concha exspuat salivam seu liquorem limpidum, roscidum perspicuum, qui si intra spatiola carnis retineatur, ibi sensim semsimque coaguletur, abit in perlas, cujus perlæ sensim augentur per pelliculas: Nam si hæc fuerit coagulat, accedente novo humores, qui eam incrustrat, coagulatur denuò, & sic incrementa sua habent perlæ. Quod si hæc saliva exspuatur extra concham, coagulatur & concrescit in testam conchæ, quæ vocatur *Mater perlarum*, quoniam est receptaculum conchæ, in quo fiunt perlæ. Est ergò una eademque materia, nisi quod perlæ sint magis depuratæ atque defæcatæ, quam mater perlarum, quæ impurior. Nam dum remanet materia in conchæ corpore, degenerat in perlas; si verò evomatura concha, concrescit, & convertitur in testam. Simile videmus in testudinibus & cochleis omnibus, quarum testæ fiunt ex liquore quasi salivali bestiolæ, qui, utut liquidus persentificatur; coagulatur tamen ex principiis salinis & secundnm laborem naturæ: nam omnes habent easdem facultates atque testæ cancrorum à sale volatili alcali cum pauco acido, quæ coagulando mutuo in talem substantiam concrescunt: & quod dicitur de testudinibus conchis & cochleis, de omnibus ostrearum speciebus verum est. Et hæc est natura perlarum: & sicut se res habet cum lapillis cancrorum eodem modo se habet cum perlis, quæ eandem habent naturam cum conchis: Ergo eandem virtutem quam habent perlæ, habebit eam mater perlarum, & contra.

Quod attinet *vires*, internè habet easdem, quas lapilli cancrorum. Absorbet acidum, urinam movet, & vulnerarium est, utut pro tali scopo raro adhibeatur. Audacter tamen dico: ad quos usus conveniunt perlæ & mater perlarum, ad eosdem convenire lapillos cancrorum: nam vis cordialis illis adscripta est ridicula:

Superius dixi, quod STROBELBERGERUS ex matre perlarum præparet specificum in tertianis, quod etiam parari potest ex perlis: unde rectè dicit DEODATUS:

Qualis erat mater, filia talis erit.

Plura qui cupit, videre potest *Dissertationem* elegantissimam D. ROLFINCII *de perlis*.

MUSTELA.

Mustela piscis, Ger. *die Aal-Raupe*, est celebris propter epar, qui liquescit in liquorem oleaginosum pro usu ophthalmico; quando scilicet epar hoc in vitrum clausum suspenditur, & exponitur leni Solis calori. Unde æstivo magis, quam hyberno tempore, parari debet; hyemali enim tempore, dum mustelæ ova generant, & fœcundantur, hepar non liquefcit, sed frustrà tentatur processus.

Liquor est oleosus & clarus obscure flavescens, in quem totum hepar resolvitur, exceptis quibusdam membranulis & cuticula. Omnia certè piscium hepata mirè oleaginosa sunt. Cæterum liquor modo dictus igneæ & penetrantissimæ est naturæ, & singulare specificum in deficiente visu, vel in debilitate visus, nubeculis, albugine, panno, suffusionibus, omnibusque oculorum affectibus, quæ hebetudinem visus inferuut, & detersione atque mundificatione opus habent, adeò, ut difficulter reperiatur remedium, quod huic liquori ex epate mustelæ piscis sit par. Duplici autem modo adhibetur: vel primo saltem illinitur palpebris cavendo, ne in oculum penetret hujus ignea vis; secundo ipsi oculo tantillum illinitur, ubi fortius agendum. Singularissimum & expertum usum ejus primus celebrem reddidit FORESTUS *l.* 11. *Obs.* 38. ubi refert visum, qui fuit omnino depravatus propter acres humores, oculorum nervos occupantes, fuisse restitutum ex liquore hoc illito palpebris oculorum: videatnr etiam *l.* 10. Multum etiam commendatur ab HARTMANNO *in Praxi Chymiatr. p.* 95. quem secutus est LINDANUS *in Praxin hanc Chymiatricam*. Nam in frequenti & felici usu est apud Belgas, in specie in defectu visus & lucis oculorum, Loco hujus jecoris mustelæ piscis, possunt substitui ejusdem intestina, si eodem modo per insolationem in calore solis convertuntur in liquorem oleaginosum; & deinde etiam intestina lampetræ: vid. BORELLUS C 3. *Obs.* 91. ubi habet experimentum quoddam horum liquorum ex mustelæ piscis & lampretæ intestinis, in affectibus oculorum.

Ulterius tota mustela cocta & comesta adhiberi solet contra caducum seu epilapsiam puerorum.

Spina mustelæ piscis pulverisata per alio modo præparata, ordinario usurpari solent contra epilepsiam, affectusque convulsivos: specifica quoque est contra pleuritidem, & solet misceri cum pulveribus pleuriticis non sine ratione.

OSTREA.

Dixi *superius*, quod ostreæ & cancri prosint in phthisi & hectica, ad quem usum imprimis soleant convenire ostreæ. Ritè enim digestæ non ineptum nutrimentum pro partium spermaticarum seu nervearum sustentatione suggerunt, quin etiam suggerunt, gelatinam copioso alcali volatili temperato impregnatam, similem illi, qualis in spermate ranarum deprehenditur; cujus ratione ad febres hecticas, ardores corporis lente emaciantes, & inde natas atrophies non incommodè usurpari potest: cujus rei exemplum habet LINDANUS *in Collegio super Hartmanni Prax. Chymiatr.* qui refert curatam febrem hecticam ex ulcere pulmonum per copiosum ostrearum usum. Quidam etiam ex Ostreis destillant *aquam* in cura hecticæ.

Testæ Ostrearum optimè possunt substitui conchis margaritiferis in usu Medico, & his conchis omnibus lapilli cancrorum; sicut omnia ea, quæ *de conchis supra* fuerunt *dicta*, eadem & ostrearum testis & matri perletum, item dentali & en tali applicari possunt; imò etiam esculentis nostris cochleis, earumque testis. Scilicet omnia hæc concreta testacea in nullo videntur differre, nisi, vel majoris, vel minoris materiæ puritatis ratione: unde puriores sunt matres perlarum, quæ revera idem præstant, quod ipsæ perlæ; ejusdemque etiam sunt usus: Impurioris materiæ sunt domunculi cochlearum nostratum, sic plus minus in aliis. Sive ergo conchas, sive ostrearum testas, sive perlarum matrem recipiamus, perinde est; Nempè omnia hæc Ostracoderma acida potenter absorbent, cum iisdem saporem salsum acquirunt, & hinc potenter diureticæ sunt.

Calcinata igne aperto in calcis vivæ naturam abeunt, alcali sapiunt, cum acido non nihil effervescunt; potenter sudores cient. Cum acidis, v. g. spiritu salis, solutæ, abstracto menstruo in loco frigido liquescunt per deliquium in liquorem salsum diureticum lithontripticum.

Ex iisdem etiam eodem modo specifica febrilia parari possunt, atque de *de conchis supra insinuatum*.

PERCA.

Perca, Ger. *der Persich*, est culinaris: sed hujus lapis in capite juxta spinam dorsi repertus, est in usu in affectibus diureticis & renibus detergendis, à ℈j. ad ʒß. & facilius solubilis, quam lapilli cancrorum, meliusque acidum destruit in iis dysuriis; quæ ex esu & usu acidorum oriuntur. Præterea in dolore pleuritico non minus commendatur, ac lapis luci piscis. Ab *Eschstadio in Tract. de Confectione Alchermes* hic lapis cum cardiacis adhibitus efficax habetur, quoniam signaturam quasi habent.

RANA AQUATICA.

De *ranunculo viridi* habui *superiùs*: hoc loco intelliguntur *ranæ aquaticæ*, & quidem illæ in fluviis fontibus salubribus & puris degunt, utpotè quæ præferuntur reliquis; quæ enim in aquis degunt stagnantibus, palustribus & fracidis, ceu malignæ sunt rejiciendæ.

Sunt

Sunt qui vescuntur ranis bene pastis & coctis vel assatis, imprimis earum coxis, in hectica vel phthisi, aut etiam in atrophia, in quibus morbis alimentum præbent conveniens, & singulares sunt Italis.

Bertrutius sanè ranas commendat tanquam remedium, quod absque dubio sanet epilepsiam.

Rana pulverisata convenit in sistendo sanguine. Quin? quod integra rana quocunque modo præparata & applicata mirè refrigerat, dolores sistit, inflammationes coercet; quatenus nempè insigniter sale volatili blando sine vestigio quasi acidi turgent, unde istiusmodi etiam affectus ab acido natos mirè levant. Hinc & Rana à frigore in mucilaginem resoluta egregium cancri est remedium. Conferatur HELMONTIUS *Form. Ortus §. 25.* Vnde rana exsiccata & pulverisata commendatur in ulceribus malignis inflammatis & aliis, uti etiam in cancro exulcerato: vid. HOEFERUS *in Herc. Medico, pag. 66.* & in *scriptis* HILDANI. Sed ranarum loco earundem sperma usitatius est. Aliàs rana exsiccata & appensa solet interdum substitui bufoni in sistendo & compescendo sanguine. In peste ranæ singulare sunt remedium. PARACELSUS scilicet tria habet pestis genera:

1. Est *pestis bubonaria*, quæ primariò in inguinibus residet, & ex terra orta: Huic bufones conducunt.
2. Est *pestis carbunculis*, sub axillis erumpentibus, *infesta*, quæ ex aquæ inquinamento ortum trahit: Huic ranas pro cura adscribit.
3. Est illa *pestis*, quæ *ex inquinamento aeris* oritur: cui aranea dicata est pro Cura.

Hæc PARACELSUS.

Ex *ranis combustis* fit *cinis*, qui est expertus in hæmorrhagiis quibuscunque. Deinde confert etiam in curando cancro exulcerato, si ei inspergatur, imprimis quidem, si antea cancro exulcerato applicetur cancer vivus, ligatis chelis, donec moriatur; qui applicandus tamdiu, usque dum non amplius intereat; & quando non amplius moritur, signum est quasi interfecti cancri: tunc inspergendus pulvis, vel ex bufone calcinato, vel ex rana calcinata cum sacharo Saturni, & similes pulveres alii; nam quando non amplius moritur cancer, indicium est, cancrum morbum esse exanimatum.

Aliàs ex ranis per tres dies in aquis limpidis reservatis, destillatur *aqua* ejusdem virtutis cum spermate ranarum, quæ & internè contra hæmorrhagiam uteri ad ℥ij. est egregia, & in fluore mulierum albo, æquè ac gonorrhœa, optimè conducit.

Oleum ranarum ex iisdem in oleo rosarum decoctis similis ferè usus est ac spermatis ranarum. Præ cæteris anodynum est, & in gutturis inflammationibus confert. Confer, quoad alium modum *Oleum anodynum* parandi, *du* HAMEL *Aff. Corp. pag. 420.*

Præ cæteris *Hepar ranarum* exsiccatum & pulverisatum ceu singulare specificum commendatur ad epilepsiam infantum: sed observetur præparatio, quam, ut habeat usum in epilepsia, videbitis apud HARTMANNUM *in Praxi Chymiatr. pag. 66.* & SENNERTUM *l. 1. Prax. cap. de Epilepf. p. 607.* Et scio, cum fructu tenellis subinde fuisse usurpatum: interdum fallit; singulare tamen est sudoriferum, teste VELSCHIO *Hecatost. 2. pag. 27.*

Sperma ranarum tempore verno super aquas natans imprimis est ex usu, quod nihil aliud est, quàm ova ranarum, mucilagine quadam aquea, tanquam eorum ventriculo & nutrimento involuta, ne tàm facilè corrumpantur; ex his enim ovulis in tepido calore generantur Ranunculi. Sperma hoc ranarum, & ipsa etiam ova, copiosum admodum sal volatile macrum seu non oleosum habent, ut pluribus ostendit TACHENIUS *Hippocr. Chym. p. 131.*

Vsus spermatis hujus atque ovorum est tam in forma sicca, quàm humida.

In humida forma pro usu Medico, mense Martio ante novilunium, colligatur saltem liquor viscidus, & ovula eximantur. Hic ne corrumpatur, indatur in loco frigido per saccum lineum rarum, porosum, suspendatur in loco frigido; sic abit in liquorem seu liquamen, in quo solvitur tantillum aluminis aut etiam nitri (utut impregnatio hæc, præsertim cum alumine, non in omnibus quadret) & sic postmodum ponitur in solem, & ad longum tempus durabile erit sperma hoc. Ratione sui copiosi alcali blandè corrigit quasvis aciditates subtiles & volatiles, unde refrigerare, dolorem mitigare, &c. assolet, & ad multos usus præscribi potest, tam solitariè, quàm cum aliis additum. Quascunque hæmorrhagias feliciter sistit, sive narium, sive uteri in specie aut hæmorrhoidum: nam applicatum cum aceto rosaceo in spongia, in nimio fluxu hæmorrhoidum, mensium, item lochiorum, expertum est remedium; v. g.

℞. *Spermat. ranar.* vel *aquæ ejus* ℥iv. adde
Aceti rosacei ℥iß. M.

Et in forma Epithematis applicetur regioni pubis, aut lumbis, aut regioni ossis sacri.

Sic in ambustionibus, in ophthalmiis, ulceribus dolorosis & inflammatis, ulceribus cancrosis eluendis, &c. remedium est optimum & coercet nimium æstum & calorem; unde & quascunque inflammationes potenter sistit, cum linteis duplicatis adhibitum, adeò, ut in cura erysipelatis nihil sit efficacius, sicut etiam in ardore & inflammatione hepatis nimia singulare est; unde elegans *Epithema* est *Bartholetti ad intemperiem hepatis calidam*, seu ad ejus nimiam inflammationē, quo multū præstitit *in Tract. de Resp. p. 492.* Cōpositio est talis:

℞. *Aquæ hyoscyami*,
Nymphææ,
Plantag. ana ℥iß.
Spermatis ranar. ℥iij.
Sacch. Saturni,
Camph. in spiritu vini solut. ana ℈j.
Salis prunellę ʒß.

M. pro Epithemate jecori applicando.

Ad eandem rationem cum Epithematis pro aliis partibus, appropriata possunt permisceri.

Intentissimos dolores sedat, idque ratione copiosi salis volatilis blandi, demonstrante TACHENIO per encheiresin Mechanicam *in Hippocrate Chymico*, quod probabile est satis, & ego credo. Convenit ergo in compescendis doloribus ab acido oriundis; unde applicata articulis podagricis, tam manuum, quàm pedum, aliisque arthriticis doloribus, nisi ab acido intensiore oriantur, suave solamen affert, egregiè *testante* TACHENIO & quàm plurimis Practicis, qui hujus rei habent experientiam, præprimis, si in hac aqua pauxillum camphoræ fuerit dissolutum, quod ipsemet compertum habeo. In dolore capitis nimio instar epithematis applicatum est egregium. Deinde egregium est Cosmeticum sperma ranarum, abstergit sordes, maculas, & similia mala ab acido orta, hoc enervando detergit, si misceatur cum tantillo camphoræ: imprimis in gutta rosacea, rubore faciei &c. tantummodo cum alumine asservatum sperma ranarum, est egregium: in paronychia, herpete, & panaritio seu verme sub digito, linteum madefactum sanat in continenti istius dolorem; quando quidem applicatur, intensissimos excitat dolores, subitò tamen postmodum cessantes. Nec est de nihilo, quod hoc sperma ranarum ad morsum viperarum laudetur à BASILIO *in Curru Triumphali Antimonii.*

Quin & *ex spermate* aqua destillatur: ubi tamen observetur, ut mense Martio vel Aprili colligatur in plenilunio; in novilunio enim sperma collectum dat aquam, quæ semper fœtet, licet centies destilletur. Aqua hæc partum promovere, doloresque ante partum cessantes denuò excitare, mihi, ceu sæpius expertum, retulit mihi hic mulier fide digna. Cosmeticum est egregium, sordes & maculas abstergit, cum tantillo camphoræ mistum: imò ad omnia valet, ad quæ ipsum sperma, teste TACHENIO, modò legitimè & cautè destillatum. Destillatur autem per alembicum plumbeum, non vitreum, vel in Balneo Mariæ, vel Balneo Vaporis lento igne; tunc enim sal volatile & alcali occultum secum rapit, & ad omnes affectus est utilis, ad quos ipsum sperma. Conferatur etiam, quoad destillandi modum, WEDELIUS *Pharm. l. 2. S. 1. c. 4. p. 74.* & Nota 1. AUTORIS.

In sicca forma usurpatur sperma & simul contenta ova, si levi phlegmatis exhalatione restitans materia mucilaginosa exsiccetur, & hinc in pulveris forma asservetur: quod ipsum, & alia plura egregia ex spermate ranarum remedia Gnoffeliana videbitis in M. A. N. C. *Ann. 6. in Append. p. 182. & seqq.* Conferatur simul ZWELFERUS *Animadverf. p. 140.* item *le* FEBURE *in sua Chymia*. Alia ratione etiam in forma sicca hoc sperma, si linteum spermate hoc pluries madefactum & siccatum, pro usu asservetur. Hac enim ratione evaporante phlegmate inutili, substantia mucilaginosa alcalina linteo inhæret, & ita linteum tale usurpatum idem præstat, quod ipsum sperma. Quò etiam facit *Pannus lineus crocatus Mynf. p. 525.* Quod enim phlegmate evaporato inutili, substantia medicamentosa alcalina resideat, docet mechanica Chymica *Act. Med. Hafnienf. Vol. 2. p. 191.*

Ex relicta sub aquæ destillatione mucagine, aliis additis, præsertim Saturninis, fiat Emplastrum. De linteis & Emplastris spermatis ranarum decantatis, conferantur quoad usum & præparationem M. A. N. C. *Ann 6. & 7. in Append.* ubi remedia aliquot CNOEFFELII, Medici tempore suo incomparabilis, habentur.

Pulverem spermiolæ compositum habebimus, ubi de pulveribus. Encheiresis, quam habet AUTOR *l. 2.* est notatu digna.

SEPIA.

EX *sepia*, Germ. *vondem Black-Fische*, usurpatur imprimis *Os mollius & friabilius*, quod convenit cum reliquis testaceis.

Egregium est simplex absorptivum quorumvis acidorum, ex quo facilè polychrestus ejus innotescit usus in affectibus primarum viarum, & partium urinariarum; unde fuit pulvis præcipitans Dn. D. LANGII, aliorumque; ac idem præstat, quod Ostrearum testæ concharumque, ipsa etiam perlarum mater, efficere valet; promptiori tamen ope imbibit acida, eaque in salsa transmutat. Præcipuè specificum habetur optimum ad sistendam benignam gonorrhœam virorum & mulierum, quam continuato usu sistit & refrænat, acidumque genituræ corrigit. Dosis ℈j. ad ℈ij. vel solum sub conserva rosarum ac forma boli propinetur, aut sub forma pulveris cum crystallo præparata, aut antimonio diaphoretico & succino præparato; vel cum emulsione seminis agni casti usurpetur. Externè in affectibus oculorum, lippitudine, ophthalmia & similibus affectibus est magni usus pulvis ossis sepiæ in collyriis, sive in forma sicca sufflatus, sive cum unguento appropriato instar linimenti applicatus.

Idem *os sepiæ calcinatum* commendatur ad vitia gingivarum;

unde ingreditur pulveres dentifricios cum aliis, vel cum melle sub forma linimenti. Quod si hoc irroretur cum succo cochleariæ, vel spiritu ejus, fit specificum appropriatum in scorbuto oris.

TESTUDO.

Testudo, Germ. *die Schildkrote*, quibusdam in locis est esculenta. Tribuitur illi singularis vis contra phthisin.

Crura commendantur à SOLENANDRO contra podagram; scilicet locis dolentibus imponantur dicta crura ex testudine viva amputata, & retineantur illic, donec putrescere incipiant: dehinc sepeliantur in locum, ubi facilè possunt corrumpi, & hæc est methodus curandi magnetica. *Periapton* simile ex cruribus testudinis in podagra habet AUTOR, aliique Autores, qui scripserunt *de Testudine*.

Paratur etiam *Syrupus ex Testudine*, qui commendatur hecticis & phthisicis, imprimis, si eorum affectus oriantur ex vitio culinę communis, stomachi; ratione autem facchari plus nocet, quàm prodest.

Quidam habent *Aquam ex ostreis, testudinibus & cancris*, quam commendant iis, qui laborant phthisi vel atrophiâ.

Sunt etiam, qui singulari artificio parant *Magisterium ex testudinibus* pro tabidis.

THYMALLUS.

Thymallus, vel usitatiùs *Asebia*, *Axungiam* suppeditat, quæ in vitro clauso exponatur soli, sic liquescit & depuratur, datque liquorem oleaginosum elegantem rubicundum instar rubini; idque eò magis, si misceatur cum melle, & hinc assequitur egregiam vim abstersivam, qui remedium est singulare contra maculas oculorum, & ad eorum ungues abstergendos, foveas variolarum, & contra cicatrices earum & vulnerum, iis hinc, dum coeunt, illinendus. Imò his ita parata axungia instillata consolidat citra cicatricem, & id eò magis, si permisceatur cum tantillo balsami Peruviani, quippè qui per se prodest in tali casu. Unde in variolis, quando jam deciderunt crustæ, illinitur commodè pro delendis maculis & replendis foveis: id quod fuit secretum Foresti in curandis variolis. Loco pinguedinis aschiæ piscis potest substitui pinguedo anguillarum, & multò magis pinguedo, vel axungia serpentum. Ubi opus est majore abstersione, permiscetur cum melle; ubi verò nudâ saltim sine cicatrice consolidatione, permiscetur cum Balsamo Peruviano.

TINEA.

Tinea, Ger. *die Schleye*, vi curandi icterum imprimis commendatur, viva scilicet extrinsecùs applicata. Applicandi ratio est diversa. Quidam imponunt umbilico, donec moriatur; alii plantis pedū; alii eandem applicant regioni splenis: sed B. Dn. D. MOEBIUS umbilico & hepatis regioni applicabat; unde per noctem relicta tumescit & flavescit eo in loco, ubi applicatur, & ita certò sanare icterum inquiunt: vid. FONSECA *l.2. Cas.* 34. Aliàs verò nullius est usus.

TRUTTA.

Truttę, Ger. *die forelle*, *pinguedo* imprimis est in usu pro illinendis fissuris quarumcunque partium, imprimis ani.

Dentes ejus simpliciter præparati etiam in usu esse solent antiepileptico.

Quidam recipiunt dentes truttæ, comburunt, & præparant cum aqua petroselini in calculo, cujus dosis est à ʒj. ad ʒiij. in aqua alkekengi vel petroselini, dicuntque esse remedium in calculo probatum.

CLASSIS IV. DE INSECTIS.

Insecta multa habent in recessu. Totus enim illorum exercitius præ reliquis animalibus turget sale volatili acerrimò; ubi aquatilia, temperatissimum habent sal volatile; terrestria verò sal volatile acre, oleo tamen nonnihil temperatum. Ex insectis his primatum obtinent sequentia.

APES.

Apes dicuntur sterilitatem ad tempus inducere; res tamen adhuc est dubia. *Exsiccatæ* aut *calcinatæ*, & contritæ contra alopeciam laudantur, si misceantur cum melle, & locis calvis inungantur.

Aliàs apes in suo labore duas nobis subministrant substantias valdè proficuas; *Mel* concretum musteum, saccharo quasi aut saltem mannæ affine; & *Ceram*: quæ fiunt ita. Apes nimirum succum gummeo-resinosum vegetabilium, quem hinc inde exsugunt ex floribus, unà cum subtiliore & volatiliore rore nocturno subactum, colligunt per linguam, & sub lingua in vesicula quadam magnitudine grani milii seponunt, eumque tandem per fermentationem maturatum iterum evomunt, & in foveis cereis recondunt, ubi sensim sensimque deinde fermentando tandem in temperatum mel perfectum abit: Cera autem non est in corpore, sed crassiorem & viscidiorem hanc substantiam ad pedes ultimos secernunt.

Plura de natura ac generatione mellis & ceræ, aliisque huc pertinentibus, habet MAGNENUS in elegantissimo *Tract. de Manna*, ubi quędam sunt valdè curiosa, & laude lectuque digna de vi apum mellifica; cum quo conferatur BORELLUS *Cent.* 1. *Obs.* 10. & HELMONTIUS *Tract. Nutritio Fœtus in utero*, qui Mel rectè vocat *Gloriam roris*, in quo collecta sit Quinta Essentia plantarum. Est enim nihil aliud, nisi Extractum seu balsamum florum, unà cum subtiliori & volatiliori roris substantia; resinam enim florum cum sale roris universalis apes suggunt pro materia mellis; unde QUERCETANUS sæpius mel *Rorem & Cibum Cœlestem* dixit. Substantia autem roris resinam, quæ ex floribus exhalat, coercet: ratione igitur roris mel turget sale hermetico seu universali. Hinc tanta vis latet in melle, ut menstruum pro resolutione metallorum, etiam nobiliorum, constituat: Ex rore & Manna enim destillatur Mercurius universalis, de quo mel participat. Certè propter rorem singulare quid latet in melle, qui exaltatur partim in apibus, partim in favis per fermentationem.

Cæterum Mel hoc varium est pro locorum, item pro apum, diversitate: prout vegetabilia, & iis insidens ros, variat, etiam varium mel exindè concrescit; unde optimum est, quod ex locis frugiferis & fœcundis colligitur: hinc in quibusdam Tartariæ locis dicunt reperiri mel, saporem dulcem & elegantem habens instar facchari, collectum è cannis, è quibus Veteres collegerunt saccharum. Mel ergo, utut corpus dulce instar facchari, vel musti, in recessu obtinet duo salia, acidum & alcali, & simul copiosum oleum, easdemque patitur affectiones & alterationes, atque *supra de Saccharo dictum*. Acidum enim se manifestat, quando destillatur; prodit enim *Phlegma acidulum*, & si fermentetur, dat *Acetum* acerrimum. Propter hæc duo principia, atque sulphur, affusâ aquâ instar cujusdam musti fermentat facilè, & suggerit potum vinosum seu *Mulsum*, quod degenerat in acetum. Mulsum hoc habet vim inebriandi instar vini, & senibus optimè convenit: exinde possumus destillare spiritum fortem seu ardentem instar spiritus vini: sin verò crudum mel destillatur, acquiritur *spiritus acidus* subtilis, valdè corrosivus, quia propter defectum fermentationis nondum ita exaltatæ sunt particulæ acidæ cum volatilibus. In melle est hoc mirabile, quod si in magnum cadum panis secalini tantillum injiciatur, totus abeat in copiosissimas formicas, uti videri potest in CONRADI KUNRATS *Medulla destillatoria*, *Tr. de Melle*. Præterea, utut compositione, usu & effectu mel in plurimis conveniat cum saccharo, semper tamen vis quædam singulariter penetrans, abstergens, & quasi menstrualis in eodem considerandà venit, quę nempè ex rore & sale universali, melli commisto, originem ducit.

Ratione autem hujus salis universalis mel vim habet conservativam totius corporis, & internè præservat omnes putredines, mirificè vim vitalem senum resuscitat, quoniam, ceu facilè fermentescibile, deficientem fermentationem in Massa sanguinea denuò restaurat. Hinc propter vim conservativam & corpora defunctorum quibusdam in locis melle obliniuntur.

Quoad *usum*, uti saccharum, ita & Mel, in se considerata, quatenus sunt concreta temperata oleosa, quamlibet in corpore contentorum acrimoniam temperare, partes læsas internas indeque dolentes demulcere, simulque egregiè nutrire, & sordes quascunque, ac viscositates primarum viarum, potentiâ salinâ latente abstergere & resolvere valet, tam internè intra corpus assumptum, quàm externè vulneribus & ulceribus applicatum: Unde convenit in ventriculo, copiosâ, crassâ, ac viscidâ pituitâ nimis onerato, ubi potiones mellitæ conveniunt, quoniam liquefaciunt & abstergunt talem materiam viscidam: imprimis autem convenit pectori ac pulmonibus, unde in tussi, asthmate, & similibus affectibus, à materia viscida in pulmonum bronchiis & vasis stabulante, mirè convenit mel, & usitatissimè fiunt potiones mellitæ, hydromelita & oxymelita cum herbis pectoralibus, ut possit per tussim ejici crassa materia; beneficio enim mellis potenter incidunt & attenuant humores in pectore stabulantes; de cujus virtutibus in affectibus pectoris vid. ZACUTUS *l.2. Med. Princip. Hist.* 2. Convenit quoque renibus propter vim balsamicam, cujus intuitu in horum, aliisque urinariis affectibus, ubi vitia renum adsunt, Mellita optimè conducunt, & urinam promovent;

vent; in opificio enim tranſcolationis urinæ renibus ſubvenit. Præ ceteris convenit ſenibus & ſubjectis pituitoſis, uti vocant; bilioſis verò, melancholicis & pueris nocet.

Externo uſu in malo hypochondriaco contumaci, id eſt, cum copioſis flatibus juncto, mel depuratum ad aliquot uncias clyſteribus cum lixivio dilutis additur; quale clyſma mirè abſtergit inteſtina, in ſpecie ſi craſſo muco ſint obfuſcata. In Chirurgia egregiè mundificat vulnera & ulcera, putredinemque arcet; unde uſitatiſſimum eſt inter unguenta digeſtiva Chirurgis dicta, item inter unguenta pro detergendis ſordibus & delendo fermento ulcerum corruptivo: uno nomine, ut vocant, mundificat vel ſolum, vel cum camphora, vel balſamo de Peru. Ita quoque ſimplicia Digeſtiva fiunt ex vitello ovi cum melle: nunc quidam permiſcent crudum vitellum ſolum cum melle: nunc quidam unguenta faciunt ex vitello ovi ad duritiem cocto cum ℥j. mellis; quæ ſubigunt, donec ad conſiſtentiam mediam redigantur, & colorem rubicundum acquirant, & huic unguento multum attribuunt, quod omnia vulnera & ulcera, tam recentia quàm antiqua & inveterata, phagedænica & maligna depuret, adeò, ut etiam à gangræna præſervet; quidam addunt tartarum vini, & ad conſiſtentiam coquunt, & ſic fit propter tartarum vini magis appropriatum in facultate abſterſiva: videatur *HAFENREFFERUS de morbis externis l.2. cap.2. BORELLUS Cent.1. Obſ.96.* Mel ſolum cum terebinthina permiſtum elegans eſt pro digeſtivo contra fermentum corroſivum ulcerum; unde quidam practici ſpiritum mellis cum ſpiritus terebinthinæ ana permiſcent, & per retortam deſtillant igne arenæ, & acquirunt potentiſſimum abſterſivum in ulceribus cacoetheis &c., & hanc vim obtinet ratione ſalium, acidi & urinoſi, volatilium.

Quando autem Mel internè uſurpatur, obſervetur cautela, ne fermentando corrumpatur in ſtomacho: dum enim fermentat in corpore, nunc facilè aceſcit, nunc ex oppoſito ſub cruditate nidoroſa facilè amareſcit ſeu bileſcit, & ita cætera corporis contenta liquida multipliciter turbare, & maſſam ſanguineam in fermentationes inordinatas & ebullitiones febriles concitare poteſt. In febribus igitur, & junioribus, bilioſis, & melancholicis, minus confert. Eo ipſo quoque, quod facilè fermentet, nocet infantibus & ſimilibus, adultis hypochondriacis, ſcorbuticis, hyſtericis mulieribus & aliis, in quibus ſæpiùs murmurant inteſtina: rugitus, efferveſcentias, tormina, & ſimilia ſymptomata alia excitat in inteſtinis, ſuccos acidos fermentando: & id quod *ſuprà dixi de ſaccharo*, poteſt applicari ad mel. *AUTOR* dicit, quod mel crudum alvum inflet, idque, ut idixi, propter vim fermentativam, & ſic juvenilia corpora facilè diſponit ad diarrhœas & febres. Plura qui cupit de uſu & noxa mellis, vid. *GABELCHOVERUM Cent.3. Curat.34. in Scbolio*, uti etiam *ZACUTUM l.2. Med. Princip. Hiſt.62.*

Quoad *Præparationes*, inter has ſeſe offert Mel depuratum. Cæterum depuratio iſta, quæ fit cum aqua ſimplici, qua mellis ſpiritus copioſè exhalant volatiles, meritò venit improbanda cum *citato CONRADO KUNRATH & ZWELFERO in Pharm. Reg. pag.24.* Ergò altera Præparatio per manicam Hippocratis præferenda eſt priori.

Mulſum ſequitur. Mel enim fermentari ſolet, ſi recipiatur ejuſdem pars j, aquæ communis vel pluvialis partes viij: hinc deſpumantur, & ad tertiæ uſque partis remanentiam, ſeu donec ovum ſolutioni ſupernatet, incoquantur: quo facto, cum tantillo fecum cereviſiæ, vel fermenti in aqua tepida ſoluti, reponantur in fermentationem in vaſe aliquo modo clauſo, & in loco calido per 40. dies & noctes, aut donec non ampliùs ebulliat; & fit potus, quem vocamus *Mulſum*, quod valdè eſt uſitatum in regionibus ſeptentrionalibus, Lithuania & Moſcovia, ubi deeſt Vinum, & abundat Mel.

Dicitur *liquor vinoſus*, quia vini inſtar habet vim inebriandi fortiſſimam, ut quis vix dimidium menſuræ poſſit haurire. Fermenti loco quidam immergunt ſacculum ſinapi ſemine repletum: alii ſingulis ℔iv. addunt ſalis tartari ℥j, & tincturæ tartari ℥ij, atque hac ratione ex fermentato melle, ſi per veſicam deſtilletur, copioſus etiam elicitur Spiritus ardens inſtar ſpiritus vini, ex Balneo Mariæ rectificandus, cum ex crudo melle fiat ſaltem Spiritus acidus. Si ſal tartari, vel aliud ſal fixum addatur melli, hoc exinde inſtar ſanguinis rubeſcit. Hujuſmodi *mulſa* poſſunt fieri *medicata*, quando cum melle & aqua permiſcentur plantæ, (pro affectibus pulmonum & pectoris,) pectorales & pulmoniacæ, &c. ut curetur morbus, & ſimul ſuſtentetur corpus beneficio hujus mulſi.

Etiam in officinis proſtat *Hydromel uſitatum* in affectibus pectoris & pulmonum, dum plantæ pectorales decoquuntur in aqua & melle, & nunc eſt ſimplex, alterans in tuſſi, vel conſolidans in ulcere pulmonum, vel purgans, additis plantis alterantibus, conſolidantibus & laxantibus, v. g. foliis ſennæ, vel agarico.

Qui vult uberiorem modum parandi *ſpiritum mellis*, *melicrata*, *hydromelita*, & *liquores vinoſos*, videat *DEODATUM Panth. Hygiaſt. l.2.c.19* ubi aliquot præſcribit modos. Poteſt etiam videri *CONRAD KUNRATH in Medulla deſtillat. ubi de Melle.*

Mel deſtillando *duplicem* dat *aquam*: *albam* & *flavam*. *Prima* eſt mitior, *ſecunda* acris. Conveniunt in affectibus oculorum, in albugine, pannis, & unguibus, item in delendis maculis & cicatricibus, & vulneribus oculorum relictis: In affectibus incipientibus aqua prima eſt optima, in gravioribus autem ſumatur ſecunda, quæ interdum cum pauco ſpiritu miſcetur: loco cujus etiam uſurpari poteſt *aqua mellis compoſita Cent.5. Curat. 53.* ubi nubecula gravis diſcutienda. Poſt aquas has ſeu phlegmata prodit *ſpiritus acidus volatilis* corroſivus, & *oleum* craſſum empyrevmaticum, non ſatis clarum. Ut verò ſpiritus melior habeatur, & ſit magis penetrans, putreſcat ad tempus mel; ſi verò fermentando aceſcit, ſuggerit ſpiritum inſtar aceti deſtillati. Spiritus autem acidulus cum phlegmate unitus & circulatus, ſuggerit menſtruum ſingulare magnarum virium, quia in illo latet ſal.

Obſervetur, quod mel ſub deſtillatione facilè ebulliat, & per alembicum adſcendat; pro evitanda igitur ebullitione ipſi quædam admiſceantur, v.g. arenæ triplum, aut laterum, aut ſilicum, ſimiliumque, quæ impediunt ejus impetuoſum motum & ebullitionem, retortaque ad medietatem ſaltem repleatur: hoc enim modo mel deſtillatum dat *phlegma* ſubtile, hinc *ſpiritum* acidum inſtar aceti deſtillati, & *oleum* empyrevmaticum. Ex caputite mortuo incinerato *ſal* elixiviari poteſt.

Spiritus hic acidus commendatur contra calculum, & ad pellendam urinam. Externè hoc ipſo ſpiritu ſunt, qui parare volunt *tincturam Coraliorum*; ſolvit enim coralia ac perlas: ſed an vera tinctura ex corallis & perlis poſſit parari, videbitis in *Diſſertatione de tinctura Coralliorum.*

Oleum mellis, quod inſtar aquæ vitæ ardet, *cum ſpiritu vini circulatum*, cujus meminit *AUTOR No.1. ſub fine*, multum etiam conducit in uſu Chirurgico, tam in læſionibus partium recentibus, quàm ulceribus; purificat & mundificat ulcera maligna & phagedænica, uti rectè habet *AUTOR*; vel ſolum, vel cum camphora aut aut balſamo de Perù miſtũ. *Tinctura ex boc oleo* cum ſpiritu vini parata commendatur internè in curanda phthiſi & ulceribus pulmonum.

Oleum mellis compoſitum, quod habent *AUTOR No. 2.* fuit *Balſamum podagricum Hartmanni*, eique in magno uſu pro leniendo dolore podagrico: ſed nil valet.

Ex melle poteſt fieri *acetum* in continenti cum ſemine erucæ: nam ſicuti ex generoſis vinis generoſa eliciuntur Aceta; ita ex melle, quod valde generoſa habet principia. Uſus ejus eſt in Chymicis pro ſolvendis lapidibus, gemmis, perlis, & aliis metallis.

Quidam *tincturam ex melle* cum ſpiritu vini tartariſato, aut ſpiritu mellis inflammabili per fermentationem parato, extrahunt, ejuſque dimidium abſtrahunt, quam pro humore viſcido in pulmonibus reſolvendo, ac per urinam & ſordes expellendo, maximè laudant.

Aliàs *mellis Præparata* ſunt varia, quæ tamen omnia eò recidunt, ut habeatur ſal iſtud roris concentratum cum balſamo florum.

Ex melle etiam poteſt extrahi *ſal*, quod commendatur imprimis ad curandam carunculam penis, ſi cum cera viridi redigatur in unguenti formam, uti aſſerit *BARTHOLETUS*, quod etiam credo.

Cera eſt craſſior & pinguior pars mellis, quæ diſponitur in ordinem ab apibus; qui ordines dicuntur favi, & in his aſſervatur mel. Subjectum eſt reſinoſum, quod ſumma quoque corroſiva non attingunt, & in aqua obduratur magis, quàm ut liqueſcat. Ingreditur Emplaſta ad conſiſtentiam debitam. Interno uſu non niſi *oleum ceræ* ſuggerit, cujus optima præparatio eſt, ſi ceræ ℔j. miſceatur cum *oſſium calcinatorum* ℔ij: ſic enim hæc retinent ſpiritum acidum ceræ, ut ſolum oleum inſtar butyri craſſi prodeat, quod naturæ alcalinæ eſt. Oleum autem hoc à phlegmate ſeparatum, cum ℔iij. *vini*, & *ſal. tartari* ℥iij. denuo rectificetur, & prodit clarum atque penetrantiſſimum. Aliàs eodem modo deſtillatur, ut Oleum Philoſophorum: Nempè cera liquefacta à lareribus ignitis imbibitur, & ſic deſtillatur.

Egregiè convenit, & ab *HARTMANNO* & *CROLLIO* commendatur internè pro uſu diuretico ad gr. iij. vel iv, & aqua petroſelini: item in procidentia ani, cujus crebriorem prolapſum præcavet: præterea quoque valdopere penetrat, incidit & reſerat, & propterea in affectibus urinariis & renum eſt egregium: in arenulis renum promovendis & urina cienda eſt expertum, utut parciùs ſit adhibendum propter vim nimiam pellendi urinas; unde in doloribus nephriticis poteſt aſſumi, factâ illinitione externâ cum oleo ſcorpionum & philoſophico, in loco dolente. Externè egregium eſt in fiſſuris mamillarum: vid. *ALDROVANDUS de Inſect. l.1. cap.3.* Vulnerarium prætereà eſt; unde *Balſamum Vulnerarium Mindereri* ingreditur: Nempè

℞. *Terebinth.* ℥ß.
Olei hyper. ℥j.
Gum. elemi ℥ij.
Olei ceræ ℥j.
M.

Reſolvit & attenuat tumores contumaciores frigidos ex lympha vitioſa ortos; item gummata podagrica, ac nodos, tophos, & gummata Venerea; potenter enim reſiſtit veneno corroſivo. In ſcirrho, ſive oriatur per ſe ſive ex accidente, ſive malè curatâ inflammatione, ubi emollientia & mucilaginoſa applicantur, curat ſine metu cancri & exulcerationis. Tollit prætereà dyſuriam & ſtranguriam, ſi umbilico illinatur: vid. *FABER in Panchym.* Sic & contra nephriticos affectus miſcetur cum oleo ſcorpionum & oleo philoſophorum: contra ambuſta verò & læſiones ab igne acuatur cum pauco olei

olei ovorum: in convulsionibus ex punctura nervi est optimum. vid. *SYLVIUS in Pr. lib. 2.*

Præparatio *Magisterii* est satis clara.

Propolis, quæ usitatè vocatur *Cera virginea*, est materia crassa, & usurpatur externè in Emplastris & Cataplasmatis, in principio vulnerum applicandis, pro extrahendis alienis, & præcavendis sordibus supervenientibus: est elegans cicatrizans & incarnans, quod ulcera curata carne replet, & cicatrice obducit.

ARANEUS.

A*Raneæ* omnes conveniunt, quarum viventium vis maligna nota, mortuarum verò innocens est in febribus intermittentibus vario usu. Utut enim rariùs internè usurpentur; rusticus tamen quidam hîc loci araneas mortuas exsiccatas & pulverisatas ægris febre intermittente laborantibus quàm plurimis à ℈j. ad ʒß. felici cum successu propinavit. Qui *internus usus* an elegantior sit externo? in medio relinquo. Nam omnia talia insecta abundant sale volatili urinoso & acri, unde internè sumpta ratione salis volatilis urinosi pellunt urinam, & arenas movent.

Externus earum *usus* in febribus intermittentibus magis frequens est, dum quidam vel solum, vel cum aliis applicant pulsibus metacarpi: alii araneam vivam majorem includunt nuci juglandi, & appendunt de collo, imprimis in Quartanis, & dicunt, se esse expertos ejus usum.

Si concluduntur araneæ in vase quodam, se mutuis puncturis interficiunt, & post mutantur in liquorem fœdum, qui destillatus dat *spiritum* copiosum, & *sal volatile* urinosum.

Ex araneis, ceu basi, & earum telis, conficitur decantatum *emplastrum febrifugum Strobelbergeri* contra Quartanas, de quo vid. *Tractatus de curatione febrium*, ubi habet egregias & singulares Observationes quartanarum curatarum hoc emplastro. Descriptionem habet *AUTOR in Parte anteriore*: sed ea non est in omnibus legitima & genuina.

Ex araneis majoribus fit *Oleum aranearum simplex* per infusionem, quod pulsibus illitum contra febres experimentum est: vid. *STROBELBERGERUS de Remediis contra febres intermittentes.*

Paratur etiam ex istis per infusionem *Oleum aranearum compositum*, cujus elegantem Descriptionem *MINDERERUS* habet. Hujus usus est pro malaxandis Emplastris & unguentis, applicandis anthracibus & bubonibus pestilentialibus, aliisque ulceribus malignis & cacoëtheis adhibetur: sicut usitatum similiter est in febribus malignis, pestilentibus, petechialibus aliisque similibus affectibus, ut carpis manuum, temporibus, & regioni stomachi & aliis partibus externo impetui expositis, illinatur, imprimis ubi ex inquinamentis aeris pestis est contracta, ut *suprà dictum*, sive solum, sive permistum cum oleo scorpionum composito *MATTHIOLI*, vel oleo succini, camphoræ, carbunculi, & similibus.

Telæ araneorum sunt communiter mulierum experimentum pro conglutinandis vulneribus recentibus, quas cum mica panis bene masticata permiscent, & applicant.

ASELLI.

A*Selli* usitatiùs vocantur *Millepedes* seu *Onisci*: insecta sunt vilissima, in Medicina tamen utilissima. Colligendi sunt, qui reperiuntur in locis saxosis, & intra fissuras lapidum murorum antiquorum; hinc copioso sale nitroso volatili, admodum acri, scatent, simili, quo lumbrici impraegnati sunt, acriori tamen in his. Abundant autem hoc sale ex nutrimenti ratione, quod est uligo intra rimas parietum reperibilis, mediante qua solutum sal nitrosum in calce viva, qua murorum parietes construuntur, imbibunt, & digestione volatilisant; adeoque, quoniam nitrum in se continent, hujus intuitu remedium insigniter diureticum sunt; unde & remedium contra calculum vesicæ, tam præcavendo quàm curando, indeparatur: Si igitur horum leniter exsiccatorum pulvis cum floribus nitri *MYNSICHTI* misceatur, habetur pulvis diureticus ad ciendam urinam egregii usus: Sic notum est experimentum *HORATII AUGENII* & *WILHELMI LAUREMBERGII*, dum pulvis asellorum propinatus fuit in decocto cicerum rubrorum, quo calculus vesicæ, jam exscindendus, fuit dissolutus & excretus. Historiam habet *LAUREMBERGIUS* de calculo vesicæ, in qua refert, se liberasse hoc aliquot calculo vesicæ laborantes. Alio tempore facta est similis experientia Romæ in Monacho, ab *AUGENIO* curato: item in *ANGLIA* duabus mulieribus calculo afflictis cum fructu potus hic fuit propinatus, eo modo, quem habuit *SENNERTUS Prax. l. 3. p. 8 c. 2. de Calculo Vesicæ p. 847.* ubi habet modum utendi, & id quod scribit *AUGENIUS*. Unde in Anglia infundunt in cerevisiam fermentandam, & faciunt potum pro præservando calculo vesicæ *LINDANUS* etiam refert, se binâ vice curasse calculosos eâ methodo, quam descripsit *SENNERTUS*, cum pulvere millepedum. Quin & ratione salis volatilis urinosi in incidendo, penetrando & resolvendo muco acido, viscido, tenaci, ubicunque hæreat, valent; unde in affectibus splenis & hypochondriacis sunt magni usus: hinc in resolvenda mucilagine, implente & farciente pulmones, non habetur potentius remedium, quocunque modo præparentur & propinentur: propinati in mediocri dosi sunt expertissimi in asthmate, sive cum aceto & vino propinentur à gr. v. usque ad ℈j, sive in petia ligati infundantur vino, & hoc post expressionem hauriatur, ad infarctus pulmonum mirè conducit, & egregiè convenit: alii faciunt Electuarium ex Millepedibus præparatis, melle permistis, addito gummi ammoniaco, quod pro curando asthmate, & similibus pulmonum affectibus, est expertissimum & potentissimum. A modernis contra arthritidem vagam, & dolores artuum scorbuticos adhibentur, quod quidam ex signatura, qua se movent & contrahunt, deducere conantur: vid. *MOELLENBROCCIUS Tractatu de Varis p. 133.* Notandum præterea, quod Insecta hæc æquè atque alia præ reliquis primatum obtineant in affectibus dolorosis & morbis convulsivis partium internarum scorbuticorum & hypochondriacorum; unde etiam in asthmate convulsivo, curatu aliàs difficillimo, præferuntur omnibus reliquis remediis vino infusi: Videantur imprimis ea, quæ habet *WILLIS in Pathologia cerebri, in Tractatu de Affectu hypochondriaco & suffocatione uterina*, ubi medicamenta ex asellis laudantur; it. Hertodit. in Crocolog. *c. 13. pag. 129.* Laudantur porro in fluxu albo, teste *BARTHOLINO C. 5. H. 97.*

Denique interno usu in vulneribus, fistulis, & aliis ulceribus partium corporis inveteratis & desperatis, ut & recentibus, miram vim habent chirurgicam aselli. Angli utuntur pro curandis ulceribus malignis & phagedænicis; sicut de ulceribus mammarum mirabilia recenset *BOYLE in Philosophia Experimentali*; & ex eo refert *BARTHOLINUS Cent. 4. Epistol. 92. p. 522.* Similiter & egregium experimentum videbitis in *RIVERIO Cap. 2. Obs. 89.* ubi elegans prostat Observatio gravis ulceris aliquando curati per internum usum pulveris millepedum.

Quomodo interno usu administrentur & præscribantur, optimè docet *WILLISIUS Pharm. Rat. P. 2. p. 250. 268. 283. & 341.* Nempè vel pulverisati adhibentur in convenienti quodam vehiculo; vel eorundem 50. 60. &c. infunduntur in aquam appropriatam, vel in vinum, teruntur probè, transcolantur, & ita infusum bibitur. Quidam cum vino vel Rhenano, vel Malvatico ter infundunt, & toties lento calore exsiccant & pulverisant: vid. Quercetanus in Pharmac. Dogm. Restituta: Alii cum spiritu salis, aut nitri, aut vitrioli, millepedes hos impraegnant, vel solvunt, & ita remedia ex ipsis parare solent: sed male; Vereor enim, ne castretur potiùs earundem vis medicamentosa.

Modum in copia colligendi habet *MOELLENBROCCIUS de Varis p. 238.*

Putrefacti in liquamen abeunt, relictis saltim exuviis liquori innatantibus, ex quo *spiritus urinosus volatilis* fortiter diureticus & potens satis destillatur.

Aselli plures invicem coacervati, ut nonnihil putrescere incipiant, destillati dant elegans *phlegma volatile*, quasi nitrosum, summum remedium in affectibus nephriticis & calculosis, tàm renum quàm vesicæ; item partes iij. lumbricorum cum p. j. asellorum mistæ, & institutâ digestione in liquorem simul abeunt potenter diureticum. *Tincturam millepedum* cum tinctura tartari parare jubet *WILLISIUS de Scorbuto.*

Externè Millepedes in oleo olivarum, vel oleo lini, infusi & cocti, oleum constituunt anodynum, imprimis specificum contra dolorem hæmorrhoidalem, quem optimè curat & sanat: de quo conferatur *RIVERIUS*. Singulariter enim anodyni sunt millepedes.

BOMBYX.

B*Ombyx* rari est usus in Medicina, nisi, quod quidam bombyces exsiccatos adspergant capiti pro arcenda vertigine & lethargo: quod an verum sit? nescio. Præ aliis in usu est *filum sericum Carmesinum*, sive cocco sive granis Kermes tinctum, de cujus usu in erysipelate & podagra, dum eo ligatur articulus podagrâ afflictus, & habetur pro secreto: idem de simili usu vid. in *EICHSTADIO de Confectione Alkermes.*

CANTHARIDES.

C*Antharides* præferuntur versicolores. Mediocris magnitudinis in frumento inventæ, & imprimis ejus species, quæ vulgo *Muscæ Hispanicæ* dicuntur, quæ in alis transversas lineas habent; nam variæ admodum illarum sunt species.

Omnes autem cantharidum species turgent sale volatili acerrimo morsicante, quod in tantum stimulare solet urinam, ut etiam vesicam exulcerare & erodere soleat; idque non saltem usu interno, sed & externè applicatæ cantharides pro scopo vesicam excitandi, colliquefaciendo acrimoniâ suâ succum corporis nutritivum, subinde Ischuriam, & aliqualem vesicæ erosionem, excitare solent: proptereà Majores nostri inter venena numerarunt, & internè non, sed tantùm pulsui externo, adhibuere. Internè cantharides præ omnibus remediis reliquis contra suppressionem urinæ desperatam laudantur: vid. *ZACUTUS l. 1. Prax. admir.* ubi ad Ischuriam cum oleo amygdalarum dulcium commendat; item ad pellendas aquas

in

in hydrope commendat ZACUTUS *l.2. Hiſt. Medic. Dub.67.* uſu, etiam ſunt egregii ad Gonorrhœam virulentam, ac ad promovendum calculum ac ſabulum vid. *Fallopius de Compoſit. Medicament. cap.3.*

Modus utendi eſt in Infuſo cum vino, inquit ARTHOLINUS *Cent.4. Epiſt.54. p.346.* Cantharidum uſum in Gonorrhœa virulenta & Iſchuria non ſemel felici cum ſucceſſu expertus ſum Notandum verò, ne noceant cantharides (pro interno uſu) integras eſſe ſumendas; quia extrema, quæ reſecantur, ſunt alexipharmacum ventris. In gonorrhœa præprimis virulenta Practicum quendam Lugduni Batavorum ſolis Cantharidibus multos feliciter curaſſe, quæ in vino fuerint maceratæ, addendo adhuc aliam Infuſionem temperatam refert MATTHIADES *in Epiſt. ad Bartholinum:* Vid. BARTHOLINI *Epiſt. Med. Cent.4. Epiſt.53. p.343.* item *Epiſt.21. p.93.* & *Epiſt.65. p.400.* nec non in *Hiſtor. Anatom. Cent.5. Hiſtor.82.* & GALENUS, *l.2. de Antidotis.* e.g.

℞. *Pulv. canthar id.* ℈j.
infund. in
Vini Rhen. ℥iij. vel iv.

Infuſum ſtet per aliquot dies, & noctem in loco tepido: poſt filtretur liquor, ne ſubſtantiæ aliquid tranſeat, & ſub uſu miſceantur cochl. vj. vij. vel viij. cum cantharo vini; ſic totum vinum imprægnatur, ita, ut cochlearij ſufficiat (adſcendendo tamen in dies) ad pellendam urinam & calculum.

Fundamentum conſiſtit in eo, ut vis ſalis volatilis cauſtici temperetur ab acido vini (vel etiam aceti) & abeat in ſalſum temperatum, non adeo corroſivum. Effectus, quos hoc modo præſtant, videbitis *citato loco:* & tutius adhiberi hoc Infuſum, quam in pulvere, cenſet VELSCHIUS *Schol. in Obſ. 89. Riimleri pag.53.* vel ſumatur de hoc Infuſo cochlear parvum in juſculo galli, vel cereviſia tepida tempore matutino, & eſt egregium in dictis affectibus remedium.

Sunt, qui cantharides cum ſ. q. vini præparatas internè propinant in arthritide, quoniam ſal urinoſum volatile cantharidum acidum arthriticum præcipitat, & abit in ſalſum volatile inſipidum, ſicque per urinam eliminatur; unde quidam Empiricus in Gallia habuit pulverem ex cantharidibus in urinæ retentione deſperata, hydrope & arthritide. Meretrices & ſcorta utuntur cantharidibus pro expellendo fœtu, interdum tamen fauſto cum ſucceſſu. Pulvere eorundem cantharidum ſunt, qui ſtimulare volunt Venerem, internè adhibito: ſed male res cedere ſolet, dum præterea, quod ſtimulas Venerem, etiam mictum cruentum inducit. Item SALMUTH hiſtoriam habet de ſene, qui juvenculam duxerat, cui ut placeret, accepit medicamentum, cui adjunctæ fuerunt cantharides; exinde factum, ut altero die nuptiarum fuerit mortuus, pene rigido permanente poſt mortem: ita quoque vidit D. MICHAELIS, quod quædam meretrix cuidam pro ſtimulanda venere pulverem cantharidum propinavit, ex quo pulvere fuit mortuus; quoniam fuit crude & ſine præparatione propinatus. Crollii enim experientia docuit, quod corrodant ac ulcerent veſicam, & inde inducant mictum cruentum; adeo, ut non tantùm interno uſu, ſed etiam veſicatoria ex iis parata & cervici applicata, ardorem urinæ & mictum cruentum induxerint: vid. BORELLUS *Cent.2. Obſ.58. pag.158.* & *Obſerv.98. pag.192.* Hæc vis, ut corrigatur, quo tutius poſſint interius aſſumi, & non ſequatur exulceratio, ſed provocetur urina in hydrope & affectibus aliis, elegantiſſimè præparatur cum aceto, oleo vel vino, ut modo dictum: ſi tamen extrema cantharidum ſumantur pro infuſo diuretico, hoc legitimo modo miſtum, nunquam cruciatum vel veſicæ exulcerationem provocat, ut nec pinguioribus abſtergentibus, aliique corrigentibus, opus fuerit.

Rarum eſt, quod Hungari, dum cantharidum pulveriſatarum 10. una vice aſſumunt, exinde largum ſudorem, & copioſum urinæ fluxum, obſervent citra dolorem: Conf. M. A. N. C. *Ann.1. pag.296.*

Remedium noxæ, à cantharidibus veſicæ inductæ, conſiſtit in temperatura particularum iſtarum acerrimarum, quam optimè præſtat uberior hauſtus lactis, præcipuè cum ſale tartari vel cum ſaccharo, quod commendat BOYLE *in Philoſophia Experimentali.* Item Emulſio ex amygdalis dulcibus & melonum ſemine; item fœniculi ſemen cantharidum alexipharmacum obſervatum fuit. Conf. M. A. N. C. *Ann.2. pag.179.* nec non pulegium ex SENNERTI *Praxi l.6. p.8 c.16.* quo etiam referri poteſt ſemen ammeos, vid. JOHANNES BAPTISTA SITONUS *in Miſc. p.105.*

Uſus interim veſicatoriorum adhuc frequens eſt, in quibus cantharides ſemper baſin conſtituunt: & quidem non ratione ſpinarum, aculeis ſuis glandulas & fibrillas ſubcutaneas pungentium atque irritatium quas innumeras microſcopii ope obſervavit BORRICHIUS *in* BARTHOLINI *Actis Hafnienſ. Volum.4. Obſervat.80. p.186.* & *Volum.5. Obſervat.89. p.217.* cum hæ in Cantharidibus pulveriſatis non ampliùs adſint; ſed potiùs ratione ſalis volatilis acris. Sub uſu autem corpus tantùm eligitur, abjectis alis, pedibus & capitibus, quæ non, quod noceant, ſed ut benigniora & inutilia, rejiciuntur; niſi enim obſervetur, quod ſint præſcribendæ abſciſſis alis & capitibus, Medicus riſui ſe exponit Pharmacopœorum: pulvis deinde cum fermento acri & pauco aceto in formam cataplaſmatis redigitur, & applicando veſicas excitat. Uſitate, e.g.

℞. *Canthar id. ablatis alis & capitibus* numero v. ad vj.
Fermenti ℥j. vel ℥ß. M.

Irroratur cum aceto, & applicatur.

Vel

℞. *Cantharid.* numero iij. v. ad vj.
Fermenti, ʒij.
Pulpæ ficuum ℥ß.

cum aceti ſ. q. irroretur, ut fiat Cataplaſma veſicatorium.

Verum hic modus, quod rectè HOEFERUS *in Herc. Med. p.158.* urget, taxatur ob acidum fermenti & aceti; infringit enim nonnihil ſal volatile cantharidum cauſticum: unde quantum aceti vel fermenti additur, in tantum caſtrant vim veſicantem in cantharidibus, adeòque tunc non adeo potenter veſicas excitant; nec procedit hic modus, niſi, ubi mitius agendum: id quod notandum de Sinapiſmis cum adjectione aceti, qui ſic fiunt viliores, & eorum impeditur efficacia, uti audietis in *Collegio Formularum, ubi de Veſicatoriis.* Quidam verò recipiunt ſolas cantharides à ʒiß. ad ʒij. plus minus pro varietate circumſtantiarum, permiſcent cum medulla panis ſecalini, irrorant cum aqua appropriata, & ita applicant pro excitandis veſicis: Sin verò potentius agere velimus, ſubigantur cantharides cum pulpa ficuum, recipiendo ficuum pinguium ab ℥ß. ad ℥j. pulv. cantharidum à ʒiß ad ʒij. plùs minùs pro re nata, & hæc ſub forma cataplaſmatis imponantur nuchæ pro excitanda veſica, ubi pro lubitu ſtercus caprinum aut ſemen ſinapi, ſimul addi poſſunt. Optimus tamen modus ſit ſub emplaſtri potiùs, quam cataplaſmatis forma, laudo igitur potiùs *Emplaſtrum veſicatorium in Diſpenſatorio Auguſtano*, aut etiam, quod habet AUTOR *l.2. cap.53. num.20.* & LUDOVICI *Pharm. p.419.* hujuſmodi enim Emplaſtrum applicatum egregiè veſicam excitat; Vel

℞. *Terebinthinam:*

Miſce cum *cera* liquefacta: His ſub refrigeratione *pulvis cantharidum* inſpergatur: ut fiat Emplaſtrum, quod magnitudine Thaleri applicetur.

Modus eſt elegans: ſi placuerit, unguentum de Althea addi poterit in robuſtioribus; in infantibus verò miſceatur cum emplaſtri citrini ana, aut hujus parte dimidia.

Sunt etiam, qui præparant *Veſicatoria indolentia* ex cantharidibus, addita *myrrha, maſtiche*, & ſimilibus egregia certè & elegans compoſitio.

Quod ſi animus eſt diutius manantes conſervare veſicas, tunc Emplaſtro de ſpermate ranarum, vel emplaſtro albo camphorato veſicæ inciſæ applicatæ parum pulveris cantharidum additur. Hac enim ratione diutius apertæ ſervari poſſunt veſicæ, id quod obſervavit LUDOVICI *in Pharm pag.420.*

Hic uſus externus cantharidum ſaltem hactenus cognitus fuit, attamen is ſatis polychreſtus, compluribus affectibus, præſertim partium nervoſarum doloroſis, aliiſque ex lymphæ vitio natis multum conferunt veſicatoria: vid. CRATO *Conſil.21. p.40.* potiſſimum in febribus malignis plantis pedum feliciſſimo cum ſucceſſu applicantur: vid. PAULI *in Digreſſ. de Febrib. malignis*, in malo iſchiadico & artuum doloribus: vid. GASSERUS *in Obſervationibus*; in hydrope vid. REUSNERUS *in Obſerv.18.* in peſte CUMANUS *Obſerv.99.* in bubonibus Venereis laudantur à FELICE WURZIO; Hippocrates verò cantharides etiam commendat in peſſo ad expurgandum fluorem album *libr. de ſuperfœtat. Edit. Lind T.II. p.660. XXIII.*

Quidam Magiſterium diureticum cum ſpiritus nitrum parant, quod cum oleo tartari præcipitatur: ſed potiùs pervertitur vis diuretica: vid. LUDOVICI *Pharmac. pag.419.* Hinc potiùs laudatur *Eſſentia diuretica ex cantharidibus* per tincturam tartari parata: vid. WILLISIUS *in Pharmac. Rationali P.1. S.4. c 2.* Vel

℞. *Cantharid* ℥ß.
Salis tartari ʒvj.

Irrorentur cum ſ. q. *aqua*, & in formam pultis dilutioris ſeponantur in locum tepidum, aliquandiu irrorationem continuando, ſi ſint exſiccatæ ſi igitur per dies, & noctem 8. vel 10. ſteterint, affundatur pulveri *ſpiritus tartariſatus*, & eliciatur tinctura, quæ propter coloris gratiam *pulvere vermium cocbinillæ*, qui ſimiliter ſpecies cantharidum ſunt, & egregiè diuretici, tingi poteſt, ſic *Eſſentia* gratiſſimi coloris evadit.

Oleum cantharidum fit per infuſionem pro uſu venereo; ſi enim hoc inungatur penis vel teſticuli, ſtimulare venerem, & promovere erectionem penis, dicitur.

CICADA, & CICINDELA.

De *Cicada* & *Cicindela*, nihil eſt, quod dicam.

CIMEX.

Cimices cum ſucceſſu adhibentur pro expellendo fœtu & ſecundina, aliàs non uſurpantur in officinis. Motum eſt, quod habet AUTOR de quartanatiis, quod uidelicet, ſi immittantur in penem,

penem, valdopore proliciant urinam, & titillando faciant, ut retentio urinæ curetur.

FORMICA.

Formicæ sunt animalia, quæ non habent sibi subjectum simile in toto Regno animali: sunt vel alatæ vel non alatæ, vel naturales, uel artificiales; & quidem, quæ in usum Medicum ueniunt, sunt uel majores uel minores. In genere autem istæ sunt optimæ, quæ aliàs acquiruntur & reperiuntur in sylvis, ubi arbores resiniferæ crescunt, & copiosæ etiam betulæ: hæ enim præ cæteris abundant spiritu copioso salino subacido, spirantque odorem acidum. Hinc observatum est à Botanicis, quod flores cœrulei, cyani, borraginis, &c. colorem cœruleum cum rubore commutent, parili modo ac si spiritu minerali essent illiti. Nempè formicæ liquorem talem acidum fundunt, qui dubio procul causa est illius pruritus, quem suo contactu nobis inferunt: Acidum hunc esse liquorem, præter odorem experientiâ probatur. Nam formicæ vivæ aquæ injectæ, & baculo agitatæ atque irritatæ, liquorem quendam deponunt, qui totam aquam acetosam reddit, ut etiam aqua hæc acida ferrum & saturnum rodere queat. Post has & artificiales ex melle sunt colligendæ: Parandi modus hic est:

Melli admiscetur *panis secalinus*; sic per fermentationem generantur formicæ, quæ alatæ avolant.

Naturales pro usu Medico colligantur, speciatim mense Junio & Julio, die sereno imprimis, luna crescente, hoc modo: Accipiatur *cucurbita*, in cujus fundum *frustum casei* sit repositum, quæ immittatur acervo formicarum; ita casei odore allectæ omnes cucurbitam intrant, quarum si copia pro spiritu destillando acquisita fuerit, baculo acuto eximatur *caseus*, & superaffundatur spiritus vini ad supereminentiam trium digitorum: cum plantis autem aromaticis imbutus sit *spiritus vini*, si potest haberi, & procedatur destillando l. a. spiritui destillato novæ formicæ addantur, digerantur, & iterum destillentur lege artis, sic sæpiùs cohobando spiritus efficacior, atque aciditate volatili sat fortiter imprægnatus erit. Imprimis autem censetur commodum tempus Lunæ incrementum, quia lunæ vires formicæ sentiunt: nam in interlunio quiescunt, novo lumine totis etiam noctibus operantur.

Formicæ mirè sunt confortativæ, ita, ut spiritus animales deficientes, exhaustos aut destitutos, mirè recreent, unde formicarum spiritus analepticum est egregium omnium sensuum, & vi memoriam confortandi insigni pollet: magnanimos reddit, Venerem egregiè stimulat, & in exercitio validos ac robustos reddit viros. Idem omnibus *aquis apoplecticis* & *analepticis* præferatur; valdè enim convenit pro corroborando corpore humano, & viribus attritis; & quidem in affectibus capitis, apoplexia, vertigine, paralysi, & in specie in morbis senum: contra sterilitatem utriusque sexus inter remedia alia non ultimum est, catarrhis potenter resistit, dum lympham superabundantem per urinam educit; diureticus enim valdopere est spiritus: valdè commendatur in catarrho suffocativo & similibus præcavendis & curandis.

Externè Formicæ mirabiliter nervis conveniunt, eorumque dolorem, paralysin, tremorem, &c. curant, item doloribus resolutum & læsum tonum restituunt & firmant, dolorem sistunt, paralysin tollunt: ad mulierum quoque sterilitatem egregiæ sunt: vid. CONRADUS KUNRAD *in Medulla Destillatoria*. Unde externè spiritus formicarum additur aquis articularibus, antiparalyticis, & contra partium dolores usitatis. Vel etiam ipsis speciebus articularibus formicæ adduntur, & hinc affuso spiritu vini aquæ articulares parantur ad paralyticos imprimis affectus, aliosque morbos partium nervosarum, penetrando, attenuando, & imprimis resolvendo, sicque tonum pristinum partibus restituendo, quatenus penetrantiâ suâ volatili quosvis meatus insigniter referat, acidum viscidum nervis infensum incidit, dissolvit, mobile facit, ita, ut non corrigendo, sed dissolvendo & removendo fomitem, saltem conferre videatur. Cæterum spiritus formicarum externè in affectibus aurium conducit; in difficili enim auditu & in tinnitu egregiè confert; unde *spiritus acouisticus Mindereri* pro basi agnoscit formicas: sicut egregia mistura ad auditum fit, si misceatur spiritus formicarum cum Essentia Castorei, & cum bombace auri indatur, vel etiam instilletur, auditum mirè promovet & roborat. Spiritum formicarum & lumbricorum terrestrium ana auribus etiam indunt cum bombace pro eodem usu. Præterea externo usu spiritus lumbricorum terrestrium & formicarum valdè convenit in arthritide & affectibus articulorum; volatile enim sal penetrans acidum arthriticum absorbet & corrigit. Id quod etiam verum est de malo Ischiadico & similibus affectibus; in specie in arthritide non tantum communi & fixa, sed etiam vaga scorbutica, egregiè convenit, & multum conducit: in paralysi & tremore artuum externè inungi solet spiritus lumbricorum terrestrium & formicarum, vel solus, vel mistus cum aqua cephalica, seu spiritu cephalico ad extra: hi spiritus inunguntur post frictionem lenem pro restituendo sensu & motu: in dolore partium ex lympha acri, seu in rheumatismo, & defluxionibus acribus, in quibus occupat lympha partes & interstitia musculorum, vel ipsos musculos, spiritus hic inunctus est egregius. Observetur autem, quod spiritus formicarum in his casibus ut plurimum, si non semper, misceatur cum spiritu lumbricorum terrestrium.

Omnes hujus spiritus vires in excellentiore gradu sunt in *aqua magnanimitatis Laurembergii*, quæ ex basi formicarum destillatur, beneficio spiritus vini compositi cum plantis specificis: de qua, præter *ejus Autorem*, videatur etiam STARIZIUS *in Helden-Schatze p. 86.* & *superiùs*, ubi *de Anacardio*. Facultatem animalem recreat, & speciatim Veneris vigorem restaurat, & sterilitati mulierum egregiè succurrit, si sæpiùs adhibeatur. Usurpatur cochleatim. Adhuc egregia est ad debilitatem ingenii, & memoriæ conservationem; roborat caput, ab apoplexia præservat, &c.

Cæterùm mirabilis est earum odor acidus; nam si formicæ per se destillantur, suggerunt spiritum acidissimum, qui & martem corrodit in vitriolum, & saturum in saccharum, ita tamen, ut denuo acidus possit abstrahi, pariter atque spiritus viridis æris præ aliis acidis corrosivis hoc obtinere solet, ut immutatis quasi viribus denuo destillando abstrahi queat. Probabile etiam est aliis insectis, præsertim pungentibus, similem aciditatem quandam inesse, in qua per aculeum communicata pathemata solita superveniunt.

Spiritus hic formicarum acidus corpus, odore saltem perceptus mirificè restaurat. Quin & spiritus urinosus paratur è formicis vel per se, vel cum calce viva: Per se formicæ invicem congestæ aquâ simplici nonnihil humectatæ, vel contusæ asservantur in cella, & seponuntur ad putredinem; hinc enim brevi post situm contrahunt, & sic destillatæ suggerunt spiritum urinosum, & sal volatile elegantissimum: Cum calce viva si formicæ misceantur, & affundatur aqua, submittanturque blando igni cinerum sic effervescunt, resolvuntur, & suggerunt spiritum blandè urinosum, calcem vivam tamen spirantem: hujus ratio est, quod aciditas omnis à calce viva sit absorpta. Hic spiritus urinosus cum sale volatili proprio acuatus remedium in cerebri affectibus nobilissimum est, quod vel odore solo partium nervosarum dolores & lancinationes, tremores, & similia sistit: vid. WEDELIUS *in specim. de sale volat. Plantar. c. 3. p. 225. in App. M.A.N.C. Anni 4. & 5.* Egregium diureticum est, pellens urinam, purificans renes, & specialiùs scorbuto atque hydropi convenit. Usurpantur spiritus hi guttatim dosi gutt. xxx. vel xl. in aqua lavendulæ, menthæ, aliave aromatica. Externè quoque aquis articularibus additus in doloribus partium nervosarum, in malo ischiadico, doloribus artuum & scorbuticis vagis ex acido natis, item arthriticis illitum summum & mirabile est remedium; inde in paralysi & tremore aliis remediis omninò est præferendus, simili ratione, atque de lumbricis infrà dicetur. ANGELUS SALA habet aquam formicarum, quam propinat loco Vomitorii.

Tandem & *Oleum* prodit, dum destillatur spiritus per se; *Oleum* scilicet *empyreumaticum*, quod rectificatum ophthalmicum est contra ungues oculorum, & visum fortificat blandissimè illitum.

Sic & *oleum per infusionem* in usu est; scilicet formicæ oleo communi infunduntur: quod non secus ac oleum lumbricorum affricatur externè in affectibus nervorum & artuum; item inungitur iisdem scrotum ad promovendam generationem & genituram; item si inungitur eodem penis in sua radice, ubi musculi sunt, suâ contractione ad erectionem ejus facientes, armat in venerem: quem in finem & scroto & testibus illinitur; præfertur tamen spiritus. Egregium est in acuendo auditu, bombace auribus inditum, vel solum, vel cum ana olei lumbricorum; unde *Oleum acuisticum Mynsichti* pro basi agnoscit formicas: item in ulceribus phagedænicis serpentibus & malignis suo illitu valdè convenit.

Aliàs oleum destillatum, quod in destillatione spiritus simul prodit, insigniter prodest contra ungulas oculorum, cum aqua rosarum applicatum.

Liquor, uti habet AUTOR, tàm parari potest ex formicis, quàm ex earum ovis, per digestionem in clibano, uti de lumbricis dicetur; qui valdè convenit in suffusione & aliis affectibus oculorum; item aurium, auditu gravi, & similibus aurium morbis.

Ova formicarum ad ʒj. si assumantur, excitant ructus & flatus immodicos, quod mirabile: instar moschatæ olere solent, unde cum pulvere nucis moschatæ possunt propinari lusus gratiâ ad generandos flatus. Internè aliàs non sunt in usu; externè in affectibus aurium conducunt; & ex illis paratum *oleum* multi usus est ad gravitatem auditus, quàm potenter & securè corrigit.

Acervus formicarum externo usu multum usurpatur, idque in specie pro usu balneorum siccorum vel humidorum, in partibus nervosis & musculosis roborandis: Nempè totus colligitur, & cum sacco aquæ simplici incoquitur, ex quo decocto in conopœo excipitur vapor vel toto corpore, vel saltem quibusdam partibus. Eximiè prodest in sistendis doloribus lancinantibus; item vagis artuum, & mediante sudore copioso prolicito; vel decocto tali immergitur corpus vel membrum affectum pro balneo humido, in malo ischiadico, & contractura artuum scorbutica; requirit enim scorbutus talia subtilia penetrantia: item in affectibus artheticis & paralyticis, tàm veris, quàm nothis seu Paresi; & quidem arthritide tam vaga, quàm fixa; in tremore & similibus affectibus articulorum & nervorum: imò & similia balnea egregiè conveniunt sterilibus mulieribus, aut crebriùs abortientibus, sive nudè, sive cum formicis & ovis incoqua-

coquatur, perinde eſt: vid. CONRADUS GUNRAD *in Medulla deſtillatoria*.

Præſtant hoc formicæ tam penetrando, & quævis corporis contenta diſſolvendo, & per ſudorem largiſſimè evacuando, pororum infarctum aperiendo, & fomitem acidi peccantis diſſolvendo & removendo operentur; quæ, quà data porta, vel per ſudorem, vel diapnoen erumpunt.

HIRUDO.

HIrudines internè non ſunt in uſu, ſaltem externè adhibentur, ut exſugant ſanguinem, adeòque in quibuſdam locis ſolent eſſe vicariæ ſcarificationis, cucurbitularum, & ſimilium aliarum operationum Chirurgicarum. Applicantur autem in nimiis & chronicis cephalalgiis temporibus: item in venis pedum juxta ſuras, & brachiis, pro evacuatione lenta: in affectibus hæmorrhoidalibus, nimirum tumentibus, vel etiam ſuppreſſis, uſitatiſſimè applicantur hirudines, ut aperiantur hæmorrhoides cæcæ: vid. BORELLUS *Obſ. Cent.* 1. *Obſ.* 63. *pag.* 66. Interdum etiam vulvæ applicantur in menſium ſuppreſſione, vel quando non ſufficienter fluunt lochia.

Præparandi & *applicandi modus*, quem etiam habet AUTOR, eſt hic: aſſerventur priùs in aqua pura, addendo ſaccharum, ut nutriantur & purificentur; poſt admoveantur loco, ubi adhærere debent: ſi pertinaciter nimis adhæreant, adſpergatur aliquid ſalis, & ſic ſubitò decidunt; non enim abrumpantur, aliàs relinquuntur capita, & exinde oriuntur ulcera ſordida. Quod ſi fiat, ut applicatæ ano illum ingrediantur, & metuenda ſit exulceratio inteſtinorum, injiciatur clyſter ex aqua ſalina; tunc enim iterum egrediuntur, quoniam non poſſunt ferre acredinem ſalis.

LACERTUS.

LAcertus vel *Lacerta* eſt animal ſatis & ubique cognitum: male inter inſecta referuntur, cum revera ſint quadrupedes.

In affectibus dentium in uſu ſunt: ſi ſcilicet pulvis lacertarum aquaticarum applicetur denti, facilè illum evelli poſſe dicunt: imò, ſi ſanguis lacertæ in dentem cavum immittatur, dentem ſponte ſua decidere volunt. Sed raro uſurpantur. Varios uſus videbitis in AUTORE. Præ cæteris tamen binis in caſibus ſunt in uſu:

1. *Internè contra ſtrumas*, ubi

℞. *Lacerti*:

infundantur *aceto*, poſt exſiccentur, ut corrigatur in iis, ſi quæ ſubeſt, malignitas: dehinc exſiccati pulveriſantur: Jam

℞. *Lacert. pulveriſ.* ℥j.
Mellis ℥iv.

Miſceantur invicem in conſiſtentiam Electuarii, cujus ʒij. vel iij. omni mane ſumptæ, & per aliquot ſeptimanas continuatæ, pro ſtrumis curandis laudantur.

2. *Externè contra hernias* commendatur *Oleum lacertarum* infuſum, quod tamen ad AUTORIS modum minùs rectè paratur. Potiùs ſumantur *Lacertæ* numero xxx, infundantur *oleo communi antiquo*, cum inſperſione *thuris*, *myrrhæ*, *maſtichis*, *ſarcocollæ*; & *reſinæ pini*: videbitis in FONSECA *lib.* 2. *Conſ.* 36 ubi tanquam ſingulare ſecretum cōmendat pro externa inunctione in loco diſruptionis in Hernia. Inſignem hujus olei uſum ZWELFERUS commendat in *Pharmac. Regia Edit. ult. p.* 266. ubi inquit; eſſe ſecretum pro Principibus, nec cuidam vulgari revelandum propter mirabilem virtutem. Idem ferè dicitur de Oleo formicarū, ſi ſcilicet liquor formicarum majuſcularum omni manè illinatur; vel etiam interdum aliquid iſtius liquoris aſſumitur.

LUMBRICI TERRENI.

EX *Lumbricis* præſtant ii, qui habent annulum flaveſcentem circa collum. Horum *captio* & *modus colligendi*, optimè videri poteſt in *ſcriptis* GLAUBERI *P.* 1. *p.* 57. & DRAWIZIO *de Scorbuto*, in ſpecie *Sect.* 1. ubi *de arthritide vaga ſcorbutica*: Obſervetur nempè tempus pluvioſum tempore veſpertino, & dum ex terra copioſè ſuper plantas perrepunt, facilè capi poſſunt. Alii eodem tempore perfodiunt terram baculo, quem hinc inde agitant, ſic lumbrici, talpas metuendo, copioſè prorepunt, & ſic capi poſſunt.

Sed in ſpecie. antequam adhibentur, priùs purificandi ſunt: Nempè miſceantur priùs cum terra pura & muſco terreſtri, vel quercino, ut ita hinc inde rependo intra dictas ſubſtantias ſe ipſos purificent, & ita uſui Medico interno aptiores fiant: vid. NEANDER *Tabacolog.* ubi dicit; quod muſcus quercinus eos diſponat ad vomitum plurium excrementorum.

Quoad *vires*, in lumbricis his multa latent arcana Medica: imprimis diaphoretici & ſummè diuretici ſunt. Ineſt enim iis ſal volatile, inſigniter tamen nitroſum; unde egregium medicamentum eſt in quibuſvis affectibus chronicis, cachecticis & hydropicis, aliiſque quamplurimis morbis tam hypochondriacis quàm ſcorbuticis, in quibus idem præſtant, quod vegetabilia amaricantia, alterando materiam peccantem occaſionalem, ſi ſubigantur, vel infundantur, vel coquantur in vino cum vegetabilibus appropriatis alterantibus, Aperientibus vulgo dictis, & menſes cientibus, propter vim penetrantem, reſerantem & diureticam; & exinde in morbis ſplenis mirè conducunt. Nam notum, quod in ſplenis affectibus medicamenta, quæ ſimul movent urinam, ſint optima. Non minùs etiam convenit tale decoctum in hydrope aſcite, quoniam per urinam ejecit aquam, diſtendentem abdomen; in quo aſcite Decoctum lumbricorum terreſtrium cum radice fœniculi & petroſelini ſolet commendari; vel etiam recentes conquaſſantur cum vino, exprimitur ſuccus & hauritur: item omnia ex lumbricis parata medicamenta in eodē hydrope conveniunt, quoniam cient potenter urinam: imò ſummum ſunt anodynum ad omnes affectus doloroſos, præſertim ex acido volatili ſcorbutico ortos, tàm partium internarum, quàm externarum ſeu artuum, mirè conducūt ratione ſalis volatilis urinoſi, quod abſorbet & corrigit acidum earum. In cienda urina, ad dolores vagos in arthritide ſcorbutica, nihil melius habetur hiſce, à qua & ad fixam traducti ſunt: vid. WIERUS *in Obſervat.* MOELLENBROCCIUS *de Variis ſeu Arthritide vaga ſcorbutica*, WEDELIUS *in Opiologia p.* 83. & DRAWIZIUS *de Scorbuto l. a.* In aliis etiam artuum doloribus, ex quacunque fiant cauſa interna, uſurpantur; præprimis in affectibus nervorum conferunt; hi enim, cum ex acido ſubtili, iiſdem inſenſiſſimo, originem ducant, mirè hìc lumbrici præparati ſuccurrunt. Veteribus in cura icteri frequens eorum uſus fuit, ubi & adhuc ſunt admodum celebres, ſi dicto modo infundantur vel coquantur, aut pulveriſati adhibeantur, vel ſoli, vel cum aliis appropriatis permiſti; nam diuretica in Ictero flavo valde conveniunt. Propterea valde ſunt convenientes in Ictero *Pilulæ Loticbii*, quarum hæc eſt Compoſitio:

℞. *Pulv. lumbric. terreſtr. præp* ℈j.
Gum. guttæ lax. gr. ix.
Olei ſuccini,
Terebinth. ana gtt. iv.
Cum ſyr. byzant. fiant *pilulæ*.

Idem pulvis lumbricorum cum ſale tartari vel tartaro vitriolato miſtus eſt ſpecificum ſingulare: item decoctū lumbricorum terreſtrium cum chelidonio majori eſt appropriatum in eodem affectu, imprimis ſi addantur grana juniperi, quæ vim diureticam lumbricorum magis promovent. Contra affectus doloroſos ſcorbuticos, præſertim vagos, Veteres lumbricos cum lacte ſubegerunt, quod per linteum expreſſum propinarunt feliciter, & mirabile ſunt remedium. In dyſenteria Decoctum lumbricorum valde commendatur à SENNERTO *in l.* 3. *Prax. pag.* 381. quod etiam verum eſt, & ratio non eſt obſcura. Ulterius pulvis lumbricorum multum convenit in augendo lacte mulierum, ſi præparati lumbrici propinentur ad ʒj, imprimis cum lacte lunæ, vel cum ſemine fœniculi, aut ſi fiat Decoctum lumbricorum cum radice & herba fœniculi: id quod fuit *ſecretum* HELIDÆI PADUANI, uti proſtat *in Obſ. p.* 83.

Externè in convulſionibus, ſpaſmis & contracturis ſcorbuticis, ac paronychiis, præſentaneum ſunt remedium lumbrici, ſive contuſi inſtar cataplaſmatis, ſive lumbrici vivi applicentur loco ex arthritide vaga dolenti & tumido, tamdiu, quamdiu moriantur; & ſic dolor ceſſat, quaſi malignitatem doloroſam extrahant. Vel ex lumbricis fiunt balnea, inſeſſus, &c. in quibus balneentur membra arthritide vagâ, vel contracturâ ſcorbuticâ affecta, quæ balnea valde proſunt: conf. MOELLENBROCCIUS & DRAWIZIUS *locis alleg.* In morbis arthriticis, non ſolum ſcorbuticis ſed etiam in aliis, externè applicatum fomentum ex eorum decocto, vel ſuccus applicatus. Contra panaritium nil melius lumbrico vivo impoſito, vel ſub forma cataplaſmatis contuſis & applicatis, qui ſubitò atrocem iſtum dolorem ſedant, uti teſtantur omnes AUTORES, in ſpecie verò SCHMUCKIUS *in Curat. Magico Magnet.* In vulneribus & contuſionibus nervorum multum conducunt lumbrici; unde ad nervos penitus conciſos conducit pulvis lumbricorum lavatorum & benè exſiccatorum, cum aliquali proportione terebinthinæ miſtus, qui per dies 20. ſuper vulnus poſitus iſtud ſanat, & nervos denuo unire facit: idem faciunt ipſi lumbrici ſoli, ſi pulvis horum miſceatur cum oleo proprio lumbricorum. Et in genere omnibus medicamentis, puncturis nervorum ac tendinum applicandis, permiſcendus eſt pulvis lumbricorum terreſtrium, in ſpecie ſi admiſceatur parum pulveris lapillorum cancrorum, & ſic erit appropriatus pro conglutinatione & curatione vulnerum partium nervoſarum harumque præcavendis ſymptomatis. Vi anodyna ſeu dolorum ſiſtitiva, quatenus acidum, doloris cauſam, corrigunt, externè mirè conveniunt.

Quoad *Præparata*, hæc inter eſt *aqua Lumbricorum terreſtrium* in balneo Mariæ deſtillata, de qua vid. CROLLIUS *in Baſilica Chym. Hartmannianæ Edit. p.* 349 Parum differt à phlegmate ſimplici, nihilominus non tantum prodeſt in hydrope, ſed & tanquam vehiculum convenit pro remediis ad provocandos menſes, & reſerandas obſtructiones uteri, alioſque morbos chronicos. In vulnerum affectibus commodè permiſcetur potionibus vulnerariis aqua lumbricorum terreſtrium: id quod ſæpius fecit POTERIUS, uti videre eſt in *Pharmacopœa*. Aquæ tamen huic præferendus eſt ſpiritus, & quæcunque dicuntur de aqua, efficaciùs præſtat Spiritus.

Deſtillentur autem in *ſpiritum urinoſum* maximè polychreſtrum, vel per putrefactionem, vel per ſimplicem cum alcali deſtillationem; non cum ſpiritu vini, uti vulgo eſt in uſu; ſic enim virtus lumbricorum remanet in fundo. Prior modus ita procedit:

℞. *Lum-*

♃. *Lumbrici loti:*

Includantur in cucurbitam amplam, vel aliud vas vitreum capax probe clausum, ut parum vel nihil exhalare queat: exponatur in digestionem, vel balneo Mariæ vel ardori solis, tempore æstivo, vel alio in loco moderatè calido, ut putrefiant & fermentent, quæ fermentatio interdum adeo est impetuosa, ut si calor sit tantillum major, disrumpat vitra fermentando; liquescunt in liquorem liquidum aurei coloris: peracta fermentatione & putrefactione terra copiosa nigra remanet in fundo, exuviæ verò inanitæ liquori flavo supernatant: liquor hic filtretur & destilletur per alembicum, sic prodit *spiritus urinosus volatilis* penetrantissimus.

Hic habet crasin lumbricorum, & omnibus usibus convenit, ad quos lumbricos commendavi. Dosis est ℈ß, si ritè rectificatus fuerit, ad ℈j. in quocunque vehiculo pro scopo diuretico & sudorifero. In scorbuto arthritide vaga scorbutica, aliisque affectibus scorbuticis, non habetur melius remedium; unde D. MICHAELIS cum *spiritus lumbric.* part. j. & *spiritus cornu Cervi cum sale volat.* part. ij. tanquam menstruo, ex vegetabilibus artheticis paravit *Essentiam* suam *compositam contra arthritidem vagam*, in cujus cura, mediante hac Essentia, fecit miracula. In contracturis scorbuticis & spasmo scorbutico singulares præstat effectus internè & externè; externè quidem mistus cum spiritu formicarum; Quod enim dictum de spiritu formicarum, valet quoque de spiritu lumbricorum terrestrium, quoniam subministrant spiritum penetrantissimum & volatilissimum salinum. In affectibus dolorosis, mistus cum duplo aquæ arthriticæ ad extra, & illitus, majora præstat, quàm spiritus sal. ammoniaci. In curanda paralysi & tremore, convulsionibus & morbis arthriticis, non solùm scorbuticis, sed etiam in aliis, est egregius.

Terra illa seu caput mortuum, à spiritu relictum, unà cum exuviis, si in prata aut agros abjiciatur, denique copiosissimos producunt lumbricos: sicuti MOELLENBROCKIUS *l. a. cap.* 15. refert exemplum lumbricorum regeneratorum in vasculo solutionis, factæ per spiritum nitri cum spiritu vini conjunctum.

Quoad posteriorem modum, ex non putrefactis per simplicem destillationem, addito sale fixo, vel calce viva, prodit *spiritus urinosus*; paucus tamen, nec adeo penetrans & volatilis, quàm iste per putrefactionem: vid. WEDELIUS *Pharm. p.* 83.

Oleum lumbricorum per infusionem paratur cum oleo communi, quod in conquassationibus & contusionibus applicatum valdè commendatur. In quibuscunque nervorum vulneribus & puncturis, nec non vulneribus articulorum, vel per se, vel mistum cum oleo destillato lavendulæ, est expertum à BARBETTE. Hinc *Oleum nervinum Carpi* à FORESTO commendatur, quod fit ex

℞. *Flor. hyperici* Mj.
Olei commun. ℔iv.

Infundantur & digerantur; post add.

Terebinth. ℔j.
Lumbricor. terrestr. pulveris. ℥iij.
Croci parum.

Medicamentum egregium est in vulneribus & puncturis nervorū. Convenit etiam oleum lumbricorum in dolore aurium, quarum inflammationem discutit & mitigat: optimè quoque prodest in convulsionibus à causa externa. Ab HILDANO *Cent.* 4. *Obs.* 27. laudatur ad lac augendum.

Liquor per digestionem in sole & putrefactionem probè filtratus & inspissatus ad tertias, atque in loco frigidiore positus, crystallos generat inflammabiles instar nitri, Autore BECHERO *Physica subterr. l.* 1. *p.* 329. Liquor verò AUTORIS per linteum densum transcolatus convenit in arthritide vaga scorbutica, in artubus contractis paralyticis, & omnibus affectibus nervorum, & ad atrophiam, aliaque symptomata convulsiva prævenienda, internè & externè; uti & liquor formicarum externo usu non solùm in paralysi & tremore, sed etiam in vulneribus articulorum, & contracturis scorbuticis, in specie in sedando dolore arthritico cum aliquot granis camphoræ est egregius. Liquor lumbricorum cum tantillo camphoræ acuatus, blandissimè oculis illitus, in gutta serena maximè laudatur.

Pulvis lumbricorum in clibano exsiccatorum nil valet, sed est terra mortua, sine effectu & usu, quia omne sal volatile per tostionem evolavit: potius moderato igne exsiccentur, vel post phlegmatis in Balneo Mariæ destillationem residui, sale volatili turgentes, pulverisentur.

LUMBRICI INTESTINORUM.

De his refert AUTOR, quod soleant propinari internè ad lumbricos enecandos. Cæterum imposturam detexit TABERNÆMONTANUS: nam dant potius novos in intestinis lumbricos, quàm quod illos enecant, de quò *supersius*, ubi *de Santonico*. Unde etiam agyrtæ non prius propinant suos pulveres vermes expellentes, quàm quando pulverem lumbricorum adhibuerunt.

MUSCA.

Muscæ contritæ, & ex iis liquor expressus commendatur in alopecia & calvitie curanda: sicuti etiam *ex muscis* destillanda *aqua* commendatur valdè in affectibus oculorum,

PEDICULUS.

Pediculi rarò usurpantur, nisi quod soleant quandoque devorari à rusticis contra Icterum, si in specie vivi deglutiantur: & quidem, quod sint egregium experimentum in curando Ictero, confirmat ZACUTUS LUSITANUS *libro ultimo Prax. Admir. cap.* 2. *Obs.* 7. ubi habet exemplum icteri esu pediculorum curati: id quod de pediculis his, valet de cimicis. Dum dicit AUTOR, quod urinam cieant, verum est; unde etiam usitatè pediculorum numero iij. vel v. immittuntur in canalem penis, & sic suo motu & titillatione faciunt, ut urina facile sequatur in ejus suppressione: Videatur ZACUTUS LUSITANUS.

SCARABÆI.

In *scarabæis*, sicut in omnibus ejusmodi insectulis, reperitur abundans sal volatile urinosum, & multum præstant in usu Medico, imprimis in affectibus externis membrorum ex lympha admodum acri, propterea optimè succurrimus istis medicamentis, ex insectis paratis, quæ constant sale volat. urinoso, ut contrarium in contrario emendetur. Quod dicitur de Asellis, lumbricis, formicis, &c. quod abundent sale volatili urinoso, certissimum est de scarabæis, & omnibus eorum speciebus. Triplices autem scarabæi species in usu sunt:

1. Enim sunt scarabæi cornuti;
2. Pilularii; &
3. Unctuosi, Italis Cantarelli dicti, Germ. *Meyen-Würme*, qui in usu sunt apud Italos in quamplurimis affectibus.

SCARABÆUS CORNUTUS.

Scarabæos primos, nempè *cornutos*, quod attinet; usus ille ob signaturam ab AUTORE additus, rarus est. Internè insigniter & potenter cient urinam, adeoque in morbis, ubi opus est, ut promoveatur urina & serum in affectibus nephriticis & arthriticis, mirè conveniunt, & quidem in arthritide externè & internè. Internè cient urinam, & per eandem educunt acidum arthriticum; unde fit, ut quando pellunt acidum arthriticum, oriatur strangurla. Deinde in præservando calculo multum conducunt scarabæi quicunque.

Pulverisata cornua contra partum difficilem laudantur.

Aqua ex scarabæis parata ad præservandum calculum & arthritidem commendatur.

Oleum cornutorum horum per infusionem factum, externè inunctum succedaneum est olei scorpionum in cienda urina & promovendo calculo, mirè convenit in affectibus nervorum, in specie contracturis & paralysi: auribus instillatum, sicut oleum formicarum, in doloribus quibuscunque aurium, item in defectu auditus optimè convenit. Aliàs convenit oleum scorpionum & scarabæorum conjunctim contra convulsiones epilepticas infantum, item in mulieribus in partu difficili. Notandum hîc, uti habet HOEFERUS *in Herc. Med. p.* 38. quod tali oleo per infusionē parato, & pulsibus illito, producatur febris quædam artificialis, simulans ephemeram seu synochum putridam.

SCARABÆUS PILULARIUS.

Scarabæus pilularius cum oleo lini infusus & coctus in usu est; tale enim *oleum* singularissimum & expertissimum est anodynum in doloribus & tumoribus hæmorrhoidalibus cæcis, qui sunt valde insani & gravissimi. Oleum hoc Principissa quædam Italiæ pro singulari habuit secreto; unde etiam omnes Practici hoc oleum commendant: videatur BORELLUS *in Observationibus*, & RIVERIUS *in scriptis*; & quidem BORELLUS *Cent.* 1. *Observ.* 63. FONSECA *l.* 1. *Consiliorum*. Loco hujus ex scarabæis potest usurpari *oleum violaceum* ad ℥ij; cui mixta est ℥j. *asellorum contusorum*: sed qui habent oleum scarabæorum pilulariorum, habent remedium magis expertum. Scarabæi etiam pilularii bulliant in oleo mastichis, & hoc oleum inungatur anis prolapsis, in specie si procidentia ani contingat post hæmorrhoidum inflammationem, qui casus est satis periculosus: videatur RIVERIUS *Obs.* 27. *Morborum Infrequentium*.

Cinis scarabæorum pilulariorum si inspergatur intestino recto seu ano prolapso impedit, quò minùs post factam repositionem possit denuo prolabi, & est expertum in tali casu remedium.

SCARABÆUS UNCTUOSUS, *seu* VERMIS MAJALIS.

Scarabæus Unctuosus ita dicitur, quia, si mense Majo capitur, & aliquantisper teratur, emittere solet liquorē viscosum unctuosum & subflavū, de quo conferatur BORELLUS *Cent.* 4. *Obs.* 7. Hic liquor in se habet alcali volatile acre, ratione cujus cantharidum naturam imitantur, ut rectè dicit AUTOR noster; potenter enī urinā pellunt, & acidum vitiosum, hoc est, tartarū salinum in affectibus nephriticis & podagricis, aliisque, per eam copiosissimè evacuant; unde mirè commendatur ad præservandum calculum, præservandam arthritidem singu-

singularis enim est in calculo & arthritide vaga scorbutica, & fixa; sive internè assumatur pulvis, sive artificio chymico alia exinde præparentur remedia. Paratur igitur remedium antipodagricum exinde, hoc modo:

℞ Antur *scarabæi unctuosi*
mense Martio, Majo, vel medio Junii, in locis pratensibus & arenosis capti, & absque attactu manus in scatula collecti:

Suffocentur in spiritus vini, & ita suffocati blandè exsiccentur: exsiccati discindantur, & in eorum medio reperitur istud *liquidum viscosum*, quod exprimitur, & asservatur in vitro.

Dehinc ipsum corpus blandè exsiccum & pulverisatum misceatur cum proprio liquore unctuoso, ut acquirat consistentiam debitam; Post

℞. hujus *balf.* ʒj
Oleum destillat. anisi,
Caryophyll. ana gtt. iij.
M. f. *Pilulæ.*

Harum pilularum recip. grana ij. & propinentur artheticis, scorbuticis & nephriticis (: qui aliàs nullam læsionem habent, & ubi morbus solum, modo est podagricus & tartaricus:) manè jejuno stomacho in aqua florum sambuci vel rosarum vel cum pauca quantitate conservæ rosarum: moderatè vivat æger in diæta, & jejunet usque in meridiem. Tunc largius prandium potumve cerevisiæ aut mulsi poterit sumere abstineat tamen à vino: circa meridiem excitabitur dysuria & stranguria, quæ ferè per 3. dies durabit. imminentibus verò his symptomatibus, ægro potus concedendus est vel largissimus; hoc enim indicium est, tartarum ad vias urinarias tendere; si autem ex esu primæ doseos superveniat stranguria, reiteretur secundo die, & optatus erit eventus in curando calculo; si verò operationem exserit prima dosi non reiteretur, antequam integra operatio sit finita; aliàs si nihil primò die operetur, detur altera pilula altero die & quidem à gr. ij. ad iij. donec diuresis sequatur.

Colligitur urina omnis in terreo vase, post evaporet ad siccitatem, sic in fundo remanebit mucilago tartarea, unde cognosci poterit materia podagræ vel calculi. Effectu pilularum obtento, & dolore, in excernenda urina, cessante, omni manè repetatur dosis, ægerque tota die domi se contineat, & cibis aromatisatis abstineat. Pilulæ tàm diu continuentur, donec materia tartarea in urina ampliùs non conspiciatur, utpotè quæ post 7. vel 8. septimanas plerumque cessare solet. In principio, sicut, & deinde singulis 10. aut 12. septimanis, æger sequenti pulvere evacuetur:

℞. *Spec. caryocost.*
Pulv. tartari cryftall. solut. à ʒß.
Tartarus vitrioliat. ℈ß.
Ofs. microcosm. calcinat. ℈j.
Diagryd. sulpurat. gr. v.
M. f. Pulvis.

Detur in jusculo carnis 6. horas ante prandium.

Sub usu pilularum in urina apparent guttulæ sanguineæ, quod non terreat, quia est ab acrimonia humorum.

Aliàs diuretica ex his scarabæis ad rabiei præservationem conducunt: remedium est Avicennæ hactenus apud Practicos sepultum; cujus tamen mentionem videbitis in Append. M. A. N. C. ad *Annum* 1. *pag.* 31. utut ejus dosis *c. l.* consignata jam non imitanda; quoniam Hungari fortioris sunt idiosyncrasiæ: Conf. eadem M. A. N. C. *Anno* 3. *p.* 225. & SENNERTUS in Praxi, ubi de Rabie.

Succedaneus est hic scarabæus scorpionum, ut rectè hoc insinuat HOEFERVS *Herc. Med. p.* 110. unde oleum horum scarbæorum in iisdem affectibus, in quibus oleum scorpionum usurpatur.

SCINCUS.

SCincus Marinus est pisciculorum, vel juxta LUDOVICI *in Pharmac. pag.* 727. lacertarum exoticarum genus, quod in Italia satis frequens.

Quoad *Vires*, ab Italis solet commendari ad stimulandam Venerem, & promovendam penis erectionem; qua ratione *rotulas & morsulos aphrodisiacos* ingrediuntur: vid. LANGIUS *in Epist. Med.* 66. *p.* 363. Præterea dicuntur Alexipharmaci & venenis resistentes, unde etiam *Theriacam* ingrediuntur. Verùm Scinci hi marini, qui Venetiis venduntur, & in officinis nostris monstrantur, parum aut nihil in stimulanda Venere & Venenis resistendis faciunt: & qui Venerem stimulant, sunt *Scinci terrestres*, species Crocodili, qui Autore FORESTO *l.* 26. *Obs.* 26. ad nos non feruntur.

Plura de Scincis videbitis in RONDELETIO *l. de Amphib. cap.* 4. MATTHIOLO *in Dioscor. l.* 21. *c.* 60. IMPERATO *in Histor. Natural. l* 28. *p.* 739. & WORMIO *in Musæo.*

SCORPIO.

SCorpiones abundant copioso sale volatili acri, uti reliqua insecta; unde sunt egregiè diuretici, utut propter veneni suspicionem internus eorum usus olim non fuerit observatus. Moderni tantùm in *electuario Orvietano* scorpiones siccos pro alexipharmaco adhibent: Conf. BARTHOLINI *Acta Med. Hafniens. Volum.* 2. *pag.* 265. alii scorpiones pulverisatos dosi gr. j. ad gr. v. cum aliis remediis internè propinant pro scopo ciendi urinam, non minùs quam lumbrici & scarabæi unctuosi possunt internò usu adhiberi: vid. HOEFERVS *in Herc. Med. pag.* 110. & RIVERIVS *Prax. l.* 14. *c. l.* Dum enim urinam cient, simul egregiè abstergunt, & sabulum in renibus & vesica, nec non calculum, promovent. Rarò tamen internè adhibentur, sed potiùs externè oleum, tàm compositum quàm simplex, usurpatur.

Oleum simplex paratur per infusionem & insolationem cum oleo communi, cujus egregia vis est in acrimonia admodùm volatili consistens; cujus intuitu & internè diureticum habetur in promovendo calculo & suppressione urinæ. Externè regioni renum, item regioni pubis vel vesicæ illitum, idque aut solùm, aut cum unguento dialthææ, vel addito petroleo, vel oleo terebinthinæ, juniperi, ceræ, &c. aut cum cataplasmatis ex cepis, seu ex parietaria, & similibus aliis remediis. Si cum eorum oleo inungatur membrum virile, habetur arcanum in obstructione viarum urinarum, sunt qui etiam oleum hoc ad aliquot guttas intro propinare suadent ad calculi & urinæ excretionem. Habet & vim anodynam, unde in dolore aurium plane est singulare, si scilicet una vel altera gutta calidè instilletur auri dolenti, aut cum bombace indatur; vel solum vel mixtum cum dimidio olei amygdalarum dulcium videatur SCHMUCK *Curat.* 2. *secreto Med.* 11. in quo dolore aurium conveniunt similiter aselli contriti aut bulliti in oleo nymphææ, vel præprimis violarum, in specie, si sit dolor aurium ex inflammatione, in quo tàm oleum scorpionum, quam asellorum, est egregium. Aliàs etiam pro usu alexipharmaco & antipestilentiali, nec non ad præservationem contra morbos epidemicos, illinitur pulsibus regioni cordis, atque aliis membris.

Olea scorpionum composita pro scopo alexipharmaco plurimis modis variant, & pro lubitu cujusvis Practici facile præparari possunt. *Oleum compositum Matthioli oleum Caravatinum*, à GEORGIO CARAVITA aliàs dictum & descriptum, qualem compositionem videbitis *in Pharmacop. August. cum* ZWELFERI *Animad. p.* 325. 326. *&* 332. commendatur usu externo pro illinitione pulsuum in peste; aliisque affectibus malignis; in bubonibus pro malaxandis emplastris & unguentis; in morsibus venenatis cum aliis remediis de qua virtute videatur GABELCHOVERVS *Cent.* 3. *p* 226. cum oleo citri & oleo camphoræ mistum dat *Balsamum antipestilentiale*, quod applicatur pulsibus, temporibus, & aliis locis aeri expositis: in febribus malignis & petechialibus eodem balsamo similiter solet fieri in unctio. Aliàs compositionem magis egregiam hac ipsa MATTHIOLI habet ZWELFERVS *in Pharm. Reg. p.* 269.

Oleum scorpionum sanguineum, quod habet AUTOR, est elegans, & inde probè observanda compositio: est egregium in affectibus renum, vesicæ, & aliis. Aliàs ANGELVS SALA *in Tractatu*, quem vocat *Anatomen vegetabilium pag.* 55. parat *Essentiam scorpionũ* egregiã.

TEREDO.

DE *Teredine* nihil est, quod dicam.



COL-

COLLEGII SCHROEDERIANI MINERALOGIA,

five

REGNUM MINERALE.

Cui harmonicè connexa eſt

DEMONSTRATIO MINERALIUM

In Horto Medico Lipſienſi Anno 1682. *abſoluta Botanica, habita.*

Pergendum nunc eſt ad *Regnum Minerale*, quod ſtudio ad locum ultimum relegavi, quoniam eſt difficillimum omnium, & non poteſt ritè intelligi abſque chymiæ prægustu, utpotè quæ eſt quaſi ſimia naturæ, & nobis demonſtrat quæ natura facit in ſuis cryptis ſubterraneis, adeo ut, quæ ſit metallorum utilitas, facilè poſſit ex chymia cognoſci utut nonnulli ſint, qui rem de medicamentis ex metallis reddant dubiam, dum quidam eadem ceu inutilia rejiciunt metalla, quidam commendant. Verùm res tota conſiſtit in præparatione eorum chymica legitima, in qua operatione etiam venena crudeliſſima abeunt in medicamenta ſaluberrima, alexipharmaca & ſudorifera, uti videre eſt in antimonio quod nudum ac crudum propinatum ſecundum nonnullos homini eſt venenum atque, quamdiu vomitum & ſedes movet, *Autore* HELMONTIO non dicitur viri boni remedium, quando verò figitur, ut ejus malignitas, in ſulphure volatili conſiſtens, corrigatur & temperetur, evadit Alexipharmacum, per ſudorem malignitatem expellens. Quod dictum de antimonio, verùm quoque eſt de arſenico, quod fixatum non ſolùm externè ulcera maligna cacoethea, putrida & corroſivâ, corrigit; ſed præterea quoque internè evadit alexipharmacum, eleganſque ſudoriferum, uti *ſuo loco* audietis. Hæc omnia in progreſſu latius patebunt, & quia hæc controverſia ſatis apud autores eſt agitata, pergo potiùs ad

CAPUT I.

DE

MINERALIBUS IN GENERE, EORUMQUE PRINCIPIIS.

Mineralia tribus Principiis materialibus conſtant *ſale ſulphure*, & *Mercurio*: quæ ita dicuntur propter analogiam, quam cum corporibus vulgo ita dictis habent; *Sulphur* autem dicitur ideò, quod cum natura ſulphuris mineralis, hoc eſt in pinguedine, maximè conveniat. Dicitur *Mercurius*, quia hoc principium luxuriat in Mercurio vivo, & mutabilitatem ac corruptibilitatem facilius in igne ſubminiſtrat, quæ proprietates conveniunt cum dicto Mercurio. *Sal* verò propter fixitatem ita vocari ſolet; aſſimilatur enim principio Minerali, quia ſunt naturæ alcalinæ, & contrariantur acidis.

Tria hæc principia regno minerali non ſunt propria, ſed in omnibus tribus regnis reperiuntur.. Per *ſulphur* enim nihil aliud *intelligitur*, quam *ſubſtantia pinguis*, eaque in receſſu *acida*, qua omnia conſtant; vel per ſulphur intelliguntur tales particulæ materiales, quæ in mineralibus & metallis hoc præſtant, ut facilè in igne calorem & candeſcentiam concipiant. Ab hoc principio pingui dependet ignitio & varietas colorum, quos nunc in igne, nunc in menſtruis, concipiunt mineralia.

Per *Mercurium* intelligunt *humiditatem metallorum radicalem*, ſeu *tales particulas, quæ reliquis intertextæ mobiles ſunt*, & in igne *fluiditatem corporibus conciliant*; unde etiam liquefactio & ductilitas oritur: Iſtud principium, cum in lapidibus deficiat, illi difficilius fluunt.

Per *ſal* intelligunt *ſubſtantiam fixiorem terream naturæ alcalinæ*. Hoc principium ſalinum quaſi ſuggerit fundamentum, aut corpus aut matricem reliquorum duorum principiorum; unde iſtud principium ſalinum fixius, nimiam fluiditatem coercet, ſimulque facilem ſulphuris cremabilitatem cohibet, *ſulphur* equidem *principium metallorum activum*, *ſal verò principium paſſivum eſt*. Inter hæc duo *medium quoddam tertium Mercurius* eſt, qui quaſi vinculum conjungit acidum & Alcali. Mercurius & ſal agunt in terram, quam ſubigendo aptam reddunt, ut in ſe recipiat principium ſulphureum.

Alii tria principia materialia vocarunt *Animam corpus*, & *ſpiritum*: ubi per animam ſulphur, per corpus ſal, & per ſpiritum medians principium Mercuriale intelligunt. Quo magis abundat corpus metallicum Mercurio, eò ipſius corpus eſt plus vel minùs ponderoſum. Principium ſulphureum ex corporibus compoſitis luxuriat in Marte ratione quantitatis; efficax autem eſt in Sole ratione quantitatis. Mercuriale luxuriat in ſtanno & luna quod & copioſiſſimum reperitur in ſole à ſulphure fixatum. Terreum ſalinum principium in corporibus lapideis reperitur & in quantitate & qualitate.

Hæc autem dicta tria principia non *ſunt prima principia metallorum*, ſed *revera principiata producta ex aqua*, & quidem *effectivè à ſemine metallorum*. Nam uti in vegetabilibus nil obſtat, quin poſſum dicere vegetabilia in ſe habere oleum pingue, cum revera immediatè conſtent ex aqua, transplantata ex ſemine vegetabilium; ſic revera metalla conſtant ex aqua conjuncto ſemine ſive ex aſtris petito, ſive ſit ſal Hermetis.

Principia autem hæc in terræ viſceribus ſe repræſentant ſub forma *halituum & fumorum*: *ſalinum verò principium* ſub nomine *concrementi cryſtallini*, quod Metallurgis Germanicis dicitur *Quartz*. Iſtud ſal alcalinum matrix eſt recipiens ſulphur & Mercurium Metallorum.

Hæc tria principia, pinguedo ſcilicet ſulphuris acida, ſub vehiculo fluidiſſimæ aquæ Mercurialis coercita, in ſale terreo conſtituunt omnia metalla, quæ tamen ratione majoris vel minoris fixitatis differunt, ſecundum proportionem in mutua miſtione. Quo enim magis ſunt cocta, eò magis ſunt fixa; quo magis cruda, eo magis volatilia, quæ in ſulphure avolant: v. g. quando principia coeunt in certa proportione, ut ſulphur acidum terram ſalinam ſaturet, & ſic exactè congrediatur cum Mercurio conſtituitur corpus perfectum, nempè ſol; ubi verò conveniunt, & coeunt pincipia cruda & non ritè permiſta, ſcilicet ut unum non imbibat alterum, fiunt corpora mineralia imperfecta, ſcilicet ubi ſulphur luxuriat, ut in antimonio. Principium verò ſulphureum & Mercuriale dependent ab aſtris, ſulphureum etenim principium ex Sole derivatur, ita ut revera ſulphur ſolare concentratum in metallis habeatur.

CAPUT II.

DE

TERRIS, EARUMQUE DIFFERENTIIS.

Quid ſit *Terra Vulgaris* notum eſt omnibus, & qualis ſit ſubſtantia? ſimplex hæc ut nullibi reperitur, ita nec illa in uſum venit, ſed diverſimode miſta adeoque variorum colorum, conſiſtentiæ, ſaporum, indeque multiplicium proprietatum terras omnes pro miſtionis ratione non incommode *in tres claſſes dividit* BECCHERUS *in Phyſ. ſubterr. Lib.*1.*pag.* 529. Ex quibus pingues quaſi argillaceæ *ac lutoſæ terræ imprimis ſunt*, quæ ad uſum medicum veniunt, adeòque ſulphureo principio ſeu pingui occultè acido inſigniter imprægnatæ ſunt atque exinde Medicatæ dicuntur; quia obtinent vires multiplices corpori humano, uſu tam externo quàm interno utiles, pro conſervanda & reſtituenda ſanitate. Unde cum ſufficienter conſtet, quod non ſint terræ ſimplices, ſed compoſitæ quædam mineræ, quæſtio eſt cujus naturæ ſint terræ medicatæ? & *unde obtineant ſuas vires* hæc corpora terrea mineralia? Reſpondeo: ſi exactè conſideramus opera naturæ, & quid faciat chymia? ſtatuendum eſt, quod pinguis iſta ſubſtantia, terras imprægnans, mineralis, ac præſertim metallica, ſit rudimentum ſulphureum metalli cujuſdam, cum particulis quibuſdam metallicis plus minùs perfectis; unde *terræ Martiales Solares Saturninæ*, &c. exinde emergunt; hinc etiam eſt, quod ex limis lutiſque ſubinde varia metalla parabilia ſint, in quo ipſo excellit *Experim.* BECCHERI *in ſuo ſupplem.* 1. *p.* 36. *qui mediante limo & oleo lini ferrum conficere nititur*. Sed revera non eſt nova ferri generatio, ſed ſaltem ferri ex limo per præcipitationem manifeſtatio; Limus enim iſte, ſeu lutum, Martialis eſt, ſed ſimul continet ſpiritum acidulum; quando enim deſtillatur talis limus, ſpiritus acidus rodit Martem, indeque crocum eundem transmutat, hinc color iſte ex flavo rubens laterum. Aſt ſi additur oleum lini, hujus alcali, quod in omni reperitur oleo, abſorbet & deſtruit

deſtruit acidum limi, quo abſorpto ferrum non deſtruitur in crocum, ſed conſervatur, & ex limo quaſi præcipitatur; hincque lotione poſtmodum elicitur. *Quod ſi limo & oleo lini addatur arſenicum, ac iſto modo tractentur, loco ferri produci dicitur Cuprum*; ſicut amicus *quidam ex ochra & oleo lini ſubſtantiam quaſi cupream præparaſſe* aſſeruit. Quod res ita ſe habeat cum iſto limo, confirmatur experientiâ, quæ habetur in *Deſtillatoria Curioſa* ELSHOLTII *pag* 93. ubi mediante capite mortuo poſt deſtillationem ſalis ammoniaci lateribus iſtis omnis color ruber extrahitur, ut ſal colore flavo elevetur, capite mortuo candido relicto: id quod fit, quatenus Martiales particulæ quaſi caput mortuum vitrioli, rubicundæ mediantibus ſalibus eliciantur ex terra iſta lateritia, ac ita ſeparentur. *Sic terram mineralem Americanam* refert BOYLE *in Chym. ſcept. propè finem*, auro egregiè ditem. Pertinet huc *mirabilis illa terra, ſucceſſivè* multiplicia metalla producens, de qua refert BORRICHIUS *de ortu & Progr. Chym. pag.* 150. Adeoque *terræ quæcunque lutoſæ pingues minerales*, præſertim *medicatæ, nihil ſunt aliud, quàm terra ſulphure metallico immaturo imprægnata*; vel ſunt prima rudimenta metallica, ſeu venæ quædam metallicæ, partim ſimplices, partim compoſitæ, pro varietate locorum, & quidem impuræ ac immaturæ & imperfectæ. Dico impuræ: quod multum admiſtum habeant quiſquiliarum: immaturæ & imperfectæ, quoniam nondum debitam acquiſiverunt conſiſtentiam & duritiem metalli: conſtat quidem ſulphure metallico, in debita matrice terra ſuſcepto; quod tamen defectu debitæ maturitatis & principii Mercurialis in perfectum metallum non coaluit, ſed partim exhalavit, partim aliquid ſui veſtigii in terris iſtis plus minus reliquit.

Conſtant ergo *Terræ Medicatæ* terrâ alcalinâ, fumis ſeu exhalationibus ſulphureis impraegnatâ, quæ manſerunt tamen in ſua volatilitate, & maximè ideò exhalant: *unde & aurum in terram ſigillatam reduxiſſe* JOHANNEM MONTANUM, refert BECHERUS *in Phyſ. ſubterr. pag.* 198. *Montani artificium* hoc fuit: Cum Antimonium poſſit diſcontinuare corpus auri, ſæpius addendo & uſurpando, adeo, ut amplius in corpus reduci non poſſit; idcircò Montanus hoc modo præparavit terram ſigillatam, quam quidem auro ipſo preferre non erubuit. *Item mineram Martis, in aere ſponte in limum ſolutam*, idem obſervavit BECHERUS *ſupplem.* 1. *pag.* 49. Præſuppono enim, quod in generatione metallorum fiat *progreſſus à volatilitate ad fixitatem*, ita *ut principia metallica ſint originaliter volatilia*, & effluviorum vel fumorum ſpecie per terræ meatus hinc inde vagentur, indeque per aerem & ignem facilè ſint diſſipabilia; poſt quam verò concreverint in metalla, acquirant fixitatem, vimque igni reſiſtendi. Metalla ergo differunt gradu volatilitatis & fixitatis; unde etiam *metallum, quo eſt fixius, eò etiam eſt nobilius, ut patet in auro*; & quò metallum volatilius, eò ignobilius.

Dico *ergo, quod terræ tales medicatæ ſint originaliter, ſeu in primo ortu, tales venæ metallicæ, ſed impuræ, immaturæ, & imperfectæ; quæ de ſulphure metallico plus minus quidem obtinent & participant*, ſed crudo & immaturo, nec ad debitam fixitatem & conſiſtentiam concreto, & ſi de metallo corporali quid contineant, parum omnino erit. Talis vena metallica impura & immatura calcinatione humidâ in cavernis & cryptis, ſeu mineris terræ, abit in ſubſtantiam terream. Dico calcinatione humida: quæ fit per vapores aquoſos & calidos, à locis vicinis metallicis, elevatos, qui vapores calidi & aquoſi acuati ſunt ſale terræ centrali, ſeu, ut alii vocant, ſale naturæ Hermetico. Tales vapores calidi, humidi, & ſalini mediocriter, dum inveniunt venam metallicam & immaturam, eandem rodunt, corrodunt, ſolvunt, & ita permeando in talem ſubſtantiam terream friabilem mutant. Exemplum præbet Calcinatio cornuum Philoſophica, ſeu ſine igne: Nam ſicut cornu cervi, vel oſſa humana, calcinantur ſine igne Philoſophicè per vapores aqueos, elevatos in alembicum, ſenſim ſenſimque penetrantes oſſa, ut fiant friabilia & conteribilia; ſimili modo & ratione fit Calcinatio humida in terra, dum vapores humidi aquei ſalini mediocriter corrodunt venam metallicam impuram, & ita in talem ſubſtantiam friabilem & terream commutant.

Dixi, quod vapores calidi & humidi ſint conjuncti cum ſale terræ centrali, ſive ſale naturæ Hermetico: Nam præſuppono, quod in regno ſubterraneo, ſive mineris terræ, ſit ſal univerſale ſubacidum volatile, quod in generatione omnium metallorum eſt præſens, quodque in operationibus ſubterraneis ferè utramque ſolet facere paginam. Dicitur ergo ſal centrale terræ, quoniam quaſi in centro terræ habitat, vel ſal Hermeticum naturæ, quoniam eſt naturæ quaſi architectus. Dicitur *Hermeticum ab* HERMETE, Chymico incomparabili: apud HELMONTIUM *in Parad. de font. Spadanis* vocatur ſal acidum eſurinum ſulphuris embryonati: item *ſal naturæ centrale* quoque vocatur *Nitrum Philoſophorum*, ab aliis Philoſophis alio nomine inſignitur. Quando ergo ab igne ſubterraneo, fit quodcunque ſit, elevantur humores tales ſeu vapores aquoſi temperati ſale hocce, corroduntur tales venæ, & in corroſione iſta in ſubſtantiam terream tranſmutantur.

Hoc negotium, quod ita ſeſe habeat & quod fiat Calcinatio humida venarum metallicarum in terræ gremio & talis in terram converſio, demonſtrat effectus terræ, & patet exinde: quod ſi enim recipiatur terra ſigillata, & injiciatur in aquam, vel vinum, vel aliud quoddam, videtur levis oriri efferveſcentia, quod proprium eſt rebus calcinatis, & valdè exſiccatis: v. g. ſi recipiatur cornu cervi uſtum, ſimilem ferè habebimus efferveſcentiam, undè à ſimilitudine effectus ad ſimilitudinem cauſæ venit argumentandum.

Hinc etiam eſt, quod terræ noſtræ medicatæ circa fodinas metallicas ut plurimum oriantur; unde & iſtorum metallorum vim ac virtutem poſſident, prout de illis plus minus participant. Hinc terra ſigillata participat nunc de ſulphure ſolari, nunc de ſulphure lunari; *terra Strigonienſis naturæ ſolaris; rubrica fabrilis* & bolus communis *de natura Martis*; *creta naturæ quaſi ſaturninæ*, & quaſi ſaccharum metallicum ſaturni ſeu naturale, *eſſe ſolet*; gypſus participat de ſtanno; ochra de Marte, & Venere; hinc etiam terræ è mineris Martis erutæ ſimiles vires atque Mars ipſe poſſident: terræ iſtæ ſolares, quæ ex aurifodinis Hungariæ fodiuntur, vi auri egregiè pollent, quia participant de primo ente ſolis, quod primum ens eſt quaſi ſeminarium quoddam auri, ſeu rudimentum auri nondum perfectum: & hæc ſunt prima entia, atq, ſic portò de aliis. Ex quibus patet, quod terræ medicatæ reverà ſint venæ metallicæ immaturæ, deficiente principio Mercuriali. Unde facilè poteſt deduci *uſus terrarum Medicus*, qui *eſt vel generalis, vel ſpecialis* & proprius cuicunque ſpeciei: *Ille* ex ratione texturæ materialis omnibus communis emergit: Unde

1. Tanquam corpora exſucca, arida & poroſa, omnes humidam potenter abſorbent, ſeu abſumunt, unde vulgò Exſiccare dicuntur.
2. Acidum omne potenter abſorbent, ita ut, imbibita ab his terris, ſuam acrimoniam amittant.
3. Eo ipſo quo imbibunt acida, ſimul junctim abeunt in texturam quaſi aluminoſam, ſiuntque potenter adſtringentes atque conſtipantes.
4. Dum de ſulphure minerali participant, hoc ipſo temperant, ſimulque figunt fermenta morborum malignorum volatilia nimis acria; Unde
5. In morbis malignis, præſertim cũ præternaturalibus fluoribus, vel alvi, v. g. diarrhœa, dyſenteria, &c. vel narium, vel hæmorrhoidum, aliiſque hæmorrhagiis, omnibuſque morbis, ubi conſtipatione opus, optimo ſucceſſu uſurpantur: Hinc
6. Per accidens ſudorifera plus minus confortativa exiſtunt; & quæ ſunt virtutes aliæ.

Hæ ſunt Virtutes Generales, quas obtinent à dicta Calcinatione.

Uſus ſpecialis ex permiſtis variis mineralium effluviis & metallicis corpuſculis, præſertim ſulphureis, oritur. Per ſe enim terra, & quatenus talis non eſt in uſu, ſed medicata & metallica, ſeu quæ à metallis vires ſuas acquiſivit; hinc *terræ ſolares*, ex fodinis auri erutæ, vi alexipharmacâ, ſpeciatim vi auri analepticâ, pollere obſervantur: ſic *terra Martialis* eundem uſum habet in morbis chronicis, quem ipſe Mars, & crocus Martis, in acido abſorbendo, menſibus ſtimulandis, &c. ſic *terra illa Martialis*, à loco natali *Norvegica* dicta, nobile ſpecificum eſt ad malum hypochondriacum & ſcorbutum, quæ à Martialibus aliàs curantur.

Hæ virtutes ſpecificæ oriuntur ex vena, ſeu ex proprietate metallorum, dum vires metallicæ in iſtis terris adhuc primatum obtinent.

Antequam autem ad terrarum ſpecies deſcendat AUTOR, præmittit earundem Præparationes, quas nunc conſiderabimus. Inter has

1. Eſt *lotio*, qua purificatur terra ab adhærentibus ſordibus & quiſquiliis craſſioribus. Sed *hæc lotio nullius eſt uſus*, quoniam aqua lavando arripit ſecum ſimul utiliores atque efficaciores partes terrarum metallicas, à ſale centrali per vapores calcinatas, uti rectè dicit Autor. Ergo loco hujus ſubſtituitur commodè *Imbibitio* ſeu *Impraegnatio terrarum*, dum irrigantur liquore appropriato, qui liquor imbibitur à terra & hoc modo ejuſdem virtutibus impraegnatur. Hæc *irrigatio* aliquoties repetitur, donec ſit ſaturata terra, ut nihil amplius poſſit imbibere: ſic ſi vellemus appropriatam reddere terram Martialem pro ciendis menſibus, illam adſpergimus cum aqua artemiſiæ, vel cum aqua ſabinæ, item cum eſſentia ſabinæ: ſi terram ſigillatam lunarem vellem magis appropriatam pro uſu cephalico reddere, irriganda terra cum ſpiritu vel aqua liliorum convallium, vel cum aqua & ſpiritu ſalviæ. Et ſic lotioni meritò ſubſtituenda eſt Imbibitio.

Præparantur etiam *Magiſteria* ex terris hoc modo: Solvantur terræ in ſpiritu appropriato acido, & iſta ſolutio præcipitatur, vel cum quodam alcali, vel cum aqua ſimplici, & id quod præcipitatur, vocatur *Magiſterium terræ*. Solutio fit per ſpiritum acidum, qualis eſt vel ſpiritus ſalis nitri, vel vitrioli, aut aliorum ſpirituum, v. g viridis æris &c.; hi enim ſpiritus acidi facilè ſolvunt terras, corrodendo illas: Præcipitatio fit per alcalia, oleum tartari per deliquium, vel cum aqua communi (rarò tamen:) ratio eſt, quoniam menſtrua acida reſolutis particulis acidis, quibus ſe jungunt, ingrediuntur terreſtres corrodendo: quando ergo ſuperinſpergitur alcali quoddam, ſal etiam alcali ſeſe unit cum acido, & ſic unione iſtâ exturbantur particulæ terreſtres acido inhærentes, quæ perturbatæ & motæ gravitate in fundum ſecedunt. Idem facit aqua communis infuſa, quæ cùm ſeſe unit proximè cum partibus acidis menſtrui, per unionem partes terreſtres ſeparantur & disjunguntur, quæ ſeparare non poſſunt amplius continere particulas terreſtres graviores, hinc iſtæ in fundum ſecedunt, & fit Magiſterium. Magiſteria autem hæc nil valent; ſaturantur enim terræ ab acido, & remanet calx nullarum virium.

Deſtillatio terrarum hujuſmodi lutoſarum plus minus medicatarum fit per retortam, uti moris eſt: videatur AUTOR: ubi omnes phlegma dant

dant acidulum, prout plus minus pingues, i. e. fulphure plus minus imprægnatæ fuerint, & *spiritum singularum virtutum*, salque volatile; de quibus multi multa promittunt, tam pro vegetabilibus, & hominibus, quàm metallis. Dicunt enim, si spiritus destilletur ex terra solari, quod exinde acquiratur menstruum pro solvendo auro: imò sunt quidam, qui ex nuda terra nostrate vulgari vernali tempore destillatione volunt elicere menstruum pro solvendis metallis, imprimis auro solvendo aptissimum. Ex rubro limo spiritum, solem solventem, destillare docet BECHERVS *suppl* 1. *pag.* 78. De spiritu luti fontanei cœrulei mirabilium virium videatur BECHERVS *Phys. subterr. lib.* 1. *pag.* 87. & *suppl.* 1. *pag.* 148. Alium spiritum cum sale volatili ex argilla flava in Fionia, in malignis affectibus utilem, & lunam inaurantem, videbitis in BARTHOLINI *Act. Med. Hafniens. Vol.* 1. *pag.* 36. *Ob id & spiritus hujusmodi singulares lutorum ac terrarum pinguium ad præparationem tincturę Philosophicę, & solvendo omnia corpora in tribus regnis reperibilia, pro menstruo suo Philosophico seu universali sunt qui recipere volunt, existimantes* hujusmodi terras pingues, sulphureo mineralium principio divites, magneticâ quasi vi spiritum universi Mercurialem ex astris, præsertim sole, in regionem lunarem affusum allicere, quod iisdem confermentando plus minus, *sal terrę centrale* à sublimioribus vocatur Chymicis. Ex tali ergo prosapia oriũdum lutorum *spiritum*, præsertim si roris simul accedat crebriùs irrorati beneficium, etiam universales dotes tàm pro metallis perficiendis, quàm hominibus conservandis obtineri asserunt; ac præsertim clementi cœlo, fermentante aere, sole in ariete existente, astralibus dotibus prægnantissimas istas terras lutosas annotant.

Omnes autem pro hoc opere istas laudes habent, quæ ad ortum solis, i. e. ex loco nativitatis solis effossæ sunt; unde & terra Adamica ob rubicundum plus minus colorem à quibusdam dici solet: Conferatur in specie RHUMELIUS *in Antidot. Chym. pag.* 162. item CRAMERUS *in Dissert. de Transmutat. Metallor. cap.* 3. §. 14. & 15.

Spiritus terræ alcalisatus, id est, alcali fixo conjunctus spiritus, de quo videatur AVTOR, valdoperè commendatur ad præparationem tincturæ solis, imprimis ex minera: dicit namque AGRICOLA *in Comment. in Poppium*, quod in hoc spiritu terræ alcalisato caput mortuum liquescat tanquam cera, & postmodum instar butyri ad fundum secedat. Idem AGRICOLA *citato loco*, imprimis *Tract. de venere p.* 277. refert de Philosopho Coloniensi, qui paravit ex terra vulgari spiritum, & ex hoc spiritu rursus præparavit terram aliquam, ex qua variâ postmodum & vegetabilia & animalia fuerunt subnata pro probãdo *Panspermia*, seu seminũ congerie in terra vulgari & naturali.

Hæc de *Terris in genere*: Consideremus potius in specie *Terras medicatas* magis usitatas, quas inter excellunt

I. TERRÆ ARGILLACEÆ SEU SIGILLATÆ,

quibus nempè impressum est sigillum, & se offert jam

I. TERRA SIGILLATA TVRCICA seu LEMNIA.

T*Erra Lemnia*, quæ ex Insula Lemno adfertur, & Galeni tempore fuit valdè famosa: signo capræ insigniebatur, & hoc ideò, quia Insula Lemnos Dianæ fuit consecrata; Dianæ autem capra addicta fuit. Aliàs quoque literis Arabicis insignitur. Nos eâ caremus, quia Turcæ, cognoscentes virtutes terræ Lemniæ, eandem valdè custodiunt, adeo ut saltem Magnates terræ Lemniæ fiant participes: videatur KIRCHERVS *in Mundo Subterraneo Tom.* 1. *pag.* 338. ubi habet simul modum, quo eruitur AMATVS quidem LVSITANVS *C.* 1. *Curat.* 92. vult, quod *Bolus Armena Officinarum* sit vera *Terra Lemnia Galeni*: Cæterum in hoc ipso errat, uti contrarium propriâ observatione confirmat VESLINGIVS in suis *Epistolis & Obs. pag.* 113. JOACHIMVS CAMERARIVS *in Observat. de Bolo Armena & Terrâ Lemnia*, GALCEOLARIVS *in Mus. pag.* 3. Wormius *in Museo cap.* 4. *pag.* 2. POTERIVS *in Pharmacop. Spagyr. l.* 2. *c.* 4. & HOFFMANNVS *Clav pag.* 130. Sed quoniam apud nos rara & cara est, loco ejus sufficiat Terra sigillata Silesiaca. Aliàs hæc terra Lemnia valdè commendata fuit pro resistendis venenis, ad quem usum etiam hodiernum apud Turcas solet adhiberi.

II. TERRA MELITEA.

T*Erra Melitea* vel *Melitensis*, quæ aliàs dicitur *Terra S. Pauli*, in Insula Melita seu Maltha effoditur, & ad nos adfertur, signata sigillo D. PAULI ex una parte, ex altera autem parte sigillo crucis; terra est albissima instar cretę, & facilè friabilis, reperitur in cryptis Insulę Melitę, & solẽt exinde fieri vasa, tabellę, & alia utẽsilia artificiosa.

Quoad *usum medicum*, vi alexipharmacâ venenis resistere præ aliis dicitur, ex eo, quod D. PAVLVS, cum hybernaret in Insula Melita, in illo specu solitus fuerit versari, & exinde vim alexipharmacam illi conciliaverit.

Pręter hanc terram reperiuntur in hac Insula Melita lapilli, qui vocantur *Linguæ* & *Oculi serpentum*, propter similitudinem oculi, sunt coloris lutei, uti oculi serpentum: *Linguæ* verò sunt fuscę & cineritię, & ubertim reperiuntur in tota Insula, & dicunt, quod D. Paulus omnibus serpentibus in Melita abstulerit venenum; quoniam non datur serpens in illa venenatus, & exinde talem vim alexipharmacam terrę tribuerit: & certum est, quod terra, oculi, & linguę sic dictę, habeant virtutem morsus venenatos non tantum pręservandi, sed & curandi, & in multis morbis, in quibus suspecta est venenositas, conveniant. Vsurpantur oculi instar amuleti in annulis, ita quidem, ut dum portantur in annulo, tangant cutem. Lingua appenditur collo & brachio instar amuleti, terra imbibitur liquore appropriato, & assumitur contra venena, ubi beneficio sudoris malignitatem expellit. Qui plura de his desiderat, adeat *Museum* OLAI WORMII *pag.* 7. & BARTHOLINVM *Cent.* 1. *Epist.* 53. item *Cent.* 6. *Hist. Anati* nec non STENO *de solido intra solidum*, item *in specim. Myolog.* Sed propter raritatem & caritatem terrę Meliteę & dictis lapillis substituitur Terra Silesiaca. Sequuntur

III. TERRÆ SIGILLATÆ GERMANICÆ.

T*Erra Silesiaca sigillata* est in duplici differentia, tam *Strigensis*, quàm *Lignicensis*. *Strigensis* ab oppido *Striga* nomen habet, & vocatur *Axungia solis*; quia naturæ solaris est. Autor hujus est JOHANNES MONTANVS, qui *in suo Tract.* dicit, terram hanc nihil aliud esse, quàm aurum ita præparatum, ut quod antea non potuit usurpari, nunc exhiberi possit; sed ruinoso nititur fundamento; potius oritur ex minera solis immatura, & habet in se principium sulphureum solare, estque veluti extractum solis in visceribus terræ, ut rectè hoc asserit SCHWENCKFELD *in Catal. Fossilium Silesiæ pag.* 395. qui omnium optimè de hac ipsa terra agit. Negare tamen vult SENNERTUS, quia hæc terra non tam spiritu salis, ut aurum, solvatur, quàm spiritu vitrioli: quilibet tamen mineralium spiritus hujusmodi terras promptè solvunt. *Lignicensis* verò dicitur *Axungia lunæ*, quia lunaris naturæ habetur, constans nempè principio sulphureo lunari, sed immaturo & indigesto. Ubique inveniuntur tales terræ medicatæ, quæ si signentur sigillo, vocantur Terræ sigillatæ.

Terræ hæ Silesiacæ sunt frequentis & proficui *usus* in resistendo malignitati, & venenis curandis. In specie *terra Strigensis* solaris convenit in malignitate, occupante massam sanguineam & spiritus vitales; *Terra Lignicensis* in malignitate, quæ affligit caput, seu spiritus animales & systema nervosum: & hoc ex eo, quod sol sanguini & cordi, luna verò capiti, est dicata. Hinc etiam in morbis & febribus epidemicis malignis ac pestilentialibus, cum diarrhœa aut sanguinis effluviis conjunctis, item in dysenteria epidemica, egregiè prodest. In petechiis, purpura, variolis & morbillis, in quibus nil periculosius, ac si diarrhœa vel dysenteria superveniat, optimè hæ terræ conveniunt. Certè in his & similibus malignis morbis, item in morsibus venenatorum animalium dum anxietates præcordiorum urgent, optimè quadrant, dum sudorem simul promovent. In hæmorrhagiis malignis internè assumitur quoque, utpotè in quibus non securus est usus Epithematum externorum, quoniam repellunt malignitatem. In tali autem casu terræ hæ sunt expertæ vel solæ, vel cum aliis mistæ, in dosi à ℈j. ad ʒß. præter propter. Refert SCHWENCKFELD *in Libro de Silesia*, quod terra sigillata Strigensis si mox post philtrum assumptum assumatur, illud per vomitum rejicere faciat; tempore verò interjecto per corpus malignitate dispersâ per sudorem illam expellat & curet. Et exemplum refert AGRICOLA *in Poppium de auro pag.* 40. de quodam Croato, qui virtute terræ solaris sigillatæ admodum prolongavit vitam, ita ut ad 136. annos excreverit. Pro usu adstrictorio autem propinetur semper addito aceto destillato, vel spiritu nitri; sic acquirit vim aluminosam, & vis adstrictoria intenditur.

Extrinsecùs terra sigillata valdè convenit in ulceribus malignis, cancrosis, & similibus purificandis, & etiam consolidandis. Pluribus usum harum terrarum, & satis concinnè, expressit SCHWENCKFELD *loco citato*. Sub generali terrarum usu monitum fuit, quod absorbeant acida quæcunque, exsiccent, atque adstringant: unde patet: quid habendum sit de Præparationibus earum cum spiritu vitrioli aut nitri, & parato inde liquore styptico vel auro potabili pauperum, descripto à BARTHOLETO *Tract. de Respir. pag.* 685. PRÆVOTIO *de Medic. pag.* 41. HOFFMANNO *in Clave pag* 133. Nempè emergunt exinde liquores adstringentes quasi aluminosi, sed dum corpus iam acido saturatum est, minus in corpore efficaces esse, necessariò sequitur; unde pro usu alexipharmaco & acidum absorptivo minus hujusmodi liquores laudare possum. In diarrhœa autem, dysenteria, vomitu, hæmorrhagiis, aliisque similibus fluxibus nimis excedentibus, expertissimi sunt.

Modus præparandi talis est: Imbibitur scilicet terra sigillata cùm spiritu nitri vel cum spiritu vitrioli, donec pultis consistentiam acquirat; postea puls hæc exsiccatur in lapideam duritiem. Hic lapis tritus super porphyrite vel mortario marmoreo in sacculum, vel vesicam fundo perforato, vel in patellam ponitur, & in locum frigidum vel cellam suspenditur: ita liquescit in liquorem insigniter adstrictorium, saporis aluminosi.

Alii liquorem hunc subigunt cum spiritus cerasorum nigrorum (qui temperat aciditatem nimiam stypticam) ana, digerunt, donec exactissimè uniantur; sic fit remedium quasi temperatum.

Dosis hujus liquoris compositi est ℈j. *liquoris* autem *per se* guttæ xij. xv. ad xx. & xxx.

Lavari aliàs solent terræ sigillatæ: sed per se satis puræ existunt, ita ut non opus sit, easdem lavare; cum per lotionem obliteretur pars earum laudatissima, & usui medico maximè habilis.

Par

Par ratio est de *Magisteriis* harum terrarum; dum enim terræ hæ in menstruo acido solutæ, & ita imbibitæ, præcipitantur per sal tartari, cadit sic calx iners, de acido & alcali simul, utut insensibiliter, participans, adeoque nullarum virium.

Destillatæ hæ *terræ* per retortam igne aperto, suggerunt *spiritum acidum*, sed paucum; maximo tamen acore inquinatum: quod si ulterius urgeatur ignis, aliquid saliforme tandem sublimatur, quod cum spiritu suo potest uniri.

Spiritus hic ab HORSTIO PATRE, aliisque, multum laudatur in febribus malignis, pro temperando æstu & malignitate sistenda, Julepis ad ℥ij. vel iij. additus: videatur HORSTIUS *Cent. Problem. Therapeut. Dec.* 1. *de febr. Quæst.* 5. *pag.* 11. Sed cum sit adeo parcus, non videtur mereri operæ pretium.

Terra restitans aliquo modo castrata deprehenditur; linguæ enim non amplius adhæerescit, nec saliva humectata bullas elevat.

Rhumelius in suo Antidotar. pag. 114. adhibet *spiritum terræ sigillatæ Strigensis* pro menstruo solvendi aurum, & parandi aurum potabile. Quod autem solvat aurum, revera sub judice adhuc lis est; & ipsa talis solutio, an multum præstitura sit præ aliis similibus solutionibus? meritò dubitatur.

Oleum, quod habet AUTOR per retortam destillatum valdè laudatur in peste & morbis venenatis, item in morsu canis rabidi, in dysenteria maligna & contagiosa.

II. BOLUS.

Bolus est vel *Communis*, vel *Armena*. In genere bolares terræ ex pallido plus minus rubentes, Martialis naturæ esse solent; unde dant solutionem quasi viridem, qualem dat Mars, quando solvitur in quodam acido. Has inter excellit *Bolus Armena*, ita dicta, quoniam in Armeniæ regione effoditur, quam AMATUS LUSITANUS putavit esse genuinam terram Lemniam, sed cum id falsum sit, jamdudum refutatum est.

Modum faciendi & etiam *colligendi* subministat WORMIUS *in Museo*. Sed rara & cara est apud nos; unde litigia de hujus existentia Autorum nostra non facimus: interdum enim ab Imperatore Turcarum mittitur Germanorum Imperatori tanquam donum, & nisi ita in Germaniam adferreretur, planè illâ carerent officinæ, quoniam ipsis Turcis est singularis in morbis venenatis. Interim tamen in Hungaria reperitur *Bolus Toccaviensis*, ita dicta à regione; quæ non inferior est in virtutibus Bolo Armenæ, sed eedem similis, adeo ut easdem obtineat virtutes, partim in adstringendo, partim in resistendo catarrhis, partim etiam in movendo sudore, & arcenda malignitate. Si quis ergo vult usurpare Bolum, loco Armenæ usurpet Toccaviensem, quam similem Armenæ statuit OLAUS WORMIUS *in Museo*, eamque naturæ solaris esse Sachs. asserit in Ampelogr. pag. 431. uti & *Wurtembergensem*, quæ de Marte participat, unde solutiones cum spiritu salis viridescunt: Toccaviensis autem participat de Marte & auro simul.

Vi martiali ordinariò absorbet acidum, & adstringit, vitiosas cruditates absumit, sanguinem coagulatum dissolvit, dehinc vi sudoriferâ & antidysentericâ est celebrior; unde in morbis malignis præsertim ac venenosis est utilis; hinc & in catarrhis, abstergendo salsos humores, in sputo cruento, phthisi, & similibus, ab acidiore lympha natis affectibus, cum conserva rosarum assumpta, & addito uno vel altero grano laudani opiati, egregiè confert.

Externè in usu Chirurgico convenit ulceribus difficilis curationis, & ingreditur emplastra styptica, defensiva, & vulgò dicta Germ. *Durrbande*. In hæmorrhagiis pro adstrictione vasorum sanguifluorum solet adhiberi: in hæmorrhagia etiam narium cum aceto subacta bolus, & instar cataplasmatis fronti applicata, fluxum narium etiam desperatum compescit.

Optimè præparatur cum aqua spermatis ranarum. Lotio autem ejus planè est inutilis.

Bolus Armena destillata dat Phlegma quoddam acidum, quod revera est ab humido salino vapore, quod corrosit mineram Martis in terram hanc, quæ vocatur Bolus: quod si hoc phlegma ter à Bolo minutissimè pulverisata in balneo abstrahatur, convertitur Bolus in oleum pingue. Hoc oleum ex lenissimo igne siccari, in & pulverem redigi potest, ad prohibendum sanguinem undecunque prorumpentem aptissimum; item ad conglutinanda vulnera, in quibus est singularis.

Reliqua de Bolo facilè possunt legi apud *Autores*, in specie JOACHIMUM CAMERARIUM *in Observat. de Bolo Armena & Terra Lemnia*, nec nõ POTERIUM *in Pharmac. Spagyr. c.* 4. & 5. Sequitur

III. CRETA.

Terra hæc candida *Creta* dicitur, ab Insula Creta seu Candia, in qua copiosè reperitur, utut in aliis quoque regionibus ferè quibuscunque inveniatur: ratione suæ nativitatis de natura saturnina nonnihil participare videtur, ex eo, quod per spiritum salis vel nitri tractata, concretum adstringens dulce, ferè instar stanni, repræsentet, & est quasi cerussa terrestris, sicut cum spiritu sulphuris soluta, & in frigore crystallisata, dat perfectum alumen. Hinc alumen nihil aliud est, quàm terra saturnina spiritu sulphuris, in naturam aluminis redacta; unde etiam *Creta* dicitur *Minera saturni immatura*, confecta per corrosionem ab humido & vaporibus aquosis salinis: Unde facilè patet, quis ejus sit usus, tàm internus, quàm externus. Internè in succo acido imbibendo & adstringendo, cum reliquis convenit; unde speciatim commendatur ad absorbendum acidum in ardore stomachi seu soda, ubi præsentaneum remedium constituit dosi ʒß. ad ʒj. cum aqua vel succo portulacæ assumpta. Præsentissimus est *Pulvis* sequens:

℞. *Cretæ præp.* ʒj.
Nuc. mosch. ℈j.
Croci gr. vj.
M. f. *Pulvis.*

Qui repetitis vicibus propinatur; sicut & in forma potionis cum aqua & syrupo portulacæ, vel morsulorum propinari potest, quales videbitis in MYNSICHTI *Armament. Chymico*. Imò juratus lumbricorum hostis est, ad ʒj. in vino vel lacte caprillo usurpata.

Externè inservit inspersa creta ulceribus malignis corrodentibus, vulneribus, pustulis, & ichoribus manantibus, intertrigini cum excoriationibus partium & similibus affectibus; item erysipelati; membris itidem ex podagra dolentibus & rubentibus à quibusdam feliciter applicare vidi, acidum nempè volatile in his affectibus peccans absorbendo.

IV. TERRA JAPPONICA.

Terra *Japponica* seu *Catechu* sic dicta, quid sit? & unde afferatur? adhuc nondum certè constat. Vulgo tanquam aliquod compositum artificiale in Indiis paratum habetur, ex glycyrrhizæ extracto, mastiche, sanguine draconis, gummi Arabico, succo Arecæ, & similibus. Nihilominus SCHROECKIUS in M. A. N. C. *Ann.* 8. *Obs.* 44. *pag.* 88. & HELBIGIUS *loco alleg. Ann.* 9. & 10. *Obs.* 194. *pag.* 462. item HORSTIUS *in Disp. pag.* 208. contrarium probant. Integrum quoque & doctum de ea *Tractatum* scripsit HAGENDORN, ubi de ejusdem natalibus, variis exinde præparatis medicinalibus, eorumque usu, Lector copiosè instruitur. AUTOR *pag.* 516. commendat ad exsiccandos catarrhos, quod facilè ipsi potest largiri: nam adstringens est stypticum, quodque in ore detentum copiosa sputa prolicere solet, indeque ad corrigendam Lympham acidam, aliosque affectus catarrhales à quibusdam adhibetur. In affectibus oculorum commendatam videbitis in M. A. N. C. *Ann.* 9. & 10. *Obs.* 74. *pag.* 203. Pro usu adstrictorio tincturam inde paravit WEDELIUS, de qua conferantur M. A. N. C. *Ann.* 2. *pag.* 209. *seqq.*

V. MARGA.

Marga, aliàs, in specie ab AGRICOLA, *Medulla saxorum* dicta, duplex est: vel durior & incarnata, vel mollior candida ac friabilis, parum de sulphure participans; quæ posterior speciatim *Lac lunæ*; à quibusdam, propter aliqualem similitudinem cum agarico vegetabili, *Agaricus mineralis* dicitur: vid. FERDINANDUS IMPERATUS *l.* 5. *c.* 41. hujusque in Helvetia magnus proventus est.

De hac, utut pauca prostent, primus tamen, qui eam in usum Medicum vocavit, est GESNERUS vir præ aliis eruditus, *Tract. de Fossilibus*: post hunc elegantem de ea & lectu dignissimam dissertationem conscripsit JOHANNES DANIEL MAJOR Professor Chiloniensis, ubi demonstrat, quod marga nihil sit aliud, quàm exhalationes metallicæ, quæ unitæ circa saxum abeant in talem substantiam tenuem & friabilem, quã nos vocamus *lac lunæ*, à calore & teneritudine.

Quoad *usum*, saxorum medulla est egregia *internè* in soda & ructu nidoroso, in grumis sanguinis dissolvendis, casu ab alto, contorsione vertebrarum, tam solitariè, quàm cum lapillis cancrorum usurpata; item in incontinentia urinæ, ad ʒß. assumpta aliisque urinæ affectibus, ab ejus acrimonia acida natis, speciatim stranguria, egregia existit: Quin etiam ad dysenteriam à quibusdam non sine ratione usurpatur.

Lac lunæ verò in specie ad lac mammarum augendum adhibetur, privativè scilicet operando, removendo vitiosum acidum impediens lactis fluxum, nunc solum in cerevisia calida, nunc addita crystallo præparata, semine fœniculi, aliisque appropriatis: e. g. potest fieri talis *Pulvis*:

℞. *Lact. lunæ* ℈j.
Crystall. præp. gr. xvj. ad ℈j.
Olei destillat. fœnic. gutt. ix.
M. f. *Pulvis* pro duabus dosibus. Vel
℞. *Lact. lunæ*, *Crystall. præp.* an. ʒj.
Sem. nigell
Card. benedicti an. ʒß.
Olei destillat. fœnic. gutt. v vel vj.

Misce fiat *Pulvis*, bis de die à ʒß. ad ℈ij à nutricibus assumendus pro augmentando lacte.

Sunt etiam, qui commendant margam in passione nephritica, item in passione colica; id quod etiam verum esse arbitror. OLAUS WORMIUS *in Museo dicit*, quod etiam quasvis hæmorrhagias compescat, & quod hoc præstet ratione virtutis anodynæ.

Externè hæc marga seu lac lunæ egregiè in chirurgia confert ad absumendum acidum occultum ulcerum, solummodo inspersa, additis, si lubet, paucis granis myrrhæ, aloes &c. Mirum quantùm puri-

rificet ulcera fordida, eaq; imprimis tibialia, confolidet, vulnera conglutinet, & cicatricem inducat, & eosdem fermè habet ufus magis tamen præfentaneos, atque fupra de creta dictum: in fpecie pulverem balfamicum pro infpergendis ulceribus malignis imprimis tibiarum videbitis apud D. JOHANN. DANIELEM MAJOR. *in Tractatu citato*. BOOT. dicit, quod fi collo geftet infans, falivam moveat, & fic in eorundem morbis fit proficuum.

VI. OCHRA.

Ochra feu *terra flava* eft fpecies terræ, Venereæ & Martialis naturæ, qualis ex folutione vitrioli Martis & Veneris inftillando præcipitatur; unde ufus internus rariffimus: urinam provocare funt qui volunt.

Externè ufurpatur in cafibus chirurgicis, ubi opus eft adftrictione, in emplaftris & cataplafmatis adftringentibus & conglutinantibus; fed rarò ufurpatur.

VII. RUBRICA.

Rubricæ differentiam optimè recenfet HOFFMANNUS *in Clave p.*137. Sed apud nos faltem cognita eft *Rubrica fabrilis*, concretum terreum Marte turgidum, hæmatiti fuo modo cognatum; unde etiam in affectibus, tàm externis quàm internis, confpirant. Solvi poteft in fpiritu falis; unde extrahitur totum concretum Martiale, & remanet limus inftar argillæ communis. In forma nativa requiritur pro ufu, ut vocant, aperitivo; pro fcopo adftrictorio cum acidis propinetur; unde in dyfenteria pauperum egregia eft.

Externè iisdem ufibus commendatur, quibus crocus Martis adftringens, fiftendi fanguinis fluxus, & curandi ulcera difficilis confolidationis.

VIII. TRIPOLIS.

Tripolis *fpecies* eft *ochra*, & terra principiis Martis vacua, & planè exhaufta. Ergo nil valet.

Pertinet huc etiam

TERRA SOLARIS,

quæ eft terra quædam rubicunda, quæ reperitur in Hungaria circa mineras auri, id eft, eo in loco, ubi folet generari aurum: de quo videatur BARTHOLINUS C. 4. *Epift.* 62. *pag.* 284. Egregium eft Alexipharmacum, unde convenit in febribus petechialibus cum hæmorrhagia, dyfenteria aut diarrhœa conjunctis, aliifque morbis malignis. In defectu hujus fubftituimus terram figillatam Strigenfem. Beatus Dn. D. MICHAELIS à quodam amico accepit aliquando talem terram folarem rubicundam ex aurifodinis Hungariæ, quæ in fe continebant aurum immaturum: hanc cùm in fpiritu falis, vel fimplici, vel compofito, facto ex nitro, fale vel alumine, folviffet, injecto pauco tempore vifa funt perfecta folia auri in folutione hac flavefcente innatare, adeò ut aurum antea immaturum in folutione fuerit maturatum. Ex hac folutione præparavit tincturam cordialem, dum extractum, vel folutionem in fpiritu falis factam, filtravit, & menftruum denuò abftraxit: abftracto menftruo poftmodum cum fpiritu cordiali ex remanentia extraxit tincturam eleganter rubicundam, quæ tinctura terræ folaris propinata ad guttas x. xv. vel xx. dicitur egregium analepticum. Potenter adftringit, & in fluxibus alvi, uti etiam fanguinis, malignis & epidemicis, eft excellens remedium: Videatur HOFFMANNUS *in Clave pag.* 133.

Poft terram folarem fequitur

TERRA MARTIALIS,

ex obfcuro nigricans feu rubefcens, fulphure immaturo impregnata, quæ in fodinis mineræ Martis feu ferri reperitur. Exficcat valdoperè, & pulverifata eadem quantitate, ordine & formâ, in iis præfcribi folet, in quibus aliàs ferrum & ejus crocus folet ufurpari. Experta enim eft hæc terra in abforbendo acido, ftimulandis menfibus, referandis meatuum obftructionibus, & in genere in omnibus affectibus hypochondriacis, cachecticis, &c. in quibus commendant ZACUTUS LUSITANUS *Lib.* 3. *Prax. Hift.* 10. *Obf.* 3. & PETRUS à CASTRO Medicus Italus. Imò dicunt, quod etiam credo, quod Martialis terra in fuo effectu fit mirabilior & excellentior, quàm præparata ex Marte, ex eo, quod Mars ratione fui entis, feu principii feminalis, in minera Martis fit magis vincibilis, & fic feliciùs fubigi poffit à natura, quàm quando in perfectum abiit ferrum.

Nec retinenda eft

TERRA NORWEGICA,

à loco natali ita dicta: effoditur enim in Norwegia propè Bergas & aliàs etiam ab effectu *Antifcorbutica* dicitur. Eft terra Martialis fubnigricans, fcorbutum per fudorem curans, dofi ℥ß. ad ℥j. affumpta; ficut & hypochondriacis egregium folamen affert: de qua videatur PETRÆI *Differtatio Harmoniaca P.* 2. *Exerc.* 38. BARTHOLINUS *Cent.* 1. *Ep.* 89. WORMIUS *in Muf. c.* 4. *pag.* 16. & HOFFMANNUS *Clav. pag.* 138. Hæc terra fcorbutica apud nos eft rarior, & credo, quod participet de Marte, utpotè qui ipfe etiam in fcorbuto eft egregii ufus, adeoque ipfi poteft fubftitui noftras Terra Martialis, imbibita cum fucco aut fpiritu cochleariæ; vel poteft fubftitui Bolus bene depurata, & eodem fucco vel fpiritu imprægnata.

Pertinet huc

TERRA HYBERNICA,

quam vidi in Anglia: eft terra fubnigricans, levis, & raræ texturæ, ex Hybernia deportata. Anglis valdè eft ufitata in cafu ab alto, & ad refolvendum fanguinem congrumatum.

Quibusdam in locis etiam ufitata eft

TERRA ILFANA,

ex infula Ilfa propè Livoniam in mari mediterraneo, & folet commendari in febribus malignis, mifta cum fucco limonum: item in vermibus puerorum deftruendis, in compefcendis cruciatibus abdominis mira præftat; nec non in morbis convulfivis & convulfionibus, quibus non rarò tentantur graviter pueri.

Terra etiam eft, quæ vocatur

TERRA CIMOLIA,

ab Infula Cimolo, una ex cycladibus, & præter vires communes, in aceto diffoluta valdè digerit: Parotides & alia tubercula difcutit; ambuftis illita mox dolorem fedat & curat; nitro & aceto deftillato mifta tumores pedum tollit; item teftium difcutit tumores, fi ceræ Cypriæ permifceatur. Illitu externo immodicos fudores tollit, quo externo ufu etiam ulcera capitis removet.

Eft etiam Terra, quæ vocatur

TERRA DAMASCENA *feu* ADAMEA,

dicuntque reperiri in agro Damafcenico in Affyria. Eft terra fubrubea, ex qua fabricatum fuit, dicũt, Adamum, unde vocant Adameam. Hæc terra inftar Amuleti accõmodata, arcere dicitur quævis incommoda obvenientia. Imprimis videatur de hac terra Damafcena NIERENBERGIUS *in Tr. de natura Rer. cap.* 17. *pag.* 65.

Poffunt huc referri aliæ plures Terræ medicatæ, minus tamen ufitatæ, uti funt *Terra Crytbrea*, *Terra Samia*, *Terra Julana*, plurefque aliæ fimiles, quas videbitis in HOFFMANNO *loco citato*, item in *Mufæo VVormii & Calciolarii*.

Hifce terris medicatis etiam venit affociandus

LAPIS BEZOARDICUS MINERALIS,

de quo fufficienter agit BACO *in Obf. Naturalibus pag.* 225. Nempè apud Veteres, præfertim Arabes, fubinde facta mentio eft lapidis Mineralis, quem nemo tamen explicare potuit. Hactenus tamen hinc inde variis in locis, præfertim in Sicilia, reperti funt hujufmodi lapides foffiles albi, qui propter virtutes, & propter texturæ fimilitudinem, lapides Bezoardici, fed minerales, appellati fuerunt. Figura eft rotunda, interdum oblonga, maximi eorum non fuperant ovum Gallinæ, colorem habet albicantem, interdum nonnihil cinereum: fapor eft inftar boli Armenæ, vel terræ Lemniæ: Compofitio eft inftar lapidis bezoardici animalis, dum fquamati funt, ac pellicula una fuper alteram quafi ducta eft, & in centro parum fabuli, fuper quod iftæ cruftæ coaluerunt, reperitur.

Pelliculæ iftæ vel cruftæ quatuor, quinque, vel fex, fubinde obfervantur. Ufus eft idem, qui lapidis Bezoardici animalis, faltim quod duplicata in dofi ufurpentur. Plura vid. *in loco citato*.

Habuimus hactenus Terras Medicatas: Nunc fequitur

TERRA VULGARIS,

quæ non deftituta eft ufu in medicina: Nam, ut nihil dicam de *Terra Philofophica*, parata ex aqua pluviali, quæ inftar Magnetis folet attrahere aquam & fpiritum in aere, uti videri poteft *in* TACKII *Chryfogon. p.* 56. Sed in fpecie odor nitrofus recentis terræ valdè compefcit fervorem fpirituum, & valdè confortat, ita ut talis odor ad longævitatem corpus noftrum difponat: videatur BACO *de Verulam. Tr. Hift. Vitæ & Mortis pag.* 104. & 105. ubi inter alia dicit: novi virum nobilem longævum, qui ftatim à fomno apponi curavit fub naribus recentem terræ globum, & hoc quotidie facit, ut attraheret ejus odorem nitrofum.

CAP.

CAP. III.
DE
AQUIS.

AQuæ κατ' ἐξοχὴν dividuntur in supra-terreas seu aereas, vel sub-terreas: Istæ sunt *pluvia*, *nix*, *Ros*: Hæ iterum sunt vel *communes* seu *culinares*, ut *aqua fontana*, *fluvialis*, *putealis*, & *medicatæ* quales sunt *fontes soterii*, inter quas excellunt *Acidulæ* & *Thermæ*: Species aquarum sub-terranearum sunt variæ, pro varietate locorum natalium: nam aquæ semper aliquid deportant ex locis, per quæ fluunt, quod imprimis sunt particulæ salinæ, & sulphureæ metallicæ, quibus gaudent i...a, & horum ratione virtute alterandi in corpore humano pollent. Aliàs notum, quod aqua, quà aqua, non nutriat corpus, sed appetatur saltim, ut sit loco vehiculi alimentis, quo eò meliùs possit trajici per minimos intestinorum poros; & hic usus est, quare potulenta & aquosa assumantur. Ergò etiam aqua, ut talis, pro tali usu non debet esse medicata, & quò est purior, eò est convenientior pro conservando corpore. Cæterum cum rarò aut nunquam detur aqua pura simplex, sed omnis habeat particulas heterogeneas alterantes corpori admistas, modò plus modò minus pro varietate locorum & originum, idcirco consideranda venit

I. AQUA FONTANA.

AQua fontana, uti omnium est purissima, ita omnium est usitatissima. Origo ejus, uti omnium aquarum subterranearum, est ex Oceano per transcolationem: non autem apertè transeunt aquæ ad montes aut vias suas, sed imbibuntur à terra, tanquam à spongia; terra intus calet, sicquè evaporat aqua, & relicto sale seu terra fixiori fiunt *aquæ dulces*, donec tandem alicubi erumpant. Transcolatione enim ista per poros terræ fit, ut aqua aliàs salsa, uti est in mari, deponat suam acredinem; cujus rei experientia est, si in certos locos, cretaceos vel arenosos, infundatur aqua salsa, fit, ut acredinem reliquam marini salis amittat, & transet pura & insipida, depositâ salinâ acrimonia: videantur KIRCHERUS & BACO.

In omnium autem fontium scaturigine est

1. Liquor viscosus, obscurus. Hic constituit tegmen, in quo concentrantur fumi, ubi dehinc in guttas abeunt, è quibus tandem fiunt *Aquæ manantes*.
2. Ubique in fontibus reperitur arena, quæ vocatur *Arena Virginea*, & ad magnam profunditatem se extendit.

Variant autem aquæ non ex se; Omnes enim sunt ejusdem naturæ: sed in transcursu alterantur, quatenus loca nitrosa, sulphurea, &c. transcurrunt atque lambunt, adeoque novas adhuc in terræ visceribus à succis variis mineralibus, metallicis, aliisque aliàs acquirunt vires exoticas, unde etiam una alterâ est salubrior. Imprimis autem illi fontes, qui (*α*) per loca saxea manant, præ reliquis sunt salubres & medicati; turgent enim non solùm nitro, aut principio salino nitroso non absimili; sed & aqua horum in locis saxeis est purissima, & nullis particulis heterogeneis & inimicis referta, sordibusque terrestribus inquinata. (*β*) Salubris est ea, quæ est clara & pura; quia intermista perspicuitatem non parum turbant: quò enim clarior est, eò est purior; quò purior, eò salubrior. (*γ*) Salubris est aqua, quæ non exposita est ventis nocivis; sunt enim interdum venti, qui non rarò, uti alterant aquas, ita imprimunt vires suas aquis; quod & in aliis rebus faciunt: Hinc elegantes sunt aquæ præ reliquis, quæ ventis non sunt expositæ. Unde & in genere omnes istæ aquæ, si pro potu sint adhibendæ, corrigendæ priùs sunt, uti rectè monet AUTOR, pane tosto priùs injecto: quoniam omnes aquæ haustæ interiùs laxant fibras intestinorum & ventriculi, quâ laxatione partes fiunt flaccidæ, & amittunt tonum suum, ut antiqua expellere nequeant, nec continere possint recens assumpta. Jam verò panis tostus adstringit, & sic resarcit tonum fibrarum laxatarum, eumque restaurat: id quod fit eò magis & meliùs, si scilicet fricetur panis nuce moschata: qualis potus etiam commodè in diarrhœa & dysenteria potest propinari.

Dignum notatu est, quod BECHERUS habet, aquam ex ipso fonte recens destillatam, & ore detentam, non nihil spiritus sensibilis in caput mittere.

De *sale aquæ* elegantissima habet TACKIUS *in Theosophia*, item HELMONTIUS *in Parad.* 3. ubi de ente primo salium insipido, quod in aquis, præcipuè fontana, est, agit.

Aquæ fontanæ affinis est

AQUA PUTEALIS,

Quæ ex puteis profundis hauritur; cujus variæ & multæ sunt differentiæ, ejusque bonitas & malignitas dependet ab eo: quatenus scilicet scaturigo viva est in illo puteo, aqua est melior, & convenientior, vel quatenus ab aliis locis fluit & derivatur, præprimis si sit motus lentus, ubi periculum est, ne sordibus fermentativis & particulis alterantibus impregnetur.

AQUA FLUVIALIS.

Non solet esse adeo usitata, quoniam fluxu suo continuo terrestres partes imbibit & sibi permiscet; unde magis est crassa ac turbulenta, ac feculenta in magnis fluminibus, quàm in minoribus & reliquis aquis, propter partes, quas abripit ex ripis, eòque rarò usurpatur vel in Medicina, vel in culina.

AQUA PALUSTRIS,

Quæ stagnat in loco quodam, pessima omnium est, putrescens facilè, quoniam multa inquinamenta recipit, & nihil eorum relinquit: recipit multa ex nivibus liquefactis, recipit multa, dum derivantur ex torrentibus ex variis locis, ex montibus, ex pluvia & nive, &c: Hæc omnia quoniam in se recipiunt, & nihil denuo deponunt, non possunt esse puræ aquæ in paludibus. Accedit, quod solis calor tempore verno & æstivo sublimet partes subtiliores, hinc fit, ut reliquæ remanentes sint impuræ & insalubres, & usui iuterno ineptæ.

Præter aquas Culinares, ex terra tamen scaturientes, dantur etiam aquæ medicatæ, quales sunt variæ minerales, fontes soterii, speciatim acidulæ & Thermæ: de quibus paulo post in specie. Medicatum harum aquarum energia, seu vis medicamentosa, dependet speciatim à contentis mineralibus ac metallicis effluviis. Ante omnia ergò considerandum venit? quâ ratione contenta possint probari, Probanda venit autem tam

1. *Contentorum quantitas*, quàm
2. *Contentorum qualitas*.

I. *Quantitatem* addiscimus partim mediante instrumento, dicto Germ. *die Wasser spindel*, id est fusus aquæ, partim mediante ponderatione: Illud quidē, quò magis mergitur, eò tenuiorem ac paucioribus contentis saturatam innuit aquam; quò verò magis eminet, eò copiosiora contenta aquæ inesse ostendit. Ponderationis medio cognoscitur, si vas, cui certum pondus aquæ communi infusum sit, postmodum aquæ medicatæ infusione ponderetur; quò gravior enim ista est, eò copiosiora contenta in recessu habet seu fovet.

II. *Qualitatem* seu *substantiam contentorū* in aquis medicatis cognoscere possumus, vel in genere, nempè odore, sapore, effectu & similibus: ubi obiter notandum, plures aquas medicatas sulphureum exspirare odorem, non quod semper de sulphure participent, sed quod spiritus mineralium acidi, dum agunt in subjecta metallica, solvendo & rodendo, odorem sulphureum spirare solent: v. g. aqua fortis, dum rodit lunam; spiritus salis dum solvit Martem, &c. sulphureum odorem exhalant.

In specie verò cognoscimus contenta tribus modis:

1. *Evaporando* seu *destillando*, & consequenter contenta *coagulando*; sic enim remanentiæ sapor, calor, figura, &c. ipsa contenta manifestabunt. Nam sic salia, in specie blandâ evaporatione coagulata, speciales figuras exhibent: Sal commune cubicam aut pyramidalem cum basi quadrata; nitrum figuram oblongam striatam cum crepitatione in igne; alumen figuram octoedricam cum sapore adstringente exhibebunt.
2. *Præcipitando*: idque variis modis, prout variant subjecta præcipitanda in aqua medicata soluta. Nempè mediante decocto Gallarum soluta, fit præcipitatio aquæ medicatæ, quæ nigrescit, si de vitriolo participat: mediante oleo tartari per deliquium etiam, dum aqua medicata vitriolica præcipitatur, sedimentum viride obscurè nigricans in fundum dimittit; vel si medicata aqua sit aluminosa, cadit pulvis albicans, qui in igne examinatus in copiosas bullas attollitur. Mediante aceto destillato, si de sulphure participet; hoc enim sulphureas quasvis solutiones in formas lacteas præcipitare solet, ut in lacte sulphuris notum: mediante solutione lunæ in aqua forti, si aqua medicata de sale communi participet; pars enim huius aquæ solutioni dictæ instillata, eandem lacteam reddit, lunamque præcipitat: id quod aliàs sal commune præstat.
3. *Terras vicinas in & circa fontes*, vel *scaturiginem examinando*, quæ & qualia metalla conmeant? de quibus mineralibus participent? nam hæ ipsæ semper ramenta sua medicatis fontibus communicare solent. Confertur quoad huiusmodi probationem aquarum medicatarum AUGUSTI *Hauptmanns* scriptum de Fonte Hornhusiano.

Hisce modis addatur & *præcipitatio* ista aquarum *mediante Coccionella*: si enim sumantur aquæ fontis puræ ℥iii. quarum quælibet peculiariter impregnata sit vitriolo vel nitro & alumine, quælibet harum, injecto saltem unico Coccionellæ grano, diversam statim acquirit faciem: Vitriolaceæ ex nigro rubescentem, nitrosæ rubicundiorem, aluminosæ incarnatum exhibebunt colorem. Hoc ipsum cum aquis fluentibus vel fontanis tentatum quoque continget, unde facilè contenta judicabuntur.

Pro cognoscendis his contentis aquarum, nulli horum modorum soli fidendum est, sed omnes simul adhibendi, quoniam facillimè tam

tam evaporando ipsa contenta inter se, quàm præcipitando ipsa contenta cum medio præcipitante, novam texturam componunt, & ita vel nova contenta mentiuntur, vel vera contenta variè larvant. Imò omnes hæ probæ non adeò exactæ sunt, cùm per variam contentorum in aquis medicatis proportionem, cohæsionem, texturæ mutationem &c. plura hujusmodi fontium contenta minus exactè cognosci queant: Conf. BECHERUS *Phys. subter. lib. 1. pag. 191.*

Aquæ speciales medicatæ sunt Acidulæ & Thermæ.

ACIDULÆ,

Quod ergo attinet *Acidulas*: constant hæ vitriolo Martis, hoc est minerâ martiali à spiritu acido sulphuris embryonati, (h. e. sulphuris, quod est adhuc in fieri seu generari) arrosa, & mediante aquâ dissoluta. Probatur hoc tam *à priori*, quàm *posteriori*. *A priori* per experimentum ROCHAS, Scriptoris Gallici, Tr. *Scrutinium Aquarum Mineralium c. 2.* qui simul in *Vol. 4. Theatri Chymici* habetur: Nempe hic ita acidulas perscrutatus est, fodiendo usque ad scaturiginem fontis acidi, reperit tandem, quod aqua quædam simplex ac insipida, currendo per terram mineralem, evaserit salsa, ac, ut ipse loquitur, sale Hermetico imprægnata: hæc cursu suo tandem venam Martis penetrans, eamque corrodendo & exsorbendo tandem acidulas constituat, quod etiam egregiè confirmatum videmus ab HELMONTIO *in Paradoxis de Fontibus Spadanis*, ubi huic sulphuri embryonato adscribit: videatur item, qui Helmontii vestigiis insistit, TACHENIUS *in Hippoc. Chym.* A *posteriori* probatur per præcipitationem, dum Infuso aut Decocto gallarum acidulæ permistæ *Atramentum* constituunt; quod confirmat, easde Marte participare: item per ochram, quam hinc inde deponunt acidulæ, quæ est minera Martis in substantiam croceam soluta; item per saporem, qui est acido-dulcis vitriolicus quasi: item per effectus in animalibus, dum acidulæ potatæ excrementa nigra dejici faciunt, non secus ac solutiones Martis artificiales vitriolaceæ efficere solent. Quidam etiam probant per destillationem & evaporationem, sed fallax est:

1. Quia in destillatione multum de volatili substantia transit per alembicum, aut evanescit, sicque aliam acquirit naturam.
2. Remanentia mediante igne alteratur, & nova constituit concreta, adeòque contenta sic confusa & colliquata aliam acquirunt texturam ob violentiam ignis: si tamen acidulæ de alumine quid contrinent, optimè evaporatione cognosci potest; sic enim corpus aluminis in fundo octoedricâ figurâ concrescit. Alia quoque proba est, quando infunditur aqua salsa, seu in qua sal commune dissolutum; si enim aliquid nitri in acidulis continetur, turbantur, & quasi lactescunt.

Generantur ergò hoc modo Acidulæ per acidum, sive acidum illud aquas per cryptas & meatus subterraneos transcolatas imprægnet ante solutionem mineræ, sive post solutionem mineræ, sive post solutionem factam aquæ præterfluentes lixivium quasi Martiale vitriolicum exsorbeant. Sunt enim venæ seu mineræ Martis non maturæ, sub maturatione tamen constitutæ, in quibus semper reperitur sulphur, quod pariter nondum est perfectum, sed adhuc in rudimentis constitutum, facilè hinc eructat suum spiritum acidum, probabiliter salis universalis ex aere sobolem, & imprægnat aquam. Quod autem una aqua acidula alterâ sit magis acida, id fit, quando vel major vel minor copia vitrioli Martialis ipsi inest, à quo saporem habet subausterum & acido dulcem.

Hæc sunt essentialia ingredientia acidularum: verùm cùm Vitriola rarò reperiantur pura, quin ut plurimum Venere permixta sint, quidam disputant: annon & acidulę simul de Veneris vitriolo participent? Impossibilitatem duabus rationibus evincere conantur.

1. Quod Mars & Venus sint incompatibilia. Dum enim solvitur vitriolum Veneris in aqua, solutio oritur perspicua; cui indita limatura Martis, Venerem omnem pręcipitat seu separat, ut instar crustę supernatet: quia nimirum acidum sulphureum libentiùs aggreditur Martem, quàm Venerem, hinc ex solutionibus Veneris per bacillos Martis omne acidum elici potest: Sic ergo si conjuncta reperiantur Mars & Venus, hanc per pręcipitationem mox cadere putant.
2. Quod omnis solutio, ubi tantillum Veneris adest, vomitum excitet; Acidulę verò nunquam vim emeticam exerant, nisi excessivè in dosi majori assumantur. Sed rationes hę experientię non contrariantur: Vitriolum enim mixtę naturę mediante aquâ solutionem pariter dat perspicuam, ex qua Venus sine limatura Martis injectione non separatur: sicut & acidulas per accidens interdum de Venere participare, & vomitorias observari ROCHAS *loco citato* testatur. De alumine etiam interdum participant, cùm vitriolum & alumen sępiùs ex eadem minera generentur: item de nitro plus minùs, qua ratione acidulę Egranę etiam nitrum continent: videatur LANGIUS *Diss. de usu Acidularum Egranarum.*

Ex his patet, *quis sit usus acidularum*? Nempè ratione subtilis acidi sulphuris volatilis embryonati sunt incisivę, blandè abstersivę & resolutivæ, primarum viarum & Massæ sanguineæ mundificativæ quarumvis sordium remotione, singulariter diureticæ, & viarū urinarium purificativæ; ratione Martis corrosi autem salia vitiosa, imprimis acida austera, aut alio modo corpori nociva, errato digestionis primægenita, primas vias & hinc massam sanguineam occupantia absorbent, & per alvum evacuant. *Nempè bibitæ hę aquę ab alcali in toto corpore præsente*, mox *præcipitantur*, hinc pergunt per primas vias, reserant & eluunt quosvis meatus, & instar aquæ limpidæ copioso urinæ fluxu, quidem eadem, quâ haustæ sunt, copiâ, sine strangurria denuò excernuntur. Mars verò cum præcipitatur, imbibit vitiosa ista tartarea acida, & quæcunque salia vitiosa, eaque secum sub forma stercorum nigrorum per inferiora abripit, quod signum est acidularum ritè operantium: Id quod similiter fieri solet post usum medicamentorum Martialium, sive sit crocus acido non saturatus, sive tinctura, sive aliud quoddam ex Marte paratum remedium.

Conveniunt ergò acidulæ in quibusvis Chronicis malis; vitio digestionis primæ in ventriculo, aut hujus perfectionis in intestinis, à vitioso sapore acido, radicato in subjecto viscido, ortis; adeoque in affectibus hypochondriacis quibusvis, scorbuticis, spleneticis, ictericis, & icteri dispositione, (unde crebriorem recidivam optimè curant acidulæ,) affectibus nephriticis, eluendo vias urinarias, & fermentum renum vitiosum, lotii putrefactivum, cujus occasione generantur calculi, abstergendo & removendo, febribus intermittentibus chronicis, speciatim quartanis affectis, conducunt.

Dubium autem est: *An conveniant hydropicis*? *Scrup*[illegible] *movet* PLATERUS *in suis obs. pag. 572.* cum aquæ acidæ augeant morbum, & in hydrope mortuis ventre aperto aqua acida sero commista deprehensa fuit. Contrarium tamen experientiâ ostendit LANGIUS *Diss. de usu acidul. Egranarum Thes. 10. §. 29.* item M. A. N. C. *Ann. 2. pag.* 319. Sanè cum potenter sint diureticæ Acidulæ, nec melior sit modus curandi hydropicos, quàm per copiosum urinæ fluxum, patet, acidulas non esse nocivas hydropicis. Observetur tamen, ne bibantur malo nimis jam confirmato; & in quo viscera interna jam ad corruptionem tendūt. Deinde conveniunt maximè in illo hydrope, qui ex febribus intermittentibus Chronicis, præsertim quartanis, ictero, vitiis mensiū & simili occasione genitus est.

Controvertitur: *An Epilepticis conducant*? Distinguatur in Epilepsiam per essentiam, & per consensum viscerum, præsertim abdominis, splenis, mesenterii, uteri, ut in affectibus gravioribus hystericis: In talibus enim optimè conducunt acidulæ; item si ex terrore similivè graviori animi pathemate sit genita?

Quæritur etiam: *an conveniant in Arthritide*? Distinguendum: in arthritide adventitia pro fomite ejus ex primis viis eliciendo optimè conferunt, utut articulis affectis minus ferant levaminis, quod Thermis saltem concessum. *An in paralysi conveniant*? Distinguendum est hìc: In paralysi ex Colica, paralysi scorbtuica, &c. Conveniunt; in aliis paralyticis affectibus ex cerebro vel nervoso genere primariò affecto minus videntur conferre. Quid *de lue venerea*? Non arbitror, quod hìc aliquid prosint, præsertim cùm nullo experimento hactenus sit confirmatum SYDENHAM *op.* 395. disuadet aquarum mineralium potum in gonorrhœa virulenta, quippe per quem omnia in pejus ruant; si tamen lue Venereâ affecti corripiuntur morbo, qui requirit acidulas pro sui medela, sine scrupulo iisdem possunt uti.

Nocent autem acidulæ Phthisicis, etiam iis, qui jam ad hanc declinant, adeoque debili pulmone & crebrioribus catarrhis obnoxio præditis. Contrarium quidem defendere satagit HOECHSTEDTERUS *Dec. 3. Cas. 10. Schol.* Non tamen satisfacit. Non enim ferunt tales acidum Gas, quod acidulæ spirant, quin corrugentur partim, partim perfectè erodantur pulmones, adeò ut noverim exempla juvenum literatorum, aliquantisper ad phthisin dispositorum, qui haustu accidularum perfecti phthisici redditi, hydropici redierunt. Item qui constitutionis magis macilentæ sunt, idque ex constitutione plus minus hectica, iis minus conveniunt acidulæ; qui verò ex acido austero macriores existunt, ut sunt scorbutici, hypochondriaci, splenetici, &c. talibus optimè conducunt Acidulæ: cum post earum usum habitiores reddantur. An lactantes bibere debeant affirmat HORSTIUS *Tract. de acdulis SWalbacensibus pag. 10. & 11.*

Quoad *utendi modum*, observandum venit *tempus bibendi*, *quantitas*, ac reliquæ *cautelæ*.

Tempus optimum est vernum & æstivum, Mensis præsertim Aprilis, Majus, & Junius; Autumnali enim & hyberno tempore turbidæ, minus efficaces, ac minus salubres observantur.

Quantitatem docet natura affectus plus minus confirmati, constitutio ægri plus minus robusta, euphoria major vel minor. *Bibendi modus* est, ut adscendatur gradatim, & fiat progressus à parva dosi ad mediam, tandem ad maximam. Naturę enim omne nimium inimicum est, & omnis subitanea mutatio corpori noxia est: persistatur in summa dosi aliquandiu, ad decem vel quindecim dies scilicet, ac post denuò gradatim descendatur. Nam ii, qui mox in principio in maxima dosi incipiunt, in ea longè persistunt, & in eadem desinunt, id non fit sine gravi noxa: v. g. die primo bibantur vitra tria, secundo die quinque, tertio vitra septem, quarto vitra novem, quinto vitra undecim, usque ad summam dosin, & usqueeò, donec stomachus nihil amplius capere possit, & nau-

ſeam percipiat, per unam alteramve ſeptimanam, diutiùs ſi ſaltem ſemel, minus diu, ſi bis in die bibatur, continuetur: tandem iisdém gradibus denuò deſcendatur, minuendo ſcilicet omni die vitra 2. ita ut ſi ſumma doſis fuerint vitra 13. altero die ſumantur 11. hinc 9. & ſic usque ad minimam. Bibunt quidam ſemel in die, manè ſaltem; quidam etiam bis, manè & à meridie: & quidam bis bibunt eandem doſin utroque tempore; quidam verò dimidiatam ſaltem à meridie doſin potus antemeridiani aſſumunt.

Cautelæ in uſu harum obſervandæ ſunt ſequentes.

I. Non bibantur acidulæ niſi probè præmiſſa ſint univerſalia, univerſum corpus, præſertim primas vias mundificantia, ut his impedimentis remotis eò feliciùs & meliùs poſſint exerere ſuas virtutes acidulæ. Quandoque in conſuetis præmittitur venæ ſectio parca.

II. Viſcera ejus, qui bibere vult, ſint integra & robuſta, præſertim ventriculus, & pulmones; quia omnibus, qui ad phthiſin pulmonalem inclinant, acidulæ infenſiſſimus hoſtis ſunt, propter vitriolum, quod pulmonibus eſt inimicum.

III. Emunctoria corporis ſemper ſint aperta & fluida, & ad minimum bis in die, ne Mars præcipitetur in primis viis: hinc alvus obſtructa nunc pilulis uſualibus aloeticis, nunc clyſmatibus irritetur; Accidit enim interdum, ut pedes quibusdam intumeſcant, niſi alvum fervent apertam beneficio clyſmatis. Urina etiam copioſè fluat, tantum ſaltem ejus excernatur, quantum acidularum bibitur: quod quidem rarò fit primis 8. diebus, quin ſub his ferè per alvum laxare ſoleant, ſed poſt aliquot dierum uſum copioſior diureſis ſupervenire ſolet.

Ut itaque melius reſpondeat alvus, interdum tertiâ vel quartâ qualibet die pilulæ, aut infuſum quoddam ſennatum bibatur, idque vel una alterave hora ante acidularum hauſtum; promovebitur enim ſic mirabiliter operatio acidularum & tranſitus: vel potiùs à meridie bihorium ante cœnam capiatur laxativum; ſic enim ſequente mane acidulæ meliùs alvum aperient; vel aſſumpto tali laxativo matutinus potus intermittatur, & pomeridianus ſumatur: Nam ſi purgatio intermittitur, plerumq; plus mali quàm commodi ſentitur. Clyſmata etiam commodè uſurpantur, tam manè ante potum, quàm veſperi poſt potum. Ut urinæ conſervetur fluxus, interdum tinctura tartari acris, tinctura nephritica, ſpiritus carminativus, vel aliud ſimile remedium, in uſum vocetur.

IV. Blanda deambulatione, aut leni corporis motu, promoveatur promptior acidularum operatio; quoniam ſic faciliùs deſcendunt per alvum (quod primis diebus difficulter fit) ac motu aperiuntur corporis pori, copioſiorque promovetur diaphoreſis. Sudor tamen in acidularum uſu non æquè eſt conveniens.

V. Diæta ſit moderata, potiùs quàm nimia, ne alimentorum onere impediatur acidularum operatio: in iis, qui bis bibunt quotidiè, prandium parcius, liberalior cœna, concedatur, nec unquam absque notabilibus appetitus ſtimulis à menſa ſecedatur.

VI. Non bibantur acidulæ, niſi vacuo ex actè ſtomacho, aliàs vel fruſtrà, vel non absque inſignioribus turbis, bibi poterunt.

VII. Sub uſu acidularum remedia aromatica ſtomachica ſimul adhibeantur, hinc hauſtulus vini in cœna, zinziber in India conditum veſperi aſſumptum, eſſentia piperis, aut Elixyr proprietatis manè horâ 1. ante acidularum potum, interdum in pauco vehiculo calido, aſſumatur.

VIII. Poſt abſolutum acidularum potum, laxativa abſtergentia blandè purgantia non omittantur, ut reſiduæ acidularum Martiales particulæ, quæ ſubinde plures Menſes in corpore deliteſcunt, horum ope penitus eliminentur.

IX. Poſt acidulas hauſtas optimo conſilio ingrediuntur Thermas, partim ut viſcera abdominis horum medio ad debitum tonum denuò redigantur, & remotis internis impedimentis externarum partium mala à Thermis meliùs removeantur.

Plura qui cupit de genuino acidularum bibendi modo, videat D. LANGIUM *in Diſſertatione hujus argumenti*, quæ eſt ſatis copioſa, & ſatis elegans conſcripta.

Dubium eſt, *An* etiam *Acidulæ extra locum naturalem aliorſum tranſvehi, & cum fructu uſurpari queant?* vel *an neceſſe ſit, ut in loco ſcaturiginis hauriantur?* Diſtinctione res poteſt decidi: Nempe acidulæ quædam ſunt acido eſurino ditiores; aliæ contra magis impregnatæ ſunt minerâ Martiali. Jam notum eſt, quod acidulæ in lagenis aliquamdiù reſervatæ deponant ſubſtantiam terreo-flavam; uno nomine, Ochram Martialem, quæ nil aliud eſt, quàm minera Martialis, ab acido eroſa, quæ ubi penitus imbiberit acidum ſolvens, hoc ſecum coagulat, & ita tandem acidum in minera coagulatum ad fundum præcipitatur, ſupernatante phlegmate inutili parum acidulo, tantillum ſulphuris ſpirante. Iſtæ ergò aquæ, quæ pauperiores ſunt acido illo eſurino, & reſpectivè magis Martiales, in loco natali neceſſe eſt bibantur; quia aliàs acidum à Minera abſorptum fundum petit, & aquam vi medicatâ maximam partem orbatam relinquit.

Nec eſt, quod objici poſſit, acidulas tales in vaſe clauſo aſſervatas adhuc ſpiritu turgere, ita ut ſi paulum relaxetur operculum, hic cum impetu erumpat: nam hic non ſunt ſemper ſpiritus minerales in aqua præſentes; quia notum eſt, quod omne acidum ſolvens quandam Mineram Metallicam ſub roſione & ſolutione Gas ejus elaſticum ſeu flatuoſum emittat, quod ſpatii defectu ſubinde vaſa disjiciat in acidulis. Ergò dum urget adhuc actio acidi rodentis in mineram, etiam ſimile Gas excitatum ſimiles affectus producit. Quod ſi verò ditiores ſint acido acidulæ, & quidem diutiùs operationem in mineras exerceat, nec tam citò cum hoc coagulatum fundum in forma ochræ petat, tales acidulæ aliorſum poſſunt transvehi; non tamen nimis diu aſſervantur, quoniam aliàs non levem etiam virium jacturam patiuntur.

Cum itaque acidulæ fiant ex roſione ſalis quaſi univerſalis in venam metallicam, dubium oriri poſſet: *Cur non incaleſcant quandoque acidulæ, cum actio talis vix ſine efferveſcentiæ motu & exæſtuatione fieri poſſe videatur?* Sed reſpondetur: dilutum eſt acidum aquâ, & ipſa vena metallica proprio acido jam plus minus ſaturata, unde minori impetu & blandiore roſionis actu acidularum fit generatio. Obſervavit etiam acidulas calentes in Carinthia PARACELSUS *in chronico Carinthiæ*.

Facit huc etiam fons iſte mirabilis Paderborniæ deſcriptus *in Ephemeridib. Erud. Ann.* 1666. *die* 22. *Martii pag.* 254. & 255. ubi ex uno fonte tres diſtincti rivi exeunt, quorum primus aquam tepidam & ebullientem vehit, ne de ſalibus & mineralibus participare dicitur: alter vehit aquam frigidam, turbidam & albicantem: tertius ex utrisque apparenter compoſitus calidus eſt.

Debiliores aut metallo pauperiores ſubinde tùm obſervantur acidulæ, artificialibus propterea acidulis fortificandæ. Varia harum acidularum artificialium eſt compoſitio, quæ tamen facilis eſt, modò naturæ ductum ſequamur: nam quod quidam ſpiritum ex antimonio, nitro & ſulphure ſeu clyſſum mineralem acidum pro acidulis artificialibus ſubſtituunt, nihil eſt, cùm Martis minera deficiat.

Optimè ergò acidulas naturales imitatur, & conſequenter artificiales conſtituit *liquor Martis ſolaris* dictus, ex minera Martis ſulphurea paratus, ſeu, ut vulgò dicunt, ex Marcaſita ferrea, de qua *infrà*, ubi *de mineris*.

THERMÆ.

Thermæ ſunt aquæ Medicæ naturales calidæ. Harum generationem variam habemus: Adſcribitur vulgò ſæpius calori, vel igni cuidam ſubterraneo, à quo iſtæ tam inſigniter incaleſcant: virtus verò medica earum ſalibus & mineris, quas alluunt: videatur KIRCHERUS *in Mundo ſubterran.* Verùm ignis talis ſubterraneus eſt Non-ens, cùm nullibi poſſit eſſe ignis, ubi non continuus conceditur aeris affluxus & refluxus; quinimo ut aere mediante poſſit incendi ignis quidam ſubterraneus, neceſſe eſt, ut præcedat priùs motus citatus particularum ſulphurearum, quo mediante aeris acceſſu, hujusque omnimoda reſolutione ignem poſſit formaliter conſtituere. Quod de montibus ignivomis hìc proferunt, quaſi ſint ſpiracula ignis ſubterranei, nihil ad rem facit: non enim putandum in terræ viſceribus longè ab eruptione illarum flammarum ignem actualem ardere; ſed ſaltem efferveſcentes & ebullientes mutuò mineræ, plus minus metallicæ ac ſulphureæ, cum ſalibus mineralibus eructant copioſos fumos, qui tandem per terræ ſuperficiem ex aeris occurſu flammam concipiunt, & formalem ignem efficiunt. Illuſtro rem experimento ſimili, cujus etiam ſit mentio in BARTHOLINI *Act. Haffn. Vol.* 1. *pag.* 133. ſi nempè oleum vitrioli & oleum terebinthinæ recentia in cucurbita etiam longa invicem confundendo miſcentur, efferveſcendo intenſiſſimum ardorem concipiunt, copioſos fumos eructant, qui citò cucurbitæ orificium tranſcendunt, & in perfectam flammam abeunt.

Oriuntur ergò Thermæ *probabiliùs ab efferveſcentia acidi ſulphuris embryonati, rodentis* mineras & marcaſitas, naturæ terreo-urinoſæ ſeu quaſi alcalino-ſulphureæ, ſeu, ut loquitur HELMONTIUS *de febr. c.* 9. §. 25. ſale acido fontium in marcaſitarum lixivialem materiam primam agente. Marcaſitæ Arabibus, Pyrites Græcis, *ein Kies* Germanis, ſunt unum idemque, fodiuntur in omnium ferè metallorum fodinis, genere & colore diverſæ, ſunt materia metallica immatura tot ſpecierum, quot ſolidorum metallorum; propriiſſimè tamen Pyrites eroſa, unde æs conflatur, ſeu Marcaſita cuprea Arabibus hoc nomine venit; unde & BECHERUS *Phyſ. ſubterr. pag.* 537. hanc ſolam ſub Marcaſitæ nomine deſcribit.

Actione ergò acidi embryonati ſulphuris in materiam lixivialem ſulphuream oritur talis efferveſcentiæ motus, & ex hoc tam inſignis æſtuatio, unde calor Thermarum primariò emergit; ſimili nempè ratione atque calx viva acido ſimulque ſubſtantiâ alcalino-terreâ dives, aquæ affuſione intensè incaleſcit, agente nempè acido in adjunctum corpus terreo-alcalinum. Idem obſervatur in calce lota, vel lapillis cancrorum, vel oſſe ſepiæ, à ſpiritu ſalis acido ſolutis, quæ ipſa, abſtracto ſolvente, ſemper caput mortuum album relinquunt, cui affuſa aqua ſimplex mox intenſiſſimum æſtum producit: vel ſicut aqua quædam ſalina cuidam metallo, imprimis Marti, affuſa facit efferveſcentiam, ita ſimili ratione in viſceribus terræ fiunt efferveſcentiæ aquarum, beneficio acidi ſulphuris embryonati in mineras metallicas ſulphureas, vel alcalino-terreas alcali-

alcalinas. Quidam dicunt, ab æstu minerarum, seu calore solis refracto in montibus, lapides calcarios quasi calcinari: sed hoc quoque falsum est; quia vis calida solis non ultra binas ulnas per terræ crustam se extendit, præprimis in montibus & locis saxosis. Ergò calor formaliter consistit in certo motu intensissimo materialium in acido, confertim agente in concreta terreo alcalina.

Confirmo hanc genesin Thermarum & effervescentia, tam à priori quàm posteriori. *A priori* ab experimento ROCHAS *in Scrutin. Aquar. Mineral. c.1.* qui in montibus alpinis Helveticæ scaturiginem fervidam seu Thermas usque ad sui principium persecutus est, & observavit aquam originaliter insipidam frigidam transudatione per certam terram, sal quoddam minerale, ipsi universale seu thermeticum dictum, imbibere, quæ aqua postmodum, ubi attingit mineram seu marcasitam sulphuream, mox intensam ebullitionem & effervescentiam, indeque spumam & intensum æstum producere, eodem modo quo solet fieri in Chymicis ex duobus salibus, & ita Thermas constituere.

A posteriori item illustratur à crusta, simili lixivio calcis vivæ supernatare solita, quæ subinde in Thermis observatur: Conf. BECHERUS *Phys. subterran. L.1. pag.* 100. *& seqq.* Crusta talis in calce viva imprimis ab acido est: Nam si aquæ solutionis calcis vivæ, parum solutionis alcali fixi infundatur, aqua nullam crustam postmodum superinducet alcali lixivii superaddito, acidum, crustam aliàs coagulans, enervante: item confirmatur per terram calcis vivæ, sed denuò coagulatæ, vel compactæ, similem circa Thermas frequenter reperibilem. Tandem experimenta & asserta MAYOW *Tr. de spiritu nitri aereo pag.* 247. *& seqq.* idem confirmant: Efficienter igitur conveniunt cum acidulis Thermæ; in primo nempè Ente salium seu spiritu acido esurino: objecto saltem differunt, quod in acidulis est minera Martis, vel Veneris, in Thermis Marcasitæ metallicæ, naturæ quasi lixivialis plus minus sulphureæ, cum acido illo effervescentis, atque perinde sive aqua illa acido fontium ebria, currendo per terræ meandros obvios, habuerit tales Marcasitas, quas roserit, & ita cum iis ebullierit, sive marcasitæ quædam utrumque in se jam tum contineant, nempè sal universale aut immediatum ejus productum, acidum embryonatum, & terram lixivialem; quale quid in mediis mineralibus de calcis vivę natura facilè evenire potest, quæ accursu aquæ fontanæ subterraneæ dissoluta in se agere, & hinc effervescendo Thermas producere valent.

Pro illustratione hujus curiosa est Epistola, quam Medicus D. ETMUNDUS MEARA *ad D. Bruyam de aquis Batoviensibus* in Anglia scripsit, & reperitur in Histor. singural. naturali Angliæ & Scotiæ, Anglicè priùs conscriptis à Domino CHILDRAY, sed à Domino BRYOTT in Gallicum sermonem translatis. Verba Epistolæ sunt hæc: *Cùm nudius tertius non procul ab urbe obequitaret, casu offendit cretam quandam nivei colòris sparsim è terra, in exiguis colliculis emergente, ad instar terræ à talpis egestæ; hujus portionem bonam attulit, mihique ostendit. Friabilis est, sponte ferè in scobem levissimam abit, saporem exhibet manifestè acidum sine adstrictione, sed paulatim mordicat, ac inflammatoriam strangulationem in faucibus parit, ut non dubitem, illam multo chalcantho vel vitriolo abundare, nec esse omninò sale expertem. In frigidam effusa confertim ebullitionem vehementem excitavit, non secus ac si Calx viva esset, & pedetentim aqua tam insignem calorem concepit, ut ovis citò coquendis par esset: Cum hæc creta in Thermarum vicinia reperiatur, verisimile existimo, aquam Thermarum hoc igne calescere.* Locus, ubi hoc fossile fuit repertum, terra est spongiæ instar porosa, ut facilè appareat, illud florem esse, seu apocryphum mineralium fermentantium unam, ceu fermentativis spiritibus sursum eluctantem.

De *sulphure* dubium est, *annon hoc* etiam *Thermas ingrediatur*? Certè plura ejus in omnibus Thermis sunt vestigia: ut taceam enim odorem sulphureum ex mutua actione salium in Marcasitis plus minus sulphureis emergentem, deprehenditur sulphur in Thermis partim crudum seu corporaliter, partim, idque frequentiùs, volatile seu spiritualiter de Gas sulphureo vel sulphure volatili thermas imprægnante: videatur BECHERUS *Phys. subterran. pag.* 701. sub quo merentur conferri ea, quę habet WILLIAM SIMSON *in Cimol. Physica*, hoc est, *Disc. Philosoph. de Ferment. p.* 10. *&* 11. sententia ejus ex Anglico in Latinum translata ita se habet: *Eruditus tamen Brovvne in suis itineribus nobis refert has observationes: sulphur quod est in magna abundantia in pluribus thermis, continuò efflat, nec in iis reperitur, si aquam thermarum evaporaveris. Propterea putabam magis rationale, extra aquas quàm intra aquas inspicere: Nam pluribus in locis qui erant super thermas, & qui recipiebant vapores thermarum, vidi sulphur adhærere, & pro satisfacienda curiositate canalem, per quem thermalis aqua continuò fluebat, aperiri curavi Budæ in Hungaria, & meis manibus ex superiori canalis parte extraxi substantiam, vix à floribus sulphuris distinguibilem, qua plures capsulas replere potui.* Idem AUTOR refert, quod aliquando ambulans in inferioribus Thermis Budæ & inclinans redimios (*an diadema*?) observarit, quod ejusdem globuli argentei in colorem flavum, tanquam aureum, fuerint mutati, utut aliquo usque ab aqua distaret: Unde fecit experimentum, suspendit monetam argenteam ad pedis altitudinem supra thermas, & reperiebat illam coloratam intra minuti temporis spatium.

Varietas Thermarum pro ingredientium Marcasitarum ac junctorum varietate multiplex est, quatenus simul præter acidum & Marcasitæ sulphureo-lixivialem substantiam, & de sulphure corporali vel nitro vel alumine participant. Interdum & Martiales esse solent: Sic enim Carolinæ Thermæ, præter principium salinum minerale, & de vena Martis, & calce viva undique nato topho seu calce ferruginosa participat, teste LANGIO *de Therm. Carolinis cap.* 3. *Teplicenses Thermæ* sale, alumine & nitro turgent. Hinc SIMSON *in Cimol. Phys.* rectè differentiam Thermarum primariò procedere asserit de differentia & magna varietate sulphurum ac corporum mineralium, per quæ transeunt, aut cum quibus sunt imprægnatę, unà cum aliis mineralibus particulis, quas vel in loco fermentationis, vel in aliis locis, per quæ transeunt, arripiunt. Hinc est, quod quędam harum thermarum possunt pro cura morborum bibi internè, quædam verò non. Istę, quę potu hauriri possunt, in genere talia erunt, quorum sulphura aut à sulphure communi, aut antimonii, aut de Marcasitis vel pyrite his cognatis participant; sed aliæ thermæ, quæ non possunt commodè internè usurpari, sunt, quæ imprægnatæ sunt sulphure aut minera bituminosa, arsenico, vel ad minimum ex talibus Marcasitis originem ducunt, quæ de hujusmodi sulphuribus participant.

Usus Thermarum in genere ex eorum sulphure volatili, & hinc ex textura & sapore earum styptico, est judicandus, in specie verò ex ingredientibus, iisque subinde variis, determinandus venit. Conveniunt ergò Thermæ in genere in affectibus præsertim nervorum, horum nempè atonia seu resolutione fibrarum partium nervosarum, item in doloribus earum quibusvis, tam fixis, quàm vagis; hinc in specie in paralysi & stupore partiū, metu apoplexiæ, &c. egregiè conferunt: item in doloribus brachiorum, crurum, & capitis chronicis & periodicis, morbisque convulsivis partium externarum, subinde sunt admodum utiles; sanè colicas convulsiones, & inde artuum paræses, quàm contracturas, mirificè Thermæ lenire solent.

Penetrat nempè illarum sulphur, unà cum subtilioribus mineralium salibus, ac resolvunt quasvis partium sordes nervoso generi inimicas, easque per sudorem evocant, ac simul sapore qua styptico firmant, ac densant resolutas partes nerveas, corrigunt simul acidum partium nervosarum, & per sudorem feliciter eliminant. Porrò in doloribus nephriticis egregiæ sunt, anasarcam hydropem optimè curant, tumores partium flatulentos, & inde factas inflammationes quasvis auspicato tollunt. Sterilibus mulieribus, istis præsertim, quarum uterus nerveus atonià laborat, & hinc variis sordibus scatet, hunc ad concipiendum feliciter disponunt; permaneant in Thermis usque ad regionem lumbarem, ut purgetur uterus. In fluore mulierum albo egregios Thermarum novi effectus.

De *arthritide*, *Podagra*, *malo Ischiadico*, &c. res dubia est, *an* & hic *conferant*? TIMÆUS refert *in Epistolis pag.* 812. se non vidisse Podagricum, cui Thermæ conduxerint, quin potius rigidos & contractos reddiderint. Distinctione videtur res expediri, nempè Podagricis confirmatis, & in quibus acidum podagricum fortiùs locis articularibus infixum est, adeoque qui jam ad nodos nonnihil dispositi sunt, his arbitror Thermas vi styptica & adstrictoria, simulque roridi succi potenter resolutiva nocere, & eosdem ad præfatas contracturas disponi. Isti contra, qui nondum adeò confirmati sunt, his thermæ propter vim resolvendi, discutiendi, ac partes nerveas roborandi, multum conferre existimo; saltim roboratis articulis, à paroxysmo minus frequenter recidivam pati solent.

In lue Venerea quæritur, *quid propriè conferant*? Equidem lues Venerea usu earum non curatur, redeunt, prout ingressi sunt, ægri. Sed ubi methodo consueta curata jam est lues Venerea, vel ex toto, vel maxima ex parte, pro partibus externis præsertim nervosis, isto morbo admodum debilitatis, speciatim si Mercurio curata fuerit ægritudo, roborandis ac in debitum vigorem restituendis, adeoque morbosis reliquis penitus eradicandis, multum conferunt. Externos affectus cutaneos, ulcera inveterata & pessimi moris, serpigines, scabies contumaces & ferinas, lepram ipsam, nisi nimis sit excessiva, impetigines & lentigines, tumores pedum œdematosos, & similia alia cutanea vitia propter sulphur curare solent feliciter Thermæ, quomodocunque usurpatæ, resolvendo succos, & abstergendo ulcera.

Nocent autem è contrà *Thermę* tabidis, atrophià correptis, ad hecticam dispositis; in his enim sudores colliquativos ferè excitant: unde qui raræ nimis texturæ sunt, cautè adhibeant earum usum; item qui salsioribus & acrioribus humoribus nimis abundant, cautiùs iisdem utantur. Interdum cum impetu superiùs & inferiùs purgant, quod periculosum: Imò, quibus viscera imbecilliora, ad hydropem disponunt, quoniam utplurimum certum sabulum aut substantiam saxeam, aliasque partes terrestres, secum vehunt, quę transfluxu thermarum tandem coguntur in tophaceam materiam, quæ copiosè reperitur in alveis, per quas fluunt Thermæ: harum particulæ affiguntur visceribus & lateribus in stomacho, & pertinaces inferunt dolores. Omnium optimè obesis succulentis, phlegmaticis item affectibus à causa frigida, vel humore viscido natis, apprime conveniunt.

Utendi Thermas *modus* est duplex, vel externus solùm, vel externus & internus simul: Experientia hìc optima est Magistra: Cùm enim à priori nequeamus semper præcisè scire, quę Thermarum ingre-

ingredientia sint? quâ proportione mista? & quæ textura inde emergat? an temperantia medicamentosa? an verò acria venenosa? ob id experientiæ totum negotium meritò committitur.

Potandarum Thermarum par ferè ac acidularum est ratio; bibantur mane, quàm calide fieri potest, cum motu corporis debito, idque gradatim ascendendo, observando ut simul largiter ac copiosè evacuent. Usus externus vel in earum insessu vel balneatione, vel lutorum thermalium applicatione, consistit. Balneandi modus est, ut bis quotidie, manè à solis ortu, & vesperi bihorio præter propter ante cœnam, intrent. Balnea non sint nimis fervida, ob facilem aliàs spirituum exsolutionem, & subitam nimis humorum seu partium solidarum alterationem; sed potiùs moderata, adeoque expectetur, dum vel intepuerint, vel frigidæ admistione moderata sint. Usurpantur utiliùs verno & autumnali tempore, minùs ardente Sirio. Insident balneis quidam diutiùs, quidam breviùs, pro circumstantiarum tam ægri quàm balnei ratione. Luta thermalia interdum meliori cum fructu, quàm ipsæ thermæ, admoventur; calida humectantur, & aliquandiu in loco affecto relinquuntur, idque quotidiè repetitur pro dolorum lenitione, ulcerum sanatione, &c.

Pro legitimo thermarum utendi modo sequentes *cautelæ* probè observandæ.

I. *Præmissa* debent esse *Universalia*, nempe primas vias abstergentia, humores evacuantia, & hinc volatilia incidentia, & blandè diaphoretica, quo liberrimus omnium contentorum fieri queat circulus. Aliàs ex inepto Thermarum usu aut pessimè febricitantes, aut scabie male fœdati redeunt ægri.

II. Thermæ optimè succedunt acidulis, ut rectificato primò corpore interno, externè prosperiùs adhibeantur. Neglectis enim acidulis, quidam magis læsi, quàm sani exeunt, utut non semper necessariò: nempè in chronicis quibusdam affectibus, item iis, quibus continuato acidularum potu ventriculus & intestina aliqualem atoniam acceperunt; item qui renes exinde laxiores habent; item qui articulorum & artuum dolores, aut imbecillitates gravativas, sentiunt; item qui ad stuporem vel membrorum spasmum inclinant.

III. Sub Balnei usurpatione alvus, quæ aliàs facilè adstringitur, soluta esse debet: Hinc vel pilulæ blandiores abstergentes una aliave hora ante prandium, aut potius cœnam, assumptæ, vel clysmata injecta, conveniunt.

IV. Vivamus secundùm naturam in Thermis, quoad diætam, idest, contenti paucis, & concoctu facilibus, vires sublevemus & recreemus, non oneremus.

V. Balnea ingressuri, jejuno sint stomacho.

VI. Thermas ingressuri diaphoreticis ac sudoriferis simul se muniant, & naturæ motum sic promoveant: v. g. antimonium diaphoreticum cum Rob sambuci, item cornu cervi sine igne, Bezoardicum minerale, &c. adhiberi possunt. In scabiosis & lue Venerea affectis decocta lignorum sunt convenientissima.

VII. Ab egressu è Thermis æger sudorem in lecto ulterius suaviter, & quantum vires valent, cieat, ut ita universa corporis peripheria ab omni humorum saburra conservetur tuta, aut saltem frigido se non exponat æger, sed vel in lecto vel hypocausto calidose conservet.

VIII. Ab egressu è balneo non statim frigidis potionibus se ingurgitent ægri, ne viscera hinc labefactentur, aut humores subitò nimis alterenrur.

Cùm autem Thermarum calor successivè exhalet, necesse est, ut in loco natali hauriantur. Quæritur ergo: *An & artificiales Thermæ dentur ex nitro & sulphure?* Respondetur: Sulphur quidem hoc præstare: verùm nitrum non valet, quia habet in se sal illud jam concentratum. Ut igitur imitemur naturam, mineram nitrosam sumamus, quod optimè præstat calx viva propter ebullitionem; non verò nitrum ipsum, quod hìc nil valet; & sic non inconcinnè ex calcè vivâ & sulphure cum aqua communi decoctis parantur; tunc enim successivè dissolvitur sulphur. Modus est sequens:

℞. *Calcis vivæ* q. s.

Misce cum sulphure vivo, vel loco ejus cum sulphure communi: Mistis his affundatur aqua, fervetu in vase clauso, & dum effervescunt, illis insideat æger: vid. ZWELFFERUS *Mantissa spagyr. pag* 401. & GREISELIUS *de Cura lactis in Arthrit. Artic* 8. *pag.* 150.

Aliàs pro Thermis naturalibus in alium locum transportandis, quidam

℞. *Terram propè Thermas*, & ebullire faciunt in *aqua*: Isti decocto æger insidet.

Hic modus interdum proficuus iisdem, qui laborant cruribus.

Plura qui vult *de Thermis* videatur *Tractatus* D. LANGII *de Thermis Carolinis*, qui est elegans & valdè accuratus.

Hæ fuerunt Aquæ ex terra profluentes; Sequuntur nunc *Aquæ aereæ*, quales sunt *Aqua pluvialis*, *nivealis*, atque *Ros*.

AQUA PLUVIALIS.

Aqua pluvialis, & *nivea*, & *Ros*, conveniunt omnes in eo, quod sint Meteora, quæ ex effluviis terræ ac corporum quorumvis, vehiculo aqueo unitis, deorsum versus denuo ferantur: sed singulares earum vires, quas ab aqua communi distinctas habent, imprimis considerandæ sunt. Ante omnia putredini ac corruptioni minimè obnoxiæ sunt hæ aquæ, præsertim aqua pluvialis Martia, ac Ros Majalis, quin potius præ aqua communi vim specialem fœcundandi omnia vegetabilia obtinent, imprimis Ros. Ergò probabile est, certum principium balsamicum contineri in aquis pluvialibus. Aquæ autem pluviales pro varietate temporum anni multum variant: Optimæ enim sunt, quæ tempore vernali, Mense Martij, Aprili atque Majo cadunt. Hi enim tres Menses vocantur Menses balsamici, quo tempore aquæ pluviales largiter imprægnatæ sunt copiosis virtutibus siderum & seminalibus plantarum aliarumque rerum terrestrium. Prætereà quoque acuatæ sunt copioso sale volatili exhalante & prodeunte ex rebus terrestribus, & imprimis ex vegetabilibus, propter vim progerminativam: ratione hujus salis & virtutis seminalis fit, ut aquæ pluviales non putrescant, modò adserventur in loco frigido; benè verò possunt adigi ad fermentationem propter principia activa & fermentativa: propterea quando fermentatur & destillatur aqua talismodi, dat menstruum elegans pro extrahendis virtutibus vegetabilium.

Habet aqua pluvialis virtutem saponariam & abstersivam, unde in morbis externis & cutaneis à nonnullis solet adhiberi & commendari.

Pluviales hæ aquæ subinde ad præcipitandas solutiones adhibentur: de quo conf. KUNCKELIUS *Obs. Chymic. P.* 2. *pag.* 123. & ex hoc concilianda venit manifesta illa HOFFMANNI contradictio, quam habet in *Clave pag.* 140 & *pag.* 218, dum nempè aqua pluvialis, quæ nitrosa est, solutum argentum ex aqua forti non præcipitat; è contrà putealis & fluvialis, sal magis urinosum ac minùs nitrosum continens, promptè illud præcipitat. Illustrat hoc imprimis KUNCKELIUS *Experimento*, ubi duplicem aquæ nivalis observat differentiam: dum nempè nix, quæ mitiori tempestate cadit, adeòquè statim liquescit, lunam aquâ forti solutum non præcipitat; quæ verò frigidiori tempore cadit, & non liquescit, promptè solutionem illam præcipitando lacteam reddit: unde *frigus hybernum ex alcali oriri* idem suspicatur: videantur ejus *Obs. P.* 2. *pag.* 122. Nam utut HOFFMANNUS *loco allegato pag.* 141. audacter pronunciet, in hyeme ac flante borea sal aeris acidum esse, æstate verò alcalisatum; tamen nullum fide dignum experimentum pro hoc asserto profert. Quomodocunque enim agat, uniformiter nitrosum elicies, nisi heterogeneæ particulæ subinde admixtæ sint.

Sunt qui ex hac aqua pluviali vernali, in specie Martia, volunt præparare *Menstruum universale*, pro universis metallis solvendis & extrahendis, inter quos imprimis est BURRHUS, sublimis notitiæ Philosophus, qui non solùm menstruum universale, sed etiam lapidem Philosophicum, voluit præparare, ex eo, quod sit imprægnata influxu astrali, & fœta spiritu mundi universali. Cæterùm successus non respondit, sed accepit loco menstrui universalis Menstruum falsum, quo tamen solvere potuit aurum; non tamen tale, quale genuini Philosophi volunt, in quo nempè aurum tanquam glacies in aqua tepida sine strepitu liquescat & dissolvatur. Alii loco menstrui universalis volunt præparare medicinam universalem ex aqua pluviali, inter quos est D. DIENHEIM, qui scripsit Tractatum de aqua pluviali, uti videri de tali medicina potest in ROSENCREUZERI *Astron. Inferiorum pag.* 405.

Modum ex pluvia parandi sal videbitis apud RHUMELIUM *in Antid. Chym. pag.* 145. cujus salis volatilis pluviæ non ineleganter facit mentionem PAULI *in Dissert. de Febr. malign. pag.* 55.

Ad aquam pluvialem pertinet

AQUA TONITRUALIS.

Aqua Tonitrualis magni æstimatur, virtute siderum largiter, uti & sulphure & nitro non nihil, imprægnata. Nam *tonitru nil aliud est, quàm sonitus pulveris pyrii naturalis*, seu *sulphuris & nitri volatilium, in nubibus per motum incensorum*. Aqua hæc tonitrualis vix ad solidum frigus redit, sed semper aliquid teporis aut empyrevmatis habet. Non autem putandum, tegmen illud flavescens seu pulverem flavum, subinde cum tonitruali aqua, pluviali etiam, deciduum, esse sulphur quoddam genuinum; nam revera nihil est, quàm pulvisculus iste flavus, qualem muscus terrestris clavatus, item pini, ac similes arbores resiniferæ in julis & strobilis copiosè excludunt; de quo videbitis M. A. N. C. *Ann.* 6. *pag.* 122. item BECMANNUM *Disp. de Prodig. sangv. c.* 1. §. 6.

In usu Medico habet virtutes nullas noxias, & externo usu dicunt, quod in capite producat pediculos.

Si recipiatur aqua tonitrualis copiosa, inspissetur ad consistentiam mellis, atque tunc destilletur, prodit spiritus, sal volatile oleosum, & tandem in capite mortuo sal quoddam fixum remanet. Sub destillatione spiritus variæ habentur figuræ in receptaculo.

Sequitur

AQUA NIVEA.

Nix seu aqua nivis in recessu habet sal singulare, beneficio cujus à quibusdam tinctura Coralliorum singularis paratur. Vulgò nivem nitro abundare asserunt, contrarium tamen defendunt multi Medici, im-

ei, imprimis eruditus BORRICHIVS, quod videbitis in BARTHOLINO C. 3. Epist. 97. pag. 424. ubi potius oleum seu sulphur fœcundans in nive observat: Conferatur *de Ortu & Progr. Chym. p. 4.* & BARTHOLINVS *Tr. de Nivis usu Medico*. Unde nix, quæ diutiùs terræ inhæret, propter sal urinosum & adjunctum oleum tantopetè agros fœcundat, sicuti à FABRO vocatur *Alimentum terræ hybernum*, quo conserventur subterranea, in specie vegetabilia; adeoque hyemem, copiosam suggerentem nivem, sequitur fœcundissimus annus. Unde etiam aqua nivea sudorifera ab AVTORE dicitur; sicut destillata nivis aqua, ad ℥j. assumpta, vi laxativâ ac diureticâ pollet; & SMETIVS *in Misc.* commendat usum aquæ nivis in febribus ardentibus, apparente concoctione.

℞. *Nix*: Coquatur tamdiu, donec sæpius repetita affusione materia alba instar picis in fundum secedat, ex qua destillatur *Oleum* pingue.

Quod valet de nive, valet verè etiam de *glacie*, in qua est sal, quod imprimis cum frigore solet coagulare aquam. DUX MANTUANVS superioribus annis dicitur habuisse pulverem quendam secretum, quo pulvere aquas subitò, etiam in media æstate, in glaciem commutare potuit.

Sequitur

ROS.

Ros mirabile ens est, de quo in genere notum, quod reliquis omnibus subtilior sit & penetrantior. Rationem hujus subministrat Autor noster, quoniam constet ex liquore volatili salino acri penetrante. Mense imprimis Majo, aut Junii principio, collectus fertilissimus asseritur, cujus *Anatomiam* optimè suggerit LVDOVICI *Pharm. p. 118.* dum ex rore ac pluviis ordinariâ destillandi ratione, ab AVTORE nostro etiam insinuatâ, partem spirituosam elicuit; ex digestis verò, aut in doliolis quasi putrefactis, spiritum striatum sulphureo odore acquisivit: residuum magma tempore vernali spontè fermentare cœpit, & ejus substantia sulphurea lunam pertinaci aureâ tincturâ imprægnat; de quo conf. M. A. N. C. *Ann. 3. p. 452.* ac tandem sal cubicum subamaticans penetrans adeoque de natura salis communis nonnihil nitrosi, suggessit, quod RHUMELIVS *in Antidotar. Chym. pag. 145.* contra Epilepsiam ceu singulare commendat. In Rore sanè sal volatile nitrosum latere asserit MAZETTA & DIGBY *Tr. de Vegetat. Plantar.* Unde etiam mirabilis ejus omnia vegetabilia fœcundandi vis; sicut stercora in agros projecta operantur ratione nitri, exinde producti; cujus intuitu vires habet agros fœcundandi. Curiosam Roris observationem subministrant *Acta Societ. Reg. Vol. 1. pag. 26.* dum in Rore, non nisi in vase ligneo putrescibili, fungum natum, culices genitos, miliepedes copiosos pronatos, muscas productas, & tandem sal volatile nitrosum ex Rore paratum, observarunt.

In Rore ergo hoc, ejusque sale volatili nitroso, menstruum latet admodum conveniens pro corrigendis vegetabilibus & extrahendis eorum essentiis. Hinc est, quod in melle lateat singulare menstruum, scilicet quod ex floribus & Rore est extractum; quinimò etiam pro auro solvendo singulare menstruum in Rore esse docet BORELLVS C. 1. *Observ. 6.* Hinc & ex Rore, exque Manna, *menstruum* singulare, *Cœleste* dictum, vel *Mannæ Mercurius* appellatum, pro radicali auri solutione, ejusque in Essentiam potabilem reductione, parare nituntur: ex isto nempè, qui lunâ crescente, tempore sereno ante solis ortum, verno tempore, adeoque balsamicis mensibus per linteum, imprimis super triticum, collectus est, qui præ aliis præfertur ad usum Medicum: Linteum illo imprægnatum exprimitur in alembicum, & denuò expanditur.

Ros Majalis solet solvere alvum, ratione salis volatilis nitrosi stimulantis; hinc est *commune rusticorum purgans*: venenatorum etiam animalium vim hebetat. Præter vires, quas habet in genere Ros Majalis, etiam destillatus dat *spiritum*, qui tamen potius est phlegma salinum, quod est egregium menstruum pro extrahendis Essentiis vegetabilium, & præfertur non nunquam spiritui vini, cujus caliditas & inflammabile sulphur multis est suspectum; cum spiritus Roris majalis ratione salis nitrosi egregiè penetret & extrahat; unde etiam vires herbarum solet secum auferre. Nam qui in plantis ophthalmicis, euphragia & fœniculo, reperitur & colligitur, egregius habetur ophthalmicus: Rosæ collectæ, dum imprægnatæ sunt Rore Majali, habent elegantiorem vim purgantem, quàm siccæ, propter sal stimulans Roris majalis.

Processus, quem habet AVTOR de Rore, multum habet in recessu. Certè multa secreta possunt exinde parari.

Ex hactenus dictis patet equidem, *sal* volatile plus minus nitrosum hæc meteora obtinere: sed *universale* hoc esse, seu *spiritum mundi* appellatum, *radicale Auri* aliorumque corporum *solvens*, non statim sequitur; utut suas vires in Vegetabilia & animalia eidem non denegemus: Conf. de his judicium MORHOFFII *in Epist. de Transmutat. Metallorum pag. 38. & 40.* unde etiam Medicinam suam Universalem ex Rore paravit DIENHEIM, non secus ac BECHERVS *sal* suum *Cœleste* ex Rore & pluvia pro gravissimis curandis morbis parat; conf. *Phys. subterran. L. 1. pag. 182. & 186.* Ipse HELMONTIVS per ignem Philosophus, se in Rore salem saccharinum, magnorum morborum remedium, observasse dicit. Nempè ex dictis aquis, in specie ex Rore Majali, vel *Menstruum universale*, vel ipsum etiam Philosophorum lapidem parare multi voluerunt, quia imprægnatæ sint Mercurio seu sale universali: suo sulphure tincto hæc exaltata & fixata, & auro fermentata, omne negotium absolvere dicunt.

Ratio hujus hypotheseos est, quod in aere reperiri ajunt *sal naturæ universalis*, seu *Mundi genuinum spiritum*, *Aviculam Hermetis*, *Mercurium* Universalem, *verum* scilicet *naturæ solvens*, simulque *Agens catholicum*, beneficio cujus crescant & vegetentur vegetabilia, vivant per respirationem animalia, & multiplicentur mineralia, esse Universale Agens, qui actuet omnia rerum semina. Hoc invisibile per se & à priori, nullo corpore speciali vestitum, insensibiliter saltem cum meteoris istis aqueis descendit, & sal terræ centrale constituit. Quod si corpore visibili se vestiat, hoc imprimis nitrum est, quod plurimum de sale nempè visibili ex aere hoc universali participat: Nam sine aere nunquam nitrum producitur aut regeneratur: Conferatur LANGELOTTI *Præfat. super Experimenta Tilemanni*. In aere enim est occultum vitæ nutrimentum. Sal igitur hoc per se non descendit, sed in vehiculo. Vehiculum autem, quo se vestit, dicitur Nitrum. Nitrum hoc reverà scatet sale isto aereo, modò legitimè ab acido elementari possit separari. Nunquam ex animalium excrementis generabitur nitrum, nisi quasi ex aere fermentum suscipiat: Sic si terra nitri exhausta aeri exponatur, iterum generatur perfectum nitrum: sic si & caput mortuum vitrioli exponatur aeri, in novum vitriolum regeneratur; non tamen perfectum vitriolum, sed magis nitrosum. In aere sal Universale est agens & dissolvens, generaliter ex astris, specialissimè ex sale: videatur TACHENIUS *in Hipp. Chymico*. Pro capiendo sale hoc aereo totus Philosophorum labor est occupatus. Magnetes seu claves primarii sunt nitrum fixum vel Ros Majalis concentratus, vel nix concentrata. Tempore vernali si destillentur terræ pingues argillosæ, sub destillatione varia repræsentant schemata fluminum, herbarum, plantarum, animalium, &c. quæ schemata oriuntur ex sale aereo: videatur BORRICHIUS *in Dissertatione de Progressu Chymiæ*, & BARTHOLINUS *C. 2. Epist. 42. pag. 531.* Medium, quo sal aereum parare volunt, est nitrum: videatur BORELLUS *Cent. 1. Obs. 6.* Conf. etiam TACKIVS *in Chrysog. anim. atque miner. pag. 56.*

De hoc sale Universali intelligendum esse monent *Tabulam Hermetis Smaragdinam*, quatenus hoc sit illud superius, quod à sole & luna, tempore præsertim verno, ad inferiora natura demissum, ibidem in particularibus corporibus constituat inferius; intermedium aerem præsertim imprægnat, unde ventos illum in utero gestare, Solem patrem, Lunam matrem esse, dicta Tabula asserit. Uno nomine: Spiritum hujusmodi universalem ex astris, præsertim Sole & Luna, ad nos radiare, qui ceu influus undique in rerum seminibus exceptus insitum constituat, quibus fatiscentibus hic ipse denuo in antiquum redeat Chaos.

CAP. IV.

DE LAPIDIBUS IN GENERE.

Lapides adhuc hodie generantur, à principio nempè suo seminali, materiam debitè transmutante. In genere sunt vel pretiosi, qui vocantur *Gemmæ*, vel minus pretiosi. Triplex imprimis eorum est differentia è BECHERO *in Phys. subterran. pag. 136.* insinuata: dum nempè

1. Alii fluunt in igne; adeoque fusiles, & tandem vitrescibiles sunt.
2. Alii non fluunt; sed saltem in calcem vivam forti igne rediguntur.
3. Alii denique in igne nec fluunt, nec in calcem rediguntur, sed in igne etiam fortissimo incolumes persistunt; ut Amianthus, Osteocolla, Talcum.

Horum rursus alii candescentes persistunt, frigefacti verò rumpuntur, & pereunt: alii verò candescunt & frigescunt, quoties lubet, nunquam alterabiles: id quod in rubino, granato, adamante, &c. evenit.

Differentias has, si ad instrumenta naturæ mechanica applicemus, non improbabili hypothesi texturam lapidum materialem, & inde dependentes proprietates varias, explicare poterimus, dicendo: In lapidibus materialiter dominari substantiam terreo-alcalinam, cum acido sulphureo debito saturatam; hac tamen differentia, quod quidam abundent alcali, nec plus acidi sulphuris coagulantis obtineant, quàm ad debitam ejusmodi saturationem sufficit, & tales sunt lapides primæ differentiæ, in igne fusiles & vitrescibiles: Alii copiosiùs de sulphureo principio participant, adeòque non sunt fusiles, sed in igne calcinantur in calcem vivam, quatenùs acidum sulphuris post pinguedinis in igne absumptionem, ceu fixum remanens, in terræ solutione actuatum seu in motum concitatum, cum alcali coit & effervescit; & hæc est secunda lapidum Classis: Alii denique, in quibus

bus acidum feminale seu specificum eum puriore & defæcatiore sulphure, cum alcali debita proportione & exacta symmetria, & mutuo invicem firmo coagulo coaluerunt, tertiam differentiam, & quidem concretum anomalon, constituant, v. g. Amianthus, Osteocolla, Talcum. Hi neque fluunt in igne, neque in calcem vivam vertuntur, sed si probè candefacti extinguantur in aqua, tandem fatiscunt, & pulverisari possunt. Occultum habent acidum, quod tamen non sufficit tali corpori fundendo: forsan tamen & in horum quibusdam, alcali vestigia deprehendere possumus, iis scilicet, qui ignescentes in igne, sed postmodùm frigefacti, aut aquâ extincti, fatiscunt; videtur enim hoc fieri, quasi insinuatione aquearum particularum alcali ab acido quodammodò secedat, indeque concreti compages dissolvatur.

Rem ita se habere illustrat Mechanica Chymiæ, præsertim in arte vitraria, per experimenta, qualia videbitis in TACHENII *Hipp. Chymico*, aliisque *Autoribus*, qui *de Arte Vitraria* scripserunt. Nempè arena, silex, crystallus, aliique lapides, in quibus est copiosum sulphur, non possunt calcinari: verùm si misceantur cum ana alcali, e. g. Salis tartari, ut principium alcalinum præponderet sulphureo, & forti igne calcinentur, facilè liquescunt, & promptè in vitrum splendidum abeunt, ex quo ipso postmodùm additione particularum metallicarum gemmæ artificiales parari solent, naturalibus ut ovum ovo similes, interdum præstantiores, solâ duritie exceptâ; conferatur DYGBY *in Medic. Experiment. Vol. 2. pag. 458. & 489.* Nempè acidum illud fixum, quod suo corpori alcali terreo saturatum, tanquam principium seminale seu forma constituit lapidem, ita ut ex utriusque arcto & convenienti coalitu fiat corpus fixum in igne constans, hoc ipsum alcali addito se insinuat, illius quantum potest, simul informat, & cum eodem lapidem artificialem, nempè vitrum, sed ob mutatum particularum situm, perspicuum, & ob alcali copiam in igne ductibilem, & ob acidum dilatatum, minùs concentrans alcalinum terreum faciliùs fragilem, ob acidum sulphuris fixum, fortiter coagulans, in igne fixum constituit: Hiuc si plus alcali additum fuerit, nimis enervato acido facilè vitrum in loco humido fatiscit per deliquium in *liquorem silicum* dictum, cum quo solito, sed vano, conatu tanta mirabilia præstare nititur GLAUBERUS *P. 2. pag. 121.* ex quo per aquam fortem silicum pulvis ex alcali denuò præcipitari poterit: Conf. HELMONTIUS *Tractatus Terra §. 16.*

Est nempè *Vitrum crystallus artificialis* ex alcali suo acido saturato constans, saltem mollius est crystallo, quia acidum illud, quod anteà paucius alcali informabat, adeòquè potentiùs illud concentrabat, hincque duritiem tribuerat, additi alcali occasione copiosioris, minùs potens factum, minùs firmiter hoc coagulat: & his quidem modis perspicui fieri videntur lapides: qui opaci sunt ex alcali impuriore, cui scilicet plus particularum terrearum adhæret, & simul in coaguli consortium rapiuntur, generantur: Utut moles eorum etiam multum ad majorem opacitatis apparentiam conferat, non secus ac vitrum crassiùs ex perspicuo opacum magis videtur: siquidem arena, ex qua plures opaci lapides constare videntur, communis alba vel leviter flavescens, utut corpuscula opaca videantur, per microscopium tamen lustrata perspicuum ferè exhibent corpus, frusta nempe glaciei aut crystalli, aut purioris aluminis repræsentare videntur.

Fundamentum ergò lapidum perspicuorum, adeòquè *gemmarum* omnium, nil aliud videtur, quàm crystallus; *Fundamentum* verò *lapidum opacorum* propriè sic dictorum (ad differentiam lapidum semimetallicorum, seu potiùs ad mineras metallorum reducibilium, quales sunt Magnes, lapis Lazuli) videtur lapis candidus, adeòquè & in radice perspicuus, quia albus color ex perspicui confusione oritur:

Multiplices *tincturæ gemmarum*, & *Colores opacorum lapidum*, ex metallico principio oriuntur: nempè vel ex particulis metallicis in cryptis subterraneis solutis, materiæ lapidum, ex quo coagulantur, permistis; vel ex effluviis & exhalationibus metallorum, dum sunt in fieri, hinc inde dispersis, & ejusmodi liquori seu materiæ lapidum permistis; & sic fiunt gemmæ, quales sunt Topasius, Agathus, &c. utut quædam gemmæ crescant etiam in ipsis mineris: Sic Rubinus in mineris solaribus reperitur, ibique succo solari tinctus rubicundum refert colorem.

Optimè ergò VELSCHIUS *Hecatost. 1. Obs. 38. pag. 51.* Gemmas omnes ex crystallo, & fluore metallico tingente, generari asserit: videatur PARACELSUS *Tract. de transmut. Rerum*, & *Tr. de sulphure.* Idquod præter argumenta & experimenta illius loci confirmat: Nam

1. Amethystus & Smaragdus Bohemicus, qui ex corpore crystallino & superinducta substantia tingente, dum in minera, considerantur, constare observantur ex corpore, nempè metallico, partim tincto, partim adhuc crystallino: Conf. MERRETTUS *in Notis ad Artem vitrariam Neeri pag. 380.* In *arena flava* dicitur principium solare latere: Sic gemmæ rutilantes, ut *Rubini*, &c. obtinent suam tincturam ex principio auri, quoniam plerumque reperiuntur iis in locis, ubi sulphur solare adest: *Sapphirus* habet tincturam & colorem ex argento, quod solet in se fovere colorem cœruleum: *Topasius*, *Chrysolithus*, *Hyacinthus*, & *Granatus*, subrubicundum colorem instar croci obtinent ex minera à principio Martis, qui habet colorem flavescentem & rubescentem: *Adamanthi* participant de Jove: *Chrysolithus*, uti *Smaragdus*, ex Marte & Jove habet colorem: *Lapis Armenus* & *Lazuli* de Venere participant; internus enim Veneris color cœruleus est: & sic porrò judicandum de omnibus lapidibus & gemmis, quæ habent suos colores ex principio metallico.
2. Quod ex gemmis quibusdam colores separabiles sint. Nam Sapphiro v. g. cœruleo aliàs, facilè omnis color demi potest; nempè mediante calcinatione sæpiùs repetita, aut cæmentatione cum pumice, & aliis; ita ut planè decolor & perspicuus pro crystallo habeatur, de novo poliendus, & nitidissimè præparandus: Dicuntur *Sapphiri albi*. Granati Orientales fortiori in igne liquescunt, & instar vitri coagulantur, simulque colorem perdunt; Bohemici verò duriores servant eum, nisi fornacis vitrariæ calor intensior eum absumat; ut innuit MERRETTUS *citato loco pag. 392.* Smaragdo etiam mediante igne fortiori virorem exui posse, peritus talium rerum Gemmarius mihi retulit; sed sub esse periculum fracturæ, cùm granati & Sapphiri sine ruptione flammam tolerent. Hoc idem testatur experimentum BECHERI cum Jaspide. *Phys. subterran. Lib. 1. pag. 171.* cum quibus conferatur MORHOFF *Epist. de Transmut. pag. 69.*
3. Ars, quæ naturam non nisi imitari potest, idem ostendit in gemmarum artificialium præparatione, dum vitro Crystallino per metalla addita pulveris formâ tincturam inducit: Conf. DIGBY *loco citato pag. 458. & 489.* item GLAUBERUS *pag. 243.* & KESLERUS *Cent. 5. Proc. 79. pag. 64.* ubi monstrat modum præparandi Gemmas artificiales, & ubi occasione præparationis gemmarum artificialis postmodum colligit colorem ex principio metallico Gemmarum naturalium; utut in Gemmarum artificialium præparatione magnus lusus substantiæ metallicæ tingentis observetur: vel quod manifestiùs negotium declarat, dum crystallus naturalis per subjecta mineralia sulphurea in igne, mediantibus expulsis effluviis, eleganter & diversimodè tingitur: Conf. NEERI *c. 75. pag. 137* & MERRETTUS *loco allegato pag. 379.* Sic ex minio & crystallo Gemmæ artificiales fieri possunt. Potest etiam tinctura crystallorum institui beneficio olei sulphuris dicti hepar sulphuris, quod fit beneficio olei lini.

Quoad opacos verò & ignobiliores lapides, idem assertum probari potest:

(1.) Ex lapide Lazuli & Armeno, quorùm Cyaneus color non, nisi ex Venerea est prosapia; cujus ratione & laxativâ ac emeticâ vi nonnihil instructi sunt.

(2.) Silices non rarò de metallo ipso aliquid continent; ut nihil dicam de silicibus solaribus, de quibus videndus, utut non semper approbandus, GLAUBERUS. Certè lunam ex silicibus cum aqua forti non absque lucro quendam elicuisse, refert *Commentator in Erckeri libro Probatorio pag. 76.* aliàs de silicibus solaribus, item Martialibus, videatur HOFFMANNUS *in Clav. pag. 186.*

(3) De Talco notum est commune Chymicorum assertum; rubrum de auro aliquid continere: quod penitus non vanum esse, sed interdum in quibusdam Talci speciebus aurum reperiri; vid. BOYLE *Tentam pag. 75* item BECCHERUS *L. 1. Phys. subterran. pag. 14.* Ut

(4) Nihil jam dicam de magnete & hæmatite, qui ad minerarum Martiarum naturam propiùs accedunt: Saltem rubedo ista hæmatitis ex Marte est, cum facilè Martialia quævis rubedinem, item flavedinem, exhibeant. Compacta autem utut sint corpora lapides, ex fluido tamen originem ducunt, cùm iisdem in fluore potiùs constitutis, quàm jam coagulatis, tincturas permisceri, probabile videatur. Confirmantur etiam

1. Quod reperiantur crystalli plurimæ herbis virentibus, palis, gramine, pilis, ligneis frustulis, naturaliter intus refertæ: vid. *Museum Septalianum* e. g. in quo ipse vidi crystallum, in cujus medio inclusa aquæ guttula, eaque fluida erat; quæ omnia à fluida crystalli materia includi ante sui coagulationem ostendunt; quod non in crystal.is solùm, sed aliis quoque lapidibus, fieri probat BOYLE *in Historia Fluid. & Firmit. pag. 148.*

2. Quin etiam genesis crystallorum horum ostendit, quæ sæpiùs ex durissimo saxo & marmore quasi transudando genita, observantur; quale elegans specimen *in prædicto Museo* observatur.

3. Curiosum est experimentum, quo ex aqua simplici sola, absque ignis adjumento, saltem pulveris cujusdam injectione, gemmæ artificiales factæ referunt, quod refert GEORGIUS DANIEL MORHOFF *Epist. de Scypho vitreo pag. 5.* item *Epist. de Transmut. pag. 21.* Huc pertinent etiam crystalli, vulgo Germ. *Quartz* seu *Drusen* dictæ, quæ in omnibus ferè fodinis reperiuntur, & sunt aquæ suæ speciei

cici falina coagulata: uno nomine, sunt *Crystalli*. In eo verò differunt Crystalli à *Quartz*isto, quod in crystallis materia magis sit pura; in his verò, nimirum *Quartz*, magis impura.

Manu nos ducunt hæc ipsa ad illam Hypothesin Chymicorum, quæ ex sola aqua omnes lapides genitos affirmat. Ista aqua si clara est, dat lapides perspicuos seu gemmas; si non est adeò clara, nec defæcata, sed perturbata, & terreis particulis sordibusque quibusdam immista, corpus opacum generat; unde etiam lapides hi non sunt adeò perspicui, sunt consistentiæ crassioris, & etiam sunt magis ponderosi. Hoc confirmat Crystallus, quæ in nulla re differt à glacie, nisi duritie. Quemadmodum enim se habet aqua ad glaciem, sic glacies ad crystallum. Unde Adamas & Crystallus non differunt inter se, nisi claritate & duritie. Arena alba revera est crystallus, ut per microscopium videre est. Et quidem hypothesin hanc, quod gemmæ & lapides ex principio aquoso certò coagulentur, primus docuit HELMONTIUS *in Tract. Mistionis Figmentum*, ubi monstrat, quod omnes lapides, vitra, & gemmæ, artificialiter possint reduci in aquam simplicem elementarem; quod & prolixiùs *peculiari scripto* confirmare aggressus est CHIRTAGIUS *Tract. de lapidibus*. Nec abludunt illæ observationes aquarum immediatè lapidescentium, tàm quæ ipsæ in lapides immediatè abeunt, quàm quæ alia injecta petrificant, seu sui in porulos eorum insinuatione, & ibidem in lapidem coagulatione, seu simplici incrustatione; sicut visi sunt Crystalli, in quorum medio guttulæ aqueæ fuerunt nondum condensatæ. Ex iis, quæ immediatè in lapides abeunt, eminet ista, quæ in spelunca Baumanniana ex montibus destillat per rimas & fissuras petræ, & deinde in lapidem tophaceum abit, qui concrescit in magnas statuas, talisque est consistentiæ, quasi sit fabrefactus ex silice; & quæ sunt alia experimenta confirmantia, quod lapides fiant ex aqua: Confer. CONRADUS *Conradi in Medulla Destillat. L. 1. Tr. 10.* VELSCHIVS *Hecatost. 1. pag. 86.* BOYLE *hist. Firm. & fluid. pag. 157.* du HAMEL *de affect. Corpor. pag. 176.*

Interim tamen ex aqua immediatè coalescere lapides, minùs probabile est; quin potiùs mediatè ex eadem, à principio lapidum seminali variè immutata, & in aliam texturam redacta, generari eosdem nil repugnare videtur; cùm non pura pellucida sit ista aqua, quæ in lapidem abire observatur, sed naturali crassior, ponderosior, interdum lactescens. Talis ergò aqua particularis, partim jam ad lapidescentiam dispositis particulis impregnata, partim adhuc disponenda, abire in lapides posse, verosimile existimo, præsertim si aeris adjumentum accedat: conferatur MORHOFF *Epist. de Transmut. pag 17.* Unde etiam famosa ista per Alcahest reductio lapidum in aquam non immediatè, sed mediante saliformi corpore, in quod lapides abeant, peragitur.

Quoad *usum* in genere, Præparationes lapidum horum varias suggerit Autor: Et quidem

1. Certum est, quod lapides, tam propriè sic dicti, ut gemmæ, quàm in genere, qui sunt ex regno Minerali, non verò qui ex animali, seu crudi usurpentur, aut etiam sub forma pulverum, interno usu parum aut nihil efficiant. Durities enim eorum resistit, quo minùs à menstruis corporis nostri operantibus possint dissolvi, sed sub forma pulveris, qua fuerunt assumpti, denuò excernuntur per alvum; quod tàm de lapidibus, quàm gemmis, verum est. Præterea, dum pulverisantur, & præparantur, fit istud imprimis lævigatione super porphyritem, vel etiam trituratione in mortario lapideo. Cæterùm in his pulverisandi modis simul propter duritiem lapidum vel gemmarum abraditur aliquid de porphyrite vel de mortario, tàm in trituratione, quàm etiam in lævigatione, adeò ut non fiant sinceri & puri pulveres gemmarum vel lapidum, sed permixti cum particulis heterogeneis.
2. *Calcinantur* lapides, ut referetur earum compages, quo meliùs possint tractari in artificio Chymico. *Calcinatio* autem est duplex, vel *sicca* vel *humida*: *Sicca est*, quando cum igne actuali, vel solo, vel, quod sæpiùs fit, additis quibusdam siccioribus, in calcem rediguntur: *Humida*, si beneficio liquorum, qui vocantur menstrua, dissolvuntur in pulveres calciformes.

Calcinatio sicca vel solo igne, vel adjecto corpore salino, fit eum in finem, ut particulæ igneæ aut corpora salina, ut nitrum aut sulphur, se insinuent in compagem lapidis, sicque aperiatur per calcinationem, quo postmodum eò meliùs per menstrua possint solvi; tàm exactè enim clausi sunt pori lapidum, ut menstrua etiam acutissima vix possint eadem penetrare sine præcedente Calcinatione. Calcinatos ita lapides ut plurimum extinguunt in vino & aceto, dum adhuc sunt igniti, ut meliùs penetrent liquores salini.

Humida Calcinatio fit per menstrua solutiva varia, pro varietate lapidum solvendorum: nunc est spiritus aluminis, nunc spiritus nitri, nunc vitrioli Philosophicus, nunc spiritus salis rectificatus, &c. Imprimis pro solutione lapidum menstruum optimum est spiritus salis compositus, qui paratur è sale communi, præcipuè marino, & nitro. Molles lapides, quales sunt perlæ & Corallia (quæ tamen malè inter lapides referuntur) possunt solvi cum succo citri, berberum, & limonum, &c.

Quacunque autem ratione calcinentur lapides, mutationem subeunt, ratione cujus à naturali textura deficiunt, simulque virtute nativâ. Ex menstruo enim iis semper aliquid adhæret, & nunquam perfectè separari possunt salia, sive laventur, sive præcipitentur.

Quando calcinati & soluti sunt lapides, tunc aut præcipitantur in *Magisteria*, vel beneficio spirituum acidorum, vel beneficio salium alcalium; aut postmodum ulterius exaltantur, quatenus quidam volunt ex iis elicere *tincturam*, imprimis ex gemmis, beneficio menstrui appropriati, abstracto menstruo corrosivo.

Quod *salia lapidum* horum attinet, ut sal coralliorum, &c. impropriè talia sunt, cum nil aliud sint, quàm concretum novum adhærens corpori lapideo, ex spiritu acido menstrui & corpore corroso.

Alii volunt dicto modo præparatos lapides aut gemmas ulteriùs volatilisare beneficio digestionis cum spiritu vini in fimo equino vel balneo vaporoso, vel etiam alio modo: Verùm Volatilisatio hæc & Extractio illorum insulsus labor est. Equidem spiritus vini certò aliquid secum rapit, sed de menstruo, non de corpore.

Cæterùm ex AUTORE notum est, fieri *Syrupum Coralliorum* & *lapidum*, dum soluti cum saccharo rediguntur in consistentiam Syrupi. Descriptiones satis claras habet AUTOR, sicuti etiam modum calcinationis & solutionis per menstrua, ut non opus habeam multa ulterius differendi.

Quæ de lapidibus in genere dicta sunt, etiam valent de gemmis in specie. Quoad usum earum, tam internum, quàm externum, ante omnia duo consideranda sunt:

1. Ipsum corpus gemmæ crystallinum.
2. Superinducta huic tinctura sulphuris metallica.

Tinctura hæc in corpore adhuc clauso nullius esse potest pro interno usu efficaciæ, nisi ab illius carceribus solvatur; unde duo principalia emergunt gemmarum Præparata, nempe earum Pulverisatio & Præparatio, & hinc tincturæ Extractio.

Pulverisatio & *Præparatio* illarum partim in mortario lapideo, partim super porphyritidem, nil pro usu medico adjumenti affert; quin potius crystallus, quantum præstare potest, loco omnium gemmarum sufficiet. Duriora enim cùm sint corpora gemmæ, quàm ipsa crystallus ipsumve vitrum, aut arena, patet facilè, quod minùs adhuc, quàm vitrum pulverisatum, operari queant, cùm indomabiles sint à fermento stomachi instar vitrorum. *Adeò insulsa sunt fragmenta quinque lapidum pretiosorum*, aut *species de gemmis!* adeò *ut affirmare ausim*, *tantum*, *si non plus*, *vitrum minutim pulverisatum*, quàm *ipsas* gemmas, operari posse: unde nulla gemmarum interno usu erit efficacia, & *solummodo in solamen pharmacopolarum præscribuntur*, quicquid in contrarium nitatur BORRIGIVS *de Herm Sap. pag. 322.* & 328. Quod si in mortario æneo ista fiat Trituratio seu Præparatio, ramenta mortarii admista non leviter adulterabunt gemmarum pulverem, adeò ut ob id ZACUTUS LUSITANUS præparationes gemmarum pistillo mortarioque aureis vel argenteis perfici debere asserat.

Tincturarum Extractiones ex gemmis quod attinet, multi sunt operosi in extrahendis his tincturis gemmarum. Quæritur autem de his: *An vera substantiæ gemmarum tingentis extractio detur*, *& quæ non sit simplex corporis illarum integri dissolutio?* Denique si dantur: *An non potiùs sint solutiones metallicæ*, *à quibus nempè tinguntur gemmæ*, *adeò*, *ut consequenter virtus earum ultra potentiam solutionum metallicarum extolli queat?* Nempè duplici operationi innititur tincturarum ex gemmis Extractio: vel est corporis totius Solutio, vel ex hoc soluto Extractio tincturæ.

Equidem 1. Compactissimum gemmarum, idque exactè homogeneum, observatur corpus, adeò, ut quælibet metalla fixitate & in igne constantiâ superent. Nam & aurum longè Adamas superat: hinc difficillimè earundem existunt solutiones, nec nisi mediante ignitione, & in menstruis corrosivis extinctione, aut cum subjectis solventibus, v. g. Sulphure aut nitro, simultaneâ calcinatione solvi possunt: nec facilè adhuc trituræ gemmarum, quantum quidem facit BORRICHIVS *de Herm. Lapid.* tribuere velim.

2. Solutis postmodum particulis totius concreti sibi invicem homogeneis tam pertinaciter salia menstruorum corrosiva adhærent, ut vix separabilia novum cum illis concretum constituant; unde & novæ vires ex utrisque emergant: Nempè hæc ita sibi relicta evaporata dant salia gemmarum non propria: Ergò ex concreto gemmarum quasi salso firmissimæ compagis, nullum salinum corpus, per se in aqua solubile, haberi potest; adeòquè & eadem salia impropria per deliquium in liquorem resoluta, malè oleum gemmarum dicuntur; sicut si solutio illa cum alcali aut alio medio simili præcipitetur, cadit Magisterium gemmarum, nudus nempè harum pulvis, ejusdem, si non deterioris, cum gemmis pulverisatis seu præparatis, conditionis.

Tincturæ in gemmis, etiam coloratissimis, summa est paucitas, quia substantiæ metallicæ tingentis incredibilis est extensibilitas: unde & perspicuæ sunt gemmæ, cùm opacæ necessariò essent, si copiosior tinctura plenariè illas impregnaret; & in artificialium gemmarum præparationibus aliquot grana tingentis ponderosi metallici corporis, plures uncias vitri levioris inficit: Conf. NEER. *de Arte Vitrar. cap. 77. pag. 144. cap. 78. pag. 147. cap. 82. pag. 50.* item GLAUBERVS *P. 2. pag. 243.* Quantum ergo requireretur Granatorum pro tin-

ctura rubra, Smaragdorum pro tinctura viridi eliciendis? Hinc

4. Quævis hactenus notæ tincturæ gemmarum, quæ ab agyrtis hinc inde circumferuntur, non sunt veræ tincturæ harum gemmarum; usu enim interno non aliter operantur, quàm virtute menstrui: Sed aut nudæ solutiones totius gemmei corporis, aut nudæ colorationes menstruorum, & meræ imposturæ fuerunt: cujus exemplum v. g. sit tinctura Smaragdi vulgarissima ab AUTORE nostro descripta, quæ est nil aliud, quàm solutio tincta, composita ex spiritu vini, spiritu urinæ & ramentis ferreo-æneis mortarii, in quo fit pulverisatio, ne tantillum quidem de Smaragdo eâdem participante: Sic sulphur granatorum argentum in aurum tingens quidam ita parare volunt;

℞. *Aquæ fortis Mens.* j.
Aceti destillati Mens. ß.
Salis comm. ℥ij.

Destillentur igne forti: In liquore destillato solvantur
Sal. ammon. ℥ij.

Menstruum hoc affundatur Granatis pulverisatis, ut extrahatur sulphur, decantetur, & menstruum novum affundatur, &c. Extractiones conjunctæ, abstracto liquore corrodente, ab ℥jv. *Granatorum* ℥j. *sulphuris in fundo relinquunt, quod verum sulphur solare est.*

Chymicus quidam Torgaviensis Granatos cum aqua forti extraxit, Menstruum solvens abstraxit, & reliquum cum Luna conjunxit (*reliquum in Lunam contulit*) quò major sulphuris granatorum portio fuit, eò major auri quantitas rediit. Sed nil minus est, quàm sulphuris Granatorum extractio, rudis nempè particularum superficialium solutio: Lunæ in Aurum transmutationem hoc medio factam tamdiu falsam credo, donec veritatem ipse inspexero: præprimis, cum experimento BOYLE sulphur Granatorum non solare sed Martiale sit.

Idem Judicium valet de gemmarum præparationibus mediante sale ammoniaco per sublimationem factis, quod sal ammoniacum, teste BASILIO VALENTINO, sit appropriatum pro volatilisatione sulphuris metallici, & eo ipso, quod tinctura gemmarum proveniat à tinctura sulphuris metallici, beneficio ejus extrahere illarum tincturam contendunt. Nempè

℞. e. g Rubinum, Smaragdum, &c.

miscent cum *sale ammoniaco*, & probè sublimant per alembicum: prodeunt flores tincti colore additi lapidis.

Cæterum hoc est ridiculum: nam licet calcinentur gemmæ, sal tamen ammoniacum non potest aliquid extrahere: quantum enim gemmarum ab acido salis communis, adjumento ignis, solvi potest, tantum sal ammoniacum secum rapit, adeoque ad superficiales solutiones totius in suas minutas particulas, non verò genuinas extractiones hoc, utut magni æstimetur, pertinet. Nec spiritus affusus aliquid extrahit, nisi in quantum phlegmatica ejus substantia solvendo particulas salis ammoniaci simul harum medio particulas gemmarum imbiberit.

Multi promittunt extrahere tincturas gemmarum cum spiritu urinæ subtili; sed hi ipsi hallucinantur, quoniam spiritus urinæ se colorat pro varietate filium, quibus affunditur; Unde pro varietate menstruorum, quibus solvuntur gemmæ, varios mentiuntur colores, & tincturas gemmarum.

Plura qui cupit de præparandis gemmarum tincturis, Extractis, Magisteriis, &c. videat FABRUM *in Myrothec. spagyr. Lib.*5. ubi operosus est in tincturis & Essentiis gemmarum; item CONRADUS KUNRATH *in Medulla destillatoria Tr. de gemmis*, uti etiam BOOTIUM *Tr. de Gemmis & lapidibus*, & qui sunt alii Autores, qui de hac materia multa satis crudè & crassè scripserunt. Præterea cautus esse debet Chymiater, ne à Pseudo-Chymicis decipiatur, & saltim solutio pro tinctura gemmarum obtrudatur.

Non equidem tanquàm impossibiles tincturarum extractiones ex gemmis negare volo: multa sanè adhuc in natura latent abscondita, suo tempore manifestanda; eo ipso enim; quo ignis vi color Sapphiro & Smaragdo potest exui, hoc ipso possibilitas separationis tincturæ ex corpore gemmeo elucescit: genuinas tamen istas & præparatione difficillimas, & quantitate paucas, & usu non adeò singulares existimo.

5. Hinc & posito extrahi posse tingentes particulas gemmarum, ex superioribus clarum tamen est, metallicæ eas esse prosapiæ. Quidni ergò potiùs ipsis ex metallis hæ ipsæ eliciantur, ubi nempè concentratæ, quàm tanto labore eruentur ex gemmis, in quibus dispersæ, dum v. g. Granatus & Rubinus ex auro colores suos participare dicuntur, Sapphirus ex luna, nempè Veneri sociata, Smaragdus ex Venere. Chrysolithus, Topasius & Hyacinthus ex croco Martis. Conferatur KESLERUS REDIVIVUS *loco allegato*.

Superest ergò consideremus, quid *externo usu* valeant gemmæ instar *Amuletorum*, nempè appensæ vel applicatæ. Sanè plures singulares annotatæ hoc in puncto leguntur historiæ, quas omnes vel casui, vel imaginationi ac superstitioni attribuere haud facilè possumus. *Rubinus* gestatus si opacus redditur, mortis index est, quod ex BACKIO refert HOFFMANNUS *in Clave pag* 115. *Sapphirus* anthraci pestilentiali circumductus virus omne magneticè elicit: Confer. HARTMANNUS *in Praxi Chym.* ubi *de peste*; item MARCUS MARCI *Phil. Veter. Restit. de Magnetismo Sapphiri*. *Smaragdus* annulo exiliens, illi, cui appropinquat, mortem communicat: Confer. TIMÆUS *in Cas. pag.* 79. *Jaspis viridis*, hinc inde *maculis rubicundis interspersus*, hæmorrhagiam narium in manu detentus cohibet. *Turcois* secum gestatus casuum graviorum pericula avertit: videatur BOOT *de gemmis*, item SCHMUCKIUS *in Curat. Magico-Magnet. pag.* 17. Ut nihil dicam de nephritico aut hæmatite lapidibus. Imò quàm plurimæ gemmæ, si in corpore impuro minimèque sano gestantur, mutant colorem, & fiunt pallidæ, vel alium obscurum nanciscuntur colorem: quod non tantùm verum est de Coralliis, sed de quàm plurimis gemmis. Hujus experientiæ quædam prostant exempla in Conrado Kuntath Med. destillatoria: Quod videtur fieri ex exhalatione quadam maligna, obducente gemmas, vel ex certo consensu spiritus insiti cum sulphure metallico gemmarum, ita ut his in statu naturali constitutis, in eodem se invicem conservent; simulac verò patiuntur spiritus insiti ecclipsin, simul spiritus metallicus deperdat suum nitorem, & fiat obscurus ac turbidus, teste BOOTIO *de gemmis pag.* 188. Sanè effluvia nostra, quin multum valeant subtilitate suâ se insinuando, & hinc alterando plùs minùs gemmas, nullum dubium, ut res hæc pluribus adhuc experimentis illustranda veniat: Conf. HELMONTIUS *Tract. Potest. Medicam. pag.* 62.

Vera ergò videtur ejus sententia, quod gemmæ interiùs assumptæ, parum aut nihil præstent, sed saltim extrinsecùs in annulis gestatæ per diffusionem radiosam sulphuris metallici, à quo tincturam & colorem habent, operentur, & excitent spiritus insitos & influos. Unde quæ dicturus sum de gemmarum virtutibus, ex relatione aliorum afferam potiùs, quàm quod fidem iis adhibeam.

CAP. V.
DE
GEMMIS.

I. ADAMAS.

DE *Adamante*, dubium est, an interno usu dysenteriam inducat? Confer. SENNERTUS *in Paralipom. pag.* 130. Multi affirmant: quibus tamen contrariatur WORMIUS *in Museo*, qui dicit, quod pulverisatus assumptus dysenteriam curet potiùs, quàm quod inducat. Pro conciliatione dico: si non sit exactissimè pulverisatus, ita ut adhuc eminentias quasdam acutas obtineat, & pungat intestina, possit inferre dysenteriam; si verò lævigatur & pulverisatur minutissimè, nil mali inferat, & dysenteriam potiùs curet, quoniam absorbet acidum. SPIGELIUS *Lib.* 3. *de semitertiana cap.* 13 dicit: quod *in Austria Vir quidam maximè Illustris, natura & temperamento prorsus Melancholicus, & capite admodum calidus, ac ad maniam propensus, longo tempore sine insomniis turbulentis perpetuis somnum capere non potuerit; Solo autem Adamante plano & lato, duorum vix granorum pondere, auro incluso, sinistroque brachio suprà cubitum, quo loco fonticuli inuruntur, alligato in forma armillæ, ità, ut Adamas tangeret semper nudam carnem, ab hisce molestiis plurimum liberatus fuerit.* Ratione cujus etiam Dæmonem fugare dicitur, uti videre est in WORMII *Museo*. Docimasiam fidelitatis uxoris volunt quidam habere ex Adamante, dicuntque, si Adamas capiti mulieris dormientis ac insciæ imponatur, si fidelis sit, illam in somno in amplexus viri ruere, quod videre est in STOECKERI *Praxi Aurea*: & utut à quampluribus pro vero habeatur, nihil minùs multi sunt, qui pro fabuloso agnoscunt.

II. AMETHYSTUS.

A*Methystus* gestatus ebrietatem arcere dicitur; item malas cogitationes prohibere, & etiam felix ingenium, vigilantiam & industriam inferre creditur.

III. CHRYSOLITHOS.

C*Hrysolithum* imprægnatum esse sulphure solari multi putant, unde internè solent dare, ut instar auri sit fomentum facultatis vitalis; sicut & à fascinationibus tueri dicitur. Sed falsò: potiùs Chrysolithi color est partim à croco seu sulphure Martiali, partim Joviali.

Usus ejus est contra Melancholiam & affectus melancholicos, internè et externè applicatus: sicut etiam CARDANUS refert, chrysolithi 15. grana auxilio esse præsenti Melancholicis, sequè octo dierum spatio desperatum Melancholicum ejus pulvere liberasse.

IV. GRANATUS.

G*Ranatus* refertur ad Carbunculos. Tinctura hujus auro tribuitur, sed falsò: Potiùs participat de sulphure Martiali, uti patet ex experimento BOYLE *de Gemmis Sect.* 1. quod adeò firmiter adhæret, ut vix ac ne vix quidem possit ab iis separari: unde frustrà labo-

laborant ij, qui tincturam Granati parare volunt beneficio sublimationis cum sale ammoniaco. Quæstio alias est: *An Bohemici seu Occidentales Granati sint præstantiores? an verò Indici seu Orientales?* Respondetur: Bohemicos esse præstantiores Indicis seu Orientalibus, propterea, quoniam Orientales Granati vi fortis ignis liquefcunt, & instar vitri coagulantur; Bohemici è contrà ignem fortissimum sustinent, à quo neque colorem, neque pondus mutant, sed solidi ex ipsis flammis emergunt.

Propter sulphur Martiale ejusdem Granatorum effectus est cum Coralliis in cordis palpitatione, affectibus Melancholicis, lipothymiis, hypocondriacis, & scorbuticis, terrore, &c. quod ipsum etiam tam interno, quàm externo usu præstare solent, vel appensæ, aut quacunque ratione admotæ. *Magisterium* nil valet.

Tinctura Granatorum pro viribus roborandis multum commendatur, & fit duplici modo: vel mediante sale ammoniaco, sublimatione, & cum spiritu vini extractione: vel calcinant Granatos, solvunt in spiritu nitri, spiritum abstrahunt, calcem relictam edulcorant, postea reverberant, & sic recipit pulvis colorem antiquum, quem cum spiritu vini extrahere volunt in tincturam. Sed tincturæ hæ sunt Sophisticæ, de quibus capite antecedente jam dixi; utut valdè commendetur in cura dysenteriæ, cujus rei fides sit penes Autores.

V. HYACINTHUS.

HYacinthus & Rubinus, qui etiam vocati fuere carbunculi, Gemmæ dicuntur congeneres; Invicem enim de sulphure solari participare putantur? hinc pectori admoventur in morbis malignis, lipothymia, palpitatione cordis & abigendis venenis: Unde prostat in officinis Electuarium, quod vocant confectio de Hyacintho, multi usus contra febres malignas, cordisque affectus. Verùm color Hyacinthi non est à sulphure Solari, sed Martiali.

Pulvis hujus gemmæ, vel etiam exinde paratum *Magisterium*, quod describit AUTOR, commendatur etiam in quibuscunque convulsionibus, & spasmo; sed nihil valent.

Affecto corde hæc gemma gestata colorem mutare dicitur: Videatur GESNERUS *Lib. 1. Epistol. pag. 4.*

VI. JASPIS.

JAspis in hæmorrhagiis quibuscunque sistendis, in manu detenta, ut incalescat, vel argento inclusa & naribus adducta, certum est remedium: pro quo usu eligenda est ista Jaspis, quæ hinc inde sanguineis maculis viridibus intermistis est colorata; non verò multis albis aut obscuris est respersa; videatur TENZELIUS *in suo de re Medica Tractatu* & HILDANUS *Q. 3. Obs. 3.* Et quidem gestanda est in ea manu, ex cujus latere nasi sanguis effluit. Hoc enim modo aliquando fuit sublata desperata hæmorrhagia, quæ à tribus celeberrimis Medicis non potuit curari: videatur *in Curat. Magico-Magnet. pag. 16.* & BOOT *de Gemmis Lib. 1. cap. 102.* Præter virtutem contra hæmorrhagiam narium, uti etiam contra abortum, femori alligata, fœtum pellere creditur.

VII. LAPIS NEPHRITICUS.

LApis Nephriticus ex nova Hispania adfertur, ex cæruleo ad virescentem colorem inclinat, & in superficie semper pinguis & oleosus apparet: ratione virescentis coloris ad Smaragdos refert BECHERUS *in Phys. subterran. Lib. 1. pag. 547.* Species est Jaspidis exoticæ, unde rarum est, quod etiam observatus fuerit lapis nephriticus albus, de quo vid. M. A. N. C. *Ann. 3. Observat. 30. pag. 46.* Ita dicitur ab effectu, quod nempè Amuleti loco de collo suspensus, aut coxendici appensus, aut etiam armillæ aliaque ex hoc confecta, nephriticos dolores demulcere, & calculi excretionem promovere, observatus fuerit; quod etiam non est de nihilo: nam non tantum arenam calculosam pellit, ac à calculo præservat, sed etiam eundem curat; & quidem argento inclusus, majoris efficaciæ esse putatur. Has vires existimo obtinere nephriticas, vi spasmorum ac motuum convulsivorum sedativâ, quibus etiam ureteribus ac locis membranosis finitimis remittentibus, &c. dolores nephritici abeunt, & calculi spontè promoveri solent. Unde etiam, præter vim calculum promovendi, mirificè in doloribus coli, suppressione urinæ, dolore capitis vehementiori, & affectibus catarrhalibus, laudari solet. Hoc ipsum docet, quo jure interno usu tanquam diureticum & lithontripticum usurpetur, unde & D. MICHAELIS aliique *liquorem nephriticum*, item *Magisterium nephriticum*, solvendo in spiritu salis composito, ex hoc lapide præparare satagunt. Modos præparandi videbitis in HOFFMANNI *Clave p. 154.* Nempè utut vi amuleticâ spasmos sedando aliquid adjumenti adferat, tamen interno usu non statim eundem effectum non præstabit, multo minùs si salium sub præparatione additione, textura ejus plus minus invertatur, & alteretur. Confer. WORMIUS *in Museo*, & in specie integer *Tractatus de hoc lapide editus à* CASPARO BARTHOLINO.

VIII. RUBINUS.

UTi supra dixi, Rubinum vulgò inter Carbunculos referri, ideò, quod horum tinctura ex auro præsupponatur; quod quidem verum est de Rubino, non verò de reliquis dictis Carbunculis, Granato & Hyacintho, uti suprà dixi. Sulphur solare in Rubino confirmatur præter alia ex eo, quod hic frequenter in locis, ubi aurum adest, inveniatur, teste MERRETTO *de arte Vitrar. pag. 419.* sicut & Rubinorum generationem eleganter describit AUTOR noster. Hinc & crystallus calcinando præparata, per aurum in aqua Regia solutum, & in pulverem redactum, in Carbunculum quasi mutatur: videatur NEER. *de arte vitrar. cap. 129.* De *Rubinis albis* vid. VELSCHIUS *Hecatost. 1. pag. 68.*

In febribus, aliisque malignis & venenatis morbis, lipothymia, palpitatione cordis, &c. efficax remedium putatur Rubinus; unde ceu principale ingrediens est in *Electuario de gemmis*, quod à multis magni fit in morbis malignis venenatis pestilentialibus, &c.

Externo usu vi amuleticâ commendatur, arcet Melancholicas imaginationes, & insomnia turbulenta, si instar armillæ appendatur collo. De mutatione coloris videatur AUTOR, & illud quidem latiùs diductum in BOOTIO. *Lib. 4. cap. 14. pag. 146.*

FABER *in Myrothec. spagyr.* commendat Quintam Essentiam *Rubini*, quam tamen non puto esse magni ponderis.

IX. SAPPHIRUS.

SApphirus ordinariè est cærulea; dantur tamen etiam albæ naturales: de quibus videatur VELSCHIUS *Hecatost. 1. pag. 67.* Color ejus cœruleus dependet ex sulphure Veneris, utpotè quod sulphur est à primo ente lunæ, cum mutaretur in metallum, & à principio aquoso conglutinatum. Nam omnes gemmæ conveniunt in radice, differunt in sulphure.

Famosissimus ejus usus est in carbunculis pestilentialibus, quasi magneticè curandis, in circulum nempè aliquoties circumdatus. Nam brevi post circulus livescit & nigrescit, & postmodum carbo integer à parte sana separatus excidit. De hoc Sapphiri Magnetismo videantur MARCUS MARCI *in Philos. Veter. Restitut.* Ophthalmicus etiam habetur Sapphirus; Unde ejus usus quibusdam multus solet esse in Ophthalmiis, & nimia oculorum lippitudine, si circulus ducatur circa oculum; unde remedium egregium est in variolis & morbillis, ad præservandos ab his oculos, si nempè circulus crebriùs circa palpebras & oculorum bulbos ducatur cum Sapphiro. Commendatur etiam ad roborandum & restituendum visum. Si pulvisculum aliquod in oculum incidat, dicit Autor noster, quod conveniat, si in orbiculum redigatur pisi magnitudine, ac per polita oculis imponatur. Cæterum tutiùs applicantur perlæ hoc modo.

Sal & liquorem Sapphiri, de quibus videatur AUTOR, commendat CLAUDIUS DEODATUS in cordis affectibus omnibus, in quibus mira faciat.

Præparatur quoque *Magisterium ex Sapphiro*: post duplicem nempè calcinationem factam solvitur Sapphirus in spiritu nitri cum aceto destillato, & soluta præcipitatur cum oleo tartari. Prima solutio fit viridis, subsequentes simul albæ. Ratio diversitatis consistit in sulphure lunæ, quo imprægnatus est sapphirus, quod in prima solutione sese exhibet in colore viridi; in reliquis solutionibus non amplius est præsens, unde in albicante sese exhibet. Sycophantæ & Agyrtæ habent *oleum purpureum* seu *viride* elegans, quod dicunt esse *oleum Sapphiri* verum: sed est impostura, estque nihil aliud, quàm oleum ex terebinthina & chamomilla destillatum. *Oleum* hoc habet AUTOR in Regno Vegetabili, ubi *de chamomilla*.

X. SMARAGDUS.

SMaragdus est gemma viridi colore, mollioris consistentiæ, & facilioris solutionis, quàm reliquæ gemmæ. Viror ejus est ex Marte, ut suprà dictum: Mars enim duplicē dat colorem; per se rubrum; & si attingatur acido, viridem. Observantur tamen etiam Smaragdi albæ, *teste* VELSCHIO *loco citato.*

Solo intuitu visum & oculos recreare dicitur, & quidem, quò viridior, eò utilior ad quoscunque affectus censetur. Amuleti instar appendi solent infantibus contra pavores nocturnos, terrores subitaneos, morbosque convulsivos & epilepticos. Sed propterea non statim etiam interno usu pro iisdem affectibus conferre præsumendum est, utut Smaragdus præparata à quibusdam pro talibus scopis, item pro hæmorrhagiis ex acrimonia sanguinis, pro alvi fluxibus, præsertim dysentericis, adhibeatur; sive dysenteria sit simplex, sive quæ subsequitur interdum philtrum: videatur de hoc *Zacutus Lusitanus Lib. 1. Medic. Princ. pag. 22.* item *in Deodati Panth. Hygiast. pag. 124.* Et quidem virtutes has in cura epilepsiæ & dysenteriæ habet ratione sulphuris Martis, quod in sistenda epilepsia & dysenteria potens est. In ephialte specificum est, tàm in infantibus quàm adultis, nec non in pulsu intercepto, viribusque reficiendis. In specie in terrore nocturno infantum, sæpius epilepsiæ prodromo, usitatissimus fuit MICHAELIS non sine successu. Verùm in dysenteriis Smaragdo præ-

ferantur

ferantur corallia, in pavore nocturno anisum, &c. In quibusdam locis usitatus est *Syrupus de Smaragdo*, qui fit, si solvatur Smaragdus in spiritu nitri, abstrahitur postmodum menstruum, & cum aqua rosarum & saccharo fit *Syrupus*, qui laudatur ad dysenteriam.

ZACUTUS LUSITANUS habet *Theriacam Smaragdinam*, quæ fuit ejusdem secretum in epilepsia, conjuncta cum febribus malignis.

Tinctura Smaragdi, quam AUTOR cum spiritu urinæ parare docet, est Martialis. Paratur hoc modo:

Smaragdus pulverisatur in mortario ferreo, tum superinfunditur *spiritus urinæ*.

Quando igitur in Mortario ferreo pulverisatur Smaragdus, propter duritiem aliquid pulveris ex mortario ferreo secum abducit per frequentem tusionem, qui pulvis Martialis mistus cum pulvere Smaragdi, aliàs per se de Martiali sulphure participantis, per spiritum urinæ faciliùs extrahitur in colorem cæruleum & viridem, & est tantùm solutio superficialis particularum Martis & Smaragdi, non verò tinctura. Hoc patet exinde, si scilicet silices eodem modo pulverisentur, & extrahantur cum spiritu urinæ, eandem dant tincturam, quam dat Smaragdus ita pulverisatus: Nam spiritus urinæ super Marte fusus inducit similem colorem viridem. Est ergò ingens impostura hæc præparatio, quæ tamen tinctura ratione Martis contra fluores dysentericos non ineptè commendatur.

Notetur, ex minera Smaragdina fieri posse Phosphorum Smaragdinum.

XI. TURCOIS.

TUrcois Orientalis verus si gestetur, præservat ab omni periculoso casu ab alto; quod si verò casus homini immineat periculosus, contingit, ut ipse lapis frangatur & rumpatur, quasi ruinam patiatur: id quod non tantum propriâ experientiâ confirmat BOOT *de gemmis*, sed etiam SCHMUCK *in Curis Magico-Magnet. pag.* 17. ubi simul affirmat, quod Turcois in manu gestatus, quoties ipse SCHMUCK præternaturaliter aut malè affectus fuerit, toties aliquot maculas Turcois iste contraxerit. Unde Turcis in usu est, Turcoide ornare pedes equorum, item soleas equinas, ne periculosè cadant, sed sint à casu sic magis præmuniti.

CAP. VI.
DE
CORALLIIS.

DE *Coralliis* notum, quod sint fructus marini, seu quod adferantur ad nos ex mari. Copiosus est eorum proventus in mari Tyrrheno seu mediterraneo, prope Hetruriam, seu in illa parte, ubi alluit Italiam: maxima est illorum copia in mari rubro, in cujus fundo integræ quasi sylvæ Coralliorum reperiuntur: vid. BOYLE. Et quidem notum est, quod Corallia crescant sub mari instar arbusculorum ex pusillo principio, imò in ramulos & arbores sæpè abeant.

Concretum sunt petrosum seu lapideum, adeoque reverà ad mineralia pertinent, prout nempè ceu genitum consideratur. Quoad sui verò generationem, *res dubia est, utrum magis ad vegetabilem* vel *mineralem naturam inclinent*, cum triplex, quoad hánc controversiam, sit Physicorum hypothesis?

1. Dum quidam asserunt, coralliumex succo lapidescente sui generis successivè generari, & per extrapositionem augmentari.
2. Alii existimant, esse reverà fruticem seu plantulam sui generis, quæ factâ vegetatione successivè, partim spontaneo naturæ motu, partim aquæ marinæ salsæ adjumento, in lapidem induretur.
3. Sunt, qui existimant, corallium esse vegetabile, successivè à penetrante humido petroso sui generis induratum, & ita petrificatum.

Mediam qui sustinent sententiam, *Lithodendron* seu *Arborem lapideum* corallia appellare solent, adeoque mediam inter vegetabilia & mineralia naturam ipsis tribuunt: uti hoc facit SALA *Lib.* 1. *Aphor.* 4. Interim controversiam hanc non facio meam, cum longior observatio & experientia rem decidat. Præ cæteris videatur KIRCHERUS *in Mundo subterran. Tom.* 2. *de Coralliis*, ubi omnia sufficienter diducit, TENZELIUS *in Exeg. Chymiatr.* ubi *de tinctura Coralliorum*, BACO *in suis Inquisit. & Observ. Naturalibus pag.* 1. *seqq.* item GANSIUS *in Tract. de Coralliis*, qui præteritis nundinis de novo excusus prodiit; & imprimis DEUSINGII, brevis quidem, sed accuratus *Tractatus*, qui vocatur, *Vindiciæ fœtus extra uterum geniti*, *Sect.* 8. Item *Diss. mea de tinctura Coralliorum*.

Dubium etiam est; *an mollia an verò dura deprehendantur sub aquis Corallia*? Duplici distinctione videtur hoc expediri, distinguendo

1. Inter Corallia matura & immatura: Illa revera sub aquis dura sunt: Hæc aliqualem mollitiem habent usque ad perfectam maturitatem. Præsertim cortex quasi tartareus, seu crusta non nihil subinde mollis, sub unda facilè detrahibilis observatur, quæ tamen levi aeris attactu subitò induratur.

2. Distinguendum inter ipsum corpus coralliorum, & inter capitula coralliorum succo lacteo turgida. Ista sunt dura; hæc verò nonnihil molliora, & ipse, quem continent, succus lacteus de facili in duritiem tendit.

Sperma enim Coralliorum est succus ille lacteus, & quasi mucilaginosus, ex quo, per mediam Coralliorum cavitatem sensim sensimque propulso, tanquam nutrimento, vegetationis more incrementum capiunt corallia. Quod si verò fiat, ut ex iis emanet succus ille, & in aliud subjectum incidat, hoc ipso succo, tanquam spermate, novum corallium enascitur & frutescit; hinc quandoque extractum fuit cranium hominis è mari, in quo fuerunt Corallia: videatur KIRCHERUS *loco allegato*. Hic succus est mollis, tenuis & glutinosus, ex quo teneriora corallia aliquantisper sunt mollia, & facilè flexilia; dum verò adolescunt, & in mari diutiùs morantur, eandem lapideam induunt duritiem. Id quod similiter fit, si corallia teneriora evellantur ex mari, & aeri exponantur; simul ac enim ab aere fuit exhausta humiditas aquosa, indurescunt corallia, & in lapideum fruticem abeunt.

Notabilis est duplex eorum differentia, dum nempe *rubra* & *alba* reperiuntur; nigra enim corallia impropriè dicta talia sunt. Sed non videtur essentialis inter hæc duo corallia differentia, quin alba quasi immatura, rubra maturiora & nobilissima esse videantur, quod præter KIRCHERUM illustrat VELSCHIUS *Hecatost.* 1. *pag.* 108. qui possidet Corallii frustulum, infrà albicans, superiùs rutilum.

In Coralliis rubris pro usu Medico duo sunt consideranda:

1. Ipsum *concretum Corallinum terreum* quasi alcalinum, seu corpus integrum.
2. Eorum *rubedo*, seu *tinctura* rubicunda.

Concretum Corallinum pro lapidum natura est salino-terreum, de acido & alcali participans, seu est alcalino terreum, debito suo seu mediocri acido concentratum, ac substantiâ tingente imprægnatum; adeò ut in compositione materiali per se terreum alcali præponderet: hinc facilè absorbet acida, eadem mediante effervescentiæ motu secum coagulat, & hinc calcinata corallia corpus calci vivæ simile relinquunt, quod affusâ aquâ effervescit. Corallia enim per se per retortam destillata suggerunt phlegma acidum, quod probat acidum Corallinum: Vid. *Diss. de tinctura Corall.*

Quoad *Rubedinem* seu *Tincturam*, hanc solaris naturæ esse, ac de sulphure solari originem immaturo & embryonato ducere, sunt qui existimant, ratione cujus virtutis solaris Coralliis tribuunt vim roborandi corpus nostrum, depurandi massam sangvineam, resistendi malignitati, epilepsiæ, & sic porrò. Sed hujus asserti rationem, aut experientiam solidam, hactenus audire nullam contigit: quin potiùs Martialis naturæ videtur substantia tingens, & suo modo de natura, substantia, & particulis martialibus sulphureis participare, cum Mars facillimè per acida blanda rubedinem exerat, ipsâ coralliorum virtute blandè adstrictoriâ, hæmorrhagiam sedativâ, affectuum hypochondriacorum & Melancholicorum correctivâ, aliisque Martis proprietatibus idem confirmantibus, adeò ut non videam, quid obstet, quo minùs Marti tincturam istam adscribamus.

Quoad *usum eorum* consideretur vel ipsius concreti usus internus & externus, & deinde tincturę ejusdem adeo decantatæ usus. Quoad *usum internum*, ipsa Corallia absorbent & invertunt quælibet vitiosa acida, plus minus manifesta, in primis viis oberrantia, & compescunt inde enatas effervescentias; id quod etiam mechanica Chymica cum quibusvis acidis ostendit, dum coralliis affusum acetum, vel alius quicunque spiritus acidus, eadem promptè solvit, & in solutione ista omnem amittit acrimoniam acidam & corrosivitatem, utut non absque effervescentia & ebullitione fiat. Hinc absorbendo eadem mutatione texturæ saporem & vim styptico-adstrictoriam pro Martialium quasi natura acquirit; unde in cruditate primarum viarum acida, & inde natis exæstuationibus corporis vagis, phlogosi, scorbuticis perquàm familiaribus, in soda, ructibus acidis, febribus intermittentibus, malo hypochondriaco, ac Melancholia, & affectibus Chronicis, quorum fons ab acido manifestiore est, infantibus item, torminibus afflictis, perquàm egregia sunt. Cum aceto propinata corallia acquirunt naturam adstrictoriam, unde contra nimium mensium fluxum, & hæmorrhagias quascunque, imprimis si sint à nimia sangvinis acrimonia scorbutica, contra dysenteriam, quoniam acidum dysentericum exulcerans absorbent, & in se recipiunt, contra sudores nimios, &c. cum laudano opiato, & in affectibus, ubi opus est aliquali adstrictione, sangvinis condensatione, in gonorrhœa tam virorum quàm mulierum, vi purificandi sangvinem sunt decantatissima. Si tamen sint quædam obstructiones, v.g. mensium ex abundante acido, ibi per accidens oritur apertio, dum absorbent acidum, causam obstructionum: de quo plura dicam, ubi de Marte. Præter dicta, palpitationes cordis, epilepsiam infantum, quæ à Meconio retento oritur, similesque morbos convulsivos, ab acido plùs minùs differenti natos, præservant, partim ac curant: vid. ARNOLDUS *de* VILLA NOVA, & CAMILLUS LEONARDUS, qui dicunt, quod per totam vitam infantes reddant immunes

munes ab epilepsia: uno nomine: vis coralliorum consistit in occulto alcalisato, ut rectè loquitur HOFFMANNUS *in Clave pag.* 162.

Externus concreti coralliorum *usus* est, ut appensa exhibeant Amuletum celebre contra fascinationes & incantationes, ita ut etiam fugare dæmonem dicantur: id quod, præter assertum PARACELSI, propria experientiâ confirmat HELMONTIUS *in Tract. In jaculatorum Modus Intrandi, &c.* Ubi inter alia refert, quod corallium rubrum, & ejusdem tinctura multum solaminis det in morbis ab incantatione ortis: Item alibi refert, armillam ab his applicatam spontè disruptam fuisse in quadam à dæmone obsessa, proptereà quoniam diabolus non possit ferre corallia. Unde etiam contra veneficia, & contra ligationes maritorum, valdoperè laudari solent corallia: de quo videatur præsertim GANSIUS *de Coralliis*, qui contra veneficia huncce commendat pulverem:

♃. *Corall. rubr.*
Alb.
Dent. hom. mortui cont. an. ʒj.
Herb. & sem. antirrh. ʒij.
M. F. *Pulvis*.

Huic pulveri subjicit hanc *Potionem* in veneficiis expertam;

♃. *Corall.* ℥iij.
Visci querc.
Hyperic. an. ℥iv.
Styrac. calam.
Ladani an. ʒiß.
Urinæ destillat. ℔. ij.

Digerantur clauso vase per diem & noctem, & destillentur.

Ulteriùs corallia appensa amuletum contra terriculamenta, & contra imaginationes nocturnas haberi solent, contra quæ CLAUDIUS DEODATUS habet Amuletum ex coralliis, quod ita se habet:

♃. *Corall. rubr.*
Lap. Melechit. an. ℥ß.
Cum succo chelidon. & mucil. tragac.
F. Amuletum.

Prætereà fulmina arcere, & ab iisdem tàm ædificia quàm agros præservare, à PARACELSO assertum fuit, ab aliis etiam affirmatum: id quod laudat imprimis STARICIUS, per experientiam expertus *pag.* 30 quod in agris hinc inde dispersa corallia vim fulminis avertant, & arceant; quod tamen tanquam paradoxon in medio relinquo.

In genere ergo frequens coralliorum usus est, internè æquè ac externè sub Amuletorum forma.

Præparationes, quibus Corallia subjiciuntur, sunt variæ & multæ. Duo autem generalia Præparata Medica suggerunt corallia:

1. *Pulverem Coralliorum* simplicem, dosi ℈ß. ℈j. usque ad ʒj. solitariò exhibendum, aut etiam aliis permiscendum.
2. *Tincturam Coralliorum*, determinato guttarum numero usurpandam.

Quoad *Pulverem Coralliorum*, sanè hinc simpliciter in porphyritide præparatus, aut exactè pulverisatus, aliis præparandi modis est præferendus, adeò ut cæteras, præter hanc Autoris, præparationes, destructiones potiùs coralliorum rectè appellat HOFFMANNUS *in Clave pag.* 162. In specie habeatur ratio, ne extra corpus acidis nimiis saturetur; aliàs enim absque efficacia intrò propinatur. Interim tamen cum blandè acidis simul mista propinari possunt, quando scopum adstrictionis simul intendimus, quia cum blande acidis corallia acidiusculam & adstringentem acquirunt naturam. Hinc SYLVIUS corallia cum pauco aceto destillato, & à nobis cum succo citri, in misturis propinantur. Sufficiat ergò nobis simplex pulvis præ aliis AUTORIS præparationibus, eò deterioribus, quò magis acido corallia saturantur: quales sunt quælibet Calcinationes coralliorum, sive viâ siccâ, sive humidâ instituantur: Viâ siccâ enim calcinata corallia acidum ignis copiosè arripiunt, hinc saturata eodem, in suo pondere augentur. Ratio est, quia acidum ignis adhæret coralliis. Notum enim, quod in omnibus lignis & carbonibus insit acidum: Sub incensione autem acidum exhalat & adhæret coralliis; e. g. Coralliorum ℥x. vel xij. post aliquot dies & noctes ponderant ℥xiij. Idem observatur in Marte & stanno calcinato Hinc frustrà fere intrò propinantur, utut calcinatione istâ sint apta reddita ad deponendam suam tincturam per menstruum vitriolicum, de quo videatur TACHENIUS *Hippocr. Chym. c.* 27. & in *Clave pag.* 172. Nam utut Calcinata sic rubra corallia omnia penitus albescant, hoc tamen fit non propter jacturam tincturæ, sed propter acidum ignis, rodens corallia, & hinc texturam nonnihil immutans. Jactura igitur hæc coloris est saltem apparens, non enim nudo igne expelli potest, sed firmiùs iis inhæret.

Fortiter calcinata corallia corpus instar calcis vivæ repræsentant, dum aquæ affusione effervescit; ex quo verò labore nonnulli sal quoddam elicere cum Autore gestiunt: sed nihil est, cum nunquam sal extrahatur in forma nativa, & levis saltem cremor salinus sit, qualis etiam decocto calcis vivæ supernatat, temperatus à sulphure in elixiviatione, quod de multis & saltem non de omnibus lapidibus calcariis intelligendum est. *Rectè ergo sentiunt* cum ZWELFFERO qui *negant*, *dari verum sal coralliorum*. Salia reliqua sunt nihil aliud, quàm solutiones coagulatæ & inspissatæ, & habent formam salium à menstruis, cum quibus facta fuit solutio: Ipsa enim coralliorum corpora dura non dant sal, neque lixiviale neque aliud, sed solùm sunt solutiones coralliorum. Unde patet, quod in calcinatione ignitionis extinctoriâ non fiat sal verum coralliorum, sed nihil aliud, quàm novum compositum ex acido aceti destillati, quod resolvit corallia, & cum iis in corpus saliniforme concrevit, quod facilè in loco frigido resolvi potest. De hoc liquore mirabile est, quantum ei tribuatur in febribus, v. g. malignis & ardentibus, instillando guttas xxx. vel XL. in ℔. potus ordinarii: sed est abusus, & meritò corrigendus.

Calcinationes cum adjectis salibus, *nitro*, *sulphure*, aliisque, eum in finem præmittuntur, ut ex coralliis, per acidum horum sub calcinatione rosis, faciliùs eliciatur tinctura: sed corallia ab hoc acido in sulphure saturata inermia redduntur, unde nullius erunt usus.

Quod enim acidum horum coralliis adhæreat, ex eo patet, quod eadem cum sulphure calcinata in aqua simplici solvi possint, propter acidum sulphuris coralliis adhærens. Hic, ubi fit mentio calcinationis cum sulphure, observetur, quod quidam parent medicinam, quam vocant *Cremorem coralliorum hoc modo*:

♃. Scilicet *Corallia*, eademque calcinant cum sulphure, coquunt in vino, & hinc infundunt in amplam & latam patellam, sicque ponunt in cellam frigidam, atque sic sensim sensimque supernatare incipit substantia quædam similis cremori lactis, quæ substantia vocatur Cremor Coralliorum, quæ sensim sensimque aufertur à liquore, exsiccatur, & tandem pulverisatur.

Calcinatio cum pumice est impostoria & nugatoria, quam videb. in *Tenzelio loco* ab AUTORE *citato*. *Calcinationes in via humida*, seu *solutiones* quod attinet, quælibet acida quidem, sive vegetabilia sive mineralia, Corallia facilè rodunt ac dissolvunt, & quidem, quò acriora illa sunt, eò majores ebullitiones & effervescentias excitant & turbant: Præprimis quando acidum est minerale, tunc majores turbæ & effervescentiæ excitantur; unde non ineptè collegerunt nonnulli, esse abundans alcali in coralliis, hinc ut alcalina eadem valere. Et quidem inter leviora vegetabilium menstrua sunt succi acidi omnes, ut succus acetosæ, citri, ribium, berberum, Spiritus acidi volatiles ex lignis destillati, quales sunt spiritus ligni quercini, Gvajaci, sassafras, lignorum compositus, &c. Acetum destillatum, & similia. Inter acida mineralia sunt spiritus acidi volatiles nitri, salis, vitrioli, sulphuris, & sic porrò, quæ corallia facilè solvunt, & resoluta imbibunt. Ast spiritus aluminis, spiritus è pane, spiritus roris, spiritus è nive, non tàm solvunt, quàm extrahunt sulphur coralliorum: sed corallia hac ipsa solutione plus minus pro usu interno inepta redduntur; abstractis acidis, concretum nihilominus saliniforme ex corpore coralliorum & particulis acidis in eodem concentratis restitat, quod malè sal coralliorum dicitur, cum nullâ arte genuinum sal ex coralliis elici queat, sed saltem hæc sunt concreta saliformia ex additis acidis nata: Non secus ac salia hæc per deliquium soluta, male oleum vel liquor Coralliorum appellantur, cum nudæ & superficiales sint eorum solutiones.

Ad Calcinationes humidas seu solutiones pertinet etiam Coralliorum sublimatio cum sale ammoniaco, de quo *infrà suo loco*.

Par ratio est *Coralliorum cum tartaro tractatorum*, & hinc destillatorum, qui spiritus prodiens ridiculè spiritus coralliorum dicitur à GLAUBERO *P.* 2. *pag.* 119. cum spiritus saltem sit tartari, acido tartari à coralliis corrosis in fundo vasis restitante. Solutiones Coralliorum cum spiritu viridis æris factæ, equidem hoc privilegii habent, quod menstruum eodem ferè sapore à virtute separetur: sed nisi cautè paratus sit spiritus, Coralliorum hinc facta tinctura aut sal ferè Venerei quid sapit. Si quæ Coralliorum solutiones & inde coagulata salia in usum vocanda sint, sint eadem facta per acida blanda vegetabilium, v. g. ribium aut Citri; taliter enim soluta corallia aut per spontaneam subsidentiam, aut hinc *nata Coralliorum Magisteria*, *in corpore nostro adhuc solubilia existunt*, nec absque usu omni propinantur. Quævis tamen coralliorum solutiones seu calcinationes humidæ longè inferiores sunt coralliis crudis, nisi forsan magis stypticæ fuerint.

Pulvis coralliorum vitriolatus saltim subjectum aluminosum erit, & pro scopo adstrictorio in usu.

Sal Coralliorum num. III. pag. 335. nihil valet; sed est nil aliud, quàm novum concretum, uti dixi; solutio nempè coralliorum inspissata: nam quando solutiones inspissantur, acquirunt talem formam salinam. Modò dixi, nullum sal ex coralliis elici posse; id quod verum est, quicquid etiam dicat BORRICHIUS, qui sal coralliorum, eorumque tincturam, post debitum tritum per solam aquam destillatam decoquendo elicere satagit: videatur BORRICHIUS *Hermet. Sapient. pag.* 329. Sed observandum, quod Coralliis de sale marino simul coagulato semper aliquid adhæreat; unde suspicandum, quod *sal* illud *Coralliorum Borrichii* inde proveniat, præsertim cum asserat BORRICHIUS, figuræ cubicæ salem sic ex coralliis factum fuisse, qualis est salis marini.

Sal dulce Coralliorum habet aliquid in recessu propter rorem Majalem, qui subtilius sulphur ex iis elicit. Sed

1. Calcinatio consideretur, quæ non multum valet.
2. Solutio in aceto, quæ cōcedi potest, quia ros majalis additur.

Opti-

Optimè fit cum ſpiritu ſalis, quæ ſolutio in balneo Mariæ ad ſiccitatem abſtrahenda; ſal relictum in aqua ſimplici reſolvendum, inſpiſſandum, & denuò coagulandum; idque toties, donec menſtrui ſapor ceſſet.

Magiſteria ſequuntur, quæ nullius ſunt valoris, ſive ſint communia, per præcipitationem coralliorum in acido menſtruo ſolutorum, mediante alcali vel ſpiritu alcalico factam, ſive ſint butyracea ſeu farinacea, aliàs dicta ſolubilia. Nam priora iſta communia ſunt calces planè inutiles, ex corpore coralliorum cum particulis acidis & alcalinis coagmentato conſtantes, nullius planè uſus interni, cùm ſalia hæc nullo modo poſſint ſeparari. Unde aliquando obſervatum fuit, quod poſt nimium uſum coralliorum Magiſterii fuerit repertus ventriculus corroſus propter acrimoniam acidam menſtrui; quale exemplum videre licet in HOFFMANNO *de Medic. Chym.* Itaque, quoniam ſunt ſaturata corallia à menſtruo acido, in corpore noſtro nullo modo poſſunt abſorbere acidum, & potius, ſicut aſſumpta denuò egerunt, nullo uſu, nullo fructu. Ergò magiſteriis his longè præferenda ſunt corallia nudè præparata.

Magiſteria butyracea, ita dicta, quoniam inſtar butyri in lingua liqueſcunt, fiunt, quando corallia in aceto deſtillato ſolvuntur, & per ſpiritum ſulphuris vel vitrioli præcipitantur. Dicuntur etiam *Magiſteria plumacea*, quod licet ſint adeò dura & cruda corallia, Magiſteria tamen hæc inſtar plumæ ſint levia, & inſtar ſalis reſolvantur in lingua. Optimus modus horum eſt hic, qui fit cum ſpiritu vitrioli Philoſophico; ſolutio filtrata præcipitatur cum ſpiritu vitrioli rectificato, Magiſterium edulcoratur & uſurpatur. Sed obſervetur, quod ſpiritus vitrioli Philoſophicus benè debeat eſſe rectificatus; aliàs enim propter particulas tales, ex Mercurio vitæ aut butyro antimonii reſiduas, Magiſterium poſſit excitare vomitus. Sed quia jam acido ſunt ſaturata hæc Magiſteria (nam impoſſibile eſt, etiam mille edulcorationibus acidum penitus ſeparare) intra corpus nihil uſus obtinebunt. Præfertur his *Magiſterium cum ſucco citri*, quando corallia ſolvuntur in hoc ſucco, & præcipitatur ſponte pulvis in fundo: Nam acidum citri ſaltem infringit corallia, non autem corrodit.

Huc pertinet *Magiſterium ſecundùm* ZWelfferum cum ſpiritu viridis ęris, quæ commendanda. Hic ſpiritus utut contemnatur à TACHENIO, certum tamen eſt, quod contineat in ſe acidum ſalſum volatile, unde menſtruum eſt non contemnendum. Hic ſpiritus ſolvit Corallia, ita tamen, ut in ſolutione coralliorum parum immutetur, ſed denuò abſtrahatur cum aciditate, ac denuò poſſint ſolvi illo nova Corallia, quod non æquè in aliis procedit. Non autem viribus integris inſtar liquoris alcaheſt à concreto ſoluto abſtrahitur, ut vult ZWELFFERUS, qui ſpiritus hujus in ſolutione coralliorum & Magiſterii plumacei præparatione fuit primus AUTOR, ſed ſemper aliquid aciditatis in concreto relinquit.

Quod dictum de Magiſteriis, idem valet de *ſale* & *oleo* ſeu *liquore coralliorum*: nam ſive coaguletur ſolutio in ſale, ſive præcipitetur in pulverem, perinde eſt; utrumque enim horum eſt ſaturatum acido, unde, ſicut corallia in hoc liquore fuerunt aſſumpta, ejiciuntur foras, neque adſtringunt, neque acidum abſorbent. Et *qui dicunt*, quod *liquores coralliorum & perlarum ſint cordiales*, *ſunt nugæ*.

Pergimus ad *Eſſentiam* ſeu *Tincturam coralliorum*, quarum ſunt præparationes variæ, & tot ferè modi, quot capita Chymicorum, adeò ut 300. fuerunt nominatæ à quodam Autore, & quilibet vult habere Arcanum in præparanda tinctura coralliorum, quarum tamen una tantum, quantum altera valet. Rariſſima enim avis eſt tinctura vera Coralliorum; unde ZWINGERUS Tincturam Coralliorum veram ſemel tantùm, CROLLIUS verò nunquam, ſe vidiſſe fatetur: quam equidem ceu non-ens cum SALA aliiſque rejicere penitus nolo, ſaltem hactenus nullam genuinam me obſervaſſe, fateri cogor. *Vera* enim *debet eſſe*, in qua ſolum *principium ſulphureum* legitimo menſtruo ſit *extractum*, relictis coralliis integris, quod remedium eſt celebre, tanquam ſummum analepticum ſpirituum quorumvis, ac ſpeciatim cordis confortativum, ſummum ſanguinis purificativum, ejiciens per diaphoreſin quælibet fermenta heterogenea, corrigit ſapores & alterationes præternaturales contentorum in primis viis, à quibus ſanguinis textura plus minus vitiatur, ejuſque craſis & fermentatio pervertitur: hæmorrhagias quaſvis cohibet; in palpitatione ac ſyncope febrium, item febribus malignis, mirabilis eſt, cachexiam etiam virginum curat, ictericis & ſcorbuticis ſummè proficua eſt: Confer. BORRICHIUS. *Hermet. Sapient. pag.* 326. Menſtruum autem intimè ſe conjungit cum Coralliis, ut dehinc non poſſit ſeparari aut præcipitari à ſe invicem. In tinctura ergò hac ritè præparanda ac præparata examinanda, obſervetur:

1. Coralliorum concretum duriſſimum eſſe, & cui texturæ firmioris ſubſtantia tingens intimè coagulata inhæret; unde mox difficillimæ & non cuivis obviæ præparationis erit tinctura. Nam utut in particulas minutas ſolvantur, hæ integrales totius ſunt, nec ad naturam eorum eſſentialem pertinent.
2. Tincturæ paucitas in coralliis rubris, ſiquidem cum LAUREMBERGIO *Aphor. contra Salam* hic facio, ℔j. Coralliorum vix ℨß. tincturæ ineſſe; unde pulvis Coralliorum minus rubet, ſed magis ad albedinem inclinat. Hinc
3. Famoſiores etiam tincturæ coralliorum non tantum ſunt genuinę eorum extractiones, quam ſubtiles ſolutiones corporis eorum integri ſoluti, vix, niſi conſiſtentiâ, à ritè pulveriſatis ac præparatis coralliis differentes; quoniam per menſtrua fiunt nimis corroſiva, adeoque ſolutiones potius ſubtiliores, quàm ſeparatæ propriè dictæ tincturæ ſunt, ut patet per inductionem plurimorum, quæ hinc inde proſtant proceſſuum.
4. Tincturæ Coralliorum ſæpè ſunt vel nudæ ſolutiones concreti, vel ſaltem ipſorum menſtruorum colorationes, quæ vel ipſæ ſimpliciter, vel occaſione mutatæ cum coralliis texturæ ad iſtam rubedinem, mediante digeſtione induendam, diſponuntur, interdum nihil penitus de coralliorum ſubſtantia obtinentes: id quod facilè patet exinde, quod quàm plurimi proceſſus tincturæ coralliorum eliciendi ex rubris, procedant etiam ex coralliis albis, eodem modo tractatis; ex quibus impoſſibile eſt, ut eliciatur tinctura rubicunda, adeo ut poſſit facilè hinc detegi impoſtura: id quod ſufficienter videri poteſt declaratum in *Diſſert.* mea, quam voco *Examen tincturæ coralliorum*.
5. Dubium eſt, an non tinctura quædam concinnior Martis idem præſtare queat, quod ipſa coralliorum tinctura? annon effectus tincturæ non penitus ſubinde ab additis, partim ex ſe medicamentoſis, partim propter novam cum coralliis emergentem texturam medicamentoſis factis, emergant, quàm ex ipſis coralliis? Id quod in ſolutionibus & compoſitionibus corporum non rarum eſt.

Hæ circumſtantiæ probè conſiderandæ ſunt, quarum tamen minus genuinarum intuitu non ſemper uſus & effectus tincturarum rejiciendus eſt, etſi pro tincturis genuinis & propriè dictis non habendæ ſint.

In genere Præparationes omnes collimant eo, ut primò ſolvantur corallia, ex ſolutis poſtmodum, abſtracto menſtruo, cum convenienti liquore extrahatur tinctura, adeo ut ſolutio præcedanea coralliorum ſit tantum præparatio, ut faciliùs ſubminiſtrent tincturam ſubſequenti extrahenti liquori. Δοκιμασία ſeu *Proba veræ coralliorum tincturæ eſt ea, ut ſcilicet non poſſit ampliùs præcipitari ſeu ſeparari ex menſtruo*, cum quo fuit extracta. *Optima tinctura* elicitur ex ſpiritu vel ſale aereo, qui ex ſpiritu roris vel nivis ſit, ſecundùm modum QUERCETANI. Non pauci mediante rore, aut aqua nivea, vel pluvia, parare nituntur: Sed ut ex ſuperioribus notum eſt, ſal nitroſum in hiſce meteoris deprehenditur, unà cum adjuncta pinguedine ſeu ſubſtantia oleoſa; facilè itaque ab iſtis ſalibus arrodi corallia, & hinc ex magmate iſto compoſito, mediante ſpiritu vini tinctura parari, parum tamen de ſubſtantia coralliorum participans, & quæ etiam ad ſubtiles ſaltem coralliorum ſolutiones pertinet. Alii corallia per roris majalis aut aquæ nivalis continuam & diutinam evaporationem ita tandem emolliunt, ut tincturam ſuam per ſe in deſtillatione ſub forma olei fundant.

Tinctura Hartmanni eſt ſaltem Extractum ſalis corallinum.

Quod attinet tincturam per acetum coralliorum parandam, BORRICHIUS *de Hermet. Sap. pag.* 227. Corallia retortæ incluſa, & igne aperto ſimpliciter deſtillata, aquam ſeu ſpiritum coralliorum acidum, qui vocatur etiam *Acetum Coralliorum*, & oleum empyrevmaticum, utut paucum, largiri aſſerit, ex quo oleo mediante ſpiritu vini ulterius tincturam Coralliorum perficit. Quoad hunc laborem obſervandum eſt, fixa corpora eſſe corallia, & quæ de ſubſtantia ſua petroſa nihil deſtillando dimittere valeant. Quantum ergò ſub forma olei illius pauci, & phlegmatis nonnihil aciduli ſuggerunt, hoc reverà ex ſubſtantia vegetabili lignoſa coralliorum oriri videtur.

Tinctura Coralliorum Holſatica non planè contemnenda eſt, ſed eſt præparatio præ aliis ſatis commoda, modò omnes adhibeantur encheiriſes: ſed facillimè ſe præcipitat. Encheiriſes autem conſiſtunt in hoc, quod ſcilicet menſtruum non ſit abſtrahendum ad omnimodam ſiccitatem, ſed tantum ad mellaginem; Aliàs enim non procedit proceſſus. Pharmacopœus Londinenſis ſimili modo, ſed elegantiori præparat tincturam coralliorum, qui ſolvit primò corallia in ſpiritu, parato ex tartaro & vitriolo, ſicut habemus in hac tinctura Holſatica: factâ ſolutione abſtrahitur ſpiritus in conſiſtentiam mellagineam: Huic Extracto mellagineo affunditur ſpiritus Veneris volatilis, ſeu ſpiritus aluminis volatilis, qui valdè egregiam tincturam coralliorum ferè in momento extrahitur: hanc extractionem denuò ad conſiſtentiam mellaginis abſtrahit, & tandem cum ſpiritu vini benè rectificato remanentiam extrahit in elegantem tincturam.

Quidam etiam Oleis deſtillatis mediantibus tincturam elicere ſatagunt, ſive cum AUTORE *oleum Citri*, ſive cum LANGELOTTE *Epiſt. ad Nat. Cur. pag.* 28. *oleum deſtillatum aniſi* recipiatur. Certè olea Vegetabilium aromaticorum ſucceſſivè ratione occulti acidi de coralliis aliquid abradunt, & hinc particularum taliumi contactu texturam mutando rubedinem contrahunt. GLAUBERUS & alii mediante ſale tartari corallia calcinant, & cum ſpiritu vini tincturam extrahunt; de quo infrà.

Cæterum utut tinctura coralliorum vera ſit rara avis, nihilominus ſunt elegantiores ſolutiones, quę ſubſtitui loco tincturæ poſſunt. Res ut pateat, in ſpecie modos quoſdam præparandi conſideremus: Nam reliquos, uti & jam examinatos, quos AUTOR habet, ſufficienter

cienter excussit Ludovici pag. 737. ac speciatim HOFFMANNUS *in Clave*, ubi *de coralliis*. Pro præparandis ergo tincturis duæ potissimùm operationes in usu sunt:

1. Ipsius corallini corporis apertio.
2. Substantiæ tingentis separatio, sive hæc fiat addito spiritu, aliove, sive simplici destillatione, sive aliis modis.

Pro aperiendo corpore media menstrua sunt, primò acida mineralia, & hinc acida vegetabilia, tàm nativa, ut succus ribium, citri, acetum, quàm artefacta, ut spiritus lignorum, spiritus panis, spiritus mellis, mannæ, &c. Equidem tincturæ, quæ fiunt ex *coralliis per acida mineralia corrosis*, vix præterquam subtiles coralliorum solutiones erunt, utut modus TACHENII *suprà citatus* altius quid in recessu habeat. Corallia per acida vegetabilia soluta, hinc spiritu vini extracta, sunt etiam subtiles saltem solutiones, dum spiritus vini resinosam succorum substantiam imbibendo, simul particulas coralliorum in iis concentratas arripit. Non inelegans est tinctura coralliorum, v. g. Sassafrata D. MICHAELIS, quæ fit; quando solvuntur *Corallia* in sextuplo vel octuplo *succi citri depurati*, qui solvit tantum ex coralliis subtiliores & elegantiores partes, relictis crassioribus & terrestrioribus in fundo: factâ solutione decantatur, & inspissatur in mellaginem seu consistentiam mellis: hinc affundatur spiritus ligni sassafras, & extrahatur tinctura rubicunda contra luem Veneream. Simili modo etiam paratur cum spiritu cochleariæ *tinctura Coralliorum*, *cum spiritu cordis cervi*, item *sanguinis cervi*, in palpitatione cordis, lipothymia, melancholia, & scorbuto.

Acida Vegetibilium arte facta sunt spiritus lignorum, panis secalini, etiam ab oleo separatus, & super panem bis coctum rectificatus. Quando hæc citrà ignem etiam tincturam coralliorum eliciunt, sunt subtiles Coralliorum solutiones; Color verò est à menstruis. Si enim hi spiritus, præsertim panis, arenæ vel coralliis affundatur, etiam rubra tinctura emergit. Nempè hi Vegetabilium spiritus compositi sunt ex acido volatili ac simul spiritu oleoso inflammabili: qui ipsi vel simplici digestione vel corporis terreo-alcalini attactu, sponte rubedinem contrahunt. Facilis hæc res est probatu: si enim coralliis v. g. spiritus lignorum affundatur, & factâ solutione abstrahatur, acidum in coralliis concentratum manet, spiritus sulphureus & volatilis saltem redire solet; non secus atque Coralliis acetum affusum, & hinc in corpus saliforme concentratum; si destillatur hoc salinum coagulum, spiritus volatilis ardens prodit, quem vulgò spiritum coralliorum ardentem vocant, cum tamen sit spiritus vini ex aceto revivificatus: id quod observetur contra Autorem lib. 3. pag. 340. sub titulo, *Spiritus seu oleum Coralliorum*. Dixi autem superiùs, quod acetum fiat, quando ab acido vini spiritus salini volatiles figantur & deprimantur. Est ergò spiritus vini in aceto adhuc integer, dum ex solutione coralliorum cum aceto acidum adhæret coralliis; Unde spiritus vini, qui antea in aceto fuit fixatus, fit sui juris per ignem & prodit per retortam denuò. Idque etiam verum est Saturno, ut suo loco constabit. Spiritus hic, v. g. lignorum compositus, coralliis loco succi citri affusus, digestus, & ad mellaginem inspissatus, dat pariter cum spiritibus appropriatis tincturam Coralliorum sassafratam, antiscorbuticam, &c.

Spiritus panis benè rectificatus, & ab omni phlegmate & empyrevmate legitimè separatus, citra ignem *extrabit tincturam Coralliorum*, corpore coralliorum manente integro. Menstruum autem meliùs paratur ex farinæ triticeæ part. iv. fermenti part. j. in clibano tostis: Hæ suggerunt spiritum empyrevmaticum, qui tamen coralliis affusus elicit tincturam spontè in loco frigido, ut corallia in fundo albicantia remaneant.

Per *Alcalia* etiam tractantur Corallia, ut suggerant tincturam. HELMONTIUS de sale volatili tartari, seu de sale tartari volatilisato dicit: quod sit succedaneum liquoris Alcahest, quo vera corallii tinctura extrahi potest. Memini me Londini apud Pharmacopœum Regium, Dn. FEBURE, vidisse talem egregiam tincturam, qui solutionem Coralliorum extraxit cum spiritu salis volatili tartari, hinc per retortam cum hoc spiritu extractam tincturam Coralliorum coloris obscuri & subrubicundi destillavit ejusdem odoris & saporis cum menstruo, in quàm plurimis morbis melancholicis, maniis, epilepticis, palpitatione cordis, scorbuto, & similibus affectibus, elegans remedium. Ast dubito: *Annon effectus hic magis spiritui salis tartari, quàm coralliis, sit tribuendus?* Boyle pariter in *Chym. scept. pag.* 137. affirmat, menstruum sibi cognitum esse, quod coralliorum tincturam nobilem etiam, in destillatione transducat.

Alii mediante sale tartari corallia calcinant: vel alii corallia cum nitri ana fluere sinunt in crucibulo, ut sic alcalisetur nitrum: Massæ huic recenti affusus spiritus vini rectificatus egregiam tincturam rubicundam extrahit, quæ tamen non est coralliorum tinctura, sed tantùm spiritus vini super Alcali spontè se tingentis, sicut in tinctura tartari notum.

Facit etiam mentionem *sublimationis* AUTOR noster *Processu* 14. & *No.* VIII: *in Floribus*, cum sale Ammoniaco in flores: Pulverisata nempè corallia rubra permiscentur cum sale ammoniaco similiter pulverisato, & postmodum igne cinerum in cucurbita instituitur sublimatio, hàc sal ammoniacum tantum unà secum rapit, quantum acidum salis ammoniaci rodere potest de corpore Coralliorum, adeò ut in alembicum descendant flores rubicundi, qui sunt nil aliud, quàm nuda subtilia coralliorum ramenta.

Ex hisce floribus PETRUS JOHANNES FABER *in Scriptis* beneficio spiritus vini benè rectificati nititur parare tincturam, quod & non absonum videtur. Processum videbitis in *mea dissertatione*.

Pertinet huc, quod *per triturationem cum sale marino* diutiùs continuatam ita disponantur corallia, ut tincturam oleosam rubicundissimam levissimo ignis gradu dimittant. Cum autem corallia fixa sint corpora, quæ de substantia suo petrosa nihil dimittere valeant: imò si verum est, ut non ineptè ratiocinatur TACHENIUS *loco suprà citato*, fixam esse coralliorum tincturam, & quæ etiam in igne subsistat; non video, quomodo eadem tàm facilè destillando prolici possit, nisi salina corpuscula, cum quibus coquendo aut triturando examinata fuerunt, sub destillatione non nihil elevata, partem substantiæ coralliorum secum rapiant.

Hi sunt famosiores modi tincturas coralliorum præparandi: cuilibet liberum est, modum eligere, qui magis placet, utut genuina tinctura coralliorum inter modò dictas præparationes, aut alias satis notas nondum comparuerit. Plura aliàs de tinctura coralliorum videbitis in GANSII *hist. Corall. pag.* 65. & 66. Agricola de corall. & in *Chirurg. parva pag.* 832. LAUREMBERGIO *in Aphor. Ang. Salz cap.* 13. & ARNOLDO SCHROEDERO *in Defensione Laurenb. Quæst.* 13.

Flores Coralliorum, præter sublimationem cum sale ammoniaco jam dictam, à quibusdam etiam parantur *sublimando Corallia cum sulphure*, & exinde fiunt *flores sulphuris rubicundi*, qui aliàs sunt flavi. Denique appellantur etiam flores coralliorum, quando in præcipitatione Magisteriorum in liquorem, in quo facta est præcipitatio, immittuntur baculi lignei, & mittuntur simul in locum frigidum; fit enim, ut baculis ligneis sensim sensimque adhærescat corpusculum coralliorum solutorum in forma floccorum nivis, & hi ipsi postmodum vocantur Flores coralliorum.

Oleum Coralliorum succinatum AUTORIS prodit quidem rubicundo colore; nihil tamen de coralliis participat, nisi quantum phlegma acidum spirituosum succini simul per retortam abripuerit.

Syrupus Coralliorum simplex & *compositus*, qui sunt solutionis coralliorum cum saccharo in syrupum redactio, in sistenda diarrhœa, dysenteria, & similibus, frequentis usus est. Loco succi berberum vel limonum potest etiam fieri solutio cum succo acetosellæ, cum quo erit convenientior in febribus malignis & ardentibus, in quibus acetosella egregia est. Quidam volunt præparare cum succo tormentillæ, & fit convenientior in dysenteriis, in quibus per se multi est usu; adstringit enim hic Syrupus, atque efflorescentiam Massæ sanguineæ corrigit. Non adeo tamen probandi sunt Syrupi coralliorum, quia succi vegetabiles fermentantes post fermentationem corallia denuò dimittere solent, ita ut parum de iis syrupus participet. Potiùs & ex tempore misturæ de talibus succis præscribantur, & saccharo edulcorentur.

CAP. VII.

DE

MARGARITIS.

Margaritæ seu Perlæ subjectum ferè sunt simillimum Coralliis, in radice tamen differunt. Corallia enim mediæ naturæ sunt inter Vegetabilia & Mineralia: perlæ autem sunt primo ex ortu animale quid, ex succo lacteo animali, sed tandem in naturam mineralem degenerant, quod præprimis ex earum calcinatione videre est. Calcinatæ enim perlæ relinquunt calcem vivam ex acido & urinoso, effervescentem in aqua, quod majus signum est naturæ mineralis, quàm animalis, cùm concretum ejusmodi calciforme nunquam ex animalibus eliciatur. Coagulum sunt ejusdem materiæ seu naturæ cum ipsis testis concharum, seu, ut vulgò dicunt, cum matre perlarum: estque commune omnibus concharum & ostrearum speciebus, ut margaritas certo tempore proferant: de quod conf. M. A. N. C. *Ann.* 3. *obs.* 36. Perlæ enim genuinæ in ipso corpore concharum seu ostrearum deprehenduntur, ex quo postmodum successivè excluduntur. Constant simpliciter ex pluribus pelliculis admodum subtilibus, sibi invicem ceparum instar superinductis, nulla aliâ materiâ inter eas contentâ: quem modum eleganter exprimit HELMONTIUS *Tract. de Febr. cap.* 8. §. 7. Deprehenduntur etiam perlæ minus perfectæ, quas ipsæ ostreæ excludunt ante debitam perfectionem, & unà cum pelliculis subtiliorem & molliorem substantiam quasi farinaceam interjectam habent. Hinc istæ priores eleganter splendidæ, & quasi perspicuæ, ordinariè rotundæ aut eleganter ovales spectantur: Hæ posteriores minus splendentes, magis albidæ, minusque opacæ sunt. Meretur quæ hic legatur *Dissertatio Rolfincii in Diss. de Margarit.* seu *perlis*, ubi demonstrat, quod idem sit testa seu mater perlarum cum perlis ipsis, & quod habeat eundem effectum: deinde, quod crescant pelliculatim in conchis, & per vomitum ejiciantur in testam, quando sunt maturæ: Videatur etiam HORSTIUS *in Dispens. pag.* 247. cum quo etiam conferatur BOETIUS *de Boot in Tr. de gemmis & lapidibus*, JOHANNES

WIT-

WITTICHIUS *de lapide Bezoard. pag.* 184. & FALLOPIUS *de Metallis & Fossilibus* Quasi gelatina lactea firmiter congelata, suoque sale volatili oleoso, appropriato acido suo concentrato, constant, quo ipso in consistentiam duram coagulantur, & dehinc abeunt in figuram rotundam; hinc sensim sensimque alius liquor succedit coagulatus, adeò ut per successivam coagulationem pellicularum augeantur perlæ.

Sunt quidam, qui putant, quod Mater perlarum non sit eadem cum perlis, sed longè vilior; nihilominus, cùm ex eodem liquore gelatinoso concrescat testa seu mater perlarum, ac ipsæ perlæ, ejusdem quoque erunt naturæ & efficaciæ.

Usus perlarum est vel *privativus* vel *positivus*. Usus *privativus* est, quod promptè absorbeant varia acida in corpore nostro, præsertim gravidis abortum minantia, & effervescentias (omne quippè acidum solvit perlas & dulcescit) ab acido inductas blandè restringunt & compescunt, crudæ saltem pulverisatæ assumptæ: Pro quo scopo mater perlarum longè commodiùs usurpatur: hinc rectè hoc respectu easdem habet vires. Imò alia etiam marina, cancrorum nempè aut percarum lapides & corallia ejusdem cum perlis erunt usus, teste HELMONTIO, FABRO & LUDOVICI *Pharm. pag.* 723. Etiam cancrorum testæ non inferioris erunt pretii, Autore *Verulamio Hist. Vitæ & Mortis pag.* 85. Quoad positivum usum: notum est, quod adscribitur ipsis magna vis cordialis; sed ignoratur, quid profertur. Ab omnibus nobilissimum confortativum prædicatur, quo balsamus vitæ conservetur, vires insigniter reficiantur & restaurentur, ac imprimis phthisicorum, hecticorum ac tabidorum corpora, tanquam rore quodam nutritivo appropriatissimo, humectentur & restaurentur.

Hos affectus qui assequi nititur, necesse est, perlas in primum suum lac & spermaticum liquorem, similem nempè isti, ex quo fuerunt concretæ, resolvere queat: Sub tali enim forma alcali volatile & oleum temperatissimum vires analepticas, æstuationes febriles hecticorum temperativas, ac tabescentium refectivas, & retardandi senectutem, exerunt; & quæ dicuntur de lacte perlarum, de isto possunt dici veriùs: verum quippe lac liquor iste est primordialis; quod non dici potest de perlis, uti in officinis prostant. Sed quàm paucis his concessum est adire Corinthum. Omni quidem conatu hoc contendunt Chymici, hincque variis solutionibus, coagulationibus, volatilisationibus, &c. torquent margaritas; sed inani conatu. Acida enim nil valent; per corrosionem enim destruunt potiùs perlas: urinosa etiam non attingunt eas; nec oleosa penetrant perlarum corpus. Forsan subtilior ac penetrantior substantia, aliqualem cum margaritis cognationem habens, & in quo menstruo citra vim corrosivam destructoriam blandè & amicè quasi liquescunt perlæ, hoc præstare poterit, quod vix meliùs, quàm in rore, nive vel aere, inveniri posse, probabiliter conjecturatur; præsertim si ipsæ ostreæ roris beneficio, ad genituram perlarum disponantur.

Patet ex prædictis, quid habendum sit de Præparationibus Autoris, tam perlarum solutionibus, quàm horum in Concretum salinum coagulationibus, & variis modis in Magisteria præcipitationibus. Nempè penitus pro usu Medico superficiales sunt. Perlæ enim semel extra corpus acido saturatæ, intra corpus instar calcis primas infestabunt. Unde potiùs crudæ saltem pulverisatæ aut in porphyritide præparatæ propinentur, & aliæ quævis solutiones & præparationes intermittantur, nisi quibus mediantibus in primigenium lac redigantur: conf. HELMONTIUS *Tr. Potestas Medicaminum*, item *de febribus cap.* 8. §. 7. cum quo conf. TACHENNII *Clav. pag.* 121.

Præparata AUTORIS in specie quod attinet: occurrit *Sal perlarum*, quod fit ex perlis in menstruis acidis solutis, sed insulso conatu: est enim novum compositum, in quo perlæ destructæ, & menstrui solventis vis adest. Quod si quis tamen velit impensas suscipere, & igne aperto destillare perlas, non dubito, quin acquiri possit sal volatile: sed remedium esset admodum pretiosum.

Magisterium perlarum, ut alia magisteria, nil valet: videatur HELMONTIUS *Tr. de febribus cap.* 8. §. 7. Insulsè assumitur ab hecticis & phthisicis; nam sicut assumptum fuit, ita denuò rejicitur. MYNSICHTIUS *in Armament. pag.* 39. remedium habet, quod vocat Margaritas trochiscatas, ex Magisterio margaritarum cum spiritu roris Majalis; ubi ego reciperem spiritum roris Majalis, & linquerem Magisterium, quia longè efficacior est, quàm omnes margaritæ.

Liquores perlarum, quos habet AUTOR, sunt ridiculi, & non habent vim cordialem, neque vim absorbendi, quia saturati sunt menstruo acido: solutionis pulvis in intestinis præcipitatur, & interdum plus nocet, quàm prodest.

Essentia, *tinctura* seu *Arcanum perlarum*, nihil aliud est, quàm perlæ in aceto destillato solutæ, & cum spiritu vini nonnihil postmodum in formam liquidam redactæ: sed parum valet.

Spiritus Guajaci extrahit ex perlis *tincturam rubicundam*, quæ vocatur *Arcanum per spiritum Guajaci*. Verùm impostura hìc patet, quia rubedo ex spiritu Guajaci est.

Tinctura perlarum cum spiritu salis est destructio perlarum, in qua perlæ cum menstruo saturantur & destruuntur.

CAP. VIII.

DE

LAPIDIBUS COETERIS MINUS PRETIOSIS.

Hos inter est

I. ÆTITES.

ÆTites, de quo præter LAUREMBERGIUM, BANSCHIUS integrum edidit *Tractatum*, Germanis vocatur *der Adlerstein*, quoniam dicunt, tantum reperiri in nidis aquilarum: est lapis sui generis, mollis, facilè friabilis, qui leniter conquassando percussus sonitum edit, quoniam in medio est concavus, alia subjecta lapidea seu mineralia magis friabilia instar nuclei in se continens, & est lapis quasi prægnans: interdum lapis est, interdum terra reperitur, quin aquam in se continet, pro quorum contentorum varietate etiam nomen mutat; unde ille, qui lapidem continet, *Ætites* propriè talis dicitur; qui verò in se reconditam habet terram, *Geotes* dicitur; sicuti qui continet aquam, *Hydrotites* dicitur. Sunt etiam ætites, qui spirant odorem instar violarum, & vocantur *lapides violacei*. Falsum est, in aquilarum nidis deprehendi, à quibus nempè ad facilitandum partum colligantur. Nam in fluminibus propè ripas, rivos, agros, montes, saxorumque commissuras sæpissimè inveniuntur: sed qui ex nido aquilæ hunc abstulerit, nemo observatus fuit.

Decantatus est ejus usus ad partum promovendum, si femori alligetur; sicut eundem retardat, adeoque abortum præcavet, sub axilla vel circa præcordia gestatus: de quo ipso tamen nullibi, præterquam in *Valeriola L.* 1. *Obs.* 10. clarum exemplum observatum fuit. Quidam ejus pulverem ad ℥j. in aqua appropriata ad partum facilitandum, & lochia pellenda adhibent: Lac mulierum augere dicitur, si cum vino aut brodio propinetur, vel etiam tantùm intra mammas suspendatur. LUDOVICI autem *in Pharm.* cum sanioribus dicit: Hyperbolicas Lucinarum nostrarum persuasiones circa ætiten & geoten, etiam selectiorem, claudicare, & si quid conferre videatur, esse fallaciam causę non causę. Hęc de *ætite* propriè sic dicto.

Terra argillacea margę similis in eo contenta iisdem viribus gaudet, ac terra quędam sigillata; unde in morbis pestilentialibus & malignis commendatur, & etiam dysenterias curat. Hinc LAUREMBERGIUS Electuarium antipestiferum composuit, cujus basis fuit hęc terra argillacea è lapide ętite. Externè cum aceto subacta & mammis applicata optima est pro constringendis iisdem: pulverem hujus gossypio impositum membris à frigore lęsis felici experimento applicavit LAUREMBERGIUS *in Tr. de ætite*.

II. ALABASTRITES.

ALabastrum Marmoris species est, & quasi imperfectum marmor, quod cum reliquis speciebus Gypsi rariùs in usum venit, & pręter Unguentum de alabastro nil officinis suggerit, temporibus illinendum ad arcendum capitis dolorem quemcunque, experimento FORESTI; sicut & JOHANNES PETRUS LOTICHIUS usus est hoc unguento, fronti & temporibus illito, contra agrypnias, & pathemata in febribus ardentibus, idem contra dolorem capitis à contusione oriundum.

Si calcinetur forti igne alabastrum, calcis vivę proprietates acquirit; unde non mirum est, si aqua, in quam alabastrites calcinatus est ablutus, contra gangrenam laudetur; sicuti alabastrites calcinatus elotus instar calcis vivę lotę ulcera curat, oculorum lacrymas ac lippitudines corrigit.

Gypsum rusticorum est euporiston, ut cum lacte hauriant contra dysenteriam, & est remedium non contemnendum; corrosivum enim absorbet acidum in dysenteria.

III. AMIANTHUS.

AMianthus Grecis ἀσβεστός, h. e. igne invincibilis, Germanis *Steinflachs*, *species* est *lapidis scissilis*, durissimum subjectum, reverà Talco cognatum, ad cujus naturam propiùs accedit, quàm ad naturam aluminis: utut alumen plumosum seu scissile etiam proximè ad Amianthi texturam accedat: unde confunduntur à quibusdam. Alumen enim plumosum adstringit, & non pungit; contrà Amianthus cuti applicatus, pungit & urit instar urticarum. Concretum est ignibus invincibile, & menstruis flammisque haud resolubile; alumen verò plumosum ocyùs potest destrui per menstrua acida & corrosiva. Hinc prioris ratione ellychnia incombustibilia, & lineamina quibusvis ignium flammis illęsa, ex Amiantho conficiunt; vid. KIRCHERI *Mundus Subterran. T.* 2. *l.* 8. *Sect.* 4. & CONRINGIUS *in Med. Herm.* Hinc marsupium ex iis confectum, pecunià licet in ea contentà liquefactà, non ardet; quale marsupium in *Museo Septaliano Mediolani* vidi, ab ipso Autore, Canoni-

co Mediolanensi jam mortuo, (qui artificium fila ex Amiantho conficere optimè novit) præparatum: cui injecit aliquot nummos aureos & argenteos, qui cum marsupio igni impositi sine Marsupii læsione liquefacti fuerunt. Et hic est Amianthus iste, ex quo veteres velamenta pararunt, in quibus corpora mortuorum, imprimis Regum & aliorum Magnatum, comburebantur, ut cineres eorum genuinos acquirerent. Sed modus præparandi & texendi occultus est: nam quem WORMIUS describit *in Museo*, non sufficit pro hoc scopo, nec est genuinus. Curiosum interim est, quod filum & Chordam artificiosè ex silice factam referat VELSCHIUS *Hecatost. pag.* 12.

Internè pulverisati ℈j. in haustu vini vel spiritu vini propinatur mulieribus fluxu albo laborantibus.

Externè cuti affrictus, Urticationis vices sustinet; hinc HARTMANNUS in Paralysi, & Tabe particulari seu Aridura commendat.

Præparata sunt rara, nisi quod BOETIUS à BOOT *de lapidibus pag.* 204. *Balsamum* habeat; & *linimentum ex Amiantho* ab A VTORE *nostro Lib.* 2. *cap. ultimo pag.* 306. descriptum, contra tineam capitis puerorum, uti etiam ad ulcera tibiarum inveterata, ceu euporiston certum commendatur, quia illud saturnina ingrediuntur: de Amiantho nil participat, sed saltem de Saturno constat. *Aldrovandus in Museo Med. p.* 664. *lib.* 4. habet *Unguentum ex Amiantho*, quo inunctæ manus tutò ignem tractari posse dicit. Præparatur hoc modo:

℞. *Pulv. Amianthi*,
Calcis vivę exsicc.
Album. ovor.
Succini,
Alth.
Hyoscyami,
Seminis psyllii, an. *part. ęqual.*

Omnia permiscet in formam linimenti, quo inungendæ manus.

IV. LAPIS ARMENUS.

LApis Armenus est lapis ex cæruleo viridescens, ejusdemque naturæ & usus cum lapide Lazuli, & non videntur inter se differre, nisi ratione majoris, vel minoris fixitatis & maturitatis: in lapide Lazuli maturius reperitur sulphur; in Armeno verò crudius. Dicitur *lapis Armenus*, quia olim allatus fuit ex Armenia, utut hodie etiam in Germania reperiatur. Pertinet autem ad marmora, ita tamen, ut sulphur habeat ex Venere, unde cupri seu Veneris, hujusque vitrioli naturam sapit, & in cupreis & vitriolaceis fodinis ordinariò reperitur, vimque suam ex Venere & vitriolo derivat; quod non sapore tantum prodit, sed etiam, non secus ac vitriolum veneris, supernè ac infernè, plus minus tamen, purget, ut rectè hoc innuit MINDERERUS *de Vitriolo cap.* 1. Imò si rectè res consideretur, *lapis Armenus* potiùs *minera* est *Veneris immatura*, non nihil de Sole simul participans. De Luna an aliquid contineat? revera dubium est, & nondum adeò clarum: potiùs ex Venere, hujusque facili vitriolascentia vis est laxativa hujus lapidis, plus minus tamen, prout magis vel minus de Venere participat; conf. VELSCHIUS *Hecatost.* 1. *p.* 97. præsertim creberrimè lotus hic lapis, minus purgare solet, vitriolo Venereo hoc ipso separato. Apud Arabes Medicos crebrò in usu fuit, tam pro scopo purgandi, quàm affectibus capitis medendi, dum ad Epilepsias, Melancholiam, eamque tam per consensum, quàm propriè sic dictam, imprimis manias, & alios similes affectus, hunc lapidem commendarunt; Unde ab istis temporibus mutuâ Autorum & Commentatorum subscriptione citra rationem ac citra experientiam ad nostra tempora idem assertum propagatum fuit: e. g. BOOTIUS *in Tr. de Gemmis & lapidibus* in purgando capite & morbis Melancholicis lapidem Armenum præfert elleboro: hinc in officinis prostant *pilulæ de lapide Armeno*, quæ utroque modo, tam sursum, quàm deorsum, solent purgare. GUAINERIUS in affectibus capitis & melancholicis lapidem Armenum exhibet in forma pulveris, cujus usu se nunquam deceptum affirmat:

Recepit nemp. *lap. Armen.* ℈ij.
Croci ℈ß.
Macis ℈j.

sumendo in *aqua saccharata* q. s. idque, si adhuc est crudus & nondum lavatus.

Sanè vis cephalica hujus lapidis, quoad dictos affectus, mihi semper fuit suspecta, cùm nullâ fide hujus rei experimenta apud Autores me observasse meminerim. Sunt, qui propterea huic lapidi hanc vim adscribunt propter lunaris substantię participationem quę tamen vel nulla est, utut hanc copiosam putarint, cœruleo colore decepti, qui tamen ex Luna nullo modo est, sed ex Venere.

Lotio est inconcinna atque ridicula.

Pilulæ de lapide Armeno adhibentur in affectibus Melancholicis, hypochondriacis & maniacis.

Magisterium nihil aliud est, quàm Venus, quæ sub forma pulveris in fundum secedit. Citra purgationem propinatur Maniacis & Melancholicis.

V. LAPIS CALCARIUS.

LApis Calcarius est lapis admodum sulphureus, ex quo beneficio ignis fortiter calcinando præparatur calx viva; omnes enim lapides, qui habent sulphur copiosum, suggerunt calcem vivam: sub calcinatione lapis calcarius & sulphur spirat, & dimidium ferè ponderis amittit; unde propter sulphuris copiam, & hujus post calcinationem relictum salso-acidum, non vitrescibilis existit, acido sulphuris alcali vitrificans consumente: ut rectè loquitur HELMONTIUS *de Lith. pag.* 3 *§.* 28. & sulphur copiosum ex calce viva parari posse asserit BECHERUS *in Oedipo Chym. pag* 67. sed optarim, ut modum extrahendi sulphur docuisset, cum hactenus non constet modus sulphureitatem calcis vivæ, præterquam igne aperto calcinando, manifestandi, aut in apertum producendi: uti patet ex experimentis LUDOVICI, quæ videbitis in M. A. N. C. *Ann.* 6. *pag.* 368. circa quæ experimenta tamen pro sulphure eliciendo observandum, lapidem calcarium subjectum esse in concreto suo admodum concentratum, adeoque fixum, nec nisi forti igne, & in quo aeris accessus non penitus impeditus est, mutari, aut sulphuris ejus vestigia manifestari posse. Consumpto ergò sulphure, ejusque pinguedine, ceu glutine misti, & concretum lapidis fatiscit, & friabile fit, restitatque in lapide ita Calcinato acidum sulphuris cremati, simulque alcali sub ignis actione magis manifestum: hæc ipsa ab aqua soluta concitato motu in se invicem agendo & effervescendo calorem adeò sensibilem producunt; salia enim non agunt nisi dissoluta: tandem sub aqua cum terreis particulis coagulata firmum quasi lapideum coagulum constituunt.

Incalescentia illa fit, uti dixi, ab effervescentia, non verò ab igneis particulis sub calcinatione unà in calce fixatis. Confirmat hoc Mechanica Chymica: si enim calx viva lota spiritu salis solvatur, & post solutionem menstruum abstrahatur per retortam, relicto verò capiti mortuo aqua affundatur, mox intensissimus ardor excitatur: Acido nempè spiritus salis in particulis calcis lotæ alcalino-terreis, mediante aqua soluto, & cum istis ita effervescente: qualia phænomena ex calce lota simplici, intensiore licet igne tractata, non apparent.

Inesse autem acidum in calce viva, probatur:

1. Quia aqua calcis vivæ recens salia volatilia, quibus affunditur, destruit, eadem figit, & secum in terream substantiam transmutat.
2. Quia aqua calcis vivæ infusione lixivii salis tartari turbatur & præcipitatur, quatenus terreæ particulæ, acido in aqua calcis vivæ adhærentes, occasione alcali tartari, quod ab acido promptè absorbetur, extruduntur & dimittuntur.
3. Quia aqua calcis vivæ lacti infusa, brevi post, hoc ipsum coagulat, atque ad grumescentiam disponit.

Inesse etiam alcali in calce viva, probatur:

1. Quia aqua calcis vivæ sulphurea subjecta, sulphur commune, Antimonii, &c. extrahit: pariter atque lixivia salium alcalisatorum facere solent.
2. Quia sali ammoniaco addita, sal ejus volatile & spiritum eodem modo, ac alcalisata salia addita, prodire permittit.
3. Quia colorem infusionis ligni nephritici per acetum destructum infusa aqua calcis vivæ restituit alcalium more: Conf. BOYLE *de Color. pag* 84.
4. Quia solutionem Mercurii sublimati in minii Colorem, utut tardè, præcipitat.

Aqua ergò seu lixivium, quod ex lotione & decoctione calcis vivæ emergit, constat utroque sale, adeoque quasi ammoniacale quid constituit, & sub copula hac aliquam petrosæ substantiæ partem quasi aluminiformem aliquandiu retinet; hinc enim crustæ vel supernatantis, vel post exhalationem restitantis, sapor subdulcis non nihil stypticus quasi aluminosus, acido cum alcali terreas simul particulas retinente: Unde etiam aquæ calcis vivæ alcali fixum si addatur, crusta nulla ampliùs coagulatur, vel quod acidum infringatur nimis, vel quod petrosa substantia præcipitata fuerit. Hinc & in perfectum corpus salinum coagulare, aut salium salsorum more crystallisare perfectè non potuerunt, ob impositas nempè lapidosas quasdam particulas, debitam unionem, & in situm crystallisationi convenientem redactionem, impedientes: adeò ut nullum sal propriè dictum ex calce viva ob id elici queat: Conf. ZWELFFERUS *Animadvers. in Pharm. Aug pag.* 276. Aqueis autem vehiculis diluta salia agunt, non verò pinguibus; unde nec ab his, e. gr. Spiritu vini, oleo terebinthinæ & c. calcis vivæ fit effervescentia, utut spiritu affuso, hujus phlegmatis ratione, incalescentiæ non obscura post horas aliquot deprehendantur vestigia: Confer. M. A. N. C. *Ann.* 6. *pag.* 371.

Quoad *Usum Medicum*, lapis calcarius nullius est usus, nisi post ustionem, in qua occulta sui juris fiant salia, alcali & acidum; dum affusâ aquâ simplici in se agunt. In calce viva ergò particulæ sunt salso-acidæ, quæ nihilominus naturam alcalium fixorum sapiunt, sicut etiam alcalia fixa quælibet nihil aliud sunt. In genere particulæ sunt, quæ omnes effectus, alcalibus fixis attributos,

acidum scilicet corrigendo intemperiem calidam sistere, exerere solent.

Calx viva autem non extincta, rarò usurpatur, sæpè tamen adhibetur tanquam causticum, vel additur salibus alcalibus causticis pro scopo exurendi cutem (*zu der Corrosiven*) ut exciteutur fonticuli, aperiantur abscessus, &c. Quoniam verò meliora habemus, meritò illius usus negligitur.

Sunt quidam Chymici, qui calcem vivam adhibent pro fixatione salium volatilium; quod ipsum tamen rejicit ZWELFFERUS *in Animadvers. pag.* 276.

In usu medico *Calx lota* & mortua adhibetur, quæ fit ita: Affunditur *calci vivæ aqua simplex*; Unde fit effervescentia, qua eliciuntur principia salina cum principio sulphureo; post factam effervescentiam decantatur aqua, & nova affunditur tamdiu, donec remaneat calx mortua, acribus salibus saltem manifestioribus spoliata.

Hec calx lota remedium polychrestum in Chirurgicis est; habet se instar corporis terrei vacui, & absorbet in se potentissimè quelibet acida corrosiva, quo inflammationes, excandescentię, &c. ut plurimum oriuntur: adstringit simul & poros firmat, unde exsiccare & refrigerare dicitur: Ulceribus Venereis aliisque antiquis malignis dysepuloticis & cacoetheis insperfa mirificè absorbet sordes & fermentum ulcerum acidum, eorumque progressum impedit, & hac ratione etiam consolidat, & cicatrisationem promovet: Imprimis autem ad ambustiones est optima; hinc de calce lota *Unguenta*, *linimenta* & *emplastra ad ambustiones* sunt usitatissima, quorum compositiones videri possunt in omnibus ferè Dispensatoriis: v. g.

℞. *Calx benè lota*:

Permisceatur cum *oleo rosarum*, seu *lini*, vel alio appropriato, & benè agitentur in mortario plumbeo ad consistentiam Vnguenti seu Linimenti, ad Ambusta & mala inde oriunda egregii.

In mortario plumbeo fit agitatio & mistio; hac ipsa enim abraduntur successivè particulę plumbeę, & uniuntur cum Vnguento; Unde ideò pręstantius evadit in ambustionibus, in quibus *Saturnus* per se est egregius.

Calx viva si cum aceto extinguatur, & ter lavetur, ac cum oleo rosarum ad linimenti formam redigatur, è vestigio solet curare ambusta absque vestigio cicatricis, nec bullas elevari permittit: Vel

℞. *Calcis vivæ*,
Tut. Alexandr. ana ℥ij.
Ceræ rec. ℥j.
Album. ovor. no. ij.

Misc. cum q. s. *olei rosarum*, & erit egregium *unguentum in ambustionibus*.

Ad ulcera quælibet etiam fit egregium polychrestum remedium ex calce lota:

℞. *Calcis vivæ* bis terve lotæ, & ferè exsiccatæ, qu. v.
addatur

Oleum lini pro ratione: tingatur bolo electo ad carneum colorem, & confectum erit *Unguentum* egregium.

Habet præterea etiam alium usum calx viva; à ZWINGERO enim Calx viva extincta probè commendatur in Clysteribus dysentericorum.

Offert se porrò *Lixivium* seu ista *Aqua*, post Calcis vivæ extinctionem restitans, vocatur communiter *Aqua calcis vivæ*, & nunc simplex, nunc composita cum sulphureis aut salinis aut Mercurialibus subjectis in usum Medicum admittitur. *Aqua calcis vivæ simplex* usurpatur tàm internè, quàm externè. *Internè* pro acrimonia humorum salsa corrigenda laudat SYLVIUS *l.* 1. *Prax. cap.* 6. §. 14. & LOSIUS *l.* 1. *Observat.* 11. & *l.* 2. *Observat* 9. unde convenit non tantummodo in pectoris affectibus (de quo conferatur WILLISIUS *Pharm. Ration. P.* 1. *pag.* 229.) speciatim in exulcerationibus aut abscessibus partium intra pectus sitarum, & inde oriunda phthisi; sed etiam in quarumvis partium abscessibus, post ruptionem mundificandis & abstergendis: item ad diabeten est egregia aqua hæc calcis vivæ: Conf. WILLISIUS *loco allegato P.* 1. ubi *de Diabete*.

Externè aqua calcis vivæ dicitur aliàs *Aqua pretiosa* seu *benedicta chirurgorum*, proptereà, quod externè in omnibus affectibus Chirurgo obvenientibus, præsertim in tumoribus, & ulceribus antiquis pedum, & quibuscunque aliis, mirifica præstet: videatur WEDELIUS *Pharmac. pag.* 150. Dominantur enim in aqua calcis vivæ salia alcalisata, hinc particulæ terreæ seu petrosæ acido combinatæ, adeoque quasi aluminosæ: unde in ulceribus antiquis corrodentibus, ambustionibus, ulceribus Gallicis, item quibusvis aliis etiam gangrænam minitantibus, optima est hæc aqua; quascunque inflammationes arcet, sive per se, sive cum saccharo Saturni applicetur, sic enim evadit mistura lactea, quæ egregiè refrigerat, ardorem vulnerum & ulcerum temperat, & dolorem demulcet: Gangrænæ mirè resistit, eamque mirabiliter sanat, sed crebriùs applicata & renovata, imprimis si spiritus vini rectificatus myrrha, & camphoratus addatur; aut etiam aloe, myrrha, & scordium in aqua hac simul decoctum, adjungatur. In herpetibus & serpiginibus, tam ulceratis, quàm non exulceratis, aqua calcis vivæ imposita certè est expertum remedium, Arcanum HARTMANNI, & Chirurgis in frequenti usu, à quibusdam etiam ad cancrum commendatur: In omnibus nempè his absorbet acida, & blandè stringit poros ac firmat fibras: nam Chirurgus iste, qui rectè acida ac salia acidula ulcerum & tumorum temperare & mitigare novit, in arte sua est egregius, inflammationem sic aufert, ut postmodum feliciùs sequatur sanatio & consolidatio. Aqua hæc egregia est in scabie, aliisque ulceribus mundificandis, si eâdem membra affecta laventur, & certè brevi post omnes pustulæ decident, sive sola, sive cum sulphure adhibeatur in scabie simplici, sive juxta Gallos permisceatur cum Mercurio sublimato vel dulci in scabie contumaci, exulcerata, maligna & Gallica: Et fit convenientior, si calx viva extinguatur in aqua appropriata: si in erysipelate scorbutica usurpanda, parari potest cum aqua florum sambuci; si ad vulnera vel ulcera, verminosa licet & putrida, in aqua vulneraria; si in compescenda gangræna, in aqua pomorum Borsdorffianorum, &c. In talibus affectibus externis cum aqua calcis vivæ tepida abluuntur vulnera & ulcera, humectatur linteum, applicatur, & sæpius sæpiusque renovatur, & sic egregios producit effectus.

Eadem aqua suggerit ad ambustiones & vulnera prętantissimum remedium, præsertim si in decocto colato de novo extinguatur calx viva, vel hac ratione:

℞. *Calx viva recens*, quæ projiciatur in *aquam*, ut 4. vel 5. digitos aqua emineat, & ubi efferbuerit, coletur & filtretur: Huic aquæ affundatur oleum rosarum vel liliorum alborum per infusionem & decoctionem paratum, vel lini q. s. probè agitetur in mortario plumbeo, sic subitò utriusque mutatur consistentia, & ambo coalescunt in modum butyri, quo non habetur melius remedium in ambustionibus, & certò vesicas præcavebit. Ratio est curiosa: notum enim est, quod olea nunquam coeant cum aqua, multò minus coeant in butyrum cum aqua; quod hìc tamen fit, quoniam ex oleo misto cum aqua calcis vivæ, fit sapo. Sicuti igitur sapo fit ex lixivio acri, & pinguedinibus animalium, quæ acidum occultum in se habent; ita & res hìc sese habet: Hoc butyrum etiam prodest in vulneribus sclopeto inflictis (ubi certò empyrevma nitro-sulphureum remansit) ad vitandam putredinem: Conf. AGRICOLA *in Chirurg. parva p.* 383.

Huic aquæ calcis vivæ imposita crura optimum levamen percipiunt in eorundem doloribus lancinantibus,

Hæc fuit aqua simplex calcis vivæ.

Prętereа fiunt *Aquæ calcis vivæ compositæ*, pro varietate scoporum variantes. Sic aqua calcis vivę composita paratur cum sulphure contra pruritum, serpigines, scabiem, maculas & pustulas à scabie relictas egregia; v. g.

℞. *Calcis vivæ* ℥viij.
Sulphur. ℥ß.
coqu. in s. q. aquę ad ℔ iij.
Vel
℞. *Aquæ calcis vivæ* ℔ ij.
Sulphur. comm. pis. ʒvj. vel ℥j. ad ℥ij.

Ebulliant invicem: colatura detur pro usu externo, quo abluantur saltem articulationes corporis scabie infestatę, vel etiam hac ipsa aquâ eluantur Unguenta articulis contra scabiem affricta.

Meliori effectu in scabie crustosa:

℞. *Aquę calcis vivę* ℔j.
addatur
Scoriar. reguli Antimonii ʒiij. M.
& erit mistura usus externi egregii.

Permiscetur etiam cum saccharo Saturni, videlicet in inflammationibus quibuscunque, herpetibus & serpiginibus, tam ulceratis, quàm non ulceratis, erysipelate, ulceribus cum inflammatione junctis; v. g.

℞. *Calcis vivę* q. v.
Superfundatur
Roris Majalis q. s. ut leniter effervescant: Colat. Mens. j. add.
Sacchari Saturni ℥ß. ad ℥j. vel ℥jß. M.

Laventur hâc ipsa miscelâ ulcera antiqua, & linteola madefacta superimponantur; sic inflammationes & gangrænas minitantes compescet.

Miscetur hæc aqua calcis vivæ etiam cum Venere, dum nempè infunditur pelvi æneæ; exinde egregium sapphirinum colorem contrahit, estque egregium remedium contra pustulas & ulcera oculorum, horumque scabiem & pruritum, &c.

Tandem cum Mercurio, tàm dulci, quàm sublimato, etiam miscetur: Nempè si aquæ hujus Mens. j. addatur Mercurii dulcis ℥ß. ad ℥j., & aqua hæc mista suprà dictis affectibus, præsertim ulceribus contumacibus, cum linteolis madefactis tepidè applicetur, & fuit secretum CUNZII in ulceribus antiquis.

Pertinet huc *Aqua Phagadænica* Chirurgis in Galliis usitata, præsertim in principio gangrænæ, quando loca nervosa occupat, ut progressus inhibeatur. Arcanum hujus aquæ mirabilis consistit in hoc, ut permisceatur Mercurius sublimatus cum aqua calcis vivæ, eaque pro varietate circumstantiarum plus vel minus, ut nunc reddatur acrior, nunc mitior, prout volumus eandem magis corrodentem; sive

five assumatur Mercurius sublimatus, sive dulcis, perinde est. Præparatur ita:

℞. *Aquæ pluvial.* vel *comm* ℔. xx.
Indantur in vas stanneum, & huic immittantur
Calcis vivæ ℔. jv. vel v.

Hæc permittantur, ut extinguantur lentè: cessante ebullitione addantur

Arsen. pulverif. ℥ij.
Mastich. el. & pulver. ℥j.

Hæc omnia permittantur ebullire, & benè agitentur cum spatula lignea, & relinquantur, donec calx viva in fundum, se præcipitet. Tunc successivè decantanda est aqua supernatans clara, cui add.

Mercurii sublimati præcipit. vel *dulcis* ℥ij.
Spiritus vini probe rectif. ℥jv. v. vel vj. prout magis temperatam voluerimus,
Spiritus nitri ℥ij.
Misce & reserventur pro usu.

Aqua hæc revera usu est egregia contra ulcera putrida & gangrænosa. Virulentiam arsenici calx viva corrigit, non secus ac nitrum fixum.

Prętereà commodè huic aquę admiscentur aliquot Unciæ spiritus benè dephlegmati: Nam spiritus vini additus

1. Aquam in gangręna reddit magis penetrantem.
2. Spiritus vini tanquam sulphureus temperat blandè nimiam & excessivam acrimoniam salium in Mercurio sublimato & spiritu nitri, & sic tutiùs usurpatur.

Si adhuc acrior videatur, ulteriùs temperari potest additione vel pluris spiritus vini, vel phlegmatis vitrioli, vel phlegmatis nitri, aluminis, &c. Confer. quoad hanc aquam BARBETTE *in Chirurgia*, FEBVRE *in sua Chymia*, item GLASSERVS *in Chymia*.

Modus utendi est, ut abluantur membra hâc aquâ, vel ulceribus ipsis linteamina adhibeantur in hac aqua madefacta. Magni prętereà est usus in vulneribus sclopetorum, ubi simul os est fractum, ubi ingens incalescentia & nimius dolor, modò in principio addatur succus 12. cancrorum fluviatilium, qui contundantur vivi, & adspergantur pauco phlegmate aluminis, & addatur hic succus isti aquę, sicque erit magis appropriata in vulneribus talibus sclopetorum.

Novi exemplum, quòd in gangręna post usum hujus aquę externum subsecuta sit salivatio, & hoc in Gallo quodam ex addito Mercurio dulci oriebatur. Interim id neminem terreat, cum in nostris corporibus non statim eadem sequantur symptomata, quę in Gallis.

Tandem *Aqua calcis vivæ composita polychresta* ad tumores cum inflammatione, exulcerationes humidas, metum gangrenę, est sequens:

℞. *Aquæ calcis vivæ* ℔. jv. vel v.
Aceti destillati ℔iß.
Olibani,
Myrrhę,
Mastich. ana ℥ß.
Camph. ʒj.

Coqu. simul, usque dum lithargyrum sit solutum; & calidè cum linteis applicatur bis vel ter in die.

Pertinent huc denique *Thermę Artificiales*, quas primus docuit ZWELFFERUS *in Mant. Hermet. p.* 401. dum cum calce viva miscet sulphur, super addito interdum etiam nitro, & huic mistură affundit aquam calidam; sic enim fit ut calx viva effervescendo cum aqua solvat sulphur & nitrum, eiusque virtutes eliciat; & ita easdem acquirit virtutes, quas Thermę obtinent naturales sulphureę, pro omnibus iis affectibus, ad quos adhibentur Thermę naturales, quę Thermę artificiales multum in recessu habent, & qui sciunt modum parandi, possunt etiam facilè judicare, ad quos usus adhiberi queant. Modus est elegans, nec unquam inventus, nisi ZWELFFERO.

In dicta aqua calcis vivæ crusta candida subpinguis supernatat, quæ vocatur *Calcis Cremor*: hæc labiis ulceris maligni cancrosi seu labiis cancri exulcerati, item in gangræna, inungitur, ut pars corrupta absumatur, remanente sana: destruit simul fermentum ulceris corrosivum, temperando istud, & successivè ad maturitatem producit. Eadem crusta cum bolo Armena est specificum in ozæna; ambustionibus mirè succurrit.

Ex superioribus notum est, fixa salia esse in calce viva. Unde curiosum est nihilominus & urinosum volatilem spiritum ex calce viva haberi posse; idque tribus modis:

1. Cum *spiritu salis*, qui affusus calci vivæ & subitò destillatus, urinosum & penetrantem spiritum suggerit: videatur LVDOVICI *de sale tartari pag.* 39.
2. Cum *spiritu vini*: Hic rectificatus calci vivæ recenti affusus, & abstractus forti igne, spiritum quasi tartarisatum producit, evidenter urinosum.

Quidam sequenti modo parant, quo & tophos podagræ & nodos resolvi ajunt:

℞. *Calcem vivam* fervidam adhuc prout ex furno calcinatorio jam extrahitur:

Superfundunt *spiritum vini aliquoties super salem tartari alcoolisatum*, digerunt, & postmodum igne forti in retorta ex arena destillant, prodit spiritus vini sapore urinoso præditus, qui accensus relinquit gelatinam instar cremoris. Iste spiritus bis vel ter de calce viva nova per retortam abstractus, & locis podagricis illitus, egregium remedium est ad istos nodos dissolvendos.

3. Ex *coagulo calcis vivæ* cum spiritu salis facto; cui additum sal tartari fixum destillando spiritum urinosum volatilem suggerit.

In hoc tamen volatili urinoso spiritu videtur BASILIVM VALENTINVM & KESLERVM quæsivisse calcis vivæ vim lithontripticam, atque nephriticam; unde spiritum calcis vivæ, utut occultè, parare docuit, quem plurimi imitati, paucissimi seu nulli assecuti fuerunt. Deficiunt encheirises, quæ studio reticuit: qui norunt, spiritum optimum & elegantissimum parare possunt.

Processus AVTORIS *nostri* nil valet. Alii ex calce viva & sale communi eundem parant, sed acquirunt saltem spiritum salis, ut TACHENIVS *in Hipp. Chymico*.

Vlterius calx viva habet vim antinephriticam promovendi & alterandi calculum; unde loco spiritus urinosi pro usu diuretico, & nephritico, cum tartaro ex calce viva *tincturam antinephriticam*, quæ nihil aliud est, quàm *tinctura tartari acris*, pararunt, cujus Autor est SVLZBERGERVS *Parens*, & in frequenti usu fuit LANGIO, & facta fuit hoc modo:

℞. *Calcis vivæ* part. iv.
Tartari crudi part. j.
(alii recipiunt part. ij. *Tartari*, sed pars j magis convenit: HOFFMANNUS *in Clave Schrœd. pag.* 175. recipit *Calcis vivæ* p. x. *Tartari* p. ij.)

Coquuntur in olla cum *aqua fontana*, & sic fit motus insignis fermentativus: post solutionem & cocturam filtratur & coagulatur. Coagulationi superfunditur *spiritus vini rectificatissimus*, vel *spiritus* quidam *nephriticus compositus*, extrahitur; sic fit tinctura rubicundissima sapore urinoso, non contemnendum remedium pro scopo antinephritico, & urinam pellendi, in morbis tartareis.

Alii liquoris formâ usum calcis vivæ diureticum administrarunt; nempè spiritui salis, v. g. ℔j. injiciunt per vices particulas calcis vivæ nucis avellanæ magnitudine, donec desinat effervescere, & Calx viva spiritum salis totum imbiberit: stent per tres vel quatuor horas; calcinant igne carbonum in crucibulo, donec fluant; massa infundatur in mortarium, & fiet instar silicis duræ, pulverisatis affunditur *aqua calida*, extrahitur sal, filtratur per chartam, evaporant ad siccitatem: ponitur in concha satis ampla in locum frigidum, & liquescit in *oleum*, laudatum *contra nephritidem & arthritidem*. Cui tamen non videntur cedere liquores nephritici aliorum ex molloribus lapidibus parati, mediante nempè spiritu salis: ingredientia vid. *in Clave* HOFFMANN. *pag.* 154.

Tandem in forma salis vim nephriticam ex calce viva alii ita eliciunt:

℞. *Sal. ammoniaci*,
Calcis vivæ ana part. æqual.

Fiat in crucibulo *stratum supra stratum*, ita ut ultimâ vice calx viva, eaque in majori quantitate, insternatur; clauso crucibulo, calcinetur probè igne diuturno, massa refrigerata solvitur in aqua, permittitur, ut ad crystallisationem usque evaporet, quæ crystalli sunt egregium diureticum: nempè acidum salis communis in sale ammoniaco se jungit alcali fixo calcis vivæ, particulæ verò urinosæ volatiles partim, eæque copiosiores avolant, partim ab acido calcis vivæ subiguntur, & unà concentrantur, emergit exinde sal ex urinoso salsum, &, ut dixi diureticum.

Plura de *calce viva* videbitis in TACHENII *Hippocr. Chym.* & *Clave*; hinc MAYOW *de nitro & spiritu aereo*, & tandem M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *pag.* 365.

VI. LAPIS CALAMINARIS.

Lapis Calaminaris, qui aliàs vocatur *Cadmia fossilis* seu *lapidosa*, simillimus quidem videtur croco Martis: reverà tamen nihil aliud est, quàm concretum quoddam particulis Saturninis & Venereis permixtum, substantiæ mediæ inter terras & lapides: quod probat partim solutio ejus cum aceto, dum instar sacchari Saturni dulcescit, partim vis vomitoria & cathartica, quæ à Venere dependet. GLAVBERVS *pluribus in locis suorum scriptorum* jactitat, lapidem hunc sulphur solare in se habere; quod tamen non adeò planum est, & vix credendum.

Duplex aliàs hic est: *nativus* unus ex propria minera erutus, de quo *jam dixi*, & *factitius* ex minera Saturni, sub hujus calcinatione spontè exhalans & fornacibus adhærens: Conf. *Comment.* ERCKERI *pag.* 303.

Usurpatur vel pro *Usu Mechanico*, vel *Medico*. Pro *usu Mechanico* in usu est hic lapis, ut ex eodem cum cupro fiat *Orichalcum*: v. g.

℞. *Veneris* seu *cupri puri* p. c.
Lap. Calamin. p. xxx. vel xl.

Hæc igne fusionis permista constituunt orichalcum, quod naturam Veneris tantùm retinet: videatur *Comment.* ERKERI *citato loco pag.*

pag. 260. item in MERRETTO *in Notis ad artem vitrariam Neeri pag.* 353.

Quoad *Usum medicum*, eſt ſaltem externus chirurgicus.

Crudus adſtringit, pro quo ſcopo & externè in uſu eſt, & croco Martis ferè præfertur; hinc adhibetur pro ulcerum & vulnerum cura, exterſione, conſolidatione, cicatriſatione, ſive ſub forma pulveris inſpergatur, ſive unguentis admiſceatur; promptè ſcilicet tanquam ſubjectum ſitibundum abſorbet acida quæcunque ulcerum & Excoriationum, hinc ſaporem adſtrictorium acquirit, quo poros partium ſtringit, ut facilis conſolidatio ſequatur. Poteſt vel ſolus uſurpari, vel cum pinguedinibus appropriatis: ſi ſolus adhibetur, cicatrix fit ſubruba: ſin verò cum pinguedinibus blandioribus, ſit juſto & blando colore. Quando infantes circa genitalia excoriantur, imò equitantibus aliiſque ſub brachiis, pedibus, &c. præſentaneum eſt remedium, ſi inſpergatur.

GLAUBERUS mediante hoc lapide ſpiritus minerales acidos concentrare docet.

♃. Pulver. lapidis Calaminaris, cumque imbibit ſpiritu ſalis, nitri, &c. hinc fit, ut lapis imbibat omne acidum; ſic enim abſtractione primò prodit phlegma; poſt fortiori igne deſtillando per retortam prodit & acquiritur ſpiritus acidiſſimus, & maximè concentratus, utut ſpiritus aliquantulum remaneat in lapide calaminari. Spiritus hic, *Autore* GLAUBERO, multum confert in hydrope, quoniam fortiter pellit per urinam.

Præparatio lapidis calaminaris fit, quando extinguitur, incenſus vel in aceto, vel aqua pluviali, vel in alia quadam aqua appropriata.

Emplaſtrum de lapide calaminari eſt egregium in ſupradictis caſibus, malaxatum cum oleo Nicotianæ.

Magiſterium lapidis calaminaris ſecundùm AUTORIS modum paratum, vel calcinando cum nitro, & hinc caput mortuum elixiviando ad imitationem GLAUBERI paratum *Furn. P.* 2. *pag.* 93. inter remedia purgantia ſuprà & infrà non ultimum locum obtinet.

VII. CALCULUS HUMANUS.

Calculus humanus, vulgò *Ludus humanus* dictus, à PARACELSO, & hinc HELMONTIO *Duelech* proprio nomine dicitur, quia concretum eſt tertium ſalſum, magis tamen alcalinum, ex ſale volatili ſeu ſpiritu urinoſo urinæ, acido convenienti præternaturali ſaturato, coagulatum: Quando enim calculi hi deſtillantur, oleum, ſpiritum, atque ſal volatile in notabili quantitate præbent, uti hoc illuſtrat anatome ejus Chymica, facta ab HELMONTIO *Tartar. Non in Potu.* §. 7. & TACHENIO *Hipp. Chym. cap.* 14. *p.* 82. HELMONTIUS derivat ex ſpiritu urinæ inflammabili & ſale volatili urinæ. Probabilior autem eſt prior ſententia. An autem alcali hoc urinoſum fruſtulis calculi, à deſtillatione relictis & friabilibus, planè denuò affuſum iterum redeat, prout TACHENIUS *loco allegato p.* 93. perhibet, ejus aſſerti fides ſit penes Autorem. Bezóar eodem modo coagulari, verum eſt.

Uſus obtinet, quod hic Calculus pulveriſatus urinam pellat, quod ſuo modo verum: interim huic accedit ſuperſtitio, quod proprios calculos, primùm ex homine nephritico prodeuntes, pulveriſatos & aſſumptos per totam vitam præſervare à calculo dicant. Vi quidem & texturâ urinoſâ vitioſum acidum primarum viarum abſorbent, hinc in ſalſum, tam diureticum, quàm egregiè ſudoriferum, unà abeunt; ſed curativè & præſervativè ad calculum nil valent. Sanè calculus humanus per ſe doſi ℈j. in aqua Card. benedicti aſſumptus, vi ſudoriferâ & antipeſtiferâ à non paucis lapidi Bezoardico æquiparatur; unde eundem vocarunt *Bezoar Microcoſmicum*, quoniam non minus reſiſtit malignitati, nec minus convenit in febribus malignis & peſtilentialibus, quàm lapis Bezoar Orientalis: imò in ipſa peſte præfertur etiam lapidi Bezoar Orientali, uti videri poteſt id BONTII *Comment. in Garziam ab Horto*, TULPIO *L.* 3. *obſ. cap.* 4. denique etiam BARBETTE *de peſte pag.* 21. Et ſicut urinæ propriæ hauſtum in conſtitutione epidemica multi, ceu egregium præſervativum, extollunt; ita calculus humanus ex iiſdem cum urinæ elementis compoſitus, haud inferioris erit pretii. Et ſanè non ſaltem in nupera peſte Anglica, in ſpecie Londinenſi, ubi uno die 10000. homines mortui ſunt, aliquoties uſus ejus antipeſtilentialis cum ſucceſſu fuit obſervatus, ac à modernis maximè tentatum eſt, ſed & jam olim in ſuperiori ſeculo idem fuit obſervatum. Nempè CHRISTOPHORUS HIEBLE, PHYSICUS CONSTANTIENSIS, edidit anno 1589. & 1598. *Tractatum Germanicum* de lapidibus Bezoardicis, in quo *pag.* 22. vis bezoardica calculi humani tantùm non ſuperare lapides Bezoardicos veros aſſerit: videatur etiam BONTIUS *de Medic. Indorum L.* 1. *cap.* 46. Præterea calculus humanus egregiũ ſatis habetur remediũ in curandis philtris aſſumptis, & morbis inde productis, imprimis ſi philtra ex perverſo uſu menſtruorum fuerint, præmiſſis nempè univerſalibus, imprimis vomitorio, de quo elegantem videbitis Obſervationem HEINRICI *ab* HEER 13.

Tandem multi miſerè torquent calculum humanum pro *oleo ludi Paracelſi* exinde parando, labore tamen vano, cùm alius longè ſit *Ludus Helmontii*, nempè *Cryſtalli mollioris ſpecies*: Diſtinguitur etiam toto cœlo à *Lapide Ludi Helmontii Antwerpiano*, variis ſtriis contexto: de quo meretur legi M. A. N. C. *Anno* 4. *pag.* 119. Certè ſi artificio Chymico in ſuum Ens primum urinoſum & oleum reſolveretur calculus humanus, ſummum eſſet remedium ad præſervandam & curandam Lithiaſin. PARACELSO hoc non fuit impoſſibile, mediante quo lapides in renibus & veſica coagulatos reduxit in liquorem & mucilaginem: ſed reticuit; & ſunt, qui non ſine ratione putant, eandem fieri per liquorem alcaheſt. Ad ejus imitationem ſunt multi, qui volunt parare *oleum calculi humani*, calcinando illum: Sed operam & oleum perdunt, quoniam nullam planè vim nephriticam, & calculi reſolutivam exinde acquirunt. Solvitur hic calculus humanus in ſpiritu ſalis, & exſiccatur, poſtmodum in loco frigido reſolvitur in liquorem, qui liquor ad guttas x. xv. & xx. propinatus, commendatur in pellendo, alterando & reſolvendo Calculo. Verùm Calcinationes in acidis nil valent; deſtruunt enim vim dictam, eamque plus imminuunt, quàm promovent. Hoc modo ex aliis etiam lapidibus fiunt liquores nephritici, uti vocantur: Sic ex lapillis cancrorum, lapide Judaico, Lazuli, lyncis, ſpongiæ, aquilæ ſeu ætite, glaciei, &c. paratur, quorum pulvis, quantum placet, ſolvitur in oleo vel ſpiritu ſalis, & quod ſolutum eſt, abjectâ remanentiâ ſordidâ, coagulatur leni calore, ut inſpiſſetur: materia inſpiſſata denuò pulveriſanda eſt, & reſolvenda in cella, iterum coagulanda, & cum humectatione aceti deſtillati pulveriſanda, donec non ampliùs ſe coagulare permittat; qui liquor dictus nephriticus ad promovendum calculum per urinam & ceu magnum ſecretum, in eodem commendatur.

Quidam non tam operosè præparant, ſed quando ſemel fuit ſolutus, recipiunt pro liquore nephritico: addunt etiam calculum humanum, ut magis ſiat appropriatus, qui tamen in ſimilibus liquoribus, quatenus promovent urinam, præ dictis & convenientibus lapidibus nullam habet prærogativam.

VIII.

Angli hodie habent certum lapidem, qui vocatur

LAPIS CARMINATIVUS,

cujus hæc eſt vis, ut calefactus & impoſitus umbilico, omnes flatus in Colica flatulenta mirificè ſedet, & expellat: Unde ratione virtutis hujus promovendi flatus vocatur lapis Carminativus. Infallibilis eſt ejus experientia, non tàm apud Anglos, ſed etiam jam apud Belgas. Videatur habere convenientiam cum lapide ſerpentino, qui calefactus, & umbilico impoſitus, in affectibus colicis & uterinis egregiè convenit.

IX. LAPIS CERAUNIUS.

Lapis Ceraunius, Germ. *der Donnerkeil*, reverà de genere pyritum eſt, & ſcatet ſulphure, unde levi colliſione cum Marte ſcintillas promit, & ſulphureum odorem ſpirat.

Quoad *uſum*, ſomnum provocare dicitur; item herniam curare, & ab ea præſervare, teſtante non tantùm BOOTIO *de gemmis & lapidibus pag.* 481. & ex eo WORMIO *in Muſeo*, ſed etiam BORELLO *C.* 6. *Obſ.* 86. Præterea Ceraunius lapis, uſus inter varios, tanquam ſingulare experimentum commendatur in cura icteri flavi, & hinc in cura hydropis, à ʒß. ad ʒj. TILEMANNUS, AGRICOLA, & MICHAELIS præparant inde pulverem contra icterum & hydropem: MICHAELIS lapidem ceraunii præparatum cum pulvere exuviarum ſerpentum, quas ſponte deponunt, miſcuit, & doſi ℈j. Ictericis & Hydropicis ſæpe cum felici ſucceſſu propinavit.

X. CRYSTALLUS.

De Cryſtallo ſcripſit ERASMUS BARTHOLINUS. Eſt quaſi gemma quædam vilior, & omnium molliſſima, ſeu maximè ſolubilis; fuit tamen LULLIUS, qui cryſtallos mutavit in adamantes. Ut plurimum ſub certæ figuræ determinatione coagulata eſt, id quod ſpecifico ſuo debet acido; ſimili nempè ratione atque videmus ſalia cryſtalliſatione ſui ex determinata particularum minutiſſimarum configuratione & ſituatione & in certas figuras ſe diſponere unde & iis rebus, quas coagulant, eandem figuram imprimunt, eademque, niſi impediantur, inſigniunt. Sic v. g. Sal commune ſemper in forma cubica concreſcit, ac in forma octangulari, nitrum in forma ſtriarum Conica rotunda, ac in forma ſtriarum ſexangularium, vitriolum in forma rhombi, & ſic porrò: ita etiam cryſtallus in coagulatione ſeu unione in minera ad elegantem figuram ſexangularem, ſubinde etiam octangularem, ſe diſponit.

Eſt Cryſtallus lapis vitreſcibilis, adeoque conſtituit corpus ejus primariò ſubſtantia alcalina, acido ſuo compari mediocri ſaturata. Ex qua craſi & conſtitutione fluit

1. Uſus ejus acidorum exceſſivorum & corroſivorum in primis corporis viis ſaturativus ac correctivus: Eo ipſo enim quod præ aliis gemmis & lapidibus mollior exiſtit, faciliùs ab acidis arroditur; hinc ſpecificum habetur in dyſenteria, & cholera morbo, in

in quibus acidum peccat nimium, & tantùm non corrosivum, teste LANGIO *L.* 1. *Epist.* 1. & HEINRICO *ab* HEER *in Obs.* 1. *pag.* 26. in ista nempè, quæ à bile æruginosa ortum ducit, cujus speciale digestivum seu antidotum à FREITAGIO *in Auror. Med.* habetur: Quæ æruginosa bilis ex acido intensiore, bilem flavam in textura immutante, ortum ducit; hinc etiam infantibus, viridia cum intensioribus torminibus excernentibus, non immeritò cum aliis cryftallus propinatur ad acidum illud corrigendum. Sistit vomitum æruginosum, quem vocant, seu viridescentem, quoniam in tali vomitu pariter peccat acidum intensius, præsertim ex pancreate; hinc etiam cum oleo amygdalarum dulcium usurpata cryftallus pulverisata vel præparata, experimentum est pro iis, qui Mercurium sublimatum aut aquam fortem inconsideratè assumpserunt; cujus acrimonia corrosiva, corrodendo stomachum, dat cardialgiam, lipothymiam, intensissima tormina, & similia symptomata: vid. *Heinricus ab Heer in Spadacrene Observat.* 16. *pag.* 210. absorbet nempè acidum istud Mercurii sublimati cryftallus, dum oleum amygdalarum dulcium vires intermedias ab acido læsas demulcet. Notabilis quoad hunc effectum est Observatio VALERIOLÆ *L.* 1. *Obs.* 6. propinavit nempè cuidam ex Mercurio sublimato inconsideratè sumpto hunc pulverem:

℞. *Cryftalli mont. puriss.* ʒj.
Theriac. ℈ij.
Butyr. rec. ℥j.
Decocti hord. q. s.
Miscendo facta est *Potio.*

Confer. *Med. Hippocrat. Chymica c.* 7. *Sect.* 16.

Aliàs in eodem casu etiam convenit oleum tartari per deliquium, quoniam ceu alcali fixum præcipitat acidum Mercurii sublimati, & acidum promptè se jungit cum alcali, fitque tertium salsum in ventriculo, sicque cessant tormina.

Ulterius etiam ad lac augendum interno usu adhibetur cryftallus, vid. BOOT *de lapidibus & Gemmis*, imprimis si misceatur cum lacte Lunæ: non secus ac fluorem album mulierum suo modo solet compescere. In calculo quoque comminuendo à PARACELSO mirè laudatur; Unde multi suspicantur, quod cum ovis struthionis *pulverem nephriticum Volcameri* constituat. Præscribitur ut plurimum sub forma pulveris à ʒß. ad ℈ij. vel ʒj.

Sub lingua detenta Cryftallus sitim fallit; uti etiam tergo applicata ex adverso mamillarum lac imminuere dicitur. Quidam cryftallum collo appensam ceu amuletum contra cardialgiam hypochondricam, vertiginem & lactis defectum, commendat: vid. LANGIUS *l.* 3. *Epist.* 1. *cap.* 4. In cancro oris infantum pulvis cryftallorum valdè laudatur, uti etiam in putredine gingivarum, & in dealbandis dentibus adultorum, imprimis si fiat *pulvis compositus* ex *pulvere cryftallorum* p. iß. & huic addantur tres partes *piperis pulverisati*: Hic pulvis in putredine gingivarum, & dealbandis dentibus est egregius.

2. Ratione texturæ illius materialis cum acidis quibusvis, præsertim mineralium, in salsum commutata cryftallus, acquirit vim diureticam, & hinc suo modo nephriticam: hinc cryftallus forti igne usta & calcinata, optimo consilio in vino extinguitur, quæ extinctio aliquoties repetitur, emergit sic vinum egregium diureticum. Item cryftallus hæc in spiritu salis extingui, & ita vel in forma liquida, vel etiam forma pulveris probè trita, pro scopo diuretico potest propinari.

Eò etiam res recidit, si cum sulphure vel nitro cryftallus calcinetur; utroque enim in casu acidum additorum subjectorum rodit, non solvit, cryftallum, & ita concretum quasi salsum diureticum constituit: nam si calcinatur, saltem superficietenus immutatur.

Non secus atque si in via humida cryftallus candefacta, in aqua destillata appropriata, spiritu vitrioli vel sulphuris acidulata, extinguatur: nempè res semper eò recurrit, & vel liquor, vel illius evaporatione sal quasi salsum, huius verò per deliquium solutione liquor, obtineri potest pro usu diuretico & nephritico: qui liquor prætereà valdè commendatur in albo fluxu mulierum, item in cœliaco fluxu: vel compendiosè cryftallus candefacta in spiritu vitrioli extincta in pulverem redigatur pro usu diuretico: Confer. M. A. N. C. *Ann.* 6. *append. pag.* 120

Quando dicit AUTOR, quod loco aceti destillati quidam addant aquam destillatam urticæ minoris, & hoc modo præparent Syrupum cryftallorum: in qua, quò sæpius, eò meliùs extinguunt cryftallum calcinatam seu ignitam, & cum s. q. Sacchari coquunt in consistentiam Syrupi, qui est egregius in exturbando calculo, promovenda urina, arenulis, in stranguria, & similibus affectibus urinariis.

Eadem præparationis & præparati est ratio, si cum triplo salis ammoniaci misceatur cryftallus, & post destillationem mutuam ex capite mortuo vel per deliquium fiat liquor, vel præcipitetur exinde pulvis. Acidum nempè salis communis in sale ammoniaco se sociat cryftallo hic in via sicca, quod aliàs facit spiritus salis in via humida. Liquor hic ad nutricum lac augendum commendatur; & si exhibeatur in oleo amygdalarum dulcium, in dysenteria & fluxu mulierum albo, singularis creditur.

AVTOR *N.* 7. *pag.* 351. habet cremorem cryftalli, & reverà tota hæc præparatio cũ liquore silicum Glauberiano coincidit, adeoque pro usu medico exilis pretii est: videatur HOFFMANNUS *in Clave pag.* 178.

XI. GALACTITES.

Lapis *Galactites* coalescit ex aqua limpida, è summitate fornicum stillante: reperitur in *Baumanns-Hole*.

Usum Medicum non habet.

XII. HÆMATITES.

Lapis *Hæmatites*, Germ. *der Blutstein*, dicitur ita partim à colore rubicundo, partim ab effectu in sanguine sistendo. Reverà nihil aliud est, quàm subjectum Martiale, & genuina ferri minera, multo Marte imprægnata, adeoque mediæ quasi naturæ inter terram, lapidem, & metalla esse rectè dicitur. Participat in specie de Marte, & etiam de Saturno. Quod participet de Marte, patet ex eo quod saltem in ferri fodinis reperiatur: deinde quod etiam in quibusdam locis elegans Mars ex eo per fusionem sub tortura ignis violenta copiosè elici possit; Unde etiam flos ferri quibusdam audit: quinimò quod ferrum instar magnetis, sed obscurè, trahere animadvertatur à BAUSCHIO, sicut etiam ex magnete usto ferrum sæpiùs confieri solet. Quod participet de Saturno, in specie potest probari, quod arte Chymicâ lapis similis artificialis, colore, natura & usu, ex saccharo Saturni & vitriolo Martis probè mistis, & per retortam sublimatis parari solet, à quibusdam Hæmatites artificialis dictus, & in secretis habitus; prostat tamen descriptio in M. A. N. C. *ann.* 2. *pag.* 227. atque etiam eodem modo potest præparari, sublimari, &c. sicut hæmatites naturalis.

Reperitur in variis Germaniæ locis inter fodinas ferri & rubricas; quandoque etiam in propriis venis: omnibus tamen Hispanicus in Medicina præstare dicitur.

Usus Medicus hujus lapidis est ad omnia ea, ad quæ usurpatur Mars; præprimis autem inservit pro scopo aperiendi & adstringendi. In sistendis quibusvis hæmorrhagiis planè excellens est, ex quocunque loco effluat sanguis, sive ex naribus, sive ex partibus muliebribus, sive alio ex loco, per anum in dysenteria, hæmorrhoidibus, &c. in substantia assumptus in vehiculo acido: idque vi Martiali absorbente acida, sangvinis præternaturales effusiones occasionaliter subinde excitantia, & cum his in naturam stypticam abeunte; unde etiam *pulverem stypticum Wedelii* ingreditur, & in hæmoptysi, aliisque sangvinis fluxibus exhibetur; sicut ipse hæmatites ad hæmoptysin commendatur à WORMIO & ZACUTO LUSITANO *Lib.* 2. *Hist.* 105. Præ cæteris videatur BAUSCIVS *in Tr. de hæmatite*, qui copiosa experimenta hinc inde collegit, quibus demonstrat ejus vim in omnibus sanguinis excretionibus, tàm naturalibus, narium, &c. quàm præternaturalibus, in phthisi, in ulceribus renum & vesicæ, uti etiam aliarum partium internarum ulceribus & affectibus, & fat prolixus est in iisdem declarandis.

Omnium optimè ipse crudus in subtilissimum pollinem redactus propinatur, irroratur potest cum aliquot guttis olei destillati Moschatæ, & additis aliquot granis extracti croci, lenissimo calore exsiccari; estque hic pulvis pro usu medicinali optimus, de quo vid. HOFFMANNVS *in Clave pag.* 179. Sit autem hæmatites nondum ignis expertus, sed ex minera tantùm extractus. Vim suam exerit tam usu interno, quàm etiam externo, utut non omnis æquè efficax usu interno vel appensus vel manu detentus observetur. Elegans tamen est observatio de singulari efficacia hæmatitis cujusdam appensi in sanguinis effluxu compescendo, quam refert BOYLE *Tr. de Gemmis pag.* 198. Manu detentus vel fronti applicatus tanquam certum experimentum ad hæmorrhagiam narium confirmat GABELCHOVERVS.

Ceterùm pro aliis scopis præparatur variè.

Hæmatites destillatus dat phlegma spirituosum & acidum, simile isti, quod ex vitriolo elicitur.

Inter cetera præparata eminet speciatim ejus cum sale Ammoniaco *sublimatio*: scilicet;

℞. *Hæmatit.* part. j.
Sal. ammon. ana part. j. vel part. ij.

Probè pulverisata & commista sublimantur in arena, & in principio prodibit aliqua pars spiritus salis ammoniaci; deinde flores adscendunt Salini, coccinei seu aurei Coloris, vel instar pomorum aurantiorum, & instar Croci Vegetabilis spirant odorem, quamvis non adeo fortem. Pariter quoque Mars, si tractetur cum salibus urinosis volatilibus, acquirere solet odorem croci, aut perfectè spirat odorem calendulæ.

Ratio autem sublimationis cum sale ammoniaco est, quod sal ammoniacum fit corpus compositum ex acido salis communis & sale volatili urinæ: sic ergò fit, ut sal acidum rodat, & dissolvat corpus durum, & cum sale volatili se associet sulphur corporis ab acido corrosi: & quamvis copiosum satis & corporale sal ammoniacum simul adscendat, & elevetur, sulphur tamen istud extraversum est ex corpore corroso, quod magni in medicina usus est.

Flores isti *hæmatitis* sunt anodyni, & egregium remedium diaphoreticum, quod mirè purificat sanguinem, atque catholicum & febrifugum in febribus intermittentibus, præsertim in quartanis; egregium etiam est digestivum quasi Martiale in Morbis chronicis utile; quin & in cachexia, hydrope, &c. mirè conveniunt: ingens vis stomachica illis attribuitur in rectificando & confortando stomacho, &c. absorbentibus annumerantur, & valdè quoque conveniunt in scorbuto, uti etiam solent commendari, & quidem experientiâ certâ, in Plica Polonica, dum quidam Medicus Polonus multa in illa præstitit iisdem.

Ex his cum spiritu vini paratur *tinctura hæmatitis*, & hæc est optima.

Modum sublimandi & *extrahendi* videbitis apud BASILIVM VALENTINVM, POLEMANNVM *Tract. de sulphure Philosophor.* Scriptum est Germanicum, sed cautè & cum grano salis legendum; vix enim dimidia ejus pars credenda: Londini collocutus sum cum hoc POLEMANNO; Item ZWELFFERVM *Mant. spagyr. p.* 338. ubi elegantem processum habet sub nomine *Aroph Paracelsi*, qui benè succedit, ubi simul monstrat modos parandi elegantia medicamenta alia, imprimis præter Aroph Paracelsi, *anodynum quoddam metallicum*, & *sulphur anodynum Martiale*; quod potest esse quasi sulphur anodynum vitrioli Veneris, adeò laudati apud *Autores*; Item GRIMMIVM *in Laborat. Ceylonensi. Aroph* dictum *Paracelsi* seu *Aroma Philosophorum*, est sal illud rutilantis coloris, quod à dictis ex hæmatite floribus paratum post spiritus vini ex balneo Mariæ ad siccitatem usque abstractionem remanet.

Ex capite mortuo hujus sublimationis recenti, adhuc non nihil calido, mediante spiritu vini extrahi potest elegans *tinctura Martis*, pro subjecti conditione adstrictoria & aperitiva. Idem caput mortuum in aere frigido vel cella per deliquium solutum, liquorem dat aurei coloris, quod *Anima Martis* dicitur, mediante quo Mercurium vivum simplici mistione coagulari gestiunt; sed superficialis saltem est, & Mercurialium particularum incrustatio. Tinctura hæc, uti ex floribus parata, Martialis est prosapiæ, indeque blandè adstrictoria: nihilominus etiam in morbis, quos autores ex obstructionibus viscerum derivant, est egregiè alterativa, imprimis cachexiis & mensibus mulierum. Aliàs facili viâ mediante spiritu salis aut nitri *tinctura* verè *styptica & adstringens* parari potest ex hæmatite: ejus descriptionem videbitis in HOFFMANNI *Clave pag.* 180. Concinnior & usu efficacior fit hæc ipsa *tinctura*, si loco hæmatitis crocus Martis ex vitriolo præcipitatus adhibeatur.

Dixi supra, mineram Martis hæmatiten, unde non sine ratione sunt, qui sulphur naturæ solaris, saporis subdulcis, sed adhuc immaturius, nec debitè fixum, in hæmatite quærunt. Nempè internè in sulphureo principio conspirant Mars & Sol; hinc quidam sunt operosi in hoc sulphure ex Marte, mediante quo, eoque in oleum redacto, caput mortuum subigi, & hoc illius medio ita exaltari posse, ad peragendas metallorum transmutationes putant. *Sulphura* autem *nihil melius quàm alcalia possunt elicere*; quare *sulphur* ex hæmatite ita elicere gestiunt. Parant nempè lixivium forte ex calce viva & sale tartari, priùs cum spiritu vini leviter humectatis, quo ipso sulphur facilè sensim sensimque solvi & extrahi queat, ita ut eo ipso per destillationem in formam olei possit redigi. Et hoc sulphur sine dubio Medicina elegantissima est proficua corpori, & certâ ratione pro metallis inservit.

Propter has virtutes metallicas tanti fit hæmatites à multis, ut Panaceam exinde præparare contendant: sic fuit Hamburgi quidam, qui cum stupore adstantium talem Panacæam ægroto porrexit.

Præparationes qui vult plures *ex hæmatite*, *Tincturas*, *flores*, *Magisterium*, *oleum*, &c. videat BAUSCHIUM *de Hæmat. & Ætite*; ex omnibus enim Autoribus eadem sufficienter congessit, cujus Tractatus anno 1664. fuit editus.

XIII. LAPIS JUDAICUS.

Lapis Judaicus ita dicitur, quod olim in Syria & Judæa repertus fuerit: species est silicis sui generis. Est reverà hic lapis in usu pro scopo nephritico diuretico; nam in se ipso in urinæ difficultate & calculis non contemnendum est remedium: id quod confirmat BORRICHIUS *Hermet. Sap. pag.* 319. Unde præparatur ex eo pro hoc usu sal & liquor sequenti modo: Nimirum solvitur hic lapis pulverisatus in spiritu salis, parato ex sale probè decrepitato, & rectificato: solutio hinc facta inspissatur leni calore in cineribus: coagulum pulverisatum per deliquium in cella vel alio loco frigido fluit, qui liquor denuò coagulandus, & adhuc semel per deliquium fluere permittendus. Hunc liquorem etiam lapilli cancrorum, lapis lyncis, osteocolla, lapis spongiæ, testæ ovorum struthionis, lapis specularis, &c. ingredi solent, & sic habetur *liquor Nephriticus compositus*. Sed nihil peculiare præ cryftallis hoc modo præparatis obtinet.

XIV. LAPIS LAZULI.

De *lapide Lazuli* supra dixi, quod magnam habeat convenientiam cum lapide Armeno; participat enim uterque de cupro, indequè vitriolaceam sapiunt naturam, atque virtutes suas maximè à Venere ejusque vitriolo derivant. Uno nomine: sunt minera veneris immatura, quæ non potuit coalescere: hinc est, quod in vitriolaceis & cupreis fodinis ordinariò inveniatur. Lapis est durus, & vix calcinari potest. Venus etiam maturior cum pauco sale commista in lapide Lazuli reperitur; hinc est, quod hic lapis Lazuli suprà & infrà purget; lapis verò Armenus minùs. Quod de sole simul non nihil participet, loquuntur puncula & striæ in corpus per superficiem dispersæ, adeo ut nonnulli per Mercurium vivum solem extrahere nitantur: videatur BOOTIUS *de Gemm. & Lapid. c.* 39. *p.* 290. Veteres persuasi sunt, colorem lapidis Lazuli cœruleum esse à luna, quod & jam defendit EUSTACHIUS *de Conf. Alchermes*, quoniam similis color cœruleus ad pingendum aptus, & colori illi pretioso ultramarino cœruleo respondens, ex hoc lapide, æquè ac ex luna, possit confici: sed falsò; cum color iste cœruleus & ultramarinus, quem ex hoc lapide conficiũt (conficiendi modũ docent *Commentarii in Erckeri Libro Probatorio p.* 91.) hoc ipsi convenit, quatenus Venereæ naturæ, & ex luna nullus cœruleus liquor produci possit, nisi Venere adulterata sit. Unde etiam lapis Lazuli propter admistam Venerem, hujusque facilem vitriolescentiam, vomitum ciere, & per inferiora purgare solet. Conjectura ergò hæc de luna in Lapide Lazuli nulla est, cùm color illius cœruleus sit impostorius; Venus enim & luna facillimè sunt miscibiles, & ita coeunt, difficillimè verò, nec per saturnum, separari possunt. Manifestat etiam se Venus, quando fit solutio lapidis Lazuli in spiritu salis, vel simili acido seu acetoso spiritu; saporem enim acquirit perfectè vitriolaceum instar vitrioli ex Venere: adeò ut ex sufficienter constet, lapidem Lazuli participare de Venere, & aliquantulo auri.

Est aliàs lapis Lazuli duplex, *Orientalis*, & *Occidentalis*. *Orientalis* est fixior, magisque subsistit in ignis tortura; & exinde ejus principia metallica, Venus & Sol, sunt aliquantisper perfectiora & maturiora: propterea ex hoc paratus *Color ultramarinus* est constantissimus, & non facilè alterabilis. Contrarium videmus in *Occidentali*, qui est mollior, & non adeò fixus, & cujus Venus non est adeò matura, nec adeò perfecta, & minus participat de Sole, quàm Orientalis: propterea etiam Occidentalis color cœruleus cum tempore viridentem acquirit, quod signum est minus maturæ Veneris.

Quoad *Vires*, convenit cum lapide Armeno. Apud Veteres Arabes crebrò in usu fuit, tam pro scopo purgandi, quàm affectibus capitis medendi, dum propter vim suppositam lunarem ipsum egregiè conferre in epilepsiis essentialibus, & consensualibus inferiorum partium, phrenitide ac Melancholiis hypochondriacis, imprimis maniis, & similibus Melancholicis deliriis, item confortare memoriam autumarunt: Unde ab istis temporibus, mutuâ Autorum & Commentariorum subscriptione citra rationem ac citra experientiam ad nostra tempora idem assertum propagatum, & lapis hic Confectioni alchermes permistus fuit: sed falsò; Sanè vis cephalica hujus lapidis quoad istos effectus mihi semper suspecta fuit, cùm nulla fida hujus rei experimenta apud Autores me observasse meminerim. Sunt qui propterea huic lapidi vim hanc, propter substantiæ lunaris participationem, adscribunt; quæ tamen exigua est & nulla, utut hanc copiosam putarint, colore cœruleo decepti. Confirmant hoc dubium Præparationes lapidis Lazuli, tam in AUTORE, quàm in HOFMANNO observandæ, mediante sale ammoniaco aut spiritus aut sale volatili Urinæ prolatæ; hæ enim Tincturæ cœruleæ simpliciter sunt nauseosæ & Venereæ: Conf. *Act. Hafn. Vol.* 1. *pag.* 129. Cùm ergò & hæ ipsæ Tincturæ ad affectus capitis laudentur, & tamen reverà ex cupro sint, facilè patet, totum hoc negotium de usu cephalico hujus lapidis ejusque præparatis ruinoso inniti fundamento.

Inter *Præparata* officinalia prostat *lapis pulverisatus* multoties *lotus*, quæ lotio in eum usum adhibetur, quoniam, uti dixi sub lapide Armeno, ejus beneficio effera purgandi vis in lapide Lazuli tollitur, & benigna operatio relinquitur. Datur à ℈ß. ad ℈j. Sed lotio hæc est inconcinna atque ridicula, & nullius usus: videatur ZWELFFERUS *Animadverf. in Pharm. Aug pag* 414.

Virtutem hanc purgandi aufert etiam *Ustio* seu *Calcinatio*: ratio est, quoniam beneficio Ustionis separantur partes volatiles Venereæ, & vitriolaceæ, quæ sunt Autores purgationis, & ceu lethiferæ & malignæ potius nocere solent.

Magisterium quod habet AUTOR cum spiritu salis & aceto destillato, nihil aliud est, quàm Venus, quæ sub forma pulveris in fundum secedit, unde saporem adhuc habet nauseabundum, æruginosum & vitriolaceum, ex principio venereo difficulter immutabilem; dosi tamen ℈i. citra purgationem propinatur Maniacis, & Melancholicis.

De *Oleo* seu *liquore*, quem habet AUTOR, vult FIEROVANTA, quod somnum & requiem conciliare debeat, & si idem capiti & ventriculo inungatur, visum mirum in modum corroborare.

In *Tinctura* & *Essentia* paranda multi occupati sunt, pro qua acqui renda-

renda varia adhibent menstrua. Quidam parant cum spiritu vitrioli, & dosi ʒj. propinant: sed acida non conveniunt, quia rodendo ramenta Venerea saporem æruginosum & vitriolaceum acquirunt. Alii verò recipiunt spiritum urinæ, alii spiritum Salis Ammoniaci volatilem, alii spiritum vini &c. Solent procedere hoc modo: Recipiunt *sal volatile*, vel *flores salis ammoniaci* in destillatione spiritus vini adscendentes, conjungunt cum *spiritu vini rectificato*, & tanquam menstruum affundunt *lapidi Lazuli* subtiliter *pulverisato*, ponunt in digestionem leni igne, & mox tingetur colore cæruleo; qualem tincturam etiam *spiritus tartari*, & omnis spiritus urinosus extrahit. Sed impostura est; est enim saltem tinctura ex Venere lapidis Lazuli extracta.

Dosis est ℈ß. vel gr. XV. ad ℈j. & in quartana, affectibus Melancholicis & maniacis, similibusque deliriis, maximè commendatur; ubi tamen spiritus salis ammoniaci plus facit, quàm lapis Lazuli. Ex hac tinctura parant quidam Magisterium lapidis lazuli hoc modo: Huic scilicet Tincturæ tantum affundunt spiritum vitrioli, donec non ampliùs effervescat, & tinctura mutata sit in aquam viridem; hanc super modicum calorem ponunt, ut spiritus & aquositas exhalet, pulvis verò Magisterialis in fundo resideat.

Hoc medicamento, nempè Magisterio, AUTOR ejusdem delirantem ex philtro per tres Menses quinquies repetitâ hujus medicamenti exhibitione curavit. Dosis est ℈j. In calore fluit hoc Magisterium instar ceræ, in frigore verò instar butyri concrescit.

BARTHOLETUS *in Tractatu de Respiratione* facit mentionem *tincturæ lapidis Lazuli* à se præparatæ coloris cœlestini, & odoris violacei, quam multum deprædicat, & miscet cum Confectione Alchermes, cujus aliàs ordinarium ingrediens lapis Lazuli hic: Exinde, dicit, quod ʒj hujus medicamenti plus operetur in corde cerebroque roborando & exhilarando, quàm ʒj vulgaris: vid. *pag.* 418. sicuti postmodum *pag* 430. dicit, se præparasse flores ex lapide Lazuli violacei odoris; quæ medicamenta egregia, tamen sunt suppressa ab eorum Autore.

Quidam *flores* sublimant cum sale ammoniaco: & utut lapis non solutus in fundo maneat, tamen rapiuntur particulæ Venereæ & sulphureæ subtiliores in sublime, ex quibus postmodum facilè potest præparari Tinctura.

Pilulæ de lapide Lazuli adhibentur in affectibus Melancholicis, hypochondriacis, & Maniacis.

XV. LAPIS LYNCIS.

Lapis Lyncis, *Belemnites* putatus, *Lyncurius Veterum*, German. *Luchstein*, quia antiquitas putavit, ex urina lyncis generari; item *Schoßstein*, (fabula orta est, quod unà cum tonitru decidat,) est lapis durus, non adeò magnus, apud nos rarus: Revera subjectum est sulphureum: Nam cum sale tartari in igne fusionis fluit, inque vitrum redigi potest, ex quo, addito Cobalto, fit fluor cœruleus. Interim aceto destillato infusus solvitur nonnihil unà cum bullularum copiosarum elevatione; solutio facilè per volatilia præcipitari potest.

Peculiare hic lapis præ lapide Iudaico vel Crystallo obtinet. Nam & crudus diureticus & nephriticus est, & per acida præparatus concretum salsum ejusdem efficaciæ constituit: Unde ingredi solet liquores nephriticos, & etiam solet esse ingrediens Magisterii Nephritici D. MICHAELIS. Multum aliàs hic valet lapis in absconditis acidis fixioribus corrigendis, & hinc à quibusdam ceu singulare specificum in febribus, præsertim intermittentibus, laudatur, imprimis si cum salibus fixis alcalisatis ante paroxysmum in forma pulveris, vel cum aceto destillato in forma potionis, propinetur: Item contra pleuritidem laudatur, de quo conf. HOFFMANNUS *Clave pag.* 182. Reliquos usus habet AUTOR, qui videantur apud eundem.

XVI. MAGNES.

Magnes est subjectum purè Martiale, & reverà nihil aliud, quàm minera Martis sui generis & immatura, multum terræ Martialis, parum Mercurii in se habens; unde etiam non nisi circa ferri fodinas reperitur; sicut etiam interdum perfectum ferrum ex eo elici potest. Conservatur in limatura Martis. Florentiæ Magnetem vidi magnitudine sua mensam rotundam æquantem, ubi Helvetii hastas suas appendunt.

Notæ sunt virtutes ejus tres speciales, nimirum

1. *Verticitas*, dum se constanter ad binos suos polos, nimirum australem, & borealem, correspondentes polis terræ (non Cœli) vertit.
2. *Vis* ejus *attractoria* qua Martem, uti dicitur, ad se trahit.
3. *Vis ferri alterativa*, quâ ferro vim ad polos se vertentem tribuit.

Quoad *Verticitatem*, notandum: hanc non adeò esse determinatam, quin interdum à suis polis declinet. *Vis attractoria*, ut vocatur, non ab intrinsecâ virtute, sed conformatione & textura ejus externa dependet: videatur KIRCHERUS *de arte Magn. Lib.* 3. *cap.* 2. Qui Magnetis phænomena & theoriam succinctam ac perspicuam expetit, adeat ROHAULTUM *in Tr. Physico*, ubi omnia Magnetis phænomena breviter & accuratè pertractat. Quæ enim de Magnete habent WORMIUS, KIRCHERUS *in integro Tractatu*, DIGBÆUS *de immortalitate animæ*, du HAMEL *de Magnetismo*, &c. hæc omnia transeant, solusque sufficiat ROHAULTUS.

Usum Medicum quod attinet, Magnes præ Marte vel hæmatite specialem usum habet nullum, sed in genere pulvis Magnetis, non secus ac ipse Mars ejusque crocus & lapis hæmatites, in morbis chronicis, & contra hæmorrhagias, commodè potest usupari. Abusus potiùs taxandus est, dum nempè PARÆUS Magneti vim quoque attractricem in corpore nostro tribuit: hinc *in herniis* parat *Emplastrum* cum pulvere magnetis; internè verò limaturam Martis propinat, sicque putat, Magnetem exteriùs in emplastro applicatum, ferrum interiùs propinatum, ad se tracturum esse, ut ita talium beneficio eò meliùs consolidatio acceleretur: quod tamen falsum est; simul ac enim Magnes pulverisatur, poli ejus meridionales & septentrionales invicem confunduntur; hinc cessat omninò vis ejus attractrix, ita ut exindè omnis vis Magnetica in emplastro tali attractu sperata sit ridicula, & inanis: conferatur KIRCHERUS *Tr. de Magnetismo*. Item PARÆUS habet emplastrum cum pulvere Magnetis, quo lumbis applicato abortum præcavere studet; quod tamen falsum. Est aliàs aliud emplastrum, quod valdè commendatur à quibusdam ad restituendum prolapsum uteri, ut vocant, seu prolapsum sinus pudoris, (nam uterus nunquam prolabitur) cujus hæc est compositio:

> ♃. *Lap. Magnet.* ℔ij.
> *Calcis vivæ* ℔j.

Subiguntur & præparantur cum *aceto destillato*, affunditur *spiritus vini*, qui rubescit; affusio repetatur, quamdiù tinctura appareat: evaporatur tandem, & remanet liquor, qui *cum pinguedine ursina* redigitur in *emplastri consistentiam*, & dorso in regione ossis applicatur, & mox attrahere uterum dicunt.

Compositionem habet ROSENCREUZERUS *in Astronom. Inferior. pag.* 80. nihilominùs credo, quod plus operetur pinguedo ursina, quàm magnes in Emplastro.

Prostat etiam *Emplastrum Magneticum Angeli Salæ*, sic dictum, quod non confundendum est cum istis, de quibus loquor; utpotè quod non ingreditur magnes, sed fit ex arsenico, sulphure, & nitro, uti alibi habebimus; ut non putetur, quod statim in isto emplastro sit magnes. Aliàs modò sobriè fiat, non rejiciendus est penitus usus Magnetis externus in emplastris: Nam Magnes quatenus est de natura ferri, idem atque Mars aut ejusdem crocus efficere judicatur, modò vis ejus attractiva non simul intendatur.

Dicit AUTOR, quod habeat communes virtutes cum hæmatite, quod verum est ratione principii Martialis; unde ad eosdem usus, ad quos adhibetur Mars, potest adhiberi hæmatites & magnes. Sed quod dicunt de virtute magnetica, nego; unde frustraneæ sunt omnes laboriosæ præparationes, quas habet FABER *Lib.* 3. *cap.* 20. *Myrothec. spagyr.* ubi habet Quintam Essentiam sive medicamentum magneticum, in sistendo fluxu quocunque mirabile.

Prætereà Magnes externè vi amuleticâ non est contemnendus: nam contra spasmos & dolores nervorum & abortum appensus, manuque detentus, ad partum accelerandum laudatur: vid. BORELLUS *c.* 3. *Obser.* 80. Idem lapis per amuletum præservat mulieres à suffocatione, quod testatur BORELLUS *loco allegato*.

Nota AUTORIS nihil est; Magnes enim in igne amittit vim sic dictam attractivam: attamen si dehinc aeri libero exponitur, iterum vim suam recuperat.

XVII.

Est lapis qui vocatur
LAPIS MALACHITES,

Aliàs *Lapis Pavonius*. Hic dicitur singulare arcanum in abscessu ventriculi, & in rumpenda ejusdem vomica, cujus pulvis ad ʒj. datus pus ex vomica ventriculi per vomitum & alvum certò exturbat, uti monstrat BARTHOLETUS *Tr. de Respiratione lib.* 5. *pag.* 561. Nam hic lapis vim habere purgandi instar antimonii, & simul tamen ventriculum roborare, dicitur. Ex hoc & Coralliis parat RHUMELIUS *in suo Antidotar.* Amuletum contra imaginationem tempore pestis: & SCHMUCK *in Curat. Magico-Magnet. pag.* 31. vult, quod Malachites applicatus umbilico, infantem in utero mirificè corroboret; sed applicatus femori, mirabiliter fœtum extrahat.

XIIX. MARMOR, ET EJUS SPECIES OPHITES.

Marmoris varia sunt genera; *Marmor album* vocatur *Alabastrites*, *Rubrum Porphyrites*, & sic porrò.

Non est in usu, nisi probè calcinatus: dat calcem instar calcis vivæ. Hinc lixivium affusâ aquâ exinde factum commendatur in gangræna ceu singularissimum, & *Unguentum* ex eo contra ulcera gangrænosa, ceu secretum, laudatur.

XIIX. OSTEOCOLLA.

Osteocolla seu potiùs concrementum calciforme concretum est album lapideum, in medio sui rotundum, reperiturque in tractu Hildesiensi: à nonnullis *lapis calcarius* vocatur; longo namque tractu in locis arenosis circa radices arborum se diffundit, ibique sponte successivè concrescit. Nam quando arbores intereunt, reperitur crusta quædam calcosa, quæ in lapideam duritiem se stringit, & hanc osteocollam constituit: sicuti præter figuram externam hæc osteocollæ genesis in *Act. Societ. Reg. Vol.* 1. *pag.* 664. pluribus & eleganter describitur. In HELMONTII *Tr. de Lithiasi* sæpiùs mentio fit *Lapidis Ludi*, ex quo suum arcanum parat, qui reperitur in Barbantia propè Antwerpiam ad littora Scheldæ, ac *species* est *Lapidis* hujus *calcarii*. Dicitur verò *Osteocolla* exinde, *quod ossa fracta* quasi *conglutinet*, ac calli generationem promoveat. Durus & fixus est lapis, nec calcinabilis igne: Menstrua etiam acida non sine difficultate ac insigni effervescentia eundem adoriuntur. Nihilominùs tamen utut Chymicis tamen præparationibus reluctetur, mirabilis ejus est effectus in conglutinandis fracturis ossium; in talibus enim casibus internè assumptus mirè promovet calli in loco fracto generationem, & consequenter ossium fractorum consolidationem & unionem, uti videri potest in HILDANO *c.* 1. *Obs.* 91. & *c.* 3. *Obs.* 90. atque *Schenckio lib.* 5. *Obs. de Fracturis*, ubi similiter virtutes hujus lapidis multum commendantur, quod citò, tutò & jucundè in fracturis callum generet & ossa fracta consolidet; removet nempè imprimis sapores acidos in viis primis, à quibus calli generatio impeditur. Nam quod substantialiter ad partem affectam transeat, meritò dubitatur. Propinatur internè cum pulvere cinnamomi & pauco sacchari in haustu vini vel aceto, aut etiam utiliùs accipitur in vehiculo decoctionis vincæ pervincæ, dosi ℨj. Interim tamen internus usus in ossium fracturis non sit nimius, quia observatum est, quod nimis copiosè assumta callum nimis magnum & deformem fecerit, qui postmodum ebullientibus, & discutientibus imminuendus; de quo videbitis exemplum in HILDANO *loco allegato*. Prætereà in fluore muliebri egregium est remedium, ac singulare in hoc affectu est specificum, sicut TIMÆUS à *GuldenKlee* contra hunc fluorem pulverem compositum in usu habuit, cujus basin constituit Osteocolla: vid. *lib.* 4. *Cas.* 15. Confert etiam in casu ab alto, in grumoso sanguine, si pulverisata à ℈j. aut ʒß. ad ʒi. cum aceti vehiculo, expectando blandum sudorem, propinetur. Retulit mihi Tachenius, se beneficio hujus lapidis curasse nautam Venetiis, qui ex summitate antennæ in navem decidit, binasque costas fregit, idquè solo usu hujus lapidis, ejusque Magisterii. Idem retulit, se opinari, quod ex hoc lapide medicamentum catholicum febrifugum contra quasvis febres intermittentes parari possit.

In officinis *præparari* & *lævigari* solet hic lapis cum aqua appropriata, e. g. pro usu vulnerario vel cum aqua symphyti, vel cum aqua geranii Robertiani, &c.

Magisterium Osteocollæ seu specificum ad calculum commendat ROSENCREUZERUS *in Astronom. Inferiorum cap. de sole pag.* 250.

XIX. PUMEX.

Pumex non tàm lapis est, quàm lapis quasi calcinando destructus, satis est cognitus, quoniam etiam in Germania solet provenire. Participat de Venere, quod patet ex pumice calcinato, qui ex affusione aceti destillati tincturam viridiusculam suggerit, quæ signum manifestum est principii Venerei in pumice latentis.

Quoad *Usum*, Bibaces hunc lapidem pulverisatum commendant pro arcenda ebrietate: sed potiùs mera superstitio est, quàm verum remedium, quasi Pumex debeat absorbere potum. In *cura strumarum & scrophularum* misceatur cum arcano duplicato Mynſ. seu sale Holsatico, & multum valet, imprimis si attendatur motus lunæ legitimus, quoniam medicamenta contra strumas debent propinari in lunæ decremento.

Usus ejus *externus chirurgicus* satis notus est & cognitus, dum pulvis vulneribus inspergitur. Prætereà usus ejus egregius est in dentifriciis; nam acida scorbutica, gingivas corrodentia, absorbet. Quoad *utendi modum*, pumex ustus in lacte aliquoties extinguatur: bini deinde lapides affricti in pulverem subtilem abeunt, qui est basis *pulverum dentifriciorum*; imò solus pumex sufficit pro dentifricio: interdum simul adduntur silices calcinati. Notum aliàs est, quod quidam pumicis usti medio sulphur seu tincturas ex coralliis, Gemmis, & similibus aliis lapidibus, præparare volunt: sed processus hic est sophisticus, utut enim tinctura detur, ex Venere tamen saltem est in pumice contenta, uti LAUREMBERGIUS *contra Salam pag.* 9. §. 13. rectè demonstrat.

XX. LAPIS SPECULARIS.

Lapidem Specularem AUTOR solùm commendat ad mulierum faciem dealbandam, & rugas depellendas. Prætereà tamen quoque adhibetur à mulieribus in partu difficili, in quo ipso succurrere prægnantibus creditur. Aliàs nullum aut rarum usum habet in Medicina.

XXI. SILEX.

Silex est lapis durus, sed tamen vitrescibilis; unde adhibetur à sycophantis ceu corpus pro præparandis gemmis artificialibus. Modum subministrat KESLERUS *C.* 3. *Proc.* 35. Est naturæ diversæ à pyritibus: aliud enim est *pyrites*, aliud *silex*. *Pyrites* in locis pinguibus argillosis reperiuntur; *silex* verò in locis humidis, & juxta ripas: Ergo confunduntur. Sulphure sunt imprægnati non pauco, quia mutuo affrictu odorem sulphureum spirant: Verùm horum sulphur variæ est naturæ; ideò & ipsi variant pro varietate nempè tincturarum metallicarum. Ut plurimum sunt naturæ Martialis vel Solaris. Quidam enim eleganter flavescentes dicuntur naturæ solaris, & solent reperiri juxta aurifodinas: in specie Salfeldiæ silices, luteis venis, striis & maculis confertæ, omnes ferè sunt solares, è quibus GLAUBERUS voluit extrahere aurum, aut saltem ex iisdem tincturam quandam auream, quæ etiam debuisset solvere Mercurium. Alii silices, imprimis obscuriores & duriores, creduntur participare de Marte, & reperiuntur juxta mineras ferri. Dantur etiam *silices lunares*, ex quibus calcinatis cum aqua forti potest elici luna corporalis.

Quoad *Usum medicum*, per se ac nativâ formâ, etiam pulverisatus, frustra usurpatur; nullum enim usum in corpore exercere potest, utpotè qui à nullo acido corroditur, nisi ritè priùs præparatus. Rationem videbitis in TACHENII *Claue pag.* 169. adeò, ut rarum sit experimentum, cujus mentionem facit DAVID VON DER BECKE *in Experim. circa Rerum naturalium Principia pag.* 19. quod silex per certum menstruum ab eo separabile in aqua solubilis reddi queat.

Præparationes ejus respiciunt imprimis usum ejus diureticum, idquè parili ex ratione, iisdem etiam præparationibus, atque suprà de Crystallo dictum fuit: imprimis ignitus, & hinc in vino extinctus silex aliquoties, vinum istud egregiè diureticum reddit in promovenda urina, & calculo: Vinum enim blandè rodit silicem calcinatum, & commutatur in salsum, & sic fit diureticum & antinephriticum; quod commendat HARTMANNUS *in Praxi chymiatr. pag.* 28. In subtilissimum Alcohol redactus, in spiritu salis solubilis existit, & hinc *Oleum Ludi nephriticum* exinde parari potest; de quo vid. M. A. N. C. *Anno* 4. *pag.* 120.

Si destillentur silices, revera tantum liquoris, quantum pumex, suggerunt, licet etiam in retorta igne fortissimo vexentur. Unde dubito, an purum phlegma acidulum, quod ex silice prolicuit LUDOVICI *in* M. A. N. C. *Anno* 6. *pag.* 366. ni potiùs ex vasis, luto, vel alia quadam circumstantia, quàm ex silicibus, originem duxerit. Patet etiam, quod frustrà silices, & speciatim solares, addantur *Tincturæ nephriticæ Ammelungii*, utpotè quam ex ana Antimonii, nitri, tartari, & silicum solarium, per retortam igne aperto destillando, præparat: Item propter fixam suam naturam cum sale tartari, aut etiam nitro, destillatus per similem retortam, nil revera liquidi suggerit; sed quicquid tunc spiritus urinosi obtinetur, hoc omne ex additis subjectis salinis originem ducit; de quo conf. GLAUBERUS *Oper. l.* 2. *cap.* 55. & 59.

Benè tamen silices pulverisati, aut etiam in majuscula frustula contriti, cum ana salis tartari, vel cinerum clavellatorum, aut alius alcali additi, igne forti liquescunt in vitrum. Istud vitrum in loco humido spontè fluit in liquorem, qui, dictus *liquor silicum*, est igneus, & externè in vehiculo quodam elegans est cosmeticum pro abstergendis crassioribus sordibus, manuum & faciei. Internè datur à ℈j. ad ʒß. pro promovendo calculo & urina. GLAUBERUS *in scriptis*, in specie *lib.* 2. *Furnor. pag.* 79. eo utitur pro scopo extrahendi sulphura metallorum, & imprimis pro parando auro potabili seu sulphure solis ex solaribus silicibus. Mira etiam de liquore silicum videri possunt *cap.* 85. ubi egregiam vim hujus liquoris silicum prædicat in deducendis metallis ad frutescendum: confer. etiam BALDUINUS *de Regermin. argenti in* M. A. N. C. *Anno* 4. & 5. *append. pag.* 96. & 97. Certè propter vim alcalinam intensam egregius est liquor pro sulphuribus metallorum eliciendis. Cum isto liquore silicum coincidit ferè *oleum silicum* cum nitro factum, vinum in calciforme corpus in momento coagulans: de quo vid. TACKIUS *in Chrysogen. pag.* 54. & 55.

Ex hoc liquore, vel potiùs vitro pulverisato, mediante spiritu vini facilè *tinctura rubra* potest parari, quæ vocatur *tinctura nephritica*: magis tamen videtur esse *tinctura tartari*, quàm silicum, magisque est diuretica, quàm vulgaris tartari tinctura.

Par ferè judicium est ferendum de ista *tinctura nephritica*, quæ ex silice igniario parare docetur in M. A. N. C. *Anno* 4. *pag.* 122. quæ ipsa tamen fortean etiam de sulphure lapidum aliquid participare potest, quia in specie lapides isti sulphurei eliguntur.

Ad hujus imitationem alii habent *Tincturam silicum antimoniatam*, quæ sic paratur:

℞. nempè *Antimon.* ℥iv.
Silic. calcin. ℥ij. ad ℥iv.
Sal. tartari ℥x.

Miscentur & funduntur in crucibulo igne forti: sic alcali tartari ex antimonio elicit sulphur, & exinde fit Mistura rubicundissima: refrigerata & pulverisata extrahitur cum *spiritu vini rectificatissimo*, sic fit Tinctura optima, & ratione antimonii sanguinis mundificativa.

Cre-

Cremor ſilicum & *Cryſtalli*, uti & *Præparata* quælibet *ſilicum*, ad ſcopum diureticnm ſunt directa: de quibus idem judicium, atque ſuprà de ſimilibus ex Cryſtallo præparatis.

XXII. LAPIS SPONGIÆ.

SPongiæ mediæ quaſi ſunt naturæ inter vegetabilem & mineralem: Quatenus tamen deſtillatæ ſpongiæ ſuggerunr ſpiritum urinoſum, ſal volatile, & oleum empyrevmaticum, quæ ſunt ſimilia productis animalium, facilè patet, quod magis ad animalem quàm vegetabilem naturam inclinent: & ſunt medicina contra ſcrophulas; ſicut & ſpongia calcinata convenit contra ſtrumas.

Lapis in his *ſpongiis* inventus, tàm crudus quàm calcinatus, egregii uſus eſt in ſcrophulis & ſtrumis, quas abſumit & inſenſibiliter reſolvit; internè ſub lunæ decrementis uſurpatus, ſive ſolitarius, ſive cum arcano duplicato Mynſ. miſtus propinetur. Unà cum aliis lapidibus ingreditur *liquores nephriticos* in affectibus nephriticis & promovendo calculo, & ſolvitur facilè in ſpiritu ſalis.

XXIII. TALCUM.

TAlcum eſt *ſpecies* quædam *lapidis ſpecularis*, ſubſtantia mineralis lapidoſa ſui generis, lamellatim & ſquammatim concreta, adeòque reverà ex corpore fluido orta, ut pluribus declarat MORHOFF *in Epiſt. de Transmut. metallorum pag.* 22. & 47. Sub iſta fluida ſui conſiſtentia facilè de metallicis particulis aliquid imbibere, hiſque imprægnari poteſt; unde pro varietate ſulphuris metallici differentia Talci, quoad colores, oritur, dum nempè eſt *candidum*, *flavum*, & *rubrum*; item exinde eſt, quod in quibuſdam Talci ſpeciebus aurum deprehendatur: Confer. BOYLE *in Tentam. pag.* 73. In BECHERI *Phyſ. ſubterran. lib.* 1. *pag.* 140. quod Talcum, ut plurimum rubrum, aquâ forti tractatum aliqualem ſolutionem & extractionem patiatur, ut in fundo album remaneat verum Talcum: videatur LAUREMBERGIVS *in Comment. in Salæ Aphoriſmos Chymicos*; quoniam aqua Regia, tanquàm menſtruum appropriatum ſolis, Talcum ipſum dimittit intactum, extractâ Tincturâ ſolis: ex qua ſolutione etiam *Pulvis diaphoreticus* parari poteſt, autore LUDOVICI *Pharm. pag.* 21. Unde ex Talco rubicundo ſunt qui facere volunt Medicinam ad tingendum & figendum Mercurium; ad tingendum, ut ſit coloris rubicundi, ad figendum, ut ſit fixus inſtar metalli colore aureo.

Nullius hactenus *uſus* eſt *interni*, utut ſulphure Talci, ceu ſingulari remedio, plures morbi curari queant: de quo confer. HOFFMANNI *Clavis pag.* 188. Quidam Talcum pulveriſatum contra dyſenteriam, ſputum ſanguinis, hæmorrhoidum fluxus, &c. commendant: ſed temerariè. Saltem *uſui externo* hactenus Talcum inſervit nempè quoniam conſiſtentiæ eſt quaſi unctuoſæ, propterea ſpeciatim *oleum* pro uſu Coſmetico exinde elaborare auſi fuerunt Chymici: ſed hactenus conatus fuit vanus. Nam ut Talcum iterum redigatur in formam liquidam, hoc opus, hic labor eſt.

Pro hoc ſcopo, nempè pro *oleo Talci* parando, quod tamen genuinum non-ens exiſtimo, variis modis tractatum fuit Talcum, nunc *via ſicca*, nunc *humida*. *Via ſicca* calcinando diutiſſimè igne reverberii, fruſtrà tamen, laboratur; cùm Talci ſubſtantia ſit adeò fixa & duriſſima, ac immutabilis maneat, & cùm humidum ejus pauciſſimum per calcinationem fuerit inverſum, tantum corpus calciforme acquiſiverunt, utut intra dimidiæ horæ ſpatium levi igne tractatum in optimum pulverem poſſit redigi: Conf. MORHOFF *de Tranſmut. Metall. pag.* 47. Equidem Borrax ipſi in duplo permiſtus forti igne tandem in fluorem redigit, qui tamen labor ſcopo Medico coſmetico planè non inſervit. Acida, ſi cum iiſdem in *via humida* tractetur, parum valent, adeòque alcalia potiùs eundem domabunt.

Alii cum ſale ammoniaco parant, quod & LAVREMBERGIVS *contra Salam* §. 16. facit, qui Talcum cum ſale ammoniaco, quantum fieri poteſt, minutiſſimè tritum ſublimat, ſublimatum ſolvit in aqua vulgari, & ſolutum cum oleo tartari præcipitat: Præcipitatum protinus cum aceto deſtillato ſolvit: ſolutionem inſpiſſatam in loco humido per deliquium fluere ſinit. Hic liquor cum certa portione camphoræ temperatus, coſmeticum eſt elegans. Verùm non eſt genuinum oleum Talci, & operatur tantum ratione camphoræ.

Alii cum ſpiritu Vitrioli Philoſophico Talcum tritum ſolvendum eſſe ſuadent; dehinc ſolutionem evaporant ad remanentiam partis tertiæ, & tunc in loco frigido inſtar Vitrioli cryſtalliſant: Cryſtallos has deſtillant per retortam, & fit ſpiritus acidus. Hic Talcum remanet in fundo, & alienus ſpiritus deſtillatur. Ergo intractabile eſt Talcum.

Si enim præparationes, tàm quas habet AUTOR vel LAUREMBERGIUS *contra Salam*, vel WORMIUS *in Muſeo pag* 57. item KESLERUS, aliique Chymici, conſideremus, quarum tot ſunt, quot capita, plurimæ non ſuccedunt, & quæ ſuccedunt, reverà inanes ſunt labores, ne pulverem Talci genuinum, multò minus oleum, ſuggerentes: ſunt ſaltem producta nova, quæ tantum larvam habent hujus rei.

Nil enim aliud, præter liquor ſalinus, acquiritur, nil præſtans aliud, quàm commune oleum tartari per deliquium. Optimè cum ſale tartari mediante ignis concurſu calcinatur, ut tandem aliquantulum de ejus ſubſtantia in coſmetico uſu poſſit haberi. In defectu olei Talci ſunt, qui inter pretioſa coſmetica hoc commendant: ſcilicet cochleas nigri coloris paſcunt Talco, ex quibus cochleis hoc modo paſtis per deliquium deſtillatur aqua mirandi uſus, & ſingulare coſmeticum.

Plura qui cupit de liquore, ſeu oleo talci vero, an detur? vid. LAVREMBERGIVM *contra Salam* §. 16. SALA negat; cui ſe opponit LAVREMBERGIVS, & affirmat contrà SALAM, quod detur. Negat etiam SENNERTVS *l. V. de oleo*. Nam non negandus eſt liquor Talci, quando paratur cum ſalibus, quæ reſoluta in humorem, ſecum rapiunt partes Talci: ſed hic liquor non eſt vera & nativa pinguedo, ſeu oleum Talci. Quæſtio ſaltem eſt: *an detur verum oleum Talci ſine bis?* quod à multis valdè commendatur inter coſmetica, ututà nullo poſſideatur: de quo tamen LEMMERY in Galliis multa jactat.

Præ cæteris elegans Præparatio eſt Talci Veneti in pulverem ſubtiliſſimum, coſmetico uſui inſervientem, per fumum ſulphuris: conf. M. A. N. C. *Anno* 6. *Append.* 168. Moderni ergo tritum hìc adhibuerunt, ſpeciatim LANGELOTT, qui Talcum facilè tritu ſuo friabile, & hinc ferè unctile reddit, uſui coſmetico conveniens. Sola enim contuſione pulveriſari non valet; unde alii limâ terendum volunt, alii cum pumice pulveriſationem inſtituunt: ſed fruſtrà.

Coſmetica Talci vis in duobus conſiſtere videtur.

1. Quod ſubtilia & vitioſa iſta acida intercutanea, nævos ac puſtulas excitantia, plus minus in ſe recipiat, & quaſi abſorbeat.
2. Quod extrinſecùs quaſi incruſtatus colorem candidum & eleganter nitidum conciliet.

XXIV. VNICORNV FOSSILE.

DIſtinguendum hìc eſt ante omnia, ne fiat confuſio, *Unicornu foſſile* genuinum à ſpurio. Hoc *ſpurium* exactè oſſa animalium repræſentat legitimâ figurâ ac magnitudine, leve, poroſum, & friabile eſt, quodque linguæ admotum fortiter hæret, & ab eadem non poteſt facilè evelli. Vno verbo: repræſentat exactè oſſa animalia Philoſophicè, fortiter tamen, calcinata. *Unicornu Verum* revera ad Mineralia pertinet, ac id nominis accepit, quia ſæpiùs ſub forma cornu cujuſdam oblongi ſtriati, inſtar veri unicornu marini, niſi quod grandius ac vaſtius ſit, effodiatur, interdum ſub forma dentis elephantis aut eboris. Imò repræſentat hoc unicornu foſſile aliorum animalium partes, modò cornua, modò dentes ingentes, modò oſſa fracta, modò crania, &c. Reperitur circa Stolbergum.

Sed duplex hujus deprehenditur ſubſtantia: una ſubſtantia eſt perfectè dura, & aliquando dura inſtar eboris: altera ſubſtantia in prioris interſtitiis contenta eſt, friabilis, ſicca, linguæ adhærens inſtar margæ cujuſdam. Vtraque hæc ſubſtantia nihil aliud eſt, quàm *marga quædam mineralis* friabilis, & levis, hinc inde coacervata, ſeu *ſpecies medullæ ſaxorum*, & pertinet ad terras medicatas, cujus quædam partes ex interfluente fluido ſui generis induratæ ac conſolidatæ, ac in oſſeam aut lapideam quaſi ſubſtantiam ferruminatæ fuerunt: quæ ſubſtantia lapidoſa aut oſſea pro varietate pororum & meatuum, vel ipſius margæ, vel loci, in quo invenitur, aliorumvè, varia animalium exhibet membra, caſu ita, nulla naturæ lege, figurata; nunc dentes magnos, qui dicuntur eſſe dentes gigantum, nunc manum, nunc brachium: vid. *Acta Eruditorum Lipſienſ. Anno* 1682 *pag* 150. & *Kircherus Mundo ſubterran. Sect.* 2. *lib.* 8. *cap.* 4. ubi de cryptis Siculis, plura ejuſmodi concreta continentibus; quæ magnam affundere poſſunt lucem iis, quæ dicta ſunt: In integris fruſtis reperitur cum certis interſtitiis, prout aut in lapideam aut in oſſeam duritiem tranſmutata fuit hæc marga.

Non ergò ſunt animalium partes in terram petrificatæ, nec ligna & radices arborum in terram petrificatæ, prout quidam ſtatuunt: vid. WEBERVS *Tract. Ars Diſcurrendi de quavis materia pag mihi* 26. & *ſeqq*

Uſus hujuſmodi Vnicornu foſſilis in multis coincidit cum oſſibus calcinatis, ebore uſto, cornu cervi uſto, vel etiam terra ſigillata: magis tamen convenire obſervavi in dyſenteria, gonorrhœa, petechiis, variolis & morbillis, & quàm plurimis morbis acutis ac malignis, pro ſudorifico & expulſivo, vel ſolitariè, vel cum aliis junctum. Commendo id præ omni terra ſigillata, in ſpecie ubi diarrhœa & fluxus alvi, vel ſimiles affectus ſuperveniunt. Aliàs uſu abſorbendi acidi, figendi inde ortas efferveſcentias, hincque ex mutata textura adſtringendi, cum multis aliis concretis terreis convenit. In epilepſia & morbis ab acrimonia lymphæ ortis, cum cinnabari antimonii vel nativa, ſuccino præparato, cornu cervi cum & ſine igne præparato, caſtoreo, ſalibus volatilibus convenit: vid. THEODATVS *Valetud. pag* 34. & 237. Vnde ingreditur *Pulverem epilepticum* & *Bezoarticum Ludovici* & *Wedelii*. In uſu ſolùm eſt friabile & poroſum; durum & lapidoſum non debet adhiberi, quoniam eſt nimis durum, niſi priùs aliquantiſper fuerit præparatum, & quaſi Philoſophicè calcinatum.

XXV.
Ad lapides pertinet etiam
LIGNUM PETREFACTUM.

QVale est e. gr. *lignum betulinum petrefactum* præsens: id quod per fluidi intra poros ligni susceptionem petrefactum; quod fluidum, si coalescit in lapidem, commutat ipsum lignum.

CAPUT IX.

Continet
DEMONSTRATIONEM ALIQUOT MINERARUM,
in Horto Medico Lipsiensi Anno 1682. absolutâ Botanicâ,
habitum.

REperiuntur interdum in mineris *liquores metallici*, qui si aptam invenirent matricem, perfectum fierent metallum: si autem justum non invenerint locum, non ad maturitatem perveniunt, sed degenerant in corpus album, *Gur* dictum, ac metallum saxeum; hinc fortè HELMONTIUS nomen suum, quod vocat Burr, mutuatus est. Innuit hoc fluidum esse primogeneum, ex quo immediatè fit metallum. In forma sua fluida instar lactis fluit, & in fluore in ipsa minera reperitur, sed statim simul congelascit, & aere accedente, coalescit in ejusmodi corpus: conf. de his MATTHESIUS in Sarepta sua Theologica.

I. MINERA ARGENTEA.

IN *Minera Argentea*, & quidem cujus mentionem facit BECHERUS *L. I. Phys. subterranea*, vocatque *saxum molle*, id est *matricem metallicam*, German. *Quart* dictam, immediatè effloreſcit Argentum. Vtut enim halituum formâ penetraverit, exctescit tamen spontè in purissimum Argentum, quod aliàs non nisi ignis ope eliciendum foret. Est itaque hæc tanquam matrix metallorum, in qua halitus ac fumi sulphurei figuntur, & ita in purissimum metallum transeunt.

II.

Sub mineris argenteis (non saltem sub luna puriore, sed etiam mineris sulphureis) effloreſcit *minera obscurè rubescens lunæ*, quæ aliàs dicitur Germ. *rothgulden Ertz*, ac revera est minera lunæ ex saxo suo efflorescens. Nonnulli eam vocant *die Ungerische Gold-Bluhme*, id est flos aureus ungaricus. Dives est argento, copioso verò arsenico scatens, quod argentum, nisi cautè igne tractetur, unà cum arsenico in auras avolat. Arsenicum verò esse permixtum, probo: quia si

♃. *Lunæ* p. j.
Lap. magnet. arsenic. (id est compositi ex arsenico, antimonio, & sulphure: de quo vid. Angelus Sala) p. ij.

ac invicem fundantur, emergit exactissimè hæc minera lunæ.

Sunt qui singulariter hanc commendant, cùm luna non adeò fixa hìc fit: sed nondum res hæc certò constat: interim compositio artificialis docet, lunam ex se nullam unquam exhibere colorem cœruleum, quod imprimis contra tincturas lunæ notandum; quotquot enim lunæ tincturæ sunt cœruleæ, merè sunt supposititiæ, quod fit, quoniam luna cum Venere admodum conspirat, ita ut vix unum sine altero reperiatur. Genuina igitur tinctura lunæ obscurè est rubescens, etiam per urinosa præparata; quæ rubedo à particulis sulphureis dependet.

III.

Huic opponitur alia *lunæ minera*, *alba*, quæ Germ. dicitur *Weis gulden Ertz*. Hæc à priori differt in eo, quod illa, scilicet obscurè rubescens, minera magis fit arsenicalis: hæc magis salina, accedens ad naturam mineræ, Germ. *Glaß-Ertz* dicta, in qua etiam luna reperitur, quæque arte fieri potest; si

♃. *Luna*, *sulphur*, & parum *salis communis*:

Hæc si invicem fundantur, fit inde minera ejusmodi *Glaß-Ertz* dicta, genuinæ ferè similis: sed opus est, ut additamenti loco scorias plumbi, vel silices, qui sulphur absorbent, misceamus; aliàs particulæ sulphuris & salis in lunam agunt.

IV.

Possideo porrò *mineram compositam* præsentem ex *Glas Silber-Ertz*, & *rothgulden Ertz* (fulvum, quod in hac minera invenitur, est minera sulphuris, quæ simul est advolata.) Dives est auro juxta probationem Metallurgorum, qui secundùm grana numerant. Sequitur

V. MINERA VENERIS NONDUM MATURA,

& prout est in primo suo ente, id est, quæ successu temporis perfectum ac maturum fieret cuprum.

VI. MINERA VENERIS PERFECTA.

ELegantissimo colore tincta est; nulla enim minera elegantiores habet colores, quàm Venerea (quæ si admodum sint elegantes, Germ. *Kupffer Blumen*, id est *Cupri flores* à Metallurgis appellantur.) Interdum etiam mineræ ejusdem Iridis faciem repræsentant.
Ad has mineras pertinet etiam

VII. LAPIS SCISSILIS.

IN *Lapide scissili*, Germ. *Schiefferstein*, variæ nonnunquam reperiuntur figuræ: sic in hoc figura piscis squamosi, Islebiæ inventi, ac halecem quodammodò repræsentantis, reperiebatur: Aliàs etiam imago sæpiùs B. *Virginis* MARIÆ, aut alia, in ea repræsentari solet. Minera hæc seu lapis scissilis reverà est *Minera cupri*. Piscis figura in hoc lapide tantùm per accidens talis est; squamæ verò in eo apparentes sunt concretum de natura cupri: figura squamarum non est rotunda, nec quadrata, sed rhomboidea, quæ propria est cupri figura.

Quoad Vsum Medicum, notetur, quævis Venerea vi suâ vomitoriâ ventriculo admodum esse noxia; utut sulphur ejus fixum ex vitriolo summum fit anodynum, plurima symptomata mitigans, mirè post PARACELSUM ab HELMONTIO laudatum: de quo etiam POLEMANNUS scripsit. Et sanè res est possibilis. Vti enim in metallicis quibuscunque aliquod est anodynum, ita etiam in Venere est aliquid anodyni, quod somnum inducere valet. Sic ex vitriolo Hungarico cum urina tractato (ex quo *Drief*, *Helmontii* fit) ac postmodum ex capite mortuo ejus cum sale tartari examinato, emergit etiam *sulphur vitrioli fixum anodynum*, si non plane idem, parum tamen absimile ei, quod ex Venere fit.

VIII. MINERA FERRI.

MInera ferri, quam vocant Germani *Glaß Knöpffe*, pro basi habet lapidem rubrum, ac striatim crescit instar lapidis hæmatitis. Dantur etiam *Mineræ Martis basi flava*, quæ verò non tàm Marte abundant, quàm istæ priores basi rubrâ. Datur etiam *minera Martis colore cineritio*; *non absimilis est illi*, *quæ vocatur* Gallmey, *scilicet Cadmia*; *habet tamen poros*, *&* *invenitur in marchesatu Barreuthb*. Hę mineræ Martis reperiuntur interdum eleganti facie tinctæ, ac vitreatæ quasi (Germ. *obenberglasuret* nonnunquam apparent. Præterea variè etiam ludit natura in efformando Marte: Reperiuntur enim mineræ nonnullæ, præsertim in Bohemicis montibus, figurâ exactè rhomboideâ, qualem nullus Geometra tàm exactè depingere poterit ac formare. (*est ferè purum putum ferrum*, *cui parum deficit*.)

Hæ mineræ Martis, quando sub hac forma & in locis argillosis ac pinguibus reperiuntur, Germ. *fette letten* dicuntur: item *Eisen-Nieren*, propter figuram externam, quâ quasi animalium renes repræsentant, ac Marte sunt divites.
Ad has Mineras pertinet etiam

IX. MINERA MARTIS SOLARIS.

EX qua paratur *liquor Martis solaris*: quæquè præsens est talis, qualis ex Hassia ad nos adfertur, non ita vitriolica ac sulphurea, aliàs in aere flueret. Mineræ istæ non solùm propè Casellam in Hassia, sed & Salfeldi in Thuringia, nec non in Misnia, & pluribus in aliis locis, reperibiles, in terris pinguibus argillaceis ferè reperiuntur, & constant sulphure & Marte, utut Hassiacæ interdum etiam de Venere simul participent. Datur prætereà etiam alia *Minera Martis solaris in forma lapidum parvorum griseorum* (*magnitudine ovi columbini*, *canisque excremento non absimilis est* &c: vocantur *Ova Philosophica*: non tamen sunt confundenda cum instrumento Chymico dicto) quæ Numburgi & Hassiæ reperitur, ac sulphure dives est; purum enim sulphur in medio conspicitur. Effloreſcit ut lanugo elegantissima; striasquè habet flavas. Minera Martis solaris dicitur, tàm quoniam copioso Marte abundat, tàm quoniam Solem in recessu habet; est enim in Marte primum Ens solis, non statim Sol perfectus, ut quidam sibi persuadent. Igitur minera hæc ex Marte, cum intertexto copioso sulphure, constat; quò enim sulphure est ditior, eò melior: si autem Mars copiosior adsit, non fatiscit in Vitriolum in aere.

Quod autem minera hæc Martis solaris ex Marte & sulphure constet, probo: si enim recipiatur minera recens collecta, & per retortam destilletur igne aperto, perfectum & copiosissimum exinde elicitur sulphur, quod in forma sicca collo retortæ adnascitur. Caput mortuum, quod restitat, est nigrum & durum, & quod magnes, si ei admoveatur, copiosè ad se trahit, certo indicio, totam Martialem ferè esse hanc mineram. Sulphure dicto modo exhausto, nihil ampliùs vitriolacei suggerit: aeri verò exposita recens minera, tempore verno & autumnali effloreſcit in copiosam lanuginem crystallinam, quæ tandem aquâ communi elicita perfectum vitriolum, ex albo viridescens instar vitrioli Martis, constituit, ejusdem non solùm saporis, sed ex quo etiam perfectius elicitur spiritus vitrioli, simillimus spiritui vitrioli Martis, & ne vestigium quidem sulphuris adest.

Cùm

Cùm enim vitriolum omne constet parte sulphuris acidâ, cum metallo, Marte vel Venere, corroso, sequitur etiam hìc sulphuris substantiam in aere resolutam mediante suo spiritu rodere mineram Martis adjunctam, & ita amborum combinatione efflorescere in vitriolum simile, & in minera vitriolisata nihil sulphuris ampliùs reperitur; sin ejus aliquid remaneat, tandem in aere etiam in vitriolum abit.

Resolutio hæc sulphuris fit ab aere, non quatenus calido; nam omni anni tempore hoc non æquè succedit; imò æstate minùs ferè efflorescentia illa vitriolica apparere solet: non quatenus humida; nam minera recens aquæ communi infusa & decocta, etiam longo tempore, nullam alterationem patitur: sed quatenus vim habet dissolvendi sulphura, tam mineralia quàm alia quæcunque, quæ vis fundata est in sale quodam singulari in aere reperibili, quatenus, ut rectè dicit HOOCK *in Microgr. in aere est menstruum pro solvendis corporibus sulphureis*, ratione cujus etiam absque aere nullus ignis esse potest.

Operatio hæc nos manu ducit ad explicandam Acidularum naturalium ex parte naturam, illarum nempè, quæ ex simplici minera vitriolica, ab aqua subterranea prætei flua soluta, originem ducunt.

Modus verò parandi liquorem Martis solaris hic est: Ponitur scilicet minera contusa in locum humidum aereum, tum eadem solvitur, pinguis sulphuris materia in halitus abit, acidum verò sulphuris rodit Martem, & sic fit Vitriolum. Cùm itaque in Vitriolum abierit, immittitur ollæ non vitreatæ, reponiturque in cellam, aliave loca subterranea, vel humida, sic per ollam vitriolum purius instar lanuginis transudat, & texturâ quasi lixiviali illarum partim præcipitatur ex isto vitriolo, quicquid crassius, acidius, aut impurius fuerit, partim in olla remanet; lanugo verò vitriolacea cum penna de olla abradatur, ac in rore Majali solvatur, fitque exinde liquor Martis solaris, qui optimas Acidulas artificiales constituit.

Extat equidem *Disputatio de liquore Martis solaris* Wittebergæ anno 1682. sub Iohanne Thile habita; Verùm in ea non fit mentio transudationis. Igitur fortè, an genuinam hujus liquoris præparationem ignoravit autor? dubitatur: nam per transudationem separatur tunc Mars, & in olla remanet.

Usus hujus liquoris Martis solaris est, quod sit genuinum *succedaneum acidularum naturalium*, iisdemque scopis exactè inservire queat. Prodesse enim observatur insigniter in malo hypochondriaco, scorbuto, cachexia, hæmorrhagiis nimiis quibusvis, etiam mensium; cum tamen mensium defectum etiam curet. Sed requirit ventriculum robustum, & minùs sensibilem, gradatim quoque propinari potest numerando guttas.

X. MINERA JOVIS.

MInera Jovis Germanis dicitur *Zwitter*, *Zinn-Graupen* (*quod ibi plendet, est stannum.*) *Hac Minera Jovis in igne coalescit, & fit stannum*. Subjectum est sulphureum; in igne enim avolat sulphur, ac stannum perfectum remanet. (NB. *Non habet aliam faciem ac si Granatis esset ornatum, crescit etiam sicut Granatæ Bohemicæ.*) *Lapis Jovis, der Zinnstein* dicitur Germ. *Zwitter*. Notandum autem, quod ex lapide hoc nigricante fiat *Stannum album*.

XI. MINERA SATURNI.

SEquitur *Minera saturni*, tùm nostra tùm Hungarica, Germanis *der Bley-Glantz*, sed non omne, quod splendet, plumbum est: Datur etiam *minera saturni scriptoria*, Germ. *Wasser-Bley: quo utimur ad scribendum. est aliquantum mollius*. Ad has etiam pertinet alia minera Saturno dives, sed copioso sulphure mixta: sulphur autem hoc copiosum Saturnum facilè secum in auras rapere potest. Prætereà etiam datur Germ. *Gros spiesig, & Klein spiesig Glantz*; ex quibus copiosum plumbum elici potest: Reperiuntur Freibergæ.

XII. MINERA SULPHURIS.

MInera sulphuris vulgò dicitur Germ. *Schweffel-Kiß*. In hac quod aureo apparet colore, est sulphur: quæ mineræ igni expositæ suum amittunt splendorem. Ex hac, modò igne sublimando, modò per de, censum quasi destillando, *sulphur minerale commune* elicitur. Huic opponitur sulphur ἄπυρον, Germ. *gediegen Schwefel*, quod ignem nondum est expertum, & à quibusdam multum æstimatur, internè pro pulmonibus, visceribus aliis, plùs minùs apostematibus correptis.

XIII. MINERA VITRIOLI.

SEquitur *Minera Vitrioli*, quæ propè Freibergam & Altenburgum reperitur, *est instar terræ nigræ*. Ex hac coquendo elicitur *Vitriolum* elegans: quod si Metallurgi paulo tardiùs accesserint, quando scilicet jam vitriolum è Minera exhalavit, matricem saltem inveniunt inflammabilem relictam (*est absque vitriolo & ardet postea sicut candela*, adeòque est quasi bitumen in forma sicca.) Reperitur etiam ejusmodi minera vitriolo exhausta sub forma ligni putridi, quod reverà est bitumen terrestre. Invenitur hoc lignum bituminosum Rudelstadii, scripsitque de hoc PILLINGIUS, *Physicus Altenburgensis*.

XIV. MINERA ALUMINIS.

MInera Aluminis est lapis quidam scissilis, Germanis vocatur *der Schieferstein*, & Salfeldiæ reperitur. Elicitur verò alumen ex minera ista sequenti modo:

℞. scilicet *lapis* scissilis contusus: Hunc in certos cumulos divisum aeri exponunt; sic alumen aere humidiore resolutum efflorescit: post mineram hanc in lebete coquunt, decoctoque huic copiosam urinam humanam infundunt. Sine urina humana enim vix parari alumen potest. Sic sublimantur multæ particulæ vitriolicæ, ac alumen in albas Crystallos fatiscit: hinc e. g. alumen cum sale tartari destillatum subministrat spiritum urinosum, qui non est ab alumine, sed ab urina, quod multos decepit Chymicos.

Possideo quoque præsentem *Mineram aluminis Martialem*, quæ cum aqua destillata perfectum suggerit aurum.

CAPUT X. DE METALLIS.

MEtalla sunt corpora mista, sed tamen homogenea. Mista esse ex eo patet, quod ex metallis separari possint partes, quæ non ampliùs possint reduci in perfecta: metalla v. g. *crocus Martis* legitimè paratus, per calcinationem vaporosam super aqua forti; remanet enim terra perfectè instar lapidis scissilis, qui crocus dehinc non potest ampliùs in Martem reduci. Item ex Saturno separari potest substantia inflammabilis, ut postmodum vitrum Saturni succedat, quod vitrum quidem in Saturnum reduci potest, cum maximæ tamen partis jactura.

Non sunt perpetua seu æterna corpora Metalla, sed communes corporum particularium hujus Geocosmi mutabilitatis leges subeunt, adeòque generabilia in terræ visceribus, & successivè augmentabilia, atque etiam ibidem corruptibilia existunt.

Quoad *Generationem*, experientia docet: Mineras metallicas semel exhaustas, interjecto certo annorum numero denuo imprægnari, & metallis impleri. Decantatissima est maris Tyrrheni Insula circuitu suo 20. milliaria Italica complectens, ex qua non per plurima secula tantùm Mars fuit erutus, sed etiamnum hodiè copiosè adeò eruitur, ut semel eductum ferrum à 20. annis denuò renascatur: testibus omnibus *Mineralium Scriptoribus*. Conferatur TACHENIUS *Clave pag.* 41. In Cornubia, Britanniæ magna Provincia, ob Jovis fodinas celebri, per experientiam observatum, fodinas Jovis exhaustas, terrâ desuper injectâ impletas, post 30. annos denuo apertas, novum stannum copiosè regeneratum reddidisse. De plumbo res nota, quàm copiosè è Mineris suis regenerari soleat. Aurum in Hungaria insignium filamentorum forma externa quasi exarescere, ac surculis tenellis vineisquè non rarò implicari testantur Observationes: Conf. M. A. N C. *Anno* 1. *pag*. 290. & *Anno* 2. *pag*. 188. non secus ac luna graminis modo ex mineris suis saxeis crispâ eleganti formâ in Misnia progenerari, triviale est. Unde & experti Metallurgi interdum ante debitam metalli perfectionem per cuniculos subterraneos venam ejus se nudasse conqueruntur, sicut è contrà interdum se tardiùs ac serò nimis post metalli geniti denuo factam consumptionem, & ab effluviis subterraneis resolutionem, se advenisse conqueruntur: conf. BECHERUS *Phys. subterran*. 1. *pag* 107. item *pag*. 292. & 337.

Compacta autem utut sint corpora metalla, ex fluido tamen originem suam ducere, non ex eo solùm fit probabile, *quod Mercurius currens arte in perfectum metallum durum, tantillæ substantiæ tingentis adjumento, fuerit mutatus*; sed etiam quod ipsa metalla intra saxa durissimasque petras reperiantur ut plurimum inspersa, quo non, nisi subtilis fluidi instar, aut fumorum aut effluviorum hinc inde dispersorum formâ priùs deferri, & se ibidem ceu debita in matrice insinuare poterit eorum materia; quos etiam fumos metallicos, eorumque motus, (Germ. *die Witterungen*) ceu venarum metallicarum primos Autores, probè observare solent Metallurgi.

Hi fumi sulphureo-unctuosi, seu sulphurei Mercuriales, ubi ita in visceribus terræ agitantur, si inveniant materiam aptam, seu sal terreo-alcalinum, in eo, tanquam in matrice, desiguntur, & concentrantur, sicque mutuâ unione, actione & reactione, concentratione & susceptione, in metalla perfecta abeunt. Prout ergò fumi hinc inde vagantur, & suscipiuntur à terra salina, oriuntur venæ metallicæ. Isti enim fumi metallici, quando sub suo motu suscipiuntur ab aqua in locis subterraneis, istam aquam imprægnant, & hæc repræsentat naturam lactis, seu liquoris lactei, sub qua forma dicti fumi coagulati vera metalla secum ferunt: videatur MATTHESIUS *Sarepta de Generat. Metallorum*.

Liquoris hujus fluidi in mineris, & intra saxorum cavitates observati, plures prostant historiæ, licet consistentiæ sit crassioris, nunc albidi, nunc ex albido virescentis, qui est Germ *eine Gubr*, item *Berg-Gubr*, ut vocant Metallurgi; HELMONTIUS verò Bur, qui brevi post sua spontè coagulatus, totus perfectum metallum, nunc plumbum nunc argentum, exhibuit.

De hoc liquore Metallico hoc observarunt Metallurgi Freibergenses: *Gubr der Metallen finden sich unterschiedlicher Farben: Weiß, roth, gelbe; und Wo sie gefunden Werden, da ist Kuhulich zu versichern, dass ein Anbruch da sey. Wo ein Pfirsich-Blut-farbender Gubr gefunden Worden, ist ein geWiß Zeichen, dass Cobald-Ertz oder blave Farbe da brecbe. Diese Gubr, Wenn sie in die Luffi Kommet, gestebet sie, und Wird bald bart; Wenn sie aber noch in der* Minera, *in eine* cucurbitam, *mit einem Alembico Wohl vermacht, gethan, Wird, Kan man sie auch ausser der fodina eine Zeit liquidam, erbalten. Dieser Gubr ist seminium oder Materia proxima metallorum, Welche aber noch nicht Zur rechten Maturitat Kommen ist, also, dass eine solche Gubr, Wenn sie probieret Wird, gar viel last davon fliegen, Weil sie noch nicht fix, sondern gar Zu volatilisch ist.* (Exterorum, linguæ Teutonicæ ignarorum, in gratiam, hactenus dicta Latino idiomate sequenti modo exprimere lubet. Dantur flores metallici certis coloribus diversi: alii nempè albi, alii rubri, alii denique lutei: quibus apparentibus, non dubitandum, quin certarum venarum metallicarum ibi latentium sint indicium. Fluor hic si erit puniceus, mineram vel cobalti, vel smaltum, certò indicat. Fluor hic in aere libero coagulatur, & mox indurescit. Intra minerarum verò cavitates adhuc latens, & cum illis cucurbitæ, alembico probè munitæ, inclusus extra quoque fodinam in statu fluido ad tempus asservari potest. Fluor hic metallicus seminium aut materia proxima est metallorum: maturitatem verò nondum adeptus, & docimasiæ subjectus de eo multum avolat; cùm nimis adhuc volatilis fixitatis gradum nondum attigerit.)

Notetur in genere: Metalla sua habere tempora, id est successivè crescere, hinc subsistere, ac denique decrescere. Nam cùm fumi sulphurei halituum formâ crescere incipiant, debitisque matricibus excipiantur, vocantur Germ. *ein Wittrendes Metall*; cùm perfectum est genitum, vocant *einen stein*; cum verò denique suo Metallo successivè spoliatur, dicitur *ein ausWitterendes Metall*, ex quo omne Metallum halituum formâ absumptum; cujus matrix metallo suo spoliata lignum exsiccatum exactè refert.

Non autem aqueum est fluidum hoc aut fumosum, ex quo metalla generantur proximè, (nisi remotè tandem hoc ex aqua, ceu materia prima, oriri cum modernis, cum HELMONTII asseclis, dicere velimus,) sed, ut loquuntur Chymici ex ALBERTO MAGNO: *Prima materia Metallorum*, id est, semen Metallorum, *est humidum unctuosum subtile, quod est incorporatum Terrestri subtili fortiter commisto* (conf. BECHERUS *suppl.* 1. *pag.* 32.) seu est humiditas non madefaciens manus, adeoque nec propriè est humida seu terrea, sed viscosa ac mercurialis.

Materia autem hæc proxima, ex qua coagulantur Metalla, Veteribus ex Mercurio & Sulphure constare asserta fuit: quibus BASILIUS & PARACELSUS sal quoque addiderunt: non quod ista sint vulgaria corpora, quæ hoc nomine aliàs appellantur; sed per Mercurium intelligunt humiditatem metallorum radicalem, seu fluorem quendam viscosum, quæ abundat maximè in Saturno, vel etiam in Jove; unde facilis eorum ductilitas. Per sulphur nihil aliud hoc loco intelligitur, quàm substantia acido-pinguis, imprimis tamen acida, cogens & coagulans illud humidum in corpus; unde omne ferè metallum subdulcem aciditatem in recessu habere dicitur, adeo, ut Aurum & ipsum tali acido copioso gaudeat. Conf. HAUPTMANNUS *in scripto Coll. pag.* 87. Acidum namque metallicum temperatur à reliquis principiis componentibus, ne exerat suam acetositatem fortem, sed potius temperetur in subdulcem acrimoniam, & acetositatem perdat. Hæc duo, debitâ matrice saxeâ excepta, cum hęc ex parte arrepta quoque sal vocetur, in perfectum metallum abeunt: Adeoque Mercurius est alimentum seu materia, sulphur est fermentum digerens seu forma, & sal est commune utriusque receptaculum, in quo firmo nexu coeunt, & de quo plus minus in coaguli consortium rapiunt.

Mercurialis hæc substantia copiosè in Mercurio vulgi reperitur; unde hujus volatilitas, fluiditas, mobilitas, &c. oritur; sed quæ non pura existit, sed jam sulphure quodam minerali inquinata est; pariter ac sulphuris substantia in sulphure vulgari inest, ast volatilis adhuc, nec maturata debitè. Mercurius saltem est liquor metallicus, non metallum ipsum, seu est Amalgama naturale metallorum, ut rectè BECHERUS habet: convenit etiam omnibus metallis; hinc exinde amalgamata fiunt ad omnia metalla. Nam in omni Mercurio aliquid subest, vel de Saturno, vel Luna. Hinc sicut ex his duobus jam perfectis mineralibus, sulphure & Mercurio, arte fit corpus tertium quasi metallicum, v. g. in Cinnabari; ita ex his principiis puris, hoc est, à principio metallorum seminali exaltatis, humiditate Mercuriali & pinguedine sulphurea, debitâ matrice exceptis, fit corpus perfectè mixtum, metallum. Matrix ista in lapidibus vitrescibilibus uberiùs deprehenditur, indeque alcalino-terrea fixa est.

Aliis Chymicis Animæ, Spiritus & Corporis appellationes Sulphuri, Mercurio, & Sali, imponere consuetum est. Principiorum horum materialium non obscura, etiam in concretis jam & intimâ colliquatione ex Mineris suis extractis metallis, deprehendimus vestigia, imprimis in Marte, & Venere: v. g. *sulphur in Marte manifestum evadit in croco Martis cacbectico Zwelfferi*, *Mant. Spagyr. pag.* 337. sub cujus præparatione nitrum fusum, injectione Martis saturatum, successivè & ab hujus sulphure inflammatur & alcalisatur; non secus ac si sulphure communi hoc factum fuisset. Stannum utut Mercuriale videatur metallum, tamen cum duplo nitri mistum, in moderato igne tandem ingente flammâ cœruleâ detonat, & nitrum alcalisatum relinquit. *Mercurialis substantia* v. g. *in Saturno*, evidens est, qui immediatè *Mercurius vivus coagulatus* videtur: Unde etiam Saturno fuso, aliquandiu ab igne remoto, injectus Mercurius vivus promptè coagulatur ab illius effluviis in massam Saturni æmulam, etiam malleabilem. In sole & luna, ceu perfectissimè mistis metallis, & quorum principia intimè subacta, & confermentatione arctissimâ colligata sunt, minùs manifesta deprehendere possumus principiorum illorum vestigia; tamen facillima cum Mercurio vulgari sub amalgamatione sociabilitas, & mutua unio, facillima etiam à sulphure communi accenso horum alteratio & volatilisatio, radicalem inter hæc conspirationem persuadet. Matrices denique istæ saxeæ, in quibus metalla reperiuntur, Germ. *in Welchen die Metallen brechen*, omnes vitrescibiles sunt, tàm immediatè, quàm mediante addito alcali; unde scoriæ à metallorum fusione relictæ vitra tincta repræsentant.

Hæc si ad Instrumenta naturæ & artis mechanica applicemus, etiam in sulphure acidum pingue seu coagulans, in Mercurio verò Alcali, nempè suo acido nonnihil saturatum, pro habitaculo quasi inservit. Hinc ut à sensibilibus ordiar, in Marte & Venere, sulphureis metallis, acidi dominantis manifesta vestigia apparent ex rosione proprii corporis in rubiginem aut crocum Martis, vel æruginem, modò aeri humido expositum, vel tantillo aqueo actuatum fuerit. In Jove similiter copiosum est acidum; id quod probat calcinatio & fusio in igne cum antimonio; quoniam tunc exhalat flammam sulphuream: hoc sulphur si non separatur à Jovialibus medicamentis, habet vim catharticam per superiora & inferiora, propter præsentiam acidi. Imo ipsum aurum copioso constat acido; id quod probatur: quod si in aurum igne fusum & liquatum immittatur bacillus ferreus, & extrahatur ferrum, apparebit corrosum & in rubiginem transmutatum, non secus ac si in sulphur commune fusum fuisset injectum, in quo sulphuris acidum corrodit: ut inde facilè pateat, unde talis corrosio in auro? nempè ab ejus acido. Saturnus verò Mercurialis naturæ, adeòque alcalino principio volatili dives, quævis acida promptissimè absorbet, cumque iis in corpus salsum dulce coit. *Sulphur* quod attinet: hoc in toto regno minerali luxuriat, & *anima* quasi *metallica* appellatur; unde nulla minera, & nulla metallorum vena reperitur, cui non copiosissimum adhæreat sulphur; quod ideò PARACELSUS triplex statuit: minerale, quale est nostrum vulgare; embryonatum, quo, tanquam cortice nuces, metalla vestiuntur immediatè; & metallicum, quod metallorum substantiam constituit.

Hæc tria sulphura rectè solâ modificatione differre dicuntur: Minerale & embryonatum manifestè acida sunt, quod & sui deflagratione spirant: unde & de metallico, quoad acidum hoc, dubitandum non erit. *Mercurius* verò etiam vulgaris, qui quasi *spurius* aut *leprosus filius* est *Mercurii metallici*, adeòque in radice unus idemque, nihil aliud est, quàm alcali volatile, quippè omnes alcali proprietates possidet, ab acido sulphuris nondum penetratum & elaboratum. Et sicuti vulgò alcalia fixa ex acido sulphuris, & sale volatili plantarum producuntur, & notabilem fixitatem acquirunt; ita metallorum eodem ferè modo se habet genesis. Materia enim sulphurea acida cum alcali Mercuriali abit in metalla, idque longâ annorum serie transcolata per infinitos terræ poros: & Mercurium vivum cum alcali si quis ad punctum saturationis perfectè usque acido repetere sciret, tam fixum eum redderet, quàm aurum: quod & olim tentare aggressus est PARACELSUS, dum Aurum Horizontale præparavit. Hinc etiam Mercurius vivus à nullo alio, præterquam ab acidis, in textura alterari & coagulari solet, alcalibus nullum jus in eum obtinentibus, uti per mechanicam Chymicam patet: Conferatur. pluribus TACHENIUS *de Mercurio*, alcali metallicum repræsentante, *Hipp. Chym. cap.* 25. Hinc etiam *Mercuriale metallorum principium* de natura salium volatilium urinosorum esse asserit BECHERUS *Suppl.* 2. *pag.* 111. qualibus salibus & spiritibus urinosis metalla perfecta mirè emolliri, & longè fluidiora reddi, adeoque ad Mercurii vivi texturam disponi, idem ibidem curioso exemplo monstrat; adeò ut Mercuriale metallorum principium per alterum sulphureum, quasi alcali per acidum, in metallum coagmentari sic constet.

Atque ex hactenus jactis fundamentis facile est, & proprietates metallorum in genere & specie, eorumque differentias explicari. Proprietates metallorum sunt *Ponderositas*, *Malleabilitas* seu sub malleo *Ductilitas*, & *Fusibilitas*; quas inter primatum ducit ductilitas, omnibus & solis propriè dictis metallis competens. Quibus & suo modo Fixitas addenda. Proprietates hæ ab uno alteroque principio seorsim haud deducendæ: non considerentur hæ in concreto, quatenus ex principiorum materialium textura fluunt, ut ut respectu unius alteriusve principii radicaliter magis attributum quoddam metallo acidum conveniat.

Ductilitas ergò ex firmo sulphuris & Mercurii sibi mutuò sufficienter

sufficientium nexu, adeoque tenaci in concreti consistentia, originem ducit: hinc aurum maximè omnium ductile pondus habet ex Mercuriali imprimis principio: hinc quò plus Mercurii habent metalla, eò graviora; quò minus, eò leviora sunt. Propterea aurum omnium est ponderosissimum, & copiosissimum habet Mercurium, sufficienti sulphuri arctissimè sociatum; & quidem solum in Mercurio vivo submergitur, & propter suam compactionem minus est sonorum. Cætera omnia leviora sunt, & quæ Mercurio plus minùs supernatant, leviora sunt, multum Martis & Veneris, parum de Mercuriali principio obtinentia: levissimum est stannum ob sulphur volatile, nec benè cum Mercuriali substantia cohærentem, copiam, luna & saturnus ferè pondere coincidunt.

Ignescibilitas ex sulphureo principio oritur particulas igneas recipiente, & concentrante.

Fusibilitas à Mercuriali, cum salino probè unito, oritur principio: quò plus enim continent Mercurii, eò faciliùs funduntur; quò plus verò sulphuris, eò difficiliùs; hinc quò plus Mercurii iis additur, eò molliora & ad fusionem aptiora redduntur. Hinc metallorum per se habet differentia, quatenus *omnium materia est Mercurius*, cujus varia coctio, varia dat metalla. *Forma* eorum *miscens*, & Mercurium subigens seu coquens, est *sulphur*; unde pro hujus diversitate diversa corpora metallica in matricibus salinis & ipsis plus minus durioribus. Metalla enim quædam sunt *perfecta*, quædam *imperfecta*. *Perfectionis* nomine intelligo debitam coctionem seu maturationem, ut probè depurata & digesta ad fixitatem sint deducta, quæ in igne subsistunt, & non possunt consumi: sin metallum minus est maturatum, emergit non fixum & consumabile in igne, in quo potest facilè destrui: Unde quò purius, maturius & fixius est metallum, eò est nobilius; quò impurius, immaturius & minus perfectum, eò est minus fixum & ignobilius: Unde patet graduatio metallorum, quod aurum sit omnium perfectissimum, quoniam est fixissimum propter exactam mistionem, adeoque densissimum, gravissimum, maximèque ductile. Hinc ignis nunquam aliquid de auro absumit, minimèque scorias inesse efficit, propter duritiem: è contra reliqua omnia sunt impura & imperfecta; quoniam facilè linquantur. Proxima quidem à sole habetur luna, quod diu duret in igne; nihilominus tamen non ita diù atque sol, sed successu temporis etiam sui patitur jacturam; Mars contrà & reliqua facilè patiuntur alterationem & mutationem, in igne in scorias abeunt, & corroduntur. *Perfecta omnium* sunt *sol & luna*, ex sulphure fixo, potenti, puro &c. substantiâ Mercuriali purissimâ & perfectissimâ, fortiter & intimè concentratis, & exactè ac æqualiter subactis, genita in terra seu sale admodum fixo & puro, sed pauco: magis tamen hæc soli, minus lunæ, conveniunt; Unde & ex firma talium unione fixum adeo concretum, & cum quo ceteræ proprietates metallicæ imprimis conveniunt, emergit.

Fixitas præ aliis metallis his propria, absoluta quidem in auro, respectiva est in argento: idquod experimentum GASTONIS CLAVEI *in Apolog.* ostendit, qui auri & argenti ana ℥j. per duorum mensium spatium in fornace vitraria in continuo igne & fluore asservavit, & hinc auro nil, argento verò duodecimam ponderis sui jacturam decessisse, observavit.

Imperfectiora & immatura metalla sunt *Mars, Venus, Saturnus*, & *Jupiter*; & hæc iterum sunt duplicia: vel duriora, vel mollia. Differentia est ratione sulphuris & Mercurii. *Mollia, Saturnus* & *Jupiter* sunt, quæ facilè funduntur ac fluunt in igne, & postmodum ob deficiens sulphur demum ignem concipiunt, & candescunt: id quod ex prædominante principio Mercuriali cum sale plus minus obtinent, pauciore verò minusque fixo sulphure. Nam utut Jupiter sulphureum sit subjectum, volatile tamen adeo ejus sulphur, & minus ceteris unitum seu confermentatum existit, ut facilem fluxum impedire nequeat; utut propter hanc rationem in fluxu proprium corpus insigniter alteret. Econtrà duriora sunt ea, quæ difficulter funduntur in igne, sed potius candescunt, ex sulphure forti & pauco Mercurio cum salino principio copiosiore, ut Mars & Venus.

In radice ergò & essentia omninò inter se conveniunt metalla, maturitate verò aliisque accidentibus saltem differunt, quæ ex principiorum componentium puritate & bonitate, horumque variè proportionatâ miscelâ originem ducunt; unde & mutuò transmutabilia existunt: vid. HELVETIUS *de Vitulo aureo*, & MORHOFF *in Epist. de transmut. Metallorum*: qui MORHOFF non est Physicus aut Medicus, sed Doct. Juris, vir eruditus, & multiplicis tùm eruditionis tùm lectionis: quædam tamen habet in hoc tractatu, quę impingunt in Experimenta & rationes chymicas.

In Transmutationis negotio primatum tenet sulphur; hinc sulphur subjectum est quasi transmutationis, suscipiens sulphur seu Tincturam. Ex. gratiâ ipsa luna si figitur, evadit aurum album; cui si superindatur tinctura seu sulphur auri, erit perfectum aurum, modò sulphur hoc habeat debitam maturitatem & perfectionem: sicuti è contrà auro potest detrahi rubedo, ut corpus remaneat album, quod *luna fixa* appellatur: & hæc non ampliùs solvi potest aquâ Regiâ, sed tantùm aquâ forti: spiritus nitri bezoardicus extrahit auro rubedinem, & remanet *luna fixa*, quæ denuò tingi, & aurum antiquum haberi potest. Et propter hanc convenientiam in radice est, quod metalla nunquam aut rarissimè sola inveniantur in suis mineris & venis metallicis, quin ut plurimum aliquot metalla sociata deprehendantur, ita, ut ubi sunt aurifodinæ, ibi semper reperitur Jupiter vel aliud metallum; ubi fodinæ argenti, ibi Venus reperitur, propter cognationem metallorum, & sic porrò. Quinimò pauca sunt metalla, quæ non de alio etiam plus minus participent, e. gr. rarissimus est Saturnus, qui de luna non participet in suo corpore, & quàm difficulter separari potest luna à Venere, pertinaciter corpori lunari inhærente: Aurum ipsum lunæ particulas ordinariè continere solet, post solutionem ejus cum aqua regis residuas: Venus rara est, quæ non de sole aliquantum participet: Mars ratione sui sulphuris convenit cum sole; unde particulares Tincturę cum sulphure Martis parantur; quod arguit convenientiam metallorum & vicinitatem: & huc facit imprimis curiosa ista *terra Borrichii de Ortu & Progr. Chym. pag.* 149. quæ aeri exposita, & pluviâ irrorata, varia metalla ac mineralia successivè genuit.

Ut autem diversimodè mista ex mineris eruuntur metalla, ita etiam hæc ipsa non pura, & omnibus numeris absoluta, id est Germ. *gediegen*, nisi rarissimè, in mineris suis observantur. Unde priùs ignis vi per modum liquefactionis ex mineris suis elicienda sunt. Nociva autem admodum sunt metallis adjuncta ista sulphurea mineralia, seu sulphur commune, arsenicum, antimonium, cobaltum, &c. Dum enim igne fusionis hæc sulphura, quatenus adhuc volatilia, deflagrant, acidum eorum volatile rodit junctum metallum, & hoc secum partim unà volatilisatum in auras abripit, quod vocant Germ. *Rauben*, ut, præter experientiam quotidianam in furnis fusorijs, de quibus vid. *Erker in libro probatorio*, manifestâ mechanicâ Chymicâ demonstrat TACHENIUS *Hipp. Chym. cap.* 8. partim etiam acidi talis sulphuris adhæsione minus liquefactile & fluxile metallum redditur, vocant Germ. *sprode*. Ut ergò fusilitas promoveatur, & acida talia sulphurea coerceantur vel separentur, mineris fundendis alcalia, v. g. Germ. *Der schnelle Fluss*, item saturnina, verbi gratiâ lithargyrium, de quibus vid. *Ercker in libro Probatorio pag.* 84. adduntur, ut horum medio metalla pura per fusionem haberi queant. Artificium enim liquandi metalla in eo consistit, ut semper aliquid additamenti ipsis addatur, quod sulphur illud arsenicale figat, acidumque ejus infringat & absorbeat, ne ita in metalla agere, aut unà secum in auras rapere queat. Alcalia scilicet dissolvunt sulphur, eorumque acida absorbent; hinc reducunt metalla, & fusilia eadem reddunt.

Saturnus etiam omne acidum sulphureum promptè absorbet, & hâc ratione etiam ignobiliora metalla, Martem, Venerem, & Jovem, ob sulphuris horum acidi cruditatem, imbibendo quasi, à nobilioribus metallis, Sole & Luna, separat: quibus paucis fundamentis totum artificium, tàm artis metallorum & mineralium fusoriæ, quàm artis probatoriæ, Solis & Lunæ in capella, Germanis *in der Probier Scheibe*, unicè innititur: de quibus vid. *Erckers Aula subterran. pag.* 32. 55. 56. *&* 65. Saturnus enim copioso abundans alcali volatili, cupit saturari: cùm autem sint inepta & nimis compacta corpora Sol & Luna, absorbet metalla dicta ignobiliora, ceu magis terrestria, quibus absorptis Solem & Lunam in fundo testæ probatoriæ relinquit intacta. Ut nihil dicam de magis sulphureis mineris metallicis, quibus aliquali *Tostione*, Germ. *durch das Rösten*, sulphur phlogiston priùs separandum venit, antequam furnis fusorijs immittantur: conf. *Martinus Lohneyssen vom BergWerck pag.* 76. quia aliàs in furnis fusoriis si sulphur cum minera maneret, de minera corroderet, & absumeret.

Generantur autem metalla omnia ex proprio suo semine, in conveniente materia se multiplicante. *Seminale principium est præsertim in sulphure*, quod uti vocant Maris, Calidi Innati, Acidi, &c. obtinet; Mercurius verò fœminæ, humidi radicalis, alcali &c. & perficiuntur in debitis excepta matricibus. Sed pro ut potentius est sulphur, & prout purior ipsi occurrit Mercurius & defæcatius est receptaculum, eò nobiliora aut ignobiliora generantur metalla, eòque diversa, vel metallica corpora perfectis corporibus plus minus affinia, ut Antimonium, Zincum, Cobaltum, Bismuthum; adeoque rectè ex una radice surgere, & singulari virtute convenire dicuntur metalla.

Materia illa proxima, à principio seminali sui multiplicativo alterata, nunc fumi vel vaporis specie hinc inde oberrans, matricibus petrosis appropriatis se insinuat, nunc liquidæ substantiæ, Germ. *Gubr* dictæ, formâ, nunc aliâ facie deprehenditur: *seminale* verò *metallorum principium* sulphureum à prima creatione terræ visceribus concreditum non cessat appropriatam materiam (sive illa aqua fuerit simplex, sive eadem plùs minus alterata) ad Mercurialem liquiditatem disponere, & in eadem se multiplicare.

Conservatur vis ista seminalis Universi spiritu, qui uti omnibus seminibus se applicat, & ejus beneficio per inspirationem vivunt animalia, & eodem cum pluviis, rore, alioque vehiculo communicato vegetantur vegetabilia, ita ejus ope certis terris, & mineris copiosiùs ob meliorem sui receptionem se insinuans, vim seminalem, mineralem & metallicam, fovet, augmentat, & in vigore suo conservat.

Patet exinde quod astra ad metallorum generationem nihil faciant:

faciant: causæ enim universales cum hæc sint, speciali modo ad metalla generanda conspirare, aut unicuique planetæ suum metallum subesse, ejusque influxu generari & foveri, dici non poterit. Antiqui quidem Philosophi, qui magnifecerunt harmoniam microcosmi cum macrocosmo mutuam, considerantes septem planetas principales, & considerantes septem metalla, annumerando simul Mercurium, eadem ad corpus humanum, ejusque partes principaliores, iisdem nominibus insigniendo, applicarunt; unde factum, quod eo nomine, quo sunt insignita metalla, & septem planetæ, etiam fuerint insignitæ partes corporis humani, quas dixerunt planetas microcosmi: ita ut & Sol macrocosmi habeat correspondentiam cum auro & cum corde; Luna cum argento, & cerebro, & sic porrò. Sed asserti talis evidens fundamentum est nullum; quia potiùs existimandum, quod sicut ad animalium & vegetabilium faciliorem statum sub influxu (qualiscunque demum sit) promovendum multùm conferunt, id quod vel tempestatum anniversaria mutatio ostendit; ita & suo modo ad metallorum genesin concurrere, & promovere eandem, haud equidem dubitarem: Sed generalis seu universalis saltem est hic concursus, specialem dispositionem seminalem, & ordinationem omnino præsupponens; utut ipsa ex antiquitate etiam constet planetarum nomina metallis fuisse attributa; de quo vid. BORRICHIUS *de Ortu & Progr. Chym. pag.* 29. unde & signa eadem metalla & planetæ habent, quæ tamen metallorum signatura ex alio fundamento derivanda venit.

Signa metallorum quod attinet: auro circulus cum puncto centrali, ceu perfectissimo, absolutissima tribuitur figura: argento verò ejus dimidium venit: Metalla rubea ac aurea ab auro signum mutuantur, sine centrali tamen puncto; ac pro diversitate imperfectionis suæ, diverso etiam in loco signum ejus exhibent; sed imperfectionis nota signo crucis reliquis metallis appenditur. Antimonium omnium difficilimè ab imperfectione immune reddi potest, hinc in fronte crucem gerit. Omnium facillimum venus est, adeoque quasi caudæ loco signum hoc habet: medio modo se habet ferè Mars, unde à latere simili ferè signo notatur. Ab argento reliqua alba metalla sua signa habent, ut Saturnus & Jupiter: Mercurius verò seu argentum vivum, cùm radicem solis & lunæ constituat, expressum est solis lunæque signis combinatis; propter adhærens tamen sulphur impurum, nec metallicum fixum, crucem etiam gerit.

Considerandus jam venit *metallorum Usus*, qui triplex: *Medicus*, vel *Chymicus*, vel *Mechanicus*.

Mechanicus est in quamplurimis artibus manualibus, v. g. aurifabraria, ferri & cuprifabraria.

Usus Chymicus est perficere metalla, & ex ignobilioribus nobiliora per transmutationem facere: Unde patet, qui habendum sit de mysterio lapidis Philosophici? an detur tale remedium, ut ita dicam, quod imperfectum aurum seu metallum non tantùm, sed etiam ipsum Mercurium, permutare valeat in perfectum aurum? stante hypothesi, quod metalla non differant nisi gradu fixitatis, & mollitiei, maturitatis & immaturitatis, &c. facilè potest judicari, quod beneficio perfectionis seminii metallici metalla immatura possint maturari &c.; de quo ipso, cùm non sit hujus loci, videatur præ cæteris perspicuus BECHERUS *in sup. pl.* 2. item PHILALETHA *in Introitu aperto ad Regis Palatium*. Nam *lapis Philosophicus* est tantum Medicina ad metalla aperienda, eorumque imperfectionem morbosam corrigendam, & eadem ad perfectionis sanitatem deducenda: unde falsum est, quod debeat etiam ad conservandum corpus adhiberi: & rectè dicit HELMONTIUS, quod Possessores hujus lapidis non sint longævi, quod & inductione exemplorum probari posset, sicut etiam PARACELSUS anno 45. ætatis est mortuus.

Fundamentum totius tincturæ Philosophicæ est principium Merc uriale purum, vel humida vel sicca in forma, sulphure metallico fixo, ex se adhuc indeterminato, probè digesto, probè impraegnandum, & plusquam saturandum. His pro fermento determinante aurum addendum, ut fiat aurum plusquàm perfectum. Ex his paratus pulvis omnibus metallis facillimè ob fluxum Mercurialem copiosum se insinuat, & ratione adjuncti sulphuris tingentis eorum Mercurium perficit, & in aurum figit.

Fundamentales operationes sunt: *Solve & coagula*. Nempè Mercuriali principio subjecta, sulphure solari impraegnata, sunt subigenda, & horum sulphur cum illis coagulatione mediante concentrandum. Unde autem sulphur istud sumatur? quæritur. Quidam in auro quærunt. Verùm aurum vulgi est caput mortuum, & aurum non potest plus tingere, quàm habet sulphur ex corpore extracto. Operatio fit in Athanore seu furno Philosophico igne digestionis, qui non nimis, sed successivè intendendus: vas seu phiola vocatur Ovum Philosophicum.

Quoad *Medicum usum*, imprimis considerandum venit: *an etiam metalla cruda integra & nativa, sub sua constitutione & in pulverem tantùm redacta, in corpore nostro aliquid valeant? an* verò saltem *præparata*, & *in certam medicamenti consistentiam redacta*? Quod attinet prius, ac cruda; de his nullus dubitat. Et certum quidem est, quod effectum activum metallis, eorumque particulis integris tribuere non possimus; tam clausa enim & solida sunt corpora, ut nullam nobiscum communicationem habere queant, sed tantùm pulveris instar, aut arenarum, sicut fuerunt ingesta, denuò prodeant. Nullam dico attribui posse metallis activitatem in corpus; exinde tamen non sequitur, quod assumpta nullam habeant utilitatem: quin acidi sapores in contentis corporis nostri, præsertim primarum viarum, erodendo eadem, absorpti, per accidens, & privativum metallorum integrorum usum nobis insinuant. Passivè ergò conveniunt, quatenus patiantur: sic v. g. Mars crudus vel pulverisatus, licèt assumatur, activè nullam vim exeret in corpore, & frustrà quasi erit assumptus; nihilominus omnia acida, præsertim in primis viis, absorbet & perfectè edulcorat, atque hâc ratione absorpta, per intestina secum abripiendo, morborum chronicorum accidentarius existit domitor. In specie limatura Martis cruda in affectibus hypochondriacis convenit: ratio: quia acidum in corpore rodit Martem, quâ corrosione acrimoniam suam perdit, & sic usum medicum utique præstat, sed passivum. De Venere pariter notum est, quod arrosa ab acido primarum viarum, in vitriolum degeneret, cujus consequens est stomachi subversio seu vomitus. Lunam pulveretenus assumptam memoriæ conciliasse robur asserit TACHENIUS *Hipp. Chym.* Aurum ab acido Melancholico hypochondriacorum cum horum fructu absumitur, teste MOEGLINO *de Vellere aur. pag.* 9. Saturnus hypochondriacis parili cum fructu propinatur: Unde quando Saturnus & remedia ex plumbo dicuntur quarta Columna Chirurgiæ, quatenus applicata curant ulcera cancrosa, & similia, illud non fit activè, sed quatenus Saturnus omnia acida absorbet, & perfectè edulcorat; & hoc remedium dum corroditur in corpore, absorbendo acida, prodest. Sic Jovis limaturam quidam hystericis mulieribus pro acido specifico, nervis adeò infenso, propinare assolent. Idem omnino de metallis candefactis in aqua simplici extinctis asserendum, quorum ramenta aquæ communicata, plus minus vitriolica, dictâ ex ratione privativè corpori conducunt. De aqua ferrariorum Martiali res nota est: aqua extinctionis Saturni alvum laxat: vinum in quo pluries aurum extinctum, icterum curat, teste POTERIO *Pharm. spagyr.* ubi *de Decoctis*: eadem aqua extinctionis auri paronychiæ dolorem sedat; vid. M. A. N. C. *Anno* 4. *Append. pag.* 41. Pluribus aquæ ejusmodi auratæ usum deprædicantem, BURRHUM videbitis in Epist. ad BARTHOLINUM *de Oculis pag.* 44.

Quæritur ulteriùs: *An & aurum hac* ratione *in corpore sit dissolubile?* Affirmatur; cùm & de luna notum sit, quod dissolvatur in corpore. Hinc rasura solis pulverisata confert in passione hysterica mulierum pro destruendo acido vitioso. Ideòque, ut dixi, metalla agunt passivè, non activè, sed ipsa alterantur, adeòque usum passivum habent in usu medico, & sub hac ratione conveniunt destruendo acidum.

Interim si quæratur; *an nullam prorsus efficaciam habeant metalla in corpore humano*? Respondetur, aliquo, sed sano sensu, concedi quoque posse. Vis autem hæc medicinalis activa consistit in sulphure eorum, foras tamen extracto: Omnia ergo sulphura metallorum extracta & fixata hac ratione conveniunt: Hæc enim vim habent anodynam, seu, ut HELMONTIUS loquitur, vi furorem Archei sedativâ pollent & gaudent: exempli loco sit sulphur antimonii, sulphur vitrioli anodynum, &c. Unumquodque autem sulphur metallicum, specialem habet naturam, ex natura metalli sui radicalis, & simili vi anodynâ gaudet, uti dicit ZWELFFERUS. Sulphur certè solare præ aliis vi sanguinis purificativâ gaudet; adeòque certum est, quod in intimis metallorum sint varia inclusa, quæ habent activitatem; sed quoniam latent sub duro cortice, & sulphura absque adhesione aliarum particularum commodè extrahi nequeunt, propterea variæ institutæ sunt Præparationes, de quibus adhuc paucis agendum.

Præparata quod attinet *Metallorum*, eorumque usum, imprimis circa sulphura metallorum fixa, horum extractiones & inde paratas tincturas, occupati sunt Chymici; inescati nempè effatis HELMONTII *Tr. In Herbis, Verbis & Lapidibus*, & POLEMANNI *de Sulphure Philosophico*, inter alia sulphura, vitrioli Veneris extollentes, propter vim anodynam, ceu Archei ferocientis sedativum, quo, cessante ejus orgasmo præternaturales, ejusque robore vitali sic restaurato, ipse vegetior insurgat in causas occasionales morborum: quibus & alii vim temperativam horum sulphurum cujusvis acris in corpore, adeòque præter naturam effervescentias contentorum & irritationes solidarum partium excitantis, adducunt: adeò ut sulphura hujusmodi metallica genuinas Panaceas omninò constituant, sive ex corporibus metallicis perfectis, sive imperfectis, istis tamen cognatis, v. g. antimonio, &c. eliciantur. Pertinent adeòque huc omnes tincturæ solares, aura potabilia, tincturę lunares, Essentię vitrioli Veneris. Pro hoc ergò, tincturas & sulphura metallorum præparandi scopo, metalla in primam suam materiam reducere, hinc sulphura tingentia eorum separare, & ita metallica corpora, ob animæ nempè separationem, destruere gestiunt: sed de hoc ipso accuratiores & circumspectiores Chymici omninò dubitant, pernegantes, ex metallis solutionem partium essentialium, vel

vel minimam fieri posse, ob homogeneam eorum & fortissimam mixtionem, utut per addita multipliciter larvari possint, sub integritate tamen essentiæ: adeo sicut per se metallum quoddam potabile reddere impossibile sit, sed additum liquidum requiratur, quo redigatur in consistentiam liquidam, ut sub forma liquida possit assumi; ita etiam sulphura, olea & Tincturas ex metallis elicere, æquè impossibile esse, utut per præparationum varietatem, additorum multiplicitatem, & varias hinc omnes factas combinationes, nunc sulphuris, olei, tincturæ, &c. faciem præferre queant, ipso metallo integro seu corporaliter adhuc præsente. Non enim sufficit, ut metalla sint potabilia, & sub forma liquida assumi queant; sed ita debent esse potabilia, ut non amplius possint reduci in antiquam consistentiam metallicam: simul atque enim metallicum medicamentum denuò potest reduci in antiquum suum corpus durum & metallicum, non est perfecta potabilis medicina ex metallo, sed est solùm solutio corporis homogenei in partes homogeneas; sin verò ita resolvantur, ut tota compages resolvatur, & vinculum mistionis omninò dissolvatur, ut non ampliùs possit reduci, metallum est verè potabile & stupendos edit effectus.

Redactis ita in liquorem & factis potabilibus metallis, qua ratione virtutes in apricum extrahantur, quæstio est: *quomodo operentur, an per virtutem irradiantem & spiritualem? an per contactum corporalem?* Quoad prius, cùm operentur sub minutissima dosi, hactenus à plurimis conclusum fuit, quod operentur per virtutem irradiantem, quâ dirigant Archeum, excitent, & certas ac amicabiles ideas exsuscitent; quæ si fuerint labefactatæ, ut operentur ad conservandam ac restituendam sanitatem in corpore humano ad earum ductum. Et quidem hanc *vim radiativam metallorum consistere in eorum sulphure*, seu pinguedine sulphurea metallorum, dicunt, inter quæ sulphura metallica *primatum obtinet sulphur Veneris*, quod ex vitriolo Veneris elicitur, & ab HELMONTIO *Primum Ens Veneris* vocatur. Verùm cùm remedia jam dicta mediatè, & per accidens succos in primis viis alterando, effectus suos edant, nec vitrum antimonii vino infusum, & Mercurius vivus in aqua coctus, sine ponderis imminutione remanentes, ab alteratione immunes sint, quin acidum vini vel aceti à vitro vel regulo antimonii subtilissima ramenta abradat, & horum poris se insinuando horum defectum suppleat; omninò hæc per contactum corporalem, radices fixiores morborum chronicorum corrigendo, operabuntur; adeoque ad vim radiativam confugere, opus non erit; præsertim cùm ex metallis parata remedia sub sulphurum vel Tincturarum forma nobis cognita, subtiles saltem solutiones coloratæ sint, & corrosiones corporis totius in partes minutissimas, unde etiam facilè reduci possunt. Sanè possunt inflammabilia reddi metalla; possunt volatilisari, ut facilè auras petant; possunt ita apparenter destrui, ut etiam modis hactenùs cognitis reduci nequeant; integrum metallum interim in minima sui redactum, & aliorum plus minus homogeneorum additione variè incrustatum, semper præsens erit. Venus cum sale ammoniaco facilè inflammabilis reddi potest; quod & BOYLE observavit *in Hist. Fluid. & Firm. pag.* 32. & *Chym. scept. pag.* 3.; ipsa tamen Venus in suo concreto manet integra. Quis autem non existimaret, Veneris sic sulphur haberi, aut corpus ejus saltem totum destructum esse? Luna cornea adeò volatilis vel ita destructa est in suo concreto, ut nullâ ratione, nisi per Saturnum, & hoc etiam cum damno, reduci queat. Quis ergò corpus lunæ ex parte destructum esse non existimet? nisi integram reductionem modò docuisset KUNKELIUS *in Obs. Lit. G. No.* 5.? Curiosum est experimentum, quod habet BECHERUS *suppl.* 2. *pag.* 29. ubi mediante lunâ certo modo præparatâ Mercurii vivi partem in lunam transmutat. Quis hic non asserat, lunæ animam seu sulphur tingens extractum esse, quod in Mercurio verò corpus induat, & hunc ita in lunam animet? cùm tamen ex processu clarum sit, integram semper lunam absque ejus vel corporis destructione, vel partis cujusdam essentialis separatione, permansisse. Porrò aurum non solvitur in spiritu salis communis, etiam rectificatissimo; sin verò auro etiam purissimo absque ulla lunæ miscela affundatur spiritus vel oleum salis, pedetentim leni digestionis igne spiritus elegantem citrino-aureum acquirit colorem, quem ex auro extraxit, ipso auro in fundo albo remanente. Aurum hoc album nullo modo nec borrace, nec alcalibus in aurum reducibile est. Quis ergò non dicat, auro suum sulphur extractum esse? nisi antimonium fraudem ostenderet, cum quo autum fusum denuò in pristinum splendorem redit; quem utut ab antimonio superaddi auro asserunt, nondum tamen hoc probatum est. Et res hæc altiores est indaginis: nempè spiritus salis aliquantulum ex superficialibus auri particulis quasi abrasit; quod patet, quia Mercurio ipsi injectus auri particulas in fundum præcipitat; simul verò etiam particulæ quædam spiritus salis auro in fundo tantum pertinaciter adhæserunt, ut nullâ ferè arte separabiles sint, hinc apparens albus ille corporis color. Idem aurum, dum in auro fulminante occursu nitri, non secus ac sulphur in pulvere pyrio, sclopetat, hoc sulphuris sui ratione facere à quibusdam asseritur; quod quàm falsum sit, ex eo apparet, quod aurum istud in forma pulveris purpurei post fulminationem remanere soleat: ideo verum est Philosophorum effatum: *Facilius est, aurum construere, quàm destruere.* Cupri quodnam genuinum sulphur, aut quæ conveniens ejus Tinctura, quatenus cum aqua forti cœruleum, cum spiritu urinæ cyaneum, cum spiritu salis viridem colorem exhibet? Quot præparationes Tincturarum ex luna hactenus innotuerunt, plures earum etiam pro genuinis fuerunt habitæ cœruleo colore conspicuæ; quas omnes tamen falsas fuisse, & Veneris tantùm in luna hospitantis fructus, modernorum probat industria. Sanè cùm colores metallorum (qui sulphuris petuntur effectus, & cujus extractione fiant Tincturæ similis coloris, remanente corpore Mercuriali albo) oriantur proximè à specifica uniuscujusque metalli textura, quæ ex sulphure & Mercurio firmissimè in sale confermentatis & ita ab his omnibus junctis dependet, facilè apparet, quod fundamento ruinoso ista sulphuris tingentis extractio & metalli potabilis præparatio innitatur, ita ut videantur non tàm extractiones, quàm per addita in sulphur & Tincturas mutationes.

Equidem contrarium asserunt non ineptè, viis hactenus cognitis modisque ordinariis, nudis nempè solutionibus per menstrua vulgaria corrosiva, fieri hoc neutiquam per se concedunt; sed subliniora requiri media, nempè vel secundùm SENDIVOGIUM *in Novo Lum.* quærendam & comparandam talem humiditatem, quæ aurum sine violentia seu strepitu solvit, imò ita suaviter & naturaliter, sicut glacies aquæ calidæ beneficio liquescit, vel secundùm HELMONTIUM investigandum est universale illud menstruum liquor alcahest, de quo idem dicit, Aurum radicaliter in partes heterogeneas, sal scilicet, sulphur, & Mercurium, per se sequestrari se non pati, nisi per unicum liquorem constructivum; quo ipso hunc innuit. Sed quamdiu nobis deficit talis liquor, haud nisi adeptis concessus, nec judicare de Præparatis ejusmodi remediis metallicis, nec an reverà illius ope essentialis partium fiat separatio, aut externi saltem sulphuris extractio, affirmare possumus: utut & hoc in puncto strenuè se illis opponat BECHERUS *Phys. subterran. pag.* 483. *seqq.*

Sublimior ergò requiritur metallorum Præparatio; omnes autem solutiones vulgares sunt corrosiones superficiales corporis totius in partes minutissimas, unde etiam facilè possunt reduci ita corrosa metalla. Est enim *solutio* vel *superficialis*, vel *radicalis*. & ratione modi vel *violenta* vel *amica*. *Superficialis* est, quando saltem integrum corpus metallicum in suas minutissimas particulas dissolvitur, quæ sunt ejusdem naturæ cum toto. *Radicalis*, quando concretum in sua natura & radice resolvitur, ita ut ad eorum principia descendamus: v. g. ut sulphur Mercuriale à suo principio terreo-salino separetur. *Solutio* autem *violenta* est, quæ fit per menstrua corrosiva acida, quæ cum impetu & strepitu totum concrementum metallicum corrodunt & alterant, quæ nonnunquam est destructiva. *Amica* denique est, quando citra talia menstrua, & sine corrosione insigni, metallum injectum blandè dissolvitur & liquescit, quemadmodum glacies in aqua tepida. Genuinæ ergò solutiones pro parandis sulphuribus metallorum debent esse radicales, amicæ, & naturæ metallicæ convenientes; sic enim aperiuntur metalla, & eorum sulphur extravertitur, ut postmodum ex his possit fieri Extractio sulphuris.

Quod de sulphuribus metallicis, & hinc paratis tincturis liquidis, hactenus dictum, idem de *salibus ex metallicis asserendum*; *genuina talia hactenus parata fuisse nulla*, utut ex additorum ratione, præsertim menstruorum, corpora saliformia, in quibus tamen vis metallorum minimè delituit, producta fuerint: verbi gratiâ ex metallis sal fixum à se paratum refert KUNKELIUS *P.* 1. *Obs. Lit. R. No.* 3. *P.* 2. *pag.* 168. quod Mercurium in lunam transmutavit: quæ vis transmutatoria nunc ostendit, non genuinum aut propriè dictum sal fuisse, sed de integra metalli natura, scilicet de ejus sulphure, simul participasse. Utut autem reductio metallorum in primam materiam, ac sulphuris ac Tincturæ hujus medio præparatio, sit ardua; tamen etiam absque tali reductione utilia medicamenta, eaque varia ex metallis fieri possunt anodyna & analeptica, plus minus polychresta, quæ & ipsa more hactenus recepto sulphura & Tincturæ, scilicet latiori sensu secundùm hactenus dicta, vocari possunt. Non secus enim ac cinnabaris nativa vel antimonii optima sunt remedia, defectui sulphuris antimonialis fixi, ejusque Tincturæ elegantioris à BASILIO VALENTINO descriptæ, suo modo substituenda; ita etiam de aliis præparationibus metallicis hoc ipsum affirmandum.

Observandum autem: hîc duplices esse remediorum hujusmodi operandi rationes; dum quædam vi propriâ operentur, quædam ex textura nova, quæ cum aliis sub præparatione additis emergit, alienas novas potentias acquirunt; quâ ratione v. g. Mercurius vivus assumptus brevi innoxius transit, qui per sublimationem acidis combinatus corrosivus ac venenosus evadit. Sub his metallorum præparationibus, ut utilia medicamenta ex iis sub sulphurum vel Tincturarum forma eliciamus, quæ tanquam subtiles

saltem

saltem & plus minus artificiosæ ac coloratæ solutiones erunt, opera danda, ut ita præparentur metallica corpora, quo textura eorum in minimas ita alteretur, ut quasi non nihil aperiatur, atque substantia eorum sulphurea quasi extravertatur, quæ aliàs in concreto intimè clausa delitescit. Rem totam ut exemplo intelligibilem reddam, consideremus Mercurium vivum: Hic per se præcipitatus sulphur suum externum (de quo conf. *Hipp. Chymicus* TACHENII *cap.* 24.) extravertit, & hujus medio mutat texturam, ac pulvis rubicundus evadit texturæ fixioris, virtutis diaphoreticæ, & hinc febrifugæ, utut in majori dosi & repetito usu etiam salivatorius sit; illæ tamen virtutes in eodem vivo non deprehenduntur: tamen facilè iterum reducibilis est in antiquum Mercurium vivum, in quo istud sulphur quasi obrutum delitescit, & qui aliàs etiam proprietates obtinet. Vel sicut Regulus antimonii cum acidis tractatus dat Mercurium vitæ emeticum, cum alcalibus verò salibus fusus abit in substantiam similem scoriis reguli, quatenus in hac præparatione sulphurea ejus substantia, mutato magis minimorum situ, extraposita est, quæ in regulo aliàs intus quasi delitescit, unde etiam ex hoc ipso ita præparato, sulphure reguli antimonii vulgò dicto, per reductionem idem regulus denuò acquiri potest, in quo sulphur illud denuò intus occludatur, ex quo tamen antea extraverso cum spiritu vini non concinna Tinctura pro usu medico analeptico diaphoretica fieri potuit, qualem ex ipso regulo obtinere non possumus.

Pro his ergò & similibus elegantioribus metallorum Præparationibus præliminaris corporis metallici in minutiores sui particulas requiritur reclusio seu solutio; actio quę duabus saltem fieri potest modis: per *acida* nempè, & per *Mercurium*: quibus & tertius, si placet, addi potest: *Tritus*.

Per *acida* fiunt ordinariò solutiones, sive viâ siccâ, sive humidâ fiant. Viâ siccâ solvit metalla acidum ignis fundendo, seu liquefaciendo, item acidum salinum aut sulphuris, sub cementatione metallis additum, item volatilisatio cum sale ammoniaco. Viâ verò humidâ solvunt liquores acidi non sine strepitu & effervescentia plus minus, tàm minerales, quàm vegetabiles. Inter illos aqua fortis & aqua regia primatum ducunt: inter hos verò acetum; quibus addi possunt menstrua ex rore & pluvia præparata, nisi & hæc ad acida mineralia suo modo referre velimus, cùm non nisi sub forma salis communis nitrosi operari soleant; ac perinde est, sive immergantur metalla menstruo, sive hujus halitui & corpori saltem exponantur: Sed hac ratione sulphur nunquam purum extrahitur. Solutio enim hæc est saltem superficialis totius, & in partes minutissimas corrosio; unde facilè etiam metalla ita corrosa reduci possunt.

Reductio hæc metallorum in antiquum corpus consistit in particularum acidarum menstrui corrosivi à partibus metallicis separatione, sive fiat per simplicem in igne excandescentiam, sive fiat per adjuncta simul salia alcalia, volatilia, fixa, inter quæ eminet Borrax Venetus, & hinc sal tartari, sal volatile fuliginis &c., quibus mediantibus propter acidi, metallo adhærentis, factam absorptionem metalla à compedibus corrosivi acidi dimittuntur, & per levem fusionem in crucibulo in antiquum suum corpus reducuntur: vid. in specie ERCKER *in Aula subterran. pag.* 164.

Mercurius solvit metalla amalgamando, eaque sola, nulla alia mineralia, nisi ad metallorum naturam plus minus accedant, uti est v. g. regulus antimonii. Ratio est: quod in radice cum illis conspiret, cum & illa de principio Mercuriali, quale in Mercurio vivo, sed jam inquinato, abundat, participant: Unde facilè hic illorum concretum ingredi, eaque penetrare, & in minima sui discerpere valet: idque eò promptiùs ac faciliùs, quò plus de hoc ipso participant, ut Sol, Luna, & Saturnus; difficiliùs verò & tardiùs illa, quæ minus de eo participant, ut Venus, Mars, & Antimonium. Venus quidem difficulter; Mars verò & antimonium per se ob Mercurii paucitatem, sulphuris verò respectivam abundantiam & cruditatem, minimè cum Mercurio amalgamabilia sunt: Hinc etiam calces metallorum, v. g. aurum fulminans, luna cornea, &c. cum Mercurio difficillimè amalgamabilia existunt, ob sulphur acidum menstruorum solventium, pertinaciùs ipsis adhærens. Modum amalgamationis describit ZWELFFERUS *Mant. spagyrica pag.* 320 Fundamentum verò amalgamationis, ostendit BECHERUS *Phys. subterran. l.* 1. *pag.* 445. & *suppl.* 2. *pag.* 3 Metallorum hæcce per amalgamationem solutio saltem in minimas sui particulas discerpit metallum: nam post Mercurii separationem pulvis seu calx relicta per se facilè in metallum reducibilis est. Separatio autem Mercurii optimè fit per retortam, amalgama blandè destillando, & ita Mercurium vivum denuò acquirendo: conf. de hac Mercurii, atque etiam metallorum post amalgamationem reductione, ERCKER *pag* 199. *Tract. superius citato*. Alcalia ergo in metalla nil operantur, sed acida & Mercurius, ni huic ad solvens alcalinum non ineptè referre velimus, qui ut in metallo constituendo alcali vices respectu sulphuris obit, ac Mercurius vivus alcali metallici rationem repræsentat; ita Mercurius vivus per illa, quæ alcalinæ naturæ sunt, fortificari potest, ut potentiùs amalgamando solvat: de quo vid. BECHERUS *suppl.* 2. *P.* 3.

In metallis verò, jam solutione præviâ in minima sua redactis, alcalia, præsertim volatilia, non penitùs inefficacia observantur, penetrando nempè intimiùs eorum texturam, & extravertendo nonnihil eorum sulphur; unde non inconsultò spiritus vini cum spiritu aut sale volatili urinæ sociata, à quibusdam pro extractione tincturarum metallicarum, præmissis præviis illorum calcinationibus seu solutionibus, adhibentur. Quinimo pertinet huc effatum BASILII *de Sale ammoniaco*: Sal ammoniacum non est minima clavis ad referanda metalla, unde etiam ab antiquis comparatur avi volatili. Potest etiam educere colores & tincturas Mineralium, & similium metallorum, velocibus suis pennis supra montes niveos, vid. BASILII VALENTINI *Wiederholung des Grossen Steins, p.* 93. *von Salmiac.*

Sed observandum tamen simul, quod salia alcalia eo ipso, quo agunt in sulphura metallica, primariò inserviant ad Mercurificationem metallorum, seu ad Mercurios corporum ex metallis parandos. Scilicet salia hæc sunt transmutativa metallorum in tale corpus fluidum, seu resuscitativa dicta, partim alcalina, partim alcalibus vicina: v. gr. Sal tartari, quod dicitur TACHENIO sal privilegiatum, quoniam potentiùs extrahit Mercurium; cineres clavellati, sal urinæ, urina humana, & cum hoc præparatum sal ammoniacum; item spiritus fuliginis, & ejus sal volatile, borrax, acetum, & suo modo sal commune, non quod ex metallis parandum Mercurium resuscitent, eumque vivum sistant, qui cum sulphure concretum metallicum anteà constituerat (qualis etiam Mercurius vivus metallis non inest;) sed quod agendo in acidum sulphuris, hujus vim enervent ita, ut coagulum metallicum talium additione & interpositione mollius, & hinc fluidius tandem perfecti Mercurii vivi schema repræsentet: parili ratione, ut rem simili aliquo illustrem, atque lapides vitrescibiles aut silices alcali additione in vitrum facilè fusile abeunt; qui etiam uberioris alcali additione per deliquium liquores reddunt, saltim quatenus alcali enervat acidum lapidis, quod hinc latiùs dilatatum aut diffusum, firmam talem coagulationem facere nequit, quin vel vitrum molle, vel etiam per deliquium liquorem suggerat. Ita & salia ista Mercurium ex Metallis non separant, sed ex iis novâ texturæ mutatione faciant: quod ipsum tamen in perfectis metallis absque simultanea Mercurii vivi additione fieri nequit, propter intimiorem sulphuris cum Mercurio colliquationem quasi & concentrationem, ad quam vix præterquam maximè homogeneum penetrare valet agens. Non ergò talis Mercurius præexistit in metallis tanquam pars componens; sed est novum productum artificiale, in quo metallum latet adhuc integrum, & suo modo reductibile.

Rarissimæ aliàs sunt aves hujusmodi Mercurii corporum, à ROLFINCIO propterea, multisque aliis etiam, inter non-entia relati: non tamen omnino negandi sunt, quoniam experientia confirmat, utut difficilioris sint acquisitionis. Sic ex luna facilè Mercurius currens & fluidus paratur, ut oretenus hoc affirmavit Dn. BOYLE, quem sæpiùs alios præparare docuerit: & Dn. D. MICHAELIS refert de *Generali* ARNHEIMIO, quod habuerit Mercurium vivum solis, cujus hæc fuit nota, quod in loco obscuro & tempore nocturno scintillas igneas visus fuerit emittere, agitatus & motus. Mercurius Jovis & Saturni facilis est præparatu, & dixit mihi expertus quidam Chymicus, se casu incidisse in Mercurium Saturni; scilicet quidam solvit aliquando Saturnum in spiritu nitri, & spiritum nitri postmodum abstraxit, hinc remanserunt crystalli in fundo, quæ crystalli agitatæ cum spatula ferrea, & ita repositæ, tempore quodam interjecto granula Mercurii vivi dederunt adhærentia spatulæ ferreæ.

Proba Mercurii corporis metallici, quæ à Mercurio currente vulgi distinguitur, est hæc: quod talis Mercurius corporum in vola manus detentus promptè cum quodam fervore aurum injectum perfectè & radicaliter solvat, ita ut ex calore & fervore, quo in istud solare corpus agit, vix in manu detineri queat. Deinde talem Mercurium corporum in corpore humano nullam salivationem efficere ajunt, sicut solet facere Mercurius vulgi vivus.

Sed cùm hæc Mercurificatio ferè instituatur eum in finem, ut Philosophico lapidi seu Tincturæ Physicæ labori in via sicca inserviat, de hac verò nostri instituti non sit dicere; ob id de his materiis consulendus præ cæteris hoc in puncto perspicuus BECHERUS *Phys. subterran. lib.* 1. & hujus *suppl.* 2. Istis duobus modis in minimas integri sui corporis particulas nempè integrales, rediguntur metalla, ultra quem effectum, an aliquid amplius præstet Tritus? equidem haud adeò constat, utut sal aeris universale imprimis huc efficaciter concurrere, & corporis reclusionem efficere intimiorem afferat LANGELOTT *in Epistola* præfixa *Experim. Tilemanni*: de quo tamen uberior consulenda venit experientia.

Hactenus de metallis in genere: sequuntur jam species eorum, & primò quidem nobiliorum, quas inter omnium oculos perstringit

AURUM.

AVrum metallum nobilissimum in universo regno Minerali Rex est, quoniam est solidissimum, & diutissimè persistit in igne.

igne. Notatur signo Solis, quia respondere cordi in microcosmo creditur. Ex accuratiorum Chymicorum scrutinio sulphure pauco, sed maximè potente in qualitate, hoc est, sulphure maximè fixo & inde potentissimè tingente, sed potente Mercuriali principio multo, utroque depuratissimo, principio autem salino-terreo puro omnium minimo exceptis, contextum dicitur. Hinc dicunt Philosophi, quod aurum nihil aliud sit, quàm purissimus Mercurius coagulatus à fixissimo sulphure. Ex hoc firmo coagulo dependent omnes auri proprietates: ex copia Mercurii mira ejus ductilitas, item ex copia Mercurii coagulati oritur & ponderositas: ex sulphure verò, quod per se admodum fixum est, oritur auri indestructibilitas, ut nullo igne possit imminui, sed illibatum persistat.

Variat autem aurum, nec omnia ejus individua inter se conveniunt; sed unum altero pro varietate loci natalis, nunc durius, nunc mollius, magis vel minus tinctum erit. Sic *Aurum Hungaricum*, præ cæteris hoc tempore nobile, primatum obtinet, & fixissimæ naturæ est: ex Insula Madagascar est aurum Hungarico mollius, & instar Saturni fusile facilè, pallidius item, atque quasi immaturius reperitur: Conf. BORRICHIUS *Ortu & Progr. pag.* 50. item BOYLE *Tentam. pag.* 65.

Quæritur autem: *an corpus adeo fixum & densissimum, quod & in fortissimo igne ne tantillum ammittat, aliquam in corpore habeat efficaciam?* Negatur: Nempè aurum crudum, vel foliatum, vel limatum, vel minutissimi sub forma pulveris, cum pulveribus, vel syrupis, &c. frequenter permixtum, nihil operatur in corpore: nam sine omni activitate excernitur, nisi quod aliquid patiatur ab acidis. Addunt quidam in destillatione aquarum pretiosarum, addunt jusculis consummatis, &c. sed simili usu insano; quoniam, quamdiu manet in corpore, nullam potest exerere efficaciam. Sunt alii, qui applicant aurum pulsibus, & expectant ab illo confortationem corporis: sed similiter decipiuntur; Nam si vel 100. annos relinquerent in pulsibus aurum, nullo tamen modo hoc pacto perciperent exinde confortationem. Nec usus auri sub forma potabili mediante sui candefactione & extinctione in aqua appropriata, contra icterum flavum, affectus chronicos, pro scopo confortativo, & resistenda malignitate, &c. non adeò insignis est, nec tanti ponderis: de quo jam suprà monitum, & præterea conf. HOFFMANNUS *Clav. pag.* 200. Quò sæpiùs quidem extinguitur, eò magis de pondere amittit aurum: liquor hic extinctionis solis evaporetur aliquantisper, magna ex parte remanet flava & aurea: sed si ad siccitatem evaporetur, facilè denuò sub forma pulveris aut calcis albicantis subsidet in fundo, quæ facilè potest reduci fusione in aurum fuscum. Nullam ergò efficaciam in corpore humano habet aurum per se, utut BURRHUS *in Epist. ad Bartbol.* scriptis, & LOCATELLUS *in Theatro de arcan. Chym. Arcano V. pag.* 36. de hisce aliter sentiant, & frustrà laudent.

Aliàs laudatur *Aurum apyron*, quod est aurum perfectum ex fodinis extractum, quod nullum ignis examen percepit; & hoc aurum apyrum odorem suaveolentem de se spirat, & singulare prædicatur cordiale: videatur HAUPTMANNUS *in scripto collisivo pag.* 86. hocque aurum à multis commendatur pro usu medico; cæterùm non semper tuto, quonam in ejus minera reperitur semper aliquid de excrementis Veneris & Lunæ, & sic redditur malignum & venenatum; si verò haberi posfit apyron purum, non dubito, quod ex eodem posfit parati elegans medicina, quoniam in igne partes primo enti auri viciniores, & volatiliores exhalant, ex quibus unà posfit fieri elegans aurum potabile. Sunt, qui dicunt, quod aurum habeat vim purgandi: sed si hoc facit, facit tantùm per accidens.

Observandum igitur, ut, si aurum vires quasdam, ab Autoribus sibi adscriptas, & habere & exercere debet in corpore humano, necesse sit, ut eliciatur ejus principium sulphureum, ex quo in forma liquida paratur Tinctura seu aurum potabile. In ejusdem enim sulphure seu Tinctura vim cordialem analepticam, morborum præsertim acutorum Panaceam, inesse Autores ostendunt. Nec deneganda est remediis solaribus egregia sua in morbis acutis efficacia, acris cujusvis insigniter correctiva, & spiritus vitalis corroborativa; Unde quoscunque affectus citò, tutò, & jucundè curare poterimus beneficio hujus sulphuris: post quod nihil melius, quàm sulphur vitrioli Veneris. Proba sulphuris ex auro extracti est, ut reliquum corpus remaneat destructum, nec amplius reduci possit in antiquum corpus metallicum rubeum.

Aurum autem corpus est compactissimum & solidissimum, exinde impedit ignis vim. Per menstrua corrosiva notum est, quod destruatur: sed semper denuo potest in suum antiquum corpus redigi: Nam hactenus inconcussus stat Chymicorum excellentissimorum canon: quod *facilius sit aurum construere, quàm destruere:* & propter hoc ipsum seu firmissimam hanc unionem vocatum fuit aurum à veteribus *Fortitudo fortitudinis fortissima.* Et ex hac ipsa difficultate destruendi aurum, dum semper ferè potest reduci per salia fixa, patet, quid habendum sit de præparationibus vulgaribus auri? quod sint tantùm superficiales corporis integri in minutissimas particulas separationes; non verò radicales ejusdem solutiones. Nam in summa: auri perfecta vera & legitima præparatio consistit in solutione radicali: sed hoc opus, hic labor.

Patet ergo, quid habendum sit de *vulgari calcinatione*, *solutione* & *Tincturis*? quod scil. sint simplices solutiones, parvi aut nullius usus in medicina; à nullo enim dissolvitur radicaliter, & nullus etiam habet verum aurum potabile. Unde præparata ex sole remedia, eorumque vires, accuratè priùs perpendendæ sunt; adeoque in judicio de remediis genuinis ex sole parandis tria probè observanda sunt:

1. An *corpus solare magis vel minus reclusum* sit? Optimè enim Paracelsus pro auro potabili parando primum gradum statuit, ut fiat volatile, nec amplius possit reduci.
2. *Quale & quomodo adhibitum sit menstruum?* pro hujus enim indole, & inde sæpius nata, apparenter saltem, tinctura, diversas facultates viresque acquirunt solaria remedia.
3. *Ipsorum menstruorum* cum *corpore solis* considerentur probè *congressus*, exque his nata nova textura, & novum emergens concretum, subinde stypticum, interdum laxativum: Undeetiam variæ novæque vires præcisè solares originem suam nanciscuntur.

Meretur hìc considerationem effatum VERULAMII *Tr. de Hist. Vit. & Mort. pag.* 84. §. 84. dum inquit: *Existimamus, spiritus salinos, per quos fit dissolutio, virtutem illam, quæ reperitur, largiri potius, quàm ipsum aurum.* Quod si aperiri possit absque corrosionibus, aur per corrosiva bene posteà abluta, rem non inutilem fore arbitror. Nam ut rectè loquitur Poterius *in l.* 2. *Pharmacop. Spagyr. pag.* 452. *summarum auri præparatio in dissolutione consistit: Hæc verò precuranda est sine corrosivis; secus non medicamentum, sed venenum, conficitur. At sunt corrosiva ea omnia, quæ è salinis spiritibus educuntur:* & sunt tantùm solutiones superficiales, & reductibiles in antiquum corpus. Nam reduci possunt vel per salia alcalia, vel per Mercurium vivum, vel per laminam Jovis. Potius igitur blanda & insipida menstrua, citra rosionem aurum liquefacientia & citra sensum manifestum solventia, requirantur.

Ad Præparationes vulgares aliàs pertinet *Depuratio Auri* à sordibus superficialibus, partim ab imperfectis metallis ipsi adhærentibus. Metalla, quæ adhærere solent, sunt imprimis Luna, item Venus, ex quibus præsertim Venus difficilioris separationis existit. Luna convenientissimè separatur per aquam fortem, item per aquam Regiam: qua ratione etiam Venus potest separari; hæc tamen specialiùs mediante Saturno elicitur: utraque tam mediante antimonio, quàm mediante cementatione, separatur. Per aquam fortem depuratur convenientissimè aurum per repetitas ejus recentis affusiones & extractiones; hæc enim Lunam & Venerem cæteraque metalla saltem extrahit; aurum verò extractum relinquit: calx relicta probè dulcorata aurum purum existit: Conf. ERCKERUS *in Aula subterran. pag.* 185. Per aquam Regiam depuratur aurum, quatenus hæc solùm aurum solvit, lunam verò intactam relinquit; solutio præcipitata calcem auri purissimam optimèque tinctam suggerit: Conf. ERCKERUS *loco citato pag.* 195. & 196. Sed convenit saltem, quando aurum lunæ permistum est; si enim Venus adsit, hæc ab aqua Regia simul solvitur. Et huc pertinet *Purificatio solis per quartationem*, quâ aurum depuratur ab omni luna permista, & separatur:

℞. *Auri vulg.* p. j.
Lunæ p. iij.

(Inde nomen quartationis.) Hæc invicem miscent & fundunt. Misturam fusam tundunt in lamellas, postmodum his lamellis superinfundunt *aquam fortem*, quæ saltim lunam absorbet & dissolvit, & aurum in forma lamellarum integrum relinquit in fundo.

Mirum hìc est, quod, si in ista mistura plus de auro, quàm præcisè quarta pars sumatur, aqua fortis misturam non attingat; sin minus, tùm aqua fortis ita misturam solvit, ut aurum non tam in forma lamellarum, sed in forma pulveris nigri subsideat.

Depuratur etiam *aurum cum Saturno*, modo quem docet AUTOR *cap.* 2. *pag.* 374. Nempè concretum Saturni Mercuriale imbibit omnia ignobilia metalla, & sic etiam venerem, quatenus horum acidum isto Mercuriali concreto saturatur, & ita absorbetur; sed lunam cum auro relinquit: hinc etiam est, quod aurum purum cum Saturno tractatum ac capellatum, interdum pallidius factum fuerit: nempè propter lunam, cujus semper aliquantum in Saturno reperitur. Conferatur BOYLE *de Orig. Formar. pag.* 264. item *in Tentam. pag.* 484.

Omnium optimus *purificandi auri modus* est per fusionem *cum antimonio*: Nam Saturnus saltem imperfecta metalla recipit, & lunam in sole relinquit: interdum etiam de eo aliquantulum absumit; unde scoriæ dicuntur *litbargyrium aureum.* So-

Solum *antimonium* est, quod tanquam *lupus* ratione sulphuris sui copiosi acidi, cætera metalla rodit & absumit, solemque optimè purificatum relinquit. Nempè post reguli solis triplicem fusionem, quam videbitis in AUTORE *pag.* 449. relictus regulus solis in igne fusus mediante follis flatu ab adhærente antimonio purificatur, & ita aurum purissimum obtinetur: Conferatur ERCKERUS *in Aula subterran. pag.* 191. item *pag.* 209. E. g.

♃. *Solis* p. j.
Antimonij p. iij.

Fundantur in crucibulo igne forti, & tertia vice repetatur in testa probatoria: dehinc regulus fundatur igne fortissimo, sic abit sulphur antimonii cum aliis metallis auro admistis, & omnia metalla ignobiliora in scorias separat.

Interim antimonium sæpè retinet aliquid auri secum, ut observatum fuit. Separetur ergò, modò misturæ huic antimoniali addatur aliquid Martis: Mars enim corpus esuriens, & allicit ad se sulphur antimoniale, quod rodit Martem, & sic aurum cadit in fundum in forma reguli elegantis. *Reductionem metallorum* cæterorum, præsertim lunæ, post solis cum antimonio fusionem; videbitis *loco citato pag.* 191. & 192. Quidam auro hoc modo depurando tertiam, vel quartam Veneris partem addunt, eum in finem, ut aurum hinc accipiatur elegantiùs tinctum; Venus autem soli addita colorem ejus rubicundiorem non nihil facere solet, hoc est aurum gradare: Conf. ERCKERUS *pag.* 185. & 207.

Depuratio per Cementationem fit saltem in istis casibus, quando aurum multùm superat reliqua metalla addita. Nempè laminis auri, vel frustulis depurandis additur cementum regale, paratum ex salibus quibusdam, v. g. ex nitro, sale gemmæ &c., cum duplo, vel triplo farinæ laterum, fit stratum supra stratum in pyxide terrea proba & firma, aut crucibulo; sicque debito ignis gradu calcinantur. Stratum supra stratum est, quando primò ponitur stratum pulveris in pyxide cementatoria, vel in crucibulo, deinde injiciuntur laminæ solis, & denuò pulvis, denuò aurum, & sic fit stratum supra stratum. Salia addita lunam & Venerem absumunt, sicque aurum intactum, purum, & ab omni sorde defæcatum relinquunt; quâ ratione etiam luna ab auro Rhenano vel coronato separari potest: videatur ROLFINCIUS *in Chym. pag.* 87. Farina laterum eum saltem in finem additur, ne metalla aurumve fluere possit; item ut inserviat simul pro commodo receptaculo metallorum ex auro separandorum: & hæc est cementatio. Salia ista quasi essentialia sunt, sal commune, & vitriolum ad rubedinem calcinatum; quæ in omni cemento requiruntur: Addi etiam solet interdum sal ammoniacum, quod mirè cementationem promovet, & celeriùs absolvi facit; sed tum necesse est, addatur simul nitrum, ut coerceat nonnihil salis ammoniaci fugacitatem: Viride æs à quibusdam etiam quandoque additur, quod ubi paulò validiùs aut citiùs agendum est, convenit: adeoque optima ingredientium pro *Cemento regali* proportio est,

Recipiendo *Salis comm.*
Vitrioli calcin. an. p. j.
Farin. later. p. ij. M.

Plus enim farinæ si additum fuerit, debilitantur salia, quò minus operari queant.

Compositiones talium pulverum habet Autor. Hisce etiam quidam addere amant æs ustum, hæmatiten, crocum Martis, tutiam, &c. eo fine, ut graduetur aurum pro elegantiori colore: sed frustra hoc fit; aut enim parum vel nihil elegantiæ sic auro accedit, vel superficiale saltem est, quod sic contrahit: Conferatur ERCKERI *Aula subterran. pag.* 77. &c. Non autem de nihilo est, auro colorem per cementa posse intendi; id quod experimentis non levis momenti ostendit MORHOFF *de Transm. Metallorum pag.* 76. & 84. An verò mediantibus hujusmodi cementis aurum simul augeri possit ut pondere notabiliter excrescat, in medio relinquo. Modum hujus rei, sed adhuc dubium, videbitis in ERCKERO *l. a. pag.* 204.

Calcinatio seu *solutio auri*, sive fiat *in via humida* sive *in via sicca*, pluribus modis tentata fuit per menstrua notiora, nunc per menstrua vel sublimiora vel secretiora, semper tamen per acida, ita ut à quibusdam pro non ente habeatur Auri, absque acidis plus minus coriosivis, per alcalia solutio. Unde etiam cognitæ hactenus auri solutiones, corporis solaris impetuosâ corrosione, hincque natâ effervescentiâ ac strepitu, peractæ fuerunt: Unde semper omni studio ad menstruum suaviter ac sine strepitu aurum solvens, & quasi liquefaciens, intenti fuerunt Chymici: hocque imprimis in spiritu mundi & sale universali in pluvia, rore item in tritu; alii per menstrua ex mineris appropriatis; alii aliis mediis, tentarunt.

Ordinarium menstruum pro vulgaribus auri solutionibus est ex nitro & sale spiritus, *Aqua Regia* dictus, quoniam solvere potest *Regem metallicum*, nempè *aurum*: Nunquam aurum potest dissolvi per menstrua acida corrosiva, nisi semper aliquid adsit de sale, seu de spiritu salis: Spiritus nitri solvit aurum, sed cum consortio salis, vel communis, vel salis ammoniaci, vel salis urinæ, seu spiritus urinæ: Solus spiritus nitri utut rectificatissimus, seu aqua fortis ex nitro & vitriolo parata, omnia reliqua metalla solvens, aurum non attingunt: Sicuti è contrà salia quælibet, aut spiritus salis, per se non solvunt aurum, nempè autum corporale, sine societate nitri aut ejus spiritus: Nam calcinatum anteà aut aliis modis priùs præparatum aurum, spiritus salis solvere valet. Et spiritus nitri promptè solvit lunam, non verò aurum; si autem addatur aliquid de sale ammoniaco seu spiritu salis, tunc iste spiritus nitri seu aqua fortis à salibus acuata, non amplius solvit lunam, sed dissolvit promptissimè aurum. Ratio est, quia aurum totum ferè Mercurius coagulatus est; in sale verò communi est terra ista Mercurificans; unde propter hanc convenientiam in radice sal commune solvit aurum, addito tamen spiritu nitri. Hinc aqua fortis, si ejus tribus vel quatuor uncijs addatur ℥j. spiritus salis ammoniaci, vel salis communis, vel spiritus salis, fit optima *Aqua Regia*, quæ aliàs simpliciter ex nitro, addito sale communi, destillando igne aperto parari solet. Aliàs spiritus nitri sali communi affusus, & hinc abstractus, fit *Aqua Regia*, & loco salis communis perfectum *Nitrum* relinquitur. Par ratio est, si aqua fortis aut spiritus nitri bis ab æquali portione nitri crudi abstrahatur: nam & sic in *Aquam Regiam* degenerant: vid. *Acta Haffnienf. Volum.* 1. *pag.* 146. Ratio est, quia nitrum omne semper adjunctum habet aliquantum salis communis, quod vocant Germanicè *den Schalck*: hinc incumbit Chymico labor resinandi nitrum, id est abstrahendi sal à nitro, cujus salis spiritus simul elevati ratione ex nitro hæc Aqua Regia emergit. Pertinent nempè huc *salia mirabilia* GLAUBERI, scilicet

♃. *Salis comm* ℔j.
solvatur in

Aquæ communis q. s. Solutio filtretur, tunc in retorta vitrea vel terrea affundatur spiritus vitrioli cum suo oleo, etiam ℔j. & ex arena gradatim, tandem fortissimo igne, pellatur; prodit primò phlegma insipidum, tandem spiritus salis optimus: quod in fundo remanet, aquâ communi solvatur, filtretur, & evaporetur ad cuticulam, & ad crystallisationem in loco frigido reponatur, quæ ferè in forma salis nitrosa apparent.

Sal hoc mirabile, quod figit & solvit, usurpatur præcipuè ad solvendum aurum & subjecta sulphurea, tam in minerali, quàm vegetabili & animali regno. Idem præstat spiritus & oleum sulphuris, si loco spiritus vitrioli eodem pondere sumatur. Si loco salis communis sumatur nitrum purificatum, & jam dicto modo tractetur, prodit spiritus nitri, & quidem remanet sal mirabile ad medicamenta ex luna paranda utile. Observandum autem, quod sal illud mirabile ulteriùs præparandum sit pro auro solvendo: nempè sali huic in crucibulo fuso injiciantur subinde carbones, quos dissolvit, idque tamdiu, donec intensum rubrum colorem acquirat; hinc demum injici solet aurum, & promptè dissolvetur: solutio hæc viridiuscula apparet; sed ubi digitis adhærescit, maculam purpuream relinquit. Ex dicta solutione beneficio Mercurii denuò haberi potest aurum ipsum: Quod si dicta solutio, præsertim adjecto sale ammoniaco, destilletur, guttæ elegantes flavescentes per alembicum transeunt, quas putavit GLAUBERUS esse ex sole, *suumque Aurum potabile vocavit*: quod falsum; sunt enim saltem sulphur carbonum.

Ex dictis patet; oleum antimonii glaciale seu butyrum antimonii aurum corporale non solvere, quoniam saltem de spiritu salis participat; benè autem ex hoc spiritus nitri additione paratus spiritus nitri bezoardicus, in præparatione Bezoardici mineralis abstractus, promptè aurum solvit, & menstruum per acutum BOYLEO constituit; cujus beneficio aliquando aurum adeò extraxit, ut corpus album instar lunæ fixæ remanserit.

Perinde autem est, sive in spiritus, sive suos fluores redacta aut resoluta sint salia, sive eadem in aqua soluta auro addantur: solvunt etenim sic aurum in crocum purpureum, cujus descriptionem videbitis in ZWELFFERO *Animadverf. in Pharm. Aug. pag.* 466. & *Mant. spagyricâ pag.* 319. item in M. A. N. C. *Anno* 6. & 7. *Append. p.* 85. Qui Crocus ulteriùs in sulpur solis seu aurum diaphoreticum potest redigi, si nempè ex hoc croco ZWELFFERI mediante sale ammoniaco addito (sed qui prius ternâ vice à sale communi fuit sublimatus) ritè sublimato post edulcorationem acquiritur pulvis coloris elegantis instar purpurei, qui ulteriùs cum spiritu vini tartarisato circulari, atque in tincturam solis exaltari potest. Eadem solutio auri melius adhuc in forma sicca fieri potest, si nempè eadem proportione salia illâ cum auri foliis mista absque aqua cucurbitæ imponantur, & optimè sigillentur, lentoque igne per aliquot horas digerantur; sic alumen bulliendo salia & auri folia solvit, & quasi Philosophicè vase clauso calcinat: materia fit quasi auri lutea, quæ soluta cum aquâ communi, præcipitatur cum oleo tartari per deliquium facto; sic crocus decidit, præmissâ edulcoratione lento igne reverberandus. Et ex hoc croco varia fieri pos-

ſunt, cùm corroſiva ſalium corpuſcula facilè elici poſſint, quod in aqua regia non æquè ſuccedit: nam corroſivorum iſtorum menſtruorum particulæ tenaciſſimè adhærent calcibus ſolutis, indeque interdum non levem noxam iſtis conciliant.

Ut autem *ſalia aquæ fortis corroſiva à calce ſolis ſeparentur*, curioſus *modus eſt hic*:

℞. *Pulveris auri per aquam regiam in calcem redacti*, & quantum poſſibile, jam *edulcorati*,
Mercurii dulc. an. p. æqu.

Miſta probè ſublimantur mutuò; ſic enim Mercurius quamvis acrimoniam in ſe recipit, & calx auri inſtar lanuginis ſubtilis ac blandæ remanet, ita uti longè commodiùs tinctura ex eo elici poſſit.

Præter hæc menſtrua corroſiva mitiora, alia elaborare ſatagerunt ſublimiores Philoſophi & Chymici, ex nive nempè, rore, pluvia, ſaccharò, melle, manna, &c. Ac ſanè ex his ſubjectis præparari poſſunt menſtrua aurum ſolventia: non enim ſaltem ros majalis auri folia univerſa ſucceſſivè diſſolvit, uti patet in Vellere Beguini in Tyrocin. pag. 408.; ſed etiam ſimilem curioſam per *menſtrui ex rore parati* ſolutionem auri docet BORELLUS. *C.1.obſerv.6.pag.12.* Ineſt enim his ipſis meteoris ſubſtantia ſalina ex textura nitroſa ad naturam ſalis univerſalis aeris accedens; unde non impoſſibile eſt, ex horum præparatis menſtruum ſolare acquirere. In *Sacchar*o eſt ſpiritus, qui poteſt ſolvere aurum; ſicut & aurum ſolvi poteſt cum *melle* & *ſpiritu mellis*, ex qua ſolutione poſtmodum cum aqua vitis deſtillata quidam parare volunt aquam, vel aurum potabile, non tamen perfectè potabile. Sed non videtur hujuſmodi ſolutio adeo multùm differens à communiter notis auri ſolutionibus, cum & ipſum aurum in minutiſſimas ſui particulas redigatur, ſaltem quod propter ſolventis ſubtilitatem ſubtilior etiam & elegantior calx auri acquiratur: Conf. MORHOFF *de Tranſm. Metallorum pag.* 37.

Ex eodem fundamento, nempè ex ſale naturæ univerſali, aurum ſolvente & penetrante idque ſuaviter, procedit etiam *Tritus Langelotti*. Sed quoniam effectus iſte ſpeciatim ex ſale aeris derivatur, potiùs per hujus debitum magnetem, ſive ſint alcalia, ſive nitrum certo modo præparatum, ſive ſint alia ex aere extracta, & hinc ejus medio auri ſolutio inſtituenda erit: cum ſummo nempè laboris compendio tractandus eſſet liquor iſte ex auri tritu provectus, quid ſi cum eodem & Mercurio vivo fieret? an ſcilicet corporale aurum exinde acquiri queat? an verò Aurum ita fluidum cum Mercurio ſe commiſceret? revera enim magnum naturæ ſecretum eſt ſine corroſivis auri corpus habere fluidum. Exiſtimo itaque, quod talis Tritus potiùs prædiſponat aurum ad concinniorem & faciliorem ex eo remediorum præparationem.

Præter dicta menſtrua etiam ex mineris quibuſdam deſtillando prolecti ſpiritus ad auri ſolutiones adhibentur, qualis eſt ſpiritus Marcaſitæ ſolis, de quo vid. M.A.N.C. *anno* 4. *pag.* 115. & 116. Faciunt huc aquæ quædam plus minus ſolares, ex quibus etiam prolecti ſpiritus vim auri ſolutivam ſabinde obtinere dicuntur: tale nempè menſtruum videtur, uti MOEGLINUS in præparatione auri potabilis, *Tr. Vellus Aurum*. Præter dicta menſtrua Autor etiam alia recenſet, ut ſpiritus ſalis, ſpiritus & oleum Saturni, acetum alcaliſatum, ſpiritus vini alcaliſatus: Sed hæc ipſa aurum non ſolent ſolvere, niſi priùs recluſum ſit; adeoque hæc & ſimilia menſtrua potiùs ad extractiones, quàm integri corporis ſolutionem, conveniunt.

Diſſolutio auri cum menſtruo aqueo inſipido rectè ceu *vix poſſibilis ab Autore aſſeritur*, ſaltem tale nondum obſervatum fuit. Adeptorum iſtud, in quo aurum ſuaviter liqueſcendo ſolvitur, quid & quale ſit? nemini, præterquam ipſis ſolis, notum eſt. Balſamum ſalis dulcem, quem AUTOR inſinuat pro Auri ſolutione, hujus uberiorem explicationem videbitis in HOFFMANNI *Clave pag.* 202.

Præcipitationes ſolutionum ſolarium fiunt vel medio, quod afficit menſtruum, vel quod afficit aurum ſolutum. *Menſtruum* afficiunt quælibet ſalia menſtruo contraria: & cùm menſtrua hæc plus minus ſint corroſiva acida, etiam alcalia, tàm fixa quàm volatilia, præcipitabunt aurum, quod etiam facere ſolet Saturnus, cum ſolutio auri plumbeæ patinæ infuſa aurum dimittat, quatenus Saturnum rodit. Par ferè ratio eſt, cum GLAUBERUS in P. 4. *Teutſchblandes Wohl-farth*, auri in ſpiritu ſalis ſolutionem cum lamina Jovis præcipitat. *Medium præcipitationis*, quod *aurum ſolutum* immediatè *afficit*, eſt Mercurius vivus: hic injectus, auto ſe aſſociat, & idem ferè ſecum ad fuudum rapit; hincque in auri loco menſtruum ferè imprægnat.

Poſt præcipitationem per alcalia factam emergit *Aurum fulminans* ſeu *ſclopetans*, quod habet AUTOR: nempè ſolutum aurum in aqua regia præcipitatur cum ſale tartari; unde cadit pulvis, qui ſi in mediocri calore accendatur, edit fragorem inſtar pulveris pyrii. In hoc tria conſideranda:

1. *Menſtruum ſolvens.*
2. *Alcali præcipitans.*
3. *Paratum inde Magiſterium fulminans.*

Menſtruum ſolvens neceſſe eſt, ut participet de ſpiritu nitri, & hinc de ſale volatili urinoſo; alterum ubi deficit, non acquiritur aurum fulminans: hinc optimè ſuccedit negotium per ſpiritum nitri, ipſique addatur aliquantulum ſalis volatilis urinæ, & ſic obtinetur menſtruum huic rei aptum: Conf. KUNCKELIUS *Obſerv.* 1. *F.*, *num.* 1. Vel aqua Regia ſit parata cum ſale ammoniaco: quia ſal ammoniacum participat de alcali volatili urinæ. E contrà aurum cum ſpiritu ſalis ſolutum, & alcali tartari præcipitatum, non fulminat, defectu nempè nitri, ut obſervat TACHENIUS *in Hipp. Chym. pag.* 33. qui vocat aliàs *Cerauno-Chryſon*: non ſecus ac aurum in *Aqua Regia*, ex ſpiritu nitri & ſpiritu ſalis parata, ſolutum, & cum alcali tartari præcipitatum, non fulminat, ut obſervat HOFFMANNUS *Clave pag.* 204. defectu nempè ſalis volatilis urinoſi: Adeoque *curioſa & notatu digna eſt præparatio auri fulminantis Euſtadii*, quam habet *Tract. de Confect. Alcherm.* §. 20. ubi præparat aurum fulminans mediante ſpiritu nitri, in quo aurum, quantum capere poteſt, ſolutum fuit: ſolutionem hanc præcipitat cum lixivio ſalis tartari, & acquirit *Aurum fulminans*, utut nihil ſalis volatilis ammoniaci acceſſerit; in quo ipſo revera contrariatur omnibus, præſertim WILLISIO *de Fermentat. pag.* 77. ubi de auro fulminante, qui neceſſariò ſal ammoniacum ſimul requirit. Certum enim eſt, quod ſpiritus nitri proprio ſale imprægnatus aurum ſolvat: ſaltem fulminis ratio ex ſalis volatilis defectu non adeo manifeſta eſt; niſi dicere velimus, in nitro ordinariò aliquid reperiri ſimul de ſale communi, & ipſum nitrum ratione generationis ſuæ ex urina & ſtercoribus animalium, ſal etiam in ſe continere, ita ut ex his in dicto menſtruo miſtura quaſi ammoniacalis, licet occulta, reſultet.

Quoad Præcipitans, requiruntur ſimplicia ſalia volatilia; aliis enim modis, Mercurio v.gr. aut Saturno, præcipitatum aurum non fulminat. Perinde aurum eſt, ſive ſal fixum ſive ſal volatile recipiatur. Sal fixum, v. gr. ſal tartari, oleum tartari per deliquium, ſal ex farmentis vitium calcinatis, item alia ſalia alcalia ſufficiunt, ubi jam in menſtruo ſal ammoniacum, vel ſal quoddam volatile fuerit. Sal volatile requiritur, quando nullum tale in menſtruo præexiſtit. Pro uſu medico præferenda eſt Præcipitatio cum ſale volatili, v. gr. ſpiritu ſalis ammoniaci aut urinæ. *In præcipitatione* hac *obſervetur exactiſſimè punctum ſaturationis*, id eſt, ut nihil de menſtruo præponderet; ſi enim nimis injiciatur de oleo tartari, ceſſat vis fulminandi, & omninò perit.

Quod tandem aurum fulminans attinet, conſideretur
1. *Ratio fulminis.*
2. Ejus *uſus*, tàm *Medicus* quàm *Pharmaceuticus*.

Fulmen quod attinet, hoc quidam derivare volunt ex ſulphure auri, quod cum nitro, ex menſtruo per præcipitationem regenerato, inſtar pulveris pyrii per inflammationem ad deflagrationem fulminet: Conf. WEDELIUS *Pharmac. lib.* 2. *Sect.* 4. *cap.* 2. Sed hoc falſum eſt: in pulvere enim pyrio conſiſtit vis fragrans in nitro & ſulphure tam communi, quàm carbonum tiliaceorum; in auro è contra deflagrabile ſulphur non deprehenditur, quia fixum eſt. Præterea poſt fulminationem factam aurum integrum denuò deprehenditur; quod fieri non poſſet, ſi inflammationem paſſum fuiſſet. Eſt ergò *fulmen boc nihil aliud*, *quàm diſpoſitio quædam ex particularum ſalinarum* ab auri corpore, cui firmiſſimè adhærent, *diſſociatione & diſgregatione nata*, ita ut aurum nihil conferat, præterquam quod ſubjectum ſit, cui tam firmiter ſalia adhærere apta nata ſunt, & quorum, mediante igne, quaſi efferveſcentium ſubitaneâ ac violentâ diſſilitione & ſonitus & impetus naſcuntur.

Rem ita ſe habere patet ex eo, quod aurum fulminans *ſæpiſſimè edulcoratum*, & quantum poſſibile à ſalibus ſeparatum, *vim fulminantem amittat*: deinde, quod in præcipitatione ſal fixum copioſiùs paulò additum etiam fulminationem impediat, figens ſcilicet nimis particulas acidas, earumque motum impediens, quominus cum volatilibus ſalinis particulis efferveſcere & diſplodi queant; reſtituitur tamen hoc modo perdita vis fulminandi cum irroratione ſpiritus vini vel ſalis ammoniaci. Tandem hoc confirmant etiam acida, quæ fulminationis impetum facilè cicurant, ſive viâ ſiccâ ſive humidâ adhibeantur.

Nempè

℞. *Auri fulminant.* p. ij.
Flor. ſulphur. part. j.

Subigantur hæc invicem, & ſucceſſivè ponantur in crucibulo; calx fulminandi vim amittit.

Item ſpiritus ſulphuris, ſalis, vitrioli, &c. vim fulminantem peſſundant; non ſecus ac aurum fulminans in aceto, vel ſolo vel cum ſpiritu vitrioli acuato, coctum vim fulminandi facilè amittit; quatenus nempè acida hæc particularum ſalinarum, præcipuè volatilium, texturam plus minus invertunt, & ita diſploſivum impetum impediunt.

Interim notabile eſt, dum quidam referunt, quod aurum fulminans, ſi ignis ſuperiùs admoveatur, (ſed ita tamen, ut ignis ſit ſuper pulverem, modò non contingat,) non fulminet aut ſclope-

ſclopetet, nec accendatur, ſed leni & parvo ſtrepitu avolet; cùm ignis infernè admotus aurum fundi faciat, ac bullula quaſi deſuper emergat, unde ſclopetatio. Cautè ergò in igne tractandum, ne teſta ignem concipiat, & ingenti fragore deorſum omnia disjiciat. Par fereè eſt ratio pulveris ſclopetantis, qui fit ex

Nitri part. iij.
Sal. Tartar. part. ij.
Sulphur part. j.

quæ pulveriſata miſcentur: vid. ROLFINCII *Chymia p.* 341. & WEDELIUS *loco allegato*.

Hic pulvis infra adjuncto igne fulmen edit, qui ſuperiùs admoto igne leni ſibilo diſſilit; maximus impetus ſub fulmine deorſum tendit, ſed non ſolùm, quin potius in orbem diffundatur, teſte WILLISIO *de Ferment. pag.* 78. Ratio verò probabilis, propter quàm impetus fulminis ferè deorſum fertur, videtur, quod ſic auri pondus & gravitas, cui juncta ſalia ſub diſploſionis actu deorſum quam ſurſùm ferri videntur: accedit & hoc, quod aurum fulminans non ſit inflammabile, ſed ſolùm fumum emittat: Contrarium videmus in pulvere pyrio, qui facilè eſt inflammabilis, deorſum tendit, & omnia diſcutit. Poteſt etiam fieri *Mars fulminans*, ſed aliâ methodo; item *Saturnus fulminans*, ſed aliâ præparatione; & certum eſt, quod in præparatione Sacchari Saturni interdum repertus fuerit Saturnus fulminans inſtar auri fulminantis, qui omnia diſcuſſit & diſſipavit.

Aurum fulminans uſum habet alvum laxandi, item uſum diaphoreticum: minus exactè edulcoratum alvum ſtimulat ob acrimoniam ſalinam; exactiùs edulcoratum amittit vim laxativam, & diaphoreticum malignitati reſiſtens ac carminativum egregium eſſe ſolet; potenter enim diſcutit flatus, & in ſpecie tamen puerorum: quinimò etiam in adultorum flatulentiis diſſipandis eſt magni uſus. Pro uſu laxandi ritè præparatum à gr. iij. iv. v. vj. ad ℈ß. propinatur, cujus effectum illuſtri exemplo declarat ROLFINCIUS *in Chymia in artis formam redacta*. Hinc quidam ℈ß. auri fulminatis cum ſufficienti quantitate Extracti Ellebori nigri in pilulas redigunt, quod egregiè contumaciſſimam alvum ſolvit, & fæces omnes nigredine tingit: Obſervatur interdum aurum fulminans parere vomitus aliaque pathemata, ut ſyncopem, cardialgiam, palpitationem cordis &c., & hoc fit per accidens; ſi nempè aqua regia non ritè præparata eſt, vel aurum non benè depuratum à Venere, pertinaciter aliàs auro adhærente, nec ſolutum rectè per alcali volatile præcipitatum.

Recipiendum ergò potiùs aurum purum, Saturno vel aquâ forti, & poſtmodum antimonio probè purgatum: hoc in Aqua Regia, tùm communi, quàm quæ fit cum ſale ammoniaco, probè rectificata ſolutum, præcipitandum eſt cum ſpiritu urinæ, vel ſalis ammoniaci, & probè edulcorandum. Melius enim operatur, quàm ſi cum alcali quodam fixo præcipitetur: cujus gr. v. vel vj. ad vij. ac ℈ß. ordinariò porrigi poſſunt adulto; ſic per inferiora tantùm laxat, vias primas abſtergendo; & in infantibus nequidem, niſi in caſu variolarum & morbillorum, vomitus movet. Liquor à præcipitato reſiduus dat egregium nitrum poſt aliqualem evaporationem, aliis uſibus proficuum, & quod in motu ardenti febricitantium, cum angina vel pleuritide correptorum, diſſolutum, eſt egregium. Infantibus tam lactantibus, quàm ablactatis libenter propinare aurum fulminans hoc ſoleo in catarrhis ſuffocativis & quibuscunque affectibus, præſertim imminente epilepſiâ; mirum quantum acidum, & quale viſcidum evacuetur. Quod ſi igitur vel ex his, vel ex dentitione epilepſia ſuperveniat, aurum fulminans anchora ſacra eſt, ut ſcybala hæc eliminentur: v. g.

℞. *Unic. ver. præp.* ℈ß.
Auri fulm. gr. ij.

Miſta propinabam infanti ferè bienni; ab hujus uſu poſt duas vel tras horas aliquot vomitus, & poſtmodum unum alterumvè horribilis materiæ ſeceſſum provocavit præſentaneo levamine; qui inquietus & in ſomno horreſcens in proximo ad epilepſiam erat confinio.

Cum lactantur adhuc infantes, & ſunt adhuc teneriores, granum j. vix tranſcendo, & quod leniter operatur, temperatum & impeditum à grumo lactis in ſtomacho; dum verò ſunt robuſtiores paulò, & quidem infantibus unius anni adhuc lactantibus, etiam ad gr. ii. commodè adſcendi poteſt: ablactatis ad gr. iß. ſufficit, & ultrà, pro numero nempè annorum; fomitem enim epilepticum infantum ex hypochondriis & primis viis eliminat, & acidum epilepticum attactu ſolaris hujus ſolutionis hebeſcit. Præter vim enim purgantem, quæ ſimpliciter fit vi primarum viarum abſterſivâ, & diſſolutivâ viſciditatum ibidem hærentium, habet unà vim ſingularem corrigendi acidum contumax, fermentum primæ digeſtionis vitians; unde non niſi in gravioribus morbis adultis, & pro eorum radice evellenda, convenit, adeoque contra febres diuturnas, quartanam, podagram, &c. commodè etiam uſurpatur, à gr. v. vel vj. unà cum aliis ante paroxyſmum propinando. Sed in ditioribus hæc tantum præſcribenda veniunt; pro pauperibus enim Mercurialia ſufficiunt.

Inſervit hoc aurum fulminans etiam aliis exinde parandis remediis; ſic enim ex eo paratur aurum diaphoreticum Poterii, maximè commendandum remedium, cujus deſcriptionem videbitis in Append. ad Pharmac. ſpagyricam.

Vel

℞. *Flor. ſulphuris* p. ij.
Auri fulm. p. j.

Subigantur hæc invicem.

Inſervit etiam *Tincturæ ſolis* exinde parandæ mediante ſpiritu & ſale volatili cornu cervi ac ſpiritu vini, qui modus fuit uſitatus ANGELO SALÆ, cujus *proceſſus de auro potabili pag.* 226. Inſervit etiam parandis exinde per detonationem pluribus, & ex his parandæ Tincturæ. Optimus modus eſt, ſi in retorta tubulata benè calefacta, aut cucurbita cuprea vel argentea tubulo à latere inſtructa, aurum fulminans à gr. ij. ſucceſſivè injiciatur; hoc enim cum ſtrepitu valido recipiens vas, aut alembicum candeſcit, ejusque parietibus ſub pulveris ſubtiliſſimi & purpurei ſpecie adhæreſcit, à ſalibus per exploſionem liberatum.

Flores iſti cum ſpiritu vini, cum ſale volatili urinæ acuato, elegantem auri tincturam ſuggerunt. Alius modus parandi hos flores per deflagrationem cum ſpiritu vini, ab omni phlegmate depurato, in campana vitrea, uti fieri ſolet in deſtillatione olei ſulphuris, videatur in BEGVINI *Tyrocin. Chym. pag.* 356. ex quibus floribus cùm tinctura tartari extrahi poteſt elegans tinctura, egregiè ſudorifera & alexipharmaca, relinquens corpus album in aurum irreducibile. Alium modum per retortulam cupream parandi *flores ſolis* ex hoc auro fulminante, videbitis in GLAUBERO *Part.* 2. *Furnor. Philoſoph. cap.* 26.

In *Calcinatione vaporoſa*, quam AUTOR deſcribit ex PARACELSI *Tract. de Morte Rerum*, qui hoc modo vitriolum & ſulphur vitrioli ſolare parat, *genuina videtur Epicriſis* HOFFMANNI *in Clave pag.* 204 crocum iſtum ex auro effloreſcentem potiùs eſſe Veneris filium, quàm auri prolem.

Calcinatio amalgamatoria eſt, quando aurum liquefactum miſcetur cum Mercurio, quo ipſo coeunt in conſiſtentiam pultis ſeu butyri in crucibulo, quod in omnibus metallis poteſt fieri, excepto Marte, in quo difficillimè fit ob paucitatem Mercurii; & ſic aurum in minutiſſima redigitur. Calcinatio hæc, & diverſi ejus modi ab Autore conſignati, non eſt rejicienda, cum fiat per menſtruum auri corpori admodum homogeneum, ipſique amicum, & inſervit calx ſolis hoc modo parata aliis remediis parandis. Amalgama tale ſolare eleganter per ſe præcipitari poteſt in pulverem rubicundum, quem videbitis in ZWELFFERI *Mantiſſa Spagyr. pag.* 32. Idem amalgama per exhalationem à Mercurio liberatum, & cum ſulphure calcinatum, dat crocum auri admodum elegantem, quem videbitis in ZWELFFERO *citato loco pag.* 320. Hunc crocum ſolis ulteriùs BASILIUS extrahit cum ſpiritu ſalis per ſpiritum vini dulcificatum, & hoc eſt, quod factâ menſtrui abſtractione, Germ. *den Purgier-Mantel* appellat.

Obſervandum autem, quod pro feliciori uſu Medico crebriùs amalgamandum ſit, ut hac ratione in ſubtiliorem redigatur pulverem, ad imitationem nempè modi, deſcripti *in Proceſſibus de Auro Poterii, Salæ pag.* 284. Ad ℥ij. *Solis* requiritur *Mercurii vivi purgati* ℥j. vid. WEDELII *Pharm. pag.* 242.

Facit huc elegans *Crocus Auri* ex ejus amalgamate reſtitans, poſtquam Mercurius per aquam fortem denuò fuerit ſeparatus, ac deſcribitur *in Tumba* SEMIRAMIDIS *cap.* 5.

Quoad *Calcinationem cementatoriam*, hæc cum ſulphure & auro crudo ſimpliciter non procedit, benè autem poteſt procurari hic labor ex auro primitus calcinato, uti docet hunc modum ZWELFFERUS *Mant. Spagyr. pag.* 320. Quoad *Cementationem cum ſale communi*, quatenus aurum à ſpiritibus ſalis adjectis ſolvitur in ſubtilem pulverem, prout videbitis in ANGELI SALÆ *Chryſol. pag.* 225.

Aurum cum cornu cervi uſto fruſtra tentatur; benè autem *calcinatio cum cornu cervi crudo*, ab AUTORE ex AGRICOLA *Artic. de auro pag.* 27. deſcripta; Unde *Cornu cervi ſolare*, vel etiam *Cornu cervi cum Auro calcinatum*; quâ ſubtiles auri laminæ cum cornu cervi recente in taleolas inciſo, aut ejus raſura, faciendo ſtratum ſuper ſtratum, in pulverem purpureum, in medicina admodum proficuum, redigi poteſt. Nempè ſi in pyxide quaſi cementatoria ſeu crucibulo fiat ſtratum raſuræ cornu cervi, cui imponatur lamella tenuis auri, & ſic pergatur uſque ad ſummitatem vaſis, quod exactè clauſum primò igne blando arenæ, ſucceſſivè magis magisque intendendo, tractetur, dein eximatur, ſimpliciter teratur, iterum calcinetur, donec colorem eleganter purpureum acquirat. Etenim perfecta auri calcinatio dici nequit; non enim à ſale volatili cornu cervi, aliisque volatilibus & urinoſis, crudum aurum ſolvi poteſt: ſaltem ſe inſinuat in auri poros, idque eò faciliùs, quò tenuiores ſunt lamellæ, & penetrando leviter iſtud facilè cum reliquo corpore cornu cervi miſcibile reddunt, ac inde à ſole acquirit colorem purpureum. Interim etiam cornu cervi hoc ſolare uſum habet non contemnendum in dyſenteria, præſertim epidemica, febribus malignis, petechialibus, peſtilentialibus, purpura puerperarum, aliis-

aliiſque, ubi opus eſt expulſione &c., cum fluxibus alvi & ſimilibus; auro nempè ita non nihil alterato promptiſſimè abſorbente acida iſta ac corroſiva fermenta, unde dicti affectus oriuntur.

Volatiliſatio auri, hoc eſt minutiſſimarum ejuſdem particularum mediante menſtruo acriori per retortam vel alembicum deſtillatio, variis modis fieri poteſt: Præ cæteris *ſpiritus nitri bezoardicus* ex butyro antimonii cum ſpiritu nitri præcipitato & abſtracto, hic efficax eſt, qui ſingulariter ſolvit non ſolùm aurum, ut poſſit extrahi tinctura, ſed prætereà quoque idem ſecum rapit per retortam, ut in forma cryſtallorum rubicundarum hinc inde in alembico vel retorta adhæreat: Conf. BOYLE *de orig. Form. p.* 260. item HOFFMANNUS *clave pag.* 206. Beneficio ſalis volatilis urinæ poteſt aurum in flores ſublimari: Sic HELMONTIUS *Tract. Progymnaſma Meteor.* §. 6. etiam habet egregium modum, aurum in forma olei punicei per retortam deſtillandi. Curioſus etiam eſt labor, quo aurum peculiari menſtruo ſolutum in corpus rubini inſtar, ſeu aurum tranſparens, per retortam ſublimatur; vid. M. A. N. C. *anno* 6. *Append. pag.* 94. Facit huc, quod refert BOYLE *in Chym. ſcept. tom.* 2. *p.* 4. quod nempè ex regulo antimonii ſtellato, cum auro miſto, deſtillari poſſit, mediante Mercurio ſublimato, *regulum ſolarem* rodente, butyrum antimoniale, quo ipſo ſimul magna pars auri rapiatur per Retortam. Aliàs docet ZWELFFERUS *in Mant. Hermet. pag.* 331. deſtillare ſpiritum ex auro nativo ſeu apyro pro auri ipſius ſolutione per deſtillationem igne forti per retortam, quo ſolvere aurum & volatiliſare, ſeu in ſalem volatilem transferre intendit. Ad volatiliſationem pertinet quodammodo *ſublimatio auri*, cujus procedendi modus & compoſitio eſt hæc:

℞. *Auri bene depur.*
Reguli Antimonij, ana. part. æqual.

Sublima cum *ſale ammoniaco* bis vel ter, ſemper ſublimatam materiam fecibus adjiciendo: tandem pulverem ſubdulcifica ſeu lava in aqua vulgari, & remanet pulvis ſubrubeus.

Doſis ſunt gr. ij. vel iij. in vino; movet egregiè ſudorem.

Sed omnes hæ volatiliſationes ſunt Præparationes ſuperficiales, quia crudam auri calcem, integrum nempè corpus in minutiſſima ſui corpuſcula redactum, adhuc continent, quæ per ſalia alcalia reduci poſſunt in aurum corporale.

Auri ſoluti in minima ſua corpuſcula genuina extractio volatiliſationi vicina, dat *Eſſentiam* ſeu *tincturam ſolis*, quæ aurum potabile ordinariò dicitur; de quo multæ ſunt concertationes, quoniam non nudæ ſolutiones pro auro potabili habendæ, quæ per ſalia alcalia ſunt reducibiles, ſed potiùs talis requiritur auri ſolutio, ut tota compoſitio miſtionis ſit reſoluta, & aurum perfectè in ſua principia ſit redactum. Normam præſcribit PARACELSUS, qui dicit; quod in Auro potabili parando primus gradus ſit, ut Aurum fiat volatile, ut non amplius poſſit reduci: hoc facto poſt modum cum ſpiritu vini facilè poteſt elici vera tinctura auri, vix enim ſine ſpiritu vini verum Aurum potabile præparari poteſt; uti hoc non tantum HAUPTMANNUS *in ſcripto Colliſivo*, ſed in ſpecie TACKIUS *de Conſangv. auri, ſacchari, & vini*, ſufficienter confirmat. Sed genuinam & rigoroſam talem tincturam, ſeu ſulphuris ſolaris extractionem, videre hactenus non contigit apud ullum vel ſcriptorem vel Chymiatrum; adeoque quæ hactenus hoc nomine venerunt, ſunt ſaltem vel ſubtiliores & elegantiores, plus minus profundę auri ſolutiones & exaltationes, vel menſtruorum colorationes, non verò extractiones.

Cauſa difficultatis genuinæ auri tincturæ eſt, quod ad negotium hoc requiratur deſtructio ipſius ſolaris corporis, quod tamen facilius eſt conſtruere quàm deſtruere, omnibus Chymicis; ſulphure enim ſolis ſeu ſubſtantiâ tingente extractâ, auri corpus integrum eſſe nequit. Nam quod de deſtructione ſulphuris metallorum interni & externi ex Helmontio plures aſſerunt, hactenus à pauciſſimis intellectum, à nullo realiter demonſtratum fuit. Jam verò cum ex cæteris ignobilioribus metallis hactenus nullo artificio ſulphur tingens extrahi potuit, quid de auro putandum erit, omnium concentratiſſimo? ad hæc Tincturæ ſolares omnes ſolent eſſe rubicundæ admodum, & ſcarlatinæ, Germ. *Scharlach-roth*; rubedo autem omnis concentrata flavedo eſt: Quantum ergo ſolis in ſe intensè flavi pro concentratione ſui in rubicundam Tincturam requireretur? quæ tamen adeò facilis & copioſè vulgò acquiritur. Ad hæc omnes illæ, quæ per menſtrua corroſiva fiunt, ſuſpectę ſunt, ex eo, quod menſtrua talia ex parte tenaciſſimè auro adhæreant, & vix ullâ arte ſeparabiles ſunt; & ſi ſeparantur tandem, ut in auro fulminante poſt ſui detonationem fit, nil niſi integri auri pulvis reſtitat, ulteriùs diſſolvendus & extrahendus.

In parando ergo Auro potabili prima cura debet eſſe in vero menſtruo, quo ſolvendum & volatiliſandum eſt aurum; ubi ante omnia notetur quorundam phantaſia, qui voluerunt parare Aurum potabile per excrementa aurium; alii per fimum columbinum, alii per aerem fatuum captum; & ſic porrò, uti recenſet AGRICOLA *in Poppium in Tract. de auro.* Sed relinquo hæc, cùm ad verum aurum potabile parandum alia, quàm hactenus nota, requirantur menſtrua, vel talia, quæ ſine corroſivitate, & ſine acrimonia ſalina, aurum non tàm violenter ſolvunt, quàm ſuaviter colliquefaciunt, & ejuſdem corpus penetrando, ejuſdem compagem exactè ſolvunt. Talis menſtrui facit mentionem AGRICOLA *citato loco pag.* 22. & dicit, ſe vidiſſe menſtruum inſipidum nullo modo corroſivum, quod aurum in Colorem rubicundiſſimum digerendo ſolvit, quo abſtracto alembicum quaſi lamellis aureis obductum apparuit: & MEIERUS *in ſcripto Chymico pag.* 385. de Americanis refert, quod per menſtruum quoddam inſipidum aurum ita mollefacere poſſint, ut inſtar cerę digitis tractare, & ita lacunas imprimere queant, gemmaſque ita inſerere, obfirmatis undique labris & oris; Et quidem quod hoc menſtruum non poſſit eſſe ex corroſivis, patet ex eo, quoniam aliàs non poſſet tractari aurum cum digitis: MICHAELIS armillam ex hujuſmodi auro hoc modo pręparatam vidiſſe dicebat: LAUREMBERGIUS *contra Salam Aphor.* 5. ſimiliter affirmat, ſe vidiſſe talem aquam inſipidam, in qua aurum ſine omni corroſivitate liqueſcat inſtar glaciei in aqua calida: Chymicus Archiepiſcopi Lovicenſis habet aquam colore albicante, ſapore parum ad vitriolicam naturam inclinante, in qua aqua aurum ſpatio ſex horarum inſtar ſanguinis rubeſcit, & aurum exactè reſolvitur: hujuſaquę ſole imprægnatę in omnibus ferè morbis aliquid dat ægris cum felici admodum ſucceſſu: quod ſi abſtrahatur menſtruum hoc, remanebit in fundo liquor craſſus, & quaſi oleoſus, ſaporis ſubdulcis, & in igne coagulabilis. BARTHOLETUS *l.* 5. *de Reſpirat. cap.* 3 *pag.* 413. parare conatur aurum potabilę cum menſtruo inſipido ex lapide Lazuli, utpotè in quo primum Ens auri latere putat. Quę habet AUTOR noſter de *Oleo auri rubicundo*, videbitis apud eundem: ZWELFFERUS *in Mant. Hermet. pag.* 331. ſimiliter deſtillat ex Marcaſita auri liquamen ferè inſipidum, quo ipſo ſimiliter aurum ſolvere, & potabile reddere intendit. Sed hęc ipſa cum ipſa phęnice certant.

Conſiderandum porrò & hoc; pauciſſimum ſulphur eſſe in auro, Mercurio integram corporis molem conſtituente. Dubitare ergò meritò quiſpiam poſſit, an aurum integrum exactè volatiliſatum, & adeò in corpus irreducibile, ſed ſummè penetrabile redactum, (quale eſt illud BECHERI *in Phyſ. ſubterran. pag* 484.) non idem pręſtare poſſit? aut etiam ampliùs quid certis in caſibus, quàm nudum ejus ſulphur? cum ex Mercuriali principio parata remedia vi correctivâ vitioſorum corporis ſaporum ſint appropriatiſſima, ut ex Mercurio vulgi notum eſt. Tincturę ergò ſolares hactenus cognitę & originem ſuam & efficaciam Medicam habent, vel ex menſtruis vulgi ſub multiplici pręparatione adhibitis, & hinc variam Tincturam & effectum medicum obtinentibus, vel ex eorum cum ſolis calce ſeu croco cerra & nova textura, indequè novis acquiſitis qualitatibus, ut ſic ſub ſolutione, ſive ſub pręcipitatione, & repetita ſolutione; ſive exaltatione, textura iſta emergat: parili nempè ratione atque luna in aqua forti ſoluta, prout diverſimodè pręcipitatur, etiam diverſas qualitates & vires acquirit; conf. BECHERUS *Phyſ. ſubterran. l.* 1. *pag.* 407 Vtplurimum etiam Tincturę ejuſmodi non tam poſitivè, quàm privativè acida morboſa ſubtilia ac acutiſſima figendo, & potenter corrigendo, operantur: forſan etiam ratione corporis quaſi aperti, & ſulphuris plus minus extraverſi, vim anodynam & confortativam exerunt, utut hęc operandi ratio admodum intricata ſit: unde hyperbolicę iſtę laudes & pręſentanei effectus Tincturis hujuſmodi tributę non priùs admittantur, quàm morbi ejuſque cauſarum exacta ratio, ipſius pręparationis, & inde nati remedii accurata conſideratio, & omnis concurrentium circumſtantiarum circumſpecta trutinatio ſit inſtituta. Facillimè decipitur, qui facilè credit; nec ſatisfacit ad genuinę Tincturę ſolis legitimationem, tam relicti corporis, quàm ipſius Tincturę, irreducibilitas. Nam utut hęc omnia omninò requirantur, tamen integrum auri corpus ita vel attenuari, vel volatiliſari, vel per menſtruorum adhęſiones iterum mutari poteſt, ut modis hactenus cognitis reduci nequeat; interim tamen integrum auri corpus permaneat (conf. BECHERUS *Phyſ. ſubterran. pag.* 480.) non ſecus ac luna cornea olim reduci tota non potuit, quæ tamen per artificium â KUNCKELIO *monſtratum Obſ. P.* 1. *Lit. G. n.* 5. hodie omnis reduci poteſt.

Patet ex his etiam, quid de *luna fixa*, ſeu corpore poſt auri ſolutiones vel extractiones reſiduo pallido vel albo, ſed fixo in igne, ponderoſo, & aquæ forti reſiſtenti, adeo ut nil niſi Tinctura ſeu flavedo ſolis deficiat, habendum ſit? Nempè pauciſſimi pro vero, ſed potius pro non-Ente, & fallacia ſaltem Chymica habent, dum corpus ſolis ita appareat; quia quędam ſalia tam intimè ſe cum eo conjungunt, ut etiam fuſionem patiantur; quę ſi poſteà cum antimonio, vel cum Marte, auferantur, rurſus ſplendeſcit aurum. Id quod patet ulterius; quod iſtæ Tincturę ita paratę dent aurum per reductionem, quod non feciſſet ſolum ſulphur ſolis extractum, & aurum poſt recuperatum ſplendorem levius reperiri ſolet, quia abſceſſerunt ſalia: Conf. BECHERUS *Lib.* 1. *pag.* 485. Equidem curioſum eſt, quod HAUPTMANNUS *in ſuo ſcripto colliſivo contra Dethardingium*, præter modò dictam lunam fixam ordinariò ficdictam, ex corpore auri extracto reſiduam, adhuc alius lunæ fixæ naturalis ex mineris quibuſdâ parabilis mentionem faciat p. 81. quę ipſa primitus aurum fuerit, ſed cujus Tinctura ſucceſſivè denuò exhalarit, reſtitante ſaltem corpore albo fixo: ſed non immeritò ſuſpicari poſſit,

fit, probas non exactè adeò forsan fuisse institutas, cum in hac arte ex mineris eliciendi metalla plures defectus adhuc observentur, quæ impediunt, quominus exactè adeò metalla ex iis haberi queant.

Præterea etiam lunam fixam ex luna vulgari arte paratam, à Venere postmodum in aurum tingendam, insinuat *pag.* 17. sed cùm occultârit parandi modum, de hoc certi quid determinari non poterit. Ex quibus etiam patet, quanti pretii sit solis anima? quam elicere gestiunt quidam, & quæ vel Mercurium, vel Argentum in aurum tingat. Sanè si aliam, præter lapidem philosophorum, tingentem substantiam seu animam ex sole elicere gestiunt, hi ab homogenea & firmissima auri textura omninò eluduntur; quicquid etiam dicat MORHOFF *Transmut. pag.* 70. & 74. Nam historia, quam ibidem refert, potiùs vim tingentem in aqua forti fuisse, ostendit copiosior lunæ transmutatio, quàm ipsum aurum fuerit, cui animam extraxisse putabant: Huic parallelam historiam videbitis in BECHERI *Phys. subterran. lib.* 1. *pag.* 61. Adeoque sub genuinæ Tincturæ solis defectu saltem elegantiores auri solutiones, & subtilisationes pro usu subinde non inefficaces, comparare studet AUTOR, & quarum epicrisin videbitis in HOFFMANNI *Clave*: pro quarum extractione convenientissima menstrua videntur *spiritus vini microcosmicus*, seu sale volatili urinæ acuatus; & hinc etiam *aqua temperata Basilii Valentini*, seu spiritus salis dulcis. Similis farinæ est *Tinctura Auri Clauderi*, quam *Tr. de Balsamat. corp. pag.* 202. parare docet per Tritum cum fuligine, calcinationem, & spiritum salis ammoniaci.

In specie quod attinet *primum modum* AUTORIS *nostri*, qui fit cum spiritu vini, sale urinæ aliàs acuato, color potius est à menstruo (quod tamen subtiliores solis particulas imbibit) quàm à sole.

Rectè AUTOR menstruum hoc lenissimo balnei Mariæ calore ad olei rubicundissimi consistentiam separare jubet: errat è contrà, ubi solutionem per cucurbitam ex arena ad terram nigram spongiosam destillare injungit; de sole enim cum hoc menstruo nihil per retortam vel cucurbitam prodit. Tinctura igitur extracta potius asservanda, quàm destillanda.

Sunt non pauci, & inter hos BORELLUS C. I. *obs. Medico-phys.* 6. qui Tincturam solis seu Aurum potabile parare intendunt per spiritum roris majalis, & illi attribuunt magnas & multas virtutes. Præparandi modus est talis.

♃. *Mineram Solarem Ungaricam* in silice repertam, in crucibulo priùs ignitam, & in Spiritu Vini extinctam; quod aliquoties repetunt, pulverisant, & *sequens menstruum* affundunt;

Roris majalis ex tritico collecti quantitatem, ponunt in digestionem, vel putrefactionem in fimo equi per quatuor septimanas, filtrant, & destillant per balneum Mariæ: phlegma in fundo remanens est liquor salinus rubicundus, qui per retortam pellitur, igne aperto: hinc adscendit (1.) spiritus seorsim colligendus, (2.) oleum & sal volatile: spiritus hic à Tinctura auri iterum abstrahatur, remanente Essentiâ liquidâ, cujus dosis sunt guttæ vj. ad x.

Oleum acre & sal volatile roris majalis corpus solis pariter corrodunt & solvunt.

Potest etiam parari Aurum potabile per spiritum nivis, idque ex tempore, tempore hyberno in Museo, quod Aurum potabile magnarum prædicatur virtutum: vid. de hoc BARTHOLINUS *Cent.* 3 *Epistolarum pag.* 256. & hoc ad eum scribit LANGELOTT, *Archiater Gottorpiensis*, BECHERUS *in Medico Microcosmico pag.* 67. *Editionis Londinensis in* 12. vel sub nomine *Panaceæ solaris pag.* 97. præscribit modum parandi *Aurum potabile* non inelegantem, & qui habet aliquid in recessu. Descriptionem videbitis in *citato* AUTORE. Et certè si accipiatur terra solaris Ungarica, de quo in præcedentibus locutus sum, credo, quod meliùs adhuc procedet operatio.

In modo 2. notabile est, quod Tincturæ solares cum spiritu salis, nitri, aut aliis salinis corrosivis, paratæ, aliquot guttularum dosi assumptæ, omnia excrementa alvi nigerrimo tingere soleant colore, factâ scilicet calcis auri præcipitatione, & à menstruis in intestinis separatione. Aliàs liquorem solis cum spiritu salis ejusque hyperbolicas laudes, videbitis in GLAUBERO, *P.* 2. *pag.* 20.

In modo 4. observandum, quod non omne butyrum Antimonii, aut inde paratus spiritus vitrioli philosophicus, aurum solvere soleat: si enim cum Mercurio sublimato vulgari præparetur butyrum Antimonii, neque hoc, neque exinde paratus spiritus vitrioli philosophicus, aurum nullo modo solvunt; si verò Mercurius vivus solvatur in spiritu nitri, hic præcipitetur cum sale communi q. s. & exinde abstrahendo menstruum ita intendatur ignis, ut acquiratur sublimatum crystallinum, hinc Mercurius sublimatus pro præparatione butyri Antimonii usurpatus dat butyrum, quod solvit aurum, ut etiam exinde paratus spiritus vitrioli philosophicus.

Sextus AUTORIS *modus* per spiritum nitri Bez. elegans est; si enim ritè procedatur, per repetitas cohobationes aurum cum spiritu nitri ex parte transire solet: Conf. HOFFMANNI *Clavis pag.* 205. Corpus album fixum remanet, quod ab alia aqua Regia non amplius attingitur, propter salia intimè conjuncta, ut supra dictum.

Quoad *modum* septimum: miror, propter quem finem oleum Saturni tam crebrò adhibetur ad tincturarum solis extractiones, cum reverà hoc fit ex aceto, parum vel nihil de Saturno participans.

Quoad *modum* 8. Meliorationem processus hujus cum spiritu salis, & inde non inelegantem tincturam, videbitis in ZWELFFERO *Mant. spagyr.* 2. *pag.* 322.

Quod attinet modum 11. cum spiritu Mannæ: in Manna certum est, quod latitet spiritus extrahens, beneficio cujus etiam extrahi potest tinctura coralliorum, & ita etiam ex croco auri, vel calce auri rubicunda potest extrahi tinctura, vel, sicut AUTOR dicit, ex calce auri fulminante in flores redacto; qui processus aliquid habet in recessu. Sanè Manna, præsertim cum spiritu roris Majalis, sereno cœlo collecta, legitimè præparato spiritui juncta, suggerit menstruum ac sal volatile, quod *Mannæ Mercurium* vocant, pro extrahendis mineralium tincturis egregium, & magis præsentaneum. Nec inelegans est hic auri hujus tinctus liquor seu *Aurum potabile cum Mannæ spiritu*:

♃. *Mannæ rec.* q. s. v. g. ℔ij.

Imponatur cucurbitæ vitreæ, & vel igne ex arena destilletur; prodibit spiritus cum oleo junctus: oleum separetur per tritorium à spiritu; semper denuò immittatur in retortam parvam, & igne lento cinerum proliciatur spiritus, & si videantur aliquot guttæ supernatare olei, separentur, & tertiâ vice ponatur in retortam, iterumque lento igne destilletur. Jam porrò

♃. *Auri limati* p. j.
Mercurij vivi p. ij.

Fiat amalgama, quod affundatur in aquam calidam, & hinc per corium trajiciatur, remanente amalgamate in corio instar coaguli. Jam

♃. *Hujus amalgam.* p. j.
Flor. sulphuris p. iij.

Simul commixta imponantur crucibulo, ad ignem lentum continuò agitando spatulâ ligneâ, ne sulphur accendatur. Deinde, quando observatur, sulphur totaliter abiisse, augeatur ignis, ita ut aurum igniatur, ignitum stet per mediam horam, & invenietur aurum, quod nonnihil intumuerit.

♃. *Auri hujus* p. j.
Spiritus Mannæ p. iij.

Imponantur simul in Phiola in cineres calidos per 8. dies: quibus elapsis erit spiritus rubicundus, qui per inclinationem decantetur, alius affundatur, stet per alios 8. dies & noctes, iterum separetur, & hic labor toties repetatur, donec aurum album instar lunæ in fundo existat: liquores tincti abstrahantur per cucurbitam ad consistentiam debitam.

Modo 12. conf. *Tartaro-mastix Moroviæ* JOHANNIS FERDINANDI HERTHOII, qui *P.* 2. *pag.* 257. per spiritum vini & sal tartari volatile invicem juncta, adeoque per *Valentini Mercurium vivi*, item ad imitationem RAYMUNDI LULLII, nobilem tincturam solis præparat, ubi per lunarem intelligit vinum. Potest etiam pro majori dilucidatione conferri BENZON *in Farrag. Philos. pag.* 13. item ejus *Hand-Griffe Lullii*, ubi ejus præparatio etiam clarè ostenditur.

Dum AUTOR in *Nota* ad hoc aurum potabile, sublimationis cum sale ammoniaco mentionem facit, conf. HOFFMANNI *Clav. pag.* 313. ubi habetur elegans encheirisis ad sublimandum crocum solis.

AUTOR *modo* 13. habet *Aurum potabile Francisci Antonii*, quod aliàs etiam vocatur *Aurum potabile Londinense*, quo ipso magni effectus sunt præstiti, & propterea in magno habitum fuit pretio. Decantatissimæ hujus tincturæ loco multæ prostant, ut sic dicam, descriptiones: quænam autem vera sit? nescitur: magis tamen genuina hæc Autoris videtur, utut satis cruda, quoniam nondum perfectè est cognita descriptio ANTONII. Defensionem hujus auri potabilis Londinensis videbitis in BORRICHIO *Hermet. sap. pag.* 290. Aliam descriptionem habat satis elegantem SALA *in Chrysolog. P.* 2. *pag.* 223. B. MICHAELIS ita parare solebat hoc *Aurum potabile Londinense*.

Aurum solvebat *in Aqua Regia*, cum sale ammoniaco facta; solutionem per retortam abstrahebat & cohobabat toties observando, & seorsim colligendo ultimas guttulas intensè tinctas, & admodum graves, donec omne aurum in forma olei crassi rubri cum aqua forti prolectum fuerit; quod intensè tinctum observatur: nam & collo & summitati retortæ adhærere observatur oleum ruberrimum, quod tamen, simulatque post separationem vasorum aere adspiratur, colorem flavum nanciscitur: Liquor iste ruber blando calore inspissatur: quod remanet cum floribus sulphuris aliquoties reverberatur seu candefcit; sic auri corpus habetur pristinum, sed admodum molle. Huic auri calci affunditur oleum Saturni rubrum vel flavum, ponuntur invicem in digestionem, donec hâc aliquandiu continuatâ Tinctura perfecta elicita fuerit.

Demo-

De modo 18. conf. propter quasdam encheirises SALA *de auro potabili pag.*227. item HOFFMANNUS *clav. pag.*214.

Modo 20. habet AUTOR *Unicornu solare* seu *Mannam* solarem, cujus præparationis Autor est MYNSYCHTIUS *p.*7. Hic menstrui solaris mentio fit ab AUTORE, de quo videatur ZWELFFERUS, qui marcasitam habet solarem, ex quo destillat menstruum insipidum.

Mentionem quoque facit AUTOR *Tincturæ solis* beneficio oleorum aromaticorum præparatæ. Inter hos pariter est MYNSYCHTIUS, qui habet *Tincturam auri cum oleo* destillato *cinnamomi*, qualem & GANZLANDT, *Medicus Dresdensis*, habuit magnarum virium; in qua aurum beneficio salis dissolutum erat: vid. ZWELFFERUS, ubi præscribit modum præparandi crocum solis beneficio salis gemmæ, communis, nitri, &c. Præparatio est non inelegans, & multum habet in recessu. De his autem Tincturis, an sint veræ? genuina est Autoris censura. Pertinet huc *Balsamum solis* similiter cum oleis destillatis aromaticis factum instar balsami sulphuris, de quo ZWELFFERUS *in Mant. spagyr. pag.*330.

Hinc inde plures prostant Tincturæ solis. Ceterum utplurimum sunt falsæ, aut certè nudæ solutiones, quæ tamen, utut non sint genuinæ, tamen suo modo non sunt contemnendæ, sed habent vim analepticam, restaurativam, quæ plus minus tamen variat, prout de sulphure solis, aut menstrui virtute analeptica plus minus participant. Plura qui de Tincturis & extractionibus solis cupit, adeat TILEMANNUM, *ejusque processus circa solis extractiones*; item ANGELUM *Salam in Chrysol.* item *de Auro potabili*: *Vid.* etiam ORTELIUS *in Comment. in novum Lumen Chym. Sendivog. pag.* 452. *&* 453. *Vol.*6. *Theatro Chymico*; non secus ac *eodem volum. pag.*460. item TACKIUS *Tr. de Consanguin. auri, sacchari, & spiritus vini*, utut KUNCKELIUS *in obs. P.*2. *pag.*127. *Aurum potabile cum sacchara paratum*, non auri, sed *sacchari Tincturam* esse rectè asserat.

Salificatio auri est nulla, utut per corpora & menstrua salina addita in corpus saliforme aurum possit redigi.

Mercurificatio auri est per quàm difficilis, unde multi dubitant, an detur verus Mercurius metallicus seu corporum? Præparationem tamen Mercurii solis non inelegantem videb. in *Libavio in syntagm. de Herm. lib.*7. *c.*14. & *Theatri chymici Tom.*2. *pag.*137. Sanè, quod detur Mercurius solis, testatur experientia: siquidèm *Generalissimus* ARNHEIM habuit talem Mercurium solarem, cujus δοκιμασία fuit, uti supra dixi, quod noctu agitatus scintillas igneas reddiderit, & de se sparserit. Hic si posset haberi, certum est, quod plura præstet in Transmutatione metallorum, quàm Mercurius vulgaris: imprimis quidem in lue Gallica præsentissimum erit remedium, quia sine salivationis noxa jucundè & tutò peragit peragenda; cùm aliàs Mercurius sit alexipharmacum luis venereæ. Confirmat P. TREMELLIUS *Comiti* MONTECUCOLI *à* consiliis sacris, qui affirmavit D. Herbenio, vidisse se suis oculis propriis instrumentum, cujus beneficio ex Auro Ungarico currentem Mercurium ferè momento & in instanti elicuerit. Inventor hujus fuit Græcus, ait idem Pater: quod si nimis violenter & nimio motu tractetur instrumentum hoc, statim reverberari in pulverem, atque nimio motu incalesceret. Sic EDWARDUS KELLAEUS *Scotus*, egregius chymicus, in auro leviter fuso foramen usque ad centrum molis fecit, in quo *pulverem album* inclusit, & massam hanc simul in vase fictili adaptavit, & circumfuso *spiritu vini* igni admovit; ex calefacta mole omne ferè aurum in Mercurium currentem fuit conversum. Quæsitum fuit: *qualis nam pulvis fuerit injectus?* PENOTUS innuit, Mercuriale medicamentum fuisse, quoniam unica & sola res sit in mundo, quæ firmitatem auri, igni etiam validissimo resistentem, domare posset; quæ res nihil aliud sit, quàm *pulvis ex crystallino sublimato* in aqua regia soluto, addito sale tartari, quod est Restitutor vitæ congelati Mercurii.

CAPUT XI.

DE

LUNA seu ARGENTO.

Luna seu *Argentum*, Planetarum terrestrium secundus, respondens cum secundo inter cœlestes, metallum, excepto sole, est perfectissimum & nobilissimum, ob sulphuris figentis, minus tamen quàm in sole copiosi, potentiam, & Mercurii depuratissimi in copiosa terra salina perfectam & exactam mistionem. Cum auro in radice convenit & magnam convenientiam habet, *adeo ut etiam luna rectè dicatur Aurum imperfectum, cui tantùm fixitas & tinctura desit.* *Revera* enim est nihil aliud, quàm Aurum nondum perfectè maturatum, quia scilicet sulphur ejus nondum debitum fixitatis gradum acquisivit, & hinc candidum mansit. Hinc etiam in luna certè semper aliquid solis reperitur, & si tota deflagret, in fundo aliquot grana auri perfecti reperiuntur. Est igitur corpus Mercuriale coagulatum à sulphure admodum puro, nondum sufficienter fixatum: nam modò luna fixetur ita, ut resistat igni instar auri, tunc facilè ipsi anima auri vel Tinctura potest communicari; quod vel per cuprum, vel per antimonium, in quibus sulphur solis immaturum esse creditur, præstare conantur: videatur HAUPTMANNUS *in scripto collis. pag.*139.

Mineræ, ex quibus eruitur, sunt multiplices: ad quas etiam pertinet *minera argenti rudis rubra*, seu ut vocant Germ. *rothgulden Ertz*, item minera dicta *Glass-Ertz*. Nam *rothgulden Ertz* est minera copioso arsenico juncta, de quo vid. ZWELFFERUS *Mant. spagyr. pag.*332. sicuti idem per Mechanicam potest probari: si enim recipiuntur *lapidis magnetis arsenicalis* p. ij. *lunæ* p. j. & invicem fusionis igne commisceantur, *tum exinde fit verum rothgulden-Ertz*. Minera verò *Glass-Ertz* dicta, constat, ut hoc mechanica docet, ex sulphure & luna; ex luna enim, sulphure & pauco sale communi fusis, *fit verum genuinum Glass-Ertz*.

Luna in mineris suis etiam aliis ignobilioribus metallicis juncta est: nam uti rara est luna, quæ non etiam aliquid solis contineat; ita ordinariè cum Venere juncta est, exceptâ eâ, quæ instar capillorum ex sua minera crescens, luna capillaris, Germ. *haaricht oder gediegen Silber* appellatur; quo nomine etiam apud Gesnerum in peculiari scripto Latino Veteri venit: hoc enim purum est, uti per experientiam edoctus mihi asseruit supremus minerarum Præfectus, *Dominus à Schonberg*, vir in Metallurgia & Chymia experientissimus; qui simul observavit, quod rasura hujus lunæ capillaceæ à gr. vij. ad ℈ß. sub forma pulveris exhibita, partum difficilem auspicatò facilitaverit; cujus tamen rei experientiam non habeo.

In Misnia, Annæbergæ scilicet & Freibergæ, aliisque locis, sponte suâ, solâ naturæ ope, impetu quasi facto proruit & penetrat. Luna hæc capillacea arte quoque fieri potest: consistit autem artificium in eo, ut lunæ fusæ successivè parum superinjiciamus sulphuris; sic enim sulphur, quoad partem pinguem deflagrando, relictâ parte acidâ agit in lunam, & dum particulæ lunares avolare nituntur, compedibus sulphuris impeditæ in ejusmodi efflorescunt capillos. Vel solvatur luna in aqua forti, coaguletur ad consistentiam salis: hoc forti igni admotum in pilos tenues excrescere incipit. *Scripsit de luna capillacea artificiali* KUNCKELIUS *in suis Observ.* ac in specie BALDUINUS *de Germinatione Argenti*. Mentio apud hunc quoque occurrit *Germinationis philosophicæ*, quando ex luna & Mercurio in aqua forti solutis, conficitur ejusmodi *Arbor argentea*, *philosophica*: qualis etiam ex terra antimoniali certâ lege cum parvis malis seu pilulis aureis fieri potest, quamque habuit WENDLINGES. *De Philosophica* hac *Germinatione* scripsit prolixiùs FABRICIUS BARTHOLETTUS (Autor rarus & bonus ARCHIATER MANTUANUS, Italus eruditus, quique Galenicos cum Chymicis conciliare voluit) in sua *Encyclop. Medica*.

Propter dictum cum Venere commercium dependet diversitas operationis remediorum lunarium; nam ea multum adhuc de Venere participant, unde insignes nauseas & vomitus movere solent: Conf. BOYLE *Tentam. p.*83. Cum è contrà ex luna pura remedia laxativa admodum debilia esse soleant, ut observavit LUDOVICI *in Pharmac. pag.* 229. adeòquè vis laxativa aut vomitoria lunæ à Venere primatiò dependet; id quod etiam confirmat calx & luna potabilis, quæ à Venere separata absq; evacuatione, simplici alteratione operatur: Conf. *Kunckelius Obs. P.*1. *Lit. G. num.*6. *P.*2. *pag.*13. Ergò ex luna saltem remedia alterantia habemus, earumquè omnium consensu cephalica, apoplecticis, Melancholicis, Maniacis, Memoriæ defectum patientibus, vertiginosis, & similibus aliis capitis affectibus dicata; utut eorum immediata operatio ultra primas vias non videatur extendi.

Ut ad *Usum Medicum* adhibeatur, ante omnia purificanda erit, quæ purificatio propriè consistit in separatione ab ignobilioribus metallis, speciatim Venere, quæ difficillimè separatur. Purgatio fit vel 1. per calcinationem immersivam cum aqua fortis, quæ est spiritus mineralis acris, destillatus ex vitriolo & nitro, pro separanda luna à Sole; vel fit 2. per fusionem cum Saturno, pro separandis reliquis metallis, quemadmodum AUTOR sufficienter præscribit. Verum est, Saturnus multum hìc potest; nam, uti dixi, ratione Alcali volatilis absorbet metalla reliqua relictâ lunâ intactâ, & in hoc consistit fundamentum totius artis probatoriæ. Sed necesse est, ut quintuplum vel sextuplum Saturni pro luna purificanda recipiatur. Interim tamen purificationes hæ, sive aquâ forti, sive Saturno instituantur, non sufficiunt, quia lunæ semper tantillum Veneris difficillimè separabilis adhæret, ita ut necesse sit, lunam purificandam in testa probatoria fundere, & in illa tractare, donec nihil Veneris remaneat. Sed res est difficilis; quinimo Saturnus, dum interdum Venereus est, cum luna cupellatus Venerem denuò lunæ affigicat. Ergo luna per fusionem cum nitro & borrace depuranda venit, modo, quem primus docuit KUNCKELIUS *Obs. Lit. G. Num.*4. Sin verò luna cum Marte & Iove commista sit, optimè antimonio vel nitro depuratur: nam Mars cum Saturno non benè liquatur, ab antimonii verò sulphure addito exeditur; sicut & Jupiter statim abit in scorias, quæ cum sint crassiores, cupellam vel cineritium non ingrediuntur, ac prætereà de Sole & luna subinde deprædantur: Hic ergò cum addito nitro deflagrando consumitur.

Calcinatione immersivâ seu solutione mediante, in calcem redigitur luna. Menstruum appropriatum est aqua fortis, vel ipse spiritus nitri benè rectificatus & concentratus, emergit solutio amarissima: quod idem de luna cum spiritu sulphuris tractata observat HEL-

HELMONTIVS *Tract. Ignota Actio Regim.* §. 11. Curiosum tamen est, quod aqua fortis à Regulo antimonii Martiali abstracta, lunam amplius non solvat: conf. *Acta Med. Haffn. Vol. 2. pag.* 189. Ergò solutione hac per evaporationem blandam *crystalli* vel *vitriolum*; per præcipitationem verò cum sale aut ejus spiritu *luna cornea*, habetur. *Crystalli hæ* suggerunt duplex remedium; & quidem pro usu Interno *pilulas fortiter purgantes*; pro usu verò externo *lapidem infernalem*, seu optimum causticum potentiale.

Quod usum internum attinet, crystalli hæ lunares benè exsiccatæ cum mica panis, vel succo liquiritiæ, vel extracto quodam hydragogo subactæ, & in pilulas amarissimas redactæ, sunt optimum & appropriatissimum purgans hydropicorum; dosi enim gr. ij. in Hydrope ascite fortissimè evacuant aquas per inferiora, & his ipsis Anglus hydropicus fuit curatus aliquando. Misceri etiam possunt cum conserva florum persicorum, vel cum rob sambuci, vel juniperi in forma boli. Mirè laudantur à BOYLE *in Philosophia Experimentali*, & parantur saltem ex luna, Saturno purgata; aliàs, ratione nimiæ adjunctæ veneris, crystalli excitant vomitum: quarum descriptionem succinctam videbitis in *du* HAMEL *de Affect. Corpor. pag.* 395. Crystalli nempè pulverisatæ igne arenæ continuo agitando tamdiù calcinantur, donec major spirituum fœtidorum pars exhalarit: hinc additur ana nitri, quæ aquâ soluta & filtrata ad siccitatem abstrahantur: Massa remanens vase aperto sine fusione blandè calcinetur, donec nullus amplius fœtor nitrosus exhalet: postea soluta & filtrata crystallisetur. Laudantur etiam in affectibus capitis. Quod si solutioni huic ante evaporationem debita quantitas Mercurii addatur, acquiruntur post evaporationem crystalli magis efficaces, & minus nauseosæ. Confer. GLAUBERUS *Oper. P. 2. cap. 29. pag.* 74. *Ex his Crystallis*, cum nitro super carbones candentes injectis, *Flores lunares* sublimare docet GLAUBERUS *loco citato cap.* 30., sed parum de luna participantes; hæc enim maximam partem à nitro per carbones alcalisato reducitur. Ex iisdem Crystallis cum spiritu salis ammoniaci ac spiritu vini Tincturam parare docet lunarem *citato loco cap.* 31. *pag.* 75. TACKIUS *in Chrysogon. pag.* 37. singularem habet præparationem *crystallorum viridium* ex luna beneficio nitri, facti ex calce viva & sale communi; quæ præparatio est singularis, & non vulgaris, benè observanda. Crystalli fiunt virides: Nam licet luna habeat colorem albicantem extrinsecè in facie; interim tamen color ejus intimus reverà subrubicundus; Color autem cœruleus seu sapphirinus est suppositius.

Quoad Lapidem Infernalem, à Gallis ita vocatum, genuina ejus præparatio est hæc:

♃. *Lunæ limat.* ℥ j.
Spiritus nitri vel *aquæ fortis duplum* vel *triplum*.

Solutio in cucurbita abstrahatur per arenam ad medietatem, & loco frigido crystallisetur; seu abstrahatur donec luna in forma salis remaneat. Hoc ipsum immittatur in crucibulum igni blando, donec ebullitiones cessaverint: hinc augmentetur ignis, ut materia instar olei in fundo crucibuli fluat, quæ infundatur in conum fusorium calefactum, *quod Germani vocant in einen Warmen Einguß*;) & materia instar lapidis reperietur indurata.

Lapis hic quantitate pisi non solùm optimus est pro parandis fonticulis & aperiendis abscessibus, sed etiam carnem superfluam luxuriantem simplici attactu, sine vehementia, sine molestia, mortificat: omnis iste effectus ab acido aquæ fortis, cum luna concentrato, originem ducit; unde idem fieri posset cum Marte vel Venere iisdem mediis, sed hi lapides caustici ex his parati facillimè in aere per deliquium diffluunt.

Ad hanc lunæ in aqua forti solutionem pertinet etiam *Inquartatio*, seu solis impuri, ac lunæ plus minus permistæ, ab hac separatio, ita quidem, ut hujusmodi *solis* parti j. *lunæ* p. iij. invicem colliquefacta uniantur: de qua *suprà*, ubi *de Auro*, sufficienter dixi. Aqua fortis ergò omnem lunam in se continet, quæ decantetur. Observetur hìc præcipitationis varius processus: Nam solutioni huic claræ, si immittantur laminæ Veneris, has immediatè rodit aqua fortis, ita ut omnis luna soluta exinde sub forma pulveris albi circa lamellas præcipitetur: Quod si verò huic solutioni auri immittatur bacillus ferreus, tunc Venus soluta iterum se præcipitabit, & intereà Mars ab aqua forti dissolvitur: Hæc Martis solutio præcipitari potest per Zincum, vel lapidem calaminarem, vel aliud corpus metallicum terrestrius; mox enim aqua fortis arripiet hoc corpus, & omnis Mars anteà solutus in fundum sub forma pulveris præcipitabitur: Et tandem si instilletur nitri fixi liquor, vel oleum tartari per deliquium, vel aliud alcali fixum, hoc præcipitabit omnia mineralia anteà soluta.

Cum quo subjecto metallico talia menstrua habent majorem convenientiam, illud solet aggredi, & alterum relinquere. Convenientia consistit in textura mechanica menstrui solventis & subjecti solvendi; quatenus scilicet convenientiam habent pori subjecti solvendi cum liquore solvente: Sic, ut crassum saltem dem exemplum: aqua fortis solvit lunam, nullo verò modo ceram; quoniam nimirum est differentia inter poros lunæ oblongos, & ceræ rotundos; unde aqua non ingreditur ceram. Hæc magnum habent usum in Chymia & solutionibus Chymicis, & sæpiùs occurrunt.

Superstes hic liquor si blandè evaporetur, recuperabitur perfectum *Nitrum regeneratum*, ex quo novam aquam fortem destillare poterunt.

Solutio hæc lunæ cum aqua forti parata, si præcipitetur cum sale communi, vel aqua, in qua Sal commune solutum fuit, vel spiritu salis, cadit pulvis lunæ solutæ, & vocatur, propter consistentiam tenacem, facilem tamen fusibilitatem, (quia instar cornu igni admotum fluit & liquefcit) & aliqualem volatilitatem, *Luna cornea*. Eâdem præcipitatio etiam cum oleo vitrioli fieri potest, sed parata inde *luna cornea* minus tenacioris est consistentiæ. Curiosum est, simplici istâ præcipitatione fixum lunæ corpus ad talem volatilitatem esse redactum, ita ut etiam in proximo sit gradu ad Mercurificationem: Vide BECHERUS *Phys. Subterran. P. 2. pag.* 115. Hæc ipsa enim luna cornea pro usu Alchymistico in corporibus metallicis mutandis maximi est usus, & cum spiritu quovis urinoso dat Essentiam seu tincturam lunarem non inconcinnam. Propter sui autem volatilitatem admodum difficulter reducibilis est; sal tartari hìc nil valet, sed Saturnus, teste TACHENIO *Hippocr. Chymico pag.* 46. Interim tamen nec hoc sine damno fit: Genuina ergò reductio est ista, quæ fit super injecto sebo vel oleo olivarum, AUTORE *Kunckelio Observ. Lit. num.* 4.

Ad *Calcinationem amalgamatoriam* pertinet suo modo *Arbor Philosophica* dicta.

♃. *Lunæ cupellat.* ℥ ß.
Aquæ fortis ℥ j.

solvantur: Hinc

♃. *Mercurii vivi* ʒ j.
Aquæ fortis ʒ ij.

Solvantur. Misceantur hæ solutiones, quo facto superadd.

Mercurii vivi ℥ iij.
Aquæ fontan. ℥ vi ß.

Indantur omnia in vitrum oblongum, & reponantur in locum moderatæ temperiei.

Aliàs curiosa est Germinatio lunæ cum sulphure, de qua videatur BALDUINUS *Tr. hujus nominis*, item *Kunckelius Obs. pag.* 9. Sed hoc ad calcinationem cementatoriam pertinet.

In *Calcinatione cementatoria* per tartarum vitriolatum remanet pulvis viridiusculus, qui in affectibus cephalicis usurpari solet.

Quod luna cum Mercurio sublimato tractata resinam relinquit, illustrat ulteriùs BOYLE *in Orig. Format. pag.* 222., cum hac ratione etiam inflammabilis reddatur: imo luna, à qua sæpiùs Mercurius sublimatus abstractus fuit, quod per retortam fieri potest, instar ceræ, fluxilis fieri solet.

Sequitur *Calcinatio cementatoria* cum sulphure, quæ etiam absque sale fieri potest: aperitur sic corpus lunæ non nihil, ut usui medico fiat aptior.

♃. *Lunæ cupellatæ* p. j.
Flor. sulphuris aut *sulphuris tantùm triti* p. ij.

Ex luna in bracteolas redacta fiat cum sulphure stratum supra stratum in crucibulo, atque tum igne crucibulo supposito deflagrat sulphur, acida tamen ejus salia lunæ plus minus adhærere solent. Repetitur hæc Operatio bis vel ter, donec *luna* perfectè fit *calcinata*.

In commistione proportio lunæ & sulphuris est attendenda: si enim plus de sulphure sumitur, luna comburitur quasi; si minus de sulphure, luna non sufficienter calcinatur.

Ex luna hoc modo calcinata non saltem *concinna* tinctura, seu *luna* suo modo *potabilis* per spiritus urinosos potest parari; sed etiam lunæ ita calcinatæ adhuc calenti affundantur aquæ cephalicæ, vel simplices vel compositæ, v. g. in debilitate memoriæ affundenda aqua soporum Crollii, vel aqua quædam simplex pro confortanda memoria, usitata, in epilepsia aqua cerebri humani vel liliorum convallium, in Mania aqua hyperici, anagallidis &c., & exinde habebitur aqua medicamentosa, quæ vocatur *aqua lunæ*. Hæc miri dicitur effectus, & mirè prædicatur pro usu cephalico, in specie in confortanda memoria, contra vertiginem, epilepsiam, &c. Potest postmodum edulcorari cum syrupis appropriatis, v. g. per syrupum florum betonicæ, tunicæ &c., & depurata hinc mistura cochl. j. vel alterum propinari pro circumstantiarum ratione: conf. HOFFMANNUS *Clav. pag* 218. & 219. Retulit fanè sæpiùs Dn. MICHAELIS, virum esse magnæ æstimationis, qui hujus aquæ beneficio pristinum memoriæ vigorem restituerit, cùm anteà ferè tota amissa fuerit. Quæ vires, an huic aquæ, in qua crudum tantùm corpus lunæ extinctum fuit, tribuendæ sint? equidem hæreo: forsan sulphur & particulæ sulphureæ acidæ adhærentes, alterabunt vires animales. Eadem aqua pota simul alvum laxare solet, vi nempè aliqualis Venerei contagii.

Inter præparationes lunæ, non secus ac Auri, sunt ejus præprimis extractiones, & fit *Luna potabilis*. *Tinctura autem lunæ genuina non datur*; sed quæ vulgò hoc nomine veniunt, sunt saltem simplices plus minus subtiles lunæ corporalis saltem solutiones: siquidem ex iisdem non saltem luna omnis reducibilis denuò est, sed etiam omnes Tincturæ sapphirinæ aut cœruleæ existunt, propter quem Colorem omnes tincturæ lunæ vulgares solent commendari; reverà tamen saltem suppositiiæ & fallaces sunt, quia etiam ex capite mortuo nova Tinctura educi potest, cùm lunæ intimus color revera subrubicundus sit seu Germ. *Dunckel-roth*. Ergò quælibet vulgares lunæ Tincturæ cœruleæ hunc colorem semper habent à Venere, lunæ permista, cujus ratione semper sunt vomitoriæ; unde non solùm ad

extra-

extractionem earum sal volatile oleosum simul accipitur, quod cum venere semper cæruleum seu sapphireum colorem dat, sed etiam si tali Tincturæ cæruleæ dicto modo paratæ affundatur spiritus vitrioli, mutatur color cœruleus in viridem, cùm particulæ cupreæ ab acido arreptæ quasi vitriolum quoddam constituant.

Tincturæ igitur *lunæ*, si *genuinæ debent esse* (1) in antiquum suum corpus affusione salium alcalium non sint reducibiles: (2) necesse est, ut non sint colore sapphirino, aut cœruleo: Ergo etiam quælibet AUTORIS Tincturæ cum cæruleæ sint, parvi pretii erunt. Communis præparationum ratio ferè in his duobus consistit; quod luna *primò* acidis per calcinationem cementatoriam cum sulphure tractari soleat, hinc spiritus urinosus volatilis, urinæ, salis ammoniaci, cornu cervi, vel solitarius, vel spiritu vini maritatus, &c. pro Tincturæ extractione adhibeatur: quantum enim acidi lunæ adhuc adhæreſcit, tantum etiam de hac luna ab isto spiritu volatili urinoso ratione acidi absorbetur, & hæc est luna vel Tinctura ejus potabilis. Aliàs quæcumque salia volatilia urinosa, si cum limatura lunæ crudæ misceantur, & in vase clauso unà asserventur, brevi post luna effloreſcit in flores cœruleos: verùm hoc nihil est; sal volatile enim urinæ extrahit tincturam veneris. Quod si verò luna pura adhibeatur, & ab omni contagio Venereo ritè depurata, nullus talis cœruleus color emergere solet. Sufficiat ergò pro luna potabili remedium solare in forma liquida illud, quod describit KUNKELIUS *obs. P.* 1. *Lit.* 3. *nu.* 17., & quod fit ex luna purissima cum sulphure cementata, & hinc spiritu salis ammoniaci in formam liquidam redacta, quæ ita ad Maniam & alios affectus cephalicos convenienter admodum usurpari potest; sicuti abstracto menstruo urinoso remanet corpus saliforme, ex quo spiritum lunarem destillare docet *idem obs. P.* 2. *pag.* 13.; sicùt aliàs luna in spiritu nitri soluta, hinc in vitriolum coagulata, & spiritu vini imbibita, ex parte destillabilis evadit. PECHLINUS *de purgantibus pag.* 280 Tincturam lunæ cum spiritu salis ammoniaci paratam commodissimum hydragogum appellat.

Deinde non inelegans est *Tinctura lunæ Neudærfferi*, utut non sit Tinctura vera, elegans tamen præparatio, quæ est hæc: Lunæ solutio in *aqua regia* præcipitatur cum *sale* & *laminis Veneris*: pulvis præcipitatus cum ana *sulphuris* calcinatus, sublimatur cum ana *salis ammoniaci depurati*: sublimato affunditur spiritus salis ammoniaci cum spiritu vini & calce viva paratus, & extrahitur Tinctura viridiuscula: Menstruum ad consistentiam mellis abstrahitur, post affunditur aqua vulgaris, & quartâ destillatione eliciuntur salia menstrui, & remanet Lasurium lunæ in fundo, ex quo affuso spiritu vini extrahitur Tinctura lunæ, cujus dosis sunt guttæ x. ad xx. ter in die, mane, post pastum, & vesperi in affectibus capitis.

Tinctura Basiliana extrahenda est cum spiritu vini, acuato cum sale naturæ, uti dicit AUTOR. Spiritus vini aliàs potest acuari cum sale tartari volatili, cum sale volatili urinæ, vel cornu, aut cranii humani, item cum sale volatili sanguinis cervi, humani, ut convenientior fiat Tinctura in affectibus capitis subitaneis, apoplexia, epilepsia, & similibus. Nam spiritus vini simplex non extrahit Tincturam, nisi sit acuatus.

Habetur etiam *Magisterium lunæ*, cujus præparatio videri potest in *Chymia Rolfincij*: vel

℞. Luna purissima:

Solvatur in *aqua forti*: præcipitetur cum *aqua salsa*, edulcoretur leniter, & extrahatur calx cum *spiritu salis ammoniaci*, qui ubi saturatus fuerit, denuò abstrahatur: corpus remanens abstrahatur aliquoties cum *spiritu vini*, quo denuò abstracto, remanet *pulvis*, *quem Comes Waldevanus Danus pulverem suum stultorum vocat, quia eo sanavit delirantem suum buccinatorem.*

Pertinet huc etiam Luna sublimata, eaque *duplici modo*: partim mediante *regulo antimonij*, partim sale ammoniaco.

Primo modo:

℞. *Lunæ puræ* ℥iij.
Reg. antimonij ℥iij. ad jv.

Fundantur, pulverisentur, & sublimentur horis 12. secundùm artem, ita tota luna cum antimonii regulo abit in flores; cujus dosis sunt grana jv. ad ix. in epilepsia, philtris, & similibus.

Altero verò modo, cùm *sale ammoniaco*, fit lunæ sublimatio secundùm methodum, quam docet ZWELFFERUS *Manud. spagyr. pag.* 233. quò etiam facit *liquor Glauberi*, qui fit ex *luna* in *aqua forti* soluta, & cum *spiritu salis ammoniaci* præcipitata: habetur sic pulvis, & ex hoc per deliquium Liquor elegans: qui videatur *in ejusdem spert. German. L* 4. *pag.* 69. Ad prædictas lunæ sublimationes pertinet etiam labor, quo luna in sulphur ac cinnabarin redigi potest:

℞. *Lunæ finæ laminatæ*, & cum *sale ammoniaco pulverisato* in cucurbita in stratum supra stratum redactæ, & quater sublimatæ remanentiam, quæ edulcorata instar alius cujusdam sulphuris penitus deflagrat: lunare hoc corpus ita alteratum cum Mercurio vivo probè terendo mistum, & sublimatum dat cinnabarin.

Observandum tamen, quod cum luna priùs calcinata feliciùs succedat negotium, quàm cum luna simpliciter laminata.

Usus medicamentorum ex luna paratorum est in cephalalgiis, & omnibus affectibus facultatis animalis, contra Epilepsiam, Maniam, melancholiam, &c. tàm purgando, quàm confortando. Pro confortanda item memoria laudantur: quæ tamen vires, an in iis reverà contineantur, adhuc hæreo.

Salificatio est non-ens: non enim dantur salia ex luna & aliis metallis, sed sunt undæ solutiones cum menstruis salinis: de quibus, uti & similibus in AUTORE processibus, conf. HOFFMANNI *Clavis.*

Spiritus lunaris Clossæi est nil aliud, quàm spiritus vitrioli mediante quo luna in vitriolum corrosa, qui simul particulas quasdam Venereas, vel lunares haud immutatas, secum rapit, ratione quarum in sapore & effectu mutatur.

Quoad *Mercurium lunæ*: adhuc est quæstio, an detur verus *Mercurius lunæ?* utut certò affirment, qui volunt parare Mercurium metallicum, quod ex nullo promtiùs & faciliùs eliciatur, quàm ex luna Quidam ex tempore volunt conficere Mercurium lunæ beneficio salis tartari & salis ammoniaci. Præparationes videri possunt in FABRI *Tract. de sapient. Universali*: Fit ex soluta *luna* cum *aqua forti*, beneficio *olei tartari*, *salis ammoniaci*, & *spiritus vini*; & sic tandem volunt elicere Mercurium. Præ aliis autem notandus venit *Processus* BEGUINI, quem haber *in suo Tyrocin. pag.* 307. & quem magni æstimat BECHERUS *Phys. subterran. l.* 1. *pag.* 459. Integrum de luna Tractatum scripsit ROLFINCIUS.

CAPUT XII.

DE

MARTE seu FERRO.

HAbuimus solem & lunam; sequuntur nunc *Mars* & *Venus*, metalla, quæ suam duritiem & deficientem liquabilitatem obtinent à copioso principio salino, sicuti etiam ab eodem obtinent duritiem, ut non possint facilè solvi in igne. *Jam de Marte.*

Mars seu *ferrum* vulgatissimum est metallum, & omnium metallorum tractabilissimum, utpote cujus universalis est diffusio per universam saltem terræ superficiem, à polo ad polum; siquidem omnis limus ac lutum, terraque pinguis, Martem vel actualem, vel potentialem, hoc est, ab aliis agentibus, præsertim acidis, plus minus solutum, & in vitriolicam naturam redactum, continent: unde & Belgæ ex cespitibus suis bituminosis venerem & Martem nonnunquam eruunt; & lateres cocti Martiali croceo colore infecti observantur; unde etiam lateres quidam cocti inveniuntur, qui æquè ac Mars vim magneticam directricem concipere solent. Et hinc sanè terræ illa verticitas seu situs magnetis polaris, quo in fluido æthereo fluctuans, æqualem tamen & æquabilem instar magnetis ad polos verticitatem obtinet & conservat, probabiliter dependere videtur. Hanc ipsam quoque Martis, substantiæque Martialis, universitatem comprobat ulteriùs experimentum BECHERI *suppl.* 11. *pag.* 37. & 51., de quo suprà.

Duplex est: *nativum*, quod statim purum in fodinis reperitur, vel granulorum formâ, vel instar massæ: deinde *excoctum*, quod ex minera in officinis ferrariis excoquitur.

Constat Mars in mistura sua materiali primariò copiosâ terrâ quasi alcalinâ, seu principio salino; sulphure forti seu potenti, & admodum acido, sed pauco, non-nihil fixo, rubro quidem, & propter fixitatem aliquam solari vicino, indigesto tamen, & immaturo; & Mercurio, seu fluido alcalino volatili, adhuc pauciori; tantum, quantum sufficit, pro conjungendo sulphure cum sale.

Ex his sequitur difficultas seu durities resistens fluxui, ejusque in igne resistentia; ob terræ copiam malleabilitas difficilis, color fuscus; difficillima amalgamatio ob Mercurii defectum; ob sulphuris verò istius paucitatem, indeque debitæ mistionis defectum, aliqua misti apparens saltem heterogeneitas, friabilitas, durities, & per ignem alteratio ac prompta incensio. Nam & limatura Martis in ipso per candelam accensam transitu igneſcit, & ipsæ scintillæ ex chalybe per silicis attritum excussæ, per microscopium consideratæ, globuli Martis vitrificati ab intenso calore & incensione esse solent, quibus aliæ partes chalybis nondum fusæ adhæreſcunt: Conf. HOCK *in Micrograph. pag.* 45. & ex eo *du* HAMEL *in affectibus Corpor. pag.* 174.

Sulphur præterea Marti inesse, ex præparatione Martis cachectici patet; vid. ZWELFFERUS *Mant. Hermet.* quæ præparatio est legitima, & acquiritur *crocus Martis* levissimus. Unum omisit ZWELFFERUS in hac detonatione; quando nempè Mars cum nitro simul adscendunt, qui, si fit methodo ZWELFFERI, in auras avolant; si verò instituitur operatio in retorta, possunt colligi flores, in qua destillatione se monstrat principium sulphureum. Sulphur autem Martis tria habet attributa:

1. Ut ratione pinguedinis inflammetur.
2. Ut ratione occultati acidi hoc ipsum manifestùm rodat corpora metallica.
3. Ratione pinguedinis nitrum figat in perfectum alcali fixum.

In hac præparatione, ubi nitrum cum limatura Martis mistum est, cùm in fluore nitrum excandeſcit, Martis fit incensio & detonatio: post hanc incensionem relinquitur nitrum fixum, quod à nullo, quàm à sulphure figitur. Hæc sufficienter docent, esse in Marte sulphur pingue, quod figat nitrum.

Ab hujus sulphuris aciditate occulta, est facillima Martis à quo- vis

vis humido aqueo in crocum seu rubiginem eroso, quatenus debito socio alcalino seu Mercuriali non saturatum, facilè medio aqueo solutum, datâ sic occasione propriam terram alcalinam rodit, eamque in terram commutat: conf. TACHENII *Clavis cap.* 8. *p.* 175. Aqua enim per se nullum rodit metallum, nec aer, sed habeant acidum, necesse est. Si verò rosionem Martis volumus prohibere, temperatur acidum Martis occultum, & non facilè rubiginem contrahet: hinc etiam pingvia, v. g. sevum Marti illitum, item oleum olivarum, cui aliquandiu limatura saturni fuit infusa, Martem optimè à rubigine præservant; obstruunt enim poros, atque ne acidum suum corpus rodere possit; quia pingue cum aqueo misceri nequit, acidumquè obtundit. Idem quoque præstant salia alcalina: lixivia nempè alcalina limaturæ Martis affusa, hæc erit illibata, quamvis servetur per integrum annum.

Est aliàs sulphur Martis acidum maximæ apud omnes Chymicos considerationis, cùm omnes affirment, nullum metallum reperiri, nec nullum minerale, cujus sulphur potentius & sulphuri solari vicinius, adeòquè universalius sit, quàm hoc Martis; unde hoc sulphure solis embryonato Mercurium vel vivum vel corporum animare gestiunt pro Mercurio Philosophico præparando, tanquam subjecto lapidis in via sicca: sicut & pro tingenda luna fixa, & pro maturandis & tingendis metallis imperfectis, recipitur Mars, ut beneficio sulphuris solaris embryonati istiusmodi subjectis concilietur Tinctura solis.

Marti vicinus admodum est *Chalybs*, & conspirat mutuò; perfectione saltem differunt, hoc est, gradualiter, dum acidum Martis aliquali substantiâ Mercuriali non nihil saturatum, adeòquè quasi perfectius mistum, tenacius ac firmius evadit. Fit hoc per alcalia fixa imprimis: v. g. rasuram cornuum tauri, aliorumque animalium sale volatili constantium, carbones, præsertim ligni fagini, urinam humanam, sal tartari &c., stratificando, quatenus horum alcali plus minùs volatile dicto modo, seu principio Mercuriali analogum, poris Martis se insinuando, acidum sulphuris concentrat, Martemquè alterat: conf. WEDELLII *Pharm. pag.* 55., quoad nempè modum chalybem parandi. E contrà unctuosa, v. g. si chalybs ignitus cerâ, oleo, sevo, &c. inungatur, Martem molliorem reddunt. Ipsa aqua communis aliquantum de alcali participans duriorem Martem reddere solet. Quod si verò chalybs istis pinguibus emollitus iterum igni aliquoties tradatur, & in aqua extinguatur, cataphractis, quæ ictibus sclopetariis resistunt, conficiendis aptissimus udicatur. Item fiat massa ex calce viva & oleo olivarum, inque hac involvatur Mars, & ponatur sub carbonibus, usque dum igne totaliter accendatur Mars, postea extrahatur, & à pasta separetur, & Mars adeo erit mollefactus, ut instar lunæ tractabilis sit: è contrà si fiat aqua destillata ex vermibus terrestribus & radice raphani, & in his anatica seu æquali proportione mistis extinguatur Mars ignitus, mirabilem duritiem acquirit; salia enim volatilia, quæ istas aquas impregnant, se insinuant in Martem candescentem, & acidum hujus sulphuris concentrando, duritiem conciliant. Hinc fabri ferrarii sæpiùs ferrum candens admovent cornubus animalium, ut, dum beneficio igniti Martis liquescunt cornua, sal volatile eorum se insinuet in Martem candentem, & saturetur ejus acidum, fiatque materia durior, quàm aliàs est Mars. Idem artificium ex ferro parandi chalybem, sed minus perfectè, per ignem clausum fieri potest: Conferatur BECHERUS *Phys. subterran. L.* 1. *pag.* 510. Est ergò differentia tantum accidentalis inter Martem & Chalybem; cum utrumque sit familiæ ferreæ: magis defæcatum, depuratum, & durius, atque exinde etiam stabilius est corpus chalybs, quàm ferrum.

Quoad *Usum* Martialium: est ille ratione principii terrei alcalini absorbere quæcunque acida primarum viarum vitiosa ac præternaturalia, quæ partim dulcescunt attactu Martis, partim acorem contrahunt, propter occursum acidi cum principio terreo alcalino: Si Mars miscetur cum salinis, e. g. nitrum cum Marte, effervescit; sedatâ autem effervescentiâ acida acorem amittunt: Sic spiritus salis dulcescit super Marte. Acidorum horum occasione non saltem negotium digestionis primæ hujusque perfectionis turbatur, sed etiam ab illo ipso partes nerveæ ac membranosæ in istis locis malè affectæ, fibras contrahunt; unde omnia tensa, adeòque quasi infarcta & obstructa videntur, à quo ipso etiam sangvinis turgescentia menstrua impediatur: istis autem acidis absorptis, & remittit tensio fibrarum, cessat strictura pororum, sanguini restituitur debita fermentatio, & sic venæ uteri ac vasa menstrua denuò reserantur, atque menstruorum fluxus debito modo redit: unde talibus in casibus Mars ex effectu aperire dicitur. *Duplicem* enim *substantiam in Marte esse* dicunt Autores: unam subtiliorem, *aperientem*; alteram terrestriorem, crassiorem & fixiorem, *adstringentem*. Sed notandum est, Martem nihil operari, quàm ut in corpore nostro destruat acidum vitiosum, austerum, vitriolaceum &c., unde morbi chronici, non verò ab imaginariis obstructionibus, dependent. Potiùs Mars per se ex texturæ terreæ ratione ab acidis quibuslibet saporem & vim adstrictoriam acquirit, sive crudus, sive præparatus, sive sub forma liquida, sive sub forma consistente. Quod si interdum laxaverit, fit hoc, quatenus ab acido corrosus in corpore Mars in vitriolum abeat; unde Mars candefactus in vino extinctus, istud vinum quasi laxativum reddit, quia vinum absorbet ramenta Martis, & fit quasi vitriolum.

Per se nempe & in se semper adstringit, per accidens verò, absorbendo acidum primarum viarum, aperire dicitur, idque nempe ex falsa hypothesi, quasi obstructiones tot morborum sint causæ.

Pro acidi igitur, quod absorbet, varietate, ejusdemque partium vel solidarum, vel fluidarum, contentarum diversitate varii Martis effectus sunt, ut nunc aperire, nunc obstruere dicatur. Aliquoties sanè observavi, idem Martiale remedium nunc sistere Menses, quos aliâ occasione provocat: v. g. Tinctura vitrioli Martis Zwelfferi in tenerioribus Menses referat, quâ tamen in Mensium quoque fluxu nimio feliciter usus fui: in robustioribus item liquor terræ Martis solaris menses potenter movet, quo tamen etiam itidem usus fui pro iisdem in aliis subjectis sistendis: Conf. TACHENIUS *Hippocr. Chym. cap.* 18. & *in Clave cap.* 8. Nempè pro ut acidum variat, & massam sangvineam magis minusque affligit, ejusque crasin vitiando, & ad spissitudinem disponendo, vel prout venas uterinas plus minus rodendo afficit, inde diversi effectus supervenire dicuntur: Per se ergò Mars, vel extra corpus acidis imprægnatus, fit concretum quasi aluminosum, & adstringit; unde vomitus & alvi fluxus quosvis, etiam dysentericos cohibet; item quasvis hæmorrhagias, tàm intestinorum, quàm mensium, vesicæ, narium &c.; hinc scorbuticorum hæmorrhagias præ aliis atroces Martialia sistunt, acre illud, quod vasa rodit, absorbendo & corrigendo, gonorrhœas item & fluores muliebres supprimit. Per accidens verò, optimo tamen successu, succurrit Malo hypochondriaco, scorbutico, Melancholiæ hypochondriacæ, cachexiis, ictero, mensibus, aut deficientibus, aut inordinatis, affectibus spasmodicis, v. g. suffocationi hypochondriacæ, paresi, hydropi, & aliis ex cruditate primarum viarum acida natis chronicis malis, quæ dicuntur oriri ab humore Melancholico: quò etiam febres quartanæ imprimis pertinent, quatenus absorbet & destruit salia acida sylvestria & facilè coagulativa, à quibus solent induci obstructiones & indurationes excrementorum, eorumque coagulationes, absorptaque foras eliminat. Evacuatis sic acidis salibus coagulativis & obstructivis, per accidens sequitur apertio; remotâ enim causâ removetur effectus, & ita per accidens deobstruuntur pori & reserantur. Hinc dicunt veteres, quod Mars prosit in corrigendo, digerendo & præparando humore Melancholico (qui humor Melancholicus modernis, uti notum est ex Pathologicis, nihil est aliud quàm succus acidus) quod sit optimum digestivum Melancholiæ, quod sit, uti vocat ZACUTUS LUSITANUS, Alexipharmacum mali hypochondriaci, item Panacea cachexiarum, quatenus absorbeat Melancholiam, & excrementa colore nigro tingat: nam Melancholia est succus acidus, uti dixi. Absorbendo ergò acidum, quod dissolvere conatur Martem, corrigit illius corrosivitatem & acrimoniam, sicque digerit Melancholiam, & ita affectus ex hoc acido oriundos corrigit: id quod in malo hypochondriaco, scorbuto & similibus verum est, & fundamentum quoque est præparationum medicamentorum Martialium. Unde quando dicitur, quod Mars referet obstructiones lienis, jecoris, vesiculæ felleæ &c., conducat in morbis Melancholicis, & sit frequentissimi usus, item quod ingrediatur pulveres cachecticos, & quasi eorum basis sit in Cachexia, tàm simplici quàm Cachexia virginum usitatos, &c. hoc præstat, quatenus Mars absorbet acidum sylvestre coagulativum, quo absorpto sequitur medela. (Mars semel saturatus ab acido, aliud postmodum non ampliùs imbibit.) Hinc est, quod aqua fabrorum ferrariorum (Germ. *Losch Wasser*) sit tanti usus, & commendetur pro potu in diarrhœis & dysenteriis, morbisque chronicis, pro usu adstrictorio; uti & pro clysmatibus commendatur in dysenteria, & usurpetur in malo hypochondriaco pro apertione. Nam per se aqua particulis Martialibus imprægnata adstringit, per accidens verò acidum absorbet. Hinc etiam est, quod dicitur, canes ferrariorum carere splene; non quod omninò deficiat iis splen, sed quod sit admodum parvus, quoniam dum canes bibunt aquam ferrariorum, assumunt simul particulas Martiales, quæ impediunt inflationem & tumorem lienis, quoniam absorbent acidum coagulativum, quod dat scirrhos & lienis inflationes: & confirmant hoc acidulæ vi martiali imprimis proficuæ, de quibus superiùs, ubi de aquis, sufficienter dictum. Sed probè observandum est, ut hoc fiat cum cautione; cum in morbis chronicis, cum scirrho viscerum junctis, periculum sit ne magis noceat Mars, scirrhum contumaciorem reddendo quàm prosit, ut rectè hoc TACHENIUS *in Clave pag.* 87. monet.

Ex dictis patet, suo modo verum esse, quod dicit TACHENIUS, perinde esse, quocunque modo præparetur, quia per se adstringat, per accidens verò aperiat. Pro concinniori tamen praxi proficuum videtur, nonnullarum præparationum habere rationem. In genere notandum de Marte & aliis metallis, ut vel nullis, vel acidis blandioribus potius & temperatis, præparentur, quæ tàm non dissolvant Martem, quàm potiùs rodant. Nam quò minùs saturatur Mars acidis extra corpus eò magis suo modo aperitivus est intra corpus: quò magis imprægnatur acidis, præsertim nitrosis intimè compenetrantibus, tantò minus acidi in ipso corpore absorbere poterit, sed potius in ventriculo & intestinis hærendo, instar calcis mortuæ jacebit; cùm vix aliter operetur, quàm acidum nimium destruendo, eoque magis saporem & texturam stypticam acquirit: item quò magis textura ejus non nihil invertitur, & in substantiam terream quasi mutatur, eò magis ab acidis absorptis in aluminis quasi naturam

turam degenerando, fortem vim adstrictoriam acquirit.

Ex plurimis ergò Martialibus remediis sufficiant nobis in Praxi:

I. Quidem pro scopo aperiendi, ut vocant, in forma liquida, in robustioribus seu valido stomacho præditis, & fortiori acido donatis, *liquor Martis solaris*, tanquam vitriolum Martis purius, à guttis xv. ad xx. cum aliquali motu corporis assumptus; in debilioribus verò solutio Martis cum succo pomorum Borsdorffianorum, ad præcavendum situm mediocriter inspissata, à guttis xx. ad xxx. usurpata. Medio in casu sit *tinctura vitrioli Martis ZWelfferi*, quam describit *Mant. spagyr. pag.* 337. vel loco hujus *tinctura Martis tartarisata Ludovici*, ex *vitriolo Martis & cremore tartari*: quæ vid. in M. A. N. C. *anno* 3. *pag.* 454., aut saltèm cum duplo *tartari* probè teritur, & cum s. q. *aquæ simplicis* in loco calido solutio paratur: Dosis gutt. 30. ad 40. Quò etiam pertinet *tinctura Martis cum arcano tartari Wedelii in Pharm. pag.* 113. & 232.

In forma verò solida pro scopo alterandi seu aperiendi robustioribus, quorum fermentum ventriculi est præter naturam acidum, ut solvere possit Martem, vel quibus succus pancreaticus est nimis acidus, & in quorum intestinis est acidum corrosivum, limatura Martis crudè pulverisata & trita in porphyritide, irrorata cum oleo destillato appropriato, ne facilè alterari, & ab humiditate aeris in rubiginem tam citò converti possit, commodè propinatur: in subjectis enim tenerioribus non potest commodè propinari, quoniam periculum est, ne Mars in fundo ventriculi subsideat. Aliàs Itali non rarò præscribunt Martem in substantia in Cachexiis virginum cum conserva quadam, aut pulpa passularum in electuarium redactum, ut facilius assumatur: quorum tamen abusum satis perstringit PANAROLLUS *Pentec.* 5. *Obs.* 32. In debilioribus verò in forma sicca propinatur sal Martis compositum, ex iisdem ingredientibus quibus tinctura ZWelfferi, paratum, saltem phlegmatis attracti evaporatione ad consistentiam pulveris rubicundi redactum: Dosis gr. xv. ad ℈j. Vel hujus loco etiam paratur *Pulvis cachecticus Croffelii*, ex limatura Martis, cum sale tartari vel absinthii, in aceto destillato soluto & saturato irrorata, & repetitis vicibus ita ad pulveris formam redacta, & remedium pro morbis chronicis egregium habebitur: Conf. M. A. N. C. *Anno* 6. *append. pag.* 111. Aut saltem simpliciter fiat Crocus Martis aperitivus ex vitriolo Martis probe depurato per simplicem ad rubedinem calcinationem factus; vid. *citato loco pag.* 105. Dosis ℈ß. ad gr. xv.

Crocus vocatur à Chymicis, quoniam est Coloris subrubicundi & subflavi, sicuti pulvis ex auro puro flavescens dicitur Crocus. Vulgò dividitur in obstructivum seu adstrictivum & aperitivum: Cæterùm rectè dicit TACHENIUS, quod omnis Crocus sit pro adstrictione per se, per accidens pro apertione: vid. circa finem ferè Hippocrates Chymicus, ubi sufficienter hoc explicat.

Pro scopo adstrictivo fit in forma quidem sicca terra vitrioli Martis dulcis, post vitrioli Martis destillationem, & exactam edulcorationem restitans; aut hujus loco crocus Martis per præcipitationem cum lixivio salis tartari ex vitriolo Martis paratus: Dosis ℈ß. ad gr. xv. In forma verò liquida fit *tinctura Martis adstringens*, quam malè *tincturam sulphuris vitrioli* vocant, & paratur ex prædicta terra vitrioli Martis, vel croco Martis præcipitato ex vitriolo Martis, in spiritu nitri, vel simplici, vel, quod melius, in spiritu nitri, à sale communi abstracto, soluto; posterior enim hic spiritus, ad naturam aquæ regiæ accedens, potentiùs adoritur & penetrat Martem tanquam subjectum solare, quàm spiritus nitri simplex aut aqua fortis: Solutio hæc filtrata abstrahitur per retortam ad consistentiam pultis spissioris: cui affundatur spiritus vini rectificatissimus, ac obtinebitur post debitam digestionem elegans tinctura styptica coloris rubicundi: Dosis gutt. 20. ad 30. usque, usurpanda in sputo sanguinis, diarrhœa, dysenteria, &c.

Hæc ipsa facilè ostendunt fundamentum medicamentorum Martialium quorumvis, quæ sunt factæ solutiones plus minus subtiles, quas non faciunt alcalia, tam fixa quàm volatilia, sed acida. Nam licèt Mars cum lixivio salis tartari, vel salis absinthii, artemisiæ, card. benedicti irroratus, tandem fatiscat in crocum flavescentem, quem vocant *Crocum Martis aperitivum cum salibus* (vid. ex QUERCETANO *Mylius cap.* 2.) tamen non videtur, quod alcalia agant in Martem, cùm rubiginem magis tollant, ut suprà dictum; sed potiùs phlegma alcali diluens, actuando acidum Martis, Martem in crocum seu rubiginem rodit. Deinde dubito, an hic crocus multum prosit in Medicina: nam dum sulphur Martis acidum quoddam in se habet, sub præparatione alcalia huic acido se associant, & ita se mutuò imbibendo firmiter cohærent, unde fit calx terreo-salsa, quasi magisterium quoddam, non adeò in primis viis solubile vel alterabile. MICHAELIS præparavit crocum hunc ex lixivio cinerum herbarum dictarum aperitivarum, qui fuit basis *Pulveris sui Cachectici*, cujus sequens est compositio:

℞. *Croc. Martis hujus aperit.* ℥ij.
Cinnam. acutiss. ℥ß.
Rad. ari præp. ʒiij.
Sacchari parum.

Misce, fiat *Pulvis Cachecticus*, quem dosi ℈ß. ad ʒj. maximè laudavit in Cachexiis, & malo hypochondriaco, scorbuto, &c.

Si verò loco hujus Croci Martis sumatur *sal Martis compositum*, habebitis elegans anticachecticum, & remedium maximè potens in malo hypochondriaco, elegansque digestivum in scorbuto, & similibus, tempore matutino in jusculo assumptum, alvumque laxabit: quod ipsum maximum est beneficium in malo hypochondriaco.

Quod si limaturæ Martis affundatur alcali volatile, spiritus nempè salis ammoniaci urinosus, aut sal volatile & spiritus cujusdam animalis, Mars cum alcali quidem brevi post turgescit, & quasi fermentando attollitur, & in calcem subtilem insipidam cinereo flavescentem redigitur, odorem instar veri croci vel floris Calendulæ spirantem; sed idem de hoc atque priori videtur judicium. Hinc etiam Mercurius ceu alcalinum subjectum non agit in Martem, sed superficiale est *Amalgama Borrichii*, quod prostat *Vol.* I. *in act. Haffniensibus pag.* 148., & observatio ista Mercurii agentis in Martem, ulteriorem sui considerationem meretur. Quomodo enim ex Marte & Mercurio, adjecto tantum vitriolo cæruleo & aceto acerrimo, fieri queat genuinum amalgama, docet POTERIUS *in Pharm. spag.* ubi *de Mercurio*. Utut autem in via humida nullam actionem alcalia edant in Martem, dubium tamen est, annon in via sicca antecedente ignis motu penetrare, & plus minus solvere possint? Etenim quidam sal tartari cum calce viva calcinatum, & ita acuatum, cum Marte vel crudo, vel priùs in calcem redacto, calcinando subigunt; unde alcali acerrimum & ferè igneum, sulphure Martis quasi animatum, acquirere volunt. Facit huc *tinctura sulphuris vitrioli* quorundam, qui vitriolo Martis affundunt liquorem silicum Glauberi, incoquunt mutuò forti igne, ut massa fluat: mixturam hanc ponunt in cellam, irrorando paucâ aquâ, ut ita aliquali deliquio fiat instar pultis: postmodum huic pulti inspissato superfundunt spiritum vini optimum, digerunt in balneo Mariæ per 8. vel 10. dies, & extrahunt tincturam, quam filtrant, & aliquali menstrui abstractione exaltant: Saporis est haud ingrati & magnarum virium, participans de sulphure Martis anodyno. Sunt qui simili ratione recipiunt liquorem nitri fixi seu alcali nitri fixum, dissolutum in liquorem, quem infundunt vitriolo Martis, & ex hoc extrahunt tincturam. Hujus guttæ x. vel xx. mira in malo hypochondriaco faciunt, etiam absque extractione cum spiritu vini: habet vim laxandi, & est omnis saporis ac odoris expers.

Aliàs ordinario modo acidis saltem tractatur, unde emergunt concreta vitriolica, tàm propriè, quàm impropriè dicta. Propriè, si cum sulphure aut spiritu vitrioli tractetur Mars; Impropriè, si cum aliis acidis in concretum quasi vitriolicum redigatur. Acida hæc, quibus Mars pro usu Medico præparatur, sunt vel interna, vel externa: Interna, dum v. g. facili humoris attactu in rubiginem abit, vel quando Mars crebriùs in aqua extinguitur; Unde aquæ Martiatæ non incongrui usus pro pauperibus oriuntur. Acidum enim Martis, acido ignis adventitio acuatum, aquâ plus minus solutum, proprium corpus rodit, & arrosas vitriolicas particulas ex parte in aqua extinctionis relinquit. Spectat huc, dum quidam *aquam Cotis* recipiunt, quæ defluxit ex Cote, dum acuuntur enses aut alia instrumenta ferrea; & chalybem ignitum multoties in ea extinguunt, quæ pauperibus in morbis ferè omnibus chronicis, v. g in malo hypochondriaco, scorbuto, mensibus suppressis, alvi obstructione, lienis tumore, in ictero flavo & nigro, in cachexia, & omnibus his similibus affectibus, egregiè succurrit. Pertinet huc *modus Poterij parandi Crocum Martis*, quem habet *Pharm. spagyr. pag.* 17 dum limaturam Martis subtilissimè tritam solâ aquâ communi irroratam diebus Canicularibus solis radiis exponit, hocque aliquoties repetit, unde mira Martis incalescentia, & facilis ejus intra paucos dies in Crocum conversio. Modus, quo Mars transferatur in Crocum per aquæ simplicis affusionem, est hic: Dixi superiùs, quod in Marte sit copiosum acidum: hoc ergò, insinuante sese aquâ, accedente tepore solis, solutum & excitatum, aggreditur proprium corpus, istudque solvit & corrodit in talem Crocum, qui est maximè absorptivus aut aperitivus; quoniam nihil externi acidi accessit, aut eundem saturavit. Nec abludit modus PANAROLLI *Pent.* 5. *Obs.* 32. qui limaturam Martis irrorat cum succo Cichorii; unde successivè in sole fervente abit in Crocum aperitivum dictum, ex quo cum spiritu vini Tinctura extrahitur.

Acido verò *externo* præparatur Mars vel in *via sicca*, vel in *via humida*. In *via sicca* se offert primò, acidum ignis, dum Mars diutiùs igne forti tractatus in pulverem subrubicundum redigitur, qui dicitur crocus Martis obstructivus, estque *primus modus* in AUTORE consignatus. Ubi hoc notabile est, quod Mars in calcinatione augeatur in pondere, cùm acidum ex carbonibus se insinuet in Martem, & inde augmentatio pulveris accedit. Perinde enim videtur, sive spiritu lignorum acido Mars solvatur, & solutio intensiore calore in crocum siccum redigatur; sive ipsæ lamellæ aut bacilli ferrei diu igni expositi in crocum abeant. Aliàs promptiùs similis potest fieri *Crocus Martis*, si recipiantur ferramenta furnorum Chymicorum, ubi per longum tempus laboratum, quibus adhæret pulvis rubicans, qui cum pede leporino abstersus, est verus crocus Martis; quoniam paratus est diuturnâ præparatione in furno chymico, & remedium constituet optimè adstrictivum in quibuscunque fluxibus, tam sangvinis, quàm aliorum excrementorum in dysenteria, diarrhœa & similibus, item in hæmorrhagiis omnibus, unde ingredi quoque solet pulverem stypticum Crollii. Omnes autem croci Martis

tis diutiùs usurpati nimium quantum gravant ventriculum, ejusque tonum laxant; hinc observavi, crebriorem continuatumque hujus usum in puero quadrimulo excitasse lienteriam. Emplastra quoque vulneraria & styptica Chirurgorum & Oppodeldoch ingreditur. Loco hujus autem excellit iste ex vitriolo Martis in aqua soluto, & cum oleo tartari aut alio alcali præcipitatus, qui admodum conducit externè in vulneribus, ulceribus, & præprimis manantibus, tum mundificandis tum consolidandis, quia acidum ingreditur & absorbet, corrosivitatem eorum emendat, & sic vis ulceris valdè impeditur.

Post *Calcinationem reverberatoriam*, unde jam dictus crocus Martis obstructivus, cum sulphure ejusque acido, per pingvedinis deflagrationem separato, Mars in crocum vertitur; idque duplici modo: vel *Calcinatione fusoria*, ab AUTORE *num.* 2. descripta, vel *Calcinatione Cementatoria*, in AUTORE *num.* 3. tradita.

Fusoria in calcinatione Crocus Martis aperitivus, quibusdam in specie *Crocus Martis saccharinus*, ab aliis *Crocus Martis niger* dictus, præparatur ab AUTORE, qui virtute obstructiones reserandi, & acidum, obstructionum Autorem, corrigendi & absorbendi, pollere dicitur. Modi sunt varii, sed ex *supra dictis* facilè potest colligi, quinam sint optimi? Sed præsens AUTORIS *præparatio* non adeò concinna videtur, propter rationes in GLAUBERO *Oper. P.* 2. *pag.* 17. adductas, dum crocum sic paratum in tale concretum abire asserit, quod nullo acido, ne spiritu nitri quidem aut aquâ forti solvi possit; quia vitrescunt quasi particulæ Martis. Fundamentum consistit in eo, dum magdaleones sulphuris ferro probè ignito superiùs admoventur, hoc liquefacit sulphur, & cum eo successivè instar ceræ defluunt particulæ Martiales in terram, & simul spiritus acidus corrodit Martem, qui Mars à sulphure acido corrosus nihil potest efficere, sed jam est saturatus, & ventriculum onerat; unde nec ulterius ab ullo acido corrodi potest: Quod observetur, nam à multis Practicis videmus hoc modo præscriptum, ne incidamus in eandem caveam. Cùm enim crocus Martis absorbendo acidum dicatur Aperitivus, præsens jam semel saturatus ab acido, non ampliùs illud absorbere potest: hinc patet, quod crocus Martis aperitivus non sit præparandus cum nimis forti, sed paucissimo acido. Nam in quantum acidum abundat, & in præparatione ejus accedit, in tantum impeditur vis absorptiva in corpore humano, & per consequens aperitiva. Crocum Martis aperitivum, ut meliùs operetur, quidam miscent cum pulvere lumbricorum terrestrium, non incommodè; sic enim eleganter operari inquit FREITAGIUS.

Calcinatione Cementatoria acquiritur genuinum *Martis Vitriolum*. *Vitriolum* hoc *Martis* paratur duplici modo, vel cementando cum sulphure crudo; vel solvendo cum spiritu sulphuris, spiritu vitrioli, &c. *Prior modus* est AUTORIS, ejusque sequentes sunt encheireses: nempè limatura vel laminæ Martis stratificantur & cementantur cum sulphuris pulverisati duplo vel triplo in crucibulo, igne paulatim adhibito, donec sulphur accensum fit: Materia exempta pulverisata calcinetur iterum per se, sine tamen motu, ne nimis citò avolet sulphur; sic enim pingvedine sulphuris absumptâ, acidum ejus intimiùs penetrat, & resolvit Martem. Jam

℞. *Hujus Calcinati* ℔j.
Sulphuris ℥iß.

Misceantur exactè, & calcinetur iterum per horæ quadrantem; qui labor repetatur quinquies & pluries, & materia in crucibulo remanens in aqua calida extinguatur; unde ista aqua acquirit saporem vitriolaceum. Quod in hac non dissolvitur, denuò cum sulphure novo fiat stratum supra stratum, donec omnis Mars solvatur: Aqua ista, quæ fit exinde viridis, filtretur, & sensim sensimque evaporet ad apparentiam cuticulæ, & sic in cella vel alio loco frigido concrescunt crystalli virides vitriolaceæ, adeoque reverà sunt genuinum Martis Vitriolum viâ siccâ. *Secundum modum* habet AUTOR sub nomine *Magisterii Chalybis Vitriolati*, de quo *suo loco*.

Præparatur etiam Mars in via sicca cum acido salis communis, vel, quod perinde, cum acido salis ammoniaci, dum Mars pulverisatus cum ana vel duplo salis ammoniaci sublimatur in elegantes flores Croceos, & remanet simul caput mortuum, de quo *infra*.

Pertinet huc, quando Mars tractatur cum Mercurio sublimato, nempè:

℞. *Scor. reguli Martial. sine salibus parat.*
Mercurij sublimati, ana part. æqual.

Mixta destillentur per retortam igne fortissimo; unde Mercurio vivo redeunte acidum salis communis ex Mercurio sublimato arctissimè adhærens Marti, partim in forma butyri transit, partim cum eo in capite mortuo remanet, quod ratione adjuncti acidi, sed nondum sufficienter saturati, facilè per deliquium fluit ac solvitur.

In via sicca etiam tractatur Mars cum acido nitri detonando, nempè secundùm rationem, quam describit ZWELFFERUS *Mant. spagyr. pag.* 377. sub nomine *Croci Martis cachectici*. Notabile est in præparatione, quod nitrum fluens Marte sufficienter saturatum, tandem incendatur, & detonetur, sicque in perfectum alcali abeat cum pulvere rubro Martiali, minime cachectico seu aperitivo, sed potius pulvere inerti, aut saltem adstrictivo, cum aqua communi ab alcali separando. Observabile tamen est, quod in hac deflagratione & detonatione flores Martis & nitri simul adscendant, qui si poterint colligi, elegans habebitis remedium, quod fieri potest, si in retorta operatio instituatur. Huc pertinet etiam modus parandi regulum ex Marte:

℞. *Tartari*,
Antimonij,
Sulphuris an. ℥ij.
Limat. Martis ℥jv.

(vel aliâ proportione fit ex tartari, nitri & antimonij an. ℥ij, & lim. Martis ℥iiß.)

Hæc invicem funduntur, & effusa in conum fusorium præcipitant regulum.

Præparatur etiam Mars acidis internis in via humida eundem solvendo, vel *per immersionem*, vel per *evaporationem*, vel *illinitionem*.

Per solutionem immersivam quælibet acida Martem facilè corrodere solent, uti sunt quælibet vegetabilium succi acidi; quò etiam pertinet *Extractum Martis* seu *Magisterium Martis liquidum Mynsichtii*, mediante succo acetosæ ac decocto Tamarindorum paratum; item Vinum suo modo solvit Martem; Unde Vina extinctionis Martis, qualia referuntur ab AUTORE sub nomine *tincturarum*. Limatura Martis candefacta in vino Rhenano aliquoties extinguatur, donec sufficienter impregnetur: post eidem vino ad tempus immittatur, ita fiet sapor vitriolaceus, & *Vinum* egregium *Martiale*. Hoc in morbis chronicis misceatur cum aqua cinnamomi spirituosa, & remedium erit anticachecticum egregium, ante pastum sumendum. Qui plura de eo cupit, videre potest PANAROLLUM *citato loco*. Alii in vinum infundunt limaturam Martis, & ponunt in locum calidum, sicque fit *Vinum anticachecticum* & *antihypochondriacum*; vel ad imitationem PRÆVOTII:

℞. *Limat. Martis* ℥vj.
Vini albi ℔j.

Macerentur per 24. horas in loco calido; Colatura bulliat & despumetur, in vitro evaporet ad formam *Extracti*, cujus dosis est ʒß.

SALA *de Marte pag. num.* 203. habet *Vinum Martiale compositum* non inelegans ex vino, succo Cydoniorum, limatura Martis, & herbis appropriatis.

Item acetum quocunque modo applicatum solvit Martem: Ex quavis solutione inspissata cum spiritu vini Essentia seu Tinctura parari potest, quam videbitis in AUTORE *de tincturis num.* 2.

Pariter per blanda ejusmodi acida *Crocus Martis aperitivus* paratur, quæ, quò sunt mitiora, eò convenientiora, quia nimis acida, ut sæpiùs dictum, Martem saturant. Primatum hic obtinet tartarus, quo, ratione ejus acidi, Mars commodè solvitur:

℞. *Tartari depur.* & *Martis*. ana Mista fluant in igne:
Limat. Martis ana part. æqu.

Mista fluant in igne.

Alii verò ita:

℞. *Limat. Martis* ℔j.
Tartari albi ℥xxxij. vel ℔. iij.
Aquæ fervent. ℔. xij.

Ebulliant invicem per horas 12. vel ultrà, affundendo semper *aquam recentem*, quantum evaporaverit, crebriùsque movendo: filtretur liquor niger, qui haustus cochleatim, optimum est remedium in morbis chronicis; vel evaporetur pro lubitu, v. g. ad consistentiam *Syrupi dulcis Martialis tartarisati*.

Pertinent huc quædam aliæ Præparationes mediante tartaro. Sic cum Marte aliquando fit *Tartarus Martialis*, quæ præparatio non est inelegans; dum nempè in solutionem tartari infunditur Martis limatura, & secum absorbet acidum, postmodum filtratur & evaporatur: quando concrescit in crystallos, recenter impregnatur Marte, & sic evadit *Tartarus Martialis*, egregius in morbis chronicis. Sic fiunt *Noduli*, vel *Infusa Martis cum tartaro*: nempè cum herbis appropriatis miscetur limatura ferri cum crystallis tartari, vel cum tartaro crudo, & fit *Nodulus*: Huic affunditur vel aqua communis simplex, vel vinum, vel cerevisia tenuis, relinquitur in loco calido, ubi vinum corrodit & solvit Martem, & sic fit potus Martis medicatus; seu Infusum tartareo-martiale, egregium in morbis chronicis.

Imò spiritus viridis æris, genuinus aceti privignus, etiam Martem solvit in tincturam: circa quam miror inconstantiam tam ZWELFFERI quàm HOFFMANNI; dum ille in *Append. ad animadv. pag.* 61. solutionem cum hoc spiritu paratam ceu tincturam adstringentem commendat, qui in *Mant. spagyr. pag.* 337. mediante hoc spiritu ex croco Martis cachectico *Tincturam Martis anticachecticam*, & consequenter aperitivam, parare vult; HOFFMANNI verò in hoc puncto inconstantia & contradictio *in Clave pag.* 230. & 231. videnda est. Potest etiam fieri Crocus Martis odoris violacei, per solutionem scilicet Martis cum urina, in qua urina soluta sint sal commune & sal ammoniacum: post affusionem subsequitur Reverberatio seu Calcinatio, & fit *Crocus Martis Violaceus*, uti eundem præscribit MYLIUS *in Basil. cap.* 2. Imò quilibet spiritus mineralis promptissimè Martem solvit: sic Martem in aqua forti solvit, abstrahit, calcinat, sicque crocum suum adstringentem parat SALA. Præ cæteris spiritus sulphuris, &, qui ferè idem, spiritus vitrioli, Martem

tem solvunt, quarum solutionem inspissatione genuinum habetur *Vitriolum*, uti videbitis in AUTORE, ubi de Calcinatione Immersiva. Sed observandum: quod spiritus vitrioli aut sulphuris fortiter rectificatus Marti affusus eum non solvat, propter nimiam particularum acidarum solventium concentrationem; unde requiritur, ut duplo, vel phlegmatis proprii, vel aquæ communis diluatur spiritus vitrioli, sic enim prompte corrodit & solvit Martem, & evaporatione abit in crystallos seu *Magisterium Chalybis vitriolatum*, hoc est, genuinum *Vitriolum*. Nam in spiritu vitrioli, vel sulphuris rectificato particulæ acidæ adeò concentratæ uno impetu irruunt in Martem, unde se invicem impediunt, ut non possint una post alteram in poros Martis se insinuare, in aqua verò particulæ hæ dilutæ faciliùs in poros se insinuant, & sic corrodunt Martem.

Pertinet huc *Vitriolum Martis*, qui loco phlegmatis assumit spiritum vini: nimirum

Recipit *Olei seu spiritus vitrioli rectif.* p. i.
Spiritus vini p. ij.

Infundit invicem in lebetem seu catinum ferreum; sic oleum vitrioli dulcificatum rodit Martem, ac successivè subsidebit & adhærebit lateribus vasis elegans *Vitriolum Martis*; quod exsiccatum & pulverisatum servetur: Nam pro scopo alterativo non est contemnendum.

Pertinet huc *Magisterium* quorundam *Martis albissimum* ad affectus hypochondriorum, ictérum:

℞. *Limat. Martis puræ* s. q.

Calcinetur igne reverberii ad summam rubedinem, tum bis terve irroretur aceto destillato fortissimo, & exsiccetur, demum extractio fiat cum aceto, pauco spiritu vitrioli acuato, & præcipitetur cum spiritu vitrioli vel oleo vitrioli, & habebitur Magisterium candidum, absque edulcoratione in vitro probè munito reservandum.

Dosis ℈ß. ad ℈j.

Observandum autem inter vitriola hæc artificialia hanc esse differentiam, quod Vitriolum factum cum sulphure sit melior eo, quod fit cum spiritu vitrioli, quia est purior: licèt enim spiritus sulphuris & vitrioli nullâ notabili differentiâ discrepent, sulphur tamen acutissimis flammarum stimulis adactum in corpora metallica citiùs faciliùsque penetrat, & consequenter particulas eorundem exactiùs dissolvit.

Aliàs habetur *Vitriolum*, quod vocatur *Hermophroditicum*, quia constat ex Marte & Venere, tanquam mare & fœmina; valdè commendatur ad affectus uterinos. Compositio est hæc:

℞. *Min. Veneris* ℔ij.
Lim. Martis ℔j.
Vitrioli comm. ℥xiij.

Pulverisatis minutissimè affundatur *aqua simplex*, stent per diem & noctem in digestione, & colorabitur aqua, quæ decantetur, novaque affundatur, idque tamdiu, donec aqua non ampliùs tingatur. In aqua hac ad cuticulam evaporata concrescunt crystalli (Germ. *anschiessen*, concrescere significat, quod observetur in lectione Autorum Germanicorum) quæ vocantur *Vitriolum Hermaphroditicum*, & Dosi gr. j. cum aliis, vel etiam cum solo saccharo, in vehiculo appropriato exhibentur, aliquandiu continuando: videatur *Lazarus Mercker*.

Verùm fraus magna exinde apparet, quia est tantum Vitriolum Martis, cum Mars nunquam patiatur consortium sulphuris: Accipiatur nempè vitriolum Veneris, solvatur in aqua, infunditur limatura Martis, & Venus præcipitata partim supernatabit solutioni, partimque ad fundum descendet, & sic omne Cuprum extruditur, & hoc quoque hic fit.

Calcinationis Vaporosæ modum describit AUTOR *Num.* 5. At cum quibusvis hactenus consideratis acidis etiam succedit: sed sub omnibus his præparationibus saltem Mars integer, cum salibus solventibus plus minus fortiter sociatus, faciem saltem variam & multiformem ludit, & quò minùs saturatur acidis extra corpus, eò conducibilior est usus intra corpus. Ex quibus facilè patet, *quid de tincturis Martis, quæ non nisi pravis hujusmodi solutionibus parantur, habendum sit?*

Crocus Martis saccharinus, per Calcinationem illinitionis juxta modum 6. in AUTORE parandus, est pessimæ præparationis, uti *superiùs monui*.

Ad hujusmodi Martis solutiones pertinet etiam *Mars fulminans*: Nempè quia Mars subjectum est sulphureum, quæritur: annon exinde Mars sclopetans & fulminans parari possit? Sed dum notum, quantum incalescat & effervescat Mars cum spiritu nitri, dum solvitur, præsertim si simul aliquid alcali tartari addatur, & si consideretur experimentum BECHERI circa globum ferreum parvum inclusi spiritus nitri ope displosum, facilè patet: non impossibile esse Martem fulminantem, utut pro ejus præparatione encheirises debitæ nondum æquè sint obviæ. Nam nisi exactissimè observetur punctum saturationis in præcipitatione, omnis spes fulminandi cessat. Modum tamen Martis fulminantis describit SACHSIUS *Ampelogr. pag.* 590 Difficultas parandi Martem fulminantem est, quod sub solutione Martis in aqua forti vel spiritu nitri substantia volatilis & Gas quasi fulminans soleat in auras evanescere; quod patet experimento Becheri allegato: Si enim globus ferreus immittatur in vitrum parvum cum spiritu nitri, & globus hinc inde volvatur, sic spiritus nitri rodit Martem, & excitat Gas, & spiritus globulum ferreum cum impetu diffringit. Multi quidem hinc inde Martis fulminantis prostant processus, sed ut plurimum incerti sunt. Quidam præparant, solvendo chalybem in aqua regia, solutum cum oleo tartari per deliquium præcipitant, ac præcipitatum seu calcem Chalybis exsiccant, & hunc volunt esse chalybem fulminantem. Alii præparant chalybem, solvendo in aqua forti, parata ex sale ammoniaco & nitro; & postmodum præcipitant cum oleo tartari per deliquium. Sed observandæ sunt hæ encheirises, ne ex nimia ebullitione, quam aqua fortis super Chalybe fusa causatur, spes vestra fallatur, & Gas fulminans & effrene in auras evanescat.

Alii *tertio modo* hoc modo præparant:

℞. Limat. Martis per crebras ebullitiones repurgatam, quam irrorant cum oleo tartari per deliquium, terunt, iterumque imbibunt; quem laborem toties repetunt, donec in pulverem redeat chalybs: hunc pulverem aceto destillato imprægnant, denuò exsiccant, mox hunc pulverem in aquam fortem injiciunt, unde in bullas attolletur, & effervescet: cùm totum sic solutum erit, destillando abstrahatur menstruum, & calcem in laminas ferreas vel patinas distribuunt, & reverberant horis 24. qui Crocus concepto igne tonare dicitur, si rectè paratus sit: vid. de hoc AUTOR *in Tract. de Vitriolo*.

Quæstio nunc est: *Unde oriatur vis fulminans?* Autores vulgò deducunt hâc vim ex sulphure solari, quo chalybs gaudet, à sale ammoniaco extraverso & nitro accenso: Allegant sulphur in pulvere pyrio cum nitro concurrens, quod uti dat fragorem, ita Martem cum salibus admistis ex aqua regia dare strepitum & fulminationem dicunt. Verùm cum nec in ipso auro sulphur deflagrabile deprehendatur, nec hoc in Marte quæri potest: Conf. quæ suo loco de Auro fulminante dixi.

Quoad *Volatilisationem ac Destillationem*, AUTOR describit *aquam Martis*: sed quæ parum valet. Concinnior potiùs est præ hac, aqua Martis ophthalmica sine igne per alembicum destillati, quam habet BURRHUS *in Literis ad Bartholinum pag.* 47. Nempè aqua simplex Marti affusa, dum in cucurbita vel vase clauso fimo equino vel loco moderatè tepido asservatur, acidum Martis agendo in proprium corpus effervescentiam quidem minùs sensibilem, cum sensili tamen calore junctam, excitat, cujus beneficio aqueæ particulæ, Gas Martis imprægnatæ, per alembicum transeunt, cui multum attribuitur in affectibus oculorum; vid. citatus locus.

Juxta hanc notabilis est *Num.* 3. *solutio Martis cum spiritu salis*, utpotè cujus abstractione & particulæ martiales simul transeunt, & in fine etiam destillationis simul flores Martis elevantur: Conf. HOFFMANNUS *Clave pag.* 227. Sed hoc præsertim notabile est, ut si Marti ejusque puræ limaturæ affundatur spiritus salis, ut fiat solutio in vase clauso, quod sub rosione blandissimo igne spiritus Martis volatilis, seu Gas quoddam Martiale, per alembicum instar fumi transeat in receptaculum, & tandem coalescat, de quo intelligendus BECHERUS *Phys. subterran. pag.* 407. Idem cum spiritu nitri fieri potest; sed periculosum est, quia spiritus hic facilè affringit vasa & facillimè inflammatur.

Oleum Martis ab AUTORE *num.* 6. præscriptum, nil aliud est, quàm præparatio quædam vitrioli Martis.

Numero 7. AUTOR *tandem* præscribit destillationem vitrioli Martis, quam exactè traditam videbitis in ZWELFFERO *Mant. spagyr. pag.* 337. Circa quam observetur, quod spiritus vitrioli Martis vel Veneris non sint simplices spiritus acidi, sed simul etiam participent aliquid de substantia ferri aut cupri, utpotè quorum tenues & subtiles quasdam particulas secum arctè junctas simul abradunt & evehunt: id quod paret non tantùm in spiritus viridis æris præparatione, quem sub rigorosiore igne viridiusculum interdum prodire observavi, propter admistum cuprum; sed etiam per alcali cujuscunque injectionem subtilissimus quidam pulvis aut crocus ex illis spiritibus præcipitari potest: Aut si spiritus hujusmodi per alembicum pellatur, in fundo quasi pulverem metallicum relinquit; unde etiam in spiritu vitrioli pulveris vis quædam vomitoria interdum observatur.

Simili modo ex vitriolo dicto Hermaphroditico etiam destillatur *spiritus vitrioli hermaphroditicus*. Alio modo tamen etiam præparatur hic spiritus: nempè si assumatur vitriolum Martis & vitriolum Veneris, & hæc anatica seu æquali proportione mista destillentur igne aperto, uti moris est. Hic spiritus aliquoties cohobatus à D. MICHAELIS dicitur spirare odorem Moschi: Nam hoc est certum, quod etiam metalla habeant suavem & elegantem odorem: Sicuti non tantum HAUPTMANNUS *in Scripto Collisito* mineræ auri simpliciter suaveolentem odorem attribuit; sed præterea quoque aliquando quidem laboravit quædam in Saturno, quem in præparatione admovit cum catino igni: fortè verò fuit ab opere avocatus, postmodum redux factus, suum visitavit Saturnum, & aperto instrumento odorem suavissimum in Saturno invenit: ita ut etiam metallis sint sui odores.

Sequitur *Extractio*, unde fiunt ratione coloris tincturæ, seu ratione ex-

ne extractionis *Essentiæ*. Potissimùm in forma liquida tincturarum nomine venit Mars pro scopo tam adstringendi, quàm aperiendi. Nihil aliud sunt, quàm subtiles solutiones, adeòque liquores occultè vitriolici.

Duplex verò labor in earum præparatione observabilis est:

1. Corporis Martialis per acidum solutio.
2. Subtilissimarum particularum per spiritum vini ex solutione Martis extractio.

Omnes in genere tincturæ vel Extracta fiunt, quando solvitur Mars, solutio inspissatur, & inspissata extrahitur cum spiritu vini. Menstrua Martem solventia sunt varia, ipsi etiam succi vegetabilium Tincturis & Extractis Martialibus inserviunt; si scilicet limaturæ Martis affundatur succus pomorum Borsdorffianorum pro malo hypochondriaco; vel succus cydoniorum pro affectibus stomachi; vel succus acetosæ, item Decoctum Tamarindorum, & similes alii succi subacidi vegetabilium; hi enim promptè solvunt Martem. Quò minus acidus liquor est, cum quo extrahitur Mars, eò melior præparatio. Quando ad tempus stetit in loco calido, transcolatur, colatura inspissatur in crassitiem mellis, mellago extrahitur cum spiritu vini, & erit *Essentia* vel *tinctura Martis*: quæ tinctura, utut habeat saporem subadstringentem, uti omnes aliæ ex Marte; nihilominus tamen sunt simul insigniter aperitivæ. Præparationes similes videbitis in ROLFINCII *Chymia*.

Spiritus vini per se non agit in Martem, benè autem & facilè se jungit acidis. Quantum enim de solutione Martis acidi imbibet, tantum simul de Marte adhærente participabit, adeoque subtiles vitrioli partes seu liquores erunt. Potest etiam fieri *tinctura Martis beneficio musti*, si affundatur & procedatur jam dicto modo: Ubi venit monendum, quod limaturæ Martis mustum affusum non soleat fermentare. Rationem facilè norunt ii, quibus cognita est doctrina fermentationis, quod scilicet oriatur ex conflictu salis acidi & urinosi, in quo aliæ simul particulæ coercentur in motum & effervescentiam: Jam verò in affuso musto super Marte hic imbibit musti acidum, & ab acido corroditur; hinc acidum non potest agere in partes alcalinas seu urinosas. Obiter hæc.

Redeo ad tincturas alterativas seu aperitivas. Elegantissima, si quæ alia, est *tinctura vitrioli Martis* ZWelfferi, quæ præparatur ex *terra foliata tartari* & *vitriolo Martis* genuino. De hac terra foliata tartari & tinctura sufficienter locutus sum, ubi *de tartaro*. Dicitur terra foliata tartari, quoniam instar foliorum argenti apparet; aliàs etiam vocatur *sal essentiale Vini*. Hæc invicem ambo pulverisata & mista subitò se invicem aggrediuntur: Mistura hæc aeri frigidiori exposita humida fit, & intensè rubicunda; imò defluit in liquorem rubicundissimum, qui vel per se sine spiritu vini, vel cum spiritu vini mixtus & filtratus, in quamplurimis morbis à ℨß. ad ℨj. propinari potest. Hæc tinctura & præparatio ejus videri potest in ROLFINCII *Chymia*, præprimis in *Dissertatione de Marte & Venere*, quæ Dissertationes sunt elegantes & lectu dignæ. Ad Tincturas has pertinet sequens *tinctura* seu *Essentia Martialis*:

℞. *Antimonij puri* ℔j.

Fluat in crucibulo igne forti: injiciatur

Limat. Chalyb. ℔ß.

Fluant aliquandiu: massa contundatur, addatur iterum limatura Chalybis, & procedatur ut antea factum. His scoriis, harum ℔ij. affund. guttatim

Spiritus salis ℔jv.

Ponantur in digestionem rudìter agitando, postea extrahatur aquâ communi vitriolum, & coaguletur:

℞. *Concreti hujus vitriolacei antimonialis* q. v.

Destilletur ex arena, & acquiritur spiritus; tandem fortissimo igne adscendet sublimatum in altum, quod solvatur *spiritu vini*, & servetur tanquam melior Martis Essentia.

Hæ Tincturæ omnes sunt aperitivæ. Inter adstrictivas non inelegans est *tinctura Chalybis anticachectica* cum spiritu Veneris seu cum spiritu viridis æris, quam ZWELFFERUS *in Mant. Hermet. pag.* 337. habet.

Huc referatur *tinctura ex croco Martis Quercetani numero* 3. ubi notanda in isto croco certa encheirisis: Ex ejusmodi enim croco per aquam fortem parato, cum aceto destillato elicitur adhuc crocus, qui cum Mercurio præcipitato tandem lunam in solem tingit.

Loco *tincturæ Basilii Num.* 5. longè melior videtur ea tinctura Martis adstringens, quę vulgò *tinctura sulphuris vitrioli* dicitur, & à quibusdam parari soleat ex capite mortuo vitrioli Martis, post destillationem remanente, sed malè: rarò enim Mars solus reperitur in vitriolo, sed & Venus simul admista. Optimum præparandi modum dedi supra.

Elegans etiam est ista *præparatio ex scoriis reguli cum aceto destillato num.* 6. quæ extractio inspissata postmodum cum spiritu vini dat *tincturam adstrictivam*.

Sublimationis Martis *negotium* cum sale ammoniaco faciendum, atque exinde parandam *tincturam*, *spiritum salis Martialem*, *sulphur vitrioli martiale anodynum*, omnium optimè & exactissimè descripsit ZWELFFERUS *Mant. spagyr. pag.* 338. & 339. & HOFFMANNUS *in Clav. pag.* 228. Processus est legitimus, & omnes encheirises adsunt. Flores sublimati colorem acquirunt aurantiorum, & sanè perquam egregii sunt in nonnullis morbis cachecticis & chronicis loco digestivi usurpati, imprimis febrifugi sunt. Ipse *spiritus salis Martialis* acidularum loco usurpari & usu diuretico commodè adhiberi potest. *Sulphur vitrioli anodynum*, quod ZWELFFERUS exinde parat, suspectum est: an præter vim præcipitatoriam simul vi anodynâ polleat? Retulit tamen amicus, se egregiam vim, si non perfectè anodynam, saltem demulcendi & quietos servandi ægros, observasse.

Sal Martis genuinum haberi nequit. Sal Martis subdulce autem concretum novum & Compositum est, ex acido aceti corrodente Martem. Quidam ut præparent sal Martis, solvunt vitriolum Martis in aqua, quod præcipitant oleo tartari, præcipitatum volunt esse sal Martis, quod habet vim purgandi: sed reverà est *crocus Martis* ex vitriolo præcipitatus, & est nugatoria præparatio.

Ex Marte præparantur *Pilulæ spadanæ*, propter egregium usum satis laudatæ. Dicuntur spadanæ, quoniam acidularum spadanarum virtutes æmulantur, & sequuntur; principale earum ingrediens est sal Martis, & sal ammoniacum.

Superiùs fuit facta mentio *reguli Martis*, ex quo volunt nonnulli parare Mercurium martis vivum, quem tantum auri possidere dicunt, quantum quis Mercurii huius habeat; ex eo, quod in hoc Mercurio lateat spiritus solis, qui aptus natus sit exaltare lunam in solem. Modum parandi hujusmodi Mercurium, qui tamen non videtur genuinus, vibebitis in AGRICOLÆ *Commentario in Poppium*, ubi *de Marte*. Sed difficilis admodum est Mercurificatio hæc, quia utut Mercurius, cum omnibus metallis amicitiam habeat, & amalgamata constituat, tamen cum Marte hoc non procedit. Ratio est defectus principii Mercurialis in Marte.

De *Usu Martialium* adhuc noto *primò*: quod post usurpationem Martialium, ut feliciùs operentur, & imprimis usu limaturæ Martis, blandus ab assumptione corporis motus imperetur: *deinde* semper, rectè monente SENNERTO, ἐκκοπρωτικὰ & lubricitantia sint administranda, ne particulæ Martiales adhæreant nimis plicis ventriculi & intestinorum, & sic corpori non leves possint inferre turbas. Ratio texturæ ventriculi in ægro habeatur, quæ nunc sensibilior & magis delicata, nunc firmior, robustior, & minus sensibilis est. In illis ex fibrarum textura subtili minus in substantia, sed potiùs, quantum possibile, in minima sui redacta propinentur; in his verò, ubi fibræ densiores, robustiores, aut duriores sic quasi sunt, etiam in consistentia paulò crassiori propinari possunt: in prioribus enim subtilibus non rarò à Martialibus vitriolicis durioribus dolores, tumores ventriculi gravativi, apepsiæ, cardialgiæ, &c. supervenire solent; in posterioribus verò post eorum usum periculum tale nullum est.

CAP. XIII.

DE

VENERE seu CUPRO.

VEnus seu *Cuprum*, alterum ex ignobilioribus & durioribus metallis, est mixtum in suo concreto materiali, Marti in multis simile, copiosâ terrâ quasi alcalinâ seu salino principio constans, meliùs & intimiùs principio Mercuriali puriori combinatum, cum sulphure forti acido rubescente, mediocriter omnia miscente. Hinc Cuprum magis quàm ferrum malleabile, extensile & fusile evadit; unde etiam soli & lunæ sine eo, ut horum metallorum impediat ductilitatem & fusibilitatem, commodè misceri potest: Contrarium fit in Marte, qui non potest misceri cum istis, quia liquefactionem, solutionem & ductilitatem eorum impedit. Propter hanc mistionem cum luna fit, ut rara avis sit genuina tinctura lunæ. Reperitur in mineris terrę, nunc pura, nunc, idq; sępiùs, lunę sociata, cui etiam pertinacissimè adhæret ejus sulphur; difficilis enim separationis est. Saturnus quidem in testa probatoria separat Venerem; attamen semper aliquid adhæret lunę de Venere. Propter hanc pariter mistionem inter quosdam sublimiores Chymicos admodum nobile habetur appropriatum, nempè pro albis metallis tingendis, adeò ut VOLENTINUS *de lapide* asserat, Venerem maximam partem esse solis tincturam: hinc etiam lunam fixam Venere mediante, non secus atque cum antimonio, in solem tingere volunt. Cuprum enim per se est substantię lunaris, magnam habens convenientiam cum luna: scilicet sulphur Veneris in recessu habet intensam rubedinem & convenientiam cum sulphure solis. Est tamen quodammodo heterogeneum, ex parte impurum & volatilius, & ex parte fixum: cujus ratione lunam colore rubeo tingere volunt, modo legitimam impressionem habeant in lunam. De hoc intelligendi sunt antiqui versus BASILII VALENTINI:

Von innen blau, von aussen Weis,
Wenn ich erlang den Fixen Preis;
So Kleidet mich Venus zur Hand,
In Scharlach und in Purpur G'Wand.

In Venere ergò consideretur sulphur & Mercurius. Propter vicinitatem Veneris & Martis illa quoque in hunc, & hic in illam, mutari

tari poteſt, cùm in radice conveniant. Si enim Marti detrahatur aliquid de principio ſalino, venereæ erit naturæ; ſi autem in Venere principium ſalinum coagmentatur, erit Mars.

Ex dicto miſtionis modo etiam in ſignis iſta colorum varietas emergit, cum non tantùm mineræ cupreæ præ aliis inſigniter ac diverſimodè coloratæ appareant, ſed etiam nullum minerale eſt, quod præter Venerem tàm varios colores producat: idque tam mediante ſolutione complurium menſtruorum ope, quàm mediante præcipitatione; omnes tamen illi intra limites ex viridi cæruleo, & cæruleo viridi ferè comprehendi ſolent: conferatur BECHERUS *Phyſ. ſubterran. pag.* 389, item KUNCKELIUS *Obſ. P. 2. pag.* 61. Sic venus cum urinoſis tractata cæruleum ſeu ſapphirinum; cum acidis, aceto aut ſale communi viridem; cum aqua forti aut etiam aqua regia cæruleum; cum ſpiritu vitrioli & ſulphuris in forma liquida viridescentem, in forma coagulata cæruleum colorem, repræſentat.

Quoad *uſum Cupri ſeu Veneris* in Medicina, ſæpè tam crudè uſurpata, quàm quocunque hactenus modo præparata, propter ſulphuris volatilitatem eſt noxia ob nauſeas, vomitus enormes, inſignes ſtomachi ſubverſiones, etiam per plures dies durabiles, ſupervenientes, ac inde gravia ac deteriora illata Symptomata; adeò ut neſciam nauſeoſa magis, ſtomachoque horridiora ſubjecta, quàm ex Venere. Unde ZWELFFERUS Pharmacopœos rectè monet, ut in remediorum acriorum & acidorum præparatione circumſpecti ſint, ne in mortariis & vaſis æneis tractentur. Miror ergò, cur renibus, utero, ac partibus genitalibus remedia Venerea conferre dicantur, niſi forſan aſſertum hoc præconceptæ innitatur hypotheſi, quaſi Venus partibus Veneri inſervientibus etiam dicata ſit vi analogiæ macro & microcoſmi, quod ſatis futile. Hinc potiùs externo ſaltem uſui, eoque chirurgico, inſervit Venus, quatenus pro texturæ ſuæ ratione acida quælibet abſorbet, ac ſimul hinc ſaporem ac texturam ſtypticam ſeu adſtringentem, ac deterſivam & mundificativam, acquirit. Vnde in ulceribus mūdificandis, conſolidandis, in abſceſſibus putridis purificandis, in gangræna arcenda, uſitatiſſima ſunt Venerea, & præ cæteris in uſu ſunt æs uſtum, hinc viride æris, & poſt hujus deſtillationem caput mortuum ſeu *Crocus Veneris* remanens. Hæc Chirurgis uſitatiora magisque polychreſta emplaſtrorum & unguentorum contra ulcera & gangrænas ſunt Ingredientia. Cæterùm, ſi ſit legitimè præparata Venus, ſententiâ AUTORIS præ omnibus metallis ſaluberrimam ſpirat auram, ſalubremque dat medicinam, imprimis ſi ſulphur ejus volatile, aut pars ſulphurea fixior, inde eliciatur; unde ſulphur vitrioli Veneris fixum adeò nobile dicitur medicamentum. Neceſſe igitur eſt, ut corrigatur ejusmodi ſulphur volatile & invertatur, ut fiat fixum, ſi internè remedia ex Venere volumus uſurpare.

Quoad *Præparata*, coincidunt hæc reverà cum Præparatis Martialibus, & eadem ferè producta, mutatis ſaltim nominibus, exhibent.

Purificatio nota eſt. Quidam volunt purificare Venerem, ſi in lixivio calcis vivæ cum ſale acuato extinguatur poſt ignitionem: item per extinctionem in aceto, cum ſale & tartaro acuato.

Calcinationes ſunt variæ: Primò enim ſolo igne calcinatur, & fit quaſi Crocus rubicundus, ejusdem valoris externè cum croco Martis conſtringente, pro ulcerum acido mortificando. Sicuti enim quicunque pulveres ex Marte ſunt rubicundi, & vocantur Crocus Martis; ita quicunque ex Venere flaveſcentes & rubeſcentes vocantur *Crocus Veneris*; ſi ſint virides, vocantur *viride æs*. Sæpius etiam fit mentio æris uſti, quod eſt nihil aliud, quàm Cuprum calcinatum.

Calcinationes humidæ in Venere ſunt vel *immerſivæ*, vel *vaporoſæ*.

Quoad *Solutionem immerſivam* ſeu *corroſivam*: alcalia non majus jus in Venerem, quàm Martem, habere videntur; unde acidis potiùs, iisque quibusvis, ſolubilis exiſtit: Hæc inter ſunt Aqua regia, quæ Venerem ſolvendo lunam ipſi permiſtam ſynceram exhibet: Conf. ERCKERI *aula ſubterran. pag.* 88. Aqua fortis promptiſſimè ſolvit Venerem, ſed ſub diſſolutionis actu, concitato intenſiſſimæ efferveſcentiæ æſtu, Gas Venereum ſingulare adſcendit; de quo, ut & aliis circa hujusmodi ſolutionem Phænomenis, videatur BOYLE *Chymiſta ſcept. pag.* 53. Cum ſpiritu vitrioli aut ſulphuris ſoluta redditur Vitriolum Veneris cæruleum, ex quo in aqua ſoluto cum oleo tartari per deliquium præcipitatur *calx veneris* ſub nomine *florum vitrioli veneris*; quæ Doſi granorum aliquot non nihil laxat per inferiora, & præſentaneum eſt remedium in lumbricis: Conf. ZWELFFERUS *Mantiſſa ſpagyr. pag.* 344. & TIMÆUS *in Epiſt. pag.* 393. Injectio Martis præcipitat Cuprum ſub colore albo; non quod tota Veneris Tinctura ſit extracta, ſed quod Veneri ſemper adhæreant particulæ menſtrui corroſivi, quæ obfuſcant colorem cæruleum. Cæterùm poteſt reduci, ſi ſcilicet talis pulvis cum tartaro ſeu borrace fundatur in crucibulo, tunc enim perfectum acquirit colorem cupri.

Calcinatio Vaporoſa eſt, quando laminæ veneris ſuſpenduntur ſuper menſtruum quoddam acidum; ſic enim vapores acidi & corrodentes lambunt Venerem ſuſpenſam in alto, ac ſenſim ſenſimque corrodunt, unde fit Crocus omninò viridis, & quidem *ærugo* ſeu *viride æs* vocatus; cujus generalis appellatio quemcunque crocum ſeu vitrioleſcentem ſubſtantiam, ex Venere efflorescentem, denotat. Sic vapori aceti expoſitæ lamellæ veneris, vel ſi immergantur aceto vel ſpiritui vitrioli, & ſuſpendantur in aere, vel cementatæ cum ſulphure & ſale (hic enim eſt pulvis cementatorius) exponantur aeri, ex omnibus his *flos viridis* excreſcens, ſeu ſubtile *Vitriolum veneris* viridis æris nomine venire ſolet.

Fundamentum conſiſtit in eo, dum laminæ veneris aut aceto immerguntur, aut per cementationem calcinantur invicem, acidum aceti vel ſpiritus vitrioli aut ſulphuris adhæret Veneri, & illam corrodit in talem crocum viridem. Speciatim tamen illud corpus vitriolaceum ſolet eſſe, quod parant Galli, & apud nos in officinis eſt uſitatum, qui lamellas Veneris ſtratificant cum vinaceis recentibus, ſeu reliquiis iſtis remanentibus poſt expreſſionem ſucci ex uvis, usque dum integrum dolium plenum fiat: hujusmodi ſtratificationi unam partem aceti, & tres vel quatuor partes urinæ puerorum affundunt, idque ſubinde repetunt: permittuntur hoc modo ad tempus in loco calido, unde Vinaceæ ſucceſſivè incaleſcunt & eructant ſpiritum ſuum volatilem, atque ſucceſſivè ſic laminæ Veneris penitus in rubiginem erodunt ur, quæ in maſſam compactæ ordinarium viride æs conſtituunt. Uberiorem qui cupit deſcriptionem hujus Viridis æris, & quomodo præparetur in Gallia, conferat ZWELFFERI *Apol. contra Tachenium pag.* 203. Solutio hæc & præparatio eſt planè ſingularis; quoniam, uti dico, ex vinaceis poteſt deſtillari ſpiritus acidus volatilis, uti demonſtrat RESLERUS *in Proceſſibus* modum deſtillandi *ſpiritum* acido-ſulphureum *ex vinaceis*, ut ſpiritus vinaceorum partim participet de ſale tartari volatili, partim de ſpiritu vini, Unde ſpiritus planè eſt ſingularis. Et hic ſpiritus in Vinaceis adhuc reſidens ſolvit corpora ſubſtrata ſeu addita, non per ſolutionem violentam & corroſivam, ſed per ſolutionem amicabilem naturæ & fermentativam: id quod etiam fit in ſolutione cupri in viride æs. Aliàs etiam alio modo paratur Viride æs: ſcilicet ſi immergantur laminæ Veneris in aqua, in qua ſoluta fuerunt tartarus & ſal commune. Ex orichalco ſimiliter poteſt fieri Viride æs, ſed eſt lividius, non adeò pulchrè viride, aliquantiſper nigreſcit, & non ſuavem adeò habet colorem. Omnes hæ viridis æris præparationes & ſolutiones facili negotio poſſunt reduci in Venerem, ſcilicet ſi ſolvatur viride æs in aqua ſimplici, ſolutio præcipitetur cum ſale tartari, & ſic præcipitatur pulvis albus, qui facili negotio in crucibulo fuſus abit in Venerem. Hæcque eſt reductio, quando metallum in ſubſtantiam priſtinam reducitur.

In Calcinatione Cementatoria, quam AUTOR habet No. 5. adhuc notandum: quod laminæ Veneris cementatæ ſi exponantur aeri, uti dictum ſuperiùs, efflorescat viride æs; ſi verò ex AUTORIS manuductione coquantur, & aqua reponatur, ſubſidet Crocus rubicundus.

Uſus viridis æris internus per ſe eſt nullus; externè egregius in ulceribus putridis, & gangræneſcentibus mundificandis & curandis; Venus enim in uſu Chirurgico præ omnibus metallis optima eſt; Baſin unde conſtituit Unguenti Apoſtolorum, item Unguenti Ægyptiaci, contra gangrænas & ulcera putrida uſitatiſſimorum. Certè in uſu chirurgico viride æs eſt medicina elegantiſſima, imprimis inde paratæ aquæ virides in ulceribus putridis Venereis, & gingivarum putredine egregia. Solvatur ſcilicet viride æs in aceto deſtillato vel aqua ebulliat, & adhibeatur.

Ex hoc ipſo viridi æris, præter dictum uſu chirurgicum, in ſpecie eſt *deſtillatus ſpiritus*, qui vel per ſe, vel cum aceto, vel cum ſulphure deſtillari ſolet.

Per ſe quidem viride æs ritè paratum permiſcetur cum ana aut duplo arenæ, & deſtillatur, ſic prodit per retortam igne aperto, vel arenæ forti, ſpiritus acidus volatilis penetrans, reverà ſingularis: quòd ſi rigoroſiori igni exponatur, viridis acquiritur ſpiritus, propter hanc cauſam, quod particulæ volatiles Venerem ſecum rapiant.

Secundo modo ærugo ſolvitur in ſextuplo aceti deſtillati, ſolutio abſtrahitur ad ſiccitatem: remanentia ſolvitur in aqua fontana deſtillata, filtratur & ad tertias ſeu ad cuticulam evaporatur, & in loco frigido concreſcent elegantes cryſtalli virides, quæ per ſe igne forti deſtillantur per retortem, donec nigredo appareat: habetur ſic ſpiritus acidus volatilis, viridis plus minus, prout ignis intenſior fuerit, à quibusdam pro ſingulari *Antiepileptico Valentini* habitus. Cryſtalliſatione hac ſeu cum aceto impræegnatione Venus aliquantulum magis magisque recluditur, ac ſimiliter in particulas exhalabiles redigitur: Unde non tantum viridiusculus plus minus prodit ſpiritus, ſed etiam, ſi ſpiritus hoc modo paratus leni abſtractione in fæcem redigatur, ex hac ipſa cum ſpiritu urinæ tinctura cærulea elicitur; Veneris tamen potior pars in capite mortuo remanet. Pro uſu medico ſpiritus hic rectificandus eſt, & omnis Venus, quantum poſſibile, ſeparanda, & *menſtruum* erit *Zwelfferi* penetrantius, quàm acetum deſtillatum.

Faciliori encheiriſi Viride æris calefactum cum aceto deſtillato ſaltem irroratur; pro illius ℔j. ſufficiunt hujus ℔ij. ſic non minus Venus aperitur, & commodè poſtmodum deſtillabilis evadit.

Caput mortuum veneris, poſt ſpiritum ex viridi æris deſtillatione reſtans, ſuperfuſo ſpiritu ſalis ammoniaci, dat elegantem tincturam ſapphirinam, quæ leviter exhalans dat cryſtallos cœruleas in Mania per quàm proficuas, ut quidam affirmant: ſaltim id præſtabit hæc tinctura, quod decantatæ lunares tincturæ promittere ſolent.

Jam quoad ſpiritus hos viridis æris, tam ſimplicem, quàm cum

aceto destillatum, lis est non levis inter TACHENIUM, & ZWELFFERUM; quorum Hic in *Mantissa Hermet.* tantum non pro succedaneo liquoris Alcahest hunc spiritum venditat; Ille verò nullo modo à communi aceto destillato differre asserit: Verùm, utut in multis coincidant mutuò spiritus viridis æris ac aceti destillati, tamen prior hic penetrantior, & magis concentratus est, unde solvendo corpora, v. g. Corallia, perlas, viperas, & alia subjecta, idem ferè spiritus acidus post solutionem denuò abstrahi, & pro novis solutionibus sæpiùs adhiberi potest, ita ut parum ejus cum corporibus solutis jam tum maneat, cum è contrà acetum destillatum ferè integrum cum concretis solutis, Coralliis, perlis, lapillis concrorum, &c. remaneat. ZWELFFERUS quidem vult, quod omninò sine amissione virum operetur, quod tamen impossibile est; semper enim de acido adhæret aliquid subjecto corroso. Adhuc participat spiritus viridis æris de sulphure Venereo, in quo Venereo odore non levis virtus medica quærenda est, ista saltem, quam adeò deprædicat BASILIUS VALENTINUS *cap. 15. de Rebus Naturalibus*. Uno nomine: essentialiter ferè idem sunt, accidentalibus quibusdam proprietatibus, & inde dependentibus in operationibus varietate plus minus discriminantur: Confert hujusmodi viridis æris destillatus spiritus præsertim pro præparandis aliis remediis Chymicis, tanquam conveniens menstruum, ita ut loco aceti destillati longè commodiùs in usum vocari queat: vid. ROLFINCIUS, tàm in Tr. de Venere & Marte, quàm etiam *in Chymia*.

Aliàs spiritus hic, qui per se, egregius est in incidenda quacunque mucilagine, in secernenda quacunque visciditate, sive in ventriculo, sive in pectore, sive in pulmonibus stabuletur: si in pulmonibus, valdè convenit in aqua hyssopi à gutt. x. ad xv. in lethargo in aqua quadam epileptica, aqua liliorum convallium, florum tiliæ, salviæ; & cum aqua epileptica composita, in eadem Dosi, in cephalalgiis, partim ex cerebro, partim ex stomacho obortis, præsentissima est medicina. Plura qui vult de virtute spiritus viridis æris, conferat ZWELFFERUM *in Apolog. contra Tachen. pag.* 205. item HOFFMANNUM *Clave pag.* 240.

Ex hoc viridi æris paratur etiam spiritus acidus compositus cum gummi ammoniaco, & dicitur vel *spiritus viridis æris cum gummi ammoniaco*, vel *spiritus gummi ammoniaci cum viridi æris*: nempè

℞. *Viridis æris* part. ij.
Gummi ammoniaci part. j.

Misceantur invicem, & destillentur per retortam igne arenæ, & prodit spiritus acidus admodum volatilis, unà cum oleo quodam crasso & fœtido, quæ rectificatione invicem separantur, & fit fortiter penetrans, adservetur pro usu.

Hic spiritus mirus est in affectibus pulmonum, quales sunt asthma ex mucilagine crassa, Tussis ex materia crassa & viscida in catarrhis, quos vocant suffocativos: Nam revera tales catarrhi suffocativi sunt suffusiones sanguinis in vasis pulmonum majoribus, & similibus affectibus pulmonum. Item mirabilis est in affectibus stomachi, quando est oneratus copiosâ crassâ & viscidâ pituitâ ac mucilagine: Hanc enim potenter incidit, & volatili aciditate fermentum stomachi labefactatum eleganter restituit: miscetur in affectibus pectoris cum *Elixyre pectorali Doct. Michaelis*, in affectibus stomachi cum elixyre stomachali ejusdem. In defectu horum compositorum alia substituuntur, quod facile erit iis, qui cognitionem habent simplicium.

Cum sulphure tandem etiam ex viride æris destillatur spiritus reverà singularis, cujus præparationem accuratam ex *sulphuris communis* seu *crudi* p. j. *viridis æris* p. iij. videbitis in M. A. N. C *anno 6. & 7. Append.* 54. Spiritus hic acidior & fixior est, quàm ille, qui destillatur cum gummi ammoniaco, rectificandus denuò, & tunc facilè accedit ad vires superioris, utut non sit adeo volatilis, sed acidior.

Aliàs ex his tribus in usu est *spiritus asthmaticus* dictus *Doct. Michaelis*, cujus primus Autor est LANGELOTT, quem multi habent pro secreto. Ingredientia sunt eadem, saltim variant proportione: nempè

℞. *Viridis æris* ℥iv.
Gum. ammoniaci ℥ij.
Sulphur. flavi vel *inflammabil.* ℥j. ad ℥iß.

Mista destillentur per arenam in receptaculum amplum, & prodit spiritus flatuosus, ac tandem oleum empyreumaticum. Spiritus accuratè per retortam rectificetur, quo ab empyrevmate liberatus, subtilis ac penetrans, & in incidendo muco viscido, bronchia obsidente, aliisque affectibus pectoris & pulmonum, efficacissimus evadit. Sed in his destillationibus exactum observandum est ignis regimen, adscendendo nempè per gradus; nisi enim hoc observetur, violentia spiritus omnia disrumpit.

Redeo ad Calcinationem Cementatoriam, cujus beneficio Venus mutatur, nunc in crocum nunc in vitriolum. Fit eòdem modo, quo calcinatur ferrum. Cum sale aut nitro instituta, est nullius usus: per stratificationem aut cum sulphure instituta, totum cuprum in crocum redigitur, qui repetitâ aquæ affusione in Vitriolum veneris Cæruleum crystallisari potest. Crocus autem cum aqua edulcoratus, est corpus saturatum, nihil valens. Cum spiritu nitri etiam fit perfectum Vitriolum cæruleum, per se horridum hoc in Medicina, propter vim subversivam stomachi & inimicam pulmonibus. Observandum tamen, quod beneficio hujus vitrioli paretur *sulphur* illud *Veneris fixum*, quod HELMONTIUS vocat *ignem Veneris*, & ex hoc sulphure paratum oleum, *Oleum ignis Veneris* dictum. Certè inter sulphura metallica vi anodynâ præfertur reliquis. Est scilicet sulphur istud, quod virtute radicativâ dicitur placare quoscunque furores & excandescentias Archei, ipsique conciliare ideam placabilem: vid. hinc inde in *Tr. de Herbis, Verbis, & Lapidibus*, item *in Tr. Buttler.* Ex omnibus metallis parari potest *sulphur Philosophorum benedictum*, cæterum citiùs ac promtiùs ex Venere: vid. POLEMANNUS *in Tr.* eleganti *Germ. de sulph. Philosophorum*; ubi satis fidelis est in suis præparationibus, utut multa promittat, quæ non potest præstare, & sic est deceptor: cujus Theoria quidem vera; Praxis autem in fine tantummodò fallax est.

Hoc Vitriolum Veneris singularem Sympathiam cum morbis habet, unde & hujus sulphure, ceu fundamento, oriuntur Curationes Sympatheticæ cum *pulvere Sympathetico Digby*, qui paratur ex *vitriolo Veneris*, juxta tempus caniculare *calcinato* (videatur *Theatr. Sympathet.*) ulcera renum & vesicæ curans, hæmorrhagias sistens. Loco hujus pulveris sufficit solum vitriolum Veneris, cui, aut capiti mortuo hujus si immitantur excrementa, ratione virtutis Sympatheticæ in sulphure Veneris non nihil fixiori fundatæ: de quo suo loco fusiùs.

Succedaneum sulphuris vitrioli Veneris fixi ita parari potest, si spiritus vitrioli vel sulphuris misceatur cum oleo terebinthinæ, ut effervescant: Mixtura hæc postmodum destillatur, & remanet corpus sulphureum inflammabile, insignem vim anodynam habens.

Ad calcinationem pertinet etiam, quando ex venere cum lapide calaminari fit *Orichalcum*, cujus compositionem dedi superiùs.

Porrò ad Veneris destillata, quæ inter non ineleganter pertinet ille labor, dum ex Venere, cum sublimato destillata, *spiritum viridem* elegantem parare docet ZWELFFERUS *Mant. spagyr. pag.* 344. sicuti etiam hôc facit spiritus vitrioli veneris destillatio de ramentis venereis simul per retortam plus minus secum rapiens, unde & nauseosus existit, nisi exactè rectificatus sit. Commendatur in affectibus ventriculi, in anorexia, ubi appetitus est dejectus, & epilepsia, ubi digestio est abolita.

Quæritur: *an spiritus vitrioli Veneris habeat prærogativam quandam præ spiritu vitrioli Martis?* PARACELSUS, & ex eo FABER, vocat spiritum esurinum, quia stomachum robustum reddat, ut acquirat vires struthiocameli in digerendo ferro, quæ verba quidem sapiunt hyperbolem, & non tam de spiritu vitrioli vulgari, quàm volatili intelligenda sunt, cui Paracelsus perfectam attribuit curam epilepsiæ: Sed tamen videtur, quod spiritus vitrioli Martis præferendus sit, quia est mitior. Caput mortuum autem hujus spiritus probè edulcoratus est crocus Veneris adstringens: sicuti caput mortuum ex destillatione spiritus vitrioli Martis, si legitimè destilletur forti igne, est crocus Martis adstringens, uti videre est in ZWELFFERO *loco allegato p.* 343. Egregium est remedium stypticum absorbens, usu externo Chirurgis admodum conveniens.

Extractiones sequuntur, unde prodeunt *tincturæ venereæ*, quæ tamen rarissimi sunt usus propter hostilem, quam stomacho faciunt, impressionem: vulgari enim modo præparatæ insigniter sunt vomitivæ; sicut & lunares, quas AUTOR habet *cap. de luna* omnes sunt *tincturæ venereæ*: quare cautè usurpentur, quia subinde vomitus excitant. Loco illarum sufficiat tinctura ex viride æris, cujus præparationem videbitis in AUTORE, aut ex hujus post destillationem restitante capite mortuo per menstruum urinosum paratæ; vel extrahitur viride æris spiritu urinæ, sic enim exsurgit tinctura cærulea valdè elegans. BOYLE *de Specific. & simpl. pag.* 137. tincturam ex limatura Veneris extrahit cum oleo terebinthinæ. Genuinæ autem tincturæ venereæ sunt, si sulphur Veneris fixum legitimè extractum fuerit. Commendatur valdè ad affectus capitis, non minus quàm tinctura lunæ, ex eo, quod Venus & Luna sint naturâ ferè congeneres, & Venus est Luna immatura cujus tamen veneris sulphur solare quasi, utut immaturū, commodè potest usurpari in affectibus capitis.

Ad extractionem pertinet quoque *Balsamus Veneris*, tàm *primus*, quàm *secundus*, qui sunt egregii in mundificandis ulceribus cocoethis, quæ aliàs non facilè possunt consolidari: hinc balsamus AUTORIS non est inelegans pro tali cura. Nam observetur, quod viride æris sit egregium simplex in ulceribus malignis & cacoetheis; item in ulceribus corrosivis & gangrænosis. Viride enim æs, seu cuprum in viridi æris, nondum est saturatum volatili acido aceti seu vinaceorum, sed tantùm est apertum aliquantisper; unde ratione Veneris in ulceribus abundantem & putrefacientem aciditatem absorbet, & ita putredinem & corrosivitatem ulcerum potenter cohibet; sicut viride æris est basis unguenti Ægyptiaci & Purpurei in ulceribus cacoetheis, aliisque periculosioribus usitati. Præparationem hujus unguenti videb. in Dispensatoriis, imprimis in *Pharmacop. August.* 1. & ZWELFFERI *Pharmacop. Regia.*

Quoad *salificationem*, genuina salia ex nullis metallis, præprimis ex Marte & Venere, possunt haberi; sunt tantùm corpora saliniformia per acida corrosa: videantur, quæ *supra de salibus* hisce *dicta* sunt.

Sal Veneris vitriolatum est reverà *Vitriolum veneris*: nam variis modis fiunt vitriola veneris: vid. POTERIUS *in Pharmac. pag.* 499. item MILIUS *l.* 3. *Basil. Chym. Part.* 3. *pag.* 280.

Sequitur *sublimatio*; sed *processus Autoris* non succedit, & est tantùm impostura, dum ipse AUTOR fuit deceptus. Quidam flores Veneris cum sale ammoniaco sublimant, sed remedium vomitorium constituunt. Huc pertinet *Primum Ens Veneris*, quod nihil aliud est, quàm caput mortuum Vitrioli veneris cum sale ammoniaco sublimatum. Si paretur ex vitriolo Martis, habet dotes, quas ZWELFFERUS ei adscribit, anodynas & stomachales.

Oleum illud *viride* viridis æris *causticum Autoris* non negligendum est, propter detonationem istam nitri à venere factam, qua alcalisatur nitrum, non secus atque à sulphure vulgari fieri assolet.

Inter Curiositates Chymicas refertur etiam, *Venus alba*, quam ipsam quidam in lunam, sed impostoriè, mutare volunt: vid. MAROTTE *in Philosoph. Triplici pag.* 128. Modi sunt varii; nempè Venus ignita aliquoties, si in solutione salis ammoniaci cum aqua communi extinguatur, crustam acquirit albam æmulam argento, sed sublatâ eâ Venus pristinum vultum acquirit. Item Mercurius vivus cum sale ammoniaco subactus & sublimatus per deliquiū solutus, Venerem impositam elegantem & quasi argenteam reddit: conf. WILLISIVS *de Ferm. pag.* 88. Speciatim tamen arsenicum, vel simpliciter depuratum sublimando, vel addito sevo aut alcali in corpus quasi metallicum sublimatum, eleganter Venerem argenteo colore tingit, & quasi in perfectum argentum transmutat, quatenus Veneris acidum arsenicum, tanquam mercuriale subjectum, promptissimè arripit, ac secum unit, indeque concretum quasi argenteum emergit: KUNCKELIUS *P.* 1. *Lit. G. Num.* 1. & *P.* 2. *pag.* 42. Jam verò sicuti arsenico in lunam quasi mutatur Venus, ita hodie quidam mediante Zincko Venerem palliare valent, ut nummi aurei seu Ducati inde parentur, qui etiam in lapide lydio subsistunt, & in omnibus aurum referunt, saltem Saturnus in cupella fraudem detegit.

De *Mercurio Veneris* multi sunt qui dubitant: interim non dubitandum, quoniam sunt, qui viderunt, licet non omnes. Facile è Venere quàm Marte elicitur, idque beneficio salium alcalium fixorum. MYLIVS admodum hunc commendat in cura luis venereæ, adeò ut nihil sit elegantius; utut dubitem, an MYLIUS unquam viderit talem Mercurium D. MICHAELIS vidit Mercurium Veneris apud Mercatorem, quem accepit à Monacho quodam, & dixit, hunc Mercurium fuisse egregium diaphoreticum, & elegans antipestilentiale. Sunt qui præparant Mercurium Veneris diaphoreticum additione Mercurii sublimati hoc modo:

℞. *Limat. veneris* ℥j.
Mercurij sublimati ℥ij.

Pulverisata misceantur, indatur mixtura cucurbitæ angustæ in balneo Mariæ, & procedatur sensim cum igne, donec liquefcant, ut cera; deinde fracto vitro eximatur, & materia frigefacta pulverisetur, & superfundatur spiritus sulphuris aut vitrioli in retortam minorem, in arena per diem naturalem, seu per 24. horas, digeratur, & tandem spiritus vitrioli vel sulphuris abstrahatur ad siccitatem: materia restitans aqua cordiali quadam edulcoretur.

Hoc dicitur superare vires Bezoardici mineralis in iis, qui laborant febre malignâ. Dosis sunt gr. iij.

C A P. X I V.

D E

S A T U R N O seu P L U M B O.

Post duriora sequuntur *molliora metalla*, & ut illa sulphureo-terrea, ita hæc Mercurialia magis sunt. Primarius horum est Saturnus, totus Mercurialis, quatenus plurimum Mercurii crudi non fixi, & valdè volatilis, modicum sulphuris coagulantis, & omnium minimum terræ salinæ habet, unde facilè funditur Saturnus absque ignitione; nam reliqua metalla non funduntur, nisi ignian-tur, adeoque nulla metalla minus de sale participant, quàm Sol & Saturnus, hincque prima est substantia metallica post Mercurium currentem. Ex eo, quoad reliquas proprietates mechanicas, oritur ponderositas, ductilitas, & aptitudo alia metalla viliora, propter horum sulphur acidum, quo saturatur Saturnus, imbibendi omnes terrestreitates salinas omnium reliquorum metallorum, eorumque peregrina sulphura absorbendi. Hoc ex fundamento instituitur in cupella beneficio Saturni purificatio solis & lunæ. Quando etiam ipsa metalla sunt intractabilia, miscentur cum Saturno & funduntur, sic separat omnia sulphura; item quando Saturnus funditur cum compositis mineralibus, tunc saturatur à parte salino-terrea Veneris & Martis, imò Jovis, & sic transmutat mineralia hæc in perfecta metalla. Vocatur Saturnus ex eo, quoniam dicitur respondere Saturno microcosmi seu spleni, quoniam medicamenta Saturnina præ reliquis dicata sunt spleni.

Quoad *proprietates Medicas*, concretum quasi alcalinum constituit, minimum acidi nativi obtinens; unde quovis alio acido extraneo saturari appetit, illudque promptissimè imbibit, & cum eo texturam non nihil stypticam constituit, ut Mechanica chymica quorumvis acidorum cum Saturno ostendit. Hinc & acidum ignis promptissimè appetit, & cum eo pondere crescit: de quo pondere conf. HOFFMANNI *Clav. pag.* 245. *seqq.* Idem fieri etiam solet cum Marte, coralliis aliisque, acidum ignis appetentibus. Sed tamen, dum subiecta quædam in igne crescunt pondere, hoc non universaliter ex acido ignis derivandum; nam à quibusdam corporibus pondus in igne ex subsidentia particularum, indeque textura arctiore & densiore, v. g. in regulo antimonii, contingit: de quo conf. KUNCKELIUS *Obs. P.* 2. *pag.* 33. Dubium autem: *an uti suo modo ex igne, ita etiam ex aqua vel aere accrescat ac ponderosior fiat Saturnus?* De aqua prostat effatum *Commentarii in Erckeri Aulam subterraneam p.* 224. Cuprum in aqua decrescere, Saturnum verò accrescere, quod tamen à sordibus occulto-acidis Saturno adhærentibus dependere magis videtur, quàm ex propria vi Saturni multiplicativa sui. Quoad aeris vim, res altioris videtur indaginis: testantur enim plurimi, de quo etiam videatur HOEFFERI *Herc. Med. pag.* 398. quod Saturnus reverà pondere augeatur, si sub dio conservetur, ut pluviam vel aerem suscipere possit, & si matrice suâ, id est terræ cavernis, destituatur; sicut etiam in tectis aeri expositis per multos annos, fit ponderosior. Sanè relatum mihi est Freibergæ à summo fodinarum Præfecto, quod in fodina dicta, Germ. *die Halsbrucke*, scoriæ Saturni semel exhaustæ, aeri expositæ, per triennii præter propter spatium de novo animentur, novoque Saturno imprægnentur, ut denuò metallum largiantur; quod tamen non alibi. Forsan ergò, dum copiosæ plumbi mineræ quotidie in dicto loco funduntur, exhalantes volatiliores dictarum minerarum particulæ exhaustis his mineris se insinuant, & à dictis Scoriis quasi magneticè attrahuntur, quæ exinde aptæ redduntur novo fundendo metallo.

Communissimum aliàs metallum, & in quibusvis ferè mineris, plus minus tamen, reperitur: sæpiùs purus in vena sua invenitur, ut plurimum tamen de luna simul participat, ita ut nullus ferè detur Saturnus sine luna commercio: conf. ERCKERI *in Aula subterranea pag.* 33. Hinc enim est, quod in testa probatoria calcinatus semper ferè relinquat aliquid de luna perfecta, adeò ut in se adhuc contineat primum ens lunæ. Imò dicunt: si fiat talis Calcinatio Saturni in radiis solaribus beneficio vitri lenticularis, quod loco granulorum lunæ semper remaneant aliquot granula solis, quod scilicet beneficio radiorum solarium luna ista transmutata sit in perfectum solem. Interdum Saturni mineræ simul etiam de antimonio participant, utpotè in radice cum Saturno quodammodo conveniens: Unde etiam corpus antimonii, minerale licet, tamen sulphure metallico Saturnino constare dicitur, propter convenientiam, quam habet cum Saturno. Facilè tamen ab antimonii contagio depuratur, si Saturno fuso Mars adjiciatur; ferrum enim promptè roditur ab antimonio sulphureo, quod à Marte absorptum, plumbum ita purum dimittit: Conf. ERCKERVS *pag.* 57. & 272.

Cæterùm plumbum non solùm crudum & perfectum, sed etiam ejus minera, vocatur in usum Medicum. Fertilior plumbi minera speciatim Germ. *Glantz-Ertzt* dicitur, Latinis Galena, quæ idem est cum Veterum plumbagine seu molybdæna, utut & plumbum scriptorium, speciatim molybdites, quibusdam dicatur. Minera hæc Saturni eligenda est in vere vel Canicularibus scilicet diebus, etiam sole in Leone existente & lunâ plenâ, vel paulò ante est effodienda; sic enim præ cæteris possidere dicitur virtutes nobiliores.

Valdè etiam Saturnus cognatus est Jovi; differunt tamen.

1. Ratione munditiei. Nam Saturnus magis mundus est; è contrà Jupiter immundus.
2. Differunt difficultate Calcinationis, dum Saturnus difficiliùs, Jupiter faciliùs calcinatur, propter copiam sulphuris superficialis. Hinc
3. Sulphur Saturni Mercurio ejus pertinaciùs conjunctum est, hincque in igne respectivè constantius; quod non fit in Jove, in quo copiosius sulphur luxuriat, minus Mercurialis substantiæ commistum, indeque in igne dissipabilius.

In hoc tamen utrique conveniunt, quod Mercurium vivum facilè cogant ac coagulent in consistens corpus; si scilicet plumbo fuso & leniter denuò coagulato in foveam factam immittatur Mercurius vivus, qui coagulatur in massam duram, quem coagulationis modum docet BOYLE *Histor. Fluid. & Firm. pag.* 115. Idem experimentum cum regulo antimonii succedere primus docuit WEDELIUS *Pharm. pag.* 173. Nempè exspirare aliquid in Saturni hac fusione & calcinatione, extra dubium est; unde & tali, licet insensili, fumo Saturni Mercurius quodammodo figitur. Sunt etiam, qui affirmant, & laminas Talci antimoniali fumo calcinari posse, ut in Venerem redigi queant. Dubium tamen videri possit: an integrum, & non immutatum metallum, hac ratione in auras redigatur? utut reverà nil adsit, quod separationem quandam partium in Saturno facere possit: hinc & talis Saturni fumus halitu haustus supra & infra purgat; conf. BOYLE *citato loco p.* 116. Mirabile est in plumbo, quod in catinis ex Saturno paratis soleat coqui muria in fontibus salinis, ut evaporatione phlegmatis coaguletur sal;

vas

vas tamen plumbeum non liquescat: quod etiam miratur HOEFFERUS *in Herc. Med. pag.* 398. uti hoc Halæ Saxonum & Luneburgi conspicitur; nec non Salfeldi, ubi pro alumine & vitriolo coquendis & conficiendis vasa plumbea adhibentur.

Porrò, licet plumbum sit Mercuriale metallum, per addita tamen quodammodo inflammati potest, si nempè granulatus misceatur cum ana sulphuris, & hoc inflammetur; apparebit sic flamma potentior longè & acutior, quàm ex Venere vulgari: repetitur hoc aliquoties, idque tamdiu, donec non amplius flagret Saturnus. Hoc modo alteratus Saturnus promptâ fusione *abit in vitrum*, dum præcedente deflagratione propriè dictæ ac puriores Saturni partes absumptæ sunt. Vitra enim ut omnia, sic & omnium metallorum, fiunt ex alcali colliquescente cum terra.

Aliâs facilè *Vitrum Saturni* fieri potest, si Minii part. ij. cum pulvere silicum fluviatil. calcin. p. j. in crucibulo forti igne fundantur, & hinc in vitrum effundantur, quod iterum in perfectum Saturnum reduci denuò potest, pondere tamen & quantitate diminutum. Vitrum hoc habetur nunc nigrum, nunc rubrum, nunc flavum, prout ex Saturno plus minus calcinato fuerit factum: si enim vitrum hoc paratur cum pulvere silicum, habetur vitrum smaragdinum, Germ. *eingrun Glas*, cum calce viva rubrum.

Usus vitri Saturni per se facti est, quod habeat vim non nihil laxativam, quam in fusione in aqua de se fundit, ut vitrum antimonii; & ita vinum laxativum facere solet.

Ex supra dictis patet *Usus medicus*, quod nempè externè & internè imprimis valeat in absorbendis acidis, præsertim fixis plus minus manifestis, cum quibus se associat; hinc concretum dulce & quasi urinosum emergit. Unde cùm interni dolores, ardores, rubores, &c. ex acido oriantur, hoc vero usu Saturni absorbeatur, vulgò etiam Refrigerare ab effectu dicitur; dum hæc refrigeratio non consistit in frigoris efficacia, sed textura sua materiali, qua acidum absorbet, & hinc ex mutata sui textura vim adstrictoriam aliqualem acquirit. Propter vim acidorum absorptivam præfertur adhuc Marti; cùm Martialia Acida tantùm fixa, Saturnina verò Acida quælibet, etiam subtilissima, sibi affigunt. Internè ergo in acidis hypochondriacis, scorbuticis, splenicis, præsertim Melancholicis & Maniacis, item, uti vulgò vocant, atrabilariis absorbendis & edulcorandis, singulare est remedium Saturni. Sanè exempla novi malo hypochondriaco confirmato correptorum, item Melancholia hypochondriaca graviter afflictorum, Saccharo Saturni curatorum. In colica biliosa dicta, item phthisi ex acido acri corrodente, egregius est Saturnus. Ac sanè in omnibus dictis affectibus chronicis singularis est ejusdem usus. Hoc mali ipsi affricare solent, quod Saturnina remedia nempè Venerem extinguant, maresque impotentes reddant, quod tamen traditio est vulgaris, & commentum debito experimento aut solidâ observatione nondum stabilitum. *Externo usu* rectè à PARACELSO dicitur quarta Columna Chirurgiæ, quatenus & inflammationes, ardores, rubores, dolores, tumorum, abscessuum, omnium ulcerum, & similes omnes externarum partium affectus, omnium optimè curat Saturnus, absorbendo nempè & destruendo in se volatile & subtile illud corrosivum plus minus acidum, quod partes molles depascit in ulceribus, in specie malignis, inveteratis, cancrosis, & cacoetheis &c., & effervescendo in locis intercutaneis ardores, & pungendo fibrillas nerveas intensissimos dolores concitat; adeò ut istud fermentum corruptivum acidum imbibitum à Saturno dulcescat, uti *infra patebit de Saccharo Saturni*. Hinc ordinariè Unguenta & emplastra chirurgorum cerussa, lithargyrium, minium, plumbum ustum, Saccharum Saturni, ac similia ingrediuntur, ceu primariæ bases: imò ipsæ Saturni laminæ ulceribus manantibus impositæ seu applicatæ, egregiè conferunt. Præterea ambustis mirificè confert, in quo casu excellit butyrum Saturni dictum, ex Saturno in aceto soluto, & hinc cum oleo rosaceo vel oleo raparum in butyri consistentiam per agitationem in mortario plumbeo redacto, ambustis egregium remedium, præsertim recentibus suppeditat.

Cosmeticus prætereà est Saturnus, quatenus acidum illud subtile, quod in gutta rosacea, in pustulis scabiosis, in tuberibus, varis, ac faciei pustulis inest, corrigit: qua ratione etiam oculorum malis, his præsertim, quæ ab acriori lympha & acidiore oriuntur medetur.

Ut Saturnus commodè possit usurpari, præcedant in specie Præparationes, inter quas convenit

I. PURIFICATIO.

AUTORIS hic modus est genuinus; optimè tamen fit sequenti modo:

♃. *Plumbum*:

Fundatur in crucibulo, & sic in fluore per horæ quadrantem relinquitur: dehinc injiciatur parum *salis ammoniaci*, & agitetur paulisper spatulâ ferreâ, donec sal ammoniacum in auras abierit; tunc impuritates supernatantes abjiciantur, & habebitur plumbum instar lunæ splendens & candidum, qui depurandi modus etiam valet in Jove depurando.

Etiam alio modo fit *Depuratio Saturni*, à feculentia seu sulphureitate denigrante, idque compositione *amalgamatis Saturni* cum quarta parte Mercurii, amalgama hoc pistetur in Marmore, & misceatur cum ana salis gemmæ & salis communis, & pistantur, donec sal evadat nigrum; tunc cum aceto forti lavetur salsedo, iterum pistetur cum sale, & lavetur salsedo cum aceto, idque toties repetatur, donec nihil appareat nigredinis; pulverisetur iterum, & misceatur cum ana salis dicti, & ebulliat in aqua, sic tota exibit nigredo; tum cum aqua ebulliente sæpè separetur ab eo salsedo, & plumbum album instar lunæ evadet.

Amalgama hoc Saturni cum Mercurio in usu externo est pro ulcerum rebellium acido corruptivo infringendo: sic in AUTORE *l. 2. c. 53. No. 12.* ex communicatione *Clossæi Emplastrum* prostat, cujus ingrediens amalgama tale est, ad cujus imitationem plura alia facilè concinnari possunt, in eundem usum chirurgicum adhibendo.

Post purgationem sequitur

II. CALCINATIO, quæ est

1. *Incineratoria* quando plumbum fusum continua agitatione in calcem cineream convertitur: vid. AUTOR.

Hinc sequitur 2. Reverberatoria, quando plumbum jam calcinatum continua reverberatione in ochram plumbariam factitiam (Germ. *Bleygelb*) flavescit, tandem rubescit, & in pulverem cinnabarinum Minium dictum convertitur: quò diutiùs agitatur, eò rubicundiorem acquiritit colorem.

In hac calcinatione duo sunt consideranda:

1. Quod in ista calcinatione Saturni Minium augeatur pondere.
2. Quod Minio, utut rubicundo, facilè omnis rubedo demi possit.

Quoad I. ℔j. Saturni augmentatur pondere ℥j. hujus ratio est in igne, cujus particulæ acidæ plumbo adhærent, & ita ejus pondus augent; partim in particularum arctiore & densiore textura. Patet exinde, quia cum alcalibus minium reducitur in plumbum ejusdem ponderis, quo primò fuit.

Quoad II. Fit beneficio salis ammoniaci: Nempè mistum minium cum sale ammoniaco, & aliquoties ab eo sublimatum, illud in forma calcis gryseæ in fundo subsistit.

3. *Calcinatio Cementatoria* fit beneficio strati super strati cum sulphure, uti habet AUTOR: sic enim fit, ut sulphur accensum beneficio spiritus acidi corrodat plumbum: & hoc est *Plumbum ustum* officinarum.

Ad Calcinationem Cementatoriam pertinet etiam elegans operatio: scilicet *Granulatio Saturni*, item *Jovis*, quæ fit cum calce viva: Nempè Plumbum vel Stannum ducantur in minutissima, quantum fieri potest, filamenta, cum quibus & calce viva fiat stratum super stratum in crucibulo, observando cautè, ne filamenta ista se mutuò contingant: Adhibeatur successivè ignis, donec hic in tantum increscat, ut sufficiat fundendo plumbo, sed non amplius: quo facto, refrigerata materia cum aqua simplici probè elota subtilissimè granulatum plumbum & Jovem emittit.

Alio modo, fuso plumbo vel Jovi sal immiscetur, ita ut particulatim injiciatur, & sedulò agitetur, subigaturque cum spatula: loco salis etiam mistura & ex sale & nitro sumi potest. Cum in minima discessit mistura agitatione ista, refrigerata massa sal aqua affusa solvitur & eluitur, restitante postmodum metallo sub forma granulorum.

Calcinatio Immersiva seu solutio fit ordinariò per acida quælibet. Notabile tamen est etiam, quod & lixivialia jus habeant solvendi plumbum, ut patet in lixivio decoctionis lithargyrii, pro tingendis ad nigredinem pilis usitato, de quo conf. TACHENIUS *Hipp. pag.* 44. Dubito tamen, an idem jus sit lixivii in plumbum crudum, cùm alcalia in eundem non agunt, nisi priùs calcinando cum igne in lithargyrium redactum, adeoque acido ignis jam ante imprægnatum sit. Acida verò facillimè solvunt plumbum, & ab eo dulcedinem acquirunt, quæ solutio filtrata & blando igne non nihil evaporata, in loco frigido concrescit in crystallos, *sal, saccharum*, & *Vitriolum Saturni* appellatas. Communiter fit cum aceto, secundùm normam ab AUTORE præscriptam Minium in eo solvendo. Loco minii potest etiam lithargyrium sumi. Interim tamen cum aceto destillato, cum nitro acuato, similes & elegantiores & meliores crystalli in usu medico fieri possunt, quales valde commendantur à Grugnero in putredine oris *cap.* 2. in lib. Chymischer Fruling: item cum spiritu viridis æris dulces & elegantes admodum crystallos suggerit. Imò cum tartaro etiam Saturnus tractatus paria ac cum aceto habet producta.

Saccharum hoc *Saturni* mediocris depurationis & exaltationis gratiâ aliquoties cum aceto destillato denuò solvatur, hocque ad crystallisationem usque avocetur; Imò tandem, si cum spiritu vini dissolvantur hæ crystalli, post spiritus illius sufficientem abstractionem in crystallos purissimas concrescent. Notabile etiam est, quod idem saccharum cum spiritu formicarum si destilletur, spiritum planè acidum fundat, eò quod in aciditate illa spiritus formicarum

nihil aut aurum sulphurei latitet: unde vel sponte patet, quod iste, qui ex Saccharo Saturni communi destillatur spiritus & oleum, non Saturni, sed aceti sint proles.

Usum hujus *Sacchari Saturni* quod attinet: est medicamentum polychreston, & multi usus; Nam utut corrosio fiat plumbi beneficio aceti vel alius acidi pro Saccharo Saturni, Saturni tamen corpus ab acidis istis apertum, non verò perfectè saturatum est; hinc vim habet absorbendi quæcunque acida vitiosa, & compescendi effervescentias & phlogoses subitaneas ex vitioso acido in intestinis effervescente natas. Vulgò refertur Saccharum Saturni inter remedia splenetica primaria in omnibus affectibus ab acido oriundis atque contumacioribus; & ob id in specie in affectu hypochondriaco, & Melancholia hypochondriaca, est singulare remedium, ubi præmissis vomitoriis solum saccharum Saturni sufficit, beneficio cujus aliquot curatos à Melancholia hypochondriaca novi. In scorbuto quoque egregiè prodest; unde in erysipelate scorbutico, cum vitio splenis pronato, singulare experimentum est. Quidam aliquando laborabat erysipelate splenetico, qui aliis nullis cessit remediis, nisi sale seu saccharo Saturni assumpto, ex cujus usu interno omninò nigricans ex corpore facta fuit excretio cum reconvalescentia ægri. In Colica egregium est remedium, imprimis si sit à bile, quam vocant æruginosam, de qua notum est, quod ibi abundet acidum. Præterea sal seu saccharum Saturni à quibusdam multum commendatur ad curam pestis ex eo, quoniam scilicet malignæ influentiæ Saturni pestem inducant; unde etiam medicamenta Saturnina eandem curent: certè tamen per se maximi fit à multis in peste curanda, uti etiam in quibusdam febribus ardentibus & malignis multum commendatur ex eo, quod mirificè sanguinem edulcoret. In diuturniore & contumaciore quartana, cum splene affecto, Saccharum Saturni cum lapillis cancrorum conjunctum, aliis irritis maximè proficuum est remedium, si præmissis universalibus ante paroxysmum propinetur: v. g.

℞. *Lapill. cancr. præp.* ʒß. ad ʒij.
Sacch. saturni ℈ß. ad gr. xv.
M. f. Pulv. ante paroxysmum propinandus.

Præsentissimum etiam dicitur cordiale sal Saturni, si misceatur cum pulveribus Bezoardicis, & ita usurpetur: Sed hoc subinde acida corporis nimis figit, & sic vel morbus tantum palliatur, vel in recidivam ejusdem, si non atrociorem, degenerat. Quidam ejus usum mulieribus sterilitatem, & maritis impotentiam, inferre credunt. Verùm hoc est falsum, cum, ceu supra dixi, nulla prostent sufficientia experimenta, quæ hoc persuadeant: Nata hæc opinio exinde est, quod Saturnus à Medicis vulgò frigidus censeatur; quod tamen nihil est, & metus inanis. Ex hujus *Sacchari Saturni* part. ij. *Vitrioli Martis* p. j. invicem mistis, probèque tritis emergit mistura facilè liquescens & rubescens, quæ cum spiritu tractata *tincturam* elegantem, vulgo *antiphthisicam* dictam, constituit, & maximam partem de Saturno, parum de Marte participat, omnibus usibus, quibus Saturnus conducit, internè conferens: Conf. HOFMANNI *Clav. pag.* 247. & WEDELIUS *Pharm. pag.* 231. Valdè simul adstringit, cum invertatur sapor plus minus austerus, & post præcipitationem in viis primis factam acidum plus minus corrigat & absorbeat: Unde & ingens habetur secretum in consolidandis pulmonibus exulceratis, & in consolidandis aliarum partium exulcerationibus.

Externè saccharum Saturni valdè convenit in quacunque inflammatione aut ardore cujuscunque partis, dum mirificè omnes inflammationes, ardores, & ipsa erysipelata sistit, indeque valdè refrigerare dicitur Saturnus. Unde in inflammatione oculorum Saccharum Saturni mistum cum aqua rosarum, plantaginis, euphrasiæ, &c. applicatum, valdè inflammationes compescit; Unde etiam in variolis ad præservandos oculos eodem modo adhibetur, in quo casu optimo consilio unum alterumvè granum camphoræ additur. Similiter mistum cum oleo rosarum dat *Unguentum* elegans, *quod ambustiones curat*, sicuti omnia reliqua ex plumbo parata remedia. In cancro, in ulceribus quibuscunque malignis & rebellibus, &c. item cum inflammatione conjunctis, Saccharum Saturni est optimum; in inflammationibus & excoriationibus partium, & similibus affectibus aliis, valdè convenit Saturnus & saccharum Saturni. Unde etiam tot sunt unguenta & emplastra in officinis, ut emplastrum album coctum, de spermate ranarum camphoratum, Emplastrum nigrum Helmontii, Emplastrum Norimbergense, Emplastrum mirabile seu ex alcalibus *Tachenii in Morbor. Princip. p.* 177. in podagra egregium, quod fit

Recipiendo *Ol. rosati*, vel etiam *Olivar.* ℔j.
calefiat in sartagine, adde
Sapon. Ven. rasi ℥iv.
liquefacto sapone adde
Cerussæ,
Minii aa. ℥iv.

Coqv. lentissimo, ac lampadis quasi igne, continuò movendo pistillo ligneo, ut F. emplastrum coloris incarnati aut albicantis.

Huic refrigerato ferè, aut circa finem, si lubet aut necesse, *camphoræ cum spiritu vini solutæ* ℥j. item pro vulneribus & ulceribus *aluminis ustum*, addi potest. Unguentum item de cerussa, unguentum de minio, &c. quorum omnium basis est Saturnus, & etiam inter alia Saccharum Saturni. Et quidem pro tali externo usu Saccharum Saturni dissolvitur in aqua appropriata; alii verò sal seu Saccharum Saturni reponunt in cellam vel locum frigidum, ut liquescat, & abeat in liquorem, qui liquor vocatur *oleum Saturni per deliquium*; quod oleum ad omnia ea modò dicta valdè est proficuum. Convenienter potest misceri cum aqua Calcis vivæ pro usu externo in quampluribus affectibus: Unde ex hoc liquore & beneficio hujus liquoris fit *Balsamum Saturni*, linimentum magni momenti in morbis; si scilicet recipiatur *Calx viva*, & simul *Saturnus* in aceto destillato solvatur: Hæc duo invicem misceantur cum oleo appropriato, & agitando abeunt in consistentiam butyri & unguenti, valdè convenientis in morbis externis superiùs dictis. Saturnus ulteriùs est elegans cosmeticum; Unde in pustulis faciei, in gutta rosacea, item in scabie & similibus affectibus aliis, summum est cosmeticum Saccharum Saturni.

Simili ratione, atque ex plumbo, ex minera ejus cum spiritu nitri præparari possunt crystalli & Saccharum Saturni: Scilicet solvitur *minera Saturni*, vel per *acetum destillatum cum spiritu nitri acuatum*, vel *spiritum nitri* solum: Solutio filtrata & leniter evaporata in loco frigido concrescit in crystallos, quæ crystalli præferuntur iis, quæ parantur ex Saturno jam fuso & calcinato: laxant leniter, & alterant egregiè; tamen in malo hypochondriaco, in mania, & similibus affectibus valdè sunt utiles & proficuæ, adeò ut etiam desperatos in tali casu curent.

Ad hanc Sacchari Saturni præparationem pertinet etiam *Saturnus fulminans*: nempè si solutio cum aceto destillato facta ad siccitatem usque abstrahatur, facillimè, si tantillum ignis fuerit intensior, instar auri fulminantis fulminare solet, omniaque disjicere: id quod etiam fit, si Saccharum Saturni paretur cum aceto destillato, cum spiritu nitri acuato; nam & sic sub exsiccatione nimia fulminare solet.

Ex solutione Saturni per acida facta denuò præcipitari potest Saturnus; id quod præstant tàm alcalia, v. g. Oleum tartari per deliquium, uti insinuat AUTOR sub Tit. *Magisterium Saturni*, quàm etiam spiritus salis vel spiritus vitrioli; qui spiritus solutionem hanc in Magisterium candidissimum præcipitant, quod tamen nihil valet. Præfertur potiùs saccharum Saturni, quoniam Magisteria hæc, cùm duplici sale constent, non sunt adeò proficua. Tutiùs autem & magis efficax est *Magisterium cum spiritu urinoso præcipitatum*; pulvis sic elegans candidus emergit, & præ aliis remediis Saturninis in forma sicca satis conveniens.

Pertinet huc *Saturnus corneus* ex solutione cum spiritu salis præcipitando paratus, facilè liquescibilis, ac promptè in Mercurium vivum redigibilis: de quo conf. BECHERUS *Phys. subterran. pag.* 461. Idem ferè obtinetur à præcipitatione solutionis istius cum muria seu solutione salis communis in aqua; cadit enim sic *Magisterium Saturni volatile*, ac additis convenientibus sublimabile, quod AUTOR sub nomine salis Saturni volatilis insinuat. Nempè in metallicis sal commune & nitrum effectus habent ferè contrarios; dum nitrum figit, sal commune volatilisat, ut in luna cornea, Saturno corneo, butyro antimonii, quod figitur per nitrum, ceu hoc manifestum est. Imò Saturnus in aqua forti solutus, & spiritu urinæ præcipitatus, planè ampliùs reducibilis non est.

Calcinatione Vaporosâ paratur Cerussa, modo ab AUTORE insinuato, ubi acetum corrodit lamellas Saturni suspensas in pulverem album, simili modo, ac calcinatione vaporosâ ex laminis Veneris oritur ærugo seu viride æs: estque Cerussa reverà nil aliud, quàm subtilius Saturni saccharum seu sal. Et quidem pro usu medico fieri solet saltem eum aceto modo vulgari; pro usu verò Alchymistico convenienter fit cum aceto destillato, in quo aliquantum salis ammoniaci solutum fit, sic enim pulcherrima & subtilissima habebitur Cerussa.

Quidam recipiunt laminas Saturni, quas immergunt spiritu vitrioli acri, & suspendunt in aere, donec Cerussa sensim sensimque efflorescat.

Usus Cerussæ imprimis externus Chirurgicus, & ad eosdem usus potest adhiberi, ad quos externè adhibetur saccharum Saturni, imprimis in usu cosmetico, intertrigine infantum, cancro occulto, & gangræna incipiente, inflammationibus quibuscunque, v. g. erysipelate, cum myrrha, farina secalina, & tantillo camphoræ; in ardoribus hæmorrhoidum, & ambustionibus, e. g.

℞. *Ceruss.* q. v.
Misc. cum *oleo rosac.* in *mortario saturnino*, & fit unguentum optimum.

Cæterum antequam externè adhibeatur, depuranda est bene, & abluenda cum aqua calida simplici. Nam nisi hoc fiat, cerussa hæc, quam mulieres exoptant ad faciem dealbandam, dentes earum reddit nigros, corrosos, & inducit fœtorem oris: quod aliquantisper potest præcaveri, si bene abluatur, & moderatè usurpetur.

Sequitur

III.

III. DESTILLATIO

Saturni ex Saccharo: Nempè

♃. *Saccharum Saturni*, & destilletur per retortam: sic acquiritur spiritus ardens.

Processus autem totus AUTORIS, aliàs adeò famosus, est nugatorius: Quicquid enim liquidi inde habetur, reverà nihil aliud est, quàm proles destillati aceti, seu spiritus vini ex aceto destillato regeneratus. Oleum etiam flavum & rubrum est acetum concentratum, sub forma olei prodiens, nullo modo ex Saturno. Diximus enim supra, ubi de coralliis, in aceto esse inclusum spiritum vini: quod si vel in solutione Saturni partes acidæ obstinatè adhæreant Saturno, ex ista adhæsione harum partium in destillatione volatiliores fiunt sui juris, & leni igne prodeunt. Unde omnes facultates, quas adscribunt huic spiritui vel oleo Saturni, sunt nugæ, & nullas alias obtinent, nisi quas habet spiritus vini: & eò meliùs succedit hæc destillatio, si saccharum Saturni, ne tam citò in corpus redeat, pro discontinuatione sui cum triplo aluminis usti destilletur. Nam quod spiritus & olea hæc non sint ex Saturno, patet

1. Quia alia menstrua, si adhibita fuerint, ut suprà de formicarum spiritu dictum, idem effectus ac destillationis productum non acquiratur.
2. Quia in coralliis cum aceto destillato solutis eadem ferè producta destillando acquirantur.
3. Quia caput mortuum ex destillatione olei & spiritus ardentis facillimè sive sponte, vel alcali resuscitativo, v. g. sale tartari, vel cum borrace, vel alio alcali fixo addito, in crucibulo fusum facilè in antiquum plumbum reducibile existit, quod accipi potest pro præparatione sacchari Saturni: Conf. BECHERUS *Phys. subterran. l.* 1. *pag.* 412. & 427. item HOFFMANNI *Clav. pag.* 250.

Utut autem falso appellatus spiritus iste Saturni nihil de Saturno participet, oleum tamen quædam ramenta Saturni secum rapere haud impossibile est, dum sub oleo reconditum acidum pertinaciùs particulis Saturni adhæserit, & ita quasdam earum secum per retortam rapuerit. Veram autem destillationem habebitis *paulò inferiùs*.

Num. 4. habet AUTOR *oleum Saturni balsamicum*, quæ destillatio est nugatoria. Ex saccharo Saturni & oleo destillato terebinthinæ, mutuâ unione fit *Balsamus Saturni terebinthinatus*, quem describit ZWELFFERUS *Mantissa spagyr. pag* 348 item HOFFMANNUS *Clav. pag.* 251. nobilissimum est remedium in gonorrhœa virulenta, & quibuscunque partium internarum exulcerationibus, imprimis si addatur camphora. Sed non æquè succedit præparatio. Encheirises quædam latent non omnibus cognitæ: Suspicor tamen meliùs successurum negotium, si saccharum Saturni pulverisatum lenissimo igne calcinatur, ut quasi incipiat fumum emittere, atque ita saccharum hoc calidum immittatur oleo pro parando exinde *Balsamo rubicundo*, quæ rubedo tamen non est Saturni, sed tantùm ex unione spiritus terebinthinæ cum saccharo Saturni. Quod Balsamum, dum AUTOR destillare satagit, frustrà laborat; nihil enim aliud etiam præterquam nudum spiritum & oleum terebinthinæ recidit, parum de particulis Saturni participans. Huc pertinet *oleum Saturni rubrum* in oculorum vulneribus & inflammationibus mirabile: Videatur *Agricola in Chirurg. parva pag.* 152.

Ad hæc Destillata pertinet etiam non inelegans & curiosa *Destillatio sacchari Saturni cum spiritu vitrioli*, quam videbitis in HOFFMANNI *Clave pag.* 250. Ipse processum communicatum accepit à Doct. MICHAELIS, & bonâ fide consignavit: sed in fine mancus est. Unde qui curiositatis gratiâ eum elaborare voluerint, ita pergant, quando nempè eò proventum est, donec post cohobationes per iteratas destillationes totaliter uniantur, postremò igne valido in arena aut cineribus iterum destillent, ponant in phiola in digestionem fimi equini, diligentissimè claudendo sigillo Hermetico, ultimò destillent per phiolam in balneo Mariæ fervente: destillatum illum liquorem fervent tanquam præstantissimum thesaurum & panaceam Medicam, quæ calcibus metallicis, Philosophicè præparatis, solvendis, & in liquorem potabilem reducendis, sufficit. Estque omnium morborum, etiam qui fixas radices egere, salutaris Medicina.

Destillatio autem, de qua jam suprà dictum, etiam instituitur cum Mercurio sublimato, mediante quo ex minera Saturni parari potest destillando liquor gummosus instar butyri antimonii. Modus non inelegans est hic:

♃. *Mercurii sublimati*,
Mineræ saturni, v. g. an. ℔ß.

(sed necesse est, ut sit minera Saturni paulò volatilior, minùs fixa, Ger. *eynflüchtiges Bley-Ertz*: nam cum minera Freibergensi non succedit) Mistura hæc destilletur per retortam in modum butyri antimonii, & sic obtinetur *Butyrum Saturni*. Rectificetur hoc butyrum Saturni; uti & cinnabaris Saturni, quæ simul adhæret collo retortæ, est rectificanda. In hac destillatione obtinetur etiam simul Mercurius currens, sed non est Mercurius Saturni, sed tantum Mercurius vulgi in minera delitescens. Si abstrahatur hic liquor à Saccharo Saturni, fit liquor rubeus admodum dulcis, egregii usus externi in ulcetibus corrosivis & depascentibus: sin verò butyrum antimonii recens, vel butyrum Saturni rectificatum mineræ Saturni affundatur, & denuò per retortam destilletur, acquiritur tandem genuinus Saturni Mercurius: nam prior Mercurius ex sublimato revivificatus se sublimavit: si ergò denuò recenti mineræ misceatur, genuinus Mercurius Saturni prodit.

Ex hoc Butyro Saturni *Bezoardicum Saturninum* præparari potest more consueto cum spiritu nitri, eâdem ratione atque fit ex butyro antimonii *Bezoardicum minerale*, quod Bezoardicum Saturninum singulare remedium est in peste, quæ per similia fixa & Saturnina remedia optimè curatur, scorbuto, malo hypochondriaco, melancholia hypochondriaca, pleuritide, &c. Sudoriferum enim est egregium. Idem butyrum cum aqua, eodem modo atque butyrum antimonii, præcipitatur in pulverem album instar Mercurii vitæ; qui pulvis etiam est blandè purgans per inferiora, conveniens in purgandis morbis Melancholicis & spleneticis; ac cum spiritu nitri in Bezoardicum Saturninum figi potest.

Pulvis hic, ac Bezoardicum Saturninum in Chirurgia sunt egregia, ulcera cacoethea, & à causis internis nata, interno usu, causam occasionalem corrigendo & removendo, curantia. Idem labor etiam cum minera Jovis fieri potest; eodem enim modo potest præparari Butyrum Joviale, Bezoardicum Joviale, & pulvis albus, sicuti de minera Saturni. Bezoardicum hoc ex Jove hoc modo præparatum, remedium utile exhibet in quibusvis sanguinis impuritatibus, morbis uterinis, & similibus aliis: Videatur HOFFMANNUS *loco allegato pag.* 286.

Pertinent huc etiam *Flores Saturni*, ex *Saturno* cum *sulphure* cementato, & hinc cum ana *salis communis* & duplo *boli vulgaris*, mediante folle per retortam parato: qui labor etiam similiter cum Jove procedit, quo de conf. ZWELFFERUS *Mantiss. spagyr. pag.* 349.

Tincturæ Saturni genuinæ sunt nullæ; quod semel pro semper observetur. Rem si exactè consideremus, aliud nihil acquirimus, quàm menstruorum aliorumvè additorum colorationes, plus minus de Saturni saccharo participantes: Unde loco horum sufficiat, vel tinctura illa antiphthisica supra insinuata, vel simplex crystallorum seu Sacchari Saturni cum spiritu vini solutio & extractio, quam AUTOR *sub tinctura* 3. insinuat. Nam *Sulphur Saturni* ab AUTORE *num.* 1. insinuatum, reverà nil, præterquam oleum aceti esse videtur, minimum vel nihil de Saturno participans. Mannæ Saturni confectionem pro hoc labore, videbitis in HOFFMANNI *l. a. pag.* 281.

Tinctura cum oleo juniperi Autoris num. 2. coincidit cum oleo Saturni balsamico, estque color saltem ex oleo, de *quo suprà*. Ex saccharo quidem Saturni dictum oleum colorem rubrum contrahit; quę tamen genuina tinctura non est, sed oleum ex digestione colorem acquirit.

Tinctura elaboratior num. 4. est saltem Saccharum Saturni cum spiritu mellis subtilisatum, & hinc ulteriùs cum spiritu tartarisato tractatum.

Quoad *Mercurificationem*, seu *Resuscitationem Mercurii vivi ex Saturno*, cujus magna dicitur esse convenientia cum Mercurio vulgari, & dicitur esse tantùm Mercurius vivus perfectus, & coagulatus, plures hujus hinc inde referuntur modi, quorum fides sit penes experientiam. Quidam scilicet beneficio aquæ fortis, vel aquæ Regis Saturnum trasmutant in perfectum Mercurium vivum; affundunt mineræ Saturni, & digerunt per aliquot dies noctesque, & sic tandem sensim sensimque acquirere volunt Mercurium vivum. Hunc Mercurium vivum cum auro mistum & digestum, ut probè uniantur, tandem per retortam destillant, ex quo Mercurio cum sole conjuncto egregium præcipitatum parant. Alii tentant negotium Mercurificationis optimè salium resuscitativorum beneficio, scilicet salis tartari & salis ammoniaci, uti etiam beneficio calcis vivæ: His enim mistus Saturnus præparatur, ponitur in cella in digestionem, & destillatur, & ita prodire dicunt perfectum Mercurium. Probatissimum videtur *assertum Zwelfferi*, ex floribus istis facillimè parari posse Mercurium corporis Saturni.

CAP. XV.

DE

JOVE seu STANNO.

Jupiter seu *Stannum* est alterum ex metallis mollioribus & ignobilioribus: nobilius tamen est in suo genere, quàm ipse Saturnus seu plumbum. Apud veteres duplex plumbi est differentia: *albi* & *nigri*; quibus & moderni tertium, nempè *Cinereum*, addunt, utut neutrum alteris adeò affine sit, cum quasi specie differant. *Plumbum nigrum* est istud in vulgus notum: *Veterum plumbum album* est illud, quod hodiè vocamus *Jovem*: *Cinereum* est *Bismuthum*. Veteres verò alio modo hæc ipsa explicarunt: nempè *Jupiter illorum* non idem est cum *nostro* seu *plumbo candido*; sed *stanni nomine* vel *Bismuthum* intelle-

xerunt, ut suspicatur WORMIUS *in Muf. pag.* 124., vel *mistura plumbi nigri & lunæ* veteribus *Jupiter* dicta fuit, ut vult JUNGIUS *in Doxosc. pag.* 170.; sicut mistura solis & lunæ iisdem *Electrum*, hodiè verò nobis *mistura æris & plumbi*, *Glocken - speise*, Italis *Bronzo*.

Jupiter in sua textura materiali constat copiosa terra candida cum substantia Mercuriali mediocri puriore, molliore tamen & fugaciore, quàm est Mercurius in metallis duris, stabiliore etiam & magis excocta, quàm in Saturno, sulphure verò acri impuro minùs maturo seu fixo, unde concretum minùs exactè mistum, & facile ac multis modis alterabile, simulque aliis metallis commiscibile evadit. Propter paucitatem Mercurii, minusque firmam mistionem, sed majorem porositatem, omnium levissimum est metallorum, minus etiam ductile, & sub malleo facilè frangibile est: sulphur in eo imprimis activum observatur, cùm nitro instar pulveris pyrii incenditur, & undique dispergitur, parte nitri in alcali fixum immutatâ: nitrum enim per se non accenditur, sed accedat sulphur inflammabile, necesse est: flammam cœruleam sic exhibet, unde & Jovialia remedia quælibet, v. g. Bezoardicum Joviale, Antihecticum Poterii, & sudoriferum magnum Fabri, subcœruleo colore conspicua esse solent; adeoque & solutio Jovis calcinati, cum oleo tartari per deliquium commista, cœrulea evadit, Autore WILLISIO *de Ferment. pag.* 88. Unde remedia Jovialia vomitus ciere solent, cum tamen debent esse sudorifera, & absorbentia.

Interim tamen & sub calcinatione ignis citrinum & rubrum reddi potest stannum; idque ex eo, quoniam est aliquid in Jove de primo ente solari, adeò ut in Jove semper aliquid reperiatur auri, sicuti in Saturno aliquid lunæ. Hinc etiam sunt quidam, qui volunt, quod Jupiter sit quasi medium quid inter Lunam & inter Saturnum; Indeque vocatur à Veteribus Plumbum album, & quod quasi certa proportione in matrice participet de utrisque; adeò, ut quicquid lividi subest, id Saturno acceptum ferendum; quicquid verò puri seu splendoris, lunæ attribuendum. Propter sulphur hoc luxurians omnia reliqua metalla, præter Saturnum (cui omnia facillimè & optimè commiscentur, sed tamen etiam hoc nomine mitiori saltem ignis gradu) maximè fusilem friabilia reddit, & minus fusilia, minusque malleabilia, (Germ. *ungeschmeidig*,) hinc etiam reliquorum *metallorum Diabolus* audit, utpotè quorum texturam metallicam maximè immutat, & à quibus propter glutinositatem Mercurialem maximo etiam labore separari potest. Sunt qui ex herba Genistæ volunt parare Jovem, adeò quidem, ut in calcinatione genistæ repertum sit perfectum stannum: de quo videatur ROSENCREUZERUS, & superiùs quæ dixi de genista.

Quoad *Usum*: hepati ac utero ordinariò commendari solet Jupiter: sed nescio, quo fundamento? Passiones namque hystericæ, ad quas commendatur, ex utero non sunt; nec hepatis mala, quibus conferat, æquè nota sunt: quin potiùs primis in viis acida quædam vitiosa specifica absorbere, eadem temperare, & inde nata pathemata hysterica, vel *hepatica* vulgò dicta, corrigere poterit, & hinc vi diaphoretica imprimis prodesse observatur. Aliàs Jupiter adhuc crudus duas habet Vires:

1. Contra lumbricos; &
2. Contra affectus oculorum.

Sic contra lumbricos:

♃. *Aqua hyperici*, in qua sæpè *candens fluidum stannum* extinguatur, & pueris contra lumbricos propinetur.

Contra affectus oculorum decantatum remedium LINDANI est sequens saccharum Joviale: nempè teratur *saccharum* cum *limatura* aut *capite mortuo Jovis* super porphyritide, ut forti isto tritu aliquandiu saccharum imprægnetur ramentis Jovis; & hocce saccharum in aqua solutum valet contra quoscunque affectus oculorum, LINDANO in continuo usu.

Purgatio, quam habet AUTOR, satis est clara. Alius est modus purgandi vasa stannea, si recipiatur *sal commune*, *sal ammoniacum*, & *sal gemmæ*, item *alumen rochæ*; misceantur cum *aceto albo*, in quo bullienda sunt stannea vasa, & extergenda cum panno lineo; sic enim fiunt elegantia instar lunæ.

Præparationes Jovis quod attinet: quamplurimæ, eæque in pluribus cum Saturni præparatis coincidunt. Hæc saltim differentia intercedit, quod propter luxurians sulphur Jupiter minus possit solvi ab acidis, quàm Saturnus. Solutio ejus quidem in quovis fieri potest acido; sed hæc in uno faciliùs, quàm in altero procedit: Unde pro facilitanda solutione Jupiter vel reverberando in calcem redactus vel probè priùs eodem modo, ac Saturnus, granulatus, vel cum nitro in flores mutatus, recipiendus est.

Quoad *Reverberationem*, ex Jove eodem modo potest fieri *minium*, atque ex Saturno. Granulatio pariter potest fieri, sicuti dixi de Saturno. In aqua forti solutus Jupiter, hâc abstractâ, difficillimè fusilis, nec ampliùs perfectè reducibilis est. Solutio simplex evaporata dat crystallos, sive sal, sive saccharum, sive vitriolum Jovis; præcipitata verò dat Magisteria.

Salis Jovis præparatio fit ordinariò cum aceto destillato: sed necesse est

1. Ut Jupiter optimè reverberando sit Calcinatus; aliàs parùm efficimus. Modum hujusmodi Calcinationis reverberatoriæ videbitis in ZWELFFERO *Mant. spagyr. p.* 345. vel in HOFMANNI *Clave pag.* 253.
2. Necesse est, ut acetum destillatum sit fortissimum, aut cum nitrosis, præsertim spiritu nitri, nonnihil acuatum.

Crystalli hæ *Jovis* seu *Sal* admodum laudatur in hectica, prousu purificandi sanguinem; quia remedia Jovialia propter sulphur sunt sudorifera, & in affectibus uteri, in specie in passione hysterica, tàm interno, quàm externo usu. Externè quidem si per deliquium solutum hoc saccharum calidè umbilico inungatur in eadem passione hysterica, uti etiam hinc in colica, & flatulentis intestinorum morbis: sed utut usum internum pro his affectibus in medio relinquam, quid externus hic usus valeat? equidem perspicere non possum, nec sal hoc ampliùs in usu est.

Ad has solutiones pertinent etiam *Crystalli mineræ Jovis*, quæ eadem ferè ratione, atque dictum de minera Saturni, possunt parari: Nempè

♃. *Min. Jovis* elegant. (quam metallurgi vocant Germ. *die Zien-Graupen*) pulverif. ℔i.
Affundatur
Spiritus vitrioli exactè vel septies *rectific.* ℔j.
Digerantur aliquandiu in balneo Mariæ; postea affundatur
Aquæ simpl. ℔ij.

Mista benè invicem filtrentur, dum adhuc calet (nam cùm refrigerata filtrantur, in filtro concrescunt crystalli) & in loco frigido concrescent elegantes crystalli, aquâ edulcorandæ & pulverisandæ. Crystalli hæ Dosi gran. j, ij, ad iij. pollent insigni vi laxandi, conducunt internè speciatim in affectibus scorbuticis, hydrope &c., Hydropicorum enim aquas leniter per alvum exturbant: externè in fistulis desperatis cum melle rosato applicantur: conf. HOFFMANNI *Clav. pag.* 256.

Quoad *Magisteria* præcipitata, parari hæc possunt præcipitando vel per urinosa, tàm fixa, ut oleum tartari per deliquium, quàm volatilia, ut urinam &c. vel per acida, ut v. g. per spiritum vitrioli, hinc Magisterium Jovis Mynsichtii, quod videbitis in *ejusdem Armament. pag.* 22. quin etiam cum spiritu salis, idque ferè tutiùs, quàm cum spiritu vitrioli, potest fieri præcipitatio. Imò fieri potest experimentum, an non Jupiter in aceto destillato vel aqua forti solutus, cum muria aut spiritu salis præcipitatus, singulares proprietates instar lunæ corneæ, vel Saturni Cornei, acquirat?

Per *Calcinationem vaporosam* ex Jove fit *Cerussa*, non secus ac ex Saturno, vel per vaporem aceti, vel per simplicem lamellarum Jovialium in spiritu vitrioli vel aqua forti factam intinctionem, & hinc in aere libero factam suspensionem, ut ita successivè efflorescant in subtile Vitriolum seu Cerussam.

Sequitur

DESTILLATIO,

Ubi AUTOR tradit *Diaphoreticum Beguini*, seu *Magisterium Joviale Diaphoreticum*, ex Butyro Jovis, cum Mercurio sublimato destillato, cum aqua præcipitatum: quod optimè succedit, & in pleuritide & hystericis affectibus utile est. Loco hujus melius est, si butyrum hoc Joviale cum spiritu nitri trinâ abstractione, atque spiritus vini deflagratione, figatur in elegans *Bezoardicum Joviale*, ad imitationem ZWELFFERI *Mant. spagyr. pag.* 345. & habebitur sudoriferum elegantissimum in purificando sanguine, febribus ardentibus, & morbis malignis, imprimis in febribus petechialibus, & purpura puerperarum, Germ. *in der Friesel der Weiber*, nimia hæmorrhagia uteri, sive post partum, sive tempore partus.

Pertinet huc etiam *sudoriferum maximum Fabri*, quod videbitis in *ejusdem Pathol.* & *Myrothec.* factum simili ferè modo destillando ex amalgamate Joviali cum Mercurio sublimato. Hoc Dn. D. Langius feliciffimè semper in usu habuit. Amalgamatis Jovis parandi rationem optimam docet GLAUBERUS *P.* 1. *pag.* 345. Nam sicut Mercurius vivus vapore Jovis liquefacti facilè coagulatur, ita ana Mercurii & Jovis facillimè in amalgama transeunt. Sed ex amalgamate hoc *sudoriferi* istius *descriptionem accuratam* videbitis in HOFFMANNI *Clave pag.* 254. conciliorem verò & *concinniorem* videbitis in *M. A. N. C. anno* 4. *pag.* 286. vel LUDOVICI *Pharmac. pag.* 354. Est egregium remedium, & mirificè prodest, ubi opus est purificatione sanguinis per sudorem. Ex Mercurio coagulato per spiritum vini POTERIUS vult parare remedium diaphoreticum: vid. *Pharm. spagyr. cap.* 18.

Hæc præparata Jovialia beneficio nitri, nos manuducunt ad *Antihecticum Poterii*, seu *Antimonium diaphoreticum Joviale*, quod nihil est aliud, quàm regulus antimonii & Jovis compositus, cum nitro perfectè fixatus. Poteriana præparatio non est adeò obscura, si modò observentur termini; sed legitima est hæc:

♃. *Jovis select.* part. v.
Reg. Antimonij part. iv.

Hæc ipsa fusa in *Regulum compositum Jovialem*, more consueto cum triplo nitri sunt detonanda, uti more communi constat.

Sed in hac fusione observetur: ut nempè post eandem, ut & nitri ebullitionem, habeatur pulvis albus, non cœruleus: Nam remedia cœrulea Jovialia habent secum sulphur volatile Jovis, deflagrabile adhuc.

adhuc. Si ergò hoc non feparetur, facit vomitus, quos nefcit legitimè præparatum atque album, utut triplam ejus dofin adhibeamus. Unde fub fufione miftura agitetur cum bacillo è ligno duriore; fic habetur pulvis candidus, interdum flavus, fi diutiùs in igne fuerit. Dofis aliàs ordinaria eft à gr. xv. ad ℈j.

Hoc Antihecticum Poterii famofum quidem in hectica, fed expectationi fæpè infufficiens eft. Valdè aliàs convenit in quibufcunque febribus ardentibus, benignis & malignis, purpura mulierum; in quibus cum antimonio diaphoretico coincidit; in chronicis verò, hæmorrhagia uteri nimia, five poft partum five tempore partus, & ubi blandâ diaphorefi opus eft, in febribus lentis & tabidis, eidem præferendum eft: in diabete, quando urgent febres, item ardores in regione lumborum, fiftit optimè: adhibetur quoque in affectibus variis uteri.

FABER etiam vult ufurpare remedia Jovialia ad affectus cerebri, ex eo, quoniam Jupiter æmulatur proprietates lunæ, cùm Mercurius Jovis, & etiam ejus fulphur, puritatem faltim, fi non fixitatem, habeant eandem cum fulphure & Mercurio lunæ, unde ratione hujus fundamenti convenire æquè in affectibus cerebri, ac ipfa luna, præfupponit.

Sal illud Jovis, *de quo fuperiùs* dixi, fi refolvatur in cella vel in loco frigido in liquorem, ifte liquor Jovis eft cofmeticum, & convenit in ufu Chirurgico, imprimis maculas faciei pellit, & in tinea capitis à quibufdam habetur pro fecreto.

Sublimatio, prout AUTOR vult, vix adeò commodè videtur fuccedere, potiùs cum addito nitro detonando optimè labor procedit: Nempè

♃. *Nitri* part. ij.
Jovis p. j.
(vel etiam utriufque ana part. æqual.)

Mifta in cucurbitam tubulatam injiciantur & detonentur; fic enim flores copiofi exfurgunt, & repetitos fibi invicem fuper impofitos alembicos hinc inde replent, remanente in fundo cucurbitæ alcali nitri fixo, cum parte quadam Jovis: qui flores optimi funt ad præparanda remedia reliqua ex Jove; ficuti è contrà ex floribus ita fublimatis Mercurium vivum ex Jove parare docet KESLERUS *in Proceff. Cent.* 1. *Proc.* 22. *pag.* 30. Idem labor etiam per retortam poteft inftitui.

Ad detonationem hanc Jovis cum nitro pertinet etiam *fulmen Glauberi ex Jove* metalla deftruens, quod defcribit *Part* 1. *pag.* 244.; fed revera ex pelvi fulmen hoc videtur, de quo vid. LUDOVICI *Pharm. pag.* 357.

Fieri etiam poteft fublimatio Jovis cum fale ammoniaco:

♃. *Hujus* p. ij.
Jovis p j.

Mifcentur, & l. a. fucceffivè probè priùs trita forti igne fublimentur.

Qui cupit uberiorem florum Jovis defcriptionem, videre poteft MYLIUM *in Bafil. l.* 1. *P.* 1. *c.* 2.

Quoad *tincturas Jovis*, de his idem, ac fupra de tincturis Saturni, fit judicium. *Tinctura Bafiliana*, quam defcribit AUTOR, nihil aliud eft, quàm fubtilis calx, quam ex laminis Jovis acidum ignis extraxit; ex quo cum aceto deftillato, *fal* feu *faccharum Jovis paratur*, quod cum *fpiritu vini* circulatur, digeritur, tandem filtratur.

CAP. XVI.
DE MERCURIO.

Mercurius in genere optimè definitur, quod fit Vapor mineralis unctuofus, vifcidus, craffus, in terræ poris in liquorem albicantem homogeneum indivifibilem congelatus. Conftituit hic ipfe humidum radicale metallorum, quod ab igne feu calido eorum innato, nempè fulphure plus minus maturo, coagulatur & fixatur in corpus metallicum, plus minus mobile. Dicitur *Mercurius*, quia ratione mobilitatis refpondere videtur Mercurio cœlefti: *Argentum vivum* etiam dicitur; argentum quidem, quia inftar lunæ albus; vivum verò, quia fummè volatilis eft; ututfint, qui dicunt: quod Mercurius magnam habeat convenienriam cum luna; quidam verò cum Saturno: Cùm luna adeo, ut ipfe Mercurius fit verum argentum, modò fit fixatus: quidam verò Mercurium vocant *Plumbum diffolutum*, & *Plumbum* vocant *Mercurium coagulatum*, propter cognationem, quam putant fubeffe inter Mercurium & Saturnum.

Triplex aliàs Mercurii acceptio eft:

1. Eft *Mercurius Philofophorum*,
2. *Mercurius corporum*,
3. *Mercurius vulgi* feu *Mercurius vivus*.

Mercurius Philofophorum dicitur etiam *Mercurius duplicatus*, qui debet effe *materia menftrui Philofophici*; item materia veri *Lapidis Philofophorum*. Nullo modo participat de Mercurio vulgi, nec defumi debet ex regno vegetabili, nec ex regno animali; fed in fpecie ex regno minerali, & quidem ex principio metallico feu primo ente metallico elaborari debet, non verò ex metallis perfectis. Nihil igitur aliud eft, quàm principium metallorum Mercuriale univerfale, fulphure fuo faturatum.

Mercurius corporum eft, qui oritur ex metallis perfectis, quando nempe corpora metallorum transmutantur in Mercurium currentem. Dicitur etiam *Mercurius refufcitatus*, item *metallicus*. Quod attinet *Mercurium vulgi*, Genefis ejus prima optimè videtur ftatui poffe ex aqua, ob fimpliciffimam fui homogeneitatem, fed immutatâ hac ipsâ, & à principio feminali proprio, naturæ mineralis, effentiæ acido-fulphureæ, in talem fubftantiam transmutata, in certis nempe terræ vifceribus, debitis fcilicet talis feminij matricibus; & hoc eft, quod alii dicunt, generari Mercurium ex aqua & acido univerfali: quod feminale fulphureum agens aliàs etiam fulphur Mercurii internum effentiale dicitur.

Aliàs Mercurius Subjectum eft alcalinum volatile penetrans, de *quo fuprà*, ubi *de metallis in genere*; indeque facilè cuique fulphuri acido fe fociat, eoque plus minus faturatur, in fe aliàs immutabile, nec ullo igne alterabile, faltem per fuum compar, hoc eft fulphur fixum metallicum perfectè fubigitur, & in fixam naturam transmutatur; ex hoc ipfo verò, & quafi primogenio, & fuo modo Philofophico Mercurio, fit Mercurius communis feu vulgi, feu argentum vivum, per novam decompofitionem, quatenus hic conftat ex fubftantia fulphurea acida arfenicali vitiofa, cum vero illo Mercurio juncta. Dicitur fulphur hoc externum feu accidentale, quod per artem feparare omni conatu laborant Chymici fublimiores, ut ita tandem fine velte Dianam acquirant, feu, ut alii dicunt, Mercurium de Mercurio haberent. Ratione hujus pertinaciffimè adhærentis fulphuris variè, fuperficietenus & externâ facie mutabilis eft Mercurius communis, varias larvas induit, etiam per fe leni igne præcipitabilis eft, unde etiam quocunque modo tractatus, denuò refufcitabilis eft in vivum Mercurium. Hujus quoque medio & aliis fulphuribus ac falibus corrofivis fulphureis fociabilis exiftit; unde & tàm facilè cum fulphure Cinnabaris; cum fale communi verò fublimatus, arfenici formam ludit.

Patet ex his differentia Mercurii vivi & Mercurii corporum, dum nempè principium illud Mercuriale loco fulphuris crudi arfenicalis metallicum corpus affumpferit, penetraverit, & in ftatum currentem deduxerit: Mercurius enim corporum metallicorum diffolvit aurum cum infigni æftu in vola manus detentus, ut non poffit contineri in ea; quod & Mercurius antimonii facit. Hoc non facit Mercurius vulgi, quia fecum junctum habet fulphur quoddam metallicum externum & impurum, quod impedit illam metallorum folutionem: fi iftud fulphur non adeffet, tum aurum facilè folveret. Quod autem Mercurius vulgi fulphur fecum habeat, patet exinde, quod Mercurius vulgi, licèt optimè purificatus, in receffu habeat acidum: vid. BORRICHIUS. Experimentum ejus eft legitimum: fi enim lamella Martis immittatur in Mercurium vivum puriffimum in vafe claufo, brevi poft tota lamella in rubiginem corrofa reperitur; quod evidentiffimum fignum eft Acidi metallici occulti in Mercurio vivo. Nam præterquam, quod Mercurius Corporum non falivet, Mercurius vulgi ratione hujus fulphuris acidi vim falivatoriam habet, quæ per acida falia fulphurea mineralium, v. g. fpiritum nitri vel vitrioli, & alia, magis adhuc intenditur; arripit enim Mercurius fecum de fale fulphureo acido horum fpirituum, inde Mercurii præcipitati ℈ß. gr. xi. xii. ad xv. vel ℈j. internè fucceffivè ufurpata (nempè gr. j. vel ij. pro una vice) majorem excitant falivationem, quàm tota Uncia Mercurii vivi. Unde patet, quod acidum ejufmodi fulphureum fecum rapuerit. Cùmque Mercurius vivus de principio Mercuriali metallorum tam multum participet, fponte patet, unde tam facilis ejus cum metallis, præfertim Mercurialibus feu mollioribus, unio & in amalgama reductio: quin imò forfan nullus Mercurius vivus reperitur, qui non fimul amalgamatis inftar aliquod metallum intimè admiftum & diffolutum geftet, unde major ejus ponderofitas, & facilior in fphæras formatio, ex parte dependet, ita, ut etiam omnem Mercurium vulgi, fluidum five liquidum quoddam amalgama, five metallum principio Mercuriali fubactum, vocare foleat BECHERUS *Phyf. fubterran. l.* 1. *pag* 445. *& feqq.* 468. *feqq.*, cujus tamen planiora, negotium hoc dilucidiùs explicantia, expectamus experimenta *lib.* 2. proponenda, fine quibus affertum hocce in medio relinquo: Saltem nigredo illa, quæ ab expreffione Mercurii per corium fupereffe folet, a plumbo commifto oritur; laminæ enim renuiffime Saturni fphæram Mercurii facilè obducunt, & tunc ille obfcurior & nigrior redditur: hinc & aceto abluitur Mercurius vivus & purificatur, hoc enim modo fubftantia ex parte demitur.

Ex omnibus autem metallis fumma Mercurii vivi cum auro eft amicitia, utut proprietates habeant planè contrarias. Nam ficut fol feu aurum eft fixiffimum & duriffimum, ita Mercurius è contra eft volatiliffimus & molliffimus; nihilominùs tamen fe promptè uniunt, ut vel levi contactu Mercurii intimè in fubftantiam auri fe infinuet, illudque dealbet. Hinc eft, quod ii, qui gerunt in Marfupio Mercurium vivum, fi retineant in manu nummum aureum, ille evadit argenteus; item fi geratur Mercurius in manu altera, & nummus aureus in manu altera, vel etiam in ore, brevi poft apparebit nummus aureus omninò inargentatus; fic penetrantius

93:
49.1
48:-

tius eſt atque ſubtilis! & hac ratione poſſumus aliquantiſper corrigere damna à Mercurio vivo illata, v. g. poſt inunctiones Mercuriales in lue venerea. Cùm enim Mercurius vivus inimiciſſimus ſit nervis, propterea ii, qui tali inunctione pro ſalivatione uſi fuerunt, laborare ſæpiùs ſolent gravioribus nervorum affectibus, in ſpecie tremuli, epileptici, vel apoplectici fiunt, à reſidentibus hinc inde Mercurii particulis; qui tamen optimè cum auro corriguntur: Unde ZACUTUS LUSITANUS Unguentum habet ex auro, cujus illinitione ex toto corpore Mercurius extrahitur; quia Mercurius promptè ſe inſinuat in aurum. Sic RIVERIUS obſervat poſt curationem luis Venereæ Mercurialem, Cephalalgiam ferè intolerabilem ex remanentia Mercurii in capite, curatam beneficio nummi aurei in ore detenti; huic enim ſe inſinuavit Mercurius, moneta aurea albeſcit, & ita extractus eſt Mercurius, & ſubitò poſtmodum ſedata fuit Cephalalgia.

Plura de Mercurii natura, tum in genere, quàm de vivo in ſpecie, vid. in BECHERI *Phyſ. ſubterran.* ejuſque *ſuppl. utroque*; item in HELMONTII *Tract. Progymn. Meteor*, & hinc in TACHENII *Hipp. Chymico*, qui hujus veſtigio inſiſtit *c.25. & 26.*

Mercurius autem Vulgi reperitur ſub duplici conſiſtentia & forma:

1. Nempè in propriis ſuis mineris fluens ſeu vivus.
2. Reperitur quoquè concretus in forma aut minera Cinnabatina.

Mercurius iſte vivus in mineris repertus, aliàs Mercurius Virgineus dicitur, nullo ſcilicet igne hactenus alteratus, quales mineræ multæ in Carinthia reperiuntur, ubi foſſores, qui laborant in his mineris, per très vel quatuor Menſes non poſſunt ſubſiſtere. Ratio eſt, quia Mercurius halituum formâ penetrat eorum corpora, & cùm infenſiſſimus ſit nervis, tremulos & paralyticos homines reddit, & quæ tales laboratores attingunt, inargentant quaſi: nihilominus dentibus ſunt firmis, nullo modo vacillantibus, aut gingivis denudatis, aut exulceratis; id quod alias fit in iis, qui externè utuntur inunctionibus Mercurialibus. Mercurius vivus ex cinnabari nativa quoque elicitur, quæ reperitur copioſè in aurifodinis, & lunæ fodinis Hungariæ, & quidem in terra Hungarica dicta. Talis Cinnabaris eſt compoſita ex ſulphure & Mercurio vivo, quæ duo coaluerunt in cinnabarin: Unde & Mercurius ex cinnabari vi ignis per retortam beneficio ſalis cujuſdam alcalici vel limaturæ Martis reviviſicatur & extorquetur, quia acidum ſulphuris cohibent, quò minùs poſſit complexu ſuo detinere Mercurium vivum; unde in forma fluida profluit: vid. KIRCHERUS *Mundo Subterran. pag.* 330. & *Ephemer. Gall. Erudit. T.* 1. *Ephem* 14. *p.* 276. *ſeqq.* Hic *Mercurius* dicitur *reſuſcitatus*, & eſt optimus pro laboribus Chymicis, quoniam ab omnibus ſordibus eſt purificatus.

Sunt qui ex ſangvine humano volunt præparare Mercurium vivum, cujus rei experimentum producit KERNERUS. Cæterum obſervetur impoſtura: nam utut in aurifabrorum ſangvine hoc interdum verum ſit; quoniam hi ipſi, cum ſæpiùs verſentur cum Mercurio in deaurandis vaſis, inſpirando hauriunt fumos Mercuriales, qui collecti dant Mercurium vivum, ut exinde poſſit ex ſanguine extrahi; non tamen in aliis ſubjectis ſimile quid ſperandum, & nullo modo Mercurius vivus ex omnium ſanguine elicitur.

Differentiam Mercurii, quod nempe virgineus ſecum Aurum volatiliſet, videbitis in *Act. Societ. Reg. P.* 1. *pag.* 17. item BECHERI *Supplem.* 1. *pag* 83. Sed an hoc adeò proprium ſit Mecurii virginei? ferè dubito, cum aliàs Mercurius quicunque, iteratâ ſublimatione, aurum ferè ſecum attollere ſoleat, hocque *Helmingii Azoth* fuit. Dicitur aliàs Mercurius vivus *Herus fugitivus Chymicorum*, quoniam ex ſe, licet variis modis tractatus, nullo modo eſt coercibilis; quin, ubi optimè alligatus putatur, prompriſſimè inſalutato hoſpite denuò aufugit; tanti nempè laboris eſt genuina ejus fixatio. Sic erat BARTOLUS Aſtrologus magnæ famæ, qui Mercurium ad tantam elevavit fixitatem, ut jam in eo eſſet, quomodo convenienti illum includeret vaſculo: ſed neſcio quò moratus, fortiſſimo ſubdito igne, inopinato ipſo, mæſtus Mercurium evadere vidit. Hinc arduum eſt Mercurium reddere fixum: utut cum vitriolo, alumine, & ſimilibus in corpus mediocriter fixum redigi poſſit: Conf. ROLFINCIUS *Chym. pag* 385.

Sed obſervetur *diſtinctio inter Mercurium coagulatum*, & *inter Mercurium fixatum*. *Coagulatus* eſt, qui non ampliùs apparet in forma fluida, ſed quaſi in corpus durum metallicum eſt redactus. *Coagulatio* eſt reſtrivialis, & fit per halitum Jovis & Saturni. Modus eſt, ut Jovi vel Saturno liquefacto, dum jam iterum coagulari vult, imprimatur fovea, & in foveam immittatur Mercurius vivus; ſic ſtatim coagulatur: quod fit propter halitum Saturni & Jovis, & ſic etiam poteſt pulveriſari. Eodem modo cum regulo antimonii quoque coagulatur: vid. WEDELIUS *Pharm. pag.* 173.

Mercurius à Saturno coagulatus, & plùs minùs malleabilis factus, in tumoribus externis cancroſis pro cura palliativa impoſitus, eſt optimus inhibendo, ne fermentum latiùs ſerpat.

Mercurius autem *fixatus* eſt, qui inſtar metalli ſubſiſtit in igne, ut non avolet, ſed ignis torturam patienter perfert. Fixatio hæc Mercurii genuina nondum innotuit, utut in hanc, fruſtraneo tamen conamine, omni ſtudio allaborarint longo tempore ſpagyrici: non poteſt figi, niſi per ſulphur metallorum, quod facilè ſeſe unit cum Mercurio, & ipſi volatiliſſimam fixitatem tribuit, & ita figit. Et utut eò redigatur Mercurius, ut aliquot horas fortiorem ignis torturam patiatur, nihilominus tamen vel ſponte denuò caput exerit, vel facili labore in vivam formam reſuſcitatur, per alcalia nempe fixa, ut cineres clavellatos, ſal tartari, vel alia fixa, item per limaturam Martis. Ratio eſt, quia Mercurius vivus ſaltem ab acidis, nullo modo ab alcalibus, ligari non nihil aut coerceri poteſt; Unde talium additione acidum abſorbentium facillimè reducitur.

Pro *Uſu Medico* aliqualis ejus ſelectus inſtituendus: *Hiſpanicus*, & hinc *Hungaricus*, item qui *ex India Orientali* adportatur, rectè cenſentur optimi. Præterea tamen, cum interdum cum antimonio, Saturno, aliiſque partibus metallicis & admixtus & adulteratus ſit, probandus eſt; idque tribus modis:

1. Si per retortam deſtillatus parum vel nihil recrementi poſt ſe relinquat.
2. In Cochleari argenteo ſuper prunas evaporet: quod ſi relinquat maculam flavam aut albicantem, de ſole aut luna participare dicitur, & utilis pro medicina cenſetur: ſi verò remaneat macula nigricans, vel liveſcens, nocivus eſt, minùſque utilis; hujuſmodi enim macula adulterium Saturni, vel nativum vel artificiale, oſtendit; dum Saturninis, bismuthinis, antimonialibus, arſenicalibus, aliiſque heterogeneitatibus mineralibus, admiſtis, plus minùs inquinatus eſt.
3. Si à carbone candente quietus effumet; non autem cum ſtrepitu fugam moliatur, & hinc inde agitetur; ſecus enim ſignum eſt, participare de metallis imperfectis: ubi minùs in igne ſubſultat, plus de Saturno habet; ubi magis, Jovis quid continet. De hoc conf. BARTHOLINI *Acta Med. Haffnienſ. Volum* 1. *Obſ.* 67. *pag.* 148.
4. Si cum tartaro calcinato & calce viva aliquoties deſtillatus, ſplendorem magis cryſtallinum acquirat.

Quoad *uſum Mercurii vivi* in medicina, ad duo ſemper reſpiciendum:

1. Ad ipſum corpus Mercurii vivi volatile & penetrans.
2. Ad adhærens ipſi acido & corroſivum ſulphur, naturæ quaſi arſenicalis.

Ratione illius repræſentat quaſi alcali metallicum, acidis quibusvis ſaturandum, quatenus ab adhærente ſulphure iſto nondum ſufficienter ſaturatus eſt. Hinc enim & acidum ſulphur, occultum licèt, tamen facilè arripit, & cum eo in cinnabarin ſublimatur; hinc & ſpiritibus acidis tàm facilè alteratur, quatenus horum ope ſulphur externum actuatur magis & extravertitur, magiſque ita ab his acuitur; cum quibus acidis junctis etiam concretum ſalſum tertium conſtituit, uti in Mercurio ſublimato, item Mercurio dulci, manifeſtum eſt: conf. TACHENIUS *Hippocr. Chym. cap.* 25. item SYLVIUS *in Pr. l.* 4. *de Hydrope* §. 228. item *de lue Venerea* §. 160. *& ſeqq.* Hinc ſub hac conſideratione Mercurius vivus acida vitioſa corporis arripit, & eadem ſimul ſecum extra corpus eliminat, & hac ratione genuinum luis venereæ alexipharmacum, fixum hujus nervoſis partibus pernicioſiſſimum Acidum abſorbens, & ſalivationis modo extra corpus rapiens.

Ratione verò poſterioris Mercurius acris, acidus, corroſivus & colliquativus exiſtit, indeque roris nutritivi partium ſolidarum attenuativus, adeòquè evacuativus ac ſalivatorius, item ſepticus & rodens, plus minus tamen, prout arte magis vel minus acuitur acidum ejus ſulphur, & exaltatur hinc ejus vis colliquativa per acida ſulphurea mineralia.

Ex quibus facile eſt concludere: *An ſit venenum Mercurius vivus?* Per ſe equidem, quatenus corpus Mercuriale eſt, innoxius eſt, intimè penetrativus, & acidi vitioſi abſorptivus; ratione verò ſulphuris externi acidi erodentis & colliquefacientis, peſſimum eſt venenum, nervoſis partibus inimiciſſimum, & graviſſimorum nervoſi generis pathematum fœcundus parens. Licet enim Mercurius vivus propinatus ſine ullius nocumenti veſtigio citò tranſeat, fit tamen hoc ſaltem propter parvam, quam in corpore nectit, moram; aliàs enim ſi diutiùs in corpore ſubſiſteret, æquè virulentiam ſuam proderet per ſubſequentem ſalivationem, atque ſi extra corpus, licet vivus, inunctus fuiſſet.

Quod ergo attinet *uſum Medicum*, variat equidem hic pro varietate præparationum & applicationum. Laudatur tamen propriè ceu proprium alexipharmacum luis venereæ, quæ confirmata & inveterata vix aliter curari poterit, niſi per medicamenta Mercurialia, tàm purgando quàm ſalivationem movendo, ſive internè aſſumpta ſub forma pulverum, ſive externè inuncta, ſub forma ſuffituum aut unguentorum; & ſic ſolet excitare copioſum fluxum ſalivæ, quod vocatur *Salivatio*: quæ ſalivatio continuanda eſt tam diu, donec contagium Venereum omninò ſalivando ſeu per ſalivam ſit expulſum. Modus hic per ſalivationem curandi luem veneream, eſt uſitatus Gallis. Interdum loco ſalivationis ſolent ſubſequi in lue venerea copioſæ dejectiones alvi; ubi interdum obſervatum fuit, quod dejectiones alvi fuerunt nigræ inſtar atramenti. Raro inſenſibiliter operatur Mercurius, ita ut neque per alvum per dejectiones, neque per ſalivationes curet; utut HORSTIUS *lib.* 14. *Obſ. prope finem* habeat

beat observationem operationis Mercurialis insensibilis. Sed necessum est, ut pro talibus inunctionibus sit benè depuratus & purificatus, misceatur cum pingvedine porcina, donec occultetur. Hoc unguento composito inunguntur articulationes genuum & cubitorum, idque aliquoties in loco tepido, donec succedat salivatio; si hæc minùs procedat, fit inunctio spinæ dorsi secundùm longitudinem: alii non ineptè inungunt plantas pedum; sic enim totum corpus perreptat Mercurius, & tandem salivando miros exserit effectus.

In obstructionibus contumacissimis alvi, & consequenter in morbo iliaco, sacra anchora est; si scilicet successivè assumatur in substantia usque ad ℔j. vel ℔ij, imò ad ℔. iij, vel in globulis cereis in forma pilularum, qui modus est RIVERII *in obs. comm.* 1. quia mobilitate suâ sine ullo periculo transit per intestina, & per alvum secernitur. Notabilis est historia, quam de simili cura per literas transmisit Doctori MICHAELIS Doct. ERBENIVS, *Archiater Regis Poloniæ*, qui refert de quodam contumacissima alvi obstructione laborante, cui, aliis medicamentis irritis omnibus, propinavit ℔. iij. argenti vivi, & his nihil operantibus, illum imposuit currui, & veloci motu agitavit: cumque reversus domum de nocte somnum habuerit quietum, manè lectum stercore maculatum, & argento vivo inargentatum reperit. Certum sanè Mercurius est remedium in tali casu, de quo jam HELMONTIVS facit mentionem *Tr. de Flatibus*. In morbo Iliaco, si Mercurius non juvat, res est desperata. Lumbricorum prætereà juratus est hostis; Mercurius enim dulcis ad aliquot grana datus quoscunque lumbricos expellit & exturbat: Hoc etiam fit per *aquam Hermeticam* contra lumbricos *Augenii & Helmontii Tract. In Verbis, Herbis & lapidibus Magna Virtus*;

Nempè

℞. *Mercurii probè purif.* ad ℥jv.
cui super affundatur
Aquæ hyperici, vel *ulmar.* vel *flor. persic.* vel *portulac.* vel *aquæ simpl.* vel
Graminis ad ℔. iij.

Ebulliat leniter in ea Mercurius, aut agitetur in loco calido sine coctione; dehinc, ubi subsederit Mercurius, decantetur, & ad ℥j. vel ij. pro dosi detur, sicque omnes lumbricos certissimè expellit.

In forma sicca Mercurium cum succo quodam certo pulverisare & exhibere jubet AUTOR; ipso innuit saccharum, cum cujus duplo vel triplo facilè in pulverem gryseum in mortario lapideo vel ligneo redigitur: cujus dosis est à ℈j. ad ʒß. vel ʒj.

Assumatur autem in cochleari ligneo: nam si assumitur in cochlearibus metallicis, in specie in cochlearibus aureis vel argenteis, nihil ferè Mercurii in corpus venit, quoniam adhæret metallo: quod observandum quoque est de aliis medicamentis Mercurialibus; cum omnibus enim metallis se miscet Mercurius, eademque etiam corrodit.

Ulteriùs dicit AVTOR, quod difficilem promoveat partum; quod & à MATTHIOLO *lib* 4. *Epist. Med.* & in *Comment. l.* 5. *Dioscorid. cap.* 70. ʒß. pondere observatum fuit: Conf. HOFFMANNVS *Clav. l.* 3. *c.* 15. §. 10. *pag.* 260. Porrò scabiem etiam ferinam optimè curat interno & externo usu, ubi aliàs omnia irrita. Hinc nempè famosum est *Cingulum sapientiæ* seu *Mercuriale Rulandi*, quod est pannus lineus cum ungvento ejusmodi illitus; de quo vid. BARTHOLINVS *in Cent.* 3. *Hist. Anat.* 79 quod lumbis applicatum proficuum est remedium, & pediculos celerrimè fugat. Sed sub genuino ejus usu observetur:

1. Vt præmissa sint convenientia universalia.
2. Bene sit depurata Massa sangvinea.
3. Cùm applicatione cinguli, aliorumque similium Mercurialium, interna blandè diaphoretica antimonialia, aliaque adhibeantur.
4. Æger in loco calido aut tepido versetur; &
5. Blandè interdum corpus moveatur; sic dabitur facilis operatio cinguli Mercurialis.

Loco hujus Cinguli in usu sunt Ungventa Mercurialia, quæ uti & cingulum Mercuriale jam Veteribus in cura scabiei fuerunt usitata, uti hoc demonstrat AMELVNGIVS *loco citato c.*6.

An lepram, elephantiasin, & similes affectus curet Mercurius per salivationem? tentatum fuit aliquoties: sed parvo, quantum novi, cum successu: conf. WILLISIVS *Pharm. Rational. Volum* 2. *ubi de lepra*. Aliàs etiam ad tineam capitis pertinaciorem Mercurialia Unguenta usurpantur: sed non caret periculo propter varia nervosi generis symptomata, quæ inde facilè superveniunt. Ulcera maligna phagedænica, putrida & similia, aliis irritis mirabiliter curat Mercurius in unguentum redactus; Gallica præsertim, aliaque contumaciora; quæ sine Mercurio, vel dulci vel præcipitato, curare difficillimum erit. Tumores tandem duros, nodos Gallicos, uti etiam scirrhosos in partibus carnosis, & strumosos in partibus glandulosis, ex viscida materia ab acido coagulante, mirificè emollit Mercurius vivus cum linimentis applicatus; unde & emplastrum de ranis Vigonis cum Mercurio (interdum cum duplo Mercurio) adeò crebri usus est: quos etiam lamina plumbea Mercurio vivo illita, vel Mercurius à plumbo coagulatus in laminam redactus, applicatione sui discutit & resolvit, doloresque junctos corrigendo dolorosum acidum mitigat; quæ etiam in gangliis & nodis, similibusque tutissimè admovetur, & ita citò, tutò, & jucunde illa curantur. Pediculos quoscunque, sive sint majores, *ingvinales*, sive alii, modò in marsupio gestatus, vel cum ungventis, imprimis ungvento de nicotiana, subactus, & locis, ubi tales sunt hospites, inunctus, subitò necat. Cosmeticus denique existit, præsertim Mercurius dulcis, aut alio modo præparatus, quocunque modo applicatus varos, lentigenes, & alias faciei maculas, pustulas, ac rubores, aliis irritis tollit, serpigines etiam aliaque cutanea vitia, mirabiliter tollit. Nempè penetrando, & acidum peccans sub cute latens corrigit, & simul humorem peccantem excrementitium resolvit & colliquat, sicque in aliud concretum mutat. Modus parandi hic est;

℞. *Mercur. vivi* q. s.

Subigatur cum succo limonum, & cum pingvedine quadam redigatur in formam linimenti.

Sed observetur in usu Mercurii cosmetico, ne sit nimius. Nam Cosmetica Mercurialia duo habent incommoda:

1. Inimicissima sunt gingivis, tonsillis, dentibus & partibus circa palatum existentibus: Unde, utut aliquandiu elegantem cutis & faciei colorem Mercurius reddat, tamen successivè ulcera oris & fœtorem, imò cariem, nigredinem, hinc casum dentium & capillorum facit; hincque est, quod istæ mulieres, quæ in juventute usæ sunt fucis Mercurialibus, in senectute sint edentulæ, aut habeant halitum fœtidum propter putredinem, inductam gingivis & earum dentibus.
2. Etiam cutim tandem scabram, rugosam & citiùs, quàm ætatis fert ratio, senilem reddunt; unde juvenculæ per aliquod tempus usæ fucis Mercurialibus, fiunt ante senectutem vetulæ.

Cæterùm Mercurius etiam *Amuleti instar*, vel in avellana, vel in penna inclusus, ad lac generandum (vid. SENNERTVS *de febrib. lib* 4. *cap.* 5.) contra pestem, fascinationes & ligaturas, de collo gestari solet; uti *dedi talem formulam superiùs*, ubi *de Antirrhino*: quod utut suspectum videatur GVIBERTO *in Medico officios. Tractatulo de peste*, & DIEMERBROCCIO *de Peste*; nihilominùs tali usu externo est valdè proficuus.

Sed bene sit præparatus Mercurius pro quocunque usu, imprimis externo, aliàs inducit varias noxas, casum dentium & capillorum, tremorem, paralysin, contracturas, & similes alias graves & periculosas noxas ex perverso Mercurii vitiosi usu posse oriri certum est: de quibus vid. HOFFMANNVS *de Medic. Chym. pag.* 36. AMMELUNGIUS *de Chym. cap* 6. *pag.* 226. Fernelius lib. 2. de Curat. Morbi Gallici cap. 1. & UNZERUS *in ejusd. Tr. de Mercurio*. In scorbuto speciatim usus Mercurialium cautissimus esse debet. Cùm enim per se Mercurius sit infestus gingivis, & etiam in scorbuto dentes sint corrosi; proptereà facilè cum Mercurio malum exasperaretur. Unde in nostris regionibus septentrionalibus non solùm inusitatum, sed etiam periculosum est, curare luem Veneream per Mercurium, propter metum scorbuti. Et quidem tam promptus est Mercurius ad salivationem, uti iis, qui habent gangrænam in pede, applicatus facilè excitet ptyalismum, utut in minima dosi & remotissimo loco fuerit applicatus: id quod observetur in curandis ulceribus scorbuticis, ne applicetur cum noxa.

Ad usum autem Medicum *purgetur Mercurius*, & quidem eum in finem, ut fæces, aut potiùs adhærentia concreta Saturnina, bismuthina, arsenicalia, &c. separentur; talia enim aliàs præparationes Mercuriales usui Medico minùs aptas reddunt. *Communiter purgatur expressione per corium*, deinde lavatur cum aceto, sale, &c. vid. AUTOR. Cæterùm optimus purgandi modus est *Destillatio*, si scilicèt Mercurius vel crudus, vel, quod melius est, ex sublimato aut cinnabari revivificatus, cum salibus, sale communi, sale tartari, calce viva & similibus aliis, bis vel ter destillatur per retortam; sic enim evadit purissimus. Quidam idem non ineptè præstant cum spiritu vini, uti habet AVTOR. Quidam miscent cum terra sigillata, & destillant per retortam non incommodè. Nec contemnenda est purificatio Mercurii, si fit amalgama ex eodem cum metallis, & postmodum hoc amalgama per retortam destillatur; revivificatur enim sic Mercurius, qui potest tutò adhiberi internè.

Quod attinet Mercurii Præparationes, & ex eo elicita medicamenta, observetur; quod rectè dicat HELMONTIVS: quod Mercurius nunquam ullâ ratione sit divisibilis, adeò ut sit impossibile, per artem & naturam exinde sal aut sulphur extrahere. Unde rectè HELMONTIVS omnia liquida ex Mercurio per se præparata, ut oleum, spiritus, essentias, &c. Mercurii, vocat non-entia & imposturas pseudochymicorum. Nam licèt Mercurius propter adjuncta salia vel alia simplicia suscipiat larvas varii generis; nihilominùs tamen non sunt, nisi oculorum imposturæ: Quippè semper ex iisdem Mercurius denuò vivus potest resuscitari, uti rectè loquitur HELMONTIVS.

Quod igitur reliqua *Præparata* ex Mercurio attinet, eadem omnia sunt (altem *Magisteria*, hoc est cum salibus variæ concretiones. Magisteria autem hæc sunt vel in forma fluida, vel in forma sicca: Illa, nempè fluida, ab his siccis demum originem habent.

Præparata sicca sunt vel *Præcipitata*, vel *Sublimata*.

Præcipitata fiunt vel

1. Per

1. Per se vi Ignis; vel
2. Per spiritus salinos abstrahendo.
3. Propriè dicta præcipitata cum oleo tartari, vel alio alcali fixo in aqua soluto, præcipitando solutiones Mercurii per acida factas.

Et hæc præcipitata rursus sunt vel simplicia, vel cum aliis metallis composita. Hæc de Præcipitatis.

Sublimata sunt vel cum sulphure vel cum salibus: Illa dant Cinnabarin; hæc verò pro variis accidentibus varias denominationes obtinent.

Hæc est quasi sciagraphia omnium Præparatorum Mercurialium.

CALCINATIO & PRÆCIPITATIO.

Quoad Mercurii simplices præparationes, eminet *Præcipitatio*, quæ quidem, uti rectè monet AUTOR noster, non est vera præcipitatio, sed Mercurii per digestionem in pulverem rubicundum mutatio. Observetur nihilominùs, quod Mercurius in pulverem redactus, vocetur præcipitatus, sive cum, sive sine menstruo: item vocatur *Turbith minerale*, ad differentiam Turbith Vegetabilis; quoniam sicut Turbith vegetabile est purgans vehemens, ita & præcipitatus Mercurius. Inter Mercurii præcipitationes eminet hic *Mercurius per se præcipitatus sine ullo addito*, sed solo igne per digestionem lentam in pulverem rubicundum mutatus, in vase speciali ad id elaborato. Hoc autem in Mercurio corporum non fit, sed saltem in Mercurio vulgi. Phiolæ ad hunc laborem necessariæ conformatio variat: nunc enim fit in cucurbita fundi plani, qualem describit ZWELFFERUS *Mant. spagyr. P.1. cap.7. pag.*353. nunc in duplici vase, quasi duobus urinalibus ad clepsidræ formam sibi applicatis, qualem describit WILLISIUS *in Pharm. Rat. P.1. Sect.2. cap.2. pag.* 42. Sed non opus erit curiosis instrumentis, modò observetur encheirisis à non nemine observata; nempè ut ignis suppressionis adhibeatur, id est ut carbones supra vas, in quo Mercurius continetur, arenâ contectum ponantur: hoc modo nempè & citiùs & tutiùs figitur seu in pulverem cinnabarinum præcipitatur. Dubium enim est: quomodo corpus album fluidum volatile Mercurii vivi per se sine addito, solius caloris beneficio, in pulverem nonnihil fixum rubrum convertatur. Sunt qui existimant, simplicem texturæ in Mercurio mutationem esse causam, ut HOFFMANNUS *Clave pag.*265. alii calorem externum, ut SYLVIUS *de Hydr.* §.272. Optima in hoc puncto est TACHENII sententia, proprium Mercurii sulphur externum hoc modo præcipitare Mercurium: vid. TACHENII *Hippocrat. Chym. cap.*25. ubi *de Mercurio.* Nempè sicuti à sulphure, Mercurio addito, rubificatur Mercurius in Cinnabarin; ita parili ex ratione sulphur Mercurii externum, igne mediante actuatum, & quasi extraversum, & tingit, & etiam ita nonnihil figit Mercurium. Una ex optimis præparationibus Mercurialibus hæc est: Nam ritè paratus bonum est remedium diaphoreticum, resolvens, mundificans, plurium chronicorum morborum, ex impuritate contentorum acida plus minus fixa natorum, remedium, uti sunt Lues Venerea, scabies, podagra, febres diuturnæ, aliaque similia; nempè considerate adhibitus. Aliàs, si non ritè sit fixatus, aut inconsideratius exhibeatur, etiam vomitus & secessus movet; imò continuato usu ad salivationem tandem disponit. Minùs enim præcipitatio hæc sufficiens est pro Mercurio ita figendo, ut vel per diaphoresin saltem operetur, vel ad pristinam volatilitatem & fluiditatem reduci nequeat; ubi tamen nimis rigorosus est HELMONTIUS, quando dicit: *Vix boni viri remedium esse Mercurium, quamdiu adhuc resuscitari potest.*

Nobilis hic Mercurius præcipitatus per se magis nobilitatur, si amalgama cum solis per antimonium depurati, vel lunæ ℥ß. & Mercurii vivi depurati ℥iv. hoc modo præparetur, & in pulverem purpureum, *Aurum Vitæ* aliàs dictum, redigatur, in quo ipso imprimis consulatur ZWELFFERUS *Mant. spagyr. pag.*321. & 353. non secus atque POTERIUS, qui nobilius suum Aurum diaphoreticum ex Mercurio antimonii cum auro amalgamato, & ita per se præcipitato recipit, ut *propè finem* ejusdem *Pharm. spagyr.* videre est. Quod etiam facit *Panacæa* ista *de la Vigne*, quam videbitis in HOFFMANNI *Clave pag.*266. qua ratione etiam Mercurius cum aliis metallis amalgamari, & sine menstruo acido corrosivo per se præcipitari potest.

Sed utut pro usu Medico nobile sic evadet remedium, ut non solùm aliis præparationibus apprimè inserviat, sed & pro sublimioribus laboribus spagyricis recipi queat; interim tamen non nimis excedamus in ejusdem laudibus, ejusque usum Alchymisticum non nimis extendamus, in quo ipso peccasse videtur ZWELFFERUS *citato loco pag.*354. Nam Mercurius corpus auri, ut in illud quodam quasi amplexu feratur, adeò exactè non dissolvit; ab iterata ex regulo antimonii & lunæ scobe sublimatione, an Mercurius novas vires acquirat? dubium est; nisi forsan ex regulo sulphur externè adhærens Mercurio accedat. Adeòque ambigitur; an sine interventu Medii alterius seu clavis, sola digestione, sublimando aut præcipitando aurum cum Mercurio, adeò amicabiliter ac intima unione commisceri possit? quod quamdiu non fit, votô transmutationis excidimus. Tentandum etiam est: an non digestum & præcipitatum hujusmodi amalgama in pristinum auri corpus denuò reduci, possit avolante Mercurio? & sic præcipitata illa cum auro, luna, Mercurio, & putatitia omnis generis Azoth, se habere videntur. Vires tamen Medicæ præcipitato simplici adscriptæ, eidem ac sanè nobiliori hujusmodi composito adscribendæ erunt.

Mercurii præcipitati per silices in AUTORE *processus* no.2. est legitimus. Modum habet HARTMANNUS *in Croll. p.*41. & KESLERUS *C.*1. *Process.*50. Coincidit hæc præparatio cum priori, saltem quod moles silicum adjectorum impediant motum & sublimationem Mercurii, unde quasi vi coercitus Mercurius faciliùs præcipitatur. Putant quidam, quod per ignem arenæ successivè sulphur silicum exaltetur, ratione cujus sulphuris silicum, sulphur Mercurii externum excitetur: unde silices recipiunt solares, de sulphure solis participantes, quales interdum inveniuntur & se produnt colore flavescente & rubescente, ut Mercurius cum iis ratione principii solaris promptissimè se jungat. Verùm an silices ratione sui sulphuris aliquid conferant? haud videtur vero simile. De *Mercurio fixato* seu *Panacæa nu* 3. genuinum est LUDOVICI judicium *Pharm. pag.*117. esse nempè Cinnabarinæ naturæ, quatenus ex vivo Mercurio & sulphure communi revera concretum salinum emergat; unde effectus ejus præ cinnabari nativa vel antimoniali haud dabit singulariores.

Sequuntur *præcipitati Mercurii in via humida*, nempè *nu.*4. & 5.6. & 9. per spiritus acidos, ut oleum sulphuris, spiritum vitrioli, spiritum nitri &c. affundendo aliquoties & abstrahendo, & sic in fundo Mercurius remanet sub forma pulveris, varii coloris pro ratione spirituum. Succedit in omnibus negotium, utut diversimodè; omnium optimè per spiritum nitri, qui & solvit Mercurium, & exinde abstractus præcipitatum intensè rubrum relinquit: spiritus sulphuris verò, spiritus & oleum vitrioli, non solvunt Mercurium, utut eundem facilè in pulveris formam alterent, qui abstractis spiritibus saltem flavus aut citrinus remanet: qui pulveres cum spiritu vini digeruntur &c., uti habet AUTOR & CROLLIUS *in sua Basil. Chym. cum notis* imprimis HARTMANNI.

In his Præcipitationibus duo considerentur:

1. Color ruber, qui non nisi à spiritu nitri conciliatur: nam spiritus sulphuris & vitrioli vel Mercurium præcipitatum flavum aut citrinum saltem, relinquit. Color hic oritur ab ipso Mercurii sulphure externo, sicut *supra de Mercurio per se præcipitato monitum fuit.* Quia enim spiritus nitri & ipse sulphureus agit in hoc ipsum sulphur, hoc ipsum ex traversum colore tali Mercurium tingit. Spiritus sulphuris verò & vitrioli propter symbolum, quod habent, agunt quidem nonnihil in sulphur Mercurii, sed debiliter, unde tantum flavescit.
2. De spiritibus acidis post debitam edulcorationem cum aqua, & deflagrationem cum spiritu vini, nihil ferè aut minimum saltem cum Mercurio præcipitato remanet; quod testatur: quia Mercurius ita præcipitatus non crescit pondere; unde nec vim corrosivam Mercurio addunt, sed quicquid mutationis Mercurio accidit, saltem ratione proprii sulphuris acidi, in quod ista acida mineralium sulphurea agunt, evenit: Conf. TACHENII *Hippocrates cap.*25. Nam ut in medio relinquam, quod HELMONTIUS hinc inde afferit, Mercurium sulphure externo spoliatum, esse immutabilem; aut quod TACHENIUS affirmat, Mercurium corporum nec præcipitari per se, nec per spiritus acidos posse, quia caret illo sulphure externo adhærente: saltem pro hoc negotio notabile est Mercurium cum spiritu nitri præcipitatum rubescere, non secus ac si sublimatus communis cum oleo tartari per deliquium præcipitatur, qui etiam rubeus cadit, prout nempè alcali fixum agit in sulphur Mercurii externum, hoc sufficit, extravertit, & ita colorem rubrum infert. Alcalia è contra volatilia Mercurium talem album præcipitant, quatenus hæc debiliùs agunt in sulphura mineralia, quam alcalia fixa: Conf. hic TACHENII *Hippocrates cap.*7.

Præcipitatorum Usus.

Præcipitata hæc magis inserviunt usui interno, minùs tamen tuta sunt, licet etiam spiritus vini desuper deflagratus sit; cum impetu enim vomitus & secessus movent, prout magis volatilia vel fixa. Quò enim sunt volatiliora, eò magis vomitus cient; quò magis erunt fixata, eò promptiùs per inferiora purgant: imò si grana iij. tantùm usurpentur, horrida symptomata causantur. Nam per spiritus acidos, v. g. nitri, vitrioli, &c. extravertitur sulphur Mercurii & exaltatur; unde gr. xv. Mercurii præcipitati per oleum sulphuris (ad gr. ij. vel iij. pro una vice) potentiorem salivationem excitant, quem ℥j. Mercurii crudi externè adhibiti.

Turpethum minerale cū oleo seu spiritu sulphuris per campanā paratū in specie quod attinet; in se quidem satis tutū, & in affectibus chronicis conveniens remedium est. Dosis gr. v. vel vj. in forma pilularum vel boli; aliàs impressionem Vitriolicam in faucibus relinquit, ægris molestam: hinc cum Theriaca, Extr. Ellebori nigri vel succo liquiritiæ mistum, commodè propinatur. Ordinariè verò cum nausea per inferiora tantum purgat, utut in delicatis & tenerioribus præsertim, vomitus interdum moveat, quin & repetito usu in dosi minori

nori salivationem cieat: hincque non nisi in morbis chronicis evacuandi aut alterandi causâ adhibitum locum habet; & quidem pro scopo salivatorio, primo die gr. j. ij. vel iij. post ad jv. sicque quotidie continuando, donec doses quinque assumptæ, & salivationis futuræ indicia superveniant.

Mercurius præcipitatus cum oleo vitrioli. AUTORIS *nu.* 5. revocat in mentem asserta HELMONTII *Tr. Ignota actio Regim.* §. 11. & *sextupl. Dig.* §. 29. quod oleum vitrioli solo attactu Mercurii transeat in alumen. Res anno ferè ab hinc comprobata, aut exemplo illustrata, ita se habet:

℞. *Mercurij* ℥j.
Olei vitrioli ℥iv.

Digerantur mutuò; & post solutionem plus minus factam, ac phlegmatis evaporationem, & subsequentem destillationem, remanet Mercurius albus præcipitatus; qui edulcoratus probè suggerit pulverem citrinum; mediante destillatione à cineribus clavellatis in idem Mercurii currentis pondus revivificabilem: aqua verò ista edulcorationis sale vitriolico imprægnata, ebulliendo evaporata, reddit genuinum alumen. Res curiosa.

Mercurius præcipitatus per spiritum nitri *nu.* 6. seu Mercurius corralliatus, optimè describitur ab HARTMANNO *in Croll. pag.* 63. fit hoc modo:

℞. *Mercurii vivi probè depur.* qv. v.

Abstrahatur ab eo spiritus nitri ritè rectificatus tribus vicibus; sic evadit pulvis egregie rubeus ferè instar cinnabaris. Sed notandum est, Mercurium hunc præcipitatum post ternam spiritus nitri abstractionem & subsequentem sub tegula aut in crucibulo levem calcinationem, donec non ampliùs fumet, & spiritus nitri concentratus maximam partem avolet, ulterius cum spiritu vini ter esse deflagrandum, ut omnis acor corrosivus tollatur: sic enim tutiùs, & etiam auctâ nonnihil dosi, cautè tamen, internè usurpari potest. Vocatur à quibusdam, imprimis HARTMANNO & CROLLIO, etiam *Arcanum corallinum*, quia post præcipitationem remanet pulvis rubicundissimus instar coralliorum.

Sed duplex hic error deprehenditur:

1. Quia ob solum colorem ita vocarunt, & cum PARACELSI *arcano corallino*, quod etiam à colore sanguineo *Mercurium hæmatinum*, item *Aquilam hæmatinam*; ab usu verò in Archidox. *Mercurium vitæ* vocavit, non convenit, quo vult purgare & uno impetu curare febres intermittentes & podagram, ratione cujus etiam ab HELMONTIO *Purgatio diaceltatesson Paracelsi* vocatur: Conf. *de* hoc *Mercurio vitæ Paracelsi* CNOEFFELIUS *Tr. Meth. Med. febres epidem. pag.* 75. & 85.
2. Quod hic *Mercurius hæmatinus Paracelsi*, seu *Arcanum corallinum*, fuerit nihil aliud, quàm Mercurius vivus per menstruum universale fixatus in pulverem rubeum, blandè diaphoreticum, & solutivum, & per aquam ovorum edulcoratus, quo vulnera & ulcera vesicæ, faucium & œsophagi curentur, uti HELMONTIUS hoc ostendit *Tr. de febr. c.* 14. §. 10. item *Tr. Arcan. Paracelsi.* Hinc ortus est error ille in præparatione Mercurii, dum quidam cum spiritu nitri in rubedinem præcipitatum putarunt esse eandem rubedinem cum Paracelsi. Cùm è contra Arcanum Corallinum Paracelsi terra fuerit Balsamica dulcissima; Autoris verò Arcanum corrosivum, quoniam corrosivitas menstrui nunquam elui potest ex præcipitatis.

Inservit tamen usui interno pro leni purgante, sed cautè: interdum enim etiam per superiora purgat. Dosis gr. iv. vel v. Sed Mercurialia hæc non nisi in malis contumacioribus coveniunt, & saltem in iis, ubi acidum tale peccat, quod vix, præterquam à Mercurio, corrigibile existit. In morbis enim difficillimis, v.g. quartana inveterata, lue venerea confirmata, podagra &c., Mercurialia prærogativam singularem præ aliis habent, adeò ut aliis irritis (modò viscera ægri utcunque adhuc robusta sint) intentioni Medici satisfaciant. Sic *Aurum vitæ Cnoffelii* antipodagricum fuit, & nihil aliud, quàm Mercurius per certum oleum vitrioli, laboriosè licet, fixatus. Oleum enim vitrioli probè rectificatum jus habet præ acidis aliis singulare in Mercurium: & ututeum perfectè figere non possit, vim tamen singularem præ aliis mineralium acidis in illum exserit, volatilitatem ejus multum coercet, si post factam solutionem & abstractionem tandem fortissimo, quantum fieri potest, igne, quicquid de oleo vitrioli superfit exhalet. Mercurius hic fixatus assumptus nunquam salivatorius est, nisi per accidens, in lue Venerea egregius. In lue Venerea confirmata sine Mercurio sanè nihil perficere possumus: imò affectus etiam longè remotos in extremis artuum Mercurialia corrigunt, radicem ex primis viis evellendo, & fermentum peregrinum simpliciter corrigendo. In ulceribus manantibus crurum, aliis irritis, pilulæ factæ ex cinnabari, arcano corallino, & theriaca, usu repetito aliquoties assumptæ, per inferiora purgant; & sine remedio alio singulari sponte ita exsiccari faciunt ulcera, quod remedia alia vix aut non, nisi post tempus diuturnum, præstare possent, idque non semper. Unde in gravioribus morbis singulare quid obtinent. Pro scopo salivatorio datur cum Theriaca, vel succo glycyrrhizæ in forma pilularum ad gr. ij. vel iij. alterâ vice seu die sequente gr. iv. hinc die tertio gr. v. & sic donec omnes doses simul gr. xv. vel xviij. compleverint; tunc desinamus: sequitur enim salivatio; raro plus requiritur. Externè commodè permiscetur cum unguentis contra scabiem; sicut quoque emplastris additum valet egregiè in quibuscunque ulceribus etiam rebellibus, fœtidis & malignis. Nam in Mercurio est Arcanum contra ulcera maligna & fœtidissima; sicuti etiam Mercurius dulcis est egregium remedium.

Sequitur *Mercurius per aquam ovorum præcipitatus num.* 7. Circa quem observetur: in Paracelsi scriptis occurrere subinde Mercurium corallatum, item arcanum corallinum, quo nomine non Mercurium communem cum nitro paratum, aut præcipitatum Autoris intelligit, sed, uti jam suprà dixi, est Mercurius vivus per liquorem alcahest fixatus, & per aquam albuminum ovorum edulcoratus: sed occultavit modum, & hunc substituerunt impostores. *Paracelsum* ergo malè communiter intellectum *pessimè semper imitati sunt*: id quod etiam ostendit hic Mercurius præcipitatus per aquam ovorum ad Paracelsi imitationem institutus: sed prout ab AUTORE præscribitur, nullo modo succedit. Potius conf. M. A. N. C. *Anno* 4 *pag.* 90 ubi aquæ albuminis ovorum genuina, CNOEFFELIO olim usitata, habetur descriptio. Ac sanè ibidem descriptus labor Mercurialis asseritur, quod fuerit genuinum remedium CNOEFFELII, quo podagram curaverit, de qua cura non saltem publicè prostat *Epist.* hujus argumenti, & propter elegantem Theoriam conf. *Consilia & Apologiæ* CNOEFFELII *in* M. A. N. C. *Anno* 4. *pag.* 148. *&* 152.

Vicinum huic est *Aurum Horizontale*, quod est Mercurius vulgaris præcipitatus cum aqua forti, imbutus sulphure Veneris fixo, à quo postmodum spiritus abstrahitur, & remanet pulvis fixus dulcis, remedium diaphoreticum, optimum contra scabiem, luem Veneream. Externè contra scabiem & ulcera fœtida cum unguentis usurpatur.

Mercurius præcipitatus per tincturam smiridis nu. 8. *Præcipitatus miraculosus* dictus, nihil valet. Nempè copiosus Mars est in Smiride, & inde beneficio aceti destillati principium Mercuriale extrahitur, quali tincturâ superficialiter alteratur Mercurius; unde præcipitatus hic non est fixus, sed dum candescit in crucibulo, Mercurius evaporat; pulvis verò ruber remanens est à Smiride, & nihil aliud, quàm aliquis crocus Martis, qui tanquam fixus sustinet ignem.

Mercurius præcipitatus communis nu. 9. præparatur per solutionem cum aqua forti, & præcipitationem cum aqua salsa, & sic albescit ob salinas volatiles particulas adhærentes, quæ solæ Mercurio paulo exactiùs combinabiles sunt: quando autem aqua fortis abstrahitur sine præcipitatione; acquirit colorem rubeum. Pro usu externo usitatissimus est chirurgis Italis, & apud nos in Emplastris, unguentis, &c. pro ulceribus Venereis callosis, aliisque cacoethicis ac difficilioris curationis: Nempè corrosivum est & simul malignum acidum illud ulcerum, quod Mercurius absorbet; hinc remediis aliis in dosi etiam parva additus, ut in ulceribus luis venereæ cacoetheis &c. notabiliter ea levat, labia horum rubicunda fiunt, loco saniei fluit pus album, & ulcus integrum brevi consolidatur. In ulceribus cancrosis commendatur à POTERIO, intra per inferiora saltem purgare eidem dicitur; quod tamen minus vero simile videtur. Nam omnia hæc modò enumerata Præcipitata in forma liquida ratione sulphuris acidissimi nervosas partes insigniter stimulant, contenta verò corporis colliquant; unde vomitus, salivationes ac secessus movent, & quidem magis illa hæc faciunt, quæ minùs fixa sunt; minus hæc faciunt, quæ magis fixa, adeò ut hæc ad diaphoreticam naturam proximè accedant, saltem alvum tantum stimulant. Hinc fixissimus est Mercurius per se præcipitatus, præsertim cum auro sociatus, post hunc cum spiritu nitri paratus.

Cætera omnia minùs fixa sunt, præsertim *cum aquæ salsa præcipitatus*; hinc enim facili encheirisi, post phlegmatis nempè saltem evaporationem, sublimari, & in perfectum Mercurium sublimatum corrosivum venenosum mutari potest: id quod confirmat Mercurii istas sub præcipitatione alterationes magis ab acido sulphure externo, plus minus actuato, quàm ab ipsis spiritibus acidis dependere: utut hi ipsi agendo in sulphur acidum illud, vim ejus intendant, & ita præcipitationi Mercurii, ejusque plus minùs fixationi, occasionem præbeant: quo sensu explicanda etiam sunt asserta SYLVII *Tr. de Hydrope* §. 228. *& sequentibus*, item *de lue Venerea* §. 160. *& seqq.*

Sequitur *nu.* 10. *pag.* 402. *Præcipitatus albus Clossæi*. Arridet hic labor HOFFMANNO: sed nescio quare? habetur enim nihil aliud, quàm præcipitatum quoddam seu *Turbith minerale*, haud adeò multum differens ab alio simili præcipitato, per alcali fixum ex Mercurio sublimato parato: loco quorum omnium sufficiat Turbith minerale MYNSICHTI *pag.* 118.

Mercurius præcipitatus dulcis nu. 11. simplex fucus est: nempè Mercurii vivi interpositione separantur, minusque unitæ sunt, particulæ præcipitatæ, unde in eadem dosi mitiùs operatur.

Præcipitata quæ jam dixi cum sint maligna & venenosa, propterea sequuntur jam in AUTORE eorum correctiones. Correctiones horum præcipitatorum in eo consistunt, ut corrigatur nimia eorum acrimonia vel per spiritum vitrioli, vel oleum tartari, unde fit remedium magis benignum. Attamen cautissimus in usu interno; nam pro varietate alcalium etiam variat Mercurius præcipitatus in acrimonia. Si enim cum alcalibus volatilibus præcipitatus fuerit, ad rubedinem vel

vel colorem incarnatum; si per alcalia fixa, ad albedinem vergit: vid. TACHENIUS.

Mercurius præcipitatus incarnatus, & *Mercurius præcipitatus luteus nu.* 12. & 13. per alcalia parati ex solutione cum acidis cum aqua forti facta, reverâ re ipsâ coincidunt, eas easdem vires obtinent cum supra dictis præcipitatis per acida factis, mitiora tamen paulò sunt medicamenta minusque vehementia, quatenus nonnihil fixiora: sanè rarioris usus sunt in medicina interna præcipitata Mercurialia per acida facta, quin tutiora ferè prostent evacuantia, nisi forsan in chronicis difficulter eradicabilibus aliisque similibus affectibus; unde frequentissimè in lue Venerea internè & externè adhiberi solent. *Præcipitatus luteus* cum oleo tartari vel spiritu urinæ paratus, à FINCKIO contra icterum tanquam summum remedium insigniter commendatur: sed nihil est. Tutius est uti Rhabarbaro vel aloe, &c., quàm Mercuriis præcipitatis, quoniam sunt maligni per se & menstrua corrosiva adhærent.

Eodem modo potest fieri *Mercurius præcipitatus vulgaris*, si

℞. *Mercurius sublimatus vulgaris*:

Solvatur in aqua communi, & solutus præcipitetur per *oleum tartari per deliq.*

Observetur hic modus solvendi & cum sale fixo præcipitandi, quoniam quædam magna habet in recessu; & qui hoc non sciunt, non possunt intelligere BOYLEUM *de Coloribus*, & TACHENIUM *in Hipp. Chymico*.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS VITRIOLATUS.

Processus hic *nu.* 14. ex KESLERO petitus mancus est: potiùs imitemur CNOEFFELIUM, qui ita remedium hoc paravit:

℞. *Mercurij vivi* ℔j.
Aquæ fortis ex nitro & vitriolo ℔ij.

Misceatur in cucurbita, abstrahatur per alembicum & cohobetur quatuor vicibus, quintâ vice *recens aqua fortis* affundatur, & tribus vicibus cohobetur; sic enim acquiritur *Mercurius præcipitatus* suavissimè *rubicundus*: Huic affundatur *spiritus vitrioli* ℔j. Abstrahatur per retortam, & cohobetur quatuor vicibus, tandem *spiritus vini rectificatus* exinde bis vel ter destilletur, ac tandem cum *aqua borraginis* vel *buglossa* edulcoretur; habebitur sic elegans *Mercurius vitriolatus dulcis*, & suo modo fixus præcipitatus, qui in morbo Gallico, item morbis contumacioribus quibusvis, ulceribus chronicis ac diuturnis, multum præstare valet.

MERCURII PRÆCIPITATI CUM METALLIS.

Post Mercurios præcipitatos simplices sequuntur *compositi cum metallis*, ubi non Mercurius solus, sed simul cum metallis, imprimis cum luna & sole, in formam pulveris per solutionem & abstractionem, redigitur. Præcipitata hæc metallica essentialiter non differunt à simplicibus, saltem ob adjuncta metallica, præsertim solem, hujusque beneficio mutatam texturam, & mitificatum sulphur Mercuriale, mitior forsan erit eorum operatio. Hæc inter se offert

Numero 1. PRÆCIPITATUS SOLARIS, qui aliàs quoque AURUM VITÆ dicitur.

Ratio præparationis est, quod aurum per digestionem societ se cum Mercurio, & ita Mercurius, ejusque sulphur externum, nonnihil figitur, ut mitiùs & naturæ convenientiùs virtutes exercere valeat: Hinc FREITAGIVS *in Aur. Med. cap.* 2. *vel* 4. dicit: *Aurum optimè corrigit malitiam Mercurii, ejusque noxiam coercet naturam, & diaphoreticam ei conciliat*. Hoc ipsum tamen non ita absolutè accipiendum est, cum subinde supra & infra plus minus purgare, & continuatâ in minore pondere dosi etiam salivationes ciere possit, nempè major vel minor fixitas Mercurii semper hic attendenda est. Aurum tamen hoc vitæ in purificando sanguine ab inquinamentis leprosis, Venereis, scabie contumacissima, &c. est optimum remedium. Aliam præparationem sine vitro antimonii descripsit partim WILLISIVS *in Pharm. Rat. P.* 1. *cap.* 2. *de Vomitor. Formul.*, partim ZWELFERVS *in Mant. spag. ubi de Mercurio*. Hic ritè præparatus omnium mitissimus est, per inferiora suaviter purgat; quibusdam etiam diaphoresin aliqualem movet. Nempè sulphur acre externum, quod in Mercurio præsertim laxationis & salivationis Autor est, hoc associatione solis correctum & temperatum mitius fit, & per inferiora tantum purgat: rariùs hic Præcipitatus solaris per se salivationem aliqualem stimulat aut movet: quod etiam valet de amalgamate solari per præcipitationem spontaneam parato. Interim longissimè absunt hæc Præcipitata, etiam metallica, ab auro Horizontali seu Mercurio diaphoretico Helmontii, universali isto remedio, & quod perficit, quicquid Chirurgus & Medicus possint optare sanando: vid. *Tract. Arcana Paracelsi*, item *Tr. de Lith. c.* 8. item *tractatus de Febr. cap.* 14. & hujus non obscura prostant vestigia in *Paracelso Tr. de Morte Rerum*.

Descriptio *Præcipitati solaris regulini*, quæ habetur in AVTORE *nu.* 2. *pag.* 405. est manca. Deficit in hac primarium ingrediens, nempè Mercurius vivus, cujus ℥iv. etiam solvantur simul in aqua forti. Très solutiones hæ conjungendæ sunt, & modo ab AUTORE præscripto postmodum procedendum. Spiritus vini autem deflagret, non destilletur.

Est *Febrifugum antiquartium*, & commendatur in lue venerea circa finem, si conjungatur cum Extracto fumariæ vel cum extracto lignorum.

HERCULES BOVII
Numero 3.

BOVIUS fuit Medicus Italus, qui magnifecit hunc Herculem, quo ipso etiam desperatos morbos curavit: Conf. de appellationis ratione HOFFMANNVS *Clave pag.* 270. Sicuti pro dilucidanda præparatione conf. WILLISIVS *Pharm. Rat. P.* 1. *pag.* 72. Sunt qui commendant in febribus petechialibus internè, & adhuc hodie in Italia magnifit.

AVRVM VITÆ HARTMANNI
Numero 4.

Meliùs perfici potest hoc remedium, si secundùm CNOEFFELII modum postquam ex arena per alembicum in aqua forti destillata fuerit, ut denuo affundatur, & ita quinque vicibus in igne quodammodo fixius præcipitatur, postmodum secundùm AVTORIS descriptionem procedatur. KEGLERVS habet *Aurum vitæ*, quod videbitis in *Tract. de Peste*, & SENNERTVS *Instit. pag.* 1443. quo ipso sese bina vice à philtro liberavit, dum propinato hoc auro vitæ denuo illud rejecit vomitu. Nempè

℞. *Mercurij vivi* ℥v.
Auri laminat. ʒß.

Fiat *amalgama solis cum Mercurio*, quod solvitur cum *aqua forti*, quæ aqua solvit solum Mercurium, non verò aurum: abstrahitur aqua per destillationem, sic remanet pulvis rubeus, sub tegula calcinandus.

PRÆCIPITATVS VIRIDIS seu VENEREVS.
Numero 7.

Fit quando Venus & Mercurius conjunguntur. B. D. MICHAELIS & HARTMANNVS utebantur in gonorrhœa Venerea, quam optimè per urinas expurgat & omnibus aliis irritis curat. Processus AVTORIS est justus. Observandum autem & hoc in usu ejus, quod gonorrhœa primitus videatur augeri, continuato verò usu certissimè illam refrænat, quoniam cum impetu evacuat virulentiam restitantem, & sponte postmodum cessat: adeò ut non sit, ut Tyro expavescat quando tale quid videt. Commodè etiam cum *Extracto Catholico Andernaci*, vel cum *panchymagogo Crollii* potest dari in forma pilularum, cum oleo camphoræ iis, qui lue venereâ laborant.

VITRVM MERCVRII LVNARE.
Numero 8.

Vitrum Mercurii lunare re ipsâ nihil de Mercurio participat; hic enim in fusione avolat, luna interim fusa non abit in perfectum vitrum, sed ferè quoque sal ammoniacum ad naturam lunæ corneæ declinat.

VITRVM EX MERCVRIO VITÆ, *sive* SVCCINVM ANTIMONII. Observandum, quod Mercurius vitæ sit regulus antimonii in pulverem præcipitatus, ex quo fit elegans vitrum flavum instar succini, unde rectiùs quibusdam *succinum antimonii* dicitur. Hoc melius operatur, quàm commune vitrum antimonii, utpotè cujus respectu copiosiùs per inferiora purgat, quàm per superiora. Interim quando vomitus movet, leniùs hos provocat, quàm Mercurius vitæ communis. Interim observanda est encheirisis Autoris; nempè abstrahendum esse per retortam partes minus fixas, aliàs sub fusione cum fumo Mercurii vitæ maximam partem evolat: Nempè adhærent adhuc acidæ butyri antimonii particulæ Mercurio vitæ, cum quibus evolat.

SVBLIMATIO.

Mercurius sublimatus est vel corrosivus, vel non corrosivus: Ille quocunque modo præparatus nihil est aliud, nisi Mercurius vivus qui se conjunxit cum salibus corrosivis admistis, & beneficio ignis fortioris secum sublimavit; salia hæc acore suo rodunt Mercurium, & cum eodem se uniunt unde dum Mercurius avolat in igne, sublimando simul rapit sal commune in altum, & cum eodem in substantiam crystallinam concrescit. Modos videbitis in AVTORE *nu.* 1 2. & 3.

Mercurius sublimatus non corrosivus fit sine sale communi solo vitriolo & nitro, ac aliàs à Crollio, vel propter coloris elegantiam, vel propter

pter malè intellectum Paracelsum, *Arcanum corallinum* dicitur, ab AUTORE *num.* 8. 9. *&* 11. descriptus. Ille pondere augetur, hic verò edulcoratus & ablutus nullum accessorium habet pondus: unde, utut Mercurius sublimatus corrosivus fiat cum vitriolo, sale communi & nitro, nihilominus corrosivitas hæc & pondus saltem est à sale communi; non verò à nitro & vitriolo, utpotè quæ nihil materiale de acido suo seu corrosivo, Mercurio addunt, quia solo sale communi, sine vitriolo & aliis, optimè etiam parari potest, uti sufficienter docet TACHENIUS *in Hippocr. Chym. cap* 24. ubi etiam genuina Mercurium sublimatum parandi docetur ratio. Hoc observandum simul, quod dum nitrum additum agit in sulphur vitrioli, hocque simul nonnihil elevat, hoc ipsum in Mercurii sulphur externum simul agere, adeò ut Mercurius sublimatus corrosivus non de acido nitri aut vitrioli, bene autem de hujus sulphure participet; unde etiam illa differentia butyri antimonii, dum quoddam butyrum antimonii, exque eo paratus spiritus vitrioli philosophicus aurum solvat, aliud verò aurum non solvat. Nempè quod paratur ex Mercurio cum vitriolo simul sublimato, non solvit aurum, propter sulphur ejus solutionem impediens; quod verò paratur ex Mercurio sublimato sine vitriolo, aurum solvit: Ille verò Mercurius sublimatus, qui sine sale cōmuni fit, nihil de nitro vel vitriolo Acidi vel Corrosivi adsciscit unde etiam Mercurius sublimatus rubeus non corrosivus vocatur, quin facilè omne, quod adhæret, edulcorando eluitur, sed tantum spiritus nitri sulphureus, qui simul elevat sulphur vitrioli, agit in Mercurii sulphur externum, ratione cujus extraversi assurgit Mercurius sublimatus ruber, non corrosivus: dum verò addito sale communi profundiùs Mercurius dissolvitur, *sublimatus albus corrosivus* adscendit.

Est hic palliatus Mercurius, quoniam denuò potest reviviscî, si scilicet solvatur in aqua communi in sartagine ferrea; sic enim ferro inhæret acidum sal, & Mercurius sponte in fundo recipitur. Exsuscitari etiam potest cum fermento panis, uti docet ZWELFFERUS *pag.* 160. *in Apol. contra Tachenium*.

Mercurius hicce sublimatus totus corrosivus est, vixque locum invenit in Medicina propter nimiam corrosionem, quam de spiritu salis concentrato accepit, saporem habet instar aluminis adstrictorium. Hujus *Mercurii sublimati* assumpti *alexipharmacum* est lac, oleum amygdalarum dulcium, butyrum, &c. quæ acrimoniam illam corrosivam & virulentam obtundunt & demulcent; vel alcalia, ut oleum tartari per deliquium, nitrum fixum, &c. quæ acidum corrosivum immutant, vel quæ absorbent, crystallus præparata.

Externè vix habet usum, nisi cosmeticum, in quo tamen cautissimè adhibeatur. ZAPATA, natione *Hispanus*, *Medicus Italus*, *in Clave medicinæ* (quod scriptum ex Italica in Germanicam linguam translatum est) habet, quod *Unguentum Æsculapii* vocat, & nihil aliud est, quàm butyrum recens non salitum, cum Mercurio sublimato pauco acuatum: quo ipso ulcera cacoethea maximè rebellia sanari & curari putat;

Recipe e. g. *Butyri non saliti* ℥ß. ad ℥j.
Mercurii sublimati ʒj. M.

Adulteratur sæpè Mercurius sublimatus per arsenicum admistum: Verùm fraus facillimè per oleum tartari per deliquium aperitur; si enim guttæ quædam hujus olei inspersæ Mercurio sublimato fuerint, maculam nigricantem relinquet, si arsenici quid adfuerit, unde fraus patet; si vero Mercurius sublimatus est genuinus, maculam flavam vel rubicundam contrahit locus, ubi instillatum est oleum tartari per deliquium.

Ex isto corrosivo Mercurio sublimato additione Mercurii vivi, quo mitigatur corrosivitas, fit *Mercurius dulcis vulgaris*, ab AUTORE *Nro.* 4. præscriptus. Modus hic est: *Mercurius sublimatus* misceatur cum *Mercurii vivi* ana, vel meliùs juxta AUTOREM hujus p. iij. & illius p. iv. terantur probè invicem in mortario lapideo, & sublimantur deinde, donec purus & sine fæcum residentia appareat; sic vis corrosiva in novum suppeditatum Mercurium vivum ibit, & vis ejus corrosiva mitigatur. Dicitur *dulcis*, quoniam liberatur ab omni corrosivitate. Nempè acidum illud salis communis concentratum in Mercurio sublimato, additione novi Mercurii vivi diluitur, & ita agendo simul in Mercurium vivum additum, multum in acrimonia minuitur, & sic fit insipidum medicamentum.

Quoad encherises præparationis: variat

1. Proportio ingredientium. Prout enim magis corrosivus est Mercurius sublimatus, eò plus Mercurii vivi addendum, & contra.
2. Mercurius sublimatus, ac ipsi additus Mercurius vivus si fuerint puriores, sufficit unica sublimatio, uti etiam rectè censet WEDELIUS *Pharm. p.* 9. *&* 138. præsertim si exactâ triturâ priùs subacta fuerint: sin verò impuriores fuerint ita ut copiosa fuligo atra sublimiora sublimatorii loca occupet, instar arsenici, uti etiam sordes nigricantes in fundo remaneant, reiteranda sublimatio, donec purus fiat.
3. Quò magis intenditur in Mercurio dulci scopus laxativus, eò minùs repetenda venit ejus sublimatio; quando verò parciorem laxandi vim volumus, crebrior reiteranda sublimatio: sin tandem quindecies aut vicesies sic factum fuerit, tandem diaphoreticus evadit Mercurius dulcis: Siquidem UNZERUS *lib.* 2. *cap.* 2. de Mercurio refert, quod Mercurius sublimatus corrosivus per sequinquagesies sublimatus, & refinatus, reddatur reverà dulcis, ut nemini noceat, sed tutiùs infra purget. Aliàs compendiosè paratur Mercurius dulcis simplex.

♃. *Mercurii sublimati* ℔j.
Mercurii vivi ℥x.

Hinc conjungantur & terantur, & affundatur aqua, & decantetur tamdiu, donec nulla in ea percipiatur acredo.

Purgat saltem per inferiora: dosi gr. vj. ad ℈ß. De innoxio hujus Mercurii dulcis usu videatur DAVISSONUS *Philosoph. Pyrotechn. P.* 4. *cap.* 27. *pag.* 178.

Quoad *usum Mercurii dulcis*, mitissimum & perquàm egregium est remedium laxativum, multis encomiis dignum, quod magis alterando, quàm præcisè eliminando, succos viscidos & glutinosos reddit fluxiles, tumores resolvit, & partes glandulosas à saburra liberat. Unde proficuum & in morbo Gallico, scabie ferina, lepra, item Gonorrhœa Virulenta, sicut & in aliis & firmiter radicatis morbis, in epilepsia confirmata, in hemicania inveterata, hemiplegiis, febribus intermittentibus chronicis, aliisque chronicis virulentis morbis, in quibus internè commodè sub forma pilularum cum extracto quodam vegetabili specifico, v. g. hellebori nigri, vel extracto catholico Andernaci, panchymagogo Crollii, datur ad gr. xv., addendo pro stimulo extr. trochiscorum alhand. gr. j. vel ij. &c.; aliàs non purgat: hinc & non immeritò vocatur *Panchymagogum Mercuriale*, quoniam catholicum est evacuans. Tutissimè pariter & sine noxa propinatur in vermibus infantum, imò gravidis, in quibus sæpè expertus sum, tutò cum aliis propinatur. In infantibus quidem salivationem non movet, quamvis etiam per se laxando non operetur. Convenit insigniter in ascite, hydrope uteri, aliisque affectibus hydropicis, & similibus à colluvie serosa natis.

Dosis Mercurii dulcis cum dictis extractis vel aliis purgantibus est à ℈ß ad gr. xv., habito respectu subjecti. Tardiùs quidem, sed eleganter & blandè, operatur, & sudorem movet in somno elegantem: nec solitariè ferè pro scopo purgandi usurpandus, & quidem sub forma pilulari, ne adhærescendo dentibus inducat cariem aut vacillationem: E. g. in hydrope ascite & uteri:

♃. *Mercurij dulc.*
Extr. elater. ana gr. xv.
Absinth. ℈ß.
Troch. alband. gr. ij. vel iij.
Cum ess. absinth. f. pilulæ.

Infantibus, quibus imminent variolæ, in primo morbi principio datus habitâ ætatis ratione, per vomitum & per alvum mirè succurrit, & variolarum proventum multò facilitat, adeo ut paucæ vel nullæ efflorescant. Mitius purgans est quàm Jalappa, cum partim nec quoad sensum ægri ita partes in abdomine alteret, partim autopsia anatomica doceat, minus ab eo rubere seu inflammatas esse, adeoque minus quàm à Jalappa ventriculum & intestina affecta esse. Sed quoniam mitiùs & tradiùs in quibusdam operatur, ordinariè purgantibus vegetabilibus, imprimis scammonio sulphurato, sociatur: sic ab hoc, alterando, dum vegetabilia tantum purgando operantur, sequitur longè felicior effectus.

Probè aliàs notandum: Mercurium hunc dulcem, non secus ac alia *Mercurialia medicamenta*, *non adeo commodè convenire corporibus biliosis ac aridioribus*, *in quibus acidum volatile turget*, quia respectu sulphuris externi adhærentis, bilis mala exasperantur, & symptomata atrocia sequuntur: cum è contra *optimè conducant* phlegmaticis atque sanguineis, sicuti antimonialia laxativa conveniunt cholericis; quibus sub forma salivæ viscidioris nutrimentum partium spermaticarum evacuant. Observatum enim fuit, quod quidam Medicus cuidam Canonico propinavit in quartana Mercurium dulcem, in continenti ejus vires fuerunt exhaustæ, & Canonicus ad ultima redactus propterea, quoniam fuit biliosus, & constitutionis juvenilis.

Scrupulus quidem moverur ab HARTMANNO: an Mercurius dulcis scorbuticis tutò propinari possit, cùm Mercurialium usu in hisce ulcera oris, gingivarum & faucium inducantur? Sed tutò propinatur, modò cautior sit Medicus, ut faciliùs salivationem in scorbuticis, quàm in aliis moveat. Si igitur ex Mercurio dulci propinato effectus sufficiens non sequatur, pulvis ex cremore tartari cum pauxil. jalappæ in vehiculo calido, pro solutione juvanda, superbibatur; sic metus omnes salivationis, quæ quartâ aliàs die superveniet, maturè præcaveri potest.

Mercurio dulci huic, si misceatur Mercurius vitæ, qui est propago antimonii, evadit egregium vomitorium catharticum simul, in Melancholia & affectibus chronicis, aliàs non eradicabilibus: vid. HARTMANNUS *Prax. l.* 1. *cap.* 4. *§.* 1. V. g.

♃. *Mercurij dulc.* p. viij.
Vitæ p. j.

Diutissimè terantur in marmore seu super porphyritem. Dois gr. viij. ad gr. xv. Et ex hoc fundamento procedit Antiquartium febrifugum Riverii, cujus genuinam, aut genuinæ proximam descriptionem arbitror, quam habet HOFFMANNUS *in Clave pag.* 275. siquidem RIVERIUS crebriùs usus fuit Mercurio dulci pro purgatione, & istum cum scammonio miscere solitus fuit,

Recipiendo *Mercurij dulc.* ℈j.
Scammon. præp. ℈ß.

Ex quibus cum mucil. Tragacanthi pilulas fecit, easque tecto nomine

ne Calomelanos Turqueti vocavit: Conf. *Cent.* I. *Obs.* 16. & speciatim C. 4 *Obs.* 33. & 97. Qui tamen in dosi nimis est excessivus, cum scammonii gr. v. abundè sufficiant.

Præter vim hanc solutivam, alterativam quoque habet, quæ in eo consistit, ut

1. Potentissimè attenuet & dissolvat quælibet viscida glutinosa, tam vias primas obsidentia, quàm massam sanguineam inficientia.
2. Hinc sapore suo salso, qui ex prosapia Mercuriali naturæ quasi alcalinæ est, temperat quævis acida, præprimis fixa, difficulter tam à natura quàm arte corrigibilia; quo in scopo majoris illam facio, quàm pro laxativo seu purgante. Hinc Mercurius dulcis crebriùs repetitus in morbis chronicis egregiè convenit.

Externè hic Mercurius dulcis commodè unguenta contra scabiem, aliasque similes corporis sordes, item Aquas cosmeticas ingreditur; unde & celebre est adeò decoctum calcis vivæ cum Mercurio dulci, quod videb. in AVTORE *nu.* 5. *pag.* 407. & superiùs ubi de lapide calcario. Mirè prodest in lue Venerea, purificat ulcera Gallica, aliaque maligna & cacoethea, in specie in Gangræna, eaque mundificat, scabiem quamvis ferinam, serpigines, &c. optimè curat. Si calor, ardor, & inflammationes adsint, aliquantum sacchari saturni simul addi potest, quod corrigit inflammationem, cui interdum etiam admiscetur spiritus vini.

LANVGO PERLATA, seu FLORES ARGENTEI:

Ex communicatione

SAMVELIS GLOSSÆI,

Numero 7. *pag.* 407.

Hæc præparatio non est admodum legitima. Si rem exactè consideremus, est miscela Mercurii, partim sublimati ratione spiritus salis in menstruo, & alcali tartari in spiritu vini tartarisato. Hæc duo cum aceto destillato in floccos contrahuntur, Mercuriale corpus salibus istis plus minùs larvatum, & nonnihil fixatum continentes; unde & vis laxativa. Illa, quam HOFFMANNVS *pag.* 277. hujus loco suggerit & à Doct. MICHAELIS habet, idem est, atque si Mercurius sublimatus corrosivus cum oleo tartari præcipitatus, mediante aceto destillato in aliam faciem mutaretur. Negotium uno nomine parvi ponderis est, cui commune quoddam Turbith accuratiùs paulò paratum æquari valet.

MANNA MERCVRII seu MERCVRIVS DVLCIS SOLARIS:

Numero 8. *pag.* 408.

An Mercurius cum aliis metallis sublimari, æquè ac præcipitari possit? dubium videtur: Testatur autem BOYLE *in Chym. scept. pag.* 5. se aliquando vidisse regulum antimonii & lunam cum Mercurio sublimari: quod confirmat experientia AUTORIS nostri per sublimationem Mercurii dulcis cum luna foliata. ZWELFERVS *in Mant. Spagyr. pag.* 355. Crocum Solis Mercurii dulcis partib. quatuor addit, & ita eundem digerendo exaltare intendit. Verùm vis laxativa infringitur.

Ad Mercurium sublimatum pertinet

CINNABARIS OFFICINARVM ARTIFICIALIS:

Numero 12. *pag.* 409.

Quæ fit, quando sulphur & Mercurius benè trita, mista & subacta invicem, sublimantur in altum. Omnis enim cinnabaris constat Mercurio vivo & sulphure Minerali: & utut sulphur commune sit flavum, & Mercurius albus, nihilominùs hæc duo sublimata mutuâ adhæsione constituunt concretum intensè rubrum tertium, *Cinnabarim.* Fundamentum hujus rei est, quod sulphur ratione acidi sui promptè Mercurio alcalino, ejusque sulphuri externo, sociatur; unde & additione vel Martis, vel salis tartari & calcis vivæ, mediante destillatione Mercurius denuò à sulphure separatus ac revivificatus prodit, quatenus hæc sulphur promptiùs arripiunt & firmiùs sibi jungunt. Ex hoc etiam fundamento fit Cinnabaris antimonii, quoniam Mercurius similiter in destillatione butyri antimonii revivificatus se conjungit cum sulphure antimonii, & se mutuò sublimant in Cinnabarim, quam vocamus cinnabarim Antimonii. Perinde enim est, sive sulphur minerale vulgare Mercurio addatur per artem, ut in cinnabari artificiali, sive per naturam, ut in cinnabari nativa, ubi sulphur commune, reperiens in loco aliquo Mercurium vivum, cum hoc concrescit & mutatur in cinnabarim, sive sumatur sulphur minerale in antimonio reperibile, ut in cinnabaris antimonii præparatione.

Cinnabaris Artificialis fit vel in via sicca vel humida. In sicca, prout præscribit AUTOR *noster*: in via humida, prout docet ERCKER. *in Aula subterran. p.* 301. Interea tamen cinnabaris vulgi seu artificialis non adeò commodè usurpatur internè; frequentiùs utimur cinnabari antimonii, quoniam est ex sulphure antimonii, in quo est verus Magnes epilepsiæ, uti habebimus suo loco. Si rectificetur cinnabaris, & denuo redigatur in Mercurium vivum, erit Mercurius optimè rectificatus & purificatus, ut ex eo possit fieri *Arbor Philosophica*, quæ imprimis admistione antimonii fert poma aurea: qualem arborem habuit WENDLINVS.

PANACEA MERCURII PURGANS:

Numero 13.

Si non adeò exactè edulcoretur Mercurius vitæ, & ei jungatur Mercurius vivus, ambo coeunt, & acidum adhærens Mercurio vitæ jungit secum Mercurium vivum, ut ita cogantur in Panaceam Mercurii purgantem.

Sublimationem sequitur

DESTILLATIO.

Quæ beneficio Mercurii sublimati, additione antimonii in dimidia vel anatica proportione, liquorem acrem & crassum fundit, qui ratione consistentiæ dicitur *Butyrum antimonii* & *Oleum antimonii glaciale*, item *spuma duorum draconum venenatorum*, quoniam sunt quasi duo dracones, qui misti, exspuunt hunc liquorem. Præparationem subministrat AVTOR hic in Mercurio; sed falsus est: Nam Butyrum Antimonii nihil aliud est, quàm concretum fluidum, quod fit ex acido salis communis, in Mercurio sublimato hærentis: hoc mediante igne in motum concitatum rodit regulum antimonii, & cum hoc solutus in formam spissi seu gummosi, aut butyracei, & in frigore coagulabilis liquoris per retortam transit: Dum verò acidum Mercurii sublimati regulum antimonii rodit, Mercurius hinc ex ejus compedibus liberatus, revivificatus, & ita partim in viva forma cum butyro prodit, partim cum sulphure antimonii, à regulo dissoluto separato, se unit ac sublimat in collum retortæ in cinnabarim. Hoc est totum, tam butyri antimonii simplicis, quàm compositi, negotium. Liquor qui prodit, infusione aquæ simplicis turbatur, lactescit, & præcipitatur in pulverem album, qui propter errores Autorum, qui dicunt esse productum Mercuriale, malè vocatur *Mercurius vitæ*, cùm genuina antimonii sit proles, adeòquè rectiùs *Magisterium antimonii emeticum* vocatur.

Ipsa autem Mercurii vitæ appellatio est deducta ex PARACELSO. Cæterùm sic dictus Mercurius vitæ vulgaris non est idem cum *Mercurio vitæ Paracelsi*. Nam Paracelsi scilicet paratus est ex Mercurio vivo, per menstruum fixum in diaphoresin, vel lenem alvi solutionem fixato, & probè per aquam ovorum edulcorato. Noster Mercurius vitæ est regulus antimonii à spiritu acido Mercurii sublimati solutus, sed à menstruo per aquam simplicem separatus, dum particulæ salinæ se promptè uniunt cum phlegmate (id quod omnia salina faciunt;) ex ista unione cum aqua dimittunt ex suis compedibus ligatas particulas antimoniales, quæ cum à partibus menstrui corrosivi acidis non amplius contineantur, gravitate suâ ad fundum secedunt: nam regulus, seu metallica Mercurialis antimonii pars, copioso adhuc gaudet sulphure, quo saturatus minùs strictè cohæret externis acidis, quin aquæ affusione facilè separetur.

Aqua hæc præcipitando pulverem album, recipit spiritum istum acidum solventem, unde rectificata relinquit spiritum acidum, *spiritum vitrioli Philosophicum* dictum, reverà *spiritum salis rectificatum*, ex Mercurio sublimato resuscitatum, quia Mercurius corrosivus non nisi de acido salis communis participat.

Dictum fuit, butyrum antimonii esse regulum antimonii solutum, adeoque non esse productum Mercuriale; Cinnabarim verò constare ex Mercurio revivificato & sulphure antimonii. Proba est facilis, quia ex antimonio non etiam cum salibus, vel spiritu salis solo, sine Mercurio, fieri potest simile *butyrum antimonii*; & deinde etiam *Mercurius vitæ* præcipitatus ex butyro antimonii hocce, denuò potest fundi in *regulum antimonialem*, quod impossibile est ex Mercurio. Sit v. g. *Butyrum antimonii* sine Mercurio in via sicca:

℞. *Antimonij*,
Salis comm. ana p. ij.
Vitrioli ad albed. calc. p. iij.

Pulverisata destillentur per retortam probè loricatam igne aperto, & transibit oleum seu butyrum antimonii.

In via humida:

℞. *Reg. antimonij* qv. v.

Trajiciatur per cribrum subtilissimum, solvatur in s. q. *spiritus salis*: solutio hæc rectificata destillando dat genuinum *butyrum antimonii*, aquæ affusione in pulverem album emeticum præcipitandum.

In his autem modis nulla obtinetur cinnabaris, propter Mercurii defectum; sicuti è contra, si *butyrum antimonii* destilletur cum Mercurio sublimato ex antimonio calcinato, regulo antimonii, antimonio diaphoretico, ex vitro antimonii, &c. Sed nulla obtinetur cinnabaris pro-

propter defectum fulphuris antimonii volatilioris, quod fufione in regulum vel calcinatione in antimonium diaphoreticum, omnino exhalavit. Revera ergò eft *butyrum antimonii* liquor compofitus ex partibus antimonii, per fpiritum falinum Mercurii fublimati corrofis: cinnabaris verò nihil aliud, nifi compofitum ex fulphure antimonii, quod fe conjungit cum Mercurio fublimato revivificato.

Prout itaque magis vel butyrum antimonii vel cinnabarim defideramus, obfervandæ funt encheirifes: nempè fi antimonium & Mercurius fublimatus invicem mifta priùs aliquandiu in cella repofita fuerint, copiofius butyrum acquiritur, è contra fi fpecies ficcæ probe miftæ mox deftillentur ex retorta cum collo oblongiori, & quidem maturè paulo ignis fuppreffionis adhibeatur, citiùs & copiofiùs Cinnabaris acquiritur. In genere proportio ingredientiũ fit, ut Mercurii fublimati duplum refpectu antimonii fumatur, fic totum antimonium tranfit in butyrum & cinnabarim: fi nulla defideretur cinnabaris, loco antimonii crudi recipitur regulus antimonii, & butyrum æquè ac Mercurius vitæ tútiora erunt & benigniora. Porrò fi loco reguli antimonii fimplicis fumatur regulus compofitus, & majoris ufus erit in Medicina.

Quando deftillatur butyrum antimonii, vel etiam quando præcipitatur Mercurius vitæ, fimul folet progredi Mercurius revivificatus ex fublimato antimonio addito: hic oriundus ex butyro, fi leniter evaporetur in igne, folet poft fe relinquere aliquot granula folis, quæ granula folis Mercurius ex antimonio ad fe attraxit, quoniam, uti habemus, in antimonio latet primum ens folis.

Butyrum antimonii rectificandum eft aliquoties, ut mitefcat ejus ferocia & rectificatione aliquantifper figatur. Quod attinet ejus *ufum*: quibufdam internus laudatur, fed rarus eft, utut ad gtt. ij. in vehiculo largo dilutum intro propinatum maximè purget, fed proftant meliora. *Externus* verò *ufus* crebrior eft; propter vim acidam & corrofivam concentratam eft remedium pro parandis fonticulis: Nempe recipiatur calamus fcriptorius, abfcinditur particula, cujus cavitas impletur una vel altera gutta butyri antimonii, & applicatur cuti, ubi excitanda eft Fontanella, commodèque & convenienter deligatur: fic enim butyrum antimonii coercitum non poteft extravagari, fed fenfim fenfimque cutim fubjectam corrodit, & fic efcharam, & hac feparata foraminulum pro fonticulo excitat: vid. M. A. N. C. *Ann.* 9. *Obferv* 153. *p.* 336. Sed præftant pro hoc fcopo cryftalli Lunæ. Eft quoque remedium pro aperiendis abfceffibus, in fpecie malignis, ut funt bubones & Carbunculi peftilentiales; fi enim his maturatis gutta una vel altera illinatur, eundem aperiri facit. In locis etiam gangræna vel potius fphacelo correptis eft egregii ufus; fi in fphacelo pars fit emortua; fimiliter in carbunculis peftilentialibus, pro feparanda parte mortua à fana, illinuntur confinia partis fanæ cum confinibus partis mortuæ cum butyro antimonii, aut circumdatur circulus, & fic hujus beneficio pars mortua fecedet à parte fana, & fponte excidet: Item impedit, quò minùs venenum peftilentiale poteft regredi ad interiora, fed potius retinet, ut poffit eò meliùs tractari carbunculus. Rationes videbitis in AGRICOLÆ *Comment. in Poppium*.

Præter hoc butyrum fimplex paratur & cum aliis metallis compofitum, v.g. fole & luna; quò facit modus PETRI JOHANNIS FABRI, quo in *Pathol cap* 12 §. 2. ita procedit:

℞. *Regul. antimonii* ℔i.
liquefiat in crucibulo: hinc adde
Auri opt. ℥ß. *Lunæ opt.* ℥j.

M. invicem, frigefcant, & in pulverem fubtiliffimum redacta, mifcentur exactè cum Mercurio, & ita loco allegato deftillentur: quod enim etiam de fole & luna fimul cum butyro plus minus tranfeat, præter alios teftatur BOYLE *Chym. fcept. p.m.* 132.

Quod attinet *Magifterium antimonii emeticum* ex butyro aliquoties rectificato precipitatum, feu *Mercurium vitæ*, *Pulvis dictus Algorethi*, natione Itali, qui in frequenti ufu habuit: hic probè edulcoratus, eft remedium fatis validum, ἄνω καὶ κάτω purgans, dofi gr. ij. vel iij. in fubftantia, ut ut rarò; vel in infufo cum vino ad gr. v. vel vj. Unde convenit in omnibus affectibus, ubi opus eft vomitione & purgatione per inferiora, imprimis in principio febrium, in quibus vel in infufo, vel in fubftantia adhibitus, eft egregium purgans. Hic Mercurius vitæ præterea eft egregius in facilitando partu difficili, ubi aliis medicamentis irritis res videtur defperata; ita enim, excitato vomitu, cum impetu fœtus excluditur; de quo vid. BILLICHIUS *in Obf. & Parad. Chym. p.* 161. ubi funt egregia de Mercurio vitæ iis, qui intelligere volunt naturam Mercurii vitæ maximè legenda. Obfervandum: quod poft affumptionem ejus femper fapor vitriolaceus inftar pulveris in ore percipiatur. Rectè dicit AUTOR *pag.* 410. *Nota* 1. quod vis Mercurii vitæ non exhauriatur, ex eo, cum adhibitus in infufo, & denuo exficcatus, centies poffit infundi eâdem efficaciâ & vomendi virtute: quod de omnibus antimonialibus verum, quia femper de illa fubftantia fine infigni alteratione aliquid roditur. Et hac ratione medicamenta antimonialia funt inexhauftæ virtutis in purgando & vomitum ciendo. Sed obfervetur, quod, fi propinetur hydropico, non purget per fuperiora, fed per inferiora tantum: vid POPPIUS *in Bafil. Antimon. pag* 33. & HOEFERUS *Herc. Med. T.* 1. *pag.* 129. Ratio eft, quoniam ferofitates acido-falfæ hydropicorum corrigunt Mercurium vitæ, eumque figunt, & vim ejufdem vomitivam tollunt, ut tantum purget per inferiora. Nam ficut fal commune optimum corrigens eft Mercurii vitæ, adeò, ut etiam poftmodum audietis ex AUTORE *noftro*, ut fi ad aliquod tempus teratur Mercurius vitæ benè cum fale communi, exinde ex vomitorio evadat blandum *purgans per inferiora*; ita ferofitates hydropicorum acido-falfæ corrigunt Mercurium vitæ, ut tantum purget per inferiora. Quod fi in apoplexia circa paroxyfmum opus fit vomitorio, (quæ utramque faciunt paginam,) & propter gulæ refolutionem non poffit deglutiri, unum vel alterum granum Mercurii vitæ impofitum linguæ circa fauces lenem & jucundum promovere vomitum, per experientiam eft confirmatum; quatenus ftatim per falivam vis vomitoria tribuitur ftomacho.

Cæterum obfervetur de Mercurio vitæ & omnibus medicamentis antimonialibus, quod tutiùs adhibeantur in infufo, quàm in fubftantia: Ratio, quoniam in fubftantia fi propinentur fine permiftione medicamentorum, poffunt facilè adhærere plicis ventriculi vel muco inteftinorum, unde ex irritatione continua continuæ & horrendæ fuperveniunt vomitiones, & miferandæ hypercatharfes. Hoc ne fiat, commodè datur in Infufo, in quo beneficio filtrationis fubftantia remanet, virtute per filtrum tantum tranfeunte. Quod fi fiat Mercurius vitæ, præcipitando butyrum reguli antimonii Martialis ac poftmodum fpiritum vini defuper deflagrando, ut volatiliores acrioresque particulæ ita exhalent, tunc minorè cum vehementia purgat, vim vomitivam omnem ferè amittit, propterea, quoniam eadem ipfa beneficio additionis Martis, ejufque fulphuris fixioris, eft correcta.

Quidam vocant hunc etiam pulverem *Rofam vitæ mineralem Angeli Salæ*, quæ nihil eft aliud, quàm Mercurius vitæ, fed beneficio urinæ calidæ præcipitatus; mitior etiam hic eft in operatione, quàm qui fit fimplici præcipitatione cõmuni, quatenus ad alcali urinæ acrimonia quafi vitriolica non nihil corrigitur; quod ipfum, dum agit fulphur ejus, rofeum pulveri colorem inducit. Effentiam autem nihil aliud, quàm antimonii regulum effe, patet ex ejus eductione, quia Mercurius vitæ, fufione cum fulphure, denuo in regulum abit.

Cæterum dixi: quod vis Mercurii vitæ fit violenta, & quod non fine impetu operetur, & exferat, quæ fuarum funt partium. Propterea addit AUTOR *pag.* 411. correctionem, & monftrat, quomodo corrigendus fit Mercurius vitæ? Correctiones funt variæ: ex omnibus autem tres proftant:

1. Cum *fale communi*,
2. Cum *fale tartari*,
3. Verò cum *nitro*.

I. Prima cum fale communi fit, terendo invicem probè ad longum tempus; ita enim, uti dixi, figitur aliquantulum vis ejus vomitiva, hinc aquâ affusâ edulcoratur, & purgabit folum per inferiora.

II. Alii concinniùs corrigunt cum fale tartari: cum enim fal alcali urinæ corrigit ita Mercurium vitæ, ut per inferiora faltem purget, longe magis hoc faciet fal tartari. Hinc funt qui

℞. *Butyr. antimonii* part. iij.
Sal tartari p. j.

Mifcent, & per triduum digerunt, hinc aquâ affusâ; edulcorant; cujus pulveris gr. j. purgat faltem per inferiora.

Alii concinniùs t

Recipiunt bu yr. antimonij rectificatum:

Huic calido, loco aquæ communis, guttatim inftillant *oleum tartari per deliquium calidum*, ad punctum faturationis, ac præcipitationem omnimodam, quod accuratè obfervandum: Hoc facto ad tempus digeratur cum liquore, poftea cum aqua communi fervida aliquoties eluatur pulvis præcipitatus, filtretur & exficcetur, & fi adhuc naufeofus fapore obfervetur, fpiritus vini fuper illum accenfus deflagretur; fic evadit falfus, qui antea erat acido-aufterus vitriolicus, ac revera habetur *Mercurius vitæ* feu *Antimonium per inferiora faltem purgans*, fine vomitu; cujus in infufo gr. v. vini Rhen. ℥ij. poft digeftionem & filtrationem ufurpantur

Fundamentum operationis eft, quod ab alcali falis tartari acidum, regulo antimonii pertinaciùs adhærefcens, deftruatur, & dum in præcipitatione fe fociat cum fale tartari, fit ita concretum falfum tertium, quod rarò, nifi in tenerioribus, per naufeam & vomitus, fæpius per inferiora tantum purgat. Acidum aliàs cum Mercurio junctum fub textura vitriolica, per analogiam quafi refinofa, vomitus ciet. Generofior tamen eft *Rofa mineralis Angeli Salæ*.

III. *Corrigitur* etiam *Mercurius vitæ cum nitro*. Sicut enim nitrum omnia fulphura mineralia corrigit, ita & nitrum figit etiam hunc fulphureum antimonialem pulverem; & prout magis & minùs de nitro acquirit, eò magis vel minus figitur; unde nunc fit catharticum, num diureticum.

Aliàs plures funt modi, quibus Mercurius vitæ corrigitur. Ab autore recenfetur *num.* 1. *pag.* 411.

MERCURIUS VITÆ CORRECTUS.

Scilicet Mercurius vitæ probè edulcoratus, fi per menfem in arena vel cineribus lento igne incalefcat & digeratur, vel in patella non vitreata teratur fub igne carbonum, donec in pulverem gryfeum abeat, & fumum nullum emittat; fic fucceffivè exhalant, præfertim fi fub-

si subinde agitetur (ne in grumos abeat, aut spiritus salis particulæ concentrentur, quæ tamen effumate debebant, & hinc aliàs vomitum movere solent) volatiliores particulæ Mercurii vitæ quasi arsenicales; unde postmodum spiritus vini tartarisatus quinquies vel sexies ab eo abstractus ac digestus, optimè eum corrigit, & sic rectè præparatus est *Mercurius per inferiora purgans Riverii*, quem tutò ad gr. iv. vel v. ad vj. adhibuit: Confer. HOFFMANNI *Clav. pag.* 275.

Fundamentum præparationis & operationis est, ut acidum salis communis evaporetur & separetur, ac parum saltem de eo restitet, quò minùs ventriculum irritare, sed ab eo subactum potius per inferiora laxare queat.

MERCURIUS VITÆ CATHARTICUS
nro. 2.

Hujus Modus 1. priori Riverii contrarius est: Nempè Mercurius vitæ aliquoties tantum teritur cum sale communi diu, & de novo sæpius abluitur. Fundamentum itidem est, ut in superioribus erat, acidum volatile salis communis, quod cum parte antimonii regulina coiverat, & vim emeticam constituerat, separare; sic hoc cicuratur, ut penitus satisfcat, & ex contrario, sale communi addito, acidum volatile quasi figatur. In sale enim communi, uti substantia duplex est, acida sulphurea volatilis, & fixa alcalina terrea, sicut ex spiritu salis & sale tartari idem sal commune regeneratur; ita sub tritura in vase calido particulæ volatiliores & acriores exhalant & substantia fixa restitat; quas volatiliores in Mercurio vitæ restitantes sal commune lotione istâ plus imbibit & abripit, ita, ut sic *Mercurius vitæ* per sal commune admodum cicuratus remaneat, & etiam *per inferiora purgans* tutissimum evadat.

Quoad Modum: Mercurius vitæ fusus cum nitro in crucibulo figitur & corrigitur plus minus, quò plus vel minus nitri assumitur; & sic, quò plus requiritur nitri, & quò diutiùs cum eo funditur, eò magis evadit diaphoreticus & fixus, quò minus accipitur nitri, & quò breviori tempore fluit, eò minus fixum accipitur, & citiùs purgans.

LAXATIVUM MINERALE
nro. 3.

Acidum nitri figit Mercurium vitæ, adeo, ut quò plus de nitro additur, eò magis diaphoreticus fiat; quò minus, eò magis catharticus remaneat: v. g. in via sicca, si unciis duabus nitri, ℥j. *Mercurii vitæ* successivè ingeratur, nec ita diu in fusione relinquantur, habetur *purgans per inferiora* elegans; si verò nitri triplum vel quadruplum, & una pars mercurii vitæ accipiatur, hocque diutiùs in igne relinquitur, post ebullitionem acquiritur *pulvis diaphoreticus* & fixus; uno nomine: genuinum *antimonium diaphoreticum*. Nam nitrum figit omnia antimonialia, & fixatione transmutat in diaphoretica. Par ratio est in via humida, quando spiritus nitri sextuplum à Mercurio vitæ abstractum & cohobatum *Bezoardicum Minerale* sudoriferum relinquit.

Dosis Mercurii vitæ correcti est à gr. iv. ad v, prout magis & minus est fixus.

Ex hoc fundamento oriuntur

BEZOARDICA MINERALIA.

Ita dicta propter vim alexipharmacam, quoniam instar lapidis Bezoar venenis resistunt, malignitatem per sudorem eliciunt.

Communis præparandi modus est, ut butyro antimonii cum cucurbita, in vas aquâ frigidâ plenum imposita, instilletur spiritus nitri rectificatus tamdiu, donec cesset omnis effervescentia, quæ aliàs insignis est, cum copiosorum fumorum rutilantium ejectione & insigni cucurbitæ incalescentia. Spiritus nitri aliàs blandè spiritui salis seu spiritui vitrioli philosophico commiscibilis est: hìc verò effervescentia oritur, quatenus dictus spiritus intimiùs penetrat in particulas regulinas antimonii butyri, quas ceu alcalinæ naturæ dissolvit, sed insigni cum effervescentia. Quod si spiritus nitri fuerit fortior, solvit antimonium, & ita sine præcipitatione miscentur. Hoc facto per retortam in arena fiat abstractio usque ad siccitatem: Spiritus, qui prodit, vocatur *spiritus nitri Bezoardicus*, compositus nempè ex spiritu nitri & spiritu salis butyri antimonii, adeoque generosior aquâ Regiâ, BOYLEO sic dictum *Menstruum peracutum* constituit. Menstruum abstractum denuò affunditur, & cum ℥j. spiritus nitri acuitur (si nempè butyri saltem ℥iij. vel ℥iv. fuerint; si verò plus hujus sumptum fuerit, etiam copiosiore spiritu nitri acuendus erit) abstrahitur denuò, idque etiam tertiâ vice, semper cum addita spiritus nitri nova portione acuendus. Pulvis relictus albus pulverisatus calcinatur seu ignitur in patella ferè candefacta terrea, ut copiosiores & acriores adhærentes spiritus nitrosi ita exhalent (quod patet, si non amplius fumet) quo facto cum spiritu vini bene agitetur in mortario, qui adhuc semel desuper digerendus & deflagrandus est quod in omnibus Bezoardicis observetur, & ita *Bezoardicum minerale* erit præparatum. Nempè acidum nitri figit sulphureo-Mercuriales reguli antimonii particulas, & ita cum iis in concretum salsum abit, quod postmodum spiritus sub calcinatione & effumatione concretum sulphureo-alcalinū cōstituit, dum & sulphur nitri simul in eodem nonnihil concentratur; adeoq; magnum est alexiterium, ut rectè dicit AUTOR, idq; non immeritò, quoniam ipsi potius deferendus principatus Bezoardicus, quàm lapidi Bezoar, ex eo, quoniam lapis Bezoar sine adulteratione ad nos vix transfertur. Hoc Bezoardicum, non minus quàm antimonium diaphoreticum, nobile est remedium in febribus ardentibus, præsertim quibusvis malignis & venenosis, petechialibus, variolis & morbillis, lue Venerea, & impuritatibus sanguinis aliis per sudorem eliciendis, fermentum febrile acidum malignum figendo, effervescentiam hanc concitatam sedando, & mediante sudore massam sanguineam purificando, sicut & Neapoli grassante peste in frequenti usu fuit. ROSENCREUZERUS *in Astron. Inferior. p.* 40. refert, se curasse hydropicum propinato Bezoardico minerali simplici in aqua ulmariæ, cardui benedicti & cinnamomi, & ex usu hujus remedii propinati araneas sex vivas cum urina reddidisse hydropicum.

Dosis est à ℈ß. ad summum ℈j. Hanc præ antimonio diaphoretico prærogativam habet, quod de sulphure nitri simul fixato, uti aliqui suspicantur, etiam aliquid participet; quod tamen in medio relinquo. Si autem spiritus nitri non optimæ notæ fuerit, vomitus facilè excitare potest; quod post sudorem observavit LUDOVICI *in Pharmacia*.

Facili modo paraturà quibusdam, si *spiritus nitri* part. vj. cum *butyri antimonii* p. i. misceantur: sic enim unicâ & simplici abstractione idem obtinetur, quod aliàs triplici aut multiplici cohobatione vix peragitur. Varios quoque & simul succinctos Bezoardicum Minerale præparandi modos videbitis in LUDOVICI *Pharm. pag.* 326. *seqq.* CNOEFFELIO *M. M. de febr. pag.* 83. WEDELII *Pharm. pag* 38.

Præter hoc Bezoardicum simplex etiam cum quovis metallo fiunt Bezoardica mineralia composita, quæ inter eminet *solare*, seu *antimonii cum auro compositum*. Tres modi hujus ab Autore *pag.* 412. & 413. enumerantur, quorum *primus nro.* 2. *Nota* 1. est insignis. Nam ex butyro antimonii, cinnabari antimonii, ac auro fit præstantissimum remedium in morbis acutis singulare, hinc vocatur quibusdam *Bezoardicum solare cinnabarinum*, de quo pluribus agit GREIFFIUS *Tr. de Ther. cœl. pag.* 63. Observandum saltem pro præparatione *Bezoardici solaris* aurum probè à venere, & omni alio metallo minus nobili, depuratum sumendum esse; quia aliàs non esset perfectè diaphoreticū, sed ratione veneris admistæ potius vomitus ciet.

In præparatione Bezoardici solaris compositi etiam adhibetur *sublimatio coralliorum*, quam habet AUTOR *Nota* 2. & quidem sublimantur corallia beneficio salis ammoniaci, & in hac sublimatione adscendunt flores rubicundi, seu subtilia coralliorum ramenta, unà cum sale volatili salis ammoniaci, & relicta corallia ab acido salis ammoniaci corroduntur, adeoque in corpus salsiforme abeunt, quod in cella positum, solvitur in liquorem: quam solutionem quidam inter arcana referunt, & laborant omnes lapides ita dissolvere: sed nihil valet.

Nro 3. *pag.* 413. habet AUTOR *Bezoardicum solare Crollianum* seu *commune*, quæ præparatio est optima. Solvere jubet AUTOR aurum in aqua Regia. Sed observetur, commodiùs solvi aurum in *spiritu nitri Bezoardico* (id est spiritu nitri qui abstrahitur à butyro antimonii) & ita solutionem hanc misceri cum butyro antimonii, addendo ulterius spiritum nitri q. s. & modo supra dicto procedendo; hæc enim solutio solis simul præcipitat butyrum antimonii: tunc in forti destillatione volatilisatur aurum, & prodit in forma rubicunda cum menstruo, remanet pulvis luteus in spiritu vini solvendus, quo deflagrato remanet pulvis purpureus, in parvis catinis terreis candentibus aliquandiu movendus, ut avolent spiritus acidi nitrosi, restante pulvere purpureo. Aurum ad butyrum antimonii debet habere proportionem subquadruplam, ita ut ad butyri antimonii ℥iv. sumatur auri in spiritu nitri Bezoardico solvendi ℥j.

Nro. 4. loco auri corporalis eligit AUTOR Aurum in spiritualem substantiam exaltatum, hoc est, quacunque ratione volatile factum. Optimus modus, qui præsenti negotio inservit, fit cum spiritu nitri Bezoardico, in quo solutum aurum toties cohobetur, donec volatile fiat, & per retortam transeat: Hoc affunditur remanenti pulveri antimoniali, à quo spiritus nitri Bezoardicus fuit destillatus, & tertiâ aut quartâ vice tandem ad omnimodam siccitatem abstrahitur. Pulvis remanens cum spiritu vini ex fecibus parato probè irroretur, & hinc in catinis parvis candentibus leniter calcinetur, donec nempè spiritus combusti sunt.

Usus Bezoardici solaris non cedit lapidi Bezoar Orientali: in febribus pestilentialibus, dysenteria epidemica, epilepsia puerorum, imprimis si eadem oriatur à morbillis & variolis ante eruptionem, egregium est remedium; tollit enim simul epilepsiam, & expellit variolas: quem usum similiter, quando resistendum epilepsiæ, & expellendæ variolæ, præstat cinnabaris antimonii legitimè præparata, quæ cum sit basis specifici cephalici D. MICHAELIS, propter hanc specificum cephalicum commodè propinatur in principio variolarum & morbillorum, in quibus ipsis, uti & febribus petechialibus, & his omnibus cognatis affectibus, nobilis est medicina.

Dosis ℈ß. ad gr. xv.

BEZOARDICA LUNARIA.

Nro. 5. 6. 7. & 8. pag. 413. & 414. ab AUTORE explicata parum valent, ob defectum veræ tincturæ lunæ ac genuina est de his HOFFMANNI *censura pag.* 284. Bezoardica lunaria omnia propter Venerem, à qua fictitia ista lunæ est tinctura suspecta esse, adeoque potius lunam probè depuratam & cupellatam in spiritu nitri solutam butyro antimonii pro parando Bezoardico addendam esse. Namea, quæ non cupellata, sed adhuc participat de venere, uti habet saporem vitriolaceum, ita etiam adhuc obtinet vim vomitoriam.

Hoc Bezoardicum lunare imprimis convenit in morbis malignis, qui caput affligunt, & dolorem ac similia symptomata inducunt; sed necesse est, ut sit ritè præparatum. Ergo, ut simus securi, loco Bezoardici lunaris potest misceri Bezoardico minerali simplici luna cornea, aliudve conveniens lunæ magisterium, *de quo superius*. Aliàs Bezoardicum lunare ritè paratum in lue gallica, gonorrhœa virulenta, in renum & partium genitalium exulcerationibus, non est contemnendum.

BEZOARDICUM VENEREUM.

Nro. 9. Suspectum est, ob vim vomitoriam unde nemini usum ejus suadere possum.

Sequitur

BEZOARDICUM MARTIALE.

Bezoardicum Martiale ab AUTORE *nro.* 10. descriptum non est rejiciendum, & facilè succedit: Nempè butyrum antimonii guttatim instillatur vel croco Martis reverberato, vel limaturæ ejus, & in momento elicit tincturam, quoniam solvit Martem & hinc more consueto procedendum. Sed *concinnior præparatio* est, si bene *candefactis clavis equinis*, ex soleis equi nimirum extractis, in crucibulo superinjicitur ana vel duplum *antimonii pulverisati*, & ita funduntur simul continuò agitando, & sic in scorias ambo abeunt: Harum *scoriarum compositarum* pars j. miscetur cum *Mercurii sublimati* part. ij. & sic destillantur per retortam in *Butyrum antimonii Martiale* rubrum, remanente capite mortuo friabili variegati coloris. *Butyrum* præcipitatur cum *spiritu nitri*, & figitur cum eodem consueto modo, hinc cum *spiritu vini* deflagratur, & fit Diaphoreticum singulare antifebrile & anticachecticum. Postmodum *caput mortuum*, quod remanet post destillationem butyri, elixiviatur cum *aqua communi*, per residentiam depuratur & filtratur, & liquor, qui filtrum transit acidulus, inservit loco acidularum artificialium, & si evaporetur in loco frigido, dat crystallos. Forsan etiam ex spiritu seu oleo Mercurii rubro *infra* ab AUTORE *nro.* 3. *pag.* 415. descripto, utpotè quod nihil de Mercurio, sed saltem de Marte participat, dictâ ratione *Bezoardicum Martiale* parari poterit.

Bezoardicum Martiale est egregium in quibusvis febribus, præsertim intermittentibus, item cum hæmorrhagia aut fluxu quovis cruento symptomatico conjunctis. Commendatur itidem in ictero, cachexia, cura hydropiseos, (quorum aliquot hac ratione fuerunt curati) & similibus morbis chronicis; nec non in fluxibus ventris, imprimis epidemicis, quales sunt dysenteriæ & diarrhœæ epidemicæ malignæ; resistit enim malignitati, & simul compescit fluxus.

Post Bezoardicum Martiale sequitur

BEZOARDICUM JOVIALE.

Bezoardicum Joviale nro. 11. commodè potest præparari ad Autoris præscriptum ex butyro reguli antimonii Jovialis cum Mercurio sublimato, & deinde præcipitando cum spritu nitri. Commodior tamen ac elegantior est ille modus ex solo Jove cum Mercurio sublimato, quem supra de Jove explicavi, & pluribus prostat declaratus in ZWELFFERO *Mant. Spagyr. pag.* 344. sicut etiam Bezoardicum Joviale parari potest ex Scoriis Antimonii & Jove simul mistis, non antea facto regulo ex iis.

Usus Bezoardici Jovialis egregius est in affectibus uterinis, propinatum cum aliis, in specie in febribus malignis, purpura puerperarum alba, & petechialibus. Convenit præterea in epilepsia ab utero & similibus, & in iis, qui sæpius hæmorrhagiâ narium laborant, ex qua metuenda cachexia & hydrops, ad gr. vj. & viij. aliquoties repetendo. In hecticis commodè potest substitui Antihectico Poterii & sudorifero magno Fabri, cum quibus easdem obtinet virtutes. Mulieribus, morbis mamillarum laborantibus, imprimis induratione mamillarum, est egregium, potestque etiam tutò propinari prægnantibus. Mercurium quoque vivum secum rapit, si quis est dispersus per corpus, adeo ut exinde excrementa alvi appareant alba, quoniam Mercurium secum per feces expurgat.

BEZOARDICUM SATURNINUM.
nro. 12.

Nil valet descriptio AUTORIS, quin potius ex butyro saturni *supra de Saturno descripto*, cum spiritu nitri Bezoardicum Saturninum fieri potest: Vel hoc labore fiat processus quibusdam in secretis reservatus.

Solve *Saturni laminati* part. ij.
Huic instilletur
Butyri antimonii absque Mercurio sublimato par. part. j.
Et præcipitabitur mox pulvis albissimus, cui infunditur
Aqua communis, ad eminentiam 4. digitorum:

Optimè agitetur & filtretur quod in filtro remanet, leniter exsiccetur, & habebitur *Saturnus antimoniatus laxativus*, qui servetur.

Leniter purgat, æstuationes corporis temperat, viscerum ardores ac inflammationes, præsertim renum ac lienis, curat.

Dosis est pro ratione ætatis & circumstantiarum à gr. ij. ad viij.

Quod si cum solutione hac & butyro antimonii, more cum Bezoardicis recepto procedatur, habebitur *Bezoardicum Saturninum*.

BEZOARDICUM MERCURIALE.

Bezoardicum Mercuriale nro. 13. est non-ens, & nihil aliud, quàm purum putum *Bezoardicum antimoniale*. Paratur enim de Mercurio vitæ; Mercurius autem vitæ est antimonii soboles; unde nihil peculiare habebit præ Bezoardico Minerali simplici.

Sunt qui parare volunt *Bezoardicum septastrum*, idque ex omnibus septem metallis, uti videre est in POPPIO *Tr. de antimonio*: Sed non opus est tali remedio, sufficiunt namque simplicia.

Sequuntur in AUTORE plures *spiritus*, *olea*, ac *salia Mercurialia*; uno nomine: Magna non-entia: Omnia enim hæc vel nihil de Mercurio participant, & saltem salium sunt variæ mutationes; vel Mercurium larvatum sub salibus diversimodè absconditum, adeoque nunc ad sublimati, nunc ad præcipitati naturam propiùs accedentem, continent. Mercurius per se non dat liquorem, cum salibus autem permistus pro varietate illorum varias induit larvas.

OLEUM MERCURII ALBUM.

Nro. 2. *pag.* 415. Quod RHENANUS *in chymiotechn.* describit non est productum Mercurii genuinum, sed nihil aliud, quàm spiritus quidam salinus.

SPIRITUS seu OLEUM MERCURII RUBRUM.

Nro. 3. Quod HARTMANNUS *in Praxi* describit, est tantum solutio Martis cum Mercurio sublimato, & tamen ab AUTORE vocatur *Oleum rubrum*, & sic porro

OLEUM MERCURII DIAPHORETICUM DULCE.
nro. 4.

Hoc describit KESLERUS, & est tantum resolutio Mercurii sublimati, non verò perfectum Mercurii oleum. Aliàs omnia hæc olea Mercurii in genere conveniunt valdè in ulceribus inveteratis dysepuloticis & cancrosis, & etiam in iis, qui volunt vergere ad gangrænam. Usum internum habent ferè nullum; externus verò aliis tutioribus, aut saltem Mercurio præcipitato communi vel Mercurio dulci, facilè suppleri potest: quanta quanta enim sunt tantum solutiones Mercurii sublimati sunt.

OLEUM MERCURII DIAPHORETICUM FRAGRANS.
nro. 6. *pag.* 416.

Hoc oleum QUERCETANUS præparare docet cum sale ammoniaco fixo: sed hic processus falsus est. Nam impossibile est, ut sal ammoniacum cum calce viva figatur, demonstrante ZWELFFERO *in Animadv. ad Pharm. Reg.* Deinde Mercurius sublimatus non potest figi cum sale ammoniaco hoc modo fixo, licet vel centies sublimetur, uti videri potest in UNZERO *de Mercurio l.* 2. *cap.* 6.

OLEUM MERCURII SACCHARATUM.

Num. 7. habetur *oleum Mercurii saccharatum*. Revera hoc oleum non procedit de Mercurio, sed est tantum oleum à spiritu acido sacchari & salibus corrosivis. Necesse est, ut cautè & lento igne destilletur, ne saccharum ebulliat. Alii alio modo præparant oleum hoc: scilicet

℞. *Mercurii sublimati*,
Sacchari,

Limat. martis ana part. æqu.
Atque destillant mutuo.

Hanc præparationem habet LOCATELLI *in Theatro secretor. pag.* 122. Ratione hujus olei Mercurii saccharati mentio facienda est *Olei Magnetici* seu ANTIDOTI LYSOPYRETI D. COESTERI, & præparatur ita:

℞. *Mercurij dulc. puriss. & cryſtall.*
Sacch. candi albiss. ana ℥iij.

Destillantur per retortam vitream, & oleum exstillans rectificatur, & optimè in vitro servatur:

℞. *Olei rectificati* ℥ß.
adde
Aloës cum aqua endiv. præp. ʒß.
Conf. bryon. ʒij.
M. & usui servetur.

Hoc facto, quotiescunque volueris:

℞. *Conf. bugloss.* ʒj.
cui admisc. *prædictæ mist.* ℈ß. pro prima dosi, pro secunda ℈j. tertia gr. xxv.

Exhibeatur corpore optimè purgato & ab omnibus obstructionibus liberato, ipso die, quo paroxysmus invadere solet, sex horas ante, jejuno stomacho: obambulet, si vires ferant; sin minus, lecto se committat, & tota die à cibis abstineat, uti etiam à potu; & omnino variè operatur, nunc per urinam, nunc per vomitum, nunc per alvum: si lubet poterit patiens propinatâ dosi medicamenti assumere haustum absinthiaci, quo sapor medicamenti ex faucibus eluatur. Medicamentum est non inconveniens, sed quod parum aut nihil participat de Mercurio.

Superest adhuc curiosum negotium, *Mercurii nempè vivi in simplicem elementarem aquam, virtutis tamē plus minus alcahestica, redactio*, quem processum video in AGRICOLÆ *Chirurg. parv. pag.* 146, & ZWELFFERO *in Mant. Spagyr. pag.* 359. ubi prostant figuræ, quomodo instituenda destillatio; adeo ut ZWELFFERVS hanc aquam esse alcahestinam, & solvere metalla dicat; sicut etiam hunc modum videtur insinuasse hinc inde Dn. BOYLE *in Chym. sceptico*, ubi Mercurii in aquam simplicem ex parte redacti mentionem facit. Sed quicquid sit, hujus rei laborem meritò ceu falsum rejicit HOFFMANNVS *pag.* 290. ac ipsa natura Mercurii etiam fortissimis ignibus & quibusvis laboribus immutabilis, sui simplici modo in aquam redactioni reluctari videtur. Potius ergo est impostura, quàm destillata vera, & potest fieri ex aere circumstante.

Reliqua meritò à nobis sico pede relinquuntur.

CAPUT XVII.
DE CINNABARI.

QVid sit *cinnabaris nativa*, est notum ex artificiali. *Duplex* namque est *cinnabaris*, vel *nativa*, vel *factitia*. *Hæc* est vel *communis*, quæ nihil aliud est, quàm novum quoddam compositum ex sulphure & Mercurio vivo; vel *antimonii*, cum sulphure antimonali præparata in destillatione butyri antimonii. Hæc duo, nempè Mercurii pars j. & sulphuris part. ij. trita probè & subacta, beneficio ignis adscendunt in altum, & constituunt novum concretum rubicundissimi coloris, quod vocamus cinnabarim; & licet non habeat constitutiva principia rubra, nihilominus mutuâ connexione & cohæsione, quam imitatur figura & textura particularum, talem recipit vim refringendi radios solares, ut ex nigro colore fiat rubicundus. Connexio ista consistit in eo, quoniam Mercurius se conjungit cum acidis. Nam salia alcalia nihil operantur in Mercurium, sed reducunt potius; id quod similiter verum est de reliquis metallis, quæ alterantur ab acidis, & reducuntur ab alcalibus. Hæc obiter. Quando ergo Mercurius arripitur ab acido sulphuris, fit ut ratione acidi Mercurius adhæreat sulphuri, & invicem conjuncta sublimentur in altum. Observandum hic, sulphur flavum commune convenire cum omnibus metallis rubicundis, in radicem, sicut arsenicum cum albicantibus.

Hæc cinnabaris artificialis, quæ perfectè similis est nativæ, monstrat nobis quid sit nativa? scilicet non secus, ac dictæ artificiales, decompositum minerale est, coalescens ex sulphure minerali & Mercurio vivo in visceribus terræ concretum: simili modo ac sulphur & Mercurius beneficio ignis chymici concrescunt in substantiam istam cinnabarinam, unde etiam facilè ex eadem Mercurius vivus revivificari potest per limaturam Martis aut salia alcalia, quibus sulphur ejus acidum promptiùs quàm Mercurio adhæret, modo, quem docet ZWELFFERVS *Mant. spagyr. pag.* 359. WEDELIVS *Pharm. pag.* 56. & ERCKERVS *Aula subterr. pag.* 301.

Cinnabaris ergo nativa ejusdem naturæ est cum artificiali, & in eo saltem ab hac differt, quod partem saxeam secum vehat, & variat pro varietate minerarum, in quibus concrescit. Reperitur imprimis in Hungaria, ubi copiosissima & præstantissima eruitur. Hujus triplicem ostendit differentiam,

1. *Vulgarem viliorem*,
2. *Rubeam præstantiorem*; ac denique
3. Præstantissimam, sed per quàm raram, quæ scilicet hauritur ex mineris auri Hungarici, ubi sulphur fixius & nobilius est, & de sole participat.

Sunt qui parant cinnabarim colore cœruleo:

℞. *Sulphuris comm.* p. ij.
Mercurij vivi p. iij.
Sal. ammoniaci p. j.

Hæc probè mista sublimant, & acquirunt sublimatum coloris cœrulei, quod tamen præ vulgari nullas habet prærogativas.

De cinnabari quædam non ineleganta habet GREIFFIUS *in Tr. intitulato Theriaca cœlestis*; qui habet cinnabarim factitiam solarem ex amalgamate Mercurii cum auro & sulphure, quam cinnabarim valdè commendat in peste. Cinnabarim parare vult etiam ex calce viva & Mercurio HORSTIVS *in Judic. super Chirurg. Infusor. pag.* 97.

Pro usu medico cinnabaris nativa non semper æquè tuta existit ex eo, quod de sulphure volatile arsenicali summè nocivo subinde plus minus participet; unde priùs depuranda venit.

Depuratur autem, si mineta cinnabaris fuerit selectior aut purior, saltem vel coctione secundùm HOFFMANNVM *Clav. lib.* 3. *cap.* 16. *pag.* 291. coquendo cinnabarim optimè pulverisatam cum aqua in tigillo vitreato, ut fumus metallicus (dicitur Germ. *der Schwaden*,) qui cavendus, separetur: coctio hæc sæpius repetenda, & deinde subtilissima pars supernatans separanda accuratissimè à scoriis reliquis. Hæc inditur in vas argenteum, vel argento obductum, affunditur sæpius spiritus vini, & accenditur. Vel depuratur cinnabaris lotione secundùm WEDELIVM *Pharm. pag.* 8. LUDOVICI *in M. A. N. C. Anno* 9. & 10. *Obs.* 15. *pag.* 340. & BOYLE *de specif. pag.* 160. Si verò impurior fuerit minera, sublimationis crebrioris beneficio cinnabaris exinde eruenda est, sub sublimatione prima sublimatum nigricans fere adscendit, quod repetitis sublimationibus in elegantem cinnabarim abit.

Depurata talis cinnabaris dubitandi ansam præbet, an vilior sit cinnabari antimoniali? ac sanè non tanta mihi videtur subesse differentia, quin una alteri commodè substitui possit, imo cinnabaris nativa purior etiam antimoniali interdum præfertur. Sanè in genere cinnabaris hæc nativa, non secus ac antimonialis, est anodyna, & diaphoretica in febribus malignis, petechialibus, morbo Ungarico, in variolis & morbillis cum epilepsia conjunctis, egregia, & in adultis speciatim laudatur, & propterea fuit specificum antipestilentiale Poterii. Nervina etiam est insigniter, indeque affectibus convulsivis, ac ipsi quoque epilepsiæ, sive infantibus sive adultis propinata, specialiter dicata; unde propter vim suam antiepilepticam ulterius in contracturis atque doloribus articulorum, aliisque affectibus nervorum dolorosis, spasmodicis, scorbuticis, multum confert, adeoque rectè à CRATONE *Magnes epilepsiæ* dicitur; quod certè multo magis de cinnabari antimonii dicatur. Hinc sociatur commodissimè aliis vel præcipitantibus seu absorbentibus, unicornu marino, ebori sine igne, corallis, Martialibus, vel diaphoreticis antimonialibus, ut antimonio diaphoretico, Bezoardico minerali, aut solari, & salibus volatilibus; utrenim hæc colorem in cinnabari magis exaltant, sic & vires ejus nervinas magis roborant, ac appropriatas reddunt: seu propinetur cum anodynis, ut laudano opiato &c., qui usus cinnabaris locupletissimus explicatus est uberiùs passim à LUDOVICI *in sua Pharm.* speciatim *pag.* 351. Convenit etiam insigniter in lue Venerea, scabie ferina, uti etiam arthritide, ubi sulphur antimonii, in specie cinnabaris, semper remediis appropriatis, in specie sudoriferis, admiscenda sunt. Præterea etiam in sanguinis purificatione valet. Vis analeptica ob sulphur solare illi quoque adscribitur, cujus intuitu in omnibus morbis desperatis adhibetur.

Externè Cinnabaris nativa selectior appensa amuleti instar, in morbis malignis, scabie ferina, &c. laudatur, quod credo: epilepsias infantum præservat, quin quod & eadem carpis manuum applicata conducat, quod refert HOFFMANNUS *Clave pag.* 294.

Cum itaque tam egregium remedium sit cinnabaris nativa, non opus erit pluribus præparationibus reformare naturæ institutum, ne dicam infringere; quin, quomodo à natura datur, convenientissimè usurpetur. *Bezoardicum solare cinnabarinum*, de quo supra, suam meretur laudem, sub nomine Panaceæ solaris à GNOFFELIO *olim* parato, de quo videbitis M. A. N. C. *Anno* 6. *append. pag.* 88.

Quidam figunt Cinnabarim beneficio spiritus nitri vel butyri antimonii, quod remedium summum dicunt diaphoreticum in morbis malignis, nulli alii remedio comparandum.

Tinctura cinnabaris etiam à quibusdam paratur:

℞. *Min. Cinnab. Vngar. pulv.* q. v.

Affundatur *spiritus terebinth.* Stent in leni calore & extrahet sulphur, quod supernatabit. Hoc effundatur, affundatur *spiritus vini* ad extrahendum, & tinctura abstrahatur ad oleositatem.

Dosis guttæ ix. vel x. in variis morbis, in specie in phthisi. Forsan hic est ille labor, quem insinuat BECHERVS *suppl.* 2. *pag.* 79.

AUTOR suggerit ex hac cinnabari *Præcipitatũ diaphoreticum Hartmanni*. Sed bonum concretum nativũ laborioso hoc artificio detenioræ

rioratur, nec majores virtutes obtinet, quàm cinnabaris nativa selecta, & alio etiam nomine *Astrum Mercurii* vocatur, de quo HOFFMANNUS *Clav. pag.* 287. & 294.

Dubium interim est: unde concretum hoc compositum, nempè Cinnabaris nativa, vires adeo polychrestas possideat? Sed licet ventriculi digestioni minimè pareat, neque in corporis nostri œconomia recipi possit, tamen assumpta, quamdiu hæret in stomacho, archeum seu spiritum alterando variè mirèque afficit, & sulphuri antimoniali vim singularem diaphoreticam acceptam refert, argentū autem vivū compedibus sulphureis liberatum, illustres illas dotes obtinet, quibus contagiosis epidemicisque morbis, ipsi pesti etiam, exteriùs appensum singulari virtute resistit. Ab utroque, sulphure nimirum antimonii & Mercurio, vim anodynam & specificam veneni epileptici domatricem possidet. Taceo quoque, quod horum singula in morbo Gallico, scabieque maligna conferant, quæ ab iis junctis longè uberiùs expectanda.

CAPUT XVIII.
DE
ANTIMONIO.

Antimonium est simplex, quo non datur aliud par in tota Medicina: siquidem ex illo tot parantur medicamenta, qualia ex nullo alio simplici possunt haberi: & ratione formarum variarum varias habet virtutes, nunc purgat, nunc vomitum movet, nunc sudorem movet, adeò ut solo Antimonio Pharmacopœia possit repleri, & post Mercurium non habetur simile Antimonio. Concretum est metallicum maximè sulphureum, ipsis metallis cognatum, sed propter improportionatam mistionem sulphuris non potuit abire in perfectum metallum, unde rectè dicitur esse *semimetallum*.

In specie antimonium maximè affine est ipsi saturno, unde chymici sublimiores regulum antimonii in perfectum saturnum redigere conantur, addendo sufficientem quantitatem salis: vid. ROGERIVS *Baeo in Antimonio*. Igitur in antimonio metallum residet imperfectum, quod vel *Virgineum* est, vel *factitium ex mineris*.

Est autem in antimonio *duplex* ejus considerandā *substantia*: nempè

1. *Superabundans sulphur*; &
2. Contradistinctus *Regulus antimonii*, in recessu saturninus.

Regulus enim, seu substantia Mercurialis, propriè est id, cujus ratione ad metallica, & speciatim saturninam naturam propiùs accedit: propterea & JUNGIUS *in Doxosc. pag.* 170. regulum propriè antimonium esse, reliquum vero corpus antimonii venam, asserit. Sulphur vero propriè ad antimonii concretum nil facit, sed est tantum quasi cortex antimonii, simile ferè est sulphuri communi in omnibus qualitatibus & proprietatibus, odore, sapore, inflammabilitate &c., nisi quod istud, scilicet sulphur antimonii, non nihil sit viridiusculum. Sulphur istud arte separatur per salia alcalisata, vel menstrua oleosa; sed male; nam planè exinde rubescit, & fit aliud planè concretum. Ergo potius sulphur sequenti modo separandum.

Solvuntur scilicet *frustula majuscula antimonii* in *aqua forti* vel *spiritu vitrioli*; sic spiritus rodit regulum, ac sulphur viride supernatat; quod idem est cum sulphure communi, colore & sapore: Conf. TACHENIVS *in Hippocr. Chym. pag.* 182. BOYLE *in Chym. scept.* WILLISIVS *Pharm. Rat. P.* 1 *pag.* 64. item *de Ferm. pag.* 74. SALA *in suis scriptis pag.* 319. MAYOW *de nitro pag.* 236. Constat hic regulus Mercurio metallico, sulphure sui generis paulò fixiore coagulato, respectu cujus *sulphur* illud superius minerale ipsi adhærens, *externum* dici potest. Duplex enim sulphur in antimonio reperitur; crudum unum, alterum verò in terra magis excoctum. Substantia hæc metallica ad Saturni naturam proximè accedit, omnibus testantibus Philosophis; unde & *Saturnus Philosophorum Regulus* hic quibusdam dici solet, indeque *antimonium* rectè *naturæ hermaphroditicæ* esse, dicitur POPPIO *Tr. de antimonio*, quatenus in se copiosum sulphur minerale & Mercurium metallicum contineat. Et certè corpus ejus est semiplumbeum, adeo est ipsi vicinum.

Sulphur illud *externum*, quod informat Mercurium in regulo, naturæ fixioris paulò & purioris est, indeque ad solis naturam proximè accedere dicitur: & hoc est, quod sub tincturis antimonialibus, tanto labore, licet ut plurimum frustraneo, elicere satagunt chymiatri; sicuti non pauci per antimonium ex metallis imperfectis perfectum extrahere volunt, uti videri potest in *scriptis* GLAUBERI.

De *sale* manifesta in antimonio non deprehenduntur vestigia, utut in regulo, tanquam concreto metallico, subjectum terreum, in quo substantia Mercurialis & sulphurea invicem coagulata sunt, adeoque, quod sal aliàs dicitur, deesse nequeat; & istius substantiæ Mercurialis ratione per acida solvi & tractari solet antimonium.

Distincta sunt hæc duo in radice: *regulus antimonii*, & ipsi adhærens *copiosum sulphur* minerale externum. Quatenus tamen utraque sub naturali sui concretione invicem, utut non adeo intimè, coaluerunt, fit, ut etiam tam exactè separari à se ipsis non semper queant; quin & alcalia, dum agunt in sulphura, etiam simul regulum illorum medio solvunt; sicut acida, dum in regulum agunt, etiam sulphura simul alterant. Hinc & ex sulphuribus antimonii, v.g. sulphure aurato, etiam antimonium reducibile est; non secus ac alcalia sub fusionis igne, dum antimonii sulphur absorbeant, si diutiùs stent in fluxu, etiam regulum simul sulphuris beneficio abripiunt: è contra tinctura ista TACHENII *cap.* 23. Hippocratis chymici, si diutiùs in solutione relinquatur, etiam præter regulum hujus medio sulphur simul adoritur. Quomodo aliàs tria ista chymica principia, sulphur, Mercurius & sal, seorsim ex antimonio præparari possint, vid. ERCKERUS *aula subterran. pag.* 300.

Aliàs inter tot Autores, qui de antimonio scripserunt, præstantissimus est BASILIUS VALENTINUS *in Curru Triumph. antimonii*, præsertim *cum notis Kerchringii*, item ALEXANDER SUCHTHENIUS in *Mysteriis Antimonii cum Comment. Tholdi*, & PETRUS JOHANNES FABER, qui tamen quædam habet, quæ minus quadrant.

Synonyma antimonii ab autore recensita sunt plura. *Lupus* speciatim dicitur, quia scilicet instar lupi omnia metalla sulphure suo copioso acido, cum proprio corpore non saturato, imbibit & absorbet, præter aurum, quod solum purius in cupella relinquit; & sic rapacius est saturno, ex eo, quoniam saturnus absorbet ignobiliora metalla, excepto tantum sole & luna. Dicitur etiam *Protheus*, quia omnes colores assumiti id quod patet ex floribus sive per se, sive cum sale ammoniaco sublimentur flores albi, rubri, flavi, & qui sunt alii. *Saturnus Philosophorum* vocatur *abusivè*: nam *verus Saturnus Philosophorum* est *materia mysterii Philosophici* seu *lapidis*: Cæterum antimonium non sufficiens est, ut sit materia lapidis Philosophici, propter cruditatem & deficientem fixitatem.

Delectus fit, ut non præcisè Ungaricum & Transylvanum recipiatur, sed & quod alibi in mineris auriferis reperitur. Habeatur tamen & ratio, ut eligatur antimonium purum, & quod non sit saturno inquinatum, quod strias habet elegantes, & longiores, splendentes, & quidem coloris argentei, quibus intermixta sunt puncta rutilantia, quæ notant abundantiam sulphuris solaris; sicuti striæ argenteæ abundantem Mercurium & abundantiam reguli: Conferatur WILLISIUS *in Pharm. Rat. P.* 1. *Sect.* 2. *cap.* 2. *pag.* 38. Istud antimonium est reiiciendum, cujus subfuscis striis intertexta sunt puncta nigra, quoniam parum habet sulphuris, & nullum subministrat regulum. Elegans quoque est *purum putum antimonium, quomodo sua sponte crescit in Minera*, quale vobis jam ostensum fuit.

Quoad *Usum*, *subjectum mirabilitatis* rectè dicitur *antimonium*, utpotè ex quo solo, ceu dixi, integrum Pharmacopolium potest repleri, ita ut quicquid intendit Medicus vel Chirurgus, deprehendere queamus in Antimonio. In genere tamen rectè dicitur, quod antimonium idem præstet in corpore, quod in metallis, nempè in sole, eundem purificando. Nam sicuti dixi, quod sol valdè immundus, suâ tincturâ spoliatus, fusus cum Antimonio denuò purificetur; item quod aliis metallis conspurcatus & adulteratus, ab illis denuò in fusione cum antimonio liberetur; ita etiam homo impurus & sordibus digestionum inquinatus, optimè purificatur ab antimonio, omnesque ejusdem sordes absterguntur, uti hoc eleganter declarat BASILIUS VALENTINUS in Curru Triumphali & SUCHTHENIUS *de antimonio*.

Plura qui cupit, vid. THOLDIUM *in Comment. ad Suchtenium*, STENGELII *Aspergin. in Antimonium*, quibus TOXITES *Spong. Stibii* opposuit, & quamplurimos alios Autores, item POPPIUM *de Antimonio*: adeò ut in genere nihil dicam de ejus virtutibus, sed in specie in singulis medicamentis easdem recensebo, quia eædem pro varietate præparationis variant. Interim crudum, mixtione naturali & coalescentiâ integrâ manente, in forma pulveris potest assumi, infundi, aut decoqui sine ullo nocumento, quia nullam operationem nec vomitu nec secessu exserit in homine, utut crudi ejus aliquot grana contra epilepsiam à quibusdam adhiberi soleant: Conf. LUDOVICI *Pharm. pag.* 203. item WEDELIUS *Opiolog. pag.* 94. Exactissimè tamen cum stimulo salino in pollinem super porphyritidem redactum, emeticum omnino est. Relatum enim mihi fuit, quendam Medicum recepisse *antimonii crudi* & *nitri* ana part. æqual. quæ duo super porphyritidem blandè humectando, & exactè terendo in pulverem subtilissimum redegerit sub nomine *Pulveris catholici*, qui sub granis aliquot supra & infrà egregiè purgasset. Sed non tutum est hoc Emeticum.

Pertinet huc antimonium cum sale communi præparatum, quod debile est purgans, nisi in dosi majori præparetur:

♃. *Salis communis*,
Antimonii ana part. æqual.

Mixta fundantur in crucibulo diu satis, dein in conum fusorium effundantur; sic regulus inferiùs, secedit superiùs sub forma scoriarum sal commune fusum substantiâ sulphureâ antimoniali plus minus impregnatum residet. Pulvis scoriarum harum à ʒß. ad ʒj. propinatur, sed in vehiculo calido; vix enim sine nausea adsumitur.

Brutis è contra antimonium crudum optimè convenit: sanè porcis propinatum non tantum pingues & crassos eos reddit, sed & sanat; quod de equo aliisque animalibus aliquoties observatum fuit: vid

Act. Societ. Reg. Vol. 1. *pag.* 647. item BASILIUS VALENTINUS *de antimonio pag.* 187. item *Ephem. Gallic. Eruditor. Anno* 1668. Interim à quibusdam antimonium crudum, uti etiam Mercurius vivus, Decoctis lignorum sudoriferis contra luem Veneream non absque effectu simul misceri & incoqui solet; quale Decoctum in lue Venerea ex radice sarsæ parillæ & antimonij pulverisati, sed nodulo inclusi an. ℔ß. BORELLUS, uti etiam ZWELFFERUS, habent. Quod si verò ignem expertum fuerit antimonium, & particulæ ejus liberiores factæ, & quasi magis extraversæ, præsertim simul alcali um salium adjumento reseratum, tunc exserere vim suam & malitiam turbantem manifestare, & pro varietate præparationum vel vomitivum, vel catharticum, vel sudoriferum, fieri solet. Sic enim simpliciter per ignem nudum sublimati flores adhuc in antimonium reducibiles, satis violenti sunt; non secus ac vel per nitri detonationem, vel cum ejus alcali in aqua soluti ebullitionem reseratur antimonium; ut fiat Crocus admodum vehemens. Imò ipse vapor seu fumus antimonii, halitu haustus, vomitus excitare corpusque purgare assolet: vid. M. A. N. C. *Anno* 3. *Obs.* 131. *pag.* 241. Nempè acidum, partes nerveas insigniter vellicans, in concreto antimonii latitat, à quo istæ primarum viarum turbationes, & pro quo temperando operatores cum antimonio panem butyro largiter illitum edere solent. Vis hæc antimonii cathartico-emetica non præcisè in ejus sulphure, nec in substantia Mercuriali seu regulina consistit; sed utrisque simul combinatis; hinc enim talem texturam constituunt, quæ acrimoniâ suâ, linguæ licet insensibili, sub mole etiam minima stomachum tamen sufficienter vellicare, & hinc in spasmos ac vomitus ciere potest. Probatur ex eo:

1. Quod cinnabaris antimonii, & ex ea separatum sulphur illud TACHENII, ritè parata nihil participent de regulo antimonii, & pura sulphura sint; unde vi laxativâ penitus spoliata: è contra de iis observatum fuit egregiè nimias hæmorrhagias uteri sistere dosi ℈j. sicut & substantia Mercurialis in antimonio diaphoretico ex regulo parata, vel in Bezoardico minerali, quatenus fixata est, item in Mercurio vitæ benè effumato, insons observatur; quæ propriè fundatæ sunt in ejusdem sulphure fixiori naturæ solaris, in regulo saltē aut exinde parato vitro reperibili; unde vis est analeptica & sudorifera, depurativa, & confortativa.
2. Mercurius vitæ purè regulinus est, seu regulus in spiritu salis concentrato solutus. Participat tamen aliquantulum de sulphure, & potens est emeticum.
3. Vitrum antimonii spoliatum est per calcinationem maximam parte sulphure externo, & ferè simpliciter ex regulo constat cum sulphure interno, potissimum tamen est emeticum. Hinc
4. Acida nitrata figendo texturam antimonialem invertunt, ut vi emeticâ inversâ diaphoretica fiant. Jam verò nitrata in sulphur non agunt, sed simpliciter in regulum ejus, quem rodunt, alterant, & hujus medio sulphur plus minus simul invertunt.

Antimonium etiam est odoriferum, uti testatur D. MICHAELIS ex relatione D. FINCKII. Nam hic FINCKIUS, qui scripsit *Enchiridium Dogmatico-Hermeticum*, præparavit flores antimonii elegantes moschum spirantes, exhibuitque in Mania felici cum successu; quoniam sunt vomitivi.

Ad præparationes antimoniales dubium est: an specialis astrorum influxus, & tempus constellationis subinde sit observandum. Affirmat KERCKRINGIUS *de Antimonio pag.* 241. & PANTHALEON *in Tumulo Hermet. pag.* 24. medicamenta ex antimonio, ut sunt regulus, antimonium diaphoreticum, vitrum & similia, optimo cum successu parari sole & luna existente in aquario & piscibus. Id quod non esse falsum, probant ex eo quod vitrum antimonii si fundatur tempore sereno, aere placido absque pluvia ventis & turbulentia, oriatur perspicuum & pellucidum: si obscuro tempore, flatulento, &c. simile vitrum vel centies fundatur, semper esse obscurum & opacum. Ulterius si fundatur regulus tempore sereno, habere in superficie plana figuram stellæ; sin verò temppre opaco, obscuro aut nebuloso fundatur regulus, ne vestigium quidem illius stellæ apparere: In sublimatione & rectificatione cinnabaris antimonii, si tempus sit serenum, & vitrum sit clarum & perspicuum, cinnabarim elegantissimi acquiri coloris; cæterum si tempus sit obscurum, cinnabarim esse obscurioris coloris: Negant è contra WEDELIUS *in Pharm. pag.* 171. HOFFMANNUS *Clave pag.* 295. BOYLE *in Tentam. pag.* 70. Nihil hîc decidere volo: res facti est, per experientiam illustranda. Interim Universaliores hæ causæ ad specialissimos hos effectus minus strictè alligandæ videntur.

Inter Præparata antimonii primum locum habet Calcinatio, quando nempè Antimonium calcinatur pro fundendo vitro.

VITRUM ANTIMONII.

Vitrum antimonii fit per sulphuris mineralis abundantis exhalationem, & hinc per reguli seu Mercurialis substantiæ cum reliquo sulphure restitante mutuam colliquationem, ac ita mutuâ unione in corpus vitriforme coalitionem. Probat hoc non saltem mutua vitri in regulum, & denuò hujus in vitrum mutatio, quam docet KUNCKELIUS *Obs. P.* 2. *pag.* 31. sed & vitri antimonialis reductio in regulum, quod fit: si

♃. *Antimonij* q. pl.

Addatur illi in crucibulo pars *olei olivarum*, crucibulo probè clauso imponuntur anemio, ut fundantur; sic enim deprehenditur postmodum regulus antimonii, qui novâ calcinatione denuò in vitrum redigi potest.

Modus autem calcinationis est hic:

In Patellam latam sternitur antimonii selecti striati pulvis grossus, & immittitur igni carbonum, donec incipiat effumare antimonium, ut sulphur minerale sub hac calcinatione exhalando separetur. Ubi tamen observandum, ne antimonium fluat in igne, hinc semper bacillo ferreo agitetur: hoc si non fiat, concrescit in globulos, Germ. *es fliefet zusammen*; sin verò agitetur, in pulverem gryseum calcinatur: dehinc antimonio semel calcinato semper nova injiciatur antimonii portio etiam calcinandi, quæ encheirisis imprimis pro vitro parando conducit: Calcinatio aliquoties hoc modo cum additione novi antimonii pulverisati reiteretur; sic enim unum alterum impedit, ne possit liquescere, quin calcinatum non liquescit propter præsentiam antimonii crudi & hoc sine fusionis metu facilè calcinabitur, adeo ut non opus sit ulteriori agitatione, nec metuenda concretio in globulos: copiosius interim exhalat fumus, qui in florum albicantium forma potest coerceri, si summitatibus furni applicantur alembici terrei; tunc enim in istis colliguntur, & hi sunt flores antimonii sulphurei, & nihil aliud, nisi antimonii sulphur acidum resolutum, ex se corrosivum & sordibus arsenicalibus inquinatum: Unde in hac, & omnibus aliis antimonii calcinationibus, laboratores evitent fumum, & se præmuniant beneficio rerum pinguium, quæ obtundunt acrimoniam sulphuris arsenicalis: quod si enim fumus hic inspiretur, periculum, est ne fiat phthisis, aridura & exulceratio pulmonum, ex ejus corrosione. Unde in præservatione primatum obtinet butyrum, quod temperat acrimoniam fumi sulphurei, & oblinendo impedit corrosivitatem; ideo panis butyro illitus assumendus, quando instituitur antimonii calcinatio. Id quod non tantum de antimonio & Mercurio, sed de omnibus metallis, spiritus corrosivos exspirantibus, observandum est.

Et quidem calcinatio antimonii pro parando vitro [illegible] continuanda est, donec ferro ignito impositum, nullum amplius volatilitatis signum edat, neque martis inficiendo, neque fumum vel odorem de se spirando, vel si ardentibus carbonibus impositum, nullum amplius fumum de se emittat, quod signum est perfectæ calcitionis. Quod remanet, est calx antimonii, id est sulphur internum antimonii.

Calx hæc antimonii postmodum in crucibulo forti igne funditur, donec tota pura appareat. Proba hujus vitri est, si bacillum ferreum in massam fluidam immittatur, illudque, quod ipsi adhæret, sit perspicuum ac clarum, tunc vitrum est optimum; si non, ulterius continuetur fusio. Post calcinationem crucibulum eximatur, hincque super porphyritem aut in patellam effundatur, & ita concrescit in loco frigido in perfectum vitrum hyacinthinum. Sub hac fusione observandum, ut sub ista aliquantulum sulphuris communis desuper injiciatur loco antimonii crudi, uti AUTOR vult; hoc enim sulphur deflagrando simul antimonii sulphur minerale combustibile absumit. Quidam sub antimonii fusione tegunt crucibulum cum orbe radicis bryoniæ, magnitudinis thaleri, vel quantæ est crucibulum, & radicem omne venenum antimonii ad se attrahere, & si radix nigrum colorem acquirat, desistunt; quod arcanum dicitur PARACELSI. Cæteras encheirises optimè videbitis notatas in ZWELFFERI *Animadv. pag.* 459. item ERCKERO *pag.* 298.

Pluribus modis parantur vitra; optimum tamen ex his pro usu quidem pharmacevtico, & inde paranda tinctura, est vitrum antimonii hyacinthinum. Ratio est, quod contineat sulphur fixius antimonii, non tamen solum, sed adhuc aliquid de sulphure volatili adhæret. Pro usu autem Medico emetico-cathartico vitium succineum ex Mercurio vitæ, aut saltem vitrum regulinum ab AUTORE *nro.* 8. descriptum. Notabile est, quod ex capite mortuo butyri antimonii vitrum antimonii album, non emeticum, præparari asserat WILLISIUS *Pharm. P.* 1. *pag.* 62. Paratur etiam per addita vitrum antimonii, speciatim cum borrace, pro cujus additi quantitate, & præparationis modo nunc album, nunc rubicundum, nunc viride obtinetur vitrum antimonii: Conf. AUTOR *nro.* 5. *p.* 423. KERCKRINGIUS *de antimonio pag.* 145. & 169. Sunt qui sal antimonii ex vitro sibi promittunt, delusi communi vitro: nam in illius analysi, præter sulphur deflagrans, & regulum, in antimonii vitro nihil deprehenditur: à sulphure rubedo est, & ferè vomitoria vis; reguli verò particulæ metallicæ colliquatione simul exhalatæ vitrum formant. Hinc enim ut eò procedat meliùs vitrificatio, sunt qui borracem ex alcalium nempè genere addunt.

Quod attinet *usum vitri antimonii*: in se ipso est virulentum remedium, non absque insigni violentia supra & infra purgans, ut ut de

de cætero accommodatissimum sit præparatum pro tinctura sulphuris fixi antimonialis elicienda. Unde in medicina non nisi pro generoso purgante, supra & infra laxante, adhiberi solet; adeoque in substantia non concedendum est, sed saltem infusum ejus in vino Rhenano ab ℥ß. ad ℥j. robustioribus personis vehementis emetici cathartici loco datur. In quem finem parantur *Pocula vomitoria* ejus medio, qualis est *Calix Vomitorius Rulandi*, cujus præparatio hæc fuit: Formando poculum ex *stipite ligni juniperini* vel alius ad capacitatem sufficientem, v. g. ℥j quod intus picatur cum *liquida pice*, cui liquefactæ tenuissimi pulveris vitri antimonii ʒß. vel plus immixtum sit, in poculum Medicum prius calefactum infundendo, & per totam capacitatem interiorem vasculi æqualiter distribuendo, ut mistura antimonii nullibi appareat. In hoc poculum infunde vinum, vel merum vel aquâ mistum, aut alios liquores, qui ex antimonii vitro eliciant vim purgantem, linquendo per noctem, si frigidè, vel saltim per quadrantem horæ, si liquor semel ebullitus in calicem infusus fuerit; sic in infinitos usus calix ille sufficiet, nec nisi post longas digestiones deficiet, novâ tamen picatione virtutem recuperabit.

Nro. 3. Vinum, vinosaque quæcunque, item hydromel & aquas destillatas spirituosas facilè imbibere vim medicatam poculi &c. quò verò minus spirituosa, ut aquam simplicem, cerevisiam, aliasque aquas communiter destillatas, aut vino mistas, semper ferventes esse adhibendas, & deinde pro ratione temporis & morbi, in infusione relinquendas.

Similem ferè præparationem etiam habet GLAUBERUS *in scriptis*.

Præterea ex ipso antimonii vitro potest fieri simpliciter Vitrum seu Poculum vomitorium, ad imitationem ERCKERI *pag.* 299 Fieri quoque possunt ex vitro *globuli*, qui perpetuis pro suppositoriis inserviunt. Nam quidam conficiunt ex vitro vel regulo parvum globulum perforatum, eumque filo alligant, & altè in rectum intestinum pro glande immittunt; sic enim proritatur alvus, & globulus abstersus vel pro mille vicibus sufficiet: Dicitur fuisse secretum Castrense CNOEFFELII: Vel integros globulos ex regulo aut vitro deglutiendos præscribunt, & asserunt horum potentiorem esse usum, quàm pulverum, & tantum alterare formaliter & spiritualiter. Alii faciunt gemmam ex vitro antimonii, eamque solido ex auro annulo ita includunt, ut ab utraque parte emineat; vel plures gemmas per circulum auro insigunt; vel etiam ex vitro purgantem annulum vel aliam massam conficiunt. Hæc quando usurpari debent, per noctem vino vel aquæ immittantur, & manè liquor potandus exhibeatur. Pro usu talium annulorum vitrum antimonii debet fundi cum borrace in formam ex creta.

Quando AUTOR *pag* 423. dicit: quod quoque resistat venenis in peste, observetur de usu vomitoriorum in peste & aliorum malignorum cum exanthematibus in genere, quod imprimis antimonialia sub initium statim, & ante eruptionem bubonum seu carbunculorum, debeant administrari; sic enim exhausto maturè veneno per vomitum ex primis viis, bubones aut tumores vix erumpunt; atque ita æger protinus affectu liberatur: Si vero jam efflorescant carbunculi & bubones, periculum est, ne per vomitorium retrahatur venenum, & æger in discrimen vitæ reducatur. Si nihilominus opus sit in peste vomitu eruptis jam bubonibus & carbunculis, his tumoribus emplastra applicantur fortiter attractiva, ut *Emplastrum magneticum arsenicale Angeli Salæ* (quod non esse ex magnete supra sub magnete demonstravi) & ita applicato hoc emplastro tutiùs potest propinari vomitorium.

Sed antimonialia vomitiva & cathartica sunt violenta: unde recte certo modo dicit HELMONTIUS, quod *Mercurius & antimonium quamdiu movent vomitus, non sint boni viri remedia*. Hinc de usu purgantium antimoniatorum benè observanda sunt ea, quæ habet RAICUS *de podagra pag* 46. dum inquit: *Cautiones hæ etiam atque etiam observandæ sunt; nempè ut ventriculus sit vegetus, robur solidum, nullum principale viscus læsum, neque venæsecta, aut paulo post secanda sit, quas præterea circumstantias jubet observare* HIPPOCRATES *in veratro, Sect.* 4. *Aphor.* 13. *seqq. Tandem ne propinentur illa antimonialia purgantia statim post usum spiritus vitrioli aut aciditates sulphuris. Hi quippe spiritus (præsertim acida mineralia) omnium purgantium vim inbibent ita, ut purgantium antimoniatorum postridie haustorum vim inde imminutam evidentissimè senserim. De vitro antimonii hoc moneo*, pergit idem, *quod non sit vera medicina: in vitrificatione namque antimonium terreum minerale magis commisceatur, forma metallica verò, quæ non debuit separari, sed à centro ad superficiem educi, in fumum abit. Relinquitur ergo in vitro antimonii τὸ minerale venenatum, postquam forma metallica, in qua inhæret ignis vivus purgans, exspiravit. Rejicienda ergo est horum opinio, qui vitrum antimonii tam audacter exhibent, utut latibulum possint quærere in scyphis ex vitro à* RULANDO & QVERCETANO *fusis*.

Prostant præterea etiam vitra composita cum aliis metallis, uti AUTOR habet *nro.* 9. item *nro.* 10. *pag.* 424.

VITRUM ANTIMONII SOLARE, *idque* TRANSPARENS.

Sed secundùm modum AUTORIS non est sol transparens, sed tantum vitrum antimonii, partes verò solis opacitatem potius inducunt. Unde concinnior magisque accuratus est HOFFMANNI *Processus*, quem videbitis *pag.* 198.

AUTOR etiam facit mentionem *Antimonii cum fructibus caluariæ calcinati*, ut loquitur POPPIUS, id est, cum cornu cervi. Valdè commendatur à quam plurimis, in specie à BARTHOLETO *in Dyspn. l.* 5. *cap.* 4 Egregium esse dicitur sudoriferum; unde præterea quoque in dysenteria epidemica & similibus morbis hocce vitrum antimonii cum cornu cervi usto & præparato, feliciter usurpatur. Cæterum loco cornu cervi usti potius antimonium simpliciter cum rasura cornu cervi miscetur, & ita ad summam albedinem calcinentur, & antimonium sic præparatum idem ferè valere dicunt, quàm antimonium fixum cum nitro sæpius detonatum. Sed necesse est, ut diu atque exacta fiat ista calcinatio, ne vis emetica redeat.

Sequuntur *Correctiones vitri antimonii*: propter nimiam enim virulentiam vix præterquam correctum adhibetur vitrum antimonii, ut mitiùs per superiora, & si possibile, saltem per inferiora, purget in morbis chronicis firmiùs radicatis, in specie melancholicis, ubi purgantia antimonialia primatum obtinent. Est autem unum ex difficilioribus præparatis remedium antimoniale per inferiora purgans. Non potest hoc fieri, nisi aliquali substantiæ antimonialis fixatione: Sed in tali inchoata fixatione & correctione, qua & acrimonia nimia ex illius textura, hinc & volatilitas excessiva admodum penetrans corrigitur, vix tam exactè punctum illud medium potest obtineri, quin in defectu adhuc vomitivum, in excessu verò correctionis diaphoreticum evadat. Accedit & hoc, quod rigidiores particulæ antimoniales medicamentosæ vix tam tractabiles sint in ægrorum stomacho, ac sunt vegetabilium; hinc vix sine insigniori irritationis molestia operationem absolvunt, adeoque vix absque vomitu. Ratio, quare desideretur tanto studio antimonium per inferiora purgans, est, quod non tantâ virulentiâ colliquativâ operetur ac vegetabilia, sed saltem acrimoniâ vellicante. Deinde accedit & hoc, quod sulphure suo singulariter temperante corrigat simul sordes vitiosas evacuandas.

Quoad *Correctionem* ergo vitri antimonii; hæc optimè fit per salia, sive alcalia sive acida Inter alcalia primatum tenet oleum tartari: inter acida acetum destillatum, spiritus salis, &c. quò & nitrum pertinet. Ubi tamen observandum: quod, si à nitro nimis figatur, Diaphoreticum perfectum evadat, uti apparet in antimonio diaphoretico, in Bezoardico-minerali, in sudorifero magno Fabri: si autem non sufficienter nitro saturatum figitur, manet vomitorium horrendum. Medium ergo tenendum est; sed hoc opus hic labor. Plures correctiones ab AUTORE sunt recensitæ, quas inter Nro. 1. se offert cum aceto destillato, sed manca est. Concinna admodum ex eodem fundamento est sequens *vitri antimonii Correctio:*

♃. *Vitr. antimonij pulverisatum.*

Affundatur *acetum destillatum*, donec eleganter rubescat: Hæc tinctura ad remanentiam pulveris abstrahitur in balneo Mariæ: pulveri affundatur *spiritus vini*, & post diuturnam trituram aut agitationem accendatur, & desuper deflagretur, & habetur *Pulvis per inferiora* tantum & quidem efficacissimè *purgans*.

Dosis sunt gr. ij. iij. vel iv.

Præ cæteris mentionem meretur *Correctio secunda* cum spiritu salis. Acida enim, qualia sunt *acetum destillatum*, & imprimis *spiritus salis*, uti purgantium in genere, ita in specie antimonii vim catharticam sopiunt & imminuunt. Modus est hic:

♃. *Vitri antimonij pelluc.* ℥ij.
Spiritus salis ℥viij.

Stent in infuso in retorta vitrea per diem & noctem, post destilletur per arenam; sic remanet quasi butyrum, quod præcipitetur cum aqua calida, siccetur, & erit Magisterium album, uno nomine, Mercurius vitæ, dosi ad gr. ij. vel iij. porrigendus, & modis supra cognitis amplius corrigendus.

Correctio tertia per oleū tartari per deliquiū nihil est aliud, nisi *tartarus vitriolatus antimoniatus*: Nam hic cum oleo tartari conjunctus est pulvis ex vitro antimonii. Aliàs si sal tartari cum antimonii vitro probè subigatur, & ad tempus digeratur, ita vim vomitoriam maxima ex parte perdit, & saltim per inferiora purgat: Oleum tartari enim corrigit virulentiam, & abeunt per præcipitationem in *tartarum vitriolatum antimonialem*, qui ritè paratus est remedium per inferiora purgans. Melior modus est, ut phlegma vitrioli cum spiritu proprio acidulatum affundatur vitro, digeratur aliquandiu, & postmodum extractio decantata præcipitetur cum oleo tartari per deliquium. Simili modo fieri quoque potest *Tartarus antimonii fixus diaphoreticus*: e.g.

♃. *Vitri antimonij pulv.* ℥j.
Olei tartari per deliq. ℥viij.

Infundantur & digerantur per Menses aliquot loco calido, ponantur in cellam per 14. dies noctesque, hinc oleum tartari filtretur per chartam, & cum olei vitrioli ℥vj præcipitetur, precipitatum exsiccetur, nonnihil edulcoretur, & usui reservetur.

Operatur per sudorem dosi ℈ß. in aqua cardui benedicti.

Correctiones cæteræ AUTORIS cum spiritu vitrioli vel sulphuris, antimonii vitrum pulverisatum figendo hoc coercent & mitius reddunt, ut dimittat vim emeticam, & fit exinde per inferiora purgans, hydropi potenter resistens.

Ad *Correctionem sextam* addatur & hoc, quod post digestionem & abstractionem à phlegmate per retortam, etiam remanentia alba & sicca solvenda per deliquiū in loco frigido, & sic acquiritur *oleum purgans per inferiora* & per urinam.

Dosis est ad duas guttas.

Optimus ex his modis est *Tartarus vitriolatus purgans*, quem etiam insinuat AUTOR *nro.* 6. *N.* 2. sed concinniorem præparationem videbitis in HOFFMANNI *Clave pag.* 299. ubi virtum antimonii priùs fusione cum nitro correctum, postmodum sale tartari extrahitur, hinc cum spiritu vitrioli in sal tertium præcipitatur. Eleganter etiam fiunt vitri antimonii Correctiones tam cum spiritu vini, quàm cum borrace factæ, à KERCKRINGIO *in Basil. pag.* 143. *&* 169. descriptæ. Sic *du* HAMEL *de affect. corp. pag.* 397. cum ana salis tartari fundit vitrum antimonii, & ex hoc ipso *antimonium per inferiora* saltem *purgans* parare docet.

Sequitur

CROCUS METALLORUM,

Per quem non intelligitur Crocus metallorum *Helmontii*, *Paracelsi*, *Poterii*, tanquam singulare analepticum, sed qui in officinis usitatus, & nihil aliud est, quàm antimonium per ignem & alcali fixum reseratum, & in pulverem quendam flavescentem mutatum. Dicitur *Crocus* propter colorem flavum *metallorum*, quorum pulveres flavi omnes dicuntur Croci: nam antimonium à quibusdam radix metallorum dicitur.

Dicitur & *Hepar antimonii*, quia integra massa ante salium elixiviationem obscuram epatis rubedinem refert. Res omnis huc recidit, ut per alcali ignis medio ita recludatur corpus, ut ejus sulphur, & hinc simul regulus seu Mercurialis pars extravertantur, sive salia addita à sulphure antimoniali unâ operâ sub croci præparatione simul calcinentur, sive salia jam ante alcalisata assumantur, hocque posterius tam viâ siccâ, quàm humidâ.

Totius præparationis fundamentum est, ut alcali fixum solvat antimonii sulphur externum, sub quo actu continuato & simul regulus antimonii unà dissolvitur, postmodum per aquam simplicem separantur salia, & restitat pulvis croceus.

Modus præparandi triplex est:

I. Quando salia antimonio addita, hujus sulphuris medio alcalisantur sub detonatione, quæ postmodum agunt in junctum Antimonii corpus, illudque in crocum solvunt: fitque vel cum nitro, vel cum tartaro seorsim vel cum utroque simul.

Modus cum nitro est hic:

℞. *Antimonij*,
Nitri ana part. æqual.

Invicem mista detonentur in crucibulo, aliquandiu invicem fluant, hinc affusâ eluentur aquâ, pulvis obscurè flavescens in filtro restans est crocus metallorum.

LOCATELLI *in Theatro Arcanor. pag.* 151. Crocum hoc modo paratum sine edulcoratione pulverisatum permiscet cum spiritu vini, & hunc deflagrare permittit, idque tribus vicibus repetit, & ita eum non parum corrigit, & à ℈ß. vel gr. xij. ad xv. vel ℈j. propinat.

Ex aqua elota alcali nitri, subtilioris sulphuris antimonii particulas retinente, impraegnata, in spersione aceti præcipitatur sulphur subtilius, aliàs *sulphur auratum* dictum.

In aqua etiam solutionis post debitam evaporationem in loco frigido concrescit, uti in præparatione antimonii diaphoretici, *nitrum antimoniatum*, cujus usus in febribus ardentibus, benignis & malignis, elegans est: nam nihil magis agitationem massæ sanguineæ, & æstum febrium ardentium potest compescere, quàm nitrum & remedia nitrosa; adeoque dicitur *Refrigerare*. Dosis est ʒß. ad ʒj. In potus verò ordinarii Mens. j. dissolvitur ℥ß. pro scopo refrigeratorio in febribus continuis & ardentibus, &c. Usurpatur etiam loco stimuli vel etiam Digestivi cum pulveribus purgantibus: Nam hujus ʒj. commodè permiscetur clysteribus in febribus ardentibus & similibus pro stimulo.

Hic modus est communis præparandi crocum metallorum.

Cum tartaro similis ferè labor est: cum ana *antimonii* nempè invicem funduntur in crucibulo, donec *tartarus* abeat in alcali, à quo ipso dissolvitur antimonium in crocum: Conf. BASILIUS VALENTINUS *pag.* 213.

Cum tartaro & nitro simul idem est Processus: nempè

℞. *Tartari*,
Nitri,
Antimonij ana part. æqual.

Detonando calcinantur in crucibulo, sicque acquiritur *Crocus metallorum*, & elegans vomitivo-catharticus: nitrum enim à sulphure antimonii inflammatur, non secus atque à sulphure in[illegible] fieri solet: sub inflammatione unà cum tartaro abit in alcali, m[illegible]ediante quo antimonium vertitur in *Crocum*.

Observandum hìc, quoniam sub detonationibus hisce spiritus nitrosi, item tartarei, avolant, commodè hic labor in retorta potest institui, ut ita evolantes spiritus nitri vel nitro-tartarei possint in receptaculo capi.

Observandum etiam nitri & antimonii ana saltem sumendum esse; plus enim si sumatur, figitur nonnihil Crocus, & loco crocei coloris flavescentem acquirit. Conf. WILLISIUS *Pharm. Rat. P.* 1. *pag.* 63.

II. Modus fit per additum alcali, & quidem (α) in via sicca: hac nempè ratione ex ana *antimonii* & *salis absinthii* invicem fusis fit *crocus metallorum absinthiacus Mynsichti in Armam. pag.* 12.

Sed nihil interest hoc in negotio, an sal absinthii aliudve fixum sumatur? cum de vi seminali absinthii nullus effectus sperandus. Ergò Recipiatur *sal tartari*, & cum eo fundatur *antimonii* ana in crucibulo, ubi probè fusa & in fluxu steterint, effundantur, & in aqua solvantur: solutione factâ, & agitatione blandâ decantetur liquor, ut post salis ablutionem remaneat crocus metallorum vel sulphur antimonii emeticum intensè flavescens, vel si ritè paretur, rubescens, usus tutioris: de quo conferatur WILLISIUS *Pharm. Rat. P.* 1. *pag.* 64. Dosis gr. v. vj. vij. ad viij. cum cremore tartari in vehiculo calido propinandus, blandè nec laboriosè operatur, vomitus egregiè movens. Ex ipsa massa adhuc calidè pulverisata cum spiritu vini elegans tinctura analeptica parari potest, ut docet WILLISIUS *loco citato*, & conferri potest BASILIUS VALENTINUS *de antimonio pag.* 212 *&* 234. & KERCKRINGIUS.

III. Modus fit per additum alcali; idque (β) *in via humida*: quando nempè sal tartari aliudque alcali per simplicem aquam in lixivium redactum affunditur antimonio crudo probè pulverisato, ana respectu alcali, & igne arenæ bene bulliant invicem, aquam novam calidam loco evaporatæ jugiter affundendo per horas tres vel quatuor, donec antimonium probè solutum fit. Quo facto, ubi omnia refrixerint, copiosa aqua affunditur, invicem agitantur, & hinc liquor spissamento saltem supernatans flavus blandè decantetur, & per filtrum transcoletur. Pulvis qui remanet in filtro, aquâ calidâ edulcoratus, est crocus seu sulphur antimonii, ulterius pro lubitu corrigendus, & eodem modo usurpandus.

Usus horum Crocorum in genere est emeticus, supra & infra purgans; unde robustioribus in substantia, delicatioribus saltem in infuso propinantur. In substantia si usurpantur, optimum est, ut cum tartaro redigantur in tartarum emeticum, in via tam sicca, quàm humida.

In via sicca:

℞. Respectu croci hujus, cremor. tartari ana duplum vel triplum, quæ diutiùs & exactiùs trita usurpentur.

Sin in humida:

℞. *Decoctum fervens, in quo tartarus dissolutus*, cui infundatur *crocus metallorum*, idque secundùm MYNSICHTUM *in Armam. pag.* 13. vel compendiosiore modo secundùm LUDOVICI *de sale tartari pag.* 75. ebulliant aliquandiu, filtrentur hinc fervidè, & crystalli concrescunt, quæ dosi gr. ij. vel iij. ad iv. vel vj. satis commodum ac elegans sunt vomitorium.

Commodè etiam loco croci metallorum ex Mercurio vitæ paratur. Melior est, qui beneficio ebullitionis, quàm ope trituræ fit; solvuntur enim & miscentur exactiùs. Præscribitur cum tantillo sacchari, ut sine nausea assumatur: si volumus, ut supra & infra purget, addatur scammonium sulphuratum. Fit etiam purgans ex croco metallorum cum sale communi; acquiritur enim sal tale purgans, interdum satis forte, nec adeo debile, ac illud est ex antimonio crudo.

De *Croco Metallorum Rulandi*, quis & qualis fuerit? à multis fuit controversum, & multi dubitant an sit habenda vera præparatio? & etiam certum est, quod ea, quam habet AUTOR, non sit genuina. FREITAGIUS *in Aur. Med. pag.* 619. aliam fovet opinionem de croco metallorum Rulandi. Sed non tanti est laboris: Conferatur *Medic.* RULANDI, vel KERCKRINGIUS *in Basil. pag.* 227. Hic, qui describitur in AUTORE, est mitior reliquis crocis, & quosdam solummodo per inferiora purgat.

Crocus metallorum ex regulo paratus, prout describitur ab AUTORE *pag.* 427. sub nomine *Croci antimonii regulati*, mitior observatur, quàm Crocus ex antimonio crudo; sicuti etiam, si spiritus vini deflagret super croco, mitior itidem & correctior observari solet.

BARTHOLETUS *Tract. de Respir. pag.* 329. aliquod singulare habet: scilicet commendat tanquam secretum in melancholia stibii crocum sublimatione paratum, moschi odorem referentem, qui in tartari spiritu radicabiliter solutus, ℈j. quantitate sine vomitu purgat. Nam & crocus metallorum vulgaris si maceretur cum aceto destillato, non amplius adeo violenter per vomitum, sed tantum per secessum purgat.

Usurpantur Croci pro infusis antimonialibus cum Vino Rhenano, quæ communi nomine aliàs, ad imitationem Rulandi, Aquæ benedictæ appellari solent: & præter usum internum etiam externè clysteribus commodè pro fortiori stimulo miscentur, si nempè Decocti croci metallorum cum vino Rhenano ℥iij. vel iv. pro lubitu permiscen-

miſcentur clyſteribus, & ita Iliacis colicis, ac ſimilibus ægris infunduntur.

Sequitur

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM,

Quod cum croco metallorum ejuſdem præparationis eſt. Hoc & Bezoardicum minerale eſt unum idemque remedium, ſaltem duplici viâ: illud ſiccâ, nitro crudo; hoc humidâ & paulò operoſiore, ſpiritu nitri, paratum; quicquid etiam in contrarium dicat WILLISIUS *Pharm. Rat. P.* 1 *pag.* 209. cujus contrarium ſufficienter afferunt LUDOVICI *in Pharm. pag.* 326. & WEDELIUS *in Pharm. pag.* 38. 90 *atque* 91. Sunt nempè nihil aliud, quàm regulus antimonii ab acido nitri ſolutus, & hujus adhæſione fixatus; unde ex regulo Mercuriali alcalino quaſi, & acido nitri, emergit tertium ſalſum fixum diaphoreticum, in receſſu ſulphureum: quod tamen ſalium acidorum vel evaporatione, vel ſedulâ edulcoratione, & ita ſeparatione, in calcem terreo-alcalinam ſulphuream redactum fuit. Præparatio eſt, ut *antimonii* p. j. miſceatur cum triplo *nitri puri*, & in crucibulo candente detonentur, ac omnia liqueſcant: quo facto dum omnia per dimidiam præter propter horam in liquidiore conſiſtentia ſteterint, ſucceſſivè aquæ calidæ ingerantur & crebriùs ebulliant, ut ita pulvis antimonialis fixus hujus beneficio, quantum fieri poteſt, ab adhærente nitro ſeparetur; ita pulvis, qui ſubſidet, probè cum aquis calidis ſemper recentibus, per ebullitionem fortem, edulcoratus pro uſu conſervatur. Non opus eſt ternâ iſtâ detonatione, uti vult AUTOR, ſed una cum triplo nitri detonatio ſufficit. Quidam recipiunt *antimonii* p. j. *nitri* verò part. viij, & procedunt communi modo, quod à gr. vj. ad viij. propinant. Aqua verò iſta edulcorationis ſucceſſivè evaporata coaleſcit in cryſtallos ſeu *nitrum antimoniatum*, uti ex præparatione croci metallorum notum eſt, reſtitante liquore lixiviali non coagulabili, ex quo, uti ex ipſa, cum qua edulcoratum fuit antimonium diaphoreticum, mediante aceto deſtillato *Magiſterium antimonii diaphoretici*, ſeu ſecundùm AUTOREM *nu.* 2. *Flores antimonii fixi*, poſſunt obtineri. Nempè ſub præparatione hac nitri aliquantula pars à ſulphure antimonii ſub principio ingeſtionis in crucibulum candefactum, ſubigitur & alcaliſatur, ſed parum eſt, & lixivium illud poſt nitrum antimoniatum ſuperſtes conſtituit: quin potiùs cum antimonio, à triplo nitri addito, ſubigatur, ut nulla detonatio aut deflagratio fieri queat, nitri acidum, quod aliàs deflagrando in forma flammæ exhalat, agit in junctum antimonium, ſolvit regulum, & huic ſociatum ſulphur externum, invertit texturam, figit, & ita immutat, ut poſt debitam præparationem calx terreæ naturæ quaſi alcalino-ſulphureæ reſtitet: unde etiam poſt fixæ hujus ſubſtantiæ ſeparationem nitri major pars in forma debita recuperatur.

Flamma, quæ in præparatione antimonii diaphoretici ſub detonatione cum copioſo fumo exhalat, nihil aliud eſt, quàm ſpiritus nitri acidus, erumpens cum ſulphure antimonii volatiliori, dum interea nitrum fixum aggreditur antimonii corpus, ſeque cum ejus ſulphure acido unit, & iſtâ unione ac perdurante ad tempus calcinatione ac fuſione abeunt mutuò in corpus fixum de natura alcalium: Nam antimonium diaphoreticum eſt quaſi quoddam alcali. Ut verò hic acquiratur ſpiritus nitri aliàs avolans, detonatio per retortam fieri poteſt: ita in vas recipiens propellitur ſpiritus nitri; antimonium verò diaphoreticum remanet in fundo retortæ, quod abluatur aquâ ſimplici, & ita lucrum ſine damno poteſt parari.

Quia verò ſulphur antimonii ſimul roditur, non verò perfectè ab acido nitri imbibitur, hinc fit, ut facilè textura ſulphuris cum regulina ſubſtantia denuò emergat, & quaſi revivificetur, indeque antimonium diaphoreticum interjectâ aliquâ temporis morâ denuò emeticum evadat: vid. LUDOVICI *Pharm. pag.* 324. & 325. ac WEDELIUS *Pharm. pag.* 91.

Quod ne fiat, tres encheiriſes obſervandæ ſunt in hujus præparatione:

1. Ex regulo præparetur, præſertim Martiali: nam nihil hic de Marte participat, ſed purior ſaltem antimonii pars eſt.
2. Cùm triplo nitri exactè miſtus diutiùs non nihil in fuſione relinquatur.
3. Edulcoratum licèt antimonium ita paratum, in aqua communi tamen ebulliendo probè coquatur, ut ita ab omni nitro, quantum fieri poteſt, ſeparetur (nam omni contagio ſpoliare impoſſibile eſt) & ſpiritus vini tartariſatus deſuper digeratur, & accendatur; ſic nunquam alterabilis vix vim emeticam induit, ſed ſuave diaphoreticum exiſtit.

Parabile quoque eſt hoc *Antimonium diaphoreticum* ex omnibus antimonialibus ſimili viâ, nempe ex minera antimonii, croco metallorum, item ipſo vitro & ſulphure aurato, Mercurio vitæ, regulo antimonii, capite mortuo clyſſi antimonii, *capite mortuo cinnabaris antimonii*, quod ipſum nihil aliud eſt, quàm antimonium, & de ſimilibus: Videatur WEDELIUS *Pharm. pag* 91. Quod ſi ex croco metallorum per ternam cum nitro calcinationem fiat diaphoreticum, & in furno athanore, quem deſcriptum videbitis in SENNERTI *Inſtit*, figatur, vel reverberetur per quinque dies, fit *Bezoardicum metallicum* ad colorem calendulæ vel boli armenæ accedens. Nam ſuprà dictum, quod antimonium, quod magis fixatur, fit diaphoreticum; ſin minùs, catharticum; ſi leviter, vomitivum.

Alias, & quidem genuinas encheiriſes, circa hujus antimonii diaphoretici uſum obſervabiles, videbitis in WEDELIO *Pharm. pag.* 38. 91. & 92. item in M. A. N. C. *Anno* 3. *Obſ.* 72. *pag.* 121.

Præter modò dictas præparandi rationes, & aliæ ſubinde ſunt non minùs concinnæ compoſitiones, v. g. cum nitro & tartaro, variatâ tamen proportione, antimonium Diaphoreticum parat ZWELFERUS, de quo vid. HOFFMANNI *clavis pag.* 301. TACHENIUS ſimplici in igne fixatione, item decoctione & aceto præcipitatione antimonium hoc diaphoreticum parat: vid. *Hipp. chym. cap.* 27. Sed de hujuſmodi antimonii diaphoretici cum aceto præcipitandi præparatione meritò cum ZWELFERO dubitatur, annon potiùs cadat ſimpliciter calx mortua, alcali & acido ſaturata, quàm genuinum abſorbens antimonium diaphoreticum? de quo tamen ulterior conſulenda experientia.

Facit huc ulterius *Antimonium diaphoreticum* HELMONTII, MARGGRAVIO ita dictum:

℞. Flor. antimonii rubr cum Sale ammoniaco parat. & edulc. ℥j.
Nitri puriſſ. ℥ij.

Terantur omnia minutiſſimè, fiatque in crucibulo detonatio; & relinquitur pulvis albus, qui aquâ frigidâ aliquoties edulcoratus, poſt cum alcohol vini in retorta vitrea deſtilletur ad ſiccitatem, & relinquitur albus pulvis vel ſubflavus egregiè diaphoreticus.

Hiſce modis fit antimonium diaphoreticum ſimplex, quod omni acri temperando, fermento acido maligno imbibendo, & ſudorem excitando inſervit: exinde valdè convenit in febribus malignis, pleuritide, eryſipelate, aliiſque inflammationibus partium internarum & externarum; ſudoriferum enim eſt catholicum. Præterea convenit hoc antimonium diaphoreticum in morbis chronicis ab acido oriundis; nam compeſcit egregiè efferveſcentias ab acido ortas; pro qua acidorum correctione commodè permiſcetur cum lapillis cancrorum. Convenit præterea in ſanguine congrumato, item in caſu ab alto; verbo: ubicunque reſolvendi ſunt humores. Permiſcetur quoque pulveribus & ſalibus digeſtivis antè purgarionem, imò ipſis purgantibus; unde ℈ß. v. g. Jalappæ, ſociatus cum paucis antimonii diaphoretici granis, plus operabitur, quàm aliàs Jalappæ ℈j. ad ʒß; quod etiam patet in Pulvere Cornachini. Commendatur ſimiliter in morbis mulierum, in ſpecie in deficientibus menſibus, permiſtum cum aqua & Syrupo artemiſiæ compoſito. In ulceribus & ſcabie etiam convenit antimonium diaphoreticum, imprimis cum cornu cervi calcinatum, uti habuimus; & quidem omnia talia blanda & lenia diaphoretica in ſcabie, imprimis capitis, lue Venerea, lepra, omnibuſque impuritatibus ſanguinis, & affectibus cutaneis, ulceribus, & vulneribus, quando applicantur emplaſtra & unguenta, continuanda ſunt, miſta cum lapillis cancrorum: ſicut & ulcera rebellia ſolo ſic Antimonio diaphoretico, internè propinato, SENNERTUS curavit. Infantibus commodè datur in variolis, quoniam ſine ſapore iiſdem cum pulticula poteſt propinari. In febribus quibuſvis intermittentibus cum aqua quadam febrifuga ante paroxyſmum propinatur. Sic facit hìc Medicus quidam, qui beneficio antimonii diaphoretici, præmiſſis univerſalibus, omnes intermittentes curavit, & propterea vocavit pulverem ſuum febrifugum.

Nitrum, quod per edulcorationem ſeparatur ab antimonio diaphoretico, denuo poteſt miſceri cum novo antimonio, & cum eo præparari novum antimonium diaphoreticum: ſed obſervetur, quod, quando tunc temporis injicitur miſtura in crucibulum candens, quod tunc nullus fiat ſtrepitus, & nulla erumpat flamma propter defectum ſpiritus nitri. Quoad *uſum Medicum*, egregiè compeſcit ebullitionem maſſæ ſanguineæ; unde egregium remedium eſt in febribus ardentibus, & præterea ratione particularum antimonialium admiſtarum fixarum diſponit corpus ad lenem diaphoreſin, de quo ſatis dictum in præparatione croci metallorum.

Sunt, qui *nitrum ex antimonio diaphoretico non ſeparant*, neque edulcorant, ſed ſaltem diutiùs in candeſcentia relinquunt, & hoc eſt ſecretum RUDBECKII SUECI. Concretum hoc nitroſum antimoniale in febribus malignis & ardentibus laudant pro ſcopo alterativo & diaphoretico, quod ſimul alvum ſuaviter laxet. Immittitur ſcilicet in Menſ. ß. Germ. *in ein Noſſel*, potus ℥ß. vel ʒvj, modò abſit alvi fluxus.

Solet etiam fieri *Antimonium diaphoreticum compoſitum*, additis aliis metallis. Nempè *Antimonium diaphoreticum Joviale* eſt id quod vocant *Antihecticum Poterii*, paratum nempe methodo explicatâ cum triplo *nitri*, & p. j. *reguli antimonii Jovialis*, hoc eſt, compoſiti ex p. iv. *Jovis*, & p. v. *Antimonii*: Conf. POTERIUS *in Pharmacop. Spagyr. cap.* 18. & C. 3. Item *Antimonium diaphoreticum Martiale* ſeu *Pulvis Cachecticus antimonialis Ludovici*, cujus clara ſatis deſcriptio proſtat in *Pharm. pag.* 330. & *Tract.* de *ſale tartari pag.* 72. nec non in *M. A. N. C. Anno* 8. *Obſerv.* 65. *p.* 108. vid. etiam WEDELIUS *in Pharm. pag* 408. Convenit in ſcabie, Arthritide, malo hypochondriaco, &c. cum Cinnabari nativa vel antimonii, lapillis cancrorum, arcano duplicato, &c. Pertinet huc *antimonium diaphoreticum*

ſcla-

solare, sociatum cum calce solis, & modo suprà dicto elaboratum, de quo vid. M. A. N. C. *Ann.6. Append. pag.23.* & ZWELFERUS *Mant. spagyr. pag.366.*

Ad præcipitata tandem pertinet etiam

REGULUS ANTIMONII.

Reguli in genere vocantur partes metallicæ, separatæ ex mineris à sulphuribus suis superfluis, & combustibilibus aliavè fæce quacunque. In specie autem ex antimonio vel ejus minera nucleus ejus seu pars metallica præparata vocatur Regulus; adeòquè *regulus Antimonii est nucleus* seu *plumbum antimonii*, hoc est, pura & metallica ejus pars constans Mercurio metallico de natura ferè saturnina, sulphure proprio interno paulo fixiori coagulata unde antimonium ut plurimum tertiam aut quartam saltem sui partem in regulum dimittit: vid. WEDELIUS *Pharm. pag.170.* & KUNCKELIUS *Tr. 2. pag.29.* Fundamentum adeòquè præparationis reguli consistit in sulphuris mineralis superflui seu externi ab antimonio separatione. Separant ergo vel alcalia, quæ illud solvunt vel pinguia, quæ imbibendo quasi illud absumunt; vel Martialia, quæ dum ab isto sulphure acido roduntur, mutuò se jungunt, ut regulus sensim separabilis fiat: utut etiam per se post superflui sulphuris ex antimonio per calcinationem separationem relicta substantia fusionis igne in regulum abeat, qualis *modus* est AUTORIS *tertius pag.428.*

Quod itaque attinet *modum separandi sulphur à regulo per alcalia*: ordinariò *tartari*, *nitri* & *antimonii* ana detonatione invicem funduntur in crucibulo, & postmodum effunduntur in conum fusorium, mediante quo probè moto subsidere permittitur regulus. Nempè tartarus & nitrum detonatione istâ in sal alcalisatum abeunt, quod agit in antimonium sulphureum, atque invicem crocum metallorum seu hepar antimonii constituunt: dum verò fusionis igni committuntur sal alcalisatum intimiùs penetrat sulphur antimonii, illudque extrahit, ut ita pars metallica ab amplexu ejus fiat libera, quæ, quia ponderosior, utpote Mercurialis naturæ, in fundo secedit, supernatantibus scoriis: & talis purior substantia dicitur *Regulus*.

Modus hic est quidem vulgaris parandi regulum sed melius est, si prius seorsim detonetur tartarus & nitrum, ac ita cum iis alcalisatis ex addito antimonio fiat Regulus. Conf. HOFFMANNUS *Clav. pag.397.*

Idem fundamentum est præparationis AUTORIS *in modo secundo* Tartarus enim cum antimonio calcinatus & fusus suggerit alcali fixum, quod agit in sulphur unde separatur Regulus.

Par ratio est pulveris carbonum, mediante quo solo ex Antimonio solo copiosiorem regulum parat ZWELFERUS *Mant. Spagyr. pag.365.* Nam carbones & ipsi in Alcali fixum abeunt, dum intereà sulphur antimonii cum carbonibus incensis successivè exhalat & absumitur, unde reliquum sulphur & alcali sociatum à regulo separatur. Ex hac ratione etiam quidam admiscent cum nitro & tartaro pulverem carbonum, & præparant regulum antimonii, idque propterea ne scilicet salia alcalisata nitri & tartari nimis promptè arripiant sulphur antimonii, sed arripiant simul sulphur carbonum, ne nimis penetrent in regulum, quo ita consequenter in majori copia regulus (non tamen purus) acquiratur. Imò solo sale tartari, cum antimonii ana, eodem ex fundamento paratur regulus modo à BASILIO VALENTINO edocto *pag.234.*

Sed observetur: quod quò diutiùs relinquitur mistura in crucibulo eò minus acquiratur reguli; quò verò promptius effunditur, eò major reguli accipitur copia. Non nimis ergo diu alcalia permittantur cum antimonio fluere, ne & hæc nimis penetrent in antimonii regulum, & dum in sulphur exactiùs agant, simul de antimonii regulo deprædentur, ac totum ferè Antimonium abeat in scorias.

Cæterum *scoriæ*, quæ unà cum regulo in fusione separantur, non sunt contemnendæ; quia nihil aliud sunt, quàm sal fixum ex tartaro & nitro, sulphure antimonii externo largiter imprægnatum; unde etiam hæ scoriæ usu externo egregiæ sunt in scabie, & in similibus manuum affectibus, ulceribus malignis & manantibus, præsertim tibiarum, exedentibus, aliisque casibus chirurgicis, si lixivio solutionis scoriarum eluantur modicè partes affectæ. In locis pariter gangrænâ affectis, egregium est hoc lixivium, purificans ulcera desperata & cacoethea gangrænosa, si huic immergatur pars affecta ex singulis diebus horâ unâ in eodem detinendo, tunc extrahitur materia crassa & viscida, quæ ligno abstergenda ex parte ulcerata, & ulcus vel locus exulceratus unguento est deligandus. Nam salia hæc alcalia imbibunt acidum ulceris corrosivum, quod, uti dixi, sub forma istius spumæ, & crassæ ac viscidæ materiæ, apparet. Quin & suffitus scoriarum harum cum superinfusa urina factus, per infundibulum inferioribus exceptus, pro remorantibus mensibus pellendis est egregius; vel silices aut lateres igniti in lixivium ex aqua simplici paratum injiciantur cujus fumus per infundibulum excipiatur: Videatur de hoc HARTMANNUS *in Praxi Chym. pag.222. & 226.* item CORBEUS *de morbis mulierum*; & in genere omnes *Autores* hunc commendant suffitum in desperatissima mensium suppressione. Ex his scoriis cum triplo nitri *Antimonium diaphoreticum* fieri potest: Ex iisdem in aqua simplici solutis instillatione subtilis acidi, v.g. aceti destillati pulvis croceus, *sulphur antimonii auratum* dictus, præcipitatur, catharticus & vomitorius. In *prima præcipitatione* cum aceto destillato cadit *sulphur catharticum*; in *secunda* verò *præcipitatione* præcipitatur *sulphur rubicundius* quod est *diaphoreticum* seu sudoriferum; denique si liquor tertia vice cum aceto destillato & urina humana vel spiritu salis ammoniaci simul, non tamen mixtim, præcipitetur, *sulphur fixum* cadet, *egregium antepilepticum*, *vim habens simul anodynam* & *blandè soporiferam*. Observandum tamen, quod & in iis ubi aliquid evacuandum invenit, insimul expurget. Ex his sulphuribus cum spiritu vini quidam *tincturam antimonii* parare volunt: sed nihil extrahitur. Ex iisdem quoque scoriis cum sale ammoniaco sublimando *flores* fieri possunt de quibus vid. M. A. N. C. *Ann.6. & 7. Append. pag.87.*

Modus parandi regulum antimonii per pinguia, v.g. colophoniam, picem, &c. ita se habet:

℞. *Antimonij*,
Colophon. an. part. æqual.
(Vel *antimonii* p. iij, & *coloph.* p. ij.)

Contrita & mista fundantur in crucibulo; hac enim ratione dimidio plùs reguli accipimus, quàm aliàs. Ratio est, quia sulphur antimonii impedit separationem reguli sui Mercurialis, & hunc plùs minùs secum retinet; sub hac verò præparatione aggreditur colophoniam tanquam analogum, eoque regulum permittit citiùs, & copiosiùs separari.

Vel

℞. *Antimonij*.
Nitri.
Picis vel ceræ an. ℔ß.

Suggerunt multum reguli, & ipse Mercurius volatilis in regulo aliquantisper figitur.

Verùm periculosa est præparatio reguli antimonii cum pice; unde cavendum ne incendantur ædes: (*faciliè enim id exinde fieri potest:*)

Tandem *per Martialia separatur etiam regulus*, idque duplici modo: aut enim *primò* limaturæ Martis candefactæ, vel clavis ferreis in crucibulo priùs benè candescentibus (antimonium enim promptè funditur, Mars verò tardè, unde injiciantur priùs clavi ferrei vel limatura Martis in crucibulum) adjicitur ana antimonii crudi, ut per se fluant; sic enim acidum antimonii sulphuris agit in Martem, hunc rodit, unde regulus à sulphure secedens, facilè obtineri potest: idque eò promptiùs, si parum nitri in fine addatur; hoc enim alcalisatum in sulphur antimonii potentiùs simul agit, ut exactiùs separetur regulus. Vel *secundo modo* Antimonio fuso immergatur bacillus ferreus candescens, & mox apparebit actio antimonii rodentis & absumentis Martem quod reiteretur tamdiu, donec nulla ampliùs actio antimonii in Marte fit observabilis; Quo facto, massa effusa in conum fusorium, suggerit *regulum*.

In hoc sic dicto regulo antimonii Martiali observandum est:

1. Quod ritè paratus, nec nimis celeriter effusus, parum vel nihil de Marte participet, dum hìc omnis in scoriis delitescat, utut regulus sic purissimus & elegantissimus cadat.
2. Sulphur interim Martis agit in sulphur reguli antimonii, illudque magis extollit ac perficit, ac tinctura sua fixiori suo modo nobilius reddit.

Regulum antimonii Martialem optimè examinatum videbitis in PANTALEONIS *Tumulo Hermet. pag.23.* Hic regulus antimonii Martialis cum Mercurio sublimato dat egregium butyrum, de quo suprà. Unum adhuc observandum: quod regulus antimonii Martialis tanquam subjectum Mercuriale, adeòquè cujusvis acidi facilè appetens, calcinando in igne pondere crescat: de quo conf. BARTHOLINI *Acta Med. Hafn. Vol.2. pag 190.*

Curiosum est, quod ex antimonio vel destillato, vel in aqua extincto nullus regulus parari possit, sed totum antimonii corpus in scorias abeat. Nam in antimonio, & omnibus ejus præparatis, si tractatur per alcalia, augmentatur ejus substantia sulphurea si vero per acida perit ejus substantia regulina Mercurialis: & ita per destillationem vel extinctionem detracto spiritu sulphuris acido, imminuitur pars Mercurialis.

Porrò in regulo antimonii his modis parato subinde in basi *stella* observari solet, quam quidem in solo regulo Martiali apparere quidam ajunt unde & *regulum stellatum* ex antimonio & Marte ritè parare exactè & operosè docet BASILIUS VALENTINUS *pag.295.* sicut adhuc à multis signum perfectionis reguli habetur. Sed modò ritè peracta fuerit operatio, etiam alius regulus, modò purior fuerit, reverâ stellam repræsentabit, in quocunque etiam temporis articulo fusio fiat. *Stella reguli* est merus positus striarum metallicarum ex antimonii corpore quasi fortuitus: etenim striæ illæ particulæ metallicæ sunt, quæ separatæ à sulphure, proprio impetu ex minutarum particularum figuratione ita locantur; unde quò magis sulphureus est regulus, adeòquè purior, eò elegantior stella; quò impurior, eò levior vel nulla apparebit: Unde etiam, quò magis striatum antimonium fuerit, eò plus reguli præbet, & stellam quoque elegantiorem: Conf. WEDELIUS *Pharm. pag.169. & 170.*

Usus reguli antimonii Medicus specialis nullus est, nisi in quantum seu substantia antimonialis propriissimè dicta, ejusque nucleus, seu nobilior antimonii pars defæcata, aut iis remediis exinde parandis, v.g.

v. g. butyro, floribus, vitro, &c. cæterisque remediis antimonialibus inservit: sicut etiam egregium antimonium diaphoreticum sub nomine *cerussæ antimonialis* ex eo parari potest, cum triplo nitri illud figendo, methodo ab *Autore nu.* 8. *pag.* 429. descripta; quæ ipsa postmodùm cum spiritu vini aliquoties deflagrata eò præstantioris erit usus.

De hac *antimonii cerussa* observatum fuit aliquando, quod instar Mercurii moverit salivam: quod rarum & observatu dignum est, aliàs Mercurio soli proprium.

Inservit etiam regulus antimonii, ut fiant globuli, qui vel deglutiti, vel vino infusi per noctem, purgant; de quibus superiùs locutus sum. Regulus verò antimonii Martialis, quia participat aliquid de sulphure fixiori Martis, pro scopo etiam diaphoretico præfertur reliquis in morbis chronicis, cachecticis, ictericis, &c. Stannarii regulum antimonii pro vasis stanneis indurandis usurpant, ad Jovis ℔j. reguli ℥ij ad ℥ß. vel ℥j. sumendo; sic enim vasa duriora, sonora, & firmiora evadere testatur WEDELIUS *loco allegato pag.* 173.

Reguli Jovialis præparatio in AUTORE clara est, uti etiam apparet in præparatione antihectici Poterii.

Quoad *Regulum solarem*, hic simpliciter ex auro constat, cui antimonium scoriarum instar supernatat; eodem enim modo depuratur aurum per antimonium, fundendo cum hoc in regulum, aut si aliquid antimonii auro adhæserit, hoc facilè flatu cum folle in fusione crucibulo applicato poterit separari, mediante quo antimonium abit, aurum verò residet: Sicuti si in scoriis hisce forsan aliquid corporis solis delituerit, facilè limaturæ Martis additione, in quam promptè agit antimonium, & ita solem dimittit, hinc præcipitari ac separari poterit: Et hæc est depuratio auri omnium optima.

Cerussa antimonii solaris AUTOR. *pag.* 430. cum auro corporali non adeò benè succedit. Ergò potiùs calx solis recipiatur, ac procedatur eo modo, ac in antimonio diaphoretico solari monitum.

In fine regulorum facit etiam AUTOR mentionem *Calcinationis antimonii per ignem cœlestem seu radios solares* mediantè speculo ustorio, & quidem ferreo concentratos. Res optimè succedit prout descripta & delineata à FERURE [illegible] *Vol.* 2. *Chym.* Est operatio, quæ multum habet in recessu: nam antimonium dum ita calcinatur per radios solares, copiosum reddit fumum in auras, & perfectè fixatur, ut remaneat sola vis diaphoretica; Nihilominùs post calcinationem augetur pondere, urut in calcinatione copiosus fumus exhalarit. Magnifacit hoc modo calcinatum BARTHOLETUS *de Resp. l.* 4. *cap.* 4. & vocat *Antimonium diaphoreticum solari calcinatione paratum*; sicut & est optimum pro scopo diaphoretico. Dicitur quoque ab eodem *Bezoardicum suspiciendæ facultatis*, & etiam longè plura tribuit illi, quàm vulgari antimonio diaphoretico; quoniam scilicet singulares hauserit vires per communionem cum radiis solaribus.

Circa hanccè *antimonii calcinationem solarem* consideretur:

1. *Ponderis augmentum* sub tanta fumorum exhalatione.
2. Antimonio *superinducta fixatio*, & *effectus* inde emergens *diaphoreticus*.

Prius ex condensatione partium antimonii præsertim Mercurialium seu regulinarum, & arctiori earundem subsidentia emergit, evaporatis subtilioribus, volatilioribus, & in æqualem ac porosiorem corporis texturam magis condensantibus. Posterius difficile est explicatu, nisi ex sale nitro aereo, alterante & figente regulum sulphureum & in calcinatione hac in concretum fixum pro usu diaphoretico redigente, hoc explicare velimus cum MAYOWIO *Tr. de sale nitri Aereo.*

Habuimus Calcinationes & solutiones antimoniales per alcalia, quæ speciatim ejusdem sulphur externum attigerunt:

Sequuntur

PRÆCIPITATA ANTIMONIALIA,

Vel rectiùs *solutiones per acida*, quæ præsertim in partem ejus Mercurialem regulinam agunt. Nempè, quod *superiùs monui de præcipitatione ex Mercurio*, idem dici potest de antimonio, quod scilicet præcipitatio non fit vera, sed solummodo calcinatio humida, qua scilicet antimonium affuso liquore corrodente calcinatur, & ita in pulverem abit, uti videbitis in Autore.

Menstruum acidum, solvendo antimonio ejusque regulo accommodatum, non est spiritus nitri, nec aqua fortis. Figunt hæc equidem superficialiter plùs minùs attactu antimonii regulum; non verò penetrant vel solvunt, nisi per sal commune quacunque formâ additum redigantur in aquam fortem, solvendo antimonii regulo accommodatam: v. g. *Antimonium fixum* seu *præcipitatum in via humida* est *Bezoardicum minerale*; vel *Antimonium diaphoreticum* fixum *in via humida* ita paratur:

℞. *Antimonii calcin.* q. v.

Ab hoc aliquoties abstrahatur aqua fortis vel spiritus nitri, ad minimum ter: hinc spiritus vini rectificatissimus accensus super antimonium flagret quater, unde superest antimonium diaphoreticum per præcipitationem paratum.

Idem labor secundùm *modum* AUTORIS *num.* 1. fieri potest, modo crebriùs abstrahatur aqua regia, hinc aliquali ignitione spiritus separentur, & spiritus vini desuper deflagret: utut propter sal commune additum non adeò fixus evadat pulvis, quàm si simplici aquæ fortis vel spiritus nitri præcipitatione fuisset instituta; sed purgans propter aciditatem tamen menstrui non adeò vehemens, uti antimonium crudum, aut in igne præparatum.

Aqua regia ergo saltem est, quæ solvit antimonium; sed hoc saltem respectu ejusdem reguli unde sulphur antimonii externum separatum spontè secedit ac supernatat, sulphuri communi minerali simile: Conf. AUTOR *num.* 1. *Nota.* 2. *pag.* 431. Imprimis autem videatur TACHENII *Hippocr. chym. pag.* 23.

Præcipitatum antimonii diaphoreticum AUTORIS *num.* 3. nihil aliud est, quàm *Bezoardicum minerale* ex croco metallorum paratum, & beneficio spiritus nitri fixatum: Jam perinde est, sivè assumatur Mercurius vitæ, sivè crocus metallorum, cum spiritu nitri digerendo & abstrahendo, deinde eundem figendo, adeò ut Bezoardicum minerale & hoc Præcipitatum diaphoreticum unum pro altero convenienter substitui possit.

Idem ferè judicium esto de AUTORIS *Præcipitato regulo Martiali nu* 4.

Post calcinationes & solutiones antimoniales sequuntur ejusdem

SUBLIMATIONES.

In Flores & Cinnabarim. Quicquid enim in altum adscendit instar fuliginis, & adhæret in forma sicca vocatur sublimatio unde Flores: è contra quicquid in altum adscendit sub forma humida, vocatur *Destillatio*.

Flores antimonii nihil aliud sunt, quàm ipsum antimonii corpus in altum vi ignis subitanei elevatum: est enim antimonium concretum admodum volatile, ob sulphuris, hujusque volatilioris, copiam. Nam & regulus in flores sublimari potest: sicut etiam ex crudo Antimonio flores elevati cum tartaro, nitro & borrace in vitrum & regulum reduci possunt; unde palliativa tantùm præparatio est. Dubium interim est: *an totum antimonii corpus per se in flores sublimari possit, ita ut nullum caput mortuum relinquatur?*

Præparantur Flores ex antimonio vel per se, vel per addita. Per se fiunt vel ex antimonio crudo, vel ex eodem parato etiam regulo; quin & ex vitro antimonii pulverisato, & omnibus artificialiter ex eo paratis, Flores elevari possunt. Nam uti antimonium sub sui calcinatione ad vitrificationem sub forma fumi in copiosos flores elevatur, ita quò diutiùs continuatur calcinatio, eò copiosiores flores exsurgunt, nisi mediante fusione in vitrum præcaveantur.

Fient autem per se ex antimonialibus per varia instrumenta, vel in cucurbita tubulata, uno vel aliquot alembicis instructa, vel in retorta rostrata cum adaptato solle, vel in fumo cum quàm plurimis alembicis sibi invicem impositis, qui vocantur *aludel*, ad modum GLAUBERI *Furnor. P.* 1. *cap.* 40. *pag.* 41. vel in crucibulis tribus in fundo perforatis sibi invicem superimpositis, alii crucibulo, in quo est antimonium, impositis.

Modus cum folle est hic: Retorta, quæ ex utroque latere habet canalem & longum tubulum, in furno quodam clauditur, ita ut ex utraque furni parte emineat tubulus: uni tubulo apponitur vas recipiens altum, alteri tubulo applicatur follis, & ipsi retortæ inest antimonium quod ipsum ab igne fusum & calcinatum, beneficio flatus per follem immissi copiosissimi flores adiguntur in vas recipiens. Necessum etiam est, ut foraminulum sit in vase recipiente, ut exeant flatus per follem immissi. Simili ferè encheirisi ZWELFERUS *in Mant. Hermet* vult parare flores ex Jove, beneficio follis adigentis flores ex fuso Jove in vas recipiens.

Elegantiorem modum parandi flores habet FINCKIUS *in Enchirid. dogmatico-Hermetico*, quando eosdem sublimat ad latus, quos flores valdopere commendat in cura maniæ & affectibus Melancholicis.

Quoad *modum* GLAUBERI, habet ille vas quoddam ferreum cum tubulo instructum, cui aliquot ollas vel alembicos ferreos imponit: quò sunt plures, eò est meliùs. In hoc vas candefactum injicitur antimonium pulverisatum, vel regulus, vel aliud quid ex antimonio paratum, quod in vase candente subitò elevatur in flores, qui copiosè adhærent istis alembicis.

Sed omnium *optimus* videtur *modus*, qui per cucurbitam tubulatam, cujus fundus ignem tangat, & cujus supremus alembicus sit rostratus, aut saltim in summitate perforatus, quo aeri detur accessus, atque Gas & phlegma subacidum, *acetum antimonii* dictum, convenienter possit exhalare, ne diffringantur vasa, & frustretur negotium: vid. WEDELIUS *Pharm. pag.* 135 estque hic *modus* AUTORIS *nu.* 1. Id quod etiam necessum est, ut fiat in sublimatione florum sulphuris. In talem cucurbitam calefactam, si successivè injiciatur antimonium crudum, vel regulus, &c. acquiruntur meliores flores sine tam stricto ignis regimine, & sic ferè totum antimonium in flores abit.

In cucurbita verò non tubulata observandum est exactissimum ignis

ignis regimen: nisi enim hoc observetur, antimonium in fundo liquatur, & funditur, nullosque flores suggerit. Tutiùs itidem succedit negotium, si subjecta in flores sublimanda antimonialia cum arena permisceantur, ne fundantur & fluant. Habentur hoc modo ex antimonio per se, & quidem si exactè legitimum observetur ignis regimen, *triplices flores* colore, & majoris minorisve fixitatis ratione distincti, *rubri*, *flavi*, & *albi*, rubri in alembico infimo, flavi in medio. *Rubri* fixiores sunt, & ultimo igne adscendunt, hincque cæteris tutiores habentur, quia participant saltem de sulphure fixiori maxima ex parte; *albi* sunt periculosiores, quoniam sunt volatiliores, & primo igne sublimantur; *flavi* sunt intermedii.

Per addita sublimantur flores ex antimonio præsertim per salammoniacum quod in hoc negotio primatum ducit ac certè *Aquila alba* est, quæ eleganter sublimat antimonium, & in sulphur ejus fixum penetrat. Nempè

℞. *Antimon. crudi* vel præsertim *min. antimonii*,
Sal ammoniaci ana part. æqual.

Minutissimè trita blando igne sublimentur: & triplices elevantur flores, si legitimè fit operatum (requiritur singulare instrumentum) eâdem colorum differentiâ distincti, ex quibus rubicundi à sale ammoniaco per aquæ communis edulcorationem probè separati seligendi & asservandi sunt. Ritè enim si procedatur, pulvis coloris aurantii leniter diaphoreticus & antepilepticus erit, fortiter sanguinis purificativus, in febribus malignis & quàm plurimis affectibus summè proficuus, simulque anodynus, nisi in dosi excedamus, quæ est à gr. v. vel vj. ad ℈ß. & vocatur à GRAMMANNO, *Medico Hallensi*, *tinctura antimonii sicca*, de qua etiam conf. HARTMANNUS & HOFFMANNI *Clavis pag* 311. & 312. Nam in hoc loco non de nihilo est ejusdem *encheirisis*, *nitrum in terram per sulphur antimonii convertendi*: vid. AUTOR *nu* 3. & 4. item *nu*.6.

Habet AUTOR *in Not*.2. *ad flores antimonii cum sale ammoniaco nu*.3. Quod si cum Mercurio dulci juncti sine vomitu per secessum operentur: Hoc etiam procedit cum Mercurio vitæ, qui benè contritus cum Mercurio dulci, amittit vim purgantem per superiora: id quod de omnibus pulveribus antimonialibus, crocis, & omnibus Præparatis emeticis, verum est. Modò sæpiùs cum sale communi terantur, vel modò subigantur cum Mercurio dulci, evadunt cathartica per inferiora, depositâ virulentiâ cum violentia emetica; quoniam sal in Mercurio dulci figit sulphur vomitivum antimonialium, & virulentiam corrigit.

Flores antimonii vitriolati sublimantur cum floribus sulphuris, & capite mortuo vitrioli, vel colcothare. Hos flores vitriolatos sæpè præscribit QUERCETANUS in febribus, potissimùm quidem in quartana. BASILIUS VALENTINUS non addit sulphur, sed solos flores antimonii cum colcothare sublimat: quos ita sublimatos extrahit cum spiritu vini, fæces remanentes separat, cum spiritu vini ad siccitatem per balneum Mariæ destillat, & sunt hi flores eleganter correcti: vel spiritus extractione impregnatus decantetur ac destilletur, & remanebit oleum. Commendantur etiam hoc loco flores sulphuris, sublimati cum regulo antimonii Marriali stellato; nam hi participant simul de antimonio, Marte, & sulphure.

Usus florum antimonii est, quod quidam sint emetici, quidam verò diaphoretici, ac anodyni simul. Hi sunt fixiores, illi verò volatiliores. Fixiores isti in tinctura sic dicta antimonii sicca imprimis se exerunt; volatiliores verò in cæteris ferè floribus, tam per se quàm cum sale ammoniaco paratis, quo volatilissimæ & subtilissimæ antimonii crudi partes liberantur ex compedibus partium terrestrium, & indè ita fortiter operantur & violenter. Quoniam ergò utplurimùm vehementi admodùm hypercatharsi graviter turbant ægros, propterea corrigendi sunt.

Correctio consistit in sulphuris volatilioris, ejusque acrimoniæ quasi arsenicalis fixatione & attemperatione. Aliquot corrigendi modos præscribit AUTOR beneficio salis tartari & spiritus vini.

Et quidem *Correctio* 1. *pag*.433. utut sit laboriosa, omnium est optima nempè sicut sal tartari, aut cum eodem paratum sal essentiale tartari, est universalis Corrector quorumvis venenorum vegetabilium, ita etiam flores antimonii optimè corriget; figit enim nimis antimonii sulphur, & sic fit remedium tutum & mitius. Sal essentiale autem tartari est sal tartari cum aceto destillato saturatum.

Correctio 2. fit cum *spiritu vini mellito*, qui optimè corrigit purgantia, & propterea FINCKIUS cum spiritu vini mellito solet corrigere suos flores, quos, uti dixi, egregio effectu usurpat in Maniacis. Distinguendum autem hic est inter flores per se mitiores, & inter hos maligniores: Dum scilicet albi plurem habeant malignitatem arsenicalem & Mercurialem; citrini verò & flores rubri plus participant de sulphure antimonii fixiori: unde etiam isti adhuc sunt maligniores ipsis floribus rubris & citrinis. Mitiores isti corriguntur simpliciter phlegmate mellis spirituoso cum spiritu vini juncto, prout innuit HOFFMANNUS *pag* 313. hoc enim modo flores in sole, & alio loco calido, per mensem circulati, menstruo abstracto asserventur; sic enim violentia florum antimonii, quæ à cruditate quasi erat, beneficio hujus menstrui erit concocta & sublata, ut tantùm sedes moveant: sin verò fortioris fuerint operationis hi flores, simul spiritus mellis acidus proliciendus, ac cum spiritu vini jungendus, ut eò certiùs figantur. Breviùs & compendiosiùs possunt corrigi, si scilicet antimonium calcinetur, sublimetur, & à floribus aliquoties spiritus vini abstrahatur, qui ultimâ vice cum iis probè permistus efflagrare permittatur; sic enim à gran. x. ad xx. per inferiora purgant, & non, nisi in valdè dispositis, vomitum cient. Quod si præterea acetum destillatum aliquoties abstrahatur, fiunt hi flores diaphoretici.

Correctio 3. & *Fixatio per se* est egregia; sicuti & suprà Mercurius vitæ parili ferè ratione correctus fuit. Coincidit hæc quoad rem ipsam cum correctione TACHENII *Hippocr. Chym. cap*.27. dum reguli flores acidum ignis corrigit & figit: nempè acetum destillatum uti antimonialia quælibet figit & coercet, ita & acidum lignorum vel carbonum in igne elevatum, eandem vim habere, manifestum est. Idem labor est BASILII VALENTINI *pag*.245. saltem quod circumstantiæ variant, & pulvis candidus ex processu TACHENII emergat, qui in cæteris ruber est.

Correctio 4. *pag*.434. fit, si flores antimonii conterantur cum *sale communi*, & loco hujus cum Mercurio sublimato. Idem ferè cum Mercurio vitæ suprà insinuatum fuit, & coincidit cum ipso labore, quando vel Mercurius vitæ Mercurio dulci, vel etiam flores antimonii per sal ammoniacum sublimati & eloti, cum eodem Mercurio dulci permiscentur, prout docet AUTOR *de floribus antimonii nu*.3. *Nota* 2. *pag*.432. Nam acidum salis communis est, quod virulentiam florum coercet: id quod manifestum est in via humida quando nempè LOCATELLI *in Theatro arcanor.* arcano 29. *pag*. 157 flores antimonii per inferiora purgantes præparat, abstrahendo à floribus communi modo præparatis duplex pondus spiritus salis quatuor vicibus, & postmodum ab edulcoratis probè spiritus vini ter deflagretur, sic enim moderatè cathartici tantùm evadunt flores.

Quoad *flores antimonii diaphoreticos nu*.7. non benè succedit hic labor. Potiùs ergò usurpanda præparatio BASILII VALENTINI cum colcothare vitrioli *pag*.199.

Num.8. Habentur *Flores cheiri Theophrasti Paracelsi*, quos hoc nomine appellat propter similitudinem coloris. Cæterùm quomodo sint parandi? res est adhuc dubia; quoniam nulli facilè detexit sua arcana PARACELSUS. Observetur enim, flores Paracelsi esse fixos, moventes diaphoresin, & egregiè purificantes Massam sanguineam. Quando solvuntur hi flores in cella per deliquium, vocatur à Paracelso *oleum dulce pro fistulis*; quoniam sit arcanum & egregium remedium contra fistulas. *Descriptio in* AUTORE est falsa, cum purgent per inferiora. Coincidit tamen AUTORIS *modus* cum modo BASILII VALENTINI, quem modum, quare HOFFMANNUS rejiciat, non video.

Subnectit AUTOR *fixationem florum antimonii cum calce viva*, quæ præparatio intricata est & difficilis: corrigenda ergo per præparationem HOFFMANNI *pag*.314. Estque hæc fixatio calcis vivæ nihil aliud, quàm sulphuris antimonii, mediante alcali calcis vivæ extractio in via sicca, & extracti cum aceto destillato præcipitatio. Coincidit reverà hic labor cum præparatione sulphuris antimonii in via humida, quam habet AUTOR, ubi *de sulphure antimonii num*.1.

Ex floribus antimonii Rotulæ purgantes fieri solent, dum affunditur Vinum generosum, & ad tempus digeruntur, & postmodum ex vino additione sacchari *Rotulæ purgantes* formantur.

Cinnabaris antimonii num.9. Constat ex sulphure antimonii, cum Mercurio vulgi conjuncto, revivificato ex Mercurio sublimato in destillatione butyri antimonii. Et quidem, dum sulphur se sublimat, simul sublimantur quædam particulæ antimoniales: quæ dum in fusione rursus abeunt in antimonium verum antiquum, imposuisse dicuntur quibusdam, ut crederent, quod tota cinnabaris sit antimonium, non verò simul sulphur; sed cinnabaris hæc antimonii de sulphure ejus externo saltem participat, non de interno; cum ex regulo parari non queat: ob id cinnabaris nativa huic antimoniali præstantiæ palmam ferè facit dubiam.

In Præparatione hujus

1. Necessum est, ut collum retortæ sit satis amplum: nam si non amplum, non facilè adhæret; aut si adhæret, retortam diffringit, & sic sulphur antimonii, quod in flores abit, per rimulas exhalat.
2. Urgenda est destillatio butyri antimonii & cinnabaris sublimatio mox satis forti igne, ut junctim sulphur cum Mercurio eò citiùs adscendat: aliàs Mercurius fugitivus avolat, & relictum antimonii corpus seu sulphur comburitur.
3. Jubetur observari proportio, ut ad part. j. antimonii, part. ij. *Mercurii sublimati recipiantur*.
4. Ne mistura ante destillationem exponatur aeri humido; aliàs enim liquescit in butyrum, & non abit in cinnabarim.

Plura de Cinnabaris antimonii præparatione & natura videbitis in M. A. N. C. *Anno* 3. *Obs*.105. *pag*.172. & KUNCKELIO *in Tr*.2. *pag* 27.

Usus ejus est diaphoreticus, anodynus, in malignis alexipharmacus, & in affectibus generis nervosi antiepilepticus; Unde basin con-

constituit pulveris cephalici D. HARTMANNI, uti etiam *specifici cephalici* D. MICHAELIS: sicut & mediante cinnabari hac curavit D. MICHAELIS in aula Altenburgica Principissæ quandam virginem desperatâ epilepsiâ laborantem. In specie autem cinnabaris sociata cum salibus volatilibus, remedium egregium est in morbis malignis, systema nervosum simul affligentibus. In affectibus senum catarrhalibus datur cum sale volatili succini. Gravidis quoque datur, ut fœtum ab epilepsia præservet. Plura de cinnabaris antimonii usu *suprà*, ubi *de cinnabari nativa*, fuerunt insinuata.

Saltem probè purificetur cinnabaris antimonii, antequam interiùs sumatur, repetitis aliquot sublimationibus, tribus, quatuor vel quinque, nunc pluribus, nunc paucioribus vicibus, tamdiu nempè, donec pura adscendat, nec sublimatum quasi arsenicale in cucurbitula sublimatoria supra cinnabarim appareat; aliàs adhuc vomitus movet. In qua sublimatione observentur encheirises suprà dictæ, & ratione regiminis ignis & ratione instrumenti, ne comburatur: si enim comburatur, nec acquirat scarletinum colorem, sed rubescentem, & quasi nigrescat, inepta est pro usu Medico interno.

Sequitur jam

DESTILLATIO

Antimonii, cujus modos aliquot habet AUTOR.

Num. I. docet *acetum antimonii* ex minera antimonii, quæ ex retorta per lenem ignem destillata, suggerit parum liquoris volatilis acris, idque saporis non admodum acidi. De hoc ipso aceto genuinum videtur judicium BECHERI *Physf. subt. pag.* 431. Illud nempè adscribendum esse sulphuri minerali combustibili, hujusque acido mineræ commisto, adeòquè spiritui sulphuris maximè cognatum est; unde & non nisi ex minera destillando prolicitur, cum istud acetum in fusione antimonii maximam partem exhalavit: sicut è contra antimonium jam fusum plures subministrat flores, quàm minera. Quin imò Basilius Valentinus per campanam instar spiritus sulphuris præparare docet hoc ipsum acetum, circa quam præparationem probè notandæ encheirises, quas annectit KERCKRINGIUS *in Comment. pag.* 290. sicuti pro uberiore aceti hujus acquirenda copia, minera lævigata priùs aliquandiu in aqua pluviali, aut Majali, aut tonitruali, in fimo equino vel alio loco tepido, per aliquot dies & noctes digerenda est, & quasi fermentanda, ut ita successivè acidum illud sulphureum embryonatum, in minera delitescens, resolvatur meliùs, ac destillabile evadat: & sic exinde volunt parare menstruum, cujus hoc sit proprium, ut optimè propriam antimonii solvat substantiam. Adhæc repetitâ semel aceti spiritus super novam mineram affusione, digestione, & destillatione, major ejus copia acquiritur. Dicitur aliàs etiam *Aqua antimonii vitriolata* hoc acetum.

Multum quidem pro usu Præparationum antimonialium huic aceto tribuit BASILIUS VALENTINUS, sed quoad *Usum Medicum*, dubito ferè an adeò multum discrepet à spiritu sulphuris communi? unde & usus ejus per se patescit. Est enim reverà sulphur antimonii resolutum: unde in febribus malignis permistum potui ordinario, non contemnendum est remedium.

Quoad *Olea antimonii*, ea citiùs ex pumice genuina, quàm ex antimonio eliciuntur, suntque nihil aliud, quàm concreta fluida crassa, ponderosa &c., ex acido additi corporis salini, cum particulis regulinis antimonialibus coalescente, enata. Addita ista corpora salina, quæ sub tali liquoris forma larvant antimonium, sunt frequentissimè vel saccharum, vel sal commune: Cum saccharo vel simpliciter addito antimonio crudo, vel huic cum aceto destillato plùs minùs impregnato, prodit destillando liquor acidus sulphureus plùs minùs empyrevmaticus, qui reverà est ex saccharo, sed cui particulæ antimoniales regulinæ plùs minùs permistæ sunt.

Fundamentum destillationis consistit in eo: quod in igne saccharum solùm prodat suum spiritum acidum instar aceti: quando ergò permiscetur cum antimonio, spiritus hic sacchari acidus aggreditur antimonium, hoc rodit & secum jungit, atque sub forma olei prodeunt. Sed sunt tantummodo superficiales larvæ antimonii; unde eorundem usus internus est nullus, sed saltem externè in fistulis, ulceribus, &c. usurpatur.

Variæ hujus Olei sunt præparationes. Loco omnium ab AUTORE recensitorum modorum sit v. g. *Oleum* illud *antimonii saccharatum Hoffmanni pag.* 315. Oleum tale antimonii saccharatum accuratiùs paulò paratum internè solet esse bonum sudoriferum; sicuti externè pro mundificandis ulceribus sordidis ac cacoetheis laudari solet.

Ex *Oleo saccharato num.* 5. *pag.* 435. SENNERTUS facit pilulas contra quartanam.

Oleum Antimonii saccharatum BASILII VALENTINI, ex ana *sacchari* & *antimonii* destillatum, commendatur à quibusdam in morbo caduco, uti etiam in affectibus cerebri. AGRICOLA destillat *oleum antimonii saccharatum* ex *sulphure antimonii vero*, ex cinnabari ejusdem separato, & *sacchari candi*, ana: addit aliquantulum aceti destillati, & post digestionem per retortam destillat liquorem, ex quo per *spiritum vini* extrahit Tincturam: abstracto postmodum spiritu vini ad mellaginem, destillatur ex retorta oleum, cujus guttæ 8. purgant.

Par ratio est *olei antimonii melliti* ab AUTORE *num* 9. descripti: sub ista nempè ebullitione & destillatione prodiens spiritus acidus mellis rodit antimonium, & aliquantulum ejus destillando secum rapit; unde emergit tale compositum, usu externo chirurgico pro ulcerum cura celebre.

Olea antimonii, quæ *cum sale communi* fiunt, sive siccâ sive humidâ viâ, ab AUTORE insinuantur *nu.* 10. 12. 19. 14. 15. 17.

Num. 10. reverà obtinetur simpliciter *butyrum antimonii*, ex quo *Mercurius vitæ* seu *Magisterium antimonii* præcipitatur. Qui legit processum, facilè hoc persentiscet.

Num. 12. *pag.* 418. ex regulo antimonii stellato cum Mercurio sublimato, ipso AUTORE fatente, obtinetur saltem *butyrum antimonii*. Unde quoniam superiùs locuti sumus de butyro antimonii, non est ut jam multis dicam. Post destillationem antimonii, si capiti mortuo affundatur spiritus vini, & fiat extractio, & per retortam destilletur, prodit

1. *Spiritus vini*,
2. *Liquor flavus*, &
3. *Liquor rubicundus*, quem valdè commendant in colica & morbis tartareis.

Aqua fortis pro oleo Antimonii crystallino num. 13. adhibita, reverà est *spiritus salis*; unde cum floribus antimonii destillatus dat liquorem butyrosum, ex quo etiam præcipitatur *Mercurius vitæ* duplex ab Autore: nempè vehementior iste cum aqua communi præcipitando, vel correctior alter, cum oleo tartari per deliquium corrigendus.

Num. 14. habetur compositum *antimonii oleum ad vulnera*; cujus occasione considerabimus modum POLEMANNI parandi *Balsamum sulphuris*, *Tr. de sulphure Philos. pag.* 13. & 31. scilicet loco sulphuris communis sumit sulphur auratum antimonii, hoc solvit ac extrahit cum spiritu terebinthinæ, & facit balsamum sulphuris antimoniale, quod præfertur balsamo sulphuris communi, in morbis externis curandis.

Num. 15. sunt liquores salini acido-sulphurei ad imitationem butyri antimonialis, adeòquè cautè usurpandi.

Num. 16. *pag.* 439. est reverà balsamum sulphuris Martialis: Nam nitrum cum antimonio mistum deflagrando alcalisatur, adeòquè cum sale tartari junctis viribus agit in sulphur antimonii, quibus suas suppetias addit calx viva: Sulphuri antimoniali per alcalia extraverso, affunditur spiritus seu oleum terebinthinæ, & sic obtinetur genuinum *balsamum sulphuris antimonii*. Destillatio, quam injungit AUTOR, est superflua; dubito enim, an de antimoniali concreto aliquid per retortam transeat? Faciliori viâ ex sulphure antimonii aurato parari potest hjusmodi *balsamum sulphuris*, oleo quovis, vel destillato vel expresso, ad imitationem POLEMANNI *jam citatis* sicut etiam facilior modus insinuatus est à ZWELFERO *Mant. Spagyr. pag.* 381. Verum est, sanè nobilissima sunt hæc balsama sulphuris antimonialia usu chirurgico externo, tàm pro consolidandis vulneribus, quàm mundificandis ulceribus.

Processum *spiritus ex regulo num* 18. non puto esse genuinum.

Num. 19. *destillatur crocus metallorum cum pane*, ubi prodit saltem *spiritus acidus panis* cum oleo, parum vel nihil de sulphure antimonii participans; ex quo patet, quid habendum sit de usu ejus antepileptico? Aliàs si rectè hæc instituitur præparatio seu destillatio, aliquid habet in recessu, quoniam multum præstat in eliciendis Tincturis metallorum.

Clyssos antimoniales quod attinet: Clyssi nomine nil aliud insinuant, quàm spiritus minerales compositos; unde pro ingredientium varietate multiformiter variant, omnes tamen ferè per retortam tubulatam destillari solent. AUTOR *noster* duplicem habet Clyssum: vel acidum, vel urinosum. Ille paratur à sulphuribus, per deflagrationem sui acidum spiritum suggerentibus. Hic ab iisdem, antimonio cum tartaro & nitro misto.

In *aqua* ergò *Stimmi sulphurea num.* 20. *pag.* 440. ex antimonio, nitro & sulphure parata, fundamentum operationis consistit, quod hæc ipsa ingredientia in retortam in fundo benè candefactam sensim sensimque cochleatim ingesta flammam concipiant, sub qua cum impetu spiritum acidum in receptaculum eructant, in quo propterea sit aliquid aquæ communis, ut citiùs se uniat, & condensetur. Interea nitrum deflagrans ex parte alcalisatur sub sui deflagratione cum sulphure, atque agit in antimonii sulphur, quod subitaneam inflammationem subterfugit, atquè cum eo caput mortuum, instar croci metallorum, constituit. Spiritus cum summo impetu prodeunt; unde inter receptaculum & retortam parvum foraminulum sit apertum cum suo ligneo obturamento ad prohibendam ruptelam: simul quoque collo receptaculi adhærere solent flores subrubicundi & pallidi: & quidem, ut eò citiùs spiritus impetuosi condensentur in receptaculo, convenienter applicatur eidem linteum aquâ frigidâ madidum. Proportio Ingredientium Autoris non videtur adeò concinna propter copiam sulphuris; namque tàm in sulphure communi, quàm antimonio, nitrum non potest convenienter deflagrare. Parum igitur Clyssi habetur: unde potius cum GLAUBERO hanc

hanc proportionem aſſumamus: Nempè

℞. *Antimonii* ℔j.
Nitri ℔. ij.
Sulphuris ℥iij.

& deſtillentur more præſcripto, & acquiritur hac viâ ſpiritus acidus volatilis, ſimulque *flores antimonii incarnati* elevantur.

Vel ad imitationem CNOEFFELII:

℞. *Nitri* p. ij.
Sulphuris crudi,
Reguli antimonii ana p. j.

Hæc invicem mixta deſtillentur; quod obſervetur contra HOFFMANNUM *Clave p.* 317.

Spiritus qui prodit acidus volatilis ſulphureus, eſt egregium alterativum in morbis acutis, Julepis permiſtus: ſicuti etiam loco acidularum artificialium potui poteſt inſtillari: valdè convenit etiam in inflammationibus & infarctionibus viſcerum, quod referat. Sudoriferus ſimul eſt, & etiam ſanguinem ab inquinamentis variis non incommodè depurat. Præferendus ergo quibuſcunque ſpiritibus mineralibus pro uſu interno; vi enim diureticâ ſingulari pollet.

Loco aquæ communis, in receptaculo contentæ, ſunt, qui liquorem ſeu aquam betulæ recipiunt bono cum conſilio: Accipiunt enim ſic liquorem in depurando ſanguine, & per poros expellendis illius impuritatibus, mirabilem.

In genere ſolent hi Clyſſi vocari *ſpiritus pro acidulis artificialibus*, adeò, ut liquores potulenti impregnati his clyſſis ſoleant ſubſtitui à quibuſdam, ſed malè, loco acidularum naturalium, & ob id vocantur Acidulæ artificiales. Quidam nitro, antimonio & ſulphuri in debita proportione miſtis, admiſcent ſimul terram ſigillatam ſeu bolum optimam, & ita deſtillant per retortam ſimplicem ſine tubulis, ſed optimè loricatam, priùſque irrorant phlegmate vitrioli, & receptaculo immittunt rorem majalem vel aquam deſtillatam compoſitam appropriatam.

Aqua Stimmi tartarea num. 21. fit ex antimonio, tartaro, & nitro. Nam attactu ſulphuris antimonii ac tartari nitrum cum iſtis inſignem flammam concipit, ſub qua oleum tartari copioſum abit in ſpiritum urinoſum, qui interdum etiam ſub forma ſalis volatilis ſe concentrat, & de ſulphure antimoniali plùs minùs participat. Ritè enim paratus, obſcurum rubicundum colorem poſſidet: ſub iſta autem deflagratione nitrum alcaliſatum cum aliquali ſalis fixi tartari parte agit in adjunctum antimonium, & cum eodem crocum metallorum conſtituunt in capite mortuo. Unde ex capite mortuo adhuc regulus antimonii parari poteſt, & ex hujus ſcoriis ſulphur auratum antimonii, vel ex integro capite mortuo cum triplo nitri antimonium diaphoreticum obtinetur.

Spiritus qui prodit urinoſus volatilis ſulphureus, eſt *ſpiritus tartari*, egregium diureticum, diaphoreticum, & nephriticum, carminativum, acidi correctivum, in genere plurimorum affectuum chronicorum, ſub ſcorbuti aut mali hypochondriaci nomine familiarium, mitigativum, tum per ſe tum ſuper proprium caput mortuum rectificatus. Eodem modo parat GLAUBERUS *ſpiritum antimonii tartariſatum*, ex *antimonii præp.* part. iij, & *tartari crudi* p. xij. vel xv. Coquit in aqua ad ſolutionem tartari, & antimonii: ſolutionem decantatam exhalat, & pulv. deſtillat per ſuum furnum ſecundum (cui poteſt ſubſtitui retorta) in ſpiritum, cum quo ſimul etiam prodit oleum.

Pertinet etiam huc Tinctura famoſa *Nephritica Ammelungi*, quæ ſimili modo per retortam ex ana *tartari*, *nitri*, *antimonii aut mineræ hujus*, ac *ſilicum ſolarium* paratur. Quoad modum: pulveriſantur omnia, præter nitrum, pulveres probè miſcentur: miſtis nitrum in aqua calida ſolutum ſuperfunditur, ac probè invicem ſubiguntur, hinc in cellam per aliquot dies & noctes reponuntur, ac tandem per retortam tubulatam deſtillantur; & prodit ſpiritus rubicundus egregius, multi uſus in ſcorbuto, cachexia, affectu hypochondriaco, &c. Imprimis autem nephritidis atque calculi ſolamen eſt: Videatur CLAUDERUS *de tinctura univerſali cap* 6. *pag*. 268. & 269.

Ejuſdem naturæ eſt dictus *ſpiritus carminativus de tribus*, qui ex *tartaro* & *nitro* deſtillatur in receptaculum, in quo ſit aliquantulum *ſpiritus vini tartariſati*.

Quoad *liquationem*: ſcoriæ reguli per ſe diffluunt in aere humido, & liquor filtratione depuratus erit egregius in chirurgia, uti habet *Autor pag*.441.

EXTRACTIO.

In forma ſicca *ſulphura*, in liquida verò *Tincturas* ſuggerit.

Sulphur, uti notum eſt, copioſiſſimum reperitur in antimonio, & quidem ſimillimum ſulphuri communi: quod ipſum tamen pro varietate additorum varios induit colores. Extrahitur autem ex antimonio vel *directè*, vel *indirectè*. *Directè* per *alcalia fixa*, quos modos docet AUTOR; item per *oleoſa*, tam deſtillata, quàm expreſſa, ut in *Balſamis ſulphuris antimonialibus*, de *quibus ſuprà*. *Indirectè* verò extrahitur per acida, v.g. per *aquam fortem*, vel per *aquam regiam*. Hæc ipſa enim dum agunt in regulum antimonii immediatè, per accidens faciunt, ut ſulphur ſeparetur à regulo, adeò que per ſe haberi poſſit: qualis eſt modus TACHENII *in Hipp. chymicô*, quem etiam habet ZWELFERUS *Mant. Spagyr. pag.* 381.

Sulphura AUTORIS *per alcalia extracta* in plurimis coincidunt cum croco metallorum, ſaltem quod hic in via ſicca ferè præparetur: interim tamen etiam ſulphura antimonialia, tam per alcalia ſoluta, ſeu ex iis parata lixivia, adeòque in via humida, quàm non ſoluta in via ſicca, parari poſſunt. In via humida per liquores lixiviales, vel ex calce viva vel ſale tartari, extrahit ſulphur ex antimonio AUTOR *num.* 1. & 2. per digeſtionem: quò & *liquor ſilicum Glauberi* pertinet, cum quo fuſum antimonium ſulphur emittit: Ratio, quoniam ſalia hæc alcalia ſe promptè uniunt cum ſulphure antimonii, quod in ſuo receſſu eſt acidum: Sulphur extractum per acetum deſtillatum facili modo præcipitat; hoc enim ſe ſociando cum alcali, extrudit antea imbibitum ſulphur.

In *via ſicca ſulphur antimonii* parat WILLISIUS *Pharm. Rat. P.* 1. *pag*. 64.

Vel

℞. *Antimonii* ℔ ß.
Calcis vivæ ℔. ij.

Miſta probè calcinentur per 2. horas, & elixivientur: lixivio inſtilletur *acetum deſtillatum*, & flores ſeu ſulphur antimonii, elegantiſſimi ac crocei coloris, præcipitabitur, ex quo cum *ſpiritu vini tartariſato* Tinctura elici poteſt. Sed utut his modis facilè & promptè ſulphura ex antimonio extrahamus tamen nec ſic quidem à regulino conſortio penitus immunia videntur, cum totum ferè antimonium per alcalia ita rubefieri & ſulphurari queat.

In *ſecundo modo* beneficio hujuſmodi ſulphuris antimonii, conjuncti cum ſulphure communi & nitro, quidam volunt transmutare lunam in ſolem, ut videri poteſt in SCHMUCKIO, *Theſauro* 2. *Secreto Chym.* 12.

Sulphura hæccè antimonialia in pulverem fixum diaphoreticum redigere docet AUTOR *pag*.442. *Tit. Nix diaphoretica*. Ac ſanè ſuccedit negotium cum oleo vitrioli ex AUTORE modo præſcripto. Sed tutiùs ac pro uſu medico concinniùs fit *pulvis diaphoreticus*, ſi cum ſextuplo ſpiritus nitri fixatio inſtituatur.

In præparatione *ſulphuris ex antimonio calcinato num.* 3. tartarus alcaliſatus agit in ſulphur antimonii, unde poſtmodum ſal tartari, impregnatum ſulphure antimonii, ſolvitur in aqua, ex qua ſolutione beneficio acidi præcipitatur ſulphur, quoniam acidum ſe conjungit cum ſale alcali tartari. Sed neceſſe eſt, ut diu ac probè in igne ſubſiſtant, aliàs cum AUTORE fruſtra laboramus. Par ratio eſt *ſulphuris num*.6. *inſinuati*.

Pertinet huc *Tartarus tartariſatus Antimoniatus*. Recipiuntur ſcilicet *ſcoriæ reguli antimonii*, parati ex tartari, nitri & antimonii ana: ſolvuntur in *aqua ſimplici*, & filtrantur: ex aqua filtrata beneficio *ſolutionis cryſtallorum tartari* præcipitatur *ſulphur*, & hoc ſulphur præcipitatum beneficio filtri ſeparatur: aqua relicta ſale fixo tartari & nitri, item cryſtallis tartari ſolutis impregnata, poſt lenem evaporationem coagulatur in cryſtallos, quæ vocantur Tartarus tartariſatus antimonii, & convenit in febribus intermittentibus, præmiſſis imprimis univerſalibus.

Modus Autoris cum Marte ſeparandi ſulphur antimonii quod minùs procedat, aſſerit HOFFMANNUS *l. a. pag*. 319. Sed ipſe non probavit, ſicuti plura alia ab eo ſine propria experientia poſita arbitror. Interim non impoſſibile eſt negotium: nempè ſulphur antimonii adoritur Martem, qui, dum ab aceto deſtillato fortiori ſeu manifeſtiori acido roditur, ſulphur illud dimittit.

Juxta *modum num*.4. fit *regulus antimonialis*, ex cujus ſcoriis facilè ſulphur extrahi & præcipitari poteſt.

Num. 5. & 8. ab alcali nitri in hepate antimonii, acuato ab alcalibus lixivii, elicitur ſulphur, acidi inſtillatione facilè præcipitabile.

Num.7. *pag*.443 ex ſcoriis reguli *ſulphur auratum triplex* habetur: quod *primò* præcipitatur, eſt *vehementiſſimum*, & quaſi crocus metallorum, ſupra & infra purgans: quod verò *ſecunda vice* cadit, *mitius* eſt: *mitiſſimum*, quia fixiſſimum, quod *ultima præcipitatione* ſeparatur. Poteſt etiam ſub hac ipſa ultima præcipitatione artificioſâ encheiriſi præcipitari *pulvis antepilepticus* quorundam *anodynus*, ſingularis revera ſomniferus, cujus uſu repetito obſervavi, quod primâ vice ordinariè vomitus faciat, poſt horas aliquot, vomitu & vi emeticâ ceſſante, ſomnum inferat, quo tamen ægri ſudore frigido ferè diffluunt: ſed parum ſuggerit. Remedium polychreſtum eſt in caſibus multis propter vim diaphoreticam & anodynam.

Doſis in adultis gr. ij. vel iij, infante reſpectu virium, v. g unius anni gr. j. ß. ad ii. pro duabus doſibus; interea quoque gr. i. pro duabus doſibus ſufficit. Loco aceti quidam cum tartaro hocce ſulphur præcipitare, & inde univerſale purgans per inferiora parare ſatagunt: Nempè

℞. *Antimonii crudi*,
Tartari,
Nitri ana part. æqual.

Seorſim pulveriſata miſceantur exactè, detonentur in crucibulo, & fluant; ſeparetur inde regulus quod ſi neceſſe videatur, ſeparatio reguli etiam ſecundâ vice fieri poteſt. Jam

℞. *Scoriæ*: paretur exinde cum *aqua ſimplici* ſolutio, præ-

cipitetur pedetentim cum *aqua calida*, in qua *tartarus albus* probè *pulverisatus* solutus sit: *sulphur* præcipitatum edulcoretur postmodum probè.

Dosis est adultis à gr. i. ad v. infanti gr. i. arbitror mitius ac tutius futurum remedium, si *spiritus vini* desuper deflagretur.

Ipsum lixivium solutionis scoriarum reguli antimonii prodest in ulceribus malignis, uti *superiùs dictum*.

Modus num. 9. non multum abludit à modo WILLISII, quia alcali tartari solvit sulphur & extrahit, acido aquæ regiæ cum substantia regulina conjuncto manente.

Num. 19. AUTOR vult habere *sulphur ex cinnabari antimonii*, quod acquiritur cum lixivio salis tartari vel cinerum clavellatorum; sic præcipitatur in fundum lixivii Mercurius vivus, & sulphur in cinnabari cum Mercurio antea conjunctum, cum lixivio decantari potest. Sed non est consultum; Mercurius enim sulphuri antimoniali conjunctus, non deprimit ejus naturam, sed magis sulphur hoc extravertit, & sic bonum medicamentum per sui destructionem enervatur. Fundamentum separationis sulphuris antimonii à Mercurio consistit in hoc: quoniam alcalia solvunt sulphur, & dum hujus acidum magis ab illis saturatur, quàm à Mercurio, hic dimittitur. Verum quidem est, antimoniale sulphur, externum tamen, hoc ipso modo obtineri, ipso Mercurio revivificato pro remediis Mercurialibus parandis, propter sui puritatem aptissimo. Variat interim separandi hoc sulphur modus: dum quidam cinnabarim in lixivio coctam præcipitant cum aceto destillato in sulphur grumosum, fundum petens, inflammabile: quod si digeratur cum spiritu vini, & destilletur per retortam, prodit primò menstruum, nempè spiritus vini, deinde sanguis oleosus dulcissimus elicitur, qui optimum est medicamentum in depurando sanguine, & quàm plurimis affectibus, ut dicit POPPIUS *Tr. de antim. pag.* 45. Vel sulphur antimonii acquiritur cum limatura Martis: e. g.

℞. *Cinn. antimonii* p. ij.
Limat. Martis p. j.

Pellantur per retortam in *aquam frigidam*, & acquiritur *Mercurius vivus*: Acidum enim sulphuris rodendo Martem, mercurium dimittit vivum. Corpus in fundo remanens, & quod revera continet in se sulphur auratum antimonii, sublimetur cum *sale ammoniaco*, flores solvantur in aqua, & præcipitentur cum aceto destillato, & habebitur medicamentum nobile ex Marte & antimonio.

Paratur ex hoc sulphure *Panacea sulphuris antimonii*, quæ mirè commendatur in massa sanguinea depuranda cum leni diaphoresi; imprimis cum antimonium per se totum corpus mirificè purificet, uti superiùs dixi, quod uti aurum, ita & corpus humanum à sordibus liberet. In epilepsia quoque mire laudatur hæc Panacæa, item in dysenteria maligna. Loco autem Panaceæ ex hocce sulphure cinnabarino, magis consultum videtur consilium HOFFMANNI, substituendum esse Bezoardicum solare cum cinnabari antimoniali mistum.

Mercurius ex cinnabari revivificatus est depuratissimus, & propterea commodè potest usurpari in corpore humano, item commodè assumitur pro paranda *Arbore Hermetica*.

Hisce quidem modis per alcalia fixa eliciunt antimonii sulphura: observandum autem, non tantùm per salia alcalia fixa hoc fieri posse, sed & alcalia volatilia suum jus exercere in concretum antimoniale, & sulphura ejus elicere: sicuti hoc ipsum actu fit in sublimatione florum cum sale ammoniaco. Acidum enim hujus salis dum agit in regulum, alcali volatile agit in sulphur, & ita ex his omnibus junctis assurgunt *flores inflammabiles*, qui tamen à sale ammoniaco eloti, *sulphur inflammabile* repræsentant: Conf. BASILIUS VALENTINUS *pag.* 283. Quoniam tamen de integro antimoniali corpore participant, ferè vomitorii existunt. Quidam ergo cautiùs per sal ammoniacum sulphur antimonii sic præparant; sed benè observandæ sunt encheirises: scilicet

℞. *Miner. antimonii Hungar.* aut *antimonii crudi minutiss. pulver.* ℥vj.
Sal. ammoniaci sublimando depur. ℥iv.

Quidam ana recipere amant.

Terantur probè in marmore subtilissimè ac citissimè per trihorium; quò citiùs, eò melius: hinc in cucurbita sublimatoria, vel etiam vase sublimatorio plani fundi, speciatim ad hoc constructo, fiat sublimatio lenissimo igne cinerum vel arenæ per duos dies. Sed observetur simul hoc, quod unâ vice ultra ℥viij. misturæ vasi sublimatorio non debeant ingeri: *deinde* blandus, sed æqualis ignis gradus, per duos dies & noctes continuetur; Ascendit enim sic subtile admodum *sulphur colore aurantio*, quod assumptum in quàm plurimis morbis egregiè convenit, insensibiliter operando: edulcoratur cum aqua pluviali destillata aliquoties, ut omnis acrimonia salina eluatur, & exsiccetur. Sed probè attendatur ignis gradus: si enim in hoc erremus, impuritas quædam Mercurialis elevatur, unde remedium emetico catharticum evadit. Quod si ulterius remedium hoc perficere velimus, pulvis exsiccatus ponatur in phiolam in lento igne per dies & noctes octo, tunc fit rubicundissimus, eximatur, & habebimus veram antimonii essentiam volatilem, quæ meretur nomen *sulphuris solaris* ob virtutes eximias. Edulcoratum sal ammoniacum evaporet ad dimidiam partem, stet in loco leniter calido, tunc præcipitabit se pulvis rubeus elegantioris coloris, quàm primus; exsiccatus instar sulphuris ardet, & in febribus plurima facit.

Non minor ergo alcalium volatilium vis & potestas est in antimonii sulphur, quàm alcalium fixorum; quod patet etiam ex spiritu urinæ, quo si crebriùs irroretur minera antimonii & probè impaste tur, fit mistura nigricans; aeri verò exposita, brevi post colore au reo undique fulgebit, ac instar sulphuris aurati antimonii colorabi tur. Id quod persuadet etiam, hac ratione sulphur quoddam anti moniale parabile esse.

TINCTURÆ ANTIMONII.

Sequuntur Tincturæ: *Quid sit Tinctura?* optimè loquitur AUTOR, qui videatur. *Tinctura antimoniales* vix prostant genuinæ, hoc est, de intrinseco nobiliore & fixiore ejus sulphure participantes quod sulphur intimè in regulo concentratum naturæ solaris dicitur ab omnibus chymiatris: adeòque genuinæ Tincturæ antimonii non minoris æstimandæ sunt, quàm ipsæ solares Tincturæ; & talis Tincturæ antimonialis præparationem non minùs difficilem paratu esse arbitror, quàm metallorum perfectorum Tincturas, de quibus *suprà prolixiùs actum*.

Unde hactenus cognitæ antimoniales Tincturæ extractiones saltem & secretiones sunt sulphuris antimonii externi: interim tamen non penitus propterea contemnendæ ac rejiciendæ, quin cautè & artificiosè paratæ usui Medico subinde egregiè inserviunt. Patet difficultas genuinæ Tincturæ præparationis, quia postquàm quocunque modo per antimonii correctionem, per extractionem cum alcalibus, aliisque viis sulphur illud externum fuerit separatum; regulus tamen ejusdem ponderis ac ante operationes has vel non immutatus remanet, vel apparenter larvatus licet, facilè reductibilis est: Hinc est, quod imprimis pro genuinis magis, aut huic vicinioribus, Tincturis parandis vitrum antimonii hyacinthinum seligere soleant chymiatri; quia hoc sulphur volatile externum in calcinatione maximam partem amisit. Sed & hìc dubium est: *Annon rubedo seu hyacinthinus vitri color à sulphuris externi aliquantillo ejus relicto dependeat* quia, postquam ex tali vitro omnis Tinctura per spiritum viridi æris fuerit extracta, relictum hujus caput mortuum in verum regulum abire solet; adeòque sulphur illud internum solare illibatum retinet. Adhuc ex capite mortuo butyri antimonii, ritè parati, vitrum elicitur, sulphure externo propter cinnabarim sublimatam carens, indeque vitrum album exhibens, ex quo si non parari possunt æquè Tincturæ, atque ex illo vulgari hyacinthino, manifestum evadit, quod istæ magis de sulphure externo vitri hyacinthini quàm interno participent, adeòque, rigorosè loquendo, adeò genuinæ non sunt. De vera & legitima antimonii Tinct. refertur, quod scilicet ejus ℥ß. Lunæ ℥xx. debeat tingere in solem; quia sulphur antimonii dicitur esse de natura solari.

Præparationes autem Tincturarum sunt quamplurimæ, & tot, quot capita: AUTOR *noster* habet *modos* 32., quos inter nulla Tinctura est genuina. Interim certum est, quod si genuina quædam, vel huic proxima, Tinctura paranda veniat, ea ex vitro antimonii elicienda. Optimus hìc est Dux, BASILIUS VALENTINUS *in Curru Triumphali*, cujus vestigiis adeo laudabiliter insistit KERCKRINGIUS *pag.* 149. Sanè hoc loco descripta & explicata Tinctura inter hactenus cognitas palmam omnibus præripere videtur, & si quæ Tinctura antimonii usum præstare valet, qui esse dicitur, quod antimonium æquè corpus humanum purificare, atque aurum purissimum reddere soleat, hoc sanè hæc ipsa Tinctura præstare poterit. Hujus nonnihil laboriosioris loco sit quasi vicaria illa, quæ ex vitro pariter per spiritum vini ammoniacalem, qui vim singularem in vitrum antimonii pro extrahendo & extravertendo sulphure fixiori habet, parare, docetur à KERCKRINGIO *pag.* 145. quale sulphur antimonii fixum vim habet egregiam anodynam, & vi totius corporis purificativâ pollet: vel sit elegans illa ZWELFERI *in Mant. spag. pag.* 381. & 382. atque BOYLE *Philos. Experimental. P.* 2. *pag.* 14. ex vitro antimonii, aut antimonio crudo, cum spiritu viridis æris legitimè parato elaborata: Extractio igne arenæ ad syrupi consistentiam evaporet, ex quo cum *spiritu vini* Tinctura extrahenda, moderato igne ad debitam consistentiam abstrahenda. Hæc etiam aliquo modo laxat, & præterea sanguinem purificat, quod proprium est omnibus Tincturis antimonii.

Objiciat quis: Vitrum antimonii esse cathartico-vomitivum! Verum est: sed vis hæc ab acido ita figitur, ut habeatur Medicina insons.

Vulgarium aliàs, & aliàs cognitarum Tincturarum, tam ab AUTORE, quàm aliis descriptarum, fundamentum est sulphuris externi extraversio, sive per alcalia sive per acida fiant. Unde quæ ordinariè prostant, saltem extraversi hujus sulphuris cum spiritu vini imbibitiones, adeoque nunc plus minus subtiles esse solent. Sic per lixivia alcalia extraversum sulphur cum spiritu vini Tincturam constituit, quando ex *scoriis reguli antimonii* paratur Tinctura; (vid. KERCKRINGIUS *pag.* 234.) vel quando ex *antimonio*, cum duplo *alcali tartari* colliquato, mediante *spiritu vini rectificato* fit *Tinctura antimonii analeptica* Willisii *in Pharm. Rat. P.* 1. *pag.* 64.; vel quando ex *antimonio* & *tartaro* invicem colliquatis cum *spiritu vini* fit *Tinctura*, ut

ra, ut illa AUTORIS *num.* 12. *pag.* 447. Beato MICHAELIS olim in frequenti usu: vel etiam quando ex *croco metallorum* eadem mediante *spiritu vini* elicitur, qui modus est AUTORIS *num.* 10. *pag.* 446. Quando verò rosione reguli per acida, per accidens sulphur externum manifestius factum, postmodum cum spiritu vini elicitur, aut mediantibus illis acidis antimoniales particulæ solutæ cum spiritu vini in Tincturam unibiles reddantur, illud fit speciatim per præviam cum aceto destillato aut spiritu viridis æris solutionem & extractionem; qualis v. g. ista ZWELFERI *loco citato*, vel HOFFMANNI *Clav. pag.* 321. ex vitro antimonii solari: vel ista AUTORIS *ex eodem vitro num.* 8. vel ex *antimonio fixo* AUTORIS *num.* 16, *pag.* 448. item *ex floribus Autoris num.* 23. & 24. *pag.* 450. Ad has classes tantum non omnes aliàs cognitæ & usitatæ Tincturæ facilè redigi possunt.

Tincturam Antimonii cum spiritu vitrioli Philosoph. nu. 1. *pag.* 444. parant quidam, affundendo hunc mineræ antimonii dictum spiritum, aliquoties cohobant, & ita postmodum elegantes crystallos acquirunt, ex remanentia verò Tincturam extrahunt. Modus est hic:

℞. Mineræ antimonii ℔. ij.
Pulverisatæ superfundunt
Spiritum vitrioli philosophicum ad eminentiam trium digitorum:

Et in aliquot diebus & noctibus solvitur in viscositatem rubicundam, reiterantque, donec omnis rubedo extracta: Extractum destillant ad mellaginem, quæ mellago cochlear argenteum inaurare dicitur: Hanc mellaginem extrahunt cum *spiritu vini*, & est elegans Tinctura; vel abstrahunt spiritum vini destillando, & aucto igne prodit *oleum antimonii rubeum*. Caput mortuum calcinatur, & cum aceto destillato extrahitur, sal purificatur, & cum oleo prædicto digeritur, & aliquoties destillatur, donec omnia transeant, qui est liquor magnæ commendationis.

In *tinctura ex antimonio crudo cum aceto antimonii nu.* 3. ut legitimè procedatur, præprimis attendenda encheirisis, quam descripsit THOLDIVS *Comm. in Suchten. de antim. pag.* 339. & hinc vocatur ab HILDESHEIM, *pag.* 435. *de affectibus cerebri*, hoc *oleum antimonii melle dulcius*, & in transitu per alembicum miros & aspectu suaves colores repræsentare dicitur. *Tinctura* ista *ex vitro antimonii nu.* 5. *pag.* 445. est nobilis, quam parare BASILIUS VALENTINVS docet, & genuinam encheirisin insinuat KERCKRINGIVS *pag.* 149.

Tinctura ex vitro antimonii solari num. 7. *pag* 446. non succedit, nisi priùs mediante spiritu viridis æris particulę antimoniales solutæ fiant aptæ, quin à spiritu vini solvantur.

Loco *tincturæ ex antimonio tartarisato num.* 11. *pag.* 447. assumi possunt scoriæ reguli antimonii, affundendo spiritum vini, & ita fit *tinctura antimonii tartarisata*. Quidam parant tincturam antimonii cum liquore silicum GLAUBERI: de quo superiùs sub silice: Mistus liquor silicum cum antimonio crudo fluat in igne, affundatur, & irroretur postmodum cum spiritu vini, & ita fiat extractio.

Observetur: quod sæpiùs in ejusmodi tincturis, quæ fiunt cum salibus alcalibus, Tinctura fit solius spiritus vini affusi, non antimonii: Nam spiritus vini infusus super salia alcalia promptè se tingit colore rubro, quem habet solummodo ex digestione, non verò ex antimonio.

Num. 13. habetur liquor quasi butyrum antimoniale, unde minus commodè succedit Autoris præparatio, quam propterea correctiorem dedit HOFFMANNVS *pag.* 322.

Balsamus Reguli num. 14. est *Balsamus sulphuris antimonialis terebinthinatus*: oleum enim terebinthinæ ex antimonio etiam crudo Tincturam extrahit: videatur BOYLE *in specif. & simpl. pag.* 137. & WILLISIUS *in Tr. de Ferment. cap.* 9. ubi etiam pro hoc scopo oleum lini commendat. Ex Balsamo hoc post olei abstractionem cum spiritu vini paratur Tinctura balsamica.

PARACELSUS habet præparationem antimonii, & quidem certum modum flores ejus fixandi, quibus fixatis extrahit Tincturam, quam vocat *Tincturam Lilii*.

De hac est concertatio inter Autores, quoniam est occulta, uti quàm plurima Paracelsi arcana. Duas præparationes habet AUTOR *num.* 17. & 19. *pag.* 448. & 449. & varii variè præparare nituntur nihilominus omnes hallucinantur, quoniam non est clarum, quomodo præparavit PARACELSUS. Ferè omnes in hoc conveniunt, quod sit paranda Tinctura ex antimonio per se sublimato, & cum se ipso in colorem rubeum digesto: sed hoc opus, hic labor: & hinc postmodum cum spiritu vini Tincturam extrahunt. Altioris enim est indaginis, uti docetur ab HELMONTIO, *optimo* PARACELSI *interprete Tr. Arcan. Paracelsi*. AUTOR *num.* 17. *ex floribus antimonii*, cum sale ammoniaco sublimatis, & edulcoratis, cum *spiritu vini* Tincturam extrahit: Verùm etiam ex floribus per se factis & fixatis sine sale ammoniaco cum spiritu vini parabilis est Tinctura: vid. ZWELFERVS *Mant. spag. pag.* 363. Vires ejus videbitis apud AUTOREM. Aliàs *Tincturæ num.* 17. 18. 19. 20. 21. & 23. coincidunt, quod sint simpliciter florum antimonialium plùs minùs fixatorum mediante spiritu vini in subtilem tinctam solutionem extractio.

Tinctura ex sulphuribus antimonii num. 21. *pag.* 450. hoc modo vix succedit; rara enim & subtilis textura spiritus vini non valet imbibere aut solvere sulphur antimoniale ita ruditer paratum, nisi præviis quibusdam præparationibus magis subtilisetur.

Tincturam ex sulphure antimonii aurato sub num. 28. *pag.* 451. non potui parare unquam: & sunt hæ tantum ab Autore exscriptæ; nunquam verò probatæ. Et sanè loco quarumvis Tincturarum ex sulphuribus antimonii, nempè externis, sufficiat sive citata *Willisiana*, sive *ex scoriis reguli Kerckringii*.

Lapis ignis Basilii num. 32. non tam levi paratur negotio, unde etiam rectè ab eodem descriptus fuit. Est nempè sulphur antimonii internum fixum, quod uti Mercurium figit particulariter in aurum, ita sub forma Tincturæ summum est humani corporis medicamentum.

Quoad vires Tincturarum antimonii vid. AUTOR. aliàs Tincturæ antimonii veræ admirandas virtutes multum deprædicat SUCHTENIUS *pag.* 196. & 308. *in Tract. de Antimonio*.

INFUSIO.

Infunditur antimonium vel crudum, vel quod in igne præparationem accepit. Ex pluribus autem Infusis antimonialibus pauca sufficiunt. Omnia enim ad idem coincidunt, & usu interno emetico-cathartica sunt, externè verò clysmatibus inserviunt, & oculorum affectibus.

Infusio antimonii crudi nullius ferè amplius est usus. Nam quod supra & infra purget juxta AUTORIS assertum, vix respondet experientiæ. Interim infusum tale antimonii crudi ad icterum, item decoctum antimonii crudi pro mistione cum clysmatis, videbitis in M. A. N. C. *Anno* 4. *Append. pag.* 38.

Cætera infusa vitri antimonii, croci metallorum, Mercurii vitæ &c. & quæ fiunt menstruis plus minus acidis, v.g. vino, succo citri, ribium, aceto aut similibus, horum acidum, etiam vini, utut dulce nonnihil, quicquam extrahit ex istis præparatis antimonialibus, sed ipsas abradit particulas vitri, quæ adeoque in infuso copiosiore aliquandiu asservata juxta fundum secedunt: id quod speciatim manifestum est ex aceto, quod sensibiliter rodit particulas antimoniales minimas. Hinc non opus est, ut infusi copiam in promptu habeamus, cùm aliàs particulæ plures secedant, nisi in talem redigantur consistentiam, quæ apta sunt nata sustinendis &, ut sic dicam, fulciendis illis particulis: ob id etiam dulcia vina, Hispanicum, Malvaticum, &c. minus pro ejusmodi infusionibus parandis conducunt. Hinc & rectè, WALÆO Autore, in ejusmodi infusis magis quantitas menstrui, quàm antimonii infundendi, consideranda; cum illud subtilissima quædam effluvia antimonialia absorbeat & imbibat: unde quo plus menstrui, eò plus etiam imbibere aptum natum est; v. g vitri antimonii vel croci metallorum ℈j. tam potenter impragnare potest ℔ß. vini, imo integram mensuram, quàm unam vel alteram unciam. Rectè nempè vis antimonii inexhausta dicitur, ita, ut unum idemque antimoniale 1000. infusis novis parandis aptum sit; cùm minimum sit, quod ex vitro antimonii vel croco metallorum &c. liquores eliciunt, adeòque nec ponderis sensilis differentia post infusionem superfit: ac etiamsi tandem post frequentiores Infusiones debilitatum non-nihil videatur antimonium, saltem novâ fusione vel incandescentia factâ iisdem usibus denuò inservit.

Quoad modum infundendi: inter Vina emetica quasi extemporanea optimum est, quod habet KERKRINGIVS *pag.* 169. e. g.

℞. *Vitri antimonii*, vel *Croci metall.* gr. vj. vel q. v.
Infund. in *Vinum Rhen.* vel aliud generos. per noctem in loco calido.
Manè filtretur, & propinetur ad ℥j. add.
Aquæ Cinnam. ℨj. M.

Infusio hæc egregium & optimum est catharticum & vomitivum, quæ longè meliùs & efficaciùs purgat per vomitum, quàm omnia Vegetabilia vomitiva.

Pro dosi autem sufficit ℥j. pro adulto, & robustioribus ℥iß. ad summum; puero verò ultra ℨß. vix datur.

Quod dictum est de vitro & croco, etiam potest intelligi de *Mercurio vitæ*, qui est fœtus antimonii, & æquè potest infundi, atque illa: Et, uti *superiùs dixi*, quod BILLICHIVS *in Parad. & Observ. Chym.* commendat Mercurium vitæ in partu difficili pro Vomitivo, quando omnia reliqua sunt irrita; ita etiam Infusum croci metallorum vel ipsius Mercurii vitæ infusum, in facilitando partu sunt egregia.

Pertinet huc *Calix Vomitorius Rulandi*, cui in picatione fuerunt inspersa frustula vitri antimonii: huic calici infusus liquor imprægnatur ab antimonio, & fit vomitivus. Vel

℞. Vitrum antimonii hyacinthinum; & paretur Vitreum poculum parvum; huic infund. pro lubitu Vinum Rhenanum: permittatur per noctem, manè hauriatur.

Calix hic 1000 annos durabit eadem virtute.

Pro usu externo loco horum Infusorum liquidorum in forma sicca instar omnium sit Tartarus emeticus.

Pro usu externo, speciatim pro usu clysmatico, sufficiat vel solutio scoriarum reguli antimonii, harum ℥ß. ad ℥vj. in Decocto clysmatico incocta; vel addatur clysmati Vinum decoctionis croci metallo-

tallorum, in pertinacissimis alvi obstructionibus, passione iliaca ex colica contumacissima: qualem clysterem aliquoties, ℥i. vel ℥iß. talis infusi antimoniati admistis, adhibitum fuisse, non sine insigni fructu observavit RIVERIUS.

Ulteriùs etiam pro usu ophthalmico externo Infusiones ejusmodi adhibentur. Pro tali aqua ophthalmica,

℞. *Croc. metall.* vel *Vitr. antimonii minutiss. pulver.*

Infund. in *aquæ chelidon. maj. fœnic. euphras. flor. cyani*, *calcatrippæ*, &c. q. s.

Permittantur in loco calido, non nihil ebulliant, & exactè filtrentur; & ita postmodum crebriùs oculis, in ophthalmiis, metu suffusionis, sugillationibus, nebulis, albugine, cataractis, in ungue oculorum, omnibusque oculorum affectibus, tanquam optimum remedium instilletur: vid. *Tesaurus* RULANDI, ubi omia oculorum & visus vitia recenset curata cum aqua sua benedicta.

Et curiosum est, quod observavit SCHROEDERUS *obs. pag.* 232. aquam ejusmodi ophthlamicam ex croco, interdum per alvum ægros laxare. Interim minus valere pro oculorum medela asserit KESLERUS *in suis Process. pag.* 443. adeoque potiùs simile infusum, sed ex vitro paratum, pro oculis laborantibus conducit.

Loco croci metallorum vel vitri antimonii *omnium optima* est ea *aqua ophthalmica*, quæ fit ex capite mortuo butyri antimonii exactè destillati, cum aqua euphrasiæ, vel alia appropriata extracta. Ex hoc enim, præter vim antimonialem, simul salis subdulcis aliquid extrahitur, quod valdè convenit in oculorum affectibus.

Usus est; quando supinus jacet æger in lecto, instillentur aliquot guttæ in oculos.

Ex infuso vitri antimonii cum vino fit syrupus vomitivus, vel etiam cum aceto *Oxysaccharum Vomitivum Angeli Salæ*. *Instar omnium sit præparatio Ludovici Pharm. pag.* 212. Nempe

℞. *Croci Metallor.* ʒii. ℈ii.
Aceti ℥x.

Infund. per triduum in loco calido, sæpius agitando: Liquor filtretur; cui add.

Sacch albi ℥x.

Vitro clauso in aqua calida detineatur ad dissolutionem facchari & consistentiam syrupi; qui tingatur pro lubitu cum *Tinctur. flor. papav. erratici*.

Nec inelegans est *syrupus* iste *vomitivus* CHICOTII *in Diss.* & Epist. Medicis:

℞. *Vitri antimonij* qv. v., e. g. ℥jv.
Affund. huic
Succ. limon. vel *cydon.* ad eminentiam
3. vel 4. digitor.

Digerantur calore leni per quatriduum, postmodum filtretur liquor, qui cum *sacchari* ana inspissetur in consistentiam syrupi, cujus dosis à ʒij. ad ℥ß.

Potens est Emeticum.

Vel pro selectu inserviat *Rob* seu *sapa vomitoria Sylvij*, huic scopo idonea:

℞. *Vitri antimonij in pollin. redact.* ℥j.
affundatur

Succi cujusd. vegetab. v g. succi rubi idæi, *cydonior. pomor. Bordorff. Musti recent.* &c. ℔j.

Digerantur per triduum in Balneo Mariæ vel alio loco calido, probe agitando subinde: liquor filtretur & lento igne evaporetur ad consistentiam arbitrariam, vel ad consistentiam mellis; cujus dosis est quantitas pisi majori, vel gr. ij ad iij.

Optimum est vomitorium sine nocumento, præferendum omnibus vomitoriis syrupis & infusis: vid. TILEMANNUS *de Mat. Med. pag.* 192.

SALIFICATIO.

Sunt qui volunt ex antimonio parare sal. Cæterum genuinum sal ex antimonio rarissima est avis & propterea etiam parum aut nihil ex eo potest elici seu extrahi.

AUTORIS *modus nu.* 2. *pag* 454. plus in recessu habet, & ex Basilio VALENTINO desumptus est, modò revera ita succedat. Interim pro facilitando labore observentur encheirises ERKERI *pag.* 306.

Cæteræ descriptiones AUTORIS *num.* 1. & 3 sunt concreta saliformia composita, addito acido aceti, aut spiritu vitrioli parata, adeòque non genuina; *Verum* enim *sal nondum apparuit in mundo*. Quod si antimonium per calcinationem cum sulphure ad istam salificationem disponatur, ut AUTOR *num.* 1. *nota* 2. innuat, Vitriolum antimoniale acquiri potest.

MERCURIFICATIO.

In nullo minerali sunt occupati magis spagyrici pro parando Mercurio, quàm in Antimonio, propter summos usus, quos sperant in negotio transmutationis lunæ in solem. Tot autem Mercurii antimonialis sunt descriptiones, quot capita; paucæ tamen succedunt. In genere, qui Mercurii parantur ex minera antimonii, suspecti sunt; cùm mineris crudis subinde aliquantum Mercurii vivi virginei inesse soleat. Omnes SCHROEDERI *processus* ex voto non respondent. LANGELOTTI *modus in Epist. ad Naturæ curiosos* tentatus fuit, sed non æquè respondet successus: fortè encheirisis quædam non ritè observata fefellit negotium. *Fundamentum Mercurificationis* consistit in eo, ut ex regulo per salia resuscitativa, quæ sunt salia alcalia, tàm fixa quàm volatilia, recluso præparetur Mercurius: quâ ratione D. D. MICHAELIS fassus fuit, se ex antimonio crudo cum capite mortuo tartari, sale aut oleo tartari in digestione acquisivisse Mercurium antimonii; sicut & POTERIUS Mercurium ex antimonio optimè parat. Qui vult habere modum genuinum sulphuris antimonii, Mercurii antimonii &c., is adeat LAZARI Germ. ERCHERS *Probier-Buch*, ultimæ Editionis.

CAPUT XIX.
DE
RECREMENTIS METALLICIS NATURALIBUS.

Recrementa metallica naturalia sunt, quæ in metalli fodinis in generatione metallorum sese sistunt, & quasi per accidens producuntur. Differunt, ab artificialibus, quòd hæc in fusione, liquatione aut depuratione metallorum soleant fieri & provenire, seu potiùs separari. Quoad naturalia, non adeò recrementa sunt metallica, quin potiùs mineralia quasi semimetallica, & ferè decomposita metalla, quæ scilicet participant de natura & materia metallica, & in generatione metallorum quasi segregantur fermentando à reliquis metallis perfectioribus; unde proprio metallo spoliata sunt: vid. *de fermentatione in generatione metallorum* MAJOR *de Lacte lunæ*. Talia inter est

I. COBALTUM,

Unde *Color cœruleus*, Germ. *die blave Farbe*, paratur. Vulgò *MucKen-Pulver*, *idest*, *Pulvis contra muscas*, dicitur, cùm muscæ ejus gustu mox interficiantur: imò intus haustum in dosi excessiva, certò quæcunque animata solet interimere, uti dicit AUTOR. Subjectum est summè arsenicale, ex quo etiam propter abundantiam arsenici, tanquam fumi metallici volatilissimi, parum aut nihil genuini metalli potest elici. Sunt qui in Cobalto, cum arsenico juncto, lunam semper contineri asserunt: unde nonnulli beneficio artis maturare & in perfectam lunam trasmutare volunt, & ita maturam lunam ex Cobalto cum lucro producere. Imprimis SCHMUCK *Thes.* 1. *Secreto Chym.* 12. ex cobalto cum cinnabari nativa parare docet Mercurium, qui cum luna fusus, & ipse abeat in lunam: sed falsò; parum enim vel nihil lunæ cobaltum continet, adeoque, quando arte docimastica luna ex eo elicitur, fit hoc tantùm per accidens: utut mineram cobalti possideam, quam vobis jam ostendam, parum de luna participantem. Possideo quoque, & ostendam vobis, aliam mineram, cobalto perquam divitem, *quæ valdè est cœrulea*, *& parum, dum excoquitur, deperdit*. Alii mineram hanc cobalti Venere divitem esse credunt: sed decepti sunt colore ejus cœruleo lasurino & sapphirino: Nam Jupiter etiam colore cœruleo tingit, ut notum est in præparatione remediorum Jovialium, nec tamen venerem habet admixtam: undè BECHERUS: Cobalti mineram compositum quid esse ex arsenico, Marte, & Jove, statuit. Uno nomine: nil aliud est, quàm minera arsenici, non tamen debitam maturitatem assecuti, & cui imperfectum metallum, id est Joviale, associatum.

Cobaltum verò ex sua minera sequenti modo elicitur: Nimirum

℞. *Mineram cobalti*:

Hanc contusam crebriùs ac iteratim lavant, lotam terunt, ac denuò lavant teruntque, hinc calcinant: (fumus, qui in calcinatione hujus cobalti evolat, genuinum est arsenicum.) Grave illud, quod post calcinationem remanet, est *Cobaltum*.

Usum Medicum habet nullum, quia in se ipso est corrosivum, & chartam, in qua per aliquot horas asservatur, arrodit; unde propter arsenicum suum volatile, venenum est summè nocivum; quævis enim animalia necat. UNZERUS *de sale cap.* 26. habet modum, quo cobaltum cum sale & nitro omni venenatâ suâ qualitate possit exui, si scilicet cum hoc cobalto, sale, nitro & argilla fiant seu formentur globuli, qui candescant in igne, & aquâ affusâ, postmodum denuo separentur. Nam ita sal, & nitrum figunt in ignis examine volatilitatem arsenicalem cobalti, quod fixatum exuit venenositatem: & hoc modo ipsum arsenicum figi potest. Facilè aliàs in aqua forti solubile existit, suntque, qui medicamentum contra epilepsiam exinde parare nituntur: sed necessum est, ut cautè procedatur, ne loco medicamenti confortativi cephalici acquiratur venenum narcoticum. Interim cùm tutiora prostant, potiùs negligitur, adeòque cobaltum usui Medico nondum inservit.

Mechanicum tamen obtinet *Usum*, parant enim exinde, uti dixi, colo-

colorem cœruleum, Germ. *die blave Starcke*. Cobaltum nimirum lavatur; teritur, ac tandem cum certa portione cinerum clavellatorum, & arenæ aut silicum vitrescibilium, fundunt in vitrum, colore cœruleum, quod suppeditat *colorem seu amylum cœruleum*, *quod latè longèque vehitur*. Sub fusione hujus vitri solet residere regulus quasi metallicus, qui externè appensus quibusdam loco amuleti contra pestem inservit; sicuti revera ulceribus externè alligatus, vi eadem amuletica restituendi ac curandi pollet. Quidam cum eo Venerem in lunam tingere satagunt, sed labor est inanis.

CHALCITIS MISY & SORY: *quibus adhuc jungitur* MELANTERIA.

Post cobaltum sunt inter concreta mineralia naturalia hæc quatuor, quæ revera species vitriolorum sunt veteribus cognitæ, & propterea commodè possunt vocari *Vitriola immatura cruda & impura*, quæ deprehenduntur subinde in terræ visceribus, Germanis *Atrament-Stein* dicta, eaque multipliciter discrepantia. *Pyrites* enim *ærosi & atramentosi* tales, cùm metallo, sulphure, lapide, aliisque simul concretis constent, non mirum vitriolorum crudorum & impurorum species varias oriri. Nam revera inter ipsa Vitriola non possunt referri; vitriolum enim est corpus salisforme, quod non potest dici de Chalciti, de Misy, & Sory, quoniam nec pellucent, nec tota etiam in aqua liquantur. Germani hæc ipsa coloribus discernunt, & nigrum, cinereum, luteum, & rubrum atramentum, id est, *schWartz*, *blau*, *gelb*, *und roth* atramentum, dividunt. Et quidem, quod sint de natura vitriolacea, patet ex eo, quod chalcitin suggerat nobis minera Vitriolacea Brunsvicensis; & ex sory etiam, melanteria, & Chalcitide, vitriolum excoqui possit, uti refert GEORGIUS AGRICOLA *in suo de Fossil. Opere*: sicut etiam ex Melanteria nigra apud Juliacenses (Juliaci) Vitriolum conficitur. Aliàs inter se differunt non valdopere, quoniam sæpius unum fit ex altero, uti rectè habet AUTOR *pag. 456 in Nota ad hunc locum*. Ex Sory fit Chalcitis, ex Chalcitide fit Misy. Interdum corpus vel flos Misy similis suâ sponte super vitriolum aeri expositum excrescit, unde tandem successu temporis in Sory abit. Estque Misy chalcanthi ac vitrioli quædam efflorescentia, eique circumquaque lanuginis modo adhærens. Aliàs, qui plura cupit de his, conferat *Jungium in Doxo cop. pag* 1160. & seqq. ENCELIUM *de re metallica*, & hinc CANEPARIUM *in Tract. consummato de Atramentis*, idque occasione Theriacæ; quoniam Chalcitis constituit ejus ingrediens. Hujusmodi mineralia semivitriolacea non sunt amplius in usu: & cùm veteres Chalcitim Theriacæ addiderint, adhuc autem lis sit, annon habeamus veram veterum Chalcitidem? propterea moderni loco ejus Colcothar vitrioli depuratum & elixiviatum bene, Theriacæ addere solent. Rari aliàs usus sunt in officinis.

Misy Mechanicis pro tingendis lanis inservit.

MARCASITA *seu* BISMUTHUM:

Bismuthum vulgò etiam inter excrementa metallica referunt, natum in generatione metalli, & instar scoriarum secretum ab iisdem. Sed revera est concretum metallicum sui generis, unde & quibusdam non ineptè *stannum cinereum* vocatur, ex certa minera cobalti per tostionem igne flammeo in copia exstillat in forma guttarum, quæ guttæ dein liquantur & funduntur in corpus orbiculare. PARACELSUS ad Antimonium refert, unde paradoxo vocabulo vocat *Antimonium album*; Nam antimonium facit duplex:

1. *Commune nigrum*, de natura Saturni,
2. *Album*, de natura Jovis dictum.

Bismuthum aliàs ab Autore *Marcasita* dicitur, & quidem in specie *Marcasita argentea*: Nam hoc ipsum Bismuthum Jovi additum, hoc elegantius, longè fusilius, argentum ferè reddit: est enim fluidissimum omnium metallorum in igne: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obs.* 78. *pag* 148. Regulus tamen antimonii hìc à quibusdam præfertur: sicuti è contra *Zincum* vocatur *Marcasita aurea*, quia Cuprum instar auri tingit & in Aurichalcum commutat. Hìc facit ZWELFFERUS mentionem *Marcasitæ solaris*, ex qua parare intendit menstruum ferè insipidum pro solutione auri; videatur *Mant. Spagyr. pag* 330. Nostrates vocant Germ. *Kobolgulden Ertz*. Bismuthum dicitur, quasi Germ. *bis gutes Muths*, nam ubi invenitur minera Bismuthi, certè indicium est non longè absentis lunæ, quæ mediante nitro ex Bismutho separari potest citra Bismuthi detrimentum, *method.* GLAUBERI *P.* 1. *pag.* 182. Hinc alii *mineram Bismuthi* esse *lunæ mineram nondum ad perfectam*, & debitam *maturitatem redactam*, statuerunt. Unde etiam Metallariis *Tectum argenti dicitur*; quod frequentissimè circa lunæ mineras reperiatur, non secus atque cobaltum, fixius tamen est cobaltum; sed sæpissimè spe falsâ expectantes lactat: simul tamen & de venere participat, cum ex eo color cœruleus, *Zaphyra* dictus, parari soleat, utut quidam etiam tantùm de Saturno immaturo participare Bismuthum dicant. Sunt qui putant esse *Stannum Veterum*; Veteres enim *plumbum* diviserunt in *album & nigrum*: *Album veterum plumbum*, est id, quod nos vocamus *stannum*: *nigrum* verò genuinum *nostrum* est *plumbum*. Quid vero *stannum Veterum* fuerit? dubium adhuc est. Sunt, qui dicunt, *plumbum cum luna fusum* fuisse *veterum stannum*: alii *Bismuthum* fuisse *veterum stannum* putant.

Bismuthum est aliàs in se subjectum Mercuriale, ponderosum, fluidissimum, stanno ferè simillimum. Præterea aliam possideo, & vobis jam ostendo Bismuthi mineram, Germ *Wind Bismuth* dictam, quòd candelæ admota instar granulorum (*sicut minutæ uniones*) de se præbeat: Porrò aliam mineram compositam, *in qua simul cobaltum & Bismuthum reperitur*: *est aliquomodo rubicundum*; Bismuthum enim vel sponte, vel arte resolutum, ad colorem rubescentem declinat: Denique aliam Bismuthi mineram possideo, & vobis ostendo, *quæ multum bismuthi habet*, *& quæ*, *quando intetrascit*, *pulchrum dat colorem*.

Bismuthum, præter usum Mechanicum, obtinet quoque *usum Medicum*, internum & externum. In specie verò *Magisterium Bismuthi* prostat, sub nomine *Magisterii Marcasitæ*, tàm pro usu interno, quàm externo. Modus parandi pro usu interno hic est:

℞. *Bismuthi* qv. v.

Soluatur in s. q. spiritus nitri rectificati: evadit tunc insignis strepitus ac intensissima effervescentia, fumorumque sulphureorum longè latèque se dispergentium copiosissima effumatio: Solutio ipsa filtrata & perspicua infusione aquæ simplicis communis (non fontanæ, quæ eam reddit turbidam) præcipitatur in pulverem candidissimum, qui crebris ablutionibus cum aqua communi calida edulcoratus & debitè exsiccatus, instar Mercurii vitæ asservetur usui.

Pulvis hic internè tanquam secretum habetur ad contracturas, &, præmisso vomitorio, febres intermittentes, continentes, & ardentes mox in tempore adhibitus: item ad epilepsiam infantum & adultorum, dosi, infanti à ℈ß. ad gr. xij. adulto ʒ j. cujus tamen rei experimentum hactenus non tentavi. Quantum ad alios affectus, speciatim contracturam, valeat, conf. *scriptum German. Tæda trifida Chym. pag.* 261. ubi plura de Bismutho.

Aliàs usu externo *Magisterium Bismuthi* secundùm AUTORIS manuductionem ex BEGUINO paratum est usitatissimum cosmeticum in lichenibus, scabie, impetigine, si nempe ʒj. cum ℥ij. vel iij. ad ℥iv. aquæ florum fabarum, radicis sigilli Salomonis, liliorum alborum, &c. misceantur, & ita mutuâ agitatione factâ applicentur; vel cum ℥j. ungu. pomati in *Linimentum* redigatur. DECKERUS *in Barbette Praxin* laudat in intertrigine infantum.

Alii solutionem, cum spiritu nitri rectificato factam, præcipitanr cum oleo tartari per deliquium, vocantque *Cosmeticum Clavii*, (qui primus fuit Autor,) remedium aliàs haud contemnendum. D. MICHAELIS cum aquis cosmeticis dictâ proportione permiscebat, & pro abstergendis faciei sordibus, & albedine eidem concilianda, hìc sæpiùs distribuebat. Est optimum eorum, quæ hodiernum haberi possunt, inter Cosmetica.

Quando destillatur Marcasita per retortam, prodit *primò* liquor, *deinde* sal & flores adhærent collo retortæ; qui usu tantùm externo & Chirurgico adhibentur.

Potest etiam exinde præparari *liquor*, qui tanquam menstruum universale quælibet corpora solvere possit, sicut & SCHOTTUS *in Techn. Curios. l.* 11. *cap* 19. vult parare aquam mirabilem, per quam plantas emortuas vult resuscitare, & quidem, ut jam aridæ & exsiccatæ, si semel in aquam, paratam ex Bismutho, immergantur, quasi incipiant iterum efflorescere & reiuuenescere; quod tamen non est, & ab AUTORE rectè in dubium vocatur. *Magisterium* tamen *purgans* exinde elici potest Hydropicis perquam utile.

Extracta Marcasitæ ad AUTORE *nu.* 1. & 2. *pag.* 357 descripta, ceu purgantia serum hydropicorum satis fortia ab eodem prædicantur, à nemine tamen adhuc Medicorum, quod sciam, in usum tracta.

Infusum cum vino dicitur tantùm purgans.

Fieri etiam possūt *Flores* & *Vitrum* ex Marcasita, imprimis ad modum vitri antimonii; quæ infusa in liquorem purgare dicuntur instar infusi antimoniati.

Sed cùm alia tutiora ac commodiora prostent, facilè hisce carere possumus; sicut & quæ de oleo, & sequentibus aliis habet AUTOR, tanquam incerta in medio relinquo.

ZINCUM.

Zincum, seu Germ. *Spiauter*, est compositum seu concretum ferè metallicum Mercuriale Saturninum, sed immaturum admodum, & adhuc volatile, indeque facili igne in flores sublimabile. Cum Jove permistum in pulchritudine & candore eum multùm exaltat; cum Venere verò concretum aurichalci facit; quod cùm etiam faciat lapis calaminaris, tam iste, qui cum Saturno in eadem minera generatur, & sublimando ab illa separatur, ut Goslariæ fieri solet, quàm qui per se fossilis eruitur, non improbabile est, in radice suo modo Zincum cum lapide calaminari convenire, saltem, quod illud fusile in igne, hoc verò non fit.

Præparata ejus hactenus cognita sunt Flores, tàm per se, quàm cum addito parari. Per se Zincum sub calcinatione copiosos flores suggerit. sed si parum picis desuper injiciatur, reddit regulum.

Flores

Flores hi multum laudantur ad oculorum affectus ex acrimonia lymphæ natos, item ad ulcera & pustulas oculorum, &c.; his enim in affectibus peccans specificum acidum mirè temperant, & infringunt cum aqua quadam ophthalmica permisti, & oculis applicati. Deinde cum addito nitro etiam fiunt Flores, si Zinci part. ij. & nitri pars j. destillentur per retortam; dant copiosos flores unà cum spiritu.

Flores hoc modo parati sudoriferi sunt, interdum vomitum, & secessus movent. Dosis gr. ij. Externè mundificant, & consolidant ulcera manantia, sive per se, sive unguentis applicati.

Dubium est: *annon pro acido hypochondriaco corrigendo ex Zinco remedium parari possit, cùm hoc quælibet acida promptè absorbeat, & propterea solutiones quasvis metallicas præcipitet? Tincturam ex Zinco* crudo extrahit oleum terebinthinæ: vid. BOYLE *de specif. & simplic. pag.* 137.

Sequitur

CAPUT XX.

DE

RECREMENTIS METALLORUM ARTIFICIALIBUS,

Quæ scilicet in fusione aut liquatione metallorum solent subnasci. Inter hæc est

CADMIA FACTITIA.

Cadmia factitia nihil est aliud, nisi fuligo æris, quæ in fusione metalli fornacibus adhæret; vid. *Autor*: & quidem pro varietate formarum, secundùm quas concrescit hæc fuligo, varias sortitur appellationes, quas videbitis apud AUTOREM nostrum.

Has inter species usitatissima est *Cadmia Botrites*, quæ est substantia metallica ponderosa, in formam corticis concreta, intus lævis, ex flavo cinerea; extus verò tuberculis nemorosis exasperata, botrorum uvarum speciem in superficie gerit; unde etiam *Cadmia Botrites* vocatur. Ordinariò Cadmia hæc in Officinis pharmaceuticis cum Tutia confunditur: Nam genuina Tutia est idem cum Pompholyge, & videtur esse *Cadmia Capnites*; *Officinarum* verò *Tutia præparata*. *Alexandrina* dicta est *Cadmia Botrites ignita, in aqua extincta*, & super porphyrite *lævigata*; sicut pariter Officinæ sub nomine *Nibili Pompholygen* seu *genuinam Tutiam* exprimunt, utut hæc ipsa suo modo ad Cadmias referri queat; uti id ipsum AUTOR *pag.* 458. sub Cadmia Capnite, item *pag.* 359. sub Tutia præparata ostendit. Conf. simul quoad hodiernam Cadmiam & Pompholygen, MEWETTUS *in Not. ad artem vitrariam Neerii pag.* 358.

Cadmia hæc *factitia*, Tutia Alexandrina Officinis dicta, *usum* imprimis *habet externum* chirurgicum, quoniam valdè convenit in ulceribus fistulosis aliisque inveteratis, cacoetheis & fluentibus seu manantibus: His enim inspersa Cadmia hæc seu tutia præparata Officinarum multum solet conferre in exsiccando, & absumendo fermento corruptivo ulcerum; unde etiam postmodum incarnationem & cicatrisationem promovet per consensum. Valdè quoque convenit in affectibus oculorum, sive sub forma pulveris insuffletur per canalem in ophthalmiis, aut ulcere vel pure sub cornea laborantibus; sive fiat exinde *Unguentum*, quod dicitur Collyrium album Galeni, item *Unguentum de Tutia Nicolai*, quod in officinis prostat; quæ sunt usitata in affectibus oculorum: quibus non incommodè permiscetur unum alterumve granum camphoræ aut croci, &c.

Emplastrum de lapide calaminari in cicatrisatione est optimum.

LITHARGYRIUM.

Lithargyrium nihil est aliud, nisi saturnus genuinus ex lunæ solisque purificatione residuus. Dixi enim superiùs, quod depurentur sol & luna à reliquis metallis, si fundantur cum saturno, qui absorbet reliqua omnia metalla viliora, & sub forma scoriarum absumit; sol verò & luna resident pura ac nitida: ab his saturnus imprægnatus & transmutatus dicitur Lithargyrium; unde nunc *Lithargyrium argenteum*, nunc *aureum* dicitur. Differunt quippe coctione ac puritate: *Aureum* est purius, & à depurato auro desumitur; *Argenteum* impurum, & à luna desumitur. Germanis vocatur *Glett*.

Quoad *usum*; salsos humores imbibit & corrigit, unde laudatur ad intertrigines, ulcera chronica, & omnes inflammationes. LUDOVICI Cosmeticis miscet, & Lac Virginis inde parat, quod in pustulis faciei rubiis conducit.

Præparationibus penitus cum Saturno coincidit, ut *Sal*, *Magisterium*, & *Balsamum* &c. ostendunt.

Beneficio aceti destillati fit *sal lithargyrii*, quod à Saturno vocatur *saccharum saturni*, & cum hoc omninò unum idemque est. Unde etiam tàm interno quàm externo usu potest adhiberi: internè in affectibus splenis, malo hypochondriaco, dysenteria ac diarrhœa; externè in cosmeticis, erysipelate, vulneribus & ardoribus partium, ambustis, &c. In genere, quæ dixi de saccharo saturni, ea omnia hìc applicari possunt.

Magisterium, quod fit, si solvatur Lithargyrium in aceto, & præcipitetur cum oleo tartari, imprimis solet adhiberi pro usu externo. Aliàs fit Magisterium per solutionem Lithargyrii in aceto destillato factam, quæ præcipitatur cum spiritu vitrioli, quod adhiberi solet pro usu externo. Valdopere refrigerare dicitur, & insigniter laudatur in peste: est subacidi saporis. Pro interno tamen usu ordinariò remediis ex *saturno purificato*, hoc est, quantum possibile *à Venere liberato*, utimur: sicut pro externis remediis Lithargyrium usitatiùs recipimus.

Extractum seu tinctura *Lithargyrii terebinthinata* est nil aliud, nisi balsamum Lithargyrii terebinthinatum: sicuti balsamum saturni terebinthinatum fit immiscendo sal saturni, ita etiam sal lithargyrii permiscetur cum terebinthina.

Est egregium in chirurgicis casibus, in purificandis ulceribus nimis dolorosis, & cum inflammatione conjunctis, uti & in vulneribus, imprimis cum camphora, uti rectè habet AUTOR *pag.* 460.

Ex hoc balsamo potest fieri tinctura cum spiritu vini. Videantur suprà, quæ *de saturno*.

Aliàs potest *ex lithargyrio* fieri *Unguentum* egregium multi usus in morbis externis, quod fit hoc modo:

℞. *Lithargy. triti* ℥j.

Affuso aceto fortissimo ad Mens. j. coqu. ad consumpt. medietatis: filtretur per manicam Hippocratis, vel etiam saltem per filtrum commune, & servetur; postmodum

℞. *Aquæ rosar.* ℥x.
Alumin.
Olei tartari per deliquium an. ℥j.
Borrac. ʒß.

Coquantur hæc invicem cum priori solutione, & coletur.

Usum habet externum in lentigine, serpigine, impetigine, &c.

MOLYBDÆNA *seu* PLUMBAGO.

Plumbago est minera impura plumbi, si est nativa: sin verò est factitia, nihil est aliud, nisi plumbum calcinatum in fusione metallorum, de qua *superiùs* locutus sum. Adhæret fundo furni, in quo facta est Depuratio; unde reverà est eadem plumbago cum lithargyrio, nisi quod sit magis calcinata, & exinde eadem remedia & usus dabit, quæ lithargyrium.

TUTIA *seu* POMPHOLYX, & SPODIUM.

Pompholyx est nil aliud, quàm fuligo æris; quando scilicet minera Veneris excoquitur, exhalat tenuissima favilla participans de venere, & quidem superiori adhæret fornacum parti. Arabibus dicitur Tutia; in officinis vocatur Nil vel Nihil, Germ. *Augennicht*, *Weisse nicht*.

Tutia hæc seu *Pompholyx* habet usum extenum in chirurgia, & quæ dici possunt de Tutia Alexandrina seu cadmia factitia, valent de Pompholyge. Oculis, imprimis acrioribus lachrymis perfusis, inflammatis, ulceratis, vulneratis, aliisque oculorum affectibus, apprimè confert; unde usurpatur in collyriis tam humidis, quàm siccis, item in unguentis, nihilque habetur melius in officinis ad oculorum affectus, quàm hæc Tutia. In ulceribus sordidis manantibus, pustulis sordidis, item intertrigine, inspersa, egregiè confert; absorbet nempè potentiùs peccantia hìc acida, imbibit uliginem, & sic texturam modicè adstringentem acquirit.

Unguentum diapompholygos est egregium in scabie, in pustulis cutaneis, item in vitiis & lachrymis oculorum, in lippitudine, & ophthalmia &c. *Spodium Græcorum* est eadem res atque Tutia seu Pompholyx, nisi quod sit gravior, & propter gravitatem non adhæreat superiori fornacum parti, sed in terram decidat. Dicitur spodium Græcorum: nam *spodium Arabum* nihil aliud est, nisi *Ebur ustum* nostras, aut saltim *Ebur nostras* est *spodium Arabum*. Sunt tamen etiam qui putant, quod *spodium Arabum* verum sit *Tabazir*, seu succus lacteus expressus ex arundine, seu *saccharum*.

Missis jam Metallis, pergimus ad

CAPUT XXI.

DE

SALIBUS IN GENERE.

Salia Mineralia dicuntur *sal commune*, *gemmæ*, *nitrum*, *alumen*, *sal ammoniacum*, & *vitriolum*. In genere quod attinet salia: notum est, quod omnia tria regna subministrent sua salia. Regnum vegetabile salia volatilia & fixa: animale solum salia volatilia, quia in anima-

animalibus nulla sunt fixa; Regnum autem minerale subministrat imprimis salia, quæ propriissimè sic dicta salia sunt, quæque in prima sua origine & natura sunt acida. Et hæc sala mineralia imprimis originem ducunt ex radice salis naturæ universalis, quod aliàs vocatur *sal terræ centrale*; & de hujus viribus participant reliqua salia omnia: nihilominus pro diversa natura matricis diversas formas induit & indoles; unde pro varietate concretionum naturalium salia suas specificas sortiuntur differentias. Et quidem salia mineralia magis sapiunt originem nativam: Unde sali universali acidum suum debent omnia vitriola, sulphura, nitrum, sal commune, &c. quæ ex una radice salis universalis oriuntur, & hinc certam inter se proportionem, & quandam cognationem, ratione centri seu originis, habent; utut differant ratione matricum. Sunt magis naturalia, cùm è contrà vegetabilia salia sapiant artem. Aliàs in genere, qui non ineleganter vult discursum & scrutinium salium, vid. ZWELFFERUM *in Append. ad animadv. in Pharm. Augustanam*, & postmodum TACHENIUM, qui elegantissimè salia pertractavit in *Hippocrate Chymico*.

In genere hoc singulare est, quod sal habeat magnam convenientiam cum aqua & liquoribus aquosis & succulentis, & in illa liquescat facilè; unde diffluit in aere humido, & promptissimè dissolvitur in aqua. Et quidem insinuat sese in poros aquæ diversissimè; ita si solvatur in aqua communi sal commune, quantum possit dissolvi, & huic aquæ injiciatur sal petræ, tunc magna etiam pars salis petræ dissolvitur, donec fit saturata aqua; si adhuc injiciatur de vitriolo, & etiam post vitriolum de alumine, certa portio de vitriolo, & alumine solvitur, prout pororum sufficit quantitas, ut absorbeant salia. Est experimentum hoc Gassendi. Jam quò majorem convenientiam habent salia cum aqua, eò majorem inimicitiam gerunt cum oleis & sulphuribus, ut propterea nullum sal possit solvi in spiritu vini, si sit rectificatus. Unde & ipsum saccharum, quod est naturæ salinæ, non potest solvi in spiritu vini, nisi habeat copiosum phlegma; nullo modo, si spiritus vini sit benè dephlegmatus.

Omnia salia subministrant spiritum acidum, plùs minùs varium, pro varietate salium. Quæstio est: *unde sit, cum talia salia indantur retortæ sicca*, v. g. sal commune & nitrum, *quod prodeat spiritus aquosus seu humidus*? Respondeo: Istam humiditatem nihil aliud esse, quàm ipsa salia vi ignis resoluta: Atomi enim salinæ, per ignis torturam à se invicem discerptæ, segregatæ & dispersæ, dum cum impetu ruunt in vas recipiens, se uniunt cum phlegmate priùs propulso, ex qua unione fit liquor, quem nos vocamus spiritum salis, vel spiritum nitri; &c. Et quidem cùm salia soleant fluere igne, & sub tali forma dum fluunt & liquefcunt, nullas ex se dimittunt particulas, ut ex in fiat spiritus: Hoc ut præcaveamus, propterea solemus permiscere in destillatione corpora terrestria, bolum & argillam, lutum calcinatum, &c ut impediatur fluor, sive ne fluant & liquefcant; sed potiùs, ut dimittant suas particulas salinas, sive salia sine fluiditate: id quod non necessum habemus in destillatione spiritus vitrioli & aluminis. Nam vitriolum habet adhuc permistas partes metallicas; alumen partes saxosas. Destillantur spiritus salium per retortam vulgarem, vel per retortam tubulatam, cujus figuram habet AUTOR *pag*. 463. sed est minus concinna.

CAPUT XXII.
DE
SALE COMMUNI.

SAl *commune* concretum est minerale salsum, constans acido embryonato sulphuris mineralis, seu ut alii dicunt, acido universali, jam ad mineralem naturam per specialia eorum semina determinato. Quod uti cum pingui substantia sulphur minerale; cum metallicis Veneris vel Martis venis vitriolum constituit: ita cum substantia subtili terrea, facile fusili & vitrescibili, in concretum tale coalescit, quod sal commune constituit. Scilicet non improbabilis videtur sententia SIMSONIS *in Hydrol. Chymica*, quam hinc inde profert, scilicet salia tam chymica quàm salina mineralia, ut sal marinum, nitrum, alumen, vitriolum, &c. esse saltem distinctas & speciales concretiones primi entis salium, ita ut specialis differentia eorum dependeat ab his tribus: nempe *sulphureo acido* seu esurino spiritu, *aqua*, & *gleba minerali*; à quorum variis solutionibus & mixturis oriatur varietas saliũ mineralium in visceribus terreis. Assertum, ut dico, non improbabile, ulteriori tamen experimentali scrutinio omninò subjiciendum. Esse tale concretum salsum, docet Mechanica chymica synthetica, dum nòn saltem acidum fixum silicis imbibendo alcali, cum eo in sal commune concrescit, teste TACHENIO *Hipp. Cymic. cap*. 5. sed & spiritus acidus ex sale communi elicitus, cum alcali fixo quovis abit in sal commune verum & genuinum, cubiforme, & cujus cubi mutuâ impositione ad pyramidale fastigium tandem adscendunt: id quod tàm in via humida, dũ spiritus salis & oleum tartari per deliquium miscentur, manifestum evadit, quàm in via sicca, dum sal ammoniacum cum sale tartari pro destillatione spiritus salis ammoniaci sociantur, remanet sic in capite mortuo sal duplicatum, sali communi simillimum; ita tamen alcali fixum cum spiritu acido salis communis coit, ut plures particulæ terræ figentes in alcali unà colliquatæ separentur, ita ut primariò cum salinis particulis, in se reverà volatilibus, licèt mediante igne colliquatis, immediatam societatem ineat. Nihilominus tamen sal hoc commune artificiale præ naturali fixius longè observatur, cùm nec in spiritum tàm facile destillari, nec in flores sublimari queat, ut sal naturale; quod & in crucibulo fusum in flores salinos albissimos se elevare solet: quod manifestum evadit, si objectum quoddam supra crucibulum teneatur: ita ut in se ipso consideratum sal commune, concretum minerale minùs seu haud adeo fixum videatur, quin medium sit inter fixum & volatile, inter acidum & alcali, inter salsum & sulphureum, & ad omnem hunc statum dispositum, ut rectè asserit BECHERUS *supplem*. 2. *pag*. 68. Unde & tàm sociabile exstit alcali tàm fixo quàm volatili præ aliis, ut *citato loco* BECCHERUS confirmat, tàm in smegmatis resolutione, quàm salis ammoniaci compositione; adeò ut sal commune tam ad fixorum quàm volatilium salium statum tendat. Nam præter acidum spiritum in vulgus notum, & substantiã terreo alcalinam, ex quibus coalescit, reverà de volatiliori adhuc substantia participat, quam *spiritum halituosum* vocat HELMONTIUS *de Lith. cap*.3 §. 31. & *cap*. 4 §. 161. ratione cujus corpora metallica præcipitata volatiliora reddit, ut in luna ac Saturno corneis manifestum, eaque ad Mercurialem fluxilitatem disponit: hinc & *substantiam Mercurialem metallorum in sale communi inesse* BECHERUS asserit *Phys. subterr. lib*. 1. *p* 450.

Præterea quoque & de sulphure sal commune participat, dum spiritus ejus non saltẽ manifestò sulphur spirat, sed & in destillatione ejus non nihil sulphuris flavi facilè inflammabilis in receptaculo hinc inde, & retortæ collo, adhærere observetur. Nec est, quod vel ex argilla, vel bolo, cum quibus destillatur sal commune, subjectis nempe pinguibus, sulphur tale quidam derivare velint, quod cum spiritu salis simul rapiatur ac elevetur: Nam & cum alumine usto instituta salis destillatio paria dat phænomena.

Triplex salis communis est differentia: dum est vel *fontanum*, in aqua nempe communi solutum; vel *montanum*, seu *gemmæ* seu *fossile nativum*; vel *marinum*. *Gemmeum à fontano differt*, quod hoc plus, illud minus, substantiæ terreæ contineat; *marinum* verò *à fontano*, quod illud magis bituminosum & sulphureum sit.

De sale gemmæ dicetur *cap. sequenti*. Sal marinum pro varietate locorum vario modo præparatur. In Galliæ provinciis fit sponte, si nempe in foveis juxta mare per æstum marinum colligantur aquæ, & per calorem solis in sal siccum maturentur. In Sicilia conficiunt sal ex aqua marina, idque superinjectione aquæ dulcis, quem modum videbitis in BARTHOLINO *Cent*. 1. *Epist*. 54. In aliis regionibus alius esse solet modus.

In *salis fontani* verò *præparatione* observandum est, quod in ejus confectione semper aliquid de felle bubulo soleat injici, propterea, quia sic faciliùs granulatur, & in majora abeat granula. Constat enim fel hoc sale volatili oleoso subtili, quod se jungit cum acido salis communis; unde hoc faciliùs in talia granula se coagulat. Quidam loco fellis bubuli aliquid de sanguine bovis injiciunt ex eadem ratione.

Usus salis Communis est vel *Culinarius*, vel *Medicus*, vel *Chymicus*.

Culinarius est ad conciliandam saporis gratiam alimentis, ad condiendas carnes, ne tàm citò putrescant; sub quo ipso sal volatile ex carnibus solet imbibere, ut TACHENIUS ostendit: Hinc in esu salis communi nimius ejus usus noxius. Utut enim in corpore indissolubilis fit, & ultra primas vias non pergat, sed cum excrementis & urina iterum excernatur; dum tamen crebriori usu sal volatile corporis nostri nimis imbibit, facilè tali occasione acidi dominium & nocumenta in corpore ex nimio usu augentur.

Usus Medicus est imprimis internè diureticus ac nephriticus, speciatim ejus spiritus. Externè sal decrepitatum in discussione ac resolutione, tam flatuum quàm humorum serosorum, crebriùs usurpari solet. Hinc v. g. sacculus ex milio tosto & sale decrepitato imponitur ventriculo & abdomini in Colica flatulenta; capiti ad arcendam cephalalgiam à causa frigida, & scorbuticam, & ubi opus est discussione vel resolutione.

Usus Chymicus se exserit in specie in volatili sandis metallis, & disponendis iisdem ad Mercurialem, fluxum item in solvendo auro antimonii regulo, ac penetrando Mercurio. Nempe curiosum est, ad quasvis auri solutione, item reguli antimonii, hactenus cognitas, sal commune semper requiri, atque quod ex additis Mercurio sublimato, vitriolo, nitro & sale communi saltem salis communis acidum penetret Mercurium. Huic si sociatur in sublimatione, eundem corrosivum reddit.

Imprimis *sal marinum ad usum medicum & alchymisticum est optimum*. Hinc spagyrici, quando volunt hieroglyphicè seu rectò nomine innuere sal marinum, solent illud vocare *optimum condimentum, quo nemo carere potest*. Ex hoc optimus fit spiritus, egregiè lithontripticus, & quidem valdè commendat HELMONTIUS *contra lithiasin, in Tr. Lithiasis inscripto*. Et sunt qui putant, quod sal marinum magis participet de sale centrali, sitque magis excoctum à calore radiorum solarium.

PURIFICATIO.

Repetitâ purificatione per fusionem, in aquæ solutionem, ac Crystallisationem, sal commune tandem in calcem seu terram insipidam converti potest, teste BORRICHIO *de Ortu & Progr. Chym. pag.* 82.

CALCINATIO DECREPITATORIA.

Antequam sal commune in usum Chymicum adhibeatur, necesse est, ut decrepitetur. Quando enim sal calcinatur, aliquantisper crepitare sentitur, & dicitur hoc inde *sal decrepitatum*. Observandum autem est, quod sal marinum longè magis crepitare soleat, quàm sal commune fontanum. Decrepitationem hanc HAUPTMANNUS *in acidulis Horn-Husianis*, attribuit pauco nitro, sali communi adhærenti: cùm notum sit, quod nitrum quovis calore, præsertim igneo, crepitare, &c, si vehementiùs tractatur, dissilire soleat. Aliàs etiam crepitatio hæc ex particulis aqueis, in salis communis crystallisatione concentratis, ignis actione erumpentibus, & claustra granulorum dissilire facientibus, derivari potest.

CALCINATIO FUSORIA.

Sal sic fusum si post refrigerationem per deliquium fluat, constituit sal illud solutum, seu *aquam salis Paracelsi*, qua in diversis præparationibus Chymicis, speciatim Quintis Essentiis vegetabilium, parandis utitur: Confer. FEBURE *Chym. ubi de Quinta Essentia Vegetabilium*.

ALITER CUM CALCE VIVA.

Ex sale communi, æquè ac ex nitro, per calcinationem cum sulphure, aut carbonibus, aut cum calce viva, producitur alcali fixum. V. g. cum carbonibus: sali communi, dum in fusione est, carbonum fragmenta adjiciuntur, quæ cum sale flammam concipiunt & detonantur: Hæc carbonum adjectio tamdiu continuanda, usque dum materia non amplius strideat, & ferè alcalisata fuerit. Calcinatio hæc salis cum calce viva revocat in mentem spiritum illum volatilem urinosum reverà singularem, qui elicitur destillando ex spiritu salis acido, calci vivæ affuso: Conf. LUDOVICI *Pharm. pag.* 445. item *de sale tartari pag.* 39.

DESTILLATIO.

Per se sal commmune destillari nequit, quicquid dicat Autor: sub intensiore enim igne fluit, quo fluore implicatæ particulæ nullum faciunt secessum à se invicem, quin potiùs perforant vasa terrea, & ita sal perditur. Ergò sal commune, vel mediante adjectione subjecti terrei fluorem impedientis peragitur, vel mediante flatu, vel per retortam tubulatã mediante instillatione guttularum aquæ simplicis: qui duo posteriores modi etiam quandoque conjunguntur.

Addenda ista sali communi sub destillatione, sunt vel Boli communes, aut argillæ non nihil calcinatæ, aut terræ sigillatæ part. iij. estque *modus* AUTORIS *no.* 1. *pag.* 465. vel alumen ustum, vel laterum fragmenta, ut ita his separentur à se invicem particulæ salinæ, ne in igne possint confluere. Vulgariter sic præparatur spiritus salis. Nec est quod AUTOR *Nota* 4. existimat, spiritum salis cum alumine usto destillatum vim maximam ab alumine obtinere; cùm in alumine usto seu calcinato nil ampliùs superfit.

In genere spiritus salis communis ritè paratus, & qui usui tam Chymico, quàm Medico inservit, sit

1. *Rectificatus*, tàm à phlegmate, quàm à substantia stypticoterrea, ut striatus prodeat: vid. WEDELIUS *Pharm. pag.* 198.
2. *Odoris non injucundi*.
3. *Coloris ex flavo viridescentis*.

Quas optimè expressit conditiones BOYLE *Tr. de infido Experimentor. successu pag.* 60.

Usus Medicus hujus *spiritus* est, quod sit egregiè diureticus ac lithontripticus, tartareamque mucilaginem, ut dicit AUTOR *pag.* 466. potenter resolvat; quod, utut suo modo de spiritu salis communis etiam intelligendum sit, tamen in specie de spiritu salis marini ultimo reverberii igne destillato, & qui non purè acidus, sed quodammodo salsus existit, ut dicit TACHENIUS *Hipp. Chym. pag.* 97. hoc interpretandum est. Imprimis spiritus salis convenit in hydrope, partim quod Urinam blandè moveat, & ita aquam hydropicorum per diuresin eliciat, partim & quod sitim eorum egregiè extinguat, si cum potulentis permisceatur. Cum itaque egregium habeat usum diureticum, ulteriùs hunc intendit RHUMELIUS *in scriptis pag.* 171. dum *spiritus salis communis* part. iij. addit *salis volatilis succini* part j. mista hæc per digestionem unire invicem, hinc per filtrationem depurare, sicque spiritum hunc sub nomine *spiritus salis succinati* pro scopo diuretico & antihydropico asservare solet, cùm sal volatile succini sit diureticorum apex. Utut etiam spiritus salis sit admodum acidus, affusus tamen concretis duris marinis, v. g. testis concharum, lapillis Cancrorum, vel aliis testaceis, in specie testis ovorum struthionis, post factam effervescentiam & solutionem, acrimoniam suam acidam amittit, & saporem salsum acrem pungentem, quasi lixivialem, acquirit, qui abstractus per deliquium suggerit liquorem salsissimi saporis, sed planè singularem, qui in affectibus diureticis, & diuresi opus habentibus urinam potenter provocat, nephriticis in casibus admodum utilem; utut solutio hæc in recessu adhuc habeat acorem suum satis intensum, cùm instillatione salis tartari, vel alius alcali fixi, possit præcipitari. Sic, si solvatur lapis nephriticus in spiritu salis, & ita fiat liquor, erit egregius liquor in calculo: qualium liquorum nephriticorum descriptionem dedi *superiùs*, ubi *de calce viva*. Porrò spiritus salis in peste, pluribusque aliis affectibus, mirè solet commendari: & propterea etiam conficiunt quidam *Elixyr proprietatis* cum spiritu salis loco spiritus vitrioli vel sulphuris, seu, quod idem est, loco *spiritus vitrioli philosophici*, qui etiam nihil aliud *est*, nisi *spiritus salis rectificatus*, uti superiùs *monui*. Egregium quoque est stomachicum, omnia salia volatilia urinosa seu alcalia corporis nostri præcipitat & temperat, unde Refrigerare dicitur.

Quoad *usum Chymicum* dubium est; *an spiritus salis ritè paratus, solus & per se queat solvere aurum, absque nempè nitri consortio?* Affirmare videtur ZWELFFERUS *in Mant. Hermet. pag.* 322. & 324. quod ℞ per experientiam singularem comprobat BOYLE *loco citato pag* 129 item TACHENIUS *citato loco*, & *Morb. Princ. pag.* 124. ubi splendorem priùs per ignitionem ab auro detergere monet. Conf. AUTOR *no.* 10. *pag.* 468. Non videtur res simpliciter neganda, quin totum negotium in artificiosa spiritus salis præparatione & concentratione consistere videtur; & quidem spiritus salis potest concentrari, seu à phlegmate denuò separari, ut acquiratur spiritus salis acidissimus. *Modus est* hic: si scilicet in *spiritum salis* injiciatur *lapis calaminaris*, qui imbibit omnem spiritum salinum, & relinquit phlegma: Lapis Calaminaris ita imprægnatus, destillatur per retortam fortissimo igne, & ita prodit *spiritus salis rectificatissimus*, & ab omni phlegmate separatus, qui dicitur *spiritus salis concentratus* à GLAUBERO, qui spiritum hoc modo paratum commendat in solvendis metallis, imprimis auro, sine additione. Interim nullo modo potest solvi aurum per menstrua corrosiva, nisi participent de sale communi, quo posito promptè solvitur aurum: ℞ quidem non solum solvit aurum spiritus sal is ritè paratus & rectificatus, sed etiam simul secum per retortam vehit: vid. ZWELFFERUS *loco allegato*: sicut abstractus spiritus nitri seu aqua fortis à sale communi reddit spiritum salis aurum solventem, *sale mirabili nitroso Glauberi* in fundo remanente: imò & sal commune aceto destillato sæpiùs imprægnatum, spiritum auri solutivum suggererere affirmat HOFFMANNUS *in clav. Lib.* 3. *cap.* 9 *pag.* 202. *§.* 15.

Cæterum de spiritu salis ejusque oleo, quomodo auro potabili accommodari possit, vid. *in Epist.* PLAUNI *ad Matth.* quæ reperitur *in Theatro chym. vol.* 6. *pag.* 465.

AUTOR *no.* 2. *pag.* 466. *spiritum salis compositum* habet ex nitro & sale. Verùm hic maximâ ex parte est *spiritus nitri*, participat tamen aliquid de spiritu halituoso sulphureo salis.

Spiritus salis communis viridis ab AUTORE *no.* 3. insinuatus, faciliùs parari potest, si lateres candefacti in solutione salis communis extinguantur, ac posteà destilletur. Sed minus hic obtinebitur spiritus, acido ejus laterum substantiam rodente, & ita in eadem coagulato. Præterea nec color hic viridis per se est talis, sed virorem habet ab adjunctis lateribus, quæ sub destillatione solvuntur à spiritu salis.

AUTOR *no.* 4. insinuat *spiritum salis corallatum*; sed parum sic obtinetur, coralliis acidum imbibentibus.

Spiritus salis dulcis & *crystalli dulces* fiunt duobus modis; vel per se diuturnâ digestione, vel per addita. Per *addita*, v. g. cum spiritu vini probè rectificato in duplo addito, secundùm *modum* AUTORIS *no.* 5. 6. & 7. quatenus nempè mediante longâ digestione & cohobatione obtunditur & diluitur acidus salis sapor, & ita mitior redditur, ut fiat blandus & suavis gustu, quod usu communi dulcificari dicitur. Pro excitando appetitu est egregius dosi gutt. x. ad xx. vel xxx.

Hunc spiritum salis dulcem vocant quidam *Aquam temperatam Basilii Valentini*, & nituntur ex croco *solis* cum eodem elicere *Tincturam*. *Sed* non est iste, quem chymici postulant. Potest interdum loco spiritus vini recipi spiritus appropriatus, v g. spiritus theriacalis, & fit *spiritus salis dulcis theriacalis*, egregium pestilentiale. Promptiùs quidam parant spiritum salis dulcem, scilicet in spiritum infundunt priùs radicem liquiritiæ, & hunc infundunt spiritui salis; sic enim tantùm ternâ destillatione opus esse dicunt, donec spiritus salis dulcescat. Quidam compendiosiùs parare volunt *spiritum salis dulcem* hoc modo: sali communi addunt spiritũ vini, hæc cum argilla miscent, & unâ vice destillant spiritum salis dulcem. Cæterum cohobatio est melior.

Observanda autem hìc est crebrior ista, quam AUTOR *Num.* 6. *pag.* 467. insinuat, solutio & crystallisatio, de *quo processu* relatum fuit. Ex *salis* ℔. iij. post crebriores solutiones & crystalli-

sationes vix ℥v. vel ℥vj. crystallorum dulcium remanent; quæ cum spiritu vini digestæ suavem huic saporem & odorem conciliant. Sal hoc dulcificatum cum calce aut folijs solis mixtum, & leni igne fusum, instar sanguinis rubescit, & pro *medicina Universali* & summo cordiali commendatur.

Dulcificatur quoque seu mitior redditur *spiritus salis* per alcalia addita, & infringitur, & in sal commune redit, & spirituosum phlegma volatile acidum suggerit.

Multi nituntur *parare spiritum salis dulcem per se*, sine adjectione tertii, per diuturnas digestiones; sed res est frustranea: magis *in forma sicca crystalli salis dulces obtineri* possunt, quàm spiritus dulcis in forma liquida: imò sine vel cum addito acidum infringente, vel ultimo ignis examine, quo spiritus acido-falsus ferè prodire dicitur, *non arbitror spiritum salis dulcem per se haberi posse*.

In *destillatione spiritus salis vitriolati diuretici* de spiritu vitrioli nil prodit, nisi forsan sulphuris ejus volatilioris aliquantulum assurgat; est enim ponderosior vitrioli spiritus, quàm ut tam facilè adscendere queat.

In destillatione *spiritus salis essentialis* nil aliud prodit, quàm spiritus salis concentratus, seu rectificatissimus: sub cujus destillatione adhuc bolus addenda venit, ut rectè monet HOFFMANNUS *in Clave pag.* 138.

Modum destillandi instillatione guttarum aquæ communis in sal fusum describit AUTOR *no.* 11. & conferri etiam potest KESLERUS *in Processf. c* 3. *n.* 21. & 23 ubi simul modus destillandi spiritum salis per retortam cum folle, adeoque mediante flatu. Dum destillatur spiritus cum guttis aquæ simplicis simul crystalli obtineri solent, quæ dicuntur *Terra Mercurificans Becheri*, quæ hoc modo adhæret lateribus; nil tamen aliud esse videntur, quàm ipsa salis ex guttarum frigidarum instillatione desilientis substantia ac particulæ, parum à sale communi, nisi subtilitate, differentes, ac puritate. Par ratio *illorum* videtur, qui *per flatum follis* elevantur.

GLAUBERI *Destillatio*, quam habet in *Furno Philos. P.* 1. *pag.* 11. dum carbones candentes in aqua solutionis salis communis extinguit, & postmodum ita destillat, furno nudo, suo receptaculo instructo, nil valet: nam parum suggerit spiritus, qui etiam est adulteratus, & fuliginibus carbonum permistus.

In destillatione spiritus solent se quoque sublimare *Flores salis*, sed in minutissima quantitate, & parum sub iis est.

CAPUT XXIII.

DE

SALE FOSSILI *seu* SALE GEMMÆ, ET INDO.

SAl *fossile* sive *gemma* est illud, quod foditur ex terra, imprimis in Polonia. Essentialiter idem est cum sale communi, quoad effectus; consistentiâ imprimis differens. Interim notabile est, quod sal gemmæ Polonicum in suis mineris & levius sit ac mollius, quod etiam, postquam aeri fuerit expositum, tum & gravius & solidius evadit, adeò ut massa, quam unus homo potuit portare in fodina, per aliquot dies & noctes aeri exposita, vix à quinque viris possit auferri. Id quod valet tantùm de sale gemmæ Polonico: Conf. M. A. N. C. *Anno* 2. *Observ.* 78. *pag.* 153. & 396. Parili ratione sal gemmæ in fodinis Calabriæ est mollius, ita ut variæ figuræ ipsi imprimi queant, quod aeri expositum valdè indurescit, teste BARTHOLINO *Cent.* 1. *Epist. Anat.* 54. *pag.* 231.

De cætero *vires*, *usus* & *præparata* salis communis & salis gemmæ reverà coincidunt, eandemque habent vim diureticam: unde si fiat mixtura ex *sale communi* seu *sale gemmæ* & *sale volatili succini* cum *aqua* aut *vino*, erit potus admodum diureticus, quique formaliter pellit calculum & arenas, renum & vesicæ. Aliàs rari usus est in Medicina, nisi quod valdè conveniat in incidenda & abstergenda mucilagine crassa & viscida intestinorum, unde commendatur ab AUTORE in Clysteribus loco stimuli ad ℨj. in colica pituitosa. Unde in alvo abstructa Clyster ex decocto vel jusculo cum sale gemmæ acuatus est omnium optimus; sicut & stercora dura & fortiter coagulata dissolvit: item si suppositoria adspergantur cum sale gemmæ valdopere hoc acuantur, ut potentissimè stimulent.

Aliàs non habet peculiarem usum, præter Balsamum salis gemmæ interiùs assumendum & illinendum contra hernias; de quo observandum, mancam esse in AUTOR descriptionem, quæ talis est: Si sal gemmæ eousque redactum est, ut ad candelam tam promptè liquescat, affundatur spiritus seu oleum terebinthinæ ad eminentiam trium digitorum, digerantur aliquandiu, hinc spiritus seu oleum terebinthinæ abstrahatur crebriùs à sale gemmæ, donec hoc rubescat: oleum rubrum abstrahatur ad consistentiam aliqualem, donec elegans balsamum in fundo remaneat, cujus dosis & usus apud AUTOREM *pag.* 471. & HARTMANNUM *Praxi Chymiatrica*, ubi *de hern.* prostat.

ZWELFFERUS *in Mant. Hermetica pag.* 430. habet *oleum* seu *spiritum salis gemmæ Martialem*, ex Matte cum sale gemmæ per destillationem paratum: est remedium non inconveniens.

Apud Veteres fit sæpè mentio *salis Indi*. Quæstio est apud modernos, *quid sit*? & valdè inter se digladiantur: probabilissima est opinio eorum, qui dicunt, quod sit species salis fossilis veteribus nata, nobis ignota.

CAPUT XXIV.

DE

NITRO.

NItrum ita dicitur ab oppido Ægypti, ubi in magna copia olim confectum fuit. Observetur autem hìc ante omnia *differentia*, quæ est inter *Nitrum veterum* atque *nostrum*. *Nitrum* enim, quod *veteribus olim* fuit *cognitum*, *nobis* ferè est *ignotum*. *Nostrum* autem non est nitrum verum, sed sal petræ saltem, quod aliàs etiam, sed falsò, dicitur Nitrum; *Colligitur* artificialiter ex locis pinguibus probè stercoratis & muris antiquis, & sæpiùs spontè ex petris sub forma lanuginis efflorescit, vel in forma striarum concrescendo adhæret. Dicitur Sal petræ genuino vocabulo, promiscuè, abusivè & communiter vocatur sal nitri, non verò confundendum est cum nitro veterum.

Veterum ergò *nitrum* genuinum, quantum ex illorum scriptis colligitur, erat sal quoddam nativum, ex natura salis ammoniaci, rubicundum, amaricans, & abstersivum, naturæ saponariæ, in igne non exiliens, sicuti alumen, & forsan fixum atque fusibile. Colligebatur partim è vallibus siccitate efflorescens, partim verò calore solis excoquebatur ex lacubus & fodinis nitrariis seu lacubus arte factis; quales erant crebri propè Nilum in Ægypto, cujus aquæ admodum sunt nitrosæ. Et quidem verum ac genuinum sal nitri veteres imprimis petebant ex Ægypto, ubi adhuc colligitur post Nili exundationem: vid. *de la* CHAMBRE: & post Ægyptiacum postmodum *Macedonicum sal nitri*, quod vocabant *alumen Galasterium*, fuit in usu: ob id moderni falsò vocant sal petræ sal nitri. Rectè enim BALLONIUS *in Observat. lib.* 2. *cap.* 71. in Europa veri salis nitri ne micam existere asserit, in Ægyptia verò rem esse vulgatissimam propter Nilum: permigravit enim BALLONIUS Ægyptiam; qui de nitro simul refert, quod calcinatum copiosos relinquat cineres; sal petræ verò nostras nullos omninò. A nitro suam appellationem habet *Aphro-nitrum*, alio nomine dictum *Flos nitri*, quod ejusdem ferè est consistentiæ, sicut ipsum nitrum; sed est tantùm spuma nitri acrior seu illud tenuissimum nitrum, quod in Nitrariis in summa superficie solet concrescere. Salis nitri ergò veri succedanea esse possunt ista salia, quæ sunt amara, lubricantia, & abstersiva, qualia sunt sal faginum, sal quercinum, item borrax Venetus & similia, idque in defectu veri nitri, quo nos destituimur.

Apud nos aliud est nitrum, concretum salsum penetrantissimæ & volatilissimæ naturæ, saporis amaricantis, ex acido spiritu cum alcali sociato constans; quibus & copiosæ particulæ sulphureæ seu pingues intertextæ sunt. Assertum hoc per Mechanicam Chymiam manifestum evadit: Nempè spiritus nitri acidus, ex nitro per destillationem elicitus, affusus alcali fixo, v. g. tartari, ad saturationis punctum usque, cessante effervescentiâ, & phlegmatis superflui exhalatione, in perfectum regneratur nitrum, quasvis hujus proprietates obtinens. Sed observandum: quod non totum alcali, sed saltem salinæ ejus particulæ, naturâ suâ volatiles, cum acido nitri concrescant, terreis fixioribus particulis maximam partem per præcipitationem sub effervescentiæ motu succedentibus. Hinc & ex spiritu salis ammoniaci, vel alcali volatili cujusvis animalis, cum spiritu nitri etiam regeneratur perfectum nitrum in strias, licèt subtiliores, quasvis tamen nitri proprietates, & quidem potentiores præ communi, pro scopo diuretico obtinens.

Sulphureas particulas simul inesse nitro (ut ut à quibusdam negetur, cùm in catino vel crucibulo fusum pondere non diminuatur, inque igne persistet) ex eo fit evidens;

1. Quod tam facilè deflagret, utut ad sui incensionem aliquantulum extranei requiratur sulphuris, quo concentratæ ejus pingues particulæ promptiùs à salium compedibus liberentur. Sulphur enim aut pruna si ipsi injiciantur, subitò flammam concipit, & spumans quasi ignibus reluctans, subitò in auras dispergitur. Unde & observatu digna sunt, quæ de nitri compositione habet LINZERUS *Tr. de Sale ex Quercetano*, quod nempè nitrum inter se contineat duas partes volatiles, *primam* sulphuream, & *alteram* Mercurialem acidam; & duplex etiam sal, *fixum* & *volatile*: hoc vel *sulphureum* flammam concipiens, vel *Mercuriale* acidum.
2. Quod generetur non nisi in terris pinguibus, aut ex vegetabilibus oleosis, aut recrementis & partibus animalium pinguibus & sulphureis, &c.
3. Spiritus ejusdem destillatus non solùm ignis instar rutilat intensè, quod sulphuri dissoluto cum volatili acido, ab igne vehe-

vehementer agitato, tribuo; quod & in omni igne evenire solet: sed idem recens destillatus insignem vim penetrandi, flavedine tingendi, &c. obtinet, v. gr. pennam intrusam croceo constanti colore inquinat; item cuti & unguibus digitorum illitus flavam insignem maculam relinquit; dum ab horum alcali, in quod agit acidum, præcipitatur quasi reconditum sulphur, in spiritu magis, quàm integro nitri corpore resolutum: sicut, idem spiritus per rectificationem in liquorem limpidum abit, & terram spongiosam & flavam post se relinquit, quæ igni tradita sulphureum spirat fœtorem. Ad hæc exinde *Phosphorus iste* seu *lapis luminaris Balduini*, vim luciferam obtinet, dum creta solvitur in nitri spiritu, solutio filtrata per retortam destillatur, & vel ultimo ignis rigore tandem penitùs in retorta quasi exuritur, vel abstracto spiritu materia restitans candida sub tegula in furno probatorio ultimis ignis gradibus exponitur. Relinquitur sic substantia terrea hinc inde intensè flava, quæ eousque, quo flavedine tincta conspicitur, igni admota lucem rapit, & hinc igneum eundem splendorem in loco tenebricoso aliquandiu adhuc spargit, cœteris partibus non flaventibus, etiam non lucentibus. Flavedo hæc nihil aliud est, quàm sulphur ex nitri spiritu in creta per acidi in cretam actionem præcipitatum, & sub ignis tortura post acidi abstractionem firmiùs in creta colliquatum.

4. In nitro ex accensione hujus in flammam, ostendit BALDUINUS *Tract. Venus aurea pag.* 52. *&* 53. experimento quidem curioso, sed multis modis explicabili.

Plura argumenta suppeditat WILLISIUS *de Fermentat. cap.* 10.

Origo horum principiorum ulteriùs investiganda. Materiale seu alcali nitri ex locis & subjectis, ex quibus elicitur, oritur, ita, ut ubicunque substantia alcalina pinguis deprehendatur, facilè ex eadem aeri exposita nitrum emergat: hinc ex subjectis omnium trium regnorum copiosè nitrum parabile existit.

Quoad *animale regnum*: ex locis, recrementis & urinâ animalium eorumque partibus abjectis largiter impraegnatis, putrefactis, nitrum oritur: hinc ex terra antiqua pingui stabulorum copiosum nitrum per cocturam elicitur, & quasi elixiviatur; quæ coctura si est nimis pinguis, trajicitur & irroratur priùs aliquo lixivio, ut coerceatur aliquatenus materia pinguis: sic ex sanguinibus animalium, per putrefactionem resolutis, nitrum generari potest, teste GLAUBERO *Op. Part.* 2. *pag.* 387. non secus ac ex partibus animalium putrefactis geniti vermes, & ipsi putrefacti, tandem nitrum suggerunt, teste *eodem* c. l., sicut ex lumbricis putrefactis nitrum tandem fieri, ostendit BECHERUS *Physic. subterr. l.* 2. *pag.* 329.

Quoad *vegetabile regnum* non succus saltem, aut decoctum plantarum quarundam sal essentiale, quod perfectum nitrum suggerit, ut fumaria, absinthium, carduus benedictus, Mercurialis, Borragō; sed & ex cineribus pinguibus antiquis, item coriariorum & saponariorum quisquiliis, aliisque cineribus ad confectionem saponis utilibus, in terram abjectis, & ita aeri expositis, nitrum fieri solet: ERCKERUS *Aul. subterran. pag.* 306. *&* 325. item GLAUBERUS *citato loco*: Vt taceam *Glauberi modum* per furnum suum pressorium ex lignis spiritum acidum eliciendi, huncque sali fixo liquorum affundendi, ex quibus aeri expositis tandem verum nitrum concrescat; vid. *Oper. P.* 1. *pag.* 207.

Minerale denique *regnum* non terras tantum nitrosas, pingues, nitri feraces interdum longo tractu suggerit, sed in muris antiquis calcariis, cellarum parietibus &c. nitrum copiosum crescere solet, ubi sal calcis vivæ animatur ab aere, & efflorescit in nitrum elegans, quod elixiviando elicitur. Hinc POTERIUS *in Pharmac. l.* 1. *cap.* 7. rectè inquit: quod *nitrum sponte erumpens, & quod citra artificis operam habetur, de natura salis ammoniaci participet.* Datur quoque sal petræ, quod scopulis & rupibus sponte exhalando adhærescit & efflorescit: rarius est reliquis & non adeo vulgati usus. Quin & arte parabile nitrum est, si calcis vivæ part. iij. & salis communis pars j. calcinentur probè, & postmodum aeri exponantur, efflorescent successivè in nitrum elegantissimum, ita ut materiale, alcali, cum juncta substantia sulphurea non nisi matricibus, in quibus generatur nitrum, adscribendum videatur. Sunt quidam, qui ex vitriolo etiam præparare volunt nitrum.

♃. scilicet *vitriolum pulverisatum*, quod solvunt in *spiritu vini*, parato ex vino vel tartaro seu fæcibus vini, destillatum in cineribus lento igne ad dimidium, & ultra, in loco frigido concrescit in cry-stallos vel strias oblongas virides, quas abluunt cum aqua, & cum aere extrahunt virorem hinc albescunt instar nitri purificati, quæ tamen nihil aliud erunt, quàm vitriolum crystallisatione purificatum.

De *acido* quæstio, quod in spiritu adeò mirabili formâ prodit ex nitro, *unde hoc originem habeat*? Optima hìc videtur sententia illorum, qui partim ex subjectis, in quibus nitrum generatur, partim ex aere illud derivant, & ita quasi duplicatum faciunt; in quo ipso negotio præ aliis consulendus MAYOW *Tract. de nitro*

Ettmull. Oper. Tom. III.

Cap. 1. 2. 3. Scilicet absque aeris adjumento nullibi nitrum generari potest, nec solet; & terræ nitrosæ semel exhaustæ, aeri iterum expositæ, nouo nitro imprægnantur, & hoc tamdiu, quamdiu pinguedinem habeant, quod post quinquennium rursus excoquitur: & caput mortuum vitrioli expositum, resolutione salis vitriolacei, concentrati in capite mortuo, novum in vitriolum efflorescere solet, non tamen purum, sed nitrosæ omninò prosapiæ, ut annotavit ZWELFFERUS *in Animadv. pag.* 384. *&* 408. & *in Append. p.* 71. Sed totus spiritus nitri ab aere nullo modo procedit, quia propter pondus, fixitatem, intensam acrimoniam, &c. maximam partem ex subjectis oritur ab aere solutis, in quibus generatur.

Nitrum ergò illud, quod ex terris nitrosis oritur, spiritum fumantem habet ex sale terræ centrali dicto, sali communi simili: nempè acidum universale in terræ visceribus, ut per seminalia principia determinatum ad naturam acidi sulphuris embryonati mineralium, ita cum terra confermentatum seu unitum, *sal centrale* dicitur. Hoc, ut aliâ modificatione sal commune constituit, ita idem, dum cum alcalinis oleosis subjectis, ab aere resolutis, novâ fermentatione sociatum, & ab aeris universali sale immediatè quasi animatum, nitrum constituit, quod destillationis beneficio unà cum substantia aerea & resoluto sulphure evocatum, spiritum nitri, concretum sanè mirabile, constituit. Unde nitrum nihil aliud, quàm aerem coagulatum esse, quidam asserunt: hinc nitrum vel sal petræ in magna æstimatione semper fuit alchymistis, utpote cùm quidam menstruum universale parare velint ex nitro, quò non obscurè inclinat GLAUBERUS; & rectè, si modò norint sulphur nitri à spiritu aereo separare. Et qui noscunt separare spiritum hunc corrosivum sulphureum, crystallos nitri dulces volatiles acquirunt non deflagrabiles, qui in febribus ardentibus summa sunt medicina. Alii putant in nitro ratione substantiæ aereæ residere materiam lapidis Philosophici: alii alia in nitro quærunt; & sanè in usu Medico magni est pretii.

Propter sal terræ centrale sal commune, quod certâ modificatione constituit, & nitrum eleganter conspirare mutuò, non solùm ex suprà dicta mechanica patet; sed & cum omni nitro plus minus sal commune reperiri solet, Refinatoribus communi vocabulo Germ. *der Schalk* dictum: quod, utut quidam ex urinis & stercoribus humanis aliorumque animalium derivent, & ex sale esculento, quod est invincibile à nostro corpore, oriri asserant, tamen altiorem habere originem non immeritò asserit ERCKERUS *pag.* 326. *&* 330. Illud potiùs, unà cum nitro, ex sale illo terræ centrali generari suspicatur; unde & *fermentum salificum Hoffmanni* ex sale communi, urina &c. constat.

In vegetabilibus verò & animalibus, quæ subinde absque confermentatione cum terra suggerunt nitrum, acidum illud, quod ab aere animatum, cum alcali nitrum constituit, jam inest. Nam & spiritus acidus liquorum cum eorum alcali aut lapide calcario in nitrum concrescit; & quælibet plantæ nitrosæ, item animalium urina & stercora, acido plus minus occulto, oleoso tegmine investito, seu concreti vinculo, constant, quod putrefactione resolutum, & à sale aereo juncto subactum, alteratum & immutatum, cum alcali in nitrum concrescit: ut delicatius & parcius fit hoc modo, quod acquiritur nitrum, quàm si terræ committantur subjecta alia.

Ex aere nitro accedit substantia illa, cujus ratione tam insigniter inflammationem rerum promovet nitrum, ita, ut ejus adjumento res sulphureæ promptissimo deflagrationis auxilio subitò detonationem faciant: adeo, ut *dubium* sit, *an absque ullo nitrosi cujusdam salis*, seu substantiæ adjumento, *ignitio* seu *incensio actualis fieri possit*? sive substantia talis sit concentrata in nitro, adeoque corporalis facta, sive resoluta in aere fluctuet? Hinc in vase clauso, cui nullius aeris patet accessus, nec carbo accenditur, nec candela ardet, nec sulphur flagrat, sed nitro addito incensio cum speculo ustorio succedit; quin etiam sub aquis deflagratio durat: ita ut aeris & nitri æqualis sit necessitas ad rerum incensionem faciendam; potentior tamen sit vis nitri, eo, quod vim illam aereæ substantiæ concentratam continet, unde etiam substantia ista volatilis pinguium resolutiva, incensionem faciens, nitro & aeri communis non ineptè, defectu etymi melioris, particulæ seu spiritus nitro-aereus appellari solet: sed ne prolixior sim, consulendus est de his MAYOW *loco citato*.

Inter *synonyma*, quæ habentur apud AUTOREM; vocatur *Nitrum* à BASILIO VALENTINO, quod rarissimè vocat nomine proprio, *serpens terrenus*, & sal *Hermaphroditicum*, quoniam participat de sale volatili & fixo, rodit corpora cum summo ardore & effervescentia.

Proba nitri, an sit bonum & purum? instituitur, uti habet AUTOR *pag.* 472. deflagratione: Nam si totum nitrum super igne deflagret, est signum bonitatis & puritatis in nitro: sin verò aliquid salis albi & caustici remaneat post inflammationem, est signum impuritatis, nec benè sulphur est refinatum.

Quod attinet *Qualitates* salis hujus nitri, est simplex polychreston, sanguinis coagulationi resistit, eundem fluidum & mobilem con- Qualitates Nitri.

conservat, æstuationem ejus mitigat, refrigerat: unde in cura febrium quarumcunque ardentium commodè adhibetur; imprimis in febribus malignis, & in specie in febribus Ungaricis primatum obtinet, dissolutum in potu, & ita haustum; modò ventriculi tonus debilior, & alvus justo laxior, serumque nimis acre & fluxile, nitri usum non contraindicet. Certè nil magis coercet effervescentiam salis volatilis & sulphuris Microcosmi, quàm nitrum. Hinc in febribus vulnerariis, & ardore vulnerum à sclopeto inflictorum superveniente, item post combustiones artuum, &c. optimum est remedium: sitim compescit, inflammationem partium internarum, ut sunt pleuritis, hepatites, angina &c. egregiè curat, adeoque rectèà BACONE *in Hist. Vitæ & Mort. pag.* 105. *Aroma frigidum* vocatur. Carminativum est egregium, quod flatus intestinorum potenter discutit. Unde est basis in diaspolitico Galeni, quod commendatur ceu expertissimum à BARTHOLETO in Malo hypochondriaco valdè flatulento. Spiritus quoque ferocientes figit, eosque fixatos coercet, unde in hæmorrhagiis sistendis laudat AGRICOLA *in Chirurg. Parva pag.* 190. ubi in casu necessitatis ad ℥iij. propinat: sicut etiam in nimia salacitate Venerea summum & unicum est remedium: vid. TIMÆUS *lib.* 3. *Conf.* 52. *pag.* 197. In spiritus vini abusu cum santalo rubro laudat SIMON PAULI *in Digress. de Febrib. Malign. pag.* 53. Diureticum quoque est, primas vias & renes abstergit, arenam & sabulum per urinam pellit, calculumque præservat & promovet, hinc & suppressioni urinæ succurrit: pro quo scopo nitrum artificiale potentius præ vulgari observatur.

Utendi modus optimus est, ut dissolvatur in potu ordinario ℥j. nitri, in mensura dimidia dissolvendo & ita propinando. Commodè etiam permiscetur vel cum pulvere millepedum, vel sale volatili succini ritè parato, pro *pulvere diuretico* potenti.

Præ cœteris autem confert *nitrum antimoniatum*, antimonialibus particulis imprægnatum, & optimè per alcali, in quod ex parte abiit, depuratum. Nempè si nitro fuso in crucibulo adjiciantur carbones, incenditur nitrum, & repetitis vicibus post spiritus sub ista incensione dissipationem perfectum alcali fixum remanet: Quod si verò recipiatur regulus antimonii, & cum triplo nitri paretur *antimonium diaphoreticum*, non deflagrat nitrum ob sulphuris, respectu nitri, defectum, sed saltem mutuò liquescunt, utut nihilominus quædam ejus pars in alcali abeat. Hinc post edulcorationem denuò concrescit nitrum in strias purissimum, à partibus alcalisatis optimè depuratum, in febribus ardentibus æquè ac malignis, aliisque morbis acutis efficacissimum. Et hoc vocatur *Nitrum antimoniatum*, seu *Anodynum minerale*; quod à sulphure antimonii habeat vim somnum inducendi, & partium internarum dolores compescendi.

Dosis ʒß. ad ʒj.

Externè est egregium in tumoribus faucium; in specie in inflammatione faucium & angina permiscetur cum gargarismatis, atque ita applicatur. Epithematis instar refrigerat partes; speciatim Epithema ex eodem cum aceto & succo sempervivi testibus applicatum, ardorem corporis insigniter mitigat, ebrietatem discutit; hepati item admotum ad hæmorrhagias, ab æstuante sanguine concitatas, sistendas confert.

Antequam verò in usum Medicum vel Alchymisticum veniat, necesse est, ut purificetur à sale communi: quin & *à pinguedine sulphurea purgandum est nitrum*, quod fit mediante sale ammoniaco:

℞. *Nitri* v. g. ℔j.
In *aqua tepida* soluto add.
Sali ammoniaci ℥ij. vel iij.
Sic superfluum sulphur separatur.

ut nitrum purum denuò possit crystallisari: vid. THEODATUS *l.* 1. *Panth. Hyg. pag.* 147. Conf. etiam M. A. N. C. *Anno.* 2. *Observ.* 196. & 298.

Alius *nitrum depurandi* optimus *modus* est KESLERI *C.* 1. *Proc.* 61. per alcalia fixa. Ebulliat nitrum in lixivio acri, coquatur donec gutta lixivii extracta ferro frigido immissa instar sevi adhæreat, tunc removeatur mistura ab igne, & sic loco frigido purissimæ concrescunt crystalli, ut rectè docet TACHENIUS *in Hipp. Chym.* quæ in ebullitionibus febrilibus, in specie malignis, compescendis & præcipitandis, est egregium pro siti mitiganda; item pro inflammatione faucium in angina &c., utut soleat aliquantisper laxare stomachum, & inducere nauseam.

Clossæi Depuratio nil habet in recessu.

Sequitur

CALCINATIO.

Quando calcinatur nitrum cum sulphure, unde fit *lapis prunellæ*, seu *nitrum cum sulphure fixatum*. Quando enim nitro fuso adjiciatur sulphur commune, & ita fundatur in tabulas & rotulas, cum sulphure deflagrante & detonante acidum sulphureum ex nitro avolat, sulphuris verò acidum cum alcali nitri se jungit, ita ut lapis prunellæ communis seu Crystallum minerale fit tertium salsum fixum nullius, pretii remedium in istis affectibus, qui ipsi vulgò attribuuntur.

Ex dictis patet, *lapidem prunellæ* seu *nitrum cum sulphure præparatum*, non adeò valere; & quidem quò plus sulphuris adjicitur, eò magis salsum fixum evadit. Lapis prunellæ dicitur propter virtutes, quas habere dicitur in prunella, Germ. *in der Braune*, in inflammatione ac ardore faucium. Vocatur nitrum fixum, quoniam nitrum deflagrando cum sulphure, parte ejusdem volatili, quæ in calcinatione avolavit, destituitur. Alii cum *Doct.* ERBENIO nitrum in crucibulo probè fluere permittunt, hinc in *aquam bullientem* effundunt, & denuò coagulari permittunt, idque magis quinque vicibus repetunt; sic enim nitrum dulce & insipidum ferè factum esse ajunt, istis usibus, quibus nitrum destinatur, imprimis pro cura febrium periculosarum, probè accommodatum. Et *hic lapis prunellæ Erbenianus* ab eodem dicitur *Magnes, omnes Calores in corpore præternaturam exortos extrahens*, & indignatum archeum coercens, urinamque retentam ad miraculum usque promovens. Dos. gr. xv. ad ℈j. vel gr. xxv. Est elegans præparatio & nitro sulphurato longè præferenda.

Dixi per sulphuris adjectiones sub hujus deflagratione simul spiritus nitri evolare. Res clara est; si enim hujusmodi fiant præparationes cum sulphure communi per retortam, spiritus nitri acidus in receptaculo obtineri potest.

Habet AUTOR *no.* 2. *Nitrum fixum aliud*; & si ex hujus præscripto procedatur, nitrum satis purum, ab alcali calcis vivæ depuratum, acquiritur; sin verò elixiviatum denuò cum dimidio calcis vivæ calcinetur, in perfectum tandem alcali abit.

Præparatio 3. *cum spiritu urinæ* non est inelegans, quoniam valdè convenit in affectibus calculosis, & ubi opus est diuresi, urinam quippe ciet, & calculo præcavendo, & promovendo confert, & ratione ejus volatilitatis à spiritu urinæ in usu Alchymistico laudatur.

Nitrum saccharatum vocatur, quando lapis prunellæ subigitur cum saccharo, quod *saccharum prunellæ* vocatur à BARTHOLETO. WURZIO quidem in Chirurgia mirè commendatur contra febrim, quæ insequitur vulnera sclopetorum; item contra febres, quæ superveniunt vulneribus, Germ. *Wieder die Wundfieber*; sed ut suprà de lapide prunellæ dixi, nil valet; potiùs usurpetur Nitrum antimoniatum.

Nitrum perlatum coralliatum, & *saturnisatum* AUTORIS &c. non adeò multum valent, quin simplex corporum istorum præparatorum cum nitro conjunctio abundè sufficiat. *Nitrum* aliàs *saturnisatum* in peste & morbis pestilentialibus & febribus malignis aliis, cum nimio ardore conjunctis, maximè laudari solet. Nitrum per se est album, possumus tamen ipsi addere Tincturam vel rosarum, violarum, vel tunicæ, vel santali, &c. quæ permiscentur cum aquis certis, in quibus aquis solvitur nitrum depuratum, & post lenem evaporationem crystallisatur, & sic de sapore & colore Tincturarum participat; Quoad vires autem à nitro communi parum vel nil differt. Quod dixi de nitro, idem fieri potest cum tartaro vitriolato, ut hoc in transitu moneam, qui similiter cum Tincturis misceri & coagulari potest. ZWELFFERUS *in Mant. pag.* 406. nitrum succo aliquali vegetabili, acetosæ, acetosellæ, rosarum, vel etiam cum succis purgantibus solvit, sicque nitrum coagulando aliquoties imprægnat, quod pro scopo morborum laudatur, tanquam magis specificum.

Draco fortificatus Autoris pag. 474. nil aliud est, nisi nitrum concentratum cum spiritu proprio, nec multum differt à nitro communi.

Terra foliata nitri Sam. Clossæi idem est cum terra foliata tartari: siquidem perinde est, sive alcali nitri, sive alcali tartari cum aceto destillato imprægnetur, & spiritu vini solvatur: idem nempè productum emergit. Certè est præparatio, quæ multa sub se habet, in qua imprimis observandæ sunt omnes encheirises. Pro usu Medico est egregia, & multa habet in recessu, imprimis convenit in morbis chronicis & scorbuto.

Sic & *Bartholeti Tartarus nitratus* cum spiritu nitri paratur: scilicet

℞. *Spiritus nitri*:

Superfundatur *oleo tartari per deliquium*, sicuti aliàs fit in tartaro vitriolato, & quidem guttatim, usque ad punctum saturationis: sedatâ effervescentiâ, & superfluo liquore evaporato, acquiritur sal quoddam novum, *Tartarus nitratus* dictum, quod à BARTHOLETO *Lib.* 5. *cap.* 1. *in Tr. de diff. Resp. pag.* 44. singulare Digestivum in febribus, tam intermittentibus quàm continuis, nec non in morbis cachecticis, aliisque Chronicis, item in malo hypochondriaco, multum laudatur. Verum nihil aliud est, quàm *nitrum regeneratum*.

Nitrum vitriolatum seu *sal Ducis Holsatiæ* seu arcanum duplicatum Mynsichtii, est vel propriè dictum Nitrum vitriolatum, vel impropriè. Illud vel immediatè ex nitro & vitriolo, vel mediatè ex capite mortuo aquæ fortis paratur. Impropriè ita dictum fit simpliciter ex spiritu vitrioli nitro affuso & exinde abstracto; prodit enim sic spiritus nitri & sal duplicatum, ex acido vitrioli & alcali nitri restitans. Imò paratur à quibusdam simpliciter

ex

ex nitro cum carbonibus alcalisato, cui spiritus vitrioli ad saturitatem usque affunditur; sal inde emergens compositum, fusionis igne tractatum, Nitrum Vitriolatum constituit, sed non est adeo bonum. Propriè autem dictum nitrum vitriolatum fit simpliciter ex nitro & vitriolo, vel proportione anatica, vel parte j. vitrioli, & part. ij. nitri mistis: Ex hac mistura vel per retortam destillatur spiritus, & prodit aqua fortis, vel saltem calcinantur mutuò in crucibulo, donec omnis fumus cesset. Ex capite mortuo elixiviatur sal vitriolicum nauseosi saporis: Quod ne faciat vomitus, denuò in crucibulo fundendum, in aqua simplici solvendum, filtrandum, coagulandum, denuò fundendum atque solvendum; sicque dicto modo procedendum tamdiu, donec sal perfectè candidum seu crystallinum, ex insipidò amarescens absque ullo vitriolacei saporis vestigio, acquiratur.

Hoc modo ritè paratum non metuit epicrises WEDELII *in Pharm. pag.* 51. & ZWELFFERI, quas hic habet in *Mant. Herm. pag.* 437. cùm in eo hallucinetur, quod repetitas fusiones & solutiones negligit, quibus mediantibus omnes particulæ metallicæ penitus separantur.

Tot autem solutionum tædio supersedere si velimus, faciliori labore metallicæ particulæ per alcali nitri præcipitari possunt, secundùm LUDOVICI *Pharm. pag.* 427. Nempè

℞. *Vitriol. Mart.*

Solvatur in aqua: solutio præcipitetur ab alcali quodam fixo, oleo v. g. tartari per deliquium seu alcali nitri: sic præcipitatur Mars, & alcali se sociat cum acido spiritu nitri, quæ coeunt in tertium salsum, & liquor filtratus in loco frigido in crystallos concrescit elegantes.

Constat adeòque hoc Arcanum duplicatum ex alcali nitri & acido vitrioli mutuò colliquatis, sub qua colliquatione probabile admodum est, alcali nitri simul agere in sulphur vitrioli anodynum, ita ut sal hoc aliquali ejus contagio simul infectum sit: emergit exinde sal admodum polychrestum, egregium febrifugum omnium intermittentium, tam loco digestivi die intermissionis, quàm horâ ante paroxysmum usurpatum, speciatim in febribus scorbuticis & intermittentibus ardentibus, ubi nullum frigus præcessit, in quibus nobile remedium, sive solum propinetur ad ℈j, vel cum hoc permisceatur lapillorum cancrorum præparatorum ℈ß; qui pulvis aliquoties reiteratus nunquam fallet, & materiam febrilem per urinam pellet; nam pulvis cancrorum per se est singularis medicina in scorbuto, uti etiam in malo hypochondriaco, in specie, quando malum affligit ægros cum phlogosi & æstu, aliisque affectibus chronicis. Multum confert Arcanum duplicatum in calculo; blandè enim movet urinam, & sabulum ex renibus. Præterea in cardialgia cum lapillis cancrorum feliciter adhibetur, nec non in affectibus muliebribus mirè conducit, & à LANGIO *in Coll. Pathol.* commendatur, stimulat menses deficientes, præservat à suffocatione hysterica, melancholiis hypochondriacis, & quamplurimis uterinis morbis, cùm in specie ægros ad aliqualem somnum disponat. Delirantes certè utplurimum carent somno. Quod si igitur Medicus ægros ejusmodi Melancholicos ad somnum disponere possit, non desperet de salute. Si camphora addatur, fit quasi specificum ad affectus Melancholicos: fiunt enim sic placidi, & ad somnum successivè inclinant. Vis somnifera oritur partim ex proprio nitri sulphure, partim à sulphure vitrioli. Hæmorrhagias sanguinis ab orgasmo ortas sedat, stagnans serum liquat, & temperat: hinc in inflammationibus internis cum fructu exhibetur. Item ad præservandam epilepsiam & apoplexiam est singulare, & loco digestivi non solùm præmittitur medicamentis purgantibus, sed ipsis etiam commodè admiscetur, quia eorum vim actuat. Paucis: tanquam arcanum recommendatum esse debet, quoniam est remedium planè polychreston, modò rectè sit præparatum. Candidum debet esse, insipidum cum pauca amaritie.. *Dosis* est ℈j. Ab aliis vocatur *Panacæa Holsatica*; quoniam in Holsatia est inventum, & ibidem ejus usus frequentissimus.

Sal Cachecticum Chalybeatum pag. 475. est Arcanum duplicatum, tinctum tamen per crocum Martis.

Sequitur

SUBLIMATIO.

Flores nitri in AUTORE sunt nihil aliud, nisi sal duplicatum ex sale & nitro, dum sub aliquali detonationis actu utriusque particulæ salinæ quasi exilientes sursum attolluntur, utut non sit vera sublimatio. Alios *flores nitri* habet MYNSICHTIUS *in Armament. Chym. pag.* 26. per transudationem per ollam factam: solutio nitri præparati nonnihil inspissata per ollam non vitreatam in loco frigido instar lanuginis transsudat, quam lanuginem vocat flores nitri. Sed nihil peculiare obtinet: loco horum sufficiat *Nitrum vitriolatum*, reverà polychreston in Medicina.

Pertinet huc *Volatilisatio* ZWELFFERI *in Pharm. Reg pag.* 240. beneficio continuæ deliquescentiæ vel reiterati deliquii in aere humido: nam sic sensim sensimque liquescit ab aere, ut possit nitrum destillari per alembicum. Sed res est ridicula, cùm nitrum hoc modo satiscat in aquam elementarem. Multa quidem habet de hoc ZWELFFERUS *loco allegato*; non tamen omnia credenda quæ dicit ZWELFFERUS.

Sequitur jam usus nitri in forma liquida, & hinc

DESTILLATIO

Se offert, ubi in spiritum abit.

Destillatur ex nitro *spiritus*, vel per se, vel cum addito; & hoc est vel argilla, vel alumen ustum, vel vitriolum; idque tàm in forma sicca, quàm humida.

Per se ex retorta, secundùm modum AUTORIS *nu.* 2. *pag.* 476. insinuatum, destillari solet: Sed necesse est, sit ferrea, aliàs nitrum fusum quaslibet retortas perfringit & perforat.

Cum addito bolo vel argilla paratur secundùm *modum primum* AUTORIS, estque *modus ordinarius*. Nempè

℞. *Nitri* p. j.
Boli vel *argillæ* p. iij.

Permista & destillata hæc per retortam, dant spiritum acidum, qui prodit colore ignito, fulgido & flammeo, & tandem se coagulat in liquorem albicantem acidissimum.

Additus nempè bolus vel argilla fluorem nitri impedit, unde particulæ acidæ vi ignis ægitatæ prodeunt, & spiritum nitri constituunt. Par ratio, quando alumen ustum additur. Cùm alumine crudo cœterisque præfert LUDOVICI *in Pharm. pag.* 430. Quidam etiam addunt arenam.

Destillatio fiat per retortam ampli colli, aliàs repercussi spiritus se figunt in capite mortuo proprio. Observandum quoque, quamdiu retorta calet, tamdiu receptaculum est coloris rutilantis; quia spiritus iste rutilans est sulphur nitri: sed si est refrigeratum, cessat iste color. Vas ergò recipiens amoveatur, dum adhuc omnia calent, licet fumus sit maximè nocivus, aliàs ubi refrigerata fuerint, remeat spiritus maximè volatilis in caput mortuum. Encheirisis ergò notetur, quod scilicet receptaculum sit immergendum aquæ frigidæ, vel linteo madefacto involvendum, ut faciliùs subsideant spiritus.

Potest etiam hic spiritus parari per retortam, igniendo nitrum cum carbonibus, vel antimonio, vel sulphure; quatenus subjecta hæc deflagratione sui, nitrique incensione, spiritum ejus sub forma flammæ prodire cogunt, qui in receptaculo apposito colligitur, restitante nitro fixo in retorta: conf. ERCKERUS *l. a. pag.* 210. Sed dum figitur pars quædam nitri in alcali, parum prodit in spiritum: è contrà cum argilla aut bolo destillatum nitrum, totum abit in spiritum.

Quoad usum medicum, usurpatur *spiritus nitri* tàm simplex quàm *dulcificatus*, hoc est, cum duplo vel triplo spiritus vini mixtus, &, cessante fortissima effervescentia digestus, mutuò destillatus, & aliquoties cohobatus: ex quo ipso spiritu nitri dulci blandâ abstractione *crystalli nitri dulces* elegantes haberi possunt: de quo HOFMANNUS *Clave p.* 346. Observandum tamen in mistione, quod cauto opus sit: nam spiritus vini cum spiritu nitri mistus effervescentiam facit incredibilem, imò in flammas eructat, & vasa disrumpit: vid. DRAWIZIUS *Tract. de Scorb. pag.* 339. ubi simul quædam egregia de hac mistura habet. Guttatim igitur misceatur cum spiritu vini, ut successivè & blandè effervescant; sic enim spiritus nitri prodibit dulcificatus.

Spiritus nitri simplex egregius admodum est in compescenda effervescentia febrili nimia quarumcunque febrium, præsertim malignarum, & ex iracundia nimia ortarum, ubi magis est appropriatus & tutior, quàm spiritus salis & vitrioli, figit simul effervescentes humores, & inde effervescentiam eorum sistit & compescit. Sic & in febribus malignis pestilentialibus, ubi virus arsenicale peccat, spiritus nitri est egregius, qui figit arsenicum, & ejusdem malignitatem tollit. Ad hæc singulare est carminativum, flatuum curativum, unde in colica flatulenta, biliosa, & scorbutica, aliisque ejusmodi affectibus, egregius. In toto certè regno minerali similis non reperitur, & in Tympanitide, & in inflatione uteri, omnibusque flatulentis corporis humani affectibus, non habet par remedium. Usurpatur commodè ad guttas 20. vel 10. dilutus in essentia absinthii & elixyr proprietatis, vel alio conveniente vehiculo. Rectificatione non indiget, cùm per se satis sit activus, annotante WEDELIO *in Pharm. pag.* 35. Convenientior tamen est pro usu medico *spiritus nitri dulcis*, qui aliàs vocatur κατ' ἐξοχὴν *spiritus carminativus*, item *spiritus anticolicus*; obtinet enim singularem vim in colica flatulenta, & similibus affectibus flatuosis, nec non in phlogosi vaga, appetitu dejecto &c., simulquè diureticus est, & lithontripticus, ita ut etiam calculum renum, si in unam molem non coagulatus sit, comminuere dicatur; in illum verò, qui instar silicis jam coagulatus est, nullum jus habet: unde potenter pellit urinam, exturbat sabulum, & longè præfertur spiritui salis. Præterea in morbis acutis, urinæ provocationem postulantibus, admodum proficuus est. Appropriatus magis redditur spiritus nitri dulcis pluribus affectibus, si spiritus vini dulcificans abstrahatur priùs speciebus appropriatis; v. g. spiritus vini à plantis aromaticis & carminantibus, ut sunt chamomilla Romana, flores sambuci, zedoaria, cortices aurantiorum, mentha, fœniculum & similia, abstractus, & cohobatus, postmodum cum spiritu nitri unitus constituit egregium *spiritum carminantem*, & *anticolicum*. Quod si dictus spiritus vini abstrahatur à speciebus antipleuriticis, & conjungatur cum spiritu nitri, fit *spiritus*

ritus antipleuriticus D. *Michaelis*, qui est egregius in pleuritide, ad ℥j. in aqua cardui benedicti assumptus; imò in angina, aliisque similibus partium internarum inflammationibus, cum febribus ardentibus conjunctis: Nam has febres curat citò, tutò & jucundè, beneficio sudoris, vel etiam per diuresin. Si permisceatur spiritus nitri cum spiritu theriacali camphorato, erit egregius in peste, & febribus malignis. Julepis præterea, Potionibus hinc inde cochleatim assumendis, &c. commodè permiscetur; aut fiat extemporanea mistura, v. g. in colica flatulenta hoc modo:

℞. *Aquæ appropr.* v. g. *menthæ*, &c. ℥j.
Spiritus vini rect. ℥j.
Spiritus Nitri ʒß.
Edulcorentur cum pauco syrupo fœnic. ad ℥ß.
M. D. pro dosi.

In *usu alchymistico* spiritus nitri eadem ferè præstat, quæ omnes aquæ fortes; solvit enim lunam instar aquæ fortis. Unde spiritus nitri etiam separat lunam à sole: sic si permista sunt sol & luna, & affundatur misturæ spiritus nitri, solvit hic lunam, & solem linquit intactum, ut ita à se invicem possint separari; quod benè observetur: si verò spiritus nitri à sale communi abstrahatur, acquirit vim solvendi aurum, & fit *Aqua regia*; in fundo autem, quod remanet de sale communi, est concretum novum, quod facillimè in nitrum perfectum abit.

Quidam volunt separare spiritum nitri flammeum à spiritu albo: dicunt enim, quod flammeus prosit ad medicinam; spiritus verò albus propter corrosivitatem ad usum alchymisticum sit usurpandus. Modum docet AGRICOLA *in Poppium* beneficio cujusdam instrumentij, dum uni retortæ apponunt Recipientes duos, unum super alterum, qui tamen abeant in unum canalem; sic enim fit, ut spiritus flammeus seu volatilis superiorem ingrediatur recipientem, cùm è contrà albi seu graviores subeant inferius receptaculum. Quod si etiam spiritum nitri totum rubrum seu flavum habere velimus, injici potest in collum retortæ aliquid camphoræ, & sic coagulatur in colorem flavum vel rubrum.

Spiritus nitri Bezoardicus, quem habet AUTOR, est iste spiritus nitri, qui affunditur butyro antimonii; sic enim fit præcipitatio butyri in *Bezoardicum minerale*, & à pulvere præcipitato abstrahitur spiritus nitri cum spiritu sic dicto vitrioli philosophico, qui conjuncti dant spiritum nitri Bezoardicum. Hic spiritus salis nitri bezoardicus optimum menstruum est pro solvendo auro & aliis metallis, quod particulas solares secum rapit ex retorta, & corpus albicans instar lunæ relinquit, cum antimonio tamen reducibile.

Paratur quoque spiritus nitri cùm vitriolo addito; vel quando spiritus affunditur modo supra insinuato; cum enim longè ponderosior sit spiritus vitrioli in abstractione, hic se insinuat alcali nitri, & spiritus volatilior ex nitro sic prodit. Quod si in forma sicca misceantur & destillentur, prodit spiritus nitri, quem ordinariè vocant *Aquam fortem*, *ab* AUTORE *num.* 7. insinuatam; quales omnes præparantur ex nitro, ceu basi, addito vitriolo; si verò addatur sal commune vel sal ammoniacum, fit *AQUA regia*. Aqua fortis solvit omnia metalla præter aurum; aqua regia autem aurum solvit, regem metallorum. *Modi destillandi* sunt varii, uti habet AUTOR *pag.* 477. Reverà autem hæc aqua fortis cum vitriolo constat simpliciter ex spiritu nitri fortificato & rectificato, quod omnes operationes ostendunt.

Dubium est; *an aliquid etiam de vitriolo participet?* Hoc ex suprà dictis negandum videtur, quia ponderosius & fixius est vitriolum calcinatum, quàm quod spiritum suum simul cum nitro possit fundere: quin ex hoc spiritu vitrioli cum alcali nitri *Nitrum vitriolatum* emergat.

Sed observandum; *differentiam non levem intercedere inter aquam fortem & spiritum nitri simplicem*:

1. Quia pannorum Tinctores spiritum nitri non æquè commodum observant; sed necesse est, aquam fortem habeant ex ana *nitri* & *vitrioli* paratam.
2. Item metallorum purgatores observant, aquam fortem cum vitriolo Anglico factam, quod est Martiale, sordes suas solutioni communicare; unde color lutulentus reddatur. Unde pro tali aqua forti bona facienda cum nitro & alumine illud faciunt.
3. Conferatur hìc curiosa *Observatio* BECHERI *Phys. subterr. L.*1.*pag.*160.
4. Spiritum nitri in aqua forti secum rapere aliquid de vitriolo, probatur hoc experimento:

℞. *Aqua fortis*:
Superimponatur igni, ut exhalet fumus, & desuper imponatur lamina ferrea, tinget eam colore Venereo

Ergò pro decisione notandum: de spiritu vitrioli nihil prodire cum aqua forti junctum; benè autem de volatiliore & sulphureo spiritu, seu vulgò dicto spiritu vitrioli volatili, aquam fortem plùs minùs imprægnari, ratione cujus differentia ista aquæ fortis & spiritus nitri emergunt.

Aqua fortis ordinariè expetitur pro solutione lunæ, quam solam sole intacto solvit; sed pro hoc usu non adhibeatur crudè, sed potiùs depurata, hoc est, ut vulgò vocant, *gefället* aqua forti, id est à substantia salina, sali communi quasi æmula, cum spiritu nitri adscendente per præcipitationem separata: Conf. ERKERUS *pag.* 151. *item* 158. in quo ipso *pag.* 136. simul hoc notabile occurrit, aquam fortem in vasis ferreis paratam, solem ex luna per solutionem separatum elegantiùs reddere propter Martis sulphur, quod occultè intra se abscondit.

Aquæ forti cognata est *Aqua Regia*, *stygia* vel *Chrysulca*, quæ ordinariè fit, si *aquæ forti* addatur *sal commune*, vel *sal ammoniacum*. *Modum* videbitis in ZWELFFERO *Append. ad animadv. & Pharmac. Reg. p.* 54. item AGRICOLA *in Poppium*: quin & spiritus nitri à sale communi abstractus, *aqua regia* evadit; non secus ac spiritus vitrioli bezoardicus genuinam aquam regiam constituit.

Nitrum & sal ammoniacum aliàs in se invicem incompatibilia sunt, ita ut invicem mista igni exposita impetuosissimè detonando quælibet vasa Gas suo flatuoso diffringant: unde ex nitro & sale ammoniaco aquam regiam destillare ferè impossibile est; nisi per retortam, secundùm modum à Basilio insinuatum *in der Offenbahrung der verborgenen Hand griffe* Lit. D. Propterea sal ammoniacum saltem spiritui nitri aut aquæ forti additur pro menstruo auri; v. g.

℞. *Spiritus nitri* ℔j.
in quo solvantur
Salis ammoniaci ℥ij. vel iij.

Scilicet cum vel sine destillatione evadet *Aqua regia*, quæ longè fortiùs penetrat in solutione auri, & in quibusdam præparationibus singularis est.

CAPUT XXV.

DE ALUMINE.

ALumen & *Vitriolum* sunt valdè inter se congeneris naturæ; & quidem Alumen nostras rupeum, simile ferè cum vitriolo corpus, ex spiritu acido sulphuris mineralis universalis embryonati, & corpore aliquo petroso subtiliore, ab illo spiritu soluto & coagulato constat: quæ duo coalita abeunt in tertium aliquod concretum dulco-acidum, nimirum alumen, quod eleganter in crystallos hexagonas & octagonas efformatur. Probatur hoc, tàm per syncrisim quàm diacrisim chymicam: Nam si alumini in aqua simplici soluto, instilletur lixivium quoddam alcalinum, v. g. oleum tartari per deliquium, alcali se jungit acido, & præcipitatur substantia candida igne non liquescibilis, sed repræsentat calcem lapideam mineralis prosapiæ: Item creta in spiritu seu oleo sulphuris, vel etiam spiritu vitrioli acido soluta & coagulata, concretum instar aluminis refert; ubi creta locum obtinet corporis petrosi, & spiritus sulphuris vel vitrioli est corrodens. Corpus illud petrosum, quod ita in coagulum aluminis abit, naturæ Saturninæ esse non ineptè dicitur. Efficiente ergò convenit cum vitriolo, ceu spiritu aluminis, vitrioli, sulphuris &c., qui reverà unus idemque sunt spiritus; materiâ verò differunt: & sicut pro varietate metallorum, Veneris seu Martis, spiritus sulphuris varia conficit vitriola; ita pro diversitate saxorum seu lapidum diversas etiam aluminis species, colore aliisque proprietatibus differentes, producere probabile est. Cùm verò post destillationem spiritus, aut præcipitationem, lapidis pulveres fundi aut reduci haud adeò facilè queant, atque metallorum in vitriolis; hinc etiam species lapideorum ejusmodi corporum, quæ alumina ingrediuntur, hactenus non adeò rectè exploratæ sunt. Ideòque in igne alumen constans atque fixum est: Calcinatione enim in bullas, inflatum, in calcem quasi quandam vel cinerem redigitur. Unde etiam spiritus acidus, qui ab eo per ignem excernitur destillando, substitui potest spiritui vitrioli: spiritus nimirum aluminis, vitrioli & sulphuris, unus idemque est spiritus; saltim quod idem sulphuris spiritus nunc corrodit metallum, unde oriuntur vitriola, nunc verò corrodit corpora saxea, anteà leviter in terra calcinata (quod tamen non semper in terra contingit) & tunc concrescunt in alumen. Nam ipsum alumen interdum reperitur nativum, ut possit ex terra effodi. Propter dictas rationes sæpissimè unà ac in iisdem locis & mineris nitrum & alumen deprehendi solent. *Usitatissimum hodiè alumen rupeum* seu *alumen rochas* seu glaciale, ita dictum propter figuram externam, item propter locum natalem, frequentissimè ex sua minera saxea seu pyrite sui generis, Germ. *ausseinen Kiese*, paratur, idque variis encheirisibus pro mineræ ipsius varietate. Quibusdam in locis minera aluminis ex saxis seu venis propriis eruta torretur, hinc aquæ beneficio elixiviatur, & inspissando in alumen cogitur; sicut vitriolum ex pyrite elicitur: Conf. KIRCHERUS *in Mundo subterran. T.* 1. *c. de Alum. p.* 314. SCHWENCKFELD. *de Fossilib. pag.* 362. & AGRICOLA *de Re Metall. l.* 2. Unde idem pyrites sæpè & vitrioli & aluminis materia est; ratione enim substantiæ metallicæ in vitriolum; ratione lapideæ in alumen vertitur, dum ex acido sulphuris mineralis universalis in terræ penetralibus corroditur. Nostras vero alumen paratur, dum minera ejus seu pyrites ab artificibus coquitur & calcinatur: calcinatione istâ sulphur inflammatum prodit suum spiritum accidum, qui spiritus acidus adjunctum

ejusn corpus petrosum corrodit: Calcinatus ita pyrites aluminosus aliquandiu aeri exponitur, donec hinc inde alumen efflorescere incipiat, quo facto superfusâ copiosâ aquâ elixiviatur, & urinæ affusione à variis sordibus, præsertim adhærente vitriolo, per præcipitationem depuratur, & evaporando in aluminis frusta redigitur; hinc sal urinosum illud volatile exsurgit, quod ex alumine cum sale tartari destillato subinde obtinetur, & quibusdam pro sale volatili tartari imponit: sicuti etiam, si calcis vivæ recentis ana, vel etiam minùs, cum alumine subitò misceatur, & per retortam in arena destilletur, penetrans spiritus urinosus prodit: vid. LUDOVICI *Pharm. pag.* 445. Ex naturali hoc rupeo alumine fit per artificialem misturam *alumen saccharinum* dictum.

Nostras hoc alumen rupeum veteribus ob pyrotechniæ ignorantiam fuit incognitum, quorum nativa alumina minùs sincera fuerunt. Habuerunt *alumen liquidum* seu potiùs *molle*, utpotè in pilulas redigibile, quod nobis est ignotum; illius tamen meminit MATTHIOLUS: item habuerunt alumen concretum, quod vocant *Alumen scissile*, quia in filamenta ductile; item *rotundum alumen*, quod in corpuscula globoso-hiulca coaluit: Confer. JUNGIUS *in Doxoscopiis pag.* 182. Refertur huc etiam à quibusdam *alumen plumeum* seu *plumosum* dictum: sed nullo modo ad alumina pertinet. Concretum est sui generis, lapidi speculari aut Amiantho cognatum, splendidum, plurimis lanuginosis quasi fibris sibi invicem incumbentibus, facilè tamen separabilibus; adeòque cum Amiantho non penitus est idem, potiùs pertinet ad corpora talcosa. Unde confunditur à quam plurimis lapis amianthi cum alumine plumoso; nihilominùs differunt in eo:

1. Quod alumen plumosum, sicuti reliqua omnia alumina, fortiter adstringat; amianthus verò non adstringit, sed tantùm linguam pungit.
2. Quod Amianthus omni igni resistat, & ab illo non possit lædi, uti monui superiùs suo loco: Contrarium fit in alumine plumoso, quod diuturnis expositum flammis, tandem patitur labem.

Alumen Catinum apud Veteres fuit, quod apud nos est sal alcali fixum, ex herba Kali, & cineres clavellati, adeòque minùs refertur inter aluminum species.

Aluminis terra seu matrix semel exhausta, si in cumulos subdiales seu soli expositos congeratur, alumine novo imprægnatur, quod rursus post aliquot annos elicitur; id quod *infrà*, ubi *de vitriolo regenerato*, patebit.

Concretum aluminis ratione suæ texturæ materialis constituit substantiam respectu nostri corporis potenter adstringentem, exsiccantem, humores figentem & quasi coagulantem, sive sit crudum, sive ustum seu calcinatum. Nam spiritus sulphuris per se non adstringit, nec ipsum corpus petrosum adstrictione ullâ conspicuum est: id quod probant omnes terræ medicatæ, terra sigillata, bolus Armena, creta &c. quæ per se non adstringunt; cum spiritu tamen acido imprægnatæ similem gustum adstringentem ac stypticum repræsentant, cujus acidi ratione talem obtinent figuram, & compositionem, ut contrahant ac adstringant facilè fibras. Unde alumen interno usu quoscumque fluores præternaturales corporis potenter coercet & compescit; hinc in dysenteriis & diarrhœis sistendis, in nimio mensiumfluxu, &c. à quibusdam tanquam egregium remedium adhibetur; sicut & febrifugis remediis additum, vi concentrandi & condensandi eorum vim solet intendere; de quo usu febrifugo vid. ANGELUS SALA *in suis operibus Chym. pag* 664. RHUMELIUS *in Iatro-Chym. pag* 409. ROLFINCII *Chym.* ubi habet alumen tinctum, HARTMANNUS *in Praxi Chymiatr.* & MYNSICHTIUS *in Armament. Chymico.*

Externus usus est insigniter adstrictorius, unde permiscetur lotionibus ulcerariis pro jucunda eorum consolidatione & incarnatione: propterea quidam chirurgi omnes fascias intingunt aquâ solutionis aluminis, & has fascias exsiccatas postmodùm applicant membris involvendis: quibus mirè postmodùm sistuntur hæmorrhagiæ vulnerum, uti & narium: vid. *Borellus C.* 3. *Observ.* 50. & M. A. N. C. *Anno* I. *Obs.* 24. *p.* 90. Item ejus usus in restituendis virginibus corruptis, scilicèt in sophisticatione virginum, quæ uti solent balneis aluminosis: id quod similiter fit puerperis post puerperii tempus, quæ ejusmodi balnea instituunt, ut gratiores fiant maritis; uti videri potest in RODERICO *à* CASTRO *de Morbis* mulierum, qui habent modum adstringendi pudenda in mulieribus. In affectibus faucium, angina, uvulæ flacciditate & laxatione, putredine gingivarum, &c. gargarismis, linimentis aut unguentis convenienter additur. In odontalgia BARTHOLINUS *C.* 5. *Histor.* 54. laudat. Item albumen ovi cum frustulo aluminis probè agitatum, additâ paucâ aquâ rosaceâ, dat misturam candidam instar lactis aut mucilaginis, egregiam in inflammationibus oculorum erysipelate, & similibus affectibus. Fœtorem etiam pedum in scorbuticis corrigit. Porrò suggerit egregia *suppositoria*, quorum inventor est *Angelus Sala in suis scriptis Chymiatritis*, quæ possunt intrudi, extrahi, & sæpiùs usurpari; adstringunt quidem, sed simul acore egregiè stimulant intestinum rectum, alvumque sic provocant: Vid. etiam *Sylvius Prax. l.* 1. *cap.* 10.

Inter Præparationes est

PURIFICATIO.

Quæ fit per solutionem in aqua simplici & crystallisationem, uti habet AUTOR *pag.* 478. Cæterùm est præparatio seu purificatio superficiaria: Quando enim alumen inspissatur per coctionem, pinguedinem quandam sulphuris excrementitiam habet secum, aut corpus vitriolicum: Quod si ergò ab alumine non separentur, nunquam concrescit, sed massa densa remanet. Ut ergò purificetur, optimum est, si sub coctione urina humana copiosa injiciatur; sic separatur omnis ista pinguedo, ut possit instar spumæ despumari, & tandem in fundo præcipitatur inutile corpus vitriolicum, unde alumen purum successivè coagulari potest.

CALCINATIO.

Alumen vulgò uritur, & sic bullas agit copiosas, & phlegma & spiritus foras exhalant; qui spiritus tamen seorsim per retortam in recipientem vix colligi possunt. Habeatur enim ratio ad bina aluminis ingredientia; nempe ad spiritum sulphuris acidum, & ad substantiam solutam terream. Spiritus iste firmissimè adhæret alumini, nec phlegma acidum, illudque non copiosum, ex alumine elici potest; secus ac ex vitriolo ex quo spiritus intensè acidus potest destillari. Ratio est, quod in vitriolo mineræ metallicæ solutæ proprio suo sulphure acido quodammodo saturatæ sint, inde acidum sulphuris externum non tàm potenter in iis concentratur, quin accedente ignis motu denuò separabile fiat. In alumine verò acidum illud intimè se coagulavit cum petrosis particulis, & cum iisdem forti adeo nexu coaluit, ut nullâ arte totum separabile sit, quin multum ejus cum iisdem remaneat. Unde destillando alumen intumescit, & insigniter ebullit, ac phlegma & spiritum paucum acidum suggerit: quod superest aluminis, propter acidum concentratum in particulis terreis *alumen ustum* constituit; ubi perfectæ calcinationis signum est, si bullas non emittat: vid. ZWELFFERUS *in Animadvers. in Pharmacop. Augustan. pag.* 404.

Cæterum superiùs dixi, quod spiritus aluminis sit idem cum spiritu vitrioli & sulphuris; quod etiam ita sese habet: nihilominùs tamen non levis differentia inter spiritum sulphuris, vitrioli, & aluminis deprehenditur, ratione ferè omnium proprietatum; quæ differentiæ dependent ex alteratione, quam recipit spiritus sulphuris acidus ex subjecto patiente, quod corrodit: mutatur etiam exinde in substantiam patientis spiritus sulphuris, ejusque textura mechanica, ut postmodum per destillationem denuò separatus non parum appareat immutatus. Id quod probo alio experimento: Fiat enim cum spiritu sulphuris infusum super terram vitrioli Martis, uti superiùs monui: deinde cum eodem spiritu sulphuris imbibatur quædam terra, sigillata vel alia, ut concrescat in corpus quasi aluminosum; destilletur postmodum hoc corpus aluminosum, & etiam vitriolum, & spiritus ex his duobus subjectis denuo evocati erunt valdè distincti, utut anteà unus idemque fuerint spiritus sulphuris; idque propter alterationem, quam receperunt in subjecto, quod corroserunt.

Alumen ustum usitatissimum est remedium in absumenda carne ex crescente, & nimis luxuriante (Germ. *im Abetzen*) fonticulorum, ulcerum, &c. in vulneribus sordidis, labiis vulnerum callosis, & similibus affectibus. In ipsis fonticulis excitandis usurpatur alumen ustum cum felici successu: item in pulveribus dentifriciis, in laxitate, flacciditate & putredine gingivarum, reverà egregium est. Unde est quoque ingrediens tincturæ laccæ decantatissimæ contra scorbutum oris. Quidam recipiunt alumen calcinatum contra atrophias, & ariduras partium, quæ oriuntur post partium nervosarum vulnera: sed subest fallacia; Intelligendum namque est alumen plumosum certo modo calcinatum cum sale communi. Hunc modum suggerit FELIX WURTZ, uti etiam AGRICOLA, sed loquuntur in genere: intelligendum est enim alumen plumosum.

Phlegma ac *spiritus ejus* specialem adeò usum non obtinent, quin conveniant in omnibus cum phlegmate vitrioli acidulo, usu tàm interno contra æstum, sitim & affectus diureticos, quàm externo abstergendis ulceribus oris & excrescentiis tollendis, in hæmorrhagiis vulnerum, si nempè imponatur cum linteis vel fasciis intinctis parti vulneratæ, hæmorrhagiam patienti; item convenit applicando fronti contra cephalalgiam & Agrypnias, uti commendatur ab AGRICOLA, item contra ambustiones. Spiritus acidus per se valdè prodest ad dealbandos dentes, utut in pauca acquiratur quantitate: unde si aliquot guttæ medicamentis contra scorbutum oris instillentur, mirè proderunt.

Parant etiam quidam *oleum aluminis*; dum scilicet recipiunt aluminis crudi & silicum pulverisatorum ana part. æquales, pellunt per retortam; unde primò prodit *phlegma*, posteà *oleum*, quod separandum est à phlegmate, & hujus olei usus est externus.

Magisterium seu *spiritus aluminis Magisteriatus*, quem AUTOR ex alumine, in liquorem solvendo & per alembicum destillando, docet, non procedit.

Suprà quoque insinuata est vis aluminis febrifuga, quæ in sale ejus dulci, hoc est, subtiliori substantia terrea, proprio acido non adeo satura-

faturatâ, confiſtit; quæ hinc imbibit, & promptè exſorbet fermenta febrium acida: hinc & pro ardentium æquè ac hecticarum cura tantoperè expetitur *Manna aluminis*, *ſaccharum aluminis*, *primum ens dulce aluminis*, & quæ alia ſunt ejus ſynonyma. Ad hecticas quidem & ardentes febres magis confert ſaccharum aluminis AUTORIS *Num.4. pag.479.* ſed præparatio hæc manca. Genuinam videbitis in DARIOTTI *Guldenen Schatz-Kuſtlein cap.24. pag.245.* ſed liber rarus eſt. In defectu hujus conſulatur POTERIUS *in Pharm. ſpagyr. lib.2. cap.9.* ubi habet legitimam præparationem contra febres ardentes. Præparatio eſt hæc:

Alumen duplicem habet ſubſtantiam; unam, quæ frigori expoſita coagulatur; alteram, quæ calore condenſatur. Ad hanc igitur præparationem conficiendam, omnes ejus ſubſtantiæ ſunt coercendæ, ut aqua ſuam aquam non reddat. Hoc poteſt fieri ad modum AUTORIS frequenti cohobatione *phlegmatis aluminis* ſuper *caput mortuum*, ita alumen abſumit in ſe totum phlegma. Tunc quando ita per cohobationem alumen imbibit phlegma, ſecundùm modum Poterii eſt pergendum, & habetur Febrifugum.

Concinnior adhuc eſt *Præparatio*, quam habet HOFFMANNUS *in Autore pag.349.* ipſi à D. MICHAELIS communicata. Encheiriſes hujus proceſſus ſunt ſequentes: *Alumen*, à quo phlegma abſtractum fuit, ſolvatur in *phlegmate proprio*, phlegmatis tamen quantitas major recipienda, quàm ex alumine purificato deſtillato acquiri potuit: filtretur per filtrum Philoſophicum, & ſic acida terra aluminis ab ignea terra tartari imbibitur, & ſaltem dulcis tranſit filtrum cum proprio phlegmate, quæ rurſus coaguletur, abſtrahendo phlegma per deſtillationem, & terra aluminis dulcis magis magiſque ſe manifeſtabit. Aluminis hujus calcinati ſolutio cum phlegmate proprio repetatur, & per terram tartari rurſus elota & denuò calcinata filtretur, atque tertiâ vice coaguletur, donec aluminis terra adſtringens per phlegma præcipitetur, & ſic tandem primum Ens aluminis in frigore in cryſtallos dulces ſaccharinas concreſcit. Ex ℔j ß. aluminis colliguntur cryſtallorum dulcium ſeu aluminis ſacchari ℥iij.

Hoc ſaccharum aluminis, ſive hæc dulcedo aluminis ſaccharina, eſt ſpecificum in dyſenteria, & poſtmodùm etiam eſt medicamentum ſpecificum contra hecticam, cujus febris hecticæ primarium corrigens, & primaria cura conſiſtit in hac dulcedine aluminis: vid. POTERIUS *in Pharmacop. Spagyr. lib.2. cap.6.* & SACHSIUS *in Gammarol. pag.695.*

Fundamentum curæ conſiſtit in hoc, quod febris hectica conſiſtat in dyſcraſia ſanguinis nimis acido-ſalſa & acri, quæ acrimonia acido ſalſa rorem nutritium vitiat, & ad nutriendas partes ineptum reddit: Unde vitioſa oritur fermentatio, qua inducitur calor non nihil auctus quidem, non tamen intenſus, ſed tantùm acris non nihil ac lentus, quo ſenſim ſenſimque colliquatur nutrimentum partium, & eædem ad ariduram deducuntur. Adhibetur ergò pro cura dulcedo aluminis ſaccharina, quæ uti in dyſenteria promptiſſimè abſorbet acidum inteſtina exulcerans & corrodens; ita etiam in hectica temperat acrimoniam ſanguinis & lymphæ acidam ſalſam, cujus viſciditate plùs minùs opprimitur ſanguinis fermentatio, quâ acrimonia correctâ & temperatâ, vel ſponte poſtmodum hectica ceſſat.

Extractum aluminis aut *Magiſterium aluminis* AUTORIS in febribus intermittentibus ante paroxyſmum aſſumptum optimum remedium eſt. Proceſſus eſt legitimus. Ejuſdem ferè deſcriptionis præparatio aluminis pro medicamento antifebrili eſt talis:

℞. *Alum. crud.* ℔j.

Indatur ollæ, & more ſolito calcinetur, ſatis calcinatum & candens adhuc ſolvatur cum aceto deſtillato, menſtruum per chartam bibulam filtretur, & humiditas ſeu phlegma per alembicum abſtrahatur ad bonam quantitatem: reſiduum in alembico concreſcit in cryſtallos egregiè ſplendentes; quas ſi lubet colore rubro inficere, ſucco baccarum ſambuci id fieri poteſt.

Harum *doſis* eſt à ℈j. ad ℈ij. in aqua cardui benedicti vel alia appropriata horis duabus ante paroxyſmum, idque tribus vicibus fiat, & ſudor, ſi fieri poteſt, provocatur. Fæces autem poſt cryſtalliſationem reſtitantes & albicantes, aquâ fontanâ bis vel ter abluuntur, & ad purificanda vulnera reſervantur.

In ipſis febribus etiam eſt egregium remedium *Tartarus aluminoſus* ex ana cryſtallorum vel cremoris tartari & aluminis; quæ ſolvantur & coagulentur: vid. ROLFINCIUS *Chym. pag.289.* Figit efferveſcentes ſuccos, & ſic febres curat: ſed palliativè, nec adeò tutò, quin facilè recidivent. Unde potius alcalia fixa & terrea loco aluminis & tartari aluminoſi ſuffici poterunt.

Salis ſingularis abſtergivi & laxativi mentionem facit HOFFMANNUS *in Clave pag.348.* quod nihil aliud eſt, quàm ſolutio aluminis cum ſ. q. lixivii ſalis tartari præcipitata: Acidum enim & alcali ſe mutuò jungunt, & poſt filtrationem in cryſtallos ſalinas filtratione coeunt. Sal hoc doſi ʒj. ad ʒii. egregiè laxat, abſtergendo primas vias, ſed doſis eſt nimis ingrata: in febribus autem ſpeciatim confert.

Qui præcipitatur pulvis fixus, ſeu terra aluminis, probè edulcorata pro ulceribus exſiccandis, & ad cicatriſationem producendis convenit.

Quod *alumen plumeum* attinet: hoc externo uſu ſingulariter convenit contra ariduras, atrophias membrorum; tàm crudum unguentis aut linimentis additum, in quo caſu etiam in paralyticis affectibus non incongruum eſt; quàm cum ſale communi præparatum ſecundùm præſcriptionem FELICIS WURZII *in ſua Chirurgia*, quæ talis:

℞. *Alum. plumoſ.*
Salis fuſi an. part. æqual.

Fundantur denuò in crucibulo ad lapidem ſeu ad conſiſtentiam lapideam; affundatur poſtmodùm *aqua fontana*, & ſal ſe reſolvet, alumine plumoſo ad fundum ſubſiſtente.

Remedium eſt egregium in dictis affectibus, præſertim ſecundùm laudati Autoris modum uſurpatum. Paratur nempè cum hoc *Unguentum ad ariduras in Chirurgia parva pag.317.*

℞. *Olei pingued. hum. vel Urſinæ*, ex pinguedine cum cinere ſarmentor. viris deſtill. ℥iv. *Laterin.* ℥iß.

Deſtillentur unà per retortam: deſtillato oleo add. alum. plumoſ. præp. ℥iij. M.

Eſt arcanum unguentum contra ariduras membrorum poſt vulnera, quo debent inungi membra aridurâ correpta, quando priùs fuerant fota decocto hepatis, pulmonum, &c: vid. AGRICOLA *loco cit. p.315.*

WURZIUS affundit huic alumini plumoſo præparato aquam vitæ ad eminentiam duorum digitorum, & ita ad uſum reſervat ad omnes atrophias & ariduras, commodè miſcendo cum unguentis & linimentis convenientibus.

CAPUT XXVI.

DE

SALE AMMONIACO.

Duplex eſt *ſal ammoniacum*, aliud *veterum*, aliud *recentiorum*. Veterum ſal ammoniacum, hodiè penitus incognitum, ſub arenis Lybicis in Africa collectum, nativum fuit, imprimis circa templum Jovis Hammonis, de quo Curtius; unde Veteribus vocatum fuit ſal Ammoniacum à Jove Hammone. Vocatum etiam fuit *arenaceum*, quoniam ſub arenis repertum fuit: unde templum Ammonis nomen duxit; Ammos enim ſeu Pſammus ſabulum ſignificat. Item *ſal Cyreneum* à regione, quæ etiam appellata fuit regio Cyrenia, in qua ſal ammoniacum copioſè fuit erutum: vid. WORMIUS *in Muſeo*, & KIRCHERUS *in Mundo ſubterraneo*, & alii ſcriptores. Nobis quod in uſu, eſt ſaltem *artificiale*, per cocturam ſcilicet ex ſale communi, fuligine furni ſeu camini, & urina humana paratum. Conficiendi modos allegat AUTOR *p.480* ex LIBAVIO & UNZERO: ratione proportionis ingredientium variat modus; genuinus hic eſt, quem habet HOFFMANNUS *in Clav. l.3. cap.15. pag.349.* nempè

℞. *Urinæ humanæ* part. v.
Salis comm. part. j.
Fulig. part. ß. ad ſummum.

Hęc coquendo inſpiſſantur, & tandem ſublimantur in ſal ammoniacum cryſtallinum, amaricantis & pungentis ſaporis.

Hac in compoſitione fit, ut ſalis communis acidum arripiat ſal volatile urinæ, & etiam ſal volatile fuliginis: quæ ſalia in mutuo conſortio juncta poſt cocturam & ſublimationem, ſufficienter refrigerato vaſe, concreſcunt in tale ſal ſalſum candicans, quod vocatur, propter ſimilitudinem cum Veterum ſale ammoniaco nativo, etiam ſal ammoniacum: ita ut hoc noſtras ſit ſal duplicatum, ex ſale volatili urinoſo fuliginis atque urinæ, & acido ſalis communis, conſtans. Siquidem & ſpiritus ſalis acidus cum urinæ & quibusvis ſalibus volatilibus in genuinum ſal ammoniacum concreſcit, non ſecus ac acidum vitrioli cum ſalibus volatilibus in ſimile ferè concretum abit; de quo vid. TACHENIUS & ZWELFFERUS *in Refut. Tacheniana pag 85.* nec non LUDOVICI *in Pharm. pag 558.* ſicuti etiam in deſtillatione *ſpiritus vitrioli epileptici Quercetani* ex vitriolo Ungarico & urina humana tandem ſub rigoroſiore ignis examine adſcendit in collum retortæ ſal, ſali ammoniaco ſimillimum, utut magis ſulphureum.

Inter ſynonyma Autori eſt, quod vocatur ſal ammoniacum, & à BASILIO VALENTINO *Aquila Cœleſtis*, propterea, quia ſal ammoniacum eſt unum ex optimis illis mediis, corpora metallica & ſulphura mineralium ſublimando inſtar aquilæ in altum ſecum rapiens.

Uſus ſali ammoniaci eſt multiplex, tàm Medicus, quàm Chymicus. *Medicus* eſt, quod ſit egregium digeſtivum, potens inciſivum, & ſimul abſterſivum primarum viarum, nobile quarumcunque intermittentium, remedium, præmiſſis ſcilicet præmittendis à ℈j vel ʒß, vel die intermiſſionis, vel ante paroxyſmum febrilem, uſurpatum præſertim in quartana, cujus perfecta cura conſiſtit in ſale ammoniaco, ubi vel ſolum, vel cum dimidio lapillorum cancrorum, vel ſimili corpore terreo miſtum, adhibetur: imò, ubi abſterſione fortiori opus eſt, cum pulvere jalappæ, ſic ſuaviter ſimul & ſine torminibus purgat. *Cum ſalibus* verò *alcalibus fixis* hoc *non miſcendum*, *ne pars volatilis exſpiret*. Singulare eſt *ſtomachicum*, & ſordium ejus reſolutivum, in ſtomacho viſciditatibus infarcto, & cruditati-

ditatibus obsito, dosi ℈j in vehiculo vini absinthitis: unde aliquando *ægrotum*, *syncope stomachali affectum* curavi, propinato sale ammoniaco cum speciebus diatrion pipereon, & cubebis, cinnamomo aliisque aromaticis: hinc in morbis chronicis, cachexiis, malo hypochondriaco, & in infarctu viscerum, crebrior ejus est usus, appetitum prostratum reddit, & coctionem promovet, refrigeratque singulariter æstuationes sanguinis, imprimis cum nitro vel nitratis conjunctum. *Sudoriferum* quoque est, cum custodia assumptum, ita ut æger se probè tegat. Imprimis verò potens est diureticum, ac alcali proventum præcavet, in Ischuria, item à causa quacunque optimum.

Externè sal ammoniacum egregium est in faucium affectibus, v.g. in Angina incipiente, mistum cum succo semper-vivi majoris expresso, & vel ita gargarisatum, vel priùs cum eo destillatum, ad modum HOFFMANNI *loco citato pag.* 350. usurpatum, vel cum alio gargarismo jusculis mixtum: in tonsillarum tumoribus & inflammationibus, quas solvit & dissipat, gargarismis convenienter admodum additur: pro quibus præservandis, nec non in ulceribus faucium & laxitate uvulæ, egregium est remedium, si sal ammoniacum misceatur cum jusculis avenaceis. Idem efficit in prunella febrili cum succo semper-vivi majoris vel succo cancrorum fluviatilium mixtum, & instar gargarismi pro collutione oris feliciùs usurpatur, quàm nitrum. In aqua spermatis ranarum solutum podagricis cum levamine tepidè applicatur: oculorum affectibus medetur, quatenùs in aqua rosarum vel euphrasiæ solutum ad levissimum saporem, non solùm oculorum nebulas & pannos seu ungues abstergit, & resolvit, sed & pelvi æneæ infusa dicta solutio *aquam sapphiream* chirurgorum constituit, ad ulcera & pustulas oculorum egregiam. Deinde etiam sal ammoniacum est singularis usus ad refrigerandam aquam tempore æstivo: si enim recipiatur nitrum, solvatur in aqua, & injiciatur in eandem sal ammoniacum pulverisatum, & celeri manu agitetur, magna refrigeratio orietur in aqua, & erit frigidissima; unde tunc temporis potus potest commodè in ea refrigerari. Modus Anglis usitatus est. Cæterum non diu durat ista refrigeratio, si tamen de novo injiciatur sal ammoniacum, & agitetur denuò, iterum evadet frigidissima.

Quoad *Usum Chymicum*: notum est, quod multum valeat in sublimationibus corporum metallicorum, & sulphurum mineralium in quo puncto mirè laudatur à BASILIO VALENTINO. Modus imprimis consistit in debita proportione miscendi sal ammoniacum cum præparato metallo: hinc BASILIUS VALENTINUS eleganter ita loquitur de sale ammoniaco *in Tract.* Germ. *Salmiac*: *Non est minima clavis ad reserandа metalla, quapropter etiam à veteribus comparatur avi volubili: potest educere colorem & tincturam mineralium & quorundam metallorum, suis scilicet pennis usque ad montes Hyperboreos*, sive ad suam volatilitatem. Hinc est, quod superiùs dixi, quod beneficio salis ammoniaci sublimentur corallia, & ex iis eliciantur *flores rubicundi*; item beneficio salis ammoniaci, uti superiùs monui, parantur *flores* eleganter rubentes *ex hæmatite*: unde solutionem & sublimationem auri mediante ejusmodi sale ammoniaco artificiali docet ZWELFFERUS *Mant. Spagyr. pag.* 324. qui etiam Martem, & inde sic dictum sulphur Martis anodynum, mediante hoc sublimat *pag.* 339. Observandum saltem: *quomodo corpora sublimata ac sulphura à sale ammoniaco denuò sint separanda*. Nempè miscenda sunt cum aqua fervente, & hinc subitò aqua frigidissima infundenda; sic enim separatur sulphur vel substantia sublimata à vinculis salium ad fundum; id quod vel tertia vice repeti potest.

Inter præparata est

DEPURATIO,

Tàm per simplicem crystallisationem, quàm repetitam sublimationem, peracta. Equidem pro usu medico sufficit reiterata crystallisatio. Puriùs qui volunt, cum limatura Martis illud superficialiter miscere, & ita ab eodem sublimare possunt: quò exactiùs invicem terendo miscentur, eò magis acidum salis ammoniaci agit in Martem, ejusque partes quasquam simul sublimat, unà cum aliquali spiritus urinosi proventu, qui flores egregii sunt in morbis chronicis, & in febribus intermittentibus.

Calcinatio & Fixatio sunt præparationes frustraneæ. Non enim possunt perfectè fieri sine frustratione & depauperatione salis volatilis.

DESTILLATIO.

Sal ammoniacum duplices suggerit spiritus: unum urinosum, alterum acidum.

Spiritus urinosus est nihil aliud, quàm *spiritus urinæ* depuratus, & fit simpliciter per addita alcalia fixa, aut etiam concreta acidum absorbentia, in duplo vel triplo addita: vid. WEDELIUS *Pharm. pag.* 29. quibus compositio salis ammoniaci dissolvitur. Inter alcalia sunt v. g. cineres AUTORIS *modo nu.* 1. *pag.* 481. sal tartari vel cineres clavellati, AUTORIS *modo sub Titulo spiritus salis ammoniaci urinosus pag.* 482. item calx viva AUTORIS *modo ultimo*. Potest & idem parari spiritus addito lapide calaminari, hæmatite, Minio seu saturno calcinato, Marte &c. in paulo majore copia additis & aquâ communi perfusis. Omnibus his modis acidum salis communis in sale ammoniaco se jungit cum dictis corporibus alcalinis, unde infringitur, & liberatum alcali volatile urinosum in forma vel spiritus humidi, vel salis volatilis sicci, adscendit per alembicum; ubi observandum, quod magna inter hos spiritus differentia sit. Nam cum salibus fixis alcalibus, cineribus clavellatis, &c. destillatum sal ammoniacum, copiosum sal volatile suggerit, nisi nimis humectetur; cum calce vivâ verò destillatum nihil sicci suggerit, sed saltem in forma liquida, subtilissimi spiritus forma prodit: ubi & hoc observandum, quod hic cum calce viva paratus spiritus spiritum vini coagulare nesciat; quod tamen quilibet alius addito alcali præparatus & benè rectificatus præstat. Consistentiam hanc crystallinam alcali volatile, quâ tale, per se non habet: Ergò adsit necesse est occultum acidum coagulans, quod simul adscendit. Canon enim chymicus est: *Nunquam acidum coagulatur sine alcali, & nunquam alcali sine acido.* Ob id cum calce viva destillatum sal ammoniacum nullâ ratione sal in forma sicca subministrat, sed simpliciter in liquida, quocunque modo tractetur, prostat. Ratio est, quod salia alcalia fixa retinent quidem secum sal acidum salis communis, non verò sigunt simul acidum volatile fuliginis, quod simul adscendit; sed dum hoc exaltatur eò ipso coagulatur spiritus in crystallos. In calce viva autem hoc non fit: nam calx viva est alcali quoddam sine pari; Arripit enim hoc non tantùm spiritum acidum salis communis, & fuliginis. Si igitur cum calce viva destillatur, nunquam coagulatur. Quod si verò spiritui huic dicto modo parato addatur oleum quoddam destillatum, v. g. oleum baccarum juniperi, & ita blando igne rectificetur, præter spiritum liquidum, & sal volatile crystallinum adscendit; quam consistentiam forsan ex oleo destillato subtile Acidum tribuit. Sic cum sulphuris proportione anatica sal ammon. mixtum, hinc calce vivâ addita, spiritus urinosus flavus acquiritur, sulphur tamen mox in aqua præcipitatur.

Usus spiritus salis ammoniaci urinosi cum sale tartari, vel salis volatilis, planè polychrestus est; cùm enim nihil aliud sit, quàm fœtus urinæ, ad omnia ea se extendit, ad quæ suprà spiritum urinæ aliavè salia volatilia animalium laudavi. In genere activissimæ est penetrationis, & quodvis acidum in corpore nostro hostile, tàm internis quàm externis in partibus, destruit & corrigit plùs minùs, & in salsum convertit: speciatim vinosa acida post spiritum tartari volatilem optimè cicurare potest, cùm & per urinam æquè ac sudorem operetur, hinc etiam nephriticum optimum in calculo præservando audit. Dosis à ʒß. ad ʒj. prout magis vel minùs volatilis est: ita blandè sudorem ciet, ut sine ullo ægri detrimento procedat. Vi sudorifera hàc Febrifugum intermittentium est catholicum, etiam quartanarum, si dicta, dosi, præmissis tamen vomitoriis, antè paroxysmum hora una promovendo sudorem usurpatur; ita enim certò febres curat, Unde etiam B. Doct. MICHAELIS κατ' ἐξοχὴν *spiritus antiquartius* appellabatur. Interdum specificari potest addendo oleum destillatum caryophyllorum, si frigus adest; vel si citiùs curare velimus, quandoque bis vel ter addatur laudani opiati gr. j. ad ij. Ab aliis vocatur *spiritus anti hypochondriacus*, quòd in malo hypochondriaco, uti & scorbuto, cachexia, & aliis affectibus chronicis, etiam egregius est, imprimis si oleosus fuerit redditus: quod fit, quando spiritus salis ammoniaci cum spiritu vini paratus affunditur aromatibus, e. g. nuci moschatæ, maci, cinnamomo, croco, aliisque aromatibus. A RHUMELIO vocatur *Panacæa anti-tartarea*, quod scilicet in morbis Paracelsi tartareis omnibus sit egregius: unde valdè convenit in apoplexia, epilepsia, lethargo & affectibus capitis similibus. Egregiè dissolvit massam sanguineam, & reddit floridam & tenuem: hinc quoscunque ejus grumos, & accelerando sanguinis motum, sistit quascunque stagnationes sanguinis & inflammationes partium internarum; unde in pleuritide, & inflammatione mammarum spiritus salis ammoniaci est optimus. Dixi, quod absorbeat acidum, & propterea ejus usus familiaris est in podagra, dolore ischiadico, affectibus vagis articulorum, aut simili affectu generis nervosi doloroso, ab acidis oriundo; sic enim destruitur acidum, & sub forma saporis salsi eliminatur. Ad hæc in passione hysterica, colica, cum essentia castorei mixtus; in ciendis mensibus & lochiis retentis & similibus aliis, cum essentia myrrhæ est egregius; cum myrrha & succino optimum inde medicamentum in catarrhis fieri potest. In affectibus verò melancholicis, scorbuticis, & hypochondriacis, spiritus salis ammoniaci miscetur cum spiritibus appropriatis, in specie tinctura tartari acri; vel cum terra foliata tartari, & fit liquor elegans salsus volatilis: v. g.

℞. *Spiritus sal ammoniaci* ʒiij.
Liqu. terræ fol. tart. ʒß. M.

Dosis gutt. xx. xxx. ad L. in vehiculo.

Beneficio conjunctionis horum salium possumus facere quædam egregia in Chymia & Alchymia: & certum est, quod Dn. DIGBY beneficio *spiritus salis ammoniaci* cum tartaro foliato juncti, præparavit *Elixyr proprietatis*. Si spiritus salis ammoniaci, vel solitarius vel cum terra foliata tartari mistus, affundatur limaturæ Martis, & ponatur in lenem digestionem, postmodum verò iteruum destilletur, prodit spiritus sine sapore suo urinoso & nauseabundo; limatura verò hoc sale imprægnata in loco frigido seu cella liquescet in liquorem egre-

egregiè rubicundum, magnarum virium in morbis chronicis; quoniam melior est omnibus reliquis tincturis Martialibus.

Externè naribus in apoplexia, epilepsia, lethargo, & affectibus capitis similibus, propter fragrantiam & penetrantem subtilitatem valdopere commendatur. GLAUBERUS *in Furnis Chym.* hinc instrumento singulari languescentes vel deficientes menses promovit, genitalibus hunc applicando. Dolores partium ab acido natos, etiam podagricos, ischiadicos, affectus vagos articulorum, aut similes affectus generis nervosi dolorosos, ab acido oriundos, cū spiritu vini junctus mitigare solet. In podagra, si inflammatio adsit, optimè miscetur cum camphora: vel mixturæ ex calce viva & sale ammoniaco affundatur spiritus vini, destilletur, & huic destillato addatur camphora, sic fit *spiritus salis ammoniaci camphoratus*, qui erit specificum in inflammationibus podagræ, omnibus remediis externis præferendum, si externè partibus dolentibus applicetur.

Capita mortua non negligenda sunt, quin quod superest ex destillatione cum calce viva, dat *sal ammoniacum fixum*, quale AUTOR habet inter Præparata *no.* 111. cum aqua solvitur, filtratur, & ad salis candicantis consistentiam evaporatur, quod vel in forma sicca asservatur, vel per deliquium fluat *in liquorem nephriticum*, ad ℈j. in aqua appropriata solutum, vel gtt. xxx. In callositatibus & clavis pedum exstirpandis, & ulceribus sordidis, magnarum quoque est virium, & vulnerarium optimum: si pulverisato calido affundatur spiritus vini, *Tincturam* extrahit *nephriticam & diureticam* egregiam: Illud verò ex, quod addito sale tartari vel alio quodā fixo remanet, solutionibus in aqua calida, filtrationibus, & coagulationibus repetitis depuratum, sal salsum præbet, quod est sal *Digestivum Sylvii*, præmittendum purgantibus in morbis chronicis & similibus aliis affectibus, primarum viarum abstersivum, egregiè diureticum, febrifugum, & dictum aliàs *sal hypochondriacum*. Huic si affundatur spiritus vini, extrahit substantiam salinam, quæ additione spiritus vitrioli præcipitata dat coagulum salinum, elegans Digestivum, æmulum suo modo tartaro vitriolato subtiliori. Hoc ipso capite mortuo ex lateribus color ruber Martialis sublimando elici potest: de quo conferatur ELSHOLZ *Destillat. Curios. pag.* 92. *Ludovici Phar. pag.* 308. & *Tr. de sale tartari pag.* 35. ubi varii processus ex capite mortuo post destillationem spiritus ammoniaci residuo resultantes, habentur.

Præter dictos spiritus salis ammoniaci AUTOR adhuc mentionem facit alius modi *nu.* 2. mendiantibus lateribus ignis. De hoc relatum est, quod per retortam benè lutatam igne aperto propulsus suggerat spiritum, qui facilè aurum dissolvat, & egregiè conveniat in podagra, calculo, aliisque similibus morbis tartareis.

Processus n. 3. nihil aliud est, quàm spiritus vini particulis salis ammoniaci imprægnatus. Nempè quantum phlegmatis adhuc obtinet spiritus vini, tantum de particulis salis ammoniaci imbibit: quæ destillando unà elevantur, & sic hunc spiritum constituunt; de quo etiam conf. KERKRINGIUS *Comment. in* BASILIUM *Valentin. pag.* 145.

Num. 4. parum spiritus urinosi acquiritur, quin maxima salis ammoniaci pars in forma florum hoc modo elevari soleat.

Præter dictos spiritus urinosos etiam quidam occupati sunt ex sale ammoniaco elicere spiritum acidum; qui tamen labor non meretur operæ pretium, cum non possit haberi per se, & si acquiritur, nihil aliud fit, quàm spiritus salis communis. ZWELFFERUS *in Appendice Animadv. in Pharm. August. pag.* 54. mediante frumento tritici, sale ammoniaco additi, hunc spiritum acidum parare contendit; sed phlegma acidulum fœtidum acquirit, frumenti additi prolem; nullo modo spiritus acidus ex sale ammoniaco, quoniam non est valdè acidus & corrosivus.

Meliùs procedit negotium ex *capite mortuo spiritus urinosi, cum addito sale fixo parati*; hoc enim si cum triplo *boli* permistum destilletur, suggerit *spiritum acidum*, qui spiritu salis communis concentratior est, & præ hoc nullam ferè prærogativam habet, nisi, quod in auro solvendo præferatur: vel ad imitationem GLAUBERI in præparatione salium mirabilium, capiti mortuo huic affundatur spiritus vitrioli, sic destillando prodit spiritus salis acidus ex sale ammoniaco, modo, quem docet LUDOVICI *de sale tartari pag.* 35. THOMSON *Epilog. Chym. pag.* 77. commendat spiritum, qui ex oleo vitrioli subrubicundo, & sale ammoniaco bis vel ter à sale decrepitato elevato, in spiritum vini optimum demersis, simul probè conquassatis, fragrantissimus destillat; quem tamen nihil aliud, quàm *spiritum salis dulcem* esse existimo, nisi forsan sulphureas quosdam ex oleo vitrioli particulas simul adscendisse crediderim.

CAPUT XXVII.

DE

VITRIOLO.

Vitriolum est sal minerale metallis proximum, habet appellationem à vitro, quoniam vitriolum Martis & Veneris est perspicuum quasi vitrum. Et quidem in specie solutiones & concretiones cryftallinæ ex Marte & Venere dicuntur Vitriolum propriè: nihilominus tamen etiam abusivè & impropriè aliorum metallorum solutiones, & denuò factæ coagulationes, dicuntur Vitriola. Saccharum Saturni dicitur *vitriolum Saturni*; sic vitriolum solis, vitriolum lunæ, & similes coagulationes; sed, uti dixi, abusivè.

Vitriolum propriè loquendo reverà *nihil aliud est, quàm concretum compositum ex spiritu acido sulphuris* embryonati, quod rosit mineram plus minus maturam Martis & Veneris, sicquè coeunt intercedente aqua in sal compositum cryftallinum, juxta canonem: *menstrua acida corrosiva dum solvunt, cum solutis coagulantur.* Nullum ergo dubium est de genesi vitrioli, quod propriè dicitur de Venere & Marte. Hinc etiam est, quod frequentissimè sulphur & vitriolum ex iisdem mineris eruantur; non secus atque in Suecia lapis mineralis deprehenditur, ex quo sulphur, Vitriolum, alumen, & tandem minium, successivè eruuntur: Conf. *Acta societ. Reg. Angl. Volum.* 1. *pag.* 310. item *pag.* 34.

Confirmat hoc Mechanica chymica, 1. per *syncrisin*, quâ possumus producere verum ac genuinum vitriolum eodem modo atque reperitur in terræ visceribus vel mineris vitrioli. Vel *in via sicca* cum sulphure stratificando, & calcinando Martem vel Venerem, ut *suprà* AUTOR *de Marte* in calcinatione ejus cementatoria, item *in Venere* ostendit; sic enim calcinatione ista sulphur inflammatum prodit spiritum suum acidum, unde spiritus acidus sulphuris corrodit adjectum Martem vel adjectam Venerem. Facta hac calcinatione materia calcinata infunditur in aquam simplicem, & solutio fit viridis: hæc aqua imprægnata filtratur, filtrata aqua pelliculam exhalare permittitur, & in loco frigido concrescunt cryftalli, quæ sunt elegantissimum vitriolum; & quidem si ex minera Martis, vitriolum viride, si ex Venere, cœruleum. Hoc vitriolum artificiale adeò est simile naturali seu nativo, ut ovum ovo non sit similius. Vel in via humida cum spiritu sulphuris vel vitrioli, diluto s. q. aquæ simplicis, Martem & Venerem solvendo, & hinc per cryftallisationem in genuinum vitriolum redigendo, ejusdem naturæ, & usus cum vitriolo nativo.

Quæritur hîc: *an præcisè spiritus sulphuris aut vitrioli, & an non alii spiritus acidi possint rodere metallum, & vitriolum constituere?* Affirmatur: Nam spiritus vitrioli cum Venere concrescit in perfectum vitriolum, quod destillatum dat fumum rubentem, qui fumus solet esse proprius nitri, quando præparatur: vid. HORSTIUS *in suo judic. de Chir. Infus. pag.* 86. Attamen adeò non facilis labor est; licet enim nitrum affundatur vel Marti vel Veneri, non solet facilè abire in vitriolum, sed ferè semper instar fæcum in vasis fundo hæret. Necesse ergò est, ut concurrant quædam encheirises in ejus præparatione, imprimis autem observetur rectum saturationis punctum, aliàs saltem fit coagulum.

Probat hanc sententiam *diacrisis*, seu resolutio vitrioli nativi mechanica, quia ex hoc vitriolo artificiali possunt præparari calcinando, destillando, &c. omnia ea medicamenta; quæ ex vitriolo nativo possunt haberi: ita ut hæc encheirisis sufficienter probet materiam vitrioli, & quomodo fiat in mineris terræ. Nam si destilletur vitriolum nativum, acquiritur spiritus acidus, qui est reverà ejusdem naturæ atque spiritus sulphuris acidi communis; & caput mortuum, quod remanet, est nihil aliud, quèm minera metallica vel Martis vel Veneris corrosa; quoniam beneficio fusionis possumus acquirere novum metallum, sive sit Mars, sive Venus: ita ut caput mortuum partim convertatur in metallum, partim restet sub forma terræ.

Propriè ergò *duo* sunt *vitrioli Genera*, *Martis*, & *Veneris*, & quod ex utroque plus minus est compositum, quorum intuitu variant vitriola. *Venereum cœruleum* est, quale nativum optimè in cupro deprehenditur; de quo conferatur TACHENIUS *Hipp. Chymico*; sicuti *Ungaricum*, quod præfertur omnibus reliquis, multum *de Venere participat*. *Martiale ex albo viridi pallescit*, quale imprimis *Romanum* (ex agro Romano, quo in vicinia, ubi foditur, oriuntur acidulæ,) & *Anglicum* est, & sic cæteris paribus, variat ejus coloratio.

Præter vitriolum viride & cœruleum ex Marte & Venere, reperitur & *Vitriolum album*, omnium infimum, quod ejusdem est naturæ, saltem quod minus de mineris metallicis, iisque adhuc immaturis, participet. Sunt, qui volunt, quod tale vitriolum album etiam participet de Saturno; quod valdè est probabile.

Reperitur autem *Vitriolum nativum* duplici in forma:

1. Similiter in mineris suis, ex quibus per elixiviationem & decoctionem separatur; v. g. *Goslariense*, quod maximè *Martiale*, minimèque Venereum est; Vel
2. Delitescit in marcasitis atque pyrite Vitriolaceis, qui admodum sulphurei sunt, & simul de Venere & Marte participant.

I. Quod *primum* attinet, nunquam reperitur nativum vitriolum, nisi in istiusmodi locis, ubi mineræ Martis & Veneris adsint, ut possit rodi à spiritu sulphuris Mars vel Venus, quando nimirum substantia pinguis separatur ab acido. Pinguedinem enim hanc quidam ab igne subterraneo dissolvi credunt; quod tamen nihil est: potiùs in terra mineram sulphuris, beneficio menstrui universalis seu salis aerei, dissolvi puto, adeòque acidum ejus quadantenus liberari, ut Martem & Venerem in Vitriolo corrodere queat.

II. Marcasitæ & pyritides Vitriolaceæ vel cum vel sine prævia tostione aeri expositæ fatiscunt, & in vitriolum sensim sensimque efflorescunt,

rescunt, ex quibus illud postmodum elixiviatur, & evaporando crystallisatur.

Istud vitriolum, quod ex pyrite cum tostione paratur, sequenti fit modo. Pyrites scilicet contunditur, & calcinatur in igne forti, sub qua calcinatione fit friabilis: pinguedo sulphurea contenta in eo accenditur, & absumitur, & adjunctum acidum sulphureum pyritem rodit. Calcinatus itaque aeri exponitur, sic successivè in vitriolum efflorescit; humiditas enim aeris sale Hermetico impregnata successivè resolvit spiritum acidum; rodentem venam; aeris humiditas se jungit cum acido sulphuris, & ita sensim sensimque efflorescit in vitriolum, quod affusione, aquæ solutione & crystallisatione in vitriolum cogitur.

Adeo clara est hæc mechanica, ut calcinatione lapidis effluat sulphur liquefactum sub forma aquæ seu sulphuris nativi, non verò accendatur. Rectè ergò dicunt omnes Autores, quod vitriolum constet ex aqua seu phlegmate, spiritu sulphuris acido, & parte mineræ vel Martis vel Veneris corrosæ: quod ipsum pluribus eleganter didu&tum videri potest in ANGELO SALA *Tr. de Vitriolo*, in KIRCHERI *Mundo Subterran. Tom. I. cap. de Vitriolo*, qui omnia, quæ SALA *de Vitriolo* habet, eleganter, diligenter & fidelissimè, suppresso Autoris nomine, exscripsit; item in CAMILLI GORI *de Chalcantho ejusque oleo*, MINDERERO *Disquisit. de Chalcantho sive Vitriolo*, CRUGNERO in Vere Chymico *Tr. de Venere & Marte*, & denique in HELMONTIO *in ejusdem Parad. & Fontibus Spadanis*, quæ merentur ut legantur, imprimis in hoc puncto de vitriolo, & ejus natura. Hoc modo, uti dixi, ex pyrite paratur Vitriolum Goslariense, quod satis est notum.

Adhuc sine Tostione quoq; ex Marcasitis Vitriolaceis elixiviatur Vitriolum, uti in minera Martis solari v. g. notum est, de quo *suprà* sufficienter *dictum*.

Et hi sunt duo modi cognoscendi & percipiendi Vitriolum nativum. Hæc autem inter vitriola diversa formalis nulla est differentia, nisi in quantum ex materiæ mineralis metallicæ varietate plus minus distincta sunt, & nudè & æqualiter usui tàm Medico, quàm Chymico inserviunt.

Usus Vitriolorum planè est multiplex, pro nostro scopo tàm Chymicus, quàm Medicus. *Chymicus* ad istos pertinet, qui Mercurium seu menstruo Philosophorum, pro parando lapide Philosophorum in via humida exinde elicere satagunt, secundùm *versum* per considerationem literarum Vitrioli caballisticam vulgò *notum*:

Visitabis Interiora Terræ Rectificando, Invenies
Optatum Lapidem Veram Medicinam.

Sed hæc est hypothesis seu compositio Chymiatri cujusdam otiosi, utut multi adhuc laborent in vitriolo, & dicant; esse in eo lapidem Philosophicum: & sanè ipse *Mynsichtius in Testamento Hadrianæo* non obscurè insinuat in Vitriolo se laborasse. Certè moderni ferè omnes vel nitristæ sunt, vel vitriolistæ; quam tamen controversiam non facio meam. Quoad *Electionem vitrioli*, ad operationes Chymimicas præfertur smaragdino sive virescenti album, in defectu utriusque Vitrioli cœruleum sive sapphirinum commodè adhibetur.

Quod attinet *Usum Medicum* & effectum distincta remedia distinctos habent usus, ut in genere nihil de vitriolo possit dici: sufficit, quod dixit PARACELSUS, quod sit quarta columna Pharmacopœæ, adeò ut quarta istius pars possit repleri medicamentis ex vitriolo paratis. Vitrioli tamen crudi usus est saltem externus, præsertim chirurgicus: siquidem non saltem simplici suo contactu egregium est remedium vulnerarium & ulcerarium, de quo conf. BECHERUS *Phys. subterr. pag.* 115. item TACHENIUS *Hipp. Chym Edit. secundæ pag.* 120. sed etiam nota est vis ejus vitrioli, præsertim Venerei, sympathetica pro cura vulnerum & hæmorrhagiarum, sicuti etiam vitriolum in aqua simplici solutum, addito imprimis alumine, quasvis hæmorrhagias applicatum mirabiliter sistit. In ulceribus scorbuticis, gingivis putridis, & carie ossium præstantissimum est remedium, si solvatur in aqua, & tantillum spiritus salis ammoniaci instilletur. Errhinum quoque est egregium, si vitrioli ad albedinem calcinati gr. jv. vel v. solvantur in s. q. aquæ liliorum convallium, v. g. ℥j. & ita naribus attrahantur, egregiè aperit & resolvit itidem hærentem mucum. Ophthalmicum quoque est, & in ophthalmiis, unguibus, &c. oculorum in aqua appropriata dilutum & applicatum confert.

Usum vitrioli albi quod attinet, pariter remedium ophthalmicum est, & in lippitudine omnibusq; affectibus oculorum, apprimè convenit: vid. BINNINGERUS *C. 5. Observat.* 100. & WEDELIUS *de Facultat. Medicam. pag.* 85. Dissolvitur autem in aqua appropriata ophthalmica, hac proportione, ut ad ℥j. aquæ gr. iij. jv. ad summum v. vitrioli albi sumantur, unde ex tali aqua fit collyrium oculis applicandum mirifica cum virtute, in lippitudine & aliis eorum affectibus.

Pro usu Medico interno præparatur variè, in quem finem præmittitur

DEPURATIO.

Depuratio est vel absoluta à sordibus vel respectiva à Venere. Absolutè purificatur Vitriolum à sordibus adhærentibus, à sulphure superfluo, minera, &c. vel ad modum BASILII VALENTINI, simpliciter solvendo in magna quantitate aquæ tepidæ, digerendo ad tempus in loco calido, & quidem tempore æstivo exponatur soli, vel tempore hyberno seu hyemali fornaci; sic enim in leni calore spontè sulphur, seu terra flava separatur à vitriolo, & in fundo secedit; unde post factam filtrationem solutio clarificata evaporanda ad pelliculam, in loco frigido facilè denuò in vitriolum crystallisari potest; hocque toties repetatur, usque dum nihil amplius sedimenti appareat, & sic habetur vitriolum purissimum, quod vomitorii loco usurpatum fuit.

Elegantiùs purificatur, si solvatur in aqua vitriolum, & huic solutioni aliquid salis communis injiciatur; sic enim impuritates ad fundum præcipitantur: Vel, quæ *concinnior* est *depurandi ratio*, Vitriolum pulverisatum in cucurbita clausa balneo Mariæ immergitur, & in calore moderato, eoque constante, per tres, quatuor vel quinque dies & noctes detinetur; sic enim vitriolū, absque ullo liquore alieno affuso, à propriâ humiditate fluidum evadit, ita, ut ejus terra metallica ac sulphur crassius in fundo vasis subsideant, ipso puriore vitriolo supereminente: liquor nempè decantatus crystallisetur, idque bis vel ter repetatur; sic spiritus per arenam facili negotio destillatur, remanente capite mortuo albicante & spongioso instar aluminis usti: Vel curiosissimè depuratur per efflorescentiam in aere libero in vase terreo, modo insinuato à KUNKELIO *Obs. P. 1. cap. 6.* redditur hoc modo vitriolum album, & separatum à substantia minerali superflua, facili modo etiam ex arena destillabile redditur, & si rectè procedatur, caput mortuum paucum, illudque album, relinquit.

Depuratio respectiva instituitur in vitriolo Martis ab adhærente Venere separando, quod fit: si vitriolo in aqua simplici soluto super ignem effervescenti intrudantur bacilli ferrei, quibus copiosè adhæret venus; vel infundatur parum de limatura Martis pura, & agitentur mutuò; mox enim Venus adhæret, non secus ac si cupro incrustatæ esset: & ita possumus probare, quantum sit cupri in vitriolo.

Mechanica hæc docet: quid habendum sit de conversione Martis in Venerem per aquas vitriolaceas minerarum, de qua ipsa plura hinc inde reperiuntur. Nempè est saltem conversio imaginaria, quæ fit solâ præcipitatione, dum aquæ tales vitriolaceæ, vitriolo veneris turgidæ, injectum Martem rodunt, sub quo rosionis actu particulæ Venereæ in locum particularum Martialium surrogantur, quatenus sub Martialium solutione præcipitantur; unde tunc Mars in cuprum transmutatus videtur. Ex injecto etiam in solutionem vitrioli zinco, ità à partibus metallicis liberari vitriolum asserit, ut depuratum hac ratione mediocri ignis gradu in destillatione spiritus prodeat.

Depuratum ita Vitriolum pro usu Medico diversimode præparatur; quæ præparationes omnes, sive respiciunt substantiam vitrioli acidam esurinam, vel substantiam ejus mineralem metallicam: hinc *ex vitriolo habetur per destillationem phlegma, spiritus, & oleum*; ex restitante verò *capite mortuo* seu colcothare *sal, & terra vitrioli; & ex hos* vel sublimando *flores*, vel extrahendo *sulphur anodynum, & Tincturæ anodynæ* vitrioli.

Autor imprimis pag. 484. docet parare vitriola vomitoria per repetitas solutiones, filtrationes, & concretiones seu coagulationes; quæ tamen omnia in desuetudinem abiere, quia talium nullus est usus, nec suadere cuiquam possum vitriolorum vomitoriorum usum, pulmonibus & stomacho summè hostilium, tonumque ejus mirè invertentium, si tantillum ei horum propinetur. Transeant ergò, & non nisi robustioribus tantùm propinentur. Quidam commendant hoc vitriolum vomitivum in cura paroxysmi apoplectici: sed est nimis violentum remedium, quod rectè à POTERIO *cap. 10 pag. 459. in Pharm.* vocatur *Purgans Rusticorum. Omnis vis vomitoria in vitriolo est ex Venere*, quæ semper vomitus excitat; idque probo, quoniam pulvis viridis, per oleum tartari deliquati præcipitatur ex solutione Vitrioli Venerei in aqua simplici, & nihil aliud est, quàm particulæ venereæ præcipitatæ & separatæ à spiritu corrosivo sulphuris, habet vim talem vomitivam, & ratione harum particularum venerearum vitriolum vomitus movet; quos tamen superstes liquor non excitat, sed hic beneficio nitri à pulvere separatus, à frigore concrescit in crystallos, quæ crystalli vocantur *Tartarus Vitriolatus*, quoniam spiritus acidi se conjungunt cum tartaro, & sic habetur Tartarus Vitriolatus.

Sequitur *no. 2.* aliud *Vitriolum emetico-purgans in* AUTORE, cujus præparatio est nuda depuratio, quod tamen in desuetudinem abiit propter nimiam violentiam & vehementiam, quam per superiora & inferiora exserit purgando.

Post vitriola vomitiva AUTOR *pag.* 485. insinuat

CALCINATIONEM VITRIOLI,

Quæ duplex est:

1. *Aperta.*
2. *Clausa.*

Calcinatio aperta fit igne aperto, ubi prodit vitriolum in colore albo, deinde

deinde alio (nigrescit vel viridescit) item rubicundo; quod Vitriolum intenso rubore calcinatum dicitur Colcothar, sive calcinetur igne aperto, sive alio quocunque modo. Sed quoniam calcinatio hæc fit cum phlegmatis & spiritus jactura, rarò per se instituitur, cum sub destillatione Vitrioli caput mortuum calcinatum remaneat.

Huc quoque pertinere videtur *Calcinatio in radiis solaribus*, unde *Pulvis sympatheticus*; qui nihil est aliud, quàm Vitriolum Veneris, præmissa solutione in aqua, filtratione & crystallisatione in diebus canicularibus calcinatum ad albedinem, vel incipientem flavedinem: nam vitriolum quodcunque, v. g. Venereum, cùm sit cæruleum instar lunæ, si exponatur calori, primo albescit, hinc flavescit, denique rubescit, & ultimo omninò ad obscuritatem prunneam vergit, pro varietate graduum ignis. Quando ergo in diebus Canicularibus Vitriolum venereum exponitur radiis solaribus, & calcinatur ad albedinem, defendendo à pluvia & aere humido, nec spatulâ ferreâ sed ligneâ potiùs agitando, revera est *Pulvis sympatheticus* pro cura dysenteriæ, pro cura ulcerum, vesicæ cum mictu sanguinis, pro cura hæmoptyseos, hæmorrhagiis & similibus affectibus satis celebris: Videbitis præparationes in Autoribus, qui de hoc scripserunt, imprimis in POPPIO, item in *Tractatu* DYGBÆI *de Sympathia*, RATTRAY *de pulvere sympathetico & Unguento Armario*, ubi multa, quæ scripserunt alii, sunt in unum congesta. Modus applicandi est, ut pulvis hic excipiatur linteo, magnitudini vulnerum respondente, & applicetur; vel linteum sanguine adhuc calente madefactum, pulvere sympathetico in aqua plantaginis soluto imbuatur & suspendatur.

Fundamentum Curæ consistit in sulphure vitrioli, imprimis in sulphure Veneris: Unde si non habeatur verum ac genuinum vitriolum Veneris, optimum est, si præparetur artificialis & fiat pulvis sympatheticus.

Nam Mars non est adeò aptus atque Venus, quoniam sulphur ejus non est adeò perfectum, atque sulphur in Venere. MARCUS MARCI *in Philosophia veterum rest. Sect. de Magnetismo Vitrioli* singularem refert vitrioli calcinationem in colorem aureum, quam fortè tutiorem esse dicit pro pulvere sympathetico, quàm vulgarem: *Videatur locus citatus*, qui est lectu dignus: & quidem casu in illam incidit quidam Monachus.

Quod attinet *Calcinationem Vitrioli* in vase Hermeticè clauso in rubedinem usque, plus habet in recessu: Nam hìc nihil phlegmatis abit, sed per digestionem tandem concentrantur omnia in vitriolum & invertuntur, ut suam rubedinem prodat. Observetur encheirisis in hac calcinatione, *ne crassior evadat, quàm medium dorsum cultri, aliàs non procedit*. Conf. *de hac Calcin.* KUNCKELIUS *obs. P.* 1. *cap.* 6. Commendatur hoc vitriolum ita calcinatum pro parando spiritu volatili.

Post Calcinationem se offert

DESTILLATIO.

Vitriolum per retortam igne aperto destillatum dat phlegma, spiritum & oleum. *Spiritus* est, vel *vulgaris*, vel *volatilis*: *Vulgaris acidus*, vel *dulcis*: *acidus* vel *primus*, vel *regeneratus*: Spiritus *volatilis* est vel *simplex*, vel *compositus*. *Phlegma* est nunc *insipidum*, sed plus minus sulphureum, nunc *acidulum*. Eliciuntur facili igne, guttatim prodeunt; nam si spiritus sequatur, sub nebularum forma se exhibere solet.

Phlegma subtile *insipidum* sulphureum, quod vocatur *Ros* vel *aqua vitrioli*, AUTOR *no.* 1. & 2. describit: *Acidum* verò, vel etiam phlegma vitrioli κατ' ἐξοχὴν ita dictum, *no.* 3. *pag.* 486. Totum artificium consistit in ignis regimine. Non sunt autem de nihilo hæc phlegmata; non enim simplex sunt humiditas elementalis, sed habent plus in recessu, quia participant simul de sulphure puriori Vitrioli, sub quo & acidi esurini sulphurei aliquantum simul secum rapiunt: hinc vires egregias obtinent internè in febribus ardentibus & acutis, ac quibusvis corporis ardoribus & æstuationibus, item in hectica ex viscerum inflammationibus & corruptelis, febribus lentis, quæ tabem & phthisin conjunctam habent: in inflammationibus partium internarum & phlogosibus quoque copiosior eorum usus mirè convenit. Externè dolores ex combustione podagricos, item cephalalgiam sedant, quam vim obtinent imprimis vi sulphuris vitriolacei volatilioris nonnihil anodyni. Phlegmata hæc ad omnia hæc potentiora evadunt, si super novum vitriolum subinde digeruntur & cohobantur, ut scilicet spiritu ejus sulphureo volatiliori magis imprægnentur.

In specie *Phlegma vitrioli acidum no.* 3. apud AUTOREM reperibile, usurpatur ad extrahendas tincturas Vegetabilium: Cæterùm observetur, quod hoc phlegma acidum vitrioli debeat aliquoties esse rectificatum, aliàs non adeo commodè fieri possunt cum illo Tincturæ. Hoc phlegma acidum vitrioli præterea valdè commendatur in scorbuto oris, ac in putredine gingivarum: conf. de virtute & usu phlegmatis vitrioli MARCI *in Phil. Veterum Rest. pag.* 551. ubi BASILIUS explicatur, qui multum æstimat hæc phlegmata, & nomine *Aquæ Cœlestis* insignit: Item M. A. N. C. *Anno* 6. *Append. pag.* 55.

Ad phlegmata hæc pertinet etiam *Aqua ambram redolens* ex vitriolo destillata, cujus primam mentionem facit PARACELSUS *l. Archidox. de Specif.* & hujus descriptio clara per Cnœffelium parata, hinc prostat in HOFFMANNI *Clave pag.* 356. sequenti modo:

℞. *Vitrioli Ungar.* ℔j.
Sal. ammoniaci per sal sublimati ℥iv.

Omnia probè mista vitroque indita colloca in balneum Mariæ, destilla humiditatem lento igne, & aqua hæc ultra modum fragrantem reddit odorem; cohoba sæpiùs à capite mortuo; ita pergit *Autor*, nempè CNOEFFELIUS, ex propria vitrioli Tinctura odor instar rosæ elici potest; sed vitriolum necesse est, ut sit defæcatissimum.

Retulit mihi egregius quidam Chymicus, se aliquando laborasse in Vitriolo, & post longam destillationem spiritus vitrioli super caput mortuum, tandem rectificasse eundem, & acquisivisse spiritum odoris violacei: id quod confirmant ea, quæ superiùs aliquoties monui, quod etiam mineræ metallicæ in suis matricibus habeant odorem suaveolentem & confortantem; utut hic sub tegmine crassioris corporis sit contentus, & sub adjunctorum concrementorum cortice sepultus. Qui ergò novit clausa tegmina aperire, & eorum odorem arcanum potest elicere, & in lucem protrahere, felix est salutandus.

Post phlegma pulverisetur denuò vitriolum, & novæ retortæ indatur; sic prodit *spiritus Vitrioli* sub forma nebularum copiosarum, forti igne per plures, quandoque ad 14. dies & noctes destillandus, quæ nebulæ coagulantur tandem in liquorem sapore acidissimo. In præparatione enim ejus phlegma priùs à vitriolo separetur, aliàs vix sine fractura retortæ, spirituumque jactura, fieri potest destillatio. Modum docet AUTOR *no.* 6. *pag.* 487.

Egressis & subsidentibus his nebulis, sub ultimo ignis conatu, loco nebularum pedetentim exstillat liquor crassus obscurus, quem *Oleum vitrioli* appellant. Post destillationem olei vitrioli KUNCKELIUS *Tract.* 2. *pag.* 96 monet, ne vas recipiens nimis citò à retorta abstrahatur; aliàs impetuosissimè irruens aer laboratorem cum recipiente prosternat.

Quod attinet spiritum Vitrioli, nihil aliud est, quàm spiritus sulphuris seu acidum sulphuris, quod antea rasit corpus metallicum, & in nullo differunt, nisi quod sub igne Vitriolum aliquid rapiat per retortam de substantia metallica ænea rosa, ideo solet rectificari. Hanc rectificationem & separationem spiritus ab oleo & phlegmate non vult approbare, sed rejicit ZWELFFERUS *in Mant. Hermet. pag.* 336. & 390. *ultimæ editionis*, ex eo, quoniam cum phlegmate Vitriolum dum separatur, simul adscendat spiritus vitrioli volatilis sulphureus, quo ablato, reliquus vitrioli spiritus maximâ virtutum suarum portione defraudetur. Ergò distinguendi sunt spiritus vitrioli, dum alius volatilis, alius est fixus: spiritus fixus est, qui in officinis reperitur sæpiùs adulteratus. Hic si steterit ad aliquod tempus, propter liquamen metallicum colorem obscurum acquirit, quia substantia metallica sensim sensimque præcipitatur spontè, & spiritum tingit. Idem fieri *dixi suprà* in acidulis, quod nempè, si ad tempus steterint, soleant deponere terram rubicundam & aliquantisper obscuram, quoniam minera ferri sensim sensimque præcipitatur. Cæterùm si vitriolum reiteratis vicibus solvendo & coagulando probè depuretur, ut deponat crassiores mineræ metallicæ partes, elicitur exinde spiritus & oleum vitrioli album per retortam. Ut igitur separetur spiritus purus sulphureus ab hoc liquamine metallico, beneficio lenis caloris denuò rectificandus venit per retortam vitream in capella vacua, sine arena aut cineribus, aliàs vasa diffringuntur.

Spiritus hic Vitrioli idem est cum spiritu sulphuris essentialiter: vid. KUNCKELIUS *Tr.* 1. *pag.* 6. 7. & 62. Id quod etiam docet Mechanica: Nam

1. Ex Vitriolo artificiali, per cementationem cum sulphure parato, similis omninò spiritus elici solet.
2. Quod ex spiritu vitrioli & oleo destillato terebinth. mistis, & per retortam destillatis genuinum sulphur sublimari soleat; quam mechanicam docet BOYLE *in Chym. sceptico*.

Spiritus vitrioli rectificatus acidus & fixus, ut aliquid de *virtutibus* moneam, præter usum Chymicum in parandis remediis, egregius est vi stomachicâ & diureticâ. Cùm enim de acido esurino sulphuris embryonati participet, cujus ratione stomacho gratus est, styptico non nihil sapore tonum stomachi firmat; unde in appetitu dejecto datus cum spiritu menthæ est egregius: æstuantibus blandum refrigerium conciliat, & primas vias per urinas mundificat, bilem valdopere temperat, ut vocant veteres, seu sal volatile oleosum massæ sanguineæ nimis ebulliens corrigit, unde dicitur refrigerium, sitim compescens: hinc usitatissimus est in morbis acutis, febribus benignis ardentibus, & sic dictis biliosis pro temperando æstu Julepis permistus; sicutiè contrà in febribus malignis Julepis spiritus nitri commodè permiscetur. Præterea spritus vitrioli egregiè etiam convenit pro usu diuretico & nephritico in urina suppressa, & calculi renum, cum aliis usurpatus, ubi admodum laudatur à PANAROLLO. Interim tamen observetur, ne usus ejus sit nimius, & ad

ad subtilissimum tantum acorem misceantur aliis remediis; aliàsenim nimio acore corrosivo pulmonibus, iisque qui ad phthisin & hecticam inclinant, item asthmate & aliis pulmonum affectibus, minus convenit, quia lædit vesiculas spongiosas pulmonum, eosque facilè corrodit; sicut & propter vim adstrictoriam pori pulmonum constringuntur, ut pro aeris irruptione non sufficienter expandi possint. Unde & acidularum usus nocivus est, adeò ut quidam phthisici per usum acidularum reversi sint hydropici; imò non nulli planè interierunt. Sic pariter testibus nocet, & eorum vim spermaticam imminuit, adeò ut novis maritis sit fugiendus eiusdem usus: sicuti etiam D. LANGIUS *in Coll. super Fabrum* de spiritu Vitrioli refert, quendam quotidie hujus gutt. jv. pro stomacho confortando & appetitu excitando sumpsisse, unde testes illius ad instar pisi sensim sensimque decreverint, cùm alias habuerint magnitudinem naturalem; qui, ubi æger intermisisset demum spiritus vitrioli usum, & cibis euchymis fuisset nutritus, iterum aucti, & ad Veneris bellum armati fuerint. Cæterùm, quod dicit AUTOR *pag.* 488. quod conveniat in obstructionibus viscerum, mesenterii, hepatis & lienis, falsum est, quoniam potiùs coagulat quàm aperit; id quod non sine ratione rejicit FRACASSATUS *in suis Epist. de quo suo loco*. AUTOR etiam ad odontalgiam commendat; sicuti & quidem cum melle, vel simplici vel rosato, ad subtilem aciditatem miscent in linimentum pro scorbuto oris, putredine gingivarum, exulceratione oris scorbutica, uti etiam in ulceribus oris Gallicis. Sed abstineamus ab ejus usu in dentium affectibus; hos enim nigros reddit: Videbitis rationes in TACHENII *Hippocrate Chymico*. BARTHOLETUS *in Tr. suo de respirat. lib. 5. cap. 5. pag.* 431. facit mentionem *spiritus vitrioli lunaris*, ex lunæ scilicet magisterio plurimæ cohobationis beneficio abstractus, qui valdè prosit in affectibus capitis; de qua vi cephalica *supra, ubi de lapide Lazuli*, sufficienter dixi.

Superest in retorta post spiritus & olei destillationem *caput mortuum* seu *Colcothar* perfectè calcinatum, quod adhuc constat sale vitrioli emetico, quod elixiviando cum aqua simplici separatur, & restat post elixiviationem substantia quædam atro-rubescens, quæ vocatur *Terra vitrioli dulcis*. Hæc terra potest cementari cum sulphure denuò, & sic ex ista terra cementata novus spiritus vitrioli potest parari, quem acquisivit ex sulphure per cementationem. Hoc verò dictum esto de capite mortuo atro-rubescente: si enim ad nigredinem calcinatum fuerit Vitriolum, nullum ex capite mortuo habetur sal, nullusque spiritus regeneratus, de *quo jam dicendum*.

Caput mortuum, nempè prunneum, à destillato hoc spiritu aeri exponitur libero, in loco à pluvia & solis radiis tuto: hinc aliquandiu ita expositum, per annuum spatium plus minus &c. (quo longiùs, eò meliùs & potentiùs impraegnatur) denuò destillari aptum natum redditur, ac novum suggerit spiritum, qui proptereà *spiritus vitrioli regeneratus* dicitur. Hoc non tantùm fit in capite mortuo vitrioli; sed etiam obtinet in alumine & nitro; quæ terra, spiritu per ignem exhausto, deinde aeri exposita solet de novo impraegnari, & efflorescere vel nitrum novum, vel vitriolum novum. Sed observetur: quod non omni tempore impraegnetur Vitrioli caput mortuum, sed tantùm tempore verno in Martio, Aprili & Majo, & mensibus autumnalibus, Septembri, Octobri & Novembri, intermediis verò mensibus æstivis & hybernis non impraegnatur.

Dubium est: unde ejus origo, dum quidam ex aere in vitrioli capite mortuo concentrato huncce spiritum derivant, sed malè: nam saltem ex nuda phlegmatis in aere insinuatione, & acidi in capite mortuo residui, sed nimis concentrati, resolutione & huius in partes metallicas actione, novum hocce exsurgit vitriolum. dicto modo denuò destillandum: vid. WEDELIUS *in* M. A. N. C. *Anno* 6. *&* 7. *Obs.* 123. *pag.* 161. & *de Medic. Facultat. pag.* 160.

Id quod probatur:

1. Quod si caput mortuum tale ultimâ ignis actione penitus fuerit exhaustum, ita ut nihil de sale aut acido concentrato remaneat, nullo modo spiritu tali novo impraegnari soleat.
2. Quod capiti mortuo tali vitrioli per aerem regenerabili affusa aqua idem præstet, quod aer, ita ut brevi post spiritus putatus regeneratus haberi queat.
Hinc
3. Si diutiùs aeri exponatur, non nisi unâ vice regeneratio fit; totum enim sic resolutum sal vitriolaceum, indeque destillatum, novum spiritum suggerere nequit.

Interim spiritus vitrioli regeneratus non est planè ejusdem naturæ cum spiritu primitus destillato, sed potiùs habet naturam differentem ab eodem; quia sub hac ipsa aerea resolutione, & hinc vitrioli regeneratione, non levem alterationem acquirit vitriolum sic regeneratum; cùm regeneratum hoc vitriolum non adeò simpliciter sit tale, quin de nitrosa natura multum participare videatur, ratione salis aerij nonnihil concentrati sub isto vitriolo regenerato; unde in tali spiritu, in vitro adservato, subinde concrescere solent crystalli, quasi crystalli nitrosæ; de quo vid. ZWELFFERUS *in Ettmull. Oper. Tom. III. Animadv. pag.* 384. *&* 407. item in *Append. pag.* 71. item *in Mant. spagyr. pag.* 336. *&* 343. Hinc etiam volatilioris ferè naturæ habetur hic regeneratus spiritus, indequè ad epilepsiam à quibusdam præ vulgari laudatur.

Hactenus recensiti spiritus sunt acidi insigniter: non pauca hinc inde occurrunt in scriptoribus *de spiritu & oleo vitrioli dulci*, quale *propriè loquendo* ex vitriolo *est non-Ens*: Ex acido enim esurino & minera metallica cum coaluerit vitriolum, per se & propriè dictum spiritum dulcem aut oleum habere non poterit: Sed vel substantiæ Martialis simultanea præsentia aliqualem dulcorem repræsentat, qui est modus ZWELFFERI *Mant. spagyr. pag.* 392. Vel cum ana *spiritus vini* bene *rectificati* facta dilutio & attemperatio mediantibus repetitis digestionibus & cohobationibus *spiritum vitrioli dulcem* suggerit; de quo vid. HOFFMANNUS *pag.* 359. & FABER *Myrothec. spagyr* 2. *cap.* 9. *lib.* 1. Vel à capite mortuo vitrioli spiritus vitrioli affusi ob acidum imbibitum facta quasi castratio, mitiorem seu dulcificatum reddit, modo AUTORIS *num.* 8. Vel mitior saltem aciditas cum aceto destillato procurata, modo AUTORIS *num.* 7. *spiritus vitrioli dulcis* appellari à quibusdam solet. Videbitis plura in ZWELFFERO *loc. citato*. Nam alia est ratio sulphuris vitrioli dulcis ex spiritu ejus viridi præparandi HELMONTII, *Tract. Duum-virat. §.* 9. de *quo suo loco*

Cæterùm in omnibus hactenus dictis destillationibus spiritus vitrioli, qui prodit, non est purus, seu non est genuinum illud & naturale acidum sulphuris embryonati, quale v. g. in acidulis deprehenditur, & ex cujus in mineram actione vitriolum tandem concrescit; sed sub destillatione acidum illud simul mineræ particulas sulphureas immaturas metallicas secum rapit, unde austerus & corrosivus, stomacho subinde nauseosus; cùm ita plus minus hostilis evadit, adeoque quilibet communis spiritus vitrioli plus minus de metalli liquamine continet, unde etiam obscurum colorem tandem adsciscit ex saturato successivè liquamine, eoque non nihil præcipitato. Unde eò annituntur Medici sedulò, ut acidum illud esurinum volatile salubre nobisque gratissimum, per se acquirere valeant, adeoque tantoperè in præparatione spiritus vitrioli volatilis, ut vulgò vocant, vel *spiritus vitrioli albi Basilii Valentini*, de quo vid. TACHENIUS *Clave cap.* 6. *pag* 97. desudant, pro egregio epileptico, & apoplectico, cephalico, stomachico, quorumvis sordium in quibusvis corporis culinis abstersivo, antipyretico; inescati præsertim PARACELSI monitis, absolutam epilepsiæ curam in tali spiritu vitrioli volatili consistere: id quod vulgares chymici & nugivenduli applicant ad vulgarem spiritum vitrioli: sed falsum est.

Genuinus hujusmodi spiritus volatilis altioris est indaginis, uti etiam altioris efficaciæ. AUTOR noster aliquot subministrat Præparationes, utut non adeò magni ponderis; poterunt tamen perlegi, & apud alios Autores elegantiores indagari. Sed ut in genere moneam, *per alembicum striatim prodire debet*, ac *penetrantem sulphureum spirare odorem*: quæ striæ uti sunt propriæ spiritui vini, & reliquis spiritibus volatilibus vegetabilium sulphureis, qui sine dubio sunt maximè volatiles, ita spiritus vitrioli volatilis iisdem striis in alembico se manifestat; unde etiam spiritus vitrioli vulgaris, dum difficulter per cucurbitam humilem destillatur, sed potiùs per retortam; spiritus è contrà volatilis ex cucurbita per alembicum facilè adscendit, & per rostrum descendit. Deinde spiritus vitrioli communis olfactus parum nares ferit; ast volatilis sulphureus & penetrantissimus est, & altè intrat nares instar spiritus cujusdam volatilis. Præparatio ejus est difficilis, & in secretis admodum habetur à Chymicis sublimioribus, utut maximus in eo resideat & latitet thesaurus in curandis morbis supra dictis; unde pro hoc assequendo vario conatu laborant Chymici, vel per simplicem in vase alto rectificationem, quemadmodum docet AUTOR *Num.* 4. *Not.* 1. *p.* 486. quò etiam pertinet modus HORSTII *in Problematibus pag.* 65. PARACELSUS usque ad nonum alembicum destillationem spiritus vitrioli pro caduco morbo peragendum iubet, cuius sensum videbitis explicatum à CNOEFFELIO *in* M. A. N. C. *Anno* 6. *Append. pag.* 57. estque modus, quem insinuat AUTOR *num.* 17. *pag* 491. Nempè per toties reiteratam phlegmatis super suum Colcothar cohobationem. Et sanè plures Autores per huiusmodi phlegmatis, item spiritus, super suum caput mortuum cohobationem, spiritus hujusmodi volatiles vitrioli parare gestiunt; ut videri potest in HOFFMANNI *Clave pag.* 357 *&* 359. In præparatione observetur: ut imprimis removeantur vasa, dum omnia adhuc intensè caleant, aliàs redit in caput mortuum. Facit huc non minùs concinnus modus parandi spiritum vitrioli volatilem D. Mœbii, cujus genuina hæc est descriptio:

♃. *Vitriol. Goslar.* vel *Ungaricum*.

Abstrahe phlegma ex cucurbita terrea probè loricata per alembicum vitreum igne aperto in excipulum terreum ad siccitatem usque, quo facto novum vitriolum cucurbitæ immitte, & phlegma abstrahe, repetendo tamdiu, donec cucurbita vitriolo penitus repleta fuerit:. Tracta cucurbitâ Vitriolum calcinatum pulverisa, & per retortam Waldenburgensem igne aperto destilla,

X & qui-

& quidem tribus diebus igne leni, hunc tamen singulis diebus & noctibus per gradus augendo. Præstat pro hac operatione retortam procurare ex argilla pura, omni arena libera, arena enim spiritus volatiles transmittit, quorum verò transitus per retortas dicto modo confectas impeditur. Receptaculum remove & spiritum volatilem penetrantissimum, nares maximè ferientem, tanquam summum cephalicum usui asserva. Receptaculum retortæ iterum admove, infundendo priùs aquæ simplicis debitam quantitatem pro spirituum condensatione, urge igne & destilla, donec oleum rubicundum prodeat: quo apparente, receptaculum remove, & spiritum egressum (qui est communis vitrioli spiritus) rectifica per arenam ex retorta vitrea, & usui serva. Apposito iterum receptaculo ignem ulterius urge, donec nihil ampliùs prodeat. Refrigeratis omnibus spiritum volatilem oleo affunde, & simul rectifica; sic enim magis volatilisatur.

Quin & ipse HELMONTIUS cohobationem talem certam adhibet in curiosissimo *Processu destillandi spiritum vitrioli volatilem* quem habet *Tractatu de Lith. cap. 8. §. 19.* ob multiplices encheirises perquàm notabili, sed laborioso & tædioso: hac autem methodo acquiritur spiritus vitrioli admodum volatilis in forma aurea.

Alii per effervescentiam, & consequenter præcipitationem, spiritus vitrioli communis seu vulgaris admodum rectificati negotium hoc tentant per *salium fixorum* vel corporum terrestrium, copiosum acidum absorbentium, *adjectionem*; ut inter salia est v. g. sal tartari fixum; inter terrestria cornu cervi ustum, vel lapilli cancrorum, ut scilicet alliciant spiritum vitrioli acidum fixum, & dimittat spiritum vitrioli volatilem, vinculis & compedibus spiritus vitrioli fixi antea ligatum: unde injectis hisce, subitò admovent alembicum, ne spiritus vitrioli volatilis avolet; quò etiam processus AUTORIS *num.* 13. *pag.* 49. pertinet. Sed parum spiritus, maximam phlegmatis saltem partem accipiunt, utut AUTOR fide dignus VERBEZIUS *contra Castellum* asserat.

Alii *cum addito tartaro* spiritum subtiliorem & volatiliorem vitrioli parare satagunt simili ex fundamento, ut AUTOR *num.* 10. & 11. *pag.* 489. insinuat.

Alii hoc modo procedunt:

Vitriolum Hungaricum in aqua solutum præcipitatur injecto alcali fixo, hinc filtratur, filtratus liquor seponitur aliquandiu, digeritur, hinc pulvere laterum addito miscetur, & acquiritur destillatione spiritus volatilis elegans, sed paucus.

Consultiùs faciunt, qui vitriolo affundunt spiritum salis ammoniaci, seu quemvis alium volatilem urinosum, relinquuntur hæc tamdiu, quamdiu modus fermentativus conspicuus est, hinc decantatur, cum lateribus miscetur & destillando acquiritur spiritus volatilis penetrantissimus. Posterior hic modus congruit ferè cum spiritu vitrioli epileptico Hartmanni, ex vitriolo cum urina humana parato, & describitur ab AUTORE *num.* 14. *pag.* 490. Verùm volatilitas hic potiùs sali volatili addito, quàm vitriolo, debetur, utut simul elevatum sulphur volatile acidulum suggerat spiritum copiosum, revera perquàm elegantem in epilepsia. Aliàs communissimus modus est cum spiritu vini addito spiritum vitrioli nonnihil volatilem parare eo modo, quem AUTOR insinuat *in Notis sub num.* 4. *pag.* 486. & hac ratione D. MICHAELIS *spiritum* suum *vitrioli cephalicum & epilepticum* parare solitus fuit: scilicet

♃. *Vitriolum Martis ad albedinem calcinatum*, vel *Vitriolum cœruleum Ungar. dephlegmat.* vel *hujus & vitrioli in aura regener.* ana part. æqual.

His pulverisatis irrorando addidit *spiritum vini rectificatissimum*, & *à speciebus cephalicis & nervinis vel epilepticis digestum* & ad iisdem *abstractum*, idque quinquies vel sexies; postmodum destillavit ex retorta per arenam blando igne, & prodit spiritus vinosus penetrantissimus, probè custodiendus: Hinc sequitur phlegma, quod seorsim separandum est. Reliquum vitrioli more communi igne aperto destillatur & rectificatur: *cujus* pars j. cum part. iv. *liquoris prio*[ris] vase clauso per aliquot dies digeruntur, & postmodum destillantur: sic habetur spiritus penetrantissimus & maximè volatilis, magni usus in affectibus capitis contumacioribus, quales sunt hemicrania, paralysis, apoplexia, epilepsia, & in similibus affectibus nervinis. Nam beneficio spiritus vini fixitas spirtus vitrioli volatilisatur, & aciditas temperatur, & diluitur: qui tamen spiritus non sunt adeò penetrantes, uti spiritus vitrioli volatilis.

Hic spiritus in digestione superimposito alembico, vel si saltem per se stet in loco frigido, abit in corpus saliniforme blandè acidulum & volatile, quod egregium est stomachicum, & in affectibus nervorum convulsivis egregium remedium.

Alii pro spiritu vitrioli cephalico & epileptico obtinendo affundunt aliquoties spiritum vini, vel simpliciter rectificatum, vel à plantis abstractum, vel vitriolo in aura regenerato, vel vitriolo Cyprio, rursusque inde abstrahunt: vid. WEDELIUS *Pharm. pag.* 37.

Spiritus Vitrioli Philosoph. num. 9. *pag.* 488. uti notum est, præparatur ex aqua, cum qua præcipitatum butyrum antimonii in Mercurio vitæ. Malè appellatur spiritus vitrioli, quoniam nihil de vitriolo participat; sed nihil aliud est, quàm *spiritus salis rectificatus*, oriundus ex Mercurio sublimato, cum quo destillatur antimonium in butyrum. In sublimatione enim Mercurii, utut conjungatur vitriolum, nitrum & sal; nihil tamen adscendit præter sal, quod in destillatione antimonij prodit sub forma spiritus, qui dilutus per aquam repetitâ destillatione, vocatur *spiritus vitrioli philosophicus*.

Est egregium stomachicum, propterea est ingrediens *Elixyr stomachalis D. Michaelis*. Cæterùm est probè rectificandus, quoniam interdum adhærent particulæ Mercurii vitæ, unde spiritus hic facilè potest excitare vomitus.

Num. 10. *pag.* 489. *sequitur spiritus vitrioli tartarisatus*, qui etiam vocatur *Manna vitrioli epileptica*. In hujus præparatione alcali tartari agit in vitriolum, & spiritum ejus præcipitat ac figit, unde etiam ex capite mortuo hujus spiritus *tartarus vitriolatus* elici potest; adeoque parum saltem spiritus aciduli prodire solet.

Famosior hoc est *spiritus* vel *aqua aperitiva Penoti num.* 11. quo modo subtilis ac penetrans acquiritur spiritus, si ritè fit paratus & rectificatus: sed parcus admodum est, & præparatio admodum molesta & tædiosa, ut non videatur operæ pretium: tantum de vitriolo prodit spiritus, quantum acidi à silicibus calcinatis & alcali tartari additis non fuit saturatum: quod alcali cùm agat simul in sulphur immaturum metallicum, à quo spiritus vulgaris fixitas & austeritas imprimis dependet, non nihil subtilior & volatilior præ vulgari esse solet.

Interim tamen spiritus hic est egregium diureticum & optimum remedium in morbis chronicis, & obstructionibus, ex infarctu viscerum oriundis, in corrigendo acido corrupto & vitioso nostri corporis, quoniam est spiritus acidus volatilis; unde in scorbuti cura hujus usum immensum extollit MOELLENBROCCIUS *de Varis pag.* 139. Valdè commendatur ab HARTMANNO, mistus cum essentia absinthii, vel vincetoxici, cujus egregium usum expertus est D. MICHAELIS, qui semper eandem misturam felici cum successu adhibuit in hydrope.

Quidam in præparatione ingredientibus addunt aliquid terræ solaris, & in destillatione spiritus jucundissimos acquirit colores. Imo alii etiam loco silicum communium recipiunt silices, qui repe-riunt circa aurifodinas, quia impregnati creduntur aliquo modo primo ente solari.

Ex capite mortuo hujus spiritus sal compositum, ex alcali salis tartari & acido vitrioli constans; & nihil aliud est, quàm *tartarus* quidam *vitriolatus*, egregium digestivum in frebribus intermittentibus, in malo hypochondriaco, scorbuto, & similibus affectibus Chronicis. Vocatur aliàs *sal digestivum hypochondriacum*.

Spiritus vitrioli diaphoreticus res mira est: Cornu cervi ustum, & sal tartari junguntur cum spiritu vitrioli; unde per destillationem nihil prodit, quàm phlegma quoddam spiritus vitrioli, & ideò destillatio hæc nihil valet.

SPIRITUS VITRIOLI ANTEPILEPTICI.

Spiritus vitrioli antepiletici sunt variarum compositionum, uti videre est in AUTORE *pag.* 490. *seqq.* nihilominus omnibus præferendus est *spiritus Vitrioli volatilis*, qui tamen est rarissima avis. Quicquid sit, videbimus tamen præparationes.

Spiritus vitrioli antepilepticus puerorum Hartmanni componitur ex vitriolo cum urina puerorum, qui certè multum habet in recessu. Vocatur *Ammoniacale Philosophorum*. Est optimum antepilepticum, quem TYCHO *de* BRAHE dicitur habuisse in arcanis, & hoc ipso B. D. MICHAELIS frequenter usus fuit pro usu anodyno & cura epilepsiæ in infantibus, sicut & hoc mediante aliquot ferè desperatos epilepticos restituit. Acquiritur simul *duplex phlegma*: *Phlegma aquosum*, quod primum prodit, est anodynum: sed *phlegma, quod altera vice destillat*, constat ex phlegmate vitrioli & sale subtili Urinæ, est egregium ophthalmicum, imprimis in lippitudine & inflammatione oculorum; item in cataractis, suffusionibus, nebulis, albuginibus, ungue, &c. est multi usus, ubi opus attenuatione, incisione, resolutione, & detersione.

Spiritus antepilepticus Basilii nihil aliud est, quàm spiritus ærugi-nis, uti patet ex descriptione, cujus vis adeo singularis hìc loci non est.

Occasione *spiritus antepileptici Quercetani*, seu *spiritus vitrioli viridis* dicti *num.* 16. moneo; quod multi jactare velint præparationem spiritus vitrioli viridis, qui vocatur à Chymiatris *Leo viridis*, cujus uti præparatio est in arcanis, ita paucissimi illum possident; unde adulteratum substituunt. Vidi tamen, quod spiritus vitrioli epilepticus, permistus cum spiritu sanguinis humani, talem acquirat colorem viridem. Pertinet huc etiam *spiritus vitrioli viridis*, cujus mentionem facit HELMONTIUS *Tract. Duum-Viratus*, & ex quo *sulphur vitrioli dulce* elaborare nititur. Viror spiritui non est genuinus, sed ortum habet à particulis Venereis sulphureis, quibus separatis *sulphur vitrioli dulce anodynum* ex iisdem elaborat HELMONTIUS. Scripsit de hoc ipso negotio POLEMANNUS *de Sulphure Phylosophi-co*, qui itidē & spiritū vitrioli viridē parare, & ex eodem *sulphur vitrioli anodynum* obtinere nititur. Curiosum est scriptū, & lectu dignū: nō ta-

men

men ubique veritatem sequitur, plus scilicet promittendo, quàm ipse unquam præstitit.

Tandem *spiritum vitrioli* etiam *coagulare* quidam satagunt; id quod fit vel per terrea absorbentia, vel per alcalia, spiritum crystallisantia: *Per terrea*, v.g. terram sigillatam, qui modus ab AUTORE *no. 19. pag.* 491. insinuatus; acquiritur hoc ipso tandem liquor stypticus *alibi notatus, ubi de terra sigillata*; in quo saltem moneo, quod cum spiritu nitri meliùs, quam spiritu vitrioli, paretur: Quoad *alcalia*, ab alcalibus fixis, v.g. alcali nitri, sale tartari fixo, &c. spiritus vitrioli in consistentiam tartari vitriolati cogitur, à volatilibus verò, v.g. sale volatili urinæ, sanguinis humani, cornu cervi, &c. in consistentiam instar salis ammoniaci coit.

Par ratio est coagulationis ejus cum nitro, cujus modum docet AUTOR *no. 29. pag. 492.* Nempè hoc ipso *Nitrum Vitriolatum* tandem obtinetur:

Vel

♃. *Cryst. nitri opt.* ℥jv.
Spiritus vitrioli,
Olei vitrioli an. ℥ij.

Misceantur, indantur cucurbitæ, & permittantur ut evaporent, donec aut fumum amittant, vel appareat in superiori parte pellicula, in loco frigido coagulentur in pulverem seu duritiem lapideam, quæ asservetur pro usu. Si spiritus vitrioli à nitro abstrahatur, acquiritur spiritus nitri perfectus.

Est egregium Febrifugum, & quod potenter refrigerat. Conf. etiam LUDOVICI *Pharmac. pag. 559. seqq.*

Pertinet huc *Pulvis hepaticus rubeus*, qui fit cum *spiritu vitrioli* & *crystallis tartari*, adjuncta *tinctura santali*, egregii usus in compescendo æstu massæ sanguineæ, tàm à calore æstivo, quàm à bile, & nimia vini generosi ingurgitatione. Videbitis hujus descriptionem in ROLFINCII *Chymia*.

Ad spiritus hosce coagulatos omnia *salia Mirabilia Glauberi* pertinent; de quibus in scriptis multæ reperiuntur verborum ampullæ, quemadmodum eadem etiam magni facit hìc D. SULZBERGERUS. Paratur *sal mirabile* ex ipso *spiritu vitrioli*: injicitur *sal commune* spiritui vitrioli, & destillatur per alembicum vel retortam vitream, & prodit ita loco spiritus vitrioli spiritus salis perfectus & genuinus, & remanet in fundo sal quoddam album crystallinum, quod in aqua solvendum & coagulandum; sic in loco frigido striatim concrescit. Saporis est blandè salsi non inelegantis, quod vocatur à *Glaubero sal Murale*, quia solvit, & coagulat simul: Vocat Germ. *den Scheide-Schwefel, id est sulphur separativum*. Quicquid sit, non sit nimis credulus, qui GLAUBERUM legit: est sal tertium, compositum ex sale communi & spiritu vitrioli. Horum salium vestigia, jam in AGRICOLÆ *Commentario in Poppium p.* 330. inveniuntur, qui dicit: oleum vitrioli corrosivum super sale mitescit, si rectificetur, adeò ut intra corpus sumi possit, & hoc ipsum est, quod etiam dicit GLAUBERUS. Sal hoc fusum cum auro, solvit aurum, & potest vix denuò aurum separari ab hoc ipso, nisi beneficio Mercurii vivi. Superius sal, seu *spiritus vitrioli cum nitro coagulatus*, conveniens est pro remediis lunaribus pro solvenda luna, & pro aliis subjectis non sulphureis.

Quoad *Usum Medicum*, salia hæc contra scorbutum valent loco digestivi hypochondriaci in scorbutis affectibus, imprimis superius cum nitro. Nam in aqua soluta salia hæc contra scorbutum oris, exulcerationes & putredines gingivarum, faucium, & similia maximè laudantur.

OLEA VITRIOLI.

Post spiritum sequitur *Vitrioli oleum* in destillationis ordine, propter consistentiam & apparentem unctuositatem ita dictum. Reverà à spiritu nil differt, sed sunt una eademque res. Oleum enim concentratus est saltem spiritus; Hic verò resolutum & dilutum est oleum, mistus copiosiore aqua seu phlegmate vitrioli; oleum verò vitrioli est magis concentratum, pauciore permistum phlegmate. Nempè spiritus vitrioli facilè per altiora vasa lenissimo igne evaporatione aut rectificatione in oleum rubens acerrimum convertitur, ejusdem acrimoniæ & consistentiæ, atque est oleum vitrioli; sicut oleum corrosivum per sufficientem aquam simplicem additam, & hinc factam destillationem, facilè in spiritum redigitur. Est tamen spiritus vitrioli propriè sic dictus aliquantisper volatilior, quàm oleum: sicuti oleum est aliquantisper fixius, & propterea hic spiritus vitrioli sub forma nebulæ prodit, è contrà oleum vitrioli sub forma liquoris crassi subnigri solet destillari: quam crassitiem & obscurum colorem obtinet à particulis mineræ metallicæ una abrasis, & per retortam transportatis: Ab his ergò habet crassitiem & colorem obscurum. *Est itaque Oleum vitrioli nil aliud, quàm acidum esurinum sulphuris per adhærentes particulas* mineralium *metallicas concentratum*, & in tale concretum redactum.

De oleis vitrioli Autoris, quæ nil valent, conferatur epicrisis HOFFMANNI *in isto loco*.

SUBLIMATIO.

Per sublimationem ex capite mortuo, restitante post destillationem spiritus & olei, & extractionem salis, seu terra vitrioli benè dulcificata, cum ana salis ammoniaci optimè parantur *flores* coloris aurantii: Conf. AUTOR, ubi *de sublimatione vitrioli no. 1. pag. 493.* Sublimationi hujusmodi multum tribuit Nobilissimus BOYLE, *in sua Philosophia experimentali Primum ens veneris* vocat, & huic ad pauca grana usurpato singularem vim anodynam, febrifugam, in specie antiquartiam, antiscorbuticam &c. tribuit. Scilicet hoc in passu imitari satagit HELMONTIUM, qui in locum *lapidis Buttleri* suum *Drif* substituit, quod parare eum ex *vitriolo Volatilisato*, idque mediante *sale ammoniaco*, plures autumant; conferatur MARCI *in Philosophia Veterum Restit. pag. 545.* qui hoc modo per *sal ammoniacum* parare hoc remedium ipse in *Epist. ad* B. D. MICHAELIS fassus est. Conf. M. A. N. C. *Ann. 4. & 5. pag. 91. & anno 6. & 7. Append. pag. 70.* Sed verum ut fatear, nondum tam singulares effectus ex hoc remedio videre vel observare licuit; unde vel *aliud fuit Drif Helmontii, vel malè substitutum miraculoso illi lapidi Buttleriano*. Potiùs vitriolum veneris dat flores vomitorios: ex vitriolo autem Martis sublimari possunt *Flores anodyni antiquartii & stomachales*. Quidam cum sale ammoniaco tantùm sulphur vitrioli adscendere volunt; sed minùs rectè; sublimantur tantùm particulæ metallicæ: nam si eliciantur & eluantur cum aqua communi hi flores, & fundantur cum sale tartari, abeunt in metallum.

PRÆCIPITATIO.

Ex vitriolo tandem & *sulphur dulce anodynum*, & ex hoc *Tincturam* plures parare gestiunt; quale sulphur vitriolum obtinet ratione mineræ suæ metallicæ Martialis & venereæ. Post PARACELSUM & HELMONTIUS hoc ipsum imprimis extollit, qui *Ignem Veneris*, & inde paratam *Tincturam oleum sulphuris Veneris* appellat, cujus vestigiis insistere nititur POLEMANNUS. Sulphur ab HELMONTIO vocatur, quia est inflammabile, antequam figatur: *dulce*, quia sapore admodum dulci debet esse instar sacchari: anodynum propter vires, quas debet habere, anodynas, dolores & furorem Archei sedativas.

Ratione corporis metallici hoc sulphur parari debet ex Venere: utut enim omnia sulphura vi anodyna conveniant, quam vim sulphur antimonii fixum etiam habet; interim tamen specialiter ex Venere elicitur sulphur hoc, partim quia facillimè præ aliis metallis ex Venere elicitur, partim quia est nobilissimum pro vi anodyna sulphuris fixi metallici. Martiale est terrestrius, Jovis verò nimis est volatile. Quando ergò Venus corroditur per spiritum sulphuris, solvitur compages in vitriolum, & sulphur Veneris extravertitur, quod patet ex colore cœruleo.

Præparationes AUTORIS, quę ridiculè à quibusdam pro sulphure vitrioli anodyno habentur, sunt multæ: Nam *sulphur num. 2. & 3.* sunt nihil aliud, quàm præcipitationes metalli in vitriolo contenti, antea corrosi à spiritu sulphuris embryonati, unde loco virtutis narcoticæ interdum solet excitare vomitus. *Sulphur num 3.* simul est purgans per superiora & inferiora. Illud sulphur fixum, quod Autor habet *num. 4. pag. 494.* à multis decantatur, idque desumptum ex HARTMANNO *in ejusdem Tract. de opio Theorem. 7. 8. & 9.* & cui genuina est descriptio ZWELFFERI *in Mant. spagyr. pag. 395.* & KESLERO, nil reverà valent. Si enim *Processus* hos consideremus, nil aliud acquiritur, quàm portio substantiæ metallicæ à Vitriolo separatæ & præcipitatæ, ut rectè ostendit HOFFMANNUS *in Clave pag. 364.* & reverà nil valet, unde etiam in præparatione & usu ejus cautè procedendum, cùm interdum vomitus excitet, teste D. MICHAELIS.

Maximè tamen laudatur sulphur Vitrioli dulce & Anodynum Robelii:

♃. *Vitrioli opt.* ℔jv.

Solvatur in *aqua calida*, filtretur, & cum *lixiv. ciner. faginor.* præcipitetur: liquore claro decantato pulvis præcipitatus, probè edulcoretur cum aqua, & exsiccetur: cui affundatur *spiritus vini*, digeratur per aliquot dies & noctes in calore leni: spiritus tinctus decantetur, & ad mellis consistentiam, aut ad siccitatem abstratur.

Dosis gr. j. iij vj. ad ix.

Quidam sulphur hoc præcipitatum in aqua Calcis vivæ iterum solvunt, cum aceto destillato præcipitant, & cum *aqua calida* edulcorant.

Quæritur ergò: *quâ ratione sulphur ex vitriolo Venereo extraversum acquiratur*. Resp. Fundamenta, quibus HELMONTIUS innititur, & præparandi ejus ratio ferè in his consistit, quantum quidem ex ejus scriptis hinc inde sparsim colligere licet. Nempè (1) accipit Vitriolum veneris, quia in hoc per solutionem spiritus sulphuris embryonati apertum est nonnihil corpus Veneris, & ejus principium sulphureum quasi extraversum, ut faciliùs hinc separari queat. (2) Sulphur hoc extraversum sublimando sepa-

randum est à suo concreto: quod HELMONTIUS nunc per sal volatile urinæ facere nititur; nunc arcano modo destillando vitriolum in spiritum viridem. (3) Volatilisatum ita sulphur perfectè extrahendum est per medium sibi amicum & proportionatum, ut sunt salia alcalia, quia ex fundamento sulphureo oriuntur, in specie fixa volatilisata; hinc salis tartari volatilisati tanta in hoc puncto est præeminentia. (4) Extracta sic sulphura per spiritum vini facilè exaltari possunt in tincturas.

Confirmat hoc HELMONTIUS *Tr. Buttlerus & Starckey*, qui modum docet eliciendi sulphur Veneris ex terra vitrioli Veneris dulci, bulliendo eandem cum sale tartari fixo: huc & POLEMANNUS *Tr. de sulphure Philosoph. Veneris*: sic ex spiritu vitrioli Veneris elicit sulphur mediante sale tartari.

Interim cum plura hic requirantur & præsupponantur, non à quibusvis acquirenda, v.g. spiritus vitrioli viridis, item volatilisatum sal tartari, hinc alii per sal ammoniacum terram vitrioli dulcem sublimando, & hinc ulteriùs vel præcipitando & extrahendo parare analogum remedium sedativum annituntur: conf. CNOEFFELIUS *M. A N C Append. pag. 36. & 70.* Quò pariter suo modo pertinet *sedativum Archei Zwelfferi, Mantiss. spagyr. pag. 339.*

Alij

℞. *Oleum vitrioli Veneris*,

addunt,

Spiritum vini rectificatum:

Digerunt, post lentè spiritum vini abstrahunt, ut spiritus vini secum rapiat sulphur vitrioli ex oleo vitrioli: sed hoc nihil est.

Alii ex vitriolo mediante oleo absinthij per digestionem extrahere nituntur talem vim anodynam, de quo vid. BARTHOLINUS *Cent. 4. Epist. pag.* 344. quo acquiritur quidem remedium anodynum ac sudoriferum, nullo modo tamen cum sulphure fixo chymicorum comparandum. Alii ex oleo vitrioli & oleo terebinth. idem conficere tentant: vid. HEERTODT *Tr. in Tartaro-Mastige Moraviæ pag.* 20.

S A L I F I C A T I O.

Superest post Olea *caput mortuum* seu Colcothar perfectè calcinatum, quod adhuc constat de sale vitrioli emetico, quod cum aqua simplici elixiviando separatur, restante tunc terrâ vitrioli dulci. Sed observetur encheirisis in elixiviatione salis, & in destillatione spiritus vitrioli ignis regimen: nam si forti igne urgeatur oleum ex vitriolo, adeò ut caput mortuum fit nigrum, nihil salis poterit elici ex eodem; sin moderatiori igne urgeatur, & remaneat prunnei vel purpurei coloris, elixiviari potest ex eodem *sal vomitivum*. Sal vitrioli etiam simplici vitrioli calcinatione, sub qua spiritus & oleum exhalant, facilè parari solet modo ab AUTORE insinuato. *Sal hoc vitrioli est saltem vitriolum quoddam summè depuratum & concentratum*, quod propter defectum humiditatis non potuit in spiritum abire, observante hoc ZWELFFERO *in Animadvers. in Pharmac. August. pag.* 409. & *in Mant. spagyr. pag.* 336. ubi sufficienter demonstrat, id, quod elixiviatur, non esse sal fixum, sed tantum Vitriolum. In hoc substantia Acidum solvens actiùs colliquata minus de substantia minerali participat, tantum tamen hujus retinet, quantum pro consistentia crystallina ipsi adeo necessarium est; & ab ipsa minerali metallica Venerea substantia vis ejus emetica oritur. Unde interdum si aliqualis aeri ad hoc sal pateat accessus, viridescere denuò, & nativam vitrioli formam exhibere incipit, nisi benè sit præparatum. Ex hoc, nempè sale resoluto ab aere, oritur spiritus iste Vitrioli regeneratus, de *quo suprà dictum*.

Usus ejus est *simpliciter vomitorius*, in quem finem mirè extollitur ab ANGELO SALA, qui illud *in Ternar. Vomitoriorum Mannam Vomitoriam* appellat, ut dosi ℈j. longè præferat aliis. Sed quia nauseosissimum est hoc remedium, & quod usurpatum non solùm tamdiu, quamdiu vomitus durat, sed etiam diuturna, per aliquot dies & noctes, imò septimanas, sui vestigia nauseosa in stomacho relinquit, hinc & pulmonibus inimicum est propter Venerem, pectus valdoperè stringit, ventriculi tonum prosternit, appetitum hebescit, continuum fœtorem in ore excitat, &c. cum & tutiora omninò vomitoria antimonialia prostent; hinc nemini AUTOR sum, ut hoc utatur sale pro vomitorio: utut ANGELUS SALA, MOEBIUS & alii ceu optimum vomitorium adhibeant, item LANGIUS & FABER in paroxysmo apoplectico præscribant; sed non sine periculo & nocumento. Potiùs admitterem ejus *Usum externum* in ulceribus cacoetheis, in sinubus & fistulis purgandis; sicut in ulceribus malignis commodè permiscetur cum emplastris & unguentis, & applicatur membro affecto, ubi præsenti est remedio. Ptarmicum & sternutatorium non inconveniens est, si vel sal vitrioli, vel ipsum vitriolum purificatum ad albedinem calcinatum, vel terra vitrioli, sale suo adhuc imprægnata, tantillum naribus hauriatur, aut formâ pulveris, cui admixta aliquot vegetabilia suaveolentia, aut in aqua liliorum convallium, aut alia appropriata, solutum; scilicet in aquæ cujusdam ℔j. solvendo salis ℈j. Aqua hæc naribus hausta excitat phlegma ex iis, & harum obstructionem mirificè aperit.

Extracto sale per repetitam cum aqua calida elixiviationem, quod remanet *Colcothar*, aliàs *Terra Vitrioli dulcis* dicitur: quæ uti ordinariò post calcinationem vel destillationem remanet, ita similis omnino substantia etiam per præcipitationem mediantibus alcalibus obtineri potest, & tunc quidam *sulphur vitrioli anodynum* esse, ridiculè credunt; uti ex AUTORE *pag.* 493. ubi *de præcipitatione vitrioli*, & *supra dictis* patet: quod tamen nihil aliud est, quàm crocus Martis vel Veneris. Est scilicet pars mineræ metallicæ residua post separationem spiritus sulphurei, à cujus corrosione transmutatum fuit metallum in Vitriolum; separato ergò spiritu remanet minera à spiritu corosa, & vocatur Crocus Martis vel Veneris.

Hæc terra usum habet internum & externum. *Internè* ea saltem recipienda, quæ ex vitriolo Martiali residua est: ex Vitriolo enim Veneris admodum emetica esse solet, cùm ista ex vitriolo Martiali, ceu optimus crocus Martis adstringens, aut terra quædam quasi sigillata, in dysenteria & diarrhœa commodè adhiberi queat. *Externè* in chyrurgia est egregium remedium, quod absorbeat ulcerum & vulnerum fermentum acidum, indequè ad consolidationem perducat. Nempè, ut docet HELMONTIUS *Tract. scab. & Ulcer. Schol.* §. 35. & 36. quod pro ulcerum medela sit usus colcotharis diuersimodè juxta ulceris differentiam, sive cum eodem in vino macerato ulcus abluatur, sivè pulvis ejus inspergatur, sivè cum oleo lini aut hyperici in linimenti consistentiam redigatur. Unde ingreditur *Balsama Vulneraria*, *emplastrum stypticum Crollii*, *Emplastrum opodeldoch Paracelsi*, & *emplastrum consolidans Ludovici*, & *Unguentum purpureum Felicis Wurzij*: sicut & D. LANGIUS habuit *Balsamum vulnerarium* ex hac terra vitrioli dulci, magnarum virium. Caput mortuum seu terra vitrioli, si imponatur matulæ, & deponatur feces alvinæ in illam, est egregium experimentum in dysenteria, & fuit *secretum* CNOEFFELII.

E X T R A C T I O.

Sulphur vitrioli anodynum in liquida Tincturæ forma præparari à quibusdam solet, idque etiam variis modis, non tamen vel adeo singularibus vel singulare adeo anodynum largientibus. Cum spiritu vini ex vitriolo talem *Tincturam* parare vult HOFFMANNUS *Clav. pag.* 364. item AUTOR *num* 1. *pag* 495. Alii ex Colcothare mediante spiritu vini eliciunt; de quo vid. TACHENIUS *Hipp. Chym. Edit. 2. pag.* 120. Alij seqq. procedunt modis:

℞. *Vitrioli* p. ij.

Tartari p. j.

Destilletur *spiritus*; *cujus* & *spiritus vini rectificati ana* part. æqu. per cohobationem uniantur pro menstruo. Iam

℞. *Terræ Vitrioli per ol. tartari præcipit.* ℥i.

affundantur

Liquoris illius ℥iij.

Fiat in vase exactissimè clauso digestio calore blandissimo & balneo vaporoso, usque dum menstruum rubidine intensiori tinctum conspiciatur: quæ Tinctura decantanda, filtranda, & tertia vel media menstrui pars abstrahenda, & pro usu seruanda.

Alij

℞. *Terræ vitrioli dulc* ℔ß.

Sal. Tartari puriss. ℥iij.

Mista in retorta, committuntur igni aperto, quo successivè aucto fiat destillatio, & tunc guttatim prodit *oleum rubicundum*, quo tempore ignis augendus, imò suppressionis per 4. vel 5. horas dandus. Oleo huic instilletur *acetum destillatū* & sic præcipitetur sulphur vitrioli in pulverem rubicundum, è quo edulcorato exsiccato, cum spiritu vini rectificatissimo, interveniente digestione trium septimanarum Tinctura extrahitur, quæ sub forma olei spiritui vini supernatat, per tritorium separanda.

Sed quævis hæ & aliæ hactenus cognitæ hujusmodi sulphurum & Tincturarum præparationes nullo modo attingunt encomia, quæ suo sulphuri Veneri attribuit Helmontius, unde & longiùs ab ejus excellentia abesse, manifestum est.

Tincturę AUTORIS nihil aut parum valent. Ex terra vitrioli dulci paratur *Tinctura adstringens*, quam habet SENNERTUS *in Instit.* Vulgò in Officinis Tinctura sulphuris vitrioli vocatur, sed male, cùm propriè loquendo nil aliud sit, quàm Tinctura Martis adstringens. Fit hoc modo:

Recipitur nempè *terra hæc Vitrioli dulc. Martialis* (nam *Vitriolum Veneris* semper vomitus excitat:)

affunditur huic

Spirit. salis vel *nitri*, vel, quod meliùs est, *Spiritus Salis compositus* (paratus ex *sale marino*, *nitro*, & *alumine*, addito duplo *boli*)

& solvitur: solutio filtrata per Retortam abstrahitur ad consistentiam mellis seu pultis, cui affunditur,

Spiritus vini rectificatus:

Digeruntur aliquandiu, Tinctura egregiè rubens filtratur, & usui adser-

adservatur. Potest & abstractione spiritus vini ad medietatem concentrari.

Egregii usus est in quibusvis hæmorrhagiis compescendis, imprimis scorbuticorum, item uteri. Conducit etiam in vomitu nimio, diarrhœa, dysenteria, sive interiùs à gutt. x. ad xx. assumatur, sive in hæmorrhagiis externè cum aliis applicetur, aut etiam naribus indatur cum linteolo, &c.

CAPUT XXVIII.

DE ARSENICO.

ARsenicum revera est concretum quoddam simpliciter minerale maximè sulphureum, sed simul corrosivum, volatile tamen & ponderosum, ex corpore metallico Mercuriali & substantia sulphurea acida volatili, hac solvente, illo soluto, invicem sociatis: ita quidem, ut in substantia sulphurea volatili acidum magis extraversum sit, quod solvat, & solutam simulque concentratam substantiam metallicam secum elevet; omnia enim subjecta mineralia sulphurea in recessu habent acidum. Uno nomine: *Arsenicum propriè dictum ex cobalto extractum, fit pro acido sulphuris, rodente corpus metallicum minerale, plus minus impurum ac perfectum*: Cobaltum enim igni subjectum ac calcinatum, fumos copiosos de se spargit, quod ædificiorum tectis sub forma florum albissimorum exceptum, perfectissimum præbet Arsenicum. Dum itaque acidum sulphuris rodit metallum, arctè cum eo sociatur, & hinc in concretum volatile & inflammabile ponderosum, in se corrosivum abeunt. Summè volatile fit propter abundantiam sulphuris; in corpus inflammabile fatiscit propter particulas oleosas sulphuris; ponderosum est propter metallum; corrosivum verò propter particulas sulphuris acidas magis extractas.

Probantur hæc:

1. A pondere arsenici singulari, quale ferè metallicis aut Mercurialibus corporibus convenit.
2. Luna cornea dicitur arsenicale concretum, ex quo facilè arsenicum lunæ parabile (de quo videatur BECHERUS *supplem. 2. pag. 74.*) propter acidum volatile sulphureum ex sale communi illi adhærens, & secum in arsenico volatilisans: nimirum si luna solvatur in aqua forti, & præcipitetur cum sale communi.
3. Hinc etiam metalla, v. g. luna, item aurum per sulphur tractata, volatilia redduntur, & *arsenica artificialia* constituunt; videatur TACHENIUS *Hipp. Chym. pag. 8.* non secus ac sulphura arsenicalia ex mineris metallicis quibusvis effumare, & de metallo simul volatilisare solent, quod vocant Germ. *rauben*; idque tam in solaribus, quàm lunaribus mineris, teste ERCKERO *in Bergbuchp. 302.* Unde & arsenicum *fumus metallorum* dici solet, sicut etiam rectè ab AUTORE *nostro pag. 498. fuligo quædam mineralis pinguis & inflammabilis* vocatur.
4. Mercurius Vitæ propter dictas rationes etiam arsenicale concretum dicitur à BECHERO, & Mercurius sublimatus non ineptè quasi *arsenicum* habetur *artificiale*, saltem ob terrestrium particularum, in arsenico aliàs copiosiorum, defectum acrius.

Probat hoc etiam

5. Mechanica: Si enim cum alcali quodam fixo sulphur ejusdem corrigatur, obtinetur pars ejusdem metallica ponderosa, quasi concretum semi-saturninum: vel cum alcali quodam fixo, aut hujus loco cum sevo, pinguedine humana vel oleo, aut utroque composito, smegmate imprimis Veneto, similibusque, quæ acidum sulphuris infringunt, arsenicum misceatur, & ita per retortam destilletur, quo nempè corrosivi spiritus in arsenico saturentur, in collum retortæ sublimare se assolet: Vel quod alij faciunt:

 ℞. *Arsenici* ℔. j.
 Cin. clavellat. ℔ß.

Incorporentur cum ℔j. saponis, & calcinentur in crucibulo; sic regulum metallicum relinquunt: qui Veneri additus, facillimè huic se commiscet, seu, ut vocant, illam ingreditur, & dealbat instar lunæ, sed fugaciter; quatenus abundant sulphure Veneris, cujus acidum saturatur Mercuriali hoc concreto reguli arsenicalis, dum sub illa tractatione per alcalia, vel olea sub deflagratione alcalisata, spiritus arsenici corrosivi saturantur, vel imbibuntur ab horum alcali, ut concretum metallicum sic separetur.

Simili ferè ratione etiam arsenicum sublimatum lunam colore lurido tingit. Acidum sanè in arsenico manifestè, præter dicta, se exhibet in summa ejus corrosivitate, cujus ratione quorumvis animalium existit venenum, & speciatim in homine tormina, vomitus, dejectiones, &c sui intra corpus usu excitantur. Acidum hoc coincidit cum acido sulphuris embryonati, in sulphure tamen communi, pinguedini seu bitumini terræ commistum, concretum volatilius, indeque promptiùs inflammabile constituit. Arsenicum è contra minus pinguedinis obtinet, magis acidum ejus cum metallico Mercuriali concreto coaluit, undè respectivè minus, quàm sulphur commune, inflammabile aut volatile esse solet. Mercuriale verò corpus metallicum & ipsum ex metallis, dum ferè adhuc sunt in fieri, oriri videtur, adeoque & *cobaltum luna immatura, sed maturum arsenicum, rectè dici solet*: hinc etiam minera lunæ, quæ vocatur Germ. *Rothgulden Ertzt*, de copiosa luna, simulque arsenico, participat, ita, ut sub fusione evolet arsenicum.

Commune ergò & ordinarium *arsenicum* est, quod fumi instar ex cobalto, ejusque mineris sub horum tostione aut fusione exhalat, & in forma candida nonnihil flavescente, furnorum & caminorum summitatibus subinde adhæret florum instar; unde rectè vocatur arsenicū ab AUTORE *fuligo quædam mineralis pinguis & inflammabilis.* Ex hoc, quod vocant Ger. *Arsenicalisch-Mehl*, cum salis communis additione & trina sublimatione fit arsenicum albū, quasi crystallinum.

Quod, si verò istius arsenici albi, non salini, sed è cobalto desumpti, part. C. addantur part. X. sulphuris communis, & sublimentur, evadit *arsenicum flavum* seu *luteum*, cui cognatum est auripigmentum, vulgò *operment*, concretum arsenicale nativum, quodque in suis venis & mineris deprehenditur, & similiter ex arsenico & sulphure communi unà coalescente constat, & ex hoc cum sale communi sublimando aliquoties *arsenicum album* crystallinum obtineri potest.

Denique est *arsenicum rubrum, sandaracha* dictum, quod vel nativum, cognatum auripigmento, exque variis mineris ferè præparatur, constans ex sulphure communi & arsenico propriè sic dicto; vel est artificiale ex communi illo arsenico, sulphure, & minera singulari, cobalto admodum cognata, quam vocant Germ. *Kupffernickel*, addita confectum.

Ex quibus facile est, differentias arsenicorum, & varias ac multiplices eorum appellationes conciliare: v. g. veteres Græci (respectu Chymicorum hodiernorum Germanorum, juxta Helmontium alphabetarii in metallorum cognitione dicti) unicam tantùm arsenici speciem, & quidem solum nativum ex mineris suis erutum, cognitum habuerunt; idque vel flavum, quod ab eleganti aureo, quem habet, colore Latini sub nomine *auripigmenti*, Græci *arsenici* denotarunt; vel *rubrum*, quod Græci sandaracham vocarunt, ita ut *Sandaracha Græcorum* nil aliud sit, quàm auripigmentum rubescens: *Sandaracha* verò *Arabum* est gummi juniperinum: quod benè observetur, ne fiat confusio, & loco gummi juniperini assumatur arsenicum.

Ad horum similitudinem subjecta mineralium sulphurea cognata ferè iisdem nominibus appellarunt. Nam ex omnibus metallicis & mineralibus glebis, dum funduntur, exhalat sulphurea fuligo, eaque adhæret caminorum spatiis colore plus minus flavo citrinovè, quæ propriè *Realgar*, Italis *Risigallo*, vocatur. Ex hoc cum sale communi per sublimationem fit Realgar album vel crystallinum, sicut per eundem ex ignis artificio fit rubrum. Cum verò arsenicum nativum constet hoc Realgare & sulphure, & colore sit flavo, ob id auripigmentum, reliqua ferè omnia arsenica appellantur.

Fusè aliàs SPERLINGIUS *Historiam de Arsenico in peculiari Dissertat.* tradidit.

Quoad *usum arsenici*: notum est, quod arsenicum interno usu sit venenum corrosivissimum, unde cardialgias, vomitus ac tormina, diarrhœas, ac 1000. similia mala soleat inducere. Hinc ab usu interno erosiones latæ & profundæ in ventriculo observantur, teste HELMONTIO *in Tum. Pestis*, & HEINRICO *ab* HEER *in Spadacr. p. 209.* Veteres qui commendarunt contra asthmata, vel in substantia in forma pulveris, permisti cum aliis, sub forma suffitus, qui ab asthmaticis haustus fuit. Hos imitatur *Autor Morborum infrequentium, Riverii obs. 2. Morbor. infrequ.* ubi etiam refert, *phthisicum quendam desperatum per suffitum trochiscorum ex auripigmento factum, quem horrenda quidem subsecuta sunt symptomata, nihilominus per reiteratum usum restitutum*: Et sanè moderni quidam per suffitum cum tubulo nicotianæ permistum phthisicis ordinare volunt. Ipsemet experimentum feci, & phthisico cuidam pulveri nicotianæ immiscui gradatim adscendendo tandem 15. grana una vice per tubulum, idque per plures dies haurire jussi, idque sine ullo vel minimo nocumento, utut etiam sine emolumento. Hoc saltem dicebat: ex usu hujus fumi dentes quasi stupescere, qui affectus est ab acido arsenici oriūdus. Quidam Medicus, D. MYRTHINUS, habuit pulverem asthmaticum, cui in substantia permiscuit tantillum arsenici, & valdè commendavit in asthmate: Non tamen imitandus hic mos; gravi enim periculo non caret, utut veteres in gravissimo asthmate ad ʒß. adhibuerint: videantur LANGII *Epistolæ*.

Quoad *usum externum*: est quod amuleti instar à quibusdam subinde appendi jubeatur contra pestem bono consilio, modò crudum hoc in regione stomachali periculosa symptomata non inferat: sicuti BORELLUS *Cent. 3. Obs. 36.* malum ischiadicum ex arsenici gestatione observavit; exulcerationem pectoris CRATO *Epist. 168.* & DIEMMERBROCCIUS *de peste p. 175.* mortem. Potiùs ergò laudaverim *Magnetem arsenicalem Angeli Salæ*, amuleti instar appensum atq; proficuum. Ulteriùs potentissimū est Psilothrum, ubicunq; sub linimenti forma applicetur, pilos eradicans. In clavis pedum extirpandis,

dis, & absumendis callis laudatur à LEMERI *in Cursu Chymico.* Præterea in affectibus Chirurgicis, speciatim vulneribus & ulceribus malignis ac putridis, plus minus cancrosis, serpentibus, Noli me tangere dictis, lepræ & scabiei malignæ, item in glandularum ulceribus ordinariò periculosis, nec non in fistulis, lupis & similibus Chirurgorum torturis, singulariter confert arsenicum, præsertim prius præparatum: hinc PARACELSUS commendat *Balsamum fuliginis*, qui nihil aliud est, quàm arsenicum. Hinc vndique notus est ex HARTMANNI *Pr. Chymiatr.* & *Epist.* SCHULZII *Pulvis* iste *benedictus ad cancrum exulceratum* ex *arsenico*, *radice ari* & *fuligine* compositus, labiis cancri exulcerati, cautè tamen applicandus, qui pulvis jamdudum à FALLOPIO descriptus est.

Cum ergò venenum corrosivum sit arsenicum, hinc ejus medela consistet in iis, quæ acidum ejus corrosivum vel obtundunt, vel absorbent; unde, si forte incautiùs assumptum fuerit, præmisso (si adhuc in primis viis hæret) vomitorio, convenit aqua tepida largiter hausta; vid. SENNERTUS *l.* 4 *Prax. p.* 266. lac copiosiùs assumptum; vid. SCHENCKIUS *Observat Med. pag.* 845. item butyrum: de cujus usu vid. BARTHOLINUS *in Act. Hafniens. p.* 254. bolus rubra; vid. BIERLINGIUS *Observ.* 3. *pag.* 15. unicornu; vid. TIMÆUS à *GuldenKlee l.* 7. *Cas. Medic. p.* 318. sal tartari & oleum tartari per deliquium; LEMERI *in Chymia*; item crystallus mineralis cum lacte bubulo vel emulsione pinearum assumpta; vid. TIMÆUS à *GuldenKlee* l. c.: cui oleum tartari per deliquium aliquando interponendum est.

Ex his facilè patet, quomodo venenum arsenici corrigendum veniat, ut medicina utilis evadat. Nempè corrosivitas ejus acida vel separanda vel immutanda; ut prioris quidem ratione substantia Mercurialis metallica restitet, quæ acida quælibet vitiosa tam primarum viarum absorbere, quàm ulcerum corrigere valeat, unde vis singularis ad ulcera cacoëthea: posterioris ratione salsum tertium cum corpore metallico plus minus junctum abstersivum, & simul non nihil absorptivum resultet.

Inter Præparata describit AUTOR *no.* 1. *Arsenicum dulce*, non tamen perfectè tale, quia de volatili corrosivitate plus minus adhuc retinens vim laxativam exserit, quod in cancro purgando, uti & in ulceribus malignis & apostematibus purgandis solet adhiberi: nihilominus cautione opus est. Dicit Autor: Arsenicum dulce perfectè cognosci ex eo, quod metallis injectum candorem illis conciliet: quod ita se habet: Nam hìc etiam quidam ex Venere volunt parare lunam beneficio arsenici dulcis: & certè negari non potest, quod in Venere semper aliquid detur de luna.

Sub *Rubini arsenici diaphoretici* præparatione partim volatilius corrosivū separatur, partim addito sulphure juncta arsenici aut auripigmenti substantia ita quasi diluitur, ut minus acre ac corrosiuū evadat.

Potest etiam *arsenicum sublimari in flores rubicundos*, seu *flores rubino-cærulcos*, si permisceatur cum limaturæ Martis & antimonii ana.

Sequitur *arsenicum fixum cum nitro præparatum*, qua præparatione sub fumo tollitur corrosiuum acidum sulphureum, & corpus metallicum, quod superest, cum nitro alcalisato se jungit, & concretū tertiū fixum exinde evadit. Fit dupliciter; vel in forma sicca, vel humida.

In *forma sicca* parari potest secundùm præscriptum AUTORIS, quæ tamen præparatio tædiosa nimis est. Optimè miscetur arsenicū cum ana vel cum triplo nitri: *Illo*, si pro usu saltem externo; *hoc* si pro usu interno expetatur: Subiguntur & unà vice detonantur in crucibulo, tunc corpus metallicum, imò maxima arsenici pars sub fumo avolat; habeturque arsenicum perfectè fixum, quod aquâ simplici à nitro separatur. In hac fixatione observetur: ne Chymicus hauriat fumum, quoniam est malignus, & valdè venenatus.

Loco *nitri* alii cum *tartaro* præparare amant:

℞. *Arsenici albi* ℔j.
Tartari albi ℔ij.

Pulverisata misc. & per retortam igne aperto destillentur: in collo retortæ se sublimat arsenicum. Hoc cum ana salis urinę quater sublimetur, & in cella *per deliquium solvatur* pro cura ulcerum.

Alii recip. *tartari* & *calcis vivæ* duplum, addunt *arsenico*, & ita in crucibulo hoc figunt.

Arsenicum cum nitro ritè paratum & fixatum interno usu est diaphoreticum, & radiis antipestilentialibus non immeritò à quibusdam annumeratur: sicuti etiam in psora prodesse solet: hinc *arsenicum fixum sudoriferum no.* 2. *pag.* 500. exinde AUTOR parare solet, imbibendo puluerem arsenici fixi cum oleo tartari per deliquium, quod valdè commendatur in cura philtrorum, quorum malignitatem per sudorem promptè & tutò expellit.

Externè arsenicum singulariter convenit, & est remedium præsentaneum ulceribus pessimæ notæ, Venereis, pestilentialibus, cancrosis in specie mammarum & similibus: Siue ad imitationem WURZII *in fine chirurg.* per deliquium fluere permittatur in *oleum arsenici fixi*, quod præcipitetur cum acido; pulvis qui cadit albus, seu *magisterium arsenici*, aquâ calidâ aliquoties probè edulcoratum & exsiccatum, commodè linimentis & emplastris contra dicta ulcera addi potest: ab arsenico hoc fixo deflagretur, aut saltem abstrahatur aliquoties spiritus vini; sic enim evadet remedium eò nobilius pro ulcerum cura: Sive arsenicū hoc fixum vino Malvatico infundatur, hincque ad consistentiam syrupi abstrahatur, tutiùs sic longè & meliùs ulcerum curæ adhiberi poterit. Conf. *du* HAMEL *de Affect. corp. p.* 429. item THOMSON *in Epilog. Chym. p* 79. Quod enim antimonialia non præstant in dosi eorū aucta, ab hoc magisterio, dosi licet parvâ, expectari potest. Quod etiam jam olim PARACELSUS insinuavit, qui *Realgar* hoc in ulceribus omnibus sanandis prę aliis commendat. Arsenicum enim in se quidem corrosivum, nōnihil cicuratum ratione suę compositionis & acrimonię corrosivæ, quælibet posteà, etiam fortissima, ulcerum acida corrigit & cicurat. Ex hoc ipso arsenico fixo cum spiritu salis ammoniaci etiam *Tinctura cærulea diaphoretica* potest extrahi: de quo vid. DIGBY *Experim. Tom.* 2 *pag.* 455.

In forma humida figitur arsenicum, si miscetur cum spiritu nitri, qui ternâ vice cohobatur ab arsenico: sic sulphur arsenici fixum remanet; quod tamen subterfugiat usum internum.

Regulus arsenici, cujus AUTOR *no.* 3. mentionem facit, nihil aliud est, quàm metallica substantia ejus, ab acido per alcalia deflagrando separata, *ut suprà insinuatum fuit.*

Arsenicum fixum, sæpè ablutum cum aqua calida, in cellam vel alium locum frigidum reponitur, habetur liquor egregius, qui vocatur *oleum arsenici anodynum*, seu *Butyrum arsenici anodynum*, in ulceribus malis jam dictis: scilicet dissolvitur in aqua appropiata, cum qua postmodum eluitur ulcus; simul tamen addatur oleum myrrhæ, ut habet AUTOR.

Ultimò se offert *spiritus* & *butyrum arsenici*, secundùm AUTORIS descriptionem: prodit liquor crassus instar butyri antimonii, & sequitur tandem ipse Mercurius vivus. Nempè spiritus corrosivi dimittunt Mercurium & alligant se arsenico, unde butyrum arsenici, & Mercurius viuus emergit. Hinc loco Mercurii sublimati idem butyrum parari potest ex arsenico, addito sale communi & vitriolo; vid. DIGBY *Experim. P.* 2. 455. sicuti etiam spiritus salis fortis seu oleum salis communis arsenico affusum destillando coit cum eodem in *butyrum*. Spiritus salis equidem communis arsenicum, non secus ac talia subjecta sulphurea, solvere non potest, nisi priùs in flores sublimetur, & ita à superfluo sulphure separatur; si verò spiritus salis aut oleum salis rectificatum accipiatur, solutio utraque succedere solet.

CAP. XXIX.
DE
SULPHURE.

SUlphur κατ' ἐξοχὴν sic dictum, aliàs commune, quod attinet: rectè dicit AUTOR, quod sit *Resina terræ*, *chalcantosa*, i. e. vitriolicâ *aciditate gravida*. Concretum enim est quoddam minerale, coalescens ex acido minerali universali, cui tegmen quasi ex particulis terreis & aqueis, speciem pinguedinis exhibentibus, superinductum: vid. UNZERUS *de sulphure*, & ROLFINCIUS *in pecul. Dissertatione.* Unde in sulphure communi duplex consideranda substantia: una volatilis acida corrosiva, facilèque in liquorem coagulabilis; & altera pinguis bituminosa, facilè inflammabilis; quæ duo coeundo constituunt concretum sulphuris tertium.

Concretum hocce confirmat Mechanica, tam per diacrisin, quàm per syncrisin. Per diacrisin enim substantia pinguis deflagrando absumitur, restitante parte acidâ in forma liquida, nares feriente, quod acidum idem est cum acido vitrioli. Nam in iis mineris invenitur, & ubi acidum istud invenit mineram Martialem, item Veneream, abit in vitriolum; ubi terram puriorem, in alumen; ubi terram cum aqua temperatam, sub forma pinguedinis uniuntur, & fit sulphur. Per *syncrisin* verò sulphur artificiale ex oleo vitrioli & oleum terebinth. parare gestit BOYLE *in Chym. scept. pag.* 133. quæ duo si invicem destillantur per retortam, sub hac destillatione in collo retortæ sublimatur sulphur verum perfectum, cujus narales sunt ex pinguedine olei terebinthinæ, & ex acido vitrioli.

Differentiæ sulphuris sunt: quod quoddam sit nativum seu ἄπυρον, ex suis mineris citra ignis adjumentum extractum, quod deprehenditur interdum adeò purum & pellucidum, ut instar gemmæ cujusdam flavescentis se habeat; vel instar succini depuratissimum, & elegantissimi coloris, quale etiam interdum ex India afferri solet; sed rarum, de quo conferatur VELSCHIUS *Hec.* 1. *p* 44. item HOFFMANNUS *pag.* 368. Factitium est, quod ignis adjumento ex suis mineris concremando aut liquescendo elicitur: Quando enim mineræ torrentur, effluit sulphur vivum, quod in magdaleones deinde efformatur. Pertinet huc sulphur, quod in Suecia ex minera vitrioli, quando forti igne comburitur, effluit & liquescendo emanat, vel etiam ex AUTORE ex aquis sulphureis excoquitur. Notabile est, quod habet HAUPTMANNUS *de Thermis Wolkensteinensibus pag.* 9. de aqua limpida ex petra stillante, quæ in aere in sulphur perfectum abeat.

Sulphur est *ordinariò flavum*: observatur tamen & interdum *rubeum*, qui color ex particulis Martialibus adhærentibus oritur; siquidem sulphur per retortas ferreas destillatum, rubeum colorem acquirit; unde etiam sulphur rubrum nativum ejusdem esse naturæ manifestum est: conf. JUNGIUS *Doxoscop. pag.* 186.

Huc etiam spectat *sulphur caballinum*, quod nihil est aliud, quàm crudior

crudior & fæculentior sulphuris pars, addità limaturà Martis seu squama ferri: Hæc mixta in unam massam funduntur, quæ sulphure citrino obducitur. Ita vocatur, quoniam scabiem equorum sanare solet. Sulphur minerale concretum est sui generis, ut ex suprà dictis patet; quod, quà tale, metalla non ingreditur, utut analoga huic substantia, in iisdem sulphur dicta, eaque in imperfectis præsertim metallis duplex, combustibilis & incombustibilis, quod alii nomine *sulphuris externi* & *interni metallorum* innuere videntur, imò triplicem sulphuream substantiam in metallis asserit BECHERUS *suppl. 2. pag. 75. seqq.*

Porrò sulphur nunc inflammabile adhuc est, atque tunc *volatile* dicitur, nunc inflammabilitate destructa idem *fixum* existit. Fixitatem hanc per acida acquirit, de quo confer. TACHENIUS *Hipp. Chym. Edit. 2. pag.* 181. ficuti etiam POLEMANNUS *de Sulphure Philosoph. pag.* 201. sulphur minerale simplici digestione figi & perfici, adeoque inflammabilitatem ejus tolli posse, asserit, & *præparationem loco citato* docet. Id quod in mentem revocat curiosum assertum *Commentatoris in* ERCKERI *Probier buch pag.* 267. & 328. quod sulphur igne solis per speculum ustorium non consumatur, sed potiùs non nihil figatur.

Quoad *selectum sulphuris*, ad usum Medicum vel Chymicum necessum est, ut semper sumatur sulphur purissimum, quale est illud, quod ex India afferri solet, vel ex vitrioli vena, dum excoquitur, destillare & emanare solet; hoc enim est satis purum & defæcatum: sin verò non habeamus hæc sulphura, necesse est ut purificetur; de *quo infra loco suo.*

Quoad *Usum*, rectè dicit AUTOR, quod pectori sit dicatum, unde etiam communiter *Balsamus Pulmonum* dicitur, ob egregias virtures conservandi pulmones, & delendi quæcunque pulmonum vitia. Id quod intelligendum de parte ejus pingui seu bituminosa: nam respectu partis acidæ potiùs est pulmonibus venenum. Siquidem non solùm sulphur incensum odore suo pectus stringit, tussim & dyspnœam infert, sed & internè, ut quælibet acida, ita in specie acida sulphuris, vitrioli, &c. pectori hostilia & inimica sunt, & corrodendo pulmones, subtiliter homines disponunt ad phthisin: quare & acidularum usus nocet ad phthisin dispositis. Ratione ergò pinguedinis illius balsamicæ pulmonem conservat, & læsiones ex inspiratis inductis corrigit, affectus catarrhales pectus & pulmones infestantes mitigat, lympham nimis acrem vel acidam, unde tussis, febres catarrhales & alia vitia, temperando, & hinc constituit basin pulverum catarrhalium seu pectoralium; apostemata aut ulcera pulmonum & quarumcunque partium internarum mundificat, & quantum possibile, consolidat; hinc phthisicis, tussientibus, empyematicis, & omnibus pectoris affectibus, item pleuriticis, egregiè confert. Cæterùm observetur, quod tunc temporis verum balsamum pulmonum mereatur vocari, quando pinguedo balsamica separata est à parte acida corrosiva; tunc enim certè oleosa & balsamica pinguedo defendit pulmones contra omnes insultus aeris externi, & præservat illos à multis malis. Verùm cùm hoc fit difficillimum, & non omnibus contingat adire Corinthum, utut non sit impossibile, propterea, ut exaltetur vis oleosa, miscetur cum pinguedinibus seu oleis vegetabilium, v. g. cum oleo terebinthinæ, aut oleo lini; sic enim ab his oleis, in specie terebinthinæ, quasi obtunditur substantia acida sulphuris, & exaltatur vis balsamica pulmonum, ut promptiùs & efficaciùs operari possit. Et hoc est fundamentum præparationis balsami sulphuris, de quo postmodum suo loco. Vi autem balsamicà sulphur egregiè resistit putredini; unde in peste & febribus pestilentialibus, aliisque malignis, tàm præservando quàm curando, internè & externè in suffitu multum præstat; solet enim producere sudorem, & resistere malignitati morborum & febrium. Hippocrates certè beneficio sulphuris & sulphuratarum potionum curavit pestem: ut enim vina à corruptione conservat, ita & massam sanguineam à putredine. HELMONTIUS *in Asthmate & Tussi*, CNOEFFELIUS verò *in febribus epidemicis*, potum habet sulphure impraegnatum. Modus hic est:

℞. *Fila sulphurea*:

Hæc incendebat, *fumum excipiebat* in lagenam, & huic *infundebat potum*, & agitando probè propinabat ægris.

Præterea sulphur vermes enecat, mulieribus in partu difficili, fœtu mortuo, ac secundinis & mensibus retentis, similibusque mulierum affectibus, faustus & frequens ejus usus est: & certè sulphur & myrrha sufficiunt in partu difficili; unde cautus ejus in mulieribus gravidis sit usus. Adhæc sulphur est egregium antidotum contra Mercurium vivum, quocunque modo, internè vel externè, corpori applicatum. In colica passione, imprimis flatulenta & convulsiva sulphur ejusque flores ad ʒß. internè mirè laudantur; valdè enim absorbet & temperat acidos humores in corpore nostro, quoniam pinguedo balsamica à proprio acido nondum est saturata. Refert KIRCHERUS *in Mundo subterr. T. 9. cap. 1. sect. 3.* quod sulphur interiùs assumptum abdita quadam vi ita alteretur, ut excrementa eorum, qui eo frequentiùs utuntur, moschi odorem referre dicantur: de quo uberior experientia consulenda.

Usurpatur autem sulphur interiùs vel sub forma pulveris, qui modus est usitatissimus, vel solent etiam interdum fieri decocta & infusa ex sulphure. Sic POTERIUS *in Pharm. Spag. sect. 1. pag.* 324. refert, quod sulphur in simplici aqua coctum præstantissimum sit medicamentum, quod interiùs sumptum hepar refrigeret, & febres juvet; externè verò soleat sanare scabiem & erysipelata, & tollere ruborem faciei. Præterea notatu dignum est, quod *idem* refert *loco citato pag.* 333. quod sulphur sublimatum in doliis vini ad sufficientem quantitatem infusum, vinum reddat mirabile ad diversa morborum genera, imprimis adversus Mercuriales morbos: sic qui casu vel arte Mercurii fumum recipiunt, vel Mercuriali inunctione peruncti sunt, consimile vinum pro potu ordinario bibant: sicuti etiam pulmoniacis, asthmaticis, scabie infectis, & lue Venereà contaminatis, mirificè conferre dicat. Interim meliùs conducent sulphurea remedia crassioribus & succi plenis corporibus, quàm macilentis, si nempè diutiùs eorum usus continuandus sit; unde etiam hecticis malè præscribitur.

Externè est egregium mundificans vulnerum; nempè corrigit & temperat acido-salsum acre, & simul, si quæ ex labe spiritus insiti putredo immineat, ab ea præservat, & maturè corrigit. Hinc ulceribus malignis ac putridis, cacoetheis, aliisque difficulter sanabilibus, sulphurata optimè conveniunt: quod sulphur præstat ratione partis suæ pinguis; acidum enim, quod in eo simul inest, ulcera non corrigit; hinc illud priùs, ut suprà dixi, infringendum, ut inde habeatur remedium balsamicum. Hinc Balsamum sulphuris, emplastrum diasulphuris, &c. sunt optima in casibus chirurgicis. Præterea quoque refertur inter Cosmetica, vel quæ faciei nitorem conciliant: sive infundatur in aquam frigidam sulphur, sive decoquatur, perinde est; utroque enim modo solet egregiè conferre. In scabie rarò fallit:

℞. *Oleum laurinum*:

Subigatur cum *sulphure*, & *sale tartari*, fiat linimentum, quod feliciter & citra periculum sanat.

Sic & in herpete, serpiginibus, in specie exulceratis, pruritu, aliisque similibus cutaneis affectibus mundificandis & curandis optimum, cum sale tartari & pinguedine suilla subactum: nec est periculum, quod vulgò metuitur, quod ab usu sulphuris externo affectus isti repellantur, & inducantur asthmata & febres. Est metus frustraneus, modò præmissis universalibus massa sanguinea sit depurata; imprimis si sub usu externo sulphuris internè simul propinentur blanda diaphoretica & massam sanguineam purificantia: inter quæ viperata & antimoniata cæteris palmam præripiunt; quod de omnibus morbis externis intellectum volo. Imò in erysipelate exulcerato unicum sulphuratum confert remedium.

Ut autem tutiùs in usum revocetur medicum, imprimis purius sulphur eligendum: quæ ejus

PURIFICATIO

Vel fit in *via humida*, idque optimè per ebullitionem in aqua calcis vivæ, quà omnes ejus sordes eluuntur & abluuntur: de quo vid. ZWELFFERUS *Mant. Spagyr. pag* 397. & 401. Juxta hunc est ea, quando in urina humana ebullit, & spuma supernatans removetur: quà ratione & sulphur defæcatum satis habetur. Deinde cum cera purificatur, qua fœtor ac impuritas à sulphure separatur, & sulphur longè aptius fit ad medicinam: vid ZWELFFERUS *loco allegato pag.* 397. Vel fit *Depuratio* sulphuris *in via sicca*, nempè per sublimationem, quo ipso acquirantur *Flores sulphuris dicti.*

SUBLIMATIO.

Sublimatio sulphuris in flores est nihil aliud, nisi *depuratio quædam superficiaria sulphuris*: Nam substantia ipsius tota adscendit in flores, & recrementa permanent in fundo. Sunt ergò tantum sulphur depuratum Flores sulphuris.

Pro horum sublimatione *cautelæ observandæ* sunt seqq.

1. Optimè in cucurbita terrea tubulata præparantur, in quam sulphur particulatim injicitur, parili ferè modo, atque suprà de floribus antimonii dictum. Cucurbitæ imponuntur alembici, vel terrei, vel vitrei, quorum superior debet esse perforatus parum, ut spiritus acidus, qui simul solet sublimari, habeat exitum.
2. Moderatum requiritur ignis regimen: nam si fuerit nimius, fluit sulphur, nec sublimatur.
3. Hinc quidam varia addunt sulphuri sublimando ad fluorem ejus impediendum, v. g. terram sigillatam, farinam laterum, alumen ustum, terram calcinatam, &c. Nempè tale addendum est subjectum, quod nec in sulphur agat, aut ejus texturam invertat, nec in quod sulphur agere queat, & ita florum proventum imminui.

Prioris ratione salia fixa rejiciuntur; posterioris ratione vitriolum calcinatum quibusdam suspectum est. Optimè ergo sal commune vel sal gemmæ addi potest: conf. ZWelfferus *Mant. Spagyr. p.* 398. Flores simplices sunt optimi, quales AUTOR *no. 1. pag.* 502. describit, & meritò præferuntur iis cum additione: sunt consistentiæ farinaceæ, & permiscentur aptissimè cum simplicibus, & cum ijs varias constituunt formulas.

Sequitur modus parandi *flores sulphuris vitriolatos*, dum sul-

phuri vulgò additur vitriolum uftum, vel caput mortuum vitrioli: fed malè. Etenim vel planè exuftum additur, vel colcothar: fi prius, parum de floribus fulphuris adfcendit, quia fpiritus fulphuris acidus rodit vitriolum calcinatum, & fpiritu novo impraegnat, unde pauci fublimantur flores: fin verò fuperficialiter faltem calcinatum feu colcothar adhibitum eft, adfcendunt flores impraegnati acido vitriolaceo, quos reverà corrofivos & nocuos effe, afferit BOYLE *de fpecif. & fimpl. pag.* 113. imprimis in pulmonum affectibus, cùm vitriolum fit nocentiffimum pulmonibus. Plus ergò nocebunt, quàm proderunt, nifi vitriolum fit omni aciditate fpoliatum, feu nifi terra vitrioli fit perfectè dulcis, aliàs femper aliquam habebunt acredinem. Et quidem flores fulphuris qui parantur cum vitriolo Martis, vel viridefcunt, hinc flavefcunt, & tandem albefcunt, dum femper aliquid de metallo fublimatur.

Quoad *Ufum florum fulphuris*: quae dixi de fulphure crudo, poffunt quoque dici de floribus fulphuris. In catarrhis, praeter ea, quae fuperiùs dixi, flores fulphuris vel fulphur eft egregium, quoniam temperant lympham, catarrhorum materiam, imprimis fi mifceantur cum fuccino, aut etiam benzoe, haec enim eft anima pulmonum, ut *fuperiùs monui*.

Dofis eft à ℈ß. ad ʒj. rarò ad ʒjß. adfcendimus. Dicit AUTOR, permifceri commodè cum extracto enulae, camphora, cum quo ex floribus fulphuris & faccharo, poffunt fieri morfuli, rotulae, & aliae formulae.

Flores fulphuris gummati num. 3. *pag.* 503 feu quibus myrrha, maftix, crocus, aloe ac thus adduntur, nil valent propter empyreuma, quod eiufmodi refinofa pinguia addita ordinariò imprimunt, & ex quibus combuftis nil eleuari poteft: imò flores hi fulphuris ab adhaerentibus oleis empyrevmaticis naufeofi fiunt. Potiùs floribus ipfis Benzoe, aloe &c. addantur, qua ratione magis conveniunt, quàm fi unà fublimantur.

Flores fulphuris facchrati num. 4. etiam nil valent, quoniam faccharum non fublimatur, fed comburitur propter ignem fortem, & foetidum fulphuri dat odorem.

Flores fulphuris albi num. 5. defcripti, funt parvi momenti, & tantùm palliativi; dum enim fulphuri de nitro aliquid adhaeret, fiunt albi. Poffunt tamen etiam fieri *flores fulphuris albi, fi fublimentur cum ana aluminis*. Caeterum *Flores fulphuris albi cum nitro Autoris* in aere frigido abeunt in liquorem: (notanter dico cum nitro Autoris, in aliis enim non procedit:) qui liquor fpecificè in eryfipelate extrinfecùs prodeft, & etiam in reliquis cutaneis affectibus.

Flores fulphuris corallati num. 6. nil valent: Nam reverà de corallijs nihil adfcendit.

Quoad *flores fulphuris benzoinatos*, idem fentiendum, quod dixi de *fublimatione tertia & quarta*: nam benzoe naturae eft refinofae, & facilè comburitur, unde empyrevmaticum odorem relinquit: Propterea fruftra adjicitur. Longè meliùs permifcentur flores fulphuris cum Benzoe & fimilibus gummatibus, quàm quod invicem fublimentur.

Sequitur

PRÆCIPITATIO,

Mediante qua fulphur folutum praecipitatur in album pulverem, qui vocatur *lac fulphuris*.

Sulphuris haec folutio non fit per acida; haec enim figunt fulphur, in fpecie aqua fortis, fed abfque folutione menftruum tamen peracutum flores fulphuris folvere, & in blando calore infignem vim elafticam exercere dicitur. Benè autem fulphur folui poteft, tàm per alcalia, imprimis fal fixum, propter acidum in fulphure reconditum, ratione cujus in fe invicem agunt, quàm per olea ratione fimilitudinis feu analogiae in fubftantia pingui, qua oleum penetrat fulphur, & illud quafi liquefcere cogit. Sed concretum minerale cùm fit fulphur, adeoque denfioris & firmioris texturae, etiam alcalia faltem fixa, non volatilia, illud folvere valent. Nec obftat experimentum BOYLE *de coloribus*, dum ex *calcis vivae*, *falis ammoniaci* & *fulphuris vivi vel crudi* ana part. aequal. *fpiritum volatilem urinofum*, *rubrum* inftar fanguinis, per retortam vel alembicum deftillat, quafi alcali volatile cum fulphure foluto hunc repraefentaret: Nam fpiritus hic falis ammoniaci urinofus cum fulphure, propter attactum calcis vivae corrofo, in forma rubicunda prodit, cui affufa aqua fimplex mox praecipitat fulphur in antiquam formam, ita ut nulla folutio, fed fupetficialis faltem particularum unio fuerit. Sic etiam olea faltem denfiora, non verò in fpiritus volatiles refoluta, ob eorum raritatem & fubtilitatem in textura, quae improportionata eft, ut in fulphur agat, in hoc negotio requiruntur. Attamen fpiritus tales volatiles vinofi extrahere fulphur & abforbere non nihil valent, quando nempè per alcali fixum priùs refolutum fuerit, ut in tincturae praeparatione infra patebit.

Solutio fulphuris per alcalia fit vel *in via ficca* vel *humida*. *Siccam* docet AUTOR *num.* 2. *pag.* 504. *Humidam num.* 1. & 3. Utraque ratione folutum fulphur, & hinc per acidum vini vel aceti praecipitatum, fuggerit *lac fulphuris* dictum; quia mixtura albefcit & lactefcit, & fulphur fub forma pulveris candidi fundum petit: uti videbitis in AUTORE; ubi obfervandum, *cum calce viua factam fulphuris folutionem num.* 3. *pag.* 505. *per urinam effe praecipitandam*, nempè ob naturam ammoniacalem ipfius urinae, quatenus fcilicet alcali urinae faturat acidum calcis vivae, dum interea acidum urinae praecipitat fulphur ex folutione. Interim notabile eft, quod afferit BECHERUS *Phyf. fubterran. lib.* 1. *pag.* 370. Praecipitationem nempè folutionis hujus cum aqua forti factam, non lac fulphuris, fed terram tartari figentem, faltem praecipitare.

Quoad *ufum*, multi quidem, quos inter etiam eft LUDOVICI *in Pharm. pag.* 375. magnifaciunt hoc lac fulphuris, & fulphuri crudo ejufque floribus in bronchiorum infarctu longè praeferunt, praefertim fi *florum fulphuris* pars j. cum *falis tartari* part. iij. funduntur in crucibulo, & hinc foluta praecipitentur, acquiri nempè fic fulphur fixiffimum, egregiè diaphoreticum, genuinum pulmonum Balfamum. Sed magis placet affertum ZWELFFERI *Mant. Spagyr. p.* 401. effe hoc lac fulphuris calcem inertem, propter acidi praecipitantis & alcali folventis fummam adhaefionem, infolubilem, ac nullius ufus, quae neque ab acido, neque ab alcali ulteriùs folvi poteft, adeò ut potiùs noceat, quàm profit in pulmonum affectibus. Colorem album habet, utut fulphur vivum in eo lateat, quia particulae falinę id obfufcant, & colorem candidum induunt.

Vicina eft praeparationi lactis fulphuris praeparatio ifta, qua elicitur *ex fulphure oleum rubicundum*:

℞. *Sulphuris* ℔ij.
Tartari rubri ℔iij.

Quae in olla probè perlutata ponuntur in ignem circuli per 24. horas; olla prunis probè obtecta per 8. horas permittatur, tunc materia refrigerata pulverifetur, fuperfundatur *acetum deftillatum*, & extrahatur *tinctura rubra*: *acetum deftillatum* per decantationem auferatur, vel etiam per lenem deftillationem abftrahatur, & remanebit *oleum rubrum*. Eft praeparatio fimilis lacti fulphuris, & adhibendum hoc oleum tantùm ufu externo; internè nihil valet.

Alio quoque modo *lac fulphuris* parari poteft, fi flores fulphuris cum fpiritu falis benè imbibuntur, & per retortam deftillantur, non fecus ac butyrum antimonii, & prodit liquor craffus lacteus, qui per fe ufurpatus commendatur in pefte & hydrope: Verùm hanc virtutem à fpiritu falis accepit. Hic liquor praecipitatus per alcali quoddam in pulverem album, deponit ad fundum *lac fulphuris*, fed nihil valens; unde huic potiùs fulphur crudum prȩferendum.

Qui ergo *magifterium fulphuris oleofum* feu *lac* tale *in forma ficca* defiderat, procedat *modo* CONERDINGII: nempè à folutione fulphuris, cum oleis deftillatis facta, abftrahendo menftruum remanet fulphur in forma refinae, facilè pulveribus commifcendum. Refina haec, fi in fpiritu vini denuò folvatur, & vel hic ad priorem confiftentiam abftrahatur, vel cum aqua communi praecipitatur, Extractum feu Magifterium, omnis foetoris expers, comparabitur: cujus ufus internus eft, ut aciditates corporis putredinofas, vifcerum incipientes laefiones, corrigat, ac confolidationem promoveat.

Ex his ipfis operationibus alcali in fulphur, etiam alia furgunt remedia; v. g. fi

℞. *Salis tartari* part. j.
Flor. fulphuris part. ij.

ac infundantur in crucibulo, & poftmodum folvantur in aqua, fponte concrefcent cryftalli, quae funt optimum purgans, praefertim in hydropicis.

Dof. ℈ß.

Parili ratione & elegans liquor alexiterius compofitus parari poteft fecundùm WILLISIUM *Pharm. Rat. P.* 1. *pag.* 258.

Sequitur

DESTILLATIO,

Qua liberatur pars fulphuris acida à parte ejusdem pingui bituminofa, & ifta pars acida feorfim fenfim collecta in liquorem, vocatur *fpiritus fulphuris*.

Spiritus hic fulphuris eft acidum illud, quod fub pinguedinis bituminofae tegmine occultatum eft, unde non nifi hac feparata obtineri poteft. Separatio alio modo fieri nequit, nifi per deflagrationem, fub qua pinguedo refoluta mediante fale aeris abit in gas aqueum, & fatifcit denuò in aquam fimplicem; acidum verò feorfim collectum conftituit fpiritum.

Colligitur variis modis, nunc per campanam, nunc per alembicum amplum, nunc in vafe aqua fimplici pleno, nunc aliis fimilibus machinis, idque ex eo, quoniam parum admodum aciditatis ex eo poteft acquiri: nam pinguedo praeponderat acido, & quoniam non eft faturata à proprio acido, propterea obfcurioris eft notae. Res tamen omnis eodem recidit, modò debitę obferventur encheirifes ratione temporis ac modi. *Ratione temporis* inftituatur praeparatio aere humido ac pluviofo in loco vel conclavi aeri ubique pervio; fic enim propter aquearum particularum in aere abundantiam faciliùs colliguntur acidae particulae fulphuris, & in guttas coeunt, ficque copiofiorem dant fpiritum, cum aliàs aere fereno difflaretur: ficuti etiam quidam fuadent, ut in conclavi, in quo praeparandus fpiritus fulphuris, priùs aliquantulum nitri fupra prunas deflagretur; fic enim copiofus fpiritus fulphuris acidus acquiritur, aere per

nitrum

nitrum animato, & copiosiùs attrahente. *Ratione modi communiter fit per campanam*: Nempè quando inflammatur sulphur, super flammam interjecto spatio applicatur vas amplum vitreum, quod dicitur campana, & quidem admovetur ita, ut vapores exhalantes ex sulphure incenso in hoc impingant; sic in flamma avolat substantia pinguis, fumus verò, qui ex sulphure exhalat, coercetur in campana, & sensim sensimque colligitur in guttas, quæ decidunt in subjectum vas, & abeunt in spiritum sulphuris acidum. Imprimis quoque necesse est, ut antea campana aliquot guttis aquæ humectetur, ut promptè se uniat pars acida cum parte aquosa, & abeat in spiritum acidum. Conferatur præter AUTOREM *num.* 1. & 2. BILLICHIUS *in suis Parad. Chym. pag.* 51. item KERKRINGIUS *in Comm. in Basil. p.* 279. item HOFFMANNUS *Clav. p.* 373.

Quoad naturam & usum huius spiritus; revera spiritus sulphuris essentialiter idem est cum spiritu vitrioli, sive Veneris sive Martis; quoniam omnes sunt ex una minera, dum spiritus sulphuris acidus corrodit mineram Martis vel Veneris, uti monui *superiùs*, ubi de spiritu vitrioli. Siquidem Mars & Venus hoc spiritu irroratus efflorescit in perfectum vitriolum vel Martis vel Veneris, ex quo destillatur spiritus vitrioli. In eo saltem differunt, quod spiritus sulphuris purus sit, nec liquamine sulphureo metallico, prout vitrioli spiritus, inquinatus: spiritus enim vitrioli, sive Veneris sive Martis, propter coalitum in igne & fortissimam ignis torturam, rapit aliquid secum de minera, unde est stypticus & nauseosus, atque hac ratione stomacho hostilis est: in cæteris autem conveniunt, hinc iisdem usibus Medicis, quibus spiritus vitrioli inservit, commodè etiam spiritus sulphuris adhiberi potest. Ipse autem spiritus sulphuris est magis conveniens, imprimis ubi opus ut resoluantur mucilagines viscidæ: hinc & in asthmate cæteris remediis sæpè additur spiritus sulphuris ad gratum saporem; ubi tamen spiritui sulphuris rursus præferendum est gas sulphuris seu fumus in incensione exhalans, & in vitro captus, cui vinum infunditur: hoc *vinum sulphuratum* certè optimum est in asthmate. De usu spiritus sulphuris ad vitam longam videatur HELMONTIUS *Tr.* 2. *Arbor. vitæ, propè finem*.

Cæterùm hic spiritus sulphuris acidus tandem potest redigi in sal per evaporationem phlegmatis artificiosam, & subsequente coagulatione acidi in frigido, & hoc sal aluminosi dicitur esse saporis: hoc ipsum tamen postmodum ex aere libero attrahendo phlegma, abit denuò in spiritum. Quidam solent parare *spiritum sulphuris acidum sese multiplicativum*, qui scilicet per menstruum spatium quartâ sui parte semper accrescit. Modum præparandi subministrat POTERIUS *in Pharm. Spagyr. cap.* 11. *ubi de sulphure* in quo parat *oleum multiplicativum*:

> In fundo cruciboli pro ℔j. *sulphuris*, injiciuntur ℥ij. *crystalli calcinatæ*, & destillantur per campanam ordinario modo: sic enim fit liquor multiplicativus; cui, si quartam partem singulis mensibus demimus, nequaquam tamen altero mense decrevisse experieris, idque beneficio crystalli calcinati.

Crystallus pro hoc usu calcinatur, si ignita, in aqua frigida extinguatur, quod bis vel ter reiterandum, donec abeat in pulverem: & hoc modo præparatur spiritus multiplicativus, cujus ℥iv. intra mensem aliam dabit unciam.

Beneficio spiritus acidi sulphuris ænopolæ solent conservare vina, ne fiant pendula. Et quidem hic ipse spiritus sulphuris acidus, quando ita sub forma fuliginis injicitur vino, vocatur ab HELMONTIO *gas sulphureum*; quoniam non est spiritus acidus, sed constat ex parte sulphuris oleosa. Hoc gas monstrat nobis apertè, quod singulari polleat vi in arcenda putredine in corpore humano, ex eo, quoniam vinum præservat, quod aliàs facilè corrumpitur. Hinc non sine causa CNOEFFELIUS *in Tract.* 2. *de Curat. Febr. Epidemicarum*, habet modum combinandi hoc gas sulphuris acidum cum potu ægrotantium in febribus malignis, cùm sit singulare remedium in cura earundem: & beneficio hujus liquoris quidam Medicus in peste ultima Londinensi multas egregias perfecit curas. Item potum hoc modo impregnatum miris modis commendat HELMONTIUS in curando asthmate ac tussi, similibusque pectoris affectibus.

Spiritus Autoris num. 3. *pag.* 506. vix videtur genuinus, quia multum de nitro participare credendum: sulphur commune calci vivæ mixtum & destillatum dat spiritum urinosum volatilem: vid. CRAMERUS *Disput. de Transm. metallorum*.

Oleum sulphuris linatum num. 7. fit, quando *sulphur cum oleo lini* solvitur, quo abit in concretum, quod HELMONTIUS vocat *hepar sulphuris*, & mirè commendat pro tingendis gemmis, & parandis tincturis: hoc destillatur per retortam in igne arenæ, sed magno cum periculo; quoniam omnia interdum dissipantur; prodit enim sic oleum rubicundissimum instar sanguinis, ex quo singularis medicina pectoralis parari potest. Fuit CNOEFFELII secretum, qui pro excellenti balsamo vulnerario usus fuit. Et observetur, quod præparatio AUTORIS suscepta fuerit hic ab egregio Chymico, sed frustraneo cum successu, & spes eum fefellit de hoc oleo: genuinam autem descriptionem vid. in M. A. N. C. *Anno* 6. *append. pag.* 78.

Ex his laboribus obtinetur ulteriùs *oleum sulphuris* verum per destillationem: vid. AUTOR *num.* 11. *pag.* 507. sic enim post olei terebinthinæ separationem restitans concretum quasi resinosum in oleum crassum destillabile est, quod multum de sulphure participat.

Pertinet huc *liquor sulphuris quorundam secretus*, qui fit ex *pulvere florum sulphuris*, à quibus *spiritus vini* quater cohobatus sit: hinc impregnatur remanentia pulveris florum sulphuris cum *oleo iuniperino*, ex quibus destillatione paratur *liquor lacteus*, qui à multis in secretis habetur. Hic rectificatus probè ab aloe, myrrha, theriaca & croco, adhibetur postmodum tàm pro usu interno quàm externo in quam plurimis morbis.

Sequitur

INFUSIO,

Quæ Balsama sulphuris suppeditat. Solutio nempè ista, quæ fit per olea, dat Balsamum sulphuris, quale est *Balsamum sulphuris terebinthinatum Autoris num.* 1. vel *compositum num.* 2. quales compositiones ex resinosis subiectis additis 1000. modis variari possunt.

D. KORNERUS præparat Balsamum sulphuris compositum per destillationem cum croco, aloe, myrrha, oleo iuniperino, terebinthinæ, &c. de quo *integrum* scripsit *Tractatum*. Inter alia mirè commendat in curanda peste.

Quoad *usum*, reverà *polychrestum remedium est balsamum sulphuris*: *speciatim terebinthinatum* egregium est in abscessibus & ulceribus partium internarum; hæc enim mundificat, purulentias abstergit, & ulteriorem puris proventum cohibet. Hinc in empyemate & vomica pulmonum, ulceribus renum & vesicæ, mictu cruento, &c. egregium est hoc balsamum; unde in phthisi convenientissimè iungitur cum antimonio diaphoretico, saccharo Saturni, & balsamo Peruviano; exque his fiunt convenientes pilulæ antiphthisicæ, quæ in pulmonibus collectum pus per urinam evacuant. Appetitum etiam provocat, corruptelam aut putredinem quamvis humorum præcavet. Prætereà diureticum est, & in fluore albo, mensium suppressione, calculo renum & vesicæ est conveniens. In dysenteriis etiam epidemicis est egregium: sic novi ex vicinia rusticum, qui se à dysenteria epidemica balsamo sulphuris, sæpiùs & copiosiùs assumpto, curavit. Sed nimiùs præcavendus videtur abusus, ne febres causet, & speciatim aridiora & emaciata subiecta, & ad hecticam disponat; corporibus enim succulentis seu pituitosis convenientius est. In specie *de usu & abusu Balsami sulphuris* vid. HOECHSTEDTERUS *in Dec.* 3. *obs.* 10.

Paratur etiam à quibusdam *Balsamum sulphuris cum oleo succini*, *anisi*, *bacc. juniperi*, &c. loco olei terebinthinæ, quæ sulphur pariter solvunt in *Balsamum* rubicundum pro usu interno diaphoretico: sicut *anisatum* in affectibus pectoris, & *succinatum* in affectibus capitis & catharrosis, usurpantur & adhibentur. Quidam addunt camphoram, & sic fit *Balsamum sulphuris terebinthinatum camphoratum*.

Externè nobilissimum est vulnerarium balsamum sulphuris, vulnera recentia promptè & per primam intentionem consolidat, inveterata verò, & quæ ad ulceris naturam degenerant, mundificando optimè sanat, vel per se vel mistum cum balsamo Peruviano. In abscessibus aperiendis, mundificandis & consolidandis, in ulceribus præcipuè sinuosis, mammarum, aliarumque partium glandulosarum, uti etiam bubonibus & carbunculis suppuratis, egregiè etiam convenit. Emplastrum stīcticum Crollii convenienter malaxatur cum balsamo sulphuris.

Balsama cum oleis expressis sunt *vel simplicia* AUTORIS *num.* 3. *pag.* 508. vel *composita*, eaque pro usu præsertim vulnerario multiplicia. Præparatio hujusmodi Balsami sulphuris fit per simplicem saltem sulphuris in olei infusionem ac digestionem, methodo AUTORIS; vel, quod melius est, per præviam cum dimidio, ana vel duplo salis tartari fusionem, & hinc oleorum affusionem, Balsama nobiliora & usui medico aptiora fiunt: conf. ZWELFFERUS *in Animadv. pag.* 446. HOFFMANNUS *Clav. pag.* 374. & ROLFINCIUS *Chym. pag.* 224. Hac enim ratione acidum sulphuris ab alcali salis tartari fixo multum infringitur & quasi absorbetur, & exaltatur ejus pinguendo, quam sal tartari aptiorem reddit, ut imbibatur ab oleo destillato, vel pro usu externo ab oleo quodam expresso affuso. *Inter olea quælibet petroleum*, quod *optimè & intimè magis sulphur dissolvendo illud in balsamum redigit*: sicut loco sulphuris communis sulphura antimonialia adhiberi possunt. Sic scoriæ reguli antimonii, in quibus plus minus acidum ab alcalibus correctum & infractum est, vel sulphur auratum antimonii, quod habetur pro præcipitatione scoriarum reguli antimonii cum oleo succini aut terebinthinæ, nobilissimum dat *Balsamum Traumaticum*, teste POLEMANNO *Tract.* 2. *de Sulphure Philos. pag.* 31. sicut pro usu interno sulphur ex cinnabari antimonii, vel flores sulphuris antimoniati, qui sub clyssi præparatione sublimantur, recipitur; vel sulphur fixum Polemanni, ex quibus cum oleo anisi insigne balsamum confit: conf. WEDELIUS *Pharm. pag.* 33.

Balsamum sulphuris Rulandi, fit cum *oleo raparum*: quidam volunt cum *oleo ex semine* papaveris. Quicquid fit, utroque modo, præter usus superiùs dictos, in quibuscunque ulceribus & abscessibus

fibus aperiendis, mundificandis & confolidandis, in abfceffibus præcipuè mammarum, item in panaritio feu verme fub ungue, egregium eft: conf. RULANDUS *in fuis Curat. Empir.* Vnde *emplaftrum ex balfamo fulphuris* vulgari, antimonij fulphure, cum terebinthina, colophonia & cera commendat THOMSONIUS *Epilog. Chymic. pag.* 79.

RULANDUS pariter defcribit *emplaftrum diafulphuris*; cujus loco ad LUDOVICI imitationem *extemporaneum* fieri poteft ex *fulphure pulverifato & myrrha*, cum *pice futoria* exceptis: quod in doloribus ifchiadicis non fine fructu applicari poteft.

Fieri etiam poteft *Balfamum fulphuris compofitum ex fulphure & terra vitrioli dulci*:

℞. *Olei hyperici* ℔j.
Flor. fulphuris ℥j. *feu marfæ fulphuris d. m. par.* ℥iij.

Ebulliendo ad folutionem feu extractionem fulphuris, ut fiat oleum fpiffius & intenfiùs tinctum: vel adde

Ceræ ℥iij.
Terebinth. ℥ij.
Thuris,
Myrrhæ an. ʒiij.
Pulv. ariftol. rot.
Nicot. an. ʒj.

M. exactè, & fub forma unguenti mollioris.

Aut copiâ maiori, cerâ additâ, in formam Emplaftri non adeò duri redigatur, multi ufus in affectibus externis undecunque natis.

Sulphuri cum fale tartari dicto modo reclufo, fi affundatur fpiritus vini, elegans habebitur *tinctura fulphuris*, vel *fimplex*, qualis eft ifta ZWELFFERI *Mant. Spagyr. pag.* 402. & cui non abfimilis eft *tinctura fulphuris Autoris num.* 5. vel *compofita* Willifii *Pharm. Rat. P.* 1. *p.* 377. Nempè fal tartari tunc penetrat ac diffolvit fulphur illud: hoc ipfo difponit, ut unà cum particulis falinis à fpiritu vini imbibi, & ita in tincturam exaltari queant, quæ fpiritus vini ad medietatem abftractione ulteriùs perficienda: abftracto fpiritu vini remanet pulvis infignis pectoralis, cum faccharo mifcendus & propinandus. Aliàs etiam ex lacte fulphuris, cum vino vel aceto præcipitato, *tinctura* elegans parari poteft, fi nempè lac illud probè edulcoretur aqua pluviali; pulvis verò candidus exponatur digeftioni, donec fucceffivè rubicundum colorem contrahat. Hic pulvis cum *fpiritu vini* commodè extrahi, & in elegantem *tincturam* exaltari poteft. Digeftio ifta fit in capela cum arena: tinctura extracta abftractione fpiritus vini feu menftrui ad medietatem ufque concentrari, & tunc ad gutt. vj. vel x. pulmoniacis feliciter propinari folet.

Sal Sulphuris parare conantur ex capite mortuo fpiritus campanarii: fed eft carum & rarum, utut fint, qui volunt valdè laudare in afthmate; item afferere, quod poffit folvere aurum.

CAPUT XXX.
DE
BITUMINE & AMBRA.

Bitumen nomen generale eft, comprehendens omnes fpiritus mineralium pingues & fluidos: hinc & ambra huc pertinet.

Hæc utut fit elegantiffimum & efficaciffimum fimplex; nihilominus de ejus natura & origine nondum res decifa eft, cùm variæ de hac fint Autorum fententiæ: fpeciatim KLOBIUS *Tractatum Germanicum* fcripfit de *Ambra*, ubi 18. congeffit opiniones diverfas de ambræ natura & origine: concludit tandem, quod fit fimus avis cujusdam fingularis in infulis Orientalibus, fpeciatim in Infula Madagafcar. Alii partim vegetabile, partim animale effe volunt, ut VELSCHIUS *Hecatoft.* 1. *pag.* 122. ficuti moderni Angli dicunt, quod in balenæ reperiatur inteftinis, ficut fperma ceti], ut vocamus, in illius capite. Alii ex melle & cera compofitum eam putant: Conf. FRANCISCI *Schaubuhne P.* 2. *pag.* 610. Alii dicunt, quod pifcetur ex mari, & ficuti fuccinum ejiciatur ad littora maris Boruffici, ita ambram fimiliter colligi ex mari in India Orientali & Africa, feu ex mari in Bengala, in Pegu, item in Monzambiq atque Caboverde, in Infula Madagafcar & Sumatra: vifcum effe, quod in fundo maris eodem modo, quo pix marina crefcit, ftatuitur in M. A. N. C. *Anno* 9. & 10. *obf.* 194. *pag.* 459. De *Ambra Auguftana infolentioris ponderis* vid. M. A. N. C. *Anno* 3. *obf.* 300 *pag* 520. & *Anno* 4. & 5. *pag.* 304.

Triplex aliàs datur *ambra*: *Grifea feu Cinerea*, quæ etiam Orientalis dicitur; *alba*, quæ præter raritatem carior eft; & *nigra*, quæ factitia eft; conftans *ladano, mofcho, ftyrace & ligno aloes*.

Ob caritatem & raritatem ambra vera fæpiùs adulteratur variè, & loco hujus factitia fubftituitur; legitima tamen ita cognofcitur:

℞. *Fruftum ambræ grifeæ*:

Huic intrudatur acus candens; quod fi fiat, ut tranfudet fubftantia pinguis, fignum eft Ambræ legitimæ.

Alii probant hoc modo. fi quis unguibus fruftum ex maffa decerpat, & hinc in manu calida probè agitet, & malaxet, liquefcit, & inftar ceræ mollefcit ambra, fic eft genuina; adulterata verò non benè cohæret, fed abit in fruftula.

Quoad *ufum ambræ grifeæ* attinet: ab omnibus prædicatur ceu nobile analepticum, virium tam vitalium, quàm animalium confortativum, hacque ratione majorem habilitatem fpiritibus conciliat, unde etiam ad vitam longam non immeritò laudatur à BACONE *de* VERULAMIO *pag.* 100. ficut & *bafin confect. alchermes* conftituit. Nemini nocere, nec fœminis, in quibus partum, lochia & fecundinas promovet, nec hyftericis & aliis mulierum malis nocet, modò non percipiant odorem: Melancholicis & hypochondriacis prodeft, fpiritus animales quafi referando, quorum nimium impetum etiam fiftit, & vi aliquali ftupefactivâ, quafi inebriativâ, eosdem afficit: unde ufus ejus conferre folet aliquandiu in fenfuum externorum & internorum, fpeciatim memoriæ & ingenii functionibus: fed diuturno ufu eosdem fpiritus alterat, & vi quafi inebriativâ ftupidos randem reddit ufurpantes, & fenfus internos anteà reftauratos eò citiùs imminui facit, tefte HOEFERO *in Herc. Med T.* 1. *pag.* 277 Conf. GARCIAS *ab* HORTO *in Mant. Aromat. l* 1. *cap.* 1. Nempè primitus ferè igneos & volatiliores fpiritus reddit, fucceffu verò temporis fixati quafi vappefcunt; unde cautus fit ejusdem ufus pro roborandis facultatibus animalibus. Nocet quoque iis, qui ad hæmorrhagias & febres continuas difpofiti funt. Magis ergò fenibus convenit, quàm juvenibus, per quam caufam his plus nocet, quàm juvat; hinc etiam in fpiritus genitales potenter agit, & Venerem egregiè ftimulat, eandemque excitat, &, fi quid aliud, cæteris paribus, maritos fteriles ad fœcunditatem difponere folet. Egregium prætereà etiam eft ftomachicum, & in apepfia, naufea, ftomacho crebriùs eructanti, vomitu, aliisque ejus affectibus, confert: hinc fyrupus ad ftomachi vitia cum ambra defcriptus proftat in FEHR *T.* 2. *de Abfinth. pag* 103: qualis etiam Gallis in frequenti ufu eft.

Ufurpatur vel in forma ficca, vel liquida. In forma ficca pulvis ejus ufurpatur. Pulverifari autem commodè non poteft, quia multum adhæret mortario; bene autem per fe pulveris forma cum feminibus oleofis fubigi poteft: conf. ZWELFFERUS *Pharm. Reg. pag.* 122. item cum duplo facchari commifta promptè etiam pulverifabilis exiftit: cui faccharo poftmodum oleum cinnamomi vel alia deftillata addita dant *pulverem analepticum* elegantiffimum, fenibus præfertim exhauftis pro viribus reftaurandis, & fpirituum tam animalium, quàm vitalium fupplemento conducens: Conf. M. A. N. C. *Anno* 6. *append. p.* 92. ubi *de ambra mofchata*.

Licèt autem dicto modo ambra commodè ufurpari queat, nihilominus tamen ufurpatur etiam in liquida forma, dum paratur ex eadem effentia:

(1.) Ut fic faciliùs operetur.

(2.) Quia ambra aliarum naturalium quisquiliis variè adulteratur.

(3.) Quia propter glutinofitatem in fubftantia non æquè commodè ufurpatur; &

(4.) Ut effentia commodiùs aliis mifceatur.

Et quidem cùm ambra fit quafi bituminofæ & oleaginofæ naturæ, non nifi oleofis & fpirituofis folvi folet. *Omnia* enim *menftrua folventia debent effe homogenea cum refolvendis*, quod debet effe catholica nota. Contrarium videmus in mofcho, quia eft humidioris naturę, quàm ambra, unde humidis & liquidis facilè permifcetur. Ergò in confectione Pomambrę ambra feorfim eft fubigenda cum oleo amygdalarum dulcium, item mofchus etiam feorfim.

Quod attinet effentiam, fpeciatim fpiritus vini tartarifatus, optimè & ferè totam ambram diffolvit, modò legitimè procedatur; cujus loco etiam aqua fpirituofa appropriata, vel fpiritus quidam inflammabilis, ut fpiritus rofarum per ferment. vel fpiritus liliorum convallium, vel corticum citri vel meliffæ, pro effentiæ Ambræ præparatione adhiberi poteft. Item effentia citri per fpiritum vini ex cortice per cohobationem parata, folvit ambram ferè totam in colorem egregium aureum, & tandem confiftentiam quafi butyraceam acquirit. Quod fi vegetabilibus fermentantibus, v. g. floribus rofarum, pro parando fpiritu addatur aliquantulum ambræ, hæc ipfa fermentando fimul reclufa, fuggerit fub fpiritus deftillatione fpiritum rofarum ambratum elegantiffimum, qualis fpiritus temperatus, & non adeò igneus eft, & vim igneam ambræ additione amittit, dein ambra in effentiam nobilem maximarum virium pariter redigi poteft, cujus fpiritus & effentia ϶j. fummum analepticum & confortativum eft, perlis anteferendum.

Quoad *Ambram effentificatam Autoris*: fit loco ejus *effentias ambræ Tachenii*, quam habet HOFEMANNUS *in Clav. pag.* 391.

Hæc de Ambra. Jam ad Succinum me converto.

CAPUT XXXI.
DE
SUCCINO.

Ut *fuccini* facies externa, & vis electrica nobiliffima eft, ita origo ejus & quid fit? obfcuriffimum adhuc eft. In genere à FABRO aliisque pro vegetabili habetur, ab aliis pro minerali. Qui pro *vegetabili* habent, exiftimant, quod fit refina feu lachryma arborum

borum resiniferarum, quæ ex iisdem circa littora consitis successivè mediante solis calore descendat in mare, ibidem induretur, tandemque succini faciem repræsentet. Hinc sunt, qui affirmant, generari illud primitus in Suecia, ex arboribus resiniferis decidere, & tandem ad littora Borussiæ eijci. Quæ vegetabilis materia exinde probabilis est, quoniam ex succino ferè eadem præparari possunt, quæ ex terebinthina: & speciatim sal volatile succini, quale in toto regno minerali non reperitur, ad aliud regnum pertinere, videtur confirmare. Qui pro *minerali* habent succinum, ad bituminosa concreta referunt, quæ transudent ex terra, & tandem vehantur in mare, in quo succinum fluctuans eijciatur ad littora Borussiæ, nec alibi reperitur, nisi in Borussia. Ipse PARACELSUS refert ad concreta bituminosa, quando petroleum & succinum ejusdem naturæ esse asserit, ita ut petroleum sit quasi resolutum carabe: hinc observatur etiam succinum fossile in locis mediterraneis in Moravia, & ipse Gagates nihil aliud est, quàm succinum, à Ciliciæ flumine Gagates dictum: vid. HERTODT *in Tartaro-Mastige Moraviæ pag.* 31. HOFFMANNUS *in Clav. pag.* 381. & NOBIUS *de Ambra pag.* 27. Quicquid hujus sit, ex fluido in concretum densum abire succinum, ex eo patet: quia non rarò sunt ejus frustula, in quibus paleæ, lignorum particulæ, muscæ, vespæ, salamandræ, &c. reperiuntur: & succini frustuli, cui aqua fluida inclusa est, fit mentio in BARTHOLINI *Actis Med. Haffniens. Vol.* 2. *pag.* 208. Hæc ipsa succino, dum adhuc fluit, ab ipsius viscididitate facilè irretiri, & per subsequentem indurationem ita incarcerari potuerunt. Plura qui cupit de origine succini, videat DOERINGIUM *de Balsamis*, MORRHOFF *de Transmut. metallorum pag.* 51. *Bartholini Acta Med. Haffniens. Volum.* 1. *pag.* 110. & *Volum.* 2. *pag.* 308. 309. & 310. HARTMANNUM *in Scripto peculiari de succino Boruss. l.* 2. *cap.* 1. & 2. & JOHANNEM WIGANDUM *de Succino.*

Reperitur ordinariò *album* & *flavum*. Quæritur jam: Quidnam horum alteri præstet? *Communiter album præfertur flavo*; quod tamen erroneum existimo, quoniam albus color in succino non est nativus, sed est tantum adventitius, & advenit succino, quando eidem adhuc liquido in mari fluctuanti intermiscet sese salsedo aquæ marinæ, quæ salsedo impraegnans succinum, tandem colorem albicantem ipsi attribuit: id quod patet ex encheirisi Autoris, qui docet modum, quo beneficio coctionis & digestionis in aqua salsa succinum flavum converti possit in album, non secus ac cera flava beneficio salis in albam mutari potest: Nam hæc liquefacta, & affusâ copiosâ aquâ salinâ, exposita soli albescit. Id quod ulteriùs confirmat DOERINGIUS *de Balsamis*, ubi multa habet egregia de succino, & inquit: quod fallantur ii, qui succino albo præ flavo majorem dignitatem attribuant, cùm flavum non solùm à maris salsedine in lacteum facilè converti possit, sed & artificialiter eò deducatur: id quod etiam communis experientia docet. Hinc etiam WIGANDUS *Tract.* 2. *de Succino pag.* 26. refert: se observasse globulos succini flavos, ætate & diuturno usu albescere & pallescere, ut appareat, flavum colorem esse succino quasi proprium. Unde etiam BOOTIUS dicit: quod flavum succinum sit calidius succino albo, ex eo, quoniam album non tantùm salis volatilis, neque olei in se contineat. Frustraneum ergò est, quando in electione succini pro usu medico communiter præfertur album flavo: nam potiùs flavum ceu genuinum pro usu medico eligendum.

Quod attinet usum succini: virtutes multæ sanè & egregiæ in eo latent. In specie pinguedinem oleosam balsamicam neruis convenientissimam obtinet, unde in capitis & cerebri affectibus, præsertim in apoplexia, lethargo, vertigine, epilepsia, omnibus morbis convulsivis, egregium est succinum. In affectibus catarrhalibus succinum specificum est remedium: febres catarrhales per succinum optimè curantur, imò perfecta cura affectuum catarrhalium, à lymphæ glandularumque vitiis ortorum, in eo latet. Porrò succinum in affectibus nephriticis & urinariis egregium est, unde in stranguria, dysuria, &c. succinata sunt commendatissima. In gonorrhœa quoque benigna & virulenta, tàm virorum, quàm mulierum, quæ aliàs dicitur fluxus albus, succinum est nobile specificum; hoc ipso enim quamplurimi fuerunt curati. Commodè cum *terebinthina* & *succino* fiunt pilulæ, quæ in gonorrhœa sunt egregiæ; quibus si addatur *Mercurius dulcis*, appropriatæ erunt in gonorrhœa virulenta seu Gallica: item potest misceri cum *ossis sepiæ* vel *antimonii diaphoretici* ana; qui pulvis datur à ℈j. ad ʒß. In gonorrhœa, in specie muliebri, commodè permiscetur cum lapide osteocollæ. Succinum etiam nobile est, ut vocant, uterinum, quod in mulierum affectibus uterinis multa præstat beneficia: Notum namque est, quod succinum egregiè promoveat partum: vid. BORELLVS *Cent.* 5. *Observat.* 52. Non rarò sunt affectus convulsivi, utut hactenus valdè ignoti, partium internarum, quos vocant mulierculæ nostrates *epilepsiam in corpore*; suntque saltem spasmi intestinorum, mensenterii ac partium annexarum, familiares præsertim in hypochondriacis & scorbuto: in talibus egregiè confert succinum interno & externo usu. Adstringit præterea leniter, & simul ad sanguinem congrumatum resolvendum, ac partes læsas in casu ab alto, ubi motus sanguinis effusi & congrumati restituendus, egregium est succinum. Hinc & in vulneribus nervorum, speciatim capitis, singulare quid præstat; in tali enim casu medicamenta ex cherefolio & betonica cum medicamentis ex succino propinari solent, quoniam simul caput respiciunt & sanguinem congrumatum dissolvunt: sicut etiam HELMONTIUS *Tum. Pest. pag.* 282. dissoluto in spiritu vini succino venenata aliásque desperata vulnera curata refert. Hinc ulteriùs in sputo cruento, vomitu sanguinis, præstans est succinum cum aliis propinatum, & sanguinis excretionem reprimendo, & ejus grumos dissolvendo. Tandem in peste morbisque similibus epidemicis, optimum est succinum, omnibus attestantibus, qui in peste præservativè & curativè adhibent. Quò etiam facit, quod refert HELMONTIUS *loco allegato*, de chirurgo in cura pestis celebri, qui à contagio se præservavit, affricando succini frustulum septem pulsibus planetariis, idque quotidie semel, quâ affricatione à peste fuit præservatus. Sunt autem septem pulsus planetarii: 2. temporum, 2. corporum, 2. talorum, & tandem in scrobiculo cordis. Suffitus etiam succini in quibuscunque catarrhalibus capitis morbis, parte affecta crebriùs exceptus, est egregius: v. g. in prolapsu uvulæ, coryza, in principio tumoris & inflammationis tonsillarum, item in doloribus faucium ex catarrhis, & similibus affectibus catarrhalibus. KERKRINGIUM in succino abortivos fœtus condidisse, testatur WEDELIUS *in Pharm. pag.* 225.

Sequuntur Præparata è succino, quæ inter AUTOR *pag.* 511. describit *succinum præparatum* dictum, sub qua præparatione, ut eò meliùs propinetur diversis affectibus, appropriatis aquis oleosis vel essentiis præparandum seu lævigandum est: sic verbi gratia quando expetitur contra catarrhos subigendum & lævigandum est cum essentia serpilli, vel cum essentia catarrhali ex ligno sassafras & spiritu serpilli; & sic fit *succinum catarrhale D. Michaelis*: si contra epilepsiam, commodè præparatur cum essentia liliorum convallium, essentia castorei &c. in apoplexia & vertigine cum essentia chærefolii, castorei, &c. sicque magis erit appropiatum ad tales vel tales affectus, & sic de cæteris. Aliàs succinum præparatum commodè in suppressione urinæ, stranguria & dysuria, in sabulo & arenulis renum & similibus affectibus ordinatur. Dosis est à ℈j. ad ʒß.

Sequitur

SOLUTIO & PRÆCIPITATIO.

Hinc Essentia seu Tinctura & Magisterium succini resultat. Vbi in genere observetur, quod succinum, cum sit resinosum concretum, quod nec aquea nec acida illud attingant, & cum spiritu communi potiùs in magisterium illud præcipitetur. Saltem ergò spiritus vini rectificatissimus tincturam oleosam inde elicere valet; si enim tantillum adsit phlegmatis, non facilè extrahitur essentia vel tinctura. Meliùs autem procedit negotium, si acuetur spiritus vini per alcalia; sic enim *spiritus vini tartarisatus meliùs convenit*: vid. WEDELIUS *l. a. pag.* 224. vel spiritus salis ammoniaci vinosus, id est, ex sale tartari, sale ammoniaco cum spiritu vini superaddito paratus, extrahere valet succinum: non secus ac lixivium salis tartari vel lixivium nitri fixi, ridiculum illud alcahest Glauberi, liquefacit nonnihil succinum, ut post aquæ exhalationem per spiritum vini optimè tinctura extrahi possit.

Essentia hæc succini ad eosdem usus pollet, ad quos succinum, & ejus sal volatile: imprimis in vulneribus nervorum, speciatim capitis, singulare quid præstat. Et quidem, ut evidentiùs operetur, permiscetur cum essentia catarrhali in catarrhis: cum Elix. uterino Crollii, ut conveniat in suffocatione uterina; & sic porrò.

Quod si hanc solutionem seu essentiam velimus præcipitare, necesse est, ut spiritus vini abstrahatur ad medietatem, & tunc affusione aquæ simplicis facilè præcipitatur *Magisterium succini*.

Sequitur

DESTILLATIO.

Succinum retortæ inditum, & per arenam, aut etiam ignem apertum, destillatum suggerit

1. *Phlegma purum*.
2. Prodit *phlegma spirituosum* acidum paucum, quod vocatur *spiritus succini*, tum
3. Sequitur oleum; primò quidem *subtilius*, deinde verò *crassius*: illud albidum seu perspicuum & flavum, insignis & penetrantis odoris; hoc nonnihil ruffescens.
4. Cum oleo simul *sal volatile* acidulum prodit, collo retortæ & receptaculi lateribus se affigens in forma striarum, *spissigt*, instar salis ammoniaci.
   In fundo verò retortæ
5. Remanet crassamentum spissum, picis instar nigrum, & *colophoniam* quandam repræsentans.

Destillatio nunc peragitur simpliciter sine addito, nunc verò silices contusi, nunc laterum pulvis, nunc cineres elixiviati addunlur, quæ impetum succini aliàs nimis ebullientis refrænent, & ita oleum subtilius & purius destillari faciunt. Separantur hæc invicem mediante tritorio, phlegma spirituosum ab oleo separatur.

Sal volatile esse solet admodum oleo plus minus impraegnatum, saporis acidi ingrati & nauseosi, quod ritè ab oleo separandum est, ut habeatur purum.

Depu-

Depuratur autem *optime*, si digeratur cum spiritu vini; sic enim multum olei cum spiritu vini remanet: postmodum sal volatile solvatur in aqua; sic enim quicquid adhuc superest olei, aquæ supernatabit, quod per filtrationem separetur, sale ipso ex aqua, in qua solutum fuit, per destillationem in balneo Mariæ institutam separabili, & in fundo cucurbitæ reperibili: vel evaporando leni igne, & denuò crystallisando, sal succini purum, candidum, & saporis specialiter acidi obtinetur, odore saltem succinum referens: Recipitur hoc sal volatile ita depuratum ad *liquorem cornu cervi succinatum*, cujus & *salis volatilis cornu cervi*, ana part. æqual. affunditur *spiritus cornu cervi rectific.* q.s. pro solutione, hinc facta digestione, & repetita cohobatione, habetur dictus liquor, expertissimus in epilepsia infantum, & hinc etiam in catarrhis & quibuscunq; morbis catarrhalibus.

Sal hoc volatile succini acido-salsum contra naturam salium volatilium *acidulum habet saporem*, idque ex consortio phlegmatis acidi, cujus acor ipsi firmiter adhæret: hinc si misceatur cum cineribus, aut sale fixo tartari, & ab eodem denuò sublimetur per retortam, acido ab alcali absorpto, sal volatile urinosi & penetrantissimi saporis candidissimum acquiritur, utut non semper æquè procedat hic labor. Modum facillimum destillandi vid. in *Iournal de Scavans T.8.*

Oleum rectificandum venit: quod fit, si misceatur cum spiritu vini, & ita per balneum Mariæ rectificetur: habebitur sic oleum penetrantissimum, & pro usu interno elegantissimum, in vitro, multiplici vesica munitio, asservandum; cera enim imposita facilè liquescit. Si verò ex arena vel cineribus oleum succini rectificare velimus, promptè nimis ebulliendo omnia effringit, ac facilè inflammat. Ergo arena vel cineres elixiviati ipsi miscendi sũt, quę coercent ejus impetum.

Usus horum productorum ex suprà dictis patet. Phlegma spirituosum, spiritus succini dictum, externè remedium ad aurium affectus est, quibus cum bombace aliquantulum indatur, & egregiè conveniet in tinnitu, susurratione, & aliis aurum affectibus. Internè non usurpatur. Per retortam autem tubulatam spiritus ex succino pro usu interno destillari potest:

℞. *Nitri*,
Succini an. ℔j.
Calcis vivæ ad pondus omnium.

Destillando per retortam acquiritur spiritus ac sal volatile urinosum egregii usus, cum pauco admodum oleo. Loco calcis vivæ dimidium *cinerum clavellatorum vel salis tartari* sumi potest, ne sal volatile ab adjuncta calce viva nimis figatur.

Pari ratione cum sale ammoniaco sociari potest succinum:

℞. *Sal. ammoniaci* ℥vj.
Succini ℥iij.
Calcis vivæ ℔j.

Hæc omnia seorsim minutissimè trita commisceantur, affundendo *spiritus vini* præter propter ℔j. destillentur per retortã igne arenæ per gradus: liquor prolectus est coloris flavescentis, odoris & gustus penetrantissimi succinati: si quod superest olei succini, hoc in fũdo fluctuabit. *Spiritus* iste *affusus myrrhæ sanguineo colore tingitur*, & suggerit remedium elegans in affectibus mensium, item in affectibus catarrhalibus.

Sal volatile, tam communi modo per se, quàm urinosum per retortam cum nitro instar clyssi paratum, quasi nucleus est totius concreti, creberrimum remedium ad sanguinis renovationem, & supra dictos affectus: nobile est diureticum, & copiosè admodum urinam movet, præsertim cum nitro mistum; unde valdè prodest in affectibus nephriticis, ubi opus est, ut promoveatur calculus: lymphæ vitia imprimis corrigit, & sudorem optimè movet; hinc in catarrhalibus capitis & cerebri affectibus, præsertim apoplexia, lethargo, vertigine, epilepsia, aliisque morbis convulsivis, in arthritide vaga & podagra, egregiè conducit. Assumitur ad gr. v. vj. usque ad ℈ß. admistis pulveribus, aliisque appropriatis, in specie camphora. Præ cæteris in epilepsia infantum mirè convenit, & hinc etiam liquor cornu cervi succinatus ritè paratus in omnibus prædictis affectibus, adultis pariter ac infantibus, est mirabilis, imprimis epilepticis & catarrhalibus. Potenter partum promovet, unde tanquam certissimum experimentum olim celebri cuidam Medico in usu fuit contra partum difficilem; sicut & in pellendo fœtu mortuo & secundinis expertum habet effectum: In passione hysterica, mesenterii, aliisque convulsionibus partium internarum, item in malo hypochondriaco & scorbuto confirmatis, mirè conducit, si ad ℈ß. assumatur.

Oleum iisdem usibus inservit internè & externè: unde in capitis, cerebri & nervorum affectibus, præsertim paralysi, apoplexia, epilepsia & aliis morbis convulsivis, egregium est. Quidam succino destillando addunt rasuram cranii humani, & putant se acquirere oleum efficacius contra apoplexiam & epilepsiam. In partu difficili singularia efficit: in pellendo fœtu mortuo & secundinis ad aliquot guttas propinatum expertum habet effectum: sicut & in passione hysterica mirè conducit, si tantùm una alterave gutta in aqua castorei & hirundinum propinetur. Tandem uno verbo ut utar: olei succini ritè rectificati internæ vires sunt admirandæ, ut propterea commodè Balsamum Europæorum vocetur, & loco veri balsami haberi potest: & quicquid virum petroleo tribuitur, multò magis huic tribui debet, uti rectè loquitur BOOTIUS *de Gemmis*. Unde à quibusdam *oleum sacratum* vocatur, propter singulares vires in propellendis morbis. *Externè* in catarrhalibus capitis affectibus, vertici & futuris illitum, mirè penetrat, & nervosi generis spasmos valdè coercet. Hac enim ratione imminentem præcavet epilepsiam & apoplexiam, necnon paralyses, & imprimis in ipsa apoplexia & epilepsia, item vertigine, hemicrania & cephalalgia senum pertinaciori, nec non affectibus soporosis, Germ. *in den Schlagflüssen*, mirificum se pręstat. Unde etiam emplastra cephalica pro cephalalgia, vertigine, & apoplexia senum curanda, malaxantur cum oleo succini, aut interdum cum eo ipso irrigantur. Quod si gravitas odoris quemquam offendat, commodè commisceatur cum eo Balsamum Petuvianum; in hoc passu fit egregium: scrobiculo cordis, umbilico & regioni pubis illitum non partum saltem promovet; sed etiam in passione hysterica mirè conducit: in convulsionibus partium internarum, & doloribus abdominis scorbuticis confirmatis, umbilico & abdomini applicatum, pręstat mirifica auxilia. De huius olei virtutibus dictum sufficienter.

Cum hoc oleo præterea, & floribus sulphuris, *Balsamum sulphuris succinatum* fieri potest, polychrestum in nervorum affectibus, & omnibus iis, ad quos vel oleum simplex succini, vel balsamum sulphuris terebinthinatum, sed tamen in gradu longè excellentiori.

Noxas olei succini nimis largiter hausti vid. in M. A. N. C. *Anno 8. Obs.78. pag.* 147.

Quoniam verò oleum succini & sal volatile quibusdam nauseosum est, horum loco egregiè confert liquor cornu cervi succinatus, qui partium nervosarum egregium solamen est.

Oleum succini nigrum ac impurum magni est usus in ulceribus serpentibus, item in gangræna & similibus.

Caput mortuum destillationis, instar colophoniæ remanens, commodè emplastris loco corporis addi potest, cùm nervis partibusque nervosis perquàm appropriatum sit.

Pilulæ de succino Cratonis valdè commendantur in affectibus senum, vertigine, lethargo & similibus: non valdè purgant, sed tantum alterant: possunt tamen acui cum grano uno vel altero scammonii præparati, item grano uno vel altero trochiscorum alhandal.

Trochisci de Carabe in officinis sunt experti in sputo sanguinis, & læsione vasorum internorum.

CAPUT XXXII.

DE SPERMATE CETI.

Sperma Ceti ab Autore refertur inter genera bituminum; ac reverà ei nondum cognitum fuit, & ante paucos annos sperma ceti quid sit? innotuit. Aliud est *veterum*, aliud est *modernorum*. *Veterum* est nativum: *nostrum* verò artificiale. *Nostrum* est *species pinguedinis* animalis cujusdam cetacei majoris, quod caput habet cum gibbere prægrandi, & copiosè reperitur circa Gronlandiam, ex capite secreta transcolatione, ac cum lixivio depuratione parata: vid: BARTHOLINUS *Cent.4. Histor. anat.* 24. *pag.* 276. item *Cent.* 3. *Epist. pag.* 291. & *Disput. mea de sperm. ceti*. Et vidi literas ex Hafnia Pharmacopœo curioso transmissas, in quibus tota natura & origo spermatis ceti continebatur: quod nimirum in capitibus piscium cetaceorum copiosè reperiatur, & ex iisdem colligatur, ita ut integra dolia ex uno capite hauriantur.

Hæc autem materia ex se cùm sit pinguis & quasi rancescens, hinc præpatatur ut fiat alba & crystallina, hoc modo:

Materia ista, quam sperma ceti vocant, si adhæreat isti aliquid pinguedinis oleaginosæ, transcolatur per panum setaceum, ut alterum oleaginosum spermatis ceti recrementum separetur: Sin verò nulla talis pinguedo adhæreat, non opus est, ut hoc fiat. Portionem trajectam per pannum setaceum resolvunt in lixivio forti & acri, facto ex cineribus clavellatis, calce viva & similibus bene saturato: unde miscela hæc probè agitata sensim sensimque lactescit & spumescit, qua spuma separata depuratur sperma ceti: quod denuò separatum à lixivio forti in aere solo, non autem in sole, exsiccatur, & ita est nostrum usuale sperma ceti, quod nunquam apud Autores est descriptũ.

Quod attinet *Vires*: sperma ceti in quocunque sanguinis grumo dissolvendo est egregium remedium, quod par sibi non habet in hoc casu, in haustu cerevisiæ calidæ assumptum; unde in pleuritide, peripnevmonia, in casu ab alto, & similibus est elegans medicina: item valdè convenit in inflammationibus partium sistendis, quarum coagulatum sanguinem dissolvit sperma ceti: sicut & in tumore mamillarum à lacte coagulato cum lapillis cancrorum & myrrha egregiè convenit. In torminibus infantum, item in torminibus colicis adultorum mitigandis, valdè convenit, dissolutum in aqua appropriata. Præ cæteris tamen in affectibus pectoris est ex usu, in specie in asthmate, & imprimis in ejus paroxysmo graviori, mirè quoque convenit: sic & in catarrhis suffocativis, qui oriunrur ex sanguinis coagulatione & stagnatione in præcordiis, officium suum facit, si præmissa venæ sectione subitanea propinetur, dissolutum in aqua hyssopi cum syrupo de hyssopo, vel nicotianæ, vel cum aqua asthmatica Rudolphi: qualem potiunculam mirè commendat CRATO *de Catarrho suffocativo*, item RANCHINVS *de affectib. puerorum catarrhalib. & pectoris anxietatibus*. Nec minus in tussi sicca nocturna est egregium, temperando lympham acrem catarrhalem, & raucedinem inde ortam. Vlteriùs affectibus spasmodicis medetur, & in

calculo cum lapillis cancrorum, succino præparato, cinnabari antimonii, & uno vel altero grano laudani opiati, præstantissimum est remedium. Dosis ℨj. Plura de usu ejus interno, utendi modo & dosi, vid. *in Disput. mea de Cerebro Orcæ*, *in specie* §. 13.

Externè in tumoribus & inflammationibus mamillarum & resolvendo lacte est egregium sperma ceti, vel per se, vel cum emplastro diachylon mixtum & applicatum: in quem usum habetur in MYNSICHTIO *Emplast. de spermate ceti*, quod est egregium in huiusmodi mamillarum affectibus. Præter aliàs nota speciatim attendatur ejus usus cosmeticus: si quidem cum oleo tartari vel alijs subactum, glabram & nitidam cutim reddit, ac speciatim maculas faciei tollit: Conf. M. A. N. C. *Anno* 6. *append. pag.* 192.

CAPUT XXXIII.

DE

ASPHALTO, NAPHTHA, PETROLEO, ac OLEO TERRÆ.

ASPHALTUS.

Asphaltus, Germ. *das Judenpech*, bitumen naturale est, quod tamen rari est usus in medicina, nisi usu externo à quibusdam Balsamo apoplectico aliisque linimentis & unguentis addatur; idque tantùm propter colorem nigrum, quem inde acquirunt: sed meliùs faciunt, qui ejus loco ebur ustum dicto balsamo aliisque pro colore addunt.

PETROLEUM & NAPHTHA.

Veterum *Naphtha*, *Petroleum*, ac *Oleum* terræ reverà coincidunt; sunt enim nihil aliud, quàm bituminum liquidorum accidentales differentiæ: subtilius si fuerit, Naphtha dicitur: huic proximè est Petroleum; hinc oleum terræ; crassamentum horum est asphaltus.

Petroleum natiuum est, & in fontibus quibusdam deprehenditur aquæ supernatans, item ex montibus quibusdam spontè suâ sensim sensimque transudare obseruatur: Sic Petroleum, quod in agro Mutinensi spontè suâ destillat ex rimis montis, notum est: Fons petrolei in Alsatia reperitur: vid. *Acta soc. Reg. vol.* 1 *p* 101. item in Bavaria: vid. WELSCHIUS *in Hecatost.* 1. *p.* 78. Petroleum hoc esse naphthę quandam speciem, patet ex eo, quod etiam in distans ignem rapiat, quod ipse expertus sum. Habetur duplex: *flavum* siue *candidum*, & *rubrum*.

Usus petrolei *internus* certissimè menses stimulat, si assumantur in vino gtt. x. ad xv. idque eò magis, si silex ignitus supponatur vulvæ & suffitus ex guttulis aliquot huius olei excipiatur: quod si inungatur simul regio pubis, est eò melius. Quartanas, aliasque febres intermittentes tollit, si guttulæ aliquot ante paroxysmum propinentur; minus tamen securè: qui nauseant eius usum internum, externè regioni stomachali illinant. Dentibus cum bombace inditum, odontalgiam sistit, & æquè efficax est ac oleum caryophyllorum vel origani.

Externè propter vim anodynam in affectibus partium neruosarum, præprimis dolorosis ac spasmodicis, egregiè conducit, sive solum, sive cum oleo succini iunctum sit: multum confert in affectibus neruorum, ut vocant, frigidis, paralyticis, apoplecticis &c. Illitum partibus externis tempore hyberno, eas certissimè præseruat à frigore; vel qui iam sunt læsi, illinant loca frigori exposita, & certissimum remedium habebunt. Si camphora in eo soluta sit, egregium est præservativum externum contra serpentes varii generis, autore PARACELSO: regioni renum vicinisque locis illitum, præstans est in doloribus & affectibus nephriticis: confer. PANAROLLUS *Pentec.* 2. *obs.* 2.

Destillari potest vel per se ex capella vacua, vel cum intermistis cineribus elixiviatis, & acquiritur oleum limpidissimum, longè penetrantius, & dictis in affectibus efficacius. Quando per se destillatur, post se in fundo retortæ picem seu colophoniam nigram relinquit.

OLEUM TERRÆ.

Species Petroleoi est *oleum terræ*, ex India Orientali allatum, odoris tamen gratioris: est simplex nouiter demum inventum.

Usui externo ad omnia illa confert, ad quæ petroleum commendari solet, penetrantius tamen est: imprimis egregiè convenit in arthritide vaga scorbutica, ad quam AUTOR *pag.* 515. valdè commendat, & rectè; in hac enim illitum summum est remedium. Præterea etiam valdè conducit in relaxatione tendinum & ligamentorum circa articulos, & inde supervenientibus spontaneis quasi luxationibus, aut motuum impedimentis. Fit scilicet non raro, ut laxa fiant ligamenta circa articulos ossium, ut ossa non ampliùs possint in articulationibus contineri, idque ex nimia humectatione; sive fiat à copia sinoviæ, sive à copia lymphæ, vel alius materiæ crassioris seu pituitosæ, quæ ligamenta laxa dant & luxationes spontaneas; uti hoc non rarò evenit in malo ischiadico. In tali casu præmissis universalibus, purgantibus & sudoriferis, hoc oleum terræ illitum experimentum est BARBETTE: firmat enim ligamenta, & resolvit lympham, aliosque humores nimis laxantes: sicut à BARBETTE *in Anatomia Practica cap.* 5. *pag.* 31. valdè commendatur sequens emplastrum:

℞. *Emplastr stict. Croll.* ℥j.
Olei terræ,
Philosoph. ana ℨi.
Misce, f. *emplastrum*, extendendum super alutam, & applicandum loco affecto.

Idem affectus contingit non rarò neruis & tendinibus, ut iidem ab affluxu humoris aquosi aut pituitosi laxentur, aut flaccidi fiant; unde partis & sensus & motus perit: in tali casu præmissis uniuersalibus convenit valdopere hoc linimentum:

℞. *Pingu. human.*
Anserin. an. ℨj.
Olei terræ ℨiij.
M. f. *linimentum*.

Hoc ipso fricanda est pars affecta manè & vesperi, & postmodum applicandum emplastrum sticticum Crollii, de ladano, vel emplastrum diachylon cum gummis.

In paralyticis quoque morbis, debilitatione partium à podagra pro robore ac tono articulorum restituendo, oleum terræ egregiè confert. Plura videb. in TULPIO *lib.* 4. *observat. cap.* 48. HOFFMANNI *Clave pag.* 388. BONTIO *de Medicina Indor. pag.* 22.

CAPUT XXXIV.

DE

CARBONE PETRÆ, & GAGATE.

CARBO PETRÆ.

Carbo petræ seu *fossilis*, vel *Anthrax*, Germ. *die Stein-Kohlen*, concretum est terreum, ex bitumine cum intermixto quasi lapide scissili: Estque quasi mater succini & petrolei; id quod confirmatur ex eo, quod anthraces per se igne aperto destillati dent phlegma acidum, & oleum in notabili quantitate, quod rectificatum fit instar petrolei, cum pauco sale volatili, sali succini simili. Unde non ineptè suspicatur AUTOR, oleum tale ad affectus neruosos & emolliendos tumores esse egregium. Sed cum sufficiat nobis petroleum, non opus est hoc artificiali.

GAGATES.

Gagates à quodam Ciliciæ flumine ita dictus, non secus ac lapis Thracius à flumine Thracię, vocatur quibusdam *succinum fossile* seu *nigrum*. Est autem saltem substantia bituminosa impura, quæ reuerà potiùs ad carbones petræ referenda videtur, quàm ad succina. BOOTIO autem *de Gemmis & Lapidibus* est quasi succinum quoddam nothum, & valdè adustum ac induratum, quoniam etiam ad instar succini calefacti paleas attrahat, & materia gagatis similis videatur capiti mortuo ex succini destillatione residuo. Hæc enim materia remanens, si diutiùs destilletur, splendet picis instar, ac tandem refrigerata in gagatem permutata videtur.

Usus internus est nullus: refertur tamen à BOOTIO, quod pulvis gagatis à virgine assumptus, virginitatis notas per urinam exhibeat certas: qui vult, potest consulere experientiam. *Externè* in quibusdam emplastris adhibetur.

Oleum, quod destillatur *ex gagate*, petroleo cognatum est, calidius tamen, adeoque promiscuè in usum potest vocari. Ad affectus nervorum frigidos, in specie ad podagram valdè commendatur. Sunt, qui oleum hoc, & ex eo pararum emplastrum, mirè commendant ad affectus hystericos, umbilico illitum.

Et hucusque de Regno Minerali.

SOLI DEO GLORIA.

COM-

COMMENTARII SCHROEDERIANI PARS ALTERA. DE MEDICAMENTIS COMPOSITIS *seu* PHARMACEVTICIS.

Ut ut longè sit nobilius, & in medicinæ primordiis potissimùm consuetum fuerit, per simplicia curare, & HELMONTII sententia à veritatis scopo non abludat, dum, *pauca*, inquit, *Medicum nobilitant*; nempè nobiliora, generosiora & efficaciora remedia ritè præparata: Attamen, quia hæc simplicia cruda, vel in substantia solida assumi non facilè possunt, orta hinc est Medicamentorum Præparatio, quę maximam partem, si non omnis, in pulverisatione vel decoctione & in infusione consistebat. Tractu verò temporis, ubi unicum simplex omnibus indicationibus non satisfacere obseruarent, tentarunt per additionem alterius hunc vel illum defectum, vel non satis, ob mentis nostræ caliginem, exploratam virtutem supplere, tum etiam ut ægroti medicamenta, aliàs nauseabunda, faciliùs assumerent, de grata quoque eorum forma cogitarunt: hacque ratione medicamenta composita introduxerunt, quæ non semper sunt contemnenda. In quorum compositione, ut omnia ritè fierent, & debita forma proveniret, debitam proportionem observarunt, sicque compositionem medicamentorum in certam quasi artem seu methodum præscribendi formulas redegerunt: de qua arte seu methodo in peculiari Collegio Formulari mihi sermo erit. Jam verò necesse est, ut pro absolvendo Collegio Pharmacevtico ad remedia pharmacevtica, & quidem usitata composita, ab AUTORE *nostro lib.* 2. recensita, accedamus.

Triplex autem in hisce *scopus* est:

1. Ut remedia faciliùs usurpentur ab ægroto: sic v. g. absinthium crudum nemo facilè usurpare poterit: Eadem de ebore crudo raspato ratio est. Alia ergo sub præparatione hìc offerenda sunt.
2. Ut virtus medicamentosa simplicium educatur foras, & separetur à scoriis non medicamentosis. HELMONTIUS vocat: *sanguinem à cruore secernere*: v. g. Tota vis Cornu Cervi consistit in sale volatili maximâ parte, proptereà destillatur, ut hoc habeatur seorsim. sic v. g. spiritus cochleariæ destillatur, ut sal volatile antiscorbuticum habeatur, reliquo corpore minus efficaci relicto.
3. Ut corrigatur in simplici, si quid nocivum vel violentum vel virulentum adsit; varias enim dotes habent simplicia, & dum prosunt, etiam nocent, ut opiata. Purgantia omnia vim nocivam & virulentiam secum habent: non tamen sunt castranda, ut opium à multis per acida; nec planè destruenda crasis, quin potiùs extrahatur integra, ut possit usurpari relictâ parte inutili.

Quoad ipsa Composita; vitentur porrò, quantum fieri potest, compositiones enormes, & contrahantur, ut fiant quasi tertium & efficaciores: v g. Compositiones illæ theriacales pessimæ sunt.

Sub Præparatione verò simplicia variis torquentur operationibus, variaque inde resultant medicamina, ut videre est ex sequentibus.

Medicamenta hæc Pharmacevtica optimè aliàs dividuntur secundùm consistentiæ rationem in liquida, solida, ac mediæ consistentiæ.

Liquida sunt:

1. Destillata; aquæ, spiritus & olea.
2. Soluta & Extracta; uti sunt Essentiæ, Tincturæ, Elixyria, Infusa, Decocta, Olea per infusionem, Olea per decoctionem, Aceta medica, liquores, gelatinæ, emulsiones, vina medicata, ac aliæ infusorum & decoctorum speciales differentiæ; v.g. clysmata, cataplasmata, gargarismi.
3. Expressa: succi, item olea per expressionem.
4. Ex his diversimodè mista: Potiones, Balsama, Syrupi, Julepi, Linctus, Epithemata, Condita, Unguenta.

Solida sunt:

1. Contusa & pulverisata, nempè Præparata, Farinæ, Feculæ, & species seu pulveres compositi.
2. Sublimata; ut flores, salia volatilia, Mercurius sublimatus, &c.
3. Præcipitata; ut Magisteria, Mercurius præcipitatus, &c.
4. Calcinata; ut salia fixa, lapides medicamentosi, calces, usta, &c.
5. Mista; ut Morsuli, Rotulæ, Pilulæ, Poma ambræ, Sacculi, Suppositoria, Trochisci, Confectiones.

Mediæ consistentiæ, eaque ferè mista, sunt; Conservæ, Boli, Electuaria, Sapones, Emplastra.

De singulis seorsim, & quidem hâc vice secundùm seriem Autoris nostri; unde incipio.

CAPUT XXXVI. DE ACETIS.

Aceta medicata sunt vel per simplicem cum aceto vini infusionem, vel per artificiosam fermentationem; & hęc ipsa iterum vel volatiliora, vel fixiora.

Aceta medicata per infusionem convenientium vegetabilium simplicem paranda, potiùs cum aceto vini crudo, quàm destillato, præparanda. Nam utut ista cum destillato parata aceta diutiùs durent, tamen efficacitate cedunt hujusmodi acetis medicatis cum crudo paratis; ut rectè HOFFMANNUS habet *Clavepag.* 43. sicut etiam notum est, quando à Medico præscribitur acetum, intelligatur acetum vini, ceu ex omnibus optimum & convenientissimum. Hoc tempore quidem etiam ex melle fit acetum; non tamen ita commendatur hoc pro usu medico, quàm pro alchymistico, pro solutionibus metallorum, ac aliis operationibus Chymicis.

Quoad modum infundendi; observetur tempus, quo ingredientia durare debent in infusione, quod pro vegetabilium textura & constitutione est varium: quæ enim tenerioris sunt compositionis, v. g. flores rosarum, tunicæ, calendulæ, violarum, &c. vix per tres horæ quadrantes in aceto relinquendæ sunt, quibus exemptis novi flores infundendi, quod aliquoties repetendum: sic enim brevi morâ partes tantum volatiles & efficaciores ex floribus prolicientur, relictis partibus crassioribus & terrestrioribus, à quibus aliàs facilis corruptio, quæ observatâ hâc encheirisi præcaveri potest: quæ verò duríoris sunt compagis, diutiùs etiam in infuso relinqui possunt.

Quoad *Aceta per fermentationem*: observandum est, dari etiam aceta plantarum volatilia, quæ striatim spiritus vini instar per alembicum pergunt, magni usus, & ipsis interdum spiritibus ardentibus præferendi: Nempè tum aromatica simplicia fermentatione recluduntur pro spiritu volatili impetrando: si paulò diutiùs in fermentatione steterint, acorem contrahunt, & perfectè in acetum abeunt. Sed dum sunt in fieri ad acetum, antequam hoc perfectum sit, destillanda sunt, & sic acetum vegetabilium elegans elicitur: hinc v. g. exactâ rosarum aut liliorum convallium fermentatione, si ultrò spiritum ardentem deprimi permittimus, ulteriùs, quàm par est, in fermentatione relinquendo: quamprimùm verò acidiusculus perfectus odor sese exerere incipit, destillatur, acetum volatile prodit, & instar spiritus vini strias efformat. Separato hoc aceto volatili, reliquum ex plantis abjici non debet; continet enim fixiores & terrestriores aceti particulas, additis vini fęcibus, vel etiam per se in acetum perfectum redigendas.

Facere huc videtur, quod refert MOELLENBROCCIUS *de Cochlear. pag.* 75. & 76. spiritum vini infusum super cochleariam, oblivioni traditum, repertum fuisse planè acidum, indeque generosissimum spiritum sulphureum fuisse prolicitum.

Hæc sunt aceta volatiliora per fermentationem.

Quoad

Quoad *aceta* quasi *fixiora fermentata*, sit exempli loco *acetum diaphoreticum* elegans:

℞. *Ligni sancti* ℔ß.
Sassafras ℥ij.
Rad. sarsapar. ℥j.
Flor. sambuc. Mj.
Passul. mai. ℥j.

Incis. & contus. coq. in *aqua simpl. fontan.* q. s.

Colatura stet per aliquot dies in loco calido, acescit sponte; & potenter dosi cochl. j. ad ij. sudorem mouet.

Species etiam dictæ cum aceto fortissimo macerari & coqui possunt, donec rubini instar tingatur acetum, quod postea filtretur, & usui seruetur.

Quoad *usum acetorum*: sunt vel simplicia, vel composita; quæ præter vim aceti generalem modificantur pro ingredientium diuersitate specifica.

Quoad *aceta simplicia*, est primò

ACETVM ANGELICÆ.

Quod fit ex infusione radicis. Commendatur contra pestem, cum enim aceta optimè prosint in peste, commodè talia aceta adhibentur ex infusione simplicium antipestilentialium.

ACETVM ANTHOSATVM

Ex *infusione florum anthos*, prodest in affectibus capitis, in specie in lethargo, & similibus affectibus soporosis & comatosis.

ACETVM CALENDVLATVM

Ex *floribus*, prodest in syncope, lipothymia, & palpitatione cordis; & externè in affectibus hystericis.

ACETVM CORTICVM CITRI.

Specificatum est in stomachi affectibus, imprimis flatuosis, item in peste, in qua aliàs usurpantur aceta bezoardica: de quibus paulò pòst.

ACETVM LAVENDVLÆ

E floribus, capiti conducit.

ACETVM MENTHÆ

Ex foliis, stomacho conducit, imprimis in apepsia & appetitu prostrato.

ACETVM RUBI IDÆI

E fructibus, conuenit in virium defectu.

ACETVM RUTACEVM

E foliis, est unum ex primarijs antipestilentialibus: uti etiam

ACETVM SAMBUCINVM

Ex floribus.

Quoad *aceta composita*: in usu sunt Aceta Bezoardica & prophilactica, quorum variæ & diuersæ prostant Descriptiones. Aliquot videbitis in AUTORE, qui diligenter est iegendus pro repetitione materiæ medicæ, & pro meliori examine proportionis. Sanè loco tot ingentium compositorum, qualia hinc inde prostant, & AVTOR habet *num. 2. & 3. pag.* 127. Acetum infusionis theriacæ cum camphora sufficit, vel acetum infusionis baccarum juniperi cum myrrha, addendo camphoram.

Talia aceta diuersimodè usurpantur internè & externè.

Internè adhibentur pro præseruando à peste singulis horis matutinis cochlear j. vel alterum: in cura permiscentur conuenienter cum sudoriferis sulphureis volatilibus talia aceta, & ita hauriuntur non sine successu.

Externè in peste, in syncope & lipothymia, item quando ægri nimium sudant in febribus malignis & pestilentialibus. Applicatur cum linteis pulsibus & naribus; attracta enim vis aceti per nares sensim sensimque alterat massam sanguineam, eamque, quò minus venenum pestiferum possit suam ludere tragœdiam. Confirmat hoc BARTHOLINVS *Cent.* 4. *Hist.* 13. dum refert: *per acetum rosaceum carpis & naribus admotum, per aliquot dies fugitiuæ vitæ remoram iniectam fuisse*, se aliquoties vidisse.

His acetis Bezoardicis commodè pro temperamento, in iis imprimis, qui non possunt perferre aceta, ut sunt senes & mulieres hystericæ, potest addi spiritus iuniperinus, spiritus de baccis sambuci, spiritus corticum citri, &c. sic enim temperatur vis aceti, non tamen tollitur, sed, ne nocere possit corpori, temperatur à spiritu volatili, & magis fit appropriata.

CAPVT XXXVIII.

DE AQVIS DESTILLATIS.

Quæ destillando in pharmacopœis præparantur, sunt *aquæ, olea destillata & spiritus*, &c. ubi ignis primarium artificium Chymicorum est, qui per motum operatur, & facit noua producta. Ignis enim aut separat volatiliora à fixis, idque sub operatione, quæ vocatur destillatio; quando nempè separantur duplici forma, vel liquida, vel sicca: In forma sicca est sublimatio, dans flores, de qua *suo loco*; in humida dat aquam, spiritus, olea, &c. Sunt hęc nihil aliud, quàm phlegma concreti essentiale, motu & impulsu caloris separatum, de viribus, hoc est, concreti particulis actiuis plus minus participans.

Circa has considerentur:

1. *Subiectum*, ex quo destillari possunt, quod sunt vegetabilia & animalia; mineralia enim destillando nihil aquæ suggerunt, nisi forsan phlegma vitrioli excipiatur, aut aqua destillata ex pluuia, niue, rore, &c. Reliquæ aquæ ex mineralibus destillatæ sunt pura phlegmata, ex salinis concretis orta; hinc parum vel nihil valent, excepto phlegmate vitrioli, quod hecticis ratione gas sulphurei maximè convenit, & ab HELMONTIO habetur.

Quoad aquas verò destillatas, tam ex vegetabili, quàm animali regno, variat harum vis & efficacia, prout plus vel minus de concreto suo participant. Interim malè præferuntur à quibusdam Decoctis & Infusis, ex quorum numero est *Ammelungius in suo Tract. apologetico de Chym. cap. 1. p.* 115. ut etiam *Zuuingerus in Exam. Principiorum chymicor. p.* 94. & *p.* 116. cum hæc, præsertim in animali regno, multum de substantia simplicis participent; aquæ verò destillatę parum admodum; cum ob diacrisin partium impossibile sit, ut crasin totius retineant: quare ab *Helmontio* hinc inde, in specie in *Tract. de Febribus cap.* 8. *§.* 1. rectè vocantur *sudores inutiles plantarum, quem fundunt sub incalescentia ignis, ut nihil participent de crasi simplicium, omniq; efficacia & energia agendi destitutæ sint*: quò etiam inclinat CONRINGIUS *in Tract.* eleganti *de Medicament. Hermet. cap.* 20. *p.* 262. qui *parum illis virium inesse* dicit, imò *omnes eiusdem esse potentiæ & naturæ*, audacter asserit.

Medium tamen tenuere beati: unde rectè fecit ZWELFERUS *in animaduersionib.* item LAURENBERG. *in scriptis contra Schrœderum*, atque etiam in *Paralipomenis*, qui non sine ratione inter plantas distinguunt & diuersam earum pensitantes naturam alias efficaciores, alias minùs efficaces pronunciant.

Opposita sunt aliàs Destillatio & Decoctio simplicium: illa volatilioribus, hæc fixioribus debetur subiectis. Decoquimus animalium partes pro gelatina efficaci, quarum aquæ nil valent. Destillamus antiscorbutica & aromatica in spiritum, quorum decocta parum virtutis specificæ retinent, cum hæc in volatiliori consistat substantia, quæ decoquendo avolat: sic eæ plantæ, & earum vegetabilium partes, quarum vis in terrestreitate quadam pontica consistit, destillationi inepta sunt. Ergo vel infundenda, vel decoquenda sunt: utrumque tamen non sine iudicio. Primò enim soluitur concretum, & κρᾶσις salina beneficio coctionis elicitur. Attendatur ergo vegetabiliū natura: quæ destillanda? quę verò decoquēda sint? v.g. aqua destillata & decocta fol. quercus multis parasangis differunt: volatiliora destillanda, fixiora decoquenda sunt: sic aqua foliorum quercus nil valet; quia vis in terrestriori substantia consistit; hinc decoctum eius præferendum: sic alchimillæ pariter aqua destillata phlegma est insipidum & iners; decoctum verò eius est vulnerarium summum internum: sic cinnamomum vim omnem ferè per destillationem cum vino emittit, decoctum autem residuum iners in fundo relinquit nauseosi saporis & nullius usus.

Medio modo se habet infusum, quod nec volatilia separat, & fixa tamen imbibit: Dantur enim simplicia, quæ non possunt destillari, nec decoqui; ergo debent infundi: sic essentia croci per infusionem cum spirit. vini vel alio liquore spirituoso parata melior est, quàm inde abstractus spiritus, utpote in quo volatiliores saltem particulæ insunt, quibus separatis extractum remanet: essentia contra, utrasque & volatiles & fixiores extracti partes in se retinet. Vegetabilia ergò, si rigoroso igne solùm per retortam destillentur, tam recentia quàm arida dant phlegma, spiritum acidum & oleum empyreumaticum; parili ratione atque ex lignis hæc obtineri solent: moderato verò igne tractata recentia cruda dant phlegma, item olea destillata, nempe aromatica, quæ fermentata oleorum loco spiritum volatilem, putrefacta verò spiritum urinosum suggerunt.

Considerandum iam venit, quænam vegetabilia apta sint, ut aquas usui medico conuenientes destillando suggerant? Sanè hic unumquodque vegetabile, & unaquaque eius pars, specialem ferè meretur considerationem; multa enim, quæ videntur similia, sub ignis examine, ob motum extrinsecùs inductum, & nouum hinc particularum coalitum, fiunt dissimilia. Sic v.g. piperitis, simplex antiscorbuticū accerrimum destil-

destillatione simplici aquam fundit, acrimoniam saporis exactè referentem; Arum è contra similis apparenter naturæ insipidam fundit aquam: Hepatica verò nobilis, apparenter mitis planta, ritè destillata acerrimam volatilem suggerit aquam: sic flores tiliæ, nisi probè obseruentur, aquam admodum mucilaginosam fundunt: herba saluiæ, & flores aquam odoriferam oleosam dant: flores rosarum aquam odoriferam non oleosam: flores iasmini aquam nullius odoris: sic ligna, succi vegetabilium acidi & aceta, v. g. succus citri, berberum, &c. nil nisi laticem elementarem insipidum suggerunt, sine virtute medica; aciditas enim vel à destillatione leniore sub forma extracti seu Rob in fundo vasis remanet, vel fortiore comburitur. Quibusdam in locis aquæ destillatæ ex succis vegetabilium expressis in usu sunt: verùm cum potissimæ virtutes in residuo expresso remaneant, aquæ imbecilles & inodoræ prodeunt.

In genere tamen concreta vegetabilia sunt vel fixiora, vel volatiliora. Illa sunt v. g. vulneraria, adstringentia, ligna, radices, v. g. pœoniæ, liquiritiæ, &c. semina non aromatica, e. g. lini, &c. item ea, quæ sunt dulcia, item consistentiæ viscidæ glutinosæ, ut resinæ, gummata, &c. Hæc aquas merè elementares fusudant, salinis atque sulphureis partibus destitutas: unde ridiculi sunt & niuem præparant nigram, qui aquas adstringentes ex tormentilla, plantagine, portulaca, & similibus haurire volunt; quæ tamen vegetabilia aliàs per fortissimam coctionem tractari volunt: partes autem horum aquosæ per alembicum ascendentes, partibus terrestribus fixis adstringentibus relictis omnino contrariantur. Huc pertinent omnia splenetica propriè sic dicta, ut filix, ceterach, scolopendria, polypodium, & similia terrestria, & minus volatilia & spirituosa, uti vel gustu patet. Ex his destillatæ aquæ, vel cum vel sine vino, parum aut nihil de crasi ac efficacia simplicium secum transportant, adeò ut nulla vis ex his cum aqua destillata prodeat. Hinc patet error illorum, qui sub destillatione aquarum compositarum fixissima sæpè corpora admiscent, ut lapillos cancrorum, tragacantham, bolum Armenam, corallia, margaritas, lapides pretiosos, &c. ubi concreta hæc fixiora tota remanent. Pauca ligna aromatica sunt, v. g. sassafras, iuniperinum, &c. quorum aquæ de volatiliori substantia participant, & aliqualem vim medicamentosam obtinent. Ex saccharo, ficubus, passulis, aliisque fructibus nondum fermentatis, &c aqua insipida & effœta habetur. Volatiliora quæ sunt rectè distillata aquas medicinales satis efficaces suppeditant, easque vel particulis volatilioribus sulphureis, ut v. g. absinthium, fœniculum, serpillum, rosæ, aliæque plantæ aromaticæ & neruinæ; vel salinis, iisque non acrioribus, ut piperitis, persicaria, hepatica nobilis, &c. vel mitioribus, ut farfara, intybus, endiuia (confer. TACHENIUS *Hippocr. Chym. cap.* 10.) quò etiam facit sperma ranarum; vel utrisque simul impregnatis, ut anisum, mentha, saluia, &c. Vnde differentiæ talis respectu non incomodè in tres classes dirimuntur herbæ à ZWELFERO *Pharm. Reg. pag.* 215.

Quoad animalium partes destillandas: uno nomine hæ suggerunt nihil nisi phlegma inutile, plus minus empyrevmaticum; quod tam in partibus solidis, quàm fluidis verum est. Ex cruore recenti simplex phlegma iners destillatur, non secus atque ex cerebro. In cæteris partibus, præsertim carnosis & visceribus, consistit vis animalium in substantia gelatinosa, & extinctâ eorum vitâ hoc unicum beneficium expectandum. Atque sic se habent aquæ analepticæ, item antiphthisicæ, & impinguantes dictæ, ex sanguine porcelli vel vituli, cancris fluviatilibus, pulmonibus & hepatis animalium, carne suilla, ex caponibus &c. communiter præparatæ; nudum phlegma assurgit, & crasis substantialis remanet in fundo: unde *qui caponem balsamo embryonum, hirundines aquis antiepilepticis aliisque addunt, & ex capone aquam analeptic. singularem destillare volunt, ridendi sunt*; nam vis nutritiua in gelatinosa consistit substantia, cujus spiritus licèt aliquantulum destillatione simul eleuetur, unde & aquæ illæ, prout & aliæ ab amygdalis à symphyto maiore &c. elicitæ, successu temporis rancescūt, illud tamen ad nutritionem non æquè sufficit; unde gelatinæ animalium, decocta & juscula harum partium longè præferendæ sunt eorum destillatis aquis: nam hæ ipsæ partes sunt fixiores, quàm ut possint destillari per alembicum: de quo vid. *Sennertus in fin. de Decoctis, Zwelfer. in Pharm. Aug. p.* 287. 289. & *in Pharm. Reg. p.* 200. & alij Authores. Eodem modo se habet res cum *aqua seri lactis* destillata inani phlegmate. Vnde animalium aquæ in genere paruæ vel nullius sunt efficaciæ, nisi excipere velimus insecta, copioso sale volatili impregnata, ratione cuius cancri contusi, cochleæ contusæ, sperma ranarum & similia suggerunt aquas sale volatili impregnatas non rejiciendas: sic ex cancris fluviatilibus viuis contusis, cum sempervivo & sale ammoniaco permistis, conveniens destillatur aqua pro angina, inflammatione, prunella, Germ. *die Braune*, & aliis affectibus faucium, morboque Hungarico: sic & aquæ formicarum suo non carent usu, cùm constent sale volatili sufficienti, eoque satis acri. Ex cornubus quidem non potest destillari aqua, sed spiritus; nouella verò ceruorum cornua, quæ *typhæ* vocantur, eaque teneriuscula & molliora, subministrant aquam satis elegantem in morbis malignis, in variolis & morbillis, in syncopticis affectibus, & similibus alijs: in nimio lochiorum fluxu singularis est, in quo permista cum osse de corde cerui puluerisato habetur specifica. Aquæ ex stercoribus animalium, ut hominum, vaccarum, &c. destillatæ, operationes suas quoque edunt. In cuiuscunque certè animalis stercore vermiculi nascuntur sui generis: vid. POTERIUS. Imprimis pro usu externo inter cosmetica & ophthalmica solent expeti, uti monui de stercore anserino, humano, columbino, vaccarum, ex quo destillatur *aqua omnium florum*.

Dubium saltem est: *annon ex partibus animalium adhuc viventium spirituosa illorum pars virtutem suam exerere valeat?* ita ut vivæ animalium partes aquis infundantur, & hinc destillentur; unde & *Zwelferus* pro aquis apopleticis, item epilepticis destillandis hirundines viuas discerptas infundit. Sed reuera & hìc parum est, quod medicina exinde expectare valeat, cùm vita extincta superveniens ignis destruit vim spirituum vitalium, ita ut inutile phlegma prodeat.

II. Consideretur *modus destillationis*: hic in tribus consistit; vel in prædispositione subiecti destillandi; vel in instrumento destillationis; vel in addito destillando: quæ omnia eò collimant, ut copiosior & sincerior volatilium particularum substantia eleuetur.

Prædispositio subiecti in vegetabilibus consistit eorum maceratione, subiectorum præsertim duriorum, radicum, seminum aromaticorum, &c. aut fermentatione, vel inchoata saltim vel absoluta. Per *inchoatam fermentationem acquiruntur aquæ nonnihil spirituosiores* ac penetrantiores: per absolutam fermentationem verò aquæ, quæ suos insequuntur spiritus, & etiam plus de virtute plantæ suæ communicant, quàm aquæ communes, cùm oleum in ijs magis resolutum sit, à quo omnis earum virtus est. *Putrefactio* etiam huc facit, speciatim in fructibus, qui per se saltem phlegma simplex dimittunt; putrefacti verò plus minus sale volatili acuatum illud largiuntur, qua ratione ex pomis Botsdorffianis putridis egregia fit aqua chirurgica contra ulcera maligna & phagadænica, ambustiones, gangrænam, &c. In animalibus putrefactio aliqualis disponit earum partes, vt phlegmata spiritu ac sale volatili urinosis plus minus impregnata dent; qua ratione cancri fluviatiles, lumbrici terrestres, &c. aliquantisper putrefacti aquas medicamentosas satis efficaces largiuntur. Quod attinet *instrumenta*: variant hæ pro subiecti destillandi varietate. Pro vegetabilibus & animalibus Balneum Mariæ, & hinc vesica, sunt usitatissima, ut ut teneriora & volatilia subiecta etiā balneo vaporoso eliciantur; duriora aut fixiora etiam cinerum ignem requirant. Per vesicam destillandi modus est cognitus; commendo tamen imprimis modū Wedelij, de quo vid. *Pharm. p.* 70. vel concinnum etiam est vas quasi cōpositum ex vesica & Balneo Mariæ *Zwelferi in Phar. Reg. p.* 19. ita ut vesica non immediate imponatur igni, sed potius in vas quoddam aquā repletum: quod ipsum immediatè igni exponitur, & sic etiam fixiores particulæ sine ulla combustione & empyrevmate, simul eleuantur, cùm è contrà simplicis Balnei Mariæ calor nimis moderatus sit. Modum hunc destillandi subministrat etiam *Schenckius in ult. edit.* In defectu huius balnei *Zwelferi* perplacet instrumentum Dni *Febure chym. p.* 1. quod est furnus quasi compositus ex vesica & igne cinerum vel arenę. Destillantur nempe vegetabilia igne aperto, carbonibus adaptando patinam terream, cineribus vel arenā repletam: huic immittitur vesica vel vas, in quo vegetabilia destillanda; sic vi ignis fortis vel aquæ, vel arenæ, vel cinerum, calore lento & tepido sensim sensimq; admodum volatiles & efficaces sine empyreumate prodeunt aquæ, obseruatis his circumstantiis, ut sint volatilia subiecta sulphurea.

Vesica autem ista, per quam fit aquarum destillatio, sit stanno obducta interius, aliàs particulæ vegetabilium salinæ acriores abradunt nonnihil de cupro, licet per se insensitiuè; unde de hoc aquæ simul participantes, fiunt nauseosæ. Exemplum huius rei elegans subministrat *Tachenius in Hippocr. Chym.* cum aqua rosarum, quæ destillata per tale vas cupreum, postmodum infusione olei tartari aut spiritus salis ammoniaci præcipitat pulverem viridiusculum, qui fusione abit in perfectum cuprum. Notetur etiam de instrumentis plumbeis, quod malè hæc conueniant: nam si destillantur in jis acida vel facile acesentia, vel plantę salinę acriores, transitu suo abradunt particulas plumbi, & aquas nauseosas & interdum vomitorias constituunt: sin verò expetantur pro applicatione externa in morbis externis, v. g. in erysipelate, in inflammationibus, item omnes aquæ cosmeticæ, & omnes tales aquæ, quæ pro usu externo expetuntur, possunt commodè destillari per cucurbitas plumbeas; cum notum sit, quod Saturnus sit quarta columna chirurgiæ, & quod particulæ plumbeæ conveniant tàm in cosmeticis, dissolutæ in aqua conuenienti, quàm omnibus alijs externis affectibus in ulcerum, & vulnerum cura: sicut aliàs aquis vulnerarijs externè applicandis permiscetur pro maiori efficacia saccharum Saturni, quā permistione non indigent aquæ destillatione per vasa plumbea.

In specie pro usu interno optimè destillantur plantæ per vasa vitrea, vel vitreata, monente hoc ipsum Poterio; unde efficaces aquæ per retortam in vaporoso balneo, v. g. è carduo benedicto, maiorana, &c. elici possunt, secundùm modum BORRICHII *in Ægypt. Sap. pag.* 372.

III. Tandem quoad addita rebus destillandis, vulgò aqua communis affunditur, ne materia destillanda empyreuma contrahat aut comburatur, atque in hoc satis sunt liberales Pharmacopœi, ut plus aquarum acquirant. Malè autem destillatio cum aqua instituitur, nisi in siccioribus aut aridioribus, v. g. seminibus, radicibus & lignis, cùm sic maxima pars prodiens sit aqua simplex adjecta, unde parum medicamen-

camentosæ substantiæ in aqua copiosa diffunditur, ut in medicina parum valeant. Potiùs plantæ succulentæ & recentes, & hæ ipsæ sub optima sua vegetatione constitutæ, per se destillentur ex balneo vel instrumento ZWelfferi, licet acquiratur minor quantitas aquæ (sin minus succulenta, possunt irrorari cum s. q. aquæ, ne fiant fœtidæ aut empyrevmaticæ) & hinc aqua destillata propria super recentem plantam denuò affusa iterum destilletur, & sic persæpiùs repetitam cohobationem, quò sæpiùs eò meliùs, meliorentur. In quem finem imprimis convenit, si colligantur vegetabilia tempore matutino rore madida, cujus menstrua vis promovet utilium particularum separationem. Herbis aromaticis, item iis, quæ solent dare in destillatione cum sua aqua simul oleum, v. g. absinthio, salvia, &c. his commodè possumus addere paucillum fæcum cerevisiæ recentium & per tempus digerere, ut quasi fermentare incipiant; sic recluditur compages & concretum misti & aquæ fiunt meliores, æquè ac efficaciores; cum fæces cerevisiæ attenuent, penetrent, incidant, & resolvant subtiliores plantarum partes salino-sulphureas. Vinum quibusdam affundi solet aut adspergi, imprimis plantis aromaticis, ut nempè à spirituositate ejus firmiùs abscònditæ particulæ volatiles oleosæ solvantur ac imbibantur, & sub ejus vehiculo copiosiùs sursum rapiantur, & ipsæ etiam concreta à vini aciditate magis incidantur & penetrentur; & tales sunt aquæ plantarum destillatæ spirituosæ: sic v. g. destillantur flores liliorum convallium, semen anisi, cinnamomum, &c. sic & quando aromatica arida destillanda sunt, macerentur in vino, & post dicto modo cohobando aliquoties destillentur. Spiritus vini etiam quibusdam affunditur, ut ejus medio resolvantur & eleventur particulæ oleosæ aromaticæ; unde aquæ cum & sine vino destillatæ, item aquæ vitæ compositæ, quales sunt apoplecticæ, epilepticæ, asthmaticæ, &c. hinc inde magno numero prostrare solent; sicut & ab AUTORE *nostro* statim in principio *cap.* 38. *pag.* 128. dividuntur aquæ destillatæ in aquas simpliciter sic dictas, & in spirituosas, quæ aliquid participant de natura spiritus volatilis facilè inflammabilis; qualis est v. g. spiritus vini.

Rarum est, & verè secretum, quod refert BARTHOLINUS *Cent.* 3. *Epist. pag.* 434. de virgine satis docta & erudita in chymia, quæ *potuit destillare aquas quovis anni tempore valdè efficaces, sine aqua, sine igne, sine glacie, & sine nive*. Dixi sine nive, & sine glacie; quoniam, uti habebimus suo loco, cum nive & glacie potest rectificari spiritus vini.

Sunt *aquæ destillatæ* porrò vel *simplices* vel *compositæ*; & hæ vel destillatione simultanea, vel successiva mistione. Exemplum sit aqua vitæ suavissima, si

℞. *Spiritus anisi*,
Baccar. junip. an. part. æqual.

Exactè rectificentur, & loco proprij phlegmatis aqua rosar. fragrans, cum tantillo aquæ cinnamomi mixta, addatur: decurrens per rostrum alembici spiritus ambram & crocum in nodulo permeet: tinctum hoc destillatum saccharo aliquantulum edulcoretur.

Aquæ destillatæ quævis sunt porrò vel magis vel minus durabiles; nempè citiùs corruptibiles sunt, quò minùs oleosis particulis saturatæ; quò magis verò principiis activis turgidæ sunt, eò durabiliores; v. g. aqua salviæ & majoranæ magis durabilis est præ aqua acetosæ vel veronicæ.

Colorem quod attinet, qui destillando aquis destillatis debet conciliari, etiam in hoc passu sua specialis florum & plantarum est differentia; res tamen jucunda magis quàm proficua est: vid. ELSHOLH *in Destillator. Curios.* Lacteæ quædam observantur aquæ, præsertim ab aromaticis subiectis destillatæ, quod fit ob intermistas salino-oleosas particulas, à quibus, ceu aquis non probè commiscibilibus, lacteus talis liquor emergit, ut in aqua salviæ v. g. fieri solet. Non confundendus hic color recentibus destillatis aquis familiaris, cum aquarum destillatar. matre, siue ut vocant Germ. *die Mutter*: hæc enim uno nomine est concretum quasi tartareum solutum, hoc est, particulæ salinæ volatiles & spirituosæ oleosæ successiuè se uniunt & figunt, & in sedimentum tale rarum & spissum coeunt; unde in his potius aquarum destillatarum vis & efficacia continetur, cætera aqua penitus inutili existente.

Usus aquarum destillatarum est vel generalis, vel specialis. *Generalis*, quatenus ceu vehiculum inserviunt aliis remediis propinandis; ubi observandum, quod crebrior earum usus nauseosus fit, quatenus substantiæ rarefactæ tonum stomachi nonnihil relaxant. *Specialis usus* est varius, prout nempe aquæ, quæ de virtute sui simplicis plus minus participant, etiam sub hac consideratione nunc huic nunc illi affectui magis appropriatæ sunt. Hinc simplices aquarum sudores, v. g. aqua plantaginis, portulacæ, tormentillæ &c. promiscuè usurpari possunt, è contra aqua menthæ in stomachi affectibus, aqua florum acaciæ in pectoris, aqua liliorum convallium in lipothymiis &c. magis appropriatæ sunt.

Cum ergò aquæ vegetabilium tam parum valeant, proinde quæritur: *qua ratione crasis medicamentosa possit habe i pura, citra admistionem fæculentorum recrementorum?* Hoc duplici modo absoluitur: vel per admistionem distinctorum productorum; ubi in eo hoc consistit, ut in aqua solvatur sal, & fiat extractum. *Zwelferus* ejusmodi essentias parat, *qui videatur*: sed hæc non adeò defæcatæ sunt. Melius ergo præparantur, *quintæ essentiæ*, id est, novum concretum ex *spiritu volatili*, *sale simplicis volatili*, & *oleo* ejus *destillato*. Processus est elegans, modò in fermentatione & putrefactione spiritus & sal volatile imbibant oleum, quo mutantur in essentiam efficacissimam.

Hac occasione quæritur: *an dentur etiam aquæ destillatæ purgantes?* Sunt qui affirmant, sunt qui negant. Sed *rectiùs affirmari potest*; utut hoc assertum generaliter admitti nequeat, eò quod vis quàm plurimorum purgantium in resina consistat, quæ adeo volatilis non est, ut per alembicum ascendat; quorundam in substantia mucilaginosa, v. g. mechoacannæ &c., ex quibus nullæ vires & particulæ purgantes per destillationem adscendunt; ex quibusdam tamen, ut esula, helleboro nigro, &c. destillari possunt tales aquæ purgantes, acrimoniâ manifestâ imbutæ. Sic aqua nicotianæ ex succo destillata ab ℥j. ad ℥iß. vomitus movere observata fuit, quod etiam *Quercetanus in Pharm. Restit.* de aquis sem. sambuci & ebuli, it. de aquis ex dictis seminidus, aloe & scammonio paratis asserit; conf. etiam WEDELIUS *Pharm. p.* 75. & aquam purgantem ZWelferi compositam *in Pharm. Reg. pag.* 206. videbitis. De *aqua hellebori nigri laxativa* vid. *Borrichius Sap. Hermetis pag.* 341. qui ex tota hellebori nigri substantia per Balneum Mariç aquam copiosam admodum acrem destillavit, cujus 8. cochlearia adolescenti tormina graviora, 12. verò cani propinata, quatuor vomitus & duas sedes excitaverunt. Nam aqua hellebori nigri per alembicum secum rapit sal volatile plantæ, & vim obtinet purgantem. Item aqua ex floribus iridis nostratis cæruleæ destillata similiter purgat. Huc pertinet *aqua mannæ destillata*, *Hœferi in Herc. Med. lib.* 8. *p.* 340. quando *mannæ & nitri* ana part. æq. vesicæ bubulæ includuntur, quæ in aquam calidam suspenditur, donec in liquorem soluta, ex quo aqua quædam insipida destillatur, quæ tamen ab ℥ß. ad ℥j. propinata laxat.

Sic quæritur etiam: *an detur aqua destillata anodyna sive somnifera?* quod itidem affirmatur. Certum enim est, posse haberi ex papavere recenti destillando aqua blandè anodyna, magis tamen si fermentetur: sic & opium crudum cum aliis ritè destillatum det phlegma soporiferum. Hinc conf. *aqua anodyna Zwelferi* modò citata, & pertinet huc *aqua hypnotica Reinesii*, qui

℞. *Fell. leporis*,
Sem. papav. alb.
Nigri an. ℥j.

Infundit in *spirit. vini* per quatriduum; & hinc destillat.

In specie plures aquæ simplices & compositæ in officinis prostant, quarum luxuria meritò reijcienda. Plures ab *Autore pag.* 130. *seqq.* enumeratæ inertes sunt, cùm parùm habeant de viribus concreti: paucæ sufficiunt, quarum sunt ritè parata aqua florum acaciæ, anethi, anisi, cort. aurantiorum, basilici, fœniculi, menthæ, cerasorum nigror. chamæmeli, chelidonii majoris, hepaticæ nobilis, lavendulæ seu spicæ, liliorum convallium, majoranæ, pœoniæ, præsertim ex succo radicis, persicariæ maculosæ, pulegii, rosarum rubrarum suaveolentium, flor. sambuci, salviæ, serpilli, taraxaci, spermatis ranarum, &c. quæ paucæ loco omnium abundè sufficiunt: Item aquæ spirituosæ cum vino, aut spiritu vini vel frumenti destillatæ, aqua cinnamomi spirituosa, melissæ cum vino, &c. suam merentur commendationem, & sunt reuerà spiritus.

Quoad *compositas*, plures ab AUTORE *pag.* 134. *seqq.* describuntur, paucæ aliquid valent; rectè *in Nota ante aquarum compositiones* monet, quod non admiscenda sint talia ingredientia, perlæ v. g. corallia, &c. quæ nullam destillando dant aquis efficaciam, quales sunt aquæ quàm plurimæ Mynsichtii, adeò ut meritò rigorosum ZWelferi examen postularunt.

Ex his compositis *num.* 1. *pag.* 134. est *Aqua Anhaltina*, quæ propter ingredientem terebinthinam est quidem penetrantissima interno & externo usu, sed saporis ingratioris, & efficax pro usu diuretico, & quèm plurimis affectibus nervinis, apoplecticis, vertiginosis, paralyticis. Externè commendatur contra paralysin, & arthritidem vagam.

Aqua aperitiva, dicata nempè affectibus iis, in quibus accusantur obstructiones viscerum, ut in cachecticis, scorbuticis, ictericis, &c. est compositio magistralis ingens, è contrà paucissima prodeunt, adeoque nullius pretij. Citri cortex quidem, thymus & lupulus aliquid conferunt, flores genistæ parum; plantæ & semina, reliquaque omnia fixiora sunt, & nil de se fundunt; uti examinanti ingredientia innotescet; quod facilè etiam potest intelligi, modò pensitentur vires ingredientium.

Num. 3. & 4. *pag.* 135. occurrit *aqua apoplectica*, potiùs *spiritus apoplecticus*, *Crollii & Sennerti*, quorum tot sunt compositiones, quot capita Practicorum; ubi tamen omnes sunt spiritu vini abstractæ ab aromatibus & vegetabilibus cephalico-aromaticis: quò sæpius abstrahuntur, eò magis potentes cephalicæ & apoplecticæ fiunt. In officinis nostris in usu est aqua apoplectica Kolteutoti, quæ elegans est in affectibus capitis, & ingredientibus aliis spirituosis non incongruè permiscetur.

In his autem præparandis notetur:

1. Quod vulgò vinum affundant, sed malè; copiosum enim phlegma secum habet, quod impedit, ne spiritus ex subjectis aromaticis oleum & salinam volatilem substantiam extrahere possit.
2. Omnibus aquis eiusmodi apoplecticis & analepticis meritò spiritus

ritus salini & salia volatilia, ut corni Cerui, succini, &c. addantur; vel simplici mistione, vel sub destillatione ipsa simul incorporentur: sic enim fiunt penetrantiores & efficaciores.

3. Semper castoreum addatur propter volatilissimam penetrantiam, quam in affectibus apoplecticis, epilepticis, paralyticis, uterinis & similibus neruinis habet.

Inter *aquas apoplecticas & analepticas* (spirituosas, quas habet AVTOR *num.* 3. 4. 7. 10. 11. 13. 30. 37. 41. & 46. una alteravè abundè sufficit: v. g. vel *aqua apoplectica Crollij*, *num.* 3. vel *aqua contra terrorem num.* 41. *pag.* 149. Exempli loco, quod instar omnium sit, & ad cuius imitationem plures eiusmodi aquæ compositæ possunt concinnari, sit spiritus siue aqua apoplectica D. Mœbij:

℞. *Flor. lil. conval.* ℔vj.
Cinnam. ℔j.
Zedoar. ℔ß.
Croci ℥j.
Macis,
Caryophyl. ana ℥ß.

Dig. *in vino Petrosimonis vel vino Malvat.* per mensem, destilletur spiritus, qui seruetur. Tunc

℞. *Rad. angel. vel vincetox.*
Valerianæ,
Pœon. ana ℥jß. ad ℥ij.
Fol. melissæ,
Roris marini,
Botryos vel *menthæ* an. M. iij.
Flor. tiliæ M. iij. ad vj.
Lauend.
Spicæ,
Saluiæ,
Thymi ana Mj. vel ij.

Macerentur in *spiritu superiore* per mensem clauso vase, & destillentur per vesicam: Tandem rectificetur in balneo super ambram, moschum, & camphoram pro usu virorum (pro usu mulierum sine ambra & moscho) & habebitur aqua composita egregia.

Aqua asthmatica n. 5. nihil aliud est, quàm spiritus aromaticus: absurdissimè mel, amygdalæ, ficus, passulæ, &c. destillationi committuntur; ex his namque destillando parum virtutis medicamentosæ extollitur; vid. ZWELFERVS *loc. alleg.* Potiùs ergò infusum usurpetur, cum vel sine ebullitione; sic elegantius erit, & conueniet in affectibus pectoris, in tussi, asthmate, & similibus, resoluendo crudiores mucos in primis viis.

Aqua carbunculi, Germ. *Hertz-Carfunckel Wasser*, est aqua ex aromaticis destillata, cum affusione vini Maluatici. Valdè internè conuenit in affectibus cordis ita dictis, & capitis, v. g. in imbecillitate virium, in lipothymia & syncope, in palpitatione cordis & vertigine, item epilepsia, tàm internè, quàm externè. Internè permiscetur cum aliis, & datur haurienda ægro; externè naribus & pulsibus applicatur.

Aqua ad desiccandos catarrhos num. 8. *pag.* 137. est aqua serpilli elegans, propter lignum sassafras infundendum: prolicitur hinc tinctura sassafras Mynsichti in affectibus catarrhalibus egregia; quoniam sassafras est appropriatum catarrhorum alexipharmacum.

Aqua carminatiua n. 9. est elegans, materia medica est selecta, & aromata sunt oleosa: sumitur solum vinum generosum, & omittatur aqua chamomillæ. Elegantem aquam carminatiuam videb. in HOEFERI *Hercule Medico*. Superiùs, ubi de aurantiis, dedi *aquam carminatiuam Mannagettæ*; quæ similiter est satis efficax.

Aqua cinnamomi cum vino maluatico valdè conuenit in affectibus stomachi, in syncope, lipothymia, in defectu spirituum animalium, in suffocatione uterina, in partu difficili, & similibus affectibus, ubi opus est corroboratione.

Loco vini interdum cinnamomum infunditur in succum cydoniorum, & vocatur *aqua cinnamomi cydoniata*, quæ valdè conuenit in affectibus stomachi, vomitu, nausea, cholera, diarrhœa, & similibus affectibus stomachi, ubi roboratione eius opus est: In anorexia, apepsia, similibusque est egregia, cum aqua & spiritu menthæ permista.

Cinnamomum etiam interdum destillatur cum succo florum borraginis, & elicita aqua dicitur *aqua cinnamomi borraginata*, quæ ad omnia illa prodest, ad quæ aqua cinnamomi cum vino; Dosis est à cochl. j. ad ij.

Aqua cordialis Herculis Saxoniæ calida num. 13. *p.* 139. est elegans; saltem loco vini spiritus vini sumatur. Valdè conuenit in affectibus malignis & pestilentialibus, ubi opus est spirituum confortatione & virium refocillatione. Propinatur ad ℥j. cum aliis, interdum ℥jß. pro indigentia affectus.

Cæterùm *aqua cordialis frigida ejusd. num.* 14. descripta est ridicula, & nil valet; nil enim aliud acquiritur, quàm phlegma acetosum camphoratum. Omnes, succi ex quibus constat, suggerunt phlegma nudum insipidum, semina & terræ nihil communicant aquæ, uti monui. Ergo phlegma saltem aceti additi & camphora prodeunt. Idem iudicium est de *aqua cordiali restaurante num.* 15. *pag.* 140. de qua conf. HOFFMANNVS *Claue pag.* 48.

Insulsæ etiam *sunt sequentes aquæ*: *Cosmetica num.* 16. & *cosmetica pretiosa num.* 17. de quibus speciatim vid. ZWELFERVS *Pharm. Reg. p.* 249. Quod attinet *aquam cosmeticam n.* 16. horrida est compositio & cum priori ridicula; quoniam basin constituit cerussa alba, Germ. *das Bleyweis*, quæ fixum est corpus, & nihil communicat liquori per destillationem: succus limonum à cerussa destruitur, unde phlegma insipidum suggerit: albumen oui dat phlegma; borrax, myrrha & mastix nil. Sic & *aqua cosmetica pretiosa n.* 17. nil valet, & ne tantillum quidem ingredientia suggerunt: est simpliciter aqua rosata camphorata. Melius permiscetur borrax & alumen ustum, uti fit in *aqua cosmetica siue myrrhata Samuelis Closseji num.* 18. *p.* 141. Sic enim quandam possunt habere efficaciam. Pro iam dicta aqua cosmetica seu myrrhata longè melius esset oleum myrrhæ per deliquium.

Aqua diuretica ex nucleis num. 20. *pag.* 122. non est diu durabilis, propter facilem rancorem; semina enim ista oleosa aliquantum olei subtilioris per aquam transmittunt, à quo ista rancidìtas.

Aqua antidysenterica n. 21. ridicula est compositio; ex adstringentibus enim fixissimis in Balneo Mariæ per alembicum velle habere aquam adstringentem, insulsissimum est. In decocto autem ingredientia hæc suam habent laudem; cum è contrà in destillatione nil suggerant, uti patet examinanti ingredientia; speciatim de hac aqua vid. ZWELFFERVS *l. a. pag.* 222.

Aquam Embryonum seu *Balsamum Puerorum* videbitis in *Pharm. Regia Zwelferi*: ita dicitur, quoniam usurpatur à prægnantibus ad confortandum fœtum, & præcauendum abortum. Internè sumitur singulis manè cochl. 1. externè applicatur cum crusta seu frustulo panis umbilico mulieris grauidæ imposito, pro fœtu corroborando, & abortu præcauendo. In nimio grauidarum vomitu, item in pica, in nausea &c. adhibetur externè stomacho cum crusta panis.

Aqua Epileptica Langij describitur *in Pharmac. Augustana*, & valdè est usitata apud nos in affectibus epilepticis, aliisque cephalicis.

Aqua ad gutturis affectus n. 24. nil valet: magis decocta prosunt quàm destillata in tali casu: unde si loco huius aquæ destillatæ recipiantur ingredientia & fiat decoctum, in quo dissoluatur mel rosaceũ & album græcum, longè est conuenientius, quàm totum hoc destillatum; vel loco talium aqua ex semperviuo maiore cum sale ammonico destillata usurpetur.

Ad Hecticam valdè etiam commendatur *aqua ex sanguine porcellorum* vel *vitulorum*, vel cancris fluviatilibus destillata. Item cum aqua pulmonum vituli cum succo plantarum pectoralium destillata similiter in phthisi & hectica magni fieri solet.

Aqua hirundinum cum castoreo valdè usurpatur in affectibus mulierum hystericis, item in affectibus hypochondriacis conuulsiuis, & aliorum epilepticorum symptomatibus, tam quando interna viscera, quàm quando extrema membrorum conuelluntur: Descriptionem videbitis in *Pharm. August.* correcta.

Aqua hysterica Martini n. 28. *p.* 144. commendatur non tam in hysterica passione, sed etiam in affectibus melãcholicis & hypocondriacis; in quibus sæpiùs partes internæ, mesenterium, diaphragma &c. conuelluntur, per medicamenta epileptica curantur præmisso vomitorio; de quibus conuulsionibus optimè agit WILLISIVS *in Pathol. Cerebri. Epilepsia in corpore* vocatur à mulierculis, quæ hoc in passu Medicis superioris seculi sagaciores sunt.

Num. 31. *p.* 145. est *aqua magnanimitatis*, ex basi formicarum concinnata, quę multũ habet in recessu. Modum, quo formicæ sunt colligendæ, videb. in *Hoffmanni Claue p.* 50. Plures huius aquæ magnanimitatis hinc inde sunt descriptiones, quæ tamen non sunt genuinæ, sicut & *Authoris* compositiones non satisfaciunt. Concinna videtur sequens, quam habet *Lauremberg. in Mnemon. Ciceronis*, & videbitis in M. A. N. C. *Anno* 3. *p.* 605.

℞. *Spiritus vini maluat.* q. v. pro lubitu.
In eo per 14. dies macerentur
Herb. basil.
Maiorana,
Salu.
Melissæ,
Puleg. ana M. j.
Flor. borrag.
Salv.
Primul. veris,
Anthos,
Lil. convall. ana p. 1.

Digesta probè destillentur per alembicum, tunc circa solstitium æstiuum lunâ decrescente die serenâ inuestigetur nidus formicarum: huius tumulus aperiatur, & habeatur ad manus cucurbita aperta, in qua sit quarta pars spiritus vini aromatici anteà præparati: immittatur istud vas in tumulum formicarum, & *cateruatim irrepent* in cucurbitam; fiat hoc tandiu, donec præter propter manip. jv. vel v. fuerint collectæ, post cum bacillo ligneo agitentur, ut omnes suffocentur, dehinc omnis quantitas spiritus vini affundatur, & vase Hermeticè clauso per 14. dies soli exponantur, hinc denuò spiritus destilletur: cui addatur

Conf. anacard.
Alcherm. ana ℥ß.
Croci ℨß.

Moschi

Moschi gr. xij.
Olaeosacch. cinnam. ℥ß.
M. digerantur, & ad usum seruentur.
Nec sequens compositio D. K. contemnenda:
℞. *Spiritus vini super formic. q. s. rectif.* Mens. jv.
adde
Herbae melissae M. iij.
Flau. cort. citri ℥ß.
Cinnam. ʒvj.
Caryophyl. ℥j.
Cardamomi,
Cubebar. ana ʒvj.
Zedoar. ℥ij.
Mastich.
Styr. calam.
Benzoes ana ℥jß.
Stent in digestione per 8. dies, & destillentur, rostro alembici imponendo Moschi ∋ß.

Egregia est haec aqua spirituosa, spiritus animales & vitales recreans, & in vigore suo ac impetu elastico multum roborans; unde spiritus ita reficiendo quasi animum reddit hominibus, & sic nomen aquae magnanimitatis acquisiuit. In affectibus capitis valdè conuenit, memoriae succurrit, in impotentia virorum in Venerem armat, & atrophiâ corretis, (*euanescentia membrorum*,) senibus aut aliàs debilitatis egregiè conducit; siue internè assumatur, siue externè fricentur illâ partes, cùm etiam spiritus formicarum solus internè & externè soleat contra atrophiam commendari; & sicuti spiritus formicarum internè conducit in doloribus partium seu artuum vagis, uti etiam in articulorum fixis, ita etiam in ijsdem conuenit haec aqua magnanimitatis. Imperator Maximilianus, qui valdè deditus fuit venationi damarum in rupibus Tyrolensibus, quoties se venationi accinxit, usus fuit hac aqua, ceu secreto pro refectione spirituum & contra vertiginem. Dosis est cochl. ß. ad cochl. j.

Externè in podagra illita, item in graui auditu, surditate, & aurium tinnitu, egregia est: Cum aqua hac inter destillandum simul ascendit oleositas, quae est separanda & cautè asseruanda; mirifica enim est ad nebulas oculorum discutiendas & attenuandas illita: item habetur secreta in malo auditu, si guttulae quaedam exceptae bombace indantur auribus.

Aqua Philosophorum ad omnes laudatur morbos calidos: quasi verò!

Aqua picarum num. 36. *pag.* 147. est egregia in epilepsia & apoplexia, & similibus affectibus convulsivis: in quo usu etiam convenit *num.* 37. *pag.* 148. descripta aqua salviae composita, uti facilè patet examinanti ingredientia.

In *aqua splenetica* pauca de suo concreto dant ingredientia, exceptis seminibus. Reliqua nil valent. Quod prodit, est spiritus temperatus carminatiuus: videatur ZWELFERVS.

Aqua contra terrorem, Germ. *das Schreck Waser*, est aqua spirituosa aromatica cum vino praeparata, & coincidit cum aquis apoplecticis vulgaribus. Commendatur in terrore imprimis in grauidis, quas disponit terror ad abortum, confortat foetum: conuenit in senibus terriculosis & meticulosis.

Aqua seu potiùs *spiritus theriacalis camphoratus* est polychrestus, diaphoreticus in quam plurimis morbis malignis ac pestilentialibus, in purpura mulierum, &c. multi usus. Secum vehit camphoram & crocum, de myrrha verò minimum participat. Quod si tamen bene mista stent in digestione, myrrha etiam elevatur, & fit spiritus penetrantissimus. Melius forsan esset à speciebus theriacalibus recentibus spiritum abstrahere ad imitationem HOFFMANNI *in Clauep.* 53. cùm in theriaca mel vix quidquam ad rem conferat. Tamen & hoc notandum: factâ fermentatione theriaces particulas ingredientium oleosas & spirituosas meliùs resolutas esse, ut ita spiritui vini meliùs cedant; adeoque, siue theriaca, siue species recentes sumantur, parum aberrabimus.

Spiritus hic theriacalis est tertium ingrediens *misturae de tribus* seu *simplicis*, quam habet AVTOR *num.* 44. *p.* 150. & ad huius imitationem paratae tincturae bezoardicae, quae reverà essentialiter inter se conueniunt; differunt tamen ratione coloris, aliàs ingredientia & componendi modus ferè est idem, unde commodè potest mistura simplex substitui tincturę bezoardicę: Primus autor huius mixturę de tribus est *Paracelsus*, qui sub nomine specifici antepileptici eandem misturam in morbis acutis & convulsiuis, & speciatim ad epilepsiam commendat. Nempè recipit ad ejus compositionem spiritum tartari perfectè urinosum rectificatum, item spiritum vitrioli per nonum alembicum seu volatilem, & tandem aquam istam theriacalem camphoratam. Ad huius imitationem composita est *tinctura bezoardica* dicta *D. Michaelis*: Hic nempè recipit spiritum tartari probè rectificatum urinosum, & spiritum vitrioli, & inuicem miscet: sub qua mistura efferuescunt mutuò: Haec duo beneficio digestionis, & destillatione probè unita miscentur cum spiritu theriacali, digeruntur ac destillantur, & sic per retortam camphora liquori unita simul adscendit: Tingitur postmodum cum santalo rubeo in tincturam rubicundam, sicque est parata. Compositionem spiritus sui theriacalis videbit. in FEHR *de Scorzon. p.* 145. Sed quid prosunt tales rhapsodiae pro spiritu theriacali parando? Pauca acriora & volatiliora simplicia, per spiritum vini rectificatum saepiùs cohobando & destillando extracta, idem praestant. Siquidem basin huius tincturae constituit camphora cum salso volatili diaphoretico ex alcali tartari & acido vitrioli nato. Non ergò spiritus vitrioli vulgaris fixus, nec tartari phlegmaticus, sed spiritus vitrioli volatilis igneus, & spiritus tartari perfectè urinosus, qui fit ex fecibus vini & optimè rectificatus. Exaltari potest ulteriùs haec ipsa mixtura ac tinctura mediante opio, si essentiae eius aliquantulum ipsi addatur. Loco laboriosioris huius per destillationes tincturae bezoardicae praeparationis, sunt quibus simplices infusiones & hinc spirituum mistiones placent: vid. LUDOVICI in M. A. N. C. *Anno* 4. *p.* 288. item *in Pharmac. p.* 263. item HOFFMANNVS *Clauep.* 53.

Usus misturę simplicis siue *tincturae bezoardicę* ritè paratarum est à gutt. 40. vel 50. aut à ʒß. ad ʒj. in aqua appropriata, vel in haustu vini vel cereuisiae, pro scopo sudorifero in quouis febrium genere, ardentibus, benignis & malignis, tam praeseruando quàm curando, praesertim in principio, cùm in progressu, ubi iam caput occupatur, & aegri incipiunt delirare, usus illius non sit tutus propter spiritus volatiles; ac omnium optimè quadrat in febribus malignis, dysenteria ac diarrhęa epidemica. Potentissimum est sudoriferum; compescit ebullitiones, perturbatam sanguinis crasin rectificat, & si quae subest malignitas, eam potenter per sudorem expellit; generale enim est sudoriferum, totum corpus permeat, & quicquid maligni offendit, eliminat, adeoque in quàm plurimis morbis commendatur. In affectibus subitaneis facultatis animalis, quales sunt paralysis, epilepsia, apoplexia, &c summa est medicina, & remedium paucis comparandum. Praeter dicta mala etiam conuenit in affectibus catarrhalibus: in pleuritide & febribus ardentibus cum inflammatione partium internarum coniunctis, ut in erysipelate egregia est hęc mistura. Adhuc conuenit in scorbuto & malo hypochondriaco, ubi frequens palpitatio cordis, & opus est, ut proliciatur sudor; ũde in melancholia hypochõdriaca, nec nõ mulieribus hystericis, non incommodè propinatur, pro circumstantiarũ tamen ratione.

Aqua vitae mulierum nihil aliud est, quàm aqua apoplectica, & propter aromaticum odorem est nimis grauis; si tamen usurpanda est, phlegmate suo vinoso est temperanda. Convenit in affectibus mulierum, imprimis grauidarum, in imbecillitate virium, &c.

Aqua vitae mulierum camphorata non debet promiscuè omnibus mulieribus propinari; camphoram enim multi abhorrent, & mox incidunt in vomitus. Quae verò ferre possunt camphoram, praesentaneum hinc remedium habent in passionibus hystericis.

Aqua vomitiua Plateri elegans est, & sufficientes vomitus facit sine torminibus. Dosis minima est ℥j. aliàs datur ad ℥jv

In *aqua saturnina* seu *Aesculapii vomitoria* prodit acetum destillatum dulcificatum impraegnarum ramentis Saturninis, quod sufficienter vomitus facit. Interim nec saccharum Saturni nec cerussa vomitus facit; sed tantum acetum destillatum per plumbeum alembicum prodiens, quatenus cum Saturni subtilioribus partibus ad debitam quantitatem coit in concretum vitriolaceum seu saccharum Saturni; acetum enim destillatum alteratur per Saturnum, & dulcescit.

Similiter fiunt aquae vomitoriae, si per alembicum cupreum (si scilicet aqua tantillum participet de aceto) destillentur.

Sequitur

CAP. XXXIX.

DE AQVIS RELIQVIS VSVI EXTERNO DICATIS.

Aquas ophthalmicas, quas habet AVTOR, laudo; sed aliàs praestantiores videbitis in M. A. N. C. *Ann.* 6. *Append. pag.* 73.

Aqua ophthalmica vitriolacea egregia est in affectibus catarrhalibus & inflammationibus oculorum, lippitudine, & ubi fibrae laxatae stringantur necesse, ut in tonum rectum redigantur.

Aliis paratur hoc modo:

Recipiunt albumen oui ad duritiem coctum: ex quo per medium dissecto eximunt vitellum, loco huius vitriolum album puluerisatum imponunt, & claudunt iterum: ouum modicè perforatum in cella suspendunt; sic successivè liquescit in liquorem acriusculum; qui liquor pro usu cum aqua florum cyani miscetur & filtratur, ac applicatur oculo; sic est valdè elegans ophthalmicum remedium in unguibus & maculis, & jam dictis oculorum morbis. Remanens albumen exprimitur fortiter, sic prodit liquor stypticus acrimoniâ eius admodum temperatus, & superat eundem primum liquorem.

Quidam promptiùs recipiunt aquam ophthalmicam: scilicet
℞. *Aquae chelidon. maj.*
Euphras. ana ℥jß.
Vitrioli pulver. ∋j.
(plus minus, prout aeger potest vel faciliùs vel difficiliùs tolerare; variant enim aegri in talibus)
Filtrentur per chartam bibulam, vel per pannum rariorem, & ita f. collyrium detergens pro dictis affectibus.

Præ hoc tamen videtur melior liquor iam dictus vitrioli in oui albumine ad duritiem cocto resoluti.

Collyrium aloeticum Bruni num.2. p. 152. est egregium. Pertinet huc aqua aloetica Mercurialis ZWelferi, quam videbitis in *Animadverf. in Pharm. August. pag.* 301.

Aqua ophthalmica Quercetani num. 3. fit ex croco metallorum: loco cuius tamen præferetur à quibusdam aqua infusionis Mercurij vitæ, vel vitri antimonii, vel capitis mortui ex butyro antimonij, in aquam quandam ophthalmicam appropriatam: e. g.

℞. *Vitri antimonij pul.* ℈ß.
Infundatur in
Aquæ fl. cyani,
Euphras.
Fœnic. an. ℥j.

Stent in loco calido per noctem, manè filtretur:
D. S.
Oculos confortans aqua.

Quicquid sit, omnes hæ aquæ infusionis antimonialium elegantes sunt in quamplurimis, & tantùm non omnibus, visus vitiis corrigendis, quæ fiunt sine partium continentium læsione, sed tantùm ex nimia cuticularum crassitie. In nyctalopia, visu deficiente, glaucomate ex vitio humoris aquei, gutta serena, suffusionibus & reliquis affectibus oculorum, nil melius est, quàm infusa antimoniata ex vitro, croco, & butyro antimonij: habent vim detersivam; participant enim de sale antimonij, unde simul detergunt externè tunicam corneam, eandemque lucidiorem reddunt.

His ipsis tamen infusis catholicis ferè possunt addi appropriata pro varietate oculorum affectuum variantia. Sic v g. in rubedine, dolore, tumore & inflammatione oculorum, potest inter aquas infundendas recipi etiam aqua spermatis ranarum, quæ est egregia; item aqua fragorum ex baccis destillata in tali casu similiter multùm commendatur. Postmodum filtraturæ in hoc casu potest addi saccharum Saturni ad ℈j. ℥ß. vel ℥j. subtilissimè pulueriſatum; item potest addi camphora ad gr. iij. vel jv, item crocus ad aliquot grana, qui egregiè penetrat, & multum in oculorum affectibus confert. Sed talia acriuscula, qualia sunt camphora, aut etiam crocus, in parua dosi sunt admiscenda propter acutissimum sensum, quo membranulæ oculorum pollent, cùm sint productiones membranularum cerebri. Quod si fit v. g. unguis aut nebula oculi, siue excrescentia quædam super oculum, tunc commodissimè in his aquis appropriatis dissoluuntur penetrantia, & quæ absumere possunt concrementum membranaceum præternaturale.

Sunt qui commendant hanc *aquam ophthalmicam*:

℞. *Aquæ fœnic.*
Euphras. an. q. s.

Infundunt *radicem imperatoriæ concisam*, & pònunt in locum calidum, & colant: Colaturæ huic addunt grana quædam *camphoræ*, & grana quædam *sacchari Saturni*; & est aqua egregia in quamplurimis oculorum affectibus.

Pertinet huc *aqua ophthalmica Quercetani* alia, cuius hæc est descriptio:

℞. *Vrinæ pueri* ℔ß.
Vitrioli ℥jv.
Tutiæ ℥ij.
Succi chelidon. ℔ij.

Stent in digestione per aliquot dies, postmodum destillantur pro usu externo.

Aqua Sapphirea ad oculos nu. 5. *p.* 153. dicitur ita propter colorem sapphirinum, quem acquirit infusione in pelvim æneam. In hac aqua paranda loco aquæ fontanæ sumatur aqua quædam ophthalmica appropriata, sic erit præstantior. Est egregia & multi usus ad oculorum ulcera, etiam cancrosa, & quando post variolas læduntur oculi, & ulcera contraxere, ad oculorum pustulas, excrescentias, nubeculas, albugines, ungues & similes affectus est incomparabilis hæc aqua. Sed prout acrior aut temperatior est hæc aqua, etiam circumspectè usurpetur; dilui tamen potest plus aut minus cum aqua appropriata, si fuerit nimis acris.

Pertinet huc alia *aqua Chirurgorum nobilis*, cuius hæc est compositio:

℞. *Calcis vivæ* ℔j. vel ℔ij.
Affunde
Aquæ cuiusd. appropr. feruent. Mens. v.
In colaturæ Mens. j. dissoluantur
Mercurij dulc. ℥ij.
M. & referuetur ad usum.

Nulla sunt ulcera oculorum, uti & aliarum partium, quæ non funditus curet, etiam antiquissima, licet summo ardore æstuent. Experimentum etiam est contra scabiem quamcunque.

Porrò huc pertinet *Aqua ophthalmica Angeli Salæ*, quæ fit, quando *laminæ Veneris* suspenduntur vel infunduntur in *vinum Maluaticum*, & ita ad tempus exponuntur radiis solaribus; sic successiuè fit tinctura cærulea, commendanda in procidentia oculi: vid. S A L A *p.*203. & B A R T H O L I N V S *in Actis Philosoph.*

Aquæ viridis plures exstant compositiones. Usum habet externum chirurgicum in ulceribus saniosis, ulceribus aurium, narium, oris, palati, faucium, &c. quę plorant continuam saniem, siue in forma spissa cum unguento Ægyptiaco, siue humida applicetur. Basis est viride æris, cui nunc additur *alumen*, vel *auripigmentum*. Simplicissima est AUTORIS compositio, sed efficacissima: vid. HARTMANNI *Prax. chymiatr. pag.* 52. §. 5. qui habet elegantem aquam viridem sine auripigmento, & PLATERVS qui similem habet aquam maximè commendatam in dictis affectibus.

Aquæ perlatæ nil valent.

Lac virginis num. 8. *p.* 154. à colore lacteo ita dicitur, quem habet ex præcipitatione plumbi, & quod ceu cosmeticum à virginibus frequenter expetatur. Est *solutio & mixtura* quædam *Saturnina*, nunc *cum* nunc *sine præcipitatioone. Sine ea* habetur in A V T O R E; *cum præcipitatione* simultanea, idque mediante alumine, habetur in ZWELFERI *Animaduerf. in Pharm. August. pag.* 299. Aliud, quod præcipitatur cum sale tartari, est in WILLISII *Pharmac. Rational. Part.* 2. *pag.* 471.

Omnia hæc sunt egregia in ardoribus, inflammationibus, ruboribus faciei & aliarum partium sistendis, in lentiginibus & aliis maculis, serpiginibus & pustulis rubris, asperitate cutis ac scabie tollenda. Vi autem Saturninâ & camphoræ subtile acidum in dictis affectibus peccans absorbent, & aliquali adstrictione poros firmant, ne tam citò recurrat malum. Cum his aquis bene agitatis sese virgines sub introitum lecti lauant, manè quando evigilant, abstergunt faciem cum sero lactis, & sic acquirunt faciem albam, nitidam & elegantem.

Pertinent huc *Aquæ Mercuriales*, qualis est *aqua Freitagii* ad scabiem:

℞. *Mercurii,*
Aquæ fortis an. ℥j.
Aquæ plantag. ℔j.
Filtra.

Conuenit in scabie, verrucis & excrescentiis Gallicis, in pustulis & ficubus Gallicis, in ulceribus & fissuris Venereis &c.

Pertinet huc *aqua* ista quasi *miraculosa* siue *styptica Galli*, dicti *Vieuxt*, de qua videbit. in *Actis Med. Haff. Vol.* 2. *pag.* 116. & *pag.* 349. Descriptio eius genuina habetur hæc:

℞. *Colcothar. vitrioli rubri, post destillationem spiritus residui,*
Aluminis usti,
Sacchari candi an. ℥ß.
Vrinę puer.
Aquæ rosar. an. ℥ß.
Plantag. ℥ij.

Misc. optimè in mortario, infundatur in phiolam, hinc per declinationem decantetur liquor, & usurpetur.

Monsieur la Faveur, qui genuinus huius aquæ vult esse autor, ita compendiosè præparat:

℞. *Vitrioli Martis,*
Veneris an. ℥j.
Spiritus vitrioli ℥iv.

Destillentur per retortam paruam usque ad siccitatem; eius quod restat in retorta ℞. ℥j. in qua dissolu. succi urticæ vel alius similis ℥ij. & applicetur.

COLLYRIA.

Occasione Collyriorum, quorum A V T O R *pag.* 152. & 153. mentionem facit, adhuc notandum: quod collyria in genere nihil aliud sint, quàm medicamenta, quæ applicantur oculis.

In *triplici* autem *forma* imprimis *solent applicari*:

1. *In forma liquida.*
2. *In forma unctuosa*, & denique
3. *In forma sicca puluerum aut trochiscorum.*

Ad liquida pertinet etiam *Collyrium vaporosum*, quando scilicet vapor ex medicamentis excitatus excipitur oculis pro oculorum affectibus. Vsum imprimis habet in discutiendis tumoribus oculorum, & in discutienda inflammatione & similibus affectibus.

Vsitatus est valdè halitus ex ore iejuni in oculos immissus, imprimis si talis halitus fit ex ore, qui manducauit semen fœniculi; hinc non rarò mulieribus mandatur, ut scilicet ieiunæ masticent semen fœniculi, & halitum istum subinde in oculos puerorum inflent, partim ad clarificandos oculos, partim ad curandos affectus oculorum: id quod etiam solet præcipi, quando pueruli laborant variolis, & nil melius est, ne variolæ occupent oculos, quàm dictus halitus.

Non rarò præscribitur medicamentum ex ophthalmicis attenuantibus, resoluentibus & discutientibus, quę decoquuntur vel in vino, vel in aqua, interdum etiam in urina pueri; ex quo decocto vapor exsurgens excipitur nudis oculis, vel immediatè, vel per infundibulum in oculos deriuatur. Exemplum talis decocti pro fomento oculorum sit hoc:

℞. *Herbę eupbraf.* M. ij.
Summit. anethi,
Fœnic. an. M. j.
Flor. calcatr.
Cyani an. p. ij.
Sem. anisi,
Fœnic. an. ℥ß.

Infun-

Infund. in s. q. *aquæ simpl.* cum medietate *urinæ pueri*, coquantur, & ex decocto excipiatur vapor.

Excepto tali humido vapore, applicatur vel fotus humidus, vel collyrium liquidum, vel unctuosum, vel siccum: Nam hic vapor est quasi præparativum pro faciliori & meliori operatione sequentis collyrii.

Quod attinet *collyrium liquidum vel aquosum*, illud à variis variè præscribitur. Nunc sola sufficit aqua, verbi gratiâ euphrasiæ, florum cyani, calcatrippæ, fœniculi, chelidonii majoris, & similes.

Ad has aquas simplices pertinent etiam *Infusa*, quæ his aquis infunduntur pro collyriis, & pro varietate scopi sunt varia.

In genere pro meliori intellectu sequentium, noto de affectibus oculorum, quod oriantur imprimis vel ex humore lachrymali, seu lympha lachrymali nimis acida, & inde oriuntur ferè omnes affectus oculorum externi. De vasis his lachrymalibus, eorum cum glandulis connexione & excidente lympha pro oculorum humectatione, & pro lachrymarum in oculos deriuatione, potest videri STENO *in Tr. de Vasis oculorum.*

Cum verò omnis lympha sub se contineat subtilem quendam acorem detergentem & abstergentem; hinc fit, ut in naturali statu à lympha tali humectati sint facilè mobiles, semperque detersi ab omnibus sordibus: simul verò atq; hæc lympha lachrymalis fit nimis acida, tunc variæ oriuntur oculorum imbecillitates, & varia mala; imprimis quidem externa; scilicet oculorum corrosiones, lippitudines, oculorum rubedines, pustulæ, ulcera, scabies palpebrarum, fistulæ lachrymales, pruritus, & similia mala, quæ ferè oculi externum globum infestant.

Altera species affectuũ oculorum oritur imprimis ex humore aqueo, aut etiam ex reliquis humoribus nimis crassis, & exinde minus perspicuis. Quando enim crassescit humor aqueus, tunc ex pellucido & perspicuo fit opacus, & pro varietate crassitiei varios acquirit colores, nunc glaucum, nunc album, nunc alium; itaut interdum pupillæ videatur quasi objecta nebula. Quod dico de humore aqueo, etiam intelligendum est de humore crystallino & vitreo.

Hi sunt primarii oculorum affectus, & ex his ferè omnes derivantur reliqui. Nam si lympha est nimis acris & corrodens, solet facere excrescentias oculorum, uti sunt ungues & pannus in externo oculi globo: quod si fiant corrosiones unguium, & membranæ ciliaris, tunc excrescentes fibræ interiùs contexuntur in membranulam, ut ita dent suffusionem. De reliquis vitiis huc non pertinentibus, ut de vario situ pupillæ, &c. nihil dico.

His consideratis, facilè erit invenire remedia pro talibus affectibus. Nam mala, quæ oriuntur ex lympha acida postulant ea, quæ acorem & aciditatem præternaturalem possunt corrigere, sive constent ex sale volatile acidum temperante, sive constent ex fixioribus acidum absorbentibus. Mala, quæ oriuntur ex crassitie aut depravatione coloris humorum, postulant subtilia, penetralia, & sale volatili subtiliter impregnata, in quibus excellunt in specie fella animalia, & sic porrò.

His præmissis, redeo ad Collyria composita ex infusione, quæ pro varietate scoporum sunt varia. Usitatissima sunt, quæ fiunt ex infusione antimoniali: ita enim QUERCETANUM parare suam *aquam ophthalmicam ex infusione croci metallorum in aquam quandam destillatam ophthalmicam*, ex AUTORE *num.* 3. *& supra dictis* constat.

In ungue aut nebula oculi, uti etiam clarificandis oculorum humoribus obscuratis, egregia esse dixi fella animalium; inter quæ fel lucii piscis est excellentissimum: v. g. formula potest esse talis:

℞. *Aqua levcoji bulbosi* ℥ij.
Fell. lucii pisc. ʒj.

Misce bene, stent in loco calido per noctem, manè filtrentur.

D. S.

Collyrium contra nebulas oculorum.

Quidam destillant hujusmodi fella, & aquam destillatam recipiunt, parum camphoræ addunt, & ita contra ungues & maculas oculorum commendant. *Secretum Burrhi* in tali casu est fel humanum, destillatum ex cucurbita vitrea per alembicum æneum sive cupreum: aqua enim, quæ prodit, cum aculeata sit sale volatili fellis, & impregnata particulis æris cuprosi, valdè conducit in talibus casibus.

Facit MORELLUS mentionem urinæ pueri impuberis, ubi imprimis notandum: quod aqua destillata ex vitriolo humectato & irrorato cum urina pueri, sit experta in albuginibus, nebulis & unguibus oculorum absumendis. Modum parandi docet Autor, ubi de Vitriolo.

Mella adduntur interdum aquis ophthalmicis, ubi opus est detersione in ulceribus, aut etiam vulneribus oculorum. Loco ejus mellis non rarò etiam recipitur saccharum candi pulverisatum, quod etiam abstergit & detergit sordes, & adiuvat consolidationem. Exemplum habet FORESTUS *lib.* 11. *observat.* 29. de puero, qui ex variolis incidit in pustulas oculorum, quæ fuerunt exulceratæ, & inde oborta est nebula oculorum; huic profuit remedium hoc modo præscribendum:

℞. *Aquæ fœnic.* ℥iij.
Fell. anguillæ ā ʒj. ad ʒiß.
Sacchari candi subtiliter pulverif. ʒj.

Stent in loco calido, filtrentur: S.

Singulare collyrium.

Pro gratia coloris potest addi tantillum *croci*, antequam filtrentur.

Hic obiter noto: multos commendare *lac muliebre* pro collyrio in dolore oculorum, item inflammatione, in tumoribus calidis, ex lapsu ex alto v. g. & similibus; sed pessimo consilio: propterea quoniam omne lac, sive sit muliebre, sive alius alterius animalis, applicatum oculis, ipsis sit inimicissimum, ex eo, quoniam lac tale applicatum propè oculos, quando refrixerit, incipit acescere & leniter coagulari. Cum verò oculi sint exactissimi sensus, fit ut partim ex peregrino acido, licet subtili, partim ex peregrino coagulo, quo se oculus obducit, irritentur oculi, & ex irritatione horum dolores, tumores & affluxus sanguinis, similiavè multum augeantur; adeò ut plus mali quàm boni ex lacte muliebri expectandum veniat.

Zingiber, cujus inter collyria mentionem facit MORELLUS, valdè expertum est in oculorum affectibus dolorosis, penetratione & lymphæ acidæ correctione opus habentibus: id quod loquitur ista *aqua Hartmanni ex zingibere parata ejusdem Praxi chymiatr. cap.* 43. §. 3. *pag.* 104. Hanc aquam mirabiliter commendat LINDANUS, & dicit, esse *catholicum in omnibus oculorum affectibus*: Vocat *aquam divinam & benedictam*, & non potest sufficienter commendare, cujus beneficio aliquot suffusiones confirmatas se curasse gloriatur; quod credo, quoniam zingiber multum valet in affectibus oculorum, & præparatio etiam non est inelegans.

Assumuntur etiam interdum ad collyria *foliorum succi*; sicuti valdoperè commendatur à RIVERIO ad discutiendam albuginem succus fœniculi recenter extractus cum guttula balsami Peruviani permistus: item succus anagallidis cærulea instar collyrii adhibitus, sive applicatus, multum similiter commendatur ad albuginem oculorum, imprimis si ad ℥j. v. g. istius succi, addatur ʒj. præter propter mellis rosacei. Succus plantaginis, vel solus, vel cum albumine ovi applicatur in vulneribus oculorum cum inflammatione conjunctis, vel etiam in inflammationibus oculorum ab externa causa provenientibus. Item vel maximè huc pertinet *liquor vesicularum ulmi*: hic liquor est expertissimum remedium in oculorum vulneribus, instillatus, & cum linteis duplicatis in eo humectatis applicatus, mira facit in vulneribus, adeò ut etiam vulnera oculorum, in quibus humor aqueus omninò effluxerat, illo fuerint curata.

Pertinet huc *liquores præparati per digestionem* ex flore cyani, cichorii, calcatrippæ, &c. Horum liquorum exempla habet SENNERTUS *lib.* 1. *Prax. pag.* 786. qualis liquor similiter vel solus pro collyrio sufficit. Pertinet huc etiam *succus expressus ex ovis formicarum*, quæ similiter sunt egregia in affectibus oculorum: vid. HOEFERUS *in Herc. Medico pag.* 57. & ex ipsis formicis præparat certam aquam ophtahalmicam RULANDUS, quæ aqua fuit stupendorum effectuum.

Modus usurpandi formicas est *duplex*: nunc enim recipiuntur formicæ rubeæ, quæ habitant in arboribus, & ex iis exprimitur succus, qui oculo panno vel excrescentiâ membranaceâ affecto, instillatur; nunc formicæ lineo sacco inclusæ, exponuntur soli, ut ita quasi destillentur: liquor decidens inungitur oculo in similibus affectibus.

Veteres etiam Decocta adhibuerunt loco collyriorum: sed jam ferè obsoletum est, cùm meliora prostent: nihilominus tamen in variolis ingruentibus, ut defendantur oculi, solet præscribi decoctum cort. granatorum in aqua appropriata, ut oculorum pori & membranæ adstringantur, & adstrictione tali impediatur variolarum proventus. Formula potest esse talis:

℞. *Cort. granat.* ʒij.
Infunde in s. q. *aquæ fœnic.*
Plantag. an. ʒvj. ad ℥j.

Ebulliant leviter & filtrentur: adde
Croci gr. ij. vel iij.
Campb. gr. j. vel ij.

D. S.

Collyrium præservans.

Eodem modo solet etiam sumi aqua decoctionis sumach, seu seminis & fol. sumach decoctum, quod etiam in præservandis variolis, uti etiam in tollendo pruritu oculorum, & in scabie palpebrarum convenienter applicatur.

Interdum pro his omnibus plura adhuc usurpantur sub *forma pulverum*, quæ simul faciunt ad scopum. Inter quos pulveres Tutia primatum obtinet, quæ est favilla quasi quædam ex ære, quæ promptè in se absorbet quodcunque, subtilissimum etiam, acidum excedens, corrigit acrimoniam lymphæ lachrymalis, & excrescentias absumit & deterget.

Post tutiam etiam est os sepiæ præparatum, quod similiter detergit & abstergit, uti etiam alia.

Quantitas pulverum respectu liquoris est determinanda ex majori vel minori eorum acrimonia: nam prout sunt acriores, eò minus est addendum; quò minus, contrà.

In genere, quoniam collyria ad ℥iij. jv. rarò ulteriùs solemus præscribere, tum sufficit, si pulveris ʒß. respondeat ℥j. collyrii: sin verò pulveres sint fortiores, tunc ʒj. pulveris ad ℥iij. erit sufficiens. Dabo exemplum:

℞. *Aquæ flor. calcatripp.*
Chelidon. ana ℥j.
Sacch. candi ʒj.
Tutiæ præpar. ʒß.
Off. sepiæ præpar. ℈j.
Vitrioli alb. ℈ß.

Misceantur probè, & agitentur pro collyrio (beneficio cujus unguis oculi fuit curatus)

D. S.

Collyrium, benè circumagitandum.

Simile est ferè *collyrium Loticbii in observat. descriptum pag.* 208. qui unguem oculorum, Pterygium, secundùm motum lunæ nunc accrescens nunc decrescens, curavit:

℞. *Lap. hæmat.* ℈ß.
Vitrioli albi calcin. gr. xv.
Sacch. candi ℈j.
Myrrhæ,
Croci ana gr. v.
Aquæ appropriatæ ophtalm. ℥j. vel ʒiß.

M. f. *collyrium*, applicandum cum pluma, vitando pupillam. Nam talia collyria, quæ ingrediuntur paulò acriuscula, non libenter applicantur pupillæ, nisi ipsa sit afflicta; proptereà, quoniam pupilla membrana est admodum tenuis, & non patitur, ut applicentur talia acriuscula.

Hæc sunt collyria liquida, quæ fiunt vel ex infusione, vel ex decocto, &c.

Sequuntur *Collyria Unctuosa*, sive quæ sub forma unguenti vel linimenti solent applicari, aut etiam sub forma cataplasmatis, quæ tamen rara sunt, imprimis ea, quæ sub forma linimenti applicantur: nihilominus Veteres illa usurparunt, & prostat adhuc in officinis *Unguentum Nihili*, quod paratur ex pompholyge sive tutia, & est egregium in rubedine & dolore oculorum, si externè inungatur palpebris.

Interdum recipiuntur *mucilagines seminum*, v.g. cydoniorum, psylli, extracti cum aqua appropriata, & applicantur cum linteis in tumore, dolore & inflammatione oculorum. Denique *sub forma cataplasmatis* fiunt collyria: imprimis primatum obtinent cataplasmata ex pomis coctis sub cineribus. Dico sub cineribus: nam quidam etiam volunt coquere pomum in lacte; quod tamen propter rationes dictas est inconveniens propter vitia lactis. Quando præcipitur coquere micam panis in lacte, ut applicetur oculis, potius illa in aqua tepida est maceranda, & instar cataplasmatis applicanda; cui interdum miscentur mucilagines, v.g.

℞. *Medull. panis albi in aquæ euphras. coctæ* ℥j.
Mucil. sem. cydon. cum aqua euphras. extract.
Psyll. ana ʒij.

M. f. cataplasma,

D. S.

Cataplasma contra tumores oculorum.

Quidam in doloribus oculorum addunt opium: sed hoc est periculosum, quoniam opium inflammationes oculorum facit degenerare in sphacelum & gangrænam.

Ad hæc collyria pertinet modus secretus & valdè probatus, caro scil. recens: frustulum nimirum carnis nondum coctæ, sive sit caro bovina, sive vitulina, sive vervecina, magnitudine & crassitie thaleri, applicatur oculis sub introitum lecti: ad multa conducit; in tumore & rubedine oculorum à causa externa, item in contusione & lapsu; ulteriùs valdè etiam convenit in præservandis oculis à variolis, si applicetur & subinde removeatur. In doloribus oculorum valde etiam conveniens est tale frustulum carnis applicatum eodem modo in pruritu & scabie oculorum insigniter etiam convenit; imò habetur à quibusdam pro magno arcano.

Denique *collyria sicca* sunt pulveres pro oculorum morbis destinati, qui pulveres minutissimi appellantur ab Arabibus *Sief*, & tali nomine sub trochiscorum forma etiam prostant in officinis pro oculorum usibus: de quibus *infra suo loco*.

CAP. XL.

DE BALSAMIS ODORIFERIS.

B*alsami artificiales* sunt *triplices*, ut rectè habet AVTOR: nempè *Balsami odoriferi*, *Balsami destillati*, & denique *Balsami unguentarii*.

Balsami *odoriferi* parantur vel pro *usu externo* frequentiori, vel pro usu *interno* rariori.

Quoad *usum externum*, ordinariò olea destillata aromatica subiguntur cum appropriato corpore in consistentiam crassiorem illiniri aptam: & quidem olea proptereà conjunguntur cum corpore crassiore, ut ejus quasi irretita amplexu retineatur vis volatilis, nimis promptè exhalans, & ut hoc modo coercita sine virium jactura persistere queant.

Corpus illud pro balsamis varium est: Quidam *ceram* probè *depuratam* sumunt; sed malè; quia hæc ipsa balsama non rarò reddit duriora, & minus grata: alii *medullam vituli lotam* eligunt, sed & hoc malè, quia reddit balsama rancida & malè olentia: alii *mannam depuratam*, ut QVERCETANVS, recipiunt; sed hæc minùs bene illiniri potest; & falsus est AVTOR, dum dicit: *Quercetanum intelligere per mannam depuratam ceram lotam & depuratam*; sed reverà intelligit *Mannam Calabrinam* benè lotam. BARTHOLETVS *Tract. de Dyspn. lib.* 5. *cap.* 12. pro corpore balsami recipit *mediam substantiam mellis* ab omni impuritate secretam, & quæ amplius non effervescit; sed & hæc pro illitione ineptum erit corpus. Optimum igitur corpus, quod hactenus per experientiam fuit cognitum, est oleum nucistæ expressum; quod ipsum quidem pro balsamo stomachali recipitur tale, quale est, seu suo odore & colore adhuc constans, quoniam per se est egregium stomachicum: sin verò accipitur tanquam corpus pro aliis balsamis, tunc necesse est, ut priùs mediante spiritu vini tartarisato, infuso ab omni sapore, colore & odore liberetur, & tanquam corpus album inane olea facilè possit recipere, neque eorum efficaciam suo colore aut gravi odore suffocare.

Hoc modo parantur balsama pro usu externo.

Quoad *usum internum*, rariora quidem sunt balsama. Parantur ex extractis, tincturis & oleis destillatis aromaticorum, cerâ vel mannâ exceptorum; ubi etiam salia simplicium, & ita tota quasi plantæ crasis, in balsamum cogitur, ut pro usu interno efficax habeatur remedium, utut rarioris sint usus.

Exemplum hujus sit *balsamum fœniculi*, quod describit HORSTIVS *lib.* 10. *Obs.* 22. scilicet manna optimè præparata, vel cera alba benè depurata, imprægnatur s. q. essentiæ seu tincturæ fœniculi, ad consistentiam mellis: huic essentiæ oleum destillatum & sal fixum fœniculi adduntur & miscentur, modo sequenti;

℞. *Ess. fœnic.* ℥iij.
Mannæ opt. præpar. vel *ceræ albæ depurat.* ℥j.
Oleum fœniculi destillati ℥ß.

Manna depurata, vel cera leniter rasa, leni ignis calore funditur; huic additur essentia cum spiritu vini facta, semper cochlear unum post alterum affundendo, & diligenter movendo, donec omni essentia adjecta, & ad debitam consistentiam redacta fuerint: postmodù additur oleum, & extra ignem agitando spatulâ ligneâ miscentur. Composito huic *sal fixum fœniculi* additur, ad singulas uncias ʒß. salis; & sic adservatur pro usu, & egregium habetur balsamum internum carminativum singulare & anticolicum, pro affectibus stomachi & intestinorum, & tantum præstat, quantum fœniculum, quoniam omnia ejus principia hìc sunt permista. Loco ceræ vel mannæ in talibus casibus etiam potest sumi oleum nucis moschatæ destillatum.

Vel juxta QVERCETANVM recipitur manna optimè depurata & percolata, quoties fieri potest: huic additur *extracti majoranæ* q. s. miscentur & agitantur multoties: si hoc fuerit imbibitum, additur oleum destillatum, stentque in lenissimo calore, tunc coagulantur in balsamum pro usu interno.

His balsamis hoc modo paratis, si singulis mensibus affunditur de novo proprium oleum, durabunt ad multos annos.

Balsama hæc sequuntur ingredientium & oleorum vires, suntque nunc simplicia, nunc composita. Balsama simplicia ab AVTORE recensentur. In specie

BALSAMVM ANGELICÆ

Externè applicatur abdomini in colica & passione hysterica. Commodè etiam potest permisceri balsamis antipestilentialibus, quibus tempore pestis muniuntur nares & tempora cum pulsibus.

BALSAMVM AVRANTIORVM

In colica solet præscribi cum oleo vel balsamo anisi pro externo illitu, uti etiam in inflammatione stomachi.

BALSAMVM CITRI

Convenit in febribus malignis, pulsibus & regioni cordis applicatum.

BALSAMVM MAJORANÆ

In affectibus capitis catarrhalibus, in specie coryza & obstructione narium est elegans.

Inter Balsama composita est

BALSAMVM APOPLECTICVM

Num. 1. *pag.* 156.

Balsamorum apoplecticorum variæ prostant præscriptiones, inter quæ tamen ferè primatum obtinet CROLLII, præ quo gratior est Balsamum apoplecticum MICHAELIS, cujus hæc est compositio:

℞. *Olei destill. cinnam.* ʒij.
Caryophyll. ʒiij.
Ligni Rhod. ʒj. ad ʒij.

Bal-

Balsami Peruv. ℥ß.
Moschi,
Ambræ an. ʒi.
Olei expr. nuc. mosch. ℥ii.
Asphalti q. s. pro colore nigro,
M. f. l. a. *Balsamus*.

Modus parandi est, ut Moschus & Ambra subtilissimè terantur cum oleis destillatis, & ita cum aliis in consistentiam debitam misceantur.

Usus est in affectibus capitis subitaneis, paralysi & apoplexia; cum notum sit, quod Balsamus Peruvianus conferat sensui & nervis. Prætereà commodè illinitur vulva in passione hysterica, modò observetur, ne odor penetret ad nares: talia enim fortiter olentia, uti per nares excitant passionem hystericam, ita vulvæ admota eandem compescunt; unde etiam quidam præcipiunt, ut in desperata passione hysterica mas inungat penem cum balsamo apopletico, & ita coeat cum hysterica; sic enim tutò & citò curatur. Imò hoc modo applicatum peni Balsamum apoplecticum coitum utrique sexui longè jucundiorem & elegantiorem facere dicunt.

BALSAMUS BEZOARDICUS PESTILENTIALIS,

Num. 3. est egregius: sed videtur ex errore typographi camphoræ nimia quantitas, cum ʒiij. imo ʒiiß. camphoræ in substantia sufficiant, nisi oleum camphoræ, ex camphoræ in oleo amygdalarum dulcium solutione paratum, recipere velimus.

Hæc sunt *Balsama odorifera*, quæ partim externè, partim internè adhibentur.

Sequitur

CAP. XLI.
DE
BALSAMIS DESTILLATIS.

HÆc sunt vel *propriè talia*, vel Balsama *assata* seu per assaturam præparata. *Illa* sunt acriora, hæc temperatiora: illa sunt nihil aliud, quàm olea destillata composita spirituosa, indeque penetrantiora; quoniam res aromaticæ, item gummata ac resinæ & similia, permiscentur cum spiritu vini, & ita destillantur in corpus oleosum; cui postmodum convenientia olea vel alia adduntur, & ita fiunt balsama talia destillata, non semper, nec omnibus subjectis, nec omnibus in casibus convenientia, cum propter acrimoniam, rosionem, ardorem & hinc quibusdam epidermidis erosionem inducere soleant. Et sanè omnium ejusmodi Balsamorum destillatorum loco, quæ AUTOR describit, sufficiat unicum *Galbanetum Paracelsi* ritè paratum. Quoad *balsama per assaturam*, sunt olea blanda, substantiâ vegetabili imprægnata, quorum speciem exhibet AUTOR *num.* 5. *pag.* 159. de *quo suo loco*.

Inter Balsama destillata composita AUTORIS occurrit

BALSAMUS VITÆ, *num.* 1. & 2. *pag.* 157. & 158.

Cujus & in aliis autoribus variæ descriptiones prostant. In genere tamen nihil aliud prodit, quàm oleum aromaticum destillatum compositum igneum, cujus gutta iij. iv. vel v. sufficiunt, & instar fulminis penetrant corpus. Usurpantur imprimis usu externo pro illinitione, permista aliis oleis destillatis.

BALSAMUS NERVINUS.

Balsamo nervino AUTORIS *pag.* 159. præfertur *Galbanetum Paracelsi*, idque meritò.

BALSAMUS ANTIARTHRITICUS.

Balsamus hic est spirituosus volatilis, & ideò reliquis Balsamis seu linimentis arthriticis pinguibus præferendus, cum hæc omnes ferre non possint, & inde quibusdam magis exacerbatur dolor.

BALSAMUS ANTIPARALYTICUS.

Balsamus hic paralyticus fit per assaturam, dum anseres, vulpes, canes, aliaque similia animalia pinguia exenterata implentur similibus nervinis aromaticis ac similibus specificis; hinc denuò consuuntur, sicque assantur. Pinguedo enim animalis per assaturam liquefacta imprægnatur particulis medicamentosis simplicium infarctorum: hinc sub assatione illa destillans pinguedo medicata denuò aspergitur corpori assando, donec sufficienter & ad ariditatem usque sit assatum. Balsamo illo postmodum, qui in loco frigido in consistentiam balsami abit, partes ex podagra dolentes, paralyticæ, contractæ, rigidæ, stupidæ, &c. illinuntur frequentiùs, donec restituantur. Nimis tamen sunt unctuosa, & ea propter in paralysi vera non semper conveniunt, sed potius spirituosa & volatiliora prosunt.

Præparationes aliquot horum balsamorum vel linimentorum habentur in RIVERIO *cap. de Paralysi*. Facit huc *unguentum neuriticum* per assaturam ex cane probatum, quod videbitis in BARTHOLINI *Actis Med. Hafniens. Volum.* 1. *pag.* 44.

BALSAMUS SAPONIS

Est egregius, ubi opus est potenti discussione & maturatione: in colica flatulenta mirè commendatur, uti etiam in contusionibus, item in ardore articulorum podagrico certissimum est remedium; imprimis si permisceantur cum spiritu lumbricorum terrestrium per fermentationem parato. Balsamo huic præstat *Balsamum Podagricum è sapone Veneto*; cujus autor primus est RHUMELIUS *in suis Scriptis Chymiatricis*.

℞. *Coag. sulphuris animal. & alcali*, i. e. *saponis Veneti* part. ij.
Gum. mercurial. & sulphureæ naturæ, i. e. *campb* part. j.
Quintæ Essentiæ vegetabilium, seu Spiritus vini, q. s.

Hæc blandè digerendo in consistentiam liquidioris Balsami redigit.

Loco spiritus vini autem sumatur spiritus lumbricorum terrestrium per putrefactionem paratus, qui camphoram meliùs solvit, quàm spiritus vini; vel omnissâ camphorâ *sapo Venetus* dissolvatur in ana *dicti spiritus, & spiritus vini campborati*: Solutio filtretur, & liquor filtratus illinatur parti dolenti in arthritide; mira enim facit in eadem. Interdum parvas pustulas suscitat aquâ repletas, idque cum ægri levamine.

Balsami inunctorii tractantur *cap.* 87. *ubi de unguentis*.

CAPUT XLII.
DE
BOLIS.

BOlus est medicamentum instar pulpæ, quod præscribitur unâ vice: ita dicitur, quoniam tantæ est magnitudinis, quanta bucca potest excipi. Non prostant in officinis parati, sed omnes sunt magistrales. Nempe pulveres si excipiuntur conserva pro una dosi, dant *Bolos*; sin verò pulveres pro pluribus dosibus excipiantur, emergunt exinde *electuaria*. Veteres unciatim præscribebant Bolos, quod adhuc in Italia & Gallia in usu est; apud nos verò propter delicatulos ægros inolevit hic mos. Ad summum igitur ʒj. pro dosi constare debent, quandoque tamen ʒij. conceduntur, modò ne nauseosi sint.

Fiunt ex conserva appropriata, cui ceu basi, seu quod dat consistentiam formulæ, admiscentur pulveres appropriati; ita tamen, ut ʒj. istius conservæ semper respondeat pulv. ℈j., ad summum ʒß., & postmodum cum syrupo appropriato rediguntur ad consistentiam Boli. Loco conservæ potest etiam substitui pulpa passularum & tamarindorum, item Rob & Theriaca.

CAP. XLIII.
DE
CALCIBUS seu CALCINATIS.

CAlces sunt nihil aliud, quàm res in pulverem calcinando redactæ. Calcinatio autem usu chymico sic dicta est vel *ignitionis* vel *corrosionis*: Illa, ignitionis scilicet, fit in igne, & in triplici regno locum obtinet, & in his vel simplex ustio seu calcinatio, vel intercedente aqua, ignis quasi modificatio, institui solet.

Prior modus in regno animali usta, ebur & cornu Cervi usta; in minerali crocum Martis adstrictivum, item crystallum calcinatam, silices aliosque lapides calcinatos; in vegetabili cineres suggerit: Posterior sine igne philosophicè calcinatas animalium duriores partes exhibet, ut cornu Cervi sine igne, &c. In priori modo observandum, quod animalium partes, ut cornua cervi, &c. in vase clauso calcinando nigrescant, in vase verò aperto exactè albescant, propter nigram fuliginem aeris adjumento sic separatam.

Quoad *Calcinationem Philosophicam*, vocatur hæc etiam *calcinatio vaporosa*, quia partes animalium duriores, ossa, cornu Cervi, &c. in alembico posita per vaporem appropriatum, ex cucurbita vel vesica elevatum, quasi calcinantur & friabilia ac pulverisabilia redduntur.

Liquor, qui adhibetur, potest esse aqua simplex destillata, vel alia appropriata; & rectè dicit AUTOR *noster*, quod vapor vi caloris elevatus cornua penetrando friabilia paulatim candidaque reddat: sic v. g. calcinatio cornu Cervi sine igne fit cum aqua quadam composita alexiteria, carnii humani cum aqua cephalica, liliorum convallium, cerasorum nigrorum aut aqua quadam antiepileptica alia.

Usta autem ista in genere sunt substantiæ terreæ, acidorum absorptivæ, hinc stypticæ & per accidens sudatoriæ. Conveniunt inter se omnia,

nia, sale nempè volatili & oleo destituta, adeò ut sunt nuda terra mortua, omnibus particulis activis destituta: in philosophicè calcinatis istis salis volatilis & olei aliquantulum superest; quod destillatione patet. Si enim cornu Cerui & ossa humana per vaporem calcinata per retortam consueto more destillentur, adhuc suggerunt spiritum, oleum, & sal volatile, utut non adeò copiosum, & vix quartam partem ac cruda: conf. ZWELFERUS *Animadverʃ. in Pharmac. Aug. pag.* 463. item *Pharm. Reg. pag.* 242. & 248.

Sunt equidem, qui etiam Cornu Cerui & alia ossa animalium minutissimè trita adhibent cruda in usum medicum; & certum est, quod præferenda sint calcinatis quibuscunque, siue igne actuali, siue calcinatione vaporosa & potentiali. Cæterùm requiritur stomachus validus, qui soluere atque digerere possit eadem; aliàs in debili stomacho instar cinerum & farinarum fluctuant, atque sine omni usu egeruntur, sicut fuerunt assumpta.

Huc pertinet, quando non rarò in locis subterraneis reperiuntur ossa varia variorum animalium, quæ & ipsa reperiuntur friabilia, & linguæ admota ipsi adhærent, & in genere omnes habent proprietates, quas habent ossa Philosophicè calcinata. Hæc revera à natura sunt calcinata Philosophicè per vapores calidos & humidos, elevatos ex locis subterraneis, à quibus sensim sensimque calcinantur, & friabilia redduntur; Nam eadem est ratio, siue ejusmodi ossa sint posita in alembico, & sensim per vapores aqueos friabilia reddantur, siue sint posita in locis subterraneis, & ab humoribus vel vaporibus elevatis, ita præparentur: & hæc ossa hoc modo præparata in terræ visceribus reperta, vulgò venditantur pro unicornu fossili; sed falsò: vid. quæ dixi *de unicornu fossili*.

Vegetabilium calces cineres dicuntur, sale fixo alcalisato impregnati, unde ex iis vini affusione parantur lixivia pro scopo diuretico antihydropico usitata; e. g.

♃. *Cin. stip. fabar.*
Genistæ,
Sarment. vitis,
Sterc. columb. calcin. an. ℥iij.
Cum s. q. *vini* vel *aquæ* f. *lixivium*.
D. S.
Lixiuium urinam promouens.

De lixivio hoc potantur singulis horis matutinis ℥iij. vel jv. pro provocanda urina hydropicorum. Si cum aqua simplici paratur, miscetur cum vino, interdum saporis gratiâ additur aliquantillum sacchari, quando nolumus miscere cum vino, aut syrupus appropriatus.

Pro incineratione autem vegetabilium conueniens est *furnus singularis à* GLAUBERO *inuentus*, qui habetur *in eius scriptis*, Germ. *der Preʃʃ-ofen* dictus: in hunc furnum Glauberianum induntur vegetabilia, incenduntur, & ita incinerantur. Habet enim hoc beneficij, ut præter salè cineribus elixiuiandum, per canalem oblongum ex vegetabilibus spiritus acquiratur, qui alias in igne aperto avolat. Est modus singularis, & probè obseruandus. Sic D. MICHAELIS aliquando ex absinthio acquisiuit sal fixum, & spiritum per hunc furnum, qui spiritus fuit egregius admodum salinus urinosus, & diversæ naturæ à spiritu aliàs absinthij sulphureo, per ignem enim corpora maximè alterantur. Primarius artifex est ignis in Chymia, ut sine eo vix quicquam laude dignum præparari possit; non tamen adæquatus & sufficiens corporum analysta: vid. BOYLE *in chym. ʃcep* Hinc producta chymica plus habent dotis artificialis per artem introductæ, quàm seminalis natiuæ; Ignis enim alterat corpora per motum. Nam utut in igne fit acidum, tamen hoc acidū non multum habet in recessu; motus potiùs obseruatur, qui nunc per σύγκρισιν, nunc per διάκρισιν alterat corpora. Per διάκρισιν separantur volatilia à fixis; salia volatilia scilicet & spiritus à capite mortuo: per σύγκρισιν verò fit, ut fiant nouæ societates particularum, & oriantur corpora aliena, v. g. in oleis destillatis salibus fixis, &c. In nullo enim corpore sunt olea destillata, qualia sunt extracta: nunquam in cornibus reperiuntur olea sub ea consistentia, qua eliciuntur foras. Sic per incinerationem elicitur sal fixum, quod formaliter non præexistit.

In legitima autem ignis administratione, quæ in decenti & proportionata eius quantitate consistit, considerandi sunt: 1. *ignis gradus*, quibus determinatur, prout minorem, vel maiorem actiuitatem habere debet. Hinc alius ignis est degestionis, destillationis, sublimationis, reuerberationis, &c. quod graduum regimen legitimum in tota pyrotechnia attendendum est; cùm & ignis regiminis potentiam MORHOFF *de Traʃmut. Metall. p.* 30. 47. 48. & 53. diuersis obseruationibus deprædicet: *Vulgò octo gradus ignis numerantur*: verùm multò pluures sunt, si ad omnes encheirises attendere volumus. Corpora enim, quò magis compacta aut dura sunt, eò fortiorem requirunt ignis gradum: quò volatiliora verò, eò remissiorem ignis gradum exigunt. Sic remissiori ignis gradu ascendunt spiritus inflammabiles & salia, fortiori phlegmata & olea: sic nonnulla, quæ igni fortiori resistunt, mitiori interdum cedunt, e.g. Talcum: de quo MORHOFF *loco allegat.* refert, quod, licèt summo etiam igne ad diuturnum etiam tempus torreatur, huius tamen vim eludat; totum nihilominus intra dimidiæ horæ spatium igne paucissimo ita calcinatum fuisse, ut colore flavo deposito, substātia illius spongiosa facta sub digitis in pulverem minutissimum redigeretur: qualia phænomena plura in Chymia quotidie obseruantur. De igne probè dirigendo pro experimentorum felici successu vid. BOYLE *de Noctiluca Aerea pag.* 11.

2. *Materia ignis* consideranda est: *an operationes fiant aperto igne? an in arena, in cineribus, an in* Balneo Mariæ, *vel vaporis balneo, &c.* nam hæc materiæ differentia multum habet in recessu: v. g. unus idemque ignis gradus præcisè, qui est in balneo vaporis, Balneo Mariæ, cineribus, &c. propter diuersam materiam diuersa producta dabit. Sic igitur, quæ in Balneo Mariæ eliciuntur, non item rectè in cineribus destillantur; licet idem gradus obseruetur: scilicet salia volatilia in igne arenæ vel cinerum, spiritus verò in Balneo Mariæ destillentur. In Balneo Mariæ nunquam bullire possunt spiritus, licèt aqua insigniter efferuescat, secus verò in arena. Ergo Mariæ Balneum pro spiritibus egregium est. Intensiorem quoque reddunt ignem carbones fossiles; remissiorem verò vegetabiles. Sic alius digestionis gradus est in sole, alius in balneo vaporis, Mariæ balneo, fimo equino, &c. Solis ignis plus habet in recessu, siue ad digestionem, siue ad corporis solutionem; mediante enim speculo ustorio longè alius habetur ignis, quàm culinaris. In sulphuribus certè ab igne solari longè majorem alterationem acquirunt res naturales propter fixitatem, magis perficiuntur, &, uti *Ortelius in Sendiuog.* loquitur, austerâ & ferâ suâ cruditate exuuntur atque priuatur, atque ad suauissimam maturitatem deducuntur, quæ ab igne culinari magis volatilisantur. Contingere hoc videtur non saltem, quatenus solis calor interiorem & corporibus implantatam potentiam excitat & actuat; sed simul etiam virtus solaris luminis his imprimitur, ita ut pondus eorum notabiliter satis augeatur, & antimonii vis emetica & cathartica in diaphoreticam mutetur.

3. Denique *chymica tractantur vel in vaʃe aperto, vel in clauʃo*: v. g. ferrum in vase aperto calcinatum abit in scorias; in vase vero clauso abit in chalybem: cornu cervi in vase clauso nigrescit, in aperto albescit.

Hæc incidenter de ignis œconomia.

Redeo ad cineres vegetabilium: Horum quatuor recensentur ab AUTHORE *p.* 174. qui in officinis usitati: nempè cinis absinthii, cinis stipitum fabarum, cinis genistæ, & cinis sarmentorum juniperi.

Ex his

CINIS SARMENTORUM IUNIPERI

Commendatur contra calculum, & hydropem, ut ut cinis ex fimo columbino ipsi præferatur in hydrope, non verò in calculo. Simile lixiuium adhibetur externè in tumoribus partium œdematosis post morbum acutum, &c. Nam lintea humectata ex hoc lixivio, & applicata pedibus sub ingressum lecti, tumorem sensim, sed felicitèr discutiunt.

Inter cineres animalium sunt

CANCRI USTI,

Qui iam à Galeni temporibus commendantur singulariter contra morsum canis rabidi.

ERINACEUS USTUS

Confert specificè in incontinentia urinæ.

HIRUNDINES USTI

Ingrediuntur cataplasmata contra anginam & affectus faucium.

Sunt qui calcinant ciconias & coruos, & calces istas commendant egregiè contra epilepsiam.

Sequitur *Mineralium Calcinatio corroʃiva*, quæ est, quando beneficio menstruorum acutorum corroduntur subiecta immersa; quâ ratione postmodum fiunt *Magiʃteria*. Liquores corrosiui sunt varii; Uaria enim subiecta varia etiam postulant menstrua, cum non omne menstrum soluere possit quodlibet subjectum. Nam propter hanc differentiam adeò sudant chymici, ut inueniant *menʃtruum uniuerʃale*, seu *liquorem Alcaheʃt*, id est, tale menstruum, quod soluat omnia subiecta ex tribus regnis indiscriminatim, & quidem non superficialiter in partes integrantes, sed radicaliter & in suum liquorem seminalem: & hic est verus *liquor Alcaheʃt*. Cæterùm, cum hic sit rara avis, necesse est, ut simus contenti menstruis particularibus, quæ sunt varia, pro varietate subiectorum soluendorum. AUTHOR *pag.* 163. recenset menstrua simplicia, quibus addendus est spiritus viridis æris: Composita sunt aqua fortis, aqua regia &c., item ex spiritibus salis & aluminis.

De Mineralium Calcinatis corrosiuis *infra* dicam.

CAPUT

Lixivio sapè ... fructu in ... hydrop.

CAPUT XLIV.

DE

CATAPLASMATIS.

Cataplasmata frequentis sunt usus in chirurgicis: sunt autem nihil aliud, nisi remedium in forma pultis crassioris, quæ applicantur externè partibus pro usu chirurgico imprimis.

Præscribuntur cataplasmata instar decoctorum, nisi quod in decoctis assumatur liquor, in cataplasmatis pulpa seu materia trajecta.

Quoad medium componendi talia cataplasmata: solent fieri ex decocto simplici; scilicet decoctiones fiunt tandiu, donec colliquescant vegetabilia in tantum, ut instar pultis tenuioris & mollioris fiant, atque per setaceum trajici possint: Trajectæ pulpæ adduntur varia, in specie olea convenientia, pulveres, farinæ &c.

In omni igitur cataplasmate tria consideranda:

1. *Species decoquendæ.*
2. *Liquor, quo fit decoctio;* &
3. *Interdum addenda.*

Quoad I. nempè species: illæ variæ esse possunt pro diversitate partium atque usus. Usitatissimè præparantur ex vegetabilibus & animalibus, præsertim horum stercore, quod efficacissimum est in pluribus casibus.

Quoad II. nempè liquorem: hic varius pariter est; interdum enim aqua, interdum vinum, lac, olea infusa, interdum & alia sumuntur; interdum pro conficiendis cataplasmatis loco liquoris recipitur acetum & vinum, vel posca, sive aqua cum aceto mista; sicuti dedi exemplum ubi de fabis, quando in tumore testium cùm inflammatione fit cataplasma, ex aceto seu posca cum farina fabarum coctum: interdum pro liquore accipitur urina pueri, ubi adsunt flatulentia, & ubi opus est flatuum discussione: sic v.g. ex stercore caprillo, cocto in posca, vel etiam subacto cum urina pueri, fit potens cataplasma discussivum, pro discutiendis flatibus & resolvendis tumoribus. Pro discussione imprimis conveniunt cataplasmata ex stercoribus in tumoribus pedum œdematosis, in quibus stercora coquuntur in urina propria, & miscentur pro cataplasmate: item in tumoribus scroti, qui non sunt rari.

Quoad III. adduntur pulveres, qui sunt varii pro varietate scopi: nunc farina seminum, nunc pulvis albi Græci, nunc stercora animalium, nunc alia: ita etiam pro oleis interdum adduntur succi, in specie ceparum, vel etiam olea, tam infusa, quàm expressa: quæ tamen non semper necessaria sunt, propterea quoniam oblinunt poros partium, eosque obducunt & infarciunt. Et ob id non rarò omittenda sunt olea; idque imprimis, ubi opus est discussione, in quo casu pori debent aperti esse & patuli. ubi verò opus est suppuratione & emollitione, ibi additur oleum; non ve[...] in nimia quantitate, quoniam in inflammationibus emolliendis & suppurandis ex obstructione pororum nimia, per cataplasmata oleosa à chirurgis sæpius loco puris inducitur gangræna: quæ cautela summè est necessaria in correctione chirurgorum.

Proportio horum *ingredientium* definita est à MORELLO, ita quidem rectè, ut ad ℥x. vel ℔j. pulpæ aut materiæ trajectæ addantur pulveres ab ℥iß. ad ℥ij. vel ad summum ℥iij. quarta nimirum pars; & oleorum tantundem vel ℥iv. interdum saltem q.s. & ita vel decoctione vel solà contusione coniunguntur in remedium liquidum cataplasmatis, quod calidum linteo exceptum admovetur parti: si verò olea destillata sumantur, pro ℔j. pulpæ ʒij. vel ʒiij. sufficiunt.

Quantitas simplicium decoquendorum ad putrilaginem variat pro magnitudine partis, cui applicandum venit cataplasma; uti etiam pro crebriori usu ipsius cataplasmatis, quando vel rariùs vel frequentiùs est applicandũ: sic v.g. major requiritur quantitas pro cataplasmate contra anginam, & tonsillarum inflammationẽ singulis diebus bis applicando, quàm pro cataplasmate ad oculos, vel etiam ad digitum gangrænosum. Quantitas ergo definienda venit ex iudicio Medici. Rarò autem ℔j. excedat, vel ad summum ℥xv. pulpa cataplasmatis.

Non prostant in officinis, sed ordinantur à Medico, extemporaneè præparanda.

Usus horum est *multiplex*: usitatissimè pro scopo emolliendi, temperandi, ac maturandi & discutiendi tumores, atque dolores sistendi: pro resolvendo sanguine congrumato, in diarrhœa, dysenteria, &c. vel & pro scopo vesicatorio, adhibentur.

In horum usu observetur: ne nimis frequenter usurpentur, nec diu etiam sine renovatione imposita relinquantur, quia infrigerata horrorem cuti incutiunt, hinc clauduntur pori, prohibetur insensibilis transpiratio, sicque plus nocent quàm prosunt. Crebriùs ergo renovanda, & calida repetitis vicibus imponenda.

Cataplasmatum varias formulas habebimus *in Collegio Formularum*: paucis adhuc cataplasmata magistralia ab *Authore nostro* descripta consideremus, ubi *n.* 1. CATAPLASMA RESOLUTIVUM FORESTI occurrit, egregium in tumoribus duriobus, scirrhosis & scrop[...]osis. Usus eius est, ut dissolvatur sanguis grumosus, & adstringendo major tumoris crescentia impediatur.

CATAPLASMA LAXATIVUM *num.* 3. *p.* 165.

Cataplasma hoc laxativum convenit imprimis, ubi metus est de vermibus; ibi enim commodè potest applicari umbilico. Quidam recipiunt electuaria purgantia fortiora, subigunt cum unguento dialthææ, & instar cataplasmatis applicant plantis pedum, ut fiat purgatio alvi. Hoc in memoriam revocat, quendam olim confectionem Hamech & unguentum populeum miscuisse, plantis pedum illinivisse, & sic ægros suos purgasse. Alij

℞. *Catapult. min.*
Tithymal.
Colocynth. an. ʒv.
Scammon. ʒiij.

Cum s. q. *mellis* subigunt in formam cataplasmatis: de quo gr. v. imponuntur umbilico pro laxatione per inferiora, imò ventriculo pro vomitu. Idem lumbis applicatum promovet urinæ fluxum.

Sic si *aloë hepatica* subigatur cum *felle tauri*, & vesicæ bubulæ illinatur, & tanquam cataplasma umbilico imponatur, euporiston optimum est pro pellendis lumbricis.

CATAPLASMA DE NIDO HIRUNDINIS *MYNSICHTII num.* 4.

Hujus species pro scopo anodyno, emollitivo & suppurativo in lacte coqui, & sic applicari possunt: revera in angina, tonsillarum inflammatione, aliisque similibus affectibus, egregium est.

ANACOLLEMATA.

Anacollema Græcis idem est, atque Germanis *ein Vorband*, cataplasma nempè valdè adstringens, quod applicatur à chirurgis in principio luxationis & fracturarum. Nihilominus, uti Græci Anacollemata fracturis; ita eodem usu applicant etiam Germani fronti. Fiunt, quando nudi pulveres adstringentes excipiuntur albumine ovi, & applicantur, ubi opus est, ut sistatur hæmorrhagia, ut impediatur nimius humorum affluxus, in recentibus vulneribus, rupturis, fracturis, &c. ubi solent chirurgi, perperam tamen, applicare tale cataplasma cum liquore acri, aceto, vino austero, vel etiam aqua simplici frigida; idque, uti dicunt, pro repulsione, ne nimis affluat sanguis, maledicta methodus!

AUTOR *n.* 6. habet exemplum *anacollematis frontalis*, quod solet esse in usu in hæmorrhagijs narium contumacibus, imprimis si subigatur cum aceto; imò bolus vulgaris subacta cum aceto, valdè etiam convenit in desparata narium hæmorrhagia.

Sinapismi in desuetudinem abierunt, quos loco vesicatoriorum nostratium usurparunt Veteres. Ita dicuntur à basi, quæ fuit semen sinapi, quod permiscetur cum pulpa ficuum, & applicatur. Nam notum est, quod omnia simplicia, quæ constant sale valdè volatili & acri, uti est semen sinapi, ranunculus, flammula, pyrethrum, zingiber, euphorbium, &c. extrinsecùs admota cuti soleant inducere, & excitare ingentem ruborem, & ita facere quasi quandam attractionem. Ubi ergò opus fuit hac attractione, Veteres applicarunt sinapismum. Egregium habent usum externum; nempè loco vesicatoriorum, ubi pauló mitiùs agendum est, commodè usurpari possunt: v. g. in oculorum affectibus nuchæ, in febribus carpis, imponi possunt. Præter modum Autoris *n.* 7.

℞. *Fermenti acerr.* M. j
Sem. sinapi condit. ʒvj.
Erucæ ʒij.
Cum s. q *Spiritus vini* f. *cataplasma*.

Potens est, & fortiter operatur.

VESICATORIUM *num.* 8.

Moderni loco sinapismorum adhibent *Vesicatoria*, quæ sunt fortiora, & fiunt ex basi cantharidum. Cuti applicata solent excitare successivè vesicas, modò citiùs, modò tardiùs, prout vel copiosiores vel pauciores sunt cantharides; aut etiam prout vel magis vel minus sunt permistæ cantharides cum aliis ingredientibus.

Applicantur talia vesicatoria ad magnitudinem thaleri varijs in locis, v. g. carpis manuum in statu febrium malignarum & ardentium apud Italos non sine successu felici, item tibijs, item temporibus pone aures, ubi erumpere solent parotides ad promovendam expulsionem malignitatis; quoniam rarò usurpant sudorifera. In arthritide, malo ischiadico, & similibus morbis, à lympha acida oriundis, conducunt optimè pro evacuanda tali lympha, & impediendo motu ad articulos. In specie ad vertiginem & affectus capitis multùm conducunt tales vesiculæ, si nuchæ applicentur: uti & in affectibus oculorum, imprimis in inflammatione, lippitudine & alijs oculorum morbis, in lethargo, apoplexia & similibus affectibus soporosis; quoniam ibi opus est, ut concitetur dolor, & evigilet æger: sin verò vesicatoria in hoc casu sint lenia, & non excitentur

veficæ cum dolore, tunc fine fructu applicantur. Ulteriùs in tumoribus aperiendis, imprimis malignis, in bubonibus & anthracibus, commodiffimè tales veficulæ excitari folent, ut materia venenofa euacuetur. Applicata ita veficatoria ex cantaridibus parata, penetrant fenfim fenfimque fale fuo volatili, & partem quafi adurunt, ut eleuetur in veficas aquâ limpidâ plenas. Quod fi in morbis periculofis ex applicatis his veficatoriis nulla fequatur operatio, nullaque excitetur vefica, certiffima expectanda eft mors. Hinc etiam in corporibus mortuis etiam fortiffima veficatoria applicata veficam nullam excitant: unde in ægro fi non operentur, feliciffima expectanda eft ad mortem curatio.

Præfcribuntur duplici modo: vel fub forma emplaftri, vel fub forma cataplafmatis. Ufitatiùs autem applicantur fub forma cataplafmatis, ità quidem, ut pulvis cantharidum mifceatur vel cum fermento, vel cum pulpa ficuum: cum fermento, ubi mitiùs agendum; cum pulpa ficuum, ubi fortiùs. Rationem dedi, ubi habui de cantharidibus: nempè quoniam acidum fermenti folet figere fal volatile acre cantharidum, propterea communiter diffuadetur fermentum. Quicquid fit, utroque modo præfcribi poffunt. Cum fermento commune eft chirurgorum veficatorium, quod fecundùm *Autoris* præfcriptum commodè ufurpatur. His ipfis pro ftimulo poteft addi interdum pulvis euphorbij, vel finapi, cum pauco aceto deftillato. Modus præfcribendi fit talis:

℞. *Fermenti veter.* ℥ij. vel ℥ß. (plus minus pro varietate fcopi)
Cantharid. ablatis alis & capit. nu. jv.
Semin. finapi pulverifat. ℨj.
M. D. S.
Puls veficatoria.

Applicatur in quantitate thaleri, compactum in pultem.

Vel

℞. *Fermenti acerr.* ℥ß.
Pulv. cantharid. ℈j.
Euphorbij gr. xij.
Caftor. ℈j.
M. f. *cataplafma* in quantitate thaleri,
D. S.
Cataplafma veficatorium.

Cum pulpa ficuum præfcribitur hoc modo:

℞. *Pulpæ ficuum* ℥ß.
Cantharid. ablat. alis & capit. ℨß. vel ℈ij.
Malax. cum *Spiritu vini* vel *cum aceto*.
D. S.
Vt ante.

Quando applicatum eft veficatorium, tunc excitatur vefica, quæ excitata aperitur acu, ut euacuetur humor contentus; & ne citò denuò exficcentur veficæ, aut confolidentur, applicatur folium braffica rubræ leuiter torrefactum, & mirabile eft, quantum foleat elicere continuò humorem; inftar fontanellarum evacuant. Hæc folia braffica, quandiu manent applicata, vefica manet aperta; illis verò remotis, confolidatur. Ne ergo tam citò confolidetur, applicetur emplaftrum irritans: de quo plura dicentur in Collegio Practico. Tales veficæ funt quafi fuccedaneum fontanellarum, & quafi fontanella parua, quoniam pura lympha feu ferum exit. Præfero tamen cataplafmati emplaftrum veficatorium, *de quo infra fuo loco*.

CAP. XLV.
DE
CLYSTERIBUS.

Enemata, *Clyfmata* feu *Clyfteres* communiter, & ut plurimum ex infufis aut Decoctis appropriatis parari folent, propterea de ijsdem nobis hac vice agendum erit.

In genere ergò quod attinet clyfteres, à voce Græcâ Latinis *ablutio* dicitur *clyfter*; uti etiam videri poteft in MORELLO. Iniectiones tales clyfmaticæ fiunt aut in cauitates naturales, uti funt iniectiones in podicem, in uterum, in aures, os, palatum, &c. aut in cauitates præternaturales, quales funt, abfceffus, ulcera finuofa, fiftulæ, &c.

Clyfmata ano inijcienda funt duplicia; ratione ufus fcilicet vel eluendi folùm inteftina, eorumque defectibus fuccurrendi gratia inijciuntur; aut inteftina ftimulandi & purgandi.

In omni autem clyfmate confideratur I. *clyfmatis corpus*, quod frequentiffimè eft Decoctum, pro varia intentione & fcopo Medico varium: fic v. g. quando in colica adhibendi clyfteres, hi ipfi fiunt ex decoctis carminantibus: quando in dyfenteria adhibendi clyfteres, hi ipfi fiunt ex medicamentis leniter adftringentibus, vel vulnerarijs confolidantibus: ubi adhibendi clyfteres in alui obftructione & fæcibus induratis, fiunt Decocta ex emollientibus blandis, & fæces feu fcybala indurata fluida facientibus, & fimilibus. Interdum etiam fimplicior liquor fufficit: itaque v. g. pro leniter emollienda aluo fiunt interdum clyfteres ex iufculo pulli, ex iure carnis hœdinæ, vitulinæ, carnis pulli, carnis caponum, & fimilibus; interdum fumitur lac, vinum, urina, oleum, &c. Deinde non minùs liquoris quantitas varia eft, pro varietate fubiectorum: fic in infante unius vel duorum annorum ℥ij. vel iij. infanti trium vel quatuor menfium ℥j. vel ℥jß. puero adulto & ftaturæ iuftæ ℥x. ad ℔iß. fufficiunt.

2. *Addenda & in corpore* hoc *diffoluenda*; quæ rurfus funt varia: Sic antiqui electuaria fua laxatiua, e. g. electuarium lenitiuum, &c. ab ℥j. ad ℥ij. addidere: Diffoluitur etiam in clyfteribus unguentum clyfmaticum, quod proftat in officinis, & abftergere, partim etiam confolidare folet inteftina: ufitatè etiam diffoluitur electuarium de baccis lauri ad ℥j. ad difcutiendos flatus; faccharum item & mel, vel fimplex, vel rutaceum, vel rofaceum, vel mercuriale, ab ℥j. ad ℥iß. Olea, tam commune, quàm appropriata, vel horum loco etiam butyrum, ab ℥ß. ad ℥j. olea deftillata à ℈ß. ad ℨß. falia ftimulantia à ℈j. ad ℨj. Denique & vitellum oui pro temperanda inteftinorum lubricitate: de quibus omnibus *fpeciatim* agetur *in Collegio Formularum.*

Quoad *ufum* clyfmatum in genere, reijcit hæc ipfa HELMONTIUS *de Febribus*, fed ipfi fatisfit ab HOFFMANNO *de Methodo Medendi, ubi de clyfteribus*. Sanè polychreftum & multi ufus eft remediũ clyfma; plus enim præftant clyfmata, quàm mulra fæpè medicamenta; quæ licèt ultra colon pergere nequeant corporaliter propter valvulæ obftaculũ, quę eft in principio coli ubi inteftinum cæcum cohæret cum colo, nifi in defperatis cafibus affectus iliaci feu miferere mei dicti, in quo cùm omnium inteftinorum motus fit inuerfus, deorfum furfum, etiam hæc valvula inuerfo modo mouetur, & deorfum furfum poteft admittere clyfterem; ficut & in hoc affectu per os reddita obfervata funt; nihilominus cùm clyfteres, ceu aliquid extrinfecum infufi irritent & ftimulent tàm inteftinum rectum, quàm in fpecie inteftinum colon, & vifciditatem in his contentam evacuent, tunc ex irritatione continua oritur contractio, & propter continuam fubftantiæ cohæfionem fimul irritantur reliqua, qua irritatione inteftina contracta contenta excrementa expellunt, inferiora verfus detrudunt; ficut & per confenfum pluribus alijs affectibus, etiam remotiora corporis loca affligentibus, conferre fuo modo folent. Hinc & clyfmata in paffione hyfterica, fpecialiffimè autem in affectibus mefenterij fpafmodicis, nephriticis, in vomitu, cholera, &c. frequentiffimus eorum ufus eft in fubleuando dolore, & demulcendo furore fpirituum. In febribus intermittentibus ante paroxyfmum iniecti, in afthmate & tuffi, item in affectibus capitis, vertigine, epilepfia, per confenfum abdominis, &c. egregium præftant leuamen: hypocondriacis non minus ac fcorbuticis, feliciffimus eft ufus: In apoplexia valdè conueniunt, in quibus fortiores & acutiores clyfteres omninò funt reijciendi. MICHAELIS curauit hic aliquando famulum mercatoris horrendo hydrocephalo laborantem, folùm beneficio clyfteris ex hydragogis parati; Sic etiam ex clyfmate ex vino, cum aromatibus præparato, delirium natum quafi ebriofum obferuat *Rhodius Cent.* 1. *Obf.* 38. item ex clyfmate, cui ℨj. opij fuit addita, coma fomnolentum obortum fuit, per clyfterem ex vino Maluatico curatum, *tefte* SALMVTH *Cent.* 3. *Obf.* 97. Memini me obferuaffe clyfma ex lacte bubulo, in quo terebinth. ℥iij. cum vitellis ovorum folutæ continebantur, manè iniectum, & tota die retentum, vefperi urinam ægri odore fenfibiliter infeciffe. Sic ab opio cum clyfmate injecto balbutiem fecutam refert *Platerus Obf. p.* 136. Aliquando clyfma ex nicotiana, prout communiter proftat in officinis meicatorijs, parari curaui per decoctionem in aqua fimplici, pauco melle addito: hoc injecto æger mox anxietiam quandam cum fummis præcordiorum anxietatibus, fudoremque extremum frigidum paffus eft; ita ut mox reijciendum fuerit. Potius ergo clyfteres ex fumo tabaci adhibeantur: de quo vid. *Bartholinus Cent.* 6. *Hift. Anat.* 66. Sed de clyfmatum ufu proficuo legatur imprimis elegans *Differtatio* MOEBII *de Clyfteribus.*

Quæftio eft: *an clyfteres etiam confortent & nutriant?* Sanè eft infulfiffimum, quafi coli & oris fit par ratio; magis verò illud, quando vinum, iufculum gallinarum cum confectione alchermes ægro infundunt, ut nutriat & cõfortet: hinc & parum aut nihil fubfidij ex illis expectandum & promittendum. Cùm enim nihil poffit nutrire, nifi quod fuit fubactum in ftomacho, & à quo heterogenea, fcilicet fcybala, per pręcipitationẽ in duodeno ex admifto fucco pancreatico & biliofo fuerunt feparata; facilè patet, quod tales clyfteres, cum non afcendant ultra colon, non poffint nutrire, multo minus confortare; fed ceu inania & ridicula figmenta anilia fint rejiciendi. *Inftrumentum* pro debita applicatione, præter canalem ligneum, offeum, &c. aut vefica eft, aut fipho, qui hic illi præferendus. Galli certè nefciunt veficas, quia longè melius cum fiphonibus res procedit, quibus cum impetu quafi infunditur clyfma, & altiùs atq; latiùs fe extendit. *Graffius* nouum pręparauit inftrumentum, quod videbimus in *Tr. eius de clyfmatibus*. Quoniam verò intempeftiua nullorum verecundia ordinaria hæc inftrumenta vix admittit, de alijs, quibus mediantibus aut fibimet æger, aut unus ex adftantibus fine illius denudatione enema illi applicare valent, cogitare folent Practici: quò etiam pertinet inftrumentum fingulare, cuius delineationem & etiam modum fumum tabaci applicandi, defcribit *Bartholinus loc. all. Sim. Pauli Quadrip. Botan. p.* 462. *Paræus l.* 25. *c.* 25. (quod tamen inftrumentum fatis imperfectum, dum pyxidis faltem liquorem excipientis, inftrumenti verò vibrantis fiue impellentis

mentionem nullam facit) & *Hildanus Cent.* 1. *obs.* 38. *Scultet. Armament. chirurg. Tab.* 13. *&* 42.

Quoad *Formulas Autoris*, hic parum est monendum: *Num.* 1. notandum: quod urina pueri loco corporis in clysmatibus pro affectibus hydropicis, tam aquosis, quàm flatulentis, adhibeatur.

Num. 2. Solum oleum oliuarum integrum clysma constituit, ad leniendum aluum, & rectè; quia PRÆVOTIVS etiam quendam nobilem contumacissimæ alui denuò fluxilem fecit beneficio clysteris ex ℔j. olei communis confecti. In specie usurpatur oleum lini pro emolliendis fæcibus induratis in laxanda aluo nimis contumaciter obstructa, & RVLANDVS curauit rusticum quendam, cuius alvus & abdomen ob scybala diutiùs retenta omnino dura & infarcta fuit, ita ut cum dispnœia, febre quotidiana & anorexia disperatus habitus fuerit, clysmare cum ℥v. olei lini, infundendo hoc oleum nunc solum, nunc simul ʒj. trochiscorum alhandal. Interdum recipitur cum *oleo lini* simul *olei raparum* ana: tali enim oleo ex semine raparum desperatam alui obstructionem curatam fuisse, obseruatum fuit. Hinc in contumaci alui obstructione ex induratione fæcum.

℞. *Olei lini*,
Rapar. ana ℥v.
Diacolocynth. Qu. ʒvj.

M. pro clysmate infundendo tepidè.

Cum talibus oleis expressis interdù in flatulentiis possunt addi olea appropriata carminativa destillata, quæ potentiùs tunc possunt discutere flatus.

Non rarò cum clysteribus injicitur aut dissoluitur sal gemmæ, quod est excellentissimum & omnibus præferendum, ubi intestinorum fæces ex nimia duritie non possunt excerni. Rectè autem monet AVTOR *noster in nota ad formulam tertiam*, quod dosis salis gemme imminuenda; potiùs ad ʒj. dissolutum mirificè commendatur à FORESTO, quod potenter emolliat fæces nimis duras, easque emollitas foras evocet.

Purgantium dosis in clysteribus semper in duplo sumenda est, in respectu scilicet dosis ordinariæ per os sumendæ, aliàs parum vel nihil operantur; & si stimulare animus fit, omittantur olea.

Post clysteres alvinos sequuntur clysteres uterini, qui pro varietate scopi etiam vel maximè variant: sic v. g. in nimio mensium fluore:

℞. *Herb. plantag.* Mj.
Rad. bistortæ,
Sterc. asinini,
Suill. rec. ana ʒvj.
Gall. contus. ℥ß.

Ebulliant in s. q. *aquæ simpl.* Colatur. ℞. ℥ix.

D. S.

Adstringens inspersio.

Excoriationibus & exulcerationibus uteri vel etiam ejus colli, tales injectiones non sine fructu instituuntur: imprimis quidem, ubi tales excoriationes fiunt ex acrimonia nimia humoris, in fluxu albo per istam vaginam transeuntis, tunc fiunt iniectiones ex aqua calcis viuæ, ubi est simul inflammatio, vel sola, vel cum ea ebulliant plantæ vulnerariæ, detergentes & consolidantes: ubi verò scopus est blandè detergendi & demulcendi humorum acrimoniam, plantæ vulnerariæ coquantur in decocto hordei. Imprimis autem in talibus decoctis vel aquis appropriatis destillatis dissoluitur succus Mercurialis, qui est appropriatus pro purificando & detergendo utero; item mel Mercurialis & syrupus ex Mercuriali paratus. In exulcerationibus uteri Gallicis in vagina uteri, conueniens est, ut cum decocto appropriato, plantaginis, mercurialis, ligni sassafras seu ligni sancti, admisceatur simul, unà cum melle Mercurialis, aliquantulum Mercurij dulcis, ceu medicamentum appropriatum contra exulcerationes Gallicas. In his & similibus iniectionibus interdum etiam appropriata dissoluuntur. Sic in inflammatione uteri, in inflammatione vaginæ uteri, quæ interdum solent fieri post partum laboriosum, aut ex stagnantibus in ijsdem locis lochiis, commodè inijcitur decoctum florum chamomillæ, decoctum semperviui, florum sambuci, &c. in aqua appropriata: in quo decocto aliquantulum sacchari Saturni dissoluitur pro dissoluendo sanguine congrumato, & discutienda inflammatione istius partis, datis simul internè menses & lochia promouentibus. Vel in doloribus, inflammationibus & ulceribus uterinis cacoetheis:

℞. *Herbæ lactucæ*,
Nymph.
Plantag.
Scord. an. Mj.

Coque in s. q. *seri lactis* vel *lactis ipsius*: Colat.

D. S.

Lac inspergendum.

Lac sumitur, ubi scopus est sedandi dolorem; serum verò, ubi ardorem compescere voluerimus.

In prolapsu uteri, seu potius prolapsu sinus pudoris, (uterus enim vix prolabitur) commodè inijcitur post repositionem iniectio adstringens, parata ex decocto radicis bistortæ, cum radice tormentillæ, folijs plantaginis, flor. balaustiorum, corticibus granatorum, semine Sumach, & myrtillis, in aqua ferrariorum seu extinctionis chalybis: quibus decoctis interdum aliquantulum aluminis potest addi cum syrupo de rosis siccis, & ita per vices nijciantur.

Quantitas materiæ inijciendæ in uterum præscribitur ad ℔j. vel ℔iß. cuius singulis vicibus calefactæ ℥ij. vel ℥iij. ad ℥iv. inijciuntur, nunc sæpius, nunc rarius, prout necessitas urgebit.

Instrumentum pro injectione vocatur Metrenchita, cuius delineatio prostat apud Chirurgos, v. g. in SCULTETO *Tab.* 13.

Non omittendum, nec reticendum hìc est *singulare inuentum Glauberi*, qui habet *instrumentum quoddam ligneum*, quod est canalis quidam oblongus, interiùs cauus, in anteriore parte cum foramine angusto, ita ut possit in cauitatem uteri commodè immitti: huic canali applicatur corpus rotundum pomiforme, quod aperiri & claudi potest: quique tali instrumento in corpore anteriore rotundo intrudit spongiam plenam spiritu salis ammoniaci, vel in corpus rotundum indit misturam ex sale quodam alcalico, v. g. ex cineribus clavellatis cum sale ammoniaco, & ita applicat instrumentum ad uterum, ut beneficio salis volatilis, ex sale ammoniaco penetrantis, in uterum subtili suâ penetratione menses remoratos & subsidentes promoueat. Est inuentum Glaubero proprium, & illi multi usus in affectibus mulierum.

Inijci etiam possunt tales spiritus volatiles ex cornu Cerui, urina, vel etiam salia huiusmodi, ut odoretenus subintrent uterum, & menses prouocent.

Post clysmata uterina dantur & aliæ Injectiones, peni & uesicæ infundendæ, in vesicæ excoriatione, facta vel ab internis ab acrimonia urinæ acida, ut in stranguria; vel facta ab externis, qualia sunt applicatio cantharidum; siue enim hæ applicentur, siue assumantur, non rarò solent inducere, aliis partibus illæsis, excoriationem uesicæ: item in gonorrhœa Gallica, & ubi incipit fieri in pene propè prostatas ulcus; vel quando meatus urinarius in incipiente Gonorrhœa excoriatur & exulceratur, ita vt metus sit, ne in tali exulceratione exedatur, & in medio perforatus meatus urinarius, vel etiam ex tali ulcere excrescat caruncula: In talibus casibus fiunt iniectiones in penem, quæ dolorem sopiunt, vesicam excoriatam consolidant, & detergunt, ulcus tam prostatarum, quàm meatus urinarii detergunt, uti etiam virulentiam veneni Gallici destruunt. Quæ dolorem leniunt, sunt imprimis lac vel propriè sic dictum, vel emulsiones ex papauere, & similibus, anodynis, & dolorem lenientibus; item decoctum hordei, commistum cum lacte, aut cum emulsionibus lacteis, commodè potest inijci. Ad consolidandum & detergendum inijciuntur decocta ex vulnerarijs, ex agrimonia, hedera terrestri, & summitatibus hyperici; quæ decoquenda sunt ab ℥viij. ad ℔j. Additur his vel mel rutaceum pro detersione, vel syrupus de symphyto Fernelij pro acrimoniæ attemperatione: & quidem in ℥viij. ad ℔j. dissoluitur talium ℥j. ad ℥ß. plus minus, prout sunt efficaces vel minus efficaces. Adduntur non rarò trochisci de alkekengi cum opio, & sine opio: cum opio inijciuntur in dolore excedente, ubi opus est nudâ attemperatione acrimoniæ humorum, & detersione excorationum & exulcerationum. Commodè etiam potest institui Iniectio emulsionis ex terebinthina, vel etiam decoctum appropriatum cum aliquot guttis olei terebinthinæ destillati & optimè rectificati potest inijci: & ubi suspicio est inflammationis vesicæ concurrentis, etiam lacti vel sero lactis sacchari Saturni aliquantulum potest addi; item aqua ferrariorum se extinctionis chalybis, in qua radix symphyti, & myrrha, & aliquantulum aluminis, decocta fuerunt, commodissimè inijcitur.

Vt res pateat exemplo me declarabo: sit nempè *clysma abstersiuum peni inijciendum in exulceratione vesicæ & mictu cruento*:

℞. *Fol. plantag.* M.j.
Rad. liquirit. ℥ij.
Cort. fabar. ℥j.
Sem. cicer. rub. p. ij.

F. decoctio in aqua *simplici*, addendo parum *lixiuii*, ne nimis f. acris, & in ℔j. decocti dissolv. *Terrebinth. laric. cũ vitello oui in mortar. dissol.* ℥ii. & adseruetur pro usu Iniectionis. Vel

℞. *Herbæ agrimon.*
Plantag. ana M. j.
Rad. liquirit. mund. ℥ß.

Coqv. in aqua *ferrariorum* q. s.

Colat. ℞. ℔ß. adde

Ess. myrrhæ cum spiritu vini tartaris. parat. ʒij.
Mell. rosati ℥j.

Misc. pro *Iniectione*, quæ fieri debet per syringam.

Quod si minus pateat via, per catheterem est amplianda & aperienda. Loco huius autem & sufficit clyster ex terebinthina. Sin ulcus sit contumax & inueteratum, aut etiam sordidum, simul in hoc decocto potest dissolui aliquantum de unguento Ægyptiaco, quod est acre, tantum scilicet, quantum ferre potest æger.

Post hoc *clysma* abstersiuum, sit hoc *consolidatiuum in ulceribus vesicæ*:

℞. *Ramul. equiseti*,
Summit. hyperic.
Fol. plantag. ana Mj.
Rad. bistortæ,
Consol. maj. ana ℥iß.
Cort. granat. ʒiij.

Coqv. in s. q. *aquæ ferratæ*: & in colat. ℔j. dissolv.

Trochisc. alb. Rhas. sine opio ℥ß.

Boli

Boli Armenæ ℨj.
M. pro *injectione consolidativa*.

Injectiones in gonorrhœa virulenta, meatus urinarij exulceratione, fiunt ex plantis vulnerariis, decoctis in aqua appropriata, in quo decocto dissolvuntur nonnulla appropriata, v. g. aloe, mel, &c. & quidem una vice ℥i. vel ℥iß. injecta sufficit (in vesicam injiciuntur ℥iij. vel iv.) vel fit Mistura ex succo plantaginis & aqua plantaginis, quibus additur aloe rosata, & dissolvitur aliquantulum Mercurij dulcis pro injectione in penem, etiam in prostatarum exulceratione in virulentia Gallica: qualem misturam habet SCULTETUS *in Obser. Chirurgicis Observ.* 79. E. g. in *gonorrhœa maligna cum exulceratione glandis*:

℞. *Decocti plantag.* ℥iv.
Aquæ aloet. ℨiij.
Mercurii dulc. ℨij.
Mell. rosac. ℨvj.
M. S.
Mixtura ad inspersionem.

Ubi periculum est exulcerationis, aut malignum est ulcus, loco mercurii dulcis capi potest Mercurius præcipitatus, item Mercurius sublimatus, qui est acrior & magis corrosivus, quàm Mercurius dulcis: sed in parva dosi miscendo cum decoctis: ubi tamen aqua destillata potius quàm decoctum plantaginis conveniret; quia aliàs se præcipitaret Mercurius sublimatus.

Aliud clysma pro pene in gonorrhœa benigna exulcerata:

℞. *Lact. muliebr.* ℥iv.
adde
Tut. præpar. ℨij.
Aloes hepat. ℨj.
Sacch. candi ℨß.

Pulveres subtilissimè triti subigantur cum lacte, & injiciantur cum syringa, pro una vice ℥ß. ad ℨvj. aliquandiu retineatur pene compresso.

CAPUT XLVI.
DE
CONDITIS.

Condita officinalia nihil aliud sunt, quàm partes vegetabilium succulentæ cum sacharo dissoluto & clarificato, coquendo in talem consistentiam redactæ, sub qua non facilè situm contrahere aut putrescere possunt: v. g. radices succulentæ non commodè asservantur, nisi cum saccharo præparentur. *Modum* videbitis *in Autore nostro*.
Sic prostat in officinis

RADIX CICHORII CONDITA,

Quæ usurpatur vulgò in affectibus biliosis, in corrigenda sanguinis dyscrasia, in affectibus chronicis, &c.

RADIX CALAMI AROMATICI CONDITA,

Est egregium stomachicum.
In quibusdam officinis, non in omnibus, reperitur etiam

RADIX CONSOLIDÆ MAJORIS CONDITA,

Quæ præscribitur iis, qui sunt vulnerati, qui laborant herniâ, & similibus affectibus.

RADIX ENULÆ CONDITA.

Prodest in affectibus stomachi & pectoris.

RADIX ERYNGII CONDITA.

Præscribitur in Electuariis aphrodisiacis seu venerem concilantibus: id quod etiam intelligendum est de

RADICE SATYRII CONDITA,

Quæ similiter ad Venerem torpidos stimulat maritos.

RADIX ZINGIBERIS IN CHINA
seu
INDIA CONDITA.

(Ita enim præscribitur) Est egregia in affectibus capitis & stomachi, in quibus abundantia est flatulentiarum.
Cortices eodem modo *condiuntur* atque radices, imprimis cortices aurantiorum & citri.

CORTICES AURANTIORUM CONDITI.

Conducunt stomacho & stranguria, similibusque affectibus medentur.

CORTICES CITRI CONDITI.

Usurpantur in præservandis contagiis malignis, & in Electuariis in morbis malignis præscribuntur.
Caules etiam condiuntur; sed pauci sunt talium conditorum. Imprimis

LACTUCÆ CAULES

Condiuntur, & ferè ad eosdem usus præscribuntur, ad quos radix cichorii condita.
Fructus qui condiuntur, sunt vel duriores vel solidiores, vel molliores. Molliores, ut fructus berberum, ribium, cerasorum conditorum & similia; coquuntur scilicet, sed additione sacchari, & præscribuntur in Electuariis ad temperandos æstus febriles, quoniam sunt subacidi: sin fructus sint solidiores, coquuntur prius s. q. aquæ ad mollitiem mediocrem, & tunc cum saccharo condiuntur. Sic fiunt

CYDONIA CONDITA.

Quæ conducunt in stomachi vitiis, vomitu, nausea, ructibus, colica, diarrhœa, & cholera.

POMA CITRIA CONDITA.

In affectibus malignis curandis, in cardialgia, & affectibus stomachi flatulentis præscribuntur.

PYRA MOSCHATELLINA CONDITA.

In usu sunt delicatulis pro purgatione. Nimirum recipiunt excavatum leviter pyrum Moschatellinum, & locus excavatus impletur quibusdam granis pulveris purgantis, & propinatur pro purgatione.

NUCES JUGLANDES CONDITÆ.

Ratione aromatum solent conferre in affectibus stomachi & capitis.

NUCES MOSCHATÆ
præscribuntur in India
CONDITÆ.

Valdè conveniunt in stomachi, intestinorum & capitis affectibus, in vertigine & scotomia, & similibus, item in apepsia senum, in dysenteriis & diarrhœis.
Hæc dicto modo condiuntur cum saccharo: sed culinam sapiunt, & muliercularum laboriosas nugas. His ergo pro usu diætetico relinquantur, cum nobis in usu pharmaceutico minus necessaria sint, modò radicem Zingiberis conditam & nucem Moschatam ritè conditã in officinis habeamus; cætera matres familias, etiam invitis Medicis, ægris obtrudunt; & præstat talia vel recentia sine saccharo adhibere, vel loco talium magis alimentariorum efficaciora medicamentosa substituere.
Sunt etiam quæ condiuntur cum sale & aceto. Sic sunt

CAPPARES CONDITI.

Qui laudantur in affectibus splenis, adeo ut comesti crebriùs, valde conveniant in infarctione splenis; item in dejecto appetitu, quem acuunt. Præterea quoque blandè solent stimulare & ciere urinam

CUCUMERES CONDITI.

Hic fructus omnibus est notus; sed ad culinam, non ad pharmacopœiam, pertinet.

OCULI GENISTÆ CONDITI.

Ad eosdem usus conferunt, ad quos cappares conditi, in affectibus splenis, item in stimulanda urina.

OLIVÆ CONDITÆ.

Sunt egregium diureticum, & impediunt ferè, ne ebrietas adeò celeriter occupet bibentes.

CAPUT

CAPUT XLVII.
DE
CONFECTIONIBUS SACCHARATIS.

Confectiones saccharatæ, sive *conditæ*, sunt, quando semina & alia incrustantur saccharo, & inserviunt potius bellariis, quàm usui Medico. Quidam pilulas saccharo incrustant, sed est lusus nullius pretii.

Modum conficiendi habet AUTOR, quæ præparatio vegetabilibus est propria: Sic habemus semen anisi confectum, coriandrum, cubebas pro capite & contra vertiginem; semen dauci pro cienda urina & aliis affectibus urinariis; semen fœniculi, carvi, cardamomi, &c. in flatibus ventriculi & intestinorum, cardialgia flatulenta &c. semen santonicum convenit infantibus vermiculantibus.

Saccharum rosaceum & *violaceum* fit, quando saccharum pulverisatum impraegnatur succo rosarum aut violarum, & tunc vocatur Germ. *Rosen-Zucker*, & *Violen-Zucker*.

CAPUT XLVIII.
DE
CONSERVIS.

Conservæ nihil aliud sunt, quàm vegetabilia cum saccharo subacta, eum in finem inventæ, ut vegetabilia conserventur in suo vigore, & ne exsiccata vires perdant.

Modus est, ut folia, flores vel radices minutissimè concisa contundantur in mortario cum saccharo: ubi tria consideranda:

1. Mortarium, in quo contunduntur vel miscentur vegetabilia cum saccharo, non debere esse stanneum, aut æneum; imprimis si acidula sint vegetabilia conservisanda, sed lapideum cum pistillo ligneo aut lapideo, ne ramenta se permisceant cum consetvis, & vim malignam & vomitivam ipsi concilient.
2. Sacchari non nimium capiendum, sed q. s. pro impastatione florum.
3. Hæ conservæ irrorentur oleo proprio; vel earum loco fiant *Elæosacchara* seu *Magisteria saccharata*, de quibus *supra dictum fuit*.

Quoad *vires*: easdem habent cum simplicibus.

Conservæ, quæ prostant in officinis, sunt in AUTORE descriptæ.

CONSERVA PULPÆ CITRI.

Fit elegans gustu, si recens subigatur cum saccharo: post recipitur corticum recentium flavedo, ex quâ contrita exprimitur succus oleosus, qui saccharo excipiatur, & addatur pulpæ suprà dictæ; irroretur aliquot guttis olei destillati corticum citri: sic in febribus aliisque morbis malignis post sudorem prolectum pro viribus refocillandis egregia erit Medicina.

Sunt qui parant etiam

CONSERVAM CORTICUM CITRI.

℞. *Cort. citri sine carne* ℥ij.

Contunduntur in mortario marmoreo, & additur

Sacchari ℔ß.

Coquuntur lento igne ad perfectionem, donec perveniant ad consistentiam debitam.

CONSERVA COCHLEARIÆ.

Non commodè paratur, quia sal volatile avolat in præparatione.

CONSERVA RADICIS CONSOLIDÆ MAJORIS.

Præscribi solet in vulneribus, in hernia, & similibus affectibus.

CONSERVA ROSARUM RUBRARUM VITRIOLATA.

Dicitur, quæ cum aliquot guttis olei vitrioli irroratur.

CAPUT XLIX.
DE
DECOTIS.

Intelliguntur hìc Extractiones & Solutiones, quæ menstruo imprimis fiunt aqueo, plus minus simplici, vel aliis, præsertim salinis particulis acuato; unde fiunt Gelatinæ, Emulsiones, Infusa, Decocta, Vina Medicata, & pro usu externo etiam Clysmata, Cataplasmata, Gargarismi.

In hujusmodi pharmacevticis præparationibus habenda est ratio & *liquoris* tanquam menstrui, mediante quo fit extractio; & *materiæ medicæ* seu subjectorum, ex quibus fit talis extractio, & tandem utrorumque ad se invicem mutuus respectus, ut nempè ratione quantitatis & qualitatis sibi mutuò respondeant, hoc est, menstruum sit sufficiens & homogeneum rei infundendæ.

Nam ut à posteriori hìc incipiam, verum est axioma chymicum: Nullum menstruũ sive liquor ultra modum receptivitatis suæ recipere posse, hoc est, tantum particularum medicamentosarum ex rebus infusis vel incoctis extrahere & imbibere, quantum particulis suis penetrando & dissolvendo à subjecto separare, ac hinc porulis suis recipere & continere valet: propterea requiritur certa proportio in quantitate menstrui ad rem extrahendam, ut tantum sumatur à liquore, quantum requiritur pro virtute materiæ infusæ elicienda, & quantum sufficit pro cura hujus vel illius affectus: V. g. si ego M. j. herbarum vellem affundere ℔j. liquoris pro extractione, esset nimium, & liquor non sufficienter impræ̨gnaretur; è contra verò, si ego vellem decem manipulis affundere ℥iij. liquoris, esset parum, propterea, quoniam non reciperent in se omnes simplicis virtutes, ex eo, quod si semel sint ejus pori repleti, tunc non possunt plus recipere, licet vel centies addantur nova simplicia: hinc quadruplum & sextuplum spiritus vini pro subiectis resinosis plenariè extrahendis, triplum autem, quadruplum aquæ fortis pro argento solvendo requiritur; & antimonialia infusa in vino non amplius, quàm capere valent, ex croco seu vitro infuso recipiunt. Unde cum aquea menstrua plerumque solitaria, nec salinis particulis acuata, debilissima sint, propterea communiter in eo ac sæpius erratur, quod simplicibus decoquendis ac infundendis tam parum aquei menstrui addatur, & quod vix sufficit penetrandis & quasi emolliendis rerum extrahendarum particulis: confer. ZWELFERVS *Animadverss. in Pharm. August. pag.* 146. & *Pharmac. Reg. pag.* 31. Cum enim nulla hìc fit proportio, fit tantummodo medicamentum pretiosum, & minus fructuosum: pretiosum propter copiam ingredientium; minus fructuosum, quoniam liquoris parcitas & paucitas non potest sufficienter absorbere & imbibere particulas rerum infusarum medicamentosas.

Ratione qualitatis, *supra dictum, quod liquor sit homogeneus subjecto infundendo*, h. e. ejusdem naturæ in fundamento, ne detur actio inanis vel contraria: V. g. aurum vel argentum, si vel per centum annos decoquantur in aqua vel spiritu vini, nil elicitur: si cera vel resinosa decoquantur in aqua regis, vel aqua forti, frustra erit, quia invicem contraria, nullus coalitus, nulla invicem actio aut reactio. Propterea talia ipsi liquori aquoso, aut menstruo sunt infundenda, aut in eodem decoquenda, cui possunt suas virtutes communicare; unde magis resinosa aut oleosa subjecta apta sunt, quæ aqueis tententur menstruis; qua ratione male à plurimis omnes radices, aut reliquarum plantarum partes resinosæ, e. g. jalappa, aut turpethum, aut agaricus, vino pro scopo laxativo infunduntur, aut pro eodem fine in aqua decoquuntur; quoniam, uti de Extractis monui, resinosa eliciuntur tantummodo per spirituosa volatilia seu menstrua sulphurea, nullo verò modo ab aquoso; quoniam inter oleosa (ex oleo enim & sulphure fit tertium resina) & sulphurea seu resinosa ad aquam nulla est proportio commistionis.

Liquor ergo & menstruum aquosum, mediante quo elicitur vis medicamentosa per infusionem vel decoctionem, est multiplex, pro varietate scopi à Medico intenti, plus minus simplex, nunc compositus: v. g. aqua quælibet fontana, pluvialis, ros Majalis, serum lactis destillatum, seu depuratum, vinum, acetum destillatum, mulsum, Posca, succus quidam liquidior depuratus, v. g. pomorum Bosdorffianorum, &c. Et est vel menstruum simplex, vel compositum, acuatum cum sale tartari. Liquor hic primò, quò simplicior, eò potentiùs imbibit: hinc non Decoctum jam factum, & aliis imbibitis particulis medicamentosis ebrium, est recipiendum; sed aqua vel vinum simplex; vel si in quibusdam circumstantiis recipiendum sit decoctum aut Infusum jam factum, hoc poris apertis, i. e. maximè dilutum, & aliis substantiis minus impræ̨gnatum esse debet, ut valeat recipere plures medicamentosas substantias. Vulgaris sanè error est, ut factis Decoctis adhuc varia infundantur, ex quibus tamen liquor amplius quid recipere nequit.

Utilissima est *aqua fontana pura* & nitida; in morbis tamen cachecticis, uti *superiùs dictum*, scorbuto, aliisque chronicis, usitatò assumitur aqua ferrata, seu extinctionis ferri; quâ etiam opus est, ubi est laxatus stomachus & intestina: ferrum enim, uti *sæpius monui* & ex TACHENIO indigitavi, nunc adstringit, nunc aperit: per se adstringit contra-

contrahendo fibras; aperit verò abforbendo acidum. Interdum accipitur aqua hordei, feu Decoctum hordei pro Infusione: Quidam accipiunt aquam tonitrualem, & plurimas huic vires adscribunt: vid. quæ *superius dixi de aquis*, ubi dedi quasdam Descriptiones. *Ros Majalis*, vel simplex vel alcalisatus, est egregium menstruum pro extrahendis vegetabilium & animalium virtutibus, uti *patet ex supra dictis*.

Serum lactis est conveniens liquor pro infusione simplicium; quoniam notum, quod serum lactis per se non habeat parum virtutis medicamentosæ; ratione imprimis salis nitrosi temperati egregium est remedium in multis affectibus, uti *superius monui de lacte*. Et cùm serum lactis per se sit egregium antiscorbuticum, & conveniat admodum, tam in scorbuto, quàm febre cum scorbuto conjuncta, propterea fieri possunt Decocta & Infusa in sero lactis in malo hypochondriaco, scorbuto, & similibus morbis. Convenientissimè infunduntur in serum lactis plantæ antiscorbuticæ, ex eo, quoniam serum lactis temperat saporem acrem. Præter id quod temperet saporem acrem, etiam adjuvat, ut plantæ antiscorbuticæ blandiùs operentur; solent enim interdum ratione salis volatilis acris inducere phlogoses, & effervescentias in corpore: has prævenit serum lactis, temperando salia acria, & sale nitroso temperato modicè refrigerando. In juvenibus ergo biliosis & in morbis calidis, uti potus seri lactis est conveniens, ita etiam in talibus Infusa & Decocta, tam alterantia, quàm purgantia, commode possunt cum sero lactis fieri.

De *vino* dubitari posset; *an hoc ratione copiosæ partis spirituosæ inter menstrua aquosa referri possit*: nihilominus tamen, quoniam spiritus vini ante sui separationem est in vino dispersus, & copiosâ aquâ aut phlegmate dilutus, propterea fit, ut omnino vinum minstrui aquosi rationem adhuc obtineat. Usurpatur imprimis pro Infusis, non verò pro Decoctis: ratio est, quoniam in decoctione, imprimis nonnihil diuturniore, ex vino evanescunt ejusdē partes spirituosæ, & exhauriuntur ejusdem spiritus, remanente tantummodo latice aquoso sub-acido, & quasi tartareo: propter hanc rationem commodius est vinum pro Infuso, quàm pro Decocto. Quod si verò vinum decocto sit addendum, vel pro augumentanda ejus virtute, vel pro concilianda eidem saporis gratia, tunc vel admiscetur vinum Decocto in fine decoctionis; vel, quod melius est, insisti debet *modo decoquendi Zwelferiano*, qui in decoquendis subjectis volatilibus & spirituosis cum vino, recipit omnes species, unà cum menstruo, easque conjunctim includit cucurbitæ, cum suo alembico rostrato munitæ, in digestionem ponit in balneo Mariæ & instituit sic coctionem: sic enim fit, ut partes volatiles & spirituosæ in decoctione eleventur in alembicum, ibique coagulatæ in guttulas per ejusdem rostrum decidant: quem liquorem destillatum, in coctione prolectum, Decocti colaturæ depuratæ denuò addit, & ita Decoctum efficacius ac gratius acquirit. *Modum* videbitis hinc inde *in Animadv. Pharm. Aug.* qui est elegans, & meritò observandus à nostris Pharmacopœis negligentibus.

Interdum in *Mulso* decoquuntur simplicia, pro suo scopo convenienter ac debito.

Sunt etiam, qui recipiunt *succos recenter expressos*, per subsidentiam & repetitam colationem depuratos; iisque infundunt simplicia vegetabilia, vel alterantia vel purgantia. Ita v. g. succi cochleariæ depurati & sero lactis misti ana partibus æqualibus commodè infunduntur simplicia, quæ in morbis chronicis usurpantur, & convenienter aperitiva appellantur.

Porrò cum sæpius liquoris seu menstrui aquosi virtus extractiva sit nimis, languida, longè commodiùs procedit negotium pluribus in casibus, si menstruum acuatum fuerit salino stimulo pro facilitanda extractione; pro quo scopo, item pro correctione ingredientium quorundam subjectorum, addatur cremor vel crystalli tartari in decoctis, vel sal tartari in Infusis; item terra foliata tartari; sicut jam hoc ipsum *superius monui*, *ubi de senna*, quod nunquam infundenda sit sine stimulo. Sal tartari promptè liquescit, & acuit menstruū, ut nempè partim meliùs dissolvatur subjectum, partim ut corrigatur malignitas nobis hostilis, si quæ subest in subjecto. Sed observandum, quod cremor tartari, licet coctione dissolutus, refrigerato liquore mox crystallisetur denuò. Ergo si tartarum simul solutum volumus, parum salis tartari etiam tunc addi potest; hoc enim in liquore crystallisationem impedit: v. g. ad ℥ij. vel ℥iij. cremoris addatur salis tartari ℈j. ad ℈ß. Imò alia interdum adduntur stimulantia pro varietate circumstantiarum: nunc speciei infundendæ vel decoquendæ adsperguntur arcano tartari, quod est salinum, ut facilior fiat extractio, sicque virtutes medicamentosæ communicentur liquori; nunc additur tartarus vitriolatus, vel sal fixum aliud, tam simplex quàm compositum: sic v. g. in Infuso purgante antiscorbutico commodè adsperguntur ingredientia cum quodam spiritu antiscorbutico, v. g. cochleariæ, armoraciæ, &c. in Infuso anticachectico commodè infundenda adspergimus cum spiritu aperitivo Penoti, item cum spiritu volatili aut tinctura tartari (loquor de Infusis; in decoctis enim spiritus tartari: volatilis, spiritus cochleariæ, &c. exhalando pereunt.)

Subjectum verò menstruis aqueis extrahendum, ex omnibus tribus regnis desumitur: sed potissimùm ex vegetabili, hinc & animali regno; sicut rectè dicit AUTOR *pag.* 173. quod fieri possint Decocta ex rebus omnibus, ut elixatione vires brodio suo communicent: vid. quæ habet AUTOR, qui est satis clarus, & non valdè prolixus.

Verùm hoc ipso, præter *supra monita*, ratio habeatur:

1. Conditionis materiæ infundendæ: *an volatilioris, an fixioris fuerit naturę?* & ipsum concretum texturæ firmioris vel rarioris? Nam illa, v. g. ligna, radices, cortices, plantæ adstringentes, item quæ vocantur in specie splenecticæ, uti etiam quàm plurimæ vulnerariæ, cornua, aliæque animalium partes, uti & mineralia, vix sine diuturna in aqua maceratione, & accedente insuper decoctione: hæc verò, v. g. aromata & aromatica, antiscorbutica dulcia, &c. quorum vis consistit in sale volatili facilè exhalante, inepta sunt Decoctionibus, & simplici Infusione & digestione aut destillatione præparantur; quoniam coquendo maximè eorum virtus exhalat; fixiora è contra inepta infusionibus, cum non sufficienter extrahantur. Infusa enim media sunt inter decocta & destillata; unde tam præscribuntur ad Infusionem, ut in loco tepido macerata sine sui exhalatione blandè deponant virtutes medicamentosas in menstruum. Sic plantæ aromaticæ dictæ, odore penetrante & volatili præditæ, uti etiam ipsa in specie sic appellata aromata, difficulter admodum ferunt decoctionem, propter partes spirituosas volatiles, leni in igne dissipabiles; sed potius pro sola tantummodo infusione cum liquore appropriato præscribuntur, ut menstruum penetrando in potos extrahat materiam solubilem: sic crocum si decoquimus, non fit sine volatilium virium jactura: si vero ligna infundimus, minima pars medicamentosa extrahitur: si cinnamomum, cardamomum, aut sinapi decoquantur, certè multum de viribus perdunt. Quod si verò sint decoquenda cum aliis, aut propter intendendas virtutes medicamenti, aut propter gratiam saporis & odoris, præscribuntur tantum in fine decoctionis adjicienda, quando coctio jam ferè est absoluta; aut certè in decoctionem adhùc calidam, & modò ab igne remotam, infunduntur. Quod ipsum similiter intelligendum venit de simplicibus purgantibus, quorum virtus coctione dispergitur & perit, qualia sunt imprimis epithymum, item senna, quæ levi coctione egregium purgans, longiore verò coctione difficile & mucilaginosum torminans producit Decoctum.

Hæc ergo & similia commodiùs infunduntur, quàm decoquuntur, cum in decoctione castretur potius quàm augeatur eorum vis: ut nihil jam dicam, quadam simplicia prout infunduntur vel decoquuntur, virtutes suas immutare; uti *monui de Asaro*, quod infusione in aquam dat medicamentum vomitivo-catharticum, decoctione verò dat medicamentum deoppilativo-diureticum; id quod similiter in aliis usu venire observabit is, qui diligens est simplicium scrutator.

2. Requiritur, ut probè attendatur: *an subjectum extrahendum & solvendum, sit sulphureæ, aut salinę, aut aqueę naturę?* hoc est, in concreto vel resinoso vel mucilaginoso hæreat, pro instituendo aliquali menstrui selectu. Salia enim acida pro subjectis mineralium; sulphurea, nempè spiritus vini, pro subjectis pinguibus, resinosis & oleosis; aquea pro salinis adhibentur. Observandum ergo: ne resinosa in aquam, mineralia in spiritum vini infundantur; hinc quidam male agaricum in hydromel infundunt. Ex hoc fundamento facilè patebit, quod turbith, jalappa, item hermodactylus, gummi guttæ, scammoniata & similia resinosa, non nisi frustra infundantur cum aliis purgantibus, quoniam hæc & alia sine effectu, ceu resinosa, permiscentur reliquis.

3. *An subjectum extrahendum & resolvendum generosius vel potentius altero sit simplex, seu plus suggerat de vi medicamentosa? an sit debilius, & minùs se exserat in menstruo, pro legitimo quanto, dosique ritè ejus determinanda?* Aromatica enim plus suggerunt menstruo, quàm fixiora; sic v. g. cinnamomi ℥j. plus valet, quàm absinthii M. I.

Plura, quæ huc spectant, videbitis in ZWELFERI *Animadvers. in Pharm. August. pag.* 146. & *Pharm. Reg. pag.* 31. & 84. item in HOFFMANNI *Clave pag.* 61. & 87.

Ex dictis vel sponte patet: quod principalis in his negotiis labor sit infusio cum digestione, & hinc decoctio, cui ministraliter inserviunt tam specierum incisio, contusio, mistio, &c. quàm factæ jam extractionis & solutionis transcolatio, & interdum depuratio, clarificatio, & præsertim sub dispensatione edulcoratio. Species nempè mistæ, cum liquore simul conjunctæ, committantur digestioni, plus in decoctis & fixis, minus in infusis & volatilibus: mediante enim Infusione, tepore & calore, penetrat magis menstruum in corpora. Purgantia, quò diutiùs digeruntur, eò mitiora fiunt, & vim suam purgantem magis exserunt, penetrando scilicet mista. Digesta vel decocta trāscolentur, ut fiat separatio liquoris impraegnati à fæculentis remanentiis: Infusa autem antimonialia per chartam filtrentur, ne aliquid de substantia antimoniali hauriatur, & ita noxam adferat in corpore. Quoad edulcorationem: opus est in decoctis & infusis amaricantibus & nauseosis pro gratia saporis & odoris, ne nauseam pariant.

Quoad subjecta extrahenda, & præsertim decoquenda: primum est regnum minerale; ubi quæritur: *an scilicet ex iisdem virtus medicamentosa decoctione in aqua vel vino commodè possit elici?* Nihilominus tamen pro nobis tantum stat LOCATELLI; sed in specie elegans hac in parte est POTERIUS *in Pharmac. Spagyr. lib.* 1. *cap.* 1. 2. *& reliquis capitibus se invicem subsequentibus*: sicut & mult. plici experientiâ stat, multas vires ex mineralibus elici. Sic notum est, quod *ferrum* commodè possit infundi, nunc in aquam simplicem, nunc in vinum, contra morbos cachecticos, chronicos, & malum hypochondriacum, &c. in quibus, uti notum est, vinum chalybeatum est elegans. Imprimis verò ferrum vino infusum commendatur in talibus casibus,

cafibus, cum subtilis vini aciditas solvat subtiliorem Martis crocum, & exinde virtutes contra morbos chronicos elegantes eliciat. Hac ratione fiunt vina anticachectica ex mineralibus, unà cum cinnamomo & caryophyllis vino infusis. Præterea huc etiam pertinet, quando chalybs ignitus extinguitur in aqua simplici, & fit *aqua chalybeata*, vel *aqua ferrariorum*, quæ aqua extinctionis ferri est conveniens potus in morbis cachecticis & splenecticis: hinc etiam dicunt, quod canes fabrorum ferrariorum careant splene, aut certè habeant admodum imminutum, ex eo, quod bibant aquam ferrariorum, quæ aqua hoc augmentum præternaturale splenis præveniat & præcaveat. Talis chalybs vel ferrum ignitum, vel in aqua vel in lacte extinctum, egregium præbet liquorem, tam pro potu dysentericorum, quàm etiam pro infusione instar clysmatis in iisdem. POTERIUS refert, *virum ictericum epoto vino, in quo pluries aurum candefactum extinctum fuerit, perfectè reconvaluisse*: & quidem hoc aurum in aqua extinctum suo ratiocinio comprobat BURRHUS *in Epist. ad Bartholin. de restituendis humoribus oculorum scriptis*. *Stannum calcinatum* & vino infusum laudatur ad affectus uterinos. *Aqua, in qua plumbum extinctum*, ventrem & artus refrigerat, alvumque laxat; calcinatum aceto infusum, cuicunque inflammationi citò succurrit & ophthalmiæ medetur. De *antimonio superiùs dixi*, quod à modernis permisceatur decoctis & infusis antivenereis cum lignis sudoriferis; sicut etiam antimonium crudum subtilissimè tritum ad ℥ß. si maceratur per noctem in tribus vel quatuor unciis aquæ vel vini, supra & infra purgabit. Sic præparatum antimonium infusione sui pluribus dotibus imprægnat. *Infusum vel decoctum Mercurii vivi*, bene à Mercurio vivo separatum, non tantum constituit *aquam Hermeticam Augenii*, quæ contra vermes puerorum internè, & contra scabiem externè cognita est, si nempè aliquot ejus drachmæ in aqua fumariæ vel communi ebulliant, & aqua ista à Mercurio subsidente decantata usurpetur; sed præterea quoque idem Mercurius decoquitur & infunditur in istiusmodi decoctis & Infusis antivenereis sicuti ipsum antimonium. *Aqua calcis vivæ* seu *ejus decoctum* polychrestum remedium est internè & externè. *Decoctum sulphuris* valdopere commendatur à POTERIO, si nempè decoquitur sulphur in aqua vel in vinum fuerit infusum: in aqua pro remedio alexipyreto seu febrifugo, quod scilicet febres pellat, hepatis ardores compescat, & etiam quod erysipelati & scabiei usu interno medeatur: externo verò usu idem decoctum sulphuris vel infusum quamcunque inflammationem sistit, erysipelati succurrit, scabiem sanat, ac rubores faciei tollit. Prostat etiam *decoctum scoriarum reguli antimonii* pro scabie, ulceribus, &c. De Mercurio sublimato, vitriolo, alumine, &c. ut nihil dicam. Ex omnibus his ramenta medicamentosa plus minus communicantur aquæ, præsertim in decoctione, unde potus medicamentosus fit.

Ex animalibus, eorumque partibus, e. g. priapo cervi, cornu Cervi &c. decoquendo cum aqua simplici elicitur substantia mucilaginosa, frigore facilè in gelatinam concrescens; utut etiam ex vegetabilibus quibusdam similis gelatinosa substantia elici queat, v. g. ex jusculo avenaceo, cydoniis, pyris, &c. & quod gelatinæ sunt in animalibus, hoc esse videntur mucilagines seminum vegetabilium, v. g. seminis cydoniorum, milii, psyllii, &c. Citra gelatinæ præparationem partes animalium tam duræ, quàm molles commodè decocta ingrediuntur; hinc habentur Decocta cornu Cervi, radicis scorzoneræ cum cornu Cervi, decoctum priapi cervi, splenis bovis, quod in cachexia & mensium defectu laudatur; quò etiam pertinet decoctum hepatis suilli; quæ commendari solent iis, qui laborant fluxu hepatico sanguineo: qualia animalia nunc sola, nunc cum aliis vegetabilibus infunduntur. Item huc pertinent etiam juscula consummata, & similia, *de quibus suo loco*.

Quoad *vegetabilia*, semina quædam, lacteâ quasi oleosâ substantiâ turgida, imprimis cum aquis terendo solvuntur, quo oleosa substantia nuclei eliciatur, & ita in corpus lacti æmulum, *Emulsionem* dictam, rediguntur, quæ tamen potius magistrales, quàm officinales esse solent, de *quibus infra*.

Ulteriùs aqua ex seminibus quibusdam liquefaciendo elicit mucilaginosam substantiam, qua extracta incrustantur quasi semina; ut cydoniorum mucilago ad faucium affectus; psyllii, sclareæ, milii, &c. simplici infusione ac in aqua maceratione parabilia.

Decocta autem & Infusa in specie sunt vel pro usu interno, vel externo. Pro usu interno vel scopo alterandi, vel laxandi, vel utrique scopo satisfaciunt simul. Decoctum purgans nihil habet singulare præ alterante, nisi quod exacta requiratur supputatio dosium purgantium ingredientium; quæ cum sint vegetabilia, talia infundenda vel decoquenda sunt, quæ virtutes suas possunt communicare menstruo aquoso seu quæ non sunt resinosa, ut plurimum quæ cum aliis purgantibus frustra infunduntur. Et certè is, qui novit legitimè infundere vel decoquere sennam, rhabarbarum & helleborum, vix opus habet reliquis: ut taceam Decocta purgantia propter nauseosum saporem, & propter horrendum gustum, nunc non esse amplius in usu adeo, atque fuerunt tempore Majorum: aut si adhuc præscribitur Infusum aut decoctum tale ex senna, pro una saltim dosi præscribitur.

Quod ergo attinet ingredientia: radices, cortices, ligna, item baccæ duriores, ut juniperi exsiccatæ, &c. firmioris cum sint compagis, ut plurimum mediante decoctione extrahuntur aquosis aut vinosis menstruis, ita quidem, ut menstrui sextuplum, octuplum, aut duodecuplum, ut plurimum recipiatur, ut diuturnæ macerationi in loco calido, & decoctioni, nunc ad mediæ, nunc ad tertiæ partis remanentiam instituendæ sufficiant. Cum verò quædam eorum sint volatilioris ex parte texturæ, ut sassafras, juniperinum lignum, &c. decoctio talis instituitur in cucurbita suo alembico munita, quo ita simultaneâ destillatione colligatur id, quod aliàs evanesceret in auras, quodque vel decocto ipsi, aut saltem Bocheto seu Decocto secundario possit addi, ut rectè observat ZWELFERUS *Pharm. Reg. pag.* 87.

Herbæ & flores, semina itè aromatica, nunc simplici Infusione, nunc simultanea decoctione, cum menstruis aquosis aut vinosis tractantur; idque iterum vel simplici decoctione, vel juncta simul destillatione. Simplici Infusione illa, quæ volatilioris & rarioris sunt texturæ, v. g. senna, rhabarbarum, item flores acaciæ in sero lactis, herbæ recentes aromaticæ: simultanea vero decoctione tractantur ea, quæ firmioris sunt texturæ, ut diuretica plurima, vulneraria, adstringentia, pectoralia, &c. tandem Decoctione & Destillatione simul, quæ mediæ sunt constitutionis, & de volatiliori facilè exhalabili substantia participant, & simul fixioris coalitus moleculas seu corpuscula obtinent, & quæ non nisi rigorosi ignis examini auscultant, dum ista volatiliora per alembicum avolarent. Talia sunt aromatica, cephalica & stomachica, v. g. mentha, rosmarinus, salvia, &c. unde coctio sæpè in diplomate instituitur.

Diploma est vas duplex clausum, eum in finem, ne, quando fit decoctio, vires facilè exhalent; sed ut cum minori medicamentosarum virtutum jactura institui possit. Commodius tamen est inventum ZWELFERIANUM, dum cucurbitæ suus imponitur alembicus tostratus, uti *paulo ante dixi*. Speciatim plantæ antiscorbuticæ non bene ferunt decoctionem, ergo imitemur HORSTIUM *in Observ. pag.* 338. & succum exprimendo, & relictum decoquendo; v. g.

℞. *Herb. nummular.*
Nasturt. aquat.
Anagall. aquat.
Cochlear. an. Mij.
Comar. absinth. vir.
Rutæ,
Sedi minor. an. Mß.

Incidantur & conterantur lapideo mortario, trajiciatur *succus* per pannum lineum, qui *in vase vitreo conservetur*:

℞. Porrò *herbas, ex quibus succus expressus*:
Coqv. in *sero lactis caprini depurato* leuiter, per pannum lineum exprimatur parum: Expressioni addatur
Succus prior:
Misc. & aromatisentur cum
Aquæ cinnam. ℨj.
Olei destill. macis,
Nuc. Mosch. an. gtt. iv. vel v.
Misc. pro Potione; cujus dosis sint ℥iij. iv. vel v.

Ordo ingredientium pro decoctis solet observari talis, ut primò quidem ponantur radices, hinc folia, utut ab aliis promiscuè modò folia primo loco, modò radices præscribantur, & nulla hac in re certa præscribi queat lex; postea flores, hinc semina: quò etiam pertinent fructus & aromata. Ad radices etiam pertinent cortices & ligna: denique adduntur aromata, partim ut corrigant ingredientia purgantia, quæ commodè ponuntur post radices & folia, partim ut concilietur gratia saporis & odoris.

Quod attinet animalium partes, si sint duriores, radicibus & foliis permiscentur & immiscentur; sin verò sint molliores, postmodum adduntur: sicut hæc ipsa sunt satis clara in MORELLO, ad quem lectorem remitto. Proportio hæc est: ut v. g. radicum ℥j. respondeat corticum & lignorum ℨj. ad summum ℥ß. herbarū Man. ij. florum ℨj. seu pug. 1. ad ij. seminum ℨj. vel iij. ad ℥ß. fructuum minor. paria 2. vel 4. fructuum majorum num. 1. vel 2. aromatum ℨj. Manipulus mediocris habetur pro ℥ß. Animalium & mineralium dosis variat, sicque proportionata non possunt dari. Proportio in liquore est, ut respondeat triplum: scilicet unciæ uni specierum, respondeant ℥iij. vel iv. liquoris, libræ uni infundendorum respondeant ℔iij. vel iv. liquoris: in durioribus autem & fixioribus respondeat sextuplum, octuplum, duodecuplum, uti videri potest in AUTORE, qui satis est fusus in docendo, quomodo parari debeat decoctum, vel infusum; sicut & hæc docet usus & lectio Autorum; impossibile enim est, omnia inculcare.

Observetur præterea, quod quando variæ vel multæ vegetabilium partes infunduntur aut decoquuntur, singula in minori describantur dosi, ne cumulus ingredientium coacervetur: item si præscribendæ tales partes, quod reliqua omittantur, reliqua in majori præscribantur dosi. Plantæ & radices, quæ sunt mucilaginosæ & viscidæ, ut radix althææ, symphyti majoris, & similes, non commodè & bene possunt infundi aut decoqui; quoniam mucilagines Decocta reddunt ingrata & nauseabunda.

Quod *quantitatem purgantium infundendorum & decoquendorum* pro dosi, satis est prolixus AUTOR; ne ergo excedamus, aut insulsè præscribamus, bene legendum *hoc caput de Infusis & Decoctis purgantibus in* MORELLO. *Cautelæ*, quas habet *in annotationibus*, legantur & observentur, quoniam sunt summè necessariæ, & summè elegantes: *circa finem* etiam habet *exemplum*, ubi *ordo ingredientium* satis est elegans, adeo, ut quia sunt satis clara, non opus sit multis exponere.

In spe-

In specie quoad *decocta Autoris officinalia*, offert se *num.* 1. *pag.* 175.

DECOCTVM ALTERANS.

In hoc rectè AUTOR monet: acuendum esse cum spiritu vitrioli; Ita Julepum dat extemporaneum in febribus continuis & malignis, & pluribus scopis satisfacit. Loco spiritus vitrioli sumatur spiritus nitri dulcis, & loco ligni santali rubri, quod prædicatur inter cordialia & hepatica, & etiam elegantem & suavem colorem attribuit tali decocto, lignum sassafras. A quibusdam loco decocti hujus Alterantis Decoctum radicis scorzoneræ cum cornu Cervi, pauco succo citri acidulatum, usurpatur; *non secus atque decoctum cornu Cervi cum ligno sassafras perquam egregium est pro corpore Julepорum, in hujusmodi malignis affectibus.*

DECOCTUM ANTIMONIALE.

nro. 2.

Decoctum antimoniale D. D. Hornigii paratur ex antimonio crudo & aliis ingredientibus; sed quantitas ejus nimis exigua est; ad minimum ℔ß. ad ℔j. sumatur. Modernis imprimis in usu est, antimonium, item mercurium, decoctis addere pro scopo sudorifero, sanguinisque alterativo. Egregium est in lue Venerea & similibus aliis. Ab AUTORE commendatur in affectibus catarrhalibus, in scabie impuriore, aliisque cutis impuritatibus, ratione ligni sassafras: Conf. quod decocta lignorum cum antimonio WILLIS *Pharm. Rational. Part.* 1. *pag.* 202. item HOFFMANNUS *Clave p.* 62. Sic non inelegans est *Decoctum lignorum diaphoreticorum antiscorbuticorum.*

℞. *Ras. ligni iuniperi* ℥ij.
Rad. chinæ in taleol. incisæ ℥iß.
Bacc. junip.
Lauri,
Samb. an. ℥ß. ad ℥j.
Antimonij crudi in petia lig. ℥iv.

Infunde in *aqua comm.* Mens. iv. seu ℔iij.
Macerentur in balneo Mariæ per 24. horas, hinc ebulliant ad consumpt. medietatis: Colatura detur & usurpetur.

Plures formas congeneres habebimus in *Collegio Formularum*, ubi *de diæta sudorifera.*

DECOCTUM CARMINATIVUM CLYSMATICUM.

Non usurpatur internè, tantum adhibetur loco baseos in clysteribus; de quo *supra, ubi de clysteribus.*

DECOCTUM HEPATIS VITVLINI.

nro. 4.

Decoctum hepatis vituli, sive simplex sive cum aliis herbis pectoralibus, in affectibus hepatis, fluxu alvi hepatico, item in hydrope ex imminuta sanguinis fermentatione, uti etiam in hydrope ex nimia refrigeratione partium & similibus, dari solitum: sed nil valet; est enim decoctum nutritivum, non medicatum. Potius aquæ destillatæ eligendæ.

Idem judicandum de *Decoctis pulmonum vulpis, lupi, apri & similium*, cum plantis pectoralibus, quæ aliis valdè commendantur in phthisi & erosione pulmonum, asperitate faucium, & in specie in atrophia, ex pulmonum vitio oborta.

DECOCTVM FLORVM ET FRUCTUUM.

Solet præscribi & adhiberi partim loco digestivi ante purgantia, partim solet usurpari loco corporis pro dissolvendis Electuariis aut Extractis purgantibus, & habetur potens digestivo-laxativum.

DECOCTVM HYSTERICVM.

Decoctum hystericum, ab AUTORE *pag.* 176. descriptum, cui nam usui inserviat? ingredientia examinanti facilè patet.

DECOCTVM MAJALE.

Decoctum Majale duplici ratione ita vocatur:

1. Quia solet vernali potissimùm tempore usurpari, in specie Majali, præservandi gratiâ in morbis chronicis; unde ipsa constant ex crasin sanguinis corrigentibus, nunc cum quibusdam laxativo-purgantibus.
2. Quia loco menstrui quidam rorem Majalem usurpant. Talia possunt fieri frequenter pro purificando sanguine.

DECOCTVM PECTORALE.

Usitatum est in affectibus pectoris. Possunt dissolvi in eodem syrupi appropriati; item Electuaria appropriata, tam alterantia, quàm purgantia, pro scopo à Medico intento. Interdum ex decocto pectorali fit clysma pro temperanda acrimonia in alvi fluxibus.

DECOCTVM PVRGANS PRO DELICATIS.

Elegans compositio est, & imprimis poma Borsdorffiana recipi possunt: imo, loco aquæ pomorum solo succo depurato pomorum horum folia Sennæ infusa suave laxativum præbent: post colaturam autem succo pomorum succus citri vel limonum præferri debet, qui corrigit mucilaginem torminosam sennæ, & suavissimum saporem conciliat.

DECOCTVM SPLENIS BOVIS.

Decoctum splenis bovis ultimo loco descriptum, quo frequenter usus est B. D. MICHAELIS in affectibus lienis, in ejusdem scirrho & infarctu, in scorbuto, & ictero, imprimis nigro, in affectibus mulierum, mensibus inordinatis ac planè suppressis, idque sæpè feliciter.

Præter hæc decocta in officinis etiam prostat

DECOCTVM HORDEI CUM CORNV CERUI.

Quod æstum & calorem massæ sanguineæ sedat, & ebullitionem temperat, ratione hordei. Præterea ratione cornu Cervi sensim sensimque disponit corpus ad lenem diaphoresin, quæ unicè expetitur in morbis malignis.

DECOCTVM CORNV CERVI CVM RADICIBVS SCORZONERÆ.

In febribus malignis solet præscribi.

DECOCTVM PRIAPI CERVI, & DECOCTVM PRIAPI TAVRI.

In dysenteria non minus, quàm pleuritide, est usitatum. Miscetur commodè cum syrupo de coralliis Quercetani, item cum syrupo de rosis siccis; quoniam adstringunt, & acidum dysentericum corrigunt.

Non inelegans *Decoctum alexipharmacum de cornu Cervi* habet SIMON PAULLI, *Medicus Regis Daniæ*, in Παρεκβάσει seu *Digressione de Febribus malignis*, cujus hæc est descriptio:

℞. *Ras. cornu Cervi* ℥ß.
Rad. fœnic.
Contrayerv.
Scorzoner.
Carlinæ an. ʒij.
Semin. aquileg.
Fœnic. an. ʒj.
Cibebar. exacinat. seu *passul. exacinat.* ℥ij.
Coq. in s. q. *decocti hordei*; sub finem coctionis add.
Conservæ ros. rub. ℥ij.
Borrag.
Buglossæ an. ℥j.

℞. *Hujus decocti colati* ℔ij. adde
Syrupi rubi idæi ℥ij.
(parum additur, propterea, quoniam conservæ & passulæ dant gratum saporem)
Succi citri ℥i.
Spiritus salis ℈j. vel q. s.
M. D. S.
Decoctum cordiale pro aliquot vicibus.

Est elegans in febribus malignis & ardentibus, malignitatem sapientibus.

CAPUT L.

DE ECLEGMATIS LOHOCH.

Eclegmata non in tali amplius æstimatione sunt, in qua veteribus habita fuerunt: hi enim putarunt, Eclegmata hæc successivè lambendo assumpta, sicque pedetentim deglutita, penetrare etiam in asperam arteriam, sicque proximè malis pulmonum mederi: unde ne tam propere per gulam delabantur, sub spissiori tali consistentia eadem præpararunt. Sed vana est persuasio. Quicquid fauces ingreditur, ventriculum petit, ne tantillo, citra tussis incommodum aut suffoca-

suffocationis metum, sensibilissimum bronchum attingente; unde & eclegmatum putatitius usus vanitatis est convictus à SCHNEIDERO *de Catarrhis*, & ab HELMONTIO *Tr. Tussis & Asthma.* §. 6. Quicquid ergo commodi ex loch hujusmodi expectare possumus, hoc est, quod fauces, seu pharyngem asperiorem excoriatum, phlogosi rubentem, & hinc plus minus dolentem, blandè lubricare, delinire, & molesta illa pathemata ita nonnihil palliare queant. Sed in hunc finem non opus est tot ac tantis compositionibus, sufficit *Loch passulatum num. 2. pag.* 178. vel etiam ipsum *rob passularum minorum*, sive *syrupus diacodion Montani*, cum pauco syrupi scabiosæ permistus.

Quod si Eclegma compositum præscribere aut ordinare placeat, optimè fiunt ex mucilaginibus, v. g. radice althææ, semine cydoniorum, psyllii, &c. cum pauco saccharo permistis, & ita lambendo pro faucium delinitione assumptis.

CAPUT LI.
DE
ELECTUARIIS.
pag. 178.

Habuimus *cap.* 42. *Bolos ex conservis & pulveribus & syrupis appropriatis* paratos, quibus affinia valde sunt *Electuaria*: est siquidem Electuarium quædam compositio crassior, mollior tamen, in forma crassioris mellis, pro aliquot dosibus. Sunt autem Electuaria vel *mista simpliciter*, vel simul *fermentata*: *Illa*, quæ ex tempore miscenda in officina & præparanda ordinantur à Medico, vel etiam officinales quædam modernorum compositiones: *Fermentata* verò sunt jam à veteribus acquisitæ compositiones, quæ propter copiam ingredientium, & præparationis identitatem, *Compositiones theriacales*, item propter ingrediens simul opium, ceu basin, aliàs *opiata* dicuntur, uti etiam à MORELLO vocantur. Verùm usus horum opiatorum veteribus erat nimis strictus; usurpabant enim pro alexiterio sudorifero tantum: nunc verò inusitatum est nomen opiati, & retentum jam est nomen Electuarii, quæ prolixiùs & ad alios scopos alterandi, purgandi & laxandi extenduntur.

Constant duplici subjecto, nempè

1. *Ingredientibus pulverisatis*: &
2. *Excipiente*, quod imprimis mel est.

Miscebant nempè veteres, speciatim Arabes, artis pharmaceuticæ studiosissimi, ingredientia pulverisata cum triplo, quadruplo, &c. mellis: mista hæc & probè agitata in loco temperato asservabant, & ita ratione mellis fermentari permittebant; quâ sanè fermentatione ex tanta plurium ingredientium farragine, quasi tertium novum concretum medicamentosum emergebat. Exempli loco sit famosa illa Theriaces Andromachi, aut Mithridatii Damocratis compositio, ex quibus Theriaca juxta Arabes decem annos fermentare debet, antequam in usum Medicum recipiatur. Usus fermentationis, præter modò dicta, sufficienter se exerit in opii correctione, quod à quibusdam ceu basis Theriaces æstimatur. Hujus ratione Theriaca vetus minus anodyna, seu narcotica, recens è contra magis, observatur. Hinc dubitarunt quidam: *an infantibus tutò possit porrigi theriaca vel Mithridatium?* de quo *suo loco*.

Quod ad Electuaria ab AUTORE recensita, paucissimæ horum veterum compositiones in usu sunt; unde magis usitatas examinabo. A fronte sese offert.

ELECTUARIUM DIACORI,
Augustanorum.

Electuarium hoc describitur à MESUE, & valdè usitatum est in affectibus stomachi, & intestinorum flatulentis: item in digestione deficiente, seu vitiata sive imminuta, similibusve aliis stomachi affectibus.

ELECTUARIUM PSEUDO-ACORI STOMACHICUM.
num. 1. *pag.* 180.

Electuarium hoc non est contemnendum; constat enim ex radice acori adstringente & adjunctis simul aromaticis; unde egregium est in stomachi affectibus cum vomitu vel alvi fluxu coniunctis. Aliàs etiam acorus verus conditus manè assumptus in se elegans est stomachale, appetitum & digestionem promovens ac malignitatem insimul corrigens. Præsens verò pseudoacori Electuarium adstringit, & aromaticâ vi restaurat.

Pertinet huc etiam

ELECTUARIUM DIACORI
Altenburgensium.

℞. *Rad. acori in vino cocta* ℔j.
Amygd. dulc. ℥vj.
Pinear. ℥ij.
Zingib. cond. ℥iij.
Calami arom. cond. ʒx.
Cinnamomi ʒj.
Galangæ,
Nuc. Moschatæ,
Caryophyll. ana ʒvj.
Cardamomi utr.
Macis ana ℥ß.
Sem. coriandri ʒiij.
Santali rubri in spiritu vini macer. ℥ß.
Sacchari clarif. ℔ivß.
M. pro *Electuario.*

ELECTUARIUM ALEXIPHARMACUM.

Electuarium alexipharmacum, quod describit AUTOR *num* 2. est ingens compositio similis Theriacæ: nihilominus tamen non est inelegans. *Basin ejus* constituunt *nuces juglandes*, *Zingiber*, *& Theriaca Andromachi*, uti apparebit ex compositione. His reliqua adduntur, partim ut vires intendantur, partim emendant, ut fiat *Electuarium alexipharmacum.*

ELECTUARIUM ALEXIPHARMACUM DE CICONIA.
nro. 3. *pag.* 181.

Dixi *superiùs*, *ubi de ciconia*, quod exinde fiat Electuarium ex sanguinibus, à CROLLIO & PARACELSO valdè commendatum in morbis malignis & similibus. Huic ferè simile est *Electuarium alexipharmacum de ciconia*, cujus *basis* est *sanguis de ciconia* certo modo *præparatus*; cui adduntur reliqua pro meliori effectu, eodemque exaltando; & loco mellis pro consistentia fit *Electuarium* cum *oleo pini expresso*. Cæterum, utut ciconia bufonibus & serpentibus vescatur, à quibus vis alexipharmaca in ciconiam derivatur; cum tamen vis serpentum alexipharmaca in ciconiæ stomacho alteretur, ipsæ viperæ, & ex his parata remedia, ciconiæ præferendæ erunt. Quoad *Electuarii hujus præparationem* conf. HOFFMANNUS *Clave lib.* 2. *cap.* 51. *pag.* 64. *&* 89.

Pertinet huc ratione convenientiæ

ELECTUARIUM AL-CHERMES
seu
CONFECTIO.

Confectio Alchermes ita dicitur, quoniam paratur ex succo granorum chermes, tanquam basi; qui tamen non adeo magni usus est in confectione hac; unde loco hujus, cum apud nos non prostet, quidam linteamina rubeo colore tincta solent assumere, qui color rubeus est ex granis chermes. De his granis expertum est à modernis, quod illorum rubedo consistat in minutissimis vermiculis, qui sub maturationis tempore generantur, unde postmodum tinctura rubicunda provenit, uti potest videri apud Botanicos, imprimis in *Theatro Botan. Bauhini cap.* 1. *de Rhamno Infectoria.* Paratur vulgò Confectio alchermes vel cum Moscho & ambra pro viris; sine illis pro mulieribus, quibus talia ingredientia solent esse infesta & nociva, propter metum passionis hystericæ; sed cum basis ejus vera sit ambra, quæ sola vim analepticam absolvit, succus chermes è contra parum valeat, ideo & ipsa confectio alchermes sine Moscho & ambra parvi usus erit. Commendatur aliàs valdè in quàm plurimis affectibus, uti videri potest in *Tract. Eustachii*, Medici Dantiscani, *de Conf. Alchermes.* Imprimis summum commendatur cordiale, quodque valdè conducit in roborandis viribus & refocillandis spiritibus animalibus, in melancholicis affectibus, in tristitia & mœrore: usitatè præscribitur in febribus malignis, ubi est virium imbecillitas: in lipothymicis reficiendis insigniter commendatur.

Dosis est à ℈j. ad ʒj. Rarò præscribitur in substantia, si assumenda hæc Confectio; sed potius vel permiscetur Electuariis, vel, quod usitatius est, dissolvitur in potiunculis aut Misturis, & ita propinatur. Exemplum potiunculæ, quam ingreditur Confectio alchermes, sit sequens analeptica in febribus malignis:

℞. *Aquæ cinnamom. borrag.*
Lil. convall. cum vino,
Cordial. Herc. Sax. frig. an. ℥ß.
Ess. meliss. ʒi.
Confect. alcherm. ʒj ad ʒiß.
Syrupi rubi idæi ʒiij.
M. f. Potio. S.
Potio confortans pro aliquot vicibus.

Cæterum his laudibus confectionis alchermes multum detrahunt moderni, à quibus non paucis ceu compositio inepta & ridicula solet perstringi: uti videre potestis in GUIBERTI *Medico officioso pag.* 529. Compositionem videbitis in *Pharmac. Augustana*, ubi habetur correcta à ZWELFERO. Hoc tempore confectio hæc solet præparari Monspelii, quoniam in agro Monspeliensi copiosa crescit Rhamnus infectoria.

ELECTVARIUM DE ALLIO.

Hujus basis sunt capita allii, quæ vocantur ab AUTORE digiti allii. Ingrata est compositio; si tamen examinentur ingredientia, apparebit facilè, quod sit egregia contra colicam & passionem hystericam, propter castoreum, allium, & sperma ceti: quæ vi anticolicâ & antihystericâ, uti & antinephriticâ, egregia sunt remedia; nephriticos enim affectus curat, & sabulum eliminando ac acidum corrigendo curat. AUTOR *noster* simul habet grana iuniperi in hoc Electuario, quæ mihi in mentem revocant *compositionem* PARACELSI contra affectus catharrales, quam habet *Tom. V.* ubi observandum, quod eius compositio non æquè succedat, nisi nimia quantitas sacchari addatur, quod tamen *supra rejeci*.

Istud autem Electuarium optimè præparatur hoc modo:

℞. *Bacc. juniperi contusa*".
Coque probè in aqua: Decoctum

inspissatur usque ad consistentiam Rob seu Mellis crassioris: tunc

℞. *Rob* ℔ß.
Pulv. rad. zingib ℥ß.
Acori veri,
Matis an. ʒij.
Cubebar. ʒj.

Et hæc cum f. q. *sacchari* redigantur in consistentiam debitam Electuarii, quod in vitro bene clauso exponatur soli pro ulteriori digestione, & erit optimum Electuarium stomachale, omni vespera post pastum assumendum.

Loco zingiberis crudi quidam addunt Zingiber conditum, sed maximam partem est enervatum; quia radix priùs coquitur in aquâ, quæ abjicitur.

Dosi ʒj. ad ʒij. egregium est apepsia & in senibus, qui carent digestione in stomacho.

ELECTVARIUM ANACARDINUM.

Confectio sive *Electuarium anacardinum* ex basi anacardio ita denominata est, vocatur etiam *confectio sapientum*, quia ab Arabibus tanquam cephalicum & ad memoriæ robur conciliandum laudatur, imprimis in senibus, & ad perficiendas operationes mentis. Sed compositio est cruda nimis, & propter ingredientia nimis aromatica cautè usurpetur, cum ab usu eius memoria penitus abolita, & fatuitas reddita fuerit; quin etiam incautè usurpata febriculas accersit, & senes labefactat. Conveniens ergo dosis est propinanda, & hæc convenienti subiecto.

ANTIDOTUS MATTHIOLI.

Est compositio theriacalis, quæ prostat in *Pharm. Augustana*, vel etiam in aliis *Dispensatoriis*. Usus est in peste, tam præservationis quàm curationis gratia, dosi ʒj. Præservationis gratia permiscetur cum cochleari aceti, & ita hauritur; sive sit acetum simplex, sive florum tunicæ, sive acetum Zedoariæ, sive alia aceta bezoardica. In curatione permiscetur cum aqua theriacali & cum spiritu theriacali camphorato, & ita hauritur, expectato sudore.

ELECTVARIVM CAMPHORATVM KEGLERI.
num. 5. pag. 182.

Electuarii huius tanquam commendatissimi sudoriferi in febribus, aliisque morbis malignis, variæ prostant compositiones: sed mancæ & confusæ. AUTOR duplicem habet compositionem, quarum *neutra* est *genuina*: *Magis legitima sequens* habetur:

℞. *Unic. veri* ʒj.
Rad. tormentillæ,
Dictamni albi,
Nuc. vomicæ,
Oss. de corde cervi an. ʒij.
Rad. pimpinellæ,
Valerianæ,
Bacc. lauri,
Sem. erucæ,
Croci Orient. an. ʒiß.
Zingib. ℥ij.
Camph.
Sacch. penidiati vel *candi* (quod omitti potest) ℥j.
Olei destillati bacc. junip. ʒij.
Theriacæ Androm. ℥iiß.

Misce in mortario lapideo calido ad consistentiam debitam.

Compositio admodum est elegans, cuius *basis est Zingiber & camphora*; ratione quorum dosi ʒj. convenit in morbis malignis pro scopo sudorifero alexipharmaco.

ELECTVARIVM CHALYBEATVM AUGUSTANORUM, AUGENII.
num. 6.
&
ARCVLARII.
num. 7.

Electuaria chalybeata ratione chalybis in malo hypochondriaco, morbis cachecticis, aliisque affectibus mulierum & virorum chronicis, egregia sunt. Compositiones pro lubitu & ratione Medici parantur. In Electuariis tamen Augustanorum & Augenii loco crocorum Martis usurpantur Extracta Martialia, seu vitriola Martis liquida, imprimis cum succis vegetabilium, optimè cum succo pomorum Borsdorffianorum, parata. Hinc Electuarium chalybeatum Arcularii præferrem reliquis, tanquam simplicissimum quoddam, nihilominus elegantissimum & efficacissimum; est enim revera solutio Martis cum succo pomorum Borsdorffianorum inspissata, hinc convenienter pro corpore aliorum Electuariorum inservire poterit: e.g.

℞. *Elect. huius Martialis*, seu *Rob & Extracti Mart. cum succo pomor. inspiss.* ℥j.
Rob junip. ʒij. ad ℥ß.
Zingib. in India condit. ʒij. vel ʒiij.
Cardamomi,
Caryophyll. an. ʒj.
Croci ℈j.

Cum. *syr. fumar.* q. s. f. *Electuarium chalybeatum*, quasi *anticathecticum*.

Crocus levis est, multum facit in pondere & potens est remedium; unde respectu reliquorum ℈j. satis est sufficiens.

ELECTVARIVM CORROBORANS SPECIFICVM CROLLII.
num. 8.

Usitatum est pro juvandis viribus, & iisdem roborandis, tam in juvenibus quàm senibus: sed horrenda & planè insulsa est compositio, in aqua mista sunt acida cum alcalibus, rotunda cum quadratis, adeoque penitus in desuetudinem abiit: spiritus enim vitrioli cum Magisterio cranii humani se invicem destruunt; olea succini, cinnamomi, & macis cum salibus impossibiliter cohærent. Miror ergo Crollium huius compositionis Autorem esse, qui aliàs satis eruditus Chymicus est.

ELECTUARIVM DE CROCO.
num. 10. pag. 183.

Electuarium de croco constat paucis ingredientibus, sed efficacibus, saltem camphoræ quantitas non nihil augenda est. Potens est sudoriferum alexipharmacum, dosi ʒj. vel ʒij. in vehiculo aceti, vel simplicis vel destillati usurpandum, ut corrigatur acrimonia volatilis sem. erucæ, atque curando febres malignas egregia Medicina est.

ELECTVARIVM DIACODION.

Electuarium seu potiùs *syrupus diacodion*, & speciatim *syrupus de stiliquis Montani*, egregius est in tussi à lympha acida salsa, indeque nata faucium excoriatione, phlogosi, dolore, difficili exspuitione, &c.

ELECTVARIVM HYSTERICVM.
num. 12. pag 184.

Quid opus est tanta ingredientium farragine ac rapsodia, in specie cum dosis sint grana iv. unde quæritur: *quid ex tot ingredientibus de quovis habeatur in dosi?* Loco huius ergo *Laudanum hystericum supra insinuatum* sufficit, vel ut delectum faciamus, concentretur Autoris descriptio ita:

℞. *Opii ferment.*
Extr. castor. an. ʒß.
Zedoar. ʒj.
Croci ℈j.
Flor. sulphuris ℈ij. ad ʒi.
Myrrh. el. ʒß.

Cum *oleo destillato succini* f. *Massa*, quæ in forma pilularum sub nomine *laudani antihysterici & anticolici* ad ℈ß. vel gr. xij. convenientissimè usurpatur, vel hac dosi diluitur in vehiculo appropriato.

ELECTVARIVM DE BACCIS LAURI.

Electuarium hoc videbitis in *Pharm. Augustana*. Non ampliùs in substantia, nisi in clysteribus, pro usu carminativo adhibetur, in quibus dissolvitur pro adultis ab ℥ß. ad ℥j. nam egregiè flatus dispellit & eosdem discutit, & in clysteribus in colica, passione hysterica & similibus torminibus ventris, solet præ aliis convenire.

MITHRI-

MITHRIDATIVM.

Nota est compositio Mithridatii & Theriacæ.

Mithridatium quod attinet: nomen obtinet à Mithridate, Rege Ponti, quæ compositio fuit facta ex nucibus juglandibus, ficubus pinguibus, & foliis rutæ. Hæc constituerunt Mithridatium, quo se præservavit Rex Ponti, MITHRIDATES, contra omnia venena, etiam clanculum illi propinata. Ab hac compositione simplicissima, facta est illa laboriosissima Officinarum. Est hæc mistura salino-volatilis oleosa, anodyna & sudorifera; unde magnam habet convenientiam cum Theriaca, nisi quod ingredientia sint penetrantiora & calidiora. Ergo necessum est, ut in ejus usu simus cautiores, quàm in usu Theriacæ. Equidem incondita est farrago in ingredientibus Mithridatii; unde etiam ZWELFERVS *in suis Animadvers.* & POTERIVS *in Pharm. Spagyr. chymicam Mithridatii correctionem laudabili conatu instituerunt*. Aliàs in peste, aliisque febribus malignis, solet usurpari, imprimis in affectibus stomachi & intestinorum, diarrhœa, vomitu, cholera, & dysenteria, similibusque morbis convenit; quia ratione opii admisti spirituum influentium impetum sistit, & propter ingredientia aromatica & gummata sudores movet. Hisce accedit mel, quod fermentativa turgescentia non saltem corrigit suo modo opium, sed etiam cæterorum ingredientium particulæ oleosæ & resinosæ dissolutæ, hincque penetrantiores, magisque activæ evadunt. Pro quibus scopis similiter obtinendis, facilè concinnior compositio potest effingi. Præscribitur interdum in forma boli ad ℨj. interdum permiscetur cum quibusdam conservis in formam Electuarii; interdum dissolvitur in liquoribus appropriatis ut fiat Potus aut Mistura.

ELECTVARIVM ORVIETANVM.
num. 13.

Electuarium hoc ab Orvieto, urbe Italiæ, ita dictum est, quia ibi primò fuit præparatum; & à Medicis inventum, quibus in magno fuit usu contra pestem & febres malignas. Sunt qui hoc, si non præferunt, tamen æquiparant Theriacæ Andromachi; & verum est quod ingredientia sint pauciora, & magis selecta, quàm Theriacæ. Credo interim, quod Theriacæ eadem efficacia futura sit, quàm hujus Electuarii.

ELECTVARIVM NVCVM.
num. 14.

Electuarium nucum aliter vocatur *Antidotus Mithridatis*: & est remedium idem, de *quo supra*, quo se præservavit à venenis, & præparatur ex ficubus, ruta, & nucibus; hinc etiam contra phthisin prodest. Inter alexipharmaca aliàs refertur: sed prostant remedia elegantiora & tutiora.

ELECTVARIVM DE OVO.

Electuarium de ovo, Germ. *Gulden-Ey, id est, ovum aureum*, ita dicitur, quoniam ingrediuntur ova dura, & quoniam compingitur in formam ovorum deauratorum. Compositio est theriacalis; unde commendatur in morbis malignis & pestilentialibus. Verùm *est* medicamentum *admodum acre, & propter croci copiam stupefactivum sudoriferum, adeoque rari usus*. Nam, ut hoc obiter moneam:

1. Hujusmodi Electuaria theriacalia constant ex farragine multorum simplicium ingredientium, sæpius sibi invicem contrariorum.
2. Ingredientia sunt sæpè aromata, volatili sale admodum imprægnata.
3. Excipiuntur melle, succo admodum fermentativo.

Nam propter has tres rationes cautus ejus usus sit in morbis malignis cum febribus malignis ardentibus, ubi sunt ebullitiones, deliria, incandescentiæ, & phlogoses corporis. Ne ergo hujusmodi ebullitiones aliaque symptomata immoderato horum usu intendantur, sunt qui suadent, quod nunquam debeant usurpari sine acido: Ulteriùs habetur in iis opium, quod agnoscitur pro eorum basi: de quo vid. *Methodus Medendi* WALÆI. Ergò non propinanda sunt iis, quibus nocere possunt opiata, imprimis gravidis. Illud, quod dixi de acido, probè est observandum; quoniam acidum effervescentiam & ebullitionem compescit, & opium corrigit; quod non omittendum est, si medicus velit consulere suis ægris.

Correctiorem Electuarii de ovo compositionem concinnavit CNOEFELIUS, quam videb. in M. A. N. C. *Ann.* 6. *Append. pag.* 29.

PHILONIVM MESUÆ PERSICUM, ROMANUM, & THARSENSE.

Hæc omnia *Philonia* pro basi agnoscunt opium, uti & partim semen papaveris, partim semen hyoscyami, & à veteribus dosi ℥ß. ad ʒiß fuerunt usurpata ubi nos laudanum opiatum. Et quidem *Philonium Persicum* tantum est in usu, & reliquis præfertur. Adhibitum fuit à veteribus in vigiliis nimiis, in doloribus partium, imprimis capitis, item in deliriis & similibus. Præterea internè propinatur in hæmorrhagiis quarumcunque partium, in quibus, ceu ad ultimum asylum, confugiunt ad Philonium. Exemplum curatæ hæmorrhagiæ à Philonio Persico videb. in VALLERIOLÆ *lib.* 4. *Observ.* 6. Rari hodie Philonia sunt usus, cùm talium loco concinna ex opio parata, aut ipsum laudanum opiatum à gr. j. ad ij. sufficiant. Interim componendi eorum rationem ex opio & acribus aromatib. explicatam videb. à WILLISIO *Pharm. Rat. Vol.* 1. *Sect.* 7. *cap.* 3.

ELECTVARIVM CONTRA PHTHISIN.
num. 15. *pag.* 185.

Omnia ejus Ingredientia huc collimant, ut temperent & demulceant acrimoniam seri & lymphæ, qua aliàs corroduntur pulmones.

ELECTVARIVM REGUM.
num. 16.

Vi analeptica convenit propter basin ambræ & Moschi.

ELECTVARIVM DIASATYRII.

Ad ciendam Venerem usurpatur; cujus descriptio prostat *in Phar. Augustana*. Pertinet huc *Electuarium ad coitum Comitis à* WALLENSTEIN, cujus compositio hæc est:

℞. *Sem. erucæ*,
Vrticæ,
Saturejæ, ana ℨj.
Cerebri columb. & passer. in coitu transfossis,
Priapi cervi in coitu occis.
Tauri ana ℨij.
Scinci mar. ℨiß.
Ambræ grif. ℨj.
Moschi ℈j.
Cum s. q. *Mellis despum.* f. *Electuarium.*

Dosi est quantitas nucis juglandis, manè & vesperi.

ELECTVARIVM SCORBVTICVM.
num. 18.

Compositio est elegans antiscorbutica, & valdè conveniens in scorbuto: potest tamen adhuc intendi, si vel addatur Electuarium chalybeatum Arcularii, vel crocus Martis aperitivus, aut Extractum aliquod aperitivum. Usurpatur magnitudine nucis juglandis, quo tempore semper adspergendum aliquot guttulis spiritus cochleariæ, ut potentiùs operetur.

ELECTVARIVM DIASCORDII FRACASTORII.

Compositum est ex sudoriferis alexipharmacis adstringentibus, atque paucis aromaticis, cujus basin constituit opium, atque propterea egregium est in febribus aliisque morbis malignis, & pestilentialibus, cum fluxu imprimis humorum quorumcunque colliquativo, vel hæmorrhagiis quibuscunque & similibus symptomatis conjunctis, non secus ac in diarrhœis, dysenteriisque malignis: sicut ego in nuperrima dysenteria epidemica maligna grassante felicem ejus usum sæpius expertus sum, & commodè potest propinari in iis locis & conditionibus, ubi theriaca & Mithridatium non sine periculo aut sine metu noxæ potest propinari. Aliàs maximè afficit præpostera fluxus sedatio, quando malignitas adhuc inhæret corpori, unde oriuntur deliria & postmodum mors; unde scio, quod nuperrimè quidam ex tali impmatura adstrictione alvi inciderit in febrem ardentem lethalem. Electuarium ergo hoc diascordii sit instar regulæ curandi omnes fluxiones. Dosis est ℨj. Modus utendi est, ut in febribus cum succo citri, aceto destillato, vel aliis appropriatis usurpetur, addito antimonio diaphoretico: e. g.

℞. *Aquæ rad. scorzon.* ℥ij.
Tenell. cornu Cervi ℥j.
Aceti vini simpl. vel *destill.* vel *succi citri*, ℨvj.
Elect. diascord. Frac. ℨij.
Antimonii diaphor. ℨß.
Syr. rubi idæi ℥iß.
M. f. Potio pro tribus dosibus.

Quæ in diarrhœa, dysenteria, hæmorrhagiis, febribus malignis, &c. frequentis usus & euporiston est; pellit enim sudorem, & per sudorem malignitatem, & adstringendo sistit fluxus, quod non nocet, quoniam jam malignitas per sudorem est expulsa.

Præscribitur etiam sub forma boli; vel dissolvitur in julepis, aut etiam potu. Equidem FRACASTORIVS & alii dicunt, compositionem diascordii tutiorē esse in gravidis Theriaca, quæ tamen etiam in gra-

in gravidis, nec non in pueris, adhiberi poteſt: ſed rudis eſt electuarii diaſcordii compoſitio. unde correctiorem chymicam compoſitionem vid. *in Sylvii* PRAXI *lib.* 1. *cap. ultimo.*

Sequuntur Theriacæ, inter quas

THERIACA ANDROMACHI

Seu *Veneta* palmam obtinet. Ita dicta ἀπὸ τῦ θηρὸς, quod viperam, item deleterium venenum ſignificat, quibus ceu appropriatum alexipharmacum Theriaca fuerit oppoſita. Suos natales habuit ſub *Imperatore* NERONE, ſub quo vixit ANDROMACHUS Græcus, NERONIS Medicus. Corraſit & congeſſit illuc, quicquid potuit, & ipſi unquam de ſimplicibus notum fuit. GALENUS tamen, qui tempore ANTONINI vixit, eandem adhuc auxit & ulterius quædam addidit, unde adhuc dum uſitata fuit. Verumtamen à plurimis lacerata & diſcerpta fuit: vel. (1) qua multa ſunt nullius uſus in hac compoſitione, v. g. agaricus, æs uſtum, &c. vel (2) quia plurima veteribus illic uſitata nobis deſunt, ut opobalſamum verum, quo nunc temporis deſtituimur; unde ſuccedanea, loco opobalſami v. g. oleum cinnamomi, ſubſtituuntur. Et ſic partim manca, in aliam formam etiam redacta, reperitur; vid. ZWELFERUS *in Pharm. Regia.*

Dubium ergo eſt: *an apud nos diſpenſari queat, cum genuinæ Italorum deficiant viperæ*; ſiquidem Trochiſci viperini à quibuſdam abſque ratione baſis Theriaces æſtimantur. Sed cum Trochiſci viperini revera parum valeant, ac parum de viperis iis inſit, de quo vid. ZWELFERUS *Animadverſ. ubi de Trochiſcis viperinis*: Propterea longè meliori conſilio à Norimbergenſibus pulvis viperarum legitimè præparatus, vel ſerpentes noſtri præparati, ſive eorundem pulveres ad imitationem pulverum viperinorum aut Bezoardicorum animalium uſurpantur, & iiſdem ſubſtituuntur. *De baſi* ergo *Theriacæ valdè diſcrepant Autores*, & meretur hic ut legatur ZWELFERUS: ab aliis chalcitis habetur pro baſi. *Baſis* autem *genuina eſt opium*, cujus gr. ij. ingrediuntur Theriacæ ℨj. Unde differentia oritur inter Theriacam veterem & recentem: ratione enim opii Theriaca vetus minus anodyna ſeu narcotica, adeoque magis ſudorifera, magis calida, & in vi opiata per fermentationem correcta magis temperata: recens è contrà magis crudior & narcotica, propter opium non ita correctum, obſervatur. Totum interim compoſitum eſt aromatico-opiatum. Quando ergo opus eſt opio, præſcribitur recens theriaca; quando verò alexipharmacum poſtulamus, præſcribimus Theriacam veterem, & quidem in majori doſi: unde etiam Theriaca recens eſt utilis ad omnes uſus illos, ad quos aliàs ſolet commendari opium. Hinc quidam dubitarunt: *an infantibus tutò adhiberi poſſit Theriaca, Mithridatium?* quod affirmatur: Nempè loco opiatorum commodiſſimè infantum remediis tantillum Theriacæ admiſcetur. Incondita quidem eſt farrago in ingredientibus Theriaces & Mithridatii, aliarumque ſimilium compoſitionum, v. g. in Electuario Orvietano, Diaſcordii Fracaſtorii, & ſimilibus; unde etiam plures corrigere, ac correctiorem, ſimulque efficaciorem compoſitionem & præparationem ſuggerere laudabili conatu inſtituerunt. Sic præterea, quæ habet ZWELFERUS prolixè ſatis *in ſuis Animadverſ.* chymicam Theriacæ correctionem videb. in POTERII *Pharm. Spag.* item GNOEFELII *correctionem*; correctarum theriacalium compoſitionem GNOEFELII deſcriptiones videb. in M. A. N. C. *Anni* 6. *&* 7. *Append. pag.* 31. *& ſeqq.* quò etiam pertinet *methodus* SYLVII *corrigendi el. diaſcordii Fracaſtorii*, quæ vid. *in Pr. lib.* 1. *cap. ult.* ad cujus imitationem commodè & aliæ compoſitiones theriacales reformari poterunt.

Pro imitanda ergo in ſuccinctiore & ſelectiore formâ theriaca veterum obſervetur, quod theriaca illa (par ratio eſt Mithridatii, elect. diaſcordii Fracaſtorii, Orvietani) duplici modo & ſcopo operationem ſuam perfecerit:

1. Spirituum influentium vim ſiſtendo,
2. Sudores movendo.

Prius obtinet ab admiſto opio; poſterius ab ingredientibus, primariò aromaticis, amaricantibus & gummatibus. Hiſce accedit mel, quod fermentativâ turgeſcentiâ non ſaltem corrigit ſuo modo opium; ſed etiam ingredientium reliquorum particulæ oleoſæ & reſinoſæ diſſolutæ, hincque penetrantiores & magis activæ evadunt.

Pro quibus ſcopis ſimiliter obtinendis facilè concinnior compoſitio effingi poteſt. Eſt ſcilicet theriaca miſtura ſalino-volatilis oleoſa, anodyna & ſudorifera: unde v. g. ſpiritus cornu Cervi ſuo ſale volatili probè acuatus, nec in totum ab oleo ſuo liberatus, cum opio ejusve eſſentia ſociatus in larga doſi tantum præſtabit, quantum theriaca ſub larga ſui compoſitione. Quod ſi itaque ſuccinctiorem, ſed ſelectam theriaces compoſitionem velimus inſtituere tunc ad imitationem LUDOVICI *in Pharm. pag* 271. *& ſeqq.* poſſet fieri *compoſitio theriacalis*:

℞. *Pulv.* aut potius *extracti rad. Angel.*
Torment. ana ℥iß.
Gentianæ,
Zedoar. an. ℥j.
Serpent. ritè parat. ℥iij.
Terræ ſigillatæ ℥ij.
Myrrhæ elect.
Flor. ſulphuris an. ℥j.
Cinnam. ℥ß.
Croci ʒiij.
Caryophyll. ʒij.
Opii in aceto deſtillato, vel *ſucco citri ſoluti & inſpiſſ.* ʒiij. ad ℥ß.

Cum triplo *mellis & rob junip.* an. part. æqual. ſubigantur probè, & debitam in conſiſtentiam redigantur, exactè terendo & agitando, hinc ad perfectam fermentationem ſeponendo.

Doſis ʒj. ad ʒij.

Conferatur hic aliquo modo Theriaca Germanorum, vid. HORSTIUS *in Diſp. pag.* 319. Addi poſſunt ſub miſtionis actudictæ compoſitioni oleo deſtillata bacc. iunip. & citri à ʒj. ad ʒiß. vel dum uſurpatur, guttæ aliquot inſtillentur. Propinari poteſt vel in aceto, vel in conſerva citri, & præterea uſus tempore addi poteſt. Ubi opus eſt, ut cieatur ſudor, ſimpliciter convenit theriaca; tantas tamen vires, quas adſcribunt veteres, nullo modo obtinet, cùm hic antimonium diaphoreticum & Bezoardicum minerale ſimiliaque propinentur longè utiliùs: e. g.

℞. *Antimonij diaphor.* aut *Bez. miner.* ℈j.
Campb. gr. iii. vel iv. M.

Ac ſanè dictis modis multæ veterum compoſitiones corrigi & concinniori uſui adaptari poterunt. Scilicet occaſio tot compoſitionum theriacalium, & ex compoſitis quingentarũ decompoſitionum, fuit:

1. Ignorantia venenorum, tam diſtinctorum, eorumque læſionis modi; quibus univerſale quoddam alexipharmacum opponere fuit animus.
2. Non perſpecta ſatis natura & efficacia ſimplicium, aut ex illis reſultantium compoſitionum.

Hinc quicquid in morbo maligno, venenoſo, aliave ſimili calamitate aliquando profuiſſe obſervatum fuit, ſive per ſe, ſive per accidens profuerit, hoc omne, licet etiam vulgi ſaltem famâ increbuerit, in theriaces corpus convaſatum fuit. Eædem penitus cauſæ poſtmodum & 1000. varietates, novaſque compoſitiones induxerunt; quoties novum quoddam ſimplex cognitum, aut nonnihil approbatum inventum fuit, mox nova emerſit compoſitio, ut plurimum tamen de Theriaca ſimul addita, plus minus participans.

Sed ut revertar ad uſitatiorem Andromachi Theriacam, huius uſus eſt imprimis in morbis febribuſque malignis, plus minus peſtilentialibus, morſu canis rabidi, &c. præſervativè, uti & curativè, in vehiculo aceti; idque imprimis, ubi æſtus intenſior, aut graviora capitis ſymptomata urgent; idque tam in formâ ſicca, quàm in forma humida, addito ſale abſinthii, antimonio diaphoretico, vel Bezoardico minerali, aliove ſimili; v. g.

℞. *Theriacæ Androm.* ʒi.
Salis abſinth. ℈i. ad ʒß.

Miſta capiantur in hauſtu vini aciduli, vel cochleari aceti: potentiſſimè ſudorem movet.

Vel

℞. *Theriacæ* ʒi.
Antimonii diaph. ℈i,
M. f. *Bolus.*

Uſurpetur ſimili ratione,

In forma liquida;

℞. *Aquæ flor. ſamb.* ℥ii.
Aceti ſambuci ʒiii. ad ℥ß.
Theriacæ Androm. ʒii.
Antimonii diaphor. ʒß. ad ℈ii.
Campboræ gr. iv.
Syr. card. bened. ʒii.
M. pro duabus doſibus.

Potentiſſimè ſudores movet.

Obſervetur probè: quod Theriaca non ſit propinanda die critico, quoniam ratione opii naturæ curſum impedit.

Præterea in quibuſvis ſymptomatibus, indeque natis doloribus, egregia eſt Theriaca propter opium, quod baſin theriaces vocat WALÆUS *Tr. de Methodo Medendi*, utpote ſine quo ne ſudoriferam vim obtineat Theriaca; hinc in vomitu, diarrhœa, cholera quacunque, hypercatharſi, cardialgia, colica, hyſterica paſſione, non ſecus ac aliis quamplurimis ventriculi primarumque viarum affectibus, à cauſa frigida & mucilagine acida obortis, Theriaca ad ʒi. unum ex familiariſſimis & optimis eſt remedium, modò tamen alvus ſit aperta: temperat & deſtruit acidum, dolorẽ ſiſtit, & vi ſudoriferâ morbum curat. In affectibus ſtomachi & inteſtinorum acidis, & inde in anorexia, appetitu depravato ſeu pica, &c. Theriaca reverà εὐπόριστον eſt remedium in vino aſſumpta. Sic & in hæmorrhagiis quibuſcunque propter opium commendatur. In febribus pariter intermittentibus curandis, imprimis quartana, præmiſſis præmittendis egregia admodum eſt ante paroxyſmum in aceto deſtillato uſurpata: Nam ratione opii rigores tollit, miaſmata febrilia expellit, ac paroxyſmos ſufflaminat. Infantibus quoque feliciter propinatur gr. i. pro doſi, ubi tormina habent, & agrypniâ vexantur. Si lac à vitioſo acido coagulatur, Theriaca in ipſo lacte ſi propinetur, remedium erit optimum.

De cætero bilioſioris qui ſunt conſtitutionis, ut vocant, ſeu calidiores aridiores minuſque ſucculenti, talibus frequentior Theriacæ uſus noci-

nocivus est, ad atrophiam aut hecticam, propter nimiam caliditatem aromaticam, disponens: unde rectè MAJOR *de Chirurg. Infus.* dicit: quod *Theriaca illegitimo usu facessat in venenum.* Magis è contra convenit pituitosis & phlegmaticis quorum morbos corrigit, & iis potenter auxiliatur. Et hæc de Mithridatio quoque intelligantur. Interim tamen cum hæ compositiones omnibus affectibus, imprimis in principio & incremento febrium malignarum, in quibus est ingens sanguinis ebullitio, nō æquè conveniant, hinc earum loco Elect. diascordii Fracastorii, propter vim constrictivam & sanguinis effervescentiam sedativam, longè tutiùs adhibetur.

Externè in amissa loquela cum Theriaca si fricetur lingua & palatum, imprimis si adspergatur cum spiritu cerasorum nigrorum, cum oleo destillato anisi & similibus, expertum est remedium. Si inungatur ventriculo, sistit vomitus & choleram; si illinatur umbilico, sistit tormina, diarrhœas & hypercatharses.

THERIACA DIATESSARON.

Theriaca diatessaron ita dicitur, quoniam ex quatuor ingredientibus, gentiana, bacc. lauri, myrrha, & aristolochia rotunda componitur. Describitur à MESUE, & reperitur in *Pharm. Augustana.* Erit ejusdem & forsan melioris præsentaneique usus, quàm ingens compositio Theriacæ & Mithridatii, modò opium sociatum sit, ut granum ejus integrum dosin ordinariam ingrediatur; & in majori copia præparetur, quò mellis motus fermentativus intendatur. Natura enim opii est, ut excretiones omnes sistat, præter sudorem. Dosis est ʒj.

ELECTUARIA PURGANTIA.

Electuaria purgantia Veterum internè non amplius sunt in usu apud nos, quoniam sunt nauseabunda, adeoque non sine horrore possunt assumi, utut Galli & Itali internum usum adhuc retineant, sub forma boli ab ʒß. eorum ad ʒvj. vel ℥j. imò ad ℥ij. nauseantibus ægris obtrudentes, propter quos AUTOR etiam apposuit dosin. Nos verò si volumus tale quid præscribere, præscribimus bolos purgantes, qui in minori dosi possunt assumi; de quibus *Collegio Formularum*: aut utimur pilulis usualibus. In potionibus nunquam aut rarissimè præscribuntur; saltim in clysteribus dissolvuntur & quidem pro stimulo; in quem finem Electuarium lenitiuum Florenzolæ, & Electuarium benedictum laxativum: item de Hiera cum agarico, ad ℥j. instar omnium pro stimulo clysmatum sufficiunt.

In specie

ELECTVARIVM HIERÆ PICRÆ GALENI SIMPLEX.

Dissolvitur in clysteribus cum agarico ab ℥j. ad ℥iß., ubi acribus stimulare volumus alvum in apoplexia & epilepsia.

TRYPHERA PERSICA.

Adhibetur in clysteribus ad ℥j. in febribus petechialibus, pestilentialibus, deliriis, &c.

ELECTVARIVM DIASARI FERNELII.

Pro scopo vomitorio quibusdam in usu est, cujusque dosis est ad summum ʒj., & satis efficax est. Postquam verò antimonialia innotuere, non opus habemus hoc Electuario.

ELECTVARIVM ANTIMONIALE CROLLII.

Ob ingredientia antimonialia præferendum præcedenti.

ELECTVARIVM BENEDICTVM LAXATIVUM.

Est usitatum ingrediens pro clysteribus, acidum intestinorum detergentibus, ad ℥j. Adhibetur in colica, alvi obstructione, fæcibus induratis, & similibus aliis.

ELECTVARIVM DIACARTHAMI.

Præscribitur in clysteribus, ubi opus est stimulo, & quidem ubi opus est, ut evacuetur pituita crassa aut viscida intestinorum. In clysteribus potest adhiberi ad ℥iß., sicuti in substantia tantum ad ʒvj.

ELECTVARIVM SEV CONFECTIO HAMECH MAJOR.

Veteribus in scabie, melancholica hypochondriaca, mania, aliisque affectibus melancholicis, uec non lue venerea, in usu fuit: sed apud nos non amplius usurpatur, utut aliàs Itali cum nausea propinent ægris.

ELECTVARIVM HIERÆ COMPOSITVM.

Ingreditur clysteres stimulantes; & quidem ubi opus est, ut fortiter è remotioribus partibus evacuetur in paralysi, tremore & similibus affectibus; item propter castoreum, quod ingreditur, est egregium in affectibus cephalicis, in apoplexia, epilepsia, lethargo, & cephalalgiis; item in passione hysterica graviori, mensibus suppressis & similibus mulierum affectibus usurpatur.

Ad Electuaria laxativa pertinent etiam

PASSVLÆ LAXATIVÆ.

Harum aliquot compositiones dedi, ubi de passulis. Internè commodè possunt assumi.

Pertinet huc Purgans Mindereri, cujus gran. j. solet eleganter purgare:

℞. *Succi rec. expr. elleb. nigri* ℥iß.
Cucum. asin. ℥iij.
Violar. ℥j
Iulor. sambuci ℥iij.
Rad. bryon. ℥ß.

Mista & filtrata indantur cucurbitæ cum alembico & parvo recipiente, digerantur in fimo equino per sex septimanas: sic enim humiditas destillatur spontè, quam massæ remanenti affunde, solve & filtra: adde

Vini Malvat. ℥ij.
Olei Macis ℈ß.

Evapora ad consistentiam massæ; cujus dosis gran. j. cum conveniente vehiculo, 6. vel 8. movebit sedes.

CAPUT LII.

DE ELIXYRIIS.

Elixyria hoc capite ab AUTORE considerata, cognata sunt Essentiis & Extractis: Nempè Elixyria nihil aliud sunt, nisi Essentiæ magis compositæ & re ipsa conveniunt, non nisi accidentariò, & promiscua appellandi ratione differunt, dum Essentiæ communiter dicuntur Extractiones liquidæ unius vel plurium subjectorum, & Extracta κατ' ἐξοχὴν, à quibus menstruum ad rob seu pilularum consistentiam abstractum. Ut plurimum ex variis ingredientibus aromaticis mediante spiritu vini, vel alio liquore spirituoso composita pro intentionis ratione diversis encheirisibus, uti patet ex AUTORE, in quibus & præterea liquida dissolvuntur non nulla ad augmentandas vires medicamenti: vid. M. A. N. C. *Anno* 6. & 7. *Append. pag.* 100.

Vox est origine Arabica, cujus derivationem ministrat D. LANGIVS *in Differt. de Elix. Proprietatis.*

AUTOR recenset seqv. famosiores & officinales, quales sunt Elixyr citri, Elixyr menthæ, febrile MYNSICHTI, camphoræ, proprietatis, &c.

ELIXYR ALLIATVM.

nro. 1.

Elixyr alliatum paratur ex duobus egregiis antipestilentialibus, ex camphora, & ex capitibus alliorum, abstrahendo per alembicum. Maximi facio: certus enim sum, hoc si ritè camphora imprægnetur, nobile esse antipestilentiale in præservatione & cura morborum malignorum, ubi summa urget maliginitas, & quidem sine magno calore. In præservatione tamen pestis & pestilentialium morborum huic Elixyri debet addi s. q. aceti, vel ana vel duplum, & ita ceu acetum bezoardicum potest assumi. Talia enim volatilia & calidiora contra AUTOREM nunquam solent præservare à peste, potius in ipsis peste correptis, testante experientia, ubi talia præservationis loco fuerunt adhibita, subsecuta sunt gravia, & periculosissima deliria; cum acida è contrà utramque faciant paginam. Præterea etiam est egregium remedium carminativum, anticolicum & antihystericum, præviis clysmatibus valdè proficuum. Præter dictas vires multum etiam convenit in calculo præservando, imprimis si originem ducat ex acido coagulante: convenit etiam in pellendis lumbricis & vermibus, tam in intestinis, quàm aliis locis stabulantibus

In præparatione aliàs hujusmodi elixyrium observetur: quod, quando virtus medicamenti in extractionibus destillando potest transcendere alembicum, tunc præter digestionem nudam etiam fiat destillatio; sin verò periculum sit, ne magna Essentiæ pars, aut melius ejusdem Extractum, remaneat in fundo, tunc per nudam Extractionem & digestionem sine destillatione parantur Essentiæ, & Elixyria. Jam verò notum est, quod ex allio partes volatiles extractæ facilè adscendant per alembicum: ergo optimè paratur per destillationem.

ELIXYR CITRI.
num. 2.

Compositio hæc est legitima, modò succi citri pro ratione ægri plus minus addatur, ut fiat acidulum; nec inelegans Elixyr citri erit, si spiritus vini semel à corticibus abstractus denuò novis corticibus affundatur, & digerantur, & post filtrationem cum succo citri misceatur. Usus est analepticus in febribus malignis, & in summa imbecillitate virium, & quando ægri post nimium sudorem nimis prostrati sunt viribus; potenter enim restaurat: conducit valdoperè stomacho, cujus tonum laxatum corrigit, ejusque apepsiam emendat. In colica similiter valdè convenit, quoniam potenter flatus discutit, & in genere, quæ superiùs dicta sunt de citro, possunt dici de hoc *Elixyri*.

Dosis est *cochlear* ß. pro varietate præparationum.

Ad hunc Elixyris citri modum etiam à quibusdam solet præparari

ELIXYR MENTHÆ.

Fit scilicet hoc per spiritum ex mentha paratum, qui postmodum herbæ menthæ exsiccatæ denuò affunditur; sic enim in digestione viridem acquirit colorem: post separationem per filtrum, parum edulcoratur pro gratia saporis, & fit elegans medicamentum stomachicum; imprimis si addatur aliquantulum spiritus vitrioli philosophici. Dico aliquantulum: ut scilicet parum aut nullo modo percipiatur ejusdem sapor.

Paratur etiam à D. MICHAELIS *Elixyr stomachale* aliud ex simplicibus medicamentis aromaticis stomachicis cum spiritu menthæ, acidulato cum spiritu vitrioli Philosophico, & postmodùm dissolvitur in eodem Extractum stomachale, seu succi expressi & inspissati ex simplicibus stomachicis & aromatibus in tantum quantum capere potest.

Similibus Elixyriis commodè potest addi opium, & similia opiata ad conciliandam virtutem anodynam sedativam dolorum & spirituum: Sic præparavit D. MICHAELIS *Elixyr diureticum anodynum*, quod prolicit urinam, & dolorem compescit: Sic habemus *Essentiam anodynam*, in qua speciebus per spiritum theriacalem extractis additur opium, & habetur egregium Elixyr in malignis, in agrypnia, & similibus opio indigentibus.

ELIXYR CAMPHORÆ.
num. 3. *pag.* 188.

Elixyr camphoræ, seu, ut aliàs dicitur, *spiritus vini camphoratus Hartmanni*, optimè fit, si *spiritus vini rectificatissimus* acuatur cum *spiritu salis ammoniaci*. Scilicet ut simul destillentur; sic enim promptè solvitur camphora, quam spiritus vini secum rapit per alembicum. Est nobile remedium curativum & præservativum in peste, morbisque malignis, & quam plurimis aliis affectibus, potenter movendo sudorem. In præservatione commodè permisceatur cum liquore acido.

Præter hoc, quod movet sudorem interno usu, externè usurpatur in Erysipelate, & arthritide calida, conjuncta cum tumore erysipelaceo, vel solus, vel mistus sali ammoniaco, vel spiritui salis ammoniaci, si scilicet admoveatur cum linteis calidis; discutit enim tumorem, & unà omnem dissolvit tumorem. In gangræna & incipiente sphacelo partium externarum, ulceribusque putridis gangrænam minantibus, est egregius pariter, sive externè cum linteis duplicatis admoveatur pro fotu; facilè etiam partes non penitus emortuas resuscitat, & modò sit à causa externa, gangrænam totò solet amovere. In Cephalalgia febrium malignarum seu continuarum spiritus vini camphoratus crocatus circumligatus fronti, epithema optimum est; item in cholera externè stomacho applicatum. Quod si loco spiritus vini capiatur spiritus theriacalis, & combinetur hic cum camphora, erit remedium eò potentius & præstantius: Item tempore hyberno, si gelu constringit & labefactat membra, præsens remedium adfert hoc Elixyr.

ELIXYR HYSTERICUM & ANTIEPILEPTICUM.
num. 4.

Hic moneo: quod menstruum pro extractione sit spiritus sanguinis humani, & spiritus vitrioli volatilis. Si ergo spiritus vitrioli rectè paratus sit, coit in falsum tertium volatile: Verum, si vulgari modo acidus est, destruit dicta salia urinosa; & sic minus conveniens fit Elixyr. Compendiosiorem & concinniorem præparationem docet HOFFMANNUS *Clave lib.* 2. *cap.* 52. *pag.* 67. Nempè spiritus vitrioli antiepilepticus Hartmanni commodè sumi potest, & speciebus affundi, digerendo & extrahendo procedi ulterius. Longè melius & convenientius est BILLICHII ELIXYR CEPHALICVM ET EPILEPTICVM, recipiendo *castoreum*, *myrrham*, & affundendo *spiritum salis ammoniaci vinosum*, seu *spiritum destillatum è calce viva*, *sale ammoniaco*, *& tantillo succini*, cum spiritu vini prodit spiritus volatilis oleosus, qui elicit *essentiam antihystericam & antiepilepticam*.

ELIXYR EPILEPTICUM D.D. FREYEN.
num. 5.

Præstat hujus loco simpliciter liquorem cornu Cervi succinatum adhibere; vel ad hujus imitationem ex sale volatili cranii humani & succini cum spiritu sanguinis vel cranii humani liquor talis epilepticus: spiritus nempè sanguinis vel cranii humani succinatus, concinnari potest, si scilicet adhuc specialis statuenda est differentia salium, & spirituum horum volatilium.

ELIXYR EPILEPTICUM CROLLII.
num. 6.

Præparatio non est adeo commoda, propterea melius est si recipiatur spiritus vitrioli volatilis, uti illum exhibet AUTOR, vel uti superiùs præparationem suppeditavi, & misceatur cum spiritu sanguinis humani, aut etiam cum spiritu cranii humani; quæ mistura tunc acquirit colorem viridem, & valdè convenit in cura Epilepsiæ cujuscunque.

ELIXYR ANTIEPILEPTICUM CRATONIS.
num. 7. *pag.* 189.

Observandum: tria hæc calcinata, cineres nempè turturis, cornicis, & cranium humanum calcinatum, beneficio spiritus vini nil suggerere. Per grana verò tiliæ quid intelligat AUTOR, multi dubitant: Ego certè hæc grana tiliæ è Ricino majori esse credo.

ELIXYR PESTILENTIALE.
num. 8.

Elixyr pestilentiale Crollii in magno solet esse usu in curandis pestilentialibus & similibus morbis contagiosis. Pro præservatione datur à ℈j. ad ℈ij. si oleum camphoræ, aut etiam oleum citri addatur, erit eò præstantius. Elegans *Elixyr pestilentiale*, tam curativum, quàm præservativum, describit BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Epist.* 44. ex compositione Dni D. JOELIS LANGELOTTI.

ELIXYR PROPRIETATIS.
num. 10.

Sequitur decantatum istud *Elixyr proprietatis*, uti vocant, de quo elegantissimam scripsit *Disputationem B. Doctor* LANGIVS. Hic observandum: quod Elixyr sit vox, ut dictum Arabica, & nihil aliud notet, quàm Essentiam seu vim substantiæ extractam. Duplex autem ejus vocis acceptio est: Jubetur enim

1. *Elixyr Vniversale*; &
2. *Particulare*.

Sub nomine *Elixyris Vniversalis* intelligitur Elixyr Philosophorum, seu lapis Philosophorum, per quem omnia metalla ignobiliora in aurum transmutantur, & totum corpus humanum restauratur. Ad hujus similitudinem particularia dicuntur, quæ vel tingunt particulariter quædam metalla, vel vi balsamicâ corpus nostrum conservant. Ex his in specie Elixyr Proprietatis in usu est, polychrestum & decantatissimum remedium. *Prima* hujus origo debetur PARACELSO, qui in *Arch. l.* 8. *de Elixyriis* suum Elixyr Proprietatis valdoperè commendat ad quàm plurimos usus, & ita describit:

℞. *Aloes exotic.*
Myrrhæ,
Croci, ana vel *Vierling*.

Fac ascendat in Pelicano cum arena placidissimè per duos menses, sic resolvuntur successivè mista in formam olei volatilis; *postea separa oleum per Alembicum à fæcibus sine adustione*, *& digere oleum per unum mensem cum circulato Magno in æquali pondere*, *& sic conserva illud*.

Descriptio hæc pluribus nauseam movit, præsertim, cum, quoad Circulatum, discrepent AUTORES. Clavem suggerit HELMONT *in suis scriptis* hinc inde, qui PARACELSUM mediante suo menstruo universali seu liquore Alcahest hoc ipsum Elixyr præparasse asserit; adeò ut nullum sit dubium, quin propter radicalem solutionem ingredientium Elixyr Paracelsi longè præferendum sit Elixyr nostro communi.

Verùm cum liquoris Alcahest possessio non nisi adeptis concessa sit, propterea multi negant, hoc Elixyr parari posse, nisi habeatur Alcahest. HELMONTIVS tamen mediam hoc præparâdi Elixyr viam, ex vestigiis PARACELSI desumptam, suggerit *Tr. Quæ sequuntur sunt liquida aut imperfecta*; Ibi scilicet ex iisdem ingredientibus mediâte digestione & circulatione acquirit *Elixyr album*, quod nihil aliud est, quàm oleum trium illarum specierum, phlegmate suo commixtum, cui HELMONT multa tribuit, & præterea ceu succedaneum PARACELSI substituit. Encheirises ejus præscribit HELMONTIVS, pro quarû illustratione observâdû: totius rei cardinê in hoc cõsistere, ut ignis exactissimè per integrû mensê, vel etiâ per duos menses

rega-

regatur, idque speciatim in balneo vaporoso, ut nempè cum calore blandissimo digerantur, ita ut semper æqualis maneat: nisi enim hoc exactissimè observetur, & ubi vel leviter excedamus in gradu, aut ignis sit nimius, alembicus frangitur, & omnia contenta pereunt; sin verò calor nimis exilis fuerit, frustra laborabimus. Hoc observato, donec species per se in picem confluant, & liquor oleosus in lateribus vasis se conspiciendum præbeat, species eximantur ne comburantur à calore fortiori: quo facto cum *aqua cinnamomi spirituosa* per mensem adhuc circulantur, sic demum destillantur, & elicitur oleum volatilisatum. Parum quidem subministrat hæc præparatio, cùm ℥ij. ingredientium vix 50. vel 60. guttas suggerant.

Utut pauca sint ingredientia, magna tamen & capacia requiruntur vasa, ut spiritus rectè circulari queant, quia aliàs sub circulatione vitra franguntur. Conf. HELMONTIUS *Tr. Arbor vitæ*.

Dosis est à gutta j. ad ij. vel iij. & plus faciunt quàm nostrates guttæ xx.

Cum itaque paucis concessum fuerit adire Corinthum, hinc loco circulati illius Paracelsi, spiritus vini pro parando Elixyr accipitur; cuique pro meliori specierum solutione & extractione nunc *per acidum*, nunc *per alcali* suppetiæ feruntur.

Per acidum quidem, dum spiritus vini rectificatus cum moderata quantitate spiritus sulphuris per campanam impregnatus, affunditur speciebus, vel conjunctim vel separatim, modo quem docet AUTOR *pag.* 190. vel etiam HOFFMANNUS *l. a. pag.* 69. *Acidulandi* verò *modi* sunt varii: quidam per spiritum salis, alii per spiritum vitrioli, alii per spiritum sulphuris per campanam id efficiunt. Ego, si acidulandus sit, præfero spiritum sulphuris per campanam, qui optimè extrahit. Observandum tamen in aloe, ut si simul laxare debet, hæc primitus extrahatur cum aqua, aut alio menstruo aqueo, non verò cum spiritu vini; hinc aloe reliqua cum aliis speciebus misceatur, quæ spiritu vini novo acidulato extrahantur: tandem binæ extractiones misceantur. Beneficio enim aquæ ex aloe elicitur mucilago ejusdem purgans; per spiritum vini verò ex aloe tantum elicitur resina adstringens. Pro varietate ergo scopi, variè extrahitur aloe: vid. quæ *de aloe superiùs*.

Sunt, qui volunt præparare Elixyr proprietatis sine amaritudine hoc modo:

℞. *Myrrhæ Alexandr.*
Aloes succotr. ana ℥iv.
Croci Orient. ℥iij.

Has species invicem probè mistas indunt vitro, & irrorant *spiritu vini*, donec bene sint humidæ: hinc affundunt *spiritum vini non rectificatum* ad supereminentiam 4. digitorum, hinc digerunt ad aliquot dies debili calore & postmodum affunditur *oleum sulphuris per campanam* tantum, quantum fuit spiritus vini, digerantur aliquot dies, hinc decantetur clarum à residentia, & abstrahatur spiritus vini; qui ubi omnis fuerit abstractus, singulatim capiendum est phlegma, grati saporis & odoris, donec incipiat acescere: Huic phlegmati reaffundatur spiritus vini abstractus, ponantur in digestionem aliquantum, hinc filtrentur, & sic habetur *Elixyr sine amaritudine*.

Sine acido moderni parant id per alcalia, eaque vel per alcalia fixa, vel per volatilia.

Dum per alcalia fixa promovetur extractio:

℞. *Sal tartari* (vel *tartari & nitri* ana part. æqual. ex quibus per detonationem in crucibulo paratur alcali fixum.)

Hujus cum aqua paratum *lixivium* speciebus pro Elixyr proprietatis affundunt ad consistentiam pultis, digerunt, & affusionem repetunt. Ubi omnia ad siccitatem exhalarint, *spiritus vini probè rectificatus* vel *tartarisatus* affunditur, qui intactum relinquit sal alcali fixum, & substantiam ab eo sale solutam, seu balsamicam resinosam essentiam elicit; sicque fit elegans *Elixyr proprietatis*, grati saporis & convenientissimi usus mulieribus & infantibus in cruditatibus acidis.

Sunt qui etiam terram foliatam, idque non inconsultò, speciebus extrahendis addunt, & hinc cum spiritu vini Elixyr non inconcinnum præparant (confer LUDOVICI *Pharm. pag.* 484.) vel ipsum terræ foliatæ tartari liquorem speciebus affundunt, qui extrahit omnia quàm optimè: post filtraturam asservant Elixyr proprietatis tartarisatum. Alii

℞. *Nitricum tartato* alcalis. q. v.

Lixivio exinde parato inspergunt *tartari crudi pulverisati* tantum, donec non amplius fermentent, & liquor rubicundus inde emergat; quo LANGELOTT utitur ad vegetabilium, & animalium præparandas Essentias, & Extractiones: quod incommodum etiam non menstruum est pro Elixyr proprietatis parando, dum species hoc ipso digestæ, & extractæ, ad siccitatem blandè evaporatæ, cum spiritu vini affuso elegans Elixyr constituunt.

Quod modum *per alcalia volatilia*:

℞. *Spiritus sal. cum spiritus vini parat.*
affunditur
Aloes,
Myrrhæ,
Croci, ana partib. æqual. q. s.

Hic ipse, ubi primò seorsim unumquodque ingredientium extractum abstrahitur in Extractum debitæ consistentiæ, quæ invicem permista denuò cum spiritu vini ammoniacali extrahuntur, & sic erit summa Medicina in cruditatibus acidis & viscidis. Dicatum est sexui sequiori. Dosis gutt. xxx.

Observandum: quod Elixyr proprietatis cum alcalibus præparatum se misceat vino, & aqueis sine præcipitatione. Ut autem magis specificetur, & quasi Elixyr proprietatis specificum fiat, loco spiritus vini simplicis sumatur spiritus appropriatus.

Aliis, qui volunt, quod spiritus vini terebinthinatus genuinum fuerit PARACELSI *menstruum*, placet eum pro menstruo Elix. propr. parando seligere; qui tamen nihilominus errant, quoniam multum abest à liquore alcahest. Alii speciebus Elixyr proprietatis affundunt oleum destillatum terebinthinæ seu spiritum, & procedunt digerendo & extrahendo, lenissimo tamen ignis gradu, eo modo atque fit in præparatione Balsami sulphuris; atque ita Elixyr proprietatis verissimum, singularissimum, reverà balsamicum, non tamen in omnibus casibus conveniens, acquirunt.

Elegans quoque est *præparatio* CNOEFELII, qui recipit *crocum* & *myrrham*, & hæc pulverisata insuit nodulo lineo, quem suspendit in cucurbita, in cujus fundo est aloe cum *menstruo extrahente*, & hanc cucurbitam bene clausam imprimis superimpositâ aliâ parvâ cucurbitâ, ponit in digestionem arenæ: sic enim, dum beneficio circulationis spiritus menstrui in vase incipiunt sese insinuare in nodulum, & impregnare species in nodulo, eas extrahunt, & denuò è nodulo guttatim decidunt; sicque sensim sensimque essentiam elegantem & admodum potentem extrahunt: quo negotio ad longum tempus peracto spiritus vini est abstrahendus, donec remaneat essentia in fundo instar mellis tenuioris, quæ est egregia medicina: spiritus verò vini hic abstractus, totus est volatilis, & mirè balsamicus.

Ex hoc Elixyr proprietatis quasi simpliciori plures aliæ compositiones magistrales fuerunt enatæ, quarum descriptiones videbitis in ROLFINCII *Chym.* & in aliis scriptoribus. Hinc Elixyr proprietatis purgans, seu cum rhabarbaro, vulgò usurpatur. Concinniora tamen sūt Elixyria proprietatis purgantia, solida & liquida CNOEFFELII, quæ videb. *in Append. Anno* 6. & 7. M. A. N. C. *pag.* 18. & 19.

Polychrestum aliàs est remedium hoc elixyr, stomacho ac primis viis conveniens, sordes imprimis acidas à digestione prima relictas abstergens, appetitum provocans, bilem acriorem blandè temperans, lumbricos ex putredine funesta ortos tam præservans, quàm enecans, & menses provocans. In retentione secundinæ post partum, ne eadem putrescat, est egregium remedium, præservat putredinem, & pellit secundinam ratione croci & myrrhæ; unde etiam mulieribus valdè convenit in certis casibus, non verò gravidis propter dictas rationes. In affectibus pectoris valdè convenit: nam in pleuritide & peripnevmonia suppurata impedit, quò minus degenerare possit in phthisin, purificando & consolidando ulcera pulmonum, si sumatur cum decocto vulnerario, imprimis hederæ terrestris, cujus felicem usum imprimis expertus sum. Convenit in tussi à mucilagine crassa, si hæret in bronchiis pulmonum, & expectorationem promovet. Scorbuto resistit, in quem finem egregium est *Elixyr proprietatis antiscorbuticum D. Michaelis*, qui recepit pro menstruo *spiritum cochleariæ*, vel *spiritum antiscorbuticum compositum*, acuatum cum *spiritu aperitivo* Penoti. In vertigine & imbecillitate visus ortis ex stomacho, hoc elixyr est egregium. In ulceribus & vulneribus partium internarum & externarum valdè convenit hoc elixyr; unde etiam à quibusdam externo usu applicatur ambustis & combustis ab igne, ubi æstum & calorem mitigare dicitur: imò externo usu in ulceribus, & vulneribus sordidis & putridis instillatur, aut cum unguentis applicatur.

ELIXYR SYNCOPTICUM SAM. CLOSSÆI.
num. 11.

Elixyr syncopticum est Mistura analeptica, parum habens in recessu.

ELIXYR UTERINUM.
num. 12.

Longè meliùs extrahuntur species per spiritum vini, cum spiritu urinæ vel spiritu salis ammoniaci acuatum, ad imitationem nempè Infusi illius, quod habet BARBETTE *in Praxi cap.* 1. *de Epilepsia*; & faciliùs se conjungit cum oleis destillatis, in magna copia additis.

Est multi usus in passione hysterica dosi ℈j. ad ʒß. Deinde feliciter convenit in mensibus remoratis, aut lochiis obstructis: valdè enim has ipsas excretiones promovet, & convenit in omnibus morbis has suppressas insequentibus.

ELIXYR VITÆ MAJUS & MINUS QUERCETANI.

Elixyria hæc laboriosæ sunt præparationis, & habetur tantum essentia spirituosa aromatica composita

CAPUT LIII.

DE

EMPLASTRIS, CERATIS, & DROPACIBUS.

De modo horum parandi, & ingredientium proportione, *infra cap.* 81. ubi *de unguentis*, *dabo*.

Inter *Cerata officinalia* & alia ab autore descripta se primò prodit

CERATVM EX BETONICA.

Malè ita dicitur, cum parum de Betonica participet; sed olibanum, mastix & mumia caput rei sunt. Commodiùs fit ex succo Betonicæ cum melle & balsamo Peruviano, sic optimè convenit in affectibus catarrhalibus, vulneribus & contusionibus capitis; sicut & in omnibus capitis vulnerationibus cum balsamo Peruviano emplastra malaxanda sunt.

CEROTVM CAPITALE.

Cerotum capitale, quod etiam appellatur *Cerotum pro Bregmate*, valdè convenit in affectibus capitis senum.

Cerata hæc, si misceantur cum Emplastro de Ranis Vigonis cum Mercurio, mirabilia præstant in contumacissima cephalæa quacunque; sive sit ex lue Gallica, in quo casu commendatur à BARTHOLINO, sive etiam oriantur ex aliis quibuscunque causis tales cephalææ contumaces, uti videri potest in *Observ.* PLATERI, qui aliquot habet exempla. Imò D. MICHAELIS curavit aliquando Principissam, cui ex nimia & diuturna cephalalgia & capitis dolore suturæ capitis à se invicem discesserant, idque cum strepitu, uti referebat: Talem futurarum discessum cum horrendo capitis dolore curavit beneficio horum Emplastrorum ita præscribendo;

℞. *Emplastri de ran. cum mercurio*,
Cerati de beton. ana ℥iß.
Pro bregm. usit. ℥vj.

Malaxentur invicem *unguento alabastrino*: massa inducatur super *alutam*, & obducatur *sindone rubra*, postmodum adspergatur cum *oleo destillato succini*.

D. S.

Emplastrum Cephalicum.

Commodè etiam Emplastris capitalibus seu cerato pro bregmate usitato misceri potest gummi Tacamahaca, & hæc invicem malaxari cum oleo succini, sic valdoperè conveniunt in affectibus capitis catarrhalibus, imprimis senum.

CEROTVM DIACHALCITEOS.

Est etiam in officinis usitatum *Emplastrum diachalciteos*, quod etiam, quia ejus mistura cum baculo ex palma agitatur, *diapalma* dicitur. Vocatur aliàs Germ. *Emplastrum Fontanellæ*; Italis enim, præter alios usus, in usu est fonticulis imponere, ut eadem munda, & à putredine aut corruptione, aliisque symptomati, libera asserventur, singulis diebus post purificationem in forma thaleri applicatum. Inservit etiam ad vesicas excitatas diu apertas tenendas.

Hunc pertinet Emplastrum diaquercus Quercetani, quod ejus vicem subire potest

CEROTVM DE GALBANO.

Cerotum de Galbano externè umbilico applicatum in affectibus abdominis spasmodicis, uti etiam in specie in passionibus hystericis, & colica, egregium est, si malaxetur cum oleo castorei, cum oleo succini vel spicæ, & balsamo Peruviano. Vel optimum magistrale emplastrum est, quando

℞. *Galbanum liquef.* qu. v.
addatur
Castoreum.

Hæc invicem mixta cum *oleo succini* malaxentur & satis efficax erit remedium pro hystericis.

CEROTVM PRO HERNIOSIS.

Notandum: quod in Hernia duplex medendi scopus sit:

1. *Locum relaxatum adstringendi*.
2. *Locum læsum relaxandi quasi*, ut facilitetur intestinorum ingressus in abdomen.

Pro priori scopo adstrictorio emplastra resinosa applicantur, quæ veteres sparadraporum formâ adhibebant; quæ nihil aliud erant, quàm linteum in misturam Emplastri liquefacti intinctum, ut ex utraque parte obductum fuerit, hinc binâ vice applicari poterant, idque in herniis, fracturis & luxationibus.

CEROTVM STOMACHALE.

Nobis in usu est *Cerotum de Ladano Cratonis*, quod est insigniter stomachale, & valdè convenit in affectibus stomachi, si malaxetur cum oleo stomachico composito Cratonis, & ita applicetur uti moris est. Optimum etiam est, si permisceatur cum ana Tacamahacæ, & invicem malaxentur cum balsamo Peruviano, fiatque Emplastrum seu scutum stomachale, irrorandum pro ditioribus cum oleo caryophyllorum, mastichino, item macis, postquam scilicet jam sindone est obductum.

EMPLASTRUM ALBUM COCTVM.

Loco hujus, & omnium reliquorum emplastrorum, quorum basis est saturnus, ut sunt de cerussa, de minio, lithargyrio, &c. commendo *Emplastrum Mirabile* seu *Miraculosum*, cujus descriptio est in M. A. N. C. *Anno* 8. *Obs.* 16. *pag.* 23. adeò tumoribus sanguineis, inflammationibus, abscessibus, ardoribus, doloribus mitigandis, acidis talium causis absorbendis, & suppurationi promovendæ, imprimis conducit. Pertinet huc etiam *Emplastrum de alcalibus* TACHENII *in Morbor. Princ. p.* 177. & ex eo enatum *Emplastrum Mirabile Meibomii*, quod *supra* dedi, ubi *de Plumbo*.

EMPLASTRVM E LAPIDE CALAMINARI, Germ. *Zelten-pflaster*.

Ad ulcera dysepulotica, & difficulter in cicatricem coeuntia claudenda, est optimum. Pro incarnatione autem cum terebinthina minus rectè paratur.

EMPLASTUM DIACHYLON.

Emplastrum diachylon, tam *simplex*, quàm *compositum cum gummatibus*, in frequenti usu est chirurgis in tumoribus recentibus, abscessibus, scirrhis, strumis, grumis resolvendis, emolliendis, & tumoribus maturandis, ut facilè abeant in pus, & promptè sub cute aperiantur. Descriptiones omnium videb. *in Pharm. Augustana*.

EMPLASTRVM CITRINVM.

Convenit in furunculis ad suppurationem & maturitatem perducendis.

EMPLASTRVM DE CRVSTA PANIS.

Emplastrum de crusta panis, juxta ZWELFERI correctionem paratum, in affectibus stomachi, imprimis in vomitu, item in dysenteria, valet: applicatur etiam commodè gravidis, ubi vomitus eas infestat, ut metus sit subsecuturi abortus, malaxatum cum balsamo Peruviano: juxta Augustanorum descriptionem nil valet.

EMPLASTVM DIAPHORETICVM. *num.* 3.

Est egregium emplastrum, quod MYNSICHTIVS *pag.* 185. cum oleo destillato fœtido tartari applicat in Podagra, ischiadicis doloribus; item in artuum & crurum profundis lancinationibus per quàm est egregium.

EMPLASTRVM FEBRIFVGVM STROBELBERGERI. *num.* 2.

Descriptionem quidem habet AUTOR quæ tamen non in omnibus est perfecta; STROBELBERGERVS enim *in Tract. de febr. ita descripsit*:

℞. *Ignis*,
Aer,
Aqua,
Terra,
M. f. *Emplastrum*.

Araneæ, quæ adduntur, non sunt illæ, quæ reperiuntur in hypocaustis, sed sunt majores degentes in cellis & certum est quod in araneis sit magna vis febrifuga.

Usus ejus est, ut in forma thaleri applicetur pulsibus, in quibuscunque febribus chronicis, ubi signum non infaustum est, si æger puncturas quasdam ab applicatione ejus sentiat, atque pars rubescat; paulò enim post febres cessant. Rationes videbitis in WILLIS *de Febribus*. Si per novem dies relictum fuerit, eàdem horâ, qua fuit applicatum, denuò resolvatur, postmodum defodiatur, vel incendatur: nam si quis alius id emplastrum contingat, is ipse extemplo febre quartanâ laborare incipiet.

Quidam solent commendare idem emplastrum in febribus malignis.

Huc & referri potest emplastrum febrile Dni D. MICHAELIS, à se

à se expertum contra quascunque febres, in specie quartanam; sicut tali aliquando virum 80. annorum curavit sine ullius medicamenti adhibitione, id quod mirabile est. Compositio est hæc:

♃. *fulig. furni splend.* (Germ. *Spiegel-Ruß*) ℥vj.
ad ℥iß.
Terebinth. ℥vj.
Telar. aranear. ℥j.
Campb. ℈ij.
Olei aranear. q. s.
M. f. *Emplastrum:*

Quod applicatur pulsibus ad magnitudinem thaleri in febribus ardentibus continuis & intermittentibus.

Basis sunt fuligo & araneæ.

EMPLASTRVM AD FONTICULOS.
num. 5. *pag.* 196.

Egregium est ad fonticulorum symptomata præcavenda & arcanda.

EMPLASTRVM AD HERNIAM.
num. 7.

Malè recipiuntur exuviæ anguillarum, serpentum exuviæ esse debebant: coquuntur donec crassescant in formam emplastri; ita enim non in enterocele modò, sed & hydrocele, optimum est, & pro arcano habetur.

EMPLASTRVM AD HYDROPEM AUGUSTANORVM.

In usu est, ut applicetur abdomini pro expellendis aquis per alvum. Quidam usitatiùs in tali casu applicant cataplasmata, facta ex stercore caprillo cum aqua & aliis: qualia cataplasmata imprimis conveniunt in tumore scroti ex nimia aquarum coacervatione.

EMPLASTRVM DE BACCIS LAURI.

Egregium est contra flatus & tormina abdominis, præsertim infantum; item contra inflationem ventriculi. Miscetur etiam interdum emplastro contra hydropem, ubi simul adsunt flatus; & malaxari potest cum oleo chamomillæ destillato, & baccarum lauri, vel solis, vel adduntur his simul aliquot guttæ olei macis destillati.

EMPLASTRVM MAGNETICVM.
num. 8.

Emplastrum magneticum ita propter Magnetem arsenicalem dicitur, quem *babuimus supra*. Quin & propter usum dicitur Magneticum emplastrum illud, dum curandis bubonibus pestilentialibus inservit. Et sanè melius & præstantius hoc non datur in tumoribus malignis pestilentialibus, anthracibus, bubonibus, parotidibus malignis seu pestilentialibus. Usum ejus in dictis casibus videbitis imprimis in BARBETTE *Descriptione Pestis*, ubi per experientiam propriam confirmat, quod valeat hoc emplastrum in peste; hinc etiam in ANGELO SALA, & *ejus scriptis*. De cætero etiam in quartana regioni lienis admotum convenit; item ad restituendas hernias scrotales egregium est lumbis admotum; sic sensibiliter percipiunt ægri intestina retrahi: videatur HOFFMANNVS *in Methodo Medendi*. Egregium porrò est in tumoribus cancrosis, & ulceribus malignis, in quibus melius hoc non habetur.

EMPLASTRVM DE MELILOTO.

Inservit emolliendis, resolvendis, discutiendis, &c. tumoribus tonsillarum, aliarumque partium glandulosarum inflammationem minitantibus; sicut inflammationes factas maturare & ad suppurationem perducere juvat. Qui accuratam ejus præparationem desiderant, adeant SIMONEM PAVLI *Quadrip. Botan.* ubi de Meliloto. Certè haud inconcinna est descriptio.

EMPLASTRVM DE MINIO.

Usurpatur ad ulcera antiqua & corrosiva, imprimis tibiarum & partium nervosarum.

EMPLASTRVM NERVINVM.

Adhibetur in affectibus nervorum & partium nervosarum, à sic dictis catarrhis oriundis: quin in imbecillitate artuum, affectibus paralyticis nothis, & tremore dorso calidè imponatur: malaxatur cum oleo nervino composito.

EMPLASTRVM OPPODELDOCH.
num. 11. *pag.* 179.

Primus author fuit PARACELSVS. Compositum catholicum ad vulnera vel ulcera antiqua curanda & consolidanda intelligit AUTOR, ubi tamen Emplastrum diasulphuris Rulandi præstat. Descriptio Emplastri Oppodeldoch non adeò concinna, correcta fuit à D. ROLFINCIO ita:

♃. *Ceræ virg.* ℔ij.
Terebinth. ℔j.
Balsami sulphuris Rulandi ℥vj.
Liquefiant: postea adde
Ess. caryophyll.
Veronicæ,
Alchymillæ,
Flor. papav. errat.
Hyperici an. ℥ij.
Gumm. opopanac.
Galbani,
Serapini,
Ammoniaci,
Hederæ,
Bdellii an. ℥j.
Ebulliant: facta mistione ab igne removeatur, & add.
Succini pulver. ℥ß.
Aloes hepat. ʒiij.
Colophon. ℥j.
Sarcocollæ,
Myrrhæ Alex. an. ʒij.
Thuris,
Mastich. an. ℥ß.
Rad. aristoloch. long.
Rotundæ an. ʒj.
Cum parum refrixerint, adde
Magnet. in oleo antimonij dulc. extincti,
Hæmatit. præp.
Corall. rubr. præp. an. ℥iij.
Mumiæ,
Sangv. draconis an. ℥ß.
Boli arm. Orient.
Croci metall.
Croci martis,
Veneris an. ℥ß.
Sub fine adde
Lap. calam. præp. ℥x.
Lithargyr. aur.
Argent. an. ℥ij.
Cum ferè refrixerint, immisce
Terræ vitrioli dulc. q. s. ad rubeum colorem.

EMPLASRTM DE RANIS VIGONIS.

Emplastrum hoc habetur duplex: *cum & sine Mercurio*. Quod est cum Mercurio, usitatissimum est in symptomatibus Gallicis partium externarum contumacioribus, nodis, ulceribus, doloribus, imprimis tibiarum & capitis, tumoribus seu gummatibus Gallicis, item in tumoribus duris scirrhosis discutiendis & resolvendis, & in omnibus ex acido viscido oriundis pathematibus; hinc contra tumores quoscunque duros resolvendos in partibus nerveis, contra scrophulas, ganglia, scirrhos, scrophulas mammarum, &c. citra salivationem optimum est. In cephalæa antiqua, imprimis in hemicrania, mirabile est: vid. BOOTIVS *de Affectibus omissis*.

EMPLASTRVM SATVRNINVM.
num. 12. *pag.* 198.

Notanter observandũ est in hoc Emplastro amalgama Mercurii & Saturni, polychrestum in usu chirurgico, quodque in gravissimis etiam ulceribus, tumoribus ac doloribus singulare est. Saturnus fluat, & ubi adhuc nonnihil fluidus est, immittatur Mercurius pro ulteriori amalgamatione. Ratione hujus Emplastrum hoc, post arsenicale, est elegantissimum, & certè polychrestum emolliens tumores nerveos cõtumacissimos scrophulosos. Conf. hic DECKERS *in comm. in Praxin Barbettæ pag.* 61. Multi usus est in casibus etiam desperatis ulceribus callosis, aut labia fistulosa habentibus, quæ resolvit, & emollit potentissimè.

Facit huc etiam Mercurius coagulatus à Saturno, quem videb. in *Hoffmanni Clave pag.* 261. qui exostosibus nodisque ossium duris, vel strumis applicatus, est egregius.

Pertinet huc mistura plumbi antimonii cum Mercurio ita coagulata: de qua vid. KERCKRINGIUS *de Antim. pag.* 303.

POTERIVS *in suis centuriis* hinc inde facit mẽtionẽ *Mumiæ mineralis*, mediãte qua mirabilia pręstitit in affectibus chirurgicis externis. Forsan non multũ abfuit hęc ipsa mumia ab hujusmodi amalgamate.

EMPLA-

EMPLASTRVM AD SCIRRHOS S. CLOSSÆI.

Compoſitio hæc non contemnenda, eſt. Per aquilam albam intelligir Mercurium dulcem, vel potius Mercurium vivum, pro emolliendi ſcopo optimum. ZWELFERVS equidem taxat Mercurium vivum, ſed malè, additque Mercurium ſublimatũ, ſed peſſimè.

EMPLASTRVM SPLENETICVM DE CICVTA.

Eſt ſpleneticum optimum. Variæ ejus ſunt compoſitiones; præ cæteris tamen duo primaria ſolent eſſe ejus Ingredientia, gummi nempè ammoniacum in aceto ſolutum, & hinc ſucci ſimplicium narcotici, v.g. de cicuta, nicotiana, hyoſcyamo, &c.

EMPLASTRVM DIASVLPHVRIS RVLANDI.

num. 17. *pag.* 200.

Pro uſu quotidiano nobile ac polychreſtum admodum eſt emplaſtrum, multis uſibus, ſpeciatim partium glanduloſarum, adeoque & mammarum ulceribus, conveniens. Compoſitio eſt concinna, modò rectè liquefcat myrrha. Quod ſi loco ſulphuris vulgaris ſulphur antimonii recipiatur, eò præſtantius erit compoſitum.

Tria hæc ſufficiant chirurgo: Balſamus Peruvianus pro vulneribus, Emplaſtrum diaſulphuris pro tumoribus, & Balſamum ſulphuris pro abſceſſibus mundificandis & conſolidandis.

EMPLASTRVM STOMACHICVM DE TACAMAHACA.

num. 18. *pag.* 201.

Eſt emplaſtrum pro ſtomacho elegans, multis uſibus, præſertim cardialgiæ, ſingulariter conveniens. De anxietatibus cordis certè ægri maximè & frequenter conqueruntur, quæ plerumque ſunt ex ſtomacho. Ergo Tacamahaca contra eas convenit.

EMPLASTRVM AD TOPHOS & GVMMATA VENEREA CLOSSÆI.

Pro baſi habet cinnabarim vulgarem vel antimonii: quare propter Mercurium vivum, qui reperitur in cinnabari. Loco eius ergo Mercurius vivus admiſceatur.

EMPLASTRVM VESICATORIVM.

num. 20.

Maximè attollo hoc veſicatorium, quod egregiè operatur & leniter cum pauco admodum dolore; reliqua è contra veſicatoria ſunt dolorifica: ſaltem propter aſam fœtidam eſt ingratum. Deſcriptio pro meliori conſiſtentia ſequenti modo mutari poteſt:

℞. *Ceræ* ℥ij.
Terebinth.
Butyri an. ℥j.
Olei roſati ℥ß.
Cantharid. ℥ß.
Pulv. aſæ fœtidæ,
Maſtichis,
Myrrhæ,
Camphoræ an. *gr. xv.*

F. *Emplaſtrum molle*: excipiatur alutâ & ad magnitudinem thaleri applicetur aut manibus aut pedibus, &c. Sin debet eſſe fortius vel mitius, augmentanda vel imminuenda eſt doſis cantharidum, pro conſtitutione ægri: Sicuti etiam aſa fœtida, ſi eius odor ſit moleſtus, omitti poteſt.

Quod ſi tale Emplaſtrum non proſtet in officinis, tunc extempore recipitur aliud Emplaſtrum, in ſpecie Emplaſtrum ex mucilaginibus, quod eſt emollitivum & attractivum per ſe; hinc additur pulvis cantharidum ad ʒj pro ſingula ℥j. Emplaſtri: malaxentur invicem cum terebinthina, & applicentur ſub forma thaleri: Vel pro uſu vulgari:

℞. *Cantharid. pulveriſ.*
Ceræ, *Pingued. lepor.* an. part. æqual.
addatur paucum terebinthinæ:

Hæc in *Emplaſtrum veſicatorium* concinnum ſatis coeunt.

Quia autem veſicæ non diu apertæ manent, hinc cum tribus vel quatuor partibus emplaſtri cujusdam, v. g. de ſpermate ranarum ſtimulando veſicans miſceatur, & ſic, quam diu placuerit, veſicas apertas tenere poterimus: vid. HORTIUS *in Obſ.* 1. qui ceu utiliſſimum hoc veſicatorium commendat. Extemporaneum quoque Emplaſtrum veſicatorium unà cum artificio diutiùs veſicas apertas ſervandi, vid. in LVDOVICI *Pharm. pag.* 420.

DE DROPACE.

Dropaces non ſunt ampliùs in uſu.

Fuit autem Dropax ſeu picale Emplaſtrum, paratum ex pice ceu baſi: cui poſtmodum addiderunt olea, quæ fuerunt eſſentialia ingredientia uniuſcuiuſque Dropacis. His tamen interdum additur pulvis ex pipere, pyrethro, zingibere &c., quibus moderni addunt ſemen ſinapi, ſtercora, &c.

Uſus fuit, ut applicatus Dropax parti bene incaleſcat, ut partes marcidæ languidæ, & atrophiâ correptæ, denuò nutriantur, & attracto nutrimento denuò fiant auctæ & craſſæ. Præterea uſurparunt pro attenuandis, reſolvendis, & ex alto derivandis humoribus frigidis & ſeroſis.

Modum uſuſpandi videb. in AUTORE, cum non ampliùs apud nos ſint in uſu.

Nihilominus ut pateat formula, ſit *dropax contra atrophiam* ex modernorum præſcripto:

℞. *Pulv. pyrethri* ℥iß.
Sem. ſinapi ʒj.
Euphorb. ℈j.
Caſtor. ℈ß.
Picis naval. cum oleo coſtin. q. ſ.

F. l. a. *Dropax* applicandus calidè brachiis, vel etiam pedibus in eorum atrophia.

Sed, uti dico, uſus apud nos omnino exolevit.

His addo *Ceram Catholicam Burrhi*, de qua multi multa fabulantur, dum laudatur ab hoc, culpatur ab illo. Duplicem quidem ceram habuit Burrhus in frequenti uſu: *Ceram anti-diabolicam*, & *ceram catholicam*. *Deſcriptio ceræ Catholicæ* eſt talis:

℞. *Opopanac.* ℥ij.
Bdellii,
Gumm. animæ,
Carannæ,
Hederæ,
Elemi,
Tacamahacæ,
Sagapeni,
Thuris an. ℥iv.
Balſami Peruv. ℥iij.
Terebinth. ℥v.
Ceræ ad pondus omnium.

Liquefacta invicem leni igne Miſc. cum *cera*, & f. Miſtura in forma ceræ.

Hac uſus eſt internè & externè. Internè ſub forma pilularum valde convenit ſtomacho: externè ſtomacho applicata egregia eſt in appetitu proſtrato, & aliis ſtomachi affectibus. Imò externè genis in forma thaleri applicata odontalgiam optimè curat, quem in finem & pilularum formâ denti inſeri poteſt. In podagra pariter internè & externè, præſervativè & curativè, adhibita fuit à BURRHO.

CAPUT LIV.

DE EMULSIONIBUS.

Emulſiones ſunt lactiformes potiones, ex ſeminibus lacteis & oleoſis cum aquis appropriatis elicitæ, quæ ſimul etiam, quantum fieri poteſt, debent æmulari gratiam lactis in ſapore; unde rariſſimè vel nunquam res tetræ & nauſeabundæ ſunt miſcendæ. Tales utut olim pro ſcopo temperandi atque roborandi uſurparę ſint, hodie tamen in alios fines adhibentur. Has autem tria primaria ingredientia conſtituunt.

I. *Semina lactea & oleoſa*, item fructus quaſi ſeminales, nuclei v. g. pinearum & piſtaciorum. In hiſce tamen ſeminibus notandum: quod talia in receſſu habeant ſuccum oleoſum aquoſum, utut ſint ſine ſapore & odore inſigniori, ut ſunt amygdalæ dulces, piſtacia & pineæ, ſemina quatuor frigida majora & minora, papaveris albi, portulacæ, lactucæ, cardui Mariæ, cardui benedicti, cannabis, violarum, napi, aquilegiæ, ſem. citri, nuclei pœoniæ, perſicorum nuclei, &c.

AMYGDALÆ DULCES.

Ex his fiunt Emulſiones, quando opus eſt vel roboratione, vel nutritione, aut in refectione ægri adduntur nuclei piſtaciorum & pinearum, quoniam ſunt nutritivi & conveniunt in hectica, in phthiſi, febre cum tuſſi, & affectibus pectoris.

SEMINA

SEMINA QVATVOR FRIGIDA MAJORA.

Præscribuntur usitatè in temperando ardore corporis,& commodè permiscentur cum semine papaveris albi, ut leniter sopiatur dolor, ut in plevritide; vel quando opus est leni somno, in agrypnia, virium prostratione, & jectigatione corporis.

SEMEN PORTULACÆ ET LACTUCÆ

Etiam ardorem temperant.

SEMEN CARDUI MARIÆ ET CARDUI BENEDICTI.

Præscribuntur in Emulsionibus antipleuriticis, & simul adduntur pulveres appropriati antiplevritici.

SEMEN CANNABIS.

Ex hoc fit elegans Emulsio in gonorrhœa, item in furore uterino mulierum: potest addi antimonium diaphoreticum, os sepiæ præparatum, succinum preparatum, &c. & erit Emulsio admodum elegans in gonorrhœa.

SEMEN VIOLARVM.

Valdè convenit, ubi est suppressio urinæ, item in affectibus nephriticis; pellit enim urinam, & simul solet per inferius guttur laxare: ad ℥ß. pro duabus vel tribus dosibus præscribitur.

SEMEN NAPI, AQVILEGIÆ, CITRI,&c.

Præscribuntur in Emulsionibus alexipharmacis, in febribus malignis, in variolis & morbillis, in febribus petechialibus: sed observetur, quod semen citri sit amariusculum, & propterea non in æquali dosi præscribitur cum aliis seminibus, sed in minori, ne gratia saporis pereat.

NUCLEI POEONIÆ.

Ex his fiunt emulsiones, quando metus est epilepsiæ in puerorum variolis; propterea commodè cum seminibus expellentibus permiscetur semen pœoniæ, & sic fit Emulsio antiepileptica expulsiva, & dissolvitur in ea unà cum aliis pulveribus pulvis Marchionis, qui est coloris albi.

NUCLEI PERSICORVM.

Ex his fit emulsio antinephritica, urinam ciens, & calculum leniter movens: propterea etiam aliqualem vim habet somnum inducendi.

Requiritur ad emulsionem *Liquor*, qui est varius pro varietate scopi, ut aquæ appropriatæ destillatæ, decocta tam simplicia, quàm composita; v. g. in morbis malignis præscribitur aqua borraginis, galegæ, ulmariæ: pro scopo analeptico aqua cinnamomi, melissæ, liliorum convallium cum vino, cerasorum nigrorum, rosarum, &c. quibus etiam pro eodem scopo addantur aquæ carbunculi aliquot drachmæ: in dysenteria conveniens est decoctum priapi cervi vel ceti: in dysuria seu acrimonia urinæ Decoctum malvæ: in Emulsionibus antiplevriticis conveniens est decoctum radicis glycyrrhizæ, quoniam dulcis est saporis, lenit asperitatem faucium, & expectorationem promovet: in emulsionibus viis urinariis destinatis, v. g. semen violarum conveniens est: decoctum ciceris rubri pro abstergenda mucilagine & promouenda urina: in affectibus malignis fiunt emulsiones cum decocto cornu Cervi vel simplici vel cum radice scorzoneræ, quod vim habet expulsivam vel sudoriferam. Cum liquore appropriato semina teruntur & agitantur in mortario, donec fiat liquor lacteus per colatorium depurandus: id quod remanet in colatorio, sunt cortices seminum.

Hinc est simplicissimus modus parandi Emulsionem; cui pro ratione scopi, propter quem præscribitur emulsio, ℨ. admiscentur Pulveres candidi; tali proportione, ut aquæ unciæ uni respondeat ℨj. vel ℈iv., & ℥j. seminum ℥viiij. vel ℥x. emulsionis.

Pro dosi supputandum est ℥iß. aut ℥ij. vel ℥iij. Prætera alio modo etiam præscribuntur cochleatim assumendæ, singulis horarum vel etiam semihorarum spatiis tria vel quatuor cochlearia: ad horas octo ℥v. vel ℥vj. pro tribus dosibus, vel etiam pro quatuor ad summum ℥ix.

Dissolvitur in his emulsionibus pro gratia saporis aut saccharum, vel quidam Syrupus appropriatus. MORELLUS commendat syrupum violarum aut capillorum Veneris: sed malè; nam emulsio debet esse coloris lactei, hi verò syrupi sunt coloris nigricantis & obscuri. Potiùs syrupus de Nymphæa, syrupus papaveris,&c. si enim rectè sint præparati, sunt coloris albi, & possunt præscribi in emulsionibus. Aliquando in illis solvuntur rotulæ manus Christi perlatæ pro gratia saporis, q. s. V. g. fit *emulsio antipleuritica*:

℞. *Sem. card. bened.*
Mar. an. ℨij.
Cum *Aquæ flor. papav. errat.* ℥iv.
F. *emulsio*: adde
Dent. apri præp.
Maxill. lucii pisc. an. ℨß. edulcor. cum
Rot. manus Christi simpl.
D. S.
Emulsio contra Pleuritim.

Quod attinet *amygdalata* seu *Emulsiones amygdalarum dulcium*, Germ. *die mandel-milch*, usus eorum est in phthisi, hectica, atrophia curanda, &c. Non sunt distinctæ ab emulsionibus formulæ, sed tantum ita vocantur, quia basin earum constituunt amygdalæ: loco earum tamen hodie emulsiones medicatæ præscribuntur: e. g.

℞. *Amygd. dulc. Ambros.* ℥j.
Sem. papav. albi ℨij.
Aquæ portulacæ q. s.
F. l. a. Emulsio spissior ad ℔ß edulcoranda pauco saccharo.
D. S.
Emulsio confortativa ad quietem.

Usus talium Emulsionum est vel generalis vel specialis.

Generalis est, quod temperent acrimoniam salium mutuò effervescentium; amygdala enim admodum temperata sunt: *Specialis*, quod amygdala sint nutritiva; semina quatuor frigida, diuretica; semen cardui benedicti & cardui Mariæ antiplevritica, &c.

Abusus illarum pariter notetur, dum frequentissimè sine judicio usurpantur, & summo cum ægri detrimento adhibentur: cum enim oleosæ sint, sit ut relaxent tonum stomachi; & ita in genere omnes stomachum debilitant; quid quod succum stomachi fermentativum hebetent, prosternant appetitum, nauseam inferant, &c. Hujusmodi emulsiones etiam facilè insuper rancescunt, id est, abeunt in copiosam vermiculorum progeniem, atque tunc fœtorem & pravum saporem contrahunt: hinc rancore suo impediunt legitimum concursum bilis & succi pancreatici, acrimoniam insimul magis sensibilem acquirunt & acescunt. Rarissimus igitur sit emulsionum usus, quia

1. In majori quantitate præscriptæ, propter oleositatem facilè rancescunt, & corrumpuntur, rancorem in stomacho febrientium fervido multo magis contrahunt.
2. Excretiones in stomacho impediunt.
3. Stomachi digestionem turbant.
4. In morbis calidis acescunt facilè, & stomachum prostratum relinquunt, & hinc
5. Malum sæpiùs contumacius reddunt, & propterea in minori dosi, nec magis unà vice, solet præscribi, quàm pro tribus dosibus.

Emulsio nephro-cathartica ex semine violarum, quam AUTOR *pag.* 203. habet, in urina & alvo suppressa est optimum remedium: addantur *semin. milii solis* ℨiij. & cum *aqua alkekengi* seu *veronicæ* F. *Emulsio*.

Emulsio expulsiva in variolis est utilissima, præprimis ubi tempus ebullitionis adhuc durat, hoc est, primis quatuor diebus. Sequenti modo optimè præscribitur:

℞. *Sem. aquileg.*
Napi an. ℨiij.
(quod si adsit vel jectigatio corporis, vel agrypnia, uti fit in primis diebus ante eruptionem variolarum, additur commodè *sem. papav. albi* ℨiß.)
Cum s. q. *aquæ ulmar.* (e. g. ℥vj. vel hujus *aquæ galegæ*, & *aquileg.* an. ℥ij.) f. Emulsio: adde
Cornu Cervi sine igne,
Antimonii diaphoret. an. ℨß.
Bez. mineral. gr. xij.
Edulc. cum *rot. manus Christi perlat.*
D. S.
Emulsio expellens, bene circumagitanda.

Plures variandi modos Emulsionum, & formulas dabo in *Coll. Formularum*.

CAPUT LV.
DE ERRHINIS.

HÆc ipsa *Errhina* sunt in duplici differentia: quædam dicuntur in specie Errhina, quædam Ptarmica. Differunt tantum, quoad maius & minus, quod nempè *Errhina* sint temperatiora, è contra verò *Ptarmica* sint acriora & fortiora. Dicuntur etiam aliàs caputpurgia, quoniam usu Errhinorum imitamur consuetudinem naturæ; quæ ipsa, uti ordinariò humectando nares, prætera tamen superfluam lympham sub forma muci eliminat, unde sordes nariu;

rium; ita per Errhina & Ptarmica imitatur naturæ modus, dũ irritando & ſtimulando nares adiuvamus, ut fortior & celerior, & etiam copioſior lymphæ & muci per nares ſequatur derivatio. Vias, per quas derivatur iſta lympha, & mucus per nares, quarum quædam ſunt in confiniis oculorum, quædam ſunt in naribus, deſcripſit STENO *de Vaſis oculorum & narium*. Quando ergo per talia Errhina & Ptarmica irritatur membrana interior ſuccingens, & beneficio iſtius irritationis ſimul concitatur acrimonia ſubtilis & penetrans medicamenti Errhini, tunc fit, ut incidatur mucus craſſus & viſcidus, & præterea ex irritatione hic inciſus copioſiùs effluat, & ita per nares expurgetur. Quod ſi talia ſtimulantia ſint moderata, ut ſine ſternutatione proliciant mucum, tunc vocantur *Errhina*; ſin verò ſint fortiora, ut propter fortiorem irritationem etiam ad ſternutationem concitent nares, de qua irritatione ſcripſit eleganter SCHOOCKIUS, vocantur *Ptarmica* ſeu *Sternutatoria*.

Quod attinet modum uſurpandi ac præſcribendi Errhina; illa ſunt vel liquida, vel conſiſtentiâ pulveris.

Liquida quod artinet: ea ſunt ordinariè ſucci ex ptarmicis expreſſi, ex vola manus in nares extrahendi. Talis ſuccus eſt v. g. ſuccus anagallidis purpureæ, qui valdoperè conveniens eſt, & præ aliis omnibus commendatur: item ſuccus expreſſus ex beta rubra; item ſuccus cyclaminis, qui eſt paulò acrior; ſuccus etiam cucumeris aſinini: ſunt etiam, qui uſurpant ſuccum radicis Ireos noſtratis; ſed hic ipſe, quia paulò eſt acrior, rarò uſurpandus venit. Hos omnes ſuccos, quando volumus acriores, permiſcetur oleum nicotianæ, maioranæ, pulvis euphorbii, aut tantillum de pulvere liliorum convallium, & ita *humida Errhina* fiunt acriora & fortiora in ſtimulando. Nam diverſitas eſt in naribus pro ratione tenuitatis vel craſſitiei membranæ nares ſuccingentis: in quibus eſt tenuis, à leviſſimis Errhinis facilè irritantur: in quibus eſt craſſa, ſpiſſa, humida & flaccida, in iis acriora & fortiora fiant ſternutatoria. Huc etiam facit conſuetudo: ſic enim qui aſſueti ſunt ſternutatoriis, vel qui quotidie utuntur fumo tabaci, non facile à levi ſtimulantur Errhino. Sic Itali ſemper utuntur ſternutatoriis, & inde non facilè etiam à fortiſſimo Ptarmico irritantur, quia à continua humectatione membrana omnem ſenſum amittit, ut pulvis hauſtus ne irritet quidem. Hac diverſitate narium obſervatâ, præſcribenda ſunt Errhina, vel acria vel minus acria.

Loco ſuccorum humidorum dictorũ ſunt, qui adhibent Decoctũ, utut rariùs, ex cephalicis, betonica, maiorana, nicotiana, &c. quod decoctum cum vino paratum ex vola manus attrahunt in nares, & pro Errhino uſurpanr. Quod ſi volumus decoctum Errhinum acrius & fortius, radicis pytethri ℥j. ſimul incoquitur, quæ valdè ſtimulat. Quando ergo utimur talibus Errhinis humidis, impletur os aquâ, & tunc ex vola manus hauritur liquor, propterea, ne Errhinum illabens in fauces inferat noxam; dum enim Errhinum labitur in os, imbibit aqua, & ita temperatur.

Præter Errhina humida uſitata ſunt *Errhina ex pulveribus*: ita enim recipiuntur *Ptarmica ſimplicia*, pulueriſantur, & in forma pulverum applicantur. Talia ſimplicia ubique proſtant, & debent eſſe cognita ex ſuperioribus. Præſcribendi modus eſt idem atque reliquorum pulverum à ʒij. ad ℥ß. vel ℥j. & hauritur tantillum in nares: Exemplum ſit v. g.

℞. *Pulv. fol. hyſſopi*,
Maior.
Nicot. an. ʒß.
Caſtor. gr. xv.
Caryophyll.
Zingib.
Elaterij an. gr. v. M.

Irrorentur cum aliquot guttis olei maioranæ deſtillati:

S.

Pulvis ad nares, Germ. *Naſen-pulver*.

Non ſignentur *Nieſe*, *pulver*, ideſt, *pulvis ptarmicus*, quia non debent concitare ſternutationem.

Quod ſi talis quidam pulvis excipiatur cum oleo quodam appropriato, v. g. cum oleo maioranæ, irino, & quantum ſufficit ceræ, tunc redigitur *in formam linimenti*, quod linimentum naribus illitum, ſtimulat ſimiliter, & mucum ac pituitam elicit: v. g. tale *linimentum* ſit hoc:

℞. *Pulv. thymi*,
Nuc. moſch.
Rad. acori an. ℈j.
Pyrethri,
Zingib.
Elater. an. gr. v.

Cum ſ. q. *olei Maior.* & *ceræ* f. linimentum,

D. S.

Linimentum naſale.

Quod ſi his pulveribus addantur ſucci & mel, vel potiùs ſi melli cum ſuccis inſpiſſato addantur pulveres hi, tunc ſit conſiſtentia Electuarii, cuius particula in nares eſt intrudenda pro eliciendo muco.

Quod ſi talis pulvis ex Errhinis excipiatur cum mucilagine Tragacanthi, addita vel omiſſa *terebinthina*, & formantur in trochiſcos pyramidales naribus intrudendos, tunc vocantur *Naſalia*, quæ oleo appropriato illita induntur naribus, pro ſtimulandis iisdem & pro eliciendo muco. Dabo exemplum, utut rariùs præſcribantur talia, ſed ferè in forma pulveris ſubſiſtatur:

℞. *Caryophyll.*
Macis,
Nuc. moſchatæ,
Fol. Nicot. an. ʒj.
Hyſſopi,
Maioranæ ℈j.
Rad. pyrethri ℈ß.
Elleb. albi,
Elater. an. gr. v.

Ex pulveriſatis cum ſ. q. *mucilag. Trag.* cum *aquæ Maior.* ſolut. f. *Naſalia* ſeu *Trochiſci pyramidales* pro Naſalibus; illinantur *oleo deſtill. maior. & aniſi*.

D. S.

Trochiſci naſales.

Eodem modo atque ſunt præſcripta Errhina, etiam præſcribuntur Ptarmica ſeu ſternutatoria, utut ſternutatoria ut plurimum tantum in forma pulverum præſcribantur; in quibus pulvis maioranæ & pulvis nigellæ cum pulvere nicotianæ, & denique liliorum convallium, utramque faciunt paginam: nam hæc quatuor præ cæteris ſolent uſurpari. Sic v. g. ſit *pulvis ſternutatorius* præſcribendus hoc modo:

℞. *Pulv. fol. maior.*
Nicot.
Flor. lilior. convall. an. ʒj.
Rad. elleb. albi ℈j.
Caſtor. ℈ß.
Olei deſtill. maior. gtt. iv.
M. D. S.

Pulvis ptarmicus.

Hìc flores liliorum convallium ſunt elegantes: loco eorum interdum etiam ſumi poteſt radix liliorum convallium, quæ eſt acrior & fortior, quàm flores & folia nicotianæ. Pro gratia odoris in ditioribus ſolent addi ſuaveolentia talibus pulveribus ex ambra, moſcho, & ſimilibus. Talis pulvis ſit hic:

℞. *Pulv. Tabaci Ind.* ſeu *nicot.* ℥ß.
Maior. ʒß.
Olei deſtillati roris marini,
Salv. an. ℈ß.
Caryophyll. gt. vj.
Moſchi gr. iv.
Ambræ gr. iij.
M. D. S.

Pulvis ptarmicus cephalicus.

Alio modo pulvis hic poteſt reddi odoratus ſine talibus impenſis, ſi addatur odoris gratiâ pulvis rad. Ireos Florent. in tali formula:

℞. *Pulv. rad. Ireos Florent.* ʒij.
Euphorb. ℈ß. ad ℈j.
Lil. convall. ℈j.
Olei deſtillati caryophyll. gtt. v.
M. D. S.

Pulvis ptarmicus ſuaveolens.

Nam ſternutatoria rarò præſcribuntur in alia conſiſtentia, quàm pulveris.

Quod attinet uſum Errhinorum & Ptarmicorum: facilè patet, quod tantum uſurpentur, primariò quidem ad eliciendum mucum & derivandam lympham ex naribus, & ita, dum derivatur lympha ex naribus, tunc vicina loca ab ea onerata ſolent libetari, & quæ antea quaſi erant inundata, ſic denuò exſiccantur.

Quæſtio nihilominus eſt: *an etiam conveniant in affectibus oculorum*; ita quidem, ut in lippitudine, item in defluxionibus oculorum, item in ſuffuſione notha & ſimilibus commodè poſſint uſurpari? Affirmat BARTHOLINVS *Cent.* 4. *Epiſt.* & STENO, ubi apertè affirmat BARTHOLINVS, quod *ex pulvere ſternutatorio uſurpato, mediocriter tamen, ſuos oculos, aliàs imbecilles, fortes fieri ſenſerit*. Affirmat etiam STENO; hic enim dicit, quod *quædam viæ, quæ derivant lympham in nares, oriantur ex oculorum glandulis, ita ut dum per iſtas vias derivatur lympha in nares, etiam hoc modo ſuperfluitates eliciantur ex oculis*. Cæterum dum è contrario conſideramus experientias & obſeruationes ac exempla ab HILDANO *in Hiſt. & Obſerv. Chirurgicis* recenſita de ſternutatoriorum infauſtiſſimo uſu & ſucceſſu, ita ut non rarò totalis cæcitas poſt ſternutatoria fuerit inſecuta, ſententia hæc admodum adhuc videtur dubia, adeo ut potiùs in negativam declinem, quæ prohibet, ut talia in affectibus oculorum uſurpentur, quàm ut ęgri proximi oculis noxam conciliem: videatur HILDANVS. Ubi tamen ſunt uſurpanda ſternutatoria in oculorum malis:

1. Malum ſit in principio, non inveteratum.
2. Oculi ſint robuſti, non imbecilles.
3. Æger ſit iunior.

Aliàs nunquam uſurpanda ſternutatoria: & certè vidi Italos ferè in juventute uti perſpicillis, ſeu vitris ſpeculariis, ex abuſu nimio ſternutatoriorũ. Uſurpantur imprimis talia ptarmica & errhina matutino tempore, & conveniunt iis, qui laborant ſæpiùs coryzâ, aut qui

qui obnoxii sunt aliis affectibus catarrhalibus. Præterea quoque conveniunt senibus, & qui vertigini vel apoplexiæ sunt obnoxii; præcavent enim partim hos affectus, partim præmissis universalibus eosdem curant.

Præterea in paroxysmis epilepticis, hystericis, apoplecticis & soporosis conveniunt eadem sternutatoria, aliis præmissis; quoniam forti irritatione excitant ægros, & à paroxysmo liberant. Mulieribus difficili partu laborantibus similiter conveniunt; forti enim isto nisu, & abdominis per diapharagma compressione, enititur fœtus & promovetur partus.

Ex hactenus dictis apparet, quod sternutatoria & errhina conveniant tantum pro expurgandis naribus. Nihilominus tamen, uti habet MORELLUS, interdum tantummodo applicantur pro alterando: id quod fieri solet imprimis in affectibus narium, in specie quidem in earum ulceribus, quæ vocantur ozænæ, pro detersione & consolidatione; in polypo narium pro absumptione; in fœtore narium pro istius correctione, pro amisso olfactu restituendo, & similibus aliis affectibus.

Talia medicamenta pro appropriatis affectibus præparantur eodem modo, uti dicta Errhina & Ptarmica, interdum in forma liquida, interdum in forma sicca. Sic in forma liquida in ulceribus narium valdè conveniens est succus sclareæ seu hormini sylvestris, quoniam egregiè mundificat ulcera; interdum huic permiscetur mel rosaceum, ut fiat linimentum, quo illinuntur nares in ulceribus. Prætерea in forma liquida solent præscribi & usurpari decocta ex manibus haurienda; v. g. Decoctum hormini sylvestris, vel solum vel cum melle: item decoctum veronicæ & agrimoniæ cum myrrha & olibano. Pertinet huc etiam urina pueri, quæ instar Errhini in nares attracta egregia est pro purificandis narium ulceribus. Alii aliud Errhinum liquidum parant; scilicet

℞. *Herbæ agrim.*
Marrub. an. M. ß.
Flor. rosar. rubr.
Hordei integri an. p. j.

Hæc ebullire sinunt in hydromelite, & colaturæ ℔ß. recipiunt *pro Errhino*.

Sub *forma unguenti* si usurpanda talia, recipiuntur usitatè, idque in phlegmone & inflammatione narium, unguentum de cerussa camphoratum, vel unguentum nutritum: in abscessibus & ulceribus narium recipitur unguentum de nicotiana, cui permisceatur myrrha, aloe, & saccharum Saturni in ulcere benigno; in ulcere maligno & Gallico permisceatur ipsi Mercurii præcipitati aut etiam Mercurii dulcis q. s. ut sine acrimonia operari queat. Sub forma pulverum etiam usurpantur alterantia Errhina, si fiat pulvis ex nicotiana, quæ consolidat; ex olibano & gummi Arabico, ex terra sigillata, &c. quæ exsiccant & consolidant: sed sub unguentorum forma sunt usitatiora. Sub forma turundæ imprimis alterantia possunt usurpari Errhina, si recipiatur pulvis adstringens, excipiatur ovi albumine, vel succo idoneo, aut etiam melle, quibus adjiciuntur pili leporini conscisi, ut turundæ fortiùs cohæreant.

CAPUT LVI.
DE
EPITHEMATIS.

Externè in usu sunt misturæ, *Epithemata* dictæ, quorum compositio tamen pro varietate usus atque partium varianda, adeò quidem, ut certis legibus vix coerceri possint. Ob hanc igitur varietem Medici judicium primatum obtinet.

Ex vi nominis in genere significant quæcunque remedia externè applicata, & ita latissimè se extendit vox Epithematis; unde diversa nomina sortiuntur pro diversitate locorum, quibus applicantur: e. g. quæ fronti applicantur, *Frontalia*; quæ oculis, *Collyria*; quæ naribus *Errhina*, &c. dicuntur. Nihilominus hodierno, & quidem speciali ori usu Epithema tantum appellatur, quod sub forma liquida & aquosa partibus nobilioribus vel ad alterandum, vel, uti vocant, ad corroborandum, adhibetur: & hac re excluduntur epithemata, quæ vocantur sicca vel solida; quoniam hæc ad alias formulas pertinent, uti *suo loco habebimus*. Propriè ergo epithemata de liquidis quæ fiunt dicenda sunt.

Quod igitur attinet formulam epithematis: in ea consideranda est imprimis *materia* seu *liquor*, qui scilicet cum linteis est applicandus parti affectæ: nam epithema consistit in hoc, ut cum linteis applicetur ceu fomentum humidum, nisi quod usu & frequentiori applicatione differant.

Materia sunt decocta liquidissima, seu quæ ingrediuntur pauca vegetabilia: usitatiùs aqua destillata adhibetur, tam simplex, quàm composita, tam una, quàm plures, parti affectæ accommodatæ. Interdum his ipsis additur etiam vinum, ubi opus est aliquali resocillatione & restauratione; uti etiam aquæ spirituosæ pro eodem scopo: Interdum pro penetratione meliori additur etiam acetum; sed tantum istud in epithematis, quæ capiti sunt applicanda, in moderata dosi debet misceri, propterea, quoniam odor aceti solet inducere agrypniam & arcere somnum; Unde notum est, quod in lethargo & nimiis somnolentiis applicetur acetum naribus ad arcendum nimium somnum: Interdum recipiuntur etiam alii succi, v. g. succus cancrorum fluviatilium expressus, qui imprimis applicatur fronti in febribus ardentibus, ubi adsunt nimiæ vigiliæ, item ubi adsunt deliria; ubi adsunt cephalalgiæ, & similia mala febrium ardentium malignarum; qui succus non rarò aliis permiscetur: Item non rarò recipitur succus sempervivi majoris contusione expressus, qui similiter pro refrigeratione & compescendo æstu, ac exinde ortis affectibus, commodè usurpatur. Lac muliebre non rarò loco epithematis inservit, sive sit demulcenda cephalalgia scorbutica, sive sit inducendus somnus in agrypniis nimis pertinacibus.

Proportio & quantitas epithematis est in AUTORE *nostro* Cæterum liquori ceu basi epithematis non rarò adduntur quædam sicciora, pulveres & alia, quæ facilè possunt coniungi cum liquore. Epithemata hæc ex tēpore præparanda ordinantur: circa quæ observetur:

1. Rariorem esse eorum usum, nisi quæ fronti in capitis affectibus, & hinc stomacho in eiusdem malis applicantur; sicuti & regioni uteri admoventur: Sed in febribus præsertim malignis, seu cum expellenda malignitate coniunctis, v. g. in variolis & morbillis, in febribus petechialibus, imò ipsa peste, cautus admodum sit eorum usus, ne scilicet admotione eorum nimis crebrò deterreatur corpus, aut etiam refrigerata cutem offendant, cuius exinde stringuntur pori, & consequenter insensibilis transpiratio & cum hac fermenti maligni exitus, multum impeditur; sicut & ea, quæ pulsibus applicantur, & saltim ratione odoris operantur, in eiusmodi febribus sæpè suspecta sunt.

2. Pro circumstantiarum ratione nunc frigida, ut regioni pubis in nimia uteri hæmorrhagia; ut plurimum calida, applicantur, v. g. in stomachi affectibus.

3. Epithemata hepati interdum applicantur in narium hæmorrhagiis, quorum usus diarrhœa interdum inducitur: conf. HORSTIUS *lib*. 4. *Observ. pag.* 230.

4. Malè pulveres adduntur epithematibus, cùm in hac applicatione externa talium pulverum fixorum, durorum, &c. vis & potesta s penetrare nequeat, & sic nullum commodum atque usum haber e poterunt. Ita quidem Practici sæpiùs in usu habēt, epithematis hepaticis addere corallia rubra pulverisata, cortices citri, cortices aurantiorum, lignum aloes, & similia; qua ipsa tamen sunt sine successu; & sine fructu externè applicari, per se patet: Sic quidam applicant cordi perlas, corallia præparata, aquam buglossæ, &c. ut fermenta maligna eliminentur, quæ prorsus frustranea sunt, & sine usu saltim cuti adhærent: quin potiùs penetrantia, subtilia ac volatilia, v. g. vinum generosum, acetum, camphora, quæ potenter penetrant, & utiliter permiscentur epithematis quarumcunque partium, ubi opus est refrigeratione, discussione, & ut resistatur malignitati; item crocus, qui & ipse est penetrans & valdè volatilis, non sine successu iisdem addenda erunt: sicuti etiam opium, ubi opus est lenire dolorem & ut inducatur somnus, cōmodè permiscetur cum epithematis, quæ pulsui aut cordi applicantur in febribus malignis; convenientius tamen est, ut recipiatur spiritus theriacalis camphoratus, vel essentia theriacæ, quoniam sunt penetrantiores quam theriaca ipsa, nisi febris ardens obstiterit: aut si recipiatur theriaca, vel confectio alchermes, non inconvenienter additur acetum, ut inserviat loco vehiculi ratione penetrationis, ut promptiùs & meliùs operentur epithemata.

5. Sunt etiam, qui aquis istis & liquoribus addunt pulveres ex seminibus contusis paratos: Cæterum conuenientior modus est iste, ut ex istis seminibus cum aqua appropriata fiat Emulsio admodum tenuis & fluida, & eadem postmodum instar epithematis applicetur. Talis ergo liquor applicatur, dum ipsi immergitur linteum duplicatum aut triplicatum, & ita frigidè aut saltim tepidè admovetur parti, idque subinde repetitur nunc singulis horis, nunc singulis dimidiis horis, nunc singulis duabus vel tribus horis, pro varietate circumstantiarum & urgentiæ.

Epithemata, quæ habet AUTOR, sunt parvi momenti.

EPITHEMA CORDIALE.
num. 1.

Quicquid habetur emolumenti, ex aquis in se inermibus, vino & croco obtinetur: Addita corallia, santala, cortex citri, &c. nil præstant, cùm medicamenta hìc efficaciora & penetrantiora requirantur ut taceam epithemata cordialia parum prodesse; refrigerata enim propter pororum clausuram plus nocent quàm prosunt.

Ut autem ægris interdum satis faciamus, pro regione cordis præscribitur ex tempore hoc modo:

℞. *Aquæ borrag.*
Melissæ cum vino an. ℥ij.
Carbunc.
Cinnam. an. ℥j.
Spiritus theriacal. camph. ʒiij.
Confect. alcherm. ʒj. vel ʒiß.
Croci ℈j.
Camph. gr. v.

Misc. pro *Epithemate*.

D. S.
Epithema cordiale.

EPITHE-

EPITHEMA HEPATICUM.

num. 2. pag. 205.

Hic semen portulacæ, acetosæ, & trochisci de camphora nullum usum habent & sunt superflua. Loco hujus applicandum Epithema in nimio calore aut inflammatione hepatis, valdè commendatum à BARTHOLETO *Tract. de Respir. pag.* 294. hoc modo:

℞. *Aquæ Hyosc.*
Flor. nymph.
Lil. albor.
Plantag.
Rosar. rubr. an. ℥iß.
Sacch. saturni,
Camph. in spiritu vini solutæ an. ℈j.
Nitri fixi seu lap. prunellæ ʒß.

M. & applicetur tepidè cum linteolo duplicato regioni hepatis, subinde repetendo.

Ad huius imitationem:

℞. *Sperm. ranar.* ℥iij.
Aquæ hyosc.
Nymph.
Plantag.
Rosar. an. ℥ß.
Nitri ʒj.
Camph. in spiritu vini solutæ ℈j. M.

Et cum pannis multiplicatis tepidè regioni hepatis applicentur, repetendo, quoties opus fuerit.

Hoc Epithema in febribus ardentibus, deliriis, hæmorrhagiis à turgescentia sanguinis oriundis egregium est; utut interdum diarrœa exindè producta observata fuerit. Effectus est singularis, & ulteriori pensiculatione dignus, uti talia exempla habet HORSTIUS *lib.* 4. *Observ. pag.* 230.

EPITHEMA IN FEBRIBUS MALIGNIS.

Species diatrionsantalon nil valent; sed aqua florum sambuci cum camphora sufficit; vel acetum liliorum convallium; vel aqua carbunculi, permista cum aceto, vel vino; aut similia; vel epithema cordiale superiùs communicatum.

CAPUT LVII.

DE EXTRACTIS, ac MENSTRUIS.

Primarius nempè finis Chymiæ Pharmaceuticæ, prout nempè Chymiæ Physicæ seu Philosophicæ contradistinguitur, vel est purum ab impuro separare, ut genuina medicamenta hoc modo acquiri queant, unde & *Spagyria* apud PARACELSUM audit ἀπὸ τοῦ σπᾶν καὶ ἀγείρειν, disgregare & congregare: quo nomine ipsa res etiam denotatur. In duobus enim illis, *syncrisi ac diacrisi*, cum *interveniente metastasi*, consistit Chymia; quò etiam antiquissimum illud Philosophorum; *solve & coagula*; suo modo pertinet.

Purum illud, ceu nucleum medicamentosum, ab impuro seu cortice aut capite mortuo separare, & vim è cadavere quasi elicere, imprimis docet per solutiones & extractiones; unde tincturæ, essentiæ, Quintæ essentiæ, elixyria & extracta, quæ in paucissimis à se invicem differunt, totam medicamentosam crasin simplicis, quantum possibile, possidentia, præparantur & eliciuntur: sic v. g. in jalappæ ℈j. sunt grana xij. resinæ, quæ vim exserunt; reliquum est iners: in cinnamomi ℥j. tantum guttæ quædam sunt medicamentosæ, reliquum nullius est ponderis, totum iners & terreum.

Modus autem essentias & extracta parandi consistit in eo, ut certo quodam liquore seu menstruo, ad duorum vel quatuor digitorum transversorum eminentiam, eliciatur vis simplicis medicamentosa, solvendo & extrahendo in vase clauso per aliquot dies. Quando subiectum extrahendum fixioris est substantiæ, coqui potest; sin verò volatilioris, partes volatiles sub coctura avolant. Potiùs ergo reponatur in locum calidum aut tepidum, v. g. balneum Mariæ, arenam, &c. donec menstruum satis tinctum sit, postea exprimendum & filtrandum.

Conveniunt scilicet & differunt solutio & extractio, quod omnis extractio sit solutio; sed non vice versa omnis solutio sit extractio: v. g. solutio auri per aquam regiam non est extractio, sed solutio: Ergo secundùm magis & minus differunt. Solutio totum concretum respicit, eiusque in minima divisionem molitur: extractio certam duntaxat eius substantiam respicit, eamque à cæteris cohærentibus particulis separare gestit; hinc & illa solutio totius, hæc verò partis saltim dicitur: hinc etiam solutio magis in homogeneis, Extractio verò in heterogeneis locum habere solet. Nempè solutio totum mistum, aut potissimam ejus substantiam, pro obiecto cognoscit; extractio verò in illius saltim certas particulas agit & menstruo communicat: V. gr. solvo corallia in aceto destillato, hic tota corallia, quanta quanta sunt, in minutissimas particulas rediguntur & dissolvuntur; è contra solvo opium, v. g. cum aceto destillato, non solvo, sed extraho; quoniam scilicet aceto destillato eliciuntur ex opio tantum partes quædam subtiliores & puriores, relictis crassioribus & impurioribus in fundo; & ita cum aceto destillato non datur solutio opii, sed tantum certarum ejusdem particularum extractio. Quæ extractio ita considerata est nihil aliud, nisi separatio certarum quarundam particularum ex quodam toto, relictis aliis partibus minus congruis; & quidem si adhuc sit in forma liquida, vocatur *Essentia*; si sit coloratum, vocatur *Tinctura*; si inspissatum ad consistentiam mellis, vocatur *Extractum*.

Solutio porrò in solutionem continui & solutionem totius dividitur, aut, ut alii loquuntur, in solutionem integralem & elementarem. *Continui solutio* est, qua totum in partes suas integrales dirimitur, & superficialis tantum esse solet, dum totum in plures sui integrantes aut quantitativas dividit partes; qua ratione aurum ab aqua regia in particulas sui integras dirimitur, quarum quælibet aurum est. *Solutio* verò *totius* est, quæ etiam *solutio radicalis*, ab aliis *in partes elementares* vocatur, quando corpus sic resolvitur, ut ejus forma & qualitas prorsus immutentur, adeoque in sua principia resolvatur, & speciatim in primam sui materiam seu substantiam seminalem reducatur: Conf. BECKERUS in *Oedipo Chym. pag.* 147. & WILLIS *de ferment. pag.* 63.

In omnibus autem his, tam solutionibus, quàm extractionibus, duo primaria consideranda sunt:

1. Ipsum *medium solutionis & extractionis mobile*, adeoque plus minus fluidum, quod *menstruum* aliàs dicitur.
2. Ipsum *corpus solvendum & extrahendum*: quibus & simul meritò addendus est *respectus mutuus* seu ratio, quare hoc menstruum in hoc vel illud, non aliud corpus, agere queat.

Menstrui appellatio ab antiquissimis Philosophis chymicis originem habet, qui in opere lapidis sui Philosophici sulphur tingens solare masculini, Mercurialem verò aquam seu Mercurium suum fœminini feminis locum habere, per analogiam ab animalibus desumptam, asseruere. Quæ fœminæ genitura, cum olim menstruus sanguis à menstruo periodi suæ termino putatus fuerit, etiam fœmininum hoc metallorum seu Mercuriale principium, menstruum dictum fuit: quæ appellatio postmodum satis abusivè ad quælibet solventia derivata fuit. Medium ergo fluidum solvens seu menstruum non quodvis agere in quælibet observatur, sed determinatum saltim in sui debitum obiectum: unde imprimis disquisitio instituta fuit de *menstruo universali*, quod in quælibet obiecta agere, eaque dissolvere, & in primam sui materiam redigere queat, quodque oppositum sit cæteris menstruis particularibus, non nisi in specialia quædam corpora operantibus. Equidem litigia illa, cum omnia adhuc pluribus videntur dubia, de universali menstruo, *an idem sit cum liquore alcahest? an* PARACELSUS *pariter universale solvens per hoc intellexerit?* atque fecit HELMONT, qui loco eius sal tartari fixum saltem volatilisare iubet, tanquam succedaneum alcahest: *ex quo regno? & quo subiecto? an ex Mercurio vivo præparandum? quo vase asservandum*, &c. mea non facio, tamdiu judicium de tanto arcano suspensurus, donec firmior experientia certius quid in hoc puncto determinaverit. Interea præter HELMONTIUM videri potest LUDOVICUS *de* COMITIBUS *Tract. de rebus artis & naturæ miraculis*, qui tamen Autoribus pluribus admodum suspectus est, BECHERUS *Physic. subterran. lib.* 1. *pag.* 175. TACHENIUS *in Echo ad vindic. p.* 5. & 33. MORHOF *da Transmut. pag.* 13. M. A. N. C. *Anno* 4. *p.* 112. & *Anno* 6. *Append. pag.* 194.

Particularia ergo menstrua quod attinet: dubium est, quale sit fundamentum, secundum quod saltem in determinata corpora agat, sive, ut alii loquuntur, an similitudo an verò contrarietas sit inter menstruum solvens & obiectum solvendum? Res decidi potest paucis. Observetur nempè:

1. Convenientia seu proportio formalis, id est, requiritur certa in textura minimarum particularum menstrui conformatio in figura, magnitudine, situ &c. cum poris, meatibus, & textura particularum corporis solvendi; à quibus, ut aliæ proprietates in consistentia, raritate & densitate, pondere, &c. dependent, ita & mutuus solventis cum solvendo respectus, & agendi mutuò ac patiendi ratio dependet; non secus ac clavis seram aperiendi vim, formaliter à proportionata sui cum structura seræ mechanica conformatione, obtinet: Nisi enim talis esset proportio, neque menstruum aggredi posset subiectum, neque subiectum posset adhærere poris menstrui. Vulgari me declarabo exemplo: Saccharum solvitur promptè in aqua simplici vel vino, nunquam verò, licet centum continuetur annos solutio, in oleis & spiritibus sulphureis, quia pori sacchari ita sunt formati, ut admittant particulas aqueas, non verò oleorum ac spirituum sulphureorum ramosas particulas idque propter convenientiam mutuam in eorum textura ac structura; atque sic particulæ aquæ vel vini in poros sacchari se insinuant, & pori sacchari particulas aqueas & vinosas absorbent & in se recipiunt; idque tamdiu, donec vel totum saccharum sit solutum, vel menstruum aquosum aut vinosum adeò sit impregnatum, ut porulos eos nihil ampliùs ex saccharo soluto subire queat: Spiritus vini è contra, utut longè sit subtilior, penetrantior

tior & volatilior, si sit rectè rectificatus, nunquam solvet saccharum, propter dissimilitudinem, quæ est inter texturam spiritus vini & sacchari, propter quam spiritus vini licet possit penetrare saccharum, ineptus tamen est, ut vel absorbeat quasdam eius particulas, vel easdem in se recipiat; id quod tamen facilè fit à spiritu vini, si modò diluatur cum s. q. aquæ, sic enim postmodum, ratione adiecti phlegmatis, facillimè saccharum solvet. Hinc quando aqua fortis lunam, aqua regia solvit solem, spiritus nitri solvit lunam, quia particulæ ejus acutissimæ se insinuant in lunam; si verò sal ammoniacum additur, mutatur eius textura, ut habeant introitum in auri corpus illæ particulæ.

2. Obseruatur etiam similitudo certa materialis menstrui solventis cum solvendo corpore, quatenus non quævis particulæ, sed certæ saltem, talem texturam habent, secundùm quam in aliis sibi similis concretionis agere possunt: Quâ ratione v. g. spiritus vini ceu oleum & resina resoluta, non verò aqua destillata aut alia similis substantia, tanquam menstruum homogeneum, vim habet extrahendi resinas vegetabilium, qualia sunt imprimis purgantia quamplurima, item plantę aromaticæ & suaveolentes, aut agendi suo modo in alia simplicia corpora: salia fixa extrahunt sulphura, quia oriuntur ex colliquatione sulphuris concreti cum alcali: alia vegetabilia mucilaginosa aut viscosa requirunt menstruum aquosum, v. g. rorem Maialem, aquam tonitrualem, item aquam simplicem destillatam, alia requirunt menstruum aqueum acido-salinum, uti est aqua acida, aqua aceto impregnata, & sic porrò. Menstruũ ergo & subiectum solvendum debent esse homogenea: & quidem subiectum sulphureum & resinosum resolvitur à spiritu vini, similiter sulphureo: non resinosum à menstruo aqueo: alia subiecta alia postulant menstrua. Unde tanta est menstruorum, tam mineralium, quàm vegetabilium, necessitas; tam simplicium, quàm compositorum diversitas. In metallis nullum est menstruum, quod omnia solvat, sed quodlibet suum peculiare & appropriatum habet. Sic Mercurius vivus saltem metalla, non alia mineralia, & in specie ea, quæ magis sunt Mercurialia, minimè Martem & Venerem, quia magis sunt salina, dissolvit; secus ac non clavis ex cera vel ligno, quæ nullam etiam sub optima conformatione, sed ex ferro, & alio simili metallico corpore, vim habet referandi seram: Hinc non ineptè BECHERUS *Physica subterran. l. 1. pag. 399. de solutionibus Metallicis* asserit, quod insit eiusmodi solventibus (dum v. g. aqua fortis saltem lunam, hæc cum sale saltem aurum solvere valet) quædam vis & seminalis mineralis potestas, quæ cum metallis maximum magnetismum & similitudinem habent: quod sanè & similiter de aliis exactioribus paulò & accuratioribus solutionibus & extractionibus asserendum omnino videtur.

Ex quibus sponte sua patet: *quid de menstruis insipidis habendum?* & *an* etiam *menstrua non corrosiva dentur, quæ firmissima, adeoque & metallorum corpora penetrare & dissolvere valeant?* Ridicula est quæstio: quòd enim acrius & penetrantius linguam, ceu gustus organum, feriat quoddam menstruum, hoc accidentarium esse ipsi videtur, habito nempè respectu ad operationem solutionis, sicut aqua regia & Mercurius vivus, quæ aurum in minima sui integralia discerpunt, accidentariò saltem respectu ad linguam se habent, quorum illa penetrantissimè linguam arrodit, hic ne levissimè quidem afficit: & aqua fortis æqualis, imò si bene fuerit rectificata, intensioris in gustum activitatis & corrosivitatis lunam saltem solvere, non verò attingere aurum valet: & speciatim perquàm curiosum est menstruum, quod docet TACHENIUS *Hippocr. Chym. pag.* 23. de extractione auri per certam aquam regiam, quæ postmodum etiam lunam solvit; sed non, nisi prius in aurum egerit, lunam dissolvere valeat. Sic corrosiva talis aqua regia, quæ quælibet extra aurum metalla solvere valet, ceræ aut pici affusa, hæc ne attingit quidem: acetum enim Saturnum rodit in concretum saccharinum, Martem verò in vitriolicum; quæ moderatè linguam afficiunt, & novum saporem acquirunt, qui tamen ipsis respectu solutionis mutuę planè accidentarius est; sicut nec aqua fortis ratione aciditatis suæ linguam erodentis in lunam agit, nec emergens inde concretum amarissimum, ratione saporis talis, præcisè singulare quid obtinet. Sunt nempè hi ad organa sensuum nostrorum respectus in menstruis planè accidentarii, unde & solutionis ratione perinde est, sive linguam nostram feriat menstruum, sive non; & olea, tam expressa quàm destillata, quæ sulphur dissolvunt, utut mitiùs gustum afficiant, ęquè tamen ac urinosissima lixivialia vi solutiva pollent; & aqua, quę saccharum & salia concreta dissolvit, ex lignis verò & vegetabilibus ebulliendo varia extracta elicit, & ex animalibus gelatinas extrahit, non quatenus insipida, sed alia ratione id præstat. Nempè notanter loquitur KERCKRINGIUS *in Basil. Valent. pag.* 174 *de Tincturis rerum extrahendis: non sufficere ut corrosivitate careant, aut dulcia sint menstrua, sed oportet ut peculiaris sit iis amicitia, & convenientia cum Mercurio corporis, cui superfunduntur, ut verum & sincerum sulphure ex iis extrahant.*

Sed, si exactiùs consideremus negotium quoad menstrua dulcia vel insipida, non tam respectum ad gustatum vel linguam, quàm ad operandi modum habuerunt accuratiores chymici in solutionibus, præsertim metallicis & mineralibus. Cum enim hactenus cognita menstrua pleraque, & tantum non omnia, cum insigni strepitu & effervescentia adoriantur mineralium & metallorum corpora, eaque impetuosè discerpant atque corrodant, ac in partes saltem integrales dirimant, adeoque superficialiter tantum solvant, suique firma cum solutis adhæsione, & coagulatione eadem immutent, & novum concretum sic faciant, æquè simul, licet per accidens, penetranti mordacitate linguam feriant, propterea solliciti fuerunt Philosophi Chymici, ut mitiora menstrua acquirant, quæ sine tanta violenta corrosione, peregrinaque labiis impressione vel suaviter concreta aperiant, eaque plus minus radicaliter solvant; cuius specimẽ est ista solutio, qua aurum glaciei instar in aqua calida, liquefcit, ut SENDIVOGIUS scribit: vel ex solutis priùs saltem substantiam determinatam extrahant, ut v. g. spiritus vini resinosam substantiam absque lucta ex vegetabilibus, liquefaciendo quasi eam, elicit. HOFFMANNUS *in Tract. de Medicam. chym. usu & abusu pag.* 67. facit mentionem, quod *beneficio certi cuiusdam instrumenti aer, ventus, & radii solares capi & couniri possint* pro menstruo quodã dissolvente omnia metalla in vola manus; quod esset singulare. Hoc certum est, quod quidam ex aere parant spiritum, quem vocant spiritum aeris in forma humida per certum instrumentum, & hic spiritus aeris in se est insipidus, & tamen multa admiranda præstat: conf. BALDUIN *Auro Aura.* Sic BORRICHIUS, egregius Chymicus Danus, hoc spiritu aeris insipido solvit corallia, & ex iis elicit elegantem tincturam, in fundo verò subsidet sal coralliorum in forma cubica, uti videri potest in BARTHOLINO hinc inde, imprimis in *lib.* 3. *Epist.* Blanda talia menstrua, & suaves hinc factas solutiones, intelligunt imprimis Philosophi, dum insipidorum aut dulcium mentionem facere videntur, quæ si & gustus organon minus sensibiliter afficiant, eò magis talia dicenda erunt. In rei enim natura potest esse menstruum corrosivuum, quod non feriat linguam & alias partes, utut in corpora quædam sit maximè corrosivum: & revera menstrua dantur nobis insipida, quæ solvunt aurum; sicut & in se ipso nihil obstat, quò minus insipidum cum corrosivo strepitu in quoddam corpus agat, & gustu è contra acerrimũ mitissimè aliud afficiat.

Sed eo ipso, quo diuersarum texturarum & proprietatum ad solutiones & extractiones rerum subinde adhibentur menstrua, quę in se ipsis considerata non levem in corpus nostrum agendi potentiam obtineant, dubium emergit: *annon ex his ipsis cum substantiis solutis & extractis novum concretum, novarumque adeo virium respectu corporis nostri emergat, constans nempè ex facultatibus substantiæ extractæ & viribus menstrui, unà plus minus sociati, & potentiis novi concreti, huiusque ex amborum illorum coalitu novæ emergentis texturæ?* Ac sanè hoc punctum est, in quod non pauci impingunt, non attendentes, quàm diversimodè subinde, plus minus tamen, solutum & extractum à menstruo immutetur, & inde proprietates nunc novas, nunc ab antiquis diversas acquirat: Sic nempè aurum fulminans per solutionem cum aqua regia & præcipitationem cum oleo tartari, vim fulminantem acquirit; sicut & Lunæ & Saturni crystalli à menstruis, & solutis inde eorum metallis, generantur; ex aqua forti & argento amarissimæ crystalli concrescunt: Venus in aqua forti cęruleo, spiritu salis viridi, spiritu urinę cyaneo colore tingitur: & sacchari saturni dulcedo non nativa, sed ex concreto emergens nova, quin & novas vires Medicas obtineat, nemo dubitabit: elleborus niger, si cum phlegmate vitrioli acido extrahatur, extractum purgans non habebitur, quia per aciditatem vis purgans castratur: Conf. BECHERUS *Physica subterr. l. 1. p* 398. & 401. Ac sanè exinde tot imposturæ circa tincturas præsertim exortæ fuerunt, dum plurimæ coralliorum, auri, antimonii, &c. tincturæ vel nudæ solutiones superficiales sint, vel si quas habent operandi facultates, respectu corporis nostri non ex se, sed ex novo concreto ex soluto & solvente oriundo, obtineant: Nempè huc pertinet effatum HELMONTII: *Omnis spiritus rodens eadem actione, qua corpus dissolvit, coagulatur.* De spiritibus corrosivis & acidis præcipuè hìc sermo est; nam aliàs, prout de liquore alcahest refertur, sunt & menstrua, quæ citra corporis sui diminutionem agunt: sunt & menstrua magnetica & Philosophica dicta, quę non tam coagulantur, quàm cum simili suo, quod solvunt, per totum ac radicaliter uniuntur; à corrosis verò particulę coagulatæ solventis iterum separari possunt: Potiùs etiam de acidis, minus de urinosis fixis, omniũ minimè de urinosis volatilibus, intelligẽdũ axioma.

Castigandus hìc etiam venit illorum error, qui simpliciter asserunt: *Extracta cunctas totius mixti virtutes fovere,* & v. g. absinthii extractum in febribus intermittentibus curandis ęquè convenire, ac ipsam plantæ huius integram substantiam: scilicet cum menstruorum forsan pauca sint, quę indifferenter & simul in omnes mixtorum partes agant, dum eorum potissima modò illorum sulphuream, modò salinam adoriantur; sanè extractum cum menstruo sulphureo paratum, quodque resinosam duntaxat concreti partem continet, parum de salinis eius virtutibus participabit, nisi in quantum hę in resinoso concreto simul plus minus erunt concentratę. Unde ex uno corpore duplex parari potest extractum, resinosum scilicet, ac salinum seu mucilaginosum, alia tamen non nisi unum exhibent.

Ex modò dictis & supra insinuatis facile patet, minus de formali menstruorum agendi ratione, ac cum solvendis corporibus similitudine, nobis constare: ob id de materiali horum proportione, seu sensibus notiori, nobis saltem concessum est tractare, cuius respectu etiam in triplicem classem non incommodè *dividuntur Menstrua: in aquea, salina & sulphurea;* & *salina speciatim in acida & urinosa; sulphurea* verò *in volatilia seu subtiliora, ac minus talia.* Ex quibus omnibus postmodum pro scoporum & obiectorum varietate menstrua alia media seu composita subinde pręparari solent: quò v. g. pertinet *menstruum anodynum Boylei*, cuius hinc inde, & præsertim *Tract. de*

Orig.

Orig. Form. mentionem facit, & ex *ærugine*, & *sale ammoniaco*, seu *bonorum spiritibus combinatis*, constat: sed hæc ipsa prolixiùs videbitis in WEDELII *Dissert. de menstruis*, *Pharmaciæ annexa*; quibus addatur & WILLIS *de Ferm. cap. 9.*

In genere *aqua* meritò à WILLISIO *Tr. de Ferm.* vocatur *magnum naturæ menstruum*, quoniam cum hoc ipso magnæ & mirandæ fiunt solutiones, idque imprimis, si stimuletur & exaltetur à motu ab aere ipsi impresso, qui vocatur *calor*. Obiter tamen hoc notetur: quod menstrua aquea sub solutione aut extractione agant saltim in particulas salinas, easque solvant & extrahant, & his mediantibus etiam alias ipsis junctas; nihil enim est, quod se faciliùs uniat cum iis, quàm sunt salina & aquosa; adeo ut notum sit, quod salia aeri exposita sæpe insensibiles portiones aqueas imbibant, ut fluida liquefcant. Deinde aqua convenienter adhibetur pro solvendis & extrahendis vegetabilibus quibuscunque, modò non sint resinosa; cum enim resinæ sint de natura oleosorum & sulphureorum, propterea non possunt se unire cum aquosis. Imprimis convenit aqua pro extractione & solutione vegetabilium, si acuetur per sal tartari, aut ejus cremorem; sic enim conveniens admodum præbet menstruum pro vegetabilibus, tam alterantibus quàm purgantibus non resinosis: quod observetur pro parandis Decoctis, Infusis, & extractis similibus. Hinc

1. Infusa aut Decocta mixtorum parum salis, plurimum verò sulphuris aut resinæ obtinentium, nullius efficaciæ sunt.
2. Concreta, ex quibus Decocta aut Infusa jam parata sunt, minorem quantitatem salis fixi per incinerationem suppeditant, quàm si integra comburantur.

Id quod confirmat elegans KESLERI modus *Proc.* 86. C. 1. ubi duplex substantia ex lignis separatur; nempè liquor rubicundus salsus, unà cum supernatante viscosa seu resinosa substantia. Ratione enim hujus salis præponderantis contingit, ut gummata mucilaginosæ ac glutinosæ substantiæ ab aqua sola optimè dissolvantur & extrahantur; unde adhibetur etiam ad paranda extracta mucilaginosa, ex radicibus v. g. althææ & symphyti, & similibus mucilaginosis: nam has mucilagines alia menstrua præter aquea non attingunt. Ulterius aqua simplex usurpatur pro extractione animalium, imprimis accedente coctura; hinc enim fiunt omnia jusculа animalium & partium animalium: hinc fiunt gelatinæ ex cornubus, ex ossibus, beneficio coctionis in aqua. Hinc fit calcinatio Philosophica seu sine igne cornuum & ossium, quando aqua ossa & cornua in supremitate alembici posita penetrat, solvit, & friabilia reddit: nempè quod in animalibus est gelatina, & gluten ex horum partibus elicitum, illud in vegetabilibus mucilagines & gummata: quorum illæ uti maximam partem ex sale constare, resolutio chymica destillatoria docet; ita hæc ejusdem hoc in passu naturæ existere probabile fit.

In metallica corpora aquæ nullum est jus, quoniam eorum compages est nimis dura & fortiter conclusa, ut aqua non possit penetrare aut eadem subire, nisi priùs ignita fuerint: sic calcinantur, si igni silices, cryftallus, lapis calcarius & similia injiciantur, & ignita in aqua extinguantur, quatenus beneficio *ignis*, alterius *magni solventis*, uti vocatur à WILLISIO, in motum excitatis particulis, ista mista componentibus, illorum quædam pars corrosa & in vitriolum redacta aquæ poros subintrat: Sic notum est, quod aurum igniatur & extinguatur in aqua pro usu medico: sic notum est, quod quidam id tentant de argento eodem successu: & licet aqua affusa Marti videatur eundem corrodere in crocum, hoc ipsum tamen non fit ratione & beneficio aquæ, sed beneficio acidi in ipso Marte latitantis & abundantis, qui acor per aquam affusam aliquantisper solutus (nam salia nisi solvantur, non agunt) incipit agere in proprium corpus metallicum, istudque solvit in crocum.

Est ergo aqua simpliciter tantum adjumentum externum, non verò menstruum; sin verò aqua acuetur bene salibus, vel acidis vel fixis lixivialibus, tunc aliquam iurisdictionem obtinet pro corporum solvendorum varietate: sic aqua acuata cum sale urinoso, nitro fixato, vel sale tartari, ut fiat lixivium forte, aliqualitèr solvit sulphura metallica, ex compage crassioris corporis separata. Notum namque est ex superioribus: quod tali lixivio forti solvatur similiter sulphur commune, uti notum est iis, qui legerunt præparationem lactis sulphuris. Cæterum hoc non habet aqua ex sua natura, sed beneficio salium alcalium fixorum, quibus impraægnata est.

Quæ dicta sunt de aqua, intelligenda etiam sunt de sero lactis, rore Maiali & similibus. Ros enim & nix suggerunt spiritum & menstruum pro multorum corporum extractione, quia propiùs accedunt ad Mercurium aereum.

Sequuntur *menstrua acida*, quæ agunt in partes animalium duras, & imprimis in mineralia atque metallica; rigidioribus enim & magis acuminatis menstruis corpora hæc debent discindi & dissolvi: non tamen excludenda alcalia. Intercedit autem hæc differentia, quod alcalia magis in sulphur; acida magis in Mercurium agere videantur, utut præter mineralia, etiam alia subiecta, quæ de alcali multum participant, rodant, v. g. corallia, lapilli cancrorum, &c. Et quidem acida agunt in corpora eadem vel solvendo tota, vel ex parte: Tota quidem, si sulphuris parum, v. g. corallia, lapides percarum, &c. habeant, aut hoc firmiùs coagulatum possideant, ut metalla; reliquam verò, præter sulphuream partem, substantiam solvunt, si hæc ob laxiorem compagem facilè à reliqua separabilis existat, ut in antimonio: unde constat, quare mistorum paucissima, quæ à menstruis acidis roduntur, non in partes elementares, sed saltem integrales, redigantur.

Inter Menstrua hæc quædam sunt mitiora, quædam fortiora.

Inter Menstrua acida mitiora mitissimum est vinum, acetum, acetum destillatum, &c. quod acetum est aciditas volatilis, & non adeo fortiter penetrans, cujus beneficio partes osseæ, metalla, corallia, lapilli cancrorum, & similia subjecta dura, possunt solvi. Imò etiam, si in spiritu aceti aut aceto destillato, calcinata extinguantur mineralia, satis profundè solet penetrare, eaq; interdum in salisformia corpora transmutare, ut sunt sal corallliorum, perlarum & similia.

Aceto vulgari potentior est *spiritus viridis æris*, ex ejus cryftallis per acetum destillatus. Hic ipse menstruum est singulare, & operationes excellentiores exserit, imprimis in solvendis metallis durioribus Martis & Veneris, & rebus seu subjectis his cognatis, & in pluribus aliis etiam exaltat vires aceti simplicis, imprimis in eo quod conveniens sit menstruum pro parandis Magisteriis è durioribus animalium partibus, & pro solutione metallorum duriorum: Hinc etiam habet hoc singulare, quod post factam solutionem æquè ferè acidus abstrahi possit, uti *superiùs* monui, quod nullum aliud facit menstruum, ita ut parum ejus cum corporibus solutis remaneat, adeoque sine notabili virium destructione operetur. Inter menstrua acida mitiora est *Aqua temperata Basilii num.* 3. *pag.* 207. quæ dicitur *spiritus salis dulcis*, i. e. *spiritus vini cum spiritu salis destillando mistus*, unde egregium acquirit odorem, nec inelegans menstruum est. Simili modo elegans menstruum parari potest ex spiritu nitri & spiritu vini, convenienter per digestionem & cohobationem unitis. Alii alia habent menstrua. Multi multa garriunt de aceto Philosophorum, & nesciunt quid sit? QVERCETANVS loco illius substituit spiritum mellis, uti videri potest in AUTORE *num.* 4.

Menstrua acida fortiora ac generosiora sunt ea, quæ fiunt ex salibus mineralium, v. g. sale communi, ex vitriolo, ex nitro, sale gemmæ, &c. hisque vel simplicibus, vel aqua regia aut aqua forti mistis. Hæc ipsa menstrua acida fortiora & generosa, aliis rebus intactis, solvunt metallorum & mineralium corpora dura. Nihilominus tamen etiam habendus est delectus in mineralium solventium menstruorum acidorum præparatione pro solutione mineralium: In præparatione horum assumitur nitrum & vitriolum, & fit aqua pro solvendis omnibus metallis, excepto auro: si acuatur cum sale, seu principio salino, sive sale communi, sive sale ammoniaco, fit menstruum appropriatum, quod solvit aurum, non verò argentum. Sunt qui faciunt talia menstrua composita pro metallis ex vitriolo & tartaro invicem destillando, quæ menstrua magni æstimantur à quibusdam. CNOEFFELIVS singulare habet menstruum ex aceto destillato & nitro paratum: scilicet destillando spiritum nitri, in recipiente habet certam quantitatem aceti destillati, & in hanc pellit spiritum nitri, rectificat postmodum spiritum unà, & ita egregium ac singulare acquirit menstruum. Alia taceo, quoniam satis erunt clara ex lectione chymicorum, imprimis eorum, quæ habet WILLISIVS *in Tract. de Aqua & Igne*, item *de Fermentatione*.

Menstrua urinosa, quia in radice sunt sulphurea, imprimis sulphura eliciunt; unde spiritus vini acuatus cum sale ammoniaco promptiùs solvit resinas, quàm solus: sic & sal tartari aliaque fixa salia conveniunt in metallis volatilisandis & potabilibus reddendis. Notum namque est, quod illorum lixivio forti solvatur sulphur commune & aliorum metallorum: ratio declaratur à POLEMANNO *Tr. de sulphure Philosophorum*, ubi dicit: quod *salia fixa sint corpora artificialia, facta in calcinatione corporum ex sale volatili & acido seu sulphure corporum*: Quæ duo invicem sub ignis tortura liquescendo abeunt in tale sal tertium seu fixum alcalicum, uti *infra patebit de salibus in genere*. Et propter hanc affinitatem, quâ salia fixa fiunt ab acido sulphureo, possunt solvere sulphura metallica: vid. *citatus* POLEMANNVS *in citato* parvo, elegāti tamen, & lectu digno Tractatu.

Inter *Menstrua spirituosa* valdè usitatus est spiritus vini, sive sit simplex tantummodo rectificatus, sive sit acuatus cum sale tartari, & vocatur *spiritus vini tartarisatus*. Hic spiritus vini, ceu subjectum naturæ oleosæ seu sulphureo-spirituosæ, aptus natus est solvere subjecta resinosa & ex iis extrahere Tincturas sulphureas & oleosas. Propterea resinæ & radices resinosæ, in specie vegetabilium purgantium, commodissimè extrahuntur per spiritum vini, imprimis tartarisatum, ceu optimum menstruum solutivum. Dabo exemplum: Radix jalappæ est talis radix resinosa, quæ si infunditur in aquam vel vinum, nullo modo infusa hæc purgant; quoniam vis purgans consistit in parte resinosa, quæ cum sit pinguis & sulphurea, non permittit se solvi à subjecto aquoso vel vinoso: è contra si infundatur in spiritum vini, dicto citiùs in leni calore extrahitur tinctura rubicunda ex radice jalappæ, ita quidem, ut omnem virtutem purgantem extrahat ex radice, & radix, quæ remanet post extractionem tincturæ vel essentiæ, omni virtute laxativâ est spoliata. Ista tinctura per spiritum vini facta, affusione aquæ simplicis præcipitatur in Magisterium, quod est perfecta resina jalappæ, ita ut spiritus, ut dixi, solvat tantum subjecta sulphurea ac resinosa, relinquat autem saccharum. Propterea adhibetur etiam spiritus vini pro extrahendis, & resolvendis aromatibus, aut plantis aromaticis, iis scilicet, quæ suaviter olent ac spirant, & saporem subtilem ac penetrantem obtinent, quales sunt omnes *cephalicæ*, & quamplurimæ tantum

non omnes *uterinæ* dictæ: Horum enim simplicium viscum consistat in sale volatili oleoso, & ita quasi in subjecto sulphureo & urinoso, propterea commodum est menstruum spiritus vini pro eorum essentiis aut extractis parandis. Spiritus vini etiam extrahit ex animalibus quibuscunque, sicut ex mumia per spiritum vini extrahitur essentia mumiæ, utut raro adhibeatur pro talibus operationibus spiritus vini, nisi antea per aliud menstruum fuerint corrosa & soluta, & ita præparata, ut à spiritu vini postmodum possint extrahi in quandam tincturam rubram: v. g. in tincturis metallorum, item *tinctura antimonii*, tandem recipitur spiritus vini: pro quo usu spiritus vini interdum acuatur cum sale volatili urinæ, & tunc vocant *spiritum vini microcosmicum*, egregium præbens menstruum tam pro vegetabilibus, quàm pro animalibus & mineralibus, uti fit imprimis in *tincturis solis*. Quidam faciunt menstruum compositum miræ laudis:

℞. *Spiritum roris Majalis:* Huic addunt
Spiritus vini optimè rectif. an. part. æqual.

Et cum spiritu urinæ hæc mutuò uniunt digerendo & cohobando; sic beneficio hujus possunt multa & varia extrahi.

Quod dico de spiritu vini, dictum quoque volo de spiritibus vegetabilium ardentibus, de spiritu baccarum juniperi, &c.

Adhuc loquendum de spiritu terebinthinæ, seu oleo rectificato terebinthinæ: Hoc ipsum, ceu naturæ sulphureo-oleosæ, vim habet non contemnendam in extrahendis & resolvendis sulphuribus mineralium, tam in sulphure communi, cum quo coit in *Balsamum sulphuris*, quàm etiam in sulphure antimonii, quod ipsum similiter potest extrahere vel resolvere. Jam in genere inter olea vegetabilium destillata, & inter sulphura mineralium, talis est amica convenientia, ut se mutuò ingrediantur, vel se mutuò blandè ac placidè solvant.

His ita de Menstruis, ceu solvendi & extrahendi mediis præmissis, consideremus ipsas exinde paratas solutiones & extractiones, sub nomine essentiarum, tincturarum, extractorum, elixyrium, &c. vulgò notas: utut longè latiùs campus earum sub consideratione Pharmaceutica se extendat, cum etiam Decocta, Infusa, Aceta medicata & alia plura sub se comprehendat; quia tamen remedia quædam, speciatim essentiarum & extractorum nomine veniunt, deque iis agere AUTORI placuit, etiam de iis ordiamur; præmonendo essentiam seu tincturam, & extractum, nonnisi consistentiæ ratione differre, ita ut liquidius si quid fit, & menstruo plus minus junctum, *Essentiæ*; si coloratum fuerit, *Tincturæ* nomine veniat; quod verò, separato maximam partem menstruo, in spissiore relinquitur consistentia, *Extractum* appellari solet, ab extrahendo, quod virtutem concreti extrahat, vel illam extractam contineat: nam *Essentiæ* sunt tantum *Extracta liquida*, & *Extracta* sunt *Essentiæ inspissatæ*.

Parantur essentiæ & extracta ex omnibus trium regnorum subjectis. *Mineralium Extracta* meræ sunt solutiones, de quibus in specie sub unoquoque simplici actum fuit.

Quoad regnum vegetabile: de parandis ex ejus subjectis essentiis & extractis satis accuratè agit AUTOR *pag.* 208. *seq.* ita ut pauca quædam ulterius monenda videantur. Interim tamen non quælibet vegetabilia ad extractionem apta sunt, nempè volatiliora, item magis aromatica. Attendendum igitur: *an vegetabile sit fixum? an volatile? an* verò *mediæ naturæ?* Si est naturæ volatilioris, potiùs destillationi inservit; sin fixioris naturæ, magis Infusis, Decoctis, & Extractis; sin verò quasi mediæ naturæ est, Essentiæ inde parandæ convenientissima talia sunt. Sic e. g. cinnamomum inservit destillationi vel in oleum, vel mediante spiritu vini in spiritum cinnamomi, & relinquit caput mortuum: sic herbæ scorbuticæ, item aromata & herbæ aromaticæ, minus commodè pro extractis, meliùs pro essentiis inde parandis inserviunt: spiritus vini enim, cum quo communiter extrahuntur, substantiam oleosam volatilem, in qua omnis earum vis consistit, secum rapit sub inspissatione: conf. ZWELFERVS *Pharm. Reg.* 74. ubi talis modi extractis aliquot guttas olei destillati proprii addit. Plantæ diureticæ, vulnerariæ, &c. inserviunt decoctis & extractis; Castoreum autem & crocus in essentiam rectiùs rediguntur, quia abstractione potiùs, & extractione non levem virium jacturam patiuntur, destillatione verò tota crasis non exhauritur; hinc melior est eorum essentia.

Herbarum in genere notetur differentia, quod quædam sint magis resinosæ, vel magis mucilaginosæ ac succulentæ. Illæ commodè spiritu vini & spiritu proprio, priùs quasi tartarisato, extrahuntur: Hæ verò succos præbent inspissandos, quæ ferè Extractorum nomine veniunt, vel essentiarum: vid. ANGELVS SALA *Tract. de essent. vegetabilibus*. Sed *elegantior parandi hujusmodi Essentias vegetabilium succosas modus* est LUDOVICI, quem insinuat *Pharm. pag.* 246. scilicet additione alcali tartari, vel nitri alcalisati, penetratur substantia gummosa essentiæ extrahendæ, eaque postmodum quocunque modo ulterius præparata in quovis liquido solubilis redditur. Abstractio phlegmatis aut menstrui pro extracto spisso optimè instituitur in balneo Mariæ vel balneo vaporis, cum igne nudo facilè empyrevma contrahat, frequenter tamen in fine agitetur.

Quod si ex hujusmodi essentiis succosis vel extractis ulterius cum spiritu inflammabili essentia liquida paranda veniat, commodissimè spiritus proprius, sale alcalino fixo proprio acuatus, recipitur, ut remedium sic evadat eò efficacius: qua ratione *ex rob, seu succo sambuci* inspissato v. g. tanquam extracto baccarum, optimè cum spiritu florum sambuci, vel cum spiritu ex baccis fermentatis parato, *essentia* extrahitur, egregia diaphoretica, & contra erysipelata; quali ratione etiam *Malvaticum juniperinum* concinnatur: Sic ex succo inspissato per coctionem elicito ex strobilis pini per spiritum strobilorum proprium fit elegans essentia pini antiscorbutica, uti monui de abiete: Sic pro *essentia menthæ vel absinthii* recipiantur horum *succus in extractum redactus*, affundatur *spiritus menthæ* vel *absinthii* per fermentationem paratus, & à *sale* suo *fixo* aliquoties *cohobando abstractus*, ita hic essentiam egregiam extrahet: conf. *Zwelferus Pharmac. Reg. p.* 218. Certè spiritus talis à sale fixo proprio abstractus, & cohobatus, oleum proprium promptè absorbet & deglutit; quod aliàs spiritus talis simplex non facit. Imò ipsis vegetabilibus extrahendis, v. g. flor. lilior. convallium, affunditur spiritus proprius, qui modus est communissimus; & sic fiunt hodiernæ essentiæ per spiritum proprium, quæ sunt cæteris efficaciores & fortiores.

Vulgares essentiæ parum valent, quia non obtinent totam concreti κρᾶσιν medicamentosam, cum ab adjunctis vulgaribus menstruis plus minus sint alteratæ. v. g. vegetabilia purgantia cum spiritu vini extracta laudem merentur; aliæ tamen nocivæ virtutes intactæ relinquuntur: in aliis verò, ut salvia, &c. spiritus vini totam crasin non extrahit; salina enim intacta relinquitur.

Lignorum & corticum extracta rectè in *resinosa* & *viscosa seu mucilaginosa* dividit AUTOR *pag.* 210. *Viscosa* sunt naturæ aqueæ, & eliciuntur vel cum aqua simplici, vel cum aqua aceto acidulata: *Extracta* verò *resinosa* fiunt cum spiritu vini; ita ex uno subjecto possunt fieri duo extracta. Utriusque præparationem docet AUTOR, sed conf. hîc simul KESLERVS *supra citato loco*, ubi alius, isque concinnior, habetur modus: Sic fit *essentia lignorum ex ligno gvajaco, sassafras, Rhodio & similibus*, per *spiritum fumariæ*; quæ essentia lignorum est egregia sudorifera, conveniens in catarrhis, in specie in lue Venerea, in scabie, & similibus affectibus. Observandum tamen, quod ex lignis istis, è quibus mediantibus menstruis elicita essentia, tinctura, extractum, &c. nihilominus ex capite mortuo commodè adhuc destilletur spiritus acidulus.

Aromatum quod attinet *extracta* cum spiritu vini parata hæc facilè affusione aquæ præcipitari possunt in magisterium seu resinam, seu substantiam, quæ nucleum aromatis continet, & quæ ulteriùs destillati olei proprii imbibitione in viribus suis exaltari potest.

Quoad *gummata*, itidem in duplicem, resinosam & mucilaginosam substantiam, distinguit AUTOR *p.* 211. & utriusque præparationem docet; quam tamen videbitis in SALA *c. l. pag.* 39. Interim obiter notetur, quod gummatum substantia medicamentosa pro usu interno in specie in resinosis particulis consistat; unde commodè v. g. ex gummi ammoniaco vel galbano, cum spiritu vini tartarisato, aut tinctura tartari, essentia elici potest: sicuti gummata talia resinosa pro usu externo meliùs solvuntur in terebinthina, quàm aceto; qua ratione tacamahaca v. g. facilè cum terebinthina subigi & sub emplastri forma applicari potest: conf. ZWELFERVS *Animadv. p.* 129. & 385. & in *Append. p.* 26. Gummata aliàs extrahuntur, & solvuntur per menstrua aquea blandè acida, ut vinum, acetum destillatum, &c.

QVINTÆ ESSENTIÆ.

In specie circa *Quintas Essentias* ex vegetabilibus & animalibus parandas solliciti sunt nonnulli, quo nomine aliàs conjunctio spiritus, olei, & salis fixi & volatilis, tanquam Mercurii, sulphuris, & salis, intelligi solet: Modus consistit in fermentatione & putrefactione. De hujusmodi quintis essentiis parandis vid. BARTHOLINUS *in Act. Medic. Haffniens. Volum.* I. *Obs.* 134. *p.* 267. *seqq.* ubi simul curiosiora, quoad Antiscorbuticorũ præparationem, videri poterunt; & ZWELFERVS *in Phar. Reg. p.* 217. utut hoc modo totũ negotiũ non absolvatur; cum ista quinta essentia sub sui in liquoribus aquosis solutione lactescat, & ita olei ac salis à spiritu separationem & præcipitationem ostendat, cum tamen genuinæ quintæ Essentiæ in quovis liquido solubiles & undique diffusibiles existant. Certè in vegetabilibus tota eorum crasis in oleo destillato consistit; unde ad hoc annitendum est, ut oleum cum spiritu proprio, mediante sale proprio ritè invicem uniantur, ut sine separatione promptissimè cuivis liquido miscibiles sint, sicque vim totius medicamentosam nobis promptissimè communicent. Nam utut olea destillata sufficere videantur, attamen concentrata eorundem textura reluctatur multum stomacho, unde ab eorum usu crebri ac diuturni ructus subsequuntur, adeoque nec diffusibilia undique, aut cum fluidis corporis nostri æquè miscibilia existunt. Potius ergo cum spiritu vini exactè tartarisato, aut cum tinctura tartari mediante digestione olea destillata ita dissolvenda, & invicem hæc ipsa unienda sunt, ut faciliùs nobis communicabilia reddantur. Quod si loco spiritus vini spiritus proprius, salque proprium ita cum oleo destillato ritè uniantur, non incommodè quintę essentię locum supplere suo modo poterunt. Spiritus probè rectificatus, si à sale vegetabili fixo probè alcalisato aliquoties abstrahatur, relinquit humidum in sale fixo, & sub forti destillatione hujus prodit aqua insipida: hæc asservata in superficie continet oleum, quod nihil aliud est, quàm spiritus inflammabilis in alcali fixo concentratus. Huic spiritui oleum destillatum addatur, & ob alcali exhaustum istud promptè absorbet, & in spiritum resolvit, qui novę plantę affusus quintam essentiam penetrantissimam constituit.

Circa animalium hujusmodi quintas essentias notandum, quod sicut oleum vegetabilis debitè elaboratum crasin mixti satis benè referat, ita sanè

ſanè de ſimplici animalium gelatina hoc non minùs intelligendum venit, hæc nempè Eſſentiæ loco animalium habenda eſt.

In ſpecie autem AVTOR *pag.* 212. varia extracta officinalia recenſet, quæ omnia ſunt cognita ex ſimplicibus: ſed monenda quædam; ſcilicet extracta multa parantur inconvenienter, ut extractum acori, agallochi, &c. ſi enim inſpiſſentur, magnam volatilium partium jacturam patiuntur. Potius igitur in eſſentias redigantur; quod & de aromaticis omnibus intelligendum, quo maneant in forma eſſentiæ.

Extractum ariſtolochiæ rotundæ radicis optimè cum ſpiritu vini paratur.

Extracta compoſita ab AVTORE recenſita quod attinet, occurrit *extractum laudani opiati*, quod *ſupra habuimus ubi de opio*.

Extracti chalybeati magni num. 2. *pag.* 213. baſis eſt limatura chalybis præparata, è qua ſpiritus vini nihil extrahet. Potius Extractum Martis cum ſucco pomorum Borſdorffianorum cætero extracto aromatico compoſito, cum ſpiritu vini extracto, ſociandum venit, ut obtineatur ſcopus: vel extractum Martis ſucco pomorum cum ſuccis vegetabilium ſubigi poſſet, ſicque fiunt optimè extracta compoſita; qui labor melior eſſet, quàm AVTORIS: vel conf. *correctio* HOFFMANNI *in Clave pag.* 83.

Pro *Extracto hyſterico num.* 3. Ingredientia rectiùs extrahuntur beneficio aquæ meliſſæ, cum ſale tartari acuatæ, ubi ſal hoc referat clauſtra vegetabilium, & facit extractiones faciliores: poſt adduntur myrrha, crocus; & rectè, quia in ſubſtantia optimè conveniunt ad effectus menſtruos.

In *Extracto matricali num.* 4. *pag.* 214. obſervandum, quod extractum croci non poſſit haberi citra iacturam: Fæcula bryoniæ nullius eſt uſuus: camphora cum ſpiritu vini ſublimata nulla eſt, reviviſcit enim iterum.

Extractum peſtilentiale Tychonis de Brahe nil aliud eſt, quàm *balſamus ſulphuris juniperinus*. Moneo autem hìc, quod malè omiſſa ſit camphora, quæ in peſte primariam habet conſiderationem. Dehinc hujuſmodi extracta oleoſa aromatica pro peſte præſervanda non æquè conveniunt, potiùs acida & paulò fixiora locum habent. Volatiliora autem in curatione optima ſunt; in præſervatione verò potius utuntur acidis fixioribus convenientibus.

Extractum pulmonum reverà nil valet; ſufficiant ergo ſal volatile & oleum.

EXTRACTVM THERIACÆ SEV ESSENTIA.
num. 9. *pag.* 215.

Quando theriaca beneficio ſpiritus vini in eſſentiam aut extractum redigitur, habetur uno nomine extractum aromatico-opiatum; quò & conferenda ſunt ea, quæ ſupra de ſpiritu theriacali monui: ſicut & rectè monet AVTOR, quod propter varietatem ingredientium ſpiritus vini affuſus non poſſit ex omnibus extrahere virtutes, ſed vix ex dimidia parte, reliquis relictis intactis. Paucioribus negotium poteſt expediri: ſpecies theriacales ſelectiores cum addito opio & debita proportione ſalis tartari, mediante ſpiritu vini extrahere in tincturam ſeu eſſentiam, quæ inſpiſſatione promptè extractum ſuggerit. Quæ habet de fermentatione AVTOR, merentur, quæ legantur.

Vſus eſt anodynus ſudoriferus; hinc in agrypniis, febribus malignis, dyſenteriis malignis & epidemicis extractum hoc eſt egregium, & ſatis uſitatum medicamentum; ubi tamen ejus loco & in ſubſtantia exhiberi poteſt theriaca.

THERIACA BENEDICTA QVERCETANI.
num. 10. *pag.* 216.

Theriaca benedicta Quercetani propter varietatem ingredientium ita eſt diſpenſata, ut diverſa ingredientia extrahantur à variis menſtruis &c. Sed vix decima pars hìc quid ſuggerit: Volatilia ſunt mixta fixioribus: imò pro doſi una vix hæc ingredientia omnia aliquid conferre poterunt de concretis ſuis. Loco ergo hujus theriaca diateſſaron ſubſtituatur.

Hæc de Extractis alterantibus: ſequuntur

EXTRACTA PVRGANTIA.
pag. 220.

Quoad Extracta purgantia, in his omnibus attendendum:

1. *Subiectum extrahendum an ſit reſinoſum? an mucilaginoſum?* ubi reſinoſa, v. g. ſcammonium, colocynthis, &c. per ſpiritum vini aut alium ſulphureum, ſed mucilaginoſa cum aqua vel menſtruis homogeneis aqueis extrahenda ſunt, v. g. Senna, rhabarbarum, elleborus niger, &c.
2. Vt ſemper vel menſtruum acuetur cum ſale tartari, aut nitrum alcaliſatum eſt addendum, ut partim corrigat virulentiam & ſaporis nauſeam in purgantibus, ſimulque penetret ac diſſolvat concretum viſcidum reſinæ laxativæ, hypercatharſeos Autorem. Vnde Extracta purgantia propter reſinoſam ſubſtantiam non nihil ſuſpecta ſunt ZWELFERO *Pharm. Reg. pag.* 55.
3. Aloe, ſi ea pro ſcopo laxativo Extractis addenda, extrahatur menſtruo aqueo, v. g. aqua cichorii cum ſale tartari acuata; pro ſcopo verò vel ſtomachico cum ſpiritu vini tartariſato eliciatur.

Ex dictis patet, malè in ſubſequentibus Extractis AUTORIS plura, eaque diverſa ingredientia, tam purgantia quàm alterantia, malè uno eodemque ſpiritu vini ſubinde extrahi, idque ſine debita cum addito alcaliſato correctela. Ritè autem parata meliora ſunt, quàm crudæ pilulæ, inter quæ eſt extractum catholicum Andernaci, & extractum Panchymagogum Crollii. Hæc ex radicibus vegetabilium per ſpiritum vini parata propinantur ad ℈j. addito convenienti ſtimulo, & ſic poſſunt propinari pro pilulis.

Vſus Extractorum eſt, ut

1. Ex iis fiant pilulæ pro ſcopo laxativo ſeu purgante.
2. Vi diſſoluantur in liquoribus appropriatis, & ingrediantur potiones, miſturas, &c.

EXTRACTVM BENEDICTVM.

Hìc error patet, quod nempè ſenna, agaricus, & rhabarbarum uno menſtruo extrahi non poſſint: ſenna enim & rhabarbarum menſtruum aqueum, agaricus verò menſtruum ſpirituoſum requirunt.

EXTRACTVM CATHOLICVM
Francofurtenſe.
Num. 2.

Malè hic omnia cum ſpiritu vini extrahuntur, cum aloe hic ſe offerat, quæ non cum ſpiritu vini, ſed aqua tartariſata extrahi debeat pro ſcopo purgatorio. Qui ergo voluerit tale extractum catholicum, ſcammonium, colocynthidem, & jalappam extrahat cum ſpiritu vini probè tartariſato: poſt radicem hellebori nigri recentem extrahat cum aqua deſtillata ſpirituoſa aniſi, acuata cum ſale tartari: poſt conjungantur, & addito oleo aniſi deſtillato in maſſam uniformem compingantur.

EXTRACTVM PANCHYMAGOGVM
Crollii.

Rectè paratur compoſitio poſterior, modò aloe & helleborus niger ritè extrahantur.

CAPUT LIX.
DE
FÆCVLIS.

Fæculæ ita ſunt dictæ, quia ſunt fæces ſeu reſiduum iners corporum. Planè nihil valent, unde etiam ferè in deſuetudinem abierunt. Nam quæ præparantur ex ſubjectis acrioribus volatilibus, quorum agendi ratio ſpeciatim in ſale volatili conſiſtit, ex horum fæculis nihil opis expectari poteſt; hinc fæcula ari, iridis noſtratis, raphani marini, ſcyllæ, ſerpentariæ, &c. nullius penitus erunt uſus.

Modum parandi habet AUTOR *noſter*: Nempè

♃. *Radices* quædam quæ farinam abſconditam gerunt: *v. g. ari, bryoniæ, Ireos noſtratis*, &c.

Ex conciſis illis minutiſſimè, & cum *aqua communi* contuſis, exprimitur ſuccus per linteum fortiſſimè: Quod verò per reſidentiam de ſucco decantato relinquitur, calore leni exſiccatur, pulvis in fundo remanens dicitur *Fæcula*, quæ ſanè eſt fæculentum remedium.

Ex iſto enim ſucco ſal volatile (in quo tota radicis craſis conſiſtit) in expreſſione & exſiccatione neceſſariò avolat, hinc fæcula eſt inſipida, & omnis odoris & virtutis activæ expers, ita ut relicta ab expreſſione radix majoribus longè virtutibus adhuc polleat, quam tamen tanquam inutile caput mortuum communiter rejiciunt. Imò ipſa radix ari, ſale alcali acerrimo prædita, ſi interga de filo in loco umbroſo exſiccetur, parum retinet; unde colligi poteſt, quid de ejus fæcula ſperandum ſit? LVDOVICI quidem in *Pharm.* & SCHROECKIVS *in defenſ. Pharm. Auguſt. pag.* 502. docent: *non in univerſum omnes abjiciendas eſſe, nec ſuccos ſuos adeo orbatos eſſe*: cum tamen earum ℔j. tantam vim non habet, quàm ℥j. radicis ea iundem crudæ; quicquid enim virium ſubeſt, evolat in auras, & cadauer mortuum iners ſu me remanet.

Quoad cæteras fæculas, bryoniæ, ireos & pœoniæ, etiam fæculæ ari, utut aliqua ſalis acris pars guſtu perceptibilis remaneat, adeoque aliquantum de concreti craſi retineant, tamen reverà pauxillum eſt; unde radicibus ſuis pulveriſatis non præferendæ ſunt, quaſi illarum virtutem concentratam magis continerent, ut ideò in minori doſi præſcribendæ eſſent, cum contrarium in fæcula bryonæ, vi cathartica ſpoliata, aliiſque jam dictis manifeſtum ſit. Nam radix bryoniæ purgat, & quando expreſſa eſt in fæculam, nihil operatur propterea, quoniam partes volatiles activæ facilè exhalant, & terra mortua reſidet in fundo: conf. hìc contra fæculas agens ZWELFERVS *in animadverſ. in Pharm. Auguſt. pag.* 446. & in *Append. pag.* 64. & ANGELVS SALA *ubi de eſſent. vegetabilium*. Eſt ergo fæcula nullius uſus, utut à multis Medicis præſcribatur.

CAPUT LX.
DE
FLORIBUS.

Flores sunt nihil aliud, nisi sublimata in forma sicca; nam in operationibus chymicis, quando aliquid sublimatur, in forma humida dicitur destillatum; si in forma sicca, dicitur in specie *Flos*. Sunt ergò *Flores partes subtiliores, quæ igne lento separantur à crassioribus & terrestrioribus, & sublimantur*. Modus in singulis subjectis variat, & alio modo fiunt flores benzoes, alio flores sulphuris, alio aliis sublimantur, vel per se, uti videre est in floribus antimonii vel sulphuris, vel cum addito, v. g. sale communi, mediante quo etiam Mercurius sublimatur, & in specie cum sale ammoniaco. Sed *de his suis in locis*.

CAPUT LXI.
DE
GARGARISMATIS, DIACLYSMATIS, & DENTIFRICIIS LIQUIDIS.

Sequuntur nunc *Injectiones quæ in os infunduntur*: Et quidem, quæ vel simpliciter detinentur in ore, vocantur *Diaclysmata*; sin verò non simpliciter detineantur, sed beneficio aeris, ex aspera arteria exspirati, agitantur, & moveantur, & ita gargarisando usurpentur, tunc vocantur *Gargarismata*. Differentiæ hujus ratio est, quod in angina & similibus faucium inflammatoriis affectibus, gargarisationes non semper sint proficuæ, cum interdum periculosæ, ne scilicet per motum faucium inflammatio ex stagnante ibidem sanguine augeatur & intendatur. Convenientius ergo est, si possumus continere tale decoctum tepidè in ore corpore supino, & deinde exspuere, & interdum beneficio syringæ, aut per aliud instrumentum, instituere talem gargarisationem; non verò adeo frequenter.

Hæc rarò prostant officinalia, sed magistralia ordinantur à Medicis. Gingivarum & faucium affectibus sunt dicata, idque pro scopo vel adstringendi, vel mundificandi, vel consolidandi, vel resolvendi & attenuandi: frequentiùs ex decocto herbarum seu foliorum, radicum & seminum, rarò ex aliis mixturis conficiuntur. In inflammatione faucium & tonsillarum, & in principio anginæ, recipitur aqua prunellæ, sempervivi, plantaginis, & similes. Præter aquas interdum cum iis sumitur succus quidam, qui cum aquis dissolvitur, & ad os vel gargarisandum, vel simpliciter abluendum adhibetur: ut quando recipitur in inflammatione faucium, unà cum aqua prunellæ, succus cancrorum fluviatilium & sedi majoris, ita quidem, ut ad ℔ß. aquæ, ℥iij. vel ℥iv. succorum possint assumi: in scorbuto oris pro detergendis gingivis & dentibus, & curandis earundem exulcerationibus; & firmandis dentibus vacillantibus, recipiuntur aquæ antiscorbuticæ. Interdum etiam recipi solet lac pro gargarismate in eluẽdis oris ulceribus cum inflammatione conjunctis; item in scorbuto oris, qui aliàs frequens malum est, & cruentationes in specie vel exulcerationes gingivarum infert.

Talia decocta fiunt ex appropriatis, ut v. g. in principio & progressu anginæ & inflammatione tonsillarum ex resolventibus & discutientibus, in statu vel suppuratione anginæ, aut statu inflammationis tonsillarum, ex emollientibus & suppurantibus, in ulceribus oris & faucium, in ulceribus columellæ ex detergentibus & consolidantibus, & similibus aliis.

In his liquoribus, sive sint aquæ, sive succi, sive decocta, dissolvenda etiam veniunt appropriata: sic v. g. in inflammatione faucium convenienter dissolvitur vel nitrum antimoniatum, vel nitrum bene depuratum, ita quidem, ut in ℔j. Decocti vel liquoris dissolvatur ʒß. ad ʒj. & rarò plus: sæpius etiam dissolvitur rob nucum & rob diamorum, uti superiùs monui, in ℥viij. vel ℔j istorum liquorum, horum rob ℥j. ad ℥ij. interdum etiam dissolvitur alumen ustum in talibus liquoribus appropriatis, sed in parva admodum dosi, propter vim nimis adstrictoriam, ita ut ad ℔j. liquoris vix ultra ℈j. adsurgere liceat. In talibus liquoribus in inflammatione faucium & ariditate linguæ, & cum iisdem conjunctis febribus malignis, convenientiùs dissolvitur sal ammoniacum, ita tamen, ut ad ℔j. liquoris injiciendi vix ultra ʒj. adscendere liceat. Non rarò etiam mel solet dissolvi in talibus liquoribus, imprimis in exulceratione faucium, ubi opus est detersione ulceris, ut in aphthis & similibus: Hujus in ℔j. liquoris commodè ℥j. vel ℥ij. possunt dissolvi: cum melle interdum aliquot guttulæ spiritus salis sunt addendæ liquori in os injiciendo, idque imprimis in ulceribus oris & faucium scorbuticis.

Exempla talium Injectionum in os habebimus *in Colleg. Fomular.* Præscriptiones in AUTORE non sunt inelegantes, sed satis clarè ac accuratè descriptæ, & merentur, quæ videantur.

Num. 1. *&* 2. *Diaclysma apophlegmatizans* habet, quod est egregium in dolore dentium; loco cujus

℞. *Fol. nicot.* Mj.
Herb. beton.
Majoranæ an. Mß.
Rad. pyrethri ʒij.
Zedoar. ʒj.
Sem. sinapi ʒiß.
Coqv. in s. q. *aquæ* & *vini* in vase clauso: colatur. ℥ix. adde
Syrupi nicot. ℥iß.
M. D. S.
Gargarisma apophlegmatizans.

Dosis est tantum, quantum os capit, & in affectibus capitis à lympha oriundis egregiè convenit.

Habet etiam AUTOR *num.* 2. *Diaclysma refrigerans ex cancris vivis*, & *sedo majore*; quod est egregium in prunella, febrium ardore, & squalore faucium ac linguæ, & similibus in febribus acutis contingentibus pathematis: Exprimitur ex his succus, qui in ore detinetur & gargarisatur. Adhibere etiam possumus in inflammatione & exulceratione in febribus malignis.

Loco *Diaclysmatum ad gingivas num.* 3. *&* 4. expertum in putredine aut etiam gangræna incipiente gingivarum scorbutica est hoc, quod sequitur, factum ad imitationem *Tincturæ Laccæ Mynsichti*:

℞. *Lap. medicament. Croll.* ℥j.
Aquæ cochlear.
Sedi min. an. ℔j. ad ℔iß.
Coqu. & col. colaturæ infund.
Flor. aquileg p. iij.
Gumm. laccæ ʒiß.
Alum. usti ℈j.
Stent in infuso per 24. horas, postmodum filtrentur.
D. S.
Aqua in dolore dentium.

Commendatur valde, & singularis est effectus in affectibus gingivarum & dentium scorbuticis.

Loco *Diaclysmatis* seu *Gargarismi antiscorbutici Sam. Clossai num.* 5. *pag.* 225. simplicius contra scorbutum oris potest fieri:

℞. *Aquæ cochlear.*
Nasturt.
Sedi minor. an. ℥iij.
Tincturæ laccæ ℥ß.
Flor. aquileg. ʒij.
Syrupi flor. aquileg. ℥iij.
M. S.
Aqua contra scorbutum oris.

Hoc in casu etiam solum lac sufficere potest pro eluendo ore, ubi tamen & lac medicatum paratur: v. g.

℞. *Herbæ cochlear.*
Salv. an. M. iij.
Coqu. in s. q. *lactis* vel *seri lactis*: colat. ℔ij. adde
Succi cochlear. rec. ℥ij.
Syrupi flor. aquileg. ℥iv.
Misc. pro *gargarismate*.

Quod assumptum aliquandiu retineatur in ore.

Similes effectus habet nasturtium, si coquatur in vino, unà cum floribus ligustri, addito vel etiam admisto tantillo aluminis; tale enim decoctum dentes mirabiliter juvare dicitur.

In inflammatione faucium, item in aphthis faucium, in prolapsu & affectibus uvulæ, in incipientibus anginis & inflammationibus tonsillarum & ferè gangrænosis catholicum, si non in omnibus, tamen in quamplurimis affectibus faucium, potest esse tale:

℞. *Herba prunellæ*,
Salv.
Veronicæ,
Flor. rosar. rubr. an. M. ß.
Maluæ arbor. Mj.
Rad. polypod. querc.
Semin. sinapi cont. an. ʒij.
Coqu. in
Aquæ simpl. ℔ijß.
Aceti vini ℔ß.
ad casum transversi pollicis: cola cum levi expressione:
Colat. adde
Sacch. vel mell. ℥iij.
vel horum loco,
Rob dianuc. ℥ij.
Diamor. ℥j. M.

Prodest in omnibus affectibus faucium, imò in ulceribus faucium & tonsillarum, ubi opus est consolidatione.

DIACLYSMA APOPHLEGMATIZANS.
num. 7.

Apophlegmatismus est remedii formula, destinata ad derivanda phlegmata ex glandulis oris, aut certè iis, quæ sese in os exonerant, unde in genere dicũtur *Apophlegmatismi*. Quando enim vel glãdulæ palatinæ

in summitate palati, vel glandulæ sublinguales in radice & lateribus linguæ, vel etiam glandulæ parotides iuxta aures, succum salivalem non sufficienter in os infundunt, fit, ut lympha restagnans in partibus capiti vicinis, aut etiam in ipso capite corrumpatur variè, ac varios affectus inducat. Nec ergo vel talis lymphæ salivalis fiat stagnatio, vel ut lympha ista promptius & copiosius eliciatur, propterea inventa est remedii formula, quam vocant Apophlegmatismum; aliàs in specie ferè *Caputpurgium* vocari solet.

Hinc Apophlegmatismus in genere vel est siccus, vel liquidus. *Siccus* in specie vocatur *masticatorium*, de quo *iuxta ordinem* AVTORIS *capite peculiari suo loco* dicendum, & usurpatur, ubi ex partibus tantummodo oris elicienda est lympha. *Apophlegmatismus* verò *liquidus* seu *Gargarisma apophlegmatizans* est nil aliud, quàm decoctū seu gargarisma, paratum ex paulò acrioribus irritantibus, vellicantibus & stimulantibus palatum & partes vicinas; unde etiam adhibetur pro faucibus & uvulæ glandula (nam uvula est glandula membranâ obducta) vel in tonsillis aut vicinis glandulis expurgandis & irritandis. Vterque operatur, quatenus ingredientia sunt acria penetrantia, & ita irritantia: quando enim talia in ore detinentur, tunc fit, ut eorum sal volatile acre hinc inde palatum pungat, vellicet & irritet, aut etiam partes vicinas; vnde fit, ut ex tali irritatione copiosius lymphæ derivetur affluxus ad os in fauces. Vnde iis, in quibus, caput fauces, aut etiam partes colli teneriores, in specie tonsillæ, sunt grauatæ copiosâ lymphâ crassâ ac spissâ, aut etiam alio quodam liquore aquoso & seroso, in iis conveniens est maximè apophlegmatismus ad derivandam in os humorem istum lymphaticum. Hinc non tantum præservant odontalgias, tonsillarum inflammationes, oris aut etiam uvulæ exulcerationes, sed prætereà etiam valdè commendari solent in apoplexia præmissis vniversalibus, in affectibus senum catarrhalibus, & aliis.

Huc referendi sunt

LIQVORES FRICANDIS DENTIBVS GINGIVISQVE DESTINATI,
seu
DENTIFRICIA LIQVIDA.
nro. 7.

Pro dentifricijs in forma liquida sunt aquæ: Vsitatè accipitur aqua quædam appropriata, v. g. aqua ligustri & aqua cochleariæ, prunellæ, plantaginis, vel bursæ pastoris, &c. & talis aqua acidulatur cum sufficienti quantitate spiritus cuiusdam mineralis acidi, v. g. spiritus sulphuris, nitri, salis, &c. Quod si adhuc requiritur gratia coloris, tingenda est aqua cum tincturâ aquilegiæ, quæ in specie in scorbuto oris est appropriata, aut tincturâ rosarum. Tali aqua fricantur & abluuntur dentes, quæ fricatio & ablutio non tantum adiuuat ut sordes detergantur beneficio spiritus acidi detersivi, sed adhuc tales quoque aquæ acidulatæ adstringunt valdè ac firmant dentes, & eorum vacillationem aut casum præcavent. Quidam spiritum vitrioli commendant, sed cautè, imò rarissimè, est usurpandus, propterea, quoniam demonstrante TACHENIO *in Hipp. Chymico*, potius denigrat dentes quàm dealbat: ratio, quoniam in omni spiritu vitrioli est adhuc aliquantulum de metallo, quod tantillum percipiatur circa dentes, ubi admouetur, & ita denigrat illos. Subsistendum potius est in spiritu salis, quo acidulanda est aqua appropriata, quoniam valdè convenit; sed lenissimè necesse est, ut acidulentur tales, propterea quoniam nimio usu stuporem dentibus inducunt, aut etiam eos corrodere possunt. Pertinet huc etiam sal ammoniacum in tali aqua appropriata dissolutum pro dentifricio liquido, quæ aqua dissolutionis salis ammoniaci valdè confert in fœtore oris ex fœtore dentium, si tali aquâ dentes abluantur post cœnam & prandium, & est valdè egregium remedium.

Vlteriùs ad talia Dentifricia liquida pertinet imprimis *Tinctura Laccæ Mynsichti* expertissima contra scorbutum oris, etiam in gangrænā degenerantem. Vbi non semper haberi potest talis tinctura, tantummodo recipiatur sal alcali, v.g. sal tartari, vel cineres clavellati, dissoluatur tale sal in aqua appropriata, & fiat instar lixivii liquidioris: in hoc lixivium debitè infundatur gum. Lacca, & exinde lixivium apparebit eleganter rubicundum: addatur tantillum aluminis, & postmodū filtretur, qui liquor filtratus est elegantissimus in quàm plurimis dentium affectibus, in specie in scorbuto oris, in quo non habetur par ipsi remedium.

Non rarò etiam nudi succi vegetabilium expressi usurpantur pro Dentrificijs liquidis: sic v. g. usitatissimum est in scorbuto oris accipere succum nasturtii, & cochleariæ, & eosdem diluere cum succo beccabungæ; & his invicem mistis solent fricari & abstergi dentes.

Imò fiunt etiam destillata pro dentifriciis liquidis: v. g. ex salvia & floribus ligustri fit egregium dictum dentifricium, cui si adsit scorbutus, permiscendus est spiritus cochleariæ ad debilem acrimoniam: si adsunt ulcera oris & gingiuarum, miscendum aliquid mellis rosati pro detersione: si adsunt ulcera rebellia in ore, tunc dicto huic addenda veniunt folia plantaginis, & postmodum cum melle rosaceo dissolvendæ aliquot guttulæ spiritus vitrioli vel salis ad subtilissimam aciditatem: quoniam hæc valdè abstergunt, & detergunt ulcera, eademque mundificant.

Talia liquida Dentifricia etiam non rarò sunt acetum, scilicet non adeo acre, infusione herbarum appropriatarum imprægnatum: & sæpius usurpatur acetum tale in dolore dentium, si scilicet aceto infunditur radix bistortæ, lapathi acuti, iridis Florent. cum cypero aut floribus rosarum, cum persicaria & similibus. Acetum tale detinetur in ore, & fricantur dentes ad detergendas aut abstergendas sordes, & dolorem sedandum.

Phlegma aluminis vel solum vel affusione cujusdam liquoris appropriati imprægnatum, elegans est ad firmandos dentes vacillantes: Nasturtium decoctum in vino & gargarisatum dentes vacillantes firmat, & etiam fœtorem corrigit; Ruta in vino cocta similiter conuenit contra cariem dentium, etiamsi ea fit ex scorbuto.

CAPUT LXII.
DE
GELATINIS.

Gelatinæ parantur vel ex *fructibus* non nimis succulentis, vel ex *partibus animalium durioribus*.

Quoad *prius*, fructuū nempè gelatinas: exprimitur succus, clarificatur & coquitur; quales sunt v. g. gelatina cydoniorum, pomorum, pyrorum, ribium, &c. & quæ per se sine sacchari additione non consistunt: reliquis fructibus non necessariò addendum est saccharum: si his addantur pulveres laxativi, fiunt *Gelatinæ laxativæ*.

Quoad *posterius*, ex partibus animalium durioribus, cornubus atque ossibus raspatis, substantia mucilaginosa cum aqua simplici decoquendo elicitur: quæ quia in loco frigido sponte congelascit, nomen Gelatinæ accepit: & hoc modo fit Gelatina cornu Cervi, cranii humani, priapi cervi, &c.

Duplex autem Gelatina in officinis prostat, vel simplex, vel acida. Posterioris ratio est, quod Gelatinæ per se facilè corrumpantur & mucescant: ne ergo hoc fiat, aceto imprægnant, vel in eodem ipso coquunt, vel liquor nunc in decoctione, nunc post colaturam imprægnatur s. q. spiritus vitrioli; sic enim gelatina acquirit saporem acidulum; sed malè, quia ratione acidi substantia ejus alteratur & invertitur, atque effectus impeditur. Usurpetur ergo Gelatina recens per se parata: Si tamen gelatinas acidas reddere placuerit, modus sequens est elegans. Sit v. g. *Gelatina cornu Cervi composita acida*:

℞. *Ras. cornu Cervi* ℔ß.
Sem. anisi ℥iij.
Cinnam. opt.
Macis,
Nuc. Moschatæ an. ℥ij.
Cardamomi,
Caryophyll. an. ℥iß.

Contund. & misc. in mortario, indantur cucurbitæ alembico suo munitæ, affundendo
Aceti destillati,
Succi citri rec. dep. an. ℥j.

Coquantur ad quadrantem horæ: coletur per linteum & purgetur ab excrementis: post addantur
Sacchari albi ℥iv.

Colatura congelata erit *Gelatina acidula aromatica* suavis pro usu stomachico in febribus.

Huc etiam pertinet ZWELFERI *Gelatina caponis & antiphthisica*: de quibus vid. *Pharm. Reg pag.* 86. *&* 239.

Interdum liquori post colaturam additur tinctura santali rubri, tornæ solis, tinctura florum bellidis, &c. & sic gelatina coagulata apparebit rubra, & dissecta in frustula imposita in scatulam ligneam, transparebit instar rubini.

Gelatinæ hæ animalium videntur maximam partem eadem substantia, quæ aliàs in destillatione sub forma larvata spiritus, salis volatilis, & olei prodit, quæ tunc coquendo in aqua soluta frigore denuò concrescunt in formam & consistentiam spissam. Constant adeoque gelatinæ ore seu succo glutinoso nutritivo, copioso sale volatili imprægnato; hinc sunt adeo analepticæ & nutritivæ. Unde etiam cum cineribus ossium vel cornu Cervi usto mistæ Gelatinæ per retortam destillatæ, sal volatile & oleum præbent: hinc etiam ossa & cornua, ex quibus gelatinæ fuerunt extractæ, si destillentur, parum vel nihil salis volatilis suppeditare dicuntur. Par ratio etiam est de cornu Cervi aliisque ossibus animalium, sine igne seu philosophicè calcinatis, quod multum de viribus amittant, quantum scilicet aqua elicere potuit; adeoque vix quartam partem salis volatilis, ac ante calcinationem, exhibere solent; unde optimè sub usu iisdem sal volatile cornu Cervi additur, ut quasi denuò animentur.

Quoad *usum Gelatinarum*, sanè sunt egregiè nutritivæ seu analepticæ, temperativæ acrium quorumvis humorum, & propter sal abundans volatile refrigerativæ. Diu asservari nequeunt, quin fœtidæ fiant, unde recentes usurpandæ, vel additione aceti plus minus à facili corruptione præservandæ, quæ tamen acidæ gelatinæ, ut supra dictum, minus valent.

Sub usu priùs in cochleari ad candelam distillat, ut ita liquefacta potui ordinario infundi possit pro suis operationibus, ad quas conferunt. Dosis est ab ℥j. ad ℥ij. vel ℥iij. Non rarò etiam solent permisceri Julepis & potionibus: E. g. fit *Julepus* præscribendus *in febre maligna cum convulsionibus*:

℞. De-

℞. *Decocti rad. scorzon.* ℥viij.
In quo dissolv.
Gelatinæ cran. humani ℥ß. vel ℥vj.
Tincturæ flor. pæon. ʒij.
(vel *hujus* & aquileg. ana ʒj.)
Spiritus vitrioli philosoph. (vel quod melius *Spiritus vitrioli volat.* seu *cephal.*) parum.
Misc. pro Julepo.
In specie

GELATINA CYDONIORUM

Convenit in affectibus intestinorum & stomachi: imprimis post pastum usurpata conveniens est ad roborandum stomachum, & impediendas phlogoses, quæ solent interdum suboriri, & faciem rubificare.

GELATINA POMORUM.

Convenit pro dissolutione in potu appropriato in affectibus melancholicis.

GELATINA PYRORUM.

Convenit ferè cum gelatina cydoniorum in affectibus ventriculi & intestinorum.

GELATINA CORNU CERVI.

Diaphoretica est; in febribus ardentibus, infantum præprimis, convenit, & morbis malignis, ubi opus est expulsione, & blandâ corporis ad diaphoresin dispositione. Præterea valdè convenit hæc gelatina in diarrhœa & dysenteria epidemica maligna, in potu dissoluta; imprimis in diarrhœa epidemica, in qua valdè conducit.
Post gelatinam cornu Cervi solet etiam prostare in officinis

GELATINA CRANII HUMANI,

Eodem modo præparata atque gelatina cornu Cervi. Hæc valdè convenit in febribus malignis cum convulsionibus epilepticis, aut ipsa epilepsia conjunctis, quales sunt variolæ in principio ante eruptionem. Convenit etiam in aliis capitis affectibus; in specie in dysenteria prodest, utpotè in qua rasura cranii humanis, violentâ morte interempti, singulare est experimentum ad sistendum fluxum dysentericum.
In quibusdam officinis solet prostare

GELATINA EBORIS,

Quæ convenit, ubi opus est corroboratione, & sanguinis craseos restitutione. Item dissolvitur in potu ordinario mulierum, fluxu albo laborantium, uti etiam dissolvitur in potu eorum, qui laborant fluxu sanguinis hepatico.

CAPUD LXIII.
DE
INFUSIONIBUS.

De his sufficienter *cap.* 49. egi: Nunc post decocta officinalia sequuntur Infusa officinalia, in quibus Infusis species infundendæ adsperguntur non rarò, uti superius monui, cum spiritu appropriato, item tinctura appropriata, pro affectu à Medico destinato.

Quoad *Infusa Autoris nostri*, parum monendum restat.

Num. 1. *pag.* 227. *Infusio Cholophlegmagoga* se offert, ubi agaricus male in aquis destillatis infunditur, quia substantia ejus est resinosa, quæ in spiritu vini, aut alio menstruo spirituoso, sale tartari acuato, infundenda est.

VINUM ARTHRITICUM.

Porrò *vinum arthriticum*, præter plantas appropriatas, lignum guajacum, & viscum quercinum continet, quæ certissimè per fermentationem vim exerunt: sic vinum iufusionis guajaci in morbis venereis chronicis & vitiis lymphæ multum valet.

VINUM PURGANS.
Num. 5.
&
CLARETUM LAXATIVUM.
Num. 7. *pag.* 228.

Malè semen Carthami, jalappa, turpethum & mechoacanna, infunduntur cum aliis in vinum, ceu menstruum aquosum: quod ipsum ex his subjectis resinosis nihil extrahere solet.

Ad infusa hæc, sed mediæ quasi texturæ, inter Decocta & Infusa sunt Fermentata, cùm fermentationis motu penitus referetur concretum illud, & quasi occultè decoquatur, absque tanta volatiliorum sulphurearum particularum jactura, unde & cerevisiæ & vina medicata exsurgunt. Parantur tunc species medicamentosæ, vel sumantur simplicia, quorum virtutibus volumus impraegnare vinum, partim eadem incisa injicuntur, partim in nodulo laxiore inclusa in mustum infunduntur, musto fermentanti, aut in nostris regionibus septentrionalibus cervisiæ, vel sub decoctione adduntur, vel eidem decoctæ, dum ad fermentationem se disponit, infunduntur, ut ita beneficio fermentationis, ipsorum simplicium mistionis vinculo soluto, eorum virtutes medicinales impraegnent vinum, & cum eodem intimè & arctissimè se uniant, uti notum est in vino absinthite, in vino cochleariæ, & aliis vinis medicatis, tam simplicibus, quàm compositis.

Pro paranda cerevisia medicata convenientissimum est, ut unà cum lupulo recipiantur plantæ medicamentosæ, eæque lupulo commistæ unà coquantur: & ita postmodum istud decoctum per fermentationem, dum fit cerevisia, habebit simul ingredientium virtutes medicinales; sicut communis cerevisia in se complectitur virtutes lupuli. Quod si adhuc fortiorem volumus parare cerevisiam medicatam, præter talem decoctionem etiam tunc temporis, quando jam cerevisia incipit fermentare in cadis majoribus, vel quando jam cerevisia inclusa est suis vasis, possumus infundere adhuc vel simpliciter, vel nodulo ligatas species medicinales, dum fermentatur cerevisia, ut ita generosior & efficacior fiat *cerevisia medicata*.

Tales potus medicati sunt convenientissimi pro usu quotidiano in morbis chronicis contumacioribus; sic vinum absinthites & cerevisia absinthiaca conveniunt in scorbuto, cachexiis, malo hypochondriaco, & similibus affectibus, quorum radix solet esse in stomacho & primis viis; & observatum, vinum & cerevisiam absinthiacam simul blandum suavem iuducere somnum.

Cerevisia rorismarinata convenit mulieribus in earum affectibus. *Vinum florum acaciæ* valdè convenit in purificanda & depuranda massa sanguinea: *Vinum cochleariæ* convenit iis, qui laborant scorbuto, aut affectibus propiùs ad scorbutum accedentibus, quales sunt hypochondriaci: *Cerevisia scolopendriata*, Germ. *das Hirsch Zungen-bier* conducit morbis chronicis spleni vulgò attributis, quartana, ictero nigro, hypochondriaco affectus, & similibus aliis.

In hoc ipso negotio omnes reliquas nationes superant Angli in conficiendis cerevisiis medicatis: hi ipsi enim habent cerevisiam cochleariæ egregii saporis, & elegantem in scorbuto, quo aliàs eorum regio epidemicè est infecta: item habent cerevisiam paratam cum radice chinæ, quæ est potus usitatus iis, qui laborant lue venereâ & catarrhis, rationes ingredientis ligni sassafras: habent cerevisiam medicatam cum corticibus citri & limonum, quam usurpant in morbis malignis, & similibus, ubi vires sunt deperditæ, & prostratæ.

HELMONT in suis scriptis præcipit, ut fiat nodulus ex cinnabari antimonii vera, ista scilicet, quæ paratur ex vero sulphure antimonii (præparationem docet TACHENIUS *in Hipp. Chymico*) cum Mercurio vero antimoniali: Hæc nodulo inclusa si infundatur in cadum vini vel cerevisiæ, singularem virtutem & efficaciam medicinalem communicari illi ex iisdem asserit, uti *videri potest in scriptis*.

Faciunt hoc & alia fermentata artificialia, in quibus speciatim excellit SALA *in Saccharol. pag.* 168. ubi speciatim liquores florum fermentati medicinales elegantes *P.* 1. *cap.* 7. 8. & 11. Sic pariter ex aliis vegetabilibus fermentando potus vinosi fieri possunt: Sic ex passulis & succo pomorum Borsdorffianorum invicem fermentatis fit elegans potus vinosus alterans instar vini Malvatici, ad compescendum æstum in febribus continuis.

℞. *Passul. min.* ℥xv.
Hæ ipsæ bene abluuntur, contunduntur, & infunduntur in *aquæ fontanæ puræ* ℔iv. adde *tartari albiss.* ℔ß.

In cucurb. vel vase terreo, vel stanneo immittuntur Balneo Mariæ, & per horas tres blandæ macerationi committuntur ad dissolutionem tartari, post removeantur ab igne, & in nodulo infundatur fermenti pistorii quantitas castaneæ in loco moderatè calido per diem & noctem, fermentet, & post exponatur in cellam, vel alium locum frigidum, & intra tres vel quatuor dies est potus gratus instar musti.

Usus est in febribus ardentibus, in æstu corporis alterando, tabidis & phthisicis, aliisque morbis chronicis & contumacioribus, uti dixi de succo pomorum Borsdorffianorum. Potio magis medicamentosa fit, si infunduntur sub fermentatione hydropi, phthisi, mensibus, aliisque affectibus mulierum magis specifica.

Sic *ex passulis* & saccharo affusâ s. q. aquæ per fermentationem fit suavissimum *Vinum instar Petri Simonis*.

Cæterum talia vina & tales cerevisiæ medicatæ non possunt fieri, nisi ab iis qui habent occasionem hæc ipsa parandi; propterea usitatum jam est, ut ex tempore fiant vina medicata, infundendo simplicia vegetabilia super vinum, ut per digestionem vinum impregnetur his ex simplicibus, & ut quotidie semel vel bis accipiatur bonus haustus: de quibus *plura in Colleg. Form.*

CAPUT LXIV.
DE
JULEBIS & MORETIS.

Sequuntur Julebi, quando scilicet Mistura dilutior rubicunda præscribitur pro usu continuando, in specie in febribus ardentibus, benignis & malignis. Scopus est temperandi sitim & æstum. Loco potus ordinarii sæpè præscribuntur; in alium tamen usum apud veteres. Cum enim in locis meridionalibus potus ordinarius sit vinum, in septentrionalibus cerevisia; uterque verò (1.) in malignis morbis sit fermentativus, & augeat ebullitiones, (2.) sit gravis stomacho, ut non facilè possit concoqui, & stomachi insuper vis debilitata, propterea loco potus ordinarij præscribitur Julepus adhæc, ut sitim compescat, ebullitiones sedet, & blandè refrigeret. Est itaque Julepus genus potionis, quod præscribi solet pro aliquot dosibus, ut non seu rarò mensuretur dosis certa, sed ad ℔j. vel ℔iß. præscribuntur, ut exinde hauriat æger quantum placet. Unde quoniam debet propinari ægris, ut exinde reficiantur, propterea nihil admiscendum est, quod sit ingratum gustui, sed ex gratioribus & suavioribus debet componi. *Exemplum* esto *Julepi in febribus malignis* pro temperando æstu atque siti:

℞. *Aquæ simpl.* ℔iß.
Vini Rhenani ℥ix.
Mistis his adde
Pomum citri dissect. & nonnihil expressum,
Gelatin. cornu Cervi rec. parat. ℥ij.
M. f. *Julepus.*

Observandum hic:
1. Vinum omnibus febricitantibus necessariò dari.
2. Gelatinam his per se misceri non posse, nisi super carbones in cochleari teneatur; ita enim dissolvi, & misturæ addi potest.

Talis Julepus servat corpus in diaphoresi, nec stomacho nocet propter vinum, & gelatina est appropriata.

Julepis autem pro corpore ordinario inservit aqua, vel vulgaris vel appropriata medicata, nunc decoctum vel alterans usitatum, vel decoctum hordei, vel simplex vel cum cornu Cervi, &c. His postmodum saporis & coloris gratiâ ordinariò addũtur dissolvẽda, ut syrupi & succi, nunc conjunctim, nunc verò separatim: deinde adduntur ratione coloris tincturæ officinales usitatæ, & in fine spiritus imprimis minerales, sive sit salis, sive nitri, sive vitrioli, dosi indeterminatâ, sed additur tantum q. s. pro grato acore vel sapore plus minus, prout jam dissoluta ingredientia fuerunt vel magis vel minus acida. Et hi spiritus interdum sumuntur absolutè acidi, interdum præscribuntur cum spiritu vini dulcificati, qui modus posterior præferendus priori; quoniam non excedunt tales spiritus dulces, sed sunt temperati, hique adduntur propter majorem alterationem. Proportio est talis, ut ℔j. corporis aquei respondeant syrupi ℥ij. & succorum ℥ij. tincturæ ʒij. vel ad summum ʒiij. spiritus q. s. pro grato sapore; & hæc proportio valet, si conjunctim misceantur cum syrupo; sin verò seorsim, augeatur eorum dosis.

Ut rem declarem per exemplum: sit v. g. præscribendus Julepus in febre ardenti simplici hoc modo:

℞. *Aquæ font.* vel etiam *Decocti alterant. usit.* (quodcunque libuerit) ℔j.
Succi berber.
Ribium an. ℥j.
Tincturæ flor. rosar.
Violar. an. ʒj.
Syrupi acetos. citri ℥ij.
Spiritus salis vel vitrioli q. s. pro grato acore.
M. D. S.
Iulepus refrigerans pro aliquot dosibus.

Aliud *exemplum Juleporum* præscribendorum *in febre maligna*, in qua corpus est disponendum ad lenem sudorem vel diaphoresin, & etiam interna malignitas appropriatis compescenda: v. g.

℞. *Decocti cornu Cervi* vel *simpl.* vel *cum rad. scorz.* ℔j.
Succi citri rec. expr. ʒij.
Syrupi rub. idæi,
Acetos. citri an. ʒvj.
Spiritus nitri dulc. q. s. pro grato sapore,
M. f. Julepus.
D. S.
Julepus confortans & evacuans pro aliquot dosibus.

Plures formulas, earumque pro varietate morborum variandi modos, vidibitis in *Colleg. Formular.*

Hoc loco examinandi veniunt Julebi AUTORIS, in quibus in genere parum monendum; saltim addendæ tincturæ florum, sic fiunt elegantiores, & magis grati.

In specie *num.* 1. Male decoctum cornu Cervi usti recipitur, cum ex hoc nil possit elici: potius rasuræ cornu Cervi decoctum sumatur, hoc enim gelatinâ ejus impregnatum, egregium est corpus pro pluribus Julepis.

Num. 3. *Aqua* seu *Decoctum hordei* veteribus frequentissimo in usu, non adeo crebrò amplius adhibetur; propter sui enim cruditatem stomachum turbat, flatus generat, ejusque tonum non leviter laxat.

Prostant nonnunquam in officinis quidam *Julepi* extemporanei, qui vocantur *Julepus violaceus*, rosaceus, sambucinus, &c. qui sunt aquæ istorum simplicium s. q. sacchari edulcoratæ: & usurpantur tales Julepi in officinis prostantes loco edulcorationis aliarum potionum.

Quod attinet *Moretos pag.* 230. apud nos non sunt in usu, ut apud Francofurtenses *& in Suevia.* Sunt potus vinosi compositi, seu vinum, in quo pro basi dissolutum rob diamorum, cum vel sine saccharo paratum; cui & species aromaticæ solent addi. In usu sunt gravidis ad roborandum fœtum & uterum, ne abortus sequatur. Nos præscribimus vina aromatica.

CAPUT LXV.
DE
LAPIDIBUS.

Lapidis vox plurium significationum est: in genere, quoad sensum chymicum, est omnis res fixa, sicca, non evaporabilis: sic excellit in specie lapis mineralis Philosphorum, ad cujus imitationem & aliæ particulares tincturæ lapides subinde dicuntur, ut v. g. *Lapis Ignis Basilii Valentini.*

Lapis vegetabilis clarè satis ab AUTORE est definitus: est nempè Quinta ejus Essentia in forma sicca. Par ratio est *lapidis animalis* ex principiis animalium in sicca forma conjunctis.

LAPIS CORROSIVUS.
num. 1. *pag.* 231.

Conficiuntur *lapides corrosivi* nunc ex alcalibus fixis, nunc ex acidis: Illa minus tuta sunt; diffluunt enim facilè ab humore per cutim transpirante dissoluta, ac ita inæqualiter corrodunt, nec semper in loco debito escharam inducunt. Acida ergo hodie sunt usitatiora, quæ inter excellit *Lapis Infernalis* dictus, ex luna nempè paratus.

LAPIS
seu
MAGNES ARSENICALIS.
num. 2.

Nobilis hic admodum est propter arsenici correctionem, ac nobilem ejus usum. *Primus* AUTOR est ANGELUS SALA *in Anat. Vitriolis pag.* 381.

℞. *Arsen. albi,*
Antimonii,
Sulphuris an. part. æqual.

Sulphur liquescat spontè in tigillo, cui addantur arsenicum & antimonij pulverisati & agitentur probè donec consistentiam instar terebinthinæ acquirant.

Sed observanda probè est encheirisis in ejus præparatione: ut nempè, ubi omnia liquefacta fuerint, paulò diutius in igne asserventur; sic enim elegantior & instar vitri tincti apparebit Magnes. Convenit egregiè in tumoribus malignis, bubonibus & anthracibus pestilentialibus, pro eliciendo veneno, adeò ut pars nigrescat, & crusta decidat, quo facto illius residuum facillimè consolidatur per balsamum sulphuris: hinc basin constituit nobilissimi *Emplastri magnetici arsenicalis* contra tumores pestilentiales ANGELI SALÆ, cujus usum per experientiam comprobatum videbitis in BARBETTE *Descriptione Pestis, ubi de Bubonibus.* Egregius pariter hic lapis pulverisatus est amuleti instar appensus in morbis contagiosis ac peste ipsa pro præservatione corporis: Sic pariter pro fonticulis absque dolore inurendis egregius est hic lapis. Hic scilicet solus, vel cum dimido terræ vitrioli dulcis, terebinthinâ exceptus, applicatur loco; sic escharam sine dolore excitabit. AUTOR est ANGELUS SALA: conf. etiam *Exegesis* TENZELII *super Salam pag.* 680. *num.* 3. 4. *seqq.* Idem Magnes Arsenicalis est mirabilis in sphacelo & gangræna in separanda parte putrida & corrupta à sana sine dolore & sine ferro & igne.

Sequuntur plures *lapides medicamentosi pag.* 131. *&* 132. Sed in omnibus ferè res eò recidit, saltim quod variata sit ingredientium proportio: Nempè basin constituunt *nitrum*, *alumen*, *cerussa*; quibus subinde alia adduntur; hinc compendiosam hujus lapidis medicamentosi præparationem vid. in LUDOVICI *Pharm. pag.* 793. Sed elegantem compositionem videbitis in *du* HAMEL *de Affect. Corporum pag.* 408.

Usus in genere est saltim chirurgicus, siquidem exsiccant & adstringunt validè; hinc in ulceribus manantibus, excoriationibus partium profun-

Profundioribus, in Eryſipelate, ſerpiginibus, &c. applicatur pars talis lapidis in aqua communi ſoluta cum linteo multiplicato. Abſorbet nempè acidum, talium pathematum autorem, firmat fibras, ut roboretur pars, adſtringit poros, ut ita ſucceſſivè curentur tales affectus.

CAPUT LXVI.

DE

LIQUORIBUS PER DELIQUIUM.

Liquores dicti in officinis, uti ſunt *liquor* coralliorum, perlarum, cryſtallorum, &c. ex concretis terreis, & quaſi alcalinis, in aceto ſolutis, evaporando ad ſiccitatem redactis, & hinc in aere frigido & humido, v. g. cella, per deliquium in liquorem ſolutis parantur quali ratione dixi de terra ſigillata, quod præparetur *liquor ſtypticus Prævotii*. Solent etiam à quibuſdam vocari hi liquores olea per deliquium, quo nomine ſpecialiter venit *oleum tartari per deliquium*, ſeu *ſal fixum in liquorem diſſolutum in loco frigido & humido*. Liquores coralliorum, perlarum, lapillorum cancrorum, &c. remedia ſunt uniusejuſdemque naturæ & eſſentiæ: unus valet tantum quantum valet alter; & tantum valet liquor lapillorum cancrorum, quantum valet liquor perlarum: Non ergo tanti ſunt pretii, quin extemporaneâ mixturâ longè commodiùs præparentur ac diſpenſentur. Conveniunt aliàs in ſanguine congrumato diſſolvendo, unde conducunt in caſu ab alto, & ſimilibus. In ſpecie liquor coralliorum valdè convenit pro compeſcenda ebullitione variolarum, & promovet earum expulſionem: pro quo uſu hujus liquoris coralliorum guttæ 20. ad 30. propinantur infantibus in liquore appropriato, vel etiam inſtillatur ſ. q. hujus liquoris in potum infantum: in principio variolarum ſedat ebullitionem, uti dixi, & etiam excretionem promovet.

LIQUOR ARSENICI.

Commendatur in cancro, & exulceratione imprimis mammarum, in qua ipſa tamen cautè neceſſe eſt, ut applicetur: in quo caſu ipſi à quibuſdam præfertur liquor calcis vivæ; qui liquor aliàs vocatur

LIQVOR AD ULCERA,

Et deſcribitur ab AVTORE *noſtro*.

Hic liquor ad ulcera egregiè convenit contra ſerpigines & contra lichenes. Poteſt priùs ante fuſionem in cella elici ſpiritus ſalis ammoniaci volatilis, qui cum calce vivâ paratus admodum eſt elegans; ex capite mortuo poſtmodum poteſt extrahi ſal, quod liqueſcit in cella in liquorem.

LIQVOR CRYSTALLORVM.

Commendatur in calculo, & morbis nephriticis & urinariis.

LIQVOR SATVRNI.

Eſt ſaccharum ſaturni reſolutum, ſeu oleum Saturni. Convenit imprimis ad uſus externos, tam ulcera inflammata, vel inflammationes ulcerum, quàm in uſum coſmeticum pro tollendis nævis & maculis.

OLEVM TALCI.

De oleo Talci ſuo loco dixi, quod nondum verum ſit repertum. Huc pertinet

LIQVOR LVMBRICORVM.

Ex lumbricis, longâ digeſtione in liquorem reſolutis: tota enim ſubſtantia lumbricorum in liquorem diſſolvitur, ſolis relictis pellibus vacuis, qui liquor deſtillatus dat egregium ſpiritum, uti *ſuo loco dixi*.

Pelles verò iſtæ, ſi dejiciantur in locum fœcundum in hortum vel pratum, in copioſos abeunt lumbricos.

LIQVOR MYRRHÆ.

Liquor myrrhatus fit ex myrtha, ovo elixato, exempto vitello, indita; ſic enim liqueſcit in oleum in cella. Eſt egregium coſmeticum contra rugas ſeniles, item quod implet foveas poſt morbillos & variolas.

LIQVOR LITHONTRIPTICVS COMPOSITVS.

Liquores nephritici dicti non reijciendi, quin vi egregiâ polleant. Aliquot horum præparationes dedi ſuperiùs, ubi de lapidibus non pretioſis. Præ aliis elegans & non minùs efficax fit oleum lithontripticum ex calce viva ſpiritu ſalis; ſic enim fit liquor per deliquium: ſi nimirum liquefacta & coagulata in crucibulo igne forti ponantur in cellam: ibidem enim diſſolvitur in liquorem magnæ laudis in calculo.

CAPUT LXVII.

DE

MAGISTERIIS.

Magiſterii vox multas habet ſignificationes in alchymia: datur enim magiſterium magni lapidis; ſicut etiam *Quintæ Eſſentiæ* vocantur *Magiſteria*: olim in magno habita fuerunt pretio, quæ hodie maximè eviluere, dum per Magiſteria nil aliud inſinuatur, quàm remedium in pulveris forma ex præmiſſa corroſione aut ſolutione, per ſubſequentem præcipitationem, aut alium ſimilem modum, ſeparatum denuò, in ſicca conſiſtentia uſurpandum: V. g. ut vulgare dem exemplum: ſi recipiantur corallia & ſolvantur in quocunque liquore acido, ſolutum filtretur & præcipitetur injectione cujuſdam alcali, v. g. olei tartari per deliq. vel injectione lixivii, tunc enim corallia à menſtruo ſoluta præcipitantur in fundum, & pulves præcipitatus dicitur *Magiſterium*; quod ſeparatur per filtrum à liquor ſupernatante, & poſtmodum crebrioribus ablutionibus in aqua communi edulcoratur, & tandem exſiccatur. Magiſteria ergo conſtant duplici præparatione:

1. *Solutione corporis*.
2. *Soluti corporis præcipitatione*.

Præcipitatio ſolutioni videtur contraria: nam ſicut ſolutio eſt abſorptio & imbibitio objecti ſolvendi, facta à menſtruo ſolvente; ita præcipitatio eſt ſeparatio particularum ſolutarum objecti ſoluti ex menſtruo ſolvente: Et quoniam iſta ſeparatione partes ſeparatæ imprimis cum impetu ad fundum ſecedunt, propterea vocatur Præcipitatio, & quidem Præcipitatio totalis: ſin verò partes ſolutæ non ſeparantur ad fundum, ſed tantummodo aliquantiſper extruduntur è porulis menſtrui ſolventis, cujus ſignum eſt, quando liquor antea perſpicuus fit opacus vel coloratus, tunc vocatur Præcipitatio particularis. Dabo exemplum: in ſolutione perlarum ſeu coralliorum cum aceto deſtillato, ex affuſione vel ſpiritus vitrioli vel olei tartari per deliquium præcipitantur perlæ ſeu corallia ad fundum, & eſt perfecta ſeu totalis præcipitatio. Verùm ſi fiat ſolutio radicis jalappæ in ſpiritu vini, & affundatur aliquantulum aquæ ſimplicis, non verò ſufficiens ejus quantitas; tunc liquor rubicundus & perſpicuus ſubito palleſcet & albeſcet, fitque opacus, quoniam fit præcipitatio aliqualis, non verò perfecta ſeu totalis, ſed tantummodo partialis.

Fundamentum omnis *præcipitationis* conſiſtit in duobus: nam præcipitatio fit, vel quoniam menſtrui pori ſunt nimis anguſti, aut propter repletionem, aut propter conſtrictionem, ut non poſſint amplius continere particulas corporis ſoluti; vel ſecundo modo fit præcipitatio propter gravitatem particularum ſolutarum, quas non poteſt amplius in ſe continere liquor. De ſingulis dabo exempla: Nam ſcilicet v. g quædam ſunt eſſentiæ vegetabilium, quæ in loco calido eleganter ſunt perſpicuæ, tenues ac coloratæ; ſin verò exponantur aeri frigido, fiunt turbidæ, craſſæ & opacæ: propterea, quoniam calor attenuaverat poros menſtrui, ut perfectè in ſe abſorpſerat particulas ſoluti corporis: in frigore verò ſubit adſtrictio pororum, quibus adſtrictis, particulæ ſolutæ aliquantiſper extruduntur, & ſic fit *præcipitatio particularis*. Aliud exemplum quoad *repletionem pororum*: ſi ſolutioni veneris in ſpiritu nitri factæ injiciatur lamina Martis, tunc præcipitabuntur particulæ venereæ ad fundum; propterea, quoniam ſpiritus nitri, diſſolvens laminam Martis injectam, imbibit particulas ferri corroſas, quæ particulæ ferri corroſæ replent poros ſpiritus nitri, & ita iſtâ repletione extrudunt particulas veneris metallicas. *Propter gravitatem præcipitationis* dabo exemplum: ſi lacti injiciatur acetum, tunc ex ſubita coagulatione ad fundum ſecedit pars caſeoſa: ratio, quoniam acetum ſeſe conjungit cum particulis caſeoſis, & facit, ut ſe invicem amplectantur, quo amplexu unitæ fiunt graviores, ut non amplius poſſint contineri in liquore antiquo, vel in lacte.

Hæc in genere de Præcipitatione. In ſpecie ſolutio facta per aquam aut menſtruum aquoſum, raro præcipitatur, niſi ſponte fiat ſeparatio per exhalationem menſtrui aquoſi.

Extractiones vel ſolutiones factæ per ſpiritus inflammabiles, v. g. ſpiritum vini, olea, præcipitantur imprimis per injecta aquoſa; uniunt enim ſe promptè particulæ aquoſæ cum ſpiritu vini, ut ex iſta impletione pororum ſpiritus vini particulæ ſolutæ præcipitentur, ſive totaliter ſive partialiter. Multi addunt aquam, vel acetum, vel ſuccum citri, vel aliquem liquorem certum acidum, ut promptiùs procedat talis præcipitatio ſolutionum per ſpiritum vini factarum, & ſiunt præcipitata reſinoſa.

Possunt prætereà solutiones per spiritum vini factæ præcipitari per spiritum urinosum, spiritum urinæ, spiritum salis ammoniaci, quoniam partes aquosæ horum spirituum se uniunt cum spiritu vini, & sic fit præcipitatio essentiæ.

Ea, quæ sunt *soluta per alcalia, præcipitantur per acida*: & contra omnia, quæ sunt *soluta per acida, præcipitantur per alcalia*, sive sint volatilia, sive fixa: V. g. esto solutio perlarum ex quocunque liquore acido, sive vegetabili, sive minerali ex vitriolo: Huic solutioni si instillentur quæcunque salia fixa, vel in aere diffolutum oleum tartari, sive instilletur spiritus urinæ, sive spiritus sanguinis humani, tunc promptè præcipitabitur solutio facta per acida: è contra si per lixivium forte extrahatur sulphur antimonii, vel solvatur commune sulphur in tali lixivio forti, tunc aspersione cujuscunque acidi promptè sulphur extractum & solutum præcipitatur ad fundum: Et quidem tales præcipitationes factæ ex acido, v. g. citri, &c. cum oleo tartari similibusque alcalicis, semper fiunt cum effervescentia, quoniam ista salia arctissimo amplexu se uniunt, & ista unione fit extrusio particularum solutarum cum tali effervescentia.

Porrò istæ *solutiones factæ per acida debilia, præcipitantur per acida fortiora*: sic v. g. solutio lapillorum cancrorum facta cum succo citri, cum aceto, &c. præcipitabitur promptè per spiritum vitrioli, vel oleum sulphuris destillatum per campanam. Singularis est antipathia, quam habet sal commune cum nitro; omnia enim, quæ sunt soluta à nitro, præcipitabuntur à sale: sic v. g. si solvatur argentum in spiritu nitri rectificato, vel etiam in aqua forti, tunc in solutionem injiciatur sal commune, vel spiritus salis, confestim præcipitabitur ad fundum argentum. Idem è contra facit nitrum sali: Sic v. g. butyrum antimonii, quod est solutio antimonii cum spiritu salis, præcipitabitur infuso spiritu nitri in *Bezoardicum minerale*, sicque in similibus. Et nihilominus tamen hoc singulare est, quod spiritus nitri, si debeat solvere aurum, necesse sit, ut rectificetur à sale communi, ut fiat aqua regis: aliàs hic spiritus nitri nequaquam potest solvere aurum; & spiritus nitri ita fortificatus cum spiritu salis, ut solvat aurum, ineptus postmodum evadit ad solvendum argentum, cum tamen spiritus nitri, antequam permisceatur cum sale, optimè solvat argentum. Plura qui cupit, videat ROLFINCIUM & WILLISIUM.

Magisteria quod attinet: parantur ex trium regnorum subjectis, mineralis, vegetabilis, & animalis.

Ex mineralibus frequenter Magisteria in spiritu nitri, aqua forti, & aqua regia, aliove simili menstruo acido solutis, & alcali quodam contrario præcipitatis, conficiuntur, uti v. g. in auro fulminante evidens est: vel in spiritu salis solutis cum spiritu nitri præcipitantur, ut Bezoardicum minerale ex butyro antimonii edocet: vel in aceto destillato, aut spiritu viridis æris, aut spiritu salis solutis, cum spiritu vitrioli præcipitatis, ut in magisterio butyraceo plumoso vel resolubili coralliorum.

Sed circa hæc notandum:

(1.) Plurima eorum obtinere hinc vires suas medicamentosas multiplices; ut in auro fulminante, v. g. quoad epilepsiam puerorum; Bezoardico minerali, quoad vim alexiteriam, diaphoreticam &c. manifestum est.

(2.) Plura eorum ex cohæsione salium, tam solventium, quàm præcipitantium, cum corpore soluto, indeque nata nova textura, novas operandi vires acquirere, ut in auro fulminante apparet, cujus vis fulminandi simpliciter artis effectus est.

(3.) Quædam illorum effœta penitus, & ceu calces cum salibus compositæ, nil operativa existere, ut in magisteriis coralliorum, lapidum, nec non animalium magisteriis &c. evidens est: ratio est; quoniã pulveribus semper adhærent menstrua corrosiva, uti etiam liquores, cum quibus præcipitantur; adeò ut nunquam, etiam si centies repetatur edulcoratio, possint salia acida à magisteriis separari. Ab his in præparatione magisteriorum simplicia à menstruo omnino invertuntur, & aliam acquirunt naturam: v. g. si consideremus magisterium coralliorum, magisterium perlarum, ac in genere omnia mineralium ac animalium magisteria, tunc videbimus in præparatione, quod ex effervescentia menstrui acidi ingens excitetur ebullitio, & impetuosa effervescentia, eaque fit propterea, quod menstruum acidum concurrat cum particulis alcalibus, ac sale volatili simplicis solvendi: ex concursu menstrui cum simplici fit pulvis salsus, aut potius calx quædam remanet insipida: & ex concursu salium in omni liquore perfectè solutorum, conjungunt se fortiter acidum cum parte volatili simplicis, & abeunt in tertium salsum indigestibile, ac indissolubile in corpore humano; aut si solvantur, neque tamen absorbet, neque aliquid aliud operatur, propter combinationẽ menstrui cum simplici. Nec est, quod solubilibus aliquam hic tribuere velimus prærogativam; saturata enim cum sint acido, adeoque sic solutum cum præcipitante in concretum quasi salsum tertium coaluerit, manifestum est, non adeo insignem medicam energiam exinde expectari posse.

(4.) *Magisteria solubilia abstractitia*, per spiritum æruginis parata, plus habent sub se & in recessu: sic spiritus æruginis solvit perlas, corallia, &c. sine insigni reactione & effervescentia, imprimis in perlis abstrahitur quoque spiritus hic in eodem acore & pondere à perlis, ac fuit affusus, & sic in fundo residebit Magisterium sine præcipitatione, quod postmodum edulcorandum: spiritus verò æruginis abstractus, denuò potest usurpari pro pluribus aliis solutionibus, quoniam parum aut nihil de ejus viribus solutivis perit: secus fit in omnibus aliis menstruis, quæ patiuntur jacturam, quoties aliquid solvunt. Ut tamen planè & in totum separatur menstruum, impossibile est; semper de acido, quod concreti naturam mutat, & alcali volatile saturat, aliquid adhæret. Quod verò pondus maneat, ratio est, quia de corpore solvente in tantum est absorptum, quantum acidi in eo remansit. Potest ergo hæc solutio certo modo tolerari; sicut & ea, quæ cum succo citri parantur Magisteria, aliqualem usum habent.

Quoad *vegetabile regnum*: duplicia hujus sunt Magisteria:

1. *Resinosa*, dum extractiones & solutiones cum spiritu vini, tanquam menstruo sulphureo, ex subjecto similiter sulphureo factæ & filtratæ, mediante aqua communi præcipitantur in pulverem: ratio est hæc, quod aqua diluat spiritum, & partes resinosæ cum sint oleosæ, incommiscibiles sunt cum aqua, eaque propter in fundum secedunt; qua ratione ex aromatibus, item benzoe, succino, jalappa, scammonio, aloe, & similibus Magisteria parabilia sunt, quæ nil aliud sunt, quàm resinæ subjectorum, adeoque olea quasi destillata in forma sicca; unde etiam concretorum suorum vires ferè æmulantur, ut in Jalappa, Benzoe, &c. manifestum est.

Quidam recipiunt aromatum resinas, impprægnant oleis destillatis propriis: v. g. Magisterium piperis oleo proprio piperino, Magisterium ex mace oleo destillato macis, &c. impprægnant, & Magisteria hæc possunt admitti in usu Medico.

Sed rariùs talium Magisteriorum apparatus & usus, cum commodiùs sub tincturæ seu essentiæ forma exhiberi soleant, quàm in forma resinæ. Nam longè plus operatur essentiæ jalappæ ℥j. quàm Magisterii jalappæ ℥j. olei cinnamomi gutta j plus operatur, quàm Magisterii cinnamomi ℈j.

2. *Non resinosa*, ad imitationem *Magisterii petroselini Mynsichti pag. 41.* paranda ex rhabarbaro, gratiola, majorana, rore marino, petroselino, salvia, mentha, & similibus aliis vegetabilibus oleosis, & fortiter olentibus. Nempè in lixivio, facto ex sale tartari, herbæ leniter exsiccatæ infunduntur: post lixivium filtratum præcipitatur injectione aluminis pulverisati; alcali enim solvens in lixivo liquefacit resinosam vegetabilis substantiam, quæ ab acido aluminis cum alcali se jungente denuò extruditur, & in pulverem Magisterii præcipitatur. Modum quoque videbitis in ZWELFERI *Mantissa spagyr.* & ROLFINCII *Chymia*.

Sed hic observetur: quod simul ab alcali ex alumine præcipitetur ejus terrea substantia, quæ cum Magisterio vegetabili se jungens, illud non levi adulterio inquinat. Adhæc, cùm vegetabilia plurima inepta sint, ex quibus tale præparetur Magisterium, & si quid ex iis præparatum fuerit, hoc vix concreti crasin perfectè seu integrè contineat, quin eadem vel decoquendo, vel alio modo extrahendo meliùs obtineri queat; ob id nullius usus hactenus fuerunt hæc ipsa Magisteria.

Animalium Magisteria sunt vel *præcipitata* vel *abstractitia*: *Illa*, dum solutio per acida facta, præcipitatur vel alcali, sive fixo sive volatili, vel ab acido spiritu vitrioli. Sed utraque sunt calces terreæ; illa quidem subsalsæ; hæc verò stypticæ, nullius positivæ talibus scilicet concretis in recessu alcalinis propriè convenientis, efficaciæ. Sub solutione enim animalium partes cum menstruo effervescunt, quod innuit pugnam acidi cum sale volatili, qua in aliam naturam mutatur & alteratur tota textura concreti; post additur alcali separatim junctum, hinc impossibile est, ut acidum solvens & alcali præcipitans exactè possint separari. Patet hoc ex pondere: plus enim ponderant Magisteria post edulcorationem, quàm primò ipsum corpus ante corrosionem: v. g. si recipiat quis ℥iv. Cornu Cervi, præparando exinde Magisterium, hoc tunc aliquot drachmarum pondere excedet ℥iv. idque propter salia tam menstrui solventis, quàm liquoris præcipitantis, Magisterio pertinacissimè adhærentia. Instar igitur calcis mortuæ sese habent Magisteria hoc modo præparata, quia corpus alcalinum saturatur ab acido, ac sub præcipitatione ex concursu acidi & alcali salsum tertium calciforme inde emergit, quod fermentum ventriculi non amplius potest dissolvere: propterea licet vel 100. ℔. assumantur Magisteriorum, sine omni tamen efficacia excernuntur, sicut fuerunt assumpta. Nec est, quod objicitur, posse ex ipsis magisteriis, cornu Cervi, ungulæ alcis, cranii humani, &c. denuò recuperari sal volatile; si scilicet magisterio tali cum spiritu vitrioli præcipitato & edulcorato addatur ana alcali cujusdam fixi, & destilletur per retortam: sic enim sub ignis concrematione alcali se jungit cum particulis menstrui acidis, & successivè adscendet sal volatile. Verùm paucum est salis volatilis, & vix decima pars, quàm ante solutionem & præcipitationem elici potuisset, cum reliqua ejus pars ab acido enervata atque fixata sit. Adhæc, utut arte hac ratione possit recuperari aliquantillum salis volatilis, requisita tamen ista, alcali fixum & ignis rigor, deficiunt in corpore nostro, unde nec effectus speratus inde sequitur.

Abstractitia Magisteria sunt ea, quæ minus propriè ita dicta: cum v. g. à cornu Cervi, dentibus apri, spiritu nitri solutis, idem spiritus simplici abstractione, & hinc sedula cum aqua communi edulcoratione, denuò separatur: conf. LUDOVICI *Pharm. pag. 294.*

& 314. vel quando spiritus æruginis affusus mandibulis lucii piscis, aut lapidibus marinorum cortolione facta dimittit pulverem, ita ut spiritus decantatione, ac pulveris residui edulcoratione, obtineatur Magisterium. Sed ut taceam sub solutione ista ab acido crasin & texturam concreti ita immutatam esse, ut multum à natiua dote hinc necessariò deficiat; saltem impossibile est, penitus menstruum acidum soluens adeo separare, quin multum eius, insensibiliter licet, in concreto remaneat, ideque alienas vires acquirat, ut magis diaphoretica sint abstractitia hæc magisteria, quàm illa præcipitata.

Quibusvis ergo animalium Magisterijs longè anteferenda erunt præparata simplicia: sic dens apri præparatus potest in pleuritide præferri Magisterio dentis apri: cranium humanum nudè præparatum potest in epilepsia præferri magisterio cranii humani, & sic porro: uti hoc demonstrat GLAUBERUS *in scriptis*, & ZWELFERVS *in Append. ad Animadv. ad Pharm. Augustanam*.

CAPUT LXVIII.

DE MASTICATORIIS.

MAsticatoria ita dicuntur, quoniam dentibus conteruntur, & quasi masticantur; vocantur etiam *Apophlegmatismi sicci*: quorum primarius usus est ex glandulis oris copiosam deriuare saliuam: quando enim glandulæ sublinguales in radice & lateribus linguæ, vel etiam glandulæ parotides iuxta aures, succum salivalem in os non sufficienter infundunt, fit ut lympha in partibus capiti vicinis, aut etiam in ipso capite restagnans, variè corrumpatur, ac effectus varios inducat.

Ne ergo lympha salivalis in vasis, & ductibus suis stagnet, pro promptiori & copiosiori eius evacuatione inventa sunt Masticatoria, quæ operantur, quatenus acrimonia sua glandulas dictas irritant, unde copiosus lymphæ affluxus ad os & fauces derivatur; præprimis si concurrat motus oris masticatorius per affrictionem partium ad se invicem, quo per continuam agitationem glandularum parotidum per maxillas, ubi inserūtur, undè promouetur, & istius limphę salivalis valdopere augetur affluxus. Monstrant hoc nobis mulierculæ, quæ linis dant operam: hæ enim ut prouentum habeant lymphæ, pro irrigatione leni filorum, solent masticare crustas panis bene induratas, quæ cum sint duriores & renitentes, & hinc necesse, sit ut voluantur in ore, beneficio istius motus copiosam solent promouere saliuam.

Componuntur triplici imprimis ratione ex Morello, uti etiam experientia, & consuetudine:

1. Ex radicibus paulò acrioribus, quales sunt v. g. radix pyrethri, quæ est primaria; radix angelicæ, acori, cyperorum, gentianæ, galangæ, Zingiberis; item cortices aurantiorum. Talis modi radicis frustulum præscribitur vel masticandum ad quadrantem vel dimidium horæ; vel præcipitur priùs, ut talis radix infundatur & maceretur in aceto, & ita macerata hoc modo masticetur pro augmentanda saliuatione. Ad has ipsas radices commodè potest referri nicotiana præparata eo modo, prout per tubulos solet hauriri: si enim frustulum tali modo præparatæ nicotianæ detineatur in ore, masticetur aut conteratur dentibus, mirum est, quantus soleat procedere affluxus, modò obseruetur, ne tantillum deglutiatur de saliua; quoniam aliàs propter nicotianam graues vomitus ac sedes concitat: & cum hæc nicotiana præterea, uti notum est, sit narcotica, & dolores potenter compescat, propterea in dolore dentium talis nicotianæ apophlegmatismus est valdè conueniens, quoniam elicit lympham acidam corrosivam, dentium dolorem inferentem, & præterea virtute stupefactivâ dolorem sedat. Alio modo sola Mastix præcipitur, ut agitetur in ore: hæc enim valdoperè convenit in elicienda tali pituita saliuali.

Hic usitatissimus est modus præscribendi & ordinandi Masticatoria.

Præterea tamen etiam

2. In usu est, ut res tales acriores modò nominatæ pulverisentur grosso modo, qui pulvis ad ʒiij. vel ℥ß. præscriptus, excipitur mastiche dissoluta in vase calido; vel excipitur cerâ, & fiunt pilulæ maiores, & globuli, aut etiam trochisci, magnitudine & pondere avellanæ: ex quibus unus præscribitur masticandus, in ore bene volutandus, & saliua deinde exspuenda. Talis puluis etiam potest excipi conuenienter syrupo aut melle, & ita sub forma electuarij præscribi: de quo electuario contineatur in ore quantitas dimidia nucis castaneæ, subinde hinc inde volutando.

Vel denique

3. Tales *pulueres permistis cum puluere masticbis invicem includuntur in paruum nodulum*, qui nodulus masticandus postmodum venit, & istâ masticatione saliua promouenda.

Vt exemplis res fiat clarior, fit

1. Apophlegmatismus secundùm primum nodum:

℞. *Radic. pyrethri in aceto macer.* ʒj.

℞. *Radic. Zingib.* ʒj.

D. S.

Radix in os sumenda.

℞. *Cort. aurant.* ʒj.

S. dicto modo.

Sed hæc rarò ita præscribuntur, potius præcipitur à Medico, ut excipiantur eorum pulueres debito modo:

℞. *Rad. pyrethri* ʒj.
Lilior convall.
Sem. sinapi ana ʒß.
Cardamomi,
Cubebar. ana ℈ij.

Cum s. q. *mastich. & ceræ liquef.* f. Pastilli seu Trochisci mansiles:

S.

Trochisci mansiles.

Item

℞. *Mastich. el.* ʒij.
Rad. pyrethri ʒj.
Sem. sinapi,
Cardam.
Cubebar. ana ℈j.

Cum s. q. *rob. passul.* vel *mell. anthos.* vel *melis anacard.* (quod est valde acre) f. Electuar.

D. S.

Electuarium in ore tenendum pro aliquot vicibus.

Tertio denique modo:

℞. *Rad. angel.*
Pyrethri ana ʒj.
Cort. aurant. ℈ij.
Mastich. el. ʒß.
Galangæ,
Zingib. ana ℈j

Excipiantur linteo forti, f. nodulus vel cum vel sine stylo.

D. S.

Nodulus ad masticandum.

CAPUT LXIX.

DE MORSULIS ET ROTULIS.

MOrselli sunt *Electuaria solida*: recentiores vocant *Morsulos*; AVTOR cum veteribus *Tabulas*, quoniam species seu pulveres tanquam basis excipiuntur s. q. sacchari soluti & coctione inspissati, quod in figuram quadratam scinditur, ita ut quantitas morselli sit ʒj. vel ʒij.

Cæterum præter pulveres etiam alia ingredientia permiscentur, quæ in Electuariis præscripta fuerunt: sic adduntur etiam usitatè conservæ ac condita, uti etiam confectiones officinales appropriatæ. Commodè permiscentur amygdalæ dulces, item nuces pinearum, & pistaciorum: discinduntur minutim, & ita adduntur pro confortatione & nutritione in Morsulis analepticis.

Pro scopo Medici fiunt vel *alterantes*, vel *purgantes*; & quidem purgantia sunt supputanda secundùm doses, & propter hanc dosium rationem etiam præscribenda est quantitas sacchari. Obseruetur hìc *Nota prima* AVTORIS, ubi rectè præcipit, ut in purgantibus loco sacchari recipiatur manna, quæ per se saporem dulcem habet; unde meritò substituitur saccharo. Rarissimè autem præscribuntur Morsuli purgantes, quia non adeo tutus est eorum usus, propter pulveres laxantes non ita æqualiter diuisibiles, quin unus Morsulus plus, alter minus participet de ijsdem, adeoque diuersimodè operentur. Potius boli vel pilulæ pro iis adhibentur: interdum tamen coactus Medicus aliquid tentare potest.

In proportione, pulveris ʒj. respondet conservæ vel conditi ʒij. Proportio sacchari rarò aut nunquam præscribitur, sed tantum, quantum sufficit, innuitur: nihilominus tamen sacchari quadruplum aut sextuplum solet præscribi.

Post præparationem solent illini oleis, aut adspergi spiritibus & essentiis appropriatis, iuxta *notam quartam* AVTORIS; si enim hæc, ut & Moschus, in principio addantur, evaporat vis integra, unde saltem illinantur iis, vel ultimò permisceantur.

Inter *Morsulos Alterantes* in officinis usitati sunt

MORSELLI DE CITRO.

Quos describit AVTOR *pag. 237.* Elegans hæc compositio est, quæ propter gratum saporem & odorem omnino se commendat: possunt tamen his addi simul flores citri conditi, item oleum citri ritè destillatum, & cum Ambra & Moscho acuari; nam si magis confortatiui erunt, & oleum istud valdè confert in peste.

MORSVLI PECTORALES F. F.

Conueniunt in tuſſi ex lympha acri, in raucedine & aſperitate faucium; item conueniunt in curandis tabidis & phthiſicis.

MORSVLI POST PASTVM.

Quos deſcribunt *Auguſtani*, & *alia Diſpenſatoria*, in uſu ſunt, ut aſſumantur pro prouocanda coctione, & etiam pro ſiſtendis ructibus.

SACCHARVM ROSATVM TABVLATVM.

Commiſceri ſolet cum aliis pulveribus:ratione roſarum cor & ventriculum roborare, & appetitum excitare dicitur.

MORSVLI DE DIAGRYDIO ſeu LAXATIVI.

num. 3.

Hic repetenda, quę *de Morſulis purgantibus ſupra dixi*. Præ cæteris tamen *compoſitio hæc* AVTORIS, quò ſimplicior, eò melior & concinnior. Augeatur cremor tartari ad ℥j. & cum reliquis debitè miſceatur; AVTORIS enim doſis nimis exilis eſt in reſpectu reliquorum. Pro delicatulis egregij ſunt, & ſatis efficaciter purgant.

MORSVLI DE MECHOACA. F. F.

Conueniunt pro expurgandis humoribus craſſis & pituitoſis in ventriculo ac inteſtinis ſtabulantibus: ſupputanda eſt doſis ingredientium purgantium, & tunc facilè patebit, quantum ſit de illis præſcribendum.

Pertinet huc *Morſuli* ſatis famoſi *Comitis* à PAPPENHEIM, qui valdè commendantur ad ſtimulandam venerem, qui ſunt tales:

℞. *Sem. herniar.*
Vrticæ,
Aniſi,
Fænic.
Paſtinacæ ana ℥ß.
Far. cicer. alb. ℥ß.
Nucl. pinear.
Amygd. dulc. ana ℥ij.
Carn. ſcinci mar.
Cinnam.
Galangæ,
Caryophyll.
Cardamomi,
Croci,
Piperis ana ʒiß.
Moſchi Alexandr.
Ambræ gr.j.
Troch. Galliæ moſchatæ ana ʒj.
Diaſatyr. ʒiß.
Sacch. albi in aqua roſar. ſoluti ℔ij.
F. l. a. Morſuli.

Doſis ʒj.

Rotulæ in ſpecie ſunt parui orbiculi, & ſimpliciter præſcribuntur ex pulueribus & extractis, interdum etiam ex ſolis oleis, ſaccharo, in aqua appropriato diſſoluto & rurſus inſpiſſato. Vicinæ & cognatæ ſunt morſulis, nec ab his differunt, niſi figurâ externâ; rarò quoque groſſiora ingredientia ſolent ingredi: unde rectè dicit AVTOR, quod pulueres pro morſulis ſufficiant groſsè pulveriſati; pulueres verò pro rotulis ſubtiliſſimè ſint pulueriſandi.

Modus præſcribendi hic eſt:

℞. *Pulv.* p.j.
Sacch. p. iij. vel iv.

Saccharum in aqua appropriata diſſolutum inſpiſſatur in conſiſtentiam rotularum, hinc adduntur pulueres, & effunduntur in rotulas, poſt oleo appropriato irrorantur. Diſſoluitur etiam in ſuccis acidulis, pro rotulis e. g. berberum in ſucco berberum, vel in ſucco citri, vel ribium, & ſic fiunt Rotulæ, vel morſuli ſubacidi, elegantis ſaporis & coloris: ubi obſeruanda *nota* AVTORIS, quod ſaccharum cum ſuccis acidulis non coquendum, ſed proportionatâ mixtione blando calore diſſoluendum.

Paucæ proſtant in officinis, & parum habent in receſſu.

ROTVLÆ MANVS CRISTI

ſimplices & perlatæ.

Seruiunt tantùm pro edulcoratione iuleporum aut Potionum perlatarum: à quibuſdam etiam ſolent permiſceri inter pulueres pro conciliandâ gratia ſaporis.

ROTVLÆ DIATRAGACANTHI.

Commendantur contra tuſſim: ſed neceſſum eſt, ut recentes ſint pręparatæ.

ROTVLÆ SVLPHVRIS PECTORALES,

Quas deſcribit AVTOR *pag.* 238. ſunt egregiæ in affectibus pectoris. Commendantur etiam in peſte, pro quo ſcopo poſſunt ſubigi cum Extracto angelicæ, oleo deſtillato angelicæ & zedoariæ, & ita ſiunt Rotulæ pectorales antipeſtilentiales.

ROTVLÆ INFANTILES LAXATIVÆ,

num. 2.

Egregia & elegans eſt compoſitio pro ſcopo purgandi ad affectus abdominis infantum, imprimis ſi lumbricis laborent iidem, ab acido corrumpente lac oriundis: imò pro ſtomacho confortando ob confectionem alchermes; in ſpecie autē propter jalappam & Mercurium dulcem in verminatione conueniunt: & quoniam cum vermibus ſępè coniuncta eſt epilepſia, additur cranium humanum, quod ab illa liberat: accedunt margaritæ præparatæ, quibus tamen optimè alia ſubſtituuntur, quæ acidum abſorbent.

Rotulæ aliàs purgantes rarò præſcribuntur, quia ſub diſtributione ſpecierum variat doſis.

Pertinent huc *Rotulæ bibitoriæ Dodonæi*, ijs in uſu, qui potu delectantur:

℞. *Piper. longi*,
Albi,
Nigri ana ʒß.
Zingib.
Galangæ,
Cardamomi,
Cubeb. ana ℈ij.
Nuc. moſch.
Macis ana ʒj.
Cinnam.
Caryophyll.
Rad. ari,
Pimpinellæ ana ℈ij.
Sem. aniſi,
Fænic.
Anethi,
Carui,
Petroſel. ana ʒij.
Coriandri ʒß. ad ʒvj.
Cum ſ. q. *ſacchari albi*, vel *candi in aqua carminat. Doncrellij*, vel *aqua menth. ſolut.* q. ſ. f. *Rotulæ.*
D. S.
Rotulæ.

Quæ ante potum deglutiuntur: mirè acuunt ſitim, & adiuuant hoc artificium, ut vomitus facilè excitari poſſit.

Monendū hîc eſt de formulis eiuſmodi ſaccharatis, quod eædem nimis frequentes fuerint apud veteres ſub tenebris ignorātię pyrotechnię: At verò ſuſpectæ admodū hæ ſunt propter abundantiam ſacchari, cuius nimia quantitas ægris omnibus non æquè conuenit: præprimis ſcorbuticis, cachecticis, hypochondriacis, hyſtericis, & colicis admodum hoſtile eſt. Ad hæc ſaccharum nociuum ſtomacho turbat digeſtionem & apepſiam infert. Cùm alia igitur elegantiora ſint cognita, rariùs ejusmodi Rotulæ, Morſelli, & alia ſaccharata præſcribi ſolent. Præferamus igitur iis Tincturas, Eſſentias, & olea deſtillata, ſalia item, tam volatilia quàm fixa, ſpiritus & ſimilia, quæ ſunt puriora, efficaciora, minus nauſeoſa & minus nociua: V. g. loco Morſellorum catarrhalium ſumatur Elæoſaccharum ſuccini, vel Tinctura ſaſſafrata, vel ſal volatile è ſuccino paratum: loco Morſulorum ſtomachalium recipiatur Elixyr proprietatis cum ſpiritu ſalis ammoniaci paratum: in affectibus catarrhalibus pilulæ cum opio è ſtyrace, quæ meliùs in parua doſi operantur.

CAPVT LXX.

DE

OLEIS DESTILLATIS.

OLea deſtillata cum & poſt phlegma prodire ſolent, ſubiecta, ex quibus eliciuntur, ſunt ſingula tria regna, utut non ſine varietate.

Regnum minerale ſuggerit pauca, uti ſunt ex bituminum claſſe, v. g. ſuccinum, carbo petræ, ſulphur, & ſimilia, quæ deſtillantur per arenam ex retorta; & hæc ſunt propriè ſic dicta olea, utut ſulphur per addita ſaltem olea deſtillabile in oleum reddatur. Spiritus qui-

quidem vitrioli rectificatus, item spiritus sulphuris acidus per camp. etiam vocantur olea: sed impropriè & valdè abusivè talia, idque saltem ob aliqualem unctuositatis in digitis & consistentiæ rationem; cum olea non sint acida. Vberiora olea eliciuntur ex vegetabilibus, & animalibus.

Quod attinet *vegetabilia*: dant olea & per expressionem & per destillationem, suntque in genere nihil aliud quàm resina vegetabilium liquida, & à suo concreto separata. Vt à *destillatis* incipiamus, constant hæc ex resina vegetabilis; ita ut resina tota in oleum per ignis debitam applicationem abeat, & *oleum destillatum totum sit materialiter resina*. Patet hoc ex eo, quod si ex lignis, v. g. guajaco, cum spiritu vini essentia eliciatur, quæ menstrui abstractione resina est, tunc tale lignum destillatum nullum oleum suggerit, propter resinam per spiritum vini abstractam: hinc & olea destillata facilè in resinam coagulabilia sunt, mediante nempè spiritu vitrioli rectificato, aut oleo vitrioli. Fiat experimentum cum oleo destillato anisi, oleo pinguedinis humanæ rectificato recenti, cum oleo terebinthinæ, iuniperi destillato, &c. Omnia hæc, ut instillatione olei vitrioli impensè incalescunt; ita mox in resinam coagulantur; quæ ipsa tamen resina in consistentia, colore & aliis proprietatibus variat, prout ipsa olea destillata suas habent differenrias, pro concretorum, ex quibus eliciuntur, varietate multiplices.

Olea destillata sunt in duplici differentia: vel *subtilia seu volatiliora*, facili igne destillabilia, ut baccarum iuniperi, menthæ, salviæ &c., vel *crassiora*, & respectiuè *minus volatilia*, & quæ rigoroso saltem Vulcani auscultant examini, ut oleum tartari, ligni guajaci, &c. *Illa* omnia suo modo *suaueolentia*; *hæc fœtida & empyreumatica*. Differentia non essentialis, sed accidentalis intercedit: nempè ex resina, ab igne quidem liquefacta & resoluta, sed minus concentrata, & minus ab eodem vel per se remissiori, vel ob aquearum particularum interpositionem infracto, denuò colliquata, olea destillata priora: è contra si fiat, posteriora fiunt. Hinc lignum sassafras, item iuniperinum, ex vesica destillata, volatilia suaueolentia suggerunt olea; quæ per retortam destillata non, nisi empyrevmatica suggerunt. Semen anisi vel fœniculi per vesicam l. a. destillatum egregia volatilia dant olea, quæ per retortam sub rigorosiori igne nonnisi empyreumatica exspirant.

Proximè ergo olea destillata sunt resinæ liquefactæ; remotè verò, cum sint penetrantissima, subtilissima, & valdè volatilia, sunt salia volatilia vegetabilium, ab acido pingui subtili concentrata, seu mutuò congregata. Modus videtur hic:

Si res talis, quæ dat oleum per destillationem, subiicitur Vulcano chymico, tunc salia volatilia incipiunt erumpere, sed sub isto motu accedunt partes acidæ subpingues, quæ partes salis volatilis amplectuntur, coarctant, & ita figunt, adeoque isto mutuo amplexu se uniunt, ut conjuncta in vas destillentur, atque in corpus oleiforme abeant.

Et hinc etiam divisione sui concreti per salia fixa, acidum imbibentia, salia volatilia ex illis elevari valent, ut non tantum de oleo tartari fœtido, vel etiam de oleo destillato cornu Cerui monitum fuit suo loco; sed & ex destillatis aromaticis: de quo vid. WEDELIUS *de sale volatili plantarum*, *p.* 235. *&* 258. item *in Pharm. pag.* 100. Mediante nempè digestione diuturna: in quo negotio imprimis obseruanda encheirisis, ut sal fixum duplum vel triplum probè calefactum, adeoque ab omni phlegmate liberatum, illis addatur. Vt taceam modum per acida, nempè per spiritum salis ex oleis destillatis sal volatile elicere, si scilicet priùs in concretum quasi ammoniacale redactum fuerint. Sunt nonnulli, qui volunt ex illis elicere salia volatilia modo sequenti:

Recipere jubent oleum destillatum, v. g. succini, vel oleum destillatum viperarum, aut oleum destillatum cornu Cerui quod cum spiritu unà prodit, & miscere cum aqua simplici, bene invicem agitare, & confundere: postmodum aquam istam celeri manu ab oleo supernatante separatam, per phiolam longam & altam destillare lentè; sic enim leni igne ascendere dicunt sal volatile, quod scilicet aqua absorpsit in agitatione cum oleo destillato. Sed res hæc adhuc per experientiam ulteriùs est examinanda.

Porrò, quod *olea destillata sint salia volatilia concentrata per subtile acidum pingue*, patet ex eo, quod vegetabilia v. g. in quibus parcum est tale acidum pingue, non soleant dare olea per destillationem; qualia sunt plantæ refrigerantes dictæ, lactuca, endivia, portulaca, semperviuum, &c. Hæc enim destillata non dant olea, propterea, quoniam constant tantum ex subtili sale volatili, eoque temperato & pauco, præsente paucissimo acido pingui, quod non est sufficiens, ut concentret sal volatile in oleum. E contra verò tales plantæ, in quibus est copiosum sal volatile acre, & simul acidum quoddam pingue, hæc levi destillatione copiosum dant oleum destillatum, propterea, quoniam sub ignis tortura acidum & salinum volatile se mutuò amplectuntur, & ita transeunt in corpus oleiforme: vnde etiam tales plantæ, quæ dant copiosum oleum destillatum, per fortiorem ignem & per fortiorem cremationem copiosa dant salia fixa, propterea quoniam, uti infra dicam, salia fixa cineritia fiunt per ignis vim ex colliquatione acidi cum alcali volatili. Et tales plantæ, quæ dant copiosum oleum, & etiam copiosa salia fixa, sunt, v. g. absinthium, salvia, rosmarinus, & similes plantæ acres & fortiter olentes, & quàm plurimæ aromaticæ, v. g. mentha, & similes.

Ut ulterius pateat metamorphosis chymica; obseruetur, quod hæ plantæ, imprægnatæ copioso sale volatili, & acido copioso pingui, si sine fermentatione præmissâ destillantur, dent oleum; & si concremantur, dent sal fixum; sin verò præmissâ fermentatione destillentur, tunc dent spiritum volatilem inflammabilem, paucum verò aut nullum oleum, & sal fixum.

Ex modò dictis sponte suâ patet ratio: quare substantia resinosa, quæ destillando in oleum abit, quod, uti dictum, sal volatile ab acido concentratum est, pro varia sui in textura mutatione, & quidem per fermentationem attenuata, & resoluta in spiritum volatilem sulphureum, seu inflammabilem, qualis est spiritus vini, absinthii, menthæ &c., per putrefactionem verò reserata in spiritus urinosos volatiles abeat; per colliquationem verò intimiorem per ignem primò carbonem, & tandem per hujus concremationem sal fixum largiatur: ita ut omnia hæc, oleum destillatum, spiritus inflammabilis, spiritus urinosus, carbo, & sal fixum, sint formaliter artificialia per ignem producta, materialiter sub corporis resinosi textura in mixto præexistentia.

Olea ergo destillata subtilia, quia sunt salia volatilia oleosa concentrata, in parva etiam dosi paucarum guttarum adeo efficacia sunt in Medicina, ac sub mole parva latissimè diffusa, dum extrinsecùs adhibita potenter penetrant, & interiùs sumpta acidum destruunt, istudque temperant. Equidem nec aquæ, nec spiritibus, nec aliis subjectis, probè uniri aut misceri possunt; si verò subigantur cum vitello oui, optimè cum quocunque potu dilui, sicque misceri possunt ut vis eorum diffusa planè mirabilis se exserat. Nempè vitellum ovi mediam quasi consistentiam obtinet inter oleosa & aquosa, adeoque & medium præbet quo interveniente resinas & olea cum aqua jungere possumus. Extenduntur autem ita hujus medio olea, ut guttæ x. olei destillati anisi, plus 15. libras aquæ colore & sapore imbuere possint: Spiritus item vini tartarisatus, vel tinctura tartari, ratione alcali etiam dissolvit & secum unit olea destillata; & quoniam *spiritus inflammabiles* nihil aliud *sunt*, quàm *olea destillata rarefacta*, inde ob radicalem symbolizationem spiritus talis inflammabilis, sed rectificatissimi, ℔ij. vel iij. olei destillati ℥vj. vel ℥j. facilè absorbent ac imbibunt.

Olea destillata empyrevmatica sanè in se sunt efficacissima, in quo superant etiam olea destillata volatiliora, quoniam præ his illa magis sunt concentrata, utut sint ingratissima ob horrendum fœtorem, & saporem nauseosissimum. Sic oleum ligni guajaci est excellens sudoriferum in morbo Gallico, & etiam in ulceribus & tumoribus gallicis valde est conveniens, unde cum hoc oleo malaxatur emplastrum de ranis Vigonis cum Mercurio, & ita imponitur postmodum bubonibus & gummatis gallicis: Sic *oleum coryli destillatum est oleum Heraclinum Rulandi*, expertum remedium in epilepsia, partu difficili, in pellendis vermibus, & in sedando quocunque dolore, & in specie dentium: simile verò huic est oleum buxi. *Corriguntur ab empyrevmate*, quod nihil aliud est, quàm sal volatile nimis colliquatum cum acido oleoso seu pingui, *non per spiritum salis modo Glauberano in suis scriptis*, quia hoc modo castrantur; sed per alcali, aut corpus huic analogum, aut simpliciter mediante aquâ communi: v. g. olea destillata animalium, quæ omnia sunt fœtida empyrevmatica, corriguntur cum spiritu vini tartarisato, rectificando ea cum hoc, vel à calce viva, aut, quod melius, à sale tartari abstrahendo; hinc enim triplex oleum, album, rubescens, & nigricans habebitur: vel à cornu Cervi usto, aut colcothare; sic enim etiam empyrevma seponunt: Sic spiritus & salia volatilia animalium, quæ empyrevma spirant fœtidum, ab hoc vix melius liberantur, quàm cum aqua communi miscendo, & illa cum hoc aliquoties rectificando per alembicum; sic enim semper materia fœtida spissa cum aqua remanet: sic etiam sal volatile succini optimè depuratur, extrahendo aliquoties cum spiritu vini, & aliquoties hinc soluendo, filtrando, & blando calore euaporando & crystallisando.

Quoad destillandi modum; vegetabilia quælibet, eorumque partes & producta, igne aperto tractata olea suggerunt empyrevmatica, à crasi concreti multum remota; plura verò, præsertim quæ texturæ sunt mollioris, & resinas volatiliores, indeque ut plurimum bene olentes obtinent, ut herbæ & flores aromatici, ac semina, etiam mitiori igne destillabilia sunt in olea volatilia. Ligna, radices, & visca, item cortices lignosi, vel firmioris ac fixioris sunt texturæ, adeoque non nisi rigorosiori igni in retorta subiicienda, ut lignum quercinum, guajacinum, coryli, fraxini &c., non nisi spiritus acidos & postmodum empyrevmatica olea crassa & nigra suggerunt, sive ipsa cruda destillentur, sive extracta eorum resinosa destillentur, quæ ipsa cautè tractata etiam oleum volatile, & tandem empyrevmaticum stillant: quæ verò ex parte volatiliori ac puriori constant substantiâ, primò oleum volatile per vesicam suppeditant, ut sassafras, lignum Rhodium, quod verò superest fixioris coalitus, empyrevmaticum per retortam post spiritum prodit.

Encheirises in oleorum destillatione obseruandas, videbitis in AUTORE. His addo: *Herbas*, quarum olea expetuntur, *debito tempore esse colligendas*, dum maxime uigent, *adeoque balsamico suo tempore*, quod est v. g. in radice, dum adhuc succo turget, nec in plantam

aut

aut florem abiit; sic enim plus olei continet: in quibusdam plantis tempus hoc est, dum ad florem se disponunt; quibusdam, ubi iam deflorescunt, & earum vis in semina jam nonnihil concentrare se incipit, v. g. cochlearia, ex qua non alio, quàm hoc tempore, oleum elici potest.

Instrumentum pro oleis volatilioribus optimum est vesica cum affusa aqua, qua ratione herbæ, flores & semina, fructus item, radices, ac cortices aromatici, v. g. aurantiorum, citri &c. destillantur. Contusis nempe his simplicibus, affunditur s. q. aquæ, unà cum tantillo salis communis M. j. vel ij. & pluribus, pro quantitate herbarum destillandarum; alii addunt loco salis communis saccharum, sed minus aptè, propter fermentationem, qua oleum in spiritum resoluitur: alij addunt aliquantulum tartari contusi, & ita aliquandiu ponunt in locum calidum, ut beneficio macerationis ab aqua, & penetrationis ab adiuncto salino corpore, sensim sensimque resoluatur mistionis vinculum, quo postmodum facilior succedat olei destillatio: Hinc destillant per vesicam, uti dixi, & prodit oleum cum aqua, quod per gossypium, vel hypodeptium vitrum, ab aqua separant: in oleis enim volatilioribus & aquæ commistio in vesica, & intercedens refrigeratio ignis nimium impetum sistit, indeq; empyreuma acert. Ponunt, uti dixi, in digestionem, ut aperto magis vinculo in majori destilletur copia oleum: non tamen perfectæ fermentationi permittunt, quoniam tantum *spiritus fermentatione, paucum* verò *vel nullum oleum, habetur*.

In quibusdam tamen subiectis olea per infusionem volatilia, item per expressionem obtineri possunt: v. g. spiritus vini alcoholisatus affunditur semini anisi, vel corticibus aurantiorum, vel alij simili, stet in digestione, hinc decantetur, & post filtrationem aqua infusa seponatur, sic oleum extractum subtile separatum supernatabit. Vel

℞. *Flaved. cort. citri*:

Contundatur cum saccharo probè in mortario: sic saccharum cum succosis simul oleosas particulas imbibit: saccharum hoc aliquandiu asseruatum soluatur aquâ communi, & successu temporis oleum citri elegantissimum supernatabit.

Ex aromatibus commodè per vesicam, idque igne nunc intensiori, nunc remissiori, prout leuiùs aut graviùs fuerit destillandum oleum: sed pro usu Medico optima videtur destillatio illa cum spiritu vini, quam habet DIGBY, idque per arenam: vid. *Experim. P. 2. pag.* 349. minus concentrata, sed subtiliora & penetrantiora sic fiunt olea, nec quæ adeò digestioni stomachi reluctantur. Possunt etiam igne arenæ destillari aromata pro parando sale volatili ex tali oleo, cum spiritu salis; sed modus curiosior nec omnibus cognitus est. In destillatione horum oleorum obseruetur: quod aromata, si subtilissimè pulverisentur, parum admodum soleant præbere olei destillati; plus verò, si crassè contusa cum tantillo salis misceantur, & postmodum l. a. destillentur. Vlterius quidam non sine ratione præcipiunt, quod *omnia aromata, in plenilunio debeant destillari*, ex eo, quoniam copiosiora tunc dent olea, & etiam aromata tunc temporis astralium quasi sint virtutum.

Vlterius destillantur *olea ex resinis*, quarum legitimam destillandi rationem supra exemplo terebinthinæ insinuaui: sic acquiritur oleum in duplici differentia seu consistentia: primo quidem per vesicam oleum clarius & subtilius, quod dicitur oleum destillatum, à quibusdam etiam dicitur spiritus: postmodum verò aucto igne, si destillentur per arenam, ex retorta, prodit oleum crassum & graveolens, quod vocatur tunc Balsamus. Resinæ tales sunt terebintina, resina pini, resina laricis, & similes.

Quod attinet *gummata: gummata omnia sicciora*, ut mastix, myrrha, & similia, destillantur, si priùs in aceto vel vino soluta & digesta, cum ana arenæ, vel silicum, aut laterum calcinatorum misceantur, & sic per retortam destillentur: arena & silices adduntur, ne nimis effervescant, vel vitra diffringantur, vel sub antiqua forma in receptaculum penetrent: oleum quod prodit, si est turbidum, rectificatur per retortam; vel iniectione pauxilli salis communis mox depuratur. Hæc sunt gummata sicciora. *Gummata* verò *liquidiora*, uti sunt styrax & reliqua similia, sine prævia solutione, adiectione solius arenæ vel sabuli destillantur, & dant triplex oleum, si rectè procedatur per legitimum ignis regimen, adscendendo sensim sensimque, 1. *album*, 2. *flavum*, & 3. *rubrum*.

Ex *animalium familia* similiter destillantur olea concentrata: quando enim animalia, vel partes animalium, v. g. sanguis, cornua, ossa &c. destillantur, *primò* prodit *spiritus phlegmaticus*, *secundò sal volatile*, tertiò *oleum crassum subnigrum*. Olea hæc omnia hactenus cognita sunt empyreumatica, & nonnisi rectificatione sedulâ ad gratiam cum sensibus nostris redeunt, & volatiliora fiunt. Destillandi modum docet AVTOR *noster*.

Olea hæc ex animalium partibus destillata propter fœtorem & graveolentiam non rarò, imò communiter, solent rejici; sed perperam, quoniam in his adhuc magna latitant arcana. Nam hæc olea destillata animalium, siue ossium, cornuum, cranij, &c. non minus quàm oleum tartari destillatum, sunt excellentissima sudorifera, quæ ad gutt. iij. vel iv. copiosissimum & fœtidissimum proliciunt sudorem. Deinde externè hæc olea imposita bubonibus & carbunculis pestilentialibus valdopere conueniunt pro maturatione, sicut etiam postmodum abscessus maturatos egregiè purificant, seu ulcera etiam maligna ac fœtida mundificant.

Adipes & pinguedines animalium *suggerunt oleum*, vel *per liquefactionem* (successivam, vel *per destillationem* ordinariam. Quoad *liquefactionem*: includuntur adipes sacculo lineo raro, suspenduntur in alembicum & lenissimo igne destillantur in receptaculum: quæ tenuiores sunt, ad solem destillantur in receptaculum: vel possunt etiam tempore hyberno circa fornacem leniter ac blandè destillari adipes, sicque acquirunt colorem aureum, restitante crassamento turbido ac fœtido; item ad solem possunt destillari per infundibulum chartaceum in subiectum alembicum. Quoad *destillationem*: destillantur adipes, pinguedines & seua per retortam vitream, cũ arenulis permista, vel optimè cum additis cineribus clavellatis, vel etiam cineribus ordinarijs, modo quem docet LVDOVICI *in Pharm. pag.* 104. & acquiritur oleum admodum fœtidum.

Pertinet huc *oleum saponis*, dum nempè *huius* p. ij. cum *arenæ* p. iij. mistæ, destillantur; quod prodit oleum à minio rectificari potest. Sic eodem modo ex *spermate ceti* p. i. & p. iij. *arenæ* mistis, oleum per retortam destillari potest.

Quod attinet vires oleorum destillatorum usitatorum.

Oleum absinthij destillatum est egregium stomachicum, si inungatur regioni stomachi & scrobiculo cordis.

Oleum anethi est egregium carminatiuum & flatus discutiens.

Oleum anisi est similiter carminativum, & in specie conuenit in affectibus pectoris, tussi, raucedine, asthmate & similibus: unde quidam balsamum sulphuris pro usu pectorali præparant beneficio olei destillati anisi, loco olei terebinthinæ.

Oleum destillatum aurantiorum est egregium in stranguria, quoniam mortificat acidum, quod urinam imprægnat & dolorem producit: item egregium est in suffocatione uterina, & in colica interno usu.

Oleum carui est egregium in caldialgia seu dolore stomachi: item in inflatione stomachi, teste huius rei THONERO.

Oleum iuniperi ex baccis est singulare diureticum, quodque præstat mirabilia in præcavendo calculo; præterea balsamus sulphuris, paratus cum hoc oleo, egregius est in affectibus & ulceribus renum & vesicæ.

Oleum maiorana destillatum valdè convenit in affectibus narium, coryza, olfactus læsione, obstructione narium, &c.

Oleum Mastichinum destillatum prodest in affectibus stomachi ex resoluto tono, in lienteria, cholera, & vomitu.

Oleum Melissæ extrinsecùs permistum oleo citri & rutæ, fit *Balsamus cum s. q. corporis* pro balsamo, qui illinitur scrobiculo cordis, pulsibus & temporibus in morbis malignis.

Oleum destillatum Origani Cretici est specificum summum in odontalgia.

Oleum Sabinæ est unum ex potentissimis menses cientibus, & abortum procurantibus: assumuntur aliquot guttæ, vel fiunt exinde pilulæ.

Oleum Spicæ conuenit ad pellendos pediculos capitis, vel aliarum partium, sub alis vel regione pubis.

Obiter hìc noto: quod olea destillata rarò sic possint usurpari nudè, quoniam difficulter permiscentur cum liquore. Propterea fiunt elæosacchara: scilicet olea destillata, vel quodcumque simplex vel compositum, cum sufficiente quantitate sacchari minutissimè pulverisati excipiuntur, ita quidem, ut gutt. ij. vel iij. olei, ℈j. sacchari subtiliter pulverisati respondeant: ut quando v. g. volo præscribere gtt. ij. vel iij. olei destillati, præscribo ℈ß. vel gran. xvij. ad ℈i. elæosacchari.

Optimè sanè conducunt & præferenda sunt gratitudine speciebus aromaticis.

Huc etiam pertinet

PVLVIS PECTORALIS BALSAMICVS D. ROLFINCII,
Æsculapii Jenensis.

℞. *Bals. sulphuris cum oleo fænic. parati* ℥iij.
Sacch. candi albiss. ℔j.
Mis. super igne: adde
Olei destillati anisi ℈ij.
Incorporentur omnia.

Hìc utut Bals. sulphuris sit liquidus, nihilominus reperit corpus in sacchato, & abit in elæosaccharum.

Dosis gran. xv ad ℈j.

Adhæc elæosacchara pertinent etiam *Magisteria saccharata antiscorbutica*: v. g. Magisterium cochleariæ:

℞. *Succi cochlear. expr.*

Seruetur in vase clauso ad secessum fæcum: hic succus imbuatur *saccharo* super lapidem marmoreum posito, leniter exsiccetur, & iterum imbuatur, & hoc aliquoties, semper lenissimè exsiccando: Sic habetur viride saccharum, asservandum in phiola angusti colli, quod irroretur sæpè cum spiritu & oleo destillato cochleariæ: sic habetur Magisterium egregium.

Pro dosi cuspis cultelli in vino dissoluitur, inde fit haustus gratissimus antiscorbuticus: & hoc modo cum absinthio quoque & aliis procedendum est.

CAPVT

CAPUT LXXI.
DE
OLEIS EXPRESSIS.

OLea expressa ex seminibus vel nucleis mucilaginosis, oleosis & pinguibus, qualia sunt v. g. amygdalæ, nuclei persicorum, semen hyoscyami, avellanæ, semen lini, nux mosch, pineæ, &c. eliciuntur forti pressurâ: imò ipsum oleum commune nostrum olivarum ad hoc pertinet caput; expressum scilicet est ex fructibus oleæ.

Talia simplicia in mortario, vel *Mola olearia* benè contusa, postmodum cum torculari in sacculo exprimuntur, ut tandem suum concedant oleum.

Sunt olea hæc nihil aliud, quàm fluidior resina, & suo modo quasi mucilaginosior, parte aliquâ phlegmatis essentialis subactâ, & ita in fluidum corpus redacta: & sanè cum semina quælibet plus minus oleosa esse soleant, etiam ex acinis & arillis, v. gr. sambuci, uvarum, cynosbati, &c. olea, communi oliuarum oleo non dissimilia, exprimi possunt.

Constant olea hæc substantiâ pingui occultè acidâ, utut primâ fronte dulcedinem quandam repræsentent, alcali volatili secum concentrante, unde invicem in concretum tale oleosum coeunt: hinc rasuræ saturni infusione liberantur non tantum à superfluo acido, *ut supra de oleo oliuarum monitum*; sed & emulsiones oleosæ, ex illis seminibus vel nucleis paratæ, tam facilè acescunt, quod acidum tamen à pinguedine blanda aquosa palliatur, quò minus gustu percipiatur. Argumentum huius rei satis evidens est, quod oleum commune olivarum omnia metalla, excepto auro, corrodat, & ferrum in eo positum, vel oleum in vasculis argenteis adseruatum, sensim sensimque illud in rubiginem exedat. Hinc etiam est, quod serræ & claustra illita oleo communi, ut fiant tractatiora, progressu temporis nigredinem contrahant, quoniam acidum occultum olei corrodit ferrum in talem crocum subnigrum: & oleum istud nigricans à ferris desumptum, egregium est anodynum & dolorum sedativum: ratio, quoniam acido eius à Marte absumpto, pars superans pinguis temperata & forsan sale volatili alcali non destituta, temperat acrimoniam humorum, unde dolores solent oriri in corpore. Sed hæc TACHENIUS. Sunt tamen hæc olea unum plus, alterum minus acidum: oleum olivarum est satis acidum. Aliàs expressa talia olea de crasi eius concreti, & vi specificâ multum obtinent, simulque communi potestate leniendi, temperandi, emolliendi, lubricandi, &c. instructa sunt.

Oleum amygdalarum dulcium non adeò copiosum acidum habet, sed plus olei; quod tamen & hoc non sit destitutum simili acido, patet ex eo, quod emulsiones ex his seminibus paratæ tamen facilè acescant & in loco calido acorem contrahant.

Inter hæc olea expressa est etiam *oleum* Balaninum seu de been, cuius nucleo parantur per stratificationem olea quorundam florum odorifera, v. gr. *oleum Jasmini*, *oleum florum aurantiorum*, *oleum florum citri* &c. stratificando nempè flores cum fructibus been, donec fructus sufficienter imbiberunt atomos odoriferas istorum florum, postmodum fit expressio, & ita hoc modo oleum odoriferum ex fructibus been elicitur. *Modus* videri potest *in Horto Farnesiano* TOBIÆ ALDINI.

Oleum hyoscyami expressum ex semine est fortiter narcoticum, & hypnoticum: nihilominus tamen interdum urgente necessitate ad eius usum progrediendum est, in atrocissimis scorbuticis doloribus, cum vix sit aliud simplex, quod promptiùs compescat dolores scorbuticos.

Oleum seminis lini est egregium in combustionibus, si misceatur cum vitello ovi, vel si oleo lini expresso infundantur fructus momordicæ maturi; tunc enim fit *oleum* elegantissimum, vel *linimentum ad ambusta*.

Oleum nucis moschata est stomachicum.

CAPUT LXXII.
DE
OLEIS PER INFUSIONEM ET COCTIONEM, &c.

OLea etiam pro menstruis inserviunt tam destillata, quàm expressa: Speciatim olea expressa inserviunt, in regno præsertim vegetabili, ad solutiones & extractiones, nunc mediante simplici digestione in subiectis rarioris texturæ, aut quorum particulæ volatiliores faciliùs exhalant, nunc accedente insuper intensiore coctione in subiectis texturæ firmioris; & dictis modis olea per infusionem & coctionem dicta communiter parari solent.

Olea inter, quæ pro hoc scopo recipiuntur, sunt in specie oleum olivarum, & hinc oleum lini: scilicet in oleo olivarum est occultum acidum, sed delitescens sub pinguedine sulphurea; hinc ratione illius acidi dissolvit & penetrat subiecta vegetabilia, & speciatim eorundem alcali se saturat, ut in tertium salsum cum eodem coeat; ratione verò substantiæ sulphureæ imprimis resinam dissoluit, sicque volatilem sulphureum odorem ex aromaticis imprimis rapit. Cum verò in huiusmodi oleis subinde humiditas quædam subsidere soleat, à qua à rancore præseruantur, huius præparandi rationem videbitis in ZWELFERI *Pharm. Reg. pag.* 259. Dictis modis imprimis sicciores plantæ, & hinc subiecta aromatica, vires suas etiam odoriferas deponunt in olea: sed quoad subiecta odorifera præcisè non aromatica, humidioris tamen texturæ, ut sunt flores iasmini, rosarum, &c. in hisce alius procedendi est modus; faciendo nempè stratum suprà stratum cum oleo expresso de been, aut etiam cum oleo expresso amygdalarum dulcium: conf. ZWELFERUS *Animadverf. pag.* 331. & speciatim ALDINUS *in Horto Farnesiano*.

Vires oleorum huiusmodi per decoctionem aut infusionem paratorum sequuntur simplicium dotes, quæ aliàs notæ. Vnde

OLEVM ABSINTHII

In affectibus stomachi, imprimis in vomitu & cholera confert: in quo casu commodè permiscetur cum oleo mastichino, vel etiam cum his oleis in tali casu subiguntur & malaxantur emplastra stomachica.

OLEVM ANETHI.

Est carminativum, & temporibus illitum ad somnum disponit.

OLEVM CHEIRINVM.

In usu est mulierculis cum oleo liliorum alborum, quibus illinunt abdomen & vulvam, pro facilitando partu futuro, & pro laxandis viis.

OLEVM MASTICHINVM.

Egregium est in dysenteria, diarrrhœa, cholera, & vomitu externè illitum.

OLEVM MOMORDICÆ.

Excellens est vulnerarium, uti notum est, cuius vim superiùs fusiùs decantavi, ubi de momordica.

OLEVM MYRTINVM.

In fluxibus alui illinitur: mulieres solent illinire ad præcavendum abortum.

OLEVM POPVLNEVM.

Inungitur temporibus pro temperando æstu in febribus, & sedanda hinc orta cephalalgia: moderatè etiam disponit ad somnum.

OLEVM SCORPIONVM SIMPLEX.

Ex infusione scorpionum vivorum in oleum commune, usurpatur pro pellenda urina remorata, si inungatur regioni pubis cum unguento dialthææ: item usurpatur cum cataplasmatis ex parietaria & cepis hoc oleum, contra eandem urinæ suppressionem: regioni renum illitum oleum scorpionum, promouet calculum.

OLEVM VERBASCI.

Anodynum est & dolores sedans: item est specificum in tenesmo.

OLEVM de CAPPARIBVS.

Vsurpatur pro malaxatione emplastrorum spleneticorum, item pro subigendis & malaxandis emplastris ad emolliendos scirrhos destinatis.

OLEVM CASTOREI.

Conuenienter illinitur externè in passione hysterica, in doloribus colicis, tam veris, quàm per consensũ, nephriticis, & etiam in alijs spasmodicis abdominis affectibus: Etiam solet commendari contra tremores, paralysin, & etiam convulsiones: in quibus tamen casibus potius spirituosa præferuntur, quàm talia olea spissa.

OLEUM LILIORUM ALBORUM.

Valdè est emollitivum & dolorum sedativum, præterea egregium est vulnerarium, quod recentia vulnera ad promptam consolidationem disponit.

OLEUM STOMACHICUM
Cratonis.

Est egregium in quibuscunque affectibus stomachi, si malaxetur cum eo tacamahaca, & fit egregium stomachale.

OLEUM FEBRIFUGUM
Strobelbergeri.

Oleum hoc, quod habet AVTOR, non est inconveniens, imprimis si cum scorpionibus infundantur etiam araneæ, quarum vis antifebrilis est singularis, uti postmodum habebimus.

OLEVM HYPERICI COMPOSITVM
Ellenbergii.

Oleum hyperici compositum, quod habet AVTOR *noster num.* 3. *pag.* 246. est compositio theriacalis, & est dubio procul in multis affectibus proficuum; uti apparebit examinanti ingredientia, & legenti ea, quæ habet AVTOR *pag.* 247. & 248. Simile elegans ex hyperico oleum vulnerarium videbitis in HEINRICI *ab* HEER *Observat.* Sed paucis hujusmodi efficacissimum oleum, omnibus scopis vulnerariis & chirurgicis conveniens, parari potest ad imitationem Paracelsi in Herbario:

♃. *Oleum sem. hyperici* expressum:

Affunde *propriis floribus*, & ita digestione procedatur; Habetur nobile balsam. seu oleum additione pauci sulphuris, & cum hoc ebullitione in concinnum *Balsamum vulnerarium* exaltandum.

OLEVM ANTIPESTILENTIALE
Bonacursii.
Num. 4. *pag.* 248.

Pauca sufficiunt pro hoc scopo, nec opus est tantâ farragine: quâ ratione oleum pestilentiale Heinisii idem præstat, si non elegantius est, atque hoc AVTORIS compositum; vel oleum pestilentiale Crollii minus compositum, quod valdè convenit, si vel solum, vel cum oleo succini illinatur carpis manuum, temporibus, & naribus.

OLEVM PVRGANS COMPOSITVM
Clossæi.
Num. 5. *pag.* 249.

Sufficit simpliciter Ricini semen & cataputiæ minoris. Hæc duo expressa oleum suggerunt, quod sui ad umbilicum illitu alvum sufficienter stimulare solet.

CAPVT LXXIII.
DE
PILVLIS.

Pilulæ sunt ita dictæ à figura, qua repræsentant parvam pilam; Græcè dicuntur *Catapotia*; quæ duo nomina in pharmacopoliis sunt notissima. Omnibus nota est remedii hæc formula, estque nullus ferè Empiricus, qui non habeat suas pilulas: Sic D. GLASSIVS, D. H. *Wilde-Gans*, &c. habent suas pilulas.

Pro vario autem usu adhibentur, tam purgandi, quàm alterandi gratiâ, & sunt vel

1. Pilulæ Magistrales;
Vel
2. Officinales:

Vti rectè eas dividit MORELLVS.

Officinales semper prostant in officinis, & præscribuntur tantum: *Magistrales* sunt, quæ ex præscripto Medici ut parentur, præscribuntur: de quibus *in Colleg. Formular.*

Veterum compositiones pilulares officinales non æquè conveniunt, nec ampliùs aut rarò in usu sunt, partim propter inconditam illarum dosin, partim quod purgantia ingredientia earum ut plurimum cruda, & simpliciter tantum pulverisata, absque genuina vel præparatione vel correctione sunt permista, unde propter adjunctam malignitatem minus conveniunt: ut taceam, quod melle vel succo quodam inspissato communiter excipiantur, quod dosin earum adhuc magis adauget, adeò ut ad ʒj. vel ratione numeri ad 70. vel 80. sæpè extendantur pro una dosi. Rarò igitur vel nunquam hasce pilulas solas usurpamus, sed stimulum subinde addimus generosum, ut sub minori dosi optatus sequatur effectus, qui tamen non tam quantitate, quàm qualitate judicandus. Veteres enim purgantium vim sécessuum numero determinarunt, propterea præscripserunt pilulas ad ʒj. vel ad ʒii. quod tamen impostura est; legitima enim purgatio ultra sex vices non purgabit; quod excedit, fit cum ægri detrimento. Pilulæ alterantes cum opio, v. g. de cynoglossa, de castoreo, &c. narcotica talia cruda itidem recipiunt. Ergo potiùs Extractis utimur pro pilulis purgantibus, in quibus per extractionem, digestionem & præparationem, purgantium cruditas & malignitas infringitur & temperatur, & ita corrigitur; unde etiam non talia tormina & symptomata sequuntur pilulas ex extractis paratas, qualia sequi solent eas, quæ fiunt ex Mass. Pilular officinalium. Cum autem omnia ferè extracta purgantia sint resinosa, & in stomacho facilè præcipitentur, vel ejus vel intestinorum parietibus adhæreant, adeoque hypercatharses aliave gravia mala excitent, uti hoc rectè attendit ZWELFERUS *in Pharm. Reg. pag.* 85. quapropter horâ unâ vel alterâ post haustum pilularum purgantium ex Extractis, vel Extracti purgantis resinosi, commodè dabitur jusculum salitum, vel etiam iusculum avenaceum, item jusculum pisorum, quoniam hæc abstergunt intestina; vel assumitur cum jusculo quocunque aliquantulum cremoris tartari, qui simul stimulat, ut promptiùs postmodum fiat ægri purgatio. Et quid opus est tanta pilularum varietate? cum duæ vel tres compositiones omnino sufficiant, sive usuales sive propriè dictæ laxativæ fuerint.

Ut saccharo incrustentur, quod quidam facere solent pro saporis gratia, & faciliori assumptione, solvatur saccharum in aqua convenienter, admisceatur amylum, Ger. *das Krafft-Mehl*, ut fiat pasta mollis, ea obducantur pilulæ & soli exponantur, aut leni calore ad exsiccandum:

Vel

♃. *Sacchari* ℔ß.
Album. ovi nro. j.
Gum. Arabic. optimè in album. dissol. ʒj.

Subigantur, & hisce pilulæ obducantur.

Pilulæ, quæ in officinis prostant, ab AVTORE *nostro* consignatæ, jam porrò considerandæ sunt: ubi primo occurrunt *Pilulæ alterantes*, quæ partim continentur in ore, ut Pilulæ Bechicæ, partim deglutiuntur.

PILVLÆ DE BDELLIO
Augustanorum.

Speciatim conveniunt in nimio hæmorrhoidum fluxu.

PILVLÆ BECHICÆ.

Harum aliàs variæ sunt præparationes: in genere tamen subjecta continent mucilaginosa, hinc pro lubitu præscribi possunt: Aliàs sublinguales vocantur, quoniam ponuntur sub lingua, ut sensim sensimque liquescant, & liquefactæ per fauces cum lympha dilabantur, ut hujus acrimoniam temperent: unde conducunt in tussi, asperitate & raucedine faucium, similibusque faucium affectibus à lympha nimis acri obortis. Nihilominus hæ pilulæ non ampliùs in frequenti sunt usu.

PILVLÆ DE CASTOREO.

Loco pilularum de Castoreo laudanum hystericum sufficit.

PILVLÆ DE CYNOGLOSSA.

Pilulæ de Cynoglossa in tussi aut lympha acri, nocturno tempore affligente, veteres usurparunt: sed apud nos non ampliùs in usu sunt; crudis enim narcoticis constant. Loco harum igitur laudanum opiatum sufficit, permixtum cum succino, myrrha, & aliis pro catarrhis destinatis. Nihilominus tamen solent hæ pilulæ præscribi hoc tempore in Belgio, & ad gr. viij. vel x. assumuntur. BENEDICTVS FAVENTINVS habet pilulas in catarrhis, quas videmus descriptas in *Pharmac. Augustana.* Basis sunt *pilulæ de cynoglossa*, quibus additur succus glycyrrhizæ, & aloe. LINDANVS solet usurpare pilulas de cynoglossa in phthisi cum catarrhis salsis & acribus conjuncta, item in aliis affectibus catarrhalibus, tussi, asperitate faucium, & sæpè suffocationis metu tempore nocturno ingruente. Compositio est hæc;

♃. *Mass. Pilular. de cynoglossa* ʒj.
Laud. opiati gr. iij.
Succi liquirit. in aqua hyssopi solut. & inspiss. ʒiij.
M. f. *pilulæ* magnitudine pisorum.

Sumuntur sub introitum lecti num. ij. usque ad iv. Valdè commendat in affectibus catarrhalibus, & dicit; quod soleat ex earum usu induci stranguria, certo experimento, quod expurgent lympham acrem ex sanguine, quæ delata ad vias urinarias acrimoniâ suâ concitet istam stranguriam.

PILVLÆ DIAPHORETICÆ.
pag. 251.

Hæc elegans est compositio, & propter cinnabarim antimonii in febribus malignis non contemnendæ.

PILVLÆ DIURETICÆ.

Hic observanda *nota Autoris*, quæ curiosa est.

PILVLÆ ANTEPILEPTICÆ.

Hic materia medica est selecta, sed compositio confusa. Eligatur cinnabaris antimonij cum castoreo, quæ sufficiunt.

PILVLÆ DE STYRACE.
num. 6.
&
PILVLÆ AD TVSSIM.
nro. 7.

Compositiones hæ sunt succinctæ, & perquàm convenientes pro tussi nocturna ferina, ex lymphæ vitio phthisin minitante, aut ex inclementiori aere tempore hyberno excitata; incrassant enim, & ante cœnam assumptæ multum conferunt: propinari quoque possunt in tussi gravidarum sicca. Similem ferè compositionem habet SYLVIUS *lib.* 1. *Prax. c.*20. §.36. Loco harum usurpari possunt sequentes pilulæ:

℞. *Extr. Sulphuris pulverisf.* gr. xij.
Myrrhæ gr. iv.
Laud. opiati gr. j.

Cum essent. myrrh. f. pilulæ pro una dosi, vesperi capiendæ.

Ad Pilulas alterantes pertinent etiam *Pilulæ Wildeganßianę*, quas videb. in M. A. N. C. *Anno* 3. *Observat.* 232. *pag.* 422. Egregiè sunt sudoriferę: sed propter ingrediens opium cautè usurpandæ.

Quoad *pilulas officinarum purgantes*: hæ ob ingredientia cruda non ampliùs usurpantur, vel saltim in parva dosi addito stimulo præscribuntur: saltem pilulæ de hiera cum agarico inter antiquas compositiones in usu sunt dosi ℈j. cum debitis stimulis: nam pro purgandi scopo Extractum catholicum pluribus additis diversimodè determinandum sufficit: vel formentur *pilulæ Catholicę D. Mulleri*, *Archiatri Electoris Brandenburgici*:

℞. *Extracti Elleb. nigri*,
Panchym. Croll. ana ℈j.
Aloes ʒß.
Tartari vitriolati cryſtall. ℈ij.
Mercurij vitæ ℈j.
Dulcis ℈ij.

Cum *Elixyr propriet.* f. *Massa Pilul.*

Dosis ℈ß. g. xv. vel ʒß. ad summum.

Singularis est descriptio, sicuti & *compositio pilularum Mercurialium D. Leonhardi Bauschii*: considerentur omnia bene:

℞. *Aquę vol & fixę* (i. e. *Mercurij vivi*) ʒij.

Injiciatur in ferventissimum lixivium, ad labrum bene agitetur scopula, exempta diligentissimè super marmor solidum cum succo limonum aut aurantiorum eousque teratur, donec fixa agnoscatur: adde

Phlegmagogi & cholagogi benignissimi seu *Philochori simpl.* (i. e. *fol. sennæ*) ʒj.
Phlegmagogi arbor. præpar. (i. e. *agarici trochisc.*) ʒiß.
Hydragogi vegetab. fortiss. (i. e. Elaterii) ℈j.
Extr. Melanag. veget primar. (i. e. *Elleb. nigri*) ℈ij.
Aureæ rad. Chinens. aut *Ormuzens.* (i. e. *Rhabarb.*) ʒiß.
Lunar. Ægyptiac. (*follicul. sennæ*) ℈j.
Lachrymæ rub. arbor. Ægyptiacæ aut *Arabic.* (*myrrhæ*)
Resinæ Melissinæ cryſtall. s. a. extr. (*Terebinth. Cyp.*) ana ʒß.
Rad. lact. & caust. (*rad. esulæ*) gr. xiij.
Cort. inter Zeilan. arbor. acuti (*cinnam.*) ℈j.
Ligni aromat. Ind. succoter. (i. e. *xyloaloes*) gr. xiij.
Sulphuris nat. fragr. ardent. (*ambrę*) gr. iij.
Excrem. famos. odorif. (*Moschi*) gr. viij.
Diagryd. ℈ß.
Anthophyll ℈j.
Spiritus guaiaci,
Vitrioli ana ℈ß.
Fol. auri puriss. num. vj.

F. l. a. *Mass. Pilul.* cum *resina melissinæ cryſtallinæ*, cui aliquot gutt. *olei sulphuris* adduntur, aut *olei caryophyllorum*; ad usum servetur.

BARTOLETVS *in Tract. de respiratione lib.* 5. *cap.* 8 etiam describit elegantes *Pilulas Catholicas* ex *Extract. Ellebori glycyrrhizato*, ex *Mercurio dulci* Philosophicè ritè præparat. i. e. benè sublimato, & *Extracto colocynth.* cum *oleo nucis moschatæ*: vid. *in elegantissimis scriptis, quæ digna sunt, ut à quolibet legantur*.

Pro *Pilulis usualibus*, quæ alias vocantur Germ. *Haus-pillen*, abundè sufficiunt vel *Pilulæ Angelicę* seu *Francofurtenses*, quarum compositionem videbitis in HOFFMANNI *Clave pag.* 105. vel *pilulæ Glassianæ*, quæ itidem cit. loco videantur; vel *Pilulę Balsamicę universales Cnœffelii*, quas videb. in M. A. N. C. *Anno* 6. *pag.* 19. vel *Pilulæ aperientes Tilemanni*, quarum basis est aloe & gummi ammoniacum: aloe quidem pro scopo detergendi & evacuandi, & gummi ammoniacum pro scopo resolvendi mucum acidum viscidum & tenacem additur: quibus & pro stimulo tartarus vitriolatus iungitur. Compositio est sequens:

℞. *Aloes lucidæ*,
Gumm. ammoniaci in aceto squillit. soluti an. ℥j.
Tartari vitriolati ʒiij.
Cum Tinctura *tartari* f. *pilulę*.

Dosis gr. ix. xj. vel xiij. ita blandè laxant, stomachum evacuant, & fomitem successivè subtrahunt.

Elegantes quoque sunt *pilulę usuales Bartholeti*, quæ instar formulæ præ alijs esse possunt, quasque describit *in Encyclopædia*, & præscribit in latitudine sanitatis, seu statu conualescentiæ, ubi quidem non valdoperè quis ægrotat, interim tamen propter viscus aliquod læsum facilè labi potest in morbum. Pilulæ tales usuales sunt hæ:

℞. *Aloes lotę* ℥j.
Myrrhę electæ ʒj.
Mastich.
Croci ana ʒß.
Rosar. ʒj.
Santali rubri ʒij.

Cum s. q. *aquę endiuię* formentur in forma cicerum pilulæ usurpandæ omni tempore, quando necessitas postulat.

De his dicit BARTHOLETVS, quod hic, qui illis utatur, non sit visurus in corpore suo infirmitatem, quæ non sit facilè curabilis: item quod istæ pilulæ præservent hominem à pestilentia; item præservent eundem si versetur in locis uliginosis & corruptis. Imprimis quidem pro stomacho mundificando, & intestinis à superfluitatibus corruptis suaviter laxando conducunt: præservant itidem à doloribus arthriticis; item valent contra catarrhos, tam antiquos, quàm recentes; pectus itidem mundificant ratione croci & myrrhæ, & dolorem costarum removent, unde & asthmaticis conueniunt.

Sumuntur ut plurimum tres vna vice in haustu vini. Hæ sunt pilulæ, quæ conveniunt omnis sexus & generis personis, & possunt præscribi iis, qui dicuntur cachectici. Pro cachecticis & hypochondriacis BARTHOLETVS non inconvenienter addit gummi ammoniacum, utpotè cum huius vis sit experta in talibus affectibus. Sit ergo *formula pilularum usualium* iis, qui laborant malo hypochondriaco, item suffocatione hysterica, atque scorbuto, ita præscribenda:

℞. *Gum. ammoniaci aceto squill. sol.* ℥j.
Aloes succoter. ʒß.
Myrrhę electę ʒij.
Extr. belleb. nigri ʒj.
Mastich.
Croci ana ℈ij.

Cum s. q. *Essent. fumar.* f. Pilulæ instar pisorum, quarum dosis num. vj. vel vij.

Vel

℞. *Gummi ammoniaci in aceto sol.* ʒß.
Aloes luc. ʒij.
Mastich.
Myrrhę ana ℈ij.
Extracti troch. alband. gr. xv.

Cum *ess. absinth.* f. *pil. minores*:

Quæ dosi gr. xv. ad summum ℈j. usurpatæ, evacuant blandè sordes in primis viis stabulantes.

Si eas magis laxativas reddere voluerimus, imminuitur dosis gummi ammoniaci, & augetur aloe.

Hæ & similes pilulæ solent usurpari in morbis chronicis inveteratis, qui vix radicitus evelli possunt, & in stomacho vitiato sedem figunt in muco viscido, & plus minus acido. Vt ergo hicce successivè eliminetur, ea propter illæ in usu sunt, & singulis septimanis, vel singulis 14. diebus, vel singulis mensibus usurpantur, ita tamen, ut simul respiciatur ad motum lunæ uno aut altero die ante novilunium & plenilunium; tunc enim temporis morbi contumaciores in senibus ut plurimum solent evigilare; ita alvum laxant, sordes excrementitias exterminant, & loca pura sustinent, ne tales morbi chronici in graviores paroxysmos exacerbari possint, & corpus conservetur in statu sano & florido: quales v. g. sunt, qui torminibus colicis obnoxii, qui laborant malo hypocondriaco, cachexia, & inclinant ad hydropem. Pertinent huc senes, qui non rarò laborant apepsia & bradypepsia aliisque stomachi affectibus; unde vocantur etiam ab alijs *pilulę stomachales*: nam sicut notum est, quod Elixyr proprietatis soleant ingredi ista tria, crocus, aloe, & myrrha, & adhiberi pro stomacho roborando; ita Elixyr proprietatis loco possunt assumi hæ pilulæ, vel loco pilularum Elixyr proprietatis pro lubitu.

Ad has pilulas pertinent Pilulæ, quæ ab alijs pro pilulis Glassianis, sed falsò, venduntur:

℞. Extra-

℞. *Extracti card. bened.*
Gummi ammoniaci ana ʒij.
Mastich.
Succini albi ana ʒj.
Aloes succotr. ℥iß.
M. f. *Mass. Pilul.*

Cui tantillum de *antimonio per inferiora purgante* addi potest.

Convenientissimæ sanè sunt pro usu domestico in affectibus chronicis. Obseruetur tamen, quod si in maiori paulò dosi usurpentur, passiones hystericas causentur.

Dosis autem est à gr. vj. ad viij. vel ℈ß.

Pilulæ Riverii polychrestæ ad morbos deploratos:

℞. *Mass. Pilul. Ruffi,*
Antimonij diaph.
Gummi guaiaci an. ℥ß.
Cum *Bals. Peruu.* q. s. f. *Massa pro Pilulis.*

Dosis harum pilularum est ℈j. quibus pro ulteriori stimulo ad aluum soluendum, si lubet, addatur scammonium sulphuratum ad grana ij. Hæ continuentur per 30. dies, & alijs irritis in morbis desperatis summum erunt remedium.

Pilulæ Ruffi è croco, myrrha & *aloe* constant, & sunt quasi *Elixyr proprietatis siccum.*

Quoad *usum* ergo legitimum harum *pilularum usualium*: notetur, quod constent ex remediis efficacioribus, & propterea formantur pilulæ, ut remedia ingrata delicatis propinari possint. Cùm ergo aloe & reliqua ingredientia sint amarissima & ingrata, hinc sub forma pilularum propinantur: quò & id accedit, quod quæ aliàs sub magna dosi propinantur, in pilulis parua potiùs satisfaciant: plerumque enim ad ℈ß. vel ad summum ℈j. rarissimè ad 30. grana pro una dosi dantur: hinc remedia illa efficaciora intrent, unde aloe ut plurimum est basis pilularum laxatiuarum, cui pro stimulo additur colocynthis vel scammonium.

Conueniunt autem *pilulæ*

1. *Subiectis* magis *succulentis*, siue phlegmaticis siue magis chylosis; *minus* verò conueniunt *subiectis siccis*, scilicet melancholicis, & biliosis: hos enim parum vel nihil laxant, qui è contra potionibus sufficienter mouentur: hinc in hypochondriacis, melancholicis, & quartanariis parum vel non conveniunt.
2. Pilulæ tempore verno potiùs & æstivo, minus verò hyberno & autumnali usurpandæ; cum hisce temporibus potiones potiùs conveniant: quibus succi evacuandi crudiores, illis pilulæ grauia inferunt symptomata.

Ratione temporis porrò quæritur, *an matutino* potiùs *quàm vespertino tempore pilulæ usurpandæ sint?* Dico: omnia laxativa & hinc pilulæ quoq; usurpentur manè jejuno stomacho: brevi post capiatur vehiculum calidum, ut non nihil dilvatur remedium, & sic cum vehiculo calido adiuncto faciliùs operetur: subsequatur lenis deambulatio, quæ operationem promouet: cane verò peius & angue fugiatur grauior cura seu profundior meditatio, quia hæc operationem pilularum retardat, ut parum vel nihil operentur, quin potiùs sæpè blandus sudor sequatur.

Dictum de pilulis quæ assumi debeant jejuno stomacho: *Quid* verò de eorum sententia *dicendum, qui pilulas vel ante cœnam, vel post cœnam* vesperi ante introitum lecti, & quidem *numero impari sumendas censent?* Credunt enim haud pauci, pilulas in affectibus capitis, catarrhalibus præprimis, vesperi sumptas faciliùs operari, quatenus ægro dormiente sub media ciborum coctione halitus suos in caput emitterent, &c. Verùm hoc nihil est, & vana persuasio; secessus enim isti, qui manè pilulas subsequuntur, sunt liquamen chyli corrupti. Omnes ergo manè jejuno stomacho usurpentur, aut vesperi à cibo abstineatur, tumque sumantur pilulæ.

Inter pilulas purgantes officinales sunt

PILVLÆ DE AGARICO.

Hæ pilulæ conueniunt valdè in affectibus pectoris & pulmonum, quando pulmones infarcti sunt copiosa mucilagine viscida, & crassa, in tussi, asthmate & similibus, cum dixerim superiùs de agarico, quod sit appropriatum purgans in affectibus pectoris.

PILVLÆ AGGREGATIVÆ,
Maiores & Minores.

Hæ pilulæ præscribuntur tanquam catholicum seu universale purgans quoscunque humores.

PILVLÆ ALOEPHANGINÆ.

Pilulæ Aloephanginæ constant ex speciebus plurimis aromaticis, unde etiam vocantur *Pilulæ aromaticæ*, & in quibusdam scammonium sulphuratum habetur, in quibusdam verò non; & propterea præscribuntur:

℞. *Mass. Pilular. aloephang. cum scammon. seu diagrydio:*
&
℞. *Mass. Pilular. aloephang. sine scammon.*

Stomacho sunt dicatæ, cuius cruditates vi aromaticâ resoluunt, digerunt & absumunt, imprimis si ventriculus & intestina sint læsa ex frigore externo, ex potu crudo non ritè fermentato; item si sint obsessa materiâ viscidâ, imprimis pituitosâ acidâ, unde oriuntur dolores & tormina; in tali casu sunt optimæ: quando oritur colica à pituita tali, optimæ & instar secreti habendæ in hac forma:

℞. *Mass. Pilul. aloephang. sine scammon.* ℈j.
Laud. opiati gr. ij.
Cum s. *essent. cort. aurant.* f. *pilulæ*,
D. S.
Pilulæ dolorem sedantes.

Subitò leniunt dolores, & intra 4. horas leniter purgant per inferiora.

Similes sunt pilulæ ex hoc fundamento factæ contra arthritidem Rhumelii, de quibus supra dixi, quod vocitentur: *Veni amice surge & ambula.* Descriptio est hæc:

℞. *Mass. Pilul. aloephang.* ʒij.
Laud. opiati ʒß.
M. f. *pilulæ* pro 4. dosibus.

Hìc obiter noto: quod ʒß. laudani opiati describatur pro quatuor dosibus, quoniam singularem habuit RHVMELIVS præparationem: pro varietate enim præparationum nunc præscribitur ad grana ij. iij. iv. nunc ℈ß. quod probè notandum.

Prætereà sunt singulares hæ pilulæ aloephanginæ, si singulis mensibus ℈j. ad ʒß. assumatur ad præseruando oculos: profunt in suffusionibus in imbecillitate visus, in suffusione notha, & similibus alijs oculorũ affectibus per consensum stomachi: imò ad præseruandam ebrietatem egregiæ sunt, ubi necesse est, ut benè potemus, referente SALMVTH in *Obser. Med. Cent.* 3. *Obseru.* 44. Sic enim dicit de his: *Quidam respuebat, amygdalas amaras, & aliquot pilulas de his deglutiebat, unde manè nequicquam molestiæ ex potu percipiebat.*

Dosis est ʒß. pro ebrietate arcenda, vel ante post potum usurpantur: & observatum fuit, quod soleant stimulare Venerem, adeò ut post earum usum erectio membri fuerit secuta strenua.

PILVLÆ DE ALOE & MASTICHE.

Valdè conueniunt in affectibus capitis, alijsque, in specie in dolore capitis per consensum uteri valdè commendantur à FORESTO. *Descriptio* est in *Dispens. Augustano.* Valdoperè quoque in cruditate stomachi sunt egregiæ, cum mastix sit appropriatum stomachicum.

PILVLÆ DE AMMONIACO
Quercetani.

Hæ pilulæ egregiè conducunt in morbis chronicis quibusvis, quos ueteres dicunt oriri ex obstructione mesenterij & lienis: v. g. in affectibus hypocondriacis, scorbuticis, cachecticis & melancholicis, quartana, podagra, & similibus; quam podagram imprimis præservare dicuntur: blandè laxant, adeoque, quoniam non sunt nimis purgantes, stimulo scammonii & colocynthide subindè acuendæ. Possunt etiam subinde specificari cum debitis Extractis, v. g. cum extr. Martis ad malum hypochondriacum, cum extr. absinthij ad febres intermittentes: cum extract. croci ad morbos mulierum, cum extr. castorei ad passionem hystericam. *Dosis* est à ℈ß. ad. ℈j. cui gr. j. vel duo scammonij præparati, cum gr. ß. vel gr. j. Extracti alhandal. pro stimulo additur. Salia fraxini vel absinthij cautè addantur, aliàs liquescunt.

PILVLÆ ARTHETICÆ.

Ita dicuntur, quoniam in principio insultus paroxysmi podagrici solent conuenienter præscribi: item singulis 4. anni partibus pro præseruanda arthritide.

Concinniores sunt

PILVLÆ ARTHRITICÆ
Schefferi.

Quas habet AVTHOR *pag.* 253. quæ valdè commendantur in arthritide. Præter arthritidem commendantur in paralysi, in tremore, & similibus articulorum affectibus.

PILVLÆ AVREÆ
Nicolai.

Hæ sunt satis fortes, & solent præscribi in affectibus stomachi, & capitis invicem consentientium; in quo usu etiam pilulæ cochiæ solent præscribi: imò sæpius fit, ut pilulæ aureæ & pilulæ cochiæ præscribantur simul in talibus morbis, imprimis capitis contumacioribus.

PILV-

PILULÆ BENEDICTÆ.

nro. 3.

Pilulæ benedictæ egregiè sunt usuales, & in affectibus chronicis, item pro præservatione morborum imprimis putridorum, conducunt; quoniam aloe est basis & balsamum præservativum ab omni putredine ac corruptione. Huic additur gummi ammoniacum, cujus usus est satis cognitus in tono viscerum conservando, & obstructionibus præcavendis: quibus etiam accedit succus cardui benedicti, qui non minùs est elegans præservativum. Possunt singulis octo diebus 5. vel 6. vel 8. assumi, ut alvus bis vel ter deponatur, & ita corpus in vigore conservetur.

PILULÆ CHOLAGOGÆ

Quercetani.

In febribus dictis biliosis, in specie tertianis, conveniunt: sunt tamen rari usus, ututà QVERCETANO tanquam catholicum purgans soleant præscribi, & in affectibus tam chronicis, quàm acutis usurpari.

PILULÆ DE ESULA

Fernelii.

Sunt nimis validæ, & apud nos non ampliùs in usu.

PILULÆ DE EUPATORIO

Mesuæ.

Hæ magis corroborant & confortant, quàm quod purgent; unde stimuli paulò fortiores sunt admiscendi.

PILULÆ DE EUPHORBIO

Quercetani.

num. 7. *pag.* 254.

Pilulæ ex vitro antimonii præparato componuntur, & credo, quod propter vitrum antimonii conducant in febribus, cum certum sit, quod dicit POTERIUS; quod febrium chronicarum appropriatum purgans sit antimonium. Item erunt convenientes in affectibus melancholicis, in melancholia hypochondriaca, in mania, cùm affectuum melancholicorum appropriatum purgans sit antimonium.

PILULÆ FEBRILES

ad Quartanam Sennerti.

num. 8.

Quicquid operantur, habent ab aloe.

PILULÆ FOETIDÆ

Mesuæ.

Pilulæ hæ vocantur *fœtidæ* ratione odoris, quoniam constant ex castoreo, ex asa fœtida, & similibus: conducunt mulieribus uterinæ suffocationi obnoxiis, quibus commodè præscribuntur; item conveniunt, ubi menses sunt remorati, pro iis ciendis, quoniam ingredientia simul sunt emmenagoga.

PILULÆ DE FUMARIA

Avicennæ.

Sunt *pilulæ catholicæ*, & valdè conducunt in affectibus melancholicis, & ubi opus est purificatione sanguinis, imprimis scabie aliisque affectibus cutaneis.

PILULÆ GUMMOSÆ.

nro. 10. *pag.* 255.

Pilulæ hæ pro usu medico tanquam usuales sunt optimæ, & valdè conveniunt in quamplurimis morbis; in specie quidem ratione gummi ammoniaci & galbani insigniter prosunt in affectibus intestinorum, è mucilagine vel pituita acida ortis; unde in colicis torminibus, ex eadem mucilagine vel pituita acida oriundis, insigniter conducunt. Deinde valdè conveniunt in affectibus stomachi, apepsia & bradipepsia, quos affectus corrigunt: in affectibus chronicis, quartana, cachexia, menstruorum vitiis & similibus insigniter conducunt, sicuti facilè patet examine ingredientium, & quæ postmodum de earum virtutibus subjicit AUTOR. Nam gummata, uti notum est, conveniunt specificè in evacunda pituita crassa ac viscida, unde etiam pilulæ de *sagapeno Quercetani* in hoc ipso conveniunt. Loco harum pilularum substitui etiam possunt *pilulæ aperientes Tilemanni supra descriptæ*, & *tartareæ Bontii*, item quas habet SYLVIUS *in Praxi Lib.* 1. *cap.* 2 §. 34. *cap.* 7. §. 52. *cap.* 14. §. 50. *cap.* 30. §. 138. *cap.* 34. §. 110. & *cap.* 35. §. 16.

PILULÆ DE HERMODACTYLIS.

Harum descriptio prostat in *Dispensatoriis Augustanorum, Cordi, & Renodei*: nam hoc significant literæ A. C. R. Usurpantur ab arthriticis; item in tumoribus pedum ac manuum œdematosis, qui sæpè subsequuntur morbos chronicos diuturnos: hodie verò rarò præscribuntur.

PILULÆ DE HIERA PICRA.

Parantur ex aloe, myrrha, scammonio, & similibus: vid. *Dispens. Augustan.* Dispensantur vel cum vel sine agarico. Ex his priores cum agarico sunt in usu, ubi scilicet opus est, ut evacueutur sordes viscidiores, seu pituita acida, ex primis viis, uti etiam ex pectore: unde sufficere possunt ad pilulas catholicas præprimis in affectibus abdominis & pectoris. Pro meliori autem operatione variis modis possunt specificari: e. g. cum extracto absinthii, & sic fiunt appropriatæ pro affectibus ventriculi & intestinorum: cum extracto quodam pectorali ad affectus pectoris: cum gummi ammoniaco in affectibus splenis, mesenterii, hepatis: e. g. possunt esse *pilulæ hypochondriacæ* hoc modo:

℞. *Mass. Pilul. de hiera picra cum agar.* gr. xv. (rarò ad ℈j præscribuntur)
Gummi ammoniaci in aceto vini vel squillit. sol. ℈ß.
Extracti martis gr. v.
Trocb. alband. gr. j. ad ij.
Cum *ess. fumar. vel tinct. tartari* f. *pilulæ* pro dosi:
S.
Pilulæ laxativæ.

Evacuant succos nidorosos, mucilaginem viscidam & similia alia excrementa.

PILULÆ HYDROTICÆ.

Ex tempore possunt fieri *pilulæ hydroticæ*, quæ serum & aquam expurgant: ex extracto elaterii, colocynthidis, gummi de Peru seu gummi guttæ, & similibus, quæ satis potenter evacuant serum, & aquas per inferius guttur.

Compositio v. g. potest esse talis:

℞. *Extr. elater.* ℈ß.
Mag. de Peru gr. vj.
Extr. troch. alband. gr. ij.
Cum f. q. *essent. absinth.* vel *succi absinth. inspiss.*
F. *Pilulæ*: D. S.
Pilulæ purgantes.

Quæ conveniunt in hydrope, & similibus affectibus.

PILULÆ HYDROPICÆ BONTII.

nro. 11.

Sunt adhuc decantatæ. Basis est gummi guttæ, cujus loco substituitur resina ialappæ: stimulans est, diagrydium: & digerentia & præparantia sunt gummi ammoniacum & tartarus vitriolatus. Descriptio est elegans, & valdè conveniunt in hydrope; singulis septimanis semel sunt reiterandæ.

PILULÆ INDÆ HALY.

Rari sunt usus, nihilominùs tamen in scabie & tumoribus melancholicis conveniunt, uti etiam in quartana. Observetur hìc simul, quod superiùs dixi, pilulas nimirum in affectibus melancholicis non adeò esse convenientes, quoniam non ita solent operari, ut in reliquis subjectis. Cæterum corrigitur hic defectus, quando post pilulas hauritur haustus seri lactis, horâ unâ vel alterâ interjectâ; sic enim faciliùs dissolvuntur pilulæ, & distribuuntur in corpus, & feliciùs ac promptiùs purgantur Melancholici.

PILULÆ DE LADANO.

num. 13 *pag.* 256.

Compositio est satis simplex, nihilominus tamen potenter operantur. Conveniunt in colica & quibuscunque affectibus intestinorum, ab acido viscido oriundis; item ubi caput dolet per consensum ventriculi.

Ladanum est basis, trochisci alhandal sunt stimulans, mastix verò & Elect. de succo rosarum sunt corrigens virulentiam trochiscorum alhandal.

PILVLÆ LVCIS MAJORES MESVÆ,
&
PILVLÆ LVCIS MINORES CORDI.

Pilulę hæ vocantur *Lucis*, quia in affectibus oculorum olim adhibitæ sunt. Possunt specificari cum Extracto fœniculi, aut etiam oleo destillato. Verùm cautela hæc observetur, ne scammoniata aut alia purgantia acriora, oculis inimica, addantur; unde sunt qui rejiciunt has pilulas, & *mitiores* exoptant, faciendo *ex extracto cephalico cum oleo fœniculi*.

PILVLÆ MAROCOSTINÆ MINDERERI.
num. 14.

Vetus est compositio, de qua MINDERERVS *integrum Tractatum* conscripsit, quem vocat *Aloedarium*, ubi ingredientia sunt examinata, vires exploratæ, & inuicem collatæ. In præseruando corpore à quibuscunque affectibus chronicis imminentibus instar purgantis catholici olim usitatæ erant. *Dosis* est à ℈ß. ad ℈j. Possunt describi & determinari ad varias partes, & varios affectus, additione Extractorum specificorum. Vires satis prolixè descriptas uidebitis in MINDERERO, & AVTORE *nostro pag.* 257.

PILVLÆ MASTICHINÆ.

Pilulæ hæ in affectibus stomachi & capitis, à frigida causa obortis, nec non in affectibus uteri, prosunt, imprimis quando ex stomachi vitio fluxus menstruus deest, uti in hoc passu eas ualdè deprędicat FORESTVS *Lib.* 9. *Observat.* 51. Dicit enim: *qui sępè iis utuntur, præservantur à doloribus stomachi, capitis & uteri: Mastix enim est simplex in quàm plurimis stomachi & uteri affectibus egregium, Conferunt tristibus & melancholicis.*

PILVLÆ MATRICALES SCHEFFERI.
num. 15.

Prosunt in affectibus uteri & chronicis ex mensium vitiis obortis; facilè enim menses & lochia seu puerperium promovent, uti patet iis, qui ingredientia examinant, & cognitas habent vires simplicium.

PILVLÆ PANCHYMAGOGÆ *Quercetani*.
num. 16.

Pilulæ hę dicuntur *Panchymagogę*, quod ex veterum hypothesi omnes humores indiscriminatim euacuent. Sunt lenes & non adeò potentes, satis tamen tutæ, & valdè conueniunt, ubi opus est catholica purgatione: pręseruationis gratia tempore vernali & autumnali pręscribendæ. Pro basi ad ℈i. sumi possunt, stimulo conuenienti addito.

PILVLÆ PESTILENTIALES *Avicennæ seu communes*,
&
PILVLÆ PESTILENTIALES *Ruffi*.

Pilulæ hę abusiuè dicuntur *pestilentiales*, cum vix illarum aliquis in peste usus sit, adhuc autem in usu sunt pro puerperis ad laxandam aluum, & promouendos menses, & lochiorum fluxum, ratione myrrhę & croci, quę simplicia hoc in passu satis sunt convenientia; sunt enim nil aliud, quàm quasi Elixyr proprietatis in forma sicca; sicut & eadem ferè habent ingredientia, quę Elixyr proprietatis, aloen scilicet, myrrham, & crocum. Interim etiam loco pilularum usualium possunt usurpari, ita ut singulis septimanis vel 14. diebus assumatur dosis, quoniam una tantum aut duabus vel tribus vicibus euacuant. Dosis gr. xij. ad xv.

PILVLÆ PESTILENTIALES *compositę*.
num. 18.

Pilulæ hę meliùs ad alios affectus, quàm ipsam pestem conueniunt; & ad omnes, quos ipsis AUTOR *pag.* 258. effectus tribuit, conducunt, non uerò ad pestem.

PILULÆ ANTIPODAGRICÆ *Doringii*.

Pilulæ hæ non sunt purgantes, sed alterantes tantum; nihilominus tamen iisdem DORINGIUS se præservauit à Podagra: vid. HORSTIVS *in loco ab Autore nostro citato*, ubi est *epistola* DORINGII *ad Horstium*, in qua testatur, quomodo se illis à podagra præseruauerit.

PILULÆ POLYCHRESTÆ. *num* 19.

Elegans harum compositio est, cuius ℈j. blandè laxat.

PILVLÆ DE RHABARBARO.

Conveniunt pro euacuanda cruditate nidorosa, & ab hac deriuatis affectibus, febribus tertianis, & similibus.

PILVLÆ DE SAGAPENO.

Commendantur in quartana, malo hypochondriaco, & simillibus: In quartana ante paroxysmum propinantur. Necesse autem est, ut præmissa sint convenientia digestiua, imprimis Martialia.

PILVLÆ SINE QVIBVS ESSE NOLO, *Nicolai*.

Pilulæ hæ sunt rari usus: nihilominùs tamen pro purgatione catholica interdum præscribuntur.

PILVLÆ DE SVCCINO *Cratonis*.
num. 21. *pag.* 259.

Conveniunt valdè in affectibus catarrhalibus, & ubi opus est purgatione feri: unde etiam vocantur *pilulæ catarrhales*; sicut etiam in affectibus capitis, & defluxionibus ad oculos, nares, & fauces, item pro purgandis senibus, affectibus catarrhalibus speciatim obnoxiis, sunt egregiæ.

Dosis ad ℈j. cum medioeri stimulo, vel ex scammonio, vel ex colocynthide, &c.

PILVLÆ TARTAREÆ
seu
MELANAGOGÆ *Quercetani*.
num. 20.

Dicuntur *Pilulæ Tartareæ*, quoniam adiuuans est cremor tartari. Laboriosa harum compositio est, & paucis parari posset. Valdè conueniunt in affectibus melancholicis, scorbuto, malo hypochondriaco, in quartana, in genere in omnibus affectibus chronicis, in specie in scorbuto valdè commendantur; sic in affectione hypochondriaca, cachexia, & aliis affectibus chronicis, potest præscribi talis formula:

℞. *Mass. pilul. tartarear. Querc.* ℈j.
Extr. martis aperit. cum succo pomor. Borsdorff. parati ℈ß. vel gr. xii.
Trochisc. alband. gr. iß.
Cum *tinctura antimonii* f. *pilulæ*: S.
Pilulæ laxatiuæ.

Interdum præscribuntur simul loco baseos mass. pilul. de ammoniaco & mass. pilul. tartarearum Quercetani hoc modo:

℞. *Mass. pilul. de ammon.*
Tartarear. Querc. an. ℈ß. &c.

In scorbuto possunt fieri cum spiritu cochleariæ, vel possunt irrorari cum oleo cochleariæ destillato, utut hoc fiat rariùs: nam extracta herbarum scorbuticarum non dantur propter sal volatile.

PILVLÆ TARTAREÆ *Bontii*.
num. 23. *pag.* 260.

Compositio pilularum harum *tartarearum* est simplex, sed valdè elegans & non minùs potens, quàm pilulæ tartareæ Quercetani. Dicuntur ita, quoniam tartarus est stimulans. Sunt egregiæ in morbis chronicis, etiam magis pro scopo primas vias abstergendi; adeoque tanquam *pilulæ usuales*, quàm pro scopo fortiter purgandi conveniunt; quia leniter & suaviter purgant. Nam observetur in purgatione scorbuticorum, hypochondriacorum, melancholicorum, & affectione hysterica laborantium, quod nullo modo ferant fortiora pur-

purgantia: id quod etiam intelligendum est de aliis affectibus chronicis: nec una vice multum, sed multis vicibus parum est evacuandum; nam materia est valdè crassa, & longam requirit moram ad coctionem. Potiùs singulis 14. diebus, vel singulis mensibus, semel talis instituenda lenis evacuatio, quæ fit per epicrasin, & quidem si una vice bis vel ter purgentur ægri, sufficit: nam propter concurrentia symptomata, & tormina ventris nimia, nullo modo possunt ferre purgantia vehementiora. Propterea tales pilulæ sunt cæteris præferendæ. Id quod etiam intellectum volo de hystericis; vidi enim aliquot mulieres, quæ afflictæ scorbuto, propinatis pilulis paulisper fortioribus inciderunt in graves hystericas passiones; quod benè observetur, quoniam est magni momenti in praxi.

Hæ fuerunt Pilulæ purgantes ab AUTORE *nostro* descriptæ.

CAPUT LXXIV.

DE POTIONIBUS.

Potio frequentissima est præscribendi formula, & varia complectitur remedia. Præscribitur ex variis ingredientibus, tam liquidis, quàm siccis, certa proportione & dosi coordinatis, & inter se invicem mistis, nunc pro una, nunc pro pluribus dosibus, idque scopo vario, habita ratione odoris & saporis: propterea alio nomine etiam vocari solent *Misturæ* communiter.

In harum compositione duo attendenda; *Materiale*, & *Formale*.

Quoad *materialia* sunt vel liquida vel sicca, vel fixa vel volatilia, & sic porrò.

Formale verò quod concernit: hìc observetur primo dosis ingredientium tam generalis, quàm specialis. Hæc, specialis scilicet, variat, pro varietate remediorum simplicium: sic v. g. salia volatilia in forma sicca præscribuntur ad grana xv. vel ℈j. jalappa ad ℈j. pulvis stomachalis ad ℈j. specificum febrile Crollii ad ʒj. Elixyr proprietatis ad ʒß.

Cæterum attendatur quoque dosis generalis, qua nempè ratione & proportione ingredientia Misturas debeant ingredi, ut sequatur genuina proportio & elegans miscela, ut coniunctim tot doses efficiant, quot requiruntur.

Annotetur autem hìc:

1. *Liquor constituens Misturam*; &
2. *Addenda & Dissolvenda* in liquore.

Liquor est multiplex: ordinariè est aqua quædam destillata, una vel plures, sive simplex sive aqua quædam destillata composita. Interdum loco aquæ cuiusdam destillatæ assumitur decoctum aliquod simplex, vel etiam aliquantisper compositum. Loco decocti interdum assumitur infusum quoddam appropriatum in conveniente quantitate, quod conciliat corpus ipsi Potioni.

Addenda reliqua sunt varia appropriata, ut aquæ appropriatæ spirituosæ (hæ enim, quoniam sunt nimis penetrantes, corpus non possunt substituere, & propterea in minori quantitate sunt præscribendæ) succi, spiritus vegetabilium & animalium essentificati, id est, sale suo volatili acuati, olea destillata, salia, essentiæ, extracta, elixyr, Tincturæ &c., dissolvuntur etiam non raro confectiones, item Electuaria quædam officinalia appropriata. Ulteriùs sæpiùs etiam adduntur pulveres affectui & scopo à Medico intento appropriati, & deniq; propter gratiam saporis syrupus quidam appropriatus additur, ne nimium nauseosa sit Potio.

Hæc verò uniuscuiusque ingredientis præter propter proportio esse debet, ut aquæ destillatæ sive alius liquoris *unciæ uni* addantur aquæ minùs spirituosæ ℥ß. aquæ verò spirituosæ compositæ ʒij. ad ℥ß. ex succis ʒij. vel iij. Elixyr ʒj. interdum ʒij. spirituum volatilium inflammabilium ʒi. spirituum salinorum volatilium, si sunt probè rectificati & acres ʒj. Electuarii ℈ij. vel ʒj. Confectionis cuiusdam analepticæ, e. g. alchermes, &c. ℈j. ad ʒß. Extracti ℈j. ad summum ʒß. pulverum ℈j. ad ʒß. essentiæ ʒj. præter propter; Tincturarum à ʒß. ad ʒj. ubi tamen notandum, quod essentiæ & Tincturæ rariùs misceantur cum aquis, quia præcipitantur; salium volatilium grana xv ad summum ℈j. olei destillati gutt. v. vel vi. Syrupi ʒii. vel ʒiii. ad summum ℥ß. Raro solemus progredi ad maiorem syruporum quantitatem, sicuti Veteribus fuit in usu, ne saccharum inducat noxam, uti sæpiùs monui. Omnia autem ingredientia simul sumpta non excedant ℥v & ad summum ℥vi.

Quoad *modum assumendi*: hauriuntur tales Potiones & Misturæ vel una vice, quando v. g. purgare aut sudorem mouere volumus, vel pluribus uicibus, quando scopus est indeterminatus & successiuè intentus: unde Misturæ tales, quę pro pluribus dosibus præscribuntur, uel determinantur quot uicibus assumi debeant; v. g. si præscribuntur pro 4. uicibus, tunc postulat Medicus & jubet, ut 4. uicibus assumatur, & diuidatur in quatuor partes æquales: uel indeterminatè ordinantur, ut scilicet æger singulis horis capiat cochl. j. uel ij. ad iij. pro ratione circumstantiarum. Sapor & odor attendatur etiam, ne sint nauseosæ & ingratæ tales Misturæ.

Differentiæ earum ratione effectus sunt, quod aliæ sint *alterantes*, aliæ *purgantes*; item quod aliæ internè, aliæ externè applicentur

quæ cum multiformes sint, & saltim ordinentur à Medico, ut ex tempore præparentur, harum exempla habebimus *in Collegio Formularum*.

Superest, ut examinemus Potiones quasdam, quæ in AVTORE *nostro* occurrunt: quas inter est

POTIO PVRGANS.
num. 1.

Potio hæc præparata ex Extractis, est horrida; loco huius commendo quoddam Extractum catholicum, dissolutum in aqua appropriata.

ALIA.
num. 2.

Potio hęc corrigenda est. Epithymum & spica Celtica nihil valent: sal tartari addi debuisset ad ʒß. melior enim sic operatio successisset. Aliter ergò, & quidem sequenti modo, parari potest:

℞. *Fol. sennę* ʒiiß.
Rhabarb. electi ʒj.
Zingib. ℈ß.
Sal. tartari ℈j. ad ʒß.
Infund. in s. q. *aquæ fumar.* per diem & noctem: in colat. dissolvatur
Syr. rosat. solut. ℥j. M.
Non opus est confectione Hamech.

POTIO SVDORIFERA.
num. 3.

Efficax admodum est hæc *Potio sudorifera*, quæ concinniùs ita pręscribitur:

℞. *Aquæ card. bened.* ℥ij.
Clyssi ʒij.
El. dias. Fr. ʒj.
Syr. card. bened. ℥ß.
M. S.
Potio sudorifera.

Vel

℞. *Aquę card. bened.* ℥iß.
Clyssi, vel huius loco *aceti sambuc.* ʒii.
El. diascord. Frac. ʒi.
Rob iunip. ℈j.
Extracti card. bened. ℈ß. M.

Vel

℞. *Aquę card. bened.* ℥ij.
Mell. juniperin. ℈j.
Extr. card bened. gr. xv.
Syrupi card. bened. ℥ß. M.

ALIA SVDORIFERA.
num. 4.

Pro hac inconcinna Mistura, sufficit Mistura simplex ad ʒj. usurpata.

Potiones Vulnerarię num. 5. & 6. *pag.* 262. sunt Decocta.

CAPUT LXXV.

DE POMIS AMBRÆ.

Pulveres ex subiectis, odorem suavem & penetrantem sine ignis ope ex se diffundentibus, cum mucilagine Tragacanthæ excepti, & in globulos rotundos formati, constituunt *Poma odorata*: quibus, si ad gratiam odoris, & non tam ad sanitatem, quàm voluptatem, addatur ambra, zibethum, Moschus, &c. tunc in specie vocantur *Poma ambrę*, quæ sæpiùs scilicet usurpantur pro voluptate, non pro sanitate.

CAPUT LXXVI.

DE PRÆPARATIS.

Solidius concretum terendo, contundendo, aut alio modo in minutiores sui particulas redactum, constituit pulverem; qui pulvis ex seminibus paratus, dicitur *Farina*. Sin verò, pręter simplicem contusionem, simplicia exactè terantur, durioris pręsertim substantiæ, ex minerali & animali regno, v. g. lapilli cancrorum, cornu Cerui ustum, corallia, &c. super porphyrite, *Præparata* dicuntur; quę à pulveribus contundendo saltem paratis non

differunt, nisi quod per tritum illum accuratiorem in minutissimum alcohol redacta sunt. Catalogum horum Præparatorum, ut & modum præparandi, habet AUTOR.

Observandum autem, quod in præparatione communiter affundatur aqua appropriata spirituosa scopo conveniens: v. g. quando Tutia præparatur cum aqua euphrasiæ pro oculis, cinnabaris antimonii cum spiritu liliorum convallium pro capite, cranium humanum cum aqua florum tiliæ, cerasorum nigrorum, aqua spirituosa liliorum convallium in epilepsia; lapides percarum cum aqua spirituosa alkekengi pro usu nephritico; succinum cum aqua spirituosa serpilli, &c. Verùm, quia post exsiccationem spiritus avolant, parum virtutis ab præparatis accedit. Sufficit ergo aqua simplex, aut loco spirituum Præparata iam exsiccata læuigando adhuc imbibantur cum essentiis appropriatis. Deinde Preparata non debere esse duriora ipso lapide, super quem fit iste tritus, aliàs nimis de hoc simul abraditur. Denique animalium partes communiter vel Philosophicè, vel communi modo calcinatas præparari; sed quoniam sub istis calcinationibus plus minus castrantur, aut enervantur ipsa concreta, propterea elegantior modus est præparandi ossa, & cornua cruda, quem usurpauit CNOEFELIUS & prostat *in Append.* M. A. N. C. *Ann. 6. pag.* 48.

Præparata hæc longè sunt præferenda Magisteriis; quoniam nudè tantum prosunt simplicia, dum præparantur: ut ideò qui sciunt virtutes simplicium, etiam præparatorum usum non ignorent.

CAPUT LXXVII.

DE PULVERIBUS & SPECIEBUS.

PVlueres quid sint? notum est. Vocantur interdum *alcohol, sief, Tragea*. *Alcohol* duo significat: in scholis enim chymicorum primò notat spiritum vini rectificatissimum: deinde intelligitur pulvis subtilissimus, qui ferè palpari, & magis attenuari non potest. *Sief* est vocabulum Arabicum, quo intelliguntur pulveres, qui oculis inflantur. In specie *Tragea* est pulvis non adeò exactè contritus, ut *Trageæ stomachales*.

Compositi pulveres ex pluribus præsertim aromaticis ingredientibus dicuntur voce in pharmaceuticis receptâ species.

Pulvis aliàs est vel *officinalis*, vel *magistralis Officinalis* est, qui semper reperitur in officinis, & in hoc differt à magistrali: sic *pulvis officinalis* sunt species diagalangæ, item pulvis contra casum. *Magistralis* est, qui præscribitur à Medico pro usu necessario, v. g. in febre ex varis simplicibus febrifugis.

Pulveres in dosi sufficiunt à ℈j. ad ʒß rarissimè ad ʒi. si sunt grati; aliàs enim nauseosi sunt. Sunt etiam quandoque solubiles in vehiculo, ubi excellunt salia.

Pulveres autem dispensantur vel pro usu interno, vel externo.

Pro interno usu est vel *pulvis purgans*, vel *alterans*. *Purgans* ex simplicibus catharticis ex scammonio & aliis, tam ex regno vegetabili, quàm minerali desumptis, constat. Inter *pulueres alterantes* sunt acidum absorbentes, fermentationem & efferuescentiam sanguinis compescentes, menses prouocantes, seu stomachici, seu alii pro varietate scopi & intetione Medici. Externus puluerum usus pariter est varius: sic pulveres ulceribus inspergentur; pro dentifriciis item, ut & pro suffitibus catarrhalibus adhibentur.

Cæterum plures *Pulueres officinales* an AUTORE recensentur: quos *litera A* consignauit, habentur in *Dispens. Augustano*, cuius corrector fuit ZWELFERUS; quos verò *numero* notavit, ab AUTORE describuntur.

Nota autem *prima* AUTORIS de aromaticis probè obseruanda est, ea scilicet non minutissimè esse pulverisanda, ne maxima, eaque volatilior pars, exhalet.

PVLVIS ASARI.

Est vomitiuus.
Inter *Pulveres alterantes* usuales occurrit.

PVLVIS CONTRA ABORTUM.

Cuius descriptio, prout in *Dispensatoriis* est, admitti potest; adatur tamen ebur sine igne, corallia præparata, magisterium corallinum cum succo citri, &c. & ita ad ʒß. in iusculo vel haustu vini generosi dari potest. Confert sufficienter in imminente abortu; sed huius loco laudarem sequentem:

℞. *Pulv. cancr. in balneo Mariæ exsicc.* ʒij.
Cancr. calcin. ʒj.
Ebor. sine igne,
Corall. rub. præpar. an. ℈ii. M.

Dosis sit ℈j. ad ʒß. ad precauendum abortum in vehiculo aquę liliorum alborum, uerbenę, alioue simili.

PULVIS ANONYMI contra PHTHISIN.

Pulvis hic simillimus est *pulveri Haly contra* phthisin. Ingredientia sunt partim semina oleosa, partim gummata mucilaginosa, ut corrigant lympham nimis acrem, tussim ex eadem causa nocturnam, asperitatem faucium, & similia. Dosis ʒi. tempore uesperti no solet pręscribi, partim per se, partim in Electuariis & rotulis contra dictos affectus; sit tamen recens pręparatus, non rancidus.

PULVERES BEZOARDICI.

Puluerum Bezoardicorum tot prostant compositiones, quot capita. Instar omnium sufficit pulvis fixus, ut antimonium diaphoreticum, uel Bezoardicum minerale; pulvis uerò uolatilis instar omnium erit sal uolatile cornu cerui, uel sal uolatile uiperarum.

PULVIS CACHECTICVS QVERCETANI.

num. 4. *pag.* 268.

Huius basis est *crocus Martis saccharinus*, seu limatura chalybis cum sulphure calcinata, uel cum aqua simplici in crocum redacta. Preparationes AUTORIS nihil ualent; fit enim certè crocus indissolubilis; & potiùs pręferenda est cruda limatura, uel cum salibus pręparata. Loco huius

℞. *Limat. Martis crud.*
Tartari an part. æqual.

Affundatur *aqua fervida*, ut instar pultis fiat: tandem in puluerem subtilem obscuri coloris abit. Talis *crocus Martialis* requiritur pro basi puluerum cachecticorum. Vel preparetur *crocus Martis aperitivus* ad manuductionem CNOEFELII: uid. M. A. N. C. *Anno* 6. *Append. pag.* 105 111. & 112.

Fæcula inibi nil ualent; sunt enim caput mortuum, & terra inanis: Magisteria pariter coralliorum & perlarum nil ualent. Potest addi ebur sine igne, item salia fixa aperitiua, sal absinthii, sal artemisiæ, & sic porrò.

Vicinus pulueri huic cachectico est *Pulvis cachecticus D. Bezæ*, cuius hæc est compositio:

℞. *Crem. tartari* ℥ß.
Croci martis aperitivi,
Fl. sulphuris an. ʒj.
Rhabarb el. ℈ij.
Mag corall. ʒß.
Limaturæ martis præpar. ʒj.
Succini albi præpar.
Fæculæ ari (potiùs *rad. ari præpar.*) an. ℈iiß.
Macis,
Cinnam.
Nucisq. an. ʒj.
Sacchari rosati tabul. ℥iij.
Ambræ gris. gr. ii.
Sem. aquileg.
Nasturt.
Violar.
Cochlear. an. ʒß.
M. f. l. a. *pulvis.*

Sed potiùs loco horum puluerum cachecticorum sit talis:

℞. *Croci martis dicto modo parati* ℥i.
Myrrhæ el.
Corall. rubr. præpar. an. ʒij.
Ambra gris. ʒß.
Olæosacch. cinnam.
Caryophyll. an. ʒj.
M. f. *Pulvis.*
Dosis ℈j. ad ʒß. ad summum ʒj.

Vel

℞. *Croci Martis aperitivi*, prę sertim CNOEFEL, *vel* huius loco *alius convenient. prępar. martial.* ℥j.
Corall. rubr. prępar.
Matr. perlar. pręppar. an. ʒj.
Caryophyll.
Cinnam.
Ambrę gris. an. ʒß.
Olei destill. macis gutt. xij.
M. f. *Pulvis.*
Dosis ʒß. ad ℈ij.

Egregium erit medicamentum manè assumptum jejuno stomacho pro usu in chylosi & sanguificatione imminuta, affectibus melancholicis, affectione hypochondriaca, cachexia virginum, aliisque morbis chronicis cachecticis.

In usu

In usu verò pulverum horum cachecticorum observetur, quod nunquam sint sumendi priùs sine præmisso purgante, ac leniter evacuante primas vias, hoc facto 10. vel 12. diebus pulveres cachectici continuato usu adhibentur, ex quorum usu excrementa sunt nigra propter Martem; interponendo omni septimana, imò post 3. vel 4. dies blandum laxativum, & simul post usum corpus movendo.

PVLVIS AD CASVM
Augustanorum.

Pulverem hunc videbitis in *Dispensatorio Augustano*. Remedium est ubi sanguinis cogrumati metus, exempli gratia in casu ab alto, sputo cruento, &c. Vsurpari potest in vehiculo vini acidi, aut cochl. aceti vini, vel destillati, vel sambucini, misti cum aqua cherefolii, & expectari postmodum sudor. Sed loco compositi talis pulveris abundè sufficiunt lapilli cancrorum à ℨß. ad ℈ij. in vehiculo pauci aceti propinati.

PVLVIS CATHÆRETICVS
pro ossibus S. Closs ai.

Compositio genuina est, optimè conveniens in carie ossium, si nempè ipsis adspergatur pulvis; remedium est revera præstans: addatur oleum caryophyllorum; Galli enim chirurgi hisce oleum caryophyllorum inspergere solent, tanquam specificum.

PVLVIS DE CYPERO.
num. 6. pag. 269.

Pulvis de Cypero odoriferus vocatur Germ. *puder*, & usurpatur externè, ut ille inspergatur vestimentis & capillis.

PVLVIS DENTIFRICIVS.
num. 7.

Pulvis dentifricii sæpiùs præparantur ex pulveribus adstringentibus, acidum gingivas corrodens & flaccidas reddens absorbentibus, & destruentibus ulcera gingivarum. Horum pulverum basis sæpiùs est pumex & os sepiæ: quibus pro gratia additur pulvis rad. ireos Florent. & pro gratia coloris rubri, sub quo sæpiùs expetitur, permiscetur pulvis sanguinis Draconis, qui adstringit. Hæc tria ferè in omni pulvere dentifricio occurrunt: quibus adduntur reliqua à Medico præscripta & necessaria pro scopo.

Basis in pulvere AVTORIS est silex calcinatus; pumex est adiuvans; oleum ligni Rhodii additur ratione odoris. Pumex pro pulveribus dentifriciis aliquoties ignitur, & aliquoties extinguitur in vino rubro; sic tandem contunditur & benè teritur: alii benè calefactum pumicem extinguunt in lacte aliquoties, & postmodum benè contundendo pulverisant.

Ut autem pumex pro pulveribus dentifriciis rubescat, si non volumus addere santalum rubrum, vel sanguinem Draconis, tunc recipimus coccionellam, eamque solvimus in aqua aluminis, & tali rubinea solutione adspergimus pumices pulverisatos, vel ipsos pulveres dentifricios, & ita suaviter rubescunt.

Quidam mirificè commendant *hunc pulverem dentifricium* pro dealbandis & firmandis dentibus præstantissimum: scilicet recipiunt duos *pumices*, & mutuo attritu redigunt in pulverem, quem infundunt in *aquam, in qua santalum rubeum fuit infusum*: addunt aliquid *aluminis rochæ*, & pulvis omnino fiet ruber, qui postmodum exsiccetur, & adspergatur aliquot guttis *aqua rosarum*, in qua fuit dissolutum tantillum *Zibethi*.

Meritò autem ex his pulveribus silices & pumices, ceu durioris texturæ lapides, & qui gingivas absumere valent, reiicit ZWELFERVS, qui alium *pulverem dentifricium tartareum* eius loco substituit *Pharm. Reg. pag. 101.*

Elegans quoque est *Pulvis dentifricius contra scorbutum oris*, quem describit BARTHOLINVS *Cent. 6. Histor. Anatom. 54.*

℞. *Fol. aquileg.*
Sem. cochlear.
Cort. rad. cappar. an. ℥ß.
Rad. ireos Florent.
Alum. usti an. ℨiij.
Maxillæ luc. pisc.
Corall. alb.
Cornu Cervi usti an. ℨii.

Pulverisentur subtilissimè, & irrorentur cum *oleo caryophyllorum destillato*.

D. S.
Pulvis dentifricius.

Potest perficit hic pulvis, si irroretur aut imbibatur cum spiritu cochleariæ, ubi scorbutis oris est contumacior, aut certè periculosior. Pro ditioribus possunt addi aliquot grana Moschi vel ambræ pro gratia odoris.

Sic v. g. talis pulvis pro ditioribus est *Pulvis dentifricius Principissa Altenburgensis*:

℞. *Ost. sepiæ*,
Cornu Cervi usti,
Pumic. an. ℥iij.
Mosch. ℈j.

M. f. *pulvis*: cui adspergatur
Spiritus rosar. ℥ß.
& siccetur: Interim

℞. *Gran. chermes*,
Santali rub. an. ℥ß.
Spiritus vini q. s. pro extrahenda tinctura:

Quâ irroretur aliquoties prædictus pulvis, & reficcetur.

D. S.
Pretiosus pulvis dentifricius.

Talibus pulveribus fricantur, uti notum est, dentes, & post frictionem absterguntur vel aqua simplici; vel quod meliùs, decocto vel aqua appropriata, seu post dentifricia sicca sæpiùs debent usurpari dentifricia humida.

Reliqua ingredientia, quæ solent permisceri his pulveribus, variantur pro varietate scopi: nam quando gingivæ sunt tumefactæ, sunt flaccidæ propter copiosam lympham acidam, quæ eas impregnat, undè etiam sæpiùs sunt cruentæ; tunc recipiuntur commodè talia, quæ imbibunt istam humiditatem, absorbent istud acidum, & blandè adstringunt: quæ inter primum locum obtinent calcinata, v. g. testæ ovorum calcinatæ, farina virginea MYNSICHTHI, lapilli cancrorum, osteocolla, alumen ustum, &c.

Tales pulveres postmodum, uti patet, permiscentur aliis dentifriciis liquidioribus: nam si talis pulvis excipiatur cum s. q. mellis rosati, vel anthosati, fiunt exinde linimenta valdè convenientia pro gingivis: ubi præterea est abstergendum & detergendum, & ubi necesse est, ut interdum dentifricium diutiùs hæreat in dentibus, talibus pulveribus cum melle aliquot guttæ olei ligni Rhodii vel caryophyllorum possunt addi, pro suavi activitate & conciliando suavanhelitû. Loco mellis non rarò sumitur rob diamorum vel dianus cum, utpotè quæ per se potenter adstringunt: quod si est affectu scorbuticus gravior, tunc cum pulveribus permiscetur oxymel vel simplex, vel scilliticum.

Imò vel solus cinis roris marini vel nicotianę, nisi adest scorbutus, paucis guttis olei destillati caryophyllorum irroratus, pulverem dentrificium constituit.

PULVIS DYSENTERICVS CROLLII.
num. 9.

In hoc ipso duo primaria fortè specifica deficiunt: hepata nempè viperina, & priapus ceti, tauri, vel cervi. Aliàs pro cognitione materiæ Medicæ est admittendus. Sed quid opus est tanta farragine? præstat his ex paucioribus cócinnatus *pulvis dysentericus D. Michaelis*, quem vid. in HOFFMANNI *Clave p. 108.* cui postmodum D. MICHAELIS pulverem hepatum serpentum addere consuevit. Certè in eiusmodi antidysentericis primaria ingredientia sunt corallia rubra præparata, terra sigillata, radix tormentillæ, hepata viperina, priapi, unicornu fossile, & unicornu verum; ex quibus pro circumstantiarum rationne 1000. compositiones fieri possunt, addito simul stomachi ratione vel oleo destillato macis, vel oleo destillato cort. citri, aliovè simili.

PULVIS EPILEPTICUS
Marchionis cum & sine unicornu A.

Ancora mulierum sacra est contra epilepsiam infantum. Ingredientia sunt, quæ absorbent acidum. In genere ergo vim habet absorbendi acidum infantum torminosum, quod inquinat lac, & pavores nocturnos causatur, dosi ℈ß. ad ℈j. irroratus aliquot guttis olei destillati anisi: unde cum cinnabari antimonii, vel specifico cephalico D. MICHAELIS, aliisque medicamentis antiepilepticis & alexipharmacis, infantibus antè eruptionem variolarum & morbillorum, ut succurrantur epilepsiæ, propinari solet. Sed non adeò concinna est præparatio; & potiùs eius loco pulverem puerilem in *Valetud. Infantili* & *Colleg. Practico*, ubi *de morbis infantum*, nec non *Idea Præscribendar.* formular. *præscriptum*, commendarem; vel præscriberem talem:

℞. *Corall. rubr. præp.* ℨij.
Margarit. præpar.
Unicorn. veri præparat.
Ebor. sine igne an. ℨj.
Sulphuris veget. ex coryllo ℨiß.
Olei destill. anisi q. s. M.

Sub usus tempore pro circumstantiarum ratione nunc addita cinnabari nativa, vel addito sale volatili cornu Cervi ulteriùs specificari & exaltari poterit.

PULVIS ANTIEPILEPTICUS de SECUNDINIS.

num. 10. pag. 270.

Pulvis hic nimiam farraginem simplicium habet. Basis est secundina præparata, & cranium calcinatum, in quo tamen omnis vis activa evanuit. Moschus & ambra possunt omitti, si forsan mulieribus sint adversa. Si igitur delectus habeatur, prolixa hæc compositio in pauca hoc modo potest contrahi:

℞. *Pulv. secundun. ritè parati* ℥j.
Rasuræ cran. humani violenter interempti, vel *sine igne*, vel *supra insinuato modo præp.* ʒvj.
Castor. puri ʒj.
Sal. vol. succini ʒj. ad ʒij.
Cornu Cervi ʒß. ad ʒj.
Olæosacch. macis vel succini q. s. pro gratiâ,
M. f. *Pulvis.*

Hic pulvis habet materiam medicam selectam ex isto composito: quod si castoreum non æquè omnibus placeat, etiam omitti, & ejusdem loco succinum præparatum commodè substitui potest.

Pulvis hic est egregius, cum notum sit, quod secundina sit specificum singulare in quàm plurimis affectibus, in specie in omni epilepsia. Si ergo contingat mulieribus, ut ex secundina & lochiis retentis oriantur horrenda symptomata, præcipuè epilepsia, in tali casu hic pulvis valdè erit conveniens, præprimis cùm reliqua ingredientia, castoreum, &c. simul respondeant. Potest propinari in aqua liliorum convallium, in aqua secundinæ, in aqua hirundinum cum castoreo.

PULVIS ANTIEPILEPTICUS DIAPHORETICUS.

pro. 11.

Pulvis hic paratus ex cinnabari antimonii & magisteriis, *specificum* cephalicum est D. HARTMANNI, quod revera coincidit cum specifico cephalico D. D. MICHAELIS, saltim quod loco magisteriorum ab AUTORE allegatorum magisterium suum epilepticum & cordiale cum fæcula pæoniæ addat. Sed magisteria nil omnino valent, fæcula est effœta, adeoque quicquid ex hoc pulvere sperari potest, hoc simpliciter cinnabaris tanquam basis, præstat, quæ à CRATONE vocatur *Magnes Epilepsiæ*. Unde certè dictus pulvis ratione huius cinnabaris egregiè convenit in epilepsia infantum & adultorum, item in convulsionibus, iunctis cum variolis & morbillis, aliisque morbis malignis, contracturis artuum, apoplexia, &c. Loco Magisteriorum substituantur Præparata, & erit longè melius. Admiscetur ergo commodè sal volatile succini, quod est egregium cephalicum; unde si præparandus pulvis cephalicus, alium præpararem ita:

℞. *Cran. hum. violenter interempti sine igne,*
Unic. veri, vel *pulv. auriculæ ceti* ana ʒj.
Cinnabar. antimonij ʒj. ad ʒiß
Sal. volat. succini probè purif. gr. xxiv. vel ʒß. ad ℈ij.
M. f. *Pulvis*.
Pro aliquot dosibus.

Ad imitationem hujus possunt certè multi pulveres adhuc præparari, modò observetur basis, quæ est cinnabaris, in qua multa latitant arcana. Hæc si teratur cum salibus volatilibus, color eius mirè intenditur, & emergit summè diaphoretica; ac sanè verum est, in epilepsia & morbis convulsivis, etiam febribus malignis, in quibus metus est, ne spiritus animales ac genus nervosum graviùs afficiantur, egregia est hæc cinnabaris: v. g.

℞. *Cinnab. el.* vel *cinnab. antimonij ritè parata* gr. xv.
Sal. volat. viperar.
Cornu Cervi ana gr. iv.
Campb. gr. ij. vel iij.
M. f. *pulvis.*

Cujus usum egregium & felicem in febribus malignis aliquoties expertus sum.

Loco salis volatilis viperarũ & cornu cervi conveniunt sal volatile succini & sal volatile cranii humani. Ego cum sale volatili succini in epilepsia scorbutica pulverem ferè similem nuperrimè præscripsi cum successu, præmisso priùs clystere; quoniam erant convulsiones mesenterii & intestinorum, *Epilepsia in corpore*:

℞. *Cinnab. antimonij* gr. xv.
Sal. vol. succ. ℈ß.
Laud opiati gr. ij.
Campb. gr. j.
M. f. *Pulvis. s.*
Pulvis cardiacus & cephalicus.
(non enim volunt interdum patientes, ut fiat mentio epilepsiæ:)

Hoc propinato semper ante paroxysmum, qui singulo triduo recurrere solebat, iste impediebatur, & æger perfectè curabatur.

PULVIS EPILEPTICUS *Arnoldi VVeikardi.*

pro. 12.

Hic est farrago promiscua ingredientium, nec non adeo elegans; nihilominus tamen potest tolerari.

PULVIS FEBRILIS.

num. 13.

Propinatur à ℈j. ad ʒß. vel ℈ij. ante paroxysmum febrium intermittentium. Præterea in febribus malignis convenit tanquam diaphoreticum, propter cornu Cervi & antimonium diaphoreticum, quorum ratione pulvis hic potest tolerari, si adsit diarrhœa symptomatica, quoniam cornu Cervi adstringit: ubi autem hæc non præsto est, non habet usum cornu Cervi ustum, quoniam est spoliatum suo spiritu, & omni sale volatili, à quo dependet vis diaphoretica: potiùs assumendum est cornu Cervi philosophicè calcinatum. Commodè etiam pulvis hic potest propinari in pleuritide, præmissa venæsectione, si opus est, ad ʒß. ad ʒj., quam per sudorem curat; in specie quoniam ingrediens quoque est semen cardui benedicti, &c. In febribus autem intermittentibus præ talibus pulveribus præstant salia fixa vegetabilium cum antimonio diaphoretico, præsertim Martiali, mista, quæ certiora quàm pulvis china chinæ: v. g.

℞. *Salis absinth.*
Card. bened.
Antimonij diaph. ana ℈j. vel gr. xxvj.
Olei destillati macis, vel *caryophyll.* gtt. vj.
M. f. *Pulvis*,
pro duab. dos.

Qui potentissimum est remedium febrifugum.

TRAGEA FORTIS.

pro. 14.

Tragea fortis nihil est aliud, quàm pulvis grosso modo paratus; & quidem Tragea hæc constat ex aromatibus, quæ, uti *superiùs monui*, non debent valdè comminui propter partes volatiles oleosas facilè evanescibiles: quæ Tragea fortis usurpatur post pastum, & propinatur cachecticis, vel etiam senibus, hypochondriacis, & iis, qui apepsiâ & anorexiâ laborant.

TRAGEA GROSSA.

num. 15. pag. 271.

Cum priori ejusdem est usus, quia similiter constat ex aromatibus, similibusque carminantibus, estque puluis stomachicus digestivus.

TRAGEA HEPATICA *Quercetani.*

pro. 16.

In hoc pulvere est basis crocus Martis aperitivus, qui etiam est basis pulverum anticachecticorum. Jam verò, quoniam veteres cachexiam ab hepatis sanguificatione læsa derivarunt, vocarunt *Pulveres Hepaticos.* Moderni dicunt; convenire in temperando acido abundante, tam in stomacho & primis viis, quàm in massa sanguinea & hepate.

TRAGEA HYSTERICA *Quercetani.*

pro. 17.

Pulvis hystericus seu *Tragea hysterica Quercetani* in passione hysterica est egregia; habet enim in se aromata carminantia, quæ acidum convulsivum temperant. Cum præterea notum sit, quod omnia anticolica, & quæ in stranguria conveniunt, stomachica item & carminantia, conveniant in passione hysterica, potest dare occasionem ulteriùs inquirendi in naturam passionis hystericæ ignorantibus. Præterea convenit Tragea Hysterica in fluore mulierum, cum fons & nidus istius sit in stomacho, quem confortat, & radix mali in utero; hinc additur semen agni casti, quod in absumendo semine laudatur: Ergo utrique scopo erit conveniens Tragea hæc.

PULVIS HYSTERICUS *A.*

Alium *pulverem hystericum* officinis usitatum videbitis *in Phar. Reg. Zvvelferi*, & *Pharm. August.* qui datur mulieribus passione hysterica correptis.

TRA-

TRAGEA ANTINEPHRITICA
Quercetani,
num. 18.

Pulvis hic est elegans, cuius basis est desumpta ex gallinarum tunica ventriculi &c. unde hic pulvis erit conveniens in retentione urinæ. Præterea convenit in præservando calculo, ne scilicet generetur sabulum aut arenulæ. Præter hæc etiam ratione stercoris gallinarum convenit in colica passione, cum certum sit, quod omnia stercora curent colicam, imprimis tamen album græcum & stercus gallinaceum album. Ingreditur etiam herniaria, quæ utut sit specificum in hernia, præterea quoque est egregium diureticum, &, sicuti reliqua vulneraria, urinam pellit.

PULVIS PARTUM PROVOCANS, & HELIDÆI DE PADVANIS.

Pulvis partum provocans, tam prior, quàm *Helidæi Paduani*, profectò est egregius: præsertim PADVANI compositio propter borracem est efficacissima, quæ ulteriùs specificetur cum pulvere secundinæ; borrax enim per se partum & secundinas pellit. Alium quoque pulverem ad dystociam videbitis in *Pharmacopœa Augustana*, quem ingrediuntur Hypposorchides, qui sunt testiculi equi; de quibus notum est, quod specificè in pellendo fœtu prosint. Compositionem quoque elegantem videbitis in ZWELFERI *Pharm. Regia*, quæ egregium præstat usu. Non opus est compositionibus magnis officinalibus; sed contra qui notitiam habet virium simplicium, paucissimis possunt egregia præstare & efficere; quod etiam arcanum fuit HELIDÆI PADVANI.

PVLVIS RVBEVS PANNONICVS
Aug.

Pulvis rubeus Pannonicus egregii usus est in febribus malignis, in specie in febre Vngarica & febribus puerpetarum, cum fluxibus alvi & sanguinis colliquativis coniunctis; cum non solùm moveat sudorem, sed ingredientia simul quodammodo adstringant: unde & in dysenteria & diarrhœa epidemica maligna, cholera aliisque malignis optimè conducit. In curandis pueris, variolis & morbillis laborantibus, semper lenientia adstringentia appropriatis misceantur, cùm diarrhœa his superveniens ut plurimum sit lethalis. Dosis est à ℈i. vel ʒß. ad ℈ii. & ʒi. cum syrupo limonum, vel aqua borraginis aut acetosæ. Sed quoniam compositio paulò rudior est, eandem sic corrigi posse arbitror:

℞. *Rad. tormentillæ* ℥viij. vel huius loco *extr. eius* ℥iv.
Terræ sigillatæ ℥iv.
Boli Arm.
Corall. rubr. præparat.
Cornu Cervi sine igne an. ℥ii.
Vnic. fossil.
Marg. præpar. an. ℥j.
Campb. ʒij.
Olei destill. cort. citri ʒj.
M. f. *pulvis*.
Asservandus pro usu.

PULVIS SAXONICUS.

Huius compositio quoque extat in *Dispensatorio Augustano*, & ex nudis simplicibus vegetabilibus componitur. Fuit in usu in Saxonia superioribus seculis grassante peste, & aliis morbis epidemicis maliginis.

PULVIS SPERNIOLÆ COMPOSITUS CROLLII.
num. 19. *pag.* 272.

Hic pulvis dicitur sperniola ratione spermatis.

Præstat, ut compositio hæc loco aquæ spermatis ranarum imprægnetur cum ipso spermate, & ita asservetur. Unum adhuc notandum: quod camphora ipsis ingredientibus primitus non sit immiscenda, aliàs evolat; tantũ pulveri parato addatur, & tunc erit pulvis egregius, qui multos habet usus internè & externè. Internè summum remedium est contra hæmorrhagias quascunque, vel sub forma pulveris propinatus, vel sub forma potionis, aliis sanguinem sistentibus additus: sub forma pulveris hoc modo:

℞. *Boli Armenæ præpar.*
Hæmat. præpar. an. ℈ß.
Sperniolæ Croll. gr. vi.
Laud. opiati gr. i.

M. f. *pulvis*. S.
Pulvis adstringens.
In hæmorrhagia narium, uteri, pectoris & aliarum partium prodest.

Vel

℞. *Hæmat. præpar.* ʒß.
Sperniolæ Crollii gr. xv.
Laud. opiati gr. iij.
M. pro duab dosib. in *aqua portulacæ*, subigenda cum proprio syrupo.

Item sub forma potionis hoc modo:

℞. *Aquæ bursæ pastor.*
Plantag.
Portulacæ an. ℥ß.
Sperniolæ Croll. ʒß.
Laud opiati gr. ij.
Syrup. portul. ʒiii.
M. D. S.
Potio contra hæmorrhagiam, benè circumagitanda, pro 2. vel 3. dosibus.

Non tamen æquè tutus sperniolæ videtur usus, ut rectè monet AUTOR *in Nota*, propter myrrham & crocum; quæ non uterinas tantum fluxiones promovent, sed speciatim etiam menses & lochia cient, & ad alias hæmorrhagias disponunt. Loco huius sperniolæ eleganter potest propinari tinctura sulphuris vitrioli, cuius descriptionem & præparationem communicavi in *capite de vitriolo*.

Externè itidem locum habet contra hæmorrhagias, pro quo usu dissolvitur in s. q. *spermatis ranarum*, & ita cum linteis applicatur in quibusvis hæmorrhagiis: confer. *Horstius Lib.* 9. *Observ. pag.* 430. 436. & 437. qui in hæmorrhagis narium externè applicavit temporibus ac fronti compositum hoc sperniolæ in aqua spermatis ranarum dissolutum instar epithematis, singulis horis repetendo. In iisdem hæmorrhagiis & ebullitione sanguinis nimia applicari solet regioni hepatis, dissolutum in aqua appropriata, pro compescenda ebullitione sanguinis, & orta inde hæmorrhagia. In hæmorrhagia uteri, mensium vel lochiorum nimia, dissolutum in aqua plantaginis vel portulacæ, addito aliquantulo aceti rosacei, cum spongia regioni pubis vel vulvæ applicatur, & ita hæmorrhagia compescitur. In specie utilis est in inepta venæ sectione, ubi arteria læditur; hic enim pulvis arteriam citra anevrisma consolidat, sicut etiam in ipso anevrismate valdè conveniens est, si scilicet aneurismatis tumori pulsatili applicatur, dissolutus in aqua conveniente. In ambustione partium externarum hæc sperniola Crollii est egregium remedium *forinsecus adhibita & applicata*. In erysipelate applicata cum aqua florum sambuci egregiè convenit, in qua AVTOR etiam rectè commendat: ubi tamen notandum, quod acetum sit suspectum, & loco eius cum spiritu vini, vel tantum cum vino calente, quò meliùs subigatur, paretur, & egregium erit remedium propter camphoram, myrrham & crocum. Sperniola si non sit in promptu, commodè potest substitui albumen ovi benè dissolutum, cum camphora permistum, & cum lixivio cinerum fagi loco erysipelate affecto applicari.

Vel

℞. *Olibani*,
Myrrhæ an. ℥ß.
Camphoræ ʒij.
Croci ʒß.
Vini ℔i.
Coquantur in vase clauso. Decocto postmodum addatur *Spirit. vini* ℔ß.

In hoc postmodum humectentur lintea, quæ applicentur Erysipelati, idque in defectu sperniolæ. In dolore podagrico dissoluta in aqua spermatis ranarum, & applicata parti dolenti confert.

PVLVIS STOMACHICVS
Quercetani seu Birckmanni,
num. 20.

Pulvis hic est egregius illis, qui laborant apepsiâ ex cruditate acida, & pituitosa; idque propter basin radicis ari, quę egregiè abstergit ventriculum à crassa & viscida pituita, & propterea vocatur etiam Germ. *Zehr-Wurtzel*, id est, *radix consumens*, uti monui *superius* sub aro: unde etiam confert in vertigine per consensum ventriculi oborta, uti & in cachexia. Commodè permiscetur cum hoc pulvere pulvis rubeus hepaticus hoc modo:

℞. *Pulv. stomach. Querc.* ʒij.
Hepat. rub. ʒß.
M. f. *pulvis*.
divid. in 4. part. æqual.
S.
Pulvis stomachalis.

Compositionem autem pulveris stomachici corrigerem ita:

℞. *Rad. ari acris non præp.* ℥ij.
Acori nostr. ʒvj.

Lapillor. cancr. præpar.
Extr. torment. an. ℥ß.
Cinnam. ʒiij.
Salis absinth. ʒiß.
M. f. *pulvis*.

Pertinent huc Trageæ aromaticæ, cuius delicatæ talis est compositio:

℞. *Cinnam.* p. iij.
Cardam p. ij.
Caryophyll. part. j. M.

Hæc addito saccharo dant Trageam perquam concinnam, variis rebus condimenti loco inspergendam.

PULVIS AD STRUMAM.

Pulvis contra strumas Villanovani prostat in *Pharm. August.* & utilis admodum est tam ad præservationem, quàm curationem strumarum in principio. *Dosis* est ʒß. ad ℈ij. vel ʒj. assumendo singulis matutinis horis jejuno stomacho, ut absumat materiam glutinosam, glandulas gutturis infarcientem. Ubi est suspicio scirrhorum in glandulis mesenterii, etiam est egregius. In specie autem ad strumas usurpatur, non neglectis externis: Vel

℞. *Huius pulv.* p. ij.
Arcani duplic. Mynf. p. j. M.

Dosis ℈j. ad ʒß. vel ℈ij. Sic quasi appropiatum est contra strumas.

PULVIS TRITHEMII.
num. 21.

Pulvis Trithemii planè aromaticus est, & à multis multum commendatur ad confortandam memoriam; spiritus enim animales volatiliores reddit. Modum assumendi cum aqua Magnanimitatis subministrat AUTOR. Convenit imprimis senibus, quoniam vertigini resistit senibus familiari, & apoplexiam præservat. In affectibus capitis & stomachi erit egregius, imprimis si sint senes, vel affectibus catarrhalibus obnoxii.

Post Pulveres sequuntur

SPECIES.

Quæ κατ' ἐξοχὴν sunt pulveres ex aromaticis compositi, ut species diagalangæ, diamoschi, &c. quæ semper denominantur à basi: sicuti pulveres grossi vocantur *Trageæ*; & *pulveres subtiles* vocantur *pulveres in specie sic dicti*. Omnes autem species conveniunt, quatenus sunt aromata, & aromatica pulverisata, quæ terendo in pulverem successivè abeunt. Præterea dantur etiam species ex seminibus oleosis, ut species diatragacanthi frigidæ & calidæ, &c. Jam quia hæ & similes sunt rancidæ, qui rancor est congeries copiosorum vermiculorum, inutiles ferè sunt, & si præscribendæ, præscribuntur ita:

℞. *Spec. diatragac. recent. dispens.*

SPECIES DIAMBRÆ
cum Ambra & Moscho.

Compositum videbitis *in Pharm. Augustana*. Valdè conveniunt in corroboranda memoria ac spiritibus animalibus & vitalibus; undè solent hæ ipsæ species ingredi Morsulos & Rotulas refectivas. Constant ex aromatibus: & quidem species diambræ cum Ambra & Moscho destinatæ sunt viris; sine illis usurpantur tantum pro mulieribus.

SPECIES DIANISI.

Prosunt in stomachi inflationibus & copiosis ructibus, item convenientes sunt in malo hypochondriaco ex stomacho oborto, & in genere ubi opus est carminatione; vel flatuum discussione.

SPECIES DIACURCUMÆ
seu
DIACROCU.

Conveniunt valdè in ictero, item ubi obstructio est vel lienis vel hepatis; vnde etiam in cachexiis convenienter permiscentur cum medicamentis Martialibus, item, cum pulvere rhabarbari in ictero flavo vel nigro. In iis in genere conveniunt affectibus, quos veteres sanguificationi læsæ ex vitio hepatis; moderni sanguinis crasi turbatæ attribuunt.

SPECIES DIAGALANGÆ.

Conveniunt in affectibus stomachi, in quibus possunt usurpari loco digestivi pulveris.

SPECIES DIAIREOS.

Species dia-Ireos, tam *simplices* quàm *compositæ*, conveniunt in affectibus pectoris, in tussi, asperitate faucium & gulæ, in raucedine, & similibus pectoris affectibus à lympha acri; permiscentur cum Magisterio vel floribus bonzoes, item cum floribus sulphuris. Loco harum specierum possunt etiam commodè fieri pulveres pectorales, quibus tamen permiscentur Iris Florentina, quæ est basis.

SPECIES LÆTIFICANTES
Galeni.

Solent dari post affectus melancholicos, melancholiam hypochondriacam & uterinam. Constant ex aromatibus, quæ mobiles & vegetos reddunt spiritus, unde etiam dicuntur Lætificantes.

SPECIES LITHONTRIBON.

Dicuntur ita ob vim, quam habere putantur, pellendi calculum. Cæterum est insulsa ac miseranda compositio, & vix est miserabilior & insulsior in omnibus dispensatoriis; paucissima enim antinephritica adsunt.

SPECIES DIATRION PIPEREON.

Harum duæ compositiones *in Pharm. Augustana* prostant. Conveniunt in affectibus stomachi, in specie in cruditate acida, complicata cum copioso muco crasso ac viscido. Permiscentur cum radice ari præparata, hepatico rubro, cremore tartari & similibus, pro præcavenda & absumenda cruditate acida. Formula potest esse talis:

℞. *Spec. diatrion piper.*
Crem. tartari an. ʒiß.
Rad. ari prep.
Pulv. hepat. rub. an. ʒß.
M. f. *pulvis*.
div. in 7. vel 8. part. æquales. S.
Pulvis stomachalis.

Possunt irrorari aliquot guttis olei destillati anisi, vel misceri cum Elæosacch. anisi, huius assumendo ʒß.

SPECIES PRO ELECTUARIO RESUMPTIVO.

Compositionem harum specierum videbitis in *Pharm. August.* Conveniunt in hectica, tabe, atrophia, & similibus affectibus; vel cum saccharo, & fiunt Morsuli, vel cum melle Electuarium, vel tantum sub forma pulveris præscribuntur. Cæterum semper debent esse recenter dispensatæ propter admista semina, quæ facilè corrumpuntur. In catarrhis nimis salsis à lympha salsa obortis, in raucedine ab eadem causa oborta conveniunt.

SPECIES DIARRHODON
Abbatis, cum & sine Moscho,
&
SPECIES ROSATÆ NOVELLÆ.

Prostant Descriptiones in *Pharmacopœa Augustana*: & quidem solent præscribi post febres acutas in declinatione ad firmandam sanguinis crasin & mistursam. Præscribuntur etiam post purgationes pro corrigendo sanguine, in purgatione nimis perturbato.

SPECIES DIASPOLITICON.

Species diaspoliticon Galeni parantur ex nitro & oleo destillato cumini, quæ egregium remedium in affectibus hypochondriacis, ubi nimii flatus & phlogoses adsunt: non melius tunc remedium, quàm hoc. *Dosis* à ʒß. ad ʒj.

SPECIES DIATRION SANTALON.

Species diatrion santalon videbitis in *Dispensatorio Augustano*. Conferunt in inflammatione hepatis, item in febribus, quas vocant biliosas. In febribus tertianis, & in febribus continuis permiscentur cum conservis acidulis, ut fiant exindè Electuaria. Permiscentur etiam commodè cum ebore sine igne, item cum pulvere hepatico rubeo in febribus tertianis: item in morbis post potum nimium, ut etiam ante potû, ne nimis generosum vinum possit nocere visceribus.

SPECIES DIATRAGACANTHI.

Species dia-Tragacanthi, tam *frigidæ* quàm *calidæ*, prostant in officinis, & usurpantur in tussi, raucedine, asperitate, & aliis affectibus

faucium à lympha acri. Cum sacharo fiunt exinde Rotulæ, quæ sensim sensimque liquescunt in ore, ut corrigatur asperitas faucium.

Speciebus autem dictis compositis sanè longè præstant Elæosacchara ex oleis destillatis; vel simplici vel composito, & sacharo confecta: vel Quintæ Essentiæ ex oleis destillatis, cum spiritu vini tartarisato, aut tinctura tartari solutis, paratæ, & dispensatæ. Et cum in plurimis speciebus eadem ferè sint essentialiter ingredientia, variata saltim dosi & proportione, propterea ex pluribus pauca sufficiunt, v. gr. species dia-Cinnamomi Mesue, item diacumini Nicolai, vel species diatrion piperon, vel diagalangæ, vel species Imperatoris; item species dia-Ireos usitatæ, item species dia-Tragacanthi frigidæ. Priores istæ aromaticæ species, ventriculo & primis viis muco obsessis, flatulentijs & cruditatibus onustis, hincque vi & efficacia aromatibus communi, qua calefaciunt, sanguinem volatilisant, & bilem acuunt, hinc cephalica & uterina esse solent, sub usu Medico conducunt. Verùm propter dosin excessivam minimè sunt usurpanda, & in desuetudinem ferè abiere. Posteriores duæ affectibus faucium & pectoris catarrhalibus, pro temperanda lympha acri, & mitigando dolore partium dictarum plus minus excoriatarum, & hinc, ut vocant, pro incrassando catarrho, conducunt.

SAL PHILOSOPHORUM & SACERDOTALE.

num. 24. & 25. *pag.* 273.

Quibusdam in usu sunt, & usurpant talia salia in alimentis loco salis communis esculenti. Verùm non multum faciunt, saltim ratione aromatum agunt, quicquid agunt.

Sequuntur jam *pag.* 274.

PULVERES PURGANTES,

Inter quos est

num. 1.

PULVIS ARTHETICUS *Paracelsi.*

In affectibus articulorum adhibetur dosi ʒß. ad ʒj. nam hermodactyli dicuntur *Anima articulorum*, quæ sunt basis. Ingredientia purgantia sunt cruda, & non nihil virulenta: ut tamen tutior & magis convenientior fiat, huic & sequentibus semper vel sal tartari addendum, vel species jam mistæ oleo tartari per deliquium sufficienti quantitate irrorandæ, & hinc exsiccandæ, iterumque irrorandæ: Sic destruitur nimia vis, & tollitur cruditas virulenta: Item addendum est oleum nucis moschatæ vel cinnamomi, quò minùs noceat stomacho & intestinis. Ossa humana ingrediuntur etiam hunce pulverem; nam ossa humana ad ʒß. adhibita, uti *superiùs* monui, solent interdum alvum laxare. Non addendum est tantum sacchari, quantum AUTOR adscribit, sed saltem paululum pro gratia saporis.

Ex hoc pulvere enatum est Electuarium Cariocostinum seu marocostinum, quod etiam singularis laudatur usus in præservanda & curanda podagra.

PULVIS CHOLAGOGUS QUERCETANI.

num. 2.

Datur ad ʒß. & valdè convenit in evacuandis humoribus nidorosis, ad bilis naturam accedentibus. Rhabarbarum excreta colore flavo tingit, unde patet fraus, qua veteres decepti, quod evacuetur bilis. Pro stimulo potest addi tartari cremor, vel hepaticum rubrum, vel tartarus vitriolatus, *in forma pulveris*: potest etiam misceri cum conserva florum cichorii, ut fiat *instar boli*.

PULVIS CORNACHINI.

num. 3.

Pulvis Cornachini, aliàs *Comitis de* WARWICK, & *Cerberus triceps febrifugus*, ex tribus constat: nempè *cremore tartari*, *scammonio præparato*, & *antimonio diaphoretico*; quæ miscentur sequenti proportione:

℞. *Crem. tartari* gr. xv.
Scamm. sulphurati ℈ß.
Antimonij diaph. gr. vj.
M. f. *pulvis* pro dosi.

Confer. ZWELFERUS, *Pharm. Regia pag.* 96. Observetur, quod vis purgans oriatur ex scammonio sulphurato: antimonium diaphoreticum & cremor tartari ceu digestiva adduntur; antimonium diaphoreticum ceu digerens & præparans acidum, cremor tartari ceu corrigens mucilaginem crassam & viscidam, intestinis adhærentem & vias obstruentem; & proinde meritò commendatur propter hos duos scopos: confer. ZWELFERUS *Pharm. Reg. pag.* 96.

Dosis ʒß. ad ʒj. Ast concinnior longè fit præparatio, si loco antimonii diaphoretici simplicis recipiatur *antimonium diaphoreticum Martiale*:

℞. *Antimonii crudi pulveris.*
Nitri pulveris. an. ℔ß.
Lim. martis rec. ʒj.

Detonentur l. a. in mortario ferreo; massa exempta pulverisetur, & cum triplo nitri in crucibulo calcinetur, donec fundi incipiat: hinc successivè infundatur in aquam simplicem, edulcoretur probè & abluatur nitrum, & pulvis edulcoratus restitans flavus ex antimonio & Marte compositus recipiatur.

℞. *Huius pulv.*
Mag. scammon. an. gr. xv. ad ℈j.
Crem. tartari gr. vj. vel vij.
M. pro dosi una in quocunque vehiculo.

Sanè est nulla febris intermittens, quæ non hujus usu, imminente paroxysmo, cedere cogatur: item in pleuritide, cholera, obstructione mensium, variolis & similibus egregiè prodest.

PULVIS MELANAGOGUS QUERCETANI.

num. 4.

Pulvis hic convenit cum pulvere laxativo sennæ Montagnanæ. Basis est senna; & est egregius in affectibus Melancholicis, melancholia hypochondriaca, cachexia, & similibus affectibus. Pro ratione sacchari additi præscribitur nunc in majori, nunc minori dosi; non enim laudandum est, quod tantum ingrediatur sacchari; quò enim minus additur sacchari, eò minori in dosi est præscribendus.

PULVIS PANCHYMAGOGUS QUERCETANI.

Pulvis hic ita dicitur, quod omnes evacuet humores. In frequenti usu est, ubi opus est purgatione prophylactica seu præservatoria tempore vernali & autumnali.

PULVIS PASSAVANTICUS.

Pulvis Passavanticus est inusitatus: aliàs in moderata alvi solutione vel solum diagrydium sufficit, sive in præservandis sive curandis morbis, ad gr. vj. vel viij. v. g.

℞. *Diagryd.* gr. viij.
Crem. tartari ℈ß. vel ℈j.
M. pro dosi una.

Quidam commendant hunc pulverem purgantem, 4. vel 5. vicibus absque torminibus evacuantem:

℞. *Pulv. rad. jalappæ* ℈ß. vel gr. xv.
Nitri puriss. gr. vj.
M. f. *pulvis*, qui leniter & sine molestia purgat.

PULVIS SENNÆ PRÆPARAT. MONTAGNANÆ.

Potest præscribi à ℈j. ad ʒß. *Constat ex cremore tartari, coriandro, senna*, &c. Ex pulvere hoc natus est *Infusum elegans laxativum Mannagettæ* cujus formula prostat in *Phar. Reg.* ZWELFERI *p.* 20. Datur ab ℥j. ad ℥iß. Usitatum est valdopere Augustæ Vindelicorum & Viennæ pro laxanda alvo. Ad hujus normam commodè possunt præscribi Infusa laxativa Sennæ elegantia & nitida.

PULVIS STERNUTATORIUS RULANDI.

num. 9.

Facit huc succincta, sed elegans, compositio sternutatorii Rolfincii:

℞. *Pulv. tabaci Ind.* ʒß.
Majoranæ ʒj.
Olei destill. majoranæ,
Rorismar. an. ℈ß.
Ambræ gr. iv.
Moschi gr. viij.
M. pro *pulvere*.

CAPUT LXXVIII.

DE SACCULIS.

Sacculi sunt nihil aliud, quàm vegetabilia contusa & concisa, in sacculos lineos conclusa, qui vel ita sicci applicantur parti affectæ, vel priùs humectati, aut decocti in liquore conveniente, applicantur convenienter.

Materia, ex qua fiunt ſacculi, ſunt vegetabilia quæcunque: quæ inciſa & contuſa præſcribuntur; & quidem quantitas vegetabilium pro quantitate ſacculorum maiori vel minori variat.

Materia hæc inditur in ſacculum interpaſſatum, ſeu interpaſtatum, ſive, quod hic idem eſt, interſutum, ne ſpecies in ſacculo mobiles hinc inde poſſint relabi, ſed ſit æqualiter repletus ſacculus.

Sacculi hi variæ ſunt figuræ, non tam in quantitate, quàm in figura. Quidam ſacculi ſunt quadrati, qui applicantur ano in teneſmo; quidam rotundi, qui applicantur abdomini in colica, dyſenteria & aliis inteſtinorum affectibus; quidam triangulares in ſtomachi affectibus, & ſi pro aliis partibus applicandi.

Sacculi hi interpaſſati, & conſuti applicantur vel *ſicci* vel *humidi*: *ſicci* applicantur faſciâ convenienti: *ſacculi humidi* priùs irrorantur vel irrigantur in liquore appropriato, aut in aqua calida, ubi opus eſt, ut emolliatur & diſcutiatur; vel in aqua aceto miſta, ubi opus eſt penetratione & adſtrictione. Sacculi ſtomachales, antidyſenterici, contra teneſmum &c. non rarò nudi in acetum immerguntur calidum, aut cum aceto coquuntur, ut ebulliat liquor, & ita ſacculi applicantur calidè ſtomacho affecto. Non rarò ſacculi nudè à calore ignis incaleſcunt, & ſicci applicantur partibus affectis, uti fit in ſacculo applicato capiti in cephalalgia.

Vſus ſacculorum eſt varius; pro varietate enim ingredientium variat. In genere adhibentur pro uſu calefaciendi partes, pro uſu alterandi, reſolvendi & diſſipandi flatus; item ad robur parti conciliandum, ad leniendos dolores, & ſimiles alios uſus. Sacculi, qui applicantur capiti, convenientes ſunt in affectibus catarrhalibus, in dolore capitis à cauſa frigida, imprimis in ſenibus; in inundatione cerebri à copioſa lympha, & inde orto torpore, & operationum animalium ceſſatione. Sic applicantur lateri pleuritide affecto ſacculi emollientes & diſcutientes, & quantum fieri poteſt, ſanguinem congrumatum reſolventes. In affectibus flatulentis hypochondriacorum, item in colica & ſimilibus morbis, convenientiſſimè applicantur. In dyſenteria applicantur ſacculi cum appropriatis adſtringentibus, coctis in aceto; itē in teneſmo dyſenterico fructuosè applicātur ſacculi.

Quantitatem ſacculi præſcribit magnitudo partis, ſicque quantitas ſacculi quantitatem ingredientium: vid. MORELLVS.

Sacculi officinales pauci ſunt, niſi ſacculi ad pulſus: ſed ut plurimum ex tempore præſcribuntur, uti rectè monet MORELLVS.

SACCVLVS STOMACHALIS.

num. 1.

Sacculus hic non reiiciendus eſt, ſive calidus ſiccus applicetur, ſive in vino calido maceratus imponatur regioni ſtomachali: Vel

℞. *Com. abſinth.*
Herbæ menthæ,
Flor. roſar. an. Mj.
Rad. acori veri,
Leviſt. an. ℥iij.
Cyperi rotundi,
Galangæ an. ℥j.
Caryophyll.
Macis,
Nuc. Moſch. an. ℈i.
Flav. cort. citri ℥ii.
Maſtich. ℥iij.

F. l. a. *ſacculus interpaſſatus* in forma triangulari vel obolonga.

Qui ſacculus applicetur vel per ſe calidus, vel calefactus cum vino irroratur & applicatur in affectibus ſtomachi.

Sacculi hi pro faciliori operatione, quando ſicci applicantur, poſſunt aſpergi cum oleo deſtillato menthæ, oleo aniſi, fœniculi, acori veri, &c.

Sed obſervandum: quod ſacculis ſtomachicis etiam in vino q. ſ. ebullitis præferantur longè ſpiritus aromatici, applicati cum panno craſſo vel linteis multiplicatis: v. g. ſpiritus menthæ & Elixyr menthæ, item ſpiritus iuniperi, ſpiritus vini camphoratus, calidè cum panno ſcarlatino vel linteo multiplicato applicantur in ſtomachi affectibus egregio cum ſucceſſu.

SACCVLVS CORDIALIS.

Sacculi cordiales rari ſunt: ſi qui in uſu ſunt, ad vulgi fit imitationem, cum cor ceu muſculus rariſſimè aliquid patiatur in morbis; ac loco talium olea deſtillata penetrantiora, citri, camphoræ, lavendulæ, & ſic porrò longè meliùs illinuntur.

SACCVLVS NEPHRITICVS seu PAREGORICVS.

Sacculi nephritici uſurpantur, quando æger nephriticus inſidet ſemicupio, in quo ſacculus antinephriticus, & bene calefactus, applicatur parti affectæ, ut unà cum balneo vis ſacculi penetrans dolorem demulceat & compeſcat. Vel ſacculus talis coquitur in lacte vel aqua ſimplici: tepidè ſemper applicetur in ſummitate oſſis ſacri vel regioni lumbari.

Huc pertinent

CVCVPHÆ,

Quæ ſunt ſacculi cephalici, in ſenibus præprimis uſurpandi, qui facillimè à frigore læduntur & qui laborant vertigine, catarrhis, mentis & memoriæ hebetudine, & ſimilibus affectibus ſenilibus. Mitris ſcilicet, quas capiti imponunt, aromatum ſpecies inſerunt, non tantum ex vegetabilibus partibus, ſed etiam effectis, gummatis nempè, reſinis, ſimilibuſque, interdum apud ditiores Moſcho & Ambra: quæ vocantur *Cucuphæ*.

Proportionem ingredientium habet MORELLVS ſatis accuratam. Hæc omnia bene pulveriſata excipiuntur cotone vel bombace, qui coton poſtmodum inditur panno ſerico rubro, & fit ſacculus rotundus, intus pauliſper concavus, ita ut totam capitis peripheriam ambiat. Interdum groſſo modo pulveriſata ſola mitris ſeu capitiis includuntur, quæ interpaſſata continuò in capite geſtantur. Quoad doſin, aliquot unciæ ſufficiunt. Exemplum ſpecierum pro cucupha habet AVTOR *pag.* 277. in quibus nil monendum cenſeo, niſi quod in doloribus capitis inveteratis addi poſſit Tacamahaca, quæ eſt valdè efficax & elegans: v. g.

℞. *Spec. pro cucuph* ℥ij.
Tacamahac. ℥ß.
Sandar. ℥ij.
Succini ℥iß. M.

Irrorentur cum *oleo Major.* excipiantur bombace, & cum panno ſericeo f. *cucupha*.

Olea iis imprimis addantur, qui capitis debilioris ſunt, quæ tamen plures ferre non poſſunt, & caput inde turbari ſentiunt. Ipſæ etiam cucuphæ non ſolent præſcribi iis, quibus caput eſt ſiccius, aut qui laborant agrypniâ, & quibus ob ſiccitatem cerebri memoria vacillat: ſaltem in affectibus capitis ex humiditate, in catarrhis, in memoriæ lapſu, ex inertia ſpirituum, ex abundantia ſeri: in quibus cucuphæ ſpiritus animales roborando ſatis elegantes & efficaces ſunt.

CAPUT LXXIX.

DE SALIBVS PRÆPARATIS.

SAlia conſtituunt ingrediens quoddam pulverum: de quibus in genere obſervetur, quod in officinis uſitata ſint vel *artificialia*, vel *nativa*. *Artificialia* ſunt vel *ſimplicia*, vel *compoſita*. Simplicia ſunt vel *acida*, vel *urinoſa*; & *urinoſa* vel *volatilia* vel *fixa*. *Volatilia* ſunt opera naturæ; *fixa* autem ſunt opera artis, & ignis producta.

Hæc duo ſalia, acida & alcalia, in omnibus regnis reperiuntur, & diverſam ſcenam ludunt: mutuo concurſu reſoluta producunt efferveſcentiam, vel inducunt fortem & impetuoſum motum, ſub quo coeunt in concretum novum, nempè ſalſum tertium. *Motus* autem ille vel *ſedatus* eſt & temperatus, vel *impetuoſus*.

Sedatus eſt, quando ſalia additis aliis particulis coeunt, & vocatur fermentatio, quæ & putrefactionem ſub ſe continet. Quæ *impetuosè* coeunt, ſunt ſalia acria, & dicitur *Efferveſcentia*.

In regno minerali reperiuntur ſalia acida; ſicut mediante acido ex metallis, mineralibus, eorumque cognatis, concreta ſaliformia, nova nempè decompoſita, ad vitriolorum naturam plus minus accedentia, habentur, ut patet ex Saturno, & concretis vitriolaceis. Salia aliàs fixa propriè dicta, uti & volatilia, regni mineralis propriè dicta ſunt nulla; quod enim ſuccinum attinet, obſcuri perquàm ſunt eius natales.

Animale regnum promptè & copiosè ſuggerit ſalia volatilia, quæ ex ſolidis ſimplici rigoroſiori paulò per retortam deſtillatione, igne nonnihil fortiori, eliciuntur; ex mollioribus verò & fluidis non niſi vel prævià aliquali putrefactione, vel aliquali ſalis cuiuſdam fixi abſorbentis additione, vel nitri detonati commixtione. Rationes harum operationum infra, *ubi de ſpiritibus*, explicabuntur; hi quippe ſunt ſalium ſaltim fluores.

Salia volatilia animalium ordinariò propter pertinaciorem olei empyrevmatici adhæſionem fœtida ac nauſeoſiſſima ſunt. Depurantur autem optimè ab hoc contagio oleoſo mediante ſpiritu vini. Scilicet poſtquam ſemel ſal volatile poſt primam deſtillationem fuerit ſublimatum, cum ſpiritu vini illud lavant, ſicque potiſſimas & exterius magis adhærentes oleoſitates à ſpiritu vini imbibitas abluunt: Quo facto, alius affunditur ſpiritus vini, digeruntur per unum alterumve diem, hinc calore leni ex cucurbita vel vaſe altiori ſublimantur, & adſcendit ſal volatile albiſſimum, remanente ſpiritu vini particulis oleoſis imprægnato. Sal hoc ulteriùs exactè depurari poteſt, ſi porrò in aqua communi ſolvatur, & aliquandiu digeratur, hinc ſublimatur; ſic enim eò purius obtinebitur illud. Salia hac volatilia animalium non depurantur ſaltem à ſpiritu vini, ſed & aliqualiter ab eodem ſiguntur: v. g.

℞. Spir.

℞. *Spir. Vini tartarisatus, seu maximè rectificatus*: affundatur
sali volatili depurato.

Ponuntur in loco calido ad digestionem, & aliqualem unionem: hinc per aliquot dies ponuntur in loco frigido, & sic figuntur in crystallos, seu coagulantur.

Sed hæc potiùs salia sunt nonnihil coagulata, quàm fixata: in loco enim calido adhuc facilè evolant; non enim nisi per acida concentrari & figi possunt. Aliàs, ut salia volatilia absque fœtore & nigrore asserventur, spiritus vini tartarisatus affunditur; hic enim imbibit oleum, redditur rubicundus, & sal sine sensili alteratione ita subsistit.

An animalia etiam *sal fixum* obtineant cum copioso suo, quo instructa sunt, sale volatili? quæritur: E quidem paucum illud admodum est, ex iisdem quod elici valet, ex liquidis quidem partibus promptiùs, ex solidis difficiliùs & parciùs. Sic ex sanguine bubulo post destillationem calcinatoriam ex capite mortuo sal fixum præparavi, quod tamen revera magis salsum, indeque in cubicam figuram coagulabile erat, quàm alcalisatum, utut aeri libero expositum facilè difflueret: conf. BARTHOLINI *Acta Med. Hafn. Volum.* 2. *pag.* 284. Quoad fixa talia ex partibus solidis, ossibus & cornubus ac carnibus, &c. equidem pauca horum deprehenduntur post dictarum harum partium calcinationem vestigia, obruta nempè & quasi infixa nimis terrearum particularum compedibus; experimentum tamen fieri potest per extinctionem, dum cornu Cervi ustum adhuc ignitum aliquoties in aqua extinctum salsedine aliquali imbuerit. Ratio quare in minima quantitate elici queant salia fixa ex animalibus, est, quia destituuntur acido: Cum namque plantarum alcalisata ex colliquatione acidi & alcali fiant, ut infra patebit, in animalibus verò principium istud coagulans acidum ferè deficiat, seu parcius sit, fixi proventus parcissimus erit. Vtut autem oleo constent animalia, in oleo verò occultum acidum sit, & alcali urinosum volatile adsit; tamen propter insufficientiam acidi coagulantis, qualein animalibus non est, ptout in vegetabilibus, minus copiosum sal fixum producitur. Sic inter plantas etiam aquosiores, quibus cum partes ac humores nostri non ineptè conferri possunt, in minima quantitate sal fixum itidem elicitur. Non detentæ itaque animalium partes volatiles, ob acidi penuriam, copiosum phlegma nimis illud diluens, antequam igne colliquari aut uniri possunt, in auras abeunt.

In regno vegetabili sunt salia acida & urinosa: si enim fermentando tractantur vegetabilia, extravertitur sal acidum: imò res, quæ apparenter insipidæ sunt, fermentando acorem contrahunt, ut sunt flores cyani; in putrefactione è contra manifestat se sal alcali volatile: quod si recentia torturæ Vulcani committantur, se exerunt salia fixa in cineribus. Pro varia igitur tractatione, varia oriuntur salia.

In specie quoad vegetabilium salia in forma sicca parabilia, triplicem horum deprehendimus differentiam: sunt enim vel *volatilia*, vel *fixa*, vel *mediæ* quasi *naturæ essentialia* dicta, revera in sua crasi enixa seu salsa; eaque & volatilium & fixorum primæ matres.

Quoad *salia urinosa volatilia*: observandum ante omnia, quod reperiatur animale & vegetabile inter regna in puncto salium volatilium ex utrisque parabilium hæc differentia, quod vegetabilia per se, ignis etiam ope, nihil salis volatilis, multum verò salis fixi; animalium verò per se multum salis volatilis, parum fixi, & hujus non urinosi, sed salsi suggerunt. Ratio videtur esse, quod salia volatilia in vegetabilibus à sulphure eorum (in recessu magis acido quàm animalium) nimis concentrata sint, ita ut sub primo etiam ignis insultu colliquescant magis sulphura cum salibus, adeoque saltim oleum & sal fixum suggerunt. Quod insint salia volatilia vegetabilibus, testatur sapor acris penetrans & punctivus, uti testantur plantæ scorbuticæ; qui revera nihil est aliud, nisi eorum sal volatile: & quidem scio, quod ex pane quidam destillarit spiritum cum sale volatili; jam verò panis est ex farina vegetabilium: ita novi quendam, qui infundendo in spiritum vini rectificatum grana piperis contusa, longa digestione acquisivit sal volatile ex pipere in spiritu vini: item qui legitimè destillare norunt absinthium, cum spiritu possunt acquirere sal volatile absinthii amarissimi & penetrantissimi saporis: sicuti noster MATTHÆVS aliquando acquisivit hic spiritum absinthii cum sale volatili in forma sicca; adeò ut non sit impossibile, habere sal volatile ex vegetabilibus.

Necesse est ergo pro acquirendis salibus volatilibus ex vegetabilibus, ut sulphuris ligantis textura dissolvatur, ut ita salia volatilia, quasi sui juris facta, possint resistere. Fit hoc tribus modis:

1. Per *putrefactionem*, quâ fatiscit sulphur, enervatur acidum, & magis magisque emergit sal volatile.
2. Per *concremationem*: hac enim pingue deflagrando maximam partem absumitur, & emergit sal volatile: v. g. in fuligine, quæ destillata sal volatile & spiritum urinosum, cum aliis productis ignis, simul fundit.
3. Per *digestionem* cum alcalisatis seu alcalibus fixis: his enim dissolvitur pinguedinis sulphureæ compages, destruitur plus minus acidum, adeoque emergit sal volatile liberum; uti fit, dum per salia fixa ex oleis destillatis intercedente digestione fiunt salia volatilia.

Ratio verò, quare in vegetabili regno tam firmiter coaluerint salia volatilia? esse videtur intensius acidum, quo vegetabilia eorumque sulphura pollent præ animalibus; unde & omnia fermentationis motu ad acescentiam disponi possunt: sicut ligna actu manifestum acidum possident. Hujus itaque præsentia, uti in vegetabilibus ligat & magis concentrat sal volatile, unde tam promptè arctiori colliquatione in salia fixa abeunt; ita ejus absentia in animalibus libera magis & sui juris esse quasi permittit salia volatilia.

Quoad *usum salium volatilium* ex animalibus: sanè omnia sunt penetrativa, viscidi attenuativa, glutinosi incisiva, acidi destructiva, diuretica, sudorifera, scorbuti, mali hypochondriaci, intermittentium ac similium morborum chronicorum curativa. Sed cum hæc sint proprietates, quæ ipsis, tanquam salibus volatilibus oleosis, omnibus & singulis aliqualiter competant, dubium emergit: *an salia volatilia vegetabilium inter se differant essentia? an verò non? adeoque de crasi specifica seminali aliquid aut nihil obtineant?* Res potest expediri distinctione: nempè vel plus minus de sulphure concreti nondum penitus destructo participant salia volatilia, vel de eodem penitus fatiscente, nihil obtinent: si prius, aliqualis subest differentia; si posterius, revera inter se coincidunt. Quod si supra dictos præparationum modos consideremus, manifestum evadit: nullam singularem differentiam inter ea intercedere, quin experientiâ constet, salem volatilem non secus ac spiritum volatilem urinosum, fumariæ, chelidonii majoris, absinthii, menthæ, &c. nullam, ne minimam quidem sensibilem obtinere differentiam, ita ut revera promiscuus eorum videatur usus. Conf. SYLVIUS *lib* 3. *Prax. pag.* 136. BECKIVS *Exper. circa Rer. natural. Princip. pag* 148. BOYLE *Chymist. scept. pag.* 157. BARTHOLINVS *Act. Med. Hafn. Volum.* 2. *pag.* 177. Nec est, quod objiciatur singularis ista differentia, eaque multiplex, salium volatilium, cujus mentionem facit TACHENIVS *Hippocr. Chym. cap.* 19. Alia ratio est dictorum salium in naturali statu consideratorum, alia ratio est eorundem sub artificiali opera multipliciter alteratorum. Interim singulare quid obtinent quædam vegetabilia, v.g. destillata cum piperitide, item spiritus sinapi cum calce uiua, item spiritus ac sal uolatile absinthii, item cochleariæ, aliquantulum saltim & inchoatiuè putrefactorum, quæ integram concreti crasin reuerà obtinent.

Vlteriùs quæritur: *an salia volatilia vegetabilium & animalium inter se differant?* Sanè ritè parata, probè depurata & rectificata, sibi invicem simillima sunt; ita tamen, ut vegetabilium salia volatilia subtiliora adeoque penetrantiora videantur, ac delicatiora animalium salibus; unde dum salia hæc à suis sulphuribus penitus ferè separata sunt, aut exile illud, quod participant de sulphureo contagio, nullam sensibilem alterationem efficere queat; propterea statuendum videtur, exilem inter salia intercedere differentiam.

Vlteriùs disquiritur, neque id immeritò, à modernis: *an salia hæc volatilia, tam animalium, quàm in specie vegetabilium, formaliter in concretis præexistant?* Revera de materiali præexistentia nullum est dubium: sed de formali multum disquiritur; idque ex eo, quoniam non nisi prævia insigni totius concreti alteratione, & plus minus destructione, adeoque in novam texturam particularum permutatione, salia volatilia hæc obtineri queant. Nam in animalibus, quicquid ex iis mitiori sub examine elicitur, gelatina est; ex vegetabilibus verò est succus, & in hoc sal essentiale; unde dubium emergit: *an* secundùm quosdam *ex pingui seu oleo oriantur, dum nempè acidum huius occultum cum particulis pinguibus in novum concretum contexatur*, quod sal volatile constituat? *an* verò *ex sale essentiali nascantur, acido huius volatili occulto subtilem terream substantiam arripiente*, & in tale sal volatile abeunte? Sanè omnia salia volatilia, quæ adhuc in forma sicca coagulabilia existunt, ab acido participant. Sed de iis, quæ non sunt coagulabilia, nempè quæ à calce viva fuerunt rectificata, de his res magis dubia videtur; *an & hæc de acido adhuc participare queant?*

Cæterum cum rara sit avis sal volatile in forma sicca ex plantis, propterea moderni sal volatile compositum vegetabilium beneficio spiritus vini; salis ammoniaci, & olei destillati, ex plantis eliciunt, & vocant *salia volatilia oleosa*, vel *spiritus salino-volatiles oleosos*. Superiùs enim monui: quod olea destillata vegetabilium nihil sint aliud, nisi sal volatile concentratum. Huc ergo respexerunt Autores, & voluerunt denuò separare, & in sal volatile sublimare: quoniam verò non processit, propterea adiunxerunt spiritum vini & salis ammoniaci, ut spiritus vini dissolvat oleum destillatum, & spiritus salis ammoniaci coniungatur cum spiritu vini: Hæc tria invicem mixta destillant in unum tertium sal volatile oleosum. Horum verò parandorum ferè 1000. modi sunt. Primus, qui hæc salia volatilia oleosa paravit, est BOYLE *in Phil. Experimentali P.* 2. *S.* 1. *p.* 382. Talis e.g. est, si spiritus vini rectificatissimus infusione supra subiecta oleosa, v.g. aromata, & digestione probè imprægnetur, & huic calx viva & sal ammoniacum, aut ipse spiritus salis ammoniaci, addatur, blando igne destilletur, & cohobetur, prodit *spiritus urinosus oleosus aromaticus*. Præprimis autem procedit hoc in caryophyllis & cinnamomo, sibi spiritus coloris aurei urinosus aromaticus habetur: item si spiritus urinæ per fermentationem, vel spiritus salis ammoniaci cum sale tartari, affundatur oleo destillato, cum eodem coit, & ita

ita semet mutuò coagulant; sic istud coagulum destillatum prodit in forma salis volatilis elegantis: vel miscetur sal volatile animale cum oleo quodam vegetabili destillato, sic sublimando aliquoties certè sal volatile aliquid de oleo secum rapit, & in forma salis volatilis oleosi aromatici adscendet. Probari id poterit v. g. cum oleo ligni rhodii; vel mistura fiat ex calce viva, sale ammoniaco, & oleo destillato: affundatur spiritus vini rectificatissimus, stent diu in digestione, post destillentur per alembicum, & habebitur *sal volatile oleosum*, elegantis saporis & odoris: e. g.

℞. *Spiritus vini aromat.* cum *spiritu vini tartarisat. par.* p. iij.
Sal. ammon. sal. tartari seu *ciner. clavell. par.* p. j.
M. & destillentur lento igne.
Vel
℞. *Spiritus vini tartarisati* part. iij.
Olei destillati cujusd. aromat. quantum imbibere possit,
Spiritus sal. ammoniaci part. j.
M. destillentur lento igne.

Quod ad *salia fixa*: horum præsentiam manifestò quælibet cineres eorumque lixivia loquuntur: fiunt enim hæc, quando calcinantur vegetabilia, & rediguntur in cineres, è quibus post elixivationem & filtrationem per exhalationem in fundo remanent salia fixa, id est, talia salia, quæ igne fortissimo calcinata non mutant naturam, sed semper fixa permanent.

Quæstio de origine eorum prima oritur: *an materialiter tantum, an formaliter in plantis præexistant?* Dubium hoc paucis resolvendum: nempè de formali eorum nil deprehenditur in concreto, sed saltem materialiter. Sufficienter hoc declarat TACHENIUS *in Hippocr. Chym.* & HELMONTIUS *in Scriptis*, qui demonstrant sufficienter: quod salia hæc tantum sint artificialia, & per se in nullo vegetabili reperiantur; sed fiant de novo per σύγκρισιν ab igne factam sub calcinatione per colliquationem sulphuris, seu pinguedinis, in recessu acidæ, cum sale volatili: Dum enim ignis agit in concretum, colliquefacit pingue seu sulphur; in hoc per minima sui moto agit alcali in motum concitatum; agunt sic in se mutuò, & invicem coeunt in tertium primò salsum, tandem ulteriori in igne actione perfectiùs destruitur pingue, & cum alcali intimiùs unitum emergit fixum alcali; sub ista tamen societate & aliquas terreas particulas plus minus simul arripiunt. Hinc in salibus fixis ceu artefactis consideretur:

1. *Materia*, quæ sunt salia concreti volatilia.
2. *Efficiens*, quod est ignis.
3. *Modus fiendi*, qui est colliquatio eorum cum particulis terreis.
4. *Forma salis*, seu *specialis* novi concreti emergentis *textura*, quæ est, quod fiant corpora instar calcis vivæ cujusdam salsioris.

Quod verò sint fixa hæc salia artificialia, patet ex eo: quod

1. E vegetabilibus putrefactis non possit sal fixum præparari, quia deest sal, sub colliquatione figendum in sal fixum; non secus ac ligna cariosa calcinata nil ferè salis fixi suggerunt.
2. Quia parili ratione ex nitro, (concreto nempè ex sale urinoso volatili oleoso excrementorum animalium, quod cum acido aereo in nitrum, & hoc per se totum in ignem abit) cum subjectis sulphureis tractato, sal fixum alcali parari potest, quale propriè dictum in eo non habebitur.
3. Quia nullâ aliâ vi nisi per ignem, & quidem apertum, obtineri possunt; nullum enim vegetabile in cinerem redigitur, nisi in igne nudo cum clauso vase in carbones abeat.
4. Si per fermentationem recludatur mistum, talia vegetabilia paucum admodum vel nullum suggerunt sal fixum post calcinationem, quia sub reclusione sal volatile evolavit.

HELMONTIUS dicit: quod fiant ex colliquatione sulphuris plantæ cum sale volatili; quod perinde est, ac si dicat cum TACHENIO, quod fiant ex acido plantæ cum sale volatili urinoso: nam sulphureum plantæ principium est acidum, & omnia sulphura acidum in se continent; adeoque sulphur & sal volatile sub concrematione colliquescendo partim avolant & condensantur in fuliginem, partim colliquefacta cum substantia terrea concrescunt in alcali fixum. Quò temperatiora sunt hæc salia, eò magis conducunt. Hæc salia fixa in principio sunt minus pura, interdum & obscura, & quasi nigricantia. *Purificantur* autem *vario modo*. *Modus optimus* est, qui fit per calcinationem in crucibulo, ut partes heterogeneæ comburantur, hinc per crebras solutiones in aqua simplici, & repetitas coagulationes. Quidam ex chymicis salia fixa alcalia depurare volunt beneficio sulphuris: nempè vel incendunt sulphur cum cineribus, vel miscent ipsa salia jam inspissata cum sulphuris ana, in ignem seponunt, ut sulphur inflammetur, & aquirunt sal elegans. Cæterum hæc purificatio est sophistica: Nam hæc salia fixa plantarum sunt de natura alcalium fixorum: Quando itaque inflammantur, deflagrat ex sulphure substantia pinguis, ejusdemque pars acida se jungit cum alcali fixo plantæ, & ita se uniunt; unde novum concretum & sal salsum tertium oritur, compositum ex acido sulphuris, & sale fixo alcalino plantæ. Meritò ergo à ZWELFERO *in Animadversione ad Pharm. August. pag.* 435. & quàm plurimis aliis, rejicitur hæc Depuratio.

Varia autem sunt *salia fixa* pro varietate vegetabilium & calcinationis, nunc *salsa*, nunc *urinosa*: v. g. in absinthio, si cautè & leni igne comburatur, invenitur sal salsum; sin verò cineres nimis diu calcinentur, abeunt in lixivialia & purè alcalia: Nam subjecta temperata, in quibus acidum pingue æquiponderat alcali volatili, in incineratione moderato igne tracta, abeunt in sal salsum. Forti ergo calcinatione acidum pingue abit in auras: unde ex salibus mediocriter calcinatis, adeoque quodammodo salsis, mistis cum bolo, adhuc spiritus subtilis acidulus per retortam, at in pauca quantitate, destillari potest; sicut ex sale communi, qui ex salibus perfectè lixivialibus nullo modo acquiritur, quod notandum.

Usus & effectus salium huiusmodi *fixorum alcalinorum* in genere est:

1. Absorbere & destruere acida in corpore nostro.
2. Resolvere sordes, ac mucilaginem crassam & viscidam in ventriculo, intestinis, & abdominis meatibus stagnantem.
3. Per urinam, interdum per sudorem, excretiones movere.
4. Febres intermittentes curare.

In usu autem eorum observandum est:

1. Quod, dum exhibentur, debeant solvi in brodio carnis calente; sic enim maiorem vim habent: sin verò priùs non solvantur in vehiculo calente, lædunt ventriculum, facileque nauseam faciunt.
2. Omnia salia debent sumi jejuno stomacho, & hinc aliquot horarum jejunium institui.

Sed cùm modò recensiti effectus & proprietates sint communes iis omnibus, quæstio adhuc est: *annon & proprias habeant ex speciali concreti crasi oriundas?* adeoque *an omnia eadem sint essentia, & non differant inter se?* ita ut v. g. sal absinthii fixum differat à sale cardui benedicti; & hoc à sale plantaginis, vel artemisiæ, aut salviæ non differat. Quidam affirmant, quidam negant.

Ex geneseos illorum ratione res decidi facilè potest: scilicet in incineratione rerum vis earum seminalis perit, *adeoque specificè vix differunt* salia: nihilominus tamen in ipsa illa colliquatione salis volatilis & sulphuris aliquantum seminalis virtutis adhuc absconditur; adeoque tam ratione virtutis seminalis specificæ, quàm ratione constitutionis propriæ salium lixivialium, aliqualis eorum est differentia: & hæc habet originem solùm à partibus sui pinguibus, sulphure nempè, maiori denique & minori colliquatione. *Alcalisata* HELMONTIUS appellat *pinguia*, nec immeritò; quia ex pinguedinis & oleosæ partis colliquatione ortum habent: quò itaque plus eius colliquatum est, eò pinguius alcalisatum existit, ut in sale tartari, item in alcali tartari & nitri, quod ferè instar saponis existit, evidens est. Nempè in calcinationis ratione res omnis sola est, prout vulgari modo præparata sunt, non differunt essentia, sed omnia inter se conveniunt, sicuti alia volatilia animalium. Nam hæc omnia, uti sunt eiusdem ferè naturæ, ut sal volatile urinæ; ita sal artemisiæ, salviæ, absinthii, tartari, cardui benedicti, &c. fixa, prout communiter præparantur, non multum differunt. Si verò accuratè præparentur, ita ut pingue colliquefactum non destruatur penitus, nec adeo intimè concentretur, etiam essentialis ferè differentia in Medico foro concedenda erit: Confer. hìc BORRICHIUS *Herm. sap. pag.* 352. Omnibus hìc est Magister TACHENIUS *Hippocrate Chym. cap.* 21. & *Clav. cap.* 5. qui docet, qua ratione ritè calcinanda sint, ut alcalisata salia de vi seminali concreti plus minus participent; præprimis cum BORELLUS *Cent.* 2. *Observat.* 21. in lixiviis conglaciatis diversas vegetabilium figuras annotarit; quod & in urticarum lixivio QVERCETANUS, MULLERUS *in Mirac. chymicis* atque ROSENBERGIUS *in Rhodolog.* observarunt: Huc etiam facit, quod BORELLUS *Cent.* 4. *Obs.* 34. de cancrorum incineratorum revivificatione refert. Et exinde palingenesia vegetabilium ex eorum salibus fixis deducenda est; dum v. g. sal menthæ in mentham denuò in terra fœcunda excrevisse observavit curiosus quidam Medicus: Sic etiam notatu digna est observatio *le* FEBURE *in sua chymia*, qui ex cineribus fœniculi elixiviatis fimo damnatis & coniectis, subsequenti anno fœniculum uberrimè germinatum observavit; quod etiam de sale fixo urticæ terræ congruæ commisso ROCHAS *de aquis mineral.* testatur: videatur BORRICHIUS *in Herm. Sapient. Præfat.* Maximè ad salium fixorum alcalisatorum virtutes specificas probandas huc facit, quod BARNERUS in M. A. N. C. *Anno* 6. & 7. *Observat.* 199. testatur de cive Numburgensi, qui absinthium planè abhorrens, à sale absinthii inscie assumpto animi deliquium & vomitus incidit. Nempè quæ simpliciter saltim in salsa colliquata sunt illa salia, præsertim ex aromaticis parata, vim aliqualem seminalem omninò plus minus obtinere videntur; & ex hoc fundamento etiam spirituum acidorum ex salibus fixis destillatio expediri potest: de quibus *supra dixi*.

Interim utut alcalisata perfectè, vi specificâ seminali ad usum Medicum destinata orbata, non differant, quin tamen ex particularum colliquatarum ratione aliqualem in sua textura differentiam, & hinc in mechanicis proprietates non nihil distinctas obtinere valeant, negari non potest: e. g. si hisce salibus vitriola præcipitantur, fit ut unum sal hoc promptiùs, alterum autem tardiùs præcipitet;

tet; ficut fal tartari præ aliis prærogativam habet in refufcitando Mercurio; quod etiam illuftrant experimenta præcipitatoria TACHENII *Hipp. Chym. cap. 7. & 16.* Virtutes ergo fpecificæ fuis fimplicibus in falibus fixis ritè paratis abfolutè denegari non poffunt.

Salia hæc vegetabilium præmittuntur crebrò loco digeftivorum ante purgantia; item in febribus intermittentibus die remiffionis, aut etiam ante paroxyfmum pro fudore & curatione febris. Tale *fal digeftivum* poteft fieri hoc modo:

℞. *Tartari vitriolati* ℈ij.
Salis abfinth.
Cent. min.
Cichor. an. ℈j.
Diu. in 4. part. æqv. S.
Sal digeftivum pro aliquot vicibus.

Capitur diebus intermiffionis in febribus intermittentibus, vel etiam ante paroxyfmum.

Quando volumus habere *fal diureticum*, præfcribimus hoc modo:

℞. *Salis ftip. fabar.*
Tartari an. ʒß.
Uol. fucc. ℈i.
M. div. in 3. part. æqv. S.
Sal diureticum.

Eft egregium diureticum in calculo, nephritide, hydrope & fimilibus affectibus.

Tangenda venit adhuc obiter *falium fixorum*, fpeciatim *vegetabilium*, tantopere defiderata *volatilifatio*, autore HELMONTIO primitus infinuata, & hinc à pofterioribus chymicis tanto ftudio profecuta. Confiftit totum artificium in eo, ut faltem fubftantia feu calx figens feparetur ex confortio colliquatarum particularum fulphurearum & alcalium volatilium, quo impetrato, habebitur concretum falinum, quod in ufu Medico habet poteftatem refolutivam contumaciorum in corpore obftructionum, abfterfivā quarumvis fordium, & penetrativam ad quartam ufque corporis digeftionem; in ufu verò Alchymiftico vim aperiendi coagulationem metallicam, & clauftra adhærentis & figentis fulphuris corporum metallicorum referandi, folvendi itidem in primum fui liquorem duriora quædam concreta, ut perlas, lapillos cancrorum; adeò ut ceu *fuccedaneum liquoris alcaheft* hæc ipfa commendet HELMONTIUS *de Febr. cap. 15. §. 26.* Siquidem talia volatilifata falia fixa præ vulgo notis falibus volatilibus, ob colliquationem particularum falinarum per ignis vim præviam, magis ignea, acriora, penetrantioraque facta fuerint. Sed quanti laboris fit falia fixa hæc volatilifare, præ cæteris BECK *in Experim. circa Rerum Natural. Princip. Epift. & Vindic.* BARNERI *in* BECKIUM, confulendi funt; non minus quam BECHERUS *fuppl. 2. pag. 81. feqq.* Sanè BECKII *Experimenta* hoc in puncto non fufficiunt, ut præter BARNERUM *in Vindiciis*, ipfa præparationum ratio oftendit. Quantum LUDOVICI in hoc puncto laboraverit, *fcriptum ejus de fale volatili tartari* docet. Res mihi adhuc intentata, indeque intricata videtur; unde negotium hoc curiofioribus & felicioribus relinquo.

Reftant adhuc *falia vegetabilium effentialia* feu fucculenta, quæ funt concreta faliformia, ex fuccis vegetabilium expreffis, vel etiam ex plantis in f. q. aquæ coctis, & poftmodum expreffis enata; funtque vel propriè talia, vel impropriè. Hæc funt fedimenta impura, bolaria, &c. qualia ex lupulo, carduo benedicto, falvia, &c. educuntur: Propriè dicta *falia effentialia* funt vel *tartarea*, vel *nitrofa*. Parantur ex fuccis vel fimplici expreffione, vel prævia cum aqua coctione, elicitis, depuratis, & ad fyrupi confiftentiam fenfim evaporatis, ubi fpontaneā coagulatione in frigido loco in cryftallos concrefcunt, quæ vocantur *falia Effentialia*. *Tartarea* ex acidis aut his cognatis, acetofa, fucco citri, ribium, berberum, tamarindis, &c. præparantur. Revera autem nihil funt aliud, nifi tartarus plantarum: ficut enim tartarus ex uvarum fucco expreffo & fermentato in loco frigido concrefcit; ita fucci plantarum dant talem tartarum in loco frigido poft fermentationem, qui eft principium falinum cum fucco fuo in cryftallos redactum. Elegantior eft *modus* ZWELFERI parandi fal effentiale vini, ex fpiritu vini, fpiritu aceti & fale tartari fixo, quæ iungit per modum terræ foliatæ in cryftallos elegantes: cujus præparatio habet aliquid in receffu, & videri poteft in ZWELFERI *Apologia contra Tachenium*. Salia effentialia nitrofa verò, qualia ferè ex amaris fiunt, aut faltem quæ nec acida, nec amara funt, fed faporis ex acerbo, acido & amaro mixti, atque nitri fapori fimiles funt; item ex borragine, bugloffa, fumaria, abfinthio, mercuriali, &c. præparari folent; hæc poft primam fui cryftallifationem pinguedine plus minus limofā adhuc funt impr ægnata, unde falia hæc in aqua denuò folvuntur, & bis vel ter fuper cineres alcali fixo præditos colantur, colatura ad mediæ vel tertiæ partis abfumptionem evaporata cryftallifatur: Quod fi nec fic puræ fatis videantur nitrofæ cryftalli, funduntur in crucibulo, quo omnes heterogeneitates per ignem delentur, hinc in aqua folvuntur, & in loco frigido in prefectas cryftallos nitrofas abeunt.

Obfervandum hic, quod illa vegetabilia, quæ fale nitrofo pollent, fi incinerationi exponantur, parum aut nihil falis fixi fuppeditent, cuius defectus rationem videtur conftituere deflagratio falis nitrofi unà cum oleo; unde parum falis fixi poteft reftitare: non fecus ac nitrum, fi cum debito fulphureo addito fubiecto deflagret, parum alcali fixi fuppeditat. Mediæ quafi confiftentiæ & naturæ inter dicta effentialia falia funt illa, quæ dulci gaudent fapore, v. g. faccharum, fal in fucco uvarum maturarum feu mufto concentrato fponte concrefcens, &c. Nam quod faccharum fal tale fit effentiale, quod & fuum habet acidum, quod cætera pinguia, oleum, & alcali cogit in tales cryftallos; item quod fit fuccus expreffione ex cannis elicitus, ac fui infpiffatione in tale fal redactus, notum eft.

Pertinet ad hæc falia etiam illud fal effentiale, quod alioquin etiam *vitriolum vegetabile* dicitur, & ex fucco corticum iuglandium viridium paratur, de *quo fupra*.

Conferatur, quoad hæc falis effentialia, SALA *in Tartarologia*, & etiam RÓLFINCIUS *in fua chymia*.

Hæc funt falia fimplicia artificialia: fequuntur

SALIA COMPOSITA ARTIFICIALIA.

Verbi gratiā tartarus vitriolatus, Panacea Holfatica &c. item talia falia compofita artificialia, quæ eliciuntur ex capite mortuo fpiritus aperitivi Penotti, ex capite mortuo fpiritus falis ammoniaci: & funt hæc falia fixa digeftiva in cachexiis, in febribus ante purgationes, &c.

Sunt quidam, qui parant fal quoddam purgans hoc modo: fides tamen fit penes experientiam:

℞. *Pulv. fennæ* ʒß.
Turbith ʒii.
Rhabarb. opt.
Hermodact. an. ʒi.
Agar. trochifcati ℈iv.
Sal. tartari cryftall.
Macis,
Cinnam.
Galangæ an. ℈ij.
Sacc. candi albiff. ℥i. vel ʒvi.
Salis comm.
Aceti rofac. an. ℔ß.
Aquæ abfinth.
Rofar. an. ℥iv. M.

Digerantur in balno Mariæ per noctem & colentur: Ex colatura per exhalationem & evaporationem fiat fal purgans: quod à gr. iij. vel v. ad viij. vel etiam ad plura pro ftimulo permifcetur aliis. Sic per fe folet dari ad ℈ß. & gr. xv. Sed dubito, ex hac compofitione poffe fieri tale fal purgans, quod in tam exili dofi alvum laxet.

Inter artificialia compofita Autoris eft

SAL ALCALI.
num. 1. pag. 279.

Sal alcali in fpecie fic dictum, non habet ufum in Medicina: adhibetur tamen in laboribus metallicis, in feparatione metallorum à fe invicem.

SAL ALEMBROT.
num. 2.

Sal hoc tantum eft in ufu Alchymiftico pro calcinandis aut cementandis metallis.

Facit quoque AUTOR mentionem *falis Alembrot nativi*; fed eft rara avis, & non in ufu.

SAL ANATRON.
num. 3.

Hoc fimiliter in ufu Medico non valet; fed tantum in Alchymiftico, in metallis purificandis & feparandis.

BORRAX.
num. 4. pag. 280.

AUTOR *nofter* aliis falibus quoque adferuit *Borracem*, qui eft vel *nativus*, vel *factitius*. *Nativus* in India Orientali reperitur, & adfertur exinde in Belgium, in quo, imprimis Amftelodami, per alcalia purificatur. *Artificialis* eft, qui defcribitur ab AUTORE. Nobis in ufu eft nativus, qui fal elegans eft, valdè urinofum de natura alcalium, perfpicuum, atque candidum, & tum in Alchymia tum Medicina proficuum. In Alchymia pro fufione & reductione metal-

metallorum in usu est. In Medicina prodest ad partum difficilem & secundinas promovendas, ubi fortissimum est remedium; hinc est basis *pulveris partum promoventis Helidæi Paduani*. Præterea menses ciet insigniter, eosque potenter promovet. *Dosis* grana xv. ad ℈j. imò ad ℥ß. & miscetur cum cinnamomo, myrrha: e. g. *Pulvis in partu difficili* potest esse talis:

♃. *Borrac. Veneti* ℥ß.
Myrrhæ electæ ℈j.
Croci ℈ß.
M. pro duab. dosibus.

In mensibus promouendis:

♃. *Borrac.* ℈j.
Cinnam. ℈ß. M.

Propinetur cum decocto pulegii, uel rorismarini, uel simili.

Vel

♃. *Borrac.* ℥ß.
Myrrhæ gr. xv.
Cinnam. ℈ß.
Misc. pro duab. dos.

Item

♃. *Castor.*
Flor. sulphuris an. ℥ß.
Borrac. ℈ß.
Myrrhæ el. gr. vj.
Cinnam.
Zedoar. an. gr. iv.
M. f. *puluis*.
Diu. in 2. part. æq. S.

Puluis stimulans.

Ad partum, secundinas & menses promovendos prodest.

Sunt qui Borracem ualdè commendant pro stimulanda Venere, pro quo usu sumuntur ejus aliquot grana in ouo sorbili. Egregium quoque est remedium ad stranguriam confirmatam. Quod si autem Borrax calcinetur instar aluminis, tunc remanet terra fixa adstrictoria, quæ menses & gonorrhœas sistit.

CAPUT LXXX.

DE

SAPONE ODORATO.

SApo *odoratus* præparatur partim pro gratia odoris, partim pro gratia coloris, manibus ac faciei conciliandа. Ita saponi Veneto in aqua appropriata dissoluto adduntur pulueres odorati, v. g. benzoe, styrax, ladanum, &, si lubet, etiam aliquot grana ambræ, moschi & zibethi: exsiccantur postmodum lentè, & sapo Venetus inspissatus, & istis odoriferis imprægnatus, formetur in globulos saponiformes, & fit sapo odoratus. Sapo elegans odoratus, qui simul nitidas reddit manus, fit per essentiam benzoes, si scilicet benzoe dissoluatur in spiritu uini rectificatissimo, sicque emergit Tinctura rubicundissima: Huic Tincturæ infunditur sapo Venetus in aqua rosarum odorata dissolutus; sic enim fit ut ista tinctura benzoes subitò lactescat: hoc facto benè inuicem miscentur hæ duæ solutiones, & leni euaporatione denuò (ne odor exhalet) inspissantur, & fit sapo odoratus: qui sub solutione & suauem benzoes odore spirat, & præterea cutim glabram albam & nitidam reddit.

CAPVT LXXXI.

DE

SPIRITIBVS.

SPiritus sunt liquores subtiles, destillati, sapidi, volatiles, cum aqua miscibiles, summè activi, & insigniter penetrantes. Usus namque obtinuit, ut in tota Philosophia & Medicina id, quod est valdè volatile, penetrans, & statui volatilitatis proximum, vocetur spiritus: cum enim istæ partes in pharmacopœia sint volatiliores & subtiliores quàm aquæ, propterea aptius vocabulum imponere nequiverunt, quàm spiritus. Inertes sunt aquæ respectu spirituum, sicuti hi sunt liquores resoluti respectu oleorum: nam revera in vegetabili & animali regno resoluta olea & extraversa eorum salia, spiritus constituunt; & minerali in regno concentrati spiritus communiter olea, utut abusivè, dici solent. Ex quo patet, propriè spiritus dici vegetabilium per fermentationem elicitos; qui verò sunt fixioris naturæ, & per retortam igne fortiori destillantur ex mineralibus & animalibus, quique post phlegmata denuò solent adscendere, sunt impropriè dicti spiritus: utut etiam communiter hoc nomine appellari soleant. Hinc ex dictis, & ex eo simul, quod aquæ commiscibiles sint, constat, quod salium saltim sint larvæ; adeoque rectè spiritus omnes salium fluores dicuntur: vel solo fluore, quo phlegmatis ope soluti sunt, à salibus differunt.

In minerali regno hoc clarum est, spiritu nempè vitrioli vel nitri: acidum horum est in phlegmate ex aere arrepto solutum: Spiritus cornu Cervi ex sale volatili plus minus oleoso, in phlegmate soluto constat: spiritus verò urinosi vegetabilium sunt sal volatile in phlegmate dilutum; & spiritus vinosi seu inflammabiles eorum, cum sint olea destillata fermentando saltem attenuata & resoluta, illa verò in recessu sint salia volatilia oleosa, meritò etiam eandem censuram subeunt.

Ex tribus ergo regnis, animali, minerali, atque vegetabili, eliciuntur spiritus. *Animalium spiritus* vel ex duris, vel ex mollibus eorum partibus elaborantur. Ex duris, v. g. cornubus, ossibus, ungulis, pilis, &c. spiritus urinosus in forma nebulæ cum sale volatili, fortiter adhærente lateribus recipientis, & oleum crassum & fœtidum, post phlegma spirituosum prodit; vel simplici destillatione per retortam igne aperto, aut intensiore arenæ; vel harum partium rasura, verbi gratiâ cornu Cervi cum ana seu duplo nitri, eleganti encheirisi per retortam candefactam detonationis beneficio in amplissimum receptaculum destillantur: in quo casu oleum maximam partem, destructo pingui ignis beneficio, in spiritus urinosi & salis volatilis forma prodit. Rasuræ cornu Cerui sub destillatione addi potest aliquid de succino, & prodit spiritus cornu Cerui succinatus, qui à ℥ß. imò ad ℈ij. etiam sine succino potenter sudorem movet: Caput mortuum in retorta remanens, est calx nuda & terrea, omni virtute & potentiâ agendi destituta: coloris est nigri; quod tamen ulteriùs in igne aperto calcinatum evadit album, quale est v. g. cornu Cerui ustum.

Ex partibus verò mollioribus, verbi gratiâ sanguine, carnibus, item animalia integra mollia, ut lumbrici, &c. similes spiritus & sal volatile suggerunt: vel prævia fermentatione aut putrefactione copiosiores & sale volatili saturatiores, eodem ignis regimine; vel absque putrefactione sui cum tartaro calcinato mistione, dicto ignis gradu proliciuntur, ut de lumbricis supra monitum: nam sine his encheirisibus dictę animalium partes parum spiritus & salis volatilis, multum verò olei empyrevmatici reddunt. Nempè in partibus talibus mollioribus acidum est, occultum licet, quod adhuc salis volatilis & spiritus separationem impedit. Unde etiam ex sanguine animalium sal fixum parari poterit, secus ac ex durioribus illorum partibus, in quibus omne acidum vitale penitus saturatum, facilè sal & spiritum dimittit. Hinc in istis mollioribus, vel putredinis inchoamento, vel salis fixi additamento, acidum istud plus minus infringendum, ut separentur volatiliores particulæ, & copiosior spiritus ac sal volatile, parcius è contrà, nec adeò desideratum, eliciatur oleum. *An etiam ex his animalium partibus mollioribus*, priùs ritè *exsiccatis, cum nitro detonando* per rotortam *possit elici spiritus?* nondum expertum est: de possibilitate sanè nullus dubitarem, siquidem sanguis bovinus siccus nitro in crucibulo additus cum insigni detonatione hoc figit, quo labore in retortam instituto spiritus & sal volatile aliàs euolans obtineri possunt.

Illa tria ex animalium partibus producta beneficio rectificationis sunt separanda. Primò quidem per filtrum, seu tritorium, ut vocant, separatur phlegma spirituosum ab oleo, quod semper supernatat; unde quando per filtri orificium transit phlegma spirituosum, oleum separatim potest abstergi. Phlegmate spirituoso separato remanet sal volatile, vel solum sub forma salis volatilis sicci, vel conjungatur cum phlegmate spirituoso, ut habeatur spiritus volatilis: fit spiritus cornu Cerui volatilis; sic fit spiritus sanguinis volatilis, &c. Phlegma spirituosum constat ex subtili acido volatili, temperato à particulis salinis volatilibus: oleum destillatum constat ex copiosis salibus uolatilibus, beneficio pinguedinis cujusdam acidæ concentratis: ipsum sal uolatile primò constat ex sale uolatili urinoso, seu alcali quodam uolatili, cui tamen intimè admistum est subtilissimum quoddam volatile acidum, sed parum.

Spiritus minerales pariter etiam salium acidorum fluores sunt, seu, ut magis propriè loquar, sulphura uolatilia, dum, pingui sulphuris embryonati quacunque ratione resoluto, acidum ejus, quod spiritus uocatur, phlegmate dilutum prodit: uerbi gratiâ spiritus salis sunt partes salis acidæ resolutæ & dissolutæ; spiritus nitri sunt partes acidæ nitri resolutæ & dissolutæ; id quod imprimis de simplicibus obtinet. Nam quod magis compositos attinet, *clyssos* dictos, non nisi sulphuris ac nitri deflagratione atque detonatione parabiles, solent hi esse uel acidi uel urinosi: Illi ex mineralibus sulphureis solis, speciatim sulphure, antimonio, & nitro hi ex addito tartaro cum nitro, aliisque pro lubitu; qui tamen reuera eo ipso, quo urinosi sunt, minus minerale regnum sapiunt, sed ad uegetabile potiùs pertinent, de tartaro maximam partem participantes: nam de nitri alcali volatili hoc modo separabili adhuc sub judice lis est. Retortis tubulatis multum tribuendum pro destillandis spiritibus mineralium, aliorumque subjectorum, quæ sine fulmine non possunt destillari; hinc & pulvis pyrius hac ratione etiam destillatur, si successivè ingeritur in cucurbitam terream tubulatam, vel retortam similem, prodit spiritus acidus nitrosus, & flores grisei sublimantur.

Spiri-

Spiritus autem minerales simplices ordinariè per retortam terream igne aperto destillantur: loco cuius quidam *furnum pressorium* GLAUBERI commendant, quem describit *de Furn. Philos. cap.* 1. ubi materia destillanda sine vase destillatorio immediatè supra prunas per ostiolum furni mox occludendum injicitur, cuius fumus seu vapor ab igne elevatus in rostris longis, lateri aut summitati furni infixis, & vasis recipientibus munitis, in liquorem sensim condensatur; quod etiam præstat furnus, quem *Londini apud* DREBBELIUM AUTOR *noster lib.* 1. *cap.*20. *pag.*51. se vidisse scribit. Sed nihil valet hic destillandi modus: nam

1. Fuligines carbonum sulphurei cum spiritu simul adscendunt, & spiritum inquinant.
2. Salia mineralia partim colliquescunt, partim alcalisantur, ut nitrum; & sic pauci acquiruntur spiritus.
3. Maxima spirituum pars à carbonum cineribus, lateribus & luto destruuntur.

Optimus ergo est modus, qui fit per retortam igne aperto, ubi prodit primò phlegma, deinde sequuntur spiritus acidi, pro varietate mineralium varii coloris & saporis. Retorta quò amplioris est colli, eò melius est; quoniam aliàs spiritus in retorta angustioris colli conclusi, cum non possint invenire exitum, & cum impetu propulsi, circulantur in retorta, & subeunt denuò caput suum mortuum, & cum eo figuntur, ut ita minus spiritus possit acquiri.

De spiritibus mineralium ipsis in genere notandum, pro diversitate materiæ eorum, simul & operationis varietate, diversimodè etiam se habere spiritus, vel in majore vel minore quantitate; vel fixi, vel volatiles magis sunt. Nam cum vitriolum Hungaricum minùs liquaminis metallici contineat, embryonatum verò acidum liberum contineat, plus etiam spiritus suppeditat, residuo manente capite mortuo satis levi. Cum sale communi itidem se res habet. Hispalense, quod Germanicè *das Meer-Saltz* dicimus, plus spiritus præbet: & in sale gemmæ simul distinctio observetur, quod plus vel minus de terrestreitate participet. Multum quoque interest, quomodo operatio instituenda? imprimis lentè festinandum; neque enim ignis unquam intermitti debet, neque intendi: Prius si fiat, in motu qui fuerunt spiritus, progredi desinunt, & expelli denuò difficulter possunt: posterius nisi attendatur, à fortiori igne colliquatur facilè materia, nec sal sic fluorem adeò præbet. Sic etiam, quò minus dictæ materiæ recipiatur, eò melius destillatio succedit: sufficiunt 4. 5. vel 6. libræ pro una retorta: nam si nimia fuerit materia colliquata, plus minus exitum spiritibus denegat. Consultum quoque est, ut finita destillatione, dum retorta adhuc candet, & omnia intensiùs calent, receptaculum removeatur, ne subtiliores spiritus suum caput mortuum repetant, & in eodem se denuò figant, & ita loco spiritus penetrantis remaneat tantum in recipiente phlegma quoddam spirituosum. Notandum quoque in spirituum horum destillatione, quod phlegma non separandum, sed proportionato ignis gradu totum cum spiritu evacuandum, à liquamine autem metallico vel particulis terrestribus per capellam vacuam rectificando liberandum. Nimia enim rectificatio magis obest quàm prodest, spiritus nimis corrosivi evadunt, & pro corporum solutione inepti, nisi priùs cum aqua iterum solvantur: ut videre est in oleo vitrioli, quod nisi cum partib. ij. aquæ dilutum, Martem in vitriolum vix corrodit.

Et hic est ordinarius modus destillandi spiritus mineralium: Modum alium & artificialem, præter furnum pressorium supra allegatum, monstrat GLAUBERUS, dum destillat spiritus minerales igne aperto in vase candente ferreo, quem videbitis *loco alleg.* ubi sunt quædam lectu & notatu digna, quæ instruunt chymiæ solertem Medicum.

Spiritus minerales etiam *concentrare* quidam satagunt; quæ concentratio propriè dicta alia non datur, quàm quæ fit per crystallisationem, & dephlegmationem. Illa præsertim est spontanea illorum concentratio, in cuius locum succedit dephlegmatio; sic enim spiritus concentratur in oleum: sic oleum vitrioli spontè crystallisatum videb. in BOYLE *Histor. Fluid. & Firm. pag.* 126. Quæ per lapidem calaminarem fit *spirituum concentratio Glauberiana*, dum rodendo illum coagulantur cum eo particulæ salinæ, non est genuina, cum sine iactura elici denuò non possint.

Consideranda etiam venit *regeneratio spirituum* mineralium, quæ non solùm in capite mortuo vitrioli procedit, sed etiam alumen calcinatum, & spiritu suo orbatum, si aeri exponatur, illud reassumere eundem dicitur: Terra nitrosa aeri exposita denuò effloréscit, seu caput mortuum nitri, residua nempè à destillatione spiritus terra successu temporis & aeris beneficio in elegans nitrum effloréscit. Verùm sciendum est: necessarium esse in talibus corporibus quasi residuum magnetem, qui iterum attrahat ex aere, & de novo saturetur; qui magnes consistit in simili acido, sed per destillationem in capite mortuo concentrato, hujus præsertim ab aere facta resolutione regeneratio ista fieri videtur.

Post spiritus minerales sequuntur spiritus vegetabiles, & cùm jam ipsa vegetabilia sint distinctæ naturæ, & etiam vegetabilium partes heterogeneæ sint diversarum constitutionum, propterea etiam diversimodè eliciendi sunt spiritus ex regno vegetabili: hinc spiritus vegetabiles in triplici sunt differentia: vel oleosi, & sic inflammabiles; vel urinosi; vel acidi, adeoque non inflammabiles. Illi vel per fermentationem fiunt, vel per additionem spiritus vini. Spiritus oleosi autem seu inflammabiles per fermentationem profecti, verbi gratia spiritus vini, menthæ, cochleariæ, anisi, &c. propriè spiritus sunt: hi verò per spiritum vini impropriè tales, & fiunt, quando volatilioribus subiectis non tam facilè fermentescibilibus, ut aromatis propriè dictis, radicibus & corticibus aromaticis, verbi gratia semini anisi, fœniculi, corticibus citri, absinthio, radici angelicæ, nuci moschatæ, &c. spiritus vini affunditur, & inde destillatur: suntque spiritus hi abstractitii nil aliud quàm spiritus vini, oleosis specierum infusarum partibus imprægnatus; adeoque non tam spiritus, quàm spiritus vini, verbi gratia anisatus, fœniculatus, &c. nominandi; vid. ZWELFERUS: hinc fit, ut quando propter insufficientem quantitatem spiritus vini oleum simplicis non totum absorbetur, ut oleum superfluum cum aqua lactescat, quod tamen à novo affuso spiritu vini cum illo jungitur.

Spiritus per fermentationem sunt nihil aliud, quàm oleum plantæ fermentatione mediante resolutum. Materialiter ergo spiritus inflammabilis est pars salino-oleosa aut resinosa, seu ipsum oleum plantæ volatilisatum & rarefactum, & in proprio suo phlegmate solutum, & in liquorem homogeneum unitum: sicut & spiritus ille inflammabilis, qui ex saccharo Saturni destillatur, non à Saturno, sed oleosa & pingui aceti substantia, in saturno regenerato oritur. Efficienter fiunt per modum fermentationis, ita ut non præexistant formaliter in concreto ante fermentationem, sed huius saltem medio, aut simili ratione atque mustum, non nisi post fermentationem spiritum inflammabilem dat. Utut autem particulæ oleosæ aromaticorum simplicium attenuatæ & resolutæ ab igne, ac phlegmate aliquali dilutæ, mentiantur spiritus, de quo videbitis experientiam BORRICHII *in Sap. Herm. pag.*370. conf. etiam simul WEDELIUS *de Sale volatili Plantarum pag.* 273. formaliter tamen adeò propriè spiritus dici non possunt. Fermentatione igitur producuntur spiritus ardentes inflammabiles seu sulphurei; unde omnes tales spiritus sunt productum artis, non naturæ; quod facilè per mechanicam probatur: Nam plantæ oleosæ aromaticæ, saporis amaricantis, & fortioris odoris, v.g. salvia, absinthium, rosmarinus & similes, recentes concisæ per se ex aqua cum sale communi destillatæ, dant aquam spirituosam cum supernatante oleo, in quo sanè magna pars concreti craseos consistit, nullus autem spiritus habetur: quod si fermententur eædem plantæ & destillentur, dant spiritum volatilem oleosum ardentem, cum pauco vel nullo planè oleo: Ratio enim, quia oleum hoc volatilisatum per fermentationem, dat spiritum: sic ex absinthio recenter expresso non habetur spiritus, sed phlegma; post fermentationem verò spiritus elegans inde destillatur. Hoc igitur factum est per artem: adeoque spiritus vegetabilium sunt olea fermentando volatilisata & rarefacta; sicut è contra olea eorum sunt spiritus inflammabiles condensati; unde eædem plantæ post olei abstractionem fermentatæ nullum spiritum ardentem fundunt: accedit & hoc, quod olea rebus fermentantibus in proportionata quantitate adjecta, simul in spiritu resolvantur, nec sub forma naturali sive pristina per destillationem prodeant.

Rursus planta recens calcinata dat sal fixum in cineribus: sin verò fermentetur, & destilletur spiritus, paucum vel nullum sal fixum post calcinationem relinquunt, cùm salia fixa fiant è colliquatione sulphuris. Sub tortura enim ignis, acidum volatile pingue coit cum alcali volatili, & ita simul coeunt vel in formam olei, vel in salia fixa; quæ antea fermentata abierunt in spiritus. Spiritus vini probè rectificatus, si juxta BASILII VALENTINI *Testam. pag.* 260. à sale tartari, cineribus clavellatis, aut à sale vegetabili fixo probè alcalisato, item à calce viva aliquoties abstrahatur, relinquit humidum in sale fixo: hoc sal si destillatur igne forti, prodit aqua insipida: hac asservata in superficie supernatat oleum, quod nihil est aliud, quàm spiritus inflammabilis in alcali fixo concentratus: isti spiritui si addatur parum olei destillati vegetabilis cujusdam, tunc spiritus iste ab alcali exhaustus promptè absorbet oleum, & resolvit in spiritum: è contra spiritus hic aeri diutiùs & frequentiùs expositus, oleum quasi præcipitatur & supernatat. Olei seu resinæ denique in spiritibus per fermentationem factis præsentiam, demonstrat experimentum HELMONTII *Tr. de Lithiasi*: quando nempè spiritus urinæ per fermentationem paratus injicitur spiritui vegetabili tali bene rectificato, quorum miscella fit coagulum crassum & quasi butyraceum. Phænomenon hoc quidem fieri putat per particulas spirituum vegetabilium subacidas, quæ cum partibus salinis volatilibus seu partibus alcalisatis spiritus urinæ conjungantur, & in talis crassioris consistentiæ corpus coagulentur; Verùm nihil est aliud, quàm pinguedinis seu resinæ ex spiritu inflammabili præcipitatio; phlegma enim spiritus urinæ statim assumit phlegma spiritus inflammabilis, unde vinculo laxato particulæ salino oleosæ coaguli butyriformis forma fundum petunt.

Quoad

Quoad usum: disceptatur, an spiritus hi omnes sint ejusdem naturæ & essentiæ: Negatur: utut enim integram concreti crasin non possideant, sed plus minus saltem de eadem in olea rarefacta obtineant; tamen eo ipso, quo ex oleo destillato constant quasi materialiter, hæc verò essentialiter ab invicem differunt, etiam de spiritibus nullum dubium; hinc spiritum vini anisi, cochleariæ, liliorum convallium, rosarum, &c. multum differre, manifestum est. Conveniunt quidem omnes, quatenus augmentando nostros spiritus exaltant; tamen spiritus baccarum juniperi e. g. est huic affectui magis appropriatus, alter alii.

Fiunt ergo omnia originaliter per fermentationem vel immediatè, uel mediante abstractione cum spiritu per fermentationem jam parato; unde & illi spiritus fermentati, hi abstractitii dicuntur, de quibus supra dixi. Nam in his particulæ oleosæ sulphureæ simplices ab affuso spiritu sulphureo-salino absorbentur, & per destillationem intimè uniuntur. Hac ratione v. g. ex cochlearia, salvia, floribus liliorum convallium, tam fermentando spiritus, quàm abstrahendo cum spiritu vini & aliquoties cohobando, similes spiritus parari possunt; qua ratione spiritus compositi, aquæ compositæ apoplecticæ, &c. parari solent. Marcus Marci menstruo ex sale tartari cum sale ammoniaco parato, spiritus vegetabilium cephalicos, e. g. lavendulæ, liliorum convallium, &c. singulari artificio præparat, & etiam vegetabilia multum exaltat in vigore: de quod vid. SACHSIUS *in Ampel. p.* 647.

Parantur spiritus hujusmodi ex omnibus vegetabilium partibus, vel ex herbis succulentis recentibus contusis, vel si non succulentæ fuerint, aquâ moderatè calidâ ad eminentiam 3. vel 4. digitorum transversorum dilutis, floribus aromaticorum præsertim, fructibus maturis aceotum succulentorum succis expressis, (qui per se & naturaliter fermentant, imò sæpè aliis rebus ad fermentationem ineptis, fermenti loco adduntur) vel ex seminibus subtilioribus, uti & cerealibus, propter reconditam pinguedinem, unde *vulgare vinum adustum sive aqua vitæ, quam unguentum vocant meretricum*, item ex illorum decoctis, v. g. cerevisia, fermentando spiritus parari possunt. Uno nomine: quæcunque vegetabilia vel per se, vel quacunque ratione fermentabilia existunt, fermentando spiritus suppeditant. Acetosa enim, semperuiuum, parietaria, beta, brassica, &c. nullum suggerunt spiritum propter defectum particularum sulphurearum: in fermentatione acescunt, & spiritus, si qui à nitro uolatilisato insint, figuntur.

Ex lignis non potest parari talis spiritus: utut sint qui uolunt, quod etiam ex ligno sassafras possit fieri fermentando spiritus; qui modus tamen non est adeò uulgaris.

Fermentatio instituitur in loco tepido, ut ibidem sensim sensimque fermentent, donec incipiant acidum spirare: hæc enim est norma sufficientis fermentationis, ita ut subitò atque percipitur acor subtilis odoratu, destillentur vegetabilia fermentata; quoniam aliàs loco spiritus acquiritur acetum.

Rebus his fermentandis, ut faciliùs fermententur, solent apponi quædam *fermenta*: ita sunt, qui admiscent *fæces vini recentes*, quæ non sine magna acceleratione fermentationis adiiciuntur, & maximè congruæ sunt huic usui; vel additur aliquid fæcis cerevisiæ minus lupulatæ, aut fermenti pistorii spiritu vini irrorati, quod in aquæ calidæ proportionata quantitate dissolvitur. Fermenta hæc quidem frequentissima sunt: illis tamen nonnunquam alia substituuntur, quorum particulæ salinæ jam in motu existunt, ut sunt mustum, saccharum, cum quo, ceu succo valdè fermentatiuo, optimè promouent successum fermentationis, mel, tartarus, &c. quæ rebus fermentandis addita, eas ad motum fermentativum conciant. Rejicit quidem GLAUBERUS *Furn. Philos. P.* 3. *cap.* 14. Saccharum & Mel, similiaque, tanquam ad fermentationem inepta: Verùm hoc refellit fermentatio theriaces & conservarum. Quidam vegetabilibus fermentandis addunt urinam, quæ fermentationem facilitare, & florum quoque colores cum aqua earum per alembicum transportare dicitur.

Hic est communis modus parandi spiritus ex vegetabilibus. Cum succis vegetabilium expressis eodem modo succedere, supra dixi: nam sic succi fermentantur instar vini, & sic adferuentur pro vinaceis: Sic est pomaceum, paratum ex succo pomorum expresso per fermentationem: Sic habemus vinum pyraceum, paratum ex succo pyrorum expresso per fermentationem, sicut fit propriè ex succo uuarum per fermentationem. Hi succi destillati dant spiritus.

Et quidem hæc *fermentatio* vegetabilium facilè *succedit in vase querno*, quod eam valdè promouet. Quando fermentatio est peracta, & fermentata incipiunt spirare acorem, includuntur vesicæ, & destillantur: liquor destillatus rectificatur semel aut bis, vel balneo Mariæ in cucurbita, vel vesica, modò observetur ignis regimen; sic *prodit spiritus*, qui adscendit per alembicum *sub forma striarum*; quæ *striæ* sunt *signum appropriatum spirituum*: quod *si cessent striæ, incipiunt apparere guttæ*, quæ *constituunt phlegma*. Rectificatio aliquoties non reiteranda: quidam unâ rectificatione possunt penetrantissimum efficere spiritum ex vesica, destillando eundem per canales ferreos in altum ad longitudinem erectos, quibus superimponitur alembicus: nam tales canales facilè possunt transcendere spiritus, relicto phlegmate à calore propulsi: vid. FEBURE *in sua Chymia*, qui exhibet systema talium canalium, & vidi ego in *Laboratorio Reg. del. Londinensi*.

Quidam, ut spiritus ex succis vegetabilium copiosiores destillentur, ipsis expressis addunt aliquid spiritus vini bona fermenti quantitate; sic enim citiùs & copiosiùs adscendere dicuntur spiritus.

Cum igitur spiritus per fermentationem fiant, quæritur: *an simplicia antiscorbutica quoque fermentari debeant, ut exindè acquiratur spiritus inflammabilis?* Sunt qui affirmant, sunt qui negant. Hi qui negant, dicunt, quod in fermentatione plantarum antiscorbuticarum recludatur vinculum mistionis, & soleant exhalare copiosè salia volatilia earum, in quibus tamen optima earum virtus ac energia antiscorbutica resideat: Id quod satis loquitur experientia. Nam antiscorbuticarum plantarum, cum fermentantur, odor ad aliquot ædes potest percipi propter copiosa salia volatilia turmatim exhalantia. Et præterea, qui hoc asserunt, solent præparare spiritum ex vegetabilibus antiscorbuticis, affundendo spiritum vini benè rectificatum plantis antiscorbuticis, eumque sæpiùs cohobant à recentibus plantis, donec spiritus vini copiosè & fortiter sit impraegnatus salibus volatilibus illorum simplicium antiscorbuticorum. Sic quidam præparant spiritum cochleariæ, spiritum nasturtii, &c. qui spiritus non sunt inefficaces, nec segnes in operando.

Alii contradicunt priori opinioni, quoad antiscorbutica, & dicunt: si destilletur aqua, v. g. cochleariæ, in succo post destillationem residuo inspissato, aut succo eius expresso, percipi adhuc præsentiam copiosi salis eiusdem fixioris, aut certò talis, quod implicatum aliarum partium connexarum vinculo non potuerit sese extricare. Ne ergo huius salis cochleariæ appropriati fiat jactura, propterea optimum esse fermentando recludere mistum, & volatilisare ea, quæ paulò sunt fixiora, ut ita perfectus totus habeatur spiritus.

Et hanc posteriorem opinionem ego quoque veriorem arbitror, quod scilicet *plantæ antiscorbuticæ non inconcinnè possint subjici fermentationi*: Nam utut crasis earum consistat in anomalo quodam sale volatili penetranti, quod in superficie quasi hærere videtur; reverà tamen sunt concretum clausum, ut exindè vix sine fermentatione spiritus haberi possint. Nam.

1. Omnia antiscorbutica expressa inspissata relinquunt Extractum fortissimi odoris & acoris.
2. Omnia antiscorbutica, si assumantur cruda, diutissimè hærent in stomacho, & difficulter digeruntur.

Habent ergò antiscorbutica mistum firmum, in quo quidem volatilitas ludit; cui tamen fixissimum etiam corpus conjunctum est: Optimè igitur & per fermentationem tractantur; nam illud, quod aliàs exhalat, utut fortiter nares feriat, paucum tamen est, & admodum paruum; quoniam aqua destillata à crudis antiscorbuticis, quæ est phlegma impraegnata istis particulis adeo facilè exhalantibus, est admodum debilis, & non valdè potens, ita ut non magna sit jactura partium volatilium in fermentatione exhalantium. Ne tamen sal volatile exhalet, vel ejus jactura fiat, spiritus fermentando elicitus deinde recentibus herbis antiscorbuticis affundatur, & post digestionem aliquoties ab iis cohobetur. Sin verò quendam tædeat fermentationis labor, potest accipere spiritum vini antiscorbuticum appropriatum, eumque affundere recenti plantæ, & aliquoties cohobare; sic enim efficacissimum & penetrantissimum acquiret spiritum.

Hi sunt spiritus vegetabilium per fermentationem parati.

Spiritus vegetabilium urinosos quod attinet, & ex his parata salia volatilia: etiam hæc sunt productum artificiale per putredinis motum, in quo subjugatur acidum, & nova concreti textura emergit, adeò ut suspicer, etiam ex immutato oleoso seu resinoso salia volatilia hæc manifestari. Parantur ex omnibus vegetabilibus, & quibusvis horum partibus putrefactioni aptis. Sunt naturæ urinosæ, & omnes partes alcali volatilis explent; adeoque si per absolutam putrefactionem parati sint, de specifica virtute concreti nil retineant, & omnes eiusdem naturæ, usus, & operationis sunt: & si quid specialis virtutis obtineant, eam ab oleo adiuncto per putredinem nondum resoluto habent: vid. WEDELIUS *de Sale volatili Plantarum*.

Spiritus *vegetabilium subacidi* ex durioribus, radicibus, lignis, & corticibus distillabiles, post phlegma prodeunt, & per retortam igne aperto destillantur: v. g. visci, lignum iuniperinum, quercinum, guaiacum, sassafras, buxi, coryli, &c. nam illud, quod aliàs sub forma fumi in combustione lignorum adscendit, & instar fuliginis corpus adhæret camino, in hoc copia magna salis volatilis & olei penetrantis hæret, uti dixi, ubi de fuligine: ita hoc ipsum ex ligno retortæ incluso acquirimus in recipiente sub forma spiritus acidi volatilis. *Naturæ sunt duplicatæ*, compositi nimirum ex acido & volatili sulphureo, qui mediante infusione super corallia vel lapillos cancrorum, cornu Cervi ustum, &c. à se invicem separari possunt. Sic enim spiritus lignorum acidus si rodit corallia, vel similia concreta terrea, acidum destruitur, & per coagulationem cum iisdem concentratur: hinc absorpto acido, factâ levi abstractione, spiritus oleoso-subtilis inflammabilis instar cuiusdam spiritus vini

vini prodit, remanente parte acidula cum coralliis in fundo: quam encheirisin videbitis in BOYLE *Chym. sceptico*: & ita duplex natura istius spiritus est quasi divisa & separata.

Oleum autem illud, quod cum spiritu prodit, est horridum: super caput mortuum tamen aliquoties rectificatum, fit oleum penetrantissimum aurei coloris, & convenit cum oleo fœtido rectificato. Si tamen ex lignis per spiritum vini resina extrahatur, paucum vel nullum oleum per destillationem suggerunt, manifesto indicio, olea nihil aliud esse, quàm resinam dissolutam. Confirmat hoc NEHEMIAS GREW *Tract. de Mixt.* quando olea destillata appropriatis acidis in substantiam resinosam præcipitant, v. g. oleum anisi cum oleo vitrioli vel sulphuris per campanam.

Quoad *usum spirituum*, & quidem *ex partibus animalium*: hi in genere ratione copiosi salis volatilis sunt sudoriferi, dissolvunt massam sanguineam congrumatam, aut etiam coagulatam, eandemque fundunt; quoscunque meatus penetrabilitate suâ penetrant atque referant, obstructiones feliciter resolvunt, urinam promovent, &c.

Spiritus mineralium acidi in genere quodcunque volatile urinosum in corpore nostro & massa sanguinea temperant, figunt, agitationes & ebullitiones immodicas Massæ sanguineæ sistunt, & hinc per accidens refrigerare dicuntur; spiritus ferocientes & nimis volatiles moderatè figunt & coercent, appetitum deperditum leniter revocant, & qui alii sunt effectus speciales: de quibus *superiùs sufficienter dictum*.

Spiritus verò *vegetabiles inflammabiles* in genere augent spiritus animales, temperant blandè acidum quodcunque, temperant etiam acrimoniam nimiam bilis, seu acidum ejus volatile excedens, flatus discutiunt, stomacho prosunt, affectibus capitis frigidis, quos vocant, conducunt, & qui alii speciales uniuscujusque sunt usus. Dosis eorum in potionibus est, ad aquæ ℥j. spiritus ʒj. v. g. spiritus rorismarini, salviæ, &c. præ reliquis sunt oleosi & pingues, cochleariæ est magis salinus.

Usus spirituum vegetabilium acidorum non saltem est mechanicus pro solutionibus & aliorum remediorum præparationibus, sed & Medicus: nam penetrant, incidunt, sudores movent, ac simul specificæ virtutis aliquid possident, in quantum de oleo adhuc aliquid participant.

Inter spiritus minerales, ab AUTORE tanquam usitatiores recensitos, in specie adhuc noto de *spiritu salis ammoniaci*, quod vocetur à quibusdam spiritus antiquartius ex eo, quod singulare sit specificum in cura quartanarum, & non tantum in quartana, sed in genere, legitimo usu, omnium febrium intermittentium certissimum est eradicativum, quod nunquam fallet, præmissis universalibus, si propinetur ante paroxysmum.

Spiritus Angelicæ commendatur valdè contra colicam, & elegantem admodum habet saporem.

Spiritus cardui benedicti commodè permiscetur cum spiritu nitri, observata proportione, & aliquoties cohobantur; & sic fit *spiritus nitri dulcis antipleuriticus*.

Spiritus ligni guajaci in usu est contra epilepsiam, contra morbum Gallicum, & similes.

Spiritus juniperinus convenit in colica, & imprimis in calculo.

Spiritus liliorum convallium contra epilepsiam convenit, item contra imbecillitatem memoriæ. Cum hoc spiritu quidam faciunt elegans sudoriferum hoc modo:

♃. *Spiritus lil. convall.* ℔ß.
Salis volat. cornu Cervi ʒiij.

Indantur phiolæ altæ, & alembico superimposito destillentur.

Dosis ℈ß. ad ℈j. in syrupo acetositatis citri: egregium est sudoriferum: cui si addatur camphora, erit eò meliùs & eò penetrantius.

Spiritus Melissæ est corrobativus cephalicus, & insigniter uterinus: uti etiam *spiritus rorismarini*.

Sequuntur nunc

SPIRITUS COMPOSITI.

Illi, qui vult parare tales spiritus beneficio affusionis spiritus vini, sit exempli loco

SPIRITUS ANTICOLICUS DRAWIZII.

Cujus hæc est compositio:

♃. *Rad. angel.*
Levist. an. ℥ij.
Cal. arom. ℥ß.
Herbæ menthæ M iij.
Flor. chamomill. Rom. M. ix.
Cent. min. M. iij.
Flor. Sambuci M. ii.
Cort. aurant. ℥iiß.
Zedoar. ℥iß.
Galangæ ℥ß.
Sem. fœnic.
Anisi,
Carvi an. ℥i.
Bacc. lauri ℥ii.
Cinnam. ℥iii. vel iv.
Castor. ℥i.
M. digerantur cum *spiritu vini*, & destill.

Pertinet huc *spiritus anodynus*, quem quidam hoc modo parant:

♃. *Spiritus vini opt.* ℥iv.
Opii spiritu vini solut. ℈ii.
Croci,
Styrac. liquid. an. ʒß.
Olei destill. spicæ ℈i.
Castorei ℈ß.
M. digerantur, & vel filtrata, vel destillata serventur ad usum.

CAPUT LXXXII.
DE
SUCCIS.

SUcci sunt quasi aquæ à natura destillatæ. Hi autem facilè vel acescunt, vel putrescendo marcescunt: recentes igitur semper haberi debent pro usu medico. Ad hos eliciendos ipsa vegetabilia apta sunt:

1. *Flores*,
2. *Fructus*,
3. *Arbores*, harum nempè *radices* & *ligna*; &
4. Etiam *herbæ*.

Ex mineralibus enim non possunt exprimi propter ineptitudinem eorum: sicuti succi ex animalibus propter facilem corruptionem non possunt adservari.

Nec omnia subiecta ex vegetabilibus sunt apta, ut subministrent succos; quæ enim sunt pinguia & oleosa, non dant succos, quoniam ratione olei fiunt acres, rancescunt, & vermium progeniem producunt.

Ex floribus eliciuntur succi, vel communi modo, quem habet AUTOR *num.* 1. *pag.* 284. ubi rectè monet, quod dicantur florum essentiæ, abusivè ab ANGELO SALA *in Anat. Essent. Vegetab.* ita dictæ; vel per deliquium, qui succis communi modo expressis præferendi. Isti nempè, qui fiunt per colliquefactionem caloris solis & furni pistorii ex floribus, accedente simul aliquali putrefactione; v. g. liquor florum cichorii, de quo vid. AUTOR *lib.* 4. *pag.* 46. ubi de cichorio, item HARTMANNUS *Praxi pag.* 67. liquor florum cyani pro oculorum affectibus, liquor florum verbasci, item sambuci pro doloribus, speciatim arthriticis. Quin etiam ex floribus tunicæ & aliis similes possint fieri liquores succosi, nullus dubito. Liquores tales non solùm crasin totius concreti specificam seu seminalem magnam partem adhuc continent; sed & alcali volatili pollere per putrefactionem exaltato, videntur; hinc & affectibus ab acido ortis egregiam conferunt operam.

Fructuum succi sunt, qui ex concisis & contusis fructibus succulentioribus eliciuntur, ac pro usu medico ita asservantur: idque tribus imprimis modis; vel affuso oleo olivarum, mediante quo à mucilagine quidem per tempus præservantur, sed hoc nihil est; vel post aliqualem phlegmatis exhalationem & despumationem, nempè ad quartam partis consumptionem, cum spiritu vini, addendo huius ℥ii. vel iij. ad ℔i. succi ita præparati & depurati; vel, qui modus omnium optimus, per residentiam spontaneam depurati succi, sulphuris halitu seu Gas à fermentatione aliisve alterationibus ad longum tempus sine corruptione adservantur: simili ratione œnopolæ sulphure incenso (Germ. *durch den Einschlag*) præservant vina ab alteratione. Occasionem subministrat HELMONTIUS, qui in quibusdam locis, obscurè tamen, conservationem succorum cum sulphure innuit.

Modus hic est:

♃. *Lagena* angusto orificio instructa:
Huic
Immittatur *tæda sulphurea incensa*, sic nebula alba totam lagenam implet: hoc fiat tamdiu, donec à fumo sulphuris extinguatur hinc *filtratus* immittatur *succus*, & probè claudatur vitrum; ita per longum temporis spatium commodè conservari possunt. Hoc procedit etiam in succis florum & plantarum.

Arborum pariter succi, aliàs prima entia dicti, commendantur; & sunt, qui ex arboribus denuò se ad germinationem disponentibus, verno vel declinante hyemali tempore colliguntur, & ex ar-

ex arboribus earumque radicibus, vel incisis vel terebratis, spontaneâ emanatione colliguntur, ut liquor sambuci, fraxini, coryli, &c. Sic de lachrymis vitis res nota est: de liquore betulæ vid. *Acta Societ. Reg. Volum.* 1. *pag.* 717. de liquore tiliæ ex trunco propè terram collecto vid. M. A. N. C. *Anno* 6. *append. pag.* 50. vel ex ipsa radice incisa effluente ceu nobili antiepileptico: conf. *Tilemann. in Appen. Mater. Med. pag.* 308. item succus radicis juglandis ad cephalalgiam laudatus vid. in BARTHOLINI *Cent.* 3. *Histor.* 97. Sic liquor salicis ex tenellis surculis defluens contra nimiam salacitatem mulierum egregius est. Asservandi horum succorum ratio est vel sulphuris fumus supra laudatus, vel caryophyllatæ radix, vel levis fermentatio: conf. *Acta Societ. Reg. pag.* 772. Diu certè asservari possunt, & planè mirabiles sunt aquæ pro usu Medico.

Herbarum succi vel simplici expressione, vel prævia cum aqua simplici coctione, & hinc facta expressione: Sine coctione exprimuntur, ubi sunt succulentæ: cum coctione ubi, necesse est, ut adjuventur quasi decoquendo, cum aliàs sint ineptæ, ut subministrent suos humores seu humiditates.

In officinis succi quidam inspissantur, qui Extracta aliàs dicuntur; ac sanè haud inferiores videntur Extractis cum spiritu vini paratis: conf. ANGELUS SALA *de Essent. vegetab. pag.* 8. & 9. Commodè ex hujusmodi succis inspissatis cum spiritu proprio Essentia extrahi potest, ad imitationem nempè *Essentiæ absinthii*, quam habet DRAWIZIUS *Tract. De scorbuto dolorifico pag.* 164. vel per spiritum proprium in essentiam extrahitur absinthium vel aliud vegetabile; cui Essentiæ extractæ postmodum addatur succi inspissati tantum, quantum potest essentia imbibere; sic enim fit potentior longè quàm communis, quæ postmodum filtretur.

Succi inspissati, si sint dulces, vocantur *Mella*, uti est mel juniperinum, passularum, &c. vid. AUTOR *pag.* 285. sin crassiores, vocantur *Sapæ* vel *Rob*, v. g. rob sambuci, &c.

Usus succorum inspissatorum est, partim ut ex iis certæ fiant pilulæ, quibus largiuntur corpus; partim solent usurpari, ut dissolvantur in liquoribus appropriatis, & ita fiant ex iis potiones.

In specie

SUCCUS ACACIÆ NOSTRATIS,

De quo supra dixi, convenit in dysenteria & fluxibus alvi similibus.

SUCCUS CYDONIORUM.

Valdè commendatur in dysenteria, vomitu, item ructibus, nausea, & similibus affectibus.

SUCCUS ENULÆ.

Convenit in affectibus pectoris, in purificando sanguine, item in scabie.

SUCCUS MERCURIALIS.

Non solet usurpari, nisi in pessariis, fœminis præscriptis, pro scopo purificando uterum, & eliciendi sordes ac mucilaginem eundem conspurcantes.

Ex SUCCO NICOTIANÆ

Solent fieri pilulæ contra dolorem dentium: aliàs non solet usurpari propter nimiam & generosam vim catharticam & vomitivam.

CAPUT LXXXIII. DE SUPPOSITORIIS & PESSIS.

Suppositoria quid sint? omnibus notum est. Est scilicet suppositorium medicamenti forma in acumen desinens, quę ano intruditur; Tale suppositorium pro quantitate subjecti recipientis debet esse diversæ magnitudinis: nam pueris parva conveniunt suppositoria; in adultis verò 3. vel 4 digitorum transversorum longitudinem attingunt: crassities quoque in adultis debet esse major, quàm in junioribus.

Usus horum est, ut applicentur intestino recto, quo mediante sui stimulo provocent excretionem alvi. Siquidem cùm continuus intestinorum sit tractus, facilè per consensum recto irritato, vellicatur & colon, & ita alvi retentio solvitur: propterea non rarò, quando clysteres applicantur irrito usu, v. g. in colica, in iliaca passione &c. & fit, ut unà cum fæcibus pertinaciter retineantur, lene vel fortiter stimulans post clysterem applicatur suppositorium: sic enim fit, ut clysma in superiori loco emolliat, suppositorium verò in inferiore viam aperiat, & motum concitet.

Quod dixi de clysteribus retentis, etiam valet de purgantibus, quæ quando operantur nimis tardè aut blandè, tunc ut anus irritetur, præter pulverem salinum stimulantem, v. g. ex tartaro, non rarò inferiùs applicantur suppositoria pro adjuvanda medicamenti purgantis evacuatione: Item quando clysteres non possunt admitti propter copiosos flatus distendentes colon, ejusque cellulas, quod sæpius fit, tunc commodè suppositoria intruduntur pro admonenda alvo sui officii. In genere est succedaneum suppositorium clysmatis, imprimis in iis, qui non libenter admittunt clysteres, ut sunt virgines nostrates & pueruli, qui subitò reijciunt clysteres, aut etiam alia subjecta, quæ clysmata non admittere volunt.

Præter has ipsas virtutes stimulandi alvum, interdum etiam in aliis conveniunt affectibus, præprimis ex irritatione alvi solent habere fructum in lethargo, catalepsi, comate &c. in quibus & similibus soporosis affectibus cum aliis medicamentis applicantur acria admodum suppositoria, ad stimulandam & excitandam ejus naturam, ut faciliùs se colligat; quod fieri solet in catarrho sic dicto suffocativo ad derivandum ad inferiora, item quando in malignis morbis non sine suspicione applicantur clysteres, in specie in variolis & morbillis, ubi urgente necessitate unum alterumve applicatur suppositorium, lenissimum tamen. Puerulis etiam convenientissima sunt suppositoria, cum non semper commodè possint purgari per inferiora.

Hi quidem sunt usus suppositoriorum. Cæterum gravidæ non sine ratione caveant sibi à suppositoriis, ne irritato ano, ipsi connexus uterus simul irritetur, & ita stimulus ad abortum injiciatur: id quod cautè & sedulò observandum est ab iis, qui obnoxii sunt tumori & dolori hęmorrhoidum cæcarum similibusve, ut parciùs utantur suppositoriis, quoniam talia valdè solent irritare alvum, & provocare ista mala.

Denique ii, qui sunt obnoxii procidentiæ ani, similiter sibi caveant à suppositoriis, cum periculum sit, ne aut anus irritatus foras elabatur & procidat.

Rectè dicit MORELLUS: quod *suppositoria* sint vel *simplicia*, vel *composita*.

Quoad simplicia: fiunt hæc ex variis rebus pro vario scopo, uti AUTOR insinuat. Recipitur radix vel caulis cujusdam plantæ emollientis, quæ ita intruditur ano, ut blandè laxet & emolliat alvum obstructam: quod si opus sit stimulo, adspergendus caulis vel radix, v. g. betæ, malvæ, althææ, &c. salis communis tantillo, quo stimuletur anus: si fortiori opus est stimulo, recipiatur sal gemmæ, quod ipsum satis stimulat. Ut autem sal meliùs hæreat, illiniri potest priùs radix oleo emollitivo aut discussivo.

Fiunt item suppositoria ex lardo, vel ex caseo Hollandico, contra ascarides in intestino recto, quæ ipsis adhærent, & sic extracto suppositorio, simul extrahuntur. Talia suppositoria ex lardo aut caseo Hollandico illinuntur interdum cum lacte, quod valdè allicit vermes; interdum melle, quoniam omnia dulcia vermibus sunt amica, atque ita applicatis vermes adhærent, ut unà foras extrahantur.

De lardo adhuc moneo: quod desumatur vel ex carne porcina salita, & fumo indurata, uel ex porco recenter mactato, & nondum sale adspersо. Si prius, cùm tale lardum imbiberit copiosum sal, necessum est, ut maceretur in aqua calida, quo salsedo extrahatur; nisi enim hoc fiat, periculum est, ne fortiùs stimulet, & non diu possit permanere in ano: imò periculum est, ne ascarides propter acrimoniam salis non adhæreant, sed remaneant in intestino recto: Posterius, si fit ex lardo nondum salito, seu sale permisto, possunt ex tali sine maceratione fieri suppositoria.

Sapo communis etiam extemporaneum dat suppositorium, quod mulieribus nostratibus ferè usitatum est, imprimis pro usu infantum pro emollienda aluo eorum: quod si debeat aliquantisper esse acrius tale suppositorium, potest illiniri oleum amygdalarum amararum, cui etiam pro uarietate circumstantiarum potest aliquid admisceri de oleo colocynthidis Quercetani, quod per se etiam potenter stimulant.

Aliàs ordinariò solum mel ad debitam consistentiam coctum, suppositorium simplex satis crassum & satis tenax, uti & corpus suppositoriorum compositorum, constituit; in ista enim coctione, cum mel contrahat empyrevma, simul acquirit aliqualem acredinem, qua talia suppositoria vel solo ex melle parata stimulant promptè anum.

Hæc sunt suppositoria simplicia: sequuntur Composita, quæ quoniam pro varietate scoporum etiã sunt varia, usitatissimè & ferè semper usurpatur suppositorium stimulandi alvi gratia: deinde pro usu consolidandi aut adstringendi.

Modus parandi suppositoria composita pro varietate scoporum variat: in genere tamen observetur imprimis corpus suppositorii, & ea, quæ adduntur. *Corpus suppositoriorum* constituit mel ad debitam crassitiem coctum, cui postmodum pulveres appropriati

stimu-

stimulantes, plus minus acres, ex scammonio, helleboro, esula, &c. item muscerda, quæ est usitatissima, sal, &c. addi possunt; ita quidem ut ℥j. mellis ut plurimum sufficiat pro uno suppositorio, cui postmodum adduntur pulveres à ℈j. ad ʒj. plus minus, prout pulveres sunt fortiores, vel sunt debiliores, & ita prout vel fortiùs vel debiliùs agere debent: interdum mel istud miscetur cum succis appopriatis, v. g. cum succo Mercurialis, succo bryoniæ, succo althææ, &c. & invicem mista coquuntur ad spissitudinem mellis pro suppositoriis. Interdum etiam sumuntur pulveres purgantes & stimulantes, v.g. species hieræ, item pulvis agarici & sennæ: interdum in specie species diacolocynth. seu hieræ cum colocynth. aut etiam pulvis ipsius colocynthidis: quæ cum sint fortiora, vel sola, à ℈ß. ad ℈j. sufficiunt: item interdum additur pulvis hellebori albi, aut etiam pulvis hellebori nigri, aut etiam pulvis esulæ. Imò in affectibus soporosis, & ubi opus est fortis stimulo, nonnulli addunt aliquot grana scammonii.

Talia suppositoria semper prostant in officinis parata, tàm pro adultis, quàm pro infantibus: eaque duplicia, *lenia* & *acria*.

Quando ergo præscribuntur talia officinalia, præscribuntur hoc modo:

℞. *Suppos. commun.* num. II.
Illinantur *ol. lilior. albor.*
D. S.
Suppositoria lenia.

Si verò volumus præscribere suppositorium acrius, præscribimus hoc modo:

℞. *Suppos. acre* num. j.
Illinatur cum oleo diacolocynth. Querc.
D. S.
Suppositorium acre.

Talia suppositoria quando applicantur, necessum est, ut in parte ultima crassiore iis alligetur filum, quo filo foras propendente commodè possint extrahi; quoniam interdum ægri nimis profundè solent intrudere suppositoria, adeout sæpè sursum repant, ut non possint denuò eximi, imprimis si sint lenia: unde si postmodum volumus applicare clysma, hoc ipsum propter remanentiam suppositorii potiùs non tentandum; non enim immitti potest. Tale quidem contingit non rarò in contumaciori alvi obstructione, in colica, uti etiam in malo iliaco; in quo testatur experientia, quod non rarò ipsa suppositoria fuerint per os rejecta. Talia & majora mala ut præcaveantur, alligentur filo, quo ipso suppositorium, si diutiùs subsistat, potest extrahi.

Præscribuntur usitatè suppositoria num. ij. ut scilicet, si prius nimis citò rejiciatur, & nihil operatur, alterum possit applicari: id quod usu venit in casibus, ubi opus est forti stimulo, in specie in affectibus soporosis. Aliàs non opus est, ut sint duo.

Quidam in cuspide suppositoriorum addunt aliquot grana croci metallorum, aut etiam Mercurii vitæ pro forti stimulo. Cæterum observatum fuit, quod non rarò ex talibus antimonialibus cum suppositoriis applicatis concitatus fuerit gravis vomitus (quod etiam dicitur de elleboro albo, cujus pulvis in summitate suppositorii pro stimulo fortiori reconditus dedit vomitus) adeo ut talia etiam ano applicata, non possint oblivisci suam malignitatem vomitoriam.

Fel tauri inspissatum etiam suppositoria ingreditur, ex quo solo cum muscerda & s. q. mellis elegantia fiunt suppositoria. Nonnulli in contumacissimis alvi obstructionibus pro emolliendo & laxando faciunt linimentum ex butyro, sale & vitello ovorum, & hoc illinunt linteo in formam suppositorii complicato, & ita applicant.

Alumen item *rochæ*, rasione & incisione in debitam figuram redactum, dat suppositorium acre, pro pluribus vicibus sufficiens: post operationem foras extractum abluitur, & denuò potest in aliis subjectis usurpari: idque ad longum tempus: nam alumen tali intrusione non absumitur, de quo vid. ANGELUS SALA *in suis scriptis Chymiatr. pag.* 840.

Hæc sunt suppositoria stimulantia.

Sunt qui etiam *suppositoria anodyna* parare volunt, in tenesmo, dysenteriis, ulceribus ani, gravi dolore hæmorrhoidum, pruritu ani à charta piperata, & aliis rebus acrioribus, cum opio scilicet permista. Nam observetur in genere: quod anus propter acutum sensum, quem habet à musculo sphinctere, irrigato quamplurimis nervis, facillimè irritetur; adeò ut chartâ pulvere stimulante adspersâ si abstergatur anus, statim sentiatur stimulus ab irritatione: unde joci gratiâ chartæ adsperguntur pulvere piperis, ut abstergentes iis anum sentiant stimulum: quod etiam faciunt chartæ, si illinantur cum succo cucumeris asinini, & exsiccentur, hinc postmodum, quando illis detergitur anus, sentiuntur miræ passiones. Dum ergò anus est adeò sensilis orificii, ex hoc facilè patet, quæcunque suppositoria applicata semper stimulare alvum; unde etiam ea ipsa suppositoria, quæ tanquam consolidantia, abstergentia & anodyna applicantur, semper irritabunt. Nam utut opium dolorem sistat, præsentia tamen corporis insueti in podice sine irritatione esse nequit: præterea metus est, ne ex stupore, per opium sphincteri inducto, oriatur paralysis ani, & ita semper habeat os patulum, & nihil retinere aut etiam nihil excernere possit; quoniam laxatio & constrictio propter stuporem omnino impediretur: sic v. g. in tenesmo aut exulceratione ani solent applicari lintea illita cum balsamo sulphuris, quæ sunt egregia, nihilominus tamen non intermittunt stimulationem. Quidam recipiunt emplastra consolidantia, eademque inducunt linteis in forma suppositorii, & applicant in talibus casibus.

Talia suppositoria ut faciliùs operentur, & ut aliquantisper leniamus intensionem, illinuntur cum oleis appopriatis; ubi volumus emollire, cum oleo amygdalarum dulcium, oleo liliorum alborum, oleo chamomillæ, &c. ubi fortiùs agendum, cum oleo diacolocynthidis Quercetani, cum oleo amygdalarum amararum, & similibus.

PESSI.

Sequitur jam ex adversa parte in mulieribus applicandum *Pessarium*, in virginibus vero *Nascale*.

Pessarium est medicamenti forma, intrudenda vulvæ muliebri, unde fabricatur ferè ad imitationem membri virilis: Est scilicet *pessus seu pessarium medicamentum longum* ad 3. vel 4. digitos transversos, crassitie pollicis, quod obducitur sindone rubra, & immittitur sinui pudoris muliebris.

Pro variis uteri affectibus commendantur & destinantur.

Hujusmodi Pessaria apud nos rarioris sunt usus; applicant enim lubentiùs naturalia, quàm artificialia Pessaria. Nihilominus cum in quibusdam casibus sit necessum, ut præscribantur, notetur eorum compositio: Imprimis usurpantur pro purgatione, pro alteratione, pro aliis usibus quibuscunque, utut pro purgatione res sit rara.

Præparantur ferè ex pulveribus panno serico inclusis, vel excipiuntur pulveres bombace, & ita involuti applicantur vulvæ; vel etiam cum melle ad debitam consistentiam cocto, uti factum fuit in suppositoriis, rediguntur in formam pessi sindone obducendi: vel pulveres succo appopriato seu inspissato excepti in formam pessarii formantur; vel planta quædam recens contusa sindone inclusa in pessum formatur; vel bombax succo appopriato cum sindone in pessi formam redigitur.

Hæc sunt in genere pessariorum formulæ, in specie tamen variant.

Pulverum quantitas rarò excedit ℥ß. plus tamen minus, pro quantitate in dosi: reliquum complent succi vel mel, quibus permiscentur: Interdum quando pulveres sunt mitiores, vel quando fortiùs agendum, tunc etiam pulveres ad ℥j. possunt præscribi.

Pessus AUTORIS *pag. 287. pro stimulandis mensibus* est egregius: nam in tali casu usitatè applicantur. Ratio, quoniam menses non exeunt per uterum, sed tantum per vaginam uteri, irritet oscula venarum, & promoveat mensium fluxum.

Vel
℞. *Aloes* ℥ß.
Myrrhæ ʒij.
Agar. albi,
Sem. nigellæ ana ʒß.
Trocb. de myrrh. ʒß.
Cum succo Mercurialis & melle, inspissando, miscendo & obducendo cum sindone rubra,
F. Pessarium cum filo,
S.
Singulare Pessarium.

Succus Mercurialis egregius est in uteri affectibus; unde ex solo succo, excepto cotone, fit pessus cum sindone, qui intruditur in vulvam pro purificando: & certè valdopeie commendatur in quibuscunque uteri affectibus, & à quibusdam habetur pro secreto. Interdum cum succo Mercurialis impregnatur bombax, & sic fit pessus: interdum Mercurialis viridis contunditur, & ita cum sindone in formam pessi fingitur.

Dabo alium pessum in tali casu minus acrem, non tamen minus efficacem:

℞. *Herbæ puleg.*
Rad. gentianæ ana ʒij.
Sem. nigellæ ʒj.
Pulpæ seu carnis ficuum q. s.
ad incorporationem,
& cum succo Mercurialis f. *Pessus*, obducendus sindone rubra cum filo, & applicandus.

Sic etiam ANGELUS SALA nodulum instar pessi ex radice hellebori nigri describit *pag.* 29. item *pag.* 579. qui perquàm est egregius ad stimulandos menses. Cæterum quoniam helleborus est acris, non diu relinquendus est in utero, quoniam metus est, ne inducantur exulcerationes & excoriationes uteri. Fit talis Pessus ex elleboro, primò quidem in substantia, quando elleborus niger pulverisatus ad ℈j. cum pauco cotone excipitur & applicatur utero; vel tantum fit nodulus ex ℈j. ellebori nigri, qui nodulus cum filo munitus intruditur in vulvam, & potenter admodum ac acriter stimulat: vel fit pessus ex floribus persicorum & radice ellebori pulverisa-

rifata, hi excipiantur cum gummi tragacanthi, foluto cum succo Mercurialis, & in pessum compinguntur, findone rubra obducendum; vel denique Extractum hellebori nigri permiscetur cum melle & succo Mercurialis, & compinguntur in pessum elegantem in uterum. His pessis stimulantibus uterum convenienter additur crocus, qui singulariter in stimulando utero convenit: unde post Balneum emollitivum aut aperitivum valdopere commendat HELIDÆUS PADUANUS Pessum ex ʒß. croci paratum pro mensibus ciendis hoc modo:

℞. *Fell. tauri insp.* ʒj.
Croci ʒß.
Misceantur & subiganrur cum succo Mercurialis, in quo cocta fuit colocynthis, *f. Pessus*, obducendus sindone rubra cum filo, & applicandus.

Loco fellis bovini etiam usitatè admodum potest sumi *fel hircinum vel vaccinum*, & fit talis Pessus:

℞. *Fell. hircini* ʒiij. vel ℥ß.
Rad. asari,
Agar.
Cinnam. ana ʒj.
Succi Mercurial. ℥j.
M. & inspiss. cum *mellis* f. q. & f.
Pessus.

De *Instrumento Glauberiano*, sicuti Pessus formato superius dixi; quod fit ex ligno confectum, & quod in superiori parte habeat aliquot foramina, ut possint exhalare salia volatilia in uterum: inditur enim sal fixum & sal volatile, v. g. sal tartari cum sale ammoniaco; ex quorum mutua actione exhalant salia volatilia ex parte, quæ intrant uterum. Adhiberi potest pro ciendis mensibus, purgando uterum, & pro fœcundandis mulieribus.

Ex solo cotone cum pulveribus fit Pessus; sit v. g. supprimendus sanguis nimium fluens in nimio mensium fluxu, vel ante partum, vel post partum: tunc

℞. *Sterc. asinini*,
Suill. ana ʒiij. vel q. s.
Pulv. sperniolæ Croll. ℈j.
Laud. opiati gr. ij.
M. f. *pulvis*

Qui excipiatur *cotone*, & obducatur *sindone rubra* pro *Pesso*, & applicetur.

Adhuc unum sit exemplum pessi in nimia uteri hæmorrhagia:

℞. *Sterc. asinini* ʒvj.
Succi acaciæ ℥iß.
Cum f. q. *mellis F. Pessus adstringens*, *sindone obducendus* & applicandus utero.

AUTOR habet *Pessum ex bursa pastoris* contusa, qui est elegantissimus in nimia hæmorrhagia uteri. In inflammatione uteri aut colli uteri post partum, aut etiam alia ex causa, applicantur Pessi ex succo semperviui, ex succo beccabungæ, &c. qui excipiuntur cotone, & ita applicantur: possunt etiam addi flores chamomillæ, vel succus ex floribus sambuci pro discussione. In *prolapsu uteri*, qui nihil aliud est, nisi nimia laxitas vaginæ uteri: in talia laxitate etiam convenienter applicatur pessus ex fortiter adstringentibus paratus, ex quibus vagina denuò adstricta non potest prolabi in sinum, ex hypocistide, vel ex acacia, ex succo acaciæ nostratis immaturæ, ex radice bistortæ, quæ irrigantur, modicè tamen, aceto forti, & ita cum cotone excipiuntur, & fit Pessus.

In suffocatione uterina fiunt nudè tales pessi ex zibetho, vel Mosco, aut aliis suaveolentibus, exceptis nudè cotone & bombace: item potest coton imbui oleo suaveolenti destillato, v. g. oleo caryophyllorum, oleo ligni Rhodii, aut oleo macis, & unum alterumve granum zibethi addi, & excipi cotone, & applicari in forma pessi.

Hæc pessaria usurpantur tantum in mulieribus, in quibus via est aperta: in virginibus autem, quibus adhuc res est angusta domi, applicantur Nascalia. Sicuti enim pessus factus fuit in forma oblonga, ita Nascalia fiunt in rotunda, instar parvorum nodulorum, ut applicentur orificio vulvæ: & ad eosdem usus possunt præscribi Nascalia in virginibus, ad quos pessi in mulieribus. Fiunt ergo nascalia instar nodulorum hoc modo:

℞. *Rad. elleb. nigri pulveris.* ℈j.
Excipiatur *cotone*, irroretur *spiritu urinæ*, & cum sindone rubra f. *Nascale* seu *nodulus parvus*, applicandus ubi fores sint patulæ.

Ulterius in nimio fluxu mensium etiam fieri possunt nascalia ex adstringentibus, item in nimia laxitate vulvæ, ex succo symphyti majoris expresso cum cotone vel bombace in linteo rotundo & conglobato, & ita applicatur externè uti nascale in forma noduli.

Virginibus uterinæ suffocationi obnoxiis, præscribantur suaveolentia hoc modo:

℞. *Balsami apoplect.* q. s.
Excipiatur *cotone*, & f. cum *sindone rubra nascale*, *seu nodulus parvus*, applicandus vulvæ, sive extremitati uteri: vel aliquot granis zibethi aut Moschi impraegnatus talis coton, & cum sindone obductus applicatur externè utero.

Cæterum, uti dixi, rariùs applicare permittunt pessaria, & nascalia; nihilominus, ut pateat præscribendi modus, dicta observentur.

CAPUT LXXXIV.
DE
SYRUPIS, MELLIBUS, & ROBIS SYRUPISATIS.

QUod salia sunt in culinis, hoc saccharum est in officinis; Nempè quæ veteres conservare aptè sine fermentatione & corruptione non poterant, saccharo addito condiebant in liquidiori consistentia, & serapium appellabant: quod verò in solidiore paulò aut minus fluida consistentia miscere vel asservare studebant, cum melle miscebant, & ab opio ordinario ingrediente opiatum, moderni Electuarium vocant. Arabum hæc sunt inventa, qui magis quàm Græci rem pharmaceuticam, tam quoad simplicia, quàm composita, augere sategerunt, cum Græci vix ultra mel, indeque mulsum & hydromel, pervenerint: adeoque cum iis ignotæ fuerint elegantiores & efficaciores spagyricorum operationes, Essentiarum, Tincturarum, &c. & nihilominùs tamen plantas non semper habuerint virides, & similiter in exsiccatis magnam jacturam virium deprehenderint, & ipsas exsiccatas etiam non commodè diu ad potiones adhibuerint, succos, Decocta & Infusa, quæ asservare non poterant, saccharo seu sale impraegnabant, hinc humiditatis sufficienti evaporatione seu abstractione ad consistentiam non fermentescibilem, adeoque meliùs asservabilem, redigebant, & syrupum concinnabant.

Syrupi sunt vel *simplices*, vel *compositi*: *Simplices* sunt, qui constant ex uno vel duobus ingredientibus: *Compositi* qui ex pluribus ingredientibus fiunt. *Hi* sunt vel *alterantes* vel *purgantes*: uterque, officinalis, qui semper in officinis prostat; vel *Magistralis* qui extempore à Medico præscribitur: de quo in *Collég. Formular.*

In omni autem syrupo duo sunt consideranda: *Liquor* in syrupi formam redigendus, & additum *saccharum*, quod coquendo dat consistentiam.

Liquor est vel decoctum, vel Infusum, vel aliquis succus, interdum horum unum solum, interdum hæc invicem mista; quando scilicet confusa cum aliis decoquuntur, antequam in succum rediguntur, qui ex additione sacchari fit syrupus.

Præscriptio syrupi ingredientium est eadem, quæ in Decoctis & Infusis solet usu venire: utut, quoniam syrupi pro longiore tempore præscribi solent, etiam major copia & liquoris & addendorum præscribenda sit. Differentiam magnam non habent: Sive recipiatur succus depuratus, sive Infusum, sive Decoctum, semper postmodum additur saccharum usque ad consistentiam syrupi: & quidem prout volunt vel crassiorem, vel fluidiorem syrupum, eò plus vel minus addimus sacchari: ordinariò proportio solet esse, ut dimidium sacchari recipiatur ad liquorem; v. g. si liquoris sint ℔iij. additur ℔iß. quæ invicem coquuntur ad spissitudinem Sacchari. Aliàs parandi sunt secundùm *correctionem Zwelferianam*. Sacchari loco aut mel, aut rob quoddam, aliudque simile, substitui commodè potest. Signum sufficientis decoctionis habet Autor: si nempè guttula in tabulam frigidam effundatur, & habeat consistentiam debitam, ita ut non diffluat.

Quoad vires syruporum, imitantur hi suorum simplicium dotes: Sed in usu eorum observandum;

1. Suspectam esse facilem eorum in primis viis fermentescibilitatem, tam ex parte sacchari, quàm ex parte succi, aut Decocti adhuc crudi.
2. Hinc suspectum esse eorum usum in morbis acutis, ne fermentationem & agitationem contentorum liquidorum plus minus intendant; adeoque in febribus meritò rejiciuntur à PANAROLLO & HEINRICO *ab* HEER.
3. In morbis chronicis, ex stomachi & hypochondriorum vitio natis, etiam minus conveniunt; cum dulcia talia & acidum intendat, & viscidum tenacius reddant, & bilem vitiosè alterent: hinc est, quod ne millesimus nostrum in nostro climate & sub nostra diæta ferre queat saccharata, &c. citra vel tormina vel borborygmos abdominis, vel hypochondriacas suffocationes, vel ructus, vel appetitus prostrationes, vel intumescentias & infarctus viscerum abdominis, &c.

Ob id

4. Meliores ac tutiores sunt syrupi, si non nimium sacchari additur:

Et

5. Hi ipsi syrupi propter saccharum copiosum non sint adeo magnarum virium, & si velimus, ut aliquid operentur, necessum sit, ut præscribantur ad ℥iv. v. vel vj pro una dosi; unde vix alius apud nos syruporum usus, quàm ad gratiam aliqualem potionibus aut misturis variis conciliandam; adeoque non in tanto usu solent apud nos usurpari, atque veteribus fuerunt; utut ab Italis adhuc interdum

soleant

soleant nimis excessivè præscribi, quibus tamen morem suum relinquimus.

Syrupos alterantes officinales simplices & compositos fusè enumerat Autor, è quibus

SYRUPUS DE ABSINTHIO.

Usitatus est in affectibus ventriculi & intestinorum. Descriptionem videbit. in *Pharm. Augustana*.

SYRUPUS ACETOSITATIS CITRI.

Ex succo citri cum saccharo paratus, frequenter adhibetur in Julepis, ad febres ardentes & malignas destinatis; sitim enim & ebullitiones humorum compescit, suavem habet acorem, cum succus citri unà resistet malignitati. In potionibus interdum vel decoctis solet admisceri pro gratia saporis.

SYRUPUS DE SUCCO ACETOSÆ & ACETOSELLÆ.

In febribus ardentibus benignis conveniunt. Præparationem videbitis in *Pharmac. Augustana*.

SYRUPUS ADIANTINVS *Fernelii*.

Convenit in affectibus artheticis, pectoris & stomachi, ubi tam partes in pectore, quàm ipse stomachus sunt infarctæ & refertæ copiosa mucilagine crassa & viscida: hanc enim incidit & attenuat, & incisam expectorare vel expurgare facit. Sed possumus syrupo hoc tutò carere.

SYRUPUS DE ALTHÆA *Fernelii*.

Paratur ex radice Althææ, & convenit valdè, ubi lenienda est acrimonia humorum, & temperanda eorum salsedo: unde hic syrupus de Althæa in affectibus urinariis est usitatissimus, v. g. in dysuria, in stranguria, in exulceratione aut etiam corrosione renum & vesicæ, item in mictu cruento, & similibus dolorificis partium urinariarum affectibus; potenter enim confert ad emendandam acrimoniam humorum, & pro tali usu convenienter miscetur cum oleo amygdalarum dulcium recenter expresso, item cum lapillis cancrorum præparatis; quoniam hi nimium acidum absorbent & præcipitant: Optimè hic potest propinari in decocto cicerum rubrorum, qui & diuretici sunt. Formula sit hæc:

℞. *Decocti cicer. rubri in aqua petrosel.* ℥iv.
Ol. amygd. dulc. rec. expressi ℥ß.
Lapill. cancr. præpar. ʒj.
Laud. opiati gr. ij.
Syr. de althæa Fernel. ℥iß. vel ij.
M. f. *Potio*.

Quæ & leniter abstergit vias urinarias, & temperat acrimoniam urinæ & humorum.

Convenienter Syrupus hic potest misceri cum emulsione ex terebinthina, & vitello ovi, de qua in *Colleg. Formularum*, ubi de Emulsionibus: corrigitur enim sic sapor terebinthinæ nauseabundus, & intenduntur vires.

SYRUPUS ANISI *cum* VINO *Quercetani*.

Syrupus hic est gratus, & in affectibus pectoris in specie conveniens.

SYRUPUS ANTIEPILEPTICUS *Quercetani*. *num. 2. pag. 291.*

Examinanti ingredientia facilè patet, quod syrupus hic non sit inelegans in affectibus epilepticis; & quidem præparatio ejusdem singularis. Paratur beneficio spiritus vini vel baccarum juniperi priùs ex ingredientibus tinctura, quæ sacccharo pulverisato affusa & accensa deflagrando redigitur in consistentiam syrupi. Hic modus parandi syrupos singularis, uti dixi, & convenientior est reliquis syruporum præparationibus, & fit *oleum sacchari compositum* ad eundem modum, de quo *superiùs, ubi de saccharo*, habui.

SYRUPUS E SUCCO AURANTIORUM.

Syrupus hic non ubivis prostat: conveniens est in affectibus intestinorum colicis.

SYRUPUS AURANTIORUM E CORTICIBUS.

Convenit pro usu carminativo in colica flatulenta, aliisque intestinorum torminibus.

SYRUPUS DE ARTEMISIA FERNELII. *nro. 3.*

Valdè commendatur in affectibus uteri, tam veris mensium vitiis, quàm putatitiis, & suffocatione uterina, utut inconcinna ejus sit præparatio, demonstrante ZWELFERO: nihilominus, si ex his ingredientibus fiat decoctum sine saccharo, non erit inconveniens.

SYRUPUS E SUCCO BETONICÆ.

Convenit in contusionibus, aliisque affectibus capitis, dissolutus in potionibus vulnerariis.

SYRUPUS DE SUCCO BERBERUM.

Est subacidus, & ingredi solet Julepos & potiones in febribus continuis & intermittentibus, etiam malignis, propter gratam aciditatem, quam obtinet.

SYRUPUS CAPILLORUM VENERIS.

Solet usitatè præscribi in affectibus pectoris & renum, ubi scilicet hæ partes sunt infarctæ mucilagine, & pituita crassa & viscida; hanc enim extergit & mollefacit, ut possit faciliùs expurgari: permiscetur commodè Potionibus & decoctis pectoralibus atque nephriticis.

SYRUPUS DE CARDUO BENEDICTO.

In pleuritide obtinet suum usum; uti etiam in febribus ardentibus.

SYRUPUS CORALLIORUM.

Syrupus coralliorum, tam *modo communi* præparatus, quàm *modo Zwelferiano* ex sale coralliorum, convenit ubi opus est adstrictione, & imprimis ubi adest hæmorrhagia cujusdam partis; v. g. in dysenteria, in fluxu hepatico, & uterino, non sine usu solet præscribi, imprimis si origo mali sit ex acido corrodente oscula vasorum, absorbendo acidum, & oscula adstringendo & claudendo: in dysenteria, diarrhœa, & aliis affectibus scorbuticis, valdè convenit.

SYRUPUS CYDONIORUM.

Est stomachicus, convenit in roborando stomachi tono, quoniam valdè adstringit, & tonum naturalem ventriculo restituit.

SYRUPUS DE ERYSIMO *Lobellii.* *num. 5. pag. 292.*

Aliàs *κατ' ἐξοχὴν contra raucedinem* dictus, ad affectus pectoris, in specie ad raucedinem, à materia viscidiore, fauces & arteriam asperam oblinente, in usu est & valdè convenit, imprimis si hauriatur cum decocto passularum & radicis glycyrrhizæ, cùm & hoc valdoperè conveniat in raucedine: LOBELIUS dicit, se curasse puellam, quæ decem annos laboraverat raucedine, hoc ipso syrupo: convenit in asthmate & affectibus respirationis, item in tussi, & similibus pulmonum affectibus ex infarctu bronchiorum asperæ arteriæ, facto à materia viscida ac tenaci; hanc enim attenuat, resolvit, & incidit ratione erysimi, quod abundat sale volatili acri, incidente, attenuante & resolvente ista mucilaginosa excrementa; quod ipsum etiam præstant reliqua ingredientia, capillus veneris, & stœchas Arabica. *Potest meliorari* hic syrupus, si scilicet decocto adhuc infundatur recens herba erysimi, & imprimis eius semen contusum, & huic infuso colato addatur succus erysimi saccharatus, & in cucurbita, suo alembico munita, decoquantur

tur ad consistentiam syrupi: qui syrupus potest convenienter in vehiculo istius aquæ, quæ in coctione per alembicum descendit, hauriri; quoniam erit imprægnata succi & seminis erysimi sale volatili. Ubi opus est expectoratione, tam in tussi & asthmate, quàm in plevritide exulcerata & empyemate, permiscetur cum *syrupo de nicotiana*, qui est expertus in tali casu, ut postmodum audietis.

SYRUPUS DE FARFARA
seu
TVSSILAGINE.

Similiter solet adhiberi in pectoris affectibus.

SYRUPUS GRANATORVM,
tam dulcium, quàm in specie acidorum.

Usurpantur hi, ut diluantur in Julepis & potionibus ad gratiam saporis in febribus, & ubi stomachus est affectus; item in potionibus dictis cordialibus: impedit enim sanguinis effervescentiam, roborat stomachum, & nimiam illius dissolutionem corrigit.

SYRUPUS ANTIHECTICVS RIVERII.
num. 6.

Syrupus hic ex *testudinibus*, *cancris*, & similibus non est inelegans in defectu meliorum remediorum; quoniam subministrant succum sale alcali occulto imprægnatum, cujus ratione absorbet subtile acidum, in hecticis prædominans.

SYRUPUS DE SUCCO HEDERÆ TERRESTRIS.

Est vulnerarius, valdè conveniens in potionibus travmaticis: in specie in affectibus pectoris & sputo sanguinis, in phthisi & ruptione vasculorum plumonum à nimio clamore, in casu ab alto, in pleuritide suppurata, & similibus convenit non minus, quàm in exulceratione renum & mictu cruento, in quibus affectibus hedera terrestris plantula nunquam satis laudanda.

SYRUPUS DE SUMMITATIBUS HYPERICI.

Est similiter vulnerarius & antinephriticus: propterea optimè possumus hos invicem permiscere in talibus casibus.

SYRUPUS DE HYSSOPO.

Convenit in incidenda crassa & viscida materia, qualis non rarò in stomacho & pectore stabulatur, imprimis cùm hyssopus sit planta pectoralis.

SYRUPUS DE JUJUBIS.

Solet dissolvi in liquoribus & potionibus, ubi opus est temperare urinæ & humorum salsedinem, interdum etiam aciditatem: in catarrhis salsis ad fauces & pectus ex glandulis decidentibus: ad excoriationem faucium, & aphthas, & affectus urinarios ex urinæ acrimonia ortos, & ad similes, ubi opus est temperare acrimoniam humorum.

SYRUPUS MYRTINUS.

Est adstrictivus, & solet præscribi, ubi opus est adstrictione, in vomitu, diarrhœa, dysenteria, cholera; item in hæmorrhagiis dissolvitur in potionibus contra hæmorrhagias partium.

SYRVPVS DE NICOTIANA SIMPLEX.
num. 7. *pag.* 293.

Syrupus hic excellentissimus est in affectibus respirationem lædentibus, quoniam sal volatile nicotianæ mira facit in asthmate, & similibus affectibus. Cæterum quoniam notum est, quod nicotiana soleat inducere vomitum & non levem diarrhœam, propterea vis ejus emetica per exquisitam digestionem corrigatur, ut ad fundum secedant partes vomitoriæ, uti rectè dicit AVTOR *in Nota*: & ubi syrupus hic legitimâ digestione est præparatus, in asthmate certè, tussi, & similibus affectibus difficilis respirationis, planè singularis est. In empyemate, in specie post pleuritidem suppuratam, vomica item pulmonum, vix satis potest commendari ab EPIPHANIO FERDINANDO *in Consiliis*, qui in expurgando pure empyematicorum & quocunque alio, mira præstitit hoc ipso. Rectè igitur oxymel additur, quo vis ejus maligna corrigitur eò citiùs: si verò sal tartari adjiciatur, vis emetica remittit. In empyemate, præter hoc quod expurgat, etiam consolidat virtute vulnerariâ ulcus & abscessum pulmonum. Convenienter dissolvitur cum syrupo appropriato, vel solus in decocto hederæ terrestris, scabiosæ & similibus; & tale decoctum in expurgando pure empyematicorum & plevriticorum est egregium. Præterea in morbis infantum est egregius, in dispnœa & asthmate infantum, imprimis ubi metus est suffocationis in tenellis infantibus, item quando auditur sonitus in bronchiis pulmonum: in tali casu legitimè præparatus est omnibus reliquis præferendus.

SYRVPVS DE NICOTIANA COMPOSITVS.
num. 8.

Quod jam dixi de syrupo simplici, etiam intelligendum est de composito. Feliciter infantibus propinatur in difficili respiratione: vix melius compositum officinale datur pro infantibus hoc in casu, quia interdum vomitus causatur, si non sufficienter resolvit mucum viscidum.

SYRVPVS DE PAPAVERE SIMPLEX.

Virtutem habet somniferam, anodynam & dolorum sedativam: unde loco laudani opiati ab ℥ß. ad ℥j. commodè potest dissolvi, tam in potionibus, quàm in Julepis in febribus, ubi adest agrypnia, vel in specie in cephalalgia. Nam in talibus casibus, quoniam disponit ad somnum, est egregius, & in febrium principio humorum ebullitionem compescit, & simul materiæ morbificæ coctionem adjuvat; & ubi præscribitur hic syrupus, non opus est, ut præscribatur laudanum opiatum, & contra.

SYRVPVS DE PAPAVERE ERRATICO EX INFVSIONE FLORVM.

Notum est, quod conveniat in pleuritide, sanguine congrumato, & similibus partium internarum & externarum affectibus, cum inflammationibus erysypelaceis conjunctis.

SYRVPVS DE SVCCO PLANTAGINIS.

Est adstrictivus & vulnerarius.

SYRVPVS DE QVINQVE RADICIBVS APERIENTIBVS.

Convenit in affectibus chronicis, cachecticis & hypochondriacis. Cum autem *præparatio* communis sit ridicula, vid. *correctio in* ZWELFERI *Animadvers.* In digestivis medicamentis febrium intermittentium conducit, in cachexiis, scorbuto, & similibus morbis.

SYRVPVS DE ROSIS SICCIS.

Est adstrictivus, & convenit in sputo cruento, mictu cruento, dysenteria, & similibus.

SYRVPVS DE RVBO IDÆO.

Præscribitur usitatè in julepis contra febres malignas; in his enim præfertur gemmis & perlis omnibus à GESNERO in resistendo malignitati.

SYRVPVS DE SCABIOSA.

Syrupus hic travmaticus est, & in specie convenit in abscessibus & ulceribus partium internarum pulmonum & renum: solet interdum adhiberi in inflammatione suppurata stomachi, pro rumpenda, abstergenda & consolidanda eadem. Convenit in variolis & morbillis, dum præservat, ne ex variolis in partibus internis oriatur abscessus & ulcus, in quibus etiam jam factis decoctum scabiosæ adhibetur; vel exinde paratus syrupus dissoluitur in eodem, vel usitatè dissolvitur in decocto ficuum vel milii.

SYRVPVS DE SVCCO SCORDII.

Resistit malignitati, venenis, & imprimis vermibus & lumbricis intestinorum.

SY-

SYRVPVS DE SUCCO SEMPERVIVI.

Convenit valdè in ardore faucium, in inflammatione faucium & linguæ, uti etiam in prunella, & principio anginæ: dissolvirur in aqua prunellæ, & additur aliquid nitri depurati; estque egregius in affectibus faucium.

SYRVPVS DE SYMPHYTO *Fernelii.*

De syrupo hoc notum est, quod sit vulnerarius, & conveniat egregiè in potionibus vulnerariis.

SYRVPVS FLORUM TVNICÆ.

Convenit in affectibus capitis; unde & permiscetur potionibus & Electuariis analepticis.

SYRVPVS DE SVCCO VERONICÆ.

Est vulnerarius.

Sequuntur *Syrupi* vel *succi melliti*. Hæc ipsa mella rarò usurpantur, nisi quod interdum loco syruporum in decoctis pectoralibus soleant dissolvi.

MEL MERCURIALE, RVTACEVM, & VIOLACEVM.

Solent dissolvi in clysteribus pro abstergendis intestinis: reliqua non item.

Oxymel est, si melli acetum addatur; quod non fit, nisi validiùs incidendum & attenuandum sit. Oxymelita hæc omnia, in specie scilliticum, conveniunt, ubi mucilago est crassa, ut in intestinis & ventriculo, unde solent permisceri cum potionibus vomitoriis ad incidendam pituitam, item in affectibus pectus infarcientibus, in quibus oxymel scilliticum est egregium.

Post syrupos alterantes sequuntur purgantes: è quibus est

SYRVPVS FLORVM ACACIÆ.

Syrupus hic egregius est in expurganda colluvie serosa, tam in morbis catarrhalibus, quàm hydrope, in depuranda massa sanguinea ab excrementis hinc inde collectis; unde in potionibus Majalibus seu præservativis non rarò solet præscribi.

SYRVPVS DE CARTHAMO.

Conveniunt in expurgando pectore à mucilagine crassa in eodem collecta & congesta, cum carthamum sit pectorale.

SYRVPVS DE CICHORIO CUM RHABARBARO.

Est blandum & lene purgans; unde in infantibus recens natis pro purgando meconio, ut præserventur ab epilepsia, præprimis convenit; in quo usu à quibusdam pro secreto habetur.

SYRVPVS DE FVMARIA COMPOSITVS seu MAJOR.

Pariter infantibus est dicatus, quando tinea & achoribus laborant: valdè etiam convenit in morbis melancholicis.

SYRVPVS HELLEBORATVS MINOR.

Valdè convenit pro expurgandis melancholia afflictis.

SYRVPVS FLORVM PERSICORVM.

Convenit pro expurgando sero abundante; item in lumbricis abigendis.

SYRVPVS VOMITIVUS.

Huc & *syrupi emetici* pertinent, qui optimi sunt: sed dosis eorum incerta est ex dupli causa, prout nempè vel cum aceto vel cum vino extrahuntur; cum hoc enim fortiores, cum illo debiliores sunt, quia acetum antimonii virtutem obtundit. Ut ergo ritè parentur, fiant modo sequenti:

℞. *Croci metallor.* ℈x.
Infunde in
Acetum vini ℔iß.
Post digestionem filtretur, & addatur
Sacchari ℔iß.

Sic blando calore sacch. dissolutum dat consistentiam syrupi.

Dosis ʒiij. ad ℥ß. imò ad ʒvj. in infantibus autem gtt. v. ℈ß. ad ʒß. pro ætatis ratione: Dissolvitur in conveniente aqua simplici, v. g. hyssopi, centaurii minoris, &c.

Hic syrupus vomitivus, & Tartarus emeticus MYNSICHTI instar catholici vomitivi possunt inservire: nam uti notum est ex superioribus, vomitoria antimonialia omnibus reliquis sunt præferenda.

Tandem his *Oxymel Pectorale cum agarico Altenburgensium* annumero, in incidenda, attenuanda, & expurganda mucilagine crassa pituitosa egregium; cum notum sit, quod agaricus præ cæteris sit dicatus pectori.

Compositio est talis:

℞. *Herbæ hyssopi,*
Prassii,
Origani,
Card. bened.
Puleg.
Veron.
Scabiosæ ana Mj.
Rad. Ireos Florent. ℥j.
Agar. albi ʒx.
Zingib. ʒij.
Infund. in *aceti* ℔iß.
Aquæ veron.
Card. bened. ana ℔ß.
Digerantur per tres dies, tunc coquantur & exprimantur:
Colat.
℞. ℔iß. add.
Mell. despum. ℔i.
M. f. oxymell. cui injiciatur *Nodulus continens*
Pulv. cinnam.
Caryoph.
Calami arom. vel cubeb. ana ℈j.

CAPUT LXXXV.

DE

TINCTURIS.

Tincturæ nomen ab antiquitate speciatim arcano transmutationis metallicæ tributum fuit: hodie verò nihil aliud sunt, quàm essentiæ cum proprio rei colore extractæ: adeoque cognatæ sunt essentiis & elixyriis, & vix realiter inter se differunt, cum in genere quæcunque essentiæ vel quæcunque extractiones, si in operatione suavem & jucundum acquirunt colorem, imprimis rubeum, possunt vocari tincturæ. Hinc in mineralibus ac metallicis res manifesta est, quorum tincturæ genuinæ meritò hoc nominis obtinent; sunt enim tales tincturæ metallicæ *sulphura gloriosa* HELMONTIO dicta, & BASILIO VALENTINO notanter Germ. *güldische tincturen* appellantur, quas vitriolo, metallisque aliis æquè ac soli inesse asserit: vegetabilium verò tincturæ sũt corporum coloratæ particulæ, à subtiliore sulphure seu oleo simul dependentes. Sed hæ rarò sine vel alteratione sub præparatione, vel craseos immutatione, obtineri possunt. Ex animalibus, eorumque partibus, paucæ vel nullæ eliciuntur.

Tincturæ mineralium sunt vel siccæ vel humidæ: utrobique est substantia corporis metallici soluta: sic è croco Martis est tinctura Martis seu tinctura sulphuris vitrioli. Non rarò enim magna est sophisticatio in tincturis metallicis, dum scilicet colores non tam sunt ex re extracta, quàm potius ex menstruo, quod digestione longa super subjectum, non rarò solet mutare colorem, aliumque induere, cum imprimis omnia ferè menstrua, imprimis salina, diuturna coctione & digestione soleant fieri rubra.

Ex *fructibus & baccis*, v. g. ex baccis sambuci, granis coccionellæ, fragis, fructibus alKeKengi, &c. vel exsiccatis, vel ex earum Rob, *Tincturæ* extrahi solent cum aqua appropriata, aut spiritu vini, parum tamen acidulatis: sic e. g. ex rob sambuci secundùm AUTOREM cum *spiritu vini* fit *Tinctura*, quæ potius est *Essentia*: quod si loco spiritus vini accipiatur *spiritus flor. sambuci per fermentationem*, & beneficio hujus spiritus ex *rob sambuci* fiat *Essentia*, erit expertissimum remedium in erysipelate pro expulsione. Nobilius erit, si spiritus per fermentationem baccarum sambuci affundatur floribus sambuci, & cohobetur, qui spiritus postmodum rob affundantur, & ita fiat extractio *Essentiæ*.

Ex floribus vegetabilium aliàs frequenter eliciuntur *Tincturæ*. Men-

Menstrua sunt varia: vel aqua communis, vel appropriata destillata, cum spiritu vel vitrioli, vel salis, vel quocunque acido acidulata: eligatur tamen loco aquosi liquoris phlegma vitrioli acidulum, quod ipsum non est medicina contemnenda, quo v. g. flores rosarum, violarum, tunicæ, &c. infunduntur, leni calore per aliquot horas digeruntur, donec menstruum tingatur, postea exprimitur & filtratur.

Sunt autem tincturæ tales in usu, ut misceantur cum potionibus & Julepis pro colore & grato sapore; item præscribuntur instillandæ cerevisiæ ad aliquot guttas pro potu communi. Quod autem multum de crasi & vi vegetabilium participent, non est: certè flores tales parum habent in recessu; quicquid operantur, fit saltim beneficio menstrui. Ergo perinde est, sive tincturam florum bellidis, sive betonicæ, sive tunicæ, præscribam. Pro variis tamen affectibus variè specificari possunt, tam ratione florum, quàm menstruorum appropriatorum: sic v. g. pro expulsione in variolis commodè instillatur *Tinctura expulsiva* in mens. ʒ. cerevisiæ ad 50. guttulas, parata ex *floribus aquilegiæ*, *fumariæ* & *scabiosæ* cum *spiritu vitrioli regenerato*: in nimio æstu massæ sanguineæ tempore æstivo commodè instillatur potui *Tinctura hepatica*, uti vocant, parata ex *floribus bellidis*, *cichorii*, *papaveris rhœados*, & *hepaticæ nobilis* cum *spiritu vitrioli Martis*. Hæ tincturæ commodè etiam possunt usurpari post nimium potum liquorum spirituosorum aut generosorum. Vbi opus est provocatione urinæ, potest instillari potui vel Julepis *Tinctura nephritica*, parata ex *floribus calcatrippæ*, *cyani*, & *restæ bovis* beneficio *spiritus salis*.

Observetur etiam, quod colores tincturarum vegetabilium, præprimis menstruis acidis elicitarum, non semper sint genuini, sed ab his diversimodè immutentur: si enim floribus etiam cœruleis, exempli gratiâ borraginis, violarum, &c. affundatur spiritus acidus vel phlegma acidulum, tunc intensissimum colorem rubrum acquirunt: imò hoc fit, si aceto tantum irrorentur destillato, ut cœruleus color ab acidis mutetur in rubicundum, adeò ut tinctura florum cyani non minus fit rubra, quàm tincturæ florum bellidis & pœoniæ. Dehinc rubedo hæc ab alcali calcis vivæ, vel tartari, vel aliorum salium alcalium fixorum solutorum in aqua, attacta mutatur in viriditatem: sin verò his tincturis rubris cum acido paratis affundatur sal volatile, aut spiritus urinosus volatilis, verbi gratiâ spiritus salis ammoniaci, tum egregium cœruleum & purpureum colorem acquirunt: de quo videri potest BOYLE in elegantissimo *Tractatu de coloribus*.

Aliàs notissima est *Tinctura aperitiva* D. MOEBII secretissima, & nemini adhuc satis nota; suspicor tamen sequenti modo parari:

℞. *Spiritus salis*:

Qui quater rectificetur super caput mortuum proprium, & sic fit spiritus salis quodammodo volatilis: Hic spiritus bis vel ter cohobetur ab aphronitro; & post tingatur cum *terra salis*.

Spiritus hic ita tinctus vocatur *Tinctura aperitiva*, quæ est egregiè diuretica & stomachica in morbis chronicis, appetitu dejecto, suppressione urinæ, &c.

Aphronitrum sunt flores nitri, qui reperiuntur *Jenæ* in montibus, efflorescunt è lapidibus instar lanuginis.

Ex Saturno & Marte fit elegans *Tinctura antiphthisica*, antidysenterica, & in genere ubicunque opus est valida adstrictione & consolidatione. Modus est, ut solutio saturni in aceto (de qua *supra de saturno*) affundatur vitriolo Martis leniter calcinato; sic enim mox emergit Tinctura ruberrima, quæ vel simpliciter usurpanda, vel cum spiritu vini exaltanda, in quàm plurimis affectibus cum sanguinis excretione, exulceratione, &c. multum proficua, etiam à multis in secretis habita.

Tinctura Paracelsi diaphoretica correcta à S. CLOSSÆO, est nihil aliud, quàm *Elixyr aromaticum compositum*.

Tinctura cathartica S. Clossæi, *Archiatri Mediomatricum*, nihil aliud est, quàm *Essentia catholica purgans*. Nempè beneficio spiritus vini ex purgantibus resinosis elicitur essentia rubra. Observetur autem, ut pro tali essentia recipiatur spiritus vini tartarisatus, eum in finem, ut corrigatur purgantium virulentia. Sic ex omnibus resinosis purgantibus cum spiritu vini extrahi potest tinctura.

Dosis ʒj. ad ʒij. in syrupi rosarum solutivi ℥j. vel ℥iii. AUTOR cum spiritu vitrioli propinat, sed malè; quia omnis vis purgandi per acidum destruitur.

CAPUT LXXXVI.

DE TROCHISCIS.

Trochisci rarioris hodie sunt usus, qui apud Veteres frequentiùs usurpabantur. Conficiebantur ex pulveribus variis, mucilagine tragacanthi, aliave simili, exceptis, & ita in pastillos siccos sive Trochiscos formatis. Sic etiam pulveres dentifricii excipiuntur non rarò mucilagine tragacanthi, exinde fiunt Trochisci oblongi: quibus exsiccatis postmodum fricentur dentes & gingivæ; quæ formula tamen est rarior.

Inter compositiones, quæ in Dispensatoriis prostant, & ab AUTORE *pag.* 298. recensentur, usitatiores sunt.

TROCHISCI DE ALKEKENGI
cum & sine opio

In affectibus urinariis, ardore & excoriatione & exulceratione partium urinariarum.

TROCHISCI DE CARABE
seu
SUCCINO.

Egregii sunt in temperando acri sero seu lympha, exulcerationibus & excoriationibus partium, item in hæmorrhagiis nimiis uteri, vomitu cruento, præsertim sputo cruento.

TROCHISCI PRO FUMO.

Fiunt ex simplicibus facilè combustibilibus, quæ dum comburuntur, exspirant suum odorem. Componuntur usitatissimè ex benzoe, styrace, succino, gummi juniperino, thure, mastiche, &c. quorum pulveres si excipiantur mucilagine tragacanthi, exinde formantur Trochisci, irrorandi oleis appropriatis. Horum unus iniicitur in prunas, & ita excitatur suffitus. Loco tragacanthi etiam possunt fieri commodè cum tacamahaca dissoluta cum balsamo Peruviano in mortario calido.

TROCHISCI DE MYRRHA.

Prosunt in affectibus mulierum pro stimulandis mensibus, fœtu, secundinis, & lochiis. Dos. ʒß. ad ʒj.

TROCHISCI DE VIPERA.

Nil valent: sufficienter à ZWELFERO examinati sunt *Animadv. pag.* 209. loco quorum potius pulveres viperini usurpantur.

TROCHISCI OPHTHALMICI.

Trochisci ophthalmici sunt pulveres pro oculorum morbis destinati, qui pulveres minutissimi appellantur *Collyria sicca*, ab Arabibus *Sief*, & tali nomine prostant etiam in officinis pro oculorum usibus. Hi ipsi pulveres sæpius ex tutia ceu basi constant, quibus imprimis modò saccharum Saturni, modò tantillum camphoræ, modò aliquid vitrioli, &c. additur. Applicantur duplici ratione; vel enim sufflantur per calamum in oculum; vel tales pulveres permiscentur cum aqua appropriata, mutuò agitantur, & ita in oculos instillantur. Hi pulveres quocunque modo applicati necesse est, ut minutissimè sint triti, ne dolorem aut pruritum inducant oculis.

Ad hos pulveres etiam paratus pulvis ex lapillis cancrorum & exuviis serpentum pertinet, qui pulvis fuit *secretum* CNOEFELII *in oculorum vulneribus*: inflatur oculis, & postmodum cum linteis duplicatis vel succus vesicularum ulmi, vel aqua MYNSICTHI ophthalmica ex cancris destillata, aut cum aqua ovorum destillata cum succino, quam describit KESLERUS *in suis* 500. *Processibus*, quæ aqua similiter egregia est.

Hi pulveres in officinis prostantes solent formari in Trochiscos; excipiuntur nimirum mucilagine Tragacanthi, & ita formantur Trochisci, qui usus tempore dissolvuntur in aquis appropriatis, & applicantur.

CANDELÆ PRO FUMO.

Si pulveres pro Trochiscis pro fumo excipiuntur à carbonibus salicis, ladano &c. & miscentur cum mucilagine tragacanthi formantur exinde *candelæ pro fumo*.

Inter *Trochiscos purgantes* in usu sunt

TROCHISCI ALHANDAL,
seu
DE COLOCYNTHIDE.

Hi, horumque extractum, subinde tanquam stimulus purgantibus additur. Aliàs rari sunt usus.

CAPUT LXXXVII.

DE

BALSAMIS INUNCTORIIS, LINIMENTIS, UNGUENTIS.

Balſami tandem *inunctorii*, ſeu linimenta & unguenta quod attinet: *Linimenta* dicuntur *ab illinendo*, quoniam illinuntur parti, atque dum ita illinuntur, ſuo fotu aut illitu confortant aut alterant partem: hinc facilè patet, in quanam conſiſtentia ſint præſcribenda. Ab his non admodum diſtincta ſunt emplaſtra & cerota.

In his conſideretur primò *corpus* ſeu *baſis*, quod in unguento quidem formam unguinoſam dat; eſtque non durum & ſpiſſum, ſed fluidum & molle, nempè vel oleum, vel butyrum, vel pinguedo quædam, vel medulla animalium, vel mucilago, vel mel &c. & ſi etiam ex ſuccis fiant vel decoctis inſpiſſatis, non tamen abſque olei vel pinguedinis cujusdam additione fieri poſſunt. Plurimis in caſibus butyrum maiale non ſalitum præfertur ad linimenta & unguenta oleo aliiſve ſimilibus: tale enim butyrum concretum magis alcalinum eſt, ſubtilius itidem & penetrantius, atque pluribus affectibus externis, ex acido vitioſo originem habentibus, conducibilius exiſtit. Nihilominus ex oleis ſi parare linimenta animus ſit, ſolet ipſis addi aliquid, quod det aliqualem conſiſtentiam, atque ita in craſſiorem aliquo modo linimenti conſiſtentiam abeant. Id quod additur, ſæpiùs ſolet eſſe parum ceræ, ita quidem, ut ad ℥j. oleorum addatur ʒj. ceræ, & hæc ſubacta dant medicamento conſiſtentiam debitam, non nimis fluidam ſicut oleum, non nimis craſſam, ut emplaſtrorum; uſitatè enim ita præſcribuntur:

Cum ſ. q. ceræ ſ. Linimentum.

Hæc duo ingrediuntur linimenta: nam quando *ſola olea præſcribuntur*, tunc *vocantur olea*, & ſignantur:

Oleum externum.

Pro varietate autem oleorum nomina eorum rurſus variant: Si enim olea ſunt deſtillata, mutato nomine vocantur Balſama; ſin decocta, vel infuſa & expreſſa, vel oleis conformia, vocantur Linimenta.

Balſama hæc inunctoria rurſus ſunt duplicia: vel ſimplicia, vel compoſita; ſive per mixtionem extemporaneam, ſive deſtillationem invicem combinentur.

Quod ſi verò inunctionum conſiſtentia media quaſi ſit inter ceram & oleum, uocantur *Unguenta*.

Cæterum in compoſitione Linimentorum pro maiori efficacia nonnunquam etiam aliquid pulverum, vel pulveriſandorum ſolet admiſceri: modò obſervetur, quod talia addenda in linimentis ſint penetrantia & ſubtilia, quoniam linimenta debent penetrare, & propterea ſubtilia & penetrantia eorum debent eſſe ingredientia, ne infarciantur pori, atque ſic impetus olei & eius penetratio impediatur: in tali enim caſu ad ℥j. oleorum vix ʒß. pulverum poteſt admiſceri.

Porrò cùm corpus Linimentorum ſit oleum, uti dixi; oleorum verò non levis ſit differentia, cum *triplicia* aliàs reperiantur olea;

1. *Olea decocta & infuſa*, quæ maximè imbecillia.
2. *Olea expreſſa*, quæ mediæ quaſi naturæ;

&

3. *Olea deſtillata*, quæ ſunt efficaciſſima:

Adeoque horum oleorum in operando diverſa admodum ſit efficacia & ἐνέργεια, propterea etiam præſcribendi modus quoad doſin in his oleis variat: hic tamen utplurimum habetur reſpectus, ut e. g. ʒj. olei per decoctionem, vel infuſionem parati reſpondeat ʒß. vel ℈ii. olei expreſſi; horum verò proportio tripla vel quadrupla reſpondeat oleis deſtillatis.

Hoc autem obſervetur: quod interdum ſpecialis olei alicuius doſis hanc proportionem obſervate prohibeat: ſic v. g. in oleo hyoſcyami expreſſo ſpecialis omnium penſitanda eſt doſis, & ſic in aliis.

In Emplaſtris verò corpus eſt cera, utplurimum cum reſinoſo quodam concreto, v. g. terebinthina plus minus commiſta, & cum oleo plus minus ſubacta, donec conſiſtentia & textura talis ſpiſſior ac tenacior inde fiat; unde pro ceræ varia proportione nunc ad unguenta, nunc ad emplaſtra, nunc ad cerota, magis pertinent compoſita.

Corporibus his adduntur varia gummata, mineralia, vegetabilium pulveres pro intentione & ſcopo. Totum artificium componendi unguenta & emplaſtra conſiſtit in effato HELMONTII *Tr. Diſpenſ. Modern. §. 57. Nihil oleis, unguentis, vel emplaſtris miſcendum eſſe, quod in his nequeat per totum homogenealiter reſolvi*, id eſt quæ non commodè tanquam ſoluens & ſolutum ſe mutuò ingredi, & ita novam quandam undique homogeneam texturam ac miſcelam efficere queunt: unde in genere, quæ vel miſceri nequeunt, ut aquoſa & oleoſa, vel quæ miſta ſe invicem obtundunt, ut pulveres vegetabilium & mineralium, cera ac oleis vulgari modo ſubacti & inviſcati, fruſtra compinguntur, cùm ingredientia vires debitas exerere nequeant. Hinc ſanè vulgaria unguenta & emplaſtra magna indigent correctione, utut non omnis efficacia iis deneganda ſit: ſaltim non tantum præſtant, quantum de iis putatur ex ingredientium ratione, vel quantum per ſe ſola præſtare valent ingredientia; unde etiam quædam ſimplicia minusuè compoſita præſtant ſubinde in praxi maximè compoſitis, v. g. Balſamus Peruvianus, Balſamus ſulphuris, emplaſtrum diaſulphuris Rulandi, &c.

Corpus unguentorum, ceratorum, & Emplaſtrorum, tria primariò conſtituunt, oleum, mel, & cera.

Oleo reſpondet ceu congener, & miſcibile eſt butyrum, pinguedines, medullæ, *terebinthina*; quæ uſitatum eſt ingrediens emplaſtrorum vulnerariorum & ulcerariorum, quoniam eſt *balſamum* quaſi *noſtras*, quæ valdopere conſolidat, & quamcunque corruptionem & alterationem arcet: poſt hanc oleo miſcibiles ſunt reſinæ propriè dictæ, in ſpecie molliores, item ſapones. Olea deſtillata optimè ſui generis oleis miſcentur & ſubiguntur; interea reliquis ſubſtantiis jam liquefactis nonnihil, meliùs permiſcentur: quin in his compoſitis primatum obtinent deſtillata olea ob penetrantiam ſuam volatilem.

Ceræ reſpondent omnia ea, quæ ſunt eiusdem conſiſtentiæ: uti ſunt omnia gummata, galbanum, ammoniacum, bdellium, & reſinæ ſpiſſiores, colophonia, pix, myrrha, maſtix, benzoe, ſimilia, &c. in quibus ipſis tamen non levis differentia, in ſpecie in ſerulaceis ſimul gummoſis ac reſinoſis, unde hæc malè in aceto vel vino ſoluta permiſcentur oleo; cum terebinthina verò ſubacta *methodo Zuvelferiana* commodiùs cum oleo miſceri queunt. Quanto plus accipitur ceræ, tanto craſſiorem habet conſiſtentiam, & erit emplaſtrum vel cerotum: ubi verò minus accipitur ceræ, miſtura erit mollior, inſtar unguenti.

Mel quaſi corpus eſt medium, aquoſum tamen, & ob id vegetabilium ſuccis, eorumque productis, optimè miſcibile: hinc ex vegetabilium ſuccis, aut decoctis inſpiſſatis, aut Extractis ſuccoſis, cum melle optima parantur balſama; minus cum oleo vel cera. Hinc HELMONT. citato loco in melle balſamos florum cogit. Ipſi tamen etiam cum terebinthina & gummatibus coeunt, quia vegetabilium vis in ſimili ſucco gummoſo ferè fundatur.

Ex dictis patet, quod olea per infuſionem vel decoctionem vegetabilium, tam recentium, quàm aridorum, parata minus valeant, cum oleum de aquoſa ſubſtantia nihil, de aromatica parum capiat, adeoque mel potiùs cum eorum ſucco ſubigatur. Nam quæ deſtillando nil ſuggerunt oleoſi, vix in oleum commune quicquam ſundunt: verbi gratia cydonia infunduntur in oleum commune pro ſcopo adſtrictorio, ridiculo conatu: Nam de cydoniorum ſubſtantia nihil ingreditur oleo, & olea ſemper laxant & emolliunt, unde impoſſibile eſt, eorum beneficio adſtringentem virtutem applicare corpori. Chamomilla, aromaticum ſimplex, tantillum de ſuo odore particuliſque reſinoſis fundit, de cætero nihil. Potiùs ergo præferenda olea deſtillata compoſita ſeu balſama, tam deſtillata quàm aſſata, vel miſta compoſita olea cum corpore pro balſamo: hinc balſamum ſulphuris eſt egregium, cum ſulphur ſolubile ſit in oleis: hinc oleum roſatum & aqua calcis vivæ miſta dant *unguentum butyraceum*, egregium, *ad ambuſta* alcali calcis vivæ & acido olei invicem coeuntibus naturali miſtura in concretum homogeneum, quaſi ſaponiforme.

Ex dictis etiam patet: quod ex pulveribus mineralium ac vegetabilium vulgari modo parata emplaſtra & unguenta parum valeant, cùm oleo, cera ac pinguedinibus inviſcata & quaſi mutuò conglutinata, parum vel nihil virtutis exerere valeant. Hinc v. gr. farinæ in cataplaſmatum forma ſuo ſatisfaciunt ſcopo; quæ melle vel oleo alterata, ut cum cera inviſcata, parum vel nihil in unguentis, minus in emplaſtris præſtant: confer. MAJOR *Differt. de lacte lunæ cap. 12. §. 12. ſeqq.* Hinc tutia, lapis calaminaris, ceruſſa, vel lithargyrium, ac ſimilia frequentiſſima emplaſtrorum ingredientia obruta, minus activa exiſtunt; quia difficulter & non benè invicem uniuntur, ſed unum impedit alterum, pulveres impediunt oleoſa, & oleoſa impediunt efficaciam pulverum.

Obſervandum tamen 1. quod in unguentis & emplaſtris, quæ ingreditur Saturnus, non ſine conſilio iubeatur, ut priùs in oleo ebulliat Saturnus, & ita ab olei acido, quantum poſſibile, diſſolvatur, atque ſic cum oleo ex parte diſſolutus coeat, ac ipſum ſimul oleum in texturam ſuam ita alteratum, correcto acido, alcalinum magis factum, meliùs caſibus chirurgicis conveniant. Reliqua ſubſtantia inviſcata nimis ſub tegmine viſcido ac glutinoſo, parum vel nihil operantur, & leviter ſaltem, quantum in extima ſuperficie emplaſtri hærent, acidum vitioſum exactè odoretenus ſorbere & imbibere valent.

Obſervandum 2. quod acetum addatur ſubindè in unguentis & emplaſtris Saturninis, Martialibus, item Venereis, ut unguento Ægyptiaco, Apoſtolorum, &c. propterea, ut hæc nonnihil rodendo illa ſubiecta facilius huius medio reliquis ſuccis, decoctis, aut melli uniantur; quin & ut iſta roſione dulcorem aluminoſum acquirant, porrò ab acido ulcerum ſaturandum. Confer. *Animadverſ.* ZWELFERI. Superiùs enim dixi, quod *Saturnus* ſit quaſi *columna chirurgiæ*, ex eo, quod ulcera & vulnera, quæque ſubſunt manui chirurgi, peccent utplurimum ſubtili acido, quod ſubtile acidum abſorbetur promptè à pulvere ex Saturno, aut ex Venere, cum notum ſit, quod eadem promptè ad ſe alliciant acidum. Inter Saturnina

nina hęc sunt Saturnus ustus, cerussa, minium, lithargyrium, &c. Ex venere sunt imprimis ærugo, æs ustum, crocus veneris, tutia, pompholyx &c.: unde unguentum Ægyptiacum, cuius basis est ærugo, commune est refugium chirurgorum in ulceribus cacoethicis, & imminente iam gangræna: quò pertinet etiam lapis calaminaris, qui lapis, & ex eo ritè paratum emplastrum, egregium est in consolidandis & incarnandis ulceribus, & vulneribus.

Emplastra ergò, quæ propter laudabilem sui compositionem merentur ut admittantur, sunt v. g. Emplastrum diasulphuris Rulandi, carminans Sylvii, diaphoreticum MYNSICHTI, unguentum Ischiadicum Poterii, unguentum aureum ZWELFERI: In specie unguenta ad hæmorroides *Zwelferi in Animaduers. & Pharm. Reg.* Linimentum Arcęi ad vulnera capitis, Balsamus vulnerarius Crollii, *Autoris num. 6. pag.* 304. Unguentum Ægyptiacum, Emplastrum Norimbergense, &c.

Quoad ingredientium proportionem: in unguentis olei ℥j. addunter cerę ʒij. & pulveris ʒj. quę coeunt in consistentiam unguenti. In Emplastris vel ceratis recipitur olei ℥i. pulv. ℥ß. ad ʒvj. & cerę ℥iß. ad ℥ii.

Non rarò etiam permiscent succos vegetabilium, sive expressione sive decoctione paratos; hos & miscent cum vino & terebinthina, lentè coquendo, donec exhalent humiditates superfluæ, & ita mutuò se iungunt partes succulentę cum pinguibus, & fiunt emplastra & unguenta valdè efficacia & penetrantia. Imò non pauci sunt, qui destillant res destillandas in oleum, & his oleis destillatis postmodum infundunt vegetabilia sicciora, digerunt, & tandem filtrant, post cum terebinthina redigunt in emplastra & unguenta, valdè convenientia in usu chirurgico in morbis externis; & tales misturę posteriores vocantur *Balsama unguentaria & vulneraria*. Nam quò magis & meliùs sese uniunt ingredientia emplastrorum & unguentorum, eò meliorem & efficaciorem habebunt usum.

Dabo exemplum unum alterumue emplastri pręparati cum succis: sit verbi gratia *Emplastrum* vel *unguentum splenėticum D. Niemanni*:

℞. *Fol. nicot. veræ* ℔iß.
Cicutæ M. ii.
Hyoscyami albi M. iß.

Infund. in f. q. *vini*, in quo *radix filicis & cortices frangulæ ferbuerint*, stent in infuso per 24. horas, coqv. ad consumptionem aquę vel vini: contusis & cribratis

adde

Ol. de capparib. ℥viii.
Amygdal. amar. ℥ii.
Irini, in quo rad. ari bullivit, ℥ijß.
Pingv. anserinę,
Gallin. an. ℥iß.
Succi depurati nicot. ℥iii.
Bryon.
Cyclamin.
Polypod.
Verbenæ an. ℥i.

coqv. iterum lento igne, add.

Gummi. ammoniaci ℥iii.
Galbani ℥ij.
Bdellii,
Opopanac. an. ℥i.
Pulv. rad. asari ʒ j.
Sem. genistæ ʒii.
Urticę ʒiß.
Cumini ʒi.
Rutæ,
Ceterach,
Tamarisci an. ʒii.

Cum f. q. *cerę* aut *terebinth.* f. *Emplastrum*.

In hoc Emplastro adsumitur pauca cera, quoniam adsunt gummata; & parum olei, quoniam adsunt succi: quando ex his volo unguentum, augeo dosin oleorum & succorum, & minuo dosin gummatum & cerę.

Emplastrum de Cicuta Sennerti ad scirrhos & tumores lieni est hoc:

℞. *Herb. acutę* M. ii.
Flor. genistę M. i.
Gummi ammoniaci ℔iß.

Subigantur in f. q *aceti* tamdiu, donec *gum. ammoniacum* dissolutum sit: postmod. coletur: adde

Succi nicot. verę ℥vi.
Ebuli ℥iv.

Iterum bulliant: tandem adde

Resinæ pini,
Terebinth. an. ℥iii.
Styrac. calam. ʒvi.
Myrrhæ ℥iß.
Olei de cappar.
Cerę an. q. f.

Hoc Emplastrum Sennerti longè elegantius est priori. Artificium consistit in hoc, quod ingredientia optimè sese uniant: Nam acetum, uti solvit gum. ammoniacum, ita extrahit citutam & genistam, &c. his solutis facilè sese iungunt succi aquosi, & propter istam coniunctionem meliùs se apprehendunt, & ita meliùs in se invicem agunt.

Quoad operandi modum Unguentorum & Emplastrorum: operantur hæc vel mediatè, vel immediatè: *Ibi* per effluvia subtiliter penetrantia, seu, ut loquitur HELMONTIUS; per sui odores: *Hic* per sui contactum materialem. Ibi in affectibus internis, ubi volatilia, verbi gratia olea destillata, primatum ferunt; hìc in externis, ubi reliqua fixiora concreta non minus conducunt. Hinc prioribus in casibus iubet BURRHUS, quod Emplastra confiare debeant ex materia volatili, quæ nempè tota intra cutis poros se insinuet: vid. BARTHOLINUS *Cent. 3. Epistolar. pag.* 387. Specimen talis volatilis unguenti videtur exhibere DECKERS *in Praxi Barbette pag.* 59. Sicuti etiam aliàs insinuavi, quod ex spiritu salis ammoniaci & terebinthina invicem mistis *Unguentum* quasi *emplasticum*, *volatile* tamen, fieri queat. Hinc observanda simul *encheirisis Helmontii* pro actuandis ungventis & Emplastris, quam insinuat *c. l. § 58. cum delectu* scilicet *applicanda esse Unguenta & Emplastra* (nam horum eadem est ratio) *& distinguendum*, si fiat medicatio seu sanatio à centro foras, uti est in vulneribus, puncturis, contusionibus, fracturis & similibus, ut in talibus casibus tepidè applicetur Linimentum, Unguentum, Emplastrum, & similia. Cæterùm ubi affectus internus externum petit subsidium: v g. dysenteria, Colica, Cardialgia, spasmi nephritici & similes, tunc unguenta, &c. applicare, & foras lapide calefacto, vel sacculo, arena calida pleno, fovere iubet; quoniam tali potenti lapidis vel arenæ calore super unguento posito symptomata eadem minuantur, uti dicit; ita malum foras eliminatur, impulsionesque symptomaticæ sistuntur. Dicit enim: later pellit, ut vires emplastri intreot, attrahitque foras, quæ aliàs pigriora hærent &c. vid. *citato loco*. Et hoc ipsum observerur in Praxi, & sæpiùs felix succedet successus, idque, si facienda medicatio foras, uti dixi, cum latere: sin verò à centro foras in vulneribus, fracturis, &c tunc linimenta, unguenta, & emplastra sola sunt applicanda calida.

Necesse iam est, ut considerentur *Unguenta officinalia*, quæ ab AUTORE ordine alphabetico recensentur. His Unguentis affinia superiùs dixi *Balsama Unguentaria*, seu *Balsama mundtoria*, Germ. *die Wundbalsam*; Unde etiam de iis tractat AUTOR in hoc capite, & aliquor egregias subministrat formulas.

Fiunt hæc Balsama vulneraria duplici modo: vel ex destillato vel infuso. Uterque convenit in hoc, quod sint sub forma liquida vel fluida instar oleorum; ita ut possint applicari vulneribus, iisque instillari. Quæcunque vulnera sanant, & uniunt promptè citra suppurationem, citra dolorem & alia symptomata; idque brevi tempore & tutò: id quod vocat HELMONTIUS sanare vulnera per primam intentionem.

Communis aliàs chirurgorum lucrosa, quia diuturna, methodus est talis: ut

1. Applicent digestiva, quæ pus promovent.
2. Applicant abstergentia, quæ pus factum abstergunt & ulcus purificant.
3. Applicant incarnativa, quæ carnem generare faciunt.
4. Applicant cicatrisantia & fortiter consolidantia, quæ partem ad cicatricem perducunt.

Cæterùm qui habet Balsamum mundtorium, is mox in principio, post sedatam hæmorrhagiam, illud calidè applicat aut instillat, quod aliquoties repetit, & ita vulnera citò, tutò, & iucundè curat: interdum sine vestigio cicatricis, cùm labia promptè & subtiliter coeant.

Fiunt talia *balsama*, uti dixi, vel *destillando*, vel *per infusionem*: *Destillando*, quando recipiuntur gummata aut resinæ, eaquæ mista per destillationem dant oleum; huic oleo adduntur postmodum convenientes pulveres ex aloe, myrrha, mastiche, tutia, saccharo Saturni, & similibus, ac cum tantillo terebinthinæ vel olei terebinthinæ miscentur in formam liquidam balsami: Vel fiunt *per infusionem*, quando scilicet Vulneraria vegetabilia, in specie hypericum, eiusque summitates, infunduntur in oleum, post infusionem exprimantur, & novorum florum infusio denuò repetitur, idque aliquoties, donec oleum benè sit imprægnatum: huic oleo postmodum adduntur pulveres appropriati, & post digestionem & lenem ebullitionem cum terebinthina coniunguntur in consistentiam balsami cuiusdam liquidi pro vulneribus curandis ex optatissimi.

Talium balsamorum aliquot habet Descriptiones AUTOR, quas inter primo loco est

BAL-

BALSAMUS BALSAMINÆ.
num. 1. pag. 302.

Paratur hic *Balsamus* ex *balsamina seu momordica* : est arcanum contra vulnera & ambusta, in specie, quod benè observetur, contra ulcera mammarum, quæ sunt corrosiva, & in cancrum abeunt : Anodynum est præterea Momordica, & propterea etiam balsamicam vim habet sistendi dolorem : sicut & sola poma momordicæ seu balsaminæ oleo lini infusa, dant *oleum vulnerarium*. Balsamum hoc ingreditur simul viscus ulmi : Ulmus nempè fert folliculos seu vesiculas, in quarum cavitatibus tempore æstivo inest liquor limpidus, leviter glutinosus, qui singularissimum est in omnibus recentibus vulneribus, ac præprimis mirabile est in oculorum vulneribus. Conf. Observat. HEINRICI *ab* HEER, ubi prostat exemplum cujusdam, cui ex læsione oculi totus humor aqueus effluxit, qui postmodum fuit restitutus applicatione hujus liquoris in vesiculis ulmi reperti.

BALSAMUS HYPERICI MAGISTRALIS, seu OLEUM HYPERICI MAGISTRALE.
Num. 3. pag. 303.

Succinctiùs præparatur tale balsamum ex oleo seminis hyperici expresso, propriis floribus infuso : confer. PARACELSI *Herbar. ubi de hyperico* ; ibi enim aliquot balsamorum & oleorum descriptiones prostant.

BALSAMUS UTERINUS.
num. 5. pag. 304.

Compositio est egregia, subministrat emplastrum efficax in affectibus abdominis, hystericis, colicis, &c. convulsivis.
Ejus loco

℞. *Galbanum*:
Malaxetur cum dictis *oleis*, vel *oleo succini* & *spicæ*, & abdomini imponatur.

Balsama vulneraria externa varia prostant; eorum tamen loco simplicia quædam sufficiunt, v. g. Balsamus Peruvianus, oleum hyperici expressum, &c. In specie oleum hyperici ex semine expressum si affundatur comis florentibus hyperici, fit oleum rubicundum, optimè curans recentia vulnera. Quin & cerumen aurium nobilissimum est vulnerarium pro partibus nerveis æquè ac sanguineis : hinc

℞. *Cerum. aur.* ℥ß.

Misc. cum *oleo avell. expresso*, adde tantillum *sacchari Saturni*, & habebitur optimum vulnerarium : vel cerumen aurium misceatur cum *Balsamo Peruviano* & *oleo sem. hyperici Agricolæ*.

BALSAMUM VULNERARIUM
Crollii.
Num. 6. pag. 304.

Compositio hæc *Crolliana* & præparatio est laude digna propter artificium compositionis ; dum resinas vegetabilium cum terebinthina incorporare, & ita per homogeneorum unionem egregium balsamum parare docet.

BALSAMUS VULNERARIUS.
Num. 7.

Benè quidem succedit in principio : quia tamen balsamum hoc paulò acrius est, hinc non ubique convenit. Melius est, si gummata in aceto maceranda cum terebinthina malaxentur ; melius sic unientur invicem ingredientia, & efficacior balsamus ac emplastrum exinde fieri poterit.

BALSAMUS VULNERARIUS SAMARITANUS.

Ita vocatur, quia ex oleo & vino est paratus.

Pertinet huc *Balsamum Vulnerarium Heinrici ab Heer in observ.* 10. quod mirè commendat tam ad ulcera, quàm ad vulnera; & habet observationem hæmorrhoidum ulceratarum hoc ipso curatarum.

Fit ex *Flor. verbasci*,
Hyperici,
Folior. prunellæ an. part. æqual.

Incoquuntur in oleo seminis hyperici expresso, & vini veter. an. part. æqualibus ad vini omnimodam exhalationem : quod si sæpius infundantur & coquantur novi flores, erit eò efficacius. His additur lapis calaminaris septies in vino, & demum in hoc oleo post ignitionem extinctus, & ita in balsamum vulnerarium miscetur.

Cæterum perfici potest ulteriùs hoc balsamum, si scilicet cum vino & oleo simul coquatur succus nicotianæ, millefolii, & bistortæ, & post talem decoctionem loco lapidis calaminaris potius terra vitrioli dulcis accipiatur ; & etiam simul addatur pulvis aloes, myrrha, & canceri fluviatiles cum gummi elemi & terebinthina : quibus si simul addantur Balsamus Peruvianus & mucus aurium, erit *Balsamus Vulnerarius* magis efficax.

Quod attinet Linimenta, offert se

LINIMENTUM DE SATURNO.
Num. 11. pag. 305.

Extemporaneum hoc *Linimentum de Saturno* præstat tantum, quantum omnes veterum compositiones, quas Saturnus ingreditur. Apud nos non est in usu, cùm illi substitui possit Unguentum de cerussa, & quidem camphoratum. Convenit hoc valdè in vulneribus, & ulceribus cum inflammatione conjunctis, & cum dolore. Ratio est, quoniam omnia ulcera inflammata & valdè dolorifica oriuntur ex fermento subtili acido, quo fit, ut alimentum ulceris proprium degeneret in succum acidum & acrem, qui reddit ulcera dolorifica : deinde dum coagulat sanguinem parti læsæ vicinum, inducit inflammationem erysipelaceam. In tali casu optimum est hoc linimentum; quoniam Saturnina absorbent subtile acidum, & imbibunt, ut sic remoto fermento acido, citò & jucundè subsequatur curatio. Speciatim exaltari potest, si in fine mistionis addatur camphora in oleo illo rosato soluta : quin etiam pulvis oculorum spermatis ranarum proprio spermate infaccatorum addi, & ita simul Emplastrum de spermate ranarum fieri potest, ad imitationem nèpè elegantis Emplastri spermatis ranarum, quod habet CNOEFFELIUS *in Append. ad* M. A. N. C. *Anno* 6. *pag.* 186.

LINIMENTUM COMPOSITUM, SEU LINIMENTUM DE AMIANTHO.

Primus, qui Linimentum hoc descripsit, fuit BOOTIUS *in Tr. de Gemm. & lapidibus*, & post hunc WORMIUS *in Museo*, ubi *de Amiantho*. Est egregium in tinea capitis puerorum, si misceatur cum oleo tartari per deliquium, & subigatur cum oleo nicotianæ. Nam oleum tartari per deliquium valdè conveniens est in ulceribus & morbis externis ex acido oriundis ; quoniam est sal alcali tartari dissolutum. Expertum quoque est in ulceribus tibiarum, idque propter tutiam & Saturnum. De Amiantho autem nihil participat.

LINIMENTUM DENTIFRICIUM.

In scorbuto oris egregium est. Pro gratia autem odoris imprægnetur aliquot guttis olei destillati caryophyllorum, & facit ita, ut gratum halitum spirent ægri.

LINIMENTUM ERRHINUM.
Num. 14. pag. 306.

In quibusdam officinis est in Usu. Usus tempore potest misceri cum oleo iridis, & addi aliquot guttæ olei majoranæ destillati ; Sic enim valdè convenit in affectibus narium.

Quod Unguenta officinalia ab AUTORE pariter recensita attinet, illa paucis adhuc considerabo.

UNGUENTUM ÆGYPTIACUM.

Describitur *in Pharm. Augustana*, de quo supra dixi, quod sit commune refugium chirurgorum in ulceribus & vulneribus malignis, putridis & fordidis, gangræna, sphacelo, &c. pro carne corrupta separanda ; putredinem enim corrigit, & postmodum ulteriorem corruptionem inhibet.

UNGUENTUM ALABASTRINUM.

Unguentum hoc videbit is *in Pharm. Augustana*. Commendatur in affectibus capitis, speciatim ejus doloribus nimiis, in mobo Hungarico, qui ipse propter exquisitissimum dolorem vocatur Germ. *der hirn Wurm*, aliisq; morbis acutis : in quo puncto frequentissimo est in usu temporibus illitum. Malaxari potest pro varietate circumstantiarum cum oleo liliorum alborum, oleo papaveris expresso, oleo chamomillæ, oleo anethi, anisi, &c. partim discutientibus, partim anodynis ac dolorem sistentibus, seu sopientibus. Admodum laudatur à FORESTO singulariter in dolore dentium extrinsecùs applicatum : ad quoscunque dolores in specie ex contusione, compressione vel casu obortos, usurpat : *vid. lib.* 9. *Obs.* 33. & 61.

UNGUENTUM ALBUM CAMPHORATUM.

Paratur ex cerussa cum camphora, & prodest in inflammationibus : Nam Cerussa, & omnia ex Saturno parata remedia, dicuntur refrigerare. Rationem subministrat TACHENIUS, quoniam scilicet omnia ex plumbo absorbent acidum, omnium inflammationum AUTOREM. Camphora potenter penetrat, coagulata

gulata dissolvit & discutit. Post coctionem unguenti camphora additur, vel tempore usus aliquot grana adduntur; quia est substantia volatilissima, adeoque sub præparatione multum deperditur. Cum camphora enim auctum est egregium in rubore, calore & ardore quocunque. Plura aliàs prostant Unguenta ex Saturno in officinis, ut de Cerussa, lithargyrio, Minio, &c. Omnia autem hæc essentiâ conveniunt, & basi Saturni superstructa sunt; Unde unicum selectius plurium loco sufficiat. *Unguentum album campboratum* optimè sequenti modo parari posset:

℞. *Saturni calcin.* qv. v.

Coqv. in *aceto*: mistura subigatur cum *oleo amygd. dulcium*, terendo in mortario plumbeo ad consistentiam debitam, in fine addendo *campb.* q. s. & hoc omnibus reliquis præferendum.

Conferunt dicta Unguenta in pruritu, scabie, rubore, ardore, excoriatione &c. partium externarum, item contra ambustiones & pustulas: Saturnus nempè absorbet acidum in talibus casibus, in partium solidarum superficie peccans: e.g.

℞. *Ungu. albi campbor.* ℥vj.
Flor. sulpburis ℥ij.
Olei tartar. per deliq. ℥j.
Nicot. q. s.
M. pro *unguento*.
D. S.
Vnguentum contra scabiem.

Hoc obiter, quoad unguenta contra scabiem, noto: quod nempè oleum tartari per deliquium sit egregium in scabie, & aliis affectibus cutis, in serpiginibus, gutta rosacea & omnibus affectibus cutaneis. Deinde etiam Mercurius dulcis est egregius in scabie, contagiosa imprimis, & aliquo modo maligna, aut etiam si sapiat quodammodo naturam luis Venereæ.

Observetur autem, quod oleum tartari per deliquium & Mercurius dulcis non possint simul in uno eodemque unguento præscribi: ratio, quoniam se invicem præcipitant; nam cum Mercurius dulcis, vel etiam Mercurius sublimatus sit coagulatus à salibus acidis, fit, ut ex adiectione olei tartari per deliquium ista salia acida imbibant sal alcali lixiviale ex sale tartari, & ita dimittant Mercurium viuum. Hoc ne fiat, unum tantum sine altero est præscribendum.

VNGVENTVM ALTHÆÆ SIMPLEX ET COMPOSITVM.

In frequenti est usu leniendi, temperandi, emolliendi, dolorem sistendi; hinc usitatissimum est in affectibus Renum & vesicæ, dolore scilicet nephritico, suppressione urinæ, &c. Subigatur autem cum oleo scorpionum, & regioni renum vel pubis, & in perinæo applicetur. Ad dolorem pleuriticum in specie quoque fiat euporiston Rulandi: huius enim par. ij. cum olei amygd. dulc. parte miscet, & crebrius lateri dolenti illinit: quin & exaltari potest, si addatur oleum destillatum cumini cum Camphora.

VNGVENTVM ANODYNVM.

Vnguentum anodynum, in *Dispens. Cordi* obvium, prodest in doloribus podagricis Varii modi sunt: Cæterum meliùs substituitur huic *unguentum anodynum Mynsicbtii*, cuius compositio est elegantior; vel potest ex tēpore fieri *unguentū anodynum* ex oleo verbasci, oleo hyoscyami & opio; vel sufficit solus liquor verbasci, vel liquor florum sambuci: cum quibus subactum sit opium, vel semen papaveris. Loco plurium talium sufficiat *Emplastr. & ungventum* polychrestum *ex byoscyamo* LVDOVICI *in Pharm. pag.* 628. & 671.

VNGVENTVM APOSTOLICVM AVICENNÆ.

Ungventum Apostolorum convenit ad vulnera & ulcera sordida, etiam in casibus desperatis: Corrodit enim potenter, uti facit *unguentum Ægyptiacum* ex viride æris, in partibus sordidis & putridis.

VNGVENTVM ARTHANITÆ MAJVS & MINVS.

In usu est externo ad solutionē alvi, abdomini vel regioni umbilici illitum. In contumacioribus ergo alvi obstructionibus toti abdomini illinatur: item hydropicorum ventri tumenti subinde applicatur ad movendum alvum, & evacuandum serum ex alvo, imprimis, si malaxetur cum oleo sambuci & ebuli.

Talia *Ungventa* purgantia vocantur etiam *Opomphalica*, cuius non inelegans descriptio aliàs est hæc:

℞. *Aloes* ℥ij.
Fell. tauri ℥j.
Scamm. ℈j.
Butyri q. s. M.

Vmbilico imponitur ad laxandum alvum, imprimis quidem infantum.

Aliud *Ungventum purgans* fortius fit hoc:

℞. *Rad. belleb. albi,*
Nigri,
Aloes bepat.
Sem. cataput. min.
Colocyntb. an. q. s.
Pulverisetur subtilissimè, & adde
Axung. porcinæ q. s.
M. f. *Unguentum.*

Si hoc inungantur manus, purgare dicunt per vomitum; si verò plantæ pedum, per secessum. Sit fides penes experientiam.

VNGVENTVM AVREVM.

Ungventum aureum dicitur ita à colore & effectu, vulnera recentia certè citò curat.

VNGVENTVM DE CALCE.

Calx viva equidem optimum est remedium: invifcatum tamen ab oleis nil valet. Quod si tamen unguentum aliquod exinde parare voluerimus, duplici fieri potest modo, vel ex aqua calcis vivæ cum oleo amygdalarum dulcium, vel alio appropriato, uti superiùs monui; vel etiam ex calce lota cum oleo appropriato, rosarum, vel amygdalarum dulcium nempè mixta. Quicquid sit, conducit hoc unguentum ex calce viva contra scabiem contumacissimam, item contra ambustiones, item contra carunculam penis. In talibus casibus, imprimis in scabie, malaxetur cum oleo nicotianæ, & valdè convenit. Optimè interim per se adspergitur; sic enim in Obs. contra carunculam penis expertissimum remedium dicitur.

VNGVENTVM de CERVSSA AVICENNÆ.

Quæ dicta sunt de ungvento albo camphorato, omnia dicenda veniunt de hoc: paratur enim illud ex cerussa.

VNGVENTVM CITRINVM.

Ungventum citrinum externè dicatum est furunculis, Germ. *den Schwabren*, pro extractione & maturatione.

VNGVENTVM CLYSMATICVM.

Ita dicitur, quia à veteribus clysteribus addebatur pro blanda alui reclusione: dissolvebant scilicet in Decocto appropriato, v.g. in Decocto emollitivo, ad blandè laxandam alvum. Hodie tamen minus in usu est, quia temperatum admodum, hinc non nisi in infantibus locum habet.

VNGVENTVM COMITISSÆ.

Constat ex infuso & Decocto variorum adstringentiū, unde ad prę-servationem abortus, nimium mensium fluxum, fluorem album, dysenteriam, &c. applicatur lumbis vel abdomini, mistum cum oleo mastichino, oleo cydoniorum, oleo nucistę & alio simili. Quidam ita prę scribunt:

℞. *Ungu. Comitissæ* ℥j.
Croci martis adstring. ℥ij.
Cum *Oleo myrt.* f. *unguentum.*

Sed vano usu præscribitur, cùm affectus adstrictorius inde speratus à pinguedinibus & oleis omnino impediatur: sicuti etiam croci martis usus externus nullus est.

VNGVENTVM CARDIACVM.

Unguentum Cardiacum parum valet; unde eius loco oleum destillatum cumini hypochondriis illini poterit.

VNGVENTVM CORDIALE LVDOVICI ab HORNIG.

Vngventum hoc contra morbos malignos adhibetur; & addi posset oleum camphoræ, quod cum oleo amygdalarum dulcium paratum sit: ita enim omnibus aliis præstaret, acuatum cum oleo destillato cumini.

VNGVEN-

UNGVENTUM DE GLYCYRRHIZA.

Contra inflammationes, erysipelata, hæmorrhoides dolentes, &c. est usitatum.

UNGVENTUM ad HÆMORRHOIDES NORIMBERGENSE.

In tumoribus & doloribus hæmorrhoidum cæcarum in usu est, quorum symptomata mitigat: quod tamen præstat solum unguentum de linaria, cum butyro Majali non salito subacta: cui oleum momordicæ si adderetur, remedium magis specificum haberetur.

VNGVENTVM INFRIGIDANS *Galeni*.

Veteribus, & adhuc Italis & Gallis, in usu est, ad inunctionem dorsi in hectica, item in inflammationibus renum: additur oleum nymphææ, & tantillum sacchari Saturni.

VNGVENTVM JOVIS seu DE VERBENA.

Commendatur in inflammationibus & tumoribus calidis: alias commendatur succus verbenæ inspissatus, & cum oleo hyoscyami in parva quantitate in ungventum mistus: estque expertus in doloribus capitis contumacissimis, in specie scorbuticis.

VNGVENTVM DE LITHARGYRIO.

Convenit in scabie & pruritu, imprimis si cum floribus sulphuris misceatur, vel etiam cum unguento enulato; in quo casu & usu etiam contra serpigines commendari solet.

VNGVENTVM MERCVRIALE.

Vnguenta Mercurialia admodum variant: Quædam enim Mercurius vivus, quædam Mercurius dulcis, quædam Mercurius præcipitatus, non autem vulgaris, sed magis iste, qui ab AVTORE *nostro* arcanum Corallinum vocatur, seu Mercurius cum spiritu nitri fixatus, item Mercurius cum spiritu vitrioli fixatus. Prosunt in specie in symptomatis luis Venereæ partium externarum, unde etiam à quibusdam appellatur Vnguentum Neapolitanum, in doloribus, ulceribus sordidis venereis, ac similibus: item in pustulis externis durioribus, item in scabie. Quæ verò cum Mercurio vivo parantur, ultimum ferè refugium sunt in tumoribus Gallicis Venereis emolliendis, item contra ganglia seu nodos, Germ. *die Oberbeine*, contra scirrhos, &c. V. g.

♃. *Pinguedo suilla*:

Cum oleo laurino & Mercurio vivo in mortario lapideo cum pistillo ligneo subigatur, donec fiat ungventum contra scrophulas resolvendas optimum.

Pertinent huc omnia ungventa ex Mercurio vivo parata, quæ extrinsecùs inunguntur vel articulis, vel etiam spinæ dorsi pro excitanda salivatione in cura luis Gallicæ. Sed observetur, quod semper debeant esse præmissa universalia seu talia, quæ servant corpus spirabile & poros apertos.

VNGVENTVM DE NICOTIANA.

Ungventum de Nicotiana ritè paratum multi usus est. In omnibus vulneribus mira præstat, quæ ipsa valdè consolidat. Nam notum est, quod solum Decoctum Nicotianæ vulneribus infusum, vel si cum eo vulnera fuerint abluta, valdè conveniat in eorum consolidatione: Optimum fit, si nicotiana coquatur cum ligno Guajaco, & Decoctum iterum de novo cum nicotiana coquatur. Tale Decoctum est valdè proficuum in fistulis: Contra tineam capitis & pediculos valdè prodest Vnguentum hoc, in infantibus præprimis, ubi tamen cautè agendum est cum unguento pediculorum. Addatur autem hìc oleum spicæ: imò si radix gentianæ pulverisata cum oleo nicotianæ subigatur, & aliquot guttulæ olei spicæ addantur, mirè fugantur pediculi. Aliàs verò optimum est linteum illud, quo aurifabri vasa inaurata abstergunt, cui fricando pediculi adhærent vitâ privati.

VNGVENTVM NIHILI,

Convenit ad oculos, imprimis in eorum tumore & rubedine.

VNGVENTVM PECTORALE.

A quibusdam commendatur ad dolorem pectoris: item ad expectorationem, quam promovere dicitur: item in tussi sedanda: subigitur cum oleo lilior. alborum, & inungitur pectori.

VNGVENTVM PEDICVLORVM.

Compositionem videbitis *in Pharm. Augustana*. Convenit ad abigendos pediculos. Aliàs, quod supra dixi, præstat hìc linteum vel pannus, quo aurifabri solent abstergere vasa argentea post inaurationem, quo panno probè fricentur capilli & caput.

VNGVENTVM ad PERNIONES.

Compositionem habet AVTOR *pag.* 308.

VNGVENTVM POMATVM

Dicitur ita, quod fiat ex pomis.

VNGVENTVM DIAPOMPHOLYGOS *seu* NIHILI *Nicolai*.

Ad consolidanda ulcera convenit.

VNGVENTVM POPVLEVM.

Externè contra agrypnias adhibetur.

VNGENTVM POTABILE.

Vnguentum potabile variè conficitur: optimum est, quod sperma ceti recipit. Dosis est ℥j. Præstat tamen sperma ceti crebriùs sumptum.

VNGVENTVM RESVMPTIVVM.

Ita dicitur, quoniam adjuvare dicitur corpus, ut resumat denuò carnem & crassescat. Propterea in usu est in atrophia, in hectica, item post febres, si eodem illinatur spina dorsi.

VNGVENTVM ad SCABIEM.

Unguenti hujus loco sufficit balsam. sulphuris.

VNGVENTVM SPLENETICVM.

De hoc unguento notum est, quod valdoperè commendet HILDANVS *in Observationibus* in scorbuto & affectibus splenis, ortis ex malo hypochondriaco. Miscendum est cum oleo cochleariæ.

VNGVENTVM SYMPATHETICVM *Crollii*.

Pro Basi agnoscit usneam cranii humani, & mumiam. Vocatur aliàs etiam *ungventum Armarium*. Descriptio potest videri in AVTORE *pag.* 309. conf. quoad compositionem HOFFMANNVS *Clav. pag.* 122. & quoad experimenta hujus unguenti vid. BARTHOLINI *acta Med. Haffn. volum.* 2. *pag.* 266.

VNGVENTVM TEREBINTHINÆ. *Num.* 28. *pag.* 310.

Hoc est quod vulgò vocant Germ. *ungventum digestivum*. Compositio simplex est, & optimè convenit loco digestivi pro suppuratione in vulneribus, abscessibus apertis & ulceribus, & mundificationem optimè promovet.

VNGVENTVM DE TVTIA.

Ad crura ulcerata inveterata, aliaque ulcera difficulter cicatrisantia, ad consolidationem perducenda, applicatum est egregium: de quo vid. GABELCHOVERVS *C.* 3. *Cur.* 69.

VNGVENTVM ad UERMES.

A me expertum est sequens:

♃. *Aloes hepat.* ʒij.
Fell. tauri insp. ʒj.
Olei collocynth. ℈j.
Absinth. q. s.
M. f. unguentum.

Quod parti vesicæ magnitudinis palmæ illitum, applicatur umbilico. Si fortiùs adhæret, vermes adsunt; iis verò absentibus, non adhæret: & dum adhæret, relinquendum est tamdiu, donec decidat sponte, & interdum solet expellere vermes, interdum instar mucilaginis liquefacti vermes exeunt.

VNGVENTVM UIRIDE POTABILE seu BVTYRVM VIRIDE.

Convenit internè in casu ab alto, in sanguine congrumato, & similibus casibus.

FINIS.

MICHAELIS ETTMULLERI,

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, & P. P. Lipsiensis,

COLLEGIUM PHARMACEUTICUM in DANIELIS LUDOVICI PHARMACIAM

MODERNO SECULO APPLICANDAM.

PROLEGOMENA.

IN *Praxi communi seu ordinaria* laboramus partim generaliorum remediorum luxuriâ, partim specificorum penuriâ: Hinc illa specialibus in casibus non sufficiunt; sicut è contra specifica nobis incognita Medicos ferè deserunt: Unde etiam ratione generalium quàm plurimi conatus sunt varij & frustranei. Cæterùm sub specificorum nomine prodeunt arcana nominetenus talia, in recessu verò minimè arcana; unde utrumque defectum AUTOR resarcire satagit, quoad generaliora selectum concinniorem, & quoad specialia horum applicationem ad casus speciales monstraturus: Vid. *pag.* 25. Rem exemplo declarabimus: Vocatur Medicus ad ægrum epilepticum extra morbum malignum epilepsiâ affectum: sanè pro huius cura ex universalibus occurrunt aromatica nervina & cephalica, sicut ex specialibus cinnabaris nativa & antimonii, sulphurea, antimonialia, remedia ex Luna, tinctura lunæ, radix pœoniæ maris, viscus corylinus, castoreum & castorina, spiritus vitrioli volatilis, recrementa pavonum, &c. ex quibus omnibus selectum instituere, hinc ægrum curare, hoc opus hic labor. Sub remediorum igitur tanta farragine fluctuat Medicus, & dubitat, quid eligere debeat? Interim hanc fluctuationem renouemus selectu & genuino examine remediorum compositorum. Similiter vocatur Medicus ad hystericam, pro qua curanda partim generalia, partim specialia, ut castoreum, asa fœtida, sulphur, fuligo cum aceto assumpta, theriaca, Tinctura granorum actes, gentiana, elixir uterinum Crollii, succinum, sal & oleum succini, laudanum opiatum, &c. prostant: At verò ex his selectum instituere, & quod nam horum huic ægræ conveniat, turbat multos, Praxin difficilem reddit, & Medicum fluctuare facit.

TITULUS I.

DE SELECTU REMEDIORUM IN GENERE.

TRia verò in *nostro* AUTORE *pag.* 32. sunt extollenda.

1. *Eiusdem ingenuitàs & candor*: dum nullum Autorem nominat, ex eo, ne ex alicujus encomio sibi benevolentiam captare, è contra alteriùs vituperio laureoleum in mustaceo quærere videatur.
2. *Eiusdem in judicando libertas*: dum liberè suam sententiam rationibus munitam proponit.
3. *In selectu medicamentorum prudentia*: dum ex pluribus symbolizantibus selectum prudenter instituit.

Hoc adeoque Autoris instituto consulitur & Medico & ægro: Illi quidem, dum occasione succinctioris suppellectilis Materiæ Medicæ minus fluctuat in seligendis remediis, sicque ad solidiorem experientiam pertingit: Ad hæc longè pacatiore cônscientiâ hoc modo suam Praxin exercere potest: Ægro verò consulitur, dum sumptibus ponitur modus, & crumenæ non adeò emulgentur; quinimò tutiùs & iucundiùs, utut non semper citiùs, sic curatur. Etenim putamus verissimum esse illud ARNOLDI VILLANOVANI: *dolum esse* (inquientis) *uti compositis, ubi simplicia sufficiunt*: Cui assentitur HELMONTIUS. Et sanè certum est signum vel ignorantis, vel animi fluctuantis in Medico, quando crebriùs in eodem morbo atque in eodem statu mutat remedia eaque plura subcontraria & contradictoria in qualitate ordinat: in quo casu ordinariò sumus dubij in natura morborum, aut quoque remediorum efficacia. Etenim verum est: modò cognoscatur morbus, eiusque agendi modus, & perspectus sit remediorum vigor, facilè iudicabitis, an omnia sint rectè ordinata?

Exoticorum luxum perstringit AUTOR, & quorundam in his tenacitatem *pag.* 33. Et quidem *exoticorum usus suspectus est*:

(1.) Quia *plurima* eorum nobis *sunt penitus*, quoad originem, ignota; unde nec efficacia potest esse perspecta, nec usus tutus. Sic natura ambræ adhuc dum latet, quicquid & sentiat de hoc KLOBIUS: Pariter succini natales sunt obscuri, utut id probabiliùs ad vegetabilia pertineat: Similiter sperma ceti ignotum est quodammodo, quamvis curiositas quorundam eruat id ex capite balænarum elaborari. Sic lignum aloes alexipharmacis annumeratum quid sit? nescitur: Nescitur non secus contrajerva.

(2.) *Cautiùs usurpanda sunt exotica*; quia adulterata ferè omnia prostant. Ità namque scammonium genuinum rarum est, quod non succo vel tithymalino, vel esulino, adulteratum sit; ut dubium enascatur, an Mesues verum scammonium prostet alicubi? Par iudicium esto de sanguine Draconis, sanguine hircino infecto; item de Meconico, quod loco Opii nobis protruditur. Similiter lapides Bezoar apud nos reperiuntur in maiore copia, quàm apud ipsos Indos; vnde eorum æstimationem rectè perstringit ZWELFFERUS. Præterea caryophylli aromatici nunquam genuini nobis afferuntur, sed ex ipsis, in India priùs ebulliendo in aqua simplici, elicitur oleum, quo sic nobis spes propagandi hìc locorum præscindatur; vel ætate consumpti imbibitione vini decoctionis recentium caryophyllorum renovantur. Inter centum pondo Choccolatæ vix unum genuinum continetur, sed quæ in scatulis & placentis affertur, est adulterata à Batavis, *piper, anisum & saccharum* eidem addentibus; cum è contra vera ex Anglia aut Lusitania petenda sit.

(3.) Subinde *exotica* sunt *corrupta*: Etenim cogitemus spatia locorum dissitorum & tempestates, quibus illa sunt exposita, antequam ad nos transportantur; hinc etiam est, quod radix rhabarbari ferè cariosa, & radix chinæ instar ligni putridi omnia spoliata virtute deprehendantur: Item lignum Sassafras, catarrhorum remedium, suavi suo odore fœniculato se vix probat, sed exsuccum sæpè prostat.

(4.) *Exotica* sunt *suspecta*, *quæ nostratia subinde apparent vel æquè valida*, si non validiora, ad minimum nobis convenientiora. Vnde loco balsami cuiuscunque, siue Peruviani sive Tolutani, sufficere potest pro interno usu terebinthinæ nostras: sicut pro externo usu oleum hyperici, imprimis ex eius semine expressum, quosvis balsamos: Sic loco Ligni nephritici ex India Occidentali petendi præstat nostra betula, ejusque liquor seu aqua, præseruativa & curativa calculi: Item loco sassafras Iuniperus nostras, quæ melior. Pari ratione loco aromatum in usu culinario, quorum acrimonia caustica non omnibus internè æquè confert, tutiora sunt cumini, carvi & fœniculi semina; item plantæ aromaticæ, mentha, fœniculum: quod si acriora exoptantur, loco zingiberis esse potest noster acorus verus: sicut loco radicis chinæ nostra tormentilla, vi sudoriferâ & alexipharmacâ æquè insignita, cum extractum tormentillæ ex succo inspissato cum spiritu vini in resinam siccam redactum potens sit sudoriferum: Sic loco ligni Guaiaci præstat nobis lignum fraxini, quod in Decocto vel alio modo non cedit ligno Guajaco; cujus efficaciam vid. in AGRICOLÆ *Chirurgia parva*: Imò lignum buxi ex Italia transferendum, præstat longè exoticis lignis: dotatum est visu-dori-

odoriferâ, & specialiter anodynâ; unde & oleum eius odontalgiam sistere solet: Non secus egregii usus est Lignum corylinum, & præstat omnibus his exoticis. Porrò laudatur tantoperè herba Thee ob vim stomachicam, nephriticam & cephalicam; loco tamen eius nobis convenientior est & sufficere potest rosmarinus, folia nempè huius, vel, quod Chinenses *testantibus Ephemerid. Gallorum* facere solent, folia salviæ similiter præparata.

(5.) *Suspecta sunt exotica, quia nostratia sunt nobis convenientiora*: siquidem notum est, quod pro ratione soli & climatum varient plantæ quod apparet exinde, quia nobis Septentrionalibus scorbuto affectis copiosè procrescit cochlearia, quæ tamen in Italia aliisque locis nullo culturæ artificio progerminare solet: Videantur plura apud AMMELUNGIUM *in Apologia pro Chymia cap. 2.*

Non tamen penitus AUTOR *pag.* 34. reiicit exotica, sed fugillare quadantenus videtur D. SIMONEM Pauli, hostem exoticorum infensissimum, hujusque *Commentarium de abusu Thee*; unde laudat inter Purgantia v. g. Jalappium, rhabarbarum, aloen, ceu quibus Esulina, & Tithymalina minus respondent, cùm minus temperata hæc sint: Sic eligit quoque ex aromatis cinnamomum pro vi cordiali seu analeptica, & corticem febrifugum Peruvianum pro quartanis fugandis.

Vernaculorum, ibid.) In Vernaculis varia consideranda & rectè: in Praxi enim selectiore observatur, quod inter vernacula tot symbolizantia inveniantur, cum tamen ex omnibus his pauca quædam sufficere queant: Sic inter mille carminantia vel sola chamomilla, vel cortices aurantiorum, vel semen anisi, vel castoreum usurpari potest: Atque inter Emollientia vel solum lac, vel ficus in aqua coctæ, & loco cataplasmatis impositæ; non secus ac inter vulneraria externè hypericum, internè verò hedera terrestris excellit.

Exoletum, ibidem.) Viribus tamen non destitutum dat radix ari cruda, quæ sale volatili acriore prædita est, & inter stomachica non ultimum locum obtinet: Sic & semen sinapi ob sal suum volatile egregium est: & acorus adulterinus quoque est inusitatus, cuius succus tamen cum saccharo in Syrupum redactus liquorem dat adstrictorium & polychrestum.

Inefficacia p. 35.) Talia sunt in usu, v. g. stinci marini in Venere stimulanda, quorum vis nulla; non secus radix eryngii pro eodem usu, & cichorii condita pro intemperatura viscerum, ut & ungula alcis ad epilepsiam; sed frustra: lepores Juniores mense Martio capti pro lithontriptico à SCHROEDERO commendantur, sed vanè: hirundines ad epilepsiam, sed frustrà: talus leporis ad colicam sistendam, & partum promovendum; sed frustrà & sine efficacia laudantur: imò nidus hirundinum ad anginam, cùm tamen stercus nitrosum saltem vires speratas obtineat.

Abominabilia) Talia sunt Syrupi veterum compositi, ad quorum aspectum labium tremit.

Specifica) Sic perlæ laudantur pro confortativo ex nulla ratione, cùm lapilli cancrorum idem præstent: Mater perlarum ad abortum pro roborando fœtu esse dicitur, ideò, quod perlas generet; uerùm frustrà, & illi substitui possunt lapilli cancrorum, & similia testacea, sed non ejusdem naturæ: Pari ratione cranium humanum, ceu specificum ad epilepsiam & affectus arthriticos extollitur, cùm tamen aliorum quoque animalium ossa, vi absorbendi acidum pariter arthritidi medeantur: Sic prostant in Officinis tot salia fixa, cardui benedicti, absynthii, &c. quæ tamen omnia sunt ejusdem naturæ: idem esto judicium de salibus volatilibus animalium.

Minutiæ) Talia sunt, quando v. g. plura usurpantur simplicia eiusdem naturæ, puta omnes piperum species, quarum tamen una sufficere potest, item omnes petroselini species, ex quibus tamen vulgaris excellit: Sic sufficit abrotanum unum, &c. gallina mediocris pro gallo decrepito, nec non ex gummatibus gummi ammoniacum.

Lota) Quomodo lotio, nutritio, &c. in genere fiat, vid. *Dispensat.* HORSTII. Cæterùm si lotio fit sordium superficialium ablatio, laudanda venit; contrà si concretum sæpius lavetur, lotio est nociva & frustranea. Sic Saturnus ustus, æs ustum, ossa calcinata, cerussa, &c. frustrà lavantur, quippe hâc ratione nihil aufertur de iis, sed ignis alterationem introductam non potest aqua eluere. Porrò nociva est lotio, quando aloe lavatur; quippe ita demitur vis eius laxativa in aqua solubilis. nec terram sigillatam lavandam iubeam, cum ea sale quodam concentrato seu nitroso imbuta sit, & sic castretur, & terra mortua remaneat; cùm dictum sal & vires cum liquore solvantur & decantentur.

Nutrita) Sunt frustranea: exindè enim nihil habetur, quàm quòd mucilaginosa quadam agglutinatione superficietenus incrustentur. Ita quidem nutritur aloe rosata & violata, qualis tamen nullam prærogativam præ aloe simplici habet: Sic *Sarcocolla nutritio* cum lacte est *frustranea*, cùm cruda vi glutinandi & incrassandi satisfaciat expectationi. Pariter *unguentum nutritum* Chirurgis dictum fit, quando lithargyrium teritur cum triplo aceti, & quintuplo olei, successivè affundendo; cùm tamen compendiosiùs procedatur, si folutioni Saturni usti in aceto factæ addatur oleum rapæ, & terantur invicem in mortario paulatim.

Usta) Animalium partes ustæ, ut cornua & ungula, sunt cadavera mortua omni sale & oleo destituta; adeoque sufficit unicum horum, nempè cornu Cerui ustum, pro mille talibus.

Macerata) Maceratio etiam subinde frustranea est, & liquor abiiciendus melior remanentia; unde radices 5. aperientes, coriandrum & cuminum præparata pro speciebus diacumini nullius usus sunt.

Ostracoderma p. 36.) Denotant Latinè testacea, qualia sunt conchylia, omnia testacea marina, ut cochleæ, ostreæ, cancri fluviatiles, horum lapilli, item Entali, dentali &c. Sic spectant huc lapilli percarum, carpionum, item testæ, putamina ovorum, tàm gallinarum quàm struthionum: quibus annumerantur corallia. Hæc omnia denotantur ab AUTORE *nostro* voce Ostracodermatis, eaque AUTOR præfert omnibus Magisteriis vulgaribus, & rectè quidem. Cæterùm inter allegata omnia sufficere possunt lapilli cancrorum, & corallia rubra, quæ & usitatissima sunt pro absorbendo acido primarum viarum, idque per vias urinarias abducendo. Equidem omnes animalium duræ partes absorbent acidum; interim marina præter hoc saporem urinosum acquirunt, atque ita evadunt insigniter diuretica, & sic simul & acidorum correctiva, & per diuresin evacuantia. Jam verò notum est, quod morbi hypochondriaci & chronici, ut plurimum qui obstructionibus dedicantur, oriantur ab acido vitrioso cruditatibus enato; unde pro eodem auferendo ostracodermata prostant, quæ acidum destruunt, & vi diureticâ per urinam evacuant. Contrà cornua animalium absorbent quoque id, sed tardiùs & non evadunt diuretica, idque ideò, quia in se continent copiosam gelatinam, quemadmodum in cornu Cervi videre est, impedientem, quò minùs id rodere queat acidum peccans. Aliàs Marina, ut lapilli cancrorum, vino Rhenano seu aceto infusi, sub sui solutione ebullitionem concitant, & postmodum quoque saporem urinosum contrahunt, hincque in sanguine congrumato prosunt: Sic aliquando experimentum feci cum concha majore in Plissa reperta (ex quibus potest fieri febrifugum) quam infundebam in spiritum salis acidissimum, qui tamen magna copia parum illius potuit arrodere, utut saporem instar urinæ acquireret; atque dicto modo fiunt *liquores* illi *nephritici* dicti ex lapide lyncis, calculo humano, lapide percarum, & quæ solvuntur in spiritu salis, vel simplici vel composito, hinc solutio abstrahitur, & sal liquatur in loco frigido: interim ex dicto liquore sufficere potest solutio concharum vel ostrearum in spiritu salis facta. Cæterùm ratio, quod ostracoderma invertendo acidum, mutent saporem, & fiant diuretica, est, quia illorum crustæ, dum calcinantur, relinquunt caput mortuum instar calcis vivæ (cum contrà animales partes instar cretæ post calcinationem se habeant) cui, si affunditur aqua, ebullit; acria nempè sunt in his marinis salia acida, & præprimis urinosa. Vocantur autem illa ab AUTORE *præcipitantia*, quia effervescentias in primis viis suâ miscelâ sistunt, absorbendo acidum, unde cessat effervescentia: pari ratione, atque cerevisiæ acescenti, si additur creta, testæ ovorum, &c. Ita ab hujus præcipitationis similitudine denominatur illa, utut rectiùs ab AUTORE nostro vocentur *Invertentia*: Nam invertunt acidum vel in insipidum, vel in urinosum. Aliàs & dicuntur *febrifuga*, ob vim absorbendi acida & ad vias urinarias deducendi. Hæc ergo marina vel pulverisata saltem sufficiunt, vel lævigata super porphyrite, qua ratione quidem aliquantulum de lapide iisdem accedit: Interim verò à mollioribus corporibus parum deteritur.

Læuigationes pag. 37.) Hæ cum aquis destillatis factæ sunt prodigæ, quia post exsiccari solent, adeoque aquæ illius oleosum avolat: vel affusâ aquâ agitatur liquor & lacteus redditur, per filtrum transcolatur, hinc demùm crassior pars remanens teri & elutriari potest: A quibusdam ejusmodi marina quoque calcinari solent, ad quem modum conficiunt quoque *specificum Antifebrile Strobelbergeri & Crollii*: verùm ista calcinationes sunt superficiariæ, nec necessariæ. Præterea terræ quoque lævigantur sæpè & abluuntur: verùm labor is nocivus est, sicut & insuccatio earum cum Decocto cornu Cervi, vel irroratio cum succo appropriato frustranea est in Mixturis; quia in Praxi commodè succi addi possunt: hac enim ratione invifcantur, & in efficacia sua impediuntur: Nam cum Terræ illæ in corpore texturam aluminis acquirere debeant, hinc ex dicta insuccatione invertuntur: ideo ergo crudæ & puræ saltem in usum vocentur terræ.

Gemmæ pag. 38.) Rectè hæ ab AUTORE rejiciuntur, & quidem in illis duo consideranda veniunt:

1. Corpus earum.
2. Corpori superveniens tinctura.

Quoad *corpus*: sunt eæ Crystallus, quæ prout variat ratione duritiei, & multiplicitate fluores metallici imbuta est, eatenus acquirit diversa gemmarum nomina. Jam ergo cum crystallus sit omnium Gemmarum mollissima, sola ea inter omnes gemmas sufficiet pro usu Practico: & usus quidem eiusdem est temperare quodvis acidum acrius, ratione cujus & *corrigens* audit *bilis æruginosæ*: adeoque in atrocibus infantum torminibus proficua est, non secus ac in pavoribus eorum nocturnis per consensum abdominis enatis. Reliquæ verò gemmæ, cum longè sint duriores,

riores, quàm ut alterationem in corpore nostro pati queant, hinc eàdem ferè, quâ ingeruntur, egrediuntur formâ: quinimò nisi exactè pulverisentur, metus est, ne ad instar pulveris adamantis, teste ZACUTO LUSITANO, vel pulverisati vitri, intestina rodendo & excoriando, ad cruenta & dolorosa pathemata abdominis dispónant. Et ut ut iuxta BORRICHII mentem *pag.* 322. *Hermet. Ægypt. Sapient.* minutissima gemmarum tritura aliquid commodi promittat, ea tamen non sola sufficit.

Quoad colorem verò & tincturam gemmarum: originaliter is est à quodam metallo, seu, ut VELSCHIUS dicit, à fluore quodam metallico, qui ad corpus crystalli adhuc fluidum impingens gemmam coloratam dat, adque hæc tinctura gemmarum de sulphure metallorum participans tam pauca est, ut vix mereatur nomen, & ℔j. gemmarum vix ʒß. tincturæ solaris contineat. Insuper fluor hic metallicus tam arctè combinatus est gemmis, ut non, nisi sublimiore Mechanicâ separari queat; Ut itaque species, pulveres & tincturæ gemmarum ex Praxi selectiore præscribi debeant: Conferatur interim *de tincturis gemmarum* BORRICHIUS *l. c. pag.* 322. qui eandem per *Helmontii Alcahest*, *acetum* nempè *radicatum*, paratam ex PARACELSO allegat. Interim ad hanc pertingere Phyllida paucis datur; hinc eius defectu exulant omnia remedia ex gemmis. Cæterùm de externo gemmarum usu: *an amuleti instar se habeant?* nihil de eo experti iudicium suspendimus. Adeoque AUTOR reiicit tincturam gemmarum, respiciendo tincturam Smaragdi, paratam ex Smaragdo, in mortario ferreo vel eneo contundendo, & per spiritû salis ammoniaci extrahendo viridiusculam, quia color viridis, quem deducût à Smaragdo, est ab æneo vel mortario ferreo. Deinde & reiicit eas gemmas non tantum ob sui in ventriculo insolubilitatem, quia, nisi calcinatę priùs fuerint, vix à fortissimo Menstruo solvi queunt, & quia parabiliora longè prostant, quæ vid. in AVTORE, v. g. simplicia, corallia, conchæ, terra sigillata, cervina, martialia, opiata &c.

Faculæ p. 44.) Harum præparationem videb. in ZWELFFERI *Animadversion. pag.* 446. & in *Appendice pag.* 64. item *apud* ANGELVM SALAM *de Essentiis vegetabilium*. Scilicet dantur radices quædam, quarum succus farinam quandam absconditam gerant; quales sunt radix ari, serpentariæ, bryoniæ, iridis nostratis, pœoniæ &c. Harum succus exprimitur, qui euaporatione factâ relinquit pulverem candidum, fæculam dictum, quæ sanè est fæculentum remedium, cùm, quicquid virium habuerit succus, eæ omnes in fæculis euaporatione euanuerint: ac quidem radix ari sale volatili acerrimo prædita, hinc stomachica & scorbutica, integra filo in loco umbroso suspensa & exsiccata parum retinebit virium; Unde colligi potest, si hoc facit integra radix, quid sperandum sit de eius fæcula. Rectè ergo à ZWELFFERO fæculæ rejiciuntur, & miramur AUTOREM *nostrum* docere, non in uniuersum omnes esse effœtas & abiiciendas; cùm ex integra ℔j. fæculæ non tantum, quantum efficaciæ ex ʒj. radicis cuiusdam crudæ sperari queat; adeoque vel alia, vel pulveres radicis, vel succi eorundem, commodiùs longè fæculis substituuntur.

Magisteria) Quid sint? vid. in ROLFINCII *Chym. ubi de Magisteriis*. Hodie denotant formam remedii sicci oris, nempè pulverem, factum per concreti solutionem, & soluti præcipitationem; atque talia Magisteria ex simplicibus omnium regnorum parari solent. Cæterùm Vegetabilium Magisteria iam consideranda. Quoad præparandi modum, sunt in duplici differentia: vel enim ea ex resinosis, vel ex non resinosis fiunt. *Ex resinosis* quidem, v. g. ex radice jalappæ, turpethi, scammonio, item ex aromatibus, cum spiritu vini; qui affusus tingitur à resina imbibita, hincque Tinctura illa affusâ aquâ simplici lactescit, & dimittit pulverem colligibilem in vasis fundo, *Magisterium Vegetabilium* dicendum. Hac ratione *ex ligno Guaiaci*, *ex caryophyllis*, *cinnamomo seu canella*, per spiritum vini Tinctura elicitur, & cum aqua simplici resinæ inde pręcipitari solent: Conf. ROLFINCII *Chymia pag.* 329. & 330. Ratio fiendi hæc est: Nempè spiritus vini imbibit dictas resinas (quę sunt olea destillata concentrata, quod probatur: dum enim guajacum, Sassafras, juniperus, &c. destillantur, suggerunt spiritum acidum & oleum empyreumaticum: quod si ramenta horum lignorum ante destillationem extrahantur, tunc destillata dant quidem Spiritum acidû, non verò oleum, ratio est quia materia olei jam à Spiritu vini est extracta) quæ confusæ cum aqua non sunt sociabiles, sed dimittuntur ad fundum vasis sub *Magisterii nomine*. *Altera classis Magisteriorum* venit è *Vegetabilibus non resinosis*, ut petroselino, nasturtio, granis chermes, senna, rhabarbaro: Nempè infunduntur hęc in lixivio salis tartari, vel lixivio cinerum clavellatorum: hinc lixivium filtratur, & præcipitatur beneficio solutionis aluminis in aqua simplici factæ, sicque cadit magisterium dictum. Modum talia præparandi Magisteria invenit MYNSICHTIVS; sicut posteà eundem descripsit quoque ROLFINCIVS *pag.* 319. 320. *in Chymia*, & ex simili ratione ZWELFFERVS *Magisterium ex granis chermes* ita parat, testante eiusdem *Pharmacopœa Reg. pag.* 119. Cæterùm ex his omnibus, resinarum purgantium vegetabilium Magisteria, quale est Jalapa, laudem merentur: reliqua autem ex Vegetabilibus non resinosis nil valent; parum enim virtutis concreti retinetur: Cui accedit, quod ea terræ aluminosæ non sint expertia; Nam aluminis concretum constat ex Spiritu sulphuris acido, rodente terram mineralem quasi cretaceam. Quando ergo solutioni vegetabilium per lixivium, instillatur solutio aluminis, alcali lixivii agit in acidum aluminis, hoc demittit ex se terram, quæ hìc unà in Magisteriis præcipitatur, adeoque eiusmodi Magisteria semper de terra aluminis participant, & ita adulterata sunt.

Pag. 45.) Porrò circa præparationem Magisteriorum ex vegetabilibus resinosis, cautelam monet AVTOR; nempè Vegetabilia cum spiritu vini simpliciter rectificato, non verò sale vel oleo tartari acuato, esse extrahenda: ubi quæritur quare? quia solus spiritus vini nihil assumit de sale tartari, quippe hoc aqueum quid poscit; hinc quicquid imbibit de spiritu vini, est præprimis phlegma: Unde quando spiritus vini sale tartari acuatur, non adeò benè resinæ (phlegma enim seu aqua non extrahit resinas) extrahuntur. Quoad modum usurpandi resinosorum Magisteriorum vegetabilium, is est duplex: nempè in sicca vel in humida forma. In sicca quidem, quando junguntur aliis salibus. Etenim cùm sint viscosa, adhærendo intestinis, facilè hypercatharses excitant, unde optimè eadem socientur cremori tartari, aut tartaro uitriolato: v. g.

℞. *Tartari uitriolati* gr. vi. ad xii.
Resinę Jalappæ aut *Mag. scammon.* gr. vj. vel xii.
M. Dent. prò dosi:

Vel concinniùs exhibentur in forma Boli:

℞. *Conserv. rosar.* ℈j.
Resin. scammon. aut *jalappæ*, aut *turpethi* ℈ß.
Tartari vitriolati gr. vj.
M. pro *bolo* unius doseos.

Quod si verò in forma liquida usurpari debeant Magisteria hæc, tunc juxta AVTORIS monitum ea dilatanda sunt, hoc est, diluenda, & fluxibilia vel resolubilia & penetrantiora reddenda. Modus hic est: Propinantur nempè cum *vitello ovi*, vel cum alio subjecto oleoso, semine melonum, vel cum spiritu vini dissoluta ad ℈ß. uti si cum vitello ovi exhibeantur, adjectâ pauxillâ aquâ rosarum, duplo plus, quàm aliàs resinæ solę in antiqua sua forma, faciliùs operantur; unde si cum semine melonum oleoso, quod oleum dissolvit, combinare quis gestiat:

℞iat. *Sem. melon.* ʒj.
Resin. Jalappę vel *scammon.* ℈ß.
Cum f. q. aquæ menthæ fiat *Emulsio* leniter purgans:
Vel
℞. *Resin. scammon.* vel *Jalapp.* ℈ß.
Uitell. ovi q. f.
Cum *aqua rosarum* vel *cinnam.* fiat *Emulsio*.

Est gratissima & purgat valdè: Sic in ardente Spiritu ferè duplo plus operantur. Præterea huc spectant omnes Essentiæ purgantes, quibus tamen omnibus præstat *Essentia Jalappæ*, extracta beneficio spiritus vini, additis Corticibus aurantiorum vel citri: ita prodit Essentia Jalappæ suavissima & egregii usus, sine ulla molestia operans; cùm præsertim adjunctorum corticum vis aromatica intestinorum pathemata arcere soleat: confer. BARTHOLINVS *Cent.* 3. *Epistol.* 36.

Quoad tamen aromatum Magisteria: iis carere possumus, ex eo, quod olea eorum destillata vel spiritus quoque meliora sint; sic enim gutta una vel iij. olei destillati caryophyllorum præstat ʒj. Magisterii eorum cum spiritu vini extractorum, & per aquam simplicem præcipitatorum. Adeò ergo nulla Vegetabilium Magisteria, nisi purgantium quorundam, in Praxi selectiore locum inveniunt.

Ad animatorum marinorumque Magisteria AVTOR pergit *pag.* 46. quæ triplici modo præparari solent: nempè solvuntur v. g. lapilli cancrorum, corallia, cornu Cervi, vel similium animalium ossa in aceto vel alio spiritu acido, vitrioli, salis, aluminis, &c. hęc solutio præcipitatur cum sale tartari. Etenim univesale axioma Chymicum est: *Omnis solutio facta per acida præcipitatur per alcalia*; *ut sal tartari*, *nitrum fixatum*, *sal Ciner. clavellatorum*, & contrà. Factâ ergo tali modo præcipitatione, pulvis cadens edulcoratus dicitur Magisterium.

Secundus modus est, quando Magisteria animalium butyracea fiunt: de quibus conferatur ROLFINCIVS *pag.* 348. *Chym.* E. g. hæ dictæ animalium partes solvuntur in spiritu uitrioli Philosophico, remanente per abstractionem à præcipitatione butyri antimonii, vel & in spiritu salis communis, hincque præcipitantur cum spiritu uitrioli probè rectificato, ita cadit pulvis, qui edulcoratus cum aqua dat Magisterium candidum, facilè resolubile in aqua simplici.

Tertius modus est ZWELFFERI, & optimus in Magisteriis marinorum, parantis Magisteria perlarum & Corallorum per spiritum *æruginis*, ex crystallis æruginis cum aceto factis prodeuntem: nempè solvit is subiecta animalia in dicto spiritu, & postmodum abstrahit acorem proprium; ita quippè parum huius solutis adhæret: tunc ulteriùs aquâ edulcoranda sunt: vid. ZWELFFERVS *pag.* 449. *Animadvers. & Append. pag.* 66.

Cæterùm *Magisteria primi modi* cum sale tartari pręcipitata nil valent; calces enim sunt inertes, corrosæ ab acido, & concentratę per alcali: sic namque emergit terra mortua insolubilis, & quę assumpta eâdem facie excernitur. Hoc probamus exinde: Nam Magisteria hęc

hæc suis simplicibus sunt ponderosiora, adeoque ita insolubilia, ut neque aqua fortis, neque aqua regia, denuò ea solvere possit; unde assumpta dealbant saltem stomachi parietes. Equidem dicit AUTOR *noster*: Magisteria hæc per oleum tartari præcipitata, licet non quidem ab acidis, in urinosis tamen spiritibus quadantenus esse solubilia: interim, dum dicit quadantenus, dubitat adhuc de facto; nos contra putamus, eadem nullo modo esse solubilia, sed potius calces inertes vocandas esse. *Secundæ verò classis Magisteria* per solutionem cum acido, præcipitationem cum spiritu uitrioli, utut non adeo sint intractabilia, v. g. quale est Magisterium perlarum, epilepticum, cordiale, nephriticum; & longè tamen ea à viribus simplicium suorum recedunt, & dum saturantur ab acidis extra corpus, non alterantur intra corpus assumpta. Equidem dicis: elici posse ex his Magisteriis per acida præcipitatis salia volatilia, commiscendo ea cum ana alcali fixi; ita namque sal volatile emergit, dum alcali absorbet acidum, quo absorpto sal volatile fit sui juris: interim hoc non procedit in corpore humano, in quo nullum alcali adeò fixum reperibile est. Porrò cum leviora sint ejusmodi Magisteria quoad pondus, adeoque in majori copia pro dosi una propinari debeant; proinde & hujus intuitu aliâ succedanea iisdem poterunt præferri. Ceterùm sunt, qui varia menstrua pro hisce Magisteriis conficiendis ex sale marino, adjecto bolo & alumine, destillant: sed & hæc minus quadrant, cùm talia magisteria vim suam invertendi amittant, per quæcunque salia acida solvantur: pariter in Magisteriis plumosis uitriolatis, emergit sapor ingratè stypticus, licet edulcorentur; non secus ac Magisteriis cum spiritu æruginis, vel simplici vel sulphurato, h.e. ex ærugine & sulphure parato, confectis, remanet post abstractionem menstrui sapor semivenereus: etenim dum solvuntur concreta ab acido, destruitur eorum sal volatile, ac quoque omni vi medicamentosa spoliantur penitus. Ut itaque Magisteria hæc animalium planè exulare debeant ex officinis, & potiùs, si volumus habere luxum, magisteria perlarum & coralliorum cum succo citri parata eligi, quippè succus rodit, non verò corrodit, simplicia, neque vim invertendi saturat: vel parentur Misturæ ex aqua appropriata & aceto, quibus addantur vel corallia, vel mater perlarum, vel lapilli cancrorum: sanè hæ misturæ plus præstant, quàm cara illa magisteria.

Mineralium & Metallorum Magisteria, pag. 48.) Sunt multiplicia pro multiplicitate ipsorum Concretorum, & solutione, itemque præcipitatione sua. Talia sunt quælibet Bezoardica mineralia, aurum fulminans, lac sulphuris, Magisterium saturni, cosmeticum ex bismutho, mercurius cum alcali præcipitatus, croci, & similia. In his AUTOR *noster* perstringit tantam & inutilem variationem, cum pauca eorum sufficiant, & omne punctum feriant; superflua verò eorundem est multitudo: scilicet variationes occurrunt in mille modis illa præparandi: Sic *auri fulminantis* conficiendi modum docet SCHROEDERUS, solvendo aurum in aqua regia, & cum sale tartari præcipitando, ita cadit aurum fulminans. Ejusdem auri fulminantis centum aliæ prostant præparationes, quæ tamen unicè in croco auri producendo conspirant. Hæ verò variationes rectè ab AUTORE taxantur, & optimus est auri fulminantis præparandi modus, quãdo aurũ in aqua regia solutum præcipitatur cum spiritu salis ammoniaci; (hic namque exactè ferit sulphur auri, illud que etiam magis extravertit; sicut & in sulphura metallica potentiùs agit:) pulvis hic non adeò, præsertim rigorosè, fit edulcoratus, & nõ inegregius est in morbis infantum. Aliàs & solvitur aurum per salia in aqua simplici soluta, de quo vid. ZWELFFERUS *in Mantissa spagyrica*, hincque solutio hæc per sal gemmæ vel sal commune parata præcipitatur per sal tartari; item rediguntur salia in spiritum, hincque solutum per alcali præcipitatur: Omnes præparationes in unum recedunt. Par ratio est cum sale mirabili GLAUBERI, in quo solvitur aurum, & solutum præcipitatur cum mercurio vivo. Ex omnibus hisce præparationibus unica sufficit. Sic & in præparatione magisterii & sulphuris antimonii occurrunt mille modi: ita ex mercurio præcipitato & antimonio crudo conficitur butyrum, quod præcipitatum cum aqua dat *Magisterium*, *mercurius vitæ* dictum, *album*; vel loco aquæ communis præcipitatum cum urina humana dat *Magisterium flavum*, interdum *rubrum*: alii recipiunt regulum antimonii martialem, cum mercurio sublimato destillant butyrum, quod præcipitant cum aqua simplici: alii antimonium crudum solvunt in spiritu salis, hinc destillant butyrum, cui infusa aqua communis prodit Magisterium, quod est Mercurius vitæ: Sic alium adhuc modum SCHROEDERVS *no. x.* item *no. xij.* ex floribus antimonii habet: verùm emergit semper idem mercurius vitæ, adeoque ergo ex his mille præparationibus sufficiunt decem. Pari ratione multi dantur modi *sulphura epileptica* ex antimonio præparandi: verùm, sive scoriæ reguli antimonii præcipitentur per acetum, sive solutio earundem fiat in lixivio tartari, & præcipitetur cum aceto, sive antimonium solvatur in lixivio, & præcipitetur per acetum, seu alio modo procedatur, sanè idem sulphur antimonii catharticum prodit. Sic & huc facit antimonium illud *purgans per inferiora* pro arcano mihi ab amico commmunicatum: v.g.

℞. *Antimonii*,
Tartari,
Nitri an. part. æqual.

Detona in crucibulo, factâ detonatione separa regulum: scorias has solve in *aqua communi*, & præcipita cum *aqua calida*, *in qua cremor tartari solutus est*. Solutio hæc præcipitat sulphur antimonii, quod est antimonium purgans per inferiora. Dosis esto granum j. pro infante.

Verùm & hoc est sulphur auratum antimonii, sive cum aceto, sive cum cremore tartari præcipitatum fit.

Origo autem harum variationum est, quod superiores processuum Scriptores non habuerint cognitam naturam simplicium, & modum eorum agendi unius in alterum; quem si scivissent, aliter sensissent: Unde rectè AUTOR exclamat: *pauca sufficere*.

Salia fixa Vegetabilium.) Salia Vegetabilium sunt in triplici differentia: Nempè vel fixa, vel volatilia, vel mediæ naturæ: Nempè concreta saliformia vel salia essentialia dicta. Respectu fixorum AUTOR eorum luxum perstringit, loco 30. duo sufficere docens. Horum productionis modus est artificialis per ignem; unde non præexistunt ea in concreto, sed fiunt demum sub calcinatione, in qua ab igne sulphur Vegetabilium, in occulto semper acido existens, colliquescit, hinc eidem liquefacto occurrit sal volatile in omnibus vegetabilibus copiosum; itemque sub hac colliquescentia simul aliquid terreæ substantiæ arripitur: adeòque ex his tribus novum concretum, nempè sal fixum, emergit, quod ipsum corpus instar calcis vivæ est, cum in hac præsto sit maior substantiæ terreæ abundantia.

Donec natura ignis clarius detegatur.) Sanè ignis natura nõ est ampliùs ignota, cum sit motus concitatissimus & velocissimus particularum sulphurearum, ita etiam, ut materia ignis sit sulphur, vel substantia pinguis in recessu acida: forma verò est motus velocissimus substantiæ pinguis: efficiens est sal aeris nitrosum solvens pinguia: quæ solutio si fit, concitatior ignis adest: sicut flamma est ignis, cui multum aeris est interspersum. Conferatur MAJOW *de* spiritu nitri aereo, & HOOCKIUS *in Micrographia*, qui habet egregia de scintillis ex silice prolectis per microscopium observata. His præsuppositis quæritur: *An salia fixa Vegetabilium differant inter se, ita, ut coincidant cum suorum simplicium inter se differentibus viribus*, & v. g. absinthii habeat vim stomachicam, cardui benedicti sudoriferam, & sal fraxini habeat vim diureticam, fumariæ antiscorbuticam, plantaginis adstrictoriam? Resp. in salibus his communiter præparatis per intensiorem calcinationem, nullam esse essentialem differentiam, sed quoad vires coincidere, utut in accidentalibus proprietatibus differant, demonstrante hoc TACHENIO uitriolum & mercurium sublimatum in aqua simplici soluta diversimodè per diversa alcalia præcipitari; non secus ac WELSCHIVS *in Hecatost.* annotat, sal fixum centaurii in noris igni injectum crepitare instar nitri; item se habere salia fixa vegetabilium instar pulveris pyrii strepitum excitare, ac BOYLE sal fixum nicotianæ nitriforme esse scribit; cum tamen aliàs alcalia figuram cubicam habeant. Sub ista autem communi præparatione, ubi vis seminalis destruitur, omnia salia fixa conveniunt cum suis virtutibus medicamentosis: Unde tria illorum, nempè absynthii, cardui benedicti, & fumariæ, Pharmaciæ selectiori satisfacient, reliquis spretis.

Atquidem usus horum universalis est, quo

1. Potentissimè absorbeant quæcunque acida.
2. Vi saponariâ instar lixivii viscidas mucagines & sordes in ventriculo primisque viis coacervatas resolvant.
3. Evadant in corpore salsa; quia acidum absorbent, & sic nunc diuretica, nunc sudorifera pro ambientis ratione: si corpus contegatur, sudorem concitant; sin minus, urinam.
4. Omnia alcalia fixa in cura intermittentium febrium & morborum chronicorum polychresta sunt:

Equidem virtutem horum specificorum OLAUS BORRICHIUS *Hermet. pag.* 349. indicare vult: sed hoc non sperandum de salibus vulgò præparatis, sed paulò accuratiùs præparentur ad modum TACHENII *in Clave*, quæ & spem palingenesias vegetabilium promittunt. Salia hoc modo præparata virtutem medicamentosam non inertem relinquunt, & virtutibus specialibus differunt: Nam ubi pingue acidum non penitus destruitur, aliquid de virtute seminali retinet, & sic ex iis Vegetabilia resuscitari possunt. Cæterùm loco horum salium fixorum communi modo præparatorum, sufficere etiam potest nitrum per pulverem carbonum in alcali fixatum: nam & hoc eiusdem cum illis naturæ est: aut in promptu etiam esse potest sal aliquod fixum catholicum, ex aliquot simplicibus calcinatis prolectum.

Fusiones, pag. 50) Salia fixa hæc Vegetabilium à Pharmacopœis purificari solent dupliciter: nempè vel solvendo ea in aqua simplici sæpiùs, & denuò euaporando, usque fiat candidum; vel repetitis fusionibus in crucibulo, & hinc solutionibus itidem in aqua. Verùm iteratæ fusiones nil valent; quia, quò sæpius fun-

funduntur, toties vis seminalis (si quæ residua adhuc est) prorsus perit.

Liquabilitatem.) Dicta salia facilè liquescunt in aere; unde pro hac liquatione impedienda quidam sunt Autores, qui sub calcinatione inspergunt pulverem sulphuris; sic acquirunt sal minus liquabile: Verùm hoc sulphur inspersum sub deflagratione Spiritum suum acidum eructat, adeoque hinc emergit tertium salsum, non alcali, particulas aeris aqueas non ampliùs imbibens. Alii salia vegetabilia cum pulvere sulphuris miscendo denuò fundunt, de quo vid. *Basilica Chymica* CROLLII *Edit. Hartmanniana*: Verùm & hac ratione salia alcalia destruuntur, & sal salsum emergit. Unde quoque eiusmodi salia nec diuretica nec diaphoretica ampliùs sunt; Imò si solutioni salis ammoniaci adduntur, omnis reactio evanescit, adeoque etiam sal volatile urinosum non dimittitur.

Per sensibiliora additamenta;) Hæc salia fixa quibusdam videntur nimis generalia, unde illa acidorum additione, ut spiritu nitri, aquâ forti, quæ tutò adhiberi possunt, specificare solent; sicque in corpora saliformia seu salia tertia transmutare, adeò, ut & TACHENIUS dicat: perfectum nitrum hinc resuscitari posse, ex spiritu nitri nempè & nitro fixo. Interim aliqualis adhuc intercedit differentia inter verum nitrum & regeneratum eiusmodi: cùm nitrum verum in aqua solutum in vasis stanneis post evaporationem nullam iisdem affricat maculam; secus atque à nitro regenerato conspicitur, ubi macula solet remanere, & quidem nigra: Ratio diversi huius phenomeni est, quod in regenerato nitro adhuc aliquid terræ lateat, alcali adherescens, hincq; maculâ nigrâ relinquens; in nitro autem vulgari nullum est sal fixum, vel terra cum eodem coagulabilis.

Oxysalis, pag. 51.) ANGELUS SALA *in præparatione Essentiarum* OXYSAL *diaphoreticum* ex sale cardui benedicti & aceto destillato habet: verùm huius loco terra foliata tartari, vel eius liquor in frigido loco ex illa resolutus, sufficit.

Saturatio.) Saturari & à quibusdam alcalia fixa solent cum spiritu salis: sed ita simpliciter sal commune, aut idem ac sal antihypochondriacum accipitur; quod in destillatione spiritus salis ammoniaci & salis tartari, ubi alcali tartari agit in acidum salis ammoniaci, relinquitur.

Alcalia cum spiritu vitrioli.) Alcalia fixa cum spiritu nitri in salsum tertium, quale est tartarus vitriolatus, abeunt; loco cuius & *nitrum vitriolatum* sufficere potest iuxta LUDOVICI *Tract. de volatilitate salis tartari pag.* 72. ex solutione *vitrioli* in *aqua communi* facta, & cum *nitro verè* fixo præcipitata, factum, coagulando hinc liquorem filtratum in crystallos, quæ dant *arcanum duplicatum*, eiusdem usus atq; *tartarus vitriolatus juxta Tachenium* ex solo *vitriolo martis* cum *sale tartari* paratus & præcipitatus. Tandem loco huius nitri vitriolati commendat AUTOR & *pag.* 52. mixturam extemporaneam alterantem ex sale absinthii, spiritu vitrioli, & aqua destillata, quæ ipsa est *Mixtura febrifuga Crollii & Hartmanni*, ubi agit *de Febre tertiana* reperienda; sicut eius quoque usus prostat in RIVERII *Observ.* Nempè

℞. *Aquæ Cichor.* ℥i. ad ℥iii,
Sal. absynth ℈i. ad ʒß.
Spiritus vitrioli gutt. vi. ad x,

Hæc mixta duas horas ante paroxysmum propinant, & sanè non contemnenda est hæc Mixtura.

Essentialia salia, pag. 52.) Hæc non sunt propriè dicta salia, sed saltem concreta saliniformia, & parantur ex Decoctis & succis Vegetabilium depuratis & nonnihil inspissatis; sic enim in loco frigido concrescunt hæc in sal: confer. ZWELFFERUS. Horum *parandi modum* proposuit primus ANGELUS SALA *in Tartalogia*; sicut post eum ROLFINCIUS *in Chymia*. Cæterum hæc *salia essentialia vegetabilium*, quæ nonnullis volatilia, ad differentiam scilicet alcalisatorum, dicuntur, sunt vel *propriè* vel *impropriè sic dicta*: *Propriè dicta* sunt iterum vel *nitrosa*, vel *tartarea*: *Impropriè dicta* sunt saltem sedimenta impura & bolaria: parantur talia ex lupulo, carduo benedicto, salvia, &c. Unde his missis *propriè dicta salia essentialia* considerabimus, quæ ipsa, ut dixi, sunt *vel tartarea*, saporem acidum habentia, ex Vegetabilibus sapore acido præditis, uti est tartarus vini, succus acetosæ, & acetosellæ, item tamarindorum Decoctum; quæ omnia post blandam inspissationem coeunt in corpora eiusmodi saliniformia: *vel essentialia* nitrosa, qualia præparantur ex succis & Decoctis Vegetabilium amarorum, & amarore penetrante præditorum, ut absynthio, centaurio minore, &c. Hæc salia, si ex amaris ritè parata sint, & cum proprio alcali combinentur, fit inde *nitrum perfectum inflammabile*, instar nitri mineralis; quod mirandum sanè. Porrò inter hæc *mediæ* quasi *naturæ sunt salia Essentialia* dulci sapore prædita, uti est saccharum, itemque ex musto nonnihil inspissato concrescens, non secus ac ex passularum succo expresso proveniens. Jam ergo salia essentialia nitriformia & tartariformia non sunt adeò in Praxi selectione necessaria; quippè loco nitrosorum vi detersivâ & sudoriferâ insignium, alia longè parabiliora prostant: tartarea verò nullam prærogativam habent præ tartaro communi; hinc & loco horum cremor tartari sufficere potest. *Impropriè* autem *dicta salia Essentialia* nil valent, sed, quia fæces sunt, aut parum aut nihil de vi medicata obtinent, nec aliquid bezoardicum inde sperandum.

Volatilia Vegetabilium salia, pag. 53.) Notum est, quod salia volatilia ex animalibus promptissimè & simplici destillatione parentur: jam verò, cum & vegetabilia turgeant salibus volatilibus, mirum est, quod illa non tam promptè, quàm quidem animalia, suggerant hæc. Cæterùm ratio difficultatis huius, quod nempè difficiliùs Vegetabilium salia acquirantur, consistit in eo, quod in animalibus adsit parum vel nullum acidum ligans sal volatile, sed hæc vel moderato adhibito igne spontè avolant; contra omnia Vegetabilia habent acidum plus minus manifestum seu occultatum, quod, dum incipiunt fermentari, se prodit sociatum semper sulphuri seu pinguedini plus minus abundanti: hoc ergo acidum pingue in vegetabilibus quasi ligat & figit eorum sal volatile.

Quæritur autem, qua ratione salia vegetabilium volatilia sint parabilia? Resp. Fundamentum præparationis consistit in eo, ut destruatur acidum illud plus minus pingue, sicque liberatum sal volatile sui iuris fiat, & blando igne comparabile est. Hoc fit triplici modo;

1. *Per putrefactionem*: nam dum putrescunt Vegetabilia, sub ipso actu sal volatile abit in sulphur seu pingue concreti in recessu semper acidum, quod ipsum destruit, hoc destructo fit illud sui iuris, sicque emergit sal volatile perfectè urinosum. Et hic modus est Wedelii.
2. *Per Combustionem* seu calcinationem: quia ipsa destruitur (nempè mediante igne) sulphuris textura, hincque salia volatilia libera fiunt, & cum parte sulphuris, ab igne intacti, avolant in fuliginem concrescentia; quæ fuligo destillata dat copiosum sal Volatile simile animalium sali volatili, quæ est saltem ex vegetabili sub combustione fumi formâ elevatum.
3. *Tertius modus* procedit *ex oleis Vegetabilium destillatis*, quæ nihil aliud sunt, quàm salia volatilia concentrata à pinguedine in occulto acido: nam inesse oleis omnibus acidum, probatur ex eo, quod ea cum alcalibus fixis combinata, invicem coagulentur in corpus saponiforme; quia alcali assumpsit acidum: unde ex oleis destillatis fiunt salia volatilia, quando illis additur sal fixum, quod, intercedente blandâ digestione, imbibit eorum acidum, adeoque dissolvitur oleum seu pingue: quo dissoluto sal volatile in oleo contentum fit sui iuris, potestque inde destillari. Atque hac ratione HELMONTIUS ex oleo destillato cinnamomi sal volatile destillat: sicut itidem WEDELIUS ex oleo destillato terebinthinæ acquisivit; & ex oleo destillato tartari HOFFMANNUS *in Clave Pharmac.* qui processus est verus.

Jam quæritur; An salia vegetabilium sint distincta? An verò eiusdem naturæ & efficaciæ, ita, ut iuxta HELMONTIUM sal volatile sanguinis humani epilepsiæ, sal volatile cochleariæ scorbuto, & sal volatile absynthii stomacho conveniat? Resp. Quæ componuntur per putrefactionem, vel etiam calcinationem, omnia sunt eiusdem naturæ, neque pro usu Medico differunt; cùm per putrefactionem, pariter ac ignis vim, destructa fit textura vegetabilium seminalis, & sulphur concreti dissolutum, adeoque salia omnia uniformia emergunt: è contrà quæ ex oleis destillatis prodeunt salia volatilia, adhuc inter se differentiam aliqualem habent, & aliquantulum de sulphure concreti participant; interim & horum loco olea eorum destillata simplicium commodiùs usurpari poterunt, ceu in quibus crasis seminalis est concentrata. Hinc observavi, sal volatile ex putrefacta mentha à sale volatili absynthii & chelidonii maioris per putrefactionem parato, non fuisse distinctum.

Liquidos spiritus.) Spiritus vel meliùs salia volatilia vegetabilium in forma salini spiritus asservantur, cum ita non adeò facilè evanescant & promptiùs dispensari queant: ut taceam eadem in forma sicca asservata facilè liquescere pro natura alcalium omnium. Dicis: atque ea possunt coerceri fixatione, nempè per spiritum salis vel vitrioli? Ast quid inde aliud emergit, quàm sal commune ammoniacum? adeoque eiusdem cum hoc homogeneæ, detergentis puta & deobstruentis efficaciæ; Unde in aqua liquida spirituosa possunt asservari. Cæterùm monuimus, per putrefactionem & calcinationem facta salia volatilia vegetabilium esse eiusdem naturæ: ut verò crasin aliquam seminalem adhuc obtineant, alio modo præparanda sunt; nempè non penitus putrescant vegetabilia, sed sub medio putredinis sine motu, igne forti, destillentur; sic enim spiritus & sal volatile de oleo de participans, & crasin adhuc quandam obtinens, prodit, utut minus spiritus hac ratione acquiratur: V. g.

℞. *Absynthium*:

Quod leviter exsiccatum reponatur ad putredinem inchoantem; qua præsente exsiccetur iterum, & hinc in retorta terrea forti igne destilletur; sic sal volatile & spiritus urinosus prodit, odorem absynthii, vim & crasin referens simplicis.

Ad

Ad hunc modum præparat DOMINUS ZITTMANNUS. Conferatur etiam GLAUBERI *Preßoffen.*

Præterea in semine sinapi singulare quid latere videtur, quandoquidem mistum illud cum calce viva, & destillatum, exhibet spiritum urinosum, saporem & odorem adeoq; & crasin sinapi referentem. Huc spectat, quod tentavi, spiritus piperitidis hortensis, saporis acerrimi; quæ viridis, vel solitariè vel cum spiritu vini, per arenam destillata dat spiritum adeò acrem, ut tota vis simplicis in eo latere videatur: atque hoc unicum ferè simplex novi, quod sal volatile tam promptè dimittat. Interim liquor hic, utut sit acerrimus, nullam solutionem per acida factam, neque ipsam solutionem Saturni cum aceto factam, quæ aliàs facilè à quocunque alio sale volatili alteratur, præcipitat, quod mirum.

Volatilia regni animalis salia.) Hæc facilè parantur; & rectè notat AUTOR, quod specificas virtutes Vulcanus præcidat vel alteret. Nam quæcunque salia volatilia, sive sanguinis humani, sive cranii ejusdem, sive sanguinis bubuli, revera sunt ejusdem naturæ & coincidunt, cum ab igne crasis specifica alteretur & pervertatur; unde unum, nempè spiritus aut sal volat. cornu Cervi vel urinæ, sufficiat pro contractiore Pharmacopœa & selectiore Praxi. Et hæc quidem salia volatilia asserventur potiùs in liquida, quàm solida forma: sublimata nempè ea & rectificata solvuntur in proprio spiritu, filtratione ab omni oleo separato, ita ad ʒß. vel ʒj. optimè poterunt propinari. Cæterùm additio spiritus vini, quam habet AVTOR, est frustranea, & sufficit proprius spiritus ab oleo separatus. Salia hæc volatilia animalium polychresta sunt, & non sæpius sublimentur ea; nam quò magis sublimantur, eò magis separata vi specifica (si quæ superest adhuc) castrantur. Equidem fœtent salia hæc, dum de oleo adhuc participant; interim fœtor hic non est contemnendus, quippè qui sudoriferarum, alexipharmacarum, & detersivarum virium est. Fixationes autem horum volatilium ex animalibus nihil valent; cum ea non sint figenda neque per spiritus salis, ut fecit ZWELFFERVS, neque vitrioli; secus enim inde emergit concretum instar salis ammoniaci, & præ hoc nullam prærogativam obtinens. Equidem possunt salia volatilia per acidos spiritus fixata, additione salis tartari, absorbentis acidum figentis, resuscitari, dum hac ratione sal volatile iterum prodit, qualem modum *le* FEBVRE suppeditat: ast labor hic inanis est, cum taliter non differant planè à spiritus salis ammoniaci; loco igitur talis salis resuscitati sal vol. salis ammoniaci in usum vocetur. Alii tandem figunt dicta salia animalium per acetum minerale, aut etiam acetum commune, verùm sic æquè castrantur. Alii spiritu æruginis figere ea tentant, sed par ratio subest; adeò ergo potiùs in forma nativa asservari debent. *Optimus* autem *rectificandi modus* est, ut salia volat. post primam destillationem, cum spiritu vini probè rectificato per aliquot dies & noctes digerantur; sic oleum fœtidum adhærens à spiritu vini dissolvitur & extrahitur, postmodum cum novo spiritu ex phiola altiore blando calore sublimetur, & ascendit sal volatile candidissimum, remanente in fundo spiritu vini particulis oleosis imprægnato.

Fixa animatorum salia.) Hic occurrunt parci proventus: hinc quidam neganr, ea elici inde posse; ast malè: Interim commodiùs ex liquidis animalium partibus, v. g. sanguine bubulo, quàm ex durioribus istis, ut cornu Cervi, eliciuntur; ex quibus paucissimum, & tantillum salis fixi acquirere licet: ratio est, quia in animalibus parum acidi invenitur, à quo tamen intercedente pingui aliàs emergit sal fixum. Cæterû cùm hæc salia fixa non observata sint singularis fuisse effectus, propterea ex Praxi selectiori eadem exclusa volumus.

Marinorum ac Mineralium quorundam cremores calciformes p. 55.) Monuimus supra, quod Ostracodermata post calcinationem abeunt in perfectam calcem, ex qua per decoctionem cremor calciformis colligi potest: par ratio est cum crystallo, ex qua calcinatione cremor elicitur: verùm hic cremor præ calcis vivæ cremore nullam prærogativam obtinet; unde in hoc cum AUTORE *nostro* quiescamus. Usus ejus est magis externus, utut & internè pro ulcerationibus partium internarum, phthisi &c. ordinari à nonnullis soleat. Porrò & aliæ dantur solutiones, Salium nomine venientes, quando nempè corallia, perlę, lapilli concrorum, &c. solvuntur in aceto, & post aliqualem menstrui abstractionem crystallisantur; quæ crystalli salia dicuntur: sed & hæ nullius sunt pretii, quin potius laudem merentur extemporaneæ istæ misturæ ex SYLVIO cognitæ ex his subjectis cum aceto & aqua appropriata; quarum intuitu illis carere possumus in Praxi selectiore. Tandem habet AUTOR *noster* hæc verba: *Solutiones marinorum & Ostracodermorum cum aceto destillato factas*: quibus ipsis insultare videtur ZWELFFERO, eas *in append. animadu.* contemnenti, ideò quod essent noxiæ & corrosivæ; verùm benè simul respondent, quod dictus ZWELFFERVS & solutiones cum spiritu viridis æris factas & à se commendatas, noxias pronunciare debuisset.

Elæosacchara p. 56.) Elæosacchara sunt olea destillata cum s. q. sacchari mista, ut in forma solida ita dispensari queant, & proportio amborum est hæc:

> ℞. *Sacchari pulv.* ℈j.
> *Olei destillati aromat.* gtt. ij. vel iij.
> M. exactè.

Hic quidem obstat, quò minus olea destillata horum simplicium adhibere queamus, cum præsertim Elæosacchara pondus & molem augeant reliquis remediis addenda; sicut contra in forma liquida, si propinanda sint, dissoluto à liquore sacchario, oleum iterum supernatat.

Specierum & pulverum officinalium.) Horum ingens numerus (*composit. vid. in* ZWELFFERO) & commista sunt pretiosa vilissimis, adstrictoria & durabiliora fatiscentibus: sed cui bono? cum omnes ferè coincidant, constantes ex seminibus carminativis, additis aromatibus, e. g. Zinzibere, caryophyllis, mace, cinnamomo, galanga, & similibus, nisi quod in una alterave horum pulverum specie aliqualis sit differentia, unde potius consultum foret, ut specierum harum 8. vel 10. sine saccharo tamen & pinguium additione, asserventur, pro praxi concinniore: vel misceantur, quod melius est, aromata legitima compositione, cum sale ammoniaco, vel arcano duplicato Mynsichtii; ita enim mille usibus sufficere possunt: e. g.

> ℞. *Rad. ari in umbra siccatæ & pulverisf.* ℥iv.
> *Arcani duplicati Mynf.* ℥ii.
> *Salis absynthii* ℥i.
> *Rad. calami aromat.* ʒiii.
> *Cinnam.*
> *Caryophyll.* an. ʒii.
> *Mac.*
> *Piper. longi*,
> *Zingib.*
> *Cubeb.*
> *Cardam.*
> *Zedoar.* an. ʒiß.

M. f. *pulvis*, qui 20., imò 30. vel 40. speciebus vulgaribus æquipollet, & sufficit; ubi loco salis absynthii, aut arcani dupl., sal ammoniacum recipi poterit.

Rotularum ac Tabularum pag. 58) Hæc ut plurimum palato saltem inserviunt; Unde ex omnibus illis AUTOR quasdam saltem, nempè arteriacas, pro faucium & pectoris affectu à lympha acri, ut tussi sicca, quò varietur formula, eligit, reliquas removendo, ideò, quia saccharum, quo copiosè ea condiri solent, ut plurimum nocivum est, & corrumpitur in stomacho: Adeò ergò nobis sufficere possunt species diatragacanthæ frigidæ, vel diaireos, quibus iij. vel jv. partes flor. sulphuris addantur, & cum saccharo in rotulas successivè deglutiendas cogantur. Vel ℞. simpliciter species diaireos usitatę, quibus cum saccharo in rotulas redactis aspergantur aliquot guttæ olei destillat. anisi aut citri.

Purgantibus.) Quibusdam in locis rotulæ & morsuli purgantes, delicatis ex speciebus cum resina scammonii mistis paratæ, in usu esse solent: Verùm hæc reiicere videtur drasticorum inæqualis mistio, quà uni rotulæ plus, quàm alii, de purgante accedit.

Anthelminticas.) Morsuli anthelmintici parantur ex semine cinæ contra lumbricos: Sic prostant & rotulæ ex Mercurio dulci & saccharo, pro eodem scopo exturbandi vermes. Interim in talibus cautela opus est: Nam (1.) Mercurialia sunt nocentissima gingivis, (2.) facilè eadem salivationem excitant, cum & per cosmetica ex Mercurio dentes fuerint nigri redditi. Inde, qui ad salivationem sunt dispositi, vel excoriationes in lingua habent, vitent Morsulorum usum cum Mercurio dulci paratorum; secus enim salivatio dolorosa eos vexabit: quin potius exhibeatur pro scopo eiiciendi vermes Mercurius dulcis cum pauco saccharo mistus in cochleari ligneo (in metallico enim Mercurius facilè adhæret) vel etiam in forma boli aut Conservæ pro infante, ita:

> ℞. *Conserv flor. persic.* ℈ß.
> *Mercurio dulcif.* gr. iij. vel iv. ad ℈ß. pro ætatis ratione

(nam infantes ablactati non melius cum euphoria purgans inveniunt) M. f. *bolus* pro una dosi deglutiendus.

Vel loco tabellarum

> ℞. *Mercurium vivum*:

Qui terendo in mortario vitreo subigatur cum saccharo, donec pulvis gryseus emergat: de quo ℈j. ad ʒß. propinari poterit.

Atque hac ratione omnibus morsulis anthelminticis carere possumus.

Aromaticæ.) Loco harum saccharum liquefactum & in iustam consistentiam redactum, addendo aliquot guttas olei destillati aromatum, quodcunque lubet, esse potest; redacta hinc invicem in morsulos vel rotulas: ita hæc tantum præstant, quantum aromata in substantia exhibita.

Confectiones communes pag. 59.) Omnes hæ prostant quidem pro bellariis, non autem pro medicamentis. Cæterum epiphonema AUTORIS *nostri* est notatu dignum.

Hecticis.) Scil. veteres hecticis amygdalata & pineata porrigebant, quando fauces siti affligebantur: interim dicta remedia hoc incommodi habent, ut muco viscido stomachum per se debilem onerent, appetitumque prosternant, rancorem contrahendo: quod & præstant emulsiones, quæ hecticis porriguntur. Ideoque rectiùs ad culinas relegentur.

Tragee grosse p. 69.) *Tragee grosse*, Germ. *Pfaffenfutter*, sunt species grosso modo contusæ & ex aromaticis paratæ, dosi cochlea- Dd 2 ris,

ris ; ab omni pastu usurpandæ. Fiunt ex seminibus carminativis & aromatibus. Usus harū dicitur esse promovere digestionem primam in ægris stomacho frigido, h. e. cruditate eius acida, & hinc natis flatulentiis laborantibus. Verùm variæ sunt istæ trageæ, & parum vel nihil commodi habent: quandoquidem necesse est, ut vigor stomachi vim eorundem medicamentorum eliciat. Unde rectiùs SYLVIUS loco talium salia volatilia oleosa propinat in potu, quale & ipse in omni pastu solitus fuit assumere; exempl gr. ℞. gutt. 30. vel 40. spiritus salis ammoniaci anisati vel caryophyllati vel cinnamomisati; qualis in fine pastus assumptus tantum præstabit, quantum integra scatula trageæ grossæ.

Moscardina.) Moscardina sunt trochisci cum ambra aut moscho parati, pro refocillatione capitis & spirituum animalium ac fœtore halitus inservientes, quorum compositionem vid. in SCHROEDERO *pag.* 703. Cæterùm loco horum res longè succinctiùs absolvi potest, si fortè topicum oris malum, adeoque halitus fœtidus palliandus sit: nempè formari potest globulus ex tragacantha, inungendus cum oleo aliquo destillato suaveolenti, aut cum vel sine moscho subacto.

Saponis.) Huius loco longè elegantior est Essentia Benzoes cum spiritu vini parata, de qua infundatur nonnihil in parum aquæ rosarum vel cinnamomi; ita lactescit, hinc abluatur eadem facies vel manus, præter nitorem egregium odorem relatura.

Poma ambræ.) His ipsis longè præstantiora sunt & efficaciora ex oleis destillatis aromaticis parata balsama.

Trochiscorum pag. 61.) In his nihil habetur, quàm nova textura: Nempè pulveres cum mucilagine tragacanthæ in novam trochiscorum consistentiam incrustantur, qui labor vanus est. Interim AUTOR excipit trochiscos sublinguales in peste iis proficuos, qui cum ægris talibus conversari necesse habent. Sublinguales hi trochisci aut, ceu ex anima, ex camphora, aut quibus hæc ingratior videtur, ex myrrha, tanquam ex primario ingrediente, componuntur; v. g. soluta in aceto myrrha incrustatur cum s. q. sacchari & mucilagine tragacanthi, hincque ex hac mixtura formentur trochisci sublinguales pro usu præservandi in conversatione cum ægris, peste afflictis: vel imprægnetur saccharum cum succo citri acido; vel denique teratur saccharum cum corticibus citri vel aurantiorum tenuissimè incisis, sic illud sub tritura horum oleum imbibit: dehinc

℞. *Sacch. huius* ℥j.
adde
Myrrhæ ʒj.
Camph. ℈j.

Cum *mucilag. tragacanth.* formentur *pastilli*, qui irrorentur cum
Olei destillat. succ. gutt. x.
Citri gutt. vii.
Angel.
Zedoar. an. gutt. vi.

Pilularum massæ.) Harum mirabiles compositiones, prostant, numerum centesimum excedentes, crudis purgantibus parata, ac quoque in modernorum, puta ZWELFFERI *Pharmacop. Reg.* inveniendæ: Ex omnibus autem his duo vel tres sufficiant pro mille hominibus purgandis. Origo autem huius multiplicationis in compositionibus fuit, quod veteres supposuerint tot varios succos in corpore varia remedia purgantia requirentes, quibus addiderunt sua corrigentia: imò, quia humores nunc peccarent in capite, ut in apoplexia; nunc in pedibus, ut in podagra; nunc in pectore, ut asthmate & tussi; hinc addenda autumarunt specifica corrigentia, quorum beneficio veheretur purgans ad noxium humorem in parte. Ast in genere & sine selectu operantur purgantia, promiscuè colliquefaciendo, & noxium & utilem humorem evacuando; unde paucæ massæ sufficiant. Quod autem attinet *correctionem veneni purgantis*: ex non fit per addita aromatica; quin potiùs ita præparanda sunt purgantia, ut per se mitiora fiut: quod optimè fit per sal tartari & fermentationem cum succo quodam vegetabili, ad instar opii instituendam *modo* LANGELLOTTI. *Directio* tandem *purgantium* est planè frustranea; potiùs si ea fuerint debilia, non penetrabunt ultra primas vias; sin verò fortia, & totam Massam sanguineam irritent, etiam in remotis corporis locis colliquationem humorum inducent, sine ullis dirigentibus additis. Adeò ergo duæ pilularum compositiones sufficere poterunt: nempè ex antiquis massa pilularum de hiera cum agarico, ex modernis verò Extractum Panchymagogum Crollii. Hæ duæ generales compositiones specificari & acui possunt diversis cum stimulis, v. g. cum stimulo scammoneo, ut & eius resina, aut pro viscido humore expurgando cum Extracto trochisc. albandal, aut denique pro seroso cum resina Jalappæ. Quinimò certis in casibus mercurius dulcis addi potest, & in quibus acidum viscidum peccat, gummi ammoniacum, ut in hypochondriacis & scorbuticis: Sic e. g.

℞. *Massæ pilular. de hiera cum agar.* vel *Extr. panchym. Croll.* gr. xv.
Gummi ammoniaci in aceto soluti ℈ß.
Extr. trochisc. alband. gr. j. vel ii.
Cum s. q. *Ess. martis* F. *pilulæ*.

Sic ponamus lue Venereâ correptum, ubi

℞. *Extr. panchym. Crollii*,
Mercurii dulc. an. gr. xv.
Resinæ Jalappæ gr. ij.
Cum s. q. *olei destillat. terebinth. pro dilatanda resina*, f. *pilulæ*.

Laxativis pag. 63.) Veteres pilulas laxativas usurparunt sine stimulorum additione, adeoque no. 50. vel 60. ad pisorum magnitudinem accedentes, & ʒß. pendentes: verùm moderni consultiùs stimulos illis addunt. Cæterum loco laxativarum pilularum paucæ sufficiunt: Scilicet aloeticæ, Glassianæ, de quibus HOFFMANNUS *in Clave Pharmaceut.* harum unam vel alteram ante cœnam assumendo: vel etiam pilulæ de gummi ammoniaco Quercetani, vid. SCHROEDERUS, quæ à gr. xij. ad xv. vel ℈j. vespertino tempore deglutitæ, suaviter laxabunt: Vel, cui volupe est singularem compositionem obtinere, is imitetur TILEMANNUM, qui *pilulas aperientes sibi dictas* loco usualium præscripsit: v. g.

℞. *Aloes succotr. lucid.* ℥j.
Gummi ammon. in aceto scyll. soluti ℥ß.
Tartari vitriolati ʒiij.
Cum q. s. *tincturæ martis* fiant *pilulæ minores*:

Quarum num. ix. vel x. xii. ad xxii. hora una ante cœnam in cursu morborum chronicorum sumendæ, & fomitem successivè extrahunt.

Alterantes.) *Pilulæ Alterantes* interdum etiam requiruntur, quando nempè patientes sunt delicatuli, & remedia ingratioris saporis respuunt. Cæterum hæ ex tempore possunt præparari, nec opus est, eas mox habere in procinctu: Sic si desiderentur pilulæ sudori feræ, tunc

℞. *Extracti Cardui ben.* ℈i.
Theriacal. gr. v.
Cum s. q. *olei succini* fiant pilulæ.

Quarum effectus egregius, unà cum suavi somno.

Si martiales exoptentur pilulæ:

℞. *Extract. belleb. nigr.*
Vitriol. martis ritè prap. an. ℈ß.
Extract. trochisc. alb. gr. i.
Cum s. q. *syp. de pomis* fiant pilulæ.

Sin tandem hystericæ sint ordinandæ:

℞. *Extract. Castor.* ℈ß.
Asæ fœtid. gr. iv.
Sal. volat. succin. gr. v.
Laudan opiat. gr. i.
Cum s. q. *olei destillat. chamomill.* f. *pilulæ hystericæ*.

Electuaria.) Horum seriem vid. *in Dispensat. Veterum*. Cæteroquin Electuaria purgantia sub forma bolorum ab ℥ß. ad ℥i. porrigebant, quæ tamen apud nos exulare iubemus, & vix, nisi in clysteribus, eadem usurpamus. Contra inter alexipharmaca Electuaria pro Praxi contractiori commendo solam theriacam & electuarium diascordii Fracastorii, à SILVIO *lib.* 1. *Prax. cap. ult.* correctum, imò & theriacam diatessaron, cui tamen opium addendum suadeo. Tria hæc instar omnium pro alterantibus & alexipharmacis sufficiunt. Electuaria verò stomachica, pectoralia, &c. ex tempore meliùs fiunt, nempè ex conservis, tanquam corpore; quibus addantur pulveres & extracta pro lubitu: v. g. fit *Electuarium stomachale*:

℞. *Conserv. rosar. rubr.* ℥ii.
Menth. ℥i.
Rad. zingib. in Ind. condit. ʒvi.
Acori veri condit. ʒiii.
Spec. diatr. piper. vel *diamosch* ʒiii. ad ʒß.
Cum. s. q. *Syrupi flor. tunicę*, fiat *Electuarium stomachicum*.

Interim loco horum, tincturæ, & Essentiæ stomach. & alexipharm. sufficere possunt, & commodiores sunt.

Looch pag. 63.) *Looch* Arabibus, Græcis *Ecclegma*, Latinis *Linctus* audit, & ad affectus faucium & pectoris vulgò commendatur: Verùm faucibus eadem; pectori verò & asperæ arteriæ parum medentur, quippe ad quæ loca illorum per rimulam laryngis nullus est, sine tussis & doloris exasperatione, accessus; adeoque saltem pro faucium affectibus duplici scopo præscribi solent: Scilicet *primò* ut fauces lubricitent, & in iisdem aut phlogosin & inflammationem incipientem, vel conceptam excoriationem à lympha acri in affectibus catarrhalibus oriundam, aut denique dolorem harum partium, temperent & blandè corrigant: pro quo tamen scopo pauca looch sufficiunt, nempè ea, quæ fiunt ex papavere, quæ incrassare vulgò dicuntur; quibus si addantur passulæ vel liquiritia, res etiam proficua videbitur. Hinc sumendus erit Syrupus diacodion Montani, qui gratissimus, & looch passularum à SCHROEDERO *pag.* 178 *lib.* 2. descriptum, vel misceatur Syrupus scabiosæ cum syrupo diacodion: hique duo cum baculo liquiritiæ lambendo successivè deglutiantur. *Secundus scopus* verò looch præscriptorum est, ut interdum lympha mucilaginosa & viscidior in isthmo faucium hærens detergatur & abstergatur, hincque eius reiectio per sputum promoveatur; pro quo tamen scopo unum alte-

alterumve iterum sufficit, nempè looch de squilla, vel ex gummi ammoniaco ad imitat. RIVERII *Centur.* 3. *Observ.* 21. ita præscripti:

℞. *Gumm. ammoniaci in vino* vel *spiritu vini soluti* ℈iv.
Oxymel. squillit. ℥i.
Syrup. de marrub. vel *belen.* q. s. pro reductione in *loch consistentiam*.
M. D. S.
Succus pro aliquot vicibus.

Addi pro lubitu potest aqua hyssopi ℥iij. vel iv. ad imitationem Brunnemanni mixta, item sperm. ceti ʒß. vel ultra:

℞. *Pulv. rad. ari exsicc.* ʒiii.
Extract. belen. ʒi.
Syrup. de marrub. q. s. pro reduct. in consist. Loch.

Adeò ergo rectè dicit AUTOR, nos neque in sano, neque in ægro indigere loch, cùm ex tempore linctus tales parari possint.

Conservæ pag. 64.) Parantur hæ mulierculis ex simplicium & horum florum foliis incisis, & cum saccharo contusis. Cæterùm cum huiusmodi conservæ nulli alii usui inserviant, quàm ut sint vehicula aliorum remediorum, propterea tantus eorundem cumulus non erit necessarius, sed pauca & pro usu aliquæ sufficient: sic v. g. ex omnium simplicium conservis, rosarum rubrarum, florum tunicæ, borraginis, buglossæ, anthos, hederæ terrestris asserventur, quæ reliquis omnibus abundè æquipollent.

Condita.) *Condita*, ut radices cichorii conditæ, lactucæ, eryngii radix condita, &c. effœta sunt; quia eorundem vis medicamentosa sub sui ebullitione maximam partem euanuerit, adeoque revera effœta sunt: quod si autem propriam muriam iis velimus superaddere, ingratum hinc emerget remedium amaricans; adeò, ut Condita omnia ex Praxi penitus relegari queant. *Par ratio est de Confectis*: In aqua radices ebullitæ & emollitæ saccharo obducuntur & asservantur.

Syruporum, Rob, Mivarum, mellium medicatorum pag. 65.) De his moneo: Formulas eorum saccharo infectas originem duxisse è *Schola* GALENI, nec in *Scriptis* HIPPOCRATIS contenti Decoctis & pulverisatis, tales reperibiles esse; dehinc ex *Schola* GALENI ad Arabes & Mauritanos derivasse, à quibus in immensum auctæ omnes veterum Compositiones saccharatæ prodierunt. Sicut ab his ad Europæos pervenerunt eædem, ita à *Renodæo*, QUERCETANO & RONDELETIO iterum ingens earum copia accessit, adeò ut hinc tandem eò usque excreverit moles Compositionum Galenicarum, ut ferè nesciamus, quam eligamus. Cæterum in specie huc *Syrupi* pertinent, eam in gratiam inventi, ut partim Decocta & succi Vegetabilium meliùs conservari, partim specioso sacchari titulo gustui consuli queat. Interim, quot hominum sunt hodie, qui ferre nequeunt dulcia saccharata? ut hypochondriaci, scorbutici, & cachectici, & qui morbis ex cruditate acida laborant, horrent mellita ceu flatulenta; non secus ac mulieribus saccharata nocent, ut plurimum passionem hystericam hinc incurrentibus. Similiter in febribus ardentibus, tàm acutis & malignis, quàm intermittentibus, ceu fermentescibilia nociva sunt. Et innuit HENRICUS *ab* HEER, ex hac causa febricitantes divites præ pauperibus citiùs interire: Imò rejicit Panarollus Syrupos saccharatos in morbis acutis consuetos, ceu peregrinum saporem contrahentes, & in febricitantibus ad putrilaginem tendentes. Insuper cùm ex Chymia hodie longè concinniora habeamus, proin Syrupi pro scopo aliqualis saltem mixturarum edulcorationis, & prætereà non, usurpantur, adeoque pauci eorum sufficiunt, e. g. Syrupus de succo acetosæ, de corticibus aurantiorum, rubo Idæo, de citro toto Sennerti, cydoniorum, flor. tunicæ, nicotianæ & violarum: Hi satisfaciunt abundè. Cæteroquin Decocta & succi longè melius in Pharmacia correcta asservari possunt, si nempè sulphuris Gas impręgnentur; & hinc pro usu competenti cum saccharo misceantur. Aliàs & pro scopo laxandi infantes esse potest Syrupus de spina cervina, seu domesticus, & syrupus rosarum solutivus. Similiter ex mellibus & oxymellibus loco omnium prostare potest Oxymel simplex & squilliticum. Quod si autem propter saporis gratiam indigeamus Syrupis, tunc facilè erit Extracto & tincturâ imprægnare ex tempore saccharum. Interim paucos excipit succos AUTOR *noster*, qui propter sui coloris facilè deperditionem in syruporum consistentiam redigi debent: eius generis sunt succus violarum & florum tunicæ, qui sub sui inspissatione colorem perdunt, & turpes redduntur; sicut & ipse succus fragorum & rubi idęi sub redactione in Extractum fermentari incipiunt: Unde hi cum saccharo condiantur in Syrupos: contra reliqui succi non debent syrupisari.

Extracta pag. 66.) In Extractis consideratur crasis medicamentosa & concreti simplex, seu separata à reliqua substantia corporis concreti, quà antea, tanquam nucleus à reliquo corpore ceu cortice, involuta erat; sic e. g. si *cinnamomum* destillatur, *Oleum* eius in se continet crasin totius concreti, adeò, ut separato hoc oleo, Cortex omni medicamentosâ virtute sit exhaustus: similiter, quando ex eodem cinnamomo cum spiritu vini elicitur ista Resina, quæ aliàs sub destillatione sub forma olei prodit, tunc spiritus vini hinc rubicundus factus tinctura vocatur: quod si per spiritus vini aliqualem abstractionem ad consistentiam melliformem inspissetur, vocatur *Extractum*: imò, si eiusmodi Tincturæ & Essentiæ ex concretis plurimis simul eliciantur, nominari solent *Elixyr*.

Jam verò in Extractis his ritè parandis duo consideranda:

1. *Substantia extrahenda.*
2. *Medium extractionis.*

Substantia extrahenda est vis concreti medicamentosa, seu crasis tota pariter & nativa, h. e. quæ nullam à Menstruo vel etiam ab igne alterationem passa sit. *Medium* autem extractionis seu separationis, cuius beneficio crasis subiecti elicitur, aliàs vocatur *Menstruum*, cuius etymon natura est ex Philosophia sublimiore: scilicet Veteres sub elaboratione Elixyris Magni seu alkahest duo subiecta & operationes habuerunt, inter quæ *agens fuit sulphur* quoddam *solare*, & *patiens liquor mercurialis*, qui solvit sulphur illud; ita, ut liquor hinc fixatus in Elixyr transeat. Jam verò sulphur istud solare nomine maris, liquorem verò solventem mercurialem nomine fœminæ denominarunt, cujus hæc fuit ratio: Nempè dixerunt, quod quemadmodum in generatione animali requireretur congressus maris & fœminæ, ita quoque hoc in negotio sulphur masculinum cum semine fœminino esse conjungendum; & sicut mas suum semen conferret, ita fœmina suum menstruum, quod hìc esset liquor ille mercurialis, adeoque ex hac analogia liquorem illum mercurialem vocarunt menstruum, cujus usus est, ut solvat, & color inde nascatur, *caput corvi* dictus; atque sic factum, ut vox illa menstrui ad omnia solventia fuerit adaptara per abusum: Conf. BECHERUS *in Oedypo Chym. pag.* 132. Cęterum in menstruo maximum latet negotium extractionis, cum illud esse debeat appropriatum crasi extrahendæ, secus enim fallit negotium, h. e. particulis suis minimis subintrare debet menstruum particulas concreti, easdem penetrando; hinc crasin medicamentorum separare, ac in poros suos recipere; adeò ergo requiritur, ut menstruum sit simile rei extrahendæ: sic enim, quia vis Jalappæ consistit in substantia oleosa seu resinosa, propterea pro hac extrahenda requiritur spiritus vini, qui similiter est oleum resolutum: contra cum aqua res non procedit, cum hæc sit inepta, nec possit penetrare corpora oleosa; atque par est ratio in omnibus solutionibus. Jam porrò similitudo illa mutua consistit proximè in particularum menstrui & solvendi convenientia, ita, ut se invicem potuerint liquefacere: sicut remotè in densitate texturæ materialis, quæ intercedit menstruum, & rem extrahendam; etenim & similes particulas & particularum similem actionem probat hoc, quod oleum per spiritum vini, sulphur optimè per olea, contra mucilagines per aquosa, solvantur. Insuper contingit, ut unum subiectum pro diversitate particularum diversa requirat menstrua; sic enim lignum sassafras & Guaiacum duplicia menstrua poscit pro duplicitate suæ substantię, resinosa nempè spiritum vini, gummosa verò Decoctum cum aqua simplici; cùm ambæ hæ substantiæ sint distinctæ naturæ: Similem locum etiam invenit in colocynthide, de qua conf. ZWELFFERUS *Ph. Reg. p.* 75. Præterea in menstruis consideranda est debita quantitas, quæ sufficiat extractioni, & qualitas, quę debeat extrahere: quibus adde, ut menstruum debito modo ab Extracto separetur. Vegetabilium Extracta sunt mucilaginosa, sive gummea sive resinosa, quorum illa aqueo, hæc spirituoso eliciuntur menstruo: Animalium verò non dantur propriè dictę essentiæ, sed saltem gelatinę cum aqua extrahende, suntque hæ instar essentiarum ex animalibus. Decoquuntur nempè in aqua, & reponuntur ad congelascendum. Tandem in mineralibus, cum se ut plurimum gratiâ coloris commendent, propterea tincturæ nomine hæc venire solent. Vegetabilium Extracta pauca sufficiunt: nempè ex omnibus Extractum absynthii, centaurii minoris, cardui benedicti, lignorum, &c. Vel instar omnium Extractum ex quibusdam compositum; quibus annumerandum & Extractum opii, vel laudanum opiatum, ac tandem extractum quoddam compositum purgans. Cæterum considerandum probè est, ne extracta sub menstrui abstractione substantiâ subtiliore nimis priventur; ideoque non benè volatilia extrahi possunt, quæ potiùs sub tincturæ seu Essentiæ titulo retineri debent, præsertim si in liquida forma ea dispensare animus sit: hinc pro Extractis sint subjecta fixiora. Porrò Extractis his addendum est saccharum, si ea scopo arteriaco inservire debeant; sine tamen saccharo etiam reponi possunt, si loco spiritus vini simplicis spiritus vini tartarisatus vel tinctura tartari sumatur, quâ ipsâ Essentiæ resinosæ elici debet: sic nempè commodè in forma liquida dispensari & omnibus admisceri poterunt, quod sine salis tartari commercio aliàs fieri nequit: Porrò contingit interdũ, ut compositis Extractis commisceantur quędam, quę tamen Extractis nihil communicant: Tale est *Extractũ chalybis Schrœderi*, ubi limatura martis cum spiritu vini extrahitur; cũ tamen si, vel tonna integra spiritus vini per annum chalybi infusa permittatur, nihil hęc illi communicatura sit. Par ratio valet, quando perlarũ, corallorum, &c. Magisteria pro extractione adduntur Elixyriis. Sic in Extractis purgantibus miscentur etiam Purgantia simplicium, quę diversa requirunt menstrua. Pertinet huc Extractum theriacale, in quo spiritus vini, propter ingredientium nimiam copiam, ne dimidiam quidem partem extrahit.

Repetitis pag. 67.) Vanus labor est, quando Essentiæ multoties cohobantur: Hinc Autor consultum putat, unâ vice q. s. menstrui rei extrahendæ affundere; unde erratum hac in parte videb. ZWELFERI *in Pharm. Reg.*, ubi pro Essentia Castorei paranda toties hîc affundendum jubet menstruum, cum tamen negotium in instanti posset peragi.

Ex aqua extremè destillata pag. 68.) Sic vanus est labor, quando quidam aquas ex aromatibus compositas, aliquoties eas cohobando, cum vino destillant, ac ita aquas vitæ acquirunt; dehinc remanentiæ affundere jubent Spiritum vini; Ineptiæ! hæc enim remanentia maximam partem viribus suis exhausta est, quia sulphur concretorum volatile unà per alembicum ascendit.

Tartaro pag. 69.) Faciunt quidam Extractiones cum vino, sed malè; subinde namque Extractum sub sui inspissatione ab acido vini tartareo coagulato alteratur, adeoque novas vires acquirit.

Aceti.) Nonnulli extractiones instituunt cum aceto; sed iterum male: quod non quælibet simplicia, ut flores, sed duriora saltim, id ferre possint; unde si menstruum abstrahitur, tartarus aceti remanens immutat vires extracti.

Singularissimis.) Hîc intelligit AVTOR liquorem alkahest, qui est singularissimus, & universale menstruum, quælibet trium regnorum concreta solvens & extrahens; servata tamen vi eorum seminali & crasi integra, liquoreque sine ulla sua alteratione iterum separabili. Cæterùm hoc alcahest non introduxit PARACELSVS, sed hoc menstruum universale exprimit per *acetum radicatum*, item per circulatum majus; contrà HELMONTIVS vocabulo *alcahest* primùm usus fuit.

Ænigmata pag. 70.) Tangit hîc AVTOR *noster* HELMONTIVM, qui totam suam Praxin unico liquori alcahest superstruxit, nec tamen eius præparationem manifestavit, ut possit intelligi.

Universalia alcahestina, Mercurius Philosophicus, salia mirabilia.) His verbis GLAVBERI perfidiam rectè insimulat AVTOR *noster*.

Circa roris.) Fatetur hîc AVTOR, se frustrà alcahest in rore quæsivisse. Scilicet varia prætendunt AVTORES subjecta pro menstruo universali conficiendo: Sic enim sunt, qui in sale aeris universali seu avicula Hermetis, & filio solis; alii in rore majali; alii in nive; alii in pluviis Martiatis; alii in nitro, ut GLAVBERVS & BALDVINVS, id quærunt; non secus atque alii hujus gratiâ bismuthi, Saturni & Antimonii mineras vexarunt, ubi tamen ex horum radice eruendum id foret.

Parallela pag. 71.) Hæc Epitheta alcahest desumpta sunt ex Helmontio; Occasione autem mentionis alcahest tria occurrunt investiganda: Nempè

1. *Ex quo subjecto ille præparari debeat?*
2. *Quomodo præparandus?*
3. *Quo pacto asservandus is sit? Cùm enim omnia solvat, dubitatur, in qua materia asservari possit?*

Quoad subjectum: AVTOR *noster* dicit, HELMONTIVM præcipere, ut deficienter liquore alcahest saltem discamus sal tartari volatilisare, illi substituendum; quod tamen scopum non ferit: quin potius ipsæ proprietates injungunt suspicionem ex Mercurio vivo alcahest præparari debere, quantumvis AVTOR *noster* adhuc dubitet, an HELMONTIVS eum ex Mercurio præparaverit? denique de superstite generoso filio, quem AVTOR *noster* ita nominat, hoc est de HELMONTIO *juniore*, nihil sperare hac in parte nobis licet, qui in Anglia degens Enthusiasistam agit, nec est eruditi Patri filius.

Terra Mercuriali p. 72.) Innuit hîc tectè BECHERVM AVTOR *noster*, hanc sententiam foventem: vid ejus *Phys. subterran. ubi est spiritus ex terra Mercuriali.*

Mercurii vivi liquorem.) Modus insinuatur ab AGRICOLA *in Chirurgia parva pag.* 146. & ZWELFFERO *in Mantissa Spag. ubi de Mercurio agit*: sed & hunc esse frustraneum AVTOR conqueritur; unde dubitat, *an ex Mercurio alcahest procedat*? Contrà tamen ego dico, si ex ullo subjecto parandus est alcahest, ex Mercuriali id fieri debere: vid. TACHENIVS *in scripto*, *Echo ad vindicias*, similiter Mercurium pro subjecto alcahest agnoscens.

Cum Jovis amalgamate collectus pag. 73.) Hac ratione acquiritur simpliciter spiritus uitrioli.

Multo minus arcani.) His ipsis ZWELFFERVM intelligit.

Nec ab altera parte.) GLAVBERVS alcali quoddam compositum commendat ex tartari nitrique detonatione, quod utut sit sal alcali non contemnendum, non tamen alchest titulum id sustinet. Pari ratione allegatus GLAVBERVS ex terra quadam pingui calcinata elicit sal nitriforme, quod in liquorem per deliquium solvitur: sed non sufficit.

Sal mirabile.) *Sal mirabile Glauberi* fit, quando oleum vel spiritus uitrioli affusus sali communi destillatur; sic prodit spiritus salis, ac in fundo manet *sal duplicatum*, facilè solubile & aurum solvens; pariter, si eidem spiritus nitri affundatur, prodit spiritus salis, remanentiæ verò conducunt pro resolvenda Luna.

Sale volatile urinæ p. 74.) *Sal ammoniacum secretum ex sale volatili urinæ & oleo uitrioli* GLAVBERVS parat, quod in sulphuribus metallicis eliciendis multum præstare gloriosè dicit, utut saltem in metalla calcinata efficaciam id habeat.

Spiritus fuliginis.) Hîc GLAVBERVS intelligitur *lib. 2. Furnor. Philosophicor. c.* 202., recipiens fuliginem furni: hanc coquit in aqua simplici tamdiu, donec aqua rubescat; deinde aquam hanc filtratam frigori rigorosissimo exponit, ita concentratur in medio ejus liquor salinus oleosus per coagulationem, ex hoc elicit spiritum & sal volatile fuliginis, quem putat singularem; qui tamen talis non est.

Succos pag. 75.) Hîc AVTOR considerat succos: In officinis *triplices* sunt *succi* inservientes usui Medico:

1. *Ex fructibus*, v. g. cydoniis expressis.
2. *Ex arboribus*: horum nempè ramulis incisis, vel radicibus perforatis exsudans; ut succus betulæ, radicis juglandis, tiliæ; de cujus efficacia contra Epilepsiam notanda habet TILEMANNVS *de Materia Medica.*
3. *Ex floribus liquefactis seu semiputrefactis*, extraverso scilicet eorum alcali confectis.

Succi ex floribus præter vim specificam simplicis, etiam alcali extraverso pollere solent, propter putrefactionem: succi vinosi vel saccharo vel passulis possunt meliùs ad fermentationem disponi.

Ad pristinum statum pag. 79.) In tincturis & Essentiis tria consideranda:

1. Ut tincturæ & Essentiæ *sint genuinæ*?
2. *An sint genuinæ Extractiones*, & non saltem superficiales corrosiones & solutiones?
3. *An crases & vires medicamentosas sui simplicis referant? & an non potiùs ratione Præparationis & Menstrui novas acquirant?*

Scilicet genuina metallorum tincturarum docimasia est, ut hæc, vel relictum caput mortuum, nullâ arte possint ampliùs in pristinum corpus reduci. Quando enim in pristinum corpus possunt reduci, vel ex tinctura, vel ex capite mortuo, est saltem fucus, non verò tinctura. Unde quando spiritus salis extrahit solē in tincturam aurei coloris, tunc quidem in fundo remanet corpus album omni colore spoliatum, neque per alcalia reducibile; interim fraudem latentem retegit antimonium, cum quo illud tractatum reddit aurum in eodem pondere & consistentia, ut adeoque spititus salis saltem incrustaverit, & intactum reliquerit aurum: quod si verò spiritui illi salis addatur spiritus nitri, mox cum strepitu totum corpus auri solvitur, & à menstruo illo imbibitur.

Essentias Quintas pag. 81.) ♃. v. g. spiritum absynthii rectificatiss. quem supra sal proprium digerunt, & cohobant, postmodum associant oleum destillatum proprium: Sed hæc Quinta Essentia in liquore aqueo est præcipitabilis. Potiùs ergò genuinarum conficiendi modus hic est: ♃. alcali vegetabilium volatile per putrefactionem inchoatam paratum, hocque jungatur spiritui proprio inflammabili per fermentationem elicito; dein ambo cohobatione finita jungantur oleo destillato, sic emergit genuina Quinta Essentia nullo liquore præcipitabilis, & hujus gtt. ij. vel iij. integram mensuram cerevisiȩ vel vini largiter imprægnant. Hæ Quintæ Essentiæ sunt genuinȩ, & integram crasin simplicis retinent.

Oleum vini, pag. 82.) Quidam operosè oleum vini volunt parare ex spiritu vini, mediantibus spiritibus acidis, v. g. spiritu uitrioli rectificato, &c. Sed hoc olemu tam singulare non est: vid. WILLISII *Pharm. Rat. p.* 162.

Infusorum pag. 84.) Loco horum nobis in usu sunt Noduli extemporanei.

Decoctor.) Si excipiamus unum vel alterum Decoctum vulnerarium, pectorale, lignorum, reliquis omnibus possumus carere, adhęc, quia varia ex tempore possunt parari.

Aquarum destillatarum pag. 85.) Vegetabilia vel constant substantia volatili sulphurea facilè exhalabili, vel fixiori: Priora sunt aromata, Mentha, Salvia, Rosmarinus, Absynthium: Posteriora Vulneraria, adstringentia, &c. Istę ergo aquę, quę ex volatilioribus eliciuntur, habebunt aliqualem efficaciam, ex posterioribus verò elicitę nuda sunt phlegmata. Et v. g. aqua menthę, salvię, fumarię, plantaginis, florum sambuci, &c. loco omnium sufficiunt. Inesse autem quibusdam aquis pauxillum virtutis, constat ex ipsa nubecula, quam tandem contrahunt, quę est quędam substantia tartarea volatilis, seu oleum à sale vol. resolutum, & in hac nubecula constat virtus, quę tamen admodum est exigua.

Ardentes Vegetabilium spiritus, pag. 91.) *Spiritus Vegetabilium inflammabiles* sunt olea Vegetabilium resoluta; olea verò hęc nunc intimiùs sunt concentrata in concreto, nunc verò non. Quando intimiùs sunt concentrata, fermentationis beneficio dissolvitur concretum: v. g. in absynthio, roremarino, &c. hujus enim medio dissolvitur oleum, & maritatur cum phlegmate, sicque abit in spiritum. In quibus verò oleum magis in superficie quasi hæret, v. g. in mentha, spica, lil. convallium, &c. non opus est fermentatione; sed sufficit simplex abstractio spiritu ejusdem uinosi, qui olea hęc extrahit, imbibit, & secum per alembicum rapit. Vis spirituum essentialis eadem est, in accidentali verò virtute differunt: Omnes sunt olea resoluta, hinc olea sunt alterata in crasi nativa; & hinc spiritus non tam potentes sunt, quàm olea: pauci ergo sufficiunt. Spiritus autem summè rectificati parum valent; quia

quia sic infringitur crasis specifica propter nimiam dissolutionem & rarefactionem olei, & sic magis ad generalem proprietatem spirituum redeunt. Ad hæc ita rectificati non possunt usurpari; sed necesse est, ut diluantur; hinc potiùs relinquitur aliquid phlegmatis pro eorum vehiculo. Omnia ligna & radices, tàm nostratia, quàm exotica, dant spiritum acidum, nonnihil empyrevmaticum plus minus, pro regimine ignis; & non differunt hi spiritus: si quid specifici hauriri potest ex eiusmodi lignis per destillationem, hoc est ex oleo. Dicis: nihilominus spiritus ligni Sassafras, fœniculi, &c. sapore differt à spiritu ligni Guajaci. Respondeo: his subinde tantillum adhæret de oleo, cuius ratione aliqualis specialis inest differentia; quæ tamen non diu durat; brevi enim post oleum supernatat, spiritus verò iners, & cum omnibus aliis communis, se manifestat.

Volatilium Spirituum mineralium pag. 94.) *Spiritus minerales* sunt vel *simplices*, vel *compositi*: *Simplices*, v g. Spiritus uitrioli volatilis: *Compositi*, clyssi; qui sunt vel *sulphurei*, vel *tartarei*, vel *tartareo-urinosi*. Quod attinet famosum illum spiritum vitrioli: reverà cohobatio spiritus uitrioli non dephlegmati à proprio capite mortuo ritè tractato, loco huius spiritus sufficit. Quoad *clyssos*, ex his unicus, spiritus tartareo-urinosus, sufficiat.

Olea destillata pag. 101.) Nostra subiecta in morbis chronicis non ferunt eiusmodi olea destillata; præter enim tædia, ructus, & interdum anxietates præcordiales, ex ructibus retentis enatas, quandoque phlogoses excitant: loco horum ergo conveniunt *Essentiæ Vegetabilium* cum spiritu vini paratæ, quæ *sunt resinæ liquidæ* à spiritu vini resolutæ. Resinæ autem sunt olea condensata; quemadmodum olea resinæ resolutæ. Pauca ergo olea abundè sufficiant. GLAUBERUS recipit spiritum salis, affundit aromatibus, post digestionem destillat, & dicit copiosiora acquiri olea: dicit olea esse nimis concentrata in subiectis his, spiritum salis verò dissolvere olea, & discontinuare; olea autem spiritui acido æquè non sunt commiscibilia, sed sic disperditur spiritus penitus; & rejicit AUTOR hûc modum *pag.* 101. Idem GLAUBERUS rectificat hæc olea, & adhæc spiritus salis jacturam patitur. Item GLAUBERUS rectificat olea super spiritum salis propter empyreuma, sed æquè sunt empyreumatica olea; & adhæc spiritus salis jacturam patitur; rectificentur potiùs cum arena, cineribus, cornu Cervi usto, &c. copiosis.

Discutientia pag. 108.) Unguenta discutientia conveniunt in tumoribus, item in doloribus ex sententia vulgi: sed cùm plerique sint scorbutici apud nos, hinc non conveniunt.

Unguenta pro oculis pag. 109.) His possumus carere, & potiùs liquida topica pro oculis conveniunt.

TITULUS II.
DE
UNIVERSALIBUS MEDICINIS.

De *universalium pag.* 111.) Concedit Autor tale totius naturæ Corroboratiuum & Mundificatiuum; quæ duo tamen distinguit.

Panaceis pag. 112.) Scilicet *panaceæ* seu *remedii universalis*, eorumque morborum, speciosum *nomen* passim ob vulgi ignorantiam, & ineptam applicationem sui, adeò malè audire solet, ut ad eius mentionem nunc pluribus risus moveatur: & quidem illorum plebeiorum ignorantia in panaceis extollendis exindè nata fuit, quod ipsi remediorum vires non adeò satis æstimantes, nec eorum naturam à priori perscrutantes, hinc effectibus eorum singularibus in admirationem rapti, mox eiusmodi remedium in universalium apicem, seu panacæarum laudem elevarint. Sicut pariter inepta panacearum applicatio inde nata fuit, quod vulgus, saltem audito panaceæ nomine, illam mox indistinctim quocunque tempore, sine ulla circumstantiarum consideratione & circumspectione, ad quosvis morbos adhibuerit; ideò non rarò plus noxæ quàm emolumenti concitarit. Vnde potiùs vox panaceæ sobriè interpretanda est, ita quidem, ut non dicamus, quasi eadem omnes morbosos corporis defectus valeat tollere, cùm vitia, quæ manuali indigent operatione, v. g luxata, fracta, & vulnerata membra, male per panaceam curari præsumantur; quin potiùs remedium eiusmodi universale maximæ morborum parti subveniens, extendendum erit ad illos affectus, quos HIPPOCRATES hoc pronunciato: *Natura morborum medicatrix*: intelligit. Siquidem cuiusvis panaceæ effectus vel in roborandis naturæ viribus, vel in corrigendis causis morborum occasionalibus terminari solet; Vnde sequitur, morbis ab internis causis saltem natis succurrere posse universale remedium. Sic porrò, dum universalis remedii seu panaceæ in curatione fit mentio, non intelligendum venit id exclusivè, quasi cuiusvis remedii alius exhibitio excludatur, sed saltem inclusivè, ita quidem, ut præmittenda generalia seu universalia præmittantur, & regulæ diætæ quoque secundum 6. res non naturales, ritè observentur: imò ipsæ panaceæ seu universalia pro individui, ætatis, sexusque ratione, & additis particularibus subinde quasi specificentur. Tandem a mentionem remedii universalis non concipiendum sibi est, quasi illud necessariò omnes morbos curare debeat, quod ipsum nemo sanus dixerit, cum sic homo immortalis redderetur, quin potius panacearum efficacia intelligenda est ita, quod positis debitis requisitis & circumstantiis, iisque non infringentibus naturæ vires, nec remedii vim invertentibus, curet quosvis morbos: Non secùs atque hoc testatur aliàs Jalappa purgans; quæ est purgans quidem certum, præsupponit tamen quædam requisita & certas circumstantias, quibus negatis erit illa sine effectu, & non semper purgabit. Ut adeoque, quoad specialem virtutem universalium, observandum sit, quod *morbus* omnis *gaudeat duplici causa: efficiente* scilicet *formali*, & *materiali seu occasionali*; quarum alterutrâ sublatâ, affectus seu morbus cessabit. Jam verò efficiens proximum quorumvis morborum sunt spiritus, seu principium illud vitale, tàm sanitatis quàm morborum prima & proxima origo: Nam ejusdem actionis est, quæ actiones sanas perficit, etiam vitiosas perficere Hinc destructo principio vitali per mortem, & morbus & sanitas cessant, nec utriusque horum particeps dici poterit cadaver. Atque hoc principium vitale rectè constitutum, in œconomia animali bene constituta & ordinata, optimè omnia perficit; ast lacessitum & ex turbis œconomiæ corporis stimulatum ad præternaturales anomalias, morbosos insultus inducit. Pari ratione occasionalium morborum causam constituunt contentorum vitia, nempè acidum, amarum, dulce, acerbum, & 600. alia potestatum Hippocraticarum nomine venientia: quæ si temperata fuerint & permista, benè inde valet corpus; sin intemperata & seorsim inveniantur, œconomiam corporis variis turbis turbant Ex quo observari licet, Panaceas seu universalia habito si respectu ad duplex hoc causarum genus, duplici modo operari solere: nempè vel sedando morbosos spirituum impetus, & roborando eosdem, sicque efficiendo, ut hi sponte suâ corrigant occasionales morborum causas, ut sine tumultu præternaturali in ordinem redeant, turbatæ functiones spirituum vigore instaurato corrigantur, & eliminentur causæ occasionales, redeatque pacatus œconomiæ status. Qualis effectus illustrari potest per opium, omnium symptomatum urgentium sedativum; quippe hujus debito usu, adeòque supervenientibus, superficialibus licet, halcyoniis, & roboratur subinde natura, & consequenter huius vigore cum sudore aut urina eliminatur nocivum: utut non sine noxa quadam stupefactiva, spiritibus suo modo inimica, operetur opium; hinc saltem palliatione solet tollere morbos; nihilominus tamen illustrat primum morbosarum causarum genus. Sic quoque huc spectat *virtus anodyna sulphuris uitrioli Veneris* & illarum *panacearum*, *quarum basis est cinnabaris*, vel nativa vel antimonii. Vel & Universalia operantur respectu causæ materialis temperando & corrigendo causas istas morborum occasionales, & mitigando istas Hippocraticas exorbitantias salinas & potentias excessivas, quæ quodvis acre temperando, præternaturales contentorum intestinorum motus, sicque præcipitationes, coagulationes, effervescentias removendo, omnium ortorum morborum erunt solamina: idque eò magis, si simul fuerint diaphoretica vi instructa, utpotè cùm diaphoresis naturalissimum correctionum illarum genus esse soleat. Atque tale remedium universale ferè est sal istud volatile oleosum Sylvii, ab ipso maximè laudatum, ceu temperans quodcunque acre, & humorum corporis quosvis præternaturales motus compescens, blandaque diaphoresi corpus mundificans. Sic quoque eius generis sunt quælibet mercurialia fixata, & temperantia ratione sulphuris sui extraversi quodvis acre, & diaphoretica ratione naturæ fixioris suæ. Tandem huc spectant salia aeris universalia ex rore, nive, & pluvia parabilia. Quod si autem utræque vires in uno remedio reperiantur conjunctæ, tunc illud universalissimi nomen tuebitur: quale quid & sunt, ceu genuinæ panaceæ, sulphura metallorum fixa, partim ratione sulphureæ naturæ temperantia potentias istas salinas, partim junctavi anodyna spirituum impetus & motus exorbitantes compescentia: item spectat huc *lapis ignis Basilii Valentini*, qui ratione virtutis suæ in cura morborum, & tingendis metallis, ad naturam lapidis Philosophorum proximè accedit.

Unicornu minerali pag. 114.) Unicornu minerale paratur ex sale vitrioli Veneris, quod laudat AUTOR.

Arcanum uitrioli pag. 115.) Digestio, aliæque encheireses à Mynsychtio sunt occultatæ.

Alkahestino liquore) Liquor Helmontii nomine *salis circulati majoris* venit; contrà *Alcahest Paracelso* est hepatis restaurativum universale, sicut videre est in JONSONII *Lexico Chymico*.

Præcipitatus p. 116.) Mercurius per se quidem bonum est remedium; interim talis Mercurius cum auro fixatus diutiùs continuatus aliquali vi salivatoria similiter molestus est, & se infamem reddit.

Azoth pag. 117.) PARACELSO est technicus terminus, varia denotans: & quidem intelligit

1. *Mercurium metallicum*, ex perfecto nempè metallo resuscitatum.
2. *Mercurium Philosophorum duplicatum*, seu *Rebis* aliàs vocatum, sulphure auri & Mercurio universali constantem; de quo illud vulgare: ignis & *Azoth sufficiunt*.

3. Denotat quibusdam *remedium summum*, ex mercurio, sole & luna paratum.

4. *Mercurium fixum*, in igne non destructibilem: quo dato dicunt, quod proximus habeatur gradus ad Philosophicum, & fuisse tale suum Azoth, HESLINGIUS olim affirmavit: sed falsò; cum potiùs fuerit remedium mercuriale drasticum, supra & infra movens.

5. Tandem in sensu Paracelsistico Azoth denotat *summam Medicinam Paracelsi* in capulo ensis gestatam, ob omni particulari determinatione separatam, & vim omnium remediorum in se concentratam habentem, quod putarunt quidam constituisse ex mercurio ritè fixato.

Mercurio diaphoret.) Hunc HELMONTIUS parat mediante sulphure vitrioli veneris fixo & mercurio præcipitato Vigonis: conf. *Tr. de Febr. cap* 14. §. 9.

Famosum sub seculi initium) Intelligitur hìc *Panacea Waldina*, ex mercuriis metallorum procedens, postmodum verò adulterata est ex mercurio, Cinnab. & regulo antimonij, de cuius præparatione conf. *Welschius Hecat.* 2.

Ut plurimum nil nisi pag. 117.) Scilicet quælibet Panacea ordinariò præparatur nunc ex subiecto magis universali, v. g. ex rore, aqua pluviali, sale aereo; nunc ex subiecto minus universali, ut mercurio vel antimonio, vel huius medio ex sole.

E minerali &c.) Intelligit *Panaceam Glauberi*; est sulphur purum antimonii, & hoc non est contemnendum.

Panaceam solarem pag. 118.) Intelliguntur hìc *pilulæ Wildegansii*, constantes ex *opio*, & forsan *Cinnabari*, vel *mercurio per se fixato*: ab opio siquidem iisdem combinato, mulier asthmatica ab illarum usu suffocata videbatur: cautè ergo ob opium usurpentur: interim præter vim anodynam egregiè sunt sudoriferæ, & pluribus morbis conferunt: Vid. *Misc. N. C. anno* 3. *ubi aliqualis earum descriptio.*

Aviculæ Hermetis.) Hæc est *sal universale* iuxta SENDIVOGIUM ex rore præparatum & colligendum: conf. *Miscellanea N. C. an.* 3. *pag.* 452. Sic & novi ex nive singularia menstrua fuisse parata; ac BECHERUS sal suum *cæleste* in curanda peste egregium inde habet; sicut videre est in eius *Physica subterranea*, *pag.* 182. Eandem agnoscit originem *Panacea* illa WOLFGANGI DINHEIMII. Et cùm ros & pluvia Martia nesciant putrescere, indicium est singularis salis inibi latentis. Aqua Martia putrescere nescit: aqua Thamisis successivè putrefacta in doliis in naturam spirituosam degeneravit in *Peregrin. Americanis*; vid. *Transact. Angelican. pag.* 401. Aquæ autem Martiæ circa æquinoctium vernum colligi debent: Nam talis aquæ magma post abstractionem phlegmatis & spiritus adhuc fermentavit, & ex hoc videtur aliqualis analogia cum turgescentia & fermentatione Vegetabilium: Hoc magma tinxit cochlear argenteum tincturâ purpureâ; vid. M. A. N. C *ann.* 3. *pag.* 542. Ex magmate potest colligi sal cubicum, non verò nitriforme, *pag.* 119. amaricans tamen.

In terræ quasi virgineæ p. 120.) Scilicet dicunt vulgò: sal aeris universale, subiectum spiritu(ni ipse sit) Mundi, nunc variè in aere fluctuare, nunc verò terræ porosæ visceribus se insinuare. Illa dicitur terra Virginea, nullo speciali semine adulterata seu inquinata, sed indifferenter pro matrice vel vegetabilis, vel mineralis, vel animalis, hanc terram fovendi, fœcundamque reddendi se habentis, ut fiat mater omnium regnorum: atque tunc vocari *sal centrale terræ*, item *sal naturæ*: conferatur ORTHELII *Commentar. in Sendivog. in German. Idiomate seorsim prostans*; sicut in Latino *Theatro Chym. Argentinensi annexus*. Hic ORTHELIUS ex terra vult parare *sal pro mercurio duplicato*.

Terræ summe.) Notat hìc AUTOR examina illius terræ pinguioris sibi relictæ, quæ destillata daret præter phlegma etiam sal volatile & oleum: Confer. præter JOANNEM GEORGIUM ROSENCREUZERUM *Anat. inferior.* (nempè quod talis terra pinguis sub destillatione varia schemata pratorum, florum, herbarum &c. repræsentat) LOESELIUS *de Podagra Edit. in* 12. *pag.* 262. atque huius originis est ille BECHERI *Spiritus*, cuius meminit *lib.* 1. *Phys. subt. pag.* 87. quod mire vegetat & fœcundat.

Magneticis subiectis.) Tale est terra illa *magnetica* ROCHAS quam habet *Cap.* 1. *Scrutinii sui aquar. mineral. Theatro Chym. annexi*; Sic quoque sal *aeris in nitro latet*, specificatum tamen ab huius semine, & quasi individuatum.

Phalaja pag. 121.) Huius meminit BASILIUS VALENTINUS, insinuat remedium contra quævis vitia interna.

Perlata materia pag. 121.) Huius AUTOR est CRUGNERUS *in Veri Chymico*, qui tamen reticet, quæ & qualis illa sit? at ex amici ore habeo, præparare illum hanc ex lapide illo violaceo, ideo sit dicto, quia calefactus spiret odorem violarum: est lapis gryseus, cui innascitur muscus subtilis, ex quo materia illa perlarum prodiit. Tractata in aceto relinquit corpus fixum reguli formæ, hinc forsan etiam ex addito antimoniali subiecto simul constabit.

Electrum minerale immaturum.) Huius primus mentionem fecit PARACELSUS, & post hunc HELMONTIUS *Tract. Hæc quæ sequuntur, relinquit imperfecta*; item *Tract. Arcana* PARACELSI; parans inde tincturam Lilii de Glaura: videatur AUGURELLUS. Cæterùm illius metalli masculi nomine varia intelligunt AUTORES, & alii mineram martis solarem, sed ineptè indigitatam, volunt: Alii, ut STARCKIUS, Zinckum sub nomine illo venditant; qui tamen rectè à WEINSLERO *in Metallographia* refutatur: Alii aliud intelligunt, nempè mineram Cinnabaris nativæ feleciorem in Hungaria reperibilem, & instar rubini translucidam & coloratam, & vocant Germ. *die Gold-Blume*, i. e. *florem aureum*: Sicut tandem moderni intelligunt sub Electri immaturi nomine *das Rothgelbige Ertz*, seu mineram argenti rubram, cuius ZWELFFERUS meminit *Mantiss. pag.* 331. quodque arte parari potest, miscendo certâ proportione Lunam & lapidem vel magnetem arsenicalem. Verùm, modò Idiotismum PARACELSI consideremus, qui *Electri immaturi vocabulo misturam metallorum certo pondere & mensura commixtorum* indigitavit, & electrum immaturum erit metallorum rudis species, prout in radice sua adhuc quasi confusa hæret; quæque aliàs *Saturnus Philosophorum* vocatur, & de hoc dicitur esse illud *parentem vulgaris Saturni seu plumbi*: ex quo dubium proin enascitur, an HELMONTIUS unquam cognoverit *Electrum* hoc *minerale immaturum*, quippè cùm eius descriptio mineræ cinabaris nativæ competat: Dicit tamen ea, quæ reliquit Autor imperfecta, constare ex mercurio & sulphure metallico, quæ conveniunt reverà cinnabari, constanti ex mercurio & sulphure. Et dicit Autor, hanc Cinnabarin in Concreto nativo esse præstantiorem, quàm sulphur solitarium ex ea separatum, ex quo separato, cum mercurio etiam separato iterum coniunctis, diaphoreticum parat SCHROEDERUS.

TITULUS III.

DE

PURGANTIBUS VEGETABILIBUS.

Purgantia pag. 133.) Ex insigni Purgantium abundantia, quæ Regnum Vegetabile subministrat, pauca quædam seleciora nobis sufficiant: qualia sunt *Aloe*, *rhabarbarum*; utpotè quæ duo sola ex Purgantibus infontia & absque malignitate esse judicantur; item *Jalappa*, *helleborus niger*, *senna*, *scammonium*, & *Colocynthis*. Ex Regno Animali nulla prostant laxativa, nisi forsan sola *rasura unguium humanarum* hìc excellat.

In Regno Minerali præprimis excellit *mercurius dulcis* ritè paratus, & hinc *crystalli & pilulæ Lunares*; Imprimis antimonium est, quod uberrima suggerit Purgantia, magis tamen vomitu, quàm secessu operantia. Ex innumera varietate antimonialium huiusmodi purgantium pauca sufficiunt: v. g. sulphur quoddam *antimoniale* saltem cum sale tartari, ad imitationem Croci metallorum absynthiaci Mynsichtii paratum: Confer. WILLISIUS *Pharm. Rat. Volum.* 1. *pag.* 64. Et ex hoc sulphure facilè parari potest tartarus emeticus ad eiusdem Mynsichtii imitationem, quæ duo in forma sicca abundè sufficiunt. In forma liquida sufficiat *Syrupus emeticus* ad imitationem AUTORIS *pag.* 206. & 214. paratus; aut etiam *vinum emeticum* ex infusione vitri antimonii vel croci metallorũ paratum, ad imitationem exercitatissimi KERKRINGII *in Commentar. super Currum Triumphalem antimonii Basilii Valentini pag.* 143 & 169. Quibus superpondii loco accedit *sapa* quædam *vomitoria* ex vitro antimonii pulverisato, ad imitationem SYLVII cum Musto vel succo cydoniorum, vel succo pomorum Borsdorffianorum extracto, & post filtrationem ad consistentiam Rob inspissato. Vitra antimonii pro hisce remediis vel præparantur ad imitationem KERKRINGII *cit. loco*; vel præparantur ex mercurio vitæ, unde obtinetur vitrum flavum, succinum antimonii dictum.

Porrò inter Præparata Pharmaceutica ex tot purgantium formulis sufficiunt:

1. *Infusum sennatum.*
2. *Essentia Jalappæ citrata.*
3. *Pulvis ex Jalappa seu scammonio*, cum salibus digestivis *Compositus*.
4. Inter tot pilularum varietatem pro pilulis usualibus *pilulæ aloeticæ* sufficient: Pro purgantibus verò sufficiat *Extractum* quoddam *catholicum* ex istis selectis concinnatum: nunc cum mercurio dulci, nunc cum helleboro, nunc cum aliis, pro specialibus casibus appropriandum.

Jam in specie consideremus purgantia, ubi in AUTORE *nostro* se primo locò offert *Jalappium*; quippè etiam inter hæc evporista purgantia pro selecta praxi excellit, utut huic à nonnullis mechoacanna, quæ tamen debilior, vel gummigotte, quod violentius, præponatur: interim nos Jalappæ meritò primas deferimus, utpotè non solùm vi purgandi, sed & sternutationem movendi præditæ: scilicet commune hoc est nonnullis acrioribus medicamentis, ut præter vim stimulandi intestina, & purgationem excitandi, exteriùs quoque nares vellicando pro errhino conducant. Jam ergò cùm inter illa emineat Jalappium, non mirum est, id eundem quoque effectum præstare: Hinc Elaterii pulvis & hellebori nigri sternutatoria sunt. Præterea Jalappium nostris subiectis hypochondriacis, & omnibus morbis chronicis, præcipuè conveniens est, cùm acido viscidæ cruditati

ditati oppidò medeatur; imò nec sapore, nec odore, nec torminibus molestum sit.

Quoad modum utendi: sumitur vel in sicca vel in liquida forma: in sicca, dum radix pulverisata, vel ejus resina, vel Magisterium præbetur, ubi radix imprimis salino tartareo remedio, ut cremore tartari, vel tartaro uitriolato commodè combinari solet, ac in substantia per se ad ℈j. sed cum stimulo salino aut tartareo in minori dosi exhiberi potest: v. g.

℞. *Pulv. Jalapp.*
Tartari uitriolati vel *crem. Tartari* an. gr. v.
Olei destillat. mac. gtt. ij.

M. f. *pulvis* pro pluribus Subjectis appropriatus. Nam & infantes tutissimè per Jalappam purgantur, observando saltem seriem annorum, & præbendo ejus tot grana præterpropter, quod annorum infantes sunt: sic v. g.

℞. *Pulv. Jalapp.*
Crem. tartari an. gr. vj. vel vij.

M. pro infante 5. vel 6. annorum in jusculo calido, ita sine ulla molestia purgat.

Quod si autem in minori dosi velimus Jalappam assumere, tunc

℞. *Pulv. Jalapp.* gr. xij.
Scammon. sulphurati gr. iij.
Nitri puriss. gr. vi. (hoc enim impedit flatuum potentiam)

M. detur pro dosi.

Deindè præter Jalappæ substantiam usurpatur quoque ejus *Magisterium seu resina* cum spiritu vini extracta, & aquâ simplici præcipitata: ac quidem Magisterium illud ex eo est usitatum, quia non paucis scammoniata sunt suspecta; unde horum loco pro stimulo in usum vocare solent resinam Jalappæ. *Modus utendi* est tam in sicca, quàm liquida forma: in sicca quidem ita:

℞. *Conserv. rosar.* ʒß.
Resin. vel *magist. Jalapp.* ℈ß. ad gr. xij.
Tartari vitriolat. vel *arcan. dupl.* gr. vj.

M. cum *Syrup. rosar.* fiat *Bolus*.

Hic notanter additur tartarus uitriolatus, quia resina est oleosa, unde facilè parietibus intestinorum adhærescendo tormina, & in prædispositis hypercatharses potest inferre. In forma liquida resina illa Jalappæ cum vitello ovorum, aut semine melonum potest propinari; ut ut optimè succedat, si eadem resina liquida sub forma essentiæ citratæ, qualem habet BARTHOLINUS, propinetur.

Cæterùm dictæ Jalappæ radix è locis quidem peregrinis huc defertur: interim quædam & illius species apud nos sub nomine *Jelsemini seu mirabilis Peruviani* prostat, cuius radix similiter ac illa purgat, & hæc saltem illas intercedit differentia: quod peregrina magis sit resinosa, nostra verò minus, sed exotica domesticæ præponenda est, adeoque hujus ratione dosis non nihil augenda, ita, ut dum peregrina ad ℈j. nostra ad ʒß. vel ℈ij. præberi debeat, cum sit idem effectus expectandus. Porrò cum in resina Jalappæ hæreat vis purgans, propterea rara est radicis in vinum aut cerevisiam infusio, utpotè quibus liquoribus resina illa nihil suppeditat: Vnde & dum quidam Modernorum nodulos laxativos, quos ingreditur Jalappa, ordinant, scopo purgandi, falluntur, quantumvis etiam vinum infusionis cum alcali tartari acuatum sit. BORELLUS *Cent. 1. Observ.* 23. ex hac arcanum contra hydropem habet, ubi beneficio aquæ vitæ & Jalappæ pulverisatæ nodulo inclusæ, ardoribus canicularibus extrahit substantiam purgantem, quod gummi, non verò Extractum est. Aqua vitæ calidè filtratur per chartam, in fundo relinquit gummi, quod ℈j. pilulari formâ propinatum miras facit evacuationes aquarum.

Post Jalappium se exhibet *Aloe pag.* 134. Succus est ex Aloe Indiæ Orientalis expressus & inspissatus. Jam ergò in hac substantiæ discriminandæ veniunt; nempè resinosa & pinguis, deinde gummosa: Vtraque ratione Effectus & menstrui probè distinguenda. Etenim quoad effectum, in substantia gummea visaloes, suaviter laxativa residet, sicut contra in resinosa ejus visciditate vis torminum concitatrix & hæmorrhoidum & dolorum excitatrix; quam jam olim Arabes observarunt, nempè hæmorrhoides excitare aloen: quod tamen non soli aloe proprium juxta FUCHSII & MANARDI. sententiam, sed aliis & purgantibus, substantiâ viscidiore præditis; hincque in rhabarbaro & dictus MANARDUS, itemque in sennatis & scammoniatis observavit similem effectum SCULTETUS *in Observ. Chirurg.*: utut idem de aloe tantò magis observatum sit. Cæterùm in hac resinosa aloes substantia ejusdem vis balsamica consistit, & ejusdem ratione emplastris ea à Chirurgis admiscetur, cùm & pulverisata eadem vulneri recenti inspersa ad promovendam ejus consolidationem multùm faciat. Porrò intuitu Menstruorum vis laxativa gummosa aloes Menstrua requirit aquea, quippè in quibus gummi ejus dissolvitur & extrahitur, adeoque teratur illa cum aqua rosarum aut succo cydoniorum in mortario lapideo vel vitreo; ita liquor imbibit substantiam aloes gummeam, picea in fundo relicta, nec ulla aqua resolubili; quin potius resinosa hæc substantia requirit Menstrua spirituosa seu oleosa, ex quo colligi potest, male Extractis & Essentiis catholicis per spiritum vini extrahendis addi aloen, cùm sic vis eius torminum concitatrix eliciatur. Pro *usu* autem *Medico* sufficit Aloe pura aut succotrina aut lucida; vel si depurata Aloe à resina torminosa sit, recipiatur, quæ cum aqua sive quolibet succo extracta blandè in balneo Mariæ inspissetur; ita habebitur aloe laxativa, relicta resina noxia, atque hoc ipsius gummi facilè per se, vel additis aliis in consistentiam pilularem redigi poterit: Conf. AUTOR *in Tr. de Volatilisatione salis tartari pag.* 79. ubi habet egregia ex Aloe parata. Sic ergò dicta gummea aloes substantia extrahi poterit vel cum aqua simplici, vel appropriata, acuata cum aliquot granis salis tartari aut guttis aliquot olei tartari per deliquium, ita namque magis dissolvitur illud gummi & activius, minusque torminosum redditur, quod ipsum in pilulas redigitur. Etenim, quia aloetica nauseosa amara sunt, hâc pilularum formâ eadem exhibenda erunt, ubi sufficere possunt gr. vj. vij. viij. aloes extractæ in forma pilularum pro usu domestico Deinde & Extracto huic aloes addi potest vel tartarus vitriolatus, vel sal essentiale tartari, vel pulvis radicis ari in umbra siccatæ, vel aliud blandè stimulans & laxans: atque hoc modo aloe cum menstruo aqueo, acuato cum sale tartari extracta, præstat longè Veterum Compositionibus, quas hieras denominarunt; præferturque ab AUTORE Extractis aloes cum spiritu vini factis, cùm illa præsentioris sit, quàm hæc, auxilii. Pari ratione insuccationes aloes vulgares cum succo rosarum, ut aloe rosata, violarum in violata, &c. item cum succo fragorum in fragata, quam TIMÆUS habet, parum habent in recessu; est enim cruda aloe cum tantillo succi obducta, & quantum quæso succi illius adhærebit aloe, quoniam hæc ad gr. vj. vel vij. usurpatur? Tandem aloe ita extracta aliis purgantibus & extractis additur, licet propter saporem suum nauseosum rarissimè diluti forma adhibeatur.

Sennæ pag. 135) *Colutheæ folia* perquàm similia sunt sennæ Alexandrinæ, unde subinde hæc illis adulteratur, præsertim cùm & coluthea vi laxativa sennam æmuletur, & in duplicata dosi idem præstat, quantum Senna in simplici, dicente BARTHOLINO *Cent. 5. Histor.* 60. *pag.* 129. Jam verò sennæ vis laxativa consistit in mucilagine quadam gummea, quâ separata à viscosa resina, senna sine torminibus intrò assumitur; adeòque pro extrahenda senna menstruum sit aut aqua, aut vinum sale tartareo impraegnatum. Et quidem aqua simplex, ut eò promptiùs extrahat, & sennæ vis torminum concitatrix castigetur, additur vel sal vel cremor tartari, nec unquam sine adjuncto stimulo tartareo senna præscribenda: adeò ut si in Infuso ea usurpanda, sal tartari sufficiat; contra, si cremor tartari ei combinetur, aliqualis Decoctio Infusi fiat, necesse est; secus enim cremor hic tartari non liquescit: interim utrumque stimulum tartareum sociatum sennæ videbitis in *Infuso Mannagettæ*, Austriacis familiari, quod descriptum habet ZWELFFERUS *in Pharm. Reg. pag.* 31. Quod si autem ex tempore in Infuso sennam præscribere velimus, tunc

℞. *Fol. senn. sine stipit.* ʒiij. (non ℥j. quia menstruum non plus recipit, quàm recipere potest)
Salis tartari ʒß.
Zingib. (ceu appropriati stimuli) ℈j. ad ʒß. vel ʒj.

Infundatur in s. q. *aquæ simpl.*

℞. *Colaturæ* ℥ij. vel iij. ad jv.
adde
Aquæ Cinnam. ʒij.
& si placet
Syr. de pomis ʒiij. (alcali enim salis tartari jam corrigit saporem sennæ nauseosum)

Misc.

Est hæc potio suavis; quam si libuerit determinare, poterit & eidem priùs addi vel rhabarb. ʒj. vel rad. helleb. nigri ʒj. & hinc dicto modo procedere: e. g.

℞. *Decocti passul. min.* q. s.

Infund. in loco calido
Fol. senn. sine stipit. ʒiij.
Helleb. nigri,
Crem. tartari albiss. an. ʒj.

Manè una ebullitione calefiat & exprimatur:
adde
Syrup. de pomis laxativ. ʒß. vel ʒvj.
Aquæ Cinnam. borrag. ʒij.

M. D. S.

Potio purgans pro una vice.

In decoctis enim senna ut plurimum sociatur passulis, quibus & cremor tartari combinatur, sicque hypochondriacis convenit, quibus aliàs fortiora purgantia non satisfaciunt: v. g.

℞. *Pass. min. conquass.* ℥j.

Ebulliant in s. q. aquæ, sicque Colaturæ ferventi infundantur
Fol. senn. sine stipit. ʒij. vel ʒiij.
Crem. tartari ʒj.

Stent in loco tepido ad refrigerationem:
Colat. ℔j.

D. S.

Potio

Potio laxativa.

Dosis est haustulus ad vncias aliquot, suavissimè laxabit.

Tandem & sub Infuso in Nodulis laxativis vino infundendis ordinatur senna: Nam & hoc ipso illa extrahi potest. Contrà pulvis foliorum sennæ est rari usus, quia in magna dosi assumendus est; unde & pulvis Montagnanæ, cujus dosis ℨj. rariùs præscribi solet ob nauseam: similiter, quia sennæ Extractum parum operatur, propterea in ejusdem Decocto & Infuso acquiescendum est.

Scammonium pag. 136.) Nostras non idem est ac Veterum: horum quippè scammonium ad ℨj. potuit exhiberi; Contrà in nostro non licet ℈j. excedere. Vnde FALLOPIVS rectè sentit: Scammonium esse rarò purum, sed ferè semper succo tithymalino aut esulino adulteratum hodie prostare. Nihilominus nec hoc contemnendum est, usurpaturque id tàm in forma sicca, quàm in liquida: præ cæteris excellit *pulvis polychrestus* dictus, egregius, cuiusdescriptio habetur in ROLFINCII *Chymia pag.* 334. estque scammonii Magisterium vel Resina, nisi quod sit cum santalo tinctum, adeoque pulvis hic rubineus (*Rubini Vegetabilis* nomine hinc veniens) dos. ℈ß. ad gr. xij. adiungendo eidem semper stimulum tartareum, & præsertim tartatum vitriolatum, aut nitrum vitriolatum.

℞. *Tartari vitriolat.* seu *arcani duplicat.* ℈ß. ad gr. xii.
Pulv. polychrest. vel *Res. scammon.* gr. iii. vel iv.
M. pro pulvere, qui septies præterpropter purgabit: Aut

℞. *Arcan. duplicati* gr. xii.
Scammon. sulphurati gr. ii.
Extr. trochisc. alb. gr. i. M.

Porrò scammonii utendi modum in forma liquida videb. in AVTORE. In forma Emulsionis autem vid. apud ROLFINCIVM *in Chym. pag.* 333. ad imitationem SYLVII *lib.* 1. *Prax. pag.* 27. V. g.

℞. *Scammon.* gr. x xii. ad xv.

Affunde *aquæ menthæ* ℥i. vel ℥ii. vel pro lubitu, terantur in mortario lapideo, ita lactescit liquor, qui cum *aquæ cinnam.* s. q. propinetur, resina autem remanens abiiciatur.

Aliàs Magisterium Scammonii paratur extrahendo scammonium cum Spiritu vini, & cum aqua simplici præcipitando: sic & nonnulli id cum succo citri aut cydoniorum (unde diagrydium venit) solvunt & inspissant: sicut adhuc alii id cum sulphuris fumo castrant, destructa huius acida vi purgante: ast potius in forma emulsionis liquida scammonium usurpari potest. Imò quibus displicet scammonium, ex tithymalis aut esulis mitius genus eligant, & inspissent huius succum lacteum; sic illi certò habebunt remediũ non contemnendum. Tandem & scammonium cum succo cydoniorum ad modum LANGELOTTI *de opio* tractari felici cum successu poterit; quia dat etiam Purgans correctum.

Dauram p. 139) Prædictis associat pro superpondio Autor Hellebor. nigr. qui sanè plus in recessu habet; etenim in morbis chronicis, hypochondriacis, melancholicis, & pathematibus ex defectu mensium pronatis, planè singularis est huius radix, non tantum pro scopo laxativo, sed & alterativo; quippe penetrante adeo sale volat. pollet, ut propterea salis fixi parum (notante hoc ZWELFERO) in eius cineribus reperiatur: atque hoc sal volatile est insigne alterativum acidi specifici morborum chronicorum; unde & rectè à PARACELSO sub nomine *Dauræ*, & TACKIO PHASIJI. laudatur. Cæterum modò sit genuinus helleborus, non saltem Styriensis expetatur, sed quoque sufficit communis radix. Et quidem *modus utendi* est tam in Infuso, quàm ex hoc parato Extracto; quin etiam pro forma sicca, nempè pro sternutatorio, inservit helleborus. Menstruum autem pro infusione & extractione hellebori non sit spiritus vini, quippe qui eum neque corrigit neque extrahit; sed extrahatur potius cum aqua simplici, vel aqua anisi, acuata aliquot granis salis tartari: His infundatur Helleborus in vase aperto, (quò fœtor hellebori exspiret,) hinc filtretur, liquorque post evaporationem aliqualem sub forma essentiæ liquidæ asservetur, cum syrupo rosarum edulcoretur, & ad ℥i. exhibeatur. vel etiam post totalem humiditatis evaporationem. Extractum sub forma pilularum dosi gr. xv. ad ℈i. exhibeatur; utut præferendum sit Infusum, ceu subiectis hypochondriacis longè melius appropriatum ob liquiditatem: ut taceã sub totali menstrui evaporatione & aliquid de sale hellebori volatili perire, præsertim cum & BORRICHIUS aquam hinc destillatam saporem acrem obtinuisse observarit: v. g.

℞. *Infus. belleb.* ℥i.
adde
Aquæ cinnam. ℥ii.
Syr. rosar. ℥iii.
M. pro proportione.

Vel in Extracto pro ægro epileptico confirmato:

℞. *Extracti belleb.* gr. xv.
Mercurii dulc. gr. xii.
adde stimulum, nempè
Trochisc. al-band gr. i. vel gr. ii.
Cum s. q. *Essentiæ myrrhæ* fiant *pilulæ*.

Porrò iam istud Extractum cum aqua paratum non opus est, ut eum spiritu vini denuò extrahatur; secus namque eius modificatio fit, impediens operationem speratam. In febribus intermittentibus convenit; primas vias enim à sordibus inde latitantibus evacuat; sed mox ante paroxysmum propinetur. In affectibus apoplecticis ad præcavendam recidivam convenit cum mercurio dulci sub forma pilularum; quæ etiam in gonorrhœa virulenta præscribuntur.

Colocynthidem p 140.) Vulgo dicitur: *quicquid non attingit agaricus, hoc petum attingit; & quicquid non petum, hoc colocynthis*: ac quidem præ cæteris in viscìditate mucaginosa extenuanda & evacuanda Colocynthis prærogativam habet. Cæterùm Colocynthis, ut gustui patet, constat resina & viscidissima & amarissima, cujus ratione & tormina atrocissima causat, cum adhærescendo intestinis hæc in spasmos concitat. Non ergo solitariè danda est colocynthis, sed stimuli loco addenda, in casu, ubi viscida & glutinosa acida sunt fluxibilia facienda; in quo sanè illa par remedium non habet. Quin & vis illa torminosa corrigitur vel per sal tartari, vel nitrum cum carbonibus fixatum, vel & terram foliatam tartari: quæ omnia texturam resinæ, sicut alcalia omnia, dissolvendo, hac ratione eiusdem adhæsionem impediunt, & tormina præcavent; adeoque optimus parandi extractum modus est, si fiat Extractum cum aqua simplici sale tartari acuata, quæ post ebullitionem filtretur, & in extracti consistentiam inspissetur: ac sanè sal tartari optimè corrigit colocynthidem. Sic etiam observavi colocynthidem pulverisatam, ad gr. iij. vel jv. cum saccharo exhibitam, graviter purgasse, contra cum sale tartari mistam blandè. Similiter, si recipiatur lixivium salis tartari, & infundatur frustis pomorum colocynthidis, lixivium illud omnem horũ amarorẽ extrahit: dein lixivium inspissatum cum spiritu vini extrahatur, ita obtinebitur essentia aliqualiter laxativa. Interim sufficiat nobis Extractum colocynthidos, cum aqua simplici, sale tartari acuata, paratum, quod ad gr. ii. vel iii. aliis purgantibus pro stimulo addatur; saltem ubi viscìditates morborum chronicorum expurgandę: Contrà cum trochisci constent ex colocynthide cruda cum gummatibus combinata, exulent: hinc & *spiritus vitæ aureus Rulandi*, vel infusum trochiscotum alhandal in spiritu vini, vel vino Malvatico rariùs usurpari solet: similiter repetita extractio Colocynthidos cum spiritu vini ZWELFFERI est frustranea, quia tunc eius vis castratur. Porrò colocynthis externè clysmatibus incoquitur, iisque tam simpliciter pro irritatione intestinorum, quàm pro mortificandis vermibus adhiberi, & pro illo quidem scopo addi solet pulpa colocynthidos in petia ligata ad ℥i. sic subtilior eius pars elicitur, nec integra ramenta solvuntur. E contrà pro lumbricis exturbandis in lacte coquuntur: ita sapore lactis allecti ejusdem esu mortificantur, & unà cum clysmate eijciuntur. Hæc reverà nobis sufficiunt pro purgandis mille hominibus, quibus potest addi rhabarbarum.

Mechoacanna pag 141.) *Mechoacanna alba* rariùs usurpatur, cùm sit languida, & à ℨß. ad ℨj. imò ℨij. necesse fit, propinetur, quod sanè tædiosum; unde nec infusa nec extracta quoque cum ingenti commodo adhibentur, nisi quod infantibus cum saccharo mista facili negotio adaptari queat; utut & his æquè feliciter aut ialappa aut mercurius dulcis propinari possit.

SCHROEDERUS *in Pharm. Medico-Chym l* 4. *Class* 3 *pag.* 243. parat *Extractum* cum Spiritu vini: sed malè, dosis enim ℨi vix purgabit, quatenus Mechoacannæ ℨi. quia latet vis aliqualis in mucilagine. Si extrahitur cum Spiritu vini, relinquit gummi, quod est nucleus purgans.

Hermodactyli) *Hermodactyli* veterum quid sint? è nesciunt Moderni; & hæc *radix* saltem *Hermodactylorum* est *radix* saltem *Colchici*, adeoque iisdem suspecta & reiecta. Veteres equidem *Theriacam articulorum* hermodactylos denominarunt: ast, cùm hodie, quid sint? nesciatur; propterea negliguntur.

Turpethum pag 142.) Turpethum Veterum latet: sunt, qui idem *Thlaspiam*, alii *Pithyusam* esse statuunt. Incertæ coniecturæ! propterea nos illud negligimus penitus. Cuius naturæ nostra radix? etiam latet. Usus radicis & dosis multis est controversa & suspecta; quia validum est purgans, quod rariùs solet usurpari. Est radix resinosa, & quicquid attingit, sub forma crassissimæ & viscidissimæ mucilaginis solet evacuare, & vulgò inter pituitam evocantia refertur. Correctionis ergò gratia quidam cum mastiche, Zingibere &c. miscent; sed hæc correctio per aromata est palliativa, id est, non tollit malignitatem simplicis, sed eius noxam solummodò vetat.

Agaricus) Agaricus Veteribus usitatior fuit: Modernis minus est; unde Extractum eius rarò, rariùs autem eius Infusum, aut decocta, pilulæ, & denique trochisci usurpantur: utut enim à Veteribus multis alexipharmacis fuerit admixtus agaricus, cùm tamen scopum huius non videamus, propterea eundem reiicimus.

Rhabarbarum pag. 143.) Propter tonum hepatis restaurativum, *anima* eius dictum, minus æstimat AVTOR *noster*: interim non planè reiiciendum illud est, cùm non solùm vis laxativa in eodem consideranda sit, sed & vis specifica alterativa, ratione cuius omninò magni ducenda: hinc & à PARACELSO laudatur, si nempè dematur eius vis laxativa: imò novi hîc Mercatorem, qui calculosus aliàs pulveris rhabarbari usu solet se à calculo præservare; non secus constat ex SCHOLZIO, usum eius-

ejusdem hydropicis contulisse: his ergo in casibus pulvis ejus commodè dosi ℈j ad ʒj. in vehiculo quoque propinari poterit. Cæterùm, utut *Rhabarbarum exotica Chinæ radix* sit; nostrum tamen monachorum seu hippolapathum in duplicata dosi assumptum eidem potest substitui, & hac ratione tantum, quantum illa præstat. Insuper pulvis rhabarbari tosti solet quoque esse in usu, quem nec reijcio: cùm verum sit, quod laxativa rhabarbari vis consistat in volatili quadam substantia, levi calore dissipabili & pereunte; adeoque & Decoctum & Extractum rhabarbari sunt effœta & languida, quia sub decoctione, evaporatione, inspissatioņeque vis laxativa perit. Hincque ea hodie non sunt in usu; quin potiùs sumitur rhabarbarum in substantia cum cremore tartari, similique tartareo stimulo commodiùs. Sic & MANARDUS Emplastro, cujus descriptio extat in *Dispensatorio* HORSTII, rhabarbarum addidit, pro dissolvendis gummatibus Venereis conducenti: ast cùm meliora prostent, propterea etiam illo emplastro carere possumus.

Guttam Gambodiam pag 144.) Hujus natales sunt penitus absconditi, utut HORSTIUS & HOFFMANNUS in Officinis patent, esse eam ex tithymalorum specie, succum coagulatum, quantumvis ea sit aurei coloris: & sanè omnia quidem attributa hujus conspirant cum succo tithymalino; est enim Gummigotte subjectum acre & erodens, adeoque præter laxandi vim, non rarò vomitus immensos excitat. De cætero nihil aliud esse videtur, quàm *succus Ricini Indici inspissatus*, è caudice Ricini circa radicem vulnerato destillans, & croco Indico tinctus, & easdem cum scammonio præparationes sustinet. Interim loco dicti Gummiguttæ tutiùs scammonio uti possumus. Propinatur aliàs variis modis: nunc quidem crudum, nunc verò præparatum; nec præparatione insigni opus est, nisi pro castigatione ejusdem; crudi autem dosis est ℈ß. sic namque THONERUS *in sua Praxi* loco vomitorii hoc exhibet, dum *illius* ℈ß. addit *Syrupi rosarum solutivi* ʒvj. aquæ *cinnam. borrag.* ℥j. sicque mixta pro una dosi propinat: hac ratione ejus usu & vomitus, & interdum quoque secessus excitari solent. Interim, cum existat acrius, propterea corrigi nonnihil solet, subigendo cum oleo amygdalarum dulcium; vel & eidem aliquot guttæ olei destillati adijciendo, pro acrimonia obtundenda: spiritu vitrioli impraegnant alii pulverem ejus; verùm sic castrant, non verò corrigunt Gummiguttæ. Optimè autem ea corrigitur sale tartari more CLOSSÆI, quem habet SCHROEDERUS *lib.* 4. *pag.* 256. Interim, cum operosus sit labor ille, propterea loco salis tartari sumatur spiritus vini probè tartarisatus, quo ipso Essentia aurea elicietur; sic namque Gummiguttæ correctum propinari potest. Etenim in universum sunt duo generalia fortiorum purgantium correctiva: nempè acida, & alcalisata; quorum illa sunt vel spiritus vitrioli, vel fumus sulphuris incensi: quæ ipsa mitigant quidem purgantia, dum ea castrant; interim & eorundem vim laxativam, figendo sal uolatile acre, plus minus demunt, in quo primariò vis laxativa recondita hæret, quo destructo hæc cessat. Longè autem melior est correctio purgantium per alcalisata, quæ inter præferentiam habet sal tartari, cujus in locum & nitrum cum carbonibus fixatum potest assumi: illud autem sal tartari eatenus purgantia corrigit, quatenus resinam vel gummi eorundē laxativum alterat, id est, texturam illorum pinguem resolvendo, eandem penetrantiorem, visciditatemque attenuando minus torminosam reddit: & hoc modo correctum præfertur gummi de Peru rosato, quippe quæ correctio est saltem superficialis ejusdem incrustatio. Tandem non incommodè ex Gummiguttæ cum *spiritu vini magisterium*, vel & *pulvis polychrestus Mynſ.* parari potest ad modum scammonii. Interim cùm iisdem viribus ferè polleat scammonium, ac adhuc fortioribus, imò & Jalappa, utut mitioribus, propterea non opus est, ut nobis tædia ex Gummigottæ paremus, quin potius eodem penitus carere possumus.

Euphorbium pag. 146.) *Euphorbium Veterum* quid sit? reverâ incognitum est: Interim sufficit succum istum inspissatum, quem nos *Euphorbium* vocamus, esse violentissimum & acerrimum; unde & in desuetudinem ejus usus abiit, quoquo etiam modo per acida corrosiva pervertatur idem, & in aliud esse convertatur; Etenim, quibus volupe est, euphorbium usurpare, solent id imbibere cum spiritu vitrioli aut aceto, sicque hac ratione penitus castrare. Cæterum nunquam illud externè usurpatur propter nimiam violentiam, sed saltem externè: Nempè vice sternutatoriorum id naribus ferinis rusticorum inflatur, cum inter errhina sit primarium Veterum; & hoc propter acrimoniam, imprimis sub forma sicca, in desuetudinem venit: Ut taceam, quod talia acerrima sternutatoria perquàm sint nociva, quandoquidem referente KERKRINGIO *Observat.* 51. *Spicileg* helleborina, quæ tamen ab euphorbio longè superantur, periculum nimiæ hæmorrhagiæ intulerunt. Loco pulveris igitur Decoctum ejusdem in aqua simplici factum attrahatur à naribus, & iisdem illinatur pro sternutatorio. Interim quoque hujus loco bina nobis securiora prostant sternutatoria; quorum alterum siccum, alterum humidum est. *Siccum* commendat HELMONTIUS *Tr. Tussis & asthma*, & paratur ex ana *radicis hellebori nigri siccatæ* (non verò situ corruptæ) & *sacchari*; quæ minutissimè pulverisata irrorentur aliquot guttulis *olei destillati caryophyllor.* vel *majoranæ* aut *lavendulæ*, hinc serventur pro usu satis diuturno & effectu laudabili; est enim suave sternutatorium. Sicuti in forma humida loco omnium esse potest, si

℞. *Vitrioli albi* ʒj.
Solvatur in
Aquæ simpl. vel font. ℔j.

Hinc probè filtrati liquoris parum in nares cum cavo manus sufflettur; aut cum linteolo in forma turundæ iisdem intrudatur.

Hoc sternutatorium in usu fuit B. *Dn.* D. LANGIO, ac huius laudes descriptæ quoque sunt in MISCELL. NAT. CUR. *ann.* 3. *Observ.* 14.

Porrò præter dictum usum externum, euphorbium etiam locum habet in casibus chirurgicis, nempè in ulceribus profundis, cum carie incipiente affectis, quo in casu pulvis euphorbii vel solus, vel cum pulvere rad. Ireos Florentinæ mistus, vel & spiritu vini irroratus; cum contra in confirmata ossium carie vel ferro etiam radendo, vel igne urendo, in usum vocandum sit: atque dictum euphorbium per experientiam confirmatum videb. in HILDANI *Cent.* 2. & RIVERIO *Cent.* 2. *Observ.* 79. & KESLERO *Cent.* 2. *Proces.* 88. *pag.* 183.

Elaterium pag. 147.) Elaterium est succus cucumeris asinini expressus & inspissatus, violentumque remedium, & specificè imprimis hydropicorum ex cavo abdominis aquis evacuandis dicatus; siquidem cùm hortulano ascitico aliquando succum recens expressum ad cochl. j. commendarem, ille ab usu ejus copiosissimè purgatus fuit: Cæterum elaterium per se rarò in usum vocatur, quin potius, quibus placet pro leucophlegmatia & cognatis affectibus id usurpare, illi parent sibi essentiam & extractum ex radice cucumeris asinini, recipiendo radicis cucumeris asinini in umbra exsiccatæ q. v. cui superinfundat spiritum vini tartarisatum, eliciatque *essentiam*; quæ sub Extracti forma à ℈ß ad ℈j violenter hydropicorum aquas expurgat. Interim, quia Jalappa, hujusque resina, in casu hydropicorum non minoris est efficaciæ, testante BORELLO *Cent.* 2. *Observ* 23. proin non est, quod huic illud præferamus. Tandem memini, me ante aliquot annos succum cucumerum asininorum recens expressum fermentationi subjecisse, hincque potum vinosum aurei coloris accepisse, quem inspissatum in *extractum*, mirè purgans observavi. Tanta vis est fermentationis.

Esula.) Hujus radicis cortex in usu saltem est. Cæterum observatum refertur à quibusdam, quod pro ratione collectionis Vegetabilium purgantium nunc supra nunc infra purgent: ac de asaro narrant, quod folia eius & radix sursum avulsa vomitorium, deorsum verò simpliciter purgans fiant: Sic quoque de Julis Sambuci idem dicitur, nec non de aliis, & esula quoque. Aliàs cortex radicis esulæ propter igneam acrimoniam, quam linguæ occultat, sed faucibus piperis ad instar affricat, præparari solet; vel subigendo eam cum mucilagine tragacanthi, adeoque inviscando; vel per infusiones cum acidis, ut succo citri, cydoniorum; ubi dein cortex ita præparatus in Infuso aut extracto usurpari solet. Verùm meliùs adhuc cortex radicis esulæ recens infunditur in acetum vel succum citri, quò sic sal illius volatile mitigetur: dein fiat Extractio ejus cum aqua absinthii sale tartari acuata; ita enim Extractum hoc fortioribus subiectis, pro viscidis succis evacuandis, cōmodè ad imitationem RULANDI exhiberi poterit. Interim cum nobis Scammonium obtigerit, hoc quoque esulæ vices explebit, nec hæc locum habebit, nisi pro setaceo aut fonticulo in auris lobo ad modum radicis mezerii instituendo: de quo vid. RIVERIUS *Cent.* 4. *Observ.* 24. Parant quidam, ut WECKERUS, Conservam ex floribus & foliis esulæ cum saccharo; nisi verò addantur corrigentia, nunquam tutò in usum est vocanda.

Lathyridis ac Ricini.) Ricini, tàm *vulgaris* seu *catapatiæ maioris*, quàm *Americani semina*, *granatilli* vocata, bestiis quoque hostilia sunt, dum eius olei expressi gutta violentissimè evacuat: Hinc exulent ex Praxi; non secus ac pilulæ de Mezereo hydroticæ vitentur.

Mezerii grana, cortices ac folia.) *Mezereum* acre est purgans, ac, uti SCHROEDERUS dicit, propter malignitatem rarissimè in usum venit, nisi cum aceto probè castratum fuerit. Hoc interim observandum est, quod folia Mezerii in vino decocta menses cieant singulari efficacia sine laxatione: vid M. A. N. C. *ann.* 4. *append. pag.* 34. *Extrinsecùs* ergò potius loco setacei usurpatur radix in aceto nonnihil macerata, & auribus perforatis indita in oculorum catarrhalibus, similibusque affectibus: Conferatur RIVERIUS *Cent.* 4. *Observ.* 100.

Succus radicis Ireos nostratis pag. 148.) Hic in hydrope curanda multum habet in recessu; ac in specie, si illi simul angustiis præcordiorum laborent, mirum leuamen percipiunt: in quo casu ex incisa hac radice exprimitur succus per residentiam depurandus, & cum Syrupi uiolarum ana: v. g. ʒvi. ad ℥j. propinandus; sic namque puræ aquæ educuntur: vel quod commodius adhuc est, radix eadem incisa coquatur uel in iusculo carnis uel gallinæ, dein iusculum pro lubitu propinetur ægro sine turbatione; in hydrope enim validum est remedium, & quasi singulari proprietate uberrimè

primè aquas hydropicorum educit: vel recens in fuccum exprimitur, vel infufi forma propinatur. Quidam deftillant fuccum, & ad ℥iij. propinant pro fcopo purgandi.

Bryoniæ.) Succus hic vel per fe ad aliquot uncias, vel cum faccharo Syrupus paratus & ufurpatus, convenit in hydrope; evacuat enim nimis abundans ferum.

Corticum ebuli atque Sambuci.) Horum utrique interiores vino infufi conducunt pro fero hydropicorum evacuando: aft horum loco Jalappa fufficit. Aut quibus noftratium evporifton aliquod placet, ii tempore verno *recipiant flores acaciæ* noftratis recentes, quos cum ana abfynthii miftos in forma noduli vino infundant: & fanè vinum hujus noduli infufi revera conducit cachecticis & fcorbuticis tumido ventro præditis, fumendo ejus hauftum manè.

Expreffum arillarum oleum.) Nempè ex arillis fambuci baccarum conficitur oleum, violentum vomitorium exiftens, ad ʒj. in cerevifia affumptum.

Frangulæ cortex.) Hujus interior cortex rarò, præterquam in hydrope, præfertim in infufo à ʒiij. ad ʒvj. ufurpatur: aliàs eft rari ufus.

Nicotianæ Infufum vel Decoctum.) Hoc efficaciter fupernè & infernè purgat, præfertim cum notum fit, quod tabaci bibuli, fumi illius tantillum deglutientes, & vomant & cacent: ficquoque *Extractum* cum fpiritu uini factum pro fcopo apophlegmatifatorio infervit; fi nempè illius pilula unica vel altera in ore detineatur, cavendo probè ejus deglutitionem; fic enim lympham falivalem copiosè elicit. Infuper, qui volunt habere purgans ex Nicotiana, imitentur Anglorum confuetudinem, fub forma clyfmatis fumum inteftinis immittentium: quod videb. in BARTHOLINO *Cent. 6. Hiftor. anat.* 66. prodeft enim taliter in torminibus colicis, fedat dolores & provocat alvum. In uino vel aqua cocta dentium dolorem fiftit, quidam coquunt in acetulo, fed malè, acetum enim acorem auget.

Effœta.) Talia rectè funt myrobalani fructus exficcati, & ab Arabibus commendati: Verùm adeò ij non æftimantur. Equidem dicuntur laxare, & ftomachum poft laxationem adftringendo confortare; hincque in praxi communi in principio dyfenteriæ propinantur: aft fi dyfenteriæ per fpecifica & opiata occurrimus, myrobalanis non indigemus.

Carthami femen, pag. 149.) Hoc tritum exhibere fertur emulfionem purgantem, aft languidam.

Epithymum, cufcuta.) Hæc inter alterantia potiùs locum inveniunt.

Polypodium.) Commendatur præfertim ex radice querna enatum, ut de hujus fucco nonnihil participet: feliciffimè laxat, & inter Melancholiam evacuantia, & inde natos chronicos affectus curantia, hoc eft, *Aperientia* vulgò dicta refertur. Per fe rarò aut nunquam ufurpatur, faltem aliis additur; cum quibus unà infundatur dofi ab ℥j ad ℥ij. præterpropter.

Exoleta: Soldanella.) Hanc Monfpelii crefcentem commendant in hydrope: Verùm alia proftant magis proficua.

Gummi Sarcocollam.) Hoc dofi ʒj. pro fcopo purgandi à quibusdam præfcribitur: verùm non amplius eft in ufu. Imò loco omnium gummatum purgantium duo fufficere poffunt, nempè ammoniacum, & galbanum: ac quidem ammoniacum nobile eft in incidendo, attenuando & refoluendo muco vifcido in inteftinis ftabulante, pilulis fociatum, vel & per fe in forma liquida ufurpatum; quo in cafu ructus quidem inducit, valdè tamen efficax eft: Sic v. g.

℞. *Aquæ menth.* ℥j.
Gumm. ammoniaci in aceto vel *vino folut.* ℈j.
Tartari uitriolati ℈ß.
Scammon. præpar. gr. ij. vel iij.
Syrupi rofar. ʒiij. M.

Et quidem hæc potio amaricans eft; interim tamen miratus fum, quas ea fordes mucilaginofas & vifcidas feliciffimè evacuaverit, & quàm egregiè in dolore hypochondriaco lateris finiftri profuerit.

Sic quoque idem ammoniacum fine additis ftimulantibus incidit: Interim pro fcopo evacuandi eo non indigemus. Similiter gummi galbanum in abdominis doloribus, primariò convulfivis, ut colica, paffione hypochondriaca, paffione hyfterica, itemque torminibus fcorbuticis, emplaftri formâ, vel & olei deftillati, adeoque oleum galbani regioni umbilici illitum, egregium eft, utut pro fcopo laxandi minus id ufitatum fit.

Compofitis tot pilularum formulas.) Si infpicimus tot difpenfatoria, prout quidem numerofiffimis pulverum, fpecierum, & Electuariorum compofitionibus funt infecta, facilè obfervamus, bafin illorum omnium effe fcammonium & colocynthidem in pulveris forma crudè illis adjecta: quibus ceu columnis, varia funt addita aromatica purgantia, variata faltem hinc inde dofi. Jam ergò optimè illis carere poffumus, quia

1. Ingredientia funt cruda.
2. Ita non ritè correcta torminofa.
3. Dofis illarum Compofitionum inepta.

Unde rectè expunguntur omnes ab AUTORE *noftro.*

Oxymel helleboratum.) Propter ingrediētium helleborum album fuperat omnem antimonialem vim: ficenim novi me nodulum præfcripfiffe mulieri cujusdam Materialiftæ, quem ingrediebatur præter alia helleborus niger; nafutulus verò famulus illius credens, *album meliorem effe nigro*, album fumpfit, unde ex ejus ufu patiens vomuit, cacavit, lipothymiam incidit, adeo, ut confilio hîc opus effet, quò eriperetur morti ægra.

Nec quid in domeftico, p. 152.) Rejicit hîc AUTOR etiam Syrupum de Spina cervina; qui tamen in tenellis non negligendus, utut pro adultis minus fufficiens fit: nam illis non ablactatis blandè evacuat meconium, & fi eidem pulveres acida abforbentes addantur, emendat tormina: v. g.

℞. *Syrup. de fpin. cervin.* ℥j.
Rofar. ʒij.
Lapill. cancr. præp. ʒß.
Corall. rub. præp. gr. xij.
Spirit. anifi parum M.

Propinetur cochlear aliquoties interdiu; hâc ratione blandè purgabitur infans, & fi quæ tormina adfuerint, ea fiftentur; ac cùm fubinde fæces excretas colore viridi, aut ex viridi nigrefcente tingat, hinc cavendum, ne hoc pharmaco decipiamur.

Pulveres.) Hic tria AUTOR *nofter* taxat:

1. *Communia Difpenfatoria*, quæ pulveres purgantes, in *Pharm. Aug.* evolvendos, fuadent fæpè ad ʒj. affumendos.
2. *Quercetanum*; &
3. *ZWuelfferum* antiquas compofitiones novis nominibus fubinde decorantem.

Pilularum officinalium, pag. 153.) Has vel fcammonium vel colocynthis femper ingreditur; unde tantam earum coacervationem reijcit, nec amplius in ufu funt propter inconditam dofin.

Syrupi, pag. 156.) Hodie reliquis faltem adjiciuntur faporis gratia, non autem, ut olim, vnciatim propinantur.

Gratiolam, pag. 159) Ex hujus floribus & herba cum faccharo *Conferva* conficitur, cujus dofis ʒj. ad ʒij.: eft vomitorium in febribus intermittentibus ante paroxyfmum non inelegans; fed antimonialia præftant.

Aquas deftillatas purgatrices.) Sunt qui dubitant, *an vis purgatrix per alembicum duci poffit*? quam fententiam tamen affirmativè defendunt BORRICHIUS *de Hermet. Sapient.* & ZWELFERUS: Verùm, quid opus, ut tantis acrioribus gulam exafperemus?

Odoramenta purgantia.) Exempla SCHNEIDERUS *de offe cribriformi* habet per odores purgatorum; & cùm ex tritura purgantis nonnulli mouerentur, proindè ad huius imitationem globulos naribus applicandos nonnulli introduxerunt. Cæterùm odorantia talia delicatioribus quidem fatisfaciunt; aft pro certa & robuftà purgatione omnia eorum funt admodum dubia.

Catharticorum complura auro involvere, p. 161.) Hoc faciunt nonnulli pro fcopo confortandi naturam, aut & ftomachum roborandi: fed utrumque fruftraneum; ftante enim purgantis efficacia, hoc efficiet officium fuum, & natura inde iuxta Hippocratis effatum fubleuabitur.

Corallia.) Ufu receptum eft, ut fubinde purgantibus digeftiua præmittantur feu præcipitantia, ideò, ut impedimenta, quæ aliàs impediunt uel difficiliorem reddunt purgationem, remoueantur. Jam uerò impedimentorum illorum imprimis duo funt genera:

1. *Succorum* per purgans euacuandorum *vifciditas & glutinofitas*, cuius proprietatis ratione difficulter funt mobiles.
2. *Eorum acrimonia nimis acida*, ui cuius rodendo & uellicando inteftina, hæc plus minus euacuantur, indeque tormina & fluxus dyfenterici fuperuenirent, quales in hyftericis obferuauimus.

Ergo, ut hæc omnia præcaueamus, & intentio purgantis faciliter, præmittamus digeftiua, aliàs præcipitantia, item abftergentia & incidentia dicta: nempè pro uifciditate fuccorum euacuandorum corrigenda adhibeamus falina tartarea; ficut pro eorundem acrimonia temperanda Martialia, marina, uel terrea, acidum abforbentia & inuertentia. Hæc inter taxat illos, qui Margaritas, Bezoar, uel fimilia ufurpant. cùm Corallia aut mater perlarum uel lapilli cancri fufficiant. Unde pro fcopo uifciditatis præparandæ loco digeftiui efto:

℞. *Tartari uitriolati* gr. xv.
Salis abfynth. vel *fal. tartar.* gr. vj.
M. Detur in duplo, S.
Emolliens puluis digeftiuus.

Quarum una dofis fumatur vefperi in vehiculo frigido, altera in vehiculo calido manè.

Vel

℞. *Arcan. dupul. Mynf.* gr. xv. ad ℈j.
Salis card. bened. gr. vi.
M. Detur in duplo: S. ut fuprà.

Ufurpatur dicto modo.

Sic pro fcopo acrimoniæ acidæ præparandæ:

℞. *Lapill. cancr. præp.* ℈i.
Sal. tartari gr. vi.
M. d. in duplo.

Ufurpetur dicto modo. Vel

℞. *Lap.*

℞. *Lap. cancr. prap.* ℥ß.
Corall. rub prep.
Croci martis aper. an. ℈ß.
M. D. in 2. partes S.
Pulvis obstruens vel supprimens.

Usurpetur dicto modo.

Nam & martialia in præparandis subiectis hypochondriacis, hystericis & melancholicis, suum locum merentur, ubi martialia digestiva præmittenda sunt; hinc tinctura vitrioli martis Zwelfferi & liquor martis solaris egregia sunt. Item utrisque impedimentis satisfacit hæc formula:

℞. *Lapill. cancr. prap. vel matr. perl. prap.* ℥ß.
Arcani dulp. ℈j.
Salis absynth. ℈ß.

M. D. in duas partes, & usurpentur, uti dictum.

Oleum Cinnamomi.) Olea destillata ob sui fervorem & imminentem siticulositatem à purgantibus abesse docet. Interim quoque duobus in casibus iis rectè adiiciuntur; Nempè

1. Quando æger admodum cruciatur flatibus, ubi olea carminantia ad gutt ii. vel iii. adiicienda sunt purgantibus.
2. Quando purgantia sunt admodum resinosa, quo in casu etiam terendo iisdem aliquid olei destillati immiscendum est, quo sic dissolvatur resina laxativa & dilatetur; sic enim dilatata purgantia uberiùs longè & absque torminum molestia evacuabunt.

Supervacaneorum.) Inter hæc sunt compositiones vulgares, quarum tantùm, quia omnes ferè coincidunt, 10. vel 20. sufficere possunt; hinc & agaricus non trochiscatus cum spiritu vini, addito pauco Zingibere, in extractum redigi potest; non secus ac quoque Extractum colocynthidis sine prævia trochiscorum formatione.

Digestiva illa alcalina pag 163.) Digestiva hic reiicit AUTOR, sed cum respectu: Sc. digestiva alcalina tartarea in debita proportione purgantibus adiecta suam laudem merentur; ast non improportionaliter, h. e. in excessu adiecta: v. g. sal tartari, nitrum fixum, &c. mitigant purgantia, ut hæc parum vel nihil operentur; quod idem & de salsis, e. g. de tartaro vitriolato, verum est. Similiter aloe per alcalina addita penitus invertitur, & vi purgandi spoliatur: Adeò ergò mediocriter illa, h. e. ad gr. i. alterumvè purgantia ingredi deberent; promovent enim sic mirè horum vim, ut & dimidiata dosis eorundem sufficiat, additis nempè cremore tartari, tartaro vitriolato, aut terra fol. tartari, gr. vi. vii. ad x. vel xii.

Feliciùs per Infusa laxativa pag. 164.) Dantur sc subiecta, quæ non possunt laxari, præmissis licet digestivis, purgantibus, forma pilularum aut pulveris assumptis; qualia subiecta sunt hypochondriaca & melancholica: interim illa benè per Infusa sennata aut passulata moventur: Causa quidem huius rei est acidum austerum inprimis viis prævalens, à quo non tantùm purgativa remediorum vis figitur, sed & fibrarum stomachi & intestinorũ adest quasi vigor; adeò ut fortiori etiam stimulo renitantur, & minus irritari illa queant, sed saltem tormina excitentur, pauca verò vel nulla evacuatio. In tali casu dicimus blandiora humectantia & abstergentia esse optima, nempè serum lactis depuratum, lac ebutyratum, Infusum sennæ cum sale tartari, pulveres dicti cum tartaro vitriolato.

Formulæ pag. 165.) Pergit iam AUTOR selectum istorum purgantium explicaturus ad uniuersam Praxin. Formulæ mille concinnari possunt, & quidem pulueres ita:

℞. *Pulv. Jalapp.* ℈iv.
Magist. scamm. ℈i.
Olei nucist. expr. ℈ß. (aut *pulu. nucist.* gr. xv.)
M. F. pulu. pro 5. uel 6. dosibus.

Vel

℞. *Jalapp. pulv.* gr. xii. ad xv.
Antimonii diaphor. non edulcorat. (quo sc. nitri partem retineat) gr. vi. vii. viii.

Detur purgandis tertianariis. Aut

℞. *Tartari puriss.* (vel loco huius *crem. tartari*, uel *sal tartari vitriolat.*)
Pulv. Jalapp. an. ℈ß ad gr. xii.
Polychrest scamm gr. v.
M. f. *pulv.* pro una dosi.

Atque allegatæ formulæ sufficere possent loco *pulv. laxativi Vegetabilis* (qui constat ex an. *cremoris tartari & pulv. Jalappæ*) item loco *specierum diatalapp. Mynsichtii*, nec non loco *cerberi tricipitis* seu *pulveris Cornachini*, cuius Compositio est:

℞. *Resin. scamm.* part. iii.
Antimonii diaph. part. ii.
Crem. tartari part. i.
M. Dosis huius ℈i. ad ℥ß.

Tandem & loco cathartici, cuius AUTOR est ZWELFFERUS *in Pharm. Reg. pag.* 96. quodque coincidit cum *pulvere Cornachini*.

Pilulas pag. 166.) Ex his selectis purgantibus secundùm manuductionem Autoris fiunt pilulæ: v. g.

℞. *Pulv. Jalapp.*
Polychrest. scamm. an. ℥ß.

Cum s. q. Extracti seu Diluti aloes gummosæ cum aqua simpl. sale tartari acuata facti, fiat Massa pilularum:

Quarum dosis à ℈ß. ad ℈i. & grana xxv. sufficere possunt pro multis.

Aut si quis antiqua chorda oberrare gestiat; tunc

℞. *Pulv. Jalapp.*
Magist. Jalapp. aut *scamm.*
Extract. helleb. nigr. ritè parati an. ℈i.
Colocynth. cum spiritu vini tartarisat. fact. gr. xv.
M. f. M. P.

Cuius gr. xv. ad ℈i. abundè sufficerent quibuslibet ægris & succis euacuandis. Nam posito, esse euacuandos uarios succos, omnia habemus in hac formula; pro sero nempè Magisterium Jalappæ, pro pituita uerò uiscida colocynthidis. Vel

℞. *Magist. scammon.*
Jalapp. an. ℈i.
Extr. colocynth. ℈ß.

Cum s. q. *diluti seu extracti aloes gummosa* f. *massa pilularum vel pilulæ*: quæ dosi gr. xv. ad gr. xviii. abundè aluum depurgabunt.

Vel

℞. *Extr. helleb. nigri* gr. xv. ad ℈i.
Pulv. polychresti ex scamm. gr. ii.
Extracti colocynth gr i.

Cum s. q. *Olei destillati anisi* fiant *pilulæ*.

Porrò his massis combinari quoque possent martialia, ut uitriolum martis, Extract. martis cum succo pomor. pro hypochondriacis; Castorina, ut Extractum castorei pro hystericis; tartarus uitriolatus pro aliis: non secus ac mercurialia pro venereis: v. g.

℞. *Mass. pilul. cathol. supradict* gr. xii. ad xv.
Mercurii dulc. gr. xv.
Extract. colocynth gr. i.

M. f. *pilulæ* in gonorrhæa virulenta.

Vel similiter pro hypochondriacis:

℞. *Mass. pilul eiusdem* gr. xii.
Gumm. ammoniaci in acet. solut. ℈ß. ad gr. xiii. vel xv.
M. f. *pilulæ antihypochondriacæ.*

Morsulos pag. 169.) Confectio citri est elegans: vid ZWELFFERUS: sed mulieres quia ut plurimum anisata ferre nequeant, propterea loco Confectionis anisi tales præscribere possumus morsulos:

℞. *Magist. Jalapp.* uel *scamm.* ℥ß.

Permisce probè cum *cort. citri recent.* in mortario ad pulpæ consistentiam *contusis* ad ℥i. essent.

adde

Essent. Citri saccharin. (cuius descriptionem habet ZWELFFERUS *in Pharm. Reg.*) ℥ii.

Subige probè cum *amygdalis dulcibus excort.* (ut resina dissoluatur) & cum *sacchari albissimi* s. q. *succo citri solutis* ℥iii. redige in *morsulos.*

Vel

℞. *Mag. scammon.* ℥iii.

Subige probè cum *amygdalis dulcibus excorticatis & incis.* hinc cum *saccharo in succo citri solut.* ℥iv. redige in *morsulos*: quibus asperge *oleosum succum corticum citri* abundè; ita hi morsuli dosi ℥iii. ad ℥ß. laxabunt ægrum abundè.

Vel denique ad imitationem morsuli dia-tartari:

℞. *Pulv. Jalapp.*
Crem. tartari an. ℥iii.
Mag. scamm. ℥i.

Cum *sacch. albi in aqua rosar. soluti* ℥iv. vel ℥vi.
Fiant *morsuli*,

Irrorandi perfectè *oleoso succo cort. citri.*

Dosis ℥iii. ad ℥ß.

Electuarium aut bolum pag. 170.) Sic *bolus purgans* esse potest; v. g.

℞. *Conserv. rosar.* ℥i.
Pulv. Jalapp. gr. xv.
Polychrest ex scamm. gr. iii.

Cum s. q. *Syrupi rosar.* f. *Bolus*.

D. S.

Bolus purgans pro una vice.

Sic si placuerit cuipiam *Electuarium*:

℞. *Conserv flor. tunc.*
Rosar. an. ℥i.
Pulv. hepat. rubei ℥ii.
Jalapp. ℥i.
Scammon. polych.
Macis an. ℈i.
Caryoph.
Cinnamom. an. ℈ß.

Cum s. q. *Syrup. rosar* F. Elect. pro 4. 5. vel 6. aut 7. dosibus. S.

Electuarium laxat. vum pro aliquot vicibus.

Eiusmodi ergo bolo vel Electuario instructi commodè aliis omnibus harum compositionum carere possumus.

Passulis laxativis ficis pag. 171.) Has quidem reiicit AUTOR *noster* cum humidis. Interim tales passulæ laxativæ adhuc in usu sunt pro delicatioribus & hypochondriacis: Sic enim

℞. *Pas-*

℞. *Passul. minor.* qu. pl.
Easque, donec tumescant, coque: quo facto
℞. *Scamm. in vino albo solut. & exsiccat.* ℈i. vel ʒß.
Hocque passular. tumefactarum, dum adhuc calent, ℥i. asperge, hinc mistas radiis solaribus exsicca; ita purgabunt eædem pro 2. vel 3. dosibus, ubi & scammonio addi poterit tartarus vitriolatus, aut nitrum vitriolatum digestivi loco.

Vel etiam

℞. *Vinum blanda infusione sennæ impregnatum:*
Hocque filtratum teratur cum *scammonio*, ut lactescat mistura, infundenda passulis; quo facto hæ reponantur in locum calidum, ut blandissimè ebulliant: Sic enim intumescunt & imprægnantur vi purgante: dein exsiccentur in sole, & supra dicto modo propinentur.

Vel denique

Passulis ad tumescentiam ebullitis, & adhuc dùm calidis, inspergatur modò allegatus liquor lacteus ex scammonii tritura natus, hinc ad solem exsiccando, & repetendo hoc toties quoties placuerit.

Pulpa tamarindorum purgans pag. 177.) Prostat in officinis pulpa tamarindorum saccharo condita, ut asservari possit. Sed melius est, si loco sacchari pulpa tamarindorum cum succo passularum addito inspissetur, & ita ad tempus asservetur. Blandè laxat, seu potiùs saltem alvum apertam conservat. V. g. in scorbuto:

℞. *Pulp. tamarind.* ℥i.
Dissolve in s. q. *seri lactis*:
Colatura D. S.
Potiuncula laxativa.

Item in forma Boli:

℞. *Pulp. tamarind.* ʒii.
Pulv. rhab. ℈i.
Scamm. prepar. gr. iii.
M. f. *Bolus.* D. S.
Bolus laxativus pro una vice.

Liquor.) Si liquida purgandi forma expetatur, tunc
℞. *Magist. Jalapp.*
Scammon. an. gr. v. vel vi.
Dissolue hæc in s. q. v. g. *spiritus vini* ʒiii.
Hinc adde solutioni
Syr. papav. errat. ʒi.
M. f. *Potiuncula* grata pro una dosi.
Vel, qui modus elegantior:
℞. *Cort. citr.* ℥ß.
Pulv. Jalapp. ℥i.
Infunde in s. q. v. g. ℥viii. *spiritus vini*:
Stent in loco tepido ad extractionem tincturæ aureæ, hinc filtratus detur pro dosi ʒii. uel iii. pro conditione sc. ægri.

Huc pertinent & *Emulsiones cum uitello oui*, aut semine melonum, amygdalis dulcibus, &c. ex resinis aut magisteriis purgantium confectæ.

Jalapii solitarii pag. 174.) v. g.
℞. *Aquæ rosar.* ℥i.
Ess. ribium uel *berber. sacchar at.* (h. e. succorum horum depuratorum saccharoque imprægnator.) ʒiii.
Pulv. Jalapp. ℈i.
M. pro 1. dosi.

Sola quoque senna pag. 175.) Infusa liquida ex senna parandi modus est talis:

℞. *Herb cochlear incis.* M.ß. ad M.i.
Fol senn. sine stipit. ʒvi.
Nitri fixat. cum carbon. uel *sal tartari* ℈j. ad gr. xxv.
Infunde in s. q. *vini alb. vel rubri* (sic huius acidum concurrendo cum sale fixo abit in concretum terræ foliatæ simile, corrigens sennæ) stent in loco tepido per noctem: manè
℞. *Colat.* ℔ß. ad ℥viii.
Aquæ Cinam. ʒvi. ad ℥i.
M. pro duabus uel tribus dosibus.

Potest etiam loco uini simplicis sumi uinum absynthiacum uel cardui benedicti.

Generalibus dosibus designationibus p. 176.) Has sc. doses purgantium AUTOR cum cautela administrandas uult. Nempè cùm purgantia indiscriminatim operentur, i. e. tàm sanos, quàm ægros eodem modo aut impetu afficiant (de quo conferatur KNOFFELIUS M. M. febr. epidem.) hinc fit, ut purgantia non simpliciter humores noxios euacuent, sed aliquales in iis latet impostura, h. e. ut utiles & nutritiuos humores simul eliminent; adeoque si æger purgandus sit, non plures eidem procuramus secessus, quàm 4. aut 5. aut 6. quod autem superest, inutile est. Ex his infero: inter purgantia, quà purgantia, omnem selectum esse superuacaneum, ita ut non confugiendum sit ad melanagoga, phlegmagoga, &c. quandoquidem promiscuè purgant; adeoque quodlibet supra dictorum tutò assumi potest. Interim tamen quotidiana Praxis uarietatem expurgationis monstrat, propter quam omninò distinctio facienda in legitima purgationis administratione: idque duplici ex causa, tàm propter purgantium remediorum, quàm expurgandi subiecti varietatem, eiusdemque varias proprietates. Ac quidem in remedio purgante, præter vim laxativam & evacuativam, simul respiciendæ sunt eiusdem variæ proprietates alterantes, h. e. evacuandorum humorum noxiæ qualitates (nam omnia Vegetabilia purgantia, quoad venenum purgans, coincidunt.) Hinc siquidem helleborus niger & eius Extractum hypochondriacis, melancholicis, &c speciatim convenit, non quidem, quod contrarium humorem melancholicum euacuet, sed potiùs acidum peccans correctum exturbet. Pari ratione colocynthis propter suam acrimoniam insignem colliquantem & resolventem cruditatibus viscidis eliminandis dicata est; sicut contrà Jalappa iis, qui sunt succorum mobilium, conducit; & rhabarbarum magis illis, qui aliquali viscerum atonia laborant, confert, præscindendo; non quod hoc speciatim bilem evacuet. Atque hæc & similia si considerentur, etiam inter ista pauca hactenus recensita purgantia selectum instituere facilè erit.

Ratione verò subiecti expurgandi notandum est:

1. *An illud sit facilioris vel difficilioris solutionis?*
2. *An id iunctim aliis simul affectibus etiam sit obnoxium, qui vel irritantur, vel plus minus adhibitis purgantibus exasperantur?*

Quoad *prius*: sanè experientia constat, quædam subiecta faciliùs, quædam difficiliùs, laxari & purgari. Vbi *Ratio diversitatis ex triplici causa* deducenda. Quarum *Prima* est acidum stomachi esurinum plus minus validum; quò enim acidius vel vegetius illud extiterit, eò magis castrabit & alterabit purgantia, & vim eorum medicamentosam in alimentosam convertet. *Secunda causa* consistit in eo, quod succi corporis nostri nunc magis nunc minus fluxiles & resolubiles, & quasi liquabiles sint, fermentumque stomachi plus minus eosdem coagulet, hincque & plus minus evacuentur. *Tertia* est neruosarum partium in primis viis maior vel minor sensibilitas & irritabilitas; h. e. prout huius vel illius subiecti stomachus & intestina crassioris vel tenerioris sunt texturæ, eatenus & vel faciliùs vel difficiliùs, copiosiùs aut parciùs, laxari solent.

Quoad *posterius*: sanè probè advertendum est, an subiectum patiens etiam aliis morbis sit obnoxium? h. e. an purgandus homo mas ad colicam, aut fœmina ad hystericam sit disposita passionem? quod si sit, purgantium administratione facilè exasperari vel resuscitari pathemata illa poterunt.

Cæterùm ratio diuersitatis subiectorum purgandorum petenda quoque est remotè ex rebus 6. nonnaturalibus, quæ prout variant ratione diætæ, climatis, aëris, & diversam illis idiosyncrasiam imprimendo, eadem alterant.

TITULUS IV, DE LAXANTIBUS.

LAxantia pag. 179.) Hæc sunt, quæ non propriè sic dictæ catharsi conducunt, sed blandè laxare solent, quorumque vis ultra primas vias non extenditur. Talia sunt v. g.

℞. *Tartari uitriolati* vel *Crem. tartari* ℈ß.
Pulv. polych. scammon. gr. iii.

Mista propinentur ægro pro scopo laxandi, non autem purgandi.

Cæterùm studiosè addimus purgantibus sub minoratione doseos laxantia tartarea, pro meliore abstersione & vellicatione intestinorum.

Aloen selectam) Hic extollit AVTOR pilulas aloeticas cū aqua simplici sale tartari acuata extractas, quorum granum in 4. pilulas formetur, hincque harum 5. 7. 9. 12. pro dosi exhibendæ. Vbi notamus: in morbis chronicis subinde contingere, ut, dum propter conditiones subiectorum patientium radices illorum evelli non possint; iidemque morbi ordinariò ex cruditate stomachi acida originem ducant, tunc à posteriori saltem maiora eorundem incrementa præcavere debeamus. Atque pro hoc scopo remedia laxativa, seu primas vias evacuantia, egregia sunt, quæ sub forma *pilularum domesticarum* capiuntur: quales sunt *aloeticæ*, *Francofurtenses*, *Glassianæ*, &c. quorum usus est, relictas à cruditatibus acidis sordes, à quibus foveri solent morborum chronicorum radices, euacuare, sicque progressum morbi præcauere. Vnde in malo hypochondriaco confirmato, omnibus 8. vel 14. diebus pilulæ Glassianæ; sicuti in scorbuto confirmato pilulæ Francofurtenses singulo 14. dierum spatio, vel & menstruo, capi poterunt.

Elixyrio proprietatis non acidulato:) Acidus enim sapor spiritus sulphuris castrat aloen; hinc loco eius Elixyr proprietatis sine acido cum alcali paratum prostat.

Brevi ante cœnam pag. 180.) Modus utendi laxitivis est, ut assumantur eadem vesperi horâ i. vel alterâ ante cœnam, subsequente manè desuper capiendo essentias vel tincturas appropriatas. Sic hypochondriacus confirmatus pro scopo laxandi assumere potest vesperi

peri laxantes pilulas Francof. no. 15. aut Glassianas no. x. altero verò manè post tincturam martis cum succo pomorum; qua ratione corrigitur substantia per pilulas evacuanda: sicut similiter mulier hysterica, quæ assumit pilulas aloeticas, altero manè assumere potest Essentiam castorei vel myrrhæ. Manè autem non assumuntur allegata laxativa; quia tunc temporis alterantur maximè, & nihil operantur ob fermenti activitatem; quin potius deglutiuntur, ut dixi, ante cœnam, qua sequente stimulus jam intestinis impressus est promovendi eorum contenta; purgantia verò propriè sic dicta non ante cœnam sunt sumenda.

Angelicis.) Id est, Francofurtensibus. Dicta laxantia possunt acui vel cum tantillo scammonii vel Jalappæ, & specificari per castoreum pro mulieribus, & martialia pro viris hypochondriacis. Huiusmodi pilulæ erunt instar omnium, ut adeò non opus sit pilulis Francofurtensibus. Descriptionem harum videbitis in HORSTII *Dispensatorio*. Sunt autem pilulæ genuinæ nil aliud, quàm aloe infusa Vegetabilium succis, filtrata & inspissata: Extracto huic aloes gummoso certa portio Extracti gemmarum sambuci additur.

Sic *pilulæ allegatæ aloeticæ Autoris* loco pilularum ex ammoniaco & tartaro adhiberi possunt, utut etiam harum postremæ non inelegantes sint, in illis præsertim subjectis, qui facilis sunt solutionis, & qui morbis chronicis laborant; præsertim, ubi cum Extracto colocynthidos vel scammonii acuari possunt.

Aloe rosata.) Sunt acuandæ cum uno vel altero grano resinæ Jalappæ vel scammonii; sunt enim languidiores.

Aloephanginis, pag. 181.) Pilulæ aloephanginæ sunt aromaticæ potiùs, adeoque non laxant, sed magis stomachum roborant, quàm purgant: acuendæ ergò pro laxatione nunc cum scammonio, nunc cum trochiscis alhandal.

Etiam scyllæ.) Intelliguntur hic pilulæ Glassianæ, quæ constant ex aloe extracta atque à resina sua soluta: cui sub extractione parum scyllæ, nec non de aro aliquid adiici solet, quò nempè scylla, stimulando intestina, aloes virtutem excitet: Vid. HORSTIUS *l. c.*

Cardui benedicti.) Sunt qui loco Glassianarum sequentes extollunt in morbis chronicis:

℞. *Extract. card. bened.*
Gumm. ammon. an. ℥ij.
Mastich.
Succin. alb. an. ℨj.
Aloes succotr. ℥iß.

Pulverisata omnia infundantur ollæ, quæ Mensuram j. *aquæ* contineat: hinc blandissimo igne subinde agitando, ut ad debitam consistentiam fiat inspissatio, & ex hac massa *pilulæ* formari possint.

Interim horum loco sufficere possunt pilulæ aloeticæ nostræ superiùs datæ.

Pestilentialibus, pag. 182.) Sufficiunt autem loco pilularum pestilentialium ex aloes part. ii. myrrhę & croci part. i. Duplices sunt; vel *Avicennæ*, vel *Ruffi*; quarum has describit ZWELFFERUS *in Pharm. Regia*. *Avicennæ* sunt *elixyr proprietatis siccum*, & usurpantur pro puerperis laxandis à partu, dum alvi sunt contumacioris, dum simul lochia promovent: dantur à gr. x. ad xii. paulò post à partu. Quod si tamen myrrha, crocus, & ana mithridatii addatur, oriuntur *pilulæ Emanuelis*. Simplex aloe potest substitui.

Dilutum aloeticum, pag. 183.) Blandum in forma liquida laxans esto:

℞. *Extract. Aloes modo suprà dicto parati* gr. vi. ad ℈ß.
Sal. tartar. alcalisati, vel *terræ foliatæ tartari*, vel *salis essentialis tartari* gr. ii.

Dissolve in s. q. aquæ absynthij ad ℥ii. pro haustu laxativo aloetico, & potest esse loco Elixyr proprietatis purgantis, cum & sine rhabarbaro parati.

Esse potest loco apozematum laxantium in forma liquida,

Infusum sennæ, pag. 184.) Loco cujus etiam

℞. *Aquæ flor. acac.* vel *rosar.* an. ℥iii.
Syrup. vel *essent. saccharatæ rubi id.* ℥iß.
Pulv. polychr. scammon. gr. v.
M. f. potio blandè laxans pro una dosi;

Vel

℞. *Aquæ flor. acac.* ℥iii.
Sal. tartari essent. ℈i.
Jalapp. gr. iv.
M. pro potione pro una dosi:

Quę repetita si placet, pręferenda omnibus Decoctis purgantibus.

Cassiæ floribus, pag. 185.) Hanc in flores extracta excludit AUTOR *noster*, & sanè parum illa valet. Facit tormina & flatus, colicam & stranguriam, observante FALLOPIO, in dispositis: ob id non in usu interno est, nisi quod clysteribus nonnunquam addatur ad ℥iij. pro laxanda alvo.

Tamarindis.) Tamarindi sunt pulpa acidula suaviter laxans. Horum Decoctum imprimis in usu est, vel solitarium, vel cum passulis pro corpore Juleporum usurpandum. In febribus ardentibus prosunt, in specie si alvus fuerit obstructa, in quo casu Julep ex Decocto Tamarindorum cum passulis sunt suaves simul & alvum laxant; utut in majore dosi assumendi sint Tamarindi, cùm languidi existant. Vis eorundem in sale essentiali tartari consistit, cujus ratione sunt laxativum. Testante enim ANGELO SALA, concrescunt in sal essentiale tartareum, & cum sero lactis dant egregium laxativum: Vid. BARTHOLINUS *cent. V. Histor.* 22. Horum loco sufficere potest tartarus vini communis. Similiter, cùm mos quorundam sit, ut cum succo vel decocto ex tamarindis prodeunte solvant martem & corallia pro Magisteriis inde conficiendis: vid. ROLFINCCIUS: hinc puto, nec nos hoc quidem succo acido tamarindorum indigere, cùm prælertim alia æquipollentia prostent.

Mannam.) Manna vid. in SCHROEDERO. Non adeò in Praxi nostra utilis est, nisi pro infantibus ad ℥ii. vel iij. pulti admista laxandi scopo. Cæterùm origo mannæ est ex resina arborum, (præsertim orno & fraxino) seu gummeâ substantiâ impregnatâ cum rore nocturno. Aliàs de hac videatur BARTHOLINUS *Cent.* I. *Epist.* 54. Unde, quia manna simul participat de rore majali, & in hoc sit sal aereum nitrosum, propterea Manna in laboribus chymicis non contemnenda est (utut illa nec mel superet: Nam & hoc prodit ex succis florum cum rore permistis, & ab apibus collectis) in spiritum destillata. Aliàs ex manna & rore Majali, intercedente nunc putrefactione, nunc substantiæ resinosæ per spiritum vini ex mannæ separatione, nunc denique cum rore majali digestione, spiritus polychrestus pro solvendis metallis elicitur; & vocant Mercurium *mannæ*. Spiritus autem ex manna & sero lactis est frustraneus, potiùs manna in alembico est suspendenda, ita vapore aquæ in cucurbita ex arena dissolvenda, dat liquorem suavem, ad aliquot uncias blandissimè evacuantem.

Sale essentiali saccharino.) Sal hoc ex Syrupo quasi mannæ confectum, si in copia habeatur, egregium est pro scopo alterandi & laxandi.

Cum sero lactis, pag. 187.) Serum lactis ob nitrosum sal volatile abstergit, laxat, compescit quoque phlogoses hypochondriacas & scorbuticas: Cum succo citri commodissimè à concremento caseoso liberatur: v. g.

℞. *Herb. recent. fumar.*
Cochlear.
Nasturt. an. man. i.

Infunde in s. q. *seri lactis*: stent per noctem in loco tepido, manè haustulum unum sumendo; sic habent serum medicatum.

Hydromel simplex.) Hydromel simplex & tartarisatum ob flatulentiam reiiciendum est: tartarus non nisi in fervido liquore dissolvitur, & qui aliàs dissolutus, refrigescente, liquore latera vasis petit.

De Terebinthina, pag. 189.) Quidam volunt ex hac substantiam laxativam secernere, & rectè: Parantur quippe ex hac integra cum succino vel rhabarbaro pilulæ &c pro usu nephritico; nunc verò ex illa sola, blandâ volatilium evaporatione, in nephritide pariter non contemnenda; utut aliàs parum laxent.

Infantes.) Infantes hactenus dulcibus & saccharinis fuisse purgatos, dicit AUTOR: ubi tamen meritò designat, quod dulcor ille saccharinus subinde sit noxius, & facilè (cum dulcia omnia sint fermentescibilia) in amarorem aut acorem præternaturalem facessere queat, simulac eadem in stomacho acescunt, & sapore hoc præternaturali lac corrumpitur, & hinc epileptici insultus superveniunt: ex adverso verò, dum non acescunt, sed in loco calido humido sub involucro lactis hærent, ad nidorosam cruditatem ruunt, & putrescendo ad diarrhœas & paroxysmos febriles infantes disponunt. Sic & intuitu infantium purgandorum inter infantes distinctio facienda, inter ablactatos scilicet, & adhuc lactantes: quorum recens nati si scatent adhuc meconio in intestinis, & lacte caseoso in ventriculo, hæc recrementa maturè averruncare debent; Secus enim mille nocumenta infantulo imminent. Atque pro scopo hoc propinant non nulli oleum amygdalarum recenter expressum, quod propinatum sordes dictas, partim infra, partim supra, evacuare solet: sic & præter HEURNII euporiston, dum dat recens natis pulverem seminis anisi ad ℈i. & iris Florentina pulverisata ad aliquot grana vomitum facit. Præter hæc tamen omnia *noster* AVTOR commendat pulverem sequentem:

℞. *Cornu Cervi sine igne* gr. xii.
Pulv. jalapp. gr. iii. vel v.
Olei anisi gutt. iv.

M. pro 3. & 4. dosibus ratione ætatis, ita, ut infanti unius vel duarum septimanarum sufficiat pro 3. dosibus. Sicut mihi in usu est, quando infantes torminibus afflicti sunt:

℞. *Lapill. cancr. prępar.* ℈j.
Cryftall. pręp. ℈ß.
Salis volat. cornu Cervi gr. iv. ad vi.
Pulv. jalappę gr. iii.
Olei destillati anisi gtt. iv.

M. D. infantibus pro 3. vel 4. dosibus.

Sin

Sin autem saltem mucus viscidus & caseosus lactis sine insigniore stimulo incidendus, sufficiunt salia fixa loco purgantium: v. g.

℞. *Lap cancr. præp.* ʒß.
Sal. absinth gr. vj vel ix.
M pro 2. vel 3. dosibus.

Horum beneficio mucus abstergitur,& acidum torminosum optimè corrigitur.

Insuper præter hæc AUTOR *noster* dimidiam vel unicam pilulam aloeticam pro tenellis purgandis laudat: ubi tamen vereor, ne illi advertentes amarorem aloes, pilulam hanc nauseent; quod si tamen citra nauseam accipi queat, propinari potest. Tandem nec dulcia suprà dicta lactantibus infantibus, penitus exulent, saltemque pro nocumentis præcavendis addantur lapilli cancrorum; hac enim ratione nullum ex iis periculum imminet. Hinc & pro tenellis laxandis ordinari solet syrupus de spina cervina (isque solus, vel cum syrupi rosarum solutivi mixtus ana part. æqualibus) ad ℥i. cum lapill. cancr. præpar. ʒß. ad ʒi. & sic successivè propinetur infanti recens nato, utut adhuc teneriori. Hæc enim sufficiunt pro purgandis infantibus. Hisce si viscidior mucus incidendus subsit, additur optimè syrupus de nicotiana, ceu egregius in viscido incidendo, & vomitum tenellis proficuum provocando. Denique & pro rei exigentia dictis convenit syrupus antimonialis combinatus, quem optimè ferunt tenelli, & ex voto purgantur, ita quippe, ut non opus habeamus rotulis, morsulis & conditis saccharatis. Plura *videb. in valetudinario infantili* sub hoc titulo.

Major pusionibus dosis, pag. 192.) Mirum est tenellos adhuc lactantes respectivè purgantia fortiora ferre posse. WEDELIUS hanc dat rationem *in opiologia pag.* 38. quia stomachus & intestina eorum lacte & pulte continuò incrustata quasi sint, & hujus respectu generosa illis non noceant: in ablactatis verò ob eorum voracitatem generatur utplurimum mucus viscidus acidus, hinc primariò respiciendum ad sordes has, ubi ad has eijciendas nil melius pulvere jalappæ cum cremoris tartari ana, vel mercurii dulcis; habita semper ratione ætatis & seriei annorum, v. g. ut annorum seriem nonnihil excedat numerus granorum jalappæ. Si ergo v. g. infans 4. annorum purgandus:

℞. *Pulv. jalapp.*
Crem. tartari an. gr. iv. vel v.
M. Detur in vehiculo calido.

Similiter pro puero 6. annorum:

℞. *Pulv. jalapp.*
Crem. tartari an. gr. vj. vij. ad viij. vel x.
Misc. pro dosi.

Mercurium tamen dulcem præfero; incidit enim hic potenter viscidum & evacuat, simulque lumbricis resistit, horumque nidos exturbat, & variolas & morbillos præcavere, eorumque fomitem corrigere dicitur Datur v. g. dosi granorum cum serie annorum respondente: si puellæ annorum duorum dantur gr. ij. ejus; robustiori gr. iij. vel iv. vel v. à 4. annis; vegetioribus additur gran. j. jalappæ pro stimulo. Hac ratione utplurimum suprà & infrà purgatio succedit. Sic pro 3. annorum puero:

℞. *Mercurii dulc.* gr. iij.
Sacch. albiss. totidem.

In vehiculo liquido ex cochleari ligneo detur. Hoc modo sæpè miror mercurij effectum. Item in initio optimè confert ad præcavendas variolas. Similiter pro 5. annorum infante:

℞. *Mercurii dulc.* gr. jv. ad v.
(si robustior, additur pulver. jalappæ gr. j.)
Conserva rosar. parum.
M f. *Bolus* S.
Bolus purgans pro una dosi.

Hoc modo sæpè miratus sum mercurii effectum, cujus intuitu semper dedi eundem in principio variolarum, ceu laxans optimum; quia in hoc optimum corrigens variolarum consistit.

Prægnantes.) Prægnantes non sunt purgandæ:

1. Ne fœtus ex usu purgantis vim laxativam experiatur: etenim quemadmodum nutrices purgatæ, si breui post tenello mammam præbeant, hunc quoque laxari faciunt; pari ratione fœtus à grauidis purgatis commouebuntur.
2. Ne purgantium acrimoniâ concitentur nimis intestina, & ob spasmodicam contractionem uteri abortus fiat: ut taceam, quod cùm omnia purgantia sint uirulenta, eadem fœtui quoque sint nocentissima.

Potiùs ergò præcipitantia & anodyna prægnantibus propinentur, & illa quidem propter succos ex retentis mensibus in primis uiis præter naturam efferuescentes, hincque ad diarrhœam & tormina concitanda pronos. Cæterùm admissis anodynis uitentur narcotica, ceu fœtui inimicissima, & ad abortum disponentia; contrà hysterica, seu vi carminatiua prædita aromatica, utilissima sunt prægnantibus. Sin uerò purgandæ sint, tunc medicamenta sint temperata, præsertim in delicatioribus, adeoque jalappa cum cremore tartari, item Infusa sennata sufficiunt; item pilulæ aloeticæ; Dulcia uerò & scammoniata propter uirulentiam uitanda, item cassia: quæ uerò non purgandæ, illis danda incidentia & præcipitantia.

Puerperis, pag. 193.) Pro puerperis sufficiunt pilulæ pestilentiales Ruffi, vel elixyr proprietatis cum rhabarbaro.

Clysteres.) AUTOR hos facit duplices: emollientes & anodynos: nos addimus tertiam speciem, nempè pro scopo intestina fortiùs stimulandi; atque ob hos tres scopos præscribuntur: non rarò etiam clysmata vulneraria & consolidantia, propter excoriata intestina, nec non in dysenteria præscribuntur; itemque clysmata carminantia in flatuum impetu ordinantur.

Cæterùm pro scopo emolliendi possunt clysmata fieri ex *Decocto malvæ* in aqua simplici facto; addendo

Decocti ℥viij. vel ix.
Mellis colati ℥iß vel ℥ij.

Hæc mista dentur pro *clystere*.

Vel

℞. *Olei olivar.* vel, quod melius est, *olei lini* aut *rapar.* ad ℥vi. ℥vii. ℥viii. vel ℥ix.

Infundantur pro clysmate emolliente & suaviter alvum subducente: cui, si stimulus placeat, addatur nonnil de *oleo colocynthidis Quercetani*.

Sic parabilius adhuc fit ex *aquæ tepidæ* ℔i.
Salis comm. ℥iß.
Misc. pro clysmate.

Quod copiosè evacuare solet.

Prætereà quoque serum lactis non incommodè cum melle combinari, & ita ceu *clysma emolliens* applicari poterit.

Pro *clysmate anodyno* seu dolores sedante sufficit instar omnium lac cum sacchao ingrediente applicandum, quale dolores sistet & alvum laxabit: vel

℞. *Lact.* in quo *flores chamom.* sunt *decocti* ℥viij. vel ix.
adde
Sacchari vel *mellis* ℥i. ad ℥ii. M.
& usurpetur pro clysmate.

Præ cæteris tamen inter *clysmata* anodyna excellunt *terebinthinata*, seu cum terebinthina, in vitello ovi dissoluta, impraegnata; & speciatim prosunt talia in doloribus abdominis convulsivis, sive ex nephritide, sive ex scorbuto, sive ex passione hysterica natis. Omnibus his in casibus clysmata terebinthinata sunt convenientissima: v. g.

℞. *Decoct. flor. sambuc.* ℥viij.
adde
Terebinth. in vitello ovi solut. ʒii. vel ʒiii. ad ℥ß.
Mellis colat. ʒvi.
M. pro *clysmate*.

Sic terebinthina etiam hoc modo dissoluta cum lacte loco clysmatis injici potest. Tandem & *clysmata* simpliciora *pro scopo anodyno ex syrup. papav.* ℥j. vel *opii* ℈ß ad ℈j. in liquore aliquo aqueo dissoluti, aut *theriacæ* ʒij. ad ʒiii. parari possunt.

Porrò loco clysmatum acriorum & stimulantium, qualia in usu sunt pro scopo revellendi, h. e. impetum succorum, caput pectusque occupantium, pro stimulo revocandi, duo concreta seu bases sufficiunt; nempè colocynthis, cui pro stimulo radix pyrethri addatur; & antimonium, & ex hoc paratæ aquæ benedictæ & syrupi, similiaque alia: v. g.

℞. *Bacc. junip.* ℥i.
Rad. pyrethr. ʒii. vel ʒiii.
Pulpa colocynth. in pet ligatæ ʒi.
Sal. tartari vel *cineris clavell* ʒiß.
Coqu. in *aquæ simpl* q. s. Colaturæ ℥viii. add.
Mel. despumati ʒvi M.

Vel

℞. *Spec. emollient* M. i.
Rad. pyrethr. ʒß.
Pulp. colocynth. ʒi.
Sal. ciner. clavell. ʒii.
Coque in aqua: colaturæ ℥x. ad ℔i. adde
Mellis parum, applica pro clysmate unâ vel duabus vicibus.

Sic ex antimonialibus parantur ita clysmata:

℞. *Decoct flor. cham.* ℔ß.
Croci metall. ʒß. *infus in vini benè colati* ℥i. ad ℥iii.
(RIVERIUS dat & ad ℥iv.)
Mellis ʒvi. ad ℥i.
M. pro *clysmate*.

Quæ clysmata antimonialia fortissimè stimulant.

Vel

℞. *Decoct. emollient.* ℥v.
Syrup. emet. Ang. Sal. ʒvi. ad ℥i.
Elect lenitiv. ℥i. M.

Vel, qui modus optimus est, ex scoriis reguli antimonii paretur:

℞. *Spec. emollient. usit.* M. ii.
Scoriar. reg. antimonii ʒß. ad ʒvi.
Coqu in s. q aquæ.
Colaturæ ℥x. adde
Mellis ℥i. M.

Hisce,

Hisce, tanquam parabiliora & pluribus scopis inservientia, addere placet clysmata ex urina humana, sive fiant sine, sive cum melle: e. g.

℞. *Decoct. emollient.* ℥vj.
Urinæ hum. ℥iii.
Mellis ℥j. M.
Vel
℞. *Baccar. laur.* ʒiiß.
Coque in f. q. *urinæ pueri*:
Colatur. ℥viii. adde
Mellis ℥i.
M. pro *clysmate*.

Suppositoria, *pag.* 195.) Fiunt vel domestica ex lardo, eaque duplici ratione; nunc pro scopo stimulandi ex lardo solido vulgari; nunc pro scopo eliciendi ascarides erucæformes; maceratur in aqua tepida, ut eliciatur salsedo, & hinc formatur & applicatur suppositorium, quod convenit ad ascarides seu vermes intestinum rectum infestantes; ita enim adoriuntur hoc, ut deinde facilè extrahi queant. Item ex sapone Veneto satis acria suppositoria fiunt: sicuti in officinis ordinariò ex melle ad consistentiam aliqualem inspissato, cui additur pulvis acriusculus pro stimulo, conficiuntur: v.g.

℞. *Pulv. jalapp.* ℈i. ad ʒß.
Sal. gemm. ℈ß.
Cum f. q. *mellis inspis.* fiat *suppositorium*.

Tandem ex alumine quoque egregia fiunt, cuius primus inventor ANGELUS SALA, & post hunc laudatus SYLVIUS *in Praxi lib.* I. *cap.* II. *&* 12. est egregium, & creberrimis vicibus potest applicari.

De Artbanita, *pag.* 196.) Rejicit AUTOR *noster* unguenta externa purgantia, loco quorum Modernorum nonnulli utuntur oleis expressis ex ricini nostratis & Americani semine umbilico illitis: Idem & præstat oleum ex arillis sambuci expressum.

Odores.) Saltem per accidens & indirectè quosdam purgant; hinc Medicus illis non potest inhærere.

Infusorum.) Hìc AUTOR meminit illius Chirurgiæ Infusoriæ, quâ per venas infundi solent liquores purgantes: plura exempla desiderat, & rectè. Vid. *Transact. Anglicana*, *pag.* 558. *&* 568. ubi prostant exempla, dum essentia purgans ad ʒii. venis infusa aliquoties alvum excitavit, & quod curiosum, vomitum simul movit.

Tabacinus Clyster.) Reiicitur ab AUTORE: interim bonum inventum est; dolores enim & tormina abdominis sistit, & alvum stimulat; ut taceam commodum, quod nobis ipsis eum applicare possimus.

TITULUS V.

DE

VOMITORIIS.

V*omitoria Vegetabilium*, *pag.* 179.) *Vomitoria Vegetabilia* sunt violenta & tædiosa; antimonialia verò tutissima & omnium optima: unde unum quoddam selectum fit ex antimonio.

Pusionibus.) Mirum est, quàm facilè hi ferant vomitoria antimonialia, & in maiori dosi: sic enim habui pridiè infantem 9. mensium, cui dedi syrupi emetici concentrati ℈j. ad ʒß. misti cum aqua menthæ; euacuatus fuit sufficienter sine tædio & molestia. *Propinandi vomitoria modus* est sequens:

℞. *Syrup. emet. concentr.* ℈j. ad ʒß.
Aquæ menth. ʒii. vel ʒiii. M.

Detur non quidem pro una vice, ut adultis; hoc enim esset potissimum: sed saltem in cochleari parum eius, deinde alterum, & si non supervenerit operatio, tertium: Ex his, si vomuerit sufficienter, abiiciatur reliquum; si verò non, repetatur cochlear unum & alterum, donec speratus vomitus sufficiens apparuerit. Hâc ratione non nocebimus infanti, in quibus mirandum est, quod lactantes maiorem dosin vomitoriorum ferre queant, quàm ablactati; idque ex eo, quod in illis semper copia lactis & pappæ in stomacho sit, obvoluentis viscidi tate suâ remedii stimulantis vim.

Iris Florentina pulverata.) Hanc ad gr. iii. vel iv. à nemine, nisi ab AUTORE *nostro*, qui & id repetit *pag.* 509. pro vomitorio infantis recens nati, aut aliquot septimanarum, commendari memini; in adultis datur frustra. Non metuamus in iunioribus syrupum emeticum, quem & ipse sæpiùs mox à partu propinaui.

Asarum.) Huius radix inter uegetabilia famosiora uomitoria excellere creditur, datum ad ʒi. in substantia: est laboriosum, & interdum non multum evacuat, nec tamen est inefficax, non secus & in infusione per folia nauseosum est remedium, ac extractum, quod habet ZWELFERUS *in Ph. Reg.* languidum est. Decoctum tandem, prout diversimodè præparatur, eatenus & ratione virtutum variat, quippè in aqua simpl. factum vim vomitoriam exuit, annotante HELMONTIO & ZWELFERO, & diureticum solùm euadit; in vino uerò decoctum uel infusum, vel quoque ex foliis recentibus asari cum vino succus expressus assumendo ℥iii. dat quidem uomitorium egregium, ast languidum. Pari ratione *electuarium diasarii Fernelii* (*compositionem* uidebitis *in Schrœdero*) ad ℥ß. uel ʒvi. effectum se exhibet. Reiicienda ergo omnia ex asaro composita remedia.

Helleborus albus virulentus, *pag.* 198.) Is reverà est virulentus, & ua lidissimum uomitorum, & superat reuera ui emeticâ ipsa antimonialia; hinc rectè in maniacis, (quorum curandorum cardo in ualidis uomitoriis consistit; quique antimonialibus non mouentur, ad helleborum album accedere necesse habent,) commendat LINDANUS *in Colleg. super Hartmanni Praxin.* Cæterùm corrigitur his modis: nempè infusione in acetum, quo ipso acrimonia ipsius uolatilis ab acido aceti transmutatur in salsum, sicque mitigatur. Extractum non adhibendum, siue simplex siue compositum; nimis enim uirulentum est. Sic nec ullum extractum specificum Mynsichtii emeticum est præscribendum, cùm sit uiolentissimum: corrigitur acrimonia huius salis uolatilis aceto.

Elixirio emetico.) Elixyr vegetabilium emeticum, & extractum emeticum ZWELFERI, rusticis propinetur.

Esula, *&* *utroque Ricino.*) Hæc omnia acerrima sunt, & vi causticâ æstum stomachi & ardorem faucium causant; hinc ea eliminamus unà cum specibus diaesulæ, secundùm Mynsichtium, item catharticum vitæ.

Oxymel de peto simplex, *pag.* 199.) Syrupus hic non reiiciendus. Duæ enim sunt substantiæ in nicotiana:

1. Sal volatile acerrimum insigne, viscididatum resolutivum, cuius ratione & tabacum pro apophlegmatismo inservit.
2. Ejusdem oleum penetrantissimum, narcoticum & virulentum, in quo cum sale suo volat, juncta vis consistit emetica.

Omne sal volatile est expectorans, & ratione istius salis volatilis tabacum singulare quid præstat in affectibus faucium & pectoris, in asthmate & orthopnœa, raucedine à muco viscido ortis, item in empyemate & pleuritide suppurata, in quibus pus evacuandum est: sic ergo inter euporista expectorantia & viscidum incidentia locum invenire debet oxymel seu syrupus de peto compositus Quercetani, qui in dictis casibus reverà singulare quid præstat. Oxymel de peto videatur descriptum in HORSTII *Dispensatorio.* Composito autem oxymelle de peto optimè carere possumus; sicut & Decocto, Infuso, & Essentiâ eius, cum spiritu vini facta; quippè quæ omnia sunt violentissima, & cum impetu turbant.

Litus externi.) *Litus externi ex nicotiana* suprà & infrà purgant, dum nempè regioni umbilicali, quod curiosum est, externè illinuntur: sic Medicastri, dum ex nicotiana minutim incisa & permista cum butyro non salito, vel pinguedine anserina, pro tinea capitis & scabie unguentum suadent, obseruavi ex horum usu puellas 10. vel 12. annorum insignes præcordiorum anxietates, vomitus, & copiosos secessus incidisse; non secus ac eadem regioni umbilicali illita supra & infra alvum turbant. Itaque, quanquam validissimum, tamen semivenenosum est remedium nicotiana: tam potens est, quàm nullum aliud vomitorium antimoniale; unde ob hanc causam eliminatur à nostro AUTORE.

Oleū arillarum sambuci.) *Oleum arillarum sambuci* est nimis potens, & fit ex arillis in baccis sambuci reperibilibus expressione, ad ʒj. datur.

Sambuci gemmas.) Hæ acetarii forma assumptæ nauseam solùm concitant, & in maiori dosi valdè movent vomitus admodum laboriosos.

Flores Sambuci.) Hos ex lacte coctos, & nutrici exhibitos pro augmento lactis, induxisse novi diarrhœam & nutrici & fœtui. Cæterùm ut œnopolæ vinis saporem moschatellinum concilient, duplici utuntur mangonio: nempè vel sclaream, vel flores sambuci, immittendo vino recenti.

Flos Samb pro confer odore Mosca line.

Lenia, *pag.* 200.) Talia sunt aquæ sale communi imprægnatæ, aut etiam cerevisia calida butyro largiter condita, quorum hæc potiùs vomendi conatum, quàm vomitum excitant.

Rasura unguium.) Vino infusa potentissimè vomitum movet, si per noctem steterit, manè infusum colando, & fuit euporiston CNOEFFELII, militibus in castris rasuræ propriorum unguium infusum propinantis: conf. BECHERUS *in Microcosmo Med.*

Ova formicarum.) Hæc recenset AUTOR *noster* inter Vomitoria, de quorum tamen effectu dubia res est. Interim & hoc certum, si eadem ad ʒj. sumantur, multos flatus concitari vix coercibiles, sed cum summo impetu prorumpentes.

Ova Barbi piscis.) Hæc copiosissimè nihilominus ingesta impunè vidit AUTOR. Contrarium tamen à TIMÆO in casibus observatum fuit, ex esu ovorum barbi choleram fortem fuisse excitatam.

Stercora.) Hæc inter eminet muscerda, cuius globuli 3. vel 4. infantibus propinati in lacte materno optimè eosdem laxant, nec contemnendum est hoc remedium in casu contumacioris alvi; delicati eorum 6. cum lacte subactos per linteum exprimunt, succum exhibendo.

Stercoris proprii.) Triplici modo per sympathiam mediante stercore proprio purgare possumus: nempè

1. Quod optimum est, proprium stercus calidum miscent cum cerevisiæ fermentantis fæce, & etiam flore vini itidem fermen-

fermentante adhuc; hinc feponunt mifturam hanc in locum calidum, & dicunt: quamdiu hujus mifturæ fermentatio durat, tamdiu & blandâ diarrhœâ homo, cujus stercus fermentatum, afficitur.

2. Recipitur os hominis mortui, ejusque orificium repletur ftercore humano calido, & os ita repletum immittitur aquæ calidæ: fic dicunt, quamdiu ifta aqua calida, tamdiu homo is diarrhœâ corripitur.

3. Stercus alicujus calidum linteo inditum fufpendunt in flumine: in quo, quamdiu illud manet, tamdiu homo ille ftragula confpurcat.

TITULUS VI.
DE
PURGANTIBUS MINERALIBUS.

T*Amdiu boni viri Remedia*, pag. 201.) Hifce notat AUTOR *nofter* HELMONTIUM dicentem: quod quamdiu antimonium vomitus moveret, & mercurius in remedio vivificari queat, tamdiu non effe boni viri remedia.

Variationes.) Hic fugillat illas fuperfluas proceffuum variationes, quæ tamen ad unum remedium coincidunt: id quod in vitro & floribus antimonii parandis confpicuum, quorum origo deducta ex ignorantia noftrorum prædeceflorum chymicorum, & fimplicium agentium in fe invicem & patientium cognitione.

Antimonium pag. 202.) Alludit hic AUTOR ad facultatem Medicam Parifienfem, quæ ex 120. membris ignaris Chymiæ conftans, anno 1566. publico Decreto fancivit: Infufa antimonialia in vino effe eliminanda, quia venenofa & corpori humano exitialia forent; atque hoc Decretum à Parlamento confirmandum curavit: poft integrum feculum verò, anno 1666. mutavit iterum fuam fententiam, dicendo: *Vina antimonialia effe tuta*: Vid. *Ephemer. Gall.*

Selectius.) Quoad felectum antimonii: duo confideranda funt, nempe

1. Eligitur *antimonium rubrum*.
2. *Antimonium ftriatum*.

Antimonium ftriis notatum magis de fubftantia mercuriali faturnina participat; rubeum verò ex nigro promicans continet fulphur antimonii nobilius & fixius, de natura auri. Si ergo pro remedio fulphureo, v. g. pro croco & floribus, & fulphuribus folaribus, quæ omnia funt producta fulphuris antimonii, infervire debet, eligendum rubrum; fin verò ex ejufdem parte Mercuriali parandum fit remedium, e. g. diaphoreticum, regulus, bezoardicum minerale, mercurius vitæ, &c. eligatur ftriatum: vitetur verò pro ufu Medico antimonium illud, quod fibi plumbum admixtum habet; fiquidem ftriæ allegatæ vel mercurialis antimonii pars faturninæ funt naturæ; & reverà in antimonio nativo & ejus regulo interdum aliquid faturni reperitur, utut paucum, quod antimonio admiftum adulterat remedia ex eodem parata, & vim ejufdem invertit: cujus *δοκιμασία* eft, quod fi antimonium cum nitro detonetur, in reguli forma faturnum perfectè dimittat; contrà, fi illud totum abeat in crocum, bonum, & magis fulphureum fit: Adeoque in antimonio duæ illæ allegatæ fubftantiæ funt ejus partes, ex quibus folis antimonium conftat, & mercurialis à fulphure feparata alias regulus appellari folet. Jam verò, quod fulphuream antimonii fubftantiam attinet, luxuriat ea in antimonio, eftque ferè duplex.

Primum enim eft fulphur, fulphuri minerali fimillimum, nifi quod ad viriditatem aliquantifper accedat.

Secundum eft paulò fixius, & intimiùs nonnihil regulo fuo affociatum; quod rubicundum participat de natura folari.

Unde, quando ex fulphurea antimonii fubftantia abundante parare volumus fulphurea remedia, neceffe eft ea per alcalia fixa, & hinc per oleofa tractemus, quippe quæ duo optimè fufficiunt folvendis & extrahendis mineralium fulphuribus: adeoque & fulphur antimonii per alcalia fixa, & hinc per olea extraverti & extrahi poterit.

Quoad alteram antimonii fubftantiam, puta mercurialem: hæc participat de natura faturni, utut volatilis adhuc, cùm, fi fixata effet, perfectum effet plumbum, & parcior eadem reperitur refpectu fulphuris in antimonio, vultque præparandis his remediis per acida faltem tractari.

Porrò, cùm duæ hæ antimonii fubftantiæ fub naturali fua concretione invicem adeò intimè coaluerint, hinc non tàm facilè à fe invicem feparari poffunt, quin potiùs, dum alcalia in fubftantiam fulphuream agunt, & fimul regulum vel fubftantiam mercurialem folvunt; ficut è contrà, dum acida menftrua agunt in regulum feu mercurialem fubftantiam, eadem quoque folvunt & imbibunt unà cum regulo fulphur antimonii: unde ex hac ratione fit, ut fubinde ex fulphure antimonii, fulphur v. g. auratum, &c. in integrum antimonium reducibile fit. Cæterùm in duabus his antimonii fubftantiis obfervare poffumus duo illa mechanica naturæ inftrumenta, nempè acidum & alcali: Etenim acidum refidet in antimonii fubftantia fulphurea; alcali verò in ejufdem fubftantia mercuriali: unde ficut fulphurea antimonii fubftantia propter latens in receffu acidum per alcali tractari cupit; ita contrà mercurialis per acida menftrua fubigenda venit.

Quod ulteriùs vim antimonii emeticam attinet, hæc non præcisè confiftit in fulphure, ficut nec præcisè in mercuriali fubftantia, fed in ambabus junctim combinatis; cùm neutra harum fola purgare aut vomitum ciere foleat, fed utraque fubftantia combinata demum talem texturam conftituit, quæ acrimonia fua linguæ quidem infenfili, ftomachum tamen & inteftina pungere, vellicare, & ad fpafmos difponere, contentorumque excretiones irritare poteft. Cinabaris antimonii conftans ex ejufdem fulphure folo cum mercurio vivo combinato, nec vomitus nec feceffus movet, fed faltem diaphoreticum & anodynum eft non fecus ac fulphur; illud antimonii fingulare & genuinum, quod habet TACHENIUS *in Hippocr. Chymico pag.* 182. cujus dofis, quamvis fit ℈j. nullos tamen vomitus movet, fed vi anodyna hæmorrhagias uteri fiftit. Pari ratione mercurialis antimonii fubftantia per acida fixata nec vomitus nec feceffus movet: quin potius utræque fubftantiæ, & fulphurea & mercurialis, antimonii texturam exhibent, cujus ratione feceffus moventur; vis tamen cathartico-emetica magis in mercuriali, quàm fulphurea fubftantia fubfiftere videtur. Atque ex his obfervare licet elegantem quandam purgantium analogiam, nimirum inter purgantia vegetabilia & mineralia: nempè vegetabilium purgantia conftant præprimis ex refina, h. e. fulphurea feu pingui fubftantia, fociata fali volatili acri, ex quorum amborum mutua textura in vegetabili emergunt particulæ illæ acres laxativæ: eadem ratione in antimonio particulæ fulphureæ, in receffu pingues & acidæ, cū mercurialibus feu alcali volatili coeūt in fubftantiā fortiùs ex eo purgantē, quoniam particulæ illæ antimonii rigidiores funt, eædemque minus à natura alterabiles, quàm vegetabiles: Interim, ficut purgantia vegetabilia, corriguntur, vel per alcalia fixa, eorum oleum feu fubftantiam fulphuream liquefacientia; vel per acida, ut nitrum, fpiritum nitri, refpiciendo ejufdem mercurialem fubftantiam, ut in Bezoardicis conficiendis. Cæterùm de falina fubftantia ne micam continet antimonium, & quicquid dicunt de hoc autores, mendacia funt & impofturæ, nifi quod additis corporibus à menftruis falinis acceptum id ferendum fit, ceu à quibus antimonium facilè figuram faliformem atque texturam faliformem acquirere poteft, utut antimonium per fe ne granum quidem falis poffideat. Objiciat quis: atqui ex minera antimonii deftillata elicitur fpiritus acidus feu acetum antimonii vulgò, fed falsò à quibufdam acetum Philofophorum dictum, ficut & ex antimonio ipfo tale acetum, utut non in tanta copia, prodit! Verùm Refp. quod in omnibus mineris in fodinis adhærefcat fulphur univerfale, feu fulphur embryonatum, quod beneficio ignis feparatum fub forma aceti prodit, non autem id ex antimonio ipfo procedit, nifi fortè tantillum contineat ex fulphure ejus combufto, à cujus acido manifefto reddito feparari poteft: adeoque dictum acetum antimonii eft faltem progenies fulphuris, non verò illius propriè dicti falis.

Crudum, pag. 203.) *Crudum antimonium*, dicit AUTOR, non alterare infufa ac quoque Decocta, menftrua aquofa: interim tamen idem à modernis nō inconfultò Decoctis antivenereis admifcetur: imò, quemadmodum notum, quod cinab. antimonii fpecificum fit antepilepticum; ita non dubitandum, quin fi habeatur antimonium felectum rubicundū, de fulphure fixiori participans, illud ipfum crudum & eàdem vi antepileptica quoque polleat. Cæterùm, utut crudum antimonium, coalefcentia fua integra manēte, nullum effectum manifeftum exhibeat, tamen equis ad ℥j. vel ij. datum eofdem ad fudores difponit, item per feceffus purgat: adeoque pro ufu Medico fi infervire debeat, textura ejufdem materialis referetur neceffe eft, ut ita exferat virtutem fuam medicamentofam; fic enim apparet, quomodo ignem fi fuerit expertum, mox catharticum & vomitorium evadat, cum fic particulæ eius magis extravertantur, & antimonii corpus rarius evadat propter texturā fulphuream. Imò per alcalia fixa in igne tractatum antimonium, ficque referatum, mox vis emetico-cathartica violenter fe folet exferere; non fecus ac idem quoque effectus de antimonio per fal tartari, vel per nitrum, in igne tractato fperatur & videtur; horum enim falium beneficio catharticum fuprà & infrà exferit. Aliàs vomitoria ex antimonio variis modis fiunt: nempè tàm acidis præcipitando id, quàm folvendo. Solvitur verò id duplici modo: vel in via ficca, quando cum falibus additis tartari & nitri funditur vel liquefcit in crucibulo; vel humida, quando idem per menftrua liquida, five ea fint lixivia, five fpiritus acidus, diverfimodè tractatur, ubi alcalia immediatè agunt in fubftantiam antimonii fulphuream, acida verò in mercurialem. His obfervatis AUTOR ex omnibus Præparatis antimonii pro fcopo vomitorio & cathartico eligit imprimis crocum metallorum.

Vitrum.) Vitrum reiicit AUTOR, nempè fit vitrum per fulphuris fuperabundantis exhalationem, & hinc per reguli feu mercurialis fubftantiæ cum fulphure adhuc reftante mutuam colliquationem: quę ambæ fubftantiæ mutua fui coalitione corpus tale vitriforme conftituunt. Nā quando igne calcinatorio abundans fulphur exhalat, reftitans fulphur cum parte mercurii arctiùs colliquefcit; adeoque omnia vitra antimonii conftant ex fulphure paulò fixiori, colliquato cum fubftantia mercuriali; inde BASILIUS VALENTINUS rectè ex vitro antimonii tincturā fuā antepilepticā & remedium quafi univerfale parare folitus eft, ceu ex fixo antimonii fulphure

reiecto

rejecto sulphure volatili, quod anteà exhalavit. Conferantur ZWELFERUS, SCHROEDERUS & KERCKRINGIUS *Commentariis in Currum Triumphalem antimonii*. Cæterum parari potest vitrum tam rubrum, quàm ex addito ana borracis igne forti colliquefactis, puniceum rubini ad instar conspicuum; de quo vid. & KERCKRINGIUS *in Commentar. dictum p.* 141. *l. c.* Similiter etiam conficitur cum eodem borrace vitrum album, nec non viride.

Succineum.) Vitrum antimonii succineum fit ita: *Mercurius vitæ* (pulvis ille candidus ex butyro antimonii cum aqua simpl. præcipitatus, & primariò de substantia antimonii mercuriali, hinc sulphurea participans) *fusus* in crucibulo, abit in vitrū instar succini flavum.

Cuncta.) Vera est AUTORIS *nostri* sententia. Non dantur in substantia, cùm & Infusa turbulenta admodum sint; potiùs loco horum cum AUTORE crocum metallorum substituimus.

Flores antimonii.) Flores in genere in Chymia nihil sunt aliud, quàm vapor quidā & halitus fumi formâ elevatus, & qui postmodum in fuliginem concrescit, quę in forma sicca *Flores* dicitur; & parantur ex sulphure, vel antimonio, vel ex aliis. Pari enim ratione, quando sulphur igne violento in vase clauso tractatur, flores sulphuris proveniunt: pari ratione in florum antimonii præparatione superfluum & volatilius antimonii sulphur separatur, & in altum sub forma sicca elevatur. Cæterùm Flores antimonii, utut primariò constent sulphure volatili, tamen nonnihil quoque de regulo seu Mercuriali substantia participant; hinc enim facilè secundùm Glauberi encheireses denuò ij in genuinum antimonium reduci possunt: ac quidem præparantur hi vel ex antimonio crudo, vel ex antimonii minera, &c. deinde præparantur vel modo vulgari, vel artificio singulari; vid. AUTOR. Tandem parantur iidem vel per se, vel additione aliorum concretorum, & in specie salis ammoniaci; ubi tamen ubique par ratio est, semper enim simplices antimonii flores acquiruntur. Interim dubium occurrit hoc, an, quantum quantum est, totum antimonium in flores abire possit, cùm præsertim in recessu habeat sulphur fixius naturæ solaris, sublimationi repugnans? Respond. Paulò nobilius antimonium non totum in flores elevari posse, sed potiorem partem ejus ex regulo & sulphure fixo conflatam manere; contrà vilius antimonium facilè totum in flores facessere, qui per cucurbitam tubulatam optimè parantur, de quo modo conficiendorum florum vid. GLAUBERUS, & ZWELFERUS *Mantiss.* ubi docet modum parandi flores Saturni: videatur Collegium Pharmacevticum in Scrœderum *P. 1. S. 1. ubi de Antimonio.*

Fastigiatis vel folle solicitandis.) Res ita se habet: Flores antimonii variis encheirisibus parantur: nempè nunc per cucurbitam vitream aut terream, alembico cœco munitam: nunc mediante furno, pluribus aludel sibi invicem impositis adornato; de quo vid. GLAUBERUS; non secus atque loco furni, folle solicitandi, iidem flores componuntur per retortam, nempè ex antimonio fuso beneficio follis extorquendo flores illos. Conf. ZWELFERUS *Mantissa spagyrica*, ubi docet parare flores saturni, ad quem modum & flores antimonii fiunt.

Variisque coloribus.) Triplici colorum varietate apparent flores antimonii: nempe

1. Superiori in loco vasis conspiciuntur *albi*,
2. In medio *flavi*,
3. In imo *rubri*.

Ubi tamen omnes iidem flores sunt ejusdem naturæ; saltem quò magis illi colorati, eò fixiores sunt, & de nobiliore sulphure participant, adeoque flavi meliores sunt albis, sicut rubri flavis.

Cum sale ammoniaco.) Additur hoc præparandis floribus interdum antimonio, meliùs tamen mineræ; sic acquiruntur flores intensè rubri, qui in instrumento terreo rectè parati, quibusdam tinctura antimonii sicca audiunt, sine vomitu & secessibus, blandâ saltem diaphoresi, & vi antepileptica insignes: inde D. D. GAUZLAND, *Archiater Electoralis Saxonicus*, iis frequenter usus est.

Sub Croci vel Clyssi detonatione, *pag.* 204.) Id est, subinde destillari solet spiritus mineralis compositus ex nitro, antimonio & sulphure per retortam tubulatam, ubi prodit clyssus acidus volatilis in morbis acutis non contemnendus. Cæterùm sub detonatione in collo retortæ elevantur simul flores antimonii rubescentes saporis aciduli, qui edulcorati cum aqua simplici calida loco florum antimonii asservari poterunt.

Nullatenus mitiores.) Flores antimonii sunt suspecti, ut vitra; omnes enim flores sunt violenti, nec tutò in praxi adhibendi.

Mercurius vitæ.) Mercurius vitæ dicitur talis, quando nempè sumitur mercurius sublimatus, (qui constat ex mercurio vivo & spiritu salis acido) & cum ana antimonii destillantur invicem; sic prodit liquor crassus quasi gummeus (& consistentiæ ratione *butyrum antimonii* vocatur, & quibusdam *spuma duorum draconum* nomine veniens) nunc candidus, nunc verò, si de sulphure antimonii participat, luteus est. Ut adeoque butyrum antimonii sit regulus ejusdem, unà cum parte aliqua sulphuris antimonii, à spiritu acido mercurii sublimati corrosus, & in substantiam talem fluidam crassiusculam redactus; atque huic, vel albo, vel luteo, si infunditur aqua communis, lactescit illud in momento, & dimittit album quidem butyrum, pulverem candidum, luteum vel flavescentem; hicque pulvis dicitur mercurius vitæ; quem majores nostri, minus in Theoria chymica versati, putarunt esse prolem mercurii sublimati, quod tamen falsum: est enim is potius antimonii regulino-sulphurea pars, à spiritu salis acido corrosa: siquidem dum aqua simplex affusa diluit spiritum istum acidum, hic infractus non potest ampliùs continere pulverem corrosum, sed dimittit eum sub mercurii vitæ nomine.

Santalinum colorem.) Mercurius vitę tali modo tinctus dicitur quoque aliàs *antimonium Algarethi*; quem SALA *Rosam mineralem* nominat, quia roseo quasi colore tinctus. Artificium ejus consistit in hoc: nempè butyrum antimonii, loco aquæ communis, pręcipitatur cum urina humana, ita cadit mercurius vitæ elegantis rosei seu rubei incarnati coloris: cujus rei ratio hęc est, quia sal volatile urinę sulphur antimonii, in hoc mercurio vitæ latens, extrahit, sicque color rubicundus evadit: contrà, quia AUTORES alii nesciverunt hanc rosam mineralem ita præparare, ideò assumpserunt spiritum vini santalo rubro tinctum, eoque imprægnarunt mercurium vitæ in colorem rubeum.

Bezoartici mineralis.) Hoc compendiosè fit ex mercurio vitæ luteo cum spiritu nitri, procedendo, uti aliàs solet, vel ex eodem Mercurio vitæ luteo, cum triplo nitri detonato.

Regulus denique in globulos.) Scilicet ex regulo antimonii formantur globuli, qui deglutiti suprà & infrà purgant, & adhibiti hinc formâ integrâ, iterum per alvum excreti sumuntur, & sic aliis propinantur. Usus horum est fastidiosus & suspectus, & operatio inæqualis; quippe prout acidum stomachi ex tali globulo plus vel minus extrahit & solvit, eatenus & effectus major minorvè sperandus. Rejicimus ergò hos quoque globulos.

Crocus metallorum.) Crocus metallorum fit, quando antimonium in pulverem flavescentem mutatur, quia quilibet pulvis, in forma plus minus lutea comparens in regno minerali, *crocus* vocatur; sic enim calx solis rubicunda vocatur crocus solaris, & calx martis rubicunda ejusdem crocus: ideò, quia veteres in alchymia potiùs quàm chymia versati & exercitati, putarunt antimonium esse radicem metallorum, unde & crocum antimonii nomine metallorum dignati sunt. Cæterùm hic crocus metallorum nihil est aliud, quàm antimonium per ignem & alcali fixum reseratum, quippe alcali hoc antimonio additum immediatè agit in ejus sulphur, indeque fit, ut ex actione alcali illius in sulphure, emergat color plus minus flaveo-rubescens. Ac quidem in multiplici illa crocorum præparatione res eò recedit, quod nempè per alcali mediante igne recludatur antimonii corpus, cujus sulphur cum mercuriali substantia extravertatur, quæ antea quasi in intimis antimonii reclusæ erant.

Jam verò præparatur hic crocus antimonii vel in forma sicca, vel humida. In sicca quidem

℞. *Antimonii*,
Nitri an. part. æqual.

Quæ crucibulo inclusa exponantur igne, sic strepitus insequitur, qui dicitur *Detonatio*: sub qua detonatione sulphur antimonii & nitrum incenduntur hinc: sub incēsione nitrum transmutatur in alcali fixum, & hoc agit in sulphur antimonii in deflagratione adhuc superstes, illudque unà cum regulo reserat & extrahit, sicque mistura rubescens emergit, quæ aquâ calidâ abluta & filtrata relinquit pulverem, *crocum antimonii*, item hepar antimonii, ob colorem obscuiè rubescentem, vocatum. In forma verò humida:

℞. *Lixiv.* vel *tartari* vel *nitri fixi*:

Immittatur *antimonium pulverisatum*, hinc in pyxide vel vase aperto exponitur igni arenæ, ut bulliant: agit ibi alcali fixum in antimonium, quod rodit, & extrahit hujus sulphur, simulque regulum: dehinc, ubi sufficienter ebullierint, removeatur, filtretur: sic prodit liquor aliquis tinctus, & pulvis remanens in filtro est *crocus metallorum*.

Terra sanctæ.) Est etiam crocus metallorum vulgaris cum tartaro, nitro, & sale, quem Rulandus vocat *terram sanctam*; & sufficit, si solùm antimonii & nitri an. part. æqual. detonentur.

Absque sale communi.) Additione salis communis est labor inanis; sufficit nitrum & antimonium.

Tartaro.) Quidam

Recipiunt *tartari*,
nitri,
Antimonii an. part. æqu.
In crucibulo detonant.

Tartarum addunt, ut ille ratione olei copiosioris nitri promoveat accensionem, & ejus in alcali fixum transmutationem, ut magis agat in sulphur antimonii: sed inanis labor est; quia jam sat sulphuris est in antimonio, à quo incenditur, & figitur sufficienter nitrum in alcali fixum.

In Retorta perforata, *pag.* 205.) Quando incenditur verò tartarus, nitrum, & antimonium, fumus oritur, qui non est planè de nihilo; sed salia acquirimus volatilia ex tartaro & nitro: Est spiritus polychrestus, clyssus urinosus dictus, qui non parum pręstat in morbis chronicis, affectibus renalibus, calculo, remanente in retorta *croco metallorum*, qui à salibus edulcorandus, aut addito nitro in antimonium diaphoreticum figi potest.

Absinthiaci.) Est pompa inanis, res eodem recidit, sive sal nitri sive absinthii sumatur.

Nitri prius fixati.) Est inanis labor; nitrum enim sufficienter sub ipso labore figitur.

Arcani duplicati.) Nonnulli addunt loco nitri puri nitrum vitriolatum: ast sub tortura ignis alcali quidem nitri remanebit, acidum tamen sub flamma evolabit.

Appropriatum hic ferè nitrum.) Hoc est quando sub detonatione illa nitrum à sulphure antimonii figitur, tunc pars nitri abit in terream substantiam, croco metallorum adhærentem: de quo HELMONTIUS exclamat, felices esse eos, qui nitrum in terram insipidam possunt redigere.

Ophthalmicis.) Est præparatio aquarum ophthalmicarum infusione croci vel capitis mortui in aqua euphrasiæ, &c. Aqua hæc admodum egregia est, si oculis instilletur, utut caput mortuum butyri antimonii adhuc nobilius sit in tali aqua.

Tenerior ejus pulvis.) Quando scilicet crocus detonatione factus abluitur pro nitro fixo separando, & aquæ huic instillatur acetum destillatum, præcipitatur tunc pulvis aliquis antimonialis, *magisterium croci metallorum* dictus, qui ipse eundem habet usum ac crocus; nec enim cicuratior, nec correctior est.

Siccam formam, pag. 206.) Ratio in substantia, sed potiùs in infuso, propinatur crocus infundendo vino, ut sic substantia tenuissima se insinuando vomitorium evadat; quod si verò in forma sicca propinare velimus, imitandus MYNSICHTIUS additione tartari in præparatione tartari emetici, qui videatur. Hic tartarus emeticus potest esse loco vomitoriorum omnium in forma sicca.

Vitrum antimonii, pag. 207.) Solent (uti ex SCHROEDERO patet) corrigere aceto destillato, vel spiritu sulphuris, &c. ast AUTOR præfert tartarum emeticum.

Mercurius vitæ regulinus.) Hunc etiam vitro regulino, Mercurio vitæ, regulo cum sale communi trito præponit.

Cum sale communi tritus.) Nempè, quia ferocior est Mercurius vitæ, debet iscorrigi; id quod fit duobus modis: vel per acetum, vel cum sale communi; cum quo in anatica quantitate diutiùs terendus, & fornaci calefactæ exponendus, ut acidum salis communis figat & mitiget Mercurium vitæ; videatur SCHROEDERUS. Ita præparatum Mercurium vitæ dicunt esse specificum ad curandum hydropem: ubi quidem verum est, Mercurium vitæ copiosas evacuare aquas; interim tamen is pro hoc scopo non est cum sale communi corrigendus, præsertim cùm vomitoria omnia utplurimùm in hydropicis rarò vomitum cieant, sed saltem per secessum utplurimùm purgent, adeoque Mercurius vitæ ad grana ij. eum effectum post se relinquit in hydropicis, & alvum laxat.

Flores.) Flores antimonii corriguntur vel digestione, quò ita volatilior pars evaporet, vel cum aceto: vid. SCHROEDERUS. Verùm correctionibus his possumus carere.

Pulvis ex spiritu salis.) Spiritus salis affusus croco metallorum, vel vitro antimonii, extrahit regulum, cui spiritui affusa aqua simplici præcipitatur pulvis albus, *Mercurius vitæ* dicendus.

Ex Aqua Regis.) Hæc affusa vel antimonio crudo, vel mineræ, & præcipitata cum aqua simplici, dat Mercurium vitæ.

Antimonium crudum.) Sunt, qui hoc cum aceto, ex antimonio destillato prodeunte, figunt: ast inanis est labor.

Vitrum solare.) Hoc habet SCHROEDERUS, ast malè illud ita correctum.

Per nitrum in aqua calida.) Loco aquæ simplicis sumunt aquam calidam, quâ nitrum est solutum, cujus medio præcipitant Mercurium vitæ, reverà mitiorem & accuratiorem; item mitior fit, si instillatur guttatim oleum tartari per deliquium: sic namque Mercurius vitæ edulcoratus, & cum spiritus vini deflagratione correctus, mitè existit nunc vomitorium, nunc elegans purgans.

Electricis Mixturis.) Inanis est labor, dum Chymici parant Electrum seu misturam plurium metallorum, unde quidam regulo antimonii simplici addunt nunc solem, nunc lunam, vel martem, saturnum, &c. & ita *butyrum antimonii compositum* habent. Dicit Autor *Electricas Mixturas*; quoniam *Electrum* in Chymia mixtura est plurium metallorum. Ast butyrum hoc cum aqua simplici præcipitatum dat æquè Mercurium vitæ, ac butyrum antimonii simplex.

Mercurio vitæ vel etiam vitro antimonii.) Virulentiam autem vitri antimonii & Mercurii vitæ corrigere tentant per nitrum; nempè sumunt nitri ana vel duplum respectu Mercurii vitæ, vel vitri antimonii, solvunt in crucibulo, fusum edulcorant, & pulvis inde acquisitus mitigatus observatur. Encheiresis hæc nullius est momenti, siquidem, si plùs, quàm ana nitri sumitur, vel diutiùs in aquæ detinetur, loco cathartici evadit medicamentum diaphoreticum: sin verò minùs in igne detineatur cum ana nitri ingesto, minus corrigitur vitrum illud, aut ad minimum non sufficienter.

Tartaro vitriolato emetico.) Nonnulli infundunt vitro antimonii oleum vitrioli ad solutionem, hincque hanc cum sale tartari in tartarum *vitriolatum emeticum* præcipitant, participantem quidem de substantia antimonii; interim hic tartarus vitriolatus in larga dosi propinandus est, secus parum vel nihil operabitur.

Ex tempore domest. pulpis conservis, &c. pag. 209.) Scil. præscriptio tartari emetici in forma solida esto.

℞. *Tartari emet.* gr. iij.
Sacch. gr. v.
M. f. Pulvis.
Vel
℞. *Tartari emet.* gr. iij.
Conf. rosar. ʒß.
M. *pro Bolo.*

Præscripsi aliquando tartari emet. gr. v. cuidam melancholico, & validissimè purgavit.

Vel si purgare volumus suprà & infrà:

℞. *Tartari emet.* gr. ij.
Pulv. jalappæ gr. jv. vel v.
M. f. *pulv. pro dosi.*

Gillam, pag. 210.) Hæc ex vitriolo vulgari vel Venereo paratur: scilicet cùm vitriolum, uti notum est, corpus sit minerale, compositum ex spiritu sulphuris embryonato acido, & minera vel Martis vel Veneris in terram corrosa, constans, hinc & vitriolum est vel Martiale purum, vel Venereum purum, vel de utroque participans; & hoc est frequentissimum, cùm & Goslariense, & Salisburgense, & Romanum sunt mista ex Marte & Venere, atque ratione Veneris vitriolata sunt vomitoria, sed cum tanta nausea & stomachi subversione, ut non sine insigni noxa possint exhiberi. De Vitriolo videatur SCHROEDERUS, item de vitrioli sale AUTOR *noster.*

Benedictam Vomitoriorum Mannam.) SALA sibi habeat hanc Mannam, quæ est caput mortuum vitrioli elixiviatum; cum omnia vitriolacea ab AUTORE *nostro* dicantur abominabilia, & præter nauseam, quam pariunt, hoc habeant incommodi, quod rugis stomachi se insinuando, tonum ventriculi ad plurimas septimanas utplurimum pessundent.

Sal vitrioli.) Ex capite mortuo vitrioli elixiviatur purum putum vitriolum, multum de spiritu vitrioli, parum de minera participans; unde & in perfectum vitriolum progressu temporis regeneratur.

Laboriosiorum Arcanis, aliisque Visitationibus.) Alludit hìc AUTOR ad illud Alchymistarum: *Visitando Interiora Terræ, Rectificando Inveniens Optatum Lapidem, Veram Medicinam*: Veteres siquidem ad imitationem BASILII VALENTINI ex vitriolo, mediante spiritu universali, parandum lapidem Philosophorum putarunt, ut initiales literæ indicant.

Vitrioli Martis.) Hoc nunquam vomitum ciet, nisi per accidens in majori dosi sumptum propter molem fastidium generet; contra si in minori dosi assumptum fuerit; Quando enim vitriolacea sunt vomitoria, hoc ratione Veneris fit.

Lunaris crudioris, pag. 211.) Crystalli Lunæ ex Luna & aqua forti paratæ, saporis sunt amarissimi; Interim cum in omni Luna semper aliquid Veneris contineatur, hinc & illæ crystalli Venereæ & vomitoriæ erunt: Videatur BOYLE *in Phil. Experimentali.*

Saturnini coaguli.) Sunt crystalli quasi vitriolaceæ ex aceto & Saturno, seu saccharum Saturni dulcissimum, quod in majori dosi sumptum nauseam primò, in delicatulis vomitum excitat; sed hoc fit per accidens. Sic namque adhuc heri habui fœminam, quartana laborantem, cui cùm ante paroysmum lapill. cancror. ℈j. sacchar. Saturni gran. xjv. præscripsissem, bene quidem illa se habuit, interim adhuc semper nauseabunda est propter saccharum Saturni.

Æris squamma.) Hanc quidam propinant; quidam verò ex vitriolo mediante aceto vomitoria parant. Quia autem & illa stomacho hostilia sunt, proinde potiùs ex omnibus vitriolicis pro scopo anticachectico sufficit nobis vitriolum Martiale.

Liquida.) Ex antimonio vomitoria quomodo haberi queant? proponit AUTOR in vulgaribus infusis & syrupis antimonialibus, taxando dosim incertam & inæqualem, propter evaporationem & abstractionem: adeoque hinc docet

Pag. 212. Oxysaccharum parare) sub dosi grata, quod omnibus his difficultatibus caret, cujus hìc parandi modus: Nempè extrahit cum *aceto crocum antimonii*: hanc essentiam cum ana *sacchari* quadantenus inspissat, sine tamen evaporatione; ita dosis hujus ad ℥ij. vel iij. vel ℥ß. pro adultis esse potest.

Præscribendi modus est:

℞. *Aquæ rubi idæi,*
Oxysacch. emet. ana ʒiij. ad ℥ß.
M. D. S.
Succus emeticus pro una dosi.

Hoc oxysaccharum, ad imitationem oxysacchari ANGELI SALÆ compositum, AUTOR præfert omnibus syrupis & oxysaccharis emeticis, sive simplicibus, sive compositis: Compositis, quia v. g. aromata addita impediunt vim vomendi; unde ceu minus convenientia ea omittenda sunt: Reliqua propter evaporationem extractionis minus certa sunt in dosi.

Aqua benedicta.) Aqua benedicta est infusum emeticum, quod mihi placet. Parari potest ex quocunque remedio antimoniali vomitorio, sive infundatur crocus metallorum, sive vitrum antimonii, sive Mercurius vitæ, perinde est. Modus præscribendi est:

℞. *Croci metall.* gr. jv. v. vel plures.

Infunde in *vino Rhenano* q. s. stent in loco calido per noctem, Filtraturæ per chartam

℞. ℥j.

℞. ℥i. vel ℥iß.
D. S.
Vinum emeticum.

Minus autem figit vinum antimonii partem mercurialem, quàm acidum aceti. Loco infusorum moderni laudant sapas vomitorias cum succis vegetabilium acidulis paratas, (per acida enim solùm vis antimonii extrahi potest;) adeoque vel succum citri, limonum, vel cydoniorum recipiunt, & infundunt vitrum vel crocum antimonii; Infusum asservatur loco calido, successivè evaporando in consistentiam rob vel mellis inspissare permittunt; de quo datur gr. j. vel ij. vel iv. pro ratione subjectorum, & sic suaviter operatur, quæ instar omnium.

Cum spiritu vini.) Languida sunt vomitoria cum spiritu vini extracta & in largiori dosi exhibenda; Acida enim requiruntur; Vnde & vinum malvaticum nil ex antimonio elicit, nisi in majore quantitate affusum ratione phlegmatis sui aliquid arripiat.

Vino vindemiæ.) Recipiunt quidam sulphur antimonii auratum ex scoriis paratum, idque infundunt musto recenti, defervere unà sinunt pro vino purgante; At dosis est incerta & vehemens: Quibus omnibus non immeritò oxysaccharum vel sapa præfertur.

Annulis nummis ve vitreis.) Sic ex vitro antimonii annulos, nummos & pocula (ut Hamburgi) conficiunt, infundunt vinum ad ℥i. vel ℥iß. & pro vomitorio propinant; item calicem ligneum conficiunt, quem pice obducunt, & dum pix liquida est, frusta vitri hinc inde aspergunt, spiritum vini infundunt, quod haustum sufficienter purgat.

Essentiæ è floribus.) Sc. flores antimonii infunduntur cum tartaro vel sale essentiali tartari: ast quia hìc emergit tartarus emeticus, proinde supervacaneus est hic labor.

Tincturæ, pag. 214.) Tincturæ variæ eliciuntur è vitro antimonii; sed res eodem recidit.

Aceta destillata.) Aceta vomitoria fiunt ita: nempè destillatur ex cucurbita vitrea per alembicum saturneum, ita ad ℥i. vel ii. propinatur pro vomitorio, ZAPATA *commendatore.*

Sapphirinam Gillam.) Sicut vitriola ratione ueneris sunt vomitoria; ita & hæc gilla: unde si caput mortuum vitrioli menstruo urinoso solvitur, acquiritur liquor perquàm emeticus coloris sapphirini, cùm contrà acida affusa colorem viridem præsentent, unico spiritu sulphuris excepto, qui vitriolo ueneris affusus itidem colorem cœruleum sistit.

Ad sola inferiora.) Quærit hìc AUTOR *noster*: *annon ex antimonio aliquid perpetuò per inferiora purgans parari queat?* Sanè Phyllida hanc multi ambierunt; interim negandum non est, quædam antimonialia interdum solùm per inferiora purgare: sed cùm hoc saltem in robustioribus subjectis eveniat; imò talia, quę nunc per secessus operantur antimonialia, tractu temporis denuò vomitoria fiant; hinc rectè certum per inferiora purgans antimoniale quærimus, vix autem captabimus. Etenim ut antimonium saltem per inferiora purget, consistit hujus rei momentum in aliquali saltem ejus correctione, & quasi inchota fixatione, qua acrimonia ejusdem nimia ex textura materiali nata, & volatilitas penetrantiaque corrigitur. Jam verò ratio, quare tantopere desideretur antimonium per inferiora purgans, insinuatur ab AUTORE *p.* 214. dicente: *cùm secessus Mineralia hæc vel per accidens nonnunquam subsecuti* &c. i. e. Purgantia ejusmodi antimonialia per inferiora operantia non comitantur secessus cum tanta violentia & diarrhœa colliquativa conjuncti, quales quidem ex vegetabilium purgantibus sperari solent, quæ ex sui textura salina volatili oleosa acerrima colliquant succos corporis nostri, eosque suo modo putrefaciunt; quod itidem non faciunt antimonialia per inferiora purgantia & vomitoria, utpotè quæ saltem in stomacho & intestinis acrimoniam suam exserentia, nunc secessus, nunc vomitus provocant. Cui accedit & hæc ratio: nempè in antimonialibus reperitur, præter sulphur volatile, & aliquid sulphur fixum naturæ solaris, ratione cujus pollent insigni vi temperativa & simul anodyna succorum; ut adeoque duplex habeamus commodum ab antimonialibus per inferiora purgantibus. Cæterùm, quomodo hæc vis per inferiora purgatrix conciliari possit antimonio? quæritur: Resp. Necesse est, fieri illud per acida, non verò per alcalia: per acida quidem, quatenus hæc magis agunt in vim catharticam antimonii, quàm alcalia: quod probamus ex eo, quia per acida vis antimonii emetica extrahitur, v. g. per vinum Rhenanum, non verò per spiritum vini, aut uinum Maluaticum: unde colligimus, eadem acida quoque correctura esse antimonialia, adeò, ut inde euadant per inferora purgantia. Deinde acida quoque figunt & corripiunt uim antimonii catharticam: quod patet ex spiritu nitri acidissimo, & uitrioli quoque; quorum ille antimonii uim purgantem figit, & diaphoreticum facit; hic uerò uitrum antimonii uel iners & languidum admodum efficit.

Scopus ergò antimonii uim emeticam corrigendi esto hic: ut nempè figatur illud ex parte, non autem ex toto; sic enim hoc fit diaphoreticum: sin uerò ex parte figatur, purgans per inferiora euadit. Jam verò faciunt hoc acida, sulphuream partem antimonii ligantia: ubi tamen difficulter admodum medium reperitur inter totalem ejusdem fixationem, & aliqualem ligationem; idem enim semper antimonium manet vel diaphoreticum, vel emeticum. Cujus re ratio hæc est, quod cùm particulæ antimoniales sint rigidiores, nec adeò tractabiles in stomacho ægrorum, quàm quidem vegetabilium purgantia, hinc vix illa sine molesta irritatione operationem suam absolvunt: quà tamen positâ sequitur vomitus, sicut sudor supervenit, pęnitus fixata vi emeticâ. Hinc antimonium per inferiora solùm purgans vix habebimus, licèt non planè negandum.

Antimonialia paulò frequentiùs, pag. 215.) Scilicet contingit interdum, ut casu & per accidens sub varia antimonii tractatione inveniatur aliquid per inferiora purgans: interim tamen illud non est universale, sed hoc tempore hunc hominem per inferiora purgat, alio contrà supernè spontè operationem suam exserit.

Tincturas.) Circa tincturas antimonii conficiendas notandum: acida menstrua antimonium nimis figere, adeoque ne loco purgantium evadant eædem diaphoreticæ, parandę potiùs erunt per alcalia.

Spes decollavit semper, pag. 216) Omnes speciales modi antimonium ad inferiora determinandi, eò recidunt, ut illud per acida figamus: sin verò deficiatur in fixatione, manet vomitorium; sin excedatur, diaphoreticum.

Mercurius vitæ.) Hic cum sale communi tritus interdum facessit, interdum nempè in hydropicis, in purgans per inferiora tantùm, attamen in aliis simul movet vomitum.

In Regulum.) Hoc est, mercurius vitæ beneficio salis tartari in regulum redactus, hincque in loco calido digestus, fit quidem mitior, interim æquè vomitorius manet.

Tartaro vitriolato.) Hoc est, mercurius vitæ vel cum ana, vel cum duplo tartari vitriolati tritus cicuratur quidem, acidum vitrioli nonnihil figit dictum Mercurium vitæ; sed tamen est labor is superficialis, cùm hic delicatis æquè uomitum cieat.

Crocus metallorum.) Cautelam MYNSICHTHIUS hanc habet: ut crocus metallorum absinthiacus infundatur pro scopo vomendi vino Rhenano, non verò Malvatico: è contra alii sibi ex eodem croco vino Malvatico infuso promittunt infusum antimoniale per inferiora purgans, sed frustra; si enim aliquid vinum Malvaticum extrahit, semper erit vomitorium.

Vitrum antimonii.) Hoc imbibitur vel aceto, vel spiritu uitrioli: verùm sic figitur, aut nisi exactè punctum saturationis acquiratur, manet uomitorium.

Salinum coagulum, pag. 217.) Butyro antimonii, si instilletur ana olei tartari per deliquium, mercurius vitæ præcipitatur, qui edulcoratus per inferiora purgat. Itaque ℞. butyrum antimonii & liquorem salis tartari, instilla ad punctum saturationis, tùm cadit mercurius uitæ, ex coagulato uerò liquore fit tartarus uitriolatus antimoniatus, per inferiora ut plurimùm purgans.

Salia (ferè flocciformia) pag. 218.) Id est, crocus metallorum sepositus, vel & caput mortuum butyri antimonii sepositum, efflorescunt in sal nitrosum, quod itidem tanquam purgans per inferiora obtruditur: ast est deses illud, & parum uel nihil operatur.

Mercurius.) Hic triplex datur: Vulgi sc. corporum, & Philosophorum. Vulgi mercurius est omnibus notus: Corporum verò mercurius est ille, quem aliàs mercurium metallicum uocant, h. e. quando ex metallis perfectis, mediantibus resuscitatiuis, producitur mercurius uiuus: de quo corporum mercurio non dubitamus; & consistit fundamentum præparationis in eo, ut nempè mercurius, à sulphure coagulatus in metallum, ab isto sulphure liberetur; (Nam à sulphure mercurius in metallum coagulatur:) adeoque menstruo soluente sulphur, eoque resoluto, & sic cessante metalli coagulo, metallum solutum cum menstruo soluente in forma mercuriali liquida se sistit. Jam uerò sulphura illa metallorum sunt manifestè pinguia & occultè acidissima; hinc media resuscitandi seu redigendi metalla in mercurium uiuum, erunt salia alcalia, eaque tàm fixa, quàm uolatilia: ac inter illa quidem excellit sal tartari, tanquam priuilegiatum quasi; sicut inter uolatilia urina, sal ammoniacum, quod sal uolatile aliquid continet, & suo modo sal commune. Cùm itaque hæc agunt in sulphur metalli, & id soluunt, mutata ejus textura prodit liquidum aliquod corpus, mercurius corporum dicendus. Atque hunc mercurium corporum AUTOR *noster* reponit, dicendo: eundem sublimioribus arcanis inseruire; quia pro scopo purgandi sufficit Mercurius uiuus.

Cum vel unica, pag. 219.) Hìc AUTOR Mercurii uulgaris depurationem superfluam taxat: nempè cum mercurius ille adhæsione substantiæ arsenicalis, & hinc saturninæ fit adulteratus, proinde duæ hæ sordes ut separentur, lauatur Mercurius uiuus seu depuratur. Laboriosi hìc sunt Chymici, dum alii hoc faciunt cum sale, alii cum aceto, alii cum spiritu uini, alii aliter eundem lauant, ubi tamen hæc cum aceto lotio simplex optima est, sufficit abundè pro auferendo arsenico & saturno: siquidem saturnus mox ab aceto soluitur & nigrorem contrahit, unde & quamdiu nigrescit acetum, tamdiu continuanda est lotio cum aceto, pro saturninis sordibus demendis; quoniam tunc sordibus iis adhuc imprægnatum est.

Per corium.) Quidam ut depurent Mercurium, per corium eundem traijciunt, quod tamen pariter non sufficit: Mercurius enim secum rapit, quicquid sibi adhærescit.

Ab aliis metallicis.) Quidam cum metallicis corporibus depurant. Alii ad depurandum Mercurium vivum faciunt amalgama ex Mercurio vivo, Sole & Luna, hocque ita factum per retortam destillantes, putant sic prodire Mercurium vivum ab omnibus sordibus liberatum, & vocant Mercurium purificatum: sed labor est prolixior, sufficere potest compendiosior modus, qui est optimus: nempe recipitur Mercurius sublimatus ex spiritu salis acido & Mercurio vivo constans, qui cum limaturæ Martis ana mistus destillatur per retortam; sic enim Mars absorbet & imbibit Mercurii sublimati acidum, quo imbibito vi ignis prodit Mercurius vivus optime depuratus: vel & recipitur caput mortuum butyri antimonii ex Mercurio sublimato & antimonio constans, quod miscetur cum sale tartari & limatura Martis, sic alcali destruet acidum Mercurii sublimati, & sulphuris antimonii, quo destructo prodit Mercurius vivus optime purificatus.

Amalgamatis Iovialis pro sudorifero maximo.) FABER hoc parat ex amalgamate Jovis & Mercurii, figendo cum nitro. Jam si recipiatur hoc amalgama, & additione salis fixi destilletur, prodit Mercurius vivus purificatus. In metu imminentis ilei usurpatur sine noxa, utut diutius in corpore persistat, vel externe illitus soleat salivationes inducere.

Infidus ille servus, pag. 220.) Servus fugitivus Chymicorum alias dicitur Mercurius, ideo, quod, etsi Chymici putent eum ligasse, avolet tamen. Cæterum quoad usum internum, Mercurius vivus egregio cum effectu usurpatur in ileo, estque simpliciter innoxius; potenter enim reserat obstructiones: diutius tamen intra corpus detentus, aut & externe illitus, pariter in ægris & sanis insignes salivationes excitat. Sic quoque mercurialia pro vomitoriis adhibita sunt nequam, cruciantia & infida, & plus minus operantia in hoc, quam in alio: & posito fixatum eum esse, tamen nisi in administratione cautelæ adhibeantur, sed sæpius paulo sumatur Mercurius fixatus, salivationes itidem excitant. Tandem & intuitu mercurialium notandum: quod omnia ex Mercurio præparata nobis hactenus nota sint saltem præcipitata & sublimata, quorum ambo extrinsecus saltem larvant Mercurium, utpote cum per alcalia hic denuo facile resuscitabilis sit; hinc omnia hæc ex Mercurio præparata eosdem penitus habent effectus, nempe supra & infra purgant, utut etiam subinde per salivationem, ac imprimis diutius continuata, operari soleant. Notanter interim dico: *hactenus Præparata*; qualia sunt potissimum Magisteria; olea enim, spiritus, & Essentiæ Mercurii, quicquid & impostores promittant, nunquam sunt observata.

Magisteria autem illa sunt in forma liquida vel sicca: ubi omnia fluida ex siccis originem ducunt; sicca vero ista ex Mercurio sunt vel sublimata vel præcipitata: Fiunt vel

1. Per se, simpliciterque per ignem, superveniente digestione diuturna: vel
2. Per spiritus acidos salinos, horumque repetitam abstractionem: vel denique
3. Mediantibus salibus alcalibus præcipitantibus ea in acidis soluta.

Jam porro omnia hæc præcipitata sunt vel solitaria, adeoque mercurialia simpliciter, vel simul sociata metallis nobilioribus, v. g. Præcipitata mercurialia Solaria, Lunaria, &c. Mercurialia autem sublimata sunt vel cum sulphure, vel cum salibus præparata: cum sulphure quidem, uti est cinnabaris quæcunque; cum salibus vero ordinaria sublimata sunt vel corrosiva, vel dulcia, aliaque similia. Atque his bene cognitis & consideratis, facilis erit de mercurialibus dicendorum intellectio. Cæterum in omnibus his præparatis larvari dicimus Mercurium, ita, ut hic nequam, ubi maxime æstimatur vinctus, liberetur, & in forma nativa se sistat, idque imprimis si per alcalia tractatur: cujus rei ratio hæc subest, quod ipsemet Mercurius TACHENIO *in Hippocrat. Chymico* consentiente, repræsentet quasi alcali metallicum; inde vix per alcalia, sed saltem per acida tractari potest, cum quibus se sociando in compositum tertium salsum, quale est Mercurius sublimatus & Mercurius dulcis, abit: sic quoque idem Mercurius amalgamatur eatenus cum metallis, quatenus ille se horum sulphuri acido, a quo ipse saturari, & suam famem implere cupit, sociat. Ut itaque Mercurius modo hactenus cognito saltem per acida tractari & larvari possit, qui contra alias per alcalia saltem resuscitari vult, utpote, quæ destruunt acida Mercurium ligantia, quibus destructis iterum sub ordinaria larva prodit Mercurius.

Corallatus secretior.) PARACELSUS *in scriptis suis* meminit Mercurii fixi, quem a colore arcanum corallinum vel corallatum majus vocat; quodque solum per inferiora purgat & perfecte, experientia suffragante, hydropem, phthisin, podagram, &c. curavit, interim modum præparandi reticuit: HELMONTIUS quidem *Tract. de Febribus* manifestare voluit, fieri illum nempe abstractione liquoris alkaheft: quippe ita fixatus deinde edulcorandus esset mediante aqua albuminis ovorum: sed deficit nobis lagenula alkahestica.

Vulgares vero.) Loco hujus arcani corallini Paracelsi CROLLIUS introduxit aliud arcanum corallinum, mediante spiritu nitri præparatum, de quo vid. SCHROEDERUS & HOFFMANNUS; quod a spiritu nitri rubricundum colorem acquirit. Præparatio inter varias huc recedit; nempe est illud Mercurius vivus, a quo aliquoties spiritus nitri est abstractus; hinc enim colorem rubicundum acquirit, cujus declarationem habet TACHENIUS *in Hippocr. Chym. circa finem.* Interim Mercurius ita paratus est adhuc catharticus, & salivationem movet & vomitus, nec differt a Mercurio præcipitato vulgari Fioravanti.

Mercurium dulcem, pag. 221.) Ex omnibus Mercurialibus eligit hic AUTOR Mercurium dulcem ex Mercurii sublimati & vivi ana sublimatione paratum: ita namque Mercurius vivus corrigit corrosivam acrimoniam Mercurii sublimati, evaditque hinc singulare & optimum purgans per inferiora pro morbis chronicis.

Cæterum pro hoc scopo semel tantum, vel bis ad summum, Mercurium sublimandum esse AUTOR monet, idque ideo, nam quo sæpius is sublimatur, eo etiam magis vi laxativa castratur, dum aliquo modo figi videtur per ignis vim, atque ideo Mercurius dulcis sæpius sublimatus amittendo vim purgantem, evadit diureticus. Recte autem paratus Mercurius dulcis egregius est in dissolvendo & attenuando acido viscido, quale speciatim in lue Venerea peccat; hinc est, quod is ei specifice conducat; sic & hic Mercurius dulcis sufficit præ omnibus pro arcendo fermento acido ulcerum, convenitque pro scabiosis purgandis, ulcerosis, leprosis, &c. egregie; non secus ac in morbis nervosi generis chronicis inveteratis ex viscido chylo & mucilaginoso oriundis, ut epilepsia, item hemicrania inveteratis, idem Mercurius dulcis omnium optime inter purgantia simul requiritur: sicut tandem lumbricorum exercitum cujusque generis optime enecat Mercurius dulcis, seu hostis est infensissimus vermium.

Venale sublimatum.) Mercurius sublimatus communis probatur, si eidem guttæ quædam olei tartari per deliquium affusæ sint; tunc enim Mercurius sublimatus alias candidus, si est legitimus, flavus fit; cum contra, si de arsenico is participet, fiat nigricans. Ergo eligendus est Mercurius sublimatus communis, qui ab oleo tartari redigitur in colorem flavescentem. Modum autem præparandi Mercurium sublimatum videb. in *Hippocr. Chymic.* TACHENII.

Speciosior modus per solas salis communis ac vitrioli particulas.) Modus speciosior cum sale communi, vitriolo, nitro & Mercurio vivo factus nihil singulare in recessu habet, cum ascendente solum sale communi vitriolum & nitrum in fundo vasis maneant: Interim curiosior est processus hic; recipitur Mercurius vivus, qui solvitur in spiritu nitri, hinc solutione per sal commune præcipitata, præcipitatum hoc sublimatur; sic namque Mercurius sublimatus nitidissimus acquiritur.

Adjecta nobiliorum metallorum particula.) Sunt nonnulli, inter quos & invenitur ZWELFERUS *in Pharm. Reg.* qui Mercurium dulcem cum auro miscent, & ita, nescio quo successu, illum exaltare satagunt; verum scopus laxativus sic potius infringitur, unde illa exaltatio quoque est superflua quædam sapientia.

Nec opus habemus.) Dicere vult AUTOR: si Mercurium dulcem rite adhibuerimus, nos non indigere variis mercurialibus. Nam omnia cognita hactenus mercurialia sunt vomitoria & cathartica, eaque satis molesta, sicut continuato usu salivatoria: hinc & rejicit arcani corallini per spiritum nitri parati usum: nam & sic interne usurpatus supra & infra movet, utut locum id habeat externe in scabie & nonnulli; casibus chirurgicis, ubi forsan Mercurio aliqualiter corrosivo opus habemus. Unde rarius intra usurpatur.

Flores Mercurii argenteos.) Vid. in SCHROEDERI *Parm.* sed non est legitima præparatio: si vero rite præparetur, maximi usus esse deberet. Vocatur etiam *lanugo Mercurii perlata.*

Præcipitatum per se, pag. 223.) Hujus præparationem habet SCHROEDERUS, & ZWELFERUS *in Mantissa Herm.* fitque ea in phiola plana: encheiresis autem pro facilitanda Mercurii præcipitatione per se hæc est; nempe subministretur ignis quasi suppressionis, non saltem infra, sed & supra vas cucurbitæ, cum sic Mercurius facilius per se præcipitetur. Cæterum utut hoc ZWELFERUS saltem per inferiora purgare dicat, tamen pariter supra & infra purgat, quamvis & corrigatur per spiritum vini, spiritum vitrioli, aut aceti destillati abstractione.

Si jalappæ.) Modus usurpandi Mercurium dulcem varius est, & quidem per se datus non adeo forte fit laxativus, indeque rarissime solitarie nisi infantibus propinatur. Tuto in forma pilularum vel boli exhibeatur, ac proin societur is aliis purgantibus vegetabilibus, v. g. cum ialappa & stimulo scammonii sulphurati acuatur; ubi vulgo & in tabulas redigitur. Interim hoc non promiscue faciendum est, idque ex eo, quod si dentibus teratur & ulcuscula in faucibus hæreant, periculum fit, ne ex mora Mercurii ingredientis exasperentur illa, insignisque salivatio excitetur; contra optime in forma pilulari una vice deglutienda, vel & in forma boli exhibetur, cum aut sine aloeticis, aut cum jalappa acuendus.

Mercurius crudus & per se, pag. 224.) Mercurius crudus tuto in casu affectorum intestinorum, & lumbricis, potest exhiberi; interim pro scopo purgandi is languidior est.

Decoctum ejus.) Decoctum Mercurii crudi seu *aqua hermetica*

Augenii inservit tàm usu interno pro lumbricis, decoquendo ℥i. mercurii viui in ℔i. aquæ graminis vel hyperici, quàm externè pro lauandis lentiginibus, Germ. *Sommer-sprossen*, scabiosisque manibus; nempè

℞. Huius *decocti* ℔i.

adde

Mercurii dulc. ʒiii. ad ℥ß.

Hac misturâ lauentur manus & pedes in scabie, aliis frustraneis.

Misturâ denique.) Triplum sacchari cum una parte mercurii viui teritur in puluerem gryseum ad uermes; qui tamen non antecellit Mercurium dulcem.

Turbith illius, pag. 225.) Si tamen mercuriale uomitorium usurpandum sit, ex AUTORE usurpetur Turbith minerale, quod generali nomine uocatur *Præcipitatum catharticum minerale*, præsertim per alcalia. Ex mercurio paratum optimum est, & hic modus Autoris concinnior eligitur; solvitur nempè mercurius sublimatus in aqua calida, hincque solutio præcipitatur vel sale tartari, vel oleo tartari per deliquium in puluerem ex flauo obscurè rubescentem; qui edulcoratus probè à gr. v. vj. viij. ad x. suprà satis movet: si mitiorem velimus, post edulcorationem lento igne aliquandiu digeratur, sicque tutiùs propinatur. Atque ita paratum turpethum minerale omnium instar sufficere potest; cùm reliqua è contra præcipitata fiant vel per abstractionem acidorum spirituum, vel per præcipitationem ex his cum alcalibus factam.

Præcipitatum quoddam in usus chirurgicos.) Nempè in casibus, quando corpus à sordibus putridis & ulceribus emundandum, aut callus & caro luxurians absumenda, aut ulcera uenerea venenata curanda, præstat id, quod vulgo cum aqua forti præcipitatur; estque hoc Vigonis. Interim præfertur huic mercurius præcipitatus ex Mercurio sublimato & oleo tartari confectus; neque hoc pro usu externo cedit mercurio dulci ad extra dicto, qui est, si mercurius dulcis non est purus; tunc enim non internè, sed saltem externè usurpatur, & æquali passu cum præcipitato illo potest adhiberi: sic & loco olei tartari potest etiam mercurius sublimatus præcipitari cum liquore silicum (qui GLAUBERI est modus) & est hic sal tartari cum silicibus mediante igne fusionis impregnatum: quod ipsum in loco frigido repositum in liquorem fluit, præcipitantem mercurium sublimatum copiosiùs in turpethum minerale optimum; quod dicit AUTOR sufficere præ omnibus.

Diversis sub coloribus, pag. 226.) Quando mercurius vivus solvitur in acidis, tunc nunc cum vrina, nunc cum sale ammoniaco, nunc cum aqua salina, potest is præcipitari. Interim his & parabilitate & securitate præstat, si præcipitatur cum oleo tartari.

Præcipitatis abstractitiis.) Nempè affunditur Mercurio spiritus sulphuris vel nitri, vel similis; ligatur enim ab his mercurius, & ita fixus suo modo præcipitatus hæret: edulcoretur. Verùm hæc & similia Præcipitata non internè adhibentur, sed molesta sunt & periculosa.

Præcipitato denique.) Sunt qui Mercurium sublimatum parant solvendo Mercurium in aqua forti hancque solutionem præcipitando cum oleo tartari; verùm hoc præcipitatum defes est respectu illius, quod ex sublimato paratur.

Mercuriali consortio.) Ex tempore possumus habere emetico-catharticum ex mercurio & antimonio, recipiendo nempè mercurii sublimati dulcis gr. xii. ad xv. quibus addatur vel mercurii vitæ, vel croci metallorum, vel sulphuris aurati antimonii gr. ii. præter propter; hinc juncta ambo terantur in mortario lapideo diutiùs continuando; sic namque acidum mercurii dulcis sub hac trituratione, (quod est ex sale communi) aggreditur sulphur adiunctum antimoniale, quod figendo suâ aciditate vim emeticam nimiam nonnihil castrat, adeoque emetico-catharticum blandum emergit, in morbis chronicis & inveteratis appropriatum.

Num autem in reliquis Emeticis, p. 227.) Dubitat hic AUTOR, an præcipitata composita cum metallis aliquam præ vulgaribus prærogativam habeant, v. g. cum sole præcipitatum, *aurum vitæ* dictum, ex SCHROEDERO notum; item *Hercules Bovii* ex mercurio & auro; item Lapis Philosophorum Italorum (quasi esset primum rudimentum Lapidis Philosophici) & dubitat, an aurum his præcipitatis additum aliquam vim vel correctionem tribuat, præsertim cum illa æquè suprà ac infrà moveant. Et quidem per præcipitatum solare simul antimoniatum insinuat *Febrifugum* decantatum *antiquartium Riverii*, quod constare multi putant ex auro in aqua regia soluto, & vitro antimonii hyacinthino in aqua forti soluto, & mercurio vivo itidem in aquæ fortis soluto; quæ omnia digesta & præcipitata dant aurum quoddam vitæ seu Mercurium præcipitatum solarem, suprà, & infrà movens: Sed vix credo, quod sit antiquartium Riverii, quia nimis est violentum; cùm contrà Riverii antiquartium benignum satis fuerit, uti ex RIVERII *Observationibus* constat. Interim & huius loco sufficere potest mercurius dulcis, & Turbith minerale. Ex regno ergo minerali pro scopo cathartico emetico AUTOR tria eligit: nempè tartarum emeticum ex suo croco, oxysaccharum emeticum, & mercurium dulcem; quibus superpondii loco certis in casibus addit turpethum minerale seu Mercurium per oleum tartari præcipitatum. Et hæc reverà sufficiunt.

Aurum fulminans, pag. 228.) Hoc diversimodè paratur: in genere tamen nullum parari potest, nisi participet de spiritu nitri, & hinc de sale volatili urinoso: alterum ubi deficit, non fulminat; hinc optimè succedit negotium per spiritum nitri, ipsique si addatur aliquantulum salis volatilis vrinæ, etiam obtinetur menstruum huic rei aptum: Conf. KUNCKELIUS *Obs. F. no.* 1. E contrà aurum cum spiritu salis solutum, & cum alcali tartari præcipitatum, non fulminat, defectu nempè nitri, ut observat TACHENIUS *Hipp. Chym. p.* 33. non secus ac aurum in aqua regia, ex spiritu nitri & spiritu salis parata, solutum cum alcali tartari præcipitatum non fulminat, ut observavit HOFFMANNUS *Clav. pag.* 204. defectu nempè salis volatilis urinosi: adeoque est curiosa & notatu digna præparatio auri fulminantis EICHSTADII, quam habet *Tract. de Confectione Alchermes* § 20. qui præparat aurum fulminans mediante spiritu nitri, in quo aurum, quantum capere potest, solutum fuit: solutionem hanc præcipitat cum lixivio salis tartari, acquirit aurum fulminans, utut nihil salis volatilis salis ammoniaci accesserit. In quo ipso reverà contrariatur omnibus, præsertim WILLISIO *de Fermentatione pag.* 77. qui necessariò sal ammoniacum simul requirit. Certum enim est, quod spiritus nitri sale proprio impregnatus aurum solvat, saltem fulminis ratio ex salis volatilis defectu non adeò manifesta est; nisi dicere velimus, in nitro ordinariè reperiri simul de sale communi, & ipsum nitrum ratione generationis suæ ex urina & stercoribus animalium confectum, sal volatile etiam in se continere, ita, ut ex his in dicto menstruo mistura quasi ammoniacalis, licet occulta, resultet. Falsum ergo est, quod quidam fulmen derivare volunt ex sulphure auri, quod cum nitro, ex menstruo per præcipitationem regenerato, instar pulveris pyrii per inflammationem ad deflagrationem fulminet. In auro enim deflagrabile sulphur non reperitur, sed potiùs fixum: accedit & hoc, quod post fulminationem factam aurum integrum denuò deprehendatur; quod fieri non posset, si inflammationem passum fuisset. Est ergò fulmen hoc nihil aliud, quàm displosio quædam ex particularum salinarum ab auri corpore, cui firmissimè adhærent, dissociatione & disgregatione nata, ita, ut aurum nihil conferat, præterquam quod subjectum sit, cui tam firmiter salia adhærere apta nata sunt, & quorum mediante igne quasi effervescentium subitanea ac violenta dissolutione & sonitus & impetus nascuntur. Rem ita se habere, patet ex eo, quod aurum fulminans sæpissimè edulcoratum, & quantum possibile à salibus separatum, vim fulminantem amittat, & quod sub præcipitatione sal fixum copiosiùs paulò additum fulminationem etiam impediat, figens scilicet nimis particulas acidas, eorumque motum impediens, quò minus cum volatilibus salinis particulis effervescere & displodi queant: restituitur tamen hoc modo perdita vis fulminans cum irroratione spiritus vini vel salis ammoniaci. Cæterùm curiosa maximeque concinna est præparatio Glauberi, qui scilicet aurum depuratum solvit in aqua regia, hincque solutioni instillat pedetentim spiritum salis ammoniaci: ita namque cadit aurum fulminans flavi coloris, & in usu Medico præ aliis efficax. Dum verò aurum fulminans nunc plus, nunc minus edulcorare solent, sic etiam aut blandè laxat, aut sudorem movet, seposita vi laxativa: & curiosum est, quod ejus grana ii. iii. vel iv. ad v. excrementa nigro colore, quasi atramento, tingant. Idem aurum fulminans non adeò edulcoratum, utut pro purgandis hypochondriacis & tympaniticis, & flatuum impetu sistendo commendetur, tamen inibi est id languidum; contrà verò infantibus epilepsia per consensum abdominis correptis ad gran. i. vel ii. datum, teste experientia nostra, suprà & infrà mirabiliter movet, & speciatim epilepsiam, modò curabilis fuerit, sistit: Infantes autem frigidi & tanquam mortui post ejus usum jacuerunt. Aliàs in adultis pro scopo purgandi & sudorifero parum præstat, nisi quod in dispositis suaviter illud soleat laxare, in non dispositis minus. Porrò conficitur ex hoc auro fulminante auro Poterii diaphoreticum iàm in affebus apoplectico-paralyticis, quàm morbis malignis proficuum: tamen idem quoque in muliere febre petechali laborante purgationem induxisse ad ℈ß. pro 2. dosibus præscriptum observavi. Tandem & aurum in spiritu salis solutum, & ad gutt. vii. viii. ad x. propinatum, solet ægris fæces nigerrimas inducere; interim pretiosiora hæc sunt.

Catharticum argenteum, pag. 229.) Luna rarò aut nunquam sine consortio cupri, vel natura vel arte, reperitur; Nam & vasa argentea participant de venere, & minera lunæ veneri sociata deprehenditur; hinc & à venere vulgares illæ tincturæ sunt cæruleæ, adeo, ut omnes ejusmodi tincturæ sint supposititiæ & veneris filię, non verò lunæ proles. Cæterùm ex luna in aqua forti soluta per abstractionem fiunt pilulæ amarissimæ, ascitico rum aquas per inferiora efficacissimè expurgantes (quarum jam genuinam descriptionem vid. in BOYLEI *Philosoph. Exper.*) ad gr. ii. vel iii. ad iv. exhibitæ: unde miror AUTOREM illas nominare defes remedium. Nam in tantum evacuant, ut ægri languescant, qui languor tamen per martialia corrigendus tunc est. Curiosum interim est, unde proveniat amaror ex luna in

aqua forti soluta, & in pilulas redacta. Omnia purgantia vitriolica & venerea sunt naturæ nostræ inimicissima, propter nauseam, quæ in ipsis essentialem partem videtur constituere: sic Venerea ejus limatura cum tartaro cocta præbet liquorem adeò nauseosum, ut nauseosior esse nequeat.

Lapidis calaminaris magisterium, pag. 230.) Hic est naturæ martialis, hincque præcipitatum ejus magisterium est admodum hebes. In paulo inconvenientiori dosi assumptum per accidens fit purgans, quod per se nunquam tale est.

Martis vitriolo.) Hoc solutum in aqua, & præcipitatum cum oleo tartari, dat crocum, quem HOFFMANNUS contra vermes commendat; sed deses est remedium hoc.

Sal Martis purgans.) Quando sal ammoniacum & limatura Martis sublimantur, tunc in fundo remanet materia quædam ex Marte & sale acido ammoniaci constans, vitriolaceæ naturæ, & parum præstat.

Lapis Armenus vel potior Lazuli.) Horum ille coloris ex cæruleo viridescentis; hic verò sapphirini aurescens prodit, primariò de Venere, secundariò de Luna participat: hinc & lapis Lazuli mediante oleo lini (quod copiosum alcali obtinet) colorem cæruleum ultramarinum reddit. Adeoque, quicquid virtutis purgativæ dicti lapides promittunt, eam omnem Veneri sociata, sive vitriolo Veneris debent. Ergò ob Venerem vel infausti sunt, vel nauseabundi.

TITULUS VII.

DE

DIAPHORETICIS UEGETABILIBUS.

Diaphoretica, pag. 231.) In his quoad Theoriam duo consideranda probè sunt; nempè

1. Vis generalis ipsa diaphoretica seu sudorifera, qua talia subjecta vegetabilia potenter sudores ciere solent.
2. Huic virtuti sudorificæ generalis adjuncta vis specifica medicamentosa, in singulis concretis penè singularis; ratione cujus & uni & alteri sapori morbos aut causæ morbosæ corrigendæ sufficiunt. Atque hoc modo sassafras, præter generalem vim diureticam, specialiter catarrhis dicatum: sicut buxus speciali vi anodyna, antiscorbuticâ: & pinus ejusque strobuli speciatim scorbuto succurrunt, quantumvis eadem in genere quoque vi sudoriferâ potenti polleant: Rob juniperi simul est diureticum: rob sambuci num ad erysipelata existit: cornu Cervi, & viperæ malignitatem corrigunt: unicornu epilepsiæ medetur.

Consistit autem vis ac facultas operandi diaphoreticorum horum vegetabilium in substantia resinosa amara, eleganter aromatica, adeoque in sale volatili oleoso, temperato tamen, nec adeò acri; imò nec adeò colliquativo, nec virulento, quali alias pollent purgantia vegetabilia: unde conseqenter hæc vegetabilia diaphoretica ratione substantiæ suæ resinosæ fundantur in sale volatili oleoso concentrato consistente, ratione cujus, præter vim diaphoreticam, simul corrigunt & temperant acidum, incidunt & resolvunt viscidum, & lymphæ vitia varia emendant & corrigunt; quin imò tonum fibrosum viscerum & partium roborant & restaurant. Atque hoc ita se habere patet ex oleo destillato ligni guajaci vel tartari (quod itidem prosapiæ vegetabilis est) quæ ad gutt. vj. viij. vel jx. ad x. propinata, sunt potentissima sudorifera, & in tantillis guttis tantum præstant, ac decocta lignorum sudorifera in tot haustibus: ratio est; sunt enim illa olea salia volatilia concentrata seu resinæ liquidæ, quæ ex his subjectis destillata quasi concentratâ vi operantur tàm potenter per sudorem, unde dubium nullum est, ipsa simplicia in decoctorum forma propter sal volatile in dilutiore tamen forma vim suam exerere.

Pro selectu autem nostro sint sudorifera potiora ex *Regno Vegetabili* lignum guajacum cum cortice, cui tamen fraxinus æquipollere dicitur: lignum sassafras; ejus tamen succedaneum est lignum juniperi, cujus baccarum rob, non secus ac sambuci rob, egregium diaphoreticum existit: strobuli pini juniores & arboris hujus cortex; radix tormentillæ non ineptè loco radicis sarsæparillæ recipienda; item radix angelicæ non solùm Helvetica, sed etiam nostras; item enulæ, zedoariæ, chelidonium majus, item herba cardui benedicti, scordii, centaurii minoris; item myrrha, camphora; item semen sinapi, napi, aquilegiæ, nasturtii, &c. Hæc potiora sunt diaphoretica vegetabilia, quibus annumerantur etiam sequentia: radix chinæ, bardanæ, quinquefolii, milium, saponaria, lignum ebeni, buxi, corylinum, radix petasitidis, carlinæ, levistici, mei, imperatoriæ, valerianæ, seseli album, radix victorialis, ruta, china chinæ, radix contrayervæ, anthoræ, dictamni albæ, vincetoxici, scorzoneræ, galega, flores calendulæ, juglans, fuligo.

Secundò *Regnum Animale* potiora sudorifera suggerit in cervo, vipera, ossibus lucii piscis, conchis oblongis, sanguine hircino, dente quodam vel eboris, vel unicornu, vel utroque. Hisce sufficientibus annumerantur & alia, nempè rhinoceros, lapides bezoardici, aranea, ciconia, homo, mater perlarum, testæ ostrearum, entali, dentali, blattæ byzantinæ, umbilicus marinus; loco quorum cochlearum nostrarum domunculi sufficiunt: hippopotami dens, aper, anas.

Tertiò *Regnum Minerale* suggerit potiora sudorifera, nempè antimonialia fixata, tàm sulphurea, quale est cinnabaris antimonii, quàm mercurialia ex regulo, uti in specie sunt Bezoardicum minerale, item antimonium Diaphoreticum Martiale, & hinc tinctura quædam antimonialis insignior, tàm cum acido, quàm cum alcali parata, item Mercurius fixus diaphoreticus adeò decantatus Helmontio; item diaphoreticum quodduàm ex Iove, tam sodoriferum maximum Fabri, quàm commune; item pulvis quidem fixus solaris, & tinctura quædam auri concinnior. His addi potest unicornu fossile, & terra sigillata, item sulphur commune: quibus subjungatur quasi hermaphroditica soboles ex minerali & animali regno, sal ammoniacum.

Quoad *Composita & Præparata*, ex modò citatis simplicibus ceu potiora sufficiunt tinctura bezoardica selectior, hinc pulvis aliquis bezoardicus, tàm salinus quàm fixus; salinus v. g. ex sale absinthii, sale volatili cornu Cervi, bezoardico minerali; fixus verò ex cornu Cervi sine igne, maxilla lucii piscis, unicornu fossile; quibus alia, etiam opiata, sociari possunt: item spiritus quidam urinosus volatilis, vel simplex, v. g. spiritus salis ammoniaci, vel compositus, v. g. liquor cornu Cervi succinatus: Ex spiritibus verò volatilibus oleosis sufficiat spiritus theriacalis camphoratus. Porrò inter salia fixa simplicium diaphoreticorum unum alterumve, v. g. absintii, vel centaurii minoris, vel fumariæ, instar omnium sufficiant. Majoribus ex compositionibus, sola theriaca, & electuarium diascordii Fracastorii, aut electuarium tale quoddam compositum, ad horum imitationem paulò concinniùs constructum, usurpetur. Plura inter aceta alexipharmaca & theriacalia unum compositum sufficit, quale v. g. est istud, quod ceu expertum describitur à KIRCHERO *in scrutinio Pestis*, vel acetum Theriacale Timæi. Accedat hic extractum quoddam compositum ex vegetabilibus paratum, facilè per ingredientia animalium ulterius perficiendum. Olea inter destillata alexipharmaca & sudorifera unicornu compositum, v. g. *pestilentiale oleo Heinisii* ex *oleum destillato succini*, *citri*, & *camphoræ* paratum. Hisce omnibus pro vehiculo inserviat una alterave aqua destillata, v. g. aqua florum sambuci, cardui benedicti, vel fumariæ.

Diaphoretica Venerea.) Per hæc intelligit AUTOR ligna & radices pro cura hujus morbi requisita, circumscribitque illa quaternario numero, allegando lignum gvajacum, ejusque corticem, sassafras, radices chinæ, & sarsaparillæ: quibus tamen moderni addunt alia simplicia plura, v. g. radicem periclymeni, bardanæ, ligna juniperi, buxi, fraxini & coryli: atque ex omnibus his selectum faciendo AUTOR guajacum cum cortice eligit. Interim tamen selectus hic mihi nimis angustus videtur; indeque pro Praxi liberaliori, utut selectiori, guajaci ligno & cortici addendum esse puto lignum sassafras, juniperi cum baccis, item strobilos pini & cortices hujus recentes. ut & tandem loco radicis sarsæparillæ radicem tormentillæ nostratis, quæ singularis effectus est in pluribus casibus. Et quamvis AVTOR *noster* hæc non æstimet ideò, quod non semper satisfaciant scopo, h. e. inveteratam luem Veneream curent; imò & antimonialia & Mercurialia in confirmato malo sæpe frustranea reperiantur, adeoque loco omnium unicum seligendum esse moneat: Interim tamen moderni laudem merentur in cura luis venereæ inveteratæ utramque conjungendo methodum, nempè Decoctis lignorum sudoriferis remedia salivatoria superaddendo, quo sic duplicatâ vi rebelle istud malum ei jciatur; adeoque præmissis appropriatis purgantibus & decoctis sudoriferis salivationem mercurialem nunc quidem externè, nunc verò per interna excitant, subjungentes huic denuò decoctorum sudoriferorum usum.

China, pag. 232.) Radix hæc ob vim suam aromaticam non inelegans est, & speciatim contra scorbutum valet: interim quoque verum est, quod huic chinæ pro scopo sudorifero, extra luem Veneream præsertim, alia æquipollentia præstent, nempè radix bardanæ & tormentillæ, item quoque mihi Decoctum: & quidem Decoctum radicis bardanæ insigni vi sudoriferâ egregiè pollet, adeò, ut Practici nonnulli illam ad pleuritides per sudorem curandas propinent. Ejusdem effectus est decoctum radicis tormentillæ amarissimum, sarsaparillæ radicis Decocto substituendum.

Ambrosiaco Decocto.) Non secus ipsum mihi decoctum Ambrosiacum, egregiè sudoriferum, uti non tantùm in febribus intermitientibus curandis à vulgo adhibetur, sed & illud ANGELUS SALA ad variolas per sudorem curandas commendat.

Sassafras.) Hoc in puncto curandæ luis Venereæ non quidem adeò valet: interim tamen in catarrhalibus affectibus egregium tantoperè est, ut & alexipharmacon catarrhorum audiat, sive more Majorum jam in decocto, sive in tinctura aut Infuso exhibeatur. Et quidem paratur ex eo *essentia catarrhalis*, vel beneficio aquæ benedictæ serpilli, quam describit Mynsichtius, vel beneficio spiritus serpilli;

quæ

quæ assumpta ad cochlear unum egregia est. Taceo, singularem vim aromaticam stomachicam in esse sassafras, sapore fœniculato se prodeuntem, stomachoque gratam. Porrò paratur ex illo oleum duplici modo: oleum nempè aliud empyrevmaticum per retortam, & aliud per vesicam; idque gratissimum instar olei destillati fœniculi, internis usibus pro curandis catarrhis aptum. Similiter spiritus ex illo duplici modo elicitur; nempè vel per spiritus vini abstractionem, qui spiritus vini sassafratus audit; vel per ligni in retorta destillationem acidulus: horum ille non adeò pretiosus; posterior verò pretiosior, quippè is acido-volatilis existens rodit corallia, eaque solvit, ut hinc tinctura coralliorum sassafrata parari possit; vel & possunt solvi corallia in succo citri, deinde magma cum spiritu ligni sassafras ulteriùs extrahi in tincturam coralliorum sassafratam, cum spiritu lignorum paratam.

Optimè aliàs *Essentia ligni sassafras* parari potest sequenti modo: spiritus ligni sassafras acidulus rectificatus digeratur per aliquot dies & nocte cum ana spiritus vini sassafrati, iterumque ad siccitatem abstrahatur: qui vel rasuræ ligni sassafras superfusus egregiam constituit essentiam; vel solutio coralliorum ad mellaginem inspissata mediante hoc spiritu in *tincturam coralliorum sassafratam* extrahi potest.

Ebeni Decoctum, p. 233.) Commendatur Decoctum ebeni ab AMATO LUSITANO, religione Judæo; interim dicit AVTOR *noster*, non esse adeò exploratum ejus usum, sed lignum id pro asseribus aptissimum.

Saponaria.) Hæc à quibusdam decoctis venereis additur; sed vis ejus inanis est.

Buxo.) Buxus anodynâ & ferè narcoticâ vi se commendat; imò & Decoctum & oleum destillatum sudoriferâ vi quoque pollent; interim horrida sunt ea ob amarorem & empyrevma remedia.

Fraxino.) Fraxinum nonnulli substituunt ligno guajaco: sed res, fatente AVTORE, non est adeò experta.

Aliorum quoque morborum, p. 234.) Decocta sudorifera lignorum primariò ad luem Veneream usurpantur; à Modernis autem & ad cachexias mulierum, phthises incipientes & catarrhos ex lymphæ vitio natos, sunt usitata; nec adeò inconcinnè, v. g. quando sunt ex lymphæ affectibus: Hinc hæc ligna selecta dictis in affectibus adhiberi possunt.

Guajacum cum cortice.) Cortices lignorum, quia sunt magis resinosi, quàm ipsa ligna, adeoque & magis medicamentosi; hinc & mos est, ut in præscribendis lignorum decoctis p ij. vel iij. ligni guajaci & pars j. corticis ejus sumantur, quò hujus additione sic stimuletur vis medicamentosa ligni. Ac quidem pro sudorifero forti præferimus Decoctum guajaci, quod magis penetrat, & plus de sale volatili lignorum participat, (cùm ejus essentia & extractum plus de oleo, & tandem spiritus saltem de sale participet,) inter hæc medium obtinet Decoctum in aqua simpl. paratum, quæ elicit sal & resinam sulphuream, ejusque modus præscribendi esto talis:

♃. *Rasur. lign. guajac.* vel *lign. juniperin.* ℥vj.
Cortic. lign. guajac. ℥ij.
Sassafr. ℥j.
Antimonii in pet. ligat.
Mercurii viv. in pet. ligat. an. ℔ß.

Coque in Mens. jv. vel v. h. e. ℔xij. vel xv. aquæ simpl. (ita ut ℥j. vel ℥jß. ingredientium respondeat semper ℔j. aquæ) coque vase clauso ad remanentiam tertiæ partis vel mediæ: Colat. D. S.

Potio sudorifera pro aliquot vicibus.

Etenim sassafras quoque in nostro selectu locum habet, sicut & juniperus est nobile simplex, in qua singularis vis balsamica latet, ratione cujus semper vegeta est, ac in ejus baccis resina continetur potenter sudorifera & alexipharmaca; unde & rob baccarum *theriaca Rusticorum* audit: imò & vis aromatica egregia in junipero latet, respectu cujus à TACKIO *in Chrys.* ligno cedri Helmontii, pro remedio ad vitam longam procurandam recommendato, substituitur, non secus ac quoque baccæ ac lignum juniperi non cedunt vi catarrhali ipsi ligno sassafras. Interim cùm lignum juniperi exilem habeat corticem, hinc loco corticum addantur eidem ejusdem baccæ, vel recentes, vel exsiccatæ; & recentes quidem contusæ adjiciantur decoctioni ad mediam ferè partem absolutæ, cùm aliàs dulcor ea iundem amarescat; baccæ verò aridæ unà cum ligno infundantur & decoquantur. Tandem & nos contra AVTOREM *nostrum* eligimus pinum, cujus strobili tenelluli adhuc glutinosi pingues, vi balsamicâ & antiscorbuticâ pollent, adeò ut rectè à quibusdam pinus *arbor antiscorbutica* vocitetur. Jam verò, cum scorbutus apud nos vernaculus morbus pathemata artuum diversimoda, paralyses, contracturas & dolores vagos excitet, proinde inter alia appropriata pini strobilos & corticem commendamus, recipiendo *strobil.* M. j. vel *cortic.* ℥ij. vel iij. quibus incisis affundatur mens. j. *cerevisiæ*, decoquendo hinc ad medias, vel etiam tertias, & propinando subinde hujus Decocti haustum.

Nec sarsa.) Loco radicis sarsæparillæ optimè sufficit radix tormentillæ nostratis, quæ vi diaphoreticâ & alexipharmacâ decantatissima est: pro quibus scopis etiam quibusvis compositis ordinari solet; unde non sarsaparillæ saltem radici, sed etiam chinæ radici substitui posse asserit AMMELVNGIVS *in Apolog. cap. 2. pag. 98.*

Aquis destillatis.) *Aqua* destillatæ simplices & compositæ ex his lignis paratæ nil valent, sunt pura phlegmata; & cùm vix decoctione lignorum vis elici queat, quid sperandum est de phlegmatibus illis.

Extracto guajaci, p. 235.) Hinc quidam Extractum & Essentiam ex lignis per spiritum vini parant; namque hic resolvit eorum resinam, quæ aliàs sub destillatione prodit in oleum destillatum, nunc verò post extractionem essentiam constituit; sicut contrà si per evaporationem detrahatur spiritus vini, dicitur Extractum. Jam verò essentiæ illæ suo modo non sunt contemnendæ; utut enim in radicata lue Venerea & aliis malis radicatis minoris virtutis sint; tamen in cachexia muliebri ad anasarcam declinante, & ex sero crudiore nata nil melius est ejusmodi Extractis alterantibus, & simul evacuantibus, addendo iisdem baccas vel lignum juniperi, quò si conciliet ur vis diuretica.

Sal Guajaci fixum.) Guajacum suggerit parum salis fixi; Extractum verò ejusdem per decoctionem paratum copiosum sal fixum reddit; quod phænomenon sanè consideratu dignum est: interim nec hoc sal fixum ullam præ aliis prærogativam habet, cùm omni vi seminali per calcinationem exhaustum illud sit; unde & alia salia fixa eidem substitui possunt.

Spiritus ejus.) Nempè spiritus guajaci per retortam destillatus in lue Venerea minoris est efficaciæ, quàm quidem decoctum ejus ritè factum, quod magis laudatur.

Heraclino.) Spiritus & oleum Heraclinum sunt decantata Rulandi remedia, & paratum fuit oleum hoc reverà ex ligno corylino, sed certo tempore deciso, per descensum id destillando; egregium in epilepsia, in partu difficili & lumbricis: vid. *Curat. empir. Rulandi.*

E juglandium putaminibus, p. 236.) Harum viridia putamina dant spiritum acidum, & ex addito sale communi vitriolum vegetabile.

Quod autem quispiam.) Hic quoad parenthesin *pag.* 236. insinuat AUTOR BOYLEUM, qui in *Chymista sceptico* hoc habet experimentum: nempè dum coralliis affudit spiritum lignorum acidum volatilem, solutionem blandè abstraxit, spiritum salino-volatilem acrem, quasi oleoso-alcalinum, acquisivit ipse, quod curiosum est; sicut ex spiritu mellis acido, aceti, mannæ, &c. simile obtinerur, ubi particulæ acidæ spirituum horum manserunt in corpore solutæ, & coagulantur in substantia corrosa; omnia enim corpora acida ex corpore corroso coagulantur, ac, dum hoc factum est, blando interveniente igne particulæ salinæ volatiles oleosæ abierunt in spiritum salino-volatilem acrem. Etenim spiritus lignorum, dum destillatur, suggerit phlegma, spiritum & oleum volatile: est spiritus hic acidus oleosus, in recessu nonnihil de sale volatili participans; atque hoc sub ignis tortura adhæsit spiritui prodeunti; maxima verò pars colliquata fuit in texturam olei, quando enim affunditur coralliis, acidum imbibunt. Hoc inde patet: Quando enim destillatur lignum in vase clauso prodit & spiritus & oleum; è contrà quando illud concrematur apertè, tunc acidum & oleum in forma fumi avolant, & flammam constituunt atque fuliginem, atque hæc destillata iterum dat sal volatile & oleum, non secus ac lignum per retortam destillatum, quæ antea erant in spiritu & oleo in retorta, hinc deflagrato pingui oleo, sal volatile sui juris factum in fuligine facilè in sale volatile transit.

Oleum verò Guajaci.) Oleum tartari & ligni sassafras empyrevmatica si rectificentur à cornu Cervi usto, prodeunt penetrantissima, summè sudorifera & carminativa, pathematibus hystericis & colicis, item febribus malignis dicata, utut loco omnium sufficere queat vel oleum destillatum tartari vel guajaci.

Diaphoretica (simpliciter aut simul Alexipharmaca, p. 237.) Alexipharmacorum sudoriferorum legitimum usum hic injungit AVTOR, quem & prosecutus jam est in *Tract. de volatilisatione salis tartari p. 86.* item PAULI *in Digressione de Febribus malignis.* Et quidem remedia hæc sudorifico-alexipharmaca in morbis acutis usitata, sunt duplicia; nempè vel fixa vel volatilia: Fixa, ut antimonium diaphor. Bezoardicum minerale, terra sigillata, & partes animalium duriores & osseæ, quæ ultra primas vias vix operantur, sed in substantia sua propria infernè redduntur: Alia verò volatilia ultra primas vias in Massa sanguinea & intimos corporis recessus penetrant, & sunt iterum duplicia: nempè vel de natura salina, ut spiritus cornu Cervi, salia volatilia vegetabilium & animalium; vel de natura sulphurea pingui participant, ut v. g. spiritus vinosi, Ess. & Extractum lignorum, extracta theriacalia camphorata, salia volatilia oleosa, ubi quidem spiritus illi salini semper aliquid de oleo admistum habent, & quò magis hoc habent, eò magis de vi concretorum specifica participant; sicut contrà & essentiæ sulphureæ aliquid salis volatilis adjunctum sibi habent: interim prout alterum horum vel magis vel minus extraversum est, eatenus nunc salis volatilis, nunc olei nomen acquirit.

Jam verò quoad usum diaphoretico-sudoriferorum, sufficiunt neque fixa sola, neque volatilia sola; sed utrorumque administrandorum rationem tribus cautelis denotat AUTOR; quarum

Prima est hæc: ne volatilioribus calidioribus atque fumosis mixturis atque liquoribus abutamur, h. e. ne ista volatilia, præsertim sulphurea & oleosa pinguia, in statu morborum

borum malignorum & febrium ardentium, sed saltem in principio & incremento acutorum adhibeamus; nam posteriori ratione vi suâ sudoriferâ alexipharmacâ quasi in prima morbi hora multum proficiunt, prefertim ubi pro circumstantiarum ratione vomitorium fuerit præmissum. Contrà si in statu morbi talia exhibeantur, mirum quantum vires ægrorum prosternunt, ac parum vel nihil sudoris movent; non secus ac eadem volatilia in statu morbi acuti maligni propinata, propter sui penetrationem, ex massa sanguinea agitata & nimis resoluta nouas corpori excitant turbas, scilicet vel cephalalgias vel deliria, præcipuè si camphora vel fortiter olentia addantur secundùm Autorem: quæ omnia tamen minus timenda sunt, si in principio morborum præbeantur: Ex adverso camphorata si dantur in statu morbi, apud subjecta literata raram spirituum animalium texturam habentia, & muliebria neruosam texturam delicatiorem obtinentia, vel solo odore lædunt.

Secunda *Cautela* est: ne in febrium malignarum, iterum pleuritidis aut febrium acutarum principio, & quoque augmento volatilia diaphoretica nimis fugiamus. Etenim, ubi tales ægri mox in principio fuerint anxii & æstuosi, præsertim in pleuritide maligna, tunc quidam Practici pestis instar ista volatilia horrent; interim his in casibus nec timidus solito, nec tumidus esto Medicus. Etenim in principio & augmento talium morborum, utut symptomata urgentia aliud videantur suadere, non negligenda sunt talia volatilia, quippè quæ in principio febrium malignarum, pleuritidum epidemicarum, & morborum acutorium, urgente malignitate pro scopo sudorifero commendanda sunt; subiungendo hisce blanda acida, Massam sanguineam nimis sub sudore dissolutam denuò condensantia, eiusque consistentiam restituentia, qualia sunt sulphurea, v. g. spiritus sulphuris, clyssus antimonii, & spiritus nitri dulcificatus, & similia. Hæc certè in malignorum principio multum obtinent, cùm contra fixiora sola raro sufficiant; multò minus laxativa clysmata, venæ sectio, &c. conveniant, quia tempus medicandi solummodo hisce perditur.

Tertia est: sola fixiora pro scopo sudorifero hisce in casibus rarò sufficiunt, adeoque in morbis malignis non solis antimonialibus aut bezoardicis confidamus; quin potiùs, præmissis volatilibus, eiusmodi demum in statu morbi remediis fixioribus utamur. Hoc observavi in petechialibus, in quarum principio allegata fixa quidem cum sudore, in statu tamen sine eo operantur, & malignitatis vires non sufficienter expellunt: unde ne antimonialia in talibus casibus quasi ad naturam suam redire videantur, ac vomitus & secessus moveant cum ægri damno, cùm aliàs sæpè diarrhœis colliquativis & vomitu laborant; hinc ubi talia symptomata complicata, tincturam anodynam nostram cum mixtura simplici adhibeamus, & postmodum his premissis in statu demum ad fixa antimonialia accedamus.

Camphoram, *pag.* 240.) Verum est, eam esse singulare concretum penetrantissimum, & cui simile in omnibus tribus regnis non reperiatur; odore tenus totum penetrat corpus, sudoriferum potentissimum: In morbis malignis & pestilentialibus, tam præservativè, quàm curativè, in effectu sibi non habet simile. Ac quidem camphoræ vis in malignis ex eo dependet, quod cùm ea penetrantissimo sui odore universum corpus pervadat, proximè quoque in imaginabili subtilitate spiritibus influis se associet, eosque tingat quasi & balsamo imprægnet quodam, atque hac ipsâ vi & præservando & curando tantum præstat in morbis malignis. Certè in morbis pestilentialibus & similibus remedium sine camphora est instar bellatoris sine gladio. Accedit, quod camphora sit purissima resina per se & inflammabilis sine heterogeneitate, commodè in substantia usurpanda, quæ tamen simul afflictissima; quippè cum sit concretum oleosum, hinc admodum inflammabile; ideò sedulò occupati fuerunt Chymici, ut illud in olei consistentiam redigerent. Est autem nihil aliud, quàm alcali volatile, à natura propriâ pinguedine sufficienter saturatum, ratione cuius texturæ contingit, ut camphora vegetabilibus acidis, sive ipsi congeneribus, & quorum respectu à simili pingui saturata est, nullo modo solvi possit; quin potiùs pro solutione sui fortiora acida, quæ acidum eius natiuum superant, requirat, adeoque saltem in aqua fortis, spiritu nitri, & oleo uitrioli saltem resolubilis existat. Interim præter hęc acida camphora & solubilis est per alcalia, speciatim volatilia: sic proprio didici exemplo, quod spiritus salis ammoniaci, additione spiritus vini paratus, quoque sufficienter penetrantiores resinas vegetabilium & animalium solvat, ut amaram, castoreum, opium, asam fœtidam, ut & speciatim camphoram, ita ut hęc in momento, quo iniecta camphora, deglutiatur. Verùm omnes hæ solutiones sunt saltem superficiales; quippè si iisdem inicitur aqua simplex, dictum factum camphora resuscitatur, & nativa in forma se sistet camphora in forma solida, quia adeò fugax est, hinc in forma liquida nulli permiscibilis; proptereà semper annisi sunt Chymici, quomodo camphoram in oleum propriè sic dictum pingue, lucidum, nec per aquam resuscitabile, sed ipsi supernatans redigerent: ubi tamen difficile est negotium ex eo, quod sal volatile camphoræ, quod corpus eius constituit, copiosâ & debitâ pinguedine largiter imprægnatum sit; unde cum sal istud volatile undique turgeat pingui oleo, nullibi aquę vel phlegmatis admittit consortium; (pinguia enim & acida sunt insociabilia;) sicut aliàs quoque nullum corpus resinosum potest redigi in consistentiam olei destillati, nisi attenuetur resina, & interpositione particularum terrearum fluorem aqueiformem acquirat: hinc cum & idem in camphora fieri nequeat, proptereà & eadem difficulter in oleum est redigibilis; & utut viderim aliquando oleum camphoræ in nullo liquore resuscitabile, quod dicebatur paratum ex camphora cum terra sigillata & lacte, tamen hunc processum, quia non feci experientiam, pro vero obtrudere nolo. Ut ergò Veteres in substantia usurparunt camphoram, in pulveribus, trochiscis, electuariis, &c. in forma sicca; ita Moderni ex ea elicere gestiunt oleum; ubi tamen paucissimum acquiritur, quando camphora destillatur cum duplo boli; quod tamen affusione aquæ resuscitabile est: Camphoram etiam dissolvunt in oleo amygdalarum dulcium, quod debilius est: Denique *oleum compositum* conficitur *camphoræ*, solvendo nempè hanc in oleis destillatis & imbibendo; sic nempè illa his propter texturæ similitudinem associatur, & evadit *oleum camphoræ compositum*. Interim verum camphorę oleum pellucidum, fluidum, & quod aquæ supernatat sine reductione, rara est avis; quando autem oleum per aquam resuscitari potest, saltem est laruatum, non genuinum: oleosa enim subiecta sunt vel expressa, vel destillata: inter expressa v. g. est illud oleum amygdalarum dulcium, quod solvit camphoram, & hoc oleum convenit in odontalgia & doloribus partium: pro interno usu potest esse oleum camphoræ destillatum, mixtum cum alio oleo destillato, v. g. recipiatur oleum destillatum vel juniperi, vel succini, & horum alterutrum vel ana vel in duplo, mediante cohobatione per retortam cum camphora in oleum non inelegans pro pluribus externis scopis destillatur. Huc spectat *oleum antipestilentiale Heinisii*, *Medici Veronensis*, ex mixtura *olei destillati succini*, *olei destillati corticum citri*, & *olei destillati camphoræ*: cum bolo hæc omnia proportione anaticâ miscendo frequenter per retortam cohobavit in *oleum antipestilentiale compositum* sudoriferum in malignis insigne. Cæterum, utut camphora sæpiùs sit egregia in flatibus & flatulentis affectibus, item in hysterica passione; tamen non omnes æquè mulieres eandem ferre, propter subtilem & penetrantem odorem, possunt, cum & propter camphoram ingredientem mulieres tincturam bezoardicam abhorreant; ac in THONERI *Observationibus Practicis* prostat exemplum hystericæ per usum camphoræ mirè exasperatæ: unde habenda est ratio idiosyncrasiæ ægrorum, præsertim in sexu sequiori.

Cum spiritu ardente probè rectificato seu alcalisato, *pag.* 241.) Post hæc olea AUTOR docet parare *Essentiam camphoræ* cum spiritu vini tartarisato, & rectè; spiritus vini enim talis ratione salis alcali tartari, quod secum elevat, & ex parte volatilisat, egregiè solvit camphoram, & eandem largiter imbibit; unde & essentia talis camphoræ, seu spiritus vini camphoratus, internè prodest insigniter. Eadem essentia & variis tincturis facilè sociari potest, nec non misceri cum aliis subjectis spirituosis, theriacalibus, &c. tam pro interno, quàm externo usu.

Porrò, *pag.* 242.) Hic præmoneo, quoad selectum vegetabilium diaphoreticorum, quod lignis illis supra denominatis, ex insigni radicum diaphoretico-alexipharmacarum numero, hæ adjiciendæ sint: nempè radices angelicæ, quę insigniter aromatica, enulæ, tormentillæ, carlinæ, zedoariæ, gentianæ; quibus etiam non inconvenienter sociari potest radix chelidonii majoris: Hæ pro selectu ex omnibus sufficere possunt: Similiter ex herbis & foliis inter sexcenta sufficiunt pro scopo sudorifero herba cardui benedicti, scordium, & quibus placet, centaurium minus: sic ex fructibus vegetabilium baccæ juniperi, & earum rob: Ex resinis camphora, myrrha, & opium; quod nobile sudoriferum: ex seminibus, quibus placet usurpare pro scopo sudorifero, utut hæc magis in infantibus tenerioribus opem ferre soleant, accipiantur semen sinapi, napi, aquilegiæ, cardui benedicti & nasturtii, quæ commodè in formam emulsionis redigi possunt, & contra morbillos & variolas prosunt.

Radices quædam.) Considerat radices alexipharmacas. Harum AUTOR duas eligit, simul indicando, eas usurpari vel crudas vel præparatas: Crudas quidem in forma pulveris vel Infusi, item decocti; Præparatas verò in forma extracti, cuius præparandi modum inferiùs docet idem.

Angelicam nostram.) Inter radices hanc eligit AUTOR præ reliquis, eamque præfert Helveticæ; ubi tamen hoc observandum, quod secundùm soli diversitatem plantæ varient maximè, ideoque *Helvetica* est odoratior, & resinosior; unde dubito, an huic nostra æquiparanda sit? Post angelicam allegat carlinæ & enulæ radices, quæ tamen non adeò necessariæ.

Ange-

Angelicæ semen, *p.* 243.) Ex angelicæ tàm radice quàm planta oleum destillatur, præter vim singularem carminativam etiam vi alexipharmacâ decantatum; interim dicit AUTOR, hujus loco tamen oleum destillatum succini vel rutæ nobis sufficere.

Balsamum eleosaccharumque angelicæ.) Hæc non necessaria rectè putat AUTOR, cùm ex tempore eadem sint parabilia.

Extracta.) Extractis radicum singulariorum præfert extractum aliquod compositum ex omnibus radicibus selectis, cum spiritu uini tartarisato præparatum, quale abstractione menstrui inspissatum extractum loco omnium seorsim dispensandorum sufficere potest: cui & alia, uti cornu Cervi sine igne, antimonium diaphoreticum, aut pulvis quidam selectus viperinus, itemque camphoræ q. s. suo tempore combinari poterunt.

Compositum Extractum, p. 254.) Extracta composita meritò hìc taxat AUTOR, utpotè quorum descriptionem videb. in HORSTII *Dispensatorio*, QUERCETANI, & SCHROEDERI *Pharmacia*; & rectè in his duo desiderat, nempè

1. Volatilium in tanta ingredientium farragine sub inspissatione factam dissipationem:
2. Fixorum non sufficientem extractionem.

Pauca itaque sufficiunt.

Theriacalia) Paratur & *theriacalium Extractum* ex theriaca; in quo considerandum;

1. Quod multa ingredientia in theriaca inveniantur, quæ à spiritu vini non possunt extrahi.
2. Quod theriaca multum mellis contineat, quippè à quo in consistentiam debitam redigitur; unde ex melle spiritus vini multum extrahet, ex aliis contra nihil.

Horum ergò intuitu potiùs theriaca in forma nativa usurpetur; loco autem extracti theriacalis illud extractum superiùs expositum substitui potest.

Aquæ.) Aquæ singularum radicum diaphoreticarum parum in recessu habent, aut si aliquid obtineant virtutis, habent eam à subtiliore oleo, ob huius imbibitionem parum de odore & sapore sui concreti participant.

Abstractitio Angelicæ spiritu, pag. 246.) Loquitur AUTOR de spiritu angelicæ abstractitio, quando spiritus vini sæpè abstrahitur ab angelica: sed taxat eundem AUTOR, & loco huius pro curativo scopo tincturas & essentias alexipharmacorum, sicut pro præseruatiuo infusa simplicium requisitorum vel in vino, vel macerata eadem in aceto, commendat; non secus, ac quoque theriaca, myrrha, & camphora, aceto infusa faciunt Infusum alexipharmacum præ omnibus aliis in præservatione eligendum.

Aquis vitæ destillatis) Sicut tandem loco omnium aquarum vitæ esse poterit spiritus theriacalis camphoratus.

Essentia, *pag.* 247.) Insinuatur hìc modus elegans parandi *extractum angelicæ*, quod in vegetabilibus omnibus aliis, quæ aquâ tractari possunt, locum habebit: nempè

℞. *Aqua, nitri fixi, vel salis tartari, uncia j. v.g. impregnata*; quæ affunditur radicum angelicæ extrahendar. ℥viii. (adeoque respectu specierum infundendarum octaua pars salis fixi,) hinc infusa hæc successivè ebulliant ad extractionem; deinde extractione factâ & transcolatâ, inspissetur in balneo vaporis (nam in balneo Mariæ inspissatio nimis lentè procedit, sicut in alio igne periculum est, ne empyrevma contrahat) in extractum seu potiùs in magma quoddam, quod affusâ spiritus vini sextuplâ quantitate in formam essentiæ redigatur; sicut tandem hoc spiritus vini abstractione denuò in legitimum extractum inspissari poterit.

Atque ita, ut dixi, extracta ex omnibus subjectis vegetabilibus, quæ aqua tractari possunt, parari poterunt: è contra ex subjectis vegetabilibus resinosis, quæ cum aqua tractari nequeunt, fiunt Essentiæ & extracta beneficio spiritus vini tartarisati: cuius rei ratio est, quod substantia vegetabilium resinosa, adeoque oleosa & viscosa, & quæ in stomacho præcipitata eiusdem rugis pertinaciter adhærescit, à sale fixo addito solvatur, eiusdemque textura sic aperiatur, quæ reserata à spiritu vini & imbibita dat Essentiam in quocunque aqueo vehiculo resolubilem & penetrantem sine præcipitatione, sale fixo & terrestreitate vegetabili à spiritu vini intactis relictis.

Necè Ruta, *pag.* 248.) Ex omnibus Præparatis eligit AUTOR rectè oleum rutæ destillatum, quippè in quo reverà crasis totius concreti concentrata hæret, tamque interno, quàm externo usui, loco quorumcunque remediorum ex ruta paratorum inservit. Herba autem rutæ exsiccatæ nobiliorem substantiæ suæ vim perdidit; sicut & recens seu viridis optima est, & ubique potest haberi. Aqua parum in recessu habet; imò ipsum eiusdem extractum propter oleosæ substantiæ euaporationem nihil valet. Sufficit ergo oleum. Interim recens ruta in infusis locum meretur. Reliquæ ex alexipharmacis nil prosunt.

Myrrha, *pag.* 249.) Myrrha post camphoram pro scopo alexipharmaco & diaphoretico est nobilissima; hinc in omnibus morbis malignis cum cutis excretionibus coniunctis, nempè febribus purpuratis, variolis & morbillis, petechiis, item passionibus hystericis, catarrhis, tàm præservativè, quàm curativè proficua; quæ ipsa selecta, flava, lucida, amara saltem usurpatur, *quæque pulchrè flavescit*: quæ non opus habet ullâ depuratione, quam aliàs tradit SCHROEDERUS; sed rectè rejicit ZWELFFERUS. Cæterùm datur myrrha vel in substantia, vel in forma liquida essentiæ: Jam verò, cum myrrha sit resina oleosa, propterea non tàm facilè solvi potest per spiritū vini, nisi cum rectificatissimo, qui tamen ipsam non solvit, sed saltem aliquid extrahit, utut fuerit rectificatissimus; sicuti contrà acetum destillatum eam taliter qualiter, sed turbidè, solvit, non secus ac spiritus vini cum spiritu salis acuatus idem præstat. Sed pro usu Medico optima est *essentia myrrhæ* cum alcali fixo parata: h. e. sumatur *myrrha*, eaque cum octava parte *alcali fixi* teratur, hinc infunditur in *spiritū vini rectificatissimum*: sic namque alcali illud solvit pinguedinem myrrhæ, ut illa faciliùs à spiritu vini sit extrahibilis:

Vel

℞. *Spiritus vini tartaris.*, vel *spiritus vini sales tart. impregnatus*: isque affunditur *myrrhæ*; sic namque elicitur *essentia* rubicundissima, integram crasin myrrhæ optimè continens, & LANGIO *essentia salutis* dicta.

Et hæc essentia, tàm in forma liquida, quàm extracti, egregia est in morbis malignis, item in variolis & morbillis, tàm præservativè quàm curativè; item in passione hysterica, affectibus catarrhalibus & similibus, speciatim vi alexipharmacâ est insignis. Tandem fieri posset experimentum: annon, quemadmodum aliàs spiritus salis ammoniaci vinosus cum affusione spiritus vini factus extrahit *essentiam* elegantissimam polychrestam in puncto lochiorum & menstruorum; ita si misceatur an. salis ammoniaci & salis tartari & myrrhæ, & affundatur spiritus vini, hinc blandè destillentur per retortam, aliquid prodeat pro *spiritu myrrhato composito*; sicut aliàs itidem cum succino tentavi non sine successu.

Oleum nidorosum, *p.* 250.) Oleum myrrhæ destillatū non datur: elicitur quidem aliquid olei ex myrrha, sed empyreumaticum paucum & tædiosum, unde vix datur: Paratur verò exinde oleum per deliquium: sed quomodo? videte SCHROEDERUM. Nempè includitur albumini ovi indurato. Interim hoc oleum saltem inservit usui externo, non autem usui interno diaphoretico est conveniens.

Cardui benedicti pulvis.) Cardui benedicti pulvis pro dosi ʒj. ad ʒij. plebejis in usu existens, admodum tædiosus est, & in maligna parum præstat. Semen verò eius in infantibus locum invenit; sicut tandem decoctum eiusdem sudorem movet; ut & extractum, cuius ℈ß. cum granulo j. extracti opii dedi aliquando mulieri, ex cuius usu per totam noctem potenter sudavit; ut adeoque Decoctum cardui benedicti ad imitationem Rulandi, & eiusdem extractum supra dicto modo paratum, sit egregium. Oleum autem vix comprehensibile, non datur.

Scordium.) Scordium nostrum est egregium, nec semper eligatur Creticum, sed sufficiat nostrum. Usurpatur verò externè & internè: externè quidem in ulceribus putridis, & arcenda gangræna: pro quo scopo tamen & myrrha, vel alliaria secundùm AUTOREM in defectu scordii adhiberi potest. Interim tamen Extractum & Decoctum scordii satis sudorifica esse solent; aqua contrà eius parum præstat.

Conservas, *pag* 251.) Conservæ scordii & cardui benedicti similiumque subiectorum diaphoreticorum rarò sunt in usu; nec, nisi pro corpore electuariorum ex tempore præscribendorum in usum vocantur; sicut eorum syrupi inserviunt misturarum præscriptarum edulcorationi. Nitrum etiam succo scordii coagulatum, ex ZWELFFERO parum habet in recessu.

Diascordii communis.) Compositum frequentissimi adhuc usus est electuarium diascordii Fracastorii, idque nunc cum copiosa rosarum conserva, nunc sine ea paratum. Hoc ipsum dosi ʒj. in vehiculo acido pro scopo sudorifero in morbis malignis dari solet, & nos eiusdem usum laudamus: suadeo tamen, ut præparetur illud secundùm SYLVII correctionem, quam habet *Lib.* I. *Prax cap.* II. sic enim longè potentius erit, utut & loco huius theriaca vel mithridatium sufficiat. Equidem FRACASTORIUS & alii gravidis tutius theriacâ id esse autumant; sed monet AUTOR, nec theriacam his nocere.

Salia cardui, *scordii.*) Ex simplicibus diaphoreticis etiam salia fixa nonnullis in usum trahuntur, at sufficere potest loco omniū unū vel alterum sal fixum, quippè salia fixa in usu Medico nullam habent specialem differentiam, & utut etiam tantillum de sulphure concreti participent, tamen illud ita intraversum est, ut nullam mereatur considerationem: unde vel sal artimisiæ, vel millesolii, vel absinthii sufficit. Atque ita parari possunt dicta, vel sumpto alcalisato, vel etiam additione cuiusdam acidi, quod HARTMANNI inventum est, in substantiam pro usu diaphoretico salsam mutando, & fit, quando sulphurantur cineres; vel deinde ad imitationem *salis febrilis Mynsichtii* (quod constat ex nitri & *salis ammoniaci* an ℥j. & *salium fixorum* ℥iij. & nonnihil salsum hoc est) v. g.

℞. *Sal. absinth.* vel *artemis.* ʒiij.
Sal. ammoniac.
Nitri an. ʒj. ad ʒij M.

Detur pro dosi ʒß. vel ℈ij. ad ʒj. expectando sudorem.

Tandem alius adhuc modus superest, mutandi alcalisata in salsum saporem, nempè per spiritum uitrioli, nitri, vel etiam aquā fortem, imò & vinum; hoc modo tamen illa ita mutantur, ut loco salis fixi emergat sal aut nitrum purum regeneratum, magis diureticum quàm

quàm diaphoreticum existens. Ergo Decocta laudo vel Essentias pro salibus vegetabilium.

Essentiale è carduo solo, p. 252.) Sal essentiale cardui benedicti vel similium amaricantium duplicem modum præparandi agnoscit, quorum alter procedit ex succo ejus expresso & nonnihil inspissato; ast sic emergit saltem sedimentum bolare aut semitartareum nullius pretii: si verò sumatur ejus Decoctum, & inspissetur ad partes ij. vel iij. hinc in loco frigido reponatur, tunc crystalli nitriformes concrescunt, quæ sunt genuinum sal essentiale cardui benedicti, quod ipsum tamen nihil singulare in recessu habet, sed est labor potius curiosus.

Gentiana.) Gentiana est egregium diaphoreticum, & dicit Autor, tantum præstare, quantum chinam chinæ, seu *Antiquartium Peruvianum, febrifugum specificum Jesuiticum* &c. quippè quæ cara est & adulterata; unde illi substitui potest radix gentianæ, quæ vel in substantia à ℥j. ad ℥ij. vel in infuso in vino vel cerevisia usurpata idem operatur in febribus intermittentibus, in specie quartanis, quàm china chinæ; quæ etiam ab HOEFERO *Gentianæ Indicæ species* dicitur. Cum igitur amara nostra Chinæ æquipolleant ratione amaritiei, semper putamus gentianam huic substitui posse, tam in substantia, quàm in extracto, pro usu diaphoretico.

Contrayerva, p. 254.) Hanc rejicit AUTOR, & rectè; nescitur enim, qualis sit ea radix; unde minus quoque tuta erit: quin potiùs ejus loco substituit zedoariam, quæ egregium alexipharmacum, velut alii radicem caryophyllatæ nostratis non inconsultò substituunt.

Centaurii.) Hoc, minus nempè non adeò necessariũ est; interim tamen non rejiciendũ, nec inconveniens videtur propter amarorẽ: ejusdem extractum solitariè optimè in forma pilulari assumitur pro febribus intermittentibus, vi suâ diaphoretica curandis: Vel

℞. *Extr. gentianæ*,
Zedoar.
Absinth. an. gr. vj. vel viii.
M. F. *pilulæ*, dandæ bihorio ante paroxysmum.

Videb. eandem formulam præscriptam in *Colleg. Pharm. in Schrœderum.*

Hæc sufficienter rigorem febrilem tollunt & sudorem movebunt; utut æstum contrà intendant. Vel

℞. *Dictorum extractor.* part. æqu.
adde
Laud. opiati gr. ii.
M. in *formam pilularem.*

Tonsorum causa.) Globuli ex gentiana facti prostant pro conservandis fonticulis in fluxu, ubi fluere nolint; non secus quoque gentianæ radix comminuta calloso orificio fistularum absumendo convenit, instar turundæ intrusa: aliàs pro fonticulis apertis servandis optimè laudatur globulus ex ligno hederę perforatus, & in balsamo sulphuris maceratus.

Juniperi baccæ, p. 254.) Uti lignum hujus optimum est sudoriferum; ita & baccæ ejusdem inter alexipharmaca & diaphoretica laudem merentur. Cæterum hæ ipsæ crudæ rariùs, inter præparata verò Rob seu succus earum melleus ex recentibus baccis elicitus & inspissatus, & à ℥j. ad ii. in aceto assumptus potentissimè ciere solet sudorem, & in affectibus malignis & pestilentialibus egregiè succurrit; undè etiam vocatur Theriaca Rusticorum: sicut & rob iuniperinum loco mellis compositionibus theriacalibus potest admisceri; quod mel aliàs partim pro corpore firmando, partim pro specierum ingredientium fermentatione promovenda additur; hinc *Arabes* dictitarunt, non nisi post decennium compositionem theriacalem stare venalem. Cùm verò theriaca vim fermentandi à melle habeat, hac fermentatione resolvuntur species aromaticæ, & ita resolutæ evadunt penetrantiores, sicque intenditur vis sudorifera theriacæ; hinc non solùm rob juniperinum ingreditur theriacam loco mellis, quia illud imbecillius per se in motu fermentativo, quin potiùs associatur idem melli, præsertim cùm sic respectu potentiæ diaphoreticæ & alexipharmacæ in triplo mel superet. Porrò ex baccis aut rob baccarum paratur essentia duplex; quarum altera est communis illa, *Malvaticum juniperinum*, ob colorem coccineum, nec non saporem & odorem, vinum Malvaticum repræsentantem, vocatum, quæque paratur ex *Rob juniperi* cum *spiritu baccarum proprio, per fermentationem* confecto. Egregia hæc est in usu præservativo nephritidis, itemque in affectibus stomachi ex acido viscido enatis corrigendis, vi autem alexipharmaca non æquè insignis. Altera autem est magis *composita essentia & paratur ex spiritu proprio, oleo* destillato baccarum, & sale fixo ex capite mortuo extracto, redactis omnibus in quintam essentiam, quæ tamen omnia non adeò firmiter cohærent.

Spiritus.) *Spiritus ex baccis juniperi* dupliciter paratur: nunc per simplicem spiritus vini à baccis abstractionem, nunc verò ex iisdem baccis recentibus per fermentationem, quorum hic egregiè inservit tincturis & Essentiis alexipharmacis parandis.

Spiritum acidum, p. 255.) Ex ligno juniperino destillatur spiritus acidus volatilis rari usus, nisi quod ad solvenda corallia vocetur; pro quo tamen & alii spiritus ex vulgaribus lignis destillati sufficiunt.

Selectui nostro.) Sufficiat ergò in genere ex baccis paratus spiritus per fermentationem, & rob earundem.

Zedoariam.) Ex 5. his recensitis speciebus meritò AUTOR eligit hanc ceu æquiponderantem reliquis 4. nempè radici dictamni albi, vincetoxici, succisæ, ulmariæ, adeò ut eadem zedoaria loco cujusvis radicis anthoræ aut contrayervæ commodè substitui possit in quocunque remediorum genere. Sic præfert, & rectè, hanc dictamno albo, sive Creticus, sive nostras fuerit: parum tamen in usu est, unde qui eundem adhuc in affectibus mulierum, tàm parturientium, quàm non ritè menstruantium, commendant, non norunt vires pulegii dictamno exotico longè anteponendi, utpotè quod est egregium in non ritè menstruantibus & aliis affectibus mulierum, & parturientibus. Similiter nec vincetoxicum adeò singulare quid præstat pro scopo sudorifero, utut pro hydrope ascite & anasarca curanda non semper contemnendum sit; interim vincitur & illud à zedoaria, utpotè cujus pulvis in compositionibus theriacalibus frequentissimi usus, & spiritus ejus per abstractionem spiritus vini paratus egregiè fit diaphoreticus carminativus. Succisa tandem & ulmaria non adeò singulare quid pollicentur; unde his optimè carere possumus.

Magis temperatiora, pag. 256.) Scilicet AUTOR post lignorum considerationem videtur triplicem simplicium diaphoreticorum classem constituisse; quarum *Prima* tractat aromatica diaphoretica, ut valeriana, enula: *Secunda* amaricantia acria; qualia sunt gentiana, myrrha, zedoaria, centaurium minus: *Tertia*, temperata; ubi præmonet, quod præ superioribus temperatis longè præstent antimonialia, cervina, & terræ minerales alexipharmacæ; unde fixa antimonialia habentes carere his temperatis possumus, cùm ea saltem per traditiones adhuc in usu sint; atque talia sunt doronicum, uva inversa, scorzonera, galega, & sambucus.

Doronici, pag. 257.) De hoc monet, quod non adeò ampliùs sit in usu ob deficientem effectum alexipharmacum; sunt enim, qui putarunt, radicem doronici esse malignam & virulentam: interim malè, & conferatur VELSCHIUS *Dissertat.* 1. *de Ægagropilis*: contrà alii eam commendant pro vertigine, ut potè cum rupicapræ hâc ipsâ se à vertigine præmunire dicantur; unde & persuadetur funambulis, ut se præservent hâc ipsâ ab eodem morbo; ast frustraneus est ejus usus, cùm nec vi diaphoreticâ adeò polleat, proin exulet.

Uva inversa.) Uva inversa, seu herba Paris est ex solanorum speciebus, ac externè quidem eadem insigniter convenit in bubonibus pestilentialibus, non secus ac in cancro quoque exulcerato mitigando. Signatura aliàs baccarum refert capitula rotunda, aut & pupillam oculi; hinc quidem multa hariolantur. Attamen vi sudoriferâ parum instructæ sunt, ingrediuntur simpliciter pulverum Saxonicum, cujus descriptionem habet *Dispensatorium Augustanum*, ubi tamen hujus quoque pulveris vim ANGELUS SALA potissimùm deducit ex radice angelicæ. Si objicis huius ipsius solani vim anodynam, & huic rectè AUTOR hyoscyamum substituit.

Scorzonera etiam nostras.) Scorzonera Hispanica non est melior nostrate, nec tanta vi, quanta putatur, insignita. Nostra potest concedi, & est suo modo egregia, utut non singularis sit efficaciæ.

Galega, p. 258.) Huius vim alexipharmacam mirè deprædicat FORESTUS *Tract. de Incerto Urinar. Judicio*, ubi testatur, à morsu viperino se hâc ipsâ curare lacertam; interim tamen nec galega nec onobrichis ullâ hactenus vi diaphoreticâ insignita innotuerunt, quantumvis galegâ superstitiosè mulieres in epilepsia utantur.

Sambuci flores, p. 259.) Sambucum quod attinet; hæc plurima quidem suggerit remedia, interim tamen non adeò necessaria, utut flores ejusdem sicci in erysipelate, ubi non sunt contemnendi, itemque in quarumcunque partium inflammationibus, tam in forma pulveris, quàm decocti aut forma cataplasmatis, egregii sint. Præterea nonnulli ex floribus ejusdem recentibus cum saccharo conditum parant; sed nauseosum hoc est, & parvi usus. Rob ex baccis satis usitatum est plebejis pro scopo sudandi, quod pariter in suo pretio relinquimus, cùm penetrantioribus & volatilioribus salibus ex regno animali longè cedat. Porrò sese offert Tragea granorum actes contra dysenteriam, quæ est pulvis crassus ex succo baccarum, cum farina subacto, & in furno coquendo paratus; de quo vid. HARTMANNUS *in Prax. Chym cap. de dysent.* Verùm cùm meliora specifica antidysenterica similiter prostent, ut priapus ceti & cervi, ceu nobiliora ea substitui commodè possunt trageæ.

Tinctura actes.) Hæc paratur ex baccis sambuci exsiccatis, cum spiritu earundem (de qua vid. CROLLIUS *in Basil. Chym.*) daturque ejus cochlear. j. ad ij. ceu specificum non contemnendum in passione hysterica per sudorem curanda: interim rectè negligit AUTOR, quia nobis alia prostant antihysterica, v. g. castoreum, &c. plus effectus habentia quàm hæc tinctura.

Spiritus è baccis.) Spiritus tàm ex floribus, quàm baccis sambuci, suo loco relinquitur; inservit non tàm sudori ciendo, quàm aliis simplicibus infundendis, atque Tincturis & Essentiis extrahendis.

Temperatior, p. 260.) Dicit hìc AUTOR *noster*, aquas destillatas simplicium diaphoreticorum nullum usum habere, nisi quod loco vehiculi aliorum remediorum sudoriferorum inserviant; adeoque non opus aquarum tantarum farragine; sufficere ergò nobis unam vel alterã aquam destillat. flor. sãbuci, cardui benedicti & aquam fumariæ; quarum hanc eligit cum pauco spiritu vini destill. pro usu vehiculi loco omnium AUTOR. Etiam per se destillata usurpari potest

Spiri-

Spirituoſas.) Conſiderat hìc AUTOR aquas diaphoreticas, tam ſimplices, quàm compoſitas, & refert huc eſſentias, itemque elixyria alexipharmaca nota. Quoad horum autem præparationem, inſulſum ZWELFFERI niſum ridet, quo hìc per aquas & phlegmata ſuccinum elicere in eſſentiam alexipharmacam intendit. Inſuper circa eſſentias hac ſpirituoſas alexipharmacas elicitas tria taxat, nempè

1. Earum ſuperfluam copiam.
2. Earundem inſufficientiam.
3. Ipſarum non ſemper tutum uſum.

Quando vel ſic ſæpè proſtat ſpiritus Zedoariæ, angelicæ, theriacalis ſimplex & camphoratus, aquę vitę antipeſtilentiales; quorū omnium loco ſufficere poſſent infuſa quædam in ſpiritu ardenti, vel & ſpiritus theriacalis abſtractitius ritè paratus, nempè ita:

♃. *Spiritum baccar. junip. per ferment. parat.* vel loco huius *Spiritum flor. ſambuc.* vel *Spiritus Zedoar. & angelicæ:*

Hicque affundatur ſelectis quibusdam ſimplicibus diaphoreticis jam dum recenſitis, nēpè *Zedoariæ, radici angelicæ*, &c. & digerantur omnia probè: dein ſpiritus affuſus per balneum Marię abſtractus aliquoties cohobetur pro ſpiritu THERIACALI, qui ſolus ſufficit. Vel

♃. *Idem Spiritus ſine abſtractione* per filtrationem ſaltem *ſeparatus à ſimplicibus infuſis:*

Hicque ſub nomine ESSENTIÆ THERIACALIS, *alexipharmacæ* vel BEZOARDICÆ, &c. aſſervetur; & ſanè ſufficit. Vel & dicti ſpiritus, vel baccarum ſambuci vel juniperi, affundantur theriacæ, myrrhę, croco & camphoræ in debita proportione; & hinc poſt digeſtionem debitam abſtrahatur aliquoties ſpiritus theriacalis camphoratus in debita proportione; & hinc poſt digeſtionem debitam abſtrahatur aliquoties; ſic habetur *Theriacalis Camphoratus*, qui ſanè itidem loco omnium eſſe poterit.

Quod II. inſufficientiam ſpectat: certè in maiore malignitate parum præſtant, niſi ſocientur cum ſalibus volatilibus animalium, urinæ, cornu Cervi, ſale tartari; tunc enim demùm potenter fiunt diaphoretica, ſpeciatim ſi præter dicta ſalia volatilia etiam aliquid de opio addatur. Tandem III. taxat ſpirituum horum ardentium non undiquaque tutum uſum, cùm præſertim Praxis oſtendat, quod interdum eiuſmodi volatilia ſulphurea, tàm præſervativè, quàm curativè propinata, ſoleant excitare corporis æſtuationes, & diſponere ægros ad delitia, & anxietates præcordiorum intendere: nam obſervatum fuit, & ſolam theriacam in conſtitutione peſtilentiali crebriùs uſurpatam in ſuperveniente morbo reddidiſſe ægros admodum proclives ad delitia. Jam ergo ſi hoc facit theriaca, quid non de ſpiritu theriacali ſperandum eſt? Adeoque igitur ex omnibus alter dictorum ſpirituum ſufficit, qui tamen itidem cautè & in parca doſi cum aliis penetrantioribus ſociandus eſt.

Mixturæ illius ſimplicis, pag. 263.) PARACELSUS *in Tr. de Arcanis* primus facit mentionem *ſpecifici* cuiusdam *in peracutis & ad caducum*, MISTURA SIMPLEX vocati, inque peracutis morbis egregii, hocque parat ex 5. partibus *ſpiritus theriacalis camphorati*, 3. partibus ſpiritus tartari *volatilis*, & parte j. ſpiritus uitrioli, eiuſque non vulgaris, ſed itidem *volatilis*, adeò ut totus alembicum (verba eius ſunt ſummā eius volatilitatem indicantia) adſcendat. Jam ergò ex his tribus quàm nobilis medicina ſperanda ſit, colligi poteſt: interim, etſi ſpiritus uitrioli volatilis ſit rara avis, & nō niſi à ſublimioribus Philoſophis expectari queat; nihilominus vulgares Chymiatri PARACELSUM imitaturi, miſcuerunt invicem ac deſtillarunt ſaltem tres ſpiritus communi modo: & ex hac miſtura ſimplici enata fuit illa TINCTURA BEZOARDICA dicta, ubi nempè loco ſpiritus theriacalis camphorati aſſumpſit *Dn. D.* MICHAELIS ſpiritus vegetabiles, *ſambuci, ſaluiæ, meliſſæ, juniperi*, hoſque affundendo *theriacę*, & pluribus ſimplicibus alexipharmacis, fecitque ſpiritum theriacalem; cuius 5. partes junxit cum 3. partibus ſpiritus tartari *rectificatiſſ.* & urinoſi; ambobus addendo *ſpiritum uitrioli rectificatum*; quæ omnia deſtillavit per retortam & exactè univit, ſub deſtillatione collo retortæ includendo aliquid camphoræ v.g. ℨj. ad ℥iß. ſpirituum: ſpiritum hunc camphoratum cum ſantalo tinxit in tincturam rubram, atque ſic acquiſiuit TINCTURAM BEZOARDICAM. Sequenti autem rempore, cum alii ſpiritum uitrioli certas ob circumſtantias formidarent, ſumpſerunt loco eius ſpiritum nitri, & quidem laudabiliori ex inſtituto, & in dicta proportione hunc reliquis admiſcuerunt; quā ratione etiam vel Miſturam vel tincturam bezoardicam nobiliorem acquiſiverunt: ſicut & alii loco ſpiritus tartari rectificati urinoſi aſſumpſerunt ſpiritum & ſal volat. cornu Cervi; alii ſpiritum & ſal volatile viperarum, hæcque dicto modo cum ſpiritu nitri & ſpiritu theriacali miſcuerunt pro tincturā bezoardica vel mixtura ſimplici nobiliore. Cæterùm AUTOR *noſter* tribus his ingredientibus iungit adhuc opium & caſtoreum: & opium quidem iungit laudabili cum inſtituto in morbis malignis: Notum enim eſt, quod ægri in morbis malignis propter anxietates præcordiorum ſint inquieti, jactitantes ſe in lecto difficulter ad ſudorem diſponere queant, conſtringentibus ſe propter anxietates fibris cutis, ut in poris illis abſit ſudor; unde hæc impedimenta ut præcaveantur, additur opium, cujus vi ſi non ſiſtuntur, ſaltem ſufflaminantur anxietates præcordiorum, hincque quieti facti ægri longè copioſiùs ſudant, quàm ſi ſudoriſera ſine opio propinentur. Addit & dictis ingredientibus AUTOR caſtoreum, partim pro mulieribus & imprimis camphoram horrentibus, partim quod vi ſingulari expulſiuā polleat in purpura mulierum, petechiis, variolis, aliiſque morbis malignis, ubi excretio cutanea ſolet contingere. Jam ergo, ut mixturæ ſimplicis vel tincturæ bezoardicæ habeamus rationem componendi, recipiantur partes 3. ſpiritus tartari rectificatiſs. ſeu urinoſi iſtius volatilis, & ſpiritus uitrioli volatilis vel nitri vel uiridis æris pars j. effervеſcant mutuò commixti, quod ſignum eſt horum legitimè præparatorum; hinc ubi motus is ceſſaverit, deſtillentur invicem per retortam pro perfecta unione: Hinc ſpiritus ita compoſitus miſceatur cum 5. partibus eſſentiæ theriacalis (non verò ſpiritus theriacalis; nam ſpiritui theriacali præfert Autor eſſentiam, reſinā alexipharmacā ſimplicium volatili magis turgidam) paratæ vel modo ſupra allegato, vel ſimpliciter ad modum ſpiritus theriac. camph. per ſimplicem infuſionem, digeſtionem & filtrationem: miſta hæc omnia impræġnantur camphorā, addendo ℥iv. vel v. miſturæ, camphorę ℨj. & ſic ad digeſtionem ſeponenda pro meliore unione; ita emergit *mixtura ſimplex* ſeu *tinctura bezoardica*, pro variis uſibus celebratiſſima: ſi opiatica deſideretur, ſocietur ſpeciebus iſtis opiū, loco eſſentię opii; ſic enim erit *eſſentia* aut *mixtura ſimplex anodyna* vel *cum opio*: cui ſi *ſantalum* additur, *tinctura bezoardica* nomen emanabit. Atque hęc doſi à ℨß. ad ℨj. polychreſta eſt pro ſcopo ſudatorio in genere; ſicut in ſpecie in quibusdam morbis malignis & in febribus continuis, pręſertim in horum principio, imò & intermittentibus, pręmiſſo vomitorio ante paroxyſmum uſurpata, optima eſt.

Non rectificati.) Spiritus tartari non rectificatus ſaltem eſt phlegma fœtidum, non urinoſum, unde malè illum AUTOR *noſter* aſſumere iubet; quin potiùs ille rectificatiſſimus baſis eſt huius compoſitionis.

Clyſſo.) Loco ſpiritus uitrioli vel nitri in compoſitione miſturę ſimplicis adhiberi quoque commodè poteſt clyſſus ex antimonio, nitro & ſulphure paratus, quippè tales ſpiritus ſulphurei itidem in morbis malignis multum habent in receſſu.

Liquore alexipharmaco, pag 261.) Liquoris alexipharmaci deſcriptionem ex myrrha habet ZWELFFERUS *in Pharm. Reg.* egregius eſt (ſpeciatim, quod ſic myrrha cum amygdalis dulcibus in emulſionis formam redacta lactеſcat) in morbis malignis, cum excretione cutanea coniunctis. Elegans eſt compoſitio, ad cuius imitationem & alii ſimiles pręſcribi poſſent, utut ſaporis ratione ad ſtrictè dictas emulſiones minus pertineat.

Elixyr peſtilentiale.) Hoc CROLLIUM pro Autore habens, & oleoſum exiſtens, vix ſine tędio capi poteſt, & correxit illud ZWELFFERUS *in Animadverſionibus.*

Tartari verò ſpiritu, pag. 265.) Hìc præmoneo: tartarum nihil aliud eſſe, quàm ſal eſſentiale, natum ex acido vini rodente fęces eiusdem alcalinas, quas fęces dum rodit, coagulantur ambo in ſal cryſtalliforme, Tartarus vocatum. Jam verò tartarus eſt manifeſtè acidus, & occultè urinoſus, quippè fæces vini ſunt alcalinæ, quę roduntur ab acido iſto in tartarum. Interim, præter hæc duo principia, ineſt quoque tartaro copioſum pingue in acido vini & fęcibus luxurians; adeoque hæc tria vini tartarum conſtituunt. Utut autem acidum eius ſit manfeſtum, tamen ſi per ignem, Profectorem publicum dictum, examinetur, nullum aciditatis veſtigium adeſt, ſed prodit phlegma nauſeoſum, paucus urinoſus ſpiritus, & oleum copioſum fœtidum, remanente terra nigra una cum ſale fixo. Unde quæritur: cuius naturę ſit prodiens ſpiritus tartari? item ubi manſerit acidum tartari? Quoad prius: phlegma tartari deſtillans eſt ſaltem ſimplex aqua, olei nonnihil adiunctum habens; hinc amaricat inſtar olei tartari: ſpiritus autem paucus urinoſus eſt, ac ſpiritus cornu Cervi vel etiam ſpiritus urinæ paucus eſt; nam maxima eius pars per rimulas & coagmentationes vaſorum prodiit, difficulter coercibilis eſt; imò fugaciores in toto vegetabili regno non dantur ſpiritus, quàm ſpiritus & ſal volatile tartari & fuliginis. Acidum ergo iſtud tartari partim colliqueſcendo cum alcali volatili abit in ſal fixum, quod copioſum eſt in tartaro; partim illud ipſum quoque à pinguedine tartari fuit inverſum, hinc copioſum ſal volatile ſecum univit: quæ tria coeunt in corpus oleiforme, & conſtituunt oleum tartari empyreumaticum: eſtque hoc nihil aliud, quàm alcali volatile tartari, à pingui in occulto acido concentratum, & invicem colliquatum in oleiforme corpus; quod probamus ex eo: ſi enim huic oleo deſtillato additur ſal tartari vel alcali fixum, tunc hoc imbibendo illius pingue, & deſtruendo acidum occultum, liberat ſal volatile antea concentratum, ſicque ex oleo tartari deſtillato copioſum ſal tartari volatile elici poteſt: conf HOFFMANNI *Clavis, ubi de tartaro.* Ut acidum adeoque tartari, partium cum alcali volatili liquefactum, mutatum ſit in ſal fixum penetrans, partim à pinguedine occultatum, inverſum, & in oleum concentratum; ita ut ex tartaro non, niſi ſpiritus urinoſus & oleum empyreumaticum, elici poſſit. Spiritus ille maximè eſt volatilis urinoſus penetrantiſſimus, ſed difficulter coercibilis, hinc cautè eſt deſtillandus. Reſidere porrò in oleo tartari ſal volatile, probatur ex hoc: quod ſi ex tartaro & nitro paretur clyſſus per retortam tubulatam, tunc, quando ingeruntur, in momento materia à ſuo oleo & pinguedine incenditur, à pinguedine incenſa figitur nitrum in ſal fixum, & ſal volatile tartari ſui iuris ſit, & in forma ſpiritus urinoſi tranſit, ut ſal vola-

volatile antea sub oleo latitans sub deflagratione olei fiat sui juris, & copiosum sal volatile suggerat.

Jam ut genuinus spiritus tartari urinosus volatilis copiosiùs, quàm in communi destillatione fieri solet, acquiratur, tartarus tractari debet more aliorum vegetabilium, prout tractanda sunt, quando salia volatilia urinosa suggerere debent. Modi illi sunt triplices, uti dictum.

1. Contingit per putrefactionem, si nempè ad putredinem disponatur tartarus, sub cujus motu solvitur ejus corpus oleosum, infringitur successivè acidum, & liberatur urinosum, sicque copiosior spiritus ex tartaro elicitur. Ad putredinem quidem disponi potest tartarus, nunc cum simplici aqua coquendo & inspissando ad certum terminum, nunc cum musto, nunc cum urina humana; quorum hic posterior modus mihi maximè placet; utut enim sic spiritus copiosus mistus prodeat cum sale volatili urinæ infectus, tamen & hic concinnus est, imprimis, quando expetitur pro mixtura simplici conficienda, vel pro ingrediente aliorum remediorum.

2. Alter modus spiritum tartari urinosum acquirendi fit per concremationem, quâ ipsâ destruitur oleum pingue, in recessu acidum, ligans sal volatile urinosum, & cum eodem coiens in sal fixum alcalisatum; sic sal volatile fit sui juris: & quidem concrematur mediante nitro in retorta tubulata pro destillando spiritu tartari clyssiformi, addendo nitro & tartaro simul aliquantum salis fixi, nam sic copiosior spiritus prodit.

3. Tertius modus tandem peragitur mediante digestione olei tartari fœtidi cum sale tartari fixo; nam & ita sublimatur sal tartari volatile. Conf. HOFFMANNUS *in Clave Pharmaceut. Schrœderi.*

Non ardelionum isto venali.) His præsuppositis, AUTOR *noster* dicit, quod in usum vocandus sit spiritus tartari genuinus, i. e. volatilis acris urinosus, ferè instar spiritus salis ammoniaci; vulgaris enim spiritus tartari est phlegma amaricans saltem: Hęc saltem ambos hos intercedit differentia, quod spiritus tartari ob oleum tantillum admixtum, fœtorem nauseosum & empyrevmaticum præ se ferat, in spiritu salis ammoniaci non observabilem.

Fugientis volatilitatis conservatione.) Spiritus tartari sub destillatione tàm subtilissimum & volatile gas eructat, ut vix coerceri queat: Aut igitur rimas penetrat, aut vas illud disrumpit. Cæterùm modus coercendi consistit in eo, ut tartarus in debita proportione, respectu retortæ, simpliciter per retortam destilletur, apposito capacissimo recipiente, quantum haberi potest, aliquid aquæ communis (quidam infundunt spiritum vini tartarisatum) in se continente, & sub destillatione ignem successivè & graduatim dirigendo, quò nempè ex tartaro pedetentim, non verò impetuosa effervescentia liquescente, spiritus eliciatur: interim hisce omnibus benè observatis, neque hac ratione potest impediri, quin spiritus illius magna pars effumet per rimas, licet nobis insensibiles.

In retortiformi, desuper operculato & circumfluo plumbo nequicquam munito vase.) Prior modus in vase retortiformi cum plumbo videri potest in GLAUBERO *in Part. II. Furnor. Philos.*

Inque Retortis tubulatis vel inferiùs apertis.) Hoc modo copiosiùs acquiritur spiritus, quàm aliàs solet, ubi nitri & tartari ana destillantur, addito, ut urinosior evadat, pauxillo salis alcali fixi.

Per cucurbitam.) Hac ratione difficulter res succedit, subtiliori spiritus substantia ex rimulis evaporante, præter periculum fractionis metuendæ.

Foraminulum.) Scilicet, quando copiosior quantitas tartari una vice destillationi subjicitur, periculū est, ne is omnia diffringat; unde pro hoc evitando foraminulum inter retortam & recipientem relinquitur: interim hoc cum insigni jactura spiritus penetrantioris conjunctum, adeoque paucum tartari pro semel destillandum est.

Cum vitrioli crudi ana vel dimidio, p. 266.) Sunt qui vel uitriolū crudum, vel colcothar ejus seu uitriolum calcinatum, cum ana tartari miscentes destillant; sicque compositum spiritum acquirunt: interim acida phlegmatica uitrioli substantia se associat spiritui tartari, hicque inde evadit spiritus salsus & minus diaphoreticus, non secus atque aliàs spiritus aperitivus Penoti prodit paucus acidus volatilis sine ullo saporis urinosi vestigio.

Cum ana aluminis crudi vel usti.) Sunt, qui cum additione ana aluminis spiritum tartari destillant, nunc crudi, nunc usti; ubi tamen ex alumne usto & tartaro crudo destillatus spiritus parum differt à vulgari spiritu tartari, nisi quod ille non æquè phlegmaticus, sed nonnihil acrior & penetrantior fit: qui verò cum crudo est destillatus, copiosior admodum est & penetrans, compositus tamen is ex spiritu tartari & spiritu urinæ; præsertim cùm ad aluminis confectionem addatur copiosa urina, qua ipsa uberior pinguedo mineralis separatur ab alumine, & hinc etiam promovetur aluminis crystallisatio in majores crystallos: sic nuper amicus quidam ex aluminis & salis tartari ana mixtis destillavit spiritum volatilem urinosum satis copiosum, putavitque se accepisse sal tartari volatile, cùm tamen id sit ex urina alumini addita; idque confirmabam, non credens, quod cineres clavellati additi eundem spiritum volatilem redderent. Adeoque alumen plus minusvè de urina participat, eatenus quoque plus vel minus hac ratione spiritus urinosi acquiritur.

Crudus saltem tartarus.) Pro spiritu tartari conficiendo vulgò recipitur tartarus depuratus, quod tamen superfluum: nam licèt depuratione ista communi separentur duæ substantiæ à tartaro crudo, nempè materia terrea bolaris, ex fæcibus vini nata, & frustula quædam assularum, ceu in quibus tartarus concrescit, adhæreant; tamen huic spiritui destillato nulla noxa affigitur, quin potius terra illa bolaris spiritum tartari augmentat; frustula verò tantillum phlegmatis acidi præbent, quod rectificando spiritum tartari, potest corrigi: Ut taceam, nullam deprehendi differentiam in spiritu ex tartaro crudo & tartaro depurato confecto; uterque siquidem æquè fœtet.

Spiritus simpliciter.) AUTOR *noster* exhibet pro usu spiritum tartari absque ulla rectificatione; quod tamen mihi non placet, sed potius eum rectificandum esse suadeo ab acido volatili, sive super proprios cineres, sive super sal tartari fixum, quò phlegma undique delitescens remaneat, & acidum volatile absorbeatur, si adhæreat, & sic spiritus urinosus transeat.

Infractionem fœtoris, p. 267.) Fœtor empyrevmaticus semper & rectificatissimo spiritui tartari adhæret, adeoque hunc dicit AUTOR corrigere quosdam per acidos spiritus, ut spiritum salis, qui coeunt cum alcali spiritus tartari; sic separatur oleum spiritus tartari cum phlegmate: ast hac ratione spiritus tartari reverà infringitur, quia specificus sapor destruitur; quin potius is per se aliquoties rectificatus à sale proprio adhibeatur pro usu Medico; quantumvis adhuc aliquantisper fœteat.

Spiritu fuliginis.) Quia spiritus tartari dicta ratione paratus est egregium diaphoreticum, propterea spiritu fuliginis (prę quo & ejusdem sale volatili, post tartari spiritum & sal volatile, fugacius subjectum non datur) optimè carere possumus.

Zemblicam.) Pro sale volatili fuliginis per retortam igne aperto destillando rectè adduntur cineres clavellati, quo eò magis horum activitate acidum in fuligine occultum enervetur, & sic spiritus & sal volatile penetrantiores acquirantur. De cætero GLAUBERUS alium modum præparandi spiritum & sal volatile fuliginis habet: nempè solvit fuliginem in aqua simplici, usque dum hæc rubedine tingatur: deinde coctum frigori intensissimo exponit, ut congeletur; sic liquor in centro spissior colligitur, ex quo evocat spiritum & sal volatile.

Cum alumine vel etiam spiritu vitriolico.) Quidam fuliginem cū alumine & uitriolo miscēt pro destillando illius spiritu: verùm sic acquiritur spiritus salsus duplicatus, qui beneficio salis fixi additi sal volatile fuliginis & spiritum suggerit; tamen hic spiritus non differt à spiritu salis ammoniaci.

Oleo, pag. 268.) Oleum istud fuliginis, quod cum spiritu ejusdem prodit, rectificatum est efficacissimum & penetrantissimum; hinc quidam ad aliquot guttas propinant agonizantibus, persuasi, si hi desuper sudent, eos evasuros; sin minus, morituros esse. Verùm dicimus potiùs, inservire illud egregiè hystericis mulierculis, & viris colicis, non æquè aliis excitandis. Præterea idem oleum externè ad affectus nervorum & partium nervosarum, ut contusiones, contorsiones, & luxationes, commendandum est, ceu quod penetrantissimum est, & sale volatili copioso concentrato constat, utut hujus loco sufficere queat oleum tartari volatile fœtidum secundùm AUTOREM; quod tamen rectificandum est per retortam, vel cineribus lignorum, vel cornu Cervi usto repletam; ita oleum hoc tartari omnia illa præstabit, quæ fuliginis, aut alia similia propinata.

Aceta diaphoretica vel alexipharmaca.) De his vera est AUTORIS *nostri* epicrisis. Etenim si quid aliud præservativum in morbis malignis quibuscunque & pestilentialibus requiritur, illud esse potest acetum vini crudum, ceu unum ex optimis, cui magis, quàm omnibus compositionibus theriacalibus, possumus confidere; nam & SYLVIUS binas pestes Amstelodamenses perferens, simpliciter se præservavit hoc ipso aceto vini. Unde si hoc acetum vini imprægnetur substantia volatili quorundam alexipharmacorum simplicium aut diaphoreticorum, præsertimque myrrha & camphora, tunc habebitur acetum eò magis efficax, & tutum remedium. Cæterùm notanter dicit AUTOR *noster*, quod cùm hypochondriaci & hystericæ non æquè ferre possint ejusmodi acida (nam in his ordinariò peccat acidum plus minus austerum) minus talia aceta assumere valeant; proinde iisdem succus citri, & aliorum vegetabilium acida mediocria meliùs conveniunt. Porrò quoque proficuum est dictum acetum curativè; siquidem hinc est, quod remedia theriacalia mediante vehiculo aceti in malignis propinentur: nam hac ratione theriaca assumpta longè potentiùs sudorem movet, quàm si sine acido propinetur: quod de omnibus compositionibus theriacalibus verum est. Jam verò acetum vini commune longè melius est aceto destillato, ex eo, quod illud plus de substantia acida tartarea fixa participet: Interim, quia destillatum acetum durabilius est, propterea non destillatum recipiatur, si mox illud dispensandum sit; adeoque sufficiat unicum acetum per experientiam laudatum, illud nempè quod describit KIRCHERUS *Scrutin. Pest. p. 346.* & speciatim camphora imprægnatum; vel loco tanti apparatus recipiatur simpliciter acetum infusionis theriacæ, huicque post filtrationem addatur camphora minutim trita, & utut hæc non solvatur ab aceto, tamen eadem acetum aliquo modo imprægnabit. Vel

℞. *Bacc. junip.* (exsicc. si acetum asservari debet, vel recentium, si id mox dispensandum sit)
part. jv.
Myrrhæ part. j.
Hæc infundanrur in aceto:

Hinc filtratum id impregnetur camphora, & usurpetur omni manè & vesperi cochlear j. vel ij. pro scopo præservativo; vel recipiatur pro scopo curationis theriaca in hoc aceto.

Tandem sunt etiam, qui *aceta artificialia* parant ex *decoctis lignorum* unà cum *passulis* & *floribus sambuci*; decoctumque in loco tepido acescere sinunt: verùm pompa hæc inanis est, & sufficere nobis potest acetum vini.

De oleorum, *pag.* 269.) Equidem efficacissima sunt oleosa alexipharmaca, præsertim camphorata; item oleum destillatum succini, juniperi, rutæ, &c. Interim, ubi complicitati sunt morbi maligni cum febre intensiore, aut speciatim cum symptomatibus capitis, deliriis, agrypniis, &c. In talibus casibus ardentia ista minus tuta sunt. Alias si requirantur talia, instar omnium, tàm simplicium, quàm compositorum oleorum, nobis sufficere possunt internè oleum *antipestilentiale Heinsii* ex *oleo destillato succini*, *citri*, & *camphoræ*, cum oleis per retortam destillatis facto, usurpatum; quippè quod ad gutt. viij ad x. vj. vel per se, vel in vehiculo aceti assumptum, adeò potens est sudoriferum, ut sudor quoque camphoram redoleat. Pro externo autem scopo loco oleosorum omnium sufficit in subjectis delicatis balsamus apoplecticus cum camphora paulò copiosiùs impregnatus; vel oleum destillatum baccarum juniperi societur probè cum camphora, & ita illud illinatur temporibus, carpis manuum & scrobiculo cordis; sic habetur præservativum non contemnendum; non verò applicetur naribus, cùm camphora noceat olfactui, eumque hebetet. Vel etiam si placuerit:

℞. *Olei destillat. juniper.* ℨij. vel ℨiij.
Citri,
Succin an. ℨj.
Camph. gr. xxjv.
Mixta, dicto modo externè usurpentur.
Vel
℞. *Olei destillat. rutæ*,
Citri,
Succin. an. ℨj.
Baccar. juniper. ℨij.
Camphor. ℈j.
Misc. pro *Balsamo externo.*

Pro olfactu externo tandem vel acetum blandè camphoratum, vel spiritus vini camphoratus, aut cum spongia aut linteolo naribus applicetur in casu locorum fœtentium, aut ob malignitatem suspectorum.

Electuarium seu Bolum diaphoreticum, *p.* 270.) Sanè si ullibi est luxus ingredientium, hic erit in electuariis diaphoreticis, quorum mater est theriaca Andromachi & Mithridatium. Cæterùm *origo* tantæ *farraginis ingredientium* pro compositis & ex his factorum decompositorum est *duplex*: Quarum *prima* existit *Autorum ignorantia de natura venenorum*, & horum nocendi modo, quæ themata hactenus usque torserunt Medicos theoreticos; hinc cùm neque eorundem varietas, neque modi læsionis facti sint perspicui, propterea universale aliquod alexipharmacũ introducere necesse habuerũt. *Altera* verò *occasio* fuit, quod non satis habuerunt perspectam naturam & efficaciam simplicium, & hinc prodeuntium compositorum Autores; quin potiùs, quicquid fallax experientia docuit, convenire in morbis malignis, in venenis, &c. sive casu, sive studio & certo invento institutum, hoc omne unà vice compilatum fuit in talem horridam compositionem, v. g. theriacæ; cujus basin, innuente licet etymo, non constituerunt trochisci viperini, quippe qui minimum de viperis participant.

Jam verò pro meliore intellectione horum electuariorum observandum: quod v. g. in theriaca, mithridatio, electuario de ovo, diascordii Fracastorii, & similibus, duæ primariæ operationes addendæ sint, à Veteribus suppositæ: harumque

1. Fuit, ut dicta composita, propter opium adjectum, impetum spirituum influentium consopiant.
2. Ut ob ingredientia aromatica, amaricantia imprimis, & hinc gummata, potenter sudorem excitent.

Ratione prioris conduxerunt omnia illa in agrypniis (NB. ubi opium ab initio & incremento, non in statu, adhibendum) doloribus capitis, vomitibus, dejectionibus alvi, anxietatibus præcordiorum, inquietudinibus, febrium malignarum ordinariis comitibus, & similibus affectibus; qui tamen effectus omnes simpliciter oriuntur ab opio, ita ut ad dosin unam theriacæ, quæ est v. g. ℨj. grana duo vel iij. opii semper correspondere soleant. Posterior verò effectus notus est ab ingredientibus reliquis primariò aromaticis & amaricantibus, & hinc gummatibus, quippè quorum vis in resina subtiliori, adeoque sale volatili oleoso, consistit, & hujus ratione illa sudores movent. Tandem his omnibus superadditum fuit mel, & hinc nata fuit fermentativa turgescentia totius compositi, cujus beneficio non saltem correctum fuit opium crudum, ut mitius & tutius id factum fuerit, sed & in specie reliquorum ingredientium particulæ oleosæ & resinosæ resolutæ, indeque penetrantiores & magis activæ factæ fuerint: adeoque ut ex dictis mithridatium & theriaca sint nihil aliud, quàm mistura salina, oleosa, volatilis, anodyna & sudorifera. Jam verò si loco theriacæ reciperetur spiritus cornu Cervi sale suo volatili oleoso non adeò rectificato turgidus, & impregnaretur gr. j. vel altero laudani opiati, vel tincturæ anodynæ gtt. x. sicque daretur à ℈ß. ad ℈ij. vel ℨj. tunc sanè habebitur remedium ejusdem valoris, atque est integra illa multiformis compositio theriacalis. Interim eo ipso, dum theriacæ præparatio per tantam annorum seriem continuata est, cum successu, usque ad hæc nostra tempora, non rejiciendus est omninò ejusdem usus, utut ea correctione indigeat; quin potiùs adhibenda ea in morbis malignis & aliis casibus, sudore & vi anodyna opus habentibus, tàm præservativè, quàm curativè, & nunc cum aceto, nunc sine eo: cum aceto quidem vel acidis in morbis malignis & febribus acutis, quibus insignis æstus & symptomata capitis, aliaque conjuncta sunt; sine aceto verò in casu minoris æstus & minoris febris: contrà ubi majoris malignitatis ratio per sudorifera & anodyna eliminanda, insuper adduntur his pro necessitate camphora & antimonialia fixa, ita ut v. g. in febre ardente maligna sub forma liquida præscribatur:

℞. *Aquæ fumar.* vel *flor. sambuc.* ℥ij ad ℥iii.
Aceti vini simpl. aut *rutac.* aut *sambuc.* aut *Theriacal.* ℥ß. ad ℨvj.
Theriac. Androm. ℨi. ℨiß. ad ℨii.
Antimonii diaph. ℨß. ad ℈ii.
Camph. gr. iv.
Syrup. card. bened. ℨii.
M. F. Potio.

Detur pro duabus dosibus expectando largum sudorem. Vel in forma sicciori:

℞. *Conserv. pulp. citr. rec.* ℥ii.
Theriac. ℥ß. ad ℨv.
Antimonii diaphor. ℨi. ad ℈iv.

Cum s. q. *succi citri* fiat *electuarium*, pro 4. vel 5. dosibus usurpandum.

Conserva citri est confortativum alexipharmacum. Interim cum theriaca sit compositio salina oleosa volatilis ex antea dictis, propterea in moborum malignorum & acutorum principio saltem & incremento, non verò in statu tutior est eius usus.

Porrò quoad correctiones compositionum theriacalium, & hinc factorum decompositorum ex mille compositionibus unum vel alterum AUTOR eligit, cuius vestigiis insistamus. Videntur nobis iam veteres Arabes harum inconcinnitatem respectu ingredientium prævidisse; hinc MESUES, ille Pharmacopœorum Primicerius, evulgavit suam *Theriacam diatessaron*, ex *gentiana*, *myrrha*, *aristolochia rotunda*, & *baccis lauri* ana, miscendo cum melle & subigendo: cui si adderetur opium in s. q. & reponerentur omnia ad fermentationem, tunc hæc compositio tantum valeret, quantum reliquæ omnes veterum.

Unicum tantum, *p.* 271.) Si Autoris nostri vestigiis insistere volumus, possumus nobis parare talem theriacam;

℞. *Rad. zedoar.*
Gentian. an. ℥j.
Tormentill.
Angelic. ℥jß.
Pulv. viperin. ℥iij.
Myrrh. elect. ℥j. ad ℥jß.
Terræ sigillat. select. ad ℥ij.
Flor. sulphuris ℥j.
Croci ℥ß. vel ℨvi.
Cinnam. ℨvi. vel ℥j.
Caryoph. ℨiii.
Opii succo citr. express. & inspiss. ℨiij.
ad ℥ß. vel ℨvi.

Quæ omnia cum triplo *mellis* & *Rob juniperi* ana mista subigantur probè, & in debitam consistentiam redigantur, terendo & agitando; deinde ad aliqualem turgescentiam fermentativam seponantur. Ita hoc dosi à ℨj ad ℨij. pari ratione atque alia theriaca capi potest, sufficitque loco omnium: atque similem ferè compositionem habet HORSTIUS *pag.* 319. *Dispens. sub titulo Theriaca Germanorum.*

In Veterum Theriaca est opobalsamum, sed hoc nos destituimur; cuius loco ad nostram sumimus oleum nucistæ expressum, sed loco hujus iuxta AUTOREM potest substitui oleum destillatum succini, rutæ, caryophyllorum, &c.

Viperæ, *pag.* 272.) Communis persuasio est, viperina remedia fœtum pellere; sed inanis metus hic est, & non adeò nocent gravidis, præsertim cum ℔i. trochiscorum de viperis genuinæ horum substantiæ vix aliquot drachmas contineat, sed plerumque ex pane constent.

Theriaca Diatessaron, *pag.* 273.) Hac carere possumus, utut illius adhuc usus esse possit, si cum opio animetur.

Electuario de ovo) Aliàs bonum est, & unum ex penetrantissimis remediis; sed loco huius substituatur superius: nux vomica & crocus mulieribus sunt suspecta.

Orvietano, *p.* 273.) Huius electuarii nulla est certa compositio: interdum theriacæ simillima est. Ergo carere possumus.

Olea

Olea, *pag.* 274.) Quod si misturam theriacalem AVTORIS *pag.* 271. acuere gestiat quis per olea destillata, tunc vel sub mistura ejusdem addere potest olei destillati juniperi & citri ana ʒj. ad ʒjß.; vel tempore dispensationis & usus dosi ejusdem etiam aliquot guttas ejusmodi oleorum adjicere: sicut pari ratione sub dispensatione camphora vel salia volatilia eidem combinari poterunt, adjicendo misturæ ℥ß. ad ℥j. salis volat. cornu Cervi gr. vj. ad ℈ß. vel etiam eadem mistura cum antimonialibus misceri poterit, jungendo illius drachmæ uni antimonii diaph. vel bezoardici mineral. ℈j. & camph. gr. iij. vel jv. sicque vel in liquida vel in consistentiore forma propinari. Et sanè parata ita cum camphora vel volatilibus hæc mistura idem præstabit, quod Electuarium camphoratum Kegleti, & de crocodictum, aliàs præstant, in se scilicet satis efficacia.

Opium, *pag.* 276.) In febribus malignis saltem in principio & incremento propinetur, non autem in statu, ubi periculosissimum est, quia tunc cephalagiis & deliriis vexantur ægri: item quia fiunt crises, quas, excepto sudore & hæmorrhagiis narium, tollit. Compositiones theriacales recentes magis narcoticæ sunt, quàm veteres, quia per diuturnum tempus & fermentationem opii vis narcotica corrigitur.

Extracta antifebrilia pag. 275.) Extracta vegetabilium diaphoretica speciatim antifebrilia dicta, ut absinthii, cardui benedicti, centaurii minoris, gentianæ, & similium, eaque vel simpliciter cum spiritu vini, vel ad modum extractorum circa helenium suprà descriptorum parata, quibusdam in locis adhuc in usu sunt, specialiter pro cura febrium intermittentium horum unum vel alterum ante paroxysmum usurpando, in forma præsertim pilulari: v. g.

> ℞. *Extract. card. bened.*
> *Absinth.*
> *Cent. minor.* ana gr. vj.
> *Myrrh. elect.* gr. jv.
> *Laud. opiat.* gr. j.
> M. f. *pilula*.

Jam verò de his Extractis monet AUTOR, unum alterumve horum sufficere, nempè extractum absinthii, aut loco hujus gentianæ, loco omnium aliorum, imò etiam loco ipsius Chinæ Chinæ famosæ seu antiquartii Peruviani hujusmodi extractum esse poterit. Cæterùm ejusmodi extracta antifebrilia commodiùs propinantur in casu, quando majus frigus & rigor urget, quippe quę symptomata hinc egregiè imminuuntur, non verò, quando æstus major existit: nam hic eorum usu intenditur, unde quoque rarò eadem usurpantur, & si usurpantur, tunc extractum absinthii vel gentianæ sufficit.

Morsulis.) Morsuli bezoardici non ampliùs sunt in usu.

Pulveres, *pag.* 279.) Pulveres diaphoreticos minus commodè ex vegetabilibus parari insinuat AUTOR, cùm illi drachmatim propinandi sint, & stomachus demùm eorum vim elicere debeat priùs: sicut nec magisteria animalium eosdem, sed mineralia potius, & ex animalibus desumpta efficaciora, constituere debent.

Affectibus, *pag.* 280.) Insinuat hìc tacitè AVTOR *noster* remedia:

1. In febribus continuis cunctis solitariis, tam benignis, quàm malignis.
2. In iisdem febribus cum inflammatione partium internarum conjunctis.
3. In febribus intermittentibus usitata.

Inter alia autem evporista allegat pulverem aliquem polychrestum diaphoreticum, cum aliis pro lubitu specificandum; estque talis compositio:

> ℞. *Cornu Cervi sine igne* ℥ij.
> *Terræ sigill. Silesiac.*
> *Vnicorn. fossil.* ana ʒj. M.

Hujus dosis ʒß. esto in quocunque vehiculo expectando sudorem. Et potest hic pulvis pro circumstantiarnm varietate cum aliis sociari; v. g. cum volatilibus sic:

> ℞. *Pulv. hujus diaph.* ℈j. ad ʒß.
> *Sal. volat. cornu Cervi* gr. vj. ad ℈ß.
> *Campbor.* gr. j. M.

Vel etiam cum antimonialibus diaphoteticis ita:

> ℞. *Pulv. hujus diaph.* ℈j.
> *Bezoard. min.* vel *antimonii diaph.* ℈ß.
> *Camph.* gr. ij. vel iij.
> M. Fiat *pulvis* in malignis egregius.

Sic si pulvis ille vi anodynâ impięgnandus est, tunc

> ℞. *Ejusdem pulv. diaphor.* ℈j.
> *Cinnabaris antimonii*, vel *antimonii diaph.* vel *bezoard. min.* gr. xij.
> *Laudan. opiat. fermentat.* gr. j.
> M. f. *pulv.*

Atque hi ipsi pulveres in febribus continuis benignis & malignis sufficiunt: Præter quos etiam mihi alius pro sudore in frequenti usu est, nempè:

> ℞. *Cornu Cervi sine igne* ℈j.
> *Bez. min.* ℈ß.
> *Sal. volat. cornu Cervi* gr. v. vel vj. M.

Cui nunc aliquid de laud. opiato, nunc de camphora q. s. addo.

Pannonico rubeo, *pag.* 281.) Hic pulvis dosi ʒß. ad ℈ij. in morbo Hungarico, itemque in febribus malignis cum alvi fluxibus conjunctis præstabilis aliàs est.

Alexipharmacorum antipestilentialium, *pag.* 282.) Notat hìc AVTOR ZWELFERVM, pulveres introducentem hosce; quoad basin tamen eadem ingredientia habentes, quæ nimirum supra recensitum pulverem constituunt, saltem iisdem ZWELFERVS addit nitrum cum succo scordii crystallisatum: interim nitrum & nitrata, vel pura vel insuccata, in malignis cum diarrhęa vel vomitu conjunctis, non conveniunt, quippe hunc augent, & quoque aliàs ægros tales ad excretiones alvi proclives reddunt. Præfert ergo suum pulverem AUTOR *noster*.

Pulvis ille.) Suprà dictus pulvis tenellis ab AUTORE ad gr. j. vel ij. & grandioribus ad jv. in terroribus & caloribus vagis datur; interim dicimus nos, pulv. hanc dosin esse nimis exilem, ex eo, quod tenellorum ventriculi utplurimū pappis seu pultibus viscidis sint repleti: adeoque hæ, uti omnium remediorum, ita & alexiphatmacorum horum vim obfuscent. Potius ergo tenelli quoad omnium remediorum usum, tanquam trimuli puelli tractandi sunt ob allegatam stomachorum obfuscationem, hincque pulveris illius gr. vj. viij. x. ad xij. iisdem exhiberi possunt in variolis, morbillis, diarrhœa, torminibus alvi, &c. Imò si idem pulvis associandus esset anodynis, tunc assumatur theriaca ad gr. j. vel alterum. Opium siquidem pro iis est nimis generosum, & solitariè datum pro infantibus suspectum. Aliàs pro puerulis, insultibus febrilibus vexatis, præscribitur hic pulvis polychrestus:

> ℞. *Cornu Cervi sine igne* ʒß.
> *Myrrh. elect.* gr. vj. vel jx.
> *Sal. volat. cornu Cervi* gr. vj.
> *Theriac.* gr. iij. vel jv.
> M. pro 4. vel 5. dosibus.

Sanè hic pulvis tàm in febribus malignis, quàm in insultibus epilepticis mitioribus, & torminibus sufficiet: cui, si minus urgeat febris, sed potius tormina ex acido lactis, addantur aliquot guttæ olei destillati anisi vel caryophyllor. v. g. pro ℈ß. vel gr. xij. illius, hujus gutt. j.

Ita porrò.) Adducit hìc AVTOR remedia pro febribus continuis comitatis, seu cum pleuritide aut reliquorum viscerum inflammatione conjunctis; pro quibus loco tot pulverum & specierum antipleuriticarum eligit hunc expertum pulverem:

> ℞. *Off. cap. luc. pisc. pulver.* ℥ij. (non solas maxillas)
> *Sangu. hircin. ritè præparat.*
> *Fl. sulphuris* ana ʒj. M.

Detur ℈j. ʒß. ad ℈ij. in aqua cardui benedicti pro dosi. Pulvis hic tempore usus, præsertimque in principio harum febrium cum inflammatione alicujus partis internæ (namque ubique eadem valet methodus medendi) conjunctarum, dari potest cum aliquot granis salis volatilis, v. g. cornu Cervi, magis specificè verò cum gran. jv. vel v. salis volatilis maxillarum lucii piscis, quæ copiosissimum sal suggerunt. Sic quoque exhiberi dictus pulvis potest cum gr. j. vel jß. laudani opiati, singulæ illius dosi, præsertim in principio morborum & extra statum addendo: Etenim singularis est encheiresis, hisce febribus mederi mox in principio per salia volatilia & opiata, æstu, quantumvis maximo, nihil obstante.

Ossium capitis, *pag.* 283.) Ordinariè aliàs in pleuriticis curandis præscribuntur maxillæ lucii piscis; verùm rectiùs integri capitis ossa in usum vocantur, nec enim ulla præ aliis ossibus capitis maxillis tribuenda est prærogativa.

Sanguinis hirci.) Sanguis hirci è pudendis fit emissus & exceptus.

Absque tribulorum, *carduorum*, &c.) Aliàs carduus benedictus, carduus Mariæ, papaver erraticum, sunt specifica antipleuritica: quorum tamen loco sufficit supra dictus pulvis, & sufficit loco omnis venæ sectionis, quæ aliàs frequentissimè adhibetur, sed malè, quia hic pulvis longè tutiùs curat.

Absque omni venę sectione.) Egregia sententia! Equidem vulgò inflammationes internæ febribus comitatę per venę sectionem tractantur, sed sic sine ratione debilitantur ægri; quin potius tutiùs per sudorem, quàm per venæ sectionem morbilli curantur: imò hoc certum est, quod si sine sudore per venæ sectionem iidem curentur, nihilo seciùs ad suppurationem iidem tendat; quæ tamen per sudorifera posset præcaveri.

Si pleuritis ferocior.) Scil. ita se habeat methodus medendi in pleuritide maligna, ubi principium curæ fiat à penetrante sudorifero volatili, v. g. mistura simplici, spiritu cornu Cervi, & sale volatili ejus vel maxillarum lucii piscis, maritato unà cum laudano opiato, plus minus ab initio sociando; quo facto pulvis supra dictus aliquoties reiteretur: Hinc tandem in declinatione morbi cancrina, & corallia præparata, item antimonium diaphoreticum & similia profunt, & ita totam absolvunt curam. Et quidem in principio tutissimè opiata sociari debent, si speciatim inflammationes pectus occupent, quod etiam necessarium est; ita enim horum medio sistetur dolor & tussis, & inflammationes avertentur: contrà in incremento & statu morbi, quando tussiendo multa expectorantur, opiatorum exhibitio periculosa est; aliàs enim sisteretur tussis, & excretiones sufflaminarentur, excernendaque diuturniori mora viscidiora redderentur. Cæterùm dictis remediis expectorantia interponantur; & in princi-

principio quidem & incremento temperantia pro incraſſandi materiam ſcopo, quales ſunt ſcabioſa, violæ, & papauer erraticum; quę ſufficiunt pro incraſſatione materiæ expectorandę: in ſtatu verò, ubi expectoratio materiæ incraſſatæ ſupervenit, uſurpantur expectorantia, incidentia, nempè ex Nicotiana, hyſſopo, & eryſimo parata.

Febribus continuis & pleriſque malignis.) Docet hic AUTOR methodum curandi febres continuas ac ardentes, benignas pariter ac malignas, diſcurſum illum, quem *pag. ſup.* 237. & 239. habuit, magis applicando (has dicit ſine venæ ſectione vel laxatione eſſe curandas:) & quidem venæ ſectio in febre ardente continua benigna rarò in uſu eſt; in maligna verò eadem periculoſa eſt: ubi ſcilicet in benigna non adfuerit plethora ingens, aut æger ſit juuenis, aut febris illa ex potuum generoſiorum abuſu fuerit nata, aut denique mulier ægra fuerit plethorica, & vitio vel obſtructione menſium correpta; opus erit in eadem venæ ſectione. Malignæ autem febres per ejuſmodi deteriorantur, quod obſervaui imprimis, ſi talis febris ex contagio fuerit nata, quo in caſu venæ ſectio eſt peſſima; quippè hac ratione contagio quaſi porta aperitur, ut illud integram maſſa ſanguineam afficiat, & ſpiritus depauperet, ſicque vires proſternuntur, quæ aliàs in malignis debiles ſunt. Sin verò febris illa ſine contagio fuerit, tunc pariter venæ ſectione labefactantur ſaltem vires, necullum commodum inde habetur; unde caveamus nobis in tali caſu à venæ ſectione. Sic nec clyſteriſationes, nec laxationes in tali caſu requiruntur. E quidem non rarò in principio, tàm benignarum, quàm malignarum (etiam à contagio ortarum) febrium vomitoria adhibita, ſunt tuta, imò & neceſſaria, eaque intermiſſa nociva, præſertim in juvenibus, aut quando à contagio extrinſecùs hauſto natus fuerit morbus, affligente ſic contagio regionem ſtomachi & primas vias, adeoque inquietudinem cauſante; in quo caſu ſanè nil melius eſt vomitorio, & quidem in principio primo adhibendo, à cuius uſu quidem debilitantur ægri, ſed cum euphoria, imò ægri per totum morbi curſum quieti ſunt, quod ſanè magnum juuamen Medicis curantibus præſtat: deinde & mox in principio talium febrium pręcordiorum anxietates vel humorum motus iuxta hypochondria, vel iterum circa hypochondria turgeſcentia obſervatur, itemque in primo principio illarum febrium in uſu ſunt, quando æger talis erit nauſeoſus, vomiturit; his enim in caſibus maturè imitemur naturam, & adiuvemus per blandum vomitorium; quo prę-miſſo vel omiſſo, mox in principio ad ſudoriferum aliquod volatile ſecundùm AUTOREM, v. g. tincturam bezoardicam, vel mixturam ſimplicem, vel ſpiritum cornu Cervi accedamus, adhibendo eadem vel ſolitaria, vel præſente vomitu ſymptomatico ſociata opiatis; hinc ſudore unà alterâue vice continuato, aduocentur in uſum paulò fixiora, v. g. puluis allegatus ſubinde uariandus: ſicut juxta finem morbi exhibenda erunt cancrina, coralliata, &c. Cæterùm, quò magis ægri taliter conſtituti ſudant, eò magis uires debilitantur; unde, ut uiribus proſpiciamus, danda erunt intra & poſt ſudorem blanda acida, præſertim cum potu ordinario, ita ut v. g. in menſ. ß. cereuiſiæ inſtillentur guttæ 50. uel 60. clyſſis antimonii, vel ſpiritus nitri dulcis, uel roris mineralis, quod eſt phlegma uitrioli acidulum, & commodè iulepis ex aqua fontana cum Infuſo roſarum uel uiolarum uel tunicæ factis, ad gratum acorem inſtillatur; uel denique miſceantur partes ii. *cerevisiæ ſecundariæ* cum part. j. *vini*, qui potus etiam poteſt ſulphurari à ſulphure accenſo.

In anxietatibus, pag. 284.) Dixit etiam AUTOR, quod uolatilia ſudorifera in principio propinanda ſint, in malignarum uerò ſtatu nunquam: limitat nunc, quando nempè anxietates præcordiorum adſunt, ubi pars tertia uel quarta doſeos illius, quę aliàs datur, unà cum paulò fixioribus exhiberi neceſſe eſt, ne turbulentia nova excitetur; non ſecus ac quoque contra urgentia ſymptomata dicta ante & poſt ſtatum cum anodynis, vel laudano opiato, acuari poterunt, in ipſo tamen ſtatu omittendo.

Antifebriles (intermittent.) pulveres, pag. 285.) Sunt, qui pro febrium intermittentium curatione uſurpant ℥ij. pulveris cardui benedicti; ſed minus efficaces hi ſunt, & nimis nauſeabundi, quin potiùs loco horum à modernis diaphoretica & præcipitantia alcalia fixa uſurpantur; quibus tamen nec ipſæ quartanæ cedunt: ſed in his ad volatilia accedendum eſt, die intermiſſionis tractando patentes per martialia; adeoque præmiſſo vomitu, eoque interdum repetito (quippè ſine quo quartanam curare impoſſibile eſt) die invaſionis bihorio ante paroxyſmum exhibeatur ſpiritus ſalis ammoniaci ritè paratus & fortificatus, à ʒß. ad ʒj. vel quibus hic ingratus eſt, illi accipiant pulverem lapillorum cancrorum, coralliorum, &c. cum ſacchari ſaturni gr. xii. ad xv. loco huius ſpiritus: Atque hæc internè. Externè verò, quia in quartanis ferè ſemper ſubeſt aliquod vitium ſplenis, imponatur regioni ſplenis emplaſtrum de Nicotiana. Simili ratione pro tertiana & quartana curanda, præmiſſo vomitu, inſtante paroxyſmo, & ſubſequentibus reliquis, exhibeatur puluis ex marinis & ſalibus fixis conſtans (utut & his præferendus ſit ſpiritus ſalis ammoniaci ad ʒß. vel ʒi. utut maximè æſtuent ægri:) e. g. pulvis concharum ex conchis probè lotis, vel iisdem calcinatis, vel matre perlarum compoſitus: v. g. ♃. *Teſt. conchr. præp. vel matr. perlar. præp.* gr. xxv. ad ℈ß. *ſalis abſynth.* gr. xii. ad xv. *Olei deſtillat. caryoph.* gtt. i. M. f. *pulvis*, horâ unâ vel alterâ ante paroxyſmum propinandus. (Pulvis gentianæ idem præſtat.) Vel

♃. *Lapil. cancr. præp.* ℈i. ad ʒß.
Antimonii Diaph.
Salis abſynth. an. ℈ ʹ. vel gr. xv.
Laudan. opiati (ſcilicet in febribus inveteratis, aliàs duplicatas eas reddit) gr. j.
M. f. *Pulvis*.

Vel ſi intenſior æſtus afflixerit in patoxyſmo, & huius quoque reſpectus haberi debeat, ut in febribus intermittentibus ſcorbuticis, tunc

♃. *Arcani duplic.* (propter nitrum) ℈i.
Lapill. cancr. præp.
Salis abſynth. ℈ß.

M. F. pulvis repetitis vicibus uſurpandus, donec febris profligetur.

Arcanum duplicatum vix in intermittentibus uſurpamus, niſi adſit æſtus, vel febres intermittentes ſcorbuticæ.

Aluminis mitificati, pag. 286.) Ex alumine præcipitari ſolet terra aluminis, ſaccharum eius aliàs vocata, quæ figendo intermittentes curat, non ſecus ac quoque tartarus aluminoſus Rolfincii id pręſtat: Interim minùs tuta hæc remedia puto; figunt ſiquidem & ſuſpendunt paroxyſmum, & ſi æger tantillum peccat, mox redit.

Olei Caryophyllorum.) Oleum caryophyllorum internè & externè in rigore eſt egregium; externè ſcrobiculo cordis illitum, tollit rigorem intermittentium; pro alio autem ſcopo illud non conducit.

TITULUS VIII.
DE
DIAPHORETICIS ANIMALIBUS.

Animale regnum, *pag.* 287.) Hoc quemadmodum reſpectu purgantium eſt pauperrimum, ita quoad diaphoretica ditiſſimum. Ex tam larga luxurie AUTOR præmeditatè eligit Cervum & Viperam.

Cervo.) Ex cervo elegit AUTOR cornu Cervi ſine igne, hinc eiusdem ſpiritum & ſal volatile: Cum illo accidentariò quoque ſe offert nobis Gelatina: Sicut ex viperis pulverem illum viperarum, aliàs *bezoardicum animale* dictum, qui, quò ſimplicior, eò melior eſt. Rectè aliàs dicitur: quod totus cervus ſit alexipharmacus, cum ex toto remedia parari queant.

Typhas.) Typhas cornu Cervi reiicit AUTOR, quæ in quibusdam locis ſunt uſuales; & quidem ex iisdem aquam tàm ſimplicem quàm compoſitam deſtillant, quarum illam ſub nomine aquę typharum cornu Cervi commendant ad menſium & lochiorum fluxum nimium ſupprimendum; compoſitæ verò vires analepticas tribuunt. Verùm omnes ex animalium partibus deſtillatæ aquæ ſunt nuda phlegmata, adeoque inertes, omnique virtute Medicâ ſpoliatæ, niſi fortè per accidens quaſi juvent, dum de ſale volatili animalium illorum participant; unde par iudicium de aqua typhorum quoque formandum erit.

Immaturius cornu.) Quidam recipiunt cornu Cervi iam recens perfectum, cruentum tamen adhuc & ſanguinolentum, quod in aqua deſtillant, atque in balneo Mariæ philoſophicè calcinant in vaſe clauſo: interim cum hoc ita recens nondum ad perfectionem debitam pervenerit, nec ſale volatili ſufficienter impręgnatum fuerit, propterea eidem meritò cornu Cervi perfectum præferendum, præſertim, cum immaturioris illius doſis ʒß. ad ʒi. magnam quidem molem referat, minus tamen efficaciæ promittat. Cæterùm cornu Cervi medium quid eſt inter animalia & vegetabilia concreta; quippè quod cum Vegetabilibus hoc commune habet, quod unà creſcere incipiat tempore verno, ſucceſſivè adoleſcat cum illis, & marſcentibus illis etiam decidat tempore autumni. Ad hæc eorum ſtructura perfectum lignum refert, tandem exſiccando corneam acquirens ſubſiſtentiam.

Nec ſanguinem inde vel tor, pag. 288.) Scilicet ſunt quidam, qui ex corde cerui aquam deſtillant ac ſpiritum; ubi aqua eisdem naturę cum aqua typharũ eſt; ſpiritus ille verò minus nobilis ſpiritu cornu cerui, utut vana hominum perſuaſio imponat nobis, quaſi vitalis vis cordi eſſet inſita: ſic neque ſpiritus cordis Cerui, & ſpiritus ſanguinis cerui, ullam eſſentialem differentiam fouent, niſi quod ille ſit dilutior, quàm ſpiritus cornu Cervi. Cæterùm circa ſpiritus & ſalia volatilia ex animalium partibus liquidis deſtillanda obſervetur hæc ench eireſis, quod v. g. ſanguines & urinæ recentes præter copioſum phlegma parum ſpiritus & ſalis volatilis largiantur; è contrà verò putrefacta, ſeu per putrefactionem reſoluta eadem, copioſum & acerrimum ſuggerunt ſpiritum & ſal volatile (dicerem duplo plus quàm aliàs:) Atque eadem ratio valet de quibusdam ſolidis animalium partibus, ſpeciatim in ſecundina humana, quæ recens parum, putrefacta autem copioſum ſpiritum & ſal volatile ſuggerit.

Oleo fœtido.) Ex ſanguine cerui, ſpeciatim non putrefacto, pręter ſpir. & ſal volatile, copioſum oleum etiam elicitur, quod tamen vix prærogativam habet præ oleo ſanguinis humani, aut cornu Cerui, aut fuliginis; Unde hæc promiſcuè loco illius adhiberi poterunt.

Liquores & mixturas antipodagricas.) Ex oleo ſanguinis cervi

cum spiritu & sale volatili mixturas has quidam Autores parant, ut SCHROEDERUS, & externè in podagra applicant: Verùm placet mihi hac in parte AUTORIS *epicrisis*, *p.289.*) quia oleosa ista non proficua sunt ejusmodi ægris: scilicet in podagra nunc peccat acidum plus minus volatile & acre, nunc plus minus obtusum, vel moderatum & viscidum: si acre acidum subest, tumor erysipelatodes adjunctus est podagræ, & dicitur Germ. *die heisse Gicht*; sin verò id obtusum seu temperatum, adest tumor œdematosus, quem *die Kalte Gicht* tunc vocamus. Jam verò utroque in casu ab acido oriundo eidem opponenda sunt salia volatilia vrinosa: interim in specie in priori conuenit sperma ranarum sale temperato urinoso uolatili constans, spiritus salis ammoniaci cum calce uiua, addito speciatim spiritu uini, paratus, urinæ, spiritus lumbricorum terrestrium; imò quando tumor erysipelaceus adiunctus est, præter spiritum salis ammoniaci illum cum spiritu uini paratum, locum etiam habet camphora, ceu effectiuè summum refrigerans existens; contra in altera podagræ specie, ubi acidum uiscidum peccat, dictis spiritibus uolatilibus subinde sunt iungenda oleosa quasi fermentia, v. g. olea destillata cum uolatilibus illis combinanda, item interdum balsamus sulphuris; sicut & tandem, cujus in AVTORE *nostro p.289.* mentio fit, balsamus ceruinus antipodagricus interdum locum inuenit, sed non semper.

Nec cerebrum, *p.289.*) Cerebra animalium habent consistentiam aqueo-pinguem, hinc destillata copiosum phlegma, pauxillum contra spiritus, & minimum salis uolatilis, exhibent, nec inde nobis singulare quid pro curanda epilepsia promittere possunt. Transeat ergò!

Os de corde cervi.) Est concursus tendinum circa arterias cordis obseruabilis, in annosis ceruis, bobus, & etiam hominibus, temporis protractu cartilaginescentium, quæ cartilago tandem ossescit; similiter ac arteria magna in homine circa cor in cartilaginea forma obseruata fuit. Vnde & dictum os de corde cerui malè pro alexipharmaco proclamatur, quin potius æquali cum cornu Cerui stat pretio.

Sordes è Canthis.) Veteribus pro lapide bezoar habitæ sunt, ast malè; cum illæ nihil valeant.

Selectui nostro, *p.290.*) Eligit AUTOR præ aliis cornu Cerui, illudque spontè deciduum; Etenim autumno, quando illa cornua matura quasi sunt, spontè arescendo decidunt, suntque ea maiora, duriora & ponderosiora, adeoque copiosiorem spiritum & sal volatile suggerunt. Quod si tamen illa cornua decidua habere nolimus, sumamus eadem paulò ante spontaneum casum, præprimis illa, quando cervi sunt in orgasmo, utpotè iam matura, quæ à sanguine non alterantur.

Cervini quoque cranii.) Hoc pro cornu ejusdem quidam substituunt, & res sanè perinde est. Ergo AUTOR seligit pro quibuslibet cornibus animalium.

Rhinocerotis cornu.) Hoc, quia carius & rarius, propterea & in usum Medicum tractum est, merâ vanitate licet. Non enim est alexipharmacum tale, quale venditant: Imò putant nonnulli in scyphis ex cornu hoc tornatis infusum vinum nullum ferre venenum: ast vana hæc est persuasio, cùm cornua illa sint ejusdem naturæ, quoad præparata Medica, cum nostro cornu Cerui.

Unicornu, *pag.291.*) Unicornu marinum ex pisce cetaceo, cujus potiùs dens est, testante WORMIO & KIRCHERO *in Mundo subterraneo*, & TULPIO *in observat.* circa provinciam Grœnlandiam reperibile, & ex hujus maxilla superiore enascens, structuræ firmioris existens, desumitur; contrà unicornu ex quadrupede, terrestre dictum, est Non-Ens, nisi intellecta velimus cornua orygis asini Americani. Insuper datur & ebur per terram excavatum sub titulo *Unicornu*; sed hoc impostura est. Aliàs Vnicornu illud marinum, æquè ac dens hippopotami per vim ignis dat eundem spiritum & sal volatile & oleum, ad morem cornu Cervi & similium. Horum tamen ratione non habent illa singularem præferentiam præ hoc, quippè in quo crudè raspato similiter vis antepileptica reperitur, non secus ac dicta marina, quæ quoad præparata quoque cum cornu Cerui conveniunt.

Rupicaprarum.) Rupicaprarũ in montibus Tyrolensibus reperibilia cornua quoad usum Medicũ eiusdem sunt cum cornu Cerui naturæ.

Mollificatum.) Seligit AVTOR cornu Cerui Philosophicè calcinatum: scilicet frustula majuscula cornu Cerui vel in aqua communi blandè ebulliunt, vel, quod alii curiosiùs faciunt, in alembicum, ex quibus aquas vegetabiles destillant, reponunt, ut ita successivè mollescant illa: ubi tamen melius est, si in aqua simplici successivè ebulliendo præparentur, sub nomine cornu Cerui sine igne (actuali scilicet igne) calcinati; hac enim ratione fit tenerum, ut nigra crusta exterior abradi, & medulla interior facilè separari possit. Cæterùm aqua illa decoctionis evaporata concrescit tandem in gelatinam in febribus malignis admodum proficuam, quæ cum per se diutiùs asservari nequeat, cùm putrescat, hinc vulgo, sed malè, cum spiritibus acidis solet condiri gelatina. Hæc scilicet est succus nutritius cornu Cervi sale volatili ac oleo turgidus; hinc cornu Cervi de vi activa perdit quantum gelatinæ impraegnatur, quod probatur; si gelatina illa destilletur, ubi reddit sal volatile & oleum, simillima oleo cornu Cervi & sali volatili; unde & cornu Cervi sine igne ebulliendo præparatum, vix dimidium suggerit salis volatilis & olei quãtitatem, quàm quidem cornu Cervi recens destillatum, At cùm cornu Cerui raspatum sit durioris consistentiæ, atque resolvendum priùs in stomacho, hinc illud præfertur. Huic interim cornu Cerui Philosophicè calcinato in malignarum principio pro impetu malignitatis refrenando præfertur sal volatile cornu Cerui, in progressu autem earundem cornu Cervi sine igne est optimum, utut gelatinâ sua sit defraudatum. Et quidem nobis in more positum est, nisi quid obstet, ut cornu Cervi sine igne cum sale ejusdem volatili combinemus, quò sic illud quasi acuetur, & concinniùs operetur: v. g.

℞. *Cornu Cervi sine igne* ℈j.
Sal. volat. cornu Cerui gr.v. vel vj. M.

Ustum, *p.292.*) Cornu Cerui ustum est adhuc satis diaphoreticum, & speciatim in fluxibus alvi, ut diarrhœa & dysenteria, locum habet; quo in casu adstringit imbibendo acorem præternaturalem, & simul diaphoresin ciet. Cæterùm reverà in cornu Cerui usto est aliquid salis fixi, de quo quidem AUTOR *noster* dubitat. Interim res est clara, & probatur, si cornu Cerui ustum ignitum aliquoties extinguatur in aqua simplici, tunc enim huic vestigia & saporem sui imprimit, adeoque paucum salis fixi illud obtinere, necesse erit. Interim idem cornu Cerui non est adeò diaphoreticum, quàm quidem cornu Cerui sine igne; contrà calcinata marina, ut conchæ calcinatæ, ex quibus constat specificum antifebrile Crollii & Strobelbergeri, habent se instar calcis vivæ; terrea verò, qualia sunt ossa calcinata animalium, non æquè sunt salina; unde & illa præ his magis sunt diaphoretica.

Dictus spiritus, *p.293.*) Eligitur ab AUTORE ceu potentissimum & penetrantissimum sudoriferum, & consistit eius vis in sale volatili: quod nunc in forma sicca habetur, nunc in forma fluida, dilutum à phlegmate, sicque spiritus audit; nunc & in media consistentia, nempè oleo, quod est sal volatile ab acido pingui concentratum, ex quo oleo destillato, non secus ac ex oleo destillato tartari, per additionem salis alcali fixi, & interuenientem digestionem, elici potest sal volatile copiosum.

Sicca, *p.294.*) Utendi modus est, quod sal volatile non siccum per se usurpetur, quia avolat; sed in eiusdem spiritu. Cæterùm malè spiritus cornu Cerui cum spiritu vini ab AUTORE laudatur, qui hac in parte fallit, utut super alcali rectificatus; etenim illa ratione fit nimis pinguis, sicuti hoc modo ipso, sale volatili & oleo proprio adhærente privatur; quin potiùs, post separationem Olei crudioris per filtrum & chartam bibulam madefactam, spiritus per se ex cucurbita altiore rectificandus est; hac enim ratione post secundam vel tertiam rectificationem spiritus limpidus specifica adhuc vi sui Olei turgidus, ut & sal volatile nivis instar prodit. Spiritus dosis est à ʒß. ad ʒi. salis volatilis à gr. xii. vel ℈i. in febrium malignarum & epidemicarum principio, itemque in affectibus capitis justo tempore egregius omnino est.

Fixato.) Quidam sal volatile cornu Cerui cum spiritu salis acido vel alio figunt; Verùm emanat sic sal ammoniacum, ut etiam supra dictum; unde hoc sal additione salis fixi denuò reducitur in sal volatile, sed vi specifica destitutum. Fixatio ergo hæc est frustranea; unde potiùs sal illud cornu Cerui volatile, vel per se, vel eiusdem spiritus adhibendus est.

Oleum.) Oleum destill. cornu Cerui redigunt quidam in Essentiam cornu Cerui nempè quemadmodum spiritus vini rectificatissimus promptè imbibit, & sibi unit Olea destillata; ita & spiritus vini tartarisatus Oleo cornu Cerui rectificato, seu à cornu Cerui usto abstracto, affusus copiosum oleum & sal volatile imbibit: interim habetur sic tantùm sal volatili cornu Cerui oleosum, vulgò ESSENTIA cornu Cerui dictum.

Magisterium.) Magisterium cornu Cerui præparari debet non per spiritus salis ammoniaci præcipitationem, sed per abstractionem spiritus nitri, quod pro infantibus AUTOR *noster* commendat: scilicet solvitur cornu Cerui in spiritu nitri, hinc à solutione filtrata abstrahitur spiritus nitri ad dimidium, deinde diluitur reliquum aqua simplici; sic hac ratione præcipitatur Magisterium candidum, quod est spiritus cornu Cerui à spiritu nitri acido saturatus; sub qua saturatione cornu Cerui, & cum acido sese uniens, sal volatile cum spiritu nitri abit in nitrũ volatile; adeoq; hoc est corpus salsum volatile, pluribus usibus in morbis malignis conveniens. Atque hoc Magisterium præfert AUTOR cornu Cerui tàm Philosophico, quàm usto uitriolatis, seu spiritu uitrioli imprægnatis; cùm hac ratione emergat quasi concretum semialuminosum; terrestris enim substantia in cornu Cerui usto imbibit spiritum acidum vitrioli ad satietatem, & fit tertium adstringens quasi aluminosum.

Cervina, *p.295.*) Ceruina remedia pro Diaphoretico scopo eligit tria; nempè cornu Cerui sine igne, spiritum, & sal uolatile: Quibus tamen nos addimus gelatinam in febribus ardentibus vi analepticâ temperativâque magni usus. Nam est diaphoreticum blandè sudoriferum analepticum, maximè, si in aquis cordialibus propinatur: reverà scatet ipsa succo nutritivo cum sale volat. & oleo, cùm & vi diaphoreticâ simul corpus continuè in blando sudore conservet. Modus utendi est hic, ut ℥i. ad ℥iß. in cochleari super igne soluta injiciatur potus ordinarii mensur. ß. Nam non potest longè asservari. Ubi tamen non paranda est gelatina cum aceto, nec addantur tincturæ florum cum spiritu aliquo acido paratæ; Nam, utut illa sic diutiùs

simul castratur in vi sua, & figitur ab acido, hoc in sal tertium cum virium defraudatione transmutante.

Lapide bezoar, pag. 269.) Conferatur de ejus putatitia efficacia ZWELFERUS *in Pharmac Aug.* flocci faciens lapidem Bezoar; idque

1. Cum maxima illorum pars sit adulterina, ut inter centum vix 2. genuini reperiantur.
2. Quod vulgò in tàm parva dosi, nempè gr. iv. ad ℈ß. detur, ut nil possit efficere, cùm tamen ad ʒj. præscribendus foret.

Cæterùm si velimus, inquit AUTOR, adhibere Bezoar, assumantur nostrates, & qui reperiuntur in ventriculis cervorum, quoad vires lapidi bezoar, sive occidentali sive orientali, æquipollentes; non secus ac Duelech humanum probatum satis in morbis malignis & ultima peste Londinensi, ubi in una die 1000. mortui sunt, dosi ℈ß. ad ʒj. assumptus; ut taceam ejusdem vires contra philtra: sic & aprugnus è vesica lapis est bezoardicus egregiè, utut rarior is sit.

Equinus.) Tandem & hippolithus, Bezoar Orientali simillimus, huic commodè potest substitui. Cæterùm cum omnes hi lapides per ignem examinati suggerant spiritum, salia volatilia & olea, simillima iis, quæ ex aliis animalium partibus destillantur, proinde & hæc, in specie cornu Cervi, loco illorum sufficere poterunt.

Rupicaprarum glomi.) Hos describit VELSCHIUS *in binis Dissertationibus*, & solent magni æstimari à Tyrolensibus. Interim si iidem ritè considerentur, sunt nihil aliud, quàm filamenta tenaciora graminum, radicum, herbarum & fructuum, quibus vescuntur rupicapræ, inviscata muco quodam chyloso in ventriculo, hincque consistentiam lapidis mollem & friabilem repræsentantia. Cæterùm horum globulorum vires paucæ sunt, & parum habent in recessu nihilque valent, præsertim cùm & non rarò in nostrarum caprarum ventriculis reperiantur.

Magisterii, pag. 297.) Sunt, qui cum spiritu acido Magisterium ex lapide Bezoar conficiunt; ast sic destruuntur ejus vires per spiritus acidos in Magisterio illo.

Tincturaque.) Hanc aliqui cum spiritu nitri ex bezoar parant: cùm is crudus sufficiat, quid opus ejus præparatione?

Viperas nostrates & Colubros.) Utraque æquè bona sunt atque Apulejorum ac Lombardorum.

Bezoarticum illud animale.) Paratur ex viperis pulvis viperinus, bezoarticum animale aliàs vocatus. Nam spiritus, sal volatile, & oleum destillatum ex iisdem, nullam habent prærogativam præ illis, quæ ex reliquorum animalium partibus destillantur; cùm ignis virium specificarum sit destructor, & hujusmodi producta ejusdem naturæ ex omnibus animalibus reddat. Pulvis ergo viperinus tantùm in usum Medicum venit.

Præservatoriè.) Sunt qui pulverem viperinum præservatoriè commendant contra venenatorum animalium & viperarum morsum, sed malè; interim in morsu jam facto, itemque in febribus maligniori-bus & pestilentialibus, dosi à ʒß ad ʒj. assumptus, reverà sat efficax est, utut in extremè malignis non sufficiat.

In inveterata Psora & leprosis dispositionibus, pag. 298.) Multi ex traditione veterum contra lepram & scabiem repulsam & ferinam pulverem viperarum laudant ex eo, quod jam GALENUS vina viperina & HELIDÆUS PADUANUS Decoctum viperinum leprosis commendaverit; quin & TACHENIUS luem Gallicam hoc ipso se curasse testatur. Et sanè verum est, viperina in scabie ferina & lepra Græcorum multa præstare; imò observavi egomet essentiam viperarum in casu retropulsæ scabiei per externa fuisse egregiam, utut aliàs viperina in perfectè leprosis vix sufficiant. Dicunt singulare quid esse in viperis, quia excoriant pellem; sed etiam cancri, & alia insecta, v. g. aranei, hoc faciunt.

Pulvis ille simplex pag. 299.) Hic cùm facilè ad putredinem ruat, hinc condiendum illum suadent quidam vel oleis destillatis, vel floribus salis ammoniaci; de qua præparatione videatur M. A. SEVERINUS *de Viperis*. Interim verissima est VELSCHII epicrisis dicentis, *pulverem* illum, *quò simplicior, eò meliorem* esse. Cæterùm optimum modum præparandi pulverem hunc docet CHARAS *Tr. de Viperis*. Nempè truncantur viperæ capite, hinc detractâ pelle (vel & ea cum cauda integrâ servatâ, utpote sal volatile copiosum continente) viscera eximuntur iisdem, abjectis saltem intestinis, hinc in aliquot frustula concisæ lenissimè in Balneo Mariæ ex cucurbitula exsiccentur; vel & in loco umbroso calido suspendantur pro exsiccatione exacta, sub quâ, avolante phlegmate, sal volatile, oleum, & similes partes essentiales medicamentosæ remanent: hinc eædem una cum visceribus exsiccatæ in mortario lapideo pulverisentur, irrorando easdem sub pulverisatione spiritu vini myrrhâ probè imprægnato (vel quod melius, spiritu vini camphorato, utut hæc mox avolet,) simulque aspergendo aliquot guttulas olei destillati caryophyllorum, & ita in vase probè clauso omnia asserventur sub pulveris viperini denominatione; sic hic ab omni corruptela verminosa immunis, dosi ʒß. ad ʒj. exhiberi poterit. Similiter & inter hæc viperina inveniuntur trochisci de viperis, veteribus pro basi theriacæ, sed falsò, habiti, cùm illi more veterum cum pane parati parum valeant, ac eos sufficienter culpaverit ZWELFERUS *in Animadversionibus*. Cæterùm, quibus placet trochiscos viperinos in usum vocare, illi præparent eos vel more ZWELFERI, vel Domini FEBURE *Pharmacopæi Regis Angliæ*, qui boni sunt, ita olim conficere mihi dicentis: nempè ex viperis coquendo eliciebat, ad modum cornu Cervi ac aliorum animalium partium duriorum & molliorum, gelatinam, cui, utut parum phlegmatis adsit, aspersit & immiscuit pulveris viperini q. s., & hinc trochiscos efficacissimos & integram crasin viperarum continentes paravit, quos successivè exsiccavit.

Essentia.) Hujus præparationem cum spiritu vini, sale volatili viperarum acuato, docet ZWELFERUS *in Animadversion.* Interim præter hanc ex inventione Dn. D. MICHAELIS alii eam parant cum spiritu viridis æris, quem exsiccatis affundunt, hinc facta eorum solutione menstruum in balneo Mariæ abstrahunt (quod adhuc acidum est, cùm nihil de aciditate perdat) deinde magma residuum extrahunt cum spiritu vini, & ita fit *essentia viperarum*, magni æstimanda in puncto scabiei retropulsæ expellendæ, aut aliis quoque affectibus cutaneis ritè curandis: Laudatur quoque ad morsum viperæ.

Cupedias.) Alludit AUTOR ad Italos, vescentes carnibus & jusculis viperarum pro scopo sanitatis & longæ vitæ, imò & pro scopo sterilitatis corrigendæ; quo in casu jura & pulli gallinacei viperis nutriti laudantur Italis magnatibus.

Salia theriacalia, pag. 300.) Ad salia theriacalia pergit AUTOR. De his salibus Veterum quidem omnium optimè agit TACHENIUS *in Hippocrate Chymico*, ostendens eadem fuisse de genere salis ammoniaci, constantia ex sale volatili viperarum, & sale acido Cyrenaico. Cæterùm hæc ipsa Veterum salia theriacalia in desuetudinem abierunt: loco hujus ergo in usu est sal volatile viperarum, vel spiritus viperinus; interim de his sincera quoque prostat AUTORIS epicrisis, quod nempè eadem cum sale volatili & spiritu cornu Cervi ejusdem sint naturæ, utut in radice sui essentialiter differant; dum enim ignis vi alterantur, specificam vim exuunt.

Figatur.) Quia sal volatile viperarum maximè volatile est, quidam nonnihil annixi fuerunt hoc figere: ubi tamen fixatio illa sine acidis planè impossibilis est; contra per acida facta sal volatile illud nonnihil castrat; Acida enim sal volatile figentia illud destruunt: proin consultius est, ut sal illud volatile in phlegma dilutum, h. e. in spiritum, assumatur.

In Essentiali.) TACHENIUS multum facit lucri cum sale volatili viperarum fixato, & quidem figit sal volatile viperarum cum sale essentiali seu terra foliata tartari; interim hæc imprægnata acido aceti imbibit ex parte sal istud volatile, adeòque nonnihil simul figit.

Pinguedinem.) Viperæ & serpentes habent copiosam pinguedinem: Hæc pinguedo viperarum separata, & in vitro inclusa, soli exponatur; depurata ita egregia est in affectibus partium nervosarum à causa externa inductis, v. g. contusionibus, vulneribus, puncturis, speciatim circa articulos: Adhæc eadem pinguedo nobilis est quoque in affectibus oculorum quàmplurimis, v.g. pustulis, vulneribus & ulceribus eorum, ac ophthalmia: quemadmodum hujus rei experimentum constat in Misc. A. N. C. *Ann. 2. Observ. 125.* Est autem ejus utendi modus, ut blandè illinatur oculo se malè habenti, sic sufficit loco omnium sief seu pulverum istorum subtilissimorum veterum ad oculos; quorum compositiones vid. in *Pharm. August. Præstat eadem*, inquit AUTOR, *quæ infusa antimonialia ex antimonio & ejus croco*, quæ in affectibus oculorum externis, nebula, cicatricula, panno, ophthalmia, imò & ipsa suffusione, cataracta, &c. aliàs à RULANDO commendata sunt: rem ego experientiæ relinquo, an pinguedo illa infusis his præferatur? quæ tàm ex croco, quàm præsertim ex vitro, & posthac ex capite mortuo butyri antimonii ritè parata, infusa & filtrata, nobilia fuisse expertus sum.

Infusis Veneris, pag. 301.) ANGELUS SALA, *in Septenario Planetarum terrestrium cap. de Venere*, habet remedium ophthalmicum ex infusione vini malvatici in pelvim æneam, quâ ratione acquirit ferè tincturam sapphirinam, ex acido vini rodente venerem emergentem: ac experimenti hujus exemplum non contemnendum prostat in BARTHOLINI *Tomo 3. Act. Haffn.* cui etiam AUTOR præfert pinguedinem viperarum.

Hepatis mustelæ.) Quod si non in promptu sit viperina pinguedo pro oculorum affectibus, poterit eidem substitui hepatis mustelarum liquor oleaginosus: scilicet tempore æstivo mustelæ hæ grandiora magis habent hepata præ hyberno, quo eadem ob imprægnationem exsiccata quasi sunt, quæ transfiguntur ligno, & in vitro radiis solaribus exponuntur; sic enim defluit illud in oleum, proficuum per experientiam FORESTI in panno, cicatrice post variolas relicta, in ægylope, & carne excrescente. Conf. HARTMANNUS *Praxi Chymiatr.*

Parturientium umbilico.) Illita umbilico pinguedo, & lingua viperis vivis evulsa, aut exuviæ earum coctæ, an conducant pro promovendo partu difficiliori? experientia consulenda erit.

Olei viperinum simplex aut compositum, pag. 302.) Illud paratur incoquendo viperas in oleo olivarum, & laudatur vulgò contra morsus viperarum: interim, cùm morsus nostrorum serpentium sint minus noxii, & in viperæ morsu præstentiora adsint remedia, proinde his oleis carere possumus.

Scorpionum oleum, saltem simplex.) Hoc fit instar omnium, loco nempè olei viperarum, vel bufonum, vel aranearum; & quidem illud vetus, & per repetitam recentium scorpionum infusionem magis exaltatum.

Aranearum oleum.) In specie oleum aranearum commendatur vulgò ad curandas febres intermittentes chronicas, pulsibus die intermissionis illitum, non secus ac ex araneis majoribus parat antifebrile suum emplastrum STROBELBERGERUS; & ego novi rusticum febres intermittentes quasque curantem per pulverem aranearum contusarum propinatum. Cæterùm, si modum harum rerum operandi indagemus, patet ex oleo & emplastro Strobelbergeri, quod illud soleat post applicationem excitare maculam rubram, & continuato usu pustulas, ad instar debiliorum ex cantharidibus paratorum vesicatoriorum; unde missis illis ex araneis præparatis operosioribus omnibus, autor sum, ut pro curandis febribus chronicis intermittentibus die intermissionibus pulsibus applicetur simplex emplastrum vesicatorium; sic enim certò subsequens paroxysmus erit mitior. Hoc multoties expertus loquor, præsertim cùm & nuper adhuc febrem intermittentem cum ophthalmia conjunctam applicando nuchæ vesicatorium curaverim.

Bufoninum, pag. 303.) *Bufonum* oleum cum oleo olivarum paratum pro usu cosmetico laudat SCHROEDERUS.

De zenechto è rubeta.) Hoc commendat HELMONTIUS, *Tr. Tumulus pestis*, in pestilentiali constitutione, dum bufonem pedibus superioribus suspensum, & ad mortem usque ita cruciatum, pro zenechto habet: nec esse hoc de nihilo suspicor inde, quod iidem bufones sic tractati appensi, vel axillis subligati, in febribus malignis periculosas hæmorrhagias symptomaticas stitisse expertus sum; unde non dubito, quin & in pestilentiali constitutione insignes sint bufones, quorum tamen loco & lapis magneticus arsenicalis Angeli Salæ adhiberi poterit.

Caravitino scorpionum magno.) Oleum hujus scorpionum compositum, à GEORGIO CARAVITA ita dictum, descriptum videmus in MATTHIOLO: sicut magni illius *Ducis Hetruriæ in Pharmacopœa Augustana*: interim omnibus his præstat *oleum scorpionum simplex*.

Præcordiorum inunctiones, pag. 304.] Sunt etiam qui oleum viperinum per infusionem paratum externè præcordiis & carpo in constitutione pestilentiali illinunt: sed imbelle hoc est remedium; Alii verò eodem utuntur ad provocandas petechias febrium petechialium, idque AUTOR *noster* sufficere ait, testantibus BRUNNERO, TIMÆO & WITTICHIO, *in casu*, quando nolunt petechiæ istæ erumpere, fricando ægros cum eo. Vel hoc:

℞. *Olei chamom.*
Rut.
Scorp. an. ℥ß.
Nitri ʒij.

Mistisque hisce inungatur corpus largiter pro evocandis petechiis: vel substituatur huic composito simplex oleum scorpionum, utut ejusmodi litus in malignis ferè in desuetudinem abierit.

Coronam viperinam.) De hac duplex impostura viget:

1. Nempè datur dens molaris maxillæ inferioris ex porcello juniori evulsus, politus ab Empiricis, loco hujus coronæ: de quo vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *obs.* 128. *in schol.*
2. Obtruditur pro corona viperina chelæ squillæ marinæ interioris combinatio. Interim fraus est & falsissimum, quicquid de hac corona circumfertur: Plura vid. apud AUTOREM p. 304.

Alexipharmacum de ciconia, pag. 305.) Hujus descriptionem habet SCHROEDERUS *cap. de Electuariis*, & paratur illud cum oleo pini. Cæterùm suspicionis alexipharmacæ in ciconia occasionem dedit hoc, quod eadem vescatur serpentibus: ubi tamen dico potiùs, cum serpentum vis specifica in stomacho alteretur, viperina remedia loco ciconiæ excellere.

De cervis.) Dicunt nonnulli, cervum habere vim alexipharmacam, ex eo, quod deglutiat is serpentes: quod testatur AUTOR in M. A. N. C. *anno* 1. *obs.* 14. *pag.* 57. ubi allegatur serpens in ventriculo cervi putrefactus: ubi interim, cùm hoc fuerit potiùs concrementum lapideum anguis formam repræsentans, dico, vim alexipharmacam cervorum ex propria sua natura derivandam esse, non autem ex comestis serpentibus.

Ex homine in sanguine, pag. 306.) Sunt etiam in usu remedia ex sanguine humano, sed non præstant cervinis. Hic sanguis in usu est internè pro scopo antepileptico, & externè pro antipodagrico, at præstat spiritus cornu cervini.

Ossibus.) PARACELSUS habet pulverem artheticum purgantem, cujus descriptionem videb. in HARTMANNI *Praxi Chym. cap.* 2. *de arthrit.* huncque ingrediuntur ossa humana, sed vano consilio: cum enim illa saltem acidum arthriticum absorbendo juvent, idem facient ossa alia, adeoque non opus erit ossibus humanis.

Mumia.) Mumia exotica exulet. Nostras autem rariùs in substantia usurpatur, quæ aliàs artificialiter paratur, ut modum ex PARACELSO docet SCHROEDERUS, dum scilicet frusta carnis humanæ exsiccata spiritu vini, & aloe & myrrha irrorantur: vel quod melius, alii frusta illa exsiccata spiritu salis, aloe & myrrhâ condiunt.

Tinctura ipsius.) Tinctura mumiæ Crollii parum in recessu habet, & quidem paratur ea vel cum spiritu vini, quæ tamen nihil valet, nisi spiritus vini sit acuatus cum sale tartari; sic enim aliquid extrahet, utut maximum fuerit de myrrha, & de mumia parum participet: Vel & paratur dicta tinctura spiritu vini & spiritu terebinthinæ. Cæterùm cùm pro scopo vulnerario & casu ab alto sufficiant tam lapilli cancrorum cum aceto sumpti, sociatis iisdem plus minus alcalibus, quàm sanguis hircinus, proin tincturâ mumiæ non habemus opus, neque speciebus diamumiæ.

Urinæ spiritus, pag. 307.] Hunc pro scopo diaphoretico eligit AUTOR, & paratur is duplici modo; nempè vel ex urina in consistentiam magmatis inspissata, ex quo postmodum addito sale fixo elicitur sal volatile & spiritus: vel & urina putrefactioni exponitur, deinex ea sponte blando igne spiritus & sal volatile penetrantissimum elicitur; cùm contrà ex urina recenti antea phlegma saltem, quamvis inspissetur ad mellis consistentiam, prodiret: si verò additur sal fixum, sale volatile ascendit; putrefactâ illâ mistum urinæ dissolvitur, acidum ejus pingue faciscit, & ante phlegma spiritus prodit. Conf. ZWELFERUS *in Animadvers. & Append.* Cæterùm præfert tædiosæ & laboriosæ huic præparationi spiritus urinæ humanæ AUTOR *noster* spiritum salis ammoniaci, qui pariter est spiritus urinæ humanæ, utut tantillum hic de sale & spiritu volatili fuliginis participet; nempè præsuppono, quod sal ammoniacum patetur ex urinæ humanæ quintuplo, additis salis communis partibus ij, & fuliginis parte dimidia, quam videbitis in HOFFMANNI *Clave*, ebulliendo omnia; sub qua ebullitione acidum salis communis imbibit & absorbet primariò sal volatile urinæ, & secundariò fuliginis; hinc duo illa in loco frigido concrescunt in sal quoddam crystallinum, sal ammoniacum vocandum, compositum ex acido salis communis, & sale volatili urinæ, quod est sal salsum vel tertium, inter fixum & volatile consistentiæ mediæ. Iam ergò pro parando spiritu salis ammoniaci vel urinæ modo quodam succincto, addatur eidem aliquod fixum alcali, absorbens ejusdem acidum; quo enim absorpto, sal volatile urinæ sui fit juris, & abit in spiritum, ac quidem alcalinum: corpus illud, quod additur, est vel calx, vel alcali tartari, vel aliud; utroque enim modo imbibitur acidum, & liberatur spiritus urinæ diaphoreticus.

Simplicis spiritus vini, pag. 308.) Sunt, qui spiritum salis ammoniaci parare intendunt affusione spiritus vini, sed in vanum.

Zinckum.) Aliqui spiritum salis ammoniaci parare volunt, addendo Zinckum vel lapideum calaminarem sali ammoniaco crudo, quæ concreta etiam absorbent acidum; interim non tàm potenter, quàm alcalia fixa: nam illo modo adhuc aliquid acidi de sale ammoniaco in forma nativa simul elevatur. Imò si destillatur spiritus urinæ & salis ammoniaci cum additione salis tartari, aut alius alcali fixi, acquiritur spiritus & crystalli; sin verò cum calce viva destilletur, nihil in forma sicca conspicitur, sed omnia in liquida forma prodeunt: ac impossibile est, ex hoc spiritu cum calce destillato per se sal siccum conficere: interim si eidem oleum juniperi addatur, tunc crystallisabitur; quod sanè curiosum est; quoniam sic aliquid acidi ex oleum acquisivit pro consistentia.

Destillationes residuum.) Caput mortuum destillationis salis ammoniaci cum calce viva, si elixivietur, suggerit cremorem salinum egregium, qui fluit in liquorem lithontripticum, quem alii aliàs parant ex calcinatione calcis vivæ & salis ammoniaci: Contrà caput mortuum spiritus salis ammoniaci, ex ana salis tartari & salis ammoniaci parati, est instar salis communis, & in cubos pyramidales concrescit, nec differt ab hoc, nisi quod saltem illud saporis acrioris & magis diureticæ virtutis, adeòque loco digestivi hypochondriaci & antiquartii inserviat.

Acidum sublimatum, pag. 309.) Notandum, quod si sal ammoniacum pro spiritus destillatione debeat exactè exhauriri, illud requirat duplum salis fixi (non verò ana); sic enim caput mortuum illud non liquescet in loco frigido: contrà cum AUTOR saltem ana salis alcali fixi adjiciat, non mirum est, spiritum non penitus exhauriri, sed intensiore igne crystallos flocciformes, seu flores salis ammoniaci tantillum acidos elevari, sal ammoniacum depuratissimum, & egregium stomachale existentes. Quando autem sumitur duplum salis tartari, hìc processus non procedit.

Præcipitatur coagulum acidulum.) Ratio hæc est: spiritus nempè vitrioli affusus imbibit alcali tartari, hinc cadit sal commune ammoniacale in forma solida: sic si capiti mortuo spiritus salis ammoniaci superfunditur spiritus vitrioli, & destillantur, acquiritur spiritus salis communis; spiritus enim vitrioli sociat secum alcali tartari, hinc spiritus salis acidus volatilior, quàm spiritus vitrioli, prodit in forma pristina: par ratio est, quando sali communi affundimus spiritum vitrioli & destillamus, tunc enim accipimus spiritum salis, & in fundo remanet *Sal mirabile Glauberi.*

Antiepileptico, pag. 310.) Notum est specificum illud Hartmanni contra epilepsiam: nempè spiritus vitrioli epilepticus volatilis, constans ex spiritu urinæ, quæ affusa vitriolo Veneris & digesta destillantur, acquiritur sic spiritus vitrioli volatilis; qui tamen spiritus para-

parabilior est iuxta AVTOREM, si spiritus urinæ misceatur cum spiritu vitrioli: interim hunc processum AVTORIS non facilè verum esse puto, cum ille ex vrina vitriolo affusa per digestionem paratus altioris sit indaginis, ideò quod alcali volatile urinæ sub digestione cum vitriolo Veneris agit in huius sulphur vel vitrioli, quod rodendo ex parte dissolvit more alcalium, hinc urina mista cum vitriolo Veneris & destillata, sal volatile urinæ, dum in sulphur Veneris agit, & spiritus volatilis simul potenter sulphureus acquiritur, qualis ex miscela spiritus urinæ & spiritus vitrioli non habetur.

Tubuli illi uterini, pag. 311.) Hi singulis septimanis inditi mulieribus, proficui sunt in sterilitate & fluore albo mulierum, & diutina emansione mensium curandis: sic habui sub cura mulierem, post emansionem diutinam mensium capitis dolorem patientem, quæ tamen hunc tubulum cum spiritu salis ammoniaci omni septimanâ semel cum euphoria jam nunc sibi applicat cum bombace, & semper materiam copiosam viscidam evacuat cum leuamine capitis.

In aurium affectibus.) Sunt, qui in surditate, tinnitu, & obaudiditione spiritum Salis ammoniaci cum bombace auribus immitti suadent: sed quia maximè mordet, commodius est, si vitrello colli oblongioris indatur sal tartari, huic super affundatur sal ammoniacum in aqua solutum; sic enim ex ambobus in se agentibus eleuatur sal volatile in cauitatem auris: Vel etiam Spiritus salis ammoniaci vitro tali inclusus admoueri potest calori candelæ, ut sic eleuetur halitus & excipiatur auribus; qui etiam sic in phiola utero applicari potest.

Hypochondriacis.) Spiritus salis ammoniaci in morbis chronicis, febribus intermittentibus, & aliis egregius est.

Ebur.) Hoc cum eiusdem præparatis rejicit AVTOR, & quidem rectè: nam quæcunque ex his speramus, in cornu Cerui obtinemus omnia: & sanè ebur ustum, itemque sine igne, eiusdem est sanè cum cornu Cerui sic præparato naturæ & efficaciæ. In abortu tamen præcauendo ebur sine igne præstat.

Magisterium quoduis.) Magisterium Eboris, tam per præcipitationem, quàm per abstractionem, spiritu nitri paratum, æquè est segne, & non tantum præstat, quantum crudum.

Philosophicè calcinari cœptum, pag. 312.) Nonnulli speciatim hepaticis & uterinis affectibus dicare volunt: interim sine ratione & experientia; nam cancrina & ceruina remedia idem præstant.

Gelatinis intestina inuiscare.) Sanè contra AVTOREM gelatinæ non sunt contemnendæ: Gelatinam cornu Cerui supra laudaui, quæ loco gelatinæ eboris sufficit.

Hircino.) Alludit ad hoc, quod vulgò suffitus in passione hysterica leuanda instituatur, genitalibus, vel naribus suscipiendus, ex cornu hircino, ubi sanè vis illa consistit in sale volatili & oleo figente & corrigente per inspirationem acidum illud austerum, in passione hysterica peccans; quo tamen in puncto non est inter cornua differentia aliqua, sicut & pennæ & rasura succini eundem effectum hìc obtinent.

In Goa.) Subintelligit hìc AVTOR traditionem illam, qua putatur in urbe Lusitanorum Coloniæ in India Orientali cornua bouina radices agere; cum tamen effecta illa sit in maritos ut plurimum cornigeros.

Concharum) Concharum uniuersum exercitum selegit AVTOR. Imò ostrearum & cochlearum nostrarum testas quoque huc refert, cùm omnia hæc testacea ratione effectus coincidant in usu Medico: Interim tamen nobis si concederetur electio, seligeremus ostreas, quarum rasura aut puluis singularissimum est præcipitans diaphoreticum, eaque vel cruda usurpata, vel in calcem usta multum valent; quin imò eadem B. Dn. D LANGIO sub nomine *Præcipitantis magni* venerunt; & sanè pulvis hic & calx salina ostrearum in febribus intermittentibus corrigendo quodlibet acidum proficuus est, & sufficiunt loco matris perlarum, specificorumque febrifugorum Crollii & Strobelbergeri: & mirum est pulverem illum vino iniectum, acidum huius imbibendo, illud in saporem subsalsum mutare, diureticamque virtutem eidem conciliare.

Citra aceti accessum.) Præparantur vulgò conchæ ita: ut ablutæ in aqua simpl. infundantur in acetum, eliciens earum mucaginem gelatinosam: hinc istud, quod post mucilaginem ablatam supereſt vel pulverisant, vel superfluè calcinant: sed inanis est labor, quia simplex concharum pulverisatio melior est. Conferatur præter CROLLIUM MYNSICHTIUS.

Blattæ Bisantinæ, Entali, Dentali, pag. 313.) Omnes hæ species sunt ex concharum genere, neque aliquid illæ peculiare habent; imò & nostrates cochleæ eundem habent usum.

Perlato.) Dictum non differre concharum testas à perlis communi modo præparatis; sed si habemus rorem primogeneum lacteum perlarum, aut qui perlas possunt soluere in rorem lacteum, hi habent arcanum certissimum ad hecticos & phthisicos curandos; contrà, prout eædem vulgo prostant, vel præparatæ, vel calcinatæ, vel in magisterium redactæ, non habent prærogatiuam ullam præ conchis.

Lucii mandibulas.) Seligit Autor lucii ossa, eaque capitis propriè dicta: nam omnia eiusdem sunt cum maxillis naturæ: Seligit verò inter terrestria animalia cornu Cerui, inter aquatilia ossa lucii, quæ pulverisata commodè possunt in usum vocari: Sale quippe volatili, & ui diaphoretica acidi absorptiva, & antipleuritica speciali insignita, & satis laudata. Interim hisce lucii ossibus spinæ mustelæ ac lapidis percarum & carpionum quoque surrogantur.

Magisterio proprio sive præcipitato sive abstractitio nitroso, pag. 314.) Magisterium ossium capitis lucii piscis præferendus ossium illorum crudus puluis, utpotè ab acido non saturatus, adeoque acidi potenter absorptivus.

Suis leporisque talis.) Hi nihil singularis obtinent, quod non iam tum in cornu Cerui vel ossibus lucii piscis reperiatur.

Ceruis, equisque priapis.) Hi aliàs vi antipleuriticâ & antidysentericâ diaphoreticâ laudantur, dando horum rasuram à ʒß. ad ʒj. Interim cum in pleuritide nobis hactenus suffecerint maxillæ lucii piscis, & ejus sal volatile, illis hoc in casu opus non habemus, utut in dysenteria non contemnenda sint.

Pene leuiathan.) Per hoc intelligit priapum ceti, qui in fluore albo, pleuritide, & dysenteria aliàs egregius est: In pleuritide tamen præstat maxilla lucii piscis.

Sartoria costa.) Sartoria costa est os cetaceum, Germ. *das Fischbein*, quod coctum dat copiosam mucilaginem. Interim materia illa non prodit de costa ceti, sed est firmamentum maxillæ ceti, ubi radicantur dentes: Conferatur GOTOFREDI *Mergens*, *Gronlandici itineris descriptio*. Cæterum os hoc maxillæ ceti est rarissimi usus.

Verris aut apri, castoris dentibus.) Nonnulli utuntur pro scopo antipleuritico, & diaphoretico: interim his non cedunt maxillæ lucii piscis à ʒß ad ℈ij. quibus si combinetur maxillæ sal uolatile proprium, iuuabunt præsentaneè magis: cæteroquin castoris dentes specificè quoque pro alterandi scopo contra nimiam iracundiam perpessam laudantur.

Pavonum specula.) Nonnulli hæc in usum trahunt pro scopo diaphoretico, & curandis erysipelatibus & inflammationibus mamillarum: ast vano cum instituto; non secus ac ipsæ calamorum animæ.

Hircinus sanguis, pag. 315.) Sanguis hircinus prout vulgò prostat, est collectus per subsidentiam, & serum fuit abjectum, nobili suâ substantiâ defraudatus; hinc HELMONTIVS *Tr. Demens Idea*, item *Pleuritis Furens*, eum reijcit, & potiùs commendat sanguinem ex hirci pedibus posterioribus ad cornua retractis, abscissis testiculis, prolectum, quem exsiccatum & pulverisatum pro usu asservat ad pleuritidem, & sanguinis grumos ex casu abalto genitos discutiendos. Cæterum monet AVTOR *noster* benè, quod, cùm HELMONTII modo parcus sanguis acquiratur, is ex collo iugulati hirci colligendus sit, & unà cum sero excipiendus, hincque in Balneo Vaporis exsiccandus: quo facto, si splendeat instar vitri pulverisati, bonus est, cum splendor ille dependeat à sero chyloso sanguini combinato. Iam ergò ita paratus datur à ʒß. ad ʒj. pro validissimo diaphoretico in pleuritide & febribus cum inflammationibus internis coniunctis, ac præfert hunc ipsum AVTOR reliquorum animalium sanguini. Etenim prostat Compositio quædam, à CROLLIO *antidotus de sanguinibus* vocata, ex sanguine ciconiæ, anatum, anseris rubetis vescenti &c. Interim hæc est nauseosa & horrida, potiùs huic sanguis hirci præferendus, nec non viperina & colubrina.

Columbinus.) Sunt qui dicunt, nihil melius esse pro sugillatione oculorum curanda, quàm sanguinem istum sub alis columbinis extractum: Verùm parum ille iuuat, quin potius loco illius sufficere nobis poterit unguentum Mynsichtii ad liuorem ex tragacantha, radice sigilli Salomonis, & camphora constans; quod externarum quoque partium leuioribus contusionibus medetur.

Asininus.) Alludit hìc AVTOR ad illud, quod communiter pro cura maniæ & furoris, philtri & epilepsiæ, sanguis asininus mense Martio ex incisa arteria asini propè aures collectus, & linteo exceptus, commendetur, de quo videatur HARTMANNVS *Cap. de Mania*: Laciniam quandam scilicet duos digitos longam sanguine imprægnat, haustui cereuisiæ infundendo, & expectando sudorem desuper. Interim exclamat idem, vix drachmam j. illius aliquid præstitisse, utut in mania ex philtro aliquando desiderio satisfecerit.

Leporinus, pag. 316.) Sanguis ex lepore, præsertim à vertagis agitato, & sub pavoris momento versante (Germ. *eines gehetzten Hasen*) linteo exceptus, singulare quid iuxta HELMONTIVM in pleuritide & dysenteria præstare dicitur: pro quo tamen scopo sanguis hircinus debitis adhibitis cautelis, seu sub pauore mortis exceptus, parem relinquit effectum, utut HELMONTIVS leporinum in specie sanguinem pro scopo diaphoretico (quem tamen & alia præstant) laudet. Aliàs observavi ego ipse sæpiùs, linteum tali sanguine infectum conuenisse in erysipelate, applicatum parti illi obsessæ.

In dysenteria nil solidè.) Non contulisse sanguinem leporinum in dysenteria, autumat AVTOR; ubi tamen reponimus, eum ceu spe-

specificum opiatis jungendum, quò sic valentioribus viribus illi morbo resistatur.

Ex paucis his selectis diaphoreticis regni animalis mille formulæ concinnari possunt: e. g. esto *sudoriferus pulvis* talis:

℞. *Cornu cervi sine igne* ℈j. ad ʒß.

Detur in vehiculo calido, stomacho vacuo, & exspectetur sudor.

Vel

℞. *Rob sambuci* aut *juniper.* ʒj. ad ʒß.
Cornu cervi sine igne ℈j. ad ʒß.
M. S.
Electuarium sudoriferum pro una vice.

Vel in forma liquida sic:

℞. *Aquæ flor. sambuc.* ℥j.
Cornu cervi sine igne ʒß.
Sal. volat. cornu Cervi gr. v.
Syrup. flor. tunic. ʒij.
M. pro *potione sudorifera* unius doseos.

Sic esto præscribendus *pulvis sistens & sudoriferus in dysenteria benigna*:

℞. *Cornu cervi ust.* ʒß. ad ℈ij.
Laud. hyster. gr. v.
M. pro una dosi, & detur in vehiculo calido.

Porrò si præscribendus est spiritus & sal volatile pro scopo diaphoretico, tunc

℞. *Spiritus cornu Cervi rectif. & sale volat. acuati* ad ʒij.
Detur pro 2. dosibus, capiendis in conveniente vehiculo.

Vel

℞. *Aquæ fumar.* ℥j.
Spiritus cornu Cervi sale volat. acuat. ʒj.
Syrup. card. bened. ʒij.
M. pro potione unius doseos.

Ulterius, quibus composita etiam diaphoretica placent, v. g. in diarrhœa maligna hodie familiari:

℞. *Cornu cervi sine igne* ʒß.
Terræ sigill. ℈j.
Salis volat. cornu Cervi gr. vj.
M. *pro duabus dosibus* in vehiculo calido.

Vel

℞. *Cornu cervi sine igne* gr. xij.
Terræ sigill. ℈ß.
Extr. theriac. gr. iij.
M. pro una dosi.

Capiatur in vehiculo calido ad sistendum fluxum illum.

Vel in forma magis liquida, v. g. in febribus malignis:

℞. *Aquæ fumar.* ℥ij. vel ℥iij.
Cornu cervi sine igne ℈ij.
Bezoard. min. ℈j. ad ʒß.
Extract. theriac. gr. vj.
Syrup. cortic. aurant. ʒiij.
M. pro 3. dosibus: S.
Potio sudorifera.

Vel

℞. *Aquæ flor. sambuc.* ℥j. vel ℥iij.
Cornu cervi sine igne ʒß.
Cinnab. antimonii gr. xv.
Salis volat. cornu Cervi gr. ix. vel ℈ß.
(Salia enim volatilia cinnabarina illa exaltant.)
Syrup. fœnic. ʒiij.
M. pro 3. dosibus.

Vel in casu scabiei retropulsæ, pro scopo sudorifero:

℞. *Conserv. fumar.* ʒj.
Pulv. viperin. ʒß. ad ℈ii.
Cum s. q. *Syrup. rosar. simpl.* fiat *Bolus*. S.
Bolus sanguinem purificans.

Vel

℞. *Aquæ flor. sambuc.* ℥j.
Pulv. viperin. à ʒß. ad ℈ij.
Sal. volat. viperin. gr. vj.
Syrup. de fumar. ʒij.
M. pro una dosi.

Porrò pro scopo alterativo & diaphoretico in malo hypochondriaco:

℞. *Spirit. sal. ammoniaci* ʒß.
Dentur pro dosi guttæ 30. in vehiculo non acido.

Sic in casu passionis hystericæ:

℞. *Aquæ menth.*
Flor. sambuc. an. ℥iß.
Spiritus salis ammoniac. ʒiß.
Essent. opii cum alcal. parat. ʒß.
Syrup. cort. aurant ʒiij.
Misce: Detur cochleatim.

Vel in febribus intermittentibus bihorio ante Paroxysmum:

℞. *Aquæ fumar.* ℥j.
Spiritus salis ammoniaci ʒß. ad ʒj.
Laudan. opiat. gr. j. vel ij.
Syrup. card. bened. ʒij.
M. pro una dosi.

Vel in casu paroxysmi asthmatici convulsivi:

℞. *Aquæ hyssop.* ℥ii.
Asthmat. ℥ß
Spiritus sal. ammoniaci ʒß. ad ʒj.
Syrup. Nicot. vel loco hujus *de hyssopo* ʒiij. M.
Capiatur cochleatim.

Sic quibus placet spiritus conjungere, illi possunt formare talem:

℞. *Aquæ flor. sambuc.* ℥iij
Spiritus sal ammoniaci ʒj.
Cornu Cervi probè rectif. ʒß.
Essent. opii gtt. xij.
Syrup. de artemis. ʒiij.
M. D. cochleatim in affectibus mulierum.

Ad hanc misturam pertinet liquor cornu Cervi succinatus, & spiritus salis ammoniaci anisatus.

Porrò sit ordinandus *pulvis præcipitans acidum primarum viarum.*

℞. *Pulv. testar. ostrear.* vel *conchar.* vel *cochlear.* ʒj. (quæ omnia in effectu coincidunt.)
Ossium lucii piscis pulveris. ʒß.
Olei destillat. caryophyll. gtt. vj.
M. pro 3. dosibus.

Sic si ordinandum est sudoriferum liquidum in casu pleuritidis:

℞. *Aquæ flor. sambuc.* vel *papau. rhœad.* ℥iij.
(Nam aquæ sunt aquæ)
Ossium lucii pisc. pulveris. ʒj.
Salis volat. oss. lucii pisc. gr. xii. ad xv.
Laud. opiat. gr. iß.
Syrup. cujusdam v. g. *flor. papau. rhœad.* ʒiij vel q. s. pro grato sapore.
M. pro 3. dosibus, expectando sudorem.

Vel in forma sicca pro eodem scopo:

℞. *Maxillar. luc. pisc. pulveris.* ℈ij.
Sangu. hirc. recenter collecti & pulv. ʒß.
Laud. opiat. gr. ij.
M. pro duabus dosibus expectando sudorem.

Porrò *pulvis ad casum* esto hic:

℞. *Lapill. cancr. præpar.*
Sangu. hircin. an. ʒß.
M. pro duabus dosibus, in aceto sumendis expectando sudorem.

Aut esto in forma liquida *Mistura dissolvens sanguinis grumos* hæc:

℞. *Aquæ papav. rhœad.* ℥ii.
Acet. vin. ʒvj.
Lapill. cancr. præp.
Oss. luc. pisc. an. ʒß.
Syrup. rosar. simpl. ʒij.
M. pro duabus dosibus.

TITULUS IX.

DE DIAPHORETICIS ET ALEXIPHARMACIS MINERALIBUS.

Silesiacam Strigoniensem, pag. 317.) Scilicet cùm multiplices sint boli, terræ & margæ, sub metallorum generatione quasi per accidens natæ, hinc seligit AUTOR inter terras Silesiacam Strigensem, quam hoc in puncto præfert Lignicensi. Ast sunt dicta concreta sulphure metallico plus minus perfecto impregnata, & quæ sunt ex nigro rubicunda, jam de Sole, jam verò de Marte participant: Et quidem bolus est Martialis, rubrica verò fabrilis est quædam terra Martialis ac lapis hæmatites immaturus: Sic terra Strigensis sulphureâ pinguedine auri ebria eruitur ex auri fodinis, notante BECHERO *Phys. subterran.* pag. 198. ubi dicit: TABERNÆMONTANUM *observasse in terram ejusmodi redigi posse ipsum solem, & se ipsum scire talem processum.* Ex quibus colligitur, terras illas habere suas vires à sulphuribus metallorum concentratis; nam in terrifodinis reperibiles terræ participant de natura Martiali, & sic porrò. Cæterum terra hæc Strigoniensis usurpanda est saltem simpliciter pulverisata, modò sit pura (nam ejus lotio est frustranea, imò spiritus acidi in illa latitantis depradatoria) ita absorbet quælibet acidæ inimica, & acquirendo hinc texturam quasi aluminis vim stypticam relinquit, privativèque sudores movet: imò ratione immaturæ pinguedinis solaris temperat quoque ea, quævis acria in corpore stabulantia, & in primis viis effervescentiam excitantia. Datur à ℈j. ad ʒß.

Rubram.) Quæcunque terra rubra aut participat de martiali aut de solari natura; quorum amborum metallorum sulphur, puta Solis & Martis, in radice coincidunt.

Cur aliàs.) Præsente terrâ Strigoniensi non opus habemus Turcicâ seu Lemniâ, plerumque apud nos edulteratâ; nec bolo Armenâ in media Germania sæpè natâ; nec Melitensi seu terrâ è Maltha candida illa instar cretæ, & pro alexipharmaco laudata; nec

nec linguis serpentum: nec Samiâ, aliàs coloris cineritii.

Margæ, pag. 318.) Ad Margas & pertinet unicornu fossile; non praestant terrâ Strigensi.

Galactites.) Lapis Galactites cum aqua tritus, hanc colore lacteo inficit, non secus ac quoque lac Lunæ, quod laudatur aliàs pro augmentando lacte. Interim rectè dicit AVTOR, *eandem virtutem & in crystallo reperiri.*

Catechu.) Scil. non diu est, cùm foro Medico innotuit Catechu terræ Iapponicæ nomine, colorem ex obscuro rubescentem, & saporem ex dulci adstrictorium præ se ferens; quod artificiale concretum putatum fuit, compositum ex terra quadam atramentosa seu vitriolacea, unà cum liquiritia, & similibus. Natiuum autem quid esse, & quidem succum inspissatum fructus Arecæ, puluere corticis latè impastatum, adeoque Compositum minus artificiale, probant M. A. N. C. *Ann. 8. Obseru. 44. pag. 88.* & *Ann. 9. & 10. Obseru. 194.* Cæterum usurpatur internè tam pro scopo adstrictorio, quàm leuiter masticatorio: Imò WEDELIVS ex Cathecu parat essentiam stypticam in diabete, in mictu cruento, & hæmorrhagiis aluinis usitatam: de qua vid. M. A. N. C. *anno 2. Obs. 130.* quo in loco effectus huius tincturæ contra hæmoptysin deprædicatur.

Magisterium terræ sigillatæ.) Magisterium terræ sigillatæ per solutionem in menstruo acido, ut aceto, & præcipitationem factum, est deses, & nullius usus & efficaciæ; namque sulphur metallicum fuit habetatum, adulteratum, & terra absorbens saturata.

Ille spiritus.) Terra sigillata quæcunque destillata per retortam dat Spiritum acidulum, sed parcum; quem commendant multi in febribus malignis, nec inconcinnè: sed in tam parva quantitate & subtili acore non habet prærogatiuam præ Spiribus acidis ex subjectis sulphureis mineralibus. Interim loco illius etiam sufficere potest spiritus sulphuris per campanam, aut ex similibus subiectis sulphureis mineralibus paratus, verbi gratiâ clyssus antimonii, ex sulphure, nitro & antimonio prodiens.

Tinctura terræ sigillatæ.) Terra sigillata si per acida tractetur, texturam aluminis acquirit, quod patet ex illius tinctura & liquore: nempè tinctura eius fit, quando soluitur in spiritu salis, dein abstrahitur hic, & postmodum extractio illa celebratur cum spiritu vini; sic habetur tinctura adstringens. Non secus liquor terræ sigillatæ componitur cum spiritu vitrioli vel nitri, quibus à terra sigillata largiter imbibitis in loco humido, ut liquescat, seponitur, hinc liquor pro usu Medico asseruatur: quibusdam dicitur de sulphure aurato participare, unde & auri potabilis nomine venire solet. Liquor est stypticus, & maximè adstringens, quia texturam aluminis in se habet: Sed qui tincturam veram Martis adstringentem habent, aut miscent modò ex tempore terram sigillatam cum variis misturis acidulis, tunc ambobus illis, nempè liquore & tincturâ, non habebit opus. Datur terra à ℈j. ad ʒß. in haustu vini, vel liquore simili acidulo.

Vnicornu fossile.) Scilicet reperitur hinc inde in mineris concretum quasi osseum, quod nunc figuram cornu, nunc dentis, nunc ossium animalium, nunc manuum integrarum præ se fert, omnia tamen sub nomine unicornu fossilis venientia. Confer. KIRCHERVS *in Mundo subterran.* ubi habet historiam speluncæ Siculæ, in qua itidem ossa figuræ variæ sunt reperibilia. Cæterum hoc unicornu fossile nihil aliud est, quàm concretum paulo sulphureum seu marga, & à quodam succo salino in consistentiam osseam mutatum; adeoque primò margæ, hinc ossea sub consistentia, item ossea interstitia, conspiciuntur, ac in substantia quidem insipidum illud est. Interim cum aliis debitis combinatum, in febribus malignis diaphoresi opus habentibus, speciatim in variolis & morbillis cum ceruinis sociatum, egregium est: Vid. *modus præscribendi supra sub pag. 191.* ubi facta est pulueris cuiusdam sudoriferi mentio, quem puluerem si habemus, carere possumus alij sudoriferis.

Quoad residuas partes, p. 320.) Possidentes unicornu fossile carere possumus ochra, quæ est naturæ Martialis; item creta, naturæ saturninæ (quippe cum aceto combinata dulcescit ad modum Saturni) existente, utut aliàs ad ardorem stomachi hæc commendetur: sed terra sigillata seu unicornu fossile potest substitui.

Rubricam.) Rubrica fabrilis loco croci Martis adstringentis à quibusdam adhibetur, nec incongruè: item loco terræ vitrioli dulcis; quippe vi stypticâ marti omne illud in ulceribus & vulneribus præstat, quod illa remedia aliàs præstare solent.

E talco rubro.) Talcum rubrum est fluor Mercurialis metallicus, rubedinem à sulphure Solis, iuxta vulgarem, participans, cùm & genuinum aurum inde elici posse quidam dicant, nec incongruè; quippe infusa aqua regia eidem rubedinem omnem extrahit, & si hæc solutio præcipitetur, cadit puluis naturæ solaris, utut mediocriter diaphoreticus, à nonullis pro croco solis commendatus.

Ophiten, pag. 321.) Ophites, Germ. *der Serpentinstein*, reperitur interdum quasi squamosus, quem AVTOR imbricatum nominat, & datur à quibusdam internè, sed rarò, pro absorbendo acido colico. Interim potius externè locum is inueniet, sub nomine Germ. *der Warmestein.*

Gemmæ.) In his considerandum, suprà monui, esse corpus, quod est crystallus, & tinctura, quæ dependet ex fluore seu sulphure metallico. Cæterùm in substantia eædem propinatæ æquè stomacho ac porphyrio reniti solent, adeoque in forma, qua assumuntur, iterum egrediuntur: Vnde si volumus per has destruere acida, sufficit instar omnium illarum crystallus præparata, quæ sufficiat pro acido præternaturali inuertendo. Quoad tincturam autem gemmarum, cum è silice in vitrum combusto, vel vitro huic, addendo saltem certa metalla, gemmæ artificiales parentur, hinc tinctura illa maximè ex ipsis metallis, non verò ex gemmis istis, quæ parum eius continent, petenda foret.

Speciebus de Gemmis, pag. 322.) Cùm his nonnunquam tantillum gemmarum ingrediatur, hinc effectus reliquis potiùs ingredientibus, quàm quidem illis, adscribendus erit.

Calcinationes.) Calcinationes Gemmarum cum sulphure vel nitro sunt calces saturatę, unde præter incrustationem stomachi iuuabunt nihil.

Sapphirus.) In tumoribus, speciatim carbunculis & anthracibus pestilentialibus, singularis est sapphiri vis, quippè circumducto iisdem hoc circulo eneruatur virus carbunculi, ut hic ultra vagari nequeat, sed breui post excidat, & omnes alios similiter excidere faciat: conferatur HARTMANNVS *de peste* & MARCVS MARCI *Phil. Veterum Restituta de magnetismo sapphiri.* Denique notandum, quod quò sæpius sapphirus usurpetur, eò magis is fortificetur in vi magnetica.

Succinum.) HELMONTIVS, *Tr. Tumulus Pestis*, annotat: succinum quotidie septem pulsibus planetariis affrictum præseruare à contagio pestifero; unde hoc loco sapphiri in usum trahatur.

Rubinus, pag. 323.) Est gemma coloris coccinei, de sulphure auri participans, & ita durus, ut eodem etiam admantes poliri queant; Vnde hic unà cum auro intactus hactenus mansit, nisi quod eiusdem tincturam factâ calcinatione priùs cum spiritu æruginis, quanquam vanè, nonnulli extrahere anisi sint.

Smaragdus.) Smaragdus est gemma martialis naturæ, propterea que, sed malè, à quibusdam in dysenterijs commendatus. Insuper alij tincturam ex eo parare voluerunt, tundendo eundem in mortario æneo vel Martiali, & hinc puluerem cum spiritu urinæ extrahendo: ast cùm hæc tinctura supposititia sit, loco illius corallia vel Martialia surroganda erunt.

Antimonium diaphoreticum.) Quoad Antimonii diaphoretici, ut & bezoardici mineralis, quæ AVTOR pro scopo diaphoretico seligit, præparationis fundamentum, quædam monenda sunt: scilicet antimonium diaphoreticū & Bezoardicū minerale sunt in radice unum idemque saltem remedium, tantummodò in hoc distincta, quod duplici viâ præparentur eadem; nempè vel in forma sicca, ubi emergit antimonium diaphoreticum; contra ex humida Bezoardicum minerale, tam simplex, quàm compositum. Cæterum sunt ambo nil aliud, quàm regulus antimonij, seu substantia antimonii Mercurialis, ab acido nitri soluta, huiusque acidi adhæsione fixata, adeoque ex regulo antimonii Mercuriali, quasi subiecto alcalino, & acido nitri, emergit concretum salsum tertium fixum, indeque diaphoreticum, in recessu simul sulphureum; quippe dum acidum nitri rodit regulum antimonii, absorbet simul huic sociatum sulphur, idque figit, sicque emergit hinc illa antimonii diaphoretici & Bezoardici mineralis vis, quâ eadem inseruiunt

1. Temperando omni acri præternaturali in corpore, alcalino pariter ac acido.
2. Sudori expellendo.

Dicis: sed crocus metallorum catharticus etiam paratur cum nitro! Ast respondeo: sumi ibidem partem j. nitri; contrà pro antimonio diaphoretico conficiendo partes iij. istius: adeoque ratio effectus distincti amborum hæc est; nempè, quando pro Croco conficiendo pars una nitri sub detonatione à sulphure Antimonii incenditur, deflagrat sic illud & alcalisatur, hinc alcali illud nonnihil aperit antimonium, & vires eius catharticas antea latentes in apricum deducit; aliàs nihil abit: contrà, dum antimonium crudum tractatur cum triplo nitri, non potest tota nitri copia incendi, & deflagrari, sed integrum ex parte manens mediante acido sui spiritu rodit absorbetque sulphur, & ita coit in concretum tertium, nempè salsum fixum, in igne constans, temperatum & diaphoreticum. Atque hæc actio nitri manifesta est in præparatione Bezoardici mineralis cum Spiritu nitri facta, occulta verò in antimonii diaphoretici confectione, quod cum nitro integro tractatur: quæ si attenduntur, plures processus hìc occurrentes optimè intelligi poterunt. Iam verò porrò Bezoardicum minerale ritè præparatum ad annos multos est immutabile: contrà antimonium diaphoreticum mutationi obnoxium obseruatur, dum post aliquot menses vel annos evadit denuò emetico-catharticum: cuius rei ratio hæc, quod in antimonii diaphoretici confectione triplum nitri societur integro antimonio, hinc fit, ut nitri acidum agat in regulum, alcali verò nitri in sulphur antimonij, sicque hæc omnia alterantur: ast postmodum successiuè facillimè sulphur antimonii denuò coit cum suo regulo, quia naturalem inter se habent cognationem; quęcumque enim corpora magis amant suam compositionem & texturam naturalem, quàm artificialem: unde quasi extruditur nitrum, & quasi efflorescendo separatur, sicque associante se sulphure antimonij eiusdem regulo, emergit antimonium quasi renouatum, sicq; illud

priùs diaphoreticum tranſit poſtmodum in emetico-catharticum. Interim pro hoc incommodo euitando, & ut magis durabile acquiratur antimonium diaphoreticum, notandæ erunt 3. ſequentes encheireſes: quarum

1. Eſt, ut nempè antimonium diaphoreticum durabile paretur ex regulo, tanquam puriore antimonii & mercuriali parte, à qua ſuperfluum ſulphur ſeparatum fuit; hac enim ratione illud conſtantius emergit.
2. Fundatur regulus antimonii cum triplo nitri exactè invicem miſtis, hincque diutiùs in fuſione ad horam quippe integram relinquendis.
3. Antimonium diaphoreticum ita præparatum, & cum aqua ſimplici probè edulcoratum & exſiccatum, miſceatur & ſubigatur cum ſpiritu vini, ut hic accenſus deflagret; deflagratio enim hæc contra AUTOREM maximè neceſſaria eſt, cùm ſic, ſi quid ſubſtantiæ adhuc ſulphureæ antimonii in antimonio diaphoretico reſtet, illud ſeparetur, & hoc durabile magis reddatur.

Clyſſi florumque, pag. 324.) Dum antimonium cum triplo nitri detonatur, magna pars ſpiritus nitri avolat cum antimonij parte, quod, ne, fiat, inſtituatur detonatio in retorta tubulata; ſic enim acquiritur clyſſus, qui eſt ſpiritus acidus nitri, & ſimul in collum retortæ ſublimantur flores Antimonii aliàs auolantes.

Ni particulam.) Nitrum ex antimonio diaphoretico cum aqua ſimplici vel penitus eluitur, vel tantum aliqua ex parte: illic intenditur ſaltem ſcopus diaphoreticus antimonii: contrà relinquitur aliquid nitri, ſi ſcopus ſit cum ſudore aluum ſimul laxare, vel & miſcere illud antimonium purgantibus aliis Vegetabilibus; quippe hac ratione idem iucundiùs operari ſolet.

Denuò candefactum.) Antimonium diaphoreticum denuò catharticum factum facilè corrigitur, ſi illud in crucibulo de nouo candefiat, aut quoque cum ana nitri de nouo fundatur; hac enim ratione obtinebitur puluis diaphoreticus inſons.

Flores.) Quando non ritè miſcetur antimonium cum nitro, tunc in lateribus crucibuli hinc inde flores comparere ſolent, qui ſi cum antimonio diaphoretico ſimul elutrientur, ſunt iidem origo nauſeæ & vomitus ſupervenientis: vel & caſu particularum antimonii cum nitro non ritè miſtarum interdum cadit regulus paruus ſub detonatione, qui poſtmodum ſeparandus eſt; ſi enim cum antimonio diaphoretico is unà pulueriſetur, euadit hoc ſimul vomitorium. Interim nunquam antimonium diaphoreticum migrabit in vomitorium, ſi illud vel per horam vel diutiùs in igne relinquatur, & hic modus præ aliis ſufficit.

Tartariſatum, pag. 325.) Antimonium diaphoreticum tartariſatum proſtat in SCHROEDERO, *l.* 3. *pag.* 428. ſub ipſa præparatione poteſt acquiri tartarus *vitriolatus Martialis*; recipitur enim

Antimonii pars j.
Tartari,
Nitri ana part. iij.

Cum corallis Perliſque calcinatum.) Quidam cum coralliis & perlis calcinant: malè tamen perlæ deſtruuntur.

Ceruſſa Antimonii è Regulo.) Antimonium diaphoreticum ex regulo paratum vocatur etiam *Ceruſſa Antimonii* ſecundùm SCHROEDERUM.

Floribus Antimonii fixis.) Antimonium hoc diaphoreticum, aliàs Magiſterii antimonii diaphoretici nomine veniens, (de quo vid. SCHROEDERUS) magni æſtimat TACHENIUS *in Hipp. Chymico.* Interim perplacet mihi cenſura HOFFMANNI *in Claue pag.* 307. quo loco hoc Magiſterium, ceu calcem inertem, meritò reijcit; quia enim ſic ſaturatur antimonium diaphoreticum ab acido & alcali, reuerà inde calx irreſolubilis emergit.

Floribus vulgaribus.) Nulla eſt differentia, ſiue è floribus, ſiue è vitro antimonii, ſiue ex croco metallorum, ſiue ex antimonio crudo, paretur antimonium diaphoreticum, utut, quod ex regulo procedit, optimum ſit.

Niue diaphoretica, pag. 326.) De Niue diaphoretica vid. SCHROEDERUS *pag.* 442. ſicuti ibidem ſulphur antimonii proponit, ita etiam ex floribus, regulo, &c. poteſt procedi; emergit enim ſaltem antimonium diaphoreticum.

Præcipitato.) Vid. SCHRODERUS *pag.* 430. & 431. eſt nihil aliud, quàm Bezoardicum minerale, cum aqua regia vel ſpiritu nitri paratum.

Cum cornu Cerui calcinato.) Inuentio hæc eſt primaria Poppii (in quem commentatus fuit AGRICOLA) vocauit *calcinationem cum cineribus fructus caluariæ*, h. e. cornu Cerui uſto calcinationem Antimonii diaphoretici inſtituentis; nempè antimonium cum ana vel duplo cornu Cerui uſti in crucibulo calcinatur. Interim hoc antimonium diaphoreticum cum cornu Cerui calcinatum non adeò eſt tutum, utut multum tribuat huic BARTHOLETUS *Tr. de Dyſpnœa*, cum illud antimonium diaphoreticum cum nitro factum, ſit tutius.

Bezoardicum ſimplex.) Bezoardicum Minerale eſt antimonium diaphoreticum in via humida paratum: Modum habet SCHROEDERUS, quando ſcilicet butyrum antimonii miſcetur cum ana ſpiritus nitri, ita præcipitatur puluis flaueſcens: hinc abſtrahitur omnis liquor, deinde nouus affunditur ſpiritus nitri, demumque abſtrahitur, & hoc tertiâ vice repetitur; puluis reſiduus edulcoratur cum aqua calida, & in crucibulo plano imponitur carbonibus candentibus, & ignitur, ut ſic ſpiritus nitri penitus avolet, atque hac ratione ſpiritus nitri figit regulum antimonii in Bezoardicum minerale.

Spiritum vitrioli Philoſophicum.) Notum eſt aliàs, quod ex butyro antimonii poſt præcipitationem mercurii vitæ acquiratur ſpiritus acidus, ſpiritus vitrioli Philoſophorum dictus: Jam ergo, ſi ex butyro antimonii cum ſpiritu nitri paratur Bezoardicum minerale, abſtractione elicitur quaſi duplicatus ſpiritus, qui ſingulare Boylei menſtruum eſt pro ſoluendo ſole.

A mercurio vitæ communi.) Butyro antimonii infunditur aqua ſimplex, ſic præcipitatur puluis candidus vel mercurius *vitæ*, qui cum ſextuplo boni ſpiritus nitri (ſi enim hic non bonus ſit, vomitus ſequitur) ſoluitur, hinc per arenam abſtrahitur, & remanet Bezoardicum minerale, quippe qui puluis reſiſtans eſt; & tunc non amplius igniendum & edulcorandum eſſe AUTORIS *noſtri* eſt ſententia: Interim ſi ſpiritus affuſus fortiter abſtractus ab eo ſit, poteſt AUTORIS ſententia concedi; ſin autem puluis remanens adhuc acidus & corroſivus fuerit, is denuò edulcorandus & igniendus erit.

Cum croco metallorum, pag. 327.) Par hic ratio eſt, ac quæ cum mercurio vitæ: quippe crocus metallorum cum triplo nitri detonatus dat antimonium diaphoreticum; cum ſextuplo autem ſpiritus nitri euadit Bezoardicum minerale.

Sulphur antimonii auratum.) Quælibet etiam ſulphura antimonialia, ſpeciatim ſulphur antimonii auratum cū ſpiritu nitri figi poſſunt in *Bezoardicum minerale*, addendo ſcilicet Spiritus illius nitri ſextuplum, eumque hinc abſtrahendo, ſed eſt idem remedium: Non ſecus ac ex iiſdem ſulphuribus antimonii, præprimiſque aurato, cum triplo nitri in crucibulo parari poteſt antimonium diaphoreticum: interim cùm ſic diſpendium fiat ſpiritus nitri; hinc in retorta tubulata detonatio inſtituatur.

Bezoartici tamen, pag. 328.) Quemdamodum antimonii diaphoretici doſis eſt ℈j. ad ʒß. ita Bezoardici mineralis gr. xij. ad xv. Cæterùm his Bezoardicis fixis in morbis malignioribus non unicè ſemper fidendum eſt; ſed his volatilia ex animali Regno, v. g. ceruina, &c. priùs præmittenda ad depellendam malignitatem, & hinc ad fixa hæc Bezoardica tutò accedendum eſt.

Vermiculos in ſanguine.) Febrium malignarum cauſam ſuppoſuerunt olim KIRCHERUS *de Peſte*, & HAUPTMANNUS *Tr. de Viua Mortis Imagine*; quam tamen ſententiam caſtigauit MARCUS MARCI. Vtut enim vermiculi tales in eiuſmodi febricitantium ſanguine non negandi ſint, tamen eſt controuerſia ſolùm: an illi ſint cauſa? an verò productum febrium malignarum ſuperueniens miaſmati maligno? quorum poſterius ipſe quoque affirmo, non autem formalem rationem febrium malignarum in vermiculis eiuſmodi quæro aut concedo.

Solaris operationem cum ſimplici Bezoardico.) Bezoardicum minerale ſimplex vocatur ita ad differentiam compoſitorum, v. g. cum Sole, vel Luna, vel Ioue factorum: & quidem Solare fit, ſi Sol ſoluitur in aqua regia, & hinc ſolutio miſcetur cum butyro antimonij, deinde porrò proceditur more conſueto cum ſpiritu nitri; ſic emergit Bezoardicum minerale compoſitum purpurei coloris. Interim quia aurum huic corporaliter ſaltem eſt immixtum, quippe facilè illud quoque cum borrace, vel alcalibus educi poteſt; hinc Bezoardicum illud Solare prærogativam ſpecialem præ ſimplici non habet.

Antimonium diaphoreticum Solare.) Conferatur SCHROEDERUS, ſub nomine ceruſſæ antimonii Solaris Bezoardicum Solare deſcribens, quod nihil habet energiæ ab Auro, cum corporale aurum inſit.

Lunare.) Quemadmodum nuſpiam tuta fides; ita nec in Bezoardico Lunari, quippe quod ſæpius nauſeas & vomitus mouet ideò, quia ut plurimùm ſibi ſociatam habet Venerem: Vnde niſi Bezoardicum illud lunare ex Luna puriſſima paretur, vix tutum erit, nec & ulli AVTOR ero, ut hoc utatur; quin potius Magiſterium Lunæ cum præcipitatione ſpiritus urinæ factum; vel utriuſque loco cinnabaris tàm natiua, quàm præſertim antimonialis: quarum illam loco Solis aut Lunæ ſuadet antimonio diaphoretico vel bezoardico minerali ſimplici adijciendam AVTOR, & rectè; ita namque in malignis, ut & in conuulſiuis morbis, inſigne anodynum & ſudotiferum remedium obtinebitur.

Electris.) Electra vocantur compoſitiones metalicæ: Vnde quando miſcetur antimonium cum Sole aut Luna, prodit Electrum maius; ſicut minus, quando miſcetur antimonium cum Ioue & Marte. Cæterùm loco harum compoſitionum eligit AVTOR *noſter* Bezoardicum ſimplex, additâ cinnabari natiuâ.

Iouiale.) Iouiale Bezoardicum fit, quando componitur regulus ex antimonio & Ioue, hincque tractatur ille cum Spiritu nitri, & fit *Bezoardicum Iouiale*: vid. SCHROEDERUS *in Pharm. pag.* 414. Plura ſuo loco.

Venereum, pag. 330.) Bezoardicum Venereum, quod SCRHOEDERUS habet, eſt minùs tutum, ſed vomitorium & periculoſum.

Mer-

Mercuriale) Bezoardici Mercurialis præparationem SCHROEDERVS *l. a. pag.* 414. habet: ubi tamen vana est illa persuasio, qua putant, Mercurium vitæ esse prolem Mercurii sublimati, quod falsum: potius is est ex regulo antimonii à spiritu acido Mercurii sublimati corrosus, nec differt à Bezoardico minerali simplici. Ex Bezoardicis sufficit simplex & Joviale.

E ferro.) Subnectit AVTOR *noster* remedium ex ferro & antimonio cum triplo nitri, scilicet Martem & antimonium cum triplo nitri in *antimonium diaphoreticum Martiale* figendo; processus hic est; primò in patella aperta seu crucibulo exponitur limatura Martis pura carbonibus, ut ea candescat exactè: huic successivè aspergitur antimonii minutim pulverisati ana, agitando semper materiam bacillo ferreo, ut ambo in scorias compositas ex antimonio & Marte abeant; aliàs enim si non agitetur cum baculo ferreo, sulphur antimonii rodit Martem, & ita ex antimonio regulus separatur: factis ita scoriis & pulverisatis, eædem cum triplo nitri calcinantur & figuntur ad modum antimonii diaphoretici; sic emergit pulvis obscurus, edulcorandus aquâ; & ex hac aqua prodit denuò nitrum antimoniatum Martiale, remedium itidem non inelegans.

Sulphur antimonii, pag. 331.) Aliquod alterativo-diaphoreticum, & ex hoc prodeuntem tincturam antimonialem diaphoreticam, eligit AVTOR; cujus tamen, ratione menstrui, duplex differentia occurrit: dum vel per menstruum alcalino-volatile, vel per menstruum acidum elicitur.

A regulino consortio.) Quando sulphur antimonii eliciendum est, fiat hoc per menstrua alcalia, quippe quæ sola sulphuri antimonii eliciendo sufficiunt, sicuti sola acida in ejusdem antimonii Mercurialem substantiam agere solent. Difficillimè autem habetur substantia sulphurea pura, quia semper sulphuri aliquid reguli adhæret; imò totum antimonium unà cum regulo in sulphuream rubramq; faciem converti potest: & utut sulphureæ & Mercuriales particulæ in antimonio naturali mistura non adeò sint firmiter unitæ, nihilominus tamen eædem per artem difficulter à se invicem separari possunt; quin potius sulphuribus antimonii semper simul Mercurialis ejus substantia adhæret, sicut contrà cum Mercuriali parte sulphureę nonnihil quoq; separamus.

Ultimum.) Sulphura antimonii elicienda esse dixi per alcalia, ideoque vulgatissimè per præcipitationem ex scoriis reguli antimonii paratur sulphur illud antimonii. Cæterùm regulus antimonii fit, quando ana nitri, antimonii, & tartari funduntur in crucibulo & detonantur; ita sub hac detonatione, dum deflagrat sulphur illud antimonii, tartarus & nitrum mutantur in alcalia fixa, hæcque sub fusionis igne extrahunt sulphur antimonii; sicque pars ejus Mercurialis & reguli à sulphure separati fundum petit, & seorsim potest colligi: supra regulum autem reperiuntur salia ista alcalia unà cum sulphure; hæcque omnia tunc vocantur *scoriæ reguli antimonii.* Jam verò porro scoriæ hæ solutæ in aqua simplici dant liquorem lixivialem seu lixivium, quod ipsum per acida, v.g. acetum destillatum, vel spiritum vitrioli, præcipitatur in sulphur coloris aurei, indeque sulphur antimonii auratum dictum. Triplex sic acquiritur sulphur:

1. Primâ enim vice cadit sulphur crudius emeticum & cathar. ticum:
2. Ubi autem liquore per filtrationem separato instillatur de novo acetum destillatum vel spiritus vitrioli, præcipitatur sulphur mitius & fixius, cathartico-diaphoreticum existens: Sicuti
3. Si tertiâ quoque vice filtratus liquor per acida allegata præcipitetur, aquiritur sulphur ferè diaphoreticum.

Interim si loco acidorum illorum per urinam crudam (quod AVTOR vult) præcipitetur solutio scoriarum, negotium non succedit, sicuti ipsemet tentavi. Quod si autem ex liquoribus illis, ex quibus sulphur per acida aliàs præcipitatum est, cum spiritu urinæ sulphur præcipitatur, tunc cadet hoc nobilissimi & singularis effectus, nec AUTORI *nostro* incognitum.

Liquor hinc collectus.) Quando solutio scoriarum reguli antimonii tertium præcipitata fuit per acida, tunc hæc acida se jungunt alcalibus, adeoque alcalia ista dimittunt sulphur antimonii: jam ergo si acidum hoc præcipitans fuerit spiritus vitrioli, tunc liquor separatus, ex acido vitrioli & alcali tartari constans, post evaporationem debitam in loco frigido concrescit in cryftallos, puta *tartarum vitriolatum*: contra si præcipitatio solutionis scoriarum facta est cum acido aceti destillati, tunc liquor separatus inspissatione concrescit in *terram foliatam tartari*, quæ in loco frigido fluet in *liquorem terræ foliatæ tartari.*

E vulgari tinctura antimonii, pag. 332.) Si præfatis scoriis reguli antimonii, vel croco metallorum nondum edulcorato, affunditur spiritus vini rectificatus, hic elicit tincturam sulphureo-urinosam côcinnam.

Ex antimonio cum sale tartari.) Si antimonium cum sale tartari vel nitro fixo in crucibulo invicem colliquescant, & massa horum colliquata mox infunditur in spiritum vini rectificatum, tunc extrahit hic tincturam, absorbendo ex alcalibus sulphur antimonii. Ex hac AVTOR *noster* parat suum sulphur: nam potest tinctura hæc dari vel in forma liquida; vel eadem cum aceto vel spiritu vitrioli potest præcipitari in sulphur antimonii; ita enim habebitur hoc purum, fixum, & diaphoreticum. Atque hoc est illud ipsum sulphur, quod AVTOR ex aliis sulphuribus seligit, & hisce præfert.

E cinnabari antimonii.) Paratur quoque sulphur è cinnabari antimonii; etenim cinnabaris illa constat ex sulphure antimonii & Mercurio vivo; quæ duo sub destillatione butyri antimonii se sociant, & in cinnabarim elevant. Jam ergò ex eadem cinnabari quidam per sequestrationem Mercurii ab ea separant sulphur antimonii. Modus est: Cinnabarim antimonii ebullire cogunt in lixivio acri, sic hoc imbibit sulphur antimonii, & Mercurius vivus in fundo subsidet: dein lixivio, sulphure imprægnato, instillant acetum destillatum, ita præcipitatur sulphur genuinum è cinnabari elicitum. Cæterùm cùm Cinnabaris antimonii sit optimum diaphoreticum & anodynum, indeque antiepilepticum: contrà sulphur ex cinnabari antimonii collectum non sit adeò nobile, quàm ipsa antimonii cinnabaris; proinde hacce præparatione possumus supersedere. Er putat AVTOR *noster* loco illius sulphuris aliud, & quidem ex tinctura antimonii vulgari præcipitatum esse eligendum; quippe quod ipsum purius est, quàm quod ex crudiore antimonio elicitur.

Lixivia saponaria.) Vulgari modo sulphura antimonii extrahuntur per lixivium: Salia nempè fixa soluta in aqua affunduntur antimonio; ebullire sinunt, & sic eliciunt sulphur: Interim, quia hæc minus solvunt Antimonium, & omnia sulphura illa, eò quod participent adhuc de regulo, sunt emetica.

Calcis vivæ quadruplo.) Nonnulli miscent cum quadruplo calcis vivæ antimonium, aquam affundunt, deinde coquunt, sicque extrahunt copiosum sulphur; quod tamen non est genuinum, sed participat adhuc multum de regulo Antimonii. Sunt enim in calce viva bina salia, quorum acidum adoritur regulum antimonii, acalia autem sulphur ejus; hinc hic pulvis sulphuri-formis est instar antimonii crudi, quem tractu temporis griseam vestem induere dicit AVTOR *noster*, hoc est, mutatur denuò in genuinum & perfectum antimonium.

Ex aqua regia) Genuinum sulphur ex antimonio, idque nonnihil viridescens, per aquam regiam eliciendi modum docet TACHENIVS *in Hipp. Chym. cap.* 23. Habetur sic solitarium sulphur, quod quidem est nonnihil anodynum; interim vi diaphoreticâ ipsi æquale est supra allegatum AVTORIS ex tinctura Antimonii vulgari paratum sulphur.

Unica aceti destillati abstractione.) Quidam figere & exaltare intendunt sulphura antimonii aceti destillati abstractione; & sanè sic fixatum sulphur, imprimis AVTORIS *nostri*, sine nausea & vomitu est simpliciter diaphoreticum & sanguinis mundificativum, adeoque in cachexiis egregium. Nempè sulphura antimonii genuina hunc usum habent, ut singulari vi anodynâ, eâque sine narcosi (quibus aliàs opium) insignita, temperent quodcunque acre præternaturale; crasinque humorum corporis in debita symmetria conservent: sicque sponte naturâ sequestratur quodvis heterogeneum è sanguine, adeoque sulphur illud corpus animale purificat, sicut & idem sulphur aurum purum reddit à sordibus heterogeneis.

Panaceæ nonnullorum, pag. 333.) Hanc describit SCHROEDERVS *in Pharmacia pag.* 443. cui tamen AVTOR præfert suum sulphur antimonii.

Nuperæ cum nitro fixo.) Est hæc *Panacea Glauberi* tantum tale Sulphur Antimoniale, paratum calcinatione antimonii cum nitro fixo, ceu suo liquore alcahest, hinc hanc mixturam extrahendo cum spiritu vini: quo abstracto remanet pulvis rubicundus, qui est *Panacea* ista vomitoria diaphoretica. Cæterùm AVTOR *noster* in hoc acutus est, quod per acida præcipitet suum sulphur; ita namque illud diaphoreticum fit, adeoque absque abstractione spiritus vini suum parat sulphur; sic fit diaphoreticum, non verò vomitorium; quod notetur probè.

Tincturæ.) Jam ergò ne fiat inter tincturas confusio, fundamentum earum proponemus: Nempè tincturæ antimoniales (sulphura antimonialia in consistentia liquida aliàs dicta) genuinæ, & quæ reverà ex sulphure antimonii constant, sunt in duplici differentia: nempè participant eædem vel in genere de sulphur quocunque antimoniali, vel in specie de fixiori antimonii, sulphure de natura auri: Illæ sunt communes istæ tincturæ antimonii, ex sulphure aurato ejusdem prodeuntes; item tinctura antimonii tartarisata; nec non ista supra dicta AVTORIS, ex qua præcipitat suum sulphur antimonii: Hæ verò tincturæ sunt altioris indaginis, & ejusmodi est BASILII VALENTINI ex vitro antimonii parata, quam habet *in Curru triumphali*, quamque indagant curiosiores Chymici. Porrò tincturæ antimoniales cùm sint sulphura antimonialia liquida, in genere duplici labore absolvuntur: quorum prior versatur in sulphuris tingentis extractione: posterior in sulphuris extracti exaltatione per spiritum vini facienda; in hoc enim ceu menstruo sulphureo extractum illud sulphur antimonii quasi liquescit, & ab eodem imbibitur, & sic tinctura paratur. Jam verò pro sulphuris tingentis extractione menstrua duplicis generis in usu sunt: nempè vel alcalica, quæ immediatè magis sulphura illa antimonii extrahunt; vel acida, quæ ipsa præsertim pro sulphure fixiori antimonii, in vitro aut regulo ejus colliquato, requiruntur: etenim dum illa rodunt regulum vitrum, fixius sulphur secedit, pro meliore tinctura acquirenda conducens. Porrò sulphura, quæ per alcalia extrahi solent, extrahuntur vel beneficio nitri aut tartari alcalisatorum, aut quoque alius salis fixi, vel per salia volatilia, eaque tam ex tartaro, quàm ex urina parata. Et quidem hic alcalia, tam volatilia quàm fixa, solvunt sulphur

sulphur antimoniale, & separant id à substantia Mercuriali: deinde salibus illis sulphuribus hisce impraegnatis affunditur spiritus vini, eliciens sulphuream tincturam: sicuti enim aliàs ex sulphure communi in igne intensiore cum sale tartari colliquato per spiritum vini extrahitur tinctura sulphuris communis, vel ex sulphure communi misto cum calce viva, addito sale ammoniaco, destillatur tinctura sulphuris, ita par est ratio in tincturis antimonialibus extrahendis, quæ cum spiritu vini fieri nequeunt, nisi prius sulphur per alcalia fuerit extractum. E contra menstrua acida eliguntur, quando vel sulphur antimoniale fixius, vel tinctura fixior, eaque magis diaphoretica, desideratur, indeque saltem ex vitro aut regulo antimonii separabile illud est (ceu è quibus sulphur antimonii superfluum volatile jam extractum) quod postmodum cum spiritu vini in tincturam exaltant. Ex scoriis reguli cum spiritu vini extrahitur tinctura, quæ in vinosis, item acidulis, facilè præcipitatur, quia prius per alcali fixum fuit elicitum; Unde acidum dum agit in alcali, præcipitatur in pulverem. Spiritus vini simplex ex quolibet sulphure volatili antimonii parum extrahit, nisi sulphura antimonialia sociata sint prius, & tractata cum alcalibus.

Super retortulæ rostrum, pag. 334.) Sunt, qui tincturas antimoniales mediante spiritu vini per retortam pellere nituntur, sed labor est frustraneus; quippe paucissimum est, quod prodit: ut taceam, quod eo ipso, quo sulphur antimonii fixius obtinere velimus, eò minus destillationi incumbere debeamus, cum mediante hac illud separare nequeamus.

Ex communi vitro floribusque.) Ambo hæc vix dimittunt ex se aliquid sulphuris, nisi acidis menstruis tractata, quippe sulphur antimonii illud fortiùs cum suo regulo colliquatum est, adeoque ex his spiritus vini parum vel nihil, nisi post diuturnam digestionem, elicit: quibus verò placet, loco spiritus vini simplicis assumant spiritum vini cum sale ammoniaco acuatum; quem tincturam antimonii eliciendi modum videte in KERKRINGII *Commentario in Currum Triumph. Basilii Valentini, pag.* 141.

Solaria verò vitra.) Sunt, qui ex vitro antimonii solari cum spiritu vini tincturam elicere præsumunt, ast laterem hi lavant: interim processus duos vid. *in* SCHROEDERO, quibus tamen nihil singulare inest, præsertim cum antimoniale nihil in menstruum deponat.

Spiritus è corallicrum.) Loco spiritus vini quidam pro tinctura antimonii conficienda assumunt spiritum è saccharo Saturni & coralliorum sale prolectum: interim, quia & hic nihil aliud est, quàm spiritus vini simplex regeneratus, proinde illa quoque tinctura antimonii nihil habet in recessu præ communi.

Per terebinthinæ paratæ spiritum.) Quidam tincturam antimonii eliciunt cum oleo terebinthinæ seu spiritu ejus: Conf. WILLISIUS *de Ferm. pag.* 59. 60. & SCHROEDERUS *pag.* 447. Et verum est, elici hac ratione sulphur antimoniale; interim crudum, hincque pro balsamo sulphuris antimonii, Chirurgicis scopis inserviente, proficuus erit hic labor, præsertim cum balsamus ille taliter paratus nobilior multo sit illo, qui ex sulphure communi cum spiritu terebinthinæ paratur.

Quasi à cœlo, pag. 335.) Innuit hìc AUTOR tincturam illam antimonii Θεόπεμπτος dictam, quam ex QUERCETANO habet SCHROEDERUS, itemque elicit tincturas ejusmodi splendidis titulis præditas. Interim omnes hæ tincturæ non differunt à vulgaribus antimonii tincturis, sed præter illas nil promittunt, & res est eadem.

Alcalium loco Antimonium cum Arcano duplicato fundunt.) Sunt qui loco nitri antimonium fundunt cum ana arcani duplicati Mynsichtii in corpus itidem nitrosum. Interim quando ambo illa concreta funduntur, tunc nitrosum corpus à sulphure antimonii incensum abit in alcali fixum, sicque itidem crocum metallorum acquirimus: Tinctura ergo hæc quæ deinde elicitur, non differt à tinctura, quæ ex croco metallorum cum spiritu vini elicitur.

Urinosum sive lixiviosum aliquod conjunctum.) Vera est hìc AUTORIS epicrisis, dicentis: *si velimus tincturam antimonii nobiliorem parare, fiat hæc* per menstruum urinosum. Sic recipiatur spiritus ex sale volatili tartari, seu sale tartari volatilisato, cujus plures modos proponit *Dissert. de volatilisat. salis tartari*; sic enim egregiam tincturam antimonii accipimus: ubi & quidam loco spiritus salis tartari volatilis recipiunt spiritum tartari communem, hincque ex scoriis reguli tincturam parant: vid. AUTOR *loco citato*.

Lili.) Tinctura lili PARACELSO est tinctura antimonii beneficio liquoris alcahest parata, loco cujus AUTOR *noster* sumit sal tartari volatilisatum: ac labor hic ferè idem est, qui aliàs procedit, dum cum spiritu urinæ ex antimonio crudo evocatur sulphur, postmodum cum spiritu vini extrahendum: scilicet irroratur saltem cum spiritu urinæ pulverisatum antimonium, sic hoc adjuncto igne efflorescit in copiosum sulphur, quod item cum spiritu vini extrahi, & in convenientem tincturam antimonii exaltari potest.

Acidum quidpiam, pag. 336.) Pergit AUTOR ad tincturas antimonii, paratas per acida, ubi quippe vel sulphur auratum antimonii, vel crocum metallorum, infundit cum aceto vel spiritu viridis æris, quæ eliciunt sulphur antimonii: deinde abstracto menstruo, sulphur illud cum spiritu vini in tincturam exaltatur, pro selectu ab AUTORE *nostro commendatam*.

Cum acidis spiritibus, pag. 337.) Acida menstrua varia adhibent Autores; nunc nempè ex regulo floribusque antimonii vomitoriam tincturam; nunc eandem ex capite mortuo butyri antimonialis, affusione aceti, parantes: Verùm hæc tinctura erit parca & vomitoria, nihil in recessu habens: sic dum loco aceti spiritum acidum ex minera antimonii destillatum; spiritum mellis, mannæ vel Guajaci usurpant, nihil peculiare acquirunt, quod non similiter per acetum destillatum & spiritum viridis æris adhibitum potuisset obtineri.

Liquore quasi composito cū spiritu salis extrahitur.) Quando antimonio diaphoretico nondum edulcorato affunditur spiritus salis, prodit liquor compositus instar butyri antimonii, ex quo cum spiritu vini tincturam prolicere volunt, sed frustrà: in Mercurio sublimato est spiritus acidus salis communis, qui sub destillatione solvit antimonii regulum, & abit in butyrum.

Ex antimonio crudo ejusve regulo.) Quidam antimonio crudo, vel regulo antimonii, vel croco metallorum, vel sulphuri aurato affundunt spiritum salis; sic misturam hanc destillando acquirunt butyrum antimonii, cui addendo spiritum vini, elicere volunt tincturam: sed est labor inanis, cum lactescant mista aliis, & Mercurius vitæ præcipitetur.

E butyro, pag. 338.) Hoc est è butyri antimonii capite mortuo per acida elicere volunt tincturam: contrà alii spiritum vini eidem capiti mortuo affundunt, sæpiùs hunc abstrahunt, & per acida elicere volunt Tincturam: vid. SCHROEDERVS. Verùm & hic labor est duplicatus & rejiciendus.

Cum tartaro.) Tincturam taliter paratam describit SCHROEDERVS. Est crocus metallorum cum spiritu vini extractus. Sic apud multos labores multum fraudis.

Ex oleo saccharato.) De hoc itidem vid. SCHROEDERVS: nempè antimonium & saccharum destillata dant liquorem acidum corrosivum, cùm sacchari spiritus acidus rodat regulum antimonii.

Multas manifesto, pag. 339.) Scilicet plures inveniuntur tincturæ antimonii; ast plurimæ eorum sunt emeticæ, non verò diaphoreticæ.

Sali antimonii.) Sunt, qui in sale antimonii parando sunt negotiosi: Verùm non datur mica salis in antimonio; Imò si quid ejus acquiratur, erit illud ex spiritibus salinis acidis. Cæterùm loco talis salis jubet AVTOR Tincturam suam antimonii cum acido paratam inspissare.

Aceti destillati robore vel viridis æris spiritu.) Qui hæc menstrua non habent, hos monet AVTOR sumere acetum vini simplex, & affundere sulphuri aurato in duodecupla proportione, & abstractam massam Spiritu vini extrahere.

De potioribus, pag. 340.) Eligit adeoque AVTOR

1. Sulphur antimoniale ex tinctura præcipitatum.
2. Tincturam cum urinosis menstruis: &
3. Tincturam cum acidis paratam.

Sulphur parat, antimonium fundendo cum sale tartari vel nitro misturam cum Spiritu vini extrahit, & tincturam cum aceto præcipitat. Quoad Tincturas verò, ex antimonio vel ejus sulphure *beneficio menstrui volatilis urinosi, cum acidis ex* sulphure aurato cum aceto destillato, menstruo abstracto elicit cum Spiritu vini.

Regulus verò.) AVTOR hìc obiter docet modum parandi regulum, qui est Mercurialis & metallica antimonii substantia, à superfluo ejusdem sulphure sequestrata; scilicet sequestratio hæc fit, quando nitrum, tartarus & antimonium simul mista pro una vice detonantur, hac ratione tartarus & nitrum in salia alcalisata mutantur, extrahentia sulphur, adeoque regulum dimittunt. Compendiosiùs autem paratur, si Mercurius vitæ fundatur in crucibulo, qui si liquescit, totus abit in regulum.

Tandem male componitur regulus ille, quando mistura successivè crucibulo ingeritur, cùm hac ratione multum de tartaro & nitro deperdatur, potius omnia simul detonentur.

Martialis.) Regulus antimonii Martialis ita fit: nempè Marti candefacto additur antimonium, sic hujus sulphur rodit Martem, unde regulus separatur. Huic regulo nonnulli spiritum vitrioli affundunt, extrahunt, & ita vitriolum Martiale postmodum acquirunt. Si volumus habere concinnius antimonium diaphoreticum, vel butyrum antimonii, loco antimonii crudi recipiatur regulus.

Stelliformium.) Nonnulli regulum stellatum accipiunt; id quod præterpropter fit ex antimonio puriore: interim stella illa non absolutè necessaria est, cum æquè sine stella regulus adhiberi queat.

Acetosus ejus liquor.) Ex minera antimonii per retortam destillata prodit paucus spiritus acidus (minus commodus existens) non secus ac ex antimonio crudo jam fuso (ex hoc tamen parcior adhuc) qui est forsitan à sulphure antimonii superfluo incenso, non secus ac sulphura omnia incensa produnt acidum spiritum. Cæterùm loco hujus ex antimonio destillati spiritus aciduli clyssus antimonii, vel ros vitrioli, hoc est phlegma vitrioli acidulum, in usum vocetur; sic enim hæc idem, atque illud antimonii acetum parcissimum, præstabunt.

Liquatio antimonii crudi, pag 341.) Nonnulli antimonio crudo addunt sal tartari, ut hoc superfluum ejus sulphur absorbeat, & acidum prodeat: sed aquam ex pumice quærunt.

Crudum, aut ipsum crocum.) Sunt qui antimonium crudum aut quoque crocum metallorum cum crusta panis miscent & destillant; sic spiritum acidulum fœtidum empyreumaticum acquirunt, *aqua anti-*

antepilepticæ nomine: sed infidum hoc est remedium; nam panis per se destillatus dat spiritum acidum volatilem, qui vitro antimonii vel croco metallorum affusus exhibet Tincturam rubicundissimam: Interim & hoc imposturam sapit, præsertim cum idem spiritus panis arenæ affusus hanc colore rubro tingere soleat, & ferè quælibet corpora, si iis affundatur.

Vulgare butyrum.) Hujus essentiam enucleans dico: illud esse nihil aliud, quàm solutionem reguli antimonii cum suo suphure, factam per spiritus salis concentrationem mediante destillatione; hac ratione enim crassus & gummosus liquor prolicitur. Liquor hic gummosus antimonii vocatur *Butyrum antimonii* & spuma duorum draconum. Jam verò ingredientia pro butyro antimonii conficiendo sunt Mercurii sublimati & antimonii vel hujus reguli; Mercurius sublimatus est concretum salsum, ex Mercurio vivo & spiritu salis in eodem concentrato constans, qui coeundo cum Mercurio vivo formam albam crystallinam repræsentat, nempè Mercurium sublimatum. Equidem vulgò paratur Mercurius sublimatus ex *nitro, vitriolo, sale communi* & *Mercurio vivo*; at reverà nihil de illis salibus, præterquam de sale communi, assurgit, hincque de hoc saltem participabit Mercurius sublimatus. Unde quando Mercurius sublimatus destillatur cum antimonio, tunc sub tortura ignis spiritus salis rodit antimonium, & sulphur ejusdem, & ita invicem in concretum crassum, *butyrum antimonii* vocatum, abeunt.

Oleorum saccharatorum aut mellitorum.) Antimonium loco Mercurii sublimari solet, & cum melle saccharoque destillari in oleum saccharatum mellis, quâ ratione & spiritus acidus sacchari & mellis sub destillatione rodit regulum antimonii, & invicem in dilutum liquorem destillantur: Conferat. SCHROEDERUS. Interim omnia ejusmodi destillata sunt pariter acido-corrosiva, ejusdem ferè naturæ cum butyro antimonii, nisi quod hoc acidius, & magis concentratius fit.

A humente carne.) Quando butyro antimonii vel oleo ejus instillatur liquor quidam aqueus, tunc pulvis albus, *Mercurii vitæ* nomine veniens, fundum petit: Par ratio est, si eorundem guttula j. vel altera cuti illita liquescit; nam & sic ab humido exhalante præcipitatur Mercurius vitæ cuti adhærens. Cæteroquin externè butyri antimonii usus in duobus casibus locum habet;

1. Nempè in curandis anthracibus pestilentialibus & carbunculis, hinc & in arcendo sphacelo.
2. In excitandis fonticulis.

Ac quidem pro cura sphaceli in confiniis sanæ partis & mortuæ circumducitur eo butyro antimonii circulus; sic enim separatur sponte & optimè sine ferro & igne sanum à mortuo, vivum à putrido. Par ratio subest in anthracibus, speciebus itidem sphaceli, nempè penna butyro antimonii tincta illinitur circulus, sic illi toti excidunt. Deinde pro excitandis fonticulis conducit butyrum antimonii hac ratione: nempè in calamo cavo tantillum butyri antimonii apponitur, parti in qua excitandæ fontanellæ; sic enim hoc coercetur, ne ultra locum destinatum operari queat, & excitatur feliciter fontanella.

Internos verò inusus, pag. 343) Sunt, qui immediatè butyri antimonii gutt. ij. in aqueo vehiculo propinant, ita Mercurius vitæ præcipitatus in stomacho, nunc vomitus nunc secessus movet ad instar Mercurius vitæ per se assumpti; non secus ac quidam idem butyrum contra quartanam pro scopo laxativo adhibent: Verùm idem esset ac si Mercurius vitæ per se assumeretur, quippe parum spiritus vitrioli Philosophici in una alteraque guttula butyri antimonii reperitur.

Tot quasi par erga.) Sub destillatione butyri antimonii, dum acidum Mercurii sublimati rodit regulum, Mercurius tunc ab acido liberatus fit sui juris, hincque prodit is partim cum butyro antimonii in receptaculum, partim cum sulphure antimonii separato coeundo, cinnabarin constituit, in retortæ collo adhærentem, atque sic una vice & antimonium, & butyrum, & Mercurius ex sublimato revivificatus, acquiritur. Cæterùm butyro isti antimonii infusa aqua lactescit, caditque regulus corrosus sub nomine Mercurii vitæ; liquor autem hicce supernatans filtratus, qui intensè acidus est post rectificationem, dat spiritum vitrioli Philosophicum, seu spiritum salis rectificatum, ex Mercurio præcipitato denuò sequestratum. Tandem eligit AUTOR butyrum hoc Antimonii vulgari modo præparatum; nam & aliis modis id elici potest; interim sine cinnabari, si antimonio non additur Mercurius.

Quam renitentioribus.) Sunt, qui antimonium crudum miscent cum spiritu salis & aliis salibus, & destillant; qua tamen ratione acquiritur pariter butyrum antimonii, adeoque omnes ejusmodi sunt pomposi processus, quales habet SCHROEDERUS *in Pharm. l. 3. pag. 437. sub n. 10. e. g. sub nomine magisterii* antimonii, quod ipsum si ritè examinemus, est nihil aliud, quàm butyrum antimonii, & Mercurius vitæ; sic *idem pag. sequente no. 13.* describit *oleum antimonii crystallinum* ex floribus paratum, quod tamen itidem est nil aliud, quàm butyrum antimonii; similiter *no. 14.* habet *oleum Compositum* antimonii ad vulnera, quod pariter est butyrum antimonii; non secus ac *no. 15.* iterum habetur *oleum ex antimonio cum spiritu salis imbibito*, itemque balsamus ille vulnerarius Basilii, est ipsum antimonii butyrum.

Loco cellariæ repositura.) Sunt, qui misturam Mercurii sublimati & antimonii, pro butyri antimonii feliciore destillatione, reponunt in cellam, ut sic Mercurius sublimatus imbibat aqueam cellæ humiditatem, solutaque sic in ea salia potentiùs agant in regulum antimonii: interim sufficit, si illa mistura irroretur aquâ simplici; nam & sic idem effectus obtinebitur.

Butyri formibus Croci metallorum vel sulphuris aurati solutionibus, pag. 334.) Par ratio est, sive ex croco metallorum, sive ex sulphure aurato antimonii, sive ejusdem floribus, sive regulo, spiritus salis interventu destilletur butyrum antimonii.

Rectificationis.) Rectificatione butyrum antimonii vulgare non indigere AUTOR autumat: interim ego regero, non inconsultam esse ejus rectificationem, cum sic purius, item tenuius liquidiusve fiat, & salia magis sub rectificatione dissolvantur, imò tenerior Mercurius vitæ, & exactius Bezoardicum minerale acquiretur: Unde quò sæpiùs ejusdem instituetur rectificatio, eò melius est.

Spiritus vitrioli Philosophicus.) Hunc Veteres dixerunt ita ex eo, quod is se ex vitriolo in Mercurio sublimato repræsentaret: ast falsum hoc esse demonstrat TACHENIUS, & ascendere solum spiritum salis. Potiùs ergo est spiritus salis ex Mercurio sublimato in butyro antimonii vivificatus: quod probant solutiones & præcipitationes cum hoc spiritu vitrioli Philosophico factæ, ejusdem naturæ existentes, quam quæ aliàs cum spiritu salis communis factæ: ut taceam, acidum antimonii parùm illi spiritui subesse, nihilque de acido vitrioli ceu nimis ponderoso ascendere posse, uti nec de nitro aliquid sperandum; quippe cujus acidum in sublimati Mercurii confectione per orificia vasorum aperta avolat.

Spiritus tartari antimonialis, pag. 345.] Hic fit, quando flores antimonii & tartarus in anatica portione miscentur, ebulliendo hinc misturam in aqua simplici, & crystallos inde factas per retortam destillando; Verùm hac ratione simplex tartari spiritus prodit, floribus antimonii in retorta sub reguli forma subsidentibus. Unde falsum est acquiri hoc modo spiritum tartari antimoniatum.

Mercuriale.) Ex omnibus Mercurialibus pro scopo diaphoretico sufficere ait AUTOR Cinnabarin, compositum illud nobile ex sulphure antimonii & Mercurio vivo, sive jã illud sit commune in cinnabari nativa & artificiali (quarum tamen hanc pictoribus relinquo) sive sulphur antimonii, in cinnabari antimoniali. Cæterum, dũ loquitur AUTOR *noster* de Mercurialibus, adhuc de Mercurio non nulla præmonenda: Et quidem ejusdem natura fuit in occulto posita, utut rectissimè dicant, qui putant, eum esse liquorem metallicum. Cùm enim ex metallicis subjectis, per se in forma liquida nonnihil deprehendatur; hinc Mercurius vivus ad eorum solutiones, & inde nata de composita metallica pertinet: constat quippe Mercurius vulgi ex vapore isto humido, qui ceu altera pars cum sulphure metalla componit, quique sibi relictus humidiusculus & unctuosus in illis mineris constituit illum vaporem montanum venenosum, vocatum Germ. *der Berg Schweden*. Jam verò, dum vapor idem in mineris metallicis crudum aliquid dissolvit, cum hoc coeundo facit, ut liquidum hujusmodi, quale est Mercurius vivus, fluidum, & ratione metalli contenti ponderosum abeat, indeque amalgama quoddam liquidum emergat: de quo conf. *Phys. Subterr.* BECHERI, & TACHENIUS Mercurii natales egregiè scrutans. Porrò amalgama hoc liquidum, seu Mercurius vivus, cum metallo solutum, est corpus volatile, & vix ullâ arte coercibile, naturæ in recessu alcalinæ, ratione cujus cum acido sulphureo metallorum coit in miscellam horum perfectam, non secus atque aliàs arte Mercurius vivus cum sulphure ceu acido in concretum novum, puta cinnabarim transit: & sicuti sulphurea omnia alcalibus combinata rubescunt, ita & sulphur cum Mercurio conjunctum rubertimam constituit cinnabarim; imò quemadmodum ab isto vapore Mercuriali metalla materialiter componuntur, ita etiam ab eodem superabundante illa denuò quoque dissolvi & amalgamari, h. e. comminui ulterius, possunt. Mercurius ergò hic uti coit cum sulphureis subjectis in cinnabarim ratione acidi, ita & idem cum aliis acidis mineralibus diversimodè congreditur, à quibus etiam alcalina Mercurii natura aliqualiter saturatur, inde apparenter figitur, sicut in Mercurio sublimato & præcipitato hoc patet. Hinc Mercurius sublimatus est concretum salsum tertium, ortum ex acido salis communis & alcali Mercurii, demonstrante hoc TACHENIO *in Hipp. Chym.* Jam ergò, cum Mercurius vivus sit subjectum alcalinæ naturæ, hinc est, quod in operibus artis acida eum saltem aggrediantur, non autem alcalia, & dum cum illis acidis vel in sublimatum & præcipitatum coit, ab alcalibus contrà denuò revivificatur, destructo his ipsis acido mercurium coagulante, ut inde ab hoc mercurius vivus apparenter saltem figatur: solus autem liquor alcahest adeptis dicitur figere mercurium; unde ab iis taliter fixatus aurũ Horizontale vocari solet. E contrà autem metalla sunt corpora composita, ex sulphure & mercuriali præfato vapore coagulata: si in iis dissolvatur sulphur cum salibus resuscitativis, qualia sunt alcalia urinæ, tartari, salis ammoniaci, &c. denuò prodit mercurius vivus, *Corporum* mercurius tunc vocatus. Etenim differentia Chymicis solennis est inter mercurium vulgi, & inter mercuriũ corporũ seu ex metallis resuscitatũ; quorum hic in se purus & defæcatissimus est; ille contra vulgi seu vivus mercurius est corpus impurum, quippe huic in mineris sulphur quoddã vol. superficialiter se associat, quod sulphur in se est acidissimũ: & ab hoc sulphure peregrino in se acidissimo (*Helmontii* labes

labes originalis Mercurii dicto) arfenicali, promanant nocumenta illa à Mercurialibus remediis in corpore producta, quæ non rarò à Mercurii vivi ufu folent obfervari, nempè vomitus, fecefſus, falivationes, idque eò magis, quò magis per adjumenta Chymica fulphur illud adhærens in Mercurio vulgi extractum eft, v. g. per fpiritum falis & nitri fulphureum, extravertentem fulphur illud peregrinum, hincque in Mercurio præcipitato vulgari mala allegata inducentem. Mercurius autem metallorum refufcitatus defectu hujus peregrini fulphuris infons planè eft, hincque non falivatorius effe dicitur: Conferatur TACHENIUS.

Citra vulgatiorum Mercurialium, pag. 346.) Scilicet Præparata ex Mercurio vulgi funt nihil aliud, quàm magifteria ejufdem, ex quibus tamen omnibus is refufcitabilis eft: fic v. g. fublimata, olea, effentiæ, & præcipitata, funt larvatus Mercurius in additis vivus, cùm fub igne focius ille fugitivus avolet, relictis additis. Jam verò larvæ illæ faltem inducuntur ab acidis, iifque nunc propriis, quale eft illud fulphur extrinfecùs eidem adhærens, à quo & per fimplicem digeftionem extraverfo per fe Mercurius figitur in præcipitatum rubrum; nunc alienis: iifque iterum vel macribus, qualia funt fpiritus mineralium acidi, falis, vitrioli, nitri, fulphuris, &c. quæ omnia Mercurium ceu corpus alcalinum non faturatum minus tutum, fed femper ferè nocivum relinquunt; vel acidis pinguibus, qualia funt fulphura, tàm vulgare quàm antimonii, redacta in formam cinnabaris; adeòque hæc cinnabaris eft vel antimonii vel nativa, nata ex coitu fulphuris feu maris, & Mercurii feu fœminæ, quæ invicem generant fœtum rubellum hunc feu cinnabarim; adeòque hoc erit concretum temperatum, tertium falfum oleofum feu fulphureum, hinc refolutivum, anodynum, moderatè diaphoreticum, & cujufvis acris præternaturalis in corpore temperativum; ficque frequenter proficua eadem erit fingulariter in epilepfia & aliis convulfivis morbis. Cæterùm cùm allegati cinnabaris effectus omnes dependeant ex textura ejus concreti, proptereà eadem fub hac forma relinquenda eft integra, prout nempè vel natura cinnabarim nativam, vel ars antimonialem fuppeditavit in ufum Medicum trahenda, nec fulphur nec Mercurius ex ea eliciendа.

Post diuturniorem affationem.) Examinat hic AUTOR fucceffivè producta Mercurialia, quæ vulgò ex Mercurio promittuntur tanquam diaphoretica, & rejicit ea, dicendo: quod quicquid & virtutis diaphoreticæ talia promittant, hæc tamen præftantiora non effe, quàm alia mineralia aut antimonialia diaphoretica; Adeoque non opus eft, remedio minus tutò uti. Et pofito, effe apparenter fixatum Mercurium, tamen reverà minus tuta funt quælibet ex Mercurio remedia: pofito enim in hoc vel altero fubjecto defiderio fatisfeciffe, tamen in alio naufeas, aut faltem falivationes, variaque Symptomata fecundùm AUTOREM excitare poffet.

Aquilas illas, pag. 347.) Sugillat hic AUTOR SCHROEDERUM & ZWELFFERUM *in Mantiffa Spag.* quorum ille pag. 415. 416. 417. aquilas, aftra, fpiritus, & olea habet; qui tamen omnes proceffus examinati relinquunt aut communem Mercurium præcipitatum; aut fi aliquid per retortam prodeat, eft illud fpiritus acidus additis aliis acceptus ferendus, nihil verò de Mercurio participans.

Miraculofus è Smiride.) Tangit hic SCHROEDERUM pag. 401. qui Mercurium calcinat cum fmiride, & habetur, (præfertim cùm fmiris fit fubjectum Martiale) aliquo modo fixus; interim tamen hoc ipfo non perfectè coagulatur.

Aqua.) Hunc aquam deftillandi modum unà cum inftrumento exhibet ZWELFFERUS *in Mantiffa* pag. 359 Parciffima acquiritur, Interim litigant inter fe AUTORES: an liquor prodiens vafi? an aeri? an verò denique Mercurio in acceptis ferendus fit? vid. pag. 25. 26.

Pro Mercurialibus nihilominus.) Veteres fcilicet, ut & BILLICHIUS *in Obfervat. Chym.* putat Mercurium vitæ effe prolem Mercurii fublimati: aft malè, cùm potius prodeat ex regulo antimonii.

Qui lenta continuaque, pag. 348.) Scilicet indicat hic AUTOR *nofter* Mercurium per fe præcipitatum, cujus modum docet ZWELFFERUS *Mantiffa Spagyric.* pag 353. quo loco habet fimul inftrumentum, in quo Mercurius figendus eft. Cæterùm in illo proceffu hæc adhuc encheirefis notanda venit, ut nempè ignis fuppreffionis fupra illud inftrumentum adhibeatur; fic enim Mercurius nunc per fe, nunc addito antimonio vel etiam fole figitur, habeturque remedium non inelegans diaphoreticum, præfertim, fi cum fole illud factum fit; ab hoc enim nonnihil figitur. Interim tamen præter tædiofam hanc fixationem femper tamen adhuc periculum fubeft, ne falivationes hic quoque Mercurius fixatus excitet; unde cùm alia præftantiora proftent, optimè eo carere poffumus.

Præcipitato quorundam diaphoretico.) Eft SCHROEDERI pag. 419.

Alcaheftino.) Innuit hic AUTOR *Mercurium diaphoreticum Paracelfi* atque *Helmontii*, tanquam horum univerfale; ac fanè non figitur perfectè Mercurius, nifi à *liquore alcaheftino*, h. e. *fale circulato majore Paracelfi*. Interim cùm hoc careamus, fuadet AUTOR, tentemus aliquid cum ejufdem fubftituto, puta fpiritu falis tartari, quod itidem facit ipfe.

Veri Diaphoretici pag. 349.) Nempè Mercurius vivus à liquore alcaheft folutus dat *pulverem diacelta teffon* vocatum, Mercurium fcilicet diaphoreticum, & aurum horizontale. Hic Mercurius *fixatus* eft Arcanum corallinum Paracelfi; Mercurius verò diaphoreticus eft, quem hinc inde jactitat HELMONTIUS, & dicit: quod operetur illud; quodcunque aut Medicus aut Chirurgus defiderare ab eo valet, juxta HELMONTIUM. Dicit eum parari cum liquore alcaheft, & poftmodum cum igne Veneris dulci mifceri.

Sulphur Veneris.) Infinuat Autor hìc illum HELMONTII *locum Tr. Lapis Butleri*, ubi in fine lap. Butleri Drieft fuum fubftituit, parandum ex Capite mortuo vitrioli Veneris beneficio falis volatilis urinæ, à fœtore liberati: Conf. STARKEY. Cæterùm differt hoc Drieff à Mercurio diaphoretico, & oleo vitrioli Veneris dulci.

Sublimatione cum fale ammoniaco, pag. 350.) Hoc ipfo innuit BOYLEUM, qui in fua *Philofophia Experiment.* proponit modum, quo beneficio fublimationis cum fale ammoniaco ex capite mortuo vitrioli Veneris fuccedaneum primi entis Veneris parari queat, nempè ex capite mortuo vitrioli Veneris cum floribus falis ammoniaci, faceturque fe ipfum hoc remedio magna, fpeciatim in quartana, præftitiffe. Cæterum paravi idem remedium aliquando, & fucceffit; interim ejus non adeò infignes potui fperare effectus.

Solutione cum duplicato.) Intelligit hìc POLEMANNUM, impoftorem illum, qui *in Tract. de fulphure Philof.* docet parare fpiritum quendam duplicatum, hocque mediante folvere Venerem, & ex hac folutione cum fale volatili tartari fpiritum elicere: Interim vereor, ne proceffus hic in Praxi offendatur mancus.

Tam dulce vitriolum) Scilicet fal Martis purgans, quod in SCHROEDERI *Pharm.* pag. 384. Eft mixtura acido ftyptica fatis ingrata, indeque per ironiam AUTOR dulcem nominat.

Nec cum viridis æris fpiritu.) Tentavit etiam AUTOR cum fpiritu viridis æris, dum etiam imbibitur à Mercurio vitæ, alteratur, fed nil obtinuit.

Operæ pretia.) Quidam ex Mercurio parare volunt aurum Horizontale, loco olei Martis affumendo fpiritum vitrioli penetrantiffimum volatilem & rectificatum: Conf. HELMONTIUS *Tract. de Lithiafi* pag. 351.

Cinnabaris, pag. 351.) Cinnabaris tàm nativæ, quàm artificialis, ex Antimonio & Mercurio paratæ, ufum hic præmittit AUTOR, dicendo: quod licet ea per fe non fint diaphoretica, tamen aliis addita vim horum diaphoreticam exaltent & promoveant, hocque fpeciatim vi anodyna, qua ipfa cinnabaris impedimenta diaphorefeos arcet & fiftit, ita, ut Bezoardicum minerale fimplex cum cinnabari antimonii debita proportione unita (nempè *illius partes ii, hujus partem j.* fumendo) exhibeat compofitum præftantius remedium, ipfo Bezoardico folari artificiali, & rectè. Cum enim cinnabaris illa fit egregium temperativum, refolutivum, anodynum, & diaphoreticum, hinc ratione horum effectuum erit quoque ex fpecificis antepilepticis primarium remedium; adeòque tàm à modernis, quàm à Veteribus, cinnabarina fuerunt recommendata, non faltem fpecialiter in epilepfia, fed & in aliis morbis convulfivis, iifque tàm internis, v. g. colica virorum & paffione hyfterica mulierum, quàm partium externarum, morbis fpafmodicis. Dofis, fi folitariè propinetur à ℈ß. ad gr. xv. Vel mifta cum antimonialibus Bezoardicis fixis, vel tandem fociata aliis falibus volatilibus animalium, ceu à quibus illius cinnabaris color valdè exaltatur. Imò non tantùm cinnabarina internè adhibita profunt, fed & juxta nonnullos cinnabaris ex fodinis auriferis eruta, de collo appenfa, vel carpis manuum applicata, in convulfivis morbis & paroxyfmis epilepticis proficuum obfervatum fuit: ficuti aliàs internè eadem in vertigine etiam, arthritide vaga, & quibufvis partium externarum doloribus eft apta; item in morbillis ante fui eruptionem cum epilepfia conjunctis, in petechiis cum cervinis fociata, vi diaphoretica non eft contemnenda: Confer. AUTOR *nofter Differt. de Volatilifat. tartari* pag. 70.

Nativa felectior.) Ab AUTORE hìc eligitur Cinnabaris nativa, & poftmodum huic artificialis ex antimonio fubftituitur: Interim quoad nativam illam notandum, non femper æquè tutum effe illius ufum, cum fubinde nonnihil de fulphure volatili arfenicali eidem adhæreat, tetra non rarò fymptomata inferente, teftantibus *Actis Haffnienf. Volum. I.* pag 177. Unde depuretur illa priùs, fi in ufum vocanda eft; cujus depurandi modum optimum oftendit HOFFMANNUS *in Clave* pag 29. Ita depurata cinnabaris nativa vix cedit cinnabari antimoniali.

Vix in ftomacho, pag. 351.) Occurrit hìc AUTOR objectionibus illis, quibus conftat, Cinnabarim non folùm infantibus tenellis, fed etiam adultioribus datam, eâdem, qua ingerebatur facie, egeri: ac obfervavi ipfemet, in malignis adultorum febribus poft exhibitionem cinnabaris fecefſus illorum alvinos intenfo rubore fuiffe tinctos, eamque in fubftantia recedere. Interim & hoc conceffo, non erit illa fine ufu; cùm (ut nihil de vi irradiativa quorundam remediorum, quam introduxit HELMONTIUS, determinare queamus) non pauca fint remedia, quæ fimpliciter in primis viis operationes fuas exferunt, toti tamen corpori fuccurrunt: fic opium adhuc in ftomacho exiftens, fomnum inducere conftet; item pilulæ purgan-

purgantes integræ non rarò excernuntur, subsequente tamen purgatione; ac acidulæ ultra primas vias non operantes, fæces nigras reddentes, usum nihilominus præstant.

Nec per nimiam curiositatem divelli vult.) Hoc est, sulphur & Mercurius in cinnabari conjuncta relinquantur, nec separetur sulphur: nam posito, nos hæc ex cinnabari posse separare, nempè per alcalia addita; sulphur tamen hoc solitarium id non præstabit, quod aliàs integra cinnabaris messtat.

Syndiacrisin.) Hisce innuit AUTOR *præcipitatum* illud *diaphoreticum Hartmanni* & *Crollii*, cuius præparatio extat in SCHROEDERO *pag.* 352. fitque per principiorum cinnabaris separationem, & novam iterum compositionem. Hoc ceu panacea ab HARTMANNO laudatur; interim non superat id cinnabarim nihil huiusmodi laboris passam.

Abstractione verò acidorum.) Sunt, qui ex natiua cinnabari tincturas parant, easque vel per oleosa, ut oleum terebinthinæ, ex quo fit balsamus sulphuris; nempè ex sulphure antimonii eiusdem naturæ existente ac qui ex sulphure communi pariter paratur: vel per acida, v. g. cum spiritu nitri aut butyro antimonii; verùm hac ratione pervertitur cinnabaris salsus sapor, & vi eius alteratiua corrumpitur, imò alias vires acquirit cinnabaris illa.

Cinnabaris antimonialis, pag. 353) Nativam & antimonialem sociandam esse rectè hìc monet AVTOR, insinuando simul multiplices panaceas ex concursu Mercurii, antimonii, & sole paratas: quarum processus vid. in SCHROEDERO *pag.* 403. quæcunque tamen suo modo concreta cinnabarina sunt, quibus cinnabaris antimonii præferenda sufficienter. Et quidem origo cinnabaris huius antimonialis est, quod sub destillatione butyri antimonii acidum Mercurii sublimati rodat regulum, hincque Mercurius revivificetur, & sic agat in sulphur antimonii, liberatum à suo regulo ceu ab acido salis corroso, inuicemque tandem abeant in cinnabarim talem Antimonii.

Ex antimonii crudi.) Docet hìc AVTOR encheiresin acquirendi cinnabarim antimonii in copia, nempè ex antimonii crudi & Mercurii sublimati ana ℔j. haberi posse dicit ℥iij. ad jv. cinnabaris rectificatæ; quod sanè multum est: Conf. AVTOR: Sic etiam acquiritur maior eius copia in retorta collo longiori prædita; si enim fuerit nimis breve illud, tota ferè cinnabaris in butyrum solvitur. Quoad regimen ignis, observetur, ne sit nimis intensus, sed saltem continuus, ut Mercurius agat conuenienter in sulphur; non sit intensus, aliàs butyrum & cinnabaris in vas recipiens prodeunt.

Circa capitis mortui.) Sunt, qui pro copiosiori cinnabari acquirenda (postquam semel partes ij. Mercurii sublimati, & partem j. antimonii crudi destillarunt, & butyrum cum cinnabari acquisiverunt,) postmodum caput mortuum butyri Antimonii sociant novo Mercurio sublimato, & invicem de novo sublimando acquirunt copiosiorem cinnabarim: nam regulus antimonii maximam partem in butyrum est solutus, hincque, quod restat, omne est sulphurea antimonii substantia, quæ coeundo cum Mercurio constituit cinnabarim novam.

Sulphur antimonii cum argento vivo.) Accipitur scilicet saltem sulphur auratum antimonii, quod miscent cum ana Mercurii vivi, sublimatur crebriùs tam in vitro cum alembico, quàm in crucibulis inuersis, in cinnabarim sæpiùs rectificandam.

Iouiale, pag. 354.) Pergit nunc AVTOR ad Jovialia diaphoretica, & quia Iupiter est metallum luxurians copiosissimo sulphure, hincque ex eodem paulisper fixato salsa tertia egregia emergunt.

Sudoriferi maximi.) Eligit AVTOR *noster* sudoriferum maximum ex Iovialibus, cuius inuentor est P. I. FABER, Medicus Monspeliensis, qui *lib.* 3. *Vniversæ Sapientiæ cap. de febribus*, hoc Sudoriferum suum prolixiùs describit, coloris ex albo cœrulescentis existens, cuius tamen parandi succinctiorem modum AVTOR *noster* tradit: Nempè fiat amalgama ex ana *Iouis* & *Mercurii vivi*, quod pulverisatum misceatur cum Mercurii sublimati ana: hinc mistura hæc per retortam in blando arenæ igne destilletur in receptaculum, cui aqua sufficiens infusa sit; sic prodit liquor acidus nonnihil gummosus, qui affundatur denuò capiti mortuo in retorta relicto, hinc omnia digerantur aliquandiu, & postmodū liquor per filtrum separetur, hinc separatus & filtratus misceatur cum nitro, sumendo huius ℥ß. respectu uniuscuiusque libræ j. Ingredientia destillantur omnia ex retorta, sic prodit spiritus compositus, seu nitri bezoardicus, ex spiritu salis & nitri constans; pulvis autem remanens à nitro illo fixatus fuit, in remedium diaphoreticum edulcorandum. Atque hoc est *Sudoriferum maximum Fabri*, cuius dosis est potest ℈ß. ad gr. xv. Iam de hoc & similibus AVTOR habet epicrises *pag.* 355.

Hyperbolicè, pag. 355.) Epicrisis hæc est AVTORIS, Sudoriferum illud Fabri esse quidem satis magnum, non tamen maximum diaphoreticum.

Bezoardico Ioviali.) Hoc SCHROEDERVS habet nomine Diaphoretici Beguini, estque, quando è Ioye & Mercurio sublimato paratur butyrum Iouiale, è quo cum aqua simpl. præcipitatur pulvis candidus, quo ipso tamen est præstantius Sudoriferum Fabri.

Bezoardico minerali Iouiali.) Hoc duplex prostat, cum & sine antimonio: quorum illud procedit ex ana Iouis & reguli antimonii, quæ invicem colliquantur in regulum Iovialem, & destillantur in butyrum addito Mercurio sublimato; hincque hoc cum spiritu nitri in Bezoardicum minerale Iouiale fixandum est, quod habet SCHROEDERVS *pag.* 414. Sine antimonio paratur, quando supra dictum butyrum Ioviale cum spiritu nitri præcipitatur, & huius abstractione figitur quemadmodum facit hoc ZWELFFERVS *Mant. Spagyr. pag.* 346. Omnia hæc Bezoardica coincidunt.

Antihectico.) Intelligitur hìc *Antihecticum Poterii*, egregii Medici Bononiensis, quo post HELMONTIVM & PARACELSVM nobiliorem Pharmaceutam non habemus: atque hic Antihecticum suum præparat ex Iove, quod describit *in Pharmacopœa Spagyrica & Observ.* Remedium hocce est excellens in febribus continuis benignis, & hinc quoque in hecticis; non quidem pro scopo sudorifero, sed alterante saltem.

Cæterùm præparatio eius variat: interim genuina est, si

♃. *Iovis sel.* part. v.

Antimonii part. jv.

Quæ duo fundantur invicem in *regulum compositum* instar Lunæ; hinc hic cum triplo nitri more antimonii diaphoretici figatur.

Vbi tamen iterum notandum, non debere antihecticum paratum cæruleum colorem præ se ferre, quippe hoc est vomitorium, eò quod de Iovis sulphure volatili adhuc participet, quin potius, dum stat mistura in fusione, agitetur eadem bacillo ligneo, sic enim flammam eructat, & sub hac, sulphure Iouis superabundante avolante, candidum acquiritur antihecticum, tutum usurpatu sine omni periculo vomitionis.

Antihectici succedaneo, pag. 356.) Huius eadem præparatio est, ac antimonii diaphoretici Martialis: nempè amalgama Iouis & antimonii in scorias redacta, & cum triplo nitri in crucibulo candenti detonata. Horum antihecticorum dosis est à ℈ß. ad gr. xv. vel solitariè, vel cum aliis mistorum.

Sal è genuina calce.) Sunt qui sal duplici modo ex Iove parare volunt: nunc quidem Iovem calcinatum cum aceto extrahendo & coagulando, nunc verò sal crystallisatione ex minera Iouis eliciendo, quam tamen acetum simplex non attingit, nisi id acuatum fuerit cùm spiritu vitrioli: hac enim ratione solvitur minera Iovis, hinc blanda exhalatione solutio abit in sal crystalliforme, quod in loco frigido abit in liquorem. Iam verò de illo sale Iovis magna sed inanis fabula circumfertur, quod in hysterica passione sit egregium: Interim nullam id præ aliis antihystericis prærogativam habet. Sic quoque liquor ille ex saccharo umbilico mulierum hystericarum applicatur, sed in vanum: cùm castoreum longè melius sit cum suis præparatis. Reliqua ex Ioue præparata non adeò sunt necessaria.

Magisterium.) Sunt, qui solutionem iam allegatam Iovis cum aceto factam per spiritum nitri in magisterium præcipitant: ast hoc nullius est valoris.

Cum nitro crudo.) Scilicet pulvis ex Iove & cum nitri detonatione factus, adeoque ex nitro fixo & Ioue fixato constans, est defes. Etenim stannum est metallum admodum sulphureum, & cui aliud quid, ratione sulphuris aperti, non æquatur, hincque stannum sociatum aliis metallis eadem irreducibilia aut admodum difficulter reducibilia facit, ac propterea *Diaboli metallorum* nomen assumit: imò ob hanc sulphuris proprii abundantiam cum nitro combinatum, æmulatur subinde virtutem pulueris pyrii, quippe dum Iovis & nitri ana detonantur, strepitus, fulgor & sibilus oritur: pulvis qui remanet, est partim nitrum fixum, partim stannum fixatum, rari usus. Quidam figunt cum nitri spiritu in *Bezoardicum minerale*, sed frustra.

Nec in Spiritu.) Sunt qui spiritum Iovis tartarisatum affectant, flores Iovis vel Iovem calcinatum in aqua cremoris tartari ebulliendo, & hinc crystallisando ac destillando: interim sic spiritus tartari acquiritur Iove ipso in fundo manente.

Solutionis nitrosæ, pag. 357.) Sunt qui Iovis cum nitro detonationem in retorta tubulata capacissima instituunt: Verùm sic acquiritur Spiritus clyssiformis nitratus acidulus, qui tamen parum de Iove participat; nec adeoque prærogatiuam quandam præ spiritu nitri habet.

Cygni.) Innuit hìc GLAVBERVM *in suo Miraculo Mundi* hunc hieroglyphicum processum habentem; quo in loco etiam figuram retortæ ferreæ cum duobus rostris describit: Interim destillatur ex illo amalgamate Mercuii & Iovis cum nitro ingrediente liquor, qui est spiritus nitri soboles; quod autem remanet corpus, nullius hactenus fuit usus.

E sole prosudatione, pag. 358.) Præpono: his ex sole paratis nos vix habere opus; potiùs si velimus habere remedia ex eodem activa, requiri ad hoc negotium, ut ipsum corpus Solare suo modo vel destruatur, ut acquiratur sulphur Solare, vel saltem sulphur eius firmissimè cum Mercurio suo sociatum paulò magis extravertatur, ut ita anodyna temperatiua & diaphoretica Solaris vis exerceri queat. Iam verò hoc opus hic labor! & facilius est aurum construere quàm destruere, eiusque sulphur extravertere; hinc inter mille præparata vix unicum alicuius est pretii.

Aurum fulminans, pag. 359.) Aurum fulminans probè edulcoratum verè

verè diaphoreticum, minus verò edulcoratum laxativum existit: interim debitè tractatum tàm diaphoreticum non est.

Magis cicurati.) Cicuratur aurum fulminans per acida, quibus sic particularum salinarum, præcipuè volatilium textura, in Auro fulminante obtunditur, & plus minus invertitur, ita ut impetus displosivus particularum salinarum (in quarum displosione fulmen unicè consistit) impediatur, adeoque aurum fulminans non magis fulminare possit: indeque ab acidis cicuratum egregium diaphoreticum.

Solis cum cornu Cervi stratificati.) Sunt qui aurum foliatum cum cornu Cervi in taleolas inciso, faciendo stratum supra stratum igne fortiore per plures dies & noctes calcinant, donec pulvis quidam elegantissimè purpureus emergat: vid. SCHROEDERVS *pag.* 365. aurū nempè alteratum fuit à sale cornu Cervi. Et tale cornu Cervi cum sole calcinatum commendatur vi diaphoreticâ cordiali in febribus malignis, & speciatim in diarrhœa & dysenteria epidemica maligna. Interim quæstio semper fuit: *an pulvis ille operetur magis ratione substantiæ cervinæ? an verò ratione auri in pulverem conversi?* Et adhuc sub judice lis est: an verum sit, solutionem istam solis esse radicalem? Conferantur lites inter AGRICOLAM & DETHARDINGIVM. (cui spicula KIRSTENIVS fecit) hanc in rem habitæ, ex diversis scriptis petendę. Ego puto, illum pulverem plus de cornu Cervi participare, præsertim cùm aurum corporale ex in facilè reducibile sit; aurum enim pro usu Medico debet esse irreducibile, si rectè operare debet.

Cum sulphure.) Innuit hìc AVTOR ZWELFFERVM, qui in *Mantissa Spag. pag.* 310. hos habet processus, ex quibus emergit Basilii *Purpur-Mantel*, i. e. *Pallium purpureum*: nempè solvitur aurum in aqua regia, hinc solutio, menstruo abstracto, cum sulphure calcinatur repetitis vicibus, sic emergit pulvis purpureus; vel etiam amalgama Solis & Mercurii retortæ inditur, hincque separato Mercurio remanens pulvis solaris, qui cum sulphure calcinatus evadit purpureus: cui BASILIVS VALENTINVS superfundit spiritum salis dulcem, quem abstrahit, hinc spiritum vini desuper accendit; ita emergit pulvis levis, Ger. *der Purpuran Mantel* dictus. Cęterùm commendat aurum ita præparatum inter diaphoretica, epileptica & antepileptica: interim hanc laudem AVTOR in medio relinquit, præsertim cùm remedium hoc rarò usurpetur, imò rideatur ab iis, qui aurum irreducibile pro usu Medico expetunt, quod est perfectæ ejus solutionis signum.

Solis quoque crocus, pag. 360.) Intelligit hìc AVTOR ZWELFFERVM *in Mant. Spagyr. pag.* 369. qui per solutionem salium, nempè nitri, salis, & aluminis, in aqua facit crocum solis: sed integrum corpus solis: Vel etiam eadem salia impastantur cum argilla & destillantur, sic prodit spiritus solvens aurum; quod solutum cum sale tartari in crocum sublimari potest: Vbi prior de terra aluminis participat; quando enim solutioni illi instillatur sal tartari, tunc hoc absorbendo acidum aluminis præcipitat ejusdem terram cum croco simul solis, sicque non habetur pulvis solis solitarius.

Tinctura antimonii.) Hunc processum habet ZWELFFERVS *l. c. pag.* 321. & est is, quando crocus solis cum tinctura antimonii crebriùs insuccatur, quod incerare vocant; interim talis crocus juvat potiùs ratione Tincturæ antimonii, non autem solis.

Bezoardico solari.) Vires suas obtinet non quidem à sole, sed ab antimonio: Vid. SCHROEDERVS *pag.* 412. *& seq.*

E scoriis.) Notum est ex aurifabrorum officinis, quod aurum corruptum purificetur per antimonium in igne fusionis, quod exprimunt subtiliores & sublimiores Philosophi per devorationem regis sive solis à lupo seu antimonio: Quod Germani ita efferunt: *der Wolff verschlingt den konig, und giebt ihn reiner von sich*, id est, *Lupus devorat regem, eumque puriorem postea de se reddit*: ita namque regulus solis purissimus in fundo crucibuli remanet; scoriæ autem relictæ dant antimonium solare, quod cum triplo nitri fixatum, exhibet antimonium diaphoreticum solare: interim nec hoc plus præstat, quàm vulgare antimonium.

Solis & antimonii.) Dubium oriri potest in sociatione antimonii & solis, an non cùm ambo de sulphure solari participent, unum aliud exaltet? Sed nil esse probat, quia antimonium diaphoreticum simplex idem præstat vid. ZWELFFERVS *Mantiss. Spagyr.*

Præcipitatus Solaris regulinus, pag. 361.) Hunc processum habet SCHROEDERVS *pag.* 403. sed mancum; potius ita procedendum est: Nempè

℞. *Reg. antimonii* ℥j.

Solve in aqua forti, vel aqua regia: Dein

℞. *Auri fini* ʒij.

Solve itidem in aqua regia: Tandem

℞. *Mercurii vivi* (quem omisit *Schrœderus*) ℥iv.

Itidem solve in aqua forti.

Tres has solutiones confunde, & cum hisce denique procede *more Schrœderiano.*

Mercurio dulci solari.) Hunc refert ZWELFFERVS *Mantiss. Spagyr. pag.* 355. ubi sociat cum Mercurio dulci crocum solis. Idem amalgama solare habet *pag.* 359. spontaneâ præcipitatione paratum.

Sed & absque Sole.) Omnia hæc citata remedia sunt quidem egregia, & speciatim vi diaphoreticâ insignita; quod verum est. Interim dicit Autor, eadem & absque sole viros se sistere: quasi diceret, horum exaltationem cùm sole non esse necessariam; si modò sufficienter fixata & circumspectè exhibita sint, idem possunt præstare, cum Mercurius dulcis per se, pulvis præcipitatus regulinus fixus per se, Mercurius præcipitatus per nobilia sint, e[illegible] absque sole.

In cerationes per propria.) Hoc ipso intelligit AVTOR *noster* unicornu solare Mynsichtii cum spiritu ex minerâ solis, utut parcissimo prolectò paratum.

Lunarisvè.) ZWELFFERVS sc. ex lunæ minera parat spiritum solventem.

Volatilisatione, pag. 362.) Nonnulli & inter alia è Sole præparata illud volatilisare, adeoque non per retortam solùm, sed etiam per alembicum, mediantibus menstruis deducere voluerunt, promittentes hoc ipso oleum aliquod Solis. Interim rectè AVTOR notat SCHROEDERVM, allegantem oleum aliquod supernatans aquæ, dicendo: talia olea nihil aliud esse, quàm oleum spiritus vini; quod verissimum sanè est. Posito autem, posse aurum in corpus oleiforme redigi, illud tamen non eslet adeò leve, ut supernatet aquæ, sed cum oleum cinnamomi & caryophyllorum quoque submergi aquæ combinatum videamus, multò minus oleum solis aquæ supernatare poterit. Potiùs ergo omnia ejusmodi olea Solis, aquæ supernatantia, erunt olea ex spiritu vini addito resoluta. Facilis hìc est encheiresis: etenim, si sumatur spiritus vini rectificatissimus, & hic infundatur aquæ simplici, tunc lactescit mistura propter spiritum vini oleosum, aquæ impermiscibilem; quinimò, si eadem mistura in loco tepido ad tempus steterit, tunc oleum paratum supernatare videbitur, genitum à spiritu vini, à consortio aquæ exclusum. Pari ratione dum liquida Solaria præparantur cum spiritus vini, emergit inde quoque corpus oleiforme aquæ supernatans, ubi certa esso suspicio, illud à spiritu vini, à phlegmate suo separato, non verò ex oleo Solis, originem habere.

Post reiteratas salinorum.) Talem processum habet SCHROEDERVS, sub nomine auri potabilis cum spiritu salis; ubi jubet solutionem affuso spiritu vini per alembicum abstrahi: Verùm ita prodit simpliciter spiritus vini paulò concentratior, sole & spiritu salis in fundo vasis remanentibus. Et ejusdem valoris est illa Zwelfferi correctio & processus Schrœderianus *pag.* 368. *Num.* 8. *in Mantissa Spagyr. pag.* 322. Sic alius & elegans modus volatilisandi aurum fit beneficio spiritus nitri bezoardici, hoc est illus, qui ex Bezoardico minerali ex spiritu nitri & spiritu salis constans abstrahitur, quo ipso solutum aurum per retortam posse destillari putatur, apparentibus hinc in ejusdem collo floribus in forma rubinorum & crystallorum elegantissimarum: quemadmodum processum hunc insinuat SCHROEDERVS *pag.* 367. *Num.* 6. At pleniùs habet BOYLE *Experim.* 7. *de origin. formarum & qualitat.* Vbi tamen rubini isti nihil aliud sunt, quàm aurum corporale, à menstruo impetu ignis per retortam raptum; hinc namque iidem quoque levi aeris attactu resolvuntur in liquorem salinum, cum quibus est compactum.

Florum forma.) Optimus modus est, si in vase argenteo, tubulo à latere instructo, aurum fulminans ad gr. ij. successivè injiciatur; hoc enim cum strepitu valido alembicum candescit, ejusque parietibus sub pulveris subtilissimi & purpurei specie adhærescit, à salibus per explosionem liberatum. Flores isti cum spiritu vini, cum sale volatili vrinæ acuato, elegantem auri tincturam suggerunt. Alium modum parandi hos flores per deflagrationem cum spiritu vini, videbitis in BEGVINI *Tyrocinio Chym. pag.* 356.; ex quibus floribus cum tinctura tartari extrahi potest elegans tinctura relinquens corpus album in aurum irreducibile. Alium modum per retortulam cupream parandi flores solis ex hoc auro fulminante, vid. in GLAVBERO *P.* 2 *Furn. Philos. cap.* 26.

Gemma vitæ.) Gemma vitæ, quam describit MYNSICHTIVS *pag.* 25. maximâ sui parte constat ex sale; indeque dubium est, an illa salina vi? an verò solari, vim suam exferat?

Elixyr, per sacchari colliquamentum, pag. 363.) Intelligit hìc AVTOR *noster* illius *Anonymi*, qui TACKIVS est, *Scriptum de Consangv. solis, sacchari, & Spiritus vini*; ubi docet modum parandi aurum potabile, colliquescendo solem cum saccharo, & cum Spiritu vini extrahendo. Interim parum illud de sole participabit, utpotè cùm sacchari acidum non sufficiat croco solis solvendo.

Quærimus in auro temperatum quidpiam.) Scilicet remedia solaria non habent alium usum Medicum, nisi, ut blandâ diaphoresi ventilent liquida corporis nostri, aut quoque vi anodynâ spirituum impetus sistant: ubi generale attributum omnium sulphurum nobiliorum metallorum vi anodynâ excellere (quod itidem facit lapis Philosophorum in fluida adhuc constitutus forma) nec alium effectum positivum obtinere. Quod si ergo hac vi non insignita fuerint solaria, nihil erunt.

Cæterùm justum judicium de solaribus ferre volens, tres conditiones ratione usus Medici probè consideret: quarum

1. Est, ut observet, an corpus solare magis vel minus sit reclusum? adeoque substantia ejus sulphurea sit magis extraversa?

vel sa?secus enim aurum in corporali substantia propter in, dissolubilitatem est fine efficacia, aut si eam habet, nulla erit alia, nisi ut saturet alia acida aurum se solventia, quod in corpore sanè non est impossibile, cùm hypochondriaco Melancholici observati sint (teste MOEGLINO *in Scripto suo Aureum Vellus intitulato*, in quo tincturam solarem ex terra solari parandam habet) qui aurum corporale optimè repetitis vicibus dissolverunt. Interim cùm eundem scopum, nempè saturandi acidum peregrinum, suppleant martialia parabiliora magisque præsentanea, præsertim martialia, hinc non opus erit ad solaria confugere. Adeò ergò genuina est PARACELSI epicrisis, primum, dicentis, gradum præparandi aurum potabile esse, ut aurum reddatur volatile, & irreducibile. Hinc & solutiones, quæ aurum magis discontinuant, sunt meliores.

2. Conditio observanda est, ut consideretur: quale menstruum? & quomodo id adhibitum in præparatione solis fuerit? pro indole namque menstrui, itemque pro apparenti sæpè hinc nata tinctura, præparationes & vires solarium insigniter variant, & tincturæ solares diversas vires acquirunt, quæ non tàm ex Sole, quàm ex menstruis, plerumque ex spiritu urinæ, salis, &c. cum quibus, sed falsò, parantur, originem ducant. Tandem

3. Conditio consideretur, nempè ipsorum menstruorum, cum quibus Sol tractatur, congressus in corpus Solis, exque hoc emergens nova textura, novumque ex ambabus emergens concretum; quæ textura in causa est, ut Solatia subinde vires peculiares, distinctas à menstruorum pariter & Solis viribus, habeant, ut remedium sit activum saltem ratione texturæ. Alii per aquam regiam, per spiritum salis vel nitri Bezoardicum, Sol solvunt, quæ tantùm aurum rodunt, & in hoc coagulantur: hinc Præparata solaria, nunc in corpus aluminosum transeuntia, remedia interdum sunt styptica; interdum corrosiva; nunc ratione salium, cum quibus tractatum est aurum, laxantia, qualem & habet aurum fulminans, quod potestatem nunc laxativam acquirit, nunc sudoriferam, prout plus vel minus de menstruo participat.

Tartarum vitriolatum solarem.) Sic simpliciter fit per crudi auri cum tartaro vitriolato combinationem: Conf. HOFFMANNI *Clav. pag.* 610.

Rubinum solarem.) GLAUBERUS Solis crocum cum nitro fixo tractando in rubinum redigit, continentem tamen aurum crudum.

Vehementiores acores.) Sc. ordinaria menstrua pro Sole solvendo sunt aqua regia, spiritus nitri bezoardicus, &c. quæ dum rodunt aurum, coagulantur cum hoc; hincque aurum nunc stypticam, nunc corrosivam vim acquirit.

Oleosas insuper extractiones.) Talem Solis tincturam habet MYNSICHTIUS *pag.* 7. & B. Dn. D. GANZLAND, cum oleo destillato cinnamomi paratam; quæ ipsa aura potabilia egregia sunt propter oleum destillatum cinnamomi, quod est analepticum per se; color autem promanat ex oleo isto, coeunte cum sale Solis.

Ex carbonibus, pag. 364.) GLAUBERUM strigillat, qui cum nonnullis ex silicibus rubicundis, carbonibus, & similibus, tincturam solarem parare volunt, non secus ac BALDUINUS ex aura Solis capere gestit, habentque omnes pro fundamento hoc, quod omnia regna in radice conveniant, hinc sulphur carbonum esse ejusdem naturæ cum sulphure solari. Interim posito, sulphura ista in radice convenire, non tamen sequitur, eadem quoque in specie convenire; unde & relinquamus silices solares Salfeldianos GLAUBERO, tincturam solis ex iis prolicere conanti: Sic & AMMELUNGIUS tincturam suam vocat solarem, quæ transiret è silicibus istis dictis cum nitro; putat enim in hisce esse sulphur solare, quod per retortam simul transeat; ubi tamen iterum probetur, *an sulphur eorum sit solaris, an verò martialis naturæ.*

Mannam, rorem.) Hæc plus in recessu habent: Siquidem paratur ex his duobus spiritus seu menstruum, *mercurius mannæ* dictum, cujus beneficio quidam Chymici calcem solis in tincturæ corpus redigunt, propter participationem salis universalis: Conf. BORELLUS *Cent.* 1. *Obs.* 6.

Spiritus saturni.) Cum hoc paratur *aurum potabile Francisci Antonii* seu Londinense, de quo vid. BORRICHIUS *de Hermetica Ægyptiorum Sapientia pag.* 290. & HOFFMANNUS *pag.* 213. Interim, quia saturni spiritus non multum differt à spiritu vini, proptereà nec tinctura ista tanti valoris est; Est tamen egregia, sed non propter spiritum saturni. In operatione sunt quædam encheireses non contemnendæ.

Spiritum Microcosmicum.) Hic constat ex spiritu urinæ, & Spiritu vini, imbibitque crocum solis.

Solis per Antimonium fusionem, pag. 366.) Solis fusionem cum triplo antimonii institutam pro purificatione Regis per lupum, putat AUTOR esse prodigalem, quæ tamen purificatio solis optima omnium est, cum antimonii copiosum sulphur sub igne rodat, absorbeat & imbibat quælibet heterogenea, tàm metallica, quàm non metallica, Soli admista. Idem fit, quando in cineritio beneficio saturni purificatur aurum; nam & hìc saturninus quælibet alia metalla imbibit; & sic evadit aurum purum, utut luna adhuc permista maneat.

Ducati.) Optimi Ducati sunt Corvini, ex puro sole Hungarico confecti; qui si habeantur, non opus est purificatione solis. Etenim siquidem luna illis adhæret, hoc, dum Ducati solvuntur in aqua regia, spontè separatum fundum vasis petit.

Calcinationes.) Subinde bis terve quidam menstruum cohobant à soluto sole, ut hoc eò magis dissolvatur; interim non opus est: sed hoc labore supersedere possumus, si sumamus pro triplici abstractione triplum menstrui, & solutio in diuturniore digestione servetur; sic hæc tantum præstabit, quantum frequens illa cohobatio, ut non opus sit repetitâ abstractione.

Sublimationes cum Ammoniaco sale.) Harum una cum triplo salis ammoniaci instituta sufficit.

Cum salis & urinæ spiritu.) GLAUBERUM *innuit*, qui sc. solvit aurum cum spiritu salis, & præcipitat cum urinæ spiritu, & sublimat.

Usitatas reductiones, pag. 367.) Scilicet hoc vult AUTOR; quod quemadmodum proletariæ solis solutiones facilè sunt reducibiles, ita quoque secretiores reducantur tribus modis: nempè

1. Per *alcalica*, v. g. borracem, sal tartari, &c. cum quibus si fundatur præparatum ex sole, tunc post fusionem aurum corporale prodit, imbibentibus alcalibus sub igne illa acida, cum quibus tractatum est aurum.
2. Per saturnum, fundendo præparatum ex auro in capella; sic enim sitibundus saturnus quælibet acida absorbendo, aurum corporale sistit,
3. Tandem par ratio valet & cum *antimonio* ita procedendo, quælibet heterogenea auri adhærescentia absorbente: Unde si auro refinato affunditur spiritus salis rectificatus, hic extrahet colorem citrinum ex corpore solis, remanente in fundo corpore instar solis calcis. Solutio hæc tincta assumitur ad guttas aliquot intra corpus; tunc excrementa alvina nigerrimo colore inficientur, simili ratione atque ex remediorum martialium usu.

Jam porrò si pulvis ille in fundo sub lunæ fixæ nomine, hujusque tinctura extracta, tractatur cum borrace, aut aliis alcalibus fixis, irreducibilis manebit; sin verò is antimonio combinetur, antiquum prodibit aurum: Unde putant, sulphur antimonii Solare ingredi lunam fixam, & eandem tingere in solem. Ast res dubia est, & quæritur; an hoc fiat propter tincturam ex auro extractam, per antimonium verò denuò accedentem? an verò ob corpuscula salis intimiùs se illi jungentia & aurũ conspurcantia, ut adeò hujus nativus color hìc conspici nequeat? Ex quo patet, quod posito, solutionem aliquam auri non posse per borracem reduci, tamen illud per antimonii regulum præstabitur, absorbentem spiritum salis, & ita aurum pristinum sistentem.

Reliqua, pag. 368.) Præmoneo hìc circa lunam, eandem dicatam fuisse à Veteribus capiti ex vana hypothesi, ubi sc. tincturæ lunares cœruleæ ceu egregiæ contra vertiginem, apoplexiam, deliria, &c. iisdem fuerunt commendatæ, quæ tamen omnes sunt supposititiæ, & venereæ potius ex venere, latente in luna, prodeuntes. Et sanè, quamadmodum aliàs metalla inter se affinitatem habẽt, ita luna & venus in radice adeò cõvenire videntur, ut in rerũ natura vix ulla luna per se sine contagio veneris habeatur. Jã verò venus per alcalia ista volatilia tractata semper intensè cœrulescit, & *colorem istum ultramarinum* præ se fert, quem nunc ex luna, nunc ex lapide Lazuli productam esse putant; cum saltem productum sit Veneri, in luna vel lapide Lazuli latitantis. Et licet luna non semel, sed etiam bis & ter in capella cum saturno purificetur, nõ tamen hac ratione omnis venus ex luna solo saturno separari potest; hincque BOYLE *in Philos. Experiment.* fatetur, tincturam lunæ genuinam non esse cœruleam, sed albam: quinimò ego ipse à Chymiatro quodam audivi, se ita posse lunam à venere separare, ut illa cũ urinosis menstruis millies etiam tractata, neutiquam cœrulescat sed obscurè rubescentem tincturam sistat: cõf. *Volum. I. Act. Hafn. pag.* 132. Cum verò hæc remedia fuerint ad capitis affectus dicata, dubitatur, an luna adeò capiti conferat? uti vulgò dicitur.

Lapis Lazuli, pag. 369.) Hic & ejusdem frater nondum maturus, Lapis Armenus, imprimis participant de vitriolo veneris, de luna parum; imò sunt, qui & aurum è lapide Lazuli elici posse contendunt, quo de vid. BOETIUS *de Gemm.* Interim dubito hìc, an ille sit verus Lapis Lazuli? Qui lapidem Lazuli in tincturam cogunt, hi nauseam illa ipsa concitantes, nihil efficaciæ ejusdem usu in Praxi Medica præstant.

Lunæ fixa ex Aquaforti cum muria præcipitato Magisterio.) Sanè Magisterium lunæ nullius videtur pretii: posito tamen, non concesso, lunam usum habere in corpore humano, AUTOR bina selecta remedia ex eadem ponit: unum siccum, estque hoc Magisteriũ ex luna, cum aqua forti soluta; & cum muria præcipitata factum; muria enim

enim optimè præcipitat ex aqua forti lunam puram: si cum alcalibus præcipitetur, alcalia acido aquę fortis adhærent, & sic novum concretum emergit.

Tincturam quorundam siccam.) Hæc fit ita:

℞. *Sal. vol. urinæ*:

Hocque *pyxidi argenteæ* inde; sic illud successivè rodit pyxidem in colorem cœruleum: Hoc sal abluatur & extrahatur cum spiritu vini, ita dicunt prodire *essentiam lunæ Lazuriam*; cum tamen sit simpliciter ea tinctura ex venere.

Liquidum, pag. 370.) Vrinosa hìc allegata lunam puram non attingunt, sed si aliquid simili modo per urinosa volatilia ex luna eliciatur, erit illud simpliciter ex venere, non verò ex luna; qualis tinctura & hæc AUTORI sest. Imò observavi aliquando, cùm puero, sub omnibus lunę mutationibus epilepsiâ correpto, daretur tinctura lunę, hunc toties vomitum passum, quoties illam assumeret. Vis autem vomitoria saltem est ex venere.

E nitrosis lunæ crystallis.) Processum hunc vid. *l.* 2. *Furnor. Philosoph.* GLAUBERI, ubi crystallos lunæ cum aqua forti factas beneficio spiritus salis ammoniaci redigit in tincturam cœrulescentem.

Volatilisationibus.) ZWELFFERUS scil. Lunam in aqua forti solutam cũ sale ammoniaco sublimat in flores cœruleos, sed venereos; hosque cum Spiritu vini in tincturam reverà veneream extrahit.

Extractionibus.) Extractiones lunares semper ferè sunt simul venereæ.

Aut Luna priùs, pag. 371.) Innuit hìc AUTOR vitriolum lunæ, quod SCHROEDERUS habet; estque, quando Luna cum floribus sulphuris calcinata solvitur cum aqua simpl. in solutum uitriolaceum cœruleum. Paratio est, si cum Mercurio calcinetur.

Per sulphur calcinationibus.) Per calcinationem cementatoriam cum sulphure, secundùm modum nempè POTERII, aperitur corpus lunæ nonnihil, ut usui Medico fiat aptior.

℞. *Lunæ cupellatæ* part. j.
Sulphuris triti part. ij.

Ex *Luna in bracteolas redacta* fiat stratum supra stratum in crucibulo, atque tum igne, supposito crucibulo, deflagrat sulphur; acida tamen ejus salia Lunæ plus minus adhærere solent: Repetitur hæc operatio bis vel ter, donec luna perfectè sit calcinata.

Florum inter nitrosorum crystallorum detonationes.) Innuit hìc GLAUBERUM, qui crystallos lunæ cum aqua forti paratas miscet cum aũa nitri purissimi, deinde misturam carbonibus ardentibus injicit, sic transit spiritus nitri, ubi simul transcendere putat flores Lunæ, sed saltem spiritus nitri prodit, & si quid prodit, est luna corporalis.

Destillationem.) GLAUBERUS etiam crystallos Lunæ cum aqua forti paratas ebulliendo cum aqua & tartaro solvit, hincque; iterum crystallisatas destillat, ita prodit spiritus tartari volatilis, de luna nihil participans.

Vulgaris vitrioli lunaris.) Hoc fit, Lunam in aqua forti solutam in crystallos inspissando: minus autem vulgare uitriolum lunæ paratur, solvendo Lunam cum spiritu nitri, & simul pręcipitando cum spiritu urinæ vel salis ammoniaci, juxta GLAUBERUM *Part.* 2. *Furn. Philos. cap.* 95. *pag.* 145.

Oleum è digestis, pag. 372.) Scilicet reuerà corpus oleiforme supernatans aquæ è solutionibus prolectum, est proles spiritus uini ni oleum redacti, ut in auro dictum.

Tartaro vitriolato lunari.) Tartarum uitriolatum lunarem vid. in HOFFMANNI *Clave*: solutioni cum aqua forti instillatur oleum tartari, præcipitatur calx lunæ, nullius effectus.

Sulphur.) In hoc duæ substantiæ excellunt: quarum

1. Est pinguis & oleosa; unde Balsamus.
2. Acida mineralis universalis.

Illud conflagrat, hoc ferit nares: Inter has pinguis proponderat, cui quasi pro corpore associatur acidum minerale primogenium.

Hinc porrò in præparandis ex sulphure remediis duo scopi attendendi sunt: uel enim ex eo efflagitatur substantia pinguis temperata, diaphoretica, eaque in specie balsamica existens (huius enim ratione quoque *sulphur Balsamum pulmonum* ordinariò uocari solet) cuius ratione ad febres malignas & pestilentiales expetita: Vel substantia eiusdem sulphuris acida, in febribus ardentibus & æstuationibus, item solutionibus & extractionibus Chymicis usitata. Atque hæ duę substantiæ sulphuris ad oculum patent in eiusdem incensione; ubi, quod flagrat, est pingue resinosum; quod verò nares ferit, est cruda saltem pars sulphuris, nempè acidum.

Crudum selectius.) Tale sulphur pro usu Medico eligit Autor, nempè purum illud, nec quisquiliis alienis mistum: Atque studio hoc facit, cùm notum sit, sulphur pro usu medico aliàs depurari, idque ideò, quod subindè sulphuri minerali communi quoddam uolatile arsenicale miasma & uenenum sulphureum adhæreat, pro cuius separatione uariè depuratur sulphur. Nihilominus tamen crudum sulphur præfert eiusdem floribus, eò, quòd ęquè sub huius sublimatione illud arsenicale sulphur ascendere queat.

Citra præparationem, pag. 373.) Hac nempè triturâ sulphuris cum aqua non opus est, sicut nec extractione, nec inceratione, quas habet ZWELFFERUS *in Mantissa Hermet. pag.* 307. dum liquefactum suphur nunc in aqua calcis vivæ extinguit, nunc cum cera liquefaciendo illud depurare intendit: Conferatur THURNHEUSERUS *de Aquis mineral.* Verùm his præparationibus defraudatur magis sulphur suâ pinguedine, quæ tamen maximè desideratur.

Cum salis spiritu.) Hanc habet GLAUBERUS *part. I. Oper. p.* 105. præparationem, quâ flores pariter ac sulphur ipsum purificare intendit; sicut & alii recipiunt sulphur crudum, huicque affundunt spiritum salis, ut instar pastæ concretum emergat, quæ destillata suggerit liquorem lacteum, constantem ex spiritu salis & sulphure, ac admodum laudatum ad hydropem.

Sublimationem.) Solent communiter pro purificando sulphure id in flores sublimare, quæ sublimatio à præsenti sulphure est superflua, cum, quicquid uolatile eidem adhæret, hac ratione non corrigatur. Cæterùm, quemadmodum si flores expetimus eiusdem, iidem ex sulphure crudo simplicissimè parati sunt optimi; ita, qui per addita uaria acida fiunt, ut plurimum sunt nullius pretii: quippè cum sale communi aut uitriolo calcinato sublimati flores sulphuris, corrosiuam uim acquirendo, magis sic castrantur, quàm exaltantur, & sulphur ipsum patitur jacturam, annotante HOFFMANNO *Clave pag.* 300. Par ratio ergo, si sublimatio florum sulphuris cum coralliis additis instituitur, quasi nempè aliquid sulphuris ex coralliis unà in sublime ueheretur: uana est persuasio; non secus ac inanis operatio, quando flores sulphuris unà cum gummatibus, v. g. myrrha, thure, mastiche, croco, &c. sublimantur, quippè sub sublimatione florum sulphuris, intensiorem ignem requirente, gummata illa addita comburuntur, & empyreuma contrahunt, inde flores sulphuris empyreumatici surgunt teterrimi saporis & odoris, imò & virtutis destructæ existentes.

Formulas, pag. 374.) Quia Sulphur crudum selectius & flores ejusdem possunt ex tempore aliis remediis admisceri, hinc non opus habemus compositionibus ex sulphure prælongis.

Pulverem, pag. 375.) Pectoralem polychrestum hìc intelligit AUTOR, constantem ex ana sulphuris puri, radicis ireos Florentinæ, & radicis aronis: quæ tria sunt pro pulvere pectorali aliis admiscendo. Prodest hic pulvis in affectibus pectoris à lympha salsa acri oriundis: & si combinetur cum opio, medebitur tussi catarrhali; sicut cum Antihectico Poterii in metu hecticæ, & cum antimonio diaphoretico in metu pleuritidis suppuratæ aut quoque empyematis, egregius erit.

Lac sulphuris.) SYLVIUS *de Phthisi* §. 191. Sulphur crudum seu eius flores lacti sulphuris anteponit. Notetur autem circa hocin genere: Sulphur ratione pinguedinis occultæ imprimis solvi per alcalia, operantia in pinguia acida; è contrà menstrua acida non agere in sulphur; indeque præparare Autores ex sulphure remedium, dum illud cum alcalibus, nunc quidem in forma sicca, nunc verò humida, diversimodè solvunt, & fieri solutionem rubram (nam alcalia cum sulphureis ex pinguibus combinata rubescunt) quæ ab acido præcipitatur in lac sulphuris ita vocatum. Cæterùm prout variant alcalia, & prout variant viæ siccæ & humidæ, ita multiplex datur modus parandi lac sulphuris. Et quidem in via humida recipi solet lixivium ex sale tartari, vel nitro fixo, vel calce viva paratum, quæ lixivia omnia solvunt sulphur in rubicundam tincturam, pręcipitandam per acida, atque urinam recentem; ita calx præcipitata vocatur Lac sulphuris.

Vel in via sicca:

℞. *Flor. sulphuris*, seu *sulphuris crudi*,
Sal. tartari an. part. æqu.

Hinc Sali in crucibulo fuso ingeratur sulphur, sic ambo coeunt in corpus rubrum excellenter fœtidum: dein concretum hoc solvatur in aqua, & præcipitetur per *acida*, ut *vinum*, vel *spiritum vitrioli*; sic cadit pulvis candidus.

Interim cùm hoc lac sulphuris per præcipitationem acidorum paratum participet simul de acido præcipitante & alcali solvente, hinc rectè ZWELFFERUS *in Mant. Spag. pag.* 400. & 401. hoc Lac sulphuris reijcit; imò ego nunquam hoc usu fui: per præcipitationem enim cum acido factam virtus sulphuris maximam partem destruitur, ut etiam indissolubile fiat, & vim ignis magis sustineat.

Florum extus albificatorum, pag. 376.) Sunt quidam ita operosi, ut sulphuris floribus per acida, nempè nitri vel salis spiritum, eosdem tractando, colorem albicantem concilient; ubi tamen loco ipsorum lac sulphuris sufficere potest.

Balsamicorum.) Balsamorum omnium fundamentum hoc est, quod præprimis olea destillata, & hinc expressa quoque, turgeant sale volatili urinoso, (cùm verissimum putem, olea destillata esse salia volatilia concentrata;) sicque eorum salia agant in pinguedinem sulphuris occultè acidam, hancque pro more omnium alcalium solvant, ut adeoque ab oleis isti sulphur solutum denominetur *Balsamum sulphuris*, interno pariter pro usu, quàm externo chirurgico, egregium. Cæterùm præfert AUTOR Balsamum sulphuris terebinthinatum, qui in phthisi specificus est, itemque in nephritide, & speciatim in mulierum affectibus, obstructione mensium, & torminibus abdominis, ex acido vi-

scido

ſcido natis; ſicut loco olei terebinthinæ *cum oleo deſtillato fœniculi vel aniſi paratus balſamus ſulphuris* dicatus eſt pectori; item cum ſuccini oleo pro affectibus nervoſarum partium; & tandem cum juniperi oleo pro renum affectibus: ac doſis omnium eſto guttæ x. xv. ad ſummum xx.

Tincturis illis.) Sunt, qui ex ſulphure crudo per Spiritum vini parant tincturam; interim tamen parum ſpiritus vini, niſi imprægnatus fuerit ſale tartari, ex ſulphure elicit: Alii à balſamo ſulphuris terebinthinato abſtrahunt ſpiritum vini, hincque ex magmate extrahere volunt tincturam; ubi tamen hæc parum de ſulphure participat.

Vitæ Balſamo, pag. 377.) De hoc CORNERUS *Tractatum ſpecialem ejusdem nominis* edidit; interim modò habeatur balſamus ſulphuris, tunc is ex tempore cum myrrha miſceri poterit.

Coralliſato.) Ex coralliis taliter nihil extrahitur.

Antimoniato.) Hîc balſamus paratur more conſueto, loco ſulphuris communis ſulphur antimonii auratum ſumendo, & ſanè egregius hic eſt pro uſu externo: Conf. POLEMANNUS.

E crudo.) Si è Sulphure parandus eſt balſamus, vulgò ad part. j. ſulphuris ſolvendi duplum olei ſolventis ſumere præcipitur, cum tamen potius partes jv. vel vj. olei, uni parti ſulphuris reſpondeant; & quidem non per digeſtionem diuturnam, ſed ſimplicem ebullitionem procedendo in retorta, adhibendo paulò fortiorem ignem, ſic intra horæ ſpatium fieri poteſt.

Sulphuris hepate.) Præparatio hepatis procedit viâ ſiccâ ita; nempè

℞. *Sulphuris,*
Sal. tartari an. part. æqu.

Liquefacta in crucibulo exhibent corpus rubrum, ejus *hepar* dictum: Huic adhuc calido affunditur ſpiritus vini, ſic emergit tinctura Sulphuris elegans inteusè ſaturata.

Vel & affunditur hepati illi oleum terebinthinæ internè; vel hyoſcyami vel raparum pro uſu externo: Sic genuinus paratur Balſamus ſulphuris; quippè dum alcali illud fixum diſſolvit pinguedinem ſulphuris, hincque ſpiritus vini ſuperfundatur, radicaliter fit ejusdem ſolutio, & elegans fit tinctura ſulphuris.

Cum ammoniaci conſimilive urinoſo ſpiritu, p. 378.) Taliter parata tinctura ſulphuris alius eſt uſus, & conf. BOYLEUS *Tr. de Coloribus*, ubi docet hunc modum;

Nempè.

℞. *Calcis vivæ,*
Sal. ammoniaci an. part. æqv.
Sulphuris part. dimid.

Diſtillat per retortam, ita prodit ſpiritus rubicundiſſimus ſeu tincturalis ſulphuris inſtar ſanguinis rubra, à ſpiritu ſalis ammoniaci ſoluta.

Cæterùm hanc tincturam non adeò æſtimamus, quippè ſi tantillum aquæ eidem adſpergatur, crudum denuò Sulphur præcipitatur, vel etiam ſic aliquandiu aſſervetur, ſpiritu volatili ſpontè exhalante, crudum ſulphur in fundo ſubſidet.

Lunam.) Mineralia & Vegetabilia ſulphura cum alcalibus ſoluta, ſi iisdem calidis intingatur Luna, hanc inſtar ſolis, ſed ſuperficietenus, rubificant: Sic ſolvi cineres in aqua & pulvere carbonum inſperſa ſolutioni filtratæ fervidæ immiſſi monetam argenteam, quæ tincta fuit colore flavo.

Oleoſus ille liquor.) Hunc SCHROEDERUS *pag. 507.* habet ſub nomine *olei ſulphuris Cloſſæi*; cujus proceſſum tamen rectè hìc AUTOR corrigit.

Reliqui communes.) Præparationes ſulphuris reliquæ cum pumice *pag. 507.* ſub nomine *olei ſulphuris aurati*, item cum colcothare factæ in SCHROEDERO & aliæ, ſunt ſaltem luſus quidam.

Externum Balſamum, pag. 379.) Docet nunc AUTOR *noſter* parare *Balſamos ſulphuris ad extra* cum *oleo hyoſcyami*, vel *papaverino*; quæ ſi deficiant, *oleum nucum expreſſum* aſſumi poterit: Talis Balſamus in mammarum affectibus, & omnibus recentibus vulneribus & ulceribus egregius eſt. Imò mihi conſuetum, ut recipiam oleum *infuſum florum hyperici*, cui addo ſextam vel octavam partem *olei terebinthinæ*: dein in retorta vel cucurbita, addendo flores ſulphuris, ebulliendo compono *Balſamum ſulphuris vulnerarium ad extra*, quòd citò, tutò, & jucundè curat vulnera.

Amygdalino.) Cum hoc oleo paratur *Balſamum ſulphuris externum Rulandi*, cujus deſcriptionem habet ROLFINCIUS *Chym. pag. 224.* Interim, cùm ſal tartari nimis ſit acre, potiùs ſolvatur ſulphur in oleo illo, hincque addatur camphora, quæ conſtat alcali volatili oleoſo; quod Balſamum in caſu inflammationum, abſorbendo acidum, eſt nobiliſſimum.

Conſimile è Sutoria, pag. 380.) *Emplaſtrum diaſulphuris* optimum fieri poteſt ita:

℞. *Pix Sutoria*:

Cui liquefactæ inſpergatur *ſulphur minutiſſimè pulveriſatum*, vel *myrrha*, *ceruſſa*, & alia pro diverſis intentionibus: hinc benè agitata redigantur in formam emplaſtri; quod extendendo ſuper linteа pro emplaſtro diaſulphuris Rulandi extemporaneo poteſt adhiberi.

Aqua calcis vivæ, ſulphure ſaturata.) *Aqua calcis vivæ*, cui incoquatur ſulphur, & addito parum ſpiritus vini, eſt remedium externum in ſcabie, abluendis ulceribus, eryſipelate, &c. egregium. Aqua calcis vivæ, ſulphur, & ſpiritus vini pro quibuſvis indicationibus Chirurgicis ſufficiunt.

Spiritus.) Acidum hujus ſulphuris per ſe collectum dicitur ſpiritus: ubi tamen notandum, quod ſpiritus ſulphuris & vitrioli ſint unum & idem, cùm acidum ſulphuris in mineris, venam martis & veneris rodendo, in vitriolum coëat, quod & deſtillatum exhibet ſpiritum. Hoc probatur: ſi enim recipiatur ſulphur & limatura martis, & invicem calcinentur in crucibulo, tunc ſulphuris ſpiritus acidus rodit martem; hinc mixtura extincta in aqua ſimplici & evaporata dabit *vitriolum* Martiale, quod deſtillatum dat ſpiritum vitrioli acidum, qui eſt ſpiritus ſulphuris, quem priùs imbiberat mars ſub calcinatione: Ut itaque præſente ſpiritu vitrioli rectificato, carere queamus ſpiritu ſulphuris. Interim ſi non fuerit ſpiritus vitrioli rectificatus, & participet de ſubſtantia martis & veneris, (quæ ſimul ſub ignis tortura per retortam tranſeunt, ubi tamen ſuſpecta eſt ſubſtantia metallica) tunc melior eſt ſpiritus ſulphuris: præſertim cùm ejusmodi ſpiritus vitrioli inſtar aquæ limpidus, poſt aliquot ſeptimanas in vitro aſſervatus evadat obſcurus; nempè ſubſtantia metallica ſpontè præcipitatur: contrà ſpiritus ſulphuris ſemper manet immutabilis. Jam verò fundamentum ſpiritus ſulphuris parandi conſiſtit in hoc, ut pinguedo ejusdem à ſubſtantia acida ſeparetur, adeoque ſeorſim habeatur ſpiritus ſulphuris: Hoc autem optimè fit, ſi pinguedo inflammetur; ſic enim acidum ſeorſim acquiritur, nec deflagrat illud contra BECKIUM.

E campanis, pag. 381.) Si paulò copioſum Spiritum per campanam habere velimus, incendatur in eodem conclavi, ubi eſt campana, nitrum; hac enim ratione acidum hoc nitri inſtar magnetis ſe habet, aeris acidum allicientis, adeoque ſulphure incenſo acidum ejus intendentis in ſe parciſſimum. Sal ex capite mortuo ſpiritus ſulphuris parat idem SCHROEDERUS; interim niſi illud denuò ſpiritu ſulphuris irroretur, parum aut nihil accipietur.

Perfumationibus.) Aqua ſimplex ſulphure acidulata prodeſt vel per ſe pro corpore Juleporum, vel rectificata pro ſpiritus ſulphuris collectione.

Liquorem in florum confectione.) Scilicet dum ſublimantur flores ſulphuris, in ſupremo alembici foramen aliquod relinquendum eſt pro phlegmatis, vaſa aliàs rumpentis, prolectione, quod ejusdem naturæ eſt cum phlegmate vitrioli acido. Quidam apponunt recipiens.

Factitio ſale ammoniaco.) Sal ſcil. ammoniacum eſt compoſitum quid ex minerali & animali regno.

Flores, pag. 382.) Nempè ſalis ammoniaci purificatio ita inſtituitur: Solvitur ſal ammoniacum in aqua, hincque ſolutio immittitur cucurbitæ altæ, ſupernâ ſui parte anguſtæ (*non abruptæ*) evaporaturque per arenam, ſic phlegmate evaporante ſal ammoniacum puriſſimum lateribus vaſis adhæret, quod ſufficere poteſt internè pro ſcopo diaphoretico. Interim communiſſimus modus eſt ſequens:

℞. *Sal. ammoniaci,*
Sal. tartari an. part. æqu.

Deſtillantur blando igne, ita prodit ſpiritus urinoſus & volatilis: hinc caput mortuū in cucurbita alembico ſuo munita paulò intenſiore igne urgendum eſt, ita aſcendunt flores ſalis ammoniaci flocciformes & lanuginoſi candidi, & egregii pro ſcopo diaphoretico & ſtomachico.

Corallia.) Sunt, qui miſcent anaticam aut duplicem partem ſal. ammoniaci cum j part. coralliorum, hæcque probè trita ſublimant; ſic acquirunt flores ſalis ammoniaci nonnihil incarnati coloris, ex quibus quidam Tincturam Coralliorum, utut parciſſimam, parare geſtiunt; ſicut ex adverſo alii ex capite mortuo relicto eandem quærunt, at itidem parciſſimam.

Martiales.) Ex ſale ammoniaco cum limatura martis ſublimato triplices acquiruntur flores: nempè in ſublimiori vaſis loco apparent candidi; in medio verò flores flaveſcentes, & ſulphure martis aliquantulum imprægnati; in fundo verò nigri. Cæterùm quemadmodum priores in affectibus hypochondriacis præ martialibus aliis nullam prærogativam habent, ſed purum ſal ammoniacum ſunt; ita nigri flores ſunt ſtyptici, & in liquorem intenſiſſimè ſtypticum, præ tinctura tamen vitrioli & martis nihil peculiare obtinentem, reſolvuntur.

Subtile illud ammoniacum, pag. 383.) Si ſpiritus acidus quoque miſcetur cum aliquo ſale volatili, obtinetur inde ſal ammoniacum quoddam medium, quod tamen nullam præ ſale ammoniaco communi prærogativam habet.

E martiali.) Remanentia è ſale ammoniaco & marte, aut hæmatite, in deliquium prona facilè in liquorem intenſè ſtypticum fluit.

Salis martis purgantis.) Hoc non purgat, quin potius eidem meritò ſubſtitui poteſt vitriolum martis, idque præcipuè ex minera Martis ſolari paratum.

Ex ſale ammoniaco acidis ſpiritibus, pag. 384.) Sunt, qui volunt ex ſale ammoniaco acidum ſpiritum parare, præſertim cum huic combinatum Sal commune adhuc habeat ſuum ſpiritum acidum.

ZWELFFERUS parat talem, miscendo hoc sal ammoniacum cum farina: sed hoc modo prodit inde liquor acidulus quidem, qui tamen est ex farina, & non ex sale ammoniaco; sicut quem habet AUTOR *pag. præcedente* ex sale est, cuius spiritus acidus secum simul rapiendo particulas subtiliores martis flavescit, hincque aliquali sapore subdulci præditus est.

Non nemini nuper.) Zwelfferus sc. spiritum salis Martialem ex marte & sale ammoniaco parat, qui tamen prærogativam nullam præ spiritu salis communis habet.

Nitrum fixum ammoniacale, *pag.* 385.) Innuit hîc AUTOR *fixationem* nitri cum sale ammoniaco factam, cujus modum docet WEDELIUS *anno* 2. M. A. N. C. *pag.* 298. qui partibus ij. vel iij. *nitri fluentis* in crucibulo, ingerit *part. j. salis ammoniaci*, sic inflammatur nitrum, & alcalisatur in nitrum fixum. Interim fixatio hæc non est adeò laudabilis, cum tardè inflammatio fiat, flammaque non continuetur, indeque acquiratur nitrum saltem semifixum, magnam partem ex nitro crudo & aliqua tantum nitri fixi parte constans. Potius ergo nitrum figatur per subjecta sulphurea.

TITULUS X.

DE

DIURETICIS VEGETABILIBUS.

DIuretica:) Selectiora *ex Regno Vegetabili* sunt: Rhaphani, tam orbicularis quàm rusticanus, alkekengi, parietaria genuina, pastinaca lutea, fœniculum, daucus, hedera terrestris, betula, cynosbatus, semen violarum, baccæ juniperi, terebinthina, & hinc balsamus de Capaive, tandem tartarus, & hujus ratione vinum & acetum: Quibus accensentur etiam apium, petroselinum, saxifragia, asparagus, fragaria, lithospermon, genista, bardana utraque, pimpinella, faba, tamariscus, item fraxinus, ruscus, filipendula, eryngium, mespilus, amygdalæ amaræ, asarum, dipsacus, muscus clavatus. lignum nephriticum, allium, &c.

Ex *Regno Animali*.) Selectiora sunt: cancri, lumbrici, cantharides & canthарelli, aselli, scorpiones, testæ ovorum, stercus columbinum: Hisce annumerantur lapilli percarum, carpionum, tincæ, manati, ova struthionis, lepus, troglodites, scarabæi, bufones, &c.

Ex *Regno minerali*: *nitrum*, & hinc arcanũ duplicatum Mynsichtii, Sal commune, hinc spiritus salis dulcis, spiritus nitri dulcis, calx viua, sal volatile succini:

Ex hisce *Præparata selecta* pauca, sed sufficientia, confici possunt, nempè: pulvis diureticus, simulque absorbens, & pro usu lithontriptico cinnabarinis vel opiatis plus minus mistis: Sal fimi columbini vel stipitum fabarum sit loco omnium aliorum: Extractum alkekengi succosum, item rob Juniperi sit loco omnium talium: Oleum destillatum terebinthinæ quibusvis cæteris oleis præstat: Betulæ liquor alia potulenta diuretica æquat: Tandem infusum ex raphano rusticano alia, utut magis celebria, æquat: Syrupus parietariæ, emulsio ex violis, &c. sit loco aliorum congenerum. Denique clyssus quidam, tàm acidus ex nitro, Sulphure, & antimonio, quàm urinosus ex tartaro & nitro, cum vel sine antimonio, tincturæ nephriticæ nomine aliàs veniens, instar plurium aliorum sufficiant.

Tartarus, *pag.* 386.) De huius nativitate & natura, indeque parandis remediis diaphoreticis, supra dixi; Unde hâc vice saltem considerabimus tartarum depuratum, & ex eo paratum sal fixum, dehinc tartarum vitriolatum, item tartarum tartarisatum, & Sal essentiale tartari, nec non Tartarum Martialem, quæ omnia sunt egregia remedia: sicut in forma liquida pro selectu sunt Tincturæ ex tartaro diureticæ, hæque ex tartaro tartarisato, æquè ac ex Tartaro cum calce viva subacto, & hinc spiritus volatilis tartari præsertim ex sale fixo elicitus; ac tandem oleum destillatum tartari hisce, utut aliis usibus conveniat, hoc quoque simul allegatum sit.

Selectior.) Si selectior & quasi per se crystallisatus fuerit, multis laboribus circa depurationem ejusdem requisitis supersedere possumus. Etenim per hanc subtilissima ejus pars tartaro solet subtrahi, posteaquam ordinariò observamus sub ebullitione Tartari acidum aliquod volatile nares ferire, ut taceam, separari hâc ratione saltem recrementa quædam ex tartaro lignea, vel subtiliorem quendam pulverem; quæ tamen in selectiore illo & per se crystallisato non inveniuntur, cujus crassiores arenositates hâc ratione cum aqua fervida ex Tartaro non separantur; cùm si acidum tartari potest solvere corallia, multò magis quoque solvere possit has arenulas. Diceret quis: atqui inest Tartaro terrei quid separandum! Resp. Fæcem illam terream esse sale volatili refertissimam, adeoque potius retinendam, utpotè à qua maxima virtutis diureticæ pars promanat. Si autem depurandus tartarus fuerit, semel tantùm id fiat; nam quò sæpius depuratur, eò magis castratur tartarus.

Cremoris ac Crystallorum.) Horum singuli non speciatim colliguntur, sed semel depuratus spontè crystallisari permittatur. Cæterum in crystallis non raro impostura est, quippe grandiores illi præparari solent additione aluminis, cujus tamen usus absterſioni & detersioni repugnat.

Pulveris digestivi, *pag.* 387.) Notus est *Pulvis hepaticus rubeus Dresdensis*, Germ. *das Sauff oder Leber-Pulver* dictus, constans ex *cremore tartari*, *tinctura sancali*, & *spiritu vitrioli*: de quo confer. ROLFINCIUS, *Chym. pag.* 289. lenissimo verò calore exsiccandus est, quod notetur. Interim ille à cremore Tartari nil peculiare obtinet, nisi quod acidior sit propter spiritum uitrioli, adeoque stomacho magis amicus, minùs tamen abstersivus. Cæterum B. D. MICHAELIS ana *eboris sine igne* & *pulveris* hujus *hepatici* ægris phlogosibus ex primis viis laborantibus, item in casu ardoris à crapula, & vini abusu, propinare fuit solitus pro scopo abstergendi; cui tamen cremor tartari commodè substitui potest: Usurpatur ante convivium, pellit urinam, excitat appetitum, & absumit cruditates.

Vegetabilium.) ZWELFFERUS *pag.* 401. *Mantis. Spag.* habet tartarum cum fragis insuccatum: reverà tamen parum de succis vel decoctis horum Vegetabilium ejusmodi tartari participant, sed est superficialis curiositas.

Tartarus aluminosus.) Hic pro febribus fugandis ex ROLFINCIO *pag* 289. constat; singulare enim in eo latere Febrifugum dicitur: Sed curant quidem eodem febres, ast palliativè, nec adeò tutò, quin facilè recidivent. Unde potiùs alcalia & terrea loco illius sufficere poterunt.

Chalybeatus.) Tartarus chalybeatus, compositus ex *Tartaro & marte*, præ cæteris in usu est, & in morbis chronicis, cachecticis, & hypochondriacis & spleneticis egregium est remedium. Præparationes autem variant, sicut videre est ex SCHROEDERO, & ZWELFFERO *Mantis. Spagyr. pag.* 412. paucis tamen sit: v. g.

℞. *Crem. tartari* part. ij.
Vitrioli martis ritè (& præprimis ex minera Martis solaris) *parati* part. j.

Huic solutioni vitrioli Martis calidæ immittatur Tartarus vel cremor ejus, ebulliendo invicem blando igne; hinc omnia soluta permittantur concrescere in loco frigido, aut saltem ebulliendo inspissantur in mellaginem, ut consistentiam duram acquirant; ita factus inde pulvis commodè dosi gr. xv. ad ℈j. & robustis ad ʒß. dari potest.

Vel & alio modo (quo emergit *tinctura vitrioli martis* ZWELFFERI *sicca*) parari potest *Tartarus chalybeatus* ita: nempè

℞. *Salis essent. tartari* (quod est reverà *tartarus regeneratus*) part. ij.
Vitrioli martis part. j.

Hæc trita in mortario lapideo liquescunt in pulpam rubicundam sub tritura, blando igne siccandam & pulverisandam; ita emergit pulvis obscurè rubeus seu *tartarus chalybeatus*, in morbis chronicis dosi gr. xv. ad ℈i. mihi usitatus.

Sal tartari.) Hoc eligit AUTOR: utut enim nulla specialis inter alcalisata intercedat differentia, indeque cinis clavellatus sæpius satisfaciat intentioni; tamen, quia sub destillatione spiritus tartari spontè se offert sal illud, hoc commodè in usum adhiberi potest. Cæterùm loco huius ex tartaro eliciti, in locis, ubi vitis copiosiùs crescit, & sal sarmentitium subtilius & minus acre præ sale tartari communi esse potest.

Capite mortuo, etiam ulterius non calcinato, *pag.* 388.) Sunt qui caput mortuum tartari semel elixiviatum de novo calcinant, & iterum elixiviant; interim hoc labore opus non est.

Cum calce viva vel supra martem.) Sunt, qui pro acuendo Sale tartari fixo illud cum ana calcis vivæ in crucibulo fundunt, aut saltem calcinant, hincque elixiviant materiam; ita sal causticum acquirunt: quale itidem obtinetur, si sal tartari cum dimidio limaturæ martis calcinatur.

Citra figulorum.) Sunt, qui ex ignavia tartarum figulis calcinandum in sal concredunt: interim, quia hâc ratione spiritus tartari penitus evaporat & deperditur, propterea potius post destillationem eiusdem sal elixiviatur. Tandem aliqui sal tartari paratum denuò calcinat, usque dùm cæruleum colorem illud acquirat; interim nec hoc necessarium est, quippè hoc ratione diuturnioris calcinationis negotio sal tartari tandem in terream seu cineream fæculentiam abit, adeò, ut quantum per diuturniorem calcinationem quoad colorem cœruleum accedit, tantum idem in calcem terream ferè mutetur; quod cuncta & alia salia fixa toties calcinata experiuntur, accedentibus imprimis eorum in aqua extinctionibus.

Qui fixius tale quid desubito.) Hoc est, qui *sal tartari fixum* ex tempore facere vult, is recipiat ana *nitri & tartari*, hæcque in crucibulum candens iniiciat, sic calcinando & detonando dant sal tartari fixum. Interim tamen id non est purum alcali, juxta AUTOREM *nostrum*, sed de nitri acido semper aliquantulum participat, & occultè acidum manet. Hoc probari potest ex eo: quippe ante annum calcinavi antimonium crudum cum ana huius salis tartari, ex nitro & tartaro facti in via humida; ita alcali hoc compositum

positum solvebat antimoniũ in colorem croceum: huic lixivio filtrato instillabam acetum destillatum pro sulphure antimonii præcipitando; ast nihil cadebat, ex hac ratione, quod nitri acidum in alcali illo composito intensius esset, quàm acidum aceti destillati, unde nil potuit præcipitari: è contrà recipiebam & sal tartari solutum, idque permittebamus ebullire cum antimonio, lixivio facto instillabam acetum, & ecce! mox cadebat Sulphur Antimonii. Adeò ergò ad subtiliora producta chymica Sal Tartari purum, non verò hoc compositum fixum, recipiendum est.

Oleum tædiosè per deliquium, *pag.* 389.) Alcalisata quælibet, qualia suo modo, ut TACHENIUS loquitur, vacua sunt corpora, hinc facilè humiditatem ex aere attrahendo, in liquorem crassiusculum fulvuntur, *oleum Tartari per deliquium* vocatum, perinde ac si soluta essent cum aqua: ubi tamen, si solvatur sal tartari, v. g. in aqua, idem præstabit solutio, quod oleum tartari per deliquium.

Tartari vitriolati.) Sunt qui tartarum vitriolatum pro catholico digestivo commendant: ast malè; cum observaverim acrioribus suis salibus varia Symptomata in primis viis excitasse. Cæterùm paratur hoc ita:

℞. *Sal tartari in aqua solutum*:

Huic guttatim instilletur spiritus vitrioli usque ad punctum saturationis, ita cadit substantia terrea: liquor autem filtratus & evaporatus concrescere permittatur in crystallos, *Tartari vitriolati vulgaris* nomine venientes.

Vel etiam genuinior est modus TACHENII *in Clave sua*, non ex spiritu vitrioli, sed vitriolo martiali depurato, eum parantis; ita enim prodit pulvis salino-amarus polychrestus, cadente simul croco aliquo martis instar croci, internè usurpando pro tinctura martis adstringente, item externè pro ulceribus inserviente.

Elegantior adhuc.) Elegantior tartarus vitriolatus esse putatur ab AUTORE, si recipiatur tartari tartarisati solutio in aqua facta, huicque instilletur spiritus vitrioli, dein clarus ille liquor in locum frigidum ad crystallisandum reponatur; ita emergit tartarus uitriolatus majore acore præditus; loco cujus tamen tartarum uitriolatum ego commendo.

Alias noxas, *pag.* 390.) Si quæ noxæ è tartaro vitriolato surgunt, debent illæ spiritui vitrioli non debitè rectificato, adeoque de liquamine uenereo participanti, originem: nam hac ratione sæpius vomitus ejus usum insequitur, qui tamen non est è sale tartari, sed è spiritu vitrioli derivandus.

Succis concretus.) ZWELFFERUS *Mant. Spag. pag.* 417. Tartarum vitriolatum purgantem ex ingredientium vegetabilium catharticorum succis introduxit: interim tamen ille parum de vi purgante participat, cum hæc tàm ab acido quàm alcali adjunctis castrata sit.

Mineralibus.) Sunt, qui Tartarum vitriolatum cum mineralibus (sicut de antimoniali & martiali suprà dixi) & metallis impregnant: interim tamen ille de his participat parum, cum sub sui coalitu maxima pars metalli excludatur. Potius ergò tartaro vitriolato ex tempore martialia vel antimonialia, alia metalla non addi poterunt.

Ex essentiali sale tartari.) Ex hoc instillatione Spiritus vitrioli, potest & Tartarus vitriolatus confici: interim idem est corpus.

Nitratus.) Tartarus nitratus describitur à MYNSICHTIO *pag.* 16. qui tamen parum de sale tartari participat.

In ultimo nitri.) Scilicet nitrum solvitur in aqua simplici, hinc additur olei tartari parum; ita ebulliendo nitrum oprimè depuratur: postmodum mixtura in loco frigido recondita concrescat in nitrum, & inspissatione redigatur in tartarum nitratum.

Tartarisatus Tartarus, *pag.* 391.) Tartarus Tartarisatus ita conficitur:

℞. *Sal. tartari* part. jß. vel ad summum part. ij.
Tartari crudi, vel semel depur. part. iij.

His mistis affundatur aqua fervida, inuicemque nonnihil in loco calido ebullire permittantur; sic alcali salis tartari agit in acidum tartari, & efferuescunt nonnihil; tandem efferuescentià cessante, filtratus liquor per phlegmatis euaporationem in tartarum tatarisatum redigatur; ita est egregium detersiuum & blandè laxatiuum: interim raiò per se tartarus ille tartarisatus potest asseruari, quin propter alcali copiam liquescat in loco humido: unde potiùs crystalli infundi solent in spiritus uini soluente eos, adeoque postmodum sub forma tincturæ diureticæ potest exhiberi. Simile est remedium ex tartaro modernorum fermentato, quando alii lixiuio salis tartari inspergunt tartarum crudum puluerisatum, continuando hoc, donec cesset efferuescentia, dein filtratum liquorem per phlegmatis euaporationem in crystallos laminiformes concrescere sinunt, quæ tamen itidem sunt tartarus *tartarisatus*, in spiritu uini solubilis.

Balsami Tartari.) AUTOR *noster* hìc insinuat ZWELFFERUM *pag.* 417. *ex Mant. Spagyrica*.

Nephritica titulo.) Hujus tincturæ AUTOR est Dn. D. SULZBERGERUS *Archiater Saxonicus*, & sequenti modo paratur:

℞. *Calcis vivæ* part. ij.
Tartari crudi part. j.

Hæc perfundantur copiosâ aquâ frigidâ, probèq; ebulliant ad ignem; ita enim perfectè alcalisatur tartarus à calce viva: quo facto liquor filtratione separatus inspissetur in consistentiam salis, cui affundatur adhuc calido spiritus vini rectificatus, tincturam rubicundam saporis urinosi hinc extrahens.

Vulgata.) Tinctura tartari aliàs dicta & nota est: nempè

℞. *Sal tartari ritè paratum*:

Huic calenti adhuc affundatur Spiritus vini probè rectificatus, vaseque clauso in igne arenæ materia diu digeratur; hac enim ratione spiritus vini imbibit aliqualem alcali tartari partem, quod sapor urinosus docet, simulque sulphur vini texturâ suâ alteratum rubescit.

Dosis hujus est ℈j. ad ʒß. usque ad ʒj. egregiè solutiva existit, acidi destructiva & diuretica. Cæterùm perinde est, ex quocunque sale tartari hæc tinctura paretur: Utut enim verum sit, non multum salis tartari spiritum vini imbibere, aliquid tamen ejus imbibit, sapore testante. Interim hujus tincturæ loco & tartari tartarisati liquor usurpari poterit.

Spiritus vini rectificatior, *pag.* 392.) Spiritus vini sali tartari affusus, intercedente digestione longâ aliquam partem imbibit: vel etiam Spiritus vini adhuc phlegmaticus sali tartari affusus, ratione sulphuris sui hoc imbibit & solvit, parte illius spirituosa supernatante, & parum vel nihil de sale tartari participante.

E Sale Tartari cum silicibus liquato.) Glauberus multa pro more suo fabulatur de liquore silicum ceu subjectorum admodum sulphureorum; hinc & nonnulli, dum funditur in crucibulo sal tartari, adjiciendo pulverem silicum (alcali enim tartari agit in sulphur silicum) vitrum acquirunt, in loco frigido per deliquium facilè fluens: sicut alii tartaro crudo pulverisato affundunt spiritum salis ammoniaci urinosum in loco calido, & aliquid de acido imbibentem; ubi tamen loco tartari crudi potiùs sal essentiale tartari in spiritu salis ammoniaci solvendum est.

Arcanum illud seu sal essentiali tartari.) Scilicet terram foliatam tartari tradit ZWELFFERUS *in Mant. Spagyr.* sicut eandem in lingua Italica describit LOCATELLI. Cæterùm constat ea ex sale tartari, acido aceti ad satietatem usque imprægnato, quæ soluta in spiritu vini, & abstracto hoc, exhibet sal instar foliorum, quod terræ foliatæ tartari nomine venit; quæ terra nihil est aliud, quàm *Tartarus regeneratus*, Etenim, quod in destillatione tartari crudo decedit, hoc sali tartari ex aceto redit; quod probatur: Si enim recipimus sal essentiale tartari, & destillamus per retortam, acquirimus spiritum, phlegma, & oleũ, nullo modo à spiritu & oleo tartari communi differentia. Jam verò, quia sal hoc tartari essentiale facilè liquescit, propterea solvitur illud cum spiritu vini in tincturam, in malo hypochondriaco & affectibus nephriticis egregiam. Interim, quando hunc liquorem terræ foliatæ tartari cum aliis remediis miscere desideremus, seligamus ea, quæ ferunt consortium alcalinum; secus enim præcipitatio accidit: quod patescit, si recipimus uitriolum martis, hujusque in aqua solutioni addatur liquor salis essentialis tartari, tùm emergit quidem essentia rubicundissima, quæ tamen mox ab alcali tartari, præcipitante martem, post unam vel alteram horam mutatur: Unde hoc circa coralliorum & alias solutiones cum aceto factas itidem observandum erit.

Longè compendiosius, *pag.* 393.) Vulgò in præparatione liquoris terræ foliatæ tartari iubetur, ut recipiatur salis tartari ℔ß. huic affusa ℔j. *aceti destillati*, phlegmatis fiat abstractio, affundendo remanentiæ novum acetum, abstrahendo & continuando hoc tamdiu, donec acetum destillatum eodem sapore, quo affundebatur, redeat: Verùm sumatur potiùs juxta Autorem duodecuplum vel sedecuplum aceti vini destillati respectu salis tartari, hæcque mediante digestione uniantur, deinde quoque unica similiter Spiritus vini abstractio administretur; sic bino labore confectum habebimus sal essentiale tartari.

Abstractus in illa salis tartari saturatione liquor, *pag.* 394.) Hoc est, quando ab aceto destillato saturatum est sal tartari, tunc prodit phlegma quoddam acidulum, quod instar Spiritus mellis vel Guajaci inservit solutionibus opij, & purgantium Vegetabilium, item marinorum, lapillorum cancrorum, & coralliorum.

Arcanum tartari sali viperino.) Illustrat hìc AUTOR *locum illum supra pag.* 300. obuium: nempè sunt, qui salia volatilia figere volunt vel per acida, vel per spiritum vini; ac quidem per illa fit TACHENII fixatio salis viperini per salis essentialis tartari ana vel duplum, ad part. unam salis volatilis; ita acidum tartari imbibit hoc, & apparenter figendo retinet. Cæterùm loco huius ex tempore salia volatilia cum eiusmodi salsis combinari poterunt, hinc fit remedium antihypochondriacum Zwelfferi: recipit sal essentiale tartari, illudque in s. q. spiritus salis ammoniaci solutum, commendat in malo hypochondriaco: Sicut & ex tempore præscribere possimus loco digestiui in morbis chronicis:

℞. *Liquor. terræ foliatæ tartari* ʒii.
Spiritus salis ammoniac. ʒi.
Mista dentur ad gtt. xxx. xL. L.

Sal *tartari volatile, sive spiritus salis tartari.*) Nempè ex omnibus vegetabilibus diureticis vix meliora nobis, imprimis Europæis vino abutentibus, magis proficua diuretica prostant, quàm ex tartaro parata, utpotè quæ in radice cum vino symbolizantia acidum optimè corrigunt, & per urinam evacuant. Cæterùm fiunt hæc volatilia alcalia vel ex tartaro crudo, vel ex ejusdem sale fixo: De illis, cum jam suprà sub Diaphoreticorum titulo egerimus, proinde hac vice, quâ ratione sal volatile diureticum, illudque urinosum, præsertim ex sale ejusdem fixo, parandum sit, docebo; subjungendo huic deinde sal volatile, quoque acidum, ex & cum eodem sale tartari fixo proliciendum.

Salis tartari selectum, pag. 395.) Proponit AUTOR hìc dicendo: illud solum ex spiritus destillati capite mortuo assumendum esse, nec calcinationem ejus ad cærulitatem usque instituendam, utpotè oriundam ex concrematione salis istius, & in terream substantiam destructione; quin potius causticum illud seu acuatum, & per diuturniorem digestionem mediante mediocri calore in furno digestivo exaltatum, sumendum est, hocque pro parando spiritu volatili salis tartari eligit, aut quoque ex calcinatis vini siccis fæcibus illud evacuandum esse. Etenim notum est, quòd ex fæcibus vini post fermentationem relictis, perque vesicam destillatis, elicitur copiosior spiritus vini: hoc ergò abstracto, fæces in libero loco exsiccatæ, postmodum destillatæ, exhibent spiritum & volatile sal tartari, quod in magna copia ad instar nivis alembico cucurbitæ adhæret: Pariter & ex hisce fæcibus destillatis ex cucurbita elicitur spiritus urinosus & sal volatile: caput mortuum harum fæcum, sale fixo urinosissimo etiam semivolatili ditissimum eligendum proin est pro salis tartari volatilis confectione juxta AUTOREM: Ergo contrà non conducit pro hoc scopo sal illud tartari fixum ex tartari & nitri detonatione paratum; quippe remanet in illo nitri quædam acida pars, impediens salis volatilis ascensionem.

Modos ipsos, pag. 396.) Si omnes ab AUTORE adductos modos volatilisandi sal tartari fixum in spiritum aut sal volatile urinosum consideremus, nil minus acquiri videmus, quàm sal volatile; potius processus illi omnes suggerunt vel nullum, vel illud saltem adulterinum, vel ex alio subjecto originaliter derivandum, vel denique sal volatile tartari communis, non autem id ex sale fixo desideratum; cum tamen scopus curiosorum sit sal tartari fixum volatilisandi, hoc est jam alcali volatile urinosum, jam verò acidum volatile pingue, ex eo separando, reliquâ terrâ figente illâ in fundo relictâ.

Cum bolo.) Sunt, qui sal tartari cum ana boli miscentes destillant pro spiritu salis tartari volatili acquirendo: ast prodit phlegma iners, odoris urinosi tantillum insignitum.

Cum silicibus.) GLAUBERUS liquorem silicum pro volatilisandis salibus fixis commendat: Verùm nec hac ratione, præter phlegma, aliquid acquiritur.

Post substrationes.) Hic ZWELFFERI modus est *Pharm. Reg. pag.* 247. de quo BECKIUS judicium rectè fert; nempè hac ratione salia fixa fatiscere in aquæ elementum: Vid. *Collegium Chymicum.*

Per vini.) Sunt, qui pro sale tartari volatilisando illud cum vino incerant: ast hac ratione acidum vini in sale illo fixò concentratum, dat regeneratum tartarum.

Ex Tartaro tartarisato.) Hisce petit AUTOR LANGELOTTI modum *in Epistol. ad curiosos* descriptum; quo tamen spiritus tartari simplex, nec aliud quid, prolicitur.

Spiritus vini incerationes super sal tartari, pag 397.) Sunt qui imbibitione salis tartari cum spiritu vini illud volatilisare intendunt, sucedit negotium, ast tantillum ejus est, quod hac ratione prolicitur, ut labor ferè vanus sit.

Per digestiones.) Prodit se spiritus tartari rectificatus, de sale autem nihil ascendit, licet digeratur cum sale tartari.

E salis tartari, calcis vivæ, & salis ammoniaci mistura.) Nil de sale tartari participat.

Liquori, qui ex anatica salis tartari & aluminis crudi destillatione.) Sunt, qui destillant sal tartari fixum cum ana aluminis crudi, acquiruntq; spiritum urinosum copiosum; qui tamen spiritus urinæ humanæ ex alumine regeneratus est, quippe pro faciliore, pro aluminis ratione, crystallisatione, & pinguedinis vitriolicæ separatione, additur eidem urina humana. Sic si ustum alumen cum sale tartari destillemus, acquirimus, nisi alcalisata illa corpora alterata ab aere fuerint, nihil: aut si fuerint alterata, phlegma iners, tantillum urinosi præ se ferens.

Ex oleo Tartari nigro.) Id est oleum tartari fœtidū cum sale ejus fixo digestum abit in picem, quæ diuturnâ digestione absolutâ, destillata dat sal volatile tartari: Conf. HOFFMANNUS *Clave p.* 604. & *supra Tit.* 7. *ubi de Diaphor. Vegetabilibus.*

Ex anatico tartari crudi aluminisque pondere.) Hac ratione spiritus tartari simplex elicitur.

Fæcibus vini siccatis, pag. 398.) Hæ post spiritus vini abstractionem exsiccatæ, ut dictum, dant elegans sal volatile tartari & spiritum volatilem; sed quæ nil differunt à spiritu & sale volatili tartari crudi: Interim ex omnibus hactenus allegatis processibus hunc modum eligerem; vel etiam eos, qui spiritum tartari volatilem urinosum, & positivè diureticum optant, juberem, sibi pararent spiritum clyssiformem ex tartaro & nitro, primariò de tartaro, secundariò & parum de sale volatili tartari alcalino nitri participantem; nempè

℞. *Tartari,*
Nitri an. part. æqual.

Hæc additione alcali mista destillentur per retortam tubulatam, receptaculo nonnihil *spiritus vini tartarisati* includendo.

Atque sic paratum spiritum hunc carminativum de tribus præfero *tincturæ Nephriticæ Ammelungii*, ex ana *tartari, nitri, mineræ antimonii, & silicum solarium Salfeldianorum* (*qui maculas flavas habent*) quasi obtinerent aliquid de auro, prodeunti; quippe hæc destillata per retortam tubulatam in clyssum, præ se ferunt odorem & saporem urinosum, coloremque aureo-rubescentem: ubi sapor & odor ille primariò dependet ex tartaro, secundariò ex nitro; color verò ex sulphure antimonii ab alcali soluto, & simul in receptaculum recepto; hinc tinctura hæc non rectificanda est, aliàs sulphur antimoniale in fundo manet, & spiritus albidus per alembicum prodit. Atque ob hunc colorem tinctura hæc remedium hoc laudabile est in affectibus urinariis, in affetibus renum sc. & calculo tàm præservativè, quam curativè, item scorbuticis, hypochōdriacis, & hystericis, dos. gutt. 20. 30. 40 ad ʒß. in vehiculo appropriato, nempè juxta Autorem in aqua fragorum propinando: sed elegantior est *spiritus carminativus de tribus ex tartaro & nitro*, per retortam *spiritu vini tartarisati* tantillo repletam destillatus.

In quadam cornu Cervi vel cum sale tartari volatilitatem.) AUTOR *noster* hìc parandū docet; præsertim postquā loco liquoris alcahest deficientis pro solutione margaritarum & coralliorum suadet, ut discamus salia fixa; in specie tartari, in acidam volatilitatem redigere, juxta HELMONTIUM.

Liquore metallicis solutionibus.) Scil. ex sale coralliorum & sacharo saturni cum aceto destillato paratis, elicitur spiritus oleosus, vel liquor crassus; qui tamen est spiritus vini regeneratus ex aceto aut spiritu aceti rectificatus, singularem prærogativam præ aceto destillato non obtinens.

Arcani tartari.) Sunt qui, postquam acetum destillatum crebriùs à sale tartari abstractum fuerit, hoc volatilisare intendunt: & verum est, si sal tartari saturatum est per terram foliatam, acquirunt phlegma acidulum, parum acrimoniæ urinosæ obtinens; quod tamen est tantillum, & peculiarem solvendi vim non obtinebit.

Liquore de Tartaro vitriolato communi, pag. 399.) Hac ratione phlegma vitrioli acidulum, nec aliud quid, acquiritur.

Alcali tartareum cum certo bolo.) Scil. quia terræ bolares per se destillatæ dant spiritum acidulum volatilem, hinc non mirum est, AUTOREM *nostrum*, sal tartari cum bolo destillantem, acquisivisse spiritum boli, & non spiritum tartari.

Spiritu è terra foliata.) Hic spiritus est phlegma acidulum, & prætereà nihil.

Oleum tartari nigrum.) Oleum tartari fœtidum est generosissimum remedium; rectificatum quippè cum ana cornu Cervi usti, istud prodit oleum aurei coloris minus fœtens; adeò, ut ad guttas aliquot propinatum potentissimum fit sudoriferum, anticolicum & antihystericum: gravis est odoris, hoc verum est; nihilominus tamen præter usum internum, externè reverà egregium est, pro malaxandis emplastris tumores durissimos discutientibus, ita v. g. ut in mammæ tumore duro, ex lacte coagulato nato, proficiat emplastrum de galbano crocatum Mynsichtii, malaxatum cum oleo tartari fœtido, quod impositum resolvit lactis grumos: Sic & prodest idoleum pro resolvendis bubonibus & aliis tumoribus Gallicis, cum emplastris.

Emplastrum, pag. 440.) Hoc fieri potest dissolvendo sulphur in oleo tartari fœtido, hinc cum aliis in emplastrum ad imitationem diasulphuris Rulandi compingendo.

Terebinthinæ.) Ex hac eligit AUTOR spiritum seu oleum subtilius pro interno usu; sicut pro externo usu magma post spiritum destillatum relictum colophoniæ instar apparens. Cæterùm rectè terebinthina à STARCKIO dicitur *Balsamum septentrionale* seu *occidentale*, cùm, quicquid in opobalsamo quæritur, hoc in puncto balsamationis cadaverum, testante SCHROEDERO, in nostra terebinthina inveniatur: equidem vulgò Cypria eligitur; ast malè; nostra siquidem è larice elicita ejusdem est pretii & valoris.

Absque lotione.) Cruda aliquando, utut rarò, internè usurpatur terebinthina, nisi sub forma emulsionis nephrocatharticæ, fermentum lithiaseos destruentis, cum semine violarum & aqua qualicunque, aut sub forma misturarum, addito vitello ovi in substantiam lacteam redigendo: v. g.

℞. *Terebinth. vulgar. purioris, aut Cypriæ* ℥ß.
Dissolve cum s. q. *vitelli ovi*: adde paulatim
Syr. de Alth. Fernel. ℥i. ad ℥iß.
Vini Malvat. ℥vi. M.
Detur pro dosi ℥i. ad ℥iß.

Ita laxando alvum & urinam movendo, in affectibus renum & vesicæ optimè conv enit.

Cæterùm lavant aliqui priùs terebinthinam: ast hoc labore non opus

opus est, quin potius per colatorium simplex eam traijciendo sufficere potest.

Cocta.) Sunt, qui terebinthinam cum aqua igne blando coquunt, sicque in consistentiam candidam spissam pro pilulis redigunt; vel & aliis additis pilulas nephriticas compositas inde formant: ast hâc ratione oleo volatili exhausta, quasi inanis redditur; Unde potiùs destillanda est terebinthina cum copiosa aqua in vesica; sic enim prodit

1. Parum *phlegmatis aciduli*;
2. *Spiritus seu oleum subtilius*; hinc
3. *Oleum flavum paulò crassius*; porrò
4. Oleum spissum & *nigricans*, *balsamum terebinthinæ* vocatum; & tandem
5. In fine crassamentum aliquod, *colophoniæ* instar remanet.

Myrmeciorum grumi, *pag.* 401.) In cubilibus formicarum acidum spirantium, & sylvas resiniferas inhabitantium, reperiuntur grana perspicua & acidulata, ipsarum sudore impraegnata; & comparantur à nonnullis mastichi, quæ tamen melior; itemque præferunt terebinthinæ.

Sine tot pilularum.) MYNSICHTIUS *occupatur* circa plura terebinthinæ composita remedia: sed his omnibus possumus carere. Interim ex tempore illa ex terebinthina cocta, addito scammonio, rhabarbaro & similibus, parantur.

Oleum flavum.) Loco olei terebinthinæ flavi sufficere potest oleum hyperici.

Templinum.) Ex pino destillatur oleum, quod vocant *oleum templinum*.

Abietum conis.) Coni abietum immaturi perquàm resinosi sunt, & ex iis potens oleum torculari exprimi potest: sed his præpollet spiritus terebinthinæ.

Spiritus terebinthinæ.) Hic nunc per cucurbitam ex arena, cum duplo vel triplo arenæ miscendo terebinthinam, destillatur, quâ ratione prodit oleum terebinthinæ; nunc per vesicam: ubi tamen, dum illa aqua imbibit multum salis volatilis terebinthinæ, oleum volatile terebinthinæ inertius ac minus generosum prodit; sin verò cum arena ex cucurbita destillatur, prodit oleum generosum sale volatili insigni turgidum. Cæterum datur oleum hoc à gutt. v. ad vi. manè in vehiculo calido pro scopo diuretico & præservatorio nephritidis, antihysterico & colico; imò & in scabie: sic & Balsamus sulphuris terebinthinatus egregiè prodest tam in vesicæ & renum, quàm pulmonum læsionibus, & aliarum partium, itemque in declinatione dysenteriæ pro scopo consolidandi, à gutt. 8. 10. ad 15. Magma autem residuum à spiritus destillatione externè ingredi potest emplastra loco colophoniæ & picis.

Aquam in spiritus terebinthinæ, *pag.* 402.) Phlegma terebinthinæ acidulum nonnulli pro solutione ostracodermorum commendant: Interim hoc nullam præ aceto communi prærogativam habet.

De Juniperinis.) Oleum destillatum baccarum Juniperi non cedit oleo terebinthinæ in renum affectibus, nisi quod hoc magis Balsamicum sit, & corruptelæ renum magis resistere videatur.

Baccarum alkekengi.) Ipsa planta est ex Solanorum genere, adeòque non secus ac nicotiana, hyoscyamus, & solanum furiosum, vi anodynâ & vi narcoticâ pollent: Interim tamen fructus alkekengi sapore nitroso diuretico, & abstersivo constat; indeque Veteres ex iisdem trochiscos, cum & sine opio, pro affectibus urinariis, ardore urinæ, difficultate ejus, excoriatione aut exulcerationibus renum & vesicæ, ordinariò confecerunt: vid. ZWELFFERUS. Nos verò horum locò cum AUTORE *nostro* commendamus eorum Extractum, hoc est succum expressum, & post trapscolationem blando igne in consistentiam mellis inspissatum, qui dosi ʒß. ad ʒj nunc solitariè, nunc cum aliis mistus, pro scopo diuretico & nephritico egregius est.

Hederæ terrestris Extractum, *pag.* 403.) Planta hæc est nobilissimum simplex, & magnum Dei donum: præter vires pectorales & antipleuriticas; in sputo sanguinis, phthisi, & tussi phthisica, Peripneumonia, &c. imprimis quoque diureticum habet usum, adeoque conducit tàm præservativè, quàm curativè pro scopo præservationis à calculo, in mictu cruento, itemque renum & vesicæ ulceribus: Sic habeo hìc mulierem, Professoris cujusdam coniugem, quæ creberrimè calculo, passione hysterica, itemque mictu cruento, ictero, &c laborans, usu hederæ terrestris decoctæ se curavit, & etiamnum præservat. Adeoque ergo duplex est hederæ terrestris usus; nempè vel in decocto, decoquendo cum aqua vel cerevisia (quo pacto saporem herbaceum refert, indeque melius est, si decoctio eius fiat cum ana cerevisiæ & aquæ condiendæ pauco melle vel in Extracto, ebulliendo eam in aqua, seu in succum exprimendo, & colatum inspissando & cum saccharo condiendo: contrà eius aqua iners est, sicut & Syrupus ob sacchari copiosioris ingressum.

Destillatæ.) Aquæ diureticorum simplicium pro scopo medicamentoso præstant id, quod aliàs aqua simul pro scopo alimentoso; nempè sunt vehicula saltem aliorum remediorum, indeque rectè eligit AUTOR *noster* aquam fragorum destillatam pro vehiculo, recipiendo fraga contusa, eaque addita aquâ, parcè spiritu vini acuatâ, per vesicam vel cucurbitam destillat, sic emergit aqua illa durabilior.

E persicorum, *cerasorum*, *&c. pag.* 404.) Nonnulli semina oleosa aquis diureticis destillandis addunt: sed iusta est ZWELFFERI censura; nempè talia parum virium suppeditare, quin potiùs ex iis emulsiones blandè diureticas parandas esse; quæ, si addatur semen violarum purpurearum, fiunt magis præsentaneæ.

Calidiores eiusce modi aquæ.) Sunt, qui pro scopo præservativo in nephritide usurpant spiritum iuniperi, quod & bonum est; Sicut alii capita allii spiritu vini infundunt: interim tamen ejuscemodi remedia non semper æquè tuta sunt, cùm fumosa existentia ardores renum soleant intendere in illis, qui aliàs iisdem vexantur. Porrò, alii adhuc fraga recentia spiritui infundendo hunc subinde hauriunt pro scopo præservandi & curandi nephritidem: sed de hoc idem iudicium ferendum est, ac de aliis; nempè non semper euporiston hoc, præsertim in junioribus, locum habebit.

Fraga, *pag.* 405.) Copiosam hæc urinam fundi faciunt, & prætereà phlogoses & æstuationes corporis blandâ temperaturâ solent sistere. Potest etiam ex fragis recentibus fieri elegans Julebus ad imitationem TIMÆI à *Gulden-Klee in suis Responsis pag.* 16. non secus ac ex rubo Idæo similis Iulebus elegans & suavis paratur: vid. *idem pag.* 433. Rarum est, quod singularem vim diaphoreticam in fragis observaverit BARTHOLINUS, *Cent.* 3. *Observat.* 54.

Ononidis sal fixum.) Sal fixum Ononidis, idque nunc simplex, nunc cum aliis compositum, elegit AUTOR. Et quidem *Ononis* triplex existit, nempè *alba*, *flavescens*, & *incarnato colore*. Quæcunque calcinatione copiosum sal fixum suggerit, juxta sal tartari pro scopo diuretico commendandum, modò non nimis illud calcinetur, annotante hoc TACHENIO *in Hipp. Chymico*. Etenim salia illa fixa ex diureticorum calcinatione facta non sunt simpliciter lixivialia, sed verè salsa, adeòque ex urinoso & acido sapore conflata; imò urtica, stipites fabarum & genista ritè calcinata fiunt moderatè salsa, absque quoque sulphuris aut spiritus vitrioli additione, dosi gr. xv. ad ℈j. imò ʒß. usurpanda.

Sulphuratum, *aut vitriolatum.*) Non opus est, ut salia dicta sulphurentur vel vitriolentur, quia hoc modo castrantur.

Saxifragiam albam, *pag.* 407.) Hæc in se raro usurpata est, quia parum prodest, cùm pulvis ejusdem radicis minoris virtutis diureticæ sit. Cæterùm distincta est hæc Saxifragia à *pimpinella saxifraga*, quæ est *Tragoselinum* propriè dictum, utut & hujus radix vulgò ad diureticum usum trahatur: *Pimpinella* verò *sanguisorba* est euporiston in omni sanguine fluente.

Daucum.) Hujus semen præ cæteris nobilitavit HELMONTIUS *Tr. de Lithiasi*; in quo hinc inde ostendit, illud aquas petrosas sui incoctione corrigere, cerevisiasque contra lithiasin præservantes reddere, & rectè; cum & illud inter diuretica balsamica, quale quoque est terebinthina, non inconcinnè referendum sit, & fermenti renum corruptelam præcaveat & sistat. Cæterùm daucus est duplex, vulgaris & Creticus: Utriusque eadem ratio, & præsertim semen magis appropriatum pro scopo diuretico erit.

Ruscum.) Ruscus apud Veteres majoris fuit commendationis, quàm apud Modernos; apud istos enim inter radices 5. aperientes refertur.

Filipendulam.) Radix hujus vi diureticâ & simul incisivâ & attenuativâ pollere solet; hinc etiam ad strumas à quibusdam solet usurpari.

Genista.) Hujus flores conditi, quia magis pro scopo alteratiuo quàm diuretico in hypochondriacis & splenericis locum inveniunt, illorum loco sufficere possunt cappares cum aceto conditi; nullam enim genistæ flores prærogativam obtinent: sic nec sal genistæ fixum à sale ononidis singulare quid habet, unde illud cum hoc mutari potest.

Eryngii, *pag.* 408.) Radix præter usum diureticum, qui nonnullus est, si non exiguus, commendatur pro scopo stimulandi Venerem; pro quo tamen pariter languidum admodum est, imprimis radix condita.

Non lappæ.) Hujus folia mulierculæ in phlogosibus erysipelaceis tibiarum commendant, dicendo, quod calorem extrahat; quod effectivè verum est. Interim tamen eius semen contra phthisin & pro scopo diuretico non ampliùs est in usu: contrà radix lappæ majoris substituta suprà est ab AUTORE radici chinæ & sarsaparillæ pro scopo diaphoretico & antipleuritico, in taleolas eam incisam decoquendo, & decoctum usurpando, ubi idem præstat, ac radices exoticæ.

Lithospermo.) Lithospermon seu milium Solis bonum est euporiston, ejus nempè semen, in promovenda urina, & stimulando egressum calculi, si pulverisatum ʒj. dosi capiatur.

* Antlis mespilorum.*) Officula mespilorum pulverisata ad affectus nephriticos admodum laudantur, quatenus tàm præservent à calculo, quàm præsentem tollant. Observandum est de hujusmodi concretis osseis in fructibus nonnullis reperibilibus, in cera-

cerasis, persicis, amygdalis, mespilis, &c. quod hæc ipsa destillata suggeranr spiritum acidum unà cum oleo empyreumatico: Spiritus iste rectificatus egregiè est diureticus, & suo modo lirhontripticus. Non sunt propriè dicta ossa aut lapides, sed reverà substantia lignea quasi mutuò intorta, & ita durioris præ cætero ligno compagis; unde etiam igne aperto solent suggerere, quæ ipsa ligna assolent.

Ita nec apii.) Apia quælibet, cujus species quoque Petroselinum est, vi diuretica sunt decantata: quam vim tamen satis mitem habent, quod probatur, cum petroselini usus culinarius communis ostendat, quantum præstet id sine ulla alteratione: Unde nec in statu therapeutico aliquid valebunt illa.

Succi apii inspissati, pag. 409.) Hic inter remedia mundificantia, hoc est, fermentum ulceris acidum corrigentia, & sordium ulcerosarum proventum præcaventia, numeratur, & præter absinthium, centarium minus, myrrham, aloen, & terebinthinam, illo pro scopo solet ordinari: de quo conferatur SENNERTI *Praxis L. V. Part.* 2. *cap.* 5. *ubi de Ulceribus sordidis*; quo loco *Unguentum* genuinum *ex succo apii* inter alia prostat. Interim, cum concinniora, nempè ex nicotiana, absinthio, & myrrha, & hyperico ad manus sint, plus præstantia, quàm apium, proinde hujus succo carere possumus.

Amygdalæ.) Scilicet celebria sunt semina 4. frigida majora, aliqualiter diuresin moventia; ita & amygdalæ amaræ, si quid in potatoribus præstant, perrarum id erit; quin potius præstantior in tali casu erit spiritus salis ammoniaci, præservans à crapula.

Violarum semen.) Ad hæc his seminibus præferendum est semen violarum meritò, quod egregium est nephro-catharticum. Etenim curavi ante quadriennium mulierem ex calculo suppressionem urinæ ad aliquot dies patientem, cui circa finem diei decimi dabam Emulsionem seminis violarum, & ecce! ab hujus usu cœpit vrinam emittere, utut cum insultu epileptico, hincque ejus usu restituebatur: tandem verò post aliquot septimanas recidivam incidens peribat. Modus præscribendi potest esse talis:

℞. *Sem. viol.* ℥iij. ad ℥ß.
adde, si placet,
Sem. lithosp. ʒj.
Fiat cum s. q. *aquæ fragorum* Emulsio:
adde
Aquæ cinnam. (propter stomachum) ℥iij.
Lapill percar. pulveris. ʒß. ad ʒi.
D. S.
Aperiens emulsio diuretica.

Hæ verò Emulsiones saltem usurpantur pro scopo temperandi urinæ acrimoniam, non verò laxandi vias urinarias.

Olea verò & id genus.) Interdum contra nephritidem adhibetur oleum amygdalarum dulcium, non pro scopo laxandi vias calculi, ceu quidem vulgus sibi persuadet, sed temperandi urinæ acrimoniam; contrà externè pro sistendis doloribus nephriticis optimum est petroleum album, cum oleo papaveris vel hyoscyami expressis mistum: v. g. pro scopo anodyno-nephritico:

℞. *Petrolei albi* ʒiii.
Olei papav. expr. ʒiß.
Hyoscyam. expr. ʒß.
M. F. Linimentum,

pro scopo anodyno-nephritico externè adhibendum: Conf. PANAROLLUS, ex quo Petrolei efficaciam didici.

Petroselini folia.) Hoc parum in recessu habet.

Magisterium.) Magisterium Mynsichtii elumbe est.

Sisarum.) Cum non in usu sit, tacendo prætereo.

Asparagique suspectos.) Subinnuit hìc HELMONTIVM, qui in se ipso expertus est asparagi noxam, levatam tamen per semen dauci potui ordinariò incoctum. Et fanè ex usu asparagi urina redditur fœtida, & hujus mistura resolvitur; quod argumento est, corrupto sic fermento renum, lithiasi ansam præbere.

Raphanum utrumque.) Raphanus est vel orbicularis vel rusticanus. Raphanus rusticanus sale volatili acri & penetrante est imprægnatus, reliquum corpus iners & nullius pretii est; hinc illius ratione incidit viscida, fetum urinarium acuit, renes stimulando calculum promovet, fermentando cum viscido flatus generat: quin imò acrimonia ejus succi in tantum interdum irritat stomachum, ut etiam vomitum excitet; Unde sub usu communi esculento Sal commune additur, ut figatur ejus vis emetica in sale acri fundata. Eo ipso, quo mucum glutinosum incidit, ejusdemque per os rejectioni confert, sive ex stomacho, sive ex pectore eliminandus venit. Succus expressus, cum pauco saccharo attemperatus, pro usu hoc in tussi & asthmate humido pituitoso multum præstat. Ad calculum pellendum, & ad urinam fortiter ciendam, Timæus à *Gulden-Klee*

℞. *Succi raphani rec. expr.* cochl. ij.
Vini Hispan cochl. iv. vel v.

Miscet, & validissimum calculos expellendi pharmacum, retentionique urinæ violentissimum asserit.

Quidam raphano excavato crocum adiciunt, & ita succum colligunt, quem ipsum in calculo, urinæ retentione ac difficultate, ob crassum, viscidum & glutinosum humorem, meatum obstruentem, usurpant.

Raphani rusticani radix.) Sale singulariter volatili & acri, quale aliàs in scorbuticis deprehenditur, singulariter turget: ratione cujus tam acidum scorbuticum, quàm hypochondriacum corrigere, mediante urinâ copiosiore evacuare, renes à sabulo purificare assolet. Vino Rhenano radix infusa potens est diureticum: eodem modo cum radice helenii infusa, mirabiliter stomacho convenit, cruditatem viscidam absumendo, hinc natam salivam glutinosam attenuando, & appetitum egregiè revocando.

Cynosbati fructum.) Cynosbati fructus vi diureticâ in usu sunt, præsertim arilli, exque his expressum oleum egregium diureticum est. Prætereà fructus hi exsiccati, exemptis arillis, egregii sunt in soda seu stomachi ardore compescendo.

E Fabaceis, pag. 410.) Fabarum stipites calcinati dant sal salsum diureticum egregium. Aqua florum fabarum inservit mulieribus pro usu cosmetico: sicut farina earum pro scopo discutiendi & resolvendi tumores glandulosarum partium non inflammatos, quæ cum aceto instar cataplasmatis imposita proficua est.

Linariam.) Hæc decantata est pro doloribus hæmorrhoidalibus, prostatque hìc Unguentum de linaria *Hartmanni in Pr. Chym.* Cuiusdam taurum hoc euporisto lucrantis descriptio habetur in HORSTIO *l.* 4. *Observ.* 50. & laudatur illud ab HOEFERO *in Herc. Med.* Internè loco linariæ nobis sufficere potest liquor ex floribus verbasci, vel hyoscyami capitulis contusis, & in cucurbita putrefactis, hinc involvendo vas continens massæ panis, in clibano coctis, paratus, cum sic emergat liquor insigniter anodynus, & tam in arthritide, quàm in hæmorrhoidibus proficuus.

Dipsacum.) Dipsacum non ampliùs in usu est.

Betula.) Huius succus non saltem est nobilissimum diureticum, & præservativum lithiaseos, annotante HELMONTIO *cap.* 8. *Tb.* 24. *de Lithiasi*, ac Anglis testantibus curativum nephritidis; sed & craseos massæ sanguineæ scorbuticæ purificativum, adeoque in scabie ferina proficuum, sicut aliquot exempla scabiosorum, curatorum huius usu, novi. Hinc in scorbuto pro scopo temperandi & corrigendi massam sanguineam & per urinam evacuandi est egregium. Cæterum succi huius spiritus deit (?) latus nil prodest; etenim aqua elementaris prodit, contra remanet post destillationem parum, & vix ex mensura succi ʒi. gummatis, in quo primaria residet vis antinephritica præservativa. Succus betulæ coralliis affusus, si aliquandiu stet, rubescit & acescit, adeoque corallia rodit. Idem succus, *notante* HELMONTIO, ex superioribus ramis collectus præstantior est præ eo, qui ex trunco colligitur: interim usus eius consistit in hoc, ut instar acidularum gradatim potetur, dosin quotidie augendo. Angli imprimis hoc utuntur liquore.

Cerevisiam, pag. 411.) HELMONTIUS docet parare cerevisiam medicatam antinephriticam ex succo betulæ cum semine dauci; & fanè potum hunc egregium contra AUTOREM æstimo magni, & novi exempla, prçter BOYLEVM *in Philos. Experimentali*, huius usu levatorum & præservatorum: sic idem succus per se fermentus, dilutus in potu, haud incongruum antinephriticum est, quod sanè plus habet in recessu.

Nephritico ligno.) Hoc ab effectu ita dictum hodie est rari usus: & cum sit illud de Fraxinorum genere, loco eius ex India occidentali petendi, sufficiet nobis Occidentalis fraxinus nostras. Cæterum, quemadmodum color tincturæ ligni nephritici est mutabilis, (cùm si eius M. i grosso modo incisi aquæ aliquot Unciis infundatur, vasque inter oculum & lumen ponatur, appareat tinctura coloris aurei; contrà si idem vas ita à luce obturetur, ut hoc inter & lucem oculus tuus sit, tunc comparebit coloris cærulei,) ita & effectus eiusdem est incertus: Conf. HOFFMANNI *Clav. pag.* 510. *& seqq.*

Volatico musci clavati semine.) Lycopodium seu muscus clavatus terrestris, pçrer alios usus, continet saltem farinam flavam æstivo tempore, (sulphur *vegetabile* aliàs dictum ex eo, quòd levi ignis attactu accendatur & strepitum edat,) quæ non est semen illius verum, cum hoc figuræ semilunaris in floribus, clavis similibus, contineatur; simileque sulphur habent iuli coryli ni, item strobili pini juniores. Cæterum illud sulphur lycopodii & inter diuretica numeratur: & verum est, pro scopo curandi infantes epilepticos id mirificè præstare; imò ischuriam quoque eorum tollere, nec non ipsorum epilepsiam & hecticam mirificè sedare: sicut etiam externè in vulneribus, dictis manantibus, intertriginibus inspersum mederi. Interim tamen coryli sulphur optimum est, post hoc lycopodii, dandum ʒß ad gr. xv. Confer. M. A. N. C. *anno* 3 *Obs.* 15. hocque D. D. GANZLAND vocavit *das Kinderpulver*, propter usum in epilepsia & morbis infantum.

Cynosbati fungi.) AUTOR *noster* hìc *Sc̄hlaffkuntzen*, in quibus latent vermiculi somniferi: ex fungis autem ipsis HARTMANNUS spiritum & essentiam parat; quæ tamen nihil in recessu habent.

TITU-

TITULUS XI.
DE
DIURETICIS ANIMALIBUS.

Diureticis in insectis, *pag.* 412.) Scilicet ut quælibet insecta sunt potentissima diuretica; ita cantharides, aselli, scarabæorum totus exercitus, & lumbrici scatent sale volatili nitroso, in quo vis diuretica consistit. Nihilominus AUTOR principium facit à cancris fluviatilibus, præsertim lapillis.

Cancrorum lapilli.) Totus cancer est egregiè medicamentosus; & lapilli, chelæ, crustæque ejusdem sunt omnia naturæ, præsertim cum ex lapillis in lac resolutis novæ chelæ regenerentur: Adhæc Anglis in usu est *pulvis præcipitans* ex chelis cancrorum marinorum majorum. Interim instar omnium sufficere nobis possunt lapilli cancrorum nostratium quivis, sive ex coctis, sive non coctis cancris desumpti, iique saltem pulverisati; quippe qui pulvis attestantibus *actis Haffnienfium pag.* 240. præparatis anteponendus. Sic & totus cancer in pulverem redactus pro scopo diuretico valet contra abortum instantem, & rabiem caninam curandam: nempè

℞. *Cancri* in plenilun. collecti:
Ex his contusis in balneo Mariæ elicitur phlegma, quò in substantiam siccam pulverisabilem redigi queant; ita pulvis hic à ℈j. ad ʒß. usque ad ʒj. datus, conducit pro diuretico, abortum præservativo, & rabiem caninam curante remedio: cui & addi potest laudani opiati aliquid in casu dolorum nephriticorum: vid. POTERIUS.

Magisterio.) Præferuntur etiam cancri, horumque chelæ & lapilli, *Magisterio*: Quælibet enim cancrorum magisteria, quæ fiunt corrosione cum spiritibus acidis, & cum alcalibus præcipitatione, hincque extra corpus saturata, inefficacia erunt intra corpus assumpta, in quo nil absorbent, & scopo diuretico frustrantur.

Per spiritus nitri.) Magisterium lapillorum cancrorum per spiritus nitri, abstractionem paratum, remanet salsum, adeoque magis diaphoreticum, quàm diureticum.

In Pleuritide, *pag.* 413.) Lapilli cancrorum in hac & febribus intermittentibus tantum præstant, quantum ossa lucii piscis, cum quibus & sulphure optimi sunt; quodvis acidum præternaturale in primis viis absorbent, sicque fiunt urinosi, hinc egregiè diuretici.

Solutionibus cum aceti.) Scilicet lapilli cancrorum commodissimè pro scopo diuretico & sanguinis grumosi dissolutivo, adeoque in pleuritide & febrium intermittentium ardore corrigendo, propinantur cum aceto: interim tamen iidem non penitus ab eodem dissolvantur & saturentur, sed saltem quodammodo aperiantur, assumendo v. g. pro ℥ij. aceti vini, lapillorum cancrorum ʒß. hac enim ratione emergit acetum urinosum amaricans, diureticum & diaphoreticum.

Vicinis acoribus.) Lapilli cancrorum assumpti quodvis acidum in primis viis absorbendo fiunt salsi & diuretici.

Cum oleo tartari.) Sunt, qui cum lapidibus cancrorum, affundendo oleum tartari per deliquium & hinc coagulatum spiritu vini extrahendo & abstrahendo, parant *oleum diureticum*: de quo vid. SCHROEDERVS *in Pharm. l.* 5. *pag.* 326. & HARTMANNI *Praxis Chymiatrica*.

Cum spiritu salis.) Sunt qui lapides cancrorum in spiritu salis, vel vitrioli Philosophico solventes, solutionem coagulant, quam in cella per deliquium resolutam sub nomine *liquoris nephritici* circumferunt: Verùm cùm dicti spiritus per se sint diuretici, non opus erit tali combinatione; Interim, si loco aceti lapillis cancrorum pulverisatis parum spiritus salis addatur, emergit mistura diuretica extemporanea.

Compositos illos lithontripticos nephriticosque liquores.) Loco horum lapilli cancrorum cum spiritu salis assumpti sufficere possunt, ubi coagulum hujus priùs per deliquium fuerit solutum; utut D. D. MICHAELIS & in usu habuerit hoc:

℞. *Lapill. canc.*
Lap. Judaici,
Lazuli,
Lync.
Spong.
Aquilæ,
Glaciei,
Testarum ovorum,
Strutbio-cameli an. q. v.

Soluta hæc in spiritu *salis decrepitati* coagulavit levi calore, hinc coagulum reposuit in cellam, ut fluxerit.

Carpionum lapides, *pag.* 414.) Conveniunt in absorbendo acido & cienda urina.

Percarum lapides.) Hi conveniunt vi & efficacia cum lapillis cancrorum, saltem, quod specialiùs pro pellenda urina, & pro dis affectibus urinariis, adhiberi soleant.

Ovorum testas, *pag.* 414.) Sunt, qui testas ovorum, ex quibus pulli exclusi, majoris æstimant præ aliis, ex quibus non sunt exclusi; quod tamen, an hinc vis alcalina fuerit aucta, in medio relinquo.

Manati lapidem.) De hoc Manati præ cæteris videndus est WORMIUS *in Museo pag.* 58. Sed lapis Manati dictus ex capite carchariæ piscis oritur, non secus ac lapis Tuberonum dictus, item Glossopetræ: vid. BECKERVS *in Physic. Subterr. l.* 1. *pag.* 566. Lapides hi eiusdem sunt usus, atque aliàs similes Marinorum lapides, & iisdem effectibus pollent, quibus supra lapides cancrorum extulimus.

Struthionis ova.) Horum testæ parem cum nostrarum gallinarum testis habent efficaciam; maximè testæ ovorum columbarum in Martio, contra variolas & morbillos prosunt.

Butyrum cancrorum) Hujus descriptionem vid. in SACHSII *Gammarologia pag.* 821. & 828. Mulierculæ id commendant: pro phthisi; ast in confirmata parum præstat.

Spiritum.) Aquam cancrorum fluviatilium POTERIUS commendat contra rabiem caninam: ast huic præfero D. D. MICHAELIS encheiresin, qui miscendo part. ij. hujus aquæ, cum parte j. misturæ simplicis, demorsis à cane rabido medicatus est. Aliàs cancri fluviatiles destillati exhibent

1. *Phlegma*,
2. *Spiritum urinosum*,
3. Parum *salis volatilis oleosi*,
4. *Oleum fœtidum*,
5. *Caput mortuum*, quod affusa aqua instar calcis vivæ effervescit.

Aliàs toti cancri de sale volatili alcalino temperatissimo participantes, ratione hujus & vi vulneraria & diuretica pollent.

Cinerem.) Cinis cancrorum fluviatilium GALENO & Veteribus pro rabie & morsu canum rabidorum curanda, commendatus legitur: Interim pro hoc scopo debilior hic est; quin potiùs ad imitationem HENRICI

℞. *Pulv. cancr. in balneo Mariæ calcin.* part. ij.
addatur
Myrrhæ,
Rad. gent. an. pars j.

Hæc invicem mista dosi ʒß. ad ʒj. propinemus à cane rabido demorsis.

Aquæ cancrorum analepticæ, *p.* 415.) Sunt, qui Phthisicis aquam cancrorum fluviatilium tàm simplicem, quàm compositam, commendant: ast potiùs his decoctum cancrorum præferatur.

In Ophthalmicis.) Insinuat hìc AVTOR egregiam illam aquam, ex cancris fluuiatilibus & herba chelidonii recenti constantem, quam habet CROLLIVS, & adhuc perfectiùs MYNSICHTIVS *pag.* 269. conducentem in inflammationibus, vulneribus, ulceribus, & pustulis oculorum. Equidem concedo, chelidonium per se esse ophthalmicum, cum BVRRHUS hac ipsa deperditos quoque oculi liquores restituere asserat: Interim tamen ante biennium destillavi ex cancris putrefactis phlegma & sal volatile; quorum illud in oculorum affectibus, nempè doloribus & inflammationibus, perquàm efficax deprehendi.

Galaturas.) Id est mucilagines seminis cydoniorum aut psyllii cum aqua cancrorum vel spermatis ranarum factæ, polychrestæ sunt in oculorum affectibus.

Oculorum in vino.) Scilicet lapilli cancrorum internè cum aceto vel vino propinati non tantùm in oculorum vulneribus, sed & aliarum partium sunt egregii: v. g.

℞. *Aquæ hyssop.* ℥ij.
Menth. ℥ß.
Aceti vini ʒß. ad ʒvj.
Ocul. cancr. præp. ℈ij. ad ʒj.
Syrup. hyssopi ʒiij.

M. f. *Potus*, pro una vel duabus dosibus, in casibus Chirurgicis propinandus.

Pro diuretico Decocto.) Intelligit hìc AVTOR *noster* POTERIUM & MYNSICHTIVM, quorum *ille in Pharm.* habet Decocta diuretico nephritica & vulneraria, quæ præter alia ingrediuntur cancri fluviat. in substantia contusi, & rectè; contrà MYNSICHTIVS lapillos cancrorum huc trahit, eosque decoquit, & in olea traumatica infundit, sed malè; quia nec in decocto, nec in infuso, aliquid de se dimittunt, adeoque illum potiùs sequemur.

E Morsulis.) Morsuli scilicet ex carne cancrorum fluviatilium, mustelarum & cochlearum, à quibusdam in phthisi præscribuntur, sed vanè. Ex hisce ergò cancrinis eligit AVTOR pulverem cancrinum, & pulverem lapidum cancrorum solummodo pulverisatorum.

Leporis siccatus cruor & cinis, *pag.* 416.) Pro scopo diuretico commendantur, sed frustrà.

Troglotites.) Hujus pulvis assumptus commendatur à quibusdam in calculo renum, sed falsò.

Vrina hirci embryonis.) Innuit AVTOR *noster* HELMONTIVM.

Stercoris columbini.) Hoc perquam nitrosum spontè in aere effloreseit in nitrum: Hinc & ex eodem ritè calcinato potens sal

sal diureticum salsum acquiri potest: interim tamen in spiritu vini infusum, illud parum præstat, nisi potiùs in vino maceratum exprimatur.

Vesiculas, quæ in calamis scriptoriis.) Pennæ combustæ, quia operantur ratione salis volatilis oleosi, proindè verisimile est, & vesiculas calamorum hunc habere usum: sed hoc remedium non est adeò insigne.

Lapides non solùm in apri bovisque, sed hominis quoque vesica reperti, pag. 417.) Hi, speciatim humani, præter vim diaphoreticam, diureticâ nonnullis commendantur; nec id immeritò: sunt enim concretum tertium salsum, ex sale urinæ volatili & acido stomachali oberrante, coagulatum; sicut anatomen calculi humani hanc docet TACHENIUS *in Hipp Chym cap.* 14. Vtut autem suo modo verum sit, pulverisatum calculum humanum urinam pellere, si assumatur; tamen superfluo est, quando dicitur, proprios calculos deuoratos præseruare ab ulteriore eorum generatione, cùm præseruatiuè & curativè parum aut nihil ii præstent, licet urinam pellant.

Ludum.) PARACELSUS hunc commendat ceu singulare contra calculum, tàm præseruatiuè, quàm curatiuè; hincque suum Atops facit per idem. Interim varia sub Ludi nomine intelligunt Autores: alii nempè lapidem humanum; alii alium lapidem; HELMONTIUS *Tract. de Lithiasi, cap.* 7. *Th* 23. nomine illo insignit speciem lapidis calcarii, propè littora Schelot reperibilis.

Calcinationem.) Quemadmodum alii ex calculo humano plura parant remedia, de quibus confer. SCHROEDERUS *lib.* 5 ita quoque ludum ipsum calcinatum, & per deliquium solutum, cum spiritû vini extrahendum iubet; ubi tamen spiritus urinæ omnia ea præstat præseruatiuè & curativè, quæ aliàs ex calculo humano expectantur. Solutio cum acidis nil valet; vis enim destruitur & plus imminuitur, quàm promouetur.

Tincturam.) Certè si in Ens primum hic calculus humanus soluatur, est summum remedium. PARACELSI autem *oleum ludi* paratur ex *lapide propè Antvverpiam reperto*, variis striis contexto.

Cantarelli.) Scilicet Scarabæi omnes conspirant suo modo cum cantaridibus interno & externo usu: ac quidem externè cantharides sunt vesicantes; internè autem urinam cientes, sale enim volatili caustico turgent. Cæterum omnes inter eminent cantarelli Italorum, sive scarabæi unctuosi Latinis denominati, quòd attactu sui liquorem unctuosum acrem, fortiterque olentem emittant, Germ *die Mayenkeffer.* Atque liquorem hunc vomitus, secessus, atque urinam movendo, chronicos, nephriticos, atque arthriticos affectus curare, GLAUBERUS affirmat; cùm tamen per se semper urinam moveat: Conferatur BORELLUS *Cent.* 4. *Observ.* 97. qua dicit, hoc nomine liquorem hunc ad lithiasin & podagram esse commendatum: etiam fascinationem curare creditur. Interim loco cantarellorum AUTOR *noster* scorpiones eligit, quorum *oleum simplex ritè paratum* extra in usu est pro movenda urinæ suppressione, calculo, &c. illitum renibus. Equidem sunt, qui pulverem scorpionum, tàm mortuorum, quàm calcinatorum, usurpant internè pro scopo diuretico & calculi stimulativo: interim rarissimi ambo sunt usus; potiùs in suppressione urinę vitio vesicæ præscribatur oleum scorpionum taliter:

℞. *Vnguent. de Althaa* ℥ß.
Olei scorpion. ʒij.
Misc.

Illinatur pubi & pectini. Sit pro renibus linimentum contra urinæ suppressionem:

℞. *Vnguent. de alth.* ʒiij.
Ol. scorpion. ʒj.
Dest. terebinth. ʒj.
M. *pro Linimento.*

Vel denique:

℞. *Petrol. albi* ʒiij.
Ol. scorp ʒij.
Destillat bacc. junip. vel *terebinth.* ʒj.

Misc. pro *litu blando* in affectibus renum nephriticis.

Ocyma vernæ cantare, pag. 418.) Insinuat AUTOR *noster* hisce vulgarem istam traditionem, qua ex semine aut herba ocymi contrita, & radiis solaribus exposita, scorpiones generari putatur; quod tamen falsum est, licet contrarium afferant HOEFERVS, HELMONTIVS, & D. MICHAELIS.

Asellos.) Hi vulgò præparantur cum spiritu salis, ast malè; cùm sic ab acido istius generoso illi castrentur; quin potiùs recipiatur illorum ℥ß. ad ℥j qui macerati in vino Rhenano contundantur & conquassentur, hinc exprimantur, & expressus liquor hauriatur; ita vi diuretica singulari, præsertim in calculo vesicæ, quem attritivè obseruatum est, conducit, (non secus quoque in asthmate convulsivo æquè ac humoroso.) Conferatur LAUREMBERGII *Scriptum de calculo vesicæ*, in quo se ipsum per asellos curatum fatetur; item SENNERTUS *lib.* 5. *Prax. de calculo vesicæ pag.* 84. quo loco usum asellorum per experientiam confirmatum ex HORATIO AVGENIO habet, non secus, atque quoque LINDANVS *in Colleg. supra Prax. Chym. Hartmanni* confirmat, se bis curasse calculum vesicæ, resolvendo mediantibus asellis. Contrà iidem aselli in fortiore concreto vesicæ calculoso invalidi sunt: Interim calculo per accidens conferunt, absente scilicet ureterum crispaturâ; ex dolore enim renum convelluntur spasmo ureteres, hinc interdum urinæ secretio suspenditur; item parvus calculus in transitu intercipitur, in qua crispatura pellentia omnia in vanum adhibentur, cùm aliàs dolores exasperentur. Cæterùm, cùm acres sint aselli, hinc in delicatis angustias præcordiorum solent ciere, ob quem metum vix & pulvis illorum est in usu. Aliàs oleum infusionis confert ad dolores hæmorrhoidum.

E Cantharidibus magisterium, pag. 419.) Cantharides sunt potentissimum adeò diureticum, ut & vesicam exulcerando mictum cruentum inducant: interim vereor, ne in magisterio cantharidum Dni AUTORIS à Spiritu acido nitri & alcali tartari, inversa eorundem texturâ, vis cantharidum destruatur, indeque potiùs loco illius magisterii comendo *essentiam ex cantharidibus* cum Tinctura tartari paratam, quam habet WILLISIUS *Phar. Rat. pag.* 154. vel & infusum cantharidum non inconcinnum, quod tradit BARTHOLINVS *Cent.* 5. *Hist. Anat.* 82. *p.* 106 & *Cent.* 4. *Epist.* 21. *pag.* 93. *Epist.* 53 *pag.* 343 *Epist.* 54. *pag.* 346. & *Epist.* 65. *pag.* 400. quibus iungantur & M A. N.C. *Anno* 1. *Observat.* 133. *pag.* 296. Atque hæc tuta sunt remedia. Quod si verò præter spem superveniret mictus cruentus, tunc huic convenire potest uberior haustus lactis, præcipuè cum sale tartari imprægnatus.

Emplastrum.) Notum est, quòd usus specialissimus & frequentissimus sit cantharidum externus pro scopo vesicandi; hinc basin ferè constituunt Emplastrorum vesicatoriorum, quæ, quò sunt simpliciora respectu compositionis, eò magis præsentanei effectus: atque tale est quod proponit hic AVTOR; pro quo, si magis extemporaneum adhuc expectatur,

℞. *Emplastr. albi campbor.* part. iij.
Pulver. cantharid. part. j.
Misc.

Aut si magis correctum, aut artificiosum exoptetur, sumatur illud, quod habet SCHOEDERVS *lib.* 2. *cap.* 53. *pag.* 201. quodque recensetur quoque ab HORSTIO *in Observ. lib.* 4. Quod si autem mitiùs adhuc procedere velimus in delicatis, tunc pro scopo rubificandi adhibeatur saltem Sinapi vulgare: v. g.

℞. *Sinapi pulveris.* q. s.

Contusum misceatur cum spiritu vini in consistentiam pultis, admouendo carpis manuum aut nuchæ & similibus locis; ita rubefacit blandè cutim, aut in tenerioribus vesicas excitat.

In doloribus à colluvie serosa.) Dolores artuum vagi & fixi scorbutici, orti à colluvie serosa, difficillimæ sunt curationis, & tractantur hinc per frictionem, nunc cum sulphureis spiritibus, nunc volatilibus; hac ratione resolutâ lymphâ, dolor non rarò cessat: interim si illæ non sufficiant, applicari solent fonticuli: quibus tamen omnibus præferenda est vesica in pedum supra & infra genu parte interna, in nucha, imò & interdum præsentibus doloribus podagricis acerbioribus in talo excitata.

Successivus humorum fluor, pag. 420.) Scilicet hæc est inscitia & inertia Chirurgorum, ut vesicæ semel excitatæ mox applicent vel folia brassicę, vel emplastrum de spermate ranarum; cùm tamen non rarò diutiùs seruandę sint apertę, & ego in infante ultra mensem hoc ita pręstiterim. Cęterum hoc fit optimè, si quartę parti emplastri vesicatorii combinetur vel emplastrum spermatis ranarum, de cerussa, vel saturninum aliud: Nam uti per hæcce consolidatur denuò vesica, ita cum emplastro de cantharidibus imprægnata, sine dolore & inflammatione per plures dies & septimanas apertę seruari possunt.

Circa ductus urinarios noxam.) Vesicatoria externa interdum quoque mictum cruentum excitasse patet ex SENNERTO: Interim rarissima hæc sunt.

De interno frigidorum stimulo, pag. 421.) Sunt, qui inter remedia Venerea pulverem cantharidum commendant: ast minus tutò; cùm sic egregiè debilitentur bellatores, & referat SALMUTH, senem, juvenculam ducentem, ex abusu Veneris, usu huius pulveris excitatæ, tertiâ nuptiarum die membro erecto mortuum repertum esse.

Num caput, ala, atque pedes.) Litigium hoc est de lana caprina, cùm quælibet pars in cantharidibus excitet vesicas; Vnde sumi poterunt integræ, alæ enim parum in recessu habent, caput etiam insons est.

Lumbrici.) Hos quidem damnat AVTOR: interim ego laude afficiendos puto. Origo condemnationis ab AVTORE facta videtur esse, quod ipse destitutus sit modo alcalinum spiritum lumbricorum parandi, qui tamen fit, recipiendo lumbricos vivos, & eos coaceruando in vase vitreo amplo benè clauso; sic successivè putrescendo in liquorem urinosum fœtidum abeunt, pelliculis supernatantibus: hinc liquor decantatus destilletur, sic acquiritur post phlegma spiritus urinosissimus, rectificatione intercedente, proficuus internè pro scopo diuretico & antiscorbutico: sicut & externè in doloribus artuum vagis pariter, ac fixis lancinantibus. Adeò ergo magni is est æstimandus, præsertim cùm & D. D. MI-

D. MICHAELIS mediante hoc & ſpiritu cornu Cervi eſſentiam ſuam arthriticam paraverit, præmiſſis præmittendis contra arthritidem vagam egregiam. Cæteroquin doſis illius ſpiritus eſt à ℨß ad ℨj. ſicut externè cum aqua articulari ad extra ana calidè artubus affricari is poterit.

Expreſſo ſucco.) Sunt, qui lumbricos cum lacte contuſos in ſuccum exprimunt, ſcorbuticis, arthritide vagâ laborantibus, proficuum: Interim hoc, utut bonum ſit in ſe remedium, eſt tamen craſſum nimis & horridum.

Abſque præparatorum per levi pulvere.) Sunt qui lumbricos in balneo Mariæ exſiccatos & pulveriſatos in Ictero, cachexiis & dyſenteria commendant: interim remedium hoc, ſicut nec magiſterium eorum, magni eſt æſtimandum.

Lumbricorum infuſione.) Sunt, qui lumbricis ſpiritum vini infundunt, digerunt, & crebriùs cohobant; quâ ratione & ſpiritum pro uſu externo ſatis, pro interno autem minus efficacem, acquirunt.

Oleum, pag. 421.) Lumbrici putrefacti deſtillati dant multum ſpiritus, recentes deſtillati verò parum ſpiritus, & olei multum. Tandem adhuc duplex ex iis proſtat oleum; quorum prius fit per infuſionem eorum & coctionem in oleo communi; alterum verò per piſtationem in furno piſtorio. Illud inſinuat AUTOR *noſter*, commendando id in doloribus, luxationibus, contuſionibus, & ſuffuſionibus artuum & articulorum; quod & alii additione oleorum nervinorum redigunt in oleum compoſitum ex tempore parandum. Hoc per piſtationem fit, quando lumbrici aliquandiu putrefacti unà cum vaſe vitreo continente maſsâ panis incruſtantur, & in furno piſtorio coquuntur; ita in liquorem craſſum, flavum & oleoſum faceſſunt, qui filtratus & externè illitus antipodagricus eſt, & dolorum lancinantium ſedativus, internè autem rari uſus.

Bufones, pag. 423.) Hi ſunt potenter diuretici ex alimento; veſcuntur enim parvis muſcis nitroſis de genere cantarellorum, quos ſuſpenſi è ſtomacho (quod inſignius habent) vomitu reijciunt: atque hinc beneficio pulveris bufonum, teſtibus SOLENANDRO & WIERO, hydropes curati fuerunt.

Sal quodvis.) Cæterùm præter ſimplicem pulverem exhibent bufones duplex ſal, volatile & fixum: quorum illud deſtillatione tàm ex crudis quàm putrefactis bufonibus prodit; fixum verò ex vivis calcinatis, licet parum illius acquiratur: Atque hoc ipſo novi amicum jocoſum, febres intermittentes curaſſe exhibendo illud ante paroxyſmum, ubi ſanè vi alcalinâ auxilium tulit. Tandem curioſum eſt, bufones vivos nitro fuſo injectos, intumeſcentes diſrumpi, magno cum crepitu. Aliàs PETRUS JOHANNES FABER *cap. de peſte* commendat & ſal bufonum mirè pro uſu antipeſtifero: loco cujus tamen egò potius commendo eorum ſal volatile, utut nec hoc præ aliis animalium ſalibus præferentiam obtineat; aut magis adhuc bufones ipſos pro amuleto appenſos.

TITULUS XII.
DE
DIURETICIS MINERALIBUS.

NItro.) Nitrum eſt ſal ſalſum duplicatum, conſtans materialiter ex ſale volatili oleoſo & ſpritus aeris acido univerſali: & quidem ſal volatile oleoſum obtinet ex excrementis animalium, nempè ſtercoribus & urina; quibus ſe ſociat ſal univerſale hermeticum ex aere, indeque ex his duobus concretum nitri novum emergit. Hoc autem, quando tractatur cum ſulphure, tunc hujus incenſione ſpiritus nitri acidus univerſalis auras repetit, & alcali colliquatum cum acido ſulphuris aut carbonum, figitur in ſal fixum. Eſt ſal inflammabile amaricans nitri; quale etiam artificialiter producitur ex ſpiritu nitri ſulphureo acido, affuſo ſali volatili vel ſali fixo; ita ſemper nitrum perfectè regeneratum inflammaamaricans habebimus.

Niliaco.) Genuinum Veterum nitrum vix reperitur, niſi in Ægypto circa confinia Nili, quo in loco integræ ſtiriæ efflorefcunt ceu flores, nunc rubeſcentes, nunc blandè cæruleſcentes.

Murario.) Nitrum murarium aliàs dicitur *aphronitrum* ſeu flos nitri, eſtque lanugo illa, quæ ex muris efflorefcere conſpicitur; cujus origo dependet ex calce viva, cum qua muri conſtructi, quippe in illa latet alcali cum mediocri acido, quorum illud ſaturatum ab acido aeris, Sal in nitrum compingit.

Selectiores primoreſve Stirias.) Eligit Autor ſtirias puriores: ſcil. in aqua nitrum ſolvitur, & inſpiſſatione blandâ coagulatur; tunc ex prima coagulatione colligendæ ſtiriæ pro uſu interno. Nam, quò ſæpiùs ſolutio evaporatur, eò magis de ſale heterogeneo participat; quod, utut plurimi ex animalium excrementis derivent, & ex ſale eſculento quo quotidiè utimur, & quod ferè immutatum excernitur, oriri aſſerunt; hoc ipſum ſal eſt quod nitri refinatores Germ. *den Schalck* vocant: altiorem tamen originem habere non immeritò aſſerit ERKERUS *in Aula ſubterr. pag* 326. & 330. qui potiùs unà cum nitro ex ſale terræ centrali generari ſtatuit.

Depurationibus, pag. 424.) Optima nitri depuratio eſt, quando id ſolvitur in lixivio tartari vel alio acri, hinc ſolutio ebulliendo evaporetur & coaguletur; ſic enim omne ſal peregrinum per alcali illud ſeparatur, & nitrum puriſſimum emergit: Conf. TACHENIUS *Hipp. Chym.* & HORSTIUS *Problemat. Medicis.*

Roſaceam.) Sunt, qui nitri cum aqua roſarum depurant; aſt cui bono hæc perditio?

Flores.) *Flores nitri habet* MYNSICHTIUS *pag.* 26. ejuſdem ſunt cum nitro ipſo naturæ.

Cum ſulphure.) Nitrum fixatum cum ſulphure parum valet, ut ut illud ſub lapidis prunellæ nomine commendetur: quando enim nitro fuſo ingeritur ſulphur, tunc ſub incenſione hujus ingens nitri ſubtilioris ſubſtantiæ portio avolat, hincque, quod remanet ſub lapidis prunellæ nomine, eſt ſal ſalſum ſemialcaliſatum, nullius uſus exiſtens, eique nitrum per ſe depuratum præferendum. Ut taceam, ejuſdem notæ nitrum fixum ex antimonii diaphoretici confectione parari poſſe: nempè liquor per filtrum ſeparatus inſpiſſatur ad cuticulam, & ſic primâ ſecundaque cryſtalliſatione nitrū elegans acquiritur; quod autem poſt tertiam vel quartam coagulationem concreſcit, eſt nitrum compoſitum, ex nitro partim puro, partim alcaliſato nonnihil, & ſic ejuſdem cum lapide prunellæ virtutis.

Solutionibus ſaturni nitratis.) Nitrum ſaturniſatum non adeò multum valet, quin ſaccharum ſaturni cum nitro junctum abundè ſufficiat.

Nitrum martiale aperitivum, pag. 425.) Hujus deſcriptionem habet ZWELFFERUS *Mant. Sp. pag.* 405. loco cujus tamen ex tempore vitriolum martis cum nitro mixtum ſufficere poteſt.

Nitrum tinctum.) Optimè fit juxta ZWELFERUM *in Mant. Spag.* per ſuccos myrtillorum aut ceraſorum per reſidentiam depuratos, ſolvendo id, dein ſolutionem evaporando; ita nitrum coit in cryſtallos quidem egregiè rubicundas, in ſe tamen nihil aut parum hac ratione exaltatas, ſed eſt ſaltem palliatio externa. Nitrum cum ſucco berberum inſuccatum vid. in M. A. N. C. *ann.* 6. & 7. *in append. pag.* 171.

In terreſtreitatem.) Scil. HELMONTIUS dicit: ſi nitrum figi & converti in terram inſipidam poſſit, emergere inde egregium remedium. Jam verò fit hoc per ſulphura metallica inflammabilia, v.g. in antimonii diaphoretici martialis præparatione nitrum in terram mutatur, hincque pondus nitro accreſcit; quia remedia ex metallo cum nitro præparata in pondere excedunt, quod pondus eſt ex nitro in terram fixato: Nam inſolubile eſt in aqua; ſi enim eſſet corpus ſalinum, adhuc ſolveretur.

Nitrum fixum.) Scilicet perfectè alcaliſatum fit, quando nitro fuſo adijcitur ſubjectum ſulphureum; ita hoc deflagrando exhaurit ſpiritum nitri acidum; contra ſulphuris incenſi acidum pingue cum alcali nitri volatile colliquatur in nitrū fixum, ut adeoque nitrū figi poſſit, vel per ſulphur commune, vel per antimonium, vel per tartarum, vel per cruores animalium exſiccatos, vel per martem, vel per plumas, vel per raſuras cornuum, vel per carbones.

Nitro crudiori.) Scil. quando edulcoratum eſt antimonium diaphoreticum, tunc ex lixivio per inſpiſſationem prodit primâ, ſecundâ, tertiâ vice perfectum nitrū cryſtalliſatum particulis antimonialibus imprægnatum; contra poſt cryſtalliſationes lixivii hujus aliquot peractas, tandem remanet lixivium alcalinum in nitrū non amplius reducibile: Atq; hoc ſaltem eſt nitrum fixum: ſcil. quantum ab antimonio de nitro alcaliſatum fuit, remanet; prius non eſt ſufficienter fixatum.

Per carbonum ſegmentorum, pag. 486.) Scilicet nitri cum carbonibus fixationem primus docuit Glauberus: ſic pariter procedit cum ſegmentis, quæ quando comburuntur, ſimul incenſum hinc nitrum alcaliſatur.

Poſt reguli antimonii cæmentationes vel deflagrationes.) Innuit hìc AUTOR quorundam modum nitrū alcaliſatum magis adhuc alcaliſandi (Germ. *ſie macbenes feuriger*) idque cum regulo antimonii; ſcil. miſcendo nitrum alcaliſatum fuſum cum hiſce ſubjectis ſulphureis, quæ AUTOR nominat; ſic namque ab horum ſulphure deflagrante magis adhuc colliqueſcunt ſalia in nitro fixo, acquiriturque hinc acerrimum nitri ſal, quod pro univerſali ſolvente, nempè liquore alcaheſt, GLAUBERUS *in miraculo Mundi ejuſque Continuatione*, venditat, inſinuando ſimul, præter hoc nunc nitrum, ſpiritum nitri acidum.

Poſt croci metallorum.) Scil. quando antimonii & nitri ana funduntur pro croco metallorum, tunc ſulphur antimonii nitrum alcaliſat; hincque ex aqua abluitionis poſt inſpiſſationem acquiritur nitrū fixum: ſicut &, quando clyſſi ſulphurati deſtillantur, tunc ſemper præter ſpiritum acidum in receptaculo excipiendum, remanet in fundo retortæ corpus fixum compoſitum conſtans ex croco metallorum & nitro ſimul alcaliſato. Utrumque autem nitrum fixum eligit ſibi AUTOR *noſter*, doſi gr.xv. ad ℈j. exhibendum. Simile autem hoc nitrum fixum eſt ſalibus fixis ſulphuratis; nempè ſi calcinata vegetabilia concrematione ſulphuris alterantur, ſic emergit ſal ſalſum loco alcaliſatū.

Arca-

Arcanum duplicatum, pag. 427.) Arcanum duplicatum seu nitrum vitriolatum famosum est, ejusque præparandi modum docent MYNSICHTUS & SCHROEDERUS. Cæterùm fundamentum illius præparationis hoc est, scilicet dum aqua fortis ex nitro & vitriolo destillatur, prodit tunc spiritus nitri: caput mortuum hujus aquæ fortis postmodum elixiviatur, & lixivio acquiritur sal istud, quod vocatur *nitrum vitriolatum*: scilicet constat ex alcali nitri, quo niam sub destillatione aquæ fortis spiritus nitri prodit solitarius, & relinquit nitrum fixum absorbens acidum vitrioli, & ita fundum petit vitrioli pars metallica, & sic ex lixivio acquiritur sal salsum tertium, mediæ naturæ inter vitriolum & nitrum existens.

Probè exustum.) Hisce AUTOR ostendit errorem ZWELFFERI, rejicientis hoc arcanum duplicatum, ceu futile remedium: ast malè, quia ipse non ritè præparauit: scilicet caput mortuum aquæ fortis ante elixiviationem nitri vitriolati probè adhuc in crucibulo calcinatur, idque tamdiu, donec sal exinde extractum nullum am pliùs virorem (quod aliàs vestigium veneris adhuc adhærentis est) præ se ferat, & quoad gustum nitrosum amarorem referat, absque ullo vitriolico sapore; sal hoc bis vel ter elixiviatum, calcinatum, &c. est genuinum nitrũ vitriolatũ. Cum ergò hoc negligat ZWELFFERVS, non mirum est, eundem quoque nitrum vitriolatum rejicere; & quia sic ZWELFFERVS insigniter hallucinatur ob neglectum legitimæ præparationis, ipse & omnes ejus vestigiis insistentes, vitriolum vomitivum producunt; hinc non mirum, quare tam nobile aliàs hoc remedium sugillet: vid. *Dissert. de Corpulent. nimia Capit.* 2. *Artic.* 3. §. 3.

Aliàs extractum sal vitriolescit.) Nempè hoc tunc fit, quando alcali nitri non exactè saturaverit acidum vitrioli, hincque hoc non rectè saturatum metallicas Martis aut Veneris partes adhuc detinet, pro quarum separatione vel nova calcinatio instituenda, vel aliquid liquoris alcalisati, vel salis tartari, vel nitri fixi, affundendum.

E simplici quoque vitrioli.) Sc. AVTOR hìc in defectum capitis mortui aquæ fortis ostendit modum (ferè similem illi, quo TACHENIUS *tartarum vitriolatum* ex alcali *tartari* & *vitriolo martis* solutis parandum docet) ex tempore præparandi *arcanum duplicatum*: nempè si *liquor nitri fixi* instillatur in *vitriolum martis* solutum, hinc præcipitando metallum habebitur sal salsum duplicatum.

Innoxium pag. 428.) Arcanum duplicatum polychrestum est remedium in quavis febre intermittente, itaque & in ardentibus, in malo hypochondriaco, & speciatim scorbuto, in mensium affectibus, melancholia hypochondriaca, & aliis quibusvis chronicis morbis; imò illud lymphæ vitia & copiam nunc diaphoretica nunc diuretica vi optimè corrigit.

In nitro cachectico chalybeato.) Si volumus arcano duplicato vitriolum martis combinare, fiat id ex tempore in arbitraria proportione; nec adeoque opus erit nova illius cum hoc fusione.

Auro supervacuè) Sunt, qui arcanum duplicatum cum auro miscent, injiciendo illi fuso nonnihil sulphuris carbonum, quo ita quadantenus alcalisetur hac ratione, adeoque aurum additum solvit & absorbet.

Antimonium colliquatum.) Sunt, qui nitrum vitriolatum cum antimonio miscendo calcinant, qua ratione antimonium suo modo calcinatum abit in crocum metallorum flavescentem.

Aqua ex ejus solutarii, vel cum manna mixti diluto.) Utraque est inutile remedium; manna enim & nitrum in fundo destillatorii remanentia nihil suggerunt.

Tot clyssiformium.) Cum clyssi parentur per nitrum, nec deflagrando mel ùs queant fieri, quàm si nitrum & sulphurea subjecta tubulatæ retortæ candenti injiciantur, proinde ex omnibus clyssis duo nobis sufficiunt, nempè *acidus* & *urinosus*; quorum *ille* optimè ex sequente ingredientium proportione destillatur:

Recipiendo scilicet
Nitri part. iv.
Antimonii part. ij.
Sulphuris part. ß.

Quæ omnia mista per retortam tubulatam detonatione pellantur in spiritum acidum sulphureum.

Equidem sunt, qui ana nitri, antimonii, & sulphuris recipiunt: ast malè, quia propter sulphuris abundantiam non potest nitrum sufficienter deflagrare, sed mox figitur. *Urinosus clyssus* nomine spiritus carminativi venit, & prodit ex ana *tartari* & *nitri*, quibus aliquot unciæ *nitri fixi*, vel *salis* ejusdem *fixi*, addantur, v. g. pro part. vj. *tartari* & *nitri*, part. j. *salis fixi*. Hujus dosis est ʒß ad ʒj. vel solitariè dati, vel aliis misturis addendi: clyssi verò acidi ʒß. ʒj. ad ʒ j ß. instilletur in mensuram semis potus ordinarii. Aliàs solet præscribi quantitas sufficiens pro grato sapore. Acquiritur semper vel spiritus acidus sulphureus, vel spiritus volatilis urinosus. Cum ergo omnes clyssi in his duobus conspirent, non erit inter eos tanta differentia; in capite mortuo tamen pro ingredientium varietate differentia est.

Per Retortam inferiùs perforatam p. 429.) Cæterùm hic clyssus acidus ex tempore parari potest, si sal tartari nitrosum vel crocus metallorum, vel etiam antimoniũ diaphoreticum præparentur in retorta tubulata, vel etiam communi, inversa tamen & perforata, *quæ foramen habet in latere*, quod potest epistomio firmari; quando nempè ingredientia injiciuntur, aperitur, hinc iterum clauditur; *Venter, in quo foramen debet esse, superiorem occupat locum, atque ita retorta invertitur*: sed observandum, ne nimium injiciatur, ut possit mox claudi, aliàs mox evolant ingredientia, vel etiam trirostri demum instrumento detonentur, & rostris receptaculum ingens applicetur; sic namque abiens aliàs in auras spiritus acidus excipi potest.

Loco tantilli, pag. 429.) Scilicet quidam spiritum nitri parant solitariè ingerendo nitrum in retortam tubulatam: sed spiritus acquirunt admodum parum, quia nitrum fluens parum spiritus suggerit: conf. SCHROEDERVS *l.* 3. *ubi de spiritu nitri Num.* 2. & 4. *p.* 426.

Vbi tamen in priori processu parum spiritus acquiritur, ex nitro fluent; contra ex posteriori, sulphure injecto, clyssiformis obtinetur.

Missa nunc arena.) Sc. modus communis spiritum nitri conficiendi est, ut nitrum misceatur cum argilla, bolo, terra sigillata, arena, farina laterum, &c & ita per se, vel in globulos formatum, forti igne destillatur: interim modum hunc rejicit AUTOR *noster*, insistens hac in parte vestigiis ZWELFFERI *in Animadvers. pag* 425. ob hanc rationem; quod subjecta illa siticulosa addita, multum de acido nitri spiritu absorbeant; quod & verum est. Ast ne hoc fiat, & plurimum spiritus amittatur, circa finem destillationis detur ignis reverberii; hoc enim pacto impeditur ista absorptio, & nihil remanebit spiritus in subjectis illis additis. Sed notandum est: quod ubi adhuc omnia fervent, auferatur receptaculum cum spiritu prodeunte; sic enim hic acrior acquiritur, & secus spiritus magna pars refrigeratione retrogreditur in caput mortuũ & caput mortuum de novo impregnat. Interim multum de nitri spiritu in capite mortuo hæret, imò aeri libero expositum ob magnetem nitri retentum animatur de novo in nitro, ut novum spiritum nitri suggerat.

Cum aluminis crudi duplo pag. 430.) Autor nitrum cum aluminis duplo in spiritum destillandum jubet, cujus nihil in receptaculum transire dicit: sed dubitatur.

Rectificationes.) Sunt, qui spiritum nitri destillatum à phlegmate rectificandum esse monent, quo sic habeatur spiritus acris probè: interim hæc rectificatio pro usu medico superflua est; imò sic subtiliore sua substantia defraudatur, nec dari potest ægris absque dilutione cum vehiculis aqueis; sicut & quò magis rectificatione concentratur spiritus ille, eò magis fumat.

Cum spiritu vini.) Innuit hìc *spiritum nitri dulcem* AUTOR *noster*; scilicet cum spiritus nitri per se acrior sit, quàm ut possit assumi, propterea cogitarunt alii de spiritu nitri dulci parando ex part. ij. *spiritus vini* & parte j. *spiritus nitri*, qui digesti, donec probè uniantur, per retortam aliquoties destillantur. Cæterùm sumuntur interdum hi spiritus ambo rectificati; quod ipsum si fiat, effervescunt intensissimè confusi, ut etiam interdum vitrum diffringatur, & sub hac effervescentia magna pars volatilis avolet: indeque, ut omne periculum evitetur, instilletur spiritus nitri rectificatus spiritui vini, in cucurbita contento, guttatim per alembici superius foramen, & applicetur rostro ejusdem recipiens aliquod, quo sic per effervescentiam concitati spiritus excipi possint, nec iidem deperdantur, sed potius postliminio reduniantur spiritui nitri dulci. Deinde loco spir. vini simplicis recipitur non rarò spir. vini à vegetabilibus carminativis, anticolicis, vel antipleuriticis, cohobando abstractus: indeque illa ratione spiritus nitri dulcis anticolici, hac verò spiritus nitri antipleuritici nomen sibi acquisivit, utut sit exigua differentia. Atque dictus spiritus nitri dulcis egregius est præ cæteris in morbis acutis, in quibus præfero illum reliquis mineralium spiritibus, dosi ʒß. ad ʒj. assumendum, prout nempè plus vel minus fuerint rectificati spiritus ante sui combinationem.

Tinctura spiritus nitri, pag. 431.) Sunt scilicet, qui colorant spiritum nitri, nunc quidem per santalum, nunc verò per radicem rubiæ tinctorum: interim cui bono? utut curiosum sit, spiritum dictum fieri rubrum, si sub destillatione aliquid camphoræ retortæ includatur collo.

Capite mortuo.) Sunt, qui caput mortuum spiritus nitri cum alumine destillati calcinant, sicque sal salsum acquirunt, ex quo cum spiritu vini tincturam flavescentem extrahunt pro scopo diuretico, loco eius tamen alia prostant.

Ex olivo.) Innuit hìc AUTOR tincturam nitri aliàs animam nitri vocatam, prodeuntem ex oleo olivarum cum spiritu nitri digesto; sicut hanc habet SCHMVCKIVS *in Secret. Chymicor.* Sed est remedium leve. Cęterum huius firma est Glauberus, animam ex spiritu nitri mediante oleo destillato anisi proliciens: tingitur verum est ex spiritu continuò fumante; quippè olea hosce fumos aliquomodo retinent & in se ipsa concentrant, & sic quasi ruborem induunt. Interim an tales tincturę vi aliqua singulari polleant? à nemine adhuc dum expertum fuit.

A croco metallorum, mercurio vitæ, sulphure antimonii.) Spiritus nitri à subiectis antimoniatis abstractus non potest esse sine jactura.

Cum sale communi.) Si nitrum destillatur cum sale, acquiritur spiritus nitri à sale imprægnatus, seu aqua fortis; vel si spiritus nitri abstrahitur à sale communi, acquiritur etiam aqua regia.

Spiri-

Spiritum illum nitri compositum.) Hoc ipso spiritum nitri Bezoardicum innuit, qui est egregia aqua, annotante BOYLEO.

Chrysulca, pag. 432.) Scilicet spiritus salis per se aurum non solvit, nec spiritus nitri per se; misti verò utrique solvent id: interim sive nitrum destilletur cum sale, sive spiritui nitri addatur spiritus salis, sive sal commune, sive nitrum, sive sal ammoniacum, perinde est.

Gradatorias.) Aquæ gradatoriæ sunt aquæ regiæ.

Pugillatorias.) Aquæ pugillatoriæ sunt aquæ fortes.

Aurifabrorum.) Scilicet hi aquam fortem communem ex vitriolo & nitro destillatam non possunt in usum suum trahere pro separatione solis à luna, nisi ea dupuretur; dum enim nitro communi semper adhæret sal heterogeneum, sali communi simile, Germ. *der schalck* dictum, uti supra dixi, de quo sub spiritus nitri seu aquę fortis destillatione etiam aliquid prodit, propterea recipiunt ℥ii. vel iii. hincque infundunt lunæ finæ in laminas tenues redactæ drachmam unam vel alteram, de in solutionem hanc addunt reliquę aquę forti; sic turbatur liquor, & ita sal istud heterogeneum, quod permistum est aquę forti, cum Luna præcipitatur in fundum; hoc repetatur tamdiu, donec aqua fortis amplius non turbetur, tunc vocant *es sey gefallt*, id est *prostratum esse*, sic nullum aurum tangit.

De subtiliore vitrioli spiritu.) Lis est inter Autores annon in destillatione aquæ fortis & aliquid de vitriolo ascendat? Resp. esse saltem spiritum nitri, quod prodit, hincque aquam fortem ne guttulam quidem spiritus vitrioli continere. Et posito, aliquid spiritus vitrioli unà elici; hoc tamen spiritus nitri usum non reddit deteriorem; adeoque sive per hoc aqua fortis, sive spiritus nitri sumatur, perinde est.

Antimonialia.) Pro his figendis loco spiritus nitri & vitrioli, vel sulphuris spiritus tutò assumi potest.

Productioni.) Nitri productionis sunt plures modi, & ex lignis vulgatis nitrum parare docet GLAUBERUS; sicut alii remanentias à nitro depurato calcinat, & cum calce viva miscendo aeri exponunt pro eodem scopo.

Sal culinare pag. 433.) Hoc materlaliter constat ex acido universali concentrato in terra alcalina, quippè est illud sal salsum. Jam verò probatur illud ex eo, quod spiritus salis attactu cujusvis salis fixi alcali regeneretur in perfectum sal commune, & in parvos cubos, qualis est genuina salis communis figura. Cæterum triplex datur salis illius communis differentia: nempè marinum, fontanum, & gemmæ; quorum hæc duo consistentiâ saltem differunt. quippè quando sal gemmæ in copiosa aqua dissolvitur, sal fontanum constituit; sicut & ex hujus defectu coagmentatum, sal gemmæ repræsentat, cujus ferax alioquin est Polonia. Atque horum amborum quasi communis matrix quoque est sal marinum, in recessu pingue nonnihil, & magnis defæcatum existens, quod in locis marinis facilè colligi potest. Interim has inter tres differentias, quoad usum Medicum, nullam habere prærogativam, sed promiscuè ex iis spiritum elici posse, rectè statuit AUTOR *noster*.

Purificatio p. 434.) Sal à quibusdam depurari solet pro usu Medico: sed purificatio curiosa, minus verò necessaria est, quia est heterogeneorum salium insida separatrix.

Per raphani succum liquatio) Alludit hîc AUTOR *noster* ad evporiston asthmaticorum, quo raphanum in taleolas incisum sale communi aspergunt, hoc dicta ratione in deliquium redigendo; ita liquor hic expectorans est, & asthmate humoroso, tam pectorali, quàm stomachali, proficuus, incidens visciditates, easque ad sui expectorationem promovens.

Fusio) Sic etiam sal funditur pro depuratione sui in crucibulo: vid. SCHROEDERUS: Sed sic saltem castratur nitrum, dum sub fusionis igne subtiliorem spiritum deperdit.

Decrepitatio.) Observatu hîc dignum est, quod sal marinum longè magis crepitet quàm fontanum: ac est ejus crepitationis hæc origo, quia sali communi adhæret parum salis nitrosi; unde quemadmodum nitrum quodvis strepitum edere solet, ita & propter annexum ejusdem, phænomenon hoc in sale communi reperitur. Aliàs etiam crepitatio hæc ex particulis aqueis, in salis communis crystallisatione concentratis, ignis actione erumpentibus, & claustra ista granulorum dissilire facientibus, derivari potest, uti in *Collegio Chymico suo loco* sufficienter dictum.

Salis spiritu.) Hic immediatè ex sal paratur, & pro usu Medico juxta AUTOREM sufficit.

Spiritum vitrioli Philosophicum.) Spiritus vitrioli philosophicus, qui ex butyro antimoniali præcipitato separatur, revera nil aliud est, quàm spiritus salis communis ex mercur. sublimato mediante præcipitatione Mercurii vitæ resuscitatus; hinc malè pro sp ritu vitrioli habitus, cum nihil de vitriolo vel nitro, mercurium sublimatum ingredientibus, participet; attamen sufficere pro usu medico potest: vid. AUTOR *pag* 344. & 345.

Destillandi spiritus istius additamenta, pag 435.) Scilicet destillatur spiritus salis vel per se, vel cum additis. Per se destillandi modum docet SCHROEDERUS *pag.* 465. sed parum dare spiritus, rectè insinuat AUTOR *noster*, quin quod vas rumpatur & labor sit frustraneus; cujus rei ratio hæc est, quod sal commune, igne intensiore tractatum, fluorem concipiat, adeoque in consistentiam quasi crystallinam abeat, nil amplius de spiritu suggerens, non secus ac aliàs nitrum per se destillatum in igne fluit. Unde, ut fluor hic impediatur, & spiritus separetur, solent ubique particulas salinas discontinuare per addita terrea.

Muria.) In fontibus salinis, dum hinc inde sal semicoagulatum transportatur, muria hæc diffluit, quæ ad medium inspiss. ta, & destillata per arenam, subtilem & admodum volatilem dat spiritum, sed paucum, qui revera præstantior est spiritu salis communi. Adduntur autem varia, quæ videantur apud AUTOREM *nostrum*.

Corallia.) Sunt qui addendo sali corallia, spiritum salis coralliatum acquirere intendunt; verùm nil de coralliis participat, quia hac ratione corallia acidum salis spiritum absorbendo, eum debiliorem reddunt: vid. SCHROEDERUS. Eadem ratio est, quando terra sigillata sali adjicitur, cum tamen sic nihil peculiare acquiratur, nisi quod nobilis terra pereat.

Terram sigillatam, Bolum, Argillam, lateres.) Quidam etiam terram sigillatam addunt; sed frustra: sicut & hos destillandi spiritus modos taxavit ZWELFFERUS *in anim adv.* dum nempè terrea hæc copiosum salis acidum absorbent, hincque is phlegmaticus prodit; aut ad minimum fortior in fine ignis requiratur, pro acido illo evocando.

Aluminis caput mort. pag. 436.) Hîc Autor vel ana vel duplum aluminis crudi, vel calcinati, loco terreorum pro spiritu salis destillando recipit; ac sanè non est, quod metuamus, quasi nempè alumine adulteretur spiritus ille, cùm caput mortuum ejus nil dimittat de spiritu: sicut alumen crudum phlegma de se dat, sed insons necurinosum illud in alumine hîc considerationem meretur, quin potius integrum alumen ex capite mortuo denuò haberi potest.

Fastigiato illo.) Hîc moneo: rectè *anonymum illum anti-Glauberum* in libro, quem inscribit, *Centum mendacia Glauberiana*, statuere: quod mediante hocce primo furno Glauberi nullum minerale subjectum benè tractari queat, cùm horum spiritus miscerentur cum carbonibus, texturam eorundem immutantibus; ut taceam, fuliginem acido pinguem ex carbonibus prodire, spiritibus se sociare, & istos adulterare. Unde nobis furnus communis sufficere debet.

Tinctura.) Sunt qui spiritum salis beneficio florum papaveris rhœados succi depurati impręgnant, ubi quidem gratior aspectu, sed non eminentior usui medico evadit.

Rectificari pag. 437) Ordinariò etiam solet spir. salis rectificari, quam tamen rectificationem nocivam ex eo putat AUTOR, quod sic subtiliore & volatiliore sulphure defraudetur; nam phlegma præcedere solet paucus spiritus subtilior: ut taceam laborem istum superfluum, quia rectificatus vix aut non dispensari potest, adeoque denuò diluendus est spiritus ille in vehiculo. Etenim spiritus salis non adeo intensè acidus pro usu medico requiritur: sed quia mineralium quorumcunque spiritus acidi nimis graduati, ob sui particulas nimis rigidas membranas corporis molestè afficiunt, rodunt & corrodunt; hinc loco talium concinnius est, ut temperati ii, h.e. mediante spiritu vini dulcificati, usurpentur; ita namque spiritus vini in recessu sal volatile oleosum rarefactum haber, ortum ex oleo vini fermentatione attenuato, & phlegmate copiosiore diluto. Hinc spiritus vini in dupla proportione spiritibus his nitri, salis, & vitrioli additus, constitutioni nostræ magis accommodatos reddit; ut adeoque loco spiritus salis communis, ejus spiritum dulcem ceu concinniorem, magis diureticum & stomachalem, commendem, misturis, quantum satis pro grato acore, solitariè autem dosi gtt. 20. ad 30. addendum.

Augmentari.) Notat hîc eos AUTOR, qui, ut & facit SCHROEDERUS, spiritum salis paratum denuò à recente sale fuso abstrahunt; item, qui caput mort. destillatum post elixiviationem in sal redactum miscent cum jam profecto spiritu, sicque partim eundem augmentant, & partim de novo destillant; uterque enim labor est vanus; non secus ac ii, qui spiritum salis tartaro depurato affundunt pro sui exaltatione, qui tamen potius sic destruitur.

Cum nitro compositi.) Scilicet inter alia menstrua corrosiva excellit & spiritus ille compositus ex nitro & sale, aurum ipsum solvens, quem videbitis in SCHROEDERO *pag.* 466. qui & pro usu externo Alchymistico egregius est. Interim monet AUTOR, loco hujus & *spiritum nitri bezoardicum*, seu qui à butyro antimonii affusione spiritus nitri abstrahitur, BOYLEO *menstrui peracuti* nomine *Experim. 7. de originibus Formar.* veniens, sumi posse; vel ex tempore spiritus salis & nitri mistos in ejusmodi spiritum destillari.

Ex lapide calaminari, pag 438) GLAUBERUS *in Tract. Solatium nauigantium*, mediante lapide calaminari docet concentrare spiritum salis. Ejus fundamentum hoc est: nempè lapis calaminaris, martialis naturæ existens, omne acidum spiritus salis absorbendo, saltem phlegma superstes relinquit; hinc illum de novo destillando spiritum acidissimum concentratum salis acquirit, pro usu medico non adeò magni usus.

Dulcem.) Cum spiritus salis acidus suspectus sit, hinc alii studuerunt, ut dulcem acquirerent, idque variis modis: Quidam sc. per sal

tartari

tartari aut alia alcalia; verùm hac ratione acidulum phlegma acquiritur. Alii salis ante destillationem solutionibus id præstare fuerunt conati, ut SCHROEDERVS *pag.* 467. *num.* 6 ast hac ratione acquiritur quoque spiritus salis communis. Alii simplici digestione spiritum salis dulcificare voluere, attestante *Schrædero loco citato Num* 5. *Nota* 2. ubi tamen falsum est, hac ratione illum tantillum edulcorari posse. Tandem optimè res procedit cum duplo spiritus vini, eum aliquoties cohobando; & hunc *spiritum salis dulcem* BASILIUS VALENTINUS nominat *aquam* suam *temperatam*, quamque pro solutione calcis solis adhibet.

Spiritus salis vitriolatus.) Vid. SCHOEDERVS. Hic fucus inanis est, cùm uitriolum, fixioris naturæ existens, ne tantillum quidem cum sale mistum & destillatum reddat: Si enim recipiatur spiritus vitrioli rectificatus, & affundatur is salis communi, & destilletur, tunc prodit saltem spirirus salis; Spiritus verò vitrioli cum alcali salis communis abit in *sal mirabile* illud *Glauberi*; nil enim de spiritu vitrioli prodit, utut phlegma vitrioli spiritum salis diluat.

E marte cum limatura martis.) ZWELFFERVS *in Mant. spag. pag.* 340. spiritum salis martialem ex limatura martis & sale destillar, cui tamen rantillum substantiæ martialis inest. Nullius igitur est prætii prærogativæque præ spiritu salis communi.

Spiritus è florum.) ZWELFFERVS *cit. loco pag.* 339. ex marte & sale ammoniaco flores aurei coloris, & ex capite morruo spiritum salis martialem, elicere docet; qui tamen spiritus est spiritus salis communis, non adeò acris, quia acidum in marte reliquit; nonnihil dulcis, quia de marte aliquid participat: Interim non tanti æstimandus.

Spiritus salis per alcali fixatus, pag. 439.) Innuit hìc spir. salis coagulatum, qui fit, quando spiritus salis acidus miscerur cum sale tartari, vel nitro fixo, aut & secundùm MYNSICHTUM *pag.* 26. cum sale absinthii; quibus modis omnibus sal commune paulò acrius acquiritur.

Flores.) Scilicet quando destillatur spiritus salis communis paulò intensior, tunc simul aliquid in formam florum elevari conspicitur; sicut alii ex sale communi fuso mediante retorta tubulara, cui adaptatus est follis, parant spiritum salis per se, aut quoque flores salis dulces, quos processus vid. apud KESLERVM *Process.* 39. *C.* 4 & *Theatr. Chym. Vol.* 6. *pag.* 473. pro usu alchymistico. Interim tamen hi flores nihil aliud sunt, quàm sal commune paulò subtilius factum, uel & secundùm AUTOREM spiritus salis coagulatus, unde spiritui salis propriè possunt addi pro maiori acrimonia concilianda. *Crystallos salis dulces* vid. apud SCHROEDERUM. Observetur autem, ne nimium aquæ adjiciatur uel infundatur, aliàs vasa rumpit. Tandem, quibus placet spirirus salis coagulatus, vel flores salis communis, recipere possunt illud sal quod post spiritum salis ammoniaci urinosum ex ana salis tartari & salis ammoniaci factum, intensiore igne acquiritur; sic enim ex spiritu salis ammoniaci acido imminente, & in alcali fixo coagulato, eleuantur in collum retortæ crystalli salis communis, qui floribus salis, vel spiritui salis coagulato, possunt substitui.

Super silices, pag 440.) Glauberus spiritum salis rectificatum à silicibus abstrahendum iubet, ut eliciatur eorum sulphur solare: verùm hac ratione silices imbibendo spiritum salis, hunc magis enervant, quàm exaltant.

Incerationes) Hìc duos processus illos, quosque SCHROEDERVS *num.* 9 *pag.* 468. & *num.* 14 *pag.* 470. habet, insinuat; dum nempè sal commune imbibitur nunc cum oleo salis, nunc cum aceto, & spiritum copiosiorem sibi promittunt.

Gemmas vitæ.) *Gemma vitæ Mynsichti pag.* 28. est spiritus salis concentratus, & cum sole corporali impregnatus; quo tamen & similibus modis nihil aliud obtinetur, quàm spiritus salis plus minus concentratus. Sufficiat ergo spiritus salis dulcis.

E vitriolo spiritus.) Spiritus uitrioli rectificatus præter usum Chymicum in parandis remediis egregius est vi stomachicâ & diureticâ. Cum enim de acido esurino sulphuris embryonati participet, cuius ratione stomacho gratus est, styptico nonnihil sapore tonum stomachi firmat, æstuantibus blandum refrigerium conciliat, & primas vias per urinas mundificat: hinc usitatissimus est in morbis acutis.

Salanatron, Allembrot.) Quid hoc sit? vid. in SCHROEDERO *lib.* 2. *pag.* 479. sunt scilicet salia fusioni metallorum inservientia.

Vitri cineres.) Vitrum constat ex alcali cinerum & terra silicum calcinatorum, invicem colliquatis, sub qua colliquatione sal alcali illud acidum silicum imbibendo, & in salsum abit, reliquæ massæ supernatans, Germ. *die Glas-Galle* vocatum. Cæterum vitrum quidam pro usu diuretico adhibent, contusum scilicet illud, & cum ana salis cuiusdam fixi subactum, de novo fundendo. Ita massa emergens in aere humido propter alcali abundans facilè liquescit. Ex hoc liquore & instillatione spiritus salis vel vitrioli pulvis silicum præcipitari potest, quem ceu magisterium vitri commendant pro scopo insigniter diuretico: vid TACHENIVS: quod tamen non magni æstimandum, quia parum in recessu habent calces & magisteria vitri.

Lapidem nephriticum, pag. 441.) Hic vel per se usurpatur, vel antea præparatur. Per se quidem amuleti instar curare & præservare à calculo dicitur: conf. BARTHOLINVS *de Lapide Nephr.* Præparatum verò vel solutum in spiritu salis sub forma solutionis, vel & præcipitando hunc cum alcali in magisterium, exhibent: sed Autor dicit, frustra esse. Adhæc per spiritus acidos eius textura invertitur. Parcus & rarus est eius usus.

Crystallum.) Hæ, ut & silices paulò puriores, usurpantur duplici modo: vel externè pro Dentifriciis, pulverisati scilicet, vel & calcinati, & in lacte vel aqua communi extincti, donec friabiles reddantur, & forsitan melius est pumice: ubi tamen genuina est ZWELFFERI censura, dicentis, ejusmodi substantias lapidum non esse adeo tuta dentifricia; sed asperiora hæc & duriora subjecta vim inferre gingivis, has alterando, & successivè absumère; indeque loco ejusmodi terreorum cineres vegetabilium, ut Nicotianæ, aut tartarum calcinatum, & similia, longè commodiùs adhiberi.

Internè verò, utut verum sit, crystallum invertens esse acidorum præternaturalium, hincque infantibus pro temperando acido horum æruginoso prodesse, sicut & dysenteria benigna laborantibus, ubi acidum corrosivius peccat; ea tamen pro usu diuretico non adeo singularis est.

Solutio cum salis spiritu, pag. 442) Deinde crystallus calcinata solvi potest in spiritu salis vel in aceto, & hinc vel solutio talis in forma liquida propinari, vel post coagulationem sui in loco humido iterum solvi, qui liquor vocatur *liquor nephriticus*. Et hac ratione quoque crystallus & alii lapides, vulgò lithontriptici vocati, tractari poterunt, ubi tamen omnino illorum præparata pariter saltem urinam propellendo prosunt.

Silicum ille liquor, pag. 442.) Scilicet GLAUBERI inventum hoc est, recipientis ana *salis tartari* & *silicum pulverisatorum*, hinc sali tartari fluenti in crucibulo successivè immittentis pulverem silicum (qui subjectum admodum sulphureum sunt) ita solvuntur silices, & invicem coeunt in liquorem vitriformem, qui in loco frigido repositus propter alcali abundantiam fluit per deliquium, & vocatur liquor silicum, parum in recessu habens: vel & massam illam, antequam fluat per deliquium, cum spiritu vini in tincturam extrahit GLAUBERVS, tincturam silicum eandem vocans, quæ tamen non est è silicibus, sed ex sale tartari; adeoque præ tinctura tartari vulgari nihil in recessu obtinet.

Cremoris titulo.) Porrò si dicta mistura per deliquium fluat, emergit cremor, præ pulvere silicum nihil singulare obtinens: contra liquor cum spiritu salis præcipitatur in sal commune; vel cum spiritus vitrioli præcipitatus, in tartarum vitriolatum abit.

Ludum recentiorum fossilem, pag. 443) Innuit hìc ludum Helmontii, ex quo cum liquore alcahest parat suum aroph, solvens calculum humanum jam dum concretum.

Lyncis.) Lapis lyncis diureticus est, & per acida præparatus concretum salsum ejusdem efficaciæ constituit.

Judaicum.) Est reverà hic lapis inter alia ingrediens liquores nephriticos: nam in se ipso lapis hic in urinæ difficultate & calculis non contemnendum est remedium; id quod confirmat BORRICHIVS *Hermet. Sapient. pag.* 319. Præparatur etiam pro hoc usu cum acidis: sed nihil peculiare præ lapide crudo, vel præ crystallis hoc modo paratis, obtinet.

Spongia.) Lapis spongiæ crudè assumptus ad scrophulas in usu est, vel etiam potest calcinari.

Pila marina.) Pila marina est concrementum, annotante WORMIO *in Museo*, ex fibris algæ marinæ petrefactæ tenacioribus confecta; quæ tamen, si vim aliquam diureticam obtinent, habent eam à sale marino sibi adhærente.

Ceraunius.) Ex *hoc* D. D. MICHAELIS cum ana *exuviarum serpentum* misto preparavit suum *specificum antiictericum*, cuius tamen effectus rationes non video; sicut & TILEMANNUS & AGRICOLA laudant ceraunium pro hydrope curando, nunc in pulvere nunc in potu infusum: sed vereor, ne & hìc spe frustremur.

Glossopetræ) Sunt corpora triangularia ossea in Insula Maltha reperibilia, eaque alii fossilia, alii marina statuunt: Vbi tamen notandum: in mari mediterraneo reperiri piscem carchariam dictum, rictu canino immenso, quadruplici dentium serie circumvallato, præditum: qui ipsi dentes ex mortuo pisce casu decidentes appelluntur ad insulam Maltham, ibique se speluncis subterraneis insinuando, vlteriore induratione lapidis speciem acquirunt: Conf. STENO *in Myolog. spec. ubi* Anatomiam eiusmodi piscis habet. Absorbent acidum, pollent vi antepilepticâ, diureticâ, antihydropica, &c.

Ex calce viva, pag. 444.) Hæc est famosum subjectum & lapidosum artificiale, suo modo concretum, constans primariò ex terra fixa, unà cum acido & excessivo alcali in eadem absconditis. Equidem quoad bina hæcce salia latentia in calce viva, dubitare videtur AUTOR *noster*, terens vestigia ZWELFFERI, indeque negat, dari eadem in calce viva: interim, quod illa huic insint, sufficienter demonstravit *Mayovo de nitro & spiritu aereo*. Et sanè cum calx viva ram fortia eaque fixa salia possideat, hinc factum, ut semper vis diuretica in ea quæsita fuerit, & præprimis spiritus diuretico-nephriticus. Vtut autem verum sit, ex calce uiua cum

sale

sale ammoniaco, vel cornu Cervi, vel tartaro & similibus combinata, semper acquiri spiritum nitrosum; tamen ille est compositus, & præsertim additamentis hisce originem debet, adeoque sic genuinus calcis vivæ spiritus non paratur; quin potiùs videri posset paradoxum, ex calce viva petere velle spiritum urinosum; cujus tamen aliquid reverà inest, an verò ex calce viva fit? in suspenso relinquitur.

Spiritus vini alcohsati inceratione.) Innuit hisce processum BASILII VALENTINI, quem & habet SCHROEDERVS, KESLERVS ac alii: est scilicet, quando cum spiritu vini repetitis vicibus imprægnata calce viva fortissimo igne pellitur; sic enim prodit ex retorta spiritus vini aliqualiter acris, utut parcissimum sit, quod recipit spiritus vini.

Nos spiritum salis.) Curiosus est labor ille, quando nempè recipitur spiritus salis, & affunditur calci vivæ recenti, vel (si quid humiditatis aereæ attraxerit) nonnihil calcinatæ affundatur: quo in casu hæc potenter spiritum salis imbibendo effervescit, hinc ex destillata mistura prodit spiritus volatilis urinosus, instar spiritus salis ammoniaci vel urinæ, quantumvis non adeò copiosus. Interim dubium est, an hic spiritus urinosus instar spiritus salis ammoniaci vel urinæ ex calce viva prodierit? an verò ex spiritu salis in superficie sua acido?

Liquorem nephriticum.) Deinde ex capite mortuo hujus spiritus remanente, mediante aqua communi elixiviatur sal alcalino-salsum, quod post euaporationem phlegmatis cum spir. vini extrahitur in liquorem salso-urinosum diureticum: quem alii ex tempore parant, imbibendo calcem vivam cum spiritu salis, hinc inspissando, & per deliquium fluere finendo. Sic alii adhuc recipiunt caput mort. salis ammoniaci cũ ana calcis vivæ post spiritum prolectũ remanens, & ex hoc parant cremorem saliformem, & liquorem diureticum, coeunte sic acido spir. salis cum alcali calcis vivæ; sic fit sal salsum per deliquium fluens. Tandem alii sal ammoniacum & calcem vivã calcinant & elixiviant, quod per deliquium fluens liquorem diureticum constituit.

Cum alumine, p. 445.) Scilicet calx viva recentissima cum alumine mista post destillationem dat. quidem spiritum urinosum; interim tamen dubium hìc occurrit, annon hoc sal volatile seu spiritus urinosus sit in alumine delitescens? an ex calce viva elicitus? sanè longè probabilius est, ex alumine eum, quàm quidem ex calce viva, prodire.

Lixivium, pag. 446.) Scilicet aqua calcis vivæ seu lixivium (in quo nempè calx viva effervescendo extincta quasi est) vocata aliàs *aqua benedicta chirurgorum*, & egregia est in affectibus Chirurgicis quàm plurimis: Est enim corpus lixiviale urinosum prædominante in eodem alcali; hinc ea vel solitaria, vel acuata cum tertia parte spiritus vini, (quò sic sal oleosum prædominetur) præstans erit in inflammationibus discutiendis, vi absorptiva acidi inflammationis causæ. Eadem aqua excellit in ulceribus sordidis purificandis, eluendo eadem, in incipiente gangræna arcenda, promovendo simul separationem partis sanæ à mortua; item in scabie & serpigine curandis. Sic cum ante menstruum tempus haberem scabiosum, suasu alius ignorantis medicastri solutionem Mercurii sublimati in aqua factam loco litus adhibentem, & hic inde contraheret dolorem, tumorem & inflammationem manuum, jubebam ut

Recipe. *Aquę calcis vivę* ℔j.
Spiritus vini ℥j.
Cerussę ʒiij.

Hujus misturæ usu externo brevi à malo suo liberabatur.

Pariter ante biennium accipiebam mulierem, quæ punctura acus in imo digiti tendinem læserat, hinc suppurabatur, dolebat & tumebat digitus & manus, ac simul lituras rubras ad cubitum protensas (quod signum erat increscentis gangrænæ) monstrabat; unde suadebam huic, digitum læsum tractare balsamo sulphuris, ipsi verò brachio applicare aquam calcis vivæ; quo facto convaluit. Tandem & in ambustionibus citò curandis excellit aqua calcis vivæ, recipiendo eam probè imprægnatam, inque eam infundendo oleum rosarum, hinc agitando, ut in consistentiam butyri quasi abeant, alcali calcis vivæ acidum olei rosati imbibendo. Hoc sanè remedium vix sibi in ambustionibus & aliis casibus par aliud habet.

Cremor calcis vivę.) Scilicet crusta quædam moderatè salsa & pinguis aquæ calcis vivæ supernatans, præter usum, quem habet in cancro exulcerato (nisi is nimis fuerit exasperatus) convenit & ulceribus dysepuloticis, h. e. quæ nolunt cicatrisari. Sicut & calx viva tota, h. e. corpus illud terreum post aquæ elotionem superstes, redigi potest in *linimentum contra ambusta*, & ulcera alia manantia egregium; absorbet enim quælibet acida.

Cauterium.) Cauteria potentialia pro natura salium corrosivorum sunt in duplici differentia, nempè alcalia & acida: quorum illa sunt omnia lixivialia acria salia, & ex his sal præprimis ex lixivio saponariorum coagulatum, quæ præter alia & ingreditur calx viva, atque hoc, in loco calido sicco asservatum, ne per deliquium fluat, eligit & maximè commendat AUTOR. Interim tamen alcalia hæc cauteria non adeò commodè usurpantur ex eo, quod illa solvendo putrefaciant locum, cui applicantur, moxque maculam nigram fœtentemque crustam, gangrænæ quasi initium, inferant: è contra acida salia plus minus concentrata præsentiora sunt, cum rodant hæc saltem, & rodendo partem profundiùs saucient, hinc primò rubram, deinde albam escharam inducunt. Jam verò inter hæc acida eminet Luna in aqua forti soluta, quæ soluta inspissatione dat pulverem ex albo obscurum, *Lapis infernalis* dicendum: de quo ad quantitatem pisi mediocris applicetur loco, ubi faciendum cauterium, imponendo desuper emplastrum; ita hic pulvis ob aquam fortem in ipso concentratam operari incipit, quasi puncturæ pulicum affligerent. Idem pulvis locum habet in casu carnis excrescentis ulcerum, quam mortificat & erodit. Tandem post hunc pulverem pro cauterio optimum est butyrum antimonii, tubulo calami coercendum.

Renum calculus, pag. 448.) Scilicet in paroxysmo nephritico, dum calculus urget, duę occurrunt indicationes: aut enim calculus imminuendus est, aut, si id fieri nequeat, maturè eijciendus per diuretica, quo sic præcaveamus majora ejus incrementa. Jam verò priori scopo obstat paucitas remediorum calculum positivè frangentium: indeque ob horum defectum ad secundam indicationem accedendum est; ubi tamen in hac quoque obstat, quod in nephritidis dolore fibræ ureterum convulsivè crispentur, hincque fibris his contractis meatus ureterum angustentur, adeoque difficilis sit labor pellendi calculum renum; cum si fortiora diuretica exhibere velimus, & calculum his moveamus, dolorem intensiorem pararemus & crispaturam augeremus. Quid ergo in tanta perplexitate consilii? Respondet AUTOR *noster*, jubendo, ut sistatur dolor, quo remittente, & crispatura ureterum cessante, sponte sic sua urinæ vehiculo prodeat calculus, hincque suadendo temperata, simulque præcipitantia diuretica anodynis & antispasmodicis exaltata. Nempè mandat & suadet diuretica blanda (non acriora) & præcipitantia, hoc est, acriora salia primarum viarum absorbentia & invertentia, præsertim, cùm urina ferè acrior & dysuria urgere soleant: quibus anodyna pro sistendo dolore, & remittenda crispatura & corrosione in renibus & ureteribus sociat, & tandem superaddit antispasmodica. Et sanè anodyna sunt bona; quorum in usu suspicio quidem oriri potest malè ea dari, cum interdum disponant ad urinæ suppressionem: quod mihi in febribus malignis obtigit, in quibus cum misturam ex theriaca cum aceto & antimonio diaphoretico compositam exhibuissem, ægrum ad nychthemeri spatium ischuriam incidisse observavi; cujus causam postmodum collegi fuisse vim opiatorum & theriacalium, quatenus renalium fibrarum tonus labefactatus urinam non transire permittit; undè in hoc casu vitentur opiata. Interim tamen tantum abest, ut in paroxysmo nephritico hoc metuendum sit, ut potius blanda anodyna reliquis addita hic in usum vocentur. Cæterum AUTOR *noster* pro scopo temperativo & simul præcipitante diuretico eligit lapides cancrorum; sicut pro scopo anodyno pulverem suum anodynum ex opio constantem & inferiùs descriptum; tandem pro scopo antispasmodico cinnabarim nativam, vel in ejus defectu antimonii, adeoque ordinat ex his talem pulverem compositum:

℞. *Lapill. cancr.* ℈j. ad ʒß.
Pulv. anodyn. opiat. nostr. gr. iij.
Cinnabaris nativ. vel *antimonii*, gr. viij.

M. in formam pulveris, subinde usurpandi ab ægro nephritico, interponendo usui ejusdem vel spiritum salis, vel tincturam tartari tartarisatam.

Omnia sic possumus præstare, quæ alii vix magnis compositionibus.

Lithontribon, pag. 450.) Hi pulveres omnes sunt inconditi, & nihil ferè operantur.

Nec syrupos, pag. 451.) In paroxysmo nephritico, cum stomachus per consensum utplurimum simul insigniter laboret, huiusmodi saccharata tantò magis prosternunt, quò magis sacccharum superat vim ingredientium medicamentosam.

Essentias nephriticas, pag. 452.) Hæ cum spir. vini paratæ ex aromaticis licet calculosis, non semper possunt in usum vocari, quia ægri maximis æstuationibus corporis laborant.

Aroph, pag. 453.) Aroph Paracelso est species medicamenti, quo calculum renum confregit & expulit, quod admirati sequaces, putarunt illud explicare & denotare aroma Philosophorum.

Tornasolis, p. 454.) Innuit hìc AUTOR tincturam aperitivam Moebii duplicem; quarum vera est sequens:

℞. *Salis comm.*
Nitri an. ℔j.
Tartari ℔ij.

Destilla per retortam, & rectifica à *sale tartari*, ita prodit spiritus striatus volatilis acidus, tinge *torna solis*, hoc est, linteis cum succo baccarum heliotropii infectis, vel etiam baccis ipsis exsiccatis, in tincturam aperitivam egregiè diureticam.

Quoad alteram tincturam, illa sequenti modo præscribitur:

℞. *Spiritum salis communis*;

Eumque quater super *caput mortuum proprium* cohobatum ex balneo Mariæ rectifica, ita prodit spiritus striatus volatilis acidus, quem abstractum ab *aphronitro* tinge cum *torna solis*. Sed tinctura hæc nihil valet.

Lixivia diuretica, pag. 454.) Illa *Mynsichti* sunt nihil, aliud quàm salia

falia calcinatorum vegetabilium in aqua vel vino soluta, ita propinata.

Atque ita ex hisce selectis diureticis hactenus allegatis vel mille formulæ pro diuresi concitanda præscribi poterunt; v. g. in forma pulveris:

℞. *Crem. tartari* ℈ij.
Lap. cancr. pulverif. ℈j. M.
Div. in 2 par æqv.

Sumantur in vehiculo feruido.

℞. *Tartari vitriolati ritè parati* ʒß.
(vel *crem. tartari* ℈j.)
Salis tartari vel *ononidis* gr. xv.
Misc.
Diuide in 2. part. æqu.
D. S.
Aperiens pulvis diureticus.
Vel

℞. *Nitri vitriolati* ʒß.
Salis stipit. fabar. , vel *sal. stercor. columb.* vel *salis genistæ* ℈j.
Ol. destillat. terebinth. vel *junip.* gtt. iv.
Diu. in 2 part. æqu. S. ut supra.
Vel

℞. *Tartari puri*, vel *cremor. tartari*, vel *nitri purif.* vel *nitri antimon.* ℈ij.
Sal. tartari ℈j.
Ol. dest. junip. vel *terebinth.* gtt. iij. M.
Div. in 2. part. æqv. S. ut supra.
Vel

℞. *Crem. tartari* ℈ij.
Vitrioli martis ritè par ℈j. M.
Div. in 2. part. æqual.

℞. *Salis essent. tartari* ʒj.
Vitrioli martis ʒß.

Misceantur in mortario lapideo; hinc massa humida exsiccetur, & de novo teratur.
Div. in 2. part. æquales.

Sin in forma liquida:

℞. *Tinctura tartari* ʒij.
Clyssi urinosi ʒj.
Tinctura diuretica,
M. D. S.

Dosis gutt. 40.
Vel

℞. *Spiritus carminat. de tribus* ʒiiß.
Lumbricor. per putref. ʒiß. M.

Dosis 40 guttæ.
Vel

℞. *Liqv. terra fol. tartari* ʒiij.
Spirit. salis ammoniaci ʒiß. M.

Dosis 40. gutt.
Vel

℞. *Aquæ fragor.* ℥ij.
Tinctura tartari tartarisati ʒij.
Syrup. heder. terrestr. ℥ß. M.

Usurpetur cochleatim.
Vel

℞. *Aquæ fragor.* ℥iij.
Salis essent. tartari ʒiij.
Clyssi urinosi ʒj.
Syr. heder. terr. ℥ß. M.

Usurpetur cochleatim.

℞. *Aquæ fragor.* ℥ij.
Syr. ex succo frag. ʒvi.
Spiritu salis vel *nitri dulc.* q. s. pro grato sapore.
M.

Capiatur cochleatim.

℞. *Aquæ petrosel.* ℥iij.
Aceti vini ʒvj
Lapill. cancr. præp. ʒj. ad ℈iv.
Syr. papav. albi ʒvj. ad ℥j. M.

℞. *Aquæ fragor.* ℥iij.
Lapill cancr. præp. ʒi.
Spiritus salis vel *nitri dul.* ℈i. ad ʒß.
Syrup. fragor. ℥ß. ad ʒvj. M.
Vel

℞. *Cantharid pulver.* ℈j.
Infund. in
Vini Rhenan. ℥iij. vel iv.
Stent in loco tepido per noctem, filtretur *uinum*:
D. S.
Vinum diureticum.

Dosis 10. 15. 20. ad 30 gutt. ascendendo paulatim indies in haustulo jusculi calidi seu tepidi, vel cerevis.
Vel

℞. *Liquor betul.* Martial. q. v.
Euapora ad mediam remanentiam, impraegnetur f. q. extract. alkenkeng. liquid. cum vel sine sacch. parati. Detur cochleatim.
Vel

℞. *Rob juniper.* ʒi.
Lap. cancr. prep. gr. xv.
Tartari uitriolat. ℈ß.
Cum f. q. *Spiritus juniper.* F. Bolus.

Quibus denique Electuarum placet, ii

℞. *Conseru. uiol.* ℥i.
Rob juniper. ℥ß.
Lap. cancr. puluerif. ʒii.
Arcan dupl. ʒi.
Cum f. q. *syrup. heder. terrestr.* F. Electuarium, irrorandum aliquot guttis *spiritus salis*, M.

Detur quantitate castaneæ vel nucis juglandis.

TITULUS XIII.

DE

GENERALIBUS MORBORUM CHRONICORUM REMEDIIS, vulgò APERIENTIBUS, INCIDENTIBUS, & DETERGENTIBUS, aliàs speciatim ANTISCORBUTICIS, HYPOCHONDRIACIS, Hepaticis (qualia sunt omnia amara) & SPLENETICIS dictis: reverà ALTERANTIBUS, nempè acidum plus minus viscidum corrigentibus, bilemque plus minus acuentibus.

De *Antiscorbuticis*, p. 455.) In antecessum hìc præponendum, remedia Pharmaceutica causas morborum materiales sive occasionales corrigentia, facere illud vel insensibiliter easdem saltem alterando, vel sensibiliter simul extra corpus easdem euacuando. Etenim ex omnibus supra commendatis euacuantibus non datur ullum, quod non simul corrigat & alteret humorem illum, qui euacuari debet. Contra alterantia videntur ea, quę insensibiliter causas materiales, seu succorum corporis ex perverso 6. rerum non naturalium usu degenerationem corrigunt, seu vitiosos eos sapores emendant: Et speciatim illa alterantia vel viscidam & glutinosam humorum texturam, motui tam progressivo, quàm intestino ineptā, & hinc inde poros & meatus obstruentem, incidendo vel resolvendo, vocantur Incidentia vel Aperientia & Detergentia: hincque prout variant nutritiones particulares partium, hincque nata sunt vel vitiosa contenta, vel aliunde vitiosa transmissa, eatenus & remedia pro partium, in quibus corrigendæ causæ materiales latitant, diversitate, nunc *Aperientia pectoralia*, nunc *splenetica*, nunc *uterina* appellari solent. Jam ergo ipsa alterantia nobis sunt consideranda. Quousque autem materiæ morbosæ se ostendit ambitus, eò usque etiam alterantium usus se extendit. Adeò ergo latus est campus alterantium (quousque nempè morborum à dyscrasia humorum contentorum natorum seu universę cacochymiæ se extendit ambitus, eò usque etiam alterantium patet usus) ut contra notum sit, ubivis ferè, speciatim in chronicis, obstructiones viscerum abdominis vulgò allegatas magnam post se trahere fabulam de aperientibus. Sanè frequentissimè in eiusmodi affectibus primariò peccat acidum, hærens in subiecto plus minus viscido & occasione cruditatis acidæ è stomacho natum; itemque bilis inertia, seu deficiens eius acrimonia oleosa (quod aliàs hepar frigidum appellant) unde acidum potiùs illud absorbentia, viscidum verò incidentia & attenuantia requireret. Et sanè, quàm vana sit eiusmodi accusatio obstructionis, probat loco omnium quoque Mars, qui vulgò dicitur pollere vi aperiendi, cum tamen reuera ratione texturæ suæ materialis simpliciter adstringat, & vi sua vitriolica fibras spisset: potiùs quicquid mars in chronicis præstat, illud facit viscriditates imprimis acidas absorbendo, easque per aluum eliminando. Porrò eminet inter morbos chronicos malum hypochondriacum cum variis suis differentiis, quod itidem simpliciter originem ducit ex stomachi cruditate acida, cuius vi enervatur & obtunditur simul vis balsamica bilis. Jam ergo pro occasione materiæ productæ, circa varias abdominis partes stabulantis, hasque affligentis, emergunt multiplicia symptomata; adeoque sunt qui malum hypochondriacum pancreaticum, stomachicum, &c. allegant; male tamen: cum prout in hac vel illa parte fixiùs hęret materia, eatenus apparenter multiplicem larvam induit morbus.

Spleni.) Sunt, qui malum hypochondriacum originem ducere dicunt ex splene, idque ideò, quod symptomata dolorosa maximè in hypochondrio sinistro obuia sint: ast utplurimum est insons splen: ut taceam, dubium esse, an splen affectus sit radix? an verò productum morbi? quinimò in symptomatis his hypochondrii sinistri, utplurimum curuatura illa coli & jejuni accusanda.

Quisquis mineralium, pag 456.) Innuit hìc AUTOR *noster* remedia in cura mali hypochondriaci & aliorum chronicorum usitata: nempè primatum ducunt martialia, acidum præternaturale absorbentia, & sub fæcum nigrarum forma illud eliminantia;

nantia; tandem poſt martialia cruſtacea marina, acidum invertentia, & illud ſalſum factum per vias urinarias educentia. Ab his, præmiſſis præmittendis, fit initium: quibus porrò ſubiungit ſalina volatilia, tam macra ſalina quàm amaricantia ſeu aromatica, hepatica & ſtomachica vulgò dicta. Cæterum ex illis volatilioribus imprimis ſpiritus vegetabiles ſulphureos inflammabiles non ſine cautione uſurpandos eſſe monet, idque ideo, quod hypochondriaci utplurimum variâ phlogoſi & æſtuationibus corporis torqueri, & facillimè cephalalgiâ per conſenſum affici ſoleant.

Pauciſſima, pag. 457.) Ex omnibus vegetabilibus antiſcorbuticis, craſin ſuccorum corporis acido-rancidam emendantibus, præter illa, quæ jam inter diaphoretica & diuretica ſunt recenſita, v. g. Gentianam, carduum benedictum, helenium, ſemen ſinapi, &c. imprimis ſunt ex vegetabili Regno primariò cochlearia, quam ſelegit Autor, alia ſuſque deque habens, quod quidem poſſemus concedere: Interim cum & alia quævis idem præſtent, putarem cochleariæ ſimul ſocianda eſſe raphanum ruſticanum, trifolium aquaticum ſeu fibrinum, & naſturtium aquaticum, quæ ex volatilibus pro ſcorbuto ſufficiant. Cæterum ex amaricantibus cichorium ſylveſtre loco omnium Intybaceorum, item taraxacum, item hepatica nobilis, abſinthium, centaurium minus & majus, vel hujus defectu chelidonium majus, fumaria, rhabarbarum monachorum, gummi ammoniacum, item tartarus, & quælibet tartarea. Hiſce etiam annumerari ſolet piperitis, flammula, beccabunga, chelidonium minus, naſturtia omnia, vermicularis, item Intybacea, endivia, lactuca, ſcorzonera, ſonchus, hieracia, bellis minor, hepatica pratenſis, matriſylva, gramen, eupatoria, præſertim cannabinum, acetoſæ quælibet: quò etiam pertinent lapatha, chamædris, chamæpitys, teucrion, abrotanum, curcuma, filix, cortices tamariſci, fraxini, in capparum, ſcolopendria, longitis ſeu aſplenium, lupulus, ſantonicum, tanacetum, corallia, bacca.

Cæterum piperitis, vermicularis, & ſinapi, aliaque plura, non videntur æquè neceſſaria, dum certis in caſibus acetoſa & acetoſella, atque in artuum affectibus ſcorbuticis ſtrobili pini commodè in uſum vocari poſſunt.

Ex Regno Animali eminent cancrina & cervina, hiſque analoga dicta Præcipitantia ſeu potius Abſorbentia aut Invertentia, item ſalia volatilia quæcunque; quorum omnium loco vel ſpiritus ſalis ammoniaci, ſpiritus tartari ſimplex aut clyſſiformis, ſufficiunt.

Hiſce annumerantur etiam ſplen bovis, ſtercus anſerculorum, item hirundinum, caninum, muſcerda, & alia ſtercora, quatenus ſale ammoniacali plus minus turgent.

Ex Regno minerali convenit arcanum duplicatum, ſal ammoniacum, corallia, tandem inſtar omnium Mars, & hinc Saturnus.

Inter Præparata ſufficiant aqua florum acaciæ, fumariæ, cochleariæ, &c. item ſpiritus & eſſentia cochleariæ, ſpiritus quidam compoſitus ex quibuſdam antiſcorbuticis concinnatus; item eſſentia quædam polychreſta ex extracto ſuccoſo amaricante cum ſpiritu antiſcorbutico parata; Quò etiam ſuo modo pertinet Elixyr proprietatis, tam cum acido, quàm cum alcali paratum, etiam cum ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo parabile.

Inter Martialia ſufficiunt pauca quædam in forma liquida & ſicca: v. g. inter tincturas & eſſentias ſit tinctura vitrioli Martis ZWELFFERI, aut etiam loco hujus tinctura Martis tartariſata AUTORIS; item ſolutio Martis cum ſucco pomorum, & tandem in ſtomacho paulùlum firmiori liquor Martis ſolaris. In forma ſicca ſit Antimonium diaphoreticum Martiale LUDOVICI, item tartarus Martialis, & tandem ſal Martis compoſitum, ſeu tinctura ZWELFFERI in forma ſicca.

Cochleariam.) Hanc recentem ideò eligit AUTOR *noſter*, quod in omnibus vegetabilibus antiſcorbuticis ſub exſiccatione ferè pereat totum ſal volatile, in quo tamen vis antiſcorbutica conſiſtit. Et ſanè probo hoc eò, quia, ſi guſtentur areſacta illa, ſine ulla acrimonia ſalina illa deprehendantur.

Naſturtina.) Cochleariæ ſubſtitui poſſunt Naſturtina.

Abſtractitius ſpiritus.) Spiritus cochleariæ abſtractitius primariò colligitur ab AUTORE. Etenim duplici modo ſpiritus ex cochlearia paratur, quorum alter ex fermentata, alter ex ſimplici abſtractione, prodit. Illum reijcit AUTOR *noſter* eam ob cauſam, quia ſub fermentatione, dum recluditur textura miſti, copioſum ſal volatile antiſcorbuticum auras petit, quod verum eſſe teſtatur odor cochleariæ penetrans, perceptibilis, & domum implens. Abſtractitius autem ſpiritus fit per crebriorem ſpiritus vini à recenti cochlearia abſtractionem, & tandem in balneo Mariæ rectificationem; qua ratione penetrans, acris, & ſale volatili acri turgidus ſpiritus acquiritur; qui ſi ſemel tantum à piperitide abſtrahatur, mirè exacuatur, & penetrantiſſimus erit, præſertim, cum & hujus aqua acerrima ſit. Cæterum ſunt, qui adhuc generoſiorem ſpiritum exoptant è cochlearia, affundendo ſpiritum fermentatione paratum recenti cochleariæ, & ita ſæpius à nova abſtrahendo, tandemque ex balneo Mariæ rectificando.

In eſſentiam antihypochondriacam, pag. 458.) Scilicet ſpiritus talis cochleariæ abſtractitius affuſus extracto Martis cum ſucco pomorum, dabit optimam *Eſſentiam hypochondriacam* compoſitam; idem verò miſtus cum ſucco recenti cochleariæ expreſſo, evadit in *Eſſentiam* optimam *antiſcorbuticam*: Conf. PAULI *Quadr. Botan. Claſſ.* 3. *pag.* 268.

Liquore recentiori hepatico ac ſplenetico.) Hic notat AUTOR *noſter* ZWELFFERUM *pag.* 211. *Ph. Reg.* inaniter liquorem hepatico-ſpleneticum parantem ex antiſpleneticis mediante liquore ſalis tartari, ſub ſpecie, quaſi ſic volatiliſetur ſal tartari; cum tamen vanè hic liquor addatur, & deſtillando potius ſimplex aqua acquiratur.

Syrupo quovis.) Præfert etiam AUTOR *noſter* hanc eſſentiam ſyrupo ſimplici & compoſito, quos vid. in ZWELFFERO.

Extractorum.) Extracta omnia antiſcorbutica ſunt languida, quia ſub inſpiſſatione ſal volatile, tanquam ſubſtantia horum nobilior, perit.

Cochleariæ ſucco, pag. 449.) Hic per ſe non eſt incongruum remedium in ſero lactis ritè depurato exhibitus, contra AUTOREM; & poſito illud aliquid virium perdidiſſe, non tamen omnes aberunt.

Aquis deſtillatis.) Aquæ antiſcorbuticorum vegetabilium parum in receſſu habent, & vehiculi loco ex pluribus ſufficere poſſunt aquæ cochleariæ, &, ſi haberi poterit, aqua piperitidis.

Raphani ruſtici, naſturtium, pag. 460.) Raphanus ruſticanus, uti & Naſturtium aquaticum in ſuccis expreſſis & infuſis vel in vino vel in ſero lactis, reijciendi adeò non ſunt; ac quidem liquor infuſionis pro ſubiectis temperatis eſto vinum dilutum; pro ſubiectis autem acrioribus ſuccis præditis ſerum lactis.

Chelidonium minus.) Hoc duplex occurrit: quorum alterum eſt ſine ſapore, alterum verò cum ſapore acri junctum, atque hoc ſeligendum.

Semen ſinapi.) Hujus ſal volatile nobile eſt in ſcorbuto curando, præſertim hyemali tempore, quo recentia antiſcorbutica non proſtant. Sic & ex hoc cum calce viva paratus ſpiritus acerrimus elici poteſt, qui tamen non adeò frequenti eſt in uſu. Contra inſervit idem ſemen ſinapi optimè pro rubefacientibus, loco veſicatorii in tenellis applicandis, conquaſſatum ſcilicet illud, cumque ſpiritu vini vel aceto ſubactum, loco corporis debito imponendum.

Trifolium fibrinum.) Trifolium ſaporis acris non eſt tam rarum, quia ubique in paludibus reperitur; imò quantum hoc valeat, & vel cochleariam ſuperet, vid. in SIMONIS PAULI *Quadr. Botan. Claſſ.* II. *p.* 159.

Beccabungam.) Beccabunga, SCHROEDERO Anagallis aquatica dicta, Planta eſt temperata, ſucculenta, quam etiam ad ſcorbutum commendant, & hanc ipſam aliis antiſcorbuticis, præſertim acrioribus, pro earundem temperatura addere ſolent. Ad hæc in tumore pedum ſcorbutico, item in tumoribus inguinum poſt partum diſcutiendis, contuſa extrinſecùs applicatur.

Oleum deſtillatum cochleariæ, pag. 461.) Hujus ob craſin concentratam gutta j. prævalet eſſentiæ ℨj. & rara eſt avis. Optimè fit, ſi recipiatur cochlearia florens, & in incipiente ſeminis generatione conſtituta, hæcque dum vim ſuam concentrare vult in ſemine (nam in ſeminibus vegetabilium craſis miſti & vis vegetativa ſub forma olei continetur) deſtilletur, & novæ plantæ proleſtus affunditur liquor, hac ratione major olei copia, utut adeò non tanta, acquiritur, quod miræ eſt efficaciæ. Cæterum fit ex hoc *Magiſterium cochleariæ* dictum, dum eo ipſo imprægnatur ſaccharum, & faciunt Elæoſaccharum, quod iterum irroratur ſucco cochleariæ recenter expreſſo; ita paratum Magiſterium acquirit omnes vires cochleariæ, hocque D. D. MICHAELIS in crebriore uſu habuit.

Volatilitate pollentioribus.) Acetoſa etiam poteſt addi: ſunt enim quædam ſubiecta biliosa & ſuccis acrioribus ſalinis prædita, quæ ejuſmodi acria ferre nequeunt, cùm hæc non ſine effervescentia, phlogoſi & exæſtuatione, operentur; hinc in talibus cochleariæ acetoſam combinandam eſſe, dicit; quo ſcilicet ſalſum volatile tertium emergat. Conf. BARTHOLINUS *Volum.* I. *Act. Haffnienſ. pag.* 35.

Reſidua.) Splenetica Aperitiva hodie non ſunt adeò uſitata propter Martialium, marinorum, & volatilium ex animali Regno præſtantiam; unde inter illa ſelectum AUTOR *noſter* inſtituit, quemque & nos ſequemur: ſicuti ex Hepaticis & Spleneticis (vulgò quidem, aſt malè, Aperientibus dictis, cum potius ſint corrigentia) eligemus cichorium ſylveſtre, hujuſque tam plantam, quàm radicem, item herbam & radicem taraxaci, cujus herba turget ſucco lacteo amaricante abſterſivo, ad modum omnium Cichoraceorum, bilis correctivo, ſuccorum vitioſorum temperativo, & ratione amaroris ſui quaſi nitroſi alterativo. Porrò ſelectui huic accedant radix Rhabarbari Monachorum, radix caryophyllatæ, helenii & angelicæ, item herba centaurii minoris, herba & radix chelidonii maioris, herba fumariæ, abſinthii & bellidis minoris, Germ. *die gemeinen Ganſe-Blumlein*, ut & hepatica nobilis ſeu trifolium nobile. Tandem ex gummatibus addatur in ſpecie gummi Ammoniacum. Iam verò parantur ex dictis ſpeciebus recentibus Infuſa; ex areſactis autem decocta, ubi tamen præ cæteris excellunt earundem extracta

ſuc-

succosa iuxta ANGELI SALÆ præscriptum paranda: Contra veteres Practici ex his parare soliti fuerunt Decocta & Infusa; sed hodie negligi solent, præsertim, cum vegetabilia illa respectu aliorum sint admodum languida; ut taceam quoque, horrido sapore esse prædita, quem si corrigere per saccharata studeamus, euadunt planè nociua in talibus affectibus.

Scorzonera, pag. 462.) Hanc ex omnibus Intybaceis quoque eligit AUTOR; sed radix ejus nimis mucilaginosa est pro infuso: loco hujus ergo nobis placet, substituere cichorium sylvestre, & hinc taraxacum.

Cichorii radice, floribus, foliis.) Cichorium succo lacteo amaricante est impraegnatum, sicut aliàs etiam tota planta, eiusque radix, simili amore est dotata, obquam amaritiem, hincque natam vim abstergendi & resolvendi, reverà particulis salinis quasi nitrosis turgent cichoria omnia; hinc temperant blandè acidum, hincque natas quasuis præternaturales effervescentias & phlogoses sistunt, adeoque speciatim hepar refrigerare dicuntur. Emendant oleositatem bilis, augent eius acrimoniam, & hinc abstergendo vitiosas sordes primarum viarum, partim alvum apertam seruare, partim aliquà vi diureticà pollere obseruantur; propter quam vim salino-nitroso-volatilem evenit, quod libenter loca pinguia probè culta, adeoque nitrosa, incolere soleant: Confer. in specie SENNERTVS *de natura Cichorii in Paralip. pag.* 77. Hinc propter plures affectus subalternatos polychrestum solet esse remedium, dum ardorem stomachi restinguere, sanguinis acrimoniam & fervorem temperare, hepati & renibus prodesse, ob insignem amaritudinem ductum cholodochum reserare; adeoque, quicunque vitam prolongare conantur, hanc plantam sibi commendatam habeant, Autore DEODATO *lib.* 1. *pag.* 251. Radix cichorii etiam contra hemorrhagiam narium externo usu à quibusdam laudatur.

Optima eius præparatio est, ut forti decoctione eliciatur eiusdem substantia succulenta, & ita inspissando in extractum redigatur, cuiuis ferè usui accommodabile.

Taraxacis.) Eadem, quæ de cichorio modò insinuata, etiam ad taraxacum applicari debent, cum & hæc intybacea planta sit: Nempè succus lacteus acris intensè amaricans optimè temperat acidum in corpore peccans, hinc in morbis chronicis, hepatis & mesenterii obstructioni adscriptis, item in intermittentibus, pleuritide, &c. item sanguine congrumato, succus eius egregium est remedium; hinc misturis antipleuriticis eundem addere solet BARBETTE *in Praxi.* Hinc patet, quod ejusmodi aperientia, Refrigerantia, Hepatica, &c. simpliciter sale volatili nitroso amaro, sapores acidos in chronicis peccantes alterante, & cruditates primarum viarum abstergente, saltem operentur. Atque hæc ipsa, quæ modò de taraxaco & cichorio dicta sunt, eadem quibusvis intybaceorum speciebus, v. g. scorzoneræ, aliisque similibus succo lacteo amaricante, non tamen caustico, impraegnatis, applicari possunt: de quo intybaceorum diffuso genere vid. præsertim HOFFMANNVS *de Medicam off. pag.* 241.

Bellidem.) Bellis minor plantula est polychresta, quæ in morbis chronicis ad purificandum sanguinem, eiusque dyscrasiam corrigendam, non incongruè aliis additur. Multum confert in sanguine congrumato resoluendo & discutiendo, unde singulare specificum est, si quis post nimiam exæstuationem corporis frigidiore haustu fuerit læsus, sive huius succus plantulæ expressus usurpetur, sive ex eodem acetarium modo consueto præparetur: de quo vid. MINDERERVS *in Med. Militari pag.* 70. Conf. etiam PAVLI *in Quadr. Botan. pag.* 21. Adhæc ad hydropem commendauit B. D. D. MICHAELIS, dum huius beneficio & plantæ & florum dicto in iusculo benè expresso bis quendam ab hydrope liberavit: non secus ac alii ad inflammationem hepatis hanc ipsam commendant plantulam. Præterea egregium vulnerarium est, tam potionibus vulnerariis additum, quàm Decoctum eius vulneribus applicatum.

Trifolii nobilis folia, pag. 436.) Trifolium hepaticum seu hepatica nobilis, rarioris olim fuit usus; nemo enim tam copiosum sal volatile in eadem obseruauerat, quod tamen demonstrat WEDELIUS *de Sale volat. Vegetabil. P.* 2. *pag.* 81. item in *Pharmacia pag.* 70 ratione cuius egregiè antiscorbutica existit, morborumque chronicorum remedium. Veteribus saltem fuit commendata, utut ceu plantæ insipidæ parum fuerit tributum: lucem hinc fœneratur, quod asserit PAULI *in Quadrip. Bot.* aquam hepaticæ huius cum aqua pluviali destillatam egregiam esse cosmeticam.

Graminis radice.) Radix graminis à plurimis etiam ad hypochondriaca mala, ad hepatis & lienis infarctus, laudatur. Occasionem huius effectus suggessit experientia in bobus, quòd hyemali tempore ferè obstructionibus folliculi fellei, ductusque eius cystici vel à mucilagine viscosa vel concremento calculoso obnoxii sunt: ast æstiuo tempore esu graminis iterum curantur & liberantur. Hinc apud Galenicos, præsertim Practicos, Decoctis & syrupis magistralibus longis radices graminis frequenter addi solent.

Acetosa, pag. 464.) Scilicet inter Hepatica ad calidam intemperiem hepatis vulgò sic dictam corrigendam excellunt acetosæ omnes & oxylapathum sapore acido blandè incisiuo prædita: verùm si quid valent, faciunt id temperando acrimoniam alcalinam bilis loco leporum, cuiusmodi remedia ex acetosis parata suum locum inveniunt. Hinc vel eligeremus succum rubicundum ex acetosa recenter expressum, vel hyberno tempore ex radice facta arida & semine decoctum, quæ instar vini rubri se commendant, & instar Julebi in æstuationibus ceu blandiora suum locum obtinent: utut quoque spiritus minerales acidi guttatim præstent, quod aliàs talia ex tempore parata cochleatim solent præstare.

Aqua simplices.) Ex omnibus splenetìcorum & vegetabilium aquis pro vehiculo sufficere possunt vel aqua fumariæ, vel aqua florum acaciæ, vel cochleariæ, vel tandem tanquam maximè energeticæ aqua piperitidis, aut, si pompa placuerit, & aqua veronicæ.

Cichoratea, pag. 468.) Præter aquam ex herba tota cichorei in usu est liquor ex floribus per putrefactionem (extraverso sic eorum alcali blando) & per pistationem in furno paratus, qui teste SENNERTO & HARTMANNO *de Ophthalmia* egregius est in inflammationibus & vulneribus oculorum. Eodem modo potest parari liquor ex floribus cyani.

Syrupis.) Quia corpora nostra septentrionalia non bene ferunt saccharata, utpotè effervescentia, & mucum relinquentia, hinc syruporum loco, saltem edulcorationis gratia misturis addendorum, unus alterve sufficere possunt.

Cichorii conditum, pag. 466.) In radice cichorii condita parum virtutis superest, utpotè quam per diuturniorem coctionem perdidit.

Sal, pag. 467.) Quia salia ex simplicibus refrigerantibus parata non sunt itidem refrigerantia, hinc loco omnium sufficere potest nitrum vitriolatum.

Veronicam.) Veronicæ, simplicis temperati, extractum eligit AUTOR *noster.*

Chamædris, Teucrium, Chamæpitys.) Simplicia hæc sapore aliquali amaricante prædita ad morbos chronicos, speciatim hepatis & lienis affectus, laudantur, quibus arbitror conferre speciatim, quatenus urinam moveant. Ulteriùs ad artuum & articulorum affectus, speciatim ad podagram, solent à multis commendari: sed revera ex his parum solatii promittere sibi possunt Podagrici.

Abrotani summitatibus, pag. 468.) Hoc commendatur vulgò pro alendis capillis, & barba: Interim sufficit pro hoc scopo unguentum Bucretii (cuius compositio nota) quod aliquoties expertus sum.

Rhapontico.) Scilicet *Rha* est nomen generale multis plantis tributum, & vel *Barbarum*, vel *Ponticum: Rha Barbarum* ex India, à Græcis Barbaria dicta, allatum, iterum *duplex* est: vel *Rha Barbarum verum Chinense*; vel *Monachorum*, quod verum Hippolapathum est. Sic quoque *Rha Ponticum*, ex Thracia & Ponto, Asiæ regione, allatum, pariter est *duplex*: nempè *verum*, vel *vulgare*: *Verum* est, quod describit ALPINUS *in eleganti Dissert. de Rhapontico vero*, quod reperitur in Moscovia iuxta flumen Bulgæ: & *vulgare*, quod idem est ac centaurium majus. Jam ergo hoc Rha Ponticum verum Alpini pro scopo alterativo; pro laxativo autem Rha Barbarum Chinense, seligitur.

Myrrha galbanumque suppetit.) Ex gummatibus omnibus eligit AUTOR *noster* pro hac classe myrrham & galbanum; ubi tamen loco posterioris ego gummi Ammoniacum certas ob causas usurpandum moneo.

Lacca.) Ex hac prostat tinctura laccæ MYNSICHTI, egregia in cruentatione gingivarum, ulceratione scorbutica & fœtore oris, ex scorbuto natis; cuius loco tamen, si malum confirmatum fuerit, accipiatur *unguentum illud Deckers* in *Praxi Barbettiana pag.* 151. quod itidem præter salia lacca ingreditur.

Speciebus.) Species dialaccæ quidem pro cachexia, & diacurcumæ pro hydrope & ictero curando commendantur: interim loco illarum accipiantur potiùs earum tincturæ.

Agerato.) Ageratum seu Eupatorium Mesuæ veteribus in usu fuit ad morbos chronicos, modernis rarissimè adhibetur.

Centaurium minus, pag. 469.) Centaurium minus & absinthium optimè jungi possunt, cum ambo in crasi & virtute medica sibi respondeant.

Chelidonio majori.) Chelidonium maius egregium simplex est, quod vix in regno vegetabili habet par pro ictero curando. Cæterum usurpatur eius succus per se, vel idem terendo plantam cum cerevisia prolectus, vel quoque Infusum radicis in vino factum. His euporistis aliquot ictericos fuisse curatos memini. Imò in variis decolorationibus corporis post morbos chronicos relictis, adeoque ex inertia vel defectu bilis ortis, huic chelidonio laudem tribuimus: non secus ac illud quoque est appropriatum Ophthalmicum, quemadmodum BURRHUS inde suum liquorem paravit, humorem oculi aqueum expressum restituentem: quo de confer. BARTHOLINVS *Ep. de Cerebro*: imò ex eodem chelidonio & cancris CROLLIVS & MYNSICHTVS aquam suam ophthalmicam pararunt.

Curcuma.) Radix curcuma veteribus iam usitata scrupulum movet, an nostras cum hac sit eadem? quæ aliàs flaua amaricans diureticum est non inelegans; contra Serapionis & Arabum fuit chelidonii maioris radix, sicut Dioscordis & Græcorum Cyperus Indicus. Nostra hodierna, ex India Orientali allata, in loco natali dicitur Crocus subterraneus: Confer. BONTIUS *in Commentar. ad*

Gar-

Garciam ab Horto, & ERASMUS FRANCISCI *in Viridario Indiæ Orientalis*. Indi utuntur in mensium & urinæ defectibus & difficultatibus. Curcuma hæc hactenus experta fuit in ictero, præsertim si fuerit sociata cum antimonialibus; & ex hac paratur cum sale fixo & spiritu vini essentia pro ictero curando; loco ejus tamen & radix chelidonii majoris nostratis sumi potest.

Fumaria, pag. 470.) Ex fumaria, nitrosa in recessu, commendatur ab Autore extractum succosum, totam plantæ crasin continens; utut nec conserva rejicienda sit in affectibus scorbuticis juxta nonnullos.

Epithymo ac Cuscutæ.) Fumariam si habemus, non indigemus Epithymo, cuscuta, &c.

Filicem.) Filix veteribus pro splenetico commendata, hodie rari est usus. Datur ejus mas & fœmina: ex radice maris incisa mucilago gummosa exsudat, quæ ad ambustiones à nonnullis commendatur: fœminæ per transversim dissecta radix imaginem aquilæ repræsentare, utut falsò, dicitur: Confer. VELSCHIVS *Hecatost. pag. 505.*

Tamarisci corticem, pag. 471.) Tamarisci cortex ad catarrhales affectus commendari solet, dum nempè corticis ℥vj. coquuntur in aquæ mens. vj. ad dimidias: cujus decocti potus exhibitus, ita, ut omnis salitorum ciborum nimius vitetur usus, & corpus ejus semper sit apertum, mirè ad affectus catarrhales & artheticos commendatur: hydropicis etiam prodesse ferunt. Æqualium ferè est cum cortice fraxini virium, unde frequenter simul solent præscribi in infusionibus, item in essentiis & extractis, affectibus chronicis hypochondriacis dicati, dum præter vim alterandi habent simul egregiam vim diureticam.

Capparumve corticem.) Cappares, & eorum radicum cortices, ab antiquis internè pro usurpatione commendati quidem sunt: interim, utut quodam modo sint nitrosi, tamen imbellia remedia suggerunt. Fructus condimentum saltem sunt.

Oleum.) Oleum externè non adeò validum est. ZWELFFERVS habet oleum compositum spleneticum ex sale & gummi ammoniaco.

Scolopendrium vulgare.) Semisanos in cerevisia infusum juvat, & præterea non. Pro cerevisiæ conditura usurpatur.

Vero.) Scolopendrium verum, Græcis asplenium, ἀσπλήνιον, Arabibus zedarach, dicitur, Germanis *Miltz-Kraut*. Frequenti in usu est ad morbos chronicos, & præsertim cerevisias & vina medicata ingreditur; quæ ipsa non incongrui usus sunt pro cura mali hypochondriaci, scorbuti, affectuum splenis, &c. præsertim, si alia appropriata addantur, & cum istis liquidis una fermententur.

Fraxinus, pag. 472.) Hujus cortex spleneticis aliàs commendatur, internè rarioris pro nunc est usus: spiritus autem ligni acidus & oleum hinc destillatum nihil singulare habet, cum illa vix à spiritu ligni querni aut guaiaci differant, sed coincidant; adeoque unus horum sufficiat. Interim vis externa sympathetica ligni fraxini non est de nihilo, dum affrictu sui non solùm vulnera recentia, sed etiam observante me ipso, hæmorrhagiam narium, iis admotum, curet; ubi tamen legitimo tempore illud colligendum venit. Iam verò tempus hoc docet BORELLVS *Cent. 3. Obs. 78.* & HERTODIVS *in Tartaro, Mastige Moraviæ, pag. 118.* Porrò seminis fraxini oleum per vesicam destillatum GLAVBERVS ceu nobile nephriticum aperitivum commendat: eius denique seminis sal volatile apud AVTOREM *nostrum* se vidisse WEDELIVS *Tract. de sal volat. pag. 14.* fatetur.

Lupulum.) Quanta hujus vis sit, potest quotidiano usu quivis hariolari.

Turiones.) Iuli lupuli non incongrui sunt vi aliquali fermentativa ad Massam sanguineam alterandam, & hinc alvum suaviter laxandam.

Syrupum.) Ex omnibus syrupis possumus vel syrupo de fumaria, vel & de cichorio, esse contenti.

Spiritus, pag. 473.) Spiritus unus vel alter loco omnium sufficiat: v. g. spiritus cochlear, absinthii.

Essentias officinales, pag. 474.) Modus parandi extracta & essentias vegetabilium, est hic elegans: sc. sunt earum quædam subjecta volatilia; & hæc iterum sunt vel simpliciter resinosa, vel salino-gummoso-resinosa. Iam ergo, si ex volatilioribus, qualia sunt antiscorbutica, parare velimus essentias, tunc ad imitationem cochleariæ essentiæ ex succo depurato cum spiritu proprio secundùm PAVLI *in Quadr. Botan. pag. 268.* paravi eandem nunc antiscorbuticam, nunc antihypochondriacam. Quæ verò sunt naturæ paulò fixioris, & quasi gummeo salinæ, ex illis jam recentibus exprimitur succus, vel ex iisdem exsiccatis decoctum cum aqua fit, & ad imitationem ANGELI SALÆ hinc proceditur: Adeoque, si essentiam vel extractum alterativum, vulgò aperitivum dictum, in chronicis morbis proficuum desideramus, tunc recipiamus absinthium, centaurium minus, chelidonium majus, fumariam, taraxacum & radicem helenii; hæcque vel recentia vel exsiccata infundamus cum subòctupla parte salis fixi in aqua simplici, hinc macerata ebulliant invicem in balneo Mariæ clauso, deinde expressione valida eliciatur succus per residentiam sui depurandus, & inspissandus successivè in consistentiam mellis: habebitur sic extractum compositum, quod ipsum vel cum spiritu vini vel spiritu absinthii, vel fumariæ, vel cochleariæ, vel solitariis, vel sociatis omnibus hisce, simul extrahatur in essentiam seu tincturam, quæ aliquali menstrui evaporatione denuò in debitam extracti consistentiam redigatur & asservetur: ubi & loco dictorum spirituum spiritus salis ammoniaci cum spiritu vini paratus sumi, & extracto supradicto pro tinctura elicienda infundi potest. Tandem vegetabilia resinosa, v. g. ligna & radices laxativas, quod concernit, ex his optimè elicitur essentia cum spiritus vini tartarisato, pro renata postmodum inspissanda & asservanda.

In tot Decoctis, pag. 475.) Sc. mille decocta apud veteres prostant, simplicia & composita: Sed hæc sunt jam rarioris usus, eo quod ea ex tot simplicibus composita parum de singulis contineant, imò maximè nauseosa sint, nec sine labe stomachi assumi queant: Conf. ZWELFERVS, *tam Animadv. quàm Pharm. Regia*.

Electuaria.) De his & confectionibus hepaticis & spleneticis idem esto judicium: nempè saccharata hæc nocent in affectibus chronicis, & nauseosa sunt maximè hæc Electuaria.

Pulveres, pag. 476.) Hinc etiam pulveres vegetabilium non sunt amplius in usu, & horum loco essentiæ & extracta vegetabilium sufficere possunt.

Nec pilularum, pag. 477.) Par est ratio de pilulis alterantibus: Veteres in usu saltem pilulas purgantes habuerunt, quibus alii postmodum pilulas pro scopo alterativo sociarunt. Hodie verò in morbis chronicis saltem laxativæ in usu sunt, harumque basis utplurimum est aloe cum gummi ammoniaco; illa nempè pro laxativo, hoc verò pro incisivo scopo.

Ammoniacum.) Hoc, sed male, rejicit AVTOR, quod sanè miror; cum contra illud nobile sit pro visciditatibus incidendis & resolvendis, in forma non tantum liquida pro scopo aperiendi alvum, sed & pilulari: Vt taceam ejusdem usum externum in scirrhis discutiendis.

Depuratum.) Cæterum gummi ammoniacum non crudum adhibetur, sed ordinariò solutum in vino vel in aceto propter festucas sibi admixtas, & inspissatum; & potest ex ejusmodi gummatibus duplex substantia elici, gummosa, & resinosa, cujus modum videb. in ANGELO SALA *Tr. de Essent. Veget.* Interim tamen extracta horum separata non tantum valent, quantum ipsum integrum gummi.

Essentia ejus liquida.) Spiritus vini solitarius & tartareus, extrahit resinosam eorundem substantiam: sed est saporis nauseosi.

Oleum.) Tandem ex his gummatibus per vesicam prodit

1. Oleum blandum.
2. Fœtidum.

Quod ipsum utrumque egregium est pro usu externo: internus eorum usus rarus est.

Aceto, pag. 478.) Acetum est sal vini acidum tartareum fermentando resolutum, & hinc exaltatum, adeoque in fluorem redactum, quod magis magisque resolutum partim præcipitat, partim figit vini partes alcalinas, & sic simul figit spiritum vini volatilem in recessu alcalinum: sc. mustum abundat alcali, vinum est medium, acetum verò quasi alterum extremum, in quo acidum exaltatum dominatur.

Vitriolica.) Sunt, qui aciditatem aceti dicunt esse vitriolicam, sed malè; quin potius illa est alius naturæ præ acidis mineralibus, hincque suo modo acidum vitrioli & aceti sibi contrariantur. Etenim solutiones perlarum, coralliorum, &c. cum aceto factas spiritus vitrioli instillatus præcipitat, & apparenter destruit. Interim, si illud suo modo cum acido quodam minerali conciliari debet, fiat illud cum acido nitri; qua ratione acetum cum spiritu nitri mistum & abstractum solet acuari.

Vini.) Quod ergo attinet acetum simplex, plura sunt ex vegetabilibus parata; ex omnibus tamen præstat acetum vini propter subtiliores, acriores, penetrantiores, ac volatiliores acidas particulas: præsertim præferendum est in remediis metallicis.

Cerevisiarum.) Scilicet, quò magis oleosum seu pingue est acetum, eò minus generosum existit, unde si illud agitatur, in copiosas bullas effloresçit, quæ signa sunt visciditatis oleosæ. Atque cùm cerevisia lupulo pingui & oleoso condiatur, diutiùs asservatur, hinc acetum cerevisiarum propter pinguedinem lupulinam præ cæteris ebullit, & empyrevma contrahit.

Accidentarium, pag. 479.) Notum autem est, quod vegetabilia fermentando ex oleo resoluto priùs spirituascant, postmodum acescant. Sunt, qui ex vegetabilibus fermentatis post spiritum abstractum, extendendo ulterius fermentationem, acetum postmodum parant: interim tamen vilius hoc fit.

Fructuum succos.) Sc. aceta artificialia ex succis vegetabilium fiunt, quando sc. pyra aut poma sylvestria nondum matura exprimuntur in succum, & in hoc deinde suspenduntur fæces vini in nodulo contentæ; ita propter harum alcali agens in acidum succorum, fermentationem concipiunt, qua fermentatione in acetum acre succi illi abeunt. Nonnulli piper, zingiber, similiaque aromata acriora addunt, ut fermentatio intendatur, & tartari reclusio adjuvetur. Confirmat hoc ZWELFFERVS *in Append. ad Pharm. Aug. pag. 21.* quando scribit, *acetum vegetabilibus affusum, non perinde ac si mineralibus, perlis seu corallis admotum fuisset, destruitur, sed acrimoniam potius illius notabiliter intendi*: quibus tamen acetis succi citri, berberum, &c. æquipollent.

Ribium.) Acetum ribium prodest in febribus & siti.

Magisteria plumacea.) Sunt inventum ZWELFFERI, *in append. ad Pharm.*

Pharm. Aug. reperiendum: Iubet recipere acetum destillatum vel acetum simplex, seu spiritum viridis æris; sed acetum simplex præstat.

Antimonialia.) Acetum simplex fortiùs soluit & magis figit remedia alcalia, quàm destillatum; id quod patet; vitrum enim antimonii & crocus metallorum aceto crudo infusa, magis emetica deprehenduntur, quàm si cum aceto destillato fuissent tractata.

Ast infusa simplicia.) Scilicet instar omnium acetorum infusorum esse potest rutaceum, vel & illud alexipharmacum & Bezoardicum, quod AVTOR *noster pag.* 269. dedit. Potest etiam simpliciter ex baccis iuniperi, myrrha & camphora parari.

Aqua aploplectica amara, pag. 480.) Ex tempore fieri potest, si *aqua apoplectica* cum ana *aceti rutacei* misceatur, additis guttis aliquot *essentiæ castorei.*

Syrupus acetosus simplex.) Ex tempore talia fieri possunt. Procedit autem ex aqua, *aceto* & *sacharo*; ubi tamen loco huius ex tempore succus citri aut cydoniorum, berberum, ribium, &c. cum aceto sufficit.

Liquorem, pag. 481.) MYNSICHTVS habet *Magisterium coralliorum rosatum*, paratum *solutione coralliorum* cum aceto, & *præcipitatione cum spiritu vitrioli*; remanenti *succo composito* ex aceto solvente & spiritu vitrioli, post præcipitationem factam addit *saccharum*, sicque vocat *syrupum corralliorum rosatum*. Cæterum nota, quod, quando tale corpus ostracodermum, v. g. corallia, per acetum solutum, & per spiritum vitrioli præcipitatum sit, & liquor remanens novis coralliis seu concretis affundatur, tunc ab aceto soluantur eadem, & à spiritu vitrioli adiuncto sub solutionis actu præcipitentur, quorum hoc negotium si non amplius succedat, addatur *saccharum*, sic habebitur *syrupus corallatus Mynsichti.*

Acetum destillatum.) Scilicet in aceto simplici acidum tartari fixius hæret, contra in aceto destillato est illud volatilius, quod ascendit; hinc inter utrumque hæc differentia est, quod pro scopo figendi sumendum sit acetum simplex, pro scopo resolvendi verò & penetrandi acetum destillatum; ut ut vegetabilia cum aceto destillato præparata sint durabiliora; cum contra in aceto crudo lateat quoddam fermentum alcalinum, disponens vegetabilia ad sui corruptionem.

Communi tantum more, pag. 492.) Si destillandum est acetum, fiat hoc ex vesica cuprea (nam in cucurbita partim ebullit, partim propter oleum iunctum empyreuma contrahit) refrigeratorio suo instructa, per alembicum vitreum. Equidem hìc objici potest: particulas venereas sic simul eleuari; sed est inane periculum: Siquidem cùm spiritus viridis æris ritè rectificatus nihil de cupro participet, proin neque eiusmodi particulæ cum aceto destillato elevabuntur.

Viridis æris spiritus.) Spiritus viridis æris quidem cum aceto destillato in multis coincidit, reuera tamen est magis concentratus, & penetrantior; adeoque corallia, perlas, similiaque corpora solvendo, eâdem ferè aciditate denuò abstrahi, & pro nouis solutionibus adhiberi potest.

Cum melle destillatum.) Ita prodit acetum magis oleosum, nullius prærogativæ aut pretii: Verùm si à sale communi vel gemmæ abstractum, acuatur magis.

Vomitorium, pag. 482.) Acetum seu aqua vomitoria fit destillando acetum per alembicum saturninum, hac ratione acetum rodendo saturnum complectitur in se saccharum saturni in forma liquida, sicque vomitorium evadit: per se quidem idem vitriolum seu saccharum saturni vomitorium non est; in paulò autem largiori dosi, v. g. à ℈ß. ad gr. xv. vomitum quoque excitare solet propter nauseosum dulcorem.

Crystallos.) Scilicet acetum post sui destillationem relinquit magma, quod inspissatum reddit tartarum genuinum subtiliorem, qui ceu subtilior vini tartarus cremori tartari addi, & ita dispensari cum his poterit.

Elixyr propriet.) Hic præmoneo, Autorem huius Elixyrii esse PARACELSVM, ex *aloe, myrrha*, & *croco*, mediante *sale* suo *circulato* id parantem; indeque eidem mirabiles attribuere effectus, dicendo: quod, sicut aloe & myrrha cadauera possit præseruare à corruptione, multò magis ipsa corpora viventia. Iam verò, cùm sal istud circulatum sit liquor alcahest, hinc alii idem Elixyr cum succedaneo menstruo parare intendunt: & quidem cum spiritus vini aloen & myrrham, tanquam subiecta oleosa concentratiora, non queat ex voto penetrare, hinc addiderunt Autores eidem nunc stimulum acidum, nunc alcalinum & urinosum: Inter acidos sunt spiritus salis, vitrioli Philosophicus, spiritus sulphuris, viridis æris, &c. quibus spiritum vini ad subtilem acoris sensum impraegnarunt: Inter alcalia, (cùm omnia subiecta acida ferre nequeant) fixa sunt vel sal tartari, vel sal istud ex tartari & nitri ana per detonationem paratum; in quorum lixiuio extrahuntur & soluuntur aloe, myrrha, & crocus, hincque inspissata in extractum rediguntur, & per affusionem spiritus vini in elixyr, affectibus mulierum & infantum dicatum. Vbi & alii loco salis fixi assumunt spiritum salis ammoniaci vinosum, qui affusus ingredientibus, dat elixyr proprietatis volatile, itidem in affectibus mulierum & infantum egregium. Insuper HELMONTIVS ubique urget elixyr proprietatis cum liquore Alkahest parandum: sed, quæ huius est invidia, liquoris huius præparationem reticet. Interim succedaneum aliud *Elixyr* paulò *album* ex commiseratione per simplicem digestionem conficiendum docet, qua in parte tamen fraudulentus est, cùm album hoc iam descriptum prostet de verbo ad verbum in PARACELSO *l.* 8. *Archidox.* resolvuntur *Ingredientia* per diuturnam digestionem in oleum essentiale, quod mediante *aqua cinnamomi* per alembicum elicitur. Verùm parum hoc elixyr album in recessu habet, cum sit saltem oleum ingredientium horum essentiale, quod quidem de crasi illorum participat, in effectu tamen vix superans elixyr nostrum vulgare. Indeque nobis ob periculum vitrorum diffringendorum sufficiat elixyr vulgare acidum & urinosum; acidum quidem, mediante spiritu sulphuris paratum, in affectibus stomachi; non acidum verò, mediante sale tartari paratum, in defectibus bilis. Etenim quicquid quærimus in bile naturali, hoc invenimus in elixyr proprietatis sine acido.

Terebinthinato, pag. 484.) Sunt qui loco spiritus vini nunc alcalisati nunc acidulati, assumunt spiritum terebinthinæ, aut aquam illam inertem à nitro & manna abstractam: ast ubique sic minus succedit negotium.

Elixyris cephalici.) Sunt, qui accipiunt spiritum vitrioli, & affundunt capiti mortuo vitrioli ex aere impraegnato, seu vitriolo regenerato; sic efflorescit illud in sal mediæ naturę inter vitriolum & sal nitrosum; de hoc spiritum vitrioli abstrahunt, & tandem cum spiritu uini miscendo, mediante hoc, elixyr proprietatis cephalicum inde dictum parant. Ast & hoc parum in recessu habet, cùm commune acidum hoc idem præstet, quod illud.

Præ nitro fixo.) Loco alcali tartari vel nitri AVTOR monet pro Elixyr proprietatis sine acido confectione recipi posse terram foliatam tartari, cuius modus hic: nempè *aloes, myrrhę, croci*, & *terrę foliata tartari* ana, vel & illorum trium ana cum huius duplo, terantur invicem probè in mortario, hincque triturâ istâ benè incorporatis affundatur spiritus vini q. s. ita post blandam digestionem prodit *elixyr proprietatis tartareum* egregium, mediæ naturæ existens inter acidum, & sine aciditate, quod aliquatenus inspissatum dosi ʒß. propinari potest.

APPENDIX

TIT. XIII.

Aperientia, quæ ita dicuntur, hypothesi de viscerum obstructionibus innituntur, cum tamen talia, v. g. absinthium, lapilli cancrorum, salia fixa & volatilia, Martialia, &c. prosint saltim, quatenus vitiosos in corpore succos acres, salsos, amaros, in specie acidos, & inde vitiatam sanguinis crasin, indeque derivata vitia bilis, lymphæ, succi pancreatici, digestionum, errore præsertim primæ digestionis subnatos, corrigunt, emendant, & in statum naturalem reducunt; nunc in genere acidum nimium destruendo, nunc idem austerum corrigendo, nunc bilem inertem acuendo, nunc acriorem temperando, nunc in specie specialem causæ morbosæ saporem texturâ specificâ delendo. Siquidem à tali succorum ametria, indeque natis vitiosis efferuescentiis in primis viis, & inde læsa sanguinis crasi naturali, morbi, & in specie chronici, oriuntur. Interim Aperientia dum reiiciuntur, suo modo viscidum incidentia, glutinosum attenuantia, non contemnenda, uti sunt gummata, in specie amnoniacum, tartarus vitriolatus, &c.

Quod verò ex acidi, alcali, pinguis, &c. notionibus hæc ipsa explicentur, fit propterea, quia textura particularum minutissimarum in concretis, eorumque seminalis crasis certò à priori definiri adhuc nequit: Ob id secundùm particularum quarundam, in concreto magis prædominantium, in specie per acidi & alcali proprietates, circumscribi solet:

1. Quia dictæ salinæ particulæ in rerum materialium textura & & seminali crasi primatum obtinent, non secus atque aliàs hæ ipsæ ferè catholica naturæ instrumenta in corporibus per semina constitutis, horumque operationibus, esse solent.
2. Quia ex iis effectus quamplurimi naturales aptè deduci possunt.

Præterea ipsa hæc remedia alterantia in quibusvis ferè scriptoribus etiam quædam calida, quædam frigida, item sicca ac humida, esse dicuntur; idque pro varietate graduum diversimodè. Circa hanc doctrinam quoad calida & frigida sic dicta vegetabilia aperientia & alterantia imprimis assertum TACHENII observandum, quod habet *Hippocr. Chym. cap.* 19. dum in frigidis prædominari alcali, in calidis verò acidum, asserit. Hoc ut pateat, consideremus alterantia calefacientia, qualia sunt v. g. absinthium, carduus benedictus, fumaria, centaurium minus, cochlearia, nasturtium, item aromata quælibet & omnia aromatica, ut mentha, rosmarinus, semina calida maiora & minora, &c. Omnia hæc, quæ omnium consensu inter calida referuntur, habere in se substantiam resinosam plus minus acrem; unde mediante spiritu vini essentias & extracta resinosa suggerunt; in quibus omnis vis calefaciens residet, ita ut saltem cadaver medicamenti remaneat. Resina nihil aliud est, quàm sal volatile ab acido pingui plus minus acri & occulto concentratum, unde etiam hæc ipsa omnia ferè propter acidi præsentiam fermentando in spiritum volatilem, omnium consensu calidum, redigi possunt. Spiritus hic nihil aliud est, quàm oleum resolutum, quod aliàs in forma olei

olei destillati (quæ omnia sunt calida, tam ex vegetabilibus, quàm animalibus elicita) obtineri potest : quod oleum destillatum nihil aliud, quàm resina liquefacta, est, sicut olea destillata ab acidis in resinam concentrantur. Vnde etiam omnia ista calida vegetabilia ob acidi præsentiam calcinando sal fixum suggerunt; omnia etiam ea, quæ odorifera sunt, destillando omnia fundunt. Omnia hæc ostendunt, in resina, & speciatim parte eius acido-pingui, vim calefaciendi consistere: nam omnia hæc phænomena in frigidis defectu acidi saltem, non adeò potentis aut activi, deficiunt: Ergo vis calefaciendi in vegetabilibus calidis consistit in acido pingui, unde concentratur sal volatile concreti: & quò acrius fuit hoc acidum pingue, eò calidius (ut in cinnamomo & caryophyllis) erit subjectum; quò mitius verò, (seu temperatius fuerit, eò moderatius erit subjectum, v. g. in mentha, fœniculo, & aliis similibus.

Frigidorum vim contra consistere in sale volatili macro, ostendunt v. g. vegetabilia succulenta, sempervivum, beccabunga, portulaca, item omnia intybacea, ut cichorium, endivia, latuca, taraxacum, uti & bellis, hepatica nobilis, item plantago, oleracea quælibet: Quò etiam spectant plura vulneraria, quæ tamen magis temperata sunt, quatenus alcali ferè salso constantia ad frigiditatem inclinant; non secus ac quælibet alcalia fixa, quælibet alcalia volatilia non oleosa, ut spiritus salis ammoniaci, item sperma ranarum, succus cancrorum fluviatilium, &c. revera inter refrigerantia locum habent: unde hæc ipsa defectu acidi nec fermentari, nec ex iis sal fixum, nisi ex quibusdam, idque parciùs, haberi potest, defectu nempè acidi, sine quo ista præparata haberi nequeunt. Vulneraria quidem sal fixum suggerunt, & ex talibus essentiæ resinosæ elici possunt, quatenus in talibus aliquantulum acidi pinguis paulò intensius, quàm in cæteris refrigerantibus, observari solet: Nempè quodlibet vegetabile aliquantum pinguis acidi, tanquam obiectum virtutis seminalis, obtinet.

In genere ergo remedia, quæ dicuntur calida, ita dicuntur vel respectu partium solidarum, vel liquidarum.

Respectu solidarum partium dicuntur ea *calida*, quæ immediatè sensum tactus afficiunt, dum ea quadam partium quarundam acrimoniâ dotantur, quæ fibras & nervulos ita subeunt, ac tam concitatum motum efficiunt, ac si essent ignis corpuscula (& hæc acida:) v. g. spiritus nitri, si gutta j. eius manui incidat; vel alcali fixum recens linguæ admotum; vel spiritus salis ammoniaci rectificatus.

Respectu partium liquidarum calida dicuntur ea, quæ earundem crasin immutare, motum intestinum fermentatiuum intensiorem reddere, & ita caloris sensum excitare valent: qualia observantur esse subiecta præsertim pinguia concentrata, adeoque in recessu plus minus acida vel salso-acida caloris effectum exserere videantur, uti in spiritibus inflammabilibus, oleis destillatis, aromatis, resinis acrioribus, &c. manifestum est; cum omnis calor præternaturalis ab acido ordinariò habere originem soleat.

Frigida contra *remedia*, quæ vel nullam talem impressionem in partes solidas sensuales faciunt, vel eam ab aliis particulis excitatam, harum motum sistendo, aut eas absorbendo, sufflaminant: qua ratione v. g. Saturnus frigidus & inflammationes sistere dicitur, dum acidum, unde ardor & inflammatio, absorbet. Vel ea dicuntur frigida, quæ respectu contentorum corporis, speciatim massæ sanguineæ, eadem plus minus inspissando, & fermentationem eius ita coercendo, vel quæ ex acido excitatum calorem per intensiorem fermentationem, acidum pingue corrigendo aut temperando, calorem sistunt. Hinc acida mineralia nitri, vitrioli, sulphuris, &c. refrigerare dicuntur, texturam corporis contentorum immutando, & massam sanguineam plùs minùs condensando, aut saltem vi fixativa fermentationem imminuendo: cornu cervi verò, corallia, succus cichorii, &c. refrigerare dicuntur, quatenus acidum absorbendo, aut istud temperando, inde natas æstuationes compescunt: quò etiam sal ammoniacum, nitrum, aliaque subiecta similia, alcali copioso constantia, pertinent.

Sicca remedia sunt ea, quæ substantiam humidam corporis, eamque vel roridam nutritivam, vel serosam distributiuam, *primò* imbibunt, ut calcinata omnia, v. g. cornu Cervi ustum: *secundò* eandem colliquefaciunt & resolvunt, & ita colliquefacta & attenuata ad successivam dissipabilitatem, adeoque insensibilem absumptionem disponunt, ut acria, amara, aromatica calida omnia, v. g. absinthium, caryophylli, piper, essentiæ lignorum, &c. aut *tertiò* sensibiliter eandem evacuant, ut sunt purgantia, sudorifera, diuretica, saliuatoria &c. præsertim diutiùs continuata.

Humida contra erunt, quæ vel substantiam talem suggerunt, ut probè nutrientia temperata, v. g. pallulæ, amygdalæ, oryza, gelatinæ carnium, & in genere omnia, quæ probè sunt nutritiua; item quælibet potulenta, cerevisiæ, &c. vel quæ illorum absumptionem sistunt, ut temperata, anodyna refrigerantia, dicta, quæ colliquationem impediunt: vel denique, quæcunque evacuationes inhibent. Duo inter ista acria, acida & alcalia, unde calefactio & & refrigeratio, intermediant nulla salina facultate excedenti, adeoque vel sapore dulci, vel blanda seu temperata oleositate aquea, vel substantia mucilaginosa, se nobis exhibentia; ut pallulæ, glycyrrhiza, amygdalæ dulces, semina frigida dicta, mucilagines seminum, gummi Arabicum, sulphur commune, lac, pinguedo animalium, &c. Hæc ipsa internè acre quodcunque, in specie salsum dum obtundunt, dicuntur *Temperantia*; dum quasi inviscant, dicuntur *Incrassantia*; dum fauces lubricant & oblinunt, dicuntur *Lenientia*; dum extra imposita acre dolorosum mitigant, & ita fibrarum ex dolore spasmum remitti faciunt, *Anodyna* dicuntur; dum eodem modo, temperando utrumque acre, horum amicam unionem in salsum tertium, adeoque pus promovent, simul *Maturantia* seu *suppurantia* dicuntur.

TIT. XIV.
DE
STOMACHICIS ET VTERINIS.

S *Stomachalium, pag.* 485.) Inter remedia alterantia calida præ cæteris excellunt aromatica dicta, quæ suaui odore plus minus penetrante, & sapore grato plus minus acri & amaricante, crasin suam in sale volatili oleoso, h. e. à pingui plus minus acido concentrato, constitutam habent, id quod in eorum oleo destillato, totius concreti crasin possidente, patet. Ratione huius salis volatilis oleo si in suo concreto temperant acida fixa, cruditates viscidas resoluunt, adeoque cruditati acidæ, & inde congestis sordibus in intestinis & stomacho, indeque natis flatibus, ex acido fermentante in materia viscida oriundis, optimè conducunt: Ob id stomachica omnia itidem *carminatiua* seu *flatum discutientia* esse solent.

Hæc inter stomachica præstantiora sunt radix ari, acori veri, tormentillæ; herba absynthii, menthæ; baccæ iuniperi, lignum Sassafras, aromata quælibet, in specie zingiber, piper nigrum, nux moschata, & denique pro conseruando tono istarum partium, cydonia, præter alia supra inter alterantia & diaphoretica recensita.

Ex Regno minerali imprimis sal ammoniacum, arcanum duplicatum, & tartarus vitriolatus conducunt, quibus in hypochondriacis & Martialia socianda sunt.

Inter præparata eminet aqua menthæ & fœniculi, item *pulvis* quidam *stomachalis*, quò simplicior, eò melior, ex *arcano duplicato* cum *pipere*, aut quod ex *radicis ari acris* non præparatæ part iij. & *extracti tormentillæ cum spiritu vini parati* parte una conficitur; item *Elixyr stomachale*, parandum ex *spiritu menthæ*, *herbæ propriæ* affuso & edulcorato; cui pro lubitu adhuc *semina* 4. *calida maiora* addi possunt: item elixyr proprietatis tam vulgari modo cum acido, quàm cum tinctura tartari acri, ritè paratum. Pro *vino stomachali medicato* sufficiat, quod paratur ex *absynthio*, *mentha*, *radice belenii*, & *acori vino* infusis. Loco Electuariorum stomachalium radix zingiberis in India condita, vel acorus nostras ritè conditus, sufficiat.

Tandem pro situ stomachali præter emplastrum ex tacamahaca, sufficiant olea composita ex oleo destillato iuniperi, cui pro lubitu olea destillata menthæ & macis addi possunt, quæ ipsa etiam oleo nucistæ expresso in Balsami seu unguenti consistentiam redigi possunt.

AVTOR *noster* ex alterantibus appropriatis stomachalibus eligit radicem ari, Herbam absynthii, zingiber, & piper nigrum: quibus tamen nos rectè addenda iubemus herbam menthæ, & radicem acori nostrati seu calami nostratis; ut adeoque hæc 6. simplicia nobis sufficiant.

Ari radix.) Radix ari acerrima est, & acrimonia quasi caustica insignita, sicut & ipsa eius folia; & utut baccæ sint dulces, tamen semen in his acerrimum deprehenditur, & in hoc sale volatili acerrimo consistit ari virtus, cruditates viscosas plus minus acidas, ex deficiente stomachi digestione & cruditate relictas, dissolvens, corrigens, detergens, & intensum appetitum provocans. Vnde frustranea est quæcunque radicis ari præparatio, & per acida correctio, miror que AVTOREM *nostrum* hac in parte: hæc enim, siue infundatur in aceto, siue ebulliat in vino, siue in umbra exsiccata imprægnetur spiritu vitrioli, ubique superfluus est labor, quia castratur sic virtute sua: quin potiùs assumatur vel recens & integra, vel & solummodo in umbra exsiccata; nam & sic hyberno tempore usurpata acrimonia sensibili fauces ferit. Cæterùm usus recentis radicis est, ut minutissimè incisa ad cuspidem cultri cum spiritu vini hauriatur, qua ratione medetur apepsiæ; contra siccata in pulvere dosi 2. aut 3. cultri cuspidum, & sic manè in vehiculo calido assumi poterit.

Fæcula.) Contra AVTOREM est fæx ari iners, nullius usus, & omni sale destituta.

Mixtura.) Scilicet liquorem fæculæ aronis præparandæ supernatantem quidam cum pauco saccharo & aceto in consistentiam syrupi inspissant: ast vano cum successu, cum sal omne volatile avolavit.

Stomachalis, pag. 486.) Videtur hìc AVTOR subinnuere pulverem stomachalem Bückmanni ex Quercetano, cuius basin itidem constituit radix ari, & descriptio habetur in SCHROEDERO *de Pulver. num.* 20. Vnde pro *pulvere stomachali*

℞. *Rad. ari exs.* ℥j.
Lapill. Cancr. præp. ʒß.
Sal. absinth. ℈j.
Olei destillat. caryophyll. gutt. iij.
M. div. in 3. p. æqv. D. S.
Pulvis stomachalis pro 3. *vicibus.*

Absinthium.) Absinthium nostrum præter usum, quem recens præstat, crudum id comedendo, exsiccatum aptum est infusis & vinis medicatis parandis; sicut & eiusdem spiritus usui medico inseruit: ubi tamen notandum, quod absinthium, cum sit subjectum vegetabile paulò fixius crassumque, & summam vim in oleo paulò fixiori habeat, huius oleum fermentatione priùs resolvendum esse, quo sic in spiritum habeat.

Per retortam, pag. 487.) Destillant non solùm ex absinthio spiritum fermentatiuum & abstractitium, sed quidam etiam ex absinthio sibi coacervato & seposito, quo aliquantisper per putredinem inchoatam saltem resolui incipiat, destillant per retortam spiritum urinosum amarore turgentissimum, & sale volatili absinthii præditum, adeoque exactè crasin absinthii referentem.

Extractum.) Extractum absinthii fiat hoc modo: scilicet decoctum eius in aqua simplici factum inspissetur in consistentiam mellis; hinc eo cum spiritu proprio fermentatiuo eliciatur essentia per digestionem, sub qua nonnihil salis tartari & nitri fixati addi poterit, hac enim ratione magis dissolvitur pinguedo absinthii, & prodit essentia, absinthii crasin integram continens & cuilibet liquori permiscibilis. Sic & si spiritui illi alcalisato absinthii in essentiam redacto addantur aliquot guttæ olei absinthii destillati, ille mox imbibendo hoc, exaltatam facit eandem essentiam.

Alcabestina.) Notat hìc AVTOR *noster* GLAVBERVM, absinthium vel hujusmodi vegetabilia cum nitro fixo subactum per spiritum vini in essentiam redigentem.

Salessentiale, pag. 488.) Sal absinthii essentiale nitri formè reverà propter oleum multum propriæ crasεos continet, non tamen ob id præferendum erit.

Oleum, pag. 489.) Oleum absinthii per coctionem cum oleo olivarum paratum vix prodest, nisi illud actuetur oleis aliis destillatis, indeque potius unum aliquod *oleum stomachale* compositum sufficere poterit: v. g.

℞. *Olei absinth. per infus. & coct. parat.* ℥ij.
Olei nucist. express. ℥j.
Olei destillat. menth. ʒß.
Macis,
Caryophyllor. ana ℈j.
M. pro *Balsamo* seu *Linimento* vel *Vnguento stomachali*;

Vel quod concinnius adhuc:

℞. *Olei nuc. mosch. express.* ℥iij.
Olei destillati acori veri nostrat. ʒß.
Destillati macis ℈ß.
Destillati bacc. juniperi ℈j.
M. pro *Balsamo stomachali.*

Zingiber, pag. 490.) Zingiber usuale saltem in forma pulveris usurpatur, præsertim si illud & ingrediatur *Electuarium stomachale*, quod habet PARACELSVS *in Consil.* ex *rob juniperi, zingibere, cubebis*, &c. Conditum etiam zingiber in India priùs cum aqua coquendo emollitum & enervatum est; vid. *Colleg. Pharmac. in Schrœderum.*

Piper.) Piper recens rubet, exsiccatum verò nigricat, sicut tandem idem detracta pelle album conspicitur, indeque saltem vulgare piper, nunc solitariè, nunc cum aliis, sufficere potest loco specierum diatriων piperεων. Cæteroquin idem piper cum spiritu vini rectificato extractum dat essentiam acerrimam, mirè appetitum provocantem, & apepsiâ ægros correptos restituentem: oleum verò hujus destillatum præter parcitatem sui, vix sine empyreumate acquiri potest; unde loco hujus pulverisatum piper sufficere potest.

Vterinis, pag. 491.) Per uterina aperientia veniunt nobis Alterantia quædam, odore & sapore aromatico prædita, ac amaritie plus minus sensili instructa, quæ speciatim tam menses, quàm fœtum mortuum pellere, & lochia stimulare valent; aut potius in omnibus excretionibus uteri deficientibus usitata sunt, quatenus vel specificum acidum, sanguinis menstruam turgescentiam impediens, corrigunt, vel singulariter uteri fibras afficere, easque stimulare valent, ac talia speciatim uterina dicuntur. Ex tam multis omnino nobis cum Autore *nostro* eligere placet radicem aristolochiæ rotundæ vulgaris, angelicæ, acori, herbam pulegii, rorismarini, sabinæ, spicæ, lavendulæ, melissæ, flores cheiri, spicæ, lavendulæ, quibus pro majore penetratione addendus venit crocus vegetabilis, myrrha, & ex tartaro parata remedia.

Ex regno animali pulvis hepatis anguillæ cum ejusdem felle exsiccato, testiculi equini exsiccati, quippe qui in partu difficili multum præstant. Et tandem

Ex regno minerali præter Martialia, succinata, sulphurea, confert speciatim borrax ceu mensium aperitivum egregium. Confirmata autem mensium suppressio non tam facilè potest curari.

Externè imprimis loco plurium aliorum convenit Galbanum cum oleo succini vel spicæ malaxatum & ita applicatum. Præter hæc etiam huc referri solent cicer, cyclamen, artemisia, bryonia, flores calcatrippæ, cyani, & liliorum alborum, matricaria, dictamnus, sclarea, levisticum, ladanum, & sagapenum.

Inter Præparata & composita inter pulveres, menses & fœtum pellentes, sufficiat unus *compositus ex borrace, myrrha, & croco*, cum *oleo destillato sabinæ* irroratus, præter Martialia. Inter *Essentias* seu *Elixyria uterina* sufficiat *tinctura* ex *aloes* & *myrrhæ* an. par. j. & *croci* parte dimidia, cum *tinctura tartari acri* in Essentiam compositam vel elixyr redactorum: vel vinum medicatum ex rore Marino, pulegio, sabina, croco, & limatura Martis, nodulo inclusis, vino infundendis sufficiant.

Cicer.) Cicerum decoctum post partum non est incongruum; pro mensibus autem pellendis minus congruum est.

Cyclamen.) Radix cyclaminis rarò internè usurpatur propter acrimoniam, quam habet, ratione cujus & purgans est validum, adeò ut etiam succus ventriculo illitus hydropicorum aquas expurget & alvum solvat, item fœtum abigat. Succo cyclaminis si quis anum tetigerit, mirâ celeritate alvi solutionem experietur, propterea ingreditur unguentum de arthanita dictum, cujus usus est externus, ut abdomini illitum alvum solvat.

Artemisia.) Artemisia, nisi aliis societur, pro scopo aperitivo vix sufficit; potius pro usu epileptico commendandi sunt ejus carbones.

Bryonia, pag. 492.) Bryoniæ radix in se laxativa, ad promovendos menses & vulgò laudatur, ubi tamen nihil, nisi Martialia interveniant, præstat. Interim succus, vel solitarius vel cum succo iridis nostratis mistus, egregius est in curatione hydropicorum, & ejiciendis infectis, bufonibus e.g. &c. in intestinis stabulantibus.

Aristolochiæ radicem, pag. 493.) Ex 4. Aristolochiarum differentiis magis parabilem rotundam, seu radicem fumariæ bulbosæ, pro infusis & decoctis seligit AVTOR *noster.*

Anthera alborum liliorum &c.) Antheræ liliorum alborum sunt juli in floribus, qui, cùm odore nonnihil crocum spirent, hinc quasi per analogiam ad menses, lochia & fœtum pellendum, sicut & ipsi flores calendulæ ob eandem rationem, commendantur. Ast his omnibus longè præstantior est crocus; indeque antheris illis optimè carere possumus, quantumvis iis utatur TIMÆUS à *Gulden Klee* & VELSCHIVS *Hecatost.* 2. in partu difficili unà cum oleo sabinæ; in quo tamen remedio huic oleo primæ operationis partes debentur.

Cheiri flores, pag. 494.) Flores Cheiri si exactè considerentur, & crocei odoris quid spirant, ideoque pro Infuso emmenagogo AVTOR eos eligit. Quo in casu & eorum essentia, tam simplex cum spiritu vini, quàm prævia digestione cum nitro fixo, & hinc cum spiritu vini parata, excellit.

Pulegium.) Pulegium est unum ex nobilissimis uterinis, quod tamen rosmarinus adhuc antecellit, utut matricariæ illud præferendum sit. Ac quidem in specie egregia est aqua pulegii cum vino destillata pro mensibus & partu promovendis, sicut & oleum destillatum oleo menthæ combinandum.

Quod parturientes, pag. 495.) Remedia parturientibus succurrentia sunt vel simpliciter spirituosa, adeoque nervina, motum partium beneficio spirituum promoventia; vel uterum speciatim quasi irritantia. Jam igitur ex priori classe sunt remedia ex cinnamomo spirituosa, spiritus vini ipse, & vinum generosum, item castoreum; ex posteriori verò, & quæ uterum & spasmos concitant, sunt v. g. myrrha, borrax, item hepar anguillæ, pulegium, & sabina.

Sabina.) Hanc minoris quidem æstimat AVTOR *noster*, in se tamen satis validam; quippe herba ejus recens quocunque modo usurpata potenter menses stimulat, ac speciatim oleum ejus destillatum, ceu crasin totius concreti continens. Insuper conducit Sabina usui Chirurgico, cum non saltem internè aquis & decoctis vulnerariis pro rebus heterogeneis è vulnere & ejiciendis additur, quo de vid. Wurtzii *Medicina vulneraria*; sed externè succus ejus cum melle ceu nobile mundificativum ulcerum fœtidorum & manantium commendatur. Sabina in suo genere est satis valida fortiter uterum stimulans. Cæterum, quod in omnibus remediis, tam generalibus, quàm specialibus, observandum, non semper vis remedii consideranda est, sed in horum usurpatione respectus ad subjectum patiens habendus, cum ad ejus habitudinem variet subinde illorum effectus. Hinc si conspirant agens & patiens, bonum usum videbimus, & viceversa; v.g. gialappa in se est purgans remedium, si dosi gialappæ correspondeat constitutio ægri; verùm si hoc non fit, pro varietate subjecti nunc plus, nunc minus operatur. Ita par ratio est in Sabina, quæ in se validum uteri stimulans in infuso, Decocto, vel oleo propinatum, variat in effectu hoc plus minus, prout nempè subjectum est fortioris, nunc debilioris naturæ.

Vix decima, pag. 469.) Oleum destillatum sabinæ est efficax: quibus autem deficiunt menses propter impedimentum venarum uterinarum, & tamen superest adhuc motus & turgescentia sanguinis ad excretionem apti, tales phlogosi vaga simul solent torqueri, hincque iisdem minus dari cōvenit eiusmodi volatilia oleosa & sulphurea, secus enim intenduntur phlogoses; & æstuationes exacerbantur, unde & iis saltem prodest sabina, in quibus tales phlogoses non observantur.

Alterius ferè directionis.) Scil. in mensibus promovendis præter hæc vegetabilia semper habeatur respectus ad Martialia, quo, sc. his præmissis, absorbeatur acidum, & removeatur impedimentum, turgescentiam sanguinis sufflaminans; deinde ad vegetabilia uterina fiat accessus pro complemento curæ.

Domi-

Dominariusm aqua.) Hujus loco sufficere potest aqua quædam spirituosa, cui additum sit aliquod promovens partum: v. g.

♃. *Aquæ flor. cheiri* ℥ij.
Puleg. spirituos. ℥j.
Apoplect. usitat. (si absit metus passionis hystericæ.) vel *aquæ cinam. spirituosæ* ℥ß.
Borrac. venet. ℈ij.
Pulv. hepat. anguill. cum felle ʒß.
Syrup. cujuscunque, v. g. *de pulegio* vel *artemis.* ʒij. vel ʒiij. M.

Mistura hæc capiatur aliquot vicibus.

TIT. XV.

DE

PECTORALIBVS.

P*Ectoralia, pag.* 497.) Sunt hæc in triplici differentia: alia nempè sunt; quæ ordinariò dicuntur Incrassantia seu concoquentia, alia verò Incidentia seu Attenuantia & expectorantia, & alia confortantia.

Priora sunt propriè loquendo saltem temperativa lymphæ acris & salso-acidioris, unde tusses siccæ nocturnæ, ceu principia phthiseos; & affectus pectoris catarrhales, ut vocant, dependent; de quibus nihil hìc AVTOR *noster* loquitur; hinc illa potius lubricantia, temperantia & sistentia, quàm incrassantia, dicenda essent, uti sunt opiata; & quæcunque papaverina; tragacantha, amylum; & hinc acrimoniam obtundentia dulcia, ficus; passulæ, jujubæ; saccharata, oleosa, mucilaginosa.

Benè tamen agit Autor de Pectoralibus incidentibus, & consequenter expectorantibus, hoc est, quæ productum morbosum, nempè mucum viscidum glutinosum, ex degeneratione alimenti partium proximi in pectore enatum, item purulentias & similes sordes attenuant, incidunt, resolvunt, & ita promptiùs expectorare, seu per tussim exscreari faciunt. Jam verò ex quamplurimis ejus AVTOR seligit herbam & radicem enulæ; hederæ terrestris, scabiosæ, veronicæ, & chamædryos fœminam: quibus adhuc addenda suadeo nicotianam, hyssopum pro extracto saccharato, erysimon, marrubium, gummi ammoniacum; & simul veronicam pro aquis spirituosis; item semen anisi propter ejus oleum, & radicem scyllæ recentem pro parando aceto & oxymelle scyllitico, item radicem iridis Florentinæ, unà cum radice & aliis usurpandam. Hæc pauca sufficiunt pro Incidentibus pectoralibus.

Confortantia, seu pectori & pulmoni illatas noxas, excoriationes, exulcerationes &c. restituentia, sunt imprimis quælibet vulneraria; in specie tamen hìc conducunt hedera terrestris, scabiosa, veronica, iris Florentina; fœniculum, anisum, tussilago, benzoe, terebinthina, mel: quibus addi possunt ex regno minerali flores sulphuris, balsamus sulphuris, antimonium diaphoreticum, Antihecticum Poterii, &c.

Hisce communiter etiam addi solet caprifolium, rorella, urtica Romana ac cæteræ urticæ, botrys, capilli veneris, & Adiantha, caulis, gossypium seu bombax, pulmonaria quælibet, hispidula, pulmo vulpis, &c.

Ex his facilè pro praxi selecta & succincta potest fieri *pulvis pectoralis* polychrestus ex *radice iridis Florentinæ, floribus sulphuris, antihectico Poterii, benzoe*, &c. quæ irrorentur cum aliquot guttis *olei destillati anisi*: Sic pro spiritu pectorali sufficiat spiritus salis ammoniaci anisatus; præsertim cum essentia opii mistus: Inter Balsama pectoralia sit Balsamum sulphuris anisatum: Inter Incrassantia essentia opii; item syrupus diacod*ion* Montani; sufficiunt.

Inter Decocta pectoralia sufficiat unum ex radice helenii, fœniculi, herba hyssopi, tussilaginis, marrubii, semine anisi, &c. paratum; quibus in aqua decoctis addi potest syrupus de nicotiana, vel ex iis in aquæ duplo vel triplo, & mellis parte j. coctis fiat mulsum; quibus pro lubricandis viis glycyrrhizæ radix, aut passulæ vel ficus, socientur.

Tandem unicum artificiosum decoctum vulnerarium, cui sub usu aliquot guttæ balsami sulphuris instillentur, plurimis scopis satisfaciet.

Hederam terrestrem.) Hedera terrestris præter diuretico-nephriticam vim, insigne est vulnerarium pectorale in pleuritide suppurata, peripneumonia; empyemate; & omnibus pectoris affectibus egregia; non secus ac quoque in hæmoptysi; tam à causa externa, quàm ab interna nata; egregium simplex est.

Scabiosa.) Scabiosa in usum vocetur pro extracto succoso per decoctionem ejus in aqua simplici ad imitationem ANGELI SALÆ; conservæ, syrupique locum supplente, & ratione effectus simul nonnihil incrassante, & vi vulneraria attenuante. Scabiosa enim ejusque aqua, syrupus; conserva, Decoctum, &c. omnia prosunt in apostematibus internis, quia resolvit, maturat & rumpit, speciatim tamen in pectoris affectibus: hinc & in variolis & morbillis remedia ex scabiosa prosunt, tam ut fauces & pulmones à morbillis obsessos ab exulceratione præservent, quàm ut easdem jam inchoatas etiam curent & sanent. Hinc & in pleuritide & peripneumonia, tam præservandis pulmonibus, quàm temperanda acrimonia puris & promovenda expectoratione, optima est scabiosa. In tussi etiam epidemica inter alia excellit scabiosa, quatenus vi nonnihil alexipharmaca ac diaphoretica & pectorali pluribus scopis satisfacit.

Veronica.) Hæc nobilissimum est vulnerarium in tussi & asthmate humidis, item in pleuritide suppurata; pro extracto succoso saccharato inde conficiendo. Sic & curiosum est, aquam veronicæ tam per se, quàm cum vino destillatam; apparere intensè viridem; qui tamen color quidem in illa minus durabilis, in hac verò, nempè spirituosa, ultra annum sospes manet.

Hyssopi spirituosa, pag. 498.) Hyssopi & veronicæ aquas cum vino destillatas pro usu suo seligit AVTOR *noster*.

Rorellæ.] Rorellæ folia in summis quoque Solis ardoribus phlegmate rorido turgida conspiciuntur, indeque de hoc multi multa dicunt, esse spiritum mundi concentratum; ac proinde quidam singularem vim analepticam, quidam antiphthisicam, ex eodem venantur: ast fides penes Autores hosce esto.

Compositas.) Ejusmodi aquas pectorales parant ex plantis pectoralibus incidentibus mediante spiritu vini; qui ab illis aliquoties abstrahitur, emergit inde aqua antasthmatica; sine verò infunditur saltem, dabit elixyr vel essentiam. Ceterùm hìc notandum, malè illis speciebus adjici fructus, ut sunt amygdalæ, ficus, dactyli, sebesten, passulæ, &c. quippe cum nihil quicquam de his per alembicum transeat: sicut in Infuso illorum ne tantillum quidem imbibant: quin potius sufficiat loco omnium una quædam ritè parata, v. g. cum spiritu appropriato, v. g. fœniculi; eoque vel fermentatitio vel abstractitio, ex enula, scabiosa, veronica, aniso, hyssopo, croco; & similibus parata essentia pectoralis; vel aqua quædam composita asthmatica cum rob passularum, vel saccharo edulcoranda.

Stomachales, pag. 499.) Hìc intelligit AVTOR asthma propriè sic dictum, seu humorosum, ex succis viscidis oriundum, hocque dicit, tam pectorale quàm stomachale; levari, præmisso vomitu; non saltem per pectoralia sic dicta, sed quoque stomachalia, imò aromatica & carminativa quæcunque.

Hypochondriaca præfocatio.) Dari, dicit AVTOR *noster*, asthmata hypochondriaca seu passionem hystericam; à spasmis nervosarum partium ab acido præternaturali concitatis oriundam, quæ optimè per Martialia sufflaminantur & eradicantur; sicut aliud asthma humorosum periodicè recurrens per opiata maturè, sic præcavendo nutrimenti degenerantis collectionem, curari poterit.

Oleis.) Inter olea pectoralia excellit oleum destillatum anisi, quod sit instar omnium; cui oleum fœniculi quoque substitui poterit: Iuniperi autem oleum alius est classis.

Scylla, pag. 500.) Ex Scylla recenti in taleolas incisa, infusa in aceto, paratur acetum & Oxymel scylliticum, quod veteribus fuit in usu pro scopo aperitivo: sicut enim ari radix inter Pectoralia incidentia non est ultima; ita scylla ex porrorum genere eidem proximè accedens, cepas & porra quæcunque antecellit. Fiat ergo acetum ex scylla recenti in taleolas concisa, rejiciendo ejus exsiccationem; sicut & hujus in trochiscos priùs redactionem: Et quidem sumatur acetum culinarium, si intra annum acetum illud, scylliticum dispensari debeat; sin verò ultra annum durare id debeat; destillatum accipiendum; ita emergit egregium incisivum stomachicum & pectorale in casu musci viscidi; partes dictas obsidentis & respirationis negotium turbantis. Exque hoc aceto & melle ex tempore Oxymel & Looch scylliticum confici queunt.

Nicotiana, pag. 501.) Ratione salis volatilis acerrimi vi incisiva pollet, indeque EPIPHANIVS FERDINANDVS, Medicus Neapolitanus, nicotianam in pleuritide suppurata evacuanda expertus fuit: vid. *Magnenus*. Et quidem paranda sunt ex nicotiana essentia & extractum cum dimidio nitri fixi eam coquendo; & inspissando hinc; sic namque ab alcali hoc destruitur virulentia, & textura olei nicotianæ corrigitur, cujusvi aliàs nocet, cujusque contactu moriuntur animalcula: item prodest essentia pro errhino & ulceribus sordidis evacuandis; sicut extractum unà cum aliis unguentis pro tinea curanda adhiberi poterit; utut nec syrupus de Peto Quercetani contemnendus sit: Conf. MAGNENVS *de Tabaco*, in quo nonnulla præparata egregia sunt.

Oleum destillatum pag. 502.) Oleum destillatum nicotianæ perniciosissimum venenum est: hujus olei gutta j. instillata linguæ canis rabiosum eum reddidit; & tandem interfecit; item oleum tabaci hoc destillatum filo illitum, hocque acu transmissum per carnem in pedibus gallorum, sic omnes mortui sunt: Conf. WILLISIVS *Pharmaciæ Ration. Vol.* 1. *pag.* 315. item RHEDI *in Experimentis circa Res ex India allatas*.

Hyssopi summitatibus.) Hyssopus convenit imprimis in pulmonum & stomachi affectibus, ex visciditatibus pituitosis natis, quas amarore penetrante attenuat, incidit, excretioni per quascunque vias aptas reddit: hinc syrupus hyssopi inter expectorantia non ultimi loci est. Externè ad sugillationes oculorum adhibetur, si fiat nodulus ex comis hyssopi, quæ ebulliant in aqua, & ita instar fomenti humidi extrinsecùs applicetur, discutit quemvis sanguinem grumosum.

Marrubio.) Marrubium egregium est in incidendo muco viscido & tenaci, indeque multis affectibus ex tali causa occasionali confert; præsertim in tussi senum pro expectoratione decoctum ejus est egregium, indeq; inter pulmones mundificantia marrubium non est ultimi loci. Præterea ictericis etiam convenire solet, præsertim; si ex in-

farctu ductus cystici, vel simili occasione oritur; item ad hydropem ascitem laudatur, imprimis si ex Ictero hic ipse oriatur.

Veneris capillis, Trichomanes, polytrichum, pag. 503.) Adiantha hæc inter plantas aperientes viscera abdominis, & hinc pulmones mundificantes, & urinam blandè stimulantes, referuntur; quod imprimis de Adiantho nigro & aureo asserendum videtur. Nam Trichomanes & Ruta muraria filici ferè videntur cognata, adeoque & eiusdem videntur usus & effectus: expertum tamen est rutam murariam singulariter prodesse ad scorbutum. Retulit scilicet B. D. D. MICHAELIS, quod cum arx Pirnensis à militibus Suecis obsessa fuisset, omnesque ferè milites ob prauam diætam, aerisque liberioris defectum, scorbuto laborantes convulsi & contracti fuissent, solius huius herbæ beneficio curati fuerint.

Brassicam.) Brassica seu caulis est vel alba vel viridis: utraque, præsertim viridis, nitrosa est, & alcali nitroso, indeque abstergente diuretico, prædita: Hinc decoctum brassicæ pro temperanda faucium asperitate, item pro raucedine, egregium habetur remedium. Adhæc propter sal volatile refrigerare, indeque inflammationes sistere, & vulnerum symptomatis optimè mederi solent: unde folia brassicæ seu caulis puerperæ solent mammis imponere ad præcavendam lactis abundantiam & coagulationem, dum acidum successiuè absorbent. Abscessibus etiam mammarum ceu euporiston imponuntur ad inflammationem præcavendam, & ulceris consolidationem promovendam. Sic notum est, quod folium brassicæ seu caulis recens post excitatam vesicam soleat imponi; æstum enim & dolorem mitigat, & vesicam diù apertam tenet; non secus atque fontanellis imponi commodè possunt, pro præservanda earum consolidatione.

Erysimo.) Erysimon de erucæ vel sinapi est speciebus, similique acri volatili sapore præditum; unde propter insignem vim incidendi & attenuandi egregiè confert in pectoris ac pulmonum infarctu: adeoque & in raucedine ex viscidiore muco, laryngem & bronchia obsidente, confert egregiè. In usu est pro hoc scopo syrupus de erysimo Lobelii, aliàs syrupus contra raucedinem dictus.

Gossypii semini.) Gossypii semen admodum laudatur tussientibus asthmaticis, & ad phthisin inclinantibus: temperat acrimoniam succorum pulmones rodentes; sed rari est usus.

Caprifolio, pag. 503.) Huius decoctum caprifolii aliàs famosum est in prunella & ardoribus faucium.

Decocta pectoralia, pag. 504.) Decoctis pectoralibus ex tempore pro re nata præscribendis præstant tincturę seu infusa pectoralia, cum spiritu vini vel alio appropriato parata.

Elixyr proprietatis pectorale, pag. 406.) Fit adiiciendo speciebus ordinariis alia adhuc simplicia pectoralia: ubi tamen nec hoc multum in recessu habet, cum eius loco simplex elixyr proprietatis cum essentia quadam pectorali mistum sufficere possit.

Olea destillata.) Sufficit oleum destillatum anisi & fœniculi.

Benzoe.) Benzoe famosa est vi pectorali, nec cedit iridi Florentinæ, Cæterum inter præparata eius sunt:

1. Flores, quorum præparationem cum charta pyramidali docet *Rolfincius in Chym.*
2. Prostat etiam ex ea essentia, tam solitaria, quàm unà cum dimidio styracis calamitæ mista, cum spiritu vini rectificatissimo paranda, suavis saporis & odoris: quæ usui Cosmetico inservit, si eius parum aquæ instilletur.

Tandem aliqui in conficiendo oleo destillato Benzoes admodum operosi sunt, quorum tamen plures modi fallunt, cum illud vel crudum empyreumaticum, vel eius suaueolentiæ tantillum, operæ pretium vix æquans impetrent. Conf. SCHROEDERVS & VIGNERIVS *Tract. de Sale & sulphure pag.* 49.

Aliàs in compositis pulveribus pectoralibus egregiè Benzoe per se locum invenit.

Depuratione, pag. 507.) Lapilli seu crystalli benzoes curiosi sunt, quos parare docet BARTHOLETVS *l.* 5. *de dyspnœa c. l.* scilicet ex maceratione eius in aqua violarum, cuius parte, abstractâ lapilli reliquo corpori per se adhærentes inveniuntur. In aquarum verò destillatione transit pauxillum olei pretiosissimi.

Iridem Florentinam, pag. 507.) Hæc in recessu blandè aromatica est, lympham in affectibus pectoris temperans, & simul mucum viscidiorem, respirationem turbantem, incidens, & quidem pulveris forma usurpata. Et utut officinis in usu sint pulveres pectorales multiplices, ubi excellunt species diaireos, quas ingrediuntur gummata & semina, quæ facilè rancorem contrahunt; quia tamen omnes in hoc coincidunt, ut temperent lympham ariorem, hinc sufficit iris Florentina, statim addita epicerasticis, vel temperantibus, ut myrrhæ, sulphuri, &c. vel becchicis, i. e. expectorantibus. Loco omnium autem harum specierum AVTOR *noster* suadet usurpandum pulverem unicum pectoralem, nempè ex ana *iridis Florentinæ*, florum sulphuris, & pro basi radice Aaronis cruda; quibus addit pro scopo incrassandi & temperandi in certis circumstantiis, nempè affectibus catarrhalibus nocturnis temperandis, blandum opiatum, & vel cinnabarim natiuam in casu si pulmones conuulsiui quid patiantur, sicut & antimoniatum aliquod diaphoreticum, ubi nempè in partibus respiratoriis læsio quædam subest, quo sic proventus uberior muci impediatur. Atqui similis ferè pulvis D. D. MICHAELI fuit in usu, qui

℞. *Rad. aron crud. pulverisf.* ℥iv.
Ireos Florent. ℥ij.
Flor. sulphuris,
Pulv. benz. ana ℥j.
Antihect. Poterii ℥ij.

M. F. *Pulvis pectoralis* quasi catholicus; cuius dosis esto ʒß. præter propter.

Huic pro lubitu addi poterit q. s. sacchari, vel etiam olei cuiusdam destillati appropriati.

Correctiora emetica, pag. 509.) Scilicet in affectibus, suffocationem minantibus, & qui non sunt præcisè è spasmis convulsivis, nec ab impedito motu sanguinis per pulmones, potius à succis viscidioribus pectus & stomachum obsidentibus, præmisso vomitorio pulvis allegatus pectoralis proficuus erit.

Morsulorum & rotularum.) Morsuli & Rotulæ pluribus in usu esse solent, paratę ex speciebus supradictis cum saccharo & oleis invicem in consistentiam redigendo desideratam: ac intentio horum est, ut sordes pulmonum & asperę arteriæ, per degenerationem nutrimenti proximi oriundæ, expectorentur citiùs. Opiatis autem plus attribuendum est, secundùm AVTOREM. Interim supià dictus pulvis pectoralis omne id præstat, quod à morsulis & rotulis hisce expectari potest: Vel ex tempore ex eo cum saccharo confici possunt Morsuli; vel rotulæ manus Christi imbibi poterunt oleo destillato anisi, vel fœniculi, balsamo sulphuris anisato; ita illę eundem ac morsuli illi habebunt effectum.

Opiata.) Opiata quælibet, sistendo motum spirituum animalium influorum & irritationem, impediunt expectorationem, indeque incrassantia & catarrhum sufflaminantia audiunt, minusque in eiusmodi casibus, ubi expectoratione paulò largiori opus est, v. gr. in phthisicis confirmatis, conveniunt, sed hostilia potius sunt: sicuti contrà eadem in principio & in incremento morbi, cum nempè à lympha salso-acida eroduntur & excoriantur fauces, vel larynx, vel pulmonum parenchyma, sicque noctu ægri continuò tussiunt, mucum copiosum, utut laboriosè, reiicientes, in tali casu in incremento pro tussi sistenda, & præcauendo sordium mucosarum prouentu, pro meliore evacuatione opiata sunt optima; sed sumantur vesperi ante cœnam, vel tempore somni. Ita namque lympha acido-salsa temperatur, irritationis sensus in pectore sistitur, uberior succorum effusio in pectore sufflaminatur, hincque sordium proventus impeditur: in malo vero confirmato, ubi ulcus pulmonum est, vel ubi asthma convulsiuum adest, opiata sunt nocentissima, quia expectorationem sistunt, Summatim, quemadmodum Looch, confectionesque saltem productum morbosum, nempè mucum promovent, ita opiata magis radicem morbi feriunt.

TIT. XVI.

DE

APERITIVIS ANIMALIBVS.

Decoctum splenis bouis, pag. 511.) Inter remedia alterantia animalia splen bovis, & ex hoc decoctum, uti & eius essentia iuxta CROLLIVM, vel & mumia eiusdem, in infarctibus splenis & cachexiis vulgò commendantur. Decoctum, extractum, & essentiam vid. in SCHROEDERO, quæ tamen, nisi addita aliquid præstiterint, vix considerationem merentur.

Ob antiquorum placitum, pag. 512.) Scilicet veteres putarunt, partes animalium usurpatas idem præstare, quod nostri corporis partes, ita, ut pulmones & splen eorundem conferant nostis, & sic porro. Ast ò vanitas! Vsus siquidem partium est vel mechanicus ex structura earundem dependens, vel alterativus, beneficio fermentorum specialium exequendus: Iam verò quicunque horum in partibus corporis nostri læditur, eorum nulli occurri per animalium partes potest, præsertim, cum & harum structura mechanica sub stomachi digestione, & fermentum earundem, sub morte intereat.

Asininum.) De asini splene calido inanis circumfertur fabula, quasi spleneticis medeeretur: ast, si ille aliquid præstat, fit illud ratione caloris; qui tamen itidem ab avena, sacculo calefacto inclusa, expectari poterit.

Anserculorum stercora,) Stercora animalium omnium participant de natura salis ammoniaci, constant quippe ex acido & alcali volatili oleoso, quę coeunt in sal tertium ammoniacale volatile, indeque auræ beneficio alterantur in nitrum: præsertim avium excrementa sunt nitrosa: quicquid igitur præstant, operantur ea vi ammoniacali. Cæterum Beniani (sunt secta Orientalium populorum indolis Pythagoricę) putant, animas demortuorum cognatorum migrare in domestica animalia, quæ proinde sanctè colunt, ac horum quoque excrementa manibus tractant pro conservatione. In specie anserculorum stercora mense Martio collecta commendantur Ictericis & & cachecticis, sicut ipse DEODATVS *in Pantheo Hygiast.* pulverem habet antictericum expertum, cuius basis est stercus anserculorum. Interim loco huius alii gallinaceum assumunt; sed loco omnium sal ammoniacum potest usurpari.

Pavonis stercus.) Stercus pavonis præter BORELLVM WILLISIVS

LISIVS *in Pathologia Cerebri*, ad vertiginem commendat: ad cuius imitationem ego nuper egregium effectum videns, illud non reijciendum puto.

Hirundinaceum.) Scilicet in angina & tonsillarum inflammatione inter euporista externa numeratur cataplasma ex nido hirundinum; quod tamen ratione limi vel straminis parum præstat, potius ratione stercoris salini ammoniacalis resolutiui & discussiui non contemnendum est, præsertim cum lacte paratum.

Canino.) Stercus caninum subigendo cum melle in forma linctus commendatur internè pro faucibus inflammatis curandis, nec id immeritò.

Lupini stercoris ibid.) Lupinum stercus pulueris formâ assumptum laudat PANAROLLVS *in Observat.* pro anticolico ceu singulare experimentum.

Humanum.) Stercus humanum in suo genere non reijciendum est remedium, dicente rectè HELVETIO *pag.* 112. & 113. *Diribitorii*; quippe quod in eo lateat singulare sulphur & oleum anodynum, & destructiuum acidarum sordium, indeque non tantum ambustionibus recentibus medeatur, sed & inflammationes quasuis sistat & discutiat; adeò quidem, ut ante hos 50. annos, grassante peste, hic locorum plebs ad bubones suos apponendo, illos maturarint non sine effectu. Præterea AUTOR est SAAR *in seinen Ost-Indianischen Kriegs-Diensten*, in India Orientali, Insulis Boriis dictis, genus quoddam serpentis reperiri, cuius morsum mors sequatur infallibiliter, & cuius nullum remedium est, nisi stercus proprium demorsi mox assumatur. Tandem aqua stercoris humani cosmetica ab aliis ophthalmica censetur, sicut & eiusdem oleum contra cancrum mammarum specificè commendatur.

Occidentalis zibethi, pag. 513.) PARACELSVS scilicet mediante diuturnâ & leni digestione stercus humanum ad odorem moschi redigere voluit, *zibethum occidentale* dictum.

Martis stercus.) De hoc vid. CASTELLUS *de Hyæna Odorif. pag.* 12. & 13.

Passerinum & muscerdam.) Vtraque hæc reuera egregiè laxant infantes, si nempè huius 2. vel 3. pilulæ in lacte assumantur.

Maiorum murium.) Sicut & majorum murium stercorum pilulæ nro. 9. deglutitæ menses mulierum expellere dicuntur.

Vaccinum.) Stercus vaccinum calidum certè podagricis pedibus leuamen affert, propter sui pinguedinem oleosam anodynam.

Omnium florum aqua.) Aqua omnium florum putatur cosmetici usus esse contra lentigines: interim, qui aquam spermatis ranarum habent, illa carere possunt.

Equinum.) Succus stercoris ex pila eius recenti cum vino expressus haustus, nobile est Anglorum euporiston contra pleuritidem, qua sæpius iidem vexantur expectando desuper sudorem: non secus ac quoq; contra colicam conuulsiuam & passionem hystericam.

Suillum.) Stercus suillum in substantia exceptum, vel naribus sub forma pulueris insufflatum, vel & eiusdem succus expressus, & cum syrupo myrtino mystus, conducit contra narium hæmorragiam, nisi hæc fuerit ab impetu sanguinis; cùm hoc in casu nil valeat, & nitrata meliora sint.

Looch de pulmone vulpis, pag. 514.) Quicquid præstat, hoc facit ratione additorum.

Vulpis & erinacei pulmonibus siccatis.) Vulpis pulmo speciatim ex pulmoniacis laudari solet vi consolidatiua & conseruatiua: unde & Looch de pulmone vulpis communis usus esse solet in pulmonum vitiis; & præter pulmonem ipsa caro vulpis, tam elixata, quàm assata, contra phthisin valdè prodesse dicitur. D. SCHNEIDERVS ægroto cuidam, cui pulmo globulo tormentario transfossus fuit, atque frequenti sanguinis exspuitione frusta pulmonis simul eiecit, medicamentum confici curauit ex pulmone vulpis cruento, modò exempto ex vulpe; cui leuiter cocto, & minutim conciso, conserua radicis symphyti, flor. symphyti, amylum, & imprimis sarcocolla lota & lacte muliebri nutrita, addita fuerunt; quo felici successu se usum affirmat: Sed reverà dubito, an huic vulpis pulmoni tantum tribuendum; quin leuiori in malo selecta vulneraria huic præferrem, in grauiori verò hunc pulmonem etiam inefficacem existimarem.

Internas stomachi gallinacei pelliculas.) Interiores membranæ stomachi avium gallinacearum exsiccatæ præ se ferunt speciem vitri, quæ puluerisatæ vi stomachali laudantur, idque eò magis, quò vorax magis est animal, ex quo desumptæ fuerunt. Nempè origo huius hypotheseos est, quasi hæ digererent lapillos: ast ò vanam persuasionem! cum potius ad fermentum liquefaciens, & partes ventriculi musculosas hoc in passu respiciendum esset.

Fel Catulorum, pag. 515.) Scilicet origo epilepsiæ apud infantes, si non est ex dentitione, est ex meconio retento: iam verò pro hac epilepsia curanda commendatur fel catuli nigri exsiccatum, & in potu exhibitum. Ast frustra, ut AVTOR dicit: cum si epilepsia fuerit ex stomacho, vomitorium excellat; sin verò ex intestinis, dentur post clysma pilulæ aloeticæ, vel laxatiuum ex ialapio, aduocatis simul pro cura vel salibus volatilibus, vel fixis absorbentibus & inuertentibus acidum vitiosum.

Extracta lutii.) Scilicet essentiæ fellis lucii piscis, perdicum, &c. cum spiritu vini paratæ, oculisque instillatæ, commendantur vulgò pro delenda nebula eorum; sicut cum bombace auribus inditæ tinnitui earum mederi creduntur.

Carpionis.) Tandem fel carpionum contra erysipelas extrà illitum laudatur.

Delectu opus non est.) Nempè bilis turget sale volatili alcalino & insigniter oleoso, adeoque detersiuo & absorptiuo usui apta est. Interim tamen non opus est eiusdem selectu speciali, sed sufficit unicum fel: quod si dilutum fuerit, acuatur mediante aliquali inspissatione; sin acrius, diluatur quodammodo.

Inter uterina, pag. 516.) Ex animali Regno pro fœtu pellendo, aut promouendo fluxu mensium lochiorumque, excellunt testes equi castrati, auguillæ hepar cum felle suo exsiccatum, & secundina humana, singularis existens in pellendis à partu excernendis.

Obstetriciæ encheireses.) Scilicet fœtum pellentia non sunt in usum vocanda, nisi ubi fœtus est ritè situatus, omniaque ad partum disposita; ac deinde quando dolores partus deficiunt: nam si fœtus non ritè situatus fuerit, quæcunque stimulantia propinata frustra erunt, non secus ac tempore dolorum urgentium; in quo casu cùm natura ipsa sufficiat labori, quid opus erit stimulantibus fœtum urgere, & parturientem molestare?

Serpentum pinguedine.) Hæc, ut & viperina, tanquam fœtum pellens commendatur, inuncta umbilico: ast nisi debita eius situatio accesserit, frustranei erunt conatus.

Lingua.) Lingua viperina etiam umbilico pro fœtu pellendo imponitur: sed vanè.

Exuuiæ coctæ.) Exuuiæ serpentum duplici modo pro promouendo fœtu applicantur:

1. Scilicet instar cinguli eædem abdomini parturientis circumligantur.
2. Coquuntur in aqua simplici, sicque coctæ instar cataplasmatis abdomini insternuntur; non secus atq; aliàs eædem cum cancris, lumbricis, & aliis cataplasma compositum constituere solent.

Cingulo ex humano corio,) Parturientes & hystericæ corio humano, & cingulo ex hoc formato, subleuari dicuntur: ubi tamen, quodcunque assumatur cingulum, par ratio; adeoque vana est illius determinatio, cum inter cingula nulla detur differentia. BVRRHVS iussit corium humanū tumoribus arthriticorū inferre ad arthritidem, sed frustrà.

Martij leporis oculus.) Oculus mense Martio capti leporis parturientis nuchæ applicatus commendatur pro pellendo fœtu, cuius tamen successus sit penes experientiam.

Antiquaria viri urina.) Scilicet HARTMANNVS commendat, ut difficulter pariens bibat haustum urinæ mariti sui, & ita, si hic fuerit genuinus fætus, parientem illam ex partu solvi putat: ast si urinæ hic aliquid subest, erit illud sali volatili: ad morem omnium volatilium, adscribendum.

Hippomanes.) Hippomanes ad conciliandum amorem commendatur. Quid sit? lis adhuc est, & quidam dicunt, esse secundinas membranaceas, quas excludunt equæ cum partu.

Secundina.) Secundina humana contra AVTOREM duplici scopo inseruit; nempè tam ad partum, secundinas, & lochia promouenda, quàm ad curandas epilepsias consensuales, seu ex utero oriundas. Et quidem modus eam adhibendi duplex itidem est: nempè vel in spiritu, vel in puluere. Spiritus paratur ex secundina minutim concisa, & ad putrefactionem seposita; sic enim tota, exceptis membranis inuoluentibus, resolvitur in liquorem aquæ similem, qui destillatus dat spiritum urinosum volatilem singularem, in lochiis, secundinis & partu promouendis, in doloribusque post partum, dosi ℨß. ad ℨj. usurpandum; qua dosi adhibitus & epilepsiis consensualibus medetur. In sicca verò forma adhibetur secundina, dum in balneo Mariæ abstracto phlegmate siccata pulueri satur, puluisque, quò minus verminescat, irroratur aliquot guttis olei destillati aromatici cuiusdam, hincq; datur à ℈ß. vel ℈j. Cæterum, utut spiritui secundinæ & alia volatilia, ut spiritus cornu Cerui vel tartari, sal volatile succini, & alia, succenturiari queant, tamen ille singulare quid in hoc puncto allegato obtinere videtur, utut pro varietate circumstantiarum is & omnino fallat.

Iuvencularum zenith, pag. 517.) Malitiosè pro philtro conciliandoque amore certo adhibetur.

Emissariorum equorum patrimonium.) Ex ZACVTI LVSITANI loco, ubi de casibus mulierum loquitur, curiosa extat obseruatio singularis testium equorum puluerisatorum effectus, in fœtu mortuo promouendo, item in promouendo capite à fœtu mortuo avulso; unde pulvis testiculorum equi in lamellas concisorum, & in clibano exsiccatorum, isq; vel solitarius, vel, quod mallem, cū cinnamomo aut borrage adhibetur, singulare quid obtinere debet in partu & secundinis promovendis.

Castoreum.) Huius usus excellit aliàs in omnibus nervinis affectibus, ab acido austero originem ducentibus; indeq; pro promouendo impetu uteri contractivo ad fœtum expellendum non inconcinnè adhibetur, idque, eò magis, si ex difficiliore partu passiones hystericæ superueniant, ubi est singulare.

Anguillæ hepar cum felle.) HELMONTIVS hepar anguillæ cum suo felle excissum & exsiccatum contra partum difficilem commendat; non secus ac PANAROLLVS quoque, sicut & BOYLE, eiusdem evporisti egregium usum in *Philosophia sua Experimentali* à se obseruatum annotauit. Præterea secretum peculiare & mirabile est in pro-

prolapsu uteri cutis anguillæ salitæ, ex quo suffitus ad uterum factus probatum erat remedium D. MICHAELIS in dicto affectu.

TIT. XVII.
DE
APERIENTIBUS MINERALIBUS.

M*Arti*, *pag.* 519.) Jam Autor pergit ad Aperientia Mineralia. Hîc autem omnium aperitivorum meritò antesignanus erit Mars, quamvis alii de modo operandi ejus sint soliciti, uti v. g. HIGHMORVS est, qui *Tract. de Passione Hyster.* putat, Martem saltem conferre ventriculi fibras adstringendo in malo hypochondriaco: Interim hoc non sufficere rectè AVTOR *noster* dicit, quin potius eum operari solummodo imbibendo rodentes humores. Sc. vulgò dividuntur Martialia in adstringentia & aperientia: ast malè: Mars enim per se semper adstringit: per accidens verò saltem aperit. Et quidem adstringit ex eo, quod scateat copioso sulphure minerali, imbibito à terra ochrea, & pauco Mercurio; cujus respectu saltem adstringit, nequaquam verò aperit; agit enim imbibendo & absorbendo sapores acidos, & austeros humores præternaturales in corpore, ceu à quibus tanquam materiæ morbificæ saporibus fibrarum oritur strictura, & pororum corporis occlusio, & consequenter digestionum turbatio: hincque illis absorptis, & horum concursu cum Marte enata sic sui vitriolisatione, Mars, abstergit sordes primarium viarum, easque blandè evacuat. Martialia enim assumpta in primis viis operantur, cum ultra diaphragma non ascendant; dissolvitur Mars ab acido corporis, & solutum sub forma fæcum eliminatur: vid. HELMONTIVS *Paradoxo de Font. Spadan.* hinc sapore adstringente supervenienti, tonum partium harumque fibrillas simul roborat: Conf. TACHENIVS *Hippocr. Chym.* Cæterùm pro scopo alterandi Mars triplici modo usurpatur: nempè vel crudus, vel præparatus, nunc quidem per alcalia, nunc verò per acida. Ac quidem Mars crudus vel limatura Martis non est inconcinna, si robustum habeat ventriculum & potens acidum; secus is oneratur hinc, & nisi Mars ritè dissolvatur, destruitur vigor stomachi digestivus, ut adeò non nisi robusto stomacho, & prædominante acido præditis, limatura cruda exhibenda sit.

Martis Crocus.) Deinde præparatur Mars per alcalia, ita ut lixivium salis fixi quodcunque conducibile eum corrodat in crocum, aut & spiritus urinosus volatilis, v. g. salis ammoniaci, affundatur eidem marti; hac enim ratione non sine fermentationis motu aggreditur illum, & in crocum transmutat. Interim tamen hic crocus per alcalia parum videtur valere, cum Mars ita tractatus abeat in falsam terream calcem & quasi Magisterium insolubile & inalterabile; alcalia enim agunt in acidum martis, unde se mutuò coagulant, & intra hunc abscondunt, simulque sibi terream ochram uniendo abeunt in Magisterium calciforme pauci usus. Hinc potius est optima præparatio Martis per acida facta, & ita quidem, ut ab iisdem superficietenus saltem rodatur mars, hujusque compages saltem reseretur, haud verò per concentrationem acidi penitus saturetur; secus hoc in primis viis facilè separari, & ab alcali occurrente in falsum tertium transmutari potest: sic enim in corpore acidum præternaturale eundem promptissimè aggreditur, & sic ægrum levare potest. Jam igitur inter Præparata Martialia excellunt cum tartaro, & hinc spiritu vitrioli, in affectibus chronicis facta; sic namque imitamur naturam, adhibendo loco acidularum naturalium martem superficietenus solutum.

Sulphuratus Martis crocus.) Sc. AVTOR *noster* pro usu aperiendi eligit Martem cum sulphure tractatum, cum aliàs notus sit crocus ille aperitivus seu sacharinus Martis, quem describit SCHROEDERVS *pag.* 378. dum accipitur frustum seu lamina Martis candefacta, eique affricatur sulphuris Magdaleon: sic enim sulphuris accensi acidum rodit Martem, Mars verò rosus cadit in pelvim subjectam. Interim crocus hic nihil valet, præcipuè cum GLAUBERVS demonstret, talem tam intractabilem esse, & nunquam ab Aqua forti dissolvi posse. Potius igitur assumitur ana limaturæ Martis & sulphuris, quæ mista in crucibulo incendantur; ita namque acidum illud sulphuris rodit hunc Martem in corpus quasi vitriolaceum, quod non elutriandum est aqua simplici; secus enim vitriolum decederet, & terra cruda restaret; quin potius pulverisetur illud ceu inchoatum aliquod vitriolum Martiale.

E limatura Venere non infecta.) Pro usu Medico mars assumatur purus absque ullo Veneris contagio; secus enim vomitorium dabit.

Limatura cruda, *pag.* 520.) Hæc ut rectè præparetur, enchireses notentur. sc. mars in limaturam redactus promptè ab aere resolvitur in rubiginem, ceu inuersum corpus; unde potius pro usu medico terenda erit recens limatura Martis in mortario ferreo vel lapide porphyritide durissimo, hincque irroretur subinde aliquot guttulis olei destillati appopriati, e. g. ligni sassafras, cinnamomi, &c. ita enim hujus medio impeditur, ne tam promptè ab humiditate Aeris acidum Martis dissolui in rubiginem queat. Atque hæc limatura, quia est corpus ponderosius, ita præparata loco crudæ dosi gr. xv. ad ℈j. vel ℈ij. nostri præsertim climatis habitatoribus exhiberi poterit, juxta AVTOREM *nostrum*.

In se planè innocens.) Martialia per se non sunt nauseosa, sed si nauseam excitant, semper suspicio est de Veneris cujusdam adjuncta substantia.

Sat resolubilis.) Mars crudus in cachectico-hypochondriacis satis resolvi potest, quod testantur excrementa, teterrimo colore tincta.

Præsaturato jam factitio Martis vitriolo.) Sc. quò minus Mars saturatur extra corpus, eò meliùs operatur intra corpus, hincque, qui ferre eum possunt, id est, quibus acidum intensius est, iis Mars crudus in substantia exhibeatur; sic enim melius hic operabitur, quàm vitriolum Martis jam extra corpus à spiritu vitrioli acido saturatum.

Purior Martis minera, *pag.* 522.) Loco martis crudi quidam mineram martis crudam, vulgò Germ. *die Glas-Kopffe* dictam, pulverisatam propinant, sicuti alii lapidem hæmatitem ipsum; interim non rarò heterogenea illi admixta usum ejusdem prohibent.

Terra rubra bolaris.) Loco crudi Martis quidam terram ejus in mineris Martis reperibilem, & vi Martiali imprægnatam, adhibent, quæ itidem instar lanuginis apparens abradendo egregia est. Interim saltem alicubi nec undiquaque offenditur, sed saltem in Martis fodinis.

Alcohol illo pigro.) Sc. Mars attactu cujuscunque humidi efflorescit in crocum seu rubiginem, quippe aqueum hoc agendo in acidum Martis, hoc solutum ab aqua rodit proprium corpus in rubiginem; sicuti è contra gladii oleo tartari per deliq. illiti, difficulter in rubiginem fatiscunt, quia acidum ab alcali impeditur. Iam verò si sumatur aqua simplex, sive cum acido imprægnata, sive urina sive acetum affunditur, mox ille in rubiginem abit. Confer. POTERII *Pharm. Spagyrica lib.* 2. *cap.* 17. Interim rubigo hæc non adeo conveniens est, ideo, quod à proprio acido Mars corrosus degeneraverit in rubiginem ejusmodi terream, nullius valoris.

Vitriolo Martis.) Nempè vitriolum Martis solvitur in aqua, & per sal tartari in aqua solutum præcipitatur in crocum.

Ex aqua forti.) Sc. nil referat Martem magis quàm spiritus nitri, aggrediens illum tam potenter, ut fervor hinc intensissimus oriatur. Interim hac ratione à spiritu nitri penitus saturatur Mars, & in corpus adstringens convertitur, & sic nimis saturatus parum in corpore agit.

Post nitri deflagrationem) Hæc præparatio ZWELFERI curiosa quidem est; Interim Præparatum nihil valet: sc. si nitro in crucibulo fuso adjicitur limatura Martis, tunc sub sulphuris Martialis incensione nitrum additum alcalisatur, remanente croco inerti, quem tamen ZWELFERVS tanquam summum cachecticum commendat.

Cum aceto.) Limaturam Matris quidam terunt, aspergendo cum aceto: sed hac ratione magis saturatur ea; unde hæc limatura parum præstat in corpore præsertim cum post nitri nil magis Martem, quam acetum, penetret.

Acidulorum succorum Extractiones.) Nempè si cum succo citri, tamarindorum vel cydoniorum affusis fiat extractio Martis, tunc, quod remanet de Marte, est corpus exhaustum, nil præstans in Medicina, hinc pot ius extractio ipsa usurpanda.

Lixiviosis salibus, *pag.* 522.) Non combinandus est Mars, cum salibus lixiviosis, nec cum ipsis præparandus; secus enim emergit corpus calciforme iners, & nullius usus.

Si alvus siccior.) Sc. in legitimo usu Martis vel medicamentorum martialium duæ cautelæ observandæ sunt: nempè

1. Semper sub horum usu corpus apertum servandum est; quod si non fuerit, omni octiduo sub vespera pilularum aloeticarum usus interponendus est.
2. Ab usu Martialium blandus instituendus est corporis motus, pro meliore illorum operatione.

Chalybeatum & de ferri scoria Electuaria.) In hæc animadvertit ZWELFERUS, & loco horum substituit aliud ex vitriolo, vel croco Martis cum oleis destillatis aromaticis præparatum; quod tamen itidem AVTOR *noster* taxat, dicendo sufficere potius vel limaturam Martis crudam, vel vitriolum Martis, vel sulphuratum Martis crocum.

Martis vitriolum factitium, *pag.* 523.) Huic præfero vitriolum Martis nativum, ex minera Martis aeri exposita paratum, & efflorescendo conspicuum factum; hinc in aqua solutum & blanda evaporatione inspissatum: in cujus tamen defectu & factitium proderit. Cæterùm pro hoc parando non requirit AVTOR tædiosam cum sulphure cæmentationem Martis, quam suadet SCHROEDERVS, nam & sic tædiosum vitriolum acquiritur; sed spiritum vitrioli acidum: cui tamen præfero spiritum sulphuris, quippe adhuc puriorem illo, & sine contagio metallico, cum contra ille multum de metallica substantia participans vitriolum Martis ex albido viridescens constituat. Atqui hic spiritus vitrioli rectificatus affusus Marti hunc non rodit propter concentratas sui particulas, sed potius aquæ s. q. diluatur ipse; contra si per se spiritus ille fuerit phlegmaticus, non opus erit dilutione cum aqua simplici. Solutio hæc Martis cum tali spiritu evaporet ad medias, sicque in frigido vitriolum elegans adhærescit.

Hoc vitriolum.) Hoc vitriolum Martis cum spiritu vitrioli factum rarò per se datur, sed combinetur cum tartaro, v. g. vitrioli Martis & cremoris tartari in anatica proportione, (vel varietur ea pro circumstantiarum varietate,) solvatur in aqua simplici fervente, & hinc solutio inspissata ad mellis consistentiam, in frigido loco concrescat in lapideam duritiem pulverisandam, & sub *Magisterii vitriolati chalybis* nomine, dosi gr. xv. ad ℈j. exhibendam; egre-

egregium est anticachecticum, detersivum, & alterativum. Potest misceri Purgantibus, sic præstabit sale Martis purgante: Sal Martis cum aqua regia vel aqua forti secundùm SCHROEDERUM est stypticum.

Coagulum, *pag.* 524.) Scilicet solutus Mars cum spiritu salis, hujus abstractione relinquit coagulum salino-stypticum, ex quo etiam flores nigricantes possunt sublimari. Interim tamen illud vi alterativa parum pollet.

Magmata.) Spiritus mellis & omnia acida rodunt Martem, & sui abstractione relinquunt magma dulce, id est, quoddam vitriolum Martis, cujus tamen loco vitriolum Martis, vel nativum vel artificiale, sufficere poterit. Atque hoc de siccis Martialibus. Hæc pauca ex Marte AVTOR seligit:

1. Limaturam Martis crudè præparatum,
2. Crocum Martis sulphuratum,
3. Vitriolum Martis,
&
4. Magisterium Martis vitriolati.

Inter liquida Martialia.) Sunt vel infusa (uti prostant in HARTMANNI *Prax. Chym. cap. de Obstruct. & Imbecillitate hepatis.*) Vina Martialia, quæ parantur duplici modo: nempè

1. Limatura Martis recens vino infunditur, quod hinc turbatur, & ad tempus repositum dulcedinem stypticam acquirit.
2. Vel eadem candefacta in vino repetitis vicibus extinguitur; nam & sic Martis substantia vino soluta in vitriolum abit.

Interim tamen ejusdem vitrioli vis admodum est dispersa, vinumque taliter paratum propediem situm contrahit & corrumpitur. Sic præter vinum alii assumunt succos vegetabilium acidulos, itemque mustum, quibus Mars extrahitur, ut ROLFINCIUS, & MYNSICHTUS *pag.* 217. *Armament Chym.* Magisterium aliquod Martis aperiens habet. Interim tamen nobis sufficit ad imitationem D. MICHAELIS succus pomorum Borsdorffianorum nondum penitus maturorum, qui limaturæ Martis recenti affusus optimè agitetur sæpiùs, & sic intensè saturatur ex Marte, hinc solutio filtrata nonnihil evaporet, ne situm facilè contrahat. Ita eadem hypochondriacis, spleneticis & cachecticis datâ ad cochlear j. multum efficit, æstimoque hanc magni contra AUTOREM; in cachexiis enim mulierum, & mensium defectibus, in effervescentiis hypochondriacis sistendis, dosi ℥j. est egregia. Quadam parant essentiam Martis cum succo citri: verùm illa est longè melior.

Liquor Martis tartarisatus pag. 525.) Dum nempè Mars cum duplo vel triplo tartari in aqua fervida ebullit, acidum tartari rodit Martem, & solutio filtrata ad debitam consistentiam inspissatur pro *liquore Martis tartarisato*; qui tamen non adeò valet, dum successivè omnis Mars iterum præcipitatur. Quando limatura Martis lævigatur cum aceto, dat solutionem spissam; sed quia nimis saturatur ab acido, nil valet.

Reiterata extractio.) Sunt, qui solutiones Martis, per succos vegetabilium acidulos factas, ad mellis consistentiam leniter inspissatas, denuò cum spiritu vini extrahunt in essentiam. Verùm est, & hæc extractio Martialis, sed non adeò intensè, & vocatur *essentia Martis liquida*. Ast cum sic minor Martis pars includatur, proinde solutionem primam hisce præfero. Pauca Martialia liquida sufficiunt.

Artificiales acidulas.) Loco acidularum artificialium nil melius est, quàm liquor Martis solaris, cum aqua roris majalis paratus; hic enim parva guttarum dosi idem præstat, quod illæ sub haustibus. Hinc sufficit solutio Martis cum succo pomorum.

Diversæ tinctura.) Diversæ tincturæ Martiales quidem dantur, saltem nomine tenus tales.

Vini spiritu è calcinatis, pag. 526.) Hic perstringit AVTOR illam tincturam, quam habet SCHROEDERUS *pag.* 382. *num.* 4. *&* 8. ex croco Martis cum sale ammoniaco tractato; unde frustra per spiritum vini parare tentat tincturam.

Florum ammoniacalium.) Hic processus ille insinuatur, quem habet ZWELFERVS *Mantiss. Sparg pag.* 339. sub nomine *Aroph Paracelsi* & *spiritus Martis acidi sedativique Archei*; cum tamen ille, qui cadit pulvis, quemque ZWELFERUS *sulphur anodynum* vocat & *sedativum Archei*, sit terra Martialis, quæ, quia itidem nonnihil absorbere valet acida hypochondriaca, isque absorptis symptomata evantur, & quies supervenit, hinc malè putat ZWELFERUS, eam vi anodyna sopire spiritum insitum. Cæterum laboriosus hic processus compendiosior ad methodum MYNSICHTI fieri poterit.

Pumicosa, *pag.* 527.) Martis tinctura, quam affert SCHROEDERVS, *in Pharm. l.* 3. *c.* 11. *p.* 303. *num.* 13. suspecta est: paratur quippe eadem ex Marte in pumicem quasi redacto, & aceto destillato in tincturam extracto.

E dissoluto saltem Martis vitriolo.) Sunt, qui vitriolum Martis dissolutum cum spiritu vini in tincturam extrahere satagunt; ast inanis est labor, cum sic vitriolum illud in fundo concrescat: vid. SCHROEDERVS *l. a. pag.* 582. *num.* 9. ubi habet hunc processum.

Ex ipsa minera Martis cum proprio liquore.) Intelligit AVTOR tincturam illam, *Mannæ martis* nomine SCHROEDERO *l. a. nu.* 10. venientem, ex marte subsidente: scilicet minera Martis destillata suggerit phlegma acidulum in pauca quantitate, quo ipso Mars solutus tincturæ Martis nomen accipit; cum tamen solutio hæc tantum sit superficialis, & labor inanis.

Balsamum Martis.) Habet hoc ZWELFERVS *in Mant. Spag. pag.* 340.

Essentia cum spiritu nitri.) Hisce ZWELFERI ille processus insinuatur, quem habet *in Append. ad Animadv. Ph. Aug. pag.* 58. dum parat essentiam Martis cum spiritu nitri & phlegmate atque pauco spiritu vitrioli; ast quemadmodum pro tractatione Martis, inter acida nulla sunt meliora, quàm tartarea & vitriolacea; ita acida nitrata stypticitatem affricant marti, huncque vehementiorem faciunt, quam ut à corpore humano perferri possit.

Quæ cum essentiali sale tartari, & martis vitriolo.) Hic sincerum prostat AVTORIS judicium de famosa illa *tinctura vitrioli martis Zwelferi*, quam habet in *Mant. Sp. pag.* 337. nempè sub hujus præparatione semper evenit, ut dum sal essentiale tartari, & vitriolum martis jungantur, Mars quoad sui partem ex vitriolo cadat, sicque tinctura magis tartarea, minusque martialis prodeat. Unde alii hoc videntes, loco ejusdem tincturæ hanc in forma sicca præparant, & recipiant ana *terræ foliatæ tartari* & *vitrioli Martis*, mista terunt in lapideo mortario, ita rubescit subitò mistura instar pultis apparens, quæ posteà in loco calido exsiccata pulverisetur in pulverem ex nigro rubescentem, *sal Martis compositum*, item *magisterium Martis vitriolatum*, vocandum. Et sanè hic pulvis præstantior est ipsa tinctura vitrioli martis ZWELFERI. Vitrioli autem martis tinctura. ZWELFERI in cœliaca convenit, mucum abstergendo, & ventriculi orificium infarctum referando.

Essentiæ Martis tartarisatæ, *pag.* 528.) Scilicet *superiùs pag.* 52. mentionem fecit AVTOR *Martis tartarisati*, sumendo *tartari* part. ij. & *Martis* part. j. & in *aqua fervida* ad consistentiam mellis coquendo. Jam igitur mellagineo huic magmati, si affunditur acetum destillatum, absorbet hoc Martem solutum, tartaro crudo in fundo remanente. Atque hæc solutio dulcis est & grata bonaque, utut aliis ex tartaro prodeuntibus solutionibus cedat.

Præsentiorem.) Modum conficiendi *tincturam Martis* AVTOR hic clarè refert, ac confer. M. A. N. C. *Anno* 3. *pag.* 43. ubi occasione historiæ atrophiæ infantilis processum hunc recitat. Hanc paratam ita tincturam martis præfert ZWELFERI tincturæ vitrioli martis. Res ita se habet: Nempè terantur probè invicem vitriolum Martis & cremor tartari, hinc trita affusione aquæ simplicis ebulliant, & coquantur ad mellis consistentiam, quod refrigeratum in lapideam quasi consistentiam facilè pulverisabilem abit. Vel & antequam magma prædictum in duritiem convertatur, affundatur spiritus vini, & blandò calore eliciatur & solvatur illud concretum martis tartareum in *essentiam tartareo martialem*, ita hæc erit potioris usus, quàm tinctura vitrioli martis ZWELFERI; & hæc tinctura martis tartarea à ℥ß. ad ℥j. usurpata locum habet in quibusvis morbis chronicis, remediis tartareis indigentibus; non secus ac eandem Autor commendat pro ictero curando, nisi is insequatur ascitem consummatum, aut calculos in folliculo fellis hærentes. Etenim in ictero curando martialia primatum tenent; purgantia contra nil valent, nisi in principio priùs vomitorium adhibitum prosit; sicut in progressu & statu morbi martialia, & præsertim hæc tinctura, erit optima. AUTOR *noster* pro ictero associat antimonium diaphoreticum Martiale, quę duo pro ictero curando, præmisso in principio vomitorio, revera sufficiunt.

De spiritu vitrioli Martis factitii, *pag.* 530.) Hisce taxat AVTOR *noster* tacitè ZWELFERVM *in Mant. Spag. pag.* 336. magno conatu illum elicere docentem: simul rectè addendo, talem spiritum parum aut nihil differre à quovis spiritu vitrioli communi; nam & hic non reperitur sine contagio martis aut veneris.

Temperata aciditas.) Scilicet spiritus vitriolacei non sunt rectificandi, quasi nimirum eorum partem volatilem seorsim habere vellemus: Potius rectum hac in parte ZWELFERI judicium, dicentis, rectificatione hac potius destrui, quàm exaltari spiritum vitrioli.

In abstractitio liquore.) Intelligit hic AVTOR SCHROEDERVM *pag.* 380. *num.* 3. oleum album martis afferentem: Conf. & HOFFMANNVS *in hunc* locum *pag.* 227. *Clave Schrœderianę*, scilicet spiritus salis marti affusus & abstractus sub ignis gradu ultimo de dulcore martis participat; qui tamen, cum tantillus sit, hinc potius aliæ martis tincturæ eum superant.

E sale capitis mortui florum Ammoniacalium Martialium.) Intelligitur hic ZWELFERVS *pag.* 339. *Mant. Spag.* ex capite mortuo martis, cum sale ammoniaco tractati, spiritum acidum elicientem, qui quidem aliquantillum de substantia martiali secum rapit: interim tamen ob id non præferendus is erit aliis tincturis martialibus.

Floribus adstringentissimo sapore, pag 521.) Scilicet Mars cum sale Ammoniaco, vel sale communi, vel spiritu salis, tractatus abit ultimo ignis gradu in flores nigros, saporetenus stypticos.

Volatilis ille spiritus.) Scilicet Mars tartarisatus si destilletur, acquiritur spiritus volatilis, participans quidem de tartaro, nihil verò de marte; quippe qui arripiendo acidum tartari, liberatum dat spiritum & sal volatile tartari.

Flores per solutionem.) Insinuatur hic *crocus Martis cachecticus* cum nitro paratus ZWELFERI ex *Mantissa Spag pag.* 317. nempè si illo processu loco crucibuli aperti recipitur retorta tubulata, tunc sub detonatione nitri & Martis *flores nitri* acquiruntur, parum *Martiales*.

Salis

Salis ammoniaci Martialis elutriationes.) Intelligit hisce AUTOR *noster sulphur anodynum Martiale*, quando marscum sale ammoniaco sublimatur, & edulcoratur aquâ simplici; sic cadit pulvis, quem ZWELFERUS maximoperè commendat; qui tamen est crudus saltem Martis pulvis, cedens aliis tincturis martialibus. Jam verò ex his omnibus eligit AUTOR tincturam Martis tartarisatam, in cujus locum & sal Martis compositum substitui potest, vel & solutio Martis solaris: ita tamen, ut horum omnium liquorum mitissima sit tinctura illa Martis tartarisata; fortior verò solutio Martis cum succo pomorum Borsdorffianorum; & omnium fortissimus liquor solaris Martis, quippè qui tenerioris subjecta sensibiliorique stomacho & texturâ primarum viarum prædita, molestiâ afficit præcordiorum, imò etiam lipothymiis; unde in talibus potius solutio Martis cum succo pomorum locum habebit.

E venere.) Mirabilis est tantillæ hujus effectus; nam & accidentariò cum martialibus ingesta nauseam, vomituriendi conatum, & insignem ventriculi prostrationem infert: hinc sal vitrioli emeticum pessimum est vomitorium, indeque horum nocumentorum intuitu pro interno usu nulla ex venere prostant medicamenta.

Verum Veneris ignem seu volatile dulcissimumque sulphur, pag. 532.) Insinuat hic AUTOR *noster* HELMONTII de sulphure vitrioli veneris dulci volatili jactationem, quasi nimirum hoc vi anodyna suâ & sedativâ Archei tantum præstet, quantum medicus & chirurgus hinc expectare queant; imò illo ipso figetur mercurius in aurum horizontale, vel mercurium diaphoreticum.

Spiritum duplicatum.) Insinuat AUTOR POLEMANNUM.

Mineræ Venereæ.) Ex minera veneris parum phlegmatis sulphurei aciduli per destillationem prodit, cujus medio sulphur illud veneris dulce quidam elicere conantur: ast frustra, cum illud crocum obscurè rubescentem saltem eliciat.

Æruginis crystallisatæ.) Scilicet ex capite mortuo etiam spiritus æruginis, è crystallis parati, cum spiritu salis ammoniaci elici potest tinctura cœrulea, quod ipsum negotium quoque succedit; Interim eadem tinctura in parca dosi parum vel nihil præstat, in liberaliori verò data est egregiè vomitoria.

Vitrioli Venerei destillationem.) Hoc processu insinuat AUTOR *noster* HELMONTIUM *in Tractatu de lithiasi*, ibi putant quidam doceri oleum vitrioli veneris genuinum: hoc verum est, acquiritur sic per experientiam TACKII Spiritus vitrioli veneris, vitrum quasi auro incrustans, quo ipso tamen elici posse sulphur venereum dulce, falsum est. Docet salrem ibi HELMONTIUS legitimum spiritum volatilem ex vitriolo veneris.

Æruginis spiritus.) Insinuatur hic famosus ille *spiritus viridis æris Zwelferi*, quem habet hic *in Append. Animadvers.* & *Mant. Sp.* cuique tantum non vires alcahestinas adscribit, ex eo, quod spiritus ille affusus margaritis, coralliis, & similibus ostracodermis, denuoque abstractus, sub antiqua sui corrosivitate prodeat, adeoque pluribus ejusmodi solutionibus iterum adaptari queat. Interim non putandum est, ZWELFERI spiritum dictis concretis affusum prodire planè sine ulla substantiæ suæ salinæ deperditione, & corpori soluto adhæsione, cùm repetito negotio solutionis, tandem saporem spiritus mellis saltem ille præ se ferat.

Præsertim è crystallis.) Ex AUTORE sufficiat hic spiritus ex crystallis: scilicet ærugo cum aceto destillato solvitur, & in crystallos redigitur, quę destillatę dant juxta TACHENIUM acetum destillatum concentratum.

Ex ipsa æruginis substantia. aceto destillato priùs humectata.) Ex viride æris etiam per se destillatur spiritus acido-salsus volatilis ex relatione olim BOYLEI, miscetur nempè *viride æris* cum ana *arenæ*, & invicem destillantur, ita prodit parcus spiritus acido salsus ob acidum aceti & salis volatilis urinæ, quâ ipsâ conspergitur in æruginis præparatione æs in provincia Monspeliensi. Atque hic spiritus pro usu aperitivo Medico magis quidem egregius, quàm qui ex crystallis prodit; interim hic magis usui Chymico inservit pro solutionibus.

Cum duplo sulphuris.] Quando partes ij. *sulphuris*, & j. *viridis æris* recipiuntur, ita prodit tunc & acquiritur per destillationem spiritus acidus sulphureus unà cum floribus sulphuris albidis, ob acidum viridis æris iis adhærens. Interim spiritus ille est imbecillior, & pro usu chymico remissior.

Intus dati.) Crystalli viride æris fiunt, quando solvitur in aceto destillato, solutio evaporata concrescit in crystallos, quę dant spiritum generosum; sed si solvitur in aceto, & inspissatur ad mellaginem, dat spiritum admodum elumbem. Fateor, spiritum hunc æruginis ex crystallis paratum in affectibus hypochondriacis & cacheсticis ab obstructione natis non valere, quia in his notoriè peccat acidum; quomodo igitur per acidum superveniens curabuntur? Interim in affectibus pectoris, v. g. asthmate humoroso, viscididatibus crudis, & muco bronchiis inhærente & pectus obsidente, idem spiritus ex crystallis est egregius, adeòque non penitus negligendus; utut loco hujus ille cū duplo sulphure destillatus assumi queat juxta AUTOREM.

Cum gummi ammoniaco, pag. 534.) Notat hic AUTOR *spiritum* illum *asthmaticum*, fœtidum quidem, sed efficacem, D. D. *Langelotti*, & D. D. *Michaelis*, qui est:

℞. *Crystall. viridis æris* part. iv.
Gummi ammoniaci part. iij.
Sulphuris part. j.

Destillentur omnia per arenam, cautè regendo ignem, in spiritum acidum volatilem, qui rectificatus dicitur *spiritus asthmaticus*, resolutivus in affectibus pectoris humorosis egregius. Equidem per se destillatus paulò asperior est, quia acrior, temperatur tamen cum quadam essentia vel liquore spirituoso aromatico pectorali. Et utut acetum & oxymel scylliticum, itemque spiritus salis ammoniaci anisatus, quæ AUTOR pro spiritu asthmatico commendat, hoc in casu etiam sint efficacia, tamen ob id spiritus hic asthmaticus non rejiciendus est.

Marinorum.) Scilicet spiritus viridis æris minus convenit in Medicina, saltem adhiberi debet in Chymicis: sed non conducit pro solutionibus marinorum, quia hæc per acida ejusmodi castrantur, & vi suâ præcipitativâ enervantur, quin potius eadem per se præparanda sunt, & loco aceti destillati spiritus viridis æris pro tincturis & essentiis mineralibus adhibeatur.

Caput mortuum.) Scilicet venerea remedia pro usu interno sunt suspecta, hinc pro usu saltem externo Chirurgico requiruntur; absorbent enim fermenta acida vulnerum & ulcerum, & texturam hinc aluminosam acquirentia ad debitam consistentiam illa redigunt; sicut & apud veteres occurrit usus æris usti, squamę æris, æruginis, &c. Loco horum tamen omnium sufficere saltem potest caput mortuum ex destillatione spiritus viridis æris ex crystallis parati, quod reverà est Crocus aliquis Veneris, & liquatis unguentis emplastrisque admistum idem præstat, quod aliàs Chirurgi in variis viridis æris præparatis quærunt.

Florum, pag. 535.) Sunt, qui ex Venere flores, tam impropriè dictos, quos habet SCHROEDERUS, quàm propriè dictos, parant; nempè cum sale ammoniaco, vel detonatione tartari cum nitro. Interim, quemadmodum ejusmodi flores pro interno usu periculosi sunt, ita pro externo usu sufficit caput mortuum crystallorum æruginis.

Ærugo.) Præter crocos & calces veneris absorbentes vulnerum & ulcerum acida, alii rectè in usum vocant ęruginem, quippe quæ veterum compositiones & unguentum Ægyptiacum, hocque tam commune, quàm magistrale Fabricii Hildani, & unguentum Apostolorum ingreditur, ubi hujus æruginis usus est, ut in ejusmodi ulceribus putridis & gangrænam minantibus, itemque incipiente gangræna, post separationem partis mortuæ sub unguenti Ægyptiaci tegmine illinatur, quo sic beneficio acidi sui impediatur ulterior putredinis progressus. Gangrænæ enim dependent ab alcali prædominante & destruente acidum seu sulphur partis vitale. Atque pro scopo Chirurgico sufficere possunt vel ærugo simplex, aut crystalli ejus loco solutionum illarum, scilicet cum spiritu salis paratarum.

Quam nitrosis, pag. 537.) Indigitat hic AUTOR oleum æruginis causticum, quod habet SCHROEDERUS.

Aquæ virides.) Scilicet notæ sunt aquæ virides; basis est ærugo cum aceto, quibus associata sunt cerussa, colcothar, alumen, item vegetabilia, de quibus conf. HARTMANNI *Praxis Chymiatrica*, ubi formulæ harum prostant. Ac quidem has aquas virides famosas reddit PLATERUS *in Praxi sua*, commendans illas speciatim in ulceribus partium, præsertim glandulosarum, in quibus lymphæ acidioris effusio præsens est, ex qua ulcus depascens provenit, per dictas aquas coercendum. Cæterum harum omnium loco, suasore AUTORE *nostro*, sufficere potest & ærugo in decocto mundificativo vel simili diluto soluta. Hæ aquæ virides in ulceribus manantibus crurum, in pterygio, nebula, panno, ulceribus faucium Gallicis, &c. optimæ sunt.

Lapide medicamentoso.) Hic ex CROLLII scriptis notus est, concretum salsum tertium saporis austeri adstringentis, adeòque in ulceribus gangrænam minantis maximè conveniens.

Sapphirinam Agyrtarum solutionem, pag. 537.) Hæc aqua sapphirina Chirurgorum ex calce viva & sale ammoniaco dissolutis, & in pelvi ænea asservatis constans, & ob alcali calcis vivæ colorem hunc obtinens, nobilis est in palati & oris Gallicis ulceribus, itemque crurum, nec non oculorum præsertim horum affectibus, pterygio, panno & pustulis, vix præsentius datur remedium. Præparationem vid. in SCHROEDERO. Et quidem basin ejus constituit sal calcis vivæ salso-alcalinum, unà cum substantia cupri ex pelvi ænea erosa. Interim tamen huius quoque Aquæ loco esse poterit Aqua quædam simplex diluta cum pauco æruginis.

Unguentum purpureum.) Unguenta Chirurgorum sunt duo, Ægyptiacum & Apostolorum: Basis horum est viride æris. Famosa præ cæteris sunt in gangræna arcenda, ubi factâ incisurâ partis mortuæ illinantur; sic enim vivum à mortuo separatur. Per unguentum purpureum innuitur unguentum fuscum FELICIS WURZII, *das Braune Salbigen*, Chirurgis dictum: vid. in ejusdem *Chirurgia*. Constat enim illud ex colcothare vitrioli sæpius cum aceto impraegnato. Cæterum cùm laboriosa sit hujus præparatio, proinde AUTOR *noster* compendiosè & ex tempore illud parat, sumendo *unguentum Ægyptiacum Mesues* (quod constat ex viride æris, *aceto, & melle*, quod HILDANUS, addendo sal ammoniacum & alumen, correxit in suum *Magistrale*) illique combinando *terram vitrioli dulcem*, & paucum

extracti

extracti veronicæ in aceto vel rore minerali acido dissoluti, quæ invicem proportionaliter miscentur; ita namque unius horæ spatio parat *unguentum fuscum magistrale*, quod aliàs septimanæ integræ laborem requirit.

Lavamenta.) Scilicet, quia pinguia in genere nocent quibusvis ulceribus, non quidem præcisè propter acidum in iis non adeò sensile, sed potiùs propter sui glutinositatem, quæ oblinendo poros partis læsæ & transpirationem insensilem sistunt, atque hinc transpirabilia impedita majorem corrosivitatem contrahunt, & ulcus deterius reddunt; hinc potius acidorum absorbentia & destruentia, & alcalina vegetabilia, ut aquam calcis vivæ, myrrham, saccharum, euphorbium, &c. externè adhibeamus, & non opus habebimus emplastro Apostolorum. Magis consultum est epithema ulcus mundificans, applicando dehinc emplastrum deficcans dia-sulphuris Rulandi: Hæc enim meliora erunt, quàm si pinguia illa diutiùs gestarentur: indeque nec emplastro Isidis indigebimus.

Apostolico Unguento, pag. 538.) Scilicet in gravioribus casibus Chirurgicis pro curanda gangræna famosa sunt duo remedia: nempè unguentum Ægyptiacum, & Apostolorum; quorum tamen utrorumque basis est ærugo.

Tractivum viride.) Insinuat BECKERUM, & RENODÆUM.

Apospagmata.) Scilicet in veterum scriptis sæpè sæpiùs occurrunt nomina Tutiæ, Pompholygos, Melanteriæ, chalcitidis, misy & sory; sub quibus tamen omnibus delitescit volatilis solummodò quædam cupri substantia, cum præsertim post Jovem non volatilius detur metallum ipsâ Venere. Jam igitur dum hæc funditur dum cum cadmia in aurichalcum redigitur, sub tortura ignis fuliginem suggerit, variis nominibus insignitam. Cæterum in omnibus his speciebus sufficiunt pro externo usu, præprimis cadmia factitia veterum, quæ chirurgis est Tutia Alexandrina, ex fuligine æris concrescens; & tutia propriè sic dicta seu genuina veterum, nihil aliàs vocata, & favillæ subtiliori sub aurichalci præparatione elevatæ, & turribus adhærescentis, originem suam debent. De quarum ambarum differentia conf. MERETTE *Comment. in Artem vitrar. Neri*.

Ab Alexandria.) Tutia hæc modernorum, Alexandrina dicta, rarò est in usu, nisi quod à Pharmacopœis sub nomine Pompholygos in unguento diapompholygos occurrat: est tamen eadem in recessu arsenicalis, & hujus ratione ulceribus cancrosis, & gangrænosis affectibus, medetur illa.

Mercurii fixati, pag. 539.) Subinnuit hìc AUTOR *noster* eam Mercurii fixandi rationem, quam habet ROLFINCIUS *Chym. pag.* 584. beneficio nempè æruginis; fixatique colorationem cum radice curcumæ & nihilo gryseo tingendi in colorem flavum, quam *pag. sequenti* habet idem. Et sanè est illa vera Mercurii fixatio, utut superficialis tantùm.

Nihili album.) Scilicet veteres inter remedia ophthalmica adhibuerunt tutiam seu nihilum; idque non sine consilio, cum ea sine ullo sensu in aqua diluta oculis applicari possit; sic enim absorbet acidum lymphæ peccans. Eadem cadmia, veterum Tutia, pompholyx, cerussa, unguentis quoque & emplastris ophthalmicis fuit addita, & in ulceribus eorundem superficialibus adhibita, horum tamen locum omnium commendat Autor nihili album.

Lacte aureo.) Scilicet. Lac virginis parandum ex solutione lithargyrii in aceto, præcipitatione cum alumine, & pauco gallarum, transit in lac aureum flavi coloris.

Decocto nigro.) Decocta nigra, in inflammationibus chirurgicis usitata, constant ex basi gallarum & vitrioli, ex solutione cerussæ in aceto, & solutione aluminis conjuncti: vid. MYNSICHTUS; addendo iisdem vulneraria vegetabilia.

Diapompholygos & de tutia unguenta, pag. 540.) Unguentum diapompholygos pro scopo cicatrisandi, & de tutia pro consolidandi adhibetur: quorum tamen loco, uti & liquorum in affectibus oculorum, propter illorum rancorem istis partibus inimicum, sufficere poterit aqua rosarum communis vel fœniculi, in qua parum vitrioli solutum sit & aliquid tutiæ additum. v. g.

℞. *Vitrioli albi* ʒß.
Aquæ chelidon. mai.
Fœnicul.
Rosar. ana ℥vj. ad ℥j.
Solutioni filtratæ, addatur
Tutiæ præp. ℈ß.

Mista calidè instillentur oculo, vel linteo eidem applicentur in Ophthalmia serosa; ita mistura hæc post infusa antimonialia ophthalmica erit optima.

Lapide calaminari.) Lapis calaminaris adhibetur pro ulcerum cura, consolidatione, cicatrisatione, excoriatione infantum, &c. promptè scilicet absorbet acida ulcerum & excoriationum, hincque sapore adstrictorio poros partium stringit, ut facilè consolidatio sequatur.

Vitriolum, pag. 441.) Vitriolum est nihil aliud, quàm minera Martis vel Veneris, vel utraque simul, ab acido sulphuris embryonati erosa, & sub actu erosionis in formam illam coagulata, quam vulgò vocamus vitriolum. Adeòque (uni duo ejus ingredientia Martialia consideranda: nempè subjectum materiale & patiens, quod est minera Martis aut Veneris, aut utraque; & causa efficiens seu agens, quod est acidum illud esurinum sulphuris embryonati, h. e. acidum illud universale omnium metallorum & mineralium, quod, dum adhuc in forma nativa existit, rodendo mineras dictas coit cum his in vitriolum. Differt autem hoc acidum embryonatum (quod BASILIUS VALENTINUS sub nomine vitrioli albi spiritus pro auro solvendo quærit) à spiritu communi sulphuris, ut radix à producto, item ut acidum universale à speciali, & in certo subjecto specificato; quorum illud reperitur in acidulis naturalibus sub loco natali, indeque hæ ab eo vires suas habent: conf. HELMONTIUS *Paradoxo de Fontibus Spadanis*. Jam verò porrò constare vitriolum nativum ex duabus allegatis substantiis, vel exinde probatur, quod ex acido sulphuris aut vitrioli, & marte aut venere, emergat vitriolum factitium, sive per cementationem, faciendo stratum supra stratum cum sulphure invicem calcinando, sive & per solutionem cum spiritu sulphuris affuso veneri vel marti, & inspissatione solutionis fit, nitrum artificiale.

E venali.) Venale nativum vitriolum præfert AUTOR factitio, eò quod illud coagulatum sit ex acido embryonato primigenio, hoc verò ex spiritu sulphuris aut vitrioli: alia enim est ratio, dum in minera fit vitriolum nativum ex acido esurino hoc, alia verò dum fit arte; sicut cinnabaris nativa longè volatilior est, quàm factitia, tàm vulgaris, quàm antimonialis. Equidem sunt, qui nativum vitriolum ob contagium arsenici adhærens metuunt, interim ob hoc illud potius est nobilioris conditionis.

Facta cum spiritu salis, pag. 543.) Scilicet vitriolum propriè dictum fit aut arte per spiritum sulphuris, aut vitrioli. Cæterum sunt, qui ex venere cum spiritu nitri tractata corpus vitriolicum, item ex marte cum spiritu salis combinato, quasi vitriolum martis acquirunt; ubi tamen ejusmodi producta, rectè loquendo, non sunt corpora vitriolacea propria, sed potius crystalliformia, non secus atque aliàs cum spiritu salis vel aceto destillato ex marte massa vitrioliformis paratur, quæ destillata exhibet spiritum acido-subdulcem, nonnihil de marte participantem: qualem spiritum acido-martialem ZWELFERUS ex marte & sale ammoniaco, item hæmatite & sale ammoniaco, parat.

Venalia vitriola.] Intercedit quædam differentia inter vitriola nativa pro ratione contagii metallici adhærentis, quia mineræ hæ non semper reperiuntur puræ: Sic enim Hungaricum dicunt esse naturæ solaris; Salisburgense pariter Venereo-Lunaris; Romanum martialis; Cyprium venereæ; Goslariense ex venerea & martiali natura mistum; ad summum, quò viridius est vitriolum, eò magis de marte, & quò magis cæruleum, eò plus de venere participat. Interim pro usu medico nulla horum differentia ferè observanda.

Aquam fortem.) Hæc paratur ex vitriolo & nitro. Jam deprehenditur non rarò differentia in aqua forti super metallum; unde hæc? vix ex nitro, potius ergo ex vitriolo, utut parum de vitriolo participet. Probatur hoc: quod aliquando constantem ruborem habuerit, quæ est à vitriolo.

Observationes, pag. 544.) Scilicet Luna rarò deprehenditur pura; nam plus minus de venere participat, hinc aqua fortis lunam solvit, auro intacto relicto. Hinc hæc aqua fortis quoque ipsa ob vitriolicum contagium parum de sole continet, indeque GLAUBERUS putat fieri multiplicationem lunæ in sole per simplicem præcipitationem, non saltem, sed & transmutationem quæ fiat à sulphure acido vitriolico: vid. BECHERUS *Physic. subterr. l.* 1. *cap.* 3. *pag* 159. ubi docetur transmutatio lunæ in solem beneficio aquæ fortis solutæ. Cæterum non negandum, vitriolum id aureum habere aliquam vim, præsertim, cum post purificationem auri per antimonium non sit alia magis conveniens purificandi encheiresis, quàm si aurum in aqua regia, solutum præcipitetur cum vitriolo in aqua simplici soluto; præcipitatur enim sic purissimum, & ex GLAUBERO magis in tinctura exaltatum aurum.

Minutulum illud anctuosum pro reiiculo habitum, pag. 545.) Scilicet vulgò suadent, eligendum esse vitriolum crystallinum splendescensque: at ejusmodi minutula inservire usui probat hoc, quod hæc soluta in aqua, & post filtrationem inspissata, itidem exhibeant egregias vitrioli crystallos:

Purificationis titulo.) Scilicet vulgò depurant vitriolum solvendo hoc in aqua simplici, & solutum post evaporant ad cuticulam usque pro crystallisatione. At sub omni ejusmodi solutione semper aliquid terræ substantiæ flavæ, ochra nempè, separatur in fundo, quæ est minera martis vel veneris sub solutione secedens; & in tantum potest depurari, ut hoc modo depuratum ferè totum possit per alembicum destillari. Sed cui usui? acquiro spiritum saltem paulò volatiliorem. Vnde separata ista ochra, certò illa specialis vitriolorum differentia cadit, dum lunare, solare, &c. audit: Contra aqua fortis, cum qua copiosius aurum ex luna fuit præcipitatum, virtutem hanc habet ab ochra.

Rorem mineralem.) Scilicet vitriolum integrum per alembicum in balneo Mariæ vel arena destillatum, dat liquorem aqueum seu phlegma acidulum odoris sulphurei penetrantis; idque eò magis, si à novo vitriolo ros ille destillatus de novo cohobetur; nam sic exaltatur in penetrantia sua volatili & efficacia sulphurea. Equidem diutiùs hic asservatus quasi folia sulphurea dimittit in fundum: sed parum refert. Interim cum odor nihilominus supermaneat, proinde illud phlegma vitrioli

vitrioli internè egregium est in morbis acutis, vel per se vel additis aliis; Sapit namque acidulas nativas. Sic & externè ambustionibus idem medebitur phlegma vitrioli. Imò potest usurpari loco phlegmatis è rore majali, vel misturæ alterantis: quidam sumunt spiritum vitrioli cum aqua & sale quodam fixo; sed sufficit Ros hic vitrioli.

Bellidis, pag. 546.) Scilicet extractum succosum bellidis, vel etiam hepaticę nobilis, dilutum phlegmate vitrioli, inservit loco analeptici julepi.

Striatum.) Spiritum vitrioli volatilis striati parandi rationem tradit HOFFMANNUS *in Clave Ph. pag. 337.* Spiritum nempè vitrioli à capite mortuo per reiteratam cohobationem abstrahendo; sic enim subtilior is, & quasi striatus, prodit. Cæterum iste Ros vitrioli ejusdem ferè est usus, quàm spiritus hic vitrioli volatilis HOFFMANNI.

Novo alembico.) Quidam putant spiritum vitrioli nona vice cohobatum intelligi.

Cranio.) Scilicet quidam spiritum vitrioli antiepilepticum parant; spiritum vitrioli à cranio humano, visco quercino, &c. abstrahendo: verùm ita prodit spiritus vitrioli salsus volatilis ammoniacalis, compositus ex acido vitrioli, & sale volatili cranii.

Sulphuream partem, pag. 547.) Ros hic vitrioli est admodum sulphureus & penetrans. Scilicet quidam cum phlegmate vitrioli volunt acquirere hanc substantiam sulphuream volatilem, non saltem ex hoc rore, sed etiam ex aliis ejusmodi liquoribus, dum scilicet vitriolum martis paratur, ubi exhalat ros volatilis sulphureus (non secus atque quando sulphur & colcothar in ejus flores sublimantur, sicque per superius capitellum halitus acidulus exhalat, quod quidam capiunt) imò ex ipso quoque spiritu vitrioli recenti, affundendo ubiq; spiritum vini; digerendo enim spiritum vini, tanquam symbolizans sulphureum subjectum, recipiens in se sulphuream vitrioli substantiam; hinc abstrahendo spiritum vini, hic secum rapit hanc substantiam. Verum est; succedit quidem, tamen non habetur exinde remedium tanti ponderis. Volunt etiam habere sulphur vitrioli anodynum dulce, sed hoc est altioris indaginis.

Antepilepticum elixyr.) Huic spiritui vini quidam addunt tartarea, castoracea, &c. pro elixyrio antiepileptico, hysterico, &c.

Spiritum ardentem à cephalicis abstractum.) Spiritus vini abstractus à specificis cephalicis, perfumatus licet crudo sulphure, in epilepsia forti non exhibet tantum, quantum hinc expectatur remedium; quin potius in illa alcalia volatilia magis erunt efficacia;

Spiritus acidus communis.) Circa hunc pro meliore intellectu præmoneo, vitriolum quodcunque propriè dictum esse concretum novum ex minera martis vel veneris, per spiritum acidum sulphuris embryonati universalis corrosa in istam formam coagulatum; hocque quando igni subjicitur, phlegma volatile acidulum in principio suggerere, quod insequitur spiritus sulphuris acidus, anteà rodens mineram, qui vi ignis separatus à minera, se sistit in forma liquida sub odore sulphureo, & *spiritus vitrioli* vocatur. Cæterum acidum illud rodens non prodit solitarium, sed etiam secum rapit particulas quasdam sulphureo-minerales, corrosas anteà in vitriolo mineræ: atque hoc est, quod HELMONTIUS dicit; spiritum vitrioli semper participare de liquamine metallico; quod etiam TACHENIUS de sulphure minerali crudo austero asserit. Jam prout hoc acidum prodiens plus vel minus de minera metallica participat, & prout illud in minera plus vel minus concentratum est, ita nunc spiritus, nunc oleū vitrioli dicitur: Et quidem, quod primò prodit acidum purius, *vitrioli spiritus* est; reliquum verò liquamine metallico & consistentia crassa, coloreque rubro præditum, *oleum* ejus audit. Tandem caput mortuum quod post destillationem remanet, *colcothar* technico PARACELSI vocabulo vocatur, hocque aqua simplici calida elixiviatum, sistit corpus saliforme; sal vitrioli emeticum existens: Sic idem colcothar ante elixiviationem aeri expositum efflorescit de novo in lanuginem saliformem; quod sal elixiviatum, nomine *salis vitrioli regenerati* venit, à quibusdam *sal vitriol. ultimum* vocatur: imò ex hoc ipso capite mortuo in aere impregnato elici potest denuò *spiritus vitrioli regeneratus*.

Sic albificati, pag. 548.) Seligit AVTOR spiritum vitrioli acidum communem; nempè post destillatum istum rorem sulphureum destillandus est spiritus. scilicet vitriolum crudum purum & nativum non committendum ~~est destillationi~~ pro spiritu acquirendo, secus enim necessariò frangitur retorta, & totum salinæ substantiæ in auras avolat; quin potius recipiatur vitriolum dephlegmatum, h.e. à rore acido volatili sequestratum, qua ratione album acquirit colorem. Etenim colores in vitriolo, in igne tractato, ita variant, ut illud primò albescat, deinde flavescat, hinc rubescat, postmodum brunescat, & tandem obscurissimè viridescat: Si verò ad rubedinem vel flavedinem prius calcinetur, multum de substantia sulphurea prodit.

Nec nimio pondere.) Scilicet vitriolum hoc album destillandum non recipiatur in nimia copia, secus enim non sufficit ignis eidem pervadendo; quin potius tertia retortæ pars maneat vacua.

E vitreis lutatis retortis.) Ordinariò destillatur vitriolum ex retorta terrea: ast malè; vasa enim illa sunt porosa nimis; potius vasa vitrea sumantur, angustissimis porulis prædita. Interim cum hæc intensiore igne vel dissiliant, vel liquescant, proinde loricentur mistura ex limo, calce viva, & limatura Martis conflata, idque successivè ut lamina alia alii superimponatur, & sic vitriolum destilletur.

Citra protractiones.) Plurimi spiritum vitrioli urgere solent per 5. vel 6. dies igne, quia semper nebula apparet; at sanè nebula hæc in recipiente ad 6. menses compareret, modò ignis tamdiu continuaretur; quod tamen phænomenon neminem fallat; quin potius post 24. vel 36. horas ad summum, hinc secundum HELMONTIVM removeatur. Recipiens à Retorta, dum omnia adhuc calida sunt; sic enim tunc caput mortuum satis exhaustum remanet; sin verò diutius protrahitur destillatio, spiritus semper remeat in caput mortuum illud.

Additamenta.) Destillatur autem ex AVTORE vitriolum per se, & sine additis. Sunt verò, qui vitriolo destillando addunt limaturam Martis, & alii sal tartari, quo sic separetur substantia illius metallica, & spiritus purior prodeat, sed labor iste vix operæ pretium meretur, cum spiritus paucus destilletur; quin potius vitriolum per se destillatum pro usu medico sufficiat.

Attemperans, pag. 549.) Scilicet spiritus vitrioli ritè paratus acore suo blando stomacho est amicus, sitim sistit, æstuationesque corporis temperat & corrigit, blandè simul adstringit ratione substantiæ metallicæ simul propulsæ, quæ cum acido sulphuris coeundo transit in aliqualem aluminis texturam, indeque sapor spiritus vitrioli blandè adstrictorius enascitur.

Citra rectificationem.) Nempè spiritus vitrioli dicta ratione destillatus non opus habet rectificatione, sed per se mox potest dispensari pro usu medico. Ac terit hoc in passu AVTOR vestigia ZWELFERI, itidem spiritus vitrioli rectificationem vetantis. Equidem dicunt contra alii, separari rectificatione illâ magnam partem liquaminis metallici: Verum quidem est; semper enim crassamentum quoddam metallicum remanet; interim tantillum hujus, præsertim ex vitriolo martis procedentis, insons est, nec potest turbare corpus nostrum. Deinde alii rectificationem ejus recusantes, substituunt digestionem blando igne peragendam, qua ipsa itidem separatur & sponte præcipitatur maximam partem substantia metallica crudior, indeque simplici decantatione potest spiritus purior supernatans secerni.

Vegetabilium floribus tinctus.) Usurpatur spiritus vitrioli vel per se guttatim in julepis, vel priùs medicatur diversimode, nempè infunditur floribus bellidis, aquilegiæ, tunicæ, &c. indeque sub nomine spiritus vitrioli tincti venit. Præterea alii spiritum vini à vegetabilibus aromaticis cephalicis ac stomachalibus abstractum in duplo addunt uni parti spiritus vitrioli, amboque digerendo vel cohobando jungunt sub nomine *spiritus vitrioli cephalici* vel *stomachici*; nec id inconsulto, utut spiritus vitrioli per se destillatus pariter non rejiciendus sit.

Facta vitriola.) Ex vitriolis destillati spiritus recipiunt aliquid metalli, quod gestant in ventre secum, utut parum ejus sit, ut propterea non opus sit; ut vitriolum artificiale vel selectum sumatur; præsertim, cum ex martiali vitriolo destillatus spiritus non magis sit hypochondriacus, quàm alius, nec ex Veneréo vitriolo magis stomachicus, contra sentiente quantumuis PARACELSO. Sic dum HARTMANNVS ex vitriolo Martis & Veneris sociatis spiritum uitrioli hermaphroditicum parat, singularem non obtinet à vulgari spiritu uitrioli: imò nec ex Lunari uitriolo, ex calcinata & cementata Luna cum sulphure parato, singularis præ spiritu uulgari est, præsertim cùm uitriolum illud utplurimum magis uenereum, quàm lunare sit, ac luna fixior sit, quàm ut promptè possit destillari: adeoque sufficere potest è uitriolo uulgari, u.g. Goslariensi, destillatus spiritus pro usu medico.

Pro speciosiori, pag. 550.] Scilicet uitriolum factitium præ natiuo nullam prærogatiuam habet, quamuis HELMONTIVS ex artificiali uitriolo ueneris singularia sibi promittat, u.g. sulphur uitrioli dulce.

Gratulamur illis.) Hic notat HELMONTIVM *Tr. de Lithiasi c. 8. §. 19.* docentem modum laboriosissimum parandi hunc spiritum uitrioli: cum quo conf. HOFFMANNVS *Clave pag. 354.* ubi habet TACKII modum destillandi spiritum uitrioli aureum, cum HELMONTII ferè coincidentem; utut hujus adhuc efficacior sit spiritus, quia is saturatior est.

Unicornu istius mineralis, pag. 551.) Hoc describit MYNSICHTVS, paratque id ex oleo uitrioli martis & ueneris, item ex sale uitrioli ueneris & martis regenerato. Hæc duo juncta dant *unicornu* illud *minerale*: uid. MYNSICHTVS *p. 1. Armam. Chym.* Hoc & arcanum uitrioli, & clyssus uitriolicus, consobrini sunt; procedunt enim singuli ex spiritu uitrioli & sale ejusdem regenerato, quemadmodum conferendus quoad arcanum uitrioli MYNSICHTVS *pag. 25.* & quoad clyssum uitrioli cum ZWELFERVS *Mant. Spag. p. 339.*

Licet illâ Veneris per Martem.) Scilicet spiritus uitrioli, quem habet HELMONTIVS *loco suprà citato*, sufficere potest, nec necessaria est ueneris per martem uitriolisatio; unde MYNSICHTVS elicere uult *Mercurium suum Philosophicum duplicatum* seu ex duplici substantia constantem, quem uocat *Rebis*.

Sed ultimum.) Pro parando scilicet isto unicornu minerali, arcano uitrioli, & clysso uitriolico, recipiendum est pariter sal uitrioli, non commune, sed istud ultimum, uel per aeri expositiones in colcothare regeneratum; hoc enim est alius naturæ, quàm quod immediatè ex capite mortuo uitrioli elicitur.

An verò &c.) Scilicet quæritur: *an, dum caput mortuum vitrioli aeri expositum impregnatur, sal illud regeneratum sit ex aere attractum? an verò saltem occultius vitriolum ab aeris humiditate resolutum & magis manifestatum?* AVTOR *noster* inclinat ad eam sententiam, quæ statuitur,

tatuitur, caput mortuum illud, quod resolutione vitrioli magis concentratum videatur sal, regenerari; non verò denuò de novo introduci. Scilicet semper adhuc in substantia metallica, quamvis maximè calcinetur, concentratum hærere aliquid substantiæ esurinæ, quæ propter vehiculi defectum non potuit resolvi in spiritum; contra tamen ea ab aeris humiditate resoluta rodendo mineram abit in novum vitriolum. Interim non negandum, ex aere aliquid accedere, præsertim cum non purum vitriolum, sed mediæ naturæ sal inter vitriolum & nitrum prodeat; quæ sanè ipsa participatio est ex aere, vitriolica verò pars ex resoluto ab aeris humiditate sale esurino rodente minerum: Conf. ZWELFERUS *Mant. Spag. pag.* 343. *& Animadvers. pag.* 403.

Cæterum AVTOR probaturus, potiùs ex resolutione vitrioli, quàm aere, dependere regenerationem illam, utitur 6. potissimùm argumentis: quorum

1. Est coaguli illius copia, quod tamen in aeris ambitu latè dispersum est: Jam verò, cum illud copiosè ex capite mortuo eliciatur, non probabile est, ex aere illud provenire.
2. Est proventus coaguli illius etiam in concluso, hoc est, caput mortuum in loco conclusissimo ab omni aeris appulsu præservatum, nihilominus efflorescere.
3. Est notabilis saporis & configurationis diversitas, h. e. dum pariter ac capita mortua vitrioli nitri, aluminis, &c. aeri exponuntur, tunc eadem regenerantur itidem in diversi saporis salia, ut in capite mortuo vitrioli vitriolicus in capite mortuo nitri nitrosus, in capite mortuo aluminis aluminosus sapor percipiatur: quæ tamen diversitas non ex aere, sed ex corporibus illis mortuis, adhuc vim quasi regenerativam continentium, deducenda.
4. Est facilis & prompta salinarum particularum occultarum successivè per aerem in vitriolum conversio: & posito, nulla arte posse elici sal vitriolicum, tamen possunt intimè sociari, ut non, nisi successiva humectationes aeris possit resolvi, quod successivè per aerem in vitriolum abit.
5. Est prona complurium metallicorum corporum, nativi salis quippiam habentium, à salinis quovis modo tractatorum, post sufficientem quoque calcinationem, vel istorum expulsionem, denuò quasi salinescendi ratio, h. e. metallica exoticis salibus sociata, uti v. g. est caput mortuum ex marte & sale ammoniaco, quod maximam partem in aere liquescit.
6. Tandem est prompta aquosi principii huic accommodatio, h. e. promptissimè salia quæcunque solvuntur in aqua, & hinc & in aere humido; ex quo tamen simul reverà aliquid accedere probatur, quia emergit sal quasi nitrosum. Interim notandum si vitriolum ad absolutam nigredinem usque destilletur, & omni acido seminali spolietur, quod tunc aeri expositum non amplius efflorescat, deficiente sic acido ceu magnete.

Citra singularitates, pag. 553.) Innuit hic AVTOR hoc, quod qui arcanis vitrioli MYNSICHTI suprà citatis careat, ipsi sufficere queat spiritus vitrioli vulgaris; præsertim, cum non semper felix Praxis sublimioribus ejusmodi arcanis suffulta sit, sed vulgaria quoque remedia sub circumspecta methodo laudem quoque mereantur. Rectè enim dixit CAPIVACCIUS cuidam: *Disce meam methodum, & habebis mea arcana.* Siccum Praxis medica duplex: vel Empyrica remediis sublimioribus peragenda; vel Rationalis vulgaribus remediis sub exacta methodo acquiescens; hinc in prioris defectu hæc nobis sufficere poterit.

Abusus.) Hic subinnuit AVTOR, quibus noceat spiritus vitrioli, licet optimus sit in praxi communi: nempè

1. Spleneticis vel veris, vel vulgò sic dictis, in quibus aliàs luxuriat acidum præternaturale.
2. Hystericis; cum in his etiam peccet acidum, spasmorum causa.
3. Pulmoniacis; quippe pulmonibus tenerioribus nil magis nocet, quàm acida vitriolica; eosdem vel corrugantia, sicque asthma siccum inducentia, vel erodentia, hincque in phthisin præcipitantia.
4. Hungaricis febribus laborantibus; nam & in his ob malam diætam acidum præternaturale in primis viis luxuriat.
5. Idiopathicis capitis affectibus laborantibus non convenit; systema quippe nervosum acidum vitrioli respuit.

Delebili.] Pergit jam AVTOR ad eos, qui spiritus dulcificare & temperare volunt: vid. SCHROEDERUS. Dum enim spiritum vitrioli dulcificare intendunt, omnes hi processus infringunt & alterant acidum vitrioli, unde dulcior evadit: Si verò spiritus vitrioli acrior fuerit assumentibus, tum vel dilui poterit is, vel additione sacchari attemperari.

Ab una quidem parte.) Dulcificationum spiritus vitrioli processus:

1. Cum Marte videri potest in SCHROEDERO *l. 3, p.* 486. *num.* 5. sub nomine *spiritus vitrioli volatilis.*
2. Qui fit aliter per acetum, *num.* 7. *p.* 488.
3. Per combinationem urinæ procedens, *num.* 14. *p.* 490. Sicuti tandem
4. Super martem abstractione contingens, *num.* 8. *p.* 488.

Vbi tamen omnes hi modi acidum vitrioli infringendo spiritum illum apparenter dulciorem reddunt.

Vitriolum pure martiale, p. 554.) Ex hoc ZWELFERVS *in Mant. Spag. p.* 463. spiritum vitrioli martis antihypochondriacum destillare satagit, & dulciorem; qui tamen Hypochondriacis nen magis appropriatus est.

Colcotharis communis extractio, ibid.) Notat hic AVTOR ZWELFERVM *Mant. Spag. p.* 393. colcothar cum usto alumine tractantem, pro blando spiritu vitrioli eliciendo.

Super sal gemmæ essentificatus.) Hic indicatur ZWELFERVS *pag.* 55. *App. in Animadvers.* docens modum essentificandi spiritum vitrioli abstractione ejus cum sale gemmæ; & curiosum, hoc modo acquiri spiritum fumigantem odoris intensè sulphurei, actioni salis gemmæ in liquorem metallicum in acceptis ferendi; non secus ac similis spiritus fumigans acquiritur ex destillatione Mercurii sublimati cum Jove, vel & ejusdem Mercurii sublimati cum sabulo.

Super sal proprium, pag 555.) Intelligit hic AVTOR *noster* ZWELFERVM *in Mant. Spag. p* 339. processum hunc habentem; quo tamen modo sumptus inanes fiunt sine emolumento.

Cephalici nuperorum titulo.) Scilicet spiritus ex vitriolo regenerato destillatus *spiritus vitrioli cephalicus* dicitur; de quo verum est, minus eundem acrem & magis volatilem esse, non tamen hinc sequitur, illum ex in prærogativam majorem præ spiritu vitrioli communi habere.

Peculiare quidpiam non.) Hoc est, posito, & spiritum vitrioli regeneratum esse volatiliorem, non tamen is essentiis & tincturis martiubus erit præferendus.

Sulphureus est.) Cum omnia sulphurea & ipse spiritus vitrioli spirent odorem talem sulphureum, præsertim cum spiritus nitri de marte & venere participet, quid mirum, quando sulphure scatet? ita & spiritum vitrioli cum marte, aceto, aut urina combinatum, similiter talem odorem referre, notum est; qui tamen spiritus vitrioli sulphureus, si asservatur diutiùs, turbatur, deinde rufescit, & tandem sedimentum substantiæ metallicæ dimittit, sicque odor sulphureus perit; qui præsens parum vel nihil exaltat spiritum illum vitrioli.

Elixyria proprietatis cephalica, pag. 556.) Nonnulli sibi promittunt, sumendo loco acidi sulphuris communis spiritum vitrioli martialis cum spiritu vitrioli regenerari; ast inanes sunt impensæ hæ, & sufficit spiritus sulphuris instar omnium.

Spiritus aperitivus Penoti.) Hujus descriptio extat in SCHROEDERO *l.* 3. *pag.* 489. Misera est præparatio, quæ nihil habet in recessu: nam ab addito tartaro ad albedinem calcinato figitur & coercetur acidum spiritus vitrioli, ut phlegma saltem acidulum accipiatur, hujusque tantillum volatile prolicitur, parum de tartaro participans, præsertim si igne remissiori destillatio fiat; si verò intensiore igne, habebitur saltem commune acidum vitrioli.

Dianæ liquori.) Est spiritus vitrioli tartarisatus, quem habet SCHROEDERUS *pag.* 480. *num.* 10. qui itidem habet spiritum vitrioli cordialem *num.* 13. Sunt interim hi liquores spiritus vitrioli ab alcali tartari infracti, adeòque phlegma spirituosum acidum vitrioli.

Extrema ignis violentia.) Si destillatur spiritus aperitivus Penoti extrema ignis violentia, nihil aliud acquiritur, quam acidum commune vitrioli; quale quoque in spiritu hujus communi, vel etiam in tartaro vitriolato extremè destillato reperibile est. Cæterum, si volumus habere spiritum compositum ex tartaro & vitriolo, tunc sociare possumus *spiritus tartari urinosi* part. iij. cum *spiritus vitrioli* part j. invicem miscendo, qui cessante ebullitione & per retortam destillatur; sic prodit spiritus salsus egregius;

Vel

℞. *Tartari crud.* part. iij.
Vitriol. crud. part. j.

Quæ destillata ultimo ignis gradu dant spiritum salso acidum fœtidum, longè præferendum spiritui illi aperitivo Penoti.

Oleum, pag. 557.) Oleum vitrioli est spiritus vitrioli in metallica parte concentratus. Paratur tribus modis: nempè vel post prolectum vitrioli spiritum, augendo ignem; tunc enim restitans acidum secum rapit copiosum metallum; vel super fixiora corpora spiritum vitrioli concentrando; sic enim, quando affunditur ille veneris aut martis colcothari, & destillatur, tunc post phlegma prodit spiritus in metallo secum abrepto concentratus: vel denique exponendo spiritum vitrioli intensissimo frigori, quo ipso juxta GLAUBERUM phlegma constringetur, acidum verò non constringibile seorsim se sistit; hinc oleum vitrioli tanquam acidum concentratum per se potest haberi. Cæterum hoc oleo vitrioli pro usu medico non indigebimus.

Rubrum è vitrioli.) Processus hic est curiosus, & ferè illi similis, quem habet SCHROEDERUS *l a. num.* 5. *p.* 486. scilicet vitriolum in aqua solutum beneficio spiritus salis ammoniaci seu urinæ præcipitatur; sic alcali volatile urinæ imbibendo acidum vitrioli dimittere facit mineram martis vel veneris ad fundum. Jam equidem ex hac terra præcipitata per se destillata nonnulli rubicundum oleum sibi promittunt; quale tamen non prodit benè: interim cum terræ illi semper adhæreat adhuc aliquid acidi, ligantis alcali urinæ, hinc ex eadem ascendit aliquid ammoniacalis; sic ex liquore terræ præcipitatæ supernatante, blandoque igne coagulato, prodit sal quasi ammoniacale obscuri

obscuri coloris, emergens ex spiritu urinæ & acido vitrioli, simileque fere sali ammoniaco illi secreto, quod parat GLAUBERUS ex oleo vitrioli & spiritu salis ammoniaci: quod tamen non est secretum, sed genuinum sal ammoniacum, quamvis hoc ita vocitet dictus GLAUBERUS.

Cum acetosis additamentis, pag. 558.) Innuit hic AUTOR processum illum parandi oleum vitrioli ex colcothare cum aceto imprægnato, quem habet KESLERUS *Process. 71. l. 5.* quo tamen pacto nihil aliud acquiritur, quàm solutio Martis cum aceto, & destillatione intercedente spiritus acidus martialis fœtidus, non verò oleum propriè dictum vitriolaceum.

E vitrioli, Cremoris tartari, & spiritus salis mixtura.) Innuit AUTOR *noster* processum illum, quem habet SCHROEDERUS *l. a. n. 10. p. 492.* sub nomine *olei vitrioli dulcis*; quo tamen modo, quicquid sic prolicitur olei, illud solummodò tartaro, non autem vitriolo, debet originem.

Viridis vitrioli spiritus.) Spiritus vitrioli viridis est unum ex primariis arcanis, ejusque primus mentionem fecit PARACELSUS, & post hunc HELMONTIUS, quorum hic *Tract. de Duumvir.* dicit, oleum vitrioli dulce ex spiritu hoc vitrioli viridi parandum esse; quod itidem repetit POLEMANNUS *de sulphure Philosophorum* dicens, ex hoc spiritu vitrioli viridi sulphur vitrioli Veneris dulce parandum. Cæterum jam olim, præter DETHARDINGIUM, annotavit ZWELFERUS imprimis, falsum esse, ex vitriolo elici posse spiritum viridem, sed procedere talem vel ex additamentis, vel ex simplici vitrioli liquatione: scilicet spiritus vitrioli est vel albidus, vel ex liquamine metallico imprægnato rubens. Contra destillant alii per descensum; sed sic liquant simpliciter vitriolum, cruda venere vel marte eum imprægnantes, viroremeidem præter intentionem desideratam conciliant. Sic & alii recipiunt ana vel dimidum *Mercurii sublimati* & vitrioli, ex iisque destillatione eliciunt spiritum ponderosum nonnihil viridescentem; quippe acidum Mercurii sublimati rodendo venerem vel martem in vitriolo, & simul per retortam illarum particulas secum rapit, sub specie spiritus viridis; quem rectificatum frustra adhibent sublimioribus arcanis, hocque medio Mercurium duplicatum parare voluerunt.

A vegetabilibus abstrahendo.) Scilicet sunt, qui spiritum vitrioli per nuces iuglandes, aut spinam infectoriam, in virorem colorare satagunt; nunc quidem infundendo hunc illis, nunc verò illum ab istis abstrahendo: ast quemadmodum potiore ratione inermis spiritus elicitur, ita in infusione saltem spiritus vitrioli vulgaris acquiritur.

Lapillorum atramentosorum.) Notat hic AUTOR GLAUBERUM, qui recipit mineram Martis solaris Hassiacam, (quæ venerea tamen est maximam partem, hinc nauseosa, ad pagum *Almeroth* reperibilis, sicut Salfeldiana & Numburgensis ferè purè Martiales sunt,) ex eaque aeri expositasolutione in aqua parat vitriolum, supermanente liquore non coagulabili, sed crasso & spisso; atque hunc vocat & vendi tat pro oleo vitrioli dulci, quod tamen est horridi & nauseosi saporis.

Compositus autem, p. 559.) Hic AUTOR *noster* GLAUBERUM notat, qui spiritum vitrioli compositum parat, instillando spiritum nitri spiritui vitrioli ad saturationem ferè: Verùm abstractione accedente prodit solummodo spiritus nitri, relicto in fundo spiritu vitrioli quia hic ponderosior est.

Spiritus cornu Cervi & vitriolici mixtura.) Scilicet curiosum est, quod si misceatur spiritus vitrioli cum spiritu urinæ, vel spiritu cornu Cervi, vel denique juxta HOFFMANNUM, qui hac in parte æmulum agit D. MICHAELIS, cum spiritu sanguinis humani, emergat post blandam agitationem mixtura nunc viridescens, nunc verò cœrulescens; quippe alcali horum spirituum volatilium præcipitat reconditum in spiritu vitrioli metallum: quod si fuerit venereum, cœrulescit ex inde mixtura; sin martiale, viridescit.

Antepileptico.) Innuitur hic *spiritus antepilepticus Hartmanni*, cujus descriptionem habet SCHROEDERUS *l. a. num* 14. quo ipso processu præter alia parerga acquiritur spiritus volatilis salsus penetrantissimus, & in epilepsia juniorum non reiiciendus: utut loco ejus ex tempore miscela spiritus vitrioli & spiritus cornu Cervi vel spiritus salis ammoniaci vel urinę, institui possit.

Qui olim multis spiritus vini à crudo vitriolo cobobiis parabatur.) Hic insinuatur processus spiritus vitrioli antepileptici *Paracelsi*, quem falsò tradit SCHROEDERUS *l. a. num. 17. pag. 491.*

Variationis.) Scilicet qui desiderant *spiritum* aliqualem *vitrioli compositum*, seligant illum *Hartmanni* ex urina & vitriolo destillatum egregium; aut similem cum spiritu salis ammoniaci aut urinæ cum spiritu vitrioli, qui in epilepsia juniorum non est inelegans.

Spiritum vitrioli coagulatum.) Scilicet spiritus vitrioli etiam præstare solet in forma sicca. Jam verò modi spiritus acidos minerales per se coagulandi, altioris sunt indaginis, & non innotescunt, & vix iidem coagulari poterunt, nisi interveniat corpus aliquod, cujus insinuatione particulæ spiritus vitrioli acidæ concentrentur.

Non cum terra sigillata) Innuitur hoc ipso liquor ille stypticus, quem tradit SCHROEDERUS *l. a. num. 19.* ex terra sigillata cum spiritu vitrioli imprægnata, & spiritu vitrioli prodeuntem; qua ratione tamen aluminosus liquor acquiritur.

Nec cum cornu Cervi usto.) Scilicet quidam spiritum vitrioli coagulant, imprægnando cornu Cervi ustum cum illius s. q. in consistentiam siccam: Ast ingratum sic prodit coagulatum, quippe dum cornu Cervi imbibit acidum vitrioli, præcipitatur liquamen ex eo metallicum; unde propinatum illud nauseam parit.

Nec cum alcalibus, pag. 560.) Notatur hic MYNSICHTUS *pag. 27.* spiritum vitrioli coagulatum conficiens cum sale acetosæ vel absinthii; cum tamen emergat hac ratione revera tartarus vitriolatus.

Nec quem alii è vitrioli sale.) Intelligitur hic ZWELFERUS *Mant. Sp. pag. 392.* spiritum vitrioli coagulatum parans beneficio salis proprii ex capite mortuo elixiviati: Verùm & hac ratione prodit corpus vitriolicum horridi saporis; indeque loco salis vitrioli communis recipiatur potius sal regeneratum in capite mortuo vitrioli, quod imprægnatum spiritu vitrioli, coagulari poterit, utut illud sit naturæ semi-nitrosæ.

Saltem simplici spiritus vitrioli à dimidio nitri crudi abstractione.) Hunc modum parandi spiritum vitrioli coagulatum obscurè insinuat SCHROEDERUS *l. a. num. 29.* dicendo eum non satis esse remedium tutum; contra AUTOR *noster* tutum eum, sine abusu scilicet pronunciat. Nempè recipiatur *nitri crudi* pars j. eique affundatur duplum *spiritus vitrioli*; ita destillatione interveniente prodit spiritus nitri seu aqua fortis, remanente in fundo quasi sale *mirabili Glauberi* (hic enim affundit spiritum vitrioli sali communi, & sic per destillationem acquirit aquam Regiam; vel affundit nitro, & destillat, proditque aqua fortis, subsidente in fundo *sale* suo *mirabili*) & est illud nitrum quoddam *vitriolatum* vel *arcanum* quoddam *duplicatum*, eo, quod in alcali ipsius nitri concentratus hæreat spiritus vitrioli; cuius dosis esse potest à gr. xv. ad ℈j. usque ʒß.

Anima vitrioli.) Notat hic MYNSICHTUM *pag. 23.* eam parare docentem: nempè colligendum cremorem vitrioli tradit ille, qui vitriolo in aqua soluto supernatat; estque ille cremor saltem terra pinguis, lutosa, mineræ vitrioli hinc inde adhærens juxta DETHARDINGIUM: porrò jubet MYNSICHTUS hanc animam vitrioli extrahere: ast malè; quin potius substituatur eidem *tinctura sulphuris vitrioli* (quæ itidem saltem est *tinctura Martis adstringens*) hac ratione paranda. Nempè recipiatur *Caput mortuum vitr. Mart.* ab omni vitriolo elixiviatum, eique affundatur spiritus salis, vel, quod adhuc melius, *spiritus nitri*: deinde solutio per retortam abstracta ad consistentiam mellaginis, extrahatur cū *spiritu vini* in tincturam rubicundam seu aurei coloris; quæ ipsa *tinctura sulphuris vitrioli* vocatur vulgò, cum tamen revera sit *tinctura martis adstringens*, polychresta in quibusvis hæmorrhagiis, dosi gutt. 30. 40. in quovis vehiculo.

Colcothar, pag. 561.) Colcothar, h. e. caput mortuum vitrioli extremè calcinatum, præ cæteris locum externè invenit pro usibus Chirurgicis, præsertim in ulceribus, quod quibusdam pulvere tenus, vel sub linimentorum aut emplastrorum forma in usum vocari potest. Interim tamen tunc recentius & extremè calcinatum id assumendum venit; sin vetustum illud fuerit, regeneratur in illo vitriolum, hincque corrosivum evadit. Deinde & elutriata illa post commune vitriolum destillatum terra, quæ nullo modo in vitriolum regeneratur, huc etiam advocari poterit, sufficitque hæc loco omnium crocorum ex Marte & vitriolo adstringentium.

Intus verò crocus è vitriolo natiuo.) Indicatur hic ille SCHROEDERI *processus n. 13.* sub nomine sulphuris vitrioli purgantis; quod è vitriolo in aqua communi soluto, & cum oleo vel sale tartari præcipitato, falsò imponitur, cum illud sit saltem substantia vitrioli metallica, & è factitio vitriolo venereo præcipitatum reverà purget, sed non sine violentia.

Anodynum sulphur, pag. 562.) Hujus ex vitriolo eliciendi primus mentionem fecit PARACELSUS, & verum est, sulphura metallica fixiora quæcunque esse anodyna, adeoque & hoc. Hinc lapis Philosophorum omnia præstat vi sua sulphuris, non secus atque aliàs in cinnabari antimonii, ceu sulphure ejus fixo, revera anodyna vis reperitur. Cæterum præ cæteris famosum est sulphur veneris & martis, tanquam metallorum à spiritu sulphuris embryonati magis apertorum, adeoque sulphur quasi extraversum magis habentium: non tamen id Narcoticum, quo infame aliàs est opium, sed reverà anodynum.

Consimilesque modos.) Scilicet infiniti sulphur hoc anodynum impetrandi prostant processus: sed nullus genuinus est; nam & illo, quem HARTMANNUS habet ex SCHROEDERO *num. 4.* per acetum ex vitriolo Hungarico procedentem, acquiritur saltem crocus martis simplex, non verò genuinum aliquod sulphur inflammabile & anodynum; quæ duo prædicata sunt ejusdem notæ propriæ.

Foliatum.) Spiritus vitrioli cum tempore quasi deponens folia, non exhibet sulphur aliquod vitrioli anodynum hoc ipso, sed sulphur vulgare, quod cum illo spiritu ascendit.

Nec circa operosiorem.) Obscurè hic insinuatur modus Helmontii, quem habet *Tract. de Duumvir. §. 19.* procedentem ex spiritu vitrioli viridi coagulato, cum spiritu vini extrahendo.

Ille ipse urinosus Armoniaci spiritus, p. 563.) Id est, si recipiatur terra sulphurea ex vitriolo præcipitata, & abstrahatur de hac spirit. salis ammoniaci, tunc hic rapit secū substantię martialis aliquid, utut exiguum.

Nec terra vitrioli.) Innuuntur hic processus, quos habet SCHROEDERUS *l. a. n. 1. 2. & 3. p. 495.* Sc. sunt, qui ex substantia metallica vitrioli præcipitata per sal tartari elicere volunt sulphur: quippe alcali agendo in sulphur hoc extrahit. Interim certū est, STARCKIO consentiente, sal tartari nihil tū sulphurei fixi ex terra illa extrahere, cum fiat magis igneum,

gneum, licèt ex sale tartari volatilisato talem elicuerit spiritum sulphureum.

Per sublimationes.) Innuit hìc processum BOYLE ex *Philos. Exper.* AUTOR *noster*, ex terra vitrioli per sal ammoniacum sublimando parantis *primum ens veneris*. Interim flores hi ex terra hac vitrioli à salis ammoniaci parati, magnâ dosi exhibiti, sunt vomitorii.

Tincturam præbet, pag. 564.) Alluditur hìc ad processum illum, quem habet ZWELFERUS *pag.* 394. *Mant. Spag.* sub nomine *sulphuris vitrioli anodyni*; qui quidem exhibet subtiliorem crocum Martis aperitivum, non tamen anodynum.

Mineris.] Mineræ omnes abundant sulphure acido communi: hocce ergo potest separari. Sed est sulphur commune, non verò istud anodynum.

Vitrioli crudi.) Nempè ex vitriolo crudo cum sale ammoniaco elevantur juxta SCHROEDERUM *l. a. p.* 493. *n.* 3. flores vitrioli crudi; qui tamen sunt sal ammoniacum, marte vel venere imprægnatum.

Ipsa vitrioli ochra.) Hìc processus est idem cum allegato SCHROEDERI & BOYLEI, cum par sit ratio, sive terra vitrioli dulcis, sive ochra cum sale ammoniaco sublimetur.

Vitrioli essentia anodyna.) Hanc habet SCHROEDERUS *l. a. n.* 1. quæ tamen languida omninò per se est.

Ostentationem potius, pag. 565.) Scilicet quantum hactenus ex processibus constat, nondum genuinum sulphur vitrioli parare scimus. Equidem Belgæ affectant oleum seu sulphur vitrioli anodynum ex oleo vitrioli, oleo terebinthinæ misto; quem modum etiam describit BARTHOLINUS *in Epist. Cent.* 4. *pag.* 344. ast fides sit hoc in puncto penes Autorem & experientiam; & vereor, ne proveniat subtilior crocus martis, ex oleo vitrioli cum oleo terebinthinæ præcipitatus.

De elixyriis.) Scilicet elixyria composita præter spiritum vini, fiunt cum spiritu salis vel vitrioli Philosophico (qui tamen itidem est spiritus salis) convenientia affectibus splenis, pectoris, & uteri laborantibus, quibus vitriolacea nociva sunt.

Borrax, pag. 566.) Borrax habetur duplex, vel naturalis refinata saltem, vel artificialis, facta ex salibus quibusdam combinatis, ut videre est in SCHROEDERO *l.* 2. *c.* 79. *pag* 280. Cæterum hodie pro usu medico assumitur Borrax saltem nativa, ex Regno magni Mogol in India Orientali, ubi effoditur aqua quædam salina, allata, & Amstelodami per alcalia purificata: ita emergit sal salso-alcalinum, liquationi metallorum & pellendis mensibus, fœtui (positis potioribus requisitis, nempè supposito fœtus debito situ) imò secundinis quoque & molæ, fœtuique mortuo dicatum, in quibus non est ultimum remedium.

Rupicapræ pila, pag. 567.) Hanc ad partum difficilem commendat VELSCHIUS *Dissert.* 2. *de Ægagropilis*. Interim, quia ea languidior est, proinde minerale aliquod desideratur: assumant potius glaciem Mariæ, eamque in specie calcinatam, quæ Borraci addita conatum parturiendi promovebit insigniter, utut & sine illa hepar anguillæ, Borrax, & sal volatile & oleum succini, sufficere in tali casu poterunt, si quicquam expetatur. Capiatur in aqua cinnamomi, liliorum alborum, cum radice Ireos Florentinæ.

Formulæ hactenus tractatorum Alterantium, vulgò aperientium dictorum, possunt fieri tales, v. g. incipiendo ab antiscorbuticis. Sunt autem antiscorbutica spiritus cochleariæ, essentia pini, spiritus carminativus, item essentia martis cum succo pomorum Borsdorffianorum, fumariæ, syrupus scelotyrbicus Foresti, nasturtii aquatici, item serum lactis caprilli.

℞. *Spiritus cochlear. essentif.* ʒiij.
Sal ammoniac. vel *de tribus carminat.* ʒj.
M. D. S.
Spiritus antiscorbuticus.

Dentur guttulæ 40. ad 50. manè, à meridie, & sub introitu in lectum, in vehiculo appropriato.

Vel

℞. *Essent. cochlear.* vel alius *composita antiscorb.* ℥ß.
Fumar. vel *pini* ʒij.
M. D. S.
Essentia antiscorbutica.

Dosis 40. ad 50. guttulas. Vel

℞. *Solut. mart. cum succ. pomor.* ʒiij.
Spiritus cochlear. ʒiß.
M. S.
Ut anteà.

Dentur bis vel ter de die 40. ad 50. guttulæ.

Vel

℞. *Aquæ fumar.*
Cochlear. ana ℥iß.
Spiritus cochlear. ʒij.
Sal. ammoniac. ʒj.
Syrup. scelotyrb. Foresti ʒvj. M.

Capiatur cochleatim.

Similiter, si quis succos plantarum antiscorbuticarum in vehiculo appropriato propinare voluerit,

℞. *Herb. cochlear. recent.* M. ij.
Trifol. aquat.
Nastur. aquat. an. M. j.

Hæc cum s. q. *aquæ simpl.* conquassentur in mortario lapideo, & exprimantur in succum, lento igne & vase clauso per subsidentiam depurandum, hinc sulphurandum & usui asservandum. Dosis ℥ij. vel iij. imò & cum s. q. seri caprilli diluantur, & de hoc capiatur omni mane, continuando aliquandiu.

Porrò si sit præscribendus nodulus in morbis chronicis, e. g. hepaticus & spleneticus vulgò dictus, conveniens in cruditate stomachi acida, & defectu bilis, tunc

℞. *Herb. recent. fumar.* M. ij.
Absinth. M. j.
Chelidon. mai.
Summit. cent. min. an. Mß.
Rad. rhabarb. Monach. ℥j.
Caryophyll.
Helenii an. ℥ß.
Fol. senn. sine stipit. ℥vj.
Radic. belleb. nigr. non præpar. ℥ß.
Cort. rad. esul. crud. ʒij.
Sem. sinapi vel eruc. contus. ℥j.
Cinnamom. ʒij.
Caryophyll. ʒj.
Sal. ciner. clavell. vel *sal nitri fixi alcalisat.* ʒiij.
Incisa & contus. include nodulo.

Infundatur in s. q. vini; de quo capiatur omni manè ad lubitum pro scopo alterativo & laxativo.

Item

℞. *Essent. aperit. comp.* ℥ß.
Tinct. antimonii ʒij.
M. D. S.
Essentia sanguinem purificans: 40. 50. *guttæ.*

Usurpetur bis vel ter de die.

Sic in forma potionis:

℞. *Aquæ fumar.*
Flor. acac. an ℥ij.
Essent. aperit. compos. ℥ß.
Spiritus cochlear. ʒj.
Sacchari vel *syrupi* cujuscunque *appropr.* parum.

Usurpetur cochleatim. M.

Item

℞. *Magist. Martis tartarisat.* vel *vitriolat.* (Mars tartarisatus, seu sal Martis compositus aliàs dictus) ʒij.
Corall. rubr. præp. ʒj.
Olei destillat. cinnam. gtt. viij. M.

Div. in 8. partes æqu. sub nomine *Pulveris cachectici.*

Item

℞. *Tinct. mart. tartarisat.* ʒiij.
Spiritus cochlear. essentif. ʒj. M.

Dosis 40. 50. guttæ bis in die, manè jejuno ventriculo in vehiculo calido, à meridie verò in frigido.

℞. *Aquæ fumar.* ℥iv.
Solut. mart. cum succ. pomor. ℥ß.
Magist. coral. cum succ. citr. ʒj.
Sacch. parum. M.

Usurpetur cochleatim. Vel

℞. *Pulp. passul. min.* ʒj.
Mart. crudè præpar. ℈j.
Cum s. q. *Syrup. cinam.* f. *Bolus.* S.
Bolus aperiens.

Usurpetur aliquandiu omni manè.

Si sit *Electuarium chalybeatum alterans* præscribendum, tunc

℞. *Conserv. cochl. recent.* ℥vj.
Matr. perl. præp.
Lapill. cancr. præp.
Corall. rubr. præp. ana ʒj.
Vitrioli Martis ritè parati, (potius ex minera Martis solari) ℈iv.

Cum s. q. *syrupi cichorii* F. *Electuarium.*

De quo capiatur bis vel ter in die, dosi ʒij. vel ʒiij. (lapilli verò cancrorum, corallia rubra, mater perlar. &c. præferantur perlis.)

℞. *Conserv. fumar.* ℥iß.
Mart. crud. præp. ʒiij.
Magist. corall. cum succ. citr. ʒj.
Conf. alkerm. ʒiß.

Cum s. q. *syrupi cujuscunque appropr.* F. *Electuarium.*

Potest addi *cortex citri conditus* cum *confectione alkermes.*

℞. *Liqu. Martis solar.* ʒiij.
D. S.
Essentia martialis aperitiva.

De qua primo die capiantur gtt. vj. secundo viij. tertio xij ascendendo sic ad xv. usque, ad modum acidularum naturalium in morbis chronicis, & descendendo.

℞. *Roris vitrioli sulphurei* ℔j.
Liqu. Mart. sol. ʒiij. vel loco huius *vitr. mart. solar.* ʒj.
M. D. S.
Potio acidula.

De

De quo primo manè cochlear j. altero ij. hinc iij. & sic porrò, capi possunt, & edulcorari cum pauco syrupo violarum, vel saccharo; nam si horum nimium adiicitur, præcipitatio fit.

Porrò *Pulvis stomachalis* loco plurium compositionum esse potest:

℞. *Rad. Aron. non præp.* ℥ß.
Pip nigr. ʒiß.
Zingib. ʒß.
Sal. ammoniac. in flor. elevat. ʒii.
Olei destillat. acor. nostrat. ℈j.
M. f. *Pulvis stomachicus.*

Sic *vinum stomachale* esse potest tale:

℞. *Herb. absinth rec.* M. ij.
Menth. crisp. M. j.
Rad. acor. veri recent. ℥ij. vel iij.
Cinam. acerr. aut *zingib.* aut *zedoar.* ʒiij.

Incis. & contus. includantur Nodulo, infundendo vino,
D. S.
Vinum stomachicum.

℞. *Elixyr prop. sine acido* ʒiij.
Spirit. sal. ammoniac. anisat. ʒj.
M. D. S.
Elixyr stomachale 40. guttæ pro 1. dosi.

Vlterius esto *ad menses essentia* præscribenda:

℞. *Essent. sabin. composit.* (id est ex sabina & paucis selectis) ʒiij. vel iv.
Myrrh. cum spirit. vini tartarisat. parat. ʒii.

Dentur gutt. 50. bis vel ter de die.
Vel

℞. *Vitrioli martis tartarisat.* ℥ß.
Myrrh. elect. ʒj.
Croci ℈j.
M. D. S.
Pulvis aperiens.

Vel pro partu promovendo:

℞. *Pulu. hepatis anguill.* ʒj.
Borrac. Venet. ℈ij.
Myrrh. ℈j.
M. pro duabus uel tribus dosibus.

Vel adde ʒi. *rad. ireos Florent.* pro 4. dos. Vehiculum esto sequens:

℞. *Aquæ puleg.* ℥iß.
Aquæ cinnam. spirituos. ℥ß.
Spiritus secundin. human. ritè per putref. parat. ʒj.
Sacch. parum.

Misceantur pro vehiculo dictorum Pulverum.

Porrò sit sit præscribendum *Decoctum pectorale aperitiuum*, & *incisivum*, quodammodo vulnerarium, tunc

℞. *Herb. scabios.* M. ij.
Heder. terrestr. M. j.
Rad. helen. ℥iß.
Ireos Florent. ʒvj.
Sem. anis.
Fœnic. an. ʒiij.
Coqu. in s. q. aquæ simpl. Colat.

℞. ℔iß. adde
Oxym. squillit. ritè parat. Ludov. q. s. pro gratia saporis.

Hauriatur pro lubitu
Item

℞. *Aquæ hyssopi* ℥ij.
Veron. spirit. ℥i.
Spir. virid. ær. vel *asthmat.* (ex viride æris, gummi ammoniaco & sulphure) ʒj. ad ʒiß.
Syr. Nicot. ʒiij.
M. D. S.
Potio pectoralis resoluens.

Vsurpetur cochleatim.

Similis esto *mistura pectoralis* resolvens in affectibus asthmaticis convulsivis:

℞. *Aquæ hyssop.* ℥ij.
Veron spirituos. ℥i.
Spirit. sal. ammoniac. vel *simpl.* vel *anisat.* ʒj. vel ʒij.
Syrupi hyssopi ʒiij.
M.

Mistura pectoralis expectorans in tussi & asthmate humido:

℞. *Aquæ hyssop.* ℥iii.
Veron. ℥j.
Asthmat. composit. ℥ß.
Oxymel. squillit. ℥j. ad ℥iß.
Syrup. Nicot. ʒvi.
M.

Julepus alterans in morbis acutis:

℞. *Roris uitrioli sulphurei acidi* ℔i.
Infunde huic
Flor. uiolar. vel *rosar.* vel *papau. rhœad.* M. iß.

Stent in vase clauso in loco tepido ad extractionem tincturæ suavissimæ; colaturam recipe, & adde

Syrup. uiolar. vel *rubi Idæi*, q. s. nempè ℥i. ℥iß. ad ℥ii.
M. D. pro Julepo.
Vel

℞. *Aquæ fontan.* ℔i.
Spirit. uitrioli ʒi. ad ʒii.
Sacch. alb.
Vel loco huius.
Syrup. uiolar. vel *papau. rhœad.*
q. s. ad gratum saporem.

Tandem in morbo benigno vel maligno:

℞. *Spirit. uitrioli cum nitro coagulat.* ʒi.
Bez. min. ℈i.
M. pro 3. dosibus.
D. S.
Puluis alteratiuus.

TITULUS XVIII.

DE

ROBORANTIBUS CALIDIS, ALIAS CARDIACIS, QUÆ SIMUL INTERNE CARMINANTIA, EXTERNE RESOLVENTIA SEU DISCUSSIVA ESSE SOLENT.

Roborantia, *pag.* 568.] Circa corroborantia remedia notandum, quod sint illa, quæ vires vitales reficiunt & conservant. Jam verò vires proximè & immediatè, adeòque formaliter, consistunt in spirituum influorum impetu & vigore; sicut remotè & mediatè, adeòque fundamentaliter, in sanguine & ex hoc cæteris derivatis succis; nam prout hic se habet, ex eo etiam generantur spiritus, vel eò magis vel minus vires sibi constant. Cum autem spiritus generentur ex sanguine per ejusdem motum fermentativum, multum simul eò conferente aere inspirato, hinc, prout motus ille fermentativus plus vel minus deficit, vel depravatur, & spirituum & virium variat ratio. Roborantia ergo omnia vel in spiritus agunt, vel in sanguinem, adeoque defectibus hisce spirituum, & sanguinis fermentativo motui occurrentia remedia dicuntur Roborantia: de quibus conf. WILLISIUS *Pharm. Rational. Volum.* 1. ubi de corroborantibus seu cordialibus. Sufficit hac vice respectu spirituum consideraſſe hæc ipsa. Sunt autem remedia illa corroborantia respectu motus sanguinis fermentativi in duplici differentia: vel ea, quæ fermentationem vitalem & spiritualscentiam sanguinis intendunt; vel quæ eandem exorbitantem in morbis, v. g. acutis, refrænant & sistunt: ubi priora ab effectu dicuntur *Corroborantia calida*; posteriora *Temperata* seu *Frigida*. Et quidem calida sunt, quæ aliàs vocantur aromatica, sale volatili admodum oleoso, indeque blando temperato turgida, & propter hanc sui temperaturam universo corpori & omnibus ejus partibus nerveis amica: frigida autem corroborantia moderatè sunt acida, aut temperata quasi nutritiva, aut moderatè figentia, aut impetum humorum sistentia. Confortantia dicta calida oleo suo salino temperato spiritus aut deficientes augent, aut torpidos motuque delinquentes quasi excitant; quæ & ipsa suo modo sanguinis motum fermentativum ejusque spiritualscentiam promovent & augent, spiritualscentiæque effectum, nempè calorem, intendunt. Frigida verò spiritus nimis efferos, & impetuosè motos, indeque facilè dissipabiles, quasi refrænant, & hinc sanguinis cæterorumque humorum motum, tàm intestinum quàm localem, impetuosiorem sistunt, eum inspissando, & quasi volatilia salia figendo, sicque calorem coercendo. De prioribus AVTOR *noster* pro nunc agit, dicunturque aliàs *nervina*, quatenus duobus nervorum hostibus abjuratis, nempè frigido & acido, optimè resistunt, horumque nocumenta optimè delent, acida enim temperant, & oleositate balsamica partes nerveas à frigore defendunt: imò eadem aromatica internè usurpata ab effectu simul vocantur *carminantia*, seu *flatuum resolutiva* & *discussiva*; sicut externè eadem adhibita *Resolventium* & *Discutientium* nomine veniunt. Et *Carminantia* quidem nominantur, quatenus acidum viscidum, ex quo materialiter per fermentationem elevantur flatus, incidendo & temperando corrigunt, proventumque eorum inhibent: *Resolventia* verò, quatenus eadem externè sale suo volatili oleoso penetranti humores quacunque ratione stagnantes resolvunt, adeoque insensibiliter per poros corporis evanescere faciunt: & dum sunt Nervina, sunt *Cephalica*, *Hysterica*, & *Stomachica*.

Sunt ergò confortantia calida cinnamomum, caryophylli, nux moschata, costus Arabicus, vulgò canella seu cinnamomum album, cubebæ, cardamomum, & hinc cœtera quælibet aromata, tam propriè dicta quàm his analoga aromatica alia, ut radix angelicæ, imperatoriæ, &c. item omnia nervina *Titulo sequ.* dicta vegetabilia; item semina 4. calida majora, cortices citri & aurantiorum, chamomilla, mentha, melissa, &c. item ambra, balsamus Peruvianus, Styrax calamita, &c. His etiam addi solent galanga, ma-

malabathrum, agallochum, cardiaca, femen coriandri, laurus, anethum, bafilicum, thee, coffee, balfama, mofchus & zibethum; item gummi animæ, balfamus de capaiua, Werefina caranne, cancamum, gummi elemi, &c.

Ex his ergò inter pręparata polychrefta fit aqua quædā apoplectica feu cordialis dicta ex fpiritu vini abftracto à floribus liliorum convallium, fpicæ, maioranæ, cinnamomo, caryophyllis, mace, &c. & aqua cinnamomi ritè parata: item inter effentias, elixyria, vel tincturas eft effentia ambræ cum fpiritu liliorum convallium vel rofarum parata; item Effentia cinnamomi ex oleo eius cum fpiritu proprio abftracto tartarifato parata; item puluis confortativus ex cofto, caryophyllis & ambra, cum elæofaccharo quodam compofito miftus; item pro ufu externo balfamus confortativus feu cordialis ex oleo deftillato cinnamomi, caryophyllorum, &c. cum oleo nuciftæ expreffo exceptis, & ita ufurpatis.

Cinnamomum.) Hoc eligit AUTOR tàm in fubftantia, felectius nempè illud, quàm in aquam fpirituofam, imò & oleum ritè paratum deftillatum: quæ tria ex omnibus Præparatis cinnamomi fufficere poffunt. Ac quidem præferenda eft aqua cinnamomi cum vino per veficam deftillata elixyrio cinnamomi, fyrupo & tincturæ eiusdem fimplici; quæ omnia videbitis in ZWELFERO: cum contra reliqui conatus cum bugloffa aut cydoniis inftituti fint vani, nec nifi phlegma iners ex iisdem pro fcopo analeptico non conveniens, furgat.

Balfamo, pag. 569.) Ex oleo cum corpore conveniente fit *Balfamus*; cum faccharo verò *elæofaccharum* promptè parari poteft.

Cayophylli, pag. 570.) In fubftantia, aqua cum vino deftillanda, & oleum funt egregia.

Extractum.) Extractum nil valet.

Nux mofchata.) Ufurpatur tàm in fubftantia, quàm in duplici oleo, expreffo nempè & deftillato; quæ fufficiunt loco oleorum omnium aromaticorum: imò oleum macis expreffum præftat idem, quod balfamum mofchatæ, ficut perinde eft, five eiusdem nucis oleum deftillatum, five macis affumatur. Interim cùm oleum nucis mofchatæ pinguius & concentratius fit, quàm caryophyllorum, hinc illud per alembicum non deducibile, reddit aquam deftillatam præ cæteris aromaticorum Aquis remiffiorem. Porrò magma in deftillatione Nucis mofchatæ vel macis aquæ fupernatans inftar faponis, pro ufu Medico eft iners: commodè autem pro corpore balfamorum aromaticorum in ufum vocari poteft; nam eadem eius ratio atque corporis illius cum fpiritu vini aliàs extrahendi, quia per fpiritum vini omnes vires extrahuntur: vel expreffum nucis mofchatæ oleum per fe affumitur pro balfamis compofitis, ita ut huius f. q. addatur *oleum deftillatum cinnamomi, caryophyllorum, cubebarum* &c. quibus addi poteft, quod tamen non laudo, *zibethum & mofchus.*

Tandem Nuces mofchatæ in India conditæ benè quidem fapiunt fanis: aft non conveniunt ægris, utpotè quibus magis conveniunt crudæ nuces in pulvere.

Galanga minor, pag 571.) Galanga minor acrior eft majori, & magis aromatica, prodeft in affectibus flatuofis, hypochondriacis & hyftericis pro fcopo carminativo, tàm in fubftantia, quàm in infufo.

Extractum.) Extractum galangę debile eft.

Cubebæ.) *Cubebas* longè fuperat cardamomum minus ratione virium aromaticarum, utut & illę exhibeant paucum olei deftillati penetrantiffimi.

Species diacubebæ.) Vid. *Schrœderus lib. 2. pag. 273.* Hoc quinario AUTOR claudit felectum.

Litigiofa Caffia.) Scilicet de Caffia lignea, feu de Xylocaffia quæritur? *an eadem fit cum cinnamomo?* Aft MICHAEL FEHRIUS *pag. 157. Tract. de fcorzonera* differentiam inter hæc monftrat. Interim cinnamomum caffiæ locum facilè fupplere poterit.

Anthophyllorum, pag. 572.) Anthophylli funt relicta ftamina caryophyllorum; de quibus vana eft perfuafio, quafi præferendi effent caryophyllis; iis enim non funt præftantiores.

Cypero.) Loco cyperi galanga effe poteft.

Amomo.) Amomum veterum quid fit? litigant.

Malabatro.) De malabatro vid. SCHROEDERUS *l. 4. Claff. 1. pag. 112.*

Granis Paradifi.) Grana paradifi funt cardamomum maius, ficuti minus κατ' ἐξοχὴν cardamomum dicitur.

Cofto.) *Coftus Arabicus* eft *duplex, dulcis* & *amaricans*; cum tamen reuerà omnis fit amarus. Interim, quare dicatur alteruter dulcis? dilucidat VELSCHIUS *Hecatoft. 1. Obf. 18.* quod refert Arabibus dulce, quafi minus amarum, dici.

Canella alba.) Canella alba feu cinnamomum album infervit Medicis fub vifitatione ægrorum in morbis contagiofis linguæ fubdita: Acrior eft cinnamomo, dicitur coftus Arabicus verus.

Ligno Aloes.) Lignum aloes refinofum & genuinum cum rarò ad nos afferatur, propterea eius ufu carere poffumus omnino.

Extracto refinofo, pag. 573.) Refina ex ligno Aloes genuino eft egregium confortativum, fingulari aromaticā vi toti corpori amicum.

Aquis diaxyloaloes,) Vanus eft labor, quia lignum hoc confiftit in refina aromatica, quę alembicum non tranfcendit: *Autor eft* MYNSICHT. *pag. 289.*

Species.) Species Imperatoris veterum vel recentiorum inftar omnium fufficiunt.

Hypochondriaci, fumofa illa odorifera, pag. 575.) His, uti & phlogofi vagā, nunc à paftū, nunc intermedio tempore correptis, qui de affectibus capitis, vel aliis per confenfum ftomachi & primarum viarum conqueruntur, hæc oleofiora aromatica minus conferunt, eò quod capitis perturbationes & phlogofes tales magis exacerbentur: quin potiùs illa volatilia macra, feu falia volatilia non oleofa, uti eft fpiritus falis ammoniaci, vel fpiritus carminativus de tribus, aut tartari volatilis, &c. aptiora funt, quia ifta aromatica oleofa nimis feriunt caput.

Plethoricis.) Scilicet fi quis plethoricus eft, vel cholericus feu biliofus, & pronus ad apoplexiam, tunc planè non fert falia volatilia oleofa internè, utut illa externè optimè ferat, fed potiùs macria volatilia. Una ergo formula pro omnibus fufficere poteft; cui pro diuerfa intentione varia poffunt addi, & ex eadem varia componi, v. g. Electuaria, Morfuli, &c.

Cuminum.) Semen cumini menfes cum difficultate fluentes, & tormina abdominis convulfiva iuncta, item tormina parturientium notha, egregiè compefcit, in cerevifia calida ebullitum, & propinatum.

Aquarum deftillatarum, pag. 578.) Inter fpirituofas aquas omnes una felectior omnium vices fupplere poteft; quippè cum illæ omnes nihil fint aliud, quàm olea deftillata mediante fpiritu vini refoluta, indeque pro illarum varietate variant; hinc una ex compofito quodam felectiore cum fpiritu vini ritè deftillata fufficere poteft, nempè in arena repetitā cohobatione cum eodem abftracta. Optimè deftillantur herbæ, quando flores decidunt, & femina incipiunt generari; tunc enim in his magis concentratur oleum.

Aqua vitæ alba.) *In Pharmacia Auguftana* vocatur aqua vitæ compofita, quæ inftar reliquarum omnium fufficit; hinc ad imitationem eius plures aliæ poffunt cōponi, quæ tamen nullam habent prærogatiuā. Affunditur fimplex uini fpiritus fpeciebus pro aqua vitæ alba, & fimplici deftillatione per arenam deftillantur, habebitur aqua talis optima.

Carbunculi, pag. 580.) Huic aquæ parandæ non addi debent aliæ deftillatæ aquæ phlegmaticæ; item auri folia, perlæ, &c. quæ omnia funt fruftranea, quia in deftillatione nil dimittunt.

E Nervinis.) Pro affectibus nervinis huiufmodi aqua fpirituofa poteft fpecificari, fi fpecies nervinæ ulterius infundantur in fpir. vini, & fic tali aquæ addatur.

Effentia camphoræ, pag. 581.) In modo contractiori Effentia camphoræ, vel fpir. vini camphoratus, pro ufo externo optimè conveniet. Aqua apoplectica fpirituofiffima promptè abforbet olea deftillata; aliàs phlegmatica eadem exiftens non eft hifce mifcibilis.

Aqua acouftica.) Aquam acuifticam Mindereri videbitis in MYNSICHTO & ZWELFFERO: fed fufficiat fimplex Infufio neruina in fpir. vini, in affectibus tamen aurium fufficit vel fimplex fpiritus falis ammoniaci probè calefactus, per vitrum anguftioris orificii feu colli, auribus admotus.

Embryonum balfamo.) Huius compofitio quidem famofa eft, dum crufta panis eidem intincta umbilico gravidæ imponitur, pro fœtu roborando in puerperio; itemque pro doloribus poft partum: Attamen & rifum meretur.

Aqua pro epithemate.) Epithemata non amplius funt in ufu, quia facilè frigefiunt, hinc poros cutis ftringunt, unde horror & rigor. Horum ergò loco ufurpentur potius olea deftillata, vel facculi ex aromaticis calidiffimè in forma ficca applicandi.

Aqua eius, pag. 543.) Eligit AUTOR *nofter* menthæ aquam, quæ ex recenti mentha ritè deftillata pluribus in ufibus optima fit.

Spirituofior.) Aqua menthę paratur faltem cum fpiritu vini, aliquoties hunc ab illa recenti abftrahendo; fic enim oleum menthæ diffolutum continebit. Parari poteft cum galanga propter vim maiorem, quam poffidet.

Syrupus.) Syrupus menthæ propter virium jacturam nil valet. Conferva eft naufeofa: Extractum eft euanidum.

Deflorefcente ferè herba, pag. 583.) Scilicet qui volunt olea deftillata ex noftratibus herbis aromaticis habere, deftilllent has, dum flores decidunt, & femina incipiunt generari; tunc enim in his quafi concentratur oleum.

Gladioli, pag. 585.) Gladiolum quidam loco calami aromatici & acori veri, fed fatis miferè, fubftituunt.

Acorum noftrum.) Acorus noftras egregium eft fimplex; apud nos enim non invenitur acorus verus, fed Amftelodami aliquando.

Electuarium Diacori.) Stomachicum eft non contemnendum: Nam conftat fimul radice acori adftrictoriā, & adjunctis fimul aromaticis. Aliàs, qui fimplicius vult, capiat faltem acorum verum conditum; fic enim manè deglutitus eft egregium ftomachale.

E feminum carminantium cenfu.) Ex his eligit AUTOR *nofter* carum & fœniculum, horum nempè femina, tam in fubftantia, quàm in fpiritibus abftractitiis & oleis deftillatis. Interim hifce ego adderem fimul neglectam chamomillam, ceu fimplex polychreftum neruinum corrigens acidum neruis inimicum, uterinum, & inteftinale anodynum: cuius aqua deftillata fpirituofa & oleum fapphi-

sapphirinum, imò & ipsum decoctum egregium est. Aut etiam addit melissam, tanquam basin remediorum uterinorum, & ex his parat spiritum, nunc solitarium, nunc cum aliis compositum. His quoque citrum addit.

Carvi.) Carvum simplex est egregium aromaticum, & penetrans singulare in acido nervorum corrigendo, & flatibus discutiendis: crescit ubique. In Clysteribus carminativis & hystericis oleum destillatum carvi est proficuum.

Præ aniso, pag. 586.) Huius tamen oleo pro scopo pectorali oleum fœniculi præferendum est.

Fœniculum pro oleo; aquæ simul profluentis particula ophthalmicos in usus reposita.) Aniso AVTOR *noster* addit semen fœniculi, ex quo paratur aqua & oleum: aqua externè pro usu ophthalmico, oleum verò non inefficacius est oleo anisi; utut pro scopo pectorali anisum eligendum sit.

Balsamo fœniculi.) Scilicet sunt, qui ad imitationem earum essentiarum vegetabilium concinnant horum oleum, sal, & extractum in balsami consistentiam; quo de confer. HARTMANNVS *Prax. Chym.* & HORSTIVS *in Observat. pag.* 558. quo loco prostat & præparatio & usus balsami fœniculi. Interim cùm maxima talium balsamorum vis dependeat ab oleo ingrediente destillato fœniculi, proin hoc in illorum vices commodè substitui poterit.

Vmbellis seminibusque anethi, pag. 587.) Anethum usu & effectu reverà convenit cum cumino, saltem, quod aliqualem vim anodynam simul possidere videatur; unde oleum anethi in doloribus leniendis, item clysteribus anodynis in usu est. Externè etiam temporibus illitum ad somnum conciliandum commendatur: sed necesse est, ut pro his usibus oleum sit recens.

Coriandro.) Semen coriandri est basis tragearum stomachalium; quia dicunt, inhibere vapores adscendentes: sed malè. Hoc saltem observandum, coriandri semen capiti nocere, hocque quasi obnubilare seu turbare; propterea veteres semen coriandri in aceto infundendo corrigere & præparare voluerunt: sed reverà correctio hæc videtur seminis, aliàs non inelegantis, castratio; nec vis ejus capiti inimica tanti videtur, ut propterea tam speciali præparatione indigeat.

Lauri baccis.) Lauri folia, & præsertim baccæ, propter vim aromaticam, in sale volatili radicatam, in multis conveniunt cum sæpè laudatis aromaticis: partibus nerveis amica sunt, unde & utero egregiè conveniunt. Hinc oleum ejus præsertim destillatum, pubi & pectini muliebri illitum, sterilitati, uteri inflationibus, mensibus cum dolore fluentibus succurrit: nervorum affectibus, præsertim paralyticis, oleum laurinum, imprimis quod coquendo elicitur, apprimè convenit, tàm solitariè, quàm cum aliis unguentis illitum. Adhæc cum sulphure subactum experimentum est triviale contra scabiem; cujus tamen tutior usus est, si simul sal tartari addatur. Aliàs more aliorum aromaticorum internè carminans, externè discussivum est egregium.

Electuarium de baccis.) Electuarium de baccis lauri notum, & modernis vix in usu est, nisi in clysmatibus pro usu carminativo & hysterico; ubi tamen ejus locum quoque oleum destillatum terebinthinæ supplere potest.

Emplastrum.) Emplastrum de baccis lauri commendatur vulgò in inflatione aliisque affectibus stomachi; sed compositio est inconcinna: vid. ZWELFERUS, qui habet correctius: hinc AVTOR *noster* præfert illud ZWELFERI correctum, subiungendo simul suam epicrisin respectu horum emplastrorum stomachalium; scilicet hæc in affectibus stomachi positivis non adeò multum prosunt, exceptis emplastris ex tacamahaca paratis, utpotè quæ in cardialgia laudem merentur. Reliqua verò superantur ab oleosis volatilibus, sive usurpentur olea solitaria, vel resoluta in spiritus; v. g. sive jam spiritus menthæ, vel simplex vel compositus, cum linteis calefactis stomacho applicetur, imponendo desuper laterem calefactum, ut impediatur refrigeratio hujus epithematis; sive oleosa calefacta ceu penetrantiora illinitione, v. g. oleum nucistæ expressum cum oleo destillato acori veri, vel menthæ, vel fœniculi, intendendo alterutrum horum per oleum destillatum macis, regioni stomachali illinantur, & hinc lintea calefacta vel lateres calefacti superimponantur.

Cataplasmatis de fermento, pag. 588) Vid. MYNSICHTUS, Ad hujus quoque imitationem aliud parant ex fermento cum aromaticis misto: imò simplex fermentum per se probè calefactum in diarrhœis & vomitu insigne est. Interim præferendi sunt his litus, tam oleosi, quàm spirituosi.

Chamomillæ Romanæ herbas.) Hoc decoctum in doloribus post partum expertum est.

Aqua oleoque.) Aqua chamomillæ tàm vulgaris quàm Romanæ, destillata quocunque modò dat oleum sapphirinum elegantissimum, quod nobile est in affectibus hystericis, colicisque.

Balneatorium pene odorem.) Alludit hìc AVTOR *noster* ad pediluvia vulgaria, quæ vulgò ferè semper chamomilla ingredi solet, quorumque odorem spiritus & aqua chamomillæ repræsentant. Ast esto; hoc tamen ejus decoctum pro usu stomachali quoque est egregium, nec minus oleum ipsum sapphirinum, quod alii addita terebinthinâ, vel adjectis segmentis parant; cum tamen illud sine his quoque acquiri possit.

Infusi olei, pag 589.) Scilicet plura olea prostant per infusionem & coctionem parata; interim ad imitationem olei ex septem floribus MYNSICHTI illa contrahi possunt, parando aliquod compositum oleum externum per infusionem saltem ex chamomillæ, anethi, & verbasci floribus, exaltandum pro re nata per oleum destillatum macis, vel alius aromatici. Oleosa pinguia sunt nobis fugienda.

Elixyria stomachalia.) Scilicet luxuriant AUTORES, sicut hoc patet ex HORSTII *Dispensat.* in horum descriptionibus, combinando iisdem semper aut spiritum sulphuris, aut vitrioli. Interim illa non sunt adeò necessaria, imò quoque suspecta, eò, quod hypochondriaci in nostro climate frequentiùs ejusmodi oleosa aromatica calida ferre nequeant sine phlogoseos invasione; unde potius loco illorum eleganter alterantia vulgaria amara, nempè absinthium, centaurium minus, gentianam, cichorium, mentham: ex quibus, præsertim eorum extractis ritè paratis, facilè per spiritum abstractivum menthæ, vel absinthii, vel calami, potest fieri infusio, Loco tamen horum omnium sufficit essentia quædam stomachalis, dissolvendo nempè in eorum alterutro, vel alio stomachali extractum quoddam efficax ex stomachalibus alterantibus paratum, & oleo competente saturatum; addendo tandem, si opus est, sal quoddam fixum; ita parata essentia sufficiet loco omnium elixyrium stomachalium. Prodest quoque essentia costi Arabici, addito sale quodam fixo.

Species, pag. 590.) Harum omnium basis sunt semina quatuor frigida carminantia majora; unde loco omnium horum semen unum simplex sufficere potest.

Diaspoliticon.) Species diaspoliticon ex semine cumini & nitro egregiæ sunt in malo hypochondriaco. Autor harum est Galenus.

Rotularum ac Morsulorum, pag 591.) Horum omnium loco sufficere potest Elæosaccharum ex oleo destillato vel menthæ, vel fœniculi, vel macis, addito cinnamomi oleo, & s. q. sacchari exceptum.

Sal contra navigantium malaciam.) Hoc habet SCHROEDERUS & HARTMANNVS *in Praxi Chym. cap. de Nausea*, sub nomine salis peregrinantium,

Pulveres præcipitantes.) Scilicet pulveres hi insipidi ex marinis constantes piæ speciebus aromaticis ideò laudem merentur, quod nostrates ex horum usu in phlogoses incidant; imò licet eosdem perferant, tamen sufficere poterunt & oleosa cum saccharo; vel si omnino speciem ejusmodi desideremus, paratur saltem ex tribus:

℞. *Cinnam.* part. iij.
Cardam. part. ij.
Caryophyll. part. j.
M. f. *pulvis*,

Hic irroretur cum modò dictis oleis: vel saltem oleum nucis moschatæ cum saccharo dat Elæosaccharum, item Trageas.

Melissa, pag. 592.) Inter uterina confortantia ferè primatum obtinet, eaque vulgaris eligitur ab Autore ex antihystericis.

Horminum.) Horminum quoque internè egregium est Anticolicum & antihystericum, præsertim spiritus vini ab eodem abstractus in passionibus hystericis mirabilis est: sicut eadem sclarea cum butyro subacta externè laudatur pro hystericis & fluore albo laborantibus umbilico illita. Sed eligit & præfert AUTOR melissam, & quidem in spiritum abstractivum destillatam; qui vel per se, vel cum aliis mistus, confusione cum aqua cinnamomi, caryophyllorum, menthæ, &c. esse potest loco misturæ antihystericæ, & Aquæ vitæ mulierum, præsertim si addatur (illis, quæ eam ferre queant) essentia camphoræ: vel per infusionem, v. g. aqua Vlmensis, quam vid in *Thonero*.

Camphoratos liquores, pag 594.] Camphora est egregia, sed non omnes eam ferre possunt.

Elixyris uterini, pag. 595.) Hysterica Elixyria plura dantur, & præsertim Crollii. Interim verò loco omnium sufficere, & ex tempore componi potest essentia melissæ, succini, &c. camphora (si camphoram ferre possunt) castoreo combinata, additis oleis quibusdam destillatis. Succinum etiam est egregium; hinc liquor cornu Cervi succinatus est egregius. Denique paratur ad imitationem BARBETTE *de Hyst. Passion. Essentia hysterica* nobilissima ex sale volatili cornu Cervi, succini, & castoreo cum spiritu vini, pro *Elixyrio uterino Crollii*.

Pilulas hystericas alterantes, pag. 596.) Pilulæ alterantes hystericæ non sunt inelegantes, eo, quod Laudanum nostrum hystericum ferè referant. Has habet ZWELFERVS, & compositio non est inconcinna.

Sunt ergo

Citrum, pag. 592.) In citro habebimus quasi generale confortativum. Corroborantia enim sunt vel aromatica calida, vel Refrigerantia & acida; quod utrumque est in citro. Quippè in cortice ejus invenimus vim confortantem aromaticam calidam; contra in pulpa & succo ejus virtutem acidam seu frigidam. Jam ergo, ut obtineamus vim aromaticam seu calidam ex citro, asservemus oleosam corti-

corticis flavi ſubſtantiam cum ſaccharo in deſideratam conſiſtentiam redactã; & pro obtinenda vi acida ſeu frigida pulpæ ſuccum acidum: quæ utraque poſſunt ex tempore haberi, & loco mille Præparatorum ex citro ſufficiunt.

Integrum cum corticibus conditum pomum.) Flaveno ſcilicet corticis citri minutiſſimè inciſa & contuſa, miſceatur cum pulpa citri, & cum ſaccharo albiſſimo clarificata fit conditum ſeu *Electuarium confortativum*,

Sequenti proportione:

℞. *Pulpæ pom. Borſdorff.* ℔iij.
Citri,
Succi citri an. ℔j.
Flav. cort. citri minutim inciſ. ℥iv.
Sacch. albi ℔iv.

Coqu. blando igne in vaſe terreo vitreato ad *Electuarii* conſiſtentiam; quod in officina Chemnicenſi ſub *Electuarii confortativi* nomine proſtat.

In noſtris officinis paratur ſine pomis Borſdorffenſibus ex ana *pulpæ* & *ſucci citri*, atque *ſacchari*, cum tertia, reſpectu pulpæ, parte *flavedinis corticum citri minutiſſimè inciſæ*, ſub nomine *conſervæ totius citri* vel *Electuarii ex toto citro*.

Liquor oleoſus, pag. 598.) Liquor ille oleoſus eliclatur ſimpliciter ex corticis flavedine expreſſione, qui per reſidentiam depuratur; ſic liquor oleoſus in ſuperficie habetur, qui cum ſaccharo in elæoſaccharum redactus, eſſe poteſt loco olei, eſſentiæ, ſpiritus, & multorum ex citro: de quo confer. ZWELFERVS *Pharm. Reg. pag.* 119. ubi refert *Eſſentiam ſaccharinam citri*. Nam ſi ſolvatur elæoſaccharum hoc in ſpiritu à citro abſtracto, habetur *elixyr citri*; non ſecus ac ipſe ſuccus citri acidus, vel recens expreſſus vel ſulphuratus pro diuturniori aſſervatione, atque pulpa citri cum ſaccharo ſubacta, eſſe poſſit loco ſyrupi acetoſitatis citri, & aliorum.

Seminibus, pag. 599.) Semina citri ingrediuntur emulſiones in febribus malignis, petechialibus, variolis, & ſimilibus.

Aurantia.) Par ratio de his eſt ac de citro, utpotè in quibus itidem duplex latitat confortativum, nempè calidum in cortice, & frigidum in pulpa ejus; ita quidem, ut ex recentibus corticibus ejuſdem compreſſione elicitus ſuccus oleoſus per reſidentiam depuratus, eſſe queat loco olei deſtillati, & cum ſaccharo ſubactus loco conditi: contrà ſuccus acidus pulpæ, vel recens vel ſulphuratus, loco aliorum ex eodem ſucco præparatorum. Internè oleum deſtillatum corticum aurantiorum ad gtt. vj. viij. contra colicam & ſtranguriam eſt optimum remedium: externè linimentum ex hoc oleo cum oleo carvi, cumini, aniſi, &c. abdominis doloribus eleganter ſuccurrit.

Croco, pag. 600.) Crocus eſt ſimplex aromaticum & penetrantiſſimum quidem in ſui ſuperficie, ſed tamen quoque magis fixioris naturæ; adeoque neutrum ſimplex, & quaſi volatile & fixum: unde & hujus extractum cum ſpiritu vini paratum non eſt genuinum, quia ſic fixior ſaltem pars remanet; quin potius rectè ZWELFERUS *Ph. Reg. pag.* 232. illud ſimpliciter parat cum aqua ſimplici, hocque inſpiſſat pro extracto croci ſpiſſo. Spiritus vini enim reſolvit olei texturam; oleum verò reſolutum maximam partem avolat: contra aqua quaſi grummoſum extractum elicit, indeque ſub hujus abſtractione non tantum experimur diſpendium, quantum, qui parat extractum cum aqua vitis. Paratur etiam cum alkali, v. g. nitri fixo, quod aquæ additum oleum diſſolvit, hinc propter diſſolutionem texturæ & oleoſitatis croci elicitur extractum minus validum. Deinde loco olei deſtillati croci, parcioris, & adverſioris propter empyreuma, ipſe flos ejuſdem pulveriſatus efficax eſt ſatis; unde oleo iſto non indigemus.

Calendulæ Conſerva, pag. 602.) Quidam conſervam florum calendulæ ceu experimentum commendant contra menſium ſuppreſſiones: ſed non adeò multi uſus eſt, quia calendula croci aliqualem ſpirans odorem, ſuperatur ab hoc.

Baſilicum.) Baſilicum recens nullius eſt uſus; exſiccatum verò & pulveriſatum, naribuſque inflatum, nunc errhinum, nunc ſternutatorium evadit.

Syriacum Balſamum.) Scilicet Opobalſamum: Balſamo Syriaco pro ingreſſione in theriacam præfertur oleum deſtillatum ſuccini; ſicut idem ſuadent *Acta Haffnienſia Vol.* 2.

Peruviani.) Balſamum Peruvianum & Tolutanum ex neceſſitate non uſurpamus, quia internè olei ſuccini, externè terebinthina & hypericum ſufficiunt.

Tolutani.) Balſami Tolutani proprietates proximè ad Opobalſami veri naturam accedere aſſerit BARTHOLINUS *Act. Haff. Vol.* 1. *pag.* 5. ſed revera rarioris eſt uſus, abundè ſufficit balſamus Peruvianus.

Vini.) Scilicet in vino pro ſcopo coroborandi duæ ſubſtantiæ conſiderandæ ſunt pro noſtra conſideratione: nempè *ſubſtantia oleoſa reſoluta*, hoc eſt ſpiritus vini; & deinde *ſubſtantia ſalina acida*, mater exiſtens tartari, aceti, terræ foliatæ, & ſalis eſſentialis. Jam verò quoad *primam partem*, *ſpirituoſam* nempè, vinum eſt corroborans, cordialium calidorum non ultimum, conſtituitque illud quorumcunque liquorum ſpirituoſorum, & aquarum vitæ, epilepticarum, &c. baſin. Cæterum pars ſecunda, ſubſtantia nempè acida naturâ volatilis præbet virtutem confortativam frigidam, ratione cujus vinum, imprimis Rhenanum, in morbis acutis malignis febribuſque continuis optimum eſt analepticum, ut inſanire mihi videantur omnes illi, qui vini generoſioris uſum ejuſmodi ægrotantibus recuſant exhibere; cùm acidum illud vini, præter vim dictam analepticam & ad ſudorem & ſomnum hos diſponat, non ſine euphoria inſigni. Adeoque dixerim penè, quæcunque remedia cum vehiculo vini in talibus caſibus ægris propinanda eſſe.

Spiritus è fæcibus cereviſiæ, pag. 603.) Ideoque ex cerealibus paratos ſpiritus, præter illum ex vino præcisè deſtillatum, Autor noſter pro uſu medico ſeligit, dicendo: hos æquè validos eſſe, ac ſpiritum vini.

Quintarum, pag. 604.) Scilicet PARACELSUS *l.* 3. *de vita longa* tradit, ex vino poſſe elici Quintam Eſſentiam vini in forma olei, ſic quidem, ut ex vini ℔j. vix acquiratur ʒj ſupernarante reliquo nil niſi phlegmate: Aſt, quemadmodum dictus PARACELSVS in re facti eſt veriſſimus, ita alii hinc decepti, acquiſiverunt ſaltem oleum vini: de quo conf. SCHROEDERVS *l.* 4. *ubi de vino.*

Fæcum polychreſtarum.) Ex fæcibus vini poteſt deſtillari ſpiritus vini generoſiſſimus per veſicam: vini autem fæces, poſt deſtillationem ſpiritus remanentes, exſiccatæ dant adhuc ſpiritum volatilem, & ſal tartari volatile egregium: quod ſal tartari quando in ſpiritum diſſolvitur, obſervatur notabilis differentia; in fundo enim eſt liquor craſſus, qui eſt phlegma cum ſale, in ſuperiore verò parte eſt liquor ſubtilis ſpirituoſus, qui poteſt ſeparari, vel etiam poteſt rectificari ſuper ſal tartari, ubi ſpiritus vini dephlegmatiſſimus prodit: caput mort. ſi indatur retortæ, & ultimo ignis rigore tractetur, prodit (1.) phlegma, (2.) verò guttæ craſſæ oleoſæ flaveſcentes, exactè alcali tartari referentes.

Combinatio, pag. 605.) Scilicet uſurpatur ſpiritus vini nunc ſolitarius, nunc junctus cum ſpiritu ſalis acido, qua ratione emergit *aqua temperata Fratris Baſilii*; nunc cum ſpiritu aut ſale volatili urinæ, atque hac ratione vocatur *ſpiritus vini microcoſmicus*: Conf. SCHROEDERVS *l. c.*

Oleoſitatis, pag. 606.) Scilicet ſunt, qui multum virium cordialium oleo vini tribuunt; quod tamen tanti pretii non eſt, cum ſpiritus vini ſit oleum reſolutum, oleum verò vini ſpiritus vini concentratus, & facilè beneficio ſpiritus vitrioli parari queat; ſicuti hunc modum habet WILLISIVS, *pag.* 162. *Pharm. Rat.* & ejus ratio eſt, quod ſpiritus vitrioli abſorbeat phlegma ex ſpiritu vini, hinc ſpi. vini concentretur & coeat in corpus oleoſum ſupernatans, quia liberatur à phlegmate anteà diſcontinuante.

Vini meliorationi.) Notat hìc AUTOR GLAUBERVM, parantem ex *oleo vini* & triplo ſpiritus vini *animam* ſuam *vini* pro melioratione vinorum & muſtorum & in generoſiſſima vina tranſmutatione, itemque pro cordiali: aſt malè; quemadmodum enim ſpir. vini vino infuſus hujus mutat ſaporem, ita & anima illa vini muſto addita ſapore nauſeoſum conciliat, *experientia teſte*. De vino ulterius vid. BECHERVS *Phyſica ſubterranea.*

Saccharatis ſollicitare, pag. 607.) Sunt, qui vinum languidius meliorare geſtiunt per ſaccharum, putantes illud de novo fermentativum: aſt inanis eſt labor; quia vino ſaccharum nil fermenti addit, deficiente nervo, nempè tartaro: de quo conferatur BECHERVS *Phyſ. ſubterr. de Fermentatione*; ubi diſtinguit vinum in ſubſtantiam ſummam, mediam, & infimam, hoc eſt, tartaream.

Tartarus in vini reſiduo) Cryſtalli vinoſi nil ſunt aliud, quàm tartarus vel cremor tartari purificatus.

TITULUS XIX.

DE CEPHALICIS, ANTEPILEPTICIS, ET NERVINIS.

INter *cephalica nervina, pag.* 608.) Nervis & cerebro, ac inde compoſitis & oriundis membranaceis partibus, externè frigus, internè acidum quodcunque inimiciſſimum eſſe ſolet; unde & dolores & ſpaſmi ſive convulſiones pro fomitis ratione nunc per eſſentiam, nunc per conſenſum, nunc vagi, nunc fixi, tàm internarum, quàm externarum partium, originem ducunt. Conveniunt ergò his malis tam abſorbentia, ſpeciatim partes animalium duræ, quàm invertentia ſalia volatilia cum anodynis, tam mineralibus quàm vegetabilibus juncta, & tandem temperantia & tonum fibrarum conſervantia ac reſtituentia oleoſa, præſertim volatilia & ſpirituoſa, adeòque aromatica vegetabilia, ſpeciatim Nervina, item cephalica dicta.

Conducunt ergo affectibus neruinis ex Regno vegetab. lilium convallium, ſpica ſive lavendula, majorana, roſmarinus, ſerpillum, ſalvia, viſcus coryli, pęonia, maſtix: Quibus etiam ſunt qui addunt marum, thymum, ſaturejam, origanum, ſtœchades, caryophyllatam, flores tiliæ, primulam veris, betonicam, ſquamariam, nigellam, antirrhinum, anacardium, euphraſiam, verbenam, anagallidem, &c.

Ex Regno Animali conveniunt castoreum, formicæ, unicornu verum: quibus addi solent hirundines, item animalia epileptica quædam, alce, trutta, rana, catus, ursus, erinaceus, pavo, &c.

Ex Regno minerali cinnabaris antimonii, aliaque sulphurea mineralia plus minus anodyna, ut succinum, &c.

Externè pinguedo anserina, canina, humana, viperina, tacamahaca, &c. quibus quidam addunt opoponacem, thus, sarcocollam, asam fœtidam, &c.

Ex his facilè in tanta farragine remediorum, ad hanc classem pertinentium, selectus inter pauca Præparata potest institui. Sic aqua quædam spirituosa, seu spiritus ex istis compositus cephalicus, vel elixyr cephalicum cũ spiritu salviæ & liliorum convallii paratum, loco mille aquarum cephalicarum & antiepilepticarum erit: cui pro lubitu castoreum nunc sociandum, nunc omittendum est: Item pulvis quidam cephalicus seu epilepticus selectior componendus ex cinnabari antimonij vel nativa cum unicornu vel cranio humano præparato, & sale volatili succini vel cornu cervi invicem mistis factum: Item loco spirituum urinosorum, saliumve volatilium liquor cornu cervi succinatus erit optimus. His ipsis in urgentiore affectu & opiata pro lubitu facilè addi possunt.

Pro vehiculo talium remediorum aqua quædam simplex concinnior serpilli vel salviæ inserviat.

Pro usu externo aqua quædam articularis spirituosa composita cum formicis, item cum spiritu salis ammoniaci mediante calce vivâ parato jungenda: item galbanetum *Paracelsi*, unguentum anodynum *Autoris pag.* 628 sufficiunt, promiscuè cum pinguedine humana vel viperina subigenda. Emplastri loco vel emplastrum de galbano, vel ex tacamahaca, vel emplastrum diasulphuris Rulandi optimo cum successu usurpantur.

Eligit verò AUTOR lilium convallium pro spiritu abstractitio; hinc spicam nostratem utramque pro spiritu itidem abstractitio & oleo destillato; Majoranam, serpillum, Rorem marinum pro oleo destillando.

Lilium convallium.) Lilium convallium rore matutino madidum (ros enim hic est quasi menstruum promovens spiritus illius elevationem) destillatur cohobatione frequentiore cum bono vino in spiritum abstractitium, & frequentiùs à floribus rore madidis cohobatur, præsertim cùm ejusmodi aromatica nervina non opus habeant fermentatione, quia substantia illorum oleosa facilè avolans spiritum inertiorem sic reddit.

Oleo tædioso.) Oleum admodum est paucum; & mirabile est, integrum cophinum liliorum convallium vix dare ℈ß. olei, cujus rationem dicunt vulgò esse, quod polleat illud sulphure mercuriali volatili. Et sanè ejusmodi Nervinorum oleum nunc est à sale volatili juncto magis concentratum, nunc defectu salis à phlegmate dilutum, quorum illa, quò magis fricantur manibus, eò magis olent, & exsiccata odorem fortiorem retinent, v. g. mentha, spica, &c. dantque hæc destillando olea destillata: è contrà, quæ habent in superficie magis existentem quasi odorem, sulphur odoriferum minus à sale volatili concentratum, sed à phlegmate dilutum obtinent, illa post frictionem perdunt odorem, sicut & post exsiccationem sui, neque ex his oleum destillatum potest acquiri: ac talia sunt lilia convallium, rosæ, narcissus, hyacinthus, jasminus, basilicum ipsum, &c.

Spica.) Spica excellit, eaque tam mas vulgaris, quàm fœmina seu lavendula: Ex utraque fit spiritus abstractitius & oleum destillatum. Et quemadmodum hoc oleum tam externè contra pediculos & senibus in paralysi artuum, quàm internè in hystericis affectibus est polychrestum; ita si misceantur spiritus liliorum convallium part. iij. cum parte j. spiritus spicæ ritè parati, prodit *aqua apoplectica* seu *cephalica Autoris*, basis quarumcunque aliàs Aquarum compositarum.

Tres hirundinum aquæ, pag. 610.) Aquæ tres hirundinum famosæ sunt pro usu hysterico & epileptico. Interim si aquę nostræ apoplecticæ xe spiritu liliorum convallium & spica, addiderimus spiritum cum sale volatili cornu Cervi, & castoreum, habebimus *aquam antihystericam*; vel tandem acetum rutaceum, vel phlegma vitrioli, habebimus acidam; & sic porrò: item si addatur castoreum cum liquore cornu Cervi succinato, erit antihystericum optimum.

Maioranæ herba, pag. 612.) Majorana in spiritu abstractitio pro catarrhalibus capitis affectibus est egregia; sicut & oleum ejusdestillatum prodest in affectibus narium, obstructione earum, polypo, coryza, odoratuque deficiente, tam per se usurpatum, quàm cum corpore in formam balsami redactum.

Maro.) Marum, speciatim Syriacum, simplex aromaticum nobilissimum est. Vis ejus penetrans est & odorifera, qualis in nullo alio simplici deprehenditur, ita, ut meritò quibusvis essentiis & spiritibus cephalicis addenda fuerit, utut propter raritatem rari sit usus.

Thymi, satureiæ.) Hæc reverà inter se & cum serpillo cognata sunt, vi aromatica & nervina egregiè pollent: unde omnia ea, quæ de serpillo dicenda, etiam hîc applicari possunt; magis tamen oleosum subjectum thymus, quàm serpillum esse solet.

Serpillum.) Serpillum nostras prodest contra affectus catarrhales chronicos: pro *spiritu* verò abstrahendo inservit rore matutino madidum, sæpius spiritum vini à nova herba madida cohobando, cum quo hinc D. D. MICHAELIS ex ligno sassafras paravit *essentiam* suam *catarrhalem*, dosi ʒß. ad ʒj. imperando desuper sudorem, egregiam.

Origano, pag. 613.) Par ferè est hujus cum serpillo & majorana vis: ratio, dum vi aromaticâ nervis, ventriculo, affectibus flatulentis, &c. conveniat. Nobilius est Creticum: interim tamen nec nostras reijciendum.

Stœchade Arabica.) Stœchas Arabica, & hodie Gallica, egregium est atomaticum volatile, indeque capitis & uteri morbis speciatim dicata, quatenus & caput roborat, & uterinis affectibus, imprimis mensium suppressioni & sterilitati, succurrit.

Citrina.) Stœchas citrina rari usus est.

Tiliæ floribus.) Tiliæ flores speciatim recensentur inter remedia cephalica, unde aqua & horum spiritus contra epilepsiam, item contra vertiginem, subinde usurpari solet: hinc etiam *syrupus tiliæ epilepticus Cnoeselij* egregius prostat in M. A. N. C. *Ann.* 6. *Append. Tit.* 7. *pag* 52.

Veris primula.) Primula veris non incommodè à quibusdam vocatur verbasculum, quatenus vi anodynâ flores, idemque verbascum, præstare possunt: unde in affectibus capitis unà cum aliis usurpari solent, & speciatim in paralyticis morbis internè & externè solent commendari.

Salviæ, pag. 614.) Salvia est aromaticum oleosum elegans, capiti ac nervis speciatim dicatum, adeoque in morbis, ut vocant, capitis frigidis, quales sunt vertigo, apoplexia, paralysis, &c. nobilissima est salvia, internè & externè usurpata. Sanè essentia salviæ seu elixyr cum spiritu proprio paratum, contra vertiginem senum est elegans remedium. RULANDUS monachum epilepticum solo vino salviato integrè curavit. *Spiritum vitæ salviatum*, item *aquam epilepticam salviatam* describit DEODATUS *in Panth. Hyg.* adeoque textura sua oleosa volatili partibus nerveis in robore conservandis, & acido istis inimico temperando est salvia egregia. Ut taceam, eandem & utero, ut potè corpori nervoso, suo modo convenire, dum non secus ac rosmarinus sterilitati confert.

De betonica emplastro, pag 614.) Scil. Betonica inter vulneraria cephalica recensetur vulgo; illam tamen minoris æstimat AUTOR *noster*, substituendo vel sacculos cephalicos alios, sine ingrediente betonica ex recentis. fœni semine, quod constat utplurimum semine trifolii pratensis, confectos, pro scopo externo, nempè discutiendi, resolvendi, vel emolliendi.

Nec Rosmarini hortensis, pag. 615.) Hunc contra AUTOREM seligo, eò quod præter usum nervinum speciosissimè conferat in fluore albo, mensibus suppressis, sterilitate, & morbis post partum uterinis, tam in spiritu abstractitio, quàm in oleo destillato usurpandus; non secus ac ejus cum ligno sassafras factum Decoctum in vino egregium est in affectibus catarrhalibus chronicis.

Ipsa pœonia, pag. 616.) Hic observandum, quod, quemadmodum optima reverà simplicia in effectu non semper convenire solent, ira nec mirum sit, pœoniæ radicem interdum in epilepsia fallere, utut aliàs radix ritè collecta & de collo suspensa epilepsiam curaverit, & viderim in Anglia, quendam hujus usu à desperatissima vertigine liberatum fuisse. Cæterum bina sunt illius collectionis appropriata tempora, nempè mensis Julii, cum sol ingreditur leonem, h. e. 12. 13. vel 14. ejusdem die, & quidem decrescente luna, cùm accrescente luna ad affectus capitis inimica sit, eosque exasperare soleat. Deinde colligenda est pœonia latis foliis, quæ instar juglandis conspicitur, & respectu thyrsi quoque differt à pœonia fœmina, cum sol est in signo arietis, h. e. mense Martio, mox post æquinoctium vernum decrescente luna. Neque enim superstitio subest huic collectioni, cum & ego novei im, lignum quoddam de collo suspensum, & certo tempore collectum abigere erisypelas. Aqua destillata ex succo radicis expresso inter vehicula antiepileptica non contemnenda est suo modo. Præterea semen pœoniæ exhibet emulsionem non inconcinnam pro incubo & infantum terrore nocturno, minante epilepsiam ipsam. Quidam ex hoc semine destillare volunt oleum, quidam exprimere: sed oleum & operam perdunt.

Viscum, pag. 618.) Visca contra Autorem non contemnenda: ac ipse vidi corylini visci dosi ʒß. ad ℈ij. effectus nunquam non expectatos in epilepsia chronica; & tiliaceum uti quercinum suam laudem mereri BOYLEUS probat *in Philosophia Exper.* qui dicit per experientiam beneficio visci quercini epilepsiam inveteratam curatam fuisse; cui tamen palmam præripit corylinum, quia ex ipsa corylo antepileptica habentur non inferioris notæ. Sic, utut amuletum illud ex sambuco in salice crescente contra epilepsiam non rarò infidum sit, hoc ipso non est reijciendum, cum ejus insignem dicto in casu effectum præter HARTMANNUM referat BARTHOLINUS *in Centur. Anat.* Interim spiritus acidus viscorum non tantum præstat, quantum visca per se, cum crasis feminalis eorũ per ignis vim mutetur, utut oleũ & *spiritus Heraclinus Rulandi* antiepileptica sint paranda ex ligno coryli, certo tempore reciso.

Nigellam, pag. 619.) Nigella commendatur in coryza: sed sufficit majorana.

Antirrhinum.) Antirrhinũ rari est usus: propter signaturã capsula rum

rum feminis, à quibusdam pro capitis affectibus laudatum. Aliàs saltem contra veneficia & incantationes, tam hominum quàm canum, commendari, & multiplici externo usu pro tali scopo usurpari solet.

Anacardos.) Succus anacardii commêdatur ad memoriç robur: hinc præparant confectionem anacardinam compositam: sed parum valet.

Euphrasia.) Euphrasia commendatur in oculorum affectibus: sed postponenda est chelidonio maiori, vel fœniculo.

Anagallidis, pag. 620.) Anagallis laudatur in Maniacis & Melancholicis: sed vanè.

Aqua.) Aqua verbenæ obstetricalis parum in recessu habet.

Verbenç extractum.) Extractum verbenç in cephalalgiis non admodum inueteratis commendatur.

Hypericinum.) Extractum hyperici præstans obseruatum fuit in maniacis & malancholicis.

Epilepticos pulveres, pag 622.) Ex his pauci sufficerent: nempè ad epilepsiam, primariò puerorum, duo imprimis prostant remediorum genera, utramque itidem paginam facientia, eaque sunt vel fixa absorbentia vel volatilia positiuè magis fomitem morbosum corrigentia: quibus utrisque jungenda sunt opiata seu anodyna impetum spirituum sistentia. Jam verò inter fixa excellit sulphur quoddam antimoniale fixum, quale est cinnabaris antimonii; cui ex animali Regno, præter cornu Cervi, unicornu marinum & margaritæ jungi poterunt: sicut contra inter volatilia eminent sal volatile succini, cornu Cervi, quibus combinandum est tantillum camphoræ, hincque egregius existit liquor cornu Cervi succinatus ritè paratus, qui adultioribus & epilepticis annos 15. ad 18. natis nunc solitarius, nunc specificatus cum camphora, nunc cum opio prodest.

Pulveris bezoardici albi.) Huius descriptionem tradit AUTOR *pag.* 280. constatque ille ex cornu Cervi Philosophico, terra sigillata & unicornu fossili; indeque hunc commendat pro epilepsia puerorum, ex consensu abdominis nata, præseruatiuè.

Balsamorum cephalicorum, pag. 623.) Distinguenda sunt hæc; alia enim sunt voluptuosa, ut zibethum, moschum & ambram recipientia; alia medicamentosa, quorum plurimorum loco seliguntur ab AUTORE pauca destillata appropriata: v. g. instar primarii corporis esse potest oleum destillatum succini (utut hoc sanis delicatioribus ingratum videatur) cui addatur dimidium olei destillati spicæ vel lavendulæ, hæcque ambo acuantur oleo destillato maioranæ; ita emergit *Balsamus apoplecticus*, sed *medicamentosus*, cui pro acumine & scopo confortandi adjici poterit q. s. olei destillati cinnamomi, & parum olei destillati caryophyllorum; hincque omnia sub debita proportione oleo nucistç expresso excipiantur; & si color balsami flavus inimicus est, cum cornu Cervi usto minutim pulverisato in nigredinem tingi poterit.

Destillatis antiparalyticis.) Scilicet olea destillata penetrantissima internè interdum minus conveniunt, eò quod sint nimis graduata & generosa, nervosque nimium irritando iisdem inimica: non secus ac eadem externè interdum contracturas artuum inducunt; quale phænomenon aliquando ex usu externo petrolei, misti cum destillato oleo spicæ & terebinthinæ, ipsemet vidi in quodam; unde mutato consilio, præscribebam & ordinabam potiùs spiritum formicarum & lumbricorum terrestrium per putrefactionem paratum, mistum cum spiritu salis ammoniaci cum calce viva facto, & aqua articulari ad extra.

Olivarum aut nucum oleum, pag. 644.) Interdum autem necesse est, adhibere externos litus oleosos emollientes; hinc eligit Autor *noster* oleum nucum, acuatum cum oleo quodam destillato nervino. Interim tamen dicerem potiùs loco illorum, tanquam viscidorum, adeoque in recessu acidorum, sumendum esse petroleum, præsertim album vel rubrum, & huic jungendum oleum destillatum baccarum juniperi, terebinthinæ, spicæ, &c. Et pauca hæc loco mille oleorum in usu externo nervino antiparalytico optimè sufficiunt. Vel etiam sumatur loco allegati petrolei oleum lumbricorum terrestrium, paratum ex iisdem viuis, oleo oliuarum infusis & mediante diuturnâ digestione resolutis, quod per filtrum hinc separatum acuatur cum oleo destillato terebinthinæ vel spicæ.

Per destillationem compositis, pag. 625.) Quicunque tandem olea quædam composita desiderant, ii sibi parent galbanetum illud Paracelsi (quod habet SCHROEDERUS *L.* 5. *p. m.* 169.) seu oleum compositum ex galbano & terebinthina, hocque pro re nata oleo spicæ destillato acuant.

Malacticum simulque resoluens, pag. 626.) Unguentum si volumus habere, tunc sumamus oleum destillatum spicæ, terebinthinæ, iuniperi, maioranæ, &c. hisque sociemus pinguedinem sibi familiarem, nempè vel anserinam, (quæ penetrantior) vel caninam, (quç resolutiua magis & calida) vel humanam, (quæ magis temperatiua existit) denique butyrum maiale simplex, & habebimus unguentum abundè sufficiens, h. m.

♃. *Ol. destillat. terebinth.* ℥iij.
Bacc. junip. ℥ij.
Spicæ ℥ß.
Incorporentur cum
Pingv. human. vel *canin.* vel *anserin. Nonnihil liquef.* ℥iij. vel ℥ß. ad ℥vj. M.

Et qui horum consistentiam spissiorem optat, addat sub calore ignis resinæ vel terebinthinæ parum; hac ratione impetrabitur in pluribus casibus externis unguentum, e. g. pro resolutis, luxatis, & contortis membris abundè sufficiens.

Resolventium residuis, pag. 627.) Scilicet pro scopo resolvendi & discutiendi seligatur melilotum, chamomillaque tota, & his subinde addatur hyoscyamus, rediganturque omnia in formam cataplasmatis vel epithematis sufficientissimi; non secus ac simile ex fœni recrementis, Germ. *heusaamen*, trifolio, ceu loti specie abundantibus, parari potest.

Vix autem in abiteis piceæve vel pinastri Strobilis.) Scilicet loco oleorum ex huius aut pini strobilis, destillatorum sufficiat, pro resolutis arthriticorum partibus, nobile oleum destillatum vel balsamus terebinthinæ, præsertim cum illud *balsamum occidentale* à STARCKIO salutetur.

Emplastra nervina.) Id est resolventia, discutientia, emollientia, &c. hæc omnia pariter ex aromaticis & pinguibus constantia, quia v. g. malum Ischiadicum & arthriticum exasperant, hinc AUTOR *noster* emplastrum diasulphuris seligit. Et quasi vulgò talium emplastrorum resolventium in tumoribus dolorosis duo sunt primaria ingredientia, nempè vel pinguia olea mucilaginosa & resinosa, vel gummata paulò acriora, aliàs attrahentia dicta. Jam verò sicut pinguia nihil valent, dum poros cutis incrustando & inviscando impediunt, quò minus tumor insensibilis transpirationis beneficio resolui, & æger euadere queat; ita gummata tumores neruosarum partium dolorosos exasperant. Equidem diceret quis, hyoscyamum esse addendum; quod verum quoque, interim tamen dubium emergit, an tunc emplastrum? an verò naturæ motus iuvet? unde potiùs loco tot *diaphoreticorum emplastrorum* pro tumoribus arthriticis sufficiat hoc:

♃. *Colophon. pulv.* part. ij. vel iij.
Cui super igne liquefactæ
inspergatur sensim
Succin. præpar. vel *minutiss.*
pulveris. pars i.

Hincque cum pauco *terebinthinæ* & *ceræ* F. Emplastrum; quod sub usus tempore ulteriùs cum *oleo destillat. succini* vel cum *petroleo* malaxatum applicetur.

Vel sufficit quoque *emplastrum diasulphuris Rulandi*, quod ex HARTMANNO describit SCHROEDERUS *l.* 2. *pag.* 200. in cuius Ingredientibus tamen myrrhæ abundantis proportio culpanda venit; hinc emplastrum rigidum est:

♃. *Bals. sulphuris* ℥iij.
Colophon. ℥iij.
Myrrhæ,
Terebinth. an. ℥ij.
Ceræ ℥ß.
M. pro *emplastro* molli & tractabili.

Sic egregium quoque est emplastrum, quod fit ex pice sutoria liquefacta, inspergendo eidem pulverem sulphuris, quod egregia est in affectibus nervinis: loco cuius tamen & commendamus *emplastrum* illud *Ischiadicum Poterii*, quod habet *Cent.* 2. *Obs.* 14. ex *pice navali*, *sulphure*, *succino*, *terebinthina* & *masticbe*, quod in malo ischiadico reuerà est egregium; sicut & in luxatione vertebrarum supra os sacrum applicatum est egregium & singulare. Equidem difficulter hoc detrahi potest & maximè adhæret; si tamen lapis calefactus priùs applicetur, tunc liquescit, & facilè cedit emplastrum.

Præstantissimum illud ex oleo seminis hyoscyami, pag. 628.) Commendat hic Autor *emplastrum de hyoscyamo*; & sanè nobilis est illius compositio, dum recipitur succus hyoscyami ad consistentiam mellaginis inspissatus, huicque calido addit oleum seminis hyoscyami expressum, hinc inuicem benè agitando incorporantur: sub finem additur paucum ceræ & terebinthinæ, & ita in consistentiam *emplastri anodyni* & resoluentis tumorum duriorum partium neruosarum redigit.

Splenetico, pag. 629.) Scilicet emplastrum ex hyoscyamo allegatum specificari potest nunc cum mercurialibus, v. g. Mercurio in saliua jejuna extincto, vel amalgma eius, in casu nempè tumorum & gummatum venereorum, cum gummatibus, v. g. gummi ammoniaci dimidio vel galbani, nunc cum aliis loco *splenetici emplastri*. Et hæc emplastra pauca instar mille aliorum sufficiant. In casu tumorum scirrhosorum viscerum duriorum Narcotica eiusmodi, affirmante hoc DORINGIO *de opio*, pro scopo emolliendi sunt optima; hinc hyoscyamus, cicuta, &c. recipiuntur loco spleneticorum quorumcunque; itemque in quartana febre, cum affectibus splenis comitata, cum succo cicutæ usurpatur in casu tumorum duriorum partium neruosarum.

Alcalisata.) Hæc externè in doloribus & tumoribus dictarum partium, oriundis ab acido, egregia sunt pro discussione illorum, adeoque & aqua calcis viuæ tam egregia est: siue ergo sumatur liquor tartari, siue aliud, habebitur idem effectus: hinc dolores podagrici cum spiritu salis ammoniaci cum calce uiua parato leniuntur, & in inflammationibus, erysipelate, contusionibus partium neruosarum, tumoribus mamillarum ex lacte coagulato, excellunt: ut miter spiritum urinç uel salis ammoniaci usurpari adeò raro,

cum tamen optimè imbibat acida, & resolvat coagulata stagnantia. Cæterum potest & spiritus salis ammoniaci misceri cum oleis in consistentiam unguenti, quod inventum fuit BURRHI ex relatione BARTHOLINI, dicentis: BURRHUM habere emplastrum, quod altero manè desumptum nullum talium vestigium relinqueret, & est valdè commendabile: scilicet emplastra hæc sunt volatilia, indeque terebinthina, cum sale volatili urinæ in pauxillo aquæ soluta, trita in mortario dabit unguentum calidum proficuum & penetrantissimum.

Febrifuga ex araneis emplastra.) Intelliguntur hìc emplastra febrifuga, quale est illud SCHROEDERI è STROBELBERGERO mancè descriptum; indeque loco ejus meliùs fiat ex fuligine furni splendente, terebinthina, camphora, & oleo aranearum: quod forma emplastris carpis manuum vel nuchæ applicatum in febribus intermittentibus non inconcinnum. Interim & hujus loco commodiùs blanda vesicatoria assumantur in tertianis & quartanis chronicis, nuchæ vel carpis manuum applicanda.

Oxycrocea.) A chirurgis externè usurpantur, præsertim in principio fracturarum, & quando à causa externa locus nerveus est læsus, pro discussione scilicet tumoris. Interim AUTOR illa reijcit, & non æquè in fracturis tuta sunt. Confer. HILDANUS *C. 4. Obs. 99. & 100.* ubi legitimum habet horum oxycroceorum usum.

Melilotinum.) Emplastrum de meliloto non rejiciendum est, præsertim cum ejus concinnior descriptior habeatur in PAULI *Botanico Quadrip. pag. 392.* Interim tamen pro suppurandi scopo parabiliora prostant: v. g. pultes & cataplasmata domestica ex herba & floribus chamomillæ, malva & meliloto, in lacte coctis (si tumor suppurandus sit rebellior, addatur cepa sub cineribus cocta) paranda. Non secus euporiston quoque est, quod paratur ex sapone communi in lacte calido dissoluto; nam & hoc calidè applicatum insigniter emollit & maturat tumores ad suppurationem tendentes.

Emplastra ad tophos.) Scilicet cùm tumores renitentiores, v. g. venerei, neque etiam alcalibus cedant, hinc Mercurius, repræsentans alcali metallicum, absorbens acidum tumorum coagulans, resolutivus & penetrantissimus, advocandus erit, isque nunc vivus in saliva extinctus, nunc cum Saturno maritatus: de quo amalgamate conferatur SCHROEDERUS *in Pharm. l. 3. n. 7. pag. 198.* & DECKERUS *in Praxin Barbettianam pag. 16.* HOFFMANNVS *in Clave pag. 261.* Atque hoc amalgama puto intelligere POTERIUM per *mumiam* suam *mineralem*, quam ad ulcera desperatissima adhibuisse fatetur.

Matricale.) Emplastrum in suffocatione hysterica usitatum videri potest in *Pharm. Augustana* sub nomine emplastri matricalis de galbano usitati. Interim loco illius sufficere potest galbanum simpliciter liquefactum, & malaxatum cum part. ij. vel iij. olei destillati succini, & parte j. olei destillati spicæ; quod malaxatum & inductum super alutam imponatur regioni umbilicali; sicut olea allegata scrobiculo cordis vel umbilico illita, imponendo desuper laterem calefactum, in eadem passione hysterica non sunt infructuosa.

Gummata, pag. 632.) Considerat iam AUTOR *noster* subjecta aliqua grummosa inodora & suaveolentia: Inter graveolentia pro scopo resolvendi externè ac internè seligit gummi galbanum, quod & pro usu externo concedo: interim, quia illud præ gummi ammoniaco internè assumptum magis ingratum & nauseosum est, hinc hoc loco illius commendo, præsertim cum idem pro scopo incidendi galbano palmam præripiat. Cæterum si galbanum internè assumendum, solvendum illud est pro sui depuratione & quisquiliarum separatione in aceto vel vino, & denuò inspissandum: contrà, si idem externè adhibendum sit, dictâ ratione non depuretur, sed saltem blando igne in terebinthina liquetur, ne secus oleum huius volatile auolet & exhalet, postmodum pro extemporaneo adhibeatur.

Asa.) Asa fœtida in usu medico est vulgò contra passionem hystericam, propter fœtorem: ubi tamen observavi, hystericas idiosyncrasiæ singularis istius odore, non secus ac moschi, fuisse læsas: adeoque sua cuique hystericæ est idiosyncrasia, quod probè attendendum; cujus ratione asa fœtida non omnibus prodest ob sui fœtorem, huic incensum sulphur, alteri pix incensa, paucissimis asa fœtida arridet.

Fœtidis emplastris.) De emplastrorum fœtidorum effectu dubitatur; MYNSICHTVS contra veneficia commendat: usus sum aliquando in fascinata quadam noviter nupta sine efficacia.

Depuretur.) Inter præparata ex galbano est Depuratum, nempè cum aqua, aceto, vino, &c. quæ tamen depuratio ad externa medicamenta non est necessaria.

Galbaneta diversiformia emplastra, pag. 633.) Inter hæc *emplastrum de galbano crocatum* MYNSICHTI egregium est, pro discussione tumoris mammarum, ex lacte coagulato dependentis, illinendo priùs mammam cum spiritu salis ammoniaci cum calce viva parato, & hinc illud emplastrum applicando, desuper sacculum oryzâ vel auenâ repletum & calefactum imponendo. Præterea alterum MYNSICHTI *emplastrum de galbano* egregium est in callis & clavis pedis auferendis; liquescunt enim illi ex hujus impositione, hinc iis abscissis, denuò imponatur; prodest quoque contra omnes spasmos hystericos, colicam etiam abdominis, &c.

Olei.) Oleo scilicet destillato galbani præfero galbanetum Paracelsi, idque tam simplex cum terebinthinæ oleo, quàm compositum à SCHROEDERO descriptum, ceu nobile topicum in affectibus nervorum, tàm à causa interna, quàm externa enatis. Et quia galbanum in specie affectibus abdominis spasmodicis dicatum est, proptereà eò magis *Galbanetum* illud *Paracelsi* in passione hysterica, colica convulsiva, paresi ex colica, contusione nervorum, & luxationibus artuum egregium est.

Ceræ & saponis oleo.) Modus habetur in AUTORE *pag. 104.* fit enim sic oleum penetrantissimum in affectibus nervinis & articulorum podagra.

Graveolentiora è tartaro.) Olea tartari & guaiaci egregiè resolventia sunt pro tumoribus duris & quasi venereis: vid. AUTOR *pag. 104.* (ita ut horum gutta æquè penetrans sit ac ipsa camphora;) & rectificata è cornu cervi usto vel calce viva coloris aurei evaduut. Interim tamen, qui talia horrent, externè usurpanda recipiunt, juxta monitum AUTORIS, oleum ceræ vel pinguedinis alicuius, vel saponis (Veneti imprimis pro doloribus podagricis) quorum modum destillandi AVTOR dedit *suprà pag. 104.* egregia quippè hæc sunt in affectibus nervorum & articulorum.

Suaveolentia gummata.) Ex his eligit AVTOR thus, mastichem, sandarachamque: quibus & ego moneo, accensendam esse tacama hacam.

Sarcocolla, pag. 634.) Sarcocolla est gummi temperans & emplasticum, quam veteres usurpant inter collyria sicca, *Sief* dicta, eamque nunc crudam, nunc in lacte extinctam id est nutritam: Ast incongruè secundùm AVTOREM, cùm æquè Sief album sine hac egregium sit.

Mastiche.) Mastix gummi nobile est ex arbore lentisci spontè exsudans, cujus grana jejuno stomacho deglutita uti stomachalia sunt, ita & similia topica præbent, & in *essentiam* liquidam *stomachalem*, intrà & extrà usurpandam, nec non *anticatarrhalem*, cum spir. vini tartarisato redigi possunt, & præfert hanc AVTOR ipsi aquæ mastichinæ, quam vid. in SCHROEDERO (præfert etiam decocto extemporaneo, nempè TILEMANNI.) Residuum magma post olei destillationem ad instar colophoniæ, pro recentibus vulneribus egregium est; præsertim cum rusticus ille cultrivorus Borussus post excisionem cultri deglutiti, balsamo & oleo mastichis, internè & externè adhibitis, fuerit sanatus.

Formicarum massæ.) Scilicet formicæ inhabitantes sylvas resiniferas pino & abiete luxuriantes, istæ in specie quæ grandiores apparent, & attactu sui spirant acidum, vescentes solummodo granulis resinosis ex arboribus illis transudantibus, quæ proinde in acervos colligunt, atque hæc grana acidum spirantia à quibusdam loco mastichis usurpari solent; sicut ea commendat GLAVBERVS *Part. 1. Oper.* Interim tamen ea ultra vulgarem resinam nil in recessu habent.

Sandaracha, pag. 635.) Est duplex: Græcorum, nempè arsenicum rubrum, Germ. *Rauschgeel*, & Arabum seu gummi juniperinum: quarum hæc loco ligni lentiscini pro basi suffituum catarrhalium quorumcunque accipitur, cui possumus addere mastichen, rasuram succini, thus & benzoen: e. g.

> ℞. *Sandarac. sive gummi iunip.* ℥j. ad ℥iß.
> *Ras. succini* ʒij.
> *Mastich.* ʒj.
> *Benzoes* ℈j. ad ℈ij.

M. pro suffitu adaptando beneficio calidæ frictionis pro meliore sui penetratione.

Benzoe.) Benzoe est egregium stomachale & nervinum.

Styracem calamitam.) Hæc egregium est nervinum stomachalibus affectibus conveniens, hincque DIGBÆO & HARTMANNO in emplastro de styrace usitatum. Interim tamen loco illius sufficit benzoe, neque ladano opus habemus.

Ladanum, pag. 636.) Ex hoc prostant apud HARTMANNUM pilulæ de ladano analeptico-cephalicæ; item emplastrum stomachachale de Ladano CRATONIS *in Pharm. Aug.* Interim loco horum euporiston habemus gummi tacamahacæ, malaxandum cum balsamo Peruviano pro eodem usu.

Tacamahaca.) Tacamahacam reijcit AUTOR; quod quidem pro scopo suffitus concedimus: at propter vim nervinam singularem anodynam temperatam, blandè discussivam & resolutivam, nobilissima est, hincque emplastrum ex illâ cum terebinthina subactâ, & balsamo Peruviano in vitell. ov. soluto malaxata paratum, egregium est in cardialgia, doloribus artuum, & malo Ischiadico, resolutione partium, & ventriculi affectibus.

Elemi, pag. 637.) Vi suâ balsamicâ ad capitis vulnera commendatum est, indeque ARCÆVS unguentum & emplastrum habet, quorum basis est gummi hoc elemi; interim eidem, in capitis affectibus egregio aliàs, substitui potest terebinthina.

Epilepticis, pag. 938.) Scilicet epilepsia est vel idiopathica, vel sympathica ex alia parte affecta originem ducens. Iam igitur in idiopathica commendatur ungula alcis ab unico LEVINO LEMNIO *in occultis Naturæ Miraculis*, testante, se beneficio annuli ex hac con-

confecti, ceu amuleto quodam, epilepticum restituisse: ex quo tamen planè dubito, an ungula illa alcis antepileptica sit? sive internè sive externè adhibeatur? Sic eadem neque in consensuali epilepsia præ cornu Cervi prærogativam quandam habet.

Hirundinum lapillis.) Lapillus hic, *chelidonius* dictus, ad epilepsiam quoque commendari solet: sed subinde imposturæ intercedunt. Præterea de *lapide chelidonio* tàm *falso*, qui *species* est *opali*, quàm *genuino* in ventriculo, item hepate pullorum reperibili, vid. VELSCHIVS *Hecatost.* 1. *pag.* 74. Conferatur etiam BARTHOLINVS *Cent.* 2. *Epist. pag.* 438.

Nec humanum cranium, pag. 639.) Hîc observanda est differentia inter ossa & cranium, quod ex homine successivè &, ut dicunt, naturaliter mortuo, & quod ex eodem violenter interempto desumitur; quorum illud, sicut & ossa, non habent prærogativam præ cranio cervi & osse tauri: ast, quod ex suspenso & rotâ fracto homine desumptum est cranium, alteri substituendum, eò, quod in tali habitet adhuc spiritus insitus parti, unà cum rore seu spiritu influo, qui sub morte concentrati reverà aliquid efficient: id quod & usnea ostendit, ceu specificum epilepticum; unde par ratio habenda de rasura cranii humani violenter interempti, quippè quod ob mumiam sibi inhærentem sub pulveris forma datum, antiepilepticum est non ignobile, non secus ac spiritus cerebri hominis violenter mortui aliquid in recessu habet; alia enim præparata vim mumialem produnt.

Lac, pag. 640.) Lac humanum ceu analepticum laudatur quidem: interim Phthisici confirmati non curantur ex ejus usu; contrà mediocriter sanos pro tẽperandis humoribus scorbuticis juvat, sicut & iuvenes à venere defatigatos mirum quantum reficit, item marcescentes, sive apparenter phthisicos.

Lumbricos, pag. 641.) Lumbricos humanos quidem internè exhibuerunt pro ejiciendis vermibus intestinorum sub forma pulveris; sed aliter sentit TABERNÆMONTANVS, lumbricos inde generari potiùs, adeoque falli nos, ut igitur mercurialia loco horum sufficere queant.

Pulveres, pag. 642.) Scilicet suggerit hîc AUTOR *pulveres* binos *cephalicos*, *unum pro adultis*, *alterum* verò *pro infantibus lactantibus*; quorum *priorem* ℨß. dosi usurpandum constituit pro basi quorumvis analepticorum, & loco cujusvis specifici, non secus eundem dosi gr. iij. vel vj anniculis infantibus præservativè pariter ac curativè, præmisso vomitorio antimoniali, aut quoque laxativo Mercuriali ex helleboro nigro & Mercurio dulci parando, exhibet, interponendo subinde salia volatilia urinosa, & subjungendo essentias nervinas castorei, succini, camphoræ, &c. nec non pro minori spirituum impetu opiata sociando. Deinde *alterum* suum pulverem antiepilepticum anodynum suadet lactantibus, epilepticis pariter, ac inquietudinibus, torminibus, vomitibus, diarrhœis, &c. afflictis, specificandum contra tormina per olei destillati anisi parum aut etiam additione salis volatilis cornu Cerui, vel succini.

Auro, pag. 643.) Vsus auri crudi vel minutissimi sub forma pulveris, vel sub forma liquoris potabilis, mediante sui extinctione non adeò insignis est nec tanti ponderis: de quo conf. HOFFMANNVS *Clav. pag.* 700.

Hysterica.) Quemadmodum paroxysmi hysterici per suaves odores subindè excitantur, ita iidem per contrarios fœtores, ex animali Regno præprimis petitos, ceu in quo regnat sal volatile oleosum, sopiuntur.

Lichenes, pag. 644.) Lichenes equorum, Germ. *die Grossen Pferde-Wartzen* primitus à PARACELSO introducti sunt pro suffitu hystericarum intra genitalia, addendo iisdem cornu capræ. CROLLIVS ex iisdem parat extractum hystericum: sed castoreum prævalet.

Castoreum.) Hoc genuinum recens eligit AUTOR *noster* internè, vel per se in substantia (qua ratione mirificè sudorem movet cum euphoria hystericæ, estque instar omnium ex Regno animali remediorum antihystericorum) vel in esentia liquida usurpandum; quam *essentiam* vulgò parant per simplicem spiritus vini infusionem & extractionem: Ast essentia hæc est admodum languida; melior fit, si

℞. *Castor.* part. iv. vel vj.
Salis fixi tartari vel *nitri* pars j.

Hisque mistis superfunditur spiritus vini q. s. hac ratione exacta solutio castorei succedit, cuilibet liquido, sine præcipitatione, permiscibilis. Essentiam filtro AUTOR separat, liquorem filtratum per spiritum vini abstrahit, & liquorem abstractum extracto residuo iterum affundit. Deinde potest eadem parari cum spiritu salis ammoniaci vinoso, ex tempore solvente castoreum in essentiam rubicundissimam, cuique liquori commiscibilem, & hystericis admodum proficuam.

Destillat. oleum.) Oleum castorei destillatum per retortam perpaucum est & empyrevmaticum.

Pilulis officinalibus, pag. 645.) Pilulæ de castoreo sunt vetustæ, & earum ingredientia cruda, non tamen inconcinna, præsertim cum constent ex appropriatis & anodynis, atque cum his coincidit, utut magis artificiosè paratum, nostrum extractum *laudanum hystericum* usuale *Conerdingii*, ex *extracto castorei*, *calami aromatici*, lapide bezoardico, laudano opiato &c. constans.

E fragrantibus.) Fragrantibus antihystericis ex animali Regno pro Praxi succincta non simpliciter indigemus, præsertim cùm præparata ex cinnamomo, cardàmomo & caryophyllis habeamus. Interim pro diffusiore Praxi locus esse potest moscho & ambræ, illi quidem pro externo, huic verò pro interno usu analeptico. Aromata autem præstant, & superant hæcce odorifera ex animalibus.

Moscho.) Moschus est liquor sui generis, in capsula peculiari propè inguina in ventre animalis moschiferi, in glandulis collectus & repertus, quemadmodum zibethum & castoreum receptacula habent propè inguina. Adulteratur autem Moschus hac ratione à mercatoribus; dum animalis occisi sanguinem sub cute congrumatum eidem unà admiscent, & sic omne istud liquamen pro moscho venditant. Cæterùm usus moschi genuini convenientissimus est, quo subigitur is cum duplo vel triplo sacchari, sic enim mistura fragrantissima emergit: vel, quod melius adhuc, moschus ab oleis destillatis resolvatur, & sic in effectu & fragrantia sua mirè exaltatur; hinc subigatur cum olæosacchari alicujus parte quadrupla, & sic habebitur elæosaccharum elegans moschatum, quod solidis & liquidis compositionibus facilè misceri & distribui potest.

Ejusce modi moschata, pag. 646.) Scilicet notum est, quod talia fragrantia concrera subjectis delicatioribus & hystericis sint perquam adversa, ac viris quoque, spiritus animales volatiliores habentibus, nimis generosa, quid igitur tunc consilii? Sanè reverà nocet hisce moschus, ast odoretenus tantum: contra si is hac ratione exhibeatur, ut nares fumentium non feriat, tunt etiam mulieribus hystericis commodiùs propinari potest: Confer. BARTHOLINVS *in Cent. Anat.* & HORATIVS AUGENIVS, quorum hic habet *pilulas hystricas* ex *moscho*, *ambra*, *oleo destillato caryophyllorum*, unà cum cautela, ne propinentur eadem ita, ut nares fumentis illorum odor feriat.

Ambra.) Hæc contra AUTOREM reverà insignis est vi analeptica in spirituum animalium defectu, tam morboso post morbos, quàm naturali, nempè in senio, adeoque inter confortantia calida nervina cephalica sit singularis, utut ratione originis occulta. Licet enim KLOBIVS *Tr. de ambra* 18. opiniones congesserit de ortu ejus, tandem concludens, esse excrementum eam avium quarundam in Orientali India reperibilium, tamen nulla earum satisfacit; sicut nec gallorum eandem compositum ex melle & cera statuentium. Cęterùm duo in ambra desiderat AUTOR *noster*.

1. *Fragrantiam*.
2. *Effectum*.

Quod *fragrantiam* ejusdem concernit, facilè oleum nucistę imitabilem; alia olea aromatica fragrantia eandem superant: interim si teratur illa beneficio oleorum & oleosorum, v. g. ziberho, aut oleo quodam destillato, tunc hac ratione resoluta penetrantissimum odorem spirat, & animatur quasi hinc ambra: de quo conferatur TACHENIVS *Hippocr. Chym. pag.* 269. Quoad ambræ effectum, quod nempè eadem in granulari dosi, quà vulgò datur, parum vel nihil operetur, verum illud est: ast modò oleo cinnamomi animata ejus plures tales doses dentur, tunc quoque ita erit singulare refocillativum facultatis animalis.

Teneriorum, pag. 647.) Scilicet literati spiritibus animalibus subtilioribus, & tenera nervorum texturâ prædìti, non ferunt ambrata, moschata, zibethina, aut quælibet aromatica penetrantiora, eò quod hæc illis nimis generosa sint, & caput eorum repleant, h. e. ab illorum fortiori impressione spiritus animales subtiliores faciliùs turbantur & moventur, hinc affectum quasi inebriatorum incurrant; præsertim si nares feriant, quod ordinarium est literatis & hypochondriacis: unde cautè ejusmodi generosa talibus subjectis exhibeantur; præsertim caveatur, ne illa horum nares feriant.

Cum saccharo.) Scilicet duplex est modus usurpandi ambram: sive in forma sicca, terendo eam cum saccharo in pulverem ambratum analepticum summè efficacem; vel, quod melius, cum elæosaccharo cinnamomi vel caryophyllorum: aut quoque in liquida, parando ex ea *essentiam* rubini instar cum *spiritu rosarum*, vel *melissę*, vel *liliorum convallium* abstractitio, gratam gustui, & effectu efficacem, idque internè; sicut externo scopo inservit *liquor moschatus* ex solutione *moschi* in spiritu quodam volatili, v. g. rosarum, factus, ceu à quo mirè moschus dilatatur. Prævalet tamen essentia ambræ, sed saltem infusa cum spiritu vini. Per destillationem enim & fermentationem vis ambræ perit.

Essentia Ambræ sicca.) vid. in SCHROEDERO.

Ambra moschata.) vid. in MYNSICHTO, *pag.* 73.

Zibetha, pag. 648.) Hoc rarò usui interno inservit, nisi quod saltem balsamis apoplecticis admisceri soleat, utut sine eodem æquè sint penetrantia.

Febrilibus affectibus, pag. 649.) Scilicet odorifera in morbis acutis non æquè locum inveniunt; & si conveniunt, hoc faciunt in senibus, vel exhaustis viribus: nisi quod observauerim, confectionem alkermes ægris ejusmodi datam ipsos agrypnos ad aliqualem somnum cum euphoria disposuisse. Ergo odorifera fugiant in acutis.

Pinguia.) Scilicet substantiarum pinguium ex animalibus desumptarum generalis usus est, ut blandè relaxent fibras nerveas, hinc duras emolliant, itemque spasmum illarum dolorosum sistant, adeoque hinc anodyna sunt; sicut porrò crudiores & acriores succos hebetant & obtundunt, sicque rodentes dolores sistunt: itemque tandem penetrando coagulata contenta modicè solvant. Interim tamen singulis earum non adeò omnis vis specifica deneganda est.

Butyrum.) Butyrum majale AUTOR vocat Florem vegetabilium vernalem; resolutio autem graminis & transmutatio in lac & butyrum, dicitur solutio quasi semi-alcahestina ab AUTORE *pag.* 650. Butyrum autem majale, præprimis subtilius, delicatius & penetrantius, magisque alcalinum est, quàm quorumcunque animalium pinguedines: unde illud sole depuratum pro usu asservandum est. Interim, quibus placet pinguedines animalium asservare, illi eligant taxi ceu temperatiorem, quàm caninam vel leporinam: quarum hæc peculiare est tractivum, hinc infantum gingivis illita potentissimè elicere dentes creditur: sicut eadem vulneribus applicata promovet heterogenea iis inhærentia ad exitum, sicquoque abscessibus tardantibus apertionem sui, illita, maturat eos, & ad ruptionem disponit.

Oesypus, pag. 650.) Sumunt lanam pinguem, *unà cum affixis globulis*, & ex hac coquendo, eliciunt pinguedinem, quam vocant Oesypum: sed loco omnium pinguedinum animalium sufficiat butyrum, & postmodum oleum olivarum cum oleis destillatis animalium.

Alpini muris, pag. 631.) Pinguedo muris alpini commendatur ad pleuritidem, hinc unguentum pleuriticum MYNSICHTI hanc pro basi habet. Axungia cati sylvestris ad epilepsiam abdomini, nec non in colica umbilico illita; & ursina ad hernias mirè commendatur.

Lucii.) Pinguedo lucii piscis laudatur pro infantum tussi, illinendo pedes, ut sic ad somnum disponantur.

Asciæ.) Asciæ pinguedo ad cicatrices vulnerum absumendas laudatur.

Erinacei.) Erinacei pinguedo præfertur ursinæ in herniis, si lumbis illinatur.

Anguillæ.) Pinguedo anguillæ assatæ foliis lauri excepta laudatur ad surditatem & subauditionem.

Suilla, pag. 652.) Suilla temperatissima & maximè mollitiva est.

Sevo Hircino.) Hircinum sevum umbilico illitum ad stranguriam commendatur.

Cervinum.) Sevum cervinum commendatur ad fissuras pedum.

Medullæ cervinæ.) Ex cruribus animalium cervinorum bovinorumque desumptæ & illitæ in usu sunt in agrypniis, temporibus illitæ; quia disponunt ad blandum somnum in acutis morbis ægros.

Sapo.) Duobus modis in usu est: Primò per se, ut subjectum alcalinum temperatum, indeque anodynum externum, exhibet, solutum in spir. vini vel spiritu lumbricorum terrestrium, addendo interdum pauxillum camphoræ; ita Podagricorum pedibus dolentibus cum optimo successu applicatur, & præfert AUTOR *noster* balsamo saponis, quod vid. in SCHROEDERO. Secundo oleum ejus, quod plurimis modis, ast optimè, juxta AUTOREM *nostrum pag.* 104. cum cineribus destillatur, est remedium penetrantissimum, & resolutivum potens, cum sit aut oleum olivarum, aut oleum pinguedinis animalium, saponem ingredienrium, præprimis Venetum penetrantissimum: nempè quod speratur in oleo Philosophorum, & oleo pinguedinum, habemus elegantissimè in hoc oleo, & hujus respectu oleum ceræ non rantoperè requiritur.

Ceræ oleo, pag. 653.) Oleum ceræ penetrans est internè ad affectus diureticos & tenesmum; externè ad ulcera & ambusta expertum; interim loco illius & oleum saponis sufficere potest. Cæterum modum destillandi oleum ceræ quod concernit: optimus est, qui fit cum duplo ossium animalium calcinatorum; sic namque illud penetrantissimum acquiritur: contrà cum arena destillata cera flava dat oleum spissius & quasi butyriforme; quod tamen, si per vesicam rectificetur, acquiritur penetrantissimum. Vel etiam potest destillari instar olei Philosophorum, dum nempè carbones candentes injiciuntur ceræ liquefactæ, & hi postmodum destillantur.

Cera flava.) Cera flava, & ex hac oleum destillatum sufficiant.

Alba.) *Cera alba est exsucca.*

Magisterio.) Magisterium ceræ quidam cum spiritu vini parant: vid. SCHROEDERVS.

Sperma ceti.) Sperma ceti est concretum ex cerebro phocæ piscis, incolæ maris septentrionalis, mediante lixivio acri confectum, & virtute resolvendi sanguinem congrumatum, anticolicâ, antihystericâ, & antipleuriticâ præditum. Cæterum illud in vehiculo frigido est nauseosum, & non potest assumi, nec in calido, nisi sit fervidum; aliàs mox congelatur, & labra incrustat. Unde essenria ejus desideratur, quæ fiat cum spiritu vini rectificatissimo, ferèque quasi toto oleoso; ubi tamen hæc & hoc tædii habet, quod vehiculo aqueo combinata mox genuinum sperma ceti sistat. Emplastrum tandem de spermate ceti MYNSICHTI est egregium in lacte incipiente coagulari, mammis applicatum, superimponendo sacculum calidum avenâ repletum: De quo conferatur TIMÆUS *uon GuldenKlee*, in casibus Medicis. Interim loco hujus galbaneta equè efficacia sunt.

Succinum, pag. 654.) Ex regno minerali seligit solummodo AUTOR *noster* succinum vulgare ex Borussia ad nos advectum, hocque præfert fossili in maritimis locis & Morovia reperibili; sicuti etiam hîc loci ex fossa limosa aliquando insigne frustulum fuit effossum. Sub succino regenerato insinuat BOYLE *de Origine Formarum*, qui ex capite mortuo succini destillati succinum regenerare aggreditur. Cæterùm sunt, qui succinum corpus minerale proclamant esse; ast mihi semper vegetabile visum est de natura terebinthinæ. Et quidem prima eius origo videtur esse ex Suecia, nempè ex huius promontorijs, multis abietibus aliisque arboribus resiniferis consitis, ex quibus tempore æstivo resudat liquor resinosus terebinthinaceus, qui in mare destillans huius fluctibus mutatur in succinum, & tandem appellat ad littora Borussiaca: & argumento esse possunt producta & effectus succini, non adeo à terebinthina distincti. Est anticatarrhale. Album quidam flavo præferunt: sed malè; nam etiam ex flavo, mediante aqua salina, potest fieri album, castrando: vid. SCHROEDERUS.

Simplex Pulvis, pag. 655.) Simplex succini pulvis levigatione cum aqua simplici vel appropriata factus, eligitur ab AUTORE. QVERCETANVS spiritum vini affundit & superaccendit. Sed succini pulvis in substantia suspectus videtur, quod succinum sit resinosum subiectum tam pertinax, ut nullis ferè menstruis sit solubile; unde dubito, an in pulvere datum illud, aliqualem in corpore positivam habeat efficaciam? quin potiùs seligo in affectibus catarrhalibus, ex lymphæ vitio prognatis, semper loco ejus oleum destillatum & sal volatile ejusdem.

Tinctura.) Seligitur ab AUTORE *nostro* tinctura succini: at vix spiritus vini, etiam rectificatissimus tartarisatus, aliquantulum saltem succini solvit, indeque si tali tincturæ aqueus liquor combinetur, cremor quidam succineus iterum supernatat, atque ita non præstabit quidpiam præ pulvere succini. Hinc potius oleum & sal volatile usurpetur: vel fiat contra AUTOREM tinctura illa cum *liquore alcahest Glauberi* ex nitro fixo; ita enim solutum hoc ipso succinum digeri poterit cum spiritu vini in essentiam, præferendam illi, quæ cum spiritu vini tartarisato aliàs paratur.

Oleum succini.) Optimo consilio AUTOR *noster* per se destillare jubet succinum blando igne per retortam; ita prodit oleum & sal volatile: quidam addunt cineres, arenam, & alia; sed frustrà: quidam corallia; sed oleum coralliorum succinarum parum vel nihil de coralliis participat: vid. SCHROEDERVS *pag* 340. 110. 4. Cæterum oleum succini dictâ ratione destillatum rectificandum est tàm propter odorem suum empyreumaticum, quàm propter resinam adjunctam crassiusculam: Ac quidem rectificatio ejus optimè fit ex vesica, & est egregium penetrans non adeò empyreumaticum, & sic habetur crassamentum instar colophoniæ, optimum in emplastris: Vel & olei succini nondum rectificati pars j. abluatur in partibus iij. aquæ simplicis, sæpiùs agitentur & misceantur; ita aqua illa suscipit empyrevmatica olei excrementa salina, supernatante oleo puro; quæ aqua blando igne evaporata dat partem salis volatilis succini. Si rectificetur oleum succini per se, relinquit caput mortuum iners; sin cum cineribus, multum perditur: Super spiritum salis rectificat GLAUBERUS, sed omnium optimè fit per vesicam.

Balsamum, pag. 657.) *Balsamum succini* cephalico-catarrhale fit, vel miscendo olei destillati succini partem j. cum triplo olei nucistæ expresso; vel misceatur pars j. cum part. iij. sacchari, & acuetur q. s. salis volatilis succini, & est *Elæosaccharum* egregium.

Sal volatile.) Sal volatile succini, præter vim diureticam, quam quidem contra HELMONTIVM, dum sal succini diureticorum apicem vocat, non æstimat AUTOR, egregium nobis est cephalico-nervinum & antepilepticum, & quòd optimè medetur convulsionibus. Hoc est ingrediens liquoris cornu Cervi succinati. Sal volatile verò commune est compositum ex urinoso succini sale, phlegmate ejusdem acido, & oleo succini: Facilè autem depuratur, subigendo id cum ana salis tartari & destillando; hac enim ratione purum alcali succini volatile acquiritur.

Deinde alii aquam ablutionis olei per se destillati, sale volatili impregnatam, sumunt, & sal hoc ab aqua evaporando & crystallisando separant; iterumque affusione spiritus vini extrahunt oleositatem adhærentem. Hanc in sal volarile depuratum pro *usu diuretico* juxta WILLISII verû assertum: *semper unà cum nitro propinandum.*

Fixi.) Succinum calcinatum ulteriùs, dat *sal fixum*.

Capitibus mortuis.) Ex capite mortuo oleum nigrius post olei moderatam destillationem, loco gagatis & asphalti optimè substituendum.

Petroleum.) Petroleum album & rubrum nobile est, & penetrans nervinum resolutivum, conveniens in multis cum oleo destillato succini, indeque calidè lumbis illitum in nephritide & doloribus nephriticis est egregium. Atque hoc petroleum recentiorum est naphtha veterum, flammam facilè concipiens; unde rectificatio ejus periculosa est.

Terræ olei, pag. 658.) Oleum terræ ex India allatum est petroleum sui generis, ast penetrantius & subtilius præ illo.

Asse-

Arsenicalia, pag. 659.) Notus sc. est arsenici & productorum ejus effectus, dum internè parva dosi & vomitus & secessus lethales concitent; externè verò suffitus ex arsenico pro phthisi, & pectoris morbis curandis, veteribus in usu fuit: de quo vid. RIVERIUS *cas. ult.* ubi prostat exemplum phthiseos curatæ hac ratione. Interim omnia Præparata arsenicalia, quæ vid. in SCHROEDERO *l.* 3. *pag.* 499. negligi possunt; & loco illorum tutiora & parabiliora prostant. Equidem arsenicum fixum cum nitro factum internè & externè laudatur in psora & lepra, item in malo venereo confirmato à nonnullis, nec non pro Philtris: sed minus tutò: Externè ad ulcera desperata, speciatim cancrosa, tàm mammarum, quàm aliarum partium: ast optatur adhuc certior experientia chirurgica.

Arsenicalis magnes.) Magnes arsenicalis paratur ex ana arsenici, sulphuris, & antimonii, ejusque AUTOR est ANGELUS SALA. Præter usum, quem habet in anthracibus pestilentialibus, de quibus vid. BARBETTE *in Observat.* & excitandis fonticulis, de quo vid. *idem in Anat. Practica*, item in peste pro amuleto; ingreditur quoque emplastrum magneticum, quod egregium est in quartana regioni lienis applicatum; item in herniis lumbis appositum pro retractione intestinorum prolapsorum; nec non in parotidibus pone aures in febribus malignis erumpentibus.

Sequuntur jam Formulæ hujus classis: Sic esto v. g. *aqua analeptica* in subitaneo casu quodam:

℞. *Aquæ melis. spirituos. cum vino* ℥iß.
Apoplect. Autoris (pag. 609.) composit. ʒvj.
Cinnamom. spirituos. ʒiij.
Essent. ambræ ʒj.
M. S.
Aqua confortativa.

Sic in Pathematibus muliebribus:

℞. *Aquæ hysteric. (Aut. pag. 591.)* ℥ii.
Essent. castor. ʒij.
Aceti rutac. ʒj. vel ʒiß. aut q. s.
M. S.
Egregia aqua hysterica.

Porrò in puncto colicæ convulsivæ:

℞. *Aquæ menth. comm.* ℥ii.
Menth. composit. (Autor. pag. 583. & 585.) ℥i.
Essent. castor. ʒiij.
Laudan. opiat. gr. iii. vel iv.
Elæosacchar. aurantior. vel *citr. succos. (Autoris, pag. 598.)* q. s. M.
Capiatur cochleatim.

Ulteriùs pro curanda epilepsia loco vehiculi esse potest:

℞. *Aquæ lil. convall.* ℥iii.
Apoplect. Autoris ℥iß.
Elæosacch. citr. succ. q. s. pro grato sapore.
Misc. pro *vehiculo pulveris cephalici Autoris pag. 642. & 643.*

Loco quorum pulverum & in epilepsia hic esse poterit:

℞. *Rasur. cran. human. violenter mort. pulverisat.* ʒi.
Cinabar. vel *antimonii* vel *nativæ selectæ* ʒß.
Sal. volat. succin. gr. iii.
Cornu Cervi gr. vi.
Laud. opiati gr. iß.
M. F. *Pulvis* pro 3. dosibus, in præfato vehiculo sumendus.

Porrò fit Mistura contra passionem hystericam:

℞. *Aquæ puleg.* ℥ii.
Hysteric. Autor. cum castor. ℥ii.
Liqu. cornu Cervi succinat. ʒj.
Laudan. opiat. gr. ij.
Sacchari parum.
M.
Capiatur cochleatim,

Vel

℞. *Aquæ fumar.* ℥ij.
Puleg. ʒj.
Essent. castor. ʒiß.
Sal. volat. cornu Cervi gr. xii.
Succin. gr. vj.
Laudani opiat. gr. ii.
Sacchari parum.
M.
Capiatur cochleatim.

Hæc mistura & in paroxysmo apoplectico & epileptico locum invenit, omisso saltem laudano opiato, & loco essentiæ castorei substituendo *aquam apoplecticam Autoris.*

Porrò si præscribenda est *Tragæa aromatica*, tunc

℞. *Cinnam. opt.* ʒv.
Zingib. ʒß.
Caryoph. ʒii.
Cardamom.
Macis an. ʒi.
Olei destillat. cinnamom. Autoris,
(hujus loco in pathematibus nervosi generis, *olei destillat. succini*) ℈j.
Elæosacchari citrat. ʒß.
Misc. pro *Tragæa* bis quotidiè manè & vesperi usurpanda.

Quæ & cum s. q. *Conservæ rosarum* vel *menthæ* in *Electuarium anaseptico-stomachico-cephalicum* redigi potest.

Ulteriùs fit præscribendum *Elæosaccharum confortans* pretiosum pro sene divite:

℞. *Ambr.* gr. vii. vel viii.
Solve in
Olei destillati cinnamomi gutt. xii.
Cardam. gutt. vj.
adde
Sacch. albiss. ℥i. ad ℥iß. vel ℥ii.
M. f. *Pulvis*, subinde usurpandus.

Porrò;

℞. *Ess. stomach. (Aut. pag. 590.)* ʒiii.
Mastich. (Ejusd. pag. 634.) ʒiß.
M. D. S.
Elixyr stomachicum, ad 50. guttas.

Tandem pro usu nervino externo:

℞. *Galbanet. Paracels.* ʒii.
Olei destillat. succin. ℈ii.
Spic. ℈j.

M. pro lubitu in variis abdominis dolorosis affectibus, item pro litu brachiorum, nuchæ & aliarum partium nervinarum, præsertim ex lymphæ acidioris nerveas fibras vellicantis vitiis prognatis.

Vel

℞. *Emplastr. de hyoscyam.* AUTOR. (*pag.* 628.)
part. ii.
Gummi galbani vel *ammoniac. in aceto solut.* part j.

Liquefacta misceantur: hinc malaxata cum *oleo destillato succini* vel *saponis* induc. super alutam, F. *Emplastrum* in forma transmissa, applicandum locis nervosis nonnihil carnosis in doloribus chronicis.

TITULUS XX.

DE

MOTUM SPIRITUUM SISTENTIBUS, SIVE STUPEFACIENTIBUS, ALIAS NARCOTICIS, ITEM ANODYNIS ET EPICERASTICIS, VEL LENIENTIBUS, VEL TEMPERANTIBUS, ITEM EMOLLIENTIBUS.

Optimè hæc sibi invicem socientur: Nam quælibet urgentia symptomata ex concitatiore plus minus inordinato spirituum impetu originem ducunt; quæ ipsa inter symptomata primarium ferè est dolor. Ea ergò, quæ motum spirituum influentium nonnihil sistunt, eosdemque quasi figere & condensare videntur, ista symptomata palliativè sistunt, & talia cum partis sensum hebetent, hujus respectu *stupefacientia*, Græcis *Narcotica*, dicuntur.

Causæ urgentium symptomatum, speciatim dolor, utplurimum ex internis solet esse acrimonia contentorum, plus minus lædens, adeoque irritans, sicque dolorem occasionaliter inferens in parte quadam solida. Hinc conveniunt anodyna dicta, seu blando sensu partem dolentem afficientia; quæ respectu partis læsæ *lenientia*, respectu causæ *temperantia*, dicuntur, idque interno usu.

Externè enim talia *Emollientia* esse solent, quatenus & tensionem fibrarum remitti, & contenta stagnantia fluida nonnihil reddere solent.

Talia petuntur speciatim ex Regno vegetabili, pauca ex Regno minerali & animali; suntque adeò in quadruplici differentia:

1. *Narcotica.*
2. *Temperata dulcia.*
3. *Mucilaginosa.*
4. *Oleosa* seu *pinguia.*

Inter Narcotica sufficiunt antesignanum opium, tam pro essentia vel tinctura, quàm pro Extracto; quod etiam commodè pulveribus permisceri potest: idque ferè usu interno. Nam externè hyoscyami efficacia ferè potentior est: item papaver sativum, albo pro aqua, syrupo papaveris, & diacodiων; & papaveris semen, ut ex hoc formentur Emulsiones.

Temperantia intereminent passulæ maiores, & in specie minores, radix glycyrrhizæ, &, si cui placuerint, etiam caricæ, saccharum, amygdalæ dulces, flores violarum, præsertim ex his paratus succus seu syrupus, rapa, item malva & althæa, lilium album, speciatim flores pro oleo, fœnigræci vel lini semen, oleum olivarum recens, cumque hoc facilè ad MYNSICHTI imitationem parabile oleum ex 7. floribus anodynum.

Animale Regnum suggerit Lac, mel, pingvedinem humanam, & hujus loco suillam vel vitulinam, item oleum lumbricorum per digestionem.

Minerali è regno excellit sulphur vitrioli anodynum, à pluribus quasi-

quæsitum, à paucis inuentum; item cinnabaris, tàm nativa quàm in specie antimonialis: ut taceam sulphura metallica fixa, exque his paratas tincturas, aut his cognata remedia, quæ cum vi anodynâ, utplurimùm vi diaphoreticâ simul, pollere observantur.

Hisce ferè etiam addi solent cicuta, mandragora, lolium, stramonium, pseudomelanthium, cannabis, cynoglossa, papauer nigrum & rhœas, jujubæ, dactyli, siliquæ, pruna, sebesten, semina quatuor frigida, pinnæ & pistaceæ, balanus myrepsica, alcea, malva arborea, verbascum, linaria, melilotus, mercurialis, branca ursina, gummi arabicum, &c.

Opium, *pag.* 660.) Est succus papaverum sativorum in regione Asiæ orientali elicitus; cuius fœtus nunc prostans opium est utplurimum Meconium saltem ex integra illius planta prælo elicitum: Cæterum insons est remedium, nec nisi peruerso usu nocivum; quin Orientales populi vix sine eo viuere possunt, quod vocant *Affion*: sed eidem assueverunt ita, ut id ad drachmas integras assumant.

Ob meticulosam, *pag.* 661.) Scilicet, plures sunt nostratium Medicorum, qui nunquam magis tremunt, quàm quando ægris opiata aut vomitoria exhibenda sunt: Sed æquè nocet, qui ex metu ægros non sufficienter curat, quàm qui ex temeritate eosdem occidit, cùm opium in quibusvis ingentibus symptomatibus dolorosis sistendis sit præstantissimum, modò id dextrè & cum debitis circumstantiis adhibeatur.

Crudum, *pag.* 662.) Opium crudum hodiè vix, uti olim quidem veteribus, in usu est: interim, in quibus acidum primarum viarum excessivum offenditur, illis crudum commodè poterit dari, cùm ab acido illo hoc castretur: contra tenerioribus subjectis idem exhibere nobis sit religio, propter funesta præcordiorum symptomata. Atque hinc opiata WILLISIO malè audiunt, cùm Angli delicatiores sint; è contrà nobis, ceu subjectis durioribus, & præsertim septentrionalibus, & acido primarum viarum magis activo gaudentibus, tàm crudum, quàm præparatum opium, convenit; extractum scilicet, nunc in forma liquida, nunc sicca, propinandum. Ubi tamen, quemadmodum crudum non omnibus exhibendum, ita simplex eius extractio cum spir. vini dat remedium sanè stupefactorium, indeque cautione hìc opus est.

Citra prævias tostura.) Scilicet notum est, quod AUTORES præparaturi remedia ex opio, doceant ab eo separare priùs gas illud fœtidum & virulentum ibi hærens, quippè in quo vis narcotica imprimis residet. Jam igitur fit hoc vulgò, opium in tenues lamellas incisum blandè torrefaciendo, quo sic euaporet illud gas noxium. Alii contrà sub tostione hac opium incisum submergunt aquæ simplici, vel leniter coquunt usque ad euaporationem aquæ; & quidem optimè.

Sulphuratione.) Alii sub tostione opii, id sulphuris incensi fumo suffumigant.

Crudi in spiritu vini solutio.) Scilicet præparaturi & redacturi opium in Essentiam seu Extractum, curiosi sunt de menstruo; hinc duo scopi sunt:

1. *Extrahendi*:
2. *Corrigendi*.

Hinc prioris ratione, præsertim cùm opium sit texturæ resinosæ, accommodatus esse videtur spiritus vini, solvens resinam; quia opium est subjectum resinosum: Ast verò pro correctione aliud quid menstruo associandum requiritur (solutum enim opium cum spiritu vini summè est stupefactivum) nempè narcosis virulenta corrigenda est. Et quidem crasis materialis opii consistit in substantia pingui oleosa, viscida, fœtida & narcotica, & sociata sali alcalino acri fortiter sudorifero: ex quibus duabus substantiis sapor amarissimus quoque dependet. Jam igitur pro harum correctione nunc salia alcalia, v. g. sal tartari, ut hoc texturam pinguem sulphuream dissolvat, eiusque visciditatem corrigat, & vim narcoticam figat; nunc acida, sed minus rectè, quia illud castrant, ut acetum, vel succus cydoniorum, vel spiritus vitrioli dulcis, vel spiritus salis; quæ sociata spiritui vini extrahenti suo modo opium corrigunt. Interim excellit illa correctio opii, quæ fit per alcali tartari ita:

℞. *Opii*,
Salis tartari an. ℥j.

Quibus invicem tritis superinfundatur
Vini Rhenanigenerosi ℔j.
(propter acidum, acetum non probo)

Stent in digestione & solvantur, hincque extractio filtrata euaporetur ad consistentiam mellis spissioris, & postmodum superfundendo spiritum vini, elicitui postmodum *tinctura* seu *essentia opii* correcta elegans, facilè euaporatione spiritus vini in extracti consistentiam pro laudano opiato in forma pilulari redigenda.

Atque modus hic corrigendi opium est *du* HAMEL & BOYLEI.

Topicis.) Externè non opus est extracto opii; saltem internè opium cum spiritu vini extractum secundùm AUTOREM tutissimum est: sed dubitatur, an spir. vini solus omnem virulentiam deleat?

Acidulatio.) Quod si quidam velint præparare opium peracida, ij recipiant spiritum vini spiritu salis acuatum: nempè

℞. *Opii* ℥j.
Spiritus vini ℥iij. vel iv.
Spiritus vitrioli (aut, qui elegantior, *spiritus salis*) ℨj.

Ita parata essentia elegantior, & tuta magis est illâ, quæ cum simplici spiritu uini paratur; imò eadem cuilibet liquori sine præcipitatione permiscibilis est.

Penamus, *pag.* 664.) Scilicet tria præparata ex opio habet AUTOR, Laudanum scilicet suum pro consistentia pilulari, Pulverem, & tincturam seu essentiam.

Laudanum.) Extractum opii cum aliis mistum uocatur laudanum; & quidem cùm cinnabarina anodyna ui sint instructa, & quietis conciliatiua, proin meritò adduntur ab AUTORE extracto opii pro suo *laudano*; quod laudanum variis admisceri potest tincturis: sic v. g. pro *laudano epileptico* misceatur illud extracto castorei, calami aromatici, vel pulveri analeptico, vel pulveri præcipitanti, vel etiam cranio humano, cervino, unicornu vero, &c. vel etiam pro *laudano hysterico* cum extracto castorei & calami aromatici; pro scopo pectorali cum extracto helenii, vel hederæ terrestris: ita laudanum opiatum diuersimodè specificari poterit.

Pilularum de cynoglossa, *pag.* 665.) Pilulas has veteres usurparunt in doloribus dentium, catarrhis tenuibus, tussi sicca, &c. sed rarissimè usurpantur hodie, & earum loco laudano opiato sumus contenti.

Hyoscyamum, *pag.* 666.) Non internè adhibeatur contra laudanum Crollii. Est succus expressus & inspissatus: ingreditur quidem laudanum opiatum Crollii: at quia hoc est vehementissimum, externis usibus inservit.

Pulverem anodynum.) Pulvis hic est egregius: hunc optimè ingrediuntur corallia propter sui vim præcipitantem. Cæterum si mihi optio hìc daretur, adderem laudano Autoris cinnabarim antimonii, & loco coralliorum vel matrem perlarum vel lapillos cancrorum: exque his tritis in anatica proportione conficerem *pulverem anodynum*:

Vel

et reciperem
Extr. opii part. j.
Cinnab. antimonii part. ij.
Et loco coralliorum possunt sumi
Lapill. cancr. præp. vel *matr. perl. præp.* vel *concreti marini cuiusd.* part. iij.

Hæc mista Dosi à gr. vj. ad ix. darem, & irrorarem vel *oleo destillato succini* pro scopo nervino, vel *oleo cinnamomi* pro scopo analeptico simul, vel *oleo terebinthinæ* pro scopo nephritico.

Magisterio, *pag.* 667.) Magisterium opii fit solvendo opium in aceto, & præcipitando cum sale tartari; sed est maximam partem castratum; cuius loco pulvis anodynus adhiberi potest. Liquor ab eius præparatione residuus dosi gutt 10. 20. ad 30 remedium est temperativum egregium & figens, & quasi liquor quidam terræ foliatæ tartari sociatus opio; hincque diaphoreticus, temperans, & simul anodynus. Interim & loco huius alia prostant; hinc illo in specie non indigebimus.

Trochiscis.) Trochisci omnes, quorum AUTOR *noster* mentionem facit, animantur ab opio, indeque illis non est opus, sed modò in promptu habeatur pulvis anodynus, tunc ex tempore pro scopo diuretico alkekengi loco trochiscorum eiusdem nominis; vel succinum loco trochiscorum de carabe dictorum; vel denique corallia loco diacorallii, adiungi poterunt.

Ana partibus quatuor, *pag* 669.) Anodynus liquor paratur ex opio:

℞. *Opii* part. j.
Aquæ apoplect.
Spiritus vitrioli roridi an. part. iv.

Verùm hìc puto sphalma subesse, etiamsi proportio hæc conferatur cum illa, quæ legitur *pag* 663. sumendo pro ℥j. *opii*, ℨj. *spiritus vitrioli*, & quadruplum, respectu opii, *spiritus vini*; & sic etiam hìc aquæ *apoplecticæ* proportio potest esse quadrupla respectu opii, vel crudi, vel euaporatione mitigati: ast *spiritus acidi* tantum ℨj. concedi poterit; secus enim mistura nimis acidula emerget. Potiùs igitur

℞. *Opii cuiuscunque* ℥j.
Aquæ apoplect. nostrat. ℥iv.
Spiritus vitrioli rorid. vel *Philos.* ℨi.

Hæc digesta & filtrata sint pro *liquore anodyno*. Et hanc præparationem AUTOR omnibus aliis præfert. Essentia opii cum aqua apoplectica mista dat liquorem anodynum.

Post fermentationem.) Intelligit hìc AUTOR *noster* extractum opii cum succo cydoniorum paratum Langelotti, quod itidem egregium; cum postmodum illud cum spir. vini extrahi queat.

Hyoscyamus, *pag.* 670.) Neque herba, neque semen hyoscyami adhibeatur, cum internè datus perquam sit virulentus, & somnia turbulenta, levia deliria, imò in paulò maiori dosi symptomata maniaca quasi concitet; hinc internè non fuit usurpatus, utut à

PA-

maniaca quasi concitet; hinc internè non fuit usurpatus, utut à PADUANO & HEURNIO Electuariis contra hæmoptysin semen ejus admisceatur: propterea magis externis usibus ille sit accommodandus. Et quidem pro usu externo generale quasi anodynum est oleum illud compositum flavescens ex semine ejus, cum ana seminis papaveris misto, expressum; ita hoc præter cephalalgiæ sufflamina, temporibus illitum & somnum infert, & quosvis dolores sistit: & sic virulentia hyoscyami tam fortis non est.

Vnguentum, *pag.* 671.) Fit unguentum ex summitatibus floridis hyoscyami incisis, & in butyro majali, vel alio non salito frixis, validèque expressis; sic unguentum habebitis, quod multis scopis satis est ex AUTORE.

Cataplasmata.) Cataplasmata anodyna optima fiunt ex hyoscyamo recenti & viridi, coctoin lacte vel aqua simplici; hæc uti in scorbuticis abdominis affectibus dolorosis & convulsivis, teste DRAWIZIO, itaquoque in aliis doloribus non rejicienda sunt.

Emplastrum.) Pro scopo temperandi & sistendi necessitatis tempore emplastrum de hyoscyamo optimè emplastris magistralibus potest addi; vel hæcce emplastra oleo hyoscyami possunt acuari.

Cicutam.) Cicuta apud nos non æquè narcotica ac venenosa est, quàm in Græcia.

Cicutariam, *pag.* 672.) Cicutaria, vel etiam Decoctum ejus compositum, mammis conducit pro lactis copia ablactantium coercenda.

Mandragoram.) Loco mandragoræ quidam Agyrtæ recipiunt radicem victorialis.

Strammoneum.) Strammoneum vel Datura Turcarum potens narcoticum, & mirandi effectus est; cùm hujus usu ratio amittatur saltem, sensibus reliquis intactis: de quo conf. MANDELSLO. Interim ex hoc BARTHOLETUS *Tr. de Resp.* suum remedium phantasticum parat pro deliriis melancholicis & maniacis curandis, & in melius phantasma transmutandis.

Cynoglossa.) Tota planta, speciatim radix, narcoticâ virulentiâ etiam est prædita, hinc suo modo respondet viribus & usui opii. Argumento sunt pilulæ de cynoglossa ex basi ejus paratæ, de quibus suprà.

Nimio delectu nigrum.) Dicit AUTOR *noster*, nullam esse differentiam inter papaver nigrum & album: FORESTUS *tamen lib.* 9. *Obs.* 14 *in Scholio* dicit, longè magis illud pte albo esse narcoticum; quod itidem POTERIUS confirmat.

Immaturorum capitum extractum.) Intelligit hic AUTOR illud *Quercetani papaverinum extractum*, quod describit ex eo SCHROEDERUS *l.* 4. *pag.* 118. atque hoc pro infantibus seligit AUTOR, quippè quibus pars quarta granuli opii nocet offenditque, & quasi semimortuos reddit. Interim neque illius tanta necessitas est, præsertim cùm anniculis quasi gran. j. theriacæ pro j. vel ij. dosibus, reliquis additis, sufficere queat.

E residuorum luxurie.) Rejicit AUTOR Papaverina; sed respectu opiatorum possumus retinere syrupum papaveris simplicem, & diacodion Montani, seu syrupum de siliquis: Et quidem illum in potiunculis in forma liquida pro usu sudorifero anodyno addendum jubeo; præsertim cum WILLISIUS *in Pharmac. Ration.* papaverina (quæ sunt opiata dicta) præferat in tali casu ipsis opiatis. His potest addi semen papaveris albi ad emulsiones, dosi ℥vi. ad ℥i. exhibendum; è contra syrupi diacodii Montani usus est magis arteriacus, in asperitate scilicet & phlogosi faucium, cum bacillo liquiritiæ recenti assumendus; sic enim præstat omnibus Looch officinarum incrassantibus atque expectorantibus. Syrupus compositus est inconditus, sive veterum, sive modernorum: correctior est ZWELFFERI.

Actuarii.) Reliqui Diacodia quælibet transeant, Syrupus diacodion Actuarii compositum est ex Papavere cum variis adstringentibus in diarrhœa, &c.

Loch de papavere.) Compositio est horrida: sufficiat syrupus diacodion.

Ad libras innoxiè, *pag.* 674.) Notat AUTOR *noster* emulsiones, quæ recipiunt semen papaveris albi, quæ in morbis acutis vel affectibus ex lympha præscribuntur: scopus est anodynus somniferus; sed quanti sint usus? vid. AUTOR de placentis. Verùm quæ sanos non alterant, ægros nihilominus afficiunt: v. g. particula carnis benè coctæ febricitantibus maximè nociva est, non autem sanis; proinde, sicut hoc procedit in diæteticis, idem statuendum eò magis erit in Pharmaceuticis; adeoque par ratio locum habebit respectu feminis papaveris, quod in emulsionibus exhibitum contra AUTOREM non est sine effectu, præ primis ægris delicatioribus, quamvis à sanis sine alteratione accipiatur.

Ex erratico.) Papaver erraticum laudatur peculiariter in pleuritide, casu ab alto, & grumo sanguinis; indeque prostat pulvis flor. papaveris erratici, qui tamen in magna dosi usurpandus, aliàs exiguæ est efficaciæ. Potiùs hinc seligit AUTOR rectè *extractum florum* ritè paratum, ebullitione scilicet in aqua simplici, & repetitis infusionibus frequentibus, hinc in balneo uaporoso inspissatum, & cum saccharo in *extractum* redactum secundùm QUERCETANUM, dosi ℈ii. est egregium.

Syrupus parum valet.

Aqua destillata à novis floribus sæpius cohobatur. Et præter hæc ex Papavere erratico nihil considerationem meretur.

E Residuis epicerasticis, *pag.* 675.) AUTOR eligit passulas, amygdalas, & glycyrrhizam.

Passulas.) Passulæ majores egregium dant laxativum; imprimis pro hypochondriacis & scorbuticis in forma vini passulati Timæi exhibitæ; non secus ac eædem inserviunt scopo lenitivo & epicerastico. Hi purgantia non ferunt, isti eadem digerunt. Minores passulæ sunt temperatiores, succulentiores, & meliores majoribus. Et quidem excellit in passulis succus temperatus dulcis, & in recessu insigniter oleosus, ratione cujus fermentativi passulæ sunt laxativæ; sicut ratione dulcoris epicerasticæ; & paratur ex iis in Balneo vaporoso simplex vel etiam composita essentia, nempè ex partib. ij. *passularum* & *pinguium caricarum* part. ij.

Arillarum spiritu.) Arillæ passularum destillatæ dant spiritum acidiusculum cum copioso empyrevmatico oleo; ex quibus & exprimi potest aliud oleum, olivarum oleo non adeò absimile; imò sunt, qui ex iisdem fortiore igne sal volatile se paraſſe asserunt.

Passularum melle.) *Mel passularum* ex passulis coctis expressis inspissatum in usu est. AUTOR habet *mel compositum* ex caricis & passulis, & præfert hoc sapæ.

Sapa.) Sapa est mustum concentratum: paratur etiam ex musto inspissato. Ad hæc ipsæ passulæ sunt mustum concentratum. In hac autem sapa subindè concrescunt crystalli tartareo-dulces.

Syrupo jujubino.) Loco syrupi jujubini, de sebesten, &c. istud mel passulatum optimè satisfacit.

Glycyrrhizæ radix.) Ex radice liquiritiæ eligit AUTOR coctione elicitum succum despumatum, saccharo in extractum inspissatum; hocque præfert succo vulgari impuro. Et sanè, si quis scire desiderat, quantæ impuritates succo vulgari adhæreant, tunc solvat illum in aqua simplici, sic namque illæ in copia fundum petunt.

Vnguenta, *pag.* 676.) Scilicet prostat *in Pharm. Aug.* unguentum de glycyrrhiza ad arcenda erysipelata externè illitum. Ast cautissimus hoc in passu esto usus unguentorum & linimentorum; periculum enim est, ne deducant ad suppurationem; quin potiùs loco ejus (quod tamen in hæmorrhoidum dolore, nunc per se, nunc mistum cum quarta parte olei hyperici, non contemnendum) præferendus erit pulvis erysipelaticus AUTORIS ex *myrrha*, *cerussa*, & *farina domestica*; in quo tamen loco farinæ domesticæ potiùs recipiantur

Pulv. flor. sambuc. part. vj.
Ceruss. part. iij.
Myrrh. part. j.

Irrorentur cum *spiritu vini tartarisato*, & pulvis calidè applicetur erysipelati tutò resolvendo.

Dactyli, *pag* 677.) Hos rejicit Autor: prostat inde emplastrum diapalmæ dictum, ideò quod species baculo palmæ soleant misceri.

Ossiculorum.) Officula dactylorum limâ in pulverem redacta laudantur à quibusdam in dysuria; sed nuclei alii nostrates sufficiunt.

Zibebæ.) Quod de his promittitur, abundè habemus in passulis; item loco jujubarum & sebesten, quæ ex Italia afferuntur, sed plerumque cariosa, passulæ esse possunt.

Siliquæ.) Siliquæ comestæ, nobiles sunt in soda seu ardore stomachi; Ex succo recenti fit elegans Vinum factitium: vid. BORRICHIUS *in Hermet. Sapient. pag.* 122. Succus coquendo elicitus viribus convenit cum passulis minoribus aut jujubis.

Pruna Damascena.) Ratione succi sui fermentatiui blandè alvum laxare assolent. Propterea exsiccata, & hinc usurpata, musteo suo dulcore acrimoniam humorum obtundere, partesque hinc læsas lenire assolent.

Jujubæ.) Succo dulci & temperato turgent, cuius ratione lymphæ acrimoniam temperando egregii usus sunt; quem in finem speciatim syrupus de juiubis in usu est.

Sebesten.) Ejusdem usus sunt cum modò dictis jujubis, speciatim partibus urinariis ex urinæ acrimonia læsis; item ipsi urinæ acriori temperandæ conveniunt. In decocto est saltem eorum usus ad ℥vi.

Sacchari.) Sufficit simpliciter saccharum commune in metis in aqua solutum, & in consistentiam syrupi variis addendum formulis. Est autem saccharum sal essentiale, seu quasi mustum concentratum; hinc solvendo cum aqua, spontè fermentat, & potum Malvaticum suggerit. Facilè etiam fluit in loco humido. Nunquam usurpetur saccharum in medicamentis, nisi ubi necesse est, ut acquirant consistentiam spissiorem, ne situm contrahant. Præferantur igitur extracta vegetabilium succosa. Pauci saccharata ferre possunt; nec morbi chronici, hypochondriaci, scorbutici, cachecticæ, hystericæ, quilibet alvi fluxus, febricitantes, &c. non possunt eadem ferre, quin maiorem noxam inde contrahant.

Sacchari oleum, *pag.* 679.) Sacchari oleum est illud, quando saccharum solvitur in spiritu vini non adeò rectificato (aliàs non solvitur) hinc spiritus vini incenditur & deflagrat; ità enim remanet *syrupus*, quem *oleum sacchari* vocant *simplex*: Vel etiam *compositum*, factum loco simplicis cum spiritu vini fœniculaceo, anisato, vel iuniperino, vel infusionis Pectoralium, &c. Hocce oleum sacchari nil aliud est, quàm phlegma spiritus vini & saccharum;

sul-

sulphur enim spiritus vini per incensionem avolat. Dicta olea sacchari commendant pro usu linctuum in affectibus pectoris & asperitate faucium. Sed perfunctoriè dicuntur Olea ab AUTORE *nostro*. Idem potest fieri abstractione spiritus vini à saccharo, vel & dilutione sacchari in aqua simplici soluti & inspissati: Sed quid opus est tantâ pompâ? Quando per retortam destillatur, dat phlegma acidulum seu spiritum sacchari. Imò & datur *oleum compositum*, *olei antimonii saccharati* nomine veniens, si ex *antimonio* & *saccharo* mistis destilletur, ubi acidum sacchari rodit regulum antimonii, & secum aliquid rapit per retortam: sicut quidam corallisatum parant ex part. iij. *sacchari* & parte j. *coralliorum*. Interim tamen, quod de coralliis prodit, non meretur operæ pretium.

Spiritum ardentem, *pag.* 680.) Saccharum fermentatum dat potum vinosum, ex quo potest abstrahi spiritus sulphureus vinosus instar spiritus vini, & nullam præ hoc habet prærogativam.

Hydrosaccharum.) Compositum passulatum, Petersimenes æmulum, potest parari ex *saccharo*, *passulis*, & aqua, mediante fermentatione, & postmodum cum santalo tingendo.

Dulces amygdalæ.) Amygdalæ dulces sunt nuclei, succo oleoso quasi lacteo turgidi, indeque temperati, adeoque optimè nutritivæ & cujusvis acrimoniæ, præsertim salsæ, temperativæ & lenitivæ: unde tam frequens est emulsionis amygdalarum dulcium usus in febribus, etiam in dysenteriis, in quibus commodè cum decoctis vulnerariis paratur; item in phthisicis & emaciatis, speciatim, si his sudores colliquativi nocturni immineant, tales à copiosiore amygdalinæ emulsionis usu multum recreantur.

Pistacbiorum, *Pinearumque.*) Pinus sativa in nucibus suggerit fructum, Pineas dictum, quæ ipsæ succo oleoso probè nutriente, humectante, & egregiè temperato impræegnatæ sunt; pari ferè ratione atque amygdalæ dulces, speciatim materiam genituræ augendo, ad veneris exercitia conferre solent: hinc quondam oleum ex iis recens expressum cum vino Malvatico pro veneris exercitio à Principe assumptum fuit.

Ejusdem ferè naturæ & usus sunt pistacia; quæ & ipsa eodem modo & conferunt & usurpari possunt atque pineæ; quarum tamen loco amygdalæ dulces sufficiunt.

Oleum è dulcibus amygdalis, *pag.* 681.) Amygdalæ dulces, nuclei cucurbitæ, cucumerum, &c. suggerunt oleum aquosius quidem, sed æquè temperans, ac amygdalarum dulcium. Oleum frigidè ex amygdalis dulcibus expressum eligit AUTOR *pag* 681. quia hoc durabilius est, cùm ex calidis paratum facilè rancescat. Hæc ergo semina cum amygdalis dulcibus sufficiunt.

Magmate residuo cuticulæ, *pag.* 681.) Cum magmate expressionis amygdalarum dulcium parant sapones cosmeticos cum benzoe in spiritu vini soluta, addita farina fabarum, & pulvere Ireos Florentinæ.

Balanoque.) Insinuat oleum de been, cum quo paratur *oleum jasmini* faciendo stratum super stratum: vid. PROSPER ALPINUS *in Horto Exoticor.*

Vnguentum Resumptivum.) Vanum est, quod inungant dorsum hecticorum hocce: par ratio est, si etiam in affectibus pectoris, asthmate, tussi, phthisi unguenta pectoralia pectori illinuntur; ridiculum enim & vanum est. Horum loco si insanire interdum cum vulgo volumus, sufficiat oleum amygdalarum dulcium.

Amylum, *pag.* 652.) Amylum à quibusdam adhibetur ad temperandas lachrymas acriores: sed male; quia brevi acorem contrahit: Jam si collyriis additur, & hocce lympha oculorum diluitur, acescit, & affectus oculorum asperiores reddit. Par ratio est si commendatur in lymphæ affectibus tanquam incrassans; præstantiora enim prostant.

Arabicogummi.) Gummi Arabicum vix verum ad nos venit quodque ex Arabia est. Hujus loco sufficiat tragacantha in aqua communi facilè in mucilaginem resolubilis, cujus ratione temperandi, acrimoniam leniendi, & mitigandi partes exasperatas, excoriatas, earum fissuras, &c. item urinæ acrimonias mitigandi, egregiè pollet; unde tàm externè, quàm internè mucilago ejus frequenter usurpatur: Externè ad fissuras manuum, pedum, papillarum, &c. cum aqua spermatis ranarum extracta: Internè verò cum aliis sub trochiscorum forma propinatur, uti sunt trochisci de carabe, de terra sigillata.

Seminibus.) Semine cydoniorum in aqua macerata dimittunt mucilaginem optimam, tàm in oculorum affectibus, à causa externa natis, quàm in aliis casibus, v. g. fissuris labiorum, narium, & papillarum.

E violis purpureis) Eligit AUTOR saltem Extractum è floribus succosum. Sufficiat hoc & semen ex omnibus.

Essentia melliformis, *pag* 683.) Extractum hocce seu essentia melliformis vid. apud SCHROEDERVM *pag.* 175. Hoc idem præstat, quod quilibet syrupus & extractum violarum. In usu arteriaco polychrestum est. Hoc extractum cum spiritu vitrioli irroratum rubescit, hinc in aqua dat tincturam.

Decoctum pectorale, *pag.* 684.) Hic scopus est duplex: vel enim constat ex vulnerariis, noxam ex lympha acriori pectori introductam corrigentibus; atque talia sunt scabiosa, alchimilla, hedera terrestris, pulmonaria, symphytum, plantago; vel dulcibus ex temperantibus, incrassantibus, & per consequens expectorantibus. Ex his nunc separatim, nunc conjunctim, omnia decocta pectoralia sunt composita. Utrique scopo ex tempore multa præscribere possumus, adeoque speciebus officinalibus illis pro decocto pectorali non indigebimus. Horum autem usus est, curare phthisin, hecticam, empyemata, &c.

Nec verè phthisicos.) Scilicet *phthisis* est vel *vera*, à visceris alicujus exulceratione prognata; & hæc decoctis nullis pectoralibus existit curabilis: vel *notha*, ubi rubimentum quoddam phthiseos ex tussi & sputo percipitur, cui tamen decocta prædicta mederi poterunt, vel noxam inductam à lympha tollendo, vel lympham attemperando, & hinc expectorationem in empyematicis promovendo, superveniente postmodum ipsa consolidatione.

Conserva malvæ, *pag.* 686.) Fiunt tandem mucilagines, quibus verò non tantoperè indigemus.

Electuaria arteriaca.) Vid. ZWELFERVS, SCHROEDERUS, &c. Reijcit Autor conservas propter saccharum, quæ in morbis pectoralibus plus nocent. Sulphurata non omnes ferre possunt, v. g. qui sunt dispositi ad febrim hecticam. Modò igitur extracta misceantur temperantia ex passulis, glycyrrhiza, &c. quibus addantur extracta vulnerariorum, hederæ terrestris, alchimillæ, & erunt optima.

Anonymi & Haly.) Pulvis Anonymi & Hali constant ex seminibus oleosis & gummosis.

Sed AUTOR *noster* considerat:

1. Quod semina oleosa facilè rancorem contrahant.
2. Quod in scopo præservandi opiata optima temperativa, vulgò Incrassantia, præstent.

In cura phthiseos & hecticæ etiam non sufficiunt pulveres oleosi ex hisce seminibus; & sulphurea, saturninaque non omnibus conveniunt.

Fungos salignos, *pag.* 688.) Fungi saligni inter muliebria euporista dosi ℈j. ad ʒß. commendantur vulgò, cum conserva rosarum assumpti, ad phthisin; interim frustra, nec videmus hujus effectus rationem, vel sufficientem experientiam.

Species dia Tragacanthi.) Specierum dia Tragacanthi usus est, temperare lympham acriorem. Desiderat AUTOR *noster:*

1. Quod Tragacantha parum in singulas doses conferat.
2. Quod pro scopo oblinendi fauces in forma pulveris minus commodè usurpentur, quia citò nimis descendunt.
3. Quia faciliùs ex tempore pulveribus pectoralibus tragacantha addi, & in dosi suppleri possit.

Morsuli arteriaci seu rotulæ, *pag.* 689.) Harum scopus est oblinire fauces & temperare lympham acrem; indeque optima est simplicissima earum compositio ex iride, succo liquiritiæ cum tragacantha, juxta AUTORIS methodum hæc;

℞ *Extract. liquirit.* ℥j.
Sacch. albiss. ℥iß.
Pulv. rad. ireos Flor. ʒiß.

Ex his cum s. q. *mucilaginis tragacanth. in aqua veronic. dissolut.* formentur *Trochisci* quasi catholici pro scopo temperandi, incrassandi, & expectorandi, ut loco omnium sufficiant.

E reliquis anodynis ac lenientibus, *pag* 690.) Pro usu externo eligit AUTOR malvam, oleum liliorum alborum, & oleum olivarum commune.

Malva.) Malva vulgaris tota inter Emollientia, Temperantia, Anodyna, Maturantia, & Suppurantia primatum tenet, ratione mucilaginis cum aqua extractæ, aut quoque cataplasmatis forma. Et propterea ex malva sufficiunt loco Althææ, Alceæ, Malvæ arboreæ albæ & rubræ; ex quarum floribus Chirurgi faciunt Gargarismata, nullam tamen habent prærogativam præ malva communi.

Liliorum alborum anthera.) Antheras liliorum alborum seligunt Autores; sed frustra.

Radices.) Seligunt etiam radices liliorum alborum pro scopo emolliendi: Sed ex tempore possunt colligi; hinc non asserventur: vel loco harum cepæ sub cineribus coctæ possunt substitui.

Liliorum alborum oleum.) AUTOR *noster* eligit liliorum alborum oleum, quod est anodynum & emolliens, itemque vulnerarium: fiat per simplicem florum recentium in oleum olivarum infusionem: Huic oleo possunt superaddi flores rosarum, violarum, verbasci, chamomillæ, &c. ut habeatur oleum compositum anodynum, temperativum, emollitivum, &c.

Linariæ, *pag* 691.) Linaria commendata est ad hæmorrhoides; & præprimis unguentum; sed sufficit unguentum de hyoscyamo.

Verbasci floribus.) Aliàs anodyni sunt hujus flores, & ad tenesmum dysentericum optimi: sed sufficit hyoscyamus. Aliàs est amuletum catarrhale, vid HARTMANNI *Prax. Chymiatr. l.* 2. *c.* 2. §. 5. Puellæ recipiunt flores flavos, & contusos in vitro soli exponunt, ut in liquorem abeant; quo humectant capillos pro aureo colore conciliando.

Fœnigræci semen.) Semen fœnigræci turget substantia mucilaginosa, quæ vim habet temperandi & obtundendi, & quasi invisscandi acres aculeos salinos quorumvis succorum in corpore peccantium,

tium, ratione cujus emollire, maturare, & suppurare, & hinc blandè dolores demulcere assolet. Uno nomine: omnia ea præstat, quæ ipsi adscribuntur à SCHROEDERO. Ad eadem etiam valet, ad quæ suprà dicta mucilago tragacanthæ utilis est. Loco autem hujus AUTOR *noster* seligit magma ab expresso oleo lini relictum, vi emollitiva.

Lino.) Semen lini mucilaginosum est, cujus ratione convenit in usu suo cum semine fœnugræci; unde sæpè etiam unà solent præscribi. Ulteriùs suggerit oleum per expressionem, cui planè singulares sunt vires, internè quidem temperantes, relaxantes, expectorantes, &c. unde speciatim in pleuritide ceu singulare experimentum commendatur: sed necesse est, ut, quantum possibile, recens usurpetur. Singulares ejus vires & effectus, quos usu interno exserit, videb. in ZWELFFERI *Animadvers. in Pharm. August. pag.* 328. item *M. A. N.C. Ann.* 3. *Observat.* 216. *pag.* 398.

Mirificè valet in affectibus pectoris, ipsa etiam hæmoptysi: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 6. *Obs.* 209 *pag.* 307.

Si recens haberi nequeat, istud ad ignem depurandum, & ita reservandum est: Nempè

℞. *Olei lini,*
Aquæ tepidæ ana part. æqual.

Concutiantur benè invicem, & quantum possibile, invicem commisceantur: Posteà ponatur in solem, relinquendo, & semper quod in fundo impurum est, separando, hocque toties, donec oleum lini purificetur.

Clysmaticum unguentum, pag. 692.) Scopus omnium est vel emolliendi, seu temperandi, vel dolores sistendi. Rarum est, quod pro scopo fortiùs stimulante usurpentur.

Pomatum.) Unguentum pomatum vulgò recommendatum est ad fissuras partium, v. g narium, labiorum, manuum, pedum &c. loco cujus tamen sufficere potest oleum nucistæ expressum, vel etiam illud sudamen, quod coqui ex cochleari suo mucido ligneo igni admoto eliciunt: sicut in graviore malo solutio lapidis medicamentosi ex SCHROEDERO sufficit; vel etiam *Balsamus sulphuris ad extra*, cum *oleo nucum* paratus, locum invenit.

Vnguentum dialtheæ.) AUTOR *noster* substituit unguentum de hyoscyamo, quod etiam loco emplastri diachyli sufficit: cui si volumus, variæ possunt addi mucilagines.

Olivum.) Oleum olivarum recens est egregium emollitivum, maturativum, temperat quodcunque acre, alvum laxat; hinc creberrimi usus est non tantum per se in linimentis, emplastris, & cataplasmatis chirurgorum, sed etiam infusione plurium vegetabilium magis appropriatur, & specificatur ad plures usus. Jam verò, utut probè satisfaciat istis scopis, nihilominus tamen adhuc in se habet acidum satis potens, quod etiam metalla simul arrodere valet: unde, qui ferramenta à rubigine volunt præservare, meliùs faciunt, si rasuram plumbi oleo infundunt; hoc enim absorbet olei acidum, unde tale oleum ita correctum optimum est ad ista præservanda. Suggerit hoc fundamentum emplastrorum chirurgorum veterum & Modernorum, quæ maximam partem ex plumbo & oleo constant: nempè oleum ipsum propter latens acidum, & viscosiorem consistentiam, inimicum est vulneribus & ulceribus, utraq; sordida reddens; sed dum ipsi permiscetur plumbum, hoc ab acido arrosum disponitur, ut faciliùs acida imbibere queat. Ipsum oleum alcalinum magis magisque subtile & penetrans factum, vi balsamica partibus læsis optimè succurrit: & ita talia emplastra, qualia sunt nutritum, album coctum, de cerussa camphoratum, de spermate ranarum, de minio, de lithargyrio, &c. pluribus scopis satisfaciunt; undè creberrimi sunt usus.

Lavare, p. 693.) Lavant quidam oleo olivarum cum aqua, sed ridiculè.

Philosophicum.) Loco olei Philosophorum præstantius est oleum saponis, juniperi, vel terebinthinæ.

Nitri spiritu saturare.) Intelligitur hisce extractum seu balsamus nitri ex hujus spiritu & oleo olivarum, quem SCHMUCKIUS *Secret.* Secreto 7. *pag* 43. habet.

Sine febre furores & inquietudines.) Scilicet pro variis gravioribus paroxysmis anxiosis in morbis chronicis non febrilibus, uti melancholicis, hypochondriacis, scorbuticis, & semimaniacis, opiata sunt frustranea, quin potiùs salia volatilia, speciatim spiritus & sal volatile urinæ aut salis ammoniaci, vel &, qui melior, spiritus carminativus de tribus, in talibus casibus optima remedia.

Apes muscarumque mucores.) Apes pulverisatas seu muscas cum melle vel butyro commendant ad calvitiem: sed sufficit unguentum Bucretii.

Vel naturæ suæ intuitu, pag. 694.) Scilicet mel juxta effatum HELMONTII *Tr. Infant. nutrit. ad vitam longam pag.* 72. continet in se gloriam roris, & extractum florum, hoc est, constat ex sale saccharino roris, quo ceu menstro extracta est florum substantia gummosa, & utraque ab apibus colligitur; quæ duæ substantiæ constituunt mel. Hincquidam optimè loco sacchari mel depuratum Electuariis & syrupis addunt.

Depuratum.) Scilicet optimus modus depurandi mel est, quem habet ZWELFFERUS *Pharm. Reg. pag.* 24. & utut in tali supersit adhuc aliqualis odor ceraceus, tamen hic spontè successu temporis perit, vel quoque inspissatione mellis ad blandum ignem exhalat.

Hydromel spirituosum.) Paratur ex partibus iv. vel vj. aquæ, & part. ij. mellis, repositis omnibus ad fermentationem; vel etiam additis priùs aromaticis nonnullis: sic namque emergit potus generosus & suavis, septentrionalibus locum vini replens. Adduntur etiam varia vegetabilia pro scopis pectoralibus & renalibus.

Spiritus, pag. 695.) Scilicet mel per se absque fermentatione destillatum dat phlegma acidulum spirituosum, quod ferè idem est cum spiritu lignorum vel mannæ: ex lignis autem habetur copiosius, ex melle verò promptiùs. Quidam spiritum mellis rectificando & digerendo subtilius reddere conantur: ast in vanum; nam quò sæpius destillatur, eò aquosius redditur. Hæcce ergò menstrua vegetabilium non nimis rectificanda sunt.

Limacum liquorem, pag. 696.) Asperguntur nempè limaces cum sale communi: liquor hic suo modo est congener spermati ranarum, adeoque ob vim alcalicam non ineptum erit anodyno-antipodagricum.

Lactis delectu.) Scilicet inservit lac tàm pro scopo temperandi acidum scorbuticum & podagricum (in quibus casibus sub decocti usu egregium est) quàm pro usu nutritivo, analeptico & antiphthisico. Ubi tamen, cum à confirmatè phthisicis non digeratur, sed in stomacho eorum coaguletur, parum in recessu habet, & noxas infert: In scorbuto verò & podagra scorbutica lac est optimum, & non de nihilo. Contrà lac externè ob sui pinguedinem temperatissimam butyrosam pro scopo anodyno, emollitivo & relaxativo excellit, modò eidem tantillum sacchari, vel alcali, ne acorem illud contrahat, admisceatur. Hinc inter cataplasmata & epithemata emollientia & suppurantia est optimum.

Caseo.) Caseus tàm recens non salitus solamen affert quibusdam podagricis, phlogosi erysipelaceâ correptis, ob alcali volatile contentum, acidum podagricum temperans; quàm putridus, ceu in quo est sal volatile acrius magis extraversum, cujusque ratione non saltem sitis ex ejus usu intensior enascitur, sed & magis resolutivus & anodynus existit: etenim, si societur caseo ejusmodi putrido sal fixum, vel calx viva, & destilletur, tunc interueniente destillatione acquiritur sal uolatile & spiritus urinosus satis.

FORMULÆ

Hujus classis variæ possunt fieri: v. g.

Pilulæ antihystericæ:

℞. *Extract. castor.*
Zedor.
Laudan. opiat. Autoris an. gr. iv.
Cum olei destillati succini s. q. formentur
pilulæ antihystericæ, quæ itidem colicæ convulsivæ symptomatibus medebuntur.

Pulvis antidysentericus in statu morbi conducens:

℞. *Cornu Cervi ust. præp.* gr. xv.
Bezoard. martial. ℈ß.
Pulv anodyn. Autoris gr. iij. vel iv.
Olei destillat. macis gutt. ij.
M. F. Pulvis pro una dosi.
Detur in vehiculo calido.

Pulvis anticatarrhalis contra tussim nocturnam, ex lympha acriori oriundam:

℞. *Flor. sulphuris* ℈j.
Pulv. anodyn. Autoris gr. iv.
Olei destillat. succin. gutt. v.
Sacchar. q. s.
M. S.
Pulvis anticatarrhalis vespertus.

Potio contra vomitum:

℞. *Aquæ menth.* ℥iß.
Cinnam. spirituos. ℨiij.
Essent. opii Autoris ℈j. ad ℨß.
Sacchari vel *syrupi* parum.
M. F. *Potio* cochleatim assumenda.

Balsamum hypnoticum:

℞. *Olei hyoscyam. cum oleo papav. compos. Autoris* ℈j.
Nucist. express. q. s. M.
Pro lubitu illinendum temporibus in nimiis agrypniis, aut cephalalgia.

Emulsio anodyna temperativa:

℞. *Amydal. dulc. ambr.* ℥iij.
Sem. cucum.
Cucurb.
Papav. alb. ana ℥i.
Cum s. q. *Aquæ flor. sambuci* F. emulsio, adde
pulveres candidos pro particulari affectu variantes:
D. S.
Emulsio ad quietem.
Usurpetur cochleatim.

Pulvis

Pulvis pectoralis:

℞. *Flor. sulphuris*,
Rad. ireos Florent. an. ℥j.
Antimon. diaphoret. ℥ß.
Extract. opii (scilicet *Laudan. opiat. Autoris*,) gr. jx.
Olei fœnicul. gtt. iij.
Elæosacch fœnicul. q. s.
Misc.

Looch ad faucium pathemata dolorosa, ex lymphæ vitio enata:

℞. *Mell. passulat.* ℥ij.
Extract. glycyrrh. Autoris ℥j.
Syr. diacod. Montan. ℥vj.

Diluatur cum pauco *aquæ scabiosæ* in consistentiam Looch.
D. S.
Succus ad collum.

Vel Decoctum pectorale:

℞. *Herbar. recent. veronic.*
Heder. terrestr.
Scabios. an. m. j.
Rasur. ligni sassafras ℥j.

Coque in s. q. *aquæ simpl.* in vase tecto:
adde in fine
Passular. minor conquassat. ℥ij.
Rasur rad. liquirit. ℥i.

Ebulliant iterum leniter; hinc dum fervent adhuc, suspendantur in Nodulo
Cinamom. elect. ℥ij.
Colaturæ refrigeratæ ℞. ℔iiß.
D. S.
Potio pectoralis.

Cataplasma ex speciebus domesticis extemporaneum:

℞. *Herb. malv.* m. jv.
Hyoscyam. m. j.
Cepar. num. ij.

Ebulliant in s. q. *aquæ simpl.* vel *lacte vaccino*: traiiciantur per setaceum;
adde pulpæ
Sapon. vulg. ℥iß.
Ol. lil. alb. composit. Autoris ℥ij.
M. pro cataplasmate.

TITULUS XXI.
DE
TEMPERATIS ANALEPTICIS, ROBORANTIBVS, & REFRIGERANTIBVS.

SElIgit AUTOR acida vegetabilia temperatiora, & magis nobis convenientia, quàm mineralia nobis generosa. Sunt hæc: Cerasa acida, cydonia, citrus, rubus idæus, vinum ratione substantiæ tartareæ, rosæ vel sylvestres vel hortenses communes, chermes, radix satyrionis, choccolata, amygdalæ dulces, secale, triticum, gelatina cornu Cervi, mater perlarum & perlæ, spiritus uitrioli, nitri, corallia, crystallus, saccharum saturni. His accensentur ribes, berberes, granatus, myrtilli, poma, pyra, morus, santala tria, flores tunicæ, borraginis, buglossæ, nymphææ, salix, agnus castus, solanum, sempervivum, atriplex, spinachia, beta, semina 4. frigida maiora, cochleæ, ostreæ, scincus marinus.

Ex istis pro selectu sufficiat succus quidam acidus vel simplex, vel compositus asservatus, & sulphuris fumo mediante à corruptione præseruatus; ex quo additione sacchari syrupus extemporaneus fieri potest, quique cum aqua simplici dilutus cum vel sine vino julepum in febribus ardentibus gratissimum dat. Confectiones inter confortantes vel confectio alchermes, vel similis ex rosis secundùm imitationem Autoris *pag.* 708. parata, sufficit; item Emulsio quædam ex amygdalis dulcibus cum matre perlarum præparata addita; item pulvis absorbens ex coralliis, matre perlarum, crystallo, arcano duplicato, & laudano opiato debitè mistis & usurpatis: quibus pro vehiculo vel aqua rosarum vel aqua rubi idæi inserviet.

Cerasorum acidorum succum, *pag.* 697.) Succus horum & berberum misti sunt egregii.

In vaporis Balneo ad tertias exhalatum, *pag.* 698.) Exhalari jubet AUTOR succos vegetabilium, fructuum acidulorum, pro sui meliore conservatione: ast, cùm tali ratione ab igne mutetur illorum texura, iidemque, nescio quid gummosi contrahant, proindè melius est, ut expressi fumigentur sulphuris gas; sic enim in locum frigidum repositi sponte se depurant. Et talis succus omnibus Præparatis saccharatis præstat.

Cerasa acida.) Notum est, quod ægri pro scopo analeptico cupiant condita cerasa, vel potum hordeaceum, qui potest fieri rubicundus cerasis torrefactis: sed illa condita malè dantur.

Dulcium, *pag.* 699.) Cerasa dulcia nil valent.

Cydoniorum succus.) Succus cydoniorum præstat omnibus aliis ex cydoniis paratis.

Syrupalem consistentiam.) Syrupus seu miva est vel simplex, vel aromatisata: quæ duo ex tempore ex succo cydoniorum fieri possunt.

Spiritus, *pag.* 700.) Vis analeptica, adstrictoria, stomachi confortativa, quæ in cydoniis est, in spiritu per fermentationem parato planè non reperitur.

Citri limonumue, *pag.* 791.) Mala citria scilicet hic venalia sunt saltem Limonia; & genuinum pomum citrium maius est, ad naturam Citroneti ferè accedens. Sunt spirituum corroborans & refrigerans.

Non tam intensiori.) Scilicet succus citri è pulpa expressus hoc peculiare sibi habet, ut sub ignis tractatione natiuam suam aciditatem stypticam perdat: hinc sine calefactione per simplicem residentiam & filtrationem depuratur. Unde succus ille, quibus placet, potiùs cum ana sacchari condiatur, vel quod melius est, fumo sulphuris alteretur pro sui asservatione. Sic & tantillum spiritus uitrioli vel nitri eidem instillatum impedit fermentationem eius metuendam; obtuso scilicet alcalino fermentationis autore.

Vino.) Vinum citri est succus eius per spontaneam residentiam depuratus.

Cinnamomi aqua, *pag.* 702.) Si his acidis succis aqua cinnamomi spirituosior instilletur, mirum est, quantum immutetur sapor, & lignosus fiat.

Destillatio succi.) Quidam destillant succum: sed accipiunt nil, quàm acetum, post phlegma.

Granatorum vino.) Succus granatorum est triplex: acidus, dulcis, & urinosus medius. De succo granatorum acido eadem valent, quę de citri succo dicta fuerunt: succus dulcis temperatus est, acrimoniam bilis imprimis mitigans & temperans; unde à BACONE VERULAMIO *in Hist. vitæ & mortis pag.* 179. ceu insigne hepaticum laudatur: Mediæ hæc inter naturæ est succus vinosus, pro aliquali confortativo, æstu, siti, &c. morborum acutorum, ferè usurpatus.

Agresta, *pag.* 703.) Gallis pro usu culinari est in usu.

Non myrtillorum.) Myrtillotum exsiccatorum usus ferè vulgò contra diarrhœam & dysenteriam commendatur, quia adstringere, fluxumque supprimere, putantur: Sed meritò hic suspicatur AUTOR, metum esse, ne copiosiùs assumpti fermentationes præternaturales in talibus fluxibus periculosas denuò excitent, propter rob exsiccatione quidem condensatum, sed in corpore denuò resolutum.

Syrupalis.) Syrupus interim horum ritè paratus, est egregiè rubicundus, aliis formulis pro coloris gratia addendus: sed parum habet in recessu pro usu Medico.

De pomis.) Ex pomis omnibus Borsdorffiana vi suâ temperatiuâ & blandè laxatiua (jejunè præsertim ab hypochondriacis levioribus comesta) laudem pro usu medico merentur. Non tantum enim blandum aroma spirant, sed speciatim eorum succus egregiè convenit in affectibus hypochondriacis, melancholicis: temperant acidum istud in huiusmodi melancholicis peccans, alvum simul seruant apertam, & ita per accidens palpitationem cordis, inæqualem motum sanguinis fermentativum, imaginationes melancholicas tollunt, adeoque *cordialia* vulgò talia *poma* dicuntur. Hinc vinum pomaceum ex horum succo paratum, tàm solitarium, quàm additis passulis, est egregius potus medicamentosus pro melancholicis; unde & infusa martialia in succo horum pomorum nondum perfectè maturorum sunt egregia in dictis affectibus.

Ex idæo rubo, *pag.* 704.) Rubus Idæus dat contra AUTOREM *nostrum* egregium remedium, non cedens ulli acido fructui, nec ipsis citreis, præsertim cum præter saporem gratum exhibeat odorem suauem, simul quasi aromaticum, indeque in acutis, tàm benignis, quàm malignis febribus, pro julepis non omittendus; summum enim est corroborans & refrigerans. Cæterùm succus eius sulphuratus, aut fermentando in vinum mutatus, præter gratiam coloris euanidam, acquirit saporē aliquem amarū, ut proinde hinc syrupus rubi idæi cum saccharo factus asseruari potiùs debeat. Hinc etiam Augustani maximè commendant ex GESNERO, qui istum *in suis scriptis* tempore pestis perlis & aliis vi cordiali præfert. Et verum est, nunquam in morbis acutis in Julepis syrupus hic omittendus est.

Diamoris.) Sumuntur fructus immaturi, & paratur cum melle Rob, in affectibus faucium in morbis acutis commendatum; præstat tamen acetum cum aqua. Ipsa mora maturata succo dulci ac temperato, adeoque analeptico quidem turgent, sed propter facillimam fermentescibilitatem facillimè corruptibilia existunt.

Rosa, *pag.* 705.) In rosa panacea illa juxta Plinium Pharmacopœorum, tàm odorata, quàm incarnata, duplex substantia consideranda: nempè

1. Substantia volatilis odorifera analeptica seu mercurialis, unde eiusdem odor & vis analeptica derivatur, consistens in subtili & volatili sulphure, seu oleo admodum tenui diluto à phlegmate nimio, nec in verum oleum concentrato: oleum tale subtile defectu salis volatilis, non sufficientis pro eiusmodi concentratione, ob aquæ seu phlegmatis abundantiam nimis diluitur, hinc statim avolat; minimè verò in dictum propriè oleum coercetur.

2. Eius-

2. Ejusdem paulò fixior substantia styptica & adstringens, in recessu alcalina, in ipsis floribus exsiccatis, seu materiali florum substantia præsertim observabilis, & coctione elicienda; in qua etiam, ceu blandè adstringente fibras partiũ, consistit vis rosarum hepatica, & vis refrigerans. Ac quidem alcalinam hanc esse substantiam, probatur ex eo, quod beneficio decocti rosarum rubrarum solutioni vitrioli instillati produci queat atramentum; non secus ac aliud fit ex addita solutione vitrioli decocto gallarum: quod sanè phænomenon dependet ex absorptione acidi vitrioli, ac alcali rosarum cum aliquali martis præcipitatione ex vitriolo; ita enim nigredo emergit. Cui atramento si denuò instilletur aqua fortis seu spiritus nitri, omnis nigredo perit, acido illorum iterum resorbente martem præcipitatum: atramentum verò colorem egregiè rubicundum acquirit; acida enim vegetabilia in colorem egregiè rubicundum tingunt: ast si denuò addatur alcali, v. g. spiritus urinæ, novus color ater prodit; quia absorbet acidum spiritus nitri, hinc deinde alcali rosarum iterum potest agere in spiritum acidum vitrioli.

Tandem inter allegatas has binas substantias mediæ quasi naturæ est Extractum rosarum succosum per repetitam infusionem rosarum in aqua simplici, & blandam evaporationem paratum, utut hoc ad stypticam facultatem magis inclinet.

Aqua, pag. 706) Seligit AUTOR Aquam, Essentiam, & Conservam. Spiritum non magnifacit. Eligitur ab AUTORE unica & simplex *aqua rosarum*, ex rosis suaveolentibus sine additione aquæ per balneũ vaporosum destillata, & à novis floribus cohobata. Externè in usu ophthalmico frequens est: pro hoc verò usu paranda est ex rosis recentibus, non verò fermentatis; quia spiritus acrior oculorum membranas pungit: par ratio est, si spiritus vini additur pro majori penetrantia.

Spiritus fermentatitius:) Spiritus rosarum fermentativus saltem est egregius, si cum saccharo paratur; fit enim spiritus minus genuinus rosarum, sed dilutior: sin verò ritè paratur, inservit admodum egregiè essentiæ ambræ conficiendæ: sicut & spiritus rosarum ambratus conficitur ex rosis contusis fermentantibus, addendo ambræ quantum satis, v. g. ℥ii. pro integro dolio, ut dum rosæ fermentando spiritu ascunt, ambra dissolvatur, & exactè recludatur, hinc jam extensiva & diffusiva est: postmodum destillatur spiritus rosarum ambratus, qui est singulare analepticum, quique pro *essentia ambræ* commodè recipi potest.

Oleum parcissimum, *pag.* 707.) Nullum oleum rosarum destillatum ferè elicitur, sive fermentent, sive per se destillentur, nisi modus BILLICHII *Obs. Paradox. Chym. pag.* 29. aliquid suggerat. Hìc beneficio lintei, sub destillatione aquæ vitri orificio superexpansi, oleum retinetur. Videtur tamen AUTOR statuere, quod si destillentur per retortam vel cucurbitam, dent copiosum oleum, sed empyrevmaticum. Ergò oleum ligni rhodii eidem substituitur.

Rhodiam radicem.) Radix rhodia semper virens est: sed rarò in usum venit; nisi quod pulvis usurpetur in Epithematibus contra dolores capitis. Sed sufficit cynosbati spongia, in qua vermiculi illi cruciformes reperiuntur.

Adjecto verò ana sacchari.) Ex raspatura ligni rhodii, fermentando cum saccharo, elicitur spiritus rosatus; qua ratione rasura ligni gvajaci cum copiosioribus vini fæcibus combinata & fermentata abit in spiritum.

Mellisformis essentia rosarum, pag. 708.) Hujus conficiendi exactiorem modum tradit ANGELUS SALA *in essentiis vegetabilium parandis.*

Tincturam.) Ex hac essentia diluta in s. q. aquæ simplicis, & irrorata cum spiritu vitrioli, potest fieri tinctura.

Melli.) Loco mellis rosati hæc essentia cum melle facilè imprægnari potest.

Confectioni al chermes.) AUTOR Confectionis al-chermes est MESUE *Arabs Monachus*, qui pro scopo analeptico curandi febres malignas, melancholiam, &c. hanc composuit: cujus vis analeptica, maximam partem est ab ambra, parum verò à grano tinctorio, ab ilice coccifera collecto. Basis est sericum in succo chermes tinctum, addito succo pomorum redolentium, auro foliato, lapide Lazuli, perlis, coralliis, ambra; & fit hinc confectio grata analeptica.

Recentiorum.) Recentiores digerunt succum chermes, loco serici: Sed AUTOR, dum considerat saporem amarum, odorem aliqualiter nauseosum succi chermes, & vim stypticam nostrarum rosarum; hinc loco illius præparat essentiam rosarum, addendo etiam ambram, margaritas, &c.

Syrupi rosarum solutivi, pag. 709.) Vis laxativa sc. rosarum consistit in succo subtiliori, è rosis rore matutino madidis parato: nam in tali casu acquiritur blandè laxativi & abstersivi quid; secus non.

Pulverem, pag. 730.) Hìc proponit AUTOR *pulverem* polychrestum *hepaticum* contra æstus vagos, ebrietatem, crapulam insequentes. Parat verò ex rosis, coralliis & santalo: ubi tamen speciebus enumeratis putarem addi posse cremorem tartari, spiritu vitrioli, santalo rubro tincto, acuatum, ita:

℞. *Corall. rubr. præp.* ℥j.
Crem. tart. spiritu vitrioli impregnat. i. e. *tart. vitriolati crystallis.* ℥ij.
Santal. rubr. ℈ii.
Pulver. rosar. ana vel dimidium, respectu horum ingredientium.
M. F. Pulvis contra æstus vagos, ebrietatem, crapulas.

Caryophyllorum hortensium, pag 711.) Non indigemus his, sed si sunt in copia, possumus miscere cum rosis pro essentia conjuncta rosata caryophyllata. Ex floribus tunicæ parant essentiam per se: sed si ferro contingatur succus vel essentia, colorem obscurum & saporem ingratum recipit.

Cyani flores, pag. 712.) Quibusdam flores cyani pro infuso in vino facto commendantur, & ob sui vim diureticam, & ad partum promovendum: ast iis facilè carere possumus: aqua aliàs ophthalmica est.

Borraginis floribus.) Inter flores cordiales referuntur flores borraginis & buglossæ; hinc in affectibus hypochondriaco-melancholicis pro scopo temperandi, horum florum syrupos maximè usurpant, ob vim, quod dicunt, singularem cardiacam: sed præstat succus pomorum.

Santali citrini, pag. 713) Lignum Rhodii ceu præstantius potest substitui loco santali citrini; loco rubri Brasiliense. Aliàs decoctum santali rubri in phthisicis commendatur à FONSECA *in Consultationibus.* Si lympha acrior salsa pulmonibus malum inferre vult, superiori decocto addatur radix chinæ, santalum, & sassafras. Quod si volumus parare Epithema penetrans alexipharmacum, sufficiat spiritus vini camphoratus, qui est penetrantissimus: item vinum generosum, pulsibus & naribus applicatum.

Timorenses.) Sc. est Insula Indiæ Orientalis *Timor* dicta, cujus incolæ febres epidemicas per decoctum santali rubri profligant.

In dispositionibus.) In casu sc lymphæ acrioris salsæ, ad vitia pulmonis disponentis, præter decoctum radicis chinæ, egregium quoque est decoctum santali rubri, annotante FONSECA *l. c.* & RIUERIO *in Praxi.*

Pimpinellam sanguisorbam, pag. 715.) Sanguisorbæ folia vino infusa odorem & saporem suavem eidem conciliant.

Cerevisiarum.) Sicut radix caryophyllatæ cerevisiæ infusa præservat eandem à sua acescentia & corruptione; sic idem quoque in succis vegetabilium præstat. Commendatur etiam ad vina medicata catarrhalia: vid. PARACELSUS *Tom.* 6. & HARMANNUS.

Rosam Hierichunticam.) Hanc commedant mulieres pro partu promovendo, nempè vino infundenda tamdiu, usque se pandat.

Nymphææ.) Hæc & similia vegetabilia refrigerantia respondent ferè spermati ranarum, cum itidem constent temperatissimo alcali abundante volatili urinoso, ratione cujus acidum exorbitans & effervescens sistendo in actione, compescere valent phlogoses: ac probat eorum alcalinam potentiam TACHENIUS *in Hippocrate Chym* ex eo, quod solutiones Saturni cum aceto factas præcipitent. Eadem planta, præsertim radix, singulare quid etiam contra maniam præstare dicitur.

Vis Anti-Venerea.) Commendatur Nymphæa vi anti-venereâ, sed frustrà. Inter hæc autem, præter opiata & camphorata, excellunt magis semen viticis & cannabis, inter omnia tamen nitrum & salix: de quorum illius efficacia conf. *Timæus à GuldenKlee in Conf. med.* Contrà ex salice prostat aqua, tempore verno è tenellis ejus ramis incisis ptolecta, & extractum foliorum salicis Autoris.

CabWee, pag. 717.) Intelligitur hìc potus Coffeè ex semine Baan parandus: de quo conf. WILLISIUS *Pharm. rational.* Ejus usus est exsiccans, calefaciens, somnum arcens, anti-venereus.

Aberrans chylositas.) Intelligitur hìc mictus ille lacteus chylosus, Germ. *der Bieber* dictus; estque nihil aliud, quàm chylus aberrans ex primis viis per iter urinæ potus ad vesicam delatus, ex quo fiunt atrophiæ: vid. TIMÆUS à *GuldenKlee.*

Fabariam, pag. 717.) Commendatur radix fabariæ à BARTHOLINO *in Actis Hasfniens. Volum.* 1. *cap.* 57. & WEDELIO in dorso appensa ad hæmorrhoides cœcas: vid. M. A. N. C *Ann* 2 *Observat.* 195.

Solanum.) Omnia solana vi narcoticâ plus minus participare videntur; propterea succo, sale alcali turgido, imprægnata sunt, præsertim folia: & ex his multiplices ac varii solanorum effectus commodè possunt deduci. Equidem solanum officinarum internè non adhibetur, sed externè propter dictas causas in erysipelate, cephalalgiis, &c egregiè confert; speciatim in tumoribus duris scirrhosis, etiam ad cancrum declinantibus, quocunque modo externè impositum, singulare quod obtinet.

Sempervivum majus.) Sempervivum majus est experimentum PARACELSI in Angina, succi hujus ℔j. cum salis ammoniaci ℥ß. miscentis & destillantis: Contrà alii succum eundem cum saccharo in syrupum redactum ex tempore cum sale ammoniaco miscent, & asservant pro usu.

Anserinam.) Anserinam plantis pedum subditam commendant quidam

quidam pro curando ictero; sicut fronti applicatam pro cephalalgia in febre ardente mitiganda.

Aquae Vitis.) Vitis aqua subtilissimo tartaro prægnans confert in casibus detersione aliquâ opus habentibus; adeoque & in nonnullis oculorum affectibus: item commendatur contra picam.

Trochiscis Gordonii.) Trochiscos Gordonii commendo ad renum exulcerationes, & constant adstringentibus, & acrimoniam urinæ demulcentibus, & opiatis dolorem sistentibus: sed ex istis demulcentibus facilè potest emulsio parari, miscendo cum opiatis & adstringentibus.

Nymphææ Oleo.) Oleum nymphææ temporibus in capitis affectibus & agrypniis inungi solet.

E venereis.) Venerea quædam suggerunt succum temperatum chylosum, semen augentem: contra quædam, quæ acrimoniâ titillando erectionem & impetum venereum augent. Ex prioribus est præter lac & semina oleosa, radix satyrionis bulbosa recens: ex posterioribus acriora aromatica, purgantia: vid. PLATERUS.

Satyriorum radices.) Vid. HENRICUS *ab* HEER, HARTMANNUS, & SCHROEDERUS. AUTOR seligit radicem succosam recentem & extractum succosum. Nisi verò ventriculus valet, penis languet; imò sicuti cum stomacho languido non potest exerceri venus, ita etiam ex venere imminuitur vis ventriculi digestiva. Hinc in usu venereorum observetur, ut digestio stomachi conservetur: quapropter cauti simus in saccharatis. Acria tamen hæcce etiam sunt elumbia, nisi adsit robur & tonus testiculorum, sufficiensque spirituum animalium impetus: utut talia aromatica quandoque ad lithiasin disponant.

Chocolatam, pag. 720.) Chocolata est fructus ex arbore Cacao: potest substitui emulsio amygdalarum dulcium: temperat omnem succorum acrimoniam, adeoque præter usum antiphthisicum, antiscorbuticum, & analepticum, egregia est etiam pro usu augendi genituram.

Bange.) Bange est remedium in forma pulveris, interdum massæ, in India Orientali apud Indos Javanos, Regni Magni Mogol incolas, usitatum pro scopo venerem stimulandi; & paratur ex cannabis foliis & semine: quod ipsum si verum sit, erit cannabis venereum, quæ tamen aliàs commendatur ad castitatem. Conferatur interim OLEARII *Itinerarium*.

Panis calidus.) Panis calidus vino generoso irroratus, & stomachi regioni applicatus, præstat in vomitu nimio, diarrhœa, & hypercatharsi; non secus ac in malignissimis febribus post propinata sudorifera frustum ejus calidum cum fovea, in medio sui theriacâ repleta, & umbilico imposita, venenum allicere creditur.

Fermentum pistorium, pag. 721.) Fermentum panis cum aceto subactum, & mentha, caryophyllis, mace, cardamomis, &c. impraegnatum, dat *emplastrum* MYNSICHTO *contra* vomitum & *singultum* excellens.

Panis destillatus.) Panis destillatus dat spiritum acidum, phlegma, & oleum empyrevmaticum. Spiritus acidus adhibitus est ad varias tincturas pro menstruo: sed est impostura; Cuilibet enim subjecto superfusus illud tingit.

Essentia.) Essentia panis ceu stomachicum & analepticum commendatur ab HARTMANNO. Paratur, cum vino Malvatico extrahendo: sed si habeatur hæc essentia seu magma cerevisiæ resinoso-gummosum, idem est.

Secalis farinam.) Farina secalina usu externo discutiendi, resolvendi, & suo hinc modo emolliendi, convenit.

Teredinis.) Farina teredinis pro exsiccandis ulceribus & intertrigine, palmam præripit cerussæ vel cretæ.

Aquam hordei.) Hordeum magis culinare est cerevisiæ ratione, quàm officinale; nisi quod Decocta hordei ceu corpora juleborum quibusdam in usu sint in febribus, aliisque morbis acutis. In decoctione ista ad crepaturam hordei, blanda quædam temperans & aliquantulum nutriens mucilago, & quasi gelatina, elicitur; quæ ipsa vi suâ temperativâ effervescentias sanguinis aliorumque humorum acrium nonnihil attemperando confert. Sed observetur, ne crebriùs aut copiosiùs usurpetur tale decoctum, quia propter crudam viscidiratem cruditates stomachi viscidas, indeque flatuosas generat: Ob id consultum est, semina aromatica, anisum v. g. & coriandrum, in decoctione simul addere. Notum enim est, quod propter mucilaginem illam viscosam hordeum per se ad fermentationem pro cerevisia ineptum sit, nisi priùs per germinationis motum hæc ejus viscididitas gummosa nonnihil corrigatur.

Nec perlarum, pag. 722.) Scilicet perlæ crudæ usurpatæ nullam habent prærogativam præ lapillis cancrorum, matre perlarum, corallиis, & conchaceis reliquis, sed sunt itidem concretum salino-alcalinum, acidum absorbendo ad diuresin disponens: è contrà vanè vis analeptica in iis quæritur. Adhæc omnia earum Præparata per acida sunt destructiva: unde patet, quid habendum sit de perlarum solutionibus, horum in concretum salinum coagulationibus, & variis modis in Magisteria præcipitationibus. Perlæ enim semel extra corpus acido saturatæ, intra corpus instar calcis primas vias infestabunt, unde potius crudæ saltem pulverisatæ propinentur pro acido sui generis, præsertim gravidarum abortum minante, absorbendo; & aliæ quævis solutiones & præparationes intermittantur; nisi quibus mediantibus perlæ in primogenium lac redigantur.

Succi citri, pag. 724.) Succus citri solvit quidem talia, sed non diu retinet, dum iterum præcipitat.

Per salia.) Scilicet perlæ cum sale ammoniaco præcipitatæ ab hujus acido invertuntur; non secus atque eædem cum terra sigillata tractatæ ab hujus phlegmate acido rodente in via sicca etiam castrantur.

Verum parlarum lac, pag. 725.) Scilicet ex PARACELSO HELMONTIUS allegat remedium genuinum ex perlis parandum, resolutione earum in primogenium suum liquorem lacteum, ex quo coaluerunt; quippè hoc est genuinum solamen tabidorum, hecticorum & arthriticorum. Cæterùm requiritur ad solutionem pro hoc negotio liquor alcahest, quo nempè hac ratione sine efficaciæ suæ alteratione in primogenium liquorem sive lac retromeent.

Cochlearum.) Cochleæ contusæ cum testis in consistentiam cataplasmatis redactæ prosunt in resolvendis & discutiendis tumoribus aquosis & serosis. PETRUS à CASTRO commendavit tanquam secretum in ascite, abdomini impositum. Præterea etiam in aliis hydropis speciebus particularibus, quales hydrocele, hydrocephalus, crura arthriticorum serosa, ubi opus est resolutione aquarum, ubique convenit; imprimis si ita contusis inspergatur pulvis fimi caprilli, & additur semen carvi, & fit cataplasma resolvens.

Scincus, pag. 727.) Scinci ab Italis solent commendari ad stimulandam venerem, item ad resistendum venenis; quo nomine & theriacam solent ingredi. Sed quoad utrumque: parum his animantibus tribuendum arbitror, præsertim cùm Autore FORESTO *l.* 26. *Obs.* 26. scinci veri ad nos non ferantur, neque qui Venetiis venduntur, veri sint: nam quos Pharmacopolæ habent, sunt aquatici: at veri sunt terrestres crocodili.

Maslach.) Turcarum Maslach quid sit? incertum adhuc, utut D. FOGELIUS Tractatum de hoc promiserit. Hoc certum, Turcas eo uti prælia adeuntes pro magnanimitate sibi comparanda; loco cujus tamen nobis sufficere potest *aqua Magnanimitatis Laurembergii* quæ prostat *in hujus Mnemonica*, denuò impressa ad *Ann.* 3. *M. A. N. C. pag.* 605.

Aliàs intus quidem.) Spiritus formicarum, cum spiritu vini vel alio aromatisato paratus per abstractionem, ratione aciditatis suæ volatilis contra AUTOREM *nostrum* singularis est; nec habet alium sibi parem, & dosi cochlearis mirè in affectibus animalibus convenit, mirè stomachicus & cephalicus, item genitalis est: non secus ac hic, & lumbricorum spiritus, aquis nervinis & spiritibus articularibus ad extra, e. g. spiritui terebinth. juniperi, spicæ, in casu membrorum distortorum restituendorum, paralysi affectorum, & atrophiâ particulari post vulnera & contusiones articulorum laborantium, adjiciendus est.

Myrmeciorum insessus, pag. 729.) Scilicet recipitur integrum cubile unà cum formicis & ovis, immergatur in aquam, & post hujus ebullitionem fiat insessus pro malo ischiadico, vel pediluvium pro debilitate pedum paralytica, & debilitate membrorum egregium: Sicut & ejusmodi semicupium non inconsultò suadetur sterilibus mulierculis. Confer. KUNRATHUS *Medull. Destillat.*

Vitelli.) Ovi vitellum minùs vi medicamentosâ, contrà magis vi nutritivâ, præ albumine pollet, & ad duritiem coctum in appetitu canino convenit.

Vitelli oleum.) Inde quoque ex eodem vitello ad duritiem cocto citra assationem oleum exprimitur, quod externè ad hernias, vulnera, fissuras extremorum, & variolarum foveas est commendatum: ubi postmodum ex residuo olei expressi, retortæ incluso, destillari potest adhuc sal volatile cum copioso oleo empyrevmatico.

Aquam.) Porrò ex albumine ovi indurato destillando elicitur aqua ferè iners: contra ex eodem expresso acquiritur liquor limpidus, egregiè ophthalmicus in ulceribus, vulneribus & pustulis oculorum proficuus, ratione virtutis suæ alcalinæ concentratæ: ut taceam, ovum ad duritiem coctum, &, exempto vitello, pauco vitriolo albo repletum & in cellam repositum, liquescere in humorem egregiè ophthalmicum.

Mercurialis secreti edulcoratio.) Intelligitur hìc antimonii præcipitati edulcoratio illa, quam ex PARACELSO mancè habet SCHROEDERUS, paulò verè exactiorem invenire licet in *Theatro Chymico Volum.* 6. *pag.* 456.

Gravidarum, pag. 729.) Scilicet mulieres gravidæ comestione gallaturarum ovi num. 9. se ab abortu præservari vanè credunt.

Inter refrigerantia.) Inter famosissima refrigerantia animalia excellit rana & sperma ranarum, sive ova earum, copiosâ geniturâ mucilaginosâ diluta, quæ seponantur pro usu Medico & Cosmetico.

Spermatis liquor.) Cæterùm turget idem sperma ranarum copioso sale volatili urinoso, admodum temperato, ratione cujus destruendo acidum peccans refrigerare dicitur, & convenit in inflammationibus podagricis loco anodyni; sicut & medetur ambustionibus & maculis faciei variis, ab acido oriundis. Porrò, ut asservetur eò meliùs, illud variis encheiresibus subjicitur, ubi ZWELFFERUS *Animadvers. in Pharmac. August. p.* 409. illud per saccum lineum

lineum transcolatum alumine impraegnat: quod tamen hac ratione praeparatum non aeque convenit.

Simplex.) Interim, cum facilè per se putrescat, hinc potius vasi clauso inditum tempore aestivo soli exponatur; ita enim per incipientem putredinem alcali volatile ejus exaltatur: deinde per residentiam secedit, se ipsum depurat, qua per filtrum separata, aqua remanens in loco frigido per 2. vel 3. annos commodè asservatur.

Spermatis aqua.) Similiter sperma illud ranarum aliquot dies ante novilunium collectum, (quò minùs foetorem contrahat,) destillari potest in aquam, quae, cautè procedendo, multum salis volatilis secum rapit: Alio tempore verò collectum, quanquam centies destillatur ejus aqua, foetorem tamen contrahit.

Oleo cocto.) Scilicet ranae bullitae in oleo commendantur pro inflammationibus externis; loco cujus tamen vel aqua, vel liquor spermatis ranarum, melior est.

Emplastro de spermate.) Spermatis ranarum emplastrum est anodynum & antipodagricum propter ejus copiosum sal volatile urinosum, acidum destruens: Valet etiam contra ambusta.

Emplastris de ranis, pag. 730.) Emplastrum hoc de ranis Vigonis cum Mercurio, sine depravata correctione ZWELFERI, paratum contra AUTOREM *nostrum* egregium est in chronicis doloribus, & duris tumoribus, tàm Gallicis quàm aliis, hinc & cephalalgiis contumacissimis & splenis affectibus propriè sic dictis confirmatis, ob penetrativam Mercurii vim: qui tamen Mercurius vivus cum saliva vel pinguedine porcina in mortario lapideo extinctus, & emplastro de meliloto, vel de hyoscyamo, vel emplastro dia-sulphuris Rulandi sociatus, idem pro plurimis scopis praestat, quod antè dictum emplastrum Vigonis.

Corallia.) Corallia rubra reverâ sunt mediae naturae inter vegetabilia & mineralia, rectè id statuente ANGELO SALA / 1. *Aphor. Chymic.* 40. In se quippe sunt frutex marinus, adeòque vegetabile. Interim, dum deficit eorum vis vegetativa, & cessant crescere, substantia ejus interior lignosa spontè induratur in duritiem lapideam, cortice externo muscoso facilè vel separabili, vel in aqua fatiscente & decidente: non secus ac perlae sunt medium quid inter minerale & animale; quippe succus animalis spontè sua petrefactus sunt. Jam verò corallia in concreto suo materiali sunt reverâ salinae prosapiae, & de alcali pariter & de acido participant, ita tamen, ut in compositione materiali natura terrea alcalina praeponderet, ratione cujus quaelibet acida cum iis effervescendo absorbent; item calcinata intensiùs, calcem relinquunt; non secus ac eadem per se destillata phlegma acidulum praebent cum pauco oleo empyrevmatico; quae posteriora aliquod vegetabile innuunt. Porrò quoad usum coralliorum, is habetur triplex:

1. Est sanguinem depurativus, quatenus in primis viis praecipitant & absorbent vitiosa salia sanguinis crasin inquinantia, quibus destructis ad debitam temperaturam redit ille, & hinc motu sui intestino feculentias praecipitando deponit.
2. Eadem corallia roborare dicuntur, quia constant ex sulphure seu pinguedine tingente, naturae solaris nonnullis aestimata, aliis aliter: ubi tamen minus dicere poterunt participare de sulphure solari, utut post sui lapidescentiam rubicundae in iisdem particulae appareant; quin potius sulphur id dicendum est Martis, praesertim cum Sol & Mars propter sulphur conspirent. Probabile videtur, quod corallia lapidefacta acidis tractata, non secus ac Martialia, fiant stypica, & acido-austera.
3. Denique dicuntur corallia sistere quascunque haemorrhagias, & alios fluxus praeternaturales: quod fit, quatenus hi dependent ab acriori acido, uti v. g. haemorrhagiae scorbuticorum, dysenteriae benignae, haemorrhoidum & mensium immoderati fluores; in quibus corallia absorbendo acidum illud acrius stypticam vim acquirunt, sicque fluxus sistunt.

Sicuti autem in Chymicis praeparationibus, prout diversis salibus tractantur, etiam saporem diversum repraesentant; ita etiam intra corpus pro varietate succorum varietatem in effectu solent exhibere.

Calcinationibus.) Calcinata corallia acidum ignis copiosè arripiunt, hinc saturata eodem pondere augentur; hinc frustrà ferè introrsum propinantur, utut calcinatione istâ sint apta reddita ad deponendam suam tincturam: de quo vid. TACHENIUS *Hippocrat. Chym. cap.* 27. & *in Clave pag.* 177. Nam, utut calcinata sic corallia penitus albescant, hoc non fit propter jacturam tincturae, sed propter acidum ignis, rodens corallia, & hinc texturam nonnihil immutans. Fortiter sic calcinata, corpus instar calcis vivae repraesentant, dum aquae affusione effervescunt: ex quo verò labore sal quoddam elicere gestiunt, cum tamen levis saltem cremor sit, qui supernatat.

Lactentibus, pag. 731.) Scilicet quia corallia sunt dura concreta, indeque forte postulant acidum pro saturatione, hinc etiam pro infantibus nimis fortia minus convenire videntur.

Magisteria, pag. 732) Si aliquid recipiendum est, sumatur saltem solutio coralliorum cum succo citri.

Bezoarticum corallinum, pag. 733.) Bezoarticum corallinum est Magisterium coralliorum cum succo citri paratum, quod ex omnibus Magisteriis adhuc minus saturatum existit; reliqua verò omnia magis stypticae existunt, & in recessu vitriolacei quid sapiunt, pro quo tamen scopo non paranda illa sunt, cum alia prostent.

Spiritus vitrioli.) Quando Corallia cum spiritu vitrioli vel aeruginis tractantur, semper aliquid venerei participant, propter simul praecipitatum liquamen metallicum.

Berberum succo.) Si tamen volumus habere Magisterium, sufficit, dum in succo berberum solvuntur corallia, instillatur postmodum spiritus vitrioli, sic exaltatur rubedo, & cadit magisterium suaviter rubescens; sed nè nimio calore tractentur, aliàs obscurum colorem contrahit. Caetera Magisteria nullius sunt valoris, sive sint communia, per praecipitationem coralliorum solutorum mediante alcali factam, sive sint butyracea, sive farinacea, aliàs dicta solubilia: Quorum optimus modus est hic, qui fit cum spiritu vitrioli Philosophico: solutio filtrata praecipitatur cum spiritu vitrioli rectificato, Magisterium edulcoratur & usurpetur. Nam priora ista communia sunt planè calces inutiles, ex corpore coralliorum cum particulis acidis & alcalinis coagmentatis constantes, nullius planè usus interni; posteriora verò butyracea aut solubilia, quia jam acido sunt saturata, intra corpus nihil usus obtinebunt: nam impossibile est, etiam mille edulcorationibus acidum separare.

Solutiones, pag. 736.) Solutiones tales cum acido in aere facilè liquescunt; hinc in forma sicca non possunt administrari.

Per olea destillata, p. 735.) Duo imprimis sunt olea, quae putantur extrahere corallia: nempè oleum destillatum citri, & anisi; sed adhuc est incertum. Solutio coralliorum cum oleo destillato citri, quam habet SCHROEDERUS, parum de coralliis participat; sicut & illa LANCELOTTI *in Epist. ad Curiosos* cum oleo anisi facta.

Aeruginis spiritu, pag. 736.) Cùm coralliorum solutiones cum viridis aeris spiritu nonnunquam coloris viridis conspiciantur, probabile est, de cupro participare eadem.

Dulce sal.) Multi crepant sal coralliorum dulce: vid. SCHROEDERUS. Sed genuinum sal sine additione externi corporis salini hactenus non fuit visum. De oleo coralliorum vid. BORRICHIUS *de Sapient. Aegypt.*

De liquido quopiam) Scilicet Autores post PARACELSUM soliciti fuerunt de sulphure coralliorum martiali extrahendo; id quod duplicem operam requirit: nempè solutionem corporis coralliorum; & hinc soluti ejusdem cum menstruo homogeneo, v. g. spiritu vini, extractionem. Verùm tinctura coralliorum nulla datur genuina, ob defectum resolutionis illorum substantialis, sed saltem superficialis. Et hactenus notae tincturae coralliorum sunt nil aliud, quàm plus minus subtiles solutiones eorum, particulis solutis cum menstruo vinoso combinatis; indeque, quicquid efficiunt, illud praestant vel ratione particularum coralliorum adhuc integrarum; vel ratione texturae novae, quae solutione sui acquiritur, ratione menstrui; vel denique ratione additorum aliorum. Interim tamen vidi aliquando Londini apud Dominum FEBURE tincturam coralliorum cum sale volatili Tartari per retortam, coloris rubicundi destillatam, quae per retortam, vel quae rarior, per alembicum evectio, & postmodum hinc, denegata coralliorum praecipitatio, docimasia est verae illius tincturae.

Cum cordis sanguinisque Cervi spiritu, pag. 741.) Parata tinctura coralliorum, addita essentia ambrae & Quinta Essentia MATTHIOLI, non tàm illorum, quàm horum ratione aliquid praestabit.

Guttulas.) Corallia cum duplo sacchari trita & destillata dant oleum rubicundum, sacchari maximam partem, paucum verò coralliis, in acceptis ferendum.

Tincturam cum mellis spiritu.) Omnes tincturae à spiritibus acidulis, panis, mannae, mellis, &c. sunt partim solutio coralliorum, partim ipsorum spirituum tincturae: dum enim rodunt corallia, ipsorum proprium oleum à recondito proprio sale alcalino resolutum, extravertitur & in tincturam assurgit: Et sanè omnes processus nihil valent, nisi salia volatilia sublimiora aliquid faciant. Cum spiritu ergò mellis simplicissimè paratam sibi eligit AUTOR, (cum spiritus hic attactu concreti terrei spontè rubescat,) vel & cum spiritu quodam acido volatili, nempè vel lignorum composito, vel ligno sassafras confectam.

Crystallus, pag. 743.) Crystallus inter praecipitantia, & absorbentia acidos succos in primis viis, optima est; sanè in pertinacioribus infantum torminibus, ab acriori acido oriundis, est egregia, & dum acriores succos imbibit, diureticam vim in textura mutata acquirit. Inter Lactifera praeter flores sambuci in lacte coctos commendatur crystallus montana.

Solutiones, pag. 744.) Crystallus cum aceto destillato post sui calcinationem, vel & cum spiritu salis, tractatus abit in liquorem diureticum, post magmatis deliquium.

Saturnina.) Saturnus est quasi Mercurius quidam coagulatus, hincque pro natura Mercurii & de prosapia alcalium participat, ratione cujus alcali sui absorbet quaelibet acida, & unà cum illis in texturam tertiam quasi aluminosam abit, sicque sapor stypticus emergit à Saturno ab acidis tractato. Hinc in morbis ab acido natis, & phlogosibus ab acido effervescente confert; & externè pro inflammationibus super-

superficialibus ab acido oriundis, remedia saturnina ex minio sunt ustatissima, non secus ac in ambustionibus & ulceribus eadem prosunt, relictum ab igne acidum absorbendo; itemque in vulneribus & ulceribus, quorum acidum imbibendo, & aluminis texturam acquirendo, poros stringunt, eademque simul ad consolidationem disponunt. Pari ratione internè saturnina pro correctione acidorum saporum sunt in usu, non tamen cruda, sed potiùs ab aceto in formam salinam ita redacta, ne penitus ab acido saturata sint; sic enim promptè acida sylvestria imbibunt.

Lithargyrium.) AUTOR seligit Lithargyrium vel minium. Non plus recipit Saturnus ab acidis, quàm recipere potest, vel respondet poris. Saturnina autem non omnibus conveniunt; cautè ergo propinanda: Hypochondriacis conveniunt vel istis saltem, qui declinant ad melancholiam, vel etiam Maniam, ubi saccharum Saturni aliquandiu continuatum est egregii effectus: indeque optimè prodest saccharum Saturni quartanariis ad gr. x. vel xij. vel xv. cum lapillorum cancrorum ℈j. vel ʒß. pro 1. dosi ante paroxysmum repetitis vicibus exhibitum. Interim notandum: subjecta ægrotantia pro usu horum saturninorum debere habere ventriculos robustos, h. e. fortiori acido præditos; secus enim saccharum saturni usurpatum nauseam crebriorem concitat, interdum etiam vomitum. Ad tabidos seu phthisicos & hecticos etiam quidam saccharum saturni commendant, sed hoc in casu non adeò multum valet.

Præ communi saccharo, pag. 746.) AUTOR seligit saccharum Saturni, loco aceti destillati cum spiritu viridis æris paratum; quia non sit adeò nauseosum.

Crystallis.) Crystalli saturni ex minera saturni parantur, nunc cum spiritu nitri simplici, nunc cum aceto destillato, spiritu nitri acuato: hoc modo paravit D. MICHAELIS crystallos in morbis chronicis hypochondriorum sibi familiares. Accipitur spiritus nitri, ut contagium Lunæ eliciatur & extrahatur.

Magisterium volatile, pag. 746.) Saturnus in aqua forti vel spiritu nitri solutus, injectione muriæ præcipitatur pariter ac Luna; sed sicut hoc modo fit Luna cornea facilè liquescibilis; ita etiam Saturnus facilè fusilis & præcipitabilis. Scilicet spiritus nitri semper suâ in corpora metallica actione hæc solet figere: contrà spiritus salis communis suâ in corpora metallica actione volatilia reddere, quod ex hisce Magisteriis potest videri. Rationem dicit BECKERVS esse hanc: quod in spiritu nitri sit terra tingens sulphurea & metalla figens; in sale verò communi terra Mercurialis volatilissima, illudque de alcali Mercuriali solvente participare. Interim sal hoc saturni ejusdem est cum saccharo Saturni vulgari usus: qui ergò nauseant, hoc Magisterium sumant ex AVTORE dosi gr. vj. vij. viij. &c.

Liquidi quidpiam, pag. 747.) Pro liquido remedio eligit AVTOR solutionem saturni cum spiritu æruginis paratam & inspissatam, postmodum cum spir. vini dilutam in formam essentiæ.

Dissolutionibus seu saturninis Balsamis.) Hæc balsama sunt egregia in abscessibus mesenterii occultis, dysenteria benigna, hæmorrhoidibus exulceratis, ulcere renum, & gonorrhœa: non autem destillari debent secundùm SCHROEDERVM.

Tincturis, pag. 748.) Tincturæ saturni genuinæ sunt nullæ; rem si exactè consideremus, nihil acquirimus, quàm menstruorum, aliorumve additorum colorationes, plus minus de saturni saccharo participantes: unde loco horum sufficiat vel tinctura antiphthisica, vel simplex crystallorum vel sacchari saturni cum spiritu vini solutio & extractio, quam SCHROEDERVS sub *tinctura* 3. insinuat.

Antiphthisicam.) Tinctura antiphthisica paratur ex ana sacchari saturni & vitrioli Martis, invicem in spiritu vini solutis & digestis. In usu est quibusdam pro sputo cruento, quibusvis sanguinis excretionibus à vasorum laceratione dependentibus: de quo vid. HOFFMANNVS *Clavi pag.* 247. Sed solutio nostri AVTORIS, loco hujus, facilè potest sociari cum vitriolo Martis. In phthisi incipiente est egregia, sed in confirmata insida.

Magmatis spiritus.) Insinuat hic AVTOR *noster*, spiritum istum ardentem & oleum flavum ex saccharo Saturni, vel magmate Saturni, parato cum aceto simplici, eliciendum, & aceto in saccharo Saturni regenerato in acceptis ferendum. Destillant nunc simpliciter, nunc addendo arenam, nunc bolum, nunc alumen, & eliciunt spiritum nonnihil ardentem, postmodum oleum. Vocant spiritum Saturni refrigerantem melancholicum; item *menstruum pro paranda tinctura solis & auri potabilis Francisci Anthonii* Londinensis: vid. GLAVBERVS *in Operibus edit. in quarto pag.* 402.

Olei, pag. 749.) Oleum saturni est oleum aceti: in aceto enim est spiritus vini occultatus, est etiam oleum, quod docet terra foliata tartari, quæ destillata dat oleum, attactu verò Saturni acidum aceti figitur & concentratur; hinc dum concentratur in Saturno, sui juris fit spiritus iste, & oleum, & sic prodit sub ignis examine.

Spiritus è sale tartari saturnique nitro.) Recipiunt Glauberi sal pro liquore alcahest, cum vitro Saturni miscent & destillant. GLAVBERVS hinc elicere vult menstruum pro Mercurio Philosophorum, item remedium ad morbos chronicos: sed elicitur nil, quàm spiritus acidulus volatilis naturæ nitrosæ: nempè est tantillum acidum nitri, quod in isto sale latet, & quod prodit in spiritum fumidum acidulum, nonnihil stypticum, quia tantillum de saturno participat.

Topica.) Cerussa cum aceto impregnata, & s. q. olei cocta, suggerit unguentum præ omnibus sufficiens. Scopus est, ut sub ebullitione acidum olei & aceti rodant & dissolvant saturnum, sed non saturent, ut postmodum acida heterogenea in ulceribus, inflammationibus, &c. absorbere possit: vid. ZWELFERVS. Huic potest addi camphora oleo amygdalarum dulcium soluta, sic habebimus *unguentum album camphoratum*: si adiiciatur pulvis aloes & myrrhæ, habetur *mundificans* & detersivum sordium: si lapis calaminaris, *epuloticum & cicatrisans*: si sub finem præparationis sulphur auratum antimonii, vel mediante oleo nucum paretur *balsamus sulphuris* ex hoc sulphure, habebitur unguentum polychrestum.

Ad membra perusta, pag. 751.) Scilicet ad ambusta fiat unguentum simplex, sed elegans ex minio, aceto simpliciter impregnato, hincque solutioni nonnihil inspissatæ adiiciatur olei raparum quantum satis, quæ calidè omnia probè in mortario saturnino calido misceantur.

Habetur sic simplex, sed optimum Linimentum, ad ambusta, quod loco omnium aliorum abundè sufficit.

E lithargyrio.) *Emplastrum saturninum* quasi catholicum suggerit AVTOR *noster*: nempè

℞. *Lithargyr.* part. ij.
Aceti,
Olei ana part. iß.

Hæc ritè invicem subigantur, & blando igne inspissentur, aut addatur camphora, emergit inde *Emplastrum saturninum* quasi catholicum, *Norimbergensi* simile.

De ranarum spermate, pag. 752.) Castigat AVTOR *noster* emplastrum de spermate ranarum; cujus vis est à saturno, vitriolo, & sole; sperma enim ranarum & aqua exhalant sub coctura, hinc parum tribuunt.

Liquidum.) Pro hujusmodi epithematibus, liquoribus nigris, lactibus virginum, sufficiat simplex solutum cum aceto & lithargyrio.

Quodvis lac virginis, pag. 753.) Lactis Virginis duplex est Compositio: quarum una procedit per præcipitationem cum aqua aluminis, hancque describit ZWELFERVS *in Animadversionibus in Pharm. August pag.* 199. Altera verò per simplicem mistionem saturninorum cum aceto & aquis appropriatis, juxta SCHROEDERVM. Omnium tamen basis est saturnus.

E Marcasitis.) Hæ dicuntur bismuthum & zinckum, utut bismuthum κατ' ἐξοχὴν marcasita vocetur: vid. SCHROEDERVS *pag.* 456. Cæterum internus bismuthi usus nullus est, ex eo, quod sit validum venenum, & in radice sui venereo-argenteum minerale nondum perfectè maturatum, & arsenicali substantia impregnatum, hinc ab eo hactenus abstinuerunt Autores. Usus autem illius externus est hic: quod aliqua potio Jovis cum bismutho liquefacta abeat in stannum durius, splendidius, atque laboribus magis appropriatum, stanno Anglico ferè simile; non secus atque aliàs in præparatione antihectici Poterii stannum additione reguli antimonii durius & melius fit.

Kinckum, pag. 754.) Quoad zinckum, conf. GLAVBERVS *in Oper. Edit. in* 4. *pag* 402. ERCKERS *Probier-Buch*, unà cum *Commentar.* CARDILVCII *pag.* 303. Proximè hoc accedit, quoad externam faciem, ad naturam jovis, in recessu tamen saturninæ & Mercurialis naturæ volatilis, indeque facili igne totum in flores abit: sicut zinckum fusum injectione picis suggerit Regulum, non secus atque idem quoque præ cunctis subjectis metallicis in quovis acido facillimæ est solutionis, atque soluta per acida facta, optimè præcipitat. Interim flores illi zincki non sunt arsenicales & corrosivi, sed dulces aut insipidi, indeque iuxta BARBETTE commendationem *in Prax. cap.* 4. *p.* 42. oculorum affectibus, v g. defluxionibus, ophthalmiis, & lippitudinibus dicati. Aliter zinckum & sub fusionis igne se stanno sociando, hoc nitidius facit: Imò idem zinckum à saturni consortio liberatum separatumque, veneri sociatum, tingit hanc in aurichalcum. Zinckum enim ordinariò reperitur mistum cum minera saturni; hinc, dum minera funditur, Saturnus colligitur, zinckus verò in flores elevatur, avolante sub fusione ipso cum saturno, nomine *Cadmiæ non fusilis* veniente. Tandem hoc zinckum propter sui solubilitatem arbitrarer prodesse in ulceribus, æquè ac saturnina & mercurialia, sicut CARDILVCIVS *suprà allegatus* suspicatur, flores ejus interno usu convenire pro absorbendo acido hypochondriaco: sed deficit experientia.

Magisterio Marcasitæ.) Inter cosmetica itidem eminet magisterium marcasitæ, imprimis Clavii: vid. SCHROEDERVS.

FORMVLÆ

Hujus classis, ex qua facilè variæ possunt fieri.

Esto v. g. ex acidis vegetabilium succis *Julepus* suavis præscribendus in febris siti & æstu:

℞. *Aquæ fontan.* ℔j.
Succ. ceras. nig. composit. Autoris ℥iij. vel iv.
Syrup. rubi idæi ℥iß M.
Hauriatur pro lubitu.

Vel sit compositus magis:

℞. *Decoct. ras. cornu Cervi* (propter gelatinam) ℔iß.
adde
Succi cydon. ℥iij.

Syrup.

Syrup. papav. alb. ℥j.
Rubiidæi ℥ß.
Spir. nitri dulc. parum.
M. pro *Iulepo.*
Vel
♃. *Pomor. citr. in taleolas incis.* n. ij. adſperge pulverem *ſacchari albi;*
Hinc coqu. in ſ. q. *aquæ ſimpl.*
♃. Colaturæ ℔iß. adde
Succ. citr. recent. ℥j. ad ℥iß.
Flor. roſar. rubr. M j.
Stent in loco calido ſeu tepido ad extractionem Tincturæ. Colatura vel per ſe detur, vel cum pauco *ſaccharo* ad gratiam ſaporis ulterius edulcoretur.
M. D. S.
Julepus refrigerans confortativus.

Porrò ſi *pulvis hepaticus* refrigerans præſcribendus *ad imitat. pag.* 710.
♃. *Corall. rub. pręp.* ʒij.
Crem. tartari ʒj.
Pulv. roſar. rubr. ℈ij.
Irrorentur cum *ſpiritu vitrioli, tinctura ſantali* imprægnato.
M. D. S.
Pulvis hepaticus.

Qui & nondum irroratus excipi poteſt dicto modo, cum conſerva roſar. ex tempore vitriolata pro Electuario grato, temperante phlogoſes, & bilis acrimoniam obtundente.

Ulterius eſto *Pulvis antifebrilis pro Tertiana*, ante paroxyſmum exhibendus horâ unâ atque altera:
♃. *Corall. rub. præp.* ℈j.
Sal abſinth. ℈ß.
Olei deſtillat. caryophyll. gtt. ij. vel iij.
M. D. S.
Pulvis antifebrilis.

Vel *ad Quartanas:*
♃. *Corall. rub. præp.* ʒß.
Sacch. Saturni gr. xij. ad xv.
Laud. opiat. gr. j.
M. D. ante paroxyſmum.

Pulvis abſorbens antihypochondriacum acidum:
♃. *Corall. rub. præp.*
Margarit. præp. an. ʒß.
Salis abſinth. ʒß. ad ℈ij.
Sacch. ſaturni gr. xv.
M. pro 4. vel 5. doſibus.

Sic pro bile æruginoſa circa præcordia ebulliente temperanda:
♃. *Magiſter. corall. cum ſucc. citr.* ʒß.
Cryſtall. præp. ℈j.
Laud. opiat. gr. j.
M. pro duabus doſibus.

Tandem eſto *Confectio analeptica loco alchermes:*
♃. *Extract. ſeu eſſent. roſat. ſaccharat. Autoris* ℥iß.
Elæoſacch. ſuccoſ. cort. citr. ʒvj.
Perlar. vel *lapill. cancr. præp.* ʒij.
Magiſter. corall. cum ſucco citri ʒj.
Pulv. cardam. ʒiß.
Ambr. gryſ. cum olei deſtillat. cinnam. diſſoluta, & cum ſ. q. *ſacch. ſubactę* ʒiij.
Cum ſ. q. *Aquę cinnam. ſpirituoſ.* vel *lil. conuall. ſpirituoſ.*
F. *Confectio alchermes.*

TITULUS XXII.

DE VULNERARIIS, ADSTRINGENTIBUS, DETERGENTIBUS, ATQUE TOPICIS RESIDUIS EXTERNIS.

A *Vulnerariis, pag.* 754.) Vulneraria vegetabilia in receſſu conſtant ſale quaſi nitroſo ſalſo, ſed occultè alcalino, in textura concreti plus minùs adſtringente; inde præter vim vulnerariam vel ſaporem ex amaro nitroſum, talia ferè ſemper ſimul ſunt diuretica, detetſiva, item & reſolutiva ſordium in ulceribus & vulneribus ratione ſalis nitroſi enatarum: ſicut contra ratione alcali ſui occulti acidum ulcerum & vulnerum, acrius quidem in his, mitius in illis, abſorbendo corrigentis, *ulcerum mundificatiua* & *conſolidatiua* dicuntur, ſive externè applicentur, ſive internè propinentur, ut in ſtomacho temperato acido & alterato certo modo chylo, facilior hinc fit ſanatio: Qualia ſunt cancri fluviatiles, eorumque lapilli, plantago, ſanicula, &c. Adeoque vis vulnerariorum non in ſubſtantia volatili, neque in fixa per ignem producta, ſed in media & quaſi ſale eſſentiali plus minus tartareo-nitroſo conſiſtere videatur.

Adſtringentia verò ratione texturæ ſtypticæ plus minus auſteræ operantur, & vel fluida quodammodo incraſſando aut coagulando eadem ſiſtunt, vel partium fibras ſui applicatione ſtringi faciunt, ut ita magis corrugatæ fiant: v. g. cornu Cervi uſtum, terræ metallicæ, balauſtia, tormentilla, &c.

Texturam iſtam ſtypticam in *Mineralibus* ex terreo, cum acido plus minùs intenſo juncto, oriri palam eſt; Ex terris nempè minetalibus cum acidis, aluminis concretum repræſentantibus, item ex auſtero adſtringente vitriolo, ex acido cum minera metallica terrea nato: qualia ſunt colcothar Vitrioli, Martialia quæcunque, in ſpecie adſtringentia, corallia, oſteocolla, hæmatites, alumen, &c.

In *Vegetabilibus* omnia ſtyptica ſeu adſtringentia alcali, ſed paulò fixioris naturæ, effectus in acida agendo, & eorum ſolutiones præcipitando, exhibent, ut in gallis, roſis, horumque medio factis atramentis, notum eſt. Sed alcalinum hoc concretum vel ex terreo cum acido ſubtili ſociatum, vel in ipſo corpore ex hujuſmodi particulis arctiſſimè junctis genitum videtur, ut ita Vegetabilia adſtringentia vulnerariis admodum affinia ſint, ratione alcalinæ naturæ. Talia ſunt plantago, hypericon, ſanicula, & hujus nobilior ſpecies alchimilla, millefolium, momordica, ſymphytum, portulaca, bajula, hedera terreſtris, prunella, quercus, ſorbus, tormentilla, vel hujus loco biſtorta, crepitus lupi.

Referuntur ad hæc etiam perſicaria, pyrola, acorus adulterinus, ophiogloſſum, pimpinella, polygonatum, equiſetum, ſcrophularia, Telephium, virga aurea, hedera arborea, mummularia, perfoliata, herniaria, muſcus, conſolida ſaracenica, Vincapervinca, geranium, piloſella, rubia tinctorum, uvularia, liguſtrum cherefolium, burſa paſtoris, polygonum, Liſimachia, quinquefolium, meſpilus, thus, ſanguis draconis, &c. Ex regno Animali: cancri, horumque lapilli, ſanguis hirci, os ſepiæ, &c.

Inter *pręparata* & *compoſita* ſit inſtar aliorum omnium *pulvis uulnerarius* ex lapillis cancrorum, ſanguine hirci, & corallis, debita proportione miſtis: hinc *Potio uulneraria* ex decocto cancrorum, bugulæ, hederę terreſtris, millefolii in aqua ſimplici vel cereviſia decoctis, item miſtura vulneraria ex lapillis cancrorum, pauco aceto addito, in aqua millefolii cum ſyrupo plantaginis miſtis & propinatis. Tandem externè *oleum uulnerarium*, quævis balſama etiam ex mille Ingredientibus æquans, ut oleum momordicæ, vel *oleum hyperici ſimplex* ex ſemine expreſſum, aut *compoſitum* ex eodem oleo, propriis floribus infuſo, & cum pauco oleo terebinthinæ acuato, concinnatum; vel *balſamus ſulphuris* cum hoc *oleo* factus; item Balſamus Peruvianus.

Fit etiam *pulvis ſtypticus ſeu adſtringens*, internus quidem ex *Cornu Cerui uſto*, *croco Martis per pręcipitationem*, *terra ſigillata*, *extracto tormentillę*, & convenienti *laudano opiato*: Tinctura ſeu eſſentia quędam adſtringens ex Marte parata, ſpeciatim iſta, quam vulgò tincturam ſulphuris vitrioli appellant: Rob ſorbi torminalis, ex fructibus nondum perfectè maturis paratum, quælibet electuaria, aut compoſita ſimilia æquat. Tandem *pulvis ſtypticus* abſorbens externus ex *croco Martis per præcipitationem, creta, ceruſſa,* & pauco *pulvere nucis moſchatę.*

Plantago.) Præter uſum internè temperatum, & hæmorrhagias ſiſtentem, externè ſuccum ejus expreſſum, inſtillandum vulneribus recentibus, exhibet inſigne vulnerarium; item crurum ulcuſcula levia plantaginis folia optimè curant. Syrupus in hæmoptyſi optimus eſt.

Semen, pag. 755.) Semen plantaginis doſi ʒj. laudatur aliàs ad dyſenteriam & diarrhœam, ſed fruſtrà. AUTOR eligit extractum ſuccoſum, & poſtmodum aquam deſtillatam ex julis ad flores ſe accingentibus.

Tuſſilago, pag. 756.) Vulneraria internè vix uſurpantur, niſi pro ſcopo pectorali, vel miſta cum pectoralibus: hinc tuſſilago quoque uſurpatur, quia præter vim vulnerariam eſt ſimul incraſſans pectorale egregium; indeque in floribus & foliis ſuis pro decoctis & infuſis pectoralibus ſeligenda; adjungendo eidem pulmonariam maculoſam, ſymphyti ſpeciem, & ratione hujus non opus habemus hiſpidula aliiſque.

Hypericum, pag. 757.) Hypericum ſibi non habet par in uſu vulnerario.

Extractum.) Seligit AUTOR *noſter* extractum cum ſpiritu vini non dephlegmato, & poſtmodum oleum per infuſionem: Extractum cum ſpiritu vini extrahendum eſt; eſt enim ſubjectum reſinoſum, & ſummitates tritæ terebinthinam ſpirant.

Oleo.) *Oleum hyperici ſimplex* præſtat quibuſvis balſamis & linimentis vulnerariis ad PARACELSI modum optimè confectum, recipiendo ſcilicet *oleum ex ſemine hyperici expreſſo*, huic infundendo *flores hyperici:* & ſic emergit oleum rubicundum, egregium vulnerarium.

Balſamicarum ſolutionum. pag. 758.) Hoc oleum infuſione florum ſulphuris, & intercedente blandiſſima ebullitione, conficiendum, redigi in *balſamum ſulphuris* nobiliſſimum.

Alchimillam, pyrolam.) Hæc plantagini, hyperico vel tuſſilagini ſociata, omnium horum farraginem abundè ſupplebunt.

Saniculam.) Sanicula inter vulneraria excellit, & interno & externo uſu in vulneribus ac ulceribus quarumvis partium uſurpari ſolet.

Hederæ folia.) Folia hederæ internè nullius ſunt uſus; ut ut externè optimè imponantur fonticulis, item veſicis ac ſimilibus ulcuſculis artificialibus poſt ablatam eſcharam; ſicuti globuli ex ligno hederaceo confecti, imponuntur optimo cum ſucceſſu fonticulis jam factis, ac meliorem ibidem præſtant uſum, quàm impoſita piſa.

Baccis.) Baccæ hederæ equidem communiter inter Purgantia referuntur; ſpeciale tamen quid obtinent contra peſtem, ſi pulveriſatæ ʒj. pondere

pondere assumantur cum vino albo, excitato sudore: prosunt admodum in peste, quod olim annotavit PALMARIUS *de morbis contag. pag.* 453. & observavit BOYLE in ultima peste Hibernica, has baccas commodum vulgò dedisse remedium.

Polychrestum extractum, pag. 759.) Præter decoctum, extractum potest parari cum aqua sola; vel potest ex pluribus fieri *extractum compositum* polychrestum, quod cum melle subigi, & cum Balsamo sulphuris impregnari potest; vel potest addi emplastro, dissolvi in aquis destillatis & sociari cum lapillis cancrorum cum aceto; sicque dabit potionem vulnerariam optimam.

Herniariam.) Hæ & harum præparata communiter internè & externè commendantur ad hernias; plus tamen præstabunt externè.

Polygonatum, pag. 760.) Polygonatum dat cosmeticum non postremum; ex eo paratur aqua contra livorem faciei: radix symphyti cum radice polygonati in aqua cocta dat cataplasma, ad sanguinem grumosum discutiendum optimum.

Equisetum, pag. 760.) Equisetum est simplex potenter adstringens; unde in fluxibus quibuscunque sedandis quocunque modo in usu est; specialiter partibus urinariis, renum nempè & vesicæ vulneribus & exulcerationibus, confert.

Catagmatica.) Scilicet fractu, ossium subvenientia remedia optimè fiunt juxta WURZII methodum ex extracto quodam vulnerario, cum resina misto.

Persicariam.) Persicaria duplex est, vel acris, vel mitis: Acris usu interno est egregia alterativa in morbis hypochondriacis, scorbuto, aliisque cognatis affectibus. Præterea egregia est in affectibus nephriticis, cum aqua ejus sæpius à recenti planta cohobata, fit nobile præservativum à calculo, Anglorum quorundam experimentum, uti hoc refert BOYLE: Eadem aqua contra ulcera Gallica etiam egregia esse solet. Usu externo quævis Persicaria nobilissimum est vulnerarium, magnetico more vulnera, ulcera, contusiones, & inde nata ecchymomata, odontalgiam curans; si nempè planta recens, in aqua fontana abluta, applicetur partibus hujusmodi affectis, hinc tepefacta sepeliatur sub fimo aliove loco, ubi facilè putrescit: quod vel prima vel secunda, vel si gravius sit malum, tertia vice curat; de quo magnetismo persicariæ vid. primus ejus AVTOR PARACELSVS *in Herbario*, item MARCVS MARCI *in Philosoph Veter Rest. P.* 5. *sect.* 1. *subsect.* 6. item HELMONTIVS *de Magnetica Vulnerum curatione.* Utut autem magneticâ vi dicta mala curet, nihilominus tamen etiam corporali contactu ipsa planta contusa applicata, vel cum aliis Cataplasmatis forma imposita, dictis malis egregiè medetur.

Hæmorrhagiam.) Notatur hìc LIPSIVS, jubens pueris variolantibus, in principio variolarum hæmorrhagiam narium esse concitandam mediante millefolio, vel radice crocodili, anteriora narium perfricando. Usurpatur aliàs pro curatione hæmorrhoidum contra inflammationes mammarum & ulcera.

Stomaticorum.) Stomatica in oris affectibus conveniunt, scilicet pro angina & prunella febrili in decocto, loco Gargarismatis usurpando. Prostant autem meliora; vel & sempervivi majoris succus cum sale ammoniaco mistus; itemque nitri & salis ammoniaci ana in crucibulo fusa, & in aqua soluta, dans sal in affectibus oris & faucium præstantissimum.

Consolida bugula.) Consolida bugula egregia est vulneraria, quocunque modo adhibita, speciatim partium externarum exulcerationes, & imprimis phthisin, pulmonemque exulceratum, curat, alvum simul crebriori usu subducit: id quod propter aliqualem nitrositatem urinosam, primas vias abstergentem, provenit.

Ad coagulata, pag. 761.) Pro sanguine coagulato ex casu aut phlagis collecto dissolvendo sufficere potest vel extractum vulnerarium ex hyperico aut plantagine, vel lapilli cancr. cum aceto assumpti, vel sanguis hircinus cum aceto, superaddendo diaphoretica: vel danda hæc sunt in jusculo temperato pingui butyrato, vel sufficiat oleum olivarum cum cerevisia calida; utut nec chærefolium propter vulnerariam vim in decocto usurpatum pro hoc scopo sit contemnendum, & suave aroma continet.

Balsaminam.) Balsaminæ seu momordicæ poma coccinea spinosa maturata nobilissima sunt pro oleo parando per infusionem cum oleo communi, vel nucum oleo, in ambustis mammarumque fissuris & ulceribus mirabili, & pro lubitu sociando cum oleo hyperici; utut hoc per se & illi æquipolleat.

Polygonum, pag. 762.) Polygonum propter singularem vim adstrictoriam, & imprimis sanguinis fluentis suppressoriam, frequentis est usus externi; quocunque enim modo usurpetur aut applicetur, sanguinem undecunque fluentem sistit. Nempè polygonum hoc contusum & applicatum sistit sanguinem fluentem, propterea etiam sanguinaria quibusdam vocatur. Sanè mulier quædam, cum laboraret hæmorrhagia narium desperata, aliis omnibus remediis generosis irritis, venit vetula, coquit polygonum in aqua simplici, herbam coctam applicat sub axillis illis, & mox supprimitur fluxus. Hæmorrhoides nimis fluentes etiam sistere solet: conf. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs.* 22. *pag.* 40. unde etiam succum ejus cum vino stypticoin vomitu sanguinis multum commendat PAULI *in Quad. Botan.*

Styptica Vernacula, pag. 762.) Sunt gallæ, tormentilla, terræ medicatæ, alumen, caput mortuum vitrioli: Ergo non opus est, ut anxiè quæramus exotica, v. g. sanguinem Draconis, & similia.

Draconis sanguine.) Huic soli contra AVTOREM *nostrum* minus fidere possumus; idque ideò quod is sanguine hircino ut plurimum adulteratus sit.

Lycium.) Quid sit Lycium? nescio.

Hypocistidem.) Hypocistis vera rarissimè ad nos venit.

Citra incinerationem, pag 763.) Intelligitur hìc BORELLI & FORESTI inventum, suber ochis vini detractum, & incineratum, contra dysenteriam & nimium fluorem hæmorrhoidum commendantium.

Gallæ.) Gallæ internè & externè potens dant stypticum alcalinum remedium, & excellunt, utut aliàs præter gallas tota quercus, folia, glandes & cupulæ eundem effectum promittant. Cæterum usurpantur illæ vel in substantia, vel in decocto pro *decoctis nigris* Chirurgorum, cujus specimen habet *Mynsichtius armament. Chym. pag* 139. procedentis ex vitriolo, alumine, & gallis, quæ illa præcipitant in atramenti formam: atque illud decoctum egregium existit in ulceribus putridis, gangrænam minantibus, itemque in inflammationibus contusiones sequentibus, ubi gallæ additis myrrha & olibano sunt convenientes.

Mespili.) Fructus mespili conditus in specie usu adstrictorio convenit in dysenteria, diarrhœa, vomitu nimio; sicut FORESTVS aliquando diarrhœam ferè desperatam mespilis curavit.

Sorbique fructus.) Hujus, tàm aucupariæ quàm in specie torminalis, fructus per quam stypticus dat nondum maturatus per decoctionem *Rob* præstans in fluoribus intestinorum, & appetitu dejecto celebre.

Muscus, pag 764.) Quilibet muscus siccatus est stypticæ naturæ, indeque AVTOR *noster* omnes pro eadem efficacia venditat; ubi tamen usnea ex hominis cranio violenter necati petita, prærogativam præ aliis ex eo habet, quod rore microcosmi, h. e. succo nutritio, & hinc mumia spirituosa latente per mortem imprægnata sit.

Dysentericas.) Scilicet proponit hìc AVTOR legitimam curandi dysenteriam methodum: ubi vulgaris est, ut primò laxantia per os, & clysmatum forma, abstergentia præscribantur; dein styptica & vulneraria. Ast sicut hic modus in dysenteria benigna, ex malæ diætæ vitio contracta, aliquo modo succedit, ubi Laxantia, aliquid valent; ita in epidemica & maligna, in qua fermentativum miasma utramque facit paginam, vanus est: nec in hac laxantia, nec adstringentia proficua sunt, sed magis nocent; quin potius fermentum illud malignum, vel specificis corrigendum, vel sudoriferis alexipharmacis sociatis eliminandum. Etenim adstringentia, qua talia, in hac epidemica nil valent, nec opus est iis, cum adhuc urgeat irritatio, potius removenda est hæc spina: contra si stringatur alvus, anxietates præcordiorum & jactigationes superveniunt. Porrò externè applicanda in hoc epidemico malo sunt calida; secus enim plus nocent: sic & sint eadem penetrantia, non verò styptica; aliàs enim saltem quoad cutim operantur, & ad interiora minimè penetrare valent: indeque acetum & quælibet cum hoc applicata propter sui penetrantiam juvant. Interim si in hac dysenteria tenuia intestina affliguntur, enemata nil valent; contrà, in quà crassa, quod tamen rarius est, sunt afflicta intestina, cum hæc à materia jamdum irritentur, cur eadem ulterius stimulemus? præsertim cum videamus & clysmata demulcentia ex lacte cum terebinthina parata dictum factum post sui applicationem eiici, & impossibiliter posse retineri, adeoque nullum usum habere. Atque cùm exulceratio intestinorum in hac epidemica non sit causa efficiens, sed saltem productum, adeoque & opiata doloris intuitu à posteriori saltem juvare videantur; propterea scopus totius curæ sit miasma illud acerrimum purgans specificis corrigendo, & sudoriferis alexipharmacis ejiciendo. Nempe semper in dysenteria, præsertim maligna, principium curæ fiat à sudorifero alexipharmaco, quale dat theriaca, diascordium Fracastorii, Bezoardicum minerale, terræ sigillatæ minerales cum aceto & extracto tormentillæ, ceu pariter sudoriferæ: vel recipiantur hepata viperina cum præcipitantibus cerussinis, cinabarinis, sociando iisdem semper in principio primo opiata, ita quidem, ut spatio 24. horarum 3. 4 & 6. grana laudani opiati allumant: nam dysenterici hoc dato, quod mirandum, nihilominus agrypni sunt, vel si dormiant, est saltem quadrans vel dimidium horæ. Porrò si major adfuerit malignitas, proderunt calidiora spirituosa, ut spiritus theriacalis camphoratus, essentia & extractum croci, aqua cinamomi, oleum destillatum cinnamomi: sicut in minori malignitate martialia, corallia, Terrea, animalia usta, ut cornu Cervi ustum, &c. unà cum opiatis, expectando desuper sudorem, sunt optima.

Tormentillam, pag. 765.) Tormentilla inter adstringentia in dysenteria aliàs primarum ducit, simul diaphoretica & alexipharmaca existens maximè eius rob & extractum duplici modo parandum: vel enim radix ex succo tormentillæ infusa coquitur in s. q. aquæ simplicis, hinc decoctum inspissatur in Rob, hoc cum spiritu vini extractum denuò inspissatur in pulverisabile corpus, quod opiatis, Bezoardicis, Terris sigillatis, corallis & Theriacalibus mistum, non contemnendum dat remedium.

Bistortam, pag 766.) Affinis tormentillæ est, saltem, quod radix tormentillæ acrior & quasi aromatica sit; bistortæ verò radix mitior, sed magis adstrictoria: unde in quibusuis per quauis corporis partes fluoribus compescendis est egregia. Rectè etiam à SCHROEDERO ad abortum laudatur, quatenus ejusdem decoctum vitiosum acidum uteri corrigit, uterique fibras firmat, ut felicius retineant fœtum. Inter Alexipharmaca etiam, non secus ac tormentilla, refertur, tum imprimis convenientia, quando intensior sanguinis æstus simul erit conjunctus, quem temperant hujusmodi Adstringentia, & mitigant.

S m-

Symphyti radicem.) Symphytum seu Consolida major est unum ex primariis vulnerariis, præsertim radix, & hinc etiam folia: utraque in se continent substantiam mucilaginosam singularem, quamvis acrimoniam humorum temperantem, glutinositate sua partes vulneratas quasi consolidantem: balsami instar quasvis læsiones corrigit, acidum vulnerum & ulcerum corruptivum temperat, & optimè quibusuis læsionibus & erosionibus partium externarum & internarum opitulatur; hinc ad hæmoptysin, & omnes sanguinis fluxus decoctum compositum, cuius basin constituit, parat TIMÆVS *von Gulden klee, in Epist. pag.* 127. Item symphytum vino infusum potum, angustat & strangulat fauces; assumpto tamen aceto, denuò relaxantur: uid. HOECHSTETTERVS *Decur.* 3. *Cas.* 5. Quoniam uerò mucilaginosa est, propterea cautè coquatur pro usu interno. Modum hîc docet ZWELFERVS *Pharm. Reg. pag.* 233. Vsu externo celebris est mucilago symphyti, uulnera optimè consolidans; hinc radix hæc frustis carnium, dum coquuntur, addita, eadem dictæ mucilaginis beneficio denuò conglutinat: Item eadem mucilago herniis imposita post repositionem, easdem restituit: Conf. ZWELFERVS *Pharm. Reg. pag.* 311. & 312. Vnde non ipsa saltem mucilago instar optimi Balsami uulnerarii sufficit; sed commodè etiam emplastris admiscetur: quod jam fecit BARBETTE *in Chirurgia.* Loca neruea contusa, & consequenter miserè dolentia, decoctum mucilaginosum symphyti majoris optimè solet curare: similem effectum idem præstat symphytum, si in Venæsectione uena pertundatur & subjacens neruus lædatur, in quo casu, tumore & dolore enormi superveniente, symphytum dicto modo applicatum pathemata tollit; qualem etiam effectum betonica applicata præstare dicitur. Radix aquæ incocta, ac balnei loco usurpata (quod jucunda historia docet HOECHSTETTERUS *Dec.* 3. *Cas.* 5.) mirè adstringit mulierum partes genitales.

Trochiscos de Carabe, pag. 768.) Trochiscorum de carabe compositio ex omnibus veterum est optima, indeque & iidem à ℈ß. ad ℈j. cum pulvere hepatis viperarum combinati, egregii sunt in casu dysenteriæ. Interim si recipiamus quoque eorum Ingredientia, qualia sunt terra sigillata, gummi Arabicum, succus acaciæ, corallia, cornu cervi ustum, tragacantha, & hisce sociemus opium, tunc eundem effectum, quem aliàs à trochiscis illis, similiter expectabimus.

Sief.) Sief sunt pulveres subtiles ophthalmici, qui ex tempore fieri possunt ex tutia, saccharo, & osse sepiæ.

Externos adstringentes pulveres.) Inter pulveres externos adstringentes excellit colcothar, quippe quod ad ipsas arterias incisas egregium est recipiendo terram vitrioli dulcem & terram sigillatam, hæcque albumine ovi excepta applicanda vulneri arteriæ cum forti compressione, ita optimum est stegnoticum. Sic quoque contra hæmorrhagiam narium egregius est pulvis ex alumine crudo pulverisato, & cum nonnihil laccæ pictorum tincto, cum turunda, ovi albumini intincta, applicandus naribus quocunque modo.

Lupi crepitum, pag. 769.) Crepitus lupi est fungus sui generis notissimus apud Chirurgos ad sistendum sanguinem undecunque manantem; spongiæ instar hunc imbibit, qui coagulatus acquirit talem texturam, ut exinde obturetur orificium vasis sanguinem fundentis. Præstantioris effectus observatur, si ad modum FELICIS WVRZII *in der Wund-Artzenen* præparetur, forti nempè cõpressione in se ipsũ quasi cogatur.

Olea.) Pro scopo adstringente, firmante & roborante, quidam parant olea: sed ridiculè. Interim, qui consideret olea quælibet, quatenus sunt pinguia, semper emollire, impossibiliter ea adstringunt; quin potius magis resolvent. Atque par ratio est cum unguento Comitissæ.

Unguentum, pag. 770.) Loco unguentorum omnium ad vulnera recentia sufficere possunt balsamica quædam: v. g. balsamus *hyperici* supra memoratus, qui cum *terebinthina* & *cera* facilè in *unguentum* redigi potest; vel balsamus Peruvianus simplex calidè vulneri instillatur; vel fieri potest *Balsamum Vulnerarium* catholicum hoc modo, loco omnium aliorum:

> ℞. *Olei hyperic.* ℔ iß.
> *Sulphuris* ℥j.

Hæc sub blanda ebullitione redigantur in *Balsamum sulphuris*: Hinc adde

> *Ceræ novæ* ℥iij.
> *Terebinth.* ℥ij.
> *Oliban.*
> *Myrrh.*
> *Terræ vitrioli dulc.* ana ʒiij.

Misceantur probè omnia, & usurpentur pro *Balsamo vulnerario*, facilè in consistentiam *emplastri* redigendo, imminutione scilicet olei & auctione ceræ & reliquorum ingredientium siccorum.

D. S.

Egregium balsamum sive emplastrum vulnerarium.

Emplastrum.) In emplastris luxuriant vulgò AUTORES; cum tamen pro scopo vulnerario omnia basin agnoscant concretum saturninum, unde hoc ex tempore haberi potest, eidemque potius associari possunt Balsamica, v. g. Myrrha, aloe; item Martialia, ut crocus martis præcipitatus, vel terra vitrioli dulcis: quæ omnia, excepta cera vel melle dabunt, emplastrum egregium, tàm pro vulneribus, quàm pro ulceribus: Vel

> ℞. *Olei olivar.*
> *Lithar g.* ana ℔j.

Coque invicem ad debitã consistentiam, spissam scilicet & donec nonnihil obscuri coloris contrahant: hinc successivè interea adspergantur.

> *Aloes succotr.*
> *Myrrh. elect.* ana ℥ij.

Deinde liquefactis omnibus, adde

> *Sevi hirc.* vel *cerv.*
> *Ceræ flav.* ana ℥iij.
> *Resinæ albæ* ℥j.

Agitata postmodum ab igne removè, & adiice tandem

> *Camph. in oleo hyperic. solut.* ʒß.

Mista compingantur in emplastrum, in vesica oleo illita asservandum, & ubi discussione & emollitione opus est, usurpandum.

Defensivo, pag. 772.) Sic enim defensivè excellit alumen in albumine ovi solutum: v. g.

> ℞. *Album ouor.* num. j. ij. vel iij.

Hoc in scutella detentum agitetur cum frustro integri aluminis tamdiu, donec invicem abeant in consistentiam albam instar flocculorum, quibus stuppa cannabina vel linteum intinctum & applicatum, esse poterit, loco omnium defensivorum ad arcendas inflammationes in casu luxationis.

Item epithema in erysipelaceis dispositionibus & ophthalmicis egregium est; hinc in ossium fracturis, ubi opus est externo defensivo resolutivo.

Catagmaticum.) Ad fracturas ossium emplastrum optimum est illud FELICIS WVRZII, quod & instar omnium esse poterit. Equidem vulgò & pro scopo hoc oxycroceum adhibetur: sed tamen illud per observationem HILDANI non usque tutum est.

Ad hernias.) Pro herniis curandis omnis labor est frustraneus, nisi vulnus debitis subligaculis firmetur, & unà cum his unguenta & emplastra adhibeantur: indeque egregium est externè oleum hyperici jam allegatum, quod cum floribus *sulphuris* in *balsamum* redactum pro situ adhiberi quoque potest; postmodum desuper imponendo emplastrum saturninum aliquod, cui sociatum sit vel gummi galbanum, vel carrana, & hisce tandẽ applicetur subligaculum: Contrà internè, præter plantaginem, vel herniariam, vel pyrolam, vel alchimillam, perfoliatam, & flores hyperici, in decocto vel extracto usurpare possumus. Pro scopo anodyno & temperativo sunt oleum hyoscyami vel oleum florum, vel unguentum, vel emplastrum hyoscyami sufficiunt.

Detergentia, pag. 773.) Inter hæc etiam referuntur Ptarmica: Ptarmicum ex sale vitrioli cum aqua majoranæ vel cum aqua liliorum convallium egregium fit.

Paracoculi, p. 774.) Cum butyro subacti statim pediculos expellunt.

Masticatoriorum, p. 775.) Masticatorium optimum est ex folis foliis nicotianæ; vel quando extractum nicotianæ dosi pisi circumvolvitur in ore.

Quæ vermibus opponuntur.) Remedia eaquè generosiora, prodeunt ex marte & venere: Hujus nempè *flos viridis* dictus, quem habet ZWELFERUS *in Mant. Spag.* cujusque effectum tradit TIMÆVS *in Casibus.* Interim tamen suspecta est ipsa venus cruda propter nauseam & vomitus, læsionem stomachi; & contrà tutiora sunt Martialia, atque inter hæc limatura martis cruda præparata; qua ipsa tamen melior adhuc est crocus martis ex vitriolo martis soluto, oleo tartari per deliq. præcipitatus, qui edulcoratus & exficcatus omnibus aliis martialibus his præstat, & etiam infantibus tutò datur. Vbi tamen pro his commendanda, ceu tutissima mercurialia, sive in forma sicca, sive in humida propinentur: In sicca quidem, dum recipitur Mercurius vivus, hicque cum s. q. sacchari tritus in formam pulveris dosi ℈ß. ad ℈j. usurpandi: Vel & Mercurius dulcis præscribi potest, non quidem in forma pulveris, cùm sic ori noceat; sed cum s. q. conservæ rosarum redactus in consistentiam boli, aut pilularum majorum. Hæc est via sicca. In liquida verò prostat *aqua Hermetica Horatii Augenii* vel *Helmontii*, nempè

> ℞. *Aquæ hyperic.* vel etiam *comm.* ℔j.
> Huicque inditur
> *Mercurii uiui* ℥ß. vel ℥j.

Agitando probè, vel blando igne aliquandiu ebulliendo, hinc aquam claram decantando, relicto in fundo Mercurio, qui abiicitur: Ipsa verò aqua cochleatim propinatur infantibus non sine efficacia pro eiiciendis vermibus.

Sic externè pro eodem scopo optimè convenit aloe hepatica, cum s. q. fellis tauri recentis subacta in formam linimenti, & frusto vesicæ palmam manus æquanti illita, sicque calidè regioni umbilicali applicata, id subindè, ni pertinaciter adhæreſcat, repetendo.

Santonico.) Veterum Santonicum ex absinthiorum genere non obtinemus pro nunc, sed est nobis semen tanaceti cujusdam loco ejus in usu: Conf. FEHRIVS *de Absinthio pag.* 16. & BAUHINUS *Tom.* 3. *Theatr. Botan. p.* 382. Santonicum autem dicatum est infantibus, quia generosiora ex Venere & Mercurio & Marte non possunt ferre.

Vermium umbilicalium, pag. 776.) Vermis umbilicalis mentionem facit SENNERTVS *lib.* 3. *Prax.* Germanis dicti *der zehr Wurm*, sive *Gertz-Wurm*: & AUTOR *noster* originem ejus duplicem agnoscit. Cæterũ pro eo latente explorando applicetur fundulus vivus, quippe huius applicatione ille inescatus allicitur, ut incipiat pisciculũ depascere, quo apparente, certi sumus de ejus præsentia; hincq; applicemus dimidium corticẽ juglandis, repletum melle, vitro Veneto, & puluere sabinæ; Sic namq; ab huius misturæ comestione vermis enecatur, ut extrahi queat.

In aut sub poris,pag. 777.) In aut sub poris cutis delitescentes crinones optimè inescantur illitu mellis, ut foras prodeant; hinc vel volsellâ vel novaculâ, vel crustâ panis acutâ abradendi, utut & suaserim post affrictum mellis lavandas esse infantum scapulas & dorsum aquâ Hermeticâ Horatii Augenii.

Scrophulariam.) Hæc vulgò commendatur internè & externè tanquam summum specificum contra hæmorrhoidum tumores, aliosque earum affectus, in quocunque sint statu; & certum est, quod radix ejus appensa recens externè scapulis, foliaque internè omni manè cum butyrato pane comesta, egregia sint pro hoc scopo. Unde cum nuper haberem fœmellam secundâ vice gravidam, & pessimo cum cruciatu hisce tumentibus hæmorrhoidibus afflictam, ita,ut alvum intra annum sine dolore non dejicere potuisset, suasi eidem radicem scrophulariæ alligare coxæ, folia verò ejus omni manè cum butyrato pane comedere, aliamque radicem ejusdem nodulo inclusam potui infundere, & felix inde effectus relictus est. Præterea eandem radicem scrophulariæ Chirurgi cataplasmatibus suis pro duris & scirrhosis tumoribus partium, præsertim glandulosarum, emolliendis, non sine successu admiscent. Ex hac sola recenti mundata & contusa fit unguentum cum butyro recenti in olla nova, per dies noctesque 15. in cella aut loco humido reponantur, dein liquefacto sensim, igne lento, butyro, servatur linimentum egregium externo usu contra hæmorrhoides. Radix hæc in tessulas dissecta & filo connexa vino iniiciatur, de quo 9. diebus patiens in nimio fluxu bibat: post radices siccentur, & eo modo, quo siccantur radices, etiam hæmorrhoides imminui & quasi siccari asserunt: sin verò rursus aperire velimus, vino vel aquæ rursus imponendæ sunt, atque tunc iterum nonnihil hauriendum.

Sideritidem cum filagine.) Scilicet hisce duabus plantis, nunc solitariè, nunc verò cum hyperico & tanaceto, mulieres utuntur pro balneo infantum, si sunt incantati, fricantes eosdem unà cum herbis istis, quando lavantur infantes; & cum hæ mucilaginem fundant, ab acido cutis per frictionem transpirante coagulabilem, hinc comparent quasi copiosæ sordes extrinsecùs, in quibus latere existimant fascinum illud, indeque nati æstus vagi, dejectiones itidem non rarò alvi, & tabescentia corporis: cum tamen per balneum istud potiùs aperiantur pori cutis obstructi, acidumque latens sub hac transpiratione, coagulando de hinc mucilaginem herbarum, in visibilem substantiam abeat. Conf. HOEFERVS *Hercul. Med. pag. 207.*

Lapathi acuti.) Hoc oxylapathum majus aliàs dictum, egregium est pro scabiosis & serpigine laborantibus, teste SIMONE PAULI in *Botan. Quadrip.* Imò ego ipse novi hujus radicis cum aceto subactæ insignem effectum pro litu scabiosi insignis.

Contra scabiem.) In scabie autem pauca quædam sufficiunt: in forma liquida prodest hoc:

℞. *Aquæ calc. viu.* ℔ij ß.
Infundatur
Sulphur. pulverif. ℥ij ß.
Ebulliant invicem aliquandiu.

Aquâ hac eluantur membra scabiosa & evanescet scabies.

(Quod si autem scabies illa fuerit malignior, & magis ferina, tunc loco sulphuris addatur aquæ illi calcis vivæ Mercurius dulcis q. s. ad ʒij. vel iij. pro lubitu; qui quidem in illa præcipitatur; interim eadem illius contagio erit imprægnata & egregia.)

Sic porrò in forma lituum prostant duo remedia: nempe

℞. *Unguent. alb. camphor.* ℥j.
Mercurii dulc. ʒj. vel iij.
& cum s. q. *olei nicot.* f. Litus:

Externè præmissis præmittendis usurpandus, illinendo circa articulos manuum & pedum.

Vel quod melius & tutius:

℞. *Ungu. alb. campb.* ℥j.
Flor. sulphuris ʒ ß.
Sal tartari ʒij.
Cum s. q. *olei nicot.* f. Linimentum, præmissis præmittendis usurpandum.

Ossepiæ, pag. 779.) Aliàs usu interno est insigne præcipitans & invertens, omnia animalia & cancrina vincens, hincque *Præcipitantis Magni* nomine quibusdam veniens: Externè verò illud martialia & alia mineralia superat.

Vulgares strumæ.) Contra has HELMONTIVS, *Tr. Tartarus non est in potu*, duo habet euporista: nempè pulverem internè, & oleum externè usurpandum. Spongia calcinata à ʒj. ad ʒij. contra strumas commendari solet. Decocta scrophulariæ & vincetoxici totius etiam commendantur: vid. M.A.N.C. *Ann. I. Observ. 57. pag. 155.*

Glandularum maxillarium tumores.) Tumores glandularum colli quasi strumosi affines sunt strumis propriè sic dictis, iidemque vix comparent, nisi præexistentibus similibus in mesenterio, observante hoc SCVLTETO *in Armamentar. Chirurg.* in quo casu ad tabem universalem disponunt. Interim si recentes illi fuerint, optimè tolluntur, præmissa internè purgatione ex helleboro nigro cum mercurio dulci, externè per Emplastrum de Ranis Vigonis cum Mercurio, ceu optimo resolvente tumores ejusmodi; sicut in contumaciori malo nescirem, an melius inveniri queat remedium, quàm salivatio Mercurialis, ceu morbis ex acido viscido lymphæ enatis, optimè succurrens.

Sartoriam costam.) Sartoria costa est subjectum non perfectè osseum, sed in recessu mucilaginosum: hinc spiritus nitri per hanc abstractionem secum rapit, & paucum magma relinquit.

Urinatoribus, pag. 780.) Scilicet pro iis, qui noctu stragula permingunt, commendantur vulgò vesicæ animalium exsiccatæ & propinatæ: sed potiùs convenit SOLENANDRI *Euporiston*, guttur galli probè exsiccatum seu tostum exhibentis in desperatis urinæ incontinentiis, in quo invento etiam acquiescit AUTOR *noster*.

Stercoreos scarabæos.) Scarabæos stercoreos vel pilulares, in oleo præsertim violarum infusos, commendant pro anodyno hæmorrhoidum cœcarum; non secus ac oleum asellorum.

Oleo lacertarum.) Oleum lacertarum ex SCVLTETO contra hernias laudat ZWELFERUS *in Pharm. Regia*; quod tamen non sufficit, nisi subligacula apta concurrant.

Martem, adstrictioni.) Scilicet quò magis mars ad terream naturam redactus est, eò magis imbibendo & absorbendo adstringit; atque hinc calcinetur pro croco Martis adstringente. Martialia autem adstringentia dividit AVTOR in externa & interna: Externè sufficit caput mortuum vitrioli ritè calcinatum, vel sumatur terra vitrioli dulcis, quæ externè pro scopo adstrictorio sufficit: Internè crocus martis, & ex hoc tinctura Martis adstringens.

Inter manus.) Scilicet per accidens non rarò enascitur crocus martis adstringens; quippe dum juxta TACHENIVM ex vitriolo Martis puro in aqua simplici soluto cum oleo tartari per deliquium paratur *tartarus vitriolatus*, præcipitatur ad fundum minera illa martis anteà soluta sub *Croci Martis* nomine, qui ablutus pro croco martis adstringente optimè dari potest: Vel & idem hic crocus in crucibulo aliquandiu calcinetur; nam & hac ratione adstringens evadit: Sic & idem Crocus præcipitatus & non calcinatus solvi potest in s. q. spiritus nitri (ubi minor æstus & ebullitio exsurgit, atque comparet) & hinc soluto croco per retortam denuò abstrahatur spiritus nitri ad consistentiam mellis, (quod notetur) remanentem: atque hoc postmodum magma affuso spiritu vini digeratur aliquandiu; sic namque emergit *tinctura Martis adstringens* efficax & elegans, non adeo dissimilis, si non eadem, *tinctura sulphuris vitrioli*.

Croci Martis, pag. 781.) Scilicet solvitur mars in aqua forti, hinc solutio filtrata abstrahitur ad siccitatem usque, deinde calx relicta ulterius ignitur forti igne, ut omne contagium spiritus nitri exhalet; uti imperfectè insinuat hunc processum SCHROEDERVS *l. 3. pag. 379.*

Ferri batitura.) Elegit Autor noster batituram ferri pro croco martis adstringente; item squamas ex craticula furnorum destillatoriorum, calcinando in crocum redactas.

Capite mortuo florum salis ammoniaci.) Hunc processum habet SCHROEDERVS sub nomine *salis martis purgantis*: ex quo capite mortuo mediante spiritu vini extrahitur tinctura; vel & illud forti igne exuritur, ut omne acidum salis communis abscedat.

Tinctura, in se neutrales, pag. 782.) Fiunt scilicet ex calcinatis quibuscunque martialibus aceto fortissimo infusis, illoque abstracto per spiritum vini extractis.

E solutione Martis.) Scilicet GLAUBERUS martem cum duplo tartari ebulliendo in aqua simplici tractat, & in rob redigit; hocque destillat in *Spiritum*, uti putat, *tartari martialem*, & in oleum spissum; quod tamen productum similiter est tartareæ prosapiæ.

E florum, pag. 784.) Triplices suggerit flores, in infimo loco nigricantes, qui fluunt in liquorem maximè stypticum sed nauseosum. Isti croco martis superiori si affundatur spiritus salis, acquiritur liquor stypticus aurei coloris, sed maximè nauseoso-sulphureus. Hæ tincturæ, solutis martialibus cum spiritu salis, alio modo etiam fiunt. Isti flores cũ sale ammoniaco adhuc calidi irrorentur spiritu vini, fictingitur hic; vel recipiatur solutio martis cum spiritu salis facta, coagulata sic forti igne in retorta destilletur, illudque sublimatum adhuc calidum spiritui vini immergatur.

Alumen rupeum, pag. 784.) Alumen rupeum est minera quædam terrea saturnina, de natura cretacea, spiritu sulphuris acido soluta, & in corpus tertium, alumen vocatum, coagulata: Sicuti enim idem Spiritus sulphuris rodendo mineram martis vel veneris abit in vitriolum; ita rodendo terram saturninam coit cum eadem in aluminosum corpus: vid. JUNGII *Doxoscop. Phys. cap. de vitriolo & Alumine.*

Per se intus.) Quidam alumen internè crudum usurpant: sed crudum vix usurpatur, nisi quod aliquando illud in hæmorrhagia uteri nimia post partum cum fructu dederim; aliàs non suadeo: è contra externè sulphuris lacti vel Epithematibus pro gangræna arcenda adjungitur. Intus datum contra febres, non facilè suadetur.

Sanguine draconis.) Sanguis draconis adstringit potenter, & refrænat enormes quorumvis humorum fluxiones: sed observandum, rarò ad nos genuinum apportari, quin sæpius sanguine animali, præsertim hircino adulteretur; hinc & cum aceto aliisque acidis mistus, effervescere solet. Vnde propter suspicionem talis adulterii rarus ejus sit usus: quin magis æstimo extractum tormentillæ similis coloris, consistentiæ, ac effectus.

In Chymicis utilius, pag. 785.) Pro usu Chymico est conveniens, ut sc. alumẽ admisceatur aliis concretis destillandis, ut ratione phlegmatis sui abundantis spiritus horũ difficulter prodeũtes diluat, atq; hinc spiritus salis & nitri hoc modo destillentur; non secus ac salia fixa additione aluminis in spiritum volatilem rediguntur, hacque ratione sal tartari volatilisare putant: Verùm hic spiritus volatilis ex alumine est, non ex

salibus fixis; Nam si sumatur aliud alumen, & addatur sal tartari, nihil habebitur, prout alumen plusminus de urina participat: Item si loco aluminis factitii sumatur alumen illud fossile Moscoviæ Lusatorum reperibile, nihil salis volatilis acquiritur: cujus rei ratio est, quod hic desit urina; artificiale autem alumen pro sui coagulatione meliori recipiat urinam humanam vel alius animalis, sicut aliàs pro crystallisatione salis communis vel sanguis vel fel bovinum adhibetur seu adjicitur, ut adeò volatilitas in illo casu salis aluminis volatili, quod habet, ingredienti urinæ adscribenda sit. Sine urina enim alumen ferè non potest coagulari in massas crystallinas, plus minùs tamen pro natura aluminis.

Magisteriis Vegetabilibus & Mineralibus, pag. 785.) Vegetabilia si ebulliant in lixivio, postmodum filtrantur & præcipitantur cum aluminis aqua, terra aluminosa se adjungit Magisteriis: unde hæc illâ adulterantur.

Phlegmaticum acidulum, pag. 786.) Per destillationem acquiritur phlegma acidulum, in fundo remanente alumine usto.

In externos usus.) Scilicet alumen ustum convenit pro Epithematibus in carne ulcerum excrescente ad ulcera manantia, non secus ac idem quoque ingreditur lapides medicamentosos, nec non cum melle subactum adhibetur pro faucium excoriationibus.

Sacchari, pag. 787.) Scilicet saccharum aluminis est Magisterium aluminis vi præcipitatoriâ pariter ac styptica pollens, posteaquam acida eorum vis penitus inversa est; indeque antifebrilia se sistunt, ante paroxysmum scilicet data. Interim tamen eadem minus tuta sunt, quin potiùs, nisi tales ægri cautiùs tractentur, febris facilè recidivat.

Hæmatitem, pag. 788.) *Hæmatites* est concretum ex Marte & terra minerali Martiali; indeque reperitur nunc purior in lapidis forma, nunc impurior, martialibus striis insignitus, conspicuus, hicque *Schistus*, Germ. *der Glaß Kopff*, vel *der Eisen-Wurm*, vocatur. Jam igitur, quicquid hæmatites operatur, id facit virtute martis, hinc loco croci martis adstrictorii adhiberi potest; habet enim vim adstringendi.

Ut periaptum.) Scilicet hæmatites quidem nunc plus nunc minus confert pro usu sistendi sanguinis fluxum; ac conf. BOYLE *in specim. de Gemmis*, pag. 198. ubi singulare experimentum habetur. Interim, quisnam hæmatites hac vi excellat? non, nisi per experientiam cognosci potest.

Flores.) Flores hæmatitis sunt egregium remedium diaphoreticum atque febrifugum, præsertim in quartanis; egregium etiam digestivum quasi martiale in morbis chronicis utile.

Ætiten, pag. 789.) Ætites qui fovet intra se terram ochream, seu bolarem, vocatur *Geotes*.

Magnetem, pag. 790.) Scilicet cum ex magnetis minera non rarò mars eliciatur; proinde martialia pro usu medico idem præstabunt.

Alabastrum.) Alabastri calcinati lixivium non differt ab aqua calcis vivæ; inde hæc illi surrogari potest.

Amiantum.) Amianthus ritè præparatus diduci potest in fila, ex quibus linteamina incombustibilia confici possunt, & in hisce quicquid conclusum concrematur, illudque fit integro manente continente involucro. Talem marsupium ex amiantho confectum vidi Mediolani apud Canonicum Septalium, artificium hoc præparandi amianthum callentem, servoque adhuc aliquot fila mihi dono data. Porrò sunt, qui in furno Athanoris, loco ellychnii vulgaris, assumunt fila amianthi, eaque oleo immergunt; sic enim flamma semper in eodem gradu persistit: interim tamen & tali modo abolei fuligine alteratus amianthus extinguitur. Tandem metallarii amiantho utuntur pro depurandis metallis, eò quod absorbeat quæcunque heterogenea ipsis adhærentia.

Talcum vulgarem, pag. 791.) Talcum album est corpus ex mineralibus fixissimis & igni resistentibus, nec menstruis quibuscunque domandum, nisi quod adjecto borrace, interveniente extremo ignis gradu, in crucibulo fusile evadat. Cæterùm *liquori* seu *oleo talci* parando lucem aliqualem affert tritus ille Langelotti, quo ipso forsan subigi, & in genuinum olei corpus redigi poterit; contrà reliquę preparationes vulgares talci sunt saltem ejusdem in minima redactiones sinespe liquoris obtinendi.

Calaminaris lapis.) Lapis calaminaris à GLAUBERO solaris, ab aliis martialis naturæ habetur; sed rectiùs est naturæ saturninæ, unde quælibet acida & humida absorbet, indeque vel per se ulceribus manantibus & dolentibus pro imbibendis sordibus inspergitur, vel cum aliis in forma liquoris applicatur, & egregius est.

Osteocollam, pag. 792.) Hæc igne invincibilis, egregia est in promovendo callo, & ferruminandis ossibus: posito nempè, quod festucæ ossium coalitum impedientes non adsint: Conf. HILDANUS.

Cadmia nativa metallica communis, pag. 793.) Cadmia nativa metallica communis vocatur *Cobaltum*, ex quo cœruleum istud, Germ. *die blave Farbe*, fit, estque in recessu naturæ venereæ, atque ob hanc crudam & volatilem arsenicalem existentiam est virus enecandis muscis appropriatum. Equidem GLAUBERUS ex eo quoque voluit elicere Lunam: sed frustrà. Aliàs potius pro enecandis muscis, quàm parandis medicamentis, inservit.

Chrysocolla.) Chrysocolla, Germ. *das Berggrun*, aliàs vocatur, est minera veneris, in loco natali ab acido quodam volatili corrosa, & quasi in æruginem seu vitriolum conversa.

Lapis quidam medicamentosus.) Lapidis medicamentosi variæ sunt descriptiones, externè pro ulceribus & gangræna, itemque faucium gravioribus exulcerationibus, accommodati: vid. etiam SCHROEDERUS. Ast eligit AUTOR *noster* simplicem illius Compositionem, hoc modo:

℞. *Æruginis* ℥iv.
Aluminis ℥ j.
Ceruss. ℥iij.
Colcothar. ℥iß.

Hæc pulverisata infundantur in pauco aceto, coquendo leniter, sæpius agitando & pedetentim inspergendo

Myrrh. ℥j.

Usque dum omnia evaporando in lapidem quasi coagulentur. Cujus usus est, ut ℥j. ejus dissolvi possit in aquæ mensur. j. & pro eluendis ulceribus & locis gangrænosis, itemque abstergendis oris exulcerationibus adhibeatur; sic & ejusdem lapidis ℥ß. dissolvi potest in aqua plantaginis ℔j. & colaturæ immitti spongiola, applicanda ulceribus faucium pro sui mundificatione & tibiarum depascentibus, desuper imponendo emplastra vel lintea. Sic tandem eidem colaturæ infundi potest gummi laccæ, & hinc liquore hoc gingivæ fricari in casu tumefactionis scorbuticæ gingivarum.

Mercurialium ad Topica.) Scilicet Mercurius vivus emplastris addendus, cum saliva, (eaque acidiore, quàm hypochondriaci possident,) extinguitur, terendo scilicet eundem in mortario lapideo cum pistillo simili, & successivè immittendo salivam, donec pulvis spissus evadat. Dicit AUTOR ligationem hanc tantum superficialem esse, & non, nisi apud hypochondriacos, propter eorum salivam acidiorem, quærendum. Potest autem simpliciter subigi cum axungia porcipa vel terebinthina pro litu externo ad instituendam Mercurialem Salivationem. Amalgama ex *Mercurii* part. ij. & *Saturni* part. j. cum Emplastris, tàm venereis quàm non venereis, commodè usurpari potest. ZWELFERUS pro Emplastro abstrahit aqua forti: sed malè; saturatur enim. Sic & Mercurius dulcis superior, vel Turbith minerale commune ex sublimato præcipitatum, vel & cinnabaris, huc advocari potest, subigendo scil. singula horum cum pinguedine porcina, vel terebinthina, pro litu ad salivationem instituendam.

SEQUUNTUR TANDEM FORMULÆ HUIUS CLASSIS.

Decoctum Vulnerarium:

℞. *Herb. plantag.* M. ij.
Pyrol.
Alchimill. ana M.ß.
Comar. hyperic. florent. Mj.
Rasur. cornu Cervi ℥j.

Coque in *aquæ simplici.*

℞. Colaturæ ℔iß.
adde
Sacchari parum, vel *syrup. de symph.*
Fernelii q. s. M.

Hinc

℞. *Lap. cancr. præp.* ʒij.
Aceti vin. ʒvj.

Mista asserventur pro usu:

Hujus misturæ cochlear j. semper propinetur unà cum haustu calido superioris Decocti Vulnerarii.

Horum loco sit sequens *Mistura Vulneraria:*

℞. *Aquæ iulor. plantag.* ℥iij.
Extracti plantag. succos. comp. Autoris ʒiij.
Lapid cancr. præp. ʒj.
Laud. opiat. gr. iß. M.

Detur pro dosi subinde cochlear j. repetitis vicibus.

Mistura contra hæmorrhagias, & in specie *contra hæmoptysin:*

℞. *Aquæ plantag.* ℥ij.
Tinctura Martis adstring. ʒj. ad ʒiß.
Syrup. papav. alb. ʒvj. M.

Capiatur cochleatim. Vel ad imitationem illius *Sylvii misturę ad quasvis hæmorrhagias:*

℞. *Aquæ plantag.* ℥iii.
Acet. vin. ʒiii. ad ℥ß.
Terræ sigill ʒß.
Corall rub. præp. ℈i.
(aut loco horum *croci Mart. adstring.* gr. vi.)
Laudan. opiat. gr. iii.
Syrup. portulac. ʒiii.
M. pro aliquot dosibus.

Bolus antidysentericus:

℞. *Rob sorbi torminal.* ʒiß.
Bezoard. martial. gr. xv.
Croc. Mart. adstring gr. vi.
Laudan. opiat: gr. ii. M. f. *Bolus.*

Aut in forma *Potionis:*

℞. *Aquæ plantag.* ℥iii.
Spiritus theriac. camph. ʒiii.
Extr. torment. ʒiß.

Corall. rub. prap. ℈ij.
Croci Mart. adstring. ℈j.
Laud. opiati gr. iij.
Sacch. parum. M.

Vbi & loco coralliorum rubrorum, croci martis, & laudani opiati, recipi poterint trochisci de carabe.

Pulvis contra lumbricos:

♃. *Mercurii dulc.* gr. xv.
Sacch. albi ʒß.

M. f. Pulvis pro aliquot dosibus, dando plus minus pro ratione ætatis infantum. Vel in forma Boli:

♃. *Conserv. flor. persic.* vel *rosar.* ℈j. ad ʒß.
Pulv. Merc. saccharat. gr. xii: xv. ad ℈j. vel ʒß. M.

Gargarisma in prolapsu uvulæ, fauciumque excoriatione & ulceratione:

♃. *Herb. prunell.* M. ij.
Plantag. M. j.
Gallar. pulver. ℥ß. ad ʒvj.

Coqu. in s. q. *aquæ comm.* seu *ferrarior.*
Colat. ℥x. adde
Alum. vel *crudi* vel *usti* ℈j. ad ʒß.
Syrup. rosar. rub. ℥iß.

Misc. pro colluendis faucibus.

Cataplasma ad Contusiones graviores:

♃. *Radic. consold. mai.* ℥iij.
Polygonat. ℥iß. ad ij.
Flor. cham. M. j.
Croc. ʒj.

Coqu. in s. q. *aquæ simpl.* vel *vini*. Et hoc decocto foveatur locus contusionis crebrius, vel massa cocta applicetur instar Cataplasmatis, post prægressam cum spir. vini camphorato inunctionem.

Litus pro scorbuto gingivarum:

♃. *Gumm laccæ* ʒiß.
Aluminis usti ℈j.

Pulverem excipe cum *mellis rosat.* ʒvj. adde
Salis parum & q. s. pro grato sapore:

Affricetur subinde gingivis.

Pulvis ulceribus tibiarum manantibus inspergendus:

♃. *Lap. calam.* ʒiij.
Croc. Mart. adstring. ʒij.
Ceruss. ʒiß.
Pulv. mac. ʒß. ad ʒj.

Mista successive inspergantur.

Emplastrum Mercuriale:

♃. *Emplastr. Saturn. Autoris* (p. 770. descripti) ℥iij. adde
Mercurii viv. cum ol. laur. subacti ʒß. vel *amalg. ex Mercurio vivo & Saturno* ʒv.

Et cum *axungia porcinæ* q. s. F. Emplastrum ductile.

Vel (quod *Patavii* in usu est) *pro Tumoribus & ulceribus Gallicis:*

♃. *Olei commun.* ℔viij.
Min. optim.
Mercurii præcip. seu Turpeth. Min. Autoris ℔j.
Ceruss.
Ceræ albæ ana ℔ij.
M.

Coque cum continua agitatione ad consistentiam Vnguenti vel Emplastri.

FINIS.



MICHAE-

MICHAELIS ETTMVLLERI,
PHILOSOPH. ET MEDICINÆ DOCTORIS, PROFESSORIS PVBLICI ET FACVLTATIS MEDICÆ LIPSIENSIS ADSESSORIS,

COLLEGIVM,

SISTENS

DOCTRINAM PRÆSCRIBENDARVM FORMVLARVM.

PRÆLOQVIVM.



Harmacia cùm eò devenerit, ut ampliùs, ſicuti olim à primis Græcorum Medicis factum, aut raro ab hodiernis, exerceatur, ſed à Medicorum famulis fugitivis ad noſtros Pharmacopœos tranſierit, adeoque à Medicina iam ſeparata ſit; neceſſe eſt, ut Medicus Praxin aggreſſurus artificioſas medicamentorum compoſitiones cognitas habeat, & quomodo remedia in Officinis artificioſè miſcenda & præparanda ſint, exactè ſciat; adeoque Pharmacopœo eadem concinnè præſcribat, & ægris ordinet: Qui modus aliàs *Methodus præſcribendi Formulas*, & ſic ipſa Compoſitio medicamenti ægris ex tempore ordinanda, & ſchedulæ conſignata, *Formula* vocari ſolet. Plurimi quidem exercitium hoc tanquam levidenſe ac nullius momenti æſtimant: Sed citò ſat ſe deceptos experiuntur, ac anteà putarunt; cùm vix formulam præſcribere audeant, quin Pharmacopœi, & miniſtrorum naſutulorum, ne dicam abiectiſſimorum, ſæpè tyronum, riſui ac cenſuris ſe exponant. Vnde vel metu maiori, & quidem ægris ipſis magis excruciati, quid agendum ſit? ſemper fluctuant: adeoque formulas ad cenſuras has euitandas, non ſolùm ex Practicorum libris & Diſputationibus, imò Pharmacopoliis, hinc inde corradunt; ſed & propter ignoratam compoſitorum, nec non ipſorum ſimplicium, notitiam & præparationem, plurima ingredientia ſibi invicem contraria cumulant, & quadrata rotundis miſcent. Vt igitur Praxis aliquando futura ſit facilior, Vobis hac in parte deeſſe nolo, & totum artificium certis regulis ita includam, ut, his probè obſervatis, negotium hoc ſatis arduum ita allevietur, & Formulæ elegantiſſimæ citra omnem difficultatem inveniri poſſint.

SECTIO I.

DE

PRÆSCRIPTIONE FORMVLARVM IN GENERE.

AUxilia ſeu remedia Pharmaceutica vel ſimplicia vel compoſita eſſe pharmacopœorum tyronibus iam notiſſimum. Vtraque rariùs hodie cruda, potius plus minus, diuerſimodè tamen, præparata adhibentur. Exemplo ſit Theriaces, Compoſitorum Anteſignani, fermentatio ante ſui diſpenſationem neceſſaria æquè ac proficua; illius enim ope mirabilis iſta ac diſcors ſimplicium farrago attritu quaſi mutuo & ſubactione accuratâ in concretum concors, texturæ-ſalino oleoſæ volatilis, effectus anodyno-ſudoriferi nonnihil analeptici abit, & ingredientium quorundam particulæ quaſi activæ reſinoſæ præcipuè reſolutæ, hincque diffuſibiliores, indeque penetrantiores redditæ, partim exaltantur, partim corriguntur, ob id decem annos iuxta Arabes fermentare debuit, & etiamnum hodie longè diutiùs iuxta Perſas, quorum quidam duodecim, alii triginta annos ipſi pro fermentatione aſſignarunt: vid. *Pharmac. Perſic.* FRANCISCI ANGELI *à* S. IOSEPH *pag.* 26. Sulphur naturæ balſamum quibuſdam dictum, crudum tardiſſimæ & difficillimæ in nobis alterationis ac appropriationis eſt, quod tamen à ſale tartari recluſum, & oleo deſtillato ſolutum, pro paranda exinde vel tinctura ſummè actiua, vel extracto longè magis medicamentoſo, quia magis reſolubile, & undique per corpus mediante quouis fluido diffuſibile reddi ſolet. Attenuativa & inciſiva *Gummi Ammoniaci* polychreſta ſubſtantia potius in *eſſentia* cum ſpiritu vini tartariſato adhibetur, quàm concretum eius integrum, licet aceto deſtillatum ſolutum; ſiquidem ſociata in hoc reſinæ illi acri attenuatiuæ mucilago temperata & inſpiſſans motum illius alteratiuum non poteſt non remorari, niſi veterum, & hos inter DIOSCORIDIS *l.* 3. *cap.* 98. ex præcepto ad ℥j. cum aceto ſolutum propinare velimus. Extractum gentianæ ſuccoſum præ pulvere illius crudo febrientibus ſanè accommodatius exiſtit. Eò ſcilicet quævis præparatio primariò reſpicere debet, vt remedii reſpectu vel vis plus minus recondita, ceu perla ex ſtercore, eliciatur, vel virulentia caſtretur aut potiùs quaſi invertendo corrigatur, ægri verò intuitu ut commodiùs aſſumi quàm crudum, & ita meliùs ipſi applicari poſſit.

Remediis verò nobilioribus & efficacioribus, aut etiam quibuſdam officinalibus, tam medici intentioni, quàm ægri ſaluti ſufficientibus, artificioſâ imprimis præparatione exaltatis qui inſtructus eſt, formularum exercitio aut præſcriptione facilè carere poteſt. Pauca enim ſunt, loquitur HELMONT, quæ Medicum nobilitant. Quid opus eſt miſturâ ex ſpiritu vini camphorato, eſſentiâ theriacali, ſpiritu cornu Cervi, nitri &c. novâ diaphoreſin ægri procurare, ubi miſtura ſimplex aut proles ejus genuina tinctura Bezoardica, ritè tamen, quod rarum eſt, parata, ſatisfaciunt? Quid compoſitionibus novis theriacalibus, quas ordinariò theriaca ipſa ſimul ingredi amat, fatigare miniſtros? ubi theriaca ſola ritè adminiſtrata, aut electuarium diaſcordii Fracaſtorii ſufficiunt. Pulveris cardui benedicti uſu crebriori plebeii febricitantes ſe curant, citra tot pulverum aut compoſitionum febrifugarum abuſum. Balſamus Copaivæ, quatenus uſu interno gonorrhœæ tam appropriatè reſiſtere, valet eo ipſo tot aquarum & eſſentiarum caſtitatis, ſyruporum, decoctorum, pulverum & emulſionum compoſitiones ſuperfluas reddit: ſicuti externè quodvis vulnus citò, tutò & jucundè curando, non ſecus ac oleum momordicæ infuſum, aut oleum ſeminis hyperici expreſſum, & cum eo concinnatus balſamus ſulphuris nos tot balſamis vulnerariis, oleis balſamicis, emplaſtris & miſturis interdum monſtroſis ſuperſedere poſſe oſtendit. Talia itaque ſelecta vel ſimplicia vel compoſita, v. g. Eſſentia viperarum, tinctura bezoardica, pulvis bezoardicus Sennerti, &c. ſimpliciter, citra alias inſigniores cautelas vel ita à Medico præſcribuntur, vel facilè diſpenſantur, & ſignaturâ vel generali, vel in gratiam ægri interdum ſpeciali, ſubſcribuntur. Nimium autem Practici quidam circa ſignaturas luxuriant, itaut nil quicquam, niſi ſub pompoſo titulo præſcribant, dum non ſolùm pulveres ex Cornu Cervi ſine igne, coralliis præparatis |, antimonio dia-

diaphoretico, bezoardicis mineralibus, cinnabari antimonii, cum & fine lapide bezoar, auri & argenti foliis, &c. sed & compositos selectiores officinales, e. g. pulverem bezoardicum Sennerti, epilepticum Marchionis, specificum cephalicum, &c. inscribunt: *Pulvis corpreservans, Egregius pulvis cardiacus & cephalicus, Aureus pulvis confortativus,* &c. Et sanè, quia mundus hodie vult decipi, sæpè solis his ac pomposis signaturis plus honoris ac lucri reportant, quàm peritissimus, has & similes imposturas abhorrens. Proinde tempori quandoque inserviendum est; cautè tamen, ne vulgi auram captando existimationem apud peritiores perdamus. Rectiùs igitur meo iudicio agunt, qui media incedunt via, & formulas subscriptionibus, quæ ingredientibus respondent, ornant: e. g. in forma liquida:

℞. *Tinct. Bezoard.* ℥i.
S.
Tinctura sudorifera: 30. *ad* 60. *guttæ pro una dosi.*

℞. *Ess. viperar.* ℥ii.
D. S.
Essentia sanguinem purificans: 30. *guttæ pro una dosi.*

℞. *Ess. castor.* ℥ii.
D. S.
Essentia matricalis 30. *ad* 40. *guttas.*

Vel in forma sicca:

℞. *Pulv. Bezoar. D. Mich.* ℈i.
S.
Pulvis sudoriferus pro una vice.

℞. *Specif. cephal.* ℈i.
D. S.
Pulvis caput confortans.

Vel

℞. *Empl. dia-sulph. Rul.* q. v.
S.
Emplastrum mundificans.

Si verò syndrome circumstantiarium plurium, ac præ cœteris symptomatum urgentium in nostris morbis utplurimum complicatis, & ex intemperantia otiosa ferè anomalis, vel defectus nobiliorum remediorum, vel conditio ægri subindè perquam delicata, ut varia parentur grato sapore, odore, &c. aut specialis eius idiosyncrasia aliud quid postulent, adeoque consuetis istis officinalibus Medicus ægro consulere nequeat, remedia in certas formulas ordinata præscribuntur, quæ compositiones *Magistrales* aliàs, ad modò dictarum differentiam, dicuntur.

In his ergò præscribendis ante omnia consideretur & *Usus* & *Ornatus*: Ille ratione ægri, ut eiusdem succurramus defectibus, & medicamenta præscripta affectui ægri specificè conveniant: Hic ratione Medici, ut concinnè præscribat, & Pharmacopœorum operam sublevet, ne se risui illorum satis nasutulorum exponat, suamque ipse ignorantiam prodat.

Quoad ornatum: in omni Formula duo consideranda sunt: vel,

1. *Materiale*, seu ipsa Ingredientia, expenu-trium regnorum depromta, simplicia vel composita, eorumque debitus imprimis selectus; ex quibus componitur præscribenda Formula.
2. *Formale*, seu Ingredientium sub præscriptione situs seu ordo, respectiva proportio, præscribendi ratio, & denique in certam texturam à medico intentam coalescentia.

Quoad *Ingredientia*: hæc non corpora elementaria aut omnium prima, sed iam plus minus sub tali respectu composita, adeòque formis suis specificis & dependentibus inde qualitatibus & proprietatibus respectivis instructa sunt; unde in iisdem consideranda:

1. *Quantitas.*
2. *Qualitas.*

Circa *quantitatem* materiæ dimensiones & hìc suo modo attendendæ: *longitudo*, secundùm illorum multitudinem; *latitudo* secundùm dosin; *profunditas* seu consistentia, h. e. ex mistis illis coalescens moles, & eiusdem color, sapor, odor, &c. Circa *qualitatem* verò considerenda in specie (apparens licet tantum nobis) similitudo & contrarietas, tam respectu sui ipsius in genere, quàm respectu ad corpus ægrum in specie. Atque his materiæ habitus est expositus. *Formæ* verò, *externæ* scilicet, ratio consistit in materiæ istius concinna ad se invicem adaptatione, ut ægro meliùs & iucundiùs applicari, sive internè sive externè, queat; in quo *Finis* consistit. Huius in respectu in materia ista, ratione longitudinis *Ordo debitus*; ratione latitudinis *Proportio concinna*; & ratione profunditatis *debitus Modus* præscribendi miscendique considerandus. Ex quibus tandem *Essentiale Formulæ*, quasi mechanicum concretum, coalescit. Ordinem ingredientium situandorum quod concernit, libertate hìc gaudet Medicus, & pro lubitu ferè eandem instituere valet. Concinnior tamen ferè emergit formula, si quæ copiosiùs ingrediuntur, cæteris anteponantur, ut & sibi invicem eâ serie subordinentur; qua à Pharmacopœis dispensari aut misceri debent, ut in decoctis, misturis, &c. non verò sibi invicem sint confusa, ut ponantur modò radices, modò flores confusè, &c. Quo ordine solent dispensari, ita debent præscribi, uti loquitur etiam MORELLUS *Meth. Prescr. Form. S.* 1. *c.* 1. ita ut e. g. in Potionibus primo loco ponantur aquæ, quas sequuntur spiritus & tincturæ, & has tandem pulveres cum syrupo.

Baseos locus simpliciter in arbitrio est præscribentis; non secus ac constituentia nunc præponuntur, ut in misturis, nunc postponuntur, ut in morsulis: Uno nomine; formularum crebrior inspectio & præscriptarum præparationis observatio, omnia hæc facillima reddunt.

Proportio verò requirit, ut ingredientia, quæ conspirant in uno affectu & scopo, certâ proportione & eleganti ratione sibi respondeant, qua dosis, tam generalis eorundem quàm specialis, aptè limitatur. *Dosis generalis* ista est, qua aquæ, sirupi, acetum, succus, pulveres, flores, folia, fructus, &c. pro hac ista formula ordinariè & aptè præscribuntur, quam videbitis definitam in WEDELIO *de Compos. Medicamentorum Extemp. S.* 1. *cap.* 12. *&c. Specialis* est, quam remedii cuiusvis usus & effectus particularis circumscribit; nam alia dosis est Cornu Cervi fine igne, alia salis volatilis Cornu Cervi, alia Mercurii dulcis, alia turbith mineralis, alia rhabarbari, alia lapillorum cancrorum, &c. In utraque proportio debita observanda. In speciali est proportio inter basin, eiusque adiuvans & corrigens, ne nimis exaltetur potentia baseos, nec ab iisdem infringatur; sed omnia pro effectu intento obtinendo mutuò conspirent, & iunctim dosin legitimam constituant: conf. *Idea Prescrib. Formul. cap.* 1. *§.* 10. *circa finem*: Ex hoc enim de iudicio Medici præscribentis ferè iudicari potest. Ob id *pulv. l. a. §.* 9. jalappæ: una dosis sufficit ob adjuvans egregium tartareum; quibus forsan debilioribus gr. j. scammonii sulphurati additum, integram dosin proportione debita compleret. Quoad dosin generalem: ingredientium mutuus ad se invicem quasi respectus sit, ita ut eadem proportione dupla, tripla, quadrupla, sextupla, duodecupla, &c. aut quocunque alio modo his plus minus analogo, sibi invicem aptè respondeant, quo æqualis quasi ac elegans, non verò hiulca aut aspera fiat præscriptio. Non equidem de necessitate hæc sunt, cum ad ornatum tantùm faciant; tamen de majori Medici præscribentis attentione loquuntur: Sic enim in *Mistura l. a. proposita*, aquæ ℥j. respondet Tincturæ sive essentiæ ʒß. spiritus ℈j. pulveris gr. jv. syrup: ʒj. ad ℥jß. dant hæc dosin integram specialem, triplicata mutuò pro repetito usu formulam istam subministrant: id quod ornatu omninò majori fit, quam si aquæ ℥jv. essentiæ ʒiij. spiritus ℈iijß. pulveris gr. xvij. & syrupi ʒv. vel vij. invicem confunderentur.

Modus adhuc in Formulis præscribendis considerandus est, qui vel materiam, vel formam præscriptionis respicit. Materia quidem præscribitur vel simpliciter, vel modificatè, quod nempè materialibus, id est, ingredientibus simplicibus, certa adduntur epitheta: Ibi generaliter, *Herba malvæ, radix gentianæ, sal absinthii, Mercurius dulcis, spiritus salis ammoniaci*; his verò specialiter: ℞. *Com. absinth. summit. artemis. Radix hellebori nigri præp. rad. chinæ non cariosa, Mercurius dulcis ad extra, ad intra, spiritus salis ammoniaci succinatus, sal volatile viperarum, &c.* Quando præscribendæ Amygdalæ dulces, præscribo:

℞. *Amygd. dulc. ambr.*

Sic myrrha præscribitur non nuda, sed electa. Quando præscribendæ pineæ, præscribo:

℞. *Pin. recent.*

Quando præscribendæ species compositæ:

℞. *Spec. rec. dispens.*

Quando præscribo ex mineralibus, v. g. ex Mercurio seu Antimonio, ita:

℞. *Antimon. ritè præp.*
Merc. vitæ ritè præp.

Et sic porrò. Quæ tamen præscriptionum inspectio spontè docet.

Forma denique, quam ratio præscribendi respicit, est vel universalis, formalis ferè quibusuis communis; vel particularis, certis quibusdam propria. Illa in Antepolito ℞ *seu Recipe*, quod quare quidam adeò horreant, nisi forsan, quod in veterum scriptis non æquè repeliatur, sanè non video; & in fine, interdum in medio formularum: *M. F. l. a. D. S.* hoc est: *Misceatur, Detur, Signetur*; ferè consistit: quibus & illud *ana* sub æquali ingredientium dosi accensendum. Hæc in qualibet ferè formula aliquod peculiare obtinet, quando in pulveribus præcipitur: *Redigantur in Alcool*; in quibusdam liquoribus: *Filtrentur, colentur, stent in Mariæ balneo per* 12. *vel* 24. *horas*, h. e. *per diem noctem*, & quæ sunt aliæ similes præscribendi rationes, non nisi sub speciali formularum tractatione exactè dignoscendæ.

Hic est præscribendi modus; quo observetur partim ad securitatem, partim ad elegantiam, partim ad celeriorem operationem, celerioremque effectum.

Post modum præscribendi considerandus quoque venit *Modus Mistionis*, & sub hac exsurgens moles, hujusque qualitates sensibus gratæ vel molestæ. Harum quædam ante mistionem jam partibus insunt, & compositione vel exaltantur vel infringuntur; vel non insunt, sed in composito demum ex hujus nova textura emergunt. Essentiæ resinosæ rubineæ in aqueis vehiculis vel lacteum turbidum minus gratum, vel lividum liquorem exhibent: quod non æquè contingit spiritu vini tartarisato vel Tinctura tartari si præparatæ fuerint; utut aliquali texturæ & virium alteratione acetum, succus citri, spiritus salis, qui gratiam de cætero multis medicamentis conciliant, absorbentibus marinis ac ostracodermis copulata, ex dulci salsissimum, quibusdam nauseosum reddunt saporem. Sulphura alcalisatis in via humida sociatis ingratissimum fœtorem contrahunt. Sin electuariis, spiritum vitrioli

trioli in conservis aut alumen crudum recipientibus, terrea absorbentia misceantur, super vasis ora motu fermentativo prorumpentia, vel risum vel tædium ægro conciliant. Tincturæ, syrupi, &c. pro acidorum vel alcalium commercio varias Tincturæ mutationes exhibent. Nauseosè dulce & adstringens martis vitriolum, tartari terræ foliatæ junctum, vel via sicca secundùm ZWELFFERUM, vel via humida in liquore martis solari cum terræ hujus certo connubio concretum tertium novarum planè, tam externarum quàm internarum, proprietatum subministrat. In qualitatibus adeoque talibus sensualibus, quantum citra ægri incommodum fieri potest, gratia aucupanda venit sub materiæ miscendæ selectu. Horret decumbentium ventriculus consuetorum alioquin alimentorum odorem & saporem, quidni insuetorum remediorum? & multò magis sensuum cæteris quoque organis horrorem incutientium. Arte marteque tandem, ubi ingesta fuerint, vel cardialgias, vel præcordiorum anxietates, vel post nauseas vomitus expectandi: Minus metuenda talia, ægri palato hinc & naribus accommodata meliùs si fuerint. Quod & de aliarum partium sensu quasi particulari non minus interpretandum, oculis scilicet, propterea quę aliis quibusdam partibus minus acria, administranda. Adhæc multum in recessu omninò habet imaginatio, pro cujus ductu, & hinc spirituum influorum modificato motu, gratius quod est palato remedium, propensionem majorem & quasi amicitiam erga illud in ægro excitabit, ut & assumatur lubentiùs, faciliùs retineatur, & suaviùs operetur. Quoties enim imaginationis ex jussu res alienæ & insuetæ, quia singulari appetitu, atque adeò voluptate assumptæ, remedii appropriatissimi instar aut diuturnas febres, aut chronicos ventriculi languores tollant? Licito itaque stratagemate & hinc fallere interdum ægrum juvabit, ut sub fide desiderati à se remedii, aliud ipsi simile, sed magis proficuum, propinetur. Sanè consensus hic, & imaginationis motus ac quies, multum ad remedii affectum promovendum aut modificandum facient: Sequiori in specie sexui crebriùs se gratiosum his in punctis exhibeat necesse est, ob hystericas passiones, aut cardialgias his non rarò simillimas, quæ uti per dulcia aut suaviùs odorata provocari subinde (idiosyncrasia hìc summoperè attendenda) solent, ita per ingratiora pariter medicamina, ob nauseam & ventriculi subversionem, quam sæpius concitant, paroxysmos istos vel revocant vel exasperant.

Ex dictis simul patescit: neminem concinnam, & quæ Medicum decet, formulam compositurum, *nisi* (1.) *exactam materiæ medicæ notitiam sibi comparaverit secundùm omnia tria regna*, eamque tam *externam*, seu quoad attributa à priori sensualia, qualis in officinis Pharmaceuticis & Mercatoriis, comparanda, quàm *internam* seu quoad attributa à posteriori cognoscibilia, hoc est, vires vel facultates operandi non nisi per experientiam, vel propriam, vel alienam, scriptorum nempè Medicorum, cognoscibilem. In hunc finem vel ineptè etiam curiosum Philiatrum, præstat esse sub studii Medici cursu, ut in omnia minutissima ubicumque obvia, quæ, qualia, quanta, &c. sint? unde nata? cujus usus, vel mechanici vel naturalis, &c.? sive intelligat, sive non intelligat, sedulò inquirat, etiamsi quæsita talia interdum etiam risu excipiantur. Dici non potest, quanta copia rerum in occulto & non sentientibus hoc pacto colligatur, quanta experientia, & denique quantus usus postmodum inde emergat.

(2.) *Præparationem simplicium* saltem *planiorem exactè caleat*, quod sine operationibus Chymico-mechanicis fieri nequit; harum enim medio plus minus aperitur, alteratur, concentratur, respectu aliorum varia phænomena idem exhibet simplex, &c. Propterea Laboratoria Chymicorum, Medicorum & Pharmacopœorum, quin imò juvat & Mechanicorum, quicunque subjecta quædam ad materiam Medicam spectantia tractant, visitare: attentus si sit, nunquam sine nova præparationis cujusdam vel encheireseos &c. observatione discedet; nam & sic apud Oenopolas, Zythopeptas, pistores, quæ menti curiosæ satisfaciunt, reperire licebit: non secus ac apud aurifabros, claustrarios, stannarios, &c. quin & manus proprias adhibeat, & carbones tractet ad HELMONTII imitationem: nec à crebriori deterreatur successu infausto; sive enim procedat ex voto, sive reluctetur tentamen, semper aliquid observare contingit, alibi quod proficuum esse potest, & medio hoc remedia optima, artis opera elegantissima, &c. inventa fuerunt; modò non saltum faciat, ac mox prolixos, aut laboriosos, aut nonnisi exercitatis imitabiles processus inchoet; tales enim nihil commodi, saltem sumptuum perditionem, & in capite confusum chaos Chymicum reportant.

(3.) *Compositionum officinalium optimè gnarus sit*, partim ut easdem debitè adhibere, partim aliis aptè associare queat: aliàs omninò metuendum, ne impetu cœco, quid pro quo interdum arripiendo, Empiricum temerarium, non Medicum circumspectum agat.

His ita primò observatis, certus sum, quod facillima erit ratio formulas præscribendi: sub quorum ignorantia non nisi corde & manu trepidante, vel ob sanitatem in ægro vel ob famam in Medico utrumque ex formula inepta, periclitantem aliquid in scedula consignari poterit. Quod si requisita talia nimis latè extendi videantur, ad ea restringi possunt, quibus in præscriptione sæpius & frequentiùs utitur, ut hæc saltem juxta supposita benè calleat, pro ulteriori verò artis incremento & aliis pro viribus incumbat.

Jam ut debitis suis cancellis eò meliùs circumscribatur quævis compositio magistralis, in omnibus ingredientibus quatuor puncta cardinalia attendenda: quæ sunt

1. *Basis*, nunc *simplex* nunc *composita*.
2. *Iuvantia* seu *stimulantia*.
3. *Corrigentia*.
4. Ipsam *formulam constituentia*.

De dirigentibus taceo, lite nondum decisa.

I. *Quoad basin*: est ista primarium ingrediens, quod imprimis satisfacit Indicato, & cui, ceu fundamentum compositionis, ac principali ingredienti, reliqua tantum adjunguntur: ut quando præscribitur pulvis compositus purgans, medicamentum purgans est basis, quod satisfacit scopo purgationis, sive sit simplex, sive compositum, ex pluribus purgantibus confectum: sic v. g. basin Theriacæ, quicquid alii dicant, statuo ego cum WALÆO aliisque Opium totius compositionis theriacalis primarium: Confectionis alchermes basis est Ambra revera. Est autem *basis* vel *simplex*, quando unum ingrediens primarium est tanquam basis, & uni satisfacit indicato; vel *composita*, ubi duo vel tria conjunctim basin constituunt, & uni tantum, vel etiam duobus & pluribus Indicatis satisfaciunt: verbi gratia quando est temperandum acidum in massa sanguinea, his præscribuntur in pulvere pro temperando acido lapilli cancrorum pro basi quod est medicamentum simplex in basi; vel cum lapillis cancrorum cornu Cervi ustum, vel corallia, & sic est basis composita uni indicato satisfaciens, utut ingredientia sint composita. *Basis duplex*, pluribus indicationibus inserviens, est, quando v. g est temperandum acidum in pleuritide. Hìc habemus duplex Indicatum: sanguis stagnans resolvendus, & acidum temperandum: huic satisfaciunt partim simplicia, ut rasura dentis apri; partim composita, quale est pulvis Augustanorum compositus: sic in Tinctura Bezoardica basis est camphora cum salso volatili diaphoretico: in electuario diascordii Fracastorii bolus Armena, terra sigillata, & opium, junctim basin constituunt.

II. *Quoad Iuvantia* scilicet seu *stimulantia*. sunt ea talia, quæ pro promovenda hebetis baseos celeriori efficacia adduntur, quæ basin quasi augmentant, & efficaciorem reddunt, ut citiùs & meliùs se exerat: v. g. in purgantibus communibus & usitatis tardè operantibus sensibilior quidam stimulus requiritur, pro quo scopo sæpè additur extractum colocynthidis, vel scammonium præparatum; unde etiam stimulantia interdum audiunt. Sic in pilulis purgantibus, quarum basis est extractum quoddam, adduntur grana aliquot scammonii præparati, vel trochiscorum alhandal, ut celeriùs & fortiùs operentur: sic mercurii dulcis optimus stimulus est scammonium more *Brendeliano* præparatum.

III. Quoad *Corrigentia:* optimum quidem est, ut basis habeatur legitimè dispensata & correcta, ut non opus sit addere corrigentia; quoniam basi malignæ addita corrigentia nihil aliud faciunt, nisi ut noxam inductam tantum emendent, non verò præcaveant. Unde ridiculum est, quando purgantibus non rectè correctis adduntur aromata pro correctione: legitima namque correctio medicamentorum consistit in eo, ut sint præparata legitimè, antequam interiùs assumantur, qua correctione malignitas sit remota, quo facto, non opus est corrigentibus. Quod si tamen in basi aliquid nocivi fuerit, vel ægro minus conveniens, addatur tunc corrigens virulentiam, ut tutiùs, ac simul jucundiùs, operetur: nec enim tam benigna aut correcta semper sunt remedia, quin aliqualem plusminus notabilem noxiam impressionem, vel ventriculo & intestinis, nervoso generi, ut purgantia, vel aliis partibus hostilem alterationem inferre valeant: Corrigentia ergò subinde permiscenda. Sennæ operatio tartaro, cremore in decocto, sale in infuso, corrigitur. Opii malignitas pipere & castoreo emendatur, ut horum ope illius in spiritus impressio eò meliùs deleatur. Quin cum & ingrata subinde sint ægris, certo ex puncto, vel odoris vel saporis, &c. remedia, pro infringendis hujusmodi nauseosis qualitatibus subinde quædam, succus citri, acetum, aqua cinnamomi, syrupi, saccharum &c. addenda veniunt.

IV. Demum, cum pluribus modis remedia propinari ægro possint, & ita ex iisdem ferè ingredientibus plures formularum modi conscribi, *constituentia* requiruntur, quæ formam absolvunt, & remediis reliquis mutua subactione certam consistentiam largiuntur, ut vel Potio, vel Electuarium vel Pilulæ inde resultent. Et quidem quando præscribi debet medicamentum sub forma Potionis, sumuntur aquæ, spiritus, essentiæ: quando debent præscribi medicamenta sub forma boli, sumuntur conservæ: quando morsuli, conservantis loco est saccharum, &c.

Hæc quatuor in omnibus ingredientibus erant consideranda. Interdum *Dirigentia* quæ parti affectæ dicuntur appropriata, adduntur, ut quando in affectibus oculorum aqua fœniculi additur.

Hæc omnia jam in exemplis sunt declaranda: v.g. præscribendus Pulvis vel Bolus mediocriter laxans, cujus basis sit jalappa; adjuvans, quod simul baseos dosin plus minus limitat, cremor tartari; corrigens oleum destillatum macis; constituens requiritur nullum in pulvere, cum hic per se ex mistura emergat; in Bolo verò conserva fumariæ aut florum tunicæ adhibeatur. Unde tales fiunt formulæ:

℞. Crem.

℞. *Crem. tartari* gr. xv.
Pul. Ialapp. ℈ß.
Olei destillat. macis gtt. ij.
M. F. pulv. D. S.
Pulvis purgans.

℞. *Conf. flor. tunic.* ʒß.
Crem. tartari gr. xv.
Ialapp. ℈ß.
Olei destill. macis gtt. ij.
Cum s. q. syr. Ros. sol. f. *Bolus*:
D. S.
Bolus purgans.

Porrò sit *pulvis* prӕscribendus *ad febrim intermittentem* ante paroxysmum:

℞. *Salis Absinth.* ℈j.
Lapill. cancr. prӕpar. ℈ß.
Laud. Opiat. gr. j. ad gr. iß.
Olei destillat. caryophyll. gtt. ij.
M. F. pulv. S.
Pulvis antifebrilis pro una dosi.

Hic *Basis* est sal absinthij & lapilli cancrorum: *Adiuvans* est laudanum opiatum; *Dirigens* & *Constituens* est oleum caryophyllorum, occurrens horrori febrili. Vel sit ordinanda *Potio antihypochondriaca* seu *hysterico diaphoretica*, repetitis vicibus capienda: *Basis* sit vel *composita*, ex Essentia Castorei & liquore cornu cervi succinato; vel *simplex*, essentia castorei cum spiritu salis Ammoniaci vinoso parata: *Adiuvante* opus est nullo, aut si pro scopo absorbendi viriosos sapores in primis vis addendum aliquod foret, lapilli cancrorum, aut unicornu verum sufficiunt: *Corrigens* saporis ratione sit succus chermes, vel syrupus corticum aurantiorum. Denique aqua destillata, vel qualiscunque, vel aromatica, vel appropriata, ut interdum dicuntur pulegii, fœniculi, florum sambuci, &c. omnia ista sinu suo excipiat, & potionem constituat hoc modo:

℞. *Aquӕ flor. samb.* ℥ij.
Fœnic. ℥j.
Ess. Castor. tartaris. ʒiß. ad ʒiij.
Liquor. Cornu Cervi succin. ʒß. ad ʒj.
Lapill. cancr. prӕpar. gr. xv. ad xxiv.
Syr. Borrag. ℥ß. ad ʒvj.
M. F. Potio.
D. S.
Potio sudorifera pro aliquot vicibus.

Vel sit *Potio* quӕdam prӕscribenda *in diarrhœa post fructus horӕos*:

℞. *Aquӕ menthӕ* ℥iij.
Cinnam. spirituos. ʒjß.
Spiritus nitri dulc. ʒß.
Terrӕ sigill. ʒj.
Laud. opiat. ferm. gr. iij.
Syrup. cydon. ʒiij. vel ʒvj. ad ℥j.
M. F. *Potio.* S.
Potio adstringens, benè circumagitanda.

Capienda repetitis vicibus unâ vice duo cochlearia, vel assumenda pro tribus dosibus.

Basis hic est terra sigillata, quӕ est primarium ingrediens pro scopo adstringendi: *Adiuvans* est spiritus nitri dulcis *Corrigentibus* hic non opus est: *Constituentia* sunt aqua menthӕ & syrupus cydoniorum; quӕ duo simul faciunt, ut fiat potio: Quibusdam etiam dicuntur *Dirigentia*; in omni enim diarrhœa remediis consultò adduntur stomachica.

In Ingredientibus porrò quatuor fugiantur & attendantur:

1. *Multitudo ingredientium.*
2. *Contrarietas eorum.*
3. Limitetur *dosis*: &
4. *Idiosyncrasia* ӕgri.

Quoad I. Equidem artificium est, curare per simplicia: unde felicem istum ӕgrum prӕdicat HELMONT., cuius Medicus novit curare simplicibus, & dolus est, secundùm ARNOLDUM, *de* VILLA NOVA, compositis uti, ubi simplicia sufficiunt: scilicet ut simplex victus saluberrimus, & naturӕ convenientissimus, ita pariter Pharmacia: natura utroque paucis contenta est. Quod si ex rationibus supra dictis, compositis utendum sit formulis, quӕvis vitanda multitudo quӕ nec Medico, nec remedio, nec ӕgro conveniens videtur. Non Medico, quia nil magis Medicum titubantem facit, quam multitudo ingredientium, cum semper ignorantiӕ cuiusdam videatur indicium tanta sub magistralibus compositionibus farrago: qui enim simplicia minus exactè novit quò se vertat, nescit; hinc est, quod ex tot ac tantis simplicibus aut compositis, plus minus homogeneis aut heterogeneis, pro prӕsenti casu debitum delectum instituere nesciant, sed tantam farraginem corrodant; id quod materiӕ medicӕ superficialem ferè cognitionem innuit. *Laboramus abundantia potius & luxuria remediorum, quam penuria, selectu saltem opus est*; qui vix, quàm per experientiam ac per cognitionem texturӕ materialis secundùm minima ex vi seminis nata, ceu operationum instrumenti, obtineri potest, prӕsertim ubi non tam universalibus, sed, quod magis expetendum, particularibus seu appropriatis ac specificis ӕgro succurrere est animus, Symptomatum, quam alii urgent, atrocitas & pluralitas ex una ferè vel immediatè vel mediatè propullulant radice morbosa, quâ plus minus correctâ, fructus isti morbosi marcescunt: sin atrociùs urgeant, en opium ritè prӕparatum infrà dosi cӕteris sociatum, tantum non omnibus succurrere solet, externa ut taceam delinimenta. Nec rarum est, quod naturӕ motum nimium, dum damus operam corrigendis symptomatis, vel impediamus vel turbemus. Nec minus adversatur remedio ex pluribus compositio; siquidem horum genericӕ saltem dotes neglectis utplurimum specificis, considerari solent, utrobique superfluo labore: facultates generales enim, carminativӕ, aperitivӕ, absorptivӕ, tribus vel quatuor selectis simplicibus, aut uno concinno composito, obtineri possunt. Specifica pauca sunt, quӕ paucioribus istis universalibus sociata scopo satisfacient. Quod si sub plurium coacervatione neglecta specifica appropriatum activitatis suӕ objectum, ne per somnium quidem id cogitante Medico, inveniant, necessariò provocato hinc spirituum impetu, ex symptomatum novitate nova ӕgro turba, Medico solicitudo, excitatur. Imò attendendum & hoc, ne talibus compositis vel ex simplici mistione, vel ex arctiori per determinatam prӕparationem in novam texturam unione, medicamenta se invicem destruant, & novӕ vires medicamentosӕ, pristinis vel deletis vel infractis, emergant; simili ratione ac simplici ex mistione pulvis pyrius ac scoppletans vim fulminantem acquirit, qui strepitus in auro fulminante simplici acidi intensioris additione obmutescit, non sine virium detrimento: Mercurius sublimatus simplici saltem cum mercurio vivo mistione diutiùsque continuata trituratione, iunctâ repetita edulcoratione, Draco mitigatus seu dulcis evadit, de cuius usu tutò, si quispiam dubitet, saltem docimasiam DAVISSONI *Philos. Pyrotb. Part.* 4. *cap.* 17. *pag.* 178. instituere licet: Ialappa ac colocynthis simplici cum sale tartari (hic quidem addito saccharo) miscela & tritura cicurescunt ferè penitus. Quid fieri etiam putandum est, ubi prӕter mistionem Infusiones, decoctiones, &c. quibus vel exaltantur, vel castrantur, vel immutantur simplicium vires accesserint? Minus denique ӕgro proficua est ista multitudo, cum perlӕ cum stercore simul ingerantur ventriculo: cui tum demum hic labor incumbit, ut digestioni simili labore concreta medicamentosa dissoluat, donec activӕ & medicamentosӕ particulӕ resolutӕ, id quod possunt, operentur: sub quo actu ut non tantum immutantur plus minus ingesta medicamenta, ita ex opposito ipse ventriculus à tot diversis ingestis non nisi prӕternaturalem patietur impressionem; qui dum in ӕgris languet & consueta horret, multò magis insueta medicamentosa nauseabit.

II. *Quoad contrarietatem*, non misceantur talia, quӕ se invicem destruunt, & sibi sunt contraria; quin eligantur tam sibi quàm ӕgro compatibilia. Contrarietas formalis equidem nulla datur in naturalibus, aut saltem nullibi, prӕterquam in animali regno, idque ferè quoque sub latiori acceptione; sed saltem effectiva, & quӕ respectu nostri ita dicitur; quatenus quӕdam ex necessitate, aut naturali aut artificiali, nobis adversantur, vel quatenus sub unione se ita alterant, ut depositis pristinis proprietatibus, sensuum ex iudicio se destruxisse videantur. Contrarietas hӕc effectiva est, quӕ in materia miscenda iuxta formulӕ prӕscriptum attendenda venit, tam respectu habito ad materiam miscendam, quàm ad ӕgrum sanandum. In materia non superficialis illa, qua quӕdam non benè miscibilia sunt, intelligenda, ut oleosa, v. g. oleum amydalarum dulcium cum aqua aut vino, sperma ceti, &c sed quӕ magis interiùs penetrat, & ipsam texturӕ mutationem iunctam habet: qualis in specie universalia inter ista duo naturӕ & artis mechanica instrumenta, acidum & alcali, hisque cognata subiecta alia notari solet. Ex nova enim in salsum textura neutrum propriӕ satisfacit destinationi; idque eo minus, si simultanea particularum aliarum syncrisis vel diacrisis novum concretum emergat: v. g. si prӕscribuntur acida cum salibus volatilibus, hӕc enim se invicem destruunt, & in salsum novum coeunt: Salia alcalisata hinc non prӕscribenda cum sale ammoniaco pro febrium cura; sal volatile enim urinosum avolat, concreto sali communi ӕmulo relicto. Eadem, sive fixa sive volatilia, alcalia aluminis societatem citra sui notabilem alterationem non ferunt: nec lixivialia eadem martialibus prӕsertim vitriolaceis iungenda; illorum enim in tartaro vitriolato saturatio, huius in crocum ferè adstringentem fit prӕcipitatio: nec acida, prӕsertim mineralia ac acetosa, fixatis metallicis aut mineralibus facilè socianda; promptissimè enim aliud inde concretum emergit; pristinis simul utrinque exutis potentiis. Frequentiùs in visitatione nostrarum officinarum occurrit formula:

℞. *Hepat. rub.* ℈j.
Scamm. Sulphurat. gr. xv. M.

Hӕc sunt contraria: Nam acidum spiritus vitrioli in Hepatico rubro destruit scammonium, & ita se mutuò destruendo defraudant Medicum & ӕgrum. Elixyr proprietatis vulgare minus cum spiritu salis ammoniaci miscendum, cum novum exinde mirabiliter alteratum sub prӕcipitatione emergat concretum; nisi *interdum Medicus ex instituto compositionem talem ex contrariis componat pro obtinendo quodam tertio*: id quod obtinet v. g. in Potione febrifuga Crolliana, quam videbitis in *Basil. Chym. pag.* 298. ubi extemporaneus tartarus vitrio-

vitriolatus, ceu conveniens digestivum, ante paroxysmum propinatur. Pertinent pariter huc misturæ versatilissimi in felici praxi SYLVII, passim *in Praxi* ejus annotatæ, ex aceto destillato, lapillis cancrorum, vel corallis & electuario diascordii, &c. combinatæ: mens scilicet in talibus formulis non est saturare acidum, & ita aliud intra corpus absorbendi vim in terreo destruere; sed arrodere saltem superficiali attactu ista obiecta, quò intra corpus à potentiori acido promptiùs arripiantur, ac ex aceto destillato præcipitentur: sive quod dum in istis concentratur, sive ab iis absorbetur, acetum destillatum quasi regeneratum in corpore in salsum mutatum, abstergendo & resolvendo, & blandè stimulando, sui quod erat, faciat officii. Exemplo tartari & martis hæc illustrare placet: Decoxi martem cum cremore tartari: solutio mediocris, in qua superficiali attactu tartarus sibi martem iungebat, coloris citrini, dulcoris martialis non adeò intensi, inspissata, donec intensè aurei esset coloris, instillato spiritu salis ammoniaci simplici, aut lixiuio salis tartari, vix sensibiliter alterabatur; ab aceto destillato verò, spiritu salis vel spiritu nitri, turbabatur liquor tartareo-martialis, & copiosum ponebat sedimentum, non terreum martiale, sed salinum quasi granulosum, gustu subalcalicum, h. e. perfectus tartarus regeneratus, qui per præcipitationem per potentius acidum liberatur à marte, in forma nativa se repræsentabat: hinc enim, si modò dictis cum acidis intensioribus impregnatis liquoribus, filtro à tartaro separatis, lixivium salis tartari instilletur, veri martis fit præcipitatio sub forma sedimenti obscuri nonnihil viridescentis; quod tamen in aere libero in crocum flavum fatiscit. Simili modo suspicari licet, martem in liquore martis tartarisati præfato intra corpus à potentiori acido saturari, tartarum verò præcipitando regenerari, ac suum consuetis muniis fungi. Ex opposito cremoris tartari & martis ana decoctio fortis & multum impregnata, non tamen potenter adeò martialis quàm tartarei saporis decantabatur, & magma residuum cum nova aqua diu beneque agitatum & decoctum, liquorem aurei coloris ad nigredinem vergentis, saporis intensiùs martialis reddidit, quem ob fortiorem martis & tartari amplexum seu potius intimum congressum, nec spiritus salis, nec spiritus nitri, nec spiritus vitrioli tantillum immutabant, quin omnia hæc acida citra sensibilem alterationem ipsi se permiscebant: par ratio cum alcalibus, siquidem, nec à spiritu salis ammoniaci, nec à lixivio salis tartari, ulla mutatio, adeò perfectum salsum ex marte & tartaro concreverat. Quod si liquori dicto, iam acidis impregnato, alcalia instillarentur, post levem effervescentiam præcipitabatur materia grumosa & grossa, analoga quodammodo marti, ex vitriolo præcipitato. Sanè suspicari licet, martem extra corpus iam plus minus ita saturatum, minoris usus futurum pro cachecticorum acidis imbibendis; sicuti ex opposito tartari acidum, appropriato suo compari alcali oleoso per istam in marte concentrationem & diuturnam coctionem spoliatum, minus regeneratum iri, sed odore saltem acido, si adhuc separabilis esset, parum vel nihil effecturum.

III. Observetur in omnibus *ingredientibus dosis*, hoc est, quanto pondere ac mensura ingredientia præscribenda, sive explicitè istud, idque frequentiùs, secundùm grana, scrupulos, drachmas, uncias, & libras, siue implicitè, idque rariùs, tantum in vegetabilium quorundam partibus aridis ob faciliorem dispensationem, secundùm pugillos, manipulos, fasciculos, numerum parem vel imparem, determinetur. Cum verò omne remedium non nisi respectu hominis sit tale, cui alteratio certa illius occasione inducenda, siue activè sive passivè remedium ad hoc contribuat, ipsi verò homines multum inter se differant, tam habitualiter ex idiosyncrasia seminali, quàm accidentaliter ex climatis, vitæ generis, consuetudinis, ætatis, temporis anni, virium & affectuum varietate, nullius remedii dosis absolutè determinari poterit, quin, respectu vel primario ad individuum patiens, vel secundario ad cætera associata ingredientia habito, eadem demum limitanda.

Subiectum patiens quod attinet; in eodem remedium vel faciliùs vel difficiliùs, vel fortiùs aut debiliùs &c. effectum suum exserit: Siquidem pro partium solidarum maiori vel minori eutonia ac robore, fluidarum textura concentrata magis & firmiori, aut attenuata & subtiliori, acrimonia in specie volatiliori magis resolvente & remedium actuante, aut fixiori concentrante & remedium enervante, spirituumque denique systasi rariori ac magis elastica, vel densiori, eiusdem remedii, etiam in eodem subiecto, variat effectus. Qui aliàs fortiter exagitat tartarus emeticus MYNSICHTI in gran. iij. hypocondriaco-melancholicos vix tantillum, etiam sub tripla movet dosi: Dum aurum fulminans infanti lactanti tutò ad gran. j. porrigitur, ceu polychrestum iisdem auxilium, ultra gran. ß. una vice vix dari potest eidem, non ita diu ablactato; illud ipsum ad gr. iv. cum pauco arcano duplicato Tertianario ultra decem recessus pronocaverat, quod alia occasione in Quartanario ad gr. ix. cum quibusdam absorbentibus ne minimum commotionis sensum induxerat: Sic unicus purgans puluis sæpè in hoc parum, in hoc nihil, in alio verò excessivè, operatur, quæ diversitas dependet à diuersitate constitutionis ventriculorum seu illorum fermenti. Mirum quantas doses, repetito etiam usu, opiatorum optimè ferant phthisici, ac dysenterici? Apoplecticum vix potentissimus naribus insufflatus excitat helleborismus. Adeoque dosis in puncto non consistit, sed in quovis remedio toties variat, quoties individuum vel numero diversum, vel numero idem, secundùm tres res medicas diversimodè alteratum, occurrit. Ne tamen in suspenso penitus maneat hoc negotium, nec nisi per experimenta dubia, adeoque suspecta, modò non periculosa, dosis remedii unicuique individuo conveniens explicanda sit; ob id sicut rectum norma curvi, & iuxta statum naturalem mensurandus quasi est præter naturalis, ad adultum, sanum, vel saltem neutrum respicere, & quæ alterationes insequantur certam remedii dosin attendere, eandemque in aliis similiter circumspectè obseruare conuenit, & ista quam ut plurimum (quod in contingentibus necessarii locum supplet) idem ac eodem ferè modo desideratus insecutus fuit effectus, ceu media ordinariaque dosis statuenda venit, iuxta quam posimodum pro individuorum conditionibus summa ac infima, & ita pariter extraordinaria determinanda: Sic enim Ialappæ dosis media est ℈j. summa ʒß. infima ℈ß. sed extraordinariè nec ʒj. quendam mouere observatur, dum alium gr. iv. vel vj. sufficienter exagitant. Conf. BARTHOLINUS *Centur. V. Histor. 69. Epist. Centur. 3. pag. 130. & 133.* Ac in hoc sensu apud Materiæ Medicæ scriptores doses speciales ubivis consignatæ observantur, quæ tamen semper intelligendæ de homine adulto ab anno 25. ad 40. & limitandæ pro ratione ætatis & virium ægrorum. Quod si eiusmodi doses sint applicandæ pueris vel senibus, qui sunt bis pueri, dantur vel dimidiæ doses, vel quarta pars præscribitur. Sic quando adulto præscribitur ℈j. antimonii diaphoretici, puero septem annorum dantur grana vij. vel viij. puero duodecim annorum ℈ß. vel grana xij. Sic etiam seni, si sit quinquagenarius, grana xv. si sit sexagenarius, ℈ß. Item si adulto spiritus salis ammoniaci guttæ xxv. dentur, puero annorum quinque dantur quinque, puero decem annorum xij. vel xv. guttulæ, puero quindecim annorum xviij. guttulæ, seni quinquagintannorum gutt. xx. sexagenario gutt. xv. & ita varianda est dosis pro varietate ætatum. Respicienda quoque vires: nam qui valentes sunt & firmi, majorem possunt sustinere dosin, quàm infirmi; Ita quando cuidam robur est firmum, possunt propinari guttæ xx. Elixyr proprietatis è contra languidi non possunt ultra x. perferre. Quoad *Anni tempora*: tempore verno augentur doses. Ipse affectus etiam simul est considerandus, qui vel chronicus, vel acutus: Chronici affectus omnino non permittunt, ut maioribus dosibus corrigantur, quoniam exasperantur, & difficiliùs curantur; è contra acuti, in quibus omnia sunt periculi plena, in principio & incremento dum vires adhuc suppetunt, majoribus dosibus frangendus affectus acutus & hebetandus: quod ex eo est rationabile, quod affectus chronici tardè & lentè progrediuntur, & non est periculum in mora; è contra acuti affectus celeriùs curandi, quia in his occasio est præceps, unde necesse est, ut maioribus remediis & dosibus aggrediantur in principio & incremento. In propinandis purgantibus maximè judiciosus sit Medicus in cognoscenda natura ægrorum, ita ut si æger sit robusto stomacho, & abundet fermentum salinum; item an sit affectus cum melancholia vel scorbuto vel malo hypochondriaco iunctus, in quibus affectibus abundat acidum: in his maior dosis non nocet, quoniam vis purgantis infringitur ab acido stomachi fermento: è contra quando est stomachus ægri sanguinei & phlegmatici, in quibus se mentum acido-salinum est hebes, in iis danda lenissima, & dimidia purgantium, vel minutissima dosis sufficit. Imprimis in purgationibus tutius est deficere, quàm excedere, quoniam defectus non adeò nocet quàm excessus; & si vel quater vel quinquies post assumptum purgans æger deponat, sufficit: non enim excreta copia sunt æstimanda, sed si, *qualia oportet, exeant, & facilè ferat æger*: vid. HIPPOCRATES *S. 2. aphor. 35.* Id quod cognoscimus ex eo, si fiat cum euphoria ægri: si verò fiat cum debilitate virium, est abundans purgatio. Ast, præter indiuiduum recipiens & alia ingredientia pro determinanda dosi remediorum simul conferenda; ab his enim impediri ac promoueri effectus medicamentosus assolet. Prout adiuvantia basin plus minus acuunt, corrigentia hanc infringunt, aut refrænant, constituentia concentrant aut diluunt, &c. Ialapæ scrupulus semis pro dosi sufficit, si cremoris tartari grana xv. eam adiuvent; idque eò magis, si præterea scammonii præparati granum unum eam stimulet: Theriaca longè potentius sudorem movet aceto iuncta: Opiata quorumvis evacuantium, præter diaphoreticorum, effectus imminuunt: terræ medicatæ efficaciùs adstringunt aceti consortio, magis aluminosæ factæ. Hisce ergo ingredientibus cæteris baseos dosis absoluta subinde varianda ac determinanda venit.

IV. Ἰδιοσυγκρασία ægri quoque non negligenda, à priori licet non cognoscibilis, siue nativa siue adscititia fuerit. Sanè ut sensibus grata, & aliàs consueta, licet deteriora, in Hygiastico usu reliquis omnibus præferenda, teste HIPPOCRATE, cum tantillum casei aversati frustulum, clam licet ingestum, totam ex opposito digestionem turbet; ita in Therapeutico negotio, quæ ægro accepta & compatibilia, nec hostilia, forsan melioribus præferenda erunt. Idiosyncrasia ista tam quoad sensiles immediatè alias manifestas remediorū qualitates, quàm quoad non sensiles, sed occultas, perpendenda. Istæ ex ægri patent relatu; hunc enim amara, alium acida, dulcia, salsa, &c. delectant, nunc piluli, pulveres, potiones, &c. appetuntur. Sed circa occulta illa, quæ nulli sensuum patent, maior omnino difficultas; neque enim nisi per experientiam, adeoque repetitas observationes cognosci possunt, nisi forsan vel ex hæreditario charactere per plures,

successiones innotuerint, aut ex ægri prævia observatione pateant. Notissimum est, dari ægros, qui non possunt ferre hoc vel illud remedium, præprimis mulieres quæ in passiones hystericas cadunt, si quid offeratur à quo abhorrent: quædam castoreum ferre possunt, aliæ verò saporem aut odorem respuunt: hi benè anisum aut cinnamomum ferunt, quod aliis fastidiosum est: acetum quàm plurimis in summis est deliciis, cujus tamen vel solo odore lipothymiam incurrit mulier apud HORSTIUM ex FABRICIO *Append. ad Decad.* 5.*quæst.*1.*pag.* 117. Sassafras lignum præ aliis suave, summè tamen abhorruit vestalis apud PANAROLLUM *Pent.* 5. *Observat.* 22. Sunt qui gammaros coctos absque perturbatione insigni ne aspicere possunt, in M. A. N. C. *Ann.* 1. *Observat.* 135. *pag.* 299. quomodo eosdem in potionibus vulnerariis sustinebunt? & sic porrò. Quicquid ergo ægro haud compatibile & primariò quod ex idiosyncrasia repugnat, ex formulis simpliciter exulet.

His omnibus ita observatis, sub ipsa præscriptione emergit spontè sua ipsum medicamentum, sive magis notum concretum remedii essentiale, magistraliter quidem sive extemporaneè artificiosè tamen compositum, juxta medici privatam ordinationem ulterius adhibendum.

SECTIO II. DE FORMULIS IN SPECIE.

HActenus de præscriptione formularum in genere, de quibus aliàs MORELLUS atque BLASIUS optimè scripsere; MORELLUS tamen confusissimus & difficillimus est: Jam verò in specie accessum facio ad præscribendarum formularum differentias & distinctos modos. Nihil in specie agam de syrupis qui pro dispensatione sui semper parati prostant, & non aut raro magistraliter præscribuntur, quorum tamen mentio fieri potest in decoctis. Vina medicata ad infusa pertinent, nec peculiarem præscribendi modum exigunt. Ptisana pariter seu Hordeatum, Hydromel, Oxymel, &c. decoctionum speciales quidam modi, non secus ac dixta sudorifera seu lignorum decocta, tam primaria, quàm secundaria. Destillatum instaurans est non-ens, licet ipsa aqua impinguans EPIPHANII FERDINANDI *in Hist. Med.* foret, nudum nempè est phlegma, quod sine ullo usu hauritur. Decoctum galli, sive junioris sive senioris, jam rarissimi usus pharmaceutici, ad culinas relegandum, unà cum jusculis medicatis ac restaurantibus, quorum omnium odor ægris vix tolerabilis; nedum ut ventriculus debilis sub appetitu prostrato eadem digerat, quin dum calore febrili interiora plus minus æstuant, cadaverisantur talia digestionis defectu, putrescunt, aut saltem in nidorem abeunt. Conditum idem cum Electuario. Eclegmata ferè inusitata, quorum locum syrupus quidam gratior, v. g. diacod. Montani, scabiosæ, vel misti, vel cum rob passularum minorum subacti, cum baculo liquiritiæ pro scopo temperandi seu demulcendi aut incrassandi supplebunt: Sicut pro scopo attenuandi & resolvendi isti de prassio, de nicotiana, emeticus *Sale*, cum spiritus sulphuris paucis guttulis sufficient. Pandaleon, pasta regia, Massa panis, Pineolatum &c. cupediariis relinquenda, & quantum nutritii vel temperantis foris languidus tabescentium ventriculus ex istis hauriet? dum in pastam tenacem viscidam acidam in eodem abeunt. Trochisci magistrales vix præscribunrur ulli, cum ipsi officinales videantur quibusdam superflui. Epithema peculiarem haud exigit formulam, cum fluidi cujusdam vel liquoris, vel misturæ, vel decocti, vel emulsionis, determinatam saltem externam applicandi rationem denotet. Idem dicendum de Clysmatis ac Gargarismatis, quæ saltem in medicamentorum liquidorum varia forma adscriptorum speciali utendi modo consistunt. Fotus humidi, & quæ huc pertinent, Lotiones, Balnea, Insessus, ad decoctorum speciales modos, ex applicandi varietate natos, pertinent, nam simili ac decocta modo præscribuntur, etiam si etiam sicca sacculorum forma adhibeantur; eadem tamen præscribendi, alia saltem applicandi ratio. Nec scutum differt à sacculo vel emplastro, dum ventriculo admoventur. Frontale nunc sacculus, nunc epithema, nunc linimentum est. Cucupha est specialis saltem pulverum applicatio. Collyria oculorum sunt remedia, multiplici formula præscribenda. Idem de Errhinis valet, Sternutatoriis, Apophlegmaticis, & Dentifriciis. Cataplasmata ad decoctionum speciales modos reducenda, sicut interdum ad misturas spissiores. Vesicatoria peculiarem non constituunt formulam, quin prout pulverisatæ cantharides vel fermento pro cataplasmate, vel emplastro magistrali aut officinali includuntur, suum quod est faciunt: quid? quod earum essentia cuti imposita vesicas excitet. Suppositoria non præscribuntur, sed officinalia ordinantur: ut taceam, loco illorum globulos, Germ. *die Biesam Kuglen*, commodiùs, si non utplurimum feliciùs, applicari posse. Quod si extemporaneum desideretur, promptè illud ex alumine ad imitationem ANGELI SALÆ *Append. Myroth. S.* 4. §. 13. *pag.* 840. vel SYLVII *l.* 1. *Prax. cap.* 11. & 12. *pag.* 119. & 123. concinnabitur. Quæ & qualia denique præscribuntur hodie Pessaria? quin loco eorundem vel injectiones per metrenchyten, vel suffitus per instrumentum Glauberi ligneum, vel optimè per parvam aut phiolam aut retortulam vitream, longioris paulò colli, usurpantur, dum harum in specie orificium linteis tenerioribus munitum sinui pudoris applicatur, fundus verò vasis cum remedio vel solido vel fluido igni carbonum leni propiùs admovetur, ut concitatis hinc effluviis uterus locaque vicina diversimodè alterentur.

His ergo ad stationes debitas relegatis, Formulæ omnes commodè quinque Capitibus generalibus comprehendi possunt, nempè

1. In *Pulveres*,
2. *Pilulas*.
3. *Decocta* & *Infusa*.
4. *Misturas* seu *Potiones*; &
5. *Extrinsecus Inungenda*.

Sit ergò.

CAPUT I. DE PULUERIBUS, & IISDEM SUBORDINATIS FORMULIS.

PVlveres quid sint? notum est. Vocantur interdum Alcohol, Sief, Tragea. *Alcohol* duo significat: in scholis enim Chymicorum (1.) notat spiritum vini rectificatissimum (2.) in pharmaceuticis eo intelligitur pulvis subtilissimus, qui ferè palpari & magis attenuari non potest. *Sief* est vocabulum Arabicum, quo intelliguntur pulveres, qui oculis insiantur in specie. *Tragea* est pulvis non adeò exactè contritus, ut Trageæ stomachales. Simpliciter in his arida, sive sicca in minutiores sui partes contundendo aut terendo redacta, sive jam pulverisata in officinis prostent simplicia ac composita, v. g. species diagalangæ, pulvis contra casum, &c. sive demum pulverisanda sint, præscribuntur. In genere omnis pulvis vel est purgans, vel alterans: Purgans ex simplicibus catharticis ex scammonio, ex aliis tam ex regno vegetabili, quàm minerali desumptis constat. Pulvis alterans est, qui acidum absorbet, sanguinis ebullitionem compescit, menses provocat, appetitum acuit, &c. pro varietate scopi & intentione Medici.

Quoad quantitatem ingredientium: omnes pulveres, quia difficilioris assumptionis & deglutitionis sunt, pro una vice præscribuntur usu interno à ℈i. ad ʒß. raro ℈ii. rarissimè ad ʒi. sine nausea ægri, ordinantur, nisi in dosi quorundam speciali, v. g. radicis asari, ad ʒi. adscendere necesse sit: Nec infra ℈i. pondus esse debet, ne cochleari, linguæ & faucibus, inter assumendum adhærens, maximam partem perdatur.

Pulveres autem præscribuntur tam *usu interno*, quàm *externo*. *Internus*, ceu potior, est, dum capitur in vehiculo convenienti: aut domestico, quod priuatim ægro Medicus denunciat; aut officinali, mistura scilicet quadam tenuiori, à Medico simul præscripta.

Quod attinet *Puluerum formulas*: Sit primò *pulvis digestivus* præmittendus purgationibus. Puluis aliàs *digestivus* in duplici accipitur sensu:

1. Ex sensu ueterum, ubi puluis digestiuus est puluis dicatus stomacho pro adiuuanda digestione & concoctione alimentorum in stomacho, *de quibus infra*.
2. Ex sensu modernorum pulueres digestiui sunt, qui præmittuntur purgantibus, eum in finem, ut succi acidi euacuandi temperentur, uiscidique attenuentur, ut ritè postmodum à medicamento purgante euacuari possint: item sunt isti, qui præscribuntur in febribus intermittentibus die intermissioni pro corrigenda massa sanguinea & compescendis humoribus ebullientibus: præparatis enim sic succis uitiosis facilè postmodum adhiberi possunt alia medicamenta.

Tales sunt desumpti partim ex salibus, tam uegetabilium, quàm mineralium, partim ex concretis terreis, v. g. cremor tartari, sal tartari, tartarus vitriolatus, lapilli cancrorum, &c. Sit ergo *Pulvis digestivus scorbuticus* præmittendus Purganti in scorbuto, hic:

℞. *Arcan. dupl. Mynf.* vel *tartari uitriolat.* ʒß.
Lapill. cancer. prępar. ℈i.
Salis Absinth. uel *salis tartari* ℈ß.
M. F. pulu.

Diu.

Div. in 2. vel 3. part. æqv. S. seorsim.

Pulvis digestivus antiscorbuticus pro una dosi.

Basis est Arcanum duplicatum vel tartarus vitriolatus: *adiuvans* sal absinthii vel tartari: *Scopus* est, corrigere acrimoniam salis scorbutici, ut postmodum possit eò meliùs evacuari, aliàs purgatio dat tormina & corrosiones. Potest etiam adhiberi loco digestivi in febre tertiana, item in quartana, in febre quoque scorbutica est satis elegans pulvis digestivus.

Alius *pulvis digestivus in tertiana intermittente* propinandus die intermissionis, aut etiam ante paroxysmum ex salibus:

℞. *Crem. tartari,*
Tartari vitriolat.
Salis Cicbor. ana ℈j.
M. diuid. in 2. part. æqual.
S.
seorsim
Pulvis digestivus pro 1. dosi.
Vel
℞. *Tartari vitriolat.* ℈ij.
Sal. Absinth.
Cent. min.
Cicbor. ana ℈j.
M. div. in 4. part. æqv.
S.
Sal digestivum pro aliquot dosibus.
℞. *Tartari vitriolat.* ʒj.
Salis Card. bened. ʒß.
Flor. sal. ammoniaci vol. gr. xv.
M. F. pulv. pro tribus dosibus.

Huiusmodi pulvis digestivus modernorum præmittitur purgationi die intermittente, manè horis tribus ante pastum, vesperi post pastum: manè in iusculo à meridie in vehiculo frigido.

2. *Pulvis absorbens & invertens acidum* conficitur ex lapillis cancrorum, lapillis percarum, perlis, osse sepiæ præparato, cornu cervi usto, sale cardui benedicti, coralliis præparatis &c. Formula præscribitur talis:

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ʒj.
Oss. sep. præp.
Nuc. moschat. ana ʒß.
Corall. rub. præp.
Cretæ præp. ana ℈j.
Salis absinth. ℈j.
M. F. pulu. S.
Pulvis absorbens.
Dosis ℈j. ad ʒß.
Vel
℞. *Lapill. cancr. præp.* ʒiß.
Vnic. fossil.
Corall. rub. præp.
Cornu Cervi ust. præp. ana ʒß.
Salis absinth. ʒj.
Nuc. moschat. ℈ji.
M. F. pulv. D. S.
Pulvis absorbens pro aliquot dosibus.

Dosis quantum largior cuspis cultri capere potest.

Alius Pulvis absorbens contra phlogoses vagas, aut etiam contra Sodam:

℞. *Oss. sepiæ,*
Maxill. Lucii pisc.
Ebor. usti ana gr. xv.
Salis absinth. gr. vj.
M. pro duabus dosibus.
S.
Pulvis absorbens.

Siccis huiusmodi, interdum & consistentiæ vel fluidæ, ut olea destillata, vel mediæ, ut Theriaca, Extracta, &c. in dosi tamen exigua seu infracta, addi solent, ut ex sequentibus patebit.

Pulvis destruens acidum, similiterque sistens dolorem in passione Colica:

℞. *Corall. rubr. præp.*
Cornu Cervi ust. præp. an. ℈j.
Salis absinth. gr. xij.
Olei destillat. macis gtt. ij.
Caryophyll. gtt. j.
M. F. pulv.
Vel
℞. *Ras. eboris* ℈j.
Corall. rub. præp.
Lapill. cancr. præp. ana ℈j.
Terræ sigillat. gr. xij.
Olei destillat. cort. aurant. gtt. ij.
Anisi,
Carvi,
Fœnic.
Zedoar. ana gtt. j.
M. F. pulv. pro duabus dosibus.

3. *Pulvis corrigens sal volatile oleosum sensibiliter efferatum, in vaga corporis phlogosi:*

Componitur ex nitro antimoniato, quod optimum hîc, Hepatico rubro Dresdensi, spiritu vitrioli coagulato, &c. His sæpè additur Bezoardicum minerale pro diaphoresi adiuvanda; v. g.

℞. *Nitri antimoniat.* ʒj.
Arcan. duplic. ʒß.
Bezoard. miner. ℈j. vel ʒß. ad ℈ij.
M. F. pulv. pro 3. 4. vel 5. dosibus, S.
Pulvis refrigerans pro 3. 4. aut 5. dosibus.

In hoc pulvere *basis* est nitrum antimoniatum; *adiuvans* arcanum duplicatum: Vel

℞. *Nitri antimoniati* ʒß.
Arcan. duplic. ℈i. vel gr. xv.
M. D. S.
Pulvis refrigerans pro 1. dosi.
℞. *Nitri vitriolat.* sive *arcan. dupl.* ʒß.
Bezoard. miner. gr. xij.
Laud. opiat. gr. iij.
M. pro duab. dosib.
S. ut supra.
Item
℞. *Ebor. sine igne,*
Pulp. hepat. rub. Dresd. ana ʒß.
M. div. in 2. part. æqual.
S. ut supra.

Hepaticum rubrum Dresdense fit ex *cremore tartari*, cui affunditur *tinctura Santali*, parata cum spiritu vini, & spiritu vitrioli, & exsiccatur, sæpius repetendo, usque dum intensum colorem rubrum accipiat.

4. *Pulvis vomitorius:*

℞. *Crem. tarta* i gr. vj.
Olei aniss. samb gtt. j. M.
℞. *Tartari emet. Mynf.* gr. iij.
Sacch. alb. vel *sal. ammoniaci* ℈ß.
M. D. S.
Pulvis vomitorius.

Additur sal ammoniacum in morbis febrientibus, ubi mucus viscidus reijciendus. NB. Addi etiam potest nitrum antimoniatum, vel arcanum duplicatum. Item

℞. *Crem. tartari* ℈ß.
Sulphuris antimonii gr. vi.
Scamm. præp. gr. ij.
M. D. S. ut antè,
℞. *Pulu. rad. asari rec.* ℈ij. ad ʒj.
D. S.
Pulvis vomitorius antifebrilis.

5. *Pulvis purgans:*

Quod attinet pulveres purgantes; debet desumi dosis communis ex dosi purgantis debita ceu basi, cui addendus stimulus, qui est vel salinus, vel scammoniatus aut ex colocynthide: Interdum additur saccharum, interdum omittitur, additur in delicatulis ratione saporis, qui non ita attendendus, ubi non opus est.

Vlteriùs pulveres purgantes non ineleganter adsperguntur aliquot guttis olei destillati anisi, vel nucis moschatæ; quoniam sunt grata ventriculo, carminativa, & promovent flatus, qui præsentissimi sunt in omnibus purgationibus.

Sic quando debet præscribi *Pulvis purgans* simplicissimus pro una dosi, debet fieri hoc modo:

℞. *Pulu. Jalap.* ℈j.
Crem. tartari ℈ß.
M. f. pulv. adde
Olei destillat. anisi gtt. ij. S.
Pulvis purgans pro una dosi.

In hoc observetur *basis*, qui est pulvis ialappæ, & quidem dosis ordinaria & conveniens pro adulto est ℈j. in puero fit ℈ß. & sic porrò: In delicatulis adhuc additur saccharum, vel olæo saccharum anisi, vel cinnamomi, idque saporis gratia: Huic basi additur cremoris tartari ℈ß. tanquam stimulus; hic enim ratione salinæ virtutis stimulat, & stimulando medicamenti purgantis operationem accelerat, dum (1.) intestina irritat, (2.) quoniam radix ialappæ resinositate sua solet adhærere intestinis, cremor tartari etiam est corrigens, & ita non solum vim ialappæ ignavam stimulat, sed & corrigit, ne det hypercatharses. *Constituens* est ipsa forma pulveris. Id quod dat gratum odorem vel saporem, est oleum grati odoris & saporis, vel Elæosaccharum, quod simul noxas ex flatibus impedit; utut cremor tartari per se det gratum saporem huic pulveri. Vel

℞. *Crem. tartari,*
Rad. Jalapp. ana gr. xv.
Scamm præp. gr. ij. vel iij.
M. F. pulu.
Irroretur cum *olei destillat. anis.* gtt. ij.
D. S.
Vt supra.

Hic

Hic scammonium præparatum est *stimulus*: oleum est *corrigens*; quia scammonium facit flatus. *Basis* est radix jalappæ.

Usus est in vehiculo calido, ut meliùs dissolvatur cremor tartari, & sic citiùs purgat, imò rarissimè nauseam causat; in vehiculo autem frigido medicamenta sæpè nauseam excitant.

Alius *pulvis purgans* est:

℞. *Tartari vitriolat.* gr. xv.
Scamm. sulphurat. gr. ij.
Extr. troch. aiband. gr. j.
M. F. pulv. S.
Vt ante.

Basis est scammonium sulphuratum: *adjuvans* est tartarus vitriolatus; aliàs per se vix gr. xij. scammonii sulphurati sufficerent: *stimulans* est Extractum trochiscorum alhandal.

Pulvis purgans pro virgine delicata laxioris alvi:

℞. *Tartari vitriolat.* ʒß.
Mag. Jalapp. gr. xv.
Scammon. sulphurat. gr. vj.
M. f. pulv. pro tribus dosibus. Vel

℞. *Pulv. Jalapp.* ʒß.
Scamm sulphurat. gr. vj.
Tartar. vitriolat. gr. xij.
M. pro tribus dosibus.

Alius pro quinque dosibus:

℞. *Crem. tartari* ℈ij. ad ℈iiß.
Scamm. sulphulat. ℈j.
Olei destill. cort. citr. vel *fænic.* gtt. iv.
M. f. pulv.
D. S.
Pulvis purgans pro 5. dosibus.

Quidam commendant sequentem pulverem, absque torminibus quatuor vel quinque vicibus blandissimè purgantem. Compositio est hæc:

℞. *Pulv. Jalapp.* ℈ß. vel gr. xii. ad gr. xv.
Scamm. præp. vel *res. scamm.* gr. ii.
Nitri puriss. gr. vi. ad ℈ß.
Olei destillat. anis. gtt. ii.
M. f. pulv. pro una dosi, qui leniter & sine molestia purgat.
D. S.
Pulvis laxativus pro 1. dosi.

Loco solius nitri, etiam *nitri* gr. vj. *sal tartari* gr. iv. recipi possunt.

Pulvis febrilis laxativus ante paroxysmum:

℞. *Corall. rub. præp.*
Salis absinth. ana gr. xv.
Scamm. præp. gr. iv.
M. D. S.
Pulvis febrilis laxativus.

Pulvis purgans in juvene bilioso, facilèque hypercatharsi obnoxio, facilè Tertianâ afflicto:

℞. *Rad. Jalapp.* ℈ß. ad gr. xv.
Nitri puriss. gr. vi. M.
Vel

℞. *Pulv. Jalapp.* gr. xv.
Scamm. sulphurat. gr. iii.
Nitri puriss. gr. iv.
Sal. tartari gr. ii.
M.

Pulvis laxativus hypochondriacus:

℞. *Fol. sennæ sine stip.*
Crem. tartari an. ʒß.
Sem. anisi,
Cinnam.
Cubebar.
Zingib. ana ℈i.
M. f. pulv.

Capiatur in jusculo calido, vel in principio prandii, vel hora una ante prandium: dosis largior cultri cuspis. Si velimus habere pulverem purgantem ex basi composita, præscribendus est ita, ut omnia ingredientia simul sumpta unam constituant dosin, hoc modo:

℞. *Rad. mechoac. albiss.* ℈ß.
Rhabarb. el.
Aloes succot. ana gr. v.
Scamm. sulphurat. gr. iij.
Crem. tartari gr. vi.
M. f. l. a. Pulvis,

irrigandus aliquot guttis *olei destillati caryophyllorum*, vel *anisi*.

Hic est pulvis purgans, cujus basis est composita ex quatuor.

Adhuc unus potest præscribi *Pulvis Catholicus purgans*:

℞. *Rad. Jalapp.*
Rhabarb. el.
Aloes succoter.
Scamm. rosat. ana gr. v.
Tartari vitriolat. gr. vi. vel ℈ß.
Pulv. cinnam. morsu el. gr. iii.
M. f. pulv. S.
Pulvis purgans pro una dosi.

Dabo ex *mineralibus purgantem pulverem*: si scilicet sit purgandus, qui laborat lue venerea seu scabie maligna, tunc propinarem talem pulverem:

℞. *Pulv. mercurial.* gr. xxiv.
Scamm. sulphurat. gr. ij.
M.
Vel

℞. *Rad. Jalapp.*
Mercurii dulc. ana ℈ß.
Vitæ gr. ij.
Troch. alband. gr. j.
Elæosacch. cinnam. ℈ß.
M. f. pulv. S.
Pulvis purgans.

Assumuntur pulveres purgantes manè jejunio stomacho, & instituitur post assumptionem jejunium ad aliquot horas.

Pulvis laxans infantem trium annorum:

℞. *Crem. tartari* gr. viij.
Pulv. rad. Jalapp. gr. iv.
M. f. pulv. D. S.
Vt ante.

Item

℞. *Mercurii dulc.* gr. iij. vel iv.
Sacch. gr. v.
M.

Infanti sex annorum præscribuntur:

Mercurii dulc. gr. viij. ad ix.
Sacch. ℈ß.
M.

Pulvis diaphoreticus:

℞. *Cornu Cervi sine igne,*
Antimonii diaphor. ana ℈ß.
Sal. vol. viperar. gr. v.
Olei destillat. cinnam. gtt. j.
M. D. S.
Pulvis diaphoreticus.

℞. *Antimonij diaphor. Martial.* ℈j.
Sal. vol. viperar. gr. v.
M. f. pulv.
S. ut ante.

Quando patiens est inquetus, additur *laudanum opiatum*.

Pulvis sudoriferus pro ancilla scabie infecta:

℞. *Cornu Cervi sine igne,*
Flor. sulphuris vel *antimonii diaph.* ana ℈ß.
Sal. absinth. gr. vj.
Vol. viperar. gr. iv.
M. f. pulv.

Pulvis diaphoreticus antipleuriticus:

℞. *Maxill. lucii pisc.* ʒß.
Antimonii diaphor.
Sal. cardui bened. ana ℈ß.
Laud. opiat. gr. ij.
M. pro duab. dosib.

℞. *Maxill. lucii pisc.*
Sal. card. bened. ℈ß.
Sal. vol. dent. apri gr. v.
Laud. opiat. gr. iß.
M. f. pulv.

Pulvis *bezoardicus in febribus malignis*, simul diaphoreticus:

℞. *Bezoard. animal.* gr. xv.
Ebor. sine igne ℈ß.
Cinn. antimonii gr. v.
Laud. opiat. gr. j.
M. S.
Pulvis absorbens ad quietem.
Vel

℞. *Cornu Cervi sine igne* ʒij.
Terræ sigillat.
Vnic. fossil. ana ʒß.
M. f. pulv.
Dos. ℈j. ad ʒß.

Acui & modificari potest pro circumstantiarum ratione: v. g.

℞. *Pulv. hujus* ℈j.
Sal. vol. cornu Cervi vel *viperar.* gr. vi.
M.

Si jam convulsiones adsint:

℞. *Pulvis hujus* ℈j.
Cinn. antimonii gr. vj.
Campb. gr. j. M.

Si agrypnia superveniat:

℞. *Hujus pulv.* gr. xv.
Bezoard. miner. ℈ß.
Opii ferm. gr. j. M.

Alius

Alius *pulvis Bezoardicus in febribus malignis* beneficio sudoris expellens malignitatem:

♃. *Cornu Cervi sine igne* ℈i.
Bezoar. Orient. ℈ß.
Sal. vol. cornu Cervi gr. v.
Campb. gr. i. M.

Item

♃. *Antimonii diaphor.* gr. xv.
Cornu Cervi sine igne ℈ß.
Campb. gr. i.
M. D. S.

Pulvis cardiacus.

Postulant enim in his & similibus morbis ægroti Pulveres Cardiacos, qui massę sanguineæ dyscrasiam corrigendo operantur. Quibus camphoram nauseant, loco hujus possunt præscribi *salis volatilis viperarum* vel *Cornu Cervi* gr. ii. vel iii.

Observetur, quod his pulveribus quoque pompæ gratiâ soleant addi *folia auri & argenti*, & tunc signantur: *Aureus pulvis cardiacus*, *Aureus pulvis confortativus*. Verùm aurum & gemmæ adduntur sine effectu, tantum propter pompam.

Pulvis magistralis compositus alexipharmacus contra fumos metallicos Chymicis vel Aurifabris &c. propinandus, potest esse talis, quem aliquando cuidam metallifossori præscripsi hoc modo:

♃. *Pulv. rad. zedoar.* ʒiß. ad ʒii.
Cornu Cervi sine igne ʒi.
Antimonii diaphor. ℈ii.
Terrę sigillat.
Antihect. Poter.
Bezoard. miner. an. ℈i.
Campb. ℈ß.
Olęosacch. anisi ʒiß.
M. f. pulv. D. S.

Pulvis contra venenum.

Basis est zedoaria: *Dosis* ℈i. ad ʒß. pro una vice.

Pulvis diureticus:

♃. *Lapill. percar. præp.* ʒi.
Asell. præp. ℈ii.
Sal. vol. fraxin. vel *succini* gr. xv.
M. f. pulv. pro tribus dosibus.

♃. *Sal. essent. tartari* vel *terræ fol. tartari* ʒi ß.
Lapill. percar. ʒß.
M. pro tribus dos.

♃. *Crem. tartari* ʒi.
Lapill. Cancr. præp. ʒß.
Olei destillat. terebinth. gtt. iii.
M. pro tribus dos.

♃. *Arcan. duplic.* ʒii.
Sal. vol. succin. ℈ß.
Olei destillat. bacc. Junip. vel *Terebint.* gtt. iii. vel iv.
M. pro tribus dos.

♃. *Nitri cum alcal. depur.* ʒj.
Sal. genist. ʒß.
Sal. fraxin. vel *vol. succin.* gr. xv.
Olei destillat. bacc. Junip. gtt. ij.
M. pro trib. vel 4. dosib.

♃. *Arcan. duplic.* ℈j.
Lapill. Cancr. præp. ℈ß.
Sal. vol. tartari gr. v.
M. f. pulv. S.

Pulvis diureticus.

♃. *Lapill. Cancr. præp.*
Sal. genist.
Stipit. fabar. an. ℈ß.
Sal. vol. succin. gr. iii.
M.

♃. *Sal. stipit. fabar.*
Tartari an. ʒß.
Vol. succin. ℈j.
M. div. in 3. part. æqual. D. S.

Sal diureticum.

Conveniunt dicti pulveres diuretici in calculo, nephritide, hydrope, & similibus affectibus.

Pulvis ad compescendam *sodam*:

♃. *Cornu Cervi usti præpar.* ℈i.
Cretæ præp.
Corall. rub. præp.
Lapill. Cancr. pręp. an. ℈ß.
M. f. pulvis.

♃. *Cornu Cervi usti præp.* ℈i.
Cretę præp. ℈ß.
Corall. rub. præp. gr. xv.
M. pro duab. dosibus.

♃. *Cretę alb. præp.* ℈i.
Lap. carpion. ℈ß.
Sal. absinth. gr. vi. M. pro dosi.

Olea destillata in his pulveribus non præscribenda; peccat enim in ardore stomachi sal volatile oleosum, unde ab oleis adhibitis ardor magis augeretur: Additur his formulis quidem aliàs oleum expressum nucis moschatæ: sed hoc est oleum magis aquosum, non acre.

Pulvis magistralis dysentericus:

♃. *Ras. priap. ceti* ʒiß.
Mag. corall. cum succ. citri, vel *corall. rub. præp.* ℈ii.
Hepat. viperar. in Balneo Mariæ exsicc. ʒß.
Laud. opiat. ferm. gr. vi.
Olei destillat. cinnam. gtt. iv.
M. f. pulv. pro 5. vel 6. dosib.
S.

Pulvis adstringens & dolorem sedans.

In hoc pulvere *basis* est rasura priapi ceti, & hepar viperarum; *adjuvans* laudanum opiatum: oleum est stomachicum *corrigens*; nam hìc maxima semper ratio habenda est stomachi: Adsunt grana vj. laudani opiati pro sex dosibus; aliàs enim grana ij. pro una dosi vix sufficiunt; hìc autem ob usum continuandum granum unum pro dosi est, cum aliàs grana duo deberent esse.

Pulvis usurpandus *contra quartanam ingruente paroxysmo*.

♃. *Specif. febril. Croll. ex testis cochlear. oblong.* ʒi.
Salis absinth.
Cent. min. an. ℈ß.
Olei destillat. caryophyll. gtt. iij.
M. pro duab. dosib.

♃. *Salis fumar.* ℈j.
Cent. min. ℈ß.
Laud. opiat. gr. ii.
Olei destillat. caryophyll. gtt. i.
M.

♃. *Salis ammoniaci depur.* ℈i.
Lapill. Cancr. præp. ℈ß.
M.

Pulvis usurpandus *contra casum ab alto*:

♃. *Sangu. hircin. ad legem Helm. præpar.* ʒi.
Terræ sigillat. vel *margæ Sax.*
Antimonii diaphor. an. ʒß.
M. div. in 2. part. æqual.

♃. *Fulig. furni splend.* ʒi.
Lapill. Cancr. præp. ʒß.
M. pro duab. dos.

Pulvis hic in vehiculo calido sumendus pro dissolvendo sanguine grumoso.

Pulvis contra defectum mensium:

♃. *Limat. martis crud. pręp.* ʒii.
Croci Orient. ℈i.
Olei destillat. Sabinę gtt. iv.
M. f. pulv. S.
Pulvis pellens pro 7. dosibus.

♃. *Fimi columb. calc.* ʒii.
Croc. Orient. ʒß.
Myrrh. elect. gr. xvi.
M. div. in 6. doses æqual.

Huc pertinent *pulveres cachectici*, in cachexiis, affectione hypochondriorum, morbis virgineis & mensibus suppressis: Horum omnium basis est mars, in specie crocus martis aperitivus, cujus loco sumitur mars crudè præparatus. Sit ergo talis *pulvis cachecticus*:

♃. *Croci Martis aperit.* vel *limat. Martis crud. præpar.* vel *Antimonii diaphoret. Martial.* ʒiii.
Myrrh. el. ʒi.
Cinnam. morsu el.
Costi arom. veri,
Nuc. moschat. an. ℈j.
Croci ℈ß.
Cum vel sine saccharo
M. f. pulv.
D. S.

Aperiens pulvis hepaticus & splenetícus.

Cuius *dosis* potest esse ʒß. vel ℈ij.

Pulvis partum, menses & secundinas promovens:

♃. *Castor.*
Flor. sulphuris an. ʒß.
Borrac. ℈ß.
Myrrhæ el. gr. vi.
Cinnam.
Zedoar. an. gr. iv.
M. f. pulv.
Div. in 2. part. æqual.
S.

Pulvis promovens.

Pulvis contra epilepsiam ad præcautionem paroxysmi:

♃. *Rad. pæon. maris luna crescente mense Septembri vel Octob. collect.* ʒij.
Rasur. ebor. ʒi.

Cinn. Antimonii ℈ß.
Laud. opiat. gr. xv.
M. F. pulv.

℞. *Mag. corall. cum succ. citri* ʒß.
Cinn. antimonii ℈i.
Sal. vol. cranii hum. gr. vi.
Laud. opiat. gr. ii.
M. f. pulv.

℞. *Cinnab. antimonii* ʒß.
Sal. vol. succin. gr. xii.
Laud. op. ferm. gr. ii. vel iii.
M. div. in 2. part. æqual.
D. S.
Pulvis contra epilepsiam.

℞. *Aquæ lil. convall.*
Salviæ an. ℥i.
Spir. ceras. nigr.
Lil. conuall. an. ʒiß.
M. pro vehiculo.

Pulvis contra epilepsiam infantum ex consensu abdominis:
℞. *Ras. unic. ueri*,
Cran. hum. uiol. occis. an. gr. v.
Auri fulmin. gr. i.
M. D. in duplo, S.
Puluis singularis.

℞. *Aquæ pæon.* ℥iß.
Cinnam. spirituos. ʒi.
Syr. flor. tunic. ʒiß.
M. D. S.
Aqua ad pulverem.

Pulvis epilepticus in epilepsia jam imminente pro infante duorum annorum:
℞. *Vnic. ueri* gr. viii.
Pulu. epil. antimonial. gr. iß.
Extr. theriacal. gr. ß.
M. f. pulv.

℞. *Auri fulmin.* gr. ii.
Vnic. ueri præp. ℈ß.
M. pro una dosi.

℞. *Sulphuris ueget.* ℈ß.
Cinn. nativ. select. gr. iv.
M. f. pulv. pro una dosi.

℞. *Vnic. ueri præp.* ʒß.
Cinn. nativ. sel. gr. xv.
Sal. uol. cornu Cervi gr. iii.
Extr. castor. gr. i.
Olei destillat. anisi gtt. j.
M. f. pulv. pro tribus dosibus.

℞. *Vnic. ueri præp.*
Cran. hum. sine igne an. ℈ß.
Sal. uol. uiperar. gr. iv.
M. pro duab. dosibus.

Pulvis contra variolas & Morbillos, præsertim in incremento:
℞. *Cornu Cervi sine igne* ℈ii.
Vnic. fossil. ℈i.
Sal. card. bened. gr. xv.
Myrrh. el. gr. xii.
M. div. in 3. part. equal. S.
Pulvis expellens.

Sit tandem *pulvis contra Tormina infantum*, ex acido, lac corrumpente enata, ubi simul est pavor in somno: Præscribendus ergo est pulvis destruens acidum, & dissolvens lac, quo facto tormina sedantur: exempli gratiâ:
℞. *Cornu Cervi sine igne*,
Lapill. cancr. præp. an. ℈i. ad ʒß.
Myrrh. el. gr. vi.
Theriac. Andr. gr. iii.
Olei destillat. Anisi gtt. iii.
M. f. pulv. D. S.
Pulvis contra tormina infantum.

Huic pulueri pro lubitu sacchatum uel admisceri uel omitti potest.

Item
℞. *Lapill. cancr. præp.* ʒß.
Crystall. præp. gr. xii.
Corall. rub. præp. gr. vi.
Olei destillat. anisi gtt. iv.
M. detur cum lacte pro aliquot dosibus, item in pulte pulu. sem. anisi.

Item
℞. *Lapill. cancr. præp.* ℈ß.
Dictamn. Cret. gr. viii.
Olei destillat. anis. gtt. iii.
M. D. S.
Pulvis lenitiuus.
Exhibeatur in lacte.

In torminibus uerò *cum alui fluxu*:
℞. *Cornu Cerui ust. præp.* ℈ii.
Vnic. fossil. ℈i.
Terræ sigill. ℈ß.
Theriac. gr. iv.
Extr. castor. gr. iii.
Olei destillat. macis gtt. ii.
M. F. pulu.
D. S.
Puluis adstringens ad quietem.

Puluerem grossiorem ex aromatibus & analogis subjectis, non adeò exactè tritis, cum saccharo mistis, *Trageam* uocari, supra dictum. Et hæc est *veterum Pulvis digestiuus siue stomachicus*, qui non confundendus cum superiùs digestiuis dictis pulueribus, qui præcedunt Purgantia. Conficitur ex seminibus carminatiuis, item ex aromatibus & similibus, quæ corrigunt flatulentias & aciditatem stomachi. Exemplum talis *pulueris digestiui ueterum* siue *Trageæ stomachalis* sit hoc:
℞. *Sem. Coriandr.* ℥ß.
Anisi,
Fœnic. an. ʒii.
Galang.
Nuc. mosch. an. ʒi.
Cinnam. morsu el. ℈i.
Sacch. ad pondus omnium, uel dimidiam uel quartam partem.
M. f. Puluis, S.
Pulvis digestivus post cibum.

Vel
℞. *Sem. coriandr.* ℥ß.
Anisi,
Fœnic. an. ʒii.
Galang.
Zedoar.
Zingib. an. ʒi.
Spec. diatrionpiper. ʒiß.
Sal. ammoniaci ʒi.
Elæosacch. Caryophyll. ʒii.
M. f. *Tragea grossa*,
S.
Trisenetum stomachale.

His addatur *sacchari* plus minus, prout uolumus blandiri palato ægri.

Item
℞. *Rad. Acori ueri*,
Ari præp. an. ʒiii.
Galang.
Zedoar. an. ʒiß.
Zingib.
Cinnam. an. ʒi.
Sacchari uel ad pondus omnium, uel dimidium.
M. S. ut supra.

Vel
℞. *Rad. ari* ℥ß.
Zingib. ʒii.
Nuc. mosch. ʒi.
Cardamom.
Cubebar. an. ℈ii.
Sal. ammoniaci ʒiß.
Elæosacch. cuiusdam q. s.
M. F. Tragea.
S.
Vt supra.

Plura exempla uidebitis in HORSTII *Obseruat. l.* 4. *Obseru.* 38. *pag.* 210. item *l.* 5. *Obseru.* 3. *pag.* 266. & *Obseru.* 4. *p.* 268. item SENNERTI *Instit. l.* 5. *pag.* 3. *S.* 3. *c.* 14. *p.* 1415. & 1417. & *l.* 3. *Prax. p.* 1. *Sect.* 1. *cap.* 5. *p.* 24.

Talis Tragea, siue puluis digestiuus veterum stomachicus, secundùm praxin olim usitatam semper post prandium à cochleari semis ad integrum, prout multum sacchari inditum fuerit, aut in forma sicca, aut pani uino Maluatico impræguato inspersus, masticando succeßiuè assumebatur, ut tanquam simplicia calida & sicca adjuuarent digestionem primam in senibus uel cachecticis, qui de stomacho frigido, & hepate calido, similibusque morbis chronicis conquerebantur, & ex stomacho copiosos uapores in caput exhalare putabant, unde oriantur catarrhi; hinc uirtute carminatiuâ dissipabant flatus & uapores, ne possint ferire caput; & exinde aliàs quoque *Pulveres peptici* dicuntur. Intentio hæc ueterum est probanda, utut explicatio sit pessima. Præscribitur enim talis puluis in cruditate acida, ructibus acidis, malo hypochondriaco, &c. in quibus succus fermentatiuus non est ritè uolatilis, sed nimis acidus & fixus, & obrutus est à copiosa materia crassa & uiscida, ut beneficio salis uolatilis aromatici acidum in stomacho fixum temperent & uolatilisent blandè; item nimiam aciditatem alimentorum in cachecticis & hypochondriacis subjectis temperent & corrigant,

& ita

& ita chylum in falsum volatilem liquorem transmutare adjuvent. Propterea præscribuntur tales pulveres digestivi ex aromaticis oleosis. Sed comptior hodierna praxis pro puerorum potiùs delectamentis, præsertim dum confectiones saccharatæ subinde permiscentur, talia destinat. Loco eorum enim, ex quibus necesse est, ut sub digestione priùs ventriculus medicinam præparet, potiùs spiritus aut salia volatilia aromatica sive oleosa in usu sunt, sive quovis in pastu, sive brevi post eum absolutum assumantur; in quem finem aptissima eorum videtur præparatio, si *aromata selecta*, præsertim simul *carminativa*, cum sufficiente quantitate *salis ammmoniaci* & *calcis vivæ* mista, hinc *aqua communi* humectata, mediocri ignis rigore per retortam destillentur, acquiritur sic spiritus sive *sal volatile oleosum* in forma humida, quod dosi guttularum xx. vel xxx. ab istis Trageis sperata auxilia multum si non superabit, certè æquè præstabit. Quod si Tragea quædam delicata, variis condimenti loco inspergenda aut addenda, desideretur, præscribatur talis perquàm grata:

℞. *Cinnam.* p. iii.
Cardamom. p. ii.
Caryophyll. p. i.
Sacchari qu. pl.
M. asservetur usui.

Hi sunt pulveres interni.

Externus pulverum usus est varius & multiplex quidem, pro partis affectæ & usus differentiis; ast præscribendi modus ubique est idem. Sic pulveres ulceribus insperguntur, pro dentifriciis item, ut & pro suffitibus catarrhalibus adhibentur.

Primò igitur fit.

Pulvis absorbens *in intertrigine, aut simili superficiali excoriatione*, aut *ulceribus manantibus inveteratis*.

Intertrigo autem est excoriatio cuticulæ, quæ oritur ex nimio sudore, præprimis in infantibus tenellulis sub axillis, imò & in adultis inter digitos pedum &c. Formula præscribendi talis est:

℞. *Croc. martis è vitriolo præcipitat.* ʒi.
Lap. calamin. pulv. aut præpar. ʒß.
Cerussæ,
Cretæ albiss. an. ℈i.
M. F. P. S.
Pulvis inspersivus.

Includitur nodulo ex linteo raro, & sic loco affecto inspergitur. Repetatur hoc toties, donec consolidatio sequitur. *Crocus ille martis* paratur solvendo *vitriolum* in *aqua simplici*, & cum *oleo tartari* præcipitando.

Hinc *pulvis inspergendus ulceribus manantibus & difficulter consolidantibus*, in specie in *ulceribus tibiarum*, quæ difficillimæ sunt coalitionis & curationis. Contra talia optimi sunt pulveres, qui partim acidum ulcerum corrosivum absorbent, partim vi balsamicâ consolidationem promovent:

℞. *Croc. martis* ʒii.
Lap. calamin. ʒi.
Lact. lunæ ʒiß.
Myrrhæ,
Oliban.
Aloes an. ℈i.
Camph. ℈ß.
M. F. P.

Irroretur *spiritu theriacali*.
S.
Pulvis mundificans & sanans.

Crocus martis fit iterum è vitriolo præcipitatus. Quoad modum utendi, eluatur ulcus decocto Nicotianæ, post inspergatur pulvis, & imponatur emplastum.

Hoc repetatur aliquoties.

Vel

℞. *Croc. Martis è vitriolo præcipitat.* ʒiii.
Lact. lunæ ʒiß.
Terræ sigill. ʒi.
Myrrhæ el.
Macis,
Aloes an. ℈i.
Camph. ℈ß.
M. F. P. S.
Pulvis externè mundificans.

Conf. MAJOR *Diss. de Lact. Lunæ c.* 11. §. 2. & 6.

Pertinet huc etiam *pulvis erysipelatodes Mynsichti Armam. Sect.* 5. *pag.* 436.

Pulvis dentifricius in vacillatione dentium, odontalgia sæpiùs recurrente, gingivarum laxatione, gingivis cruentis, & aliquali earum exulceratione Scorbuticâ & putredine:

℞. *Cornu Cervi ust. præp.* ʒiij.
Pumic. ust. præp. ʒiß.
Alum. usti,
Tartari ad albed. calcin. an. ℈j. ad ʒß.
Rad. Ireos Flor. ℈ii. ad ʒj.
Mista irrorentur *spiritu Cochleariæ*, & imbibantur aliquot guttulis *olei destill. Caryophyll.*
D. S.
Pulvis dentifricius contra scorbutum,
vel potius,
contra oris putredinem.

Nam *Scorbutus* est generale vocabulum. Hìc scopus est destruere acidum, & absorbere fordes ex gingivis promanantes; quod faciunt alumen atque tartarus calcinatus: post humiditates emanantes imbibunt corpora terrea, pumex, cornu cervi &c. pro gratia odoris additur radix ireos: *dirigens* est spiritus Cochleariæ.

Item

℞. *Flor. Malvæ arb.* ℥ß.
Cornu Cervi usti ʒii.
Nuc. moschat.
Alum. usti an. ʒi.
M. f. pul. subtilis, D. S.
Pulvis dentifricius.

Pulveribus his post oris collutionem & dentium purificationem benè fricentur gingivæ.

Pulveres etiam *pro suffitu* usurpantur in affectionibus scilicet catarrhalibus capitis à frigore externo contractis:

℞. *Sandarac. sive gum. Juniperi*, vel *gum. Animæ* ʒvi. ad ℥i.
Succini ℥ß.
Styrac. calamit. ʒiii.
Mastich.
Thuris an. ʒii.
Benz. ʒi. ad ʒii.
Ras. ligni Rhod. ʒii.
Contundantur grosso modo,
S.
Pulvis ad suffitum contra catarrhos.

Basis est succinum, sandaraca aut gummi Animæ & styrax: *stimuli* sunt thùs & mastix: *corrigens* lignum rhodium, quod simul gratum odorem conciliat. Talium suffituum frequens usus est in coryza.

Pro oculorum usibus pariter pulveres externi adhibentur, sed subtilissimi, & speciatim Arabico nomine *Sief* appellantur, & modestè oculis insufflantur.

Sief ad oculum ungue laborantem:

℞. *Sacch. candi* ʒj.
Tuciæ præp. ʒß.
Oss. sepiæ pulv. ℈i.
Vitrioli alb. ℈ß.
M. f. *pulvis subtilissimus.*
S.
Pulvis externus ophthalmicus.

Per calamum inflatur.

Vid. Poterius, felix Practicus, C. 2. *cap.* 8. *pag.* 61. *ex quo suppresso Autoris nomine abstulit* RIVERIUS *Prax. l.* 2. *cap.* 18. *pag.* 184.

Pulvis sternutatorius ad excitandam mulierem, gravi passione hystericâ laborantem:

℞. *Pulv flor. lil convall.* ʒj.
Nicotian. ℈ii.
Rad. Helleb. albi ℈j.
Castorei gr. viij.
M. F. P. S.
Pulvis sternutatorius.

Aliter:

℞. *Pulv. flor. lil. conuall.* ℈ij.
Rad. Helleb. albi gr. xv.
Sal. uol. urinæ ℈ß.
M. F. pulv.

Vel

℞. *Pulv. lil. convall.* ʒß.
Rad. Helleb. albi ℈ß.
Castor. gr. xii.
Olei destillat. Majoran. gtt. v.
M. F. *pulvis.*

Pulvis sternutatorius:

℞. *Pulv. mari veri* ʒj.
Flor. lil. conuall. ʒß.
Olei destillat. Major. gtt. iii.
M. f. pulv.

℞. *Flor. Lil. conuall.*
Fol. Majoran. an. ℈j.
Mari Syr. uer.
Serpilli an. ℈ß.
M.

Pulvis sternutatorius ad imitationem HELMONTII:

℞. *Rad. Helleb. nigri non præpar.*
Sacchar. albiss. an. ʒi.
Olei destillat. Anisi,
Major. an. gtt. ii.
M. D. S.
Pulvis sternutatorius.

Vel
℞. *Rad. Helleb. nigri exactè pulverif.* ℥i.
Flor. Lil. convall. pulverif. ℥iß.
Ol. destillat. Caryophyll. gtt. iii.
M. S. ut fupra.

Vel ad hodiernum morem:
℞. *Pulv. Tabaci Ind. Virg.* ℥ß.
Major. ʒii.
Mofch. ℈ß.
Ambræ gr. v.
Ol. destillat. Anifi,
Lavend. an. gtt. vi.
M. f. pulv. D. S.
Pulvis sternutatorius.

BOLI.

PVlveres appropriati fi excipiantur *conservâ appropriatâ*, aut alio fimili, & cum fluido quodam, maximam partem fyrupo appropriato, pro meliori mifcela fubigantur, pro una dofi, internè faltem ufurpanda, dant *Bolos*: fin verò pro pluribus, dant *Electuaria*.

Veteres unciatim præfcribebant bolos, imprimis purgantes, ex caffia recenter extracta & electuariis officinalibus, quod adhuc in Italia & Gallia in ufu eft; apud nos verò propter delicatulos ægros inolevit hic mos. Ad fummum igitur ℥i. pro dofi conftare debent, quandoque tamen ℥ii. conceduntur, modò ne naufeofi fint. Obferuandum, ut confervæ ℥i. in bolis femper refpondeat pulveris ℈i. ad fummum ʒß.

Exempli loco fit
Bolus emeticus:
℞. *Conf. tur. Samb.* ℈i.
Tartari emet. gr. ii.
Cum f. q. *Syr. emet.* f. Bolus.

℞. *Conf. flor. Perfic.* vel *Fumar.* ʒß.
Tartari emet. Mynf. gr. iii. vel iv.
Syr. Nicot. q. f.
f. l. a. Bolus,
D. S.
Electuarium emeticum vel *Bolus pro una vice.*

Loco tartari emetici, Mercurii vitæ grana duo fumi poffunt.
℞. *Conf. flor. Tunic.* ℈i. ad ʒß.
Sulph. antimonii cum lixivio detonat. tartari & nitri per decoct. par. gr. vj.
Crem. tartari gr. v.
M. f. *Bolus*, D. S.
Saccharum emeticum.

℞. *Conf. gratiol.* ℥i.
Croc. Metall. abfinth. gr. iii.
M.

Bolus Purgans:
℞. *Conf. Rofar.* ℥i.
Pulv. Jalapp. ℈ß.
Scamm. rofat. gr. v.
Ol. destillat. Cinnam. gtt. i.
Cum *fyr. Rof.* folut. f. Bolus, S.
Saccharum purgans.

℞. *Conf. flor. perfic.* ℥i.
Pulv. rad. jalapp. gr. xv.
Mag fcamm. gr. v.
M. f. *Bolus.*

Alia formula in fcorbuto:
℞. *Conf. fol. Cochlear.* ℥i.
Pulv. rad. Jalapp. ℈ß.
Helleb. nigri gr. v.
Extr. troch. alband. gr. i.
Cum *fyr. fcelotyrb. For.* f. *Bolus.*
Adfpergendus aliquot guttulis *fpiritus cochlear.* S.
Bolus purgans antifcorbuticus.

℞. *Conf. rofar.* ℥i.
Extr. Helleb. nigr. cum aqua fimpl. fal. tartari acuat. ℈i.
M. f. Bolus, S.
Electuarium purgans.

℞. *Conf. Fumar.* ℥i.
Mercurii dulc. gr. xv. ad ℈i.
Scamm. præpar. gr. v.
Cum f. q. *fyr. rubi idæi* f. Bolus.
S. ut anteà.

Bolus laxativus contra lumbricos:
℞. *Conf. flor. Perfic.* ℈ii. ad ℥i.
Mercurii dulc. ritè præp. gr. xv. ad ℈i.
Spec. diaturbith cum Rhab. vel *pulv. Jalapp.* gr. v. vel viii. vel *Scamm. præp.* gr. ii.
Cum *fyr. flor. perfic.* f. Bolus, S.
Bolus laxativus contra vermes.

Bafis eft Mercurius dulcis: *adiuvans* five *ftimulans* fpecies diaturbith cum Rhabarbaro, vel pulvis Jalappæ, vel fcammonium præparatum: *conftituens* verò eft conferva.

Pro infantibus parvis folent fieri hoc modo:
℞. *Conf. flor. Perfic.* ʒß.
Mercur. dulc. gr. vi.
Spec. diaturb. cum Rhab. gr. iii.
Cum f. q. *fyr. flor. Perfic.* f. Bolus, S.
Bolus contra vermes pro una vice.

Nam rarò præfcribuntur Boli pro duabus vicibus.

Alia formula *Boli purgantis in affectibus oculorum*:
℞. *Conf. flor. euphraf.* ℥i.
Pulv. Cathol. purg. gr. xv.
Scamm. fulphurat. gr. ii.
Ol. destill. Fœnic. gtt. ii.
Cum f. q. *fyr. Fœnic.* f. Bolus, S.
Bolus purgans ophthalmicus.

Bolus purgans in Hydrope;
℞. *Conf. flor. Perfic.* ℥i.
Pulv. Mercurial. gr. xv.
Extr. elater. gr. i. ad ii.
Cum *fyr. flor. Perfic.* vel *fyr. de fpina cervina* f. *Bolus.*

Bolus adftringens ad diarrhœam:
℞. *Conf. rofar. parum vitriolat.* ℥i.
Terræ figillat. ℈i. ad ʒß.
Laud. opiat. gr. i. vel ii.
Cum f. q. *fyr. myrtin.* vel *myrtillor.* f. *Bolus.*
qui irroretur cum *oleo deftillato macis*, S.
Electuarium adftringens.

Bolus in vomitu nimio:
℞. *Conf. rof. vitriolat.* ℥i.
Terræ figillat. ℈i.
Laud. opiat. gr. i. ad ii.
Ol. destillat. cinnam. gtt. i.
Cum f. q. *Miva Cydonior.* f. *Bolus*,
mifcendo & expectando, donec aliqualis turgefcentia ceffaverit, S.
Bolus ftomachum confortans.

Bolus pro corroboratione poft nimium fudorem, in febre maligna prolectum, poffet præfcribi hoc modo:
℞. *Conf. pulpæ citri* ℥iß.
Conf. alcherm. ℈i.
Pulv. Hepat. rubr. (ut coagulet denuò maffam fanguineam) ℈ß.
Cum *fyr. Acetof. citri* f. *Bolus*, S.
Electuarium confortativum pro una vice.

Bolus confortans fomniferus:
℞. *Conf. flor. borrag.* ℥i.
Conf. Alcherm. ℈ß.
Laud. ferment. gr. i. ad gr. iß.
Ol. destillat. cinnam gtt. i.
M. f. *Bolus*, S.
Bolus confortans fomniferus.

℞. *Conf. flor. Anthos* ℥i.
Matr. perlar. præp. ℈ß.
Croci Orient. gr. ix.
Ol. destillat. cinnam. gtt. i.
Cum f. q. *Conf. Alcherm.* f. *Bolus*,
S. ut auteà.

℞. *Conf. Rofar.* vel *flor. anthos*,
Violar. vel *borrag.* an. ʒß.
Conf. alcherm. ʒß. ad ℥i.
Laud. opiat. gr. ii.
Cum f. q. *fyr. rubi idæi* f. Bolus.
S. ut anteà.

℞. *Conf. flor. Borrag.*
Theriac. an. ʒß.
Conf. alcherm. ℈i.
Laud. opiat. gr. ß.
M. f. ut fuprà.

Bolus contra vertiginem per confenfum ftomachi:
℞. *Conf. fol. Meliff.*
Menth. an. ʒß.
Cinnab. antimonii ℈ß.
Ol. destillat. Rorifmar.
Succini an. gtt. i. vel ii.
Cum *fyrupo menthæ* f. *Bolus.*

℞. *Conf. flor. Anthos* ℥i.
Spec. dialunæ Mynf. ℈ß.
Antimonii diaphor. gr. xv.
Sacch. faturni gr. ii.
Cum *fyr. Stœch. Arab.* f. *Bolus.*

Quin & fi copiofior paulò pulvis fuerit, confervæ conftituentis loco folus fyrupus recipi poteft, quantum fufficit pro confiftentia debita: E. g.

Bolus

Bolus purgans:
℞. *Pulv. hypochondr. laxat. supra descript.* ℨj.
Scammon. prap. gr. j. ad ij.
Cum f. q. *syr. rof. solut.* siue *Mucbari rosar.* f. *Bolus*, S.
Bolus purgans.

Nempè usitatissimè istis modis præscribuntur Boli: loco tamen conservæ etiam pulpæ quædam spissiores, ut tamarindorum, item electuaria gratiora, ut rosarum, quin & interdum Theriaca, sed hæc rariùs, solent recipi: Dum enim vulgus inter evporista sua rob sambuci vel juniperi cum cornu Cerui sine igne aut usto, pro scopo diaphoretico, in erysipelate & similibus malis porrigit, quid aliud, quàm bolum ordinat? sicuti ex opposito confectiones, extracta gratiora, aliave, conjungi aptè in boli formam possunt. E. g. pro bolis purgantibus pulpa tamarindorum, quæ purgat, & subacidi gratique est saporis, & non cum nausea assumitur, loco conservæ catholicæ solet inservire. Sit ergo

Bolus purgans pro delicatulis:
℞. *Pulp. tamarind.* ℨi. ad ℨii.
Pulu. Cathol. purg. vel *pulu. rad. Jalapp.* ℈j.
Cum *syr. rubi idæi* vel *fumar.*
f. *Bolus:*
Cui etiam addi possunt
Scammon. sulphurat. gr. i. vel ii.
D. S.
Bolus purgans.

Loco pulpæ tamarindorum sumi potest pulpa passularum.

Bolus purgans in Tertiana intermittente:
℞. *Pulp. Tamarind.* ℨii.
Rhabarb. pulverif. vel *pulv. Cholag. Querc.* ℈i.
Scamm. rosat. gr. iii.
Cum *Syr. Acetosellæ* f. *Bolus.*

Bolus alterans in æstu ventriculi & hypochondriorum:
℞. *Pulp. tamarind.* ℨii.
Tartari vitriolat. Tachen. gr. xv.
Bez. miner. ℈ß.
Cum. syr. violar. f. Bolus, S.
Bolus refrigerans.

Bolus laxativus:
℞. *Pulp. Passul.* ℨii.
Mag. Jalapp. gr. vi.
Scamm. sulphurat. gr. iii.
M. D. S.
Bolus laxatiuus.
Vel
℞. *Pulp. passul.* ℨiß.
Ref. Jalapp. gr. vi.
Scamm. sulphurat. gr. ii.
Tartari uitriolat. vel *salis digest. hypoch.*
vel *salis ammoniaci* gr. xii.
Cum f. q. *syr. rosar. sol.* f. *Bolus*, S.
Bolus purgans pro una vice.

Bolus purgans in hydrope:
℞. *Pulp. tamarind.* ℨi.
Extr. aloes gummos. gr. viii.
Scamm. sulphurat.
Gummi. de Peru ana gr. ii.
Mercurii uitæ gr. i. M. f. Bolus.

Veteres quoque Bolos olim præscribebant purgantes, quorum corpus electuarium diaphœnicon, diacatholicon, &c. item pulpa cassiæ, ad ℥j. admixto semine anisi, constituebat: verùm eiusmodi Boli propter nauseam & nimiam quantitatem non amplius sunt in usu.

Sic Bolus, ubi Theriaca pro corpore, fit sequens
Bolus in uomitu:
℞. *Ther. Andr.* ℨi.
Subig. cum *syr. e. g. Acetos. citri*, S.
Bolus adstringens.

Bolus contra diarrhœam, natam ex nimio esu uvarum:
℞. *Theriac.* ℨi.
Terræ sigillat. ℨß.
Cum f. q. succ. vel syr. cydon. f. *Bolus.*

Bolus diaphoreticus febrilis expertus, sed nonnihil ingratus, ingruente paroxysmo assumendus:
℞. *Theriac. Androm.* ℈ii. ad ℨi.
Specif. febril. Croll. vel *Strobelb.* ℈i. ad ℨß.
Salis card. bened. ℈ß.
Olei destillat. caryophyll. gtt. ii.
Cum *Syr. de absinth.* vel *card. bened.* vel *flor. Tunic.*
f. *Bolus*, S.
Bolus febrilis.

Bolus sudoriferus contra scabiem:
℞. *Theriac. Andr.* vel *Rob Samb.* ℨi.
Pulv. serpent. ℈i.
Salis ammoniaci ℈ß.
Cum f. q. *Syr. Aurant.* f. *Bolus.*
S. *Bolus sudoriferus.*

Alius:
℞. *Rob Sambuci* ℨi.
Antimonii diaphor. ℈i.
Sal. uol. uiperar. gr. vi.
Cum f. q. Syr. de scabiosa f. Bolus,
S. ut anteà.

Bolus sudoriferus quocunque in casu:
℞. *Rob sambuci* ℨi.
Antimonii diapbor. ℈i.
Extr. card. bened. gr. ii.
Syr. de fumar. simpl. q. s. f. Bolus, S.
Bolus sudoriferus.

Basis est antimonium diaphoreticum: *stimulus* extractum cardui benedicti: *constituens* rob sambuci.

Bolus diaphoreticus:
℞. *Rob sambuc.* vel *Junip.* ℨi. vel ℨii.
Cornu Cerui sine igne ℈i.
Antimonii diapbor. ℈ß.
Extr. theriac. gr. iii.
Cum f. q. *syr. de Fumar. simpl.* f. *Bolus*, S.
Bolus diaphoreticus. Vel
℞. *Rob samb.* ℨi.
Cornu Cerui sine igne ℈i. ad ℨß.
Antimonii diapbor. gr. viii. ad ℈ß.
Cinn. antimonii gr. v. ad vii.
M. f. *Bolus.*
S. ut anteà.

Bolus vomitorius:
℞. *Rob Juniperi* ℨß.
Tartari emet. gr. ii.
Scamm. sulphurati gr. i.
Cum f. q. *syr. cort. Aurant.*
F. *Bolus.*

Bolus febrilis:
℞. *Extr. Cent. min.* ℨß.
Pulu. testar. conch. oblong.
Sal. card. bened.
Cent. min an. gr. viii.
Cum *syr. de Absinth. Pont.* f. *Bolus*. S.
Bolus febrilis pro una dosi.
Capiatur bihorio ante paroxysmum.

Ad Bolos etiam pertinet, quando ex Terebinthina, uti rectè habet MORELLUS, fit Bolus, idque imprimis in affectibus renum & vesicæ, in affectibus nephriticis, utpotè in quibus terebinthina utramque facit paginam: sic v. g. *in exulceratione renum*, quæ est satis contumax, & periculosa, potest fieri talis *Bolus:*
℞. *Terebinth. Venet.* vel *Cypr.* ℨii.
Trochisc. de Alkek. ℨß.
Cum f. q. sacchari propter saporem f. *Bolus:*
Irroretur aliquot guttulis *Balsam. sulphuris terebinth.*
seu *juniperin.* S.
Bolus nephriticus.

MORELLVS vult, ut præscribatur Terebinthina lota; sed lotione istâ magna vis terebinthinæ perit: Vel etiam ex sola terebinthina cum saccharo permista in mortario potest fieri talis Bolus in affectibus nephriticis, in affectibus renum & vesicæ; cui tamen etiam alia addi possunt pro scopo.

Bolus contra affectus ab acrimonia urinæ, exulcerationem uesicæ, mictum cruentum, stranguriam, dysuriam & similes urinarios affectus, fit talis:
℞. *Terebinth. Venet.* ℨi.
Lapill. cancr. præp. ℈ß.
Cum f. q. *syr. de symph. Fernel.* f. *Bolus:*
Irroretur cum *ol. destillat. cort. aurantiorum.*
D. S.
Bolus diureticus.

ELECTVARIA.

Dictum superiùs, quod pulueres misti cum conseruis pro una dosi constituant bolos, sub mole tamen maiori, adeoque pro pluribus dosibus, cum pulueribus mistæ conseruæ, constituant *Electuaria*, quibus pro re nata subinde vel Extracta, vel succi inspissati, vel Condita, item spiritus, similiaque nonnulla, pro circumstantiarum ratione, sed respectu baseos, item constituentis, in moderata dosi addi possunt: E.g. ad ℨß. recipiantur ℈ii. vel ℨi. præter propter pulveris, spiritus siue essentiæ liquidæ ℈ß Confectionis ℨß. ad ℨi. & hac proportione subigantur pro pluribus dosibus cum syrupo appropriato in Electuarium. Quod si addantur Condita, ℥i. Conseruarum respondeat ℨi. ad ℨii. præter propter; & sic in reliquis. Unde Electuaria hæc Modernis κατ' ἐξοχὴν Condita audiunt: sicut à principali vel uniuersali ingrediente, Opio, in schola Veterum vocantur Opiata; unde electuariorum usus erat nimis strictus; usurparunt enim tantùm pro scopo alexiterio sudorifero. Veterum autem ista Opiata, aut ad eorum similitudinem confecta alia, v. g. electuarium diascordii Fra-

dii Fracastorii, Antidotus Matthioli, aut electuarium Orvietanum, Theriaca cœlestis Greiffii, &c. ceu officinalia transeant.

In genere hîc monendum:

1. *Proportio hæc Ingredientium observetur*: nam à MORELLO non ita observatur, utpotè qui præscribit magnam dosin conservarum, & imminuit dosin aliorum ingredientium. Et quidem sub se invicem præscribuntnr ingredientia, sicuti proportionem exhibui; primo loco ponuntur Conservæ, hinc Condita, postmodum Confectiones sive Electuaria officinalia: porrò Pulveres, tandem Essentiæ seu spiritus cum oleis & syrupis.

2. *Electuaria præscribuntur pro multis dosibus*, ut possit ad tempus continuari eorum usus; hinc facilè patet, quod non rectè præscribantur in morbis acutis, potius in morbis Chronicis, aut iis, qui convaluere ex morbis Chronicis, ubi tardiùs procedit natura; nam in acutis, ubi attendendus est naturæ motus, non solent præscribi.

Dosis est vel quantitas nucis castaneæ, vel juglandis & ampliùs, aut quantum binis ternisque cultris latioris cuspidibus capi potest, bis vel ter in die propinanda, tempore matutino jejuno stomacho, horâ unâ ante prandium, & horâ unâ ante cœnam, aut post cœnam sub introitum lecti.

Electuaria hæc sunt duplicia: vel *alterantia*, vel *purgantia*.

Alterantia, seu *Roborantia*, uti vocantur à MORELLO, ad varios scopos præscribuntur: Sic v. g. præmissis universalibus ad alterandam massam sanguineam cachecticis: senibus, præmissis universalibus ad curandam vel præservandam apoplexiam: præmissis universalibus præscribuntur in scirrho hepatis vel lienis, & horum obstructione vel infarctu, ad aperiendam obstructionem, & discutiendam inflammationem: sic præmissis universalibus præscribuntur mulieribus, mensibus obstructis laborantibus, ut corrigantur sensim massæ sanguineæ & uteri vitia, à quibus dependent obstructiones &c. Cùm verò præcipua ingredientia sint conservæ, confectiones, condita, syrupi &c. & omnia hæc copiosissimo constent saccharo, quod quàm plurimus subjectis est nocivum & contrarium; propterea talia electuaria non debent præscribi iis, qui laborant scorbuto, malo hypochondriaco & cruditate ventriculi acida, &c. quoniam talia subiecta ex usu sacchari in multa gravia incurrunt symptomata propter fermentationem, quam facit saccharum concurrens cum acido vitioso stomachi, uti *monui superiùs, ubi de saccharo*. Neque possunt præscrbi talia electuaria mulieribus suffocatione uterina laborantibus, aut saltem obnoxiis; quoniam tunc temporis dulcia talia non possunt ferre mulieres: & ego novi, quæ solam non potuerunt aquam subdulcem, imò ne passulam, assumere, sine eo, ut non inciderint suffocationem hystericam. Unde talia nocent iis, qui non possunt ferre saccharum & dulcia; ut adeò probè sit dispiciendum, cuinam præscribat Medicus? & loco horum potiùs insistendum pulveribus alterantibus ad multas doses præscriptis.

Post assumptionem istius electuarii conveniens est, si hauriatur parvus potus vini, vel aliquot cochlearia jusculi assumantur, ut eluatur ex faucibus, & promptiùs dissolvatur in stomacho, & subigatur ab eodem, feliciùsque promoveatur.

Res ut pateat, exemplo sit *Pulvis Cachecticus Quercetani*, vel suprà dictus, qui, si sit nauseosus, *mutetur in Electuarium*:

℞. *Conf. flor. Anthos*,
Salviæ an. ℥i.
Pulv. cachect. ℥ß.
Cum *Syr. cort. Aurant.* q. s.
f. *Electuarium*,
irrorandum sub mistura guttulis aliquot *olei destillati bacc. Juniperi*,
D. S.

Electuarium aperiens.

Ponam senem decrepitum conqueri de debilitate ventriculi, dolore compressivo stomachi post assumptum cibum, ructibus acidis, inflatione stomachi & murmure intestinorum, adeò ut manè surgens, etiam laboret vertigine, nec erectus stare possit; metuat propterea apoplexiam & epilepsiam, accedente simul cataracta & suffusione notha: Huic ego præscriberem electuarium, præmissis tamen universalibus, quod semper observandum est:

℞. *Conf. flor. Anthos*,
Euphras.
Lavend.
Menthæ an. ℥i.
Nuc. mosch. in Ind. condit.
Zingib. in Ind. cond. an. ʒvi.
Conf. alchermes ʒiiß.
Anacard. ʒiß.
Ess. Melissæ,
Spiritus Ceras. nigr. an. ℥ß.
Succin. præpar. ʒii.
Pulv. sem. Anisi,
Fœnicul.
Cardam.
Cubebar. an. ʒi.
Cinnam. el.
Galang.
Nuc. moschat.
Spec. diatrion piper. an. ʒß.
Olei destillat. nuc. moschat. gtt. xv.
Cum *Brod. rad. enulæ condit.*
f. *Electuarium*.

Dosis manè jejuno stomacho, hora una ante prandium, & sub introitum lecti, quantitas nucis juglandis ter in die.

Scopus est succurrere stomacho; capiti ratione vertiginis & imminentis apoplexiæ, cujus prodromus solet esse vertigo; & oculis in incipiente cataracta & suffusione notha. Unde conservæ partim sunt stomachicæ, ut conserva menthæ; partim cephalicæ, ut conserua anthos & lavendulæ; partim ophthalmicæ. Proportio ℥i. conseruarum respondent drachmæ tres conditorum, & sic porrò unciæ semis conseruarum respondet drachma semis confectionum &c.

Electuarium stomachicum contra prostrationem appetitus ex aromaticis:

℞. *Conf. flor. Enul.*
Menthæ an. ℥i.
Zingib. in Ind. cond. ℥ß.
Conf. Alchermes.
Sem. Anisi,
Fœnic.
Pulv. stomach. Birckm. an. ʒi.
Cinnam.
Galang.
Spec. diatr. piper. an. ℈j.
Cum *sacc.* & *brod. rad. enulæ*,
f. *Electuarium*.
D. S.

Electuarium stomachicum pro aliquot vicibus.

Alio modo:

Conf. Menthæ crispæ,
Absinth. Rom. an. ℥iß.
Flor. Anthos ℥j.
Rad. Cichor. condit. ℥ß.
Acori cond. ʒiii. ad ℥ß.
Zingib. in Ind. cond. ʒii.
Pulv. zedoar. ʒiii. ad ʒvi.
Cinnam. ʒii.
Caryophyll.
Zingib. an. ʒi.
Cum s. q. *Syr. Menthæ*
f. l. a. *Electuarium*:
quod irroretur
cum *spiritus salis dulc.* aliquot guttis.
Electuarium stomachicum.

Aliter:

℞. *Conf. Menthæ crispæ* ℥ii.
Melissæ,
Flor. Anthos an. ℥i.
Zingib. in Ind. cond. ʒvi.
Theriac. Andr. ʒii.
Pulv. zedoar. ℥ß.
Caryophyll.
Cinnam. an. ʒi.
Cum s. q. *Syr. Menthæ*,
f. *Electuarium*.
D. S.
Ut ante.

Vel

℞. *Conf. Absinth. Pont.*
Rad. Enulæ an. ℥ii.
Zingib. condit. ʒvi.
Spec. diatr. piper. ʒiii.
Sal. ammoniaci ʒi.
Cum s. q. *Syrup. Cydon.*
f. *Electuarium*.

In casu, quando stomachus est onustus muco viscido, crudo & pituitoso, ad corrigendum tale impedimentum appetitus:

Ex acidis:

℞. *Conf. pulpæ Citri* ℥iß.
Menthæ vitriolat. ℥j.
Pulv. hepat. rub. ʒii.
Spiritus salis coag. ℈ii.
Cum s. q. *Syr. cydonior. aromat.*
f. *Electuarium*. D. S.

Electuarium stomachicum.

Electuarium Cephalicum pro senibus ad præseruationem apoplexiæ:

℞. *Conf. flor. Anthos* vel *Conf. Alcherm.* ℥iß.
Nuc. Moschat. in Ind. cond. ʒiii.
Spiritus ceras. nigr.
Sem. Erucæ,

Sem. Sinapi,
Cumin.
Succin. praepar. ʒiß.
Cardamom.
Cubeb.
Cinnam. ana ℈j.
Cum f. q. *Syr. Flor. Tunic.*
f. *Electuar.*
D. S.
Electuarium cephalicum.
Vel
♃. *Conf. Flor. Anthos,*
Lavend.
Meliss. an. ℥j.
Cort. Aurant. cond. ℥ß.
Sem. Erucae,
Sinapi an. ʒiij.
Cardam.
Cinnam.
Cubebar.
Sal vol. succin. oleos. an. ʒj.
Cum f. q. *Syr. Flor. Tunic.*
f. Electuarium. Vel
♃. *Conf. flor. Anthos,*
Spicae an. ℥iß.
℞*ad. Acori veri cond.* ʒiii.
Sem. Erucae,
Sinapi an. ʒii.
Corall. rub. praepar. ʒj.
Sal. vol. succini ʒß.
Cum f. q. *Conf. Alcherm.*
f. Electuarium.
Vel
♃. *Conf. flor. Anthos* ℥ij.
Zingib. cond. ℥ß.
Sem. erucae,
Sinapi ana ʒij.
Cardam.
Cubebar. ana ʒß.
Cum f. q. *Conf. Alcherm.* vel *Syr. flor. Tunic.*
f. Electuar.
Item
♃. *Conf. flor. Tunic.* ℥ij.
Anthos,
Menthae ana ℥j.
Zingib. in Ind. cond. ℥ß.
Sem. erucae,
Sinapi ana ʒij.
Corall. rub praepar.
Succin. praepar.
Sal. vol. succin. an. ʒj.
Cardamom. ℈ii.
Caryophyll.
Cinnam. an. ℈i.
Cum f. q. *spiritus ceras. nigr.*
f. *Electuar.* D. S.
Electuarium cephalicum.
Electuarium analepticum pro sene:
♃. *Conf. fol. Menthae* ℥ii.
Zingib. in Ind. cond. ℥ß.
Sem. erucae,
Sinapi an. ʒii.
Costi arom. veri ʒi.
Ambrae,
Moschi an gr iij.
Olei destillat cinnam. gtt. jv.
Cum f. q. *Confect. Alcherm.* vel *Syr. flor. Tunic.*
M. f *Electuarium.*
Aliud, quod B. *Doctor* MICHAELIS aliquando *seni* cuidam non sine iudicio *pro analepsi* praescripsit:
♃. *Conf. flor. Anthos,*
Salviae,
Conf. Alcherm. ʒi. ad. ʒiß.
Ambr. gris gr. v.
Moschi gr iii.
Laud. opiat gr. iß. ad gr. ii.
Cum f. q. *Syr. flor. Tunic.* vel *rubi idaei*
f. *Electuarium.*
Irroretur cum *aqua cinnamomi*, vel aliquot guttis *Olei destillati cinnam.*
D. S.
Electuarium confortans.
Electuarium conta dysenteriam:
♃. *Conf. Rosar. rub.* ℥iii.
El. diascor. Frac. ʒvi.

Ess. cinnam. cum spiritu vini tartaris. par. ʒiii.
℞*as. priapi ceti subtiliss. pulveris.* ʒß.
Troch. de Carabe ʒii.
Ossis sep. pulv.
Corall. rub. praepar. an. ʒi.
Extr. rad. Torment. ʒiß.
Cum f. q. *succi Cydonior.* vel *Mivae cydonior. aromatis.*
f. Electuarium. S.
Electuarium adstringens & dolores sedans.
De quo creberrimè pro lubitu aeger capiat.
Electuarium praeservativum in constitutione epidemica, v.g. *febrium malignarum* aut *pestis*:
♃. *Conf. flor. Anthos,*
Pulpae citri,
Scordii an. ℥ii.
Theriac. ℥iß.
Antimonii diaphor. ʒiij.
Terrae sigillat.
Cornu Cerui sine igne ʒii.
Bezoard. min. ʒiß.
Camph. ʒß.
f. Electuarium.
Irroretur *oleo pestilent. Heinisii.*
Vel
♃. *Conf. Scord.* ℥iii.
Theriac. Androm. ℥i.
Pulv. Bezoard compos. ℥ß.
Flor. sulphuris ʒii.
Costi Arab. veri ʒi.
Cum f. q. ℞*ob Juniperi*
f. Electuarium.
Electuarium assumendum semper *post sudorem* prolectum *in febribus malignis & pestilentialibus*, pro corroborandis viribus, & pro restituenda certa consistentia massae sanguineae, à sudore nimis dissolutae. Hic attendenda est malignitas, & conseruanda massae sanguineae consistentia:
♃. *Conf. pulp Citri* ℥i.
Acetosae,
Acetosellae an. ℥ß.
Theriac. ʒii.
El. diascord. Frac. ʒiß.
Ebor. sine igne,
Spec. diatrion santal.
Antimonii diaphor. an. ʒi.
Cum *syr. acetos. Citri*
f. *Electuarium,*
quod adspergatur
Cum *tinctura flor. Aquileg.*
ad gratam & subtilem aciditatem.
Ingredientia partim sunt alexipharmaca, ut Theriaca, electuarium diascordi Fracastorii, antimonium diaphoreticum; partim quedā aciditate subtili coagulando massam sanguineam, eidem naturalem consistentiam restituunt, ut sunt conserua, electuarium diascordii Fracastorii, syrupus acetositatis Citri; quaedam modicè praecipitant, ut species diatrion santalorum, ebur sine igne; Tinctura Aquilegiae adspersa partim expellit malignitatem, partim ratione acoris massam sanguineam coagulat. Potuissem species diatrion santalorum & ebur sine igne ad ʒij. & antimonium diaphoreticum ad ʒß. tantùm sumere, ne nimis foret diaphoreticum; item potuissem addere Ambram in substantia, uel Essentiam Ambrae pro virium corroboratione.
Electuarium antihypochondriacum:
♃. *Conf. Cochlear.*
Fumar. an. ℥ii.
Ebor. sine igne ʒii.
Corall. rub prap.
Lapill. Cancr. prap an. ʒi.
Vitrioli martis ℈jv. ad ʒii.
Cum f. q. *Syr. Borrag.*
F. *Electuarium*, D. S.
Electuarium alteratiuum.
Electuarium alterans contra scorbutum:
♃. *Conf. fol Cochlear.* ℥iii.
Testar. Conch. praepar.
Corall rub. praepar.
Ebor. sine igne an. ℈ii.
Vitrioli martis ad albed. calc. ʒiß.
Cum *Syr. Cochleariae* F. *Electuarium.*
Loco vitrioli martis etiam *Extractum martis cum succo* vel *pomorum*, vel *acetosellae*, vel *tamarindorum* ad ʒii. vel ℥ß. recipi potest.
Electuarium, ut uocant, *refrigerans hepar in variis*, h. e. temperans acre, imprimis illud acidum uolatile, ex quo sub cute coercito uari nascuntur:
♃. *Conf. Cochlear. rec.* ℥iß.

Spiritus Nasturt. ℈ ij.
Dent. apri prępr.
Lapill. cancr. pręp.
Unic. fossil. an. ʒj.
Cum *Syr. de Cichor. & Portulac.*
f. *Electuarium*.
Vel
♃. *Pulp. passul. min.* ℥iij.
Lapill. cancr. prępar. ʒiß. ad ʒiij.
Cum f. q. *Syr. Cichor.*
f. *Electuarium*.
Cui addi potest *Rhabarb. el.* ʒj. plus minus.

Electuarium stomachale sudoriferum Lui Venereę conveniens:
♃. *Conf. Menthæ* ℥iii.
Extr. ligni Guaj. ʒii.
Sassafr. ʒi.
Angelic.
Tormentill. an. ʒß.
Bezoard. solar. ʒi.
Cum f. q. *rob Juniperi*,
f. *Electuar.* D. S.
Electuarium sudoriferum.

Electuarium in Hęmorrhagia narium habituali juniorum ex hypochondriis, &c.
♃. *Pulp. passul. min.* vel *Conf. ros. rub.* ℥iij.
Extr. martis cum succ. pom. ʒiß. ad ʒiij.
Rhabarb. el.
Corall. rub. pręp. an. ʒiß.
Ebor sine igne ʒj.
Dent. equi mar. ʒß.
Cum *Syr. rosar. rubr.*
f. *Electuarium*. D. S.
Electuarium sedans.

Electuarium contra sputum cruentum:
♃. *Conf. Heder. terr.* ℥i.
Rad. symph. ℥ß.
Extr. succos. Plantag. ʒiij.
Lap. Hęmat. pręp. ʒiß.
Boli Arm. ℈ij.
Masticis ℈i.
Laud. opiat. gr. vi.
Cum f. q. *Syr. de Symph.*
f. *Electuarium*.
Aliud:
♃. *Conf. Rosar. rub.*
Scabios. an. ℥i.
Trochisc. de Carabe ʒiß.
Corall. rub. præp. ʒi.
Lapill. cancr. pręp. ℈ii.
Cum f. q. *Succ. Portulac.*
f. *Electuarium*.
Vel
♃. *Conf. Heder. terr.*
Rosar. rub. an. ℥iß.
Lap. Hęmatit. præp. ʒii.
Corall. rub. præp. ʒi.
Terræ sigillat. ℈ii.
Laud. ferment. gr. iii.
Cum *Syr. diacod.* vel *papav. alb.*
f. *Electuarium*.

Electuarium temperans acrimoniam urinę, simulque *diureticum in dysuria*:
♃. *Conf. flor. Cichor.*
Heder. terr. an. ℥ii.
Maxill. Lucii pisc.
Lapill. Percar. an. ʒiß.
Succin. pręp. ʒi.
Sal. vol. Succin. ℈ß. ad gr. xii.
Cum *Syr. Papav. alb.* q. s. M.
Vel
♃. *Conf. Heder. terr.* ℥iß.
Rob Juniperi ℥i.
Sem. Hyperic.
Violar. an. ʒii.
Lapill cancr. pręp. ʒi.
Ess. Opii ʒß.
Cum *Syr. de Alth. Fern.*
f. *Electuarium*.
Item
♃. *Conf. Violar.* ℥iß.
Rob Juniperi ʒvj.
Sem. Hyperic. ʒiii.
Lapill. cancr. pręp. ʒi.
Percar. pręp. ʒß.
Laud. opiat. gr. iß.

Cum *syr. scabios.*
f. *Electuarium*.

Electuarium ad cachexiam virginum, ubi simul menses suppressi, cum accedentibus non rarò passionibus & torminibus quasi colicis:
♃. *Conf. flor. Anthos*,
Calend.
Salviæ,
Melissæ an. ʒvi.
Zingib. in Ind. cond. ʒiii ad ℥ß.
Cort. Aurant. condit.
Citri cond. an. ʒj. ad ʒiß.
Extr. mart. cum succ. pom. Borsd. ℥ß.
Pulv. cachect. ʒii.
Borrac. ʒi.
(ubi simul tormina quasi colica, loco pulveris cachectici & borracis recipi possunt *Castor.* & *Asæ fœtid.* ana ʒi. *succin. præp.* *Borrac.* ana ℈ii.)
Spec. diasabinę Mynf. ʒi.
Cinnamom.
Galang.
Zedoar. an. ℈i. ad ʒß.
Sal. vol. cornu Cervi,
Succin. an. ℈i.
Ol. destillat. sabinæ ℈ß.
Cum f. q. *syr. de Hyssopo*,
f. *Electuarium*.
D. S.
Electuarium alterativum.

In hoc Electuario *basis* sunt pulveres cum extracto martis: *adjuvans* oleum destillatum sabinæ: *constituens* conserva cum conditis: borrax additur propter menses.

Dosis est quantitas juglandis horâ ante prandium vel cœnam.

Notetur: salia volatilia solent rarò ingredi Electuaria, propterea, quoniam facilè avolant; sed loco eorum assumuntur essentiæ vel spiritus.

Aliud:
♃. *Conf. flor. Anthos*,
Salu. an. ℥i.
Pulu. Cachect. cujusuis, vel *Mag. martis Vitriolati* ℥ß.
Cum f. q. *syr. cort. Aurant.*
f. *Electuarium*:
Quod irroretur aliquot gutt.
Olei destillati bacc. iuniperi:
D. S.
Electuarium aperiens.
Vel
♃. *Conf. cochlear. rec.* ℥vi.
Lapill. cancr. pręp.
Corall. rub. prep.
Matr. perlar. prep.
Vitrioli martis ad phlegm. evaporat. calcin. an. ʒi.
Cum f. q *syr. Cichorii*,
f. *Electuarium*.

Electuarium chalybeatum contra obstructionem mensium:
♃. *Conf. Meliss.* ℥iß.
Menthę ʒvi.
Limat. martis prępar. & *ol. destillato Sabinę parum impręgnat.* ʒiii.
Fulig. vel *flor. sulphuris* ʒi.
Borrac. Venet. ʒß.
Cinnam.
Galang.
Zedoar. an. ℈i.
Cum f. q. *syr. Artemis.*
f. *Electuarium*.
D. S.
Electuarium aperiens.

Electuarium ad fluorem album:
♃. *Conf. flor. Anthos* ℥iii.
Putam. Avell. pulver. ℥ß.
Ras. eboris pulveris.
Mag. succ. cum spir. vini par. an. ʒiii.
Lap. osteocoll. ʒiß.
Cum f. q. *syr. rosar. rub.*
f. *Electuarium*. D. S.
Electuarium cohibens.

Electuarium stimulans venerem, sive virilem fortitudinem:
Hisce in formulis duo notanda sunt:
1. Ut recipiantur ingredientia genituram augentia; ut nuclei pini, amygdalæ dulces, &c.
2. Stimulantia; ut aromatica.
♃. *Conf. rad. Eryng.*
Satyr. an. ℥ii.
Zingib. in Ind. cond. ʒvi.

Amygd.

Amygd. dulc. ambrof. ℥j.
Conf. alcherm. ʒiß.
Pulv. sem. Erucæ,
Sinapi an. ʒiij.
Spec. diatrion. piper. ʒij.
Cum f. q. *syr. rad. Enul.*
f. *Electuarium.*

℞. *Conf. rad. Eryng.*
Satyr. an. ℥iij.
Cort. citri cond.
Zingib. in Ind. cond. an. ʒß.
Amygd. dulc.
Nucl. pin.
Pistac. an. ʒiij.
Sem. Erucæ,
Sinapi an. ʒiß.
Cubebar.
Galang.
Piper. albi an. ʒj.
Ol. destillat. caryphyll. ℈ß.
Cum *Brod. zingib. cond.*
f. *Electuarium,*
Quod irroretur largiter
cum *spiritu formicarum*:
D. S.
Electuarium confortans.
Vel
℞. *Conf. flor. anthos* ʒij.
Rad. Eryng. cond. ʒß. ad ʒvj.
Amygd. dulc. ambr. ʒiß.
Ess. satyr. ʒiij.
Cubebar.
Galang. an. ʒß.
Macis ℈j.
Cum f. q. *Conf. Alcherm.*
f. *Electuarium.*

Interdum sine conseruis, pulveres solo syrupo conuenienti excipiuntur, aut cum rob sambuci subiguntur, & hoc in compositionibus quasi theriacalibus, loco veterum mellis, quibus tamen aliquid fluidi pro meliori miscela affundendum. E. g.
Electuarium contra nimium mensium fluxum.
℞. *Sem. Plantag.* ʒiij.
Boli Armen.
Corall. rub. præp.
Hæmatit. præp.
Unic. veri præp. an. ʒiß.
Alum. crudi ℈ij.
Laud. opiat. gr. v.
Cum *syr. Plantag.*
f. *Electuar.*
D. S.
Electuarium adstringens.

Electuarii sine pulueribus exemplum sit:
Electuarium roborans post nimium sudorem in febre maligna:
℞. *Conf. acetosell.*
Pulpæ citri an. ℥j.
Flor. tunic. ℥ß.
Rob ribium ℥ß. ad ʒvj.
Conf. alcherm. à ʒj. ad ʒiß. vel ʒij.
Cum f. q. *acetos. citri* vel *rubi idæi*
f. *Electuar.* S.
Electuarium confortans & refrigerans.

Quoad Electuaria purgantia: ita dicuntur, quæ lentè ac sensim, & quasi per epicrasin, uti uocant, euacuare debent: quę purgatio cum debeat fieri sensim, & nihilominus non pro una uice præscribuntur electuaria, propterea observetur accuratè dosis ingredientium in præscribendis electuariis purgantibus: sic v. g. si sit præscribendum Electuarium purgans pro decem dosibus, accuratè supputanda sunt ingredientia, ne vel deficiamus vel excedamus in dosi.

Cæterum cum Electuaria purgantia ex modernorum præscripto constent ex certis pulveribus, qui permiscentur cum aliis alterantibus, & periculum sit, ut in ista mistura inæqualiter dispergatur, pulvis, ne in uno loco sit plus de pulvere purgante, in altero minus, adeò ut unâ uice assumatur medicamentum alterans pro purgante, & sic nihil perficiatur; propterea electuaria purgantia ferè in desuetudinem abierunt propter incertitudinem doseos, & consequenter operationis. Prostant quidem talia, sed propter purgantium horridum saporem usurpari nequeunt, cum dosis quoque ad ℥i. extendatur, nec tàm accuratè observari possit: quin apud nos in usu solent esse pilulæ usuales, quæ sufficienti numero præscribuntur, ne talis defraudatio sit metuenda; sicuti etiam loco talium electuariorum in officinis uel passularum laxatiuarum, uel prunorum, præsertim ad TIMÆI imitationem præparatorum, item cydoniati laxatiui, conseruæ rosarum uel uiolarum laxatiuæ cum manna TIMÆI, & similis compositionum usus invaluit, quæ pro una uice determinatâ dosi optimè assumuntur: de quibus superius suo loco dictum, ut & Præparationes insinuatæ. *Dosis* uariat pro uarietate compositionis: ordinariè ʒß. uix solent excedere; possunt tamen in grauidis, hypochondriacis &c. usurpari.

Nihilominus cum ægri requirant sæpius electuaria, propterea uario modo præscripserunt ueteres. Itali & Galli utuntur electuariis officinalibus, propter quos etiam AUTOR apposuit dosin: sin uerò ex nostro modo præscribantur electuaria purgantia, fiunt ista ex præscripto nostro simul additis conseruis, pulueribus purgantibus: Imprimis loco conseruæ assumitur pulpa tamarindorum, uel in delicatulis pulpa passularum, quæ est elegantis gustus, & suauiter laxat. Sit e. g. *formula Electuarii purgantis* pro 4. dosibus talis:
℞. *Conf. Menthæ* (ne noceat stomacho) ℥j.
Pulp. Tamarind.
Rob Passular. an. ℥ß.
(quando uolo, ut purgare debeat blandè sine torminibus & motu magno, adderem *Theriacam*, quia uis opii sisteret effrenem purgandi vim, uel adderem *electuarium diascordii Fracastorii*)
Crem. tartari ʒj. vel *tartari vitriolat.* ʒß.
(propter grauitatem enim gustus, & nauseabundum saporem, non possumus tantum præscribere de tartaro vitriolato, quantum de cremore tartari)
Mechoacann. alb.
Rhabarb. el. an. ʒß.
Pulu. cathol. purg.
Cinnam.
Galangæ,
Macis an. ℈j.
Cum f. q. *syr. cichor. cum Rhab.*
vel *syr. de pom. Reg. Saboris,*
f. *Electuarium.*
D. S.
Electuarium purgans pro 4. vicibus.

Basin constituunt purgantia, pulvis catholicus, rhabarbarum electum, mechoacanna cum pulpa tamarindorum & rob passularum: Cremor tartari sive tartarus vitriolatus est *digestivum*. *Corrigentia* sunt cinnamomum, galanga, macis, ne noceant pulveres, aut si noceant, ut possint nocumenta resarcire: *adiuvans* est syrupus de cichorio cum rhabarbaro.

Dabo aliam formulam: Ponam *infantem* delicatulum quatuor annorum *laborare vermibus*; huic ego præscriberem *Electuarium* pro 4. dosibus hoc modo:
℞. *Conf. flor. Persic.*
Scord. an. ʒiij.
Nuc. iugl. condit. ʒi. vel ʒiß.
Pulu. sem. Santon.
Cornu Cervi usti præp. an. ʒß.
Spec. diaturb. cum rhab. ʒß. vel ℈ij.
Mercurii dulc. gr. xv.
Cum f. q. *syr. flor. Persic.*
f. Electuarium.

Basin hujus constituunt species diaturbith cum Rhabarbaro ad ℈ij. Amara, aliàs vermibus inimica, non possunt addi, propterea, quoniam, uti præsuppono, infans est delicatulus.

Moneo hìc:
1. Assumendum hoc esse electuarium in cochleari ligneo propter Mercurium, qui metallico adhæret.
2. Eluendum esse os infantis post usum, quoniam Mercurius est inimicus dentibus & gingivis, quibus solet inducere cariem & exulcerationem, ut aromi mercuriales, si quæ restitant, eluantur & abstergantur.

Electuarium laxativum in malo hypochondriaco, aliisque affectibus chronicis:
℞. *Pulp.* vel *rob passul.*
Pom. Borsdorff. an. ʒvj.
Pulv. senn. Montagn. ʒiij.
Tart. vitriolat. ʒß.
Cum f. q. *syr. de pom. laxat.*
f. *Electuarium,*
quod irroretur cum *oleo destill. anisi*:
D. S.
Electuarium laxans.

Electuarium laxativum antipodagricum:
℞. *Conf. flor. Anthos,*
Chamædr.
Chamæpit. an. ℥ß.
(vel horum loco *pulp. passul.*)
Pulu. antipodagr purg. Parac. ʒiß.
Res. Ialappę gr. ix.
Cum *syr. de Betonica,*
f. l. a. *Electuarium,*
D. S.
Electuarium purgans.

Pertinent huc elegantis compositionis electuaria purgantia, tam *Cholagogum*, quàm *Hydragogum* SYLVII *l. 1. Prax. cap. 2. §. 46. & cap. 7.*

cap 7. §. 55. quę facilè pro diſpenſatione ordinaria in officinis præparari poſſint.

Interdum etiam electuariis purgantibus commodè ſolent permiſceri Extracta purgantia. Ut ergo pateat modus: ponam, me velle præſcribere purgationem laboranti febre tertianâ intermittente; quoniam verò æger ſit delicatulus, nec adſuetus purgantibus fortioribus, propterea per epicraſin tribus vicibus purgandus, idque ſemper die intermiſſionis. Præſcriberem ergò talem formulam:

℞. *Conſ. fl. Cichor.* ℥j.
Pulp. Tamarind. ℥ß.
(eſt acida & ſuavis ſaporis, & benè permiſcetur aliis purgantibus, ut obtundat eorum acrimoniam, ſed non eſt integra doſis; poteſt enim ferè dari ad ℥j.)
Extr. cholag. Querc. ℈j.
Panchym Croll.
Pulv. cathl purg an. gr. xv.
Scammon. roſat. gr. iij
Cum ſ. q. *ſyr. acetoſ. citri* pro gratia ſaporis
F. *Electuarium*,
Tinctur. fl. bellidis aliquot gutt. irrorandum.

Potuiſſem addere *cremoris tartari* ʒß. pro digeſtiuo: ſed præſuppono, jam præceſſiſſe digeſtivum.

Electuarium contra alvum nimis obſtructam:

℞. *Pulp. paſſul.* ℥iß.
Arcan. duplic. vel *tartari uitriolat.* ʒiß.
Extr. troch. alband. gr. iij.
Cum ſ. q. *ſyr. pomor.*
F. *Electuarium.*

Electuarium apophlegmatizans:

℞. *Maſtich. el.* ʒij.
Rad. Pyrethri ʒj.
Sem. ſinapi,
Cardamom.
Cubebar. an. ℈j.
Cum *Rob paſſular.* vel *Mell. anthoſ.* vel *Mell. Anacard.* (quod eſt valdè acre) q. ſ.
F. *Electuarium.*
D. S.
Electuarium in os tenendum pro aliquot vicibus.

Hic eſt modus præſcribendi Electuaria purgantia magiſtralia, quę quidem rariſſimè apud nos præſcribuntur: ſicut & electuaria officinalia ex modo Italorum, & veterum non ſolent amplius præſcribi.

ROTVLÆ.

Electuariis cognatæ ſunt Rotulæ, ſeu, ut aliis audiunt, Teſſellæ, & Morſelli ſive Morſuli, adeoque ſunt quaſi Electuaria ſolida, in gratiam puerorum ac delicatorum excogitata, ubi ſcilicet à ſacchari dulcedine decipiuntur, ne ſaporem medicamenti ingratum percipiant. Nimirum pulueres loco conſtituentis conſiſtentiæ mediæ, ſaccharo excepti nunc in rotulas, nunc in morſulos compingi poſſunt. Differentia eſt tantùm in figura externa, ingredientia & componendi modus eſt idem, utut in levioribus quibusdam differant rotulæ à tabulis ſive morſulis. Rotulæ in ſpecie ſunt parvi orbiculi, & ſimpliciter præſcribuntur ex pulveribus, ſaccharo diſſoluto & rurſus inſpiſſato exceptis.

Modus præſcribendi hic eſt:

℞. *Pulv* p j.
Sacch. p. iij vel jv. ad vj.
prout potentiores aut mitiores effectu Medico rotulas expetimus.

Saccharum diſſolvitur in aqua appropriata, & inſpiſſatur in conſiſtentiam debitam; hinc cum piſtillo quodam ligneo admiſcentur pulveres agitando, & in tabulam cupream aut marmoream quaſi guttatim effunduntur in rotulas, quæ ſubindè unâ alterâve guttâ olei cuiusdam deſtillati aut ſuavioris eſſentiæ aromaticæ irrorantur. Interdum etiam præter pulveres Extracta gratiora, confectiones, olea deſtillata & ſimilia, proportionatâ doſi addi poſſunt: ſic ex ſolis oleis deſtillatis cum ſaccharo, loco eleoſaccharorum quibusdam uſitatorum, *Rotulas carminatiuas* præparat MYNSICHTIUS *Armam ſect. 7 p. 163.* Ultra ℥ij vel ℥iiß ad ℥iij non ſolent præſcribi.

Uſus earum eſt internus, iſque alterativus, cùm ſolutivus ferè in deſuetudinem abierit: imprimis in affectibus faucium & aſperæ arteriæ, tuſſi & aliis affectibus Pectoralibus, à lympha acriori ortis, pręſcribi ſolent, ut demulceant fauces, dum in ore detentæ ſucceſſiuè liqueſcunt. Quod ſi præterea pro aliis ſcopis ordinantur, crebriùs maſticandæ & deglutiendæ veniunt.

Sic v. g. tales *Rotulæ contra catarrhos ſalſos*, aut ex lympha acri acida, fauces & pectus infeſtante, poſſunt præſcribi tales:

℞. *Sem Papav. alb.*
Gumm. Arabic.
Thuris an. ʒj.
Benzoes ℈ß.
Cum ſ. q. *ſacchar. in Emulſ. ſem. 4. frig. mai. diſſolut.*
F. *Rotulæ*,
adſpergendæ *oleo deſtillato Aniſ.*
Vel
℞. *Fl. ſulphuris* ʒj.
Benzoes,
Succin. præpar. an. ʒß.
Gumm. Arabic.
Thuris an. ℈j.
Extr. Croci ℈ß.
Laud. opiat. gr. iij.
Cum ſ. q. *ſacchari*, v. g. ℥j. ad ℥iß. *in aqua Fœnicul. ſoluti*.
f. l. a. *Rotulæ*,
adſpergantur *ol. deſtillato Aniſ.*
D. S.
Rotulæ catarrhales.
Aliter:
℞. *Spec. diatrag. frig.* ʒiß.
Antimonii diaphor.
Flor. ſulphuris an. ʒß.
Benzoes,
Succin. præp an. ℈j.
Extr. Croci ℈ß.
Cum *Sacch. alb. in aquæ fœnic. ſolut.* ℥j.
f. l. a. *Rotula*,
adſpergend. *olei deſtillat. Aniſ.* gtt. vj.
Item:
℞. *Rad. Ireos Flor.* ℥j.
Benz.
Extr. rad. Angel.
Enul. an. ʒiß.
Cum ſ. q. *Sacch. in aqua ſcabioſ. ſol.*
f *Rotulæ*:
Adſperg. *Balſamo ſulphuris aniſ.*
D. S.
Rotulæ pectorales.
Vel
℞. *Spec. diatrag. frig.* ʒiii.
Gum. Arab ʒi.
Laud. opiat. gr. v.
Cum ſ. q. *ſacchar. in Emulſ. Papav. alb. ſol.*
F. *Rotulæ.*

Rotulæ contra tuſſim ſiccam.

℞. *Succ. Liquirit. in aqua Hyſſopi ſol. & inſp.*
Extr. enul. an. ʒi.
Flor. ſulphuris ℈ii.
Benz. ℈i.
Extr. Croci Orient. ℈ß.
Balſ. Peruv.
Balſ. Sulphuris,
Ol. deſtillat. Aniſ. an. gtt. xv.
Cum ſ. q. *ſacchar in aqua fœnic. & hyſſ. ſol.*
f. l. a. *Rotulæ*:
D. S.
Rotulæ contra tuſſim.

Rotulæ contra tuſſim ſiccam nocturnam, faucium aſperitatem, conceptam earum phlogoſin, &c.

℞. *Spec. dialreos ſiſt.* ʒiii.
Boli Arm præp. ʒi.
Succ. Glycyrrhiz ʒß.
Cum *ſacchari* ℥iii. vel iv. *in aqua flor. papav. errat. ſolut.*
F. *Rotulæ*,
D. S.
Vt ante.

Conferantur hic *Rotulæ Sylvii l. 1. Praxeos c. 20. §. 37.*

Rotulæ contra tuſſim, oriundam à materia viſcida in ſtomacho, expectorantes:

℞. *Spec. dialreos* ʒii.
Rad. Ari acr. ʒi.
Cum ſ. q. *ſacchar. in aqua ſcabioſ. ſol.*
F. *Rotulę*,
adſpergendæ *Ol. deſtillato aniſi.*
Vel
℞. *Rad. Ari acerr. non prep.* ʒii.
Spec. dialr. ʒi.
Extr. zedoar. ʒß.
(vel *Extr. Enulę* ʒß. & *Extr. zedoar.* gr. iij.)
Cum ſ. q. *ſacch. in aqua ſcabioſ.* vel *Menth. ſol.*
F *Rotulæ*,
adſpergendæ *ol. deſt. fœnicul.*
S.
Vt ſupra.
Vel
℞. *Rad. Ari non prep.* ʒiß.
Gum. ammoniaci in acet. ſol.
Maſtich. an. ℈i.

Tart. uitriolat. ʒß.
Cum f. q. facch. in aqua Menthæ diffol,
F. *Rotulæ*,

Rotulę pectorales contra Phthisin:
♃. *Rad Ireos Flor.* ʒii.
Antibect. Poter. ʒi.
Benzoes,
Mastich.
Thuris an. ʒß.
Cum f. q. *facch. in decoct. Liquirit. folut.*
F. *Rotulæ*:
Adfperg. cum *Balf. fulphuris anifate*,

♃. *Rad. Ireos Flor.* ʒiß.
Antibect. Poter.
Flor. fulphuris an. ʒi.
Benzoes ʒß.
Cum *facch. in aqua fcabiof. fol.* q. f.
F. *Rotulę*,
D. S.
Rotulæ pectorales.
Vel

♃. *Rad. Glycyrrhiz.* ʒii.
Ireos Flor.
Symph. mai. an. ʒi.
Amygd. dulc.
Nuc. pin.
Pistac. an. ʒß.
Benzoes,
Terebinth. coct. an. ℈i.
Cum f. q. *facch. in aqua fcabiof. fol.*
F. *Rotulę*.
Item

♃. *Balf. fulphur. anif.*
Terebinth. an. ʒi.
Excipiantur f. q. *Conferuæ fcabiofę*,
& cum f. q. *facch. in aqua fœnic. fol.* f. *Rotulę* vel *Morfuli*.

Rotulę Bibitorię quibusdam dictæ:
♃. *Sem. Coriandr.* ℥ß.
Anifi,
Carvi,
Fœnic.
Petrofel. an. ʒii.
Nuc. mofchat. ℈iv.
Cardamom.
Caryophyll.
Cubebar.
Macis,
Zingib. an. ℈ii.
Piper. albi,
Longi an. ʒß.
Cum f. q. *facch. in aqua carmin. Dorncr. fol.*
F. *Rotulę*,
D. S.
Rotulę ftomachales.

Rotulę ftomachico-cephalicę, omni mane in ore detinendæ:
♃. *Rad. Acori veri*,
Ari an. ʒiß.
Galang.
Zedoar. an. ʒi.
Cinnam. acerr.
Nuc. mofchat. an. ʒß. ad ℈ii.
Cum f. q. *facch. in aqua Anifi fol.* f. l. a. *Rotulę*:
Adfpergantur cum *ol. deftillat. Lauend.*
D. S.
Vt ante.

Rotulę contra inflationem ventriculi, ructus, item *colicam*, &c.
♃. *Spec. diatrion piper.* ʒi.
Ebor. ufti prap.
Corall. rub. prap. an. ʒß.
Extr. Cort. Aurant.
Zedoar an. ℈ß.
Cum f. q. *facch. in aqua fœnic. fol.* f. *Rotulę*:
adfpergendæ in fine
Ol. deftillat. fœnic.
Macis an. gtt. iv.
D. S.
Rotulæ difcutientes.

Rotulę contra Colicam:
♃. *Maxill. Lucii pifc.*
Spec. diacumin. an. ʒi.
Extr. cort. Aurant.
Zedoar. an. ℈ß.
Cum f. q. facch. in aqua carminat. fol. F. *Rotulæ*,
Ol. deftillato Chamomill. irrorandæ.

Rotulæ confortantes:

♃. *Spec. di Ambr.*
Dia Mofch. dulc. an. ʒiß.
Cum f. q. *facch.* ad ℥iii. *in aqua rof. fol.* f. *Rotulæ*:
fub finem mixtionis addendo
Conf. Alchberm. ʒß. vel quantum poteft:
Irrorentur *ol. deftillat. Cinnam.*
D. S.
Rotulæ confortantes.

Simili quoque ratione Rotulæ parari folent fine pulveribus, ex folis vegetabilium fuccis acidulis cum facchαro; *huius* ℔i. addendo *fucci* v. g. *citri*, *ribium*, &c. ℥iii. præter propter, & folâ facchari blandâ folutione, fine ulla coctione, effundendo in rotulas. Hæ autem Rotulæ magis funt officinalles, quàm magiftrales.

Interdum etiam *Rotulæ purgantes* præfcribuntur: fed rarò; res enim fufpecta eft, quia fub diftributione fpecierum variat dofis. Cui tamen delicatis admodum vel pueris lubet præfcribere, hi methodo vel SYLVII *Prax. l.* 1. *c.* 2. *§.* 44. vel TIMÆI *Caf. pag.* 427. præfcribi poterunt. In gratiam tamen Dnn. Auditorum aliquot dabo *exempla Rotularum* vel *Orbiculorum purgantium*:

♃. *Pulv. Jenn. Montagn.* ʒiii.
Cathol. purg. ʒß.
Croc. mart. aperit.
Tartar. uitriolat. an. ℈ij.
Spec. dianifi,
Diatrion piper. an. ℈j.
Cum f. q. facchari f. l. a. *Orbiculi*:
Quorum dofis 10. 12. 15. prout magni vel parvi.

Rotula contra vermes latos fcorbuticorum:
♃. *Pulu. rad. Jalapp.* ʒi.
Mercurii dulc. ℈ij
Cum *facch.* ℥iß. *in aqua flor. Hyper. folut.*
F. *Rotulæ* pro trib. vel 4. dofibus.
D. S.
Rotulæ purgantes contra vermes.

Rotulæ contra uermes puerorum:
♃. *Croc. mart. per pracipit. parat.*
Sem. Tanaceti ʒi.
Zedoar. pulverif. ℈ii.
Cum f. q. *facch. in aqua fœnic. fol* f. *Rotulæ*,
adfpergendæ *oleo deftillato fuccin.*
D. S.
Rotulæ expellentes.

Sed, uti dictum, rariffimæ funt hæ *Rotulæ purgantes*.

TROCHISCI.

PAr præfcribendi ratio eft *Trochifcorum*, qui rarò quidem ex tempore præfcribuntur, nifi in morbis contagiofis & epidemicis, catarrhis tenuibus, fcorbuto & fœtore oris, fub lingua retinendo, donec colliquefcant: & ideò Trochifci fublinguales vocari folent. Reliqui, certis intentionibus deftinati, funt officinales, nec apud nos hodiè ufurpantur, nifi Trochifci de carabe, alhandal, &c. Conftant pulveribus, qui cum mucilag. tragacanthi, gummi Arabico, mucilag. radicis althęæ, &c. excipiuntur. Formantur in formam pilularum maiorum, quæ afterifco aut aliis figuris fignando in faciem feminis lupini comprimuntur & rediguntur. E. g. fint præfcribendi

Trochifci fublinguales contra fœtorem anhelitus:
♃. *Rad. Ireos Flor.*
Lapill. cancr. prap. an. ʒi.
Gumm. Laccę vel *Myrrh. elect.* ℈i. ad ʒß.
Mofchi gr. v.
Cum f. q *mucil. Tragac.* cum *aqua rofar. extr.*
F. *Trochifci fublinguales.*
S.
Trochifci fublinguales.

Alii *in fcorbuto oris*:
♃. *Laccæ in granis* ʒii.
Myrrhæ elect. ʒi.
Alum. ufti ʒß.
Ambre gris. gr. iv.
Cum ℥ß. *gummi Arab.* in f. q. *aquæ falviæ* folut. f.
Trochifci.
D. S.
Vt antea.

Trochifci in tuffi ficca à lympha falfo tenui, &c.
♃. *Succi liquirit. in aqua fœnic.*
Maftic. in granis,
Styrac. calam.
Succin. albi prap.
Flor fulphuris an. ʒi.
Laud. opiat. ferm. gr. vi.
Cum pauxillo *mucil. trag.* f. *Trochifci fublinguales.*

Trochifci in conftitutione epidemica:
♃. *Antim. diaph.*
Flor. fulphuris an. ʒi.

Extr.

Extr. theriacal. ℈j.
Cum s. q. *sacch.* & *mucil. Tragac.*
F. *Trochisci*,
irrorandi cum *oleo destillato succini* vel *camphora*:
D. S.
Trochisci praeservativi.

Trochisci apophlegmatizantes:
℞. *Rad. Pyrethr.* ʒj.
Lil. convall.
Sem. sinapi an. ʒß.
Cardamom.
Cubebar. an. ℈ij.
Cum s. q. *Mastich.* & *cera liquef.*
F. *Pastilli* sive *Trochisci mansiles*,
D. S.
Trochisci mansiles.

MORSVLI.

Simillimi Rotulis sunt *Morsuli* sive *Tabella*, dum nempè pulveres, additis conservis & conditis, ut etiam amygdalis dulcibus, pineis, pistaciis, confectionibus officinalibus, aliisque, minore tamen dosi atque in electuariis fit, simili modo excipiuntur sacharo ad debitam consistentiam inspissato; quae mixtura in formam oblongam, quadratam, planam, (in quem finem jam certę capsulę ligneę aliæve fabricatæ sunt) redigitur, & ubi refrixerit, in tabulas quadratas quantitate ʒj. vel ʒii. discinditur: ita ut pulverum ʒi. respondeant illorum ʒii. ad quintuplum, sextuplum, imò octuplum sacchari. Morsuli communiter dicuntur, quia mordendo quasi assumuntur; item ob ingredientium identitatem Electuaria solida, aut confectio solida, ita à figura Tabellæ appellantur. De cętero ut Boli cognati sunt Electuariis, ita Rotulę Morsulis, & contra; item, ut Boli se habent ad Rotulas, ita Electuaria ad Morsulos, & contra. Res enim in fundamento est quasi eadem.

Usus eorum est saltem internus, isque alterativus, & potissimùm confortativus, rarissimè aut nunquam hodie solutiuus, ob rationes supra allegatas.

Compositio Magistralis talium Morsulorum fit verbi gratiâ hæc: Dabo exemplum

Morsulorum præservativorum à dysenteria:
℞. *Conf. Menthę*,
Ros. antiqu. an. ʒvi.
Rad. Enul. cond.
Nuc. moschat. cond. an. ʒij.
Boli Armen.
Terra sigillat.
Off. human. calc.
Antimonii diaphor. Martial.
Extr. rad. Tormentill. an. ʒi.
Cornu Cervi usti prap.
Crystall. calcin. an. ℈ii.
Sacch. saturni ℈i.
Cum s. q. *sacch. in aqua Plantag.*
F. l. a. *Morsuli*:
Qui adspergantur *Bals. sulph. terebinth.*
D. S.
Morsuli praeservativi contra dysenteriam.

Morsuli preservativi in peste aliisque morbis malignis:
℞. *Pulv. fol. Card. bened.*
Scordii,
Cornu Cervi sine igne,
Antim. diaph. an. ʒii.
Terra sigill.
Conf. Alchermes an. ʒi.
Theriac. Androm. ℥ß.
Cum s. q. *sacch. in aqua praeser. dissol.*
F. *Morsuli*,
irrorandi *oleo pestilentiali Heinisii*.
D. S.
Morsuli praeservativi.
Vel
℞. *Conf. pulpa Cit.* ℥i. vel ℥iß.
Ther. Androm. ʒii. ʒiii. ad ʒvi.
Terra sigillat.
Cornu Cervi sine igne,
Antimonii diaph. an. ʒii.
Cum s. q. *sacch. in aqua comm.* vel *scordii* vel *theriacal. dissol.*
F. *Morsuli*:
usus tempore irrorandi aliquot guttul. *olei pestilent. Heinisii*:
S.
Ut antea.
Item
℞. *Elect. diascord. Fracast.* ʒvi.
Flor. sulph. ʒiii.
Terra sigillat.
Cornu Cervi sine igne an. ʒiß.
Bezoard. min. ʒi.
Sacch. saturni ℈ii.
Camphor. ʒß.
Cum s. q. sacch. in aqua Angel. solut.
F. Morsuli,
irrorandi *oleo destill. pestilent. Heinisii*.

Morsuli Catarrhales:
℞. *Conf. flor. Anthos*,
Beton.
Calend.
Succin. prap. an. ʒii. vel iii.
Myrrh. el. ʒß. ad ℈ii.
Benzoes,
Thuris an. ℈ß. ad ℈i.
Cum s. q. *sacch. in aqua serpilli solut.*
F. l. a. *Morsuli*,
irrorandi cum *oleo pestilent. Heinisii*.
D. S.
Ut suprà.

Morsuli contra sodam:
℞. *Spec. diacreta Mynf.* ʒvi.
vel loco harum
℞. *Cretę prap.* ʒii.
Nuc. moschat.
Ebor. usti prap. an. ʒi.
Unic. fossil.
Lapill. cancr. prap.
Corallior. prap. an. ℈ii.
Cum *sacch.* ℥iv. vel vi. *in aqua Portul. sol.*
F. *Morsuli*,
D. S.
Morsuli refrigerantes.

Quoad hos diacretæ morsulos annoto: quod pulvis ex latere intensiùs rubescente cum s. q. sacchari in morsulos redactus, præstantissimum sodæ fit remedium; cui & aliquantulum macis aut nucis moschatæ addi potest. Vis hæc consistit in substantia martiali, unde color (etiam sublimando ab illo separabilis,) in crocum potenter absorbentem per calcinationem ignis mutata.
Vel
℞. *Creta pulverif.* aut *prep.* ʒii.
Boli Armen. prep.
Lapill. cancr. prep. an. ʒi.
Cum s. q. *sacch. in aqua Portul. sol.*
F. *Morsuli* vel etiam *Rotula*.

Morsuli stomachales:
℞. *Conf. Menth.* ℥ß.
Rad. Acori cond. ʒii.
Zingib. condit. ʒi.
Pulv. stomachal. Birckm. ʒß.
Cum s. q. *sacch. in aqua Mentha sol.*
F. *Morsuli*,
irrorandi *oleo destillato Mentha*,
D. S.
Morsuli stomachales.
Dosis: unus devoretur continuato usu jejuno stomacho.
Vel
℞. *Conf. flor. Anthos* vel *Mentha* ℥ß.
Zingib. in Ind. cond. ʒii.
Spec. Imperator. ʒiii.
Extr. zedoar. ʒß.
Cum *sacch.* ʒviii. *in aqua fœnic. solut.*
F. *Morsuli*,
D. S.
Ut anteà.

Morsuli Cephalici in defectu spirituum animalium, eorundemque debilitate:
℞. *Conf. flor. Anthos* ℥ß.
Cort. Citri cond. ʒii.
Zingib. condit. ʒi.
Conf. alcherm. ʒiii.
Ambrę,
Moschi an. gr. iii.
Cum s. q. *sacch. in aqua Mentha sol.*
F. *Morsuli*, S.
Morsuli cephalici.

Morsuli stomachico-cephalici, *contra vertiginem* & *stomachum in senibus imbecillem*:
℞. *Succin. prap.* ʒi.
Cardamom.
Cubebar. an. ʒiß.
Benz.
Zingib.
Cinnam.

Galang.

Galang. an. ʒß.
Spec. diatrion piper. ℈iv.
Puluerisata grosso modo redig.
cum s. q. *facch. in aqua Lil. conuall. solut.*
in *Morsellos*,
D. S.
ut antea.
Vel
℞. *Rad Acori veri*,
Ari an ʒii.
Galang.
Zedoar. an. ʒiß.
Cinnam.
Zingib. an. ʒi.
Cum s. q. *facch in aqua Cinnam. sol.*
F. *Morsuli*.
℞. *Conf. Menthæ crisp.* ℥i.
Zingib. condit. ℥ß.
Rad. Ari ʒiij.
Galang.
Zedoar. an. ʒiß.
Cinnam. acerr. ʒi.
Cum s. q. *facch. in aqua Menth. solut.*
F. *Morsuli*,
irrorandi cum *ol. destillat. Acori veri & ligni sassafras.*
℞. *Conf. flor. anthos*,
Nuc. Ind. cond. an. ℥iii.
Galang. ʒiß.
Sem. sinapi ʒß.
Caryophyll.
Cardamom.
Cinnam.
Cost. Arab. veri,
Macis an. ʒii.
Cum s. q. *facch. in aqua lauend. solut.*
F. Morsuli:
circa finem mixturæ immiscendo
Ambræ,
Moschi cum *facchаro tritor.* an. gr. v.
Conspergantur cum *ol. destillato cinnamomi*, vel *caryophyll.*
D. S.
Vt supra.

Morsculi contra Cachexiam:
℞. *Rad. Ari acr. non præp.*
Extr. Absinth an. ʒß.
Corall. rub. præp.
Matr. perlar. præp.
Cornu Cerui sine igne an. ʒß.
Caryophyll. ℈ij.
Cum s. q. *facch in aqua Cochlear. sol.*
F. Morsuli,
D. S.
Morsuli calefacientes.

Et hi Morsuli sunt pro scopo alterativo.

Morsuli purgantes ex iisdem fiunt ingredientibus atque alterantes, nisi quod addantur medicamenta purgantia: sed rarissimè præscribuntur propter incertam dosin, & inæqualem proportionem purgantis. Ubi tamen tales præscribere placuerit, hæc formula fortè usu esse poterit pro una dosi:

℞. *Pulv. rad. jalapp.* gr. xv.
Mag. gummi de Peru gr. v.
Extr. troch alband. gr. j.
Sacch albiss. in aqua menthæ solut. ʒß.
F l. a. *Morsulus*,
S.
Morsulus purgans pro una dosi.
℞. *Conf. flor. Tunic.* ʒj.
Pulv. Jalapp. ℈j.
Scamm. præp. gr. iij.
Cum s. q. *facch. in aqua Menth. sol.*
F. *Morsuli*,
D. S.
Morsuli purgantes.
℞. *Conf. flor. Cichor.* ʒiij.
Rad. Cichor. cond. ʒii.
Pulu. Cholagog. Querc. ʒiij.
Scamm. sulphurat. gr. xij.
Cum s. q *facch. in aqua Menthæ sol.* F. *Morselli* pro trib. & 4. dosib.
S.
Morsuli purgantes pro 3. *aut* 4. *dosibus.*

Morsuli purgantes pro uirgine delicatula, laborante *apepsiâ & anorexiâ in morbo uirgineo*:
℞. *Conf. Melissæ*,
Menthæ an. ʒii.
Antimon. diaph. Martial. ʒiij.
Antophyll.
Cinnam.
Nuc. moschat.
Tartari uitriolat. an. ʒiß.
Agar. trochiscat. ʒj.
Sem. Anisi ℈ii.
Pulv. rad. Jalapp.
Spec. diaturbith cum *Rhab.* an. ʒß.
Cum *facchar.* ℥v. *in aqua Hyssopi sol.*
F. *Morsuli*, quantitatis ℥ß.

Morsuli purgantes pro *cachectico delicato*, singulis septimanis purgando, & pilulas usuales respuente:
℞. *Conf. flor. Cichor.*
Fumar.
Rad Enul. cond. an. ʒij.
Antimonii diaphor. martial. ʒiß.
Pulv. cathol. purg. ℈ij.
Rhabarb. elect.
Tartari uitriolat. an. ʒß.
Galang.
Macis,
Zingib.
Scamm. rosat. an. ℈j.
Cum *facchar.* ℥iv *in aqua fumar. solut.*
F. *Morsuli*, pondere ʒiij. D. S.
Morsuli purgantes duo pro una vice.

Ceterum hę & similes formulæ saccharatę sub hodierna Praxi multis suspectę sunt propter saccharum, cuius nimia quantitas non ęquè omnibus ægris conuenit. Cum ergo hypochondriaci, scorbutici, cachectici, colici, hystericæ &c. horreant saccharum, quia ab eodem læduntur; item cùm saccharum non æquè conueniat stomacho, cum turbet stomachum, & apepsiam inferat, & sic fermentando & acescendo, mucaginisque tenacioris formâ adhærendo, quibusuis in chronicis morbis symptomata aut exacerbare, aut magis complicare, aut morbum ipsum procrastinare soleat, hinc rariùs præscribi solent hæ ipsæ formulæ. Crebrior adeoque sacchari usus ut non convenit ventriculo, Autore HELMONTIO *Dispens. Med.* §. 30 & 57. ita ceu perquàm noxium pulmoni notatur à GARENZIER *de Tabe Angl pag.* 95 & 99 adeoque à crebriori eius usu & præscriptione eiusmodi Rotularum, Morsellorum & Electuariorum, in climate ægrisque nostris meritò abstinendum. Præferamus potiùs iis pulueres, tincturas, essentias, extracta, spiritus, & olea destillata; salia item tam volatilia, quàm fixa, & similia, ut in quibus ceu purioribus, efficacioribus, minus nauseosis & minus nocivis, vis medicamentosa magis concentrata inest, & sic tam minori ægri ventriculi labore ac tędio, maiori verò cum euphoria, pro Praxi elegantiori adhibentur: v. g. loco morsellorum catarrhalium sumatur elæosaccharum succini, vel tinctura sassafrata, vel sal volatile è succino paratum: loco cuiusdam stomachalis recipiatur Elixyr proprietatis cum spiritu salis ammoniaci paratum: in affectibus catarrhalibus pilulæ cum opio è styrace, quæ meliùs in parua dosi operantur. Istę verò remediorum formulę sub tenebris ignoratę pyrotechniæ natæ, pro blandimento potiùs palati ægrorum, post decocta ista longa crebriùs usurpata hincque nauseosa, quàm pro medicamento convenienti, ordinata fuerunt.

PANDALEON, MASSA PANIS, ET PINEOLATA.

IDem dicendum de Pineolato, Pandaleone, & Massa Panis, quæ formulæ ferè inoleverunt, cùm tabidi, hectici, phthisici &c. reverà nil solaminis ex eiusmodi remediorum formulis acquirant, quæ culinæ vel cupediarum artificibus potiùs relinquendæ. Eiusdem ferè misturæ & usus sunt cum Morsellis. Hęc saltem differentia intercedit, quod Morselli habeantur per se in forma præscripta; hęc verò pyxidi induntur, ut cultro exscindantur. In specie *Pandaleon*, *Pasta regia* aliàs dicta (vocat MORELLUS Morsulos) est nihil aliud, quàm Electuarium quoddam confectum ex *pulpa animalium*, aut ex *seminibus benè nutrientibus, ex amygdalis, pineis, pistaceis*, & similibus. Hęc enim inter se invicem bene mista, & saccharo excepta, dant massam, quam vocamus *Pastam regiam*. Vocatur etiam aliàs *Pasta analeptica*. Ex carnibus verò animalium usitatè sumuntur carnes cancrorum fluuiatilium, item interdum carnes caponum & perdicum; quibus additur interdum Electuarium resumptivum officinale, aut spiritus pro Electuario resumptiuo.

Usus horum fuit in emaciatis, quoniam semina, item amygdalę, pineę, pistaciæ, &c. bene nutriunt. Usurpabantur etiam in Hecticis, item in Phthisicis, & similibus aliis affectibus. Rarissimè nobis in usu sunt. *Exemplum* tamen talis *Pandalei*, iam verò non ampliùs usitati, sit tale:

℞. *Carn. cancr. fluuiat.* ℥i.
Amygd. dulc. ambrof. ʒß.
Nucl pini,
Pistac. an. ʒii.

Sem.

Sem. Papav. albi ℥iii.
4. *frig. maj.* an. ʒß.
Cum s. q. *facch. in decoct. Liquir. solut.*
F. l. a. *Pasta*,
D. S.
Electuarium confortans.
Dosis ʒß. ʒi. vel ʒiß. pro ratione circumstantiarum.

Sit porrò *Pandaleon Pectorale* pro scopo alterandi contra *affectus catarrhales chronicos*:

℞. *Conf. flor. Enulæ*,
Hyssopi an. ℥iii.
Spec. diair. ʒiß.
Antibect. Poter.
Flor. sulphuris an. ʒi.
Benzoes ℈ii.
Cum s. q. *facchari in aqua Hyssopi sol.*
F. l. a. *Pasta*,
quæ includatur pyxidi, S.
Pandaleon pectorale.

Vicina est Pandaleo Massa panis, & Pineolatum.

Massa panis, Germ. *der Marcipan*, fit ex *amygdalis dulcibus excorticatis*, & ex *facccharo*: *Amygdalæ dulces excorticatæ* & contusæ permiscentur cum *facchare*: adduntur interdum *Pistaciæ* pro gratia saporis. Et sicuti ex amygdalis & facchare materia vocatur *massa panis*, ita ex pineis & facchare massa vocatur *Pineolatum. Massæ panis exemplum* sit in *atrophia*, *Hectica*, &c.

℞. *Amygd. dulc. Ambros. rec. exc.* ℥ii.
Nucl. pini rec. ℥i.
Sem. Melon. ʒii.
Papav. alb. ʒii.
Cum s. q. *facchari in aqua rosar. sol.* torreantur in *Panem Martium*, S.
Massa panis refrigerans & confortans.

Quidam etiam pro fallendis infantibus *Panes Martios purgantes* faciunt, addendo quædam appropriata: sed necesse est, ut sint talia vel coloris albi, vel insipida, vel saporis non nauseabundi: imprimis additur *massæ panis* ℥ß. *radicis mechoacannæ* ʒi. vel ℈iv. quæ est alba, & ferè insipida, & medicamentum bonum & blandum, valdè conveniens in abstergendis intestinis infantulorum.
D. S.
Panis Martius purgans.

In ditioribus potest loco facchari communis sumi *faccharum rosatum tabulatum*, vel *rotulæ manus Christi perlatæ*, quoniam hæ sunt gratioris saporis non tantùm, sed etiam gravioris pretii: adspergi potest *pulvis cinnamomi*, *anisi*, &c. ad inhibenda tormina infantum pro re nata. Sed rari sunt usus, nisi in tali casu, ubi volumus purgare infantulos nimis delicatos.

Pineolata sunt similia massæ panis. Veteres iis usi fuerunt in tabidis, hecticis, phthisicis, & atrophiâ detentis.

CAP. II.

PILULÆ seu CATAPOTIA.

Pilulæ sunt forma remedii, ita dictæ à figura, quæ repræsentat parvam pilam: Græcè dicuntur *Catapotia*, ab assumendi modo, quę duo nomina in Pharmacopoliis sunt usitatissima. Veterum sunt inventum, quo amarissima & ingratiora sua purgantia, ut aloen, (apud illos quarumvis pilularum basin,) scammonium & colocynthidem, propinando, eaque cruda, mellis ope palliata, palatum meliùs fallerent: Massam ita concinnatam ad ʒi. ferè prescribebant, eamque in pilulas maiores aliquot granorum, quinque vel sex vel septem redactam, quales apud Belgas ferè adhuc in usu sunt, degluctiendas offerebant.

Verùm cùm Veterum massæ pilularum constent simplicibus crudis, adeoque maxima illarum pars planè sit inepta & obsoleta, unde rariùs in usum vocantur; idcircò à nobis ex tempore componuntur aut ordinantur.

Præscribuntur autem pro vario scopo, purgandi, & alterandi. *Purgantes* sunt in duplici differentia; & vel *extraordinariæ*, vel *ordinariæ* seu *usuales* dicuntur. *Purgantes extraordinarię* triplici modo præscribuntur: Vel enim

1. Usitatiùs ex selectioribus quibusdam massis pilularum officinalibus veterum & recentiorum, additis consuetis stimulis, scammonio & trochiscis alhandal, & interdum aliis appropriatis, mediante liquido, aqua spirituosa, oleoso, e. g. elixyr proprietatis, essentia fumariæ, catholica purgante, tinctura tartari, &c. prępirandę ordinantur; quibus etiam aliquod extractum, vel succus quidam dirigens, vel iuvans, vel alius morbo appropriatus, additur; ita tamen, ut tota compositio à ℈ß. gr. xv. vel ℈i. ad ʒß. non extendatur, atque vix gr. i. attingant singulę pilulę; siquidem quò minores, eò gratiores, nisi ingredientia sub parva mole ponderosiora, ut mercurialia, maiorem dosin admittant.
Vel

2. Ex Extractis vegetabilium purgantibus, vel simplicibus, vel compositis, e. g. extracto catholico purgante Andernaci, extracto panchymagogo Crollii & similibus, sed addito pro re nata extracto stimulante, vel alio stimulo conueniente, præscribuntur.
Vel

3. Pulvis purgans recipitur, & cum vehiculo convenienti, additis stimulis convenientibus, in pilulas formatur.

Et præscribuntur vel pro una vel pluribus dosibus: ibi numero indefinito; hìc verò pro dividendis dosibus benè determinato, ut sciant ægri, quantum sufficiat pro vna dosi. Pro gratia oculorum fiunt inauratæ vel inargentatæ, & præscribuntur: f. l. a. Pilulæ: Inaurentur: D. S. &c. Capiantur manè, quacunque ratione fieri potest, jejuno ventriculo, vel post haustum jusculum tenue. Credunt quidem non pauci, pilulas vesperi sumptas in affectibus capitis catarrhalibus faciliùs operari, quatenus ægro dormiente sub media ciborum coctione halitus suos in caput emitterent, &c. Verùm hoc nihil est, & vana persuasio; secessus enim isti, qui manè pilulas subsequuntur, sunt liquamen chyli corrupti. Unum adhuc moneo: Pilulæ meliùs præscribuntur subiectis magis succulentis seu phlegmaticis & magis chylosis, quales vocantur sanguinei & phlegmatici, quàm cholericis ita dictis: Nam in his posterioribus parum vel nihil laxant, quibus è contrà conveniunt liquida purgantia, sub forma potionum propinata. Et quidem meliùs conducunt pilulæ tempore vernali & æstivo, quàm tempore hyemali & autumnali, cùm hisce temporibus potiones magis conveniant: item convenientes sunt pilulæ in euacuando ventriculo & intestinis, quàm ubi opus est evacuare integram massam sanguineam; in hoc enim passu meliùs propinantur in forma liquida, item feliciùs conveniunt juvenibus succulentis, quàm hominibus ætate confectis. Ratione temporis porrò quæritur: *an matutino potiùs quàm vespertino tempore pilulæ usurpandæ sint?* Dico: omnia purgantia & hinc pilulæ quoque usurpentur manè jejuno stomacho: brevi post capiatur vehiculum calidum, ut nonnihil diluatur remedium; & sic cum vehiculo calido adjuncto faciliùs operetur: subsequatur lenis deambulatio, quæ operationem promovet. Cane verò peius & angue fugiatur gravior curà seu profundior meditatio; quia hæc operationem pilularum retardat, & parum vel nihil operantur, quin sæpè blandus sudor sequitur.

Jam ad exempla, & quidem ex massis officinalibus fiant
Pilulæ Purgantes Catholicę:

℞. *Mass. pilul. de Amm. Quere.*
Hier. cum Agar. an. ℈ß.
Scamm. prep. gr. ii.
Trocb. alband. gr. i.
Ol. destillat. macis gtt. i.
Cum *ess. gum. ammoniaci* f. *Pilulę*.
D. S.
Pilulę purgantes pro una uice.
Item.

℞. *Extr. cathol.*
Mercurii dulc. an. ℈ß.
Scamm. sulphurat. gr. v.
Extr. troch. alband. gr. ii.
Cum *Elix. propr. sine acido* f. *Pilulę*.
D. S.
Vt ante.

℞. *Extr. aloes gumm.* ℈ß.
Mag. jalapp. gr. iv.
Gummi de Peru gr. iii.
Trocb. alband. gr. ii.
Cum *Elix. propr. cum rhabarb.*
F. *Pilulæ*, S.
Vt antea.

Pilulæ emetico-cathartica ante paroxysmum intermittentium;
℞. *Mass. pilul. de trib. Ruffi* gr. xv.
Tartari emet. Mynf.
Scamm. præp. an. gr. i.
Cum *Ess. Cent. min.* f. *Pilulæ*.
D. S.
Pilulæ febriles.

Pilulæ stomachales,
quando volumus ventriculum à copiosa saburra mucilaginis viscidæ, & intestina ab eadem mucilagine purgare:

℞. *Mass. pilul. de Hier. cum Agar.* ℈i.
vel etiam gr. xv. tantùm
(nam sunt satis fortes)
Extr. Absinthii (est egregium stomachicum, & facit liquescere mucilaginem viscidam) gr. vii. ad ℈ß.
Trochisc. alband. (est stimulus, quoniam expurganda mucilago) gr. i.
Cum *Ess. menthæ* (quæ etiam est stomachicum)
F. *Pilulæ*:

Quæ possunt adspergi odoris gratiâ gutt. unâ vel alterâ *olei destillati macis*, vel aliquot granis *pulveris cinnamomi*.

Pilu-

Pilulæ corrigentes cruditatem acidam:
℞. *Mass. pilul. de Amm. Querc.* ℈i.
Ext. martis cum succ. pom. ℈ß.
Troch. alband. gr. ii.
Ol. destillat. macis gtt. i.
Cum *ess. gum. ammoniaci* f. Pilulæ.
Deaurentur.
D. S.
Pilulæ stomachales.

Pilulæ in cruditate pituitosa, pro scopo resolvendi pituitam:
℞. *Extr. aloes gumm.*
Gum. ammoniac. aceto squillit. solut. & insp. an. ℈ß.
Mag. gum. guttæ,
Scamm. sulphurat. an. gr. iii.
Extr. troch. alband. gr. i.
Cum *elix. propriet.*
F. *Pilulæ*,
S.
Pilulæ resoluentes pro una vice.

Pilulæ purgantes *in iuvene* bilioso, facilèque hypercatharsi obnoxio, *febre tertiana affecto*:
℞. *Mass. pilul. de Amm. Querc.* gr. xv.
Extr. absinth.
Card. bened. an. gr. iv.
Nitri antimoniat. gr. vi.
Scamm. rosat. gr. i.
Cum *succo citri* f. Pilulæ *minores*.

Pilulæ *contra* Paralysin:
℞. *Mass. pilul. arthet* ℈i.
Scamm. sulph. gr. iii. vel iv.
Extr. troch. albana. (sunt nil aliud, quàm Colocynth. puluerif.) gr. i.
Cum *ess. salv.* f. Pilulæ,
D. S.
Pilulæ purgantes.

Hic *basis* est massa pilularum arthriticarum, cuius dosis aliàs ad minimum ℈ii. sed fastidiosa est dosis: Ergò *stimulantia* hic adduntur, ut eò minori quantitate præscribi possit.

Pilulæ *contra affectus Hypochondriacos*:
℞. *Mass. pilul. de Amm. Quer.* ℈i.
Extr. martis ℈ß.
Trochisc. alband.
Scamm. sulphurat. an. gr. i.
Cum Ess. martis liquida,
F. Pilulæ,
D. S.
Pilulæ laxatiuæ.

Aliæ:
℞. *Mass. pilul tart. Querc.* ℈i.
Vitrioli martis ad albed. calc. gr. v.
Scamm. præp. gr. j.
Cum *Ess. gum. ammoniaci* f. Pilulæ,
Capiantur bibendo desuper largum haustum calidum.

Pilulæ *splenetica* blandè laxantes:
℞. *Mass. pilul. aloephang* cum *scamm.* gr. xv.
Gum. ammoniac. cum *aceto sol. & insp.* ℈ß.
Extr. troch. alband. gr. ß. ad gr. j.
Cum *Spirit. Cochlear.* f. Pilulæ.

Pilulæ *laxantes* & aperientes pro virgine *in mensium obstructione*:
℞. *Mass pilul. de hier.* cum *agar.* gr. xv.
Extr. sabinæ gr. v.
Troch. alband. gr. i.
Cum *Spirit. vini crocat.* f. Pilulæ.

Aliæ pro muliere, mensium suppressione, & ob id passione hystericâ laborante, singulis 14. diebus repetendæ:
℞. *Mass. pilul. aggregat.* ʒi.
Castor. ʒß.
Myrrh. el. gr. xv.
Extr. troch. alband gr. vii.
Cum *Ess. splen. bouis* vel *emmenagog.* f. *Pilulæ* No. cxx.
Inaurandæ, vel *adspergendæ pulvere succini* vel *cinnamom.* quæ dicuntur uterinæ; vel *irrorentur* cum aliquot guttis *olei destillati Sabinæ*, quod fortiter menses ciet.

Hìc obseruetur proportio: *Basis* est mass. pilular. aggregatiuarum ʒj. Jam dixi, quod ℈i. sit dosis harum pilularum pro una vice, ut inde ℈iv. essent assumendæ. Cæterùm sunt talia subiecta leniter purganda propter symptomata grauia concurrentia, proptereà non integrum scrupulum, sed tantum gr. xv. Huic basi, tanquam *dirigens*, additur castoreum in proportione dupla: additur myrrha, quæ etiam est egregium in his affectibus; sed quoniam est fortior castoreo, proptereà adhibetur duplum castorei ad massam pilularum, & duplum myrrhæ ad castoreum. *Stimulus* sunt Extractum trochiscorum alhandal. Deberent quidem esse gr. iv. ut responderent basi: sed ratio, cur posuerim vii. est, quoniam massa pilularum non vehementer purgat.

Pilulæ laxantes contra obstructionem alvi in muliere hysterica:
℞. *Mass. pilul. de Ammon. Querc.* ℈i.
Extr. Castor. gr. iii.
Myrrhæ,
Scamm. sulphurat. an. gr. i.
Cum *Essent. gran. Actes* f. *Pilulæ*.

Fortiora purgantia his non conveniunt; irritant enim crabrones.

Pilulæ laxantes & simul *anodynæ in colica ex pituita vitrea*:
℞. *Mass. pilul tartarear.* gr. xv.
Mercurii dulc. gr. viii.
Scamm. sulphurat.
Laud. opiat. an. gr. i.
Ol. destillat. succ. gtt. ii.
Cum Ess. succini f. Pilulæ,
D. S.
Pilulæ laxatiuæ.

Purgare volo senem sexaginta annorum vertiginosum, qui mitiùs tractandus: imò senes rarò vel nunquam sunt purgandi. Huic ergo præscribo has pilulas:
℞. *Mass. pilul. de succ. Crat.* (in hac nihil purgat nisi aloe, & possunt assumi hæ pilulæ sine forti purgatione) gr. xv.
Extract. vel *succ. inspiss. Chærefol.* (specifici & appropriati in vertigine) ℈ß.
Succini præpar. (specifici in vertigine & apoplexia senum) gr. vi.
Scamm. rosat. gr. i. vel gr. iß.
Ol. destillat. succin. gtt. ii.
Cum Ess *succin.* f. Pilulæ No. 35.
D. S.
Pilulæ laxatiuæ ad caput.

Pilulæ contra affectus catarrhales laxantes:
℞. *Mass. pilul. de succ. Crat.* ℈i.
Extr. Rorismar. gr. iii.
Res. Jalapp. gr. ii.
Cum s. q. *Essent. catarrhal.* f. Pilulæ.

Sequitur nunc secundus modus præscribendi pilulas ex Extractis purgantium. Exemplum sit tale in affectibus biliosis:
℞. Extr. *Helleb. nigri* ℈i.
Pulu. hepat. rub. vel *crem. tart.* gr. vi.
Scamm. sulphurat. gr. ii. vel iii. (plus minus pro constitutione ægri)
Cum *Essent. Absinth.* vel *Cent. min.*
F. Pilulæ,
D. S.
Pilulæ bilem purgantes.

℞. *Extr. panchym. Croll.* ℈i
Formentur *pilulæ* pro 1. dosi.

Pilulæ stomachico-cephalicæ:
℞. *Extr. cathol. And.*
Panchym. Croll. an. ℈ß.
Mastich.
Succin. præp. an. gr. iv. vel v.
Extr. troch alband. gr. i.
Cum *tinctura antimonii tartarisi*
F. Pilulæ,
D. S.
Pilulæ purgantes pro una vice.

Pilulæ purgantes contra deficientem stomachi digestionem ex copioso muco acido:
℞. *Extr. cathol.* gr. xv.
Trochisc. alband. gr. i. vel ii.
Gum. ammoniaci in aceto sol. gr. xii.
Cum s. q. *Elix. Propriet.*
F. Pilulæ,
D. S.
Pilulæ stomachales.

Pilulæ antiscorbuticæ:
℞. *Extr. Helleb. nigr.* gr. xv. ad ℈i.
Gum. ammoniaci in aceto sol. ℈ß.
Scamm. rosat. gr. ii.
Extr. troch. alband. gr. i. ad ii.
Cum *Ess. Fumar. compos.*
F. *Pilulæ minores*,
D. S.
Pilulæ purgantes.

Ubi obseruandum, quod tres pilulæ constituant gr. i.

Pro purgandis humoribus melancholicis *in mania*, possunt fieri tales *pilulæ*:
℞. *Extr. Helleb. nigri* ℈i.
Martis aperit. gr. viij. vel ℈ß.

Succ.

Succ. fumar. insp. gr. v.
Scamm. rosat. gr. i. vel ii.
Cum Eff. Fumar. comp.
F. *Pilulæ*,
D. S.
Ut ante.

Pilulæ antivenereæ seu ad *Luem Gallicam*, *Gonorrhœam virulentam*, *scabiem*, &c.

℞. *Extr. panchym. Croll.* gr. xii. xv. ad ℈i.
Mercurii dulc. gr. xv. ad ℈i.
Extr. troch. alband. gr. ii. vel iii.
Olei destillat. Guajac. gtt. ii.
Cum *Eff. Lignor.*
F. *Pilulæ*,
D. S.

Pilulæ sanguinem mundificantes.

Pilulæ Hydropicæ:

℞. *Extr. elater.* gr. xv.
Troch. alband. gr. i.
Ref. Jalap. gr. v.
Olei destillat. bacc. Junip. gtt. ii.
Cum *Eff. Absinth.*
F. *Pilulæ*, S.

Pilulæ purgantes.

Basis hic est composita, ex Extracto elaterii & resina jalappæ: *stimulans* est extractum trochiscorum alhandal.

Aliæ:

℞. *Extr. elater.*
Panchym. Croll. an. ℈ß.
Mercurii dulc. gr. ix.
Ref. Jalappæ gr. i.
Cum *Eff. Absinth.*
F. Pilulæ,
D. S.

Pilulæ purgantes.

Vel

℞. *Extr. elater. ritè parat.* gr. xv.
Troch. alband. gr. i.
Mercurii vitæ gr. ii. ad iii. vel hujus loco *mercurii dulc. cum mercurio vitæ* ad imit. *Hartm.* ℈ß.
Cum *Eff. Absinth.*
F. *Pilulæ*,
D. S.
Ut ante.

Pilulæ laxantes in suffocatione hysterica:

℞. *Gum ammoniaci in aceto sol. & insp.* gr. ix. ad xv.
Extr. Castor. gr. v.
Troch alband. (est appropriatum remedium in passione hysterica) gr. i. ad iß. vel ii.
Cum *Eff. salviæ*, *Rorismar.* vel *Elixyr uterin. Croll.*
F. *Pilulæ*,
D. S.
Ut supra.

Hoc modo præscribuntur pilulæ ex extractis. Et quidem hæ pilulæ ex extractis præparatæ commendantur insigniter, & præferuntur iis, quæ fiunt ex massa pilularum. Ratio est hæc: In massis pilularum, ex veterum methodo præscriptis, purgantia omnia inexistunt cruda, & quorum malignitas non est correcta: E contrà in his extractis purgantibus per extractionem, digestionem, & præparationem, purgantium cruditas & malignitas infringitur & temperatur, & ita corrigitur, unde etiam non talia tormina & symptomata sequuntur pilulas ex extractis paratas, qualia solent sequi eas, quæ fiunt ex massis pilularum officinalium.

Adhuc notandum: quod Extracta purgantium resinosorum per spiritum vini extrahantur, quæ resina stomacho vel intestinorum parietibus adhærendo hypercatharses aliavè gravia mala excitare potest, uti hoc rectè attendit ZWELFERUS *Pharm. Reg. pag.* 35. Hoc ergo ne fiat, propterea horâ unâ vel alterâ post haustum pilularum purgantium ex extractis resinosis commodè dabitur jusculum falitum, vel etiam jusculum avenaceum, item jusculum pisorum, quoniam hæc abstergunt: vel assumitur cum jusculo quocunque aliquantulum cremoris tartari, quoniam hæc, uti dixi, abstergunt intestina in specie tartarus, & stimulant, ut promptiùs postmodum fiat ægri purgatio, id est, cacatio.

Hæ fuerunt pilulæ, quæ præscribuntur ex Extractis.

Interdum soli pulveres, vel assumptu ingratiores, vel periculosiores, debito corpore excepti, in pilulas compingi possunt, ut ex sequentibus pilulis videre est: v. g. sint præscribendæ

Pilulæ in cachexia:

℞. *Pulv. Jalapp* gr. xv.
Antimonii diaphor. martial. ℈ß.
Extr. troch. alband. gr. i.
Cum f. q. *Extr. Helleb. nigr.*
F. *Pilulæ.*
D. S.

Pilulæ purgantes pro una vice.

Extracto Hellebori nigri hæc excipiuntur, ut consistentia eius crassior eò faciliùs absorbeat pulveres, in formam pilularum.

Pilulæ contra gonorrhœam inveteratam malignam, *scabiem ferinam*, *guttam rosaceam contumacem* &c.

℞. *Turbith. miner. Croll.* gr. v. ad vi.
Cum f. q. *Theriacæ*
F. *Pilulæ*,
D. S.

Pilulæ singulares.

Sed vix ordinantur, nisi pro robustioribus.

Pilulæ in desperata alui obstructione:

℞. *Auri fulmin. cum spiritu salis ammoniaci præcipitat.* gr. vi. ad ℈ß.
Cum f. q. *Extr. Helleb. nigri*
F. *Pilulæ*,
D. S.

Pilulæ aperitivæ.

Atque tales sunt pilulæ, quas pro scopo sensiliùs commovendi corpus, & repetitis evacuandi vicibus, subinde sub morborum cursu, præscribere cogitur Medicus. Cogitur, dico, cùm speciosus purgationis titulus ingentem tegat imposturam, cùm quævis, præsertim fortior, purgatio tantum noceat, quantum prosit. Cùm verò in plurimis morbis chronicis, sub generali cachexiæ & affectus hypochondriaci & scorbuti titulo comprehensis, uti & iis, qui torminibus colicis obnoxii, quò & senes pertinent, qui non rarò laborant apepsiâ & bradipepsiâ, item in quibus metus est imminentis apoplexiæ, & similium affectuum, copiosior talis evacuatio ferè nociva manifestò esse soleat, cùm talia subjecta à leniori etiam evacuante facilè exolvantur, ut loquuntur Practici; ob id, ut saltem primæ viæ quasi per epicrasin à muco vel pituita plus minus viscida ac acida liberentur, & ita producta morbosa, si non æquè semper radix morbi (hoc est à posteriori, si non à priori) removeantur, lenioribus, seu quorum vis primas vias non transcendit, ex evacuantibus, nunc solis, nunc appropriatis vel absorbentibus, præsertim martialibus, vel incidentibus, præsertim gummatibus, sociatis, præscribuntur pilulæ, quavis septimanâ, vel quovis lunæ decremento, vel singulis 14 diebus, vel singulis mensibus, idque vesperi, unâ alterâvè horâ ante cœnam, unde & *pilulæ ante cibum* quibusdam audiunt, assumendæ, ut ita sub chyli vehiculo innoxiè distribui, & circa primas vias saltem suo officio fungi, adeoque alvum laxare, sordes exterminare, & loca pura sustinere possint, ne tales morbi chronici in graviores paroxysmos exacerbari possint.

Basis harum pilularum est aloe & gummi ammoniacum, & quidem aloe pro scopo detergendi & evacuandi, gummi ammoniacum pro scopo resoluendi mucum acidum viscidum & tenacem; quibus & stimulus addi poterit. Cum verò aloe parte sui gummosâ in exili licet dosi, leniendi tamen huic scopo, dicto modo usurpata optimè inseruiat; hinc crebriùs ex hac sola, ita tamen præparata, ut pars eius gummosa magis quasi extrauertatur, resinosa verò infringatur vel separetur, tales *pilulæ usuales*, quæ aliàs Germ. *Haus-Pillen*, item *pilulæ stomachales*, vocantur, parari solent: quales sunt v. g. Angelicæ Francofurtenses, Glassianæ, omnibus pilulis laxativis præferendæ, (vid. HOFFMANNUS *Clav. Schrœder. l. 2. cap.* 73. *p.* 105. & *lib.* 4 *sect.* 4. *pag.* 635.) item *Ludoviciana* in *Pharmac. pag.* 179. item *de sale tartari pag* 79. *Tilemanniana Mater. Med. pag.* 214. item majoris apparatus istæ de Aloe violata, de aloe rosata, de quibus SCHROEDERUS *Pharm. l.* 4. *class.* 3. *pag.* 253. ut nihil dicam de aliis huc suo modo revocandis, ut pilulis de Ammoniaco *Quercetani*, (vid. SCHROEDERUS), quæ à gr. xii. xv. ad ℈i. ante cœnam deglutitæ suaviter laxant, item tartareis *Quercetani*, aloephanginis cum scammonio, de tribus Ruffi, & ex his constructis *pilulis Balsamicis Cnoffelii M. A. N. C. Ann.* 6. & 7. *Append. pag.* 19. Verùm hæ omnes, sive ex aloe sola, sive ex aliis magistrali compositione natis, constent, ferè ceu officinales vel pluribus in locis introductæ sunt, vel à Medico priuatim dispensantur, adeòque ad magistraliter præscribendas magis pertinent. Verbi gratiâ

℞. *Mass. pilul. de aloe ros.* gr. vi.
F. *pilulæ minores*,
D. S.

Pilulæ aperitivæ,

Quod si verò paulò efficaciores, tam pro alterandi, quàm pro abstergendi scopo, pilulæ usuales ordinandæ, quales ferè omni menstruo spatio sub ultima lunæ quadra in hodierna luxuriosa diæta dicto modo ante cœnam capiendæ, hisce ferè modis præscribi solent.

℞. *Gum. ammoniaci in aceto sol. & insp.* ʒß.
Aloes lucid. ʒii.
Mastich. el.
Myrrhæ el. an. ʒß. ad ℈ii.
Extr. troch. alband. ℈ß. ad gr. xv.
Cum *Eff. Absinthii*,
F. *Pilulæ minores.*

Dosis à 10. 12. ad gr. xv. ad summum ℈i.

Euacuant blandè sordes in primis uiis stabulantes. Si eas magis laxatiuas reddere uolumus, imminuitur dosis gummi ammoniaci, & au-

& augetur aloe. Usurpantur singulis mensibus sub lunæ decremento.

Alia fit formula *pilularum usualium*, iis qui laborant *malo hypochondriaco*, item *passione hysterica* atque *scorbuto*, ita præscribenda:

℞. *Gum. ammoniaci aceto scyllit. sol. & insp.* ℥i.
Aloes succotr. ℥ß.
Extr. Helleb. nigr. ʒj.
Myrrhæ ʒii.
Masticb.
Croci an. ℈ii.
Cum s. q. *Ess. Fumar.* f. *Pilulæ instar pisorum*, quorum dosis No. vi. vel viii.

His similes ferè sunt *Pilulæ Bartholetti in Encyclopædia*, quas præscribit in latitudine sanitatis seu statu conualescentiæ, ubi quidem non valdoperè quis ægrotat, interim tamen propter viscus aliquod læsum facilè labi potest in morbum.

Harum omnium loco sint pilulę *aperientes Tilemanni* in affectibus chronicis:

℞. *Aloes succot. luc.* ℥i.
Gum. ammoniaci in aceto squillit. sol. ℥ß. ad ℥i.
Tartari uitriolat. ʒiii.
Cum *Tinct. tartari* seu *Ess. martis* f. *Pilulæ minores*, aut saltem mediocres, quarum dosis No. 5. 7. 9. 11. ad 13. numero scilicet, ex vulgi superstitione, impari, capiantur bihorio ante cœnam.

Blandè laxant, stomachum euacuant, & fomitem successivè subtrahunt.

Vel

℞. *Aloes lucid.* ʒi.
Mag jalapp. gr xv.
Gum. de Peru ℈ß.
Extr. troch. alband. gr. iii.
Cum *Elix. propr. sine acido* f. *Pilulę pro quatuor dosibus*. S.
Pilulæ laxatiuę pro quatuor dosibus.

Vel etiam sine aloe, ex solis alterantibus cum stimulo sensiliore ad imitationem *Praxeos Syluianę præscribuntur*:

℞. *Galban.* cum *aceto depur.* ʒß.
Troch. alband gr. iv.
Scamm. præp gr. iii.
Cum s. q. *ol. destillati Carui* f. *Pilulę* No. xLv. pro tribus dosibus vespertinis.

℞. *Gum. ammoniac.* cum *aceto depur. & insp.* ℈i.
Vitrioli martis ad albed. calc. gr. v.
Troch. alband. gr. iß.
Scamm præp. gr. j.
Cum *ol. destillat. Fœnic.* f. *Pilulę minores*: pro una dosi quouis mense capiendæ.

Vel ad imitationem *Cnoffelianarum supra allegatarum*:

℞. *Mass. pilul. de trib. Ruffi*,
Extr. Helleb. nigr. an ℈ß.
Vitrioli martis ad albed. calc. gr. v.
Scamm. præp. gr. i.
Cum s. q. *Ess. Gum. ammoniaci* f. *Pilulæ*.

Atque tales hypochondriacis nostratibus ferè proficuæ existunt: quibus tamen & puluis supra præscriptus multum conferre solet, siccioribus nempè istis magisque exhaustis.

Pertinent huc

Pilulæ Riuerii polychrestæ ad morbos deploratos:

℞. *Mass. pilul. Ruffi*,
Antimonii diaphor.
Gum. Guaiac. an. ℥ß.
Balsam. Peruu. q. s.
F. *Massa pro pilulis*, quarum dosis est ℈i.

Quibus pro ulteriori stimulo, si lubet, addatur *scammonium sulphuratum* ad gr. ii.

Hæ continuentur aliquamdiu, & aliis irritis, in morbis desperatis summum erunt remedium. *Pilulæ Ruffi* ingredientes è *croco*, *myrrha* & *aloe* constant, & sunt quasi *Elixyr proprietatis siccum*.

Quoad *usum* ergo legitimum harum *pilularum usualium*, notetur: quod constent ex remediis efficacioribus, & propterea formantur pilulæ, ut remedia ingrata delicatis propinari possint. Cùm ergò aloe & reliqua ingredietia sint amarissima & ingrata, hinc sub forma pilularum propinatur. Quò & id accedit, quod quæ aliàs sub magna dosi propinantur, in pilulis paruâ potiùs satisfaciant: plerumque enim ad ℈i vel ad summum gr. xxv. rarissimè ad 30 grana, pro una dosi dantur. Hinc remedia illas efficaciora intrent: unde aloe ut plurimum est basis pilularum laxatiuarum, cui pro stimulo additur colocynthis vel scammonium.

Cæterùm, præter talem euacuandi scopum etiam pro vario alterandi fine præscribi ferè solent pilulæ, præsertim ex Extractis quibusdam ceu basi, additis aliis convenientibus: interdum tamen soli pulveres præscribi solent, iique excipiendi succo quodam inspissato siue Rob appropriato, vel alio corpore, ut ita in debitam consistentiam pilularum redigantur: interdum ex utrisque simul pilulæ com-

pinguntur, pro varia intentione; ita tamen, ne integra compositio ℈i. vel ʒß. ad summum excedat. Res exemplis clarior erit: Sint ergò

Pilulæ febriles, *in febribus intermittentibus chronicis* ante paroxysmum capiendæ, pro infringendo rigore & intendendo æstu:

℞. *Extr. Absinth.*
Card. bened.
Cent. min.
Theriacal. an. gr. v.
Ol. destillat. caryophyll. gtt. iii.
M. f. *Pilulæ*,
D. S.
Pilulæ febriles.

Vel

℞. *Extr. Absinth.*
Cent. min.
Gentian.
Imperator. an. gr. v.
Ol. destill. Caryophyll. gtt. ii. vel iii.
F. *Pilulæ.*
Capiendæ ante paroxysmum.

Commodè etiam pilulis hisce febrilibus *extracti trochiscorum albandal* gr. ii. ad iii. tàm pro alterandi quàm laxandi scopo, addi possunt, utut sub debita diaphoresi levior laxatio accidere soleat.

Usitatè solent Pilulæ alterantes præscribi ex Laudano Opiato, in quibus usus eius est necessarius; potest tamen etiam permisceri aliis ingredientibus pro scopi ratione: sic præscribuntur tales *pilulæ in febre ardente maligna cum agrypnia & jectigatione* coniuncta:

℞. *Extr. theriacal.* gr. vi. vel vii.
Laud. Opiat. gr. iß. vel ii. pro varietate præparationis.
Cum *spiritu theriacal. campb.* f. *Pilulæ*,
D. S.
Pilulæ somniferæ.

Extractum theriacale præscribitur in parua dosi, propterea, quòniam in Theriaca jam est opium, & insuper etiam additur opium.

Pilulæ sudoriferę & suauiter somniferæ in ægro inquieto:

℞. *Extr. card. bened.* ℈ß. ad ℈i.
Laud. opiat. ferm. gr. ii.
Cum *ol. Anisi* vel *Campb.* f. *Pilulæ*,
D. S.
Pilulæ sudoriferæ.

Loco olei destillati anisi aut camphoræ, si ferre possunt patientes, substituatur *oleum tartari rectificatum*, incredibilem sudorem cient pilulæ.

Aliæ *pilulæ sudoriferæ anodynæ*:

℞. *Extr. card. bened.* ℈ß.
Lignor. gr. v.
Theriacal.
Laud. opiat. an. gr. ii.
Cum *Essent. lignorum* f. *Pilulæ.*
D. S.
Pilulæ sudoriferæ pro una vice.

Vel

℞. *Extr. lignor.* gr xv.
Croci gr. iii.
Cum *ol. destillato tartari fœtid. rectif.* f. *Pilulę*,
S. ut anteà.

Item

℞. *Extr. card bened.*
Rad. gentianæ r.
Ligni guaiac. an. gr. v.
Salis vol. cornu Cerui gr. iii.
M. f. Pilulæ.
S. ut anteà.

Pilulę contra Cardialgiam cum Soda coniunctam alterantes:

℞. *Cretæ* ℈ß.
Pulu. later. coct. gr. viii.
Nuc. moschat gr. v.
Cum *ol. expr Nuc. moschat* f. *Pilulæ.*

Pilulæ contra diarrhœam, natam ex nimio esu uvarum:

℞. *Terræ sigillat.* gr. xii.
Corall. rub. prep. gr. vi.
Laud. opiat. gr. ii.
Cum s. q. *syr. Cydon.* f. *Pilulæ*.

Pilulæ sistentes vomitum in nephritide:

℞. *Extr. calam. arom.* gr. vi.
Castor.
Zedoar. an. gr. iv.
Laud. Hyster. gr. v vel vi.
Cum *ol. Terebinth.* f. *Pilulę*.

Pilulæ contra gonorrhœam malignam:

℞. *Terebinth. Cypr.* ʒi.
Mercurii dulc. ʒß. vel ℈ii.
Oss. sepiæ præp. ʒß.
M. f. *Pilulæ*,

Mm irroran-

irrorandæ aliquot guttis *olei destillati succin.* pro tribus dosibus.

Hic quidem pro una dosi sunt ℈ii. & ultra: sed notandum, quod mercurius dulcis admodum ponderosus sit.

In Phthisi confirmata pro tussi, sudore, &c. nocturnis inhibendis;

℞. *Antihect. Poter.* ℈i.
Sacch. saturni ℈ß.
Extr. Croci gr. v.
Laud. opiat. ferm. gr. ii. ad iii.
Cum s. q. *Bals. de Capaibe* f *Pilulæ*,
pro duab. dosibus, bihorio ante cœnam sumendis.

Pilulæ in tussi sicca nocturna ex lympha acriori;

℞. *Succin. præp.* ℈ß.
Myrrhæ el.
Sal. vol. succin. an. gr. v.
Extr. Croci gr. ii.
Laud. opiat. ferm. gr. i.
Cum *syr. Papav.* q. s. f. *Pilulæ*, S.
Pilulæ catarrhales contra tussim.
Usurpandæ horâ unâ ante cœnam vel sub introitum lecti.
Vel
℞. *Extr. sulph. pulv.* gr. xij.
Myrrhæ el. gr. iv.
Extr. Croci gr. ij.
Laud. opiat. gr. j.
Cum s. q. *tincturæ sulph.* f. *Pilulæ*,
vesperi capiendæ.

Conferantur *Pilulæ de styrace*, item *ad tussim* SCHROEDERI *Pharmac. l. 2. cap. 73. pag. 252.* vel *de styrace* SYLVII *l. 1. Prax. cap. 20. §. 36.* Succinctæ hæ sunt compositiones, & non contemnendæ in tussi nocturna sicca, quando ex inclementiori aere tempore hyberno tussis excitatur, tunc in principio affectus propinentur, & erunt elegantes, etiam in tussi sicca gravidarum.

Contra Agrypniam melancholicam:

℞. *Mag. Corall. cum succ. citr.* gr. xv.
Sacch. saturni gr. viii.
Laud. opiat. gr. ij.
Cum *Rob Juniperi* f. *Pilulæ*,
D. S.
Pilulæ somniferæ.
Sumantur vesperi hora una vel duabus ante pastum.

Et hæ sunt pilulæ pro usu interno. Interim præscribuntur etiam à modernis quibusdam pro scopo externo, loco feiè trochiscorum veteribus usitatorum, sive deinde lentè deglutiantur, sive non. Illuc pertinent pilulæ officinales becchicæ sive sublinguales, in tussi, asperitate faucium, raucedine, & similibus faucium affectibus, à lympha nimis acri obortis, usurpandæ. Præscribuntur secundùm MORELLUM ex rebus, quæ vim habent demulcendi acrimoniam lymphæ, & temperandi raucedinem, quâ temperata, cessabit tussis. Quod si lubuerit præscribere magistrales, tunc possunt præscribi in tali formula;

℞. *Succ. Liquirit. in aqua appropr. solut. & insp.* ℥iii.
Sem. papav. alb. ℥i.
Rad. Ireos Flor.
Benz. an. ℥ß.
Cum *mucil. Tragac. in aqua asthmat. dissol.*
F. l. a. *Pilulæ hypoglottides* seu *sublinguales*.

Harum enim pilularum semper aliquot ponantur sub lingua, ut sensim sensimque liquescant, & liquefactæ per fauces cum lympha dilabantur, ut lymphæ acrimoniam, & inde ortos faucium affectus leniant, temperent & demulceant. Nihilominus hæ pilulæ non amplius in frequenti adeò sunt usu.

Præter has etiam præscribuntur aliæ pilulæ, pro usu externo sine deglutitione, pro varietate scopi variæ: sed rariùs hoc; nec nisi in specialibus quibusdam casibus, v. g. ad odontalgiam, ex Extracto ligni guaiaci, & Laudano opiato cũ oleo destillato Origani Cretici formantur pilulæ denti dolenti vel cavo applicãdæ aut intrudendæ: E. g.

℞. *Extr. lign. Guaj.* gr. iii.
Laud. opiat. gr. ii.
Olei destillat. Caryophyll.
Orig. Cretic. an. gtt. j.
M. f. *pilulæ minores*, S.
Pilulæ contra odontalgiam.
Vel
℞. *Flor. Benz.* gr. vi.
Opii cum spiritu vini sol. & insp. gr. iii.
Cum *Extr. theriacal.* q. s.
f. *Pilulæ*,
D. S.
Ut ante.

Quò etiam pertinent pilulæ de calce viva, item odoriferæ Mynf. *Armament. sect. 7. p. 145.* Sic pilulæ apophlegmatizantes ex Extracto Nicotianæ cum pauco mercurio dulci, item cum essentia nicotianæ, ex mercurio dulci cum sufficienti quantitate gummi tragacanthæ aqua rosarum soluti, pro juvante saliuatione sub ptyalismo venereo præscribuntur: E. g.

℞. *Extr. Nicot.* gr. iii.
Zedoar. gr. ii.
Mercurii dulc. gr. xv.
Cum *Ess. Nicot.* f. *Pilulæ*,
D. S.
Pilulæ ad salivam.

Talium pilularum una submittitur linguæ, & huc detinetur, ne deglutiatur, & sufficiens sequetur saliuatio. Quod si verò hæc non succedat, substituantur sequentes;

℞. *Merc. dulc.* ℈i.
Cum s. q. *Trag. in aqua ros. solut.*
F. *Pilulæ maiores* No. ix.
Sign. ut *suprà*.

CAPUT III.

POTIONES SIVE MISTURÆ VARIÆ, ET SUBORDINATÆ FORMULÆ.

Tertium caput Misturas varias depromit, quarum frequentissima est præscribendi formula; cùm nullæ magis sint aptæ pro omnis generis medicamentis suscipiendis, quàm Misturæ hę. Concinnantur ex variis ingredientibus, primariò liquidis & fluidis, hinc & minus fluidis & siccis quoque, certa proportione & dosi coordinatis, nunc pro una nunc pro pluribus vicibus assumendæ, idque scopo vario, habitâ semper, quantum possibile, saporis & odoris, ratione.

In hisce autem duo attendenda: *Materiale* nimirum, atque *Formale*.

Materiale sunt vel liquida, vel sicca, vel fixa, vel volatilia, & sic porrò.

Formale verò quod concernit; hic observetur primò dosis ingredientium, tam generalis, quàm specialis. Hæc, specialis scilicet, variat pro varietate simplicium. Sic v. g. salia volatilia in forma sicca præscribuntur ad gr xv. vel ℈i ialappa ad ℈i. pulvis stomachalis ad ℈i. specificum febrile Crollii ad ℨi. Elixyr proprietatis ad ℨß.

Cæterum attendatur quoque dosis generalis, qua nempè ratione & proportione ingredientia misturas debeant ingredi, ut sequatur genuina proportio & elegans miscela, ut coniunctim tot doses efficiant, quot requiruntur.

In ipsa autem compositione annotetur:

1. *Liquor* constituens misturam, qualiscunque fuerit: &
2. Ipsa *addenda* & dissolvenda multiplicia.

Liquor est multiplex, ordinariè aqua quædam destillata, una vel plures, sive simplex, sive aqua quædam destillata composita. Interdum etiam loco aquæ cuiusdam destillatæ assumitur decoctum aliquod simplex, vel etiam aliquantisper compositum. Loco decocti interdum assumitur Infusum quoddam appropriatum in convenientequantitate, quod ipsi potioni corpus conciliat. Liquori simul propter gratiam saporis adiungitur syrupus quidam appropriatus, ne nimiùm nauseosa sit potio.

Addenda & *dissolvenda* reliqua sunt varia appropriata, ut aquæ appropriatæ spirituosæ: hæ enim, quoniam sunt nimis penetrantes, corpus non possunt constituere, propterea quoque, quoniam in minori quantitate sunt præscribendæ: Deinde succi dissolvuntur in iisdem. Essentiæ vel spiritui vegetabilium adduntur etiam spiritus animalium essentificati, id est, suo sale volatili acuati: item olea & salia volatilia appropriata dissolvuntur etiam non rarò extracta, confectiones, item electuaria quædam officinalia appropriata: sic etiam tincturæ ex vegetabilibus.

Ingredientium præterpropter *proportio* est, ratione scilicet doseos generalis, quæ tamen per specialem cuiusvis ingredientis dosin ratione facultatis specificæ, huiusque sub præparatione magis vel minus concentratæ, determinanda ulteriùs venit:

Liquoris, sive sit aqua simplex destillata, sive infusum, sive decoctum, ℥i.
Aqua minus spirituosa ℥ß.
Aqua spirituosa composita ℨi. vel ℨii. ad ℥ß.
Succi ℨii. vel iii.
Elixyr ℨi. vel ℨii.
Spiritus volatilis inflammabilis ℨi. ad ℨii.
Spiritus volatilis urinosi, si sit probè rectificatus & acris, ℨß. ad ℨi.
Syrupi edulcorationis gratia addendi ℨi. ad ℨii. vel ℨiii. ad summum ℥ß.

(Rarò solemus progredi ad maiorem syruporum quantitatem, sicuti veteribus fuit in usu, propterea, ne saccharum inducat noxam, uti sæpius monui.)

Electuarii cuiusdam officinalis ℈ii. vel ℨi præterpropter.
Confectionis cuiusdam analepticæ ℈i ad ℨß.
Extracti ℈i ad summum ℨß.
Pulverum ℈i. ad ℨß.
Essentiæ ℨß.
Tincturæ vegetabilium à ℨß. ad ℨi.

Salis volatilis ℈ß. vel gr. xii. ad summum ℈i.
Olei destillati grt. ii. iii. vel iv ad v. vel vj.

Ita tamen, ut tota compositio Mixturæ Potionis ordinariæ ℥iii. iv. vel v. vel ad summum ℥vi. non excedat: cui si arida & facilè subsidentia simul permisceantur, sub usu probè agitanda imperatur.

Ratione effectus sunt vel alterantes, vel purgantes; & quidem illæ internæ, & externæ: Internę quæ usurpantur, ordinariò ab assumendi modò *Potiones* appellantur; *externæ* verò potissimùm Epithemata audiunt.

Internè latissimè patet earum usus, cùm quovis ferè in morbo adhiberi pro quovis scopo possint, nisi interdum atonia ventriculi ac intestinorum moderatum earum usum suadeat.

Quoad *modum assumendi*, hauriuntur tales potiones & misturæ vel unâ vice, quando v. g. purgare aut sudorem movere volumus, vel pluribus vicibus, interjectis semper debitis intervallis, quando scopus est indeterminatus & successivè intentus. Unde misturæ tales, quæ pro pluribus dosibus præscribuntur, vel determinantur, quot vicibus assumi debeant; vel indeterminatè ordinantur, ut scilicet æger singulis horis capiat cochlear unum, vel duo ad tria, pro ratione circumstantiarum. Illud, ubi subitanea magis alteratio per sensiliorem operationem procuranda, viribus utcunque constantibus; hoc verò ubi successiva mutatio, præsertim in debilioribus, aut in casibus, in quibus cautiùs nonnihil procedendum, magis locum invenit.

Quoad *Potiones purgantes*, in his præscribendis & describendis, MORELLUS satis est prolixus, utut eundem rarò soleant imitari moderni, qui talibus decoctis & infusis pro purgantibus rarò solent uti, imprimis decoctis: sed si describenda potiuncula purgans à Medico, præscribitur

1. Ex aquis appropriatis, in quibus dissolvitur aliquod extractum purgans in dosi legitima, nullo habito respectu ad proportionem liquoris cum extracto dissolvendo, uti in alterantibus, additis quibusdam appropriatis, & syrupo quodam pro saporis gratia.

Vel etiam

2. Istis aquis appropriatis adduntur pulveres quidam appropriati purgantes, utut sit rarus hic modus & minus usitatus.

Vel

3. Si volumus infundere, facimus potionem purgantem usitatam ex foliis sennæ, infundendo ℥iii. ad ℥ß. foliorum sennæ in liquorem appropriatum, addendo pro stimulo sal tartari, vel crystallos tartari. Nisi enim adduntur tartarea, infusum erit mucilaginosum, quod adhærescendo intestinis, dat tormina & cruciatus. Videantur quę de senna *superiùs dixi*: & cum de his *cap.* 4. sit agendum, hoc loco transeant.

Ut dem exempla de singulis: sit purganda mulier, quæ affectione hypochondriaco scorbutica & quasi hysterica sit afflicta: huic præscriberem potionem talem purgantem tantum pro una vice; nam rarò pro pluribus præscribuntur:

℞. *Aquæ fumar.* ℥i.
Cinnam. spirituos. ʒi. ad ʒii. ratione odoris.
Extr. Helleb. nigr. vel *Melanag. Querc.* ℈i.
Crem. tart. gr. xv. vel *tart. vitriolat.* ℈ß.
Syr. de pomis Reg. Sab. ʒii. vel iii.
M. f. *Potio*,
D. S.
Potio purgans pro una vice.

Notetur: Extractum hic in legitima dosi est præscribendum. *Constituens* est aqua fumariæ: *Corrigens* est aqua cinnamomi: *basis* pro ratione purgationis est extractum melanagogum vel hellebori nigri: *adjuvans* est tartarus vitriolatus vel cremor tartari.

Mistura pro una dosi *euacuans in hydrope ascite*:

℞. *Succ. rad. Ireos nostr. per resident. depur.* ℥i.
Aquæ cinnam. ʒii.
Syr. violar. ℥ß.
Misc.

Potio alia *purgans* in incipiente hydrope, ad evacuandum serum:

℞. *Aquæ Cent. min.* vel *Hyssopi* ℥i.
Cinnam. spirituos. ʒi. ad ʒiii.
(additur hæc purgantibus propter gratiam saporis & odoris)
Pulv. rad. Jalapp. gr. xv.
Scamm. præp. gr. iii. vel *Extr. troch. alband.* gr. ii. vel
Mag. gum. de Peru gr. vi.
Syr. de Cichor. cum Rhabarb. ʒiii. vel ℥ß.
M. f. *Potio*, S.
Potio purgans pro una vice, bene circumagitanda.

Constituens hic est aqua centaurii minoris vel hyssopi: *basis* est pulvis radicis jalappæ: *adjuvans* est extractum trochiscorum alhandal, vel scammonium præparatum, vel magisterium gummi guttæ. Agitetur autem eum in finem, ne pulvis subsideat, & ritè operetur.

Mistura laxativa resolvens & evacuans mucum viscidum *in dolore hypochondriaco*:

℞. *Infus. fol. senn. cum sale tartari par.* ℥iß.
Salis hypoch. digest. gr. vii.
Scamm. sulphurat. gr. iii.
Syr. rosat. ex multipl. infus. ʒiii.
M. D. S.
Potio laxativa pro una vice.

Vel

℞. *Aquę Menth.* vel *succ. pom. Borsd. depur.* ℥iß.
Gum. ammon. in aceto sol. gr. xv. ad ℈i.
Salis hypochondr. dig. ℈ß.
Scamm. sulphurat. gr. ii.
Extr. troch. alband. gr. ß.
Syrup. rosat. solut. ʒiii.
Misc.

Vel

℞. *Aqua Menthæ* ℥i.
Cinnam. ʒii.
Gum. ammon. aceto sol. ℈i.
Tart. vitriolat. ℈ß.
Ext. troch. alband. gr. i ad ii.
Syr. fænic. ʒiii.
M. S.
Potio laxatiua emolliens.

Hauriatur pro una vice.

Mistura contra dolorem hypochondrii dextri terebrantem laxativo-anodyna:

℞. *Aqua Chamomill.* ℥i.
Gum. ammon. in aceto sol. ʒß.
Tartar. vitriolat. gr. xii.
Scamm. sulphurat. gr. ii. vel iii.
Laud. Hyster. gr. vi.
Syr. de spina cerv. ʒiii.
M. S.
Potio laxativa contra dolores.

Mistura pro una dosi *euacuans in Hydrope*:

℞. *Aqua fragor.* ℥i.
Pulu. jalapp. ℈i.
Tart. vitriolat. ℈ß.
Syr. ros. solut. ℥ß.
M. S.
Mistura pro una dosi euacuans in Hydrope.

Alia formula:

℞. *Succ. Ireos nostr. rec. expr. per resident. depur.* ℥ß. ad ℥vi. vel ℥i.
Aqua Cinnam. spirituos. ʒii.
Pulv. Jalapp. gr. xv.
Tart. vitriolat. ℈ß.
Syr. violar. solut. ʒiii.
M. S. ut anteà.

Verùm hæ potiones sunt ingratæ.

Cæterùm Infusio sennæ loco liquoris constituentis præscribi potest: E. g. sit

Mistura blandè *alvum emolliens* in imminente *morbo iliaco* ex obstructione à stercoribus:

℞. *Decoct. passul. cum tantillo senn. & crem. tart.* vel *Decoct. passul. cum tamar.* ℔ß
Olei Amygd. dulc. ℥ii. vel iii.
Syr. de pomis ℥ß.
M. S.
Potio aperitiva.

Interdum pro purgatione pectorali solet in talibus liquoribus appropriatis dissolvi Electuarium de carthamo, idque ab ℥ß ad ʒvi. quoniam superiùs jam aliquoties monui, quod carthamum sit dicatum pectori: v. g. in tussi & asthmate potest dissolvi in aqua marrubii, hyssopi, fœniculi, aut simili alia appropriata. Nam reliqua electuaria ut dissolvantur, impedit magna dosis, in qua sunt præscribenda, & consuetudo ægrotantium, qui respuunt potiones magnas, & haustus medicinales.

De Potionibus purgantibus, quas habet MORELLUS, legantur, utut rarò præscribantur; nihilominus si exigatur talis ab ægro, Medicus necesse est, ut habeat cognitionem præscribendi illam.

Essentiæ resinosæ, ut ex parte supra dictum, non adeò commodè miscentur potionibus, nisi in parva dosi. Si tamen desideretur Essentia purgans, qualis composita prostat in officinis nostris, quæ paratur ex simplicibus purgantibus extractis cum spiritu vini, commodè potest præscribi à Medico talis essentia à ʒiß. ad ʒii. & quidem hoc modo:

℞. *Ess. cathol. purg. Mich.* ʒii.
D. S.
Essentia purgans pro una vice.

Assumitur in cochleari jusculi vel alio modo.

Vel permiscetur Essentia ad ʒii. cum syrupi rosarum solutivi ℥ß. ad ʒvi. quoniam facilè solet permisceri cum hoc syrupo, & hic solet obtundere gustum acrem essentiæ, & præscribitur tunc hoc modo:

Potio Catholica:

℞. *Ess. cathol. purg.* ʒii. vel huius loco *Ess. Jalapp.* ʒij. vel iii.
Syr. rosar. solut. ℥ß. ad ʒvi.
M. D. S.
Succus purgans pro una vice.
Vel
℞. *Ess. Jalapp. citrat.* ʒiß.
Cathol. purg. ʒi.
Syr. rosar. ʒvi.
M. D. S.
Vt ante.

Talis mistura facilè assumi potest, & nulla fit præcipitatio.

Similis *Potio purgans* est, quæ sequitur:

℞. *Resin. Jalapp.* gr. ix. ℈ß. ad gr. xii.
Sal tartari gr. v. vi. vel viij.
Syr. rosar. solut. ℥ß. vel qu. v.
M. D.
Potio laxatiua.

℞. *Res. Jalapp.* gr. xii.
Scamm. gr. viii.
Sal. tartari gr. vii.
Syr. ros. simpl. q. s.
Ol. destillat. Anisi gtt. j.
M. S.
Vt supra.

Sal tartari ut corrigens additur, ut citra tormina operentur resinæ.

Vel
℞. *Res. scamm.* ℈ß. ad gr. xv.
Sacch. Candi vel *Canariens.* ʒi. ad ʒiii.
Puluerisatis exactissimè superfundatur paulatim sub tritura
Succ. citri ℥i.
M. f. *Potio purgans* pro delicatis, grati saporis, & promptè operabitur.
D. S.
Vt antea.

Vid. MOELLENBROCK *de Varis pag.* 97.

Potio purgans pro virgine delicata 15. annorum *in Ascite.*

℞. *Res. Jalapp* gr. vii. (in robustioribus ℈ß.) dissolv. in s. q. *vitelli ovi*, &
cum *aqua fragar.* vel *serpilli* ʒiii. ad ℥iß.
F. Liquor lacteus, qui edulcorandus cum
Syr. Cinnam. vel *Rosar.* ʒi. vel ʒii.
M. S.
Emulsio purgans.

Ad Potiones purgantes pertinent *Potiones vomitiua*, quæ satis frequenter solent præscribi. Cæterùm, cùm experientia docuerit Practicos, quod omnia vomitoria vegetabilium longè difficilioris sint operationis, & magis excrucient ægros, quàm vomitoria mineralium ex antimonio petita, & quoniam experti sunt Practici, quod antimoniũ longè feliciùs exhauriat excrementa per vomitum ipsis vegetabilibus, propterea percommodè solent præscribi tales Potiones vomitiuæ ex Infusis antimonialibus. In hunc finem solet prostare in officicis *syrupus emeticus*, seu, ut aliàs vocatur, *oxysaccharum emeticum Angeli Salæ*, factum ex *infusione vitri antimonii cum aceto*, & edulcoratum cum *sacchara*. Commodè potest præscribi à ʒiii. ad ℥ß in robustioribus etiam potest præscribi ad ʒvi. utut rarò in delicatioribus rarò solet transcendere dosin ʒiiß. Hic syrupus emeticus dissoluitur in liquore appropriato, & propinatur: V. g. in muciligine crassa & viscida ventriculi, inanem vomendi conatum excitante, præscribi potest, talis *Potiuncula*, quæ incidit mucilaginem crassam & viscidam, & liquefacit, liquefactam etiam per vomitum euacuat, hoc modo:

℞. *Aquæ Hyssopi* ℥i.
Spirit. gum. ammoniaci cum *viride æris* ʒß.
Syr. emet. Ang. Sal. ℥ß.
(vel *oxym. squillit.* ℥ß. & *syr. emet. Ang. Sal.* ʒiii.
M. f. *Potio*,
D. S.
Potio vomitoria pro una vice.

Hic spiritus gummi ammoniaci ex se inseruit pro attenuatione, incisione & liquefactione pituitæ crassæ & viscidæ, quod facit etiam adiecta aqua hyssopi; syrupus emeticus facit vomitum. Talia ingredientia omittuntur, ubi non est pituita viscida, v. g. in biliosis, ubi non licet tale quid propinare.

Alia *Potio vomitoria*:

℞. *Aquæ Menth.* ℥ß. vel ℥i.
Syr. emet. Ang. Salæ ℥ß.
Nicot. ʒii.
M. D. S.
Vt antè.

Basis est syrupus emeticus Salæ usitatus: *constituens* est aqua menthæ: *adiuuans* est syrupus nicotianæ, qui resolvit, attenuat, & euacuat materiam viscidam.

Vel

℞. *Julep. rosat.*
Syr. emet. Ang. Salæ an. ℥ß.
Aquæ Cinnam. ʒi.
M. D. S.
Vt antea.

Loco talium tamen vina infusionis præparatorum antimonialium æquè commoda videntur.

Non rarò quoque permiscentur Tincturæ appropriatæ ex vegetabilibus, item succi appropriati vegetabilium, in liquoribus: dissolvendo tincturæ ʒß. ad ʒi. liquoris, & succorum ʒii. ad ℥i. liquoris.

Quoad *Potiones alterantes*, de his intelligendus omnis effectus, qui non est purgans, siue sit sudoriferus, siue stomachalis, siue diureticus. MORELLUS diuidit in alterantes & corroborantes, mihi perinde est, modò non purgent. Variè præscribuntur, ut *ex seqq. patebit*: E. g.

Potio destruens acidum.

℞. *Aquæ card. bened.*
Fænic. an. ℥iß.
Spirit. sal. ammoniaci ʒi. ad ʒiß.
Lapill. cancr. præp.
Corall. rub. præp. an. gr. xv. ad ʒß.
Salis fumar. gr. xii.
Ol. destillat. Caryophyll. gtt. iii. ad vi.
Syr. menthæ vel *papav. alb.* ʒvi. ad ℥i.
M. f. *Potio*,
S.
Potio destruens acidum pro aliquot vicibus, benè circumagitanda.

Potio digestiua præmittenda purgationi in *affectibus hypochondriacis & melancholicis*, in subiectis præsertim siccioris & squalidi magis habitus:

℞. *Seri lactis benè depur.* ℥iv.
Ess. fumar. ʒii.
Solut. martis cum *succo pom.* ʒi. ad ʒiß.
Syrup. fumar. ʒvi.
D. S.
Potio digestiua.

Detur pro quatuor vicibus, dosin unam manè, alteram vesperi, per biduum capiendo.

Potio diuretica:

℞. *Aquæ hed. terr.* vel *bacc. alkekeng.*
Petrosel. an. ℥iß.
(vel
Aquæ heder. terrest.
Ononid.
Petrosel. an. ʒi.)
Malu. Juniperin. ʒvi.
Spirit. lumbr. terr. per putref. ʒi. vel ʒiß. ad ʒiij.
Ol. destillat. bacc. Juniperi vel *Terebinth.* gtt. iii. ad iv.
Syr. heder. terr. ʒiii. ad ʒvi.
M. S.
Potio diuretica pro aliquot vicibus.
Vel
℞. *Aquæ ononid.*
Petrosel. an. ℥ii.
Lapill. cancr. præp. ʒi.
Cryst. præp.
Test. ouor. calc. an. ʒß.
Sal. vol. succ. ℈i.
Spir. salis gutt. xx.
Syr. heder. terr. ʒß.
M. f. ut *anteà.*

Mistura diuretico-anodyna ad *præcauendum calculum*:

℞. *Aquæ bacc. alkekeng.*
Cerasor. nigr. ex nucl. an. ℥iß.
Malvat. Junip. ʒvi. vel ℥i.
Tinct. nephrit. ʒiii.
Sal. resol. lapill. cancr. ʒß.
Laud. opiat. ferm. gr. ii.
Syr. fragor. ʒß. M. D. S.
Mistura diuretica.

Potio sudorifera:

℞. *Aquæ card. bened.*
Flor. samb an. ℥iß.
Cornu Cerui sine igne ʒß.
Bezoard. miner. ℈i.
Cinn. antimonii,
Sal. vol. cornu Cerui an. ℈ß.
Syr. fumar. ʒiii. M.

Potio stomachalis:

℞. *Aquæ Menthæ* ℥iii. vel *huius* & *aquæ hyssopi* an. ℥iß.
Cinnam. spirituos. ʒi. ad ʒvi.
Succ. cydon. depur. ʒvi.
Elix. Menthæ ʒiii. ad ʒß.

Spirit.

Spirit. anisi ʒiß.
Syr. enul. ʒiij. ad ʒvj.
M. f. *Potio* D. S.
Potio stomachalis pro aliquot vicibus.

Basis hic est succus cydoniorum, elixyr menthæ, & spiritus anisi. Capiat æger pro dosi cochl. j. vel ij. ad iij.

Mistura contra inflationem stomachi:

♃. *Aquæ Menthæ* ℥ii.
Carmin. Dorner. ℥j.
Antimon. diaph. (si phlogoses adsunt) ʒj.
Spirit. nitri dulc. (corrigit effervescentias) ʒi. vel ʒiß.
Laud. opiat. gr. iij.
Syrup. Cinnam. ʒvj.
M. D. S.
Mistura contra flatus.

Alia *Mistura contra nimiam inflationem stomachi & abdominis anodyna*, ex acido viscido ortam:

♃. *Aquæ Menth.* ℥ii.
Carminat. ℥i.
Spirit. theriacal. campb. ʒiij.
Carminat. de trib. ʒiß.
Laud. opiat. gr. iii.
Syr. cort. Aurant. ʒvi.
M. S.
Mistura stomachalis.

Mistura anodyna carminatiua contra cardialgiam, in casu, quando peccat acidum effervescens; unde flatus:

♃. *Aquæ Chamomill.* ℥ii.
Carminat. Dorner. ℥i.
Elix. Menthæ ʒß.
Spir. nitri dulc. vel *carmin. de trib.* ʒi.
Syr. Cinnam.
Menthæ an. ℥ß.
M. S.
Mistura stomachalis cochleatim capienda.

Poticuncula in diarrhœa, quam etiam hactenus feliciter præscripsi:

♃. *Aquæ tormentill.* ℥iii.
Elect. diascord. Frac. ʒii.
Extr. tormentill.
Antimonii diaphor. an. ʒi.
Syr. cydon. ℥ß. vel ʒvi.
M. f. *Potio*,
D. S.
Potio adstringens circumagitanda.

Datur pro tribus vicibus, vel singulis horis assumuntur cochlear. ij. vel iij. Agitatur, ne crassior pars in fundo resideat. Prodest in diarrhœa maligna & contagiosa: ratione extracti tormentillæ sistit alvum, & ratione electuarii diascordii Fracastorii & antimonii diaphoretici expellit malignitatem per sudorem.

Mistura contra diarrhœam, natam ex nimio esu uvarum:

♃. *Aquæ Menthæ* ℥ii.
Cinnam. cydon. ʒvi.
Spirit. theriacal. campb. ʒß.
Corall. rub. præp.
Margæ Saxor. præp. an. ʒß.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. cydon. arom. ʒvi.
M. S.
Mixtura adstringens cochleatim capienda.

Expectetur sudor.

Mistura contra Choleram morborum, si oriatur à bile, quam vocant æruginosam:

♃. *Aquæ Menthæ*,
Rubi idæi an. ℥iß.
Spir. theriacal. campb. ʒiij. ad ʒvi.
Terræ sigillat. ʒi.
Corall. rub. præp. ʒß.
Laud. opiat. gr. iii.
Syr. rubi idæi ʒvi.
M. S.
Mistura adstringens.

Mistura contra dysenteriam:

♃. *Aquæ Menthæ* ℥ii.
Cinnam. ʒß.
Spirit. Mastich acidul. ʒiii.
Elect. diascord. Frac. ʒiß.
Terræ sigillat. ʒi.
Corall. rub. præp. ʒß.
Extr. theriacal. gr. vi.
Syr. cydon. arom. ʒvi.
M. D. S.
Potio adstringens.

Alia:

♃. *Aquæ Menthæ* ℥ii.
Serpilli ℥i.

Elect. diascord. Frac. ʒiß.
Terræ sigillat.
Cornu Cerui usti an. gr. xv.
Hepat. viperar. ʒß.
Syr. cydonior. ℥ß.
M. pro trib. dosibus.
D. S.
Potio adstringens cochleatim capienda.

Alia:

♃. *Aquæ Plantag.*
Scord. an. ℥i.
Cinnam.
Aceti vini an. ʒß.
Elect. diascord. Frac. ʒii.
Extr. torment. ʒß.
Laud. opiat. gr. iß. ad ii.
Syr. flor. papau. errat. ʒvi. ad ℥i.
M. f. l. a. *Potio*.
D. S.
Potio adstringens pro aliquot vicibus.

Capiatur pro lubitu cochleatim, semper benè agitando.

Item

♃. *Aquæ menthæ*,
Plantag an. ℥iß.
Liqu. styptic. ʒiß.
Extr. rad. torment. ʒß.
Terræ sigillat.
Corall. rub. præp. an. ℈i.
Antimonii diaphor. martial.
Hæmat. præp. an. ℈ß.
Syr. myrtin. ʒiii.
M. D. S.
Mistura adstringens: capiatur cochleatim.

Mistura Martialis contra nimium fluentes hæmorrhoides:

♃. *Aquæ Plantag.*
Portul. an. ℥iß.
Tinct. sulphuris vitrioli ʒiß.
Laud. opiat. gr. iii. vel iv.
Syr. Corall. ʒvi.
M. S.
Potio adstringens pro aliquot vicibus.

Mistura in colica flatulenta:

♃. *Aquæ chamomill.*
Fœnic. an. ℥iß.
Zedoar spirituos. ℥i.
Ess. cort. aurant. ʒiii.
Spir. sal. ammoniac. anis. ʒiß.
Laud. opiat. gr. iii.
Syr. cort. citri vel *aurant.* ℥ß.
M. D. S.
Potio resoluens colicam.

Mistura in Colica, quam vocant biliosam, *flatulenta*, cum phlogosibus & ardore coniuncta:

♃. *Aquæ cort. aurant.* cum *uino* ℥iii.
Physogon. ʒi.
Spirit. nitri dulc. anticol. ʒi.
Syr. cort. Aurant. ʒvi.
M. S.
Mistura in colica capienda cochleatim.

Expectetur sudor.

Alia contra dolorem abdominis lancinantem, qualis est *in Colica scorbutica, hypochondriaco-hysterica, quando ad cor ascendit*, ut dicunt, cum difficili respiratione:

♃. *Aquæ Menthæ* ℥ii.
Meliss cum *vino* ℥i.
Ess. Castor. ʒiß. ad ʒii.
Spirit. sal. ammoniaci simpl. vel *anis. liqu. cornu Cerui succin.* ʒi.
(loco horum etiam conuenit *sal succini*, *urinæ*, &c.)
Laud. opiat. gr. iii.
Syr. Melissæ ʒvi.
M. S.

Mistura vulneraria in Hernia ex *casu ab alto*:

♃. *Aquæ Cherefol.*
Herniar. an. ℥iß.
Aceti vini ʒvi.
Lapill. cancr. præp. ʒi.
Antimonii diaphor. ℈i.
Syr. de symph. Fern. ʒvi.
M. S.
Potio vulneraria capienda cochleatim.

Mistura contra raucedinem ex inspirato aere inclementiore inveteratam:

♃. *Aquæ Hyssopi*,
Scabiosæ an. ℥i.

Aquę asthmat. ʒvi.
Ol. destillat. anisi gtt. vi.
Oxym. squillit. ℥ß.
Syr. de erys. Lob. ℥i.
M. S.
Potio contra raucedinem.
Syr. de erys. Lobel. ℥i.
Alcb. Fern.
Mucil. sem. cydon. cum aqua Malv. extr. an. ℥ß.
Bals. sulphuris anis. gtt. x.
M. f. *Linctus.*

Mistura contra Asthma humidum pectorale expectorans:
℞. *Aquæ Hyssopi* ℥ii.
Asthmat. Rud. ℥i.
Gum. ammon. aceto squill. sol. ʒi.
Spirit. asthmat. Mich. ʒiß.
Syr. de Hyss. ʒvi. vel ℥i.
M. D. S.
Potio contra asthma.
Detur pro duabus vel tribus dosibus.

Potio seu *Mistura antifebrilis*, ante paroxysmum usurpanda:
℞. *Aquæ card. bened.*
Flor. samb. an. ℥i.
Antimonii diaph. Martial. ℈ii.
Corall. rub. præp. ℈i.
Sal vol. cornu Cervi gr. xii. vel xvi.
Laud. ferment. gr. ii.
Syr. de Mentha ℥ß.
M. S.
Potio antifebrilis pro 2. dosibus.
Detur pro duabus dosibus ante paroxysmum.
Alia:
℞. *Aquæ Menthæ,*
Tarax. an ℥ß.
Spirit. sal. ammoniac. ʒß.
Extr. Gentian. ℈i.
Syr. cort. Aurant. ʒii.
M. pro 1. dosi. S.
Potio antifebrilis pro una dosi.
Vel
℞. *Aquę card. bened.* ℥i. ad ℥iß.
Cinnam. ʒi. ad ʒiß.
Spirit. sal. ammoniac. simpl. ʒß.
Extr. Gentian. ℈ii.
Syr. card. bened. ʒiß. ad ʒiii.
M. f. *Potio,*
D. S.
Ut antè.

Capiatur bihorio ante paroxysmum, moderatè tegendo corpus: urgente magis frigore Extracti dosis augeri, item cum extracto theriacali acui potest; magis verò torrente æstu, ut in tertianis ordinariis, spiritus salis ammoniaci auctâ dosi permisceatur.
Alia:
℞. *Aquę cent. minor.*
Taraxac. an. ℥iß.
Extr. rad. gent. ʒi.
Specif. feb. il. Strobelb. ʒß.
Lapill. cancr. pręp.
Bezoard. miner. an. ℈i.
Sal. vol. cornu Cervi gr. xv.
Syr. menthę ʒiii.
M. f. *Potio* pro tribus dosibus.
D. S.
Potio antifebrilis pro tribus dosibus.

In febre intermittente scorbutica:
℞. *Aquę card. bened.*
Flor. samb. an. ℥ii.
Spirit. Cochlear. ʒii.
Sal. ammoniac. ʒi.
Arcan. dupl. Mynf. ℈i.
Corall. rub. pręp. gr. xv.
Syr. scelotyrb. For. ℥i.
M. S.
Mistura contra scorbutum, benè circumagitanda.
Capiatur cochleatim ante & in paroxysmo.
Alio modo:
℞. *Aquę card. ben.*
Flor. sambuc. an. ℥iß.
Aquę antiscorb. ℥i.
Spirit. Cochlear.
Sal ammoniac. an. ʒii.
Lapill. cancr. pręp.
Ebor. sine igne,
Arcan. dupl. an. ℈ii.
Syr. scelotyrb. For. ℥i.

M. f. Potio, pro 4. vel 6. dosibus assumenda, vel singulis horis cochl. ii. vel iii.

Quoad proportionem: ℥iv. aquarum respondent ʒiv. spirituum, pro ℥i. ʒß. uniuscuiusque: Deinde adsunt ℈iv. pulverum, ut pro ℥i. sint à ℈i. ad ʒß. pulverum: Additur de syrupo ad ℥iv. tantum ℥i. ut huius ℥i. aquarum, respondeant ʒii. propterea, quoniam potio præscribitur scorbutico, cui saccharum & saccharata solent esse nociva.

Potio pro temperanda *acrimonia bilis*, hoc est, corrigendo acido volatili plus minus oleoso in sanguine, in *febribus ardentibus*:
℞. *Aquæ Acetos.*
Flor. Papav. errat.
Portulac. an. ℥i.
Spirit. nitri dulc. vel *sal. dulc.* ʒß. ad ʒi.
Elect. diascord. Frac. ʒiß.
Syr. Portulac. ʒiii.
M. D. S.
Potio alterativa pro una dosi.

Alia pro dicto scopo & contra vagas phlogoses, subinde ægros morbis chronicis afflictos affligentes:
℞. *Aquæ Acetos.*
Rubi idæi an. ℥iß.
Succ. citri rec. vel *rubi idæi* ℥i.
Antimonii diaphor. ʒi.
Syr. acetos. citri vel *rubi id.* ʒvi.
Spirit. nitri dulc. q. s. pro grato sapore.
D. S.
Potio refrigerans, & alterativa pro aliquot vicibus, vel *Hepar & splenem refrigerans potio.*
Dosis cochlear. ii.
Vel
℞. *Aquæ Ceras. nigr.*
Flor. Tiliæ an. ℥iß.
Antimonii diaphor. ℈ii.
Bez. miner. ℈i.
Syr. acetos. citri vel *rubi id.* ʒvi.
Spir. nitri dulc. q. s. pro grata acid.
M. S. ut *antea.*
Item:
℞. *Aquæ rubi idæi* ℥ii.
Nitri Antimoniati ʒi.
Antimonii diaphor. gr. xv.
Syr. rubi idæi ʒvi.
M. S. ut *suprà.*

Mistura sudorifera theriacalis in principio *febrium malignarum*:
℞. *Aquæ rad. scorzon.* ℥iß.
Bezoard. animal ℈i.
Extr. theriacal. ℈ß.
Olei destillat. citri gtt. iii.
Syr. acetos. citri ʒiß.
M. f. Potio. S.
Mistura sudorifera.
Vel
℞. *Aquę flor. samb.* ℥i.
Aceti eorund. ʒii.
Theriac. ʒi.
Ras. Unicornu veri gr. xv.
Bez. mineral ℈ß.
Campb. gr. iii.
M. f. *Potio* pro una dosi.

Potio sudorifero anodyna in febre maligna, cum cephalalgia & delirio:
℞. *Aquæ flor. Acac.*
Samb. an. ℥ii.
Spirit. theriacal. campb. ʒii.
Gel. cornu Cervi rec. par. ℥i.
Cornu Cervi sine igne ʒi.
Bezoard. solar. ℈i. vel ʒß.
Extr. theriacal. gr. vi.
Laud. ferment. gr. ii.
Syr. fænic. vel *scord.* ʒvi.
M. S.
Potio refrigerans somnifera.

Mistura seu *Potio Analeptica*, quę *post & sub nimium sudorem* usurpatur *in febribus acutis*:
℞. *Aquæ flor. Borrag.*
Bugloss.
Rubi idęi an. ℥i.
Cinnam. ʒiii.
Succ. citri rec. ʒvi. vel ℥i. ad ℥iß.
Conf. alcherm. ʒiß.
Syr. rubi idęi,
Flor. Tunic. an. ℥i.
M. D. S.
Potio confortativa pro aliquot dosibus.

Mi-

Mixtura alterans in incremento & statu *febrium continuarum*, plus minus *malignarum*:

℞. *Aquæ scord.* ℥iij.
Spirit. theriacal. vel *simpl.* vel *moderatè Campb.* ʒiii.
Conf. alcherm. ʒiß.
Cornu Cerui sine igne ℈ii.
Bezoard. miner. ℈i.
Sal. vol. cornu Cerui vel *viperar.* gr. xv.
M. f. *Potio*. D. S.
Potio confortans.
Capiatur cochleatim.

Mistura acidula analeptica post nimium sudorem:

℞. *Aquæ Ceras. nigr.* ℥iv.
Phlegm. uitrioli acid. ℥ß. vel huius loco *Clyssi Antimonii* ʒii. vel ℥ß.
Syr. rubi idæi ℥i. ad ℥iß.
M. S. ut *anteà*.

Pertinent huc in primis *Misturæ* SYLVII *ex aceto destillato* cum *lapillis cancrorum*, *coralliis præparatis*, &c. reuerà in praxi polychrestæ: quæ vid. *in eius Praxi l.* 1. *cap.* 9. §. 20. in hæmorrhoidum fluxu nimio; *cap.* 13. §. 53. *& c.* 17. §. 13. ad sudorem suppressum reuocandum; & *cap.* 30. §. 135. *&* 183. & passim alibi.

Mistura antiscorbutica:

℞. *Lactis caprill.* vel *seri lactis depur.* ℔ii.
adde
Succ. expr. & depur. Cochlear.
Fumar.
Nasturt. an. ℥ii.
M. D. S.
Mixtura antiscorbutica pro aliquot vicibus.

Dosis ℥iii. ad v.

Edulcorari potest *saccharo* pro lubitu, & melioris penetrationis ergò cuilibet dosi Essentiæ compositæ cum spiritu cochleariæ paratæ gutt. 30. instillari.

Vel in forma Infusi:

℞. *Herb. Nasturt. aquat.* M. iv.
Acetosell. cum *flor.* M. ii.
Contund. in mortario cum. s. q. seri lactis:
Stent in loco tepido vel in balneo Mariæ per noctem
Colaturæ manè ℞. ℔ii.
D. S.
Potio antiscorbutica.

Dosis ℥iii. vel iv. quælibet dosis pro lubitu edulcorari potest.

Vel in *Decocti forma*:

℞. *Lact. caprill.* ℔i. ad ℔iß.
Fol. cochlear. M. ii.
Nasturt. M i.
Contusa & mista parum ebulliant in olla clausa, exprimantur & colentur.
D. S.
Decoctum antiscorbuticum.

In scorbuto admodum proficuum est: Colaturæ ℥iv ad ℥vi. bibat æger calidè manè, & bihorio ante cœnam: quod si juncta sit febris, potiùs serum lactis recipiatur.

Potio sudorifera in scabie pro una dosi, ut sudet æger:

℞. *Aquæ flor. samb.* ℥i.
Spirit. theriacal. campb. ʒß. ad ʒi.
Antimonii diaphor. g. xv.
Sal. vol. viperar. ℈ß.
Syr. card. bened.. vel *cort. aurant.* ℥ß.
M. S.
Potio sudorifera.

Potio antipleuritica:

℞. *Aquæ card. benedict.*
Flor. Papav. errat. an. ℥iß.
Spirit. vini bene campb. ʒiß.
Dent. apri præp.
Maxill. Lucii pisc.
Sal. vol. maxill. Lucii pisc. &c. gr. xv.
Laud. opiat. gr. iß. ad ii.
Syr. flor. Papav. errat. ʒvi. ad ℥i.
M. f. *Potio*.
D. S.
Potio antipleuritica.
Capiatur pro lubitu cochleatim, semper bene agitando.

Potio in quacunque hæmorrhagia D. SYLVIO valdè experta, utut videatur simplex compositum:

℞. *Aquæ Plantag.* ℥ii.
Cinnam. ʒvi.
Aceti Rosac. ℥ß.
Corall. rub. præp. ʒß.
Boli Arm. ℈i.
Sang. Dracon. ℈ß.
Laud. opiati gr. ii.
Syr. Myrtin. ʒvi. ad ℥i.
M. D. S.
Potio in hæmorrhagia benè, circumagitanda.

Obseruetur hoc benè, ut, antequam hauriatur, probè agitetur, quoniam pulueres ratione ponderositatis subsident in fundo. Sæpè expertus est hanc Potionem SYLVIUS, & ego usus sum felici cum successu hac ipsâ, miratusque ipsius efficaciam in hæmorrhagiis quibuscunque.

Obseruetur hìc proportio: sunt ℥ii. aquæ plantaginis, his respondent aquæ cinnamomi ceu minus spirituosæ ʒvi. unciæ uni nempè drachmæ tres, aceti ʒii. Adest pulverum ʒi. ut unciæ uni ita respondeat drachma semis: laudani opiati gr. ii. adsunt, & ita pro unaquaque uncia granum unum: syrupi myrtini si præscribantur ʒvi. respondent unciæ uni drachmæ tres; si ℥i. respondent huic ℥ß de syrupo.

De hac potiuncula singulis horis duo vel tria cochlearia sunt assumenda.

Quod si adsit suspicio sanguinis congrumati in corpore, verbi gratiâ, si sit vomitus sanguinis, ita ut præter indicationem sistendi sanguinem adsit suspicio sanguinis congrumati in stomacho, & necesse sit, ut dissoluatur, adduntur commodè lapilli cancrorum vel antimonium diaphoreticum. Hæc enim dissoluunt sanguinem congrumatum, eumque fluxilem faciunt. Vel si præscribenda

Mistura sistens uomitum cruentum, simulque *sanguinem grumosum* blandè *dissoluens*:

℞. *Aquæ urticæ maj.* cum *spiritu uitrioli acidul.* ℥iv.
Cinnam. spirituos. ℥i.
Terr. sigillat. ℈ii.
Lap. Hæmat. præp. ℈i.
Laud. opiat. gr. iii.
Syr. de Symph. Fernel. ʒvi.
M. D. S.
Potio adstringens.
Item
℞. *Aquæ Hyperic.*
Plantag. an. ℥ii.
Succ. cydon. rec. vel *granat.* vel *plantag. rec. expr.* ʒvi. ad ℥i.
Lap. Hæmat. præp. ʒß.
Bol. Arm. ℈i.
Syr. de Symph. Fern. q. s.
Misc.

Potio vel *Mistura* vetulæ præscribenda, *contra apoplexiam* præservans:

℞. *Aquæ Lavend.*
Primul. veris,
Flor. Tiliæ an. ℥i.
Apoplect. usit.
Spirit. cerasor. nigr. an. ʒiß.
Ess. primul. veris ʒiii.
Sal. uol. succin. ʒß.
Syr. flor. Tunic. ℥i. ad ℥iß.
M. f. *Potio*, D. S.
Potio cephalica.

Dosis sunt duo vel tria cochlearia singulis horis assumenda.

Hæc potio studio debet esse generosa, fortis & penetrans, quoniam spirituosa in apoplexia utramque faciunt paginam, & omnia ingredientia respiciunt caput.

Mistura contra passionem hystericam, seu *colicam conuulsiuam*:

℞. *Aquæ Fœnic.*
Matricar.
Flor. samb. an. ℥j.
Ess. Castor. ʒiij.
Sal. vol. cornu Cerui,
Succin. an. gr. xii.
Laud. opiat. gr. iii.
Syr. cort. Aurant. ʒiii.
M. S.
Mistura contra colicam:

Hæc potio est odoris & saporis ingrati, sed fit studio, quia tales mulieres non possunt ferre suauia, ideoque & parum syrupi additur.

Vel

℞. *Aquæ matricar.*
Meliss. an. ℥iß.
Ess. castor. ʒii.
Liqu. cornu Cerui succin. ʒi.
Laud. opiat. gr. iii.
Syr. menthæ ʒiii.
M. S. ut *anteà*.

Alia

℞. *Aquæ Rorismar.* ℥iii.
Spirit. carminat. de trib. ʒi.
Unic. veri præp. ʒß.
Cornu Cerui usti præp. gr. xv.
Laud. hyster. ℈ß. vel *Laud. ferm.* gr. iii. vel iv.
Syr. flor. Tunic. ℥ß.

M. S.

M S.

Mixtura dolores sedans.

℞. *Aquæ flor. till.*
Cerasor.
Epilept. Lang. an. ℥i.
Essent. castor. ʒii.
Liqu. cornu Cervi succin. ʒi.
Far. lycopod. ℈ii.
Cran. human sine igne,
Specif. cephal. an. ℈i.
Syr. de stœchade q. s.
M. S.

Potio cephalica pro 3. dosibus, sive cochleatim capienda.

Mixtura corrigens acidum viscidum in infante ex late coagulato, simulque laxativa:

℞. *Aquæ fœnic.*
Menthæ an. ʒvj.
Spirit. sal. ammoniaci anis. ℈i.
Syr. rosat. solut. ʒiii.
M.

Potio contra tormina, & imminentem epilepsiam infantum:

℞. *Aquæ flor. Tunic.* ℥iß.
Unic. veri præp. ℈i.
Dent. Hippopot. præp gr. xv.
Cryst all. præp. ℈ß.
Syr. fœnic. ʒiij.
M. S.

Potio dolores sedans, semper circumagitanda.

Mixtura, quæ promoveat eruptionem Purpuræ in infante, simulque tormina ejus sistat, dum adhuc lactatur:

℞. *Aquæ scorzon.* ℥i.
Menthæ ℥ß.
Cornu Cervi sine igne,
Maxill. Luciipiscis an. ℈ß.
Sal. vol. cornu Cervi gr. iii. ad iv.
Syr. fumar. simpl. ʒiii.
M. S.

Potio expellens, benè circumagitanda.

Ex his jam facilè patebit, quomodo sint præscribendæ *Potiones* alterantes, *quarum basis* seu corpus sunt aquæ destillatæ, decocta, aut infusa. Subinde usu venit, ut pulveres non misceantur cum potionibus, sed dum pulveres ad unam vel alteram dosin præscribimus, postmodum simul præscribimus etiam potiunculam, ita ut debeant inservire per vehiculo istius pulveris: v. g. si præscripsissem pulverem quendam sudoriferū in febre maligna pro duabus v. g vicibus, tunc simul adderē *Potiunculam* pro isto pulvere, quę *loco vehiculi* esse debet:

℞. *Aquæ Galeg.*
Scorzon. an. ℥i
Cordial. H. S. ℥ß.
Syr. acetos. citri ʒiii.
M. S.

Potio ad pulverem.

EMVLSIONES.

SVperest specialis, eaque duplex, Misturarum differentia ulteriùs consideranda: quarum prior est contractior, adeoque pro aliquot saltem dosibus ad ℥iv. vi. vel ad summum ℥viii. præscribi solet; & à colore albo opaco, sapore subdulci aut saltem insipido dulci, substantia ingredientium pingui & oleosa, & usu temperandi, potissimùm acrimoniam salsam, lacti similis cum sit, *Emulsio* dicitur, quæ est lactiformis *Potio*.

Hæc satis concinnè à MORELLO est descripta: desidero tantum, quod nimis sit largus in dosibus tam ingredientium, quàm ipsius emulsionis, uti monstrabo postmodum. Et quidem ex nomine facilè patet, quod Emulsio sit medicamentum habens consistentiam & formam lactis, simul quoque, quantum fieri potest, debet æmulari gratiam lactis in sapore, unde rarissimè vel nunquam res tetræ & nauseabundæ sunt miscendæ. Tales, utut olim pro scopo temperandi atque roborandi usurpatæ sunt, hodie tamen & in alios fines adhibentur.

Has autem *tria primaria ingredientia* constituunt;

1. *Semina* oleosa, *&* *fructus* quasi seminales, nuclei v. g pineæ rum & pistaceorum, amygdala, & quidem non omnia semina oleosa; sed quæ habent in se pulpam candidam ac oleosam, cum liquo quodam appropriato facilè friabilem ac dissolubilē, i. e. quę habent in se succū oleosū seu oleoso-aquosum per expressionem eliciēdum, utut sine sine sapore & odore insigniori, ut sunt semina portulacæ, papaveris, napi, aquilegiæ, cardui benedicti, cardui Mariæ, semen citri, semina quatuor frigida majora & minora, &c. unde reliqua semina oleosa, ut semen anisi, &c. pro Emulsione sunt inconuenientia.
2. *Liquor*, cum quo subiguntur semina oleosa, ut contusione ac agitatione in mortario, tandem in potionem lacteam abeant, per colationem depurandam, quę dicitur *Emulsio*: id quod remanet in colatorio, sunt cortices seminum. Liquor hic sunt vel aquæ destillatæ appropriatæ, vel decocta appropriata, v. g. decoctum hordei, tàm simplex, quàm compositum, &c. pro varietate scopi: v. g. in morbis malignis præscibitur aqua borraginis, galegæ, ulmariæ, decoctum cornu cervi, radicis scorzoneræ, quod habet vim expulsivam & sudoriferam; pro scopo confortatiuo aqua cinnamomi, melissę, liliorum convallium cum vino; in dysenteria conveniens est decoctum priapi cerui vel ceti; in dysuria seu acrimonia urinæ decoctum maluæ; in emulsionibus antipleuriticis conueniens est decoctum radicis glycyrrhizę, quoniam dulcis est saporis, & lenit asperitatem faucium; in emulsionibus viis urinariis destinatis, v. g. seminis violarum, &c conueniens est decoctum cicerum rubrorum pro abstergenda mucilagine & promouenda urina.

Hæc est simplicissima formula Emulsionis, cui interdum

3. Simul pulveres albi adduntur, scopo appropriati, ita tamen, ut aquarum ℥j. seminum ʒi. vel ℈iv. nucleorum ʒii. pulverum addendorum ℈i. respondeat:

Edulcoratur mistura pro gratia saporis, aut pauco saccharo, uel quodam syrupo appropriato, & ita administratur usu & interno & externo: illo ad Potionem, hoc ad Epithemata, de quibus infra, ubi, *de Mixturis externis*, refertur. BORELLUS pro edulcoratione commendat syrupum uiolarum aut capillorum Veneris, sed malè: nam emulsio debet esse coloris lactei, hi verò syrupi sunt coloris nigricantis & obscuri: Potiùs syrupus de nymphæa & syrupus papaveris possunt præscribi in emulsionibus; si enim rectè sint præparati, sunt coloris albi. Aliquando etiam in illis soluuntur manus Christi perlatæ pro gratia saporis.

Usus talium emulsionum est uel *generalis*, uel *specialis*. *Generalis* est, quod temperent acrimoniam salium mutuò efferuescentium, demulceant sitim, temperent æstum. *Specialis* est uarius pro uarietate seminum aut ingredientium, ex quibus fiunt uel fieri possunt: sic amygdala dulcia admodum temperata & nutritiua sunt: semina 4. frigida diuretica, & usitatè pręscribuntur in temperando ardore corporis & commodè permiscentur cum semine papaueris albi, ut leniter sopiatur dolor, ut in pleuritide, uel quando opus est leni somno in agrypnia, uirium prostratione & iectigatione corporis: semen cardui benedicti & cardui Mariæ præscribuntur in emulsionibus antipleuriticis, & simul addantur pulveres appropriati antipleuritici: Ex semine agni casti & cannabis fit elegans emulsio in gonorrhœa, item in fluore uterino mulierum; potest addi antimonium diaphoreticum, os sepiæ prępararum, succinum præparatum, & erit emulsio admodum elegans in gonorrhœa: semen uiolarum, milli solis, &c. valdè convenit, ubi est suppressio urinę, item in affectibus nephriticis, pellit enim urinam, & simul solet per inferius guttur laxare, ad ℥ß. pro tribus dosibus præscribitur: semen cardui benedicti, Mariæ, napi, aquilegię, citri, &c. pręscribuntur in emulsionibus alexipharmacis, in febribus malignis, in variolis & morbillis, in febribus petechialibus: sed obseruetur, quod semen citri sit amariusculum, & proptereà non in ęquali dosi pręscribitur cum aliis seminibus, sed in minori, ne gratia saporis pereat: Ex semine pœonię fiūt Emulsiones, quando metus est epilepsię in puerorum variolis, propterea commodè cum seminibus expellentibus permiscetur semen pœonię, & sic fit Emulsio antepileptica expulsiva & dissoluitur in ea, unà cūaliis pulveribus, pulvis epilepticus Marchionis, qui est coloris albi: Ex nucleis persicorum fit emulsio antinephritica urinam ciens, & calculum leniter mouens: proptereà etiam aliqualem vim habent somnum inducendi nuclei persicorum.

Quoad Formulas, v. g. fit

Emulsio temperans acrimoniam humorum:

℞. *Amygdal dulc. ambros.* ʒii.
Sem. 4. frig. mai. an. ʒi.
Cum s. q. *decoct. hord. simpl.* f. *Emulsio*: edulcoranda cum *Rotulis manus Christi perlatis*. D. S.

Emulsio refrigerans.

Hæc potest assumi pro tribus uicibus, uel singulis horis duo uel tria uel quatuor cochlearia.

Emulsio temperans acre salsum, simulque *somnifera, in incremento febrium continuarum*:

℞. *Amygd. dulc. exc.* ʒii.
Sem. papav. alb. ʒi. vel ʒii.
4. frigid. mai. an. ʒi.
Cum s. q. *aquæ acetos.* vel *endiv.* f. *Emulsio*: adde
Antimonii diaphor.
Bezoard. miner an. ℈i. ad ʒß.
Edulcoretur parum, S.

Emulsio temperans.

Emulsio temperans lympham salsam acrem, pectus affligentem, cum nata inde febre symptomatica:

℞. *Amygd. dulc. ambros.* ʒiii.
Sem. Melon. ʒiß.
Cum s. q. *aquę scabios.* f. *Emulsio*:
adde
Maxill. Lucii pisc. ʒß.

Unic.

Unic. fossil. ℈ß.
Antibect. Poter. ritè par. ℈i.
M. edulcoretur parum.
D. S. ut antè.

Emulsio diuretica, laxativa nonnihil:
♃. *Sem. carthami* ℥ß.
Violar. ʒii.
Aqua ononid.
Petrosel. an. ℥iii.
Contere l. a. in *Emulsionem*, cui expressæ adde
Spir. fragor. ℥ß.
Syr. de alth. Fernel. ℥i.
Misc.

Huc & Emulsio feminis violarum pertinet, quam & SCHROEDERUS *l. 2. Pharm. p.* 203. habet, & aliàs vocatur
Emulsio Nephro-Cathartica,
ita dicta, quod vim habet ciendi urinam, & laxandi per aluvm. E. g.
♃. *Sem. violar.* ʒiii. vel ℥ß.
Lithosperm. ʒi. vel ʒii.
Cum f. q. *aqua bacc. alkek.* vel *veronic.* vel *fragor.*
f. *Emulsio* ad ℔ iv.
add e
Lap. Percar. præp. ʒi. (vel *test. ovor. calcin.*
Lapill. cancr. præp.
Lapill. percar. præp. an. ʒi.)
Edulcoretur pauco *saccharo*, vel *julepo rosar.*
D. S.
Emulsio diuretica.

♃. *Sem. violar. purp.* ℥ß.
Lithosperm. ʒiß.
Cum f. q. *aqua ononid.* & *Petrosel.*
f. Emulsio:
adde
Spir. fragor. ℥ß.
Mag. nephritic. ʒiß.
Edulcoretur parum cum *rot. manus Christi perlat.*
D. S. ut *supra*.

Emulsio alterans somnifera in febre continua benigna:
♃. *Sem. Card. Bened.*
Mariæ an. ʒiß.
Papav. alb. ʒii.
Cum f. q. *aquæ rad. Helen.*
f. *Emulsio*:
adde
Corall. rub. præp. ʒß.
Cornu Cervi sine igne,
Ebor. sine igne,
Bez. mineral. an. ℈j.
Edulcoretur pauco *Saccharo*, S.
Emulsio somnifera.

Emulsio expulsiva in variolis,
ubi sunt utilissimæ, præprimis ubi tempus ebullitionis adhuc durat, h. e. primis quatuor diebus:
♃. *Sem. Aquileg.*
Napi an. ʒiii.
Aquæ ulmar. ℥vi. (vel huius, *aquæ galegæ* & *Aquileg.* an. ℥ii.)
F. l. a. *Emulsio*: adde
Cornu Cervi sine igne,
Antimonii diaphor. an. ʒß.
Bezoar. mineral. gr. xii.
Edulcoretur cum *rot. manus Christi perl.*
D. S.
Emulsio expulsiva, benè agitanda.

Datur pro tribus dosibus, ℥ii. pro dosi, vel horis singulis tria vel quatuor cochlearia assumenda.

Quod si adsit vel jectigatio corporis, vel agrypnia, uti fit in primis diebus ante eruptionem variolarum, additur commodè *sem. papav. albi* ʒiß.

Aliter:
♃. *Sem. Aquileg.*
Napi an. ʒiiß.
Citri ʒi.
Cum f. q. *aqua ulmar.* f. *Emulsio* ad ℥iv. vel ℥vi.
adde
Cornu Cervi sine igne ℈ii.
Antimonii diaphor. vel *Bezoar. miner.* ℈i.
Edulcor. cum f. q. *rotul. manus Christi perlat.*
D. S.
Emulsio expulsiva.

Item:
♃. *Sem. Aquileg.* ʒiii.
Card. bened.
Napi,
Sem. Papav. albi an. ℥i.
Aquæ Aquileg.
Card. bened.
Napi an. ℥ii.
Contere l. a. in Emulsionem: cui expressæ adde
Aquæ cinnam. spirituos. ʒiii.
Unic. fossil. ℈i.
Cornu Cervi sine igne ʒi.
Bezoard. miner. ℈ii.
Edulcoretur cum *sacch.*
D. S.
Emulsio confortativa.

Pertinent huc etiam *Amygdalata*, Germ. *die Mandel-Milche*: non enim sunt distincta ab emulsionibus formula, sed tantum ita vocantur, quia basin eorum constituunt Amygdala dulcia: usus eorum est in Phthisi, Hectica, Atrophia &c. E. g.
♃. *Amygd. dulc. ambros.* ℥i.
Sem. Papau. albi ʒii.
Cum f. q. *aqua Portul.* f. Emulsio spissior ad ℔ß.
Edulcoretur pauco *saccharo.*
D. S.
Emulsio confortans & somnifera.

Emulsio Analeptica seu *nutritiva*:
♃. *Amygd. dulc.* ℥ß.
Pinear. non rancid.
Pistac. excort. an. ʒii.
Aqua Borrag.
Buglossæ an. ℥iii.
F. *Emulsio*,
adde
Aqua Cinnam. borrag.
Epilep. Lang. ʒii.
Edulcoretur cum saccharo,
D. S.
Emulsio confortativa.

Emulsio Analeptica & Hypnotica:
♃. *Sem. Papau. alb.* ℥ß.
Melon. ʒi.
Amygd dulc. ambr. ʒii.
Cum *aqua flor. Acac.*
Nymph.
Sambuci an. ℥ii.
F. *Emulsio.*
Edulcoretur parum cum *rotul. manus Christi perlat.*
D. S.
Emulsio confortans somnifera.

Emulsio antipleuritica:
♃. *Sem. Card. Bened.*
Mariæ an. ʒii.
Cum ℥iv. *Aquæ flor. Papau. errat.* f. *Emulsio*:
adde
Maxill. Lucii pisc.
Dent. apri præp. an. ʒß.
Edulcoretur parum cum *rotul. manus Christi*,
D. S.
Emulsio antipleuritica.

Vel
♃. *Hord. ad crepat. coct.*
Sem. 4. frig. mai. an. ʒi.
Cum *Aqua flor. Papav. err.* f. *Emulsio*:
adde
Lapill. cancr. præp. ℈ii.
Dent. Hippopot. præp. ℈i.
Edulcor. cum *pauco syr. de Alth. Fern.* vel saccharo,
D. S.
Emulsio refrigerans.

Emulsio temperans in æstuatione renum, ardore urinæ, & affectibus nephriticis:
♃. *Sem. 4. frig. mai.* ʒß.
Papau. alb.
Violar. an ʒi.
Lapill. cancr. præp. ℈ii.
Testar. ovor. strutb. ʒß.
M. edulcoretur *sacchar.*
D. S.
Emulsio temperans.

Emulsio ad gonorrhœam benignam:
♃. *Sem. Agni casti* ʒß.
Cannab. ʒii.
Cum *aqua Nymph.* q. s. f. Emulsio:
adde
Ossis sep. præp.
Succin. alb. præp. an. ʒß. ad ℈ii.
Antimonii diaphor. ʒß.

Edul-

Edulcor. parum cum *saccharo*,
D. S.
Emulsio adstringens alteratiua.

Hauritur cochleatim, agitando probè, pro dosi cochlearia duo vel tria.

Vel
℞. *Sem. Cannab.* ℥vi.
Cum s. q. *aquæ flor. Nymph.* f. Emulsio:
adde
Unic. fossil. ℥j.
Edulcoretur pauco *saccharo*, vel *syr. Nymphææ*, S.
Emulsio singularis.

In Emulsionum usu observandum:

1. Ne in nimia quantitate præscribantur, cùm facillimè alterentur, ac in stomacho febrientium fervido rancescant, i. e. abeant in copiosam vermiculorum progeniem, atque tunc fœtorem, nauseabundum & pravum saporem contrahant: hinc rancore suo impediunt legitimum concursum bilis & succi pancreatici; acrimoniam insimul magis senfilem acquirunt & acescunt, excretiones in stomacho impediunt, stomachi digestionem turbant, in morbis calidis acescunt facilè, & stomachum prostratum relinquunt; adeoque malum sæpiùs contumacius reddendo, plus noceat quàm prosunt. Rarissimus igitur sit Emulsionum usus; minori quantitate, nec ultra tres doses præscribantur.
2. Observetur: ne loco nimis calido asserventur.
3. Ne usus earum sit nimis familiaris; quia stomacho multum nocent, laxando tonum ejus, & facili rancore vitiando fermentum ejus, prosternunt appetitum, nauseam inferunt, &c.

Et propptereà in minori dosi, nec magis unâ vice, solet præscribi, quàm pro tribus dosibus.

Pro dosi supputanda est ℥iß. aut ℥ii. vel ℥iii. Præterea alio modo etiam præscribuntur cochleatim assumenda singulis horarum vel etiam semihorarum spatiis tria vel quatuor cochlearia: ad horas octo unciæ quinque vel sex pro tribus dosibus, vel etiam pro quatuor ad summum unciæ novem.

Cautelas in præparatione Emulsionum, ne tam facilè corrumpantur, videbitis in WEDELIO *de Comp. Medicamentorum Extemp. pag.* 60.

Præter dicta, etiam Resinosa subinde emulsionem ingredi possunt: hinc hac ratione myrrha salubri consilio emulsioni additur in febribus petechialibus aliisque malignis; sic cum seminibus fit Potio albescens & minus ingrata, utut saporis ratione ad strictè dictas emulsiones minus pertineat: Sit v. g.

Emulsio contra variolas, febres petechiales, & puerperarum Purpuram:
℞. *Cort. citri flauesc.* ℥ii. vel iii.
Amygd. dulc. ℥i. ad ℥iß.
Sem. citri ℥i.
Aquileg.
Card. bened. an. ℥ß. ad ℥i.
Myrrhæ el. ℥ß.
Misceantur omnia, & redigantur in mortario in formam Emulsionis
Cum s. q. *Aquæ scordii*, vel *scorzoner.* vel harum ana part. æqual.
Edulcoretur parum, S.
Emulsio expulsiua.

Nimia myrrhæ acrimonia hic obtunditur per amygdalas & cortices citri.

Conf. ZWELFFERI *Pharmac. Reg. p.* 209. ubi *liquor alexipharmacus*, qui sanè in variolis est egregius: ad cujus imitationem & alii similes præscribi possunt, utut saporis ratione ad strictè dictas emulsiones minùs pertineant.

Huc pertinent quoque *Emulsiones Terebinthinatæ* ad affectus renum & vesicæ, v g. mictum cruentum, urinam suppressam, ulcera renum, &c.

℞. *Terebinth opt. Venet.* vel *Cypr.* (sic enim præscribitur) ℥ß. ad ℥vi.
Vitell oui No. i.
Mellis ℥ii. ad ℥ß.
Agitentur probè in mortario marmoreo cum pistillo ligneo, donec albescant & dissoluantur cremoris lactis instar, instillando uel infundendo successiuè
Vini albi,
Aquæ flor. Fabar.
Parietar. an. ℥j. ad ℥iß.
Succ. uel *syrup. acetos. citri* ℥i.
Misc. probè, D S.
Emulsio singularis pro aliquot uicibus.

Usurpatur pro haustibus duobus uel tribus in calculo renum, & supra dictis partium urinariarum affectibus.

Potest etiam addi pro varietate scopi *Rhabarb. pulveris.* ℥j. ubi opus est laxatione: vel ubi dolor est gravativus, loco syrupi acetositatis citri & rhabarbari, potest addi *syrupus de papauere*, uel etiam aliquot grana *laudani opiati*.

Sine vitello ovi nō potest misceri *Terebinthina*, & pro lubitu instillatur, prout magis vel minus spissa expetitur emulsio: quin ex sola *Terebinthina* cum *vitello oui* in *aqua fragorum* talis *emulsio* parari poterit. Quoad hujusmodi generis emulsiones, conf. imprimis PLATERUS *in suis Obseruationibus*, ubi *de affectibus urinariis*.

Pertinet huc quoque Modernorum Inuentum, qui misturas lacteas instar emulsionum, laxantes æquè ac purgantes, parant, ex resinosis in primis constantes: præter emulsionem enim seminis carthami, additione uel radicis mechoacannæ, uel resinæ scammonii aut jalappæ acuendam, passim notam, resinæ cum aqua artificiosè sociatæ, & ita resolutæ, emulsioniformes potiones potenter laxatiuas reddunt; de quibus etiam obseruatum fuit, quod hac formâ blandiùs longè simulque copiosiùs euacuetur nostrum corpus. Diuersi autem modi sunt: e. g.

℞. *Sem. Carthami* ℥iii. ad ℥ß.
Cum s. q. *Aquæ flor. Persic.* f. *Emulsio*;
adde
Rad. Mechoacann. albiss. ℈i. ad ℥ß.
Edulcoretur cum *rotul. manus Christi perlat.*
D. S.
Emulsio laxativa.

Hæc autem propter copiam est tædiosa Melius ex resinis & resinosis parantur: v. g. *Emulsio cathartica* ad imitationem TIMÆI;
℞. *Sem. melon. exc.* ℥ß. ad ℥j.
Res. jalappæ gr. vii. ix. ad ℈ß.
Conterantur l. a. in Emulsionem cum
Aquæ rosar. ℥i.
Cui expressæ adde
Aquæ cinnam. ℥i. ad ℥ii.
Spiritus rosar. ℈ß. vel ℈i.
Edulcoretur cum *rotul. manus Christi perlat.* S.
Emulsio purgatiua.

Parari etiam solet loco aquæ rosarum cum *sola aqua cinnamomi*, vel cum *julepo rosarum*, sensim affundendo. SYLVIO in Belgio, & ROLFINCIO Jenæ, in usu fuit *Emulsio* ex scammonio parata cum succo citri, aut in ejus defectu aqua cichorii sylvestris: e. g.
℞. *Scamm. sulphurat.* ℈ß. vel gr. xv. in robustioribus ad ℈i.
Cum s. q. aquæ rosar. &c. v. g. ℥ß. agitetur probè in mortario lapideo, & statim liquor lactescet instar lactis candidissimi, qui postmodum decantetur à fæcibus.
Edulcoretur pauco saccharo,
S.
Vt ante.

Sufficienter operatur. Acui etiam potest aqua cum pauco *olei tartari per deliquium*; sic corrigitur sapor scammonii.

Item
℞. *Resin. Jalapp.* ℈ß.
Dissolv. in s. q. *vitelli oui*;
& cum Aquæ fœnic. ℥ß f. Emulsio:
adde
Aquæ cinnam. ℥i. ad ℥ii.
Edulcoretur pauco *saccharo*.

Et hæc est optima forma Potionum purgantium sub forma emulsionum resinosarum, quæ potentiùs operatur, quàm ejusdem resinæ eadem dosis aliâ sub formâ, dissoluenie illius texturam vitello oui, cujus medio minutis sub particulis undique fluidis corporis permiscetur & associatur Vitellum ovi resoluit radicitus resinas, easque aquis pertinaciter inhærere facit, adeò ut tardiùs in fundum secedant.

Impropriè etiam uocantur Emulsiones misturæ ex aquis, mediantibus solis pulueribus candidis paratæ, utut nil de dictis seminibus in se contineant, sed potius propter similitudinem coloris & consistentiæ vocantur Emulsiones. Quò pertinent superstitionis basi superstructæ *Emulsiones perlarum*; Tales enim misturæ propter similitudinem coloris & consistentiæ uocantur Emulsiones. Exempli loco sit

Emulsio febrilis impropriè sic dicta;
℞. *Aquæ Cent. min.* ℥i.
Cinnam. ℥ii. vel iii.
Specif. febril. Strobelb. ℥j.
Antimonii diaphoret. gr. xv.
Edulcor. cum pauco *saccharo*, D. S.
Emulsio febrilis circumagitanda pro una vice.

In statu variolarum & morbillorum:
℞. *Aquæ Aquileg.*
Card. bened.
Napi an. ℥i.
Cinnam. spirituos. ℥iß.

Cornu

Cornu Cervi sine igne ℨß.
Bezoard. miner. ℈i.
Unic. fossil. ℈ß.
Sacch. albiss. q. s.
M. D. S.
Emulsio confortativa.

Emulsio Cosmetica:
℞. *Aquę rosar.* vel *sperm. ran.* ℥iß. aut qu. v.
Instilletur *Ess. Benzoes* qu. v.
F. *Mistura lactea*,

Quæ pro faciei ac manuum leni abluitione cum spontanea exsiccatione adhiberi potest: quin & prætereà de Cosmetico ex marcasita aliquid addi.

Hæc de Emulsionibus pro usu interno. Interdum etiam fit, ut parentur Emulsiones pro usu externo, pro epithematis fronti & capiti applicandis in nimiis vigiliis, doloribus capitis, item deliriis & similibus aliis affectibus, in quibus fiunt Emulsiones tenues admodum ac fluidæ, cum linteis duplicatis applicandæ. Dico tenues ac fluidæ, ita ut pro drachma una seminum, unciæ duę vel plures assumantur liquoris. Formulas dabo infra, ubi de mixturis externis.

JULEPI.

Altera specialis misturæ differentia est Potio dilutior rubicunda, quæ in majori dosi pro frequentiore usu præscripta, in febribus in primis usitata, dicitur *Julepus*; unde & potando crebriùs assumi solet. Arabum sunt inventa, & loco potus ordinarii sæpè præscribuntur. Scopus est temperandi in febribus clamosam sitim, & præcordiorum æstum ac ardorem, ac mitigandi anxiosam molestiam ipsis ægris non satis explicabilem; unde ob crebriorem usum prę aliis coloris in primis rubelli, saporis suaviter aciduli & leniter in recessu quasi pungentis, & odoris jucundioris gratia in iis attendi debet. Præscribuntur eodem modo ac alię Potiones, saltem quod tenuioris debean t esse consistentię.

Julepis autem inservit aqua vel vulgaris vel medicata. His adduntur dissolvenda, ut syrupi, succi, tincturæ, spiritus, in primis minerales, &c. hac proportione, ut librę uni corporis aquei respondeant syrupi uncię duę, & succorum uncię duę, tincturę drachmę duę, ad summum drachmę tres, spiritus mineralis acidi quantum sufficit pro grato sapore. Et hęc proportio valet, si conjunctim misceantur cum syrupo; sin verò seorsim, augeatur eorum dosis. Loco mineralium spirituum salis, nitri & sulphuris, Iulepis commiscendorum, sæpè succi vegetabiles soli adduntur. Spiritus quidem hi mineralium texturę sunt firmioris, minùs & tardiùs ob id in nobis alterabiles, potentiùs tamen resolvunt, abstergunt, & magis diuretici sunt. Ast nimis à constitutivis nostris alieni sunt, & vix citra ventriculi laborem & primarum viarum alterationes, nisi cautè & cum spiritu vini dulcificati administrentur, ferre possunt; adeoque temperata in Praxi semper sunt optima. Succi verò isti vegetabilium, sulphure medicati, ac ita ab alteratione quavis præservati, & spontè suâ quicquid est contentorum fermentescibilium, seposuerunt, adeò, ut saltem acor nativus, phlegmate sufficiente dilutus, superfit longè suavius & blandius, absque mali cujusvis suspicione ferri à nobis possunt; unde horum potiùs, quàm illorum, sub frequenti Juleporũ repetitione ratione habendam existimo. De cætero, quò simpliciora, eò meliora talia sunt julapia, adeò, ut inter illorum locum vel aqua simplex, aut cerevisia secundaria, cum tertia vel quarta vini parte diluta, cum infusione corticum aut taleolarum citri, quibus & sacchari parum pro lubitu addi potest, subinde substitui queant. Dissolvuntur etiam interdum in Julepis gelatinæ vel ex cornu cervi, vel ex cranio humano, vel ex similibus aliis paratæ, quæ sine sapore, odore, & sine omni nausea possunt hauriri. Exemplum esto talis

Julepi in febribus malignis pro temperando æstu atque siti:
℞. *Aquæ simpl.* ℔iß.
Vini Rhenani ℥ix.
Mistis his addatur
Pomum citri dissect. & nonnihil express.
Gel. Cornu Cervi rec. par. ℥ii.
M. f. *Julepus.*

Observandum hìc:

1. *Vinum* omnibus febricitantibus necessariò dari.
2. *Gelatinam* his per se misceri non posse, nisi super carbones in cochleari teneatur, ita enim dissolvi, & misturæ addi potest.

Talis Julepus servat corpus in diaphoresi, nec stomacho nocet propter vinum, & gelatina est appropriata. Cum enim quavis in febre humorum quorumvis præternaturalis commotio, perturbatusque in iisdem, in specie in sanguine, observetur motus intestinus, vitiari hi ulterius à Julepis magis compositis, & ita facilè fermentantibus, sicque vim digestivam debilem eludentibus, syrupis præsertim aut saccharo copiosiùs imprægnatis, poterunt. Unde si corpus Julepi decoctum vel infusum quoddam constituat, cætera addenda & pauciora & diluta magis esse debent. Quò simplicior ex opposito fuerit, minus ventriculum gravat, nec præcordia inflat, facilè transit, primas vias diluit & abstergit, acriora contenta temperat, & diureseos ac diaphoreseos negotium facilitat. Sit exemplum

Julepi in nimia siti & æstu febris tertianæ:
℞. *Aquę fontan.* ℔i
Tincturę flor. bellid. ℨiß. vel ℨii.
Syr. ribium,
Rubi idęi an. ℥iß. ad ℥ii.
Spiritus Nitri dulc. vel *vitrioli* q. s. pro grato sapore,
D. S.
Julepus contra sitim.

Vel

℞. *Aquę fontan.* ℔ii.
Cinnam. ℥ß.
Succ. citr. rec. ℥ß.
Spiritus nitri parum q. s. pro grato sapore. S.
Julepus refrigerans.

Interim cautè hìc mercandum; nihil enim magis auget febres, quàm si in paroxysmo febrium in nimio æstu nimium bibatur.

Julepus in febre ardente:
℞. *Aquę comm.* ℔i.
Tincturę Rosar. ℨii.
Syr. Berber.
De Jujub. an. ℥i.
Spiritus sulphuris per camp. q. s. pro grato sapore, D. S.
ut antè.

Interdum sumuntur aquæ destillatæ appropriatæ loco aquæ simplicis: v. g.

Julepus in nimia siti & æstu Tertianę:
℞. *Aquæ Acetos.*
Cichor.
Endiu. an. ℥iv.
Succ. Berber.
Cydonior.
Syr. flor. Pap. errat.
Rosar.
Violar. an. ℥ß.
Tincturę flor. Papav. errat.
Rosar.
Violar. an. ℨi.
Spiritus vitrioli Philos. vel *salis* parum,
Misc. pro *Julepo.*

℞. *Aquę Acetos.*
Cichor.
Endiu. an. ℔ß.
Succ. cydon. ℥iß. ad ℥iii.
Tincturę flor. Bellid. ℨiii.
Syr. violar. q. s. pro sapore.
M. D. S.
Ut ante.

Julepus in Causo:
℞. *Aquę Acetos.*
Cichor.
Endiv. an. ℔ß.
Succ. Berber.
Cydon. an. ℥ii.
Syr. acetos. citri ℥ii.
Tincturę flor. Bellid. q. s. pro grato acore & colore,
D. S.
Julepus refrigerans pro aliquot vicibus.

Hìc omissi sunt spiritus minerales, quia mistura ob succum citri per se est acida.

Alius *Julepus in febre ardente, in qua suspicio subest malignitatis:*
℞. *Aquę Acetos.* ℔ß.
Succ. Berber.
Ribium an. ℥i.
Syr. acetos. citri ℥ß.
M. S. ut *antea.*

In febribus cum diarrhœa, ubi Julepi præscribendi loco syruporum & similium, commodè dissolvitur succus & syrupus cydoniorũ: uti etiam gelatina cornu Cervi, quæ est egregia in diarrhœa maligna epidemica.

Interdum pro corpore Juleporum quidam hordeacea sumunt decocta, sed malè; Est enim decoctum crudum, unde & ipsi illi Medici dicunt, quod crebriùs usurpata flatulentias inferant. Potiùs ergo aquâ fontanâ, vel decocto quodam alterante usitato, cornu Cervi, radicis scorzoneræ, &c. pro corpore Juleporum, quàm decocto hordei & aquis destillatis, utendum esse; quin & hæ crebriori usu manifestam ventriculi atoniam inducunt. Si ergo præscribendus

Julepus blandus *in nimia siti & æstu post exercitium tempore æstivo* institutum:
℞. *Decoct. alterant.* cum *aqua Rubi id. fact.* ℔j.
Succ. citri ℥j.
Syr. acetos. citri ℥iß.
Spiritus sal. dulc. q. s. pro grato acore.
D. S.

D. S.

Julepus alterativus.

Julepus analepticus contra dysenteriam:

℞. *Ras. Priapi ceti* ℥i.
Rad. Torment. ʒiii. ad ℥ß.
Coqu. in f. q. *aquæ simpl.*
Colat. ℞. ℔ß. adde
Aquæ cinnam. ʒiß. ad ʒiii.
Syr. corall. querc. vel *de sympb. Fernel.* ℥iß.
M. pro Julepo, S.

Julepus adstringens.

Julepus in Causo:

℞. *Dec. rad. scorz. cum cornu Cervi* ℔i.
Succ. Berber.
Succ. ribium an. ℥ß. ad ℥i.
Tinctur. Rosar.
Violar. an ʒi. ad ʒii.
Syr. de succo Citri ℥i. ad ℥iii.
M. D. S.

Julepus refrigerans pro aliquot dosibus.

Si non sufficienter acidus est, addatur *spiritus salis* parum.

Vel

℞. *Decoct. Citri* ℔. i.
Succ. Ribium ℥i.
Tinctur. Violar. ℥i.
Syr. rubi idæi ʒii.
M. S.

Julepus confortans.

℞. *Decoct. rad. Scorz.* ℔. iß.
Tinctur. flor. Bellid.
Rosar.
Violar. an. ʒi.
Syr. Rosar. rub. ℥iii.
Spir. vitrioli q. f. pro grato sapore.
M. S.

Julepus refrigerans.

Julepus in febre maligna, in qua corpus est disponendum ad lenem sudorem vel diaphoresin, & etiam interna malignitas appropriatis compescenda:

℞. *Decoct. cornu Cervi cum rad. Scorz.* ℔i.
Succ. Citri rec. expr. ℥ii.
Tincturæ flor. Aquileg. ʒii.
Syr. de succo Borrag.
Citri an. ʒvi.
Spiritus salis dulc. q. f. pro grato sapore,
D. S.

Julepus expulsivus pro aliquot vicibus.

℞. *Decoct. rad. Scorz. cum cornu Cervi* ℔i.
Succ. Rubi idæi ℥ii.
Citri ℥i.
Gel. cornu Cervi ℥i. ad ℥iß.
Syr. Acetos. Citri q. f. pro grato sapore,
D. S.

Julepus confortativus.

Aliter:

℞. *Decoct. cornu Cervi* ℔iß.
Gel. cornu Cervi rec. ℥iß.
Succ. Citri,
Ribium,
Rubi idæi an. ℥i.
Aquæ Cinnam. ʒvi.
Syr. Berber. vel *Papav. alb.* vel *Papav. errat.* q. f. pro gratia,
D. S.

Ut ante.

Interdum, ubi scopus est simul servare alvum apertam, non inconveniens est dissolvere pulpam tamarindorum in liquore appropriato; quoniam est acida, blandè refrigerat, & effervescentias compescit, & præterea, uti notum est, alvum laxam servat. Vel loco liquoris adsumitur Decoctum tamarindorum acidulum, in quo decocto minus de acidis postmodum dissolvendum est, quoniam ipsum per se est subacidum: E. g. sit

Julepus alterans & laxans in Quartana scorbutica:

℞. *Passul. min.* ℥iv.
Pulp. Tamarind. ℥ii.
Coqu. in f. q. *aquæ simpl.*
Colat. ℔iß. adde
Aquæ Cinnam. spirituos. ʒii.
Spiritus Cochlear. ʒi.
Succ. Citri rec. ℥iii.
M. S.

Julepus emolliens.

Ex Citro etiam egregii possunt fieri *Julepi in febribus ardentibus malignis*, si *poma citrea*, nimirum *pulpa* & *cortex flavus*, exemptis seminibus, coquantur in *aqua appropriata*; post decoctionem recipiatur colatura, cui addatur *Syrupi acetositatis Citri* quantum sufficit habitâ ratione decocti, & misceantur aliquot drachmæ *Elixyr citri* pro gratia saporis, & maiori efficacia.

Hic est modus consuetus parandi Julepos. Nihilominus loco corporis in Julebis serum lactis depuratum inservire solet, quod optimum est tam in febribus ardentibus malignis, quàm speciatim scorbuticis, in quibus serum lactis per se est appropriatum; in specie, si solvantur in hoc appropriata scorbuto resistentia: depuratur autem optimè per infusionem succi citri. Si ergò præscribendus

Julepus in febre scorbutica, qui alvum simul apertam servat:

℞. *Seri lact. depur.* ℔i.
Decoct. Tamarind. (qui per se valdè conveniunt in scorbuto, & post citrum sunt optimi) ℔ß.
Succi Citri rec. ʒvi. vel ℥i. ad ℥iß.
(ne nimis fiat acidus)
Syr. scelotyrb. For. vel *ex toto Citro* ℥iii.
M. f. Julepus,
S.

Julepus laxativus in febre scorbutica.

Additur decoctum Tamarindorum ob vim laxandi & antiscorbuticam.

Julepus in quartana scorbutica alterans & laxans:

℞. *Decoct. Passul. min. in sero lact. depur.* ℔iß.
adde
Succ. Cochlear. per resident. depur. ℥iii.
Citri rec. ℥i.
M. S. ut anteà.

Adhuc alio modo ex tempore fiunt Julepi per modum infusi extemporanei, ex floribus siccis, irroratis cum spiritu appropriato, & infusis in liquorem vel potum appropriatum; & sic etiam, subitò emergit Tinctura, qua post filtrationem, Syrupo appropriato coniuncta, dat Julepum non inelegantem. Sic v. g. si præscribendus

Julepus per modum infusi *extemporaneus in nimia siti & æstu* post exercitium, tempore æstivo institutum:

℞. *Flor. Bellid.* M. ii.
Infund. in f. q. *Aquæ Rubi idæi, acidul.*
Cum f. q. *spir. sulphuris per camp.*
Stent in loco tepido per noctem;
Colatur. ℔iß. manè adde
Syr. acetos. Citri ℥ii.
Rubi idæi ℥i.
M. S.

Julepus refrigerans & confortans.

Julepus citratus ad imitationem decocti Citr. Mynsichti:

℞. *Pom. Citr.* No. iii.
In taleolas dissecta conspergantur *sacchar o albo*;
coqu. leniter in f. q. *Aq. citri* vel *simpl.*
Colat. ℔iß. vel ℔ii. adde
Succ. Citri rec. ℥iii. vel ℥iv.
&, si opus fuerit, etiam
Spir. salis dulcis parum,
Flor. Papav. errat.
Rosar. an. M. i.
Stent in loco repido in infusione ad extractionem tincturæ,
Colatura cum levi ebullitione
S.

Julepus confortativus citrius.

Loco facchari addi potest
Syr. ex toto citro ℥iß. ad ℥iii.
Elæosacch. Citr. ʒi.

Julepus dilutus per infusionem parandus in *febre tertiana*:

℞. *Flor. Rosar.*
Tunic.
Violar. an. M. i.
Infund. in f. q. *aquæ cujusd. approppr.*
spiritus sulphuris per camp. acidul.
Stent in balneo Mariæ ad extractionem tincturæ:
Colatur. ℔iß. adde
Syr. Berber.
Ex toto Citro,
De Jujub. an. ℥i.
M. S.

Julepus cordialis.

Julepus per infusionem in Pleuritide:

℞. *Flor. Papav. err.* M. i.
Violar. M. ß.
Infund. in f. q. *aquæ font.* vel *aquæ flor. Papav. err.*
cum f. q. *spiritus sulphuris per camp. acidul.*
Stent in balneo Mariæ ad extractionem Tincturæ:
Colat. ℔iß. adde
Syr. de Jujub.
Papav. errat.
De scabiosa an. ℥i. ad ℥ii.
M. D. S.

Jule-

Julepus refrigerans pro aliquot vicibus.

Vel

℞. *Flor. Papav. err.*
Rosar. rub. an. M. ß.

Infund. in ℔iß. *Aquæ comm.* aut *Aquæ flor. papav. errat.* aut *seri lactis depur. acidulatæ leniter cum spiritu sulphuris per camp.*

Stent in loco calido in Balneo Mariæ ad extractionem Tincturæ: addendo
Syr. Jujubin. ℥ii.
Violar. ℥i.
M. pro *Julepo.*

Sic etiam in *hepatitide*, & *Peripneumonia*, *cum febre acuta conjunctis*, posset præscribi talis *Julepus* ex tempore *per infusionem florum*;

℞. *Flor. Papav. err.* p. ii.
Rosar.
Violar. an. p. i.

Irrorentur parum cum *Spiritu nitri*: affunde
Decoct. alterant. usit. ℔i.

Stent in loco tepido per horas aliquot, postea filtretur, & adduntur
Syr. flor papav. errat.
Ribium an. ℥vi.
M. D. S.

Julepus refrigerans pro aliquot vicibus.

Item secundùm alios *ex conservis*, dissolutis in liquore appropriato, parum acidulato. Modus est non inelegans, neque etiam infrequens: Sic v. g.

In febribus ardentibus cum affectibus capitis conjunctis, posset fieri talis *Julepus*:

℞. *Conf Acetos.*
Flor. Beton.
Nymph.
Tunic. an. ℥ß. ℥vi. ad ℥i.

Dissolv. in s. q. *Aquę Endiv.* & *Galegę*, vel in *decoct. cornu Cervi cum rad. Scorz.* agitentur probè cum pistillo, vel stent ad aliquot horas in loco calido, donec dissolutæ sint conservæ: Colaturæ filtratæ

adde
Spiritus vitrioli q. s. pro grat. saporis,
D. S.

Julepus refrigerans pro aliquot vicibus.

Vel *in Pleuritide*:

℞. *Conf. flor. Rosar.*
Tunic.
Violar. vel *Acetosell.* an. ℥ß. ad ℥i.
Succ. Ribium ℥vi. ad ℥ii.

Affund. s. q. *Decoct. rad. Scorzoner. cum cornu Cervi*, vel *Aquæ comm.* vel *destillatæ cujusvis*;

Dissolvantur in mortario cum pistillo, clausoque vase ad unam vel alteram horam leniter ebulliant.

Colat. ℔iß.
adde
Tincturę flor. Bellid. q. s. pro grato sapore,
D. S.

Julepus confortativus.

Ea quæ habet MORELLUS de admiscendis confectis pulveribus & similibus, non ampliùs sunt in usu, quoniam Julepos faciunt ingratos.

Inter dissolvenda referendum etiam est Rob Sambuci, quod nō incommodè ad aliquot drachmas potest dissolvi in liquore appropriato & additis convenientibus fieri Julepus, valdè conveniens in febribus conjunctis cum erysipelate. Exemplum talis

Julepi in Pleuritide, in qua pleura & pulmo est obsessus inflammatione exysipelacea, & quasi erysipelate interno, est tale;

℞. *Decoct. flor. papav. errat* ℥viii.
Succ. Violar. (propter facilem exspuitionem) ℥i.
Rob Sambuci ℥ii.
Syr. flor. Papav. errat.
Papav. alb. an. ℥ß.
Spiritus nitri dulcis (qui est appropriatus in pleuritide & omni erysipelatę interno) q. s. pro grato sapore,
M. D. S.

Julepus refrigerans in pleuritide.

Vbi verò opus est, ut materia rejiciatur per os, sub forma tussis & sputi, ibi Julepi expectorantes præscribuntur, in quibus basis est decoctum radicis glycyrrhizæ, vel decoctum radicis glycyrrhizæ cum scorzonera, & similia; & in his postmodum, additis addendis, etiam potest dissolvi spiritus nitri dulcis, qui egregiè incidit materiam crassam, & adjuvat expectorationem.

Moderni Medici non sine singulari ratione Julepis suis solent addere spiritū vini aut alium liquorem appropriatum unà cum spiritu acido minerali; quoniam certum est, quod talis vini spiritus egregiè soleat compescere sitim, atque etiam in nimia inflammatione conjunctus cum spiritu acido præferendus sit ipsi spiritui acido simplici; unde B. D. LANGIUS in usu habuit talem *Julepum*:

℞. *Aquę fontan.* vel *cujusd. appropr.* ℥xv.
Spiritus vini rectif. ℥i.
Rob Samb. ℥ii.
Spiritus nitri parum.
M. pro *Julepo*,

in febribus ardentibus, tam simplicibus quam malignis.

MISTVRÆ EXTERNÆ.

Externè pariter usurpantur *Misturę*, quæ tamen sunt variæ, ex iisdem quidem ingredientibus pro usu externo diversimodè præparatæ, sed pro varietate partium ac usus subinde variandæ, adeò, ut certis legibus vix coerceri possint: Ob hanc igitur varietatem, post experientiam, Medici Judicium primatum obtinet. Si externę saltem corporis partium superficiei mediante linteamine, vel simplici vel multiplicato, aut panno scarlatino, calidè, tepidè, frigidè, repetitis vicibus, nunc singulis horis, nunc singulis dimidiis horis, nunc singulis duabus vel tribus horis, pro varietate circumstantię & urgentię, applicantur, in genere *Epithemata* dicuntur, quæ subinde in specie pro diversitate locorum, quibus applicantur, varias etiam & speciales acquirunt appellationes: ut quę oculis applicantur, *Collyria humida*; quę fronti, *Frontalia*; quę naribus, *Errhina liquida*; quę dentibus & gingivis, *Liquores dentifricii*, &c. audiunt.

EPITHEMATA.

Epithemata ex vi nominis in genere significant quęcunque remedia externè applicata, & ita latissimè se extendit vox Epithematis. Nihilominus hodierno, & quidem specialiori usu, Epithema hoc tantùm appellatur, quod sub forma liquida & aquosa partibus debilioribus, vel ad alterandum, vel, uti uocant, ad corroborandum, adhibetur. Et hac ratione excluduntur Epithemata, quę uocatur sicca seu solida; quoniam hęc ad alias formulas pertinent, uti postmodum uidebimus. Propriè ergò Epithemata, de liquidis quę fiunt, dicenda sunt.

Quod ergò attinet *formulam Epithematis*, in ea consideranda est in primis *Materia* seu *liquor*, qui scilicet cum linteis est applicandus parti appropriatę affectę: Nam Epithema consistit in hoc, ut cum linteis aut panno scarlatino applicetur, ceu fomentum humidum, nisi quod usu & frequentiori applicatione differant.

Materia sunt *decocta liquidissima*, seu quę ingrediuntur pauca vegetabilia, eademque coquuntur cum copiosa aqua, & usitatiùs aquę destillatę adhibentur, tam simplices, quàm compositę, tam unica, quàm plures parti affectæ accommodatę. Interdum his ipsis additur etiam *vinum*, ubi opus est aliquali resocillatione & restauratione, uti etiam *aquæ spirituosæ* pro eodem scopo: interdum pro penetratione meliori additur etiam *acetum*: sed tantùm istud in Epithematis, quę capiti sunt applicanda, in moderata dosi debet misceri, propterea, quoniam odor aceti solet inducere agrypniam, & arcere somnum; unde notum est, quod in lethargo & nimiis somnolentiis applicetur acetum naribus, ad arcendum nimium somnum. Interdum recipiuntur etiam alii *succi*, v. g. succus cancrorum fluuiatilium expressus, qui in primis applicatur fronti in febribus ardentibus, ubi adsunt nimię uigilię, item ubi adsunt deliria, ubi adsunt cephalalgiæ, & similia mala febrium ardentium malignarum, qui succus non rarò aliis permiscetur. Item non rarò recipitur succus semperuiui majoris contusione expressus, qui similiter pro refrigeratione & compescendo ęstu, ac exinde orris affectibus, commodè usurpatur. *Lac muliebre* uel solum non rarò loco Epithematis inseruit, siue sit demulcenda cephalalgia scorbutica, siue sit inducendus somnus in agrypniis nimiis pertinacibus.

Proportio & quantitas Epithematis est in MORELLO, qui videatur: ubi noto, interdum Epithemata tantum ad libram semis præscribi.

Observandum autem in genere, ejusmodi Misturas externas vel solum usurpari; v. g. quando oculis applicantur, & vel mediatè vel immediatè operationem suam exercere, partes alterare, & sanguinis circulo totum corpus afficere. Illud in epithematibus hepaticis & alterativis; hoc in collyriis fieri solet. Ergò legitimè præscribantur. Quod si enim Epithemati immediatus cum parte affecta concedatur contactus, ut in scabie, ulceribus &c., misturę pro indicationum ratione componi poterunt. Ast si pro commodo partium internarum, & principaliter viscerum, hepatis, lienis, uentriculi, cordis, &c. adhibenda ueniunt, obseruandum:

(1) Cum altiùs penetrare seque insinuare debeant, hinc inutilia in iis sunt adstringentia, crassiora, fixiora & terrea duriora; & ex hoc fundamento rejicienda sunt aliorum Epithemata, cordialia, analeptica, hepatica &c., quæ perlę, corallia rubr- corti-

cortices citri, cortices aurantiorum, lignum aloes, aqua buglossæ & similia ingrediuntur, quæ prorsus frustranea sunt, & cum ad interiora penetrare nequeant ejusmodi pulveres fixi, duri, nullum pariter commodum atque usum habere poterunt: quin potiùs subtiliora, penetrantia, & similes particulæ, quæ vehementiori paulò motu operationes suas exerunt, adhibenda sunt, qualia sunt spiritus, camphora, quæ potenter penetrat, & utiliter permiscetur epithematis quarumcunque partium, ubi opus est resolutione & discussione, & ut resistatur malignitati: item crocus, qui & ipse est penetrans & valdè volatilis, non sine successu potest permisceri epithematis; sicuti etiam opium, ubi opus est lenire dolorem, & ut inducatur somnus, commodè permiscetur cum epithematis: Theriaca nonnunquam, aut etiam Confectio Alchermes, dissolvitur non inconvenienter in epithematis, quæ pulsui aut cordi applicantur in febribus malignis: convenientius tamen est, ut recipiatur spiritus theriacalis camphoratus, vel essentia theriacæ, quoniam sunt penetrantiores quàm theriaca ipsa, nisi febris nimis ardens obstiterit: aut si recipiatur theriaca, vel confectio alchermes, non inconvenienter additur acetum, ut inserviat loco vehiculi ratione penetrationis, ut promptiùs & meliùs operentur Epithemata. Sunt etiam quiaquis istis & liquoribus addunt pulveres ex feminibus contusis paratos: Cæterùm convenientior modus est iste, ut ex istis feminibus cum aqua appropriata fiat emulsio admodum tenuis & fluida, & eadem postmodum instar epithematis applicetur.

(2) Cum Epithemata pro partium internarum commodo ferè, aut sanè ut plurimum, calidè applicata, minus diu calorem adscititium conservent, quin facilè intepescant, ne dicam refrigerentur; per talia in febribus malignis sæpè exitus denegatur fermento maligno, quandoquidem ad attactum eorũ humiditate tepidâ aut frigidâ ingratâ, uti quilibet in se experiri potest, fibræ stringuntur, pori cutis se claudunt, dumque clauduntur, tota cutis se stringit, interdum per consensum totius oritur quasi horripilatio, adeòque non solùm insensilis transpiratio notabiliter imminuitur, quin & metastasis, quam natura in acutis subinde intendit, ex universo ad membra particularia cohibetur. Unde & Frontalia & Epithemata præcordiis applicanda in morbis malignis, cum excretione cutanea conjunctis, v. g. in variolis & morbillis, in febribus petechialibus, imò ipsa peste, meritò hodie suspecta, imò rejecta sunt, ne scilicet admotione eorum nimis crebrò detegatur corpus, aut etiam iis non satis calidis impediatur expulsio, clausis ob aliqualem refrigerationem poris: non secus ac ea suspecta sunt, quæ pulsibus applicantur, cum saltim ratione odoris operentur. Hepatis pariter regioni in affectibus calidis, item in hæmorrhagia narium, talia frigidè applicari jubent: sed præter alterationem sanguinis subitaneam, forsan & nimiam, visceris læsio, experientiâ hoc ferè confirmante, metuenda, ne tali occasione vel diarrhœa quibusdam superveniat, vel in aliis dispositio præternaturalis hepatis, scirrhosa aliave chronica, inducatur. Effectus est singularis, & ulteriori perpensiculatione dignus, uti talia exempla habet HORSTIUS *l.* 4. *Observ. p.* 230. Haud ergò, quàm casu ferè extremo, huc recurrendum.

Quod attinet formulas: primo loco succus sempervivi majoris expressus per mistus cum aceto, & cui additur parum nitri, constituit elegans *Epithema*, applicandum testibus & scroto *in febribus, deliriis, maniis* &c. ita enim integrum corpus inde alteratur, sanguinis & spirituum fervor coercetur, & sic potiò in nimia uteri hæmorrhagia; mirum namque est, quàm sistat hæmorrhagias, si applicetur, propter mirandum consensum testium cum toto corpore. Idem Epithema convenienter regioni pubis vel mammis, vel plantis pedum, vel fronti, frigidè cum linteis multiplicatis applicatur in nimia uteri hæmorrhagia; mirum namque est, quantoperè cohibeat hæmorrhagias: sicuti sine camphora scroto & testibus applicatum ad discutiendam ebrietatem convenit; subitò enim ebrios facit sobrios, quale experimentum habet HEER *in Observ. rarior. Obs.* 19.

In vomitu febrium malignarum & pestilentialium;

℞. *Spir. vini rectif.* vel *aquæ apopl.* ℥iii.
Theriac. ʒiß.
Campb. ʒß.
M. D. S.
Epithema pro stomacho.

Calefiant in vasculo clauso, & intincta lintea celeri manu applicentur; idque crebriùs.

Epithema pro ventriculo *in cholera*:

℞. *Spir. vini camphor.* ℥iii.
Theriac. ʒiß. ad ʒiii.
M. pro *Epithemate.*

In febribus malignis & virium imbecillitate applicantur talia Epithemata pulsibus & etiam regioni cordis. Pulsibus admovetur communiter vel acetum liliorum convallium, vel aqua carbunculi, permista cum aceto vel vino, aut similia. Pro regione cordis verò præscribitur ex tempore hoc modo:

℞. *Aquæ Borrag.*
Meliss. cum Vino an. ℥ii.
Carbunc.
Cinnam. an. ℥i.
Spir. theriacal. campb. ℥iii.
Conf. alcherm. ʒi. vel ʒiß.
Croci ℈j.
Campb. gr. v.
M. pro *Epithemate,*
S.
Epithema pro regione cordis.

Mistura contra scabiem:

℞. *Aquæ calcis vivæ* ℔j.
Mercurii dulc. à ʒi ad ʒii.
M. S.
Mistura abstergens.

Epithema hepaticum, in nimio calore aut *inflammatione hepatis* valdè commendatum à BARTHOLETO *Tr. de Respir. pag.* 294 hoc modo:

℞. *Aquæ Hyoscyami,*
Nymph.
Flor. Lil. alb.
Plantag.
Rosar. rub. an. ℥iß.
Sacch. Saturni,
Campb. in spiritu vini dissol. an. ℈j.
Nitri fixi seu *lap. Prunell.* ʒj.
S.
Epithema refrigerans hepaticum.

Applicetur tepidè cum linteolo duplicato regioni hepatis subinde repetendo.

Vel

℞. *Sperm. ranar. ritè asserv.* ℥iii.
Aquæ Hyoscyam.
Nymph.
Plantag.
Rosar. an. ℥ß.
Nitri ʒi.
Campb. in spir. vini sol. ℈j.
M. f. ut *anteà.*

Hoc Epithema cum pannis multiplicatis tepidè regioni hepatis applicetur, repetendo quoties opus fuerit. Egregium est in febribus ardentibus, deliriis, hæmorrhagiis, ab impetu sanguinis turgescentis oriundis, utut interdum diarrhœa exinde producta observata fuerit.

Dixi etiam, quod interdum fiant talia *Epithemata Decocto maximè diluto*: sit ergo tale

Epithema applicandum hepatis regioni *in nimio hepatis fervore:*

℞. *Herb. Lactuc.*
Portulac.
Semperviv. an. M. ß.
Flor. Nymph.
Rosar.
Violar. an. M. ß.
Sem. Lactuc.
Papav. alb. an. ʒiß.
Coq. *in aqua font.* ℔j. Colatura S.
Ut supra.
S.

Epithema contra hæmorrhagias nimias uteri:

℞. *Sperm. Ranar.* ℥iv.
Acet. flor. Papav. errat. ℥ii.
Nitri ʒii.
M. pro *Epithemate,*
S.
Epithema adstringens.

Mammis & regioni pubis applicetur.

Vel

℞. *Sperm. ranar. debitè ferm.* ℥iv.
Aceti rosac. ℥i
Sperniol. Croll. ℈i.
M. D. S.
Epithema externum.

Imponitur cum spongiis vel linteis multiplicatis regioni pubis.

Epithema contra tumorem testis inflammatorium cum insigni dolore ac ardore:

℞. *Aquæ calcis vivæ rec.* ℔i. ad ℔iß.
Camphor. ʒß ad ʒi.
M. f. *Epithema.*

Urgente dolore etiam *opii aceto soluti* ℈j. addi potest. Pertinent huc *Misturæ Cosmeticæ*, & in affectibus cutaneis, scabie, pustulis, &c. usurpandæ: Inter quas eminet *Lac Virginis*, quod est solutio Saturni cum camphora, & ob candidum colorem ita dicitur: interdum additur alcali blandum, quod præcipitatur instar lactis. Talis solutio egregia est in affectibus faciei, rubore rosaceo, & inflammatione, ubi tutissimè externè applicatur.

Alia *Mistura pro usu cosmetico* in *lentiginibus & variis*;

℞. *Aquæ Sperm. ran.* ℥ii.
Flor. Fabar.
Omnium an. ℥i.

Olei

Olei Tartari per deliquium ℥ß.
Flor. sulphuris ʒii.
Campb. ℈i.
M. D. S.
Mistura mundificans.

Huc & *aquæ causticæ* pertinent, quarum *basis* est mercurius sublimatus. *Usus earum* primarius est in verrucis, ulceribus & pustulis, item in ficubus Gallicis: Nempè fit, ut circa genitalia copiosæ excrescentię generentur, quas aqua hęc erodit; attamen, cum gravi dolore. Interdum in scabie ferina, in varis, ulceribus gravioribus, &c. irritis aliis tutissimè usurpatur mercurius sublimatus, qui ebulliat in aqua simplici, cum tragacanthę pauco miscendo. Hac certè necessariò & subitò extirpantur vari. Alii

℞. *Mercur. sublimati*,
Aquæ fortis an. ℥i.
Diluunt in
Aquæ plantag. ℔ii.

& contra varos, scabiem & serpigines cum subitaneo successu utuntur.

Verùm cauti simus in usu mercurialium, & non nisi aliis irritis ad ea confugiamus: Non rarum enim est, ex perverso mercurii sublimati externo usu, sub cosmetici titulo phlogosin, tumorem, dolorem cum summo cruciatu, interdum & periculo, partibus externis induci: in quo casu optimum epithema est lac tepidum crebriùs applicatum: post cujus usum, vel etiam sub illius defectu, mox in principio

℞. *Aquæ Calcis vivæ rec.* ℔i.
Spirit. Vin. ℥i.
Ceruss. ʒiii.
M. S.
Epithema lenitiuum.

Applicetur tepidè.

Occasione aquæ calcis vivę non omittendum *Epithema* polychrestum *ad ulcera quæuis dysepulotica, ad scabiem ferinam, herpetes exedentes, imminentem* plus minus *gangrænam*, &c.

℞. *Aquæ* seu *decoct. calcis vivę rec.* ℔i.
Mercurii dulc. ʒi.
M. S.
Epithema mundificans.

Vel magis compositum:

℞. *Aquæ* seu *decoct. calcis viuæ rec.* ℔i.
Spiritus theriacal. campb. ℥iß. ad ℥iii.
Sacch. Saturni ℥i.
Mercurii dulc. ʒiii. vel ℥ß.
Misc. probè cum vel sine ebullitione.
D. sine, vel cum colatura laxiore, S.
Vt antè.

Hac eluuntur ulcera, vel applicetur cum linteis ipsis ulceribus.

Sic pariter aqua destillata ex pomis putridis, cui vel mercurius dulcis, val Saccharum Saturni pro circumstantiarum ratione permistum, in casibus chirurgicis plurimis, speciatim ulceribus telephiis, ambustis, &c. remedium multi usus existit.

Hæc fuerunt Epithemata, & quidem liquida; MORELLUS enim etiam facit mentionem Epithematum solidorum. Cæterum hæc Epithemata solida meliùs inter unguenta & cataplasmata referuntur, quàm inter Epithemata; nisi forsan hìc locum haberet, quod in deliriis & phrenitide applicantur capiti & sincipiti animalia viva per medium dissecta adhuc calentia: sic v. g. in tali casu in phrenitidis declinatione adhuc in Italia usitatè recipitur pullus gallinæ, Germ. *eine junge Henne*, & per medium dissecatur, itaque dissectus calidè admovetur capiti, pilis priùs abrasis, pro sistenda phrenitide, qua ratione applicatæ gallinæ non raró singulares & admirandos præstant effectus: non raró etiam columbæ eodem modo dissectæ applicantur plantis pedum pro eodem usu contra phrenitidem. Sicuti de hac ipsa etiam potest videri MORELLUS, qui plura habet eadem. Aliàs Epithema solidum non est ampliùs in usu.

Affinia his sunt

FRONTALIA.

HOc nomine nominantur omnia illa, quæ fronti applicantur quocunque modo: Ex quo patet, quod *Frontale* non sit specialis remedii formula, sed vario modo cùm remedia possint fronti applicari, etiam Frontalia possunt fieri varia, adeoque non opus esset peculiari capite.

Rectè hìc in principio MORELLUS removet vocem *Anacollematis*, quod Græcis idem est, atque Germanis *ein Dorband*, *Cataplasma* valdè *adstringens* quo applicatur à Chirurgis in principio luxationum & fracturarum. Nihilominus uti Græci Anacollemata fracturis; ita eodem usu applicant etiam Germani fronti. Applicantur varia remedia fronti, præter Misturas & Emulsiones externas, in forma sacculorum, unguentorum & linimentorum, ut & cataplasmatum: ut ita appareat, quod omnia medicamenta applicanda fronti dicantur *Frontalia*, ut in MORELLO non opus fuisset peculiari capite. Nos hoc loco considerabimus *Epithemata liquida* fronti applicanda, reliquas formularum species ad suas classes reservando.

Epithema seu *Frontale contra cephalalgiam febrilem & scorbuticam*:

℞. *Succ. Cancr. fluviat. rec. expr.* ℥iii.
Aquæ Betonic.
Flor. Chamomill. vel *Papav. errat.*
Samb. an. ℥i.
Spir. Vin. campborat. ʒiii.
Pulv. Zedoar. ʒii.
M. pro *Epithemate*,
S.
Epithema seu frontale cephalicum.

Applicatur cum linteis multiplicatis tepidè fronti & temporibus, in dolore febrili, contractoà calore externo vel interno: Sed à nimio camphorę usu in agrypniis abstinendum, ne somnus magis odoris penetrantia impediatur.

Commodè succus cancrorum fluviatilium etiam permiscetur cum ana succi sempervivi maioris expressi, & hęc invicem permista applicantur fronti pro Epithemate in deliriis & insomniis febrium malignarum, & aliarum ardentium.

Vel *aliud* contra *Cephalalgiam* cum *agrypnia* in febribus continuis.

℞. *Aquę flor. Sambuc.* ℥iii.
Apoplect. usit. ʒvi.
Philon. Rom. ʒiß.
M. D. S.
Vt antea.

Epithema in cephalalgia ex causa frigida, &c. *Hemicrania, verticis pertinaci dolore*, &c.

℞. *Aquæ Roris mar.*
Salv.
Serpilli an. ℥ii.
Spiritus theriacal. simpl. ℥i.
Cornu Cervi vel *sal. ammoniaci cum calc. viv.* ℥ß
M. S.
Vt antea.

RVLANDVS in graviori capitis dolore & deliriis succum cancrorum fluviatilium expressum, mistum cum opio & croco applicavit fronti feliciſſimè: item cum aceto rosaceo sequenti modo:

℞. *Cancr. fluv. viv.* No. xx.
Aceti rosac. ℥v.
Contundantur in mortario, & exprimatur succus, qui miscetur pro Epithemate,
S.
Vt supra.

Quod tepidè admovetur sæpiùs affecto capiti, valdè conveniens in cephalalgia.

Idem RVLANDVS habet exemplum cujusdam viri quadragenarii, in insaniam cum vigiliis coniunctam incidentis, cui supra frontem admovit similiter succum talem ex cancris fluviatilibus uiuis expressum, temporibus uerò & naribus adhibuit hoc *Epithema*:

℞. *Aquę Rosar.* ℥vi.
Opii ʒii.
Croci Momentum.
Misc. benè pro *Epithemate*.

Idem succus cancrorum fluviatilium utiliter etiam permiscetur cum aliis, in specie cum aqua spermatis ranarum, quę in phrenitide & quacunque partium, tàm internarum quàm externarum, inflammatione est elegantiſſima. Pręscribi ergo potest ad imitationem RVLANDI tale

Epithema fronti ac temporibus applicandum seu admovendum *in phrenitide, cum vigiliis & cephalalgiis* conjuncta:
hoc modo:

℞. *Aquæ sperm. ranar.* ℥vi.
Succ. Cancr. fluviat. rec. expr. ℥iii.
Croci ʒi.
Opii cum aceto corr. ʒß.
Campb. ℈ß. ad ℈i.
M. pro *Epithemate*, fronti ac temporibus admovendo.

Frontale contra hæmorrhagiam narium nimiam:

℞. *Aq. flor. Papav. errat.* vel *sperm. ran.* ℥iv.
Aceti Rosac. ℥i.
Opii aceto sol. ℈i.
Boli comm. probè exsicc. pulv. ℈iv.
M. pro *Epithemate*.

℞. *Sperm. ran. cum nitro & alumine asserv.* ℔ß.
Sacch. Saturni ʒi. ad ʒii.
Campb. ℈i. ad ʒß.
M. pro *Epithemate*.
D. S.

D. S.
Epithema adstringens.

Applicantur hæc epithemata etiam fronti, nec non testibus, in nimia narium hæmorrhagia: item mammis in hæmorrhagia uteri, ac regioni pubis.

Epithemata, quæ fiunt ex emulsionibus, similiter in nimiis vigiliis, cephalalgiis & deliriis & similibus scopis, capiti ac fronti admoventur: Sic v. g.

Epithema mihi familiare valdè *in febribus malignis cum agrypnia*, est hoc, quod sæpiùs non sine successu adhibetur:

℞. *Sem. Papav. alb.* ℥ii.
Hyosc. ʒß.
Aquæ Sperm. ranar. ℥iii.
Endiv.
Semperviv.
Solan. an. ℥i.
F. l. a. *Emulsio:*
Cui additur
Succ. canc. fluvial. expr. dimidium.
Campb. ℈ß.
M. D. S.
Epithema cephalicum.

Emulsio frontalis contra Agrypniam:
℞. *Sem. Papv. alb.* ℥ii.
Aquæ Nymph.
Semperviv. maj.
Solani,
Sperm. ranar. an. ℥i.
F. l. a. Emulsio:
adde
Campb. gr. iv.
M. D. S.
Emulsio frontalis.

Singulis horis repetatur in dictis affectibus.
℞. *Sem. Papav. alb.* ℥iii. ad ℥vi.
Cum s. q. *aquæ hypnot. Dorner.*
F. Emulsio:
D. S.
Vt ante.

Præstantior erit, si *solutionis opii cum spiritu vini* ℈i. ad ʒß. addatur, & ita tepidè applicetur: sicut omisso opio; addito verò spiritu vini camphorato ʒß. vel camphorâ ipsâ ad gr. ix. ad Maniam magis accommodata foret.

Ex nucleis persicorum fit Emulsio pro usu externo, tanquam Epithema applicandum in dolore capitis; quoniam nuclei persicorum vim habent demulcendi dolorem: e. g.

℞. *Nucl. Persic.* ℥ii.
Sem. Papav. alb. ℥i.
Cum ℥vi. *aquæ hypnot. Dorn.* f. Emulsio:
adde
Opii gr. vi.
Croci gr. v.
M. f. *Epithema* fronti applicandum.

Aliter contra Maniam:
℞. *Sem. Papav. alb.*
Nucl. persic. an. ℥iß.
Aquæ Nymph.
Verbenæ an. ℥iii.
F. *Emulsio:* adde
Spir. vini camphor. ʒß. vel ʒvi.
Ferment. narcot. gr. v.
M. S.
Vt ante.

Item
℞. *Nucl. Persic.* ℥ß.
Sem. Papav. alb. ℥ii.
Cum s. q. *Succ. cancr. fluviat.*
F. *Emulsio:*
adde
Campb. gr. xii.
Opii gr. vi.
M. S. ut anteà.

Aliud:
℞. *Sem. Papav. alb.* ℥iii.
Cum *aquæ Nymph.* ℥iii. (vel *huius* & *Verben.* an. ℥iß.)
F. *Emulsio:*
adde
Campb. gr. ix. vel xii.
M. pro Epithemate S.
Epithema refrigerans.

Epithemata hæc elegantia sunt in deliriis furiosis & febribus ardentibus.

His vicina sunt *Oxyrrhodina* dicta, quæ etiam à quibusdam ad Epithemata referuntur, Mistura scilicet facta ex aceto rosaceo, ceu *basi*, qualia in affectibus capitis calidioribus sive symptomatibus febrium ardentium, deliriis, cephalalgiis, & similibus, aut etiam in aliis affectibus, in quibus per consensum hoc modo afficitur caput, usurparunt veteres. Simplicissima talis oxyrrhodini formula est hæc:

℞. *Aceti rosac.* ℥i.
Ol. Rosac. ʒv. vel vi.
M. simul pro *Oxyrrhodino*,
D. S.
Frontale cephalicum.

Interdum hisce duobus primariis ingredientibus addi solent aquæ appropriatæ, & succi Expressi appropriati, imprimis quando moderni tale medicamentum, sed rarò, in usum vocant, atque tunc temporis dosi ac modo epithematis solent præscribere, ita ut recipiatur *olei* p. i. *aceti destillati* p. ii. & *aquæ appropriatæ* p. iii. E. g. si præscribendum sit

Oxyrrhodinum contra nimium æstum febrilem, fiat sequenti modo:

℞. *Aquæ flor. Persic.*
Verben. an. ℥iii.
Acet. rosac. ℥ß. vel ʒvi.
Olei Anethi,
Chamomill. an. ℥ß.
M. pro Oxyrrhodino, S.
Vt ante.

Vel
℞. *Aquæ Beton.*
Verben. an. ℥ii.
Acet. Rutac. ℥iii.
Olei Nymph.
Rosar. an. ℥iß.
M. pro *Oxyrrhodino.*

Verùm, uti dixi, talia Oxyrrhodina & Epithemata ob olea non ampliùs in usu sunt.

Huc pertinet & Veterum

EMBROCATIO seu IRRIGATIO.

Apud Italos & Gallos adhuc in usu. MORELLUS distinguit Embrocationem & Irrigationem. *Irrigatio* erat Mistura, quam guttatim applicarunt capiti; nempè ægro sedenti circumligabant inferiùs capiti pannum multiplicem aut fasciam lineam, post in loco tepidiore collocabant, juxta ægrum suspendebant gutturnium plenum Misturâ Medica, & guttatim destillabant supra sinciput suturæ coronali, aut supra verticem suturæ sagittali, hoc faciendo per bihorium.

Liquor, qui hìc est adhibendus & cum quo fit talis irrigatio, imprimis est decoctum quoddam ex cephalicis appropriatis.

Usus est varius: interdum pro conciliando somno, dum decocta papaverina destillare faciunt supra caput; interdum contra nimias cephalalgias; interdum in affectibus catarrhalibus: E. g. si instituenda esset talis Irrigatio in sene, qui non possit dormire, & cui ex nimia cerebri exsiccatione labilis fit memoria, tunc fieret decoctum ex herbis cephalicis, blandè somnum inducentibus & humectantibus, eo modo atque præscribuntur decocta; e. g.

℞. *Herb. Lactuc.*
Nymph.
Violar. an. M. j.
Summ. Anethi,
Flor. Sambuc.
Papav. alb. an. Mß.
Cap. Papav. cum sem. Num. vi.
Incis. & contus. coqu. in *aqua simplici*
pro *Embrocatione.*

Huiusmodi decocto moderatè calido impletur gutturnium, & æger irroratur in sincipite. Loco hujus decocti interdum oleum aceto mistum adhibetur instar oxyrrhodini loco liquoris; & hæc mistura ita decidens excipitur capite denudato, & inferiùs fascia munito: id quod fit in deliriis, & apud Italos in maniis. Interdum fit mistura ex aqua, oleo, & spiritu, ac liquore appropriato, eademque ita irrigando excipitur capite in affectibus nervorum, quos vocant frigidos, ut sunt paralysis, tremor, & similes. Sed molestum hoc est & tædiosum, unde tales irrigationes non amplius apud nos sunt in usu, uti apud Italos & Gallos.

Huic Irrigationi contradistinguit MORELLUS Embrocationem, utut sub generali *Embrocationis nomine* ambo veniant. Est *hæc* blanda ac lenis partis frictio cum oleo quodam, aut linimento, aut etiam quodam liquore appropriato.

Talis fricatio lenis eundem ferè interdum habet usum atque fomentum humidum; ut quando v. g. tumores sanguinei erysipelacei aliæque inflammationes, blandè fricantur aut foventur cum lana siccata, cum liquore appropriato imbibita: item in herniis scroti, quando intestina propter fæces induratas sunt valdè dura vel inflammata: commodè etiam fiunt frictiones vel blandæ fomentationes cum oleo amygdalarum dulcium, oleo chamomelino, anethino, aut etiam cum decocto carminante & emolliente appropriato. Et talis

talis blandus fotus & fricatio poteſt vocari *Embrocatio irrorativa*, magis tamen ad fomenta hæc pertinent: vid. MORELLVS, qui ſatis eſt prolixus.

Ad Miſturas has pertinent

COLLYRIA HVMIDA.

COllyria humida quod attinet; duplicia illa ſunt; quædam ſaltem imponuntur, quædam verò inſtillantur. Quæ enim paulò fortiora & acriora ſunt, externè ſaltem applicantur; ſin verò quid in oculo corrigendum, æger ſupinus jaceat, & in oculum inſtilletur, ne citò effluat.

In his nullum aliud attendatur, quàm

1. Vt pulveres ſint optimè pulveriſati.
2. Si addantur nimis acria, liquore ita temperentur, vt quam minimum inferant dolorem: nam prout ſunt acriores, eò magis eſt addendum; quo minus, contra.

In genere, quoniam Collyria ad unicas tres vel quatuor, raro ulteriùs, ſolemus præſcribere, tum ſufficit, ſi pulveris drachma ſemis reſpondeat unciæ uni collyrii; ſin verò pulveres ſint fortiores, tunc drachma una pulveris ad uncias tres erit ſufficiens. Sic ſi præſcribendum

Collyrium pro oculo polychreſtum:

℞. *Aquę flor. Calcatr.*
Cyani,
Solani vel *Chelidon. maj.* ana ʒvi. ad ℥i.
Vitrioli albi gr. viii. ℈ß. ad gr. xii.
Solutio filtretur per chartam:
adde
Tut. præpar. ℈ß. ad gr. xii.
M. D. S.
Collyrium ophthalmicum.

Hocce collyrium probè agitatum applicatur tepidè oculo cum linteolis, vel reſupinato corpore canthis oculi inſtillatur, vel frigidè vel tepidè.

Vel

℞. *Aquę Chelidon. maj.* vel *flor. Cyani*,
Euphraſ. vel *Plantag.* ana ℥i. ad ℥iß.
Vitrioli albi pulveriſ. vel *de Cypro* ℈ß. vel ℈i.
(plus minus, prout æger poteſt vel facilius vel difficilius tolerare variant enim ægri in talibus.)
Filtrentur per chartam bibulam,
vel per pannum rariorem, adde
Tut. præpr. ℈ß. ad gr. xii. vel xv.
& ita f. *Collyrium.*

Quidam recipiunt vitriolum album, quo replent ovum ad duritiem coctum, exempto vitello (locum ſcilicet vitelli replent vitriolo pulveriſato) ovum hoc modo præparatum ſuſpendunt in cella, & ita ſenſim ſenſimque deſtillat liquor, valdè egregius in talibus oculorum morbis.

Mel additur interdum aquis ophthalmicis, ubi opus eſt deterſione, in ulceribus aut etiam vulneribus oculorum. Loco ejus mellis non raro etiam recipitur ſaccharum candi pulveriſatum, quod etiam abſtergit & detergit ſordes, & adjuvat conſolidationem. Exemplum habet FORESTVS *lib.* 12. *obſ.* 29. de puero, qui ex variolis incidit in puſtulas oculorum, quæ fuerunt exulceratæ, & inde oborta eſt nebula oculorum: huic profuit remedium hoc modo præſcribendum:

℞. *Aquę Fœnic.* ℥iii.
Fell. Anguill. ana ʒi. ad ʒiß.
Sacch. candi ſubtiliter pulv. ʒi.
Stent in loco calido; filtrentur.
S.
Singulare collyrium.

Pro gratia coloris poteſt addi tantillum *croci*, antequam filtrentur.

Epithema contra inflammationem oculorum:

℞. *Aquæ Plantag.* vel *flor. Calcatripp.*
Torment. vel *flor. Cyani* ana ℥i.
Album ovi Num. i.
Alum. gr. v. vi. vii. viii. vel ℈ß.
(Modò non ſpiſſior ex coagulo naſcatur conſiſtentia)
Conquaſſata & agitata probè invicem,
S.
Collyrium refrigerans.

Aliud:

℞. *Aquæ flor. Ciani* ℥ii.
Muc. ſem. Cydon. cum ſperm. ran. extr. ℥i.
Croci gr. vi.
M. pro *Epithemate.*

Collyrium præſervans oculos in variolis:

℞. *Aquæ Euphraſ.*
Plantag. ana ℥i.
Tut. præp. ℈ß. ad gr. xii.
Campb. gr. iv. v. vel vi.
Croci gr. ii.
M. D. S.
Collyrium præſervans.

Aut inſtilletur aut applicetur oculo, ut præſerventur, ne variolæ poſſint viſui nocere.

Huc pertinet *Aqua ophthalmica Angeli Sala*, quæ fit, quando *lamina veneris* ſuſpenduntur vel infunduntur, in *vinum medicatum*, & ita ad tempus exponuntur *radiis ſolaribus*, hinc ſucceſſivè fit Tinctura cœrulea: Vid. SALA *pag.* 203. BARTHOLINVS *in Act. Haf-fniens.* & alii.

Collyrium contra unguem ſeu pannum oculi:

℞. *Aquę flor. Calcatr.*
Chelid. maj. ana ℥j.
Sacch. candi ʒj.
Tut. præpar. ʒß.
Off. Sep. pulv. ℈i.
Vitrioli ℈ß.
Miſc. probè, & agitentur pro *Collyrio*: S.
Collyrium.

Simile eſt ferè *Collyrium Loticbii in Obſ.* deſcriptum *pag.* 203. qui unguem oculorum, pterygium, ſecundùm motum lunæ nunc accreſcens, nunc decreſcens, curavit:

℞. *Lap. hæmat.* ℈ß.
Vitrioli alb. calc. gr. xv.
Sacch. candi ℈j.
Myrrh.
Croci ana gr. v.
Aqu. appropr. ʒj. vel ℥iß.
M. f. Collyrium.

Applicetur cum pluma, vitando pupillam:

Nam talia collyria, quæ ingrediuntur paulò acriuſcula, non libenter applicantur pupillæ, niſi ipſa ſit afflicta, propterea, quoniam pupilla membrana eſt admodum tenuis, & non patitur, ut applicentur talia acriuſcula.

Vel

℞. *Aqu. Chelidon. maj.*
Euphraſ.
Fœnic. ana ℥j.
Mercurii ſublimati gr. vj.
Miſta filtrentur,
S.
Collyrium oculos clarificans.

De hoc ipſo Collyrio omni mane & veſperi applicetur gutta una inſtillando oculo. Mercurius ſublimatus habet vim adſtringentem, & oculum firmat, ne novum corpus membranaceum ſupervenire poſſit.

Aqua Sapphirina huc referatur, quæ in læſionibus oculorum Chirurgis eſt in uſu: Contra ulcera cancroſa non melius habetur remedium, quam hæc aqua, & quando poſt variolas læduntur oculi, efficax eſt. Dilui plus minus poteſt aqua, quia nimis mordicat. Ad pelles oculorum etiam commendanda eſt.

ERRHINA.

ERrhina naribus applicantur. V. g. ſit *Miſturę ptarmicę* exemplum:

℞. *Aqu. Majoran.* ℥ij.
Vitrioli albi ℈ß. gr. xii. xv. ad ℈i.
Diſſolutum filtretur, S.
Miſtura ptarmica.

De hac aliquot guttæ ex cava manu attrahantur in nares, vel linteum eo leniter madefactum contortum naribus immittatur, & mirabiliter extrahet; ſed ne quid nimis; aliàs cephalalgia & coryza ſequitur. Alia:

℞. *Succ. betæ rub. depur.* ℥ij.
Aqu. Majoran. ℥j.
Vitrioli albi gr. xv.
M. D. S.
Vt ante.

Miſtura contra ozænam:

℞. *Aqu. Majoran.*
Plantag. ana ℥iß.
Spiritus vini rectif. ʒiij.
Mell. roſat. ʒvj.
M. S. *Mixtura purificans.*

Applicetur vel modò dictis modis, vel etiam cum parva ſyringa.

In deterioris conditionis malo aliquantulum *mercurii ſublimati*, v. g. gr. vj ad ix. & ℈ß. addi poteſt.

Præter nares *Miſtura pro faucibus* in uſu ſunt v. g. ſi præſcribenda

Miſtura pro dentibus & gingivis à variis affectibus præſervativa:

℞. *Aqu. Plantag.*
Sedi min. ana ℥ii.
Sal. ammoniaci,

Sal. tartari ana ʒß. ad ʒj.
M. filtr.
D. S.
Aqua pro dentibus.

Hac ipsa dentes ab omni pastu abluantur, & gingivæ blandè fricentur: sanè sal ammoniacum in aqua solutum pro dentium ab omni pastu ablutione, fœtorem eorum imprimis tollit, convenit etiam contra rubedinem & ardorem faucium in febribus malignis, sicuti matutina mundificatio cum urina humana dentes & gingivas à quamplurimis malis præservat.

Mistura contra prunellam seu ardorem & ruborem faucium febrium acutarum:

℞. *Aquæ semperviv. maj* ℔j. ad ℔. iß
Succ. cancr. fluviat. rec. expr. ℥iv. ad ℥vj.
Sal. ammoniaci depur. ʒiß. ad ʒiij.
M. pro *Gargarismate*,
S.
Gargarisma refrigerans.

Crebriùs hoc colluatur os, quin & interdum gargarisentur fauces, aut tepidiusculè aliquandiu detineatur saltem in ore.

Alia magis *composita*:

℞. *Aquæ cancr. fluviatil. contus. aliquandiu Destillat.* ℥iij.
Sperm. ran. ℥ij.
Semperviv. maj. ℥j.
Phleg. vitrioli ror. ℥ß. ad ℥j.
Nitri cum sulphur. depur. ʒiß. ad ʒij.
Syr. violar. ℥j.
Rof. rubr. ℥ß.
M. D. S.
Gargarisma ad fauces.

Ubi reiectæ denuò mistura tales fuerint, lingua palatumque blandè illinantur butyro recenti non salito, spermate ranarum aut eius aqua crebriùs lota; quod si crusta livido-nigricans illam simul obduxerit, aliquantulum sacchari albissimi butyro addi potest: lardum pariter non salitum, quin & salitum, sed utrumque in spernicola ista probè diuque maceratum, butyri loco recipi potest.

Item:

℞. *Aquæ prunell.* ℥iij.
Semperuiu. ℥ß.
Sal. ammoniaci depur. ℈ij.
Julep. Rosar. ℥j.
Syr. de Succ. semperu. ℥iß.
D. S.
Gargarisma.

Huc pertinet *Mixtura pro gargarisatione* polychresta, quam habet SCULTETUS *ex* aceto destillato, saccharo, semine sinapi, & aqua; v. g.

℞. *Aquæ Plantag.* ℔ß.
Aceti destillati ℥ij.
Sacch. alb. ℥j. ad ℥iß.
Sem. Sinapi ʒj.

Mista S. ut anteà.

Hoc calidè gargarisetur os.

Mixtura contra stomacacen, seu gingiuas scorbuticas & exulceratas:

℞. *Aquæ Cochlear.*
Nasturt.
Sedi min. ana ℥iij.
Tinctura Laccæ ℥ß.
Tinctur. flor. Aquileg. ʒij.
Syr. flor. Aquileg. ʒiij.
M. D. S.
Aqua contra stomacacen.

Tinctura Laccæ per se quidem sufficit; in defectu autem eius:

℞. *Aquæ Plantag.*
Prunell.
Sedi min. ana ℥j.
Spiritus Cochlear. ʒij. vel iij. vel huius loco *Succ.*
Succi Cochlear. rec. ʒvj ad ℥j.
Mell. rosat. ʒvj.
Spir. salis q. s. pro grato acidulo sapore,
M. D. S.
Aqua dentes mundificans siue Mistura antiscorbutica.

His ipsis humectetur linteum, & eluantur vel fricentur gingivæ, ac aliæ oris partes, ex scorbuto malè habentes: item in ulceribus cacoetheis in usu est.

CAP. IV.

INFUSA ET DECOCTA.

In hoc capite mediante aqua, tanquam menstruo elicitur vis infundendorum, unde oriuntur Infusa & decocta, Græcis Apozemata: quo etiam nomine veniunt apud modernos Latinos. Nihil aliud sunt, nisi liquida quædam medicamenti forma præscripta à Medico, nunc in una, nunc in pluribus dosibus, ut scilicet hauriantur ab ægro ad suos usus & effectum destinatum. *Horum res est intricata*, *in se* verò *facillima*, rudis & crassa est operatio. Nempè ut purum impuro, respectu nostri, ubique iunctum, tam in alimentis, quàm medicamentis; ita, qui hodiernæ artis spagyricæ primarius ferè finis est, purum ab impuro medicamento separare, nucleum à corticibus, Quintam Essentiam ab involucris elementalibus seu materialibus, idque Tincturarum, Essentiarum, Extractorumque ferè sub titulo: ita iam Veteres idem, rudi licet Minerua, per infusiones & decoctiones tentarunt, ut mediantibus his vim rerum medicamentosam, & in apto liquore seu menstruo extrahente & solvente loco crudorum simplicium acquirerent.

Differunt Infusa & decocta saltim in eo, quod pro infusione sufficiant specierum incisio, rasio, contusio, pulverisatio præparatorum, maceratio seu digestio in loco tepido, vel speciatim Mariæ balneo; cui in decoctione ulteriùs supervenit super ignem actualem concitatior omnium agitatio & ebullitio, & penetrantior solutio.

Attamen in omni Infuso & decocto ad bina semper respectus habeatur:

1. Ad *subiectum* seu *materiam infundendam* vel decoquendam.
2. Ad *Liquorem* seu *menstruum*, cùm quibus fit infusio seu decoctio.

Quod attinet *Materiam* sive *Ingredientia*: in hac ipsa observetur, quod ex omnibus tribus regnis sumatur. Ex vegetabili regno desumuntur quævis plantarum partes & fructus, utplurimum siccatæ. Resinæ saltim ac gummata minus his præparationibus, præsertim sub magistrali præscriptione, inserviunt. Elicitur sic ex vegetabilibus gummeo recessu resinosa substantia, in cuius complexibus potissima vis medicamentosa quasi concentrata est, ut ex decocto lignorum vel absinthii inspissato manifestum. Ex animali regno decoquuntur partes solidæ duræ &
 sicciores quævis, v. gr. priapus cervi & ceti, cornu cerui, ebur, viperæ, stercus equinum, &c. ex quibus omnibus (exceptis excrementis) elicitur gelatina, quæ præter generalem nutriendi ac temperandi, adeoque confortandi & blandè refrigerandi usum, de vi specifica sui concreti omninò participare videtur, cùm magnam illius substantiæ partem contineat, quæ sub rigorosiore igne in salis volatilis & olei larvas se sistunt. Item huc pertinent etiam iuscula consummata & similia, de quibus suo loco; item decoctum splenis bovis in cachexia & veramensium suppressione laudatur. Quò etiam partinet decoctum hepatis vituli, item decoctum hepatis suilli, quæ commendari solent iis, qui laborant fluxu sanguineo hepatico: quales animalium partes nunc solæ, nunc cum aliis vegetabilibus infunduntur & decoquuntur. Ast regnum minerale difficiliùs sese gerit: nihilominus tamen pro nobis non tantum stat. LOCATELLI; sed in specie elegans hac in parte est POTERIUS *in Pharm. Spagyr. l.* 1. *cap.* 1. 2. & reliquis capitibus se invicem subsequentibus; cùm notum sit, quod ferrum commodè possit infundi nunc in aquam simplicem, non in vinum, & vel nudè infundi, vel etiam coqui, contra morbos cachecticos chronicos, & malum hypochondriacum, &c. in quibus, uti notum est, vinum martiatum est elegans. Imprimis verò ferrum vino infusum commendatur in talibus casibus, cùm subtilis vini aciditas solvat subtiliorem martis crocum, & sic remedia contra morbos chronicos elegantia suggerat. Hac ratione fiunt *vina anticachectica ex limatura martis* unà cum *cinnamomo* & *caryophyllis vino* infusis. Præterea huc etiam pertinet, quando chalybs ignitus extinguitur in aqua simplici, & fit *aqua chalybeata*, vel *aqua ferrariorum*, quæ aqua extinctionis ferri est conueniens potus spleneticis, & similibus morbis cachecticis, afflictis: hinc etiam dicunt, quod canes fabrorum ferrariorum careant splene, aut certè habeant admodum imminutum, ex eo, quod bibant aquam ferrariorum, quæ aqua hoc augmentum præternaturale splenis præveniat & præcaveat. Talis chalybs vel ferrum igitur, vel in aqua vel lacte extinctum, commodum præbet liquorem tam pro potu dysentericorum, quàm etiam pro infusione instar clysmatis in iisdem.

Post ferrum aurum candefactum, & in vino vel aqua simplici extinctum, expertum est remedium POTERII contra icterum flavum; refert enim de hoc ipso, dum dicit: Novi virum ictero laborantem, qui cum hac aqua extinctionis auri perfectè curatus est; & quidem hoc aurum in aqua extinctum suo ratiocinio comprobat BURRHUS *in Epist. ad Bartholinum de restituendis oculorum humoribus scriptis*. Veneris infusio pro oculorum vitiis est laudatissima. Stannum calcinatum & vino infusum mirè laudatur contra passio-

passiones hystericas. Saturni calcinati cum aceto infusio ac decoctio usui chirurgico multum inservit, & in qua crebriùs plumbum fusum extinctum fuit, alvum laxare solet aqua. Antimonium non solùm præparatum sub vitri, reguli, croci, &c. forma infusione apprimè inservit; sed & à modernis permiscetur decoctis lignorum sudoriferis; quin & ejusdem crudi subtilissimè triti uncia semis macerata per noctem in unciis tribus vel quatuor vini aut aquæ pro dosi una, supra & infra purgare asserit POTERIVS: id quod similiter etiam cum Mercurio fieri solet, quod infusum vel *decoctum mercurii uiui* benè à mercurio vivo separatum nō tantum *constituit aquam* sic dictam *Hermeticam Augenii*, ad expellendos lumbricos infantum certum experimentum; sed præterea quoque idem mercurius decoquitur & infunditur in istiusmodi decoctis & infusis lignorum antivenereis, sicuti ipsum antimonium. Decoctum sulphuris valdoperè commendatur à POTERIO, si nempè decoquatur sulphur in aqua, vel in vino fuerit infusum vel in aqua pro remedio alexipyreto seu febrifugo, quod scilicet febres pellat, hepatis ardores compescat, & etiam quod erysipelati & scabiei interno usu medeatur: item externè sulphur in aqua calcis vivæ vel lixiviis decoctum, quamcunque inflammationem sistit, erysipelati succurrit, scabiem sanat, ac rubores faciei tollit. Vitrioli, Aluminis, nitri, salis ammoniaci, calcis vivæ, &c. pro usu externo decoctiones & Infusiones in decocto nigro Mynsichti &c. passim pariter notæ sunt. Prostat quoque decoctum calcis vivæ, & decoctum scoriarum reguli antimonii pro scabie, ulceribus, &c.

Cùm igitur materia ex omnibus tribus regnis capiatur, hinc quatuor attendantur circumstantiæ:

I. *Ut habeatur legitima quantitas materiæ infundendæ*; scilicet ut respondeant sibi invicem in quantitate & qualitate. Ratione quantitatis quidem, ut sibi mutuò sufficant, & tantum infundatur, quantum liquor capere possit, ut infundatur pro impræganda certa quantitate liquoris, & quantum sufficit pro cura affectus hujus vel illius. Omne namque recipiens recipit ad modum receptiuitatis suæ, seu tantum recipit particularum medicamentosarum ex rebus infusis vel incoctis, quantum potest continere in suis porulis. His ergo porulis repletis, nihil amplius potest recipere, licet vel centies nova instituatur aut infusio aut decoctio. Hinc culpanda venit eorum methodus, qui centum & plura sæpiùs ingredientia ad libras aliquot liquoris præscribunt, cùm nulla hìc sit proportio, faciunt tantummodo medicamentum pretiosum & minus fructuosum: pretiosum, propter copiam ingredientium; minus frutuosum, quoniam liquoris parcitas & paucitas non potest sufficienter absorbere & imbibere particulas rerum infusarum medicamentosas. Qualitatis verò ratio habeatur, ut materia & menstruum invicem appropriata sint, i. e. ut liquor habeat vim extrahendi simplicia. In his duobus enim primarium decocta & infusa medicata præscribendi consistit artificium: Conf. ZWELFFERVS *Pharm. Reg pag.* 31. *&* 84. item *Animaduers. in Pharmac. Augustan pag.* 146.

II. *Conditio materiæ infundendæ* seu *textura ejus specifica* attendatur; an naturæ volatilioris? an fixioris? Volatiliora sunt inepta decoctionibus: fixiora inepta infusionibus; non enim sufficienter extrahuntur. Infusa enim media sunt inter decocta & destillata. Infunditur autem subjectum in liquorem appropriatum, ut menstruum penetrando in poros extrahat materiam solubilem: Sic crocum, aliæque odore penetrante & volatili præditæ plantæ aromaticæ dictæ, uti etiam ipsa in specie sic appellata aromata, si decoquimus, non fit sine volatilium virium jactura; si verò ligna infundimus, minimum pars medicamentosa extrahitur: si cinnamomum, cardomomum, aut sinapi, decoquantur, certè multum de viribus perdunt; quod & de antiscorbuticis acribus, aromaticis, sassafras ligno, &c. notum, quæ nullam vel mediocrem coctionem ferunt, sed potius destillanda, aut in loco tepido sine sui exhalatione infundenda; aut si sunt decoquenda cum aliis, aut propter intendendas virtutes medicamenti, aut propter gratiam saporis vel odoris, nunc cum juncta destillatione decoctionibus inserviunt, nunc præscribuntur in fine decoctionis, quando coctio jam ferè est absoluta, aut certè in decoctionem adhuc calidam, & modò ab igne remotam, infunduntur.

Quod ipsum similiter intelligendum venit de aromatis purgantibus, quorum virtus coctione dispergitur & perit, qualia sunt imprimis epithymum, item senna, quæ levi coctione egregium est purgans; longiore verò coctione difficile & mucilaginosum torminans producit decoctum.

Hæc ergò & similia commodiùs infunduntur & decoquuntur, cum in decoctione castretur potius quàm augeatur eorum vis: ut nihil jam dicam; quædam simplicia, prout infunduntur vel decoquuntur, virtutes suas immutare: uti monui de Asaro, quod infusione in aquam, dat medicamentum vomitivo-catharticum: decoctione verò dat medicamentum deoppilativo-diureticum; id quod similiter in aliis usu venire observabitis, qui diligens est simplicium scrutator.

Hæc sunt, quæ commodiùs infunduntur. E contrario ista vegetabilia, quorum vis consistit fortiùs annexa concretioni & mistioni materiali, vel quæ fortiùs adhæret ipsi composito, qualia sunt v. g. ligna, radices, cortices, item plantæ quæ vocantur in specie splenetica, ut etiam quamplurimæ vulnerariæ & adstringentes, animalia & mineralia in infundendo parum valent, nisi decoquantur. Porrò quæ sunt solubiliora, molliora, porosiora, &c. minus diu infundenda, parciùs coquenda; cum aliàs ingratum, spissius, & facilè alterabile, quia densiùs imprægnatum, & ventriculo hostile, quia digestioni ejus proprio motu magis reluctans reddunt medicamentum: contra atque in durioribus & macerandis, & diutiùs coquendis, accidit, & propterea tunc temporis præscribatur major quantitas menstrui.

III. *Requiritur, ut probè attendatur, an subjectum infundendum & decoquendum sit naturæ salinæ? an sulphureæ? an aqueæ?* Salia enim acida pro subjectis mineralium; sulphurea, nempè spiritus vini, pro subjectis pinguibus, resinosis & oleosis; aquea pro salinis, adhibentur. Observandum ergò, ne radices, aut reliquarum plantarum partes resinosæ in aqua, mineralia in spiritu vini, infundantur; hinc quidam malè Agaricum in hydromel infundunt &c. Et licet non rarò fiant etiam infusiones & decoctiones in vino, adeòque videatur, quod in vino, cum insit pars spirituosa, possint etiam infundi resinosa & pinguia; nihilominus tamen, quoniam spiritus vini ante sui separationem est in vino dispersus, & copiosa aqua aut phlegmate dilutus, propterea fit, ut omnino vinum menstrui aquosi rationem adhuc obtineat. Talia ergò infundenda aut decoquenda sunt tantummodò, quæ possunt communicare suas virtutes cum liquore aquoso.

IV. Attendendum, *an subjectum sit generosius altero*, seu plus suggerat de vi medicamentosa? an sit debilius & minus se exserat in menstruo? Aromatica plus suggerunt menstruo, quàm fixiora: sic v. g. cinnamomi uncia una plus valet, quàm absinthii manipuli decem. Vnde, quæ vi medicamentosa sunt ditiora, parciùs; quæ verò pauperiora, copiosiùs &c. recipiuntur, & paratum sic remedium nunc cum, nunc sine expressione, colandum præcipitur, & sic specialis dosis, ut ubique, ita & hìc generalem determinat. Observandum verò quoad specialem dosin, ferè duplum, interdum triplum hìc pro decoctione aut infusione recipi respectu ejus si in substantia propinaretur.

Liquor deinde tanquam menstruum infusionum & decoctionum, mediante quo elicitur vis medicamentosa, per infusionem vel decoctionem, est varius. Communissimus est aqua simplex, hinc vinum, nunc acetum, serum lactis, &c. Liquor hic est vel simplex, vel compositus, aqua ferrata seu extinctionis ferri, hydromel, posca, cerevisia, juscula, urina, lac, &c.

Circa hunc liquorem observanda sunt quinque:

1. Si menstruum est volatile, minus decoctioni, infusioni saltem, & huic circumspectæ, inservit, ut vinum, spiritus vini. Ratio est; quoniam in decoctione, imprimis diuturniore, ex vino evanescunt ejusdem partes spirituosæ, & exhauriuntur ejusdem spiritus, remanente tantummodò latice aquoso subacido & quasi tartareo; propter hanc rationem commodius est vinum pro infuso, quàm pro decocto.
2. Vt sit sufficiens: seu ut tantum sumatur de liquore, quantum requiritur pro virtute materiæ infusæ elicienda; hinc canon: *Liquoris seu menstrui recipiatur tantum, quantum valet continere subjecti*, h. e. pari menstruorum & subjectorum proportione, ut contineant ramenta specierum infusarum: vid. ZWELFFERVS *Animaduers. in Pharm. Aug. pag.* 146. & *Pharm. Reg. pag.* 31. *&* 84.
3. Liquor debet esse homogeneus subjecto infundendo, h. e. ejusdem naturæ debet esse in fundamento, ne detur actio in invicem: v. g. aurum vel argentum, si vel centum annos decoquatur in aqua vel spiritu vini, nil elicitur: si cera vel resinosa docoquantur in aqua regia, vel aqua forti, frustra erit, quia invicem sunt contraria, nullus coalitus, nulla invicem actio aut reactio.
4. Liquor, quantum fieri potest, sit simplex, non compositus, aut si hic tamen sumendus, poris ut sit apertis, observetur, i. e. aliis substantiis non sit imprægnatus: quò enim simplicior, tenuior & dilutior fuerit liquor, eò cæteris paribus plus substantiæ medicamentosæ in se recipit; hinc cerevisia præ aqua, decoctum vel infusum præ aqua simplici minus huic negotio apta existunt. Vulgaris sanè error est, ut factis decoctis adhuc varia infundantur, ex quibus tamen liquor amplus quid recipere nequit: aut si propter circumstantias sumendus, recipiatur maximè dilutus, cujus pori adhuc aperti, ut valeant recipere plures medicamentosas substantias.
5. Quò denique inertioris & minus penetrantis erit texturæ, eò debilius fiet, minusque medicamentosum remedium; hinc etiam vinum præ aqua ex quàm plurimis longe plus elicit. Ob id liquor seu menstruum interdum fit acuatum cum tartaro, sive ipsi addatur Sal tartari, seu cremor aut crystalli tartari, sive tartarus crudus, sive terra foliata tartari. Sal tartari promptè liquescit & acuit menstruum, ut nempè partim melius penetret & dissolvatur subjectum, partim ut corrigatur malignitas nobis hostilis, si qua subest in subjecto. In infusis autem Sal tartari, in de-

in decoctis cremor aut crystalli tartari melius conveniunt, cum sine ebullitione non solvantur. Observandum autem, quod, ubi decoctum refrixerit, tartarus iterum concrescat in crystallos: ne igitur tartarus iterum coaguletur, tunc addatur tantillum salis tartari, & nunquam concrescet; v. g. ad ℥j. vel ℥ij. cremoris addatur salis tartari ℈j. ad ʒß. Sal verò essentiale in dosi paulo largiori utrique aptissimè iungitur. Imò alia interdum adduntur stimulantia pro varietate circumstantiarum: nunc ingredientia infundenda adsperguntur Tinctura tartari, quæ est alcalina, ut facilior fiat extractio, nunc additur tartarus vitriolatus, vel aliud Sal fixum, tàm simplex, quàm compositum, &c.

In horum autem coniunctione similiter quatuor sunt observanda:

1. Specierum mistio: quæ incidenda, incidantur; quæ contundenda, contundantur, & ritè misceantur.
2. Ut species mistæ, cum liquore simul coniunctæ, committantur digestioni, plus in decoctis & fixis, minus in infusis & volatilibus; mediante enim infusione, tepore & calore, penetrat magis menstruum in corpora. Purgantia quò diutiùs digeruntur, eò mitiora fiunt, & vim suam purgantem exserunt, penetrando scilicet mista.
3. Ut digesta vel decocta ebullitione absolutâ transcolentur per pannum vel linteum, ut fiat separatio liquoris imprægnati à fæculentis remanentiis. Quoad filtrationem in infusis antimonialibus observetur, ut per chartam filtrentur, ne aliquid de substantia antimonii hauriatur, & ita noxam adferat in corpore.
4. Observetur, quandoque opus esse edulcoratione cum saccharo vel syrupo appropriato pro gratia saporis & odoris, ne nauseam pariant; simili ratione ac supra in iulepis vel misturis factum. Opus autem est in decoctis & infusis amaricantibus & nauseosis. Non rarò loco sacchari additur mel in morbis pectoris, & aliis, imprimis senum, in quibus est suspicio mucilaginis crassæ & viscidæ, quæ ob id resolvenda, incidenda & attenuanda. Omnibus his ubibus egregiè satisfacit mel, quod tunc temporis omnem istam mucilaginem mirè dissolvit.

Et quia interdum incompleta sunt medicamenta, tàm pro efficacia, quàm pro gratia, addenda subinde quædam veniunt. Pro efficacia quidem electuarium, spiritus, extractum, syrupus, aut aliud quid à Medico pro intentionis ratione ordinandum, proportione ferè illa, quæ *supra de potionibus* monita fuit.

Pro gratia, præter colaturam subindè *clarificatio* vel per residentiam, quod rarum, vel cum albumine ovi, quod frequens, instituitur, ut secedant ad fundum partes, quæ reddunt ingratum decoctum, hocque oculis, quin & ventriculo magis arrideat. Modum præscribit SENNERTUS *in Instit. in fine ubi de Decoctis*; Sicut pro eodem scopo & *aromatisatio* supperadditur adjectis aromatis ventriculo gratis, & medicamenta plus minus corrigentibus.

Decocta & Infusa autem præscribuntur vel pro usu interno, vel externo: Illa sunt vel alterantia, vel evacuantia, vel utraque simul.

Decoctum purgans nihil habet singulare præ alterante, nisi quod exacta requiratur supputatio dosium purgantium ingredientium, quæ cùm sint vegetabilia, talia infundenda vel decoquenda sunt, quæ virtutes suas possunt communicare menstruo aquoso, siue quæ non sunt resinosa.

Ex hoc fundamento facilè patebit, quod turbith, ialappa, item hermodactyli, gummi guttæ, scammoniata & similia resinosa, non nisi frustra infunduntur cum aliis purgantibus, quoniam hæc & alia sine effectu, ceu resinosa, permiscentur reliquis. Et certè is, qui novit legitimè infundere vel decoquere sennam, rhabarbarum, & helleborum, vix opus habet reliquis. Ut taceam decocta purgantia propter nauseosum saporem, & propter horrendum gustum, nunc non esse ampliùs in usu adeò atque fuerunt tempore majorum: aut si adhuc præscribitur infusum aut decoctum tale, ex senna pro una saltem dosi præscribitur.

Infundendorum & decoquendorum proportio ad menstruum, ob circumstantias hactenus insinuatas, & alias plures tantùm non infinitas, vix determinari potest. Quò pauciora habentur ingredientia, eò utilius & melius fit decoctum aut infusum; quoniam ingredientium nimius cumulus infusum aut decoctum reddit crassum, spissum, & hinc ingratum, cùm plura ingredientia plures etiam habeant sapores differentes. Imò non potest non fieri, quin multa ingredientia multas & non rarò diversas habeant virtutes sibi non rarò repugnantes, & exinde effervescentias & subitaneas alterationes periculosas in corpore inducentes, propterea, quoniam ingredientia contrariæ virtutis sunt præscripta. Pro aliquali tamen idea, tali proportione sibi invicem respondere possunt. Liquor respondens in mollioribus & volatilioribus triplum, quadruplum vel sextuplum; in durioribus & fixioribus sextuplum, octuplum, aut duodecuplum, esse potest, dum totius remedii moles ordinariò libram unam semis aut libras duas vix excedit. Absumptio in decocto ad medias, vel ad tertias, h. e. partes menstrui residuas, interdum saltem ad quartæ partis consumptionem præcipitur, aut post colaturam demum eius quantitas determinatur, modo tamen non adeò certo, nisi priùs menstrui quantum determinatum fuerit, siquidem ad medias, item ad tertias decoctio instituta esse potuerit, & ita nunc debilius, nunc potentius remedium obtineri. Ordo ingredientium præscribendorum solet observari talis: ut primò ponantur radices, hinc folia, utut ab aliis promiscuè, modò folia primo loco, modò radices præscribantur, & nulla hac in re certa præscribi queat lex: postea flores, hinc semina; quò etiam pertinent fructus; & denique aromata, quæ adduntur, partim ut corrigant ingredientia purgantia, partim ut concilietur gratia saporis & odoris, sicut hæc ipsa sunt satis clara in MORELLO, ad quem vos remitto. Quod attinet animalium partes, si sint duriores, radicibus & foliis permiscentur & immiscentur; sin verò sint molliores, postmodum adduntur. Sed hæc docet usus & lectio autorum: impossibile enim est omnia inculcare. Proportio præter propter est hæc;

Radicum ℥vi. ad ℥j.
Corticum ℥ii. ad summum ℥ß.
Lignorum ℥ß. ad ℥j.
Herbarum M. i. ad M. ii.
Florum p. i. vel ii. ad iii.
Fructuum minor. paria ii. vel iv.
Maior. No. i. vel ii.
Seminum ʒii. vel iii. ad ℥ß.
Aromatum ʒi.

Præter specialem ingredientium quorundam dosin, v. g. laxantium, aliorumve, animalium & mineralium dosis variat, sicque proportionata non potest dari.

Infusa hæc vel simpliciter menstruo infundantur, & ita pulveris forma cum liquore hauriuntur, vel nodulis linteis raris includuntur, à quo successivè, cum aut sine expressione, liquor hauritur: vel Infusum paratum à speciebus colando separatur, & nunc ita solitarium, nunc sociatis iis, quæ decoctis addi solent, propinatur. Sed omnia hæc distinctiùs ex particularibus constabunt exemplis.

Ad Infusa pertinent *Vina medicata*, infundendo simplicia vegetabilia super vinum, ut per digestionem vinum imprægnetur his ex simplicibus, & ut quotidiè semel vel bis accipiatur bonus haustus. Tale vinum ex tempore quod fit, est vel alterans, vel purgans, vel utrumque simul. Posterius est usitatissimum, imprimis tempore verno, aut autumnali, quibus temporibus pro purificanda massa sanguinea, expurgandis quibuscunque heterogeneitatibus, & restituenda naturali crasi in iis, qui chronicis affectibus sunt obnoxii, commodissimè instituuntur tales curationes præservatoriæ ex alterantibus & purgantibus simul, ut & alterantia alterent crasin sanguinis vitiatam, & præcipitent separata excrementa vitiosa; purgantia è contra sensim sensimque, vel, uti vocant, per epicrasin evacuent, atque ita sine molestia & difficultate corpus purificetur. In morbis chronicis, melancholicis, uterinis, & in similibus insultibus, usitatè præscribuntur, & ut à futuro morborum insultu præcaveant. Hinc res nota est, quod recipiantur simplicia incisa, & contusa, aut etiam nodulo inclusa, qui nodulus immittitur in lagenam vini, ut vinum imprægnetur, de quo diebus singulis æger semper duabus horis ante pastum, aut etiam sub introitum lecti, bonum accipiat haustum, qui potus usque ad 8. imo ad 14. non rarò diem, continuatur. Imò tale vinum medicatum non tantum præservationis instituitur gratia tempore autumnali & vernali, sed etiam nonnunquam curationis gratia in morbis chronicis, v. g. in cura quartanæ, scorbuti, & similibus morbis, paratur tale infusum vini beneficio simplicium nodulo inclusorum.

Fit tale vinum medicatum in affectibus melancholicis & chronicis, in nervorum affectibus, paralysi & tremore; item pro cura epilepsiæ inveteratæ, pro cuius radicali exterminatione solent institui vina medicata: ii, qui laborant affectibus oculorum, commodissimè verno aut autumnali tempore talibus utuntur.

Modus præscribendi est idem atque in decoctis & infusis aliis, tantummodo præcipitur, ut incidantur & contundantur.

D. S.

Species ad vinum.

Mulieres postmodum includunt sacculo, & infunduntin vinum pro potu.

Exempli loco sit præscribendus

Nodulus alteracivus & laxativus vernalis in morbis chronicis ad purificandum sanguinem, h. e. ad dyscrasiam fluidarum corporis partium ex cruditatibus primarum viarum contractam, corrigendam:

℞. *Herb. rec. cochlear.*
Fumar.
Cum. Absinth. an. M. i. ad M. ii.
Fol. senn. sine stip. ʒvi. ad ℥i.
Flor. Bellid. min.
Cichor. an. p. ii.
Cent. min. p. ii. ad M. i.

Rad.

ad. Armorac.
Enul.
Fœnic. ana ℥ß. ad ʒvj.
Helleb. nigri non præp. ℥ß.
Rhabarb. el. ʒiii.
Passul. min. conqu. ʒvi. ad ℥i.
Sem. Anisi,
Fœnic.
Nasturt. ana ʒii.
Cinnam.
Galang.
Zedoar. ana ʒi.
Sal. tartari ʒiii. ad ℥ß.
Incisa & contusa includantur nodulo,
S.
Nodulus laxativus & sanguinem mundificans ad vinum.

Infund. in mens. j. *vini*, ea exhausta, nova affundatur.

Sumantur autem talia purgantia, ut possint elici à uino, tanquam menstruo aquoso: Talia sunt folia Sennæ sine stipitibus, radix Ellebori nigri, Polypodii, Rhabarbari, &c. Hæc sola sunt, quæ elici possunt per menstruum aquosum. Dosis non attenditur; Menstruum enim non plus recipit, quàm potest; v.g. unus haustus poculi uini non plus operabitur, quàm duo pocula. Passulæ adduntur, ut in subjectis acrioribus sine efferuescentia operentur in corpore. Si autem hìc adderem Agaricum, Colocynthidem, Ialappam, &c. quæ ordinariò aliàs una infundi soler, nil proficerem; hæc enim & alia resinosa, ceu non appropriato menstruo, nullam extractionem patiuntur. Sal tartari partim pro usu proprio, dum cum acido uini in Sal essentiale abit, partim pro scopo corrigendi solutiua, ac simul promouendi solutionem additur. Loco eius in hypochondriacis interdum limatura martis additur, quicquid dicat GEIGERVS *in Kelegraphia*; acidum enim uini hanc sufficienter rodit: sed nunquam simul, Sal tartari enim martem alioquin præcipitat.

Aliter:

♃. *Herb. Cochlear. rec.*
Com. Absinth.
Fl. Cent. min. ana M. ß ad M. j.
Fol. Senn. sine stip. ʒvi. ad ℥i.
Rad. Armorac. rec. ℥i.
Gentianæ,
Helleb. nigr. non præp. ana ℥ß.
Tarax. ʒii.
Esulæ non præp. ʒiß.
Caryophyll.
Cinnam.
Zingib. ana ʒi.
Sem. Anis. ʒiß.
Fœnic.
Sal. tartari an. ʒiii.
Incis. & contus. includantur nodulo, S.
Nodulus ad vinum.

Infund. Vini Rhen. Mens. iß. capiatur omni manè bonus haustus cum uel sine expressione, prout fortius uel debilius se exserit; isque uel calidus, uel præmisso tantillo iusculo frigidus.

Nodulus purgans ad aliquot doses:

♃. *Com. Absinth.*
Herb. Menth. ana M. i.
Fol. senn. sine stip. ʒvi.
Rad. Helleb. nigri crudi ℥ß.
Sem. Fœnic. ℥i.
Zedoar. ʒi.
Cinnam.
Sal. tartari ana ʒii.
Incisa includ. nodulo,
D. S.
Ut ante.

Nodulus pro vino *alterans & laxans* in *anorexia & apepsia*, ex mala diæta insequente:

♃. *Herb. Menthæ* M. ii.
Summ. Absinth. M. i.
Fol. Senn. sine stip.
Rad. Enul. ana ℥i.
Aron.
Helleb. nig. crud. ana ℥ß.
Sem. Anis.
Fœnic. ana ʒvi.
Galang.
Zedoar.
Zingib. ana ʒvi.
Sal. tartari ʒiii.
M. Incis. & contus.
S.
Ut antea.

Nodulus in diuturna quartana, ut exinde die intermissionis duo boni hauriantur haustus:

♃. *Com. Absinth.*
Herb. Card. bened.
Fumar. ana M. i.
Flor. Borrag.
Bugloss.
Cent. min.
Cichor. ana p. i.
Rad. Armorac.
Enul. ana ʒvi. vel etiam ℥i.
(vel quoniam Armoracia est potens, potest præscribi *rad. Armorac.* ℥ß. & *Helenii* ℥i.)
Limat. Martis depur. ℥iß.
(nam mars valdè ponderosus est)
Passul. min. (pro gratia saporis & pro temperamento) ℥i.
Cinnam.
Galang.
Zedoar. ana ʒi.
Crem. tartari ʒvi.
Incisa & contusa
S.
Species ad vinum.

Hæc includuntur sacculo, & infunduntur in uinum.

Quod si uelim, ut fiat *uinum blandè laxans & alterans*, subitò post radices & flores ponerem

Fol. Senn. sine stip.
Rad. Helleb. nigr. præp. ℥i.
Rhabarb. el. ʒiii.
Sem. Carth. contus. ʒvi.

Et hæc unà cum reliquis permisceantur, & ita fiat uinum medicatum, quod esset & digestiuum & euacuatiuum: digestiuum ratione martis & tartari unà cum simplicibus febrifugis antiscorbuticis: esset euacuatiuum ratione purgantium. Aromata & passulæ ingrediuntur pro gratia saporis, pro gratia stomachi, & pro temperanda acrimonia humorum acidorum, in quartana abundantium, ratione imprimis passularum. Interdum potest fieri tale uinum passulatum elegans in affectibus hepatis cum rhabarbaro, passulis & pauco facchari, uel tartaro & cremore tartari in uino infusis, in imminuto mensium fluxu, in ictero, cachexia, anasarca, leucophlegmatia, & similibus.

Dabo aliud exemplum, ut facilius sit negotium.

Nodulus laxans & alterans pro muliere, hystericis passionibus subinde obnoxia, cum accedente imminuto mensium fluxu non omnino obstructo:

♃. *Com. Absinth.*
Herb. Artemis.
Marrub. alb.
Rorismar. ana M. i.
Fol. Senn. sine stip. ʒvi.
Flor. Calend.
Cent. min.
Cheiri,
Croci Orient. ana p. i.
Rad. Bryon. ℥iß.
Angel.
Mecobacan. ana ℥i.
Elleb. nigr. crud. ℥ß.
Gentian.
Levist.
Zedoar. ana ʒii.
Cort. Aurant.
Citri ana ʒiii.
Bacc. Junip.
Lauri,
Sem. Cicer. rubr. ana ʒii.
Cumin.
Erucæ,
Nasturt. ana ʒi.
Crem. tartari ʒvi.
vel potius *Crem. & sal. tartari* ana ʒiii.
(pro stimulo menstrui, ut faciliùs & feliciùs extrahat.)
Incisa & contusa
S.
Species ad uinum matricale.

Potuissem addere *Cinnamomum*, *Zingiber*, *Zedoariam*, &c. sed non opus est, quoniam jam satis habebit saporem aromaticum.

Aliter:

♃. *Herb. Rorismar.* M. ii.
Com. Absinth. M. i.
Fol. Senn. sine stip. ℥ß. ad ʒvi.
Flor. Calend.
Cheiri,
Croci ana p. i.
Rad. rec. Bryon. ℥iß.
Angel. ℥i.
Gentian.

Rad. Zedoar. ana ℥ij.
Helleb. nigr. non præp.
Cort. Aurant. ana ℥iv j.
Bacc. Junip. ℥vi. vel *barum & bacc.*
Lauri ana ℥iij.
Cinnam.
Galang. ana ℥j. ad ℥iß.
Limat. Mart. rec. ℥iß.
Incisa & contusa includ. nodulo, S.
Nodulus laxatiuus ad vinum.

Gentiana & Zedoaria volatiliores & penetrantiores longè sunt, quàm Angelica: ergò in minori dosi adduntur: Bryonia in specie dicata est mulieribus, & evacuat serosiorem lympham earum. Vbi limaturam martis præscribere non placet, addatur salis tartari ℥iß. vel terræ foliatæ tartari ℥ij.

Omni manè hauriatur dosis vitri ordinarii.

Item
♃. *Herb. Matricar.*
Meliss. ana M. j.
Fol. senn. sine stip. ℥ß. ad ℥j.
Bacc. Junip.
Rad. bryon. rec. ana ℥vi.
Angel. ℥iij.
Cass. lign. ver.
Zedoar. ana ℥iß.
Sal. tartar. ℥ij.
Incis. & contus. includ. nodulo,
Infund. in Vini Rhen. Mens. ij. stent per diem & noctem in loco calido, & hinc omni manè capiatur Haustus.

Nodulus contra Icterum flavum:
♃. *Com. absinth.*
Herb. Marrub. an. M. j.
Rad. Chelidon. mai.
Rubiæ tinct. an. ℥j.
Sal. tartar. ℥ij.
Incisa & contus. misceantur, & *nodulo* includantur.

Vel
♃. *Fol. Sabinæ,*
Salviæ an. M. j.
Rad. Aristoloch. rotund. ℥j.
Ari rec. exsiccat. ℥ß.
Zedoar.
Cinnam. an. ℥iij.
Vitrioli Martis ritè par. ℥vj.
Incis. & cont. includ. *nodulo*.

Nodulus pro vino antiscorbutico:
♃. *Herb. rec. cochlear.* M. iß.
Fumar. M. j.
Absinth.
Cherefol. an. M. ß.
Rad. Armor. rec. ℥iß.
Fœnic. ℥vj.
Pom. Citr. concis. no. ii.
Pass. min. cont. ℥iß,
Incisa & contusa includantur Nodulo Vino infundendo. S.
Species vino antiscorbutico infundendæ.

Vel
♃. *Herb. rec. Cochlear.*
Nasturt. an. M. j.
Ras. Ligni Sassafr.
Rad. Enul. an. ℥iß.
Acori nostr. ℥j.
Galang.
Cort. Aurant.
Citri an. ℥vj.
Limat. Martis ℥ij,
Incisa & contusa includ. Nodulo, S.
Species pro spasmo,
pro infusione in Vinum.

Vinum Arthriticum alteratiuum pro iis, qui laborant affectu podagrico, pro alterando acido in primis viis:
♃. *Herb. Rorismar.* M. ii.
Chamædr.
Chamæp.
Melissæ,
Salviæ an. M. j.
Rad. Chinæ ℥j.
Caryophyllat.
Enulæ camp.
Pæon. an. ℥vj.
Galang.
Zingib.
Cinnam. an. ℥ij.
Bacc. Junip. ℥iß.
Incisa & contusa includantur nodulo, pro lubitu, addito sale tartari.

D. S.
Species ad uinum arthriticum.

China est subiectum fixum, ob diuturniorem tamen digestionem mitigatur vis fixior, ut vim suam exserat in hoc composito.

Nodulus pro infuso martiali una cum aliis pro virgine, cui menses suppressi sunt.
♃. *Herb. Artemis.*
Puleg. an. Miß.
Sabinæ,
Flor. Cheiri an. M. i.
Anth. Lil. alb. p. ij.
Rad. Aristol. rotund. uer. ℥i.
Valer. ℥ß.
Limat. Mart. ℥iij.
Bacc. Lauri,
Cass. lign. ver. an. ℥iij.
Sem. Anisi,
Dauci Cret.
Fœnic. an. ℥ii.
Croci ℥ß.
Includantur nodulo, & infundantur in Vini ℔ij. digeratur vase clauso per dies aliquot.

Vel
♃. *Vini Rhen. in quo crebriùs chalybs candefactus extinctus fuerit* Mens. ij.
Huic infund.
Herb. Artemis.
Puleg.
Rorismar. an. M. j.
Cass. lign. veræ ℥vj.
Cinnam. ℥ii.
Croci ℥j.
M. includ. nodulo,
S.
Nodulus aperiens.

Conf. HARTMANNI *Prax. Chymiatr. c.* 169. §. 2. & *cap.* 179. §. 8.

Vinum laxativum seu *Absinthites purgans:*
♃. *Flor. Cent. min.* p. ij.
Rhabarb. el. ℥ij.
Sal. tartari ℈j.
Infund. in *Vini Absinth.* s. q.
Stent in loco calido per noctem, manè
♃. *Colatur. leniter expr.* ℥iij.
adde
Syr. rosat. sol. ℥vj.
M. D. S.
Absinthites purgans pro una vice.

Infusum laxatiuum polychrestum:
♃. *Fol. Senn. sine stip.* ℥iß. ad ℥ij.
Rad. rhabarb. el. vel *Helleb. nigr. non præp.* ℈ii. vel ℥j. ad ℥iß.
Zingib. ℈ß.
Sal. tartari ℈j.
Infund. in s. q. *aquæ comm.* vel *Fumar.*
Stent in loco tepido per noctem: manè
♃. *Colat.* ℥iii.
add.
Aquæ Cinnam. ℥j. ad ℥iß. vel ℥iij.
Syr. de pomis ℥iij. vel ℥ß.
M. D. S.
Potio laxatiua pro una uice.

Sal tartari è Rhabarbaro extrahit Tincturam rubram, & corrigit saporem ejus nauseosum, & foliorum sennæ: qui fortiùs laxare volunt, Colaturæ addant
Extractum trochiscorum albandal.

Infusum ab asinthites purgans in febribus intermittentibus pro una dosi.
♃. *Com. Absinth.* Mß.
Flor. Cent. min. p. ii.
Rhabarb. el. ℥ii.
Helleb. nigr. ℥i.
Cinnam.
Sal. tartar. an. ℈i.
Infund. in s. q. *aquæ fumar.*
Stent in loco tepido per noctem: manè
♃. Colaturæ ℥iij.
adde
Syr. Rosar. solut. ℥iij.
M. pro 1. dosi: S.
Potio emolliens pro una uice.

Infusa antifebrilia, contra Quartanas:
♃. *Pulu. Chinæ Chin.* ℥vj. ad unc. j.
Rad. Gent. ℥iii.
Flor. Cent. min. p. iv.

Piperis longi ℥j.
Sal. tartari ℥ß.
M. f. pulu. S.
Species ad vinum.
Vel
℞. *Cort. Chinæ Chin.* ʒvj.
Guajac. ʒij. vel iij.
Com. cent. min. M. j.
Cinnam. ʒij.
Caryophyll.
Lapill. cancr. præp. an. ʒj.
Sal. tartari ʒij.
M. f. pulvis:
Infund. in *Vini* vel *Absinth.* vel *Gallici*, vel *Rhenan.* Mens. iß. subinde agitando.

Tempore usus omnibus benè commixtis capiatur bonus haustus, idque ad imitationem Gallorum, præsertim D. MONGINOT *Tr. de Cura febrium per Chinam Chinæ*. Ritè usurpata rarò fallunt, signa coctionis ubi præcesserunt.

Loco corticis Peruviani & *lignum colubrinum amarissimum*, præsertim *in Tertianis*, recipi potest. Delicatioribus inclusus nodulo pulvis ita infundi, & prævia expressione Infusum hauriri potest.

Infusum passulatum convenientissimum *laxativum*, *pro hypochondriacis & melancholicis*, aliisque, qui siccioris sunt alvi:
℞. *Passul. min* ℥ii. vel iij.
Fol. Senn. sine stipit. ʒvj.
Cinnamom. elect. ʒiß. ad iii.
Caryophyll. ʒi. ad ʒß.
Crem. tartari ʒiß. ad ʒii.
Incisa & contusa probè in mortario lapideo infund. in s. q. aquæ simpl. v.g. ℔ii. ad ℔iij.
Stent in loco calido per noctem, vel per vigintiquatuor horas, vase clauso: manè ubi omnia refrixerint, colentur per chartam vel linteum densum.
S.
Julepus laxativus.

De hoc hauriant pro dosi ℥iij. vel iv. & alvus feliciter aperitur. Convenit hypochondriacis, melancholicis, quartanariis, & passionibus hystericis obnoxiis, utpote quæ alvi sunt durioris & clausæ, adeò ut per fortiora medicamenta vix moveantur.

Alio modo:
℞. *Passul. min. conquass.* ℥iij.
Decoqu. in s. q. *aquæ simpl.*
Colat. fervent. ℔j. infunde
Fol. Senn. sine stipit. ℥ß.
Rad. Helleb. nig. crud.
Cort. Aurant. an. ʒij.
Galang.
Zingib. an. ʒj.
Stent in loco tepido per noctem vase clauso:
Colatura recipiatur, & addatur
Spiritus cochlear. ʒiij.
M. D. S.
Potio aperiens.

Pertinet huc
Infusum purgans ex senna pro delicatulis ad aliquot doses, à D. MICHAELIS olim laudatum.
℞. *Fol. Senn. sine stipit. pulver.* qu. v.
Hisce addatur
Passul. min. lotar. duplum.
Contundantur omnia in mortario lapideo, ut fiat inde pasta;
Cui adde
Cinnam. morsu el. ʒiij.
Caryophyll. ʒiß. ad ʒii.
Hinc in vase fictili affundatur
Aquæ ferventiss. q. s. (h. e. *ad folior.* ℥j. *Passular.* ℥ii. *aquæ* ℥xv.
Stent in vase clauso in loco tepido, vel in balneo Mariæ vel 6. vel 8. horas: filtrentur per chartam, & per spontaneam residentiam depurentur. Liquor decantatus clarus asservetur pro usu.

Dosis infanti ʒiij. ad ℥ß. & ℥j. adulto ℥iij. robusto ℥v. quin & alia minus nauseosa purgantia unà infundi poterunt pro subjectorum ratione, sicut & de tartaro puro aliquid simul propter sennam addi potest.

Præter vina & aquas *Infusiones* etiam fiunt *in sero lactis*, imprimis ubi ad sunt phlogoses & ardores vagi simulque intentio est urinam promovendi. Serum lactis enim per se non parum habet virtutis medicamentosæ, ratione imprimis salis volatilis temperati; & cum per se sit egregium antiscorbuticum, & conveniat admodum tam in scorbuto, quàm febre cum scorbuto conjuncta; propterea possunt fieri decocta & infusa in sero lactis in malo hypochondriaco, scorbuto, & similibus morbis Convenientissimè infunduntur in serum lactis plantæ antiscorbuticæ, ex eo, quoniam serum lactis temperat saporem acrem, & quibusdam adversum, plantarum antiscorbuticarum.

Dabo adhuc aliquot exempla de *sero lactis purgante*, v. g. in scorbuto:
℞. *Fol. senn. sine stipit.* ʒiij.
Epith. ʒj.
Thymi,
Sem. Anisi an. ℈j.
Zingib. ℈ß.
Crem. tartari (hic tanquam acuativum liquoris ultimo loco ponitur) ℈j. vel ʒß.
Infundantur in *seri lactis caprin.* ℥iv. vel vi,
Stent in infuso per noctem in loco calido; manè facta levi ebullitione, colet. & add.
Syr. rosar. solut. ℥j.
M. D. S.
Potiuncula purgans.

Infusum alterans in scorbuto ex sero lactis:
℞. *Herb. Anagall. aquat.*
Cochlear.
Nasturt. aquat. an. M ii.
Sedi min.
Com. Absinth. an. M. i.
Macis ʒi.
Concisa & contusa infund. in s. q. *seri lactis.*
Stent in loco calido, post filtrentur vel colentur;
Colatur. adde
Aquæ cinnam ℥ß. vel ℥i.
M. D. pro potu.

Optimus modus parandi *Infusa scorbutica ex sero lactis* est iste, quem habet HORSTIUS *lib. 7. obs. 26.* fit ex succo permisto infuso seri lactis. Modus est hic:
℞. *Herb. Anagall. aquat.*
Cochlear.
Nasturt. aquat.
Nummular. an. M. ii.
Com. Absinth. virid.
Herb. Rutæ,
Sedi min. an. M ß.
Incidantur & conterantur in mortario lapideo, per pannum lineum traiiciatur succus, qui in vase vitreo conseruetur.
℞. Herbas, ex quibus succus expressus est; Coqu. in sero lact. caprin. depurato, leniter per pannum lineum exprimatur, post expressionem huic addatur succus prior, misceantur & aromatisentur pro Potione: cujus dosis sint unc. iij. unc. v. unc. viii. ad summum.

Infusum aliud *antiscorbuticum*:
℞. *Herb. rec Fumar.*
Trifol aquat an. M ii.
Beccabung.
Cochlear.
Nasturt. an. M. i.
Rad. rec. Armorac. ℥iij.
Enul.
Sem. Erucæ ʒvj.
Incisis, affund. serum lactis caprini cum succo citri præcipitatum:
Stent in infusione per diem & noctem vase clauso.
Item
℞. *Herb. Acetos.*
Cochlear. rec.
Nasturt. aquat. rec. an. M. j. ad M. ij.
Rad. rec. Armorac. seu *Raphan. rustic.* ℥j. ad ℥iß.
Concisa & contusa in mortario lapideo
infund. in
Seri lact. depur. ℔ij. vel ℔iiß. ad ℔iij.
Stent in loco tepido per noctem in vase clauso, manè
℞. *Colaturam*; adde
Aquæ cinnamom. ℥ß ad ʒvj.
Sacch. vel *syr. acetos. citri* vel *Sceloturb. Forest* q. s. pro aliquali edulcoratione. S.
Potio antiscorbutica pro aliquot vicibus.

Dosis ℥iii. vel iv.
Vel
℞. *Herb. cochlear.* M. ii.
Rad. Armorac.
Enul.
Passul. min. an. ℥j.
Bacc Junip. ʒvj.
Incisa & contusa infundantur in *serum lactis* vel *vinum*.

Potentior est succus, si speciebus istis prioribus sub contusione affundatur seri lactis saltem q. s. pro meliori conquassatione, & ita succus exprimitur, qui vel ita cum pauco saccharo edulcoratus absorbeatur, vel illius unc. iß. sub usu seri lactis q. s. addatur, & ita hauriatur.

Serum lactis autem *depuretur* à grumis caseosis per acida, quæ coagulant istos, & in fundum præcipitant. Primatum hic obtinet *succus citri*, loco cujus tamen tantillum *aceti destillati* vel *aluminis pulverisati* injici potest, cùm in genere quodcunque acidum serum depuret.

Interdum etiam *cum succis vegetabilium depuratis* fiunt *Infusa* vel alterantia vel purgantia: e. g. Infusa in succum pomorum Borsdorffianorum sunt convenïens potus in malo hypochondriaco, in melancholia hypochondriaca, & similibus morbis ab acido austero ortis. Nam hic succus pomorum Bosdorffianorum habet vim quandam aromaticam in se, ratione cujus valdè conducit instar potus ad corroborandum & restaurandum: præterea per alvum laxando & abstergendo, simulque acidum in corpore humano abundans corrigendo & emendando, & propter has virtutes est specificum conveniens melancholicis. Hinc etiam fit Extractum martis cum succo pomorum Borsdorffianorum, elegans in morbis chronicis & contumacioribus, uti *superiùs de marte* monitum fuit. Ita succo nasturtii vel cochleariæ depurato, & sero lactis misto ana, commodè infunduntur simplicia, quæ in morbis chronicis usurpantur, & communiter *Aperitiva* appellantur; v. g. fit

Infusum laxativum antiscorbuticum;

℞. *Fol. sen. sine stip.* ʒvj.
Rad. Helleb. nigri ℥ß.
Succi depur. Chelid. min.
Cochlear.
Fumar. ana ℥ii, vel iii.

stent in infusione per diem & noctem in vase clauso loco frigido: de quo tempore usus transcolentur ℥iii. vel iv. & pro saporis gratia cum s. q. *sacchari* edulcorentur, S.

Succus antiscorbuticus laxativus.

Saccharum additur pro corrigenda acrimonia antiscorbuticorum, acrium succorum,

Sumantur jejuno stomacho manè pro dosi ℥ii.

Interdum, quando talia infusa sunt minus efficacia, sive sint cum vino, sive cum succis, sive cum sero lactis, quocunque modo parata, si scilicet metus est, ne in subjectis fortioribus minus moveant, & assumantur sine alteratione, in tali casu usitatum est, ut singulis haustibus addatur vel spiritus, vel essentia, vel tinctura, aut extractum appropriatum, &c. v. g. in hypochondriacis additur Elixyr proprietatis; qui laborant scorbuto, iis singulis haustibus infusionis aut decocti adduntur guttæ x. ad xx. spiritus cochleariæ, vel spiritus cochleariæ cum spiritus radicis Armoraciæ conjuncti, item spiritus aperitivus Penoti: mulieribus, quæ laborant præter affectus chronicos aliis affectibus uterinis, haustibus singulis admiscentur guttæ x. xii. aut xv. Elixyris uterini Crollii: iis, qui laborant epilepsia, eorum haustibus medicatis adduntur aliquot guttæ spiritus vitrioli epileptici, seu spiritus vitrioli cephalici, spiritus cranii humani, aut spiritus sanguinis humani: iis, qui laborant febribus chronicis, singulis haustibus additur spiritus salis ammoniaci, vel alius spiritus febrifugus usitatus: Vid. *caput* MORELLI *de Vinis Medicatis*, in quo est satis prolixus, & omnia accuratè pertractat, sive loquatur de vino alterante, sive etiam purgante.

Sunt etiam *Infusa Vomitoria* frequenti in usu, ubi præ reliquis primatum ducunt antimonialia in vino infusa, quæ promptè & feliciter operantur. Sit exempli gratia

Infusum seu *Vinum antimoniale emeticum*:

℞. *Mercurii vitæ*, vel *Croc. metall. comm.* aut *absinthiac.* gr. ij. iv. v. vi. vel vij.
infundatur in s. q. vini Rhenani:
Stent in loco tepido per noctem, manè filtr. per chartam emporeticam.
℞. Hujus filtrati ℥ß. ad ℥i. ad summum ℥iß pro consideratione ægri; adde
Aquæ cinnam. ʒii.
M. D. S.

Vinum emeticum pro una vice.

Filtratur benè per chartam, ne aliquid de substantia antimonii unà transeat, quæ ad hæsu suo in intestinis solet inducere tormina, hypercatharses, & diarrhœas. Hic simul observetur, quod quantitas liquoris seu vini magis attendatur, quàm substantia antimonialis infundenda, quoniam antimonii virtutes sunt indeterminatæ, & grana quinque vel sex vomitivi antimonialis tàm possunt imprægnare uncias quatuor liquoris, quàm illius uncia una: adeò ut etiam mercurii vitæ grana sex cum libris duabus vini possunt infundi, vbi saltem ratio liquoris habenda. Nam quò copiosior est liquor, eò etiam fortior postmodum erit evacuatio; quò paucior est liquor, eò minor solet esse vomitus, ut rectè monet WALLÆUS M. M. *pag.* 59. qui meretur ut videatur: Vnde etiam potest usitatè præscribi in officinas

Potio Vomitiva,

hoc modo:

℞. *Vini emet. ex infus. croci metall.* vel *Mercurii vitæ* ʒvi. vel ℥i.
D. S.
Vinum emeticum.

Alio modo:

℞. *Vini Rhen.* ℥i. robusto ℥iß.
Infund. in calicem ex vitro antimonii paratum,
stent in loco calido per noctem,
Manè filtr. per chart. emporeticam, S.
Vt ante.

Calix hic, sive habeat unciam unam, sive libram unam, idem est; neque enim liquor plus recipit, quàm recipere potest.

Aliud *Infusum Emeticum*:

℞. *Fol. Asari rec.* Num. viii. ad x. Minutim incisa infund. per noctem in
Aqu. card. bened. ℥iv.
Manè ℞. Colat. adde
Oxymell. simpl. ℥ß.
M. D. S.
Potio vomitiva.

Aliud fortius:

℞. *Fol. Asari rec.* Num. ix.
Conterantur in mortario lapideo
cum pistillo ligneo, affundendo sensim
Oxymel. simpl. ℥ß. ad ℥j.
Tamdiù terendo, donec in potabilem succum sint contra; hinc adde
Aqu. card. bened. ℥ii. ad ℥iv.
M. f. *Haustus*.
S.
Vt ante.

Pertinent huc *Vina medicata* vel *analeptica*, ex aromatis parata, aliàs dicta *Vina Hippocratica* seu *Clareta*. Fiunt ex aromatis, in specie ex cinnamomo & Zingibere, in vino infusis: Vinum hoc aromatibus imprægnatum transcolatur per manicam Hippocratis, quæ est sacculus, vel laneus vel linteus acuminatus, in fine perforatus: hoc reiteratur aliquoties, ut sensim sensimque vinum imprægnetur aromatis, post additur sacchari plus minus pro gratia saporis. Pro ut ergo magis vel minùs aromatisatum postulamus vinum, eò sæpiùs vel parciùs instituitur talis per manicam Hippocratis colatio. Apud nos sunt rariora, & vel simpliciter analeptica, vel alterantia, vel simul laxantia.

Dabo exemplum Vini Hippocratici sive Clareti pectoralis, quoniam in talibus affectibus talia dulcia expetuntur: Ponam v. g. tussim à lympha tenui & acri, cum mucilagine crassa oriundam, pro quo tale præscriberem *Claretum Pectorale*:

℞. *Herb. Hyssop.*
Marrub. alb.
Mentha ana M. i.
Rad. Liquirit.
Enulæ,
Rad. Ireos Flor. ana ℥ß. vel ʒvi.
(Hæc debet esse basis, propterea in majori dosi præscribuntur.)
Caricar. vel *ficuum pingu.* Num. viii.
Passul. min. ℥ß. ad ʒvi.
Infund. in s. q. Vini & Hydromelitis:
Colatura trajiciatur per manicam
Hiprocatis bis vel ter, S.
Claretum pectorale pro aliquot vicibus.

Videatur MORELLUS *de Vinis Medicatis*, ubi habet de *Vino Hippocratico*.

Vinum Hippocraticum seu *Claretum laxativum pro sene catarrhali*:

℞. *Bacc. Junip. rec.* ʒvi.
Fol. senn. sine stip. ʒiii. vel ℥ß.
Rad. Acori veri rec. ℥ß.
Helleb. nigr. ʒiß. ad ʒii.
Zingib. ʒi. ad ʒiß.
Cinnam.
Cubebar.
Galang. ana ʒj.
Macis ʒß.
Crem. tartari ʒi. ad ʒij.
infund. in *Vin. Rhen. opt.* ℔iß.
Stent in loco tepido per triduum, ut dissolvatur cremor tartari, hinc edulcoretur cum *sacch.* ℥iß. ad ℥ii.
Et colentur bis vel ter per manicam Hippocratis, S.
Vinum Hippocraticum.

In usu autem hæc sunt debilioribus senibus, quibus vi analeptica volumus succurrere.

Hæc est aromatisato vinorum vel decoctorum, quæ nunc fiunt, uti dixi, injiciendo aromata, nunc trajiciendo per manicam Hippocratis. Plura de his videbitis in MORELLO.

Hisce modis simplici specierum per menstruum extractione præscribuntur Infusa: Pertinent huc *Vina* & *Cerevisiæ medicatæ* per Infusionem & fermentationem: Nempè vina medicata parantur, vel per infusionem in vinum iam perfectum, vel quando in mustum recenter expressum sub fermentationis opere infunduntur vegetabilia varia, quorum virtutibus volumus imprægnare vinum, vel ita nuda, vel nodulo raro inclusa, & in medio liquoris suspensa, quo mediante

diante in textura gummeo-resinosa meliùs recluduntur, ac ita exactiùs menstruo uniuntur, & sub alterutrius fermentativo motu potus medicamentosus emergat, qui sub minori digestionis primæ labore altiùs partes corporis subit, & alterativas impressiones undique exserit; unde talia Vina conveniunt subjectis, morbis chronicis afflictatis. Ex his Vinum acaciæ, absinthites, cochleariæ, &c. sæpè in usu est. Species infundendæ saltem in majori quanto, habita ratione liquoris, in quem fit infusio, præscribuntur.

Quod dictum de vino, etiam intelligendum est in nostris regionibus septentrionalibus de cerevisia; eodem namque modo atque vinum fit medicatum, eodem quoque modo cerevisiæ recenti & à coctura ferventi species infunduntur.

Talis est *Cerevisia antisco butica Timæi in Epist. lib. 6. Epist.* 14. *pag.* 428. Sicut in cerevisiis medicatis excellunt Angli, qui v. g. habent cerevisiam antiscorbuticam ex plantis antiscorbuticis; est potus suavissimus, & sapit fortiter cochleariam, & convenientissimus æquè ac frequentissimus Anglis potus est in scorbuto, quo aliàs eorum regio epidemicè est infecta: Sic pariter cerevisiam citratam medicatam habent, saporis blandè aciduli, qui potus febricitantibus & in morbis malignis & similibus, ubi vires sunt deperditæ & prostratæ, conveniens est: Cum radice pariter Chinæ cerevisiam habent pro potu ordinario, præprimis ii, qui laborant lue Gallica, & catarrhis, ratione ingredientis ligni sassafras.

Modus tales cerevisias, parandi est duplex:

1. Species infunduntur interdum sub coctura, quando lupulus additur.
2. Sub fermentatione.

Primus modus non admodum conveniens est, quia est vehemens, & sub coctura paulò volatiliora avolant: sub fermentatione ergo, vel in cadis majoribus, vel quando jam cerevisia inclusa est suis vasis, parentur, infundendo species medicinales nunc simpliciter, nunc nodulo ligatas, ut ita generosior & efficacior fiat cerevisia medicata. Tales potus medicati sunt convenientissimi pro usu quotidiano & ordinario in morbis chronicis, in morbis contumacioribus & similibus. Sic Vinum absinthites & cerevisia absinthiaca conveniunt in scorbuto, cachexiis, malo hypochondriaco, & similibus affectibus, quorum radix solet esse in stomacho & primis viis; & observatum, vinum & cerevisiam absinthiacam simul blandum & suavem inducere somnum. Cerevisia Rorismarinata convenit mulieribus in earum affectibus. Vinum florum acaciæ valdè convenit in purificanda & depuranda massa sanguinea. Vinum cochleariæ convenit iis, qui laborant scorbuto, aut affectibus propius ad scorbutum accedentibus, quales sunt hypochondriaci. Cerevisia scolopendriata, German. *das Hirsch-Zungen Bier*, conducit in morbis chronicis. Spleni vulgò attributis, quartana, ictero nigro, hypochondriaco affectu, & similibus aliis.

Ut verò habeatur specimen, fit

Vinum medicatum absinthiacum:

℞. *Rad. Caryophyllat.*
Herb. card. bened.
Rorism. an. ℔ß.
Absinth. ℔iiß.
Cen. cent. min.
Flor. samb.
Cort. aurant.
Citri an. ℥iij.
Incisa & contusa
S.
Species ad vinum absinthiacum.

In amphoram (60. mensurarum) unam, vel cum semisse musti, specierum harum debet fieri infusio.

Vinum vel *cerevisia Medicata:*

℞. *Herb. card bened.* M. iv.
Rorism. M. ij.
Herb. fumar. M. j.
Ras. ligni sassafr. ℥iij.
Rad. Acori veri ℥ß. vel ℥ij.
Caryophyllat. ℥j.
Cort. Aurant.
Citri an. ℨß. ad ℥j.

Incisa & contusa indantur nodulo, & suspendantur in musto vel cerevisia fermentante.

Sufficiunt hæ species pro integra amphora *Lipsiensi*.

Cerevisia vel Vinum anticachecticum antihypochondriacum:

℞. *Herb. cochlear.* M. iv.
Fumar.
Nasturt. an. M. ij.
Rad. rec. cichor. ℥iij.
Scorzon. ℥ij.
Caryophyllat. ℥j.
Cort. Fraxini ℥ß.
Bacc. Iunip. ℥ii.
Incisa & contusa S.
Species ad quartam vini vel Cerevisiæ.

Hæc sub fermentatione iv fundantur, & omni pastu capiatur haustus.

Cerevisia medicata anticachectica & antihypochondriaca:

℞. *Herb. Scolopendr.* ℔ß.
Card. bened. M. ij.
Rad. cichor. rec. ℔ß.
Enulæ rec. ℥iij.
Bacc. Iunip. rec. ℔iij.
Incisa & contusa
S.
Species ad cerevisiam medicatam.

Hæ Mensur. 30. ad 40. quarum quælibet ℔iij. Medicas constituit, infundendæ ante fermentationem, & ita in liquore relinquendę, donec liquoris peractâ fermentatione fiat transvasatio.

Cerevisia medicata contra arthritidem & nephritidem:

℞. *Herb. Chamædr.*
Fragar. an. M. iß.
Ononid.
Flor. Hyperic. an. M. j.
Rad. bryon. ℥iß.
Sarsæpar. ℥j.
Ligni Nephrit. ℥iij.
Bacc. Iunip rec. ℨvj.
Costi arom. veri ℨiij.

Incisa & contusa includ. nodulo, suspendendo in cerevisia fermentata: vel species injiciantur cerevisiæ, à coctura adhuc calenti, ante fermentationem.

D. S.
Ut antè.

Huc & pertinent alia *Fermentata vinosa artificialia* ex succis & liquoribus vegetabilium parata, qui æmulantur vinum, non verò sunt revera tale, in quo artificio Angli excellunt, utut ad officinales potiùs labores, quàm magistrales præscriptiones, pertineant. Notum enim est, quod è pyris, cydoniis, aliisque pomis succulentis per fermentationem paretur vinum. Quidam in succos tales infundunt aromata, & simul fermentare sinunt. E. g. ex succo pomorum Borsdorffianorum paratur elegans *Vinum antiscorbuticum*, cui si addantur *passulę*, saporem habet tanquam vinum Malvaticum, & in affectibus hypochondriacis, aliisque morbis chronicis & contumacioribus convenientissimum est. Sic ex passulis & saccharo, affusa s. q. aquæ, per fermentationem fit suavissimum vinum instar Petri Simonis. Quid? quod solæ passulæ fermentando in vinum rediguntur. Sic & rubus idæus dat vinum rubellum elegantissimum sapore, pro ægris nimis debilibus, in febribus malignis & ardentibus. Vinum cydonites est austeriusculum; aromatisatum verò intestinis est dicatum. Exempli loco dabo *Potum medicamentosum fermentatum*, Viennæ & Austriæ quibusdam in locis usitatum, hypochondriacis imprimis, ac lumborum renumque phlogosi & æstu correptis crebriùs, vel loco potus ordinarii hauriendum:

℞. *Bacc. Iunip.* ℔j.
Passul. min. ℥xv.
Tartari Venet. ℨß. ad ℥j.
Fruct. Cynosb. cum Arill. M. j.
Acacc. cum nucl. M. j.

Infund. in *aqua comm.* ℥xvj. (forsan. ℔xvj. vel mens. xvj.) in vase apto ligneo, & propè fornacem, vel loco quodam in calido fermentare permittantur, hinc transvasatur, & pro potu non ingrato asservatur.

Quæritur, *an non simili ratione per animalia & mineralia sub fermentatione impragnari possint vina & cerevisiæ, ut de succis vegetabilium dictum?* Affirm. De animalibus enim res clara est, non minus & de mineralibus. Sic vino fermentanti si iniiciatur sulphur, in affectibus cutaneis erit optimum remedium. Nota quoque sunt vina Martialia medicamentosa, in quibus scilicet mars candefactus extinguitur, & quò sæpius hoc fit, eò magis medicamentosum & anticachecticum est vinum, resistens morbis chronicis. Item antimonium vino fermentanti infusum in lue venerea convenientissimum est. Vinum, cui infusus mercurius vivus, optimum est contra lumbricos, in quem finem etiam à modernis sæpè usurpatur. De cinnabari antimonii res quoque nota est. HELMONTIUS *in Tr. In Verbis Herbis & Lapidibus magna latet Vis*, jubet ut cinnabaris antimonii vera fiat ex verò sulphure antimonii (præparationem docet TACHENIUS *in Hippocr. Chymico*,) & Mercurio antimoniali, cujus unciæ duæ nodulo inclusæ, infusæ dolio vini vel cerevisiæ, reddunt mirabile vinum. Dn. BOYLE recipit cinnabarin antimonii communi modo paratam, & in amphoram vini Rhenani suspendit, & hinc mirabiles vires medicamentosas in casibus Chirurgicis contumacioribus expertus est.

Habuimus hactenus Infusa interna: sequuntur jam pariter externa, circa quæ quidem nulla essentialis occurrit differentia, utut ex partium affectarum, ipsorumque affectuum varietate accidentalis quædam diversitas subinde occurrat. Hæc inter primò fit

Infusum spirituosum contra dolores artuum fixos scorbuticos:

℞. *Fol. Nicot.*
Origan.

Flor. samb. an. M. j.
Lavend.
Lil. conuall.
Stœchad. Arab. an. p. j.
Rad. Angelic. ℥j.
Ari,
Pyrethri an. ʒj.
Sem. Erucæ ʒvj.
Castor. ʒiij.
Concis. & contus. infund. in
Spirit. Vin. p. ij.
Spirit. Lumbr. p. j.
Digerantur invicem & filtr. S.
Mixtura externa.

Hac essentia artus & membra probè priùs linteis asperioribus fricentur, & dehinc essentia illinatur, ut meliùs penetret, acciùs levet mala.

Aliud:
℞. *Herb. Rorismar.*
Salu. an. M. j.
Flor. Lauend.
Samb. an. M. ß.
Rad pyrethri ʒvj.
Bacc. Iunip. ℥ß.
Sem coriandr.
Erucæ an. ʒiß.
Incisa & contusa infund. in s. q.
Spirit. uini rectif. part. iv.
Spirit. cochlear. part. j.
Stent in loco tepido vase clauso per aliquot dies & noctes, filtrentur per chartam:
S.
Externus spiritus arthriticus.

℞. *Fol. Hyoscyam.* M. iij.
Serpill. M. ij.
Salu. M. j.
Flor. Lauend.
Spicæ an. p. iij. vel iv.
Rad. Angelic.
Bacc. Angelic. an. ℥j.
Zingiber. ℥ß.
Concis. & contus. infund. in
Spir. uini q. s.
Digerantur per biduum: filtr. S.
Externus spiritus ad unctionem.

Infusum ad affectus paralyticos aut dolores fixos scorbuticos artuum:
℞. *Herb. Rorismar.*
Salv.
Fol. Nicot. an. M. j.
Flor. Anthos,
Lavend.
Stœch. Arab. an. p. ij.
Rad. Angel. ℥ß.
Aron.
Pyrethr. an. ʒij.
Sem. Eruc. ʒvj.
Castor. ʒiij.
Contusa & concis. infundantur in
Spir. vin. p ij.
Spir. Lumbr. terrestr. p. j.
Stent in loco tepido, vase probè clauso per aliquot dies:
Liquor filtratus
D. S.
Externus spiritus antiparalyticus.

Hoc ipso tepido, aut moderatè calefacto artus vel loca dolentia benè fricanda & illinenda veniunt: vel idem infusum cum vel fine spiritu lumbricorum, pro scopo discutiendi, resolvendi, attenuandi variè instar fotus humidi tepidi crebriùs usurpari & reiterari poterit.

Aliud *ad affectus artuum paralyticos:*
℞. *Herb. Beton.* vel *Lavend.*
Rorismar.
Salu. an. M. j.
Flor. Anthos,
Lil. conuall. vel *Lauend.*
Primul. ueris an. p. ij.
Bacc. Junip ℥j.
Castor. ʒj.
Pip. utriusque an. ʒiß.
Concis. & contus. infund. in s. q. *spir. uin.*
Digerantur aliquandiu, & filtrentur.
D. S.
Essentia externa ad affectus artuum.

Qua ipsa inungendæ partes externæ.

Potest etiam destillari & fieri exinde spiritus articularis ad extra. Loco talium *Essentia Castorei*, vel *succini*, vel *spiritus vini camphoratus* sufficiunt.

Infusum pro oculo sive *Collyrium* multi usus, *ad rubedinem, maculas, albugines, nebulas, ulcera, pustulas, scabiem, oculorum*, &c.
℞. *Decoct. caltis uiuæ cum aqua calcatr. par.* ℥vj.
Sal. ammoniaci depur. ʒß.
Mittantur in *peluim æneam* per noctem: vel ipsi *misturæ* parum *Limat. auricbalci* immittatur, donec sapphirinum ex cupro colorem contraxerint, filtrentur celeri manu.
S.
Collyrium.

Vel instillatur oculo, vel cum linteo tepidiusculè applicatur; nunc, ubi acrior fuerit, pauca aqua fœniculi diluta, &c. Sanè solum sal ammoniacum cum aqua appropriata solutum, itaut citra insignem sensum oculi illud ferre queant, ad maculas & albugines oculorum delendas, etiam si à variolis relictæ fuerint, multum confert.

Infusum ad oculos à causa externa, v. g. *aere pluuioso ac uentoso, læsos:*
℞. *Mucil. sem. cydon.*
Fœnugr.
Hormin. ana *per infusionem in aqua flor. cyani extract.* ʒiij.
Sacch. Saturni gr. ix.
Diluantur cum s. q. *aqu. euphras.*
D. S.
Infusum ad oculos.

Infusum ad oculorum Epiphoram, lippitudinem &c.
℞. *Aquæ flor. cyani*
Plantag. an. ℥j.
Rad. tormentill. grossè puluerif. ʒj.
Alum. gr. v.
Stent in loco calido per 24. horas:
filtrentur: S.
Ut antè.

DECOCTA.

Decocta jam Infusis cognata quod attinet: eodem ferè modo ac Infusa præscribuntur, nisi quod prætereà decoctio vel ebullitio præcipiatur, per quam auctiori igne faciliùs eliciuntur partes medicamentosæ subjectorum infusorum, sicut ipsi decocto pro saporis gratia subinde etiam quædam dissolvenda adduntur. Infusa è contrà sola digestione maturentur. Dum ergò ebullire debent, sumantur subjecta, quæ non sunt volatilia: hinc præter vegetabilia, imprimis animalium partes duriores solent decoqui, in mineralibus calx viva.

Decocta autem sunt vel *externa*, ad quæ pertinent *sacculi, Clysmata* &c. vel *interna*, hæcque vel *purgantia*, vel *alterantia*. *Purgantia* sunt rara hodiè, non solùm ob ingratas proprietates, doses incertas, & operationes diversas; sed etiam quia hæc, quæ quidem menstruis aquosis infundi possunt, coctionem vix diu ferunt, quia sub hac vires purgantes amittunt, & mucilaginem dolorosam relinquunt, nisi vel blandum sennatum vel hellleborinum decoctum unà vice præscribendum: V. g.
℞. *Fol. senn. sine stipit.* ʒij. vel iij.
Rad. Polypod. ʒiij. vel ℥ß.
Crem. tartari ʒß. vel ℈j. ad ʒj.
Cum s. q. *aquæ simpl.* vel *seri lact. depur.* vel leniter ebulliant in vase clauso, ad dissolutionem tartari:
℞. Colat. ℥iij. vel iv. adde
Aquæ cinnam. ʒj. vel ʒjß. ad ʒiii.
Syr. de pomis ʒiij. vel ℥ß.
M. D. S.
Decoctum pro una vice.

Decoctum laxativum in quartana scorbutica:
℞. *Rad. Polypod. querc.* ʒiij.
Hellebr. nigr. non præp. ʒij.
Fol. senn. sine stipit. ʒj.
Sal. tartari ℈j. ad ʒß.
Ebulliant leniter in *seri lactis depur.*
vel *aquæ comm.* q. s.
Colat. ℞. ℥iij. vel iv. adde
Tincturæ tartari vel *spiritus cochlear.* ℈j.
Syr. de Fumar. comp. ʒiij. ad ℥ß.
M. S.
Decoctum purgans antiscorbuticum.

Serum lactis hìc per solam residentiam depuretur: si enim peracidum fuerit depuratum, cum sale tartari effervesceret. Sumitur autem hìc studio serum lactis, quia in omnibus affectibus hypochondriacis, melancholicis, chronicis &c. præ reliquis convenit, vi enim nitrosâ viscidos succos abstergit.

Cui tamen Clinico adhuc placeat vestigiis veterum insistere, & pro pluribus dosibus *Apozema purgans* præscribere, quod tamen apud modernos in desuetudinem abiit, faciat hoc modo: v. g.

℞. *Herb.*

♃. *Herb. Fumar.* M. ij.
Scabios. M. j.
Fol. senn. sine stip. ʒvi. ad ℥i.
Rad. Lapath. acut. ℥j.
Enul.
Polypod. an. ℥ß. ad ℥j.
Helleb. nig. non prep. ℥ß.
Rhabarb. el. ʒij.
Crem. tartari ʒj. ad ʒiß.
Sal. tartari ʒß. ad ℈ij.
Coqu. in f. q. *seri lactis* vel *aquæ comm.*
Colatur. ℔iß. clarificetur & aromatisetur cum *Cinnamomo*: addendo
Syr. violar. solut. ℥j.
De fumar. comp. ℥ß.
M. S.
Decoctum purgans pro aliquot vicibus.
Pro dosi esse possunt ℥ij. vel iii. ad ℥iv. vel v. omni manè calidè.
Vel
♃. *Decoct. aperit.* ℥iij. vel f. q.
in quibus dissolve
Elect. catholic. vel *diaphœn.* ℥j. (vel *elect. de succo rosar.* ʒvj. vel *Confect. Hamech.* ℥ß.)
Syrup. rosat. solut. ʒvi. ad ℥j.
M. S.
Decoctum purgans.
Interdum Electuaria colantur post dissolutionem, unde in paulò majori dosi præscribenda, cùm multum residui post se relinquant.
In Decoctis laxativis Venereis locum habet antimonium.
Solent etiam fieri Decocta & Infusa vomitiva ex atriplice; sed quoniam hoc magis est usitatum, propterea transeat. Solent etiam fieri ex pulvere hellebori albi, idque ex Veterum, scilicet Hippocratis, imitatione, qui sæpius usus fuit Vomitoriis ex elleboro albo, qui adhuc etiam apud quosdam modernos solet esse in usu in cura maniæ, in qua curanda generosiora & vehementiora Vomitoria primatum tenent. Cæterùm quoniam raro usurpantur, & non ab omnibus, propterea etiam eadem nulla facio.
Cùm autem frequentiores sint Decoctiones alterantes variæ, ad normam Nodulorum vino infundendorum præscribuntur.
Decoctum diureticum:
♃. *Herb. fragar.*
Parietar. an. M. ß.
Rad. 5. aperient. ʒx.
Bacc. Alkekeng.
Juniper. an. ʒvj.
Sem. cicer. rub.
Fraxini an. ʒiij.
Crem. tartari ʒij.
Coqu. in f. q. *aquæ bacc. alkekengi & petrosel.*
In Colatura ℔iß. dissolve
Rob. iuniper. ℥ij.
Syrup. de alth. Fernelii ℥j.
Spiritus salis cum spirit. fragor. dulc. q. s.
Decoctum temperans effervescentiam Massæ sanguineæ seu Decoctum refrigerans:
♃. *Herb. acetos. rec.* M. iv.
Cichor. rec.
Tarax. rec. an. M. i.
Rad. cichor. ℥iß.
Coque in f. q. *seri lactis, acidul. cum Phlegm. vitrioli acidulo*: Colaturæ ad ℔j. ad ℔iß. adde
Syrup. rubi Idæi,
Corall. Quercet. an. ℥iß. (vel *borum* & *ribium* an. ʒvj. ad ℥j.)
M. F. *Apozema.* S.
Potio alterativa refrigerans.
Decoctum temperans bilem, ut vocant, effervescentem, seu refrigerans:
♃. *Pomor. citr. in taleol. incis.* num. ij.
Tamarindor. ℥iß.
Flor. bellid.
Papau. errat. an. M. i.
Coqu. cum *aqua font.* in vase terreo:
Colaturæ ℔iß. adde
Syrup. acetos. citr.
Rubi Idæi an. ℥iß.
Spirit. nitri dulc. q. s. pro grato sapore.
D. S.
Ut antè.
Aliud:
♃. *Rad. cichor. recent.* ℥iij.
Flor. ros. rubr. M. iß.
Sant. rubr. ʒiij.
Succ. citr. recent. ℥i.

Coqu. in f. q. *aquæ comm.* Colatura edulcoretur pauco *saccharo*:
D. S.
Ut antè.
Coqui etiam possunt in *sero lactis*, & si succus citri omissus fuerit, accipi potest *serum lactis cum phlegmate vitrioli acidulatum*.
Aliud simplicius:
♃. *Seri lactis* ℔ij.
Succ. citr. rec. exp. eff. ℥ii. ad iii.
Ebulliant parum, & cum albumine ovi clarificata colentur:
D. S.
Ut suprà.
Prodest in febribus pro alteratione; sicuti simili modo cum *succo pomorum Borsdorffianorum maturorum* ad ℥iv. vel vj. tractatum convenit hypochondriacis æstuantibus, obstructis, melancholia affectis, &c.
Decoctum in Dysenteria:
♃. *Herb. tormentill.*
Hed. terrestr.
Fol. plantag.
Querc. an. M. j.
Rad. symphyt. mai.
Torment. an. ℥j.
Flor. balaust.
Rosar. an. pug. ii.
Ras. priap. ceru. ℥ß.
Sem. myrtill.
Sumach. an. ʒiij.
Decoqu. in f. q. *aquæ ferrarior.*
Colaturæ adde
Syrup. corall. Quercetani,
De symphyto Fernelii, an. unc. iij.
M. D. S.
Decoctum in dysenteria.
Observetur proportio: foliorum M. j. respondet ℥ß. radicum, & ℥iß. radicum priapi cervi, ℥ß. flor. p. iv. seminum sunt ʒvj. pro ℥ß. nempe radicum ʒiß. Observetur præterea: quod quando variæ vel multæ Vegetabilium partes infunduntur, aut decoquuntur, singulæ in minori præscribantur dosi, ne cumulus Ingredientium coacervetur: item si præscribendæ tales partes, quod nonnulla omittantur, reliqua verò in majori præscribantur dosi. Plantæ & radices, quæ sunt mucilaginosæ, & viscidæ, ut radix althææ, symphyti majoris & similes, non commodè & benè possunt infundi aut decoqui, quoniam mucilagines decocta reddunt ingrata & nauseabunda.
Decoctis talibus sæpius gallæ pulverisatæ adduntur, quæ tamen omittendæ, si Decoctum cum aqua ferrariorum factum sit; Mars enim per infusionem gallarum præcipitatur & nigrescit.
Alio modo:
♃. *Herb. heder. terrest.*
Tormentill. vel *sanguisorb.*
Fol. plantag. an. M. j.
Flor. balaust. vel *ros. rub.* p. iij.
Rad. torment. ad ℥i. vel ℥iß.
Rasur. priapi cerui vel *ceti* ℥iij.
Incis. & contus. coqu. in f. q. *aquæ ferrar.* vel *aquæ comm.*
Colaturæ ℔ij. vel iij. ad iv. adde
Aquæ cinnamom. ℥i.
Syrup. cydon. aromat. vel *corall. Quercetani* vel *de symphyto Fernelii* ℥iij.
M. S.
Decoctum adstringens pro aliquot vicibus.
Decoctum contra herniam:
♃. *Herb. herniar.*
Perfoliat.
Virgæ aur.
Flor. hyperic. an. M. j.
Rad. symphyti mai. ℥ij.
Coqu. in f. q. *aquæ comm.*
Colaturæ ℥x. ad ℔j. adde
Syr. de symphyto Fernelii ℥ii.
M. S.
Decoctum contra herniam.
Decoctum diaphoreticum in febribus malignis:
♃. *Rasur. lign. sassafr.* ℥iß.
Rad. scorz. ʒvj.
Infunde & coqu. in f. q. *aquæ simpl.* vase clauso:
♃. Colaturæ ℔ß.
adde
Vini Rhenani ℔ß.
Gelatin. cornu Cervi ℥ii.
Syrup. rubi Idæi ℥iß.
M. pro Potione. S.
Potio diaphoretica.
Hoc omnibus reliquis Decoctis præferendum, & epidemicis catarrhalibus specialissimè convenit: Gelatina cornu Cervi est nucleus cornu

cornu Cervi, ubi ſal volatile eſt concentratum. Poteſt & inſervire pro Julepo, & melius eſſet, ſi volatilia in cucurbita alembico munita decoquantur, quorum exempla infrà habebimus.

Decoctum catarrhale:

℞. *Herb. hyſſopi,*
Scabioſ.
Veron.
Summ. ſerpill. floreſc. rec. an. M. j.
Flor. anthos, M. ß.

Inciſa ebulliant in ſ. q. *aqu. ſimpl.* addendo in medio decocti

Rad. liquirit. raſ. ℥j.
Caricar. pingu. no ij.
Colaturæ ℔j. adde
Syrup. flor. tunic.
Betonicæ an. ℥j.
M. D. S.

Decoctum catarrhale.

Decoctum in Ictero flavo:

℞. *Herb. anſerinę,*
Chelidon. mai.
Cochlear. an. M. j.
Fol. ſenn. ſine ſtip. ʒvj. ad ℥i.
Flor. anſerin.
Aquileg.
Lavendul. an. p. j. vel ij. (perinde enim eſt; pugili enim non multum faciunt)
Rad. armorac.
Elleb. nigr. crud. an. ʒj.
Rhabarb. el. ʒß.
Chelidon. mai.
Curcum. an. ʒij.
Lumbric. terreſtr. (ſpecific. in Ictero)
Paſſul. min. (pro ſapore) an. ℥j.
Sem. aquileg.
Napi an. ʒij.
Cinnamom.
Galang. an. ʒj.

Coque in ſ. q. *Aqu. ferratæ* (quæ egregia eſt in ictero flavo propter Martem) vel in *alia quacunque Aqu.*

Colaturæ adde
Syrup. de cichor. cum rhabarb.
Pom. Regis Sabor. an. ℥ij.
M. D. S.

Decoctum in ictero flavo pro una vice.

Decoctum vulnerarium in renum exulcerationę,

℞. *Fol. alchimill.*
Heder. terreſt.
Vincæ pervinc. an. M. j.
Summit. hyperic. M. ß.
Rad. Conſol. Sarac. cum toto M. ii.
Liquirit. raſ. ℥iß.
M. D. S.

Decoctum vulnerarium pro aliquot vicibus.

Decoctum ſtimulans menſes:

℞. *Herb. roriſmar.* M. ij.
Meliſſ. M. j.
Sabin. M. ß.
Rad. Zedoar. ʒß.
Splen. bovis caſtrati inciſ. nu. j.
Sem. 4. calid. min. an. ʒj.
Sal. tartar. ʒij.

Coqu. in ſ. q. *aqu. ſimpl.* leniter in vaſe clauſo:

Colaturæ ℔iß. adde
Syrup. de artemiſ. ℥ij.
Canellæ ʒj.
M. F. Potio.
D. S.

Potio aperiens.

Splen bovis caſtrati eſt *baſis*: Poteſt & addi *parvus nodulus cum croco.*

Decoctum adſtringens ad hæmorrhagiam uteri ex vaſorum laxitate:

℞. *Herb. conſolid. mai.*
Pyrolæ,
Saniculę,
Summit. hyperic. an. M. j.
Rad. biſtort.
Tormentill. an. ʒß.

Coqu. in *aqua chalyb.* q. ſ.
Colat. ℥xv. ad ℔iß. adde
Aqu. cinnam. unc. ß.
Syrup. de ſymphyt. Fernelii unc. ij.
M. D. S.

Potio adſtringens.

Capiantur ad ℥iij. ſæpiùs de die.

Decoctum Vulnerarium, tàm internè quàm externè uſurpandum.

℞. *Herb. alchimill. ſive millefolii,*
Plantag.
Sanicul.
Beton.
Folior. bujulę an. M. j.
Rad. ariſtoloch. rot.
Albi græc. ʒvj. ad ℥j.
Aſtacor. fluviat. n. x. ad xx.

Bulliant in ſ. q. *Aqu. ſimpl.* part. j.
vini part. ij. vel an. part. æqual.
Colatur. ℔iij. adde
Syrup. de Symphyt. Fernelii ℥iv. (vel *huius & de hedera terreſtri* an. ℥iij.)
M. f. Potio.
D. S.

Decoctum vulnerarium.

Doſis ℥iij. iv. vel v. bis de die, horis aliquot ante paſtum, ſimulque de *balſamo ſulphuris* ſumantur gtt. x. ad xv.

Album Græcum eſt egregium Vulnerarium.

Externè Vulnera & ulcera hoc eluantur, vel etiam plagulæ in eo madefactæ imponuntur, pro quo ſcopo etiam ſyrupus omitti poteſt.

Notandum: ſæpè clarificationem Decoctorum inſtitui cum albumine ovi, ut & aromatiſationem cum cinamomo; in Decoctis tamen ad triduum uſurpandis non opus clarificatione & aromatiſatione, niſi ſit ſaporis nauſeoſi; multæ enim partes medicamentoſæ per albumen ovi ſeparantur.

Interdum Infuſa & Decocta ſimul combinantur: v. g.

Decoctum alterans & laxans, loco Julepi in febribus uſurpandum:

℞. *Flor. bellid.*
Papav. errat.
Roſar. an. M. iß.
Tamarind. recent. ℥iß.

Infunde in *Aqua comm.* vel *ſero lactis*, probè depurato & tantillo ſpiritus vitrioli acidul. ℔ij. vel ℔iiiß. ad ℔iv.

Ebulliant leniter invicem: Decocto adhuc ferventi adde

Conſerv. flor. papav. errat.
Roſ. rub. recent.
Violar. an. ʒvj. ad ℥j.

Factâ digeſtione in loco tepido per aliquot horas colentur,
D. S.

Decoctum alterans & laxans.

Decoctum & Infuſum diureticum ſtimulans urinam:

℞. *Raſur. lign. juniper.* ℥iij.

Macerentur per noctem in Balneo Mariæ in ℔iij. *aquę ſimpl.*
Manè coquantur ad dimidiæ vel tertiæ partis conſumptionem;

Colaturæ ferventi infunde
Bacc. iunip. recent. conquaſſ. ℥iij.
Rad. fœnicul. ℥j. ad ℥iß.
Herb. cherefol. M. ij.
Terræ fol. tart. ʒiij.

Stent in infuſo in loco calido per 24. horas; manè factâ leni ebullitione colaturæ addatur

Syrup. de 5. rad. aperient. ℥iß. ad ℥iij. vel ℥iv.
Spiritus nitri dulc. vel *ſpiritus ſalis dulc.* ʒj. vel ʒiß. aut q. ſ. pro ſapore grato acidulo;
(vel hujus loco potiùs *ſpiritus acidi ex nucleis perſicor. & dactyl. deſtillat.* ℥j. ad ℥ij.)
M. D. S.

Decoctum ſtimulans urinam pro aliquot vicibus.

Decoctum pectorale ad Tuſſim à frigore externo natam, item *reſtituens læſiones pulmonum*, &c.

℞. *Raſ. lign. ſaſſaf.* ℥j.

Macerentur in *aquę comm.* Menſ. ij. ſeu ℔vj.

adde
Herb. heder. terreſt.
Pulmon.
Scabioſ. an. M. ii.
Rad. leviſt. ʒß.
Enul.
Sem. aniſ.
Fœnicul. an. ʒiii.

Coq. ad tertias, addendo circa finem
Raſ. liquirit. ℥ß.
Paſſul. min. conquaſſat. ℥vj.
Colatura D. S.

Decoctum pectorale.

Infuſum & Decoctum Diureticum contra Anaſarcam:

℞. *Rad. recent. bryon.* ℥j.
Aſar. ʒß.
Sal. tartari ʒiii.

Infund. in ſ. q. *aquę ſimpl.* ſtent in loco calido per diem & noctem manè adde

Comar.

Comar. absinth. M. j.
Flor. bellid. M. ß.
Rad. Vincetox.
Bacc. junip. an. ℥vj.
Sem. anisi,
Fœnicul. an. ℥ij.
Incisa & contusa coqu. invicem in dicto Infuso;
Colaturæ ℔j. vel ℥xv. ad ℔iß. adde
Spiritus sal ammoniaci,
Tincturæ nephrit. an. ℥ij.
Syrup. de hyssop. ℥ij.
M. S.
Infusum contra anasarcam.

Infusum & decoctum alterativo-lacteum antiscorbuticum:
℞. *Rad. chin. minutim incis.* ℥iij.
Ebulliant in
Seri lactis caprilli ℔iij.
Colaturæ ferventi infunde
Herb. recent. cochlear.
Fumar.
Nasturt. aquat.
Trifol. aquat. an. M. j.
Rad. rec. armorac. ℥iv.
Enulæ ℥ij.
Sem. erucæ contus. ℥vj.
Stent in digestione vase clauso per noctem; manè coletur,
D. S.
Potio antiscorbutica.

Volatilia, ubi decoquenda sunt, aut Decocta cum vino paranda, parentur in vase, suo alembico munito, ut id, quod exhalavit phlegmatis spirituosi, denuò addi possit Decocto: sicut hoc imprimis urget, quoad aromatica carminantia, ZWELFFERUS *in Animadv. ad Pharm. Aug. hinc inde*, & in specie *Pharm. Reg. pag.* 87. qui modus est elegans, & meritò observandus à nostris Pharmacopœis negligentibus. Sit v.g.

Decoctum antiscorbuticum:
℞. *Herb. cochlear.*
Fumar.
Nasturt. an. M. j.
Persicar.
Piperit. an. M. ß.
Rad. rec. filic. ℥ij.
Armorac. ℥j.
Crem. tartar. ℥ij.
Sal. tartari ℥ß.
Affund. *aquæ comm.* ℔j. vel ℔ij.
Vini ℔j.
Coqu. in cucurbita suo alembico munita.
Colaturæ addatur *aqua simul destillata*, in quibus dissolv.
Extract. Mart. cum succ. pom. ℥j. ad ℥iß.
Sacch. alb. vel syrup. fœnic. q. s.
pro grato sapore.
D. S.
Potio alterativa antiscorbutica.

Aliud:
℞. *Herb. recent. cochl.*
Nasturt.
Piperit. an. M. j.
Rad. raphan. rust. rec. ℥iß.
Conquassentur in mortario lapideo cum aqua comm. vel *sero lactis caprilli*: decoquatur in cucurbita suo alembico munita, & destillentur simul ad medias: Colaturæ clarificatæ adde simul *aquam destillatam*: in quibus dissolvantur
Solut. Mart. cum succ. pom. ℥vj.
Sacch. albiss. parum.
M. D. S.
Decoctum antiscorbuticum.

Decoctum in affectibus chronicis capitis & pectoris catarrhalibus, cum tumoribus glandularum colli & faucium insignibus, & lymphæ motu & crasi vitiatis:
℞. *Herb. ror. mar.* M. iii.
Ras. lign. iunip. ℥ij.
Sassafr.
Bacc. iunip. an. ℥iß.
Cortic. lign. guaiac. an. ℥i.
Infund. in aquæ & *vini* an. ℔ii. ad ℔iiß. Macerentur per 24. horas in Balneo Mariæ vase suo alembico munito, & decoquantur & destillentur ad medias. Colaturæ add.
Spirit. sal. ammoniac. ℥iij.
Syrup. flor. calendul. ℥iii.
M. D. S.
Potio resolvens pro aliquot vicibus.

Decoctum in paralysi:
℞. *Herb. ror. mar. recent.* M. ij.
Ras. lign. sassafr. ℥ij.
Bacc. iuniper.
Laur. an. ℥i.
Coqu. in aquæ & *vini* an. ℔ii. in cucurbita cum alembico operta ad medias. *Colatura* adde
Spirit. bacc. iunip. per ferment. ℥iv.
Sal ammoniac. ℥ß.
Syrup flor. tunic. ℥iv.
M. D. S.
Decoctum in paralysi.
De quo bis vel ter, manè, vesperi, & sub introitu lecti capiatur bonus haustus.

Decoctum pro stimulandis mensibus:
℞. *Herb. puleg.*
Rorismar.
Spic. an. M j.
Flor. chamom.
Cheiri,
Sclareæ an. p. i.
Coqu. in l. q. *aquæ Martial.* in cucurbita suo alembico munita:
Colaturæ ℥viij. adde
Aquam priùs destillatam,
Ess. croci ℥j.
Syrup. meliss. ℥iv.
M. S.
Decoctum stimulans.

Pertinet ad decocta & infusa liquoris respectu etiam Mulsa medicata, Hydromelita nempè & oxymelita, à menstruo ita dicta, quando cum aqua vel aceto, vel melle miscetur & decoquitur. Tale *hydromel* in genere duplex est: vel *simplex*, vel *medicatum*: utrumque iterum vel *vinosum*, vel *non vinosum*.

Quod attinet *Hydromel simplex non vinosum*: illud est, quando solum mel transcolandum incoquitur aquæ, & probè despumatur, ita, ut mellis parti respondeant aquæ part. vj. vij. ad x. si verò huic hydromeliti incoquantur certæ species vegetabiles, vocatur *Hydromel medicatum non vinosum*. Quod si verò cum aqua mistum fermentationi committitur, fit potus vinusus admodum gratus & inebrians, non secùs ac vinum robustissimum, & vocatur *Mulsum*. Potus hic usitatus est Lituanis, Livonis, & etiam Moscovitis, quibus deest vinum; contrà mel in sylvis & arboretis copiosum reperitur. Huic si infunduntur Simplicia medicamentosa, fiunt *Mulsa medicata* ad instar vinorum medicatorum. Usurpantur in affectibus chronicis, ubi opus est, ut cruditates pituitosæ ex vitio primæ digestionis attenuentur & digerantur, ut possint excerni per loca ordinaria. Conveniunt porrò in affectibus senum pituitosis, vel affectibus pectoris pituitosioribus, tussi, asthmate ac raucedine faucium; uti etiam in ventriculo, ut vocant, frigido, à mucilagine crassa tenaci ac viscida infarcto & impleto, valdè est elegans remedium: quod etiam facit oxymel, quoniam mel succos crassos & viscidos & tenaces incidit, attenuat & resolvit. In morbis frigidis senum, quales sunt tremores & paralysis artuum, item in arthriticis affectibus senum, commodè prodest hydromel pro menstruo, in genere in iis, ubi est coctio læsa, & vinum non commodè potest præscribi; juvenibus è contra calidioribus, biliosis, morbis acutis obnoxiis, item iis, quibus nocent dulcia, uti sunt scorbutici, mulieres hystericæ &c. mel minus convenit.

Exempli loco sit
Hydromel medicatum resolvens & incidens pectorale pro sene asthmate humido laborante:
℞. *Herb. hyssop.*
Marrub. an. M. i. vel M. ii.
Rad. enul. ℥iß. vel ℥ii.
Sem. fœnic. ℥iß. vel ℥ß.
Anis. ℥iß. vel ℥ii.
Terr. fol. tartar. ℥ii. vel ℥iii.
Coque in
Aquæ simpl. p. iv. sive ℔iii. &
Mellis despum. part. i. sive ℔ß.
Decoquantur in vase clauso ad consumptionem tertiæ vel quartæ partis, in fine despumentur addendo:
Cinnam. ℥j. ad iii.
Croci gr. xiv. ℥ß. ad ℥i.
Colatura
D. S.
Potio pectoralis.
Addi potest pro lubitu *Syrupus de nicotiana*; pro senibus autem mel loco sacchari elegantissimè convenit.

Hydromel Paralyticum:
℞. *Aquæ Commun.* ℔vi.
Mell. opt. ℔ß.
Despumentur sedulò, coquendo leniter ad quartæ partis consumptionem.
Colaturæ adde
Herb. hyssopi,
Puleg.

Herb.

Herb. Salv. an. M.j.
Flor. anthos M. ß.

Stent in infuso per 12. horas; manè ebulliant leniter, addendo
Cinnamom. ℥iij.
Cardam. ℥j.
Cubebar. ℥ß.
Colatura D. S.
Hydromel paralyticum.

Oxymel est, si melli acetum addatur, quod non fit, nisi validiùs incidendum & attenuandum sit.

Oxymel diureticum laxativum:

℞. *Herb. hederæ terrest.*
Parietar. vir. an. M.j.
Rad. vincetox. ℥j.
Helleb. nigr. crud.
Grã. alkekeng. an. ℥ß. ad ℥vj.
Bacc. iunip. recent. ℥vj. ad ℥i.
Concis. & contus. infundantur in
Aqu. commun. ℔ij.
Mell. depurat. ℔j.
Aceti vini ℔ß.

Stent in infuso in vitro clauso per noctem, manè ebulliant leniter: Colatura clarificata aromatisata,
D. S.
Oxymel diureticum.

Parietaria vera est, quæ in muris antiquis nitrosis crescit, non in locis pinguibus.

Aliud:

℞. *Flor. genist.* M.j.
Rad. 5. aperient. an. ℥ij.
Bacc. iunip. recent. ℥j.
Sem. cicer. rub. ℥vj.
Incis. & contus. coqu. in s.q. *Aquæ* part. iij.
Mell. part. ij.
Aceti part. j.
Colaturæ ℞. ℔iß.
D. S.
Oxymel laxativum.

Oxymel diureticum:

℞. *Ras. lign. fraxin.* ℥iv.
Cortic. tamarisc. ℥ij.
Radic. fœnic. ℥j.
Petrosel.
Rusci an. ℥j.
Infundantur in
Aqu. comm. ℔iv.
Mell. depur. ℥xv.
Aceti vini ℥viij.

Stent in infuso per noctem; manè coqu. ad tertiæ partis consumptionem: Colatura D. S.
Oxymel diureticum.

Oxymel pectorale:

℞. *Herb. hyssop.*
Scabios.
Veronic. an. M.iß.
Rad. angelic. ℥j.
Sem. anis. ℥ß.
Incisa & contusa coquantur in
Aqu. simpl. ℔iij.
Mell. despum. ℔ß.
Aceti vini ℥iij.
Colatura
D. S.
Oxymel pectorale.

Pertinet huc oxymel de Peto Quercetani, quod incidendo & resolvendo pectorale est, & simul vim purgandi appropriatam in hydrope obtinet. item oxymel absinthites, euporiston PREVOTII in morbis chronicis: vid. FEHR. *de absinthio pag.* 40. Item oxymel ad asthma *Poterii*.

Hujusmodi autem Mulsa rariùs præscribuntur, & tantum senibus; junioribus enim causantur febres: hypochondriacis autem & scorbuticis ob fermentationem non conferunt, pituitosis tamen non nocent.

Hydromelita vinosa simplicia, aliàs κατ᾽ ἐξοχὴν vocantur *Mulsa*, & pariter è melle cum aqua per fermentationem parantur.

Modus hic est: subigunt mel cum aquæ q. v. Misturæ impendunt Nodulum cum fermento, sic conceptâ fermentatione promptè depurantur, & in potum vinosum abeunt: in fine fermentationis addunt *cinnamomum, caryphyllos*, &c. sic fit potus suavissimus & gratissimus.

Propriè autem *Medicata Mulsa* seu *Hydromelita uinosa medicamentosa* fiunt, dum *melli fermentanti pro mulso infunduntur simplicia*, pro modo vini & cerevisiæ medicatæ:

Pertinent ad Decoctum etiam

HORDEATA, *item* PTISANÆ,

Quæ tamen aliæ apud veteres, aliæ apud modernos; ibi partim alimentum, partim Potus; hic ut plurimùm Potus pro Julepis, vel corpus Juleporum.

Hordeum inter cerealia semina reliqua continet in se mucilaginem nutritivam temperatam; unde Veteres respectu hujus usurparunt hordeum pro scopo nutritivo & temperativo.

Hordeatum autem & *Ptisana Veterum* nihil aliud est, quàm hordeum pinsendo à cortice extimo separatum & deglubitum, ut medulla sine cortice superfit: hanc Ptisanam postmodum cum Aqua subegerunt, decoxerunt in consistentiam pultis, & vocarunt *cremorem Ptisanæ*; unde dicunt, quod alimenta in ventriculo coquantur, & mutentur in cremorem Ptisanæ similem. Loco hujus apud nos *jusculæ avenaceæ* usurpantur, quæ aliquantisper *accedunt ad Veterum Ptisanam*. Si superficialiter saltem decoxerunt hordeum Veteres, vocarunt *Aquam hordei*, quam Galenus ignoravit, ut ipse fatetur. Modernorum verò Hordeatum seu Ptisana est alius naturæ; est enim Decoctum hordei in Aqua, donec intumescat & incipiat crepere. Modus hic est:

℞. *Hordei* M.j.
Coqu. in
Aquæ simpl. ℔x. ad xii.

Hæc colata vocatur *decoctum* seu *aqua hordei*.

Galli in fine addunt *semen anisi, coriandri*, & *succum citri*; sic namque in nimio ardore frequentissimè utuntur. Si hordeum hoc tundatur, & in consistentiam Emulsionis redigatur, vocatur à Modernis *Hordeatum*, & est quasi *succedaneum Veterum cremoris ptisanæ*. Aqua talis hordei prostat nunc simplex, nunc composita cum cornu Cervi, radice scorzoneræ, chinæ &c. Præscribitur in febribus ardentibus & malignis pro Julepo, vel per se, vel ut subministret corpus.

Modus præscribendi vulgò talis est:

℞. *Decoct. hord. simpl.* ℔j.
Tincturæ flor. bellid. ℥ij.
Syrup. rubi Idæi,
M.F. *Julepus:*

Non raiò infunduntur Alterantia aut purgantia Vegetabilia suo scopo destinata, imprimis ubi opus est, ut temperatur effervescentia à nimia acrimonia humorum inducta. Hocce enim, quoniam est maximè temperatum, & quasi oleaginosum & mucilaginosum, propterea temperat acrimoniam nimiam salium, & ex eorum acrimonia ortam effervescentiam compescit. Ubi ergò opus est temperatione tali, præscribitur usitatè: item Decoctum hordei habet vim leniter detersivam & absterfivam; unde ubi opus est detersione primarum viarum, item pectoris in empyemate, pleuritide & peripneumonia similibusque, convenienter pro liquore accipiatur Decoctum hordei. Interdum, sed rariùs, ex hordeo ad crepaturam cocto Emulsio paratur, cujus paradigma exhibet SYLVIUS *l. 1. Prax. cap.* 14. *pag.* 157.

Ast in genere Hordeata hæc non adeò frequenti hodiè apud cultiores Practicos sunt in usu?

1. Quia cruda sunt.
2. In primis viis & hypochondriis fermentescendo flatuosa: &
3. Stomacho inimica.

Reverà enim *decoctum hordei* nihil aliud est, quàm cerevisia cruda, in febribus ardentibus insaluberrima. Nec juvat semen coriandri, anisi, &c. quæ alii addunt; hordeum enim crudum manet, & flatuosum, deiicitur stomachus, & vis digestiva invertitur. Si tamen pro Julepis inservire debet, loco hujus aqua simplex, quæ non tam hostilis est stomacho, vel decoctum ligni sassafras, vel decoctum radicis chinæ vel cornu Cervi vel cum radice scorzoneræ capiatur: vel fit

Decoctum hordei compositum, quod hac forma per se; usurpari potest: v.g. in febribus malignis:

℞. *Hord. mundat.* M. i.
Ras. cornu Cervi ℥i. ad ℥iß.
Rad. scorzon. ℥iß. ad ℥ii.
Cort. aurant. ℥iß.

Coqu. in s. q. *aqu. comm.* lento igne ad tertias, vel ad crepaturam hordei: Colatura edulcoretur *saccharo*, vel *syrupo quodam*.

D. S.
Decoctum expellens & refrigerans.

Item *Decoctum hordei cum passulis temperatum:*

℞. *Hord. mund.* Mi.
Passul. min. ℥j. ad ℥ii.
Crem. tartari ℥ii.
Cum *aqua simpl.* s. q. coqu. invicem ad crepaturam hordei:
Colatura S.
Decoctum alterativum laxans.

Verùm talia Modernis raiò in usu sunt, vixque adhuc præscribuntur; quia per chymiam meliora prostant: ubi tamen usus libuerit, saltem respectus habeatur, ne nauseam inferant.

Perti-

Pertinent huc ulterius *decocta lignorum*, quæ frequentissimè adhuc sub hodierna Praxi usurpantur, in cura luis Venereæ imprimis, hinc & quibusdam aliis affectibus, usitata pro scopo sudorifero, unà cum Bocheto seu decocto secundario; quæ cum ex subjectis fixioribus ferè usurpanda, diutiusque continuanda veniant, omninò & fortiùs decoquenda, & majori quanto ordinanda. Usus horum vulgò vocatur *diæta sudorifera*, idque ad differentiam lacteæ, sub cura scorbuti interdum necessariæ; quoniam decocta hæc aliquot septimanas solent continuari, quo tempore imperatur ægris, ut strictissima & accuratissima utantur diæta, si velint esse liberati à suis morbis chronicis & contumacioribus. Primarum tenent in *lue Venerea*, quæ est vel *recens*, vel *inueterata*: si *recens*, per hæc decocta debellari potest; sin autem *inueterata*, necessum est, ut per salivationem Mercurialem instituatur eradicatio. Utroque modo evacuatur materia crassa & viscida acida, in qua ipsa, ceu causa, fundatur malignitas luis Venereæ. Evacuatio hæc, præmissis universalibus, imprimis per inferiora evacuantibus, fit per duas vices: vel enim per sudorem exhauritur venenum viscidum & acidum luis Venereæ, vel sub forma salivæ copiosissimæ idem profunditur per os.

Modus per salivationem curandi morbum Gallicum fit per Mercurium, & à Mercurio, & solus Mercurius est, qui adhibetur pro cienda salivatione pro cura luis Venereæ. Usitatus est hic modus in Galliis, in aliis regionibus vix, & ne vix quidem potest usurpari, imprimis in nostris regionibus septentrionalibus est periculosus, propterea, quoniam in talibus regionibus patientes subitò solent affligi scorbuto, cujus scorbuti cùm infensissimos hostis sit Mercurius, metus est, ne si instituatur cura luis Venereæ per salivationem Mercurialem, exinde scorbutus fiat efferatior & pejor. Præterea cum in scorbuto non rarò affligi soleant dentes & gingivæ, adeò, ut gingivæ sint ulcerosæ, ac dentes cariosi, & facilè excidant, in salivatione Mercuriali gingivæ admodum soleant intumescere, imò totum os & totum caput intumescant, & dentes omnes vacillent, facilè patet, quod in scorbuticis, si talis instituatur curatio salivalis, fit periculosissima, & per se difficillima curatio, & soleat inducere ulcera gingivarum. Cum ergò in Gallis rarus sit scorbutus, & in tota regione rarò vel nunquam reperiatur, propterea optimè possunt uti tali medicamento & tali methodo.

Tribus autem modis instituitur talis salivatio:

1. Per Mercurium intrinsecùs assumptum: v. g. Mercurius dulcis si ad aliquot doses usurpetur, prima die ℈j. altera ʒß. & tertia ʒj quarta vel quinta die subsequetur salivatio.
2. *Modus secundus* est per suffitum Mercurialem institutum per cinnabarim: hæc enim cùm constet ex Mercurio vivo, si fiat suffitus, ægro in machina appropriata clauso, per candelas vel medicamenta alia facta ex cinnabari, fit ut pars Mercurii per ignem volatilisata subintret ægri corpus, omnesque ejus penetret partes, ut post suffitum talem æger incipiat salivare.
3. *Modus tertius* est per inunctionem ex Mercurio, qui cum oleo laurino, vel pinguedine porcina, vel alio appropriato corpore, redigitur in unguentum, quod illinitur plantis pedum aliquoties, vel juncturis pedum & manuum, vel denique illinitur spina dosi.

Uno ex his tribus modis si fiat applicatio Mercurii in loco calido, solent intumescere os, & gingivæ, & subsequi salivatio.

Hic autem modus curandi luem Veneream, cùm apud Italos, Germanos & alios non sit usitatus, propterea solent uti sudoriferis, ita tamen, ut in una regione curatio sit facilior, in altera difficilior. Itali longè faciliùs curantur, quàm Germani; quoniam eorum corpus est rarum, & non adeò plenum succi, uti corpora Germanorum: corporis enim nostri habitus est crassior, durior & compactior, & succi sunt magis viscidi & crassi, ut ità Germani longiorem & perfectiorem requirant curationem, quàm Itali. Fit scilicet talis cura per diætam seu per decoctum sudoriferum, paratum ex lignis & radicibus, præmissis universalibus digestivis, & aliquoties per alvum purgantibus, item aliquoties balneo aquæ dulcis tepido per octiduum, singulis diebus bis reiterato, ut aperiantur pori, fundantur crassi succi, attenuentur coagulati, & fiant fluxiles inspissati, ut eò promptiùs postmodum per decocta sudorifera possint expelli & evacuari. Præmissis hisce satis, instituitur curatio per diætam sudoriferam, dum ægri scilicet singulis matutinis horis, vel singulis diebus bis, manè & vesperi ante pastum, accipiant ℥vj. vel ℥viij. pro varietate circumstantiarum, talis decocti sudoriferi ex lignis, & post haustum istius doseos copiosus elicitur sudor; qui sudor nunc longiùs, nunc breviùs continuandus, pro varietate & ratione ægri: interdum sufficiunt 7. interdum quatuordecim dies, interdum 3. vel 4. septimanas talis evacuatio instituitur per sudorem. Intereà temporis utitur æger alimentis assatis magis, quàm elixatis, datur pro potu Decoctum secundarium, elicitum ex lignis, quod vocatur *Boccbetum*, ex remanentia post decoctionem primam, & dum fit curatio per sudorem, interpositis diebus tribus vel quatuor instituatur lenis evacuatio; & quando talis fit evacuatio, per diem solet æger cessare ab usu Decocti sudoriferi.

Inter Evacuantia appropriata sunt Mercurius & antimonium. Certum enim est, quod non detur appropriatius remedium pro cura morbi Gallici, quàm Mercurius. Potest ergò pro purgante interjecto tali fieri formula:

♃. *Extract. cathol.*
Merc. dulc. an. ℈j.
Gumm gutt. gr. vj.
Cum *essentia lignorum* F. *Pilulæ*.
Vel
♃. *Merc dulc.* ℈j.
Scamm. prep. gr. vj.
Conserv. rosar. ℈j. ad ʒj.
M. F. *Bolus*.

Et cum tales ægri difficilis sunt purgationis, interdum augenda dosis, ut recipiatur Mercurii dulcis ℈j. & scammonii præparati ℈ß. cum conserva appropriata in bolum redacta. Permisceri etiam potest cum Mercurio dulci Mercurius vitæ ad imitationem Hartmanni, & benè teri; sic enim sequitur fortis purgatio per inferiora.

Veteribus ex uno vel pluribus 4. famosiorum hydroticorum parabantur, quæ sunt lignum guajacum seu sanctum, & ejus cortex, lignum sassafras cum cortice, radices chinæ, & sarsæ parillæ, quibus in cura luis Venereæ isti principaliter usi fuerunt.

Præscribendi rationes, tàm Veterum quàm Modernorum, præter MORELLUM *de Formulis Remediorum* hic & prolixum & accuratum, apud Luis venereæ scriptores videbitis. Duæ autem operationes in his observandæ:

1. Infusio seu Maceratio; & hinc
2. Ipsa decoctio.

Et quoniam duriora & compactiora concreta sunt Ligna & tales radices, quæ non facilè possunt penetrari ab aqua, neque facilè exhauriri decoquendo earum virtutes, necesse est, ut macerentur in loco calido per 24. horas seu per diem & noctem, ut quasi mollefactæ promptiùs decoquendo subministrent suas virtutes isti menstruo. Imò singulis illorum unciis ℔j. ad ℔iß. aquæ assignatur, decoquendo vel ad medias vel ad tertias. Recipiuntur nunc ligna sola, nunc alia etiam alterantia simul adduntur, & ferè, ubi aliquandiu decoctio facta fuerit, immiscentur; interdum etiam adduntur Laxantia, sed malè.

Decoctum tale *lignorum* est *duplex*: *primarium*, & *secundarium*.

Primarium est, quando decoquuntur firmiter ad sufficientiam, quod pro eliciendo sudore ordinatur: *secundarium*, quando remanentia ex tali decoctione ulteriùs decoquenda præcipitur pro usu potus ordinarii, addendo simul ℥j. vel ℥ij. de quodam simplici sudorifero, unà cum passulis & radice glycyrrhizæ, & hinc colatur per manicam Hippocratis. Aliàs decoctum ejusmodi secundarium vocatur *Boccbetum*: e. g. fit

Decoctum Lignorum sudoriferum crudum usitatum in lue venerea, quod etiam habet HORSTIUS *in Observationibus*:

♃. *Lign. Guajac.* ℥vj.
Cortic. eiusd. ℥iß.
Rad. sarsæparill. ℥ij.
Chinæ ℥j.
Aquæ commun. Mens. vj. (assumendo pro ℔j. ad ℔iij. medicinales.)

Infundantur minutim concisa & rasa, macerentur in loco tepido per 24. horas, hinc decoquantur ad medietatem pro Decocto sudorifero.

Colatura
D. S.
Decoctum sudoriferum pro aliquot vicibus.

Cortex ligni Guajaci longè potentior & efficacior est ipso ligno, magis resinosus, & consequenter magis sudoriferus, cujus unc. ß. plus facit, quàm ligni unc. ii. Ergo tertia pars respectu ligni sumatur.

Dosi unc. iv. vj. vij. & viij. expectando in lecto vel hypocausto sudorem, bis de die sumatur, manè jejuno stomacho, & hora quarta à meridie.

Possumus etiam singulis haustibus instillare essentiam lignorum ad aliquot guttas aut ʒi. vel spiritum lignorum ad s. q. item tincturam antimonii, vel essentiam viperarum, & alia medicamenta sudorifera in tali casu experta. Horstius solet admiscere aliquot grana sulphuris solaris antimonii diaphoretici singulis haustibus hujus decocti.

Hinc

♃. *Remanentiam decocti hujus superior.*
adde
Lign. sassafr. ʒvi. ad ℥i.
Passul. min. ℥iß.
Rad. liquirit. ʒvj.

Infund. in *aqu. fontan.* Mens. iv. vel vj. ad viij. Decoq. ad consumptionem tertiæ partis; colentur per manicam Hippocratis, & sic fit *Boccbetum* pro potu ordinario, adde saccharum pro lubitu.

D. S.
Potus ordinarius.

Sub traiectione per manicam Hippocratis addere possumus pro lubitu aromata: v. g.

Sem.

Sem. anisi ℥iij.
Cinnam. ʒvj.

Cura hæc per reiteratum haustum decocti sudoriferi, & per interjectam per Mercurialia evacuationem, continuanda tamdiu est, donec æger antiquam suam sanitatem feliciter obtinuerit. Hic modus præscribendi decocta sudorifera pro diæta est omnium simplicissimus.

Quæritur: *quid aqua eliciat ex his lignis quatuor cùm sint ligna fixiora?* Interim ratio sumenda est ex fuligine; ista enim substantia, quæ sub destillatione lignorum sub forma spiritûs acidi prodit, sub decoctione elicitur ab aqua: nempe substantia salina acida pinguis volatilis: ratione hujus fuligo, oleum & spiritus lignorum, sunt potentissima sudorifera.

Quæritur porrò: *quæ nam ex his in sudoriferis præferenda? an oleum, decoctum, essentia, spiritus lignorum, vel quid?* In decocto certè multum remanet in lignis: Essentia per spiritus inflammabiles vegetabiles paratur, qui substantiam oleosam extrahunt, salinam verò intactam relinquunt: Spiritus acidus est sudoriferus quidem, sed caret oleo volatili, quod supernatat, & spiritui non potest jungi: Oleum est potentissimum sudoriferum, sed deficit spiritus acidus volatilis. Ex omnibus tamen hisce optimum est reverà oleum ritè rectificatum, cujus guttæ quædam plus præstant, quàm unciæ aliquot decoctorum; sic enim potentissimum cum minori ægri labore sudorem movent. Aliàs post oleum, spiritui pariter ac essentiæ præferendum, duco decoctum, quod Moderni exaltant in lue Venerea non ita inveterata, dum antimonium crudum & Mercurium in petia ligata simul decoquunt; ita enim longè efficaciora sunt talia decocta, pro delenda contagiosa lue Venerea. Sumendus pro hoc scopo Mercurius probè purificatus beneficio salis tartari, cum hoc scilicet probè subigatur, & in simul per retortam propellantur, sic transit Mercurius in receptaculum aqua semi-plenum. Non metuamus autem antimonii virulentiam, quod, nisi per ignem aut salia tractetur, per se nullam sensibilem alterationem infert, nisi quod una alteraque vice in quibusdam subjectis laxet. Alii cinnabarim artificialem felici cum successu addunt: conf. BORELLUS *Cent.* 2. *observat.* 69. Hinc

Decoctum sudoriferum primarium ZWELFFERO communiter *adscriptum*:

℞. *Ras. ligni sancti* ℥vj.
Cortic. ejusdem,
Rad. sarsæ parillæ an. ℥ij. vel iij.
Lign. sassafr. ℥j. ad ℥iß.
Antimonii crud. grosso modo anteà in petia ligati,
Mercur. vivi per sal. tart. depurati & in petia ligati an. ℔j.
Incis. & contus. macerentur per diem & noctem in *Aquæ commun.* Mens. xii.

Hinc coqu. in olla vel vase vitreo ad medias vel ad tertias: Priùs verò etiam inde ollæ
Lap. pumic. ℔j.
Coletur postmodum.
Colatura
D. S.
Decoctum sudoriferum.

Dosis ℥iv. ad vj. pro potu sudorifero ad dies 14. & ultrà, capiatur manè & unâ alterave horâ proliciatur sudor.

Decoctum secundarium:

℞. *Remanentiam Decocti prioris totam*,
(vel, ubi aliud aliquid addendum, mediam.) Maceretur per horas 12. in *Aquæ comm.* Mens. xviii.
Coqu. ad consumptionem tertiæ partis;
adde
Passul. Maj. enucleat. contus.
Min. contus. an. ℥i. ad ℥iß.
Rad. liquirit.
Polypod. an. ʒvj.
Sem. coriand. ℥iß. ad ℥ii.
Colentur per manicam Hippocratis, aut aromatizentur cum *cinnamomo*.
Detur pro potu ordinario.
S.
Potus ordinarius.

Delicatioribus hoc Bocchetum potest præparari etiam cum radice chinæ, quæ saporis est suavioris & elegantioris.

Hic est modus præscribendi decocta sudorifera Modernorum cum Antimonio & Mercurio. Modus utendi est idem cum modo Veterum: saltem, ut dixi, Moderni solent instillare Essentias appropriatas, Tincturas vel Extracta & similia singulis haustibus pro promovenda haustuum virtute sudorifera. Cæterum autem non inconsultum est in cucurbita vitrea, cum alembico suo munita, coquere talia, & imminuere Aquæ quantitatem, ut scilicet reaffundi possit aqua destillata.

Ligna hæc Decoctis tribuunt saporem amaricantem aromaticum: conveniunt ergò in acido luis Venereæ corrigendo, temperanda lymphæ acrimonia acida in affectibus catarrhalibus, &c.

Sed non semper opus est illis exoticis, & ob id subinde suspectis: prostant apud nos similia succedanea, si non meliora; v. g. lignum juniperi, buxi, simul anodynum, coryli, radix tormentillæ, bardanæ majoris, &c. Ut taceam de sarmentis lupuli & periclymeni, &c. quæ optimè substituere possumus, & nullatenus cedunt lignis istis ab ultimis Garamantis adductis: v.g.

℞. *Rad. bardan. in taleolas incis.*
Ras. ligni junip. an. ℥iij.
Coryli ℥ij.
Buxi ℥j.
Incisa & dissecta infund. in
Aquæ commun. Mens. iv.
Coquantur in cucurbita vitrea suo alembico munita, ad consumptionem medietatis.
Decocto adde Liquorem destillatum.
D. S.
Decoctum sudoriferum.
Dosis ℥iij. iv. vj.

Remanentia simili ratione decoqui potest in Aqua cum passulis & radice glycyrrhizæ pro Boccheto; vid. *Colle in Cosmitore Medicea*, *pag.* 267.

Lignum certè juniperinum vim balsamicam obtinet ob perpetuam viriditatem. Lignum buxi autem est dolorum sedativum. JOHANNES COLLE, qui *Consilia & Casus Medicinales* scripsit haud inelegantes, insigniter commendat usum Decocti ligni juniperini contra Luem Veneream: nempe

℞. *Lign. iuniper.* ℥vj.
Sarment. lupul.
Periclymen. an. ℥ij.
Sem. coriandr.
Hordei,
Pepon. an. ℥j.
Aquæ simpl. ℔iix.
Decoquantur ad medias.
Sumantur omni manè ℥iv.

Remanentia cum *passular.* ℥ij. & *prun. Damascen.* no. xxij. in s. q. *Aquæ* rursus decoquantur, pro potu ordinariò in morbis chronicis, aliisque usibus.

Interdum talibus Decoctis solent permisceri Purgantia. Cùm autem non possint perferre longam coctionem, propterea in fine addentur purgantia, ne eorum vis evaporet in diuturniore coctione: & quidem in talibus diætis pro purgatione supputandæ doses, pro quibus describuntur talia Decocta, ut sibi invicem respondeant, sicut fieri dixi in aliis Decoctis catharticis. E. g. sit præscribendum

Decoctum lignorum sudoriferum, simulque laxans contrà luem Veneream:

℞. *Cortic. ligni sancti* ℥iv.
Rad. sarsap. ℥iv.
Liquirit. ℥j.
Radic. chinæ,
Vincetox. an. ℥ij.
Cortic. abiet. ℥j.
Bacc. iunip. ℥ß.
Incisa & contusa infund. in
Aquæ simpl. ℔xii.
Stent in loco tepido per 24. horas, hinc decoquantur ad tertias; Colaturæ infund. per diem & noctem,
Fol. senn. sine stip. ℥iiß.
Pulp. colocynth. ʒj.
Factâ hinc leni ebullitione coletur,
S. ut *suprà*.

Verùm præter luis Venereæ curam quibusdam in locis hodierno more receptum est, ut, qui corpora habent impuriora, ut vocant, & variis inde pathematis obnoxia, aut, qui catarrhalibus & arthriticis aliisque chronicis ac lentis plus minus complicatis affectibus conflictantur, viribus tamen utcunque constantibus, item quod luxuriosa, inordinataque cum effreni potandi libidine utuntur diæta, & succulentioris hinc fiunt habitus, diæta hujusmodi sudorifera quotannis verno (vocatur Germanis *eine Fruhlings SchWeis Cur*) interdum & autumnali utantur tempore pro digerendis congestis cruditatibus & excernendis heterogeneis impuritatibus, firmando tono viscerum, & mundificando ac roborando universe corporis habitu. Imò ex methodo Galenicorum in quàm plurimis aliis affectibus solent præscribi talia Decocta sudorifera alterantia, in quem finem, præmissa primarum viarum abstersione, omni manè Decocto primariò utuntur, expectando in conopeo largum sudorem, quem in lecto calefacto decumbentes sensim exsiccare permittunt. Decocto secundario loco potus consueti utuntur Vesperi antè pastum, aut saltem sub introitu lecti, repetentes Decoctum primarium, citrà sudoris tamen profluvium. Alimenta sint moderata, aerem externum vitent. Continuatur hoc per aliquot septimanas, & vegeti indè & alacres fiè redduntur. Præscribendi modus hæc Decocta coincidit cum prioribus: e. g.

Decoctum primarium:

℞. Ra-

℞. *Rasur. lign. sanct.* ℥i.
Sassafr. ʒvi.
Rad. chinæ ponderos.
Scorzoneræ an. ℥i.
Eryng ℥ß.
Sarsæpar. ʒiii.
Sem. fœnic. ʒii.
Præparata l. a. Coqu. in ℔xii. *Aquę comm.* ad medias:
Colatura
D. S.
Decoctum sudoriferum.
℞. *Rad. chinæ ponderosæ,*
Scorzoneræ an. ℥iß.
Pass. min. ℥iii.
Cinnam. ʒiii.
Sem. fœnic. ℥ß.
Residuum decocti superioris.
Coqu. in ℔xxv. *Aquæ simpl.* ad remanentiam ℔xvi.
Colatura
D. S.
Potus ordinarius.

Sed præter hunc usum specialiter diaphoreticum, his lignis & radicibus, potissimùm radici chinæ pro scopo alterandi in affectibus chronicis ex visceris cujusdam interioris læsione, præsertim exulceratoria dispositione natis, v. g. in phthisi pulmonali, ex sanguine aut lympha acrioribus nata, quam aliàs defluxionibus à capite catarrhalibus tribuunt; item exulceratione renum, abscessu mesenterii, aliorumvè viscerum mundificandis & consolidandis, & similibus non nimis confirmatis malis; item febribus quartanis diuturnis, in quarum, aliarumque intermittentium chronicarum fine ZACUTUS LUSITANUS ad hæc Decocta confugit: simul etiam addi solent alia, vel vulneraria vel abstergentia, aut alia morbo appropriata, more & methodo hactenus insinuatâ, & quotidiè bis vel ter bonus haustus ut capiatur, ordinatur. Et quidem imprimis solent decoqui sub finem decoctionis lignorum, quando ferè absoluta est coctio, tunc injiciuntur simplicia alterantia, ne diuturnâ coctione eorundem vis pereat. V. g. sit præscribendum.

Decoctum alterans exsiccans, & putredinem inhibens:
℞. *Rasur. ligni sancti* ℥iii.
Rad. sarsęparill. ℥ii.
Scorzonerę ℥iß.
Consolid. Maj.
Minoris,
Fragar.
Liquirit. an. ʒvi.
Herb. veronicę M. ii.
Passul. min ℥iv.
Sem. coriandr. ʒii.
Præparata l. a. coqu. in s. q. *aquę simpl.* v. g.
Mens. v. aut ℔xv. ad medias,
Colatura D. S.
Decoctum alterans.
Dosis ℥iv. vel v.

Aliud magis temperatum & *consolidativum*, &c.
℞. *Rad. chinæ, gumm. ponderos. non cariosæ* ℥iii.
Scorzoneræ ℥ii.
Sarsęparill. ℥iß.
Caryophyllat. ℥i.
Macerata per diem & noctem in s. q. *aquæ simpl.* ebulliant: manè adde
Herb. alchimill.
Hedr. terrestr.
Scabios.
Flor. rosar. rubr. an. M. i.
Violar. M. ß.
Passul min. ℥ii.
Sem. fęnicul. ʒi.
Decoctum triaijciatur per manicam Hippocratis.
Colatura D. S.
Decoctum consolidativum.

Decoctum in Phthisi pectorali ab incipiente exulceratione pulmonum:
℞. *Rasur. lign. Guajac.* ℥iii.
Cortic. ejusdem ℥i.
Infund. per 24. horas in *aqua simpl.* macerentur in balneo Marię per diē & noctem, manè coque fortiter in vase cum suo alembico munito: Colaturæ adde *aquam simul destillatam*, & infunde
Herb. veronic. M. iß. vel ii.
Pyrolę,
Quinquefol.
Sanicul. an M. i.
Passul. min. contus. ℥iß.
Stent in loco tepido vase clauso, & in fine leniter ebulliant,
Colatura D. S.

Decoctum pectorale.
Loco ligni Guajaci *lignum sassafras* vel *lignum santali rubri* sumatur.
Aliud:
℞. *Rad. chin. in taleolas incis.* ℥ii.
Flor. beton.
Papav. errat.
Scabios. an M. ß.
Passul. Maj. enucl.
Min. an. ℥i.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.* Colatura edulcoretur *syrupo flor. papav. errat.* & traijciatur aliquoties per manicam Hippocratis pro Clareto, D. S.
Vt ante.

Præterea similia cum & ex lignis parata decocta pro scopo alterativo, variè usurpari solent; v. g. pro catarrhis fieri potest simile decoctum ex ligno sassafras, quod est appropriatum alexipharmacum catarrhorum hoc modo:

Decoctum ad catarrhos:
℞. *Rasur. lign. sassafras* ℥ii.
Infund. in s. q. *aquę betonicę* & *flor. papav. errat.* stent in infuso per 24. horas in vitro clauso in loco calido: postea coquatur, sub finem decoctionis addendo
Herb. serpill. M. ij.
Flor. papav. errat. p. iii.
Beton p. ii.
Coqu. & Colentur. Colaturæ adde
Syrup. de hyssopo q. s.
D. S.
Vt autea.
Alio modo:
℞. *Decoct. ligni sassafr.* ℔iß.
Huic ferventi immitte
Com. rorismar. M iß.
Flor. papav. errat. M. j.
Stent in balneo Mariæ per aliquot horas: in fine leniter in vase clauso ebulliat. Colatura
D. S.
Vt supra.

Odoris elegantis, sed saporis amatiusculi est, & vel cum, vel sine sudore hauritur. Acui potest cum *rad. caryophyllat.* ℥i.

Decoctum Nephritico-Diureticum:
℞. *Lign. Nephrit.* (hujus loco optimè substitui posse credo *lign. fraxini*) ℥iii.
Juniperin. ℥i. ad ℥iß.
Baccar. junip. rec. succul. ʒvi.
Incisa & contusa infunde *Aqu. simpl.* macerantur in balneo Mariæ per aliquot dies in vase clauso, post ebulliant leniter, & colentur.
D. S.
Decoctum Nephritico diureticum.

Decoctum Lignorum Sudoriferum Antiepilepticum:
℞. *Lign. buxi,*
Coryl. an. ℥iv.
Visc. coryl. ℥ii.
Rad. angelic. ℥i.
Incisa & Contusa macerentur per 24. horas
in aqu. simpl. ℔xii.
Manè coqu. ad medietatem.
Colatura
D. S.
Decoctum sudoriferum.

Sic contra scorbutum Decoctum rad. Chinæ pro scopo alterativo commodè usurpari potest; unde *contra sitim scorbuticorum* ad imitationem TIMÆI *Von Gulden-klee in Epist. pag.* 237. potest fieri *Decoctum* tale:
℞. *Rad. chinæ in taleol. incis.* ℥i.
Sant. citr. vel *rubr.* ʒii.
Aqu. font. ℔viii.
Macerentur per noctem: manè coqu. igne lento ad remanentiam ℔vi. quibus ferventibus infunde
Rad. liquirit. recent succulent. ʒvi.
Refrigerentur vase tecto successivè.
D. S.
Decoctum contra sitim.

Ubi notandum: ut radix liquiritiæ non simul committatur Decoctioni, quia hujusmodi dulcia, dum adhuc succulenta sunt, amarescunt, si coquuntur, & dulcedinem amittunt: Radix chinæ per se est antiscorbutica, & egregiè convenit, quando scorbutus contracturam aut arthritidem vagam infert.

Decoctum Lignorum in dolore c. urum scorbutico, imprimis *nocturno*:
℞. *Rasur. ligni sassafr.* ℥iii.
Cort ligni sancti ℥i.
Rad. chinæ elect.
Sarsaparill. an.
Incisa & contusa stent in Infuso in

Aquæ simpl. ℔vi.
Coqu. vase clauso, suo alembico munito: Colaturæ ferventi infund.
Herb. scord. M. iii.
Rad. liquirit. ℥i.
Polypod. ʒvi.
Stent per noctem: Colaturæ manè addatur *liquor per alembicum destillatus*. D. S.

Decoctum antiscorbuticum.

Pertinent huc denique *Decocta ex cymis*, item ex cortice abietis, contra affectus nervorum scorbuticos, speciatim arthritidem vagam, paresin, stuporem: v. g.

℞. *Cymar.* seu *turion. pinguium et resinosorum pinastri*, item *abietis* ℥iii.
Rad. chinæ in taleolas incis. ℥iß.
Bacc. junip. ℥i.
Incisa & contusa coquantur in
Aquæ comm. ℔viii.
ad tertiæ partis consumptionem (vel ubi fortius desideratur, ad medias)
Colatura D. S. ut *suprà*.

Capiatur bis, manè in lecto expectando blandum sudorem, & vesperi vel sub introitu lecti citra sudorem. Si subiectum patiens humidioris sit constitutionis ac serosioris vel succulentioris, loco chinæ radicis rasuræ ligni sassafras ℥i. recipi potest. Quod si ingratior sit Decocti sapor, (nam terebinthinæ proprietates nonnihil repræsentat,) in fine decoctionis aliquid *passul. minorum conquassatarum* addi potest.

Post diætam sudoriferam se offert *Diæta lactea*, quæ interdum etiam præscribitur. *Lac* autem nihil aliud est, quàm chylus pinguis, dulcis, per mammarum tubulos prolicitus; unde ratione substantiæ huius butyrosæ pinguis alit, acrimoniam acidam temperat, & per urinam evacuat. Cùm tamen interim tanquam alimentum medicamentosum usurpandum sit, usus eius continuandus est, si sensibilem effectum habere debet; idque cum summa cautela: sicut enim lac est saluberrimum alimentum & medicamentum, ita idem in stomacho corruptum, & alteratum, pessimum dat recrementum.

Talis autem diæta duplicem habet scopum:
1. Nutriendi corpus tabidum.
2. Temperandi succum acidum.

Convenit ergò ratione prioris scopi in Phthisicis, Tabidis & Hecticis; ratione posterioris autem in scorbuto, podagra & contracturis usurpatur; idque vel simplex, vel medicatum.

Simplex si usurpetur, hæc cautela observanda est, ut præcaveatur eius coagulatio in ventriculo, ubi facilè, si non ritè constitutus, coagulatur & acescit. Hunc in finem usurpatur semper cùm sacharo, quod impedit eius coagulationem; vel instillatur spiritus quidam aut liquor appropriatus, ut spiritus cochleariæ mistus cum spiritu salis ammoniaci, essentia fumariæ composita, &c.

Utendi modus legitimus est, ut ægri manè jejuno stomacho illud hauriant, gradatim ascedendo & descendendo. Primo scilicet die ℥iij. secundo iv. tertio vj. usque ad ℔iß. In hac summa dosi aliquandiu persistant, & deinde successivè descendant, & ita continuetur hæc cura ad aliquot septimanas, semper addendo saccharum, aut spiritum salis ammoniaci, & interim caveatur omnis potus acidus, vinum v. g. & vinosa, cibi pariter acidi, nè diæta corrupta inferat mala symptomata. Corpus quoque subinde blandè laxetur.

Quæritur autem; *quodnam lac optimum sit; bubulum, an caprillum?* Respondetur: distinctè omne lac convenire, pro diversitate scilicet scoporum & morborum. Bubulum pingue nimis est, asininum maximè temperatum, caprillum maximè serosum & volatile; specialiter tamen in scorbuto caprillum, in atrophia asininum maximè convenit, & sic porrò.

Interdum Lac medicatum magis usurpatur, sive tunc aliæ res cum lacte decoquantur, sive non: sit v. g.

Lac antiscorbuticum:

℞. *Lactis caprill.* ℔ii.
Herb. beccabungæ,
Cochlear.
Nasturt. an. M. i.
Stent in vase clauso per noctem; manè parum ebulliant,
Colatura D. S.

Lac antiscorbuticum.

Dosis ℥iv. ad v.
Nunquam ultra ℔ß. ascendendo in lacte medicamentoso. In omni haustu aliquid de spiritu cochleariæ & spiritu salis ammoniaci capiendum.
Vel loco ipsarum plantarum alteretur Lac cum succis: v. g.

℞. *Lactis caprill.* ℔iv. (vel *bovius*, & *lactis bubuli* an. ℔ii.)
Succ. fumar. ℥ii.
Cochlear.
Nasturt. an. ℥i.
Sacchari parum.
M. S.

Lac antiscorbuticum alterativum.

Quidam radicem chinæ unà cum fumaria in lacte decoquere solent in phthisi lymphata pectorali; sicut in affectibus catarrhalibus lignum sassafras: Verùm quod hoc attinet, nescio an id commodè fiat, cum lac nimis crassum sit.
Sit tamen simile

Lac antidysentericum contra Dysenteriam, ubi abest febris:

℞. *Rasur. priapi cervi* ℥iß. ad ℥ii.
Rad. tormentill. ℥i.
Coqu. in s. q. *lactis*, v. g. ℔ii.
Colatura D. cum pauco saccharo S.

Lac adstringens contra dysenteriam.

Serum lactis etiam huc pertinet, quod usurpatur, quando lactis substantia butyrosa vel caseosa minus congrua est: v. g. ubi febres adsunt, vel affectus hypochondriaci. Sic exempli loco sit

Serum lactis hypochondriacum seu *antiquartium:*

℞. *Herb. fumar.* M. ii.
Macerentur per noctem in *seri lactis caprill.* ℔ ii.
Colaturæ adde
Succi pomor. Borsdorff. depur. ℥iv.
Sacchari parum,
M. S.

Lac alterativum.

Convenit, ubi adsunt phlogoses, item in febre quartana, imò & in reliquis febribus intermittentibus, sed extra paroxysmum.

Serum lactis in febre ardente:

℞. *Seri lactis* ℔ii.
Succ. citri recent. ℥iii.
Flor. bellid.
Papav. errat. an. M. i. ad M. iß.
Ebulliant, vase clauso, donec tingantur. Colaturæ addatur parum *sacchari*, D. S.

Lac refrigerans & alterativum.

Loco florum tingentium addi quoque possunt *syrupi aliquot appropriati*.

Potest etiam reddi *laxativum serum lactis*, addendo pro infusione vel *folia senna*, vel *helleborum*, ut *ex superioribus* patet.

Pertinent etiam ad decocta, *Decocta animalium nutritivorum*, sub nomine *Decocti Galli*, *Juris Consummati*, & *Destillati restaurantis*. Quando enim ægri sunt imbecilles, postulant iuscula consummata, ut vocantur, quò iterum restaurentur: in Tussi verò chronica, asthmate, sputo cruento, usurpant Decocta Gallorum, ut corrigant acidum illud, quod tussim infert; vel in malo hypochondriaco, aliisque affectibus chronicis nutriendi gratiâ. Veteribus magis sunt in usu, quàm Modernis; quoniã talia à ZWELFFERO non sine ratione sunt reiecta, & ridicula eorum compositio detecta. Modus talia parandi habetur in BORELLO. Recipiunt Gallum veterem, quem interficiunt cursu & verberibus agitatum: hunc exenteratum implent vegetabilibus appropriatis, & quidem, si debet esse sudoriferum, implent herbis & lignis sudoriferis; si debet esse alterans, implent vegetabilibus alterantibus, scopo prædestinato convenientibus: Infarctum denuò consuunt, & coquunt in aqua appropriata tamdiu, donec caro abscedat ab ossibus galli: Decoctum percolant, & colaturam servant pro usu, cuius dosis est, ut semper assumantur ℥vi. Interdum loco alterantium insinuantur Purgantia, & ita fit Decoctum Galli purgans: in quibus præscribendis eadem observanda dosis, & supputanda cum s. q. liquoris, in quo debet coqui gallus, atque factum fuit in Decocto simplici purgante. Sic præscribitur v. g.

Decoctum galli in Colica laxativum & alterativum seu Carminativum:

℞. *Herb. menthæ crisp.* M. ii.
Fol. senn. sine stip. ʒiii. ad ℥ß.
Rad. acori veri,
Levist. an. ʒvi. ad ℥i.
Cortic. aurant. ℥ß.
Sem. carthami ʒvi.
4. *calid. maj.* an. ʒi.
Cinnam. ʒii.
Zedoar. ʒi.
Galang. ʒß. ad ʒi.
Crem. tartari ʒii.
His omnibus incisis & contusis repleatur venter Galli exenterati, vel etiam inclusa sacculo lineo & coquantur unà cum Gallo decrepito probè, donec caro ab ossibus separetur, vel saltem in fine Decoctionis: Decoctum coletur, pinguedo asservetur
S.

Decoctum galli contra colicam.

Cæterum talia Decocta sunt valdè ridicula: recipitur Gallus decrepitus; cur non potiùs junior? cùm hujus Decoctum sit magis nutriens quàm Veteris? 2. Decoctum galli, si ad aliquot dies stetit, incipit acescere, & hinc plus nocet, quàm prodest. Hinc pinguedo quæ

quæ eſt in Decocto, & partes quæ ſeparantur, potum dant ingratum, & quæ ſunt alia vitia, quæ perſtringit in Decocto Galli ZWELFFERUS, quod vid. *in Animadverſionibus*.

Quoad juſcula alterantia: coquunt pullum vel gallum unà cum quibusdam plantis alterantibus, & talia iuſcula poſtmodum propinant. Et quidem præſcribuntur talia iuſcula imprimis in declinatione morborum chronicorum, in quibus ægri valdè ſunt debilitati, pro rectificanda Maſſæ ſanguineæ craſi, & naturali temperie ſenſim ſenſimque reſtituenda.

Quibusdam eſt in uſu, ut præſcribant ægris ſpecies decoquendas cum tali gallina vel pullo: ſit v. g. parandum tale Iuſculum poſt declinationem febris tertianæ curatæ, ex cuius diuturnitate & contumacia æger incipiat fieri cachecticus, hoc modo:

℞. *Herb. cichor.*
Endiu.
Lactuc. an. M. ß.
Flor. cordial. an. p. i.
Rad. cichor. ℥vi.
Sem. aniſi,
Fœnicul. an. ℥i.
Inciſ. & contuſa
D. S.
Species ad juſculum gallinaceum.

Juſculum pectorale alterans:

℞. *Herb. ſcabioſ.* M. ii.
Hyſſop.
Salv. an. M. i.
Rad. enul. ℥iß.
Ficuum pinguium no. iii.
Paſſul. min. ℥vi.
M. Dentur in charta.
S.
Species ad juſculum gallinaceum.

Decoctionis tempore etiam cinnamomi pauxillo condiri poſſunt.

Harum ſpecierum M. i. præterpropter infunditur in iuſculo decoctionis gallinæ, de quo ℥iv. vel v. hauriuntur.

Quoad *juſcula conſummata*, aut etiam juſcula reſtaurantia, ita dicta à reſtaurandis viribus, & à conſummata virtute nutriendi: fiunt hæc iuſcula apud nos ex *gallinis pinguibus & benè nutritis*; in aliis regionibus fiunt ex *caponibus*: Has *gallinas*, aut etiam *capones*, exenterant, & poſtmodum contundunt omnia, oſſa & carnem, & ita coquunt in balneo Mariæ, aut more conſueto alio, in aqua tamdiu, donec caro abſcedat ab oſſibus, & virtus nutritiva & reſtaurativa gallinæ omninò ſit depoſita in aqua, in qua coquitur: poſtmodum addunt vel uncias aliquot *vini*, vel *ſaccharum*, imò ſub finem interdum *cinnamomum*, aut *caryophyllos*, *aliavè aromata*, tandem colant, ac ſervant ad uſum.

Huius *Juſculi conſummati aut reſtaurativi uſus* eſt in ægris debilibus, & qui non poſſunt coquere ſolidiores cibos, pro nutriendo corpore, refocillandis viribus, & ne ſtomacho nimius fiat labor in concoquendis alimentis ſolidioribus. Rarò parantur talia juſcula, niſi à mulieribus.

Pertinet huc *Deſtillatum Inſtaurans*, in quo ipſo etiam magna ſimplicitas Veterum obſervanda eſt.

Recipiunt *gallum* vel *Caponem Veterem*, quem benè contundunt, & addunt *ſimplicia vegetabilia*, & *ſimilia appropriata*, v. g. *Conſeruas, ſuccos &c.* Hæc invicem cum ſ. q. *aquæ* perfundunt, indunt Balneo Mariæ, & ita deſtillant, & vocant Deſtillatum Inſtaurans, ex eo, quoniam nempè putant, quod vires medicamentoſæ galli aut caponis aſcendant per alembicum.

Quidam decoquunt nudè cum radicibus, deſtillant per alembicum pro Deſtillato inſtaurante; addunt interdum alia pro ſcopo intento. Sit e. g.

DESTILLATUM INSTAURANS *in febre ardente* pro ægro debili:

℞. *Carnem caponis minutim inciſam & cum oſſibus probè contritam.*

Coqu. in ſ. q. aquæ vaſe clauſo ad mollitiem ſeu putrilaginem: adde in fine Decoctionis.

Radic. rec. cichor. ℥i.
Santal. citrin. ℨiii.
Flor. borrag.
Bugloſſ.
Tunic. an. p. ii.

Colentur & exprimantur fortiter: indantur cucurbitæ & deſtillentur per alembicum in Balneo Mariæ.

Liquor
D. S.
Deſtillatum inſtaurans.

Reponatur in vitro clauſo; capiantur quotidie ℥ii. vel iii. bis in die.

Sed in Deſtillato hoc Reſtaurante magna Veterum, ceu dixi, elucet ſimplicitas, cum ſufficienter demonſtratum ſit à Modernis, quod vis alterans & inſtaurans carnium non aſcendat per alembicum ex animalibus, ſed nudum phlegma inſipidum, quod ſine fructu hauritur. Laborioſum & pretioſum eſt hoc Deſtillatum, ſed ſimplex & nullius momenti: vid. SENNERTUS *in Inſtitut.* & ZWELFFERUS *in Animadverſ.*

Decocta verò galli & iuſcula gallinarum ritè parata, uti ſanis optimè conducunt pro nutrimento, ita ægris interdum vix tolerabilia ſunt: Nam ſi ſtomachus eſt debilis, appetitus nullus, à calore febrili exuſtus, cadaveriſantur ingeſta in ſtomacho, & turpiter putreſcunt, aut ſaltem in nidorem abeunt; undè plus mali, quàm commodi. Maximè errant igitur ii, qui ægris ex gravioribus malis reconvaleſcentibus eiusmodi iuſcula propinant: *Corpora enim impura, quò magis nutriveris, eò magis læſeris.* Si verò ſtomachus rectè ſe habet, tamen copioſius alimentum non ſemper fert maſſa ſanguinea, quin hæc depauperata principiis fermentativis & aſſimilativis, talibus iuſculis ad turgeſcentiam uſque ingeſtis, præternaturalem concipit febrilem efferveſcentiam, & interdum ad febres ardentes diſponitur; id quod in puerperis, hecticis, &c. ſæpius obſervavi.

SYRUPI.

Habuimus hactenus Decocta & Infuſa Galenicorum. Cæterùm cùm talis medicamenti forma non ſit præſcribenda ad longos uſus, propterea, quod facilè fermentationem concipit, putreſcit & vitium contrahit. Ut ergò talia conſerventur, & à putredine præſerventur, Galenicæ Scholæ ea miſcent cum ſaccharo ad conſiſtentiam talem, quò præſerventur à putredine & fermentatione; & talis *liquor ſaccharatus* vocabatur tunc temporis Syrupus.

Cùm enim Veteribus, tàm Græcis, quàm Arabibus, ignotæ fuerint elegantiores & efficaciores Spagyricorum Operationes Eſſentiarum, Tincturarum, &c. & nihilominus tamē plantas non ſemper habuerint virides, & ſimiliter in exſiccatis magnam iacturam virium deprehenderint, & ipſas exſiccatas etiam non commodè diu ad potiones adhibuerint; propterea receperunt Decocta, Infuſa, Succos & Liquores; & ut in quantitate & copia elaborati præſeruentur, ſaccharo miſcuerunt, & coquendo in formam craſſiuſculam redegerunt, & Syrupum concinnarunt. Cæterum cum hi ipſi ſyrupi propter ſaccharum copioſum non ſint adeò magnarum virium; & ſi uelimus, ut aliquid operentur, neceſſum ſit, ut præſcribantur ad ℥iv. v. vel vi. pro doſi una aſſumendi; ſaccharum verò propter vim fermentatiuam pauciſſimis ſubiectis, conſentientibus omnibus, ſit utile, quin potiùs in febribus, in affectibus hypochondriacis, & ſimilibus chronicis, ſoleat eſſe nociuum, quandoquidem efferueſcentias auget, inflationes hypochondriorum inducit, uentriculi tonum deiicit, & denique intumeſcentias & infarctus uiſcerum abdominis inducit: propterea non in tanta doſi apud nos ſolent uſurpari atque Veteribus fuit in uſu, utut ab Italis adhuc ſoleant interdum exceſſiuè præſcribi; quibus tamen morem ſuum relinquimus. Potius iam uſurpantur Syrupi, ut miſceantur cum reliquis, pro gratia ſaporis concilianda: aliàs rarioris ſolent eſſe uſus.

Syrupus ergo ex MORELLO eſt uel *Officinalis*, qui ſemper in Officinis proſtat, uel *Magiſtralis*, qui ex tempore à Medico præſcribitur: Uterque eſt vel *alterans* uel *purgans*. De omnibus coniunctim.

In omni autem Syrupo duo conſideranda: *Liquor*, in Syrupi formam redigendus; & additum *Saccharum*, quod coquendo dat conſiſtentiam.

Liquor eſt uel Decoctum, uel Infuſum, uel aliquis Succus; interdum horum unum ſolum, interdum hæc inuicem miſta, quandò ſcilicet infuſa cum aliis decoquuntur, antequam in ſuccum redigantur, qui ex additione ſacchari ſit Syrupus.

Præſcriptio Ingredientium Syrupi eſt eadem, quæ in Decoctis & in Infuſis ſolet uſu uenire, utut, quoniam Syrupi pro longiore tempore præſcribi ſolent, etiam maior copia & liquoris & addendorum præſcribenda ſit. Differentiam magnam non habent. Uſus Syrupi Magiſtralis ſolet ad 8. uel 10. dies præſcribi, quoniam diuturnior ſolet eſſe Decoctio, ſiue recipiatur ſuccus depuratus, ſiue Infuſum, ſiue Decoctum, ſemper poſtmodum additur ſaccharum, uſque ad conſiſtentiam Syrupi; & quidem, prout uolunt uel craſſiorem, uel fluidiorem Syrupum, eò plus uel minus addimus ſacchari. Ordinaria proportio ſolet eſſe, ut dimidium ſacchari recipiatur ad liquorem, v. g. ſi liquoris ſint ℔iii. additur ℔iß. ſacchari, quæ inuicem coquantur ad ſpiſſitudinem Syrupi.

Cæterum cum, uti dixi, Syrupi Magiſtrales ſint rarioris uſus, nihilominus tamen ordinari ſolent, ut adeò neceſſum ſit, ut ſciamus formulam. Et quidem uſus Syruporum Magiſtralium eſt in affectibus pectoris & faucium, in quibus interdum ſolent præſcribi ad leniendam aſperitatem faucium, ad promouendam tuſſim, ad raucedinem, aſthma & ſimiles affectus. Ita ſit v. g. talis Syrupus, parandus contra phthiſin, qui debeat conſolidare ulcus pulmonum; tunc enim ſit tantum nudum Decoctum, idque poſt aromatiſationem redigitur in conſiſtentiam Syrupi: imò etiam Decocto Magiſtrali loco ſacchari additur Syrupus officinalis, ut ſit efficacior, & ſacchari minor quantitas addatur. Formula poteſt eſſe talis:

℞. *Herb. heder. terreſtr.*
Pulmon.

Herb. Pyrolæ,
Saniculæ an. M. j.
Summitat. hyper.
Fol. tussilag. an. M. ß.
Rad. symphyti maj. ℥iß.
Liquirit. ʒvi.
Chinæ,
Passul. maj. an. ℥ß.
Ficuum pingv. no. vj.
Coqu. in *aqua simpl.* vel, quod in affectibus pectoris est convenientius, *hydromelite*; Colatum recipiatur & aromatisetur Infusione *cinnamomi* q. s.: addatur
Sacchari fini,
Syrupi de Nicotiana,
Erysimi Lobelii an. s. q.
F. l. a. *Syrupus*.
D. S.
Syrupus pectoralis pro aliquot vicibus.
Dosis ℥iv. vel vi. matutino tempore ad consolidanda ulcera pulmonum.

Non est magna differentia in præscribendis Infusis, Decoctis, & Syrupis, nisi quod hi sint rariores, & in affectibus pectoris tantum præscribantur.

Post Syrupos alterantes etiam est Syrupus purgans, isque similiter, tàm qui præscribitur ex officinis, quàm qui ex tempore præscribitur. Hic idem, quod dictum est de alterante, quod sit rarioris usus, etiam intelligendum de Syrupo purgante: Nihilominus in eodem observandæ cautelæ eædem, quæ in dictis Purgantibus: Observanda est dosis Purgantium, & non tam supputanda est quantitas liquoris, sed etiam sacchari & ingredientium, ut scilicet sciamus, quot unciæ Syrupi possint sufficere pro una dosi ad sufficientem purgationem, ne vel excedamus, vel deficiamus.

Quod dixi, rari sunt tales Syrupi, propterea, quoniam saccharum eos ingrediens dat tormina & flatus: nihilominus cùm pro delicatulis aut adsuetis præscribendi sint tales Syrupi, necesse est, ut sciamus compositionem. Supputanda est dosis sacchari & liquoris, in quo totum consistit artificium. Ut pateat modus præscribendi, vel in Decocto vel Infuso, sit talis *Syrupus purgans in affectibus chronicis & melancholicis*, & quidem per infusionem:

℞. *Succ. pomor. redolent.* ℔j.
in quem infunde
Herb. cichorii,
Fumariæ,
Lupuli an. M. iß.
Flor. 4. cordial. an. p. i.
(convenienter & frequenter adduntur hi flores in affectibus Melancholicis)
Rad. enul. ℥iß.
Polypod. querc.
Herb. epithym. an. ʒvi.
Fol. senn. sine stip.
Helleb. nigri crudi an. ℥ß.
Sem. carthami contusi (est enim purgans) ʒiii.
Stent in loco tepido per 24. horas, & sub finem leniter ebulliant; potest etiam addi stimulus pro menstruo ex *cremore tartari*, *sale tartari*, & similibus. Colaturæ ℞. ℔i. cui adde
Sacch. fini ℔ß.
Coquantur ad consistentiam Syrupi, & sic tota compositio ex liquore & saccharo non transcendet ℔i. vel ℥xiv. multum enim in coctione evaporat, & ita pro dosi erunt ℥iii. iv. vel v.

Hoc ergo modo supputandæ sunt doses & liquor in præscribendo Syrupo purgante Magistrali. Quæ habet MORELLUS *de dosi sacchari cum Animadversionibus*, merentur, ut legantur; uti etiam ea, quæ habet ulterius, sunt satis clara & perspicua, ut non habeam opus plura addere.

Hactenus Decocta pro usu interno:
Sequuntur nunc EXTERNA.

Decoctum discutiens & resolvens ad cephalalgiam accidentalem:

℞. *Flor. papav. errat.*
Rosar. an. M. ß.
Rad. rhodiæ ℥iß.
Cap. papav. no. iii.
Præparata coqu. in s. q. *aquæ simpl.*
Colatura
D. S.
Epithema externum.
Epithematis instar tepidè fronti ac temporibus applicatur.

Decoctum polychrestum ad Erysipelata, Inflammationes, Exulcerationes humidas in metu gangrenæ, &c.

℞. *Lithargyr.* ℔ß.
Flor. rosar. rubr. M. ii.
Mastich.
Myrrhæ,
Olibani an. ℥ß.
Decoct. sive *aquæ calcis vivæ rec.* ℔iv.
Aceti destillati ℔iß.
Coque simul, usque dum lithargyrium ferè sit solutum, in fine addendo
Camphoræ ℥ß.
Colatura
D. S.
Vt antè.
Calidè cum linteis multiplicatis bis vel ter, & crebriùs, applicetur in die: Conf. ZWELFFERI *Pharmacopœa Regia* pag. 91.

Inter Decocta externa primaria sunt Iniectiones variæ seu Enemata, item Clysteres & Clysmata Græcis sic dicta, Latinis verò Ablutiones, seu Lavamenta; quæ fiunt aut in cavitates naturales, uti sunt Injectiones in uterum, aures, os, palatum, podicem, &c. aut in cavitates præternaturales, quales sunt abscessus, ulcera sinuosa, &c.

Cum autem à potiori ac usitatiori fieri soleat denominatio, propter infusionum talium in anum ac intestina, seu generalem corporis cloacam, crebritatem, Clysmatis ac Enematis vox κατ' ἐξοχὴν de iis, quæ ano injiciuntur, intelligi solet, sive solùm eluendi intestina, & alterandi eorum pathemata, sive etiam stimulandi, & consequenter etiam laxandi scopo usurpentur, cui consuetudini & nos cedimus.

Clyster est duplex, vel alterans vel purgans. Quod attinet & alterantem & purgantem: componuntur frequentissimè ex liquore certæ cujusdam Decoctionis. Sic v. g. quando in Colica adhibendi clysteres, hi ipsi fiunt ex Decoctis carminantibus, & flatus discutientibus: Quando in dysenteria adhibendi Clysteres, hi ipsi fiunt ex Decoctis temperantibus, Vulnerariis & Consolidantibus: Ubi adhibendi clysteres in alvi obstructione & fæcibus induratis, fiunt Decocta ex Emollientibus blandis, & fæces seu scybala indurata fluida facientibus.

Quantitas talis Decocti pro varietate & norma ipsius corpusculi variat: infantibus trium vel 4. mensium sufficit ℥i. ad ℥iß. unius vel duorum annorum ℥ii. adultioribus ℥iii usque ad ix. interdum ad ℔i. pro ratione ætatis, rarò ℥xv. quibus colatis postmodùm adduntur & dissolvuntur *Electuaria alterativa* & purgativa, ab ℥i. ad ℥iß. vel ℥ii. In specie Electuarium lenitivum ad ʒi. ad ℥i. Triphera Persica ad ℥i. Electuarium de hiera picra à ʒi. ad ʒvi. Electuarium de hiera cum agarico ℥ß. ubi verò fortiùs stimulandum, dissolvitur ad ℥i. In genere rectè dicit MORELLUS, quod dissolvantur Electuaria purgantia in dosi dupla ad eandem, quæ per os assumitur; sicut in parte anteriore Morellus omnium Electuariorum doses habet, quas ibidem videbitis. Fit etiam non rarò, ut massa pilul. in clysteribus dissolvatur pro purgatione, idque à ʒß. ʒi. ad summum ʒii. vid. MORELLUS *cit. loco*, ubi habet de quantitate purgantium observanda in clysteribus.

Mel vel *simplex*, vel *rosatum*, vel *Mercuriale* dissolvitur à ʒvi. ad ℥i. vel ℥iß.

Olei cocti vel *infusi* ℥ß. ad ℥i. vel ℥iß. pro leniendis & blandè demulcendis intestinis: loco oleorum non rarò etiam butyrum pro lenitivo & abstergente potest dissolvi.

Dissolvitur etiam in Clysteribus *Ungventum Clysmaticum*, quod prostat in Officinis, & abstergit partim, partim consolidat intestina.

Oleorum destillatorum additur ℈i. & ℈ß. ad ʒß. & ʒi.
Salis stimulantis verò vel *alterantis* à ℈i. ad ʒß. & ʒi.

Denique & *vitellorum ovorum* no. j. vel ij. adiiciuntur pro promovenda intestinorum lubricatione.

Dicit MORELLUS, quod etiam debeant addi *Pulveres* pro dissolutione in clysteribus: sed tamen hi nunquam, aut rarò admodum, usurpantur.

Quod si plura addenda simul fuerint, & horum respectiva proportio attendenda, ut ex omnium miscela una dosis completa pro usu intento exsurgat; qui in genere est triplex:

1. Intestina stimulare, & plus minùs purgare.
2. Eadem demulcere; &
3 Contenta in iisdem temperare.

Plus enim præstant clysmata, quàm multa sæpè medicamina. Equidem naturaliter saltem colon intestinum clysmata attingunt; in affectu tamen iliaco & per os reddita observata sunt. Non tantum igitur Clysteres in quibuscunque intestinorum affectibus, in specie intestinorum crassorum, conveniunt, viscidìtatem illic contentam evacuando, sed & per consensum aliis intestinis atque partibus mirè succurrunt. Hinc & Clysmata in passione hysterica & hypochondriaca, specialissimè autem in nephriticis, in vomitu, cholera, &c. frequentissimus eorum est usus, quorum sedes tamen in intestinis crassis non est. In affectibus mesenterii, quales sunt inflammationes, infarctus, forsan etiam in tumoribus glandularum mesenterii scirrhosis & similibus aliis, insigniter conducunt Clysteres. Ante paroxysmum febrilem intermittentium injecti hi ipsi insigniter prosunt: in asthmate & tussi, in affectibus capitis periculosis per consensum abdominis, vertigine, epilepsia, &c. egre-

&c. egregium præstant levamen: hypochondriacis non minus & scorbuticis quotidianus eorum usus alterans felicissimus est, ubi in his lactea præprimis clysmata convenientissima sunt. Superstitiosior de cætero est delectus cephalicorum, pectoralium, nephriticorum, hystericorum, &c. qui in clysmatum præscriptione subinde instituitur, cum per consensum saltem aut deuteropathiam, vel per quandam consequentiam aliis partibus auxilium ab iisdem afferatur: propter valvulam enim in principio coli, ubi intestinum cœcum cohæret cum colo, non possunt transcendere clysteres ultrà colon. Fit quidem interdum, ut clysteres injecti per anum reiiciantur per vomitum: sed non nisi in desperatis casibus morbi iliaci sive Miserere mei dicti, in quo cùm omnium intestinorum motus sit inversus, deorsum sursum, etiam hæc valvula inverso modo movetur, & deorsum sursum potest admittere clysterem. In aliis casibus, ubi naturaliter constitutum est corpus, ne guttula potest penetrare ultrà valvulam circa Intestinum colon. Nihilominùs cum Clysteres, ceu aliquid extrinsecum, infusi irritent & stimulent & irritent tàm intestinum rectum, quàm in specie intestinum colon, tunc ex irritatione ista continua oritur contractio, & propter continuam substantiæ cohæsionem simul irritantur reliqua, quâ irritatione intestina contracta contenta excrementa propellunt, & inferiora versus detrudunt.

Quæstio est: *an Clysteres* etiam *confortent, & nutriant?* Res est ridicula, quasi podicis & oris sit par ratio. Cum enim nihil possit nutrire, nisi quod subactum in stomacho, & à quo heterogenea seu scybala per præcipitationem ex admisto succo pancreatico & bilioso fuerunt separata, patet, quod tales clysteres, cùm non ascendant ultra colon, non possint nutrire, multò minus confortare; sed ceu inania & ridicula figmenta anilia sint rejiciendi. Reliqua videb. in HELMONTII *Tract. de Febr.*, qui est infensissimus clysterum hostis, item vid. HOFFMANNUS *in Methodo medendi, ubi de Clysteribus.*

Iniiciuntur tepidè, vel unâ vel duplici vice, pro excrementorum, flatuum, podicis plus minus dolentis, &c. respectu: Frequenter enim admodum in Praxi occurrit, ut propter copiam flatuum in colo impossibile sit pro una vice applicare. Partitis igitur vicibus agatur, & ubi una medietas applicata fuerit, post dimidiam horam altera pars residua pariter tepidè infundatur.

Instrumenta ferè sunt triplicia:

1. Vesica bubula cum parva fistula apud nos Germanos.
2. Sipho amplus apud Gallos, qui certè nesciunt vesicas; quia longè meliùs cum siphonibus res procedit, quibus cum impetu quasi infunditur Clysma, & altiùs atque latiùs se extendit.
3. GRÆFFIUS novum paravit instrumentum, & ab eo descriptum videbitis in *Tract. ejus de Clysmatibus*: forsan est imitandum, si intestinum quoddam longius & æquale avis cujusdam debito balsamo, vel terebinthinato vel spiritu salis ammoniaci vinoso, condiatur & aptè tractatur, hinc filo æneo & panno sericeo obvolvatur.

Quoad formulas: exempli loco sit *Clyster Carminativus in Colica flatulenta:*

℞. *Herb. chamom. Rom.*
Menth. an. M. j.
Flor. Chamom.
Sambuc. an. M. ß.
Bacc. laur. ℥ß. ad ℥j.
Juniper. ℥ß.
Sem. anisi,
Carvi,
Fœnicul. an. ʒii.
Sal. tartari ad ʒiii.

Incisa & contusa coqu. in s. q. *aquæ simpl.* vel ubi sal tartari non additum fuerit, in ana *urinæ & aquæ commun.*, vel *urina humana sola*.
Colaturæ ℥ix adde
Electuar. de baccis lauri ʒvi. ad ℥i.
Mell. rutac. ℥ß.
Ol. i destillat. anisi ℈ß. ad ℈i. vel *bacc. laur.* ℈ß. (vel rutæ, quæ est egregium carminativum) ℥ß.
Vitell. oui no. i

M. pro *Clysmate*, applicetur cum instrumento calidè.

Clyster in passione hysterica:

℞. *Herb. absinth.*
Chamom. M. i.
Cort. aurant.
Citri an. ℥ß.
Sem. anisi,
Carui,
Fœnicul.
Cumin. an. ʒii.
Coqu. in an. *aquæ simpl.* & *urinæ human.*
Colatur. ℞. ℥ix. addendo
Olei rutac. ℥i.
Destillat. anisi ℈i.
Uitell. oui no. i.
M. pro *Clysmate.*

Clyster emolliens in fæcibus alui induratis:

℞. *Spec. emollient.* M. ii.
Flor. chamom.
Uerbasci an. M. i.
Sal. tartari ʒiß. ad ʒii.
Coqu. in s. q. *Aquæ simpl.* Colaturæ ℞. ℔i. adde
Sal. gemmæ ʒi. ad ʒii.
Electuar. hieræ cum agar. ℥iß.
Mell. Mercurial. ℥ii.
M. F. *Clyster* pro duabus vicibus.

Clyster temperans & leniens in Diarrhœa à bile æruginosa:

℞. *Herb. hyoscyami* M. ii.
Rad. alth.
Malu. an. ℥ß.
Baccar. juniperi ℥i.
Incisa & contusa coqu. in s. q. *aquæ*
℞. *Colaturæ* ℥x. adde
Olei lilior. alb. ℥iii.
M. pro *Enemate* unâ vice applicando.

Pertinet huc Clyster, quem quidam Medicus habuit ceu secretum in contumacissima alvi obstructione, paratus ex *passular.* ℔i. quas coxit in jure vituli, quo Decocto postmodum usus fuit pro *Clysmate.*

Interdum etiam in intestinorum doloribus, in specie in dysenteria, loco liquoris accipitur Decoctum capitum ac pedum vervecis, quæ decoquunt per longum tempus, & decoctum infundunt pro sedandis doloribus & compescendis convulsionibus & contorsionibus; quales sunt in colica & dysenteria, sive fuerit colica vera, sive notha ex calculo seu nephritide, quæ longè acerbior est quàm vulgaris à flatibus & stercoribus oriunda.

Sæpè etiam additur Saccharum loco mellis, ubi opus est abstersione intestinorum: Ita pro hoc scopo in dysenteria valdoperè commendat sequentem Clysterem simplicem AMATUS LUSITANUS C. 2. *Obseru.* 144.

℞. *Decoct. hordei* ℔j.
Uitell. ouor. no. ij.
Sacchari Thomæ ℥ii.
M. pro *Clysmate abstergente.*

In apoplexia, epilepsia, catarrho, ut vocant, suffocatiuo, & similibus aliis, uti etiam in omnibus affectibus soporosis, ubi fortissimi requiruntur clysteres, qui fortiter stimulant & reuellunt, quidam plantas cephalicas coquunt pro clystere: sed hìc non specialem habent effectum, siue usurpetur Clysma ab omnibus cephalicis, siue quibusdam saltem. Interim non tàm cephalica eiusmodi, quàm stimulus attendatur: an scilicet plus vel minus operari debeat? Conuenit sal tartari, ubi mucus viscidior acidus est in colo intestino, & infert mala pathemata. Vulgò & omnibus ferè Clysmatibus mella atque olea in satis larga quantitate addunt, sed malè: Si enim in contumaciore alui obstructione acriùs agendum, & stimulanda alvus obstructa, exulent mella ejusmodi atque olea, nè acriorum additorum uis hebetetur.

Ubi verò opus est blandâ ac leni alvi subductione & euacuatione, tùm oleum commune aut oleum rutaceum & alius appropriata solent permisceri. Solum oleum colocynthidos Quercetani est, qui ratione colocynthidos stimulat; Unde etiam tale oleum colocynthidos Quercetani permiscetur in Clysteribus in lumbricis intestinorum, & in specie in ascaridibus. Dissolvitur etiam hoc oleum diacolocynthidos Quercetani in Clysteribus fortiter stimulantibus, quales reperiuntur in paroxysmo lethargico, in paroxysmo apoplectico & aliis, ubi fortiore stimulo opus est.

Clyster fortiter stimulans & purgans in apoplexia, aliisque affectibus soporosis, item *in passione hysterica* graviori, *catarrhis*, *pleuritide*, *alisque affectibus pectoris*:

℞. *Herb. origan.*
Rut.
Serpill. an. M. i.
Flor. cent. min.
Lil. convall.
Stœchad. Arab. an. p. i.
Rad. pyretbri (quæ fortissimè stimulare solet, & in talibus tantum affectibus adhibetur, modò plus modò minus, prout reliqua Ingredientia sunt vel fortia vel debilia) ʒii.
Pulp. colocynth. in pet. ligat.
(aliàs subtilissima ramenta horrenda tormina inferunt, & aliquandiu post se relinquunt, quod non putassem, nisi experientiâ confirmatus fuissem) ʒj.
Sem. carthami in petia ligati ℥ß.
Coqu. in s. q. *aquæ comm.* Colaturæ ℥viii. adde
Electuar. hier. picræ cum agar. ℥i.
Fell. tauri inspissati (fortiter enim solet stimulare, & rectè permiscetur clysteribus, ut fortiùs revellere possint: interdum fel solum sufficit) ʒi. ad ʒii.

Extract. castor. ℈ß.
Olei destillat. rutæ gtt. vj.
Vitelli ovi no. i.
M. F. *Clyster.*
Alius:
℞. *Herb. Nicotianæ,*
Salv.
Flor. chamom. an. M. j.
Rad. pyrethri ℥iii. ℥ß. ad ℥vi.
Pulp. colocynth. in pet. ligatæ ℥i.
Coqu. in f. q. *aquæ simpl.* Colaturæ ℥ix. adde
Salis gemm. ℥ß. ad ℈ii.
Castor. ℈i. ad ℥ß.
Elect. hier. picr. ℥ß. ad ℥i.
Mellis anthosati ℥ß ad ℥vi. vel *hujus & mellis rosat.* an. ℥ij. ad ℥iii.

De Electuariis purgantibus clysmatis additis dubitatur meritò: *an cujusdam usus sint?* Siquidem, antequam textura crudorum purgantium resolvatur ita, ut se commodè explicare & insinuare parietibus intestinorum queant, diu erit, dum interea applicatum jam clysma reijcitur. Ob id Moderni quidam etiam, ubi fortiùs stimulandum est, ipsa fortiora purgantia infundere, vel Decoctum croci metallorum in vino aut aqua benedicta officinali, vel infusionem vitri antimonii, vel mercurii vitæ ad ℥iii. aut Syrupum emeticum Salæ ad ℥iß. Decocto jam colato addere solent, præsertim, ubi præsentaneâ magis ope opus fuerit.

In contumacissima ergò *alvi obstructione & metu ilei*:
℞. *Decocti Mercurial,*
Parietar. an. ℥iv.
In hisce ebulliat *croci metallor.* ℥i. Colaturæ adde *Vitell. ovi* no. i.
M. pro *Clysmate*, debito modo injciendo.
Vel
℞. *Decocti emoll. usitati* ℥vi.
Croci metall. in vino vel aqua bened. ℥iii.
M. pro *Clysmate.*

Aliquando *Colica quædam* à *Rulando* fuit curata, aliis multis irritis, hoc clysmate:
℞. *Juris pisor.* ℥viii.
Sacchar. ℥ß.
Aquæ bened. ℥iiß.
Olei commun. ℥iv.
M. & injiciantur quavis horâ, quamdiu recrudescunt dolores: vid. in *Thes. pag.* 227.

Simili Clysmate à RULANDO cuidam puerperæ, per 24. dies alvum obstructam tenenti, & stercora iam per os evomenti, eadem aperta fuit.

Sed ubi talia fortiora præscribuntur, ibi necessum est, ut habeatur accurata ratio Ingredientium; fortissimè enim hæc stimulant, adeò ut vomitus interdum consecuti sint.

Quidam à Modernis paratis jam clysmatibus salia volatilia solent addere pro fortiore penetratione & celeriore alteratione; & hæc certò sunt efficacissima in passione v. g. hysterica, convulsionibus epilepticis, affectibus apoplecticis, doloribus abdominis, & torminibus infantum à lacte corrupto ortis, & imprimis epilepsiis infantum. Hinc fit

Clysma in Suffocatione hysterica:
℞. *Herb.* vel *flor. chamom.*
Matricar.
Rutæ an. M. ß. vel M. i.
Rad. levist. ℥i.
Bryon. ℥ß.
Bacc. lauri ℥ß. ad ℥vi.
(vel *bac. & baccar. Junip.* an. ℥ii. vel iii.)
Coqu. in f. q. *aquæ simpl.* Colat. ℥ix. adde
Elect. hier. cum agar. ℥ß. ad ℥vi. (aliàs præscribitur ad ℥i. considerentur ergo circumstantiæ)
Castor. ℥ß. ad ℥i.
Sal. volat. cornu Cervi vel *urinæ* ℈i.
Vitell. ovi no. j.
Misc. pro *Clysmate.*
& simplici vel duplici vice applicetur.

Notandum: frequenter admodum in Praxi occurrere, ut propter copiam flatuum in colo impossibile sit, pro una vice applicare. Partitis igitur vicibus agatur, & ubi una medietas applicata fuerit, post dimidiam horam altera pars residua pariter tepidè infundatur.

Pertinet huc singulare Inventum, quod habet BACO *de* VERULAMIO *in Hist. Vitæ & Mortis pag.* 126. qui clysteribus refrigerantibus in morbis calidis addit etiam camphoram ad aliquot grana pro refrigerio. Quod inventum est egregium in febribus malignis, ubi opus est, ut infundatur Clyster; cùm camphora per se sit excellens alexipharmacum. Aliàs in talibus Clysteribus, febribus malignis destinatis, dissolvitur Triphera Persica à ℥vi. ad ℥i.

Aliud *Clysma cum sale volatili pro infante unius anni epileptico*: (hujusmodi enim clysmata cum salibus volatilibus conveniunt epilepticis)
℞. *Flor. cham. Rom.* M. i.
Coqu. in f. q. *aquæ simpl.* Colat. ℥iii.
adde
Sal. volat. cornu Cervi gr. viii.
Olei destillat. anis. gtt. v.
Mell. rosat. ℥iii.
Misc. pro *Clysmate.*

Non opus est, ut hic adijciatur vitellum ovi: Tepidè applicetur infanti.

Loco aquei corporis interdum tantum simpliciter Lac sumitur, & talia Clysmata lactea sunt frequentissima, & pro scopo vel anodyno, ut in dysenteria, imprimis si sit lac extinctionis chalybis, seu in quo chalybs ignitus aliquoties fuit extinctus; vel pro scopo temperativo, ut in doloribus abdominis scorbuticis sopiendis, qui cum sint interdum mesenterii convulsiones & contorsiones, excitati ex succo pancreatico nimis acido atque austero, tunc usitatissimè sub introitum lecti tales clysteres inijciantur ad leniendum dolorem, & per integram noctem, si fieri potest, retineantur, ut dolores & affectus abdominis spasmodicos sistant: Item si percipiantur phlogoses, & incalescenriæ in abdomine scorbuticæ, in tali casu clysteres ex Lacte sunt convenientes, cùm Lac blandè abstergat, & phlogoses ex excessivo acido obortas compescat.

Lac autem vel simplex sumitur, chalybeatum, imò & medicatum: v. g. fit

Clysma emolliens in fæcibus alvi induratis:
℞. *Spec. Decoct. emoll.* M. iß. vel ii.
Aperit. maj. M. i.
Coqu. in f. q. *Lactis vaccini*: Colat. ℔i.
adde
Syrup. de cartham. ℥i.
Cichor. cum rhab.
Ungvent. Clysmat. an. ℥ß.
Nitri antimoniati ℥j.
M. F. *Clysma pro una vice.*

Clysma anodynum antidysentericum:
℞. *Flor. verbasc.* M. i. ad M. ii.
Sambuc. M. i.
Cap. papau. cum sem. no. iii.
Concisa & contusa coqu. in f. q. *Lactis bubuli chalybeati*:
Colaturæ ℔i. addatur
Sevi hircini vel *cervini in vitello ovi soluti* ℥ß. ad ℥vi.
M. pro *Clysmate.*

Loco capitum papaveris pro leniendo dolore commodè etiam Philonii Romani ℥i. ad ℥iß. ad summum ℥ii. vel Laudani opiati gr. ii. vel theriac. rec. ℥ii. addi possunt. Loco horum etiam Syrupus papaveris albi commodè etiam potest dissolvi ad ℥i. qui abstergit & dolorem lenit. Hic lac anodynum est, temperans acrimoniam rodentem dysenteriæ: sevum hircinum vel cervinum additur, quia observatum fuit, quod in dysentericis exulcerationibus intestinorum optimè conveniat sevum hircinum; nè autem denuò congrumescat & coaguletur, cum vitello ovi subigendum est. Quidam etiam opium in febribus malignis, cum pertinaci agrypnia conjunctis, item in febribus malignis, cum deliriis & similibus affectibus capitis complicatis, clysteribus addunt, imprimis in virium debilitatibus, in quibus non commodè potest propinari per os. Cauto tamen hic opus est, ne ex nimia dosi somnus inducatur perpetuus, quale exemplum refert GALLINARIA: scil. se novisse mulierem nobilem, quæ cum per plures noctes stetisset insomnis, suppositoriis tamen opiatis admotis somno perpetuo correpta fuerit. Quod hic valet de Suppositoriis, valet etiam de Clysteribus.

Aliud:
℞. *Herb. bistor.*
Pimpinell.
Fol. hyoscyam. an. M. i.
Sem. fœnugr.
Hyperic.
Papau. alb. an. ℥ß.
Incisa & contusa coqu. in f. q. *lactis bubuli*:
Colaturæ ℥ix.
adde
Terebinth. cum vitello ovi solut. ℥iii.
Ol. momord. ℥i.
M. pro *Clysmate.*

Clysma vulnerarium in dysenteria Intestinorum crassorum:
℞. *Herb. consolid. Saracen.*
Plantag. an. M. i.
Rad. bistort.
Consolid. mai. an. ℥ß.
Sem. perfoliat. ℥iii.
Coqu. f. q. *lactis chalybeati*: Colaturæ ℥viii. adde
Terebinth. Venet. cum vit. ovi dissolutæ ℥iii.

Olei

Olei lil. alb. ℥vi.
Misc. pro Enemate.

Clysma medicamentosum *anodynum in doloribus scorbuticis:*

℞. *Herb. hyoscyami* M. i.
Flor. sambuc. M. ij.
Coqv. in s. q. *lactis caprill.*
Colaturę ℥x. adde
Vitell. ovor. no. ii.
Misc. pro *Clysmate*.

Usitatior fuit hic Clysmatum præscribendorum modus: interdum verò solâ fluidorum miscelâ clyster conficitur citra ullos alios labores; v. g. solum lac sufficit pro corpore clysmatis, imprimis in scorbuticis, cum pauco addito saccharo vel cinere clavellato, aut pro ratione Electuarii lenitivi, vel de baccis lauri. Jam pro *Clysmate anodyno in scorbuticis*, præsertim *abdominis malis*, inservire potest e. g.

℞. *Lactis bubuli fervidi* ℥ix.
in quo dissolve
Electuar. lenitiv. ℥j.
De baccis lauri ℥ß.
Uitell. ovi no. j.
M. pro *Clysmate*.

Clyster ex lacte in scorbuto & affectibus quasi scorbuticis, in inflammatione intestinorum, item in inflammatione mesenterii:

℞. *Lactis caprilli* vel *vaccini* ℥viii. ad ℔i.
in quo dissolve
Mell. Mercurial.
Rutac. an. ℥iii.
Uitell ovi no. j.
M. pro *Clysmate*, injiciendo tepidè, S.
Clyster abluens & refrigerans.

Pertinent etiam huc *Clysteres terebinthinati* in Colica nephritica, & dolore nephritico, aliisque his cognatis morbis. Dissolvitur terebinthinæ ʒi. ad ʒii. aut etiam ad ʒiii. aut in Decocto appropriato, aut in lacte, aut in simili alio liquore: v. g. sit

Clyster anodyno-consolidativus in Dysenteria:

℞. *Lactis bubul.* ℥viii.
Terebinth. Cypr. vel *Venet. in uitello oui dissolut.* ʒii.
Elect. diascord. Frac. ʒiß.
Vitell. oui no. j.
M. F. *Clysma*, injiciendum tepidè.

Valdoperè expertum est Belgis hoc Clysma in talibus casibus in exulceratione intestinorum, item in tenesmo ex excoriatione ani. Commodè etiam oleum terebinthinæ, item balsamus sulphuris terebinthinatus, potest permisceri clysteribus, uti etiam ʒi. olei ceræ commodè potest dissolvi in clysteribus appropriatis in tali intestinorum exulceratione: oleum verò terebinthinæ à ℈i. ad ʒß. uti etiam Balsamus sulphuris terebinthinatus, potest addi.

Clyster temperans & anodynus polychrestus:

℞. *Lactis bubuli* vel *Decoct. flor. cham. cum lacte parat.* ℥ix. ad ℔i.
Terebinth. Venet. in uitello oui dissolut. ʒiii. ad ℥ß.
Mell. rosac. ℥ß. ad ʒvj.
M. pro *Clysmate*.

Hoc dysentericis, scorbuticis, nephriticis & hystericis, propter substantiam volatilem penetrantem, insigniter convenit. HORSTIUS certè Clysmata talia terebinthinata maximè commendat.

Sanè terebinthina addita plus in recessu habet; ex tali enim Clysmate paulò diutiùs retento urinam intensè violas spirasse, in puerpera olim notavi.

Pertinent huc etiam Clysteres anoydni & purgantes ex fumo tabaci, quando scilicet fumus per instrumentum certum loco clysmatis infunditur ano, sic ab acrimonia salina volatili acri stimulatur alvus, & secessus causantur. Valdè conveniunt in affectibus intestinorum, quoniam promptè & citò expurgant. Et talem clysterem unà cum instrumento singulari unusquisque sibi potest applicare, cujus instrumenti delineationem, & etiam modum fumum tabaci applicandi, describit BARTHOLINUS *in C. 6. Histor. Anatom.* 66. De fumo tabaci dico: nam, qui ex Decocto tabaci aliis additis parari posset, summè periculosus est, cùm usum ejus subitò, ac modò applicatus fuerit, præcordiorum anxietates, lipothymias, vomitus, sudores circa frontem frigidos, totius feralem quasi pallorem, aliaque similia symptomata insecuta fuisse noverim.

Aliquando, dicit MORELLUS, fiunt etiam Clysteres ex vino generoso aut Hippocratico. Cæterùm in hoc casu sit cautus Medicus: refert enim BORELLUS *in Observationibus*, quod aliquando ex vino aromatisato loco Clysteris injecto ebrietas fuerit secuta, non secus atque æger fuisset inebriatus. Pertinet huc, quod habet SALMUTH *Cent. 2. Observ. 97.* de quodam, cui propter dolorem ex lue Venerea præscriptus fuerit Clyster cum ʒi opii, ex quo clystere propter excessivam opii dosin coma secutum fuit; qui tamen curatus fuit ex comatoso affectu, injecto clystere ex vino Malvatico.

Denique & urina pueri loco corporis in clysmatibus pro affectibus hypochondriacis, hystericis, & hydropicis, tàm aquosis, quàm flatuosis adhibetur, & in specie in tympanitide; in qua & similibus grauioribus flatulentis affectibus tale Clysma ex urina pueri non potest satis commendarià VALERIOLA. Nunc quidem ipsa urina injicitur, calefacta cum dissolutis appropriatis; nunc verò in urina hac pueri coquuntur appropriata: sic v. g. in tympanitide VALERIOLA *l. 2. Observ. 2.* commendat insigniter Clysterem ex urina pueri; in quo parum fermenti coquitur, unà cum semine anisi, &c. & in quibus dissoluitur mellis despumati certa quantitas, & talis clyster est expertus in tympanitide & similibus flatulentiis.

Sit itaque *Clyster carminans in tympanitide*, ad imitationem *Valeriolæ*:

℞. *Rad. angel.* ℥i.
Sem. anisi,
Fœniculi an. ʒii.
Fermenti pistor. ℥ß.
Coqu. in s. q. *urinæ pueri:* Colaturæ ℥jx. adde
Mellis despumati ℥i.
Olei destillati carui ℈i.
M. pro *Clysmate*.

Sola etiam Olea dant corpus pro Clysteribus, aut integrum Clysma constituunt. In specie usurpatur oleum lini pro emolliendis fæcibus induratis, in laxanda alvo nimis contumaciter obstructa. Interdum recipitur etiam loco olei lini, simul olei lini & olei raparum ana; tali enim oleo ex semine rapi desperatam alvi obstructionem curatam fuisse observatum fuit. Hinc ad *pertinacem alvi obstructionem ex fæcum induratione*:

℞. *Olei sem. lini*,
Rapae. an. ℥iv vel v.
Diacolocynth. Quercetani ℥ß. ad ʒvi.
Misc. pro *Clysmate*, infundendo tepidè.

Item PRÆVOTIUS etiam quendam nobilem contumacissimæ alui denuò fluxilem fecit beneficio clysteris ex ℔i. *olei communis* confecti: & Rulandus curauit rusticum quendam, cuius alvus & abdomen ob scybala diutiùs retenta omnino dura & infarcta fuit, ita, ut cum dyspnœa, febre quotidiana & anorexia desperatus habitus fuerit, Clysmate cum ℥v. olei lini, infundendo hoc oleum nunc solum, nunc simul ʒj. trochiscorum alhandal.

Cum talibus oleis expressis interdum in flatulentiis possunt addi olea appropriata carminativa destillata, quæ potentiùs tunc possunt discutere flatus. Pertinent huc etiam *Clysmata uulneraria in dysenteria, abscessibus mesenterii* & similibus morbis, ubi opus est medicamentis vulnerariis, ubi loco corporis vel succus vel jusculum cancri sumitur: e. g.

℞. *Juris* seu *Decocti Cancr. fluuiatil.* ℥viii.
in quo potest dissolvi
Cassiæ pro clysteribus ℥iß.
Elect. lenitiu.
Olei chamom.
Nymph an. ℥ß.
Nitri antimoniati ʒß.
F. *Clysma*.

Vel alio modo, & efficaciore præscribitur ita:

℞. *Juris Cancr. fluuiatil.* ℥vi.
Succi Cancr. fluuiatil. contus. ℥iii.
Colaturæ adde
Electuar. lenitiv.
Syrupi de symphyto Fernelii (pro consolidatione: nam Syrupi commmodè etiam possunt dissolvi) an. ʒvi.
Nitri antimoniati ʒß.
M. pro *Clysmate*.

Nitrum antimoniatum solvitur commodissimè in Clysteribus, imprimis in iis, qui infunduntur in febribus, ubi opus est compescentiâ odoris febrilis; notum enim est, quod nitrum antimoniatum specificè conveniat in talibus morbis, sive ore assumatur, sive cum clysteribus infundatur.

Vel

℞. *Juris cancr. fluviat.* ℥iv.
Succ. Cancr. fluv. rec. expres. ℥iii.
In quibus calidè solv.
Syrup. de symphyto Fernelii ℥i.
Papav. albi ℥ß.
Potest addi vitell. ovi no. i. si placuerit.

Syrupum de Symphyto addo, quia in Decoctis habenda est ratio texturæ aut structuræ, aut naturæ ingredientium; unde, quia subjecta mucilaginosa non possunt decoqui, ne fiant crassa & glutinosa, ut v. g. radix althææ, symphyti maioris, sem. psyllii, Cydon. &c hinc meliùs Syrupus additur. Loco Syruporum etiam iuri & succo cancri addi possunt

Mellis rosac. ʒvi.
Vitell. ovor. no. ii.

Item

℞. *Decoct. cancror. fluviatil.* ℥viii.

adde

Terebinthinæ in vitello ovi dissolut. ʒiii.

Olei lil. alb. ʒvi.

Misc. pro Enemate.

PRæter Clysmata ano inijcienda, dantur etiam Clysmata seu Injectiones aliis in locis, peni, vesicæ, utero, ori, naribus & auribus, uti & vulneribus, ulceribus sinuosis, fistulis, &c. eodem modo usurpandæ, nunc in genere siphonis ope, nunc in specie in uterum per metrenchiten, in vesicam per catheterem, &c. in quibus omnibus nulla ab antecedentibus in præscribendo differentia, nisi in quantum partis affectæ, & affectus ipsius ratio, materiæ selectum, & quantum determinare, plùs minùs solet. Præscribuntur ut plurimum ex Decocto appropriato, additis convenientibus, dosi, quam usus & ratio partis requirit.

Quoad injectionem in penem, commodè hæ fiunt, ubi urget Gonorrhœa Gallica, & incipit fieri in pene propè prostatas ulcus, vel quando in Incipiente gonorrhœa excoriatur & exulceratur, ita, ut metus sit, ne in tali exulceratione exedatur, & in medio perforetur meatus urinarius, vel etiam ex tali ulcere excrescat caruncula. In talibus casibus fiunt injectiones in penem pro detergendo tali ulcere, tàm prostatarum, quàm meatus urinarii, uti etiam pro destruenda virulentia veneni Gallici.

Tales Injectiones fiunt ex plantis vulnerariis, decoctis cum aloe in aqua appropriata: in quibus Decoctis dissolvuntur nonnulla appropriata, v. g. mel, & quidem unâ vice ℥i. vel ℥ß. injecta sufficit: Vel fit Mistura ex succo plantaginis & aqua plantaginis, quibus additur aloe rosata, & dissolvitur aliquantulum Mercurii dulcis pro injectione in penem, etiam in prostatarum exulceratione, in virulentia Gallica: qualem Misturam habet SCULTETUS *in Obs. Chirurgicis Obs.* 79. Ubi periculum est exulcerationis, aut malignum est ulcus, ibi simul potest injici aliquantulum de Mercurio sublimato, qui est acrior & magis corrosivus, quàm Mercurius dulcis.

Quoad Formulas: sit v. g.

Injectio pro pene in Gonorrhœa benigna exulcerata:

℞. *Lact. muliebr.* vel *bubul.* ℥iv.

adde

Tutiæ præparatæ ʒii.

Aloes hepat. ℈i.

Sacch. candi ʒß.

Pulveres subtilissimè tritos subige cum *lacte*, injice cum Syringa pro una vice ℥ß. ad ʒvi. aliquandiu retineatur pene suppresso.

Vel

℞. *Herb. bujul.*

Portulacæ an. M.i.

Flor. hyperici,

Sambuci an. M.ß.

Coq. in s. q. *lactis caprilli*:

Colaturæ ℥v. adde

Mellis rosac. ʒv.

Misc. pro *Clysmate in penem*.

Sin verò in gonorrhœa maligna exulceratio penis & glandularum adsit, tùm ad imitationem Sculteti:

℞. *Decocti plantag.* ℥iv.

Aquæ aloet. ʒiii.

Mercurii dulc. ad extra ℈iß. ad ʒii.

Mell. rosac. ℥ß. ad ʒvi.

Misc. pro *Injectione*. S.

Mistura ad injectionem.

Loco Mercurii dulcis capi potest Mercurius sublimatus, sed in parva dosi: ubi tamen aqua destillata potiùs, quàm Decoctum plantaginis conveniret, quia aliàs se præcipitaret Mercurius sublimatus.

Vel

℞. *Aquæ calcis vivæ* ℥iii.

Aloes hepat. ʒß. (vel ejus loco *essentia aloes* ʒiii.)

Mellis Rosat. ʒiii. vel ℥ß. ad ʒvi.

M. D. S.

Ut ante.

Malum ubi pertinacius fuerit, cum vel sine aloe Mercurius dulcis simul addendus à ℈i. ad ʒß. imminuendo mel ad ʒiii. præterpropter.

Non raræ etiam sunt Injectiones in vesicam, in ejus excoriatione, vel colli exulceratione, factâ vel ab internis, ab acrimonia urinæ acida, ut in stranguria, &c. vel factâ ab externis, qualia sunt applicatio cantharidum: sive enim hæ applicentur, sive assumantur, non raro solent inducere, aliis partibus illæsis, excoriationem vesicæ. In talibus partim fiunt Injectiones in vesicam ex remediis, quæ partim dolorem leniunt, partim consolidant & detergent. Quæ dolorem leniunt, sunt imprimis lac vel propriè sic dictum, vel emulsiones ex papavere & similibus seminibus anodynis & dolorem lenientibus, item Decoctum hordei commistum cum lacte, aut cum Emulsionibus lacteis commodè potest injici. Ad consolidandum & detergendum inijciuntur Decocta ex vulnerariis, ex agrimonia, hedera terrestri, ex summitatibus hyperici; quæ decoquendæ sunt ab ℥viii. ad ℔i. dissolvitur talium ℥i. ad ℥iß. plus minus, prout sunt efficaces, vel minus efficaces.

Adduntur non rarò trochisci de alkekengi cum opio & sine opio: Cum opio inijciuntur in dolore excedente, ubi opus est nudâ attemperatione acrimoniæ humorum, & detersione exulcerationum & excoriationum.

Commodè etiam potest institui Injectio Emulsionis ex terebinthina; vel etiam Decoctum appropriatum cum aliquot guttis olei terebinthinæ destillati & optimè rectificati potest injici.

Et ubi suspicio est Inflammationis vesicæ concurrentis, etiam lacti, vel sero lactis, sacchari Saturni aliquantulum potest addi: item aqua ferrariorum, seu extinctionis chalybis, in qua radix Symphyti, myrrha, & aliquantulum aluminis, decocta fuerunt, commodissimè injicitur.

Ut res pateat, exemplo me declarabo: sit nempè *Injectio* talis *Abstersiva in exulceratione vesicæ*:

℞. *Folior. plantag.* M.j.

Rad. liquirit. ℥ii.

Cortic. fabar. ℥i.

Sem. cicer. rubr. part. ii.

F. *Decoctio in aqua simpl.* addendo parum lixivii, ne nimis fiat acris.

In *Decocti* ℔i. dissolv. *Terebinth. laric. cum melle in mortar. dissol.* ʒii.

& usurpetur pro *Injectione*.

Sin ulcus sit contumax, aut inveteratum, aut etiam sordidum, simul in hoc Decocto potest dissolvi aliquantulum de unguento Ægyptiaco, quod est acre, tantum sc. quantum ferre potest æger.

Alia *Injectio in vesicam* per penem *in exulceratione vesicæ*, *mictu cruento & purulento*, &c.

℞. *Herb. agrimon.*

Plantag. an. M.i.

Rad. liquirit. ras. ℥ß.

Coqu. in *aquæ ferrar.* s. q.

Colaturæ ℔ß. ad ℥viii. adde

Ess. aloes cum spir. vini extr. ℥ß. (vel *ess. myrrh. cum spir. vini tartaris.* ℥ii.)

Mell. rosat. ℥i.

M. pro *Injectione*, quæ fieri debet per syringam.

D. S.

Injectio salutifera.

Quod si minus pateat via, per catheterem est amplianda & aperienda.

Loco hujus autem convenit hîc etiam Lac, cui terebinthina cum vitello ovi soluta permista, cum pauco sacchari, pro leniendi sc. scopo & temperandi, dum istud magis intentioni purificandi inservit.

Post injectionem abstersivam sit hæc consolidativa in ulceribus vesicæ:

℞. *Ramul. equiseti*,

Summit. hyperici,

Fol. plantag. an. M.i.

Rad. bistortæ,

Consolidæ maj. an. ℥iß.

Cort. granator. ʒiii.

Coqu. in s. q. *aquæ ferrariorum*:

In Colatur. ℔i. dissolve

Trochisc. alb. Rhasis sine opio ℥ß.

Boli Armeni ʒi.

M. pro *Injectione consolidativa*.

Post Injectiones in vesicam sequuntur injectiones in uterum, quæ pro varietate scopi etiam vel maximè variant: sic v. g. in excoriationibus & exulcerationibus uteri, vel etiam ejus colli, tales Injectiones non sine fructu instituuntur; Imprimis quidem, ubi tales excoriationes fiunt ex acrimonia nimia humoris, in fluxu alvi per istam vaginam transeuntis, tunc fiunt Injectiones ex Vulnerariis detergentibus & consolidantibus, in lacte decoctis, ubi est simul inflammatio; item in decocto hordei, ubi scopus est blandè detergendi & demulcendi humorum acrimoniam: Imprimis autem in talibus Decoctis vel aquis appropriatis destillatis dissolvitur succus Mercurialis, qui est appropriatus pro purificando & detergendo utero, item Mel Mercurialis & Syrupus ex Mercuriali paratus: In exulcerationibus uteri Gallicis in vagina uteri conveniens est, ut cum Decocto appropriato plantaginis, Merculialis, Decocto ligni sassafras seu ligni sancti admisceatur simul unà cum melle Mercurialis aliquantulum Mercurii dulcis, ceu medicamentum appropriatum contra Exulcerationes Gallicas.

Tales Injectiones in uterum, unâ vice ad ℥iii. ad summum ℥iv. sufficiunt, in quibus appropriata dissolvuntur: Sic in inflammatione uteri, in inflammatione vaginæ uteri, quæ interdum solent fieri post partum, ex stagnantibus in iisdem locis lochiis, commodè injicitur Decoctum florum chamomillæ, Decoctum sempervivi, florum sambuci, &c. in aqua appropriata; in quo Decocto aliquantulum

lum sacchari Saturni dissolvitur pro dissolvendo sanguine congrumato, & discutienda inflammatione istius partis, datis simul internè menses & lochia promoventibus.

In prolapsu uteri, seu potiùs prolapsu sinus pudoris, commodè immittitur post repositionem Iniectio adstringens, parata ex radice bistortæ, tormentillæ, foliis plantaginis, floribus balaustiorum, corticibus Granatorum, semine sumach & myrtillis, in aqua ferrariorum sive extinctionis chalybis: quibus Decoctis interdum aliquantulum aluminis potest addi cum Syrupo de rosis siccis, & ita per vices iniiciantur.

Præscribuntur talia Decocta ad ℔i. vel ℔iß. cuius Decocti singulis vicibus calefacti ℥iii. vel ℥iv. iniiciuntur, nunc sæpiùs, nunc rariùs, prout necessitas urgebit.

Iniectio uterina in nimio mensium fluore:

℞. *Herb. plantag.* M.i.
Rad. bistort. ʒvi.
Gallar. contus. ℥ß.
Stercor. asinin. ℥ß. (vel *huius & suilli* an. ʒvi.)
Ebulliant in s. q. *aquæ simpl.* Colaturæ ℥viii. vel ix.
D. S.
Iniectio adstringens.

Iniiciantur ℥ii. vel ℥iii. ad ℥iv. prò una vice.

Alia:

℞. *Herb. polygon.*
Scrophular.
Tormentill. an. M. i.
Rasur. lign. quercini ℥iß.
Coqu. in s. q. *aquæ ferrar.* ad ℥vi. vel x.

Iniectio in uterum, tàm *hæmorrhagia nimia*, quàm *fluore albo* affectum:

℞. *Visci quercin.* ℥ii.
(in fluore albo *ligni sancti* ℥iii. illius loco capere amant)
Flor. balaust.
Rosar. rubr. an. M. ß.
Cortic. granator. ℥i.
Alum.
Thuris an. ℥ß.
Mastich. ʒi.
Infundantur in *aquæ comm.* ℔ii.

Macerentur per 24. horas, ebulliant lento igne ad medias, addendo sub finem

Vini rubr. auster. ℔i.
Colatura D. S.
Iniectio adstringens.

Iniectio in uterum in ejus dolore & inflammatione, quę à laborioso partu, item *doloribus & ulceribus uterinis cacoethicis*:

℞. *Herb. lactucæ*,
Nymphææ an. M.i.
Plantag.
Scordii an. M. ß. ad M. i.
Coqu. in s. q. *seri lactis*, vel *lactis ipsius*:
Colatura D. S.
Lac inspersivum.

Lac sumitur, ubi scopus est temperandi dolorem; serum verò, ubi dolorem compescere voluerimus. Immittatur per metrenchiten, iniiciantur unâ vice ℥ii. vel ℥iii. præterpropter.

Pro iniectione in uterum, vel vaginam eius exulceratam, aqua calcis vivæ, vel sola, vel in qua simul vulneraria ebullierint, convenit. Non omittendum neque reticendum hîc est singulare *Inventum* GLAUBERI, qui habet instrumentum quoddam ligneum, quod est canalis quidam oblongus, interiùs cavus, in anteriore parte cum foramine angusto, ita, ut possit in cavitatem uteri commodè immitti: huic canali applicatur corpus rotundum pomiforme, quod aperiri & claudi potest: tali instrumento in corpore rotundo intrudit spongiam plenam spiritu salis ammoniaci, vel in corpus rotundum indit misturam, ex sale quodam alcalico, v. g. excineribus clavellatis, cum sale ammoniaco, & ita applicat instrumentum ad uterum, ut beneficio salis volatilis, ex sale ammoniaco penetrantis in uterum, subtili suâ penetratione menses remoratos & subsidentes promoveat. Est inventum GLAUBERO proprium, & illi multi usus in affectibus mulierum. Inijci etiam possunt tales Spiritus volatiles ex cornu Cervi, urina, vel etiam salia huiusmodi; ut ex effervescentia orta subintrent uterum, & menses provocent.

GARGARISMATA.

Sequuntur nunc *Iniectiones*, *quæ in os infunduntur*, & si simpliciter detineantur in ore, vocantur Clysmata; sin verò non simpliciter detineantur, sed beneficio aeris ex aspera arteria exspirati agitentur & moveantur, & ita gargarisando usurpentur, tunc vocantur Gargarismata. Fiunt frequentiùs ex Decocto appropriato, ut v. g. in principio anginæ, & inflammatione tonsillarum, ex blandè adstringentibus; in progressu ex discutientibus; in statu vel suppuratione anginæ aut inflammationibus tonsillarum ex emollientibus & suppurantibus; in ulceribus oris & faucium, nec non ulceribus columellæ, ex detergentibus & consolidantibus, & similibus aliis. His pro re nata adhucalia adduntur: v. g. in Inflammatione faucium convenienter dissolvitur vel nitrum fixum, vel nitrum benè depuratum, ita quidem, ut in ℔i. decocti vel liquoris dissolvatur ʒß. ad ʒi. & rarò plùs: sæpiùs etiam dissolvitur rob nucum & rob diamoron, in ℥viii. vel ℔i. Liquoris horum Rob ℥i. ad ℥ii. Interdum etiam dissolvitur alumen ustum in talibus Gargarismis, sed in parva admodum dosi propter vim nimis adstrictoriam, ita, ut ad ℔i. vix ultra ℈i. assurgere liceat. In talibus Decoctis aut liquoribus pro Gargarismis in inflammatione faucium & ariditate linguæ convenientiùs dissolvitur sal ammoniacum, ita tamen, ut ad ℔i. liquoris iniiciendi vix ultra ʒi. ascenderè liceat. Non rarò etiam mel solet dissolvi in talibus liquoribus, imprimis in exulceratione faucium, ubi opus est detersione ulceris, ut in aphthis & similibus: Huius in ℔i. liquoris commodè ℥ii. ad iii. possunt dissolvi. Cum melle interdum aliquot guttæ spiritus salis sunt addendæ liquori, idque imprimis in ulceribus oris & faucium scorbuticis.

Usus eorum est in affectibus gingivarum, faucium, &c. idque pro scopo vel adstringendi, vel mundificandi. Utendi modus, sive eluendo, sive gargarisando, si cum siphone injiciendo fiat, notus est Eodem modo ut aliæ Iniectiones vel Decocta in genere, aut Clysmata in specie, præscribuntur etiam Gargarismata; ipso iudicio tamen Medici variari, & ad partem affectam specialem certo modo applicari poterunt: E. g. sit

Gargarisma adstringens in prolapsu uvulę:

℞. *Herb. uvular.* (hæc specifica est) M. ii.
Plantag. M. i.
Flor. balaust. pug. iii.
Cort. granatorum seu *Malicorii* ℥iß.
Coqu. in s. q. *aquæ comm.*
Colaturæ ℥vii.
adde
Alum ℈i.
Syrup. de rosis siccis ℥iß.
M. S.
Gargarisma in prolapsu uvulæ.

Gargarisma polychrestum in faucium & oris affectibus uariis, aphthis, uvulæ & tonsillarum inflammationibus, & *ferè gangrænosis*:

℞. *Herb. prunellæ*,
Saluiæ,
Veronicæ,
Flor. rosar. rubr. an. M. ß.
Malv. arbor. M. i.
Rad. polypodii querni ʒii. vel ʒiii. ad ℥ß.
Sem. sinapi contus. ʒi. ad ʒii.
Concisa & contusa coquantur in *aquę simpl.* ℔ii. vel ℔iiß.
Aceti vini ℔ß.

ad casum transversi pollicis, id est, tamdiu coquantur, donec ad profunditatem pollicis transversi consumptus sit liquor.

Colaturæ levi expressione
adde
Sacchari,
Mellis an. ℥iß.
(vel *horum loco*,
Rob dianuc. ℥iii.
Mor. ℥i.)
M. D. S.
Gargarisma.

Prodest in omnibus affectibus faucium, imò in ulceribus faucium & tonsillarum, ubi opus est consolidatione: Nam Decoctum veronicæ & salviæ est expertum remedium in affectibus faucium, si instar gargarismatis usurpetur.

Gargarisma resoluens & discutiens in principio anginæ, inflammatione faucium aut tonsillarum aliorumque tumorum:

℞. *Herb. hyssopi*,
Saluiæ an. M. i.
Flor. sambuc. M. ii.
Albi Græci ℥ß.
Coqu. in s. q. *aquæ* vel *cereuis. secundar.*
Colaturæ ℔i. vel ℔iß. adde
Spiritus theriacal. camphorat. ℥ß. ad ʒvi.
Sem. sinapi ℥ß.
Rob dia Mor. uel dia Nuc. ʒvi.
M. pro *Gargarismate.*

Hoc Gargarisma resolvit & blandissimè adstringit: Quod si minus adstringere voluerimus, loco Rob etiam *mel* addi potest, & loco sinapi *spiritus salis ammoniaci* in parva quantitate.

Aliud:

℞. *Herb. melilot.*
Flor. chamomillæ an. M. i.
Sambuci M. ii.

Albi

Albi Græci ℥vi.
Paſſul. min. ℥ß.
Sem. erucæ contuſæ ʒij.
Coqu. in ſ. q. *Cereuiſiæ ſecundariæ.*
Colaturæ ℔iß. adde
Sal. ammoniaci ʒiß.
M. pro *Gargariſmate.*
Item
℞. *Folior. malv.* Mi.
Flor. ſambuc. Miß.
Radic. leuiſt. ʒvi.
Apii ʒiii.
Paſſul. maj. inciſ. ℥iß.
Coqv. in ſ. q. *aquæ comm.* vel *Decoct. hordei* vaſe aperto:
Colaturæ ℔iß. adde
Sal. ammon. ʒß. ad. ʒi.
M. pro Gargariſmate,
S.
Gargariſma reſolvens.

Gargariſmus hic mutari etiam, & loco paſſularum maiorum *Colaturæ mellis mercurialis* ℥i. ad ℥iß. *ſpiritus uini theriacal.* ʒvi. ad ℥i. (aut ſi malignum aut contagioſum videatur malum, *ſpiritus uini campborati* ℥ß.) *ſpiritus ſalis ammoniaci* ʒß. ad ʒi. addi poſſunt.

Gargariſma ſuppurans inflammationem in angina, & tumore tonſillarum:

℞. *Herb. betonicæ,*
Malvæ,
Scabioſæ,
Succiſæ an. Mß.
Rad. althææ,
Lil. alb. an. ℥i.
Caricar. pingu. no. iv.
Paſſul. min.
Albi Græci an. ℥ß.
Coqv. in ſ. q. *Lactis* vel potiùs *ſeri lactis.*
Colaturæ ℔i. adde
Succ. cepar. rec. expreſſ. ℥i.
Rob dianucum ℥iß.
M. D. S.
Gargariſma.
Aliud:
℞. *Herb. malvæ,*
Melilot. an. Mi. ad Miß.
Rad. alth. ℥i.
Ficuum pingu no. vi.
Coqu. in ſ. q. *Lactis*, aut ubi ardor & inflammatio intenſior, in *ſero lactis.*
Colaturæ ℞. ℔iß. ad ℔ii.
Quæ vel nudè ita uſurpetur, vel addatur
Syrup. violar. aut *mell. deſpumat.* ℥iß. ad ℥ii.
M. pro Gargariſmate,

Quod & dolorem ſiſtit, & ſuppurationem promouet.

Si pituitoſior aut uiſcidior ſit materia ſuppuranda in tumore, vel ſi citiùs incidere & maturare volumus abſceſſum, ſaponis vel Veneti, vel communis, nonnihil ſimul incoquatur lacti.

Obſervetur hic: quod in angina & ſimilibus faucium inflammatoriis affectibus, Gargariſationes non ſemper ſint proficuæ, cum interdum periculoſæ, ne ſcilicet per harum motum faucium inflammatio ex ſtagnante ibidem ſanguine augeatur & intendatur. Conuenientius ergò eſt, ſi poſſumus continere tale Decoctum in ore corpore ſupino, & deinde exſpuere, & interdum beneficio ſyringæ, aut per aliud inſtitumentum, inſtituere talem Gargariſationem, non verò adeò frequenter: Videatur etiam MORELLUS *de Gargariſmatis*, item SCHROEDERUS, qui habet aliquot egregrias Præſcriptiones: Meretur, ut *legatur Caput de Gargariſmatis & Dia-Clyſmatis.*

Gargariſmus in loquela amiſſa poſt paroxyſmum apoplecticum:

℞. *Herb. puleg.*
Roriſmar.
Salu. an. M. i.
Rad. pyrethr. ℥ß. (quoniam eſt fortis & admodum acris, propterea in parua doſi præſcribitur)
Sem. naſturtii,
Sinapi an. ʒiß.
Coqu. in ſ. q. *aquæ comm*
Colaturæ ℥viii.
adde
Quint. Eſſ. Matthioli ʒiß.
Spiritus ceraſ. nigr.
Spiritus lil. conuall.
Flor. tiliæ an. ʒi.
Syrup. flor. tunic.
Mell. anthoſ. an. ℥ß.
M. D. S.
Gargariſma in loquela amiſſa.

Aliter *in Aphonia & laryngis affectu:*

℞. *Herb. maioran.*
Roriſm.
Salv. an. M. i.
Rad. pyrethri ʒiii. ad ℥ß.
Sem. eruc.
Sinap. an. ʒi. ad ʒiß.
Caryophyll ʒi.
Coqu. in ſ. q. *aquæ ſim*[illegible] in vaſe clauſo.
Colaturæ ℥x. ad ℔i. adde
Spirit. ceraſ. vel *baccar. junip.* ʒvi. ad ℥iß.
Spirit. ſal. ammon. ʒi. ad ʒiii.
Mell. anthoſat. ʒvi. ad ℥i.
M. D. S.
Miſtura ad os.
Item
℞. *Herb. Maioran.*
Roriſmar.
Salu. an. M. i.
Flor. lil. conuall.
Prim. veris an. p. iii.
Rad. pyretbr. ℥ß.
Sem. eruc. ʒiii.
Coqu. in ſ q. aquæ font. vaſe clauſo.
Colaturæ ℔i. adde
Aqu. Apoplect. cum caſtor.
Carbunc. an. ℥ß.
Spir. ſalis ammon. ʒiß. ad ʒii.
M. pro *Gargariſmate.*
Item
℞. *Herb. Lauendul.*
Roriſmar.
Salv. an. M. i.
Rad. caryophyllat.
Pyrethr.
Galang. an. ℥ß.
Inciſ. & contuſ. coqv. in ſ. q. aquæ in vaſe clauſo:
Colaturæ ℔iß. adde
Aquæ cinnam. ſpirituoſ.
Spirit. theriacal. ſimpl. an. ℥ß.
Campb. ℈ß.
M. S.
Gargariſma in ore detinendum.

Hinc apparet, quod pro varietate affectuũ etiam varia & appropriata ſint diſſoluenda; & ita in ſimilibus aliiſque affectibus talia ſint relinquenda judicio Medici, ut non ſit ſemper Johannes ex libro. Hæc Gargariſmata pro amiſſa loquela diu detinenda ſunt in ore, poſtmodum gargariſandum, ſi fieri poteſt, & exſpuendum.

Scorbutus oris aliàs frequens malum eſt, & cruentationes in ſpecie vel exulcerationes gingiuarum infert. Hoc in caſu ſolum lac ſufficere poteſt pro eluendo ore, ubi tamen & lac Medicatum paratur, decoquendo plantas antiſcorbuticas in lacte vel ſero lactis, & hoc Decoctum diutiùs in ore detinetur, vel eodem colluitur os: v. g. ſit

Gargariſmus contra ſcorbutum Oris:

℞. *Herb. cochlear.*
Salv. an. M. ii. vel iii.
Coqu. in ſ. q. *Lactis* vel *eius ſeri:*
Colaturæ ℔ii. adde
Succ. cochl. rec. ℥ii.
Syrup. aquileg. ℥iv.
M. pro *Diaclyſmate:*

Quod aſſumptum aliquandiu retineatur in ore, & ſic meliùs operationem ſuam exercere poteſt.

Si ſerum lactis ſumptum fuerit, Spiritus ſalis ℈i. vel ſ. q. addi poterit.

Similes effectus habet naſturtium, ſi coquatur in vino unà cum floribus liguſtri, addito vel etiam omiſſo tantillo aluminis; tale enim Decoctum dentes mirabiliter iuuare dicitur.

Alius:
℞. *Herb. ſalv.* M. iß.
Flor. malu. hortenſ. M. i.
Rad. polypod. ℥ß.
Coqv. in ℔i. aquæ font.
Colaturæ adde
Nitri depurati vel *antimoniati* ʒiß.
Alumin. uſti ʒi.
Mellis roſat. ℥iß.
M. D. S.
Gargariſma antiſcorbuticum.
Vel
℞. *Herb. perſicar.*
Pimpinell.
Prunell. an. M. ii.
Com. abſinth. M. i.
Rad. polypod. quercin. ℥ß.

Sem.

Sem finapi ℥ii.
Incifa & contufa macerentur in *aqua fimpl.* per noctem; manè ebulliant; Colaturæ ℔ifs. adde
Spirit. cochlear.
Nafturt. per ferment. an. ℥ifs.
Mell. defpum. ℥ii. M.

Huc & *Apophlegmatifmi* pertinent, qui non fecus ac Gargarifmata in forma liquida adhibentur: Sit v. g.
Gargarifmus Apophlegmatizans:
♃. *Fol. Nicotian.* M. i.
Herb. beton.
Maioran. an. M. fs.
Rad. pyretbr. ʒii.
Zedoar. ʒi.
Sem finap. ʒifs.
Coqv. in f. q. *aquæ & vini* in uafe claufo:
Colatura ℔fs. vel ℥ix. adde
Syrup. de Nicotian. ℥i. vel ℥ifs.
M. D. S.
Gargarifmus apopblegmatizans.

Dofis eft tantum, quantum os capit, & in affectibus capitis à lympha oriundis egregiè conuenit.
Vel
♃. *Herb. beton.*
Maioran.
Origan.
Ruta an. M. i.
Fol. Nicot.
Flor. lil. conuall.
Stœchad. Arab. an. p. ii.
Rad. pyretb.
Mafticb an. ʒfs.
Sem finapi ʒii.
Cardam.
Cubebar. an. ʒi.
Coqu. in f. q. aquæ in vitro claufo;
Colaturæ ℔i. adde
Mell. antbofati ℥fs.
Anacard. ʒii.
M. D. S.
Vt antè.

Gargarifmus adftringens in nimia faliuatione:
♃. *Herb bifiort.*
Tormentill. an. M. i.
Rad. fympbyti mai. ℥i.
Cortic. Granator. ℥fs.
Incif. & contuf macerentur per noctem; manè coq. in *aqua fimpl.*
Colat. ℥iv. adde
Syrup. flor. tunc. ℥iii.
M. S.
Gargarifma adftringens.

Non femper opus eft, ut pro Gargarifmate fumantur Decocta: interdum citra laboriofam præparationem liquores varii & fucci commifceantur, ut quando v. g. in fcorbuto oris detergendæ funt gingiuæ & dentes, & curandæ earundem exulcerationes, & firmandi dentes vacillantes, tunc recipiuntur aquæ antifcorbuticæ: In inflammatione faucium & tonfillarum, & in anginæ principio, recipitur aqua prunellæ, femperviui, plantaginis, & fimiles. Præter aquas interdum cum iis fumitur fuccus quidam, qui cum aquis diffoluitur, & ad os gargarifandum vel fimpliciter abluendum adhibetur: ut quando recipitur in inflammatione faucium, unà cum aqua prunellæ fuccus cancrorum fluuiatilium, & fuccus fedi maioris, ita quidem, ut ℔fs. aquæ, ℥iii vel ℥iv. fuccorum poffint affumi: Sic Decoctum raparum ficcarum in faucium inflammationibus, in incremento & ftatu optimum eft: Lac in afperitate faucium, earumque phlogofi, cum pauco faccharo vel nitro interdum abundè fufficit. Sanè in principio inflammationis faucium loco Gargarifmatis domeftici optimè conuenit Decoctum hordei vel auenaceum, in quo parum falis ammoniaci diffolutum eft; imò fola urina humana calida aut calefacta loco gargarifmatis adhibita, fubindè artificiofiffimè compofita fuperat. RIVERIUS & SCULTETUS expertum habent Gargarifma in inflammatione tonfillarum incipiente, quod fit ex *aqua plantaginis*, *facebaro*, *femine finapi contufo*, uti videri poteft in SCULTETI *Armamentar. Chirurg. Obf.* 32. & in RIVERIO *Cent* 4. *Obferv.* 76. ubi habet exemplum anginæ defperatæ: E. g. fit

Gargarifma flypticum feu adftingens in nimia faliuatione:
♃. *Aquæ prunell*
Semperviv. an. ℔fs.
Pblegm. vitriol.
Tinct. bellid. an. ʒfs. ad ʒi.
Alum crudi ʒfs ad ℈ii.
Syrup. myrtill. vel *rofar. rubr.* ʒfs. ℥i. ad ℥ii.
M. pro *Gargarifmate.*

Gargarifma in fqualore linguæ in febribus ardentibus & malignis:
♃. *Aquæ fempervív.* ℔fs.
Prunell. ℥iii.
Sal. ammon. depur. ℈ii.
Julapi rofat. ℥i.
Syr. de fucc. femperuiu. ℥ifs.
M. S.
Gargarifma.

Aliud:
♃. *Aquæ femperuiu. mai.* ℔fs.
Prunellæ,
Succi femperuiu. mai. an. ℥iv.
Pblegm. uitrioli ℥ii.
Nitri depur. ʒj.
M. pro *Gargarifmate.*

Huius aliquot cochlearia detineantur in ore, poft exfpuatur, & de nouo affumatur.
Diaclyfma in fcorbuto oris:
♃. *Aquæ cochlear.*
Nafturt.
Sedi maj. an. ℥iii.
Tinct. laccæ ℥i.
Flor. aquileg. ʒii.
Syrup. flor. aquileg. ʒiii.
M. S.
Diaclyfma in fcorbuto oris.

Gargarifma, aut potiùs *Diaclyfma* expertum *in putredine* aut etiam *gangræna incipiente gingiuarum fcorbutica, ad imitationem tinctura laccæ Mynficbti:*
♃. *Lapid. medicamentof. Crollii* ℥i.
Aquæ cochlear.
Sedi min. an. ℔i. ad ℔ifs.
Coqu. & Colentur: Colaturæ infundantur
Flor. aquileg. pug. iii.
Gumm. laccæ ℈ifs.
Alum. ufti ℈i.
Stent in Infufo per 24. horas: poftmodum filtrentur, D. S.
Aqua pro dentium affectibus.

Commendatur valdè, & fingularis eft effectus in affectibus dentium fcorbuticis.

PRæter dicta Decocta ori infundenda, quædam etiam naribus applicantur nempè Errhina in forma Decocti interdum ufurpanda: Sit v. g.
Decoctum Errbinum:
♃. *Flor. lil. conuall.*
Herb. maioran. an. M. fs. ad M. ii.
Nicotianæ M. fs.
Coqv. in f. q. *aquæ & vini* in vafe claufo:
Colaturæ ℥vi. adde
Vitrioli albi gr. xii. ad gr. xv. & ℈i.
M. D. S.
Abftrabens miftura ad nafum.

De hoc ex manu tantillum abftrahatur in nafum in Coryza & aliis affectibus.
Aliud *Mifturæ ptarmicæ exemplum:*
♃. *Aquæ maioranæ* ℥il.
Vitriol. albi ℈fs.
Diffolutum filtretur, S.
Vt ante.

De hoc aliquot guttæ ex caua manu infufflentur in nares; vis mirabilis eft in euacuandis naribus. Verùm non nimis copiosè attrahatur, aliàs Cephalalgiam aut Coryzam caufatur.

Pertinet huc Iniectio in nares in nimia earum hæmorrhagia: vid. M. A N. C. *Ann* 2. *Obferuat.* 223. *pag.* 323. In quem narium ufum de facili Decoctum Magiftrale præfcribi poffet, fimile decantato illi *liquori ftyptico de la Vigne Galli*: v. g.
♃. *Alum.*
Vitrioli an. ʒi.
Pblegm. vitrioli ℥i. ad ℥ifs.
Ebulliant ad diffolutionem contentorum: Liquor filtratus fpiritu uitrioli aliquot guttis adhuc aciduletur, S.
Aqua bæmorrbagiam narium inbibens.
Vel pro Miftura extemporanea:
♃. *Pblegm. vitrioli, fpiritu vitrioli nonnibil acidulati* ℥ifs. ad ℥ii.
Alum. crudi ʒfs.
Terra vitrioli dulc. gr. xv. ad ℈i.
M. S.
Vt antea.

Iniiciantur naribus.
Sed forfan fpiritus vini per fe rectificatus naribus paulò profundiùs iniectus omnibus his præftat: fiquidem ab illo quiuis fanguis fluidus, etiam calidus & adhuc recens, mirabili cum fpectaculo coagulari folet. Conf. etiam WILLISIUS *Pharmac. Rational. part.* 2. & *Act. Med. Haffnienf. Vol.* 2. *pag.* 353.

Pro

Pro auribus denique similes *Iniectiones* fiunt, nunc laboriosè ex Decoctis, nunc simpliciore modo concinnatæ.

Liquor, qui est iniiciendus in affectibus aurium, est varius: in genere succus vel simile appropriatum auribus instillatur, ut v. g. iniicitur succus absinthii, vel solus, vel permistus cum Syrupo absinthii, vel permistus cum melle rosaceo instillatur in ulceribus aurium: instillatur una & altera gutta, & denuò exterguntur aures. Vel assumitur loco liquoris non rarò aqua appropriata, v. g. in surditatibus aurium valdè commendatur aqua cardui benedicti & castorei, si aliquot guttæ instillentur; item si essentiæ castorei & essentiæ cardui benedicti una alterave guttula instilletur auribus. Quò pertinet Spiritus acuisticus Mynsichtii, vel spiritus acouisticus Mindereri, qui sunt instillandi ad aliquot guttas in aures. Non rarò loco liquoris assumitur sola urina pueri, vel phlegma spiritus urinæ elicitum per alembicum, cuius aliquot guttulæ instillatæ crebriùs, sunt egregii usus in ulceribus aliisque affectibus aurium pro absterfione & mundificatione. Item lactis communis ℥ii. miscent cum mellis ℥i. & instillant, vel cum instrumento iniiciunt in aures purulentas & sordidas in infantibus, in quibus sunt frequentes: imprimis post variolas solet sequi surditas infantum: Sic FORESTUS habet exemplum de puero, post variolas surdo facto, qui cum per tres annos sordida & fœtida per aures excreverat, curatus fuit cum succo ceparum & Rhodomelite instillato vel iniecto.

Sæpiùs adhibentur Decocta appropriata pro aurium affectibus, ut quando v. g. in vermibus aurium recipitur Decoctum absinthii, item Decoctum cardui benedicti, & in tali aliquo decocto dissolvitur Electuarium hieræ picræ, vel species hierę picræ, & hęc mixtura iniicitur vel instillatur in aurem; tunc facilè & promptè solent expelli vermes: Item, quando in tinnitu aurium, vel etiam in aurium surditate iniicitur Decoctum Rondeletii expertum, cui hæc est Compositio:

℞. *Rad. belleb. alb.* ℥iii.
Flor. lauri,
Rutæ an. M. ß.
Fraxini M. i.
F. *Decoctum* in *vino Malvatico* vel in *Vino albo*.

Vel fiat Decoctum in oleo amygdalarum amararum, quod Decoctum colatur, postmodum iniiciatur per aliquod instrumentum, per syringam, vel instillatur in aurem ad tollendam surditatem, & corrigendum tinnitum. Sic *Iniectionem contra vermes* ex Decocto videbitis in *Barbette Anatom. Pract. l. 2. c. 1. pag.* 110. In malo verò graviori

℞. *Radic. aristoloch. rotund.*
Cortic. Granat.
Gallar. an. ℥ß.
Coqu. in ana *uini* & *aquæ ferrariorum* ad ℔ß.
Colaturæ adde
Succi plantag.
Polygoni an. ℥i.
Mell. rosat. ℥ß.

M. & iniiciantur pro detersione & cicatrisatione: Sin potentius detersivum requiratur, vitrioli parum, v. g. ʒß. ad ʒiß. addi, & repetita colatura adhiberi poterit.

Quod si postmodum tale fuerit iniectum, semper auris munienda est apposito cotone vel bombace, æquè repleto vel aliquot granis ambræ, vel aliquot granis moschi: Est enim talis bombax, vel moschatus vel ambrarus, in quibuscunque aurium affectibus, si semper eodem aures muniantur, conveniens.

Quoad quantitatem talium iniiciendorum in aurem, cum parum, & saltem aliquot guttæ iniici queant, propterea ad ʒi. vel ℥ii. rarò præscribuntur, sed in ʒvi. vel ℥i. subsistitur, habito tamen respectu, an rariùs, an verò frequentiùs repetenda iniectio? quod relinquendum est iudicio Medici.

His ipsis in Decoctis & *aquis* infundendis interdum *dissolvitur* mel pro absterfione in ulceribus; interdum castoreum in gravitate auditus & tinnitus; interdum dissolvuntur essentiæ quædam acuisticæ ex asaro, helleboro nigro, colocynthide & similibus: quæ ipsa pro varietate effectuum sive efficaciæ, prout sunt vel fortiora vel minus fortia, in minori vel maiori dosi præscribuntur: Essentiæ ʒi. ad ʒii. commodè dissolvitur in ℥i. liquoris; item mellis: Sic in inflammatione aurium commodè instillatur vel iniicitur succus expressus sedi maioris, in quo dissolutum fuit tantillum nitri depurati: dico tantillum; quoniam impossibile est, omnia determinare, unde pro varietate circumstantiarum iudicium ferendum est à Medico. Sed hæc pertinent ad specialem Materiam Medicam de affectibus aurium.

Hæc fuerunt Decocta & alia Externa, cavitatibus corporis naturalibus iniicienda: sequuntur nunc

INIECTIONES IN CAVITATES PRÆTERNATURALES,

Quæ sunt *Sinus* & *Fistulæ*.

Quantitas liquoris iniiciendi pro ratione ulcerum & aliarum circumstantiarum potest esse nunc fusior, nunc parcior. Iniectiones hæ fiunt ex Decoctis Vulnerariis, in specie ex Decocto Nicotianæ, aristolochiæ rotundæ, hyperici, cum myrrha, aloe, & spiritu vini; talia enim Decocta mirificè depurant sinus & fistulas: iisdem commodè admiscetur aqua calcis vivæ, quæ est singularis & experta in talibus casibus. Decoctum hederæ terrestris cum Vulnerariis, in quibus dissolvitur mel rosatum, vel aliquantulum aluminis, singulare est in talibus casibus.

Iniectio est vel frequentior vel rarior, prout urget affectus, & hæc ex speciali Chirurgia discenda sunt: E. g. sit

Iniectio in ulcus & abscessum profundum, sinuosum:

℞. *Herb. Veronicæ*,
Fol. Nicotianæ an. M. i.
Coqu. in s. q. *aqua calc. viv. cum aqua plantag. facta*:
Colaturæ ℥x.
adde
Mercurii dulcis ʒi. ad ʒiß. vel ʒii.
Campbor. ʒß.
M. D. S.
Externa mundificatio,
vel
Externa iniectio,
vel
Aqua mixta consolidativa.

FOTUS.

Cæterùm hæc aut similia Decocta externa, aut eorundem saltem Ingredientia, simili modo præscripta, non rarò externè sub nomine *Fotuum*, Germ. *der Babungen*, applicantur, quia eisdem pars affecta suaviter afficitur, & blandè quasi fovetur & fomentatur. Alia saltem, quæ ad gratiam illis adduntur, in his omittantur. Et quidem tribus modis adhibentur:

1. Quando ex eorundem Decocto saltem evaporans halitus ac suffitus parte affectâ excipitur, dicitur *Fotus vaporosus*.
Vel
2. Quando ipsum Decoctum cum linteis multiplicatis, spongiâ (non cum vesica; nihil enim substantiæ medicamentosæ hanc penetrat) applicatur, & dicitur *Fotus humidus*.
Vel
3. Quando eadem Ingredientia sacculo lineo interpassato includuntur, uno vel pluribus, qui vel probè calefactus siccus, vel saltem Spiritu quodam penetrantiore irroratus, probè tamen calefactus, vel priùs in aqua, vino vel lacte, aut alio liquore conveniente coctus, adeoque humidus, calidè ita applicatur; & in genere *Fotus siccus*, item *Sacculus* appellatur.

Quoad Fotum vaporarium, quando instar vaporis applicatur Decoctum, hic fit ex Decocto appropriato, aut aliquo liquore, & hinc speciebus appropriatis affectui, ut reliqui Fotus & Decocta, & usitatissimè instituitur in uteri & ani affectibus: v. g. in dolore uteri, mensibus obstructis & similibus, in tenesmo, in dolore ani, hæmorrhoidibus cœcis, tumentibus & dolentibus, & similibus aliis. Decoctum calidum ponitur in sellam probè tectam, & æger vapori istius Decocti insidet, ut ano insidentis recipiatur vapor, qui exhalat. Sic in alvo duriore laudant suffitum ex rapis exficcatis.

Sit E. g. tale *Vaporarium in Tenesmo dysenterico*, qui affectus est horrendus:

℞. *Herb. plantag.*
Fol. quern.
Flor. verbasci an. M. i.
Sem. plantag. ʒiii.
Thuris ʒii.
Coqu. in s. q. *aquæ ferrariorum*, vel coqu. *in lacte*, aut excipiatur vapor per sellam perforatam,

Istæ species insuantur sacculo, qui adspergatur aceto, & applicetur ano post exceptum vaporem.

℞. *Herb. linar.*
Verbasc. an. M. i.
Flor. chamom.
Verbasc. an. M. ii.
Incisa dentur ad chartam, S.
Species ad fotum.

Coquantur in *lacte*, & æger in sella perforata decocto ferventi insideat, & fumum exsurgentem ita excipiat:

Vel

Incisa coqu. in s. q. *lactis chalybeati*:

Cola-

Colaturæ ℔iii. D. S.

Fotus externus.

Decoctum hoc calefactum cum linteis multiplicatis eidem immersis, & leniter expressis, frequenti repetitione parti affectæ applicatur;

Vel

Incisa includantur *sacculo interpassato laxiori*:

D. S.

Sacculus ad fotum.

Hic vel calefactus ita siccus applicatur, unde tamen in hoc casu parum alleviamenti sperandum; vel lacti incoctus, & leniter expressus, calidè admovetur, aliquoties hoc ipsum reiterando.

Fotus in forma suffitus *contra nimium hæmorrhoidum dolorem*:

♃. *Herb. linar.* (est appropriata in tali casu) M. ii.
Flor. verbasc. M. ii. (vel *borum* & *chamom.* an. M. i.)
Sambuc. M. ß.
Rad. scrophular. ℥vi.
Sem. fœnugraci,
Lini an. ℥ii. ad ℥i.

Incisa & contusa D. S.

Species ad fotum.

Coqu. in s. q. *aquæ* vel *simpl.* vel *ferrar.* aut in *lacte*, cuius vapor in sella perforata excipiatur ano, & æger denudatis posterioribus superſedeat.

Quod si frigefiat, immittatur aliquod corpus fervidum, v. g. *ferrum candefactum*, *lateres candentes*, frustula *silicum ignitorum*; postmodum species decoctionis sacculo inclusæ applicentur calidè loco dolenti, vel in sicca forma, vel immersi priùs in *lac decoctionis*, cui etiam linteamina immitti, & sub forma fotus humidi applicari possunt.

Ubi talia Vaporaria instituuntur pro usu mulierum, præcipitur semper, ut vapor excipiatur per infundibulum pro stimulandis mensibus: Commodè simul possunt addi Vegetabilia, v. g. sabina, matricaria, nepetha, pulegium, radix bryoniæ, levistici, & similes aliæ plantæ.

Observetur: ut excipiatur vapor per infundibulum in affectibus uterinis.

Alius *Fotus Vaporosus* tribus rationibus polychrestus, *ad promovendos menses*, *lochia*, & *fœtum mortuum*:

♃. *Herb. sabinæ* M. ii.
Matricar.
Puleg. an M. i.
Pom. colocynth. no. ii. vel ℥i. ad ℥iß.
Bacc. iunip. ℥i. ad ℥ii. (vel *barum* & *baccarum lauri* an. ℥vi. ad ℥i.)

Incidantur grosso modo.

D. S.

Species ad fotum.

Hæ ipsæ vel coquuntur in *aqua communi*, cuius vapor fervidus exhalans excipitur per infundibulum in sella undique clausa, idque aliquandiu continuando & crebriùs repetendo; Vel eædem species sacculo oblongo post coctionem inclusæ, & post fotum hunc vaporosum regioni abdominis hypogastricæ applicari possunt; vel siccæ irrorantur oleo destillato succini, ex iisque paratus sacculus probè calefactus imponitur; Vel Decocto exinde parato immerguntur lintea, & tepidè imponuntur.

Quoad *Fotum humidum*, in hoc considerandа:

1. *Liquor*, in quo fit Decoctio
2. *Res* seu *materia* in liquore decoquenda.

Liquor interdum est *simplex*, ut nihil in illo decoquatur; interdum aliquid decoquitur, estque primò *aqua calida*, quando quædam pars dolens, aut pars quædam quasi contracta & corrugata fovetur cum aqua calida, ut fiat denuò laxa & flaccida. Talis Fotus cum aqua simplici, cum linteis duplicatis, triplicatis aut quadruplicatis, vel cum spongia applicatus, usitatus est in affectibus abdominis flatulentis; cùm aqua calida soleat discutere flatus & fovere spiritum insitum.

Interdum cum aqua permiscetur *Vinum*, ubi opus est, ut pars corroboretur unà cum fotu; dum enim aqua blandè laxat, efficit partes duras molles, vinum seu partes vini subtiliores sese insinuant, & partes confortant.

In doloribus partium quibuscunque usitatissimum est, ut partes foveantur cum lacte, imprimis, si haberi potest, cum muliebri. In genere omne lac vim habet anodynam & dolorum sedativam: propterea tale lac calefactum usitatè cum linteis duplicatis aut triplicatis usurpatur, & sic partes dolentes foventur. Et lac vel solum est sufficiens in doloribus artuum, in quibus instar fomenti applicatum solet compescere dolorem.

In doloribus capitis scorbuticis *Fotus ex lacte caprino & muliebri* præscribitur, ut subinde singulis dimidiis horis admoveatur capiti; in talibus enim casibus non tantum cephalalgia & acrimonia seri scorbutici temperatur, sed prætereà à lacte muliebri suavis fotus inducitur. Et cum aliàs cephalalgiæ soleant intendi ab usu lactis, in talibus tamen scorbuticis compescitur dolor, & egregiè sistitur.

Ubi pars tensa est & indurata & quasi contracta, tunc usurpatur oleum pro fotu, sive simplex, sive permixtum cum aqua, & tunc vocatur *Hydraleon*.

Non raro pro fotu usurpatur *Lixivium*, ubi fortiter discutiendum & attenuandum est: Hoc enim cum constet ex salibus alcalibus fixis, ratione istorum salium facilè penetrat, & collectos humores reserat, reseratos dissipat, & fortiter discutit: Talia lixivia commodè usurpantur in tumoribus serosis & œdematosis discutiendis, in tumore scroti aquoso, item etiam hernia aquosa: Tale lixivium commodè applicatur abdomini in ascite, tympanitide, in qua potenter discutit flatus: In specie autem usurpantur lixivia pro fotu aut lotionibus capitis, de quibus postmodum: & fiunt talia lixivia communiter ex cineribus sarmentorum vitis, ex cineribus genistæ, ex cineribus stipitum fabarum, ex fimo columbino calcinato, & similibus aliis.

Attendenda autem est *quantitas liquorum & specierum*, quę pro ratione partis & usus admodum variat: & deinde considerandum tempus pro fotu, an crebrò, an rarò fomentatio instituenda? Sic in oculo non tanta requiritur quantitas liquoris pro fotu, quàm in ventriculo aut abdomine; item major requiritur quantitas pro fotu sæpiùs reiterando, quàm dum de die semel vel bis repetitur applicatio: E. g.

Liquoris pro fotu oculorum sufficiunt ℥ii. iii. iv. ad ℥v. vel vi.
Ventriculi ℔i. vel ℔iß.
Abdominis plus, usque ad ℔iii.

Quoniam in talibus partibus maioribus sæpiùs reiterandus est Fotus.

Cęterùm pręter hos liquores simplices usitatissimè accipitur liquor compositus, sive certum Decoctum, quando v. g in aqua, vino, aceto, lacte, lixiviis & similibus decoquuntur certa Vegetabilia composita.

In sacculis species sufficiunt, v. g.

Pro capite ℥ii vel iii.
Stomacho ℥iii. vel iv.
Abdomine plus.

Sit e. g. *Fotus in ventriculi affectibus*:

♃. *Herb. menthæ*,
Melissæ,
Puleg.
Com. absinth. an. M. i.
Flor. cham. Rom.
Rosar. an. p. iii.
Rad. calami aromat. ℥ß.
Angel.
Levist. (imprimis, ubi adsunt flatulentiæ) an. ℥ii.
Mastich. ℥iii.

Incisa & contusa D. S.

Species ad fotum.

Vel

Incisa & contusa coqu. in s. q. *Poscæ pro Fomento ventriculi*:

In tale Decoctum intinguntur vel spongia, vel linteum duplicatum, calidè applicatur regioni stomachali, & singulis dimidiis horis repetitur: Valdè conveniens est talis fotus in talibus stomachi morbis.

Posca vocatur Mixtura ex ana *aquæ* & *aceti*; & quidem usurpatur externè in nausea, vomitu, cholera, & similibus stomachi affectibus.

Commodè etiam in doloribus abdominis gravioribus, in specie dysentericis, tales species decoquuntur in lacte, & applicantur externè: E. g. fit

Fomentum in Dysenteria:

♃. *Herb. anserin.*
Centumnod.
Equiseti,
Fol. plantag.
Symph. mai. an. M. i.
Sem. plant.
Sanguisorbæ an. ℥iii.

Coqu. in s. q *lactis*:

Colatura D. S.

Fomentum contra dolores.

Vel, si non volumus ut coquantur in Pharmacopolio,

D. S.

Species ad fotum.

Et coquendæ sunt à domesticis ægri.

Fotus contra Tenesmum:

♃. *Herb. cicut.*
Portulac.
Fol. Hyosc. an. M. i.
Flor. verbasc. p. ii.
Chamom.
Malu. arbor. an. p. i.
Sem. fœnugr.
Lini,
Papav. alb. an. ℥vi.

Coqu.

Coqu in f. q. *lactis bubuli*.
Colaturæ ℔iß. applicatur ano cum linteis duplicatis, D. S.

Fotus lenitiuus.

Fotus in Colica:

℞. *Summit. anethi* (ita enim præscribitur anethum.)
Herb. rutæ,
Fol lauri, an. M.i. vel ii.
Flor. cent min.
Chamom. Rom.
Sambuci an. M.ß. vel M.i.
Rad. angelic.
Leuistic. an. ℥iß. ad ℥ii.
Baccar. juniper. ℥ii.
Lauri (pro discutiendis flatibus) ℥i.
Sem. anethi,
Carui,
Cumini an. ʒiii. vel 4. *calid. mai.* an. ʒii.
Concisa & contusa M. D. S.

Species ad fotum.

Tales species coquendæ sunt postmodum in *aqua simpl.* aut etiam addendum est ipsis aliquid vini, in fine præprimis Decoctionis, vel coq. in puro vino. In acrioribus doloribus additur tertia vel quarta pars olei decocto, postmodum in decoctionem factam intingenda sunt lintea duplicata & quadruplicata, & sic singulis horis quadrantibus, aut singulis dimidiis horis applicanda abdomini, & subitò applicatio reiteranda, desuper laterem calefactum imponendo.

Usus huius est in tympanitide, colica, doloribus post partum, mensium fluxu doloroso, &c.

Fotus in affectibus splenis:

℞. *Herb. ceterach.*
Scolopendr. an. M. i.
Flor. genist.
Tamarisc. an. p. ii.
Rad. filicis (quæ est basis) ℥ii.
Cort. fraxini,
Tamarisci, an. ℥ß. vel etiam ʒvi.
Coqu. in f. q. *aquæ commun.*
Colaturæ ℔i. adde
Aceti cappar. ℥iii. S.

Fotus externus ad splenem.

Applicatur vel cum spongia, vel cum linteis in se invicem convolutis.

Fomenta talia in affectibus hypochondriorum flatulentis sunt satis usitata, & tunc cum linteis oblongis applicantur utrique lateri sub hypochondriis, & præscribuntur ad ℔ii vel ℔iii. ut sufficiant pro conveniente tempore à Medico proposito.

Fomentum contra grumos lactis in mammis coagulati:

℞. *Herb. menthæ*,
Flor. chamom.
Lil. alb. an. M. i.
Rad. apii ℥ß
Semin. coriandri,
Cumini an. ʒii.
Incisa & contusa ebulliant in *posca* seu *oxycrato*, id est *mixtura ex aqua & aceto*.

Decocto immergantur lintea, & calidè repetitis vicibus mammæ admoveantur.

Fotus humidus in contusione aut liuore oculorum:

℞. *Summit. hyssopi floresc.* M. i.
Cyani M. ß.
Rad. symph. maj. ʒvi.
Sigill Salom. ʒiii.
Coqu in f. q. *vini*:
Colaturæ ℥iv. v. vel vi.
adde
Spirit. vini camphorat. ℥ß. ad ʒvi.
M. D. S.

Fotus externus in liuore oculorum.

Per linteum triplex intinctum calidè oculo admoveatur.

Basis sunt radix symphyti maioris & sigilli Salomonis: adiecti sunt flores pro scopo præcavendi inflammationes.

Fotus Chirurgicus circumligandus membro, v. g. *post fracturam*, *luxationem*, *distorsionem*, &c. antè & post repositionem:

℞. *Summit. hyperici floresc.* M. iß.
Herb. beton.
Chamom.
Rorismar. an. M. i.
Rad aristoloch. rotund ʒvi.
Symph. maj. ʒiii. ad ℥ß.
Sem. 4. calid. maj. an. ʒiß.
Coqu. in *aqua simpl.*
Colaturæ ℔iß.
adde
Vini infusi saluiæ seu *flor. hyper.* ℔ß.
M. D. S.

Fotus externus.

Applicatur cum linteis multiplicatis, circumvoluendo invicem.

Basin constituunt radices; & quidem ubi maior adfuerit contusio, ibi augmentanda est dosis radicis symphyti maioris; ubi verò levis, augeatur radix aristolochiæ rotundæ: stimulus sunt summitates hyperici. Notandum autem: in vino malè coqui, quia vini spirituositas est maximè volatilis & facilè exhalat; unde rectiùs additur infusio vini. Quod si dolores nimis urgeant, *capita papaveris* vel *Laudanum opiatum* inferi possunt.

Quin Mineralia etiam sæpè adduntur: v. g. fit

Fotus humidus contra erisypelata:

℞. *Flor. sambuc.* M. ii.
Lithargyr. ʒvi.
Myrrh.
Oliban. an. ʒii.
Pulverisata coquuntur in
Vini part. ii.
Aceti part. i.
Colaturæ
adde
Camph. ʒi.
M. D. S.

Cataplasma refrigerans & resoluens.

Calidè cum linteis applicetur, & si libuerit, optimè quoque huic Fotui *crocus* additur, qui lenit dolorem.

Imò ex Regno animali adduntur subindè: e. g. fit

Fotus pro scroto intestinis repleto in hernia:

℞. *Sterc. ouilli* q. v.
Coqu. in f. q. *lactis caprilli* vel *vaccini*:
Colatura cum *linteis* fomentatur scrotum aliquandiu tepidè: postquam verò sufficienter fomentatum, ipsa remanentia Decocti desuper instar Cataplasmatis applicari potest; ita partim anodynum, partim emolliens, partim & discutiens est.

Sicuti aliàs sacculus ex stercore asinino cum aceto subacto, pubi impositus, crebriùs reiteratus, in hæmorrhagia uteri nimia egregius est.

SACCULI.

Ad *sacculos* iam nobis est progrediendum, qui sunt nihil aliud, quàm Vegetabilia contusa & concisa, in sacculo lineo conclusa; qui vel ita sicci applicantur parti affectæ, vel priùs humectati aut decocti in liquore conveniente applicantur convenienter.

Materia, *ex qua* fiunt sacculi, sunt Vegetabilia quæcunque, quæ incisa & contusa præscribuntur; & quidem quantitas Vegetabilium pro quantitate sacculorum maiori vel minori variat: Deinde attendendum, an unus, vel duo præscribendi veniant sacculi? ut ita pro varietate sacculorum etiam quantitas plantarum præscribendarum sit determinanda. Materia hæc inditur in sacculum interpassatum sive interpastatum, seu qui hinc inde est intersutus, ne species in sacculo mobiles hinc inde possint relabi, sed sit æqualiter repletus sacculus.

Qui etiam sacculi variæ sunt figuræ, non tàm in quantitate, quàm in figura: Quidam sacculi sunt tàm quadrati, qui applicantur ano in tenesmo, quàm rotundi, qui applicantur abdomini in colica, dysenteria, & aliis intestinorum affectibus; quidam triangulati in stomachi affectibus, & sic pro aliis partibus applicandi.

Rectè monet MORELLUS, quod materia, si includenda, interdum sit torrenda; id quod imprimis locum habet in sacculis cephalicis confortantibus ex milio & sale communi; qui cùm efficaces sint per se, efficaciores tamen solent esse; si torreatur sal & milium, antequam includantur sacculo.

Altera cautela est, ut, si pulverisari debeant minutè Ingredientia, pulveres tales excipiantur bombace, vel inspergantur cotoni, uti habemus de cucuphis; & sic talis coton pulveribus repletus includitur sacculo, vel linteo obducitur, ut fiat sacculus confortans. Hic sacculus interpassatus & cōsutus, sive sit simplex, sive sit duplex, *applicatur* vel *siccus* vel *humidus*. *Siccus* applicatur fascia conveniente. Sacculi humidi priùs irrorantur vel irrigantur in liquore appropriato, aut in aqua calida, ubi opus est, ut emolliatur & discutiatur, vel cum aqua aceto mista, ubi opus est penetratione & adstrictione. Sacculi stomachales, antidysenterici, contrà tenesmū, &c. non rarò nudi à calore aquæ incalescunt, & sicci applicantur partibus affectis, uti fit in sacculo applicato capiti in cephalalgia.

Usus sacculorum est varius; pro varietate enim Ingredientium variat. In genere possunt præscribi pro usu calefaciendi partes, pro usu attenuandi, resoluendi, & dissipandi flatus, item ad robur particonciliandum, ad leniendos dolores, & similes alios usus. Sacculi, qui applicantur capiti, convenientes sunt in affectibus catarrhalibus, in doloribus capitis à causa frigida, imprimis in senibus, in inundatione cerebri à copiosa lympha, & inde orto torpore, & operationum animalium cessatione: Sic applicantur in pleuritide sacculi emollientes & discutientes, & quantum fieri potest sanguinem congru-

sanguinem congrumatum resolventes: In affectibus flatulentis hypochondriorum, item in colica & similibus morbis, convenientissimè applicantur sacculi: In dysenteria applicantur sacculi cum appropriatis adstringentibus coctis in aceto: item in tenesmo dysenterico fructuosè applicantur sacculi.

In genere varii sunt sacculi: sicuti simplicia, ex quibus fiunt, sunt varia.

Quantitatem sacculi præscribit magnitudo partis, sic quantitas sacculi quantitatem ingredientium: vid. MORELLUS.

Sit ergò præscribendus

Sacculus pro stomacho in nimio Vomitu:

℞. *Comar. absinth.*
Herb. menth.
Flor. rosar. rubr. an. M. ii.
Rad. acori veri,
Levist. an. ℥vi.
Cyperi rotundæ,
Galang. an. ℥ii.
Caryophyll.
Nuc. mosch.
Macis an. ℈ii. ad ℥ii.
Flaved. cort. citr. ℥ß.
Mastich. ℥ß. ad ℥vi.

Incisa & contusa includantur *sacculo interpassato* in forma oblonga vel triangulari, qui applicatur vel per se calidus, vel calefactus irroratur cum *vino Malvatico vel Rhenano*, & calidè imponitur stomacho, vel incoquitur *vino* vel *aquæ* vel *aceto*, & ita coctus fervidè applicatur stomacho, pro leniendis eiusmodi affectibus.

Sacculus contra nauseam & Vomitum:

℞. *Herb. menthæ,*
Serpilli an. M. ii.
Rad. angel. ℥i.
Piperis utriusque ℥ß.
Caryophyll. ℥ii.

Concisa & inclusa *sacculo interpassato quadrato*, D. S.

Sacculus contra nauseam.

Sacculus hic in vino probè calido maceratus, applicetur calidè regioni stomachali.

Alius *sacculus pro ventriculo:*

℞. *Herb. menthæ* M. ii.
Nuc. moschat. ℥ß.
Caryophyllat. ℥ii.
Cinnam.
Macis an. ℥i.

F. *pulvis*, qui excipiatur *cotone*, & includatur *sacculo interpassato rotundo*; irroretur largiter spiritu vini *theriacali*, vel *oleo destillato menthæ* ac *baccar. iunip.*

D. S.

Sacculus pro ventriculo.

Sacculi contra dysenteriam & Tenesmum: quos aliquoties felicissimè præscripsi, & quidem RULANDI sunt hi:

℞. *Folior. querc.*
Furfur. an. M. i.
Flor. chamom. vulg. vel *Rom.*
Verbasci an. M. ii.

Concisa includantur *sacculis duobus interpassandis*; quorum unus maior sit rotundus, alter verò minor quadratus oblongus sit. S.

Sacculi adstringentes.

Sacculi hi in aceto calido macerari applicantur umbilico & ano: rotundus quidem umbilico, oblongus verò podici: & tales sacculi in dysenteria mira faciunt, uti testari possum, ita, ut denuò incalescant in aquâ & aceto, & applicentur.

Sacculus in tenesmo:

℞. *Herb. linar.*
Verbasc.
Flor. cham.
Verbasc. an. M. i.

Includantur sacculo, S.

Sacculus dolores cohibens.

Coqu. in *lacte chalybeato*, & deinde fervidè ano applicetur.

Sacculus contra colicam:

℞. *Summit. anethi,*
Herb. calaminth.
Menthæ,
Fol. lauri,
Flor. chamom. Rom.
Sambuci an. M. ß.
Auena torrefacta,
Milii torref.
Sal comm. torref. an. M. i.
Cortic. aurant. ℥vi.
Bacc. iunip.
Laur. an. ℥iii.
Sem. anisi,
Cumini,
Carvi,
Fœniculi an. ℥ii.

F. l. a. *Sacculus interpassandus*, qui immergendus est in *aquam calidam*, & ita admovendus; vel adspergendus cum *vino Rhenano aut spiritu vini*, & ita applicandus abdomini.

In debilitate virium non rarò præscribendi sunt *sacculi adpulsus*, qui immersi in vinum generosum, vel in aquam cordialem, applicantur pulsibus, aut irrorentur aquâ carbunc. spir. lil. convallium, aceto liliorum convallium, Spiritu melissæ &c.

Tales in parva dosi solent præscribi, hoc modo;

℞. *Flor. borrag.*
Bugloss.
Calend. an. p. i.
Flaved. cort. citr. rec.
Specier. cordial. temp. an. ℥iß.
Ras. lign. rhodii ℈i.
Aloes ℈ß.

M. F. *Sacculi* no. ii. D. S.

Sacculi ad pulsus.

Qui applicantur vel immersi in aqua carbunculi, vel irrigantur iam dictis liquoribus, pro varietate affectuum.

Sacculus contra dolorem capitis contumacem aut hemicraniam à causa externa, in specie à frigore; item *in contusionibus* aliqualibus *capitis*, usitatus & commendatus:

℞. *Summ. anethi,*
Herb. verben.
Flor. chamomill. an. M. i.
Salis comm. decrep. ℥iv.
Milii parum cocti ℔ß.
Rad. rhodiæ ℥i.

M. F. *Sacculi rotundi interpassati* no. ii. D. S.

Sacculi contra dolorem capitis.

Probè calefacti applicantur capiti, & imprimis valdoperè conveniunt mulieribus in doloribus capitis fixis, qui dicuntur ex utero; item, qui oriuntur à causa frigida, sive dolor occiput, sive sinciput occupet, qui est grauativus, distendens & lancinans; in tali casu præscriptus sacculus non potest satis commendari à LINDANO *in suis Scriptis*.

Sacculus contra odontalgiam & tumorem malæ:

℞. *Flor. chamom.*
Sambuc.
Pulv. rad. ireos Florent. an. ℥ß.

Incisa aspergantur *oleo papav. express.*

Includantur *sacculo interpassato*, D. S.

Sacculus externus.

Qui calefactus probè, ita imponitur, & subinde recentatur.

Sacculi contra sanguinem in utero grumosum, ex Lochiorum suppressione:

℞. *Herb. sabinæ* M. ii.
Artemis.
Pulег.
Flor. cheiri,
Sambuc. an. M. i.
Chamom. Rom. M. ii.
Rad. valer. ℥vi.
Alcannæ,
Bacc. iuniper. rec. an. ℥ii.
Lauri ℥i.

Incisa & contusa includantur *sacculis duobus rotundis interpassatis*: D. S.

Sacculus discutiens.

Sacculi ebulliant in aqua & vino, & vicissim applicentur.

CUCUPHÆ.

Pertinent huc etiam *Cucuphæ*, quæ sunt sacculi Cephalici, in senibus præprimis usurpandi, qui facillimè à frigore læduntur. Mitris scilicet, quas capiti imponunt, aromatum species cum gummatis, resinis, similibusque inserunt: quibus interdum pro ditioribus additur moschus & Ambra: omnia vel grossè, vel minutim pulverisata, cotoni vel bombaci induntur & includuntur sacculo rotundo, intus paulisper concavo, ita, ut totam capitis peripheriam ambiat, vel mitra seu capitio, ut continuò in capite gestentur. Et tales cucuphæ multum in subiectis frigidis & senibus conveniunt; sicuti in senibus tantum præscribuntur iis, qui laborant vertigine, catarrhis, & iis qui laborant mentis & memoriæ hebetudine, & similibus affectibus senilibus, qui senes solent ingruere. Sed rarò usurpantur, & in desuetudinem ferè abierunt.

Si tamen ab ægro, catarrhis obnoxio, desiderentur, sequenti modo præscribendæ:

℞. *Fol. beton.*
Maioran.
Origan.

Fol. Rorismar.
Flor. anthos,
Lauend.
Rosar. moschat.
Stoech. Arab. an. p. ii.
Sandarac. (appropriatum contra catarrhos) ℥ß.
Succin. puluerif. ℥ii.
Mastich.
Thur. an. ℥i.
Benzoes,
Styrac. an. ℥ß.
Caryophyll.
Cinnam.
Nuc. mosch. an. ℈i.
Incisa & contusa, ac grosso modo puluerisata excipiantur *cotone*, & fiat cum *panno serico interpassato Cucupha*.
S.
Cucupha contra catarrhos.
Interdum nudè tantùm præscribuntur species à domesticis ægri præparandæ, ut ita usurpentur.
Vel
℞. *Herb. basil.*
Serpill.
Fol. maior.
Ror. mar. an. M. ß.
Flor. anthos,
Lauend. vel *prim. veris* an. p. ii.
Thuris ℥ii.
Benzoes,
Styr. calam. an. ℥i.
Caryoph.
Macis an. ℥ß.
Incisa & grossè contusa adspergantur
Ol. destillato major. gtt. vi.
Lign. Rhod. gtt. iii.
M. D. S.
Species ad cucupham.
Excipiuntur *cotone* seu *bombace*, & insuuntur mitræ pro affectibus senum.
Sit unum adhuc exemplum, præscribendum seni catarrhoso; ubi obseruetur:
1. Quod cucuphæ meliùs conueniant, si, abrasis capillis, capiti imponantur.
2. Quod ante usum cucupharum cortex irrorandus veniat aliquot guttis olei destillati succini.
Sit ergo Exemplum tale:
℞. *Flor. anthos*,
Lauend.
Lil. conuall.
Salu. an. p. iii.
Succin. puluerif. ℥ß.
Gummi juniper. ℥ii.
Mastich.
Thur.
Nuc. mosch. an. ℥i.
Benz.
Styrac.
Cubebar. an. ℈ii.
Incisa & puluerisata grosso modo, adspergantur
Ol. destillati maior.
Lign. Rhod. gtt. iii.
D. S.
Species ad Cucupham.
Ex his cum *serico* fiant *cucuphæ interpassatæ*.
Olea imprimis adduntur iis, qui capitis debilioris sunt, utut plures ferre non possint, & caput inde turbari sentiant. Cæterum obseruetur, quod cucuphæ exsiccent caput: Unde non solent præscribi iis, quibus caput est siccius, aut qui laborant agrypniâ, & quibus ob siccitatem cerebri memoria vacillat: saltim in affectibus capitis ex humiditate, in catarrhis, in memoriæ lapsu ex inertia Spirituum, ex abundantia lymphæ, in quibus sunt satis elegantes & efficaces cucuphæ.
Pertinent huc etiam

LOTIONES atque BALNEA.

Maior nempè Fotus dicitur *Balneum*, idque corporis partium respectu, vel *vniuersale*, vel *particulare*. *Illud* vel *simpliciter tale*, cùm totum corpus usque ad collum immergitur: *hoc secundùm quid*, respectu scilicet medietatis saltem corporis inferioris; & *Insessus* vel *semicupium* aliàs vocatur, quia ad umbilicum saltem & regionem hypochondriacam eidem insidere solet. *Particulare* est vel *pedum*, vel *capitis*, vel *manuum*, &c. quod propriè *lotio* appellatur. Nulla hìc, nisi in quantitate, ab aliis fotibus aut Decoctis præscribendi est differentia. Dicuntur hæc ipsa Balnea humida ad differentiam Balneorum siccorum, quæ propriè dicuntur *Vaporaria*, siue stuffæ, siue Sudaria.

Quoad *Balneum uniuersale*: notum est, quod Romani in usu frequenti habuerint Balnea aquæ dulcis, uti in his singularem illorum luxum describit GALENUS & etiam SENNERTUS *in Parte diætetica*. Nos impræsentiarum considerabimus Balneum ceu medicamentum quoddam, quo totum corpus lauatur ad usum Medicum destinatum. Hoc ipsum *Balneum* ratione liquoris est vel *simplex*, vel *compositum*: *Simplex*, quando in aqua simplici calida lavantur ægri: quando autem liquor è vegetabilibus decoquendis est impregnatus, est compositum.

Pro Balneo simplici adhibetur aqua simplex calida, quæ propter virtutem blandè laxandi, resoluendi, & etiam blandè emolliendi antè partum, in aluo contumaciter obstructa, & in metu volvuli seu miserere mei, ut blandè laxentur intestina, & in legitimum situm redeant; ut emolliantur fæces, & per inferiora debitum exitum inueniant: Instituuntur Balnea emollientia in herniis, tam intestinalibus, quàm umbilicalibus, in quibus scilicet intestina sunt prolapsa vel in scrotum, vel foras propendent in umbilicum; in talibus casibus intestina fiunt mollia & facilè flexibilia, ut iterum possint reponi in suum naturale ac debitum locum: Usurpantur etiam talia laxantia Balnea in doloribus nephriticis, quando scilicet calculus hæret in ureteribus, & nimios inducit dolores; magni enim sunt usus, quoniam leniunt dolorem, laxant fibras, & promovent motum & protrusionem calculi: In colicis doloribus contumacioribus, & sæpius recurrentibus, commodissimè instituuntur Balnea ex carminantibus & specificis intestina respicientibus: In dysenteria contumaci, cum tenesmo coniuncta, etiam fiunt Balnea ex adstringentibus & anodynis: Item tale Balneum aquæ dulcis sæpè instituitur in emaciatis, ut atrophia, tabe, &c. à quibuscunque causis oriatur; quando partes externæ & habitus corporis externus corrugatur, & quasi est in rugas concretus, aut cutis contorta & contracta videtur, ita, ut alimentum affluens pori recipere & retinere non valeant; in tali casu Balneum aquæ dulcis ratione humiditatis relaxat fibras, tumefacit partes subcutaneas, apertis ac reseratis poris, tandemque commodè præstant corporis habitum externum pro recipiendo ac retinendo alimento affluente; Unde, uti dixi, in atrophia, hectica & tabe, Balneum aquæ dulcis est usitatum. Hinc aquæ non rarò additur oleum in his locis, ubi olei est abundantia, cum notum sit, quod vis laxandi, emolliendi & anodyna sit copiosior in oleo, quàm in aqua, & talia dicuntur *Hydrelæa*. Frequens horum usus est in Italia & Hispania: Hispani enim utuntur Balneis ex oleo oliuarum in atrophijs, morbis neruorum convulsiuis, in contracturis partium & articulorum; item in doloribus nephriticis, & similibus aliis. In talibus casibus tale Balneum olei est valdè conueniens.

Loco olei potest commodissimè usurpari lac, cùm Balneum lactis dulcis sit maximè celebratum remedium iam à GALENI tempore in phthisi & hectica, imprimis ex eius sententia lac asininum, quod in Italia copiosè haberi potest, ubi asini in copia aluntur: Tale Balneum ex lacte in hectica pro tabe curanda & corrigenda remedium est egregium; & credo, quod in atrophia scorbutica tale Balneum ex lacte futurum sit egregium, cum lac aliàs sit appropriatum scorbuti alexipharmacum.

Cæterum *Balneum Compositum* fit ex Vegetabilibus simplicibus copiosè incoctis in aqua simplici vel alio liquore appropriato in tanta quantitate, ut sufficienter impraegnetur Balneum: in tali Decocto appropriato æger balneare solet in stupha toto corpore, & quando balneatur, fit sacculus ex speciebus coctis, qui applicatur parti præ cæteris affectæ, sicut dixi de semicupio: & etiam post egressum ex balneo potest fieri inunctio ex Unguento, appropriato parti affectæ.

Galli, qui curant morbum Gallicum, uti superiùs monui, per saliuationem mediante Mercurio, antequam hanc aggrediantur, solent instituere Balneum aquæ dulcis, repetendo singulis diebus bis, & continuando sæpiùs per octiduum, ut beneficio talis balnei habitus corporis fiat rarior, porosior, & spongiosior, quasi pro faciliore penetratione Mercurii, vel ut balneo talis aquæ dulcis massa sanguinea in lue venerea viscida attenuetur, fluxilis fiat, & etiam bilis, & simul materia pituitosa acida & viscida, partibus externis, imprimis ossibus adducta & ibidem gummata ac nodos inducens, attenuetur, liquefcat & mobilior fiat, quò postmodum sit facilior operatio Mercurii, & facilitetur saliuationis prouentus, cùm massa sanguinea sit attenuata & resoluta, humoresque facti fluxiles & mobiles; sicque suo cum fructu tale Balneum instituitur.

Cæterum Balnea composita, uti dixi, quæ fiunt ex decoctis, in quibus decoquuntur appropriata, instituuntur tàm pro affectibus externis, quàm pro internis. Pro affectibus externis utiliter præscribuntur in scabie contumaci, in lepra, pruritu corporis, in ulcusculis fœdis corporis, in cute squalida, & similibus aliis externis corporis habitum impraegnantibus affectibus.

Quoad proportionem ingredientium: recipiantur ad ℔iii. vel iv. radicum, aliquot manipuli florum & foliorum: videatur MOREL-

MORELLUS, qui proportionem Ingredientium satis sufficienter declaravit. Exempli gratiâ, si præscribendum

Balneum universale pro usu cutaneo ad delendam scabiem:

℞. *Herb. fumar.*
Parietar.
Saponar.
Scabios.
Fol. enulæ an. M. iii.
Nicot. (quæ est ferè basis) M. v.
Rad. bryon.
Enulæ,
Lapathi acuti (quæ est egregia) an. ℥vi.
Nitri depurati ℔iß.
Sulphuris crudi ℔i.
M. D. S.
Species ad Balneum.

Potest etiam addi *alumen* ad ℥iii vel iv, præprimis si scabies sit manans & humida, vel etiam ulcuscula cutis sint manantia.

In hoc ipso Balneo potest assumi M. i. Vegetabilium Ingredientium, & benè fricari cutis, ac partes cutaneæ: Hinc post egressum ex balneo, detersa bene cute, potest fieri inunctio cum unguento ex oleo Nicotianæ & oleo tartari cum balsamo sulphuris; præmissis universalibus internis, ac aliis appropriatis, vel similialia inunctione appropriata.

Aliter:

℞. *Herb. lapathi acuti* M. iv.
Scabios. vel *parietar.*
Fol. Nicotianæ vel *Herb. saponar.* an. M. ii.
Rad. lapathi acut. ℥iii. ad ℔ß.
Enulæ ℥ii.
Bryon. ℥i. ad ℥iii.
Sulphuris crudi pulverif. ℥ii. iii. iv. ad ℔ß.
Calc. viv. rec ℔ii.
Incisa & contusa D. ad chartam,
D S.
Ut antè.

Coqu. in s q *Aquæ dulcis*, & moderato igne fiat Balneum, quod & plus minùs acuari potest, addendo lixivium vulgare.

Sub usu autem priùs sudet æger, assumendo Essentiam lignorum, tincturam tartari antimoniatam, tincturam sulphuris, &c. Dehinc insideat Balneo moderatè calenti, vacuo ventriculo, sub egressu verò corpus probè fricetur, & à sordibus repurgetur, post illinatur linimento appropriato, minùs viscido, aut glutinoso.

Balneum in Ictero:

℞. *Herb. parietar.*
Saponar. an. M. iii.
Pulv. pisor.
Rad. bryon. an ℔ß.
Sigill Salom. ℥iv.
Incisa D. S.
Ut antè.

Balneo hujus decoctionis æger aliquoties insidere poterit, novam semper aquam recipiendo, & tunc pisorum pulvis nodulo laxiori inclusus esse debet.

Conveniunt Balnea etiam in doloribus nephriticis & affectibus mulierum: In nephritide, ubi est dolor diuturnus, ac per consensum nervorum, cùm non solum abdomen, ventriculus & diaphragma, uti & mesenterium spasmo afficiantur, sed præstereà talis contractio interdum prorumpere soleat ad membra externa, ad manus & pedes, ut patiantur convulsiones, de qua nuperrimè audivi: In talibus casibus pro resolvendis & leniendis membris spasmo affectis & contractis commodè instituitur Balneum:

℞. *Herb. brancæ ursin.*
Hederæ terrestr.
Parietar.
Virg. aureæ,
Fol. malvæ,
Flor. cham. an. M. j.
Alth.
Malvæ an. M. iß.
Rad. althææ,
Lilior.
Onon an. ℥ii.
Sem. fœnugr.
Lini an. ℥ii. ad ℥i.
Incisa & contusa. S.
Dolores inhibentes species ad balneum.

Quę conveniunt ad affectus uterinos, facilè fieri possunt simili modo ex simplicibus Ingredientibus uterinis, uti *infrà patebit ex Formula semicupii.*

Pertinent huc etiam

THERMÆ ARTIFICIALES.

Dum ars operosa medentum etiam naturam imitari docet in præparandis Thermis, quæ fiunt ex Ingredientibus primariis, calce viva & sulphure. Dixi namque *in Collegio Pharmaceutico de Thermis naturalibus, ubi de aquis medicatis*, quod fiant per effervescentiam internam, quando marcasita quædam metallica, naturæ quasi lixivialis plùs minùs sulphureæ, cū acido sulphuris embryonato efferuescit instar calcis uiuæ, & isto modo fiunt aquæ calidæ ab efferuescentia, & medicatæ ab admisto sulphure, & salibus istâ effervescentiâ solutis. Simili ratione artificiales præparantur Thermæ, quando nempè in aquam simplicem iniicitur s. q. calcis uiuæ unà cum sulphure puluerisato, & efferuescit tunc temporis calx uiua, ex quibus insigniter incalescit aqua, agente nempè acido in adjunctum corpus terreo-alcalinum, & ita Thermas medicatas constituit: quales commodè possunt substitui in locum Thermarum naturalium, si pro balneo per dies subinde reiterentur, idque non tantùm in affectibus cutaneis suprà nominatis, utpotè in quibus calcis viuę uis est singularis, uti etiam sulphuris magna uis est in cutaneis affectibus; præstereà quoque conuenienter tales thermæ artificiales possunt institui in doloribus partium chronicis. Subinde namque dolentes ingrediuntur partes, & cum in talibus partium chronicis doloribus, artuum imprimis ostocopis, Thermæ naturales sint in magno usu, aut etiam luta Thermarum naturalium, conuenientissimè doloribus partium, siue scobuticis, siue aliis, instituuntur Thermæ tales, ex calce uiua & sulphure præparatæ. Quod si in ebullitionis actu addantur Vegetabilia appropriata, v. g. saponaria & similia, quæ uim habent absterfiuam, erunt efficaciores & meliores. Res est facilis, & Praxis nuperrimè inuenta: Vid. ZWELFFERUS *in Mantissa Hermet.*, ni fallor, *ad Pharmaciam Regiam annexa, Edit. ultimæ.*

Sequitur jam

INSESSUS & SEMICUPIUM.

Insessus & Semicupium est semi-balneum. In Balneo totum corpus intingitur, & in Semicupio dimidium corpus, à pedibus usque ad umbilicum præterpropter; Unde rectè dicit MORELLUS, quod Semicupium sit medium inter Balneum & Fotum. Nam quando non opus est, ut totum corpus intingatur, Fotus autem non sufficit, tunc pręscribuntur semicupia, ut iisdem insideamus usque ad umbilicum & regionem stomachi.

Instituuntur Insessus ex Decoctis uariis, uario scopo destinatis, imprimis quidem ad affectus abdominis, in specie ad affectus nephriticos, ad affectus colicos, & ad affectus hystericos.

Usus est, ut beneficio plantarum decoctarum in ista aqua, cui insidet patiens, partes vel blandè laxentur, unde incoquanrur Attenuantia & Emollientia. Usurpantur per aliquot dies vel septimanas ante partum, ut laxentur partes uteri pro facilitando partu. Conveniunt in quàm plurimis, imprimis iis in affectibus, de quibus, *ubi de Balneo universali*, locutus sum.

Modus præscribendi est tantum, ut simplicia præscribantur in sufficiente quantitate, quæ decoquenda post modum veniunt in aquæ simplicis s. q. & in isto Decocto ponatur ęger usque ad umbilicum, vel regionem stomachi. In tali Semicupio, quando insidet ęger, non rarò recipiuntur species decoctę, & vel nudè applicantur parti affectę, v. g. vulvę, quando ante partum instituuntur; vel inclusę sacculo parti affectę admoventur, ut in dolore abdominis.

Sit ergo exemplum instituendi talis *Semicupii in doloribus nephriticis & calculo renum*, in quo & dolor sistendus, vię laxandę, & calculus blandè promovendus est:

℞. *Herb. heder. terrestr.*
Mercurial. an. M. ii.
Fragar.
Parietar.
Saxifrag.
Fol. malv. an. M. i.
Flor. cham.
Melilot. an. M. ß.
Rad. lil alb. ℥ii.
Ononid ℥i.
Bacc. juniper. M. ii. vel ℥ii.
Incisa & contus.
D. S.
Species ad balneum.

Coquantur in *aqua*, cui tepidæ insideat æger: vel etiam species possunt applicari regioni renum; vel insui sacculo oblongo, & applicari dorso ac regioni renum.

Vel

℞. *Herb. alth.*
Maluę,
Parietar. an. M. iii.
Flor. cham. M. iv.

Baccar. junip. ℔ i ß.
Sem. Fœnugr. ℥ iij. ad jv.
Incisa & contusa S.

Herbæ ad balneum lumborum.

Item:

℞. *Herb. heder. terrestr.*
Petrosel.
Fol. hyosc. an. M. iij.
Flor. acac.
Cynosb.
Tanaceti an. M. ß.
Rad. enulæ ℥ ij.
Cort. ligni fraxini ℥ ij ß.
Bacc. juniper. ℥ v.

Incisa & contusa coqu. in s. q. *aquæ dulcis*, moderatoque igne fiat *Insessus*.

Insessus talis semicupii semel interdum instituitur singulis diebus bis, manè, & vesperi ante cœnam, & continuatur interdum ad biduum, interdum ad triduum. Mora in illo est ab hora una ad horas duas, hinc detergatur corpus bene: post detersionem solet inungi oleo appropriato, vel cum unguento de althæa, & oleo scorpionum; ponatur hinc in lectum æger, ut quiescat.

In mensibus movendis solent usurpari talia *Semicupia* ex plantis uterinis & menses provocantibus: e. g. sit

Semicupium in suppressione mensium:

℞. *Herb. sabinæ* M. jv.
Artemis.
Puleg. an. M. iii.
Bacc. junip.
Lauri an. ℥ iii.

Incisa & contusa,

D. S.

Species ad balneum medicatum.

Coqu. in *aqua simpl.* Decocto ad regionem umbilicalem insideat ægra, & sacculus speciebus dictis repletus applicetur regioni hypogastricæ.

Aliter:

℞. *Herb. sabinæ* M. jv.
Matricar.
Puleg. an. M. ij.
Flor. cheiri M. j.
Baccar. junip. rec. ℥ iv.
Lauri ℥ ij.

Grosso modo incidantur & contundantur

S.

Species ad fotum.

Decocto insideat ægra; post insessum inungantur partes circa lumbos, inguina & regionem hypogastricam unguento appropriato.

Quin & ante partum fiunt ejusmodi *Semicupia ex Laxantibus & Emollientibus*: e. g.

Insessus vel Semicupium pro gravidis, ad facilitandum partum:

℞. *Herb. altheæ*,
Malvæ,
Melissæ,
Flor. cham. an. M. iii.
Malvæ,
Melilot. an. M. i.
Rad. alth. ℥ iv.
Sem. Fœnugr.
Lini an. ℥ iii.

Incisa & contusa D. ad chartam:

S.

Species ad Balneum.

Decocto harum gravida insideat, quamdiu cum euphoria fieri potest; idque ferè alternis diebus imminente partu: deterso madore se in lectum componat, illinendo postmodum lumbos, regiones umbilici & lumborum, linimento ex mucilagine seminis lini, fœnu Græci, unguento dialthææ, oleo amygdalarum dulcium, cheirino, liliorum alborum, &c. Hæ ipsæ species modò additione baccarum juniperi magis quasi appropriatæ reddantur. Pro semicupio in quibusvis doloribus nephriticis commodè eodem modo adhiberi possunt, ungendo postmodum partes dolentes unguento de althæa, oleo scorpionum, oleo destillato terebinth. &c.

Post partum fiunt *Semicupia* ex adstringentibus. Huc & Balnea ex formicis parata pertinent, quando integer formicarum acervus sacculo inclusus in aqua coquitur, eique æger insidet. Usus est in sterilitate muliebri, in doloribus artuum scorbuticis, in affectibus arthriticis: sunt etiam egregia in paralyticis præprimis, ac tremoribus.

Semicupia pariter ex Vinaceis parantur, vel per se ex fermentationis motu, vel inspersâ calce vivâ sensibilius incalescentibus, in dolore colico, Ischiadico, doloribus crurum scorbuticis, præsertim nocturnis, item in doloribus arthriticis pedum, doloribus artuum spasmodicis, aliisque contumacioribus, & inde paralytica dependente dispositione; singulare enim quid latet in aciditate volatili vinaceorum ad tales dolores compescendos.

Quoad

BALNEA PARTICULARIA *seu* LOTIONES,

QVando scilicet lavatur caput, aut etiam, quando lavantur pedes, ut fit in Pediluviis, nullatènus ab aliis præscribendi modis differunt.

Lotiones capitis fiunt similiter ex Decocto, quando coquuntur v. g. appropriata pro scopo in aqua simplici, vel, quod usitatius, in Lixivio, quo postmodum lavatur caput, & quando sufficienter fuit lotum, tunc detergendum est benè linteis calefactis, debito suffitu suffitis.

Lotiones tales capitis instituuntur tempore matutino, & destinatæ sunt pro affectibus capitis, tam internis quàm externis. Internis pro roboranda memoria: Quò pertinet *Lotio capitis Laurembergii*, quam habuimus *in Collegio Pharmaceutico*, *ubi de Aqua magnanimitatis*: & talia lixivia vocantur *Lixivia sapientiæ*, uti videri potest in MYNSICHTIO, qui habet aliquot talia Lixivia in comatosis affectibus, præmissis universalibus. Instituuntur tales Lotiones capitis deinde ad externos capitis affectus; ad tineas capitis, ad furfures capitis, item ad gravedinem capitis ex poris obstructis, ad sordes capitis detergendas, & similes alias.

Et quidem talibus lixiviis additur interdum Senna aut agaricus albus, aut Helleborus niger, ubi simul quasi purgandum est caput: sicut pro usu externo similiter decoquitur sulphur pro purificando & detergendo capite: item in pediculis capitis convenienter fiunt Decocta seu Lixivia ex appropriatis: v. g. sit

Lixivium pro lotione capitis confortativâ:

℞. *Herb. beton.*
Major.
Meliss.
Origan.
Rorismar.
Serpill.
Fol. lauri an. M. i.
Flor. anthos,
Beton.
Lavend.
Lil. convall.
Flor. prim. veris,
Rosar.
Stœchad. Arab. an. p. ii.
Rad. Ireos Florent. (propter gratum odorem) ℥ i.
Sem. nigellæ (quod est appropriatum in catarrhis) ℥ ß.

Affundatur s. q. *Lixivii*, coquantur, aut cum colatura lavetur caput, quod postmodum exsiccandum linteis, succino, thure & mastiche suffitis.

Huic Decocto possumus etiam addere folia sennæ sine stipitibus, vel helleborum nigrum, & agaricum album, quando volumus purgare caput quasi per nares.

Alia *Lotio Capitis pro tinea Capitis*:

℞. *Com. absinth.*
Fol. Nicot. an. M. ii.
Summ. cent. min.
Hyperic. an. M. i.
Flor. beton.
Saponar. an. p. iii.
Rad. helleb. nigr. ℥ ß.
Sulphur. viu sive *comm.* ℥ ß. ad ℥ vi.

Coqu. in s. q. *Lixivii* pro *lotione capitis*.

Ubi est fortius faciendum in tinea capitis, convenienter additur aliquid nitri; item aliquid calcis vivæ, quæ solvit sulphur, & detergit, & si quæ est malignitas, illam corrigit.

Lotio pro capite seu *Lixivium contra furfures, & tineam capitis, ac crinones*:

℞. *Summit. absinth.*
Comar. cent. min. an. M. i.
Pulp. colocynth. ℨ ii. vel iii. ad ℥ ß.

Incisa

S.

Species ad lixivium.

Hæ coqu. vel in lixivio vulgari, vel in vino, in quo cineres clavellati ad sufficientem acrimoniam dissoluti fuerint, & in cerevisia secundaria: Decocto isto abluitur caput.

Lotio capitis in casu capillorum:

℞. *Herb. abrotan. maris*,
Capill. Veneris an. M. i.
Flor. lavend.
Rorismar. an. p. iii.
Rad. lapathi mai.

Rad.

Rad. Peucedani an. ℥j.
Urticæ mai.
Sem. fœnugr. an. ℥ß.
Ladani electi ℥iii.

Affund. s. q. *Lixivii*: stent in digestione per aliquot dies, ebulliant leniter, & exprimantur.

Hoc ipso caput abluatur & linteis tepidis detergatur: illinatur postmodum unguento Bucretii experto &c. Dum verò horum beneficio denuò crescunt pili, loco Lixivii in vino vel diluriore, vel modicè adstringente, species pro lotione capitis coquendæ.

Facit huc Decoctum herbæ & radicis malvæ cum pisis in urina humana, quod pro lotione capitis infantum in tinea, etiam gravissima, item furfuratione capitis, multum valet.

Denique

Lotio valdè necessaria *pro enecandis pediculis* sit hæc:

℞. *Herb. Nicot.* M. ii.
Colocynth. ℥iii.
Sem. staphisagr. ℥vi.
Coqu. in s. q. Lixivi.
addendo in coctione
Mercurii vivi, vel suspendendo in petia lig. ℥ß.

Lixivio lavetur caput, quod abiget omnes pediculos ratione Mercurii.

Pertinent huc *Lotiones axillarum in hirco*, quales fiunt ex Adstringentibus, ex foliis plantaginis, foliis quercus, bistortæ, equiseti & similibus, addendo lixiuio decoctionis aluminis vel nitri parum, non rarò etiam sulphuris & nitri solum, pro abstersione ac lotione axillarum, uti etiam pedum olentium.

Cæterum de his vid. MORELLUS, qui est satis accuratus. Exempli loco sit

Lotio contra fœtorem axillarum, pedum, aliorumve locorum:

℞. *Herb plantag.*
Scord.
Fol. querc. an. M. i.
Coqu. in s. q. *aquæ comm. vel ferrar.*
Colaturæ ℔iß. adde
Solut. lithargyr. aur. cum *aceto fact.* ℥iii. ad ℔ß.
M. pro *Lotione.*
Vel
℞. *Fol. querc.* M iii.
Summit. origan. M. ii.
Flor. rosar. M. i.
Alum. ℥iß.
Incisa & contus.
S.
Species:

Coquantur in aqua communi.

Decoctis his dicta loca abluantur crebriùs manè & vesperi, donec cesset fœtor, sed semper adhibeantur cautè. Potest etiam addi *myrrha*, si aqua ferrata additur, mixtura euadit turbida, quod tamen nihil refert.

Lotio manuum contra maculas & pustulas à scabie, variolis &c. relictas:

℞. *Aquæ calcis vivæ* ℔ii.
Sulph. comm. pulv. ℥ii.
Ebulliant invicem:
Colaturæ add.
Aquæ rosar. ℥i.
M. D. S.
Aqua mundificans.

Additione & mistione simplici *sacchari Saturni* ℥ii. ad ℥iii. erit *Lotio* appropriata *ad maculas hepaticas*.

Post Lotiones etiam sunt

PEDILUVIA,

Ad varios usus destinata, quæ similiter sunt ex Decoctis appropriatis, siue decoquantur Ingredientia in aqua, sive in lixivio quodam. Sic v. g. post paroxysmum arthriticum instituuntur commodè pediluvia pro roborãdis pedibus, post morbos chronicos & periculosos exantlatos: pro roborandis partibus tremulis commodè instituuntur Pediluvia: Instituuntur etiam non rarò Pediluvia in affectibus capitis; quoniam est magnus consensus plantarum pedum cum capite: de quo consensu vid. PAULI *in Digress. de Febribus malignis*: Unde instituuntur Pediluvia pro agrypnia abigenda, & inducendo blando ac suaui somno, & incoquuntur tunc temporis capita papaveris cum seminibus no. 4. vel 6. item in cephalalgia.

Modus præscribendi idem est cum Decoctis & Lotionibus capitis, nisi quod interdum loco lixivii recipiatur alius liquor quidam: sed parum refert. Exempli loco sit

Pediluvium ad Agrypniam:

℞. *Herb. rorismar.*
Summit. serpill. floresc. an. M. ii.

Flor. cham. M. i.
Cap. papav. cum sem. no. vi. vel viii.
Incisa coqu. in s. q. aquæ simpl.
S.
Species ad pediluvium.

Pediluvium ad roborandos articulos in Tremore, vel *ad firmandos pedes podagra debilitatos*, simulque à crebriore recidiua præseruans:

℞. *Herb. Chamæpyt.*
Chamom.
Puleg.
Serpilli an. M. i.
Flor. anthos,
Salviæ an. p. ii.
Bacc. lauri ℥i.
Junip. ℥ii.
Coqu. in aqua simpl. sub finem addendo
Urinæ ℔i.
In Colatura dissolue
Aluminis ℥ii. pro adstrictione.

Possunt augeri Ingredientia, possunt etiam imminui pro lubitu Medici: Nam in hac parte non est adeò adstrictus.

Aliud:

℞. *Herb. rorismar.* M. vi.
Salv.
Serpilli an. M. ii.
Bacc. junip. ℔ß.
M. D. S.
Ut ante.

Harum specierum tertia pars coquitur in s. q. *aquæ & lixivii communis*, vel in solo *lixivio non adeo acri*: Decocto decantato cum vel sine colatura immittuntur pedes, imposito desuper linteo, ne justo citiùs refrigescat; Vel etiam ipsi Decocto cum ipsis speciebus immittuntur pedes. Conseruetur æstus, vel nouum Decoctum feruidum vel silicem candefactum superaddendo. Post balneationem pedes adhuc humidi probè abluti linteis involvuntur tepidis, & æger lecto committitur. Et sufficiunt tales species pro tribus vel quatuor vicibus, dicto modo coquendæ & usurpandæ, quamdiu durat odor.

Aliud extemporaneum:

℞. *Fol. nymph.*
Salicis,
Uitis an. M. ii.
Cap. papav. cum sem. no. viii.
Incisa
S.
Ut antea.

Decoquantur in *aqua simpl.* Confert maximè in lassitudine pedum, *cum quis ex itinere fessus est*.

Habuimus de Balneis propriè dictis, humidis scilicet: pergendum est ergò ad impropriè dicta, Fotuum vaporosorum instar, quę speciali nomine *Balnea Laconica* veniunt. item *stupha*, item *Sudatoria*, & *Balnea sicca*, Germanis dicta, *trockene Schuueisbader*. *Vaporaria* etiam commodè appellantur, quoniam ægri vapore calido & sicco solent affici.

Talia sunt vel *humida*, uti rectè habet MORELLUS, vel *sicca*.

Stupha humida est, quando ex vaporibus, ex quodam liquore simplici, vel quodam Decocto certo medicato elevatis, incalescit ipsa stupha, & ægri in ea positi beneficio talis vaporis copiosè incipiunt sudare. Vapor hic vel uniuersaliter vel particulariter corpus aut partes quasdam afficit, idque pro scopo vel sudandi uniuersaliter, vel discutiendi & leniendi particulariter. Usitatissimè hodie in *Laconico* excitatur: & quidem uniuersaliter fit, quando ægri usque ad collum ligneo eiusmodi domunculo peculiari, notæ iam passim formæ, includuntur: Particulare est, quando pedes usque ad genua ligneo eiusmodi balneo inferuntur, in affectibus podagricis, paralyticis, &c. vaporque subtus excipitur.

Modi autem *sunt uarii*, pro sudore in hisce balneis eliciendo; nunc per lateres candefactos aut ferramenta ignita aquæ vel Decocto quodam immissos; nunc verò per spiritum vini incensum, cuius calor mirè penetrat in universum corporis habitum; sed subiectis humidioribus & succulentioribus, item, quæ atoniâ viscerum laborant, magis, quàm qui sunt siccioris habitus, conuenit: modus tamen est periculosus, cùm exempla prostent, miserè quosdam ita combustos esse. Pro subiectis siccioribus optimus modus est, ut in tali stupha beneficio decocti cuiusdam suffitus fiat humidus, vel beneficio silicum vel laterum candefactorum; sic enim pori maximè aperiuntur, & ex copiosè exhalante sudore sensibile leuamen percipiunt ægri, qui sequitur promptiùs, si ante ingressum hauserit Decoctum ex lignis, vel medicamentum aliud Chymicum vel Galenicum. Decocta lignorum hic sunt usitatissima. Eminet hæc inter Balnea in specie Balneum ex suffitu decocti cubilis formicarum, in artuum dolore, paralysi, rigiditate & similibus malis, scorbuti apud nos familiaris progenie, laudatum.

Decocta, quæ usurpantur pro exhalandis vaporibus in stupha, sunt illa varia pro varietate morborum præscribenda : alia sunt in Lue Gallica, alia sunt in scabie. In usu ut plurimum sunt pro diæta sudorifera in curatione luis Venereæ. *Dosi* tantum est apozematis cuiusdam, quoniam non tàm liquor, quàm vapores expetuntur : à Fotuum præscriptione nihil differunt. Sit v. g. exemplum ad membra stupore affecta vel paralytica :

♃. *Herb. ror. mar.* M. ii.
Maior.
Salv.
Flor. prim. veris an. M. i.
Sambuci M. iii.
Rad. pyrethri ℥i. ad ℥iß.
Bacc. iunip. ℥iv. ad ℔ß.
Lauri ℥ii.
Incisa & contusa
D. S.
Species ad Sudatorium.

Coqu. nempè Species in *aqua simplici*, additis subinde *silicibus candefactis*, & vapor & halitus pro sudore excitatur : vel diuidatur in duas portiones, ut refrigerata unâ, altera substitui possit.

Laconicum particulare pro cruribus dolore podagrico affectis, item *in doloribus illorum scorbuticis fixioribus* :

♃. *Lixiuii coriar. jam ab ipsis usurp.* ℔ii.
Vrinæ hum. ℔i. ad ℔iii.
M. D. S.
Aqua ad fotum externum.

Ebulliant, & fiat inde *Suffitus* pro membris dolentibus desuper situatis, & fornicatim integumentis aptis munitis; & uberrimum sudorem provocat, si linteis excipiatur vapor repetitis vicibus, & applicetur.

Hæ fuerunt *Stuphæ*, quæ dicuntur *humidæ*.

Sudatorium siccum est, quando non vaporibus, sed nudis exhalationibus calidis ignitis disponitur corpus, ut sequatur sudor. *Modi sunt tres*: *Primus* est in hypocausto : *Secundus* est, quando nudi silices ponuntur in stupha; ita enim ex calore talium silicum exhalante copiosè incipiunt ægri sudare, & in sudorem prorumpere : Vel *denique* iniiciuntur tales silices in Conopeum; ita tamen, ut priùs hauserit æger Decoctum appropriatum ex lignis, uti rectè instituitur in cura luis Venereæ ab Italis & Belgis. In tali tamen Sudatorio ad horam dimidiam vix possunt perdurare ægri, cùm in humido diutiùs possint subsistere; valdè enim exhalant Spiritus, & exinde deiiciuntur vires. Usus horum videantur in MORELLO, qui eos sufficienter declarat.

Ex iisdem Decoctis parantur etiam

CATAPLASMATA,

Efficacioris fotus species, & sunt nihil aliud, quàm remedium in forma pultis crassioris, qui applicatur externè partibus, pro usu Chirurgo multiplici. Siquidem non rarum est, quod post præmissum fotum humidum, Cataplasma applicetur, imò & ipsa decoctionis pro fotu remanentia non rarò capiatur, & lege artis tractata in Cataplasma applicatur. Ordinariò nempè fiunt Cataplasmata, si scilicet Vegetabilium appropriatorum fiat decoctio, donec colliquescant in tantum, ut per setaceum pulpæ aut pultis formâ traiici, vel in mortario in pultis formam contundi possint, quæ puls cataplasmatis corpus maius vel minus, pro partis affectæ & applicationis ratione, constituit, cui pro re nata interdum adduntur postmodum & alia, in specie olea convenientia, mella, pulveres, Electuaria &c. eorumque plus minus, prout vel baseos vel adiuvantis locum obtinent.

In omni igitur Catapalasmate tria consideranda sunt:

1. *Species decoquendæ.*
2. *Liquor*, quo fit Decoctio; &
3. Interdum *Addenda.*

Quoad *primum*, nempè *species* : illæ variæ esse possunt pro diversitate partium atque usus: Ut plurimum sunt è Vegetabili Regno.

Quoad *secundum*, nempè *liquorem*, mediante quo fit coctio: est interdum aqua simplex, interdum vinum, & acetum, vel posca seu aqua cum aceto mista, ubi discutiendum & attenuandum; sicuti dedi exemplum *in Collegio Schrœderiano, ubi de fabis*, quando in tumore testium cum inflammatione fit Cataplasma ex aceto, seu posca, cum fabis cocto : vel lac, vel olea infusa, vel pinguedines, ubi emolliendum; urina, lixivium, &c. ubi resolvendum, & flatus discutiendi sunt.

Quoad *Tertium*, nempè *Addenda* : proportio præterpropter definita est à MORELLO, ita quidem rectè, ut ad

Pulpæ aut *materiæ traiectæ* ℥x. vel ℔i.
addantur
Pulveres ab ℥iß. ad ℥ii. vel ad summum ℥iii.
Oleorum & Medullarum vel q. s. vel ad ℥iii. vel iv.

Si verò olea destillata sumantur, pro ℔i. pulpæ ʒi. vel iii. sufficiunt, & ita coniunguntur in remedium liquidum Cataplasmatis, quod calidum linteo exceptum admovetur parti. Pulveres, qui adduntur, sunt varij pro varietate scopi: nunc farinæ seminum, nunc pulvis albi Græci, nunc stercora animalium; ita etiam pro oleis interdum adduntur succi, in specie ceparum, vel etiam olea, tàm infusa, quàm expressa.

Quantitas Simplicium decoquendorum variat pro magnitudine partis, cui applicandum venit Cataplasma; uti etiam pro crebriore usu ipsius cataplasmatis, quando vel rariùs vel frequentiùs est applicandum: sic v. g. maior requiritur quantitas pro Cataplasmate contra anginam & tonsillarum inflammationem, singulis diebus bis applicando, quàm pro Cataplasmate ad oculos, vel etiam ad digitum gangrænosum. Quantitas ergo definienda venit ex iudicio Medici.

Usus eorum est pro discutiendis tumoribus, iisque maturandis, pro resolvendo sanguine congrumato; in diarrhœa, dysenteria, &c. vel & pro scopo vesicatorio adhibentur. Sit e. g. præscribendum *Cataplasma*, quod frequentiùs fit, in angina seu Inflammatione tonsillarum, quod debet emollire, tumorem aliquantisper discutere, & etiam materiam inflammationis seu sanguinem congrumatum ad suppurationem perducere: debent ergò esse Emollientia, Resolventia & Discutientia seu Maturantia.

♃. *Herb. melil. cum flor.* vel *Flor. malvæ*,
Flor. chamom. an. M. i.
Rad. alth.
Lil. alb. an. ℥ii.
Cepar. ℥ß. ad ʒvi.
Sem. alth. } *Sem. alth.* } *Sem. lini*,
Fœnugr. vel } *Fœnugr.* vel } *Fœnugr.* an.
Lini, } *Psyllii* an. ʒij. } ℥ß.
Psyllii an. ℥ii.
Ficuum pinguium no. iv. vi. ad xii.
Nidi hirundinum cum excrementis, abiectis stramine, paleis & cæteris quisquiliis, no. i.
Albi Græci ℥i.

Incisa & contusa coqu. in s. q. *aquæ simpl.* vel *aquæ hordei*, vel *cerevisiæ*, vel *lactis*, vel *seri lactis* pro indicationum ratione, ad consistentiam pultis seu pulpæ.

Huic per setaceum traiectæ, sive simpliciter in mortario contusæ adde

Ol. lil. alb. ℥i. ad ℥ii.
Rutae. vel *cham.* ʒvi. ad ℥i.
Pulv. noctuæ combustæ ʒii.
Croci orient. ʒi. vel ʒiß. ad ʒii.
Vitell. ovor. no. i. vel ii. vel iii.
M. F. *Cataplasma*, D. S.
Cataplasma discutiens & emolliens.

Si scopus resolvendi fit, coquatur in *aqua calcis vivæ*. NB. Semina ista decoctioni addenda omitti, & illorum loco pulti

Farin. rad. alth. ℥i.
Sem. fœnu Græc.
Lini an. ℥ß.
addi possunt.

Utendi modus hic est : ut cataplasma inducatur linteo ad crassitiem digiti minimi, & ita calidè imponatur. Repetitur autem hoc toties, quoties aridum & siccatum fuerit, omnibus scilicet quatuor, 5. aut 6. horis.

Simile est ferè & elegans *Cataplasma contra eandem anginam Barbette in Praxi* & in *Chirurgia* :

♃. *Rad. alth.*
Lilior. alb. an. ℥i.
Nidi hirund no. i.
Ficuum pingu. no. xii.
Albi Græci ℥ß.
Cepar. ʒvi.

Coqu. in *Decocto hordei*, vel etiam in *aqua simpl.* q. s. ad pultilaginem: Pulpæ adde

Farin. tritic.
Sem. lini an. ℥i.
Fœnu Græci,
Rad. althææ an. ʒiß.
Vitell. ovor. no. ii.
Croci oriental. (discutit, emollit, maturat, anodynum est) ʒii.
Olei chamomill. ℥ii.
Misc. pro *Cataplasmate.*

In Cataplasmate hoc, quod obiter moneo, adsunt cepæ, quæ simul coquuntur cum reliquis : potest tamen etiam in fine coctionis seu pulpæ traiectæ addi succus ceparum ab ℥ß. ad ℥i. idque non sine singulari efficacia; dum enim ita additur succus pulpæ tajectæ, non metus est, quod in coctione avolet sal volatile ceparum, quod potens est in discutiendo & maturando.

Aliud :

♃. *Flor. sambuci* M. i. vel M. ii.
Cepar. sub ciner. coct. no. iii.

Nid.

Nid. hirund. cum ſterc. no. i.
Coqu. ex *cereviſia tenui* vel ex *lacte*: Pulpæ trajectæ
adde
Albi Græci ℥ß.
Olei deſtillat. cham. ʒß.
Coct. chamom. vel *lil. alb.* q. ſ.
M. D. S.
Cataplaſma diſcutiens & emolliens.

Cataplaſma ſuppurans inflammationem tonſillarum:
℞. *Herb. malvæ* M. ii.
Melilot. M. i.
Flor. cham.
Sambuc. an. M. iß.
Ficuum pingv. no. vi.
Coqu. in ſ. q. *Lactis* ad putrilag. traijciatur per ſetaceum:
Pulpæ trajectæ ℔i.
adde
Pulv. ſem. fœnugr.
Lini an. ℥i.
Olei lil. alb. ℥ii.
M. F. *Cataplaſma.*

Non ſemper neceſſum eſt, ut addantur olea; quoniam oblinunt poros partium, eosque obducunt & infarciunt; & ob id non tarò omittenda ſunt olea, idque imprimis, ubi opus eſt diſcuſſione, in quo caſu pori debent aperti eſſe & patuli: ubi verò opus eſt ſuppuratione & emollitione, ibi additur oleum, non verò in nimia quantitate, quoniam in inflammationibus emolliendis & ſuppurandis ex obſtructione pororum nimia per Cataplaſmata oleoſa à Chirurgis ſæpiùs loco puris inducitur Gangræna. Quæ cautela ſummè eſt neceſſaria in correctione Chirurgorum.

Cataplaſma ſuppurans & diſcutiens contra Anginam:
℞. *Herb. melilot.*
Fol. hyoſcyami an. M. i.
Flor. cham.
Melilot. an. ℥ß.
Rad. althææ,
Malvæ,
Albi Græci an. ℥i.
Inciſa & contuſa coqu. in ſ. q. *lactis* ad conſiſtentiam pultis: cui trajectæ adde
Terebinth. cum vitell. ovi ſolutæ ℥ß.
M. pro *Cataplaſmate.*
S.
Cataplaſma reſolvens.

Cataplaſma ad ſuppreſſionem urinę in puerpera, ob admiſſum incautiùs frigus externum à partu: item, quando à puerperis ſupprimuntur Lochia:
℞. *Herb. parietar.* M. ii.
Cherefol.
Flor. cham. an. M. i. ad M. iß.
Inciſa coqu. ad mollitiem:
Pulpæ per ſetaceum trajectæ adde
Butyr. rec. ℥i. ℥iß. ad ℥ii.
Ole. ſcorpion. ℥ß. ad ℥iß.
M. pro *Cataplaſmate*, calidè regioni pubis admovendo, & deſuper adhuc laterem, vel operculum calefactum imponendo.
D. S.
Cataplaſma diureticum.

Cataplaſma pro pedibus *contra Cephalalgiam, agrypniam & æſtuationem capitis*:
℞. *Herb. verben.* M. ii.
Flor. hyoſcyam.
Papav. errat. an. M. i.
Sem. fœnu Græci,
Lini an. ℥i.
4. *calid. maj.* an. ℥ß.
Inciſa & contuſa coqu. in ſ. q. *aquæ ſimpl.* ad conſiſtentiam pultis:
Pulpæ trajectæ adde
Olei Nymph. ℥i.
M. D. S.
Cataplaſma dolorem cohibens & refrigerans.

Cataplaſma contra tumorem & dolorem brachii, & *pertuſa in Venæſectione vena, & læſo nervo*:
Sæpiùs enim fit, ut poſt ineptam venæſectionem brachium intumeſcat, rubeſcat & liveſcat, ex ſanguine intra ſpatiola muſculorum effuſo congrumato: in tali præſcribitur
Cataplaſma expertum, & valde egregium,
hoc modo:
℞. *Herb. agrimon.*
Cherefol.
Flor. chamom. an. M. i.
Rad. ſymph. maj. ℥iii.

(eſt *baſis* & proptereà etiam augenda doſis)
Rad. ſigill. Salomonis. ʒvi. ad ℥i.
Sem. fœnu Græci,
Lini an. ℥ß.
Coqu. in ſ. q. *aquæ ſimpl.* ad conſiſtentiam pultis, traijciendæ per ſetaceum.
D. S.
Cataplaſma externum contra dolores & tumores.

Inſtillato priùs *oleo deſtillato terebinthinę* vulnuſculo, applicatur calidè, addendo cuilibet portioni ſub applicatione *Spiritus theriacalis*, vel *ſimplicis*, vel *camphorati*, ʒi. aut q. ſ.

Prodeſt etiam hoc *Cataplſma contra quamcunque contuſionem & ſanguinem grumoſum* diſcutiendi & reſolvendi propter radicem ſymphyti majoris & ſigilli Salomonis, quæ radices ſunt elegantiſſimæ, & in his affectibus ſanè ſingulares.
Item præſcribatur

Cataplaſma diſcutiens ſanguinem grumoſum ex plagis:
℞. *Summit. hyperic.* ℥iß.
Rad. ſymphyt. maj. ℥ii.
Sigill. Salom. ℥i.
Albi Gręci ʒvi.
Coqu. in ſ. q. *vini* ad putrilaginem: traijciantur per ſetaceum, f. *Cataplaſma*: cui adde
Ol. hyperic. ℥i.
Vngu. rubr. potab. ℥ß.
Miſc. pro Cataplaſmate.

Cataplaſma diſcutiens contra tumores ſeroſos:
℞. *Summit. ſerpill. florent.* M. ii.
Flor. cham. M. i.
Rad. gentian. ʒii.
Baccar. junip. ℥ii.
Lauri ℥i.
Sem. carv. ℥ß.
Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. *urinæ puerorum* ad conſiſtentiam pultis: *pulpę trajectæ* adde
Pingued. bubul. ℥iii.
M. pro *Cataplaſmate.* D. S.
Cataplaſma diſcutiens.

Aliud *Cataplaſma ad bubones peſtilentiales*:
℞. *Herb. Parid.* M. iii.
Rad. lil. alb. ℥iß.
Ficuum pingv. no. iii.
Coqu. in ſ. q. *aquę comm.*
Pulpę trajectę adde
Theriac. opt. ℥ii.
Sapon. Venet. ʒiii. ad ʒvi.
Pulv. bufon. ℥iß.
Fulig. camin. ℥i.
Cum ſ. q *olei lil. alb.* vel *aranear.*
f. *Cataplaſma.* D. S.
Cataplaſma extrahens.

Aliud:
℞. *Herb Parid.* M. ii.
Fol. Nicot. M. i.
Rad. angel. ℥i.
Coqu. in ſ q *aquę ſimpl.*
Pulpę trajectæ adde
Cepar. ſub ciner. coct. ℥ii.
Theriac. ℥iß.
Fulig. furni ſpend. ℥i.
M. redigantur in conſiſtentiam *Cataplaſmatis.*

Non commodè præſcribit MORELLUS, quod Cataplaſmata interdum applicentur poſt fotum, & in tali caſu poſt decoctionem Vegetabilium pro fotu etiam materia reſtitans coquitur pro *Cataplaſmate.*

Dabo exemplum: fit hernia ſcrotalis ſeu inteſtinalis, in qua ob fæces induratas inteſtina non poſſunt iterum reponi in locum naturalem; in tali caſu fit præſcribendus *Fotus humidus, emolliens & diſcutiens*, & poſt hunc *Cataplaſma* ſimiliter *emolliens & diſcutiens*, ita:
℞. *Herb. Malvæ,*
Puleg.
Fol. laur.
Flor. cham. an. M. i.
Rad. alth.
Lilior. alb. an. ℥i.
Bacc. laur ʒvi.
Juniper. ʒiii.
Sterc. caprill vel ovill. ℥iß.
Coqu. in ſ. q lactis:
Colaturæ adde
Succ. cepar. ℥i.
D. S.
Fotus externus.

Imponi poteſt cum linteis duplicatis tepidè:

Postmodum *pulpa dicta & per setaceum trajecta* adde

Olei lil. alb. ℥ii.
Chamom.
Succ. cepar. an. ℥i.
Sterc. ovill.
Sem. anis,
Fœniculi,
Farin. semin. fœnu Græci,
Lini an. ℥ß.

M. pro Cataplasmate; addendo circa finem ulterius

Vitell. ovi no j.
Pulv. croc. Orient. ℥i.

M. D. S.

Cataplasma Emolliens.

Cataplasma ad hydrocelen & herniam aquosam testium;

℞. *Flor. cham,*
Sambuc. an. M. i. vel ii.
Sem. 4. calid. maj. an. ℥iß. ad ℥ii.
Sterc. caprill. ℔iß. vel ii.

Coqu. in s. q. urinæ pueri:

Colatura

D. S.

Fotus externus.

A colatura *remanens pulpa per setaceum trajecta* recipiatur, &

S.

Cataplasma discutiens.

Decocto ipso foveatur pars affecta, & remanentia imponatur abdomini, vel scroto, & sic unâ fideliâ duos dealbamus parietes.

Hic est modus ordinarius præscribendi Cataplasmata: Fiunt etiam interdum talia Cataplasmata seu pultes ex fructibus pulposis, tàm maturis, quàm immaturis coctis, vel in liquore appropriato, vel etiam coctis sub cineribus contusis, & cum pulveribus additis, & oleis appropriatis, compinguntur in formam Cataplasmatis. Talis Cataplasmatis formulam *dedi in Collegio Pharmaceutico, ubi de pomis,* quando scilicet poma cocta dant Cataplasma appropriatum in ophthalmiis, aliisque oculorum affectibus: E. g. fit præscribendum

Cataplasma contra vulnera, dolorem, percussionem oculorum:

℞. *Pulp. pomor. dulc. ad mollit. coct.* ℥iv.
Mucil. sem. cydon. cum sperm. ranar. extr. ℥i. ad ℥iß.
Sacch. albiss. ʒiß.
Camph. parum.

M. D. pro Cataplasmate.

Conferatur TIMÆUS *in Consiliis l. 1. Conf. 31. pag.* 48. Recipiuntur interdum cydonia mala, eorumque sub cineribus coctorum pulpa, & permiscentur cum eadem pulveres aromatici in affectibus stomachicis & intestinorum, &c.

Facit etiam MORELLUS mentionem crustæ panis, quæ irrorata cum vino, & conspersa cum pulveribus appropriatis confert in quamplurimis abdominis affectibus: quæ tamen non est Cataplasma, sed quasi Fomentum & medicamentum sui generis: Sic v. g. in vomitu recipitur convenienter crusta panis tosta, adspergitur vino Malvatico, vel etiam aceto rutaceo, &c. & ita madefacta & irrorata adspergitur cum pulvere nucis moschatæ, caryophyllis, zedoaria, galanga, cinnamomo & similibus in moderata dosi, & applicatur regioni stomachi, tanquam egregium in vomitu remedium: Eadem crusta panis applicatur eodem modo regioni umbilicali in diarrhœis & similibus intestinorum affectibus: In gravidis pro roborando fœtu recipitur talis crusta panis tosta, vel quod videtur quibusdam convenientius, panis mellitus irroratur cum aqua vitæ mulierum, vel cum balsamo embryonum, qui etiam est instar aquæ vitæ, adspergitur postmodum cum pulvere nucis moschatæ, antophyllorum, macis, &c. & applicatur umbilico pro roborando fœtu, idque cum felici successu.

MORELLUS etiam facit mentionem Cataplasmatis ex mica panis albi cocta in lacte; cui postmodum additus crocus & similia. Hoc Cataplasma est quasi generale & usitatissimum in quibuscunque doloribus compescendis: potest addi pro ratione circumstantiarum tantillum florum sambuci, qui sunt anodyni, item florum verbasci; sed tamen sæpius in genere præscribitur ita:

℞. *Mica panis albi* ℔ß.

Cum s. q. *lactis* fiat *Cataplasma,* cui adde

Olei chamom. ℥ß.
Vitell. ovi no. ii.
Croci Orient. ʒii.

D. S.

Cataplasma contra dolores.

Cataplasma anodynum in dolore podagrico:

℞. *Medull. panis tritic.* ℥iii.
Pulv. rad. althææ ℥i.
Flor. chamom.
Farin. fabar.
Semin. fœnu Græci,
Lini an. ℥iii.

Coqu. in s. q. *lactis* ad consistentiam pultis: adde

Unguent. anod. ℥i.
Balsam. sapon. ʒii.
Vitell. ov. no. j.

Misc. pro *Cataplasmate,*

S.

Cataplasma dolores cohibens.

Interdum *soli pulveres excipiuntur* conveniente *liquore,* & fit *Cataplasma;* v. g. fit

Cataplasma ad Tumorem testium oriundum *ex contusione:*

℞. *Farin. fabar.* ℥iii.
Pulv. sem. cumin. ℥iß. ad ℥ii.

Coqu. in s. q. *Poscæ* seu *Oxycrati,* id est *Misturæ ex* part. i. *aceti & p.* iii. *aquæ:*

Mistis adde

Lithargyrii pulveris. ℥ß.

Misc. f. *Cataplasma,*

S.

Cataplasma resolvens.

Mentionem etiam facit MORELLUS modi, quando pulveres adstringentes excipiuntur albumine ovi & applicantur: id quod fit, ubi opus est, ut sistatur hæmorrhagia, ut impediatur nimius humorum affluxus in recentibus vulneribus, rupturis, fracturis, &c. ubi solent Chirurgi, perperam tamen, applicare tale Cataplasma cum liquore acri, aceto, vino austero, vel etiam aqua simplici frigida, idque, uti dicunt, pro repulsione, ne nimis affluat sanguis: maledicta methodus! Sit e. g.

Cataplasma ad hæmorrhagiam narium:

℞. *Argilla usta* scilicet *calcin. ex furn. pistor.* v. g. extractæ M. ii.
Aceti acerr. q. s.

Commixta redigantur in formam Cataplasmatis.

D. S.

Cataplasma externum.

Frigidè immediatè fronti & temporibus ac nuchæ cum linteo applicatur.

Imò ipsa interdum Ingredientia propria sub consistentia aut mixtione mutua in Cataplasmatis formam coeunt, citra aliud artificium, succulenta scilicet plus minus si fuerint: e. g. fit

Cataplasma contra Tumores serosos & Hydropes particulares;

℞. *Cochlear. cum suis testis contusarum* ℔i.
Pulv. sem. carv. ℥iii.
Sterc. caprill. ℥iv.

M. & si opus cum s. q. *vini* aut *poscæ* redigantur ad consistentiam *Cataplasmatis,* quod tepidè imponendum est, in resolvendis tumoribus efficacissimum.

Cataplasma pro renibus vel vesica *in suppressione urinæ:*

℞. *Cepar. alb crud.* no. vi.
Allii no. iv.

Contusis in mortario adde

Pingued. anserin. q. s.
Olei scorpion parum

M. pro *Cataplasmate,* adspergendo aliquot guttis *olei destillati Juniperi.*

D. S.

Cataplasma diureticum.

Pertinet huc stercus vaccinum, quod recens seu singulare anodynum Cataplasmatis forma imponitur, v. g. podagra dolentibus: succurrit pariter aliis doloribus ac tumoribus, præsertim cuivis dolori inflammatorio, vel solum, vel cum oleo rosarum impositum: sic stercus suillum cum aqua fervida subactum, & abdomini instar Cataplasmatis insternitur, egregio successu sub nimio mensium fluxu. Cataplasma ex fimo equino in vino cocto, vel succus ejus cum mica panis, secretum est contrà gangrænam: Conf. *Cataplasma compositum Barbette Chir. l.* 1. *cap.* 14.

Sic quoque ex stercore caprillo, cocto in posca, vel etiam subacto in urina pueri, fit potens Cataplasma discussivuum pro discutiendis flatibus, & resolvendis tumoribus. Pro discussione imprimis conveniunt Cataplasmata ex stercoribus in tumoribus pedum œdematosis, in quibus stercora coquuntur in urina propria, & miscentur pro Cataplasmate; item in tumoribus scroti, qui non sunt rari.

Fermentum quoque solum Modernis sæpè corpus cataplasmatum extemporaneum subministrat, additis aliis appropriatis, pro usu partium internarum destinatur. Modus hic valdè est proficuus in quamplurimis morbis: sic v. g in nimio singultu, in nimio vomitu & cholera, ex stomachi affectibus, est Cataplasma, factum ex fermento cum pulveribus appropriatis, & applicatum externè regioni stomachi, quod convenienter applicatur cujuscunque sexus & conditionis personis. Si gravidas vexet vomitus in ultimis mensibus, quod

quod non fit rarò, usitatissimè & cum fructu applicatur istiusmodi Cataplasma. Compositio est talis:

℞. *Fermenti acerrimi* ℥iij.
Pulv mentb. crisp. ℥j.
Pulv. flor. cham.
Zedoar. an. ℥ß.
Baccar. iunip. ʒij.
Lauri ʒiß.
Acetiflor. tunicæ, vel *sambuci* q. s.
M. F. *Cataplasma*, irrorandum cum
Olei destill cumini,
Carvi,
Chamom.
Zedoar. an. gtt. vj.

Applicetur externè, estque egregium in istis affectibus stomachi.

In affectibus ventriculi plurimis laudatur cataplasma ex fermento cum aromatibus, ad imitationem MYNSICHTII *Armam. Sect. 37. p. 520. & 524*

Aliud *Cataplasma stomachale* polychrestum:

℞. *Ferment. acerrim.* ℥iii.
Herb. menth. ℥j.
Zedoar. ℥ß.
Sem. anisi,
Cumin.
Fœnic. an. ℥iij.
Aceti rosac. q. s.
F. l. a. *Cataplasma*: irroretur aliquot guttis
Olei destillati macis & caryophyll.
D. S.
Cataplasma stomachale adstringens.

Sic notum est, quod fiat cataplasma convenientissimum ex fermento cum succino applicandum sincipiti in catarrhis, quos vocant falsò, suffocativis, utut hæc praxis sit valdè ridicula. Sit tamen, quicquid sit, sequens Cataplasma potest præscribi:

℞. *Ferment. vet.* ʒvj.
Succin. præp ʒj.
Aceti destill. parum
Misc F. *Cataplasma*.

Applicetur suturæ coronali cum linteo.

Simile *Cataplasma*, cujus basis est fermentum, applicatur commodissimè plantis pedum in deliriis, cephalalgiis & vigiliis nimiis febrium ardentium, & in specie malignarum, quod multùm commendatur, & aliquoties ego ejus usum felicem vidi:

℞. *Ferment. acerr.*
Fol. rutæ rec. an. M. ii.
Rad. raph. no ij.
Sal. comm M. j.
Aceti rutac. q. s.
F. l. a. *Cataplasma*.

Applicetur plantis pedum; si exsiccatum fuerit, de novo applicandum. Mira certè præstat in prædictis morbis.

Loco foliorum rutæ possunt sumi *folia sedi* seu *sempervivi majoris*; & quoniam raphanus malè olet, potest omitti, & in majori dosi recipi folia *sempervivi & rutæ*: nihilominùs valdè conveniens, si admisceatur raphanus.

Hi sunt modi, quibus fiunt cataplasmata: exactiùs hæc qui cupit, videat MORELLVM.

Puls, quam MORELLVS habet, est eadem cum Cataplasmate, propterea præscriptio eius etiam erit eadem

Sed, quandiu hæc omnia probè calent, res benè habet; simulac verò parum intepuerint, offenditur tactus & cutis, unde nil emolumenti. expertus hæc loquor. Sanè eædem difficultates, quas supra circa epithematum usum insinuavi, premunt pariter læpiùs & fotus humidos & cataplasmata: Siquidem hæc tumoribus, præsertim calidis applicata, necessario ex allegata causa pororum constipationi occasionem præbent, & transpirationem in iisdem adeò necessariam impediunt, repellunt, & nervosiori loco gangrænam citiùs accersunt, &c.

Cataplasmata Vesicatoria huc pertinent, quorum loco Veteres sæpiùs usurpabant Sinapismos, ita dictos à basi, quæ fuit semen sinapi: permiscetur cum pulvere ficuum, & applicatur. Nam notum est, quod omnia simplicia, quæ constant sale valdè volatili & acri, ut est semen sinapi, ranunculus, flammula, pyrethrum, zingiber, euphorbium, &c. extrinsecùs admota, cuti soleant inducere & excitare ingentem ruborem, & ita facere magis quandam attractionem: ubi ergo opus fuit hac attractione, Veteres applicarunt Sinapismum.

Moderni loco eorum adhibent Vesicatoria, quæ sunt fortiora Sinapismis, & fiunt ex basi cantharidum, ratione quarum excitantur successivè vesicæ, modò citiùs, modò tardiùs, prout vel copiosiores vel pauciores sunt cantharides; & prout ingredientia permista magis vel minùs tale volatili, cantharidum acre causticum corrigunt.

Applicantur talia Vesicatoria ad magnitudinem thaleri variis in locis, v. g. carpis manuum in statu febrium malignarum & ardentium apud Italos; item tibiis, item temporibus, pone aures, ubi erumpere solent parotides, non sine successu felici ad promovendam expulsionem malignitatis; quoniam rarò usurpant Sudorifera: In arthritide, malo Ischiadico & similibus morbis, à lympha acida oriundis, conducunt optimè pro evacuanda tali lympha, & impediendo motu ad articulos: in specie ad affectus capitis multum conducunt tales vesiculæ, si nuchæ applicentur in soporosis affectibus, in appoplexia & vertigine, & in specie in affectibus oculorum optimè conveniunt vesicæ in nucha excitatæ. Vlteriùs in tumoribus aperiendis, imprimis malignis, in bubonibus & anthracibus, commodissimè tales vesiculæ excitari solent, ne materia venenosa introrsum versus regurgitet, & ita cum præsenti ægri periculo repellatur. Applicata ita Vesicatoria ex cantharidibus parata, penetrant sensim sensimque sale suo volatili, & partem quasi adurunt, ut elevetur in vesicas, aquâ limpidâ plenas. Quod si in morbis periculosis ex applicatis his Vesicatoriis nulla sequatur operatio, nullaque excitetur vesica, certissima expectanda est mors: hinc etiam in corporibus mortuis etiam fortissima Vesicatoria applicata, vesicam nullam excitant; unde in ægro, si non operentur, felicissima expectanda est ad mortem curatio.

Præscribuntur vel sub forma Emplastri, vel sub forma Cataplasmatis: Vsitatiùs usurpantur sub forma Cataplasmatis cum fermento, sed malè; Communissimus tamen Chirurgorum mos est: unde ut præscribendi ratio constet:

℞. *Fermenti acerrimi* ℥j.
Cantharid ablatis alis & capitib. ʒij.
Cum s. q. *Aquæ vitæ*, vel, ut alii faciunt, *aceti* malaxentur invicem,
S.
Cataplasma vesicatorium.

Dehinc quantitate magni Imperialis ad crassitiem medii digiti applicetur loco, ubi excitari debet vesica.

His ipsis interdum pro stimulo solet addi pulvis euphorbii & sinapi cum pauco aceto destillato.

Modus præscribendi est talis:

℞. *Ferment. Vet.* ʒij. vel ℥ß (plus minus pro varietate scopi)
Sem. sinapi pulv ʒj.
Cantbard. ablatis alis & capit. gr. jv.
Cum pauco aceto destillato fiat *Cataplasma*, S.
Vt ante.

In corporibus crassioribus & robustioribus, in lethargo, aliisque affectibus soporosis & comatosis fortiùs agendum, & fortiora præscribenda Vesicatoria.

℞. *Ferment. acerr.* ℥ß.
Pulv. castor.
Canthar. an ℈i.
Euphorbii gr. xij.
F. *Cataplasma* in quantitate Thaleri,
S.
Vt antea.

Applicatur nuchæ in lethargo & similibus affectibus soporosis, quoniam ibi opus est, ut concitetur dolor, ut evigilet æger: sin vero sint lenia, & non excitentur vesicæ cum dolore, tunc sine fructu applicantur.

Minus tamen commodè fiunt cum fermento; quia

(1.) Vis cantharidum in sale volatili acerrimo consistit, quæ per addita acida in fermento & aceto obtunditur.

(2.) Non adhæret fortiter parti, sed modò huc, modò illuc fluctuat, loco vesicæ sparsæ excitantur pustulæ.

Præfero igitur Emplastra Vesicatoria: Interim & aliud Cataplasma vesicatorium fieri solet, beneficio micæ panis, vel pulpæ ficuum, quæ subigenda cum cantharidibus. Præscribitur hoc modo:

℞. *Pulpæ ficuum* ℥ß
Cantharid ablatis alis & capit ʒij.
Subigantur cum spiritu vini p. o *Cataplasmate*:
D. S.
Vt supra.

Quando applicatum est Vesicatorium, tunc excitatur vesica, quæ excitata aperitur acu, & evacuetur humor contentus, & ne citò denuò exsiccentur vesicæ aut consolidentur, applicatur folium brassicæ rubræ leviter torrefactum, & mirabile est, quantum soleat elicere continuò humorem, qua instar fontanellorum evacuant. Hæc folia brassicæ, quandiu manent applicata, vesica manet aperta, illis verò remotis, consolidatur: nam sola cuticula seu epidermis separata est à cute. Tales vesicæ sunt quasi succedaneum fontanellorum, & quasi fontanella parva, quoniam pura lympha, seu serum exit.

Sinapismi in desuetudinem abierunt, quos loco vesicatoriorum usurparunt Veteres in affectibus oculorum, in specie in lippitudine, inflammatione, & similibus oculorum affectibus, in corpore delicatulo: Nam corpora dura ferunt fortiora, delicatula non item: unde in robu-

in robustioribus semper miscendi cum fermento vel pulpa ficuum cantharides, in delicatulis saltem e contra methodo Veterum in sola sinapi substituitur: e. g. sit

Cataplasma rubificans contra dolorem sincipitis insignem, sæpius recurrentem, cum gravi oculorum dolore, occipiti seu nuchæ applicandum:

℞. *Ferment. acerrim.* ℥i.
Succin. ʒii.
Sem. sinapi flavi contus. ℥ß. ad ʒvj.
Cum s. q. spiritus vini f. l. a. *Cataplasma nucha applicandum.*
D. S
Cataplasma externum.

Possunt, si opus est, seminis erucæ ʒij. adhuc pro stimulo addi.

CAP. V.

DE

INUNCTIONIBUS VARIIS, LINIMENTIS, ET EMPLASTRIS.

ULtimum Caput generale præscriptionum Externa saltem subministrat, illa quæ inunguntur, & unguinosa & glutinosa consistentia partibus externis adhærent, ex oleosis præprimis, hisque cognatis subjectis sulphureis parata, cum terebinthina & cera, similive corpore excepta; vel ex mucilaginosis cum melle composita, sive tenuius sub forma linimenti, vel spissius sub forma unguenti, sive crassissimum in emplastro vel Cerato illud velimus. Paucissima enim talia sunt, quorum internus etiam sit usus, ut unguentum rubrum potabile, *Balsamus fœniculi* HORSTII, *Observ. l. 2. Observ.* 42. *pag.* 109. & *l.* 11. *Observ.* 22. *pag.* 558. Sed hæc particularia & plane singularia nos non rememorantur. Omnium externarum Inunctionum Ingredientia sunt primaria Olea, seu basis, & Cera, seu id, quod corpus & consistentiam largitur. Olea sunt nunc destillata, nunc expressa, & cum his parata olea infusa vel incocta. His posterioribus accedunt fere in consistentia tanquam analoga, seu congenera, & plus minus miscibilia, butyra, axungiæ & pinguedines, seva, medullæ animalium, mucilagines, fella, resinæ molliores, sapones, ut plurimum facili igne liquabilia, & olei instar applicabilia. Ceræ vero respondet colophonia, omnesque resinæ spissiores, ut pix, mastix, benzoe, &c. gummata: quorum plurima amphibia videntur, dum & in aere & in aqua viuunt, seu oleosis ac aquosis menstruis solubilia existunt, quod ex mistione duplicis substantiæ gummosæ cum incluso copioso nucleo resinoso accidit; tamen ob consistentiam & proprietates, respectu ignis & nostri ad ceram referuntur, ut galbanum, ammoniacum, bdellium, myrrha; non secus ac aliæ resinæ spissæ, ut pix quævis &c. Terebinthina medio intercedit loco, & præter hoc, quod ob vires suas in vulneribus & ulceribus egregias, ob quas merito *Balsamum Europæum* seu *Septentrionale* audit, valdopere consolidans, & quacumque corruptionem & alterationem arcens, polychresta sit, utrisque & oleosis & cereis subjectis sociabile existit; adeo ut gummatis & reliquis uniendis optime inserviat: ut taceam resinam hanc & copiosum subministrare oleum, ceram duriusculam, & quasi picem pariter suggerere. Vinculi ergo instar hæc interdum considerari, interdum, ubi ingredientis primarii vice defungitur, ad olea referri debet.

Ordinaria & potiora hæc Inunctionum sunt Ingredientia, quibus extra ordinem non raro penitus supervacanee alia adduntur: ut pulveres varii pro varietate scopi, primario metallici & minerales, ceu adjuvantia, & maxime ex saturno vel ex venere; notum enim est, quod eadem prompte ad se alliciant acidum: Sic v. g. ex plumbo qui ingrediuntur pulveres, sunt plumbum ustum, cerussa, saccharum Saturni, minium, lithargirium, &c. Ex ære sunt imprimis viride æris egregie detergens & abstergens ulcera maligna & putrida; Unde unguentum Ægyptiacum, cujus basis est viride æris, commune est refugium Chirurgorum in ulceribus cacoethicis, & in imminente iam gangræna: item æs ustum, tutia, & pompholyx; quo pertinet etiam lapis calaminaris, qui lapis, & ex eo paratum emplastrum, egregium est in consolidandis & incarnandis ulceribus & vulneribus.

Post mineralia, & pulveres Vegetabilium Inunctiones ingrediuntur; caute autem pulveres sunt admiscendi, quia invischcantur propter oleosa, ut parum vel nihil de suis virtutibus possint exercere.

Propterea magis consultum est ex Modernorum methodo, qui tantum miscent ea, quæ sunt miscibilia, & prompte unibilia, omissis, vel parce admistis iis, quæ sunt sicciora, & pulverisabilia: propterea miscent terebinthinam cum oleis, & addunt gummata ac similia, quorum vis in unum conspirans elegantissimum dat unguentum. Non raro etiam succi Vegetabilium, sive expressione, sive decoctione parati, unguenta & Emplastra ingrediuntur; quo & acetum pertinet, tamdiu ob aquei cum oleoso compatibilitatem coquendi, donec, quicquid fuerit aquei, exhalaverit, & ita mutuo se iungant partes succulentæ cum pinguibus, & fiunt Emplastra & unguenta valde efficacia & penetrantia.

Tandem & mel, concretum ob particularem texturam, respectu hactenus recensitorum, sui generis oleosum in recessu, aquosum tamen & gummosum in superficie, ob id vegetabilium succis optime sociabile. Sæpius ingreditur Unguenta, quæ usurpantur ad mundificanda ulcera, quoniam potenter detergit & abstergit sordes. Mucilagines denique Vegetabilium quorundam, quæ & cum butyro animalium Linimenta & Unguenta ingrediuntur, adeoque olea vegetabilium hoc in passu analoga fere habentur.

Miscentur hæc ingredientia vel sine, vel cum igne: sine igne simpliciter per tritum, species cum oleo in mortario subigendo, sensim oleum affundendo, & ita tritum continuando, donec debitam consistentiam acquisiverint, quod nutritum alias dicitur, & in Emplastro triapharmaco Mesue locum invenit: cum igne, oleo & ceræ, invicem liquatis, alia addendo, miscendo, interdum etiam, ubi opus est, colando, cujus exempla passim prostant. Imo non pauci sunt, qui destillant res destillandas in oleum, & his oleis destillatis postmodum infundunt Vegetabilia sicciora, digerunt, & tandem filtrant, post cum terebinthina (quæ est quasi basis emplastrorum & unguentorum Chirurgicorum) & cera redigunt in Emplastra & Unguenta valde convenientia in usu Chirurgico in morbis externis. Et tales Misturæ posteriores vocantur Balsama Unguentaria & Vulneraria: Nam, quo magis & melius sese ineunt ingredientia emplastrorum & unguentorum, eo meliorem & efficaciorem habent usum.

Ratione consistentiæ sunt triplicia: vel Linimenta, vel Unguenta, vel Emplastra; prout enim iam variat ingredientium horum proportio, etiam coalescens inde variat inunctio. Dum oleosa sola, aut si illorum ℥j ceræ ʒj. pulverum ʒß. miscentur, *Linimentum* dicitur: dum vero ℥j. adduntur ceræ ʒij. & pulv. ʒj. coeunt in consistiam *unguenti*: in *Ceratis* præeminet cera, ita, ut ceræ ℥jß. olei ℥j. pulveris ʒiß. ad ʒij. coeant: Sin vero olei & ceræ an. ℥j. pulveris ℥ß. in genere misceantur, Emplastrum habebitur, cui tantum non omni terebinthina proportione moderata solet addi: Vid. MORELLUS qui satis est clarus, ut non opus sit, multa addere. Quod si emplastro liquefacto immergatur linteum cujuscunque figuræ, ita, ut utrinque eodem obducatur, *Sparadrapum* dicitur. Uno nomine: magna hic de re est ibi fabula: prompte enim ex unguento *Linimentum*, ex utroque additione ceræ *Ceratum*; hinc cum terebinthina *Emplastrum*; & ex hoc per cupiam olei *Unguentum* fieri potest. Quanto plus enim accipitur ceræ, tanto crassiorem habent consistentiam, & erit Emplastrum vel Ceratum; ubi vero minus accipitur ceræ, mistura erit mollior instar unguenti. Quod si pix baseos locum occupet in emplastro, egregie hinc penetrante & resolvente, *Picatio*, item *Dropax*, appellatur.

Quoad *Linimenta*, ita dicuntur ab illinendo, quoniam illinuntur parti, atque dum ita illinuntur, suo fotu aut illitu confortant vel alterant partem; hinc facile patet, in quanam consistentia sint præscribenda; gaudent nimirum consistentia fluidiore, & saltem ex oleis ut plurimum constare solent. Pro varietate autem oleorum nomina eorum rursus variant: olea enim destillata vel seorsim parata iunguntur, vel invicem destillata sub univoco liquore usurpantur, & imprimis tunc Balsamorum nomine veniunt, sive in olei liquidi forma, sive cum corpore pro balsamo excepta, in Linimenti consistentia applicentur.

Corpus pro balsamo usitatius est oleum nucistæ, partim, ut eius quasi amplexu retineatur vis oleorum aromaticorum volatilis, nimis prompte exhalans, & ut hoc modo coercita sine virium iactura persistere queant, partim, ne olea destillata acrimonia sua pruritum, pustulas, ardorem, &c. excitent.

Modus præscribendi ex sequent. formulis clarior erit.

Sit ergo

Balsamus Stomachicus,
præscribendus in vomitu & diarrhœa:

℞. *Olei nuc. mosch. expr.* ʒij.
Balf. Peruv. ʒj.
Olei destillat. mac. ℈ß.
M. D. S.
Balsamus stomachicus.

Omnia enim sunt penetrantia.

Item alio modo;

℞. *Balsam. Peruv.* ʒj.
Olei destillat. anisi,
Fœnic.
Macis an. ℈ß.
Caryoph. gtt. v.
Cinnam. gtt. ij.
Corp. pro balsamo q. s.
M. S.
Balsamus stomachicus contra flatus,

Item:

℞. *Olei expreſſ. nucistæ* ʒij.
Destillat. anisi,
Macis an. ℈ß.
Caryoph.
Cinnam. an. ℈ß.
M. S.

Balsamus stomachicus.
℞. *Olei destillat. mastich.* ʒij.
Macis ℈j.
Caryoph.
Cinnam. an ℈ß.
Excip. cum s. q. *olei express. nuc. mosch.* pro *Balsamo.*
S.
Ut antè.
℞. *Olei destillat. bacc. iunip.* ʒj.
Menth. ʒß.
Macis,
Caryoph. an ℈ß.
Cinnam. gtt. v.
Cum s. q. *olei nucistæ* misc. pro Balsamo.
S.
Ut anteà.

Inungitur talis Balsamus sine ullo alio apparatu regioni ventriculi, præsertim isti, quam scrobiculum cordis vulgò appellant, & latere probè calefacto desuper imposito, vis penetrativa oleorum destillatorum animatur, ut aperiantur pori, laxenrur fibræ, & meatus anteà ferè occlusi, fiant admodum patuli & aperti; Atque ita externa spirituosa & oleosa, quò eò citiùs & potentiùs interiora versus penetrent: Vid. MAJOR *in Script. de Inunct. ventriculi.* Non est particularum volatilium harum interior penetratio de nihilo. Memini aliquando, ex tali balsamo applicato, ob crebriorem vomitum, ægrum à me interrogatum, cujus qualitatis & saporis sint ista rejecta, respondisse, percipere se in iisdem eundem saporem, qualem odorem ex Linimento applicato aliàs perciperet.

Balsamus Cephalicus Apoplecticus:
℞. *Petrol. albi* ʒii
Olei destillat. succin. ʒj.
Lavend.
Maior.
Spicæ an ℈j.
Misc. cum vel *sine corpore*, vel *cum eo oleo* nempè *nucistæ expresso.*
S.
Balsamus cephalicus.

Balsamus Carminativus:
℞. *Olei anethi,*
Chamom. an ʒii.
Destill. anisi,
Carvi vel *cumini,*
Bacc. lauri an ℈j.
Cum s. q. *olei express. nucist.*
F. *Balsamus:* S.
Balsamus contra flatus.
Vel cum s. q. *ceræ* aut *emplastri de baccis lauri* F. *Unguentum.* Quibus si addatur *tacamabaca*, cum s. q. *terebinthinæ* malaxata, fit *Emplastrum* inducendum super alutam:
D. S.
Emplastrum contra flatus.

Balsamum præservans manus & pedes à læsione frigoris externi:
℞. *Olei express. rapar.* ℥j.
Destillat. terebinth. ℥ß.
Corp. pro balsamo q. s.
M. S.
Vel
℞. *Olei express. sem. rapar.* ℥ß.
Petræ alb. ʒii.
Destillat. succin. ʒi.
Terebinth. ʒß.
Cum s. q. *corp. pro Bals.*
Misc.

Balsamum Vulnerarium:
℞. *Olei hyper.* ℥j.
Momord. ℥ß.
Bals. sulphuris ʒiii.
Olei express. nucistæ q. s. pro incorporatione.
S.
Balsamum Vulnerarium.

Olea quandoque absolutè præscribuntur pro Linimentis, & tunc vocantur olea,
S.
Olea externa.
Intelliguntur olea per infusionem & decoctionem parata.

Pro Linimentis porrò olea & expressa & Decocta simul junguntur cum oleis destillatis, quorum tripla vel quadrupla respectu illorum sufficit proportio; quoniam olea destillata sunt penetrantissima, olea infusa sunt inertia, olea expressa mediæ naturæ: v. g. sit præscribendum

Oleum contra lumbricos infantum:
℞. *Olei express. amygd. amar.*
Diacolocynth.
Destillat. absinth. ℈j.
M. D. S.
Oleum externum contra vermes.
Vel cum s. q. *Ceræ*
F. *Linimentum*, S.
Linimentum contra vermes.

Oleum seu *Linimentum somniferum:*
℞. *Olei express. sem. papau. alb.* ʒij.
Hyoscyam. ʒß.
M. D. S.
Linimentum somniferum.

Linimentum in Grauedine, & obstructione narium:
℞. *Olei Irin.*
Nicotian. an. ʒj.
Destillat. maior. ℈ß.
M. S.
Linimentum in obstructione narium.
Vel
℞. *Olei Irin.*
Nicotian. an. ʒj.
Express. nigellæ ʒß.
Destillat. anisi,
Major. an. gtt. ii.
M. f. *Linimentum.*
S.
Ut antè.
Quo nares crebriùs internè inungantur.

Linimenta spissiora communiter ingrediuntur axungiæ & pinguedines animalium: e. g. sit

Linimentum Antipleuriticum:
℞. *Pingued. muris mont.*
Olei chamom. an. ℥j.
Amygdal. dulc.
Sev. hirc. an. ℥ß.
Olei destillat. terebinth. ʒiij.
M. D. S.
Linimentum antipleuriticum.
Vel
Misce c. s. q. Ceræ, f. Unguentum.
S.
Ut antè.

Linimentum Carminativum:
℞. *Olei anethi,*
Chamom. an. ʒii.
Destillat. anisi,
Carui,
Chamom.
Cumin. an. ℈i.
M f. *Linimentum;*
Cum s. q. *ceræ* f. *Unguentum;*
Cum *corpore pro Balsamo*, F. *Balsamus;*
Cum *Tacamahaca* permista dant *Emplastrum.*

Linimentum discutiens in tumore ex contusione:
℞. *Olei chamom. per infus.* ℥ß.
Express. amygd. amar. ʒij.
Anethi,
Destillat. cinnam.
Fænic. an. ℈j. ad ℈ij.
Cum pauco *Ceræ* f. *Linimentum.*
S.
Linimentum discutiens.

Cæterum in compositione horum Linimentorum pro majore efficacia nonnunquam aliquid pulverum vel pulverisandorum solet admisceri, modò observetur, quod talia addenda in Linimentis sint penetrantia & subtilia, quoniam Linimenta debent penetrare, & proptereà subtilia & penetrantia eorum debent esse ingredientia, ne infarciantur pori, atque sic impetus olei & ejus penetratio impediatur; in tali enim casu ad ℥j. olei vix ʒß. pulverum potest admisceri.

Dabo e. g.

Linimentum in dolore pleuritico à me expertum in quadam pleuritica, quod tale est:
℞. *Pingued. muris mont.* ℥ß.
Olei chamom. per infus. ʒij.
Absinth. ʒj.
Destill. cumin. ʒß. ad ʒiß.
Croci ℈ß. ad ℈j.
Campb. gr. v. ad ℈ß.
M. pro *Linimento*, S.
Linimentum antipleuriticum.

Hoc calidè illinendum repetitur aliquoties, semper imponendo laterem calefactum: camphora & crocus potenter penetrant.

Ad mucilagines & sevа animalium etiam pertinet zibethum, quod non rarò etiam additur Linimentis ad sistendum dolorem, imprimis colicum: v. g. oleo nucis moschatæ expresso, oleo chamomillæ, vel oleo sambuci adduntur aliquot grana, estque sic præstantissimum remedium. Observetur autem, ut aliquot tantùm grana permisceantur aliquot drachmis, seu ℥ß. oleorum; quoniam est pretiosum, & valdè potens remedium.

Interdum unguenta officinalia per olea appropriata diluta in forma Linimenti præscribuntur: v. g. fit

Linimentum ad scabiem:

♃. *Ungnent. diapompholyg.* ℥j.
Olei Nicotian. ℥ß.
Balſ. ſulphuris ʒiii.
M. f. *Liniment.*
S.
Unguentum.

Vel cum f. q. *ceræ* f. *unguent.*
S.
Unguentum mundificans.

Linimentum Carminativum:

♃. *Unguent. Carminat. Zwelf.* ℥j.
Olei destillat. 4. sem. calid. mai. an. ℈ii.
Caryoph.
Menthæ an. ℈i.
M. F. *Linimentum*,
S.
Linimentum contra dolores.

Linimentum pro dolore nephritico:

♃. *Unguent. dialth.* ℥i. ad ℥iß.
Olei amygd. dulc.
Lil. alb. an. ʒii. ad ℥ß.
Scorpion ʒiii.
Petr. alb. ʒiß.
Destillat. bacc. iunip. ʒß.
M. D. S.
Linimentum pro dolore nephritico.

Illinatur regioni lumbari contra torturam & dolorem nephriticum. Posset quoque addi oleum papaveris expressum pro dolore sistendo, item aliquot grana laudani opiati, quæ & ipsa sistunt.

Vel

♃. *Unguent. dialth.* ℥j.
Petrol. albi ʒvj.
M. F. *Linimentum.*

Item

♃. *Unguent. popul.* ℥j.
Olei scorpion ʒij.
M. F. *Linimentum.*

Linimentum contra gravedinem & narium obstructionem:

♃. *Unguenti rosat.* ℥ß.
Ol. destillat. lavend.
Majoranæ,
Rorism.
Spicæ an. gtt. v.
M. F. *Linimentum.*
S.
Linimentum nares aperiens.

Linimentum anodynum pro cephalalgia:

♃. *Unguent. rosac.* ℥ß.
Ol. expreſſ. sem. papau. alb. ʒii.
Nucistæ ʒj.
Sem. hyoscyam. ʒß.
M. F. *Linimentum.*

Interdum alia, modò sub mistione debitam consistentiam acquirant, in Linimenti forma præscribuntur.

Linimentum ad pediculos:

♃. *Pulv. coccul. de Levante*,
vel
Rad. gent. ʒiß.
Helleb. alb. ʒß.
Cum *ol. Nicotian.* f. *Linimentum.*

Irrorentur sub mistione aliquot guttis *olei destillati spicæ*,
F. *Linimentum*,
S.
Linimentum contra pediculos.

Vel

Linimentum in tinea capitis & ad pediculos:

♃. *Sal. tartari per deliq. resol.* ʒiij.
Ol amygd. dulc. rec. expr. q. s.
pro consistentia *Linimenti* · adde
Olei destillati spicæ ʒß.
Misc.
S.
Unguentum mundificans.

Linimentum contra lumbricos.

♃. *Aloes hepat.* ʒii.
Myrrh. elect. ℈j. ʒß. ad ℈ii.
Cum f. q. *fellis tauri* plùs minus inspissati subacta,
S.
Linimentum contra lumbricos.

Frustulo vesicæ bubulæ vel suillæ palmæ magnitudine superinducitur, & ita umbilico applicatur, relinquendo, quamdiu adhæret.

Linimentum purgans:

♃. *Elaterii* ʒiii.
Scamnon. ʒiß.
Extract. trochisc. alband. ʒj.
Cum f. q. *ol. diacolocynth.* probè subacta redigantur in consistentiam *Linimenti*.
Vel
Cum f. q. *axungiæ porcinæ* vel *hircin.* f. *unguentum.*
D. S.
Unguentum laxativum.

Illinitur abdomini, & regioni umbilicali ad aperiendam alvum.

Vel *pro purgatione infantum*:

♃. *Aloes* ʒii.
Scamm. ℈j.
Fell. tauri inspiſſ. ʒj.
Butyri rec. q. s.
Hæc umbilico illinantur sub forma *Linimenti*.

Consistentia si sit spissa, vocatur,

UNGUENTUM.

Quod attinet præscribendi modum: cùm hæc majoris subinde sint apparatus, ac tardiùs ob id perficiantur, ordinariò recipitur vel unguentum officinale quoddam, vel additur oleis corpus pro debita consistentia.

Dabo exemplum: sit præscribendum *Unguentum emolliens & anodynum*, tunc sumo unguentum officinale, & præscribo hoc modo:

♃. *Unguent. alabastrin.*
Dialth. an. ʒii.
Ol. expreſſ. papau.
Destillati anethi an. ℈j.
Cum f. q. *ceræ* F. *Unguentum*,
S.
Unguentum emolliens contra dolore

Unguentum anodynum in cephalalgia:

♃. *Unguent. alabastrin.* ℥ß.
Medull. crur. vitul. ʒii.
Ol. expreſſ. papau. alb. ʒi.
Hyosc. ℈ß.
Cum f. q. *ceræ* f. l. a. *unguentum.*
S.
Unguentum dolores sedans.

Aliud *unguentum in dolore capitis febrili*:

♃. *Unguent. alabastr.* ʒiii.
Philon. Roman. ʒß.
Ol. expreſſ. nucist. gr. ix.
M. F. *Unguentum.*
S.
Unguentum somniferum.

Unguentum ad scabiem:

♃. *Unguent. enul.* ℥j. ad ℥iß.
vel
Unguent. enul. & diapomphol. an. ℥ß. ad ʒvj.
Flor. sulphuris ʒiii. ad ℥ß.
Cum f. q. *ol. Nicotian.* f. *unguentum.*
S.
Unguentum ad scabiem.

Ne verò ob pulveres adeò spissum fiat, addi poterit *oleum tartari per deliquium*, quod ob sal alcali radicitùs extirpat scabiem. Quod si loco sulphuris, & sociandi ipsi semper alcalisati, recipiatur *Mercurius dulcis* à ʒj. ad ʒii. vel ʒiii. iisdem & longè pluribus usibus in affectibus cutaneis hoc ipsum inserviet.

Utrinque saltem articulationi crurum circa genua & poplitem, ac brachiorum, circa cubitum & carpum in graviore malo, etiam circa digitorum interstitia illinitur: idque saltem vesperi sub introitu lecti, partes à frigore benè muniendo, manè verò urinâ calidâ abluendo.

Unguentum alcalinum absorbens acidum in tinea capitis, & fugans simul pediculos:

♃. *Unguent. pedicul.* ℥ii.
Sali tartari ʒiß.
Ol. Nicotian. ʒvi.
M. F. *unguentum.*

Unguentum mundificans:

♃. *Succ. absinth.*
Apii an. ℥iv.

Mell.

Mell. rosat. col. ℥vi.

Ebulliant ad consumptionem aquositatis,

adde

Pulv. viridis æris ℥iß. cum *aceto squillit. probè subact.*

Myrrhæ ʒiii.

M probè ad consistentiam *unguenti*.

Pertinet huc

Unguentum Fuscum Wurzii correctum:

♃ *Mellis depur.* ℔ß.

Extr. veron.

Plantag.

Chelidon. mai. an. ℥iii.

Extra solvantur in *aceto*, vel, quod meliùs, in *Phlegmate vitrioli*, & moderato igne continuò agitando inspissentur ad consistentiam debitam: circa finem

adde

Terræ vitriol. dulc. ℥ii.

Viridis æris ʒii.

M F. *unguentum*.

Unguentum contra ambustiones:

♃. *Cort. medii sambuci*,

Tiliæ an. M. ii.

Aquæ comm. ℔ii.

Digere calore moderato per duos dies, & noctes;

adde

Fimi ovilli ℥i.

Crem. calc. viv. ℥ii.

Coqu. lentè ad consumptionem superfluæ humiditatis, traiiciantur per sacculum lineum fortiter,

adde

Mellis candidi q. s. pro consistentia *unguenti*,

S.

Unguentum contra ambustiones.

Elegans *unguentum magistrale contra ambusta* per frixionem in butyro, describit BARBETTE *lib.* 3. *Chiru g. cap.* 6.

Unguentum contra scorbutum oris & cognata symptomata:

♃ *Flor. balaust.*

Malv. arbor.

Pulv. rad. bistortæ an. ʒi.

Myrrhæ elect.

Alum. usti an. ℈i. ad ʒß.

Mellis rosat. q. s.

Melli ad ignem liquefacto calenti inspergantur sensim pulveres,

M. F. *unguentum*.

Illinuntur hoc ipso gingivæ bis vel ter de die, præsertim à pastu, deinde vino rubro vel alio simplici abluantur. Imò mel solum depuratum aut rosatum cum spiritu salis ad sufficientem acorem tinctum, ceu optimum Linimentum laudatur: Vid. DECKERS *Comment. in Barbett. Praxin lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 156. ubi de scorbuto: elegans ibi Linimentum contra scorbutum oris describit.

Unum adhuc moneo de unguentis in genere: non rarò permiscetur theriaca cum oleis vel cum unguentis appropriatis, idque imprimis in affectibus abdominis & stomachi, ubi opus est vel doloris sedatione, vel nimii motus inhibitione, uti est in vomitu & diarrhœa.

Exemplum sit hoc:

♃. *Theriac. Androm.* ʒii.

Ol. express. nuc. mosch.

Bals. Peruv. an. ʒiß.

M. F. *unguentum*.

S.

Unguentum externum.

Contra odontalgiam & iunctam hemicraniam:

♃. *Theriac. Androm.*

Tacamab. pulverisf. an. ℥ß.

Bals. Peruv. ʒi.

M. D. S.

Unguentum sedans.

Inducitur in mediocri consistentia super linteum, & applicatur universæ malæ dolenti. Quod si phlogosis quasi erisypelacea adsit, omissâ Tacamahacâ *salis absinthii* ad ʒi. cum *theriacæ* ℥ß. vel ʒvi. subigi, & ita admoveri possunt.

Quinimò interdum sola Theriaca præcipitur inungenda, sed quoniam propter pulveres difficulter fit, propterea cum oleis fit unguentum. Tale unguentum valdè convenit in hypercatharsi, in cholera, & diarrhœa: in quibus illitum regioni stomachi vel scrobiculo cordis, valdoperè est conveniens.

EMPLASTRA

TAndem sequuntur, quæ tamen magistraliter præscribuntur componenda; quoniam multum temporis requiritur ad eorum præparationem, nisi in rarioribus casibus, quin ex officinali quadam massa vel sola, vel additis aliis ingredientibus, præscribuntur; ubi notetur:

1. *Malaxatio*.
2. *Usu patio*.
3. *Legitima forma*.

Quoad I. malaxantur, ut eò meliùs tractari possint; hinc propter spissitudinem subigi debent cum subiecto oleoso appropriato.

Quoad II. Emplastra talia non corio humano illinuntur, sed linteo crasso, Germ. *Parchent*, vel corio inducuntur, & ita cuti immediatè applicantur, si firmiter cohærere, & odor medicatus meliùs penetrare debet: sit minùs debent adhærere, ut in delicatioribus, quibus glutinositas cuti molesta est, imprimis, ubi adsunt pili in neutris, & quibus pruritus, pustulæ, excoriatio, phlogoses &c. per emplastra, præsertim, quæ gummata copiosiùs recipiunr, excitantur, sindone rubrâ obduci possunt. Mihi verò media placet via, ut saltem circa marginem ad latitudinem digiti transversi sindo assuatur, ut ita intentioni Medici therapevticæ, & cosmetices ægri studio satisfiat, utut suprà allegata incommoda minus hoc modo evitari queant, minus tamen defluere hoc modo molliora emplastra à partibus & faciliùs separari, quæ tenaciùs adhærent, solent: Calidis postmodum linteis vel lateribus operatio promoveatur.

Quoad III. Forma vel determinatur ex partis affectæ ratione, ut v. g. in forma scuti, vel alia applicentur, vel archetypus in charta simul transmittitur, ad cuius imitationem emplastrum alutæ inducendum; & tunc pro repetendo usu in sua massa præscribitur, sequenti modo:

Inducatur super alutam in forma transmissa, & obducatur sindone rubrâ:

Hoc est recipio chartam, quam incido in figuram & magnitudinem talem, qualem volo, ut ad magnitudinem talem fiat *Emplastrum*. V. g. sit præscribendum

Emplastrum contra cephalalgias inveteratas applicandum capiti:

♃. *Cerat. de beton.*

Pro bregm. usit. an. q. s.

Malax. cum s. q. *Balsami Peruviani & oleo succini*: indue super *alutam*, & obduc *sindone rubra* in forma orbis medii,

S.

Emplastrum cephalicum.

Emplastrum contra dolorem cruris venereum:

♃. *Emplastr. Andr. ZWelferi* ℥i. vel ℥iß.

Sacchar. saturni ʒiii. vel ℥ß.

Malax. cum *oleo colocynthidis*, inducatur super *alutam* in forma oblonga,

S.

Emplastrum dolores sedans.

Vel

♃. *Emplastr de ranis cum Mercurio* ℥i.

Polychresti Ludovici ʒiii.

Malaxetur cum s. q. *olei destillati ligni Guaiaci*,

S

Emplastrum discutiens:

Vel inducatur supra linteum crassum in forma quadrata, vel quadrata oblonga,

S.

Emplastrum dolores sedans.

Emplastrum pro splene dolente tumido:

♃. *Emplastr. de ranis cum duplo Mercurii*,

Splenet. usitat. an. q. s.

Malaxetur cum s. q. *olei destillati succini*, aut *Galbani Paracels*: inducatur super aluta in forma pro splene usitata,

S.

Emplastrum splenenticum.

Emplastrum contra dolorem & tumorem arthriticum:

♃. *Emplastr. diaphoret. Mynsicbtii* ℥iß.

Liquefactum malax. cum s. q. *olei Philosophorum*, aut potiùs cum *oleo destillato tartari fœtido*,

Theriaca ℥i.

M. D. S.

Emplastrum.

Emplastrum saturninum polychrestum *in affectibus externis* ab acido oriundis:

♃. *Ceruss.*

Lithargyr.

Aceti vini,

Ol. comm. oliv. q. v.

Mista

Misla invicem stent aliquandiu in digestione crebriùs agitando, hinc calore blando sub continua agitatione inspiss. ad consistentiam emplastri, & dum liquidum adhuc erit, à crassamento superfluo in fundo removeatur:

Massa in vesica suilla oleo illita, asseruanda,

S.

Emplastrum refrigerans & discutiens.

Aliud:

♃. *Minii* vel *saturni calc.* q. v.

Ebull. in s. q. *acet. destill.* quod calidum ita misceatur cum *ol. amygdalarum dulcium*, vel *sem. raparum* vel *leni rec.* continuò agitando, & nutritu benè miscendo, fiat *unguentum*;

Cui adde circa finem

Campb. cum ol. simili subact. q. s.

Cum *cera* verò unà liquefacta,

F. *Emplastrum.*

Emplastrum stomachale contra cardialgiam:

♃. *Emplast. stomachal. de Lad. Cratonis.*

Tacamab. pulverif. an. q. s.

Liquefacta in mortario calido cum pistillo calido malax. cum s. q. *Bals. Peruv.* & *oleo nucistæ expresso*, vel *stomachali Cratonis*, induc super alutam in forma scuti stomachalis, irroretur *oleo destillato mentbæ*,

S.

Emplastrum stomachale.

Aliud *contra cardialgiam Emplastrum Magistrale*, & ob id simplicius:

♃. *Tacamach.* vel *caranna* ℥iß.

Balsam. Peruv. ℥ß.

Malaxata probè inducantur supra *alutam* in forma scuti stomachalis, obduc *sindone rubra.*

S.

Emplastrum resoluens.

His adduntur interdum pulueres appropriati, ut *caryophylli*, *galanga*, *semen anisi*, &c.

Morello placuit singulare de scuto præscribere caput, utut hæc non sit peculiaris quædam formula medicamenti, sed tantùm cataplasma vel emplastrum, vel sacculus applicatus stomacho, sicut de Frontali sine necessitate factum fuit: Dicitur *scutum* à figura, applicatur ulteriùs circa scrobiculum cordis, ubi ad abdomen descendit gula, & residet stomachi orificium superius. Usitatissima Formula est emplastri, & præscribitur: *F. l. a. emplastrum in forma scuti stomachalis*; quale scutum stomachale interdum solet fieri rotundum, interdum verò, quod usitatius est, solet fieri quasi triangulare.

Experta sunt talia emplastra in cardialgia, anorexia, & similibus stomachi affectibus, quando quasi furibundus modò per lienteriam, modò per passionem cœliacam, modò per vomitum & cholerам, expellit contenta.

Hic vel maximè notandum duco: quod talia remedia, imprimis applicanda stomacho, debeant esse suaveolentia & suauiter odora, propterea, quod stomachus admodum consoletur benè odoratis, adeò, ut hoc ipsum non sine cura inculcet HELMONTIUS *in suis scriptis*, qui refert: se aliquando contumacissimam & periculosissimam cardialgiam vidisse sedatam solummodò oleo quodam suaueolente; & hoc communis quoque testatur experientia, quod graueolentia non rarò soleant excitare nauseam; sicut è contrà nausea & vomitus per suaueolentia facilè compescitur. Inter quæ suaveolentia vel primum locum obtinet cinnamomum, cuius vel aqua vel oleum destillatum internè sumptum multùm solet corrigere & emendare stomachum. Externè verò oleum nucistæ, seu oleum nucis moschatæ expressum, oleum macis destillatum, oleum caryophyllorum, oleum cinnamomi, balsamus Peruvianus & similia suaueolentia, nunquam omittenda in affectibus stomachi: Nam sanè interdum vel odoretenus penetrare talia videntur & corrigere maximas exorbitantias in stomacho non rarò obvias.

Emplastrum ad dolorem dentium temporibus applicandum:

♃. *Mastich.*

Tacamab. an. q. s.

Liquefacta induc supra *linteum sericeum* in forma rotunda Imperialis,

S.

Emplastrum dolores cohibens.

Emplastrum Spleneticum:

♃. *Emplastr. de cicut. usitat.*

Gum. ammon. in aceto solut. an. q. s.

Malax. cum s. q. *ol. capparum*, inducatur supra alutam in forma usitata emplastri splenetici.

S.

Emplastrum spleneticum.

Aliud *pro splene dolente, tumido* &c.

♃. *Emplastr. de ran. cum mercurio* ℥i.

Gum. ammoniac. cum aceto ad pultis consist. redact. ℥ß.

Opii in aceto solut. & inspiss. ʒß.

Malaxetur cum s. q. *ol. destillat. bacc. juniper.* vel *Philos.*

F. *Emplastrum*, &c.

Emplastrum spleneticum in scirrho lienis:

♃. *Emplastr. de Melilot.*

Gum. ammon. in aceto quocunque solut. an. ℥vj.

Liquefactis inspergatur

Pulv. fulig. furni ℥ß.

Misc & malax: cum *ol. tartari destillato*: induc supra *alutam*,

F. *Emplastrum*

in forma usitata *pro splene*,

S.

Emplastrum spleneticum resoluens.

Emplastrum in affectibus capitis commendatum ab HOECHSTEDTERO, *Dec.* 9. *Cas.* 3. & 4. *pag.* 316. & 321.

♃. *Cerat. de beton.* ℥ß.

Tacamab pulv. ʒvi.

Malax. cum *ol. maior.* & induc supra *alutam.*

Emplastrum ad passionem hystericam,

uel potiùs

Emplastrum contra convulsiones & spasmodicas contracturas partium neruosarum abdominis ex modernorum hypothesi:

♃. *Emplastr. Matric. de Galb. usit.* ℥i.

Galb in aceto solut. ʒß.

Malax. cum. s. q. *olei castorei*, vel cum *oleo cheirino*, vel cum *oleo succini* & *Balsamo Peruviano*: inducatur supra *alutam* in forma orbis medii vel paulò ampliùs absque sindone: irroretur cum *oleo destillato succini*,

S.

Emplastrum matricale.

Applicetur umbilico.

Aliud *Magistrale*:

♃. *Galb. in vino vel aceto ad pultis consistent. liquefact.* ℥iß.

Extract. castor.

Croci an. ʒii.

Olei destillati spicæ,

Succini an. ʒi.

M. in consistentiam *emplastri*: induc supra alutam, &c.

Sæpiùs adduntur gummata, quoniam sunt egregia in emplastris, dum incidunt & attenuant tumores.

Non rarò sola recipiuntur gummata, ut liquefcant in mortario calido, & inducantur supra alutam, & fiat emplastrum: v. g. sit faciendum

Emplastrum emollitiuum contra scirrhos:

♃. *Gumm. ammoniac.*

Bdellii ℥i.

Resin. carann. ʒvi.

Subigantur in mortario calido, supra *alutam* inducatur in forma transmissa, vel inducatur supra *alutam* in forma quadrata.

S.

Emplastrum emolliens.

Interdum istis gummatibus adduntur nonnulli pulueres, & ita fiunt emplastra extemporanea. Exemplum sit

Ceratum à me expertum *in Enterocele*, & *Epiplocele*, seu in *Herniis*:

♃. *Gum carann.*

Sem. nasturt. an. q. v.

F. cum *terebinthina cocta ceratum* vel *emplastrum* in forma transmissa,

S.

Emplastrum salutiferum.

Tandem, quod rarò tamen fit, ex tempore possunt præscribi *ex pulueribus appropriatis*, qui excipiuntur *pice nauali*, addità vel etiam omissà *terebinthinà*, quæ vocantur *Dropaces*, apud nos tamen non ampliùs usitati: Nihilominùs ut pateat formula, fit

Dropax contra Atrophiam, ex modernorum præscripto:

♃. *Pulv. pyretbr.* ʒiß.

Sem. sinap. ʒi.

Euphorb. ℈i.

Castor. ℈ß.

Pic. naual. q. s.

F. l. a. *Dropax*, applicandus calidè brachiis vel etiam pedibus in earum atrophia.

Exemplum *Dropacis* porrò subministrat *Emplastrum* expertum *Poterii ex pice ad malum ischiadicum*, quod habet in C. 2. *cap.* 13. & *c.* 86. ad cuius imitationem

♃. *Pic. naual.* ℥iv.

Terebinth. comm. ℥ß.

Liquefactis, & ubi opus fuerit, adhuc cum *oleo chamom. q. s.* subactis, adde successivè inspergendo, & benè agitando

Pulv. succin.

Mastich. an. ʒiß. ad ʒii. vel

Flor.

Flor. sulphuris, vel *sulphuris comm. subtiliter triti* ℥ß.
M. F. *Emplastrum*.

Inducatur super *alutam* aut *linteum crassum*, formâ quadratâ oblongâ, vel in forma transmissa absque sindone,

S.

Emplastrum discutiens.

Egregium est in ischiade, ut & in doloribus circa os sacrum ac ischium ex nimia onerum gestatione, aut simili causa externa, internum partium nexum plùs minùs lædente, natis.

Prostant etiam in officinis *emplastra vesicatoria*, quæ præscribuntur hoc modo:

℞. *Emplastr. vesicato- usit.* ʒi. vel ʒii.

Et præcipitur, ut æger de hoc super *alutam* inducat magnitudine thaleri, & ita applicet, aut manibus aut pedibus, &c.

Quod si tale emplastrum non prostet in officinis, tunc recipitur aliud emplastrum, in specie *emplastrum ex mucilaginibus*; huic additur *pulvis cantharidum*, pro singula uncia emplastri ʒi cantharidum; malaxentur invicem cum *terebinthina*, & applicentur sub forma thaleri. Ubi fortiùs agendum vesicatoriis, augenda est dosis cantharidum; ubi mitiùs, imminuenda.

℞. *Empl. de mucil.* ℥iß.
Cantharid. pulv. ʒi. vel ʒii.
(prout fortiùs vel mitiùs agendum est in corpore vel magis crasso, vel delicatulo)
Terebinth. q. s.
Misce: inducatur suprà alutam.

S.

Emplastrum vesicatorium.

De quo q. s. decidendum est, & applicandum parti.

Equidem hæc ita pauca satis esse videntur: quoniam verò vix ulla in compositione plures errores committi videntur, quàm harum inunctionum, pauca quædam addere allubescit.

Usus omnium horum *Linimentorum*, *Unguentorum* & *Emplastrorum*, ceu Topici saltem remedii, adeoque particulari partis cujusdam privatæ usui destinati, in genere triplex esse videtur.

1. Robur partis vitale in spiritu insito fundatum, vi quasi balsamica firmare & roborare; ab illo enim efficienter, ut nutritionis medio, partis conservatio, ita & restitutio; unde vulnerum, ulcerum fracturarum, plurium tumorum, &c. curationes. Nil verò magis huic inimicum est, quàm transpiratio prohibita, undecunque oriunda; hac enim ipsius tertiæ digestionis sordes principaliter evacuantur, quibus retentis, œconomia partis turbatur, spirituum motus sufflaminatur, tandem ipsis quasi suffocatis gangræna inducitur.
2. Robur partis animale in evtonia fibrarum mediante spiritu influo conservare, quinimò relaxatam illam roborare, & appropriatis humiditatem lymphatico serosam discutere & absumere, nunc contractam blandè lenire, & quasi rigidiores fibras emollire, & denique vitiatam in dolore, cui semper aliquid spasmodici plus minus solet esse iunctum, demulcere, & spiritum sedato undecunque nato orgasmo in naturalem tonum restituere; unde emollientia & anodyna sæpiùs solent esse reciproca. Hinc etiam HELMONTIUS in affectibus internis, v. g. dysenteria, in colica, cardialgia, spasmis nephriticis, & similibus, unguenta, &c. applicare, & foras lapide calefacto, vel sacculo avenâ calidâ pleno fovere jubet; quoniam tali potenti lapidis vel avenæ calore, super unguento positæ, eadem minuantur, ut dicit, & ita impulsiones symptomaticæ sistuntur. Rarum est, quod irritetur tonus fibrarum acrioribus, unde ex illarum strictura & pororum contractura, modificato contentorum motu, effectus attractionis, rubificationis, vesicationis &c. ferè insequi solent.
3. Heterogeneum istum, aut præternaturalium topicorum affectuum occasionalem causam, corrigere & alterare, seu temperare & coquere, hinc & plus minus removere per illa, quæ humectare, resolvere, & attenuare, maturare, suppurare, &c. dicuntur; in quo puncto acidum quæ corrigunt, & hinc viscidum resolvunt, ac attenuant, tantùm non primatum obtinent.

Quibus præsuppositis, duo in legitima inunctionum, si non omnium, saltem usitatiorum, compositione & præscriptione observanda moneo:

1. Ut ex volatili, seu facilè resolubili, constent materia.
2. Nihil iis admisceatur, quod nequeat per totum homogenealiter resolvi: id quod HELMONTIUS imprimis inculcat *Pharmac. & Dispens. Modern* § 57.

Prius quod attinet: agunt in nos iunctiones vel mediatè vel immediatè: ibi odorum instar penetrantium, hic contactu suo corporali: ibi in affectibus externis vel internis, hic profundiùs radicatis; hîc in externis. Hinc enim passim pro ventriculi &c. malis olea destillata recipere consuetum est, cùm externa in inflammatione Saturninum quoddam emplastrum, aut pulvis ex creta, saturno, &c. ut in erysipelate, inspersus magis in usu sint. De prioribus ergò ut imprimis intelligendum axioma, tamen & in posteriore, quantum possibile, observandum. Siquidem cujuscunque intentionis gratiâ applicantur inunctiones, semper pororum occlusio præcavenda, quâ superveniente, necessariò œconomia vitalis partis privata turbatur. Ergò vitanda sunt nimis unctuosa, viscosa, glutinosa, tenacia, quæ poros illinunt, & pertinaciter infarciunt. Unde præter modò insinuata incommoda partim ipsa agere intimiùs, aut operari quicquam nequeant, partim juncta aliis impediunt. E contrà quæ subtiliora sunt, penetrantia magis, & ita poros magis aperientia, præter hoc, quod nullum nocumentum parti infetant, saltem in faciendo suo officio, & specialim alteranda causa occasionali, erunt optima. BURRHO sanè hæc debetur laus secundùm BORRICHIUM *ad* BARTHOLINUM *Cent.* 3. *Epist.* 89. *pag.* 387. omnia ipsius emplastra ex volatili materia constare, adeò, ut unguentum pridiè illitum, postridie vix appareat unquam, damnatque Medicos, quod crassa illa corpora in emplastri formas compingant, quæ pororum angustias in agris nequeant subire. Ac sanè notabile est hoc ipsum in affectibus talibus, in quibus minùs locum habere hic modus externorum remediorum videri queat, nempè in hernia intestinali; tamen proficuum observatum fuisse RIVERIO *Observat. Communicat.* *propè finem*, *observ.* 14. *pag.* 371.

Modi unguentorum ex resolubilibus adeò, ac tantùm non volatilibus componendorum, forsan varii inveniri possent, modò consideremus glutinosum ac viscosum, ac quod tenax simul hinc existere solet, materialiter ex acido & pingui, illo agente, hoc patiente, sub determinata formali textura coalescere; unde modò corrigatur acidum citra fixationem, oleosum seu pingue eo ipso simul resolubilius, diffusibilius, & cujusvis acris potentiùs temperativum, effectivè refrigerans evadit. Ob hanc causam pluribus in unguentis & emplastris butyrum recens non salitum, oleo expresso, præsertim olivarum communi, longè præferendum puto; præ hoc enim illud est tenerius, minùs acido occulto concentratum, adeoque minùs viscidum, promptiùs penetrat, citiùs discutitur, magis est temperativum, præsertim salsi, & potentiùs alterativum. Scopus ergo iste, unguina talia resolubilia præparandi, variis forsan modis obtineri posset. Suggessit jam quendam DECKERS *Comment. in Barbetti Praxin l.* 2. *cap.* 2. *pag.* 59. Alius ulteriori sc utinio dignus fit cum *terebinthina pura*, cum *salibus volatilibus urinosis* in s q. *aquæ destillatæ* soluta; aut cum *spiritu salis ammoniaci* in mortario trituræ ope bene miscendo: coeunt mutuò in crassamentum album moderatè spissum, ita, ut emplastri modo induci possit, quod cuti admodum promptè vim suam citra insigniorem remanentiam exercebit, & additione olei destillati non adeò acrium ulterius determinari poterit. Tentaminis ergò in pleuritide notha cuidam graviter affecto præscripsi:

℞. *Sal. volat. urinæ* ʒiii.
Solv. in s. q. *aquæ destillatæ*,
adde
Terebinth. ℥i.
Misceantur in mortario lapideo successivè, celeriùs tamen paulò solutionem affundendo, & concitatiore tritu subigendo: adde pro meliore saltem sub tentaminis primi auspiciis successu
Emplastri de meliloto q. s. pro consistentia Emplastri.

Idque applicabatur cum successu non contemnendo.

Facere huc quoque videtur aqua calcis vivæ cum oleo rosato, quæ ambo ritè mista coeunt in consistentiam butyri, ad ambusta præsertim, vulnera, &c. egregii, cuius applicati vestigia pariter nulla sunt conspicua: huic pro aliis usibus etiam sacchari saturni aliquantulum addi, & inspergendo sub tritu in mortario uniri potest; v. g.

℞. *Aquæ calc. viv.* ℥j.
Olei rosat. ℥iß.
Sacch. saturn. ʒj.
Misc. saturno, licet obscuris suis vestigiis se prodente.

Sed aliis alios hæc persequendi modos relinquam.

Alterum quod attinet axioma: sanè in genere, quæ vel misceri nequeunt, ut aquosa & oleosa, vel quæ mista se invicem obtundunt, ut pulveres varii, cerâ ac oleo inviscati, frustra omnino componguntur, cùm vires debitas exserere nequeant. Officinalia ergo unguina, aut passim à Practicis usitata, quantâ egent correctione? Unde & non rarò simplicia quædam, & à rusticis plebeisvè levi artificio conflata unguenta subinde artificiosissimè compositis & selectis officinalibus præstant. Sanè olea ex vegetabilium decoctione & infusione parum valent, cùm de gummosa horum substantia nil, de aromatica resinosa in illa quasi concentrata parum, capiant. Pulveres vegetabilium ac mineralium oleosis, pinguibus & glutinosis inviscati, parum vel nihil omninò præstant, adeò, ut plures tales compositiones de nihilo dicendæ forent: cum è contrà sub libertate

tate sua inspersi inflammationi erisypelaceæ, cuti exulceratæ, quæ emplastra ferre nequit, ulceribus manantibus & similibus affectibus externis, suum quod est, faciunt, ut v. g. de lap. calaminari, lacte lunæ, creta, cornu Cervi usto, nuce moschata, aloe, &c. notum est, quæ incarcerata squalent sine usu; simili modo ferè, ac farinæ vegetabilium, fotuum aut cataplasmatum sub forma subindè proficuæ existunt, quæ oleo ceràque susceptæ inermes redduntur. Unde & omnes inunctiones, quæ adstringendi, firmandi, exsiccandi, &c. scopo in herniis, imminente abortu, prolapsu uteri, ulceribus, &c. applicantur, ceu condictoria rejicienda: pulveres styptici inviscati sunt frustranei, aut saltem ad extimam cutis superficiem sphæra activitatis eorum terminatur: pinguibus intereà calore actuatis fibrarum, etiam profundiùs sitarum, resolutione ac emollitione contrarium intentioni Medici operantibus. Obsevarunt hoc jam plures, & quæ mutuâ solutionis actione in se agere plus minùs, & se invicem unire, & ita citra impedimentum operari mutuò possunt, inunctionum in formam univerunt. Singulare quid saturnus hìc obtinet, qui & quarta Chirurgiæ hodiernæ videtur columna, ex eo, quod ulcera & vulnera, queque subsunt manui Chirurgi, peccent ut plurimùm subtili acido, qui in se solus, vel aceto subactus, promptè cum acido olei cuiusuis, intercedente presertim coctione, coit, ac ita emplastra polychresta constituit; dum ipsum in se arrosum quidem, sed nondum saturatum acido suo compari, acidi preternaturalium tumorum, uulnerum & ulcerum, patratoris pessimi, potentioris spicula recipit & secum retinet; dum pingues & oleosę particulę, à concentrante in viscidum acido liberatæ nonnihil, magis alcalinæ fiunt & resolubiles, magisque penetrativæ & temperativæ. Ex quo fundamento tanta saturninorum emplastrorum & compositio & varietas plus minus concinna enata fuit: quæ tamen vel obiter saltem, cùm præparationem ferè magis officinalem, quàm præscriptionem magistralem sapiant, ceu à scopo nostro aliena, insinuasse sufficiat.

FINIS.



INDEX

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM,

In Vniverso hoc Opere contentarum.

Numerus maior Tomum, minores paginam, literæ a. & b. paginæ latus indigitant.

A.

Aron quando natus. I. 444. b.
Abdominis cum cerebro consensus. II. 615. b.
Abdominis Hydrops. II. 603. b. 605. a.
Abdominis musculorum inflammatio. II. 507. a.
Abdominis tormina in peste ut curanda. II. 343. b.
Abdominis tumor post partum retentus unde, & quomodo curetur. I. 938. a.
Abdominis tumores scirrhosos curantia. II. 173. b.
Abdominis vulnera. II. 1008. a.
Abdominis dolorum differentia. II. 146. b. & 147.
Potio contra dolorem *abdominis* lancinantem. III. 559. b.
Abdominis gravidarum fissuræ & rimæ; nec non dolor tensivus. II. 873. a.
Abdominis infantum tormina. II. 936. b. Cura. II. 937. a. b. 938. a. b & 939. a.
Abel Moschi. III. 4. a.
Abhorrentia à variis rebus. I. 162. b.
Abies alba & rubra. III. 4. a.
Abietis foliorum, conorum seu strobilorum usus. I. 305. a. II. 447. b. & 448. a. III. 4. a. b.
Abietis ex conis oleum. III. 4. a.
Pulvis ex corrosione *abietum* à vermibus. III. 4. b.
Aqua cymarum seu summitatum strobilorum *abietis*. III. 4. b.
Ablactationis tempus. II. 931. b.
Abortus quid? II. 877. a. Ejus causæ. *Ibid. & seq.* Diagnosis. II. 878. a. b. Prognosis. II. 879. a. Cura & præservatio generalis. II. 879. a. b. & 880. a. Specialis. II. 880. a. b. Symptomatum facto abortu præcautio. II. 880. b. & 881. a.
Abortus plerumque facit steriles. I. 927. b.
Abortum graviores uteri hæmorrhagiæ comitantur, quàm legitimum partum. I. 927. b.
Abortum præseruans gallaturæ ovi esus falsò creditur. III. 512. b.
Pulvis contra *Abortum*. III. 388. a.
Abrotanum. III. 5. a.
Abrotani summitates. III. 480. b.
Abscessus quid dicatur. II. 972. a.
Abscessus critici. II. 979. b.
Abscessus hepatis. II 506. a.
Abscessus lactantium. II. 919. b.
Abscessus in pleuritide. II. 504. b.
Abscessus mesenterii. II. 491. b. Causæ, Diagnosis. II. 492. a. Prognosis, Cura. II. 492. b & 493. a. b.
Abscessum mesenterii sequens febris lenta. I. 832. b.
In *Abscessibus* an conferat sanguinis transfusio. I. 434. b. & *seq.*
Ceparum usus in *abscessibus malignis*. III. 31. a.
Cataplasma emolliens & suppurans *abscessus*. I. 576. a.
Absinthium. III. 5. a. 484. a.
Absinthium Ponticum. III. 6. a.
Essentia elegans *absinthii*. III. 6. a.
Extractum *absinthii* inspissatum *Ibid.* Syrupus. *Ibid.* Oleum. *Ibid.* Sal. *ibid.*
Spiritus *absinthii*. III. 5. b.
Carbones sub *absinthio* reperti. III. 17. a.
Vinum *absinthites*. I. 570. a. b. III. 6. a.
Absorbentia. I. 20. a. 245. b. I. 533. b.
Absorbentia qua methodo usurpanda. I. 536. a.
Absorbentia cur Præcipitantia dicantur. I. 235. a.
Absorbentia acidum impropriè dicuntur præcipitantia. I. 355. b.
Absorbentia nervina. I. 253. a.
Absorbens pulvis. III. 527. a.
Absorbentes pulveres externi. III. 531. a.
Abstergentium scopus purgatorius & formulæ. III. 428. b. & *seq.*
Absterlivum optimum sudor. I. 23. a
Abstersivum in vulneribus cacoetheis. III 217. a.
Abstemios an reddat anguilla in vino interemta. III. 211. a.
Abstinentia à variis rebus. I. 162. b.
Acacia vera. III. 6. b. *Germanica*. *Ibid.*
Acaciæ usus & præparata medica. III. 6. b.
Accipiter eiusque usus medicus. III. 206. b.
Accipitrina. III. 116. b.
Accretio deficiens ut fiat. I. 63. b. & *seq.*
Accretionis modus & ratio. I. 6. a. b. II. 359. a. (vid. *augmentatio*.)
Acescentia cerevisiæ &c. quomodo tollatur. I. 418. a.
Acetosa. III. 6. b. 479. b. 480. a. b.
Acetosæ species, & usus medicus. III. 6. b. 7. a. Præparata medica. III. 7. a.
Acetosella, eius usus in medicina, & præparata. III. 7. a.
Acetosi syrupi. III. 482. a.
Acetum quid. III. 130 a. 482. a. Quomodo fiat. III. 130. a. b. 131. a. Usus duplex & vires. III. 131. a. b. Quibus noceat. III. 131. b. 132. a. An calidum an frigidum. III. 132. a. Vermes in aceto. III. 132. a. Variæ aceti species. III. 481. b.
Aceta artificialia. III. 481. b.
Acetum destillatum. III. 132. b. 482. a. Quomodo fortificandum. III. 132. b. Radicatum seu alcalisatum. III. 132. b. Crystalli ex aceto III. 132. b.
Acetum acuatum; cum melle destillatum. III. 482. a. 258. a.
Aceta medicata per infusionem. III. 334. b. Per fermentationem. *Ibid.* & 335. a. Vsus. III. 335. a.
Acetum *radicatum* quid? III. 422. a.
Aceti usus menstruus. I. 353. a. b. III. 368. b.
Acetum vini, eiusque ratio, præparatio, dephlegmatio, intensio, usus medicus. I. 399 b. Noxa. I. 400. a. An sit calidum, an frigidum. I. 399. b. Quomodo degeneret vinum in acetum I. 399. a.
Aceti præparata. III. 132. b.
Aceti magma & crystalli. III. 482. a.
Acetum scorbuticis & hypochondriacis nocet. II. 437. a.
Aceta diaphoretica vel alexipharmaca, eorumque præstantia. III. 446. b.
Aceta sufficientia ad usum diaphoreticum. III. 440. b.
Achores infantum. I. 510. b. II. 956. b.
Acicula deuorata ex ulcusculo propè talum extracta. III. 77. b.
Aciculam ob deuoratam in dolore ventriculi usus milii &c. III. 77. b.
Acidularum *naturalium* ratio. I. 357. a. II. 170. a. b. III. 230. a. Usus & potandi ratio. I. 357. b. II. 1032. b. III. 230. a. b. Utendi modus. III. 230. b. & *sequ.* Vis earum à marte. II. 1032. b. An etiam de Veneris vitriolo participent. III 230. a. Quibus conveniant, quibus non. III. 230 b. III. 321. a. Operatio. ~~I. 284. a.~~ Nigro colore tingunt fæces; quid? si non. I. 388. b.
Acidularum usus antihypochondriacus & antiscorbuticus. II. 442. b. & *seq.*
Acidulæ an aliorsum transvehi & cum fructu usurpari queant. III. 231. a. b. Cur non incalescant quandoque. III. 231. b.
Acidularum *artificialium* ratio. I. 357. b. III. 489. a. Spiritus pro *acidulis* artificialibus. III. 302. a.
Acidi nomine quid veniat. I. 4. a.
Acidus sapor in quo consistat. I. 115. b.
Acidum & alcali non sunt principia formalia, sed tantum instrumentalia. III. 434. a. I. 40. a. I. 145. b. I. 552. a. Non sunt principia concretorum materialia, sed tantum principiata. I 40. a. I. 552. b. II. 2. b. Interdum sunt invicem transmutabilia. I. 552. b.
Per *Acidum* & alcali innumerabilis salium diuersitas comprehenditur. I. 40. a.
Ubi datus *acidum*, ibi etiam urinosum. I. 342. b. (vid. *Sal acidum*.)
Acido opponitur alcali. I. 4. a.
Acido & urinosum quomodo se vniant. I. 42. a.
Acida & alcalia cur coeant invicem. I. 4. b.
Acidum & *alkali* quatenus se mutuò destruant. I. 345. b.
Acida & urinosa in regno vegetabili dicuntur, quæ in minerali sulphurea & mercurialia II. 12 b.
Acidum in omnibus tribus regnis reperibile. I. 4 a.
Acidum inter & dulce datur tertium amarum. I. 764. b.
Acidi conceptum lingua sola suppeditat. I. 40. b. Imprimis in regno minerali reperitur iunctum cum pinguedine. I 40. b. Pinguedo acidum temperat & occultat. I. 40. b. Sali acido opponitur urinosum seu alkali. I. 41. a. Acida ut plurimum sunt volatilia. I. 40. b.

Aci-

Acidum ineſt ſulphuri, ſuccino, & omnibus oleis. I. 361. b. & *ſeq.*
Acida præparatio non quævis reiicienda. I. 542. b.
Acidorum vegetabilium duplex ſubſtantia. I. 244. a.
Acidorum vegetabilium uſus. I. 244 a. b.
Acidorum mineralium uſus. I. 244 b.
Acidorum præcipitatio. I. 354. b.
Acidi ſucci vegetabilium Scorbuticis & hypochondriacis non nocent. II. 437. a.
Acidum ſtomachi fixum quas noxas det. I. 414. a. b.
Acidi nomine in corporibus quid veniat. II. 5. a.
Acidum quot modis peccet. I. 15. b. I. 13. a.
Acidi in corpore plus minus morboſi differentia. I. 143. b. I. 414. a. Et varii effectus. *Ibid.*
Acidi morboſi origo. I. 534. b.
Acidum peccans cacochymiæ cauſa. I. 145. b. & *ſeq.* Illud corrigentia. I 146. b Occultè acida quæ. I. 147. a.
Acida ſtomacho dicata. II. 4. a.
Acidum primarum viarum præcipitans pulvis. III. 454. b.
Acidum & ſalſacidum peccans corrigentia. I. 20. a.
Acidum abſorbent omnes animalium duræ partes, imprimis marinorum. III. 415. b.
Acidum deſtruens pulvis. III. 527. a.
Acidum plus minus viſcidum corrigentia. III. 478. b.
Acidum deſtruens potio. III. 558. b.
Acidum abſorbens ſaturnus. III. 513. b. & *ſeq.*
Acidum abſorbens pulvis. I. 558. b.
Acidum inuertens puluis. III. 527. a.
Acidum volatile plus minus oleoſum in ſanguine corrigens potio. I. 564. b.
Acidum primarum viarum abſorbentia. I. 246. a.
Acidum & alcali vitiata ſimul remperantia. II. 10. b.
Acidum alterantia, invertentia, ſaturantia, abſorbentia, figentia, corrigentia. I 234. b. II. 9. a. I 15. b. I. 533. a. Modus iis utendi. I. 235 b. & *ſeq.* II. 10. a. I. 414. a
Acidum augentia, acuantia. II. 10. a. I. 414. a.
Acidum deſtruendi vim habent plantę Marti & Saturno dicatæ. III. 53. a.
Acidum eſurinum. II. 30 b.
Acidum hypochondriacum corrigentia. II. 438. a. b.
Acidum nervis inimicum. I. 399 a.
Acidum nervinum corrigentia. I. 252. a.
Acidum ſcorbuticum corrigentia. II. 435. a.
Acidum vitioſum in infantibus unde. I. 501. a.
Acidum viſcidum in infante corrigens. III. 562. a.
Acida gravidis vitanda & lactantibus. II. 929. b.
Acidum vini corrigentia & manifeſtantia. I 400. a.
Acini. III. 128. a.
Aconitum, eiuſque differentiæ. III 7. a. Vſus. III. 7. b.
Aconitum ſalutiferum. III. 14. b.
Aconita non omnia ſunt lethalia. III. 80. b.
Acor peregrinus ex putredine alimenti & ſanguinis natus. I. 411. b.
Acorus adulterinus, eiuſque uſus medicus. III. 7. b.
Pſeudo-*acori* electuarium. III. 353. a.
Acorus noſtras. III. 497. b.
Acorus verus, eiuſque uſus in medicina & præparata. III. 7. b.
Acori vis ſtomachica. I. 241 a.
Acre ſalſum temperans emulſio. III. 562. b. Sal volatile acre corrigentia. II. 10 a.
Acrimonia ſanguinis omnium maximè corpus affligit. I. 15. a. Quomodo corrigenda. *Ibid.* b.
Acrimoniam temperantia aromatica. II. 4. a.
Acrimoniæ acidæ præparandæ ad ſcopum purgatorium formula. III. 428. b.
Acrimoniam humorum temperans oleum olivarum. III. 85. b.
In Humorum acrimonia unio locum habet, non præcipitatio. I. 530. b.
Humorum acrimoniam temperans emulſio. III. 562. b.
Acrimoniam bilis temperans potio. I. 564. b.
Acrochordones. II. 591. a.
Actes Tincturæ uſus. III. 444. b.
Actionum animalium primi autores. I. 10. a.
Actionum animalium diverſitas unde. II. 613. b. & *ſeq.*
Actionum animalium exercitium quomodo fiat? II. 614. a.
Actiones brutorum quomodo fiant. II 688 b. & *ſeq.*
Actionum externarum brutorum ſimilitudo cum actionibus hominum. I. 11. b.
Actiones corporis tres. I. 6. a.
Actiones vitales à quo dependeant. I. 410. a.
Actionis ignotæ regimen. I. 763. b.
Actionum principium effectivum non eſt calor. I. 13. b.
Acuſticus nervus. I. 10. b.
Acuſticum oleum. III. 45. b.
Acutum quid dicatur. I. 117. b.
Acutus dolor. II. 651. a. Cura. II. 654. b.
In *acutis* quomodo procedendum. I. 21. a.
Acutis à morbis reconvaleſcentes cur ſubinde tam diu debiles & chronicis morbis obnoxii. I. 834. a.
Specificum Paracelſi in *peracutis*. III. 445. a. Julepus alterans in morbis *acutis*. III. 446. a. b.
Acuti morbi puerperarum. II. 910. a.
Adamas. III. 237. b.
Adamus fuit naturaliter mortalis ante lapſum, potuit tamen fieri immortalis beneficio arboris vitæ. I. 60 b.
Adeps. III. 504. a.
Adipis detractio. I. 686. a. b.
Adianthum aureum. III. 8. a.
Adianthum vulgare, eiuſque uſus & præparata. III. 8. a.
Adjuvans in compoſitione medicamentorum. I. 555. b.
Admiſſio viri læſa. II. 847. a.
Adſtrictionis ratio. I. 3. b.
Adſtringentia. I. 239. b. II. 3. b. Vulneraria. III 515. a.
Tinctura *adſtringens*. III. 324. b.
Ægagropila. III. 187. a.
Ægris temporum mutationes quomodo perceptibiles. II. 615. b.
Ægro ex remedii præſcripti uſu peius ſe habente, Medicus non ſtatim abſtinere debet ab eius ulteriori uſu. I. 941. b.
Ægrorum ephemerides. II. 650 b.
De *ægro* nunquam deſperandum. I. 189. a.
Ægrotare quid? II. 5. b.
Aeris indoles ac modus. I. 624. b. Quatenus reſpirationi ineptus euadit. I. 624 b. Eius gravitas. I. 625. a. Vis elaſtica ſeu elater. I. 35. b. I. 625. b. Quò inferior, eò gravior. I. 625. b Nunc denſior, nunc rarior: cur? I. 625. b. Aeris ſpirâ ſeu ad dilatationem aptitudo. I. 626. a. Quorſum aer inſpirando illabens propriè pertingat. I. 628 b.
Aer an ſit elementum conſtituens corpora naturalia. I. 35. b.
Aer, aqua & terra ſunt portiones globum noſtrum componentes. I. 2. a. b.
Aer per os inſpiratus maiorem impreſſionem habet; per nares temperatur. I. 791. b.
Aer plenus ſale Hermetico univerſali. I. 492. b.
Aer quantum valeat in alterandis rebus. I. 88. b.
Aeris neceſſitas & efficacia ad vitam. I. 14 b.
Aeris mirabilis natura & effectus in negotio reſpirationis. II. 926. a. I. 636. a.
Aerem volatiliſationis animalium eſſe cauſam. I. 629. b.
In *aere* occultus vitæ cibus. II. 926. a.
In *aere* particulas peculiares eſſe animalium vitæ ſummoperè neceſſarias refellitur. I. 641. a.
In *Aere* μιάσματα venenoſa. I. 630. a.
Morbi ex *Aere*. I. 163. a.
Ærugo & præparata inde. III. 274. a. b. III. 490. a.
Ærugo in plantis quid? III. 106. a.
Ærugo veneris. I. 391. a.
Æruginis ſpiritus. I. 353. a.
Æs viride. I 342 a.
Æris viridis Spiritus. I. 353. a. III. 368. b Vid. *Viride æs*.
Æris ſquammarum uſus quis? III. 436. b.
Æſculapius quomodo à veteribus depictus? I. 26. b. Ejus filii. I. 27. a.
Aqua Æſculapii. III. 339. b.
Æſtus febrilis unde. I. 812. a.
Æſtum in febribus malignis mitigantia. II. 310. b.
Æſtum febrilem compeſcens remedium. I. 811. b Julepus pro temperando *æſtu* in febribus. III. 565. a.
Æſtus in peſte cura. II. 341. b.
Epithema refrigerans *æſtum ſanguinis* polychreſtum. I. 565. a.
Julepus in nimio *æſtu* poſt exercitium tempore æſtiuo. III. 565. b.
Oxyrrhodinon contra nimium *æſtum* febrilem. III. 570. b.
Potus in nimio *æſtu*. I. 570. b.
Julepus in nimio *æſtu*. I. 566. b.
Pulvis contra *æſtus* vagos. III. 511. a. b.
Ætatis diviſio. I. 18. a. 158. a. Circumſcriptio ætatum per ſeptenarios. I. 18. a.
Ætatum ratione diæta. I. 18. a.
Ætherea materia Carteſii. I 626. b.
Ætites. III. 243. b. & 519 a.
Affectiones corporum variæ unde. I. 3. a.
Affectiones omnes corporum ex materia per motum explicandæ. I. 48. a.
Affectio Cardiaca infantum. II. 939 a. b.
Affectus duplex ſignificatio in Pathologia. I. 137. a.
Affectus animi. I. 426. b. & *ſeq.* In quo conſiſtant. I. 169. a. Quatenus faciant ad ſanitatis conſeruationem vel læſionem. I. 169. a.
Affectus connexi qui dicantur. I. 713. b.
Affectuum complicatio. I. 695. a.
Affectus vehementiores. I. 461. a.

Affectus morbosi cognitio ut fiat. I. 695. b.
Affectum exorbitantia nutricum & ejus noxa. II. 930. a.
Affion. III. 506. a.
Agallochum, quid sit. III. 8. a. Distinctio ejus ab aspalatho, proba, usus. *Ibid.*
Agaricum. III. 160. a.
Agarici usus. III. 426. b.
Regula de *Agarico*. III. 173. a. & 426. b.
Ageratum. III. 8. b. & 480. b.
Agglutinativa ligatura. II. 999. b.
Agni & eius partium usus. III. 181. a. 201. b.
Agnus castus. III. 8. b.
Agopodium. III. 14. a.
Agresta. III. 510. b.
Syrupus de *agresta*. III. 126. b.
Agrimonia. III. 8. b. & 9. a.
Agrippæ. II. 881. a.
Agrypnia. II. 616. b.
Agrypnia infantum. II. 946. a. b.
Agrypniæ in febribus acutis cura. II. 278. a. b.
Balsamum hypnoticum in *agrypniis*. III. 509. b.
Emulsio in *agrypnia*. III. 63. b.
Emulsio epithematis modo ad *agrypniam*. I. 567. a. III. 570. a.
Epithema in *agrypnia* & cephalalgia febrili. I. 565. a.
Pediluvium ad *agrypniam*. III. 605. a. b.
Pilulæ contra *agrypniam* melancholicam. III. 546. a.
Alabastrinum Unguentum. III. 612. b.
Alabastrites. III. 243. b.
Alauda ejusque usus medicus. III. 206. b.
Alba febris virginea, alba ictteritia. II. 831. a.
Albedinis ratio. I. 110. b. I. 109. b.
Albertus Magnus. I. 28. b.
Albugo oculorum. II. 634. a. b. Cura. *Ibid.* Infusum ad *albugines* oculorum. I. 574. a.
Album Græcum. III. 186. b. 487. a. Usus vulnerarius. III. 118. a.
Album nigrum in officinis quid? III. 201. a.
Albuminis ovi usus. III. 208. b.
Albus fluor mulierum. II. 820. b.
Alcahest. I. 352. a. III. 366. b. I. 354. a. III. 344. b.
Quis primus hoc vocabulo usus. III. 422. a.
Ejus subjectum, parandi modus, asservatio. III. 422. a.
Paracelsi, Helmontii. III. 423. b.
Ex viridi ære. I. 391. a.
Alcahestina. III. 484. a.
Alcalia unde ita dicantur. I. 343. a.
Alcali nomine quid veniat. I. 4. a. II. 5. a.
Alcali opponitur acidum. I. 4. a.
Alcali in omnibus tribus regnis reperibile. I. 4. a. Duplex. I. 4. a. I. 41. a.
Alcali & acidum salina principia. II. 3. a.
Alcalia non præexistunt in concretis formaliter, sed tantum materialiter. I. 553. a.
Alcali loco rerreum acido opponendum. I. 553. b. (Vid. *Acidum.*)
Alcali destruentia. II. 9. b *& seq.*
Alcali volatile augentia, alterantia, corrigentia. I. 413. b. I. 418. a. b.
Alcali volatilis diversa constitutio. I. 413. b.
Alcalium vegetabilium vis reducendi metalla. I. 388. a. De Alcalibus emplastrum. III. 360. b. III. 501. b. Quasi *alcalia*. I. 4. a. I. 42. b.
Alcalisata in salsum saporem mutandi modus. III. 443. b.
Alcea Syriaca. III. 9. a.
Alcea vesicaria. III. 9. a.
Alceæ vulgaris descriptio. III. 9. a.
Alcea vulgaris major. III. 9. a.
Alces. II. 181. a. b. Eius ungulæ qua ratione vim epilepticam exerant? I. I. 181. b.
Al Chermes electuarium seu confectio. III. 353. b. III. 34. b. III. 511. a.
Alchimillæ descriptio, vis & usus. III. 9. a. 515. b. Græcorum. III. 9. a.
Alcohol quid? I. 559. a. III. 388. a. 526. b.
Alexander quando Darium aggressus. I. 445. a.
Alexipharmaca duplicia. II. 4. a. Vid *diapboretica*. Radices *alexipharmacæ*. III. 442. b.
Alexipharmaca antifebrilia ritè applicandi modi. II. 302. b. 305. b.
Alexipharmacorum sudoriferorum usus. III. 441. b.
Composita & præparata sufficientia ad usum *alexipharmacum*. III. 440. b.
Essentia theriacalis *alexipharmaca*. III. 445. a.
Epithema *alexipharmacum* penetrans. III. 511. b.
Alexipharmacum electuarium. III. 353. b.

Alexipharmacus pulvis contra fumos metallicos. III. 529. a.
Algens dolor. II. 651. b. Cura. II. 655. a.
Alimenta massæ sanguineæ restaurationi & corporis nutritioni; motus moderatus ejus assimilationi & purificationi inservit. I. 14. b. I. 412. a.
Alimenta quomodo in chylum abeant & nutriant. I. 14. b. I. 62. b.
Alimentorum natura. I. 165. a.
Alimenta quatenus varient dispositionem hominum. I. 164. a.
Alimenta vitiosè assumta, aut non vitiosa ex depravato stomachi fermento non ritè cocta, aut rectè cocta non ritè à fæcibus separata &c. quas noxas dent. I. 414. b. I. 340. a. I. 164. a. II. 31. a.
Alimentorum determinata aversatio unde? I. 6. b.
Alimentorum legitima fermentatio. I. 14. b.
Alimentorum necessitas. I. 6. a.
Alimentorum præparatio in ore. I. 6. b. *& seq.*
Alimentorum quantitas, qualitas, assumendi modus. I. 411. b. *& seq.* I. 14. b.
Alimentorum selectus. I. 194. b.
Alimenti corruptio. I. 164. b. I. 411. b.
Alkekengi natura & virtutes. III. 9. b. Præparata. *Ibid. & seq.*
Alkekengi usus diureticus. I. 296. a.
Allantoides. I. 12. b. 134. a.
Alleluja herba. III. 7. a.
Alliariæ descriptio, & usus. III. 10. a.
Alliatum elixyr. III. 357. b.
Allioti cura carcinomatis sine ferro & igne. II. 1020. a. b.
Allii natura, efficacia & utendi ratio. III. 10. a.
De *Allio* electuarium. III. 354. a.
Allium sylvestre. III. 10. b.
Aloes triplex differentia. III. 174. a. Virtutes. *Ibid.* a. b. II. 21. a. b.
Aloe quale purgans. III. 425. a. b.
Aloes selectæ usus laxativus. III. 430. b.
Aloes usus vulnerarius. I. 338. a.
Dilutum *aloeticum* blandum laxans. III. 431. a.
Quare *aloe* & aloetica post alvi laxationem ejus obstructionem relinquant. III. 174. b. Aloes insuccatio. III. 175. a.
Aloes Succoterinæ vis purgans. I. 278. b.
Aqua *Aloetica*. III. 340. a.
Lignum *aloes*. III. 8. a. 497. a.
Pilulæ ex *Aloe rosata* quomodo acuandæ. III. 431. a.
Alopeciæ infantum cura. II. 958. b.
In *Alopecia* quid conveniat? II. 472. b.
In *Alopecia* apum usus. III. 216. a.
In *alopecia* remedium ex muscis. III. 222. a.
In *alopecia* ursi pinguedinis usus. III. 205. b.
Alsine, ejusque usus. III. 10. b.
Alsine major lati folia. III. 10. b.
Alterantia. III. 478. b. a. I. 534. a.
Alterantium ratio. I. 233. a. b.
Alterantia primaria. III. 4. a.
Alterantia secundaria. III. 130. a.
Alterantes noduli ex vegetabilibus cum limatura Martis. I. 390. a.
Alterantia bino modo prosunt. II. 3. a. Specifica & appropriata. II. 3. b.
Alterantia respectu acidi, alcali &c. I. 234. a.
Alterantia respectu effectus caloris &c. I. 237. b.
Alterantia respectu certarum solidarum partium læsarum. I. 240. b.
Alterantia sanguinis crasin vitiatam. I. 20. a.
Decoctum *alterans* & laxans. I. 571. b.
Decoctum *alterans*, exsiccans & putredinem inhibens. I. 573. a.
Alteratio quid? I. 233. a.
Alteratio quando contingat. I. 44. b.
Alterationes corporum unde. I. 38. b.
Alrhææ descriptio, virtus & usus. III. 10. b. *& seq.*
Alumen. III. 314. b.
Aluminis præparata, depuratio &c. I. 361. a. b. III. 315. b.
Alumen regeneratur ab aere in terra exhausta. III. 321. a. I. 361. a. I. 492. b.
Alumen cognatum vitriolo. I. 360. b. Generatio ex pyrite. I. 361. a.
Aluminis species. I. 361. b.
Aluminis usus. I. 361. a. b. III. 315. a.
Alumen Catinum veterum. III. 315. a.
Alumen plumeum. III. 316. a. b.
Minera *aluminis*. III. 254. b.
Saccharum *aluminis*. I. 361. a. b.
Alvus: Alvi excretorum color naturalis. I. 733. b.
Alvi fluorem biliosum corrigentia. II. 10. a.

Alvi fluxus in hectica & abscessu mesenterii cura. I. 836. b.
Alvi fluxus omnis fit vitio stomachi. I. 724. b.
Alvi fluxus & expulsio contentorum aucta. II. 100 b.
Nectar adstringens in *alvi fluxibus*. III. 7. b.
Signa prognostica ex *alvi* dejectionibus. I. 190. a.
Alvi Retentionis & adstrictionis causæ. II. 88. b.
Alvi obstructio, & imminens ileos cum Hemorrhoidibus apertis. I. 720. b.
Alvi obstructionem recidivantem præcaventia. I. 776. a. b. 777. b.
Infusum passulatum laxativum pro iis, qui *alvi* sunt siccioris. I. 569. b.
Clysmata ad leniendam *alvum*. III. 347. a.
Clysma emolliens in fæcibus *alvi* induratis. III. 592. b. III. 347. a.
Electuarium contra *alvum* nimis obstructam. III. 538. a.
Pilulæ in desperata *alvi* obstructione. I. 562. b. III. 544. b.
Pilulæ laxantes contra obstructionem *alvi* in muliere hysterica. III. 543. b.
Mistura blandè *alvum* emolliens in imminente morbo iliaco. III. 557. b.
Pilulæ in *alvi* torminibus. III. 147. b.
Alvus suppressa puerperarum. II. 907. a. 892. b.
Alvi infantum fluxus. II. 951. a. b.
Pulvis puerilis in *alvi* fluxu. I. 559. a.
Alvi tormina & excreta varia infantum unde? I. 501. a. Cura. I. 509. b.
Alvi infantum adstrictio. II. 941. a.
In *alvo* infantum purganda anseris pinguedo quomodo applicanda. III. 206. b.
Alysson Galeni & Dioscoridis. II. 11. a. b.
Amalgamatis etymon. I. 356. a.
Amalgamatum ratio. I. 374. a.
Amara dulcis cur ita dicatur, ejusque usus. III. 11. b.
Amaracus. III. 72. b.
Amaranthus ejusque differentia. III. 11. b.
Amaror oris in febribus quid signet? I. 812. a.
Amarum quot modis peccet. I. 15. b. Illud corrigentia. I. 16. a.
Amarum tertium inter dulce & acidum. I. 764. b.
Amara hepati dicata. II. 4. a.
Amaurosis. II. 640. a.
Ambre natura & origo; variæ Autorum sententiæ. III. 330. a. I. 319. b. Est triplex ambra. II. 330. a. Proba, an sit legitima. III. 330. a. Usus ambræ grifeæ. III. 330. b. Essentia ex ambra. III. 330. b.
Ambra occidentalis Paracelsi. III. 197. a.
Ambræ depuratio quomodo instituenda. III. 201. a.
Ambræ præparata. III. 503. b.
Ambram ursurpandi modus. III. 503. b.
Ambrosiaci decocti ex milio usus. III. 440. b.
Ambustio & ejus gradus. II. 1020. b. Diagnosis, prognosis, cura. II. 1021. a. b. ... 162. a.
Cancrinorum usus in *ambustis*. I. 405. a.
Emplastrum ad ambusta. III. 615. b.
Unguentum contra *ambustiones*. III. 245. a. 412. a. 514. b. III. 613. a.
Amethystus. III. 237. b.
Amianthus. III. 243. b. Præparata ex eo. III. 244. a.
Amianthi differentia ab alumine plumoso. I. 361. a.
Ammi verum. III. 11. b.
Ammoniaci usus incisivus visciditatum. III 481. b.
Ammoniacum Gummi. III. 133. a. 480. b. Vires ejus. III. 133. a. Usus pectoralis. I. 250. b.
Salis *Ammoniaci* virtus carminativa. I. 242. b.
Spiritum Salis Ammoniaci parandi modus. I. 344. a. & seq.
Producta salis *Ammoniaci*. I. 243. a. Vid. *Sal Ammoniacum*.
Amnion. I. 12. b. 134. a.
Amomum. III. 11. b. 497. a.
Amor insanus, ejus diagnosis. II. 773. a. b. Cura. *Ibid.* b.
Amantium deliria. I. 417. a. b.
Amor mutuus consanguineorum unde? I. 329. a.
Amoris naturalis inter consangnineos vis. II. 774. b.
Amorem conciliaus hyppomanes. II. 487. b.
Amputatio membri ægri, quomodo instituenda? II. 1030. b. & seq.
Amuletorum vis unde? III. 2. a.
Amuletica vis gemmarum. I 397. b.
Amygdalæ. III. 11. b. Dicuntur fructus Joviales. *Ibid.*
Amygdalæ dulces & earum præparata. III. 508. a. III. 11. b. & 12. a.
Amygdalarum amararum usus. III. 12. a.
Amygdalata seu amygdalarum dulcium emulsiones. III. 362. b. 363. a. Earum usus, abusus. III. 363. a.
Amylum. III. 508. a.
Anacardium. III. 12. a. 501. a.
Anacardinum electuarium. III. 354. a.
Anacollema quid sit? III. 569. a. III. 345. b.
Anagallis. III. 12. b. 501. a. 479. b.
Anagyris non fœtida. III. 160. b.
Ἀναισθησία. II. 731. b.
Analeptica. I. 318. a
Analeptica aqua. III. 338. a. 505. a.
Analeptica temperata. III. 510. a.
Electuarium *analepticum* pro sene. III. 535. a.
Emulsio *analeptica*. III. 563. b. I. 567. a.
Analogiæ micro- & macrocosmi autor: est saltem generalis. I. 811. b. & seq.
Analogismus quid. I. 1. a. I. 18. b.
Analogismo quatenus Medicus insistere debeat, & in quibus punctis valeat. I. 200. a.
Anaphthia. II. 683. a. II. 200. b.
Anarrhinum. III. 15. a.
Anas ejusque usus medicus. III. 206. b.
Anasarca. II. 379. a. 384. b. 603. b. Ejus differentia à Leucophlegmatia. II. 379. b. Causæ. II. 389. a. Diagnosis, prognosis, cura. ... 384. b. & seq.
Anasarcæ ex potu cura. II. 385. a.
Decoctum diureticum contra *anasarcam*. III. 582. b.
Anastomosis. II. 530. b. Cura. II. 532. b. & seq.
Anatomia Medicinæ oculus dexter. I. 1. b. 31. a.
Anatomiam præsupponit Chirurgia. I. 1. b.
Anatomicus insignis Herophilus. I. 27. b.
Anethum. III. 13. a. 498. a.
Anethum ursinum. III. 77. a.
Aneurisma. II. 992. b. Ejus Diagnosis, Prognosis, cura. II. 993. a. I. 227. a.
Angelica. III. 13. a. 442. b. Ejus oleum. III. 443. a.
Angelica conducit in affectibus uteri. I. 254. b.
Angelicæ balsamum. III. 342. b.
Angelicæ radicis usus diaphoreticus seu sudoriferus. I. 305. b.
Angelicæ spiritus abstractitius. III. 443. a. Modus elegans parandi extractum angelicæ. III. 443. a. Acetum. III. 335. a.
Angina unde dicatur. II. 478. a. Ejus descriptio & divisio. II. 478. a. Formalitas, causæ. *Ibid.* Diagnosis. II. 479. b. Prognosis. II. 479. b. Cura. II. 480 a. b. & seq.
Angina epidemica. II. 481. a. & b.
Angina notha. II. 479. a. 486. b.
Angina pestilentialis. II. 329. a.
Anginæ ex peste cura. II. 344 a.
Anginæ remedia externa quænam? II. 482. b. 483. a.
Anginæ specierum quænam sit gravior, quænam levior? II. 480. a.
Anginam in variolis præcavendi ratio. II. 963. b.
Gargarisma in *Angina*. III. 66. a. III. 96. a.
Gargarisma resolvens & discutiens in principio *anginæ*. III. 595. b.
Gargarisma suppurans inflammationem in *angina*. III. 596. a.
De *Angina* ex luxatione & compressione vertebrarum colli judicium. II. 479. a.
Contra *anginam* nidi hirundinum usus. III. 209. b. Nec non noctuæ combustæ. III. 210. a.
Anguilla, ejusque in Medicina usus. III. 211. a.
Anguillæ Hepar & fel. III. 487. b.
Anguillæ pinguedo. III. 504. a.
Anhaltina aqua. III. 337. b.
Anhelandi difficultas ex imminentibus morbillis. II. 963. b.
Anhelatio. II. 178. b.
Anhelitus asthmaticus. II. 178. b.
Trochisci sublinguales contra fœtorem *anhelitus*. III. 539. b.
Anima quid? II. 6. a. I 651. b. & seq. Chymicis quid? I. 377. a. An materiale quid? I. 4. b.
Anima animalium in quo consistat. II. 613. b.
Animam an habeant bruta contradistinctam materiæ. II. 689. a.
Animam sensitivam constituentia. I. 10. a.
Animæ sensitivæ rationem proximè constituit spirituum animalium exercitus. I. 104. b.
Anima humana an materialis. I. 652. a.
Animæ in homine an plures una. I. 52. b. 59. a. b.
Anima incorporea seu rationalis in brutis est nulla. I. 2. a.
Anima rationalis soli homini propria. I. 2. a. I. 5. b. I. 59. a.
Animæ rationalis constitutio. II. 6. a.
Anima rationalis quomodo operetur. II. 688. a. b.
Anima rationalis quomodo formet conceptus seu ideas repræsentantes exactè externas impressiones. I. 10. a.
Anima rationalis unita cum corpore sensuum ministeria & exercitia præsupponit. I. 6. a.

Animæ rationalis diversitas ab animæ sensitiva brutorum. I. 11. b.
Animæ rationalis sedes. I. 652. b.
Animæ rationali cum œconomia corporis vitali & animali, quatenus tali, nullum est commercium. II. 613. b. Illi tamen instrumentaliter inservit spiritus animalis. II. 613. b.
Animæ Gummi seu resina. III. 133. b.
Animalia sunt vel calida vel frigida. I. 57. b. I. 426. b. I. 5. a.
Animalium calidum vis vitalis longè faciliùs destructibilis & dissipabilis est, quàm frigidorum. I. 57. b.
Animalium affectio communis. I. 105. a.
Animalium in actionibus diversitas unde. I. 105. a
Animalia quæ & qualia nobis suppeditent alimenta. I. 166. a.
Animalia viventia vel violentiâ morte interemta, non spontè mortua, in usum medicum adhibentur. III. 180. a.
Partes *animalium* prodesse partibus in homine, quibus respondent. III. 181. a. III. 486 b.
Multum refert in qua dispositione *animalia* moriantur, quorum partes ad usum medicum quæruntur. I. 461. b.
Animalium quænam partes usui medico conveniant. III. 180. a.
Animalium producta chymica parum invicem differunt, si insecta exceperis. I. 404. a. Productorum illorum quot & quænam. I. 404. a. Prædominans in iis principium esse salurinosum. I. 404. a. In quibusdam prædominatur acidum. *Ibid.*
Usus generalis productorum chymicorum ex *animalibus*. I. 404. b. Specialis. I. 405. a. b.
Animalis facultas. II. 27. a.
Animales actiones. I. 6. a.
Animalium actionum primi autores. I. 10. a. I. 652. b.
Animalium functionum læsio. II. 688. a.
Animalium spirituum nimius, inordinatus & vitiosus motus in partes externas. II. 696. b.
Animalium spirituum officia. II. 629. a.
Animales passiones. II. 629. b.
Animi pathemata. I. 426. b. & seq.
Animi passionum vis in gravidis. I. 169. a.
Anisum. III. 14. a. III. 498. a.
Anisi oleum. III. 485. b.
Loco confectionis *anisi* quales morsuli pro scopo purgandi mulieribus præscribendi. III. 429. b.
Anodyna. I. 239. b. III. 505. b. III. 508. b. III. 483. b. II. 3. b.
Anodyna nervos solantia. I. 253. a.
Anodyna cataplasmata. III. 507. a.
Anodyna emplastra. III. 501. b.
Anodynus Clyster polychrestus. I. 577. b.
Anodyna Emulsio temperativa. III. 509. b.
Anodyni flores vitrioli. III. 323. b.
Anodyni martis flores. I. 390. a.
Anodynum vitrioli sulphur. I. 360. a.
Anodynus pulvis. III. 506. b.
Anorexia. II. 31. a Ejus subjectum. *Ibid.* Causæ. *Ibid.* Diagnosis, Prognosis. II. 32. b. Cura. *Ibid.* & seq.
Anorexia; consultatio de ea. I. 697. a.
Anorexia infantum. II. 939. b. I. 501. b.
Decoctum contra *anorexiam* & ictErum. III. 30. a.
Morsuli purgantes pro virgine delicatula laborante *anorexiâ* in morbo virgineo. III. 541. a. b.
Nodulus alterans & laxans in *anorexia*. III. 575. a.
Anseris usus medicus. III. 206. b.
Anserculorum stercora. III. 486. b.
Anserina. III. 14. b. 511. b. & seq.
Antares Arabibus quid? I. 444. a.
Anthelmintici morsuli. III. 419. b.
Anthophylli. III. 497. a.
Anthora. III. 14. b.
Acetum *Anthosatum*. III. 335. a.
Anthrax. II. 981. a.
Anthrax pestilentialis, & ejus cura. II. 339. a.
Antidotus Matthioli. III. 354. a.
Antidotus Mithridatis. III. 355. a.
Antimonij natura. I. 364. a. b. III. 293. a. II. 12. b. & seq. III. 434. a.
Selectus. III. 293. b. III. 434. a.
Usus. I. 365. a. III. 293. b. III. 434. a. Usus vomitorius. III. 435. b. I. 261. a. b. III. 434. b. 309. b. Usus purgatorius. III. 295. b.
Præparationes. I. 365. a.
Calcinatio. I. 365 a. III. 294. b.
Præcipitatio. III. 299. a. b.
Sublimatio. I. 367. b III. 299. b.
Extractio. I. 371. a. III. 302. a. b.
Electuarium Crollii. III. 357. a.
Cerussa. III. 299. a.
Crocus, hepar. III. 435. b. III. 296. a.
Magisterium. I. 367. b.
Infusio. III. 304. b. & seq.
Salificatio, mercurificatio. III. 305. a. b.
An ad antimonii præparationes specialis astrorum influxus & constellationis tempus observandum. III. 294. a.
Antimonii regulus. I. 366. b. III. 298. a.
Reguli hujus scoriæ. III. 298. a. Stella. III. 298. b. I. 367. a.
Modus parandi regulum. III. 298. b.
Modus separandi Sulphur à Regulo. III. 298. a.
Usus. III. 298. b. & seq.
Antimonii vitrum. I. 365. a. III. 294. a. b. II. 13. a. III. 434. b. II. 13. b. & seq. I. 260. b. I. 280. b. II. 13. b. 14. a.
Vitrum folaie. III. 294. b.
Vitri correctio. III. 294. b.
Antimonii Flores. III. 435. a. III. 299. b. & seq. I. 367. b. III. 436. a.
Antimonii butyrum. III. 288. b. 435. a. 289. a. 459. a. b. I. 368. b. & 369. a.
Antimonii acetum. I. 368. a. III. 301. a.
Antimonii caput mortuum. I. 367. b.
Antimonii Cinnabaris. III. 300. b. I. 307. b. I. 370. b.
Antimonii destillatio. I. 368. a. III. 301. a.
Antimonii oleum. III. 301. a. b.
Oleum mellitum. I. 368. b.
Oleum glaciale. III. 288. b.
Antimonii clyssi. III. 301. b.
Antimonii Spiritus saccharatus. I. 368. b.
Antimonii Sulphura. III. 302. a. b. II. 13. a. III. 457. a. I. 371. a. b. I. 377. b. I. 253. a. II. 14. b.
Antimonii Tincturæ. III. 303. b. & seq. III. 457. b. I. 308. a. I. 372. a. b. III. 437. b.
Antimonium solem optimè depurat, cætera metalla rodit. III. 261. a.
Annon ex *antimonio* aliquid perpetuò per inferiora purgans parari queat. III. 437. a. Correctio virtutis ejus emeticæ. III. 437. a. b.
Antimonialia quibus conveniant. I. 376. a.
Antimonialium fixorum abusus in acutis. I. 834. b.
Antimonium Algarethi. III. 435. b.
Antimonium colliquatum. III. 474. a.
Antimonium crudum an in Medicina alicujus usus. III. 434. b.
Quomodo referandum *Ibid.*
Antimonium crudum an per se sit vomitorium. I. 261. a.
Antimonium diaphoreticum. III. 297. a. Præparatio. *Ibid.* I. 367. a. b. III. 455. b.
Antimonium diaphoreticum quatenus vim purgantium augeat. III. 159. b.
Lapis ignis *Antimonii* Basilij Valentini. I. 372. a.
Concretum *antimoniale* analogum. I. 372. a.
Antipathia hæreditaria unde. I. 65. a. b.
Antiquartium febrifugum Riverii. II. 260. b. III. 493. a.
Antirrhinum. III. 15. a. III. 500 b.
Anus exulceratus in tenesmo ejusque cura. II. 131. b.
Ani inflammatio; Causæ, Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 496. b. & seq.
Ani procidentia. II. 162. b. Pars affecta, causæ. *Ibid.* Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 163. a. b. III. 9. a.
In *ani* procidentia oleum ceræ proficuum. III. 217. b.
Ani infantum procidentia. II. 943. a.
Ani pruritus ejusque cura. II. 140. b.
Anxietas quale symptoma. I. 714. a.
Anxietatum in peste medela. II. 344. a.
Anxietas præcordiorum in scorbuto ejusque cura. II. 456. b. & seq.
Apepsia. I. 695. b. Ejus Symptomata. I. 696. a. Causæ. *Ibid.* Prognosis, cura. I. 696. b. & seq.
Apepsiæ fenum conducibilia. I. 243. b.
Aper & ejus partes, quæ sunt usus medici. III. 182. a.
Aperientium ratio. I. 245. b. & seq. II. 3. a. III. 478. b. III. 482. b. II. 168. a. & seq.
Radices *aperientes*. II. 168. a.
Aperientia mineralia. III. 488. a.
Aperientia tumores. II. 973. b.
Aperitiva aqua. III. 337. b.
Aperitiva tinctura Mœbii. III. 477. b.
Aperitiva animalia. III. 486. b.
Aperitivus spiritus Penotti. I. 359. a.
Apertio tumoris chirurgica. II. 972. a.
Aphonia quid. II. 200. b. 683. a. Ejus Causæ. II. 200. b. Prognosis Cura. II. 201. a. b. 283. b. & seq.
Aphoniæ in variolis cura. II. 963. b.
Lavendulæ usus in *aphonia*. III. 117. a.
Aphronitrum. III. 408. a.
Aphthæ quid? II. 486. b. Causæ, diagnosis, prognosis. II. 487. a. Cura,

Cura. II. 487. a. b.
Aphthæ infantium. II. 945. b. I. 504. a. I. 511. b.
In *aphthis* infantum spongiæ Sambuci usus. III. 107. a.
Apios Americana. III. 15. a.
Apium. III. 15. b.
Apis; ejus usus in Medicina. III. 216. a. III. 509. a.
Apum ictus & subtilissimum venenum. I. 214. a.
Apum puncturæ cura. II. 1005. a. b.
Apophlegmatismus quid? III. 371. b. I. 313. b. I. 558. b.
Apophlegmatismorum siccorum ratio & formulæ. III. 377. a. b.
Apophlegmatizantia. I. 23. b.
Pilulæ *apophlegmatizantes*. III. 556. a. b.
Trochisci *apophlegmatizantes*. III. 539. b.
Gargarismus *apophlegmatizans*. III. 597. a.
Electuarium *apophlegmatizans*. III. 538. a.
Apophlegmatizantia fortissima Nicotiana & Pyrethrum. III. 97. b.
Apoplectica aqua. II. 706. a. III. 505. a. III. 497. a. Cautelæ de ejus præparatione. III. 337. b.
Apoplecticum balsamum variorum. I. 320. a. III. 501. a. III. 342. b.
Balsamus Cephalicus *apoplecticus*. III. 611. a.
Mistura ant-*apoplectica*. III. 96. a. III. 505. a.
Apoplexia. II. 714. b. Divisio. *Ibid.* Causæ apoplexiæ privativæ. II. 715. b. Positivæ. II. 718. a. Est sæpe hæreditaria. II. 718. b. Diagnosis. II. 720. a. Prognosis. II. 720. b. Cura. II. 72. b.
Aceti scillitici usus in *apoplexia*. III. 112. a.
Pulvis & electuarium in præservatione *Apoplexiæ*. III. 50. a.
Electuarium Cephalicum pro senibus ad præservationem *apoplexiæ*. III. 534. b. I. 561. a.
Enema ad *apoplexiam*. III. 97. b.
Clyster fortiter stimulans in *Apoplexia*. I. 577. b. III. 591. b.
Mistura contra *apoplexiam* præservans, vetulæ præscribenda. III. 561. b.
In *apoplexia* an conducat infusio. I. 478. a.
Apoplexiæ gradus levissimus seu insultus apoplecticus habitualis (Consultatio.) I. 902. b.
Apozemata præscribendi modus. I. 567. a.
Apostema quomodo differat ab alijs sanguinis motibus vitiatis? II. 472. b.
Appetentia canina. II. 41. a. Quomodo differat à Bulimo. II. 41. b. Subjectum, causæ. *Ibid.* I. 415. a. b. Signa. II. 42. b. Cura. II. 42. b. III. 512. b.
Appetitus. I. 118. b. II. 38. a. Naturalis. I. 64. b. I. 415. a.
Appetitus quot modis depravetur. II. 37. a.
Appetitus præternaturalis in res inconsuetas unde. I. 415. b.
In *appetitu* peregrinantium excitando allii usus. III. 10. a.
Appetitus animalis. II. 30. a.
Appetitus dejectus ex imaginatione. II. 615. b.
Appetitum prosternunt nicotiana. III. 83. a.
Appetitum prosternunt pinguia. I. 7. a.
Appetitus prostrati causæ, cura. II. 31. a. b. 33. a. b. *& seq.*
Appetitum concilians allium. III. 10. a.
Appetitum stimulans ari radix. III. 17. a.
Appetitus nimius. II. 41. a.
Appetitus in certum cibum determinatus unde? I. 65. a.
Appetitus symptomata & Prognosis in morbis. I. 189. b.
Appetitui, quæ alimenta appetit, non facilè deneganda. I. 412. a.
Electuarium stomachicum contra prostrationem *appetitus*. III. 534. b.
Appetitus vis in gravidis. I. 133. b.
Unaquæque animalium species determinatum *appetit* nutrimentum. I. 415. b.
Appetitus concupiscibilis, irascibilis. I. 119. a.
Appropriata. II. 1032. b. III. 523. b.
Aqua est catholicum omnium materiale principium. I. 2. a. I. 35. b. II. 4. b. I. 447. a.
Aqua per se nec calida nec frigida. II. 649. a.
Aquæ cæteris salubriores quæ. III. 229. a.
Aqua magnum naturæ menstruum. III. 368. a.
Aquæ ex plantis adstringentibus non adhibentur, ut adstringant, nullam enim vim adstringentem obtinent, sed loco vehiculi. II. 543. b.
Aquarum ex simplicibus diaphoreticis destillatarum usus. III. 443. a.
Aquæ sufficientes pro vehiculo ad usum alexipharmacum. III. 440. b.
Aquæ ex aromatibus compositæ, aliquoties cohobatæ cum vino frustra destillantur. III. 422. a.
Aqua Acovitica. III. 497. b.
Aqua Asclepiadea. III. 132. b.
Aqua benedicta Chirurgorum. III. 477. a.
Aqua benedicta pro vomendi scopo. III. 436. b.
Aquæ causticæ earumque usus. III. 569. a.
Aqua cœlestis Basilii Valentini. I. 358. b.
Aquæ destillatæ variæ. III. 335. b. 338. *& seq.*
Aquarum destillatarum virtus & efficacia. III. 422. b.
Aquæ destillatæ crebriori usu manifestam ventriculi atoniam inducunt. I. 567. a.
Aquæ destillatæ ex lignis paratæ nil valent. III. 441. b.
An dentur *aquæ* destillatæ purgantes. III. 428. b.
Aqua Dominarum. III. 485. a.
Aquæ ferrariorum usus. I. 389. b.
Aqua fluvialis. III. 229. b.
Aqua fontana. III. 229. a.
Aqua fortis. I. 351. a. b. III. 314. b. Differt spiritus nitri simplex & aqua fortis. III. 314. a. Aquæ fortis usus. III. 314. a. b.
Aquæ fortis purificatio. III. 275. a.
Aquæ fortis caput mortuum. I. 351. b.
Aqua glareoli. II. 674. b.
Aqua intercus. II. 603. b.
Aquæ lapidescentes. III. 236. a.
Aqua magnanimitatis Laurembergii. I. 404. a.
Aquæ Martiæ non putrescunt; quando colligendæ. III. 424. a.
Aquæ medicatæ. III. 229. b. Contenta earum quomodo probanda. III. 229. b.
Aquæ menstruæ. I. 352. b. Earum usus. *Ibid.*
Aqua Mercurialis & Hermetica. II. 421. a.
Aqua miraculosa seu styptica Galli. III. 340. b.
Aqua nivea. III. 233. b.
Aqua palustris. III. 229. b.
Aquæ parturientium ratio. II. 875. b. *& seq.*
Aquarum ex utero effluxus immaturus in gravidis. II. 873. a.
Aqua Phagedænica. I. 376. a.
Aquæ Plantarum destillatæ an sint alicuius efficaciæ? I. 402. a.
Aqua pluvialis in terram levem & candidam degenerat. I. 2. a.
Aqua pluvialis quo tempore colligenda. III. 233. b. Vsus. III. 233. b.
Aqua pluvialis, nivea, & Ros quomodo conveniant? III. 233. a.
Aqua putealis. III. 229. a.
Aqua regia, stygia, chrysulca. III. 314. b. I. 351. a. b.
Aqua spirituosa una selectior omnium vices supplere potest. III. 497. b.
Aqua temperata Fratris Basilii. III. 499. b.
Aqua Tonitrualis. III. 283. b. Ejus usus. *Ibid.*
Aquarum viridum basis. I. 391. a.
Aqua vitæ alba seu composita. III. 497. b.
Aqua vitæ mulierum. III. 339. b.
Aqueæ particulæ corporum quæ dicantur. I. 42. b.
Aquila alba cœlestis. I. 344. b.
Aquila cœlestis. III. 316. b.
Aquilegia seu aquilina. III. 15. b.
Aquilegiæ seminis usus. III. 363. a.
Arabicum Gummi. III. 133. b.
Araneæ, earumque usus medicus. III. 218. a. Præparata. *Ibid.*
Aranearum venenositas qualis. I. 460. b.
Aranearum olei usus. III. 452. a.
Ex *Araneis* emplastra. III. 502. a.
Arbor quò fœcundior, eò corruptibilior. I. 423. a.
Præservativum *Arborum* ab Erucis. III. 57. a.
Arcanum propriè quid? I. 584. a.
Arcanum Corallinum. III. 285. a. I. 310. a.
Arcani duplicati præparatio. III. 474. a. Vsus. III. 455. b. I. 351. b.
Fundamentum curationis per *Arcana*. II. 11. a.
Archeales morbi. I. 410. a. I. 13. a. I. 324. b. I. 140. b. *& seq.* Helmontii. I. 19. a.
Archealium morborum curationes. I. 323. b. 324. a. b.
Archeus quid? I. 795. b.
Archeus in operari dependet à spiritu influo. I. 55. a.
Archei præternaturalis dispositio. I. 410. b. Ejus cura. *Ibid.*
Archeus vim suam formativam obtinet ab ideis. I. 140. b.
Archeum sedantia. I. 24. b. III. 489. a.
Ardea. III. 207. a.
Ardens dolor. II. 651. b. Cura. II. 654. b.
Ardentes febres infantum. II. 966. b.
Ardor singularis unde? I. 330. a.
Ardoris vulnerum cura. II. 1010. b.
Ardor an adsit vulneribus sclopetorum. II. 1004. b.
Arena virginea in fontibus. III. 229. a.
Argenteum metallum & minera. I. 393. a. III. 253. a.
Argentina. III. 14. b.
Argentum est aurum imperfectum. III. 266. a. Argenti germinatio. III. 266. b.

Argentum folventia menſtrua. I. 351. b.
Argenti uſus medicus. III. 266. a. Flores argentei. III. 288. a.
Argenti folia pulveribus addita. III. 529. a. Vid. *Luna*.
Argentum vivum quid. III. 281. a. Vid. *Mercurius*.
Argyropœia. I. 645. a.
Ari radix. III. 483. b. Fæcula. *Ibid.*
Ari radicis vis ſtomachica. I. 241. a.
Aridum quid. I. 11. a. I. 117. b. II. 649. a.
Aridura. II. 359. b. 361. b.
Aridurae partium conſideratio. II. 373. b. Cauſæ. II. 374. a. Diagnoſis, Prognoſis. II. 374. b.
Cura. II. 374. b. I. 335. a.
In *Aridura* partium aluminis uſus. I. 361. b.
Ad *Ariduras* particulares, ſive poſt vulnus, ſive ſine cauſa manifeſta ortas remedium. III. 16. b. III. 316. b.
In *Ariduris* infantium ſalicum uſus. III. 105. b.
Arietis uſus medicus. III. 201. b.
Arillarum ſambuci baccarum olei uſus. III. 428. a.
Arillæ paſſularum. III. 507. b.
Ariſta deglutita orto abſceſſu circa ventriculum extracta. III. 77. b.
Ariſtolochia. III. 16. a. III. 484. b.
Ariſtolochiæ rotundæ uſus uterinus. I. 254. b.
Ariſtolochiæ rotundæ radicis extractum. III. 370. a.
Arma. Armorum venenatorum vulnus & ejus cura. II. 1006. a.
Armarium unguentum. III. 320. a. I. 24. b. III. 199. a. III. 203. a. I. 405. b.
Armenus lapis. III. 243. a. III. 463. b.
Armoracia. III. 16. a.
Arnica. III. 16. b.
Aromata quæ. III. 13. b. Bonitatis eorum ſignum. III. 13. b. Uſus. *Ibid.* I. 240. a. b.
Aromata præſtantiora ſunt integra quàm contrita. III. 91. b.
Aromata omnia ex Indiis allata ſunt adulterina. III. 29. a.
Aromata quando deſtillanda. III. 380. a.
Aromatica quibus minus conducant. III. 497. b. Cerebro & nervis dicata. II. 4. a.
Sudoriferis *aromaticis* utendi modus. I. 302. a.
Aroph quid. III. 477. b.
Ars nihil poteſt ſupra naturam. I. 48. b.
Arſenicum. III. 325. a. Vſus ejus. I. 339. b. III. 325. b.
Correctio & præparata. III. 326. a. III. 505. a.
Arſenicum rubrum. III. 502. b.
Arſenici liquor. III. 375. a.
Artemiſia. III. 16. b. III. 484. b.
Carbones circa feſtum S. Joh. Baptiſtæ ſub radice *artemiſiæ*, eorumque uſus. III. 16. b.
Arteriæ tres. I. 223. a. Carotides & vertebrales. I. 9. b.
Ampla eſt arteria aſpera urſorum. I. 11. a. Pulmonalis. I. 86. a.
Arteriarum uſus. I. 8. b. Dilatationis motus, conſtrictionis. I. 84. a.
Arteriarum palpitationes particulares. II. 351. b.
Cauſæ, cura. *Ibid.* & 352. a.
Arteriarum pulſus. II. 345. a. Læſi cura. *Ibid.* *& ſeq.*
Arteriarum puncturæ minores cum cura. II. 1006. b.
Arteriarum vulnera, eorum Prognoſis, cura. II. 1006. a. b.
Electuaria *arteriaca*. III. 508. b.
Morſuli ſeu rotulæ *arteriacæ*. III. 508. b.
Arteriotomiæ ratio & modus. I. 226. b. *& ſeq.*
Artheticis in affectibus decoctum. III. 119. a.
Arthritis; ejus ſubjectum, cauſæ. II. 674. a. b. I. 436. b. Differentia & diviſio. I. 883. a. 437. a. Prognoſis. Solutio & cura. II. 676. a. III. 19. b. I. 253. b. I. 254. a. I. 284. b.
Transplantatio unguium pro ſedanda *arthritide*. III. 98. b.
Emplaſtrum contra dolorem & tumorem *arthriticum*. III. 613. b. III. 501. b.
Anti*arthriticus* balſamus. III. 343. a.
Pilulæ *antiarthriticæ* Rhumelii. III. 384. b. Sal volatile lumbricorum antiarthriticum. I. 405. a.
In Arthritide an conducat ſanguinis transfuſio. I. 436. b.
Arthriticum vinum. III. 373. a. Cerevisia. III. 579. b.
Arthritis vaga ſcorbutica ejuſque cura. II. 454. a. III. 4. a.
Arthritis vaga ſcorbutica (conſultatio). I. 907. b.
Articulorum dolores. II. 674. a.
Articuli fungus. II. 992. a.
Articulorum luxatio & convulſio. II. 712. a.
Articulorum vulnera & eorum cura. II. 1007. b.
Articulorum anima Hermodactylus. III. 43. a. III. 167. b.
Artuum dolores. II. 674. a.
Artuum dolor lancinans & lacerans, ejus cauſæ & cura. II. 655. a. b.
Infuſum ad dolores fixos ſcorbuticos *artuum*. I. 573. b.
Arum. III. 17. a.
Aſa fœtida. III. 134. a. III. 502. a.
Aſarum. III. 160. b. I. 259. b. III. 433. a. II. 11. b.
Aſarum quomodo in vomitorium uſum & quomodo in diureticum præparandum. II. 244. a.
Aſcarides infantum. II. 953. a.
Aſcenſio uteri. II. 834. b.
Aſchia. III. 216. a.
Aſciæ pinguedo. III. 504. a.
Aſcites. II. 385. b. Vnde. II. 386. b. In aſcite incipiente abſinthii uſus. III. 5. a. Potio purgans pro virgine delicata in aſcite. III. 558. a.
Aſcitis Hydrops. II. 603. b. *& ſeq.*
Aſcites particularis. II. 605. a. Cauſæ ejus. II. 605. b.
Signa. II. 607. a. Prognoſis. II. 607. b. Cura. II. 608. a.
Aſclepiadis radicis uſus diaphoreticus ſeu ſudoriferus. I. 306. a.
Aſellorum uſus & præparata. III. 218. a. b. I. 298. b. Colligendi modus. II. 191. b.
Aſinus, ejuſque uſus medicus. III. 182. a. b.
Aſininus ſanguis. III. 453. b. III. 12. b. Stercus. III. 486. b.
Aſpalathum. III. 100. a.
Aſparagus. II. 556. a. III. 17. b.
Aſpectus ſiderum. I. 442. a.
Aſperitas quid. I. 47. b. I. 117. b.
Aſperam arteriam nihil ingredi poteſt naturaliter. I. 780. a.
Aſphaltus. III. 333. a.
Aſphixia. II. 352. a. II. 432. a.
Aſſumptorum in ſtomacho retentionis læſio. II. 68. a.
Aſter Atticus. III. 17. b.
Aſthmatis hiſtoria & cura. II. 179. a. 185. b. I. 712. b. I. 416. b. III. 82. b.
In Aſthmate ex hauſtu frigido bellidis uſus. III. 20. b. Mellis. III. 216. b. Raphani. III. 475. a.
Spiritus *aſthmaticus* D. Michaelis. I. 391. a. III. 275. a.
Aſthmatica aqua. III. 338. a.
Formula in *aſthmate* deſperato. III. 133. a. III. 454. b.
Aſthmaticus ſpiritus Langelotti. III. 490.
Potio in Aſthmate. III. 54. b.
Aſthmaticis an proſit infuſio. I. 480. b.
Aſthmatis à ſcabie retropulſa cura. II. 187. a. A frigidæ potu ſubito. *Ibid.*
Formula in mucilagine craſſa & hinc oriundo *aſthmate*. III. 112. a. b.
Aſthma ex inſpiratis fumis mineralium. II. 183. a. Cura. II. 187. a.
Aſthmata convulſiva. II. 181. a. *& ſeq.* I. 784. b. Cura. I. 253. b. II. 191. b. *& ſeq.*
In affectibus aſthmaticis convulſivis miſtura pectoralis reſolvens. III. 496. a.
Aſthmatis humidi cauſæ. II. 179. b. *& ſeq.* Diagnoſis. II. 184. a. Cura II. 186. a. *& ſeq.*
Obſervanda circa *Aſthmatis humidi* curam. I. 251. b.
Miſtura contra Aſthma humidum. III. 496. a. III. 560. a.
Hydromel medicatum reſolvens & incidens pectorale pro ſene *aſthmate* humido laborante. III. 583. b.
Aſthma infantum. II. 954. b. I. 502. a. 510. a.
Aſthma nothum. II. 180. b.
Aſthma pectorale, ſtomachale, hypochondriacum. III. 485. b.
Aſthmatis ſcorbutici cura. II. 458. b.
Aſthmatis ſicci ſeu occulti cauſæ. II. 181. a. 183. a. Differentiæ. II. 284. b. Cura. II. 191. b. *& ſeq.*
Aſthma ſtomachale humidum cum incubo (conſultatio). I. 782. b.
Spiritus in *Aſthmate* pulmonali & ſtomachali. I. 250. b.
Aſthma uteri muliebre. II. 834. b.
Aſtragalus. III. 17. b.
Aſtrologorum prognoſtica minimè contemnenda. I. 446. a.
Aſtra duobus modis proſunt. I. 446. a.
Aſtra in quantum ſublunaria alterent. I. 163. b.
Aſtrum microcoſmi. III. 204. b.
Athanaſia. III. 119. a.
Atheroma. II. 990. a.
Athleticus habitus. I. 15. a. II. 375. b. I. 678. a.
Atmoſphæræ corporum. I. 665. b. I. 113. a.
Atmoſphæram unuſquiſque homo circa ſe habet. II. 611. b.
Atomi. I. 3. a. I. 38. a.
Atonia quid? unde? I. 153. b. II. 28. b. Triplex. I. 335. b. Cura. I. 336. a. II. 28. b.
Atramenti confectio. I. 355. a.
Atriplex. III. 17. b.
Atrophia quot modis contingat. II. 362. a. I. 436. a.
Eſt vel affectus primarius vel ſecundarius. II. 365. a.
Quid? II. 359. b. Ejus cauſæ. II. 359. b. 360. *& ſeq.*
Cura transplantatoria. II. 373. b.
Dropax contra *atrophiam*. III. 362. b. III. 614. b.
Maſſa panis in atrophia. III. 542. a.

An in ea conducat sanguinis transfusio. I. 456. a.
In Membrorum atrophia unguentum. III. 316. a. b.
Atrophia cruris. II. 674. b.
Atrophia infantum. II 964. a. I. 502. b. Cura. I. 510. b.
Atrophiæ ex lue venerea Cura. II. 427. a.
Atrophia partium vulneratarum. II. 1010. b.
Atrophiæ à phthisi & tabe differunt. I. 855. a.
Atrophiæ scorbuticæ cura. II. 459. a. b.
Attenuantia. II. 3. b. Pectoralia. I. 249. a. Expectorantia. I. 250. a. b. Tumores. II. 972. b. & seq.
Attractio. I. 626. a. b.
Attributa corporum. I. 3. b.
Auctio & nutritio ut differant. I. 6. a.
Auditus organon. I. 112. a. b. Quid? I. 111. a. II. 642. b. Objectum movens. I. 10. b. II. 642. b Motus undulatorius. II. 642. b.
Auditorius nervus. I. 10. b.
Auditorius meatus. I. 112. b.
Signa prognostica ex *auditu*. I. 191. a.
Auditus læsio quot modis contingat. II. 643. a.
Auditus imminutus & abolitus. II. 643. a. Diagnosis, prognosis, cura. II. 644. b. 645. a.
In *Auditu* gravi euporiston. III. 21. b.
Pro *auditu* restituendo anguillæ usus. III. 211. a.
Auditum facilitantia & impedientia. I. 112. b. Modus quo fiat formalis sensatio auditus externa. I. 113. a.
Auellana. III. 41. b.
Auena. III. 18. a. Avenacea Jusculа, syrupi. III. 18. a.
Auerrhoes. I. 28. b.
Auersatio cibi determinata unde? II. 31. a. 37. a.
Auersio an legibus circulationis obstet. II. 6. b.
Augmentatio successivè fit. I. 657. a. Quatuor augmentationis ministræ facultates rejectæ. I. 64. a. Ejus finis, & quomodo differat à nutritione. I. 62. a. b.
Augmentum morbi quomodo ab aliis ejusdem temporibus differat. II. 475. b.
Auicennæ volumina Licentiandis Lipsiæ in examine olim proposita. I. 28. b.
Auicula Hermetis. III. 234. b. I. 341. b. III. 424. a.
Auis; quomodo cibos aves deglutiant, & digerant. II. 48. b.
Auium usus medicus. III. 206. a.
Auium sonus varius unde? I. 112. a.
Aura virulenta ex genitalibus. I. 932. b.
Aurantia malus. III. 18. a. Aurantiorum usus. III. 499. a. Vis carminatiua. I. 242. a. Balsamum. III. 342. b.
Aurichalcum. III. 274. b. I. 390. b.
Auriculæ Judæ. III. 107. a.
Auriculæ muris. III. 19. a.
Aurifabris conducens pulvis alexiterius contra metallorum fumos. III. 529. a.
Auripigmentum. III. 325. b.
Auris interna, externa, & ejus partes constituentes. I. 10. b. I. 112. a. b. Structura. II. 643. a. & seq. Aurium ductus Fallopii. I. 69. a.
Sordes, earumque usus. I. 338. b. III. 194. b.
Sonitus unde; inordinata agitatio. II 647. a. 690. b.
Aurium tinnitus & murmuratio sublatus beneficio liquoris ex cortice betulæ. III. 21. b.
Aurium tinnitus ex lue venerea cura. II. 427. a.
Aurium dolor, ejus causæ. II. 660. b. Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 661. a b & seq.
Aurium inflammatio & ulcus. II. 523. a. Cura. II. 523. b. 524. a. b.
Linimentum contra aurium obstructiones. III. 612. a.
Pro *aurium* affectibus iniectiones, earumque ingredientia & usus. III. 598. a.
Aurum metallum nobilissimum. III. 559. b. Signum eius. III. 260. a. Varietas III. 260. a. An adeo fixum & densum, ut & in fortissimo igne ne tantillum amittat, aliquam in corpore habeat efficaciam. III. 260. a. Quid habendum de vulgari calcinatione, solutione, tincturis & aliis remediis auri? III. 260. b. III. 461. b. Quæ observanda in judicio de remediis ex sole parandis. III. 260. b. III. 462. b.
Aurum facilius est construere quàm destruere. III. 461. b. III. 258. b. Auri stupenda extensio. I. 665. b.
Auri amalgamatio. I. 395. a. III. 263. b. Calcinatio. III. 263. b. Volatilisatio, sublimatio, salificatio, mercurificatio. III. 264. a. 266. a. I. 395. b. III. 462. b.
Auri depuratio. III. 260. b. III. 463. a. b. I. 394. a. Solutionis reductio triplex. III. 463. b. I. 394. b. Separatio à luna. I. 394. b. Præcipitationes solutionum auri. III. 262. a.
Auri crudi usus. III. 503. a.
Remedia ex *Auro* quem usum præstent medicum. III. 462. b.
Auri flores. III. 462. b.
Aurum fulminans parandi modi. III. 439. b. III. 262. a. b. I. 394. a.
Auri fulminantis usus. III. 461. b. & seq. III. 439. b. III. 263. a. Vis laxans. I. 281. a. Cur deorsum fulminet potissimùm. I. 395. a. Auri fulminantis diaphoretici præparatio. I. 395. a. b.
Auri folia pulveribus addita. III. 529. a.
Aurum solventia menstrua. I. 351. b. III. 261. a.
Boylei singulare. III. 456. b.
An salia volatilia urinosa habeant vim calcinandi & dissolvendi aurum. I. 394. b.
An aurum in corpore sit dissolubile. III. 257. b.
In Aurum an possint mutari reliqua metalla. I. 377. b.
Aurum horizontale Helmontii. I. 360. b. III. 285. b.
Aurum potabile seu Tinctura solis; ejus parandi modi. III. 264. a. b. 265. a. b. 266. a. Quomodo operetur. I. 395. b.
Aurum potabile Londinense seu Francisci Antonij. III. 463. a.
Aurum vitæ. III. 286. a. III. 439. a. Cnoffelii. III. 285. a. Hartmanni. III. 286. b.
Autores practici. II. 29. a. b.
Azoth Paracelso quid? III. 423. b.

B.

Baaras Josephi. III. 19. a.
Babylonici regni initium. I. 444. b.
Babylonicum regnum à Nino in Semiramidem translatum quando? I. 444. b.
Baculus sympatheticus ad fracturas & luxationes. III. 41. b.
Baharas. III. 19. a.
Balæna. III. 213. a.
Balanos Myrepsica. III. 19. a.
Balbuties. II. 205. b. 200. a. II. 684. a.
Balnea. III. 602. a. I. 558. b. Balnei Etymologia, Synonimia, Homonimia, differentia, definitio, divisio. I. 607. a. b. 608. a. Quatenus balneo imponendus infans. II. 925. a.
Balneorum utilitas & utendi modus. I. 612. b. I. 610. b. Apud Romanos. I. 607. a. Medica artificialia. I. 607. a. In scabie. II. 464. a. Leucophlegmatia & anasarca. II. 385. b.
Diæta & alia post balneum observanda. I. 612. a.
Balnea cum brodio decoctorum. I. 609. b.
Balnea cum candelis & lampadibus. I. 609. a.
Balneum fumidum. I. 609. a.
Balnea Laconica. I. 576 a.
Balneum cum lapidibus & ferro ardenti. I. 609. a.
Balnea lecti. I. 609. b.
Balnea cum oleis spirituosis. I. 609. b.
Balnea sicca quid? eorum octo classes. I. 608. b.
Balneum siccum secundùm excellentiam. I. 608. b.
Balnea non sicca. I. 610. a. Vid. *Lotiones*.
Balneum spirituosum. I. 609. a.
Balsamina. III. 516. a.
Balsamina cucumerina. III. 78. b.
Balsamina lutea Bauhini. III. 19. a.
Balsamum, herba. III. 19. b.
Balsamus balsaminæ, vulnerarius &c. III. 411. a.
Balsamorum omnium fundamentum. III. 464. b.
Balsami artificiales triplices. III. 342. a.
Balsamorum corpus. III. 342. a. b. Præparatio & fiendi modus. *Ibid.* III. 497. a.
Balsamorum formulæ. III 610. b.
Balsamicorum medicamentum natura. I. 411. b.
Vis herbarum *balsamica* maxima in quo consistat. III. 55. b.
Tempus *balsamicum* verum. III. 42. a.
Balsamica terra. I. 360. a. II. 1013. b.
Balsamum de Copaivve. III. 134. b.
Balsamum cephalicum voluptuosum, medicamentosum. III. 501. a.
Balsama destillata, per assaturam parata. III. 343. a.
Balsamum Indicum, seu Peruvianum. III. 134. b.
Balsamorum inunctoriorum ratio. III. 409. a. 410. b.
Balsamum sulphuris juniperinum. III. 370. a.
Balsami naturalis constitutio. II. 996. b. Alteratio & mutatio. II. 997. a.
Balsamum occidentale. III. 501. b.
Balsamorum odoriferorum usus. III. 342. a.
Balsami Peruviani usus nervinus. I. 253. a.
Balsamum puerorum. III. 338. b.
Balsamum Samaritanum. III. 85. b.
Balsamum Saturni. I. 392. b.
Balsami sulphuris usus. II. 368. a.
Balsamum Tolutanum. III. 134. b.
Balsamum verum. III. 134. a. An apud nos detur? *Ibid.*
Balsamo vitæ substitui potest Balsamus sulphuris. III. 465. a.
Balsama vulneraria cur ingrediatur oleum olivarum. III. 85. b.
Balsama vulneraria quomodo fiant. III. 410. b.

Ban-

Bange. III. 512. a.
Barbam alentia. III. 480. b.
Barbo. III. 211. a. Ovorum ejus uſus vomitorius. III. 433. b.
Bardana. III. 19. b.
Baſilare os. I. 116. b.
Baſilici uſus. III. 499. a. III. 20. a.
Baſiliſcus non datur. III. 20. a.
Baſilius Valentinus Chymicus egregius. I. 341. a.
Baſis medicaminum. III. 522. b. 523. b. I. 555. b.
Bdellium. III. 135. b.
Beccabunga. III. 12. b. III. 479. b.
Been grana. III. 19. a. Oleum de Been. III. 508. a.
Behen album & rubrum. III. 20. a.
Bellis. III. 20. a. Minor. III. 480. a. Minoris vis refrigerans. I. 333. b. Tinctura bellidis quâ vi operetur I. 883. b.
Bellium majus Tabernæmontani. III. 20. a.
Benedictum laxativum electuarium. III. 357. a.
Benigni morbi unde ſic dicti. I. 16. b.
Benzoe. III. 502. b. III. 135. b. III. 486. a.
Berberis. III. 20. b.
Bernhardi S. herba. III. 14. a.
Berula. III. 12. b.
Beta. III. 20. b.
Betonica. III. 21. a. III. 500. b. Ceratum ex betonica. III. 360. a.
Betula. I. 296. b. III. 21. b.
Bezoar lapidis uſus. I. 305. b. III. 451. a. Quæ ei commodiùs ſubſtituenda. III. 451. a. III. 188. a.
Bezoar Germanicum. III. 187. a.
Bezoar orientale. III. 187. b. *& ſeq.*
Octo bonitatis ejus notæ. III. 187. b.
Ejus virtutes. III. 187. b. *& ſeq.*
Bezoardicum animale. I. 307. a. III. 451 a. III. 202. a. III. 202. b. III. 205. a
Bezoardicus balſamus peſtilentialis. III. 343 a.
Bezoardicum Joviale III. 291. a. I. 393. b. III. 461. a.
Bezoardica lunaria. III. 291. a. III. 456. b.
Bezoardicum martiale. III. 291. a. Ejus præparatio & uſus I. 390. b.
Bezoardicum Mercuriale. III. 291. b.
Bezoardica mineralia parandi modus. III. 455. b. III. 290. a. III. 335. b. Solare, lunare, martiale &c. I. 370 a.
Bezoardica mineralia quę. III. 314. a. III. 456. a. b. III. 228. b. Vſus diaphoreticus & ſudoriferus. I. 308. a.
Bezoardici pulveres. III. 501. a. III. 528 b. *& ſeq.*
Bezoardicum Saturninum. I. 392. b. III. 291. b.
Bezoardicum ſeptaſtrum. III. 291. b.
Bezoardicum ſolare. III. 290. b. 456. b.
Bezoardicum venereum. III. 291. a.
Bezoardica Tinctura. III. 339. b. III. 445. a. I. 401. a.
Bibitoriæ rotulæ. III. 378. b. I. 561. b.
Bilis origo. I. 9. a. Natura. I. 7. b. I. 413. b. I. 92. b.
Phænomena circa bilem obſervabilia. I. 92. b.
Materia. I. 93. a.
Modus quo ex ſanguine ſeparatur. I. 93. b.
Motus. I. 93. b.
Vſus. I. 94. a. I. 74. b.
Quomodo ejus genuinus uſus in ſeparatione fæcum à chylo impediatur. I. 75. b.
Non eſt excrementum, ſed balſamum vitale. I. 7. b. I. 74. b. I. 16. a. Reſiſtit vermibus & putredini. I. 75. a.
Bilis in ſanguificatione negotium. I. 416. b.
Bilem alterantia, augentia, corrigentia. I. 413. b. I. 247. b. *ſeq.* I. 236. b. III. 527. b. I. 245. a.
An inteſtina à *bile* ſtimulentur. I. 76. a.
Bilis vitia & cura. II. 87. b. II. 547. b. 548. a. b.
Bilem plus minus acuentia. III. 478. b. I. 247. b.
Sal volatile *bilioſum* corrigentia. II. 10. a.
Bilis ſal volatile oleoſum augentia aromata. II. 4. a.
Bilis in defectu nodulus. III. 495. b.
Decoctum refrigerans ſeu temperans *bilem*, *ut* vocant, efferveſcentem. I. 571. a.
Bilem minimè evacuat abſinthium. III. 5. a.
Bilis æruginoſæ ſapor & conſiſtentia. I. 732. b.
Bilioſi quinam? I. 915. b. Bilioſi morbi. I. 534. a. Purgans pulvis in juvene bilioſo. III. 528. a.
Biolychnium. I. 56. b.
Biſmalva. III 10. b.
Biſmuthum. III. 279. b. I. 393. a. I. 787. a. Præparata & uſus ejus. III. 306. a. I. 308. b. III. 514. b.
Biſmuthi fumus aſthma inducens. I. 787. a.
Biſtorta. III. 22. a. III. 516. b.
Bitumen. III. 330. a. Ejus aciditas. I. 361. b.
Blatta Bizantia. III. 211. a.
Blittum rubrum. III. 22. b.
Bocheta. I. 572. b.

Bolus. III. 543. b. I. 560. a. Differentia, modus faciendi & colligendi, vires, uſus. III. 227. a. III. 343. b. Ejus conſiſtentia quæ requirat. I. 736. a.
Bolus analepticus Hypnoticus. I. 560. a.
Bombax. III. 22. b.
Bombycis uſus medicus. III. 218. b.
Bonum quid. I. 119. a.
Borborygmi in febre quartana duplicata ſcorbutica unde. I. 803 a.
Borrago. III. 22. b. Ejus flores. III. 511. b.
Borrax quale ſal. III. 397. b. Ejus uſus uterinus. I. 254. b. Eſt naturalis & artificialis. III. 495. a.
Bos. III. 182. b. Ejus priapus. III. 453. b.
Botanica. III. 1. a. Ejus primus cultor. I. 27. b. Scriptores duplices. III. 1. a. Recentiorum claſſes duæ. *Ibid.* b.
Botrys. III. 23. a.
Brachiorum dolor. II. 674. a.
Brachii contractura ex inepta venæ ſectione. II. 697. a.
Branca urſina. III. 23. a.
Braſſica. III. 23. a. III. 486. a.
Bregmas ceratum pro Bregmate. III. 360. a.
Bronchus. I. 112. a. II. 593. b. II. 201. a.
Bruſcus. III. 104. a.
Bruta an habeant animam contradiſtinctam materiæ. II. 689. a. An nullam habeant cognitionem propriam. I. 59. b. Eorum operationes quomodo fiant. II. 689. a. In brutis perfecta & propriè ſic dicta cognitio non eſt. II. 688. b. Eorum actiones quatenùs ſimiles actionibus hominum. I. 11. b. Eorum docilitas. I. 11. b.
Bryonia & ejus præparata. III. 161. a. b. III. 484. b. III. 428. a. I. 254. b.
Bubones eorumque cura. II. 423. a. 979. b. Ceparum uſus in bubonibus. III. 31. a.
Bubones venerei. II. 980. b.
Bubones peſtilentiales & eorum cura. II. 980. a. II. 339. a. Cataplaſma. III. 88. a.
Bubonocele. II. 159. a. I. 775. a.
Bubonocele cum paſſione hyſterica. I. 770. a.
Bubulus. III. 185. a.
Buccæ. I. 66. b.
Bufo. III. 185. a. In quo conſiſtat ejus venenoſitas; III. 185. a.
Ejus uſus. *Ibid.* b. Vis diuretica. II. 394. a.
Mortuus non eſt venenoſus. I. 459. a.
Bufones ex anatum pulvere procreari. III. 206 a.
Bufonum lapis. III. 186. a. Virtutes bufonum medicæ unde. III. 186. a. Vſus vulnerarius I. 337. a.
Bufonum oleum. III. 452. a. Sal volatile. I. 405. a.
Bugloſſa. III. 24. a.
Bulimus. II. 41. a. Cura ejus. II. 44. a.
Burr Helmontii. III 253. a.
Burſa Paſtoris. III. 24. a.
Butyrum. III. 184. b. Purgativum, cancrinum. III. 185 a. Jovis. I 393. b Majale. III. 504. a. Saturni deſtillandi modus. I. 392. b. Viride. III. 413. b.
Butyri vis nutritiva. I. 680. b. Butyrum tingendi modus ruſticus III. 25. b.
Buxus. III. 24. a. III. 441. a. I. 305. b. Ligni buxi efficacia. III. 586. b.

C

Cachexia. I. 13. a. II. 378. b.
Variæ ejus ſpecies. II. 378. b.
Pars ejus affecta. II. 379. a.
Cauſæ. II. 379. a. I. 169. b.
Diagnoſis, prognoſis. II. 380. a.
Eſt vel primaria vel ſecundaria. II. 379. a.
Cura. II. 380. a. b.
Cachexiæ panacea mars. I. 388. b.
Cachexiæ ſuccurrendum infuſione. I. 482. a. III. 428. a.
Antimonium diaphoreticum anticachecticum. I. 367. b.
Cereviſia vel vinum anticachecticum. I. 570. a. III. 579. a.
Morſuli contra cachexiam. III. 541. a.
Nodulus in cachexia purgans. I. 275. a.
Pilulæ in cachexia. III. 544. a.
Pulveres cachectici. III. 388. b. III. 529. b.
Sal cachecticum chalybeatum. III. 313. a.
Sanguinis transfuſio an conferat cachecticis. I. 432. b.
Synapi uſus in cachexia. III. 114. b.
Tartari uſus in Cachexia. III. 466. b.
Cachexiæ cum ſcabie cura. II. 384. a.

Bilem in cachexia acuentia. II. 383. b.
Cachexia post morbos acutos unde. I. 834. a.
Cachexia fcabiofa ad hydropem inclinans. I. 861. b.
Cachexia cum imminente hydrope. I. 868. a.
Cachexia muliebris. II. 832. b. Ejus caufæ. II. 833. a. Symptomata. II. 832. b. Diagnofis, Prognofis, Cura. II. 833. a. b. Cryftalli Jovis in cachexia mulierum. I. 393. a.
Cachexiæ Virginum cura. II. 385. a.
Cacochyliæ caufæ & effectus. II. 221. b. II. 8. b. I. 169. b.
Cacochymiæ unde? I. 15 a. b. I. 143. a. b. II. 7. b. 8. a. I. 413. a. Quotuplex. I. 145 a. II. 8. a. b. Vniverfalis fpeciales differentiæ. I. 173. a. Quot modis fiat. II. 8. a. b Ejus caufæ & fundamentum. II. 8. b. I. 169 b. Veterum biliofa, melancholica, pituitofa quomodo poffit conciliari cum modernorum fententia? I. 16. a.
Cacochymiam corrigendi ratio. I. 233. a.
Cacochymicorum fuccorum evacuantia univerfalia. II. 11. a. b.
Cacochymia acida. II. 9. a. Alcalina. II. 9. b. Pituitofa & ferofa. I. 145. b. I. 148. b. II. 10. b.
Cadmia factitia. III. 307. a. Botrites. *Ibid.* Capnites. *Ibid.* Nativa. III. 519. a.
Caduca vertigo. II. 689. b.
Caducus uteri. II. 834. b.
Caducum ad morbum, Paracelfi fpecificum. III. 445. a.
Cæcitas. II. 630. b Omnimoda & ejus cura. II. 640. a. b. *& feq.*
Calaminaris lapis & ejus præparata. III. 246. b. *& feq.* III. 491. a. III. 519. a. E Lapide calaminari emplaftrum. III. 360. b.
Calamintha. III. 24. b.
Calamus aromaticus Indus. III. 7. b. III. 24. b. Ejus vis ftomachalis. I. 241. a.
Calcarius lapis. III. 251. a. III. 244. b. *Ibid.*
Calcatrippa. III. 25. a.
Calcinatio quid? I. 356. a. III. 343. b.
Quomodo inftituenda. I. 356. a. III. 343. b.
Differt ab incineratione. I. 356. a.
Ejus diverfæ fpecies. I. 356. a. b.
Fuforia cum magdaleonibus fulphuris rejecta. I. 389. b.
Lapidum duplex. III. 236. a.
Marinorum & mineralium. III. 419. a.
Mineralium corrofiva. III. 344. b.
Philofophica. III. 343. b. Differentia ab uftione. I. 405. a.
Eft vel vaporofa vel immerfiva. I. 405. a.
Per folares radios. I. 356. b.
Calcinatum maius Poterii. I. 375. b.
Calculus quomodo in corpore generetur. I. 171. a. I. 415. a. I. 17. a.
Ejus varietas. I. 17. a.
Semel in corpore humano compactus an iterum poffit diffolvi, II. 564. a. *& feq.*
Nephritis & calculus quomodo differant. II. 510. b.
Diagnofis. I. 887. b.
Calculi ufus medicus. I. 306. b. III. 247. a. b.
Calculi curatio medica. I. 299. a.
Calculi præfervatio. I. 299. a. III. 10. b.
Calculum humanum jam concretum folvens Aroph Helmontii. III. 476. b.
Calculi excretionem promoventia. I. 298. b. I. 888. a. b.
Calculum pellit Armoracia. III. 16. b.
Allii ufus in calculo III. 10. b.
Afellorum ufus in affect bus calculofis. III. 218. b.
Avellanæ vis in calculo. III. 41. b.
Effentia Ononidis in affectibus calculofis. III. 86. a.
Miftura diuretico-anodyna ad præcavendum calculum. III. 558. b.
Potio contra calculum. III. 14. b.
Pilulæ de terebinthina in calculofis affectibus. III. 149. b.
Pulvis diureticus in calculo. III. 529. a.
Raphani ufus pro calculo promovendo. III. 99. b.
Reguli ufus in calculo. III. 210. a.
Spiritus mellis acidus contra calculum. III. 217. b.
Sal diureticum in calculo. III. 397 a.
Calculo refiftit fal volatile urinæ humanæ. I. 405. b.
Calculus renum. II 554. b. Modus generandi. II. 555. a. Diverfitas. II. 555. a. b. Caufæ. *Ibid.* Diagnofis. II. 557. a. Symptomata. II. 557. a. Prognofis. II. 558. a.
Ejus Cura. II. 558. a. b. III. 477. b.
Cura fymptomatum. II. 558. b.
Cura præfervatoria. II. 568. a.
Contra calculum renum in fecretis fuit anferina. III. 14. b.
Semicupium in calculo renum. III. 603. b.
Calculus veficæ unde. II. 579. a. Diagnofis. II. 579. b. Prognofis. II. 580. a. Cura. II. 580. a. b.
Calefacientia alterantia remedia. I. 238. a.
Calendula. III. 25. a. III. 499. a. Acetum calendulatum. III. 335. a.
Calidum quid? I. 11. a. I. 117. b. Diftinguitur in ἔμφυτον & σύμφυτον. I. 58. a.
Calida corroborantia quæ? III. 496. b.
Calida remedia quatenus dicantur. III. 483. a. II. 3. a.
Calida intemperies. I. 329. b.
Innato de calido judicium. I. 57. a. *& feq.* II. 6. a. II. 352. b.
Calidorum vis vitalis faciliùs deftructibilis quàm frigidorum. I. 5. b.
In calido an vita animalium confiftat. II. 6. a.
An infantes, pueri, iuvenes calidiores viris. I. 194. a.
Caligo. II. 689. b. 690. b.
Calli, eorum caufæ & cura. II. 989. b. 1012. a.
Calor in quo confiftat, & qualis motus. I. 47. b. II. 649. a. I. 630. b. I. 36. a. 37. a.
Eft ignis effectus. I. 2. b.
Calor in corpore unde. I. 237. b. I. 330. a. I. 56. a. I. 57. a. Non eft principium effectivum actionum, fed tantum difpofitivè concurrit. I. 13. b.
Calor à pellibus unde. II. 611. b.
Calor febrilis. I. 827. b.
Caloris nativi monarchia deftructa. II. 222. a.
Calor vitalis unde. I. 5. a. I. 426. b.
Non eft radix vitæ. I. 426. b.
Corporis an remiffior fit tempore hyberno quàm æftivo. I. 819. b.
Caltha. III. 25. a.
Calvitiei cura. II. 471. b.
Calx & calcinata. III. 246. a. b 343. b.
Calx viva & inde præparata. III. 476. b. *& feq.* Ejus ufus in phlogofi &c. I. 333. b. III. 245. b.
Effe acidum & alcali in ea probatur. III. 244. b.
Aquæ ex calce viva. III. 245. a. b. III. 246. a.
Campanula. III. 25. b.
Camphora. III. 136. a. III. 442. a.
Ejus Præparata. III. 442. b.
Virtutes. III. 136. b.
Proba. III. 136. b.
Ufus in re venerea. I. 934. a. In corrigendis fpiritibus. I. 321. a.
Camphoræ elixyr. III. 358. a.
Camphoræ oleum verum an detur? III. 137. b. Ejus præftantia in pefte. III. 137. b. Ufus cofmeticus. III. 138. a.
Camphora emplaftris addenda optimè folvitur cum balfamo Peruviano. III. 137. b.
Electuarium camphoratum. III. 354. a.
Camphoratorum ufus antifebrilis. II. 304. a.
Cancamum. III. 138. a.
Cancer, ejufque differentia, ufus medicus, præparata. I. 405. a. b. III. 211. a. b.
Cancros capiendi tempus plenilunium. III. 211. b.
Cancros pulverifandi modus III. 211. b.
Teftarum feu chelarum cancri ufus. III. 212. b.
Cancrorum fluviatilium ufus diureticus. I. 297. b. Uulnerarius. I. 338. a. b.
Cancrina refrigerantia. I. 333. a. 334. a.
Cancer (morbus) II. 987. a Ejus caufæ. II. 987. a. b. Occultus, manifeftus. *Ibid.* b. Prognofis. II. 987. b. Signa. II. 988. b. Cura. II. 987. b. *& feq.*
In omnibus remediis cancro applicandis plumbeo utendum mortario. III. 51. a.
Ufus folani officinalis in cancro. III. 115. b.
Cancer mammarum. II. 923. a.
Cancer uftus. III. 344. b.
Cancrofa ulcera, cum Diagnofi & cura. II. 1019. a. b.
Candelæ pro fumo. III. 408. b.
Canellæ albæ ufus. III. 497. a.
Canis. III. 186. a.
Ferrariorum canes carere fplene. III. 110. b.
Unde cognofcant fe mas & fœmella. I. 933. a.
Caninum ftercus. III. 487. a.
Canis rabiofi morfus, & eius cura chirurgica. II. 1005. b.
Cancrina profunt in morfu canis rabidi. I. 405. a. b.
Canities quomodo tollatur? II. 472. a.
Cannabis & feminis ejus ufus. III. 25. b. 363. a. An infringat venerem. III. 26. a.
Cantharelli. II. 394. a.
Cantharidum ufus. II. 305. a. III. 218. b. 219. a. I. 298. a.
Veficæ dicati. II. 4. a. Infufum cantharidum. II. 421. a.
Caper, capra. III. 186. b. Ejus fanguinem colligendi modus. III. 186. b.
Oleum & fpiritus ex fanguine eorum. III. 187. a. Lac, ftercus &c. *Ibid.*
Capillaria vafa. I. 9. b.

Capillorum natura. III. 194. a. An sint corporis viventis partes. III. 194. a. Vsus medicus. III. 194. a.
Capillos alentia. III. 480. b.
Ad flavedinem capillorum verbasci usus. III. 123. b.
Capillorum vitia. II. 471. b.
Capillorum defluvii cura. II. 472. a.
Lotio capitis in casu capillorum. I. 575. b. III. 604. b.
Contra capillorum defluvium unguentum Bucretii. III. 5. a.
Oleum abrotani ad generationem capillorum. III. 5. a.
Lixivium è lappis minoribus in capillorum defluvio. III. 19. b. & seq.
In capillorum tinea remedium. II. 472. b.
Capillorum transplantatio pro firmitate eorum. III. 98. b.
Cappares. III. 26. a. Capparum cortex, radix. III. 26. a. III. 481. a.
Caprea. III. 188. b.
Capreolus. III. 188. b.
Capricerva occidentalis. III. 188. a.
Capricerva orientalis. III. 187. b.
Caprifolium. III. 26. b. III. 486. a.
Caput: Capitis morbi. II. 616. b.
Decoctum in affectibus capitis chronicis &c. I. 571. b.
Emplastrum in affectibus capitis. III. 614. b.
Sacculus in affectibus capitis catarrhalibus &c. III. 77. b.
Unguentum sive emplastrum de betonica ad capitis contusiones vel vulnera. III. 21. a.
Capitis contractura. II. 697. a.
Capitis dolor eiusque cura. II. 662. b. I. 253. b.
Sacculus contra dolorem & contusionem capitis. III. 601. b.
Epithema & frontale in dolore capitis. III. 89. a. III. 211. b.
Linimentum contra dolorem capitis. III. 89. b.
Unguentum in dolore capitis febrili. I. 580. b.
Sacculus in dolore capitis à causa externa, in specie à frigore. I. 575. a.
Emulsio contra dolorem capitis. III. 89. a.
Epithema contra dolorem capitis in febrium æstu. I. 565. a.
In doloribus capitis raphani usus. III. 99. b.
Si metuatur erysipelas in capitis dolore radicis Rhodiæ usus. III. 100. a.
Capitale ceratum. III. 360. a.
Capitis hydrops. II. 608. b.
Capitis ossibus præ aliis in Medicina nulla prærogativa. III. 448. b.
Capitis temperatura. II. 614. a. b.
Capitis vulnera & eorum cura. II. 1008. a.
Caput mortuum quid? III. 180. b. I. 359. b. I. 341. a. An in capite mortuo remaneat sal fixum. III. 180. b.
Animalis usus & virtus absorbens. I. 405. a.
Radicum, lignorum, corticum. III. 2. a.
Spagyricorum principium passivum. I. 2. a.
Caputpurgia. III. 363. b. III. 372. a. I. 313. b.
Caranna. III. 138. a.
Carbonum natura, sulphur &c. I. 361. b. III. 2. a. II. 981. a. Gas asthma inducens. I. 787. a.
Tinctura solaris Glauberi è carbonibus. III. 463. a.
Carbones sub radice artemisiæ ex absinthio. II. 706. a. III. 16. b.
Carbo Petræ. III. 333. b.
Carbones radicum, lignorum, corticum. III. 2. a.
Carbunculi, (gemmæ) & aqua ex istis. III. 338. a. Iis annumerari Granatum, Hyacinthum, Rubinum. III. 237. b. 238. a.
Carbunculi (pestilentiales) II. 981. a. 331. b. Eorum cura. II. 341. b.
Sapphiri virtus in carbunculo pestilentiali. I. 397. b.
Carcharia piscis. III. 476. b.
Carcinomatum cura. II. 1019. a & seq.
Cardamomum. I. 319. b. III. 26. b.
Cardiaca herba. III. 27. a.
Cardiaca calida & eorum ratio. III. 496. b.
Cardiaca affectio infantum. II. 739. a.
Cardialgia, Cardiogmus II. 78. b. I. 719. a. I. 712. b.
Pars affecta. II. 78. b.
Causæ. II 79. a.
Diagnosis. II. 80. a.
Prognosis II. 80. b.
Cura. II. 80. b. & seq.
Cardialgiæ à flatibus cura. II. 81. b. An venæ sectio hic conveniat? II. 82. a.
Cardialgiæ à succis acrioribus cura. II. 83. a.
Cardialgiæ à mucilagine cura. II. 83. a
Cardialgiæ à vermibus, item ex haustu mercurio, cura. II. 83. a. b.
Cardialgia ex refrigeratione corporis externa; ex vitio matricis. II. 85. a.
Cardialgiæ in peste cura. II. 343. a.
Fomentum & Cataplasma in Cardialgia ex haustu improviso mercurii sublimati. III. 63. a.
Sacculus ad cardialgiam. III. 32. b. & seq.
Salis ammoniaci usus ad cardialgiam. I. 344. b.
Emplastrum ad Cardialgiam. I. 580. b.
Mistura anodyna carminativa contra cardialgiam. III. 559. a.
Pilulæ contra cardialgiam cum soda coniunctam. III. 545. b.
Cardiagnome. II. 77. b.
Carduus. III. 27. a.
Carduorum usus antipleuriticus. III. 448. b.
Carduus benedictus. III. 27. a. Eius usus diaphoreticus & sudoriferus. I. 306. a. Vsus seminis & præparata. III. 363. a. III. 443. b.
Carduus Mariæ. III. 27. b. III. 363. a. I. 306. a.
Caries quid? II. 1011. a. Vnde. II. 1012. a.
Caries ossium. II. 1015. b. Prognosis, cura. II. 1016. a.
Caries ossium ex lue venerea. II. 425. a.
Caries palati ex lue venerea. II. 425. b.
Cariosum ulcus. II. 1016. a.
Carlina. III. 28. a.
Carminantia. II. 4. a. Carminantia aromatica. III. 496. b. Semina. III. 497. b.
Carminativa. I. 242. a. Aqua. III. 338. a. Balsamus. III. 611. a. Elixyr. III. 12. a. Linimentum. III. 612. a. III. 611. b. I. 580. a. Spiritus carminativuus de tribus. III. 468. b. Lapis carminativus Anglorum. III. 247. b.
Carminativa virtus lauri. I. 242. b. Acori veri. I. 241. a.
Coriandri. III. 41. b. Castorei. I. 242. b.
Vehiculum pro usu carminativo. I. 343. a.
Carminativa in tumoribus. II. 973. b.
Caro quid dicatur. I. 121. a.
Carnes quomodo nos nutriant. I. 166. a.
Caro vulnerum luxurians. II. 1009. b.
Carotici. II. 621. b.
Carotides I. 9. b. I. 115. a. Carotidum situs. I. 223. a.
Carpio eiusque usus medicus. III. 213. a. III. 487. b.
Carpobalsamum. III. 19. b.
Carthamus & semen eius. III. 161. b. III. 428. a.
Cartilago. I. 51. a. Ductus narium cartilagineus. I. 69. a.
Caruncula penis. II. 793. b. Causæ eius, cura. Ibid.
Carus. II. 621. b. Eius causæ. II. 623. a. Differentia ab epilepsia. II. 702. a. Differentia à lethargo. II. 624. b. Diagnosis, prognosis. II. 624. a. b. Cura II. 628. a.
Carvum. III. 28. a. III. 498. a.
Caryon, nux. II. 622. a.
Caryophyllata. III. 29. a. III. 511. b. III. 444. a.
Caryophyllus hortensis. III. 28. b. III. 511. b. Sylvestris, montanus, aromaticus. III. 28. b. Tunetanus. III. 53. b.
Caseus. III. 185. a. Vetustus nocivus. Ibid. Casei auersatio unde? I. 65. b. II. 31. a. II. 931. a. Casei in lacte separatio. I. 354. b. Eius usus. III. 509. b.
Cassia. III. 162. a.
Cassiæ florum usus purgatorius. III. 431. a.
Cassia lignea. III. 497. a.
Castanea. III. 29. b.
Castitatis essentia D. Michaelis. III. 8. b.
Castor, eiusque partes officinales. III. 188. b.
Castoreum quid? III. 188. b. III. 487. b. III. 503. a. Vis ejus in quo fundata. III. 188. b. Vis carminativa. I. 242. b. Odor amissus quomodo restituendus. I. 114. a. Cautela circa ejus usum. III. 189. a. Præparata. Ibid.
Castrati cur faciliùs pinguescant. II. 376. b.
Castratio. II. 784. b.
Castratio medicamentorum. I. 214. b. I. 347. a. I. 347. b.
Castrensis morbus, vid. Febris castrensis.
Casuales consultationes. I. 694. a.
Casui Medicus nunquam inniti debet. I. 200. a.
In casu resolvendo quinque capita observanda. I. 695. b.
Casus. Remedium in casu ab alto. III. 17. a.
Pulvis ad casum. III. 454. b. III. 529. b. Ex casu ab alto sanguinis suffusio. III. 529. b.
Lapillorum cancrorum usus in casu ab alto. III. 212. b.
Catagmatica. III. 516. a. III. 517. b.
Catalepsis. II. 628. b 621. b. Causæ ejus. II. 619. a. Prognosis & Cura. II. 629. b.
Cataphora. II. 622. a.
Cataphractas conficiendi modus. I. 338. b.
Cataplasmata & quę circa eorum compositionem observanda. III. 345. a. III. 606. a. I. 558. b. Vsus eorum & variæ formulæ. III. 345. a. b. III. 606. b. & seq.
Cataplasmata pultiformia. I. 576. a.
Cataplasma ex speciebus domesticis. III. 510. a.
Catapotia quid? I. 562. a. Vid. Pilula.
Cataputia minor. III. 162. b.
Cataracta oculi. II. 636. b. Causæ. 637. a. Diagnosis. II. 637. b. Prognosis, divisio. II. 638. a. b. Cura. II. 638. b. & seq.
Catarrhi vox in sensu Hippocratico quid innuat? II. 590. b. Vnde? I. 99. a. I. 99. b.
De catarrhis veterum hypothesis. II. 590. b. Discussa. Ibid. & seq.
Opinio recentiorum. II. 590. b.
Catarrhales affectus. II. 590. b. Causæ. II. 591. b. Differentia. II. 592.

90.
7. 60
660.
43
635.
420
1015
580
95

592. b. Diversa appellatio. II. 593. b. Diagnosis & symptomata. II. 594. a. Prognosis. II. 594. b. Cura. II. 595. a. I. 353. b. Quatenus Chirurgia hic locum habeat. II. 596. a. Purgantia. II. 599. a.
Catarrhales affectus circa vesperam exacerbantur. I. 821. a.
Pandaleon pectorale contra affectus catarrhales chronicos. III. 542. a.
Abietis usus in affectibus catarrhalibus. III. 4. a.
Amuletum contra catarrhos. III. 7. b.
Aqua spirituosa serpilli pro catarrhis. III. 113. b.
Aqua ad desiccandos catarrhos. III. 338. a.
Cataplasma contra catarrhos ex anetho. III. 13. a.
Claretum laxativum pro sene catarrhali. III. 578. b.
Decoctum in affectibus catarrhalibus & arthriticis. III. 119. a. III. 587. b. III. 582. a.
Decoctum in affectibus chronicis capitis & pectoris catarrhalibus. III. 583. a.
Decoctum in affectibus pectoris catarrhalibus cum tumoribus glandularum. I. 571. b.
Formula in affectu catarrhali & inde nata tussi. III. 147. b. III. 59. b.
Morsuli catarrhales. III. 540. b.
Pilulæ catarrhales. III. 58. a. b. III. 543. b.
Rotulæ contra catarrhos salsos. III. 538. a.
Vinum medicatum catarrhale. III. 29. b.
Pulvis anticatarrhalis. III. 509. b. In catarrhalibus affectibus capitis à frigore externo contractis suffitus seu pulveres. III. 531. b.
Catarrhalis febris (consultatio) I. 813. b. II. 282. a.
Causæ. II. 282. a. Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 282. b. & seqq.
Catarrhalis febris essentialis scorbuticæ cura. I. 822. b.
Catarrhalis febris epidemicæ cura. II. 284. a. I. 816. a.
Catarrhi epidemii cum dolore punctorio in alterutro latere cura. II. 505. a.
Catarrhi externi. II. 593. b.
Catarrhi infantum cura. I. 510. a. I. 824. a.
Catarrhi senum. I. 824. a.
Catarrhi leniores & ex tempestatis varietate oriundi. I. 99. b. Eorum differentiæ. *Ibid.*
Catarrhi nothi cura. II. 600. a.
Catarrhi scorbutici cura. II. 597. a.
Catarrhi suffocativi. I. 416. b. I. 778. a. I. 780. a. & seq. II. 216. a. Suffocativi pulmonales, vitio laryngis. II. 216. a. Vitio sanguinis. II. 217. b. & seq. Infantum. II. 216. b. In catarrho suffocativo salis ammoniaci usus. I. 344. b.
Catechu. III. 455. a.
Cathartica (vid. purgantia, laxantia.)
Catharticum argenteum. III. 439. b.
Cathartica potio. I. 564. a.
Præcipitatum catharticum minerale. III. 439. a.
Vis cathartica veneris & lunæ. I. 390. b.
Vinum catharticum. III. 6. a.
Hypercatharseos cura. II. 103. b. 108. a.
Catoche. II. 628. b. Ejus Prognosis & cura. II. 629. b.
Catulorum fel. III. 487. a.
Catus domesticus. III. 189. b.
Sylvestris. III. 189. b. Ejus axungia. III. 504. a.
Zibethinus. III. 189. b.
Caucalis. III. 29. b.
Cavitas partium. I. 335. b. Cura I. 336. a.
Caules. III. 2. a. An sint de essentia herbarum. III. 3. a.
Causus verus an detur sine malignitate. II. 370. b.
Causi cura. II. 280. b.
Julepus in causo. III. 566. a.
Cauterium. I. 228. b. III. 477. a. Applicandi modus. II. 396. a.
Cauteria chirurgica. II. 972. a.
Cellulæ intestinorum. I. 738. a.
Cementatio. I. 356. a.
Centaurium majus. III. 100. b.
Centaurium minus. III. 29. b. III. 480. b. III. 444. a.
Est Sarsaparilla Germanorum. III. 30. a.
Cepa. III. 30. b. Cepacea oculis dicata. II. 4. a.
Cephalalgia. II. 662. b. Calida, frigida. II. 663. a.
Causæ. II. 663. a.
Diagnosis. II. 666. a.
Prognosis. II. 666. b.
Cura. II. 667. a.
Cura si fit per essentiam aut per consensum. II. 667. a. 668. b. Si sit scorbutica. II. 457. a. 667. a. b.
Si fit ex sanguinis motu effervescente aucto & febrili. II. 671. a. Si fit à seri copia vel acrimonia peccante. II. 671. b. A causa frigida, materia viscida, glutinosa acri. II. 672. a. Si fit ex vulnere, casu ab alto &c. II. 672. b. Si fit à vermibus. II. 673. a. Si fit ab ebrietate & aliis ventriculi cruditatibus. II. 673. a. Si ex utero. II. 674. a.
Decoctum discutiens & resolvens ad cephalalgiam. III. 590. a.
Balsamum hypnoticum in cephalalgia. III. 509. b.
Epithema contra cephalalgiam cum agrypnia in febribus continuis. I. 565. a.
Emulsio in cephalalgia. III. 63. b. Emulsio epithematis modo ad cephalalgiam. I. 567. a.
Emplastrum contra cephalalgias inveteratas. III. 613. b.
Linimentum pro cephalalgia. III. 612. a.
Unguentum in cephalalgia. III. 612. b.
Epithema in cephalalgia ex causa frigida. I. 565. a.
Decoctum discutiens & dissolvens ad cephalalgiam accidentalem. I. 573. b.
Cephalalgia febrilis. I. 813. b. I. 827. a.
Epithema contra cephalalgiam febrilem & scorbuticam. III. 569. b.
Ad præcavendas cephalalgias in febribus malignis formula. II. 312. a.
Cephalalgiæ in febribus acutis cura. II. 278. a. b.
Cephalalgiæ in febribus catarrhalibus. I. 814. b.
Cephalalgiæ cachecticarum cura. II. 834. a.
Cephalalgiæ gravidarum & puerperarum. II. 905. b.
Cephalalgiæ ex Lue venerea cura. II. 425. b. 427. a.
Cephalalgiæ in peste & febribus maliginis cura. II. 341. b.
Cephalalgia uterina cachecticarum. II. 834. a.
Cephalalgiæ ex consensu uteri signum infallibile. III. 142. b.
Cephalæa. II. 663. a. Cura. II. 672. a.
Cephalica. III. 496. b. I. 240. b. III. 499. b. Aromata. II. 4. a.
Cephalicum elixyr. III. 482. b. Balsamum III. 501. a.
Specificum Cinnabaris Antimonij. II. 4. a.
Stomachico-cephalicæ Pilulæ. III. 543. b. Rotulæ. III. 539. a.
Cephalici morsuli. III. 540. b. Pulveres pro infantibus, adultis item. III. 503. a.
Cephalicus usus herbæ Theê. III. 120. b.
Ceræ descriptio & usus. III. 217. b. Quomodo fiat. III. 216. a.
Alba, flava. III. 504. a.
Ceræ magisterium. III. 504. a.
Oleum & ejus destillandi modus. III. 502. b. 504. a. III. 217. b.
Cera Catholica Burrhi, antidiabolica. III. 362. b.
Cerasa. III. 31. a. Eorum vis nutritiva. I. 165. b. Dulcia. III. 510. a. Acidorum succi. III. 510. a.
Ceratorum ratio. I. 579. b. Corpus. III. 409. b. Formulæ. III. 360. a.
Ceraunius Lapis. III. 247. b. III. 476. b.
Cerberi tricipitis compositio. III. 429. a. III. 178. b.
Cerebelli connexio cum medulla oblongata. I. 103. b.
Structura. I. 103. b. Processus verminalis, pons cerebelli, substantia & usus duplex. I. 103. b. II. 613. a. Vid. *Cerebrum*.
Cerebri duplex substantia. II. 613. a. I. 102. b. Usus. II. 613. a. I. 9. b. & seq. III. 450. a.
Oeconomia & systema. II. 615. a. I. 102. b. II. 613. a b.
Cerebri & partium connexarum cum visceribus abdominis consensus. II. 615. b.
Motus qualis. II. 613. a.
Temperatura unde. II. 614. a. b.
Cerebri cum lunæ motu consensus ad extra. II. 615. b.
Spirituum præternaturalis agitatio. II. 689. b.
Cerebrum plerisque videtur majus circa plenilunium. I. 781. a.
Veterum anatomia. I. 102. b.
Ad cerebrum & cerebellum sanguinis derivatio. I. 9. b.
Cerebri humectatio. II. 614. b.
Cerebri humani usus medicus, & præparatio. III. 199. a.
Spiritus cerebri humani usus. I. 405. b.
Liquor spirituosus ex cerebro animalium. I. 404. b.
Cerebro dicata aromatica. II. 4. a.
Cerebri membranarum inflammatio. II. 514. b.
Cerebri vulnera quatenus lethalia. II. 996. a. b.
Cerefolium. III. 31. b.
Cerevisiæ coctura & præparatio. I. 14. b. I. 165. b. Magis nutrientes cerevisiæ. II. 376. a.
Cerevisiæ præcipitatio. I. 355. b. Concentratio Glauberiana I. 398. a. Conditura per scolopendrium. III. 481. a.
Cerevisia novella quas noxas det. I. 20. b.
Cerevisiam abhorrentibus ægris quomodo succurrendum. I. 736. a
Cerevisiam ab acescentia, & corruptione præservans radix caryophyllatæ. III. 511. b.
Cerevisiæ medicatæ ratio. III. 373. a. b. III. 578. b. & seq. I. 570. a.
Angli valdopere operosi in conficienda cerevisia medicata. III. 48. a.
Cerinthe. III. 32. a.
Cervicis tetanum. I. 931. b.
Cerumen aurium & ejus usus. I. 338. b. III. 194. b.
Cerussa. I. 392. a.
Cervus & partes ejus. III. 190. a. b. & seqq.
Præparata inde. III. 190. b. & seqq.
Cervi usus diaphoreticus & sudoriferus. I. 306. b. III. 449. b. & seq. Visa lexipharmaca Serpens in ejus ventriculo petrefactus. III. 452. a.
Syrupi de spina cervina usus. III. 428. b.

Caro

Caro cervina omnium ad esum optima. I. 166. b.

Cervi priapus. III. 453. b. Sevum. III. 504. a. Typhi, cornua &c. III. 190. a. b. & seq.

Cetus. III. 213. a.

Ceti priapus. III. 453. b. Os cetaceum. *Ibid.*

Ceti sperma, vid. *Sperma ceti.*

Chærefolium. III. 31. b.

Chalcitis. III. 306. a. III. 490. b.

Chalybeata. III. 488. b. Chalybeatum electuarium Augustanorum III. 354. b.

Chalybeatum extractum magnum. III. 370. a.

Chalybs & ferrum quatenus differant. I. 378. b. III. 269. a. Quomodo fiat. I. 378. b. Fundamentum huius indurationis. I. 378. b.

Chalybis scintillulæ. I. 2. b.

Chamæacte. III. 163. b.

Chamædrys, chamædoris. III. 32. a. III. 480. b.

Chamæpitys. III. 32. a. III. 480. b.

Chamelæa. III. 169. b.

Chamomillæ. III. 32. b. Ejus vis carminatiua. I. 242. b.

Chamomilla Romanæ usus. III. 498. a.

Chaos magnum Poterii. I. 375. b.

Chelidonium maius. III. 480. b. III. 33. a. Eius usus diaphoreticus seu sudoriferus. I. 305. b.

Chelidonium minus. III. 34. a. III. 479. b.

Chelidonius lapis. III. 503. a.

Chenopodium. III. 18. a. III. 34. a.

Chermes & inde parata. III. 34. a. III. 511. a. Electuarium seu confectio Al-Chermes. III. 353. b.

Chermesinus color. III. 34. a.

Cheyri flores III. 35. a. III. 484. b.

China, radix. III. 35. a. Ejus usus. III. 440. b.

China Chinæ. III. 35. b. Ejus vis in quo consistat. III. 35. b. Spleneticis febricitantibus non est propinanda. I. 804. b.

Chiragra. II. 674. a.

Chironia ulcera. II. 1018. a.

Chirothecas inungendi unguentum. III. 14. b. Suffimigium chirothecarum ex nucleis Been. III. 19. a.

Chirurgia quid? I 162. a. II. 969. a. Ejus obiectum. *Ibid.*

Non est ars peculiaris, sed pars Medicinæ. I. 32. b.

Est ministra Therapevticæ. I. 1. b.

Anatomiam præsupponit. I. 1. b.

Est vel medica vel manualis. II. 970. b.

Ejus auxilia ex tribus fontibus petenda. II. 970. b.

Ejus columna quarta Saturnus. I. 378. a.

Cura chirurgica quomodo instituenda. II. 970. b.

Chirurgiæ infusoriæ ratio & historia. I. 420. a. b. I. 467. a. Ejus experimenta. I. 420. b. Quid præsupponat. I. 470. b. Modus operationis. I. 469. a. b. Finis. I. 470. a. Usus. I. 474 b. Applicandi tempus. I. 475. a. b. Quænam infundenda, quæ non? I. 475. b. & seq. In quibus affectibus conducat. I. 478. a. 479. b. 480. b. 482. a. 484. b. 485. a. Quibus subiectis inutilis. I. 485. a. b. & seq.

Chirurgia transfusoria. I. 420. a. Eius ortus & inventio. I. 420. a. Occasio. *Ibid.* Experimenta varia. I. 421. b An veteribus cognita. I. 421. a. Differentia triplex. I. 421. a. Modus & finis. *Ibid.* Rationes eam suadentes. I. 421. a. b. Iudicia de ea varia. I. 422. b. Eius examen & applicatio. I. 423. a. Usus & abusus. I. 427. a. Est possibilis. I. 427. a. Citra sanitatis tamen & vitæ periculum applicari nequit. I. 427. b. An longævitatem & vires juveniles conciliet. I. 428. a. Quatenus sanguinis vitia morbosa corrigat. I. 429. a. An vitia partium solidarum restituat. I. 430. b. An in febrium cura locum habet. I. 430. b. An cachecticis, hypochondriacis, scorbuticis, ictericis, cordisque palpitatione laborantibus conferat. I. 432. b. An melancholicis, & maniacis conducat. I. 434. a. An in inflammationibus & inde natis abscessibus utilis. I. 434. b. An hæmorrhagiæ obnoxiis conferat. I. 435. a. Ejus tabe effectus & atrophia. I. 436. a. An ad arthritidis curam quid faciat. I. 436. b. An epilepsiæ medeatur. I. 437. b. An scabiosis, leprosis, lue venerea correptis conveniat. I. 439. a.

Chirurgus qualis esse debet. II. 970. a. Quæ ei observanda. II. 969. a. b. Ejus operationes primariæ. II. 970. a.

Chlorosis, eiusque causæ. II. 831. a. Diagnosis. II. 831. b. Prognosis. II. 832. a. Cura chloroseos & symptomatum. II. 832. a. b.

Chlorosis incipiens, cum vomitu inveterato matutino & tetano cervicis. I. 931. b.

Chocolata. III. 512. a. Vid. *Succolata.*

Choledochus. I. 344. b.

Cholera humida, notha seu sicca. II. 109. a. II. 64. b. Ejus subiectum II. 109. a. I. 416. b. Causæ. II. 109. b. Diagnosis, prognosis. II. 110. b. Cura. II. 111. a. Si à causa acri; à perverso fructuum horæorum usu. II. 111. b. Si à fermento maligno II. 112. a. Si à remedio purgante. II. 113. b.

Epithema pro ventriculo in cholera. I. 565. a. III. 568. a.

Mixtura contra choleram. III. 559. a.

Choleræ species. I. 730. a.

Cholerici quinam. I. 4. b. I. 915. b.

Chordapsus quid? II. 489. b.

Chorion. I. 12. b. I. 134. a.

Choroides. I. 108. a.

Chronicorum morborum origo. II. 165. b. Symptomata. II. 167. b.

Causæ. I. 246. a. II. 173. a. Cura. I. 246. a. II. 167. b. 170. b.

Chronici morbi cur plerumque acutas febres excipiant. I. 834. a.

Chronicorum dolorum, item à casu cura. I. 253. b.

Chronicorum morborum generalia remedia. III. 478. b.

Chronicis morbis infusione obviandum. I. 482. a.

Decoctum in affectibus chronicis capitis & pectoris catarrhalibus &c. I. 571. b.

In affectibus chronicis salis ammoniaci usus. I. 344. b.

Nodulus alterativus & laxativus in morbis chronicis vernali tempore usurpandus. I. 569. a. III. 574. b.

Alius nodulus in chronicis morbis. III. 595. b.

Nodulus purgans in chronicis affectibus. I. 275 a.

Chronicis in morbis quomodo purgandum I. 21. a. An conferat Transfusio sanguinis. I. 432. b. & seq.

Tartari usus in morbis chronicis. III. 466. b. Sacchari saturni usus. I. 392. b.

Chrysanthemum. III. 35. b.

Chrysocolla. III. 519. a.

Chrysolithos. III. 237. b.

Chrysopœia. I. 645. a.

Chrysosplenium Tabernæmontani. III. 110. a.

Chylificationis modus. I. 7. a. I. 70. a. II. 57. a. Eius organon chylificans. I. 70. a. Duo actus in chylificatione concurrentes. I. 71. b. Vid. *Coctio.*

Chylificatio læsa, vid. *Chylosis.*

Chylificationem depuravatam corrigentia. II. 63. b. & seq.

Chylosa alvi excretio. II. 115. b.

Chylosis. II. 57. a. Aberrans. III. 511. b. Eam promovere arduum. I. 784. a.

Chyloseos læsæ symptomata, causæ &c. I. 707. a.

Chylosis imminuta & abolita. II. 58. a. Ejus causæ. II. 58. b. Diagnosis, prognosis, cura. II. 60. b. & seq.

Chylosis læsa ex cruditate nidorosa cum Soda. I. 702. b. Quid? si gravidam affligat. I. 706. b.

Chylosus succus crudus, quomodo à pure, genitura &c. distinguatur in urina. I. 834. a.

Chylosteum. III. 36. a.

Chylus. I. 50. a. b. I. 73. b. Eius particulæ constitutivæ. I. 4. b. Color naturalis. I. 733. a. Eum tingi à bile. I. 7. b. Ejus usus. I. 74. b. Est similis cremori ptisanæ. I. 70. a. Receptaculum chyli commune; cisterna chyli. I. 76. b. & 77. a. I. 7. b. Ductus chyliferus thoracicus. I. 76. b. Chylum alterant testes. I. 125. b. Ejus alteratio in intestinis. I. 74. a. b. Chyli ad partes motus & distributio læsa. II. 164. a. Chyli & sanguinis vehiculum. I. 8. a. Chyli digesti ulterior processus. I. 7. b. Separatio à fæcibus. I. 7. b. Perfectio in intestinis. I. 74. b. Chyli secreti per intestina transcolatio & ad alias partes distributio. I. 76. a. Per quas vias ad mammas deferatur. II. 914. a.

Chyli cum sanguine unio. I. 8. a.

Chyli in sanguinem transmutatio. II. 220. a. I. 78. b. Quomodo lædatur. II. 221. a. b.

Chylus sanguinis permistus ei non statim assimilatur. I. 414. a.

Chylus si non totus in sanguinem abeat, quò delabatur. I. 83. a.

Chyli in sero præsentia. II. 346. a.

Chylus quomodo ad lactis, seminis, generationem &c. concurrat. I. 7. b.

An chyli aliqua portio ad hepar perveniat. I. 77. b. & seq.

Chymiæ veterum ratio. I. 29. a.

Chymica principia. I. 341. a. I. 377. a. Ea Paracelsus à Basilio Valentino mutuò accepit. I. 341. a. Chymica preparata an virtute nativâ adhuc operentur; an verò novam, quam præstant, artis beneficio obtineant. I. 406. a.

Chymicæ artis encheirises. I. 352. a.

Chymica Medicina Hippocratis. I. 486. a.

Chymicorum duplex differentia. I. 29. a.

Chymicis conducens pulvis alexiterius contra fumos metallicos. III. 529. a.

Cibus infantum. II. 928. a. b. & seq.

Ciborum præparatio. I. 165. a.

Quatenus peccatur in cibo. I. 164. a. Ciborum ordo, varietas. I. 164. b. Morbi ex cibo. I. 164. a. Certus ciborum assumendorum ordo non adeò scrupulosè observandus. I. 73. b. Cibi alicuius appetentiæ vel aversationis causæ. I. 65. a. b.

Cibi aversatio determinata. II. 57. a.

Ciborum fastidium in gravidis, ejus causæ, prognosis, cura. II. 868. a.

Cibi fastidium (consultatio). I. 697. a.

Cicatricula oculi. II. 634 a. Cura ejus. *Ibid.* b.

Cicatrisantia quæ. II. 1013. b.

Cicatrisans unguentum. III. 491. a. III. 514. b.

Cicatrix. II. 1000. b. Quomodo præcavenda. *Ibid.*

Cicer. III. 36 a. III. 484. b.
Cichorium. III. 480. a. III. 36. a. Cichorei aqua. III. 480. b. Cichorii conditum. III. 480. b.
Ciconiæ usus medicus. III. 207. a. An ei insit vis alexipharmaca. III. 452. a. Electuarium alexipharmacum de ciconia. III. 353. b.
Cicuta. III. 37. a. III. 507. a. De cicuta emplastrum splenicum. III. 362. a.
Cicutaria. III. 507. a.
Cilia. I. 110. b.
Ciliare interstitium seu ligamentum. I. 108. a.
Cimicum usus medicus. III. 219 b.
Cineres quid? unde? I. 2. b. III. 344. a.
Cineres radicum, lignorum, corticum. III. 2. a.
Cingulum mercuriale seu sapientiæ. I. 374. b. I. 310. b. II. 464. a. Sub genuino eius usu observanda quinque. III. 283. a.
Cinnabaris. III. 292. a. Differentia nativæ & artificialis. III. 292. a.
Depuratio & correctio. III. 292. b. I. 376. b.
Nativa unde uires adeo polychrestas possideat. III. 293. a.
Nativa quomodo generetur. I. 376. b. Ejus varietas. *Ibid.* An tutò possit intra corpus assumi. I. 376. b.
Artificialis seu officinarum. III. 288. a. I. 376. b. Cœrulea, solaris. I. 376. b.
Cinnabaris Antimonij & Mercurii usus. III. 460. b. Encheiresis acquirendi cinnabarin antimonij in copia. III. 461. a.
Cinnabaris antimonij specificum cephalicum & antiepilepticum. II. 4. a.
Suffitus cinnabarini pro usu salivatorio. II. 416. b.
Cinnabaris fossores fiunt plerumque tremuli ob mercurium. I. 374. a.
Cinnamomum. I. 319. a. III. 37. b. Præparata. III. 497. a.
Aquæ. III. 338. a. Oleum ejus destillandi modus. III. 37. b. & 38. a. Olei cinnamomi usus pro scopo purgatorio. III. 429. a.
Cinnamomi virtutes unde. III. 2. a.
Cinnamomi albi usus. III. 497. a.
Circæa. III. 38. b.
Circulatio, *vid.* Sanguinis circulatio.
Circumgyratio. II. 690. a.
Circumstantiæ in cognoscendo morbo attendendæ. I. 695. b.
Cirones & eorum differentia à crinonibus. II. 964. b. I. 687. a. b.
Cirsium. III. 38. b.
Cirsocele. II. 787. a.
Citrullus. III. 39. a.
Citrus, eius usus & præparata. III. 38. b. III. 510. b. III. 498. b. *& seq.* Vis confortativa & carminativa. III. 498. b. *& seq.* I. 242. a.
Citri semen & emulsio. III. 363. a.
Acetum corticum citri. III. 335. a.
Citri balsamum. III. 342. b. Elixyr. III. 358. a. Morselli. III. 377. b.
Emplastrum citrinum. III. 360. b.
Clareta præscribendi modus & eorum formulæ. III. 578. b. I. 570. a.
Claudicationis causa. II. 674. b.
Clavicularum structura. I. 619. b.
Clavus, qualis morbus. II. 663. a. Clavorum cura. II. 991. b. *& seq.*
Clamatitis erecta. III. 16. a.
Climactericus annus, criticus, & eius supputatio. I. 18. a. I. 192. b.
Clinopodium. III. 39. a.
Clitoris. I. 128. b. II. 826. b.
Clonica convulsio. II. 697. a.
Clysmatum ratio. III. 346. a. I. 316. a. I. 577. a. I. 578. b. Vsus. I. 24. a. I. 316. a. III. 590. b. III. 346. b. Instrumenta. III. 591. a.
Formulæ. I. 24. a. III. 591. a. b. *& seq.*
Regimen & applicandi modus. I. 316. b. *& seq.*
Materia medicamentosa. I. 317. a. Corpus. III. 346. b. Quotuplex clysma? III. 590. b.
Clysmatica nova. I. 467. a.
Clysmatibus cremor tartari non addendus. I. 736. a. (vid. *Clyster.*)
Clyssus. I. 357. b. Clyssi sufficientes. III. 423. a. III. 474. a.
Clysterum ratio. III. 346. a. I. 577. a. Clysterum tres species & scopi. III. 432. b.
An clysteres confortent & nutriant? III. 346. b. III. 591. a.
Clysterum pro scopo emolliendi formulæ. III. 432. b.
Clysterum anodynorum formulæ. III. 432. b.
Clysterum acriorum & stimulantium formulæ. III. 432. b.
Clysterum ex antimonialibus, urina humana, tabaco &c. formulæ. III. 432. b. III. 433. a.
Clysteres alvini. III. 347. a.
Clyster temperans & anodynus polychrestus. III. 593. a.
Clyster in catarrhis. III. 591. b.
Clysteres in scorbuto & malo hypochondriaco. II. 442. a.
Clysterum uterinorum ratio. III. 347. a.
Clysteres anodyni & purgantes ex fumo tabaci. III. 593. a.
Coagulatio quomodo fiat. I. 344. b. Ejus causa. I. 44. b. Ei opponitur solutio. *Ibid.*
Coagulationum optimum resolvens sudor. I. 23. a.
Coagulatio Lactis. II. 918. a. Unde. I. 941. b. Eam impedientia, promoventia. I. 354. b. Coagulum agni, hædi &c. mira præstat in lacte coagulato. III. 181. a.
Cobaltum. III. 305. b. III. 519. a. Eius usus & ex minera sua eliciendi modus. III. 519. a.
Cocculi orientales. III. 39. b.
Cochlea auris. I. 10. b. I. 112. b.
Cochleæ. III. 192. a. III. 512. b. Præparata inde III. 192. a. Vsus. III. 453. a.
Cochlearum vita media resurgens. II. 352. b.
Cochlearia & inde præparata. III. 39. b. III. 479 a. Ejus vis antiscorbutica. III. 2. a.
Coctio in quo consistat. I. 808. b. I. 411. a. b. I. 74. a.
In corpore triplex. II. 69. b. *& seq.*
In sensu Hippocratico quid? I. 20. b.
Coctionis signa ex urina. I. 93. a. Dependent à præcipitatione. I. 355. b.
Coctionem in stomacho an calor perficiat. I. 70. a.
Tempus coctionis in stomacho varium. I. 74. a.
Cœliaca urinalis. II. 569. a.
Cœliacus fluxus. II. 115. b. Modus ejus & causæ. II. 116. a. Diagnosis, prognosis, cura. II. 116. b.
In cœliaca salis Ammoniaci usus. I. 344. b.
Cœlum. Cœli aspectus, vid. *Aspectus.*
Cœrulei coloris ratio. I. 109. b. III. 305. b.
Omnes flores cœrulei à liquore acido acquirunt colorem rubrum, ab urinoso viridem. III. 16. a.
Coffee. III. 40. b. III. 511. b. Eius usus antiscorbuticus, II. 446. a.
Cognitio quomodo fiat. I. 120. a.
Bruta quomodo cognoscant. I. 120. a.
Cognitio perfecta & propriè sic dicta in brutis non est. II. 688. b.
Cognitio sensualis brutorum analoga cognitioni hominum. I. 11. b.
Cognitionis intellectualis ratio. II. 688. a. b. Ea præsupponit spirituum animalium exercitium. I. 11. b.
Cognitio reflexa animæ rationalis. I. 11. b.
Coindicantia. I. 201. b.
Coitus, epilepsia parva. II. 697. a. Voluptas mulierum in coitu prismaria. I. 128. a. Coitum promoventia & facilitantia. II. 779. b. *& seq.* II. 795. b. *& seq.*
Colchicorum duæ species. III. 167. b.
Colcothar. I. 359. b. III. 321. a. 324. b. III. 491. a. 494. b.
Colica. II. 142. a. Eius differentiæ. II. 142. a. b. I. 752. b.
Dolor varius. *Ibid. & seq.* Pars affecta, causæ. II. 145. a.
Diagnosis. II. 147. a. Prognosis. II. 148. a.
Cura II. 148. a. II. 96. b. Si ab errore externo orta. II. 157. a.
In colica sedanda anatis applicatio. III. 206. b.
Allium medetur colicæ. III. 10. a.
Aqua anticolica ex stercore columbino. III. 207. b.
Clysma in colica. III. 72. a.
Decoctum galli in colica laxativum & alterativum. III. 588. b.
Hormini usus anticolicus. III. 498. b.
Fotus in colica. III. 600. a.
Anticolicum oleum anethi. III. 13. a.
Colicam sistens pulvis. II. 527. a. III. 18. a.
Pilulæ in colica. III. 147. b.
Rotulæ contra colicam. III. 539. a.
Sacculus contra colicam. III. 601. a.
Colicos dolores sistens stercus equinum. I. 405. b.
Ridicula colicæ cura apud veteres. I. 76. b.
Mixtura experta in colica. III. 12. a.
Spiritus anticolicus Dravvizii. III. 401. a. b.
Colicam flatulentam tollens mistura. III. 559. b.
Clyster carminativus in colica flatulenta. I. 577. b.
Potio in colica flatulenta I. 244. a.
In colica ex pituita vitrea Pilulæ laxantes. III. 543. b.
Colica convulsiva habitualis cum epilepsia conjuncta. I. 760. b.
Colica convulsiva conjuncta febri quartanæ duplicatæ. I. 805. a.
Colicæ convulsivæ modus fiendi. I. 763. b.
In colica convulsiva salis ammoniaci usus. I. 344. b.
Mistura contra colicam convulsivam. III. 505. a. III. 561. b.
Colica humorosa convulsiva. I. 763. a.
Colica hypochondriaca humorosa cum dolore iliaco. I. 750. b.
Formula in colica hypochondriaca. II. 171. b.
Colica pestilens. II. 329. a.
Colica scorbutica. II. 452. a.
Colicam perfectam virorum respondere passioni hystericæ mulierum. II. 838. a. I. 764. a.
Cura ejus. II. 842. a. b.
Collectionis herbarum, florum & aliorum vegetabilium modus & tempora Paracelsi. III. 55. a. b. Ea superstitiosa non est. III. 500. b.
Colli vertabrarum dolor. II. 674. a.
Contractura. II. 697. a.
Intumescentia. I. 782. b.
Decoctum in affectibus pectoris catarrhalibus cum tumore glandularum colli &c. I. 571. b.

Colly-

Collyria. III. 565. a. I. 558. b. II. 632. a. b. & seq.
Eorum applicatio sub triplici forma. III. 340. b.
Collyria humida quotuplicia. III. 571. a. Quid? I. 564. b.
Collyria præscribendi & præparandi modus. I. 565. b. III. 571. a.
Collyriorum formulæ. III. 340. b. & seq.
Collyrium multi usus. I. 574. a.
Collyrium aloeticum Bruni &c. III. 340. a.
Colocynthis. III. 162. b. Ejus fermentatio & correctio. III. 163. a. b. I. 348. a. Præparata. III. 163. b. Vsus purgatorius &c. I. 278. b. II. 22. b. 24. a. Quomodo colocynthide utendum. III. 426. b.
Regula de colocynthide. III. 173. a.
Colophonia. III. 138. b.
Color, coloratum unde, quid? I. 109. a. b. I. 376. b. I. 10. b. II. 403. a. II. 630. a. b.
Quomodo concipiatur. I. 3. b.
Descendit à motu. I. 3. b.
Colorum mutatio unde? I. 733. a. b. II. 630. b. I. 109. b. Varietas unde. II. 403. a.
Colorum divisio in extremos & intermedios, eorumque miscela. I. 109. b.
Colorum materiale & formale. I. 109. b.
Quomodo cæcus de colore judicet. I. 109. b.
Color in habitu corporis unde? & quid signet? I. 416. a. b.
Color virginum pallidus. II. 831. a.
Colostrum quid? II. 914. a. II. 925. b. An infantibus nocivum. II. 925. b. II. 929. a.
Columba & ejus usus medicus. III. 207. b.
Columbinus sanguis. III. 453. b.
Columbinum stercus. I. 298. b.
Colutea vesicaria. III. 163. b. II. 19. a.
Coma somnolentum & vigil. II. 622. a. Ejus causæ. II. 623. a. Diagnosis, prognosis. II. 624. a. b. Cura. II. 625. a.
Combustio quid? I. 36. a. b. Combustionem sanantia. I. 339. b.
Comedones. II. 964. b. I. 687. a. Comedonum origo. I. 505. b. Cura. I. 512. b.
Cometarum munus. I. 446. a.
Compositio medicamentorum. III. 521. a. b. I. 554. a.
Compositionis morbi. I. 336. a.
Conceptio & fœtus formatio. I. 131. a. I. 658. a. b. I. 12. a. b. II. 851. a. Non in utero, sed in testiculo contingit. I. 131. b.
Ejus causæ. I. 131. b.
Conceptionis signa, si mas aut fœmella fuerit embryo. II. 853. a.
Semen maris an necessariò concurrat ad conceptionem. II. 854. a.
Ad conceptionem sufficit spiritus genitalis maris. II. 852. b.
Concipere posse etiam virginem. II. 852. b.
Conceptio gemellorum, trimellorum, quomodo contingat. II. 852. b.
Conceptio tubaria præternaturalis. I. 12. a. II. 851. a. In stomacho. II. 851. a.
Conceptio falsa. II. 854. a.
Conceptio quot modis lædatur. II. 851. a. 854. a.
Conceptio aucta. II. 859. b.
Conceptio imminuta & abolita. II. 857. a.
Conceptionem impediri à plantis saturninis. III. 110. b.
Conceptus quomodo à ratione formentur. I. 10. a.
Conceptuum in mente varietas unde. I. 3. b.
Concharum familia, præparata, usus. I. 307. a. b. III. 213. a. b. III. 453. a.
Concha auris. I. 112. b.
Concionatoribus usitatum brassicæ decoctum. III. 23. b.
Concoctio quomodo fiat. I. 6. b. Avium, animalium cornigerorum. I. 68. a. b.
Concoquentia in tumoribus. II. 974. b.
Concussio. II. 697. a.
Conditum. I. 558. a. 560. b. Conditorum usus. III. 421. a.
Condita officinalia quid? III. 348. a. Condiendi modi varii. III. 348. a. b.
Conditura corporum cum & sine evisceratione. III. 198. a.
Conductio. II. 697. a.
Condylomatum Gallicorum cura. II. 424. a.
Confectio solida. I. 561. b.
Confectiones saccharatæ. III. 349. a. Hepaticæ &c. nauseosæ. III. 481. b.
Confectio Al-chermes. III. 353. b.
Confectorum usus. III. 421. a.
Configurationes stellarum. I. 442. a.
Conformationis morbi cum therapevsi. I. 13. b. I. 335. a.
Vitia trasplantata in fœtum. I. 411. a.
Confortantia. I. 240. a. b. I. 318. a. III. 499. a. & seq.
Confortantia calida. III. 496. b.
Confortativa vis salium volatilium oleosorum. II. 4. a.
Confortantes rotulæ. III. 539. a. b. I. 561. b.
Lixivium pro lotione capitis confortativa. III. 604. b.
Congelationis ratio. I. 344. b.
Congrumatus sanguis, eumque resolventia. II. 976. b.
Conjectura duplex. I. 29. b. Circa quas res fiat. I. 30. a.
Conjecturæ Medicorum quales. I. 1. a. Earum fundamentum. Ibid. Temerariæ quæ? Ibid. Cur is in Medicina utendum? Ibid.
Conjunctio Planetarum quid? I. 442. a. 443. a.
Conjunctionum causæ, differentiæ. I. 443. a. b.
Magnarum tres species & ordines. I. 442. b. I. 444. b. & seq. Triplicitatum natura. I. 443. b. Effectuum exempla. I. 444. b. & seq. Numerus & tempus. I. 444. b. & seq. Conjunctionum exempla. I. 444. b. & seq. Coniunctiones veræ an mediæ attendendæ. I. 444. a.
Conjunctionis anno MDCLXIII. consideratio. I. 445. a.
Connexionis morbi. I. 336. a.
Consanguineos inter Sympathia. II. 774. b.
Consensus partium corporis propriè & impropriè sic dictus. II. 763. b.
Propriè est saltem inter partes nerveas. I. 14. a. Vnde? II. 28. a.
Per consensum quando pars affecta dicatur. I. 14. a.
Conservæ quid? III. 349. a. Modus, vires, usus. III. 349. a. III. 421. a.
Cur ab halitu menstruatæ acescant. II. 801. b.
Conseruantia pectoralia. I. 249. a. 251. a.
Consilium in Medico semper præstò sit. I. 200. a.
Consolidarum tres species. III. 96. a.
Consolida maior. III. 517. a.
Consolida bugula. III. 516. a.
Consolida media, saracenica. III. 40. b. & 41. a. Ejus usus vulnerarius. I. 338. a.
Consolidatio partium. I. 336. a. Ejus impedimenta. Ibid.
Consolidativuum decoctum. III. 587. a.
Consonantium formatio. I. 10. b. I. 113. a. II. 643. a.
Constellationes cœli. I. 442. a.
Constituens in compositione medicamentorum. I. 555. b.
Constitutio tenerior, robustior quæ? eiusque fundamentum. I. 808. b.
Ejus ratio in praxi habenda. I. 809. a.
Consuetudinis vis in conservanda sanitate. I. 193. a. In venæsectione, scarificatione &c. I. 412. b.
Consultationes practico-casuales. I. 694. a.
Contagium. I. 156. a. I. 14. a. Contagiosi morbi unde? I. 411. a. I. 425. a. II. 299. b. Quomodo afficiant. II. 296. b.
Contagiorum à venenis differentia. I. 665. b.
Contagia quomodo propagentur. I. 524. a. I. 738. b.
Contagia ex odore contracta. I. 933. a. b.
Contagii præservatio. I. 157. a. II. 302. a.
Contagia curandi methodus. I. 668. b.
Contortis in membris unguentum. III. 501. a. b.
Contractura. II. 697. a.
Abietis usus in contractura scorbutica. III. 4. a.
Processus contracturæ ex colica. III. 140. b.
Contracturæ à causa interna cura. II. 712. a.
Contractura & rigor brachii ex inepta venæsectione. II. 697. a. Genuum, capitis, colli &c. Ibid.
Contraindicantia. I. 201. b.
Contraria contrariis curantur. I. 18. b. I. 201. a.
Contrayerva. III. 40. b. III. 444. a.
Contundens dolor. II. 651. b.
Contusio. II. 976. b. Ejus cura magnetica. II. 977. b.
Quomodo consolidanda. I. 162. a.
Partium externarum. I. 335. b.
Cum contusione factorum vulnerum cura. II. 1004. a.
Cataplasmata ad contusiones. III. 118. b. III. 520. a. b.
Convolvulus Hispanicus, Arvensis. III. 41. a.
Convulsiones. II. 696. b. Quotuplices. II. 696. b.
Convulsionum causæ. I. 10. a. II. 614. a. I. 417. a. Eas dependere radicaliter ex affecto abdomine. II. 616. a.
Convulsio clonica, tonica. II. 696. b. 697. a. 710. b.
Convulsionis tonicæ causæ. II. 710. b. Subjectum. II. 711. a. Cura. II. 711. a.
Convulsio cordis. II. 346. b. & seq.
Convulsionum in febribus malignis signa. II. 331. a.
Convulsionis ex luxatione nervorum, vulnere, ictu animalis &c. cura. II. 712. a.
Convulsionis ex læso nervo cura. II. 711. b.
Convulsionum in partu cura. II. 889. a.
Convulsionum scorbuticarum cura. II. 458. a.
Convulsio partium vulneratarum. II. 1010. a.
Convulsivum asthma. I. 784. b. Ei succurrendum est infusione. I. 480. b.
Amuletum contra convulsiones. III. 7. b.
Convulsiva contractio infantum. II. 940. b.
Conyza. III. 41. a.
Copal resina. III. 138. b.
Cor quid? I. 8. a. Ejus officium. II. 220. a. I. 8. a.
Est terminus, à quo movetur sanguis. II. 6. b.
Cordis motus proprius & improprius. I. 8. b. Motus continuus unde. I. 122. a. Motus pulsificus unde. I. 639. a. Cum pulsificus cordis motus ad animalium vitam adeò necessarius. I. 644. a.
Cordis motus quomodo vitietur. II. 346. b.
Cor non est radix vitæ. I. 79. a.

Experi-

Experimenta varia de corde. I. 644. b.
Corde exfecto non flatim refpiratio ceffavit & mors è veftigio infecuta. I. 623. b.
Cordis paffio malè putatur anxietas ex orificio ftomachi orta. I. 764. b.
Cordis tremor & palpitatio. II. 346. a. Pars affecta. II. 347. a. Caufæ. II. 347. a. b. 349. a. Signa diagnoftica. II. 349. a. b. Signa caufarum. II. 349. a. b. Prognofis. II. 349. b. Cura. II. 349. b. An venæ fectio inftituenda. II. 349. b. & feq. An conducat fanguinis transfufio. I. 432. b.
An fanguinis infufio conferat. I. 478. a.
Cordis gravidarum palpitatio. II. 870. a.
Cordis cachecticarum palpitatio. II. 834. a.
Cordis in pefte palpitationis cura. II. 344. a.
Cordis vermis. II. 347. b.
Corallina. III. 41. a. Vfus. Ibidem.
Corallii etymon. I. 447. b. Cui regno tribuendum. I. 447. b. III. 239. a. Generatio. I. 449. a. III. 239. a. Durities fub & extra aquam. I. 449. b. Natura. I. 449. a. b. Color mafculi & fœminæ. I. 450. a. Sunt vel rubra vel alba. III. 239. b. Ufus coralliorum & vis abforbendi. I. 247. a. III. 513. a. Vfus purgatorius. III. 428. b. Duo in corallis rubris circa eorum ufum confideranda. III. 239. b. Solutio. III. 513. b.
Præparata corallina. I. 247. a. III. 513. a. b. III. 240. a.
Arcanum corallinum. II. 415. b. I. 375. b. III. 438. a.
Syrupus coralliorum. III. 236. b. 242. b. Syrupus coralliorum rofatus. III. 482. a.
Flores. III. 242. b.
Tinctura. I. 447. a. An vera & legitima detur. I. 451. a.
Tincturæ putatitiæ. I. 451. a. b. & feq.
Ejus felectiores præparationes. I. 454. a. III. 241. a. b.
Vfus ejus. I. 454. b.
Vitriolum vegetabile pro extractione tincturæ coralliorum. III. 66. a.
Coralliatorum abufus in acutis. I. 834. b.
Cordialia. I. 240. a. b. III. 496. b. I. 318. a. III. 499. a. b.
Cordialis virtus falium volatilium oleoforum. II. 4. a.
Cordialis aqua Herculis Saxoniæ. III. 338. a.
Cordiale epithema. III. 365. b.
Coriandrum & eius ufus. III. 41. b. III. 498. a. Correctio veterum. III. 498. a.
Corii humani cingulum. III. 487. b.
Cornea tunica oculi. I. 10. a. I. 108. a.
Cornelius Celfus. I. 28. a.
Cornu bovis ufus medicus. III. 182. b.
Cornu Cervi uftum fufficit pro omnibus uftis partibus duris animalium. III. 415. b.
Cornu cervi quando perfectum. III. 449. b. Selectus. III. 450. a. Præparata inde. III. 450. a. b. Gelatinæ cornu cervi ufus. I. 306. b. Salis volatilis cornu Cervi ufus. I. 405. a. Spiritus effentificatus cornu Cervi. I. 404. b.
Cornu Cervi folare. I. 394. b.
Cornua hircina non differunt a reliquis. III. 453. a.
Cornua in ruminante monacho. II. 69. b.
Cornua rupicaprarum. I. 450. a.
Cornua radices agentia. III. 453. a.
Cornua omnium animalium an habeant vim alexipharmacam. III. 183. a.
Cornua eorumque cura. II. 991. a. b.
Cornus. III. 41. b.
Cornuti & ruminantes homines. I. 68. b.
Corona viperina five ferpentina. I. 307. a. III. 452. a.
Corpulentia nimia. II. 375. b. I. 676. a. Subiectum. I. 676. b. Caufæ eius. II. 376. a. & feq. I. 678. a.
Diagnofis, prognofis. II. 376. b. 681. b. Cura. II. 377. a. I. 681. b. & feq.
An poffibile fit, ut corpulentiâ factâ nutrimentum femel affimilatum denuò refolvatur & foras eliminetur. II. 377. a.
Acetorum, imprimis fcillitici, ufus in corpulentia nimia. III. 112. a.
Corpus. Corporum naturalium principia naturalia. I. 32. a. 37. a.
Corporis œconomia hodie per principia mechanica explicatur. II. 2. a.
Principia compofitionis corporum naturalium prima & refolutionis ultima. I. 34. a. b.
Corpus compofitum eft ex atomis. I. 3. a.
Corpora omnia ex aquis conftare. I. 2. b.
Triplex corporum naturalium ftatus ratione principiorum. I. 34. a.
Corpus componentium particularum numerus ternarius. I. 3. b.
Corporum divifio fecundùm fuas differentias. I. 46. b.
Differentia corporis phyfici & mathematici. I. 33. a.
Corpora compofita funt vel homogenea vel heterogenea. I. 42. b.
In corporibus heterogeneis tria confideranda. I. 43. a.
Corporum varietas ratione magnitudinis & craffitiei. I. 676. a. b.
Corporum diverfitas & variæ configurationes unde. I. 3. a.
Ex una fimpliciffimâ materia omnia corpora naturalia conftare, & quæ illa? I. 38. a.
Corporum deftructio, immutatio, generatio. I. 3. a.
Particulæ corpora conftituentes, & in quæ etiam refolvuntur. II. 5. a.
In quæ corpus refolvitur, ex iis etiam componitur. I. 37. a.
Signa prognoftica ex corporis mutatione. I. 191. a.
Corporis operationes feu functiones tres. I. 6. a. II. 358. a. b.
Corpus humanum, ejusque ftructura. I. 2. a. I. 50. a.
Materia ex qua. I. 50. a. Partium differentia. I. 2. a. I. 50. a.
Materiæ ejus textura. I. 50. b. Contextæ diverfa modificatio. Ibid. & feq. I. 59. b.
Non eft ex quatuor elementis compofitum. I. 2. a. Qualis machina. I. 409. a.
Corporis humani principium movens feu vitale. I. 51. b. I. 49. b. II. 4. b.
Regio duplex in œconomia corporis humani. II. 6. b.
Quatenus fit objectum Medicinæ. I. 2. a.
Corpus callofum. I. 103. a.
Corporis ftupor, capite libero. II. 715. a.
Corpus quadratum. II. 375. b.
Corpora ftriata. I. 103. a.
Corpus, Chymicis quid? I. 377. a.
Corpufcularis Philofophiæ ortus. I. 38. b.
Correctio medicamentorum vera. I. 347. a. 348. a.
Palliativa. Ibid. Caftrativa. Ibid.
Correctiones per acida inutiles. I. 347. b.
Corrigens in compofitione medicamentorum. I. 555. b.
Corrigentia. III. 523. b.
Corroborantia. III. 496. b.
Corroborans electuarium fpecificum Crollii. III. 354. b.
Bolus pro corroboratione poft nimium fudorem in febre maligna prolectum. III. 532. b.
Corrofio. I. 356. a.
Corrofivi liquores varii. III. 344. b.
Corrofivum ulcus. II. 1017. b.
Corruptio corporum fucceffivè fit. I. 657. a.
Alimenti & fanguinis. I. 411. b.
Unde. I. 38. b.
Cortices & inde producta. III. 2. a.
Semper præftant ipfo ligno. III. 109. a. Imò & radicibus. III. 2. a.
Cortex Winteranus. III. 38. b.
Corvi & pullorum ejus ufus medicus. III. 207. b.
Corylus & fabulæ de illo. III. 41. b. & feq. Ejus ufus diaphoreticus & fudoriferus. I. 305. a. b.
Corylinum vifcum. III. 500. b.
Coryza. II. 593. b. 600. b. Ejus caufæ. II. 600. b. I. 820. b.
An femper à caufa externa. I. 820. b.
Diagnofis, Prognofis. II. 601. b. Cura. II. 601. b. I. 822. a.
Coryzæ fub temporum mutationibus affligentes unde? I. 819. b.
Coryza circa vefperam exacerbatur. I. 821. a.
Majoranæ ufus in coryza. III. 73. a.
In coryza fuffitus. III. 531. b.
Cofmetica inter primatum ducit Polygonatum. III. 94. a.
Emulfio cofmetica. I. 568. a. III. 565. a.
Cofmeticus ufus olei anifi. III. 14. a.
Cofmeticæ aquæ ridiculæ. III. 338. a. b.
Cofmeticum præcipuum magifterium marcafitæ. III. 514. b.
Cofmeticum ex ovis. III. 209. a.
Cofmeticus ranæ ufus. III. 512. b.
Nervus omnium cofmeticorum in quo confiftat. III. 70. a.
Cofta fpinofa. III. 68. a.
Coftæ Herbæ ufus. I. 251. a.
Cofta fartoria. III. 453. b.
Coftarum ftructura. I. 619. b. Motus orbicularis. I. 619. b. Vfus in fanguinis circulatione. I. 8. b.
Coftus. III. 42. b. Arabicus verus. I. 319. a. III. 497. a.
Coturnix, & ejus ufus medicinalis. III. 207. b. & feq.
Cotyledones, Cotyledonifera animalia. I. 12. b. I. 134. a.
Coxæ luxatio & dolor. II. 674. a. b.
Coxendicis dolor. II. 674. a. Coxendicum grauidæ dolor. II. 869. b.
Cramba. II. 697. a. 711. a.
Ex Cramba convulfio. II. 712. a.
Cranii depreffionis & fiffuræ figna. II. 1008. b.
Cranii vulnera quatenus lethalia. II. 996. a. b.
Cranii vulnerum cura. II. 1008. a.
Cranii humani ufus medicus. I. 405. b. III. 198. a. III. 199. a.
Præparata inde. III. 198. a. b. Mufcus. III. 199. a.
Gelatinæ cranii humani ufus. III. 373. a.
De cranio humano experimentum Anglicum. II. 123. b.
An cranium hominis violenter interempti fpecialem habet prærogativam antiepilepticam præ cranio hominis fucceffivè mortui, vel etiam præ aliis offibus tam humanis quàm leporinis? III. 199. b. III. 503. b.

Crapu-

Crapula quid? I. 670. a. Puluis in crapula. III. 511. a. b.
Crasis naturalis in quo consistat. I. 143. a.
Crasin sanguinis vitiatam corrigentia. I. 20. a.
Crasis seminalis simplicium non definitur è priori, sed ex quarundam particularum prædominantium habitudine. II. 2. b.
Cremaster testiculorum. I. 124. a.
Cremor tartari cum spiritu sulphuris imprægnatus. I. 706. b.
Crepitus lupi. III. 517. a.
Creta eiusque solum natale, natura, usus. III. 227. a. b.
Cribriforme os. I. 11. a.
Crinones. II. 964. b. I. 506. b. I. 687. a. Cura crinonum. I. 512. b.
Crises morborum. I. 25. b. I. 191. b. Crisium causæ. I. 192. a. Rariùs apud nos contingunt. I. 192. b. A Medico non negligendæ. I. 523. b.
Crisis magna. I. 192. b.
Crithamum, crithmum. III. 42. b.
Criticæ morborum judicationes. I. 21. a.
Criticorum dierum triplex differentia. I. 192. a.
Crocodilus an in masticatione simul moveat max illam superiorem. I. 67. a.
Crocus. III. 42. b.
Ejus epitheta. III. 43. a.
Usus & præparata. III. 499. a. I. 254. b. Electuarium de croco. III. 354. b. An tingat fœtum in utero. I. 78. a.
Crocus Chymicis quid? I. 342. a.
Martis viridis. I. 342. a. I. 360. a.
Martis aperitivum vel alterativum parandi usus. I. 389. a. Adstringentem. Ibid.
Crocum martis conficiendi modus illegitimus. I. 389. b.
Crocus metallorum quid? III. 435. b. Quomodo parandus. III. 296. a. b. III. 435. b. Vsus. III. 296. b. Propinandi modus. III. 436. a.
Crocus metallorum antimonii Rulandi. I. 366. a. Eius correctio. I. 366. a.
Crocus metallorum flavescens. III. 474. a.
Croci metallorum præparatio pro usu vomendi. I. 261. a.
Croci metallorum vis purgatrix. I. 281. a. III. 437. b.
Croci metallorum magisterium. III. 436. a.
Crocus rubicundus Z. Welsteri ad præparanda medicamenta solaria. III. 394. b.
Crocus veneris. I. 391. a.
Cruciata. III. 43. b.
Cruditatis nomine quid veniat. I. 272. a. Opponitur cruditas digestioni. I. 704. a. Medium quo crudum coquitur. I. 272. b. Cruditatis causæ. I. 273. a.
Cruditas acida quid? II. 58. a. 60. a. Eius causa, diagnosis, prognosis, cura. Ibid. & seq. 64. a.
Pilulæ corrigentes cruditatem acidam. III. 543. a.
Cruditas nidorosa quid? II. 58. b. 60. a. Origo ejus & causæ. Ibid. I. 704. a. b. Diagnosis, prognosis, Cura. II. 60. b. 63. b. I. 705. a. b. 706 a. b. I. 244. a. Quid? si cruditas nidorosa gravidam affligat fœminam. I. 706 b. & seq.
Cruditas pituitosa. II. 58. a. Ejus Cura. II. 64. a.
Cruditates viscidas resolventia aromata. II. 4. a.
Crus longius osse femoris extrorsum luxato. I. 335. a.
Cruris atrophia. II. 674. b.
Cruris dolor. II. 674. a. b. Eum sopientia. I. 253. b. & seq.
Crurum dolores in scorbuto. II. 451. b.
Emplastrum contra dolorem cruris venereum. III. 613. b.
In Cruribus œdematosis beccabungæ usus. III. 13. a.
Crurum tumor & inflatio in gravidis. II. 874. a.
Crurum vlcera cacoethea curantia. I. 884. a.
Crusta lactea infantum. I. 503. a. II. 956. b.
Crustæ panis emplastrum. III. 360. b.
Crystallinus humor oculi. I. 10. a.
Cristallisationis ratio. I. 344. b.
Crystallus III. 247. b. Ejus genesis. III. 235. b. Differentia à glacie, adamante. III. 236. a. Ejus usus. III. 247. b. III. 513. b. III. 476. b. Præparationes. III. 248. a. b. Solutio. III. 513. b.
Crystallus sola sufficit inter omnes gemmas pro usu practico. III. 415. b.
Crystallorum liquor. III. 375. a.
Crystalli Jovis. I. 393. a. b.
Cristalli martiales. I. 390. a.
Crystalli vinosi. III. 499. b.
Crystalli lunares I. 396. a. Lunares virides. I. 396. b.
Crystalli tartareo-dulces sapæ. III. 507. b.
Crystalli tartari vini. I. 400. b.
Cubebæ. I. 319. a. III. 43. b.
Species diacubebæ. III. 497. a.
Cuculus. III. 208. a.
Cucumis. III. 44. a.
Cucumerum asininorum succus fermentatus. III. 427. b.
Cucuphæ quid? III. 394. b. III. 601. b. I. 558. b. Cucuphas præscribendi modus & earum usus. III. 601. a. I. 574. a. I. 575. a.
Cucurbita. III. 44. a.
Cucurbitini lumbrici infantum. II. 952. a.
Cucurbitulæ veterum, modernorum, scarificatæ. I. 227. a. b.
Culinaria ars ministra Hygienes. I. 1. b.
Culter devoratus extractus. III. 77. b.
Cuminum. III. 44. a. III. 497. b.
Cupressus arbor. III. 44. b. Herba. III. 44. b.
Cuprum (vid. Venus.) In cupro est primum ens lunæ. I. 377. b.
Cupri propria figura. III. 253. b. Substantia volatilis. III. 491. a. Minera. III. 253. a. b.
Curæ particularis ratio. I. 340. b. Generalis ratio. I. 339. b.
Cura morborum fiat citò, tutò, jucundè. I. 18. b. I. 197. b. Quomodo se aliàs gerere debeat Medicus. I. 198. a. I. 25. a. I. 411. b. I. 176. b.
Curandi media quot modis inveniantur. I. 198. b. I. 200. a. b.
Curationis instrumenta unde desumenda. II. 7. b.
Curandi methodus. II. 7. b. & seq. Modus optimus. II. 9. a.
Cura per simplicia est optima. III. 524. a.
Curari contraria contrariis. I. 18. b.
Fundamentum trium curationis modorum. II. 8. a. 11. a.
Cura sympathetica, magnetica, transplantatoria. I. 24. b.
Curarum noxa. II. 430. b.
Curcuma. III. 44. b. III. 480. b.
Cuscuta. III. 44. b. III. 428. a. III. 481. a. An si planta propriè dicta, an herba? III. 45. a.
Cutis quid? III. 198. a. I. 9. b. II 611. a. I. 100. b. Vsus eius. III. 198. a. Ejus glandulæ & mirabilis structura. I. 9. b. I. 516 b. Triplex lamina & fibræ. I. 100. b. Cutanei affectus. II 461. a.
Cutis humanæ exindeque parati cinguli usus. III. 198. a.
Cutis infantum efflorescentia. II. 926. b. 958. a.
Cutis difficulter sanabilis, quale vitium. I. 153. b.
Cutis nigredini qua ratione medendum? II. 470. b.
Cutis laxioris & imbecillioris cura in hydrope. II. 397. b.
Cutis mundificativum optimum sudor. I. 23. a.
In cutis excoriatione pulvis externus. III. 531. a.
Cutaneo pro usu Balneum universale. III. 603. a.
Cutaneis in affectibus viperarum salis usus. I. 405. a.
Cutaneis in affectibus decoctum calcis vivæ convenit. II. 463. b.
Cyanus & ejus flores. III. 45. a. III. 511. b.
Cyclamen. III. 45. b. III. 484. b.
Cydonia malus. III. 46. b.
Cydoniorum semina. III. 508. a. Succus. 510. b. Spiritus. III. 510. b. Gelatina. III. 373. a.
Cymbalaria. III. 46. a.
Cynanche. II. 478. a.
Cynicus spasmus. II. 697. a.
Cynoglossum. III. 46. a. III. 507. a.
Cynosbatos. III. 46. a.
Cyperus. III. 46. b. III. 497. a.

D.

DActyli, eorumque ossicula. III. 86. b. III. 507. b. Acidi. III. 173. a.
Dæmoniaci quomodo differant à maniacis. II. 762. b. 764. b.
An semper dæmoniaci, qui peregrinâ loquuntur linguâ, delirantes? II. 764. b.
Dæmonum fugam conciliari hyperico. III. 63. b.
Daphnoides. III. 169. b.
Dartos. I 124. a. II. 786. a.
Datura an venenosa. I. 456. a. Datura Indorum, Turcarum. III. 47. b. III. 507. a.
Daucus Creticus. III. 47. b.
Debiles per exercitia cur reddimur. I. 841. a.
Debilitas post morbos acutos unde? I. 834. a.
Debilitatem in febribus malignis confortantia. II. 310. b.
In Debilitate paralytica vel pedum pediluvium ex formicis. III. 512. b.
Declinatio morbi quomodo ab aliis ejusdem temporibus differat? II. 475. b.
Decoctio quibus rebus competat. III. 335. b.
Decoctum quid? III. 572. b.
Decoctorum ingredientia. III. 572. b. & seq. III. 351. a. b. Eorum ordo. III. 351. b. III. 574. b.
Decocta ingredientium paucitas commendat. III. 574. a.
Decoctis plerisque facilè carere possumus. III. 422. b.
Decocta præscribendi modus. I. 568. a. 570. b. III. 349. b.
Decoctorum usus internus, externus. I. 570. b. 573. b. Vsus hodiernus sudoriferus. I 572. b.
Decoctorum formulæ. III. 580. b. III. 572. b. & seq.
Decoctorum externorum formulæ. III. 590. a. b. & seq.
In Decoctis observanda. III. 350. b. III. 367. a. b.
Quantitas purgantium decoquendorum. III. 351. b.
Quid pro eorum efficacia & gratia addendum? III. 574. a.

Deco-

Decoctorum & infusorum differentia. I. 568. a.
Decocta & infusa conjuncta. I. 571. a. b.
An ex mineralibus virtus medicamentosa decoctione in aqua vel vino possit elici. III 350. b.
Decoctum alte. ans. III. 352. a. Antimoniale, carminativum, clysmaticum, hepatis vitulini &c. III. 352. a.
Decoctum lignorum, quotuplex. III. 585. a. III. 585. b. Proportio aquæ in decoctis lignorum. III. 59. b.
Decoctum majale. III. 352. a.
Decoctum nigrum Chirurgorum. III 491. a. III. 516. b.
Decoctum primarium, secundarium. I. 572 b. & seq. III. 587. a.
Decocta veterum rarioris usus, cur? III. 481. b.
Decoloratio in ulceribus quid signet. II. 1012. a.
Decrepitatio. I. 356. b.
Deflagratio. I. 2. b.
Defloratæ quænam dicantur. II. 825. a.
Deflorationis indicium. II. 825. a.
Defluxio. II. 593. b.
Deglutitio quomodo fiat? I. 69. a. Difficilis quale signum in morbis. I. 190. a.
Læsa & impedita. I. 69. b. I. 253. b. II. 55. a. Prognosis & cura. I. 253. b. II. 56. b.
Suffocatio ab inepte deglutitis. II. 175. b. Ejus Cura. II. 176. a. b.
Deleteria arbor Taxus. III. 120. a.
Delicatulos fraudandi modus, ut medicamenta inscii assumant. III. 98. a.
Deliquium. II. 690. a.
Delirium quid? II. 744. b. II. 829. a. I. 105. a. Ejus causæ. I. 105. a. I. 10. a. II. 614. a. II. 744. b. I. 417. a.
Differentiæ. II. 745. a. Prognostica signa. I. 190. b.
Non cadit in bruta. I. 105. a. II. 614. a.
An inferat crocus. III. 43. a.
Delirium amantium. I. 417. a. b.
Deliria à causa externa duplicia. II. 768. a.
Deliria à causis internis. II. 746. a.
De delirantibus peregrinâ linguâ loquentibus quid statuendum. II. 764. b.
In Deliriis conducit Anagallis. III. 12. b.
Epithema in Deliriis. III. 366. a.
Delirium in febribus. I. 812. b. Ad præcavenda ea formulæ. II. 277. a. 278. b. Cura. II. 341. b.
In delirio, imprimis febrium malignarum, raphani usus. III. 99. b.
Delirium furiosum mitigans Epithema. III. 570. a.
Delirium gravidarum seu puerperarum. II. 905. b.
Delirium melancholicum. II. 751. a. Exempla varia ex melancholia delirantium. II. 751. b. Differentiæ. II. 753. a. I. 434. a. Causæ & fiendi modus. II. 752. a. Diagnosis. II. 755. a. Prognosis. II. 756. a. Cura. II. 756. a. Quid? si phlogoses adsunt. II. 761. b. 762. b. Quid? si splenis vitium junctum? II. 762. b.
Delirium melancholicum hypochondriacum (consultatio.) I. 914. a.
Delirium ex peste, ejusque cura. II. 341. b.
Delirium musicum. II. 773. a.
Dentalis lapis ejusque cura. II. 52. a.
Dentalium & Entalium. III. 213. b.
Dentes an inter ossa numerandi. I. 67. b. Quando prodeant. I. 67. b. Ac cur priores excidere & alii succrescere soleant. I. 67. b.
Dentium numerus, figura, divisio. I. 68. a. Physicus usus. I. 68. a.
Dentes lapidescentes. III. 476. b.
Dentium humanorum usus medicus. III. 198. b.
Dentium apri, verris, castoris &c. usus. III. 453. b.
Dentis durioris elephantis, unicornu marini &c. usus diaphoreticus vel sudoriferus. I. 307. b.
Denticaria, ejusque mira vis in dentibus dolentibus. III. 93. a.
Dentifricia. II. 52. b. & seq. I. 558. b.
Dentifricii pulveres. III. 389. a. Ad mobilitatem, putredinem, cruentationem gingivarum. I. 559. b. In dentium vacillatione, dolore &c. III. 531. a. Scorbuto appropriati. III 40. a.
Dentifricium Freytagii. III. 170. a.
Dentifricii liquores. III. 372. a. I. 564. b.
Dentium in affectibus, lacertorum usus. III. 221. a.
Mixtura pro dentibus à variis affectibus præservativa. III. 571. b. I. 566. a.
Dentium algor, ejusque cura. II. 55. b.
Dentium caries, fœtor, vermes. II. 51. a. Causæ, Prognosis, cura. II. 51. b. II. 659. a.
Dentium cavorum cura. II. 659. a.
Dentium defectus causæ. II. 50. b. Diagnosis, prognosis. II. 50. b. Cura. II. 51. a.
Dentium dolor. II. 656. a. 674. a. Ejus cura. II. 657. a.
Dolor scorbuticus & ejus cura. II. 450. b.
Dentium dolori cur tumor malæ supeiveniat. II. 473. b.
Diaclysma apophlegmatizans in dolore dentium, & affectibus eorum scorbuticis. III. 371. a. b.
Emplastrum ad dolorem dentium. III. 614. a.
Olei Heraclini usus in dentium dolore. III. 42. a.
Hyoscyami usus in dolore dentium à vermiculis imprimis. III. 63. b.
Rapæ usus contra dolorem dentium. III. 100. a.
Suffitus Sabinæ in dentium dolore à vermibus. III. 105. a.
Transplantatio contra dolorem dentium. III. 98. b.
Dentium pro firmitate transplantatio. III. 98. b.
Dentium lapis, ejus diagnosis, prognosis, cura. II. 52. a. b.
Dentium nigredo, ejus prognosis, diagnosis, cura. II. 52. a. b.
Dentium pathemata & cura in scorbuto. II. 448. b. & seq.
Dentium stridor, ejus causa, prognosis, cura. II. 50. a.
Dentium stupor, ejus causæ, diagnosis, prognosis, cura. II. 55. a. b.
Portulacæ usus in dentium stupore. III. 95. b.
Dentium tophi. II. 52. a. b.
Dentium vacillatio, ejus causa, prognosis, diagnosis, cura. II. 55. a. b. Unguentum in dentium vacillatione. III. 16. a.
Dentium vermiculi quomodo necandi. II. 659. a. b.
Dentiscalpia ex buxo. III. 24. b.
Dentitio infantum difficilis & ejus ratio. II. 950. a. I. 504. b. Quomodo iis prospiciendum. I. 195. b. I. 512. a.
An febrium, vomitus &c. causa. I. 67. b.
Dentitio notha. II. 951. a.
Derivatio an legibus circulationis obstet. II. 7. a. b.
Destillatio quid? & quæ circa eam consideranda. I. 36. b. III. 335. b.
Quibus rebus competat. III. 335. b.
Destillatio vegetabilium & animalium. III. 335. b. & seq.
Destillationis modus, instrumenta, prædispositio subjecti destillandi. III. 336. b.
An in destillatione aqua affundenda. III. 336. b.
Tempus collectionis herbarum destillandarum. III. 337. a. Rarus destillandi modus. III. 337. a.
Aquarum destillatarum divisio, color, usus. III. 337. a. Aquæ destillatæ purgantes an dentur? III. 337. b. Quænam vegetabilia apta sint, ut aquas usui medico convenientes destillando suggerant. III. 335. b. An detur aqua destillata anodyna seu somnifera. III. 337. b.
Destillatum instaurans, & veterum circa hoc simplicitas. III. 589. a. I. 558. a.
Destructio corporum. I. 3. a.
Detergentia. III. 478. b. III. 517. b. Detergentia vulneraria. III. 515. a. III. 517. b.
Detonatio. I. 356. a. III. 435. b.
Diabetes. II. 568. b. Nothæ & veræ causæ. II. 569. a. b. & seq. Diagnosis. II. 570. b. Prognosis. II. 570. b. Cura. II. 571. a.
Diabolus (vid. dæmon) nec contra, nec supra naturam agere potest. III. 15. a. Quomodo operetur secundum naturam. I. 162. b.
Διάβρωσις. II. 530. b. 531. b.
Diacarthami electuarium. III. 357. a.
Diacaryon. III. 66 a.
Diachalciteos emplastrum. III. 360. a.
Diachylon emplastrum. III. 360. b.
Diaclysmata quæ dicantur. III. 371. a.
Diacodion electuarium. III. 354. b.
Diacori electuarium. III. 353. a. III. 497. b. Altenburgense. III. 353. a.
Diæresis. II. 530. b. 531. b.
Diætæ legitima ratio, Regimen, & fundamentum. I. 18. a. I. 164. a. I. 193. a. Ad sanam, non ad longam vitam diæta facit. I. 162. b.
Diætæ divisio. I. 194. a. Diæta ratione ætatis ut ordinanda. I. 193. b. I. 18. a. In Diæta præscribenda non adeo rigorosus esto Medicus. I. 164. b.
Diæta Hippocratica. I. 491. a.
Diæta infantum quomodo ordinanda. I. 195. a.
Diæta iuvenum, virorum. I. 195. b.
Diæta senum. I. 195. b.
Diæta sudorifera, lactea. I. 578. a. I. 572. b.
Diætetica. I. 584. a. Diætetica remedia quomodo & quando administranda. I. 194. a.
Diagnosis morborum. I. 175. a. 176. a. b. Ad Pathologiam pertinet. I. 1. b. I. 189. a. Ejus tres fontes & fundamentum. I. 17. a.
Diagrydium veterum. III. 178. a.
Dialaccæ species. III. 480. b.
Dialthææ unguentum. III. 11. a. III. 509. a.
Diamori Rob. III. 510. b.
Diapalmæ emplastrum. III. 360. a.
Διαπήδησις. II. 530. b.
Diaphoresis. I. 299. b. Ejus regimen. I. 303. a.
Diaphoretica primaria. I. 301. b. Ex tribus regnis peti possunt. I. 304. a.

Diaphoretica ex regno animali. III. 440. a. b. III. 449. b.
Ex regno minerali. III. 440. b. III. 454. b. Ex regno vegetabili. III. 440. a.
Diaphoreticorum potestas ultra tertiam co poris regionem non extenditur. II. 394. b.
Triplex simplicium diaphoreticorum classis. III. 444. b.
Diaphoreticorum operandi modus. I. 301. b. Diaphoreticorum vegetabilium vis operandi unde? III. 440. a.
Diaphoreticorum selectus. III. 440. a. III. 441. b.
Diaphoreticorum composita & præparata præcipua. III. 440. b.
Aurum diaphoreticum. I. 395. a.
Bolus diaphoreticus. III. 533. b.
Emplastra diaphoretica. III. 360. b. III. 501. b.
Diaphoretica privativè talia. II. 301. b.
Diaphoretica sudorifera administrandi triplex ratio & cautela. III. 441. b.
Diaphoretica in tumoribus. II. 973. b.
Diaphoretica venerea. III. 460. b.
Aquæ radicum diaphoreticarum nullius usus. III 443. a.
Formulæ diaphoreticæ. III. 454. a.
Pulveres diaphoretici ex vegetabilibus minùs commodè parantur. III. 448. a.
Diaphragmatis structura, situs ac nexus cum vicinis partibus. I. 622. b.
In respiratione motus. I. 622. b.
In vivo homine absentia. I. 623. a. Cum pulmonibus inflammatio. II. 494. b.
Diarrhœa. II. 100. b. Pinguis & oleosa, purulenta, lapidosa. II. 101. a. Artificialis, naturalis; spontanea, non spontanea. *Ibid.* Epidemica, non epidemica. II. 101. a. Morbosa, symptomatica &c. II. 101. b. Critica. *Ibid.* Quæ & qualis curanda. II. 108. a.
Diarrhœæ morbosæ pars affecta. II. 101. b. I. 416. b.
Causæ. II. 102. a. Diagnosis, prognosis. II. 103. a. Cura. II. 103. b.
An vinum in Diarrhœa rectè prohibeatur. II. 104. b.
Diarrhœa quatenus intrepidè sisti potest, quatenus non. I. 725. b.
Bolus ad diarrhœam. III. 532. b. III. 533. a.
In diarrhœa panis usus. III. 512. a.
Pilulæ contra diarrhœam. III. 545. b.
Potiuncula in diarrhœa. III. 559. a. *Ibid.*
Pulvis in diarrhœa maligna. III. 454. a.
Sorbi usus in diarrhœa. III. 116. b.
Tincturæ martis usus in diarrhœa. II. 360. a.
Diarrhœæ artificialis cura. II. 103. b. 108. a.
Diarrhœa assumptorum. II 113. b.
Diarrhœæ ex metastasi humorum, catarrhalis, colliquativæ &c. cura. II. 108. b. 109. a.
Diarrhœa cerebralis. I. 724. b.
Diarrhœa colliquativa juncta febri petechiali I. 841. b.
Diarrhœa cruenta. II. 117. a.
Diarrhœæ epidemicæ malignæ cura. II. 106. b.
Diarrhœæ in febribus petechialibus cura. II. 316. a.
Diarrhœa gravidarum. II. 869. a.
Diarrhœa infantum. II. 951. a.
Diarrhœæ in peste cura. II. 343. b.
Diarrhœa puerperarum. II. 907. b.
Diarrhœæ scorbuticæ cura. II. 459. a.
Diarrhœa biliosa & serosa. I. 728. b.
Diarrhœa serosa ab errore externo. I. 722. a.
Diarrhœæ spontaneæ symptomata & cura. II. 103. b.
Diarrhœæ sympromaticæ cura. II. 104. a.
Diarrhœæ à veneno cura. II. 107. a.
Diasari electuarium Fernelii. III. 357. a.
Diascordium F acastorii. III. 111. a.
Diaspoliticon species. III. 498. b.
Diastole cordis. I. 8. b.
Diasulphuris emplastrum Rulandi. III. 362. a.
Diatessaron theriaca. III. 357. a.
Diatragacanthi rotularum usus. III. 378. b.
Dictamnus Creticus. III. 48. a.
Diebus inter 15. Aug. & 8. Sept. multum tribuitur à Botanicis. III. 28. a.
Digestio prima est fundamentum reliquarum. II. 376. b.
Digestioni opponitur cruditas. I. 704. a.
Digestionis vis alterativa in simplicium crasi. I. 407 a.
Digestionis fermentativæ necessitas. I. 7. a.
Errores in digestionis negotio commissi. I. 170. a.
Digestionem turbant acida. I. 7. a.
Digestionis difficilis cur fumo indurata, exsiccata &c. I. 7. a.
Digestionis facilioris quæ? I. 74. a.
Alimenti in ventriculo digesti transcolatio per intestinorum poros in vasa mesenterii. I. 414. a. (vid. *Coctio.*)
Digestivorum usus & formulæ. III. 428. b.
Digestiva quando usurpanda. I. 21. a.
Digestiva simplicia. III. 217. a.
Digestivum universale. I. 345. a.
Digestiva ante purgationem. I. 275. b. Quatenus digestiva purgantibus adjecta admittenda vel reijcienda. III. 429. a.
Pulvis digestivus scorbuticus præmittendus purganti in scorbuto. III. 526. b.
Pulvis digestivus in tertiana intermittente. III. 527. a.
Digestivi veterum pulveres. III. 530. b.
Digitalis. III. 48. a.
Digitorum dolores. II. 674. a. *& seq.*
Diluvium Deucalionis. I. 444. b.
Δῖνος. II. 689. b.
Dioscoridis scripta cautè legenda. I. 28. a.
Diploma quid? III. 351. b.
Dipsacus. III. 48. a.
Dirigentia. III. 523. b.
Discutientia. III. 496. b. III. 501. a. b. Discutientia tumores. II. 973. b.
Disepulotica ulcera. II. 1018. a.
Dispensatorium plerorumque basis. III. 428. a. b. Quæ circa communia dispensatoria observanda. III. 428. b.
Dissimilares partes quænam? I. 4. b.
Distendens dolor. II. 651. b. Cura ejus. II. 654. b.
Distensio hypochondriorum & abdominis infantum. II. 936. b. 939. a.
Distorto pro membro Fotus humidus. I. 574. b.
Diuresis. I. 283. b. Ejus utilitas. I. 22. b.
Diureseos & sudoris affinitas. I. 285. a.
Per diuresin curandi morbi. I. 284. b.
Diureseos indicantia, permittentia, prohibentia. I. 285. a.
Diuretica propriè vel impro priè talia. I. 285. a. II. 4. a. II. 563. b. 564. a. *& seq.* III. 477. b. *& seq.* II. 24. b.
Eorum natura. I. 285. b.
Quomodo vim suam exserant. I. 286. a. I. 22. b.
Eorum varietas & differentia quoad texturam materialem. I. 22. b. I. 285. a. b.
Diureticorum in selectu ad quæ respiciendum. I. 295. a.
Diureticorum usus & legitimum regimen. I. 295. a.
Diuretica quomodo moveant urinam. II. 128. b.
Diureticis quomodo utendum in hydrope. II. 394. b.
Diuretica ex triplici regno petuntur. I. 295. b.
Diuretica ex regno animali selectiora, cum præparatis. III. 466. a.
Diuretica ex regno minerali selectiora, & inde præparata. III. 466. a.
Diuretica vegetabilia selectiora, & inde præparata. III. 466. a.
Diuretica aqua. III. 338. b.
Decoctum. III. 581. a.
Emulsio. III. 563. a. Oxymel. III. 584. a. Oxymel laxativum. I. 572. a. Potio. III. 558. b. I. 564. a.
Pulvis. III. 529. a. Formulæ aliæ. I. 298. b. *& seq.*
Diureticum sal volatile bufonum. I. 405. a.
Diuretica vis Salis Ammoniaci. I. 344. a.
Diureticum egregium Tartarus vitriolatus. I. 345. a.
Docilitas brutorum. I. 11. b.
Dogmatica secta. I. 1. a. I. 30. b.
Dolor, affectus omnibus sensibus externis communis. II. 649. b.
In specie est symptoma tactus. II 649. b.
Quomodo contingat. II. 649. b.
Ejus in sensu communi formalis perceptio. II. 650. a.
Doloris causæ. II. 650. a. I. 117. b. Species sex. II. 650. a. Differentiæ. II. 650. b.
Ejus Diagnosis, prognosis. II. 652. a. Cura generalis. II. 652. a. *& seq.*
Dolores partium lenientia. I. 253. b.
Dolores varii abdominis. II. 146 b. *& seq.*
Dolor algens. II. 651. b. Cura ejus. II. 655. a.
Dolor ardens. II. 651. b. Cura ejus. II. 654. b.
Dolor continuus, non-continuus & interruptus. II. 650. b.
Dolor contundens. III. 651. b.
Dolor grauativus. II. 651. a. Cura. II. 654. b.
Dolor iliacus, lumbaris, hypochondriacus &c. II. 142. b. *& seq.*
Dolor lancinans & lacerans quasi, attuum, ejusque causæ. II. 651. b. Cura. II. 655. a.
Dolorum ex lue venerea Cura. II. 425. b.
Dolor nocturnus. II. 650. b.
Dolores nothi parturientium, eorum causæ, diagnosis, &c. II 881. b. *& seq.*
Differentia à veris. II. 881. b. 902. a. b. Prognosis, Cura. II. 882. a.
Dolores parturientium legitimi. II. 875. b. II. 902. a.

Dolor osteocopos seu frangitivus. II. 651. b. Cura. II. 654. b.
Dolor periodicus, non-periodicus. II 650. b.
Dolor pruriginosus. II. 651. a.
Dolor pulsatorius. II. 651. a. Cura. II. 654. b.
Dolor punctorius. II. 651. a. Cura. II. 654. b.
Dolor frequenter recidivans. II. 650. b.
Dolor rodens seu mordax. II. 651. a.
Dolor tempestatum mutationes auscultans. II. 650. b.
Dolor tensivus & distendens. II. 651. b. Cura. II. 654. b.
Dolor tensivus abdominis gravidarum. II. 873. a.
Dolor terebrans seu acutus. II. 651. a. Cura. II. 654. b.
Dolor cum & sine tumore. II. 650. b.
Dolor vagus, fixus. II. 650. b.
Dolor venereus contumacissimus. II. 650. b.
Dolor vulnerum & ulcerum. I. 117. b. II. 1009. b.
Dormiendum non esse ore aperto. I. 791. b.
Doronicum. III. 48. b. III. 444. b.
Ejus usus in vertigine. II. 694. b.
An sit planta salubris. III. 48. b.
Dorsi vertebrarum contorsio & subluxatio. II. 181. b. I. 943. a. In infantibus. I. 945. a.
Dosis medicamentorum. I. 556. a. III. 522. b. Ejus limitatio. III. 524. a. Generalis, specialis. I. 557. b.
Draco fortificatus. III. 312. b.
Draconis sanguis. III. 516. b. III. 518. b.
Spumæ duorum Draconum. III. 435. a.
Dracunculi subcutanei infantum. II. 964. b.
Drift Helmontii. II. 323. b. III. 460. b.
Dropaces & eorum formulæ. III. 360. a. III. 362. b. I. 579. b.
Ducati optimi Corvini. III. 463. b.
Duelech. III. 247. a. II. 554. b.
Dulcamara. III. 11. b.
Dulcia esse concreta salsa &c. I. 764. b. Diversimodè corrumpuntur, pro ratione succorum, quos fermentando movent. I. 764. b.
Dulce quot modis peccet, & illud corrigentia. I. 16. a.
Dulcis sapor in quo consistat. I. 115. b.
Dura mater. II. 662. b.
Durities. I. 3. b. Ex ulcere. II. 1013. a.
Durum quid? I. 11. a. I. 117. b. II. 649. a.
Dysenteriæ differentiæ. II. 117. a. Pars affecta. II. 117. b. Causæ; Ibid. Benigna, maligna. Ibid. Endemia, epidemica. II. 118. a. Progressus. II. 118. b. Mucus in dysenteria unde. II. 119. a. Gradus tres. II. 119. a. Exulceratio & pus unde? II. 119. a. Causa doloris. II. 119. b. Diagnosis. II. 119. b. Prognosis. II. 120. a. Cura. II. 120. b. III. 516. b. Cura sympathetica. I. 130. b.
Dysenteriæ periculosa symptomata duo. I. 738 a.
Dysenteriæ antidotus cranium humanum. I. 405. b.
Amuletum in dysenteria ex radice acori. III. 7. b.
Aqua antidysenterica. III. 338. b.
Bolus antidysentericus. III. 519. b.
Clysmata anodyno-consolidativa & vulneraria in dysenteria intestinorum crassorum. I. 577. b. III. 592. b. III 593. a.
Decocta in dysenteria. III. 581. b. I. 571. a.
Electuarium contra dysenteriam. III. 535. a.
Fomentum in dysenteria. III. 599. b.
Juli juglandis specificum contra dysenteriam. III. 66. b.
Julepus analepticus antidysentericus. III. 566. a.
Lac contra dysenteriam, ubi adest febris. III. 588. b.
Mixtura in dysenteria. III. 559. a.
Morsuli præservativi à dysenteria. III. 540. a.
Nectar adstringens in dysenteria. III. 7. b.
Nucis moschatæ usus antidysentericus. III. 79. b.
Potio antidysenterica. I. 564. a.
Priapi cervi, ceti &c. usus in dysenteria. I. 405. b.
Pulveres antidysenterici. III. 147. b. III. 509. b. III. 529. b.
Sacculi contra dysenteriam. III. 601. a.
Sambuci succus inspissatus dysentericis prodest. III. 2. a.
Solani lethalis usus insignis antidysentercius. III. 116. a.
Sorbi usus in dysenteria. III. 116. b.
Tincturæ martis usus antidysentericus. I. 360. a.
Tragea expertissima in dysenteria. III. 107. a.
Turturis usus antidysentericus. III. 210. b.
Vitrioli veneris caput mortuum quâ ratione conveniat in dysenteria. I. 390. b.
Vehiculum assumendorum pulverum antidysentericorum. II. 123. a.
Dysenteria benigna (consultatio). I. 736. b.
Pulvis sistens & sudoriferus in dysenteria benigna. III. 454. a.
Dysenteria contagiosa, quomodo propagetur. I. 738. b.
Dysenteria cruenta, alba. II. 119. b.
Dysenteriæ infantum cura. II. 952. a.
Dysenteria maligna (consultatio). I. 741. b. Eius cura, I. 739. b. II. 128. a. b.
Dysenteria pestilentialis. II. 329. a.
Dysenteria variolis superveniens cur adeò funesta. I. 738. b.
Dyspepsia (*vid. Chylosis imminuta.*)
Dyspnœia. II. 178. b.
Dyspnœæ scorbuticæ cura. II. 458. b.
Dysuria. II. 587. a. Ejus causæ. *Ibid.* Diagnosis, Prognosis. II. 587 b. Cura. II. 588. a. b.
Remedia probatissima contra dysuriam. II. 12. a. III. 86. b.
Aurantiorum usus in dysuria. III. 18. b.
Bolus contra dysuriam. III. 533. b.
Clysma anodynum contra dysuriam. III. 592. b.
Electuarium diureticum in dysuria. III. 536. a.

E.

Ebenus. III. 48. b. Ebeni decoctum. III. 441. a.
Ebrietas. I. 670. a. Ex cerevisia, lacte, opio &c. I. 670. a. & seq.
Croci vis inebrians. III. 42. b.
Nucleos pini inebriandi virtute pollere. III. 4. b.
Hyperico præcaveri ebrietatem. III. 64. a.
Pulvis contra ebrietatem. III. 511. a.
Secretum ad arcendam & abigendam ebrietatem. III. 13. b.
Ebullitio differt à fermentatione & effervescentia. I. 418. a.
Ebullitio humorum. I. 526. a.
Ebulus & ejus cortices. III. 48. b. III. 163. b. III. 428. a.
Ebur & inde præparata. III. 192. b. Ejus usus diaphoreticus. III 453. a. Gelatinæ eboris usus. III. 373. a.
Eccho. I. 10. b. I. 111. b. II. 643. a.
Ecchymoma. II. 524. b. II. 976. b.
Eclegmata. III. 352. b. III. 420. b. I. 558. a. Hodiè non amplius in tanta æstimatione sunt ac olim. III. 352. b.
Ecclipses vertiginosæ. II. 690. b.
Ecclipseos vis in morbis. I. 163. b.
Ecstatici. II. 629. a.
Ecthemata Græcorum quid? II. 319. b.
Edamus cur in hyeme plus quàm æstate. I. 163. b.
Effervescentia quid? I. 44. a. II. 5. a. Vnde? II. 5. a. I. 42. b. I. 4. a.
Effervescentia & fermentatio quomodo differant. I. 4. b. I. 44. a. I. 418. a. b.
Effervescentiæ modus. I. 345. b. Quibus rebus competat. I. 345. b.
Est vel calida, vel frigida. I. 346. a.
Effervescentiæ effectus unicus. I. 44. b.
Effervescentiæ febrilis causæ. I. 812. a. b. 814. b.
Effervescentia humorum. I. 526. a.
Effervescentia sanguinis. I. 13. a.
Efflorescentia cutis infantum recens natorum unde. II. 926. b.
Effluvia corporum. I. 113. a. I. 666. a.
Effluvia odorata. I. 933. a. b.
Effluxus aquarum ex utero gravidarum immaturus. II. 873. a.
Elæosaccharum. III. 497. a. Ejus compositio. III. 380. b. III. 419. a.
Elæosaccharum confortans. III. 505. b.
Elaterium. III. 175. a. III. 427. b. II. 392. a. Ejus usus & vis purgans. I. 279. b. III. 427. b.
Electricæ mixturæ in Chymia frustra appetuntur. III. 436. a.
Electrum quid? majus, minus. III. 456. b. Minerale immaturum. III. 424. a.
Electuaria. III. 404. b. III. 343. b.
Eorum ratio & exempla. III. 353. a. III. 420. b. Quomodo paranda. III. 533. b. I. 560. b.
Electuarium diacori Augustanorum, Alexipharmacum de ciconia &c. III. 353. a. b.
Electuarium de ovo. III. 447. b.
Electuarium contra dysenteriam. I. 561. a.
Electuarium chalybeatum alterans. III. 495. b.
Luxus ingredientium in electuariis diaphoreticis. III. 447. a.
Electuarium diascordii Fracastorii sufficit ad usum diaphoretícum. III. 440. b.
Electuaria purgantia clysmatis addita an cujusdam sint usus? III 592. a.
Electuaria solida. III. 377. b. I. 561. b.
Electuaria splenetica &c. nauseosa. III. 481. b.
Elementa corporum naturalium. I. 34. a. I. 37. a.
Tria Cartesij. I. 2. a.
Elementorum quaternio Peripateticorum explosus. I. 2. a. I. 34. a. b. & seq. II. 4. b. II. 222. a. b. I. 413. a.
Nulla elementa pura & per se præextitisse unquam. I. 35. a. b. & seq. Nec unquam pura per quamcunque concretorum resolutionem expectari posse. *Ibid.*

Elemen-

Elementalium qualitatum Hippocratica correctio. I. 486. a.
Elemi. III. 138. b. III. 502. b.
Elephantiasis Arabum, cura. II. 466. b.
Elephantini dentis usus diaphoreticus vel sudoriferus. I. 307. b.
Elephas. II. 192. b.
Elithroides tunica. I. 124. a.
Elixyr quid? III. 421. b. Quomodo paranda elixyria, & eorum formulæ. III. 357. b.
Elixyria composita quomodo fiant. III. 495. a.
Elixyr proprietatis, ejus autor, præparationes. III. 482. a. III. 358. b. & seq. Usus. III. 359. b
Elixyr proprietatis pectorale. III. 486. a.
Elixyr proprietatis Paracelsi. I. 706. b. Modus parandi varius. I. 406. a.
Elixyr proprietatis, uniuersale, seu Phisophorum, & particulare. III. 358. b.
Spiritus salis ammoniaci usus in Elixyrio proprietatis seminis destinato. I. 344. b.
Elixyria stomachalia. III. 498. b.
Elleborine sylvestris latifolia. III. 164. a.
Elleborus. III. 164. a. Cur fuga dæmonum dicatur. III. 164. b.
Elleborus albus. III. 166. a. Ejus venenositas, usus, correctio. III. 166. a. b.
Ellychnia incombustibilia ex Amiantho. III. 243. b.
Emaciatis appropriata pandalea. III. 541. b.
Embrocatio quid sit? III. 570. b.
Embryonis formatio & nutrimentum. I. 12. b. Nutritio per os fit & umbilicum. I. 134. a. b.
Aqua embryonum. III. 338. b.
Balsamum embryonum. III. 497. b. (vid. *Fœtus*.)
Emesis, emetica (vid. *Vomitoria*.)
Bolus emeticus. I. 560. a.
Elixyr & extractum emeticum ZWelfferi. III. 433. b.
Infusum emeticum. I. 569. b.
Oxysaccharum emeticum singulare. III. 436. b.
Potio emetica. I. 564. a.
Syrupi emetici. III. 407. a. b. I. 260. b.
Veneris & lunæ vis emetica. I. 390. b.
Vinum emeticum. I. 260. b.
Emollientia. I. 239 b. III. 1. a. III. 505. b. III. 508. b. II. 3. b.
Emollientia tumores. II. 972. b.
Empiricam sectam constituentia. I. 1. a. I. 30. a. Primi ejus cultores. I. 30. b.
Emplastra & eorum ratio. I. 558. b. I. 579. b.
Emplastorum plerorumque basis ac fundamentum. I. 392. a. III. 85. b. III. 509. a.
Emplastrorum corpus & ingredientium dosis. III. 409. a. b. 410. a.
Emplastrorum ingredientia quæ non sint? III. 615. b.
Emplastrorum forma. III. 613. b. Operandi modus. III. 410. b.
Emplastra præscribendi & componendi modus. III. 613. b. 615. a. Extemporanea præscriptio. III. 615 a.
Emplastra conficiendi ex terebinthina elegans consilium. III. 149. a.
Emplastrorum usus. III. 613. b. 615. a.
Emplastrorum formulæ. III. 360. a. I. 580. b. & seq.
Emplastra tria chirurgis sufficientia. III. 362. a.
Emplastra laudabiliter composita. III. 410. a.
Emplastrum album, mirabile seu miraculosum. III. 360. b.
Emplastra fœtida. III. 502. a.
Emplastra ex pulveribus mineralium & vegetabilium parata parum valent. III. 409. b.
Emplastra nervina, diaphoretica. III. 501. b
Emplastrum saturninum polychrestum in affectibus externis. III. 613. b. I. 581. a.
Emplastrum Saturninum quasi catholicum, Noribergensi simile. III. 514. b.
Emprosthotonon. II. 697. a.
Empyema quid? II. 524. b. Ejus causæ. II. 525. a. Diagnosis. II. 525. a. Prognosis. II. 526. a. Cura. II. 526. b.
Quomodo differat ab aliis sanguinis motibus vitiatis? II. 524. b.
Nicotianæ usus & decoctum in empyemate desperato. I. 250. b. III. 83. b.
Empyreuma an habeant vulnera sclopetorum. II. 1004. b.
Emulsio quæ dicatur? III. 562. a. Quid? III. 362. b.
Emulsionum ingredientia. III. 562. a. Emulsionum usus quotuplex, & quæ circa illum observanda. III. 562. b. III. 564. a. I. 567. b.
Emulsiones præscribendi modus. I. 567. a. Formulæ emulsionum. III 562. b. & seq.
Emulsiones impropriè tales. III. 564. b. I. 567. b.
Emulsiones conjunctæ. I. 567. b.
Emulsionis cum vitello ovi formula. III. 435. a.
Endivia. III. 49. a.
Enemata. III. 346. a. I. 577. a.
Enematica noua. I 467. a.
Enterocele. II. 158. b. II. 159. a.
Enula. III. 61. a.
Epatica. III. 478. b. Epatica nobilis. III. 49. a. Epatica stellata. III. 49. b.
Epaticum epithema. III. 568. b. III. 366. a.
Ad Epatis intemperiem calidam epithema Bartholeti. III. 215. a. b.
Decoctum in affectibus hepaticis. III. 54. b.
Ephelides quid sint? II. 469. b. Pars affecta, causæ, prognosis, cura. II. 469. b.
Ephemerides ægrorum. II. 615. b. 650. b.
Ephialtes, vid. *Incubus*.
Epiala febris. II. 287. a. b.
Epicerastica. III. 505. b. III. 507. b.
Epicurus defensus. I. 38. b.
Epidemici morbi. I. 14. a. Vnde. I. 411. a. Quomodo afficiant. II. 296. b. 297. a.
Trochisci in constitutione epidemica. III. 539. b.
Electuarium præservativum in constitutione epidemica, v. g. febrium malignarum. III. 535. b.
Epididymis. I. 124. a.
Epilepsia parva coitus. II. 697. a.
Epilepsiæ onomatologia. I. 650. a.
Definitio. I. 650. b. II. 697. b. II. 696. b. Subjectum. I. 651. a. Causæ. I. 651. a. II. 698. b. Gradus. II. 697. a. b. I. 655. a. Variæ species, cursiva &c. II. 697. a. b. II. 700. a. b. Idiopathica, sympathica. III. 502. b. Differentia. I. 654. b. II. 701. b.
Cur epilepsia ut plurimum frigida percipiatur. II. 700. a.
Diagnosis, prognosis. I. 655. a. II. 701. b. 702. a. b.
Augmentum & decrementum pro stationibus lunæ decrescentis vel accrescentis. II. 615. b.
Symptomata & Pathemata. II. 701. b. Syncope. II. 354. a.
Cura. I. 655. b. & seq. II. 703. a. Amuleta. II. 709. a. Amuletum de sambuco ex salice. III. 107. a. b.
Antepileptica. III. 499. b.
Epilepsiæ resistit sal volatile sangvinis humani. I. 405. b. Spiritus cerebri humani. I. 405. b.
Antiepilepticum specificum Cinnabaris antimonij. II. 4. a. III. 434. b.
Aqua epileptica Langii. III. 338. b.
Officuli bufonis usus in epilepsia. III. 186. a.
Carbones sub radice artemisiæ inventi in epilepsia laudis multæ. III. 16. b.
Catti usus in epilepsia. III. 189. b.
Contra epilepsiam pullorum corvorum usus. III. 207. b.
Coryli virtus in epilepsia. III. 42. a. Visci corylini. III. 42. a.
Decoctum antepilepticum lignorum sudoriferum. III. 587. b.
Elixyr antepilepticum. III. 358. a.
Medicina ex equorum pullis in epilepsia. III. 192. b.
Infusio quid profit in epilepsia. I. 478. a.
Mistura antiepileptica. III. 505. a.
Musci usus in epilepsia. III. 80. a.
Pavonis ex fæcibus contra epilepsiam remedium. III. 210. a. b.
Pœoniæ usus in epilepsia. III. 93. b.
Pulveres epileptici III. 389. b. III. 501 a. III. 529. b.
Pulvis Marchionis antiepilepticus. III. 93. b. III. 389. b.
Rutæ usus in epilepsia. III. 104. a.
Sanguinis humani usus antiepilepticus. III. 197. a. b.
Spiritus vitrioli antiepilepticus. III. 322. b.
Spiritus antiepilepticus Hartmanni. III. 494. a.
Epilepsiæ cachecticarum cura. II. 834. a.
Epilepsia à contusione capitis (consultatio) I. 901. b.
Epilepsia juncta colicæ convulsivæ (consultatio) I. 760. b.
Epilepsia habitualis (consultatio.) I. 895. a.
Epilepsia infantum. II. 947. a. Ejus causæ. II. 947. b. I. 504. a.
Diagnosis, prognosis. II. 948. a. Cura. II. 948. a. I. 511. b.
Potio contra imminentem epilepsiam infantum. III. 562. a.
Pulvis contra infantum epilepsiam ex consensu abdominis. III. 530. a. I. 559. a.
Epilepsia jam imminente pro infante duorum annorum remedium. III. 530. a.
Epilepsia in partu difficili unde. II. 616. a.
Epileptica. III. 500. b. III. 502. b. & seq.

Epilepticis an profit chirurgia transfusoria. I. 437. b.
An Sanguis recens ex homine decollato. I. 437. b.
Epilepticum aurum fulminans. I. 395. a.
Epilepticis in convulsionibus hirundinum usus. III. 209. a.
Epileptici insultus puerperarum. II. 905. b.
Epinyctides. II. 828. a.
Epiphora. II. 593. b. II. 603. b. II. 516. a. 516. b. Ejus Cura. II. 522. a. II. 522. b.
Infusum ad epiphoram oculorum. I. 574. a.
Epiplocele. II. 159. a.
Epithema quid. III. 365. a. I. 563. b. I. 564. b. III. 567. b.
Epithematum species, formulæ, materia. III. 567. b.
Præscribendi modus. I. 564. b.
Epithemata solida quid? III. 569. a.
Epithematum loco usurpanda. III. 497. b.
Epithemata pro hepate, corde &c. I. 565. a. b.
Epithymum & ejus usus. III. 166. b. III. 44. b. III. 428. a. III. 481. a.
Epulotica. II. 1000. b. II. 1013. b.
Unguentum epuloticum. III. 514. b.
Equisetum. III. 49. b. III. 516. a.
Equus. III. 192. b. Lactis, stercoris &c. equini usus. III. 192. b. III. 487. a. Sudor, lichenes, testes, ungula equi &c. & inde parata. III. 393. a. b.
Equorum emissariorum patrimonium. III. 487. b.
Pro equis compressis Persicariæ usus. III. 89. b.
Equos gryseos nigros reddendi modus. III. 98. a.
Antimonii crudi usus sudoriferus pro equis. III. 434. b.
Equus marinus. III. 193. b.
Erinaceus. III. 193. b. Visus. III. 344. b. Erinacei pulmo. III. 487. a. Pinguedo. III. 504. a.
Errhina. I. 23. b. I. 314. b. III. 365. a. I. 558. b. Liquida. I. 564. b.
Formulæ errhinorum. III. 364. a. III. 571. b.
Eruca. III. 49. b. Eas fugari ab arboribus, si genista viridis ei sit circumvoluta in stipite. III. 57. a.
Eructatio. II. 64. b.
Eryngium. III. 50. b.
Erysimon. III. 50. b. III. 486. a. Ejus usus expectorans. I. 250. b.
Erysipelas: Catti usus in cura erysipelatis. III. 189. b.
Decoctum polychrestum ad erysipelatia in metu gangrænæ. III. 590. a. I. 574. a.
Erysipelati medetur linteum tinctum sanguine menstruo virginis. I. 405. b.
In erypelate salis ammoniacis usus. I. 344. b.
Erysipelati prodest succus sambuci inspissatus. III. 2. a.
Contra erysipelata pennarum pavonis usus. III. 210. b.
Saturni usus in erysipelate. I. 392. a.
Erysipelas in eodem loco recurrens. II. 474. a. b.
Erysipelas mammarum. II. 921. b.
Erysipelatis scorbutici cura. II. 460. b.
Erysipelati scorbutico medetur beccabunga. III. 13. a.
Erysipelas ex tumore. II. 978. a.
Erysipelas vulnerum. II. 1009. b.
Erysipelatodes pulvis. III. 531. a.
Erythroides tunica. I. 124. a.
Escharotica. II. 396. a.
Essentia quomodo differat à tincturis & extractis. III. 369. a.
Essentiæ ex tribus regnis parantur. III. 369. a.
Essentias parandi modus. III. 6. a. III. 366. a. III. 369. a.
Essentias vegetabilium conficiendi modus. III. 481. a.
Tria in essentiis consideranda. III. 422. b.
Essentiæ non cohobandæ multoties. I. I. 422. a.
Essentia resinosa ex radicibus, lignis, corticibus ut extrahenda, & in extractum redigenda. III. 2. a.
Essentia martis tartarisata Ludovici. I. 390. a.
Essentiæ quintæ, vid. *Quinta essentia*.
Esulæ, diaesulæ usus. III. 166. b. I. 279. b. III. 167. a. III. 427. b. III. 433. b. Ejus præparata. III. 167. a.
Evacuantia quæ? I. 20. a. I. 255. a.
Universalia. II. 11. a. I. 255. a. Particularia. I. 256. a. I. 313. a.
Evacuationum varii modi. I. 22. a. b.
Evacuationes generales. I. 279. b. Particulares. I. 23. b.
Evacuatio naturalissima per alvum fit & per urinam. I. 22. b.
Eventus boni aut mali signa unde petenda. II. 475. a. b.
Eunuchis lympha prostatarum supereft. I. 12. a.
Eunuchorum coitus. II. 777. a.
Eupatoria quotuplicia? III. 8. b. III. 51. a.
Eupatorium Mesuæ. III. 480. b.
Euphorbium, ejusque usus & utendi modus. III. 175. b. III. 427. a.
Euphragia. III. 51. a.
Euphrasia. III. 51. a. III. 501. a.
Exanthemata Græcorum quid? II. 319. b.
Excoriatio pudendorum puerperarum. II. 905. b.
Pulvis ad excoriationes, in specie superficiales. III. 531. a. I. 559. b.
Excrementa (vid. *Fæces, Excreta.*) Eorum ratio in negotio sanitatis. I. 167. b.
Excrementorum usus medicus. I. 167. b.
Excrementorum diversitas unde. I. 16. a. Varius color unde? I. 416. a. Fœtor. I 834. b. *& seq.*
Narium, quatenus faciant ad sanitatis negotium. I. 168. b.
Excrementorum in fœtu retentio. II. 927. a.
Excrementa in utero emissa. I. 497. a.
Excrescentiæ, earumque cura. II. 990. a.
Præternaturales propriè non sunt tumores. II. 971. a. Quomodo contingant. I. 64. a.
Excretio fæcum per bilem promovetur. I. 7. b.
Excretiones somno sisti. I. 521. a.
Excretorum fœtor unde? I. 734. b. Cur de eo soliciti sint Medici. I. 734. b.
Excretorum varietas unde. I. 414. b. Nigredo triplex. I. 734. a. b.
Judicium de excretis unde sumendum. I. 173. a. b. *& seq.*
Excretorum alvi color naturalis. I. 733. a.
Mutatio. I. 733. a. b.
Excreta varia alvi infantum unde. I. 501. a. (vid. *Excrementa.*)
Exedentia ulcera. II. 1019. a.
Exhalatio (vid. *Perspiratio.*) Differt à flatibus. I. 16. b.
Exhilarandi vis in Croco. III. 43. a.
Exostosis. II. 426. b.
Exotica domesticis non semper præferenda. III. 1. a. III. 414. b.
Expectorantia. I. 239. b. I. 250. a. II. 3. b.
Expectorans Raphani usus. III. 475. a.
Ubi expectoratione opus, mel loco sacchari accipitur. I. 250. a. b. III. 64. b.
Expectorationem in pleuritide promoventia. II. 503. a.
Experientia quatenus necessaria Medico. I. 18. b. I. 199. b.
Experimenta sola non sufficiunt ad constitutionem Medicinæ. I. 1. a.
Experimenta specifica non semper in omnibus subjectis eundem habent affectum. I. 18. b.
Exsiccans & alterans decoctum. I. 573. a.
Exspiratio quomodo contingat. I. 9. a. I. 618. a.
Ejus usus & finis. I. 88. a. 89. b.
Extinctio. I. 356. b.
Extractio (vid. *Solutio.*) Ejus ratio. I. 352. a. b. *& seq.*
Extractiones cum vino & aceto malè instituuntur. III. 422. a.
Extractiones lunæ. III. 267. b.
Extractum quid? III. 402. a. III. 421. a.
An cunctas totius mixti virtutes foveat. III. 367. b.
Extracti, essentiæ, tincturæ differentia. III. 369. a.
Extracta parantur ex tribus regnis. III. 369. a.
Extracta parandi modi. III. 366. a. III. 369. a.
Extracta vegetabilium quomodo paranda. I. 407. a. III. 443. a. III. 481. a.
Extracta composita, & judicium de illis. III. 370. a. III. 443. a.
Extractorum usus. III. 370. b. Formulæ. III. 370. a. b.
Extractum benedictum quale menstruum requirat. III. 370. b.
Extractum catholicum Francofurtense quo spiritu extrahendum. III. 370. b.
Extractum Panchymagogum Crollii quomodo extrahendum. III. 370. b.
Exulcerationum fundamentum. I. 435. a.
An in exulcerationibus conferat sanguinis transfusio. I. 434 b.
Decoctum polychrestum ad exulcerationes, in metu præsertim gangrænæ. III. 590. a. I. 574. a.

F.

Faba. III. 51. b.
Fabaria. III. 52. a. III. 511. b.
Facies Hippocratica. I. 292. a.
Faciei decoloratio in catarrho suffocativo unde? I. 780. b.
Faciei elegantiam conciliant vina viperina. III. 204. b.
Facultas animalis. II. 27. a. Facultatis animalis affectus. III. 615. a. 616. b. Eam magis afficit Luna quàm Sol. II. 615. b.
Facultatum salinarum Hippocratica affectio. I. 488. b. Illarum ad Hygienen & Therapevsin applicatio. I. 491. a.
Facultas vitalis. II. 6. a.
Fallopii ductus aquei. I. 112. b.

Fames quid? I. 6. b. II. 30. a. Vnde? I. 6. b. I. 64. b.
Eſt vel naturalis vel animalis. I. 65. a.
Famem cur quidam tam longam paſſi ſint. I. 62. a.
Fames nimia. II. 41. a. Famem extinguere nicotianam. III. 83. a.
Fames quomodo lædatur. II. 31. a.
Fames imminuta. II. 31. a. Ejus ſubjectum. *Ibid.* Cauſæ. *Ibid.* Diagnoſis, prognoſis. II. 32. b. Cura. II. 32. b. *& ſeq.*
Fames peſtis cauſa. II. 330. a.
Farinæ uſus medicus. III. 112. b.
Farina ſeu pulvis muſci, juli corylini &c. facilè inflammabilis, III. 80. a.
Farina ſecalina. III. 512. a.
Farina teredinis. III. 512. a.
Faſciarum chirurgicarum variæ ſpecies & modi. II. 999. b.
Faſcinatio infantum. II. 965. a. 966. a.
Conyzæ uſus contra faſcinationes infantum. III. 41. a.
Faſcinum noviter nuptorum. II. 794. b. Cura. II. 796. a. b.
Faſtidium nativum, adventitium. II. 37. a.
Alimentorum. II. 41. a. Cauſæ. II. 41. a. Cura. II. 41. a.
De faſtidio cibi conſultatio. I. 697. a.
Ciborum in grauidis, ejus cauſæ, prognoſis, cura. II. 868. a. b.
Faucium in exulceratione Aquæ Liguſtri uſus. III. 69. b.
Signa prognoſtica ex faucibus. I. 191. b.
Diaclyima catholicum in plerisque faucium affectibus. III. 371. b.
In aſperitate faucium Rotulæ. III. 538. b. In aſperitate & concepta earum phlogoſi rotulæ. I. 561. b.
Aſperitatis faucium in phthiſi cura. II. 368. b.
Decoctum in affectibus pectoris catarrhalibus cum tumoribus glandularum faucium &c. I. 571. b.
Looch ad faucium pathemata doloroſa ex lymphæ vitio enata. III. 510. a.
Faucium glutinoſitas in febre. I. 827. b.
Gargariſma in faucium affectibus plerisque. III. 371. b. In affectibus faucium & tonſillarum ad ſuppurationem venientium. III. 118. a. In faucium ariditate. III. 96. a. In faucium excoriatione & exulceratione. III. 520. a.
Inflammatio faucium. II. 478. a. Gargariſmus in principio inflammationis faucium, item in ſtatu. I. 578. b. III. 595. b.
Inflammationes faucium cum prunella non confundendæ. II. 482. a.
Inflammatarum faucium cura externa. II. 482. a. b.
Faucium ex tuſſi læſarum cura. II. 214. b.
Faucium ulcera ſcorbutica. II. 451. b.
Faucium infantum vitia. II. 945. b.
Favi infantum. II. 956. b.
Febrile fermentum. I. 796. b.
Febrilis calor unde? I. 812. a.
Febris unde dicatur. II. 223. a. Quid. II. 223. a.
Symptomata. II. 223. a. In æſtu febrium peccat acidum. II. 223. b.
Coloris in febribus duplex differentia. II. 224. b.
Frigoris, horroris & rigoris gradualis differentia. II. 224. b.
Calor non eſt de eſſentia febris. II. 225. a. Nec frigus. II. 227. a.
In quo formaliter conſiſtat. II. 226. a.
Pars affecta. II. 226. b.
Cauſæ. II. 230. *& ſeq.*
Febrium differentiæ reales. II. 227. b.
Quid de veterum diviſionibus febrium cenſendum. II. 227. b.
Archei ſub febribus dominium. I. 795. b.
Spiritus animales quomodo afficiantur in febre. I. 795. b.
Cum febre ſplenis conſenſus. I. 804. b.
Horror in febribus unde? I. 795. b. *& ſeq.*
In febribus ad quæ reſpiciendum. I. 808. a.
In febribus urinæ inſpectio neceſſaria. I. 808. a.
Febrium Diagnoſis, Prognoſis. II. 231. a. b. *& ſeq.*
Cura. II. 233. a. b. *& ſeq.*
Sitis in febri cura. II. 235. a.
An vinum febricitantibus rectè interdicatur. II. 235. a.
Febrium frigora, rigores &c. compeſcentia. II. 252. b.
Febris nulla ſoluta tuta, niſi ſudor univerſalis ſupervenerit. I. 835. b.
Pro Febrium cura radicali anodyna nil conferunt. I. 804. b.
Symptomata febrilia. I. 796. a. Subiectum inhæſionis. *Ibid.* b. Cauſæ. I. 796. b. Cura. I. 797. b. *& ſeq.*
Febrifugaquæ. I. 240. a. II. 3. b. Febrifuga catholica. II. 260. a. b.
Flores antiquartii vitrioli. III. 323. b. Febrifugum antiquartium Riverii. III. 439. a. Febrifugum egregium. III. 323. a.
Æſtum febrium mitigantia. II. 254. a.
Bolus pro uſu antifebrili. I. 242. b. III. 533. a. III. 533. b. I. 560. a.
Ex Araneis oleum ſimplex febrifugum. III. 218. a. Emplaſtra. III. 218. a. III. 502. a.
Centaurii decoctum antifebrile. III. 30. a.
Chinæ Chinæ uſus in febribus. III. 35. b.
Cichorii uſus in febribus. III. 36. b.
Emplaſtrum febrifugum Strobelbergeri. III. 360. b.
Emulſio in febribus ex ſemine citri. III. 38. b.
Emulſio febrilis impropriè dicta. III. 564. b.
Gelatina acidula aromatica pro uſu ſtomachico in febribus. III. 372. b.
Gentianæ uſus in febribus. III. 57. a. b.
Infuſa antifebrilia, in ſpecie contra quartanas. I. 569. a. III. 576. b. *& ſeq.*
Julepus in febribus. III. 62. a. In febris æſtu. III. 514. b. *& ſeq.*
Piperis uſus antifebrilis. III. 91. b. *Ibid.*
Pilulæ antifebriles. III. 30. a. b. III. 57. b.
Potio febrifuga. I. 564. a. III. 560. a.
Pulvis febrilis III. 390. b. Ante paroxyſmum. I. 559. a. Laxativus. III. 528. a. Vomitorius. III. 527. b. Cornachini ſeu cerberus triceps febrifugus. III. 393. a. Pulvis febrilis in Anglia expertus. III. 212. b.
Salis ammoniaci & eius ſpiritus uſus in febribus. I. 343. b. I. 344. b.
Salis volatilis Cornu Cervi uſus antifebrilis. I. 405. a.
Febrium in cura an transfuſioni locus. I. 430. b.
Febris acuta & continua periodica II. 264. a. Ejus Diagnoſis, prognoſis. II. 268. b. Cura. II. 270. b. Symptomatum cura. II. 274. a. b. 278. a. Potus. II. 271. a.
In febribus acutis malignis quatenus conferat infuſio. I. 484. b.
In febribus acutis Medicus non debet abuti terreis, acidis &c. I. 834. b.
Miſtura analeptica ſub & poſt nimium ſudorem in febribus acutis. III. 560. b. I. 564. b.
Febris acuta primaria. II. 263. b.
Febris acuta puerperarum. II. 910. a.
Febris acuta ſymptomatica ſeu ſecundaria. II. 281. a.
Febris alba virginea. II. 831. a.
Febris ardens. II. 264. a. Cauſæ. II. 264. a. Symptomata. II. 265. a. Potus II. 271. a. Victus. II. 273. b.
Febris ardentis malignæ ex ira, nimio motu, potu, cura. II. 302. a.
Febris continua ardens benigna ex iracundia. I. 805. b.
Febres ardentes deliræ. II. 267. a.
Febres ardentes coniunctæ cum inflammationibus partium, qua methodo curandæ. III. 120. a.
Sudores in febribus ardentibus tutiùs curant, quàm Venæ ſectio. III. 449. a.
Epithemata in febribus ardentibus. III. 366. a. III. 570. a. b.
Infuſum florum papaveris erratici in febribus ardentibus. III. 87. b.
Julepus in febribus ardentibus & malignis. III. 7. a. III. 565. a. Ex ceraſis. III. 31. a. In febre ardente ſimplici. III. 374. a.
Pilulæ in febre ardente maligna cum agrypnia & jectigatione coniuncta. III. 545. b.
Potio & electuarium in febre ardente maligna. III. 447. b.
Potio pro temperanda bilis acrimonia in febribus ardentibus. III. 560. b.
Febris aſſodes ſeu anxioſa. II. 267. b.
Febris caſtrenſis. II. 312. a.
Febris catarrhalis. II. 282. a. (vid. *Catarrhalis febris.*)
Febres catarrhales epidemicæ. I. 816. a.
Febris chronicæ cura. II. 251. b. 253. a. 255. a. Curatio magnetica. III. 194. b.
Pilulæ in chronicis pro infringendo rigore & intendendo æſtu. I. 563. a.
Febris colliquativa, cacatoria. II. 266. a. Pars affecta, cauſæ. II. 266. a. b. Cura. II. 281. a.
Febres continuæ. II. 262. b. Differentiæ. I. 827. a.
Methodus curandi febres continuas ardentes benignas pariter ac malignas. III. 449. a.
Febres continuæ compoſitæ. II. 264. b.
Febris continua lenta. I. 825. b. Poſt partum. I. 830. b.
Febris continua periodica, cum cura. II. 280. a. I. 811. b.
Febris continua cum Prunella. II. 266. a.
Remedia in febribus continuis, ardentibus, intermittentibus. III. 448. a.
Emulſio alterans ſomnifera in febri continua benigna, item in in earum incremento. III. 562. b.

Mistura alterans in incremento & statu febrium continuarum plùs minùs malignarum. III. 561. a. I. 564. a.
Pulvis pro febribus continuis comitaris. III. 448. b.
Febris deliræ Cura. II. 278. a. b.
Febris ephemera seu diaria. II. 262. b. Causæ. 263. a.
Præservans, si merus degenerationis ephemeræ in aliam. II. 263. a.
Febris epiala. II. 287. a. b.
Febres epidemicæ quomodo afficiant. II. 297. a. Præservativum. II. 301. b. Cura. II. 301. b.
Febris epidemica Decocto santali rubri profligata. III. 511. b.
Febres erraticæ. II. 237. a.
Febres Hecticæ, vid. Hecticæ febres.
Febris Hungarica ejusque cura. II. 266. a. 278. b.
Febres infantum. II. 966. b.
Febres infantum vehementiores unde. I. 505. a. Cura earum. I. 512. a. b.
Febres infantum lentæ unde? I. 502. b.
Pulvis polychrestus pro puerulis febricitantibus. III. 448. b.
Febres quas sequitur inflammatio, quomodo curandæ. III. 120. a.
Febres intermittentes. II. 236. b. Divisio & varietas earum. I. 797. a. II. 236. b. Symptomata primaria, secundaria. II. 237. a. b. Degeneratio & in se invicem transmutatio. II. 238. a. 241. b. Causæ. II. 238. b. III. 35. b. Effectus. I. 805. a. b. Quare absoluto uno paroxysmo non cesset. II. 240. b. Earum multiplicatio. II. 241. b.
Diagnosis, prognosis. II. 242. a.
Cura legitima. II. 243. a. Cura perversa. II. 261. b.
Diæta & potus. II. 247. b. 252. a. b.
Febres intermittentes post acutas unde. I. 834. a.
Febrium intermittentium ardentium cura. II. 254. a.
Febrim intermittentem frigidam curantia. II. 248. b.
Febres intermittentes in hypochondriacis & scorbuticis majoribus symptomatibus comitatæ. I. 795. b.
Febris intermittentis lentæ cura. I. 828. a.
Febrium intermittentium scorbuticarum cura. II. 255. b. 256. b.
Febris intermittens tertiana notha, & legitima. II. 240. a.
Formulæ in febribus intermittentibus. I. 299. a. III. 454. a.
Aranearum applicatio in febribus intermittentibus. III. 218. a.
Decoctum ex carduo benedicto in febribus intermittentibus & quartana. III. 27. a.
Essentiæ absinthii usus in febribus intermittentibus. III. 6. a.
Imperatoria est specificum in febribus intermittentibus. III. 65. a.
Pilulæ in febribus intermittentibus. III. 444. a. III. 545. b.
Pilulæ emetico-catharticæ ante paroxysmum febrium intermittentium. III. 542. b. I. 564. a.
Sal digestivum in febribus intermittentibus etiam ante paroxysmum. III. 397. a.
Febris lactea puerperarum. II. 909. a. I. 940. a.
Febres lentæ seu continuæ minus acutæ. II. 281. b.
Primariæ. II. 285. b. Causæ 286. a. Prognosis. II. 286. a. Cura. II. 286. b. & seq.
Secundariæ seu symptomaticæ. II. 288. a. Ex scabie, chlorosi, ulcere, secundinis &c. II. 289. a. b.
Febris lenta symptomatica, tandem Hectica. I. 831. b.
Febres lymphaticæ triplici potissimùm modo affligunt. I. 827. a.
Febris lymphatica catarrhalis. I. 813. b.
Febris lymphaticæ in lue venerea cura. I. 828. b.
Febres lymphaticæ glandularum conglomeratarum. II. 282. a. 285. b.
Febris lymphaticæ post intermittentem curatam ob voracitatem ortæ cura. I. 828. a.
Febris Lyngodes seu singultuosa. II. 267. b.
Febris maligna (consultatio.) I. 838. a.
Febrium malignitas in quo consistat. II. 294. b. II 297. a. b. I. 159. b.
Earum sedes. I. 524. a. b. II. 298. b.
Diagnosis, prognosis. II. 294. b. 296. a. 300. b. II. 330. b. & seq. I. 826. b. & seq.
Causæ. II. 297. a.
Symptomata. II. 295. a. Variæ denominationes. II. 296. a. Divisio. II. 296. b.
Afficiendi modus. II. 296. b.
An vermiculi febrium malignarum causa. III. 456. b.
Unde æstus & febrilis sanguinis ebullitio remissior. II. 299. b.
Febrium malignarum præservatio. II. 302. a. Cura. II. 302. a. In cura observanda. II. 304. a.
Bezoardicus pulvis in febribus malignis. III. 528. b.
Decoctum diaphoreticum in febribus malignis. III. 581. b. III. 352. b.
Decoctum hordei compositum in febribus malignis. III. 584. b.
Epithema in febribus malignis. III. 366. a. III. 570. a.
Formulæ in febre maligna. III. 454. a.
Julepi in febribus malignis. III. 7. a. I. 566. b. III. 566. a. Pro temperando æstu & siti. III. 374. a. III. 565. a. Quando corpus disponendum ad lenem sudorem &c. III. 374. a. In febre maligna cum convulsionibus. III. 372. b. & seq.
Mistura sudorifera in principio febrium malignarum. III. 560. b.
Potio in febribus malignis. III. 62. a. Sudorifero-anodyna. III. 560. b.
Pulvis camphoratus in febribus malignis. III. 136. b. Si adsit delirium & immineant convulsiones epilepticæ. III. 136. b.
Scordii usus in febribus malignis. III. 111. a.
In vomitu febrium malignarum & pestilentialium remedium. I. 565. a.
Febris menstrua. II. 802. a.
Febris miliaris seu purpurata puerperarum. II. 912. b.
Febris Pemphygodes seu ampullosa. II. 267. a.
Febris pestilentialis, vid. Pestis.
Febris Petechialis, pulicalis, lenticularis, peticularis, puncticularis, ejusque symptomata. II. 296. a. 312. b. Maculas petechiales à pulicum morsibus distinguendi ratio. II. 313. a. Differentia à reliquis Febribus malignis. II. 296. a.
Causæ. II. 313. a.
Diagnostica signa. I. 313. a. Prognosis. II. 313. a.
Consultatio de febre petechiali. I. 839. b.
Cura ejus & symptomata. II. 313. b. 316. a. Diæta. II. 314. a.
Decoctum Scorzoneræ in febribus petechialibus. III. 111. a.
Emulsio in febribus petechialibus. III. 38. b. III. 564. a.
Febris Phricodes seu horrifica. II. 267. b.
Febris purpuratæ consideratio. II. 317. a. Est vel alba vel rubra. Ibid.
Causæ, prognosis, cura. II. 317. a. b.
Emulsio in febribus malignis, purpuratis &c. III. 80. b.
Febris quartanæ cura. II. 244. b. 248. b. 254. b. 260. a.
Pulvis contra Febrem quartanam. III. 529. b.
Saturni usus in febre quartana. I. 391. b.
Essentiæ absinthii usus in quartana. III. 6. a.
Decoctum laxativum in quartana scorbutica. III. 580. b.
Julepus alterans & laxans in Quartana scorbutica. III. 566. a.
Nodulus in diuturna quartana. III. 575. a. b.
Salis volatilis Ammoniaci usus in febre quartana. I. 405. a.
Pulvis pro quartana. III. 515. a.
Febris quartana duplicata cum colica convulsiva. I. 805. a.
Febris quartana splenetica. I. 804. a.
Febris quartana duplicata scorbutica. I. 800. a. 802. b.
Causæ, ejus & symptomata. I. 800. b. & seq. I. 802. b. Prognosis. I. 801. a. Cura. I. 801. b. & seq.
Febris quotidianæ continuæ minùs lentæ, sed ad acutas nonnihil accedentis, cura. II. 287. a.
Febris scarlatina, ejusque causa. II. 329. a. Cura. II. 329. a.
Febris scorbuticæ diagnosis, prognosis, cura. II. 459. b. & seq.
Julepus in febre scorbutica. III. 566. a. Ibid. b. I. 566. b.
Febres scorbuticæ periodice vagæ. II. 265. a.
Febris syncopalis. II. 287. b.
Febris tertianæ cura. II 245. b. 246. a. II. 225. b.
Julepus dilutus in febre tertiana. III. 566. b.
Linteo menstruato curata tertiana. I. 405. b.
Pilulæ purgantes in juvene tertianâ affecto. III. 543. a.
Pulvis pro tertiana. III. 515. a.
Specificum antifebrile tertianarum Crollii. III. 213. b.
Febris tertianæ hystericæ cura. II. 259. a. b.
Febris tertiana intermittens scorbutica. I. 794. b. Cura. I. 797. b.
Bolus purgans in febre tertiana intermittente. III. 533. a.
Pulvis digestivus in Febre tertiana intermittente. III. 527 a.
Febris tertiana maligna. II. 247. b. I. 798. b. Ejus symptomata. c. 799. a. Cura. II. 247. b.
Febris semitertiana seu hemitritæus. II. 267. b. Cura. II. 280. a.
Febris typhodes, Elodes, Hydrodes seu sudorifica. II. 267. a.
Febris vulneraria, ejus diagnosis, prognosis, cura. II. 1010. b.

Fæces. I. 4. b. I. 335. b.
Fæces cerevisiæ cui usui. III. 449. b.
Fæces vini, earum usus & præparata. III. 499. b.
Fæces vini unde. I. 398. b. 400. a. Sal volatile ex fecibus vini. I. 401. b.
Fecum per fermentationem secretio. I. 416. a.
Fæcum alvinarum ex chylo separatio quomodo fiat. I. 74. a. I. 75. a. I. 75. a. b. II. 86. a. Læsæ causæ & cura. II. 86. a. b. 87. a. b. *& seq.*
Excretio per bilem promota. I. 7. b.
Clyster pro induratis fæcibus emolliendis & incidendis. III. 73. b.
Fæcum alvinarum in fœtu retentio quas noxas det. I. 497. a.
Fæculæ unde dictæ. III. 370. b. Eas parandi modus. *Ibid.* Sunt exiguæ virtutis. I. 214. b. III. 416. a.
Felis naturalis abhorrentia & odor cœcus. I. 65. b. I. 933. a.
Felix Medicus quis dicendus. I. 200. a.
Fellis bubuli usus. III. 183. a.
Humani usus & præparata. III. 199. a.
Fellei succi effervescentia. II. 86. a.
Fenestra ovalis. I. 112. b.
Fermentales morbi. I. 410. a.
Fermentata sunt mediæ texturæ inter decocta & infusa. III. 373. b.
Fermentatio quid? I. 44. a. II. 5. a. I. 417. a. I. 4 a.
Ejus causæ. II. 5. a. I. 418. a. 418. b. I. 43. b. I. 346. a. I. 42. a. b. I. 4. a. Subjectum. I. 417. b.
Motus à salibus. I. 418. a.
Requisita ad fermentationem necessaria. I. 418. b.
Effectus duplex. I. 419. a. I. 44. b.
Quomodo fiat. I. 43. b. I. 346. a.
Convenientia artificialis cum ea, quæ fit in corpore. I. 346. b.
Est vel occulta vel manifesta. I. 419. b.
Quomodo differat à putredine. I. 703. b.
Fermentatione impeditâ fit præcipitatio. I. 355. b. Quomodo impediatur. I. 418. a.
Fermentationis vis alterativa. I. 407. a. III. 427. b.
Fermentatio, i. e. chylificatio. I. 69. b.
Fermentationis commoda duo. III. 112. b.
Ejus usus in correctione medicamentorum. I. 348. a.
Fermentando vegetabilia ex oleo resoluto priùs spirituascunt, postmodum acescunt. III. 481. b.
An simplicia antiscorbutica quoque fermentari debeant, ut exinde acquiratur spiritus inflammabilis. III. 400. b.
Fermentatio in præparatione spirituum quomodo fiat? III. 400. a.
Fermentatio ciborum in stomacho probata. I. 71. a. b. Fermenti huius varietas. I. 72. a. b. Ejus origo. I. 72. b.
Fermentationis in corpore, stomacho &c. modus & ratio. I. 14. b. I. 347. a.
Fermentatio corporis humani naturalis & præternaturalis quomodo se habeat. I. 419. b.
Fermentatio humorum insignior. I. 526. a.
Fermentationis læsæ morbi. I. 149. a. b.
Fermentatio panis. I. 14. b.
Fermentatio massæ sanguineæ quomodo lædatur. I. 149. b. I. 410. b. I. 13 a.
Ad sanguinis fermentationem debitam conducit infusio. I. 479. b.
Fermentum quid? I. 532. a. I. 933. a. Fermentorum vis, & quomodo agant. I. 418. a. b. I. 419. b.
Fermenti usus in diarrhœa. III. 498. a.
Fermentum quatenus sub causarum morbosarum censum refertur. I. 170. b.
Fermenta internè genita vitiata quomodo corrigenda. I. 418. a. b.
Fermenti acido-salini præsentiam signantes ructus. I. 7. a.
Fermenti chylificatorii origo. II. 57. b.
Fermenti digestivi depravatio. II. 31. b. *& seq.* Quomodo contingat. II. 38. a. b.
Fermenta morbosa. I. 665. b. Non præcipitantibus sed alterantibus corrigenda. I. 532. b.
Fermentum panis. III. 512. a.
Fermentum renum quid? I. 933. a.
Fermentum stomachi quid? I. 932. b. Ejus origo. I. 7. a.
Fermenti ventriculi duplex munus circa digestionis negotium. I. 71. a.
Fermentum stomachi determinatum digestivum habent omnia animalia in suo genere. II. 38. a.
An non fermentum stomachi in certis casibus possit solvere duriora. I. 74. a.
Fermentum stomachi & reliquorum viscerum vitiatum. I. 410. b. Quas noxas det. I. 414. a. b.
Fermenti vitiosi acidi correctio. II. 475. b.
Ferrum (vid. *Mars.*) Ferri batitura. III. 518. b.
Minera ferri. III. 253. b.
Ferrea instrumenta quomodo inungenda. III. 389. b.
Ferri usus. III. 488. b.
Festucas ex vulneribus extrahendi ratio. II. 999. b.
Fibrarum constitutio & structura. I. 11. b. I. 2. a. I. 121. b. II. 27. a II. 689. a. b.
Motus & officium. I. 122. b. II. 689. a. b.
Situs. I. 122. b.
Fibræ motricis motus. I. 12. a. I. 652. b.
Fibræ nerveæ seu tendinosæ cutis. I. 101. a.
Fibræ sanguinis chyli proles. I. 8. a.
Fibræ quibus malis obnoxiæ. II. 27. a.
Signa diagnostica affectuum ex convulsionibus fibrarum derivandorum. I. 888. a.
Fibrarum incisarum cura. II. 1007. b.
Fibrarum spasmi unde. I. 872. b.
Ficedula. III. 208. a.
Ficus. III. 52. a.
Ficus ani, & scrophulariæ usus contra easdem. III. 111. b.
Figentia acidum impropriè dicuntur præcipitantia. III. 355. b.
Figuli plerumque phthisici, asthmatici. I. 787. a.
Figura indolens, media, naturalis. I. 12. a. I. 122. b.
Figuræ in lapidibus sunt per accidens. III. 253. b.
Filago. III. 518. a.
Filamenta nervea delicata. I. 764. a.
Filipendula. III. 53. a.
Filix. III. 53. a. III. 481. a.
Firmior constitutio quæ, ejusque fundamentum. I. 808. b.
Fissuræ & rimæ abdominis gravidarum. II. 873. a. Labiorum pudendi puerperarum. II. 906. a.
In manibus ac pedibus ex lue venerea, earumque cura. II. 425. a.
Papillarum. II. 924. a.
Ossium, cum cura. II. 1026. a. *& seq.*
Fistulæ, earumque diagnosis, prognosis, cura. II. 1016. b. *& seq.*
Fistulæ lachrymalis cura. II. 1017. b.
Fistulæ mammarum. II. 920. b.
Fixa insipida ultra primas vias non pergunt. I. 535. a. Duobus tamen modis etiam remotiores partes malè habentes curant. I. 535. b.
Flammâ quid? I. 2. b. I. 36. a. II. 5. a.
Flammula. III. 53. b.
Flammulæ oculis obversantes. II. 690. a.
Flammula vitalis. II. 6. a.
Flatulentia uteri. II. 854. a.
Flatus. I. 16. b. I. 415. b. Vnde. I. 16. b. I. 415. b. I. 172. a. Differunt à vaporibus. I. 16. b. Divisio. I. 16. b. I. 172. b.
Flatus dispellentia. I. 243. b. III. 6. a. I. 715. b. I. 16. b. III. 496. b.
Flatus ex acido in materia viscida dispellentia. II. 4. a.
Flatus sub digestione an sursum ad caput eleventur. I. 73. b.
Flatus ex liene an ad cor ascendat; & an dentur flatus in vasis majoribus sanguifluis? II. 348. b.
Flatuum eruptio impedita. I. 714. a.
A Flatibus distensa infantum hypochondria. II. 936. b.
Flatus in stomacho & intestinis. II. 64. b. Quid? II. 64. b. Generandi modus. II. 64. b. Causæ. II. 65. b. Diagnosis, prognosis. II. 66. a. Cura. II. 66. a. b.
Flavedo qualis color. I. 109. b.
Floccos colligentes ægri. II. 702. a.
Flocculi obuersantes oculis. II. 690. a.
Flores eorumque triplex classis, & inde parabilia. I. 402. b. III. 2. a. III. 2. b.
Flores 4. cordiales. III. 22. b. Quibus additur quintus, calendula. III. 25. a.
Aqua omnium florum. III. 183. b. III. 487. a.
Flores in Chymia quid? III. 371. a. III. 435. a. Modus parandi varius. III. 371. a.
Flores auri. I. 395. b.
Flores martis parandi ratio. I. 390. a.
Flores saturni. I. 392. b.
Flos Affricanus. III. 53. b.
Flos mirabilis. II. 17. b.
Fluor albus. II. 820. a.
Etiam virgines illibatas vexat. II. 820. b.
Quomodo à mensium decoloratione differat. II 820. b.
An semper ex utero effluat. II. 821. a.
Ejus natura & causæ. I. 128. a. II. 821. a. 821. b. *& seq.* I. 417. b.
Est vel verus vel nothus. II. 821. a. Aliæ ejus differentiæ. II. 821. b.

Diagnosis, prognosis. II. 822. a. b.
Cura. II. 822. b.
Electuarium ad fluorem album. III. 536. b. I. 560. b.
Injectio in uterum fluore albo affectum. I. 578. b.
Millefolii usus in fluore albo. III. 78. a.
Pulvis putaminum avellanæ in fluore albo. II. 41. b.
Fluor muliebris Gallicus. II. 422. b. Diagnosis. II. 422. b. Prognosis, II. 422. b. Cura. II. 422. b.
Fluori rubro & albo conveniens viscum quercinum. III. 98. a. b.
Fœcundatio à quo dependeat. I. 423. a.
Fœcunditas feminum, ovorum, in quo consistat. I. 658. a.
Quò fœcundius quid, eo corruptibilius. I. 423. a.
Fœcunditatis signa. II. 858. a.
Fœcunditatem conciliare serpentum carnem. III. 202. a.
Fœcunditatem an inhibeat saturnus. I. 391. b. & seq.
Fœminæ quomodo procos alliciant. I. 933. a.
Fœniculum & ejus usus. I. 296. a. III. 53. b. Est appropriatum ophthalmicum. II. 4. a. Ejus præparata. III. 498. a. Balsamum. III. 342. b. Oleum. III. 485. b.
Fœnum & ejus semen. III. 500. b.
Fœnum Græcum & ejus usus. III. 54. a. III. 508. b.
Fœtor unde. I. 113. b. & seq. I. 734. b. I. 834. b. & seq. Excrementorum quid signet. I. 834. b.
Lotio contra fœtorem axillarum, pedum, aliorumve locorum. III. 605. a. I. 575. b.
Fœtus primordia exilia. I. 658. b. I. 658. a.
Formatio in utero. I. 131. a. 132. a. b. II. 859. b. I. 12. b. I. 8. b. II. 852. a. Formationis tempus. I. 133. a.
Materia ex qua. II. 852. a. I. 133. a.
Palpitatio & motus quando contingat. I. 133. a.
Efficiens causa. I. 133. a. II. 852. a. b.
Nutritio ex duplici materia. I. 8. b. I. 12. b. I. 134. a.
An nutrimentum fœtui communicatum in utero sit chylosum vel lacteum aut sanguineum. I. 427. b.
Fœtus formatio quomodo lædatur. II. 859. b.
Fœtus debilis quomodo roborandus. II. 865. b.
Panis usus in roborando fœtu. III 113. a.
Fœtus cum parentibus similitudo. I. 133. b. II. 854. a. I. 411. a.
Fœtus in utero quam vitam & quâ vitâ vivat. I. 134. a. 135. a.
Fœtum pellens spiritus secundinæ humanæ. I. 405. b.
Fœtum pellentia quatenus in usum vocanda. III. 487. b.
Fœtus exclusio quando contingat & quomodo. I. 12. b. II. 875. a. b.
Excrementorum retentio in fœtu. II. 927. a.
Vagitus fœtus in utero prodigiosus. I. 136. a.
Fœtus mortuus. II. 889. a. II. 289. b. Ejus causæ. II. 889. a.
Diagnosis. II. 889. b. II. 878. b. Prognosis. II. 890. a. Cura. II. 890. b.
Fœtus in utero mortui signum ab emissione meconii. I. 496. b.
Proba, an fœtus natus sit vivus, an verò natus sit mortuus. I. 136. b.
Fœtus mortuum pellentia. I. 938. b.
Fotus ad promovendum fœtum mortuum. I. 574. b. III. 599. a.
Fœtus multiplicati generatio. II. 852. b.
Fœtus septimestris signa diagnostica. I. 928. a.
Fœtus si vivus, & mater mortua, quid faciendum. II. 889. a.
Folia. III. 2. a.
Follis ano applicandus. I. 755. a.
Fons admirabilis Paderborniæ. III. 231. b.
Circa fontium scaturiginem notanda. III. 229. a.
Fontanellæ seu Fonticuli quid? I. 19. b. I. 228. b.
Usus & effectus fonticulorum. I. 142. b. I. 228. b. & seq.
Usus loco venæsectionum periodicarum. I. 412. b.
Ubi fonticuli excitandi? I. 229. b.
Cur & quando. I. 229. a. b.
Instrumentum seu materia quibus excitantur. I. 230. a.
Modus & processus in fonticulorum excitatione. I. 230. a.
Si non sufficienter plorent, quid agendum. I. 230. b.
Fonticuli naturales. I. 228. b. Artificiales & eorum constitutio. I. 881. b. I. 882. a. b.
Fonticulus auricularis. II. 519. a.
Ad fonticulos emplastrum. III. 361. a.
Crystalli lunaris usus in excitandis fonticulis. I. 396. a.
Globuli ex gentiana pro conservandis in fluxu fonticulis. III. 444. a. Ex hederæ arboreæ ligno ad fonticulos. III. 60. b.
Forma unde? I. 46. b. Quid? I. 46. b. & seq. Corporum simplicium, compositorum &c. I. 46. b. & seq. Substantialis, accidentalis. I. 48. a. I. 3. a.
Materiæ modificatio formam corporis certi constituit. I. 48. a.
Modificationis hujus fundamentum est quantitas & ejusdem impenetrabilitas. I. 48. b.
Formicarum principium prædominans & producta Chymica. I. 404. a. III. 220. a. b. & seq. III. 512. b.
Usus. III. 220. a. b. III. 502. b.
Majorum usus in affectibus nervinis. III. 252. b.
Formicas usurpandi modus in affectibus oculorum. III. 341. b.
Spiritus usus menstruus. I. 353. b.
Cubilis decoctum. I. 576. a.
Grana mastichina. III. 502. b.
Ova an flatus concilient, vomitusque cieant. III. 453. b.
Formicæ ex melle & mica panis. III. 108. b.
Formicatio. II. 699. b.
Formularum præscriptio in genere. III. 521. a. b. & seqq. I. 554. a. b. & seqq. In specie. I. 558. a. III. 526. a. Earum quinque classes. III. 526. a. b.
Formularum præscribendarum idea. I. 552. a. Modus miscendi & forma, item proportio. III. 522. b. I. 558. a. Ordo. I. 557. b.
Materiæ quantitas & qualitas. I. 556. a. 557. a.
In formularum ingredientibus observanda, fugienda. III. 523. b. 524. a. b. & seq.
Quæ in præscribente præsupponantur. III. 523. a.
Fornix. I. 102. b.
Fortis aquæ differentiæ unde. III. 491. b. Usus. III. 491. b.
Fortuna Medici, quid de ea habendum. I. 200. a.
Fotuum præscribendi modus & divisio. I. 574. a. III. 598. b.
Fotuum formulæ. III. 598. b. & seq.
Fotus humidi. I. 558. b. In fotu humido quæ observanda. III. 599. a. b.
Fragaria. III. 54. a.
Fracturæ ossium & earum causæ. II. 1025. a. Diagnosis, Prognosis. II. 1026. b. Cura. II. 1027. a. III. 516. a.
Fracturæ cum luxatione cura. II. 1025. b.
Fotus humidus pro membro fracto. I. 574. b.
Frangitivus dolor. II. 651. b.
Frangula. III. 167. a. Frangulæ corticis usus. III. 428. a.
Fraxinella. III. 55. b.
Fraxinus. III. 481. a. Ejus lignum quando cædendum. III. 55. a. b. Usus. I. 304. b. III. 441. a.
Frænulum glandis penis. I. 124. b. Ejus vitia. II. 799. b.
Frænulum linguæ. I. 116. a.
Frictionis in aridura modus. II. 375. a.
Frigiditatis ratio. I. 3. b.
Olei camphoræ usus in doloribus articulorum à frigiditate. III. 138. a.
Frigiditatem nervis hostilem curantia. I. 252. a.
Frigidum quid dicatur? I. 11. a. I. 117. b.
Frigida intemperies. I. 334. a.
Frigida medicamenta quæ dicantur. III. 483. a. II. 3. a.
Frigida corroborantia. III. 496. b.
Frigus in quo consistat. I. 47. b. Qualis Motus. II. 649. a.
In febribus. I. 812. a.
Hybernum ex alcali oriri. III. 233. b.
Ejus tolerantia in maniacis. II. 762. b.
Adversarur maximè herniosis. I. 777. a. I. 773. b.
Frigus & frigida puerperis hostilia. I. 937. b.
Balsamum præservans manus & pedes à læsione frigoris externi. III. 611. a.
Decoctum pectorale ad tussim à frigore externo natam. I. 572. a.
Ad partes elevatas à frigore oleum templinum. III. 91. a.
Picis usus in præservatione à frigore. III. 148. a.
Contra frigus inservit pinguedo anserina. III. 206. b.
Rapæ usus in partibus refrigeratis. III. 100. a.
Stercoris columbini usus in frigore. III. 207. b.
Frontalia quid? III. 365. a. III 569. a. I. 558. b.
Frontale in cephalalgia febrili. I. 565. a.
Fructus eorumque succi. III. 2. b. I. 165. b. Aceta ex eorum succis. III. 481. b.
Horæi sunt salia neutra mixta. I. 725. a. Gravidis & lactantibus interdicti. II. 929. b.
Joviales cur dicantur amygdalæ. III. 11. b.
Frutex Alexandrina. II. 19. a.
Frutices cur sæpe degenerent in arbores. III. 3. a.
Fuligo quid? I. 2. b. I. 361. b. II. 5. a. III. 139. a. Ejus usus. I. 306. a. I 403. a. Ejus præparata. III. 139. a. b.
Modus præparandi spiritum & sal volatile fuliginis. III. 446. b.
Usus hujus spiritus. I. 403. a.
Olei fuliginis usus. III. 446. b.
Fulmen. A fulmine liberare sedum in tectis satum, veterum superstitio. III. 113. a.
Fulminatio metallorum. I. 19 b.
Fumaria. III. 55. b. III. 481. a. Bulbosa. III. 56. a.
Fumus quid? I. 2. b. I. 36. a. II. 5. a.
Ex fumo culinari tussis stomachalis. I. 792. a.
Fumos metallicos Asthma inducere. I. 787. a. Pulvis contra fumos metallicos. III. 529. a.

Funam-

Funambulorum præservativum à vertigine . III. 48. b. II. 694. b.
Functionum animalium primi autores. I. 10. a. Earum læsio. II. 688. b.
Fungi quid? III. 160. a.
Lupini. III. 157. a.
Fungorum virulentia, & antidotus contra eam. I. 720. a.
A fungis orificii superioris ventriculi spasmus. I. 718. a.
Fungus articuli &c. I. 992. a. Ejus causæ, cura. II. 992. b.
Furfurum cura. II. 828. b. Lotio pro capite contra furfures. III. 604. b. Olei laurini usus contra furfures capitis. III. 69. a.
Furni Glauberi taxati. I I. 475. b.
Furor maniacorum. II. 762. b.
Furoris uterini ratio & causæ. I. 128. a. I. 417. b.
Emulsio contra furorem uterinum. III. 8. b. Camphoræ usus in furore uterino. III. 137. a (vid. *Uterinus furor*.)
Furunculi. II. 982. a. Infantum unde. II. 957. a. I. 502. b.
Fustibus facta percussio. II. 976. b.

G.

GAgathes. III. 331. a. III. 333. b.
Galactites. III. 248. b. III. 455. a.
Galanga & ejus usus. III. 56. b. III. 497. a.
Galbanetum. III. 140. a. Paracelsi. III. 505. a.
Galbaneta emplastra. III. 502. a. Olea. III. 502. b.
Galbanum ejusque usus & vires. III. 140. a. b. II. 480. b. I. 252. b.
Præparata. III. 140. a.
Quomodo internè assumendum & ejus depuratio. III. 502. a.
Ceratum de Galbano. III. 360. a.
Galega & ejus usus. III. 56. b. III. 444. b.
Galena quid? II. 276. a.
Galenica secta dogmatica. I. 1. a.
Galenus quando natus, ejusque patria &c. I. 28. a.
Galeopsis. III. 129. a.
Gallæ & earum usus in decoctis. III. 516. b. III. 581. b.
Gallica Gummata. II. 988. b.
Gallicus morbus (vid. *Venerea lues*) II. 410. b.
Remedium contra Gallicum morbum. III. 204. b.
In cura Gallici morbi Mercurio nihil præstantius. III. 585. a. b.
Modus per salivationem curandi morbum Gallicum. III. 585. a.
Balnei usus ante curationem morbi Gallici. III. 602. b.
Gallina, & ejus usus medicus. III. 208. a.
Vivipara. II. 777. b.
Gallinarum juscula ægris non conducunt. III. 589 b.
Gallinarum cum viperis aut serpentibus pastus. III. 202. a.
Gallium. III. 56. b.
Galeda ex cranio humano &c. III. 198. b.
Gallus ejusque usus medicus. II. 208. a Præparata. *Ibid.*
Gallinacei stomachi pelliculæ. III. 487. a.
Decoctum galli ægris parum conducit. III. 588. b. III. 589. b. I. 558 a.
Gammarus ejusque usus. III. 211. a.
Ganglia eorumque cura. II. 989. b.
Sedi usus in gangliis. III. 113. a.
Unguentum contra ganglia. III. 413. a.
Gangræna quid? II. 515. a. II. 1029. a. Differentia ejus gradualis. II. 1029. a. Causæ. II. 1029 a. Diagnosis, prognosis. *Ibid.* b. Cautela & Cura. II. 1029. b. *& seq.*
Gangrænæ ex contusione &c. cura. II. 977. b.
Aqua phagædenica in principio gangrænæ loca nervosa occupante. III. 245. b.
Aquilegiæ usus ad gangrænam gingivarum. III. 16. a.
Decoctum polychrestum in metu gangrænæ. I. 574. a.
Decoctum ex scordio in gangræna. III. 111. a.
Epithema ad imminentem plus minus gangrænam. I. 565. b.
Lapidis medicamentosi usus in locis gangrænosis. III. 490. b. II. 519. a. b.
Gangræna cum inflamatione uteri post partum. II. 906. b.
Gangrænæ œdematosæ cura. II 399. a.
Gangrænæ ulceris indicium. II. 1012. a. Cura. II. 1015. a.
Gangrænæ vulnerum cura. II. 1009. a. b.
In metu gangrænæ aquæ calcis vivæ compositæ usus. III. 246. a.
Gargarismatum ratio. III. 66. a. I. 558. b II. 578. a.
Gargarismatum in genere ingredientia. III. 595. a. III. 371. a. Formulæ. I. 595. b.
Gargarismata & diaclysmata quomodo differant. III. 371. a.
Eorum scopus & usus. III. 595. a. b. III. 371. a.
Gas varia. II. 64. b. III. 128. b.
Spirituosum. I. 5. a.
Metallicum, piceum &c. asthma inducens. I. 787. a.
Gaudii repentini & nimii noxæ. I. 169. a.
Gelseminum Mexicanum. III. 65. a.
Gelatina. III. 180. b. Unde paretur. III. 372. b. Est vel simplex, vel acida & composita. III. 372. b. Usus & sumendi modus. III. 372. b.
Gemellorum generatio quomodo contingat. I. 128. a. II. 852. b.
Gemma vitæ. III. 462. b. III. 476. a.
Gemmarum natura & differentiæ. I. 397. a.
Gemmæ unde generentur. I. 2. a. b. III. 235. a. Unde colorem sortiantur. III. 235. a. b.
Gemmarum explicatio. III. 237. b.
Unde earum virtus & diffusio radiosa. I. 397. b.
Gemmarum usus medicus. I I. 455. b. III. 415. b. *& seq.* I. 397. a.
Gemmarum præparata. III. 236. b.
In gemmis solvendis aceti ex melle usus. III. 217. b.
Tincturæ gemmarum an alicujus usus in Medicina. I. 397. a. III. 416. a.
An veræ substantiæ gemmarum tingentis extractio detur, & quæ non sit simplex corporis illarum integri dissolutio. III. 236. b.
Quid externo usu valeant gemmæ, instar amuletorum appensæ. III. 237. a. b.
Gemmulæ in seminibus. I. 657. a. b. *& seq.*
Generalia per medicamenta curationis fundamentum. II. 7. b. *& seq.*
Generatio ordinaria. II. 851. a. Materia. II. 852. a.
Generatio per atomos. I. 3. a. Animalium. II. 777. b.
Generationes rerum unde. I. 38. b.
Generatio quomodo fiat. I. 12. a I. 123. b.
Generatio per semina ut fiat. I. 657. a.
Quomodo generentur corpora. I. 133. b.
Generatio maris aut fœminæ unde contingat. I. 133. b.
Ad generationem filii mercurialem marem, fœminam verò pro filiabus inservire. III. 76. b.
Ad generationem quando habiles reddantur fœminæ. II. 801. a. b.
In generatione spiritus genitalis maris scintillulæ instar se habet, ovum uterinum fomitis vices gerit. II. 857. b.
Quodnam sit illud agens, quod ex eodem nutrimento chyloso os, tendines, cerebrum, membranas &c. fabricet. I. 423. b.
Quò longævum magis est animal, eò tardiùs se ad generationem accingit. I. 423. a.
Generosiora teneriora ferre nequeunt. III. 503. b.
Genista. III. 56. b.
Genitales actiones. I. 6. a.
Genitalia muliebria. I. 126. b. Genitales mulierum partes adstringit symphytum. III. 118. b. Alia genitalium muliebrium sophisticatio. II. 826. a.
Signa prognostica ex genitalibus. I. 191. b.
Ex genitalibus aura virulenta. I. 932. b. *& seq.*
Genitalium pruritus ejusque cura. II. 827. b.
Genitalium pustulæ, & scabies, ejus causæ, diagnosis, prognosis, cura. II. 828. a. b.
Genitura malè semen dicitur. I. 124 a. Quid? I. 12. a. II. 777. a.
Genituræ punctum saliens & vigor vitalis. I. 423. a. b.
Genituræ organon. I. 124. a. (*vid. Semen*.)
Genituræ efficiens, materia. II. 777. a.
Alteratio corporis fit, simul ac genitura generari incipit. I. 129. a. Tempus hujus generationis. I. 129. a. b.
Genituram blandè temperat agnus castus. III. 8. b.
Nymphææ usus in genituræ abundantia. III. 85 a.
Genitura humana ejusque usus. III. 197. a. Quomodo distinguenda à pure &c. in urina. I. 834. a.
Genitura mulierum in quo consistat. II. 777 b.
Genitura virilis quomodo generetur. II. 777. a.
Genituræ viris materia, formale. I. 125. a. b. Ejus vis generativa unde I. 126. a. Ejaculatio. I. 12. a. II. 777. a.
Genituræ virilis læsa generatio. II. 777. a. 778. a. Impeditæ causæ. II. 778. a.
Genituræ nimis cita ejaculatio. II. 792. a. Cura. II. 792. b.
Genituræ excretio cur macilentos reddat. II. 376. b.
Genituræ excretio abolita. II. 793. b. II. 787. b.
Genituræ citra coitum excretio II. 787. b.
Genituræ excretio nimis tarda. II. 792. b. Cura. II. 793. a.
Gentiana, ejusque usus Medicus. III. 57. a. I. 305. b. III. 444. a.
Globulorum ex Gentiana usus. III. 444. a.
Genuum contractura. II. 697. a. Dolores. II. 674. a.
Geotes. III. 519 a.
Geranium. III. 57. b.
Germinatio philosophica argenti. III. 266. b.
Hordei præmittenda coctura cerevisiæ. I. 14. b.
Gesnerus Germanorum Plinius. III. 48. b.
Gestationes Romanis delectamento erant maximo. I. 607. a.
Gestationis gravidarum tempus. I. 12. b. I. 133. a. II. 875. a. 876. a.
Gilla. III. 358. a. III. 436. b. Sapphirina & ejus usus vomitorius. III. 437. a. Veneris. I. 390. b.

Gingivarum Hæmorrhagia. II. 540. a.
Gingivarum infantum putredo. II. 945. b.
Gingivarum scorbutus & excrescentiæ, cum cura. II. 54. b. II. 448. b.
Decoctum ex lacca pro gingivis gangrænosis. III. 141. a.
Diaclysma in affectibus gingivarum scorbuticis. III. 371. b.
Gargarisma in putredine aut gangræna incipiente gingivarum scorbutica. III 597. b.
Litus in scorbuto gingivarum. III. 520. b.
Mixtura contra gingivas scorbuticas & exulceratas. III. 572. a.
Rutæ usus in gingivis scorbuticis. III. 104. b.
Unguentum ex aquilegia in gingivarum affectibus. III. 16. a.
Pulvis ad gingivarum putredinem, cruentationem. I. 559. b.
Gingivarum in laxatione, cruore, exulceratione scorbutica, putredine pulvis III. 531. a.
Mistura pro gingivis à variis affectibus præservativa. I. 566. a.
Glabrities, Glabrum quid? I. 3. b. I. 47. b. I. 117. b.
Glacies. III. 234. a. Quomodo aqua abeat in glaciem. I. 3. a.
Glandifera. I. 12 b.
Glandularum structura. I. 98. a. Officium & usus. I. 97. b. II. 589. a. b. & seq. An nervis inserviant. I. 99 a.
Decoctum in affectibus catarrhalibus cum tumoribus glandularum colli &c. I. 571. b.
Glandulæ conglomeratæ, conglobatæ. I. 9 b.
Glandularum maxillarum tumores & cura. III. 518. a.
Glandularum mesenterii apud infantes obstructio. II. 965. a.
Glandulæ miliares. I. 9. b. I. 100. b.
Glandulæ pinealis situs. I. 103. b.
Glandulæ pituitariæ. I. 103. b.
Glandulæ salivales. I. 69. a. I. 98. b.
Glandulifera animalia. I. 134. a.
Glans penis. I. 124. a.
Glandis non perforatæ cura. I. 336. b.
Glans quercus, vid. *Quercus*.
Glastum. III. 66. a.
Globuli. I. 558. b.
Globulorum plumbeorum usus in metu Ilei & alvi adstrictione II. 98. a. I. 755. a.
Globuli plumbei quatenus in nobis retineri possunt. I. 336. b.
Glossopetræ. III. 476. b.
Glutinantia. II. 1000. b. 1013. b.
Per Gluten vulnus consolidandi modus. II. 999. b.
Glycyrrhiza, ejus usus & præparata. III. 58. a. III. 507. b.
Gonagra. II. 674. a.
Gonorrhœa & ejus divisio. II. 787. b.
Gonorrhœa catarrhalis. II. 791. a.
Gonorrhœa Gallica seu virulenta & maligna. II. 419. b. Causæ ejus. II. 420. a. Pars affecta. II. 420. a. Diagnosis, Prognosis. II. 420. a. Cura. II. 420. a. b. & seq.
Gonorrhœa mulierum. II. 821. a.
Gonorrhœa notha. II. 791. a. Pars affecta. II. 791. b. Causæ. II. 791. b Diagnosis. *Ibid.* Prognosis, Cura. II. 792. a.
Gonorrhœa vera, ejus pars affecta, causæ. II. 787. b. Diagnosis, prognosis. II. 788. b. Cura. II. 788. b & seq.
Gonorrhœa virulenta cum tumore testis œdematoso. I. 918. b.
Camphoræ usus in gonorrhœa. III. 137. a.
Clysma in gonorrhœa maligna cum exulceratione glandis. III. 348. a.
Clysma in gonorrhœa benigna exulcerata. III. 348. a.
Aliud Clysma seu injectio in penem in Gonorrhœa Gallica seu maligna & virulenta. III. 594. a. I. 578. b.
Emulsiones ad gonorrhœam benignam. III. 563. b. I. 567. b. Ex cannabi. III. 25. b.
Pilulæ contra gonorrhœam virulentam, inveteratam. III. 544. a. III. 544. b. III. 545 b. I. 562. b.
Potiuncula præstantissima contra gonorrhœam. III. 71. a.
Pulvis contra gonorrhœam. III. 8. b.
Rutæ usus in gonorrhœa. III. 104. a.
Specifica contra gonorrhœam. III. 78. a.
Gossypium. III. 486. a.
Gradatoriæ aquæ. III. 475. a.
Græcorum Monarchiæ inchoatio. I. 445. a.
Gramen. III. 58. b. Cameli. III. 110. b.
Graminis radix. III. 480. a.
Grana Paradisi. II. 26 b. III. 497. a.
Granata malus. III. 58 b.
Granatus. III. 237. b. An Bohemici seu occidentales Indicis seu Orientalibus præstantiores. III. 238. a.
Granulatio. I. 356. a.
Gratiola. III. 167. a. Cœrulea. III. 120. a.
Gratiolæ conserva & ejus usus. I. 260. a. III. 428. b.
Gravativus dolor. II. 651. a. Cura. II. 654. b.
Gravedo. II. 600. b. Unde? I. 99. b.
Linimentum contra gravedinem. I. 579. b. III. 611. b. III. 612. a.
Gravida an sit fœmina, si habeat tumidum abdomen, *Δοκιμαστικὰ* III. 68. b
Imaginationum gravidarum vis. I. 65. b. Quomodo per imaginationem gravida fœtum signet. I. 59. b. Impressionis gravidarum exempla. I. 663. a.
Crassities uteri in gravidis unde. I. 135. a.
Gravidas ab hydropicis discernendi ratio. II. 387. b.
Gravidarum tempus gestationis. II. 875. a. II. 876. a. b.
Gravidæ quatenus ad enixum cogendæ & quando. II. 875. b. II. 882. a.
Gravidarum Regimen. II. 864. a. In morbis. II. 866. a. Diæta. II. 864. a Gravidis interdicta. II. 929. b. & seq.
Gravidarum symptomata. II. 867. a.
Cephalalgiæ, vigiliæ, deliria. II. 905. b.
Crurum tumor & inflatio. II. 874. a.
Diarrhœa. II. 869. a.
Dolor tensivus, fissuræ & rimæ abdominis. II. 873. a.
Hæmorrhagiæ. II. 871. a.
Hæmorrhoidum tumor. II. 874. b.
Hydrops pudendorum. II. 874. b.
Lumborum, coxendicum, pubis dolor. II. 869. b.
Nausea & ciborum fastidium. II. 868. a. Ejus causæ, ptognosis, cura. *Ibid.* b.
Odontalgia. II. 870. a.
Palpitatio cordis & syncope. II. 870. a.
Spasmus. II. 872 b.
Stranguria. II. 872. b.
Tussis. II. 870. b.
Varices. II. 874. b.
Ventris tormina. II. 868. b.
Vomitus. II. 867. a.
Urina suppressa. II. 862. a.
Ex utero immaturus aquarum effluxus. II. 873. a.
Gravidarum laxatio. III. 432. a.
Infusio in gravidis periculosa. I. 485. b.
Infessus pro gravida ad facilitandum partum. I. 575. a.
Opiata an gravidis conveniant. II. 866. b.
Purgatio. II. 866. b.
Venæsectionis ratio. II. 866. a.
Graviditatis signa. II. 853. a. II. 804. a. b. Tempus. I. 12. b.
Griseus color unde. I. 109. b.
Grumescentia sanguinis unde? II. 473. b. In hepatis inflammatione. I. 876. a. Ejus optimum corrigens sudor. I. 23. a.
Guajacum. III. 59. a. Ejus præstantia. III. 585. b. Germanorum. III. 55. a.
Guajaci ligni cum cortice usus diaphoreticus seu sudoriferus. I. 304. b. III. 441. a. Oleum. III. 441. b. 502. b.
Extractum & sal fixum &c. guajaci. III. 441. b.
Gummata quid? II. 426. a. Cura. *Ibid.*
Gallica. II. 988. b. Causæ, cura. II. 988. b. & seq.
Ad Gummata venerea emplastrum Clossæi. III. 362. a.
Gummi quid? III. 130. a. III. 502. a. Quomodo differat à resina. III. 151. a.
Unde gummata vim suam habeant. III. 151. b.
Gummata solventia menstrua. I. 353. a.
Gummi Arabicum. III. 508. a.
Gummi Gottæ. III. 176. b.
Gummi de Peru usus vomitorius. I. 260. a. Gummi de Peru rosatum. III. 176. b.
Gur, quid dicatur. III. 253. a.
Gustus quid? I. 11. a. I. 115. a. II. 682. a. Ejus objectum. I. 11. a.
Cum tactu ejus affinitas. I. 11 a. II. 649. a. Quatenus differat ab odoratu. I. 115. a. Unde. I. 115. a.
Ejus primarium organon. I. 116. a.
Quomodo fiat? I. 116 a.
Gustus læsiones. II. 682. a. Causæ, diagnosis, prognosis, cura. II. 682. a. b. & seq.
Gutta Gambodia, usus ejus & correctio. III. 427. a.
Gutta Jemou. III. 176. b.
Gutta rosacea quid? II. 470. a. Ejus Causæ, prognosis, cura. II. 570. a. b. III. 70. a.
Pilulæ contra guttam rosaceam contumacem. III. 544. b. I. 562. b.
Saturni usus in Gutta rosacea. I. 392. a.
Gutta Serena. II. 640. a. Causæ. *Ibid.* Diagnosis. II. 640. b. Prognosis. II. 641. a. Cura. II. 641. a. b.
Gutturis ad affectus aqua. III. 338. b.
Gypsi usus. III. 243. b.
Gyratio. II. 689. b.

H

Habitus animæ & corporis unde dependeant. I. 119. b.
Habitus practicus in Medicina ut obtineatur. I. 694. a.
Hæmatites. III. 248. b. III. 519. a. Usus ejus medicus. III. 248. b.

Præparationes. III. 248. b. 249. a.
Hæmatites artificialis ex facchare faturni. I. 592. a.
Hæmoptoes cura. II. 542. b.
Hæmoptyfis. II. 540 b. Confultatio de ea. I. 879. a.
Pars affecta, caufæ. II. 541. a. Differentiæ, diagnofis. II. 541. a. b. Prognofis. II. 542. a. Cura *Ibid.*
Hæmoptyfin periodicam & recidivantem præcaventia. I. 885. a. I. 881. a b.
Hæmorrhagia quid? II. 530. b Ejus caufæ. II. 530. b. Differentia ab aliis fanguinis motibus vitiatis. II. 472. b. Diagnofis. II. 532. a. Prognofis, cura. II 532. b. Cura chirurgica. II. 1006. b.
Electuarium in hæmorrhagia. III. 37. a.
Jafpidis virtus in hæmorrhagia. I. 397. b.
Martis Tincturæ ufus in hæmorrhagia. I. 360. a.
Millefolium ad quafcunque hæmorrhagias conducit. III. 78. a.
Miftura contra hæmorrhagias. III. 519. b.
Nectar adftringens in hæmorrhagia. III. 7 b.
Potio in quacunque hæmorrhagia. III. 561. a.
Pulveres in hæmorrhagia. III. 391. a. b.
Sanguinis transfufio an Hæmorrhagiæ obnoxiis conferat. I. 435. a.
Stercoris fuilli ufus in hæmorrhagia. I. 405. b. III. 203. a.
Ufnea hæmorrhagiam fiftens. I. 405. b.
Hæmorrhagiæ ex arteriotomia conveniens unguentum. III. 200. a.
Hæmorrhagiæ in febre petechiali cura. II. 316. a.
Hæmorrhagia gingivarum. II. 540. a.
Hæmorrhagiæ gravidarum. II. 871 a.
Hæmorrhagia narium. II 537. a. Ejus caufæ, diagnofis. II. 537. a. I. 190. b. Prognofis, Cura. II. 537. b.
Electuarium in hæmorrhagia narium habituali juniorum, ex hypochondriis &c. I. 561. a.
Frontale contra narium hæmorrhagiam. I. 565. a.
Hæmorrhagiæ narium in pefte cura. II. 342. b.
Hæmorrhagiam narium in variolantibus concitantia. III. 516. a.
Hæmorrhagiæ à partu difficili conveniens amuletum ex fabaria. III. 52. a.
Hæmorrhagiæ à fanguinis turgefcentia conducens epithema. III. 366. a.
Hæmorrhagia fcorbuticorum. II. 531. b. Ejus Cura. II. 459. a.
Hæmorrhagia uteri (confultatio.) I. 927. a.
Hæmorrhagia uteri ex mola, fœtu mortuo &c. I. 937. b.
Hæmorrhagia uteri in partu difficili cura. II. 889. a.
Decoctum adftringens in hæmorrhagia uteri ex vaforum laxitate III. 582. a. I 571. a.
Epithema contra hæmorrhagias uteri nimias. III. 568. b.
Injectio in uterum hæmorrhagiâ nimiâ affectum. I. 578. b.
Syrupus ex plantagine in hæmorrhagiis uterinis. III. 93. a.
Turturis ufus in nimia uteri hæmorrhagia. III. 210. b.
Hæmorrhoidalia vafa. II. 133. b.
Hæmorrhoides. II. 133. b. Earum differentia. II. 134. a. Pars affecta. II. 135. a. Caufæ. II. 135. a. Diagnofis, Prognofis. II. 135. b. Cura. II. 136. a.
Ex Afellis fpecificum contra hæmorrhoidalem dolorem. III. 218. b.
Chelidonii minoris vis in hæmorrhoidibus curandis. III. 34. a.
Fotus contra nimium hæmorrhoidum dolorem. III. 599. a.
Millefolium in quibufcunque Hæmorrhoidibus conducit. III. 78. a.
Miftura martialis contra nimium fluentes hæmorrhoides. I I. 559 b.
Sanguiforba excellit in hæmorrhoidum fluxu. III. 107. b.
Scrophulariæ ufus in hæmorrhoidum malis. III. 111. b.
Hæmorrhoides quomodo aperiantur. I. 746. b.
Apertæ in alvi obftructione. I. 720. b.
Hæmorrhoides cœcæ poft partum. II. 907. a.
Dolentes ex menfium naturali emanfione. I. 744. a.
In Hæmorrhoidibus cœcis fabariæ ufus. III. 511. b.
Hæmorrhoidibus cœcis conveniens fcarabæus ftercoreus. III. 518 b
Hæmorrhoidum exulceratio, ejufque cura II. 491. a.
Hæmorrhoidum tumor in gravidis. II. 874. b.
Halec, ejufque ufus medicus. III. 213. b.
Halicacabum. III. 9. b.
Halitus humanus, quatenus concurrit ad ufum medicum. III. 194. a.
Hamech electuarium feu confectio. III. 357. a.
Handal. III. 162. b.
Harmoniæ ratio. I. 10. b. II. 643. a.
Harmonicus & non-harmonicus fonus unde? I. 113 a.
Harveanum problema de fœtus in utero refpiratione. I. 632. a.
Hebetudo vifus. II. 630. b.
Hectica. II. 361. b.
Hectica Febris. II. 289. b. Signa pathognomonica, fymptomata, gradus tres, modus generationis, caufæ. II. 289 b. 290. a b. *& feq.*
Pars affecta. II. 290. a. Quomodo differat ab Hectica. II. 289. b. Diagnofis. II. 291. b. Prognofis. II. 291. b.
Cura, fi febris hæc fit fymptomatica. II. 292. a. Si morbus primarius. II. 292. a. Diæta. II. 293. b.
Amygdalata & pineata Hecticis non profunt. III. 419. b.
Antihecticum Poterii. I. 308. b. I. 367. b. III. 461. b.
Aqua ex fanguine vituli & porcellorum ad hecticam. III. 338. b.
Cochleæ ufus in hectica. III. 192. a.
Lacticiniorum ufus in febribus hecticis. II. 294. a.
Maffa panis hecticis proficua. III. 542. a.
Pandalea in hecticis affectibus conducunt. III. 541. b.
Hectica poft febrim lentam. I. 831. b.
Hectica marafmodes. II. 289. b.
Hectica conjuncta phthifi. I. 859. a.
Hedera, ejus folia, baccæ. III. 515. b. Vfus vulnerarius. III. 516. a.
Arborea. III. 60. b.
Terreftris ejufque ufus. I. 251. a. I. 296. b. III. 60. a. III. 485. a.
Hedyfarum. III. 60. b.
Helenæ raptus. I. 445. a.
Helenium. III. 61. a. Ejus ufus pectoralis. I. 250. a.
Ejus radicis ufus diaphoreticus feu fudoriferus. I. 305. b.
Decoctum radicis helenii. II. 155. b.
Heliotropium. III. 61 b.
Helleboraftri cingulum. II. 815. b.
Helleboratum oxymel. III. 428. a.
Helleborinum decoctum. I. 570. b.
Helleborifmus. II. 765. a. b.
Helleborus (vid. *Elleborus*.)
Albus virulentus, ejus vis & ufus vomitorius. I. 260. a. III. 428. a. b. III. 433. b. II. 12. a. Albi correctio. III. 433. b.
Nigri vis purgatoria & utendi modus. I. 277. b. III. 426. a. II. 20. a.
Helmontius diligenter legendus, quomodo, & qui tractatus ejus. II. 29. b. *& feq.*
Hemicrania. II. 663. a. Ejus caufæ. II. 663. a. b. *& feq.* Cura. II. 673. b.
Epithema in hemicrania. I. 565. a.
Linimentum contra hemicraniam, odontalgiæ junctam. I. 580. a.
Hemiplegia, Hemiplexia. II. 715. a. 729. b. Eft fpecies apoplexiæ, non paralyfeos. II. 732. a.
Hepatis ftructura & materialis compofitio. I. 92. a. Ligamenta. *Ibid.* Officium & ufus. I. 9. a. I. 92. a. b.
Hepar non fanguificat. I. 7. b. II. 164. a. b. Caret fenfu. II. 649. a.
Hepatica, quomodo operentur. I. 247. b. Hepatica fingularia. III. 26. a.
Amara hepati dicata. II. 4. a.
Cichorii ufus hepaticus. III. 36. a. b.
Nodulus hepaticus. III. 495. b.
Pulvis hepaticus. III. 511. a. Refrigerans. III. 515. a.
Drefdenfis. III. 466. b. Rubeus. III. 323. a. III. 527. b.
Rhabarbarum anima hepatis. III. 43. a. III. 167. b. III. 170 b.
Hepatis læfiones & cura. II. 547. b.
Hepaticus fluxus. II. 132. a. Caufæ. *Ibid.* Diagnofis, Prognofis, Cura. II. 132. b.
Hepatis inflammatio & abfceffus. II. 506. b. Caufæ, diagnofis. II. 506. a. Prognofis. II. 507. b. Cura. II. 507. b. *& feq.*
Hepatis inflammatio, quomodo differat à pleuritide. II. 497. b. 506. b. (vid. *Hepatitis*.)
Hepar laborare intemperie calida, quid? III. 36. b.
Hepatis obftructio & curandi ratio. II. 173. a b.
Hepar uteri. I. 134. a.
Hepatitis feu hepatis inflammatio cum febre fymptomatica. I. 875. b.
Julepus in hepatitide. III. 567. a.
Hepatitis peftilentialis. II. 329. a.
Heraclinum oleum. III. 42. a. III. 441. b.
Herbarum confideratio & notitia generalis. III. 1. b. 2. a. b. 3. a. b.
Herba ftrictè dicta quæ. III. 3. a.
Herbæ fæpè degenerant in frutices, quare? III. 3. a.
Collectionis herbarum tempora & modus Paracelfi. III. 55. a. b.
Herbarum quintuplex claffis. III. 2. a. b.
Herbarum aromaticarum deftillatio quando inftituenda. III. 497. b.
Herbarium quomodo concinnandum. III. 3. b.
Hercules Bovii. III. 286. b. III. 439. a.
Hereditariorum morborum ratio. I. 411. a.
Hermaphroditicum fal. III. 311. b.

Hermodactylus & eius insignis usus. III. 167. b. Veterum. III. 167. b. III. 426. b.
Hernia quid? II. 158. a. II. 1022. a. Pars affecta. II. 158. b. Divisio. II. 158. b. & seq. Causæ. II. 159. a. Diagnosis. II. 159. b. Prognosis. 159. b.
In Herniis non sola intestina, sed & omentum posse ad inguen, imò in scrotum descendere. I. 773. a.
Hernias concomitantia symptomata unde? I. 773. a.
Cura. II. 160. a. III. 517. b.
Cautelæ circa eam. II. 160. a.
Herniosis frigus nocet. I. 773. b. I. 777. a.
Decoctum contra herniam. III. 581. b.
Emplastrum pro herniosis. III. 360. a. 361. a. III. 614.
Fotus pro scroto intestinis repleto in hernia. III. 600. b.
Nasturtii usus in Hernia. III. 81. a.
Lacerti contra hernias laudati. III. 221. a.
Mistura vulneraria in hernia ex casu ab alto. III. 559. b.
Perfoliatæ usus in herniis. III. 89. a.
Symphyti mucilago herniosis proficua. III. 119. a.
Hernia carnosa. II. 785. b.
Herniæ infantum. II. 944. b.
Hernia inguinalis. I. 770. a.
Herniæ aquosæ cura. II. 784. b.
Herniæ testium. II. 783. a. & b.
Hernia varicosa. II. 787. a. Diagnosis, prognosis, cura. II. 787. a.
Hernia umbilicalis juncta dolori hypochondriaco. I. 758. a.
Herniaria. III. 61. b. III. 516. a.
Herpes exedens. II. 466. b. Miliaris quid? II. 466. b. Lapathi usus in herpetibus. II. 468. a. Epithema ad herpetes exedentes. I. 565. b.
Hieræpicræ electuarium Galeni simplex. III. 357. a. Compositum. III. 357. b.
Hieracium. III. 61. b.
Hilaritatem conciliare Borraginem. III. 22. b.
Hippocampi pedes. I. 102. b.
Hippocrates unde scientiam medicam hauserit. I. 27. b. Ejus Medicina Chymica. I. 486. a. Hippocraticæ Medicinæ restaurator Galenus. I. 28. a.
Hippoglossum. III. 129. b.
Hippolapathum. III. 480. b.
Hippomanes. III. 487. b.
Hippopotamus. III. 193. b.
Hircini sanguinis usus diaphoreticus seu sudoriferus. I. 307. b. III. 448. b.
Hircorum fœtor. I. 933. a.
Hirudinaria. III. 84. b.
Hirudo, ejus in Medicina usus. I. 228. a. III. 221. a. Præparandi applicandique modus. I. 228. a. III. 221. a. I. 746. a.
Signa prognostica ex hirudinibus applicatis. I. 190. b.
Hirundinaria. III. 33. a.
Hirundo, ejusque usus medicinalis & præparata. III. 209. a. b.
Hirundinum vita media resurgens. II. 352. b.
Aquæ hirundinum tres. III. 500. a. Aqua hirundinum cum castoreo. III. 338. b.
Cataplasma de nido hirundinum Mynsichti. III. 345. b.
Lapilli hirundinum. III. 503. a.
Usti hirundines. III. 344. b.
Stercus hirundinum. III. 487. a.
Hispidula. III. 19. a. III. 61. b.
Homo & partes ejus, quatenus concurrunt ad usum medicinalem. III. 194. a. Hominum multiplicatio per geniturani. II. 777. a.
Homunculus Paracelsi. I. 407. a. III. 197. a.
Horæi fructus sunt salia neutra mixta. I. 725. a.
Hordeum. III. 62. a. Hordei aqua. III. 512. a. Ptisanæ ex hordeo excorticato apud veteres. III. 18. a.
Hordeatum quid? ejus præscribendi, præparandique modus. III. 584. b. I. 572. a. I. 558. a.
Horminum. III. 62. b. III. 498. b.
Horror in febribus. I. 812. a. I. 827. b.
Huso. III. 213. b.
Hilp quale animal. II. 745. b.
Humano ex corpore desumpta remedia an peculiarem habeant prærogativam præ aliis remediis congeneribus ex aliis animalibus desumptis. III. 199. a. b.
Humanum stercus. III. 487. a. Corium. III. 487. b. (Vid. *Homo*.)
Humectantia quæ. I. 239. b.
Humidum quid? I. 11. a. I. 117. a.
Humida remedia quæ? II. 3. a. III. 483. a.
Humida intemperies. I. 334. b.
Humidum nervinum corrigentia. I. 252. a.
Humidum radicale, quid de eo statuendum. I. 57. a.
Humorum quaternio absurdus. I. 16. a.
Domina luna. I. 781. a.
Vitia in excretis ex quatuor causis oriuntur. I. 173. a.
Humores degenerant vel in quanto vel quali. I. 141. b.
Humorosarum partium vitia corrigendi ratio. I. 219. a. & seq.
Humorum quantitatem imminuendi ratio. I. 219. a.
Humorum qualitates in quali peccantes corrigendi ratio. I. 233. a.
Humorum interceptiones & repulsiones impossibiles. I. 20. a.
Humor aqueus oculi, ejusque vitia. II. 636. b.
Humorum orgasmus. I. 526. a. Ejus causæ. I. 526. b. In quibus affectibus contingat. I. 527. a.
Ei opponuntur præcipitantia. I. 527. a. b.
Hungaricus morbus (vid. *Febris Castrensis*.)
Scordii usus in morbo Hungarico. III. 111. a.
Hyacinthus. III. 238. a.
Hyberno tempore an remissior calor noster vitalis. I. 819. b.
Hydatites viscerum. II. 605. a.
Hydrocele. II. 385. b. II. 603. b. II. 783. b. Ejus causæ. II. 783. b.
Diagnosis, prognosis, cura. II. 783. b. & seq.
Hydrocele infantum quomodo differat ab Hernia. II. 944. b. 945. a.
Hydrocephalus. II. 385. b. II. 603. b. II. 608. b. Causæ ejus, diagnosis, prognosis, cura. II. 609. a. b.
Hydromel, Hydromelita. III. 217. a. III. 509. b. I. 572. a. I. 558. b.
Hydromel non vinosum simplex & medicatum quid sint, & quomodo differant. III. 583. b.
Hydrophobia. II. 768. a. 768. b. Cura. II. 770. b. & seq.
Hydropiper. III. 89. b.
Hydrops, ejus etymon. II. 603. b. Hydropis nomine quid veniat. II. 385. b. II. 603. b. Hydropis variæ appellationes à partibus, quas præ aliis occupat, ejusque divisio. II. 385. b. Hydrops quomodo contingat ejusque causæ. II. 379. b. I. 410. a.
Absinthii usus in hydrope. III. 5. a. b.
Bolus purgans in hydrope. III. 532. b. & 533. a.
Columbini stercoris usus in hydrope. III. 207. b.
Crystalli lunæ hydropicorum aquas educentes. I. 396. a. b.
Crystalli Jovis laxantes in hydrope mulierum. I. 393. a. b.
Destillatum contra hydropem. III. 125. a.
Emplastrum contra hydropem. III. 608. b. Cataplasma Augustanorum. III. 361. a.
Mistura evacuans in hydrope. III. 557. a.
Oxymel appropriatam purgandi vim obtinens in hydrope. III. 584. a.
Pilulæ hydropicæ. III. 544. a. I. 562. b.
Pulvis diureticus in hydrope. III. 529. a.
Sal volatile bufonum Antihydropicum. III. 405. a.
Sal diureticum in hydrope. III. 397. a.
Sambuci radicis vis purgandi hydropicos. III. 2. a.
Hydrops ex cachexia imminens. I. 868. a.
Ad hydropem inclinans cachexia scabiosa. I. 861. b.
Hydrops per colliquefactionem II. 608. b.
Hydrops post febres acutas unde. I. 834. a.
Hydrops particularis. II. 604. a. b. Ejus causæ. II. 604. a.
Cataplasma contra Hydropes particulares. I. 577. a.
Hydrops pudendorum. II. 857. a. In gravidis. II. 874. b.
Hydrops scorbuticus, ejusque cura. II. 460. b.
Hydrops siccus. II. 606. b. 608. b.
Hydropes subitanei unde. II. 388. b.
Hydrops universalis. II. 385. b. II. 604. a. Eius causæ. II. 386. a.
Symptomata. II. 387. a. b. Diagnosis & Prognosis. II. 389. b.
Cura ratione primæ & secundæ indicationis. II. 390. a. b. & seq. II. 397. b. & seq.
Curæ extraordinariæ, magneticæ. II. 397. b. 400. a.
Symptomatum curæ. II. 397. b. & seq.
Hydropis in affectu *umbilici* & *sciotiapertio*. II. 395. a. b. 396. a. Vesicæ & vesicatoria. II. 396. a. Cauteria. II. 396. a. Ligaturæ expulsivæ. II. 396. b.
Hydrops uteri. II. 855. b. Causæ ejus. *Ibid.* Diagnosis. II. 856. a. Prognosis. II. 856. b. Cura. II. 856. b.
Hydrops vteri tubæ dextræ. II. 857. a.
Hydrosaccharum. III. 508. a.
Hydrotica famosiora. I. 572. b.
Hygiene. I. 1. b. I. 17. a. I. 193. a. I. 196. a. Ejus fundamentum. I. 18. a. Partes ministræ. I. 1. b.
Ad Hygienen facultatum Hippocraticarum applicatio. I. 491. a.
Hymen. II. 825. a.
Hyoides. I. 116. b.
Hyoscyamus. III. 62. b. Ejus usus. I. 323. b. III. 506. b. An venenosus. I. 456. a. Ejus corrigendi modus. II. 28. b.
Emplastrum de hyoscyamo. III. 501. b.
Hypercatharseos cura. II. 103. b. 108. a.
Essentia in hypercatharsi. III. 147. b.
Panis usus in hypercatharsi. III. 512. a.
Convulsio ex hypercatharsi. II. 712. a.

Hypericum. III. 63. b. III. 515. b. Ejus insignis usus vulnerarius. I. 337. b. III. 515. b. Præparata. III. 515. b. Extractum. III. 501. a.

Hypnoticum Balsamum. III. 509. b. Emulsio hypnotica. III. 563. b. I. 567. a.

Hypochondriacum malum qualis morbus. II. 427. b. I. 592. a. I. 646. a. Ejus varia appellatio. I. 646. a. Ejus Historia. I. 593. a. II. 427. b.

Subjectum & pars affecta. I. 593. b. I. 646. b.

Causæ materiales & formales. I. 595. a. II. 429. b. I. 647. a. b.

Differentia. I. 648. b.

Signa diagnostica & prognostica. I. 595. a. II. 433. b. 434. a. I. 648. b.

Symptomata. II. 428. a. b. Symptomatum causæ. II. 431. a.

An ex splene originem ducat. III. 478. b. An veteribus cognitum. I. 646. b.

In viris respondet passioni hystericæ mulierum. II. 836. a. b. Hypochondriaci cur melancholici. II. 615. b. Hoc malo raro laborant Chinenses, cur? III. 120. b.

Cura. I. 595. b. II. 435. a. I. 648. b. *& seq.* II. 437. a.

Cura hypochondriacorum desperatorum. II. 444. a.

Symptomatum cura. II. 448. b.

Anti-Hypochondriaca specifica. I. 246. a. III. 478. b. II. 444. b.

Formulæ anti-hypochondriacæ. II. 171. b. *& seq.*

Formula pro scopo alterativo & diaphoretico in malo hypochondriaco. III. 454. a.

Hypochondriacæ affectioni obviandum infusione. I. 480. b.

Cerevisia medicata anti-hypochondriaca. I. 570. a. III. 579. a.

Digestiva anti-hypochondriaca. II. 438. a. b.

Electuarium anti-hypochondriacum. III. 127. a. III. 535. b. I. 560. b. Laxativum. III. 537. b.

Infusum passulatum laxativum pro hypochondriacis. III. 577. a. I. 569. b.

Mars alexipharmacum hypochondriacorum. III. 388. b.

Mellis usus in malo hypochondriaco. III. 217. a.

Nasturtii vis anti hypochondriaca. III. 81. a.

Panes medicati ad malum hypochondriacum. III. 122. b.

Passulæ laxativæ pro hypochondriacis. III. 439. b. *& seq.*

Pilulæ usuales contra affectus hypochondriacos. III. 545. a.

Aliæ contra eundem affectum. III. 385. b. III. 543. a. I. 562. b.

Potus medicatus hypochondriacis hauriendus. I. 570. b.

Potio digestiva præmittenda purgationi in affectibus hypochondriacis. III. 558. b. I. 564. b.

Pulvis absorbens hypochondriacum acidum. III. 515. a.

Pulvis laxativus anti-hypochondriacus. III. 528. a. I. 559. a.

Salis ammoniaci usus in malo hypochondriaco. I. 344. b.

Saturni usus in affectu hoc. I. 391. b.

Sinapi usus in malo hypochondriaco. III. 114. b.

Tartari usus in malo hoc. III. 466. b.

Vinum anti-hypochondriacum. III. 579. b.

Hypochondriorum in æstu Bolus alterans. III. 533. a.

Hypochondriaca Colica cum dolore ileos. I. 750. b.

Hypochondriacus dolor. II. 142. b.

Formula in hypochondriaco dolore. III. 133. a.

Hypochondriorum infantium distensio. II. 936. b. 939. a. Cum Hernia umbilicali. I. 758. a.

Mistura laxativa in dolore hypochondriaco. III. 557. a. & b.

Hypochondriorum inflatio in infantibus unde? I. 501. b. Cura. I. 509. b.

Hypochondriorum obstructio. II. 165. b. *& seq.*

Hypochondriaco-scorbuticæ affectioni mulieris conveniens Potio purgans. III. 557. a.

Hypochondriaca suffocatio. II. 834. b.

Hypochondriaco-splenetica suffocatio. I. 925. a.

Hypochondriorum tactus sensilior. I. 834. b.

Hypocistis. III. 140. b. III. 516. b.

Hypoglossum. III. 129. b.

Hypopium. II. 636. a.

Hyssopus. III. 64. b. III. 485. b. Ejus summitates. III. 485. b. Usus pectoralis. I. 250. b.

Hysterica passio (*vid. Passio hysterica*) II. 834. b. Ejus cum epilepsia connexio. II. 702. a. b. In hysterica passione spasmos & motus convulsivos intestinorum esse obvios. I. 773. a.

Hystericæ passiones mulierum sunt quasi excedens Colica virorum. III. 13. b. I. 764. a.

Hysterica pathemata optimè omnium curantur per sudores. I. 773. b.

Hysterico paroxysmo medetur Infusio. I. 480. b.

Hystericam passionem recidivantem præcaventia. I. 776. a. 778. a.

Hysterica specifica. III. 496. b. III. 503. a.

Aqua hysterica. III. 338. b.

Clyster fortiter stimulans in passione hysterica graviore. I. 577. b.

Electuarium Hystericum. III. 354. b.

Elixyr hystericum. III. 358. a. III. 498. b.

Emplastrum ad passionem hystericam. III. 614. b. I. 580. b.

Extractum hystericum. III. 370. a.

Hormini usus anti-hystericus. III. 498. b.

Laudanum hystericum Conerdingii. III. 147. a.

Mistura contra passionem hystericam. III. 505. a. III. 561. b.

Nodulus laxans & alterans pro mulierum passionibus hystericis &c. III. 575. b.

Pilulæ anti-hystericæ. III. 420. b. 498. b. 509. b. Pilulæ usuales. III. 545. a.

Pulvis sternutatorius in hysterica passione gravi ad excitandam mulierem. III. 531. b.

Stercus equinum pro usu anti-hysterico. I. 405. b.

Hysterica passio juncta Bubonocele. I. 770. a. 775. a.

Hystericæ passiones puerperarum. II. 904. b.

Hysterica passio virorum. II. 836. a. b.

Hysterica suffocatio. I. 925. a.

Clysma in suffocatione Hysterica. III. 592. a.

Emplastrum in suffocatione hysterica. III. 502. a.

Pilulæ laxantes in suffocatione hysterica. III. 544. a.

Hysteritis. II. 603. b.

I.

Jacea. III. 65. a.

Jacobæa. III. 65. a.

Jalappa, Jalappium. III. 168. a. Ejus usus purgatorius. I. 278. b. II. 17. b. Modus utendi. III. 425. a. Locus natalis. III. 425. a. Magisterium Jalappæ. III. 425. a.

Jasminum. III. 65. b. III. 508. a.

Jaspis. III. 238. a.

Ibiscus. III. 10. b.

Ichthyocolla, ejusque præparatio & usus. III. 213. b.

Icteritia alba. II. 831. a.

Icterus flavus, niger, albus. II. 400. a. Ejus causæ. II. 400. b. Lethalis. II. 400. b. *& seq.* Pars affecta, Diagnosis. II. 405. a. Prognosis. II. 405. a. b. Cura ordinaria. II. 405. b. Magnetica. II. 410. a.

Ictericis an conferat sanguinis transfusio. I. 432. b.

Ictero an opponenda infusio. I. 483. b. *& seq.*

Anti-ictericum specificum Michaelis. III. 476. b.

Contra icterum flavum remedium. III. 572. b.

Anserinæ usus in ictero flavo. III. 14. b.

Anserinum stercus specificum contra icterum. III. 207. a.

Balneum in ictero. I. 575. a.

Crocus egregium simplex in ictero. III. 43. a.

Curcumæ usus in ictero. III. 44. b.

Decoctum in ictero. III. 54. b. In ictero flavo. III. 582. a. Contra icterum & anorexiam. III. 30. a.

Nodulus contra icterum flavum. III. 576. a.

Pediculi experimentum in curando ictero. III. 222. b.

Pilulæ Lotichii in ictero convenientes. III. 221. b.

Pulvis anti-ictericus Tilemanni. III. 202. a. Ex aquilegia in ictero flavo. III. 15. b.

Rubiæ usus in ictero flavo. III. 103. a.

Ictum animalis venenati consequens convulsio. II. 712. a.

Ideæ spiritibus vitalibus impressæ. I. 59. b.

Ideæ quid? I. 662. b. Sunt triplices. I. 663. a.

Ideæ quomodo in cerebro seu mente formentur. I. 120. b. *& seq.* I. 10. a.

Ideæ Archei dispositiones turbantes. I. 410. b.

Idearum imaginativarum medela. I. 668. b.

Ideæ morbosæ. I. 140. b.

Idearum peregrinarum communicatarum cura. I. 668. b.

Ideæ præternaturales deliriorum causa. I. 417. a.

Ideæ seminales. I. 121. a. I. 651. b. Earum cura vix promittenda. I. 668. b.

Idealis Helmontii hypothesis. I. 19. a. 158. b. *& seq.*

Idealis morborum cura Helmontij. I. 24. b.

Idealem per modum operantia remedia. I. 324. b. *& seq.*

Idiosyncrasiæ individuorum certæ. I. 144. a. I. 694. a.

Jectigatio corporis malum signum. I. 198. a.

Jejuni cellulæ. I. 738. a.

Jelseminum Peruvianum. II. 17. b.

Jesuitarum pulvis. III. 57. a.

Igniculi oculis obversantes. II. 690. a.

Ignis natura. I. 2. b. I. 35. b. Non est distinctum quid ab aliis corporibus. I. 2. b. Viget in flamma. I. 2. b. Ejus effectus. I. 2. b. An etiam ignis concurrat ad compositionem mistorum. II. 4. b. Varias formas attribuit rebus, quæ sub ejus tortura. III. 154. a. Nil potest in totum consumere, si res comburenda sit in loco clauso. I. 61. b.

Ignis vis solutiva. III. 368. a.

Ignis in Chymia primarius artifex. III. 344. a. Ejus legitima admi-

administratio in Chymia. III. 344. a.
Ignis animalis I. 6. a.
Ignis noster usualis quid? I. 2. b. II. 4. b.
Ignis sacer. II. 466. b.
Ignis solaris, & quivis cœlestis ex sulphure resoluto constare dicitur. I. 2. b. II. 4. b. & seq.
Ignitio. I. 356. b. Ignitionis medium. I. 2. b.
Ignitum subjectum. I. 2. b.
Ileos, qualis morbus & unde. I. 753. a.
Ileos imminens in alvi obstructione. I. 720. b.
Iliaca passio. II. 94. a. Pars affecta. II. 94. b. Causæ. II. 95. a. Diagnosis, prognosis. II. 96. a. b. Quinque ejus gradus. II. 96. b. Cura. II. 96. b.
Iliacæ passionis ab hernia, ulcere, inflammatione, gangræna &c. cura. II. 99. b. 100 a.
Iliaca passio scorbutica. II 452. a.
Iliacus dolor. II. 142. b. Cum colico dolore sine ægri noxa confundi potest. I. 763. a.
Ileos dolor junctus colicæ hypochondriacæ. I. 750. b.
Ἴλιγγος. II. 689. b.
Imaginatio. I. 118. b. I. 427. a. Dependere dicuntur imaginationes ex stomacho. II. 615. b. Quomodo imaginationes concipiantur. I. 10. a. Imaginationis mirandæ vires tam in statu sano, quàm morboso. I. 324. a Imaginationis vis in gravidis. I. 133. b. & seq. Imaginationis gravidarum exempla. I. 663. a.
Imaginativarum idearum medela. I. 668. b.
Imbecillitas virium. I. 320. a.
Immutatio corporum. I. 3. a.
Imperatoria & ejus radicis vis carminativa. I. 242. a. III. 65. a.
Impetigini medetur oleum tritici. III. 122. b.
Implantatio in cura magnetica. I. 318. b.
Impositio in cura magnetica. I. 328. b.
Impotentia virilis. II. 793. a. Ejus causæ. II. 794. a.
Diagnosis, prognosis, cura. II. 795. a.
Coturnicis usus in impotentia virili. III. 207 b.
Decoctum & suffimigium ad lavandum membrum virile à venefica ligatum. III. 15. b.
Imprægnatio non præcisè præsupponit feminis immissionem. I. 126. a.
Imprægnationis signa. II. 853. a.
Imprægnatio lactentibus noxia. II. 930. b.
Impressionis gravidarum exempla. I. 663. a.
Inappetentia. II. 31. a. Subjectum ejus & causæ. Ibid. Diagnosis, prognosis. II. 32. b. Cura. Ibid. & seq.
Incantationum morbi. I. 162. b.
Incantatio noviter nuptorum. II. 794. b. Cura. II. 796. a. b.
Incantatio infantum, curaque ejus. III. 518. a.
Incarnativa ligatura. II. 999. b.
Incendio delendo inservire sanguinem menstruum. III. 195. a.
Incidentia. II. 3. b. III. 478. b. Incidentium scopus purgatorius, cum formulis. III. 428. b.
Incineratio & calcinatio differunt. I. 356. a. Vegetabilium quomodo instituenda. III. 344. a.
Inclinatio. I. 329. a.
Incrassantia. I. 239. b. III. 483. b. III. 508. a. b. II. 3. b. Pectoralia, I. 249. a. Incrassantium quoad operandi modum differentia. I. 249. a.
Incrementum morbi, vid. Augmentum.
Incubus seu ephialtes quid? II. 196. a. Causæ. II. 196. a. b. Divisio in accidentalem & habitualem seu continuum. II. 196. b. Ordinariè dormientibus obvenit; sæpè etiam vigilantibus. II. 196. a. 197. a. b. Quinam illi potissimùm obnoxii, & unde mador & maculæ. II. 197. b. Incubus Epidemicus. II. 197. b. Diagnosis, prognosis, cura. II. 197. b.
Historia incubi ad epilepticos magis, quàm paralyticos affectus referendi. II. 198. b.
Incubus asthmati stomachali junctus. I. 782. b. Cura. I. 784. a.
Anisi seminis & olei usus ad præcavendum incubum. III. 14. a.
Emulsio in Incubo. III. 93. b.
Indicans quid? I. 201. b.
Indicatio morborum quid? I. 19. a. I. 200. b. I. 585. a. Est conservatoria, ablatoria, &c. I. 200. b. Ejus fundamentum. I. 200. b.
Indicationem determinantes circumstantiæ. I. 201. b.
Indicatum quid? I. 200. b.
Individuorum idiosyncrasia. I. 694. a.
Inescatio in cura magnetica. I. 328. b.
Infans cur in utero & extra uterum, dum membranis adhuc integris est opertus, per aliquot horas citra suffocationis periculum superstes sit; secundinis autem exutus, si semel aerem intra pulmones attraxerit, ne momentum quidem postea sine eo vivere possit? II. 926. a.
Inter infantes & bruta, quà cognitionem, nulla est differentia. II. 688. b. & seq.
Infantile valetudinarium. I. 494. a.
Infantum regimen. II. 925. a.
Infantum sanitas quomodo conservetur. I. 194. b.
Morbi infantum præcipui. II. 928. a. & seq. II. 932. a. I. 495. a. b. II. 925. a.
Morborum infantilium origo & duo fontes. I. 18. a. I. 496. a. II. 926. a.
In omnibus affectibus infantum semper ad lumbricos respiciendum. II. 952 a. b.
Præservatio & curatio morborum infantilium. I. 507. a. II. 933. b.
Infantibus convenientia Remedia præcipua. I. 18. a. I. 508. a b.
Infantes decipiendi modus, ut medicinam assumant. III. 98. a.
Cibus infantum. II. 928. a. & seq. 932. a.
Excreta infantum naturalia. I. 496. b.
Febres infantum. II 966. b.
Impuritates gestationis tempore collectas ab infante eijcientia. II. 925. a.
Incantatorum infantum cura. III. 518. a.
Infusio in infantibus tenellis difficilis est, imò inutilis. I. 486. a.
Laxandis pro infantibus vix datur melius anisi semine. III. 14. a. Pulvis infantem laxans. III. 528. b.
Rotulæ infantiles laxativæ. III. 378. b.
Nutritio infantum. I. 495. a.
Occisi aut in utero mortui infantis δοκιμασία per pulmonum examen. I. 8. b. I. 86. b.
Potus infantum. II. 928. a. & seq. 932 a.
Purgandi quomodo sint infantes. I. 508. b. Panes martii purgantes pro fallendis infantibus. III. 542. a. Spinæ infectoriæ usus in purgatione infantum. III. 172 b.
Purpurâ cur infantes nostrates recens nati tertio aut quarto à partu die affligantur. II. 926. b.
Infectionis ratio ab odore. I. 933. a. b.
Inflammatio (vid. Phlogosis) quomodo oriatur. I. 332. a. b. II. 472. b. I. 434. b. 410. a. Causæ. II. 473. a. I. 872. b. Quomodo differat ab aliis sanguinis motibus vitiatis. II. 472. a. b.
Divisio. II 475. a Symptomata. II 473. a. Diagnosis, prognosis. II. 475. a. b. Inflammationem an concipere possit sanguis sero destitutus. I. 873. a.
Cura. II. 475 b. I. 872 b. 873. b.
Cataplasma emolliens & suppurans inflammationes. I. 576. a.
Decoctum polychrestum ad inflammationes. I. 574. a.
Salis ammoniaci usus in inflammationibus. I. 344. b.
Sanguinis transfusio an prosit in inflammationibus. I. 434. b.
Unguentum in inflammationibus. III. 194. b.
Inflammatio ani (vid. Antinflammatio.)
Inflammationum dolor quotuplex. II. 473 a.
Inflammatio faucium exacta. II. 479. a. Notha sive non exacta. II. 479 a.
Inflammatis faucibus, tonsillis, applicabilia remedia externa quò dirigenda. II. 482. a.
Inflammationes in vel post febres &c. ut curandæ. III. 120. a.
Inflammationes in febribus acutis quatenus infusione curandæ. I. 484. b.
Gangrænæ in metu decoctum polychrestum ad inflammationem. III. 590. a.
Luxationis in casu arcens inflammationes emplastrum. III. 517. a. b.
Mammarum inflammatio. II. 920. b.
Partium externarum inflammatio. II. 975. b.
Pleuræ, pancreatis &c. inflammatio, vid. suo loco.
Sanguinis ex stagnatione inflammationes. I. 412. b.
Ex Spina &c. inflammatio. I. 872. b.
Tonsillarum inflammatio II. 478. a. & seq.
Uteri Inflammatio. II. 850. a. Post partum. II. 906. b.
Vulnerum inflammatio. II. 1009. a. Inhibetur alsines usu. III. 10. b.
Inflatio corporis subitanea. I. 677. a.
Crurum in gravidis. II. 874. a.
Hypochondriorum infantum. II. 939. a.
Stomachi. I. 712. b. II. 64 b.
Ventriculi contra inflationem rotulæ. I. 561. b.
Uteri. I. 854 a.
Infundibulum. I. 103. b.
Infusa quid sint? III. 572. b. & seq.
Infusorum & decoctorum differentia. I. 568. a.
Ingredientia & formulæ. III. 572. b. & seq. III. 351. a. b.
Ingredientium ordo & quantitas purgantium infundendorum. III. 351. b. Infusa ingredientium paucitas commendat. III. 574. a.
Infusorum & decoctorum usus. III. 351. a. Usus externus. I. 573. b.

Infusa præscribendi modus. I. 568. a. Observatio pro parandis infusis. I I. 368. a.
Quid pro infusorum gratia & efficacia addendum? III. 574. a.
Infusa vina. I. 569 a. b. & seq.
Infusionum ratio. III. 335. b. 373. a. Quibus rebus competant. III. 335. b. I. I. 577. a. b. & seq.
Infusiones chirurgicæ choleram causantes. I. 732. b.
Infusoriæ chirurgiæ exempla. III. 433. a. (vid. Chirurgia infusoria.)
Ingeniorum varietas unde? I. 105. b. I. 119. b. I. 164. a. II. 614. a. b.
Ingenium constituentia. I. 119. b.
Ingenium acuentia. II. 742. b.
Ingluvies avium. I. 68. a.
Ingredientium medicinalium ratio. III. 522. a. Ingredientia in compositione ad quatuor puncta dirigenda. I. 555. b. In ingredientibus quæ fugienda. III. 524. a Ingredientium basis, juvantia seu stimulantia, corrigentia, & formulam constituentia. III. 523. b.
Inguinalis affectus specialis. I. 894. b.
Inguinalis Hernia. I. 770. a.
Injectiones (vid. Clysmata.)
Injectionum ratio. I. 558. b. 577. a.
Injectiones in cavitates præternaturales. III. 598. b.
Injectionum in os, ratio. III. 371. a.
Injectiones in penem, vesicam &c. II. 421. b. III. 347. b.
Injectiones per siphonem, metrenchytem, catheterem. I. 578. b.
Injectiones in ulcera. II. 1014. b.
Insecta, eorumque utilitas in Medicina. III. 216. a.
Constant sale volatili penetrantiori sale animalium perfectorum. I. 404. b.
Eorum producta chymica. I. 404. b.
Eorum vita media resurgens per hyemem. II. 352. b.
Inseminatio in cura magnetica. I. 328. a. b.
Insessus quid? ejus usus & præscribendi modus. III. 603. b. I. 558. b.
Insipidum quot modis peccet. I. 16. a. Illud corrigentia. I. 16. a.
Insipida aqua. I 3. a.
Insomnia (vid. Somnia.)
Insomnia ex marte, hulonis pelle. II. 745. b.
Insomnia febrilia. I 812. a.
In insomniis olei anisi usus. III. 14. a.
Inspiratio. I. 617. a. Quomodo contingat. I. 8. I. b. & seq.
Ejus necessitas. I. 9. a. Inspirationis pulmonum usus. I. 88. a. b. 89. a. b
Inspiratio læsa. II. 175. b.
Instrumentum Glauberianum, Rhumelii. III. 404. a. I. 934. b.
Intellectio & sensus animales interni in nobis semper conjuncti. I. 11. b. II. 688. a.
Intellectualis cognitio. I. 5. b. Præsupponit spirituum animalium exercitium. I. 11. b.
Intellectus operationes quomodo lædantur. II. 613. b.
Intelligentia. I. 118. b.
Intemperantia otiosa Medicorum nutrix. I. 15. a.
Intemperies sine materia est non-ens. I. 410. a.
Intemperiei duplex qualitas. I. 150. b. Habitualis. I. 151. a. Partium solidarum. I. 151 b. Vitalis. I. 151. b. I. 13. b.
Intemperiem calidam corrigentia. I. 329. b.
Intemperies elementalis. I. 13. b.
Intemperiei frigidæ ratio & curatio. I. 334. a. b.
Intemperiei humidæ & siccæ ratio & curatio. I. 153. a. b. I. 334 b.
Intemperies morbi. I. 13. b. Sunt parvi momenti. I. 410. a.
Intemperies viscerum. I. 152. a. Particularis. I. 152. a. b. Universalis. I. 152. a. Inæqualis stomachi quid? I. 152. a.
Interceptio sanguinis & aliorum humorum impossibilis. I. 20. a.
Intercostalis nervi mirabilis structura. I. 763. b.
Intertrigo infantum. II. 942. a. Contra intertriginem infantum pulvis ex corrosione abietum. III. 4. b.
Intertriginis ortus. I. 507. a. Cura. I. 512. b.
Pulvis ad intertriginem. I. 559 b. Pulvis externus in Intertrigine. III. 531. a.
Intestinorum divisio in tenuia & crassa. I. 74. b. Tenuium terminus. I. 74. b. Crassorum terminus. Ibid.
Intestini unius in alterum descensus. II. 95. b.
Intestinorum contenta præternaturalia. II. 140. a.
Contentorum in intestinis expulsio læsa. II. 88. a.
Diagnosis, prognosis, Cura. II. 90. a. b. 91. a. b. & seq.
Dolores intestinorum II. 142. a.
Dolor intestinalis lumbaris. II. 143. b.
In Doloribus intestinalibus an prius dolor sistendus opiatis, an verò causa materialis peccans removenda per evacuantia. I. 753. b. & seq.
Inflammatio intestinorum, eius causæ, diagnosis. II. 489. b. Prognosis. II. 490. a. Cura. Ibid.
Levitas intestinorum. II. 113. b.
Motus intestinorum peristalticus seu lumbricalis, cur ita dictus. I. 76. b.
In Morbis intestinorum Menthæ usus. III. 76. a.
Remediorum intestinalium ratio. I. 240. b.
Situs intestinorum mutatus. II. 158. a.
Tormina intestinorum formaliter consistunt in motu eorum convulsivo. I. 773. b.
Solamen intestinorum anisum. III. 14. a.
Intumescentia corporis subitanea. I. 677. a.
Intumescentia uteri. II. 854. a.
Invertentia. I. 533. b.
Inviscantia. I. 239. b.
Inunctionum ratio. I. 579. a. Quotuplices sint, quæ earum ingredientia & præparandi modus. III. 610. a. b. & seq. Vsus earum. I. 581. a. b.
S. Joannis Baptistæ festo collectæ artemisiæ usus. II. 706. a.
Jojakim quando captivus abductus. I. 445. a.
Ira qualis affectus & ejus motus. I. 119. a. Iræ & amoris affectus validiores. I. 461. a.
Iræ noxa. I 169. a.
Ira quatenus conducit. I. 169. b.
Ex ira febris continua ardens benigna. I. 805. b.
Iracundiæ vis in movendis contentis corporis nostri. I. 809. a.
Iracundiæ nutricum noxa. II. 390. a.
Ireos radicis succus ejusque usus. III. 427. b.
Iris. III. 65. b. Florentina. III. 486. a. Nostras, ejusque vis purgans. I. 279. b.
Irrigatio quid? III. 570. b.
Irroatio in cura magnetica. I. 328. b.
Isatis. III. 66. a.
Ischiadicum malum qualis dolor. II. 651. b. II. 674. a.
Ejus symptomata. II. 674. a. b. Prognosis. II. 676. a.
Cura. II. 679. b.
Balneum in dolore ischiadico. III. 128. a.
Emplastrum contra dolorem ischiadicum. III. 614. b. I. 581. a.
Formicarum usus in malo ischiadico. III. 512. b.
Ischuria quid? quotuplex? II. 550. a.
Formula in ischuria. I. 298. b.
Mistura conveniens in ischuria. III. 71. a.
Parietariæ usus in ischuria. III. 88. a.
Salis ammoniaci usus in ischuria. I. 344. a.
Ischuriæ Renalis causæ. II. 550. a. Diagnosis. II. 551. b. Prognosis. II. 551. b. Cura. II. 552. a. b. & seq.
Ischuriæ vesicalis causæ. II. 575. b. Diagnosis. III. 577. a. Prognosis, Cura. II. 577. b.
Israelitarum ex Ægypto eductio quando contigerit. I. 444. b.
Israelitas quando Nebucadnezar captivos abduxerit. I. 445. a.
Iudaicus lapis. III. 349. a. III. 476. b.
Iudicium magis an memoria in Medico requiratur. I. 1. a. I. 18. b. I. 197. a.
Juglans. III. 66. a.
Juglandis cortex ejusque usus vomitorius. I. 260. a.
Juglandis putamina & præparata inde. III. 441. b.
Jujubæ. III. 67. a. III. 507. b.
Jujubini syrupi. III. 507. b.
Julepi qui dicantur. III. 565. a. III. 374. a.
Julepi cur & quomodo parandi. III. 374. a. I. 566. b.
Juleporum inventores. I. 566. b.
Juleporum ingredientia. III. 565. a.
Juleporum usus, color, sapor, odor, &c. I. 566. b.
Juleporum formulæ. III. 565. a. b. 566. a. b. & seq.
Julepi extemporanei officinarum. III. 374. b.
Julepus citratus. III. 566. b.
Julepi ex confervis, item per modum infusi magistralis. I. 566. b. & 567. a.
Iuncus Cyperoides. III. 67. a.
Iuncus odoratus. I I. 110. b.
Iuniperus. III. 67. a. Ejus virtus & usus. III. 441. a. I. 296. b.
Præparata ex junipero. III. 444. a.
Baccarum juniperi usus. III. 444. a.
Cinis sarmentorum juniperi. III. 344. b.
Gummi juniperinum. III. 502. b.
Ligni juniperini virtus & usus. I 305. a. III. 586. b.
Maluaticum juniperinum. I. 299. a.
Rob juniperi & ejus usus. I. 242. a. III. 444. a.
Iupiter quale metallum. I. 393 a. III. 279. b.
In Iove est adhuc aliquod ens auri. I. 377. b.
Iupiter cur tam facile fluat. I. 391. b.
Iovis usus & duæ virtutes. III. 280. a. I. 393. a.
Ex Iove præparata. III. 280. a. b. III. 461. a. b. I. 393. a. b.
Diaphoretica Iovialia. III. 461. a.

Granulatio Jovis &c. I. 393. a. III. 277. b.
Lapis Jovis. III. 254. a.
Minera Jovis. III. 254. a.
Juſculum conſummatum ſeu reſtaurans. III. 588. b. Juſcula talia parandi modus & uſus. III. 589. a.
Juſcula medicata. I. 558. a.
Juvantia. III. 523. b.
Juvencularum Zenith III. 487. b.
Juveniles vires an poſſint reparari. I. 428. b.
Juventus inducta ente primo Meliſſæ. III. 75. b.

K.

KAli herba Ægyptica. I. 41. a. I. 343. a.
Keyri. III. 35. a.
Κιρσοκήλη. II. 787. a.

L.

LAbiorum muſculi. I. 66. b.
Labiorum pudendi fiſſuræ poſt partum difficilem. II. 906. a.
Laudanum Dodonæi. III. 160. b.
Labyrinthus auris. I. 112. b.
Lac. I. 50. a. Lac quomodo generetur. II. 914. a. Non generatur ex ſanguine, ſed chylo, vel materia chyloſa. I. 78. b. II. 165. a. I. 7. b. III. 183. b.
Amuletum mercuriale ad lac generandum. III. 283. b.
Lac procreant flores ſambuci. III. 2. a.
Lactis partes & uſus. III. 183. b. III. 509. b. I. 4. b. Quæ in uſu & diæta lactis obſervanda. III. 184. a.
Lac laudabile quodnam. II. 925. b.
Lac nutrimentum quale. I. 166. a. b. I. 680. b. & ſeq.
Lac infantum nutrimentum naturaliſſimum. II. 925. b. 928. a.
Lactis infantibus præbendi conſtitutio. II. 927. b. Quando præbendum infantibus. I. 195. a.
An loco lactis aliud nutrimentum conveniat infantibus. I. 498. a. I. 928. b.
Lac matris quare infantes omnes non æque ferre poſſint. I. 496. a.
Lac quomodo corrumpatur. I. 195. a. Quomodo lac infuſum aceti vel mulctræ cœco odore corrumpatur. I. 433. a. b.
Lac in mammis depravatum. II. 918. a.
Lactis correctio. I. 195. a. III. 14. a.
Lactis defectus ejuſque cauſæ. II. 915. a. Diagnoſis, Prognoſis, Cura. II. 915. b.
Lac auget anethum & ſemen cardui Mariæ. III. 13. a. Pulvis pro lacte augmentando. III. 227. b.
Aniſi uſus pro augmentando lacte. III. 14. a.
Lactis abundantia, cauſæ ejus, diagnoſis, prognoſis. II. 916. b. Cura. II. 917. a. Ad lactis abundantiam coercendam fomentum ex Apio &c. III. 15. b.
Lactis coercendi & impediendi remedium. III. 10. b. In lactis coercendo proventu alſines uſus. III. 10. b.
Exhauſto lacte e mammis omnia mala infantibus incumbentia iisdem adhærent in utero ab alimento chyloſo. II. 925. b.
Lac præcipitantia & ejus congrumeſcentiam impedientia. I. 354. b.
Lactis coagulatio maximum ejus vitium. III. 14. a. Unde. I. 941. b. Lac facile coagulant vulnerariorum ſucci. III. 9. b.
Lactis coagulatio in caſeum apud veteres ut facta. III. 53. a.
Lactis coagulatio in mammis. II. 918. a. Ejus cauſæ, Diagnoſis. II. 918. a. Prognoſis, Cura. II. 918. b.
Lactis coagulum reſolventia. I. 942. a. Mentha experta contra lactis coagulationem. III. 76. a.
Lactis color naturalis. I. 733. a.
Ad conſiſtentiam lactis carvi uſus. III. 28. a.
Lactis equini præparandi modus apud Tartaros. I. 492. a.
Lactis humani uſus. III. 194. b. III. 503. a.
Lac infantum, mulierum non prægnantium nec puerperarum, virorum. I. 825. b.
Lac an ſignum deflorationis infallibile. III. 825. b.
Lac muliebre ſtimulat ad venerem. II. 293. b.
Lactis vis incraſſans pectoralis. I. 249. b.
Lactis vitia. II. 928. a. II. 914. a. Exitioſa infantibus. I. 194. b. Cura. II. 931. a. Iis ut obex ponendus. I. 942. a.
Lactis nutricum examen. II. 925. b. Vitia. I. 497. b. Quomodo corrigendum. I. 507. b.
Lac Lunæ ejuſque uſus. III. 160. a. III. 227. b.
Lac virginis, aureum; quid? ejus compoſitio & uſus. III. 340. b. III. 491. a. III. 514. b. II. 468. b.
Lacca. III. 140. b. Ejus uſus medicus. III. 141. a. Ejus Tinctura. III. 480. b. Florentina quid? & quomodo fiat. I. 355. a.
Lacertus ejuſque uſus. III. 221. a.
Lacertarum oleum, ejus uſus & parandi ratio. III. 221. a. III. 518. b.
Lachrymæ. I. 98. b. Lachrymarum fluxus unde. II. 603. b. Effluxus nimius. II. 603. b.
Lachryma Chriſti. III. 68. a.
Lachrymalis Caruncula. I. 110. b.
Ductus lachrymalis. I. 69. a.
Fiſtulæ lacrymalis Cura. II. 1017. b.
Puncta lacrymalia. I. 110. b.
Lactatio infantis fiat mammâ utrâque. II. 925. b.
Lactandus infans ab ipſa matre. I. 925. b.
Lactantibus interdicta. II. 929. b. & ſeq.
Lactatio læſa. II. 924. a.
Lactantium vitia. II. 914. a.
Lactantium abſceſſus. II. 919. b.
Lactare quando proprios infantes non debeant matres. II. 926. a. b. Cur matres cacochymicæ, ſcorbuticæ, quos in utero geſtarunt feliciter, & optime aluerunt, facta excluſione citra periculum lactare nequeant. II. 926. a. b.
Lactea cruſta infantum. II. 956. b. Ejus origo. I. 503. a.
Lactea Diæta. III. 588. a. I. 572. b.
Lactea febris. II. 909. a. I. 940. a.
Lacteæ mixturæ. I. 567. a. b.
Lactea vaſa. I. 7. b. A quo & quando inventa. I. 76. b.
Vaſorum lacteorum obſtructio. II. 166. a. Apud infantes. II. 965. a.
Lacticinis omnibus præripiunt palmam beccabungæ folia inciſa, aut ſuccus eorum cum lacte vel ſero lactis expreſſus. III. 13. a.
Lacticiniorum uſus in febribus hecticis. II. 293. b. & ſeq.
In ſcorbuto & malo hypochondriaco. II. 437. b.
In tabe & phthiſi. II. 366. a.
Lactuca. III. 68. a.
Lactucæ ſucci uſus refrigeratorius. I. 233. b.
Lactucæ ſeminis uſus. I. 363. a.
Lactumina infantum. II. 956. b. Lactuminum cura. I. 510. b. & ſeq.
Ladanum, ejus effectus & virtutes. III. 141. a.
Ladani pilulæ. III. 502. b.
Lævigationes cui uſui. III. 415. b.
Lagopus. III. 68. a.
Lamia. III. 129. a.
Lampſana. III. 116. b.
Lancinans & quaſi lacerans dolor. II. 651. b.
Languor univerſalis. I. 733. a.
Lanugo perlata. III. 288. a.
Lapathum. III. 68. a. Acutum ſeu majus. III. 518. a.
Lapilli in bobus. III. 183. b.
Cancrorum, eorumque generatio & virtus. III. 212. a. Uſus. III. 212. a. Uſurpandi modus. III. 212. b.
In homine, brutiſve quomodo generentur. III. 187. a.
Lapidis vox plurium ſignificationum. III. 374. b.
Lapidum natura. III. 234. b. Triplex differentia. III. 234. b.
Lapidum perſpicuorum & opacorum fundamenta. III. 235. a.
An lapides illi ex ſola aqua geniti. III. 236. a.
Lapidum uſus medicus. III. 236. a.
In lapidibus ſolvendis aceti ex melle uſus. III. 217. b.
Lapidis medulla II. 582. a.
Lapidum Syrupi. III. 236. b.
Lapidibus facta percuſſio. II. 976. b.
Lapis animalis. III. 197 b. 196. b. III. 374. b.
Armeni lapidis vis purgans. III. 440. a.
Buttleri. I. 360. b. III. 460. b.
Calaminaris, ejuſque vis purgans. III. 440. a.
Chelidonii. III. 209. b.
Cotroſivi lapides. III. 374. b.
Ignis Baſilii Valentini. III. 423. b.
Infernalis ejuſque præparatio & uſus. I. 396. a. III. 267. a. III. 374. b. III. 477. b.
Medicamentoſus, ejus præparatio & uſus. III. 374. b. III. 519. a. b. In ulcerum gangræna. III. 490. b.
Mercurialis. III. 196. b.
Lapis Philoſophicus, quid de eo ſentiendum, & an dabilis, aut unquam datus. I. 354. a. II. 257. a.
Lapis philoſophicus ubi quærendus. I. 393. b.
Dicitur Tinctura. I. 372. b. Ejus compoſitio innuitur illo: *Solve & coagula*. I. 352. a. Ejus compoſitio quædam irrita. I. 352. b. An in vitriolo lateat. I. 358. b. Veterum de eo ſententia. II. 436. b. Ejus vis eſt ex ſulphure. III. 494. b. Lapis Philoſophicus Italorum. III. 439. a. Ex aqua pluviali vel rore. III. 233. b. 234. b. (vid. *Tinctura Philoſophica*.)
Lapis Prunellæ. III. 312. a.
Lapis ſciſſilis. III. 253. b.
Lapis vegetabilis, animalis, quid dicatur. III. 374. b.
Lappa. III. 19. b.
Lardi uſus medicus. III. 203. a.
Larix. III. 68. b. Laricis Reſina. III. 148. b.
Laryngotomia. II. 486. a.
Larynx III. 111. b. Laryngis muſculi. III. 112. a.
Laſſitudo in febre artuum unde. I. 814. a. b. 827. a.

Latex aquosus in sanguine & ejus usus. I. 9. a. I. 412 b.
Lathyris. III. 68. b. Lathyris minor. III. 162. b. Lathyridis usus. III. 427. b.
Lavamenta. I. 577. a.
Laudanum. III. 506. b. Opiatum, hystericum Conerdingii. I. 348. a. II. 28. b.
Lavendulæ usus. III. 500. a. Acetum. I. I. 335. a.
Laureola. III. 169. b.
Laurus. III. 68. b. Ejus usus & præparata. III. 498. a. De baccis lauri electuarium. III. 354. b. Emplastrum. III. 361. a.
Laxatio. I. 262. b.
Laxari qui non possunt, quomodo movendi. III. 429. a. (vid. *Purgatio*.)
Laxativis utendi modus & tempus. III. 430. b.
Laxantia quæ? vis eorum & scopus. III. 430. b.
Apozema laxans in forma liquida. III. 431. a.
Bolus laxativus. III. 533. a.
Cataplasma laxativum. I. I. 345. b.
Claretum laxatiuum pro sene. I. 570. a.
Conserva violarum Timæi laxativa. III. 125. b.
Decocta laxantia. III. 431. b. Decoctum alterans & laxans. I. 571. b.
Electuarium laxativum benedictum. III. 357. a. Ex prunis. III. 96. b.
Infusum laxativum polychrestum. III. 576. b.
Morsuli laxativi pro delicatulis. I. I. 378. a.
Oxymel diureticum laxativum. III. 584. a.
Passulæ laxativæ. III. 357. b. Pro delicatioribus & hypochondriacis. III. 429. b. *& seq.* Laxativum passulatum Timæi. III. 127. a.
Pruni laxativi Timæi. III. 96. b.
Pulveres laxativi. III. 528. a. Pro infantibus. III. 528. b.
Unguenta laxantia. III. 412. a. b.
Lazuli lapis. III. 249. b. III. 463. b. Ejus vis purgans. III. 440. a. Præparata. III. 249. b.
Lenientia. I. 239. b. III. 483. b. III. 505. b. 508. b.
Lens palustris. III. 69. a. Sativa. *Ibid.*
Lentigines quid? II. 469. a. Pars affecta. *Ibid.* Causæ, Prognosis, Cura. *Ibid.*
Mistura in Lentiginibus. III. 568. b.
Lentiscus. III. 69. a.
Lepræ descriptio. II. 465. a. Causæ ejus, Diagnosis, II. 465. a. Prognosis, Cura. II. 465. b. *& seq.*
Lepræ cura per pulverem viperinum. III. 451. a.
Leprosis an conducat sanguinis transfusio. I. 439. a.
Lepus & partes ejus, quid conferant ad Medicinam. III. 199. b.
Leporis martii oculus. III. 487. b.
Leporis tali. III. 453. b.
Leporini sanguinis usus. III. 453. b.
Lethargus. II. 622. b. Ejus causæ. II. 623. a. Quomodo à Caro differat. II. 624. b. Ejus Diagnosis, Prognosis. II. 624. a. b. Cura. II. 625. a.
Enema contra Lethargum. III. 97. b.
Spiritus viridis æris usus in lethargo. I. 391. a.
Leucoium. III. 35. a.
Leucoma quid? II. 634. a. Cura ejus. *Ibid.* b.
Leucomoriæ populi. II. 352. b.
Leucophlegmatia. II. 379. a. II. 603. b. Ejus Cura. II. 384. b.
Leucophlegmatiæ ex potu cura. II. 385. a.
In leucophlegmatia insignis usus absinthii. III. 5. b.
Leve sive glabrum quid.? I. 117. b.
Levisticum. II. 69. a.
Libanotis. III. 69 b.
Libidinis venereæ sedes. II. 826. b.
Libidinem arcens salix. III. 105. b.
Libidinem sedat agnus castus. III. 8. b.
Lichen. III. 69. b.
Lichenum equorum usus. III. 503. a.
Lichenibus apta remedia. II. 463. b.
Lichenes Gallici eorumque cura. II. 427. a. (vid. *Serpigo*.)
Lienis ratio & quidditas. I. 9. a. II. 545. a. b. Structura & corpus, situs, figura &c. I. 90. a. Usus & officium. I. 9. a. II. 545. b. I. 90. a. b. Non omnia animalia lienem habent. I. 90. a. An homini, ut aliis animalibus tutò queat exscindi. I. 90. b.
Observationes de liene. I. 90. a b. *& seq.*
Lienis affectus. II. 545. a.
Lienis conformatio læsa. II. 547. a
Lienis inflammatio. II. 509. b. Causa ejus, diagnosis, Prognosis, Cura. II. 509. b.
Lienis intemperies vitata, ejusque cura. II. 546. a.
Lienis obstructio & curandi ratio. II. 173. a.
Lienis tumor & scirrhus. II. 547. a.
Lienis scirrhi & tumores ob lactis & casei usum nimium. II. 401. b.
Decoctum in scirrho lienis. III. 53. a.
Emplastra ad scirrhos & tumores lienis. II. 173. b. III. 410. a.
Lienteria. II. 113. b. Pars affecta, causæ *Ibid.* Diagnosis, prognosis, cura. II. 114. a. b.
Ligamentum quid? I. 51. a.
Ligamenti incisi cura. II. 1007. a. b.
Ligaturæ expulsivæ in hydrope. II. 396. b.
Ligatura incarnativa seu agglutinativa. II. 999. b.
Ligna eorumque producta pharmacevtica & chymica. III. 2. a. I. 403. a.
Omnia ligna sunt sudorifera. I. 403. b.
Lignis exoticis substituta nostratia. I. 572. b.
Lignorum decocta cui usui? III. 441. a.
Lignorum decocta propinandi modus. II. 369. b.
Lignorum surculos ex vulneribus extrahendi ratio. II. 999. b.
Lignum colubrinum. III. 40. b.
Lignum Heraclinum Rulandi. III. 41. b.
Lignum petrefactum. III. 253. a.
Lignum sanctum. III. 59. a.
Ligustrum. III. 69. b.
Lilium. III. 70. a.
Liliorum alborum usus & præparata. III. 508. b.
Liliorum alborum antheræ. III. 484. b.
Lilium convallium ejusque præparata. III. 70. a. III. 500. a.
Limacum liquor. III. 509. b.
Limonia mala. III. 71. a. III. 510. b.
Limonium maritimum majus. III. 20. a.
Limpida aqua. I. 3. a.
Linaria ejusque usus. III. 71. a. III. 508. b.
Linctus quid? III. 420. b.
Lingua, ejus structura & musculi. I. 10. b. I. 116. a. b. *& seq.* Signa prognostica ex lingua. I. 191. b.
Linguæ in ariditate Gargarismus. III. 96. a.
Linguæ contra siccitatem, fissuram & duritiem aquæ ligustri usus. III. 69. b.
Linguarum confusio quo tempore contigerit. I. 444. b.
Linguæ infantum vitia. II. 945. b.
Linguæ paralysis, affectus apoplecticus, eorumque cura. II. 684. a. b. *& seq.*
Linguâ peregrinâ loquentes delirantes; quid habendnm de iis. II. 764. b.
Linguæ sauciatæ in epilepsia cura. II. 710. b.
Lingua avis. III. 55. a.
Lingua cervina. III. 110. b.
Linimentorum ratio. III. 409. a. I. 579. b. Corpus. III. 409. a. Usus. III. 615. a. In eorum compositione & præscriptione observanda. III. 615. a.
Linimentorum formulæ & variæ species. III. 411. a. b. III. 611. a. b. *& seq.*
Linimentum Rondeletii contra pruritum. II. 464. b.
Linteamina incombustibilia ex Amiantho. III. 243. b. *& seq.*
Linum & ejus usus. III. 71. b. III. 509. a.
Lipothymia, Syncope & virium prostratio differunt saltem gradualiter. II. 352. a. Lipothymia qualis affectus. II. 352. a. II. 697. b. Causæ. II. 352. b. I. 765. a. Diagnosis, prognosis, cura. II. 354. b. 355. a. *& seq.*
Lipothymiæ differentia ab Epilepsia. II. 702. a.
Salis ammoniaci in lipothymia subitanea usus. I. 344. b.
Vehicula remediorum in lipothymia. II. 357. a.
Lipothymiæ ex Evacuationibus quibusvis cura. II. 357. b.
Lipothymiæ puerperarum. II. 904. b.
Lipothymiæ in scorbuto cura. II. 457. a.
Lipothymiæ accedens vertigo. II. 690. b.
Lippitudo. II 516. a. 517. a. 593. b.
Infusum ad lippitudinem. III. 580. b. I. 574. a.
Lipyria. II 265. b. Cura. II. 281. a.
Liquidambra. III. 141. b.
Liquorum per deliquium ratio. III. 375. a.
Liquor Martis solaris. I 390. a.
Liquor stypticus Schrœderi. III. 494. a.
Liquores vinosi, eosque parandi modus. III. 217. a.
Literati generosiora ferre nequeunt. III. 503. b.
Lithargyrium. III. 307. a. III. 514. a. Ejus usus & præparata. III. 307. a. b.
Lithiasis. II. 554. b. Quomodo fiat. II. 556. a. Est hæreditaria. II. 556. b.
Lithodonti cura. II. 52. b.
Lithontriptica. III. 477. b. II. 564. a. b. *& seq.*
Liquores lithontriptici. III. 375. b.
Lithospermon. III 78. a.
Livor in ulceribus quid signet. II. 1012. a.
Livoris faciei cura. II. 635. b. *& seq.*
Lixivia. III. 332. b.
Lixivia menstrua. I. 353. b. III. 368. a.

Lixivii scoriatum reguli antimonij usus. I. 367. a.
Lixivium calcis vivæ. III. 477. a.
Lixiviosum sal. I. 4. a.
Localia. I. 584. b.
Lochiorum fluxus. I. 136. b.
Lochia unde. II. 875. a. Tempus. *Ibid.* b. Fluxus eorum quomodo procurandus. II. 876. a. 892. b.
Lochiorum vitia. II. 895. a. Color varius. II. 895. b.
Non ritè fluentium cura. II. 892. b.
Lochiorum retentio seu suppressio, ejus causæ, diagnosis, prognosis, cura. II. 895. b. 896. a. b. *& seq.* Symptomatum cura. II. 897. b.
Lochia promoventia. II. 888. a.
Fotus ad promovenda lochia. III. 599. a. I. 574. b.
Pessus pro stimulandis lochiis. III. 77. a.
Sacculi contra sanguinem in utero grumosum ex lochiorum suppressione. III. 601. b.
Spiritus secundinæ humanæ lochia suppressa promovens. I. 405. b.
Lochiorum retentio cum urinæ suppressione & doloribus post partum. I. 935. b.
Lochiorum per loca aliena excretio. II. 902. a.
Lochiorum fluxus nimius. II. 899. a. Ejus causæ. II. 899. a. Diagnosis, prognosis. II. 899. b. Cura. II. 815. b. II. 900. a.
Lodus humanus. III. 247. a.
Lohoch, seu Looch, ratio, scopus & usus. III. 352. b. III. 420. b.
Longævum quò magis est animal, eò tardiùs se ad generationem accingit. I. 423. a.
Loquelæ ratio, vid. *Sermo*, *Vox*.
Loquelæ vitium (*das Schnarren*) unde. I. 112. a.
Loquela amissa. II. 200. b. Ejus ab aphonia differentia. II. 683. a. Cura. II. 683. b. *& seq.*
Gargarismus in loquela amissa post paroxysmum apoplecticum. III. 596. a. I. 578. a.
Loquelæ difficilis in sene cura. II. 685. a.
Lotio. I. 558. b. 575. a. I. 610. a. (vid. *Balneum*.)
Lotionum capitis præparatio, usus, formulæ. III. 604. b. *& seq.*
Lotio remediorum quatenus laudanda. III. 415. a.
Lotus. III. 72. a.
Lucius, piscis. III. 487. a. b. Ejus usus medicus & præparata. III. 213. b. 214. a. II. 307. a. Pinguedo. III. 504. a. Mandibulus. III. 453. b.
Lucubrationum noxa. II. 430. b.
Ludovicianus fluxus. II. 420. a.
Ludus Helmontii. III. 476. b. III. 247. b.
Ludi Paracelsi oleum. III. 247. a.
Lues Gallica, vid. *Venerea lues*.
Lujula. III. 7. a.
Lumbaris dolor multiplex. II. 143. a. 225. b. I. 753. a.
Gravidarum. II. 869. b.
Signa prognostica ex lumborum dolore. I. 190. b.
Potus medicatus in lumborum phlogosi. I. 570. b.
Lumbricorum generatio. I. 404. b.
Lumbricorum terrestrium usus. I. 298. a. I. 221. a. I. 252. b.
Colligendi modus. III. 221. a.
Præparata. III. 221. b. I. 404. b.
Salis eorum volatilis usus. I. 405. a.
Lumbricorum humanorum usus. I. I. 503. a.
Lumbricorum intestinalium differentia triplex. II. 140. a. Causæ. II. 140. b. Diagnosis, prognosis. II. 141. a. I. 190. a. Agyrtarum impostura in generandis lumbricis intestinalibus. III. 108. b. 222. a. Cura. II. 141. b.
Allium lumbricis admodum infestum. III. 10. a.
Aqua Hermetica contra lumbricos. III. 283. a.
Bolus laxativus contra lumbricos. III. 532. a.
Cataplasma pro ejiciendis lumbricis. III. 89. a.
Linimentum contra lumbricos. III. 612. a. b. I. 580. a.
Liquor lumbricorum. III. 375. a.
Morsuli anthelmintici & rotulæ ex Mercurio dulci contra lumbricos. II. 419. b.
Pulvis contra lumbricos. III. 520. a.
Tanaceti usus in expellendis lumbricis. III. 119. b.
Lumbrici infantum. II. 952. a. II. 964. b. Vnde? I. 502. a. Cura. I. 510. b.
Oleum contra lumbricos infantum. III. 611. a. b.
Lumen quid? II. 630. a. I. 10. a. I. 108. b. *& seq.* Ejus reflexio & refractio. I. 109. a. Lumen & radii luminares sunt corpus materiale. I. 108. b. Est ignis effectus. I. 2. b.
An lumen, quo objectum illuminatur, sit externum, an internum seu connatum. I. 110. a.
Luna cornea. I. 396. a.
Radii lunares an calidi, an frigidi. I. 163. b.
Lunæ vis in sublunaria & in morbis. I. 163. b.
Lunæ vis in epilepticis. II. 615. b.
Lunæ consensus cum cerebro & nervis. II. 615. b.
Luna magis afficit facultatem animalem, quàm Sol. II. 615. b.
Sub Lunæ incremento turgescere mamam sanguineam, &c. I. 781. a.
Lunæ stationes ægrotorum ephemerides. II. 615. b. Quatenus luna in quorundam morborum curatione attendenda. III. 210. b.
Luna, e. i. argentum. I. 396. a. III. 266. a. III. 273. b.
Participat de sole. I. 377. b. Rarò aut nunquam sine consortio cupri. III. 439. b. III. 463. b. Quomodo evadat in aurum. I. 377. b. I. 390. b. Quomodo à venere separanda. I. 396. a.
Vsus medicus. I. 396. a. III. 268. a. b. III. 273. b.
Præparata chymica. I. 395. b. III. 266. b. *& seq.* III. 463. b. *& seq.*
Extractiones lunæ. III. 275. b. Tinctura lunæ genuina non datur. III. 267. b. I. 396. b.
Salificatio &c. III. 275. b. III. 268. b. Præcipitatio, calcinatio &c. III. 267. a. b. Amalgamatio. I. 396. b. Reductio. I. 396. b.
Spiritus lunaris Clossæi. III. 268. b.
An detur verus Mercurius Lunæ. III. 268. b.
Luna capillaris artificialis. III. 266. b.
A veteribus vanâ hypothesi dicata capiti. III. 463. b.
Crystallorum lunæ usus vomitorius. III. 436. b.
Color sapphirinus lunæ. I. 390. b.
Minera lunæ alba. III. 253. a.
Lunatici. II. 622. b.
Lupia & ejus cura. II. 991. a.
Lupulus. III. 72. a. Ejus turiones sive juli. III. 481. a.
Lupus. III. 200. a. II. 987. a.
Lupi crepitus. III. 517. a.
Lupinum stercus. III. 487. a.
Lusciniæ vox tenuis & canora unde. I. 112. a.
Luteola. III. 72. b.
Lutheri syrupus. III. 18. a. III. 192. b.
Lux qui? unde. I. 5. a. I. 10. a. I. 36. a. I. 108. b. *& seq.* Est objectum visus. II. 630. a. Eam animalia in se possidere. I. 54. a.
Luxatio (vid. *Subluxatio*:) ejus causæ. II. 1022. a. 1023. a. Diagnosis. II. 1023. a. Prognosis, Cura. II. 1023. b. I. 944. a. *& seq.*
Luxationis in arthritide Prognosis. II. 676. a.
Luxatio articulorum eorumque convulsio. II. 712. a.
Luxatum os, maxilla. II. 1025. b.
In Luxatione vertebrarum emplastrum. III. 501. b.
Fotus humidus pro membro luxato. I. 574. b.
Unguentum in membris luxatis. III. 501. a.
Luxurians caro vulnerum. II. 1009. b.
Lychnis. III. 72. b.
Lycium. III. 141. b. III. 516. b.
Lympha quid? I. 412. b. II. 589. a. b. I. 97. b. *& seq.* Origo, vasa. I. 9. b. I. 97. b. Materia ex qua. I. 99. a. Motus. I. 99. b.
Ejus usus. II. 550. a. I. 9. b. In glandulis conglomeratis. I. 99. b.
Lymphæ differentia. I. 98. b. Quomodo saliva & lympha differat. I. 98. b.
Lymphæ color naturalis. I. 733. a.
Lymphæ prostatarum usus. I. 12. a.
Lymphæ in glandulis separatio & motus læsus. II. 589. a. b. 603. b.
Vitiosa generatio. II. 590. a.
Lymphæ vitiosa distributio. II. 590. b.
Lymphæ vitiosæ effectus. I. 99. b.
Lymphæ affectus corrigentia. I. 824. a.
Emulsio temperans lympham salsam, acrem. III. 562. b. Alia emulsio temperans lympham salsam, acrem, pectus affligentem cum nata inde febre symptomatica. I. 567. b.
Abietis usus in lympha acida. III. 4. a.
Lympha acrior, salsa, ad vitia pulmonis disponens decocto santali rubri correcta. III. 511. b.
Decoctum in affectibus capitis & pectoris catarrhalibus cum tumoribus glandularum faucium & colli, ex lymphæ motu & crasi vitiatis. I. 571. b.
Lymphæ pancreaticæ vitia. II. 87. b.
Lymphaticæ febres (vid. *Febris lymphatica*.) quot modis affligant. I. 827. a.
Lymphatica febris catarrhalis. I. 813. b.
Lymphatica vasa quando, à quibus inventa. I. 77. a. II. 164. b.
Lyncurius veterum. III. 250. a.
Lynx. III. 200. b.
Lyncis lapis. III. 250. a. III. 476. b.
Lysimachia. III. 51. a. III. 72. b.
Lysimachia galericulata flore cœruleo. III. 120. b.

M.

Maceratio an alicujus usus. III. 415. b.
Macies. II. 359. b.
Emaciantia Remedia. II. 377. a.
Macies infantum. II. 964. a.
Macis. III. 79. a.
Macrocosmi & microcosmi analogia. I. 377. b. I. 819. b. & seq.
Maculæ cutaneæ scorbuticæ. II. 451. a.
Maculæ hepaticæ, cur ita dicantur, quidque sint. II. 469. b. Causa earum & cura. II. 470. a.
Maculæ faciei unde? III. 70. a. Vnguentum contra faciei maculas. III. 69. a.
Macularum maternarum ratio & cura. II. 930. a. b.
Maculæ oculorum. II. 634. a. & seq. Infusum ad maculas oculorum. I. 574. a.
Maculæ ex peste, cum cura. II. 344. b.
Maculæ ex scabie, variolis &c. & Lotio manuum contra eas. III. 605. a.
Magica per remedia naturalia an status sanitatis absentis cognosci possit. I. 177. a.
Magisteriorum ratio & quidditas. III. 375. b. III. 416. a.
Constant duplici præparatione. III. 375. b.
Unde parentur. III. 376. a. III. 344. b.
Notanda circa hæc, & divisio. III. 376. a. b. & seq.
Præparandi modus. III. 416. b. & seq.
Magisteria trium regnorum ut fiant. I. 355. a.
Magisteria ex cornubus, ossibus, ungulis, quomodo faciliùs præparanda. III. 181. b. & seq.
Magisteria vegetabilium quomodo paranda. I. 354. b. & seq.
Magisteria plumacea. III. 481. b. & seq.
Magisteria cui usui. I. 355. b. Eorum usus & abusus in acutis. I. 834. b.
Magistralis compositio medicamentorum. III. 522. a. I. 555. b.
Magistralis pulvis alexipharmacus. III. 529. a. Dysentericus. *Ibid.* b.
Magnanimitatis aqua. III. 338. b.
Magnanimitatum concilians Maslach. III. 512. b.
Magnes. III. 250. a. III. 519. a. Ejus virtutes. III. 250. a. Insignis magnitudinis Florentiæ. *Ibid.* Ejus usus medicus. III. 250. b.
Magnes arsenicalis, ejus compositio & usus. I. 369. b. III. 374. b. III. 505. a.
Magnes in cura magnetica quid? I. 24. b. Quadruplicis differentiæ. I. 329. a. II. 1034. a. b.
Magnetica per media an absentis status sanitatis cognosci possit. I. 177. a.
Magneticæ actiones unde dependeant. I. 5. b.
Magneticæ curationes. I. 24. b. I. 323. b. Quomodo fiant. I. 328. a. Observanda circa eas. II. 1033. a. Earum fundamentum. I. 55. b. Transplantatio, quæ mediante magnete fit, est quintuplex. I. 328. a. b.
Curationes magnetico-magicas fieri sulphuris veneris usu. I. 390. b.
Magneticarum curarum vis. II. 774. a. b.
Magneticum emplastrum. III. 361. a.
Magnetismus quid? I. 327. a.
Magnetismus vitrioli. III. 320. a.
Magnetismus an possit induci ope chirurgiæ transfusoriæ. I. 428. b.
Magnitudo partium unde dimetienda. I. 676. a.
Majorana. III. 72. b. III. 500. a.
Majoranæ balsamum. III. 342. b.
Malabatrum. III. 73. a. III. 497. a.
Malacia quid? II. 37. b. Subjectum ejus. II. 37. b. Causæ. II. 38. a. Signa. II. 39. b. Cura. II. 39. b.
Malachites lapis. II. 489. a.
Malacticum. III. 501. a.
Maleficiati conjuges. II. 794. a. b. Eorum cura. II. 796. a. b.
Malignitas morborum quid? II. 297. a. b. I. 735. a. I. 16. b.
Malignitatis febrium diagnosis. I. 826. b.
In malignis quomodo procedendum. I. 21. a.
Morsuli præservativi in malignis. I. 562. a.
Malva. III. 73. a. III. 508. b.
Malva arborea. III. 73. b.
Malvæ conserva. III. 508. b.
Malvaticum juniperinum. I. 299. a.
Malvaticus potus ex sacchaio. III. 507. b.
Malum quid dicatur. I. 119. a.
Mammæ quando in fœminis turgescere incipiant. I. 129. a. II. 801. a.
Sunt lactis officina. II. 914. a.
Mammæ quando infans admovendus. II. 925. a.
Mammâ utrâque lactandus infans. II. 925. b.
Mammæ quatenus deflorationis suppeditent indicia. II. 825. b.
Mammarum vitia. II. 915. a.
Mammarum cancer. II. 923. a.
Mammarum dolor, induratio, tumor unde. I. 941. b. Cura. I. 942. a. b.
Mammarum erysipelas. II. 921. b.
Mamillarum in fissuris, ulceribus, sinubus olei momordicæ usus. III. 78. b. Ceræ item olei. III. 217. b.
Mammarum fistulæ. II. 920. b.
Mammarum inflammatio. II. 920. b. Contra mammarum inflammationem pennarum pavonis usus. III. 210. b.
Mammarum scirrhi. II. 922. a.
Mammarum scrophulæ seu strumæ. II. 922. b.
Mammarum sophisticatio. II. 826. a.
Decoctum pro mammis indurandis & pendulis. III. 9. b.
Cataplasma ad tumores mammarum. III. 51. b.
Mammillares processus. I. 11. a. I. 114. b.
Mandragora. III. 73. IIIb. 507. a. An venenosa. I. 456. a.
Mania quid? II. 746. b. 762. b. Ejus circumstantiæ, furor, robur, frigoris tolerantia &c. II. 762. b. Differentia maniacorum à phreniticis ac dæmoniacis. II. 764. b. Causæ. II. 763. a. Maniæ radix communis cum epilepsia. II. 700. b. & seq. Diagnosis. II. 764. a. Prognosis. II. 764. b. Cura. II. 765. a.
Maniacos curandi cardo in validis vomitoriis consistit, & quæ illa. III. 433. b.
Decoctum anagallidis ad manias. III. 12. b.
Camphoræ usus in mania. III. 137. a.
Pilulæ pro purgandis humoribus melancholicis in mania. II. 543. b. & seq.
Maniacos curatos esse sanguine asini &c. III. 12. b.
Maniacis an conducat sanguinis transfusio. I. 434. a.
Maniacorum vomitorium genuinum ex Elleboro albo. III. 12. a.
Quid habendum de maniacis peregrinâ linguâ loquentibus. II. 764. b.
Manna quid? III. 176. b. Quomodo generetur? *Ibid.* Cujus naturæ. III. 177. a. Virtutes ejus. *Ibid.* Vtendi modus. *Ibid.* Præparata. *Ibid.* a. b.
Mannæ usus laxatorius, chymicus; origo, spiritus. III. 431. b.
Mannæ mercurius. III. 234. a. III. 463. a.
Manna mercurii. III. 288. a.
Manus ex admotione ad nares signa prognostica. I. 190. b.
Manuum dolores. II. 674. a.
Mannum fissuræ ex lue venerea. II. 425. a.
Manuum volæ titillatio. I. 834. b.
Manus Christi rotularum usus. III. 378. a.
Marasmodes hectica. II. 289. b.
Marcasita cum præparatis. III. 306. a. b.
Marcasitæ usus. III. 514. b.
Marcasitæ magisterium. III. 514. b.
Marga, ejus differentiæ, & usus. III. 227. b.
Margaritæ quomodo differant à corallis. III. 242. b. Usus earum. III. 243. a. Præparationes. III. 243. a.
Marina tria curiosa. I. 601. a.
Mariscis ani conducens scrophularia. III. 111. b.
Maritorum ligatio curata surculis betulæ tenellis. III. 22. a.
Maritos quomodo dementent Indæ mulieres. III. 116. a.
Marmor. III. 250. b.
Marocostinæ pilulæ. III. 74. b.
Marrubium. III. 74. a. III. 485. b.
Marrubii usus in tussi. I. 250. b.
Mars, i. e. ferrum. III. 268. b. Ejus natura & constitutio. I. 378. b.
Epitheta. I. 378. b.
Cur difficulter malleabilis. I. 378. a.
Martem indurandi modus in chalybem. I. 378. b.
Mars quomodo mollescat. I. 377. b.
Martem referans spiritus nitri. III. 488. b. Rodentia magmata. III. 489. a.
Cur alcalia volatilia intactum relinquant martem. I. 391. a.
Martis attemperatio ad conficiendos clypeos, Cataphractas &c. I. 378. b.
Martis usus. III. 488. a. III. 518. b.
Cautelæ circa martis usum. III. 488. b.
Martis præparata. III. 488. a. Selectiora. III. 488. a. b.
Præparationes & Calcinationes martis inutiles quæ? I. 389. b.
Pro parandis ex marte remediis vegetabilium succi aptiores, quàm spiritus mineralium nimis acidi. III. 7. a.

Martis vis adstringens & aperiens unde. I. 378. b. Vis absorbens. I. 378. b.
Marti inest sulphur solare. I. 377. b.
Acidum in marte. I. 377. a.
Martis crocus. III. 518. b. Modus parandi crocum martis. III. 270. b. & seq.
Martis destillatio &c. III. 272. b.
Martis extractum paratum cum succo acetosæ. III. 7. a.
Martis flores duplices. III. 518. b.
Mars fulminans ejusque præparata. I. 390. a. III. 272. a. b. Unde oriatur illa vis fulminans. III. 272. b.
Martis limatura seu mars crudus pulverisatus quatenus prodest in Medicina. I. 378. a. I. 389. a.
Martis mineræ. III. 253. b. Solaris. *Ibid.* Ejus præparata. III. 254. a.
Martis stercus. III. 487. a.
Martis sulphuris tria attributa. III. 268. b.
Martis Regulum conficiendi modus. III. 271. b.
Martis Tincturæ præparatio. III. 489. b.
Martis tincturam aperitivam conficiendi modus. III. 128. b.
Tinctura martis adstrictoria. I. 360. a.
Tinctura martis solaris. I. 390. a.
Martis vitriolum parandi ratio. III. 271. a.
Martis volatilisatio. III. 272. a. b.
Marsupium ex amiantho. I. 361. a.
Martia aqua. I. 352. b.
Martialis substantiæ universitas. III. 268. b.
Martialium usus & vis. III. 269. a. III. 273. b. II. 169. b. & seq. I. 246. a. b. Præparata. III. 270. a. I. 389. a. b. I. 246. b.
Diæta in martialium usu observanda. I. 389. a.
Martialia fæces utplurimum nigro colore tingunt, & quid, si non tinxerint? I. 378. b.
Martialia vina. III. 489. a.
Marum. III. 74. b. III 500. a.
Masculum aut fœmellam conceptos esse, signa diagnostica. II. 853. a.
Maslach. III. 512. b.
Massa panis quid. III. 541. b. I. 558. a. Quomodo & unde paranda. III. 542. a.
Masticationis ratio. I. 6. b. I. 67. a. b. Quomodo fiat. II. 48. a. I. 67. a. Ejus necessitas. I. 68. a. II. 48. b. Finis. I. 68. a.
Quatenus saliva ad eam faciat. I. 68. a.
Masticatio quomodo lædatur. II. 48. b. & seq.
Musculorum masticationi inservientium vitia. II. 49. a.
Masticatoria. I. 23. b. I. 313. b. III. 372. a. 377. a. III. 517. b.
Mastiche. III. 141. b. Ejus virtutes. *Ibid.* Præparata. *Ibid.* & seq.
Mastix. III. 502. b.
Mater dura & pia. I. 103. a.
Materno ex appetitu impressionis infanti factæ fundamentum. I. 55. a.
Materiæ, ex qua corpus constat, duplex textura. I. 34. a.
Gassendi & Cartesii sententia de materia corporum naturalium. I. 33. a. Materia eorum prima. *Ibid*
An materiale possit immortalitatis esse particeps. I. 652. a. b.
Matricaria. III. 74. b.
Matrisylva. III. 26. b. III. 49. b.
Matrix. Matricis caducus. II. 834. b.
In ulceribus & apostematibus matricis momordicæ usus. III. 78. b.
Emplastrum matricale. III. 140. b. Pharmacopœæ Augustanæ. III. 502. a.
Extractum matricale. III. 370. a.
Maturantia. I. 239. b. III. 4... b. III. 508. b. II. 3. b. II. 974. b.
Maxillæ. I. 67. a. Earum divisio. I. 67. b. Musculi. I. 67. a.
Maxillis præ aliis ossibus in Medicina nulla prærogativa. III. 448. b.
Maxillarum vitia. II. 50. a.
Maxillæ tumor in odontalgia & eius cura. II. 658. b.
Meatus urinarii in mulieribus. I. 128. b.
Mechanica quatenus ad Medicinæ constitutionem concurrat. I. 31. b.
de Mechoacamorfulorum usus F. F. III. 378. a.
Mechoacanna, ejus vis & usus. III. 169. a. III. 426. b.
Mechoacanna nigra. II. 17. b.
Meconium. III. 143. b. III 86. b. I. 134. b.
Meconii retentio ejusque effectus. I. 194. b. II. 927. a. I. 497. a.
Meconium ut removendum. I. 507. a.
Meconii in utero emissio. I. 496. b.
Mediastini in respiratione partes. I. 623. b.
Mediastini cum pulmonibus inflammatio. II. 494. b.
Medicamentorum facultas ex quibus principiis hodie deducatur. II. 2. a. I. 202. a. 211. b.
Objecta primaria in quæ agunt. I. 202. a. b.
Medicamenta rarò sub nativa forma adhibentur. I. 19. b.
Medicamenta qua ratione agant & operentur, & quonam modo talis effectus ab iis promanet. I. 202. b. 203. a.
Cur medicamenta in uno plus, in altero minùs operentur. I. 71. a. b.
Medicamentorum qualitates. I. 203. a. b.
Speciales medicamentorum vires. II. 3. a.
Medicamentorum vires ut immutentur. I. 215. a.
Medicamenta omnia patiuntur aliquam in stomacho alterationem, non tamen omnem virtutem medicam exuunt, quin quædam ex illa miscela & alteratione certam aliquam vim medicamentosam novam acquirunt. I. 19. a.
Annon eadem sit ratio medicamentorum & alimentorum. I. 71. a.
Medicamentis quando utendum. I. 216. b.
Ex medicamenti usu pejùs se habente ægro, non abstineat statim ab ejus ulteriore applicatione Medicus. I. 941. b.
Fraus adhibitis pyris muscatellinis conditis pro vehiculo medicamenti assumendi. III. 98. a.
Medicamentorum præparationis finis & ratio. I. 211. b. I. 406. a. I. 19. b. I. 214. b.
Medicamentorum vires nativæ præparationis ope destruuntur, aliæque novæ illis conclitantur. I. 19. b.
Præscribendorum medicamentorum ratio. III. 521. a.
In medicamentorum præscriptione attendenda. III. 523. b. Fugienda. III. 524. a. (*vid.* Remedia.)
Medicamenta composita. III. 334. a.
Quomodo medicamentorum compositio instituenda. I. 554. b.
Cautelæ circa compositionem medicamentorum. I. 216. a.
Medicamentorum tot compositiones veterum unde. III. 421. a.
Medicamenta particularia seu specifica an dentur. III. 31. b. Eorum ratio. I. 216. b.
Medicamenta simplicia præstant compositis. I. 19. b. Eorum præparatio & immutatio. I. 215. a. b.
Medicamentorum universalium ratio. I. 216. b. (vid. *Medicina universalis.*)
Medicationis morborum triplex naturæ status. I. 197. b.
Medicina quid? I. 1. a. I. 29. b. Quid olim. I. 26. a. Est ars conjecturalis. I. 1. a. I. 29. b. Naturali scientiæ subalternata. I. 1. a.
Media, quibus conjecturas Medicus perficit. I. 30. a.
Medicinæ ortus. I. 26. a. III. 1. a. I. 49. b.
Progressus. I. 26. a.
Observationum Medicinæ primordia ab experientia, quam introduxit necessitas. I. 26. a.
Modus experimentandi varius. I. 26. a. b.
Medicinæ inventor & Autores. I. 26. b. Finis. I. 1. b. I. 31. b. Objectum. I. 2. a. II. 4. b. I. 31. b.
Medicina omnium artium nobilissima. I. 1. a. I. 32. a.
Ejus partes principales & ministræ. I. 1. b. I. 32. a.
Media ad finem perducentia. I. 32. a.
Ejus divisio. I. 32. a.
Medicinæ duo oculi acuti. I. 31. a.
Medicinæ fundamenta. I. 1. a.
Ejus primarium fundamentum Pyrotechnia. I. 2. a.
Illa est incerta in fundamento. I. 30. a.
Conjecturarum medicarum fundamentum. I. 30. a. I. 31. a.
Sectarum diversarum in Medicina origo unde. I. 30. a. b.
Tota Medicina hodie superstruitur doctrinæ de salibus. I. 42. b.
Theoriæ in Medicina fundamentum unde desumendum. I. 31. b.
Medicinæ imperfectio. I. 1. b.
Medicina practica vulgaris cur adhuc manca. II. 1032. a.
Cur tamdiu sine incremento steterit. I. 1. b. & seq. I. 29. a.
Medicina Hippocratis Chymica. I. 486. a.
Quomodo Medicina ad Saracenos, Arabes, Mauros &c. pervenerit. I. 28. a. b.
An intra 6. menses vel septimanas addisci possit. I. 28. a. I. 31. a.
Medicinæ tyroni sufficientes Autores practici. II. 29. a.
Medicina universalis an detur. III. 423. a. b. (vid. *Remedium*.) Ex aqua pluviali. III. 233. b.
Medicus minister est, Natura medicatrix. I. 18. b. I. 197. a.
Medici officium in curando morbo. I. 18. b.
Medicus citò, tutò, jucundè naturæ succurrat. I. 18. b.
Medicus judiciosus magis, quàm memoria præditus esse debet. I. 18. b.
Medicus quomodo se gerere debeat, sub primo ad ægrum ingressu. I. 176. b.
Medici, dum ad ægros, morbo maligno contagioso laborantes,

rantes, accedunt, costo se præservant. III. 42. b.
Medici Fortuna, *vid.* Fortuna.
An Medicus veteranus expertus sit præferendus Medico juveni erudito. I. 197. a.
An Jureconsultus præferendus Medico. I. 32. b.
Medici ab empyrico differentia. I. 585. a.
Medica materia tribus regnis absolvitur. III. 1. a.
Medicæ praxeos regula unde sumenda. I. 160. b.
Medicæ scholæ tres ex Podalirii schola ortæ. I. 27. a.
Medicæ sectæ diversæ. I. 30. a. b. *& seq.*
Medullæ. III. 504. a.
Medullæ vitulinæ usus. III. 183. a.
Medullaris processus. I. 103. a.
Mel quid sit & quomodo conficiatur. III. 216. a. III. 509. a. Ejus vis & usus. III. 216. a. b. Cautela in ejus interno usu. III. 217. a. Ejus noxa. III. 217. a Ejus varietas. III. 216. a. III. 404. b. Ejus depuratio. III. 509.
Mel singulare in se menstruum possidet. III. 234. a.
Mellis præparata. III. 216. b. 217. a. b. III. 509. b.
In mellis destillatione cautela. III. 217. b.
Mellis destillati duplex aqua, ejusque usus. III. 217. a. b.
Mellis medicati usus. III. 421. a.
Mellis spiritus. III. 217. a. b.
Melancholia seu melancholicus affectus quid? II. 751. a.
Melancholia an ab acido. I. 414. a.
Melancholiæ duplex fiendi modus. I. 434. a.
Anagallis conduc[illegible] contra deliria melancholica. III. 12. b.
Crocus est specificum in affectibus melancholicis. III. 43. a.
Digestivum Martis in melancholia. I. 388. b.
Infusum passulatum laxativum pro melancholicis. III. 577. a.
Magisterii lunæ usus in melancholia maniaca. I. 396. b.
Potio digestiva præmittenda purgationi in affectu melancholico. I. 564. b.
Purgans ex tartaro emetico pro melancholico. III. 436. b.
Saturni usus in melancholia hypochondriaca. I. 391. b.
Vinum ex pomis in Melancholia hypochondriaca. III. 94. b.
Melancholica deliria. II. 751. a. Cura. II. 756. a.
Melancholici qui. I. 4. b. I. 915. b. Melancholici sunt iracundi. II. 763. a. b.
Melancholicis an conducat sanguinis transfusio. I. 434. a.
Melancholicus humor est nullus. I. 16. a.
Melanteria. III. 306. a. III. 491. a.
Meliceris, ejus causa, diagnosis, prognosis, cura. II. 990. a. b.
Melilotus. III. 74. b.
Melilotinum emplastrum. III. 361. a. III. 502. a.
Melissa. III. 75. a. III. 498. b.
Melones / Melopepones } III. 75. b.
Membranæ, earumque constitutio. I. 51. a. II. 27. a.
Membrana auditoria læsa. II. 647. b.
Membrorum corporis proportio neglecta. I. 676. b.
Membrorum tremoris & tensionis in peste cura. II. 344. b.
Memoria. I. 11 b. I. 118. b. II. 688. a.
Brutorum qualis. I. 118. b.
Sensitiva, rationalis, felix, infelix. I. 119. a.
Memoriâ quatenus opus Medico. I. 1. a.
Non tam memoriâ præditus quàm judiciosus quærendus Medicus. I. 18. b.
Memoriæ læsio. II. 740. b. Causæ. II. 740. a. b. Diagnosis. II. 742. a. Prognosis. *Ibid.* Cura. *Ibid.* b.
Cardamomi usus pro conforranda memoria. III. 26. b.
Electuarium dia-satyrii pro confortanda memoria. III. 110. a.
Cerebri gallinæ usus ad confortandam memoriam. III. 208. a.
Mendicorum fraus, qua cutem sibi exulcerant scabritiei specie, pro quæstu ex corpore faciendo. III. 99. a. III. 167. a.
Meninges. I. 102. b.
Meninx dura. II. 662 b.
Mens. Ejus operationes. I. 118. b.
Mentis ideæ sive conceptus ordinati vel confusi unde? II. 614. a.
Mentis perturbatio unde. I. 105. a. II. 751. a. b.
Menses balsamici. III. 233. b.
Mensium lunarium & solarium differentia. II. 876. b.
Mensium fluxus, ejus materia, formale, causa efficiens, juvantia. I. 130. a. Processus, tempus, causa finalis. I. 130. a. b.
Fœtui parum est commodus. II. 930. b.
Menses quomodo vel supprimat vel provocet Artemisia. III. 16. b.
Essentia ad menses. III. 496. a.
Injectio uterina in mensium fluore. III. 595. a.
Sanguisorba excellit in mensium fluxu. III. 107. b.
Mensium decoloratio, causæ ejus, Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 819. a.
Mensium difficultas. II. 816. b. I. 925. a. Causæ ejus. II. 816. b. Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 816. b.
Mensium fluxus depravatus. II. 816. a.
Mensium fœtor, ejus causæ, Cura. II. 819. a. b.
Mensium fluxus nimius. II. 811. b. Causæ. II. 811. b.
Diagnosis. II. 812. b.
Prognosis, Cura. II. 812. b.
Menses impedientia. II. 802. a. III. 16. b.
Clyster in nimio mensium fluore. III. 347. a.
Electuarium contra nimium mensium fluorem. III. 537. a. I. 560. b.
Pessus ad supprimendum nimium mensium fluorum. III. 404. a.
Mensium per aliena loca effluxus, ejus causæ, Cura. II. 820. a.
Mensium fluxus frequentior. II. 811. b.
Mensium fluxus erraticus & inordinatus, ejus causæ, Prognosis, Cura. II. 819. b.
Mensium paucitas, ejus causæ, Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 818. a. b.
Mensium stillicidium, ejus causæ, Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 818. b.
Mensium suppressio, obstructio præternaturalis, sive emansio. I. 130. a. II. 802. a. Causæ. II. 802. b. Diagnosis. II. 803. b. Prognosis. II. 804. b. Cura. II. 805. a.
Mensium suppressorum signa distinctiva à graviditate. II. 804. a.
Menses pellentia seu stimulantia. I. 240. b. III. 16. b. II. 3. b. II. 4. a II. 802. b.
Pro mensibus pellendis remedium. III. 207. a.
Decoctum menses stimulans. III. 582. a. III. 583. b.
Electuarium chalybeatum contra obstructionem mensium. III. 536. b.
Flores menstrua pellentes. III. 25. b.
Fotus ad promovendos menses. III. 599. a. I. 574. b.
Nodulus pro mensibus suppressis in Virgine. III. 576. b.
Pediluvium ex strobulis abietum ad [illegible]ciendos menses. III. 4. a.
Pessus & nodulus pro provocandis mensibus. III. 77. a. III. 403. b.
Pilulæ laxantes & aperientes pro virgine in mensium obstructione. III. 543. a.
Pulvis contra mensium defectum. III. 398. a. III. 529. b.
Salis ammoniaci usus in mensium obstructione. I. 344. b.
Semicupium in suppressione mensium. III. 604. a.
Menstruatio quomodo fiat. III. 801. b.
Orgasmus metaphoricus, seu sanguinis mulierum turgescentia tempore menstruationis. I. 412. b. I. 526. b.
Menstrui sanguinis usus. III. 195. a. III. 487. b. An menstruus sanguis tutò internè propinari possit. III. 195. a.
Menstrui sanguinis virginum usus. I. 405. b.
Menstrua excretio quot modis læditur. II. 802. a.
Menstrua febris. II. 802. a.
Menstrua purgatio quando incipiat & desinat. I. 129. a. b. II. 801. b.
Est etiam in viris observabilis. *Ibid.* II. 801. a.
Quibus fœminis sit propria. II. 801. a.
An & aliis animalibus sequioris sexus conveniat. II. 801. a.
Quando ordinariò supprimatur. II. 801. a.
Menstruus fluxus gravidarum sub menstruatione decima. I. 941. b.
Menstruatarum halitus &c. cur conservis noxius; & cur ad vulnerum curationem non admittantur menstruatæ. II. 801. b. & 802. a.
Menstruorum ratio in negotio sanitatis. I. 168. b.
Menstruorum chymicorum ratio. III. 366. b.
Omnia menstrua solventia debent esse homogenea cum resolvendis. III. 330. b.
Menstrui pro dissolutione aut extractione proportio. I. 354. a.
Acida menstrua. III. 368. a. I. 353. a. b.
Aquea menstrua & eorum ratio. III. 368. a. I. 352. b. Eorum usus. *Ibid.*
Aqua magnum naturæ menstruum. III. 368. a.
Animali ex regno menstrua. I. 353. b.
Cœleste menstruum singulare in rore pro auro solvendo. III. 234. a.
Dulcia & non-corrosiva menstrua an dentur. III. 367. a.
Insipida menstrua an dentur. I. 353. III b. 367. a.
Minerali ex regno menstrua. I. 353. b.
Mineralibus pro solvendis ferè omnibus menstruum optimum. I. 401. a. b.
Myrrham extrahendi menstruum egregium. I. 344. b.
Particularibus menstruis contenti esse debemus. III. 344. b.
Particularia menstrua quænam & quàm varia. I. 352. a. III. 366. b.

Salina menstrua. I. 353. b. III. 368. a. b.
Spirituosa &c. III. 368. b.
Sulphurea & oleosa menstrua. I. 353. a. III. 368. a. b. *& seq.*
Vegetabilia menstrua. I. 353. a. Ea non nimis rectificanda. III. 509. b.
Vegetabilium virtutes extrahendi menstruum optimum. I. 399. a.
Vitelli ovi usus menstruus. I. 353. a.
Universale menstruum anxiè quæritur. III. 344. b. An detur? I. 354. a. Quid? I. 352. a. III. 366. b.
Universale menstruum alcahest III. 422. a. Ex aqua pluvia. II. III. 233. b. Ex rore. III. 234. b.
Urinosa, spirituosa, fixa, volatilia &c. I. 353. a. b. III. 368. b.
Menstruorum virtutem intendens caputo mrtuum tartari. I. 401. a.
Menstruum ex melle. III. 217. b.
Mentha. III. 76. a. Saracenica. III. 76. b. Vulgaris. III. 24. b.
Menthæ vis stomachalis. I. 241. b.
Menthæ præparata. III. 497. b.
Acetum menthæ. III. 335. a.
Elixyr menthæ. III. 358. a.
Menthastrum. III. 76. a.
Mercurialis. III. 76. b.
Mercurialia nervis inimica. II. 4. a.
Mercurialium dosis. I. 375. a.
Mercurius quid? III. 281. a. Quid in Philosophia corpusculari. I. 377. a. Est alcali metallicum. II. 12. b. 15. a.
Ejus triplex differentia. III. 281. a. I. 373. a.
Mercurii amicitia cum metallis. I. 374. a. Summa cum auro amicitia. III. 281. b.
Quidam ex sanguine humano volunt præparare mercurium. III. 282. a.
Distinctio inter mercurium coagulatum & fixatum. III. 282. a.
Quatenus de metallis prædicatur. I. 377. a.
Mercurificatio metallorum. III. 259. b. Perfecta quatenus fit. I. 378. a.
Mercurius non potest solvi nisi ab acidis. II. 15. a. b.
Mercurium ex spissa sua consistentia in liquorem fluxilem optimè redigunt alcalia. II. 15. a.
Pro usu medico qualis eligendus. III. 282. b. Qualis medicina. III. 423. b. *& seq.*
Quomodo probandus. III. 282. b.
Præmonita quædam de Mercurio. III. 459. b.
Mercurii vis salivatoria, antivenerea &c. I. 374. a.
Mercurii vis in scabie. I. 374. b.
Mercurialia quatenus in scorbuto conducant. II. 437. b.
Mercurii & mercurialium usus, quomodo & quando adhibendus. III. 569. a. Cautela in assumendis mercurialibus. III. 283. a. I. 374. a. b.
Mercurii usus cosmeticus ne sit nimius. III. 283. b.
Mercurii usus vulnerarius. I. 339. a. Purgatorius. I. 279. b. Vomitorius. II. 15. b.
Mercurium è corpore evocantia. I. 312. b. III. 282. a. III. 115. a. I. 374. a.
Mercurius Chymicis quid? I. 377. a. Est chymicorum principium. I. 2. a.
Est tertium Paracelsistarum principium. I. 373. a.
Est Chymicorum servus fugitivus. III. 438. a.
Præparationes mercuriales. I. 374. b. III. 438. a. III. 459. b. *& seq.* III. 283. b. *& seq.*
Mercurius non benè præparatus quæ incommoda inducat. III. 283. b.
Quomodo ad usum medicum purgandus. III. 283. b.
Mercurii Depuratio. I. 374. b. Præcipitatio, calcinatio. I. 375. a. Sublimatio. I. 376. a. Sublimati revivificatio. I. 376. a.
Aquæ mercuriales. III. 340. b.
Mercurius corallatus. III. 285. a.
Flores mercurij argentei seu Lanugo mercurii perlata. III. 438. b.
Magisteria ex mercurio in forma liquida & sicca. III. 283. b.
Oleum Mercurii album. III. 291. b. Diaphoreticum dulce. III. 291. b. Diaphoreticum fragrans. III. 291. b.
Spiritus seu oleum Mercurii rubrum. III. 291. b.
Saccharatum. I. I. 291. b.
Panacea Mercurii purgans. II. 288. b. Mercurialia purgantia quibus conveniant. I. 376. a.
Mercurialia vomitoria. I. 261. b.
Mercurius Corporum sive metallicus an detur. III. 266. a. III. 268. b. II. 437. b.
Mercurii corporum & mercurii vivi differentia. III. 281. b.
Fit beneficio alcalium. I. 378. a.
Salis tartari usus pro elaborando mercurio corporum. III. 155. a.
Mercurii corporum resuscitatio. I. 392. b.
Crudi mercurii usus. III. 438. b.
Dulcis mercurius ejusque parandi modus. III. 438. b. Vulgaris. III. 287. a.
Dulcis rubei, non-corrosivi &c. præparatio. I. 376. a.
Dulcis solaris. I. I. 288. a.
Dulcis usus. II. 24. a. I. 922. a. Modus usurpandi. III. 438. b. Correctio. I. 922. a. Mistura. III. 438. b.
Oleum tartari per deliquium & mercurius dulcis non possunt simul in uno eodemque unguento præscribi. III. 412. a.
Hæmatinus Paracelsi. III. 285. a.
Philosophorum. III. 437. b.
Præcipitatus, & encheiresis pro facilitanda ejus præcipitatione III. 438. b.
Præcipitatus dulcis. III. 285. b. Edulcorationis ratio. III. 512. b.
Præcipitatus communis. III. 285. b.
Præcipitatus albus Clossæi. III. 285. b.
Præcipitatus per aquam ovorum. III. 285. b.
Præcipitatus in via humida. III. 284. b.
Præcipitatus incarnatus, luteus. III. 286. a.
Præcipitatus cum metallis. III. 286. a.
Præcipitatus per tincturam smiridis. III. 285. b.
Præcipitatus solaris. III. 286. a.
Præcipitatus viridis seu venereus. III. 286. b.
Præcipitatus vitriolatus seu cum oleo vitrioli. III. 285. a. 286. a.
Sublimatus ejusque sublimatio. III. 286. b. Corrosivus & non-corrosivus. III. 286. b. Ejus communis proba. III. 438. b.
Sublimatum pro usu cosmetico externè pessimo cum consilio adhiberi. II. 463. b. *& seq.*
Virgineus. I. 373. b. Ejus proprietas. III. 282. a.
Vitæ. III. 435. a. III. 288. b. Ex antimonio. III. 459. a. Ex butyro antimonii. I. 369. b. Correctus. III. 289. b. Parandi modus & correctio. III. 289. a. b. III. 436. a. Ejus vis cathartica seu purgativa. III. 289. b. I. 280. b. III. 437. b. Præparatio pro usu vomendi. I. 261. a. b.
Vivus an sit venenum? III. 282. b. Quid? II. 15. a. Saturninus. I. 392. b. Ex Planta. III. 57. a. Quomodo extinguendus. III. 519. b. Ejus depuratio. III. 437. b. *& seq.* Ejus usus in metu ilei. I. 755. a. b. In lue venerea. II. 415. b. Quoad usum ejus medicum ad duo semper respiciendum. III. 282. b.
Universalem in aere reperibilem esse putatur. III. 234. b.
Vulgi mercurius, ejus natura, epitheta. I. 373. b. III. 437. b. Duplex consistentia & forma. III. 282. a.
Mesaraicorum vasorum obstructio. II. 166. b.
Mesentericus dolor lumbaris. II. 143. b.
Mesenterii glandularum in infantibus obstructio. II. 965. a.
Mesenterii inflammatio. II. 491. b. & alii affectus. II. 491. b. Causæ, Diagnosis. II. 492. a. Prognosis. II. 492. b. Cura. II. 493. a.
Mesenterii obstructio. II. 173. a.
Mesenterii tumor & abscessus febrim lentam inducens. I. 833. b. Cura I. 835. b.
Mesenterium quid? ejus situs. I. 78. a.
Mespilus. III. 77. a. III. 516. b.
Metalista. II. 17. b.
Metallorum constitutio & generatio. I. 377. a. b. III. 254. b. Incunabula in aere. I. 492. b.
Seminale principium. III. 256. b.
Materia proxima. III. 255. a.
Tempus. III. 255. a.
Proprietates. III. 255. b.
Graduatio. III. 256. a.
Divisio ratione maturationis in fixa, matura, nobiliora. I. 377. b. In densa, dura, mollia. I. 377. b. Perfecta, imperfecta. I. 377. b.
Imperfectiora quæ. III. 256. a.
Non differrent essentialiter. III. 256. a. Eorum inter se affinitas. III. 463. b. I. 377. b.
Astra ad eorum generationem nil faciunt. III. 256. b. *& seq.*
Signa metallorum. III. 257. a. An septem metalla septem planetis respondeant. I. 377. a.
Metallorum ratio Chymica. I. 377. a.
Electrum seu misturam plurium metallorum in Chymia frustra instituimus. III. 436. a.
Transmutatio metallorum an detur, & an imperfectiora, ignobiliora, & immaturiora ad majorem gradum perfectionis, nobilitatis & maturationis perduci possint. I. 377. b. I. 645. a. I. 408. a. b. An in aurum permutari queant. III. 257. a.
Transmutatio hæc ut fiat. III. 256. a.

Liquandi metalla artificium. III. 256. b.
Metallorum reductio quomodo efficiatur. I. 378. a. III. 259. a.
Metallorum caput mortuum nulla arte in pristinum corpus reduci potest. III. 422. b.
Pro resuscitandis metallis salis tartari usus. III. 155. a.
Metallorum diabolus Stannum. I. 393. a. I. 787. a.
Metallorum recrementa naturalia. I I. 305. b. Artificialia. III. 307. a.
Metalla cur gustui communicent quandam acetositatem. I. 377. a.
Metalla an præter spiritum sulphuris aut vitrioli, alii spiritus acidi rodere possint. III. 318. b.
Metalla solventia menstrua. I. 353. b. *& seq.* III. 258. b. *& seq.*
In metallis solvendis aceti ex melle usus. III. 217. b.
Metallorum usus. I. 377. b. Triplex. III. 257. a.
Ex metallis per se nil liquidi destillando potest acquiri. I. 392. a.
Metalla quatenus potabilia. I. 378. a. III. 257. b. *& seq.*
Metallici liquores. III. 253. a.
De Medicamentis ex metallis quid sentiendum. III. 257. b. *& seq.*
An metalla cruda aliquam in corpus nostrum habeant efficaciam. I. 377. b. I I. 257. a.
Quomodo in corporibus operentur. I. 378. a. III. 258. a.
Vis eorum radiativa unde. III. 258. a. Consistit in sulphure. III. 257. b.
Præparata ex metallis eorumque usus. III. 257. b.
Qualem præparationem requirant. I. 378. a.
Metallifossores asthmatici. I. 786. b. *& seq.*
Metallicos contra fumos pulvis alexipharmacus. III. 529. a.
Methodus medendi. I. 18. a. b. I. 196. a.
Medico observanda. I. 411. a. b.
Dogmatica & Empirica. I. 199. b.
Methodicæ sectæ conditor: caput primarium Thessalus Trallianus. I. 28. a. I. 30. b. Sectæ hujus ratio. I. 30. b.
Metopium. III. 140. a.
Metrenchita, quale instrumentum. III. 347. b.
Metus noxa. I 169. a.
Meum adulterinum. III. 77 b.
Sativum Athamanticum. III. 77. a.
Mezereum. III. 169. b. Ejus vis purgans. III 427. b.
Miasmata ex genitura & aliis corporibus. I. 933. a b.
Microcosmus an dici possit homo. I. 820. a.
Microcosmi & macrocosmi an detur correspondentia. III. 57. a.
Micro- & macrocosmi analogia est saltem generalis. I. 820 a.
Microcosmicus spiritus. III. 463. a.
Microscopii usus. I. 659 b.
Mictus cruentus ejusque cura. II. 572. a. b. *& seq.*
Remedium contra mictum cruentum. III. 9. a.
Agrimoniæ usus in mictu cruento. III. 9. a.
Bolus in mictu cruento. III. 533. b.
Clysma in mictu cruento. III. 347. b.
Injectio in mictu cruento & purulento. I. 578. b.
Mictus lacteus chylosus. III 511. b.
Mictus involuntarius, & galli gallinæve usus in eo. III. 208. a. b.
Pulvis in mictione involuntaria. III. 193 b.
Miliaris efflorescentia cutis infantum unde. II. 926. b.
Miliaris febris puerperarum. II. 912. b.
Milium. III. 77. b.
Milium solis. III. 78. a.
Millefolium. III. 78. a.
Millepedes. III. 218. a. Vsus millepedum diureticus. I. 298. b.
Milvus, milvius. I. 210. a.
Milzadella. III. 110. a. b. 129. a.
Minerarum demonstratio seu Mineralogia. III. 253. a. III. 224. a.
Mineralium principia materialia. III. 224. a.
Potiora præparata diaphoretica ex mineralibus. III. 440. b.
Minium. III. 514. a.
Minium Saturni, quod augetur in pondere. I. 391. b.
De minio emplastrum. III 361. a.
Mirabilis Peruvianus. II. 17. b.
Miserere mei unde? I. 167. b.
Misturarum duplex differentia. I. 566. a.
Misturæ externæ quotuplices. III. 567. b.
Misturas præscribendi modus. I. 563. b 566. a.
Mistura pro educendo acido ex cruditate primarum viarum. I. 246. a.
Misturarum lactearum formulæ. III. 564. b.
Mistura simplex Paracelsi. III. 445. a.
Misturæ de tribus Autor. III. 339. a.
Misy. III. 306. a. III. 491. a.
Mithridatium. III. 355. a. 356. a. Luxus ingredientium in mithridatio unde. III. 447. a.

Mivæ duplices. III. 510. b. Earum usus. III. 421. a.
Mobile, seu subjectum motus quodnam. I. 43. b.
Mœroris seu Mœstitiæ noxa. I. 169. a.
Mola. II. 859. b. Vnde dicta. II. 860. a. Quid? *Ibid.*
An virgines & viduæ molas gestare possint? *Ibid.*
Non dantur molæ non vitales. II. 860. a. Causæ. II. 860. b
Diagnosis. II. 861. b. Prognosis. II. 862. b. Cura. II. 862. b.
Mola aquosa. II. 855. b.
Molam eijcientia. II. 895. a.
Molle quid dicatur. I. 11. a. I. 117. b. II. 649. a.
Molybdæna / Molybdites quid? III. 276. b. III. 307. b.
Momordica. III. 78. b. III. 516. a. Momordicæ poma. III. 516. a.
Momordicæ usus vulnerarius. I. 337. b.
Monialium furor uterinus. II. 829. b.
Monstrum quid? II. 859. b. Causæ ejus. II. 860. a.
Morbilli quomodo differant à variolis. II. 318. b. Eorum causæ, cura. II. 319. a. b. *& seq.*
Morbilli ignei, eorumque cura. II. 317. a. b. *& seq.*
Morbilli infantum, eorum causæ, diagnosis, prognosis, Cura. II. 960. a. b. *& seq.* II. 511. a.
Decoctum Scorzoneræ in morbillis. III. 111. a.
Emulsio ex seminibus citri in morbillis. III. 38. b.
Emulsiones in statu morbillorum. I. 567 b.
Pulvis contra morbillos. III. 530. a. Præsertim in incremento. I. 559. a.
Morbosa fermenta. I. 665 b.
Morbosum quid? I. 13. a.
Morbus quid? I. 4. b. I. 137. a. II. 5. b. I. 409. b.
An sit substantia. I. 137. a.
Morborum examen. I. 410. a. b. *& seq.*
Morbi non consistunt in ipsa vita, nec tamen corpori nisi viventi competunt. I. 137. b.
Morborum subiectum primarium, secundarium. I. 137. b. I. 410. a.
Morborum origo, causæ ac fundamentum. I. 14. a. d. *& seq.* I. 161. a. I. 409. b. I. 413. a. I. 659. a.
Morborum causa duplex. II. 8. a. Causa universalis & formalis. I. 174. a. Occasionales. I. 414. b. Speciales. I. 144. a. b.
Morborum causa plerumque stomachi vitium. I. 169. b.
Morborum origo & cura juxta Helmontium. I. 19 a.
Causæ morborum qua ratione cognoscendæ. I. 177. a.
Causarum morbificarum cura generalis. I. 339. b.
Morborum magnorum parva principia. I. 944. a. 657. a.
Astrorum vis in morbis. I. 163. b.
Distinctio inter morbum, causam morbi, & productum morbosum. I. 170. b.
Morbosa producta quomodo removenda. I. 340. b.
Morbus semper ferè conjuncta habet symptomata. I. 713. b.
Morborum cognitio quomodo fiat ejusque signa diagnostica, prognostica. I. 17. a. I. 175. a. b 176. a. b. I. 695. b.
Morborum differentiæ & divisiones. I. 13. a. I. 139. a. I. 320. b *& seq.* Fundamentum differentiæ morborum. I. 139. a.
Morborum gradus & tempora. I. 14. a. I. 160. a. b. Vnde. I. 411. a. b.
Principium, incrementum, status, declinatio morbi. I. 160. b.
Morborum tempora quomodo differant? II. 475. b.
Morborum vis infectoria unde? I. 425. a.
Morbi quatenus sponte abeant. I. 14. a.
Morborum medicatrix Natura, minister naturæ Medicus. I. 18. b
Morbos præcavendi media. I. 18. a. I. 193. b.
Morborum cura juxta Helmontium per idealiter operantia remedia. I. 19. a.
Morbi Acuti. I. 221. a. Puerperarum. II. 910. a. (vid. *Febris acuta*.)
Morbus adventitius. I. 158. b.
Morbi Archeales. I. 13. a.
Morbi benigni. I. 16. b. I. 159. a. III. 294. b.
Morbus brevis. I. 160. a.
Morbi chronici. I. 160. a. Malè adscribuntur obstructioni mesenterii. III. 17. b. Pilulæ cardui benedicti in morbis chronicis. III. 431. a. Electuarium ad morbos chronicos. III. 127. b.
Morbus cognatus, minus cognatus. I. 813. a.
Morbi communes. I. 155. b.
Morbi compositionis seu connexionis. I. 151. b. I. 153. b. I. 155. a.
Morbi conformationis. I. 13 b. I. 153. b.
Morbus congruus, non congruus. I. 158. a.
Morbus connatus. I. 158. b.
Morbus per consensum. I. 157. b.

Morbi contagiosi, non contagiosi. I. 155. b.
Morbi Endemii, Epidemii. I. 155. b. Aqua prophylactica contra morbos epidemicos. III. 66. b.
Morbi per essentiam. I. 157. b.
Morbi familiares. I. 813. a.
Fracturæ an sint morbi. I. 137. b.
Morbi hæreditarii, non hæreditarii. I. 158. b.
Morborum hæreditariorum fundamentum. I. 55. a. In morbis hæreditariis frustranea videtur infusio. I. 485. a.
Morbi in humoribus contentis. I. 141. b.
Morbi infantum. II. 925. a. (vid. *Infans.*) Eorum origo & fontes duo. II. 925. b. Præcipui eorum morbi. II. 932. a. Cura generalis. II. 933. a.
Morbi intemperiei. I. 13. b. I. 150. a. Intemperies habitualis qualis morbus. I. 151. a.
Morbus longus. I. 160. a.
Morbi maligni. I. 16. b. I. 159. a. b. II. 294. b. Eorum causa. I. 159. b. Morborum malignitas in quo consistat. I. 735. a. An consistat in progenie verminosa. III. 132. a. Aqua prophylactica contra morbos malignos. III. 66. b. Emulsio ex feminibus citri in morbis malignis. III. 38. b.
Morbi Organici. I. 151. b.
Morbi partium solidarum. I. 150. a.
Morbi paulatini. I. 160. a.
Morbi periodici, non periodici. I. 160. a.
Morbi qualitatum occultarum. I. 150. a. I. 155. b.
Morbi sanguinis. I. 13. a. I. 410. a. b.
Morbi ex sex rebus non naturalibus. I. 163. a.
Morbi ex sexu. I. 162. b. Sexui virili, muliebri proprii. II. 777. & seq.
Morbi solutæ unitatis. I. 155. a.
Morbi spirituum. I. 13. a. I. 139. a. b.
Morbi sporadici. I. 155. b.
Morbus subitaneus. I. 160. a.
Morbi ex temperamento &c. I. 162. b.
Morbi transplantati à lædentibus animalibus in læsum hominem. I. 663. b.
Vulnera &c. an sint morbi. I. 137. b.
Morbis liberati votivas tabulas, morborum ideam & remedia continentes, suspendebant in templis. I. 27. b.
Mordax dolor. II. 651. a.
Mores sequuntur temperamentum corporis. II. 928. a. I. 915. b. I. 424. b.
Transplantati à lædentibus animalibus in læsum hominem. I. 663. b.
Moreti quid? III. 374. b.
Moriens ultimum esse venam cavam. I. 84. a.
Mors quid? I. 409. b. Unde? I. 60. b. In morte naturali mortem esse ens reale. III. 132. a.
Morsuli quid? III. 377. b. I. 561. b.
Morsulorum usus hodie rarior. I. 562. a. Usus pectoralis. III. 486. b.
Morsulorum præscribendi modus & formulæ. I. 561. b. III. 540. a.
Morsulorum loco tutiùs sumenda. III. 378. b.
Morsulis substitutum elæosaccharum. III. 498. b.
Morsus Diaboli. III. 118. a.
Morsus omnis animalis quoddam habet virus. I. 463. a.
Morsus hominis irati, rabidi &c. item bruti rabidi fatalis. II. 768. a. b. Cura. II. 770. a. b. & seq. 772. b.
Morsum venenatum etiam non venenatus potest inferre. I. 456. a. b.
Mortuum esse quid? II. 5. b.
Mortuis an aliquid vitale remaneat. I. 55. a.
Naturaliter & violenter mortui qui? I. 55. b. Unde operationes & effectus diversi à corporibus mortuis oriantur? *Ibid.*
Mortuorum Regum atque Magnatum corpora in velamentis ex Amiantho paratis cur olim combusta. III. 244. a.
Morum, Morus. III. 79. a. III. 103. b.
Moschardina quid? III. 420. a.
Moschi capreolus quale animal. III. 200. b.
Moschus quid? III. 503. b. I. 319. b. III. 200. b.
Ejus origo, collectio, &c. III. 200. b.
Legitimus quinam. III. 200. b.
Ejus adulterio & multiplicatio. III. 503. b. III. 200. b. Odor ejus unde. III. 200. b.
Odor amissus ut restituendus. I. 114. a. III. 200. b.
Ejus usus. III. 503. b. III. 201. a.
Depuratio quomodo instituenda. III. 201. a.
Ejus præparata. III. 201. a.
Moschata. III. 79. a.
Moses, quando natus. I. 444. b.
Motus divisio. I. 43. a. Tria circa motum considerandа. I. 43. a.
Motuum convenientia & differentia. I. 122. a.
Radix omnis motus sol esse videtur. I. 45. b.
Motus in nobis præcipuum movens seu activum, & subjectum passivum. I. 6. a.
Motum quomodo dirigat anima rationalis. I. 6. a.
Motus organon. II. 27. a. 28. a.
Fundamentum determinationis motus à materia factæ. I. 43. b.
Motus quatenus ad sanitatem conferat. I. 166. b. & 167. a. I. 412. a. Est sanitatis conservativum & morborum præservativum. I. 15. a.
Motus animalis primi autores. I. 10. a. I. 104. a.
Quomodo fiat. I. 104. b. II. 689. a.
Ejus organa. I. 122. a. I. 652. b.
Ejus læsio. II. 613. a.
Motus post cibum cui usui? I. 14. b.
Motus convulsivi. II. 696. b.
Motus corporis duplex. I. 514. b.
Motus internus, externus. I. 10. a.
Motus mistus. I. 122. a.
Motus naturalis. I. 11. b. Naturalis simpliciter & involuntarius. I. 122. a.
Motus organicus quomodo fiat. I. 620. b. I. 417. a.
Motus particularum varias corporum reddit configurationes. I. 3. a.
Motus partium corporis. I. 121. b. I. 11. b. 12. a.
Organon illius. I. 121. b.
Determinatus in partibus motus unde. I. 123. b.
Motus peristalticus seu compressivus. I. 121. b.
Motus spirituum animalium inordinati in partes externas. II. 696. b.
Vitiatur duplici modo. I. 321. b. Quomodo corrigendus. *Ibid.* & 322. a. b.
Spirituum motum sistentia. III. 505. b.
Motus tonicus siue tensivus. I. 12. a. II. 689. a.
Motus undulatorius. II. 642. b.
Motus voluntarius, spontaneus, involuntarius. I. 12. a. I. 121. b. & 122. a.
Movens spiritus in corpore. I. 45. b. 46. a. I. 660. a. b.
Quodnam machinæ nostræ movens. I. 4. a.
Movens est vel gravitationis, vel tendens seu elasticâ vi restituens. I. 45. a.
Movendi activitas unde. II. 613. b.
Omne movens impellens est externum. I. 45. a. Est vel primum vel secundum. *Ibid.* b.
Movens secundum quodnam. I. 45. b.
Movens particulare quodnam. I. 46. a.
Moxæ usus, præparatio. I. 232. b.
Mucilagines. III. 508. a.
Mucilaginosa. III. 505. b.
Mucilagini contumacissimæ conducens remedium. I. 244. a.
Aceti scillitici usus pro incidenda mucilagine. III. 112. a.
Mucus unde. I. 114. b. I. 821. a.
Mucum incidentia in tussi stomachali. I. 792. b.
Mulierum ova, ovaria. I. 12. a.
Aqua in affectibus muliebribus. III. 505. a.
Formula in affectibus mulierum. III. 454. a.
Mulsum quid? III. 583. b.
Mulsa medicata. I. 572. a. Eorum usus & præparandi ratio. III. 217. a. III. 584. a. Quibusnam præscribenda. III. 584. a.
Mulus, mula, quid suggerant pro usu medico. II. 201. a.
Mumiæ vox in schola Paracelsi nata. III. 197. b. Ejus homonymia. I. 328. b.
Mumia quid? III. 197. b. Stylo Helmontiano quid? II. 774. b.
Mumia antiqua quid. II. 197. b. Ei præfertur artificialis seu patibuli. III. 197. b.
Modus condiendi & parandi mumiam. III. 197. b. & 198. a.
Mumia exotica & nostras artificialis. III. 452. a.
Præparata ex mumia. III. 198. a. Mumiæ Tinctura. III. 452. b.
Mumia mineralis. III. 361. b.
In Satyrio. III. 109. b.
Mumia spiritualis, vitæ, vitalis. I. 328. a. b. I. 24. b.
Microcosmi. II. 1034. b. Vitæ alexiteria quid? III. 197. b.
Mundificans optimum sudor. I. 23. a.
Unguentum. III. 514. b.
Mundus quo anni tempore conditus, est controversum. I. 444. b.
Finitus est, non infinitus. I. 626. b.
Ejus genuinum spiritum in aere reperiri. III. 234. a. b.
Muria & ejus destillatio. III. 475. b.
Murmentum ejusque usus in Medicina. III. 201. b.
Mus ejusque usus medicinalis. III. 201. a.
Mures ex industrio usitato in acervum tritici immisso. III. 108. b.

Murium

Murium majorum stercus. III. 487. a.
Mus Alpinus, eiusque adeps. III. 504. a.
Muscarum usus. III. 509. a III. 222. a.
Muscas capientes ægri. II. 702. a.
Muscæ obversantes oculis. II. 690. a.
Muscerdæ usus medicus. III. 101. a. III. 487. a.
Vis purgandi infantes. III. 433. b.
Musculorum constitutio. I. 11. b. I. 121. b. II. 27. a. I. 62. b.
Structura. I. 12. a. I. 122. a. II. 689. a.
Divisio. I. 122. b.
Motus. I. 12. a. II. 689. a.
Motus primarius. I. 122. b. Unde musculus specialis moveatur, quiescentibus reliquis, imò nobis non cogitantibus, & tandem determinatus in partibus detur motus. I. 123. a.
Contractio unde fiat. I. 638. a.
Musculorum colli contractura. II. 697. a.
Muscus. III. 80. a. III. 516. b.
Cranii humani. III. 199. a.
Pulmonum. III. 97. a.
Pulvis flavus in musco terrestri inflammabilis. III. 4. b.
Musicæ effectus varii unde. I. 10. b. II. 643. a.
Vis in concitandis affectibus unde. I. 113. a.
Musica cur somnum inducat. I. 167. a. b.
Mustarda. III. 114. b.
Mustela piscis, ejusque ex hepate liquor, usus. III. 214. b.
Hepatis mustelæ usus. III 451. b.
Mustum. III. 157. a. b. III. 128. a. b. Abundat alcali. III. 481. b.
Ejus fermentatio. III. 128. b.
Fermentatio impedita. I. 4. b. I. 398. b. Musti in cella fermentantis halitus suffocationem inferentes. I. 625. a.
Concentratio. I. 398. a.
Melioratio. III 499. b.
Mutatio in vinum unde. I. 398. a.
Effectus. I. 398. a. Turbidum quas noxas det. I. 20. b.
Myosotis. III. 19. a.
Myrica, Myrix. III. 119. a.
Myrmecia. II. 991. a.
Myrmeciorum insessus. III. 512. b.
Myrobalani usus in Medicina. III. 169. b. III. 428. a.
Myrrha. III. 142. b. III. 480. b. Ejus aciditas. I. 361. b. Selectus, usus, præparata. III. 443. a. b. Vsus vulnerarius. I. 338. a. Vsus in malis uteri. I. 254. b.
Liquoris myrrhæ usus. III. 375. a.
In præparatione medicamentorum ex myrrha quid observandum. III. 143. a.
Myrtillorum usus. III. 80. b. III. 510. b.
Mytilus. III. 80. b.
Myxaria. III. 112. b.

N.

NÆvorum maternorum ratio & cura. II. 930. a. b. & seq.
Napellus & antidotum ejus. III. 80. b. Napelli & anthoræ inimicitia. III. 14. b.
Naphtha. III. 333. a. III. 504. b.
Napi & seminis ejus usus. III. 80. b. III. 363. a.
Narcotica. III. 505. b. Virulentia eorum quomodo corrigatur. III. 116. a. II. 28. b.
Narcotica vis taxi. III. 120. a. Papaveris in quo consistat. III. 87. a.
Nicotianæ. III. 83. a. Mandragoræ. III. 74. a.
Narcoticus lethargus ejusque cura. II. 625. a. b. & seq.
Nardus. III. 117. a.
Nares. I. 11. a. I. 114. b. Earum vasa. I. 115. a. Narium & faucium consensus. II. 199. a. Narium meatus ad quid natura ordinaverit. I. 791. b. Narium membranæ irritatio variis modis fit. II. 199. b.
Narium vitia. II. 686. b.
Nares quomodo præservandæ in variolis. II. 963. a.
In narium hæmorrhagia cataplasma. I. 576. b. III. 608. a.
Frontale. I. 565. a. III. 569. b. Injectio. III. 597. b.
Electuarium in narium habituali hæmorrhagia juniorum. III. 536. a.
In narium obstructione Linimentum. I. 579. b. Majoranæ usus. III. 73. a.
Narium infantum obstructio. II. 956. b.
Nasalia. III. 363. b.
Nascale & ejus conficiendi ratio. III. 404. a. I. 317. b.
Nasturtium. III. 81. a. Nasturtina. III. 479. a.
Nasus & ejus partes. I. 114. a. Dolor. II. 674. a.
Nates & earum inchoamentum. I. 103. a.
Natura mater rerum. I. 657. a. Morborum medicatrix. I. 18. b. Ei citò, tutò, jucundè succurat Medicus, ejus minister. I. 18. b.
Res naturales quatenus morborum causæ. I. 162. b.
Sex res non-naturales. I. 162. b.
Navigatio submarina. I. 641. a.
Navigantium morbum & vomitum sistens crocus. III. 43. a.
Contra navigantium malaciam Sal. III. 498. b.
Nausea quid? II. 69. a. II. 31. a. 41. a. Causæ. II. 69. b. II. 615. b. I. 65. a. b. Cura. II. 72. b.
Nausea quomodo contingat. I. 416. a. I. 3. b.
Nauseam cohibens panis spiritus acidus. III. 112. b.
Sacculus contra nauseam. III. 601. a.
Nausea ab assumpto medicamine quomodo coercenda. II. 75. a.
Nauseabundi medicaminum quomodo decipiendi. III. 98. a.
Nausea gravidarum, ejus causæ, prognosis, cura. II. 868. a. b.
Nebucadnezar quando Regnum Babyloniæ arripuit. I. 445. a.
Neapolitanus morbus. II. 410. b.
Nebula oculorum. II. 634. a. & seq. Infusum contra tales nebulas. I. 574. a.
Necrosis. II. 515. a. II. 1029. a.
Nectar adstringens Langii. III. 7. b.
Nepetha. III 82. a.
Nephritis. I. 885. b. Ejus variæ species. I. 887. a. Ejus præservatio. II. 568. a. Cura. II. 566. a. & seq. Est per diuretica curanda. I. 284. b.
Nephritis notha in scorbuto ejusque cura. II. 452. a. b.
Nephritis cum inflammatione renum qua methodo curanda. III. 120. a.
Nephritica. I. 298. b. & seq. Tinctura Ammelungii. I. 357. b. Pulveres diuretici anti-nephritici. III. 529. a. Sal diureticum, Sal innephritide. III. 397. a. Emulsio nephritica, cathartica. III. 363. b. I. 567. a. III. 563. a. Ammoniacum. I. 344. b.
Contra nephritidem in secretis fuit Anserina. III. 14. b.
Nephriticus dolor lumbaris. II. 143. a.
Nephriticus Lapis. I. 397. b. III. 476. a. III. 238. a. Lignum, cui tamen substitui potest betula. III 21. b. 82. a. Tinctura nephritica Sulzbergeri. III. 467. a b.
Liquores nephritici. III. 375. b.
Nephriticum egregium Thee. III. 120. b.
Nephriticus spiritus. III. 476. b.
Cerevisia medicata contra nephritidem. III. 579. b.
In Nephriticis affectibus remedium ex asellis. III. 218. b.
In nephriticis doloribus ceræ olei usus. III. 217. b.
Balneorum usus in doloribus nephriticis. III. 603. a.
Emulsio temperans in affectibus nephriticis. III. 563. b.
Avellanæ usus in nephritide. III. 41. b.
Limonada anti-nephritica. III. 21. b.
Decoctum nephritico-diureticum. III. 587. b.
Aqua nephritica. III. 9. b.
Decoctum contra dolorem nephriticum. III. 11. a.
Unguentum contra dolorem nephriticum. III. 11. a.
Linimentum pro dolore nephritico. I. 580. a. III. 612. a.
In nephritide inutilis videtur infusio. I. 485. a.
Nerveæ partes corporis. I. 12. b. I. 2. a.
Nervorum constitutio. II. 27. a. II. 689. a.
Nervi ex cerebello distributi, eorum inchoamentum & radicatio. I. 11. b. I. 122. a.
Nervorum cum lunæ motu consensus ad extra. II. 615. b.
Nervi cur magis à Luna quàm Sole alterentur. II. 615. b.
Nervea structura & filamenta delicata. I. 764. a. 765. a.
Nervearum partium nutrimentum. II. 346. a.
Nervus auditorius. I. 10. b.
Nervi optici & motorii oculorum, eorumque thalami. I. 103. a. I. 111. a. I. 10. b.
Nervi læsi convulsio. II. 711. b.
Nervosi systematis cura. II. 27. b.
Nervorum vulnera, & eorum cura. II. 1007. a. b.
Nervi per transversum læsi cura. II. 1007 a.
Nervorum puncturas curandi ratio II. 1007. b.
In Nervi punctura unguentum Sculteti. III. 176. a.
In Nervorum affectibus oleum vulpinum conducit. III. 206. b.
Nervis dicata aromatica. II. 4. a. ibid.
Amuletum contra affectus nervinos. III. 7. b.
Nervina, acidum nervinum, frigiditatem & humidum nervorum corrigentia. I. 252. a. III. 496. b. I. 240. a. b. III. 499. b.
Nervina absorbentia, anodyna. I. 252. b. 253. a.
Nervinus balsamus. III. 343. a.
Nervina emplastra. III. 361. a. III. 505. b. III. 501. b.
Nervis inimica Mercurialia. II. 4. a. I. 374. a.
Nexus stramineus. I. 108. a.
Nicotiana. III. 485. b. III. 82. a. Duæ ejus substantiæ. III. 433. b.
Ejus usus. 250. b. I. 260. a. b. III. 433. b. Vis purgandi & utendi modus. III. 428. a. I. 875. a. Quomodo corrigi possit. II. 28. b.
Nidor quid? II. 58. b.
Nidorosa cruditas unde. I. 704. a. Cura. I. 705. a. b.
Nigella. III. 84. b. III. 500. b.
Nigellastrum. III. 84. b.
Nigredinis ratio. I. 10. b. I. 109. b.
Nihilum. III. 491. a.
Nihil Pompholygos. III. 307. a.
Nitrum quid? I. 350. a. & b. Ejus synonyma. III. 311. b. Veterum & nostrum.

nostrum. III. 310. b.
Ejus confectio. I. 350. b.
Ex tribus regnis parabile. III. 311. a.
Conspirat cum sale communi. III. 311. b.
Ejus correctio ad usum chymicum aut medicum. I. 350. b.
Ejus proba, qualitates. III. 311. b. *& seq.*
Ejus usus & utendi modus. III. 312. a. I. 350. b. III. 313. b. 314. a.
Nitri præparata. III. 312. a. III. 474. b. I. 351. a. Producta varia. III. 474. b. *& seq.*
Ejus Depuratio, Calcinatio. III. 312. a. I. 810. a. I. 350. b.
Destillatio, sublimatio. III. 313. a. b.
Regeneratio in capite mortuo seu terra exhausta, ab aere impregnata denuò. III. 321. a. I. 492. b. II. 2.5b.
Nitri balsamus. III. 509. a.
Nitrum cachecticum chalybeatum. III. 474. a.
Nitri clyssi. III. 474. a.
Nitri spiritus. I. 2. b. Ejus rectificatio & parandi modus. III. 474. b.
Spiritus nitri novus, bezoardicus. I. 370. a.
Unde acidum in nitri spiritu adeò mirabili formâ prodiens oriatur III. 311. a.
Tinctura nitri III. 474 b.
Nitrum vitriolatum, ejusque usus. I. 351. b. *& seq.* III. 474. a.
Nitri vis diuretica. I. 295. b.
Nitrum & nitrata in malignis cum diarrhœa vel vomitu coniunctis non conveniunt. III. 448. b.
Nix. III. 233. b. Per se nec calida nec frigida. II. 649. a. Usus ejus chymicus. I. 352. b. Menstruum. III. 368. a.
Noctambuli. II. 642. b.
Noctua ejusque usus. III. 210. a.
Nocturni dolores lue venereâ infectorum. I. 821. a.
Nocturno tempore magis affligentes quàm de die morbi. I. 821. a.
Nodi quales tumores.. 154. b.
Eorum cura. II. 989. b.
Sedi usus in nodis partium tendinosarum & nervosarum. III. 113. a.
Unguentum contra nodos. III. 413. a.
Nodulorum formulæ & præscribendi ratio. I. 569. a. III. 574. b. *& seq.*
Noduli alterantes cum limatura martis ex vegetabilibus. I. 390. a.
Nodulorum in malo hypochondriaco & scorbuto usus & formulæ. III. 440. a. b. *& seq.*
Noli me tangere. III. 19. a. II. 987. a. III. 84. b.
Non-entia Chymica. I. 407. b. Cautelæ in eorum determinatione. I. 407. b.
Nubeculæ obversantes oculis. II. 690. a.
Nubecula oculi. II. 634. a. Ejus causa, diagnosis, prognosis, Cura. *Ibid.* a. b.
Infusum ad nubeculas oculorum. I. 574. a.
Nummularia. III. 84. b.
Nuptorum noviter incantatio. II. 794. b. Cura. I. 796. a.
Nutrimentum corporis duplex. I. 436. a.
Ad nutrimentum corporis inepta. II. 360. b.
Nutrimentum partium corporis. I. 16. a. An sanguis, chylus &c. I. 85. a.
Quænam facultas illa, à qua nutrimentum assimilatur in substantiam cuique corporis parti homogeneam. I. 54. b. *& seq.*
Nutrimenti absumptionis varia quantitas pro varietate sexus, ætatis, vitæ. I. 62. a.
Nutrimentum embryonis. I. 12. b. Infantum. II. 928. *& seq.*
Ad nutrimentum fœtus quomodo chylus concurrat. I. 7. b.
Nutrimenti hujus defectus. II. 964. a.
Nutritio quid? I. 676. a. Ejus necessitas. I. 61. a. II. 358. *& seq.*
Ejus finis, subjectum, materia seu objectum. I. 62. a. b. Forma. I. 62. b.
Modus & ratio. II. 359. a. Fit successivè. I. 657. a.
Nutritionis quatuor ministræ facultates rejectæ. I. 64. a.
Ad nutritionem tria requisita. I. 423. b.
Nutritio & auctio ut differant. I. 6. a.
Nutritio partium à sanguine, chylo. I. 8. b.
Nutritionis læsio seu depravatio. II. 359. a. II. 378. b. Ejus Cura. II. 380. a. *& seq.*
Nutritio aucta. II. 375. b.
Nutritio præternaturalis ut fiat. I. 63. b. *& seq.*
Pro nutritione infusio est inutilis. I. 482. b.
Nutritio aloes, Sarcocollæ, unguenti, est frustranea. III. 415. a.
Nutritius humor quomodo ex sanguine fiat & partes nutriat. I. 63. a.
Nutrientia alimenta præcipua. II. 376. a.
Nutritiva vis lactis, ovorum sorbilium. II. 366. a. b.
Emulsio nutritiva. III. 563. b.
Nutrix, ejus officia. II. 929. a. b. *& seq.*
Nutricibus interdicta. II. 929. a. b. *& seq.*
Nutricum vitia. II. 930. b. *& seq.*
Nutricibus quatenus tradendus infans. II. 926. a. b.
Nutricum lactis examen. II. 925. b.
Nux. Nucum electuarium. III. 355. a.
Nucum olei usus. III. 501. a.
Nux Moschata. III. 497. a.
Nyctalopia. II. 630. b. II. 642. b. Ejus causæ, cura. II. 642. b.
Nymphæ in pudendis muliebribus. I. 128. b.
Nymphæa. III. 84. b. III. 511. b. Ejus oleum. III. 512. a.

O.

Obauditio. II. 643. a. b. *& seq.*
Obesitas. I. 15. a. Nimia. II. 375. b. (vid. *Corpulentia.*)
Quomodo obesi & hydropici discernendi. II. 387. b.
Obsessi à Dæmone sæpè habentur à vulgo, qui tamen sunt epileptici, II. 697 b. (vid. *Dæmoniaci.*)
Obstetricis officium in partu edendo. II. 875. b. *& seq.* 882. a. 885. b. *& seq.*
Officium ratione secundinarum. II 893. a.
Ursi pinguedo usui obstetricum inserviens. III. 206. a.
Obstructiones viscerum: quid de iis habendum? & an revelâ dentur. I. 13. b. I. 154. a. II. 166. a. b. Sæpè sunt ignorantiæ asylum. I. 410. a.
Obstructio partium quid? I. 335. a.
Obstructionum verarum morbi, eorumque Cura. I. 335. a.
Obstructiones unde? I. 154. a. b.
Obstructio non est causa morborum chronicorum. II. 3. a.
Obstructio alvi & imminens ileos cum hæmorrhoidibus apertis, I. 720. b.
Obtusum quid dicatur. I. 117. b.
Occallescentia. II. 1012. a.
Ochra eiusque usus. III. 228. a.
Ochra flava factitia. I. 391. b.
Oculus quid? I. 10. b. II. 630. a.
Oculi humores & tunicæ tres. I. 108. a.
Oculorum musculi sex septemvè motui inservientes. I. 110. b.
Oculi partes. I. 10. a. b. Secundariò constituentes. I. 110. b.
Cur oculus duplex, non tamen una res duplex appareat. I. 110. b.
Cur oculi percussi lucem in tenebris videre putent. I. 110. a.
Signa prognostica ex oculis. I. 191. a.
Oculi cancrorum, interque hos verps, & qui lapilli aliàs dicuntur, differentia. III. 212. a.
Oculorum affectus. II. 630. b. *& seq.*
Primarii eorumque causæ. III. 340. b. *&* 341. a. b.
Unde? I. 111. a.
In oculorum affectibus aqua ex stercore anserino. III. 207. a.
Bolus purgans in affectibus oculorum. III. 532. b.
Cepacea oculis aduersa. II. 4. a.
Chelidonii vis in oculorum cura. III. 33. b.
Collyrium pro oculo. III. 571. a. I. 565. b.
Epatis mustelæ usus ophthalmicus. III. 214. a.
Fellis lucii piscis usus ophthalmicus. III 213. b. Fellis piscium aliorum. III. 213. a.
Fel vulpis oculis conveniens. III. 206. b.
Infusum ad oculos à causa externa, v. g. aere pluvioso, ventoso &c. læsos. III. 580. b. I. 574. a.
Mellis aquæ destillatæ usus in oculorum affectibus. III. 217. a.
Ptarmica an conveniant in affectibus oculorum. III. 364. b.
Pulveres oculorum Sief vocati. III. 531. b.
Taraxacum multùm præstat in variis oculorum affectibus. III. 119. b.
Oculi caligine obscurati. II. 689. b.
Oculorum compressionis Cura. II. 660. a.
Oculorum in contusione Fotus. III 600. a. I. 574. b.
Oculorum dolor, ejus Diagnosis, prognosis, cura. II. 659. b.
Doloris lacerantis cura. II. 660. a.
Cataplasma in gravi oculorum dolore. II. 576. b. 577. a.
Pomorum usus in oculorum doloribus. III. 94. b.
Oculorum ad Epiphoram infusum. I. 574. a.
Oculis obversantes flammulæ, flocculi &c. II. 690. a.
Oculorum inflammatio vera, notha. II. 516. a.
Causæ & subjectum. II. 516. b Gradus. II. 516. b. *& seq.*
Diagnosis, prognosis, cura. II. 518. a. b. *& seq.* II. 659. b.
Epithema contra inflammationem oculorum. III. 571. a.
Collyrium contra oculorum inflammationem. I. 565. b.
Oculorum maculis conducens infusum. I. 574. a.
Oculorum nubeculas auferens infusum. I. 574. a.
Oculorum lippitudini conveniens infusum. I. 574. a.
Oculorum in livore Fotus. III. 600. a. I. 574. b.
Oculorum rubedinem tollens infusum. I. 574. a.
Oculorum pannos seu unguem tollens collyrium. III. 571. b.
Alceæ vulgaris majoris usus contra oculorum pannos. III. 9. a.
Sief sive pulvis ad oculi unguem. III. 531. b. I. 559. b.
Oculorum in sugillationibus Hyssopi usus. III. 64. b.
Oculorum vulneribus, percussioni conducens Cataplasma. I. 576. b.
Oculi in variolis quomodo præservandi. II. 963. b.

Oculos jumentorum conservandi usus Valerianæ apud Mulomedicos. III. 123. a.
Odontalgia ejusque causæ. II. 656. a. Diagnosis, prognosis, cura. II. 656. b. & seq.
Cura magnetica & transplantatoria. II. 658. a.
Gargarisma odontalgicum. III. 97. b.
Linimentum contra odontalgiam. I. 580. a.
Pilulæ ad odontalgiam. III. 556. a.
Sacculus contra odontalgiam. III. 601. b.
Unguentum in odontalgia & hemicrania. III. 613. a.
Odontalgia cum tumore maxillæ cura. II. 658. b.
Odontalgia gravidarum. II. 870. a.
Odor quid? I. 114. a. Unde. I. 11. a.
Odorum varietas & differentia unde. I. 11. b. III. 2. a. 2. b. I. 113. b. 114. b. II. 685. a.
Odoris mutatio unde. I. 733. a. b.
Odorum efficacia & miranda diffusio. I. 520. b. I. 666. a. I. 933. a. b.
Odor post lumen & lucem omnium maximè activus & penetrans. I. 933. a.
Cur odores tam varios producant affectus & alterationes in nobis. I. 115. a.
Cur quidam quosdam odores ferre nequeant. I. 933. a.
Odorum vis in venereis & genitalium affectibus. II. 838. a. b.
Odores suaveolentes cur fœminæ, & interdum viri ferre non possint. II. 835. b. 836. a.
Odor cæcus. I. 933. a.
Odor venereus. I. 933. a.
Odor alienus vas imprægnans, quomodo vinum, oleum, lac &c. corrumpat. I. 933. a. b.
Odor quatenus à tactu & gustu differat. I. 113. a.
Odoris constituens formale & materiale. I. 113. b.
Cur quædam bruta adeò acutum habeant odoratum. I. 114. b.
Odor restitutus, fugax. I. 114. a.
Odoratus. I. 113. a. Ejus organon. I. 11. a. I. 114. b. II. 685. a.
Quomodo fiat. II. 685. a.
Ejus cum gustu & tactu affinitas. I. 11. a. II. 685. a.
Odoratus depravatus. II. 687. b. (vid. *Olfactus*.)
Cur Coryza laborantes odoratu spolientur. I. 114. b.
Odorifera effluvia quæ? I. 113. b.
Odoriferorum duplex differentia. I. 318. b.
Odoriferum egregium anisi oleum. III. 14. a. b.
Oedema. II. 984. a.
Oedematosus pedum tumor post acutas unde. I. 834. a.
In pedibus œdematosis usus stercoris columbini. I. 207. b.
Oesophagi infantum vitia. II. 945. b.
Oesypus. III. 181. a. III. 504. a.
Olea arbor. III. 85. a.
Oleosa alexipharmaca quatenus usui. III. 447. a.
Oleosæ & salinæ particulæ in cæteras primatum obtinent. III. 2. a.
Sal volatile oleosum corrigentia. II. 10. a.
Oleum. Oleorum differentia à simplicium suorum virtutibus. I. 407. a.
Oleum, flamma &c. quantum physicè differant. I. 2. b.
Olei & sulphuris vox coincidens. I. 361. b.
Olei aciditas. I. 361. b. Acidum illud quomodo corrigatur. III. 85. b. 86. a.
Cur particulæ odoriferæ Jasmini, narcissi &c. nullâ arte destillando in oleum redigi queant. III. 70. b.
Olea sufficientia ad usum alexipharmacum. III. 440. b.
Olea ex animalibus destillata. III. 180. a. b.
Olea ex animalium pinguedinibus fiunt vel per liquefactionem, vel per destillationem. III. 380. b.
Olei ex animalibus usus & rectificatio. I. 405. a.
Olea composita. III. 501. a.
Olea per deliquium quæ dicantur? III. 375. a. Usus eorum. *Ibid.*
Olei destillati natura & ratio. I. 238. b. III. 378. b. III. 423. a.
Olea destillata sunt salia volatilia concentrata. I. 362. a. III. 379. a. Destillandi modus. III. 379. b. Quando herbæ pro oleis destillandis colligendæ. III. 379. b. Encheireses in oleorum destillatione observandæ. III. 379. b. Instrumenta destillatoria. III. 380. a. Vires & usus oleorum destillatorum. III. 379. b. III. 380. b. III. 423. a. Penetrantissima sunt & interdum internè minùs conveniunt. III. 501. a.
Olea destillata quatenus purgantibus adjicienda. III. 429. a.
Oleorum expressorum ratio. III. 381. a.
Olea per infusionem & coctionem parata. 381. a. 498. b.
Oleorum inunctoriorum ratio. III. 409. a.
Oleum radicum, lignorum, corticum. III. 2. a.
Oleum olivarum, Philosophicum. III. 85. a. 85. b. (vid. *Oliva*.)
Olea plantarum quædam cur pauciora reddant. III. 500. a.
Olei saponis, ex spermate ceti, &c. parandi modus. III. 380. b.
Oleum spleneticum. III. 481. a.
Oleum terræ ejusque usus. III. 333. a. *Ibid.* b.
Oleum vini. III. 499. b.
Olfactus læsio. II. 685. a. Causæ. II. 685. b. Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 686. a.
Olivarum olei usus & correctio. III. 501. a. III. 509. a.
Olor ejusque usus medicus. III. 210. a.
Omento intertexta vasa. II. 494. a. Usus ejus. *Ibid.* Tumores. *Ibid.*
Omphacium. III. 143. b.
Omphacinum oleum. III. 85. b.
Omphalocele. II. 159. a.
Onisci. III. 218. a.
Ononis. III. 85. b.
Opacum corpus quodnam dicatur. I. 109. a. Diversitas ejus ratione texturæ. I. 109. a.
Corpus opacum, politum, asperum. I. 10. b. II. 630. a.
Operationes animales quomodo exerceantur. II. 614. a. Earum diversitas unde. II. 613. b.
Corporis tres. I. 6. a.
Rationalium operationum defectus. II. 740. a.
Brutorum quomodo fiant. Ic. 689. a.
Ophioglossum. III. 86. a.
Ophites. III. 250. b. III. 455. a.
Ophthalmia, ejusque cura. II. 516. a.
Ophthalmica. II. 632. a. & seq. Tria præcipua. III. 51. a.
Remedium ophthalmicum Angeli Salæ. III. 451. b.
Aqua ophthalmica quomodo præparanda. III. 571. b.
Aquæ ophthalmicæ egregiæ. III. 339. b. 340. a. III. 436. a.
Aqua & oleum ophthalmicum ex calcatrippa. III. 25. a.
Aqua ophthalmica juniperina. III. 67. b. & seq.
Aqua ophthalmica Imperatoris Maximiliani. III. 207. a.
Ophthalmicum appropriatum fœniculum. II. 4. a.
Ophthalmica unguenta. III. 491. a. (vid. *Oculus*.)
Opinionum præconceptarum vis unde dependeat. I. 119. b.
Opisthotonon. II. 697. a.
Opiatum veteribus quid? I. 560. b.
Opiatorum ratio. III. 353. a. III. 486. b.
Opiata dicta necrotica. I. 739. a.
Opiata quomodo in spiritus agant. I. 520. a.
Opiata corrigendi modus. I. 735. b.
Opiata in quibus morbis frustranea. III. 509. a.
Opiata an in affectibus catarrhalibus conducant. I. 823. b.
Opiata vespertino tempore propinanda. I. 735. b.
Opiatorum usus in gravidis. II. 866. b. Cautè iis propinanda. I. 726. b.
Opiatorum usus in pleuritide. II. 505. b.
Opiata bezoardica Timæi à *Guldenklee*. II. 113. a.
Opium. III. 143. b. III. 506. a.
An frigidum sit, nec ne. III. 144. a.
An sit venenum? an medicamentum. I. 555. b. III. 145. b.
Præparatio ejus & correctio, modusque legitimè usurpandi. III. 145. b. & seq. III. 506. a. Correctiones veræ & inutiles. I. 348. a.
Præparata ejus in forma sicca & humida. I. 735. b.
Dosis. III. 147. b. Virtus & efficacia. II. 4. b. I. 24. a. I. 348. a.
Effectus in partes contentas seu liquidas. I. 514. a. b. & seq.
Propinandi ratio. I. 24. a. b.
Usus & operandi ratio. III. 144. a. I. 348. b.
Usus legitimus quatuor cautelas præsupponit. I. 322. b.
Usus nervinus. I. 253. a.
Usus antifebrilis. II. 303. b.
Virtus diaphoretica & sudorifera. I. 514. a. I. 516. a.
In quibus casibus sudoriferis miscendum. I. 523. b.
Usus in corrigendo spirituum motu. I. 321. a.
An opium vomitum provocet, sistatve. I. 735. b. I. 521. a.
An urinam & secessum promoveat. I. 521. b. & seq.
An lochiorum fluxum adjuvet. I. 522. a.
An Phthisicis conducat. I. 522. a. b.
An criticum naturæ motum inhibeat. I. 523. a.
An in dysenteriæ cura commodè usurpetur. III. 145. a.
An purgantibus permisceri aut præmitti possit. III. 145. a.
An in mensium fluxu dari possit, si anxietates præcordiorum & alia urgeant. III. 145. a.
An infantibus æquè ac mulieribus gravidis conveniat. III. 145. a.
Opobalsamum. III. 19. b. III. 499. a. An apud nos sit genuinum. III. 134. a.
Opomphalia. I. 283. b. Unguenta opomphalica. III. 412. a.
Opopanax. III. 147. b. III. 177. b.
Oppilationes unde. I. 154. b.
Oppodeldoch emplastrum. III. 361. b.
Opticus nervus. I. 10. b.
Optici nervi vitium. III. 640. a.
Orbiculi quid? & eorum præscriptio. I. 561. a. b. (vid. *Rotula*.)
Orchis. III. 109. b.
Organa sensoria. I. 10. a.
Organorum corporis respectus ad actiones humanas. I. 410. a.
Organicas partes in corpore constituentia. I. 4. b. II. 5. b.
Orgasmus quid? unde? I. 526. a. b.

Orgasmus metaphoricus. I. 526. a. b.
In orgasmo non præcipitantia, sed temperantia locum habent. I.531.a.
Orichalcum & ejus compositio. I. 390. b. III. 246. b. III. 275. b.
Orificii superioris ventriculi spasmus à fungis. I. 718. a.
Origanum. III. 86. b. III. 500. b.
Ornatus medicaminum ratio. III. 522. a.
Orthopnœa. II. 179. a. Cura ejus. II. 190. a. b. & seq. Levis. I. 712. b.
Decoctum ad orthopnœam. I. 251. b.
Orthostaseos doctrina. I. 137. b.
Orvietani usus exiguus. III. 447. b.
Orvietanum electuarium. III. 355. a. 356. a.
Os. Oris divisio. I. 66. b.
Ore inspiratus aer majorem impressionem habet, quàm naribus
Ore aperto non dormiendum. I. 791. b.
temperatus. I. 791. b.
Oris in affectibus convenientia. III. 516. a.
Oris scorbuti cura. II. 449. a. In oris scorbuto pulvis. III. 531. a.
Oris tortura, vid. *Spasmus cynicus*.
Ossa quid. I. 51. a. Unde. I. 122. a. An ex sanguine. I. 51. a.
Ossa animalium in locis subterraneis reperta à vaporibus calcinata. III. 344. a.
Ossium usus. III. 448. b.
Ossa quæcunque calcinata, vulnera consolidandi vim habent. III. 181. a.
Ossium caries ex lue venerea. II. 425. a.
Ossium fracturis conducentia emplastra. III. 517. b.
Ossium frustula ex vulneribus extrahendi ratio. II. 999. b.
Ossa humana eorumque usus. III. 198. a. b.
Ossa humana an præ aliis aliorum animalium ossibus singulare quid obtineant. III. 198. a. III. 452. a.
Ossium ex homine violenter interempto prærogativa. III. 503. a.
Ossium humanorum præparatio. II. 198. b.
Ossis sepiæ usus vulnerarius &c. I. 338. b. III. 518. a.
Os sphœnoides. I. 112. b.
Osteocolla. III. 251. a. III. 519. a.
Usus ejus vulnerarius. I. 338. b. In fracturis ossium. III. 251. a.
Osteocollæ magisterium. II. 824. a.
Ostocopos dolor. III. 651. b. II. 988. b. Cura ejus. II. 426. a. II. 655. a.
Ostracoderma quid? III. 415. b.
Ostracodermatum usus. III. 419. a.
Ostreæ earumque virtus & usus. III. 213. a. b. III. 214. b. III. 453. a.
Usus diaphoreticus seu sudoriferus. I. 307. a. b.
Otalgia, ejus causæ, diagnosis. II. 660. b. & seq. Prognosis & Cura. II. 661. a.
Otiosa intemperantia Medicorum nutrix. I. 15. a.
Ovis, ejusque usus in Medicina. III. 201. b.
Ovium amuletum dulcamara. III. 11. b.
Ova. III. 208. b. Sunt automata. I. 48. b.
Subventanea seu hypomenia. II. 860. a.
Ova die viridium exclusa an prodant pullos singulis annis pennas mutantes. III. 208. b.
Ovorum usus. III 208. b. & seq.
Ovorum testæ unde? III. 208. b. Earum usus diureticus. I. 298. a.
Ovi vitellum. III. 512. b.
Ovorum sorbilium usus in atrophia. II. 366. b.
Ovorum præparata. III. 208. b. & seq. III. 512. b.
Electuarium de ovo. III. 355. a.
Ova mulierum. I. 12. a. II 777. b. Eorum numerus. I. 127. a.
Ova generare etiam viviparas & mulieres. I. 126. b.
Ovorum tàm viviparatum quàm oviparatum nubeculæ seu cicatriculæ, gemmulæ in semine plantarum correspondentes. I. 658. a.
Per quæ vasa ova muliebria deferantur in uterum. I. 127. a.
Ovaria in mulieribus, eorumque situs. I. 12. a. I. 127. a. II. 777. b.
Ovipara animalia quæ? II. 777. b.
Oviparæ mulieres. I. 12. a.
Ovipara & vivipara animalia non differunt essentialiter I. 126. b.
Ovula mulierum. I. 12. a. II. 777. b.
Ovulorum genitalium magnitudo. II. 851. a. Constitutio. II. 851. b.
Ovum, qualis morbus? II. 663. a.
Ovum Philosophicum quid? III. 257. a.
Oxalis. III. 6. b.
Oxycrocea emplastra. III. 502. a.
Oxylapathum. III. 518. a.
Oxymel, Oxymellita. III. 407. a. III. 584. a. I. 558. a. I. 572. a.
Ejus exempla. III. 584. a.
Oxymel diureticum, laxativum. I. 572. a.
Oxymel scilliticum. III. 112. a.
Oxyrrhodina quid sint? III. 570. a. b.
Oxysal. III. 418. a.
Ozæna. II. 687. b.
Mistura contra Ozænam. III. 571. b. I. 566. a.

P.

PÆoniæ usus. III. 500. b. Colligendi Pœoniam tempus. III. 500. b.
Pæoniæ nuclei. III. 363. a.
Palati caries ex lue venerea. II. 425. b.
Palati infantum vitia. II. 945. b.
Pallor, cachexiæ signum. I. 868. b.
Pallor virginum. II. 831. a. Ejus Cura. II. 385. a. b. II. 832. a.
Palma. III. 86. b.
Palma Christi. III. 109. b. III. 110. a.
Palpebræ. I. 110. b.
Palpebrarum paralysis. II. 631. a. Ejus cura. *Ibid.*
Palpebrarum à variolis obsessarum cura. II. 963. b.
Palpitatio cordis. II. 346 b. (vid. *Cor.*)
Cachecticarum. II. 834. a.
Gravidarum. II. 870. a.
In pleuritide unde? I. 873. a.
Palumbus. III. 210. a.
Pampini. III. 126. b.
Panaceæ an dari possint & actu dentur? I. 217. b. II. 1032. b.
Sunt tales secundùm quid, non simpliciter. I. 217. b.
Unde parentur. III. 423. b. 424. a.
Quomodo iis utendum. I. 217. b. (vid. *Medicamenta universalia.*)
Fundamentum curationis per panaceas. II. 11. a.
Panacea Holsatica. III. 313. a.
Panacea solaris. III. 424. a.
Panaritii cura transplantatoria. I. 24. b.
Pancreas quid? I. 75. b.
Pancreas Asellii. I. 78. a.
Pancreatis inflammatio, tumor scirrhosus. II. 493. b.
Pancreaticus dolor lumbaris. II. 143. b.
Pancreaticus succus, ejus acor unde? I. 414. a.
Ejus utilitas. I. 7. b. I. 414. a.
Ejus effervescentia. II. 86. a.
Pancreaticum succum vitiosum corrigentia. I. 245. a.
Pandaleon. I. 558. a. III. 541. b.
Panificii artificium in quo consistat. III. 112. b.
Panis natura. III. 512. a.
Fermentatio. I. 14. b.
Præparatio legitima. I. 165. a. I. 403. b.
Vis nutritiva. I. 680. b.
Est Theriaca alimentorum. I. 165. a.
Cur nunquam sui nauseam pariat. III. 112. b.
Cur quidam abhorreant. I. 65. a. b.
Usus & parabilia inde. I. 14. b. I. 403. b.
Calidus. III. 512. a.
Destillatus. III. 512. a.
Martius, vid. *Massa panis.*
Panes melliti. III. 113. a.
Medicatus, solutivus. III. 122. b.
Spiritus, dum coquitur, analepticus, omnibus perlatis aquis præferendus. III. 112. b.
Spiritus panis acidi usus chymicus. III. 113. a.
Panniculi carnosi processus. I. 124. a.
Pannus oculi, ejus causæ, diagnosis, prognosis, cura. II. 631. b. & seq.
Panus. II. 982. a.
Papaver non est venenosum. I. 456. a.
Album, nigrum. III. 507. a.
Erraticum. III. 87. a. III. 507. a.
Sativum. III. 86. b.
Papaverculum. II. 927. a.
Papaverina. III. 507. a.
Papillæ cutis. I. 516. b. Linguæ. I. 116. a.
Papillarum defectus. II. 924. a.
Papillarum fissuræ. II. 924. a.
Papillaria capitula. II. 11. a.
Papula fera quid? II. 466. b.
Paracelsus per se fuit indoctus, & plura mutuò accepit ab aliis. I. 341. b. In re facti verissimus, sæpè aliàs fallit. III. 499. b.
Paracentesis. II. 395. b.
Paracoculi unguentum. III. 517. b.
Paracynanche. II. 478. a.
Paralysis. II. 731. b. Quid? II. 732. a. Ejus causæ. II. 732. b. Divisio. II. 732. b.
Diagnosis, Prognosis. II. 734. b. Cura. II. 735. a.
Balsamus antiparalyticus. III. 343. a.
Decoctum in paralysi. III. 583. a. I. 572. a.
Formicarum usus in paralytica debilitate. III. 512. b.
Hydromel paralyticum. III. 583. b. I. 572. a.
Infusa ad paralyticos affectus. III. 580. a. I. 573. b.
Mistura antiparalytica. III. 96. a.

Olea

Olea antiparalytica. III. 501. a.
Pilulæ contra paralysin. III. 543. a.
Unguentum in paralyticis affectibus. III. 316. a. b.
Paralysi linguæ conducens oleum picæ. III. 117. a.
Paralysi nothæ conveniens Abietis usus. III. 4. a.
Paralyseos scorbuticæ cura. II. 457. b.
Experimentum Barbete in paralysi scorbutica. III. 16. b.
Westphalorum remedium contra paralysin scorbuticam. II. 206. b.
Paraphimosis. II. 422. a. Ejus causæ, cura. II. 800. a.
Paraphrenitis. II. 494. b. 746. b.
Paraplegia, Paraplexia. II. 715. a. 729. a. Est species apoplexiæ, non paralyseos. II. 732. a. Ejus differentia à paralysi. III. 732. a.
Causæ II. 729. b. Prognosis & Cura. II. 730. a.
Parasynanche. II. 478. a.
Parentum & fœtus similitudo unde. I. 411. a.
Quomodo parentum character & ideæ morbosæ in infantem deriventur. I. 423. b.
Paresis quid? II. 732. a. Ejus cura. II. 735. b. 737. b.
Parietaria. III. 87. b. Ejus usus diureticus. I. 296. a.
Paris herba ejusque usus. III. 88. a. III. 444. b.
Paris vagi mirabilis structura. I. 763. b.
Paronychia. II. 982. b. Ejus cura transplantatoria. II. 1033. b.
Parotides. I. 112. b. II. 980. b.
Parotidum pestilentialium cura. II. 341. a.
Paroxysmus. Quomodo ante, in, & post paroxysmum æger se gerere debeat. I. 194. b.
Partes machinæ nostræ quales. I. 13. a.
Partium corporis divisio in duras & molles probè observanda à chirurgo. II. 969. a.
Partium corporis consensus. I. 763. a. Fluidarum cum solidis conspiratio. I. 426. b.
Partium nutrimentum duplex. I. 16. a. Partes corporis nutriuntur & formantur partim seminali seu chylosa, partim sanguinea materia. I. 8. b.
Partes similares, dissimilares, organicæ. I. 4. b.
Partium solidarum vitia an corrigat chirurgia infusoria. I. 430. a.
Partes spermaticæ, sanguineæ, nerveæ, carneæ. I. 12. b.
Particulæ quadruplices in compositis. I. 38. b.
Particularum corpus componentium seu constituentium numerus & texturæ. I. 3. b.
Particularum motus. I. 3. a.
Particulæ exhalantes ex corporibus mistis. I. 113. a.
Particulæ mistorum ex quibus immediatè constant, non præexistunt extra corporum compositionem. I. 39. a. An sint transmutabiles invicem. I. 39. a. Inter eas salinæ primatum obtinent. I. 39. b.
Parturientium regimen. II. 875. a.
Parturiendi ratio. I. 12. b.
Parturiente mortuâ, fœtu vivo, quid consilii? II. 889. a.
Parturientibus convenientia remedia. III. 484. a. b.
Parturientium dolores legitimi & nothi. II. 875. b.
Dolorum nothorum causæ, diagnosis. II. 881. b. & 882. a. b. A veris differentiæ. II. 881. b. 882. a. b. Prognosis, cura. II. 882. b.
Partus quid? ejus constitutio. II. 875. a.
Quomodo fiat naturaliter. II. 876. a. I. 135. a.
An in partu ossa pubis & ilei diuellantur. I. 135. b.
Dolor & difficultas pariendi virginum adultiorum & primiparaum. I. 135. b.
Causa impulsiva & stimulus. I. 136. a.
Situs vitiosus & inversio. II. 876. b. 881. a. Quomodo & quatenus in naturalem situm reponendus. II. 881. a. b. II. 876. b.
Quando contingat. II. 875. a. I. 135. a.
Tempus partus quomodo computandum. II. 876. b.
Ad partum quando cogendæ mulieres. II. 875. b. 882. a.
Post partum quid faciendum. II. 891. b.
Partus læsiones. II. 876. a.
Partus immaturus. II. 877. a Septimestris, octomestris, undecimestris duodecimestris; vitalis, lethalis; legitimus, illegitimus &c. I. 12. b II. 876. a. b.
Partus naturalis, & non-naturalis. II. 876. b. 881. a.
Symptomata in post partum. I. 136. b. II. 881. b.
Partus difficilis & omnium periculosissimus. II. 881. a.
Partum septimestrem esse & legitimum, quomodo cognoscatur. II. 876. a. b.
Partus difficilis causæ. II. 883. a. Diagnosis, prognosis. II. 884. a. b. Cura. II. 884. b.
Post partum difficilem tumescentibus inguinibus & gangrænam dantibus beccabungæ usus. III. 13. a.
Partum stimulantia. II. 886 a.
Partum promovens formula. III. 485. a.
In Partu difficili jecoris anguillæ usus. III. 211. a.
Insessus ad partum facilitandum. I. 575. a.
Seminis momordicæ usus ad partum facilitandum. III. 78. b.
Pilæ rupicapræ &c. usus in partu difficili. III. 495. a.
Partum promoventes pulveres. III. 398. a. III. 529. b.
Dolores in & post partum iidem differunt saltem ratione temporis & subiecti inferentis. I. 937. b. Vnde? I. 941. b.
Dolores post partum veri, nothi, cum Cura. II. 902. a. b. *& seq.*
Dolores post partum cum urinæ suppressione & lochiorum retentione. I. 935. b. Cura. I. 939. a. b.
Dolorem post partum sopiens spiritus secundinæ humanæ. I. 405. b.
Abdominis tumor, post partum remanens. I. 938. a.
Inflammatio uteri cum gangræna post partum. II. 906. b.
Parus. III. 210. a.
Passer ejusque differentia & usus medicus. III. 210. a.
Vulgaris, troglotites. III. 210. a.
Ejus stercus. III. 487. a.
An passeres reddant epilepticos? III. 210. a.
Passio hysterica. II. 834. b. Ejus symptomata. II. 834. b. Subiectum, causæ. II. 835. a. Autoris hypothesis. II. 836. b. *& seq.* Modus & ordo, quo fit. II. 837. b. *& seq.* Est vel habitualis vel accidentalis. II. 838. b. Diagnosis, prognosis. II. 839. a. Cura. II. 839. b. Casuum aliquot enarratio. II. 846. a.
Passiones hystericæ puerperarum. II. 904. b.
Passulæ. III. 126. b. III. 507. b.
Corinthiacæ. III. 126. b.
Ex iis præparata. III. 507. b.
Laxativæ. III. 357. b.
Looh de passulis. III. 128. a.
Passularum usus antihypochondriacus & antiscorbuticus. II. 441. b. Vsus purgatorius. III. 429. b. *& seq.*
Pasta regia. III. 541. b. I. 558. a.
Pastinaca domestica, sylvestris. III. 88. b. Ejus usus diureticus. I. 296. a.
Pastus. Morsulorum post pastum usus. III. 378. a.
Pathemata animi. II. 426. b. *& seq.* (vid. *Affectus*.)
Pathologia. I. 13. a. I. 137. a. Circa quid in Medicina versetur. I. 1. b.
Pavana lignum. III. 88. b.
Pavo eiusque usus in Medicina. III. 210. a.
Pavonis specula. III. 453. b. Stercus. III. 486. b.
Pavonius lapis. III. 250. b. II. 489. a.
Pavoris noxa. I. 169. a.
Pavores in somno infantum. II. 947. a.
Pavores infantum unde. I. 504. a. Cura. I. 511. b.
Emulsio pro pavoribus nocturnis infantum. III. 93. b.
Pavorum nocturnorum, præcipuè infantum, medela. II. 198. a.
Pectoralia. III. 485. a. Alterantia. I. 249. a.
Aquæ & olea pectoralia. III. 485. a. b.
Claretum pectorale. III. 578. b.
Decoctum pectorale. III. 510. a. II. 503. a. Aperitivum & incisivum. III. 496. a. Ad tussim à frigore &c. I. 572. a.
Hydromel resolvens & incidens pectorale. I. 572. a.
Morsuli pectorales eorumque usus. III. 378. a.
Oxymel pectorale. III. 584. a. Cum Agarico Altenburgensium. III. 407. b.
Pulvis pectoralis. III. 510. a. Pulvis pectoralis balsamicus Rolfincii. III. 380. b.
Pectoris affectus in Variolis curandi ratio. II. 963. b.
Pectoris in affectibus catarrhalibus cum tumoribus glandularum &c Decoctum. I. 571. b.
Pectoris hydrops. II. 610. a. Ejus causæ, diagnosis. II. 610. b. Prognosis, Cura. II. 610. b. *& seq.*
Pectoris vulnera. II. 1008. a.
Pecudum pro cura medicina catholica mulomedicorum. III. 189. b.
Pedes. Pedum dolores. II. 674. a. Dolores pedum mitigantia. I. 254. a.
Pedum fissuræ ex lue venerea. II. 425. a.
Plantæ pedum titillatio. II. 834. b.
Pedum tumor post acutas unde? II. 834. a.
Pedicularis affectus infantum. II. 959. b.
Pedicularis herba. III. 117. b.
Pediculi eorumque usus medicus. III. 222. b.
Asinum solum inter omnia animalia pilosa carere pediculis. III. 182. a
Pediculis fugandis optimè conveniunt Cocculi orientales. III. 39. a.
Pediculos expellens remedium. III. 517. b.
Lavendulæ florum aqua insignis omnis generis pediculorum hostis. III. 117. a.
Linimentum ad pediculos. III. 612. a. I. 580. a.
Lixivium juniperinum contra pediculos. III. 67. b.
Lotio pro enecandis pediculis. III. 605. a.
Rutæ usus contra pediculos in indusiis. III. 104. b.
Unguentum nicotianæ contra pediculos. III. 83. a.
Zibethum fugat pediculos. III. 190. a.
Pediluvium. I. 575. b.

Pediluviorum præparatio, usus, & præscribendi modus. III. 605. a. b.
Pediluvium ex endivia. III. 49. a.
Pediluvium ex formicis in debilitate pedum vel paralytica. III. 512. b.
Pediluvia vulgaria. III. 498. a.
Pelles cur calorem causentur. II. 611. b.
Penetrantia. I. 318. b.
Penis structura. I. 124. b. Ejus usus. I. 215. a.
Caruncula, ejus causæ, cura. II. 793. b. Penis carunculam curat sal ex melle. III. 217. b.
Dolor. II. 800. b.
Erectio aucta. II. 797. a.
Erectio deficiens. II. 794. a.
Erectio depravata & læsa. II. 793. a. 799. a.
Frænuli & præputii vitia. II. 799. b.
Inflammatio. II. 800. b.
Retractio omnimoda. II. 799. a.
Tumor præternaturalis. II. 799. b.
Turgescentia & erectio differunt. II. 793. a.
Pentaphyllon. III. 98. b.
Pepsis læsa. II. 58. a.
Peptici. I. 559. a. Peptici pulveres. III. 530. b.
Perca ejusque usus medicus. III. 214. b.
Percussio. II. 976. b.
Perdicis usus medicinalis. III. 210. b.
Peregrina domesticis non semper præferenda. III. 1. a.
Perfoliata. III. 88. b.
Perforata. III. 88. b.
Pericardii hydrops. II. 603. b.
Perinæi ruptura post partum. II. 906. a.
Peripneumoniæ & pleuritidis differentia. II. 494. b.
Causæ, cura &c. II. 495. a. b. *& seq.* (vid. *Pleuritis.*)
Peripneumonia pestilentialis. II. 329. a.
Julepus in peripneumonia. III. 567. a.
Perlæ (vid. *Margaritæ.*) Non sunt meliores concharum testis. III. 453. a.
Perlarum usus. III. 512. a. b.
Perlas solvendi, extrahendique vitriolum vegetabile, ratio. III. 66. a.
In perlis solvendis aceti ex melle usus. III. 217. b.
Mater perlarum quid sit? ejus vires & usus. III. 214. a.
An sit ejusdem cum perlis naturæ. III. 242. b.
Materia perlata Crugneri. III. 424. a.
Permittentia. I. 201. b.
Perniones. II. 983. a.
Persica malus. III. 89. a.
Persicorum nuclei. III. 363. a. Emulsio. III. 363. a.
Persicaria. III. 89. b. III. 516. a.
Siliquosa lutea. III. 19. a.
Perspiratio insensibilis solet esse longe plenior, quàm omnes sensibiles simul unitæ. I. 61. a.
Perturbatio melancholica. II. 751. a. b.
Pervigilium. II. 616. b.
Peruviani Corticis adulteratio. I. 539. b.
Peruvianum Balsamum. III. 499. a.
Pessaria { quid? eorumque ratio. 317. b. III. 403. b.
Pessi { I. 558. b.
Pestis & febrium pestilentialium consideratio. II. 329. a.
Bubonaria propriè sic dicta. II. 329. b. Quid? II. 329. b.
Causæ. II. 329 b. II. 299. b. *& seq.* Propagatio popularis. II. 330. a.
Affligendi modus. II. 330. a. Periculosior quæ. II. 330. b.
Ejus malignitas in quo consistat. II. 297. b.
Symptomata varia. II. 330. b.
Signa diagnostica. II. 330. b. Prognosis. II. 331. a.
Præservativa remedia. II. 301. b. *& seq.* II. 332. a. b. *& seq.*
Cura pestis. II. 335. a.
Pestem curandi verum modum interiisse. I. 27. b.
An detur remedium antipestilentiale. III. 185. b.
Alexipharmaca in peste singulis 8. horis repetenda. II. 335. a.
Alexipharmacum pro quacunque peste vix datur. II. 336. b.
Somnus arcendus. II. 335. b. Agrypnia, delirium in peste. II. 335. b. Ardor intensus. II. 335. b.
Acidorum, vesicatoriorum usus. II. 335. b. *& seq.*
Venæsectio, purgatio, vomitoria an conducant. II. 336. a.
Ulcera aperta in peste diu servanda. II. 336. a.
Contra pestem remedia & formulæ. III. 204. b. II. 338. a. b. *& seq.*
Symptomatum pestis cura. II. 339. a. b. *& seq.*
Quatuor simplicia, quæ Mithridates pro arcanis in peste habuit. III. 104. a.
Allium insigniter in peste prodest. III. 10. b.
Aqua prophylactica in peste. III. 66. b.
Balsamus Bezoardicus pestilentialis. III. 343. a.
Bufonum & Camphoræ in peste usus. II. 336. b.
Ceparum in peste usus. III. 31. a.
Extractum pestilentiale Tychonis de Brahe. III. 370. a.
Elixyr pestilentiale. III. 358. b.
Morsuli præservativi in peste. III. 540. a.
Pilulæ pestilentiales. III. 431. a. Pilulæ sudoriferæ. III. 13. b.
Rotulæ antipestilentiales. III. 13. b.
Scordii usus in peste. III. 111. a.
Vehicula remediorum antipestilentialium. II. 336. b.
Contra Vomitum febrium pestilentialium. I. 565. a.
Bubonibus pestilentialibus avium podices applicati. III. 206. b.
Petasites. III. 90. a.
Petechiæ, earumque cura. II. 312. b. *& seq.* Formula pro evocandis petechiis. III. 452. a.
Petechialis febris maligna. I. 841. a. Cum diarrhœa colliquativa. I. 841. b.
Petroleum. III. 333. a. III. 504. b. Cum succino an sit ejusdam naturæ. III. 331. a.
Petroselinum. III. 90. a.
Petum quod non attingit, attingit colocynthis. III. 426. b.
Quicquid non attingit Agaricus, attingit petum. III. 426. b.
Oxymel de peto simplex, ejusque usus. III. 433. b.
Peucedanum. III. 90. b.
Phagedæna ulcera. II. 1018. a.
Aqua phagedænica Chirurgorum Gallorum. III. 245. b.
Phalaja. III. 424. a.
Phantasia. I. 11. b. I. 118. b. II. 688. b.
Phantasticum pharmacum. III. 47. b.
Pharaonis edictum de necandis liberis quando editum. I. 444. b.
Pharmaceutica. III. 334. a. Est ministra Therapevticæ. I. 1. b. Præsupponit cognitionem simplicium. I. 1. b.
Medicamentorum pharmaceuticorum divisio. III. 334. a. Eorum triplex scopus. III. 334. a.
Arabes rem pharmaceuticam magis auxere quàm Græci. III. 404. b.
Pharmaceuticum Collegium. III. 1. a. *& seq.*
Pharmacia est pars Medicinæ. I. 32. b.
Pharmacopœorum Evangelista Joh. Mesue. I. 28. b.
Ptarmica mistura. I. 566. a.
Phaseolus. III. 90. b.
Philonium Mesue Persicum, Romanum, & Tharsense. III. 355. a.
Philosophiæ primarium fundamentum Pyrotechnia. I. 2. a.
Aqua Philosophorum. III. 339. a.
Philtra quibus, à quibus possint propinari. II. 773. b. II. 487. b.
Eorum divisio. II. 773. b. Effectus. II. 773. b. Vermes ex philtro. II. 775. b.
Falsa unde parentur. II. 773. b.
Vera, naturalia & determinata an dentur. II. 774. a. I. 329. a.
Eorum vis in quo consistat. I. 25. a.
Philtra magica. II. 774. a.
Artificialium ratio. I. 329. a.
Causa operationis eorum. II. 774. b. Diagnosis, prognosis. II. 775. a.
Historia de philtro in pomo recondito, nigricante, mox ranas gignente. II. 775. b.
Philtri Cura. II. 775. a.
Philtri ex sanguine menstruo cura. II. 776. a.
Philtri magicis cura. II. 775. a.
Philtri jam ad maniam accedentis cura. II. 776. b.
Vomitivum & laxativum egregium post assumptionem philtrorum. III. 107. a.
Phimosis. II. 422. a. II 799. b. Ejus causæ, cura. *Ibid.*
Phimosis in gonorrhœa virulenta, ejusque cura. I. 922. b.
Phlegma quid? I. 341. a.
Phlegma ex animalium Chymica resolutione. III. 180. a.
Phlegmatis ex animalibus producti usus. I. 404. b.
Phlegma radicum, lignorum, & corticum. III. 2. a.
Phlegma Spagyricorum principium passivum. I. 2. a.
Phlegmaticæ corporum particulæ quæ dicantur. I. 42. b.
Phlegmatici qui? I. 4. b. I. 915. b.
Phlegmones. II. 975. b. Testium. II. 781. b.
Phlogosis (vid. *Inflammatio.*) Ejus ratio & cura. I. 332. b.
Phlogosin corrigentia. II. 10. a.
Camphoræ usus in phlogosibus. I. 333. b.
Potus medicatus in phlogosi renum, lumborum. I. 570. b.
Pulvis absorbens contra phlogoses. III. 527. a.
Pulvis in vaga corporis phlogosi. III. 527. b.
Ranarum pulveris & spermatis usus in phlogosibus. I. 334. a.
Saturni usus in phlogosi. I. 391. b.
Plogoseos in phthisi cura. II. 368. b.
Phlyctænes. II. 636. a.
Phlyctenes quid sint? II. 467. b. Causæ, prognosis, cura. *Ibid.*
Phrenitica deliria unde. I. 10. a. II. 614. a.
Phrenitici quomodo differant à maniacis. II. 762. b. 764. b.
Phrenitis quid? II. 514. b. II. 746. b. Ejus Causæ. II. 515. a. II. 746. b.

Diffe-

Differentiæ. II. 747. b. Diagnosis. II. 515. b. II. 747. b.
Prognosis. II. 515. b. II. 748. a. Cura. II. 515. b. II. 748. b.
Quid faciendum, si phrenitici urinam retineant. II. 751. a.
Phthiriasis infantum. II. 959. b.
Phthiriaseos cura. II. 960. a.
In phthiriasi coculorum orientalium usus. III. 39. b.
Unguentum nicotianæ in phthiriasi. III. 83. a.
Phthisis qualis morbus. II. 361. b. Pulmonalis, renalis. II. 361. a.
Vera, notha. III. 508. b. Eius tres gladus. II. 365. a.
Differentia ejus à tabe & atrophia. 855. a.
Ejus causæ primariæ. II. 362. a. Diagnosis. II. 363. a.
Signa, an sit ex stomacho. II. 363. b. 364. a. An à visceris interni exulceratione. II. 365. b.
Prognosis. II. 365. a. Cura. II. 365. b.
Perfecta & confirmata rarissimè curatur, potest tamen vita diù conservari tribus mediis. II. 366. a.
Formula in Phthisi. II. 59 b.
Crocus antiphthisicum egregium. III. 43. a.
Decoctum in phthisi pectorali. III. 587. a.
Decoctum ex Ch n e radice in phthisi. III. 35. a.
Infusio an prosit phthisicis. 472. a. 484. a.
Electuarium in phthisi. III. 355. b
Oleum lini remedium egregium in phthisi. III. 71. b.
Pilulæ in cura phthiseos. III. 135. a.
Pilulæ in phthisi confirmata pro tussi, sudore &c. nocturnis. III. 546. a. I. 563. a.
Rotulæ pectorales contra phthisin. III. 539. a.
Santali rubri usus antiphthisicus. III. 511. b.
Scordii usus in phthisi. III. 111. a.
Tinctura antiphthisica. III. 514. a.
Tinctura olei mellis phthisicis conveniens. III. 217. b.
Tinctura antiphthisica D. Michaelis. I. 392. a.
Vulpis caro comesta egregia in phthisi. III. 206 b.
Symptomata in phthisi mitigantia. II. 372. b. Diæta. II. 373. b.
Phthiseos catarrhalis ortus. II. 364. a.
Phthisis cum febre hectica. I. 859. a.
Phthisis pulmonalis. II. 362. a. I. 852. b. Supervenit sæpè aliis morbis. II. 362. b. Est sæpè morbus hæreditarius. II. 362. b. Transplantatur sæpius per contagium. II. 363. a.
Phygethlon. II. 982. a.
Phyllitis. III. 110. b.
Phymata. II. 982. a.
Physica Aristotelis maximè nocet Medicinæ. I. 29. a.
Physices & Matheseos subordinatio in Medicina. I. 48. b.
Physiologia. I. 1. b. I. 32. a. Est altera Medicinæ pars. I. 1. b. Ejus fundamenta. I. 50. a.
Phytologia. III. 1. a.
Pica, (avis,) ejusque usus medicus. III. 210. b.
Picarum aqua. III. 339. a.
Pica (morbus.) II. 868. a. Quid? II. 37. b. 39. a.
Subjectum sive pars affecta. II. 37. b. Causæ & origo. I. 65. a. II. 38. a. I. 415. b.
Prognosis. II. 39. b. II. 868. a.
An in pica appetantur similia, an contraria. III. 38. b.
An, quando in pica subinde extraordinaria ingeruntur, hoc fiat sine aut cum nocumento ægri. II. 39. a.
Picantibus prægnantibus appetitæ rei nil temerè negandum. II. 39. b.
Picæ cura. II. 39. b. II. 868. a.
An venæsectio conveniat in picantibus gravidis &c. II. 40. b.
Pica à scabie retropulsa. I. 699. a. 701. a.
Picatio. I. 579. b.
Picea. III. 4. a.
Pila marina. III. 476. b.
Pilosella major repens. III. 19. a.
Pilulæ unde sic dictæ. III. 382. a.
Pilularum compositio vetus. III. 382. a.
Pilularum præscribendi modus & formulæ. III. 542. a. b. III. 546. a. I. 562. a.
Pilularum scopus. III. 542. a. Externus. III. 546. a.
Earum usus & utendi modus. III. 546. a. Internus. I. 562. a. Externus. I. 563. a.
Quibus præscribendæ. III. 542. b. III. 382. a. b.
An matutino potius tempore quàm vespertino usurpandæ. III. 384. a. III. 542. b. An ante vel post cœnam, numero impari. III. 384. a.
Pilularum massa. III. 420. a. Vnde tot illarum compositiones. III. 420. a.
Pilularum officinalium commune ingrediens. III. 428. a. *Ibid.* b.
Pilulæ pestilentiales Avicennæ, Ruffi, Emanuelis. III. 431. a.
Pilularum purgantium, laxativarum, alterantium ratio. III. 420. a. b. Formulæ. III. 429. b.
Pilulæ purgantes catholicæ. III. 542. b.
Pilularum Aloephanginarum usus. III. 431. a.
Pilulæ alterantes veterum. III. 481. b.
Pilulæ aloeticæ, Angelicæ seu Francofurtenses, & Scillæ seu Glassianæ, Ludovicianæ &c. III. 174. a. 175. a. I. 563. a. Earum usus. III. 430. b. II. 439. a.
Pilulæ de cynoglossa. III. 506. b.
Pilulæ spadanæ. III. 273. b.
Pilulæ usuales. I. 562. a. Quænam dicantur. III. 544. b.
Quid circa earum usum notandum. III. 545. a. Formulæ. III. 544. b. *& seq.*
Pilulæ Wildegansii. III. 424. a.
Pilus ut decidat, Hyoscyami usus. III. 63. b.
Pimpinella. III. 90. b. Sanguisorba. III. 511. b.
Pinaster. III. 91. a.
Pineæ. III. 508. a. III. 91. a.
Pineolata, quid? III. 541. b. I. 558. a.
Pinguedo, & ejus causæ. I. 677. b.
Humana & ejus usus. III. 198. a.
Suillæ usus. III. 202. b.
Pingue corpus, oleum, & flamma sunt una eademque substantia. I. 2. b.
Pingues seu sulphureæ corporum particulæ quæ dicantur. I. 42. b.
Pinguium ex animalibus usus. III. 504. a.
Pinguia cur conjungant se cum alcalibus, non autem aquosis. I. 362. a.
Pinguia cur appetitum prosternant & digestionem turbent. I. 7. a.
Pinguium aciditas. I. 361. b. *& seq.*
Pinguia nocent ulceribus. III. 491. a.
Pinus. III. 4. a. III. 91. a.
Est arbor antiscorbutica. III. 441. a. II. 448. a.
Ejus usus sudoriferus seu diaphoreticus. I. 305. a.
Nuclei pini habent vim inebriandi. III. 4. b.
Pini strobilorum usus. III. 501. b.
Essentia pini. III. 4. a.
Spiritus pini. III. 4. a.
Piper. III. 91. a. III. 484. a. Americanum. III. 92. a.
Ejus vis stomachalis. I. 241. b.
Piperitis. III. 92. a.
Pisces, eorumque usus in Medicina. III. 211. a.
Vivipari. II. 777. b.
Pisciculorum generatio. II. 777. b.
Pissasphaltos. III. 148. a.
Pistacia, Pistachia. III. 92. a. III. 508. a.
Pistolochia. III. 16. a.
Pistoria ars ministra Hygienes. I. 1. b.
Pituita quæ. I. 154. b. Vnde. I. 145. b. Quomodo à pure, genitura &c. dignoscatur in urina. I. 834. a.
Mucus pituitosus quomodo peccet. II. 88. a. b.
Pituitosa corrigentia. II. 10. b.
Pituitosis mel convenit. III. 217. a.
Pix. III. 148. a.
Picis aciditas. I. 361. b.
Picalia emplastra. III. 362. b.
Picem tractantes asthmatici. I. 787. a.
Placenta uterina, ejus usus & officium. I. 134. a. I. 427. b.
Placentifera animalia. I. 12. b. I. 134. a.
Planetarum conjunctiones, vid. *Conjunctiones*.
Planetis septem an septem respondeant metalla. I. 377. b.
Plantæ earumque virtutes. I. 401. a. III. 2. a. b. *& seq.*
Plantæ definitio. III. 3. a. Partes essentiales, caules, folia &c. III. 2. a. III. 3. a. Differentiæ. III. 3. a. b.
Plantarum classis quintuplex. I. 402. a. III. 2. a.
Producta pharmaceutica & ex plantis parabilia. I. 402. a. III. 2. a. b. *& seq.*
Plantæ an secundùm certa signa dividendæ. III. 55. b.
Plantarum & Planetarum superiorum an detur consensus. III. 57. a.
Plantæ quando quàm maximè vigeant. III. 55. b.
Omnes plantæ quæ habent saporem & odorem suavem, sunt aromaticæ. III. 13. b.
Ad plantarum præstantiam climatis constitutio non parum confert. III. 114. a.
Plantæ sale volatili præditæ, recentes adhuc & virides, meliores sunt exsiccatis. III. 81. a.
An plantæ sale volatili copioso præditæ, sint fermentandæ pro spiritu volatili eliciendo. I. 402. b.
Plantæ 5. emollientes. III. 23. a.
An ex plantis mercurialibus, lunaribus &c. possit haberi mercurius, luna &c. III. 57. a.
Plantæ cur interdum degenerent in frutices. III. 3. a.
Plantæ pedum titillatio. I. 834. b.
Plantago. III. 92. b. III. 515. b. Aquatica. III. 93. a.
Terrestris. I. 337. a.
Est insigne vulnerarium. III. 515. b.

Plethora quid? I. 412. a. Ejus origo. I. 15. a. I. 145. b.
Ad vasa an detur. I. 115. a. I. 142. a. Est vel vera vel apparens. I. 412. b. Earum concomitantia. I. 142. a.
Ad Vires. I. 412. b. Est saltem apparens, aliàs contradictoria & impossibilis. I. 15. a. I. 139. b. *& seq.*
Aucta quomodo inhibeatur, diminuatur, & tollatur. I. 19. a. I. 142. b. I. 412. b.
Pleura sola an in pleuritide afficiatur. I. 872. a.
Pleuræ inflammatio. II. 494. b.
Pleuritica pestis. II. 329. a.
Pleuritis, qualis morbus. II. 494. b. Divisio & causæ ejus. II. 494. b. *& seq.* Differentiæ. II. 495. b. Diagnosis. II. 496. b. Prognosis. II. 497. b. Quotupliciter finiatur. I. 873. a. Symptomata illius. II. 495. b.
Cura pleuritidis. II. 499. a. Symptomatum Cura. II. 503. b.
Brassicæ usus in pleuritide. III. 23. b.
Clyster in pleuritide. III. 591. b.
Emulsio antipleuritica. III. 363. a. III. 563. b.
Horstii specificum antipleuriticum. III. 139. a.
Julepus antipleuriticus. III. 87. b. III. 566. b. 567. a.
Linimentum contra dolorem pleuriticum. I. 579. b. III. 611. b. *Ibid.*
Mistura antipleuritica Barbette. III. 120. a.
Potio antipleuritica. III. 561. a. I. 563. b.
Salis ammoniaci usus in pleuritide. I. 344. b.
Sal volatile lapidum cancrorum egregium in pleuritide. I. 405. a.
Specificum contra pleuritidem. III. 71. b. III. 448. b.
Spiritus antipleuriticus Michaelis. III. 27. b.
Sudoriferum in casu pleuritidis. III 454. b.
Tragea expertissima in pleuritide. III. 107. a.
Unguentum pleuriticum. III. 201. b.
Externa dolores pleuriticos sedantia. I. 823. b.
Pleuritis cum inflammatione pleuræ quomodo curanda. III. 120. a.
Pleuritis in eodem loco recurrens. II. 474. a.
Pleuritidem malignam curandi methodus. III. 448. b.
Pleuritidis nothæ modi varii. II. 505. a. Cura. *Ibid.* & I. 423. a.
Pleuritis post partum. II. 911. b.
Pleuritis suppurata. I. 874. b.
Formula in pleuritide suppurata. III. 110. b.
Pleuritis vera. I. 870. b.
Pleuropnevmonia. II. 494. b. Prognosis, cura ejus. II. 498. a. *& seq.*
Plexus Choroideus quid? I. 103. b.
Plica Polonica. II. 472. b.
Plinius Secundus. I. 28. a.
Plumbago. III. 93. a. III. 307. b. Veterum. III. 276. b.
Plumbi duplex differentia apud veteres, triplex apud modernos. III. 279. b.
Plumbum album. I. 393. a.
Plumbum conducit in affectibus cancrinis. III. 115. b.
Plumbum acidi temperans proventum, aut arcens. I. 336. b. (vid. *Saturnus*.)
Pluvialis aquæ usus chymicus. I. 352. b.
Pneumatocele, ejus causæ, diagnosis, prognosis, cura. II. 783. a.
Podagra. II. 674. a. Ejus causæ. II. 674. b. I. 169. a.
Podagræ cura. II. 676. a. 681. b.
Podragræ calidæ cura. II. 677. b.
Podagræ frigidæ cura. II. 679. a.
Podagræ cura præservatoria, transplantatoria. II. 681. b. & 682. a.
Ad præservandam podagram conducit vomitus. I. 254. a.
Podagra stranguriæ juncta, ejusque cura. I. 891. a.
Podagra hæreditaria. II. 675. a.
Podagricos dolores sedantia. I. 254. a.
Abies antipodagricum singulare. III. 4. b.
Balsamum Podagricum. III. 343. b. De podagrico Hartmanni balsamo judicium III. 217. b.
Cataplasma anodynum in dolore podagrico. III. 608. a.
Diuretica quatenus curent podagram. I. 284. b.
Electuarium laxativum antipodagricum. III. 537. b.
Emplastrum in podagra egregium. III. 278. a.
Juglandis ex radice succus podagram curans. III. 66. b.
Laconicum particulare cruribus dolore podagrico affectis. I. 576. a.
Linteum sanguine menstruo virginis tinctum podragræ resistens. III. 405. b.
Oleosa quando sunt proficua podagricis. III. 450. a.
Pediluvium ad firmandos articulos podagrâ debilitatos, simulà crebriori recidiva præservans. III. 605 b. I. 575. b.
Picis usus in podagra. III. 148. a.
Pilulæ Rhumelii antipodagricæ. III. 144. b.
Sanguinis transfusio an conducat podagricis. I. 437. b.
Thee podagricum egregium. III. 120. b.
Vinum arctheticum in affectu podagrico. III. 576. a.
Externum remedium contra podagram. II. 567. a.
Podagraria herba. III. 14. a.
Pœonia. III. 93. a. Tempus collectionis Pæoniæ. III. 93. b.
Pollutiones nocturnæ. II. 197. a. II. 621. b. II. 787. b. II. 829. a. Earum cura. II. 798. a.
Polychresta per remedia curationis fundamentum. II. 11. a.
Polygala. III. 94. a.
Polygonatum. III. 94. a. III. 516. a.
Polygonum. III. 94. a. III 516. a.
Polypodium. III. 428. a. III. 170. a.
Polypus narium. II. 686. b. Pars affecta, causæ. II. 686. b. Prognosis, Cura. II. 687. a. b.
Polypum extinguens nasturtium. II. 81. b.
Polytrichum. III. 122. a. III. 486. a.
Pomatum unguentum. III. 509. a.
Pompholyx. III. 307. a. 307. b. III. 491. a.
Pomum. III. 94. b. Pomorum vis nutritiva. I. 165. b. III. 510. b.
Poma Borsdorffiana excellunt reliquis. III. 94. b.
Eorum usus antiscorbuticus, & antihypochondriacus. II. 441. b. Succi pomorum Borsdorffianorum virtus ac usus. I. 390. a. III. 578. a.
Gelatinæ pomorum usus. III. 373. a.
Poma ambræ seu odorata. III. 387. b.
Populus. III 95. a.
Porcus. III. 202. b. Quid suggerat ad usum medicum. III. 202. b.
Porcellorum ex sanguine & vitulorum aqua ex sanguine. III. 338. b.
Pori cutis. I. 9. b. II. 611. a.
Pororum corporis humani figura. I. 101. a. b.
Porrigo quid? II. 471. b. Causa, cura. *Ibid.*
Porrum. III. 95. a.
Portulaca. III. 95. a.
Portulacæ feminis usus. III. 363. a.
Potentilla. III. 14. b.
Poterij antihecticum. III 461. b. Poterrij laus. *Ibid.*
Potionum ratio. III. 387. a. Quid sint? I. 563. b.
Præscribendi modus. I. 563. b. In potionibus quid præcipuè attendendum. III. 556. b.
Quotuplices sint. III. 557. a.
Earum assumendi modus. III. 557. a.
Potiones alterantes, earumque formulæ. III. 558. b.
potio catholica. III. 557. b. *& seq.*
Potio ordinaria. I. 563. b.
Potiones vomitivæ easque præscribendi modus. III. 558. a.
Potulenta nos citiùs recreant esculentis. I. 165. a.
Potus ratio. I. 14. b. Regimen. I. 809. b.
An potus priùs, an solida ingerenda. I. 164. b.
Variorum varii. I. 492. a. b.
Quatenus peccatur in potu. I. 164. a.
Potus infantum. II. 928. a. *& seq.*
Morbi ex potu. I. 164. a.
A potu abstinentium exempla. II. 48. a.
Potus frigidi noxæ. II. 605. b. *& seq.*
Potus frigidus quàm noxius puerperis. I. 937. b.
Potus medicati fermentati. I. 570. b.
Potionum formulæ variæ. III. 557. a.
Potiones purgantes præscribendi modus & formulæ. III. 557. a *& seq.*
Practici Autores. II. 29. a. b. *& seq.*
Præcipitantium & Præcipitationis autor. I. 527. b.
Quæ dicantur præcipitantia. I. 20. a.
Impropriè dicta quæ. I. 355. b.
Legitima præparatio. I. 541. a. I. 528. a. b.
Legitima administrandi methodus. I. 536. a.
Dosis. I. 543. a. b. Selectus. I. 543. b.
Ex tribus regnis ea sumuntur. I. 528. a. I. 538. b. *& seq.*
Ordo ea exhibendi. I. 546. a. Tempus. I. 546. b.
Præcipitantium usus, abusus, operandique modus. I. 525. a 533. a. *& seq.* 535. a. b.
Cautelæ variæ de usu præcipitantium. I. 541. a. b. *& seq.*
Perverso usu multùm nocent. I. 537. a. Speciatim recidivam, aut generationem novi morbi inferunt. I. 537. b.
Quo respectu à veteribus adhibita. I. 528 b.
Occasione Chymiæ magis exculta à modernis in therapevsin introducta. I. 529. a.
Præcipitatio chymica quid? I. 44. b. I. 354. a. II. 529. a. I. 706. a. b. I. 235. a. Quotuplex. I. 529. a. I. 235. a.
Præcipitationum exempla. I. 354. b. Diversiones. I. 354. b. I. 44. b. *& seq.*
Ejusdem fundamenta. I. 529. b. I. 235. b. III. 375. b.
Spontanea quando contingat. I. 235. b. In quo consistat. I. 45. a
Præcipitatio & solutio quomodo differant. III. 375. b.
In corpore humano. I. 355. b.
Alcalium. I. 354. b.
In fluidis nostris in statu sano aut morboso. I. 529. b.
Artificialis per medicamenta. I. 530. a.
Vix ea locum habet in cura morborum. I. 530. a.

Tri-

Triplex casuum differantia, in quibus vulgo, sed malè, in usum vocatur. I. 530. a.
Præcipitatorum usus. III. 284. b.
An præcipitata composita cum metallis aliquam præ vulgaribus prærogativam habeant. III. 439. a.
Præcordia quænam. I. 523. b. Eorum cum habitu corporis cutaneo consensus. I. 523. b.
Præcordiorum angustia & anxietas. II. 77. a. Pars affecta. II. 78. a. Causæ. II. 78. a. Cura. II. 78. b.
Præcordiorum angustiæ gravativæ. I. 827. b.
Salis ammoniaci usus in anxietatibus præcordiorum. I. 344. b.
Præcordiorum dolor unde? I. 524. a.
Præcordiorum inflatio in infantibus unde. I. 501. b.
Prægnantium in purgatione Cassiæ usus. III. 162. a.
Præparationis medicamentorum usus & finis. I. 19. a.
Præparationes Martis inutiles & rejectæ quæ? I. 389. b.
Præparatio chymica simplicium quorundam vegetabilium malignorum. I. 347. a.
Præparatorum ratio. III. 387. b.
Præputium. I. 124. b.
Præputii vitia. II. 799. b.
Præputii tumor cum paraphimosi. II. 422. a.
Præservativa ritè applicandi cautelæ. II. 302. b.
Præservativum Medicorum à morbis contagiosis, dum ad ægros accedunt. III. 42. b.
Præstigia. I. 162. b.
Præternaturales res quomodo fiant causæ morborum. I. 340. a. I. 169. b.
Praxis medica est vel vulgaris seu ordinaria, vel extraordinaria. II. 1. a.
Vulgaris cur adhuc manca. II. 1. a.
Extraordinariæ nomine quæ veniat. II. 1. b. II. 1032. b.
Quomodo a vulgari differat. *Ibid.*
In vulgari ad quinque respiciendum. II. 2. a.
Quæ necessariò requirantur ad praxin ritè & cum laude aggrediendam. II. 2. b.
In praxi sæpè committitur fallacia non causæ ut causæ. I. 735. b.
Praxis dubia & difficilis quare. I. 694. a.
In praxi ad quid attendendum. I. 695. b.
Praxeos medicæ diversitas unde? I. 196. b.
Praxis quomodo reformanda & exaltanda. II. 1032. b.
Priapismus. II. 697. a. II. 798. a. Causæ. *Ibid.* b. Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 798. b. *& seq.*
Rutæ usus in priapismo. III. 104. a.
Priapus cervi, ceti. I. 405. b.
Priapi tauri decoctum. II. 155. b.
Primula veris. III. 95. b.
Principia rerum parva. I. 657. a. b. *& seq.*
Principia rerum quinque Spagyricorum. I. 2. a.
Principia communia alcali & acidum. II. 2. b.
Principia activa & passiva corporum quæ. I. 42. b.
Principium catholicum omnium corporum est aqua. I. 2. a.
Principium morbi quomodo ab aliis ejusdem temporibus differat. II. 475. b.
In cognitionem penitiorem principiorum naturalium non perveniemus, quamdiu Creatoris modus nos fugit. I. 38. b.
Processus mammillares. I. 11. a.
Procidentia ani, vid. *Ani procidentia.*
Procidentia uteri, causæ ejus, cura &c. II. 847. b.
Prognosis morborum. I. 176. a. Ad therapeuticam pertinet. I. 1. b. I. 189. a.
Morborum unde petenda. I. 17. a.
In prognosi quæ attendenda. I. 705. a. Tria accuratè attendenda. I. 189. a.
Legitimæ prognoseos fundamentum & fontes tres. I. 189. a. b. I. 25. a.
In omni prognosi quasi judicalis processus instituitur. I. 25. b.
Prognostico neminem relinquat Medicus. I. 25. a.
Prognoseos punctum, tempus eventus. I. 191. b.
Prognostica signa ex diarrhœa, lumbricis &c. II. 190. a. *& seq.*
Prolapsus seu protractio uteri. II. 847. b.
Prominentiæ lenticulares. I. 103. a.
Proportio ingredientium in Formulis medicamentorum. III. 522. b.
Partium corporis variè læsa. I. 676. b.
Proprietas sua unicuique servi, individuo. I. 694. a.
Prostatæ. I. 124. b. II. 777. a.
Prostatæ vulvæ. I. 129. a.
Prostatarum lympha. I. 12. a.
Prostatarum tumor non est confundendus cum sarcocele. II. 786. a.
Prostratio virium. I. 320. a.
Pruna Damascena. III. 507. b.
Prunellæ lapis. I. 350. b. Prunella herba. III. 96. a.
Prunellæ in febribus acutis cura. II. 279. a.
Febres continuæ cum prunella. II. 266. a. Cura. II. 279. a.
Mistura contra Prunellam febrium acutarum. I. 566. a.
Prunellæ in morbo Hungarico seu Castrensi cura. II. 312. b.
Prunellæ in peste cura. II. 344. a.
Prunus. III. 96. a.
Pruriginosus dolor. II. 651. a.
Pruritus quid sit? II. 464. b. Causæ, diagnosis, prognosis, cura. II. 464. b.
Pruritus ani, vid. *Ani pruritus.*
Pruritus in scabie unde. I. 700. b.
Pruritus cum purpura in scorbuto cura. II. 451. b.
Pruritus uteri. II. 827. b.
Psoræ cura per pulverem viperinum. III. 451. a.
Psyllium. III. 170. b.
Ptarmica. I. 23. b. I. 314. b. III. 96. b. III. 363. b.
Ptisana ex hordeo apud veteres. III. 18. a. I. 558. a. I. 572. b.
Ptyalismus. I. 23. a. I. 309. b.
Pubertas quando contingat. I. 129. a.
Pubertatis mulierum tempus, signa. II. 801. a.
Pubis gravidarum dolor. II. 869. b.
Pudenda, vid. *Genitalia.*
Virorum. I. 124. b. *& seq.* Muliebria. I. 128. b. *& seq.*
Pudendi labiorum fissuræ post partum difficilem. II. 906. a.
Pudendorum hydrops. II. 857. a. In gravidis. II. 874. b.
Pudendorum puerperarum excoriatio. II. 905. b.
Pudoris sinus prolapsus. II. 847. b.
Puerperarum Regimen. II. 891. b.
Puerperis tam in quàm post partum nihil hostilius, quàm frigus & potus frigidior. I. 937. b.
Puerperæ quomodo purgandæ. III. 432. a. b.
Puerperis proficuus sudor. II. 909. a.
Puerperarum acuti morbi. II. 910. a.
Puerperarum agrypnia & vigiliæ. II. 905. b.
Puerperarum alvus suppressa. II. 907. a.
Puerperarum Cephalalgiæ. II. 905. b.
Puerperarum deliria. II. 905. b.
Puerperarum diarrhœa. II. 907. b.
Puerperarum Epileptici insultus. II. 905. b.
Puerperarum febris lactea. II. 909. a.
Puerperarum febris miliaris seu purpura. II. 912. b.
Puerperarum hæmorrhoides cæcæ. II. 907. a.
Puerperarum lipothymiæ. II. 904. b.
Puerperarum pudendi excoriatio. II. 905. b.
Puerperarum pudendi fissuræ. II. 906. a.
Puerperarum ruptura vulvæ. II. 906. a.
Puerperarum ventris rugæ. II. 908. b.
Puerperarum urinæ incontinentia & suppressio. II. 908. a. b.
Puerperarum uteri suffocatio. II. 904. b.
Pugillatoriæ aquæ. III. 475. a.
Pulegium. III. 97. a. III. 484. b. Confert in uterinis affectibus. I. 254. b.
Pulices necans Conyza. III. 41. b. III. 117. b.
Pulmonaria arborea, vera. III. 97. a. I. 251. a.
Pulmonum ratio. I. 8. b. Structura. I. 624. a.
Substantia duplex; plexus reticularis. I. 786. b. II. 175. a.
Motus duplex. I. 786. b. I. 624. a. Vnde fiat. I. 86. b.
An pulmones ex se propriâque vi moveantur. I. 623. a. An à corde &c. I. 623. b.
Illegitimum pulmonum motum facientia. II. 183. b.
Pulmonum compages qui formetur. I. 87. a.
Pulmonum vesiculæ. I. 623. b. Animalia pellucidas vesiculas pro pulmonibus habentia. I. 623. b.
Pulmonum sensus obtusus. I. 821. a.
Pulmonum usus. I. 86. a. II. 174. a.
Pulmonum munus in sanguinis circulatione. I. 8. b.
Dilatatio. II. 174. a. b.
Cur & quomodo pulmones intrans aer inspirando eosdem expandat. I. 625. b.
An dilatentur pulmones, quia impleantur aere; an vice versâ I. 87. b.
Pulmonum dilatatio in fœtu non fit. I. 86. b.
Ex pulmonibus δοκιμασία fœtus in utero mortui, aut occisi. I. 8. b. (vid. *Fœtus*)
Pulmonum pars dextra an sinistra afficiatur in phthisi, quomodo cognoscendum. II. 365. a.
Pulmonum læsorum cura. I. 823. a.
Anima anisum. III. 14. a.
Pulmonum balsamum sulphur. III. 464. a.
Crocus pulmonum anima. III. 43. a.

Decoctum in læsione pulmonum. I. 572. a.
Pulmonibus à lympha acriori salsa læsis conducens decoctum. III. 511. b.
Extractum pulmonum. III. 370. a.
Scordii usus in pulmonum affectibus. II. 111. a.
Tinctura ex oleo mellis in pulmonum ulceribus proficua, III, 217. b.
Vitriolacea Pulmonibus inimica. II. 4. a.
Pulmonum inflammatio. II. 494. b.
Pulmonum in purulentiis divinum remedium. III. 82. b.
Pulmonum vomica. I. 875. a.
Puls infantum ut paranda. I. 195. a. Ejus vitia. II. 931. b. I. 500. a, Correctio. I. 508. a.
Pulsatorius dolor. II. 651. a. Cura. II. 654. b.
Pulsio & tractio an differant. I. 626. a.
Pulsus ratio. I. 186. b. Varietas. I. 186. b. Causæ immutantes. I. 187. a. Ejus ordo & Rythmus. I. 189. a.
Quatuor requisita in eo observanda. I. 17. a.
Quatenus exinde iudicium de morbi aut sanitatis statu peti possit. I. 187. a.
Quomodo tangendus & explorandus. I. 17. a. I. 187. a.
Locus ubi percontandus. II. 345 b.
Quid signet aut manifestet. I. 17. a 21. a. Signa ea dependentia præcipitatione. I. 355. b. Quomodo vitietur. II. 346. b. Cura vitiati. II. 346. b. & seq.
Ejus Divisio & differentiæ. I. 188. a. I. 17. a. I. 84. b. II. 345. b.
Vehemens, magnus, mollis &c. I. 187. b.
Æqualis, inæqualis. I. 188 a.
Intermittens cum & sine periculo. I. 188. a. b.
Myurus, caprizans, formicans, seu vermicularis &c. I. 188. b.
Amatorius an detur. I. 186. b.
Durus quid? quomodo contingat. I. 720. a.
Intermittens quibus morbis familiaris. I. 873. a. Quid signet, I. 873. b.
Septem pulsus planetarii. III. 331. b.
Serratus qualis. I. 872. a.
Undosus quomodo contingat. I. 23. a.
Pulsus arteriarum. II. 345. a. Quomodo fiat. I. 8. b.
Pulsus cordis unde? I. 639. a.
Pultiformia cataplasmata. I. 576. a.
Pulveres quid? eorum Synonyma. III. 526. b. Constitutio & ratio pulverum. III. 388. a. (vid. etiam *Farina*.)
Pulverum præscribendi modus & formulæ. I. 558. b. III. 526. b.
Pulveribus addita argenti vel auri folia. III. 529. a.
Pulverum usus internus. III. 526. b.
Pulveres potiores & sufficientes ad usum diaphoreticum. II. 440. b.
Pulverum usus externus. III. 531. a.
Pulvis anonymi & Haly. III. 508. b.
Pulvis Comitis de Warwick. III. 178. b. Ejus imitatio. II. 246. a.
Pulveris Cornachini compositio. III. 429. a.
Pulvis Cyprius capillis inspergendus ex stercore humano. III. 197. a.
Pulvis diaphoreticus antipleuriticus. III. 528. b.
Pulvis hepaticus Dresdensis. III. 466. b
Pulvis magistralis alexipharmacus. III. 529. a.
Pulvis Marchionis epilepticus. III. 93. b.
Pulveres officinales cui usui? III. 419. b.
Pulvis pyrius. I. 19. b.
Pulveris pyrii granum seminis magnum fumum edit, I. 666. a.
Pulvis Pannonicus rubeus &c. III. 391. a. Ejus usus. III. 448. a.
Pulvis Syrius. III. 178. a.
Pulveres vegetabilium amplius non sunt in usu. III. 481. b.
Pulveres pro suffitu inservientes. III. 531. b.
Pumex & ejus usus. III. 251. a.
Punctorius dolor. II. 651. a. Ejus Cura. II. 654. b.
Puncturæ arteriarum minoris cura. II. 1006. b.
Puncturæ nervorum cura. II. 1007. b.
Punctura scroti. II. 784. b.
Puncturis partium externarum conveniens Symphytum. III. 118. b.
Punica malus. III. 58. b.
Punici belli secundi initium. I. 445. a.
Pupilla. I. 108. a.
Purgamenta propria sanguinis & universi corporis sunt urina & sudor, I. 22. a.
Purgantium ratio. I. 255. a. b. & seq. I. 262. a.
Fucus sub specie purgantium nomine latens. I. 263. b.
Vomitoria & purgantia quomodo differant. I. 268. a.
Divisio purgantium veterum. I. I. 159. a. Rejecta. I. 268. a.
Eorum acrimonia. I. 22. a.
Purgantia vera optantur magis quàm dantur. I. 21. b.
Purgantium efficacia, scopus. III. 159. b. I. 20. a. I. 264. a. In quo consistat. III. 159. a. III. 434. b.
An per alembicum vis purgatrix duci possit. III. 428. b.
Operandi ratio. I. 264. a. b. & seq.
Purganti minus efficaci superaddenda. I. 715. b.
Purgantium selectus. I. 22. a. III 160. a. II. 17. b. I. 277. a. & seq. An aliquis habendus. III. 159. a. Inter purgantia quatenus talia omnis selectus est supervacaneus. III. 430. a. Quatenus selectus instituendus. I. 269. a.
Purgantium dosis. I. 282. a. III. 430 a.
Purgantia primaria. I. 269. b. III. 173. a. III. 159. a. Secundaria. III. 174. a. Meliora. I. 270. a.
Omnia purgantia venerea & vitriolica naturæ sunt inimicissima III. 440. a.
Omnia purgantia venenositatis quid habent. III. 159. a.
Correctio purgantium. III. 159. b. I 22. a. I. 347. a. b. & seq. I. 276. b. III. 420. a.
Correctorum alteratio. I. 348. b.
Correctio omnium optimè instituitur per alcalisata, III. 427. a.
Ex quibus regnis desumantur. I. 266. a.
Purgantium vegetabilium selectiora nobis sufficiunt, & quæ illa. III. 424. b.
Purgantia è regno minerali. III. 424. b. III. 434. a. Analogia purgantium vegetabilium & mineralium. III. 434. b.
Purgans ex regno animali. III. 424. b.
Oleorum & resinarum purgantium ratio I. 266. b.
Resinosa purgantia cautè propinanda. I. 21. b. Quomodo solvenda. I. 22. a.
Quænam præparata pharmaceutica ad scopum purgandi sufficiant. III. 424. b.
Purgantium directio & legitima purgandi methodus. I. 272. a. III. 420. a. Cautela in metu consequentium symptomatum. I. 271. b.
Cur digestiva seu præcipitantia præmittantur purgantibus. III. 428. b.
Circumstantiæ in purgandi negotio attendendæ. I. 269. a. b.
Ratione subjecti expurgandi notanda. III. 430. b.
Cur quædam subjecta faciliùs, difficiliùs alia purgentur, III. 430. b.
Humorum, quos purgantia educunt, color unde. I. 145. b.
Ex quonam loco recrementa per purgantia evacuentur. I. 270. a.
An iis præternaturalia evacuentur. I. 263. a.
Quomodo contenta intra corporis cavitatem per purgantia evacuentur. I. 270. b.
Unde tam variæ & tetræ sordes, quæ per purgantia evacuantur, originem trahant. I. 271. a.
Emolumentum quod per purgantia expeti solet. I. 271. b.
A vehementioribus purgantibus abstinendum. I. 263. b.
Cautela, si fortiùs purgandum, aut si præservationis gratiâ, tempore verno vel autumnali. I. 275. b. I. 21. a.
Qui purgari non possunt, quomodo movendi. III. 429. a. (vid. *Laxatio*.)
Infantes purgandi modus & formulæ. III. 431. b.
Cur infantes lactantes vel ablactati purgantia fortiora ferre queant. III. 432. a.
Cur prægnantes non purgandæ. III. 432. a. Sin; quomodo? III. 432. a. Quomodo puerperæ. III. 432. b.
Purgantia quo tempore assumenda. I. 22. b.
An ex purgantibus possint haberi spiritus & aquæ purgantes. III. 164. a.
Purgandum non est in omni morbo. I. 20. b.
De purgantibus nemo meliùs scripsit concinniùsque Freitagio, III. 161. b.
Purgantes formulæ. I. 264. b. I. 275. a. b. & seq. I. 282. a. b. & seq. I. 345. a. III. 524. a.
Purgandi formula supra & infra. III. 436. b.
Purgans per alvum. II. 16. b.
Purgantia externè applicanda. I. 283. b.
Liquida purgandi forma. III. 430. a.
Purgantium duo Reges: primus Ellebori radix, secundus Colocynthis. III. 164. b.
Quatenus olea destillata purgantibus adjicienda vel non. III 429. a.
Aprò cur purgantia involvantur. III. 428. b.
Purgans rusticorum commune ros majalis. III. 234. a.
Absynthites purgans. III. 576. b.
Bolus purgans. III. 429. b. III. 532. a. I. 560. a. Pro delicatulis. III. 533. a.
Calices purgantes. III. 437. a. & seq.
Decocta purgantia. III. 431. a. Pro delicatis. III. 352. b.

Electua-

Electuaria purgantia. III. 357. a. III. 429. b. III 537. a.
Extracta purgantia. III. 570. a.
Infusum purgans pro una dosi. I. 569. b. Ex Senna pro delicatulis. III. 577. a. I. 570. a.
Linimentum purgans. III. 612. b.
Litus externi ex nicotiana purgantes. III. 433. b.
Magisterium purgans per inferiora. III. 417. a. b.
Morsuli purgantes. III. 541. a. Eorum usus exiguus. III. 419. b. Pro virgine delicatula laborante apepsiâ in morbo virgineo. III. 541. a. Pro cachectico delicato. III. 541. b.
Nodulus purgans. III. 575. a.
Ex Nicotiana purgans. III. 81. b.
Odoramenta purgantia. III. 428. b.
Odores quatenus purgent. III. 433. a.
Panis solutivus purgans. III. 122. b.
Pilulæ purgantes hydroticæ. III. 385. b. Catholicæ. I. 562. b.
Potio purgans. III. 558. a. III. 387. b.
Pruna condita purgantia Burferi. III. 96. b.
Pulverum purgantium ratio. III. 527. b. Formulæ. III. 429. a. Dosis. III. 428. a.
Pulvis leniter purgans. III. 393. b.
Pulvis purgans catholicus. III. 528 a.
Pulvis purgans absque torminibus. III. 528. a.
Purgantes pulveres ex mineralibus. III 528. b.
Purgans absque torminibus pulvis. I. 558. b.
Purgans pulvis pro virgine delicata laxioris alvi. III. 528. a.
Rotulæ purgantes. III. 539. b.
Sal purgans. III. 397. b.
Stercoris vis purgandi sympathetica. III. 433. b. & seq.
Veneris & lunæ vis purgans. I. 390. b.
Unguenta purgantia. III. 412. a. b.
Purgationis nomine quid propriè veniat. I. 20. b.
Purgatio duplex. I. 262. b.
Attendenda circa purgationem. I. 262. a. b.
Operandi modus & locus. I. 21. a. b.
Purgationis Regimen, & quid ante, in, & post eam agendum Medico. I. 281. a. b.
Purgationibus præmittendi pulveres digestivi. III. 526. b. & seq.
An ante, vel post cibum, an cum eo assumenda purgantia. I. 281. b.
Motus corporis quatenus promovet purgationem. I. 282. a.
Triplex corporis regio in purgationis negotio à veteribus asserta. I. 22. a.
Purgationum temperamentum & moderatio. I. 22. a.
Purgationis impedimenta duo, & quomodo præcavenda. III. 428. a.
Purgationes quatenus ad conservandam sanitatem conferant. I. 193. a. b.
Purgatio artificialis beneficio ossis humani. III. 198. a. b.
Purgatio nimia cum virium prostratione. I. 715. a.
Purgationis nimiæ cura. II. 103. b. 108. a. 113. b.
Purgatio gravidarum. III. 866. b.
Pro purgatione infantum linimentum. III. 612. b.
Purificatiorum optimum sudor. I. 23. a.
Purpura epidemica. II. 317. a.
Pruritus cum purpura in scorbuto cura. II. 451. b.
Purpura infantum recens natorum vnde. II. 926. b.
Mistura, quæ promovet eruptionem purpuræ infantis. III. 562. a.
Purpura puerperarum. II. 912. b. Quatenus fatalis; ejusque cura. I. 943. a.
Butyri Jovis usus in purpura puerperarum. I. 393. b.
Emulsio contra puerperarum purpuram. III. 564. a.
Purpureus color unde? I. 109. b.
Pus quomodo generetur. II. 474. b. II. 525. a. I. 700. b. II. 974. b.
Pus maturantia. II. 975. a.
Pus quomodo distinguatur à genitura &c. in urina. I. 834. a.
Pus an rejiciatur à phthisico, an vero materia viscida, quomodo cognoscendum. II. 364. b. Pus illud non est statim pulmonale. II. 364. b.
Pus ejiciendi ex vulnere potiones. II. 1003. b.
Pus in pleuritide suppurata per quæ loca euacuetur. I. 874. b.
Puris per os rejecti ex abscessu mesenterii cura. I. 836. b.
Pus vermibus repletum. I. 411. b.
Pustulæ ubi sunt, ibi est acidum. III. 70. a.
Pustularum cura. II. 413. b.
Unguentum contra pustulas. III. 412. a.
Pustulæ genitalium earumque cura. II. 828. a. b.
Pustulæ in infantum lingua, gingivis &c. II. 945. b.
Pustulæ parotidum, & glandularum infantum. II. 957. a.
Pustulæ oculorum. II. 636. a. b. Infusum ad pustulas oculorum. I. 574. a.
Putredo quid & unde. I. 419. b.
Putredinis & fermentationis differentia. I. 704. b.
Putredo in corpore humano unde. I. 834. b.
Putredo alimenti corporis & sanguinis. I. 411. b.
Putredo ex obstructione viscerum & vasorum sæpè ignorantiæ asylum. I. 410. a.
Decoctum alterans, exsiccans, putredinem inhibens. III. 587. a. I. 573. a.
Myrrhæ mira vis à putredine conservandi. III. 142. b.
Spiritus à putredine præservantes. I. 5. a.
Putrefactio unde, & quomodo contingat. I. 43. b. & seq.
Putrida ulcera & eorum cura. II. 1017. b. & seq.
Pylorus. I. 70. a.
Pyrethrum. III. 97. b.
Pyrites. I. 357. a. Ejus differentia à silice. III. 251. b.
Ex Pyrite alumen, vitriolum. I. 361. a. 364. a.
Pyrola. III. 97. b. III. 515. b.
Pyrotechnia quatenus ad Medicinæ constitutionem concurrat. I. 31. b.
Est primarium Medicinæ & Philosophiæ fundamentum. I. 1. a.
Medicinæ oculus sinister. I. 1. b. I. 31. a.
Pyrus, Pyrum. III. 98. a. Pyrorum vis nutritiva. I. 165. b.
Gelatinæ pyrorum usus. III. 373. a.

Q.

Qualitates corporum. I. 3. b. Quænam dicantur. I. 47. a.
An reverâ distinctæ à corporibus & entia realia sint. I. 3. b. I. 47. a. b. 48. a.
Qualitatum Hippocraticarum elementalium correctio. I. 486. a.
Qualitatum in primas, manifestas, & occultas distinctio est nulla. I. 204. a. III. 1. b. & seq. I. 413. a.
Qualitatum occultarum morbi. I. 410. a.
Qualitates sensiles. I. 10. a. II. 629. b.
Qualitates tactiles. I. 11. a. II. 649. a.
Quartana, vid. *Febris Quartana.*
Quartationis nomen unde, & quid? III. 260. b. III. 267. a.
Quercus. III. 98. a.
Quercinorum usus vulnerarius. I. 338. a.
Quernum viscum. III. 500. b.
Quies quantum faciat ad sanitatis conservationem. I. 167. a.
Quietis summus gradus. I. 167. a.
Quies impinguat. I. 681. a.
Quinquefolium. III. 98. b.
Quintæ essentiæ non sunt non-entia? I. 408. a.
Eas conficiendi modus genuinus. III. 377. a. b. III. 422. b.
Quomodo ex vegetabilibus & animalibus parentur? III. 369. b.

R.

Rabidi canis signa diagnostica. II. 769. b.
Rabidorum exempla. II. 768. a.
Rabies. II. 768. a. Symptoma ejus, II. 768. b. Notatu digna circa rabiem. II. 768. b. & seq. Causæ. II. 769. b. Diagnosis. II. 769. b. Prognosis. II. 770. a. Cura. II. 770. a. Immersio in aquam quomodo instituenda. II. 771. b.
Rabies, quibus animalibus contingat facilè. II. 768. a.
Rabies canina, Rabiei contagium. I. 156. b. II. 768. a.
Ex morsu, vomitu &c. II. 768. a.
Rabiosa animalia etiam mortua nocent, si eis utamur. I 459. b.
Rabiosi animalis morsus ejusque cura. II. 1005. b.
Radiativa vis Helmontii. I. 19. a.
Radiorum incidentia, reflexio. I. 10. b.
Per radios solares calcinatio. I. 356. b.
Radix, cum productis. III. 2. a.
Quinque Radices aperientes. III. 17. b. III. 54. a. III. 90. a.
Omnes Radices, quæ habent saporem & odorem suavem, sunt aromaticæ. III. 13. b.
Rana ejusque usus medicus. III. 214. b. Præparata ex ranis. III. 215. a. b. III. 513. a.
Ranarum vita media resurgens. II. 352. b.
Ranas ex anatum pulvere procreari. III. 206. a.
Ranarum sperma, ova &c. III. 513. a.
Spermatis ranarum natura, usus, colligendi tempus &c. III. 215. a.
Emplastrum Vigonis è ranis. III. 361. b.
Ranunculus. III. 99. a.
Ranunculus viridis. III. 201. b. Ejus usus officinalis. *Ibid.*

Rapi, Rapum. III. 99. b. Ejus usus pectoralis. I. 249. b.
Raparum rubrarum usus. III. 21. a.
Raphanus. III. 99. a. Ejus usus. III. 475. a.
Raphani orbicularis usus diureticus. I. 296. a.
Raphanus rusticus. III. 479. b.
Raphanus Sylvestris. III. 16. a.
Rapistrum. III. 99. b.
Rapunculi, Rapuntia. III. 25. b.
Rarefacientia tumores. II. 973. b.
Rationis analogia in brutis. I. 11. b.
Ratio est fundamentum Medicinæ. I. 18. b.
Ratio sola non sufficit ad constitutionem Medicinæ. I. 1. a.
Rationi quatenus insistere debet Medicus. I. 198. b. *& seq.*
Rationalis animæ sedes. I. 652. b.
Rationalium operationum defectus. II. 740. a.
Ratiocinatio. I. 118. b. In quos cadat, quomodo fiat. II. 688. a. *& seq.*
Ratiocinationes unde dependeant. I. 105. a. II. 614. a.
Ratiocinatio præsupponit spirituum animalium exercitium. I. 11. b.
Ratiocinatio quot modis lædatur. II. 740. b.
Raucedo ejusque causæ. II. 201. b. *& seq.* II. 593. a. b. I. 98. b. 99. b. Prognosis; Cura recentis. II. 202. b. Inveteratæ. II. 203. a. Ex fumo tabaci. *Ibid.* b.
Formulæ expertissimæ contra raucedinem. III. 23. b.
Mistura contra raucedinem inveteratam. III. 559. b.
Raucedinis in Coryza ratio. I. 819. b.
Raucedinis catarrhalis cura. II. 603. a. I. 815. b.
Realgar. III. 325. b.
Recidivantes inflammationes, pleuritis &c. unde. I. 872. b.
Recordatio. I. 118. b.
Recrementorum ratio in negotio sanitatis. I. 167. b.
Usus medicus. *Ibid.*
Refrigerantia. I. 333. a. Refrigerantia animalia. III. 512. b.
Refrigerantia alterantia remedia. I. 239. a.
Decoctum refrigerans. III. 581. a.
Refrigerans primarium portulaca. III. 95. a.
Refrigerantia temperatiora. III. 510. a.
Urinæ usus refrigeratorius. I. 334. a.
Regna tria medica. III. 1. a. b.
Omnia regna in radice convenire. III. 463. a.
Regnum animale &c. III. 180. a.
Regulus, avis, ejusque usus medicinalis. III. 210. a.
Regulus in Chymia quid? II. 12. b.
Reguli antimonii simplices, compositi, martiales, solares &c. I. 366. a. b. *& seq.*
Rejuvenescentiam concilians arcanum de Melissa. III. 75. b.
Rejuvenescentia cervorum, viperarum, cancrorum, arborum. I. 428. b.
Rejuvenescere an possint senes. I. 428. b.
Remedia (*vid.* Medicina, Medicamentum, Cura &c.)
Remediorum triplex classis. II. 7. b. Ex triplici fonte haurienda. I. 19. a.
Remedia quatenus dicantur calida, frigida, humida, sicca. III. 482. b. & 483. a. b.
Sunt vel universalia, vel particularia seu specifica. II. 1032. b.
Remedia inveniendi media. I. 18. b.
Remedia contraindicantia ægro non propinanda. I. 557. a.
Remedia quomodo operentur. I. 19. a. Quomodo interna. I. 208. a. Quomodo externa. I. 207. a. b. *& seq.* Tres regiones corporis, ad quas materialiter se extendunt operationes medicamentorum. I. 208. a. Quomodo medicamenta in dissitis locis vim suam exserant. I. 208. a. An & remedia analeptica sive confortantia, quæ subinde, mox ac assumpta sunt, ægrum mire refocillant, in ventriculo operentur, vel an simul immediate ex ventriculo in partium poros & ad vasa interiora alia penetrent, & vim suam exserant extra vias primas in corporis partibus reliquis? I. 209. b.
An in stomacho alterentur. I. 210. b.
An Remedia ex partibus corporis humani desumta peculiarem habeant prærogativam præ aliis remediis congeneribus ex aliis animalibus desumtis. III. 199. a. b.
Remedia omnium potissima sunt volatilia. I. 474. a.
Remediorum usus internus, externus. I. 19. a.
Remediorum selectus in genere. III. 414. a.
Remedia appropriata eorumque usus. II. 1032. b.
Remedia domestica exoticis non postponenda. III. 414. b. *& seq.*
Remedium Diebellianum. II. 1032. b.
Remedia Pharmaceutica. I. 202. a.
Remedia specifica falso credita. III. 415. a.
Remedia universalia non sunt impossibilia. II. 4. a. b. Ad talium naturam proxime accedentia. II. 4. b.
Quomodo operentur & vim suam exserant. I. 218. a.
Duplex eorum classis. I. 218. a. b.
Renum structura. I. 9. a. Officium & usus. I. 9. a. I. 94. b. II. 548. a. Situs. I. 95. a.
Terebinthinata renibus dicata. II. 4. a.
Emulsiones terebinthinatæ in affectibus renum. III. 564. a.
Ceræ oleum in renum affectibus conducit. III. 217. b.
Mellis usus in renum affectibus. III. 216. b.
Renum calculi cura. III. 477. b.
Renum inflammatio & exulceratio. II. 510. a. Causa, diagnosis. II. 510. a. Prognosis, cura. II. 510. b.
Bolus in exulceratione renum. III. 533. b.
Decoctum vulnerarium in Renum exulceratione. I. 571. a. III. 582. a.
Emulsio temperans in æstuatione renum. III. 563. b.
Potus medicatus in renum phlogosi. I. 570. b.
In Renum nimia incalescentia aut dispositione inflammatoria Formula. I. 299. a.
Renum ulcera, eorum causæ, diagnosis. II. 511. a. Prognosis, Cura. II. 511. b.
Agrimoniæ usus in ulceribus & vulneribus Renum. III. 9. a.
Repositionis vertebrarum dorsi ratio. I. 944. a.
Fotus humidus ante & post repositionem membri luxati. I. 574. b.
Repulsiones sanguinis & humorum impossibiles. I. 20. a.
Res non-naturales sex quid? I. 14. a. b.
Resinæ quid? III. 130. a.
Differentia resinarum & gummatum. III. 151. a.
Resinarum aciditas. I. 361. b.
Resinas solventia menstrua. I. 353. a.
Resinæ purgantes copiosiores & molestiores purgationes faciunt. I. 705. b. Quomodo propinandæ. I. 705. b. Quomodo corrigendæ. *Ibid.*
Resina pini esse potest loco terebinthinæ. III. 4. b.
Resiniferæ arbores. III. 148. a.
Resolventia. III. 496. b. III. 501. b. II. 3. b. Resolventia tumores. II. 972. b. *& seq.*
Resolutio. I. 3. a.
Resonantia. I. 10. b. II. 643. a. In organis musicis. I. 111. b.
Respirationis negotium. I. 8. b. I. 614. a.
Ejus Onomatologia, definitio, bipartita functio. I. 617. a. b. *& seq.*
Respiratio an sit actio arbitraria? I. 618. a.
Respirationis principia. I. 618. a.
Thoracis structura in respiratione attendenda, ejusque motus. I. 619. a.
Musculorum thoracem in respiratione moventium ratio. I. 620. a.
Diaphragmatis in respiratione motus, & pulmonum. I. 621. b. I. 624. a.
Respirationis materia est aer. I. 624. b. Aer quatenus respirationi ineptus evadit. I. 624. b. An ejus attractione in hoc negotio opus sit. I. 626. a. Loca, ad quæ aer in respirantibus hominibus pertingit. I. 628. b.
Cur animalia tam ob aeris inspirati, cohibitique præsentiam, quam propter ejusdem aeris exantlationem, paucis momentis moribunda evadant? I. 637. b. *& seq.*
Respiratio prima multum habet in recessu. I. 496. a.
A Respiratione dependere ultimam sanguinis perfectionem vitalem. I. 89. a.
Ad legitimam respirationem facientia. II. 183. b.
Respirationis usus & finis. II. 174. a. I. 88. a. b. 89. a. b. I. 86. a. Necessitas. II. 175. a. I. 87. b. Constat inspiratione & exspiratione. II. 175. a. Modus duplex. I. 86. b.
Fœtus in utero an respiret? I. 86. b. I. 632. a. b. *& seq.*
Respirationis fœtus necessitas extra uterum. II. 926. a.
Quatenus ex respiratione judicium fit de morbo. I. 190. b.
Respiratio depravata. II. 178. b.
Respiratio difficilis. I. 822. b.
In catarrho suffocativo unde. I. 780. b.
In hydrope cura. II. 397. b.
Ex inflatione stomachi. I. 714. b.
Ex mensium naturali emansione. I. 745. b. 746. a.
Ex venæ sectione sinistre instituta. I. 745. b. 746. a.
In pleuritide & ejus cura. II. 502. a. b.
Respublica Babylonica, quando primam mutationem passa. I. 444. b.
Restaurativa. I. 318. a.
Restaurans destillatum. III. 588. b.
Retentorum ratio in negotio sanitatis. I. 167. b. I. 169. b.
Retina, Retina tunica. I. 10. b. I. 108. b. II. 690. a.
Reverberii Calcinatio. I. 356. b.

Revul-

Revulsio veteribus quid? I. 745. b.
An legibus circulationis obstet. II. 6. b.
Rex. Regum Electuarium. III. 355. b.
Rha. III. 480. b. Dito. III. 100. b.
Rhabarbarum. III. 100. b. III. 170. b. An nostrum idem cum illo veterum. III. 170 b.
Ejus usus & virtus. III. 170. b. III. 426. b. *& seq.* II. 22. a. I. 279. a.
Est anima hepatis. III. 426. b.
Chinense, Monachorum. III. 480. b.
Rhagades manuum & pedum ex lue venerea. II. 425. a.
Rhaponticum. III. 100. b. III. 480. b. II. 22. a.
Rheatria. III. 100. b.
Rhevmatismi. II. 593. b.
Rhinoceros quale animal. III. 201. b.
Cornuum ejus usus vanus. III. 201. b. III. 450. a.
Rhodia radix. III. 100. a. III. 511. a.
Rhodium lignum. III. 100. a. III. 511. b.
Rhombus. I. 3. b.
Rhus coriaria. III. 100. b.
Ribes. III. 101. a.
Ricinus. III. 171. a. III. 427. b. Ricini utriusque vis & usus. III. 433. b.
Rigores in febribus lymphaticis. I. 827. b.
Rimæ abdominis gravidarum. II. 873. a. (vid. *Fissura.*)
Risigallo. II. 315. b.
Risus Sardonius. II. 697. a. Risum excitari à Croco. III. 43. a.
Rob, ejusque usus. III. 421. a. Rob pallularum. III. 127. b.
Rob syrupisatum. III. 484. b.
Roborantium ratio. II. 496. b. Roborantia temperatiora. III. 510. a.
Robur corporis unde? II. 352. b.
Maniacorum. II. 762. b.
Robustior constitutio, ejusque fundamentum. I. 808. b.
Rochæ alumen. I. 361. a.
Rodens dolor. II. 651. a.
Roma quando condita. I. 445. a.
Romanum Imperium quando ad summum fastigium adscendit. I. 445. a.
Romanorum maxima delectamenta. I. 607. a.
Romulus & Remus. I. 445. a.
Rorella. II. 485. b.
Ros. III. 234. a. Quando colligendus. III. 234. a.
Ros & aqua pluvialis, item nivea, quomodo conveniant. II. 233. a.
Ros non putrescit. III. 424. a.
Roris usus & præparata. III. 234. a. III. 463. b.
Ros majalis. III. 368. a. I. 352. b. Ejus usus chymicus. I. 352. b. III. 233. b. 234. a. b.
Rosmarus. III. 193. b.
Rosmarinus. III. 102. b. Ejus usus in affectibus uterinis &c. I. 254. b.
Roris marini hortensis usus. III. 500. b.
Ros solis. III. 102. b.
Rosa. III. 191. a. Rosarum flores. I. 319. b. Rosarum duplex substantia. III. 510. b.
Rosarum vis refrigerandi. I. 333. a. I. 333. b.
Rosarum præparata. III. 511. a.
Rosa Hierichuntina. III. 511. b.
Rosa mineralis Angeli Salæ. III. 289. b. III. 435. b.
Rosa vitæ minerali Angelis Salæ. I. 370. a.
Rosa ex tumore. II. 978. a.
Rotatio. II. 689. b.
Rotularum ratio. III. 378. a.
Rotulas præscribendi modus & formulæ. III. 538. a. b. *& seq.* I. 561. a. b.
Rotularum usus exiguus. III 419. b. Usus pectoralis. III. 486. b.
In hodierna praxi rotulæ ob saccharum sunt suspectæ. III. 541. b.
Rotularum loco quæ præscribenda. III. 378. b.
Rotulis substitutum elæosaccharum. III. 498. b.
Rotulæ bibitoriæ. III. 539. a.
Rubedo qualis color. I. 109. b.
Ad rubedinem oculorum infusum. I. 574. a.
Rubia. III. 103. a.
Rubiginem non tàm arcet oleum olivarum, quàm promovet, nisi correctum. III. 85. b.
Rubiginem arcendi vis in sevo. *Ibid.*
Rubigo martis unde? I. 389. b. Quomodo gladii & alia ferrea instrumenta à rubigine præservanda. I. 389. b.
Rubinus. III. 238. b. Ejus usus. III. 455. b.
Solaris. III. 463. a. Vegetabilis. III. 178. b.
Ruborem faciei pellens unguentum. III. 212. a.
Rubrica. III. 228. a. III. 455. a.
Rubus. III. 103. b.
Rubus Idæus. III. 103. b. Rubi Idæi vinum. III. 579. b.
Acetum. III. 335. a.
Ructuum causæ. II. 65. b. Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 66. 67. 68.
Ructus acidi in sanis optimi stomachi signum. I. 7. a.
Rotulæ contra ructus. III. 539. a.
Rugæ seniles unde. I. 63. a.
Ventris puerperarum. II. 908. b.
Ruminatio quibus animalibus contingat. I. 68. b.
Ruminantes homines cornuti. I. 68. b. II. 69. b.
Ruminatio unde? II. 48. b.
Rupicapra. Ejus lapis an propriè lapis fit. III. 187. a.
Unde is habeat suas virtutes. III. 187. a.
Rupicaprarum glomi, cornua. III. 450. a. 451. a. Pila. III. 495. a.
Alpinæ an esu Doronici vertiginem pellant. II. 694. b.
Ruscus. III. 104. a.
Ruta. III. 104. a. Rutæ & ejus olei usus. II. 443. a.
Ruta muraria. III. 105. a.
Acetum rutaceum. III. 335. a.

S.

Sabina. III. 105. a. III. 484. b. Ejus usus uterinus. I. 254. b.
Saccharum. III. 149. b. An saccharum veterum idem sit cum saccharo modernorum. III. 149. b. Variæ sacchari appellationes. III. 150. a.
Saccharum nostras non subinde miscendum medicamentis; secus ac apud veteres. III. 150. a.
Cur raro præscribenda saccharata. III. 378. b. I. 562. a.
Saccharata quibus fugienda. III. 480. b. I. 706. b.
Ejus Natura. III. 150. a. *& seq.*
Ejus usus & præparata. III. 150. b. *& seq.* III. 404. b. III. 507. b. *& seq.*
Saccharum concretum tartareo-salinum; cur spiritu vini benè rectificato solvi non possit. I. 348. b.
Saccharum Jovis. I. 393. a.
Saccharum rosaceum vel violaceum quomodo fiat. III. 349. a.
Sacchari rosati tabulati usus. III. 378. a.
Saccharum Saturni. I. 391. b.
Sacculorum ratio & præscribendi modus, usus &c. III. 600. b. III. 395. b. I. 558. b. I. 574. a.
Sagapenum. III. 151. a.
Salium ratio. I. 39. b. III. 394. b.
Sal in philosophia corpusculari quid? I. 377. a.
Sal Chymicis quid? I. 341. b. I. 377. a.
Salium veterum constitutio. III. 451. b.
Sal Spagyricorum principium. I. 2. a.
Salia primarium sunt instrumentale principium. I. 39. b.
Salium diversitas. I. 40. a. I. 413. a. b.
Salis & Solis amicitia. I. 350. a.
Salium duplex status; resoluta, coagulata. I. 342. a.
Salis cum aquosis convenientia, cum oleosis & sulphureis inimicitia. I. 348. b. III. 308. a.
Sal naturæ universale in aere reperiri. III. 234. b.
Salia potiora & sufficientia ad usum diaphoreticum. III. 440. b.
Salis usus alchymisticus. I. 350. a.
Sal quatenus de metallis prædicatur. I. 377. a.
Salium essentialium vegetabilium ratio. III. 397. a.
Salia trium regnorum in genere quæ? III. 307. b.
Salia in nobis quot modis peccent? II. 8. b.
Salis depuratio, fusio, decrepitatio &c. III. 475. a.
Salis flores, crystalli &c. III. 476. a.
Spiritus salis destillatio. III. 475. a. I. 349. a. b. Rectificatio augmentatio. III. 475. b. Tinctura. *Ibid.* Concentratio. III. 475. b. Dulcis, vitriolatus, rectificatus. III. 476. a. I. 349. b. III. 309. b. *& seq.* Coralliatus &c. III. 475. b.
Spiritus salis usus. I. 349. b. III. 309. b.
Unde fiat, ut salia sicca, retortæ indita, spiritum reddant aquosum seu humidum. III. 308. a. I. 348. b.
Spiritus urinosus ex spiritu salis. III. 477. a.
Sal acidum in omnibus tribus regnis reperibile. I. 342. a. b.
Sal album ex capite mortuo aquæ fortis. I. 351. b.
Sal alcali, Alembror. &c. III. 397. b. Anatron. III. 476. a.
Salia alcalia fixa quid? I. 706. a.
Salia alcalia falsa pro natura salium simplicium sunt triplicia. I. 42. a.
Sal ammoniacum veterum & recentiorum differt. I. 343. b.
Utrumque quid? I. 343. b.
Ejus compositionis seu generationis modus. I. 343. b. III. 316. b.
Ejus usus medicus & alchymisticus. I. 343. b. *& seq.* III. 316. b. & 317. a.
Ejus præparata, depuratio, præcipitatio, sublimatio, destillatio. I. 344. a. b. III. 317. b. III. 465. b. *& seq.*

Spiritus salis ammoniaci usus. I. 344. b. III. 317. b.
Salis volatilis salis ammoniaci usus. I. 405. a.
Separatio acidi ab urinoso volatili in sale Ammoniaco ut fiat. I. 344. a.
Quare acidum Salis ammoniaci libentiùs se conjungat cum alcali fixo, & salsum volatile dimittat in aërem liberum. I. 344. a.
Quomodo ejus color albus in aureum, rubrum mutetur. I. 344. a. b.
Sal arenaceum. III. 316. b.
Sal commune. III. 475. a. Quid? III. 308. a.
Quotuplex. I. 349. a. I. 308. b.
Usus ejus varius. I. 295. b. III. 308. a.
Ejus præparationes, Purificatio, calcinatio decrepitatoria, calcinatio fusoria, & cum calce viva; destillatio. I. 349. a. b. III. 309. a.
Sal Cyreneum. III. 316. b.
Sal Ducis Holsatiæ. III. 312. b.
Sal essentiale. III. 418. a.
Sal essentiale saccharinum. III. 431. b.
Sal fixum est, vel volatile. I. 4. a.
Salia fixa quæ. I. 342. b.
Salium fixorum varietas. III. 396. b.
Salium fixorum vegetabilium triplex differentia. III. 417. b. An salia fixa vegetabilia differant inter se. III. 417. b.
Salium fixorum usus. III. 396. b. & seq.
Salia fixa unde & è quibus regnis producantur. I. 343. a.
An Animalia etiam salia fixa obtineant. III. 395. a. III. 419. a.
Salia fixa marinorum & mineralium. III. 419. a.
Salia fixa vegetabilium unde fiant. III. 396. a.
Eorum volatilisatio. III. 397. a.
Salia fixa an materialiter tantum, an formaliter in plantis præexistant, vel artificialia sint. III. 396. a. I. 402. a.
Quomodo vegetabilium, & imprimis lignorum, Salia paranda. I. 343. a.
Salia fixa volatilisata à salibus per se volatilibus differunt. III. 156. a.
Modi salia fixa volatilisandi varii. III. 156. a.
Salium fixorum vegetabilium usus universalis. III. 417. b.
Saturatio. III. 418. a. Purificatio. III. 417. b.
Salis fontani & marini præparatio. III. 308. b. & seq.
Salis fossilis, montani seu gemmæ ratio. I. 349. a. I. 350. a. III. 310. a. Usus ejus & præparata. III. 310. a. I. 350. a. Usus in clysteribus. III. 347. a.
Salis Hermetici existentia in aere. I. 492. b.
Sal Indum veterum quid? III. 310. a.
Salia lixivialia. I. 343. a.
Sal marinum est pater salis & montani & fontani. I. 349. a. Ejus usus. I. 349. a. Sulphur. I. 349. a.
Sal martis purgans. III. 440. a.
Salia mineralia quadruplicia. I. 348. b. Resolutio eorum. I. 348. b.
Sal mirabile Glauberi. III. 323. a. III. 422. a. III. 475. b.
Sal mixtum. I. 4. a.
Sal murale. III. 323. a.
Sal naturæ, centrale terræ. III. 424. a.
Sal particulare, universale. I. 341. b. Salia particularia sunt vel acida, vel alcalia seu urinosa. I. 342. a.
Sal petræ (vid. *Nitrum.*) III. 310. b.
Sal philosophorum, sacerdotale. III. 393. a.
Salia resuscitativa. I. 378. a. I. 396. b. I. 401. b.
Inter salia resuscitativa eminet sal tartari. III. 155. a.
Sal salsum quid & quotuplex. I. 4. a. I. 342. a. 343. b.
Sal terræ centrale. I. 341. b.
Salia volatilia quæ? I 342. b.
In quibus regnis dabilia. I. 342. b.
Salia volatilia in vegetabilibus triplicia. I. 41. a. An, antequam extrahuntur, insint actu & formaliter, an verò saltem potentiâ & materialiter. I. 41. b. III. 395. b.
Sal volatile ex vegetabilibus eliciendi modus. III. 5. b. III. 418. b.
Metamorphosis chymica plantarum sale volatili plenarum. III. 379. b.
Salia volatilia occultata & insipida quorundam vegetabilium, ab effectu nobis manifesta. I. 342. b.
Cur salia volatilia vegetabilium difficiliùs procurentur, quàm animalium. III. 418. b.
Salia volatilia vegetabilium an sint distincta, an verò ejusdem naturæ & efficaciæ. III. 418. b. III. 395. a.
Salia volatilia vegetabilia in forma spiritus salini asservantur. III. 418. b.
Solum sinapi sal volatile promtè dimittit. III. 419. a.
Pro acquirendis salibus volatilibus ex vegetabilibus quomodo sulphuris ligantis textura dissolvatur. III. 395. a.
Cur in regno vegetabili tam firmiter coaluerint salia volatilia. III. 395. b.
Salium volatilium vegetabilium usus. III 395. b.
An salia volatilia vegetabilium & animalium differant. III. 395. b.
Sal volatile vegetabilium in forma sicca rara avis. III. 395. b.
Sal volatile ex animalibus. III. 180. a. Ejus usus. I. 404. b.
Varietas. I. 404. a. Depurandi & rectificandi modus. III. 394. b. III. 419. a. Est facilè parabile. III. 419. a.
Cum sal volatile animalium viventium sit salsum, cur in destillatione prodeat urinosum pauco acido stipatum. I. 404. a.
Salis volatilis insectorum præstantia. I. 404. b.
An præter volatile etiam fixum sal in animalibus detur. I. 404. b.
Salia volatilia oleosa seu composita. III. 395. b.
Sal volatile oleosum, & empyrevmaticum radicum, lignorum, corticum. III. 2. a.
Sal volatile oleosum corrigens pulvis. III. 527. b.
Salis volatilis oleosi vis confortativa & cordialis. II. 4. b.
Salia volatilia ex oleis destillatis eliciendi modus. III. 379. a.
Salia volatilia oleosa quibus internè non, externè omninò conducant. III. 497. b.
Salia urinosa sunt vel volatilia vel fixa. I. 342. b.
Eorum diversa constitutio. I. 413. b. III. 395. a. Quomodo salia volatilia urinosa ex vegetabilibus paranda. III. 446. a.
Sal volatile urinosum ex araneis. III. 218. a.
Salinæ & oleosæ particulæ inter cæteras primatum obtinent. III. 2. a.
Salinarum particularum inversio. I. 348. b.
Salinarum facultatum Hippocratica assertio. I. 488. b.
Salacitas. II. 797. a. II. 827. a. Causæ ejus. II. 797. a. Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 797. a. b.
Animalia quò salaciora, eò minùs vivacia. I. 423. a.
Saliva quid? I. 6. b. III. 194. b. Ejus usus primarius & secundarius. III. 194. b. II. 48. a. b. I. 7. a. I. 69. a.
Ejus origo. II. 48. a. I. 69. a. Compositio materialis. I. 68. a.
Salivæ jejuni hominis usus. III. 194. b.
Salivæ usus in masticatione. I. 6. b. I. 68. a.
Ejus permistionem cum cibo aves in ingluvie absolvunt. I. 68. a.
Ejus vis penetrativa & fermentativa. I. 68. b.
Saliva viscida in febre. I. 827. b.
Salivalis sputi rejectio evacuativa. I. 23. a.
Salivationis legitimum regimen, historia, & methodus. I. 23. a. b. I. 312. a. II. 415. b. I. 923. a.
Imminentis indicium. II. 416 b.
Salivationis ratio fundata in malignitate Mercurii arsenicali. I. 374. b.
Salivationis modus triplex. I. 923. a. I. 310. a. b. & seq. III. 282 b.
Loca per quæ fit salivatio. I. 311. b.
Salivationis mercurialis usus. I. 23. b.
Salivatio universalis. I. 309. a. Medicandi ratio. I. 309. b. Usus ejus. I. 309. a. b.
Salivatio particularis. I. 313. a. Quotupliciter fiat. I. 313. b. Usus ejus. I. 313. b.
Symptomatum & Affectuum à salivatione ortorum medela. I. 923. a. II. 417. b.
Salivatio cur interdum non succedat. II. 417. a. b.
Salivationem mercurialem nisi insignem non curare quartanas. I. 805. b.
Salivatio an in scorbuticis & gravidis instituenda. III. 417. b.
Gargarismus adstringens in nimia salivatione. III. 597. a. I. 578. b.
Litus ad salivationem. III. 519. b.
Nicotiana masticata salivationes excitans. III. 83. a.
Saligni fungi. III. 508. b.
Salix. III. 105. b.
Salsedo spirituum. I. 670. b.
Salsum acrius corrigentia. I. 237. a.
Salvia. III. 105. b. III. 500. b.
Sambucus. III. 106. a.
Sambuci usus in pharmacopœa. III. 2. a.
Sambucus rusticorum pharmacopolium. III. 106. a.
Sambucus plurima suggerit remedia. III. 444. b.
Acetum sambucinum. III. 335. a.
Amuletum ex sambuco in salice crescente contra epilepsiam. III. 500. b.
Sambuci præparatio ad usum vomitorium. I. 260. a.
Arillarum sambuci oleum, ejusque vis vomitoria. III. 433. b.
Gemmarum sambuci usus vomitorius. III. 433. b.

Florum

Florum sambuci usus medicinalis & cellaris. III. 433. b. I. 306. a.
Fructuum sambuci usus diaphoreticus & sudoriferus. I. 306. a.
Cortices sambuci, eorumque usus. III. 428. a.
Sampsuchus. III. 72. b.
Sanatio quid? I. 586. a.
Sandaracha. III. 67. b. III. 325. b. *Ibid.* III. 502. b.
Græcorum, Arabum. III. 325. b.
Sanguiferorum vasorum tumores. II. 992. b.
Sanguificatio qualis actio. I. 78. b. I. 8. a.
Ejus organon an cor? I. 78. b. *& seq.*
Transmutatio chyli in sanguinem quomodo contingat. I. 79. b. 80. b. I. 56. b.
Negotium sanguificationis bipartitum. I. 77. a.
Sanguificatio læsa. II. 221. b. Ejus diagnosis, prognosis. II. 222. a.
Cura. II. 222. b.
Sanguinaria. III. 116. b.
Sanguinei quid? I. 4. b. I. 915. b.
Sanguineæ corporis partes. I. 2. a. I. 12. b.
Sanguis. I. 50. a. Sanguinis nomine quid propriè veniat. I. 8. b. I. 81. a.
Sanguinis natura. II. 5. b. Particulæ constitutivæ. I. 4. b.
Quatenus Vita in sanguine consistat. I. 412. a.
Prima sanguinis generatio in fœtu unde? I. 80. b.
Sanguis distribuitur per universum corpus mediante latice aquoso. I. 15. a.
Sanguinis & chyli vehiculum serum. I. 8. a.
Sanguis relictis vasibus inferioribus cur occupet primariò partes superiores. I. 745. b.
Sanguis in spiritus vitales resolvitur. I. 5. a.
Sanguis corpus actuat & vivificat. I. 412. a.
Sanguinis usus multiplex. I. 426. a. Usus in nutritione partium. I. 8. b. Quomodo partes nutriat. I. 13. a. Et augeat. I. 84. b.
Sanguinis status ex chylo infuso continuò resarciendus. II. 346. a.
Sanguinis color naturalis. I. 733. a. Semilacteus unde. I. 8. a.
Ejus rubedo unde. I. 81. a.
Præsentia salium in sanguine. I. 81. b.
Sanguinis fibræ. I. 82. a.
Massa sanguinea in quo consistat. I. 82. b. Massæ sanguineæ status quomodo turbetur. II. 8. b. Quomodo his turbis occurrendum. II. 8. b.
An de sanguinis constitutione ex sanguine venæsectæ judicari queat. I. 82. b.
Chylus unico per pulmones &c. circuitu in sanguinem abire nequit. I. 82. a.
Sanguis arteriosus, & venosus differunt saltem accidentaliter. II. 345. b. *& seq.*
Sanguinis crasis. I. 81. b. I. 425. a.
Singularis sanguinis crasis in unoquoque homine & varietas. I. 82. b. I. 425. a. Unde? I. 145. a.
Sanguinis diversitas & specialis idiosyncrasia quibus signis & rationibus confirmetur. I. 424. b.
Crasin sanguinis constituens. I. 4. b.
Crasis sanguinis interna est immutabilis. I. 425. a. b.
Sanguinis Circulatio an veteribus fuerit cognita. I. 420. a.
Circulationis hujus inventor & primi autores. I. 83. a. I. 8. a.
Sanguinis motus circularis quis dicatur. II. 472. a.
Ejus centrum & peripheria. I. 83. a.
Quomodo hæc circulatio fiat, & unde hæc vis movendi oriatur. I. 83. b. II. 472. a. I. 412. a. I. 8. b. Cur sanguis toties per cor transeat. II. 220. b.
Sanguinis circulatio in fœtu. I. 86. a. b.
Unus idemque sanguis per arterias & venas circulatur, differentias tamen habet accidentales. I. 84. b.
Sanguinis circulationis ad vitam necessitas. I. 644. a.
Sanguinis circulationis finis. II. 346. a. I. 84. b.
Sanguis motus circulatorius, quomodo conservetur in æquali tenore, præcaveaturque ejus stagnatio. II. 6. b. Quot modis vitietur. II. 472. a. 473. b.
Sanguinis Evacuatio & imminutio sensibilis ut instituenda. I. 61. a. b. I. 219. a. An bonum sit evacuare sanguinem. I. 219. b.
Sanguinis evacuationi an satisfaciat venæsectio. I. 19. b.
Judicium de sanguine ex venæsectione est nullum. I. 224. b. Quatenus tamen Medicus omninò inde judicium ferre possit. I. 225. a. Signa prognostica ex sanguine venæ sectæ. I. 190. b.
Cur sanguis venæsectione emissus congrumatus jam cadaverisatus, in superficie floridus, in fundo nigrescat. I. 8. b.
Sanguinis emissionis tempus. I. 225. b. Usus & effectus primarius, secundarius. I. 225. a. b. II. 6. b.
Evacuatio sanguinis paulatina. I. 228. b.
Humorum sanguinis venæ sectione emissi discrepantia unde. I. 16. a. I. 145. a.

Sanguinis fermentatio. I. 412. a. II. 220. a. Unde & quomodo fiat. I. 80. b. *& seq.* II. 220. b.
Ejus læsio. II. 220. a. 221. b.
Sanguinis fermentativum motum stimulantia, & ejus sal volatile oleosum augentia aromata. II. 4. a.
Sanguinis fluxilitas unde? I. 412. b. Sanguinis tenuitatis & fluiditatis conservatio. II. 475. b. Sanguinem fluidum reddit sal Ammoniacum. I. 344. b.
Sanguinis motus intestinus. II. 7. b.
Sanguinis ex corde in partes corporis motus & distributio. I. 83. a. II. 345. a.
Sanguinis motus & distributio ad caput, cerebrum & cerebellum. I. 102. a. II. 613. a.
Sanguinis motus ad viscera. II. 545. a. Ad renes. I. 97. b. Ad vasa lymphatica. I. 97. b. *& seq.* Ad glandulas. I. 97. b. Ad testes. I. 123. b. Ad corporis circumferentiam. II. 611. a.
Motus sanguinis terminus. II. 6. b.
Motus sanguinis læsi cura. II. 345. a.
Sanguinis interceptiones & repulsiones impossibiles. I. 20. a.
Sanguinis revulsio seu derivatio & retractio. I. 221. a. b.
Sanguineum turgescere circa plenilunium. I. 781. a.
Sanguinis vitia & morbi. II. 832. *& seq.* b. I. 13. a. I. 410. a. b.
Sanguinis vitia morbosa an corrigi queant per chirurgiam transfusoriam. I. 429. a.
Sanguinis dispositiones præternaturales à quo dependeant. I 410. b.
Sanguinis crasis quomodo vitietur. I. 416. a.
Electuarium ad sanguinis crasin corrigendam. III. 127. a. Alia vitiatam crasin corrigentia. I. 20. a.
Sanguis quomodo peccet in quanto. II. 550. b.
Sanguinis coacervati signa. I. 219. b. *& seq.*
Sanguinis defectus. I. 413. a.
Sanguis si incrassescat. I. 414. b.
In sanguinis nimia dissolutione sudoriferum. I. 301. a.
Sanguinis extravasatio. II. 524. b.
Sanguinis fermentatio aucta, abolita, depravata, unde contingat. I. 413. b.
Sanguinis fermentativa turgescentia. I. 15. a.
Sanguinis fluxum mirum promovet Crocus. III. 43. a.
Sanguinis ex partibus refluxus vitiatus. II. 472. a.
Ejusdem variæ species. *Ibid.*
Decoctum & pulvis ad fluxum sanguinis nimium post partum. II. 22. a. b.
Sanguinem sistens millefolium. II. 78. a.
Sanguinis ex venæ sectione fluxum compescere anagallidem. III 12. b.
Sanguinis grumescentia: loturæ carnium similis sanguis in lochiorum retentione. I. 937. b.
Sanguinem grumosum & coagulatum resolventia. I. 335. b. III. 516. a. II. 527. a. b. *& seq.* II. 977. a. I. 938. b.
Mistura sanguinem grumosum dissolvens. III. 561. b. III. 454. b.
Sanguinem coagulatum ex casu ab alto aut plagis resolventia. III. 516. a. III. 529. b.
Sanguis sero destitutus an inflammationem concipere queat. I. 873. a.
Sanguinis motum sistentia. I. 882. b.
Sanguinis correctio, purificatio per motum &c. I. 412. a. II. 268. b. I. 166. b. *& seq.*
Sanguinis mundificativum optimum sudor. I. 23. a. & Fumaria. III. 56. a.
Sanguinis spumositas. I. 629. a.
Sanguinis sputum. II. 540. b.
In sanguinis quacunque rejectione catholicum. II. 76. a.
Electuarium & pulvis de Hyoscyamo in sanguinis expuitione & rejectione. III. 63. a.
Potio in sputo sanguinis. III. 95. b.
Syrupus plantaginis in sputo & vomitu sanguinis. III. 93. a.
Tincturæ martis usus in sanguinis sputo. I. 360. a.
Sanguinis stagnatio, turgescentia &c. I. 412. a. II. 472. b. Quomodo compescenda & resolvenda. I. 19. b. & 20. a. I. 412. b.
Sanguinis suffusio. II. 976. b. Ejus cura magnetica. II. 977. b.
Sanguis Draconis. III. 151. b.
Sanguinem hircinum colligendi modus. III. 453. b.
Sanguinis humani usus medicinalis & præparata. II. 197. a. b. III. 452. a. Salis volatilis sanguinis humani usus. I. 405. b.
Sanguisorba. III. 107. b. III. 511. b.
Sanicula. III. 107. b. Ejus usus vulnerarius. I. 337. b. III. 515. b.
Sanitas quæ dicatur? I. 4. b. I. 13. a. I. 137. a. II. 5. b. I. 409. b. Ejus subjectum. I. 137. b.
An status neuter detur inter sanum & ægrum. I. 137. a.
Sanitas unde dependeat. I. 409. b.

Sanitatis omne momentum in quo consistat. I. 145. a.
Conservandæ sanitatis ratio. I. 193. a.
Quomodo sanitas ratione ætatis conservanda. I. 194. b. I. 195. b. Ibid.
Sanitatis conservatium motus. I. 167. a.
Ad sanitatem vitæ facientia media. II. 14. a. b. 18. a. I. 193. b.
Euacuationes medicæ quatenus ad sanitatem conferant. I. 193. a. b.
Santalum lignum. III. 108. a. Ejus species tres, quatuorve. III. 82. a.
Rubrum, citrinum. III. 511. b.
Santonicum. III. 108. a. III. 517. b.
Sapa. III. 507. b.
Sapientia hominis unde. I. 652. a.
Sapo odoratus. III. 398. a.
Saponis odorati cosmetici compositio. II. 471. a.
Saponis usus. III. 504. a.
Balsamus saponis. III. 343. b.
Oleum saponis. III. 502. b.
Saponaria. III. 108. b. III. 441. a.
Sapor in quo consistat. I. 115. b.
Saporum differentia unde. I. 11. a. 2. III. a. b. I. 733. a. I. 493. b. & seq.
Sapores morbosi. II. 9. a.
Sapphirus. III. 238. b. Ejus usus & virtutes. I. 397. b. III. 455. b.
Aqua sapphirina ejusque usus. III. 340. a. III. 490. b. III. 571. b.
Sarcocele. II. 785. b. Ejus Causæ, diagnosis, prognosis. II. 786. a. Cura. II. 786. a. b.
In sarcocele radicis ononidis usus. III. 86. a.
Sarcocolla. III. 151. b. III. 428 a. III. 501. b.
Sarcomata eorumque cura. II. 989. b.
Sarcotica. III. 1000. b. 1013. b.
Sardonius risus. II. 697. a.
Sarsaparilla. III. 108. b. Ei substitui potest tormentillæ radix. III. 441. a.
Sassafras. I. I. 109. a. III. 439. b. Ligni sassafras usus diaphoreticus & sudoriferus. I. 304. b.
Essentiam sassafras parandi modus. III. 441. a.
Satanas nec præter nec contra naturam potest agere. I. 162. b.
Saturatio nimia rejecta. I. 542. b.
Acidum saturantia. I. 533. b.
Satureja. III. 109. b. III. 500. a.
Saturninæ plantæ omnes conveniunt cum Saturno microcosmi. III. 110. b.
Saturninorum usus, præparata, vis aperiendi. I. 247. a. b. II. 170. b. Vis refrigeratoria. I. 333. a.
Usus vomitorius. III. 436. b. Usus vulnerarius. I. 338. b.
Saturnus (vid. *Plumbum*) quale metallum. I. 391. b. III. 276. a.
Est triplex. I. 393. a. Ejus proprietates medicæ. III. 276. a. b.
An ut ex igne, ita etiam ex aqua vel aere accrescat ac ponderosior fiat Saturnus. III. 276. b.
In quo conveniat differatve à Jove. III. 276. b.
Vasa plumbea pro sale, alumine, vitriolo coquendo. III. 276. b. & seq.
Quare saturnus in purificatione solis & lunæ reliqua metalla absorbeat, sole & luna intactis. 377. b. I. 391. b.
Eius affinitas cum luna; an etiam cum sole intercedat. I. 391. b.
Cur tam facile fluat? I. 391. b.
Saturnus participat de argento. I. 377. b.
Saturni usus. I. 392. a. III. 513. b. & seq. III. 277. a.
Est quarta Chirurgiæ columna. I. 378. a. 392. a. III. 616. b.
Ejus operandi modus. I. 378. a. An sterilitatem inducat. I. 391. b. & seq.
Minera Saturni. III. 254. a. Minera scriptoria. III. 254. a.
Saturni præparata. I. 391. b. & seq. III. 514. a.
Saturni calcinatio, purificatio, solutio, granulatio &c. I. 391. b. III. 277. a. b. Destillatio, mercurificatio. III. 279. a. b.
Aqua saturnina. III. 339. b.
Butyrum saturni. III. 279. a.
Emplastrum saturninum. III. 361. b.
Liquoris Saturni usus. III. 375. a.
Saturnus Philosophorum. I. 12. b.
Saccharum saturni. III. 277. b.
Spiritus Saturni usus. III. 463. a.
De Tincturis & oleis Saturni judicium. I. 392. b.
Satyriasis. II. 697. a. II 827. a. Unde dicta. II. 797. a.
Ejus cura. II. 797. b.
Satyrionis radix. III. 512. a.
Satyrium. III. 109. b.
Diasatyrii electuarium. III. 355. b.
Saxifraga. III. 110. a.
Scabies. II. 461. a. I. 439. a. Ejus causæ. II. 461. a. b. I. 700. a. Divisio in humidam & siccam nulla. I. 700. b.
Quomodo ex uno in alium transfertur. I. 933. b.
Scabiei Cura. II. 461. b. & seq. I. 700. b.
Formulæ contra scabiem. III. 518. a.
Secretum in omni scabie. II. 463. b.
Alsines usus in scabie. III. 10. b.
Aquæ ad scabiem. III. 340. a. b.
Balneum in scabie. III. 603. a. I. 575. a.
Bolus sudoriferus contra scabiem. III. 533. a.
Decoctum purgans in scabie. I. 570. b.
Decoctum pro lotione manuum ac pedum in scabie. III. 439. a.
Linimentum ad scabiem. III. 612. a. III. 518. a.
Lotio in scabie. III. 518. a.
Mistura contra scabiem. III. 568. b.
Pilulæ ad scabiem. III. 544. a.
Potio sudorifera in scabie. III. 561. a.
Pulvis sudoriferus contra scabiem. III. 528. b.
Unguenta ad scabiem. III. 412. a. III. 612. b. I. 580. a. Cautela circa unguenta in scabie. II. 463. a.
Scabiei externè pessimo cum consilio adhibetur Mercurius sublimatus. II. 463. b. & seq.
Scabiosis an prosit sanguinis transfusio. I. 439. a.
Scabies cachecticæ curata. II. 384. a.
Scabiosa cachexia ad hydropem inclinans. I. 861. b.
Critica in scabie quid agendum? II. 464. a.
Crustosa in scabie mistura egregii usus. III. 245. b.
Dolorem Scabiei ex affrictione levans remedium. II. 464. a.
Ferinam ad scabiem Epithema. I. 565. b. Pilulæ. III. 544. b. I. 562. b.
Genitalium scabies seu scabrities. II. 828. a.
Infantum scabies. II. 957. a. & seq.
Ex Lue venerea scabiei cura. II. 427. a.
Maculas à scabie relictas tollens Lotio. I. 575. b.
Maligna in scabie purgans pulvis. III. 528. b.
Oculorum ad scabiem Infusum. I. 574. a.
Retropulsio scabiei quomodo contingat. I. 700. b.
Quæ in ea conveniant? II. 464. a. Formula in retropulsa scabie pro scopo sudorifero. III. 454. a. Mistura. III. 477. a.
Retropulsa à scabie pica. I. 699. a. 701. a.
Sicca in scabie fenum Peucedani usus. III. 90. b.
In Tumore œdematoso scabiosorum remedia. II. 463. b.
Scabiosa ejusque usus. I. 251. a. III. 110. a. III. 485. a.
Scammonium. III. 177. b. Veterum & nostras. I. 347. b.
Adulteratum. II. 23. a. Sulphure castratum. I. 347. b.
Ejus Præparatio & correctio legitima. I. 347. a. 348. a. III. 178. a. II. 23. b.
Scammonii vis purgatoria & utendi modus. II. 22. b. & seq. I. 278. a. III. 426. a.
Ejus magisterium castratum. I. 347. b.
Scapularum structura. I. 618. b. Dolor. II. 674. a.
Scarabæus, ejus natura, species. III. 222. b. Usus diureticus. I. 298. a. Præparata. III. 222. b.
Scarabæus stercoreus. III. 518. b.
Scarificatio veterum. I. 227. a. Scarificationis scopus & usus. I. 227. b.
Consuetudinis vis in scarificatione. I. 412. b.
Scarificationes quatenus ad sanitatem conferant. I. 193. a. b.
Scarificatio in hydrope. II. 395. b. 396. a.
Doloris brachii ex scarificatione cura. I. 253. b.
Schalck in nitro. I. 350. b. III. 311. b.
Schœnanthum. III. 110. b.
Schola Salernitana. I. 28. b.
Scientiæ naturali Medicina subalternata est. I. 1. a.
Scilla. III. 112. a.
Sincus. III. 223. a. III. 512. b.
Scintillulæ oculis obversantes. II. 690. a.
Sirrhus. I. 154. b. II. 986. a. Ejus causa, differentia, Diagnosis, prognosis, Cura. II. 986. a. I. 410. a.
Emplastrum ad scirrhos. III. 362. a. III. 614. b.
Unguentum contra scirrhos. III. 413. a.
Mammarum scirrhi. II. 922. a.
Morbos chronicos supervenientes scirrhi. I. 335. a.
Viscerum, mesenterii, lienis, abdominis &c. scirrhi ex febri cura. II. 259. b. II. 173. a. b.
Testium scirrhus. II. 785. a.
Sclerotis. I. 108. a.
Sclopetorum vulnera an quoddam empyreuma habeant. II. 1004. b.
Eorum cura. II. 1004. b.
Scolopendrium verum, vulgare. III. 110. b. III. 481. a.
Scolymus. III. 27. a.
Scorbutus. I. 13. a. II. 427. b. Ejus causæ. II. 429. b. & seq.
Diagnosis. II. 433. b. Ex urina. I. 764. a.
Prognosis. II. 434. a.

Scorbutus sub zona torrida endemius, & quomodo se præservent ab eo Belgæ. III. 39. a.
In Italia rarò affliguntur scorbuto propter usum aurantiorum, III. 18. a.
Scorbuti cura. II. 435. a. 237. a. Symptomatum in scorbuto cura. II. 448. b.
Scorbuticis mercurialia non propinanda. III. 56 a. An his conferat sanguinis transfusio. I. 432. b. An sanguinis infusio. I. 482. b.
Remedia antiscorbutica. III. 478. b. 495. a. Selectiora & specifica. II. 437. a. 444. b.
Antiscorbuticorum duplex differentia. III. 13. a.
Antiscorbutica alterantia. I. 248. b. Cujus naturæ sit acre antiscorbuticorum. I. 248. b.
Anserinum stercus antiscorbuticum egregium. III. 207. a.
Arbores antiscorbuticæ, abies, picea, pinus. III. 4. a.
Beccabunga singulare antiscorbuticum. III. 13. a.
Betulæ liquor antiscorbuticus. III. 21. b.
Cerevisia antiscorbutica. III. 579. a.
Chelidonii minoris vis in scorbuto. III. 34. a.
Clysma medicamentosum anodynum in doloribus scorbuticis, III. 593. a.
Cochleariæ usus in scorbuto. III. 39. b.
Decocta antiscorbutica. III. 583. a. I. 564. b. I. 570. b. 571. b.
Decoctum lignorum in scorbuto. III. 352. a. In dolore crurum scorbutico. III. 587. b.
Digestiva antiscorbutica. III. 438. a. b.
Electuarium alterans in scorbuto. III. 355. b. III. 535. b.
Infusa antiscorbutica. I. 564. b. I. 569. b. Alterans. III. 577. b. Laxativum. III. 578. a. Spirituosum ad dolores fixos artuum. III. 579. b. *Ibid* I. 573. b. Pro scorbuticis tumido ventre præditis. III. 428. a.
Lac antiscorbuticum. III. 588. a.
Laconicum particulare, in doloribus crurum scorbuticis fixioribus. I. 576. a.
Magisterium antiscorbuticum. III. 380. b.
Mistura antiscorbutica. III. 50. a. I I. 561. a. I. 564. b.
Nasturtii usus in scorbuto. III. 81. a. & b.
Nodulus pro antiscorbutico. III. 576. a. Nodulus purgans, I. 275. a. b.
Pilulæ antiscorbuticæ. III. 543. b. Usuales. III. 545. a.
Pulvis scorbuticus digestivus purganti præmittendus. III. 526. b.
Ruta muraria antiscorbuticum egregium. III. 105. a.
Salis ammoniaci usus in scorbuto. I. 344. b.
Saturni usus in scorbuto cum vitio splenis enato. I. 391. b.
Sinapi usus in scorbuto. III. 114. b.
Trifolii aquatici usus in scorbuto. III. 122. a.
Vinum antiscorbuticum. III. 579. b.
Scorbutica febris, ejus diagnosis, prognosis, Cura. II. 222. a 459. b.
Julepus in scorbutica febre. I. 566. b.
Scorbutus oris. II. 54. a. b. Ejus cura. II. 448. b.
Scorbutica oris & faucium ulcera. II. 451. a.
Aquilegiæ usus ad scorbutum oris. III. 16. a.
Diaclysma in oris scorbuto. III. 371. b.
Gargarisma in oris scorbuto. III. 596. b. 597. b. I. 578. a. b.
Litus in scorbuto gingivarum. III. 520 b.
Mistura contra scorbutum oris. I. 566. b.
Pulvis in scorbuticis oris affectibus. III. 531. a.
Trochisci in scorbuto oris. III. 539. b.
Unguentum ad affectum oris scorbuticum. III. 613. a. I. 580. b.
Scordium, ejus usus & præparata. III. 111. a. III. 443. b.
Usus in expectorando. I. 250. b. Electuarium diascordii. III. 355. b.
Scorpio ejusque producta. III. 223. b.
Olei scorpionum præstantia. III. 452. a.
Scorpiones procreari ex basilico. III. 20. a.
Scorzonera. III. 111. a. III. 444. b. III. 480 a.
Σκότωμα, σκοτόδινος, σκότωμα σκοτεινόν. II. 689. b.
Scotomia. I. 689. b.
Scriptores observationum Practici, & quomodo legendi. II. 30. b.
Scrophulæ. II. 985. a. Quales tumores. I. 154. b. Unguentum contra scrophulas. III. 413. a.
Scrophulæ mammarum. II. 922. b.
Scrophularia. III. 111. b. III. 518. a.
Scroti duæ membranæ. I. 124. a.
Scroti hydrops. II. 983. b.
Scroti phlegmon. II. 781. b.
Scrotum testibus vacuum curantia. II. 781. b.
Scroti nimis tumidi in hydrope apertio. II. 395. b.
In scroti tumoribus, contusionibus, &c. cataplasma. III. 9. a.
Scroti infantum tumor aquosus. II. 945. a.
Scutum. I. 558. b.
Scylla, ejusque usus pectoralis. I. 250. b. III. 485. b.
Sebesten. III. 112. b. III. 507. b.
Secale. III. 112. b.
Secessus Romanis delectamento fuit maximo. I. 607. a.
Secretum propriè quid? I. 584. a.
Sectæ medicæ. I. 1. a.
Sectio cæsarea quatenus toleranda. II. 889. a.
Secundina. I. 12. b. I. 134. a. 136. b. III. 295. a.
Earum usus in Medicina. III. 195. a. III. 487. b. Pluribus morbis pellendis conducit. III. 195. a. b. Utendi modus, III. 196. a.
Observanda circa præparata ex secundinis. II. 776. a.
Spiritus seu liquor spirituosus ex secundina humana ejusque usus. I. 404. b. 405. b.
Secundinæ post fœtum maturè extrahendæ. II. 875. a.
Secundinæ retentæ. II. 893. a. Retentionis causæ. II. 893. b. Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 893. b.
Secundina promovens pulvis. III. 398. a. III. 529. b.
Sedum. III. 113. a.
Sella Turcica. I. 103. b.
Semen animalium quid? I. 124. a. II. 777. b. Dicitur malè semen, quæ genitura dici debebat. I. 12. a. Differentia ejus à semine vegetabilium. I. 124. a. (vid. *Genitura*.)
Seminis generatio. I. 123. b. Quatenus ad eam chylus facit. I. 12. a.
An & mulieres semen generent ad generationem necessarium. I. 126. b.
Qua ratione genitura maris & ovum fœminæ constituant semen perfectum. I. 127. b.
Semina utriusque sexus an in conceptione misceantur. I. 131. a.
Lympha seminalis mulierum. I. 128. a.
Seminis emissio fieri dicitur cum quadam epilepsia. II. 697. a.
Corporum per semina formatio per motum localem fieri videtur. I 43. a.
Vesiculæ seminales. I. 124. a.
Pulvis in abundantia seminis. III. 104. a. b.
Seminis defectus aut insufficientia. II. 778. a. Ejus causæ. II. 778. a. Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 779. b.
Seminum vegetabilium ratio. III. 3. a. Divisio, III. 3. a. I. 403. a. b.
Seminum vigor maximus. III. 55. b. Vis in quo consistat. I. 46. a. I. 403. b. Vis generativa & seminalis efficacia. I. 657. a. Unde? I. 39 b.
Duo actus in semine observandi. I. 46. a.
Semina sunt αὐτόματα. I. 48. b.
Parabilia ex seminibus. I. 403. b.
Semina 4. Calida majora. I. 242. a. III. 14. a. III. 28. a.
Semina 4. frigida majora. III. 39. a. III. 363. a.
Semicupium (vid. *Insessus*.) I. 575. a.
Semiotica bipartita. I. 1. b.
Sempervivum majus. III. 511. b.
Senecio. III. 113. b.
Senum virilitatem confortantia. II. 796. a.
Senna. III. 171. b. Ejus differentia à colutea vesicaria. II. 19. a.
Vis ejus laxativa & purgativa. III. 425. b. II. 19. a.
Utendi modus. III. 425. b.
Sine addito salino nunquam propinanda. II. 172. a.
Ejus folia acuit sal tartari & eorum mucilaginem corrigit. I. 706. a
Sennæ Alexandrinæ usus purgatorius. I. 277. a.
Decoctum sennatum. I. 570. b.
Infusa liquida ex senna parandi modus. III. 430. a.
Infusum ex senna purgans pro delicatulis. I. 570. a.
Sensationis organa quomodo objectum sensile afficiat. II. 630. a.
Sensatio brutorum qualis. I. 121. a. b.
Sensiles qualitates. I. 10. a. II. 629. b. I. 106. b. *& seq.*
Sensoria organa. I. 10 a.
Quomodo ad cerebrum usque motus sensorius continuetur, I. 107. b.
Sensuum primus autor & director. I. 10. a. I. 104. a. Quid? I. 110.
Sensuum organa seu instrumenta. II. 27. b. II. 689. a.
Sensuum ministeria. I. 6. a.
Sensuum præternaturalis & inordinata agitatio. II. 689. b.
Sensus sunt vel interni vel externi. I. 10. a. I. 104. b. II. 629 a.
Sensuum læsio. II. 613. a.
Sensuum passiones. II. 616. b. II. 629. a.
Sensus communis. I. 11. b. I. 107. b. II. 688. a.
Sensus externi in quo consistant. I. 106. a. II. 629. a.
Sunt impressiones vel passiones organi ab objecto. I. 118. a.
Eorum objecta, organa &c. I. 106. a. b. *& seq.*
Eorum numerus quinarius. I. 10. a. I. 107. b. II. 630. a.
Naturalium perceptioni & dijudicationi non semper æquè sufficiunt. I. 659. b.

Sensus interni in quo consistant. I. 10. a. I. 11. b. II. 689. a.
Eorum numerus ternarius. I. 11. b. I. 118. a. II. 688. a.
Separatim considerati quomodo se habeant, explicatu est difficile. I. 11. b. I. 118. a.
Sensus internos dependere ex stomacho. II. 616. a.
Sensuum internorum læsio. II. 688. a.
Sensus (i. e. dolor) gravativus, punctorius &c. II. 651. a. Ejus Cura. II. 654. b.
Sentiendi modus. I. 106. a. b. Potestas unde. II. 613. b.
Separatio. I. 3. a.
Separatio corporis soluti. I. 354. a.
Separatio acidi ab urinoso volatili in sale ammoniaco ut fiat. I. 344. a.
Sepia / Sepiæ os, ejusque usus in Medicina. III. 215. b. III. 518. a.
Septum pellucidum. I. 103. a.
Seriphium Germanicum. III. 116. b.
Sermonis ratio & formatio. I. 10. b. I. 112. a. II. 643. a.
Serpentes an sint venenati. III. 202. a. Quando capiendi. *Ibid.*
Serpentum morsus venenatus. I. 455. b.
Gallinæ cum serpentibus saginatæ salaciores evadunt. III. 202. a.
Serpentum usus medicus. III. 202. a.
Modus præparandi. III. 202. a.
Exuviæ serpentum imprimis officinales. III. 202. a. III. 487. b.
Coronæ serpentum, quid statuendum de iis. III. 202. b.
Lapis serpentinus magneticus. III. 202. a.
Lingua serpentum. III. 487. b. III. 226. a.
Oculi, lapilli serpentum. III. 226. a.
Pinguedo serpentum. III. 487. b.
Pulvis serpentum. III. 202. b.
Serpens terrenus nitri epitheton. III. 311. b.
Serpiginis & Lichenis descriptio. II. 466. b. Causæ ejus, prognosis, Cura. II. 467. a.
In serpigine convenientia. II. 463. b.
Lapathi usus in serpiginibus. III. 68. a. b.
Serpiginum Gallicarum cura. II. 427. a.
Serpillum. III. 113. b. III. 500. a. b.
Serratula. III. 113. b.
Serum quid? I. 9. a. Est vehiculum sanguinis & chyli. I. 8. a.
Serosum corrigentia. I. 237. a. II. 10. b. Seri acrimoniam corrigentia. II. 397. b.
Serosus sanguinis latex, & ejus usus. I. 9. b.
Seri superflui salibus recrementosis & abundantibus impraegnati per renes exclusio. I. 94. b. II. 548. a.
Seri transcolatio aucta, unde. II. 388. a.
Morbos ex serosa colluvie ortos ex glandularum vitiata lympha deduci debere. I. 413. a.
Serum lactis ejusque natura. III. 184. b. I. 412. b. Ejus origo. I. 9. b.
Manna seu nitrum seri lactis. III. 184. b.
Quomodo serum lactis depuretur. III. 578. a.
Ejus usus medicinalis & efficacia. III. 431. b. III. 566. b.
Serum medicatum. III. 431. b.
Serum lactis ad infusiones idoneum. III. 577. a. b.
Serum lactis, menstruum. III. 368. a.
Seri usus in malo hypochondriaco & scorbuto. II. 448. a. b.
Seri coagulatio & ejus usus. II. 346. a.
Sesamum. III. 114. a.
Seseli officinarum &c. III. 114. a.
Sevum, ejusque usus. III. 504. a.
Siccum quid. I. 11. a. I. 117. b. II. 649. a.
Siccantia quæ. I. 240. a.
Sicca remedia quatenus dicantur. II. 3. a. III. 483. a.
Sicca intemperies. I. 334. b.
Sideratio. II. 514. b.
Siderites. III. 114. a. III. 518. a.
Siefquid. III. 388. a. III. 517. a. III. 526. b. III. 531. b.
Sigillum B. Mariæ. III. 94. a.
Sigillum Salomonis. III. 94. a.
Signa morborum ex tribus fontibus emergunt. I. 17. a. Eorum fundamentum. *Ibid.*
Silex. III. 251. b. Silicum usus & præparata. III. 251. b. III. 476. b.
Liquor silicum. III. 251. b.
Pulvis præparatus silicum. III. 476. a.
Siliqua. III. 114. a. Præparata ex iis. III. 507. b.
Siliquæ ceraceæ usus pectoralis. I. 249. b.
Siliquastrum Montalbani. III. 160. b.
Similares partes quænam. I. 4. b. II. 5. a.
Similia similibus conservantur. I. 201. a.
Similitudinis parentum & fœtus ratio. I. 411. a.
Simplicia: speciales eorum vires. II. 3. a.
Simplicium vires & proprietates ex specifica eorum virtute determinandæ. II. 2. a. III. 2. a. b.
Simplicium qualitates chymicæ. I. 402. a.
Simplicium cognitionem præsupponit Pharmaceutica. I. 1. b.
Per simplicia cura est optima. III. 524. a.
Plura simplicia ejusdem naturæ non præscribenda. III. 415. a.
Simplicium apprehensio. I. 118. b.
Sinapi. III. 114. b. III. 479. b.
Sinapismus. III. 115. a. III. 345. b.
Singularia quid? I. 584. a. Singularis veri requisita. I. 586. b. Ejus primus autor semper est Medicus. I. 587. a. An Chymia occasione singularium magis magisque excolatur. I. 588. a. Singularium abusus. I. 589. a. An singularia in vulgus propalanda. I. 589. b. *& seq.* Invidia plerorumque in communicandis suis singularibus. I. 590. b. Quilibet medicaster gloriatur de singulari aliquo. I. 591. a. An appropriata nostra & modernorum singularia unum idemque sint. I. 585. b.
Singultus, quid? II. 193. a. I. 415. b. I. 714. b. Ejus causæ. II. 193. b. I. 415. b. Cura. I. 453. b. II. 194. b.
Cura si fit à cruditate stomachi. II. 195. b. Ab humoribus acribus corrosivis ac æruginosis. II. 195. b. Si suspicio sit malignitatis vel veneni assumpti. II. 196. a. Si est conjunctus morbis convulsivis, hystericis. *Ibid.* Si est symptoma. *Ibid.* Si est à nimia refrigeratione stomachi. *Ibid.*
Emplastrum in singultu. III. 512. a.
Singultus infantum. III. 940. b. Unde? I. 502. a. Ejus Cura. I. 510. a.
Sinovia. II. 346. b.
Sinuosa ulcera, eorum diagnosis, prognosis, cura. II. 1016. b. *& seq.*
Sinus quid? II. 972. a.
Sinus pudoris prolapsus. II. 847. b.
Sirones. II. 468. a. I. 687. b. Sironum à crinonibus differentia. II. 964. b. Eorum Cura. II. 468. a.
Sisarum. III. 115. a.
Sitis quid? I. 6. b. II. 44. a. Unde? I. 6. b. I. 735. b. 736. a. Finis. I. 65. b.
Naturalis & præternaturalis causæ. II. 45. a. I. 65. b. 66. a.
Differentia & divisio. II. 45. a.
Quomodo differat à fame. I. 65. b.
Cur acida præ cæteris sitim sedent optimè. I. 66. a.
Sitis quale signum in morbis. I. 190. a.
Sitis læsa & depravata. II. 44. b. II. 48. b. Ejus cura. *Ibid.*
Sitis ægrorum quomodo sedanda. II. 483. a. I. 809. b. 811. b.
Sitim æstuantium, laborantium, defatigatorum sedantia. II. 47. b.
Julepus in nimia siti post exercitium tempore æstivo. III. 565. b.
Collutiones sitim fallentes quando conveniant. I. 736. a.
Julepus extemporaneus in nimia siti & æstu. III. 566. b.
Nicotiana sitim extinguere dicitur. III. 83. a.
Sitis deficiens. II. 47. b. Prognosis. II. 48. a. Cura. *Ibid.*
Sitim acuentes rotulæ. III. 378. b.
Sitis nimia. II. 44. a. Ejus subjectum, Causæ. II. 44. a. b. Signa diagnostica, prognosis. II. 45. a. Cura. II. 45. b.
Julepus in nimia siti. I. 566. b.
Sitis nimia in febre. I. 827. a. Unde? I. 812. b.
Sitim in febre maligna restinguentia. II. 310. b.
Electuarium in febribus malignis ad sitim restinguendam. III. 101. a.
Julepus suavis in febris siti. III. 514. b. III. 565. a. b.
Sitis clamosæ in hydrope cura. II. 398. a.
Sitis in peste Cura. II. 343. a.
Sitis scorbuticorum Cura. II. 460. b.
Decoctum contra sitim scorbuticorum. II. 587. b.
Sitis ex vulnere cura. II. 1010. b.
Situs. I. 4. b. Unde. I. 419. b.
Situs corporis naturalis. I. 12. a.
Smaragdus. III. 238. b. III. 455. b. Præparati smaragdi quomodo operentur. I. 735. b.
Smilax. III. 23. a.
Sobrietas diætæ cardo. I. 18. a.
Soda unde. I. 705. a.
Soda ex chylosi læsa. I. 702. b.
Morsuli contra sodam. III. 540. b. I. 561. b.
Pulvis absorbens contra Sodam. III. 527. a.
Sol (i. e. *aurum*) III. 259. b. Quale metallum. I. 393. b. In Alchymia est paucissimi usus. I. 393. b. De ejus præparatis judicium. I. 393. b.
Acidum in sole. I. 377. a.
Sol (planeta) est anima mundi. I. 424. a.
Solis vis vegetativa universæ naturæ. II. 615. b.
Solanum. III. 115. b. III. 511. b.
Quadrifolium. III. 88. a.
Vesicarium. III. 9. b.
Soldanella ejusque usus in Medicina. III. 172. b. III. 428. a.
Solidarum partium morbi quomodo curandi. I. 329. b.
Solve & coagula, Chymicorum vox. I. 352. a.
Solvens alterum magnum est ignis, alterum menstrua. III. 368. a.
Solventia menstrua. I. 352. a. b. *& seq.*

Solutio-

Solutionis ratio. I. 352. a. III. 366 b.
Solutio & præcipitatio quomodo differant. III. 375. b.
Solutio est opposita coagulationi. I. 44. b.
Solutiones per aquam, spiritus, alcalia &c. quomodo præcipitentur. III. 375. b. *& seq.*
Somnia quid? II. 829. a.
Somnia asimatica, simantica. II. 621. b.
Somnia venerea unde. II. 197. a.
In somniis turbulentis & truculentis specifica. II. 198. a.
Somnolentiæ medetur cor corvi. III. 207. b.
Somnambuli. I. 618. a.
Somniloqui. I. 618. a.
Somnus quid. II. 615. b Causæ & quomodo contingat. I. 105. a. b. II. 614. a. *Ibid.* b.
Ejus accuratior distinctio. II. 621. a.
Somni usus. I. 514. a.
Quatenus somnus ad sanitatem confert. I. 167. a.
An meridianus salubris? I. 15. a. I. 167. a.
Nimius fugiendus. I. 167. a.
Longior quibus indulgendus. I. 167. a.
Somnus pingues reddit. I. 681. a.
Somnum excretiones quascunque sistere. I. 521. a.
Signa prognostica ex somno I. 190. b.
Somnum conciliantia. II. 618. b. *& seq.*
Anethi oleum somniferum. III. 13. a.
Bolus somniferus. I. 560. a. Confortans somniferus. III. 532. b.
Croci usus ad conciliandum somnum. III. 43. a.
Emulsio in somno deficiente. III. 89 a. I. 567. a.
Epithema in somno deficiente. III. 89. a.
Linimentum somniferum. I. 580. a.
Oleum somniferum. III. 611. b.
Pilulæ sudoriferæ & suaviter somniferæ in ægro inquieto. II. 545. b.
Somnus nimius. II. 621. a. Ejus Causæ. II. 623. a. Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 624. a. b. *& seq.*
Somni nimii in peste cura. II. 342. b.
In Somno infantum pavores. II. 947. a.
Sonchus sylvestris. III. 116. a.
Sonitus aurium &c. II. 646. b.
Sonitus raucus in catarrho suffocativo unde. I. 780. b.
Sonus. I. 10. b. Quid? I. 111. a. II. 642. b. Quomodo fiat? II. 642. b.
Motus ejus duplex. I. 111. a. Materiale & formale. *Ibid.*
Motus gradus. I. 111. a. Soni varietas unde. I. 10. b.
Harmonici, non harmonici ratio. II. 643. a.
Organorum musicorum pneumaticorum undulatorius. I. 111. b.
Ejus vis in concitandis affectibus. I. 113. a.
Sonus quomodo dentes afficiat. II. 643. a.
Sophia Chirurgorum. III. 116. b.
Sophisticatio genitalium muliebrium. II. 826. a.
Mammarum. II. 826. a.
Virginum apud Italos. III. 9. b.
Soporosi affectus ritè distincti. II. 621. a. b. Eorum causæ. II. 623. a.
Diagnosis, prognosis. II. 624. b. Cura. II. 625. a.
Sorbus. III. 116. b. Sorbi fructus. III. 516. b.
Sordes mucilaginosas ejiciendi ex vulnere potiones. II. 1003. b.
Sororiari mammas mulierum quid? II. 801. a.
Sory. III. 306. a. III. 491. a.
Spagyricæ artis finis primarius. I. 568. a.
Spagyrica animalium resolutio. III. 180. a.
Spagyrica secta. I. 1. b.
Sparadrapum. I. 579. b.
Spasmus. III. 696 b. Est duplex. II. 696. b. Unde? II. 614. a.
Spasmum curantia. II. 28. b.
Amuletum contra spasmum. III. 7. b.
Annuli ex dente hippopotami contra spasmum. III. 193. b.
Pœoniæ vis antispasmodica in quo consistat. III. 94. a.
Spasmus cynicus & tortura oris. II. 49. a. Causæ ejus. II. 49. a. Prognosis, Cura. II. 49. b.
Spasmus fibrarum unde. I. 872. b.
Diagnosis affectuum ex spasmis fibrarum derivandorum. I. 888. a.
Spasmus flatulentus. II. 697. a. 711. a.
Ex spasmo flatulento convulsio. II. 712 a.
Spasmus gravidarum. II. 872. b. Ejus cura. II. 712. a.
Spasmus τρομώδης. II. 712. b.
Spasmus ventriculi superioris orificii à fungis. I. 718. a.
Species quales pulveres. III. 392. a. Specierum basis. III. 498. b.
Species Diambræ, Dianisi &c. III. 392. a.
Species Imperatoris. III. 497. a.
Species officinales cui bono? III. 419. b.
Specifica medicamenta an dentur? I. I. 31. b. Specificum propriè quid? I. 584. a. Specificorum usus. II. 1032. b.
Fundamentum curationis per specifica. II. 8. a.
Specifica sunt & manent talia, utut interdum fallant. I. 939. b.
Spectris resistere dicitur hypericum. III. 64. a.
Specularis lapis. III. 251. a.
Speculum. I. 10. b.
Spermatis Ceti historia physica. I. 601. a.
Sperma ceti quid? I. 601. a. Ejus origo & generatio. I. 602. a. I. 603. a.
Præparatio. III. 504. a. I. 602. b. Adulteratio. I. 603. a.
Veterum & modernorum. III. 332. b.
Ejus temperamentum, usus, vis venerea, anodyna, anticolica, antihysterica. III. 332. b. I. 603. b. 604. a. b.
Usus in dissolvendo lacte coagulato. I. 605. a. In catharro suffocativo, asthmate. I. 605. a. b. Ad tormina infantum. I. 604. b.
Usus miscellaneus. I. 606. b.
Utendi modus & dosis. I. 606. b. Vehiculum, abusus. *Ibid.*
Sperma ranarum. III. 512. b. Præparata exinde. III. 513. a.
Emplastrum de ranarum spermate castigatum. III. 514. b.
Spermaticæ corporis partes. I. 2. a. I. 12. b.
Spermatica vasa mulierum. I. 127. a.
Spermaticarum vesicularum in mulieribus numerus. I. 127. a.
Sphacelismus. II. 514. b.
Sphacelus (vid. *Gangræna*.) II. 515. a. II. 1029. a.
Butyri Antimonii usus in cura speciali. III. 459. a.
Decoctum ex scordio in sphacelo. III. 111. a.
Sphincteris vitia. II. 576. a.
Sphygmica instrumenta seu libræ. I. 189. a.
Spicæ triplex species. III. 116. b. *& seq.* Usus spicæ. III. 500. a.
Spina in inflammatione quid. I. 872. b.
Spina infectoria. III. 172. b.
Spinachia. III. 117. b.
Spirituosorum duplex differentia. I. 318. b.
Spiritus (in sensu physico) quid? II. 5. b. Eorum generatio. I. 5. a.
Spirituum divisio. I. 54. b.
Spiritus sunt vel vitales vel animales. II. 299. a. Genitales. I. 5. a.
Spiritus insiti & influi. II. 6. a. I. 423. b.
Spiritus materiales. I. 670. b.
Spiritus insiti in partibus corporis præsentia probatur. I. 54. b.
In operari dependet ab influo. I. 55. a.
Spiritus luminosi sunt seu lucidi. I. 5. a. Eorum substantia subtilissima & activitas summa. I. 5. a.
Spiritus volatiles sanguinis quomodo in cerebrum penetrent. I. 9. b.
Spiritus vitalis sanguinis, seminis. I. 423. a. b.
Spiritus universalis vi seminali concentratus quomodo incipiat operari &c. I. 423. b.
An spiritus corpus à corruptione præservent. I. 54. a.
Spiritus quot modis peccent. I. 13. a. Spirituum morbi. I. 13. a.
Spiritus morbosi & vitiosi quinam. I. 410. a. I. 139. a.
Spiritus in substantia seu quali vitiatos corrigentia. I. 320. b. 321. a.
Spiritus in quanto peccantes corrigentia. I. 318. a.
Spirituum præternaturalis dispositio & ejus Cura. I. 410. b.
Spirituum in cerebro præternaturalis agitatio. II. 689. b.
Spirituum motus vitiatus ut corrigendus. I. 321. b.
Spirituum in corpore deficientium restauratio. II. 358. a. & 359.
Undenam spiritus influi volatiles afficiantur primariò, ut volatiles & luminosi extinguatur. I. 140. a.
Spiritus archeales morbi. I. 140. b.
Quotuplicitsr spiritus morbosi fiunt. I. 317. b. Quomodo corrigendi. I. 318. a.
Spiritus animalis an detur, in cerebro primitus scaturiens. I. 104. a. II. 613. a. Unde. I. 53. b.
Spirituum vitalium & animalium circulus & dependentia ab invicem. I. 104. a. II. 353. a. An ab invicem differant. II. 613. a. Sanguinis circulo correspondet circulus spirituum animalium. I. 104. b. *& seq.*
Spiritus animales continuatâ quadam serie per totum corpus diffusi. I. 104. b.
Spirituum animalium diversitas unde? I. 105. a.
Spirituum animalium officia. I. 10. a.
Quomodo spiritus animalis ad diversas actiones determinetur. *Ibid.*
Spiritus animalis essentiâ unus ad omnes actiones indifferens. I. 10. a.
Spiritus animales, ceu materia admodum subtilis, conditiones etiam subire certo modo materiales. II. 616. a.
Spirituum animalium generatio & distributio læsa seu vitiata. II. 613. a. 614. b. Quomodo deficiant. II. 614. b. Defectus cura. II. 614. b. Quomodo abundent. II. 615. a. Quomodo depra-

depraventur. II. 615. a.
Spirituum animalium in partes externas nimius, inordinatus & vitiosus motus. II. 696. b.
Spirituum vitalium ratio. I. 53. b. Genitalis quid? I. 53. b. Naturalis Galenicorum. I. 53. b.
Vitalis spiritus substantia an à sanguine distincta. I. 53. b.
Spiritus Chymicis quid. I. 377. a. Spirituum horum ratio. III. 398. a.
Spirituum usus. III. 401. a.
Spiritus sufficientes ad usum diaphoreticum. III. 440. b.
Spiritus ex animalium spagyrica resolutione. III. 180. a.
Spiritus acidus volatilis radicum, lignorum, corticum. III. 2. a
Spiritus acidi ex sulphure, succino &c. I. 361. b.
Spiritus aperitivus Penoti. III. 493 b.
Spiritus compositi. III. 401. a.
Spiritus essentificatus qui nam dicatur. I. 404 b.
Spiritus fuliginis. III. 412. b.
Spiritus mundi quid? I. 341. b.
Spiritus mundi influus & insitus Chymicorum, quid de eo notandum. I. 45. b.
Spiritus lapidificus; Gorgonius. II. 555. a.
Spirituum mineralium divisio. III. 423. a. Acidi coagulati vel sicci. III. 494. a. Eorum destillatio, concentratio, regeneratio. III. 399. a.
Spiritus per fermentationem. III. 399. b. An spiritus hi omnes ejusdem sint naturæ & essentiæ. III. 400. a. Modus parandi. III. 400. a b.
Spiritus Theriacalis camphoratus. III. 339. a.
Spirituum vegetabilium inflammabilium ratio. III. 422. b.
Spirituum vegetabilium urinosorum & subaci dorum ratio. III. 400 b.
Spiritus vitrioli Philosophicus. I. 370. a.
Spiritus urinosos ex omnibus vegetabilibus eliciendi modus. III. 5. b.
Splen (vid. *Lien.*) Ejus constitutio. I. 752. b. Ac cursoribus eximendum. I. 752. b.
Splenis pathemata multiplicia. I. 897. b.
Splenicus dolor differt à colica. I. 752. b.
Splenetica febris quartana. I. 804. a.
Splenis consensus cum febre. I. 804. b.
Splenetici fermenti restauratio. II. 547. a.
Hypochondriaco splenetica suffocatio. I. 925. a.
Splenetica. I. 248. a. III. 478. b. III. 479. b. I. 173. b.
Splenetica singularia & excellentiora. III. 26. a. & b. III. 501. b.
Aqua splenetica. III. 339. a.
Aqua ferrariorum in signe antisplenetieum. III. 110. b.
China spleneticis nocet. I. 804. b
Emplastra splenetica. III. 501. b III. 614. a.
Emplastrum spleneticum de Cicuta. III 362. a.
Emplastrum spleneticum Niemanni. III. 410. a.
Emplastrum pro splene dolente, tumido. III. 613. b. I. 581. a.
Filix insigne spleneticum. III. 53. a.
Fotus in affectibus splenis. III. 600. a.
Martialium usus in splenis vitiis. I. 804. b.
Nodulus spleneticus. III. 495. b.
Pilulæ spleneticæ blandè laxantes. III. 543. a.
Saturninæ plantæ omnes conveniunt spleni & ejus affectibus. III. 110. b.
Salis ammoniaci usus in affectibus splenis. I. 344. b.
Syrupi splenetici. III. 481. a.
Tartari usus in morbis spleneticis. III. 466. b.
Vehicula remediorum in morbis spleneticis. III. 480. b.
Splendor quid? I. 10. b. I. 109. a.
Spodium III. 307. b.
Spongiæ lapis. II. 252. a. III. 476. b.
Spumæ unde? I. 881. a.
Spuma duorum Draconum venenatorum. III 288. b.
Sputationem in pleuritide promoventia. II. 503. a. b.
Sputi rejectio evacuativa. I 23. a.
Sputi defectus in pleuritide quid signet. I. 873. a.
Electuarium contra sputum cruentum. III. 536. a.
Potio in sputo cruento. III. 147. b.
Squamæ in scabie unde. I. 700. b.
Squamaria. III. 117. b.
Stæbe. III. 117. b.
Stagnatio sanguinis ejusque effectus. I. 412. a. b.
Stagnationem sanguinis resolventia. I. 20. a.
Stagnationis humorum optimum corrigens sudor. I. 23. a.
Stannarii asthmatici. I. 787. a.
Stannum (vid. *Jupiter*) quid veteribus? I. 393. a.
Metallorum diabolus dicitur. I. 787. a.
Ejus usus diaphoreticus seu sudoriferus. I. 308. b.
Stannum album unde. III 254. a.
Stannum Genistæ: quid sentiendum de eo. III. 57. a.
Stanni sulphur. I. 377. b.
Staphis agria. III. 117. b. III. 173. a.
Status morbi quomodo ab aliis ejusdem temporibus differat? II. 475. b.
Steatoma. II. 990. a.
Stellarum motus duplex. I. 444. a. Configurationes. I. 442. a.
Novarum munus. I. 446. a.
Influxus in sublunaria. I. 446. a. (vid. *Astra*.)
An stellæ homines possint incitare ad novas res, bella &c. I. 446. a.
Stercorarius pulvis seu tragea Quercetani. III. 207. a.
Stercus. III. 486. b. *& seq.*
Stercora animalium abundant sale volatili, salso quasi ammoniaco. III. 181. b.
Stercoris usus medicus. I. 405. b. Purgatorius. III. 433. b.
Stercorum animalium usus refrigeratorius. I. 334. a.
Stercoris canini insignis usus. III. 186. b.
Stercoris columbini usus diureticus. I. 298. b.
Stercus humanum, ejus usus, præparata. III. 196. b. 197. a.
Stercoris proprii vis purgandi sympathetica triplici modo. III. 433. b.
Stercoris vaccini usus. III. 183. a.
Sterile quò magis animal, eò vivacius. I. 423. a.
Sterilitas ejusque causæ. I. 132. a. II. 778. b. II. 857. a. Causa ejus magis in sexu fœmineo quàm masculino latet. II. 857. b. Diagnosis. II. 858. a. Prognosis, Cura. II. 858. b.
Melissæ usus contra sterilitatem. III. 75. a.
Mercurialis pro arcenda sterilitate commendata. III. 76. b.
Sterilitatem inducentia. II. 830. a. 858. a.
Abortus plerumque inducit sterilitatem. I. 927. b.
Apes steriles reddunt. III. 216. b.
Salix sterilitatem inducit. III. 105. b.
Saturninas plantas omnes sterilitatem inducere. III. 110. b.
An Saturnus sine sterilitatis metu possit intra corpus assumi. I. 391. b. *& seq.*
Sternites. II. 603. b.
Sterni structura. I. 619. b. Dolor. II. 674. a.
Sternutationes ratio. I. 314. b. Usus. I. 314. b. I. 23. b.
Quid? Pars affecta, forma, causa. I. 114. a. II. 198. b. *& seq.*
Ejus primarium membrum. I. 114. a. In ea cerebrum non concutitur. II. 199. b.
Ejus differentia à singultu, ex coitu &c. II. 199. b.
Diagnosis, prognosis, Cura. II. 200. a. b.
Sternutatio fœtus recens exclusi. I. 497. a.
Sternutatoriorum ratio & formulæ. III. 363. b. *& seq.* I. 314. b. *& seq.* III. 176. a. III. 427. a. b. II. 602. a. b. II. 627. a. b. II. 199. b. I. 558. b.
Pulveres sternutatorii. III. 393. b. III. 531. b. I. 559. b.
Eorum basis vel saltem principalissimum ingrediens liliorum convallium flores. III. 70. b.
Stertor unde. I. 780. b. In tussi stomachali. I. 792. a. Ex imminentibus morbillis. II. 963. b Stertoris in asthmate distinctio. II. 180. b.
Stimulantia. III. 523 b.
Stœchas. III. 117. b. Arabica, Gallica, citrina. III. 500. b.
Stomacace. Mistura contra eam. I. 566. a.
Stomachus an gaudeat facultate χυλοποιητικῇ. I. 7. a.
Stomachi orificium quomodo afficiatur. I. 764. b. *& seq.*
Stomachiaca & eorum ratio. I. 240. b. III. 483. b. III. 496. b. Calida. I. 240. b. Frigida. I. 244. a.
Stomachum confortantia. II. 34. b. *& seq.*
Acida stomacho dicata. II. 4. a.
Acorus insigne stomachicum. III. 7. b.
Allium stomacho convenit. III. 10. a.
Aloe, stomachi anima, lætitia. III. 167. b. III. 174. a.
Ari radix stomachum corrigens. III. 17. a.
Balsami stomachici. I. 243. b. III. 610. b. *& seq.* Eorum applicandi modus. I. 243. b.
Cataplasma stomachale polychrestum. III. 609. a.
Ceratum stomachale. III. 360. b.
Cichorium stomacho valdopere convenit. III. 36. b.
Coriandrum stomachicum optimum. III. 41. b.
Electuarium stomachale. III. 420 b. I. 560. b.
Elixyr seu essentia stomachica. I. 243. a.
Emplastrum stomachale. I. 580. b. De Tacamahaca. III. 362. a. Contra cardialgiam emplastrum stomachale. III. 614. a.
Flores stomachales vitrioli. III. 323. b.
Linimentum seu Balsamum stomachale. I. 579. b.
Menthæ usus in stomachi morbis. III. 76. a.
Morsuli stomachales. I. 562. a. III. 540. b.
Morsuli stomachico-cephalici contra stomachum in senibus imbecillum. III. 540. b.

Panis usus stomachicus. III. 512. a. III. 513. a.
Pilulæ stomachales. III. 542. b Stomachico-cephalicæ. III. 543. b. Pilulæ purgantes contra deficientem stomachi digestionem. III. 543. b.
Potio stomachalis. III. 558. b.
Pulveres stomachici. III. 391. b. & seq. III. 496. a.
Pulvis stomachicus Birckmanni. III. 483 b. & seq.
Pulveres stomachales veterum. III. 530. b.
Rotulæ stomachico-cephalicæ. III. 539. a.
Sacculus stomachalis. III. 394. a.
Salis ammoniaci usus stomachalis. I. 344. b.
Species diatriῶν pipereων in affectibus stomachi. III. 92. a. III. 392. b.
Styrax calamita arcanum pro roborando stomacho. III. 152. a.
Thee egregium stomachicum. III. 120. b.
Tormentilla nobile stomachicum. III. 121. b.
Vinum medicatum stomachale. III. 496. a. II. 34. b.
Stomachi abscessus cura. II. 488. a. b.
Stomachi anxietas & ejus cura. II. 78. a. b. & seq.
Stomachi ardor. II. 85. a.
Stomachale asthma. I. 782. b.
Stomachi cruditatem acidam corrigens nodulus. III. 495. b.
Stomachi inflammati exempla. II. 489. b. Causæ, diagnosis, prognosis, cura. II. 488. a. b. 489. a. b.
Inflammatio cum inflammatione lobi hepatis &c. non confundenda. II. 488. a.
Stomachi inflatio cum levi orthopnœia seu asthmate & cardialgia. I. 712. b.
Olei abrotani usus in inflatione stomachi. III. 5. a.
Stomachi laxitas. II. 115. b.
Stomachi subversio quomodo contingat ex imaginatione, vel auditu rei horridæ. II. 615. b.
Stomachici doloris symptomata. II. 77. a.
Stomaticæ glandulæ. I. 6. a. Stomatica remedia III. 516. b.
Storax, vid. *Styrax*.
Στοργή. I. 329. a.
Strages hominum, pestis causa. II. 330. a.
Strammoneum. III. 507. a.
Strangulatio. II. 175 b.
Strangulatus uteri. II. 834 b.
Stranguria. II. 583. b. Causæ ejus. II. 584. a. II. 556. a. Diagnosis, prognosis, Cura. II. 584. b. Cura sympathetica & magnetica. II. 586. b.
Aurantiorum usus in stranguria. III. 18. a. *Ibid.* b.
Bolus contra stranguriam. III. 533. b.
Clysma in vesicam in stranguria. III. 594. a.
Stranguria gravidarum. II. 872. b.
Stranguria cum podagra. I. 891. a.
Stranguria virulenta. II. 584. b.
Stratificatio. I. 356. a.
Strobilorum pini usus in scorbuto. II. 448 a. Oleum. III. 501. b.
Strumæ. II. 985. a. Quales tumores. I. 154. b.
Strumarum cura. III. 518. a.
Filipendula & scrophularia præcipua simplicia in curandis strumis. III. 104. a. III. 111. b.
Lacerti pro curandis strumis laudati. III. 221. a.
Pulvis ad strumam. III. 393. a.
Strumæ mammarum. II. 922. b.
Struthio. III. 219. b.
Stupefacientia. III. 505. b.
Stuphæ, quid? quotuplices? III. 605. b. I. 576. a.
Stupiditas I. 740. b.
Stupiditas membrorum unde. I. 117. b.
Stupor corporis membrorum. II. 731. b.
Ejus prognosis, cura. II. 649. b.
Styptica vernacula. III. 516. a.
Pulvis stypticus internus. III. 515. b.
Textura styptica in mineralibus unde? III. 515. b. In vegetabilibus. III. 515. b.
Styrax calamita. III. 152. a. III. 502. b. Liquidus. III. 152. b.
Subclaviæ situs. I. 223. a.
Subeth. II. 622. b.
Subluxatio infantum. II. 964. a. Vertebrarum dorsi infantum. I. 945. a.
Subluxatio vertebrarum dorsi. I. 943. a.
Rubiæ usus in hoc affectu. III. 103. a.
Succerda. III. 203. a.
Succinum an sit vegetabile, an minerale. III. 330. b. & seq.
Fossile, vulgare, regeneratum, album. III. 504. b.
Ejus origo & natura. III. 504. a.
An succinum album flavo præferendum. III. 331. a.
Ejus aciditas. I. 361. b.
Ejus usus. III. 331. a. III. 455. b. Vsus nervinus. [illegible] 252. a.
Ejus præparata. III. 504. b. III. 331. b.
Solutio & præcipitatio. III. 331. b. Destillatio. III. 331. b.
Depuratio. III. 332. a.
Succinum antimonii. III. 286. b.
Succini oleum. III. 332. a. b. Sal volatile. III. 332. a. Vtriusque usus uterinus & diureticus. I. 254. b. 295. b.
Succisa III. 118. a.
Succolata, ejus vis nutritiua & confortativa. III. 152. a.
Succi quinam sint usus medici. I. 735. b.
Succi in officinis triplices usui medico inservientes, III. 422. b.
Succorum destillatio. III. 510. b.
Succi fructuum. III. 2. b. III. 401. b.
Succi florum &c. inspissati eorumque ratio. III. 401. b. & seq.
Succos acidos condiendi modus. I. 244. a.
Succus petrosus. II. 555. a.
Succos vegetabilium ab acescentia præservans radix caryophyllatæ. III. 511. b.
Succi corporis nostri primarii. I. 4. b.
Succorum corporis color. I. 733. a.
Succus & ductus pancreaticus. I. 75. b. 76. a.
Succos pancreaticos & felleos corrigentia. II. 9. a. b. & seq.
Sudamina quid? II. 468. a. Eorum causa, cura. *Ibid.*
Sudatoria (balnea) I. 576. a. Sudatorium siccum quid sit, quinam ejus modi & usus? III. 606. a.
Sudor quid? I. 9. a. I. 22. b. Quomodo fiat. I. 22. b. I. 101. b. Ejus usus & effectus. I. 23 a. I. 102 a. II. 611. b. I. 302. a. An sit excrementum naturale. I. 101. b. An solùm ex sanguine prorumpat. I. 102. a.
Sudor unde. I. 101. a. II. 611. b. Ejus materia. I. 101. b.
Sudoris indicantia, coindicantia, contra indicantia. I. 303. a.
Sudor Anglicus. II. 329. b.
Sudoris in Hydrope ratio. II. 394. b.
Sudoris humani usus medicus. III. 194. b.
Sudoris nimii causa. II. 612. a. Cura II. 612. a.
Sudori & tussi nocturnis &c. in phthisi medentes pilulæ. I. 563. a.
Sudorum nimiorum in peste cura. II. 343. b.
Sudores nocturnos in pleuritide tollentia. II. 502. b.
Mistura analeptica acidula post nimium sudorem. III. 560. b.
Electuarium roborans post nimium sudorem in febre maligna. III. 537. a.
Sudoris artificialis ratio. I. 299. b. Modus quo fit. I. 299. b. I. 611. a.
Octo circa sudorem observanda phænomena. I. 299. b.
Vt debitè fluat quæ requirantur. I. 300. b. I. 516. a.
Cur alii facilè, difficiliùs alii sudent. I. 300. b.
Sudoris locus. I. 304. a. Tempus. I. 612. a.
Corporis quies ad sudoris provocationem necessaria. I. 519. a. b.
Sudorem administrandi legitima ratio & regimen. I. 23. a. I. 303. a.
Signa prognostica ex sudore. I. 191. a. II. 612. a.
Sudor colliquativus. II. 266. a.
Sudoris per cutem emissio. I. 9. b.
Sudor deficiens. II. 612. b. Depravatus. *Ibid.*
Naturalis habet odorem salsum plùs minùsque urinosum. II. 296. a.
Sudoris utilitas præ purgationibus. I. 22. a.
Sudor puerperis proficuus. II. 909. a.
Non quævis remedia promiscuè pro sudore eliminando usurpanda. I. 302 a.
In quibus casibus sudoriferis acidis, volatilibus uti necesse habemus. I. 302. a.
Sudoriferorum operandi modus. I. 301. b.
Sudorifera primaria. I. 301. b.
Sudorifera privativè operantia. I. 301. b. I. 306. a.
Diæta sudorifera quid? III. 585. a. I. 572. b. Cur & quando instituenda. III. 586. b.
Sudorifera ex tribus regnis peti possunt. I. 304. a.
Remedia & formulæ sudoriferæ. I. 308. b. & seq. III. 454. a. III. 441. a. II. 26. a. I. 23. a. II. 4. a.
Elegans sudoriferum cum spiritu liliorum convallium. III. 401. a.
Sudoriferorum antifebrilium selectus. II. 303. a. 305. b.
Allii usus in sudore eliciendo. III. 10. b.
Sudorem in balneis, lectis conciliantia. III. 605. b. I. 609. a. b. I. 611. b. & seq.
Bolus sudoriferus quocunque in casu. III. 533. b. Ex Rob sambuci. II. 106. b.
Sudoriferum maximum Fabri. I. 393. b. III. 461. a.
Decoctum sudoriferum primarium, secundarium. III. 585. b. I. 572. b.
Pilulæ sudoriferæ. III. 420. b. Anodynæ. III. 545. b. I. 563. a.

Potiones

Potiones sudoriferæ. III. 387. b. III. 558. b.
Potio in febribus acutis sub & post sudorem. I. 564. b.
Pulveres sudoriferi. III. 528. b.
Salis ammoniaci vis sudorifera. I. 344. b.
Succus sambuci inspissatus sudoriferus. III. 2. a.
Mistura Thetiacalis sudorifera. I. 564. a.
Suffitus. I. 610. a.
Pulvis pro suffumigio. III. 531. b. I. 559. b.
Suffocatio convulsiva. II. 178. a. Signa ejus, cura *Ibid.* b.
Suffocatio ex Gas variarum rerum. II. 176. b. Cura. II. 177. b.
Suffocatio hypochondriaco-splenetica. I. 925. a.
Suffocatio ex musto fermentante in cella &c. ejusque ratio. I. 625. a.
Suffocatio ob submersionem in aquam. II. 175. b. Prognosis. II. 176. a. Cura. II. 176. a.
Suffocatio à viis interclusis. II. 175. b. Diagnosis, prognosis. II. 176. a. Cura. II. 176. a.
Suffocatio uterina. II. 834. b. Ejus causæ. II. 178. a.
Suffocatio uteri puerperarum. II. 904. b.
Aqua ex corticibus aurantiorum ad suffocationem uterinam. III. 18. b.
Bardanæ majoris foliorum usus in suffocatione uterina. III. 19. b.
Salis ammoniaci usus in suffocatione uteri & hypochondriorum. I. 344. b.
Suffocativus catarrhus. I. 778. a.
Suffusio. II. 525. a. Cataplasma in suffusionibus. III. 118. b.
Suffusio oculorum. II. 636. b. Ejus causæ. II. 637. a. Diagnosis, prognosis. II. 637. b. *& seq.* Divisio. II. 637. a. Cura. II. 638. b.
Suffusio sanguinis. II. 976. b. Cura ejus magnetica. II. 977. b.
Sugillatio. II. 524. b. Oculi. II. 634. a. b. Ejus cura. *Ibid.*
Polygonati usus in curandis sugillationibus. III. 94. a. b.
Sulphur quid? III. 326. b. I. 361. b. I. 377. a. Ejus differentiæ. III. 326. b.
Ejus substantiæ duæ. III. 464. a. II. 367. b. Color. III. 326. b.
Est Spagyricorum principium. I. 2. a.
In Philosophia corpusculari quid? I. 377. a.
Sulphureæ corporum particulæ quæ? I. 42. b.
Commune minerale. I. 362. a. Ejus variæ species. I. 362. b.
Depuratio. I. 362. b. III. 327. b. III. 464. a. Solutio. I. 363. a. b. III. 327. b.
Præcipitatio. III. 328. a. Sublimatio. III. 327. b.
Destillatio. III. 328. b.
Cautelæ pro sublimatione sulphuris florum. III. 327. b.
Ejus Aciditas. I. 361. a. Usus. I. 339. a. III. 327. a. I. 363. a. Selectus. III. 327. a. III. 464. a.
Præparata. I. 362. b. III. 464. a. b.
Duo scopi in præparandis ex sulphure remediis attendendi, III. 464. a.
Balsamum sulphuris. III. 329. b. Parandi modus. III. 464. b. *& seq.* Usus. I. 363. b. Balsamum sulphuris ad extra parandi modus. III. 465. a.
Flores suphuris parandi ratio eorumque usus. III. 327. b. *& seq.* I. 363. a.
Hepar sulphuris. I. 363. b. Præparatio ejus via siccâ. III. 465. a.
Infusio sulphuris. III. 329. b.
Lac sulphuris. I. 363. b. III. 328. a. Ejus parandi ratio. III. 464. b.
Oleum sulphuris conficiendi modus. III. 328. b. *& seq.*
Rotulæ sulphuris pectorales. III. 378. b.
Sal sulphuris. III. 330. a.
Spiritum sulphuris conficiendi modus. III. 328. b. *& seq.* I. 364. a. Parandi fundamentum. III. 465. b. Ejus usus. III. 329. a.
Tinctura sulphuris, ejus parandi ratio. III. 330. a. III. 465. b.
Sulphur quatenus de metallis prædicatur. I. 377. a. Verum an detur in metallis. I. 362. a.
Sulphuris metallici ratio. I. 377. a. Virtus in extrahendis tincturis metallorum & gemmarum. I. 397. b.
Sulphuris minera. III. 254. a.
Sulphurea in mineralibus dicuntur, quæ acida in vegetabilibus, II. 12. b.
Sulphur minerale commune. III. 254. a.
Sulphur vegetabile ex coryli julis. III. 42. a.
Sulphur caballinum. III. 326. b.
Sulphur cupri, ejusque præstantia. I. 290. b.
Sulphur martis. I. 360. a. I. 377. b. III. 494. b.
Sulphur pini inflammabile. III. 4. b.
Sulphura solis nobiliora. I. 377. a.
Sulphur veneris & martis præcipuè præ cæteris famosum. III. 494. b. Ejus parandi modus. III. 323. b. I. 390. b. *& seq.*
Sulphur vitrioli genuinum parare nescimus. III. 495. a.
Vitrioli anodynum. I. 360. a. Anodynum ex vitriolo Paracelsi. III. 494. b. Vitrioli martis analogum. I. 360. a. Vitriolum veneris est efficacius vitriolo martis. I. 360. a. Vitriolum purgans Schrœderi. III. 494. b. Tinctura sulphuris vitrioli I. 360. a.
Sumach. III. 100. b.
Superciliaris doloris periodici cura. II. 660. b.
Superfœtationis ratio. I. 128. a. II. 852. b. II. 859. b.
Suppositoria quæ? eorumque usus. III. 402. a. Quinam ab iis sibi cavere debeant. III. 402. b. Sunt vel simplicia vel composita. III. 402. b. Unde parentur. III. 402. b. Applicandi modus. III. 403. a. Stimulantia, anodyna. III. 403. a.
Suppositoriorum formulæ. I. 317. a. b. I. 361. b. I. 558. b.
Suppositoriorum domesticorum scopus duplex. III. 433. a. Modus parandi. *Ibid.* Officinalium formula. III. 433. a. Ex alumine parata III. 433. a.
Suppuratio quomodo contingat. II. 971. b. Ejus cura. *Ibid. & seq.*
Suppurationis in pleuritide cura. II. 504. a. b.
Suppurantia. I. 139. b. III. 483. b. III. 508. b. II. 3. b. II. 975. a.
Suppurantia in pleuritide. I. 874. a. b.
Lac egregium suppurans. II. 976. a.
Unguentum in suppurationibus. III. 194. b.
Surditas. II. 643. a. Ejus causæ. II. 643. a. Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 644. b. *& seq.* II. 661. b.
Surditatis ex casu ab alto, contusione &c. Cura. II. 646. b.
Surditas ab ortu rarò curabilis. II. 644. b.
Sus, ejusque usus medicus. III. 202. b.
Suilla pinguedo. III. 504. a. Suillum stercus, III. 487. a. Suista-li III. 453. b.
Sutura labiorum vulneris. II. 1000. a.
Sympatheticarum actionum fundamentum. I. 5. b. I. 55. b.
An per media sympathetica sanitatis status absentis cognosci possit. I. 177. a.
Sympatheticæ curationes. I. 323. b. I. 24. b. II. 1033. a.
Pulvis sympatheticus. III. 320. a. Ejus præparatio. I. 360. b.
Ejus vis latet in capite vitrioli veneris mortuo. I. 360. b.
Unguentum sympatheticum. III. 199. a. III. 203. a.
Lignum fraxinum sympatheticum in vulneribus. III. 55. a.
Sympathia quid? I. 327. a. Inter consanguineos. I. 329. a. Variæ sympathiæ mutuæ exempla. I. 326. a. II. 774. a. b. II. 1033. a. b.
Symphytum. III. 118. a. III. 517. a. Ejus tres species. I. 337. b.
Symphyti radix. III. 517. a.
Majoris usus vulnerarius. I. 337. b. Usus pro augmentandis deliciis noviter nuptorum & fallendo sponso. III. 9. b.
Symptoma quid? I. 137. a. I. 161. a. I. 174. b.
Symptomatum diversitas & divisio. I. 16. b. I. 161. a. I. 175. b.
Causæ. I. 161. a. I. 174. a.
Quomodo ex symptomatibus judicandum de statu morbi. I. 189. b. I. 695. b. *& seq.*
Symptomata tria in praxi frequentiùs occurrentia. I. 765. a.
Symptomatum multiplicatio reddit praxin difficilem. I. 695. a.
Morbi symptomata primaria, secundaria quæ? I. 752. b.
In syndrome symptomatum quæ observanda ad cognoscendum morbum primarium. I. 752. b.
Symptomatum gravidarum medela. I. 24. a.
Symptomatum urgentium remotio generalis. I. 340. b.
Synanche. II. 478. a.
Syncipitis contra dolorem Cataplasma rubificans. I. 577. a.
Syncope qualis affectus. II. 352. a. Ejus etymologia. II. 352. a. b.
Quomodo differat à lipothymia. II. 352. a. Syncopizantium vita media resurgens, non descendens. II. 352. b.
Syncopes Causæ. I. 190. b. II. 352. b. *& seq.*
Ejus Diagnosis, prognosis, Cura. II. 354. b. *& seq.*
An in syncope conducat sanguinis infusio. I. 478. a.
Vehicula remediorum in syncope. II. 357. a.
Cura syncopes ex Evacuationibus quibuscunque. II. 357. b.
Syncopalis febris. II. 287. b. Syncopes ex febribus malignis Cura. II. 358. a.
Syncope gravidarum. II. 870. a.
Syncopes in peste cura. II. 344. a.
Syncopes ex terrore, tristitia, hæmorrhagiis cura. II. 358. a.
Syncopes cum epilepsia, passione hysterica, ab apoplexia, ex venæsectione, cura. II. 358. a.
Syncopes fenum cum lassitudine pedum cura. II. 358. b.
Synocha. I. 829. a.
Syncopticum elixyr Glossæi. III. 359. b.
Synovia. II. 674. b. Synoviæ ploratio in vulneribus, ejusque cura. II. 1000. a. II. 1009. b.
Unguentum in synoviis. III. 194. b.
Syphilis. III. 410. b.
Syriacum balsamum. III. 499. a.
Syrupi nomine quid veniat? III. 589. b. Syruporum ratio. III. 404. b. I. 558. a. Variæ species. III. 405. a. Quotuplices. III. 510. b. III. 589. b.
Syruporum ingredientia. III. 589. b. Usus & dosis. III. 421. a. III. 428.

III. 428. b. Usus hodie quàm olim rarior. III. 589. b.
Syrupi Septentrionalibus corporibus non conveniunt. III. 480 b.
Syrupus acetosus. III. 482. a.
Syrupus diacodion Actuarii. III. 507 a.
Syrupi magistralis formula. II. 590 a.
Syrupi purgantis compositio & modus præscribendi. III. 590. a.
Sysimbrion. III. 81. a.
Systole cordis. I. 8. b.

T.

Tabacum. III. 82. b. Ejus usus vomitorius, & correctio. II. 12. a.
Usus Tabaci externus, & attractio fumi per tubulos. III. 84. a.
An ex fumo Tabaci continuò hausto cerebrum nigrescat. III. 84. a. Cautelæ circa Tabaci usum. III. 84. a.
Tabazir. III. 307. b.
Tabellæ quid? earum præscriptio. I. 561. b. (vid. *Rotulæ*.)
Tabis ratio. II. 359. b. 361. b. I. 436. a. Ejus Differentia à phthisi & atrophia. I. 855. a. Causæ. II. 360. a. b.
An in tabe conducat sanguinis transfusio. I. 436. a.
Tabis ex lue venerea cura. II. 427. a.
In tabe infantum salicis usus. III 105. b.
Tabulæ seu morsuli. III. 377. b. Earum usus exiguus. III. 419. b.
Tabula Hermetis smaragdina. I. 341. b. III. 234. b.
Tacamahaca. III. 152. b. III. 502. b. Ejus præparandi modus. III. 152. b.
Usus nervinus. I. 252. b.
Emplastrum de Tacamahaca. III. 362. a.
Tactiles qualitates. I. 11. a. II. 649. a I. 117. b.
Tactus constitutio. II. 649 a. Est sensus communissimus reliquos in se includens. *Ibid.* I. 117. a.
Quomodo differat à gustu. I. 117. a.
Ejus organon. I 11. a. I. 117. a. *Ibid.* b. Objectum. I. 117. b.
Tactus sensilior volæ, hypochondriorum, & plantæ pedum in quo consistat. I. 834. b.
Tactus læsio quomodo contingat. II. 649. a.
Tactus deficiens, motu salvo, in virgine per crebrum coitum curatus. II. 831. b.
Talcum. III. 252. a. Quid? III. 519. a. Rubrum. III. 455. a. Ejus usus & præparata. I I. 853. b.
Oleum Talci. III. 519. a. Verum non datur. III. 252. a. III. 375. a.
Talpæ usus medicus. III. 203. a.
Talpa, ejusque cura. III. 991. a.
Tamarindi. III. 173. a. Vis horum & usus purgatorius. III. 431. a. b.
Pulpæ Tamarindorum vis laxandi & utendi modus. III. 430. a.
Tamariscus. III. 119 a. Tamarisci cortex. III. 481. a.
Tanacetum. III. 119. a. III. 517. b.
Tarantismus. I. 156 b. II. 773. a. Cura ejus. II. 773. a.
Taraxaci usus refrigeratiuus, spleneticus &c. I. 333. b. III. 119. b. & seq. III. 480. a.
Τάραξις. II. 517. a.
Tarsi. I. 110. b.
Tartari vocis triplex acceptio. I. 400. a. III. 153. a.
Generatio & crescendi modus. III. 153. a.
Quid? I. 153 a. Virtutes & usus ejus. III. 153. b.
Usus diureticus. I. 297. a. III. 466. a. Utendi modus & cautelæ. I. 297. a. III. 153. b.
Ubi in destillatione maneat acor tartari. I. 400. b.
Cremor, &c. III. 153. b. Præparata chymica. III. 153. b. Crystalli. III. 153. b. Caput mortuum. I. 400. b. I. 367. b. III. 466. b.
Calcinatio. III. 466. b.
Tartarus chalybeatus. III. 466. b.
Emetici præparatio. I. 261. a. Præscriptio ejus in forma solida. III. 436. a. b.
Hydromel simplex & tartarisatum. III. 431. b.
Martialis tartari præparatio. I. 389 b
Microcosmi tartarus quid Paracelso. III. 153. a.
Morbosus tartarus. I. 169. b.
Oleum tartari. III. 502. b.
Paracelsi tartarus. I. 414. a.
Salis tartari modus comparandi. III. 466. b. Aliud est sal tartari volatile, aliud volatilisatum. III. 156. a. Volatilisatio ejus. I. 401. b. Sal fixum. I 401. b.
Spiritus tartari cujus naturæ. I. 400. b. III. 445. b.
Spiritus volatilis tartari virtutes. I. 401. a. Spiritum tartari subtilem & volatilem sub destillatione coercendi modus. III. 446. a. Correctio fœtoris. III. 446. b. Modi parandi spiritum tartari volatilem varii. III. 154. a.
Spiritus tartari antimonialis. III. 459. b.
Spiritum tartari urinosum parandi ratio. III. 446. a.
Tartarus tartarisatus, ejusque conficiendi modus. I. 401. b. 467. a. Tartarus tartarisatus antimoniatus. I. 371. b.
De Tinctura tartari judicium. I. 401. b.
Vini tartari ratio & præstantia. I. 400. a.
Vitriolatus tartarus ejusque usus. I. 345. a. Præparandi ratio. III. 467. a. Vis carminativa. I. 243. a.
Tartarorum potus. I. 492. a. b.
Taxus. III. 120. a
Taxus, animal, ejusque usus medicinalis. III. 203. b.
Ejus adeps in officinis cujus usus. III. 203. b.
Telephia ulcera. III. 52. a. II. 1018. a.
Telephium. III. 51. a.
Telephium sedum. III. 52. a.
Telescopii usus. I. 659. b.
Telorum venenatorum vulnus & ejus cura. II. 1006. a.
Temperamentorum ratio, & quid sentiendum de illis. II. 222. a.
Temperamenta esse quatuor explosum. I. 4. b. I. 413. a.
Temperamentorum tot sunt varietates, quot individua. I. 915. b.
Temperamentum duplex, elementale, vitale. I. 4. b. II. 5. b. I. 424. b.
Temperamentorum diversitas unde? I. 915. b.
Temperamentorum vitalium innumerabilis varietas. I. 58. b. Eorum fundamentum. I. 58. b. *Ibid.* b. Immutatio. I. 59. a.
Temperamentum corporis sequuntur mores. II. 928. a.
Temperantia. III. 483. b. III. 505. b. 508. b II. 3. b.
Clyster temperans polychrestus. I. 577. b.
Temperata analeptica. III. 510. a. Corroborantia. III. 496. b. Alterantia. I. 239. b.
Temperatura partium animi. II. 614. a. b.
Temperies corporum unde. I. 105. a. b.
Temperies inæqualis, calida hepatis & stomachi frigida est falsa. II. 222. b.
Tempestatum mutationem auscultans dolor. II. 650. b.
Templinum oleum. III. 91. a.
Temporum mutationes quomodo ægris perceptibiles. II. 615. b.
Tempus Balsamicum colligendi medicamina vegetabilia. III. 28. a.
Tempus gestationis & partus quomodo computandum. II. 876. b.
Temulentiæ onomatologia. I. 670. a. Quid? I. 670. a. Pars affecta. I. 670. b. &c.
Tendines quid? I. 122. a. II. 27. a.
Tendinis dissecti & per transversum læsi cura. II. 1007. a. b.
Tenebræ quomodo concipiantur. II. 690. b.
Tenerior constitutio, ejusque fundamentum. I. 808. b.
Tenerioris constitutionis homines generosiora ferre nequeunt. III. 503. b.
Tenesmus. II. 130. b. Pars affecta. II. 131. a. Causæ. *Ibid.* Diagnosis, prognosis, Cura. *Ibid.* a. b.
Tenesmus infantum. II. 943. a.
Decoctum ex floribus tiliæ in tenesmo. III. 121. b.
Fotus contra tenesmum. I I. 599. b. I. 574. b.
Quercus usus in tenesmo. III. 98. a.
Sacculus in tenesmo. III. 601. a.
Vaporarium in tenesmo dysenterico. III. 598. b.
Tensio hypochondriorum infantum. II. 939. a.
Tensivus dolor. II. 651. b. Cura. II. 654. b.
Abdominis gravidarum. II. 873. a.
Terebinthina. III. 148. a. Ejus aciditas. I. 361. b.
Terebinthinam solvens menstruum. I. 353. a. III. 149. a.
Ejus virtus & usus. III. 148. b. I. 251. a. I I. 149. a.
Usus diureticus. I. 297. a. Usus menstruus. I. 353. a.
Vis laxativa. III. 431. b.
Modus utendi. I. 297. a. Præparata. III. 149. a.
Terebinthinata renibus dicata. II. 4. a.
Terebrans dolor. II. 651. a. Cura. II. 654. b.
Teredinis farina. III. 512. a.
Terreæ particulæ corporum quæ dicantur. I. 42. b.
Terreorum abusus in acutis. I. 834. b.
Terra an sit pars constituens corpora in fieri materialiter. I. 35. a.
Terræ motus pestes insecutæ. II. 330. a.
Terræ oleum. III. 504. b.
Morbi ex effluviis terraqueis. I. 164. a.
Terra Spagyricorum principium passivum. I. 2. a.
Terræ medicatæ cujus sint naturæ, & unde suas obtineant vires. III. 224. b.
Earum differentiæ & species. III. 224. b. 226. a. & seq.
Usus. III. 225. b. Præparationes. III. 225. b.
Terra Adamea. III. 228 b.
Terra bolaris rubra. III 488. b.
Terra Cimolia. III. 228. b.

Terra Damascena. III. 228. b.
Terra foliata tartari. I. 405. b.
Terra Hybernica. III. 228. b.
Terra Japponica. III. 227. b. III. 455. a.
Terra Ilfana. III. 228. b.
Terra Lemnia. III. 226. a.
Terra Martialis. III. 228. a.
Terra Melitensis. III. 226. a.
Terra Norwegica. III. 228. a.
Terræ Philosophica. III. 228. b.
Terra sigillata Silesiaca. III. 226. b. Præparandi eam modus. III. 226. b. Vicem Lemniæ explet. III. 226. b. Et terra Melitea. III. 226. a. Præparata. III. 455. a.
Terra Sancta Rulando quid? III. 435. b.
Terra Silesiaca Strigoniensis, Lignicensis, rubra. III. 454. b.
Terra virginea. III. 424. a.
Terra vitrioli dulcis quid? I. 189. a.
Terra vulgaris. III. 228. b.
Terroris noxa. I 169. a.
Gravidarum & nutricum noxa. II. 930. a.
Aqua contra terrorem. III. 339. a.
Tertianaria. III. 120. a.
Tessellæ quid? & earum præscriptio. I. 561. a.
Testæ ovorum earumque usus. I. 298. a. b. III. 208 b.
Testium constitutio & familia. I. 124 a. Quid? I. 124. a.
An testes inter glandulas numerandi? I. 98. a. b.
Testium inchoamentum. I. 103 a.
Testes mulierum. II. 777. b. Testium muliebrium substantia. I. 137. a. Sunt ovaria. I. 12 a. Testium muliebrium situs. I. 127. a.
Testium amputatio. II. 784. b.
Dolores testium leniens cataplasma. III. 51. b.
Duritiei testium cura. III. 422. a.
Inflammatio testium. II. 781. b. Causa, Diagnosis. II. 782. a. Prognosis. *Ibid.* Cura. *Ibid.*
Tumores testium varii & eorum causæ. II. 781. b. *& seq.*
Tumor testium varicosus. II. 787. a.
Tumor testium œdematosus in gonorrhœa virulenta. I. 918. b.
Ad Tumorem testium cataplasma. III. 603. b. Aliud in doloribus & tumoribus testium. III. 51. b. In tumore testium ex contusione. I. 576. b. Ex agrimonia cataplasma in tumore & inflammatione testium. III. 9. a.
Ad Tumorem testis inflammatorium cum insigni dolore & ardore epithema. I. 565. b. III. 568. b.
Testes latentes in scrotum revocantia. II. 781. b.
Testium scirrhus. II. 785. a. Causæ ejus, diagnosis, prognosis, cura. II. 785. a.
Testiculorum vasa. I. 124. a. (vid. *Testes*.)
Testudo. I. 102 b.
Testudinis usus & præparata. III. 216. a.
Testudo ejusque cura. II. 991. a.
Tetanus. II. 697. a. I. 933. b. Cervicis cum vomitu matutino & chlorosi. I. 931. b.
Teucrium. I. I. 121. a. III. 480. b.
Textura minutissimarum particularum hodie in œconomia corporis attenditur. II. 2. a.
Thee. III. 120. b. An apud nos reperiatur? an illi aliud aromaticum nostras possit substitui. III. 120. b. Ejus virtutes. I. 63. a. II. 626. b. Usus antiscorbuticus. II. 446. a.
Therapevsis. Therapevtica. I. 1. b. I. 17. a. I. 193. a. I. 196. a.
Ejus partes ministræ. I. 1. b.
Ad Therapevsin facultatum Hippocraticarum applicatio. I. 491. a.
Theriaca. III. 355. a. Theriacæ variæ. III. 356. a. b. *& seq.* Theriaca Andromachi. III. 356. a.
Andromacho seniori primam theriacæ compositionem debemus. I. 28 a.
An apud nos dispensari queat. III. 356. a.
Theriacales compositiones. III. 353. a.
Correctiones compositionum theriacalium. III. 447. b.
Mistura theriacalis per olea destillata potest acui. III. 448. a.
Luxus ingredientium in theriaca unde. III. 447. a.
Succinum optime substituitur loco balsami in compositione theriacæ. III. 19. b.
Ejus usus. III. 356. b. III. 447. a. Ejus usus Sudoriferus seu diaphoreticus. I. 306. a. Sufficit ad usum diaphoreticum. III. 440. b.
Theriaca rusticorum allium. III. 10. b Juniperus. III 441. a. Ruta. III. 104. a.
Theriaca benedicta Quercetani. III. 370. a.
Theriacæ extractum seu essentia. III. 370. a. III. 443. a.
Thermæ artificiales. I. 362. b. III. 233. a. Earum author & usus. III. 246. a. III. 603. b. Præparatio. III. 603. b.
Thermæ naturales. I. 362. b. III. 231. b. Unde oriantur. I. 362 b. III. 231. b.
Earum virtus dependet à sulphure. I. 362. b. III 232. a. Varietas. III. 232. a. b. Usus. I. 362. b. III. 232 b.
Quibus conferant, quibus non. III. 232. b. Utendi modus & cautelæ. III. 232. b. *& seq.*
Thimelæa. III. 169. b.
Thlaspi. III. 121. a.
Thlaspidium cornutum. III. 10. a.
Thoræ succus venenosus. I I 14. b.
Thoracis structura & motus. I. 619. a Musculi. I. 620. a.
Thoracis partium internarum inflammatio. II. 494. b.
Thus quid? III. 156. b. Usus ejus. *Ibid.*
Thymallus, ejusque usus in Medicina. III. 216. a.
Thymbra, Thymbron. III. 109. b.
Thymiama. III. 121. a.
Thymus. III. 121. a. III. 500. a.
Tibiarum dolor ex lue venerea curandi modus. II. 425. b.
In Tibiarum ulceribus pulvis. III. 531. a. Tibiarum ulceribus manantibus inspergendus pulvis. I I. 520. b.
Tilia. III. 121. a. Tiliæ flores. III. 500. b. Tiliaceum viscum. III. 500. b.
Timoris noxa. I. 169. a.
Tincæ usus medicus. III. 216. b.
Tincturæ nomen unde? I. 372. b. Tincturarum ratio & quidditas. III. 407. b. I. 372. b. Propriè dicta quæ? I. 450. b. Divisio & variæ species. I. 372. b.
Color. III. 407. b. Tinctura, essentia, extractum ut differant. III. 369. a. Tria in Tincturis considerands. III. 422. b.
Tincturarum usus. III. 408. a. Tincturæ sufficientes ad usum diaphoreticum. III. 440. b.
Tincturæ artificum & mechanicorum quomodo fiant. I. 355. a.
Tinctura aperitiva Moebii. III. 477. b.
Tinctura Basiliana. III. 281. a.
Tinctura lilii. III. 304. a. III. 458. a.
Tincturarum martialium divisio, parandi methodus. I. 389. b. & 390. a.
Tinctura ex Metallis & gemmis vera an possit elici. I. 372. b.
Tincturæ metallicæ & coralliorum qualem præparationem requirant. I. 378. a. I. 372. b. & 373. a. Tincturarum metallicarum Δοκιμασία, an veræ, an spuriæ? I. 378. a.
Tincturæ Philosophicæ fundamentum. III. 257. a.
Tinctura Sapphirina ex Venere & Luna. I. 377. b.
Tinea Linimentum in tinea capitis. III. 612. a.
Lotio capitis pro tinea capitis. III. 604. b.
Unguentum in tinea capitis & contra pediculos. III. 612. b.
Tinea infantum & puerorum. II. 952. a. II. 956. b. Unde? I. 502. b. Cura. I. 510. b.
Nasturtii usus in tinea puerorum. III. 81. a.
Spicæ oleum in tineis infantum. III. 117. a.
Tinnitus aurium & sonitus. II. 646. b. Causæ ejus. II. 647. a. Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 647. b. & 648. a.
Ex lue Gallica cura. II. 427. a.
Titillationem in corpore humano præ cæteris tria loca percipiunt. I. 834. b.
Titillatio venerea. II. 826. b. 827. b.
Tolutanum balsamum. III. 499. a.
Tonitru quid? III. 233 b.
Tonsillæ. I. 69. b. Tonsillarum officium in separatione lymphæ. I. 98. b.
Tonsillarum inflammatio (vid. *Inflammatio.*) Gargarisma in inflammatione tonsillarum. III. 595. b. Gargarisma suppurans inflammationem in tumore tonsillarum. III. 596. a. Aliud in tonsillarum inflammatione. III. 118. a. Gargarismus in principio & statu inflammationis tonsillarum. I. 578 a.
In Ulceribus tonsillarum Diaclysma. III. 371. b.
Tonicus motus. II. 689. a.
Tonica convulsio. II. 696. b. 710. b.
Tonus seu tonicus motus quid? I. 122. b. 153. b.
Tonus fibrillarum unde dependeat. II. 27. a. Quomodo malis obnoxius. II. 27. a.
Tophi quid? I. 154. b. II 426. a. Cura eorum. II. 426. a.
Emplastrum ad Tophos. III. 362. a. III. 502. a.
Tophorum arthritidis cura. II. 679. b.
Topica. III. 515. a. I. 584 b.
Torcular Hierophilianum. I. 103. a.
Tormentilla. III. 121. b. III. 516. b. Ejus usus vulnerarius. I. 338. a.
Tormina ventris gravidarum. II. 868. b.
Tormina alvi infantum. II. 936. b. I. 501. a. Cura. II. 937. a. b. I. 509. b.
Balsamus contra tormina infantum. III. 14. b.
Laxans in torminibus infantum. III. 431. b. *& seq.*
Potio contra tormina infantum. III. 562. a.

Pulvis contra eundem affectum. III. 530. a. I. 559. a.
Torpedo paralysin inducens. II. 734. a.
Benzoes usus in torpedine, quam inducere solet Torpedo piscis. III. 135. b.
Tortura oris, vid. *Spasmus Cynicus*.
Tractio in natura nulla. I. 626. a.
Tragacantha. III. 156. b. III. 508. a. *Ibid.* b.
Species diatragacanthi. III. 508. b.
Tragea quid? III. 419 b. III. 388. a. III. 526. b. I. 559. a.
Apud veteres. III. 530. b.
Aromatica. III. 505. a. Fortis. III. 390. b.
Tragearum stomachalium basis. III. 498. a.
Tragopogon. III. 122. a.
Tragoselinum. III. 110. a.
Transcolatio chyli in intestinis ut impediatur. II. 165. a.
Transfusoria Chirurgia, vid. *Chirurgia transfusoria*.
Transmutationes vegetabilium, metallorum. I. 408. b.
Transpiratio an simpliciter fit à calore. I. 820. a.
Transpirationis infantum occlusio. II. 927. a. I. 497. a.
Transpiratio insensibilis quid? II. 611. a Ejus ratio in negotio sanitatis. I. 168. a. Ejus fontes. I. 9. b. Materia. I. 100. a. Organon. I. 100. b. Modus. I. 100. b. Efficiens. I. 101. a. Curdicatur insensibilis. I. 101. a. Usus ejus. I. 102. a. II. 611. a.
Quidam eâ carent, unde anasarca. I. 100. a. b.
Transpiratio insensibilis infantum ut promovenda. I. 507. b.
Transpiratio sensibilis. I. 101. a. Materia ejus. I. 101. b. Usus. I. 102. a.
Transplantatio morborum. I. 411. a. II. 1035. a. I. 24. b. I. 323. b. 327. a. 328. a. Observanda circa eam. II. 1035. a.
Transplantatio per magnetem quintuplex. I. 322. a. b.
Ejus vis. II. 774. a.
Transplantatio in bestias. III. 186. a.
Pro curis transplantatoriis optimè accomodata quercus. III. 98. b.
Transplantatoria equorum compressorum cura. I. 326. a.
Transudationis fontes. I. 9. b. Sensibilis transudationis vis in negotio sanitatis. I. 168. a. (vid. *Transpiratio*.)
Tremoris nota. I. 169. a. Tremor cordis. II. 346. b.
Tremor simplex, convulsivus. II. 712. a. Causæ ejus. II. 712. b.
Diagnosis, prognosis. II. 713. a. b. Cura. II. 713. b.
Pediluvium ad roborandos articulos in tremore. III. 605. b.
De Tribus misturæ autor. III. 339. a.
Trichomanes. III. 122. a. III. 486. a.
Trifolium. III. 480. a. Trifoliorum genera. III. 122. a. b.
Trifolium fibrinum. III. 479. b. Pratense. III. 500. b.
Trimellorum generatio. II. 852. b.
Triplicitates Zodiaci. I. 443. b.
Tripolis. III. 228. a.
Triquetrum. III. 117. b.
Tristitiæ nota. I. 169. a.
Triticum. III. 122. b.
Tritura foliis Langellotti. I. 238. b.
Trochiscorum ratio. III. 408. a. I. 558. b. III. 558. b. III. 539. b.
Trochisci de Carabe. III. 517. a. Gordonii. III. 512. a.
Sublinguales. III. 420. a.
Trochlearis oculi motus. I. 110. b.
Troja quando ædificata. I. 445. a. Quando eversa. *Ibid.*
Trutta, ejusque usus in Medicina. III. 216. b.
Tryphera Persica. III. 357. a.
Tuba uterina. I. 127. b.
Tubera cervina. III. 157. a.
Tuberculorum ex lue venerea cura. II. 423. b.
Tubercula in infantum lingua, gingivis &c. II. 945. b.
Tumor quid? II. 970. a. Causæ tumorum. II. 970. a.
Tumor quatenus causa & quatenus effectus doloris. II. 650. b.
Tumor cur in arthritide, punctura vespæ, intrusione spinæ &c. superveniat. II. 473. b.
Tumores indolentes unde? I. 153. a.
Tumorum Cura & discussio. II. 971. b.
Tumores recidivantes, eorumque Cura. II. 989. a.
Cura ad tumorem tanquam effectum alicujus affectus ridicula. II. 473. b.
Ceparum usus in tumoribus difficulter suppurabilibus. III. 30. b.
Emplastrum ad tumores renitentiores. III. 502. a.
Linimentum discutiens in tumore ex contusione. III. 611. b.
Unguentum pro tumoribus. III. 520. b.
Tumor abdominis post partum remanens, & quomodo curetur. I. 938. a.
Tumores aquosi. II. 603. b. II. 983. b.
Tumorem brachii ex pertusa in Venæ sectione inepta vena & læso nervo discutiens cataplasma. III. 94 b. I. 576. b.
Tumores critici. I. 979. b.
Tumor crurum in gravidis. II. 874. a.
Tumoris duri à gonorrhœa suppressa cura. II. 785. b.
Tumoris ex febre cura. II. 259. b.
Tumores glandularum parotidum infantum. II. 956. b.
Decoctum in affectibus pectoris catarrhalibus cum tumoribus glandularum colli &c. I. 571. b.
Tumor hæmorrhoidum in gravidis. II. 874. b.
Tumoribus cum inflammatione conveniens aqua calcis vivæ composita. III. 246. a.
Tumores ex lymphæ vitio. II. 983. b.
Tumoris maxillæ in odontalgia cura. II. 658. b.
Tumores pedum œdematosi post acutas unde. I. 834. a. Cura eorum II. 398. b. & *seq.*
Tumores sanguinei. II. 975. b.
Tumoribus scirrhosis duris conveniens solanum officinarum. III. 115 b.
Tumorum scorbuticorum cura. II. 461. a.
Tumorum scroti &c. cura. II. 398. b. & *seq.*
Tumores serosi. II. 983. b. II. 603 b. Quomodo contingant? I. 410. a. Cataplasma contra tumores serosos. I. 577. a.
Tumores vasorum sanguifluorum. II. 992. b.
Tumoribus veneris conveniens unguentum. III. 413. a.
Tumor uterinus. II. 854. a.
Tunica oculi cornea. I. 10. a. II. 631. b. Retina. I. 10. b. II. 690 a.
Tunicæ corneæ vitia. II. 634. a.
Turbith minerale. I. 375. b. II. 15. a. Crollii. I. 310. a. (vid. *Turpethum*.)
Turcois. III. 239. a.
Turgescentia humorum. I. 526. a. (vid. *Orgasmus*.)
Turpethum. III. 173. a. Regula de Turpetho. III. 173. a. Ejus usus & correctio. III. 426. b.
Turpethi mineralis vis purgans. I. 280. a.
Turpethum minerale cum oleo seu spiritu sulphuris. III. 284. b (vid. *Turbith*.)
Turtur, ejus usus in Medicina. III. 210. b.
Turundarum usus & parandi modus. II. 1000. b.
Tussilago. III. 122. b. III. 515. b. Major. III. 90. a.
Ejus usus. I. 251. a. Quatenus in vulneribus adhibetur. III. 515. b.
Tussis. II. 198. b. II. 204. a. Ejus causæ. II. 204. a. II. 205. a. b. & *seq.* I. 821. a. Pars affecta. II. 204. b. Differentiæ. II. 204. b. & *seq.* Diagnosis. II. 206. a. Prognosis. II. 208. a. Cura. II. 208. b.
In tussi nihil de remediis ad arteriam asperam penetrat. II. 214. b.
Formula ad promovendam expectorationem in tussi. III. 112. a. I. 250. a.
Decoctum pectorale ad tussim. III. 582. b. A frigore &c. ortam. I. 572. a.
Mellis usus in tussi. III. 216. b.
Mistura pectoralis expectorans in tussi. III. 496. a.
Pulvis contra tussim Hornii. III. 17. a.
Rotulæ contra tussim. III. 538. b.
Secretum D. Sanctorii in tussi contumaci & inveterata. III. 114. a. b.
Tussis ex aeris squalore cura. II. 215. a.
Formulæ in tussi ab aere frigido. I. 251. b.
Tussis catarrhalis seu in catarrho suffocativo unde. I. 99. b. I. 780. a. Ejus cura. II. 603. a. I. 822. a.
Tussis convulsivæ cura. I. 253. b. II. 214. b.
Tussis in coryza unde? I. 819. b.
Tussis ferina in febre catarrhali. I. 814. b.
Tussis ferinæ gravidarum cura. I. 824. a.
Pilulæ in tussi ferina nocturna ex lympha acriori. I. 563. b.
Tussis gravidarum. II. 870. b.
Tussis humidæ pectoralis cura. I. 792. b. Stomachalis cura. II. 211. a.
Tussis infantum varia. II. 954. b. & *seq.* Unde? I. 502. a.
Diagnosis, prognosis. II. 954. b. & *seq.* Cura. II. 955. a. & I. 510. a.
In tussi infantum pinguedo lucii piscis conducit. III. 202. b.
Tussim nimiam & vehementem inveteratam levans linimentum. III. 202. b.
Tussim nocturnam lenientes rotulæ. I. 561. b.
Tussis pectoralis humidæ cura. II. 209. b.
Pulvis in tussi à læsione pectoris. III. 65. b. & *seq.*
Tussis phthisicæ nocturnæ cura. II. 368. b.
Tussis phthisicorum non statim pulmonalis. II. 364. b.
Pilulæ pro tussi, sudore nocturno in phthisi. I. 563. a.
Tussi senum conveniens marrubium. I. 250. b.
Tussis siccæ ferinæ stomachalis cura. II. 214. a.
Siccæ chronicæ cura. II. 214. a.
Siccæ pectoralis ex variis causis cura. II. 209. a.
Siccæ nocturnæ cura. I. 781. b.
Siccæ nocturnæ pectoralis & catarrhalis cura. II. 212. a.
Pilulæ in tussi sicca nocturna ex lympha acriori. III. 546. a.

Rotulæ contra tussim siccam. III. 538. b.
Trochisci in tussi sicca. III. 539. b.
Tussis stomachalis humida, sicca an detur. I. 791. b. 793. b.
Tussis stomachalis ferina humida. I. 789. b.
Tussis stomachalis aucta. I. 792. a.
Formulæ in tussi ex stomacho. I. 251. b.
Tussis symptomatica. I. 822. a.
Tussis in variolis cura. II. 963. b.
Tutia. III. 307. b. III. 491. a. Genuina. III. 307. a.
Tympanites differt ab hydrope. II. 385. b. Et improprie talis est. II. 604. a.
Tympanum auris. I. 112. b. Ejus læsio. II. 647. a.
Typhomania. II. 622. a. 624. b.
Typhomoria. II. 622. a.

V.

VAcca quænam officinis subministret. III. 182. b.
Vaccinum stercus. III. 487. a.
Vacui ficta fuga. I. 624. b. 626. b.
Vacuum datur, sed dispersum, non continuum. I. 87. b.
Vaginæ uterinæ angustia. II. 847. a. Figura. I. 128. b. Vlcera. II. 850. b.
Valeriana. III. 123. a.
Valetudinarium infantile. I. 494. a.
Valetudini adversantia tria. I. 670. a.
Vaporis ratio. I. 3. a. Quid? & quomodo vapores differant à flatibus. I. 16. b. Vanum est, quod ex ventriculo vapores ascendant ad caput. I. 73. b.
Vari quid? II. 468. a. Prognosis, cura. II. 468. b.
Mistura in varis. III. 568. b.
Variolarum consideratio. II. 318. a.
An omnes homines necessariò variolis corripiantur, & semel tantum. II. 318. a.
Quatenus differant à morbillis. II. 318. b. 319. b.
Infantes iis in specie obnoxii. II. 318. b.
Variolarum malignitas. II. 318. b. Varietas. II. 319. a.
Pars affecta. II. 319. a. Causæ. II. 319. a.
Cur consanguinei simul variolis plerumque corripiantur. II. 319. a.
An veteribus Græcis fuerint cognitæ, an aliis nationibus. II. 319. b.
Cur adultos graviùs vexent, quàm infantes. II. 319. b.
Diagnosis, Prognosis. II. 320. a. b. Variolarum & petechiarum diversa signa diagnostica. II. 296. a.
Tempus ebullitionis, excretionis seu expulsionis. II. 318. b. 321. a.
Variolarum radicata origo. I. 503. b.
Quare variolæ interdum tam tardè se ostendant. I. 504. a. II. 960. b.
Consultatio de variolis. I. 845. b. Symptomatum ratio. I. 848. b. Cura. I. 849. b. II. 321. a. Diæta. II. 322. a. b.
An sanguis mittendus. II. 322. a.
Post illas corpus purgandum & sanguis purificandus. II. 321. b.
Opiata prosunt. II. 322. a.
Aer cavendus. II. 322. a. b.
Remedia specifica. II. 322. b.
Acida cautè usurpanda. II. 323. a.
Ad eas expellendas egregia. II. 324. b.
Symptomatum ante & post eruptionem cura. II. 325. b.
Jectigationes & præcordiorum anxietates. II. 325. b.
Diarrhœa. II. 325. b. Vomitus. II. 325. b. Vigiliæ, Deliria. II. 326. a. Hæmorrhagia narium, Tussis. II. 326. a. Virium prostratio. II. 326. a. Aphonia. II. 326. a. Retrocessus. II. 326. b. Cicatrices & foveæ. II. 326. b. Cicatrices vix externis tollendæ. II. 322. a.
Ne facies tot variolis obsideatur. II. 326. b.
Ptyalismus. II. 327. a.
Indicatio læsionis partium. II. 327. a.
Quando oculos affligunt. II. 327. a. Nebulæ in oculis. II. 327. b.
Nares ut defendendæ. II. 328. a. Aures, fauces, lingua, labia. II. 328. a. b.
Dysenteria. II. 328. b. Mictus cruentus. II. 328. b.
Paralyses. II. 328. b. Ulcera, loquela amissa, tineæ, gangræna, &c. II. 328. b.
Amuletum ad oculorum præservationem à variolis. III. 104. b.
Collyrium præservans oculos in variolis. III. 571. a.
Decoctum Scorzoneræ in variolis. III. 111. a.
Decoctum ad præcavendam phthisin, ulcuscula profunda &c. III. 52. b.
Emulsio contra variolas. III. 564. a. Ex semine citri. III. 38. b. Ad expellendas variolas. III. 15. b. III. 363. b. III. 563. a. In statu variolarum. III. 564. b. I. 567. b.
Liquor alexipharmacus in variolis egregius. III. 564. a.
Lotio manuum contra maculas à variolis relictas. I. 575. b.
Nasturtii feminis usus in variolis. III. 81. a.
Oleum ex ovorum vitellis ad relictas variolarum foveas implendas. III. 209. a.
Pulvis contra variolas. III. 530. a. Præsertim in incremento. I. 559. a.
Variolæ infantum, earum causæ, diagnosis, prognosis, cura. II. 960. a. b. & seq. I. 511. a.
Variolæ nothæ. II. 328. b.
Varix, ejusque cura. II. 993. b. & seq.
Varices gravidarum. II. 874. b.
Vasorum lacteorum infantum obstructio. II. 965. a.
Vasorum ruptio unde contingat. I. 412. b.
Vasorum sanguiferorum tumores. II. 992. b.
Vegetabile regnum. III. 1. a.
Vegetabilium duplex constitutio. III. 422. b.
Textura, partes. III. 2. a.
Distinctio inter vegetabilium virtutes generales & speciales. I. 403. b. Virtutes hæ unde determinandæ. III. 2. a. Vires cur varient. III. 2. a.
Vegetabilia nobiliora quomodo per sapores & odores se manifestent. III. 2. a. b.
Vegetabilium certo tempore colligendorum ratio superstitiosa non est. III. 500. b.
Vegetabilium virtutes non rite per sapores exquirantur Scholæ. I. 493. b.
Vegetabilia quò fœcundiora, eò corruptibiliora. I. 423. a.
Vegetabilium producta & præparata pharamaceutica. III. 2. a. III. 440. b.
Encheireses chymicæ circa vegetabilia. I. 398. a.
Vegetabilium extracta & essentias parandi modus. III. 481. a.
Vegetabilium acidulorum fucci. III. 510. a.
Vegetabilia antiscorbutica non exsiccanda. III. 479. a.
Distinctio vegetabilium fragrantium. III. 19. a.
Vegetabilium concreta fixiora, volatiliora. III. 336. a.
Vegetabilia quomodo spiritualescant, acescant. III. 481. b.
Vegetativa vis universæ naturæ ex sole derivata. II. 615. b.
Vehicula medicamentorum. I. 558. b.
Frigida nauseam conciliant medicamentis. III. 528. a.
Remediorum in morbis spleneticis. III. 480. b.
Venarum compages & familia. I. 223. b.
Valvulas & ostiola quis primus detexerit. I. 420. a.
Venæ cur non pulsent. I. 84. a. II. 345. b.
Venarum tunicæ. I. 84. b.
Venarum usus. I. 8. b.
Vena cava omnino pulsat. I. 84. a. II. 345. b.
Venæ lacteæ quando inventæ. II. 164. a.
Vena pulmonalis. I. 86. a.
Venarum vulnera, eorum prognosis, cura. II. 1006. a.
Venæsectio non temerè instituenda. I. 225. b.
Partes ubi instituenda. I. 225. b. I. 221. a. Quomodo. I. 221. a.
An delectus venarum habendus. II. 6. b. I. 225. b.
Ejus scopus aversorius, derivatorius, revulsorius. II. 6. b. I. 225. b. & seq.
An post venæsectionem dormire liceat. I. 226. a.
Tendinum ratio quatenus in ea habenda. I. 226. a.
Venæ sectio an satisfaciat sanguinis evacuationi. I. 19. b.
Venæsectionis tempus. I. 225. b. I. 220. b.
Quantitas sanguinis venæsectione mittendi. I. 226. a.
Venæsectiones quatenus ad conservandam sanitatem conferant. I. 193. a. b.
In venæsectionis negotio consuetudinis vis. I. 412. b.
Venæsectionis usus, & utilitas; quibusque conveniat. I. 219. b. Vsus in febribus malignis. II. 304. b.
Venæsectionis gravidarum ratio. II. 866. a.
Venæsectio quando & ubi instituenda in menstruo vitiato, & exinde ortis malis. I. 745. b. 746. a. b.
Quatenus locum inveniat in puerperis. II. 892. b.
In respiratione difficili quatenus concedenda. I. 716. a.
Usus ejus in re venerea. I. 934. a.
Remedium in lipothymia ex venæsectione. I. 226. b.
Remedia in tumore venæ sectæ, eâ pertusâ, aut tendine vel nervo læso. I. 226. a. b. Cataplasma ad eundem casum. I. 576. b.
Venæsectio revulsoria. I. 221. b. In quibus casibus conveniat. I. 222. b.
Vasorum selectus in revulsione. I. 223. a. Ejus usus. I. 224. a.
Venatores cur Doronico utantur. III. 48. b.

Veneficiorum morbi. I. 162. b.
An affectus per veneficia & incantationes orti remediis naturalibus curari queant. III. 15. a.
Simplicia contra veneficia & incantationes. III. 15. a.
Antirrhini vis contra incantationem. III. 15. a.
Corylini visci usus contra veneficia. III. 42. a.
Hyperico præcaverit veneficia. III. 63. b. & seq.
Stercoris humani usus in veneficio arcendo. III. 197. a.
Venena quid? I. 212. a. In se nulla. I. 664. a.
Quotuplicia in quolibet regno. I. 212. b. 213. b.
Propriè dictorum natura. I. 456. a.
Eorum essentia obscura, cura difficilis. I. 455. b.
Venenorum malignitas & vis unde oriatur, in quo consistat, & quomodo operetur. III. 203. b. & seq. I. 735. a. I. 664. b.
Quomodo alteretur & corrigatur. I. 213. a. I. 735. a. I. 665. a.
Correctio veneni purgantis. III. 420. a. Venena vegetabilium corrigit fermentatio. I. 348. a.
Acrimonia venenorum est vel acida vel alcalina. I. 665. a.
Venenosa non statim dicenda, quæ noxia. I. 455. b. & seq.
Venena animalium in quo consistant & unde oriantur. I. 169. a. III. 203. b.
Bestiæ pro venenatis vulgò habitæ quatenus venenatas inferant plagas. I. 460. b.
Venenosa animalia mortua non amplius sunt venenata. I. 459. a. b.
Venenorum cura. I. 668. b. Contra venena remedium. III. 204. b.
Alexipharmacum contra omnia fermè venena anthoræ herba. III. 14. b.
Dulcia cur venenis resistant. I. 735. a.
Juglandes resistere venenis. III. 66. b.
Juglandis corticis usus vomitorius in venenis. I. 260. a.
Magnes venenorum. III. 202. a.
Plantago venenis potenter resistit. III. 92. b.
Podices avium applicati pro extrahendo è corpore veneno. III. 206. b.
Stercoris humani usus contra Napelli venenum. III. 196. b.
Venena, quæ morsu & vulnere infliguntur, an in materiali vel ideali consistant. I. 213. b.
Venenatus morsus est præcipuè serpentum & reptilium. I. 455. b.
Scorzoneræ usus in morsu ab animali venenato. III. 111. a.
Venenatorum vulnerum cura. II. 1005. b. & seq.
Venter, an hyeme calidior, quàm æstate. I. 163. b.
Ventris dolor in scorbuto. II. 452. a.
Ventris puerperarum rugæ. II. 908. b.
Ventris gravidarum tormina. II. 868. b.
Ventris infantum tormina. II. 936. b. Cura. II. 937. a. b.
Pulvis puerilis in ventris torminibus. I. 559. a.
Ventilatio veteribus quid? II. 6. b.
Ventriculi fundus & orificia. I. 70. a. Substantia ejus. I. 70. a.
Ventriculi cum cerebro consensus. II. 615. b.
Ventriculi cerebri. I. 103. a. & b.
Bruta ruminantia quatuor solent habere ventriculos. III. 187. a. I. 68. b.
Aves duos habent ventriculos. I. 68. a.
Ventriculo acribus corrosivis exulcerato convenientia. II. 489. b.
Ardor ventriculi. II. 85. a. Causæ, diagnosis, prognosis, cura. II. 85. a. b.
Dolor ventriculi punctorius. II. 83. b.
Infantum ventriculi vitia. II. 945. a.
Intemperie frigidâ laborare ventriculum quid? III. 36. b.
Pituitâ onerato ventriculo conveniunt potiones mellitæ. III. 216. b.
Ventriculi superioris orificii spasmus à fungis. I. 718. a.
Bolus alterans in æstu ventriculi. III. 533. a. I. 560. a.
Cataplasma in affectibus ventriculi. III. 76. b.
Electuarium in ventriculi debilitate senis. III. 534. a.
Epithema pro ventriculo in cholera. I. 565. a.
Fotus in ventriculi affectibus. III. 599. b.
Julepus in ventriculi morbis. I. 244. a. b.
Rotulæ contra inflationem ventriculi. III. 539. a. I. 561. b.
Sacculus pro ventriculo. I. 575. a.
Venerea ad Gummata emplastrum Glossæi. III. 362. a.
Venerea lues qualis affectus. II. 410. b. I. 439. b. Historia ejus. II. 410. b.
Symptomata illam manifestantia. II. 410. b. An veteribus hic morbus cognitus. III. 410. b. Causæ ejus. II. 411. b.
Hæreditarius character ejus II. 411. b. Quomodo per odorem inficiat corpus sanum. I. 933. b.
Partes affectæ. II. 412. a.
Diagnosis. II. 412. a. Prognosis. II. 413. a.
Ei affecti circa vesperam pejùs se habere incipiunt. I. 821. a.
Dolorem à lue venerea mitigantia. I. 253. b.
Curatio luis veneræ in una regione difficilior, quàm in altera. III. 585. a.
Cura ejus universalis per sudores. II. 413. b. Per salivationem. II. 415. b. Quid? si gravida lue hac infecta. II. 417. b.
Venereæ luis perfectæ cura. I. 922. b.
Symptomatum cura. II. 419. b.
Purgantia & vomitoria lue hac infectis conducentia. II. 418. a. 419. a.
Venæsectionis usus hic est frustraneus. II. 418. a.
An infusio conveniat I. 483. b. An sanguinis transfusio. I. 439. a.
Balneatoria ad veneream luem. I. 609. a.
Colocynthidis præstantia in lue Gallica. III. 162. b.
Decoctum lignorum sudoriferum & laxans in lue venerea. III. 585. b. 586. b. Decocta lignorum hic primatum obtinent. III. 585. a.
Decoctum helenij & anisi in lue venerea ad propellendum mercurium vivum è corpore. III. 61. a.
Electuarium stomachale sudoriferum in hoc affectu. III. 536. a.
Lappæ majoris usus in lue Gallica. III. 19. b.
Contra Gallicum morbum lignum juniperinum laudatur. III. 586. b.
Mercurius in lue Gallica præsentissimum remedium. I. 309. b. III. 585. a. b Cur tamen apud nos & Belgas per mercurialia non curetur. III. 56. a.
Pilulæ ad luem veneream. III. 544. a. I. 562. b.
Pulvis purgans in lue venerea. III. 528. b.
Luis venereæ cura per sudorifera. III. 585. a.
Viperarum salis, pulverisque usus in hoc affectu. I. 405. a. III. 451. a. b.
Vina viperina contra hanc luem. III. 204. b.
Venereus appetitus quid? II. 828. b. Sedes venereæ libidinis. II. 826. b.
Venereus odor. I. 933. a.
Venus inter impedimenta vitæ longæ relata. I. 423. a.
Venus furtiva nutricum infantibus noxia. II. 930. b.
Veneris usus quatenus faciat ad conservationem sanitatis. I. 168. b.
Veneris exercitium omissum, quas noxas det. I. 932. b.
Venerei appetitus vitia & læsio. II. 825. a. II. 826. b.
Veneris appetitus auctus. II. 827. a.
Venerem exstinguentia, refrænantia. I. 934. b.
Venerei appetitus defectus. II. 826. b. Causæ. *Ibid. & seq.* Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 827. a.
Venerea impotentia, vid. *Impotentia virilis*.
Venerem stimulantia. II. 795. b. & seq. II. 780. a.
Venerem stimulantibus quæ addenda. III. 50. b.
Carlinæ usu non lassari veneri indulgentem. III. 28. a.
Camphora an venerem arceat. III. 137. a.
Cervi sanguinis usus in venere stimulanda. III. 191. b.
Electuarium stimulans venerem. III. 536. b. Ad stimulandam venerem pro maleficiatis maritis. III. 50. b.
Galli sanguinis & testiculorum usus ad stimulandam venerem. III. 208. a.
Mercurialia inimica veneri. III. 117. a.
Morsuli Comitis à Pappenheim ad stimulandam venerem. III. 378. a.
Orchis in venerem stimulat bulbosior, eam extinguit rugosior. III. 109. b.
Passeris ad stimulandam venerem usus. III. 210. a.
Pilulæ antivenereæ. III. 544. a.
Pinearum oleum arcanum pro venere. III. 91. a. & pistaciorum. III. 92. b.
Secretum contra impotentiam veneream. III. 182. b. & seq.
Venus (i. e. *Cuprum*) quale metallum. I. 390. b.
Venus & luna conveniunt in radice. I. 377. b. I. 390. b.
Venere post Jovem volatilius metallum non datur. III. 491. a.
Veneris volatilitas unde. I. 390. b.
Color sapphirinus veneris. I. 390. b.
Minera veneris nondum matura. III. 253. a. Perfecta. III. 253. b.
Venerem solventia. I. 390. b. & seq.
Venerem alterat & friabilem reddit Jupiter. I. 393. a.
Venereorum usus & virtus. III. 490. b. III. 512. a. I. 390. b.
Venerea diaphoretica eorumque selectus. III. 440. b.
Venerea vix intus exhibenda. I. 390. b.
Venerea vitiuâ vomitoriâ ventriculo admodum esse noxia. III. 253. b.
Veneris præparata. I. 390. a. III. 490. a.

Calcinatio veneris. I. 391. a.
Veneris capilli. III. 486. a.
Sulphur. I. 390. b.
Oleum seu ignis veneris Helmontii. I. 390. b.
Primum ens veneris Helmontii. I. 360. a. b. III. 323. b.
Veratrum. III. 164. a.
Veris primula. III. 500. b.
Verbascum. III. 122. a. Ejus flores. III. 508. b.
Verbena. III. 123. b. III. 501. a.
Verborum formatio. I. 112. a.
Vermes generant omnes plantę, quando putrescunt. III. 108. b. (vid. *Lumbrici.*)
Vermes in granulis quibusdam. III. 34. a. b.
In frequentissimis nostris alimentis copiosissimi solent essent vermes. III. 132. a.
Morbos quoscunque provenire à vermibus. III. 132. a. b.
Vermiculi in pure. I. 411. b.
Vermes aurium, eorum diagnosis. II. 661. a. Cura. II. 662. a.
Vermes cordis. II. 347. b. Symptomata. *Ibid.* Cura. *Ibid.*
Vermes dentium quomodo necandi. II. 659. a. b.
Vermes infantum. II. 952. a.
Vermiculi subcutanei infantum. II. 964. b.
Vermes infantum umbilicales. II. 954. a.
Electuarium pro infante vermibus laborante. III. 537. b.
Rotulæ contra vermes puerorum. III. 539. b.
Vermes intestinorum, vid. *Lumbrici.*
Vermibus opposita. III. 517. b.
Absinthii oleum vermes necat. III. 6. a.
Allium vermibus admodum infestum. III. 10. a.
Aloe vermium specifica antidotus. III. 174. b.
Bolus laxativus contra vermes. I. 560. a.
Post Mercurium nil fortiùs exturbat vermiculos quàm species diaturbith. III. 173. a.
Nasturtium vermium juratus hostis. III. 81. b.
Rotulæ contra vermes latos scorbuticorum. III. 539. b.
Santonici usus ad fugandos vermiculos. III. 108. b.
Scordii usus contra vermes. III. 111. a.
Unguentum ad vermes. III. 413. b.
Vermes pericardii, affectus rarus, ejus symptomata, Cura. III. 10. a.
Nasturtii hortensis usus contra vermes pericardii. III. 81. b.
Vermes in sanguine an causa febrium malignarum. III. 456. b.
Vermes umbilicales. III. 517. b. Iis opposita. *Ibid.*
Vermicularis. III. 124. a.
Vermiculi, vid. Vermes.
Veronica. III. 124. b. III. 485. b. Ejus usus. I. 251. a.
Veronicæ extractum. III. 480. b.
Verrucæ earumque cura. II. 991. a.
Verrucę Gallicæ cum Cura. II. 424. a.
Vertebrarum dorsi situs & structura. I. 944. b.
Subluxatio. I. 943. a. In infantibus. I. 945. a.
Vertebrales arteriæ. I. 9. b.
Verticis in pertinaci dolore epithema. I. 565. a.
Vertigo. II. 689. b. Unde ita dicta. II. 689. b. Est triplex rationę graduum. II. 689. b. Pars affecta, Causæ. II. 690. a. II. 615. b. Diagnosis. II. 692. b. Prognosis. II. 693. a. Præservatio & Cura. II. 693. a.
Bolus contra vertiginem per consensum stomachi. III. 532. b.
Doronici usus in vertigine. III. 48. b.
Morsuli stomachico-cephalici contra vertiginem. III. 540. b.
Ex Pavone remedium contra vertiginem. III. 210. a. *Ibid.* b.
Vertigo tenebricosa. II. 689. b. I. 478. a.
Vesicæ constitutio, figura. I. 95. a.
Vesicæ inimicæ cantharides. II. 4. a.
Emulsiones terebinthinatæ in affectibus vesicæ. III. 564. a.
Excoriationi vesicæ conveniens Clysma. III. 594. b.
Exulceratio vesicæ & Bolus contra eam. III. 533. b.
Clysma abstersivum peni injiciendum in exulceratione vesicæ. III. 347. b.
Injectio alia in vesicam exulceratam. I. 578. b.
Inflammatio vesicæ urinariæ. II. 512. a. Diagnosis, prognosis, Cura. II. 512. b.
Ulcus vesicæ, ejus diagnosis, prognosis, cura. II. 513. a. b. & seq.
Clysma consolidativum in ulceribus vesicæ. III. 347. b.
Vesica in hydrope. III. 396. a.
Vesicalis hydrops. II. 605. a.
Vesicalis ischuria. II. 575. b.
Vesicantium usus in febribus malignis. II. 305. a.
Vesicatoria. I. 558. b. Eorum ratio & modus. III. 345. b. & seq.
Eorum locus, tempus, materia. I. 231. b. Modus parandi & applicandi. I. 231. b. & seq. Processus. I. 232. b.
Usus & effectus. I. 231. a. III. 345. b. & seq.
Quibus applicanda. I. 232. b.
Vesicatoriorum ratio ex cantharidibus. III. 219. a. b.
Vesicatoria in hydrope. II. 396. a.
Emplastrum Vesicatorium. III. 362. a. III. 615. a.
Vesiculæ in lingua, gingivis &c. infantum. II. 945. b.
Pulmonum. I. 623. b.
Vesparum puncturæ cura. II. 1005. b.
Vespertilionis usus in Medicina. III. 210. b.
Vespertinę morborum exacerbationes. I. 821. a.
Veternus. II. 622. b. Causæ ejus &c. II. 623. a.
Vetonica. III. 21. a.
Vexatio. III. 976. b.
Vicia. III. 124. b.
Victorialis. III. 124. b. III. 507. a.
Victus. Tria circa victus rationem observanda. I. 164. a.
Videre non possumus omnia quæ existunt. II. 659. a.
Viduarum morbi & affectus. II. 831. b.
Vietores asthmatici. I. 787. a.
Vigilare quando animal dicatur. II. 616. b.
Vigiliæ quid? I. 10. a. I. 105. a. II. 614. a. II. 615. a. b. Sunt omnium sensuum exercitium. I. 167. a.
Signa prognostica ex vigiliis. I. 190. b.
Vigiliæ quatenus ad sanitatem conferunt. I. 166. b. 167. a.
Vigiliæ gravidarum & puerperarum. II. 905. b.
Vigiliæ nimiæ. II. 616. b. Earum causæ. *Ibid.* Diagnosis. II. 617. b. Prognosis. II. 618. a. Cura. II. 618. a.
Emulsio in vigiliis nimiis in febre continua. III. 12. a. Alia remedia. II. 341. b. & seq.
Raphani usus in vigiliis. III. 99. b.
Vigiliæ nimiæ infantum. II. 946. a.
Vigiliarum in peste cura. II. 341. b. & seq.
Vigiliæ senum, ex diuturna item cura, & meditationibus, earumque curatio. II. 620. b. Prognosis &c. II. 624. b.
Vinacea. III. 128. a.
Vinca pervinca. III. 124. b.
Vincetoxicum ejusque usus diaphoreticus seu sudoriferus. I. 306. a. III. 125. a.
Vinum quid. III. 157. a. I. 398. a. I. 165. b. Substantia vini duplex. I. 399. a.
Differentia inter vinum & mustum. I. 398. a.
Vinum ex alcali & acido cum tertio sulphureo consistit. III. 126. a 128. b.
Acidum est basis & fundamentum. I. 399. a.
Vinum est medium inter acetum & mustum. III. 481. b.
Vini anima, melioratio. III. 499. b.
Vini acidum destruentia. I. 347. a.
Vino saporem moschatellinum conciliandi artificium. III. 433. b.
Hormini usus ad vina adulteranda. III. 62. b.
Spiritus acidi sulphuris usus ad conservanda vina, ne fiant pendula. III. 329. a.
Vinum quomodo corrumpatur vel preservetur per odores. I. 933. a. b. Quomodo vinum degeneret in acetum. I. 3. a.
Vinum fermentans degenerans in acetum, hoc in situm, aquam. I. 4. b.
Vini noxarum correctio. I. 166. a.
Vini fermentatio læsa ut corrigatur. I. 355. b.
Vini virtutes. III. 157. a.
Cur cantharus vini nos citiùs inebriet, quàm spiritus vini ex cantharo illo prolectus. III. 158. a.
Vinum an calefaciat. I. 399. a.
Vini vis corroborans & confortans. I. 318. b. I I. 499. a.
Vini usus medicinalis. III. 157 b. I. 399. a. I. 412. a.
Vinum cur vulneratis prohibeatur. I. 346. b. Item gravidis & nutricibus. II. 929. b. Non interdicendum febricitantibus. I. 797. b.
Vini abusus. I. 412. a. Quos morbos generet? I. 347. a.
Vini producta. III. 157. a. I. 398. a.
Vini liquor primogenius. I. 3. a. Quomodo ex illo varia vini producta fiant. I. 3. a.
Quinta essentia vini. III. 499. b.
Spiritus vini ratio. I. 398. b. Alcoholisatus, tartarisatus. *Ibid.*
Modus parandi. I. 399. a.
Spiritus vini ex ejus fæcibus. III. 499. b.
Spiritus vini alcoholisati inceratio. III. 477. a.
Spiritus vini microcosmicus. III. 499. b. An sit proprium menstruum pro paranda auri tinctura. III. 158. b.
Spiritus vini rectificati usus menstruus. I. 353. a.
Vinorum & vinosorum potuum ratio. I. 14. b.
Vinum Rhenanum cur aliis durabilius. I. 808. b.
Potus vinosi ex succis fructuum. I. 165. b.
Vinum pomorum. III. 94. b.
Vinum medicatum ejusque ratio. III. 375. a. b. & seq. I. 558. a.

Vinorum medicatorum præparatio & præscribendi modus . I. 570. a. III. 574. b. Eorum usus . III. 574. b.
Vinum medicatum absinthiacum . III. 579. a.
Vinum medicatum catarrhale, & radicis caryophyllatæ in eo usus. III. 511. b.
Vini helleborati usus. II. 765. a.
Vina Hippocratica parandi modus . III. 38. b. III. 578. b. I. 570. a.
Vina martialia . III. 489. a.
Vinum ex uvis passulis. I. 398. a.
Viola lunaria major . III. 126. a. Purpurea . III. 125. a. III. 508. a. Ejus vis incrassans. I. 249. b. Usus diureticus . I. 296. b.
Violarum seminis usus . II. 363. a.
Emulsio ex semine violarum. III. 363. b.
Vipera quasi vivipara . III 203. b.
Viperini veneni natura . I. 456. b.
Vipera mortua non est venenosa . I. 458. b. Tota est alexipharmaca , nec nisi lacessita est venenata . I. 460. a.
Viperina pinguedo . III. 487. b.
Viperarum usus medicinalis. III. 203. b. III. 204. a. Quando ad hunc usum colligendæ . III. 204. a.
Viperarum usus diaphoreticus seu sudoriferus. I. 307. a.
Viperina remedia gravidis non nocent . III. 447. b.
Præparationes ex viperis . III. 451. a. b.
Viperinæ essentiæ præparatio , deque ea judicium . III. 205. a.
Viperarum salis volatilis usus. I. 405. a.
Pulveris viperini præparandi & adhibendi modus . III. 451. a. b. III. 205. a. Usus . III. 451. a.
De viperarum trochiscis judicium . III. 204. b.
Viperinorum vinorum usus & præparatio . III. 204. b.
Viperæ morsus . I. 455. a. Est venenosus . *Ibid.* Vipera irritata & ad iram provocata concepto furore infert demum morsum venenatum . I. 460. b. Morsus hujus signa diagnostica & prognostica . I. 463. a. b. Methodus medendi & curatio . I. 463. b. *& seq.* II. 1005. b.
Viperaria . III. 111. a.
Vir . Viri admissio læsa . II. 847. b.
Viragines. I. 129. b. I. 801. b. II. 853. a.
Vires unde . II. 352. b. Virium fundamentum . III. 298. b. I. 841. a.
Vires enervare dicitur alterius conversantis gestata ab altero cardui Mariæ radix & Carlinæ . III. 27. b. 28. a.
Virium prostratio & imbecillitas. I. 320. a. Unde? II. 352. b. Diagnosis, Prognosis , cura . II. 354. b. *& seq.*
Sacculi ad pulsus in debilitate virium . III. 601. b.
Virium restaurativum ex Melissa. III. 75. a. b.
Vires an restauret Sanguinis transfusio . I. 428. a.
Vehicula remediorum in virium prostratione . II. 357. a.
Virga aurea . III. 128. b.
Virginitas in quo consistat . II. 825. a. Læsa . II. 825. a.
Virgines quænam dicantur . II. 825. a.
Belli ob raptas virgines Romani initium . I. 445. a.
Virgo potest concipere , ut talis maneat, non autem congredi citra læsam virginitatem . II. 825. a. II. 826. a.
Virginum ad cachexiam electuarium . III. 536. b.
Virginum sophisticationes. I. 361. b. III. 9. b. III. 118. b.
Virginum uterini affectus . II. 830. b.
Virgula mercurialis . III. 41. b.
Viridis aqua . III. 490. b. III. 340. a.
Viridis color unde? I. 109. b.
Viride æs. I. 391. a. Quid? III. 274. b. Crudi usus . I. 391. a.
Spiritus viridis æris . I. 391. a. III. 490. a. III. 368. b. Conficiendi eum modus . III. 275. a. Differt ab aceto . III. 482. a.
Virili sexui proprii morbi . II. 777. a.
Virilitatem senum confortantia . II. 795. b. *& seq.*
Vis specifica concretorum unde . I. 493. b.
Viscerum & massæ sanguineæ conspiratio & subordinatio . I. 435. b.
Quænam harum partium alteri præemineat . I. 426. a.
Viscerum antipraxia . II. 58. a. Rejecta . II. 165. b.
Viscerum mala à causa interna vix citra sanguinis opem primam ducunt originem . I. 426. a. Quomodo in cura procedendum . I. 426. a.
Viscerum obstructio . II. 166. a. b.
Viscidum quid? I. 11. a. I. 117. b. II. 649. a.
Viscidum corrigentia . I. 237. a.
Viscíditatem pituitosam corrigentia . II. 10. b.
Mistura pro viscido in primis viis hærente educendo . I. 246. a.
Viscíditatis præparandæ pro scopo purgandi formula . III. 428. b.
Potio in viscido iniciendo . I. 250. b.
Vomitorium in materia viscida & tenaci . I. 262. a.
Viscidum humorem in pulmonibus resolvit Tinctura ex melle . III. 217. b.
Viscus in abiete ad affectus podagricos . III. 4. b.
Viscorum usus . III. 500. b. Nervinus . I. 253. a.
Visio quid? I. 10. b. Quomodo contingat. *Ibid.* Formaliter ubi fiat? II. 690. a.
Visa res quomodo nunc major , nunc minor in tunica retina depingatur . I. 10. b.
Visus , sensuum præcipuus , quid? I. 108. a. Ejus organum . I. 108. a. Objectum . I. 10. a. I. 108. a. II. 630. a.
Visionis modus . I. 110. a. II. 630. a.
Repræsentatio objectorum visus externorum fit in oculi retina . I. 108. b.
Ad naturale visus exercitium necessaria . II. 630. b.
Visus læsiones . II. 630. a. Quot modis lædatur & depravetur . II. 630. b. *& seq.*
Visus imminutus . II. 642. b.
Rutæ usus in corroborando visu . III. 104. b.
Vita quid? I. 48. b. I. 137. a. II. 5. b. 6. a. I. 409. a.
Vitæ radix & fundamentum . I. 426. b. I. 423. a. b. *& seq.* I. 5. a. & b. I. 409. b. I. 412. a. I. 52. b. 54. b. 58. a.
Quidnam corpori nostro vitam impertiat . I. 4. b.
In aere est occultum vitæ nutrimentum . III. 234. b.
An vita præcisè in calido consistat. I. 5. a. I. 57. a.
Vitæ nexus cum respiratione . II. 926. a. I. 637. b. *& seq.*
Vita an prolongari possit naturaliter . I. 60. b. I. 5. b.
Vitæ longæ vel brevis fundamentum . I. 424. a.
Vitam longam conciliare juniperum . III. 67. b. Myrrhæ usum . III. 142. b. An per sanguinis transfusionem prolongari queat . I. 428. a.
Vita media resurgens . II. 352. b.
Vitam ad sanam , non verò longam faciunt sex res non-naturales . I. 14. a. b.
Vitæ humanæ miseria . I. 495. b.
Vitæ Balsamus . III. 343 a.
Elixyr majus & minus Quercetani . III. 359. b
Lampas vitæ artificialis . I. 56. b.
Spiritus vitæ aureus Rulandi quid? III. 163. b.
Vitales actiones . I. 6. a.
Vitalis activitas in corpore quæ? II. 5. b.
Vitalis constitutio corporis humani . II. 4. b.
Vitale principium internum est materiale , quid . I. 4. b. I. 52. b. II. 5. b. I. 651. a. b. *& seq.* In partibus fluidis , non solidis investigandum . I. 52. b.
Vitale temperamentum in quo consistat . I. 58. a.
Vitalis vis nostra virtuti vegetativæ plantæ quodammodo respondet & ex sole derivanda est . II. 615. b.
Vitalitatis fundamentum . I. 150. b.
Vitellus ovi . III. 512. b. Ejus usus . III. 209. a.
Vitis . III. 126. a. Alba . III. 161. a.
Vites auro tinctæ in Hungaria . III. 57. a.
Vitis aqua . III. 512. a.
Vitis lachrymæ . III. 126. b.
Vitriolum quid? III. 318. b. III. 254. a. Ejus ingredientia . III. 491. a. Generatio . I. 356. b.
Convenientia cum alumine . III. 314. b.
Differentia inter se . III. 272. a. III. 436. b. III. 491. a. b. Ejus duo genera . III. 318 b.
Nativum , artificiale , Goslariense &c. I. 356. b. *& seq.*
Hermaphroditicum . III. 372. a. Album , viride &c. III. 318. b.
Artificiale parandi modus . I. 356. b.
Vix reperitur purum . I. 357. a.
Ejus usus . III. 319. a. Usus vulnerarius . I. 338. b.
Vitriolacea quatenus ad vomitum conferant . I. 261. b.
Vitriolacea pulmonibus inimica . II. 4. a.
An præcisè spiritus sulphuris , & non alii spiritus acidi possint rodere metallum , & vitriolum constituere . III. 318. b.
Minera vitrioli . III. 254. b. Anima . III. 494. b. Magnetismus . III 320. a.
Præparata vitrioli . III. 319. a. b. I. 357. b. III. 491. b. *& seq.*
Calcinatio , Depuratio . III. 319. a. b. Destillatio . III. 320. a. Sublimatio , Præcipitatio. III. 323. b. Volatilisatio . I. 359. b.
Vitriolum martis ejusque præparatio . I. 390. a.
Ejus vis vomitoria per se nulla . III. 436. b.
Vitriolum veneris unde. I. 390. b. Capitis mortui vitrioli veneris vis antidysenterica unde . I. 390. b.
Vitrioli veneris sulphur . III. 323. b. & 324. a.
Vitrioli caput mortuum. I. 359. b. De novo ab aere impraegnatur. I. 492. b.
An regeneratus ille Spiritus sit unus idemque cum spiritu vitrioli an verò materialiter alius & novus ex aere advectus . I. 358. a. II. 492. b.
Flores vitrioli crudi . III. 495. a.
Vitrioli olea . III. 323. a. III. 493. b. *& seq.*

Oleum dulce Glauberi. III. 494. a. Est non-ens. III. 321. b. Vsus. I. 358. b. Differentiæ à spiritu. *Ibid.*
Vitrioli phlegma. I. 358. b.
Vitrioli sal, ejusque usus. I. 359. b. *& seq.* III. 324. a. Extractio. III. 324. b.
Vitrioli sal vomitorium. III. 16. a.
Vitrioli spiritus. III. 492. b. Vsus ejus & abusus. I. 358. b. *& seq.* III. 320. b. *& seq.* III. 493. a. Dulcificatio. III. 493. a.
Vitrioli spiritus viridis. III. 494. a.
Vitrioli spiritus per nuces juglandes aut spinam infectoriam in virorem coloratus. III. 494. a.
Vitrioli spiritus compositus Glauberi. III. 494. a. Hartmanni. III. 494. a.
Vitrioli spiritus coagulatus. III. 494. a.
Vitrioli spiritus philosophicus. III. 475. a. An verè ita nominetur. III. 459. b.
An spiritus vitrioli veneris habeat prærogativam præ spiritu vitrioli martis. III. 275. b
Spiritum vitrioli volatilem parandi modus. III. 321. b. *& seq.* Volatilis Paracelsi. I. 359. a. b.
Spiritus vitrioli rectificati usus. III. 476. a.
Vitrioli spiritus regeneratus. III. 321. a. Tempus hujus impregnationis. *Ibid.*
Vitrioli spiritus cum spiritu urinæ vel spiritu Cornu Cervi mistus. III. 494. a.
Vitrioli terra dulcis ejusque usus. III. 324. b. Balsamica. I. 360. a.
Vitriolum vegetabile ad solvendas perlas, corallia, &c. III. 66. a.
Vitri compositio. I. 3. a. Vnde fiant vitra. III. 277. a.
Vitri cineres. III. 476. a.
Vitrum est crystallus artificialis. III. 235. a.
Vitrum mercurii lunare. III. 286. b. Ex Mercurio vitæ. III. 286. b.
Vitrum Saturni. I. 391. b. III. 277. a.
Vitrum ex silice. III. 251. b.
Vitri frustula ex vulneribus extrahendi ratio. II. 992. b. Milii &c. usus in dolore ventriculi ob devoratum vitrum. III. 77. b.
Vituli usus medicus. III. 205. a.
Pinguedo & medulla vituli imprimis usui medico cedit. III. 205. a. b.
Aqua ex sanguine vitulorum. III. 338. b.
Vivacia eò sunt minùs animalia, quò falaciora. I. 423. a.
Vivere quid? I. 4. b. II. 5. b.
Vivipara. I. 12. a. II. 777. b. Non differunt essentialiter ab oviparis. I. 126. b. Sunt placentifera, glandifera, cotyledonifera. I. 12. b.
Ulcera quid? eorumque causæ. I. 14. a. II. 1011. a.
Diagnosis. II. 1012. a. Prognosis, cura. II. 1012. b.
Ulcerum spontè enascentium ratio. I. 881. b.
Ulcera quatenus spontè coëant. I. 14. a.
Ulceribus nocent pinguia. III. 491. a.
Ulcera cancrosa, eorum diagnosis, prognosis, cura. II. 1019. a.
Ulcus cariosum. II. 1015. b.
Ulcus corrosivum. II. 1017. b.
Ulcera disepulotica, chironia, phagedæna, telephia. II. 1018. a.
Ulcerum Gallicorum penis, glandis, uteri, oris &c. cura. II. 424. a. b.
Oculorum ad ulcera infusum. I. 574. a.
Ulcera pulmonalia, renum, &c. I. 392. a. II. 362. a.
Ulcera scorbutica oris & faucium. II. 451. a. Eorum cura. II. 460. b.
Ulcera sinuosa, eorum diagnosis, prognosis, Cura. II. 1016. b. *& seq.* Injectio in ulcus profundum, sinuosum. III. 598. b.
Ulcera sordida & putrida, eorum causæ, diagnosis, prognosis, cura. II. 1017. b. *& seq.*
Ulcera tibiarum curatu difficilia. III. 103. b.
Ulceribus tibiarum manantibus inspergendus pulvis. III. 520. b. III. 105. a.
Ulcera uteri. II. 850. b.
Agrimoniæ usus in ulceribus inveteratis & malignis. III. 9. a.
Anagallidis usus contra dolores ulcerum. III. 12. b.
Aqua calcis vivæ composita ad exulcerationes humidas. III. 246. a.
Brassicæ usus in ulceribus. III. 23. b.
Decoctum ad ulcera. I. 571. a. Decoctum Pyrolæ. III. 98. a.
Lapidis medicamentosi usus in ulceribus. III. 519. b.
Emplastrum ad ulcera. III. 502. a.
Epithema ad ulcera dysepulota. I. 565. b.
Liquor ad ulcera. III. 375. a.
Lotio pro ulceribus antiquis inflammationes & gangrænas minitantibus. III. 245. b.
Mellis oleum purificat ulcera. III. 217. b.
Pulvis ad ulcera inveterata. I. 559. b.
Pulvis externus in ulceribus manantibus inveteratis. III. 531. a.
Sabinæ usus in tibiarum ulceribus. III 105. a.
Sal volatile lapidum cancrorum ulceribus conveniens. I. 405. a.
Scrophulariæ usus in ulceribus mali moris. III. 111. b. *& seq.*
Tinctura Saturni in consolidandis pulmonum, renum &c. ulceribus. I. 392. a.
Unguenta pro ulceribus. III. 490. b. 491. a. III. 520. b.
Unguenti Ægyptiaci, Hildani &c. usus magnus in ulceribus cacoetheis & periculosis aliis. I. 391. a.
Ulmaria. III. 128. b.
Umbilici apertio in hydrope. II. 395. a. b.
Umbilici infantum inflammatio. II. 942. b. Prominentia. II. 429. b.
Vermes. II. 954. a. Contra vermem umbilicalem infantum Sabinæ usus. III. 105. a. Signum ejus. III. 105. a.
Umbræ. I. 10. b.
Undulatorius motus. II. 642. b.
Unguentorum ratio. III. 409. a. I. 579. b. Corpus, basis. III. 409. b.
Ingredientia quæ non sint. III. 615. b. Cur ea ingrediatur oleum olivarum. III. 85. b.
Eorum usus. I. 581. b. III. 615. a.
Unguenta ex pulveribus mineralium & vegetabilium parata parum valent. III. 409. b.
Unguentorum cum theriaca permixtio. III. 613. a.
Unguentorum operandi modus. III. 410. b.
Unguenta præscribendi modus & formulæ. III 612. b. I. 579. b. *& seq.*
Cautelæ in præscriptione & compositione unguentorum. III. 412. a. III 615. a. b.
Unguentorum inepta compositio. I. 582. a.
Unguenti armarii basis. I. 405 b.
Unguentum Ægyptiacum, Apostolorum, purpureum chirurgorum, cum ingredientibus. III. 490. b.
Unguent Ægyptiaci, Hildani &c. basis. I. 391. a.
Unguenta discutientia quatenus conveniant. III. 423. a.
Unguentum fuscum Wurzii. I. 360. a.
Unguentum megneticum. I. 24. b.
Unguentorum officinalium aliquot species. III. 411. b. *& seq.* Ratio eorum & censura. III. 410. b. III. 615. b.
Saturnina unguenta omnia in mortario plumbeo esse paranda. I. 392. a.
Unguenti Sympathetici basis. I. 405. b.
Unguentum ropicum & catholicum. III. 514. b.
Unguenta in pluribus casibus externis. III. 501. b.
Unguicula oculi. II. 631. b.
Unguis oculi, ejus causæ, diagnosis, prognosis, cura. II. 631. b. *& seq.*
Sief ad oculorum unguem. III. 531. b.
Unguium consideratio. III. 194. a. An sint pars corporis viventis. III. 194. a. Humanorum usus. III. 194. a.
Curationes Magico-Magneticæ & transplantatoriæ per ungues. III. 194. b.
Ungula oculi. II. 631. b.
Unicornu an sit? quid sit? III. 205. b. III. 450. a. Officinalis usus, Proba, præparata. III. 205. b.
Veterum, ex quadrupede est non-ens. III. 450. a.
Fossile, minerale. III. 252. b. III. 455. a. Vnde paretur. III. 423. b.
Veri usus nervinus. I. 253. a.
Marini & dentis ejus usus diaphoreticus seu sudoriferus. I. 307. b.
Ex Unionibus mistura seu emulsio. I. 567. b.
Unitati solutæ dicata remedia. I. 337. a.
Universalia remedia an dari possint. II. 1032. b.
Universaliora remedia præferenda. II. 4. a.
Universalium usus. II. 1032. b.
Fundamentum curationis per universalia. II. 11. a.
Vocabulorum medicorum in τις significatio. II. 514. b.
Vocalium formatio. I. 112. a. Earundem ratio. I. 10. b. II. 643. a.
Volæ manuum titillatio. I. 834. b.
Volatilia cæteris medicamentis sunt potentiora. I. 474. a.
Decocta volatilium parandi modus. I. 571. b.
Volatilisare salia fixa paucis datum. I. 360. b.
Volatilisationis animalium causa aer. I. 629. b.
Volatilisatio sulphurum fixorum, metallorum & mineraliû. I. 344. a.
Volatilitas spirituum. I. 670. b.

Voluntariarum actionum causa efficiens. I. 652. b.
Voluntas. I. 5. b.
Vomica quid? II. 524. b. 525. b.
Pulmonum. II. 362. a.
In vomica pulmonum egregia. I. 875. a. Formula in vomica pulmonum. III. 110 b.
Vomitoriorum ratio. I. 256. a. Vis & usus. I. 257. a.
Selectus. II. 11. b. Methodus ac regimen administrandi ac instituendi vomitoria. I. 258 a. b.
Vomitoria coincidicantia, seu coindicationem confirmantia. I. 258. b. Contraindicantia seu vomitum prohibentia. I. 258. b.
Vomitoriorum manna. III. 324. a.
Vomitoria vitrioli manna. I. 360. a.
Vomitoriorum usus antifebrilis. II. 302. b. In scorbuto & malo hypochondriaco. II. 438 b.
Vomitoria in principio & statu morbi convenire. II. 481. b.
Vomitoria & purgantia saltem gradualiter differunt. I. 720. a.
Vomitoria quibus noceant. I. 16. b.
Vomitoria infantibus propinandi modus. III. 433. a.
Cur vomitus non sequatur sæpè ex propinato vomitorio. I. 259. a.
Vomitoria remedia. I. 259. b. Optima ex regno minerali petuntur. I. 260. b.
Vomitoriorum enumeratio. III. 433. a.
Aceta vomitoria. III. 437. a. III. 482. a.
Aquæ vomitoriæ. III. 339. b.
Bolus vomitorius. III. 533. b.
Calices vomitorii. III. 437. a.
Calix vomitorius Rulandi. I. 365. b. III. 304. b.
Vomitiva catholica: Syrupus vomitivus, & Tartarus emeticus Mynsichti. III. 407. a. b.
Pro delicatulis optimum vomitorium. I. 260. b.
Formulæ vomitoriæ. I. 261. b. & seq.
Infusa vomitoria. III. 578. a. b. Infusa, sapæ, vina, annuli, nummi vomitorii. III. 437. a.
Pocula vomitoria. III. 295. a. Ex antimonio. I. 260. b.
Potiones vomitivæ. III. 558. a.
Pulvis vomitorius. III. 527. b.
Tabaci oleum vomitorium potens. III. 82. b.
Turpethum ex mercurio vomitorium. III. 439. a.
Vomitoria antimonialia. II. 13. a. Quomodo paranda. III. 436. b. & seq.
Vomitoria vegetabilia sunt violenta & tædiosa, antimonialia tutissima & optima. III. 433 a.
Vomitoria reiecta. II. 12. a. b. II. 16. a.
(vid. Emetica.)
Vomitus quid. II. 68. b. Ejus pars affecta. II. 69. b. Causæ. II. 69. b. Differentia II. 69. b. Diagnosis, prognosis. II. 71. a. b. Tempus, motus, materia, usus medicinalis. I. 256. a. b. & seq.
Vomitus quomodo fiat. I. 256. a. I. 20. a. I. 416. a. II. 69. a. Quibus in morbis conducat. I. 20. b. Quale signum in morbis. I. 190. a.
In vomitu contumaci consideranda. I. 932. b.
Vomitus cura. II. 72. a. Quinam vomitus curandi. II. 74. b.
Vomitum sistit crocus. III. 43. a. Opium. I. 735. b.
Panis spiritus acidus. III. 112. b. Somnus. I. 521. a.
Bolus in vomitu nimio. III. 532. b 533. a. I. 560. a.
Emplastrum in vomitu. III. 512. a.
Infusa ad vomitum conciliandum. I. 569. b.
Mistura in vomitu. III. 47. a.
Pilulæ sistentes vomitum in nephritide. III. 545. b.
Potio contra vomitum. III. 509. b.
Sacculus pro stomacho in nimio vomitu. III. 601. a.
Vomitus cruenti causæ, Diagnosis, Prognosis, cura. II. 75. a. b. 76. a.
Mistura sistens vomitum cruentum. III. 561. b.
Nectar adstringens in vomitu cruento. III. 7. b.
Vomitus gravidarum. II. 867. a.
Vomitus infantum. II. 939. b. Vnde? I. 501. b. Cura. I. 510. a.
Vomitus matutinus, & tetanus cervicis, juncta chlorosi. I. 931. b.
Vomitus ab assumpto medicamento imminens quomodo sistendus. II. 75. a.
Vomitus mulierum causæ aliquot. I. 932. b.
Vomitus mulierum ex intermisso coitu. II 831. b.
Vomitus in peste cura. II. 343. a. Epithema in vomitu febrium malignarum & pestilentialium. III. 568. a.
Vomitus scorbutici cura. II. 459. a.
Quid? si vomitus fuerit difficilis. II. 16. b.
Vomitum facilitantia. I. 259. a. Ad vomitum stomachus quomodo provocandus. II. 481. b.
Vomitus ciens Infusum cum Nicotiana. III. 82. b.
Vomitus faciunt Juli sambuci. III. 2. a.
Vomitus cur excitent Venus & Luna. I. 377. b.
Vomitus cur in quibusdam subjectis fit frustraneus. I. 714. b. & seq. Quid agendum, si emaneat. I. 715. a.
Voracitatis post febrem noxa. I. 828. a.
Vox qualis sonus. I. 111 b. Ejusdem organa. I. 112. a. Ratio. I. 10. b. II. 643. a. Vitia. II. 198. b. 200. b.
Vox gravis & sonora unde. I. 111. b. Inarticulata per se quomodo articuletur. I. 112. a. Mulierum acuta, gravis unde? I. 10. b. & seq.
Ex quo fundamento surdus naturâ & mutus solo visu & omnium voces intelligens & artificiosè loquens effici possit. I. 112. a.
Brutorum vox modificata est, non articulata. I. 112. a.
Ureteres. I. 95. a.
Urethra. II. 777. a.
Urina quid. I. 9. a. Ejusdem excretio. I. 95. b. Color. I. 733. a. I. 178. b. 97. a. Consistentia. I. 178. a. Corona. I. 180. a. Contenta. I. 180. a. I. 97. a. I. 17. b. Odor. I. 180. b. Vsus medicus. III. 195. b. I. 168. a.
Urinæ constitutio ad sanitatis conservationem. I. 168. a. Vrinæ constitutio in febribus lymphaticis. I. 827. b.
Urina est vel sanguinis vel potus. I. 8. a. I. 96. a. II. 548. a.
Urinæ potus ab urina cruoris secretio. II. 165. a.
Urinam sanguinis constituentia. I. 96. a. In urina sanguinis quæ attendenda Medico. II. 548. b. Tres conditiones in urina sanguinis à Medico observandæ. I. 96. b.
Paracelsi urina triplex. I. 96. a.
Quomodo & per quas vias potus ex primis viis ad vias urinarias derivetur. I. 96. b.
Quomodo urina à sanguine arterioso in renibus secernatur. I. 95. a. An omnis ex sanguine transcoletur. I. 7. b.
Ex urina futuri morbi eventus præsagiri potest. I. 83. a.
Urinarium judicium unde desumendum. I. 21. a.
Urinæ signa dependent à præcipitatione. I. 355. b.
Urina tria prædicit. I. 753. b.
In vrina quomodo pus, genitura & succus chylosus seu pituita distinguenda. I. 834. a.
Nubecula in urina quid signet. I. 17. b.
Urina turbida quid portendat. I. 808. b.
In urinariis affectibus oleum ceræ egregium. III. 217. b.
Essentia urinaria anodyna Michaelis. III. 10. a.
Syrupus in affectibus urinariis. III. 405. a.
Acrimoniam urinæ temperans electuarium. III. 536. a.
Ardor & difficultas urinæ. II. 587. a.
In Ardore urinæ emulsio temperans. III. 563. b.
Excretio urinæ aucta. II. 581. a. Læsa & depravata. II. 575. b. II. 583. b. Abolita. II. 575. b.
Fluxus urinæ colliquativus. II. 266. a.
Fœtor urinæ unde? I. 835. a.
Incontinentia urinæ seu involuntarium profluvium. II. 581. a. Pars affecta & causæ. Ibid. Diagnosis, Prognosis. II. 582. a. Cura. Ibid. Urina quæ satis diu retineri nequit. II. 581. b.
Urinæ infantum incontinentia. II. 944. b. Puerperarum. II. 908. a.
Contra urinæ incontinentiam remedia. III. 208. a. b.
Tria remedia præstantissima contra urinæ incontinentiam. III. 208. b. Urina noctu stragula permingenti bus conveniens. III. 518. b.
Secretio vrinæ nimis aucta. III. 568. b. Urinæ in renibus secretio læsa & depravata. II. 549. b. II. 571. b. Imminuta & abolita. II. 549. b.
Stillicidium urinæ. II. 583. b.
Suppressio urinæ. II. 549. b. In gravidis. II. 872. a. In infantibus. II. 943. a. In peste, ejusque cura. II. 343. b. Puerperarum. II. 908. a. Urinæ suppressio & dolores post partum juncti lochiorum retentioni. I. 935. b.
Urinæ provocatio. I. 283. b. Urinam pellentia. I. 298. b.
In urinæ obstructione allii virtus & usus. III. 10. a. b.
Urinæ suppressæ restitutio beneficio cepæ. III. 30. b.
Ad urinam pellendam Spiritus mellis acidi usus. III. 217. b.
Cataplasma ad suppressionem urinæ in puerpera. I. 576. b.
In urinæ suppressione emulsio. I. 567. a.
Urinæ retentionis in phrenitide cura. II. 751. a.
Decoctum diureticum stimulans urinam. III. 582. b.
In urina cienda pediculorum usus. II. 222. b.
Tinctura urinæ varia unde? I. 416. a. Urinas tingens ficus Indica, Rubiæ tinctorum radix. III. 52. a.
Turbatio urinæ unde? I. 808. b.
Urina clara seu pellucida, turbida seu opaca quid signet. I. 17. b.
Urina cruenta, ejusque causæ. II. 572. a. b. Diagnosis. II. 573 a. Prognosis & cura. II. 573. b. & 574. a. & seq.
Urina humana, ejusque usus. III. 195. b. Salis volatilis urinæ humanæ usus. I. 405. b.

Hydro-

Hydropicorum urina. II. 387. a.
Urinæ Scorbuticorum varietas. II. 431. a.
Urina mariti. III. 487. b.
Urina pinguis & oleaginosa. II. 572. a. Cura. *Ibid.*
Urinæ putredinalis alteratio. II. 556. a.
Urina quomodo in renibus possit putrefieri. I. 171. b.
Urina in pleuritide notha crassa & turbida. I. 823. b.
Urinæ vaccinæ usus in podagra. III. 183. a.
Præparata ex urina. III. 196. a.
Spiritum urinæ parandi modus duplex. III. 452. b.
Urinosum peccans corrigentia. I. 236. b.
Urinosum sal. I. 4. a. Duplex. *Ibid.*
Quæ in regno vegetabili dicuntur acida & urinosa, in minerali vocantur Sulphurea & mercurialia. II. 12. b.
Urinarius meatus. I. 124. b. Ejus vitia. II. 576. b.
Urinoscopia. I. 17. a. Ejus ratio. I. 177. b. *& seq.*
Urinæ inspectio quatenus certos sanitatis reddat, quatenus fallat. I. 177. b. Cautelæ circa urinæ inspectionem. I. 178. a.
Quid urinæ inspectio prosit. I. 17. b. Quæ in ea consideranda. I. 17. b.
Urinæ inspectio in febribus necessaria. I. 808. a. (vid. *Urina.*)
Ursus, ejusque usus medicus. III. 205. b.
Urtica. III. 129. b.
Usneæ cranii humani usus. III. 199. a. I. 405. b. Parandi modus. III. 199. a.
De usnea experimentum Anglicum. II. 123. b.
Uterina. I. 240. b. III. 483. b. III. 487. b.
Inter uterina ferè primatum obtinet melissa, & est eorum basis. III. 498. a. III. 498. b.
Alterantia uterina. I. 254. a.
Uterina aperientia. III. 484. a.
Uterina aromatica. II. 4. a.
Clysterum uterinorum ratio. III. 347. a. (vid. *Injectiones.*)
Uterina Elixyria. III. 359. b. III. 498. b.
Uterinus furor. II. 827. b. 828. b. Causæ. II. 829. a. Diagnosis, prognosis, cura. II. 829. b. Quæ mulieres hoc præ aliis afficiantur. II. 829. b.
Emulsio ex cannabi in furore uterino. III. 26. a.
Uterina suffocatio. II. 834. b. Nasale in suffocatione uterina virginum. III. 404. a.
Tubuli uterini. III. 453. a.
Uterinæ vaginæ angustia. II. 847. a.
Uterus (vid. *Genitalia.*) Ejus vagina, magnitudo, vasa, &c. I. 128. b. I. 129. a. b. Situs. I. 123. b.
Uteri post partum purgamentum. II. 875. a. Tempus. II. 875. b.
Pro utero purgando mercurialis commendata. III. 76. b.
Instrumentum Glauberi singulare in affectibus uterinis. III. 347. b. Ejusdem pro injectione in uterum instrumentum. III. 595. a.
Pessi in uteri affectibus. III. 403. b.
Uteri vitia. II. 830. a.
In uteri Apostemate & fissuris usus momordicæ. III. 78. b.
Uteri aquarum effluxus immaturus in gravidis. II. 873. a.
Uteri excrescentiæ & earum cura. II. 850. a.
Uteri hæmorrhagia (Consultatio). I. 927. a.
Decoctum ad uteri hæmorrhagiam ex vasorum laxitate. I. 571. a.
Pessus in nimia uteri hæmorrhagia. III. 404. a.
Uteri hydrops, ejus causæ. II. 855. b. Diagnosis, Prognosis. II. 856. a. b. Cura. II. 856. b.
Uteri tubæ dextræ hydrops. II. 857. a.
Uteri inflammatio. II. 850. a.
Uteri inflammatio cum gangræna post partum. II. 906. b.
Uteri inflatio seu intumescentia. II. 854. a.
Causa ejus, diagnosis. II. 854. b. Prognosis, Cura. II. 855. a.
Uteri procidentia quid. II. 836. a. 847. b.
Causæ ejus. II. 848. a. Diagnosis, prognosis, cura. II. 848. b. & 849. a.
In uteri procidentia cutis anguillæ usus. III. 211. a. Nec non ovi putridi & corrupti. III. 211. a.
Uteri pruritus, ejus causa, prognosis, cura. II. 827. b.
Uteri suffocatio puerperarum. II. 904. b.
Uteri ulcera. II. 850. b. Clysma in excoriationibus vel exulcerationibus uteri vel hujus colli. III. 594. b.
Uva. III. 126. b.
Uvæ auro tinctæ in Hungaria. III. 57. a.
Uva inversa. III. 88. a. Ejus usus. III. 444. b.
Uvæ passæ. III. 126. b.
Uvas passas esse musium concentratum. I. 398. a.
Uvea. I. 108. a.
Uulnus quid? II. 994. a.
Uulnerum divisio & differentia. I. 377. a. II. 994. a.
Prognosis. II. 995. a. Ejus fundamentum. *Ibid.*
Uulnus lethale quodnam. II. 995. a.
Uulnerum profundiùs latentium diagnosis. II. 995. a.
Uulnerum sitis, ardor. II. 1010. b.
Caro luxurians. II. 1009. b.
Dolor & ejus cura. II. 649. b. 650. b. II. 1009. b.
Erysipelas. II. 1009. b.
Symptomata. II. 1009. a. Inflammatio & ejus cura. II. 1009. a.
Ex vulnere convulsio. II. 712. a.
In ulcera transitus. I. 411. b.
Uulnerum Cura. III. 9. b. II. 996. b. Magnetica seu Sympathetica. II. 1004. a. In eadem axungiæ suillæ usus. III. 203. a.
Uulnera pro climatis & aeris, item Lunæ ratione, nunc faciliùs curantur, nunc difficiliùs. II. 997. b. *& seq.* Cur uno loco vulnera faciliùs curentur quàm altero. I. 163. a.
In vulnerum cura cur Chirurgi non admittant fœminam, metu menstruationis. II. 802. a.
Pro vulneribus recentibus telæ aranearum usus. III. 218. a.
Vulnera quomodo consolidanda. I. 162. a. Olei momordicæ usus in vulneribus consolidandis sine suppuratione. III. 78. b. In iisdem conglutinandis præsentaneum remedium Symphytum. III. 118. b. *Ibid.* Vulnerum consolidationis impedimenta. III. 9. b.
Vulnera mundificat mel. III. 217. a.
Heterogenea ex vulneribus extrahendi ratio. II. 999. b.
Pro heterogeneis partibus ex vulnere extrahendis linguæ vulpis usus. III. 206. b.
Vulnerum fasciatio, sutura, agglutinatio &c. II. 999. b. & 1000. a.
Brassicæ usus in vulneribus. III. 23. b.
Decoctum Pyrolæ ad vulnera. III. 98. a.
In vulnera Injectiones. II. 1014. b.
Linimentum in vulneribus quibuscunque. III. 138. b.
Vulnerum curationem impedientia. III. 9. b.
Vulnera abdominis. II. 1008. a.
Articulorum. II. 1008. a.
Capitis, & eorum cura. III. 1008. a.
Cum contusione facta, eorumque cura. II. 1004. a.
Cranii, & eorum cura. II. 1008. a. b.
Neruorum, & eorum cura. II. 1007. a.
Pectoris. II. 1008. a.
Cordis, pulmonum, diaphragmatis &c. vulnera quatenus lethalia. II. 995. a. b. *& seq.*
Sclopeto, ictu &c. facta, eorumque cura. II. 1003. a. b. 1004. b.
Venarum & arteriarum. II. 1006. a.
Venenata, maligna, ex morsu animalium, venenatis armis &c. cum cura. II. 1005. a. b. *& seq.*
Vulneris à rabido animali inflicti cura. II. 772. a.
In vulnere sanato sine sectione denuò aperiendo alsines usus. III. 10. b.
Vulneraria. I. 240. a. 337. a. b. 411. b. II. 3. b. 1000. b. III. 9. b. 515. a.
Sunt imprimis etiam diuretica. III. 128. b.
Quomodo differant à balsamicis, &c. II. 1013. b.
Internè vix usurpantur, nisi pro scopo pectorali. III. 515. b.
Singulare vulnerarium est anagallis. III. 12. b.
Vulnerarium balsamum Mindereri. III. 217. b. Balsami Peruviani usus vulnerarius. III. 134. b.
Decoctum vulnerarium. III. 211. b. III. 519. b. III. 582. a. Internè & externè usurpandum. I. 571. a. Optima methodus componendi decocta vulneraria. III. 107. b.
Hyperici insignis usus vulnerarius. III. 64. a.
Lapillorum cancrorum usus vulnerarius. III. 212. b.
Vulnerarium egregium lignum fraxini. III. 55. a.
Specificum in vulnerariis Millefolium. III. 78. a. b.
Mistura vulneraria. III. 519. b.
Momordicæ vis vulneraria. III. 78. b.
Vulnerarium excellens Nicotiana. III. 83. b. Balsamum ex ea. *Ibid.*
Vulneraria olea, unguenta, emplastra &c. III. 517. a. b.
Usus vulnerarius plantaginis. III. 92. b. *& seq.*
Potiones vulnerariæ. III. 107. b. Earum præcipuum ingrediens agrimonia. III. 9. a.
Pulvis vulnerarius. III. 515. b.
Vulnerarium sal volatile lapidum cancrorum. I. 405. a.
Symphyti vis vulneraria. III. 118. b.
Unguentum fuscum vulnerarium Wurzii. I. 360. a.
Vulneraria Vegetabilia. III. 515. a.
Vulnerariæ febres, earum Diagnosis, Prognosis, Cura. II. 1010. b.
Vulneratarum partium atrophia. II. 1010. b. Convulsio. *Ibid.*
Vulpis usus medicus. III. 206. a. Præparata medica. III. 206. a. Pulmo. III. 487. a.
Vulva (vid. *Genitalia muliebria.*) Ejus orificium. I. 128. b.

Ruptu-

Ruptura post partum. II. 906. a.
Decoctum pro constringenda vulva. III. 9. b.
Uvula. Diaclysma in affectibus uvulæ. III. 371. b.
Uvulæ inflammationis cura. II. 488. a.
In laxatione gargarisma. III. 66. a.
In prolapsu gargarisma. III. 520. a. Prolapsus cura. II. 487. b.
Gargarisma adstringens in prolapsu uvulæ. III. 595. b.
Uvula exulcerata. II. 487. b.
Uvularia. III. 129. b.

X.

Xyloaloe. III. 497. a.
Xylobalsamum. III. 19. b.
Xylocassia. III. 497. a.

Y.


Ὑπόχυμα, ὑπόχυσις. II. 636. b.
Ypsiloides. I. 116. b.

Z.

Zederach. III. 110. b. III. 481. a.
Zedoaria, ejusque usus. III. 129. b. III. 444. b.
Zenith juvencularum. III. 195. a. III. 487. b.
Zibebæ. III. 126. b. III. 507. b.
Zibethum. I. 319. b. III. 189. b. III. 503. b.
Zibethi virtus. III. 190. a. Usus in linimentis. III. 612. a. Odor amissus ut restituendus. I 114. a.
Zibethum occidentale. III. 183. b. III. 487. a. Ex stercore humano. III. 197. a.
Zinckum. III. 306. b. III. 514. b. Ejus flores. III. 514. b. Usus. III. 514. b. Præparata. III. 306. b. & seq.
Zingiber. III. 130. a. III. 484. a. Ejus vis stomachalis. I. 242. a.
Zodiaci signa à veteribus in quatuor classes distributa. I. 443. b. Triplicitates. *Ibid.*
Zoologia. III. 180. a.

FINIS.





La Predestinazione

Quotiam esse tutti predestinati [illegible]

Dio vol tutti salvi.

Dio ci ha spirati [illegible] — purchè ossia bene

Dio ci ha dato il libero arbitrio

Facilità di Salvarsi

Purchè siamo zelosi della nostra salute
siamo assistenti alli [illegible]
siamo coraggiosi nel vincere

Spirito riformatore

Spirito retto
Spirito santo
Spirito conservatore

Mormorazione che ferisce

Chi mormora
Di chi si mormora
et chi ascolta

Paradiso in cui

si vede Dio
si ama Dio
si gode possiede Dio

Rispetto delle Chiese
grave peccato perche
Peccato di lesa divina maestà
di Idolatria.

Maddalena penitente

Si fu perdonato perche fu molto amante

Chi fa qualche negozio e non conosce
Sa che i suoi denari si van [illegible] mosche

Questo [illegible] sono e più [illegible]
[illegible].

L'anima in mano de' demoni
Il Corpo in mano de' medici
La roba in mano de' giudici
L'onore in mano delle donne.

[illegible] più probabili
con la diversità de pareri
con il desiderio degli altri
che sono di sesso debole